Biblioteca
Sala
Estante
Tabla
Número

Congrego del Sr. Jorge Semelman empo. Bl. Pertenece a. S. Colegio de

R-12.355

THESAVRVS

CATHOLICVS,

in quo

CONTROVERSIAE FIDEI,

IAM OLIM NOSTRAQVE MEMORIA EXCItatæ, SS. Scripturarum, Conciliorum, & SS. tam Græcorum quàm Latinorum Patrum Testimonijs, à temporibus Apostolorum ad nostram vsque ætatem deducta successione, explicantur: Catholicæ Ecclesiæ CONSENSVS perpetuus, instar Catenæ connexus, proponitur:

Ad Orthodoxorum omnium confirmationem, nutantium instructionem, & hostium veræ Fidei confusionem, magno studio, immenso labore, ac singulari industria conscriptus

A Reuerendo Doctissimoque D. IODOCO COCCIO Bileueldiano, Theologo, & Canonico Iuliacensi.

Opus non solùm Theologis, Concionatoribus, & Ecclesiasticis alijs vtile, sed omnibus, veræ fidei, pietatis, ac Christianæ antiquitatis amantibus, summè necessarium.

Adiectis INDICIBVS necessarijs.

2 400 40 Clarke MAGN. IN SPAIN

COLONIAE
Ex officina Typographica Arnoldi Quentelij.
Anno Domini M. DC.

Cum Gratia & Priuilegio S. Cæsareæ Maiestatis ad decennium.

BIBLIOTECA MVSEO BALAGUER

3
B-62

Biblioteca Pública Estatal
Sala
Estante
Tabla
Número

BIBLIOTECA
UNIVERSITARIA

Congrs de el Dr Jorge Semelman en pro BM Bertenev a S Collegio de
B-12.355

THESAVRVS

CATHOLICVS,

in quo

CONTROVERSIAE FIDEI,

IAM OLIM NOSTRAQVE MEMORIA EXCItatæ, SS. Scripturarum, Conciliorum, & SS. tam Græcorum quàm Latinorum Patrum Teſtimonijs, à temporibus Apoſtolorum ad noſtram vſque ætatem deducta ſucceſſione, explicantur: Catholicæ Eccleſiæ CONSENSVS perpetuus, inſtar Catenæ connexus, proponitur:

Ad Orthodoxorum omnium confirmationem, nutantium inſtructionem, & hoſtium veræ Fidei confuſionem, magno ſtudio, immenſo labore, ac ſingulari induſtria conſcriptus

A Reuerendo Doctiſsimoque D. IODOCO COCCIO Bileueldiano, Theologo, & Canonico Iuliacenſi.

Opus non ſolùm Theologis, Concionatoribus, & Eccleſiaſticis alijs vtile, ſed omnibus, veræ fidei, pietatis, ac Chriſtianæ antiquitatis amantibus, ſummè neceſſarium.

Adiectis INDICIBVS neceſſarijs.

COLONIAE

Ex officina Typographica Arnoldi Quentelij.

Anno Domini M. DC.

Cum Gratia & Priuilegio S. Cæſareæ Maieſtatis ad decennium.

BIBLIOTECA
UNIVERSITARIA

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, D. IOANNI GVLIELMO, DVCI IVLIAE, CLIVIAE, ET MONTIVM: COMITI MARCHIAE, ET RAVENSBVRGI: DOMINO IN RAVENSTEIN, &c. DOMINO SVO CLEMENTISSIMO.

MVLTA de Catholicæ fidei dignitate, iuxta & hæreſeos malitia à Sanctiſſimis Patribus, Eccleſiæ Doctoribus dicta præclarè, ſcriptaque ſapienter accepimus, Illuſtriſſime Princeps, Domine Clementiſſime. NVLLAE SVNT, illorum iudicio, MAIORES DIVITIAE, NVLLI THESAVRI, NVLLI HONORES, NVLLA MVNDI HVIVS MAIOR SVBSTANTIA, QVAM FIDES CATHOLICA, vt non vno in loco D. Auguſtinus loquitur. Contra nullum malum Reipub. nocentius, nulla peſtis capitalior quàm hæreſis: quam ob id infidelitate peſtilentiorem Epiphanius perhibet; perinde atque Chryſoſtomus, & Auguſtinus hæreticum paganis, publicanis, & quibuſuis peccatoribus longè deteriorem eſſe affirmant. Aſperius quidem iſta vulgo dici videntur, nec benignis animis accipiuntur: nihil tamen tam aſperum atque acerbum in hæreſim & hæreticum hominem dici poteſt, quod non malignitas vtriuſque exſuperet. Malignitas iſthęc quanta ſit ſuperioribus ſæculis compertum fuit, quando Arius magnas Eccleſię turbas dedit: qui parua initio ſcintilla, ſed quia non ſtatim oppreſſa eſt, tantas vires accepit, vt in totius penè Chriſtiani orbis incendiũ veluti flãma ingens exarſerit. Idem magno ſuo malo noſtra ac patrum memoria ſenſit Germania, ſenſit & nobiliſſima Gallia, vbi Lutherus, Zvvinglius, Caluinus, cæteræ peſtes vno paruo in angulo ſuum virulentum dogma ſparſerunt: ſed pãũlatim in omnium ferè Chriſtianorum terras hæreſim

Serm. 1. de verb. Apoſt. & Serm. 181. de Tẽpore c. 12 In Anchorane. Chryſoſt. Hom. 50. ad popul. Antiocb. Aug. lib. 21. de Ciuit. Dei cap. 25.

Hieron. in cap 5. ad Galat.

ſuam, & cum hęreſi tumultus, ſeditiones, odia, diſſidia, atque bella exitialia cum innumerabilium hominum ſtrage transfuderunt.

Cęterùm in iſta hæreſeon malignitate magnam Dei Opt. Max. benignitatem videre eſt, qui, vt ex malis nouit bona elicere, ſic etiam ipſas hęreſes, quantumuis fœtidas, vbi ipſo permittente graſſari cœperint, in magnum aliquod bonum ſolet conuertere. Nec omnino excitari eas pateretur, niſi ex ijs & nominis ſui gloriam illuſtrare, & fidei ſplendorem ac fidelium ſalutem promouere atque amplificare intenderet. Per hæreſes namque & ſchiſmata multorum in fide Catholica probatur conſtantia: qui patriam, honores, fortunas ſuas & vitam, demum quidquid homini in vita carum eſſe poteſt, malint amittere, quàm Nouatorum fabulationibus acquieſcere. Quorum certè neque hominibus in hoc ſæculo cognita atque perſpecta eſſe potuiſſet in Deum fides ad aliorum ædificationem, neque à Deo in cælis coronari conſtantia ad propriam ipſorum felicitatem, niſi Aduerſariorum fraudibus tentati atque impugnati fuiſſent. Deut. 13. *Tentat vos Dominus Deus veſter*, inquit Moyſes ad populum Iſraeliticum, de pſeudoprophetis loquens, *vt palam fiat, vtrum diligatis eum, an non, ex toto corde veſtro.* Et Apoſtolus ad Corinthios: 1. Cor. 11. *Oportet hæreſes eſſe, vt qui probati ſunt manifeſti fiant in vobis.* Iam hoc etiam commodi hęreſes afferunt, quòd Paſtores & Doctores Eccleſiæ excitantur, vt ad defenſionem fidei Catholicæ, dum ab hæreticis oppugnatur, maiore vigilantia & ſtudio incumbant. Ac velut Iudæi olim ex captiuitate Babylonica reuerſi, cùm in templi reædificatione vicini ipſos impedirent Samaritani, vna quidem manu laborabant, altera verò contra hoſtes gladio decertabant: ſic, qui eſſe ſtudent quod dicuntur, Paſtores & Doctores, in ædificatione Eccleſię ſedulò id dant operam, vt non ſolùm fideles exhortentur & confirment in ſana doctrina, verùm etiam contradicentes arguant, & Aduerſarios ab oppugnatione domus Dei gladio ſpiritus fortiter repellãt. Hoc

1. Eſd. 4.

Tit. 1.

modo

modo contra Baſilidis, Valentini, & Marcionis hæreſim ſeſe armârunt Polycarpus, Irenæus, Tertullianus: Ario, Donato, Pelagio reſtiterunt Athanaſius, Baſilius, Hilarius, Optatus, Ambroſius, Hieronymus, Auguſtinus. Contra alios hæreſiarchas alij ſancti Patres in arenam deſcẽderunt, manum cum hoſtibus conſeruerunt, Catholicã Eccleſiæ doctrinam non modò libris editis, ſed plerique etiam ſanguine effuſo confirmârunt. Neque verò hoc noſtro infelici & hæreſeon feraciſſimo ſæculo ſponſæ ſuæ Eccleſiæ Chriſtus defuiſſe putãdus eſt, cui ſuam & Spiritus ſancti perpetuam aſſiſtentiam toties promiſit. Quin mox vbi Lutherus, Zvvinglius, Caluinus, cęteræ peſtes Remp. Chriſtianã prauis doctrinis turbare atque inficere cœperunt, benigniſſimus Dominus quàm plurimos ac penè innumerabiles ex omnibus orbis partibus pro defenſione veræ fidei fortiſſimos athletas in aciem eduxit: qui aſcendentes ex aduerſo, tamquam murũ pro domo Dei ſe oppoſuerunt, hoſtium impetum fregerunt, obturauerũt ora leonum, fortes facti in bello. Quorum opera ac ſtudio quæ ab hæreticis in controuerſiam vocabantur fidei dogmata, adeò perſpicuè, ſolidè, ac neruosè tractata & confirmata ſunt, vt neque clarius, neque ſolidius antehac explicata fuiſſe videantur. Verè itaque & magno iudicio illud, vt omnia, D. Auguſtinus cenſuit, » HAERETICOS MALO SVO VERIS CATHOLICIS CHRISTI » MEMBRIS PRODESSE, dum Deus vtitur & malis bene, & » *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Multa quippe » ad Catholicam fidem pertinentia, inquit idem alibi, » dum hæreticorum callida inquietudine exagitantur, » vt aduerſus eos defendi poſſint, & conſiderantur diligentius, & intelliguntur clarius, & inſtantius prædi» cantur, & ab Aduerſario mota quæſtio, diſcendi exi» ſtit occaſio.

Matt. 28. Ioan. 16.

Hebr. 11.

Lib. 18. de Ciuit. Dei cap. 51.

Rom. 8. *Lib 16. de Ciuit. Dei cap. 2. Vide eundem epiſt 105. & lib. de vera relig. c 8. de Geneſi, cõtra Manich. lib. 1. cap. 1.*

Nihil attinet hoc loco ſeorſim enumerare eos, qui noſtra memoria Catholicam religionem aduerſus hęreticorum blaſphemias defenderunt, quòd & multitudine innumerabiles, & fama atq; excellentia nomi-

nis propter insignem doctrinam cum eximia pietate coniunctam satis illustres ac noti sint omnibus. Vnus mihi IODOCVS COCCIVS prętereũdus non est, qui in asserenda religione Catholica, cognoscendisque & confutandis, quę ab initio prędicatæ fidei ad nostra vsque tempora vsquam sparsæ sunt, hæresibus multum operis ac studij posuit, vt totos viginti quatuor annos in hoc suo opere consumpserit. Magnum sibi operæpretium facturus videbatur, si omnia fidei capita prędipua in vnum quasi Corpus contraheret, ac in singulis primò hæreticorum, qui vnquam extiterunt, absurdas, varias, & discrepantes opiniones notaret; deinde ad easdem penitus euertendas sanam & orthodoxam ex sacris Scripturis, Concilijs, Patribus, sensu denique & consensu Ecclesiæ doctrinam quasi per antithesin opponeret. Id si perfecisset, magnũ se Ecclesiæ fructum allaturum sperabat, multosq; Aduersariorum fraudibus circumuẽtos in viam reducturum. Et rectè sanè. Nam si quis hæreticorum opinationes attendat, quàm sint absurdæ, varię etiam & pugnantes, vel easdem ad primam originem reuocare studeat, atque in primis suis Auctoribus iam olim magno consensu damnatas fuisse à sanctissimis nostris Maioribus animaduertat; non potest non illorum commenta omnia protinùs respuere. HAERESES enim AD ORIGINEM SVAM REVOCASSE, CONFVTASSE; HAERETICORVM SENTENTIAS PRODIDISSE, SVPERASSE EST, Hieronymi iudicio. Contra qui in Ecclesia Catholica de omnibus maximis minimis fidei dogmatibus eandem semper & vbique ab omnibus Doctoribus retentam sententiam, omnium quoque *credentium cor vnum & animam vnam* cognouerit, proculdubio hac vna nota doctrinam veritatis à sola Ecclesia petendam sibi persuasum habebit.

Epist. ad Ctesiphõtem.

Opus hoc & verè THESAVRVM CATHOLICVM, tot annis magno studio & industria elaboratum, Celsitudini Tuæ, Illustrissime Princeps, offerre ac dedicare placuit. Sic Auctoris extrema voluntas fuit, quam mihi in multorum testium præsentia exposuit,

exposuit, paulò ante quàm ex hac vita morte, si non sibi, nobis saltem immatura, multis vigilijs & laboribus fractus decederet. Adhoc, Catholicum opus Controuersiarum Fidei non nisi Càtholico & pientissimo Principi duxi inscribendum, quòd is eiusdem Operis defensionem aduersus maleuolorum calumnias pro suo in Ecclesiam & Religionem Catholicam ardentissimo zelo volens libens susceperus videretur. Postremò, quoniam Author sub tua Illustrisimę Celsitudinis ditione vitæ principium & finem accepit, oppido Bileueldiensi in Comitatu Rauensburgensi natus, Iuliaci magnam vitę partem traduxit, totumque hoc Opus confecit, poterat sanè eiusdem Operis nuncupationem Tua Celsitudo suo quodã iure sibi vendicare. Quod vt à morte Authoris posthumum mecum vnà in suam fidem & clientelam benigno animo suscipiat precor, eandem cum Sereniissima & pientissima sua Coniuge Deo Opt. Max. humillimè commendans. Raptim Iuliaci ex Castro Celsitudinis Tuę 25. Augusti, Anno post natum Christum M. D. XCIX.

Tuæ Illustrissimæ Celsitudinis

Humillimus Sacellanus

Laurentius Triuius.

PRAEFATIO AD CHRISTIANVM LECTOREM.

VT, Lector candide, diuinas Catholicæ fidei ac religionis opes, quas volumen præsens cumulatè exhibet, in ipso lectionis aditu quoquo modo perspiceres; atque ita hoc THESAVRO CATHOLICO, instar illius Euangelici, inuento, alacrior existeres ad eum tibi comparandum, omniq́ue studio euoluendum; diuitijs etiam, quas offert, perfruendũ, de Operis materia atque partibus; tum Auctore, scriptionis occasione atque scopo, præfari paucis operæpretium fuerit. Quæ cùm ad commendandam laboris huius dignitatem, præstantiam atque fructum momenti habeant multum; tum explicata ab Auctore ipso, cui consilij sui rationes plenius erant compertæ, certiorem vtique, gratioremq́ue Operis protheoriam exhibuissent. Verùm quando ille, simulatque liber prælo cœpit subijci, ex misera hac ad vitam feliciorem Dei nutu est euocatus: atque ita beneficio singulari eius, qui coronat in misericordia & miserationibus, cum sempiterna gloria iustitiæque corona, omnibus qui cursum suum consummarint feliciter, repositа promissum his, qui ad iustitiam erudiunt multos, fulgorem splendoremque cælestem adeptus, hoc officio defungi non potuit; nos, Lector pie, neque tuorum studiorum commodis, neque sanctis illius desiderijs ob fraternam dilectionem, hac in parte deesse potuimus.

Matt. 13.

Psal 10

2. Tim. 4.

Dan. 12.

Materia Operis.

Quod itaque ad materiam Operi nostro subiectam attinet, est illa CONTROVERSIARVM PENE OMNIVM, quæ in Ecclesia de fide ac religione, vel iam olim fœrunt motæ, vel nostra agitantur ætate, EXPLICATIO. Vnde de eximia laboris huius præstantia, fructuq́ue singulari censere cuiuis procliue fuerit. Cùm enim ea veræ religionis vis sit, vt per illam, teste Augustino, ab ea vitiositate, qua dæmonibus sumus similes, liberemur, &, quot quot vnquam placuerint Domino, vna Dei sapientia sanatos sacræ literæ testentur; Dauid etiam perspiciens humanarum cogitationum vanitatẽ, illum meritò, quem Dominus erudierit, suamque docuerit legem, beatum pronuntiet: illud in primis perspicuum, nullam, neque iustitiæ, neque salutis patere viam, nisi eam veræ religionis notitia homini muniat. Hanc verò doctrinæ sacræ perceptionem, quando non dubiam, non ancipitem; sed certam, constantem, immotam esse oporteat, quis nisi impius, aut planè hebes, rerum de fide controuersarum certam, &, quantum causa possit ferre, claram enodationem Ecclesiæ, & salutarem, & necessariam non intelligat? Sed ætas nostra, hæresum, si quæ alia, variarum feracissima, duas orbi Amphidoxorum sectas peperit, quæ cùm impietatem suam libertatis pacisque nominibus velent, tum sublata omni propemodum, quæ de religione posset verti, quæstione, hanc de controuersijs Ecclesiæ discutiendis curã superuacaneã efficiunt. Earum quidem alteram è Pelagianis fœcibus haustam, libro edito Puccius quidam Filidinus nuper admodum mundo propinauit. Qui, vniuersè quamlibet omnino fidem & religionem probans, in qualicunque, etiam Ethnica, Iudaica, Turcica; nedum Christiana, Lutherana, Caluiniana, aliysque id genus omnibus salutem perfidè promittit. Sed istius impietas, quòd inter Christianos esset inaudita, & expeditam ad Atheismum aperiret viam, non solùm Catholicorum, sed & Sectariorum scriptis publicis statim repressa est. Alteram autem, ex hæreticorum veterum lacunis, præsertim Apellis, depromptam, ante annos non adeò multos Cassander euulgasse perhibetur. Vt enim ille, Euse-

Amphidoxorum sectæ.

Franciscus Puccius Filidinus li. de Christi Seruatoris efficacitate. Nicolaus Serarius S.I. cõtra nouos nouos Pelagiani Franc

Aug. de Ciu. Dei lib. 8. c. 17. Sap. 9. Psal 93.

bio teste, non discutiendam fidei rationem, in Christum credere sat esse sentiebat: ita hic, pietas, inquit, breuissimi verbi, hoc est, mortui & resuscitati Christi professores, & fides voluntatis suæ executores requirit. Nimirũ fidem omnem ad salutem valere quæ in Christum sit, etsi in cæteris dubia, varia, atque dissona existat, censuisse videtur. Quare & vnicuique suam permittendam fidem, sacram modò Scripturam, & Symbolum Apostolicum recipiãt, docuisse Bellarminus memorat. Quæ opinio, quãuis rationibus optimis simul atq; prodyt per Ioannem Hesselium Catholicum, ac Ioannem Caluinum hæreticũ confutata sit: tamen vulgò à tam multis cum applausu tanto admissa atq; approbata est, vt hinc propè infiniti licentiam sibi sumant credendi quod velint. Quin ad Ecclesias dissidijs doctrinæ turbatas, ac conscientias varietate opinionum pugnantium perplexas dextrè tranquillandas, Imperatorem Zenonem & veteres illos, de quibus Euagrius, secuti pacificatores, vnicam hanc rationem ineũt, vt animos certis assentiendi rebus fidei legibus soluant, dubiè ac incõstanter de mysterijs grauissimis opinari permittant, studium atque operam in cognoscenda veritatis certitudine non necessariam ducant, diligentiam demum omnem in expediendis modis, quibus sanctissimæ religionis scita malè opinantium peruersitate inuoluta sunt, aut velut inutilem ac superfluam rideant atque respuant; aut quasi exitiosam, & ad perennes serendum lites accommodam fugillent atque condemnent.

Euſ. hiſt. lib. 5. c. 13. Caſſand. lib. de Officio pij & verè pacis amantis viri. Bellarm. de Laicis lib. 3. c. 19. I. Hoffels & Caluinº libris de Officio pij viri. Euagrius hiſt. li. 3. c. 14. 15. & 30.

Verùm malè illa cum D. Pauli doctrina cohærent. Si enim Christianos in fide fundatos atque stabiles esse oportet; si non omni doctrinæ vento conuenit circumferri; si verbum fidei verè Dei verbum est; si fides rerum sperandarum substantia, non apparentium definitur elenchus, argumentum, seu cõuictio; si denique intellectum in obsequium fidei decet esse captiuum, equidem & doctrinæ Christianæ assensum non lubricum, incertum, dubium; sed firmum, certum, constantem præbeamus oportet. Neque etiam istorum opinio exemplis sacris probatisq́; consentanea est. Nam si in quæstionibus fidei quibuscunque, aut saltem grauioribus, in neutram partem animi assensum inflectere, aut in alterutram citra conscientiæ labem declinare liberum licitumque sit; dicant, cur Deus in populo veteri certum constituerit iudicem, cuius sententiæ sub mortis comminatione fuit parendum? cur Seruator noster Pharisæos, Scribas, Sadducæos suorum errorum tam acriter coarguit? cur Apostoli, oborta de obseruanda lege Mosaica contentione, suum ac sancti Spiritus interponunt decretum? cur denique Paulus passim in pseudoapostolos tanto ardore insurgit? hæreses, sectas, dissidia insectatur, & Episcopos desiderat, qui veræ fidei contradicentes conuincere possint? Quid ego hîc de orthodoxis Patribus? Equidem inuenias in his doctissimos & sanctissimos quosque, haud pauciores contra Ethnicos, Iudæos, & hæreticos reliquisse libros polemicos; quàm ad sacræ Scripturæ explicationem, aut Ecclesiæ institutionem exegeticos, didacticos, paræneticos scripserint. Extant apud Græcos Origenis, Irenæi, Iustini, Eusebij, Basilij, Nazianzeni, Epiphanij, Theodoreti, Damasceni: itemq́ apud Latinos Tertulliani, Cypriani, Hilarij, Ambrosij, Hieronymi, Augustini, Prosperi, Bernardi & aliorum plurimorum opera, in quibus, quantum eorum industria in hac palæstra desudârit, liquidò videre est. Sed homines videas adeò siue imperitos, siue maleuolos, vt controuersias à veteribus tractatas cum nostris comparari nolint. Quòd illi quidem cõtra Ethnicorum ac Iudæorum perfidiam decertârint, & ex hæreticis illos modò oppugnârint, qui errores in præcipua religionis nostræ capita inuexerant; nostræ autem cum Nouatoribus concertationes, neque de momenti magni negotijs institutæ sint, neque ad euidens salutis discrimen pertineant. Quibus responsum velim, errores, quos olim Manichæi, Ariani, Samosateni, Eutychiani, Berengariani docuêre, ab ætatis nostræ Anabaptistis, Trinitarijs, Vbiquitistis, Sacramentarijs defendi: Et quas de Ecclesia, de Baptismo, de Sanctorum cultu, & imaginibus, de oratione pro defunctis, & ieiunijs, de merito virginitatis, & id genus alijs mouent Nouatores hodierni controuersias, de ijsdẽ iam olim Hieronymum, Augustinum, Epiphanium, Damascenum, ceterosq́; Patres, cõtra Donatistas, Aërium, Iouinianum, Vigilantium, Iconomachos, aliasq́; pestes scripsisse. Quin ego, ad Patres quod attinet, affirmare au-

Deut. 17. Matt. 23. Mar. 12. Act. 15. 2. Cor. 11. Gal. 5. Tit. 1.

Patres qui aduersus hæreticos & aliorũ errores scripserunt.

sim, quòd quæ præterea inter nos & aduersarios vigent dissensionis capita, eadē ferè omnia ab illis ipsis, si nō iustis operibus & tractatibus sint disceptata & discussa, saltem sparsim ad eū esse attacta ventilataq; modū, vt in litigiosis hodie quæstionibus nihil videantur præter misisse, quòd nostri seculi Doctoribus, diuino accensi spiritu, doctrinæ Catholicæ quasi facem præferrent, quæ ad errorum tenebras, quibus Nouatores fidem auitam obscurare nituntur, veritatis luce dispellendas, fructuosè fulgeat. Hæc mihi viuis cōprobare exemplis operosum non esset, nisi nostrum Opus ea locupletissimè offerret.

Quæ si cui non satis magnam videbuntur habere vim ad viros eruditionis laude præstantes excitandum, vt conatu simili pro domo Dei in acie contra fidei hostes stare, & consilijs, verbis, scriptis pugnare operæpretium ducant; saltem inquietus aduersariorum furor, & insana rabies necessitatem his, qui aliquo religionis ac pietatis pristinæ tanguntur sensu, imponat. Quàm hodie multiplices, nefariæ ac pestilētes hæreses ab orco in terrarū orbem reuocatæ, per plurimas totius Europæ florentissimas prouincias ac regna volitent, quis tam cæcus vt non videat; aut tam vecors, vt non sentiat? Verè nunc oraculum illud Ioannis impleri cernimus: Et quintus Angelus tuba cecinit, & vidi stellam de cælo cecidisse in terram, & data est ei clauis abyssi, & ascendit fumus putei sicut fumus fornacis magnæ, & obscuratus est sol & aër de fumo putei. Et de fumo abyssi exierunt locustæ in terram, & data est illis potestas sicut habent scorpiones, &c. Hæc enim rectè in hæresibus, Luthero incentore in orbem effusis, sortiri effectum docta & eleganti oratione R. P. Bellarminus iam pridem probauit, & res ipsa loquitur. Etenim Satanicam nouorum hominum in hæresibus recentibus excogitandis, veteribus reuocandis, vtrisq; disseminandis, fucandis, ac propugnandis solertiam, astutiam, audaciam atq; rabiem si intueamur, cælū ab ijs miseri terræ, omnia sacris ardere bellis, prælijs cruentissimis decertari, ac infesta in nos inferri signa deprehendemus. Vt taceam de alijs, de libris modò dicam & scriptorū monumentis, quibus ceu instrumentis mortiferis pietatē peruertunt, animas interimunt, non eorum modò, quos habent præsentes atq; obuios; sed & qui procul sunt dissiti atq; posteri erunt. Videas in illis nullum neq; corruptelarum, neq; fraudum, neq; maledicentiæ, neq; impietatis, neq; mendaciorum modum, vt COCCIVS noster, cùm toto hoc opere; tum suo loco ex ipsorum scriptis, copiosè demonstrat. Cùm autem, qui adscribendum se ex illis componant inueniantur plurimi, tum numero tanto euulgārunt libros, vt ijs per vniuersam prope Germaniam, Galliam, Poloniam, Angliam, Scotiam, Daniam non hæreticas solùm officinas, domos atque angulos oppleuerint: sed & in Catholicas regiones, vrbes, bibliothecas tam frequentes irrepserint, vt quis citius Augiæ stabulum, quod tantum habuit congesti fimi, quantum ter mille boues annis pluribus reddere poterant, repurgârit, quàm illos vel ab impuritate sua emendârit, vel de omnium manibus excusserit. Quis recensere posset, quos illi intra hos annos octoginta Catechismos, institutiones, confessiones, locos communes, doctrinæ methodos, syntagmata, apologias, aliosq; id genus libros dogmaticos, vt omittam alios, typis excusos sparserint? Quibus cùm velut in sentinas hæresum & antiquarum & recenter inuentarum venena infuderint; tum titulis, quos præferunt, speciosis, ceu sculptis eleganter poculis, haustum errorum pestiferum orbi nimis eheu credulo malitiosè propinant. Porrò ad tam pernicios as comprimendum molitiones iam inde ex quo de religione lis cœpta à viris doctissimis prouidè factū, quod continenter venenatis Nouatorum scriptis, ceu antidota, libros opposuerint Catholicos. In horū multitudine, varietate ac præstantia, quantum ad doctrinam orthodoxam conseruandam, restituendam, propagandam sit præsidij, viri duo doctrina, pietate, religionis zelo præcellentes, Georgius Ederus, ac Ioannes Cochlæus prudenter obseruârunt, hic quidem inter ea media, quæ ad componenda dissidia Romæ Pontifici Adriano 6. obtulit, illud etiam probauit, præcipiendum Episcopis, vt viris doctis, qui scriptis suis hæreses impugnant, auxilio essent: nec modò eorum studia fouerent; sed & pro typographis necessarios sumptus suppeditarent. Ille verò, etsi professione Theologus non esset, sed Iurisconsultus, & S. Cæsareæ M. à consilijs: edito tamen ex

Patrum

Apoc. 9.

Bellar. in fine Tomi 3.

Coccius Tom. 1. lib. 8.

Lucian in pscudomāte.

Ioannis Cochlęo Miscellan. li. 2. tract. 4.

Patrum sententijs, dedicatoq; Gregorio 13. hæreticorum Malleo, deplorat officio suo non diligentius defungi, quibus ex professo conuenit hæc publica scribendi prouincia. Qui quando, inquit, vel ignorantia impediti, vel inertia & otio dissoluti, os suum aperire nolunt; tandem vel muti & infantes eloqui, & lapides ipsi, quod res est, testari, & veritati testimonium præbere cogentur. Neq; est quòd hîc quispiam, post tot seculi nostri Scriptores, per quos iam pridem controuersiæ omnes plenè, eleganter, solidè sunt tractatæ atq; decisæ, operam doctorum hominum nec necessariam, nec profuturam existimet. Præclarè D. Augustinus post plurimorum de SS. Trinitate libros, suos quoq; euulgaturus: Vtile est, inquit, plures libros à pluribus fieri, diuerso stylo, non diuersa fide, etiam de quæstionibus eisdem, vt ad plurimos res ipsa perueniat, ad alios sic, ad alios verò sic.

Georg. Ederus in epist. dedicatoria Malleī hæreticorum.

Aug. de Trinitate libr. c. 3.

Quod cùm vir sanctissimus de quæstionibus vario ac multiplici dictionis genere tractatis verè affirmet: tum longè verius esse deprehendimus, si de materia eadem diuersa methodo atq; partium dispositione scribatur. Cùm n. ingeniorum varietas sit infinita, fit ratione ea, vt pro cuiusq; captu res, quæ traduntur, & facilius in animos influant, & firmius inhæreant memoriæ, & ad vsum expeditius depromantur. Nauis cuiusdam Phœniciæ meminit Xenophon, & eius quidem perauguſtæ, quæ cùm armorum, instrumentorum, merciū ac supellectilis cuiuscunq; generis immensa varietate & multitudine repleta esset, singula tamen in ea tam artificiosè collocata & solerti ordine disposita erant, vt & sine impedimento per nauem discurrere, & in tanta rerum multitudine singula oculis contueri, & ad manum rem quamq; paratam habere & inuenire quisq; posset. Simile quiddam in libris, multiplici quidem rerum varietate refertis, attamen ordine concinno & apta quarumq; partium collocatione digestis, euenire manifestum est. Vt proinde COCCIVS noster insignem videatur præstitisse operam, & ad controuersias cognoscendas ac diiudicandas apprimè vtilem. Integrum exhibet vno opere cōtrouersiarum Theologicarum corpus, quod in Tomos duos, indeq; suos libros, velut membra, dispartitum, quæstionum singularum puncta in suos articulos ordine apto deducit atque distribuit. Hos autem nouo, ac inusitato quidem controuersiarum disceptatoribus modo; at tamen aperto, simplici, ac minimè fucato ita pertractat, vt primùm Aduersariorum confusas discrepantesq; proferat opiniones atque hæreses; tum quasi in acie media sacrarum literarum firmamenta collocet: demum Scriptorum Ecclesiasticorum, Græcorum præsertim & Latinorum testimonia subijciat. Quibus ordine prolatis dilucidè, ceu antiquitatis totius suffragijs, & genuinam verbi Dei de locis controuersis sententiam in apertum profert, & vanissima opinionum hæreticarum commenta cōfutat. Sed quid in partibus singulis ad expediendum causas controuersas momenti, roboris, & efficaciæ, sigillatim despiciamus. Principio ad hæreticorum sententias, decreta, atque paradoxa quod attinet, etsi plerisq; ita minimè videatur, haud tamen negari potest, ea studioso lectori cum fructu exhiberi. Etenim facit eorum notitia plurimum ad solidam errorum refutationem, vt prudenter dixerit D. Irenæus; eum, qui velit hæreticos conuertere, oportere diligēter scire regulas siue argumēta ipsorum. Nec enim, inquit, posibile alicui curare quosdam malè habentes, qui ignorat passiones eorum, qui malè valent. Accedit, quòd ea sit ferè fabularum hæreticarum vanitas, ac inconstantia, sententiæ adeò inter se pugnantes, aut saltem cohærentes pessimè, tum in Deum, atque Diuos, in religionis placita, in morum honestatem ac vitæ sanctimoniam dicta maledica, blasphema, impura atque absurda, vt ea recensere ad confutationem satis esse viri optimi senserint. Perquàm aūt appositè illorum mendacijs Prophetarum, Christi, & Apostolorum sententiæ subnectuntur, quando D. Paulus fideles super fundamentū Apostolorum & Prophetarum summo lapide angulari Christo Iesu ædificatos affirmat, atq; primum firmissimumq; dogmatū, quæ vera, confirmandorum; quæ falsa, refellendorū principiū, verbum Dei Theologi constituunt. Nimirū Dominus Pharisæos errantes ad Scripturas perscrutandas remittit, Sadducæos ex ijsdem cōuincit, Discipulos dubios ex Moyse, Psalmis & Prophetis instituit: & Apostoli Petrus, Paulus, Iacobus, Ioannes, & Iudas in suis epistolis ad Euangelicæ doctrinæ confirmationem Scripturis vtuntur,

Irenæus lib. 4. in Præfat.

Xenoph.

Ephes. 2

D. Tho 2. par. q. 8.

Ioan. 5. Matt. 22 Luc. 24. 2. Pet. 1.

earumq;

2. Tim 3. Auguſt. Tract. 2. in epiſt. Ioan.

earumq; hac in parte vim atq; auctoritatem prædicant. Quocirca præclarè D. Auguſtinus: Omnia, inquit, quæ leguntur in Scripturis, ad ſalutem & inſtructionē noſtram attentè oportet audire, maximè autem memoriæ commendanda ſunt, quæ aduerſus hæreticos valēt plurimum, quorum inſidiæ infirmiores & negligentiores circumuenire non ceſſant. Sed cùm in hoc principio Nouatores ferè omnes, exceptis Svvenckfeldianis, Libertinis, &, quò ad veteris Inſtrumenti Scripturas, Anabaptiſtis, nobiſcum conueniant, ac controuerſiæ non tam de Scripturis, quàm vera & orthodoxa ſacrarum literarum ſententia exiſtant, COCCIVS noſter non tam copioſè diuina è ſacris Codicibus congeſſit in hoc Opus teſtimonia; quàm ſe diligentem præbuit, vt Doctorum Eccleſiæ, qui iam inde à prima eius origine ad noſtram vſque ætatem continua ſucceſſione floruerunt, ac doctrinam Catholicam conſenſione ſumma conſeruârūt ac propagârunt, ſententias fideliter ac ſtudioſè colligeret. Etenim

2. Theſ. 2 Epiph. hæreſ 55.

præter Dei verbum, quod partim ſcripto, partim traditione ad nos peruenit, ſucceſſiones doctrinæ, vt D. Epiphanius loquitur, ac ſanctorum Patrum ac Doctorum ſententias, velut alterum pietatis Catholicæ fulcrum atque firmamentum in controuerſijs ſacris dirimendis eſſe neceſſarium, ex Scripturis ipſis, Eccleſiæ praxi, ac ſanctorum Patrum iudicijs ſolerter animaduertit. In veteri populo ſic Deus in ambiguis quæſtionibus Legis plebis ſecuritati conſultum voluit, vt ad Leuitici generis ſacerdotes res diſſenſionis plenas remiſerit. In nouo

Deut. 17. Mala. 2. 2. Tim. 3.

Teſtamento D. Paulus Timotheum ſuum monet, vt perſiſtat in ijs quæ didicerat, quòd ab infantia ſacris fuiſſet imbutus literis, & quo Doctore fidem didiciſſet non ignoraret. Alibi

Epheſ. 4.

ſcribit dono datos à Chriſto Eccleſiæ non ſolùm Prophetas, Apoſtolos, Euangeliſtas: verùm etiam Doctores & Paſtores, ne velut paruuli omni doctrinæ vento, per hominum nequitiam & aſtutiam, circunferamur; ſed in vnitate fidei, & agnitione Filij Dei in virum occurramus perfectum, &c. Non itaq; mirum in tanta te-

Athan. epiſt. ad Afros.

ſtimoniorum diuinorum luce de maximis in fide quæſtionibus reſpondiſſe Patres Nicenos, teſtimonia ſe conſcripſiſſe, quæ à Patribus habuiſſent: Epheſinos etiam ſeſe Patrum ſecutos confeſſiones, eorum intentioni æquis inſiſtere veſtigijs: Chalcedonenſes ſanctos ſeſe Pa-

Epheſ. act. 5. Chalc. act. 4. Cōc. Cōſtant. in Trullo c. 19.

tres ſequi, eorum amplecti fidem: deniq; Conſtantinopolitanos vniuersè ſanciuiſſe, vt, ſi ad Scripturam pertinens controuerſia exorta fuerit, eam, qui præſunt Eccleſijs, non aliter interpretentur, quàm quomodo Eccleſiæ luminaria & Doctores ſcriptis ſuis expoſuerunt.

Aug cōtra Iulia. lib. 2.

Quàm fuerit iſthæc probata veteribus de rebus controuerſis ex Patrum ſententijs diſſerendi decidendiq; ratio, non hinc modò perſpicuum, quòd D. Hilarius contra Arianos, D. Auguſtinus contra Pelagianos, alij aduerſus alios Hæreticos ex Doctorum antiquiorum ſententijs validiſſimè diſputauerint: at ex eo etiam, quòd D. Baſilius & Greg. Nazianzenus,

Ruffi. li. 2 hiſt. c. 9

viri doctiſſimi, dum ſacris ſeſe dedidiſſent ſtudijs, diuinarum literarum intelligentiam non ex præſumptione propria, ſed Maiorū ſcriptis & auctoritate hauriendam duxerint; vt quos ex ſucceſſione Apoſtolica intelligendi regulam hauſiſſe conſtabat. Vnde conſultò Nectarius, quòd à Siſennio ſuggeſtum erat, ad Theodoſium Imperatorem retulit, de Doctorum veterum in cauſa Ariana vrgendis præiudicijs, vt qui ſalubri hoc conſilio Arianorum & nouitatem & diſſenſionem prodidit. Et ſanè rationes ſunt graues, ob quas tantum auctoritatis

Socr. lib. 5. cap. 10

pondus Eccleſiæ Patribus atque Doctoribus tribuendum cenſeamus. Primùm enim fuêre propemodum omnes Eccleſiæ Epiſcopi ac ſacerdotes, qui proinde de rebus fidei dogmaticè, & ex docendi propoſito, adeoq; è Chariſmate Epiſcopali ac auctoritate ſcripſiſſe iudicandi

Staplet. lib. cont 7. c. 12.

ſunt. Quare cùm velut à Deo dati ſint Eccleſiæ magiſtri ac Paſtores, ſi à fide publica aberrârunt, equidem Eccleſias omnes, quas docuere, à fide receſſiſſe ſentiemus. Hac ratione SS. Patrum auctoritatem aſtruit inſigniter D. Irenæus, cùm ait: His in Eccleſia Presbyteris obaudire oportet, qui in Epiſcopatus ſucceſſione acceperunt charisma veritatis certum: Et Baſilius, cùm dignitatis eorum vult haberi rationem, quòd ſpirituali gratia claruerunt: D. etiam Athanaſius, cùm Epiſcoporum, qui Nicenum Concilium anteceſſerunt, ſententias produxiſſet, in hunc modum fidenter proloquitur: Ecce nos demonſtrauimus eiuſmodi ſententiam à Patribus ad Patres quaſi per manus traditam eſſe. Vos noui Iudæi, &

Iren. lib. 4 c. 43.

Baſil. lib 1. contra Eunom. Athan. in lib. pro decretis Nicenæ Syn. nod.

diſcipuli

diſcipuli Caiaphæ, quos verborum veſtrorum Patres & Maiores demonſtrabitis? Deinde ex eo etiam vadit perſpicuum, quanti S.S. Patrum iudicia fieri debeant, quòd quæ illi de fidei quæſtionibus tradunt, ex Eccleſiæ fide, cuius erant membra, loquuntur, & idcirco teſtes omni exceptione maiores eius ſint veritatis, quæ cuiuſque tempore in Eccleſijs recepta fuerat. Quod enim, inquit D. Auguſtinus, inuenerunt, hoc tenuerunt; quod didicerunt, hoc docuerunt; quod à Patribus acceperunt, hoc filijs tradiderunt. Vnde apud Baſilium Dionyſius Alexandrinus citatur, non ex mente ſua loquens, ſed, vt Baſilius ait, forma regulaq; à ſenioribus, qui ante nos vixerunt, accepta. Et Theodoretus Ioannem Chryſoſtomum producturus: An non hunc, inquit, putas Apoſtolicam fidei ſeruaſſe regulam? Accedit, quòd Scriptores ac Doctores, de quibus loquimur, tanquam Eccleſiæ Patres, Luminaria & Aedificatores toto orbe approbati receptiq; fuerint. Vt enim Apollinaris, Origenes, Tertullianus, viri alioquin doctiſſimi, pro Patribus haberi potuiſſent, niſi, vt ait Lirinenſis, profana hæreticæ prauitatis libidine nouum quid inueniſſent: at quia à veritatis regula exciderunt, ab Eccleſia reprobati ſunt; ita quos illa pro Patribus agnouit atq; recepit, his velut certis domus Dei Architectis ac Luminibus, tanquam indubitatis Eccleſiæ Chriſti Paſtoribus ac Doctoribus ſummam tribuant omnes auctoritatem neceſſe eſt. Nec enim vt propter varios errorum anfractus Prophetica & Apoſtolica interpretationis lineam ſecundùm Eccleſiaſtici & Catholici ſenſus normam dirigere valeamus, his ipſis alios magis idoneos Catholicæ antiquitatis, vniuerſitatis ac conſenſionis aſſertores, magiſtros atque teſtes habere poſſumus. Quantum porrò momenti ſit in trium iſtorum certa aſſertione, ad veritatem Catholicam indagandam, inueniendam, retinendam, atque defendendam, & res ipſa docet, & rationibus firmis oſtendi poſſet, niſi AVCTOR noſter duobus huius operis capitibus luculenter ipſum confeciſſet. Vna ſola, eaq; aurea omnium animis inſculpenda Vincentij Lirinenſis ſententia hoc loco mihi memoranda eſt: In ipſa, inquit, Catholica Eccleſiá
» magnopere curādum eſt, vt id teneamus, quod vbiq;, quod ſemper, quod ab omnibus creditū
» eſt: hoc eſt enim verè proprieq; Catholicū, quod ipſa vis nominis ratioq; declarat, quæ omniá
» verè vniuerſaliter comprehendit. Sed hoc ità demum fit, ſi ſequamur vniuerſitatem, anti-
» quitatem, & conſenſionem. Sequemur autem vniuerſitatem hoc modo, ſi hanc vnam fidem
» veram eſſe fateamur, quam tota per orbem terrarum confitetur Eccleſia. Antiquitatem ve-
» rò ita, ſi ab his nullatenus ſenſibus recedamus, quos ſanctos Maiores ac Patres noſtros cele-
» braſſe manifeſtum eſt. Conſenſionem verò itidem, ſi in ipſa vetuſtate omnium, vel certè pē-
» nè omnium Sacerdotum & magiſtrorum definitiones ſententiasq; ſectemur. Hæc ille. Cùm itaq; toto hoc opere illud agatur maximè, vt tertiá cuiusq; articuli parte doctrinam, quæ hoc tempore in Catholica Eccleſia recepta eſt, notis certiſſimis Vniuerſitatis, Antiquitatis & Conſenſionis comprobari Doctorum, iam inde ab Apoſtolorū ætate vſque ad noſtrā, quantum fieri licuit, teſtimonijs oſtendatur; tum hinc de fructu, qui ex operis huius lectione ad omnes, qui ſtudioſè illud euoluerint, certò manabit, æſtimari licebit. Sed cùm ille ex AVCTORIS noſtri propoſito euidenter poſſit intelligi, de ipſo ſcriptionis occaſione, ſcopo, & adiumentis pauca vt dicamus reliquum eſt.

Aug. lib. 2. contra Iulian. Baſil. lib. de Spiritu ſanctō cap. 29. Theod. dialog. 1 hiſt. cæleſt. lib. 1. c. 5. Vinc. Lirin. cōtr. hær. c. 6. 23. 24.

Vinc. Lirin. cōtr hær. c. 2.

Cocciūs li. 8. art. 1.

Catholick quid.

Catholicæ fides vniuerſitate; antiquitate, & conſenſione conſtat.

Dē operis huius Autore.

Eſt igitur THESAVRI huius CATHOLICI collector vir integritate vitæ, pietate, ac doctrina ornatiſſimus D. IODOCVS COCCIVS, Eccleſiæ Collegiatæ apud Iuliacum, dum viueret, Canonicus, linguarum trium peritia non vulgari præditus, hiſtoriarum, præſertim ſacrarum, & Antiquitatis Eccleſiaſticæ indagator ſolertiſſimus. Qui Bilefeldiæ parentibus honeſtis natus, atq; ab iiſdem ab ineunte ætate literarum ſtudijs deſtinatus, Lutheri errores adhuc puer Præceptorum inſtitutione peſtifera imprudenter imbibit. Inde benevola parentum erga filium, cuius propenſum in literas deprehendebant animum, voluntate ac ſumptibus externas adijt ſcholas. Verùm cùm & illæ eadē eſſent infectæ peſte, vt creſcente ætate atque iudicio in homines incidit doctiores, ità ad conceptorum ſemel errorum confirmationem nequiores inuenit magiſtros. Tandem verò, cùm placuit ei, qui cum D. Paulo eum ſegregauit ab vtero matris ſuæ, & vocauit per gratiam ſuā, auſpicijs felicioribus

Gal. 1.

Coloni-

Coloniam Agrippinam appulit. Hic cùm & priuatim doctorum piorumq; virorum consuetudine Catholicæ fidei, pietatis, concordiæ rationem primùm obseruaret, & publicè in templis ad plebem concionantes, in scholis apud studiosos de rebus controuersis disputantes Doctores audiret, anxiæ ipsum cogitationes inuaserunt, quæ seriam ipsi de inquirenda, in tanta sectarum varietate, vera religione, curam iniecerunt. Itaq; dum Lutheranam doctrinam

Isa. 49. *vnius Europæ paucis contineri prouincijs perspiceret, sæpe illi occurrebat illud Isaiæ:* Parum est vt sis mihi seruus ad suscitandas tribus Iacob, & fœces Israel conuertendas. Ecce dedi te in lucem gentium, vt sis salus mea vsq; ad extremũ terræ. *Eandẽ Lutheri sectam dum nuper ortam, nulla neque antiquitate, neque successione continua con-*

Isa 59. *stare perciperet, in mentem veniebat illud Isaiæ:* Hoc fœdus meũ cum eis, dicit Dominus, Spiritus meus qui est in te, & verba mea quæ posui in ore tuo, non recedẽt de ore tuo, & de ore seminis tui, dicit Dominus, à modò & vsque in sempiternum: *tum illud Hieremiæ:* State super vias, & videte, & interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, & ambulate in ea, & inuenietis requiem animabus vestris. *Demum in ista sectariorum & paucitate & nouitate, dum animo intueretur*

Hier. 6. *infinitam ipsorum dissensionẽ, ac concertationes immortales, animo subibat illud Paulinũ:*

1. Cor. 1. Obsecro vos Fratres per nomen Domini nostri Iesu vt idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata, sitis autem perfecti in eodem sensu & in eadem

Eph. 4. sententia. *Et:* Solliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis. Vnũ corpus, & vnus spiritus: sicut vocati estis in vna spe vocationis vestræ. Vnus Dominus, vna fides, vnum Baptisma, vnus Deus & Pater omnium.

Occasio scribendi hoc opus. *Hæc dico dum apud se meditatione continenti recolit, de Lutheranæ nouitatis veritate ancipiti cogitatione distractus, prouidè sibi persuadere cœpit, peruestigandæ doctrinæ Orthodoxæ viam, neque certiorem, neque securiorem iniri posse, quàm si de his, quæ in religione dubitationem habent, hoc saperet, quod communibus totius Ecclesiæ, ipsius vetustatis, seculorum deniq; omniũ consentientibus Doctorum suffragijs probari inueniret. Itaque perulgatam illam & maxima dissentientium contentione agitatam de dispensatione Eucha-*

ristiæ quæstionem in manus sumit, de ea quid Antiquitas ab ipsa Apostolorũ memoria, quid Doctores succedentes senserint, quid ætate nostra Catholici, quid Aduersarij opinentur, indagatione solerti inuestigat. Vbi mysteriorum communionem apud Catholicos vsitatam neque institutioni Christi, neque praxi Apostolicæ aduersari: quin cum doctrina sacrarum literarum, & veterum Doctorum exemplis, etiam ipsa antiquitate & vsu Ecclesiæ totius probatis consistere deprehendit, hacq; ratione in alijs atque alijs excutiendis controuersiarum locis subinde Nouatorum vanitatem, Catholicorum constantiam atq; fidem sanam manifesta deprehensione comperit: sensus de pristina animi prauitate deducitur, hæresin, quæ pridem mentem excæcârat, seriò abijcit, detestatur, abiurat: Catholica religione suscepta Catholicè viuere, Catholicus ope Dei decedere gaudet.

Porrò cùm amici, quod fieri solet, siue admiratione ducti, siue moti offensione, non intermitterent hominem nunc beneuolè interpellare, nunc importunius inquietare, quæ eum rationes de veteri sententia dimouissent, has quibusdam quidem ad conciliandam beneuolentiam leniter, alijs verò ad incessionem depellendam animosius reddit. Quod cùm ex sententia procederet, vehementer incensus est vniuersas de quæstionibus controuersis materias ex Patrum ab Apostolorum tempore ad nostram vsque ætatem sibi succedentium sententijs explicare, atque ad Catholicos quidem confirmandos, Nouatores autem refellendos, serie seruata temporum, quibus quisq; vixisset, in lucem emittere. Cùm enim vtilem hac in re atque probatam eorum videret diligentiam, qui quosdam tantùm locos controuersos ratione hac excussissent, (in quorum numero sunt Ioannes Garetius de veritate Corporis Christi, de Sacrificio Missæ, de cultu & veneratione Sanctorum: Martinus Eisengreinius de infantium Baptismo, de oratione pro defunctis: Timannus Borckensis de Baptismi Sacramento, & alij,) si materiæ omnes simili ratione tractatæ in vnum colligerentur cor-

pus,

pus, magnum illud pondus in stabilienda pietate auita, nouitijs destruendis erroribus habiturum prudenter animaduertit. Quin & hoc ipso labore intellexit redditurum se fidei eius, quæ in se esset, rationem non solùm his, qui conuersione sua offensi, tanquam leuem calumniari potuissent; verùm ijs etiam, qui causas susceptæ à se probatæq; Catholicæ religionis cognoscere cupiebant. Quo quidem consilio secutus est plurimorum Doctiss. Virorum exempla, qui à sectis Lutherana atque Caluiniana ad Ecclesiam Catholicam redeuntes, conuersionis suæ rationes scriptis tradiderunt. Extant huius generis libri Latino, Germanico, Gallico idiomate à Fabiano Quadrantino, Sebastiano Flaschio, Ioanne Brunnero, Casparo Vlenbergio, & ante annos non ita multos ab Illustrissimo Marchione Badensi Iacobo, per Reuerendum & Clariss. Virum D. IOANNEM PISTORIVM, diuersisq; alijs editi.

Perquàm autem accidit commodè, vt, dum in salutares istas veniret cogitationes, ab Illustrissimo Principe D. Guilhelmo Duce Iuliacensi, Cliuensi, ac Montensi, & Domino suo clementissimo, Dei singulari prouidentia, in numerum Canonicorum Collegiatæ Ecclesiæ apud Iuliacum assumptus sit. Vbi otium nactus, quicquid à diuinis officijs & negotijs Ecclesiasticis reliquum habuit temporis, hoc totum sanctis hisce laboribus consecrauit, & tanta contentione in opus hoc incubuit, vt totis 24. annis hæc prima & ferè vnica eius esset cura, vt Scriptores sacros vndequaq; conquireret, dies noctesq; in ijs euoluendis cõsumeret, &, vt sententiæ quæq; ad locos redigerentur conuenientes, adlaboraret.

Cæterùm in opere hoc absoluendo non pauca magnam viro molestiam peperêre. Ac primùm quidem, quòd per facultates haud tanti semper sumptus suppeterent, quanti ad cõparandas nouas, quæ subinde prodibant, Scriptorum Ecclesiasticorum editiones requirebantur. Nam cùm semel sibi proposuisset, nihil eorum prætermittere, quæ ad accuratam emendatamq; sacrorum testimoniorum editionem spectarent, quoties Doctorum scripta auctiora vel castigatiora euulgarentur, toties & noua in suis collectaneis ad nouissimam editionem expendendis subeunda fuêre opera, nouæ in coemendis codicibus iterum faciendæ impensæ. In quibus sufferẽdis præclara nobilitate, prudẽtia rara, spectatissimus vir GVILHELMVS cognomento SCHENCKERN à VValdenburg stirpe prænobili & antiqua oriundus, Illustrissimo Principi Iuliæ, &c. à secretis consilijs, munitissimæ arcis Iuliacensis moderator, ac religionis Catholicæ assiduus propugnator atque patronus hominis doctissimi pios conatus largè, liberaliterq; adiuuit. Deinde & illud nõ rarò operosam effecit huius operis confectionem, quòd neq; Bibliopolarum officinæ, neq; Monasteriorum ac Collegiorũ Bibliothecæ semper quos requirebat libros continerent. Quo in casu Doctissimorum Virorum in Academia Colonienſi, præsertim verò Eximiorum S. Theologiæ Doctorum, & Licentiat. D. Laurentij Fabritij Suffra. Colon. D. Ioãnis Nopelij, D. Iacobi Hutteri, D. Theodori Riphan, D. Gualteri Xylandri, D. Cornelij Schultingij, D. Arnoldi Suuaeluij Herderuicæni, & D. Caspari Vlenbergij, Patrumq; Societat. IESV consuetudine ac familiaritate plurimum adiutus fuit. Siquidem ex eorum Bibliothecis, qui aliunde non facilè haberi potuissent, cùm quorundam Catholicorum, tum multorum Nouatorum libros sæpe obtinuit, plurimumq;, vbi requirebat, consilio operaq; adiutus fuit. A Reuerendis etiam Decano cæterisq; dignissimis Collegij Iuliacensis Canonicis, cùm pijssimo viri instituto impense fauerent, non difficulter obtinuit, vt citra rerum suarũ iacturam Iuliaco abesse, atque Coloniæ, ad opus absoluendum, diutius hærere ei integrum esset.

Habes itaque iam, Lector candide, Operis huius perfectum Tomum priorem, suis, vt opinamur, absolutum numeris: hoc fruere tantisper, dum posteriorem, qui sub prælo est, in lucem emittamus. Vale.

Laurent. Triuius.

INDEX LIBRORVM TOTIVS OPERIS.

TOMI PRIMI

LIBER I. De Deo & SS. Trinitate. pag.1.
II. De Christo Saluatore. pag.104.
III. De Deipara Virgine Maria. pag.262.
IV. De Angelis. pag.327.
V. De Sanctis Ecclesiæ. pag.435.
VI. De sacris Scripturis Ecclesiæ. pag.594.
VII. De Hierarchia Ecclesiæ, & summo Pontifice. pag.781.
VIII. De Signis Ecclesiæ. pag.983.

TOMI SECVNDI

LIBER I. De Natura hominis.
II. De Peccato hominis.
III. De Iustificatione hominis.
IV. De vita Monastica.
V. De Sacramentis Baptismo, & Confirmatione.
VI. De Eucharistia.
VII. De Pœnitentia, & Extrema Vnctione.
VIII. De Ordine.
IX. De Matrimonio.
X. De quatuor hominis Nouissimis.

INDEX ARTICVLORVM TOMI PRIMI.

LIBRI PRIMI

ARTICVLVS I. Deum esse Spiritum æternum, increatum, immortalem, inaspectabilem, incomprehensibilem, immutabilem, nullis passionibus obnoxium, vbique præsentem, omnia scientem, &c. pag.1.
II. Non esse nisi vnum Deum. pag.14.
III. Deum esse omnipotentem. pag.23.
IV. In diuinis esse Vnitatem Essentiæ, Trinitatem Personarum, Patris, Filij, & Spiritus sancti: & in ea Personarum distinctione, nihil esse maius, nihil minus; nihil prius, nihil posterius. pag.35.
V. Filium esse verum Deum de Deo vero, Patri consubstantialem, cum Patre honorandum, glorificandum, & inuocandum. pag.59.
VI. Spiritum sanctum esse tertiam in Trinitate Personã, Patri & Filio consubstãtialem, verum, viuum, & omnipotentem Deum. pag.72.
VII. Spiritum sanctum non solùm à Patre, sed etiam à Filio procedere. pag.93.

LIBRI SECVNDI

ARTICVLVS I. Dei Filium ex Maria Virgine verè carnem suscepisse, verum fuisse hominem, corpore & anima constantem, verè passum & mortuum esse. pag.104.
II. Christum Iesum vna constare Persona, duabus Naturis, Diuina & Humana, inter se coniunctis, non confusis, salua cuiusque naturæ proprietate. pagina 117.
III. Iesum Christum in duarum illarum Naturarum coniunctione omnia nouisse, nec vlla ignorantia laborasse. pag.147.
IV. In veteri Lege Sanctorum animas, licet in loco refrigerij, tamen in Limbo Inferorum fuisse: Christi Saluatoris animam in ara crucis morte à corpore separatam, verè ad Inferos descendisse, non vt illic quicquam amplius pateretur; sed vt Sanctorum, non autem impiorum animas inde liberaret. pag.160.
V. Christum Iesum clauso B. Mariæ Virginis vtero natum esse, clauso monumento resurrexisse, & clausis ianuis ad discipulos intrasse. pag.178.
VI. Christum Iesum verè ad cælos ascendisse, non deitate, sed corpore rediuiuo. pag.185.
VII. Christum Iesum Dei ac Mariæ Filium, vnicum esse humani generis Saluatorem: qui sua Incarnatione, obedientia, passione, morte, descensu ad Inferos, resurrectione, & ad cælos ascensione, pro omnibus omnium hominum peccatis satisfecit. pag.199.
VIII. Christi Saluatoris Conceptionem, Natiuitatem, Circumcisionem, Epiphaniam, Passionem, Resurrectionem, seu Pascha, Ascensionem, Pentecosten, & omnes Dominicas dies religiosè, deuotè, ac festiuè celebrandas esse. pag.215.
IX. Christi Crucis signum, vel sola fidelium manu expressum, dæmonibus esse terrori, hominibus saluti: propterea frontem, os, pectus, omnia Sacramenta, cibum ac potum rectè eo signari. pag.232.
X. Sacrosanctam Crucem, in qua Christus Saluator pretium nostræ redemptionis soluit, multis annis Iudæorum inuidia terra defossam, à sancta Helena Constantini Imper. matre miraculosè fuisse inuentam, & eius inuenti-

onis memoriam rectè ab Ecclesia celebrari. pag.247.
XI. Reliquias ligni Crucis, Lanceæ, Clauorum, & Vestium Christi Saluatoris religiosè seruandas & venerandas esse. pag.251.
XII. Christi Crucis signum sæpissimè nunc in aëre, nunc in vestibus, aliâs alio modo visum, miraculosè apparuisse, & certi aliquid portendisse. pag. 257.

LIBRI TERTII

ARTICVLVS I. Christi Matrem Mariam omni peccato caruisse, ac alijs hominibus sanctiorem fuisse. pag.262.
II. Mariam Deiparam fuisse & mansisse incorruptam Virginem ante partum, in partu, & post partum. pag.273.
III. Mariam Virginem corpore quidem placidè mortuam; sed à Filio resuscitatam, & in cœlum assumptam esse. pag.287.
IV. Mariam Virginem in cælo apud Christum Filium multum auctoritate & gratia valere, nobis patrocinari, pro nobis orare, & à nobis rectè inuocari. pag.294.
V. Mariam Deiparam omni laude à Christianis celebrandam esse. pag.302.
VI. Festa, in honorem Deiparæ Mariæ ab Ecclesia instituta, seruanda esse. pagina 322.

LIBRI QVARTI

ARTICVLVS I. Deum in ipso mundi exordio, ex nihilo creasse Spiritus incorporeos, immortales, bonos, iustos, intelligentes, liberrimæ voluntatis, &c. qui ab officio Angeli vocantur. pag.327.
II. Cælestes Spiritus in certos ordines seu Choros esse distinctos, ac alios alijs præesse & præferri. pag.340.
III. Quemlibet hominem, & quamlibet orbis terræ regionem proprium habere Angelum custodem. pag.351.
IV. Bonos Angelos pro hominibus orare, rectè ab ijs inuocari, & honorari. pag.360.
V. Ex bonis Angelis quosdam propria culpa per superbiam cælo deturbatos, malos dæmones euasisse, Deo & hominibus aduersari, non tamen, nisi Deo permittente, quemquam lædere, nullâ salutis spem habere, mirè sagaces esse, &c. pag.367.
VI. Malos Angelos seu Dæmones pro sua malitia in varias se formas transformare, hominibus apparere, varia terriculamenta incutere posse. pag.392.
VII. Malos Angelos, seu immundos spiritus, permittente Deo, humana corpora ingredi, mirum in modum torquere, verè ab Exorcistis & sanctis hominibus eijci. pag. 402.
VIII. Malos Angelos, seu Dæmones, quibus in Baptismo renuntiauimus, non esse consulendos, obseruandos, colendos, inuocandos: Magos, Maleficos, Lamias, Pythonicos, Hariolos, Sortilegos, &c. non esse ferendos, sed puniendos. pag.418.

LIBRI QVINTI

ARTICVLVS I. Sanctos, quamdiu in mortali corpore degunt, varijs tribulationibus affici, sed earum tolerantiam ad æterna gaudia promerenda valere. pag. 435.
II. Sanctos post discessum ex hac vita nullis amplius malis affici, comitantibus Angelis rectà in cælum duci, Christi glorifica visione frui. pag.446.
III. Sanctorum adhuc in corpore militantium pro alijs preces apud Deum multum valere. pag.458.
IV. Sanctos in cælo triumphantes pro nobis orare, orando patrocinari, & subuenire. pag 465.
V. Sanctos adhuc in corpore militantes, vt pro nobis orent, rectè nos rogare. pag.480.
VI. Sanctos iam in cœlo triumphantes, vt pro nobis orent, implorandos & inuocandos esse. pag.485.

VII. Sanctos adhuc in mortali corpore militantes, tanta sæpe Spiritus sancti luce & gratia collustrari, vt in ea absentia, præterita, & futura, non minùs quàm præsentia videant, & intelligant. pag.496.
VIII. Sanctos in cælo triumphantes, & diuini Spiritus lumine collustratos, nulla locorum intercapedine impediri, quò minus absentia cognoscant, & nostra vota percipiant. pag.505.
IX. Sanctorum animas permittente Deo viuentibus aliquando apparere, & ignota quædam reuelare. pag.512.
X. Samuelis animam Sauli verè apparuisse. pag.525.
XI. Homines, qui dum hîc viuunt, alios vel sanctitate, vel potestate præcellunt, honorandos esse. pag.528.
XII. Sanctos in cælo cum Christo triumphantes venerandos esse. pag.530.
XIII. Templa & Basilicas in honorem Sanctorum construere, consecrare, magnificè ornare, pium & Christianum esse. pag.537.
XIV. Festa in honorem Sanctorum ab Ecclesia instituta celebranda esse. pagina 543.
XV. Christi & Sanctorũ eius imagines in templis retinendas, & venerandas esse. pag.551.
XVI. Sanctorum Reliquias religiosè seruandas, & colendas esse. pag.565.
XVII. Christi & Sanctorum eius loca, monumenta, & Reliquias visitare, eoque orationis ergô peregrinari, opus esse pium & Christianum. pagina 584.

LIBRI SEXTI

ARTICVLVS I. Sacras Scripturas, quas viri sanctitate illustres nobis reliquerũt, & Ecclesia in Canonem recepit, apud nostros diuersis locis, varijs linguis, & multa copia typis impressas extare. pag. 594.
II. Græcam Septuaginta Interpretum Bibliorum translationem alijs Græcorum versionibus præferendam esse. pag.597.
III. D. Hieronymum nouum Testamentum Græcè fidei reddidisse: vetus iuxta Hebraicam transtulisse: illa Biblia omnibus alijs Latinis præferenda esse. pag.605.
Canon Bibliorum Hebræorum, quem Iudæorum Synagoga recipit. pag.606.
Canon Bibliorum Græcorum ac Latinorum, quem Christianorum Ecclesia recipit. pag.607.
IV. Et Protocanonicos & Deuterocanonicos Scripturæ libros recipiendos esse. pag. 608.
V. Mosen, & Mosaica scripta, summè esse auctoritatis. pag. 613.
VI. Iobi historiam veram & authenticam esse. pag.619.
VII. Ecclesiasten Salomonis, vt Canonicum librum, valere ad Ecclesiastica dogmata confirmanda. pag. 625.
VIII. Canticum Canticorum Salomonis vt librum sacrum, Canonicũ, & authenticum valere ad Ecclesiæ dogmata confirmanda. pag 628.
IX. Sapientiam Salomonis, vt Canonicam Scripturam, valere ad Ecclesiastica dogmata confirmanda. pag.632.
X. Librum Hesther, vt Canonicam Scripturam, valere ad Ecclesiæ dogmata confirmanda. pag 640.
XI. Librum Baruch, qui & Hieremiæ tribuitur, vt Canonicum Scripturæ librum, valere ad Ecclesiastica dogmata probanda. pag. 645.
XII. Librum Iudith esse authenticum, & Canonicum sacræ Scripturæ librum, citandum ad Ecclesiastica dogmata confirmanda. pag 651.
XIII. Historiam Tobiæ esse Canonicam Scripturam, & valere ad Ecclesiastica dogmata confirmanda. pag.657.
XIV. Orationem Azariæ, & Hymnum trium puerorum Danielis 3. esse authenticam & Canonicam Scripturam, citandam ad Ecclesiastica dogmata confirmanda. pag.603.
XV. Historiam Susannæ, quæ extat Daniel. 13. vt authenticam & Canonicam Scripturam ad Ecclesiastica dogmata confirmanda citandam esse. pag. 668.
XVI. Caput 14 Danielis, quo describitur Belis, Draconis, Danielis, & Abacuc, historia, authenticam esse Scripturam, & valere ad Ecclesiastica dogmata probanda. pag. 675

XVII. Librum Iesu filij Sirach, qui Ecclesiasticus inscribitur, esse Canonicam Scripturam, & valere ad Ecclesiastica dogmata probanda. pag. 680.
XVIII. Libros Machabęorum, vt Canonicos, valere ad Ecclesiastica dogmata probanda. pag. 687.
XIX. Caput vltimum D. Marci, vt Canonicam Scripturam, valere ad Ecclesiastica dogmata confirmanda. pag. 693.
XX. Historiam Lucæ 22. de sudore Christi sanguineo, & Angelo ipsum confortante, vt authenticam Scripturam valere ad Ecclesiastica dogmata confirmanda. pag. 697.
XXI. Ioannis 8. historiam mulieris adulteræ, vt authenticã Scripturam, valere ad Ecclesiastica dogmata confirmanda. pag. 701.
XXII. Epistolam D. Pauli ad Hebręos, vt Canonicam Scripturam, rectè ad Ecclesiastica dogmata probanda citari. pag. 704.
XXIII. Epistolam D. Iacobi vt Canonicam Scripturam valere ad Ecclesiastica dogmata confirmanda. pag. 713.
XXIV. Secundam B. Petri epistolam, vt Canonicam Scripturam, valere ad Ecclesiastica dogmata probanda. pag. 720.
XXV. 1. Ioannis 5. verba illa : *Tres sunt qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, & hi tres vnum sunt*, non expungenda esse : sed vt Canonicam Scripturam valere ad Ecclesiastica dogmata confirmanda. pag. 725.
XXVI. Ioannis Apostoli secundam & tertiam Epistolam, vt sacram Scripturam, valere ad Ecclesiastica dogmata probanda. pag. 727.
XXVII. Epistolam Iudę vt Canonicam Scripturam valere ad Ecclesiastica dogmata confirmanda. pag. 730.
XXVIII. Ioannis Euangelistæ Apocalypsin vt Canonicam Scripturam valere ad Ecclesiastica dogmata confirmanda. pag. 735.
XXIX. Symbolum Christianæ fidei ab Apostolis esse conscriptum. pag. 743.
XXX. Sacras Scripturas, quas, vt ostendimus hactenus, vniuersa Ecclesia Canone dignas iudicauit, summæ esse auctoritatis, vtilitatis, & suauitatis. pagina 747.
XXXI. Sacras Scripturas in plerisque locis esse obscuras & difficiles intellectu. pag. 760.
XXXII. In sacris Scripturis non omnia scripta inueniri: in tali casu sanctorum Patrum sensum & consensum sequendum, & pro lege tenendum esse. pag. 767.

LIBRI SEPTIMI

ARTICVLVS I. Omnem Potestatem à Deo esse : vice Dei gladium vel spiritualem, vel corporalem gestare : quemlibet suo Magistratui, cùm Ecclesiastico, tum ciuili parere, honorem ac tributum reddere debere. pagina 781.
II. In omni Magistratu Monarchicum regimen esse optimum. pag. 791.
III. Ab orbe condito, vsque ad annum præsentem perpetua successione semper fuisse vnum Ecclesiæ Præsidem, & Monarcham. pag. 795.
IV. D. Petrum Ecclesiæ vniuersæ Principem & Pastorem ab ipso Christo Saluatore constitutum esse. pag. 798.
V. D. Petrum Apostolum Romanam Ecclesiam fundasse, gubernasse, suo sanguine consecrasse. pag. 814.
VI. Romanum Pontificem legitimè electum verum esse B. Petri successorem, eandem cum illo in omnibus vbique Ecclesijs ligandi & soluendi potestatem obtinere. pag. 825.
VII. Romanos Pontifices inde vsque ab initio semper hunc Primatum agnouisse, defendisse, & in alijs Ecclesijs exercuisse. pag. 855.
VIII. Christianos Imperatores, Reges, Principes, & Magistratus seculares semper Romanæ Ecclesiæ Primatum agnouisse, seque eius Pontifici tamquam patri filios subiecisse. pag. 875.
IX. Constantinum Magnum Imper. non in extrema senectute ab Ariano quodam Episcopo : sed ętate adhuc vegetiore à Syluestro Romano Pontifice Romæ baptizatum, & à lepra miraculosè curatum esse. pag. 882.

X. Constantinum Imperatorem Syluestrum Romanum Pontificem vt patrem honorasse, eique & successoribus eius Romam cum multis alijs donasse. pag. 886.
XI. Liberium Papam fuisse virum sanctum, & Orthodoxum : non Arianum. pag. 891.
XII. Felicem Secundum, qui Liberio in exilium exacto cathedram Diui Petri obtinuit, fuisse virum sanctum & Orthodoxum. pag. 895.
XIII. Honorium Primum fuisse virum Orthodoxum, nulla hæresi infectum. pag. 896.
XIV. Anno 855. an Leoni IV. Ioanna fœmina successerit, & puerperio perierit. pag. 899.
XV. Syluestrum Secundum virum sanctitate & eruditione conspicuum, nec vllo vitio Magiæ infamem fuisse. pag. 902.
XVI. Gregorium Septimum, qui ante Hildebrandus dicebatur, cui quidam Magiæ & Simoniæ notam inurunt, legitimè electum Pontificem, sanctitate & eruditione insignem fuisse, & ab eo Henricum Imperatorem propter certa flagitia iure excommunicatum esse. pag. 903.
XVII. Romanum Pontificem non esse Antichristum. pag. 909.
XVIII. Episcopos singulos singulis prouincijs præesse : à Presbyteris certis officijs & dignitate differre : pluribus Episcopis vnum præferri Archiepiscopum. pag. 910.
XIX. Pallij Archiepiscopalis vsum in Ecclesia antiquissimum, & magnificèdum esse. pag. 924.
XX. Solos Pontifices, Episcopos, & Sacerdotes vice Christi peccata ligare & soluere : ergo factam ab illis Excommunicationem verè efficacem, & metuendam esse. pag. 928.
XXI. Episcoporum Concilia, à summo Pontifice approbata, summæ esse auctoritatis. pag. 945.
XXII. Non secularem, sed Ecclesiasticum Magistratum ; Pontifices, Episcopos, & Presbyteros esse iudices in causis religionis & clericorum. pag. 958.
XXIII. Hæreticos, vt animarum occitores, in Ecclesia non esse ferendos : sed ab Ecclesiastico communione, à ciuili Magistratu aut vita priuandos, aut exilio mulctandos esse. pag. 968.

LIBRI OCTAVI

ARTICVLVS I. Orthodoxam Ecclesiam nullo vnquam tempore posse deficere, & penitus interire, sic vt nusquam appareat : proinde perpetuam successionem certum & infallibile esse veræ Ecclesiæ signum. pag 983.
II. Chronologia & successio Orthodoxæ Ecclesiæ ab origine mundi vsque ad hæc tempora. pag. 996.
III. Lutherum, Caluinum, Anabaptistas, & Trinitarios, non Orthodoxis Ecclesiæ Doctoribus : sed diuersis olim damnatis hæreticis successisse : illorum quædam dogmata mordicus defendere, quædam rursus omninò improbare. pag. 1010.
IV. Certa dogmata, in quibus Lutherani & Caluiniani ab Hussitis, VVicleuistis, & VValdensibus dissentiunt : & sic ad illos suam originem referre non possunt. pag. 1016.
Lutherus doctrinam Hussitarum, VVicleuistarum, VValdensium, & Pickardorum improbat : ergo ad eos suam originem referre nequit. pag. 1031
Philippi Melanchthonis iudicium de Ioanne VVicleuo. pag. 1032.
V. Perpetuum in doctrina fidei consensum, certum esse Orthodoxæ Ecclesiæ signum. pag. 1032.
VI. Apud Catholicos mirabilem esse doctrinæ consensum. pag 1033.
VII. Lutherum à Luthero, Philippum Melanchthonem à Philippo, Caluinum à Caluino, Lutheranos à Lutheranis, Sacramentarios à Sacramentarijs, Anabaptistas ab Anabaptistis, Trinitarios à Trinitarijs dissentire. pag. 1038.
I. *Lutherum à seipso dissentire.* *ibidem.*
II. *Philippum Melanchthonem à seipso dissentire.* *pag.* 1054.
III. *Caluinum à seipso dissentire.* *pag.* 1060.

IV. *Lutheranos à Lutheranis dissentire.* *pag.*1065.
Lutheranorum præcipuæ sectæ. pag.1068.b
Lutherani Lutheranos mutuis scriptis damnant. pag.1069.a
V. *Sacramentarios à Sacramentarijs dissentire.* *pag.*1070.
Sacramentarij Sacramentarios mutuis scriptis damnant. pag.1072.b
VI. *Anabaptistas ab Anabaptistis dissentire.* *pag* 1073.
Anabaptistarum sectæ. ibidem.
VII. *Trinitarios à Trinitarijs dissentire.* *pag.*1074.
VIII. Sacramentarios à Lutheranis in grauissimis fidei dogmatibus dissentire. pag. 1075.
Catalogus librorum, in quibus plura de Lutheranorum & Caluinistarum dissensione testimonia extant. pag.1077.a
IX. Certa dogmata, in quibus Lutherani à Caluinistis seu Sacramentarijs dissentiunt. pag.1078.
X. Sacramentarios à Lutheranis, Lutheranos à Sacramentarijs: Anabaptistas à Lutheranis & Sacramentarijs, Lutheranos & Sacramentarios ab Anabaptistis: Trinitarios à Lutheranis &c. Lutheranos &c. à Trinitarijs damnari. pag.1085.
I. *Lutherani damnant Sacramentarios.* *pag.*1085.
Catalogus librorum à Lutheranis contra Sacramentarios editorum, quibus illos damnant. pag.1088.b
II. *Sacramentarij damnant Lutheranos.* *pag.*1090.
III. *Lutherani & Sacramentarij damnant Anabaptistas.* *pag.* 1095.
IV. *Anabaptistæ damnant Lutheranos, &c.* *pag.*1096.
V. *Lutherani &c. damnant Trinitarios.* *ibidem.*
VI. *Trinitarij damnant Lutheranos, &c.* *pag.*1098.
XI. Vitæ morumque sanctimoniam esse certum Orthodoxæ Ecclesiæ signum. pag.1099.
Catalogus illustrium Ecclesiæ Sanctorum ab origine mundi vsque ad annum 1580. *ibidem.*
Ipsimet Aduersarij fatentur Maiorum nostrorum ante Lutherum miram pietatem & deuotionem. pag. 1110.
XII. Lutheranorum, Caluinistarum, &c. Ecclesiam omni sanctitate carere, & sic non posse esse veram Ecclesiam. pag.1111.
Lutherani, &c. sola fide contenti, omnis sanctitatis & boni operis grauissimi hostes. *pag.*1112.*b*
Lutherus & Zuinglius suam se doctrinam à diabolo accepisse ipsi fatentur. *pag.*1113.*b*
Lutheranorum, &c. corruptelæ in transferenda & interpretanda sacra Scriptura. *pag.*1115.*b*
Lutheranorum, &c. impietas & maledicentia in sanctos Ecclesiæ Patres & Scriptores. *pag.* 1118.*a*
Lutheranorum, &c. impietas & maledicentia in Ecclesiasticos Principes. *pag.*1121.*b*
Lutheranorum &c. impietas & maledicentia in seculares Principes. *pag.*1122.*a*
Lutheranorum &c. fastus & arrogantia. *ibid.b*
Lutheranorum &c. gula & luxus. *pag.*1124.*b*
Lutheranorum &c. impudicitia & libido. *pag.*1125.*a*
Lutheranorum &c. spiritus mendax. *pag.*1126.*b*
XIII. Perpetuis miraculis veram Ecclesiam à falsa internosci. pag.1131.
Catalogus illustrium Ecclesiæ miraculorum, ante & post Christum natum ad hæc vsque tempora. *pag.*1132.
XIV. Ab hæreticis nulla fieri eiusmodi miracula. pag.1137.

FINIS.

INDEX LOCORVM SACRAE SCRIPTVRÆ, QVÆ IN HOC OPERE SPARSIM EXPLICANTVR, LIBRORVM, CAPITVM, ET VERSVVM ORDINE SERVATO.

EX VETERI TESTAMENTO.

Genesis.

GEN. 1. vers. 1. *In principio creauit Deus cælum & terram.* *pag.* 57.b.337 a.b.616.a.
2. *Spiritus Domini ferebatur super aquas* 57.b.91.a.
26. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostrã* 41.a.43.a.53.b.57.b.750.b.
2. 23. *Hæc vocabitur virago, quoniam de viro sumpta est* 280.a.
3. 12. *Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi* 316.b.
15. *Ipsa conteret caput tuũ, & tu insidiaberis calcaneo eius* 313.b.
16. *In dolore paries filios, & sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui* 312.a.
4. 10. *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra* 208.b.
26. *Iste cœpit inuocare nomen Domini* 796.a.
9. 6. *Ad imaginem quippe Dei factus est homo* 5.a.
14. 18. *Melchisedec rex Salem, proferens panem & vinum (erat enim sacerdos Dei altissimi) benedixit ei* 796.b.
18. 20. *Clamor Sodomorum & Gomorrhæorum multiplicatus est, & peccatum eorum aggrauatũ est nimis* 157.a.
20. 7. *Orabit pro te, quia Propheta est, & viues* 460.b.464.b
22. 12. *Nunc cognoui, quòd timeas Dominum, & non pepercisti vnigenito filio tuo propter me* 154.b. 155.a.157.a.
23. 7. *Surrexit Abraham, & adorauit populum terræ* 529.a.
24. 14. *Igitur puella cui ego dixero: Inclina hydriam tuam, vt bibam: & illa responderit, Bibe, &c.* 280.b.
25. 22. *Perrexitq;, vt consuleret Dominum* 3.b.
27. 27. *Ecce odor filij mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus* 266.a.
36. 33. *Mortuus est autem Bela, & regnauit pro eo Iobab filius Zaræ de Bosra* 621.a.
37. 9. *Vidi per somnium, quasi solem, & lunam, & stellas vndecim adorare me* 350.b.
35. *Descendam ad filium meum lugens in infernum* 174.a.177.b.
48. 12. *Cumq; tulisset eos Ioseph de gremio patris, adorauit pronus in terram* 529.b.
14. *Qui extendens manum dexteram, posuit super caput Ephraim minoris fratris: sinistram autem super caput Manasse, qui maior natu erat, commutans manus* 236.b
49. 9. *Ad prædam fili mi ascendisti* 264.b

Exodus.

3. 2. *Videbat quòd rubus arderet, & non comburetur* 277.b.
3. *Vadam, & videbo visionem hanc magnam, quare non comburatur rubus* 276.a.
5. *Locus in quo stas terra sancta est.* 812.b.
14. *Ego sum qui sum* 4.b.
4. 13. *At ille, Obsecro Domine, inquit, mitte quem missurus es* 617.b.
7. 1. *Ecce constitui te Deum Pharaonis* 616.a.
17. 11. *Cumq; leuaret Moyses manus, vincebat Israel: sin autem paululum remisisset, superabat Amalec* 233.a.
12. *Aaron autem & Hur sustentabant manus eius ex vtraque parte* ibid.
20. 3. *Non habebis deos alienos coram me* 17.b.18.a.
4. *Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem quæ est in cælo desuper, & quæ in terra deorsum, nec eorum quæ sunt in aquis sub terra* 561.a.
21. 17. *Qui furatus fuerit hominem, & vendiderit eũ, conuictus noxæ, morte moriatur* 974.a.
22. 18. *Maleficos non patieris viuere.* 430.b.
25. 10. *Arcam de lignis setim compingite* 267.b.
32. 32. *Aut dimitte eis hanc noxam; aut si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti* 463.b.
33. 20. *Non poteris videre faciem meam: non enim videbit me homo, & viuet.* 14.b.
34. 19. *Omne quod aperit vuluam generis masculini, meum erit* 275.b.

Leuiticus.

5. 15. *Anima si prauaricans cerimonias, per errorem in his quæ Domino sunt sanctificata peccauerit, offeret pro delicto suo arietem immaculatum de gregibus, qui emi potest duobus siclis, iuxta pondus sanctuarij* 604.a.
12. 2. *Mulier si suscepto semine pepererit masculum, immunda erit septem diebus, iuxta dies separationis menstruæ* 274.a.

Numeri.

4. 15. *Cumq; inuoluerint Aaron & filij eius sanctuarium & omnia vasa eius in commotione castrorum, tunc intrabunt filij Caath vt portent inuoluta: & non tangent vasa sanctuarij, ne moriantur* 583.b.
21. 18. *Ascendat puteus, quem foderunt principes, & parauerunt duces multitudinis in datore legis,*

& in baculis suis 758.b.
24.17. *Orietur stella ex Iacob, & consurget virga de Israel: & percutiet duces Moab, vastabitq; omnes filios Seth* 134.a.615.b.

Deuteronomium.

4.24. *Quia Dominus Deus tuus ignis consumẽs est, Deus æmulator* 315.b.
35. *Dominus ipse est Deus, & non est alius præter vnum* 17.b.
6. 4. *Audi Israel, Dominus Deus noster Deus vnus est* 15.b.18.a.b.20.a.21.a.46.a.50.a.51.b.95.b.
13. *Dominum Deum tuum timebis, & illi soli seruies* 529.a.
10.20. *Dominum Deum tuum timebis, & ei seruies ibid.*
17. 8. *Si difficile & ambiguum apud te iudicium esse prospexeris inter sanguinem & sanguinem, causam & causam, lepram & non lepram, & iudicum inter portas tuas videris verba variari: surge, & ascende ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus* 850.a.
18. 11. *Nec inueniatur in te incantator, neque qui pythones consulat, nec diuinos, & quærat a mortuis veritatem* 423.b.
15. *Prophetam de gente tua & de fratribus tuis sicut me suscitabit tibi Dominus Deus tuus: ipsum audies* 615.a.
32. 8. *Quando diuidebat Altissimus gentes: quando seperabat filios Adam, constituit terminos populorum iuxta numerũ filiorum Israel* 354.a.b. 355.a.

Iosue.

23. 7. *Ne posteriã intraueritis ad Gentes, quæ inter vos futuræ sunt, iuretis in nomine deorum earũ, & seruietis eis, & adoretis illos* 559.a.

1. Regum.

2. 6. *Dominus mortificat, & viuificat: deducit ad inferos, & reducit* 29.a.
4. 1. *Et factum est in diebus illis, conuenerunt Philisthiim in pugnam* 307.a.
15. 28. *Scidit Dominus regnum Israel à te hodie, & tradidit illud proximo tuo meliori te.* 503.b.
16.14 *Spiritus autem Domini recessit à Saul, & exagitabat eum spiritus nequam, a Domino* 387. a.
28. 13. *Et ait mulier ad Saul: Deos vidi ascendentes de terra* 528.a.
14. *Et intellexit Saul quòd Samuel esset* 525. & seqq.
15. *Quare inquietasti me vt suscitarer?* 526.b.527.b.
19. *Cras tu & filij tui mecum eritis* 518.a.528.b.

II. Regum.

23. 15. *O si quis mihi daret potum aquæ de cisterna quæ est in Bethlehem iuxta portam* 303.b.

IV. Regum.

5. 25. *Vnde venis Giezi?* 498.a.b.508.a.
26. *Nónne cor meum in præsenti erat, quando reuersus est homo de curru suo in occursum tui? ibid.*

II. Paralipomenon.

6. 18 *Ergóne credibile est vt habitet Deus cum hominibus super terram? Si cælum & cæli cælorũ non te capiunt: quanto magis domus ista quam ædificaui?* 10.b.

Tobias.

6. 2. *Et exiuit vt lauaret pedes suos, & ecce piscis immanis exiuit ad deuorandum eum* 659.a.
12. 8. *Bona est oratio cum ieiunio & eleemosyna, magis quàm thesauros auri recondere* 658.a.b.

Iudith.

8. 7. *Erat autem eleganti aspectu nimis, cui vir suus reliquerat diuitias multas, & familiam copiosam, ac possessiones armentis boum, & gregibus ouium plenas* 654.a.
9. 3. *Subueni quæso te Domine Deus meus mihi viduæ* 655.b.
10.20 *Et cùm in faciem eius intendisset, adorauit eũ, prosternens se super terram* 530.a.
11. 11. *Deniq; hoc ordinant, vt interficiant pecora sua, & bibant sanguinem eorum* 655.a.
12. 7. *Et exibat noctibus in vallem Bethuliæ, & baptizabat se in fonte aquæ* 656.b.
13. 7 *Confirma me Domine Deus Israel, & respice in hac hora ad opera manuum mearum* 653.b.
16.16. *Adonai Domine magnus es tu, & præclarus in virtute tua, & quem superare nemo potest* 654.b.
17. *Misisti spiritum tuum, & creata sunt, & non est qui resistat voci tuæ* 652.a.

Esther.

13. 9. *Domine Domine rex omnipotens, in ditione enim tua cuncta sunt posita: & non est qui possit tuæ resistere voluntati, si decreueris saluare Israel* 642.a. 645.a.
14.16. *Tu scis necessitatem meam, quòd abominer signum superbiæ & gloriæ meæ, quod est super caput meum in diebus ostentationis meæ, & detester illud quasi pannum menstruatæ, & non portem in diebus silentij mei* 642.a.
15. 5. *Cumq; regio fulgeret habitu, & inuocasset omnium rectorem & saluatorem Deum assumpsit duas famulas* 644.b.
6. *Et super vnam quidem innitebatur, quasi præ deliciis & nimia teneritudine corpus suum ferre non sustinens ibid.*

Iob.

1. 1. *Vir erat in terra Hus, nomine Iob: & erat vir ille simplex & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo* 621.a.624.b.
6. *Quadam autem die, cùm venissent filij Dei vt assisterent coram Domino, affuit inter eos etiam Satan* 371.b.
21. *Nudus egressus sum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc.* 621.a.
5. 1. *Voca ergo si est qui tibi respondeat, & ad aliquem sanctorum conuertere* 484.b.
6. 10. *Et hæc mihi sit consolatio, vt affligens me dolore, non parcat, nec contradicam sermonibus Sancti.* 441.b.
11. *Quæ est enim fortitudo mea, vt sustineam? aut quis finis meus, vt patienter agam?* 464.a.
14. 7. *Lignum habet spem: si præcisum fuerit, rursum viuescit, & rami eius pullulant* 622.b.
17. 13. *Si sustinuero, infernus domus mea est, & in tenebris straui lectulum meum* 172.a.
19. 21. *Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me* 364.a. 490.b.
23. *Quis mihi tribuat vt scribantur sermones mei?*

quis

quis mihi det vt exarentur in libro stylo ferreo, & plumbi lamina, vel certè sculpantur in silice? 620.a.
26. 6. *Nudus est infernus coram illo, & nullum est operimentum perditioni* 164.b.
8. *Qui ligat aquas in nubibus suis, vt non erumpant pariter deorsum* 621.b.
28. 1. *Habet argentum venarum suarum principia: & auro locus est in quo conflatur* 446.b.
5. *Terra de qua oriebatur panis in loco suo, igni subuersa est* 621.a.
6. *Locus sapphiri lapides eius, & glebæ illius aurum ibid.*
29. 9. *Principes cessabant loqui, & digitum superponebant ori suo* 1036.b.
25. *Si voluissem ire ad eos, sedebam primus: cumq; sederem quasi rex circumstante exercitu, eram tamen mœrentium consolator* 624.b.
30.21. *Mutatus es mihi in crudelem, & in duritia manus tuæ aduersaris mihi* 606.a.
31. 1. *Pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine* 620.b.
38. 7. *Cùm me laudarent simul astra matutina, & iubilarent omnes filij Dei?* 621.a.
39.19. *Frustra laborauit nullo timore cogente* 440.a.
40.14. *Ipse est principium viarum Dei, qui fecit eum* 336.a.
41.25. *Omne sublime videt, ipse est rex super vniuersos filios superbiæ* 623.b.
42. 5. *Auditu auris audiui te, nunc autem oculus meus videt te* 624.a.

Psalmi.

2. 1. *Quare fremuerunt Gentes: & populi meditati sunt inania?* 976.a.
7. *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu: ego hodie genui te* 130.a.
10. *Et nunc reges intelligite: erudimini qui iudicatis terram* 975.b.
10. 4. *Dominus in templo sancto suo, Dominus in cælo sedes eius* 265.b.
15. 2. *Dixi Domino: Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges* 10.a.
4. *Multiplicatæ sunt infirmitates eorum: postea acceleraueruntˆ* 28.b.29.b.
10. *Quoniam non derelinques animam meam in inferno: nec dabis sanctum tuum videre corruptionem* 163.b.169.b.293.a.
17.12. *Et posuit tenebras latibulum suum, in circuitu eius tabernaculum eius: tenebrosa aqua in nubibus aeris.* 190.b.765.b.766.a.b.
18. 3. *Dies diei eructat verbum: & nox nocti indicat scientiamˆ* 546.a.
6. *In sole posuit tabernaculum suum: & ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo* 190.a. 290.b. 317.b.
21. 1. *Deus Deus meus respice in me: quare me dereliquisti?* 138.a.
22. 4. *Nam etsi ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala: quoniam tu mecum es. Virga tua & baculus tuus, ipsa me consolata sunt* 177.b.
23. 7. *Attollite portas principes vestras, & eleuamini portæ æternales: & introibit rex gloriæ* 188.a.b.192.b.280.a.
8. *Quis est iste rex gloriæ? Dominus fortis & potens, Dominus potẽs in prælio* 170.b.
10. *Dominus virtutum ipse est rex gloriæ ibid.*
24. 11. *Propter nomen tuũ Domine propitiaberis peccato meo: multum est enimˆ* 210.b.
33. 10. *Oculi Domini super iustos: & aures eius in preces eorumˆ* 13.b.
21. *Custodit Dominus omnia ossa eorum: vnum ex his non conteretur* 567.a.
39. 3. *Et exaudiuit preces meas, & eduxit me de lacu miseriæ, & de luto fœcis* 177.b.
44.2. *Eructauit cor meum verbum bonum: dico ego opera mea regi* 75.b.78.b.
17. *Pro patribus tuis nati sunt tibi filij: constitues eos principes super omnem terram* 918.a.
45. 5. *Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei: sanctificauit tabernaculum suũ Altissimus* 325.b.
11. *Vacate, & videte quoniam ego sum Deus: exaltabor in gentibus, & exaltabor in terra* 750.b.
46.6. *Ascendit Deus in iubilo, Dominus in voce tubæ* 188.a.196.b.
9. *Regnabit Deus super gentes: Deus sedet super sedem sanctam suam* 334.a.
47. 2. *Magnus Dominus & laudabilis nimis in ciuitate Dei nostri, in monte sancto eius* 990.b.
3. *Fundatur exultatione vniuersæ terræ mons Sion, latera Aquilonis, ciuitas Regis magni* 987.b.
9. *Sicut audiuimus, sic vidimus in ciuitate Domini virtutum, in ciuitate Dei nostri: Deus fundauit eam in æternum* 988.b.
48. 3. *Quiq; terrigenæ & filij hominum: simul in vnũ diues & pauper* 177.b.
10. *Et viuet adhuc in finem* 215.a.
11. *Non videbit interitum ibid.*
16. *Verumtamen Deus redimet animam meam, de manu inferi cùm acceperit me* 163.b.
49.11. *Cognoui omnia volatilia cæli: & pulchritudo agri mecum est* 630.b.
54.20. *Exaudiet Deus & humiliabit illos, qui est ante secula* 74.a.
56. 6. *Exaltare super cælos Deus: & in omnem terram gloria tua* 190.b.
67.19. *Ascendisti in altum, cepisti captiuitatem, accepisti dona in hominibus* 165.a.188.a.193.a.
68.21. *Et sustinui qui simul contristaretur, & non fuit: & qui consolaretur, & non inueni* 137.a.
71. 5. *Et permanebit cum Sole & ante lunam in generatione & generationem* 144.a.
72.24. *Tenuisti manum dexteram meam: & in voluntate tua deduxisti me, & cum gloria suscepisti me* 291.a.
75. 5. *Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis* 695.a.
77.14. *Et deduxit eos in nube diei: & tota nocte in illuminatione ignis* 265.a.
69. *Et ædificauit sicut vnicornium sanctificium suum in terra, quam fundauit in secula* 987.b.
72. *Et pauit eos in innocentia cordis sui: & in intellectibus manuum suarum deduxit eos* 758.a.
81. 6. *Ego dixi, Dij estis, & filij excelsi omnes* 19.b.
85. 17. *Fac mecum signum in bonum, vt videant qui oderunt me, & confundantur, quoniam tu Domine adiuuisti me, & consolatus es me* 241.a.
86. 3. *Gloriosa dicta sunt de te, ciuitas Dei* 264.b.
87. 6. *Inter mortuos liber* 203.a.
90.11. *Quoniam Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis* 358.a.

91. 6. *Quàm magnificata sunt opera tua Domine! 78.b.*
94. 8 *Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra 711.a.*
96. 8. *Adorate eum omnes Angeli eius 556.a.*
101. 26. *Initio tu Domine terram fundasti: & opera manuum tuarum sunt cæli 337.b.*
28. *Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient 141.a.*
102. 15. *Homo sicut fœnum dies eius: tanquam flos agri sic efflorebit 17.a.*
21. *Benedicite Domino omnes virtutes eius: ministri eius qui facitis voluntatem eius 345.a.*
103. 4. *Qui facis Angelos tuos spiritus: & ministros tuos ignem vrentem 332.a.b. 334.a.b. 338.a. 344.b.*
12. *Super ea volucres cæli habitabunt: de medio petrarum dabunt voces 759.b.*
30. *Emittes spiritum tuum, & creabuntur: & renouabis faciem terræ 89.b.*
106. 16. *Quia contriuit portas æreas: & vectes ferreos confregit 167.a.*
30. *Et lætati sunt, quia siluerunt: & deduxit eos in portum voluntatis eorum 820.b.*
32. *Et exaltent eum in ecclesia plebis: & in cathedra seniorum laudent eum ibid.*
33. *Posuit flumina in desertum: & exitus aquarũ in sitim ibid.*
34. *Terram fructiferam in salsuginem, à malitia inhabitantium in ea ibid.*
109. 1. *Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum 280.a.*
3. *Ex vtero ante Luciferum genuite 69.b. 75.a.*
115. 15. *Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius 575.b. 580.b.*
117. 24. *Hæc est dies quam fecit Dominus: exultemus & lætemur in ea 218.b.*
118. 6. *Tunc non confundar, cùm perspexero in omnibus mandatis tuis 1022.b.*
124. 2. *Montes in circuitu eius, & Dominus in circuitu populi sui 472.a.*
126. 1. *Nisi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt qui ædificant eam 991.a.*
127. 3. *Vxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ. Filij tui sicut nouellæ oliuarum in circuitu mensæ tuæ 990.a.*
131. 7. *Adorabimus in loco vbi steterunt pedes eius 585.a.*
8. *Surge Domine in requiẽ tuam, tu & arca sanctificationis tuæ 289.b.*
132. 2. *Sicut vnguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron, Quod descendit in oram vestimenti eius 814.b. 944.a.*
134. 6. *Omnia quæcunque voluit Dominus fecit in cælo & in terra, in mari & in omnibus abyssis 28. a. 30. b. 31. b. 34. a.*
138. 3. *Intellexisti cogitationes meas de longe 5.b.*
5. *Tu formasti me, & posuisti super me manum tuam 796.a.*
143. 7. *Emitte manum tuam de alto, eripe me, & libera me de aquis multis, de manu filiorum alienorum 1036.a.*
147. 14. *Qui posuit fines tuos pacem: & adipe frumenti satiat te 754.a.*
148. 5. *Quia ipse dixit, & facta sunt: ipse mandauit, & creata sunt 33.b.34.a.*
150. 5. *Laudate eum in cymbalis benesonantibus, laudate eum in cymbalis iubilationis 220.b.*

Prouerbia.

3. 19. *Dominus sapientia fundauit terram, stabiliuit cælos prudentia 81.a.*
8. 25. *Ante colles ego parturiebar 633.b.*
15. 11. *Infernus & perditio coram Domino: quanto magis corda filiorum hominum? 165.a.*
24. 9. *Cogitatio stulti peccatum est 639.b.*

Ecclesiastes.

1. 1. *Verba Ecclesiastæ filij Dauid regis Ierusalem 625.b.*
2. *Vanitas vanitatum & omnia vanitas 627.a.b.*
4. *Generatio præterit, & generatio aduenit, terra autem in æternum stat 992.a.*
5. *Oritur sol, & occidit, & ad locum suum reuertitur 626.b.*
7. *Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat: ad locum vnde exeunt flumina reuertuntur, vt iterum fluant 177.b.*
3. 20. *Et omnia pergunt ad vnum locum: de terra facta sunt, & in terram pariter reuertuntur 628.b.*
4. 2. *Et laudaui magis mortuos, quàm viuentes 480.b. 626.b.*
12. *Si quispiam præualuerit contra vnum, duo resistunt ei: funiculus triplex difficilè rumpitur 628.b.*
10. 4. *Curatio faciet cessare peccata maxima 442.b.*
8. *Qui fodit foueam, incidet in eam 684.a.*
11. 2. *Da partem septem, nec non & octo: quia ignoras quid futurum sit mali super terram 626.a.*
4. *Qui obseruat ventum, non seminat: & qui cõsiderat nubes, nunquam metet 627.b.*

Cantica Canticorum.

1. 1. *Osculetur me osculo oris sui: quia meliora sunt hubera tua vino, fragrantia vnguentis optimis 631.b.*
5. *Nigra sum, sed formosa filiæ Ierusalem, sicut tabernacula Cedar sicut pelles Salomonis 630.a.*
6. *Filij matris meæ pugnauerunt contra me 632.b.*
13. *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter hubera mea commorabitur 631.b.*
16. *Ecce tu pulcher es dilecte mi, & decorus ibid.*
2. 1. *Ego flos campi, & lilium conuallium 311.a. 629.b.*
2. *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias 271.a.*
4. *Introduxit me in cellam vinariam, ordinauit in me charitatem 269.a. 630.a. 631.b.*
10. *Surge, propera amica mea, columba mea, formosa mea, & veni 629.a.*
11. *Iam enim hyems transijt, imber abijt, & recessit 291.a. 631.a.*
15. *Capite nobis vulpes paruulas quæ demoliuntur vineas 971.b. 978.b.*
3. 6. *Quæ est ista quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij? 290.b.*
11. *Egredimini, & videte filiæ Sion regem Salomonem in diademate, quo coronauit illum mater sua in die desponsationis illius, & in die lætitiæ cordis eius 629.b.*
4. 4. *Sicut turris Dauid collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis. mille clypei pendent ex*

ea, omnis armatura fortium 755.a.
7. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te 266.b. 268.a. 270.b.*
8. *Veni de Libano sponsa mea, veni de Libano, veni 630.a.b.*
12. *Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus 264.a. 630.a.*
5. 3. *Expoliaui me tunicâ meâ, quomodo induar illa? 189.a.*
10. *Dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus 276.a. 629.b.*
11. *Caput eius aurum optimum 801.a.*
14. *Venter eius eburneus, distinctus sapphiris 189.a.*
15. *Crura illius columnæ marmoreæ, quæ fundatæ sunt super bases aureas 804.a.*
6. 8. *Vna est columba mea, perfecta mea: vna est matri suæ, electa genitrici suæ 630.a.*
9. *Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra vt luna, electa vt sol, terribilis vt castrorũ acies ordinata? 268.a. 269.a. 284.a. 987.a.*
7. 4. *Nasus tuus sicut turris Libani, quæ respicit contra Damascum 267.b.*
8. 2. *Apprehendam te, & ducam in domum matris meæ 164.a.*

Sapientia.

1. 5. *Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictũ 637.b.*
7. *Spiritus Domini replexit orbem terrarum: & hoc quod continet omnia, scientiam habet vocis 634.b.*
2. 12. *Circumueniamus iustum, quoniam inutilis est nobis, & contrarius est operibus nostris, & improperat nobis peccata Legis, & diffamat in nos peccata disciplinæ nostræ 634.b. 636.a.*
3. 1. *Iustorum animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum mortis 635.b.*
4. 8. *Senectus venerabilis est non diuturna, neque annorum numero computata: cani autem sunt sensus hominis 637.a.*
11. *Raptus est, ne malitia mutaret intellectũ eius, aut ne fictio deciperet animam illius 636.a.*
7. 22. *Est enim in illa spiritus intelligentiæ, sanctus, vnicus, multiplex, subtilis, disertus, mobilis, incoinquinatus, certus, suauis, amans bonum, acutus, qui nihil vetat benefacere 87.b.*
23. *Humanus, benignus, stabilis, certus, securus, omnem habens virtutem, omnia prospiciens, & qui capiat omnes spiritus: intelligibilis, mundus, subtilis 637.a.*
26. *Candor est enim lucis æternæ, & speculum sine macula Dei maiestatis, & imago bonitatis illius ibid.*
27. *Et cùm sit vna, omnia potest: & in se permanens omnia innouat, & per nationes in animas sanctas se transfert, amicos Dei & Prophetas constituit 10.b.*
8. 1. *Attingit ergo à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter 637.b.*
20. *Et cùm essem magis bonus, veni ad corpus incoinquinatum 633.b. 634.b.*
9. 15. *Corpus enim quod corrumpitur, aggrauat animam: & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem 475.b. 509.a.*
11. 21. *Omnia in mensura & numero & põdere disposuisti 524.b.*
12. 18. *Subest enim tibi cùm volueris, posse 31.b.34.b.*
14. 7. *Benedictum est enim lignum, per quod fit iustitia 635.b.*
15. *Acerbo enim luctu dolens pater, citò sibi rapti filij fecit imaginem: & illum qui tunc quasi homo mortuus fuerat, nunc tanquam Deum colere cœpit, & constituit inter seruos suos sacra & sacrificia 22.b.*
18. 14. *Cùm enim quietum silentium cõtineret omnia, 31.b.*
15. *Et nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus exiliens de cælo à regalibus sedibus, durus debellator in medium exterminij terram prosiliit 638.b.*

Ecclesiasticus.

1. 4. *Prior omnium creata est sapientia, & intellectus prudentiæ ab æuo 337.a.*
2. 5. *Quoniam in igne probatur aurum & argẽtum, homines verò receptibiles in camino humiliationis 439.b.*
3. 22. *Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris: sed quæ præcepit tibi Deus, illa cõgita semper, & in pluribus operibus eius ne fueris curiosus 628.a.*
18. 1. *Qui viuit in æternũ, creauit omnia simul 337.b.*
6. *Cùm consummauerit homo, tunc incipiet: & cùm quieuerit, operabitur 765.a.*
22. 10. *Supra mortuum plora, defecit enim lux eius 682.b.*
24. 5. *Ego ex ore Altissimi prodiui, primogenita ante omnem creaturam 685.b. 686.a.*
8. *Gyrum cæli circuiui sola, & profundum abyssi penetraui 10.b.*
11. *In his omnibus requiem quæsiui, & in hæreditate Domini morabor 291.a.*
14. *Ab initio ante sæcula creata sum, & vsque ad futurum sæculum non desinam 687.a.*
24. *Ego mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & sanctæ spei 319.a.*
29. *Qui edunt me, adhuc esurient: & qui bibunt me, adhuc sitient 682.a.*
45. *Penetrabo omnes inferiores partes terræ, & inspiciam omnes dormientes 687.a.*
36. 5. *Non est Deus, præter te Domine 17.a.*
40. 12. *Omne munus, & iniquitas delebitur, & fides in sæculum stabit 994.a.*
46. 23. *Et post hoc dormiuit, & notum fecit regi, & ostendit illi finem vitæ suæ, & exaltauit vocem eius de terra in prophetia delere impietatem gentis 526.a.*

Isaias.

2. 2. *Et erit in nouissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & eleuabitur super colles: & fluent ad eum omnes gentes 266.a.*
6. 3. *Sanctus sanctus sanctus Dominus Deus exercituum, plena est omnis terra gloria eius 39.b. 40.b.*
7. 13. *Audite ergo domus Dauid 274.a.*
14. *Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel 126.b. 275.b. 280.a.*
8. 3. *Et accessi ad prophetissam, & concepit, & peperit filium 146.a.*
9. 2. *Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucẽ magnam: habitantibus in regione vmbræ mortis, lux orta est eis 173.b.*
11. 1. *Et egredietur virga de radice Iesse, & flos de*

radice eius ascendet 115.a.265.a.311.a.
12. 3. Haurietis aquas in gaudio de fontibus saluatoris 751.b.
14. 13. Qui dicebas in corde tuo, In cælum conscẽdam, super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamẽti, in lateribus Aquilonis 337.b.384.b.
14. Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo ibid.
24. 22. Et post multos dies visitabuntur 383.a.
29. 11. Et erit vobis visio omnium sicut verba libri signati, quem cùm dederint scienti literas, dicẽt, Lege istum: & respondebit, Non possum, signatus est enim 761.b.766.b.
35. 10. Et redempti à Domino conuertentur, & venient in Sion cum laude; & lætitia sempiterna super caput eorum 177.a.
38. 10. Ego dixi, In dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi 177.b.
40. 12. Quis mensus est pugillo aquas, & cælos palmo ponderauit? 10.b.
41. 4. Ego Dominus, primus & nouissimus ego sum 16.a
43. 10. Ante me non est formatus Deus, & post me non erit 18.a.
45. 2. Portas æreas conteram, & vectes ferreos confringam 164.a.
49. 18. Viuo ego, dicit Dominus, quia omnibus his velut ornamento vestiẽris, & circumdabis tibi eos quasi sponsa 630.a.
50. 2. Nunquid abbreuiata & parvula facta est manus mea, vt non possim redimere? 30.b.
53. 2. Non est species ei, neque decor: & vidimus eum, & non erat aspectus 140.b.
8. Generationem eius quis enarrabit? 73.a.
60. 1. Surge, illuminare Ierusalem: quia venit lumen tuum, & gloria Domini super te orta est 990.a.
61. 1. Spiritus Domini super me, eò quòd vnxerit Dominus me 126.b.
63. 1. Quis est iste qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra, iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suæ? 189.a.192.b.197.a.
66. 7. Antequam parturiret, peperit: antequam veniret partus eius, peperit masculum 276.b.

Ieremias.

1. 5. Priusquam te formarem in vtero, noui te: & antequã exires de vulua, sanctificaui te. 134.a.
23.24. Nunquid non cælum & terram ego impleo, dicit Dominus? 7.a.10.b.
31. 22. Fœmina circumdabit virum 154.a.

Baruch.

3. 9. Audi Israël mandata vitæ: auribus percipe, vt sciatis prudentiam 650.b.
36. Hic est Deus noster, & non æstimabitur alius aduersus eum 68.a.129.a.646.b.
37. Hic adinuenit omnem viam disciplinæ, & tradidit illam Iacob puero suo, & Israel dilecto suo 649.b.

Ezechiel.

9. 3. Et vocauit virum qui indutus erat lineis, & atramentarium scriptoris habebat in lumbis suis 243.b.
4. Et dixit Dominus ad eum, Transi per mediam ciuitatem in medio Ierusalem: & signa thau super frontes virorum gementium & dolentium super cunctis abominationibus, quæ fiunt in medio eius 240.a.245.b.
6. Senem, adolescentulum & virginem, parvulos & mulieres interficite vsque ad internecionẽ: omnem autem super quem videritis thau, ne occidatis 239.b.
28. 12. Tu signaculum similitudinis plenus sapientia, & perfectus decore. 346.b.374.a.389.b.
13. In delicijs paradisi Dei fuisti: omnis lapis pretiosus operimentum tuum: sardius, topazius, & iaspis, chrysolithus, & onyx, & berillus, sapphirus, & carbunculus, & smaragdus 347.a.
31. 8. Cedri non fuerunt altiores illo in paradiso Dei, abietes non adæquauerunt summitatem eius, & platani non fuerunt æquæ frondibus illius: omne lignum paradisi Dei non est assimilatum illi, & pulchritudini eius 386.a.b.
9. Quoniam speciosum feci eum in multis condensisq; frondibus ibid.
44. 2. Porta hæc clausa erit: non aperietur, & vir nõ transiet per eam 183.a.280.b. 281.a. 283.b. 284.a. 285.a.b.

Daniel.

2. 34. Videbas ita, donec abscissus est lapis de monte sine manibus: & percussit statuã in pedibus eius ferreis, & fictilibus, & comminuit eos 311.a.
3. 17. Ecce enim Deus noster quem colimus, potest eripere nos de camino ignis ardentis, & de manibus tuis, ô rex, liberare 30.a.
55. Laudabilis & superexaltatus in secula 663.b.
57. Benedicite omnia opera Domini Domino, laudate & superexaltate eum in secula 664.a.
81. Benedicite omnes bestiæ & pecora Domino, laudate & superexaltate eum in secula 663.b.
86. Benedicite spiritus & animæ iustorum Domino, laudate & superexaltate eum in secula 664.b.667.a.
7. 13. Aspiciebam ergo in visione noctis, & ecce cum nubibus cæli quasi filius hominis veniebat 192.a
10. 12. Et ego veni propter sermones tuos 364.a.
13. Princeps autem regni Persarum restitit mihi viginti & vno diebus 353.b.356.b.
13. 17. Afferte mihi oleum, & smigmata 674.b.
20. Assentire nobis, & commiscere nobiscũ 673.b.
42. Deus æterne, qui absconditorum es cognitor, qui nosti omnia antequam fiant 9.b.
45. Cumq; duceretur ad mortem, suscitauit Dominus spiritum sanctum pueri iunioris, cuius nomen Daniel 669.a.
50. Veni, & sede in medio nostrum, & indica nobis: quia tibi Deus dedit honorẽ senectutis ibi.b.
56. Semen Chanaan, & non Iuda, species decepit te, & concupiscentia subuertit cor tuum ibid.a.

Oseas.

1. 11. Et congregabuntur filij Iuda, & filij Israel pariter: & ponent sibimet caput vnum 851.b.
2. 19. Et sponsabo te mihi in sempiternum: & sponsabo te mihi in iustitia, & iudicio, & in misericordia, & in miserationibus 994.a.
20. Et sponsabo te mihi in fide: & scies quia ego Dominus ibid.
4. 12. Spiritus fornicationum decepit eos, & fornicati sunt à Deo suo 427.a.
6. 3. Viuificabit nos post duos dies; in die tertia suscitabit nos, & viuemus in conspectu eius 177.a.
13. 14. De manu mortis liberabo eos, de morte redimã eos: ero mors tua ô mors, morsus tuus ero inferne 177.a.

14.10. Quis sapiens, & intelliget ista? intelligens, & sciet hæc? 764.b.

Amos.

1. 11. Super tribus sceleribus Edom, & super quatuor non conuertam eum 624.b.
9. 6. Qui ædificat in cælo ascensionem suam, & fasciculum suum super terram fundauit 188.a.

Ionas.

3. 4. Adhuc quadraginta dies, & Ninive subuertetur 603.b.

Zacharias.

1. 11. Perambulauimus terram, & ecce omnis terra habitatur & quiescit 365.a.
2. 3. Et ecce Angelus qui loquebatur in me, egrediebatur, & Angelus alius egrediebatur in occursum eius 347.a.b.
8. 19. Ieiunium quarti, & ieiunium quinti, & ieiunium septimi, & ieiunium decimi erit domui Iudæ in gaudium 322.a.
9. 11. Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu in quo non est aqua 173.a. 175.b.
14. 20. In die illa erit quod super frenum equi est, sanctum Domino 248.a.252.a.

Malachias.

3. 6. Ego Dominus, & non mutor 11.b.145.b.

I. Machabæorum.

7. 50. Et siluit terra Iuda diebus paucos 692.a

II. Machabæorum.

3. 9. Cùm venisset Ierosolymã, & benignè à summo sacerdote in ciuitate esset exceptus, narrauit de dato indicio pecuniarum 692.a.
7. 9. Tu quidem scelestissime in præsenti vita nos perdis: sed rex mundi defunctos nos pro suis legibus, in æternæ vitæ resurrectione suscitabit 690.a.
28. Peto à te nate, vt aspicias ad cælum, & terram, & ad omnia quæ in eis sunt 691.a.
15. 14. Hic est fratrum amator, & populi Israel: hic est qui multum orat pro populo & vniuersa sancta ciuitate, Ieremias Propheta Dei 693.a.

EX NOVO TESTAMENTO.

Matthæus.

1. 18. Cùm esset desponsata mater eius Maria Ioseph, antequam conuenirent inuenta est in vtero habens de Spiritu sancto 274.b.279.b.280.a.
21. Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum 204.b.
25. Et non cognoscebat eam donec peperit filium suum primogenitum 278.b.280.a.286.a.
4. 10. Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies 48.a.
6. 10. Adueniat regnum tuum 994.a.
13. Et ne nos inducas in tentationem 716.a.
7. 27. Descendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & cecidit, & fuit ruina illius magna 994.a.
8. 24. Et ecce motus magnus factus est in mari, ita vt nauicula operiretur fluctibus 994.b.
10. 2. Duodecim autẽ Apostolorũ nomina sunt hæc: Primus Simon, qui dicitur Petrus, &c. 813.b.
22. Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit 441.b.
27. Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine: & q̃ in aure auditis, prædicate super tecta 765.b
32. Omnis ergo qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo qui in cælis est 133.b.
15. 3. Quare & vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram? 779.a.
16. 17. Beatus es Simon Bar-Iona: quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus qui in cælis est 808.a.829.a.
18. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus: & super hãc petram ædificabo Ecclesiam meam 803.a.804.a. 805.b.807.a.b.811.a.b.813.a.991.a.992.a.
19. Et tibi dabo claues regni cælorum. Et quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis 808.a.870.a.934.a.942.a.
24. Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me 438.b.
17. 15. Domine miserere filio meo, quia lunaticus est, & malè patitur 410.b.
24. Magister vester non soluit didrachma? 806.b.
18. 10. Videte ne contemnatis vnum ex his pusillis: dico enim vobis, quia Angeli eorũ in cælis semper vident faciem Patris mei qui in cælis est 339.a.342.b.353.a.b.
17. Quòd si non audierit eos, dic Ecclesiæ: si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus 938.b.944.a.
19. 26. Apud homines hoc impossibile est: apud Deum autem omnia possibilia sunt 16.a. 30.a.
20. 28. Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare 204.b.
22. 21. Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & quæ sunt Dei, Deo 788.b 789.a.791.b.
32. Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob. Non est Deus mortuorum, sed viuentium 508.a.
24. 24. Surgent enim pseudochristi, & pseudoprophetæ: & dabunt signa magna & prodigia, ita vt in errorem inducantur (si fieri potest) etiam electi 994.b.
26. 39. Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste 109.b.
28. 2. Angelus enim Domini descendit de cælo, & accedens reuoluit lapidem 181.a.
6. Non est hic: surrexit enim sicut dixit 180.a.
19. Euntes ergo docete omnes gentes: baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti 82.a.86.a.
20. Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem seculi 142.b.993.a.b.

Marcus.

5. 9. Legio mihi nomen est: quia multi sumus 390.b.
12. Mitte nos in porcos, vt in eos introeamus ibid.
10. 18. Nemo bonus, nisi vnus Deus 17.a.149.b.
27. Omnia possibilia sunt apud Deum 29.b.
12. 17. Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & quæ sunt Dei, Deo 788.b 789.a.
25. Cùm enim à mortuis resurrexerint, neque nubent, neque nubentur, sed sunt sicut Angeli in cælis 330.b.
26. Ego sum Deus Abrahã, & Deus Isaac, & Deus Iacob 508.a.
27. Non est Deus mortuorum, sed viuorum ibid.
13. 32. De die autẽ illo vel hora nemo scit, neque Angeli in cælo, neque Filius: nisi Pater 149.a.b. & seqq. vsque ad 159.a.

16.2. Et valde manè vna sabbathorum veniunt ad monumentum: orto iam sole 694.a.b. 695.b.
9. Surgens autem manè prima sabbathi, apparuit primò Mariæ Magdalenæ 695.a.
14. Nouissimè recumbentibus illis vndecim apparuit: & exprobrauit incredulitatem eorum & duritiam cordis ibid.b.
15. Euntes in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ 82.a.
16. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit 696.b.1022.a.
19. Et Dominus quidem Iesus postquam locutus est eis, assumptus est in cælum 694.b.

Lucas.

1.26. In mense autem sexto missus est Angelus Gabriel à Deo in ciuitatẽ Galilææ, cui nomen Nazareth 316.b.
27. Ad virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph ibid.
28. Aue gratia plena, Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus 263.b. & seqq. 304.a.b. & seqq. 307.a.b. 311.b. & seqq.
31. Ecce concipies in vtero, & paries filium: & vocabis nomen eius Iesum 109.b.112.a.126.b.263.a.
34. Quomodo fiet istud? quoniam virum non cognosco 280.a. & seq. 283.b. & seq. 313.a.
35. Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi 276.b.
Ideoq; & quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei 313.a.
37. Quia non erit impossibile apud Deum omne verbum 34.a.
38. Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum 307.a.
45. Beata quæ credidisti, quoniam perficientur ea quæ dicta sunt tibi à Domino 311.a.
48. Quia respexit humilitatem ancillæ suæ. 263.a. 313.b.
Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes 311.b.
49. Quia fecit mihi magna qui potens est, & sanctum nomen eius 34.a. 277.a.
52. Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles 377.b.
2. 7. Et peperit filium suum primogenitum 274.b.
30. Quia viderunt oculi mei salutare tuum 213.a.
35. Et tuam ipsius animam pertransibit gladius 288.b.
52. Et mater eius conseruabat omnia verba hæc in corde suo 310.b.
53. Et Iesus proficiebat sapientia, & ætate, & gratia apud Deum & homines 152.a.155.b. & seqq. 159.b.
4. 6. Tibi dabo potestatem hanc vniuersam, & gloriam illorum: quia mihi tradita sunt, & cui volo do illa 783.b.
8. Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies 529.a.
5. 4. Duc in altum, & laxate retia vestra in capturam 824.a.
10.18. Videbam Satanam sicut fulgur de cælo cadentem 337.b. 380.a.
22. Omnia mihi tradita sunt à Patre meo 154.a.
Et nemo scit quis sit Filius, nisi Pater 149.b.
30. Homo quidam descendebat ab Ierusalem in Iericho, & incidit in latrones 377.b.
11.20. Porrò si in digito Dei eicio dæmonia, profectò peruenit in vos regnum Dei 84.b.
12.49. Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi vt accendatur? 100.b.
14.23. Exi in vias & sepes, & compelle intrare, vt impleatur domus mea 444.a.
16.27. Rogo ergo te pater vt mittas eum in domũ patris mei 474.b.475.b.
17.37. Vbicunque fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ 453.b.839.a.
18. 8. Filius hominis veniens, putas, inueniet fidem in terra? 990.b.996.b.
22.31. Simon, Simon, ecce satanas expetiuit vos vt cribraret sicut triticum 374.a.
32. Ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua 807.a.847.b.
Et tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos 803.b.
43. Apparuit illi Angelus de cælo, cõfortans eum 698.a.b.700.a.
Et factus in agonia, prolixius orabat 698.b.
44. Et factus est sudor eius sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram ibid. & seqq.
23.43. Hodie mecũ eris in paradiso 136.a.162.b.164.b. 168.b. & seq. 448.a.450.a.
46. Pater, in manus tuas commendo spiritum meũ 457.a.
24.39. Palpate, & videte: quia spiritus carnem & ossa non habet 112.b.
51. Et factum est, dum benediceret illis, recessit ab eis, & ferebatur in cælum 198.b.

Ioannes.

1. 1. In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum 4.b. 48.a. 68. & seqq. 73.b. & seq. 122.a. 138.a.
3. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quod factum est 72.a.155.a.
14. Verbum caro factum est, & habitauit in nobis 110.b.116.b.122.b. & seq. 130.b. & seq. 137.b. 141.a.
Et vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre 66.a.
17. Lex per Moysen data est, gratia & veritas per Iesum Christum facta est 615.a.
18. Deum nemo vidit vnquam: vnigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarrauit 6.b.
42. Tu es Simon Filius Iona: tu vocaberis Cephas 813.
2. 4. Quid mihi & tibi est mulier? nondum venit hora mea. 155.a.279.b.
3. 2. Rabbi, scimus quia à Deo venisti magister 57.b.
8. Spiritus vbi vult spirat 58.a.
13. Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, Filius hominis, qui est in cælo 136.a.142.a. 144.a.197.b.
5. 39. Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere 763.a.
6. 13. Collegerunt ergo, & impleuerunt duodecim cophinos fragmentorum ex quinque panibus ordeaceis 766.a.
53. Nisi manducaueritis carnem Filij hominis 112.b.
62. Si ergo videritis Filium hominis ascendentem vbi erat prius? 190.b.192.a.
8. 3. Adducunt autem Scribæ & Pharisæi mulierem in adulterio deprehensam, & statuerunt eã in medio 704.b.

7. Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat 702. & seq.
11. Vade, & iam amplius noli peccare 703.b.
16. Si iudico ego, iudicium meum verum est: quia solus nõ sum, sed ego, & qui me misit Pater 51.a.
44. Vos ex patre diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere 386.b. 390.b.
10.30. Ego & Pater vnum sumus 43.a. & seq. 47.b. 65.b. 72.a. & seq. 75.a. & seq. 78.b. 143.a.
38. Pater in me est, & ego in Patre 41.b.
11. 14. Gaudeo propter vos, vt credatis, quoniam non eram ibi. 137.b.
34. Vbi posuistis eum? 155.a.
12.26. Vbi sum ego, illic & minister meus erit 448.b.
13. 3. Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus 155.a.
33. Filioli, adhuc modicum vobiscum sum 142.b.
14. 2. In domo Patris mei mãsiones multæ sunt 314.a.
3. Et si abiero, & præparauero vobis locum: iterũ venio, & accipiam vos ad meipsum 457.a.
9. Qui videt me, videt & Patrem 65.b.
10. Non credis quia ego in Patre, & Pater in me est? 44.a.47.b.66.b.
Verba quæ ego loquor vobis, à meipso non loquor 68.b.
13. Vt glorificetur Pater in Filio 29.b.
14. Si quid petieritis me in nomine meo, hoc faciam ibid.
16. Et ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum 39.b.
18. Non relinquam vos orphanos, veniam ad vos 96.a.189.a.
26. Paracletus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia 88.b.
15. 26. Cùm autem venerit Paracletus, ille testimonium perhibebit de me 96.b.98.b.102.a.
16. 7. Sed ego veritatem dico vobis 95.a.
Si non abiero, Paracletus non veniet ad vos 99.b.
13. Cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem 101.a.
Non enim loquetur à semetipso 95.a.
15. Omnia quæcumq; habet Pater, mea sunt 154.b.
De meo accipiet, & annuntiabit vobis 96.b.
17. 3. Hæc est autem vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verũ, & quem misisti Iesum Christum 66.b.
11. Pater sancte, serua eos in nomine tuo, quos dedisti mihi 123.b.
21. Vt omnes vnum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, vt & ipsi in nobis vnum sint 1035.a.b.
Vt credat mundus quia tu me misisti ibid.
20.17. Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum 142.a.
22. Accipite Spiritum sanctum 98.b.
23. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis 939.b.
26. Venit Iesus ianuis clausis 180.a.b.182.a.184.b. & seq.
21. 7. Simon Petrus cùm audisset quia Dominus est, tunica succinxit se (erat enim nudus) & misit se in mare 812.a.
15. Simon Ioannis diligis me plus his? 801.a.806.a.
16. Pasce agnos meos 807.b.812.a.847.a.861.b.
17. Pasce oues meas 813.a.853.b.
21. Domine, hic autem quid? 803.b.
22. Sic eum volo manere donec veniã, quid ad tè? tu me sequere 803.b.813.a.

Acta Apostolorum.

1. 7. Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate 154.a.b. & seqq.
9. Et cùm hæc dixisset, videntibus illis eleuatus est 189.a.
11. Hic Iesus, qui assumptus est à vobis in cælum, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cælum 195.a.
2. 24. Quem Deus suscitauit solutis doloribus inferni, iuxta quod impossibile erat teneri illum ab eo 170.a.
27. Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem 170.a.
5. 3. Anania, cur tentauit satanas cor tuum, mentiri te Spiritui sancto? 82.b. & seqq. 85.a. & seq. 498.a.
4. Non es mentitus hominibus, sed Deo 91.a.
9. Quid vtique conuenit vobis tentare Spiritum Domini? 82.b.87.a.
15. Ita vt in plateas eicerent infirmos, & ponerent in lectulis ac grabatis, vt veniente Petro, saltẽ vmbra illius obumbraret quenquam illorum, & liberarẽtur omnes ab infirmitatibus suis 473.b.
7. 38. Hic est qui fuit in ecclesia in solitudine, cum Angelo qui loquebatur ei in monte Sina, & cũ patribus nostris 616.b.
12. 15. Angelus eius est 353.a. & seq.
13. 2. Segregate mihi Saulum & Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos 85.a.
32. Et nos vobis annuntiamus eam quæ ad patres nostros repromissio facta est 802.a.
15. 28. Visum est enim Spiritui sancto & nobis 779.b.
17. 28. In ipso enim viuimus, & mouemur, & sumus 136.a.

Epist. ad Romanos.

1. 3. Qui factus est ei ex semine Dauid secundùm carnem 136.a.
11. Desidero enim videre vos, vt aliquid impertiar vobis gratiæ spiritualis, ad confirmandos vos 817.a.
20. Inuisibilia enim ipsius, à creatura mundi, per ea quæ facta sunt intellecta, conspiciuntur 13.b.
3. 28. Arbitramur enim iustificari hominem per fidem sine operibus legis 1022.a.
4. 24. Qui suscitauit Iesum Christum Dominum nostrum à mortuis 102.a.
5. 4. Scientes quòd tribulatio patientiam operatur 444.b.
6. Vt quid enim Christus, cùm adhuc infirmi essemus, secundùm tempus pro impijs mortuus est? 28.b.29.b.
8. 9. Si quis autem Spiritum Christi non habet, hic non est eius 162.a.
17. Si tamen compatimur, vt & conglorificemur 437.a.
18. Existimo enim quòd nõ condignæ passiones huius temporis, ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis 443.a.
9. 3. Optabam enim ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis, 588.a.

16. 17. *Domine, quis credidit auditui nostro?* 599.b.
11. 36. *Ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia* 64.a.
12. 1. *Obsecro itaque vos fratres per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem,* 88.b.
13. 1. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit* 788.a.
Non est enim potestas nisi à Deo 784.b. & seqq. 787.a.
2. *Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit* 783.b. & seq. 788.b.
4. *Non enim sine causa gladiũ portat* 790.a. 976.b.
5. *Ideo necessitate subditi estote: non solùm propter iram, sed etiã propter cõscientiã* 784.b. 787.b.
7. *Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum, &c.* 529.b. & seq.
15. 29. *Scio autem quoniam veniens ad vos in abundantia benedictionis Christi veniam* 770.a.
30. *Obsecro ergo vos fratres, vt adiuuetis me in orationibus pro me ad Deum* 484.b.
16. 23. *Salutat vos Caius hospes meus, & vniuersa Ecclesia* 728.b.

1. ad Corinthios.

2. 8. *Si enim cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent* 136.a. 144.a.
10. *Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei* 342.b.
5. 5. *Tradere huiusmodi Satanæ in interitum carnis, vt spiritus saluus sit in die Domini nostri Iesu Christi* 931.b. 933.b.
6. 19. *An nescitis quoniam membra vestra templũ sunt Spiritus sancti?* 88.b. 90.a.
20. *Empti enim estis pretio magno* 206.a. 213.a. 236.a
Glorificate & portate Deũ in corpore vestro 88.b
8. 6. *Nobis vnus Deus Pater, ex quo omnia, & nos in illum: & vnus Dominus Iesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum* 21.a.b. 70.b.
11. 2. *Laudo autem vos fratres, quòd per omnia mei memores estis: & sicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis* 779.a.
34. *Cætera autem, cùm venero, disponam* 779.b.
12. 4. *Diuisiones verò gratiarum sunt: idem autem Spiritus* 85.b.
11. *Hæc autem omnia operatur vnus atque idem Spiritus, diuidens singulis prout vult* 90.a.
28. *Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia primùm Apostolos, secundò Prophetas, tertiò Doctores, &c.* 1038.b.
13. 1. *Si linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens* 334.b.
14. 33. *Nõ enim est dissensionis Deus, sed pacis* 1036.b.
15. 44. *Seminatur corpus animale, surget corpus spirituale* 192.b.
16. 2. *Per vnam sabbathi vnusquisq; vestrũ apud sẽ seponat, recondens quòd ei bene placuerit* 219.a.

2. ad Corinthios.

3. 17. *Dominus autem spiritus est* 41.b.
5. 1. *Scimus enim quoniã si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, quòd ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam æternam in cælis* 457.a.
21. *Eum, qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit, vt nos efficeremur iustitia Dei in ipso* 209.b.
6. 14. *Quæ participatio iustitiæ cum iniquitate? aut quæ societas luci ad tenebras?* 17.a
11. 14. *Ipse enim Satanas transfigurat se in Angelum lucis* 391.b.
12. 2. *Scio hominem in Christo raptum vsque ad tertium cælum* 454.a.b.
13. 3. *An experimentum quæritis eius qui in me loquitur Christus?* 194.a.

Ad Galatas.

1. 11. *Notum enim vobis facio fratres Euangelium quod euangelizatum est à me, quia non est secundùm hominem* 71.b.
18. *Deinde post annos tres veni Ierosolymam videre Petrum: & mansi apud eum diebus quindecim* 802.a. 804.a.
3. 16. *Abrahæ dictæ sunt promissiones, & semini eius* 108.a.
4. 4. *At vbi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege* 107.a. 111.b. 113.b. 144.b. 279.a.
6. *Quoniam autem estis filij, misit Deus Spiritum Filij sui in corda vestra clamantem: Abba, Pater* 101.b.
10. *Dies obseruatis, & menses, & tempora, & annos* 216.b. 223.b.

Ad Ephesios.

1. 12. *Vt simus in laudem gloriæ eius nos, qui ante sperauimus in Christo* 76.a.
21. *Supra omnem principatum, & potestatem, & virtutem, & dominationem, &c.* 345.b. & seq. 349.b.
2. 2. *In quibus aliquando ambulastis secundùm seculum mundi huius, secundùm principem potestatis aeris huius* 382.b. 384.a.
4. 5. *Vnus Dominus, vna fides, vnũ baptisma* 123.b.
8. *Ascendens in altum, captiuam duxit captiuitatem: dedit dona hominibus* 165.a.
11. *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem pastores & doctores* 1036.b.
32. *Estote autem inuicẽ benigni, misericordes, donantes inuicem sicut & Deus in Christo donauit vobis* 463.b.
5. 27. *Vt exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam* 993.a.
6. 12. *Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem: sed aduersus mundi rectores tenebrarum harum* 382.b. & seq. 384.a.

Ad Philippenses.

1. 22. *Et quid eligam ignoro* 448.b.
2. 6. *Qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo* 71.b. & seq. 76.a.
7. *Sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens* 136.a.
3. 3. *Nos enim sumus circumcisio, qui spiritu seruimus Deo* 89.a.
20. *Nostra autem conuersatio in cælis est* 194.a.
21. *Qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ* ibid.

Ad Colossenses.

1. 16. *In ipso condita sunt vniuersa in cælis, & in terra, visibilia, & inuisibilia, siue throni, siue dominationes, siue principatus, siue potestates: omnia per ipsum, & in ipso creata sunt* 7.b. 10.b. 31.a. 344.a. 346.a.b. 348.a. & seq.
2. 3. *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ abscõditi* 153.a. & seq. 156.a.

9. *In ipso inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter* 107.a. 129.a. 153.a.b.
14. *Delens quod aduersus nos erat chirographum decreti, affigens illud cruci* 213.b.
15. *Expolians principatus & potestates, traduxit confidenter palam, triumphans illos in semetipso* 174.a. 177.a.

1. ad Thessalonicenses.

1. 9. *Ipsi enim de nobis annuntiãt qualem introitum habuerimus ad vos* 194.a.
10. *Et expectare Filium eius de cælis (quem suscitauit ex mortuis) Iesum, qui eripuit nos ab ira ventura* ibid.
5. 25. *Fratres orate pro nobis* 484.a.

2. ad Thessalonicenses.

2. 3. *Nisi venerit discessio primùm, & reuelatus fuerit homo peccati, filius perditionis* 996.b.
15. *Itaque fratres state, & tenete traditiones quas didicistis, siue per sermonem, siue per epistolam nostram* 771.a. 773.b. 779.b.

1. ad Timotheum.

2. 1. *Obsecro igitur primùm omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus* 460.a. & seqq.
2. *Pro regibus & omnibus qui in sublimitate sunt,* 463.a.
5. *Vnus enim Deus, vnus & mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus* 122.b. 140.b.
4. 14. *Noli negligere gratiam quæ in te est: quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuũ presbyterij* 915.a.
5. 21. *Testor coram Deo, & Christo Iesu & electis Angelis, vt hæc custodias sine præiudicio, nihil faciens in aliam partem declinando* 331.a.
6. 16. *Qui solus habet immortalitatem, & lucem inhabitat inaccessibilem* 7.a.b. 11.b. & seq. 14.b.

2. ad Timotheum.

2. 13. *Si non credimus, ille fidelis permanet, negare seipsum non potest* 28.b.
19. *Cognouit Dominus qui sunt eius* 642.a.
3. 12. *Omnes qui piè volunt viuere in Christo Iesu persecutionem patientur* 437.b. 439.a. 443.b.
16. *Omnis Scriptura diuinitus inspirata, vtilis est ad docendum, ad arguendum, ad corrigendum, ad erudiendum in iustitia* 752.a.

Ad Titum.

3. 1. *Admone illos principibus & potestatibus subditos esse, dicto obedire, ad omne opus bonum paratos esse* 787.a.

Ad Philemonem.

22. *Simul autem & para mihi hospitium: nam spero per orationes vestras donari me vobis* 461.a.

Ad Hebræos.

1. 1. *Multifariam, multisq; modis olim Deus loquens patribus in Prophetis* 709.a.
2. *Nouissimè diebus istis locutus est nobis in Filio* 43.a. 709.a.
3. *Qui cùm sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius, sedet ad dexteram maiestatis in excelsis* 52.a. 65.a. 67.b. 204.b. 709.b. 710.b.
7. *Qui facit Angelos suos, spiritus: & ministros suos, flammam ignis* 329.b.
14. *Nonne omnes sunt administratorij spiritus, in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capient salutis* 333.b. 348.b.
2. 2. *Si enim qui per Angelos dictus est sermo, factus est firmus.* 616.b.
14. *Quia ergo pueri communicauerunt carni & sanguini, & ipse similiter participauit eisdem, vt per mortẽ destrueret eum qui habebat mortis imperium, id est, diabolum* 708.b.
15. *Et liberaret eos qui timore mortis per totam vitam obnoxij erant seruituti* ibid.
6. 18. *Quibus impossibile est mentiri Deum* 28.b.
19. *Quam sicut ancoram habemus animæ tutam ac firmam, & incedentem vsque ad interiora velaminis* 196.a.
20. *Vbi præcursor pro nobis introiit Iesus, secundùm ordinem Melchisedec pontifex factus in æternum* ibid.
7. 3. *Sine patre, sine matre, sine genealogia, neque initium dierum, neque finem vitæ habens* 706.b.
9. 25. *Neque vt sæpe offerat semetipsum, quemadmodum Pontifex intrat in Sancta, per singulos annos in sanguine alieno* 450.a.
11. 1. *Est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium* 712.b.
21. *Fide Iacob moriens singulos filiorum Ioseph benedixit, & adorauit fastigium virgæ eius* 710.b.
33. *Qui per fidem deuicerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones* 457.a.
39. *Et hi omnes testimonio fidei probati, non acceperunt repromissionem* 709.b.
12. 6. *Quem enim diligit Dominus castigat: flagellat autem omnem filium quem recipit* 440.a.
13. 23. *Cognoscite fratrem nostrum Timotheum dimissum, cum quo (si celerius venerit) videbo vos* 708.b.

Iacobus.

1. 12. *Beatus vir qui suffert tentationem: quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se* 437.b.
17. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à Patre luminum* 7.b.
26 *Si quis autem putat se religiosum esse, non refrenans linguam suam, huius vana est religio* 719.a.
2. 10. *Quicunq; totam legem seruauerit, offendat autem in vno factus est omnium reus* 719.b.
14. *Quid proderit fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? Nunquid poterit fides saluare eum?* 1022.a.
17. *Fides, si non habeat opera, mortua est in semetipsa* 718.b.
20. *Fides sine operibus mortua est* ibid.
26. *Sicut enim corpus sine spiritu mortuum est: ita & fides sine operibus mortua est* 1022.a.
3. 2. *In multis enim offendimus omnes* 717.b. & seq.
5. 14. *Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum oleo in nomine Domini* 1028.b.
16. *Multum enim valet deprecatio iusti assidua* 716.a.

1. Petri.

2. 7. *Lapis, quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli* 723.a.
13. *Subiecti igitur estote omni humanæ creaturæ propter Deum* 530.a.

3. 18. *Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, iustus pro iniustis* 120.a.
22. *Profectus in cælum, subiectis sibi Angelis, & Potestatibus, & Virtutibus* 342.a.
4. 1. *Christo igitur passo in carne, & vos eadem cogitatione armamini* 107.a.120.b.123.b.139.a.
5. 13. *Salutat vos Ecclesia, quæ est in Babylone coelecta, & Marcus filius meus* 817.a.822.a.824.b.

2. Petri.

1. 15. *Dabo autem operam & frequenter habere vos post obitum meum, vt horum memoriam faciatis* 471.a.
21. *Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia: sed Spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines* 762.b.
2. 4. *Si enim Deus Angelis peccantibus non pepercit; sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos, in iudicium reseruari* 384.a.
5. *Et originali mundo non pepercit, sed octauum Noe iustitiæ præconem custodiuit, diluuio mundo impiorum inducens* 722.b.796.b.

1. Ioannis.

1. 5. *Quoniam Deus lux est: & tenebræ in eo non sunt vllæ* 66.b.
8. *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus: ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est* 1023.b.
2. 2. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi* 212.a.
3. 6. *Omnis qui in eo manet, non peccat: & omnis qui peccat, nõ vidit eum, nec cognouit eũ* 1023.b.
4. 12. *Deum nemo vidit vnquam* 342.b.
5. 7. *Quoniam tres sunt qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus: & hi tres vnum sunt* 92.b.& seq.725.& seq.

2. Ioannis.

1. *Senior Electæ Dominæ & natis eius* 728.b.
8. *Videte vosmetipsos, ne perdatis quæ operati estis: sed vt mercedẽ plenam accipiatis* 729.b.
10. *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec AVE ei dixeritis* 728.a.

3. Ioannis.

1. *Senior Gaio charissimo, quem ego diligo in veritate* 729.a.b.

Iudas.

1. *Iudas Iesu Christi seruus, frater autem Iacobi, his qui sunt in Deo Patre dilectis, & Christo Iesu conseruatis, & vocatis* 732.a.
9. *Cum Michael Archangelus cum diabolo disputans altercaretur de Moysi corpore, non est ausus iudicium inferre blasphemiæ, sed dixit: Imperet tibi Dominus* 734.b.

Apocalypsis.

1. 3. *Beatus qui legit & audit verba prophetiæ huius: & seruat ea quæ in ea scripta sunt* 741.b.
4. *Qui est, & qui erat, & qui venturus est* 41.b. 737.b.
8. *Ego sum α & ω, principium & finis, dicit Dominus Deus, qui est, & qui erat, & qui venturus est omnipotens* 27.a.736.b.
10. *Fui in spiritu in Dominica die, & audiui post me vocem magnam tamquã tubæ dicentis* 227.b.231.b.
16. *De ore eius gladius vtraque parte acutus exibat* 738.b.
2. 8. *Hæc dicit primus & nouissimus* 737.b.
3. 4. *Qui non inquinauerunt vestimenta sua* 737.a.
19. *Ego quos amo arguo & castigo* 440.a.442.a.
4. 5. *Et de throno procedebant fulgura, & voces, & tonitrua* 696.b.
8. *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus omnipotens, qui erat, & qui est, & qui venturus est* 31.a.740.a.
6. 11. *Et datæ sunt illis singulæ stolæ albæ, & dictum est illis vt requiescerent adhuc tempus modicũ, donec compleantur conserui eorum, & fratres eorum qui interficiendi sunt sicut & illi* 454.a. 457.b.
7. 3. *Nolite nocere terræ & mari, neque arboribus, quoadusque signemus seruos Dei nostri in frontibus eorum* 237.a.
8. 4. *Et ascendit fumus incensorum de orationibus sanctorum de manu Angeli coram Deo* 366.a.
11. 17. *Gratias agimus tibi Domine Deus omnipotẽs, qui es, & qui eras, & qui venturus es* 77.a.
12. 3. *Et visum est aliud signum in cælo, & ecce draco magnus, rufus, habens capita septem, & cornua decem: & in capitibus eius diademata septem* 387.a.
14. 4. *Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati. Virgines enim sunt* 740.a.
Hi sequuntur Agnum quocunque ierit 508.a. 518.a.739.b.741.a.
17. 15. *Aquæ, quas vidisti vbi meretrix sedet, populi sunt, & gentes, & linguæ* 738.b.
19. 12. *Habens nomen scriptum, quod nemo nouit nisi ipse* 156.a.
15. *Et de ore eius procedit gladius ex vtraque parte acutus* 738.b.
20. 10. *Diabolus, qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis & sulphuris, vbi & bestia & pseudopropheta cruciabuntur die ac nocte in secula seculorum* 740.a.
22. 16. *Ego Iesus misi Angelum meum testificari vobis hæc in Ecclesijs* 742.a.
18. *Si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto* 741.b.

FINIS.

CATALOGVS SCRIPTORVM, EX QVIBVS OPVS HOC CONSCRIPTVM.

	Vixit Anno Domini	In
A		
Abbo Floriacensis Abbas	980	Gallia.
Abdyſus Aſſyriorum Patriarcha	1562	Aſſyria.
Abſolon Sprinckirbatensis Abbas	1120	Germania.
Acacius Beroeus	430	Græcia.
Acacius Constantinopolitanus	470	Græcia.
Actius Sannazarius	1540	Italia.
Adamannus monachus	680	Scotia.
Adamus Bremensis	1080	Germania.
Adamus de Sancto Victore	1170	Gallia.
Adelinus Sagiensis	520	Gallia.
Ado Trevirensis	1070	Germania.
Ado Viennensis	890	Gallia.
Adrianus Papa I.	770	Italia.
Adrianus Papa II.	870	Italia.
Adrianus Papa VI.	1522	Italia.
Aegidius Columnius	1270	Italia.
Aegidius Romanus	1280	Italia.
Aemoinus Floriacensis monachus	825	Gallia.
Aemoini Continuator	1140	Gallia.
Aeneas Gazæus Philosophus	530	Syria.
Aeneas Syluius	1460	Italia.
Agathias Scholiasticus Smirnæus	560	Græcia.
Agatho Papa	680	Italia.
Agnellus	580	
Agobardus Lugdunensis Archiepiscopus	840	Gallia.
Albertus Crantzius	1500	Germania.
Albertus Magnus	1240	Germania.
Albertus Patauinus	1310	Italia.
Albertus Stadensis	1240	Germania.
Alcimus Auitus, Viennensis archiepiscopus	500	Gallia.
Alcuinus Anglus	750	Gallia.
Aldhelmus	680	Anglia.
Alexander ab Alexandro	1480	Italia.
Alexander Alesius	1240	Scotia.
Alexander Alexandrinus Patriarcha	325	Ægypto.
Alexander Monachus	490	Cypro.
Alexander Papa I.	109	Italia.
Alexander Papa II.	1061	Italia.
Alexander Papa III.	1160	Italia.
Alexander Papa IV.	1254	Italia.
Alexander Papa VI.	1496	Italia.
Algerus Cluniacensis Monachus	1060	Gallia.
Alphanus Salernitanus Archiepiscopus	1060	Italia.
Alphonsus Tostatvs Abulensis Episcop.	1430	Hiſpania.
Altercatio Synagogæ & Eccleſiæ	890	Germania.
Aluarus Pelagius	1330	Hiſpania.
Alypius Tagaſtensis Episcopus	400	Africa.
Amadæus Lauſanensis Episcop.	1120	Gallia.
Amalarius Fortunatus Treuir. Archiepiscop.	830	Germania.
Amandus Burdegalensis Episcop.	431	Gallia.
Ambroſius Ansbertus Monachus	750	Italia.
Ambroſius Catharinus Politus	1540	Italia.
Ambrosivs Mediolanen. Episcop.	370	Italia.
Ammianus Marcellinus	360	Gallia.
Ammoinus Alexandrinus	230	Ægypto.
Amœnus	460	
Amphilochius Iconij Episcop.	380	Græcia.
Anacletus Papa	95	Italia.
Anaſtaſius Bibliothecarius Romanus	880	Italia.
Anaſtaſius Hieroſolymit. Patriarcha	470	Syria.
Anaſtaſius S. Maximi Diſcipulus	630	Germania.
Anaſtaſius Nicænus	850	Græcia.
Anaſtaſius Papa I.	388	Italia.
Anaſtaſius Papa II.	492	Italia.
Anaſtaſius Sinaytes Antiochenus Patriarcha	570	Syria.
Anatolius	443	Syria.
Andreas Cæſareensis.	500	Syria.
Andreas Cretensis Episcop.	560	Græcia.
Andreas Hieroſolymit. Patriarcha.	560	Syria.
Angela de Fulgineo	1280	Italia.
Angelomus Lexouiensis Abbas	830	Gallia.
Anicetus Papa	154	Italia.
Anselmvs Cantuariensis Archiepiſc.	1080	Anglia.
Anſelmus Laudunenſ. auctor gloſſæ interlin.	1100	Gallia.
Anſelmus Lucenſis Epiſcop.	1074	Italia.
Antherus Papa	236	Italia.
Antiochus S. Sabæ Abbas	610	Syria.
Antoninus Conſtantinienſis Epiſcop.	437	Africa.
Antoninus Florentinus Archiepiſcop.	1410	Italia.
Antonius Andreas	1320	Hiſpania.
Antonius Bonfinius	1480	Vngaria.
Antonius Conſtantienſis	470	Germania.
Antonius Eremita	330	Ægypto.
Antonius Paduanus Hiſpanus	1220	Italia.
Apollinaris Hieropolitan. Epiſcop.	172	Syria.
Apollinarius Syrus	365	Syria.
Aponius Monachus	700	Gallia.
Arator	540	Italia.
Aretas Cæſarienſis	530	Syria.
Aribo Friſingenſis	770	Germania.
Arnobivs Rhetor, ſenior	300	Africa.
Arnobius Romanus, iunior	440.	Italia.
Arnoldus Carnotenſis Bonæuallis Abbas	1160	Gallia.
Arnulphus Lexouienſis	1170	Gallia.
Aſcanius Tarraconenſis Epiſcop.	460	Hiſpania.
Athanasivs Alexandrinus Patriarcha	340	Ægypto.
Athanaſius Alexandrinus Presbyter	445	Ægypto.
Athanaſius Conſtantinopolit.	1300	Græcia.
Athanaſius Syrus	760	Syria.
Athenagoras Athenien. Philoſ. Chriſt.	180	Græcia.
Atticus Conſtantinop. Patriarcha	420	Græcia.
Auctor vitæ S. Fulgentij	510	Africa.
Auctor inſinuationum diuinæ pietatis	1300	Germania.
Auctor Ordinis Romani	730	Italia.
Auctor actuum S. Syluestri	350	Italia.
Auctor Teſtamenti 12. Patriarcharum	180	
Audoenus	660	Gallia.
Avgvstinvs Hipponenſis Epiſcop.	400	Africa.
Auguſtinus Triumphus Anconitanus	1320	Italia.
Aurelius Carthaginenſis Epiſcopus	400	Africa.
B		
Bacchiarius Macceus D. Patricij diſcipul.	410	Anglia.
Baldus de Vbaldis, Peruſinus, Iureconſ.	1380	Italia.
Bãdouimia monialis ſcripſit vitã S. Radegundis Reginæ	566	Germania.
Baptiſta Fulgoſus	1490	Italia.
Baptiſta Mantuanus	1500	Italia.
Baptiſta Platina	1460	Italia.
Bartholomæus Anglicus	1360	Anglia.
Bartholomæus de Saliceto, Iureconſultus	1390	Italia.
Baſilius Ancyranus	780	Græcia.
Baſilius Diaconus & archimandrita	430	Syria.
Baſilius Macedo Imp.	860	Græcia.
Basilivs Magnvs	370	Græcia.
Baſilius Seleuciæ Archiepiſcopus	460	Syria.
Beda Presbyter	700	Anglia.
Bellator Presbyter	540	Gallia.
Benedictus Abbas	530	Italia.
Benedictus Papa XI.	1300	Italia.
Bernardinus Senenſis	1430	Italia.
Bernardus Bonæuallis Abbas	1150	Gallia.
Bernardvs Clareuallenſis Abbas	1130	Gallia.
Berngoſius Abbas	1110	Gallia.
Berno Augienſis Abbas	1020	Germania.
Bertoldus Conſtantienſis	1100	Germania.
Beſſarion Conſtantinopol. Patriarcha	1439	Græcia.
Blondus Flauius Forliuienſis	1430	Italia.
Boetius Senator Romanus	500	Italia.
Bonaventvra Cardinalis	1260	Italia.
Bonifacius Moguntinus Archiepiſcop.	730	Germania.
Bonifacius Papa I.	420	Italia.
Bonifacius Papa II.	430	Italia.
Bonifacius Papa V.	614	Italia.
Bonifacius Papa VIII.	1300	Italia.
Bonifacius Papa IX.	1400.	Italia.
Bouitus Aruerniæ Epiſcopus.	690	Gallia.
Brideſertus Rameſienſis	980.	Anglia.
Brigitta Scota Virgo	530	Scotia.

INDEX

	Vixit Anno Domini	In
Brigitta Vidua	1360	Suecia.
Brocardus	1260	Germania.
Bruno Colonienſis Carthuſianorũ inſtitutor	1080	Gallia.
Bruno Herbipolenſis Epiſcopus	1020	Germania.
Burchardus VVormatienſis Epiſcopus	1020	Germania.
C		
Cælestinus Papa I.	423	Italia.
Cæſar Baronivs	1590	Italia.
Cæſarius Arelatenſis Epiſcopus	480	Gallia.
Cæſarius Heiſterbacenſis Monachus	1220	Germania.
Caius Papa	283	Italia.
Calixtus Papa I.	218	Italia.
Calixtus Papa III.	1455	Italia.
Canutus Angliæ & Daniæ Rex	1030	Anglia.
Capreolus Carthaginenſis Epiſcopus	430	Africa.
Carolus Bouillus Samarobrinus	1500	Gallia.
Carolvs I. Magnvs Imperator	800	Gallia.
Carolus II. Caluus Imperator	870	Gallia.
Carolvs V. Imperator	1530	Germania.
Carolus Sigonius	1570	Italia.
Caſſianus vide Ioannes		
Cassiodorvs Abbas, Tripartitæ hiſtoriæ auctor	540	Italia.
Catharina Senenſis	1370	Italia.
Cerealis Epiſcopus	480	Africa.
Chromatius Aquileienſis	390	Italia.
Chryſippus Hieroſolymitanus Presbyter	500	Syria.
Chryſoſtomus vide Ioannes		
Claudianus Mamertus Viennenſis Presbyter.	470	Gallia.
Claudius Marius Victor	460	Affrica.
Clemens Alexandrinvs Presbyter	200	Ægypto.
Clemens Papa I. Romanvs	80	Italia.
Clemens Papa V.	1305	Italia.
Clemens Papa VI.	1342	Italia.
Climacus vide Ioannes		
Conradvs à Lichtenavv Vrspergensis Abbas	1225	Germania.
Conſtantinus Harmenopulus	1120	Græcia.
Constantinvs I. Magnvs Imperat.	320	Græcia.
Conſtantinus IV. Imperator	680	Græcia.
Conſtantinus VI. Imperator	790	Græcia.
Conſtantinus Manaſſes	1140	Græcia.
Conſtantinus Porphyrogenneta	990	Græcia.
Conſtantinus Scholaſticus	540	Italia.
Conſtantinus Tius	850	Græcia.
Conſtantius Presbyter	490	Gallia.
Corippus Grammaticus	580	Africa.
Cornelius Gemma Louanienſis	1565	Belgio.
Cornelius Papa	250	Italia.
Coſmas Hieroſolymitanus	740	Syria.
Coſmas Veſtiarius	430	Græcia.
Cyprianus Arelatenſis	500	Gallia.
Cyprianvs Carthaginenſis Epiſcopus.	250	Africa.
Cyrillvs Alexandrinvs Patriarcha	430	Aegypto.
Cyrillus Eremita	540.	Syria.
Cyrillvs Hierosolymitanvs Patriarcha	370	Syria.
Cyrillus Luccorienſis Epiſcopus	1595	Italia.
Cyrus Theodorus Prodromus	443	Græcia.
D		
Damaſcenus vide Ioannes		
Damaſus Papa	380.	Italia.
Dauid Aethiopiæ Rex	1524	Aethiopia
Demetrius Cydonius Theſſalonicenſis	1300	Græcia.
Deusdedit Papa	610	Italia.
Diadochus	460	Græcia.
Didymus Alexandrinus	360	Aegypto.
Dinamius Patritius	580	Italia.
Dionyſius Alexandrinus Patriarcha	260	Aegypto.
Dionysivs Areopagita Athenienſis	100	Gallia.
Dionyſius Carthuſianus	1460	Germania.
Dionyſius Corinthiacus	160	Græcia.
Dionyſius Papa I.	260	Italia.
Dodochinus	1190	
Dominicus Prædicat. Ordinis Fundator	1200	Italia.
Dorotheus Archimandrita	520	Syria.
Dorotheus Theſſalonicenſis Epiſcopus	516	Græcia.
Dorotheus Tyri Epiſcopus	350	Syria.
Drepanius Florus	850	Gallia.
Drogo Hoſtienſis	1130	Italia.
Durandus de Sancto Portiano	1320	Italia.
E		
Alredus Ciſtertienſis Monachus	1164	Gallia.
Eckbertus Presbyter	1170	Germania.
Edinerus Anglus	1100	Anglia.
Edmundus Cantuarienſis	1230	Anglia.
Egeſippus Hiſtoriographus	160	Italia.
Eginhardus	840	Germania.
Eleutherius Papa	182	Italia.
Elias Cretenſis	790	Græcia
Eliſabeth Schonaugienſis	1160	Germania.
Elpis Boetij vxor	520	Italia.
Emmanuel Calleca	1274	Græcia.
Emmanuel Comnenus	1140	Græcia.
Emmanuel Malaxus Peloponneſius	1578	Græcia.
Engelbertus Admontenſis Abbas	1300	Germania.
Ennodius Ticinenſis Epiſcopus	500	Italia.
Ephrem Cherſonis Epiſcopus	500	Græcia.
Ephræm Syrus, Diaconus Edeſſenus	370	Syria.
Epiphanius Conſtantinopolitanus	510	Græcia.
Epiphanivs Salaminæ Cypri Epiſcopus	390	Græcia.
Eraſmus Roterodamus	1530	Germania.
Ericus Antiſiodorenſis Monachus	880	Gallia.
Eſaias Hieroſolymitanus Patriarcha	1434	Syria.
Euagrius Antiochenus Patriarcha	370	Syria.
Evagrivs Epiphanienſis Prætor, Hiſtoricus	590	Græcia.
Euagrius Ponticus Nitriæ Monachus	380	Aegypto.
Euariſtus Papa	96	Italia.
Eucherius Lugdunenſis Epiſcopus	440	Gallia.
Eugenius Carthaginenſis Epiſcopus	480	Africa.
Eugenius Papa II.	824	Italia.
Eugenius Papa III.	1145	Italia.
Eugenius Papa IV.	1430	Italia
Engenius Synaites	1569	Syria.
Eugippius Abbas	500	Germania.
Eulalius Carthaginenſis	530	Africa.
Eulalius Syracuſanus Epiſcopus	483	Sicilia.
Eulogius Cordubenſis, Toletanus Archiepiſcopus	880	Hiſpania.
Euodius Vzalenſis Epiſcopus	430	Africa.
Euſebius Alexandrinus	260	Aegypto.
Evsebivs Caesareensis Epiſcopus	320	Syria.
Euſebius Cremonenſis Monachus	520	Italia.
Euſebius Emiſſenus	520	Gallia.
Euſebius Mediolanenſis Epiſcopus	442	Italia.
Euſebius Papa	310	Italia.
Euſebius Sardus, Vercellenſis Epiſcopus	370	Italia.
Euſtachius Antiochenus Patriarcha	340	Syria.
Euſtathius Presbyter Conſtantinopolitanus	610	Græcia.
Euthymius Eremita	540	Syria.
Euthymius Zigabonus Monachus	1080	Græcia.
Eutychianus Papa	275	Italia.
Eutychius Conſtantinopolitanus Patriarcha	550	Græcia.
F		
Fabianus Papa	237	Italia.
Fauſtinus Presbyter	380	Italia.
Fauſtus Monachus, diſcipulus S. Benedicti	600	Italia.
Fauſtus Rhegienſis Epiſcopus	470	Gallia.
Felix Malleolus	1450	Germania.
Felix Papa I.	270	Italia.
Felix Papa II.	366	Italia.
Felix Papa III.	470	Italia.
Felix Papa IV.	530	Italia.
Ferrandus Carthaginenſis Diaconus	500	Africa.
Flauianus Conſtantinopolitanus Patriarcha	449	Græcia.
Florentius VVigornienſis	1100	Anglia.
Florus Magiſter.	860	
Formoſus Papa	891	Italia.
Fortunatus Pictauienſis Epiſcopus	570	Gallia.
Franciſcus Mayronius Minorita	1320	Gallia.
Franciſcus Ordinis Minorum inſtitutor	1220	Italia.
Franciſcus Petrarcha	1350	Italia.
Franciſcus Philelphus	1450	Italia.
Franco Haffligemenſis Abbas	1100	Germania.
Freculphus Lexouienſis Epiſcopus	830	Gallia.
Fridegodus Diaconus	956	Anglia.
Fridericus I. Imperator	1150	Germania.
Fridericus II. Imperator	1230	Germania.
Frodoardus Rhemenſis	960	Gallia.
Fvlgentivs Ruſpenſis Epiſcopus	500	Africa.
Fulpertus Carnotenſis Epiſcopus	1000	Gallia.
G		
Gabriel Alexandrinus Patriarcha	1595	Aegypto.
Gabriel Bielius	1480	Germania.
Gabriel Philadelphienſis Epiſcopus	1580	Aegypto.
Galfridus Arturus	1152	Anglia.
Galla Placidia	453	Italia.
Gaudentius Brixienſis Epiſcopus	400	Italia.
Gaufridus de Bello Loco	1280	Gallia.
Gelaſius Papa I.	490	Italia.
Gelaſius Papa II.	1118	Italia.

AVTHORVM.

	Vixit Anno Domini	In
Gennadius Conſtantinopolitanus Patriarcha	460	Græcia.
Gennadius Maſſilienſis Presbyter	480	Gallia.
Gennadius Scholarius Conſtantinopolitanus Patriarcha	1450	Græcia.
Georgius Alexandrinus	620	Aegypto.
Georgius Bæticus	390	Hiſpania.
Georgius Cedrenus	1100	Græcia.
Georgius Codinus	1400	Græcia.
Georgius Gemiſtius Phleto	1430	Græcia.
Georgius Nicomedius	700	Græcia.
Georgius Pachymerius	1300	Græcia.
Georgius Piſides	640	Græcia.
Gerardus à Nazareth Laodicenſis Epiſcopus	1140	Græcia.
Gerardus Zutphanienſis	1380	Germania.
Germanus Conſtantinopolitanus Patriarcha	720	Græcia.
Gertrudis Sanctimonialis	1280	Germania.
Gilbertus de Hoylandia Ciſtertienſis Monachus	1200	Anglia.
Gildas Badonicus Sapiẽs, Bannochorenſis Abbas	550	Anglia.
Giraldus Cambrenſis	1180	Anglia.
Glaber Rodolphus	1040	Gallia.
Godefridus Viterbienſis Presbyter	1170	Germania.
Gordianus Siculus	600	Sicilia.
Gratianus Imperator	370	Græcia.
Gregorius Alexandrinus Presbyter	620	Aegypto.
Gregorivs Nazianzenvs	380	Græcia.
Gregorivs Neocaesareensis, Thaumaturgus	260	Græcia.
Gregorivs Nyssenvs Epiſcopus	380	Græcia.
Gregorivs Papa I. Magnvs	590	Italia.
Gregorius Papa II.	716	Italia.
Gregorius Papa III.	730	Italia.
Gregorius Papa IV.	830	Italia.
Gregorius Papa VII.	1070	Italia.
Gregorius Papa IX.	1222	Italia.
Gregorius Papa X.	1270	Italia.
Gregorius Papa XI.	1371	Italia.
Gregorius Papa XIII.	1575	Italia.
Gregorius Tifernas	1480	Italia.
Gregorivs Tvronensis Epiſcopus	580	Gallia.
Guerricus Igniacenſis Abbas	1180	Gallia.
Guibertus de Tornaco	1270	Belgio.
Guido Carmelita	1330	Germania.
Guido Carthuſianus	1137	Gallia.
Guido Perpinianus	1340	Hiſpania.
Guido Rocherius	1350	Gallia.
Guilhelmus Aluernus, Pariſienſis Epiſcopus	1230	Gallia.
Guilhelmus Bibliothecarius	1120	Italia.
Guilhelmus Budaevs	1520	Gallia.
Guilhelmus Cantuarienſis	1190	Anglia.
Guilhelmus Durandus, Mimatenſis Epiſcopus	1270	Italia.
Guilhelmus Hirſaugienſis Abbas	1090	Germania.
Guilhelmus Leyceſtre	1210	Anglia.
Guilhelmus Malmesberienſis, Benedictinus	1130	Anglia.
Guilhelmus Maſſet, Dominicanus	1320	Anglia.
Guilhelmus Montis frigidi Monachus	1180	Gallia.
Guilhelmus Nangiacus	1310	Gallia.
Guilhelmus Neubrigenſis	1200	Gallia.
Guilhelmus Peraldus	1255	Gallia.
Guilhelmus S. Theodorici Abbas	1130	Gallia.
Guilhelmus Tyrius	1180	Syria.
Guillerinus Hiſtoricus	1150	
Guillermus Brito Armoricus	1230	Gallia.
Guitmundus Auerſanus Archiepiſcopus	1060	Gallia.
Guntherus	1180	Germania.
H		
Habdenus Epiſcopus	410	
Hanerdus Gamerius Moſæus	1565	Germania.
Haymo Cantuarienſis Archidiaconus	1040	Anglia.
Haymo Floriacenſis Monachus	1020	Gallia.
Haymo Halberſtadienſis Epiſcopus	820	Germania.
Helgaudus Floriacenſis	1030	Gallia.
Helinandus Frigidi montis Monachus	1200	Gallia.
Helladius Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopus	380	Græcia.
Helias Hieroſolymitanus Patriarcha	590	Syria.
Helmoldus Presbyter	1170	Germania.
Henricus VIII. Angliæ Rex	1520	Anglia.
Henricus de Coesfeldia	1410	Belgio.
Henricus de Erfordia	1350	Germania.
Henricus de Gandauo	1290	Belgio.
Henricus Gorrichemius	1450	Germania.
Henricus de Haſſia	1380	Germania.
Henricus Heluiæ Dux	1324	
Henricus de Herph	1460	Germania.
Henricus de Piro	1470	Germania.
Henricus Suſo	1350	Germania.
Heraclides Cappadox	420	Græcia.
Hermannus Contractvs Veringenſis Comes, Monachus	1500	Germania.
Hermannus de Schildis	1340	Germania.
Hermas	120	Græcia.
Hermolavs Barbarvs	1493	Italia.
Heſychius Hieroſolymorum Patriarcha	590	Syria.
Heſychius Presbyter & Monachus	400	Syria.
Hieremias Conſtantinopolitanus Patriarcha	1580	Græcia.
Hieronymus Bolſecus	1550	Gallia.
Hieronymus Cardanus	1550	Italia.
Hieronymus Emſerus	1520	Germania.
Hieronymus de ſancta Fide	1400	Italia.
Hieronymus Sauonarola	1480	Italia.
Hieronymvs Stridonenſis Dalmata Presbyter	390	Syria.
Hieronymus Vida	1560	Italia.
Higinus Papa	138	Italia.
Hilarius Arelatenſis Epiſcopus	450	Gallia.
Hilarius Papa	461	Italia.
Hilarius Pictauorum Epiſcopus	350	Gallia.
Hildebertus Cenomanenſis Epiſcopus	1090	Gallia.
Hildebertus Moguntinus Archiepiſcopus	928	Germania.
Hildegardis	1160	Germania.
Hildephonsvs Toletanvs Archiepiſcopus	660	Hiſpania.
Hilduinus S. Dionyſij Pariſienſis Abbas	840	Gallia.
Hincmarus Remenſis Archiepiſcopus	850	Gallia.
Hippolytus Portuenſis Epiſcopus	220	Italia.
Honoratus Conſtantinæ Africæ ciuitat. Epiſcopus	470	Africa.
Honoratus Maſſilienſis Epiſcopus	490	Gallia.
Honoratus Nouarienſis Epiſcopus	489	Italia.
Honorius Auguſtodunenſis Presbyter	1120	Gallia.
Honorius Imperator	400	
Honorius Papa I.	620	Italia.
Honorius Papa II.	1122	Italia.
Honorius Papa III.	1220	Italia.
Hormiſda Papa	514	Italia.
Hugbaldus Eluonenſis Monachus	890	Gallia.
Hugo Argentoratenſis	1296	Germania.
Hugo Cluniacenſis Monachus	1120	Gallia.
Hugo Colionius, Barchinonenſis, Cardinalis	1245	Gallia.
Hugo de Ductona	1347	Anglia.
Hugo Eterianus	1160	Italia.
Hugo Floriacenſis Monachus	1040	Gallia.
Hugo Folietinus, Corbeienſis Monachus	1120	Germania.
Hugo Franciæ Rex	990	Gallia.
Hugo de Mancestria	1294	Anglia.
Hugo Pratenſis	1310	
Hugo Seleſtadianus	1463	Germania.
Hugo Victorinus Monachus	1130	Gallia.
Hugo Vyrley	1344	Anglia.
Hugolinus Conſtantinopolitanus Patriarcha	1299	Græcia.
Humbertus de Romania	1253	Gallia.
I		
Iacobus Ediſſenus Diaconus	560	Syria.
Iacobus Genuenſis Epiſcopus	1280	Italia.
Iacobus Picolominus Cardinalis	1300	Italia.
Iacobus Sapiens, Niſibenæ Epiſcopus	336	Perſia.
Iacobus Sprenger	1494	Germania.
Iacobus de Theramo	1390	Gallia.
Iacobus de alta Villa	1363	Germania.
Iacobus de Viterbio	1306	Italia.
Iacobus de Vitriaco	1220	Gallia.
Idacius Clarus	430	Hiſpania.
Idiota	800	
Ignativs Antiochenus Patriarcha	100	Syria.
Ignatius Conſtantinopolitanus	860	Græcia.
Ignatius Nicænus	830	Græcia.
Innocentius Papa I.	406	Italia.
Innocentius Papa II.	1130	Italia.
Innocentius Papa III.	1200	Italia.
Innocentius Papa IV.	1240	Italia.
Innocentius Papa VIII.	1484	Italia.
Ioachim Florenſis Abbas	1190	Italia.
Ioannes Alexandrinus Patriarcha	1440	Aegypto.
Ioannes Algrinus Biſuntinus Archiepiſcopus	1227	Gallia.
Ioannes Andreas Bononienſis	1348	Italia.
Ioannes Andreas Veronenſis	1480	Gallia.
Ioannes Annius Viterbienſis	1460	Italia.
Ioannes Antiochenus Patriarcha	430	Syria.
Ioannes Antonius Campanus	1477	Italia.
Ioannes Auentinus	1529	Germania.
Ioannes Bacconthorpe Carmelita	1346	Gallia.
Ioannes Baſilius Magnus Moſcouiæ Dux	1570	Moſcouia.
Ioannes de Beka	1346	Belgio.
Ioannes Belethus	1200	Gallia.

	Vixit Anno Domini	In
Ioannes Bueriacius, Eboracensis Archiepiscopus	717	Anglia.
Ioannes Bocatius	1360	Italia.
Ioannes Boisinensis Episcopus	1250	Germania.
Ioannes Bomiadus	1419	
Ioannes Canonicus Minorita	1316	Gallia.
Ioannes Cantacuzenus	1360	Græcia.
Ioannes Capistranus	1440	Italia.
Ioannes Capreolus	1415	Gallia.
Ioannes Cassianvs Massiliæ Monachus	430	Gallia.
Ioannes Castellensis Monachus	1400	Germania.
Ioannes Chrysostomvs Constantinop. Patriarcha	400	Græcia.
Ioannes Climacvs in Sina monte Monachus	580	Arabia.
Ioannes Coletus	1509	Anglia.
Ioannes Constantiensis Episcopus	633	Germania.
Ioannes Constantinop. Patriarcha	510	Græcia.
Ioannes Cyparissiotus	1200	Græcia.
Ioannes Cyprius	400	
Ioannes Damascenvs	730	Syria.
Ioannes Diaconus Romanus	870	Italia.
Ioannes Duns, Scotus	1103	Gallia.
Ioannes Eckius	1520	Germania.
Ioannes Eleemosynarius Alexand. Patriar.	611	Ægypto.
Ioannes de Erfordia	1359	Germania.
Ioannes Erigena	850	Anglia.
Ioannes Faculanus de Esculo	1279	Italia.
Ioannes Franciscus, Picus, Mirandulanus	1490	Italia.
Ioannes de sancta Fide	1533	Anglia.
Ioannes Fischer Roffensis Episcop.	1530	Anglia.
Ioannes Galensis	1273	Gallia.
Ioannes de S. Geminiano	1300	
Ioannes Gerson	1410	Gallia.
Ioannes Gerundensis Episcopus, Gothus	609	Hispania.
Ioannes Gratianus	1150	
Ioannes Gropperus	1555	Germania.
Ioannes Hierosolymit. Patriarcha	800	Syria.
Ioannes Hildesheimensis Carmelita	1350	Germania.
Ioannes Hoffmannus, Misnensis Episcop.	1418	Germania.
Ioannes de Indagine	1458	Germania.
Ioannes Iouianus Pontanus	1500	Italia.
Ioannes de Lapide	1494	Germania.
Ioannes Leuita Romanus	870	Italia.
Ioannes Ludouicus Viues	1530	
Ioannes Mailrosius	792	Scotia.
Ioannes Maxentius	510	
Ioannes Micrologus	1060	
Ioannes Moschvs Eviratvs	610	Syria.
Ioannes de Murro	1302	Italia.
Ioannes Navclervs	1500	Germania.
Ioannes Nicopoleos Epyri Episcop.	516	Græcia.
Ioannes Niderus	1430	Germania.
Ioannes Papa II.	532	Italia.
Ioannes Papa III.	560	Italia.
Ioannes Papa VIII.	870	Italia.
Ioannes Papa XXII.	1314	Italia.
Ioannes Parisiensis, Dominicanus	1280	Gallia.
Ioannes de Parma	1260	Gallia.
Ioannes Peckam, Franciscanus	1283	Anglia.
Ioannes Psellus	1050	Græcia.
Ioannes Raimundus	1327	Gallia.
Ioannes Rauennatensis Archiepiscop.	600	Italia.
Ioannes Raythu Abbas	600	
Ioannes Rhodius	1419	Germania.
Ioannes de Rupella	1249	Gallia.
Ioannes Saracenus S. Epiphanij discipul.	350	Cypro.
Ioannes Saresberiensis, Carnotensis Episcop.	1160	Gallia.
Ioannes Segobiensis	1277	Hispania.
Ioannes Taulerus	1350	Germania.
Ioannes Trithemivs Spanheimensis Abbas	1490	Germania.
Ioannes Turpinus	820	
Ioannes de Turre cremata Hispanus	1460	Italia.
Ioannes Vercellensis Abbas	829	Anglia.
Ioannes Ziphelinus	1080	
Ioannes Zonaras	1120	Græcia.
Ionas Aurelianensis	860	Gallia.
Ionas Bobiensis Monachus	640	Scotia.
Iornandes	540	

	Vixit Anno Domini	In
Iosephus Constantinopolit. Patriarcha	1139	Græcia.
Irenaevs Lugdunensis Episcopus	180	Gallia.
Isaac Presbyter	460	Syria.
Isidorus Cordubensis Episcopus	420	Hispania.
Isidorus Hispalensis Episcop. Senior	620	Hispania.
Isidorus Hispalensis Episcopus Iunior	730	Hispania.
Isidorus Peluſiota	440	Græcia.
Iſuardus Monachus	770	Germania.
Iulianus Apoſtata Imp.	360	Græcia.
Iulianus Pomerius, Toletanus Episcop.	680	Hispania.
Iulius Africanus	230	
Iulius Firmicus Maternus	350	Sicilia.
Iulius Papa I.	336	Italia.
Iulius Papa II.	1503	Italia.
Iunilius Presbyter	440	Africa.
Ivo Carnotensis Episcop.	1100	Gallia.
Iustinianus I. Imperator	540	Græcia.
Iustinianus II. Imperator	687	Græcia.
Iustinus Imperator	519	Græcia.
Iustinus Martyr	160	Syr & Italia
Iustus Vrgelitanus Episcop.	540	Hispania.
Iuuenalis Hierosolymit. Patriarcha	470	Syria.
Ivvencvs Presbyter	330	Hispania.
L		
Lactantivs Firmianus	330	Gallia.
Lambertus Leodiensis	1460	Germania.
Lambertus Schafenabvrgensis	1090	Germania.
Lancelotus Ridley Cantuariensis	1548	Anglia.
Landramus Turonensis	850	Gallia.
Lanfrancus Cantuariensis Archiepisc.	1060	Anglia.
Laonycus Chalcocondylas	1480	Græcia.
Laurentius Bononiensis	1390	Italia.
Laurentius Calcanens	1473	Italia.
Lavrentivs Ivstinianvs	1430	Italia.
Laurentius Novariensis Episcopus	507	Italia.
Leander Hispalensis Episcopus	590	Hispania.
Leonardus e Chio Mytilenæus Episcopus	1460	Græcia.
Leontius Bizantinus	620	Græcia.
Leontius Neapoleos Cypri Episcopus	600	Græcia.
Leo Armeniorum Rex	1200	Armenia.
Leo Ostiensis	1100	Italia.
Leo Papa I. Magnvs	450	Italia.
Leo Papa II.	682	Italia.
Leo Papa III.	800	Italia.
Leo Papa IV.	847	Italia.
Leo Papa V.	903	Italia.
Leo Papa VII.	935	Italia.
Leo Papa IX.	1050	Italia.
Leo Papa X.	1516	Italia.
Leo Philosophus Imperator	880	Græcia.
Liberatus Diaconus	540	Italia.
Liberius Papa	350	Italia.
Licentius Afer	420	Africa.
Linvs Papa	100	Italia.
Lisiardus	1100	Gallia.
Lucianus Antiochenus Presbyter	240	Syria.
Lucianus Hierosolymit. Presbyter	410	Syria.
Lucidus Presbyter	480	
Lucifer Calaritanus	360	
Lucius Papa I	252	Italia.
Lucius Papa III.	1180	Italia.
Ludgerus Monasteriensis Episcopus	820	Germania.
Ludolphus Saxo Carthusianus	1330	Germania.
Luitprandus Ticinensis	950	Italia.
Lupoldus Babenburgius Bambergens. Episc.	1140	Germania.
Lupus Ferrariensis	830	Italia.
Lupus de Olivero	1420	Hispania.
Lupus Suessionensis Episcopus	514	Gallia.
M		
Macarius Aegyptius, Senior	370	Ægypto.
Macarius Hierosolymitanus	325	Syria.
Macarius Mutius	1490	Italia.
Magnes	350	
Mamertus Viennensis Episcopus	490	Gallia.
Manſuetus Mediolanensis Episcopus	680	Italia.
Marcellinus Comes	540	Græcia.
Marcellinus Papa	296	Italia.
Marcellinus Presbyter	770	Italia.

	Vixit Anno Domini	In
Marcellus Papa I.	380	Italia.
Marcianus Imperator	450	
Marcus Antonius Coccius Sabellicvs	1480	Italia.
Marcus Aurelius Cassiodorvs	575	Italia.
Marcus Eremita	400	Syria.
Marcus Gdzæus	460	
Marcus Idruntinus	800	
Marcus Papa I.	336	Italia.
Marianus Archimandrita	550	
Marianvs Scotvs Fuldēsis Monachus	1070	Germania.
Marius Victorinus Afer	360	Italia.
Martialis Lemouicensis Episcopus	100	Gallia.
Martinus Bracarensis Episcopus.	590	Hispania.
Martinus Eiscengrein	1580	Germania.
Martinus Papa I.	647	Italia.
Martinus Papa V.	1420	Italia.
Martinus Polonus	1320	Italia.
Martinus Turonensis Episcopus	380	Gallia.
Matthæus Parisius	1250	Anglia.
Matthæus VVestmonasterienſis	1370	Anglia.
Maurus Abbas	550	Gallia.
Maurus Rauennatensis Archiepiscopus	650	Italia.
Maximianus Constantinopolitanus	430	Græcia.
Maximus Florentinus Cassinensis Monachus	640	Italia.
Maximus Taurinensis Episcopus	420	Gallia.
Maximus Treuirensis	446	Germania.
Mechtildis Virgo	1290	Germania.
Medardus Noviomensis Episcopus	514	Gallia.
Meginardus	1070	
Melchiades Papa	310	Italia.
Melito Sardensis Episcopus	160	
Mennas Constantinopolitanus Patriarcha	540	Græcia.
Merobaudis Hispanus	520	Hispania.
Methodius Constantinopolitanus Patriarcha	840	Græcia.
Methodius Syri Episcopus	260	Syria.
Metrophanes	760	Græcia.
Michael Choniates	1220	Græcia.
Michael Glycas	1120	Græcia.
Michael Psellus	1050	
Michael Syngelus Hierosolymitanus Presbyter	850	Syria.
Minutius Felix	230	Italia.
Moses Bar Cepha	950	Syria.
Moses Mardenus	1552	Assyria.
N		
Nectarius Constantinopolitanus	370	Græcia.
Nemesius	480	Græcia.
Nicetas Choniates	1200	Græcia.
Nicetas Heracleensis	580	Græcia.
Nicephorvs Callistvs	1300	Græcia.
Nicephorus Carthophylax	800	Græcia.
Nicephorus Constantinop. Patriarcha	800	Græcia.
Nicephorus Gregoras	1330	Græcia.
Nicephorus Philosophus	850	
Nicodemus Abbas Aethiops	1441	Aethiopia.
Nicolaus Cabasilas	1290	Græcia.
Nicolaus Clamengius	1400	Gallia.
Nicolaus Cusanus	1450	Italia.
Nicolaus Dorbellus	1450	Gallia.
Nicolaus Gorranus	1320	Germania.
Nicolaus Hanapius	1285	
Nicolaus Lyranvs	1320	Anglia.
Nicolaus Maniacutius	1180	
Nicolaus de Nyse	1475	Gallia.
Nicolaus Papa I.	860	Italia.
Nicolaus Papa II.	1050	Italia.
Nicolaus Papa III.	1280	Italia.
Nicolaus Sanders	1570	Belgio.
Nilus Abbas	430	
Nilus Thessalonicensis Archicpiscopus	1150	Græcia.
Nodgerus Leodiensis	960	Germania.
Nonnus Panopolitanus	500	Græcia.
Nouatianus	240	Italia.
O		
Odo Cameracensis Episcopus	1110	Gallia.
Odo Cluniacensis Abbas	900	Gallia.
Oecvmenivs	1060	Græcia.
Olympiodorus Diaconus	480	Græcia.
Olympiodorus Monachus	500	
Optatvs Mylevitanvs	380	Africa.
Oriesiesis	380	
Origenes Alexandrinus	230	Aegypto.
Osbertus Cantuariensis	1020	Anglia.
Osivs Cordubensis	330	Hispania.
Otto de S. Blasio	1180	
Otto Bambergensis Episcopus	1100	Germania.
Otto Frisingensis	1150	Germania.
Otto I. Imperator	950	Germania.
P		
Pacianus Barcilonę Episcopus	380	Hispania.
Palladius Cappadociæ Episcopus	430	Græcia.
Palladius Helenopolitanus Episcopus	412	Græcia.
Pamphilus Martyr	300	Syria.
Pantaleon Diaconus	850	
Papias Hierapolitanus Episcopus	120	Asia.
Paschalis Papa I.	1100	Italia.
Paschasius Lilibetanus Episcopus	442	Græcia.
Paschasius Radbertus Corbeiensis Abbas	880	Germania.
Paschasius Romanæ Ecclesiæ Diaconus	500	Italia.
Paterius Romanę Ecclesiæ Notarius	600	Italia.
Paulinus Aquileiensis Episcopus	780	Italia.
Paulinus Mediolanensis Presbyter	390	Italia.
Paulinus Nolanus Episcopus	410	Italia.
Paulus Apameorum Episcopus	536	
Paulus Aquileiensis Diaconus	770	Italia.
Paulus Emissenus	430	
Paulus Neapolis Diaconus	520	Italia.
Paulus Papa III.	1540	Italia.
Paulus Venetus	1400	Italia.
Pelagius Papa I.	560	Italia.
Pelagius Papa II.	580	Italia.
Pelbartus de Themesvvar	1490	Vngaria.
Pelegrinus Laureacensis	970	Gallia.
Petrus Alexandrinus Patriarcha	300	Aegypto.
Petrus Aliacus Cameracensis Episcopus	1400	Gallia.
Petrus Alphonsus	1106	Hispania.
Petrus Apollonius Collatius	1480	
Petrus Berthorius	1360	Gallia.
Petrus Bertrandus Antisiodorensis Episcopus	1330	Gallia.
Petrus Blesensis	1160	Gallia.
Petrus Cellensis	1170	
Petrvs Chrysologvs Rauennas Archiepiscopus	440	Italia.
Petrus Cluniacensis Abbas	1150	Gallia.
Petrus Comestor Trecensis Presbyter	1160	Gallia.
Petrus de Dacia	1310	
Petrvs Damianvs, Ostiensis Episcopus	1050	Italia.
Petrus Diaconus	480	Italia.
Petrus Galatinus	1510	Germania.
Petrvs Lombardvs Parisiensis Episcopus	1140	Gallia.
Petrus de Natalibus	1470	Italia.
Petrus Nicomediæ Episcopus	680	
Petrus Paludanus	1320	Gallia.
Petrus Rauzanus	1453	
Petrus de Riga	1180	
Philastrius Brixiensis Episcopus	420	Italia.
Philippus Beroaldus	1490	Italia.
Philippus Cretensis Episcopus	170	
Philippus Romanus Presbyter	430	Italia.
Philo Carpathius	410	Græcia.
Philo Iudæus Alexandrinus	50	Aegypto.
Philotheus Constantinopolitanus Patriarcha	1300	Græcia.
Photius Constantinopolitanus Patriarcha	860	Græcia.
Phœbadius	370	
Pius Papa I.	150	Italia.
Pius Papa II.	1450	Italia.
Pius Papa IV.	1563	Italia.
Pius Papa V.	1570	Italia.
Platina vide Baptista		
Polybius Epiphanij discipulus, Episcopus Rhinocoruræ	400	Ægypto.
Polycarpvs Smirnensis Episcopus	140	Græcia.
Polycrates Ephesius Episcopus	180	Græcia.
Pontius S. Cypriani Diaconus	270	Africa.
Porchetus Saluaticus	1360	
Possessor Episcopus	520	
Possidius	433	
Possidonius Calamensis Episcopus	400	Africa.
Potho Prumiensis	1160	Germania.
Primasius Vticensis Episcopus	540	Africa.
Proba Falconia	440	Italia.
Prochorvs	120	Græcia.
Proclus Constantinopolitanus Patriarcha	430	Græcia.
Procopius Cæsareensis	540	Syria.
Procopius Carthophylax	580	Græcia.
Procopius Gazæus	530	Syria.
Prosper Aquitanicus Regiensis Episcopus	450	Gallia.
Prvdentivs Poeta Christianus	380	Hispania.
Publilius Optatianus Porphyrius	320	Græcia.
Pulcheria Augusta	450	Græcia.

Vixit Anno Domini		In
Q		
Quadratus Atheniensis Episcopus	120	Græcia.
Quintus Iulius Hilarion	390	
R		
Rabanvs Maurus Moguntinus Archiepiscopus	850	Germania.
Radulphus Ardens	1060	
Raduiphus Flauiacensis Fuldensis Monachus	950	Germania.
Ranulphus Hygedenus	1350	Anglia.
Raphael Volaterranvs	1500	
Rathbodus Vltraiectensis Episcopus	930	Belgio.
Ratherius Veronensis Episcopus	940	Italia.
Raymundus Capuanus	1380	Italia.
Raymundus Lullius Eremita	1311	
Raymundus Sebundius	1430	Hispania.
Raynerus Pisanus	1300	Italia.
Regino Prumiensis Abbas	920	Germania.
Reginus Cyprius	430	Cypro.
Remigius Antisiodorensis Episcopus	880	Gallia.
Richardus de Media villa	1280	Anglia.
Richardus Pampolitanus	1300	
Richardus Victorinus	1140	Gallia.
Rodolphus Agricola	1470	Germania.
Rogerius Benedictinus	1040	Germania.
Rvfinvs Aquileiensis Presbyter	390	Italia.
Rupertus Franciæ Rex	1000	Gallia.
Rupertus Holcotius	1350	Anglia.
Rupertus Lycius	1470	Italia.
Rvpertvs Tvitiensis Abbas	1120	Germania.
Rvsticvs Diaconus	450	
S		
Saba Abbas	513	Syria.
Sabadius Agennæ Episcopus	370	Gallia.
Sabinus Constantiæ Cypri Episcopus	430	Cypro.
Salonius Viennensis Episcopus	480	Gallia.
Salvianvs Massiliensis Presbyter	460	Gallia.
Samuel Edissenæ Ecclesiæ Presbyter	480	Syria.
Samuel Marochianus	1000	
Saxo Grammaticus	1200	Dania.
Sedulius Presbyter	460	Scotia.
Serapion Antiochenus Patriarcha	212	Syria.
Sergius Cyprius	650	Cypro.
Sergius Papa I.	688	Italia.
Sergius Papa IV.	1009	Italia.
Severianus Gabalensis Episcopus	400	Gallia.
Severus Alexandrinus	1280	Aegypto.
Severus Minoricensis Episcopus	420	Hispania.
Severus Sulpitius	420	Gallia.
Sidonius Apollinaris Auerniæ Episcopus	480	Gallia.
Sigebertus Corbeiensis	905	Germania.
Sigebertvs Gemblacensis Monachus	1100	Belgio.
Sigismundus Imperator	1420	Bohemia.
Simeon Metaphrastes	950	Græcia.
Simeon Stylites	460	Syria.
Simeon Thessalonicensis	1200	Græcia.
Simplicianus Mediolanensis Episcopus	420	Italia.
Simplicius Papa	470	Italia.
Siricius Papa	385	Italia.
Siud, siue Sulaka Nestorianorum Patriarcha	1553	
Sixtus Papa I.	117	Italia.
Sixtus Papa II.	257	Italia.
Sixtus Papa III.	433	Italia.
Sixtus Papa IV.	1485	Italia.
Sixtus Papa V.	1587	Italia.
Smaragdus S. Michaelis Abbas	933	Germania.
Socrates Historicus	430	Græcia.
Sophronius Hierosolymitanus senior	400	Syria.
Sophronius Hierosolymitanus iunior	630	Syria.
Soter Papa	163	Italia.
Sozomenvs Historicus	430	Græcia.
Stammatius Sacellarius in Cyro Insula	1580	Græcia.
Stanislaus Hosius	1550	Polonia.
Stephanus Anglicus	1200	Gallia.
Stephanus Colonienſis	990	Germania.
Stephanus Dorensis	650	
Stephanus Eduensis	1180	
Stephanus Halberstatensis Episcopus	1090	Germania.
Stephanus Iuliacus	1400	Germania.
Stephanus Leodiensis	910	Germania.
Stephanus Mauritaniæ Episcopus	380	Africa.
Stephanus Papa II.	760	Italia.
Stephanus Papa III.	768	Italia.
Strabus Fuldensis Monachus	840	Germania.
Suffridus Cirenensis Episcopus	1470	Germania.
Suffridus Misnensis Presbyter	1300	Germania.
Suidas	980	Græcia.
Sylvester Papa I.	320	Italia.
Symmachus Papa	510	Italia.
Synesius	410	Græcia.
T		
Tarasius Constantinopolitanus Patriar.	780	Græcia.
Tatianus	180	Syria.
Tertvllianvs Carthaginensis	200	Africa.
Thalassius Monachus	650	Africa.
Theganus	830	
Theodoretus Cyri Episcopus	440	Syria.
Theodoricus Apoldius	1290	
Theodoricus S. Trudonis Abbas	1100	Germania.
Theodorus Abucara	950	Græcia.
Theodorus Antiochenus Presbyter	420	Syria.
Theodorus Balsamon	1180	Græcia.
Theodorus Cantuarienſis Archiepiscopus	690	Anglia.
Theodorus Confessor Palæstinus	800	Syria.
Theodorus Ducas	1200	Græcia.
Theodorus Lector	520	Græcia.
Theodorus Studites	830	Græcia.
Theodosius Cœnobita	511	Cappadocia
Theodosivs Imperator Senior	370	
Theodosius Imperator Iunior	430	
Theodosius Zygomala Constantinopolita.	1580	Græcia.
Theodotus Ancyranus Episcopus	430	
Theodulphus Aurelianensis Episcopus	840	Gallia.
Theodulus Presbyter	478	Syria.
Theofridus Abbas	1120	
Theophanes Ceramæus Presbyter	900	Græcia.
Theophilus Alexandrinus Patriarcha	390	Aegypto.
Theophilus Antiochenus Patriarcha	170	Syria.
Theophylactvs Bulgar. Archiepiscopus	900	Græcia.
Theorianus	1160	
Theosterictus	830	
Thomas Aqvinas	1260	Italia.
Thomas Argentinensis	1350	Germania.
Thomas Cantipratensis	1260	Belgio.
Thomas Fazellus	1540	Sicilia.
Thomas Lentinus	1250	
Thomas Malleolus Campensis	1430	Belgio.
Thomas VValdensis	1430	Germania.
Tiberius II. Imperator	580	
Ticonius Afer	386	Africa.
Tilmannus Bredenbachius	1580	Germania.
Timotheus Alexandrinus Patriarcha	540	Aegypto.
Timotheus Hierosolymitanus Presbyter	570	Syria.
Titus Bostrensis Episcopus	460	Syria.
Turibius Asturicensis Episcopus	447	Hispania.
Turpinus Remensis Archiepiscopus	800	Gallia.
V		
Vedastus Atrebatensis Episcopus	514	Gallia.
Victorinus Pictauiensis	263	Gallia.
Victor Antiochenus Presbyter	460	Syria.
Victor Cartennæ Episcopus	450	Africa.
Victor Tunensis Episcopus	566	Africa.
Victor Vticensis Episcopus	480	Africa.
Vigilius Tridentinus Episcopus	470	Italia.
Vincentius Burgundus	1240	Gallia.
Vincentius Lirinensis Monachus	430	Gallia.
Voconius Castellani Episcopus	456	Africa.
Vranius S. Paulini Nolani discipulus	940	Italia.
Vsuardus Monachus	780	Gallia.
VValafridus Strabo	830	
VVandelbertus Diaconus Prumiensis	830	Germania.
VVernerus Roleuingius	1470	Germania.
VVilleramus Mersburgensis Abbas	1070	Germania.
VVittikindus Corbeiensis Monachus	950	Germania.
Z		
Zacharias Chrysopolitanus	1100	Græcia.
Zacharias Mitylenensis	530	Græcia.
Zeno Veronensis Episcopus	260	Italia.

LIBER

LIBER PRIMVS DE DEO ET SS. TRINITATE.

ARTICVLVS PRIMVS.

DEVM ESSE SPIRITVM ÆTERNVM, INCREATVM, IMMORTALEM, INASPECTABILEM, INCOMPREHENSIBILEM, IMMVTABILEM, NVLLIS PASSIONIBVS OBNOXIVM, VBIQVE PRAESENTEM, OMNIA SCIENTEM, &c.

NEGANT.

Anno ante Christū natum 1200. *Rpheus Deum sentit ex aëre natum esse, appellans eum πρωτόγονον, quòd ante eum nihil genitum sit, & τὰ πάντα, quòd cùm adhuc nihil esset, ipse primus ex aëre natus sit.* Lactantius lib.1.cap.5.

900. 800. *Homerus & Hesiodus Deos genitos esse asserunt.* Iustinus oratione 1. ad Gentiles. Theophilus Antiochenus lib.2. ad Autolycum.

570. *Anaximandri opinio est, natiuos esse Deos, longis interuallis orientes, occidentésque.* Cicero lib.1. de natura Deorum.

450. *Diagoras Milesius vocatus est ἄθεος, quòd nullos Deos esse putaret.* Suidas in Lexico. Cicero lib.1. de natura Deorum. Plutarchus de placitis Philosophorum.

440. *Theodorus Cyrenaicus oës de Dijs opiniones sustulit.* Laërtius in Aristippo. Cicero li.1. de natura Deorũ.

430. Protagoras, *de Dijs,* inquit, *statuere nequeo, neque an sint, nec ne: Sunt enim plurima, quæ id scire prohibeant: vt summa rei incertitudo, & breuis hominis vita.* Cicero lib.1. de natura Deorum. Laërtius in Protagora. Theodoretus lib.2. de principijs.

400. *Plato docuit Deos in tempore genitos fuisse, & gignendos.* Theodoretus lib.2. de principijs.

320. *Epicurus docuit, omnes Deos humana specie præditos, nec curare res humanas.* Plutarchus lib.1. de Placitis Philosophorum.

200. *Stoici volunt Deum esse corporeum.* Theodoretus de principijs lib.2. & 3.

60. Cicero lib.1. de natura Deorum: *Deos,* inquit, *hominis esse specie confitendum est: nec tamen ea species est corpus, sed quasi corpus; nec habet sanguinem, sed quasi sanguinem.*

Post Christũ natũ 150. *Gnostici multa Deum subterfugere putabant.* Irenæus lib.1.cap.5.

200. *Tertullianus Deum creatorem suum, non nisi corpus opinatus est.* Augustinus de origine animarum. Gennadius de Ecclesiasticis dogmatibus. Fulgentius lib.2. de Fide ad Petrum.

280. Iamblichus de mysterijs Ægyptiorum cap.33. *Inter Deos,* inquit, *alij sunt visibiles, alij inuisibiles: alij materiales, alij immateriales. Materiales sunt, qui materiam in se comprehendunt, atque exornant: immateriales autem omnino, qui à materia segregati penitus sunt.*

350. *Anthropomorphitæ formam & partes humani corporis Deo tribuerunt.* Epiphanius hæresi 70. Theodoretus lib.4.cap.10.

370. *Theophronius contendit, quòd Deus, quia futura prospiceret, præsentia sciret, præterita meminisset, sui similis semper non esset: vtpote qui pro ratione futuri, præsentis, & præteriti sententiam mutaret.* Sozomenus lib.7.cap.17. Nicetas in Thesauro lib.5.cap.36.

560. *Petrus Fullo illud nouo more in Ecclesiam introduxit, vt in Trisagio,* Sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus & immortalis, *adderetur; qui crucifixus est pro nobis, quasi etiã diuinitas passa sit: Vnde eius sectatores Theopaschitæ, quòd Deum passum esse vellent, dicti sunt.* Nicephorus lib.15.cap.28.

620. *Armenij diuinam naturam patibilem dicunt.* Nicon de pessimorum Armeniorum religione.

1050. *Bogomili Deum humana forma præditum putant, & ex binis cerebri panniculis binos radios emittere, alterum Filij, alterum Spiritus sancti.* Euthymius in Panoplia.

1140. *Gilbertus Porretanus dicebat, Deum diuinitate sua esse Deum, sed ipsam diuinitatem non esse Deum: quam hæresin ab illo reuocatã, discipuli eius contentiosius defendebant.* Bernardus Homilia 80. in Cantica.

1300. *Lollardi dicebant, Deum nec scire, nec punire mala, quæ sub terra fierent. Vnde in speluncis & cauernis subterraneis conuenientes, pater cum filia, frater cum sorore, ac filius cum matre indifferenter turpitudinem carnis sua exercebant.* Trithemius in Chronico Hirsaugiensi. de anno 1315.

1520. *Martinus Lutherus lib. de Concilijs parte 2. diuinam in Christo naturam passam esse ait.*

1550. *Andreas Musculus edidit & commendat librum Lutheri, quo ex professo asserit, diuinam in Christo naturam passam & mortuam esse.* Vidi librum Germanicè impressum in 4. *Libro de concordia discipulorum Lutheri, multis Lutheri testimonijs probat, illum semper sensisse ac docuisse, quòd Christi diuinitas in cruce passa sit.*

1550. Ioannes Caluinus libro Gallico de æterna Dei prædestinatione fol. 239. *Non recipio hoc mendacium ac delirium, quòd Deus sit sine reprehensione quicquid faciat, propterea quod nulli legi deuinctus sit.*

1560. Spina & Suræus in colloquio Parisiensi fol. 64. asserunt: *Deum fore inconstantẽ, mutabilem, propriæq; naturæ repugnantem, si quodam potentiæ suæ miraculo corpus Christi Domini nostri, eodem temporis momento, in diuersis locis esse permitteret.*

1562. *Iacobus Andreæ Thesi 156. fatetur pati & mori nomine & repertinere ad diuinitatem.*

1570. Nicolaus Selneccerus in Confutat. accusat. fol. 192. *Nemo*, ait, *dicere potest, vel debet, Deum non esse passum vel mortuum.*

1570. *Stephanus Gerlachius contra Busæum pag. 24. & 126. concisè asserit, veras esse has propositiones, Diuinitas est nata, crucifixa, mortua.*

ASSERVNT SACRÆ LITERÆ.

Exod. 8. *vers.* 14. Ait Moyses ad Deum: Ecce ego vadam ad filios Israël, & dicam eis: Deus patrum vestrorum misit me ad vos: Si dixerint mihi, quod est nomen eius? Quid dicam eis? Dixit Dominus ad Moysen: Ego sum qui sum. ait: sic dices filijs Israël: Qui est misit me ad vos. Dixitque iterum Deus ad Moysen: Hæc dices filijs Israël: Dominus Deus patrum vestrorum, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob, misit me ad vos: hoc nomen mihi est in æternum, & hoc memoriale meum in generatione & generationem.

Exod. 33. 20. Non poteris videre faciem meã: Non enim videbit me homo, & viuet.

Numer. 23. 19. Non est Deus quasi homo, vt mentiatur: nec vt filius hominis, vt mutetur. Dixit ergo, & non faciet? locutus est, & non implebit?

Iosue 2. 11. Dominus enim Deus vester, ipse est Deus in cælo sursum, & in terra deorsum.

1. *Reg.* 2. 2. Non est sanctus vt est Dominus: neque enim est alius extra te, & non est fortis sicut Deus noster. Deus scientiarũ Dominus est, & ipsi præparantur cogitationes.

2. *Paralip.* 6. 14. Domine Deus Israël, nõ est similis tui Deus in cælo & in terra. 18. Ergone credibile est, vt habitet Deus cum hominibus super terram? si cælum & cæli cælorum non te capiunt, quanto magis domus ista, quam ædificaui?

Psal. 101. 26. Initio tu Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cæli. Ipsi peribunt, tu aũt permanes, & omnes sicut vestimentũ veterascẽt: & sicut opertorium mutabis eos & mutabuntur. Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.

Psal. 138. 5. Ecce Domine tu cognouisti omnia nouissima & antiqua. Mirabilis facta est scientia tua ex me; confortata est, & non potero ad eam. Quò ibo à Spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? si ascendero in cælum tu illic es, si descendero in infernũ, ades.

Hieremiæ 23. 23. Putásne Deus è vicino ego sum dicit Dominus, & non Deus de longè? Si occultabitur vir in absconditis, & ego non videbo eum? Nunquid non cælum & terram ego impleo?

Malachiæ 3. 6. Ego Dominus, & non mutor.

1. *Timoth.* 1. 17. Regi seculorum immortali, inuisibili, soli Deo, honor & gloria in secula seculorum.

1. *Timoth.* 6. 15. Rex regũ, & Dominus dominantium, qui solus habet immortalitatem, & lucem inhabitat inaccessibilem: quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest, cui honor & imperium in sempiternum.

Hebr. 4. 13. Non est vlla creatura inuisibilis in conspectu eius, omnia autem nuda & aperta sunt oculis eius, ad quem nobis est sermo.

Iacobi 1. 17. Omne datum optimum, & omne donum perfectum de sursum est descendens à Patre luminum: apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis, obumbratio.

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Dionysius Areopagita vixit An. Christi 100.

De diuinis nominibus cap. 5. Deus non quoquo pacto est ens, sed simpliciter & incircumscriptè, totũ se esse pariter ambit, & præambit superapprehendens. Idcirco etiam Rex seculorum dicitur, vt in quo & circa quem totum esse & ens, & subsistens versetur: & neque erat, neque erit, neque fuit, neque fit, neque fiet, imò verò neque est, sed ijs quæ sunt, esse ipse est. Neque ea quę sunt solùm, verùm ipsum quoque eorum esse ex eo est, qui est

ante secula &c. Imò quæ sunt omnia, & ante habet, & subsistere facit, omnibus & vbique præsens, & secũdùm vnum atque idem, & secundùm idem esse, & ad omnia prodiens, & manens in seipso, & stans, & se mouens, neque initium habens, aut medium vel finem, neque in aliquo subsistentium est, neque aliquid est subsistentium.

Iustinus. 160.

Quæst. 6. Vnde liquet quòd sit Deus? *Resp.* Ex rerum quæ extant constitutione, & perseuerante diuturnitate. Non enim ea extarent quæ extant, nisi Deus prius quàm illa extitisset, qui partes creaturę omnes vtiliter, ex vsu & commodo vniuersæ creaturæ ordinauit.

Theophilus Antiochenus. 170.

Libro 1. ad Autolycum. Dei forma nobis occulta explicari haud potest, nec corporeis oculis videtur. Nam ea animi parte, qua opinantur, percipi non potest: nec magnitudo eius comprehendi, aut altitudo mente valet capi. Fortitudine nemini est conferendus, eiusq; sapientia planè censetur incomprehensibilis. Bonitate nemo est qui eum possit imitari, sumusq; imbecilliores, quàm vt eius beneficentiam nostris linguis explanare possimus: lumen si eum dixero, creaturam eius (siquidem à Deo lux creata est) dico: sermonem si dixero, principatum eius dico: mentem si dico, prudentiam eius intelligo: Spiritum si dixero, respirationẽ eius demonstro: sapientiam si dixero, Filium eius sentio: fortitudinem eius si dixero, potentiam eius accipio: potentiam si dixero, operationem eius efficacem intelligi volo. Principio caret, est enim ingenitus: nulli mutationi subiacet, est enim immortalis: Deus nominatur διὰ τὸ τεθεικέναι, ab eo quòd omnia in suam securitatem collocauit. Idem nomen & à θεῖν, id est, currendo fortitus est: Omnia enim mouet, in operationem producit, nutrit sua prouidentia, disponit, gubernat, vegetat, viuificat. Dominus nũcupatur: quia omnia eius dominio subiecta sunt. Pater appellatur: quia ante hoc vniuersum extitit. Opifex & Creator vocatur: quia condidit & creauit hanc vniuersi machinam. Altissimus perhibetur: quia super omnia est. Imperator dicitur: quia omnia complectitur, suoq; imperio temperat. Nam altitudines cæli, profunditates abyssi, & fines orbis in manu eius sunt: nec locus est alicuius, in quo moretur & quiescat. Vt anima in humano corpore non videtur, inuisibilis existens, verùm ex corporis motu cognoscitur: sic nec Deus humanis, nec corporeis oculis videri potest, cæterùm ex prouidentia, qua singula ordinat, suisq; operibus aspicitur & apprehenditur. Quemadmodum si quis cernat nauem suis armamentis instructam mare sulcare, & in portum appellere, certè credit aliquem, à quo gubernetur, in ea esse gubernatorem: sic certè nemo adeò abiecti animi, quin credat Deum esse gubernatorem omnium, quamuis oculis carnalibus eum nõ assequamur: quia nullo modo à nobis percipi potest. Nam si in solem, quod sanè minimum est elementum, homo oculos intendere nequit, propter caloris & potentiæ excellentiam, multo minus gloriam Dei, quæ ineffabilis est homini, homo mortalis contueri potest.

Irenæus. 180.

Lib. 2. c. 16. Hæretici si Scripturas cognouissent, & à veritate docti essent, scirent vtique quoniam non sit Deus, quemadmodũ homines; & non sic cogitationes eius, quomodo cogitatiões hominũ. Multùm enim distat omnium Pater ab his quæ proueniunt hominibus, affectionibus & passionibus: & simplex, & non compositus, & similimembrius, & totus ipse sibimetipsi similis, & æqualis est, totus cùm sit sensus, & totus spiritus, & totus sensu habilitas, & totus Ennœa, & totus ratio, & totus auditus, & totus oculus, & totus lumen, & totus fons omnium bonorum, quemadmodum adest religiosis ac pijs dicere de Deo. Est autem & super hæc, & propter hæc inenarrabilis. Sensus enim capax omniũ bene & rectè dicetur, sed non similis hominum sensui: & lumen rectissimè dicetur, sed in his nihil simile ei, quod est secundùm nos lumini.

Isaiæ 58.

Athenagoras. 180.

Legatione pro Christianis: Deus ingenitus & impassibilis diuisionem nullam admittit, neque ex partibus cõstat, &c. Deus est ingenitus, & ea quæ ipsius sunt; mundum ita excedit, vt impleat vndequaque quicquid supra ipsum est, nec locum vllum se vacuum relinquat.

De mortuorũ resurrectione: Neque possibile est, vt Deus ignoret, vel ex parte, vel ex particula naturam corporum resurrectioni destinatorum. Neque enim latere potest, quò singula ex tabidis mẽbris abierint, & quę in se elementorum partes putrefacta receperint, & in cognatã naturam admiserint; tametsi omnino apud homines, id quod rursum vniuersitati elemẽtorum affusum est, insecernibile videatur & indeprehẽsibile. Cui enim ante cuiusque rei procreationem ignota nõ erat, futurorum elementorum natura, ex quibus corpora suum ortum traxerunt, neque partes elemẽtorum incognitæ fuerunt, ex quibus decerptum erat quod placeret ad humani corporis constitutionem; abundè manifestum est, neq; eum ignoraturum, quò singula recedant, quæ ad perfectionem operis assumpsit, vbi integritas illa dissipata fuerit.

Tatianus. 180.

Oratione contra Græcos: Denique in eadem secta dogmatum successiones, à discordibus turbãtur, & consensum professi, dissentiendo pugnant. Est qui Deo corpus tribuat, ego nullum.

Clemens Alexandrinus. 200.

Oratione adhortatoria aduersus gentes paulò ante finẽ: Ipsius Dei solùm voluntas est mundi creatio: solus enim Deus fecit; quoniam ipse quoque est solus verè Deus, sola voluntate operatur, & eius solùm velle factum esse consequitur.

Lib. 6. Stromat. Non potest qui homo est, pro dignitate de Deo vera dicere: imbecillus & morti obnoxius de ingenito, & eo in quem non cadit interitus: & opus de eo qui fecit. Deinde qui non potest de seipso vera dicere, an non multo magis, ne de Deo quidem ei credendum est? Quantum enim abest homo à Dei potestate, tantum est etiam eius oratio imbecilla, etiamsi non Deum, sed de Deo dicat, & Verbo diuino. Est enim imbecilla natura humana oratio, & quæ non possit Deum dicere; non dico nomen, sed Dei vim & opera. Quãquam enim qui sibi ascribunt Deum magistrũ, vix perueniant ad Dei notitiam, opem ijs ferente gratia, ad quantulamcunque cognitionem, vtpote volũtate voluntatem, & Spiritu sancto sanctum Spiritum contemplari assuefacientes.

Origenes. 230.

Homil. 12. in Genesin: *Abijt Rebecca interrogare ad Dominum. Abijt:* Quò abijt ex loco, in quo non erat Dominus, abijt ad eum locum in quo erat? Hoc enim videtur indicare cùm dicitur: *Abijt interrogare Dominum.* Nónne vbique est Deus? Nónne ipse dixit: *Cælum & terram ego impleo, dicit Dominus?* Quò abijt ergo Rebecca? Ego puto, quòd non de loco ad locum abierit, sed de vita ad vitam, de actu ad actum; de bonis ad meliora transierit, de vtilibus ad meliora perrexerit: Absurdum namque est, si ita putemus imperitam fuisse Rebeccam & in- Hier. 23.

doctam, quæ in domo sapientis Abrahæ sub eruditissimo Isaac fuerat instituta, vt intra aliquem locum Dominum putauerit esse conclusum, & illuc iret interrogare, quid paruulorum intra verum exultatio designaret.

Homil. 23. in Numer. Aliena est diuina natura ab omni passionis, & permutationis affectu, in illa semper beatitudinis apice immobilis & inconcussa perdurans.

Lib. 1. in Iob: Deus omnia replet, vbique præsens est, & non est locus, neque in cælo, neque in terra, neque in excelsis, neque apud inferos, vbi nõ præ-
Psal. 138. sens sit Deus. Hoc sciebat ille, qui ait: *Si ascendero in cælũ, tu illic es; & si descendero in infernũ, ades.* Hoc sciebat & Helias, quòd & cælum & terra, atque vniuersa quæ sunt in eis, in conspectu Dei sunt. Meritò cùm esset super terram ante Deum se stare de-
3. Reg. 17. monstrauit dicens: *Viuit Dominus, cui asto in conspectu*
Lucæ 1. *eius, & Dei.* Similiter & Angelus Gabriel: *Qui assisto in conspectu eius & Dei.* Helias ergo, in corpore super terram, & Gabriel sine corpore in cælis, vterque similiter assistere se dixerunt in conspectu Dei: Vbique enim est facies Dei: tantùm mala videre non vult iustus & sanctus Deus.

Homilia 1. in Ezechielem: Confiteor libenter à sapiente & fidele viro dictam sententiam, quam sæpe sufpicio: De Deo & verè dicere periculosum est.

Lib. 1. de principijs: Non corpus aliquod, aut in corpore putandus est Deus, sed intellectualis natura, simplex, nihil omnino in se adiunctionis admittens.

Constantinus Imperator. 320.

Oratione ad Sanctorum cœtum cap. 3. Bonũ ad quod referuntur omnia, quodq; est essentia æternus Deus, ortum non habet, & propterea nec principium: Deus verò omnium quæ oriuntur principium est.

Eusebius Cæsariensis. 320.

De præparatione Euangelica lib. 8. c. 2. Vide quàm veræ, quàm simplices, integræq; nostræ opiniones sunt: Primùm enim omnium de Deo opinamur, quod ipse perfectissimus atque beatissimus sit, sibi atq; cæteris sufficiens: omnium ipse rerũ principium, ipse medium, ipse finis: operibus notissimus atque manifestissimus: substantia penitus inuisibilis, cui simile nec videre nec cogitare quicquam possumus. Quare nec materia vlla ad imaginem eius suscipi, nec ars imitari eum fingendo potest. Opera eius oculis cernimus, cælum, terrã, solem, lunam, lucem, fluuios, mare, animalia, plantas, quæ ipse fecit nõ manibus, neque labore, nec alicuius auxilio; sed cùm voluerit omnia bene fieri, omnia ilicò bona facta sunt. Hic sequendus omnibus hominibus est, atque colendus.

Athanasius. 340.

In Decretis Synodi Nicenæ contra Arium: Homo ex materia, eaq; patibili creatus est: Deus contra immateriatus & incorporeus existit.

Ad Liberium Episcopum Romanum: Quòd perfectum hominem assumpserit Deus Verbum: Vnus Deus immortalis, inuisibilis, intactilis, eò quòd Deus sit spiritus, idemq; loco incomprehensibilis, neque vspiam est regio, vbi non existat.

In quæstionibus de Deo: Dicitur Deus ab eo, quòd omnia contemplatur: Nam nihil eorum quę sunt vim illam, quæ cuncta perspicit, effugere potest.

Cyrillus Hierosolymitanus. 370.

Catechesi 4. de Deo: Deus vnus est, ingenitus, sine principio, immutabilis, non alterabilis, neque ab alio factus, neque alium habens vitæ successorẽ, nec in tempore viuere incipiens, nec vnquam desiturus.

Catechesi 6. Sufficiens nobis ad pietatem erit, hoc solum scire, quòd Deum habemus, Deum vnum, Deum existentem & semper existentem, sibi perpetuò similem: cui Pater non est alius, quo nullus potentior, quem nullus successor eijciet è regno, qui multorũ nominum est, & omnipotẽs, & substantiæ eiusdem speciei. Neque enim eò quòd vocatur bonus, & iustus, & omnipotens, & Sabaoth, propterea differens est, vel aliâs alius existens, sed ipse vnus existens, millenas emittit diuinitatis operationes: Non in parte abundans & in parte deficiens, sed in omnibus similis est sibi, non tantùm in benignitate magnus, & paruus in sapientia; sed æqualem habens sapientiæ clementiam. Non ex parte videns, ex parte autem visione priuatus; sed totus oculus, totus auditus, & totus mens.

Basilius Magnus. 370.

Homilia ad illa verba: *In principio erat Verbũ.* Vbi erat Verbum? non in loco: Non enim in loco quę sunt in circumscripta continentur. Sed vbi? *Apud Deum.* Neque enim Pater in loco, nec Filius in circumsepto aliquo, aut circumscriptione certa deprehenditur: sed infinitus Pater, infinitus Filius. Totum quodcunque noueris, & quocunque spiritu tuo penetraueris, Deo plenum, simul & hypostasin Filio coniunctam inuenies.

Homilia in Psal. 32. Paratũ est continuò ad quidquis spectandum Dei habitaculum, omnes aspicit filios hominũ, ne vnus quidem fugere illius conspectum potest: nõ tenebræ, non parietes, possunt quemquam occulere: oculis Dei nihil obstaculi, nullum oppanditur velamen tantumq; abest, vt vnumquemque non videat, vt etiam corda contempletur, vt introspiciat quæ ipse finxit citra vllam admistionem, ad malitiam inclinantem.

Gregorius Nazianzenus. 380.

Oratione 40. quæ est oratio in sanctum Baptisma: Ac quidem Deus summum & inaccessibile est, quod nec mente percipi, nec verbis explicari potest, naturã omnem ratione præditam illuminans: hoc in intelligibilibus, quod sol in sensibilibus; eò se magis contemplandum nobis præbens, quò accuratius animos purgauerimus: eò rursus magis amandum, quò magis contemplati fuerimus: eò denique magis cognoscendum, quò magis amauerimus; sese ipse speculans & comprehendens ac perexiguè ad externa diffundens.

Oratione 49. seu libro de fide: Quæ est substantia Dei, nisi ipsum quod Deus, simplex, singulare, purum, nulla concretione permixtum, limpidũ, bonum, perfectum, beatum, integrum, sanctum totum? Anne putas inane aliquid esse & vacuũ quod Deus est? Hoc enim dici blasphemia est, vt inane putetur per quem cuncta consistunt, qui omnia verbo edidit, ratione composuit, virtute perfecit. Cuius nutu & imperio vniuersa geruntur, cuncta deseruiunt: & bene quod de Deo in lege scriptum
Exod. 3. est: *Ego sum qui sum.* & *: Qui est misit me.* Est ergo in essentia sua Deus, cuius cognitio vita æterna est: qui est tantus quantus dici non potest: qui tunc dignè æstimatur, cùm inæstimabilis dicitur. Est vtique, velis ac nolis. Ergo ipsum quod est hoc erit substãtia huius rei, quæ esse defenditur. Quod tamen (vt iam dictum est) quantus & qualis sit, nec mente concipi, nec sensu æstimari, nec animo definiri potest, dummodò constet esse quod creditur, vt de eo ipso quod Deus est inde sit Filius, & verus sit Filius, &c. Certè hoc Deus est, qd' cùm dicitur, nõ potest dici; cùm æstimatur, non potest æstimari; cùm definitur, ipsa definitione crescit: quia cælum manu sua cooperuit, pugno omnem mundi ambitũ concludit; quem omnia nesciunt, & metuendo sciunt. Cuius nomini & virtuti famula-

tur

tur hic orbis, & ipsa elementorum sibi succedentium momentanea vicissitudo testatur.

Gregorius Nyssenus. 380.

Oratione 1. in ea verba: *Faciamus hominem* &c. *Ad imaginem Dei facti sumus.* Quonam modo si ad imaginem eius? Animos à vulgaribus imperitis ac stultis illis de Deo opinionibus expiemus. *Ad imaginem Dei,* inquit, *facti sumus:* formam Deus nostrę similem habet, oculis, auribus, capite, manibus præditus est, coxarumq; vertebris, quibus fulcitur & insidet, quandoquidem sedere Deum scriptura tradit, pedibus item quibus incedit. Talisne igitur Deus? Recedant ab animo tuo absurdæ opiniones. Abijce cogitationem, quæ Dei magnitudinem imminuit: figura vacat Deus, simplex est. Noli, cùm de illo cogitas, formam vllam confingere & cõminisci. Ne more Iudaico magnum extenues: Noli corporeis illum cogitationibus amplecti, aut mente tua circumscribere. Ea est magnitudine, vt comprehendi circumscribiq; nequeat. Magnum cogita, & huic magno plus etiam atque etiam adde quàm cogitasti, atque ita exple cogitationem tuam. Neque enim quæ infinita sunt, vnquam capiet. Figuram ne finge: Potentia, simplicitate naturæ, rerum procreatarum magnitudine, tum pulchritudine cognoscitur Deus. Vbique est, & omnia comprehendit, & tangi & videri non potest: amplitudo est quantitate carens, quam non capit animus tuus: Nec magnitudine concluditur, nec figura coërcetur, nec potentia continetur, nec temporibus comprehenditur, nec finibus cohibetur. Nihil eorum quæ sunt circa nos cum Deo similitudinem habet, &c.

Ioannes Chrysostomus. 400.

In Genesin Homilia 17. Non ambulat Deus, absit; Quomodo enim ambularet, qui vbique præsens est, & omnia implet, cui cælum thronus, & terra scabellum, ipse in horto continetur? Quis cordatus hoc diceret?

Item Homilia 4. ad caput 1. Ioannis: Quemadmodum lux, quantumuis hominum multitudinem illuminaret, nihil sui splendoris remitteret: itidem Deus, & antequam mundum condidit, & postquam conderet, idem perfectus & integer permanet, nihil tanto & admirabili opificio minor, nihil imbecillior. Quòd si innumeros huiusmodi mundos esset conditurus, omnibus tamen sufficeret, non modò ad creandos, sed & ad gubernandos.

Cyrillus Alexandrinus. 430.

De adoratione in spiritu lib. 6. Soli Deo, qui est super omnia, à nobis est tribuendum futura tum planè scire, tum verò posse certa prædicere.

Lib. 9. Haud est fas faciem Dei à quoquam conspici. Inuisibilis est enim natura omninò illa, quę
1. Tim. 6. *super at omnem intelligentiam, & lucem inaccesibilem ha-*
Exod. 33. *bitat,* vt B. Pauli voce vtar: & *(Nemo videbit faciem Dei, & viuet)* vt ipse idem rectissimè B. Mosi dixit. Neque verò quisquam potest illius vestigia & vias nosse. Scriptum est enim: *O altitudo diuitiarum &*
Rom. 11. *sapientiæ & scientiæ Dei! Quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius?*

Lib. 1. in Ioannem cap. 9. Diuina manus nec in loco est, nec transeundi transgrediendiq; motum patitur: Corporum enim hæc proprietas est, Deus autem omnia replet.

Epistola ad Calosyrium. Deus est corporis expers, quod & Saluator ipse dicit, inquiens: *Deus spiritus est.* Non itaque corporeus si spiritus est, neq; formam corporis præ se fert. Quod enim corpore præditum non est, forma etiam careat necesse est: Neque enim quantitas aut figura in Deum cadit.

Ioannes Cassianus. 430.

Lib. 8. Institut. c. 4. Itaque vt hæc (quæ Deo caput, nares, aures, obliuionem tribuunt) secundùm literam, non absque nefando sacrilegio possunt intelligi; super eo qui inuisibilis, ineffabilis, incomprehensibilis, inæstimabilis, simplex & incompositus, sanctarum scripturarum authoritate definitur, itane furoris quidem & iræ perturbatio, illi indemutabili naturæ, sine ingenti blasphemia poterit coaptari? Nam huiusmodi significatione membrorũ, diuinas efficientias Dei; & immẽsas operatiões eius sentire debemus, quę nobis nisi per hæc vsitata vocabula membrorum nequeũt intimari: Vtpote significatione oris collocutiones eius, quæ in arcanos animæ sensus solent clementer infundi, vel quod in Patribus nostris atque Prophetis idem locutus sit agnoscamus: in oculis immensitatem perspicaciæ, qua vniuersa perlustrat ac perspicit, & quod nihil eũ ex his quæ à nobis geruntur gerẽdaue sunt, seu cogitantur lateat, scire possumus: manuum nuncupatione prouidentiam & operationem, qua omniũ ipse sit creator & conditor sentiamus. Et vt de cęteris taceã, canicies capitis, quid aliud quàm longæuitatẽ deitatis & antiquitatem significat? qua fine vllo principio est, & ante omnia tempora, & creaturas excedit vniuersas.

Isidorus Pelusiota. 440.

Lib. 3. epist. 232. Vltra omnem audaciam progrediuntur, qui exiguę linguæ opera de ipsomet Deo sermonem mouent, ac præsertim cùm quid sit anxiè inquirunt: Oportet autem nõ quid sit exquirere, sed quòd sit affirmare.

Theodoretus. 450.

Ad Psal. 138. *Intellexisti cogitationes meas de longè:* Nam ab initio, & à principio, & multis seculis, ante meam creationem non modò meas actiones præuidisti, verùm & futuras meas cogitationes.

Sermone 2. de prouidentia: Deus ipse & increatus & infinitus est, qui nec initium habuit vnquam, nec finẽ quoque habiturus est: omnia item complectitur, ipse à nullo circumscriptus: Nã in manu eius sunt fines terræ, & ipse manu mensuratus est aquas, & cælum spithama, omnemq; terram pugno.

Olympiodorus Diaconus. 480.

Ad caput 1. Iob: Deus nulli creaturæ est aspectabilis, quantitatis & molis expers. Vbique præsens, rerum vniuersitati præest, cuncta complectitur, nec locus est vllus extra illius ditionem atq; imperium.

Olympiodorus Monachus. 500.

Ad cap. 5. Ecclesiastis: Deus vbique præsens, omnia prospicit, etiam deprehendens occultas animæ cordisq; cogitationes, quamquam per sermonis indicium non emergant: Deus enim, qui in altissima cælorum specula sedem habet, quæ in imo fiunt conspicit vniuersa, &c. Qui in ipsa fece nequitiæ volutantur, ita prudentiam Dei negant & aspernantur, vt dicant, dedignari Deum curare & scire, quæ hîc ab hominibus scelera cõmittantur. At tu nequaquam hoc dixeris: Nihil enim latet oculos Dei.

Andreas Cæsariensis. 500.

Ad caput 4. Apocal. Ab omnibus siue ea viuant, siue intelligant, siue quouis alio modo existant, Deus tãquam omnium principium & causa laudatur & glorificatur.

Procopius Gazæus. 530.

Ad cap. 3. Exodi: Sic nos comitabitur Dei notitia, quæ subinde augebitur diuinis meditationibus & speculationibus tranquillè incumbens, & experi-

etur solũ Deum reuera esse Ens principalissimũ, cuius participatione sunt reliqua entia, cuiusq; participatione egent vt perdurare possint. Hoc Ens solum immutabile est, & summum bonũ est, nec vnquam ad malum mouetur: Illo nil dabis vel purius, vel melius.

Ad Esaiæ cap.32. Tantus Deus est, vt omnia compleat, nec ad eius inuestigationem longiore via aliqua aut nauigatione aliqua opus habeas: Adest enim vbique, si quis sanctas manus attollat; neque transeuntis modo sese ostendit, vt eum non facilè quis agnoscat.

Aeneas Gazæus. 530.

In Theophrasto: Deus omnia quæ quidẽ procreantur, ipse nihilominus hoc ipsum quod est permanens facit: neque alia cùm facit, in substantiã aliã ipse mutatur, neque multa cùm promit, ipse consumitur. Sed eò magis totus integer manet, quòd subinde maiorem rerũ copiam facit. Nam ei nõ ex singulis ijs quę nascuntur, verùm ex hoc ipso, quòd rerum conditor aliâs est, opificis nomen datur. Quemadmodum etiam in hominum rebus atque negotijs, architectus nõ in ea quę facit ædificia diuiditur: nec propterea quòd multa facit, ideo vel de eius anima, vel de tota eius sciẽtia quicquam discedit; licet iam delubra, iam ædes, modò naues fabricet. Igiturmanet primus rerum conditor, manent etiam quæ sunt ab eo procreata, eaq; ipsa ab eius nutu & prouidentia pendent, &c. Conditor est incorporeus, & immensus, & lux quædam æterna.

Procopius Cæsariensis. 540.

De bello Gothorum lib. 1. cap. 2. De Deo fateri nil aliud hoc tempore attinet, nisi quòd bonus omnino, & rector sit, & vniuersa in sua is habeat potestate.

Anastasius Synaites. 570.

Lib. 2. Hexameron: Quãdo audieris Deum esse, & habitare in cælis, ex diuina Scriptura, aut esse intra velum secundum, ne intellexeris aliquas circumscriptiones & locales habitationes, & transmigrationes, & descensus, & ascensus, & egressus. Nã cùm sit humilis & abiecta natura nostra, cùm ea prout est capax audiẽdi, loquitur Spiritus sanctus. Eius autẽ quod dicimus, testis est nobis proposita Scriptura Mosaica, quæ continet quædam crassa verba & indigna Deo, qui non potest circũscribi, quæ quidẽ Moses, non à domo sua protulit, sed Deus cùm ipse per sanctos Angelos in monte Synai hæc locutus esset in tabernaculo.

De rectæ fidei dogmatibus libro 2. De incircũscripta Dei essentia: Deus essentia cùm sit, quæ sunt omnia diuina sua adimplet essentia, estq; in omnibus quæ sunt. Perspicuum proinde est, eam præeminere vniuersitati rerum, nec tamen tumori corporum assimilem esse, sed diuina sua virtute cõtrahit ad se vniuersa & continet: Non enim ens vllum subsistere possit, nisi entis illius particeps. Deus sanè solus est ens propriè sumptum, quòd pari modo se semper habeat, nec mutetur.

Isychius Hierosolymitanus. 580.

Præfatione in lib. 3. Leuit. Quemadmodũ Deus non frustra creaturam varietate compleuit, sed vt ex differentia conditionis nos disciplinam artificis, & quis sit conijceremus. Nã qui cælos intendũt, ex varietate astrorũ maximum eorum artificem atq; conditorem intelligũt Deũ, sed & qui terram considerant, ex differenti positionis eius habitu, id est, ex animalium virgultorumq; & seminum, omniq; eius differentia, eum cognoscũt. Sed & hi, qui ad immensam aquarum diffusionem transferunt visus, ex spirituum per diuersa proueniente motu, insularũ quoque, cæterorumq; magnitudine & distantia piscium, innumerabiliumq; genẽrum natione Deum esse factorem, huius etiam visibilis sentiunt creaturæ.

Maximus Monachus. 640.

Centuria 2. cap. 92. Quemadmodum Deus secundùm substantiam non cadit in notitiam: ita nec verbum Dei notione nostra comprehenditur.

Centuria 4. cap. 32. Decebat profectò naturalẽ substantiæ rerum opificem, ipsummet esse per gratiam Deificationis creaturarum auctorem: vt qui concesserat esse, etiam semper bene esse largiri declararetur. Cùm igitur eorũ, quæ sunt nullum omnino seipsum, aut aliud cognoscat, quidnã sit secundùm substantiam iusta de causa nihil extat, quod futura secundùm naturam prænoscat, præter eum qui est super omnia Deum: qui tũ seipsum nouit, quid sit secundùm substantiam, tum substistendi prænouit rationem eorum, quæ facta sunt ab ipso antequã fierent; qui etiam per gratiã apud eos qui viuũt, tam sui ipsius quàm aliorũ, quidnã sint, secundùm substantiã exornaturus est cognitionem: ac vniformes in seipso sermones, eorum creationem præcedentes est explicaturus.

Ioannes Damascenus. 730.

Orthodoxæ fidei lib. 1. cap. 1. *Deum nemo vidit vnquam: Vnigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarrauit.* Deus ergo nec vlla oratione explicari, nec vllo modo comprehendi potest. *Nemo* enim *Patrem nouit, nisi Filius: nec Filiũ, nisi Pater.* Quin etiam Spiritus sanctus perinde nouit ea quæ Dei sunt, ac Spiritus hominis nouit quæ in eo sunt. At verò cùm à principe illa ac beata natura discesseris, nemo vnquã Deum nouit, nisi cui sese ipse indicarit: nõ de hominibus tantùm loquor, sed de Virtutibus etiã illis mundo sublimioribus, ac de ipsis quoq; Cherubin ac Seraphin. Nec tamen nos in omni ignoratione sui versari finit Deus. Nemo est mortaliũ cui nõ hoc ab eo naturaliter insitũ sit, vt Deũ esse perspectũ habeat. Quin ipsæ quoq; res conditę, earumq; conseruatio & gubernatio diuinæ naturæ maiestatẽ prædicant. Ad hæc & ante per Legem & Prophetas, & postea per Vnigenitũ Filium suum Dominũ nostrũ & Saluatorẽ Iesum Christũ pro captu & modulo nostro notitiã sui patefecit. Quo circa omnia quę nobis tã per Legẽ & Prophetas, quàm per Apostolos & Euangelistas tradita sunt, amplectimur, agnoscimus, ac veneramur, nec vltra ea quicquã requirimus. Nã cùm Deus bonitate præstet, boni profectò omnis suppeditator est, vt qui nec inuidia, nec vllis affectib. laboret. Procul enim à natura diuina abest inuidia. Quippe quæ perturbatione omni vacat, solaq; bona est. Proinde vt cuncta perspecta & explorata habens, & quod cuiq; cõducebat procurãs, id quod nostra scire intererat aperuit: quod aũt eiusmodi erat, vt vires nostras & captum excederet, reticuit. Ioan. 1. Matt. 11. 1. Cor. 2.

Cap. 2. Quòd Deus ortu ac fine careat, quòd sempiternus sit, quòd increatus, atque ab omni cõuersione, & cõmutatione liber, quòd simplex, cõpositionisq; ac corporis expers, q; nec oculis videri, nec tangi, nec circũscribi, nec considerari atq; cõprehẽdi possit: Adhęc quòd bonus sit, iustus, rerũ omnium conditarum architectus, quòd vim omnem imperiumq; habeat, omnia inspectet, omnibus prospiciat, omnia in potestate habeat, ac denique iudex sit, hæc inquam omnia & scimus & confitemur.

Cap. 4. Quòd Deus sit liquidò constat. Quid aũt ratione essentiæ ac naturę sit, nullo omninomodo comprehẽdi cognoscíq; potest: Nam quòd incorporeus sit, perspicuũ est. Quo enim modo corpus esse queat, quod infinitum & interminatũ est, ac figura caret, quodq; nec tangi, nec oculis cerni potest, quod denique simplex est compositionisq;

expers. Quid enim afferri potest, quamobrem colatur, si circumscriptum est ac patibile? Quonam porrò modo passionis expers erit, quod ex elemẽtis conflatur, atque in eadem rursus dilabitur? Compositio siquidem pugnę origo est, pugna dissidij, dissidiũ solutionis ac interitus: interitus autem à Deo prorsus alienus est. Ad hæc, quomodo illud retinebitur, quod ait Scriptura: Deum omnia peruadere atque implere? *Nonne cælum & terram ego impleo ait Dominus?* Neque enim fieri potest vt corpus corpora permeet, quin simul & fecet, & secetur, ac connectatur, & opponatur, quemadmodum liquida omnia, cùm inter se miscentur ac temperantur, &c. Ex quo efficitur, quòd Deus incorporeus statuendus sit. At ne hoc quidem naturam eius essentiamq; declarat; quemadmodum nec cùm eum ingenitum, principijq; ac mutationis & corruptionis expertem dicimus, cæteraq; quæ de Deo vel in Deo esse dicuntur. Hæc enim non quid sit, sed quid non sit indicant. Atque oportet eum, qui rei alicuius naturam exponere in animo habet, quid ea sit dicere, non quid non sit. In Deo autem impossibile est, quidnam essentia sua ac natura ipse sit dicere, aptiusq; est ex omnium rerum sublatione ac inficiatione orationem habere. Neque enim eorum quæ sunt, quicquam est. Quod quidem non ita accipiẽdum est, quasi non sit, sed quia super omnia quæ sunt ipse sit, atque adeò supra ipsum esse. Etenim si cognitiones earum demum sunt rerum, quæ sunt, profectò quod cognitionem superat, supra essentiam quoque erit. Infinitus igitur est Deus, & incõprehensibilis, atq; hoc vnũ ex eo percipi & cõprehendi potest, nimirũ quòd ipse infinitus & incõprehensibilis sit. Quæcunque autem de Deo per affirmationẽ dicimus, nõ ipsius naturam, sed quæ circa ipsius naturã sunt, ostendunt. Sap. 8. Ierc. 23.

Elias Cretensis. 790.

In orationem tertiam Nazianzeni. Nec Moses, nec Prophetarum quisquam Deum vidit: Nam ipse simplex est, & incorporeus, ac figuræ expers. Ac neque sedet, neque stat.

In Orationem 24. Cùm summus ille opifex increatus sit, omninò etiam immutabilis est. Quidnam autem natura & essentia est hoc, quod captũ omnem & cognitionem prorsus excedit? Nam quòd corpore careat perspicuum est. Quonam enim modo corpus esse queat, quod infinitum & interminatum est, nec figuram habet, nec tangi aut videri potest, simplexq; est & compositionis expers? Quonam enim modo alioqui illud seruabitur, Deum omnia penetrare, atque implere, iuxta illud Scripturæ: *Nonne cælum & terram ego impleo, dicit Dominus?* Neque enim fieri potest, vt corpus aliud corpus penetret, quin scindat & scindatur: Deum ergo incorporeum esse constat. Hier. 23.

Nicephorus Constantinopolitanus Pat. 815.

Epistola ad Leonem III. Credo in homousiã Trinitatem, supersubstantialem, inaspectabilem, incomprehẽsibilem, impartibilem, inalterabilem, æternam, indiuisam, simplicem, omnis partis, omnis cõpositionis, omnis corporis, omnis quãtitatis & qualitatis expertem; nulli tactui, nec contractui obuiã; omnis figuræ exortem, infinitè bonam, lumen defectionis nescium, trilucẽ supersplendidam, semper pari similiq; modo affectam, virtutẽ omnia intuẽtem, omniaq; perficientem.

Michael Syngelus. 830.

In Martyrio Dionysij Areopagitæ: Nos verum rerũ omniũ Deum, opificem, curatorem & vitæ principem agnoscimus, & ipsum solum veneramur, ac prędicamus, spemq; in ipsum ponimus, & pro ipso mori libenter parati sumus.

Pantaleon Diaconus. 850.

Narratione miraculorum maximi Archangeli Michaelis: Principaliter & apertè, & ex debito debemus mente cogitare, qui figurã ferimus & imaginem eius, quæ ex se habet potestatem & dominium diuinæ essentiæ, quòd vnus est & solus Deus, qui propter infinitam bonitatem est omnia fabricatus, quæ sunt in cælis & in terra, vt dicit diuinus Apostolus, *siue visibilia, siue inuisibilia, siue Throni, siue Dominationes,* &c. Qui hanc etiam variam condidit creatam naturam, in vnam vnius mundi harmoniam & complementum. Qui solus est ingenitus & æternus. Qui solus est expers principij, & in quem non cadit interitus & finis. Qui solus est eiusmodi, vt comprehendi & inuestigari & videri nequeat. Qui omni circumscriptione & comprehẽsione essentiam habet superiorem. Qui nullam potest suscipere mutationem & alterationem, estq; omnipotens, & ab exitio & interitu aliena natura, fons perennis, & qui nunquam exinanitur, miserationum & bonitatis: omnium diuinorum donorum & gratiarum, qui exhauriri minimè potest, abyssus: misericordiæ quod non potest exprimi pelagus: beatissima & summa pulchritudo, & sola reuera digna, quæ ametur. Vniuersi, quod dicitur & intelligitur, boni efficiens & impartiens & largiens causa, & prima causa. Hic est, qui propter solam bonitatem essentialem & naturalẽ, ea quæ non erant aliquando, vocauit ad hoc vt essent, & omnia ad essentiam deduxit, & constituit, eaq; cõprehendit & continet, dirigit & ducit, ferens solo nutu suæ maiestatis & potentiæ. Coloss. 1.

Theophylactus. 900.

Ad caput 3. Ioannis: Deus est scrutator cordium, & scit quid sit in homine: Non enim ignorat quales sint cogitationes in singulis hominibus.

Ad caput 1. ad Romanos: De Deo aliud quidem cognosci non potest, vt ipsa essentia: aliud verò cõgnosci potest, vt omnia quæ sunt circa essentiam; nempe bonitas, sapientia, virtus, potentia, diuinitas siue maiestas, quæ & inuisibilia eius D. Paulus nominat, intellecta quidem ex operibus.

Ad caput 11. ad Romanos: Solus Deus nouit sua, & nemo alius. Sapiens porrò cùm sit, à nullo alio cõsultore institutus est, sed ipse sibi ipsi satis fuit sufficiens, & est. Quin etiam bonorum omnium fons est, & quæcunque dat, non veluti compensationem & retributionem debeat, impartit, sed ob propriam tantummodo bonitatem.

Simeon Metaphrastes. 950.

Commentario rerum gestarum S. Iacobi Apostoli: *Ne erretis,* inquit Iacobus, *Fratres mei dilecti: Omne donũ optimum, & omne datum perfectum, desuper descendit à Patre luminum, apud quem non est vicissitudo, nec mutationis obumbratio: Volens enim genuit nos Verbo veritatis, vt simus nos primitiæ quædam eius creaturarum.* Hæc & exinaniunt arrogantiam, & ostendũt Deum esse datorem bonorum, & esse immutabilem, nec in eum cadere alterationem: quodq; is est eximius, si conferatur cum rebus creatis, & maximã videtur gerere curam hominis. Iacobi 1.

Oecumenius. 1050.

Ad c. 6. prioris ad Timotheũ: *Qui solus habet immortalitatem.* Quomodo de Deo dicit: *Qui solus habet immortalitatem,* cùm & Angeli, & animæ, & dæmones habeant immortalitatem? Quare ergo de Deo dicit, *qui solus habet immortalitatem,* aut ab illis, quos diximus, aufert immortalitatem, sed ipsam participant, gratia illius, qui natura solus est immortalis. Nam à Deo hoc ipsis datum est: Deus enim est, à quo omnes participamus, quẽadmodum & alia, ad id quod præstantius est comparata, ita & immortalitatem.

Euthymius. 1080.

Ad Psalm. 138. Quòd Deus sit, hoc procul dubio

scimus; quid autem, & qualis sit illius subſtantia ignoramus: similiter quòd vbicunque Deus est, nouimus; quomodo autem id fieri possit, nescimus. Pari etiam modo nouimus, quòd bonus est, quòd misericors, quòd sapiens & potens, sed bonitatis, misericordiæ, sapientiæ, & potentiæ modus aut qualitas, à nostra cognitione procul est.

Constantinus Harmenopulus. 1120.

De fide Orthodoxa: Hominem reipsa Christianũ oportet credere, sicut sacræ ac vniuersales synodi sanciuerũt, in vnum Deum Patrem omnipotentem, principij & finis expertem, omnium tam aspectabilium, quàm inaspectabiliũ conditorem.

Ioannes Zonaras. 1120.

Tomo 1. Annalium: Deus fuit semper, super omnẽ causam & potentiam effulgens, sine tempore cum maiestate suæ gloriæ ac splendoris æternùm moueretur, & sine principio, neque ex alia quapiam re prius nata ortus, neque post vltro ex ijs, quæ non fuerant, factus, aut paulatim ad suæ gloriæ complementum progressus: sed semper est & permanet, id quod supra naturam nouit sacrosanctus ille Spiritus, qui omnes diuinitatis recessus perscrutatur, atque in ijs exultans perpetua suauitate vnà perfruitur.

Nicetas Choniates. 1200.

In Alexio Comneno: Quis Deo est sapientior? aut quis Domini animum explorabit? eiusq; iudicia vel addendo, vel detrahendo mutabit? Nam hominum quidẽ cogitationes lubricæ sunt: Dei verò consilium non est irritum nec mutabile.

Ioannes Cyparissiotus. 1200.

In præfatione: Vnus est Deus, impartibilis, infinitus, expers coloris, inaspectabilis, ex nulla naturali repræsentatione cognitus, qui notionem, quãdo aut quomodo cognitus sit, omninò repellit: quem nullo modo quauis parte mens capere potest, nisi tantùm per fidem ex creaturis eius, quòd sit, non autem quid sit.

Ioannes Cantacuzenus. 1360.

In Mahometem oratione 4. Deum, quem ipse Mahomet creatorẽ cæli & terræ esse confitetur, corporeum facit, non incorporeum. Numen autem incorporeum est, quantitate caret & magnitudine, nec specie vlla circumscribitur. Quod cùm natura sua propria tale sit, quomodo ex membris consistet? si quis enim hoc concesserit, quomodo incorporeum esse intelligetur? Quod enim figurã habet, omnino & quantitati subiacet: Quod verò quantitatẽ habuerit, locũ habeat oportet. Quod autẽ in loco est, necessariò circumscribitur. Quomodo autẽ aliquis hæc corporea & corporis propria, sanctæ illi & incorporeæ naturæ Dei tribuerit, qui modò ratione non careat?

Georgius Gemistus Pletho. 1430.

Oratione 2. de rebus Peloponnesiacis: Caput horum omnium est de Deo rectè & publicè & priuatim sentire. Maximè autem hæc tria: Primũ, esse Deum quendam præstantissimum omnium naturarum. Deinde hũc & homines curare, & res omnes humanas, tum magnas, tum paruas regere, tum arbitrio suo cuncta illum rectè iusteq; semper administrare, nusquam ab officio deflectentem, vel alia de causa, vel hominũ donis delinitum, quibus non indigeat.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Tertullianus. 200.

Apologetici aduersus Gentes cap. 17. Quod colimus nos, Deus vnus est; qui totam molem istam, cum omni instrumento elementorũ, corporum, spirituum, verbo, quo iussit; ratione, qua disposuit; virtute, qua potuit, de nihilo expressit, in ornamentum maiestatis suæ; vnde & Græci nomen mundo κόσμον accommodauerũt. Inuisibilis est, etsi videatur; incomprehensibilis, etsi per gratiã repræsentetur; inæstimabilis, etsi humanis sensibus æstimetur, adeò verus & tantus est.

De Iudicio Domini, cap. 2.

Hunc vnum meminisse Deum, solumq; precandum,
Qui totum in libra posuit sub lumine mundum,
A Eternumq; manens, semperq; futurus in ævum,
Secula cuncta tenens, ante omnia secula solus:
Ingenitus, sine fine Deus, sedemq; supernam
Solus habens, solus cælos supereminet altos:
Omnipotens solus, cui parent omnia rerum,
Qui sibi complacitum hominem formauit in ævum.

Minutius Felix. 230.

In Octauio: Palam est Parentem omniũ Deum nec principium habere, nec terminum: qui natiuitatem omnibus præstet, sibi perpetuitatem: qui ante mundum fuerit sibi ipse pro mundo: qui vniuersa quæcunque sunt verbo iubet, ratione dispensat, virtute consummat. Hic nec videri potest, visu clarior est; nec comprehendi potest, nec æstimari, sensibus maior est: infinitus, immensus, & soli sibi tantus, quantus est, notus. Nobis verò ad intellectum pectus angustũ est: & ideo sic eum dignè æstimamus, dum inæstimabilem dicimus. Eloquar quemadmodum sentio: magnitudinem Dei, qui se putat nosse, minuit; qui non vult minuere, non nouit.

Cyprianus. 250.

De Idolorum vanitate: Mundi vnus est rector, qui vniuersa, quæcunq; sunt verbo iubet, ratione dispensat, virtute cõsummat. Hic nec videri potest, visu clarior est: nec comprehendi, tactu purior est: nec æstimari, sensu maior est: & ideo sic eum dignè æstimamus, dum inæstimabilem dicimus. Quod verò templũ haberi possit Deus, cuius templum totus est mundus? Et cùm homo latius maneat, intra vnam ædiculam vim tantæ maiestatis includam? In nostra dedicandus est mente, in nostro cõsecrandus est pectore. Nec nomen Dei quæras, Deus nomen est illi: Illic vocabulis opus est, vbi proprijs appellationũ insignibus multitudo dirimenda est: Deus qui solus est, Deus vocabulũ totũ est. Ergo vnus est, & vbique totus diffusus.

Zeno Veronensis. 260.

Sermone 1. de Genesi: Solus Deus est principium, qui ex se ipso dedit sibi ipse principium, solus ante omnia: quoniam in eius manus incluſa sunt omnia: ex se est, quod est: solus sui conscius quãtus est, qualis est: solus perfectus, quia non potest illi addi nec minui: solus omnipotens, quia ex nihilo vniuersa constituit, virtute regit, maiestate custodit: solus indemutabilis ac semper æqualis, quia in se non admittit ætatẽ: solus sempiternus, quia immortalis est Dominus. Hic est Deus noster, qui se digessit in Deum.

Arnobius Rhetor. 300.

Lib. 1. aduersus Gentes: O maxime, ô summe rerũ inuisibiliũ procreator: ô inuise & nullis vnquam cõprehense naturis, cui spirans omnis intelligẽsq; natura, & habere & agere nunquã desinat gratias: cui tota cõueniat vita genu nixo procũbere, & cõtinuatis precibus supplicare. Prima enim tu causa es, locus rerũ ac spaciũ, fundamentũ cunctorũ quęcunq; sunt, infinitus, ingenitus, immortalis, perpetuus, solus, quẽ nulla deliniat forma corporalis, nulla determinat circumscriptio qualitatis, expers quantitatis, sine situ, motu & habitu,

de quo

de quo nihil dici & exprimi potest mortalium significatione verborum: qui vt intelligaris tacendum est, atque vt per vmbram te possit errãs inuestigare suspicio, nihil est omninò mutiendum.

Lactantius. 310.

De origine erroris lib. 2. cap. 8. Solus Deus est, qui factus non est, & idcirco destruere alia potest, ipse destrui nõ potest, permanebit semper in eo quod fuit: quia nõ est aliunde generatus, nec ortus, nec natiuitas eius ex aliqua alia re pendet, quæ illum mutata dissoluat. Ex seipso est, & ideo talis est, qualem se esse voluit, impassibilis, immutabilis, incorruptus, beatus, æternus.

Hilarius. 350.

Lib. 1. de Trinitate: Nullus sine Deo, neque vllus non in Deo locus est. In cælis est, in inferno est, vltra maria est, inest interior, excedit exterior: ita cùm habet atque habetur, neq; in aliquo ipse, neque in omnibus est.

Lib. 2. Deus vbique est, & totus vbique est; Deus inuisibilis, ineffabilis, infinitus, ad quem & eloquendum sermo fileat, & ad inuestigandum sensus hebetetur, & comprehendendum intelligentia coarctetur.

Ambrosius. 370.

De fide contra Arianos cap. 6. Pro captu, pro viribus, pro fide nostra intueamur, Deus quid sit, & videamus an ei aliquid possit comparari. Certè hic est, de quo cùm dicitur, non potest dici; cùm æstimatur, non potest æstimari; cùm comparatur, non potest comparari; cùm definitur, ipsa sui definitione crescit. Qui cælum manu sua operit, pugno omnem ambitum mundi claudit, quẽ totum omnia nesciunt, & metuendo sciunt.

Prudentius. 380.

Hymno de S. Romano:

Deus perennis, res inæstimabilis:
Non cogitando, non videndo clauditur:
Excedit omnem mentis humanæ modum,
Nec comprehendi visibus nostris valet,
Extraq; & intus implet ac superfluat.
Intemporalis, anteq; primus dies
Esse & fuisse semper vnus obtinet:
Lux ipse vera, veri & auctor luminis.
Cùm lumen esset, lumen effudit suum:
Ex luce fulgor natus est huic Filius.

Hieronymus. 390.

Epist. 148. ad Marcellam: Diuina natura & Dei Sermo in partes secari non potest, nec locis diuidi; sed cùm vbique sit, totus vbique est.

Ad cap. 3. ad Ephesios: Deus qui semper est, nec habet aliunde principium, & ipse sui origo est, suæq; causa subſtantiæ, nec potest intelligi habere aliunde quod subsistit.

Ruffinus. 390.

In explicatione Symboli: Deum cùm audis, subſtãtiam intellige sine initio, sine fine, simplicem, sine vlla admixtione, inuisibilem, incorpoream, ineffabilem, inæstimabilem, in qua nihil adiunctũ, nihil creatum sit: sine auctore enim est ille, qui omnium auctor est.

Augustinus. 400.

De Trinitate lib. 5. cap. 1. Intelligamus Deũ si possumus, quantum possumus, sine qualitate bonũ, sine quantitate magnum, sine indigentia Creatorem, sine situ præsentem, sine habitu omnia continentem, sine loco vbique totum, sine tempore sempiternum, sine vlla sui mutatione, mutabilia facientem, nihilq; patientem. Quisquis Deum ita cogitat, etsi nondũ potest omnino inuenire quid sit, piè tamen cauet, quantum potest aliquid de eo sentire, quod non sit.

Paulinus Nolanus. 410.

Ad Ausonium epist. 41.

Si tibi cura mei reditus, illum aspice, & ora,
Qui tonitru summi quatit ignea culmina cæli,
Qui trisido igne micat, nec inania murmura miscet,
Quiq; satis cælo soles largitur & imbres.
Qui super omne quod est, & in omni totus vbique est.

Paulus Orosius. 420.

Lib. 7. cap. 43. Superest vt obtrectatores nostros molitionum suarum pœniteat, veritatisq; erubescant, Deum verum & solum, qui potest omnia, credant, diligant, sequantur.

Eucherius Lugdunensis. 440.

De spiritalibus formulis c. 1. Solus Deus est incircũscriptus, immutabilis, incorporeus & immortalis: vbiq; præsens, & latẽs: vbiq; totus, & immẽsus.

Petrus Chrysologus. 440.

Sermone 61. Qui credit in Deum, discutere Deũ non præsumat: Deus quòd sit, sufficit scire. Qui requirit vnde sit, & quantus sit Deus, Deus quid sit hic nescit: sol importunũ tenebrat aspectum, ad Deum inconcussus cęcatur accessus; Deũ qui vult videre, visionis eius discat mensuram: Deum suũ qui vult scire, gentium nesciat Deos.

Prosper. 450.

Epigrammate 60.

Nulla quidem mens est, mortali in corpore viuens,
Quæ plena videat relligione Deum:
Sed miris operum signis ostenditur auctor:
Rectoremq; suum condita quæque canunt.
Vnde licet fandi vires, animiq; vigorem
Vincat & excedat gloria lausq; Dei:
Nos tamen officio cordis gaudemus, & oris,
Et tanto oblectat succubuisse bono.
Hinc fidei virtus, hinc flamma oriatur amoris,
Quod latet, exercet; quod superat, reparat.

Sedulius. 460.

Ad cap. 11. epistolæ ad Romanos: Manifestum est solum Deum esse, qui nouit omnia consilia; & hũc vnum esse, qui nullius eget: Quia ab ipso sunt omnia, & per hoc consilium eius, à nullo nec metitur, nec comprehẽditur: Quia inferiora superioris sensum capere non possunt.

Claudius Marius Victor. 460.

Præfatione in Genesin:

Summe & sancte Deus, cunctæ virtutis origo,
Omnipotens, quem nec subtili indagine rerum
Mentibus humanis sensu comprehendere fas est,
Et nescire nefas (Nam te ratione profunda
In tribus esse Deum, sed tres si credimus vnum,
Vnica personas vt tres substantia reddat,
Indiscret a pio conseruans fœdera nexu.)
Tu sine principio, pariter sine fine perennis,
Solus es atque idem, nulliq; obnoxius ævo.

Gennadius Massiliensis. 480.

De Ecclesiasticis dogmatibus c. 11. Nihil incorporeũ & inuisibile natura credendum est, nisi solũ Deum, id est Patrem & Filium & Spiritum sanctum: Qui ideo rectè incorporeus creditur, quia vbique est, & omnia implet atque constringit; Ideo inuisibilis omnibus creaturis, quia incorporeus est.

Fulgentius. 500.

De fide ad Petrum cap. 33. Firmissimè tene, & nullatenus dubites, Deo incommutabili, non solùm præterita & præsentia, sed etiam futura omnia, incõmutabiliter esse notissima, cui dicitur: *Deus, qui occultorum es cognitor, qui scis omnia antequã fiant.* Dan. 13.

Boëtius. 500.

Lib. 1. de Trinitate: Quòd Deus vbiq; sit, ita dici videtur, non quòd omni sit loco (omnino enim omni in loco esse nõ potest) sed quòd ei omnis locus adsit, ad eũ capiendũ, cùm ipse non suscipiatur in loco.

Cassiodorus. 540.

De Amicitia, capite de origine amicitiæ: Deus

summè

summè bonus, summè potens, sibi in sua beatitudine, quæ ipse est, in sua ineffabili gloria, sibi sufficiens, nec cælo, nec terra, nec homine indiget. Eius nimirum sufficiẽtiam omnis creatura protestatur, & dicit: *Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* Ipse enim est omnium existentium causa, sentientium vita, intelligentium sapientia, amor & gloria Angelorum. Psal. 15.

Fortunatus. 570.

Exegesi in Symbolum Apostolorum: Credendum est in Deum, à quo tam præsens vita, quàm futura tribuitur: Deus autem appellatio est substantiæ sempiternę, siue timoris diuini. Igitur Deus est sine principio, sine fine, simplex, incorporeus, incomprehensibilis.

Gregorius Magnus. 590.

Lib. 2. in Iob c. 7. Quia Deus manet intra omnia, ipse extra omnia, ipse supra omnia, ipse infra omnia, & superior est per potentiam, & inferior per sustentationem; exterior per magnitudinem, interior per subtilitatem; sursum regens, deorsum continens; extra circumdans, interius penetrans: nec alia ex parte superior, alia inferior: sed vnus idemq; totus vbique, præsidendo sustinens, sustinendo præsidens, circumdando penetrans, penetrando circumdans.

Isidorus Hispalensis. 620.

De vniuersitatis dispositione cap. 1. Vnus Deus est, sine initio sempiternus, sine loco vbique totus, sine sui mutatione omnia mutabilia disponens creaturarum: tempora præterita, præsentia, futura pariter cernens: Cui nihil est præteritum, nihil restat futurum, sed cuncta præsentia sunt: cui nihil displicet, quod bonum est: nihil placet, quod malum est: à quo nihil naturaliter malum creatũ est. Bonus igitur est sine qualitate, magnus sine quantitate, extremus sine tempore, præcipuus sine situ: qui omnibus creaturis infunditur, cùm non est illi locus: quem nulla capit creatura, nulla comprehendit intelligentia.

De summo bono, lib. 1. cap. 1. Summum bonum Deus est, quia incommutabilis est, & corrumpi omnino non potest, &c. Itaque bene & substantialiter sunt ista in Deo, id est, incorruptio, immortalitas, incõmutabilitas. Inde & meritò cunctæ præponitur creaturæ.

Cap. 8. Omnia tempora præcedit diuina æternitas, nec in Deo præteritum, præsens, futurúmve aliquid creditur: sed omnia præsentia in eo dicuntur: quia æternitate sua cuncta cõplectitur.

Beda. 700.

Ad caput 8. Ioannis: Solus Deus semper idem est, immutabilis veritas, immutabilis bonitas, immutabilis natura, immutabilis substãtia, & quidquid de eo dici potest, semper idem est, quod fuit & erit.

Alcuinus. 750.

Ad Psalm. 101. *Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient:* omnia esse mutabilia præter solum Creatorem designat, qui semper idem est quod est, & anni æternitatis illius nunquam deficient.

De Trinitate lib. 1. cap. 16. Non aliquid Deus patitur, quantum ad eius substantiam, quia Deus est, quia immutabilis & impassibilis substantia est: dum omnes aliæ substantiæ capiunt accidentia, quibus in eis fiat vel magna vel quantacunque mutatio: Deo autem huiusmodi aliquid accidere non potest. Et ideò sola est incommutabilis substantia vel essentia, quæ Deus est: Cui profectò ipsum esse, vnde essentia nominata est, maximè & verissimè cõpetit: cui soli optimè congruit illud nomen, quod Græci dicunt ὤν, Latini est.

Haymo. 820.

Ad cap. 1. epistol. ad Romanos: Deus omnipotens non potest mutari aut in melius aut in deterius, sed semper idem & æqualis manet & incorruptibilis solus existit.

Rabanus. 850.

Libro 5. in Ecclesiasten, cap. 11. In omnipotẽte Deo ea quæ secutura sunt tempora præsentia semper consistunt: cui nec futura veniunt, nec præterita discedunt, sed cuncta simul ante oculos eius assistunt. Fuisse vel futurum esse æternitas non habet, cui nimirum nec præterita transeunt, neque futura superueniunt: quia cuncta præsens videt.

Radulphus Flauiacensis. 950.

In Leuiticum lib. 14. cap. 4. Adonai interpretatur Dominus eo modo, quo solus Deus dicitur Dominus: Licet namque sint multi, qui dicãtur Domini, Magistri, vel Patres: ad comparationem tamen illius, nec Dominus quisquam dicendus est, nec Magister, nec Pater.

Petrus Damianus. 1050.

Epistola 4. de Dei omnipotentia cap. 6. Constat Deũ omnipotentem sic omnia secula, in æternæ sapientiæ suæ thesauro concludere, vt nec ad se quid accedere, nec à se quicquam per temporum momenta valeat transire. In illa igitur ineffabili suæ maiestatis arce persistens, sic omnia in suæ præsentiæ conspectu constitura, vno ac simplici contemplatur intuitu, vt sibi nunquam penitus vel præterita transeant, vel futura succedant. Cui dũ semper esse atque idem esse, est per æternitatem, dum omne quod labitur circumscribit, intra semetipsum omnium cursus temporum claudit; & sicut intra se sine transitu cohibet omnia tempora; ita nihilominus intra se sine spatijs vniuersa continet loca. Hinc est planè quod ait: *Cælum & terram ego impleo.* Hinc est quod sapientia illius dicit: *Gyrum cæli circuiui sola.* De qua & Salomon ait: *Quia cùm sit vna, omnia potest: & permanens in se, innouat omnia.* Et idem alibi: *Si cælum & cæli cælorum te capere non possunt, quanto magis domus hæc, quam ædificaui tibi?* Rursumq; de eo scriptum est: *Cælum metitur palmo, & omnem terram pugillo concludit.* Sedi quippe, cui præsidet, interior & superior manet. Nam per id cælum palmo metiens, & terram pugillo concludens, ostenditur quòd ipse sit circumquaque cunctis rebus, quas creauit, exterior. Id namque quod interius concluditur, à cõcludente exterius continetur. Per sedem ergo, cui pręsidet, esse interius & supra perpenditur: per pugillũ verò, quo continet, esse exterius subterq; signatur. Quia enim ipse manet intra omnia, ipse extra omnia, ipse super omnia, ipse infra omnia, & superior est per potentiam, & inferior est per sustentationem, & exterior per magnitudinem, & interior per sublimitatẽ. Vbi ergo fit aliquid absque eo, qui cùm per molem corporis nusquã est, per incircumscriptam substantiam nusquam deest? De quo ait Apostolus: *Quia in ipso constant omnia: quoniam ex ipso, & in ipso, & per ipsum sunt omnia.* Est autem, vt ita dixerim, locus illocalis, qui sic in se omnia continet loca, vt non moueatur ipse per loca. Et cùm omnia simul impleat, non per partes sui occupat partes loci, sed totus vbique est, nec per ampliora loca diffusior, nec per angustiora contractior, nec altior in excelsis, nec plus humiliatus in infimis. Non maior in magnis, nec minor in minimis: sed vnus idemq; simplex & æqualis vbiquę. Nulla indiget creatura, sed eo indiget omnis creatura. Nam antequam virtutes Angelicas condidisset, antequam vel temporale aliquid extitisset, plenas atque perfectas immortalitatis diuitias & gloriæ possidebat. Hier. 23. Eccli. 24. Sap. 7. 2. Par. 6. Isa. 40. Colos. 1.

Cap.

Cap. 7. Est planè Deo coæternum posse omnia, sicut & omnia nosse, idemq; semper existere. In illo itaque summo rerum cardine, naturarum omnium iura dispensans, sic omnia tempora, præterita videlicet, pręsentia & futura intra suę prouisionis arcana complectitur, vt nec nouum aliquid sibi penitus accedat, nec aliquid ab eo per cursus momenta recedat. Sed nec diuersis obtutibus diuersa considerat, vt cùm intendit præteritis, vacet à pręsentibus vel futuris; vel rursus cùm præsentia vel futura considerat, oculos à præteritis auertat; sed vno duntaxat ac simplici pręsentissimæ maiestatis intuitu, simul omnia comprehendit. Neque hoc confusè atque inexplicatè, sed omnia discernit, atque iuxta proprietatem suam quæque distinguit, &c.

Algerus. 1060.

Prologo lib. 1. de Eucharistia: Non decet vt bestiali sensu, vel modico intellectu nostro, quo nec terrena ista scire sufficimus, immensitatem diuinæ maiestatis comprehendere velimus; cùm ipsi Angeli, qui adhuc nobis superiores sunt, in eum desiderent prospicere, nec tamen immẽsitatem eius maiestatis valeant penetrare; quamuis eius ficut est faciem contemplentur, & eius manifesta gloria satientur. Quę enim creatura cùm circumscripta sit, immensum possit comprehendere? si enim aliquatenus comprehendi potest, immensus non est.

Anselmus. 1080.

In Monologio cap. 4. Quare est quædam natura, vel substantia, vel essentia, quæ est per se bona vel magna, & per se est id quod est, & per quam est, quicquid verè aut bonũ, aut magnum aliquid est: & quæ est summum magnum, summumq; bonum, summum ens siue existens, id est summum omnium quæ sunt.

Cap. 8. Sed & misericors simul & impassibilis quomodo es? Nam si es impassibilis, non compateris; si non compateris, non est tibi miserum cor ex compassione miseri, quod est esse misericordem. At si non es misericors, vnde miseris est tanta consolatio? Quomodo ergo es & non es misericors Domine? Ne si quia es misericors secundùm nos, & non es secundùm te? Es quippe secundùm sensum nostrum, & non es secundùm tuum. Etenim cùm tu respicis nos miseros, nos sentimus misericordis affectum; tu non sentis affectum, & misericors es. Igitur quia miseros saluas, & peccatoribus tuis parcis, & misericors non es; quia nulla miseriæ compassione afficeris.

Cap. 19. Non es tamen in loco aut tempore, sed omnia sunt in te: Nihil enim te continet, sed tu contines omnia.

In Prosologio c. 14. An inuenisti anima mea quod quærebas? Quærebas Deum, & inuenisti eum esse quiddam summum omnium, quo nihil melius cogitari potest. Et hoc esse vitam ipsam, lucem, sapientiam, bonitatem, æternam beatitudinem, & beatam æternitatẽ, & hoc esse vbiq; & semper.

Petrus Alphonsus. 1106.

Titulo 1. Credendum est primum factorem, nec creatum esse, nec nouatum, sed necessariò æternum: Præterea non compositum, sed simplicem credere conuenit eum: Omnis enim compositio motus est, & actus simplicis rei. Item quod prius est, principium habere non potest; compositio autem omnis aliquod habet principium. Creator ergo primus non est compositus; sed neque est corporeus: Omne enim corporeum est compositum. Item neque mobilis est: Omne enim quod mouetur partibus constat: sed quicquid partibus constat, compositum est. Quod autem primum est omnium, non est compositum. Igitur nec mobile est.

Rupertus Tuitiensis. 1120.

Ad cap. 1. Ioannis: Deus ex nulla constat materia; propter quod semper est idem quod est, non permutatur, nullisq; subiacet accidentibus. Quapropter diuinitas non formata, sed tantũ forma est.

Lib. 1. in Exodum cap. 12. Deus inuisibilis, qui nec loco circumscribitur, nec vllis sensibus corporis percipitur: quoties visibiliter hominibus apparet, rebus ipsis congruam assumit speciem, propter quas apparere dignatur.

Lib. 1. de victoria Verbi cap. 6. Cùm legimus & audimus: *Ex tunc ira tua,* vel quodlibet aliud eiusmodi, non intelligimus, nec intelligere debemus, de Deo impassibili, quòd in eum cadant motus animi, qui signantur vocabulo iræ, vel furoris. Ipse namque suauis semper, in tranquillitate omnia disponit: sed creatura corrupta, suoq; vitio turbata, ipsam Creatoris suauitatem atque tranquillitatem malè & pœnaliter sentit.

Bernardus. 1130.

Lib. 5. de considerat. cap. 11. Quid est Deus? Quod ad vniuersum spectat, finis; quod ad electionem, salus; quod ad se, ipse nouit. Quid est Deus? voluntas omnipotens, beneuolentissima virtus, lumen æternum, incommutabilis ratio, summa beatitudo, creans mentes ad se participandum, viuificans ad sentiendum, afficiens ad appetendum, dilatans ad capiendum, implens ad felicitatem, circumdans ad securitatem.

Cap. 12. Quid est Deus? non minus pœna peruersorum, quàm humiliũm gloria. Est enim rationabilis quædam æquitatis directio, inconuertibilis atque indeclinabilis, quippe attingens vbique, cui illisa omnis prauitas conturbetur necesse est.

Sermone 6. super Cantica: Tenetisne datum superius, solum summum & incircumscriptũ Spiritum, ad omne quod facere vel fieri vult, corporis instrumento siue obsequio non egere; Demus ergo securi, veram soli Deo, sicut immortalitatẽ, ita & incorporietatem, quod solus spirituum vniuersam corpoream naturam eouisq; transcendat, vt quocumque corpore in quocumque opere nõ indigeat, solo spirituali nutu cùm vult, ad quæcunque vult agenda contentus. Sola igitur est, quę nec propter se, nec propter alium solatio corporei instrumenti opus habet illa maiestas, cuius omnipotẽti arbitrio incunctanter præsto est omne opus, omne altum inclinat, omne aduersum cedit, omne creatum fouet, etiam nullo interueniente vel subueniente solatio corporali siue spirituali. Docet vel monet sine lingua, præbet vel tenet sine manibus, sine pedibus currit, & succurrit pereuntibus.

Sermone 81. super Cantica: In tantum superexcellit immortalitas deitatis, vt Apostolus dicat de Deo: *Qui solus habet immortalitatem.* Quod ego reor pro eo dictum, quòd solus sit natura incommutabilis Deus, qui ait; *Ego Dominus, & non mutor.* Vera namque & integra immortalitas, tam nõ recipit mutationem, quàm nec finem: quòd omnis mutatio quædam mortis imitatio sit. 1. Tim. 6. Malac. 3.

Petrus Lombardus. 1140.

Lib. 1. dist. 8. Dei solius essentia incommutabilis dicitur, priè: quia nec mutatur, nec mutari potest. Vnde Augustinus lib. 5. de Trinitate: Aliæ, inquit, essentiæ vel substantiæ capiũt accidentia, quibus in eis fiat vel magna, vel quantacunque mutatio: Deo autem aliquid huiusmodi accidere non potest, & ideo sola substantia, vel essentia, quæ Deus est, incommutabilis est; cui profectò

maximè

maximè ac veriſtimè competit eſſe. Quod enim mutatur, non ſeruat ipſum verum eſſe: & quod mutari poteſt, etiamſi non mutetur, poteſt quod fuerat non eſſe. Ideoq; illud ſolum, quod nõ tantùm non mutatur, verùm etiam mutari omnino non poteſt, veriſſimè dicitur eſſe, id eſt ſubſtantia Patris & Filij & Spiritus ſancti. Ideóque Apoſtolus loquens de eo ait: *Qui ſolus habet immortalitatem, &c.* 1.Tim.6

Eademq; ſola propria ac verè ſimplex eſt, vbi nec partium, nec accidentium, nec quarumlibet formarum vlla eſt diuerſitas, ſiue variatio, vel multitudo.

Diſt. 30. Accidens eſt in creatura, non in Creatore: & appellatio, qua creatura dicitur relatiuè, ad Creatorem relatiua eſt, & relationem notat, quæ eſt in ipſa creatura. Appellatio verò illa, qua Creator relatiuè dicitur, ad creaturam, relatiua quidem eſt, ſed nullam notat relationem, quæ ſit in Creatore.

Potho Prumienſis. 1160.

De ſtatu Domus Dei lib. 4. c. 15. Quocirca cõſiderare nos oportet, quomodo diuina virtus in omnia ve niẽs implet, & cùm ipſa omnia capiat, nihil eã capiat, licet ipſa per maieſtatis ſuę preſentiam vbiq; tota ſit. Nam neque cæli cælorũ eam capere prævalent. Quomodo ergo non vbique eſt illa diuina virtus, quæ omnia potenter creat, ſapienter exornat, benignè regit? Sic tamen vbique diuina maieſtas eſſe creditur, vt cùm vna ſit & indiuiſa omnium eſſentiarum eſſentia, in omnes eſſentias ſic ſua bona diuidat, vt de participatione ſummi boni, quod ipſa eſt alijs plus, alijs minus conferat, ſicq; in omnibus creaturis inuiſibili quodam & ineffabili modo occultas quaſdam operetur virtutes.

Hildegardis. 1160.

Libro 2. Viſione 1. c. 1. Nam ille lucidiſſimus ignis, quem vides, deſignat omnipotentem & viuentem Deum, qui in clariſſima ſerenitate ſua, nunquam vlla iniquitate obfuſcatur, incomprehenſibilis manens: quia null. diuiſione diuidi poteſt, aut initio, aut fine, aut vlla ſcintilla ſcientiæ creaturę ſuæ comprehendi ſicuti eſt, & inextinguibilis exiſtens. Quoniam ipſe eſt plenitudo illa, quã nunquam vllus finis tetigit, ac totus viuens: quia nulla omnino res ipſi abſconſa eſt, quam neſciat, totusq; vita exiſtẽs: quoniam omne quod viuit ab ipſo viuere ſumit.

Lib. 3. viſione 10. cap. 5. Sicut homo nec diuinitatẽ mortali intuitu valet inſpicere, ſic ſecreta eius mortali ſenſu non poteſt capere, niſi quantum in permiſſione Dei illi eſt poſſibile.

In expoſitione Symboli Athanaſij. Immenſus Pater eſt, quia nulla capacitate cõprehendi, nec numero finiri poteſt, vt illa poſſunt, quæ in principio facta ſunt: Omnia enim in præſciẽtia ſua habuit, ſed tamen illa ſubitò non creauit.

Innocentius III. 1200.

Ad Pſalm. 5. pœnitentialem: Tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient. Quia inuariabilis es omninò, & immutabilis, nihil habens in te, niſi te, nec in te aliud habens ab habitu, nec aliud habitum ab habente, quamuis habentis nullus ſit habitus, nec alicuius habitus ipſum ſit habens, cùm ens idem ſit in te omnino quod eſſe: Nam eſſe non eſt aliud quàm quo es, ſed idem omnino.

Sermon. 3. de Natiuitat. Domini: Quia ergo puer hic Deus eſt, cui nomina iſta conueniunt: & in Deo nihil eſt diminutum, tanquam infirmum; nihil eſt ſuperabundans, quaſi ſuperfluum: ſed totum eſt omninò perfectũ velut æternum; idcirco hęc nomina, quæ ſibi ſecundùm naturam diuinam conueniunt, ſub perfecto numero deſignantur. Deo namque nihil accedit, vt aliquid ſuperabundet in illo, nec ab eo quicquã recedit, vt aliquid diminuatur ab ipſo: ſed idem ipſe ſemper exiſtit, non habens in ſe quicquam diuerſum, ſicut non habet aduerſum; nec habet quicquam varium, ſicut nec contrarium: non habet in ſe niſi ſe; nec aliud eſt habens ab habito, nec aliud habitum ab habente.

De ſolennitate omnium Sanctorum ſermone 2. Viſione corporea nullus vnquam videre potuit aut poterit Deitatem: quia Deus non eſt corpus, ſed ſpiritus: Viſione autem ænigmatica Deus in præſenti videtur vtcumque, non per ſpeciem, ſed per fidem; nec plenè, ſed imperfectè. Viſione verò comprehenſiua, purè videtur ab Angelis ſanctis, & animabus beatis, qui cognoſcũt ſicut & cogniti ſunt. Verum eſt ergo quòd Deum nemo vidit vnquam, ſed intelligendum eſt de viſione corporea. Sicut homo verſus à tergo ſcitur vtique quòd ſit homo, ſed non quis homo, ita quòd Deus ſit, modò ſcimus, ſed quid ſit ipſe, neſcimus. ſcimus equidem quòd ſit Deus, ſed neſcimus quid ſit.

Iacobus Vitriacus. 1220.

Dominica 4. poſt Paſcha: Non eſt in Deo viciſſitudinis obumbratio, quia nulla in eo eſt tranſmutatio. Vbi enim eſt mutatio, ibi viciſſitudo, dum vna forma recedit, alia ſuccedit. Hoc autem in Deo fieri nequit, qui ſummè ſimplex eſt, & in ſupremo gradu ſimplicitatis, carens omni genere compoſitionis. Neque enim partes integrales habere poteſt more corporum, cùm omnis pars naturaliter prior ſit ſuo toto. Nihil autẽ natura vel intellectu prius eſt ſummo principio, id eſt Deo. Caret præterea compoſitione, quæ fit ex materia & forma ſubſtantiali: Deum autem nihil conducit ad eſſe, cùm ipſe ſit prima omnium cauſa, id eſt cauſa cauſaliſſima. Sed nec accidentalis forma poteſt eſſe in Deo, vt ſecundùm accidentia fiat in illo mutatio, vt vnũ expellatur ab eo & recedat, & aliud loco eius ſuccedat. In Deo enim nulla eſt diuerſitas, vel contrarietas. Mutatio autem ſine aliqua contrarietate vel oppoſitione fieri nequit: Vnum enim ex ſimilibus ſuum ſimile non expellit. In Deo autem nihil eſt cui fiat oppoſitio, neque aliquid opponitur Deo: Oppoſita enim ſimul ſunt natura; Deus autem omnia præcedit, tanquam principium & prima cauſa. Eſt igitur inuariabilis Deus, & abſque vlla tranſmutatione. Ipſe enim æternus ſine tempore, immenſus ſine quantitate, vbique ſine locõ, ſupra omnia non elatus, infra omnia non depreſſus, intra omnia non incluſus, extra omnia non excluſus, ſtabiliſq; manens dat cuncta moueri. Nihil autem eſt in ipſo quod non ſit Deus.

Guilhelmus Aluernus. 1230.

Primæ partis de vniuerſo parte 3. cap. 6. Scito ergo in primis quia caſus & temeritas tam longè ſunt à ſapientia, & bonitate Creatoris, quàm longè ſtultitia vel ignorantia, & propter hoc quantum ad Creatorem nihil eſt caſus. Apud nos verò locum habet caſus, ſed quantum ad nos: hoc autem eſt propter ignorantiam, & improuiſionem. Creator enim omnia intuetur, non intuitione, quæ ſit habitus dormiens, quin potius intuitu, qui eſt in vltimitate vigilantiæ, & actualitatis: neque aliquid eſt opertum vel abſconditum vllo modorũ à viſione ipſius; ſed neque intuetur aliquid tanquam longè ſit ab eo, neque tanquam propinquũ ſit ei; & intelligo in hoc ſermone meo quod propinquitas & remotio rerũ nec addit, nec minuit cognitioni ipſius. Quapropter videt omnia ad nudum & tanquam proxima. Manifeſtum eſt igitur, quoniam nihil euenit, vt ſit in rebus quod ipſe non ſciat, & etiam præſciat.

Alexander Aleſius. 1240.

Parte 1. quæſt. 5. memb. 1. Diuina eſſentia eſt ſimplex, omnimoda ſimplicitate; ita quòd nõ eſt in ea compoſitio eſſentialis, nec accidentalis: omne enim compoſitum poteſt intelligi non eſſe, quia poteſt intelligi reſolubile: ſed diuina eſſentia non poteſt intelligi non eſſe, ideo nec compoſita eſt.

Quæſt. 48. memb. 1. Notis nominatur Deus priuationibus, cùm dicitur, immenſus Deus, infinitus, incircũſcriptibilis: Imaginibus, cùm nominatur diſpoſitionibus ſpiritualium creaturarũ; vt cùm dicitur, Spiritus ſapiens, intelligens: Formis, cùm nominatur ſimilitudinibus corporalium creaturarum; vt cùm dicitur leo, ignis, & huiuſmodi.

Bonauentura. 1260.

Parte 1. Breuiloquij, c. 8. De ſapiẽtia Dei hæc tenẽda ſunt, ſcilicet quòd ipſa diuina ſapientia limpidiſſimè cognoſcit omnia bona & mala, preſentia, præterita & futura, actualia & potentialia, ac per hoc incõprehenſibilia nobis, & infinita: ita tamen q; ipſa in ſe nullo modo diuerſificatur, licet diuerſa omnia ſortiatur. In quantum enim eſt cognoſcitiua omnium poſſibilium, dicitur ſcientia, ſiue cognitio: in quantũ eſt cognoſcitiua omniũ, quæ in vniuerſo fiunt, dicitur viſio: in quantũ eſt cognoſcitiua omniũ, quæ bene fiunt, dicitur approbatio: in quãtum eſt cognoſcitiua eorum quæ ab ipſo Deo fienda ſunt, dicitur diſpoſitio: in quantũ eſt cognoſcitiua eorum, quæ futura ſunt, dicitur præſcientia, ſiue præuiſio: in quantum eſt cognoſcitiua eorum, quæ damnãda ſunt, dicitur reprobatio. Et quia ipſa non tantùm eſt cognoſcitiua, ſed etiam ratio cognoſcẽdi omnia, ideo in quantum eſt ratio cognoſcendi omnia cognita, dicitur lux: in quantũ eſt ratio cognoſcẽdi viſa & approbata, dicitur ſpeculum: in quantum eſt ratio cognoſcendi prædeſtinata, & reprobata, dicitur liber vitæ. Eſt igitur liber vitæ reſpectu rerum, vt redeuntium; exemplar, vt exeuntium; ſpeculum, vt euntiũ; lux verò reſpectu omnium. Ad exemplar autẽ ſpectat idea, verbum, ars, & ratio. Idea ſecundùm actum præuidendi: verbũ ſecundùm actum proponendi: ars ſecundùm actum proſequendi: ratio ſecundùm actum perficiendi: quia ſuperaddit intentionem finis. Quia verò hæc omnia vnum ſunt in Deo, ideo frequenter vnum accipitur pro alio.

Aegidius Romanus. 1280.

Lib. 1. hexameron, cap. 21. Deus non eſt tempus, ſed eſt ſupra tempus: quia non continetur à tempore, ſed magis cõtinet tempus. Non enim opus habet Deus, vt ab aliquo contineatur, quia ipſe continet omnia.

Raynerius Piſanus. 1300.

In Pantheologia de eſſe Dei, cap. 2. Quatuor ſunt inter alia quæ conueniunt ſoli Deo: primũ eſt, immenſitas potentiæ: ſecundum eſt, æternitas permanentiæ: tertiũ eſt, incircumſcriptibilitas continentiæ: quartum eſt, incomprehenſibilitas notitiæ. Primum eſt, immenſitas potentiæ, ita quòd Deus ratione ſuæ infinitatis eſt immenſurabilis, interminabilis, incircumſcriptibilis, incomprehenſibilis. Primò enim ſoli Deo cõuenit immenſitas potentiæ. Eſt enim ſolus omnipotens, &c.

Durandus à ſancto Portiano. 1320.

Lib. 1. diſt. 37. q. 2. Deus ſecundùm ſe eſt nuſquam, ſecundùm effectus ſuos eſt vbique. Nihil enim replet omnem locum bonitatibus & effectibus ſuis, niſi Deus.

Guido Rocherius. 1330.

In Manipulo curatorum de oratione Dominica: Deus eſt firma entitas, quia nunquam deficiens, ſed omnes perficiens; ſumma bonitas omnibus ſuffi-ciens; pura veritas omnes erudiens; vera charitas omnia reficiens; firma entitas nunquam deficiens. Vnde ipſe de ſe dixit: *Ego ſum qui ſum.*

Henricus Suſo. 1350.

In Appendice quarundam ſublimium quæſtionum, c. 17. Quid ſit Deus: noueris, quotquot vnquam Doctores extiterint, eam quæſtionem abſoluere non potuiſſe; ſiquidem ſenſus & rationẽ omnem excedit: tamen qui ſtudioſus eſt, ſi quærendi non remittat diligentiam, obtinet quandam Dei notitiam, ſed valde remotam. In ipſa autem Dei cognitione vita æterna, & ſuprema hominis beatitudo conſiſtit. De hoc Deo ac Domino noſtro ea nobis cognitio ſuppetit, eſſe eum ſubſtantiam immortalem, æternam, ſiue ante vel poſt ſimplicem, nudam, incõmutabilem, incorpoream, ac exiſtentem ſpiritum, cuius ſubſtantia vita illius & operatio eſt, cuius viuaciſſima intelligentia in ſe ipſa & per ſeipſam cuncta nouit, cuius ſcientia in ſe ipſa abyſſus quędam eſt deliciarum & gaudiorũ, qui denique ſui ipſius & omnium ipſo in futura vita futurorum ſupernaturalis, ineffabilis, & iucundiſſima beatitudo eſt.

Raymundus Sebundius. 1430.

Dialogo 1. cap. 3. Quia Deus eſſe ſuum non recipit ab aliquo nec à ſeipſo, ideo non recipit multitudinem, coniunctionem, compoſitionem, diuerſitatem: ſed eſt ſimpliciſſimum, puriſſimum, indiuiſibile & ſummè vnum. Deus præterea eſt ſummet eſſe, & totum eſſe, à quo non eſſe longiſſimè ſeparatur. Omnia nempe quæ præter Deum habent eſſe, habent non eſſe ſibi coniunctum: Deus verò in infinitum abigit à ſe non eſſe, & ante ſe & poſt ſe; & ideo Deus eſt ens interminatum, infinitum, æternum, ſine principio, ſine fine. Et quia eſſe Dei excludit à ſe omne non eſſe, idcirco continet in ſe quicquid pertinet ad eſſe.

Laurentius Iuſtinianus. 1430.

De caſto connubio Verbi & animæ cap. 9. Etſi Deus Spiritus ſimpliciſſimus eſt, & inuiſibilis ſubſtantia; vt ſpiritualibus animæ ſenſibus fieret capabilis, maximo ſuę pietatis myſterio, viſum, auditũ, cæteraq; ſenſuũ officia ac humani corporis membra ſibi ineſſe, in ſacro voluit atteſtari eloquio. De viſu namque & auditu prophetauit: *Oculi Dõmini ſuper iuſtos, & aures eius ad preces eorum; vultus autem Domini ſuper facientes mala,* &c. Ex huiuſmodi quidem tropicis locutionibus, nõ dedignatur ſereniſſima & inclyta Dei maieſtas humanam ſe oſtendere habere formam, vt informet homines. Inclinando enim ſe erigit nos, infirmando ſanat & erudit. Nemo tamen ſic deſipiat, vt humanam arbitretur Deum habere formam, aut humanis ſubiacere ſenſibus. Nullo horum diuina indiget natura; quamuis in homine à Verbo aſſumpto, cuncta membra fuerint humana tanquam in homine perfecto. Omnes iſtæ locutiones de Deo & de anima humano prolatæ vſu, ſpiritualiter intelligendæ ſunt. Pſal.33.

Cap. 18. Quis (niſi aut elatione tumidus, aut ignorantia cæcus) præſumat intelligere poſſe quid ſit Deus? Quòd autem Deus ſit omnis creatura teſtatur. Ipſę quidem lingua ſua fatentur opus ſe ſummi & æterni Dei eſſe, & dicunt: *Ipſe fecit nos, & non ipſi nos.* Eſt enim Deus naturæ vox, qua omnia pulchra teſtantur ipſum pulcherrimum, dulcia dulciſſimum, ſublimia altiſſimũ, pura puriſſimum: vnde quemadmodũ in patria Deus eſt ſpeculum, in quo relucent creaturæ; ita in via creaturæ ſunt ſpeculum, in quo Creator videtur. Ideo Apoſtolus ait: *Inuiſibilia Dei per ea quæ facta ſunt, à creatura mundi intellecta conſpiciuntur.* Ratio quoque naturalis, quę per effectum in cognitionem omnem peruenit, ratiocinando Deum eſſe concludit. Omne Rom.1.

namque creatum indiget aliquo vt sit: Verbum autem Deus, per quod omnia sunt, quæ sunt, siue Angeli, siue Archangeli, siue Throni, siue Seraphin, seu quicquid mouetur in cælo, vel in terra, est apud Deum. Ipsum dicimus principium & sapientiam, in quo, & per quem facta sunt vniuersa. Fides etiam Catholica, non solùm credit Deum, atque credit Deo, verùm etiam credit in Deum, amando credit, & credendo in membra ipsius incorporatur.

Thomas Malleolus Campensis. 1430.

In soliloquio animæ, cap.1. Dilectus iste, de quo diligentissimè scrutaris, talis ac tantus est, vt sermone non possit explicari, cùm sit ineffabilis: tam altus & superexaltatus est omnibus creaturis, vt sit semper incomprehensibilis. Virtus eius & magnificentia eius interminabilis: quicquid de eo dicitur aut scribitur, indignum eo totum creditur, quia omnibus superfertur.

Pius Secundus. 1450.

Epistola ad Morbisanum Turcorum Principem: Saraceni Deo corpus, & caput, & manus, & cætera membra concedunt: Nos Deum spiritu esse asserimus incorporeum, immortalem, æternum & incomprehensibilem. 1. Tim. 6.

Dionysius Carthusianus. 1460.

In Dionysij Areopagitæ cap. 13. de cælesti Hierarchia: Deus incomprehensibilis est, corporalibus oculis videri nequit in suæ diuinitatis natura, qui, teste Apostolo, *lucè habitat inaccessibilem*, nec in vita præsenti potest videri per speciem, id est, per suam essentiam de lege communi. Propter quod Mosi deprecanti: *Ostende mihi faciem tuam:* Respondit: *Faciem meam videre non poteris: Non enim videbit me homo, & viuet.* Exod. 33.

Pelbartus Themesuuarensis. 1490.

Sermone 2. de sancta Trinitate: Tale credimus de Deo, quod planè nulla mens capere potest: confitemur, quòd Deus incomprehensibilis est omni creaturæ. Nam sicut se habet oculus nycticoracis ad lumen solis, sic se habet oculus nostræ mentis ad ea, quæ sunt manifesta naturæ.

ARTICVLVS SECVNDVS.

NON ESSE NISI VNVM DEVM.

NEGANT.

Anno antenatũ Christũ.

1200. *Rpheus ducentos sexaginta duos Deos confessus est, quos tandem in testamento suo, cùm moreretur, reiecit, vnum esse Deum asserens.* Theophilus Antiochenus lib.3. ad Autolycum.

900. 800. 370. *Homerus in Iliadib. & Hesiodus in Theogonia plures Deos, maiores & minores cõminiscũtur. Antisthenes libro, qui Physicus inscribitur, populares Deos multos, naturalem vnum esse dicit.* Cicero lib.1. de natura Deorum.

300. *Chrysippus Stoicus magnam turbam congregat ignotorum Deorum, vt eos ne coniectura quidem informare possimus.* Cicero lib.1. de natura Deorum.

200. Plautus inquit: *Dij me omnes minutiq; & patellarij adiuuent.*

Post natũ Christum 50. *Simon Magus multos Deos posuit.* Clemens lib.2. Recognitionum.

80. *Cerinthus, Marcius, Menander & Basilides nunc plures Deos ponunt, nunc tres aduersos, principio carentes, qui semper vnà sint.* Clemens constitut. Apostol. lib.5. cap.8.

150. *Gnostici duos Deos credunt, vnum bonum, & alterum malum.* Augustinus hæresi 6.

160. *Cerdon duo posuit principia, sibi aduersantia: dixit Deum Legis & Prophetarũ, non esse Patrem Christi, nec bonum esse, sed iustum: alium verò Deum esse Patrem Christi, & hunc esse bonum.* Irenæus, Tertullianus, Epiphanius, Augustinus, Theodoretus, & Nicetas de Cerdone.

170. *Valentinus plures Deos, eosq; diuersos nugatus est, atque eum, qui mundum creauit, etiam mortis esse auctorem dixit.* Clemens Alexandrinus lib.4. Stromaton.

180. *Apelles duos finxit Deos, vnum bonum, & alterũ malum: bonũ Deum dixit esse principium, & ab illo factũ alterũ Deũ, qui cùm malignus esset, mundũ sua malignitate fecerit.* Euseb. lib.5. c.13. August. hæresi 23.

190. *Peratæ nominant tres Deos, tres rationes, tres mentes.* Theodoretus de Peratis.

200. *Helchesæi Deum quidem vnum dixerunt esse, sed aquam colentes, hanc velut Deum esse putârunt, & ex eo quasi vitam traduci.* Epiphanius de Helchesaitis, hæresi 23.

270. *Manes Persa duos asserit Deos: vnum viuificantem & efficientem omnia bona: alterum interficientem, & omnis generis mala inferentem.* Athanasius, Epiphanius, Augustinus, Theodoretus, & Nicetas de Manichæis, Hebræi in Kabala.

400. *Faustus Manichæus fingit multos Deos, & inter eos duodecim quosdam magnos Deos, ternos per quatuor tractus, quibus ille vnus circumagitur, quem vocant regentium regem, sceptrigerum, perennem, floreis coronis cinctum, & facie rutilantem.* Augustinus contra Faustum Manichæum lib.15. cap.5. & 6.

470. *Petrus Fullo tres Deos dogmatizauit, alium dicens esse Deum Patrem, alium Deum Filium præter Patrem, & alium Deum Spiritum sanctum præter Patrem & Filium.* Felix Papa epistola ad eum scripta.

600. *Ioannes Philoponus tres esse Deos ex professo docuit, & Tritheitarũ sectam instituit.* Leontius de sectis, Suidas in voce Ioannes, Nicephorus lib.16. cap.46.

1190. *Ioachim Abbas cõtendebat Patrem & Filiũ & Spiritũ S. non esse vnam aliquã singularẽ essentiã, sed esse vniũ quoddã collectione, & ordine ad eum modũ, quo plures fideles sunt vna Ecclesia.* Cõcil. Lateranense c.2.

Albanen-

1200. *Albanenses & Albigenses cum Manichæis duo principia statuunt, Deum & Diabolum, quem credunt creasse corpora.* Bernardus Lutzemburgensis, Antoninus 4. parte Summæ tit.11. cap.7. §.5.

1260. *Raymundus Lullius tres essentias in tribus personis asseruit, perinde agens, ac si tres Deos palam prædicasset, cùm multiplicationem essentiarum, id est deitatum, multiplicatio Deorum consequatur.* Bernardus Lutzemburg.

1500. *In Persia, India, & cæteris Orientalibus prouincijs, multi adhuc Manichæorũ errorem amplectuntur, de duobus Dijs bono & malo: quorum alter res istas inferiores moderetur, bonus verò nihil agat. Quare idolum in suis familijs habent ei prorsus simile, quo nostri pictores Diabolum exprimunt, nigrum, cornibus, dentibus aliquot recuruis ex ore prodeuntibus.* Hieronymus Osorius de rebus gestis Emmanuelis.

1550. *Valentinus Gentilis in suis prothesibus Patrem, Filium & Spiritum sanctum, tres esse Deos æternos asserit, essentiali numero distinctos: ita tamen, vt Pater sit solus Deus ex se, Filius autẽ & Spiritus sanctus Dij quidẽ inferiores, qui à Patre essentiã suam productã habeant: tametsi non ex nihilo, sed ex substantia Patris, vt inquit Prothesi 11. Quocirca Patrem essentiatorem, Filium autẽ & Spiritum sanctum essentiatos dicit.*

1560. Beza libro de vnitate essentiæ: *Legimus, idq; non sine horrore, quæ Georgius Paulus, Casanouius, & alij nonnulli à Valentino Gentili fascinati scripserunt, tres personas siue ὑποστάσεις, in tres numero οὐσίας, siue essentias transformantes: vnde fit, vt necessariò tres Deos statuant.*

1560. *Tritheitæ in Polonia duce Georgio Paulo, aiunt tres esse Deos, tres æternos, tres omnipotentes.* Poloni epistola ad senatum Geneuensem, Canisius de corruptelis verbi Dei.

1567. *Petrus Statorius, Theodori Bezæ discipulus, & Georgius Blandrata publicè in Polonia docent, non vnum, sed tres esse Deos, haud secus inter se diuersos ac tres homines: quod à Caluino, Bullingero, Martyre, Musculo se didicisse affirmant.* Prateolus in Elencho, Theodorus Beza epist.16.

1570. *Duitæ in Polonia Petro Goniezio duce, Patrẽ & Filiũ duos esse Deos asserũt: de Spiritu aiunt nondũ esse reuelatũ qd sit.* Canisius de corruptelis verbi Dei, Alphonsus Pisanus præfatione in Conciliũ Nicenũ.

ASSERVNT SACRÆ LITERÆ.

Deut.6. vers.4. Audi Israel, Dominus Deus noster Deus vnus est.

1. *Reg.2.2.* Non est sanctus, vt est Dominus: neque enim est alius extra te.

Psalm.17.32. Quis Deus præter Dominum? aut quis Deus præter Deum nostrum?

Psalm.85.10. Quoniam magnus es tu, & faciens mirabilia: tu es Deus solus.

Sap.12.13. Non est alius Deus quàm tu.

Ecclesiastici 1.8. Vnus est altissimus Creator omnipotens.

Esaiæ 43.10. Ante me non est formatus Deus, & post me non erit. Ego sum, ego sum Dominus, & non est absque me Saluator.

Malachiæ 2.10. Nunquid non Pater vnus omnium nostrum? nunquid non Deus vnus creauit nos?

Marci 12.29. Primum omnium mandatum est: Audi Israel, Dominus Deus tuus, Deus vnus est. 32. Vnus est Deus, & non est alius præter eum.

1. *Cor.8.4.* Scimus quia nihil est idolum in mundo, & quòd nullus est Deus, nisi vnus. 5. Nam etsi sunt qui dicantur Dij, siue in cælo, siue in terra (siquidẽ sunt dij multi, & domini multi) nobis tamen vnus Deus, & Pater, ex quo omnia, & nos in illo.

Gal.3.20. Mediator vnius non est: Deus autem vnus est.

Ephes.4.5. Vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma. Vnus Deus & Pater omnium, qui est super omnes, & per omnia, & in omnibus nobis.

1. *Timoth.2.5.* Vnus Deus, vnus & mediator Dei & hominũ, homo Christus Iesus.

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Clemens Romanus. 80.

Constit. Apost. lib.6. cap.14. Deus omnipotens vnus tantùm est, & præter hũc nullus alius est, & oportet hunc solum colere & venerari.

Lib.2. Recognitionum: Vnus est Deus, idẽ qui conditor mundi, iustus iudex, & vnicuique pro actibus suis quandoque restituens, &c. Vnus est Deus hic ipse Iudæorum, qui est solus Deus cæli creator & terræ, qui & omnium Deorum est Deus.

Dionysius Areopagita. 90.

De diuinis nominibus, cap.1. Quocirca in omnibus fermè sanctis libris aduertimus sanctè prædicari, vt singularem quidem & vnicam, ob simplicitatem atque vnitatem excellentis illius indiuidui: ex quo velut vnifica virtute, in vnum euadimus, diuiduisq; nostris alteritatibus, supra mundanũ modum conglobatis in diuinam monadem, atque vnionem Deum imitantes colligimus.

Ignatius. 100.

Epistola ad Philipp. Vnus ergo Deus & Pater, nec duo, neque tres: vnus qui est, nec est alius præter ipsum, solus & verus: *Dominus enim*, inquit, *Deus tuus Deus vnus est*, vnus & Filius Verbum Deus.

Ad Antiochenos: Attendentes Apostolicæ doctrinæ, & Legi & Prophetis credentes, abijcite omnẽ gentilem & Iudaicum errorem, vt nec multitudinem introducatis Deorum, nec prætextu vitius Dei negetis Christum.

Iustinus. 160.

In Euersione quorundam dogmatum Aristotelicorum: Secundùm eos, qui doctrinam à Deo receperunt, & discrimen inter Deum & creaturam cognouerunt, singularis & vnus est Deus, iuxta vtrumque ingeniti modum. Ingenitus, qui Deum Deosve nec ante se, nec post se habuit cœternos, neque subiectum siue subiacẽs, neque obiectum siue op-

positum habens: incorruptibilem obtinens naturam & essentiam.

Lib. de Trinitate, seu in expositione fidei: Vnum quidē Deum colere nos diuinæ literę docent, & Patrum eruditum institutiones: Vnum namque necesse est rerum vniuersarum auctorem summum, vt ne quid extrinsecus circumsistens, rebus cōditis adferat detrimentum. Nam si quid primitus extra Deum fuisset, id ipsum planè, aut Deum profiteri, aut virtutem alteram quamcunque tandem necessarium esset. At si quis Deum diceret, voces diuinas induceret, propalam clamitantes: *Ego Deus primus, & ego postea, & præter me non est Deus,* &c. Itaque pro confesso nobis sit, nihil prorsus primitus vnà cum Deo rerum omnium parēte simul fuisse. Vnus ergo reuera est huius vniuersitatis Deus, qui in Patre & Filio & Spiritu sancto cognoscitur.

Esa. 41. 43. 44. &c.

Theophilus Antiochenus. 170.

Ad Autolycum lib. 3. Quæ vtilitas manauit ad Orpheum, ex eo quod trecentos & sexaginta Deos confessus est, quos tandem reiecit in testamento suo, cùm obiret mortem, asserens vnum esse Deum? &c. Cæterùm nos Deum confitemur, vnum conditorem, Creatorem & opificem huius vniuersi mundi.

Irenæus. 180.

Lib. 1. cap. 2. Ecclesia per vniuersum orbem vsque ad fines terræ seminata, & ab Apostolis, & à discipulis eorum accepit eam fidem, quæ est in vnum Deum Patrem omnipotentem, qui fecit cęlum & terram.

Cap. 19. Cùm teneamus nos regulam veritatis, id est, quia sit vnus Deus omnipotens, qui omnia condidit per Verbum suum.

Lib. 2. c. 1. Oportet enim aut vnū esse qui omnia continet, & in suis fecit vnumquodque eorū quæ facta sunt, quemadmodum ipse voluit: aut multos rursus, & indeterminatos factores & deos, ab inuicē quidem incipientes, ad inuicem autem desinentes per omnem partem: & alios omnes à foris, ab alterutro quodam modo recōtineri, & vel inclusos & manentes in suis vnumquemque eorū confiteri necessitas erit, neminem autem horum omnium esse Deum. Deerit enim vnicuique eorū partem minimam habenti, ad comparationem omnium reliquorum, & soluetur Omnipotentis appellatio, & necessitas erit in impietatem cadere talem sensum.

Lib. 3. c. 3. Traditio ab Apostolis, cuius est testis successio Episcoporum in omnibus Ecclesijs, & maximè Romana, annuntiat vnū Deum omnipotentem factorem cæli & terræ.

Athenagoras. 180.

Apologia pro Christianis: Deum esse vnum vniuersitatis huius opificem, vt professionis nostræ etiā rationes percipiatis, hoc modo considerate: Si duo aut plures ab initio Dij fuerunt, vel cōiuncti illi pariter, in vna eademq; natura, vel separati fuēre singuli. At coniuncti simul esse non poterāt, vtpote dissimiles. Nam vt diuinitate similes sint, eo tamen erūt dissimiles, quòd alij ingeniti (vnus nempe verus & summus Deus ingenitus est) alij verò geniti sunt. Genitum autem exemplari suo simile est; ingenitum non item, cùm neque de aliquo, neque ad aliquid factum sit. Quòd si quis ita plures Deos coniunctos in vnū existimet, vt partes quædam vnius sint, atque totius: sicuti vnum animantis corpus partes diuersæ constituūt, manus, pes, oculus; audiet ille à nobis Socratē, quatenus generationi & corruptioni obnoxius est, è partibus componi, ac rursus in eas diuidi: Deum verò ingenitum & impassibilem, diuisionem nullam admittere, neque ex partibus constare.

Clemens Alexandrinus. 200.

Lib. 5. Stromatum: Nihil religio nostra habet antiquius quàm Deum vnicum natura esse, &c. Rectè quoque Xenophanes Colophonius, docens vnum esse Deum, & incorporeum: subiungit: *Maximus in genere est Diuūm, atque hominum Deus vnus.*

Lib. 6. Vnus est reuera Deus, qui fecit principiū vniuersorum.

Lib. 1. Pædagogi c. 8. Vnus est Deus, & vltra vnum, & supra ipsam vnitatem.

Origenes. 230.

In proœmio lib. 1. de principijs: Vnus Deus est, qui omnia creauit atque composuit.

In Euangelium Ioannis ad illa verba: Nunc dico vobis, vt cùm factum fuerit credatis. Ante omnia credito vnum esse Deum, qui omnia condidit & perfecit, quiq; omnia fecit vt essent ex re non existente.

Dionysius Alexandrinus. 260.

Aduersus Germanum Episcopum apud Eusebium lib. 7. cap. 10. Nos vnum Deum omnium fabricatorem colimus & veneramur.

Eusebius Cæsarienſis. 320.

De præparatione Euangelica lib. 11. c. 9. Moses vnum solummodo esse Deum docuit. *Audi* enim dicit *Israel, Dominus Deus tuus Deus vnus est.* Plato quoque in Timæo cælum vnum & Deum vnum esse dicit, his verbis: Vtrum igitur rectè vnum cælum esse dicimus, an multos finitos dicere rectius erit? Vnum, inquit, certè: siquidem ad exemplar creatum est. Quod enim intellectiua cōtinet animalia, duplicatum esse non potest. Qui etsi secūdùm aliorum cōsuetudinem, plures nonnunquam esse Deos dicere videatur: ab epistola tamen ad Dionysium, vbi Deorum nomen earum epistolarum facere principium dicit, quas negligenter & ad gratiam aliorum, non ex animi sui sententia scripserit: ab vnius verò Dei nomine illas inciperet, quas studio suis edidit, apertè patet, vnum Deum putasse. De signo, inquit, epistolarum, quas cum studio mitto, & quas non rectè arbitror te meminisse. Aduertendum est autem tibi diligenter, quia multi à nobis literas petunt, quos repellere non possumus. Cùm ergo studio & ex sententia scribimus animi, Deus principiū epistolæ præbet. Cùm autem non, non Deus, sed Dij, &c. sed hęc quidem de vno Deo dicta sufficiant.

Constantinus Imperator. 330.

Oratione ad Sanctorum cœtum c. 3. At quorsum hæc spectat oratio? vt cōstet vnum esse omnium moderatorē, omniaq; illius solùm dominatu teneri, siue quæ cæleſtia sunt corpora, siue quæ terrena sunt, &c.

Athanasius. 340.

Oratione contra idola: Non plures esse mūdi principes & conditores suspicari licet, sed pro religione perfecta ac veraci vnus tantummodò, rerum natura hoc ipsum declarante, credēdus est. Nam certum est illud iudicium, vnū esse istius vniuersitatis auctorē, quod non multiplex, sed vnus perpetuò mundus existat: oportet enim, si plures essent principes, plures quoque & diuersos esse mundos. Siquidem par non est vt plures vnum mundum ædificent, aut vnum à multis ædificari, propter absurda quæ se inde ostenderēt. Quapropter cùm vna sit rerū natura, vnus mundus, eiusq; vnus ordo, vnū illius intelligere debemus & regem & opificem Dominum nostrum. Ideo enim ipse opifex vnum (in vniuersum) mundum condidit, ne de multorum numero, multi etiam opifices existimarentur, sed ex vno opere vnus quoque illius auctor crederetur. Verùm non quia vnus est conditor, ideo quoque necessum est, vt vnus sit mūdus. Poterat enim & alios mūdos constituere Deus: sed quia vnus est mundus creatus, necesse est Creatorem eius vnum credere.

Basilius Magnus. 370.

Epist. 141. quæ est Apologia ad Cæsareanos pro sua ab illis discessione & fide: Deus solus secundùm essentiā Deus est: solum cùm dico, essentiam Dei sanctā & increatam exprimo: solius enim dictio & de certo aliquo homine, & simpliciter de certa natura humana dicitur. De certo quodam homine, vtpote si de Paulo dicatur, quòd solus vsque in tertiū cęlum sit raptus, audieritq; verba ineffabilia, quæ non liceat homini loqui. De ipsa verò vniuersa hominum natura, videlicet cùm Dauid dicit: *Homo sicut fœnum dies eius.* Hic enim nō certū aliquem hominem, sed totam naturam notat. Nam omnis homo tēporarius est & mortalis. Ita & illa intelligimus de natura diuina dicta, vtpote *qui solus habet immortalitatem.* Et, *soli sapienti Deo.* Et illud: *Nemo bonus nisi vnus Deus.* Nam hic vnitatis dictio idē significat, ac si dixisset: nisi solus Deus. Et *qui extendit cælum solus.* Et iterum: *Dominum Deum tuum adorabis, & illum solū coles.* Et: *Non est Deus præter me.* Cū enim Deus in scriptura vnus & solus dicitur, nō ad distinctionem Filij aut Spiritus sancti dicitur, sed contra eos, qui cùm Dij nō sint, falsò Dij nominantur.

Gregorius Nazianzenus. 370.

Oratione 29. quæ est oratio de dogmate & constitutione Episcoporū: Et vnus Deus retinendus est, & tres personæ constituendæ, & quidē vnaquęq; cū sua proprietate. Deus vnus retinebitur, si Filiū & Spiritū sanctum ad vnam causam referamus, non autem componamus, nec cōmisceamus: etsi vnam atque eandem diuinitatis, vt ita loquar, motionem & voluntatem, essentięq; identitatem intelligamus.

Epiphanius. 370.

Hæresi 57. contra Noëtianos: Num Deorum multitudinem putauerunt, qui verè cultū & reuerentiam Trinitati offerunt, qui sanè sunt filij veritatis, & solius Catholicę Ecclesiæ? Profectò non sic. Quis enim nō gaudet vnū veritatis Deum esse? &c. Vnam deitatem nouit Ecclesia. Vnus est Deus veritatis Pater, Pater perfectus in substantia, Filius perfectus in substantia, & sanctus Spiritus perfectus in substantia: vna deitas, vnus principatus, vnum dominium.

Cyrillus Hierosolymitanus. 370.

Catechesi 4. Primum igitur dogma de Deo in anima vestra fundetur, quòd Deus vnus est ingenitus, sine principio, immutabilis, non alterabilis, neque ab alio factus, &c. Vnus est Deus solus, & animarum & corporum creator. Vnus est opifex cæli & terræ, Angelorum & Archangelorum creator: qui multorum quidem est opifex, vnius verò tantùm Pater ante secula.

Catechesi 6. Ausi sunt hæretici dicere, duos esse Deos, & duos fontes, alterū boni & alterū mali, & eos ingenitos. Si ambo ingeniti, certū est omnino, qđ æquales habeāt vtriq; vires. Quomodo igitur tollunt tenebræ lumen? sed quid tandē, simul ne sunt, aut separatim? Simul enim esse non possunt. *Quæ* enim *cōmunicatio lucis cum tenebris?* dicit Apostolus. Sin autē procul sunt ab inuicē, omnino & locos proprios habēt. Omnino alicubi & vnū adorabimus, sic eum cōparare oportet, vt ex eorū stultitia, quòd vnum adorare necesse est, inferamus.

Gregorius Nyssenus. 380.

Lib. de Trinitate ad Eustachium: In multitudinem extendere numerum deitatum, eorum duntaxat est, qui laborant errore multitudinis Deorum.

Præfatione in orationem catecheticam: Sin autē Deū quidam nō esse dubitet, sed eò dilabatur, vt Deorum putet esse multitudinem, hac aduersus eum vtemur consequentia: Deum perfectum esse putet, an cui aliquid desit? Quòd si, vt est consentaneum Dei naturæ, perfectionem suo attribuat testimonio, exigam vt ipse sit perfectus in omnibus quę considerantur in diuinitate, ne Deus consideretur commixtus ex ijs, quæ sunt cōtraria, nempe ex eo quod est mācum, & ex eo quod est perfectum. Sed siue in potestate, siue in boni notione, siue in sapiētia, & ęternitate, & incorruptione, & si aliqua alia quę Deum decet intelligentia veniat in contemplationem, omninò assentietur, in diuina natura considerari perfectionem, ex hac cōsequentia rationi consentanea. Hoc autem nobis dato, non erit amplius difficile, cogitationem dispersam ac dissipatam in Deorum multitudinem, deduci ad diuinitatis vnius confessionem.

Ioannes Chrysostomus. 400.

Homil. 20. in priorem ad Corinth. Si ergo Patrē non ausus est appellare Dominum cum Filio, ne apud illos veniret in suspicionem, quod duos diceret Dominos: neque Filium Deum cum Patre, ne existimaretur duos Deos dicere, quid miraris si non meminit Spiritus? Aduersus illos enim tunc decertabat & contendebat ostendere, non esse apud nos Deorum multitudinē. Propterea illud, *vnus,* semper retinet, dicens: *Nullus est alius Deus nisi vnus.* Item: *Nobis vnus est Deus, & vnus Dominus.*

Cyrillus Alexandrinus. 430.

De adoratione in spiritu lib. 3. Erga Iethro solis de Deo narrationibus est vsus Moses, in eamq; iam illum sententiam traduxit, vt disertis verbis fateretur, non esse alterum Deum, sed solum eum, qui vnus & natura, & verè sit Deus. Hęc autem prima est Catechumenorum fides, à multorum Deorum opinione discedere, & vnum illum verè & natura Deum amplexari.

Contra Iulianum lib. 4. Opificem vniuersorū manifestè declarauit Moses, vnum & summum, & transcendentem omnia Deum, veruntamen per Filium in Spiritu sancto.

Lib. 8. Quod autem vnum & natura verè Deum, visibilium & inuisibilium opificē & Dominum confessus fuerit Moses, & nobis reuelauerit, inficias ibit nullus. Induxit enim ipsum manifestè dicentem: *Non sint tibi Dij alij præter me.* Sequentes igitur ea quæ per Mosen prædicta, & per Prophetas annunciata sunt, vnum quidem natura & verè Deum esse cōfitemur. Scimus autem cum hoc & indubitatò credimus, quòd omnes Dij gētium dœmonia. Exod. 20.

Isidorus Peluſiota. 440.

Lib. 1. Epist. 494. Vt Legis primordia terrorem requirebant, qui auditores ad mandatorum obseruationem conuerteret, ac Deus è medio igne oracula edebat: sic etiam post Christi resurrectionem, Spiritus sanctus Apostolis in igne dabatur, vehementi flatu præeunte, vt vnus Deus in vtroque Testamento cognosceretur: etiamsi alioqui inter prius & posterius ingens sit discrimen.

Theodoretus. 450.

In Epitome diuinorum decretorum: Vnum esse vniuersorum principiū, & vetus & noua Scriptura docet, Deum vniuersorū Patrem Domini nostri Iesu Christi, ingenitum, ab interitu alienum, æternum, infinitum.

In Numer. quæst. 44. Quemadmodum Monoceros vnicum habet cornu: sic populus verè pius vnicum Deum adorat.

Ad Cap. 3. epistolæ ad Romanos: Vnus est, inquit, omniū Deus, omnium opifex, & fieri nō potest, vt eorum quidē curam gerat, illorū verò non gerat: Omnibus ergo qui credunt salutem præbet.

Ioannes Maxentius. 500.

In Confessione fidei: Est Deus Pater, Deus Filius, Deus etiam Spiritus sanctus, non tres, sed vnus

Deus, vna substantia siue natura, vna sapientia, vna virtus, vna dominatio.

Procopius Gazæus. 530.

Ad cap. 3. Genes. Deus à primordio nullã rerum substantiam incoream, at solos suos homines erudiuit, initio statim multorum Deorum opinionem excindens, id est, volens opinionem credendi multos esse Deos penitus obliteratam.

Anastasius Synaites. 580.

Lib. 1. de rectæ fidei dogmatibus: Trinitatem dicimus non essentiarum, sed personarum: Vnum enim Deum glorificamus, non numero personarũ, sed natura.

Sophronius Hierosolymitanus. 630.

Epistola ad Sergium Constantinopolitanum: Vnus Deus à nobis enixius creditur: quoniam & deitas vna flagranter prædicatur, licet in Trinitate personarum agnoscitur. Et vnus Dominus à nobis annuntiatur: quoniam & dominatio vna firmiter agnoscitur, licet in tribus subsistentijs demonstretur: neque secundùm quod vnus est Deus, & vna deitas, est diuisibilis, & in tres Deos partibilis, vel in tres deitates producendus, &c.

Maximus Monachus. 640.

Apud Euthymium 1. parte Panopliæ tit. 3. Solus Deus simplex est propriè, & propriè vnum & vnitas & monas. Omnia verò, quæ post Deum fiunt, duplicia sunt & composita, &c. Deus dicitur vnus, non modò vt solus, & rerum omnium in omnibus excellentissimus, neque vt simplex est, & qui nec in partes secari, nec diuidi, nec affici vllo modo potest, verùm etiam vt qui ante omnia exisitit, & est omnium causa.

Ioannes Damascenus. 730.

Orthodoxæ fidei lib. 1. c. 5. Quòd Deus vnus sit, & nõ plures, apud eos quidem, qui diuinæ Scripturę fidem adhibent, extra controuersiam est. Dominus enim legum suarum institutionem his verbis auspicatur: *Ego Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti: Non erunt tibi Dij præter me.* Ac rursus ait: *Audi Israel: Dominus Deus tuus Deus vnus est.* Et per Esaiam Prophetam: *Ego enim sum,* inquit Deus, *primus, & ego post hoc, & præter me non est Deus.* At cum ijs, qui sacræ Scripturæ fidem abnegant, ad hunc modum disseremus: Deus perfectus est, & ab omni defectu (siue bonitatem, siue sapientiam, siue potentiam spectes) alienus, principij & finis expers, sempiternus, minimè circũscriptus, ac denique, vt rem vno verbo complectar, omnibus modis perfectus. Quocirca si plures Deos asseruerimus, inter plures discrimen considerare necesse erit. Nã si nihil inter eos discriminis reperietur, vnus potius erit quàm multi: si autem discrimen aliquod inter eos exisitit, vbi tandem erit perfectio? Etenim si vel bonitatis, vel potentiæ, vel sapientiæ, vel postremò temporis ratione, aliquid in eo ad perfectionẽ desideretur, Deus certè non erit. At verò identitas sibi per omnia constans, vnum potius ostendit, quàm multos. Iam si multi sunt, quomodo salua & incolumis ipsis manebit incircumscriptio? Vbi enim vnus fuerit, alter nõ erit. Quid insuper afferri potest, quin, si mundus à multis gubernetur, non dilabatur atq; intereat? Quippe cùm inter gubernatores pugna perspiciatur: Discrimen siquidem pugnæ ac contentioni aditum præbet. Quòd si quis singulos singulis regionibus præesse contendat, quæram ex eo quis huius ordinis auctor fuerit, imperiũq; partitus sit inter ipsos? Hic enim potius Deus erit. Vnus proinde est Deus, perfectus, circumscriptionis expers, mundi architectus, conseruator & gubernator, perfectione sublimior atque antiquior. Adde quòd naturali necessitate ita comparatum est, vt vnitas binarij origo sit.

Exod. 20.

Isaiæ 43.

Elias Cretensis. 780.

In Orationem primam Nazianzeni: Deus perfectus est, ab omni defectu alienus, tum quantum ad bonitatem, tum quantum ad sapientiam, & potentiam infinitus, principij expers, sine carens, sempiternus, à circumscriptione alienus, atq; omni ratione perfectus: si igitur multos Deos in multa principia diuisos dixerimus, in his vtique discrimen consideretur necesse est: si enim nullum inter ipsos discrimẽ sit, vnus potius erit, quàm multi; sin autem differentia inter ipsos est, nimirum ille, qui inter omnia perfectus est, solus Deus erit.

Nicephorus Constantinopolitanus. 800.

Epistola ad Leonem III. Vnus est Deus Pater, ex quo omnia: & vnus Dominus Iesus Christus, per quem omnia: & vnus Spiritus sanctus, in quem omnia. Ex his tribus perfectis vna perfectissima, imò secũdùm se absolutissima cõstat Deitas, proprietatibus sanè distinctiuis ac personalibus: Hypostases inter se sunt distinctæ, at vnum interim diuinitate sunt omnes. Rursum licet coniunctæ tres sint: vnus nihilominus adoratur Deus. Obtinet hic enim Trinitas secundùm subsistentiam, Vnitas autem secundùm essentiam. Atque ita secundùm insanam inordinatamq; paganicæ vesaniæ confusionisq; seditionem non polyarchia à nobis colitur, sed monarchia.

Michael Syngelus. 830.

In Dionysio Areopagita: Vnum Deum, vnum Dominũ sibi colendũ proponit, qui in tribus hypostasibus adoratur, & colitur, dũ ad vnũ principiũ & causam Filius & Spiritus sanctus referuntur.

Leo Philosophus Imp. 880.

Epistola ad Omarum Regem Saracenorũ: Credimus in vnum Deum, cui similis non est, nec est alius præter eum.

OEcumenius. 1050.

Ad cap. 2. prioris ad Timotheum: Quæritur quam ob causam Spiritus non meminerit. Quoniam de Græcis sermo erat. De ipsis etiam dixerat: *Et ad agnitionem veritatis venire*; Apud ipsos enim erat Deorum multitudo; & ita dispensatoriè cauit Spiritus facere mentionem, ne quo modo videretur Deorum introducere multitudinem.

Ioannes Zonaras. 1100.

Tom. 3. Annalium in Constantino Magno: Dic mihi, inquit Constantinus ad Syluestrum, an Deos colatis, qui Petrus & Paulus nominantur? Respondet ille: Vnus à nobis Deus agnoscitur: Petrus autem & Paulus sunt eius famuli & ministri.

Nicetas Choniates. 1200.

Orthodoxæ fidei lib. 2. cap. 21. Vnum Deum esse credimus, qui substantiã quamlibet naturamq; creauerit, siue aspectabilis illa sit, siue sub aspectũ non cadat, &c. Hoc nobis est Trinitas non Deus & Deus & Deus. Abeant in malam rem, qui hãc circumferunt hæresim. Hac enim via pluralitas Deorum introduceretur. Nos verò hæc quæ proprietatibus tria sunt, vnum esse Deum, vnam naturam, vnam denique substantiam confitemur.

Cap. 22. Hinc perspicuum est, quòd nos Orthodoxi, neque alium Deum, ex quo Verbum & Spiritus procedunt, neque item procedentes ipsos alium & alium esse docemus, imò vnum ex tribus Deum, vnius naturæ, voluntatis, imperij, & dominationis. Hinc enim Deorum vnitas, eaq; indiuidua eluceſcit.

Lib. 4. cap. 14. Nos vnum Deum nouimus & credimus, qui materiam ex nihilo produxerit, ex eaq; cælum & terram formauerit: Siquidem in lege scriptum est: *Audi Israel, Dominus Deus tuus Deus vnus est.* Atque hæc quidem verba efficiunt, ne plures esse Deos existimemus, ipsũmque vnum & solum agnoscamus, qui natura Deus est.

Nicephorus Callistus. 1300.

Lib. 18. cap. 48. Ioannes Philoponus diuinam naturam, quam indiuisibilem dicimus, in plurimas partitur personas: discernens eam, & singulatim indiuiduis tribuens, & tribus supersubstantialis naturæ subsistentijs dispertiens. Id verò ipsum à rectè sentientibus prorsus est alienum.

Ioannes Cantacuzenus. 1360.

Apologia 2. Nos Christiani fatemur anathema esse hunc, qui duos Deos fuerit confessus. Vnum enim Deum credimus, Creatorem cæli & terræ, &c. Anathema sit quisquis vel duos, vel tres, plurésve Deos adorauerit: Nos verò vnum Deum adoramus, Creatorẽ cæli & terræ. Deus enim Hebræis præcipiens, ne posthac idolorum cultui inseruirent, dixit, qui idolis credunt, multis Dijs credũt: Christiani verò, quę recta sunt sentientes, vni Deo credunt, & non multis.

Gennadius Scholarius. 1450.

Dialogo de via salutis: Vnus tantùm est Deus Deorum, & Dominus dominantium, & præter eum non est alius: sed & homines aliquando Dij dicuntur per participationem, vt in illo: *Ego dixi, Dij estis, & filij altissimi omnes.* Vos autem tanquam homines moriemini, & ficut vnus de principibus cadetis.

Gabriel Patriarcha Alexandrinus. 1595.

In Confessione fidei: Corde credo, & ore confiteor, quòd vnus est Deus verus, omnipotens & incommutabilis, incomprehensibilis, ineffabilis, & æternus.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Tertullianus. 200.

In Apologetico aduersus Gentes, cap. 17. Quod colimus nos Deus vnus est, qui totam molem istam, cum omni instrumento elementorũ, corporum, spirituum, verbo, quo iussit; ratione, qua disposuit; virtute, qua potuit, de nihilo expressit, in ornamentum maiestatis suæ.

Ad Scapulam cap. 2. Nos vnum colimus, quem omnes naturaliter nostis, ad cuius fulgura & tonitrua contremiscitis, ad cuius beneficia gauderis: cæteros & ipsi putatis Deos esse, quos nos dæmones scimus.

Lib. 4. contra Marcionem, cap. 2.

Ergo Deus cunctis mortalibus vnus vbique est,
Aeternum regnum, profundæ lucis origo,
Fons vitæ, potus, sapientia conditus omni,
Protulit ipse orbem, cuius sinus omnia cingit.
Solus perpetuò Deus est, immensa potestas.
Hunc lex esse Deum populis monstrauerat vnum.

Minutius Felix. 230.

In Octauio: Rex vnus apibus, dux vnus in gregibus, in armentis rector vnus; tu in cęlo summam potestatem diuidi credas & scindi veri illius, ac diuini imperij totam potestatem? Cùm palam sit parentem omnium Deum, nec principium habere, nec terminum.

Cyprianus. 250.

De Idolorum vanitate: Vnus igitur omnium Dominus est Deus. Neque enim illa sublimitas potest habere consortem, cùm sola omnem teneat potestatem. Ad diuinũ imperium etiam de terris mutuemur exemplum. Quando vnquam regni societas, aut cum fide cœpit, aut sine cruore desijt? sic Thebanorum germanitas rupta, & permanens rogis dissidentibus etiam in morte discordia: Et Romanos geminos vnum non capit regnũ, quos vnum vteri cepit hospitium. Pompeius & Cęsar affines fuerunt, nec tamen necessitudinis fœdus in æmula potestate tenuerunt. Nec hoc tantùm de homine mireris, cùm in hoc omnis natura cõsentiat. Rex vnus est apibus, & dux vnus in gregibus, & in armentis rector vnus: multo magis mũdi vnus est rector, qui vniuersa, quæcunque sunt, verbo iubet, ratione dispensat, virtute consummat.

Arnobius Rhetor. 300.

Contra Gentes lib. 2. Si omnes concedimus vnum esse rerum Patrem, immortalẽ atque ingenitum solum, nihilq; omnino ante illum, quod alicuius vocaminis fuerit, inuenitur: sequitur quod hi omnes, quos opinatio credit esse Deos mortalium, aut ab eo sint geniti, aut eo iubente prolati sint.

Lactantius. 320.

Lib. 1. Institut. c. 3. Nemo est quidem qui sapiat, rationeq; secum putet, qui non vnum Deum esse intelligat, qui & condiderit omnia, & eadẽ qua condidit virtute moderetur.

De ira Dei, cap. 11. Ostendimus in institutionibus nostris Deos multos esse non posse: quòd diuina vis ac potestas, si distribuatur in plures, diminui eam necesse sit; quod autem minuitur, vtique & mortale est: si verò mortalis non est, nec diuidi potest. Deus igitur vnus est, in quo vis & potestas consummata est; nec minui potest, nec augeri: si autem sunt multi, dum habent singuli potestatis aliquid ac numinis, summa ipsa decrescit, nec poterunt singuli habere totum, quod est commune cum pluribus: vnicuique tantum deerit, quantũ cæteri possidebunt. Non possunt igitur in hoc mundo multi esse rectores, vt nec in vna domo multi domini, nec in naui vna multi gubernatores, nec in armento aut grege duces multi, nec in vno regimine multi reges, sed nec in cęlo quidem multi soles esse poterunt, sicut nec animæ plures in vno corpore; adeò in vnitate natura vniuersa consentit. Quòd si mundum

Spiritus intus alit, totamq; infusa per artus
Mens agitat molem, & magno se corpore miscet,

apparet testimonio Poetæ vnum esse mundi habitatorem Deum: siquidem corpus omne, nisi ab vna mente incoli regiq; nõ potest. Omnem igitur diuinam potestatem necesse est in vno esse, cuius nutu & imperio regantur omnia, & ideo tantus est, vt ab homine non possit, aut verbis enarrari, aut sensibus æstimari. Vnde igitur ad homines opinio multorum Deorum persuasione peruenit? Nimirum ij omnes, qui colũtur vt Dij, homines fuerunt, & ijdem primi ac maximi reges; sed eos aut ob virtutem, quia profuerant hominum generi, diuinis honoribus affectos esse post mortem, aut ob beneficia & inuenta, quibus humanam vitam excoluerant, immortalem memoriam consecutos, quis ignorat?

Hilarius. 350.

Ad Psalmum 134. Deorum multitudinem Ecclesia nõ cognoscit. Error hic gentium est, vt coitus, & conceptus, & procreationes, & successiones Deorum aut fingat aut credat. Nobis autem secundùm Apostolum: *Vnus Deus, ex quo omnia, & nos in ipso; & vnus Dominus noster Iesus Christus, per quẽ omnia, & nos per ipsum:* Vnus ex vno, Deus ex Deo est.

Phœbadius. 370.

Libro contra Arianos: Duos, inquit, Deos nec pos-

se nec prædicari debere scimus. Hoc nec vnquam ex ore nostro duos Deos proferimus: Deus enim si non vnus & verus est, Deus non est.

Ambrosius. 370.

Lib.1. de fide cap.2. Vnum ergo Deum, non duos aut tres Deos dicimus.

Act. 7. *Ad cap.9. Lucæ:* Primò vnum Deum auctorem mundi omniumq; esse doceamus, *in quo viuimus, & sumus, & mouemur.* Deinde opinionem illam, quæ est de idolis, destruamus. Cùm vnum esse Deum persuaseris, tũc iudicio eius astrues per Christum nobis salutem datam.

Prudentius. 380.

Contra hæresin Duitarum:

Quò te præcipitat rabies tua perfide Cain,
Diuisor blasphemе Dei? Tibi conditor vnus
Non liquet, & bifidæ caligant nubila lucis.
Insyncera acies duo per diuortia semper
Spargitur, in geminis visum frustrata figuris.
Terrarum tibi forma duplex obludit, vt excors
Diuiduum regnare Deum super æthera credas.
Bina boni, atque mali glomerat discrimina sordens
Hic mundus, domino sed cœlum obtemperat vni. &c.
Aut vnus Deus est, rerum cui summa potestas,
Aut quæ iam duo sunt, minuuntur dispare summo:
Porrò nihil summum, nisi plenis viribus vnum.

Hieronymus. 390.

Ad caput 45. Esaiæ: Cùm instructus armatura Apostoli, omnes docuerit non esse alium Deum nisi vnum, qui sit Iacob & Israel Deus, confundetur Marcion, duos Deos intelligens, vnum bonum, & alium iustum; alterum inuisibilium, alterum visibilium conditorem. E quibus prior lucem faciat, secundus tenebras; ille pacem, hic malũ: cùm vtrumque pro diuersitate meritorum vnus Deus, idemq; condiderit.

Ad cap.4. ad Ephesios: Vnus est Dominus, & vnus est Deus, quia Patris & Filij dominatio vna diuinitas est.

Gaudentius. 400.

Tractatu, quem prima die ordinationis ipsius Notarij exceperunt: Cùm populus Hebræorum post Aegyptia illa portenta, ad vnius Dei notitiam vocaretur, primam didicit obedientiam, tanquam ducem seruandorum cælestium mandatorum: sic enim Scriptura testatur: *Audi Israël: Dominus Deus tuus Deus vnus est.* Deut.6.

Augustinus. 400.

Lib.1. de Trinitate cap.4. Omnes quos legere potui, qui ante me scripserunt de Trinitate, quæ est Deus, diuinorum librorum veterum & nouorum Catholici tractatores, hoc intenderunt secũdùm Scripturas docere, quòd Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, vnius eiusdemq; substantiæ, inseparabili æqualitate, diuinam insinuent vnitatem. Ideoq; non sint tres Dij, sed vnus Deus.

Sermone 6. de Tempore: Maledictus qui indiuisam Deitatem, Patris, Filij & Spiritus sancti non confitetur: maledictus, qui propria nomina personarum, tres Deos, aut tres Dominos, aut tres Spiritus confitetur.

Paulus Orosius. 420.

Lib.6. cap.1. Deum quilibet hominum ad tempus contemnere potest, nescire in totum non potest. Vnde quidam dum in multis Deum credunt, multos Deos indiscreto timore finxerunt; sed hinc iam vel authoritate veritatis operante, tum etiam ipsa ratione discutiente discessum est. Quippe cùm & Philosophi eorum (vt de nostris Sanctis fileam) dum intento mentis studio quærunt, scrutanturq; omnia, vnum Deum auctorẽ omnium repererunt, ad quem vnum omnia referuntur: vnde etiam nunc pagani, quos iam declarata veritas de contumacia magis, quàm de ignorantia conuincit, cùm à nobis discutiuntur, non se plures Deos sequi, sed sub vno Deo magno plures ministros venerari fatentur.

Petrus Chrysologus. 440.

Sermone 57. In Deum vos hodie meritò confitemini credidisse, quãdo deos deasq; sexu dispares, numero confusos, turba populares, viles genere, fama turpes, impietate maximos, primos scelere, crimine singulares, ipsis etiam sepulchrorũ suorũ vultibus accusatos lætamini vos fugisse: Quia miseriæ, doloris & infelicitatis est, tantos & tales habuisse seruulos, quãtos vos & quales Dominos hactenus pertulistis: sed ad vnum viuum, verum, solum, sed non solitarium Deum vos peruenisse dicendo: *Credo in Deum Patrem.*

Sermone 59. Credimus in Deum, si negamus Deos: habebit Deum vnum verum, qui Deum alterum non habet.

Claudius Marius Victor. 460.

In Genesin:

Ah nimium miseri Gentiles, quos furor egit
In varios ritus cognomina multa Deorum
Fingere, pluralemq; Deo vocem addere soli.

Fulgentius. 500.

Libro ad Donatum cap.3. Istum nobis vnũ Deum, noui & veteris Testamenti veridica demonstrat authoritas; De hoc enim vno Deo B. Moses dicit: *Audi Israel, Dominus Deus tuus Deus vnus est.* Deut.6.

Boëtius. 500.

De Consolatione philosophica lib.3. Prosa 10. Omnis beatus Deus, sed natura quidem vnus est Deus: participatione verò nihil prohibet esse quamplurimos.

Cassiodorus. 540.

Ad Psal.116. In Deo nulla est disparitas vel diuersitas æstimanda: quia vbi vnus Deus rectè creditur, ibi minor & maior non potest inueniri. Nescit enim numerum vnitas, nec gradum admittit æqualitas.

Gregorius Magnus. 590.

Homilia 27. in Ezechielem: Vnum Deum esse Trinitatem & Patres veteris Testamenti, & Prędicatores professi sunt noui Testamenti.

Isidorus Hispalensis. 620.

Præfatione in Numer. Deus in omnibus, & ante omnia, & super omnia, in omnipotẽtia & magnificentia & incomprehensibili maiestate sua vnus est, sicut scriptum est: *Audi Israel, Deus tuus, Deus vnus est.* Quis enim in cęlo, & in terra, aut subtus terram in æternitate, in potestate, in trinitate, in vnitate, in diuinitate, in humanitate Deo soli similis esse potest? Ideo vtique vnus, id est solus Deus dicitur, quia nec antea, nec tunc, nec postea ei alius similis esse in cælo inuenitur, aut legitur. Deut.6.

Concilium Toletanum vndecimum. 674.

In Confessione fidei: Sancta Trinitas, vnus & verus est Deus, nec recedit à numero, nec capitur numero.

Aponius. 700.

Lib.3. in Canticum Canticorum: Totius aulæ regiæ ianua est, æternum, vnum, verum, in vnitatis essentia semper manentem credere Deum.

Beda. 720.

In librum Boetij de Trinitate: Est fundamentum fidei nostræ, vt credamus esse vnam diuinam essentiam, & tres personas distinctas. Vnitatẽ namque essentiæ inuocat vetus Testamentum, vbi dicit: *Audi Israel, Deus tuus Deus vnus est.* Deut.6.

Alcuinus. 750.

Lib.1. de Trinitate, cap.3. Omnis Scriptura veteris & noui Testamenti diuinitus inspirata, si Catholicè intelligitur, hoc insinuat: Quòd Pater, & Filius, & Spiritus sanctus vnus sit Deus, vnius eiusdemq; substantiæ & essentiæ, atque inseparabilis in diuinitate vnitatis. Ideoq; non sunt tres Dij, sed vnus Deus, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus. Hęc Trinitas vnus est Deus, *Ex quo omnia, per quẽ omnia, & in quo omnia.*

Carolus Magnus. 780.

Lib.1. Legum cap.6. Primò omnium admonemus, vt fides Catholica ab Episcopis & presbyteris diligentius legatur omni populo, prædicetur; hoc primum præceptum Domini Dei omnipotentis in Lege: *Audi Israel, Dominus Deus tuus Deus vnus est.* Deut.6.

Haymo. 820.

Ad caput 43. Esaiæ: Pagani dicebant de Dijs suis: Iste Deus noster fecit hæc omnia. Verbi gratia ad Iouem: Tu es Deus meus verus, quia tu creasti & regis olympum, hoc est cælum. Contra dicit Deus omnipotens: Ante me non est Deus formator alicuius rei. Ego sum formator primus, quia cùm non essent omnia, feci ex nihilo: Quomodo enim poterat aliquis Deorum falsorum formator esse scilicet alicuius rei, cùm non esset à quo formaretur?

Angelomus. 830.

1. Reg.1. Vnus appellatur Deus, non de numero, sed quia nũquam à semetipso alter efficitur, ideo nunquam mutatur. Ideo Psalmista: *Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.*

Rabanus. 850.

Epistola ad Bonosum Abbatem: Deus iste, quẽ nullus Deorum gentilium negare ausus est verũ Deum: Quia etsi negaret, non solùm subiaceret debitis pœnis, verùm etiam certis conuinceretur effectis. Iste ergo Deus, illos falsos esse Deos, & omnino deserendos, eorumq; templa, simulachra & sacra euertenda per suos vates, hoc est, Propheras, aperta denunciatione prædixit, aperta potestate præcepit, aperta veritate compleuit.

Smaragdus Abbas. 950.

Ad caput 4. Epistolæ ad Ephesios: Vnus est Dominus, & vnus est Deus. Quia Patris & Filij dominatio vna diuinitas est, propterea & fides vna dicitur: qui similiter & in Patrem, & in Filium, & in Spiritũ S. credimus, & baptisma vnum. Eodem enim modo & in Spiritum sanctũ baptizamur, & ter mergimur, vt Trinitas vnum appareat sacramẽtum: Et non baptizamur in nominibus Patris & Filij & Spiritus sancti, sed in vno nomine, quod intelligitur Deus.

Berno Augiensis. 1020.

Hymno in Quadragesima ad nocte m:

Sit δόξα Deo Genitori,
Eius genitæ quoque Proli,
Ac Spiritui simul almo,
Manet hic Deus vnus in alto.

Anselmus. 1080.

De Incarnatione Verbi cap.8. Ergo quoniam Deus æternitas est, non sunt plures dij. Quia nec Deus extra Deum, nec Deus in Deo addit numerum: semper igitur vnus & idem solus est Deus.

Ad caput 4. Epistolæ ad Ephesios: Ideo tenenda est vnitas, quia vnus est Deus in substantia sua. Non enim est multiplex substantia eius, sed vna & simplex. Vnde & Moses: *Audi Israel, Dominus Deus tuus, Deus vnus est.* Non potest esse maior, non potest esse minor, non potest numerari. Dent.6.

Rupertus Tuitiensis. 1110.

Lib.6. cap.6. in Ioannem: Non est sicut Deus: quia videlicet vnus & solus & Deus, neminem habendo in se, vnde factus sit Deus, sed est Deus me habendo in se manentem, vnde fit Deus.

Bernardus. 1130.

Paruorum Sermonum, Sermone 51. Solus Deus est, in quem nec pondus, nec mensura cádit omninò, nec numerus. Vnus Deus est, non habet sui generis, cui valeat comparari. Vnus est & solus, ipse penitus inæstimabilis, æternus quoque & immẽsus, indiuisus, & omnino inuariabilis.

Hugo Victorinus. 1130.

Eruditionis didascalicæ de Trinitatis summa per visibilia agnitione lib.7. c.19. Hoc quoque natura ipsa docet, Vnum scilicet esse rerum omnium opificem, vnum esse rectorem: Nam si diuersa intus consilia præsidentium essent, ipsi se foris rerum cursus ab inuicem aliquando diuiderent. Nunc autem omnia, dum sic concorditer ad vnum finem currunt, profectò indicant, quòd vnus est fons & origo vnde procedunt.

Richardus Victorinus. 1140.

Lib.1. de Trinitate, cap.25. Quàm non potest esse omnipotens nisi vnus, tam non potest esse Deus nisi vnus: Constat itaque quòd credimus: quia vera diuinitas manet in vnitate substantiæ, & substantiæ veritas in vna diuinitate.

Hugo Eterianus. 1160.

De processione Spiritus sancti lib.3. cap.1. Humanus peregre proficiscens animus, quamquam ęgrè inuisibilia, magis autem quæ trium diuinarum existunt personarum rimari valeat, tamen inuestigando laborat, ac rationibus ostẽdere quibus potest nititur, quòd vnus Deus est, *Ex quo, & per quem, & in quo sunt omnia.* Nõ possunt certè plura esse prima, cùm necesse sit vnum esse, quod exhibitiuum existat vniuersorum, tam similium quàm dissimilium; quo cum si aliud quid sistatur, suprema vnitas, & verè vnum iam non erit. Nam si Deus non est per se vnum, sed in semetipso aliquid habet, cuius vocabulo ritè queat denominari, non erit causa tantùm, si ex alia ipse causa proueniet, atque in infinitum ratio gradietur, nullo reperto in quo stare possibile sit, ad instar sectionum continuæ quantitatis. Cuius quidem quia quælibet particula factæ diuisionis, potest rursus diuidi, currit in infinitum diuisio. Itaque necesse est, causam absque causa, & principium esse sine principio, quod nullius participãdo simpliciter vnum sit, & prima causa, primumq; omnium quæ sunt principium.

Petrus Blesensis. 1160.

Epistola 99. Illud igitur piè credas & fideliter teneas, quòd vnus est Deus verus, æternus, & immensus.

Concilium Lateranense. 1215.

Cap.1. Firmiter credimus, ac simpliciter confitemur, quòd vnus solus est Deus verus æternus & immensus.

Guilhelmus Aluernus. 1230.

Primæ partis de vniuerso parte 1. cap.2. Dico igitur, quia vniuerso est vnitas, qua & est & dicitur vniuersum, & authori eius, qui est benedictus Deus, sublimis: quoniam ipse est vnus, & non est ei alter contrarius.

Alexander Alesius. 1230.

Parte 1. q.14. memb.3. Si plura essent principia, qualiter ab illis gubernaretur mundus? si enim quis parti mundi principatur, qui mundum ordinat,

dinat,& permanentiam eius facit:Illud enim magis vtroque erit principium, quod scilicet ordinat vniuersum: & sic relinquitur, solum esse vnũ principium perfectum,siue summè bonum. Item quod superlatiuè dicitur, vni soli conuenit: si ergo summum bonum est,relinquitur,quod vnum solum summum bonum est, non habens parem, neque superiorem.Si enim habet superiorem,iam non est summum: similiter,si parem; pariter, si habeat inferiorem, illud inferius non est summũ bonum: manebit ergo vnum solum summum bonum.

Thomas Aquinas. 1260.

Parte 1.q.11.art.3. Deum esse vnum ex tribus demonstratur. Primò quidem ex eius simplicitate: Manifestum est enim, quòd illud, vnde aliquid singulare est, hoc aliquid nullo modo est multis communicabile.Illud enim vnde Socrates est homo, multis communicari potest: sed id vnde est hic homo, non potest communicari nisi vni tantùm.Si ergo Socrates per id esset homo, per quod est hic homo, sicut non possunt esse plures Socrates, ita non possent esse plures homines. Hoc autem conuenit Deo: Nam ipse Deus est sua natura: secundùm igitur idem est Deus, & hic Deus. Impossibile est igitur plures esse Deos. Secundò verò ex infinitate eius perfectionis: Ostensum enim est supra,quòd Deus comprehendit in se totam perfectionem essendi.Si ergo essent plures Dij,oporteret eos differre. Aliquid ergo conueniret vni,quod non alteri; & sic ille, in quo esset priuatio,non esset simpliciter perfectus.Si autem in hoc esset perfectio,alteri eorum deesset.Impossibile ergo est plures esse Deos. Tertiò ab vnitate mundi: Omnia enim quæ sunt inueniuntur esse ordinata ad inuicem, dum quædam quibusdam deseruiunt. Quæ autem diuersa sunt in vnum ordinem non conuenirent,nisi ab aliquo vno ordinarentur. Melius enim multa reducuntur in vnũ ordinem per vnum, quàm per multos; quia per se vnius vnum est causa, & multa non sunt causa vnius,nisi per accidens, in quantum scilicet sunt aliquo modo vnum. Cùm igitur illud, quod est primum,sit perfectissimum,& per se,non per accidens,oportet quòd primum reducens omnia in vnum ordinem sit tantùm vnum.Et hoc Deus est.

Bonauentura. 1260.

Lib.1.Sen.dist.2.art.1.q.1. Impossibile est plures Deos esse. Et si rectè accipiatur significatũ huius nominis Deus,non solùm est impossibile, sed etiam non intelligibile: Deus enim dicitur simpliciter summum,& in re,& in opinione cogitantis.Quia in re,ideo omnia ab ipso,& in ipso,& ad ipsum:& in ipso omnino est status. Ideò impossibile est intelligere, saluo hoc intellectu, quod aliquid sibi parificetur, aliud ab ipso. Item nihil maius Deo cogitari potest, nec etiam æquale, quia summum in opinione: Ideò impossibile,& non intelligibile est ponere plures Deos.

Aegidius Romanus. 1280.

Lib.1.Hexameron,cap.9. Deus est vnus & simplex,à quo procedunt omnia alia, sicut omnes numeri procedunt ab vnitate.

Lib.2.cap.33. Deus est tantæ simplicitatis, quia sua essentia est sua potentia,& sua virtus: & ideò actio,quæ immediatè egreditur à virtute, dicitur in duo immediatè egredi à substãtia. Quia eadem est ibi substantia, quod sua virtus.

Durandus à Sancto Portiano. 1320.

Lib.1.dist.2.q.1. Impossibile est plures esse Deos: quia illud non est Deus, quo est dare aliquid perfectius: quia nomine Dei intelligimus illud, quod est perfectissimum.Sed vbicũque sunt duo, quæ specie differunt, vnum est altero perfectius: quia impossibile est,duas species esse in eodẽ gradu perfectionis.Ergo illud alterum non potest esse Deus.

Nicolaus Lyranus. 1320.

Ad Psal.85.*Tu es solus Deus.* Ex mirabilibus enim eius,virtutem totius creaturæ transcendentibus, cognoscebatur etiam à Gentibus quod erat Deus,& nullus alius.

Antonius Andreas. 1320.

In lib.1.Sent.dist.2.q.3. Certum est apud omnes fideles,quòd vnus solus est Deus.

Augustinus Triumphus. 1320.

De potestate Ecclesiastica,quæst.11.art.2. In Symbolo Patrum rationabiliter est additum: *Credo in vnum Deum.* Nam filiorum & propinquorum nimium dilectores adorant plures Deos: scriptum enim est Sapientiæ 14. *Acerbo luctu dolens pater, citò sibi rapti filij fecit imaginem, & illum qui tunc quasi mortuus homo fuerat, postmodum tanquam Deum colere cœpit, & constituit intra suos seruos sacrificia sibi offerri.* Principum verò & Regum adulatores plures Deos adorant, sicut Nabuchodonosor vt Deus volebat adorari.Quia igitur multi vnum Deum non adorant, contra tales errantes congruè additum est in Symbolo Patrum: *Credo in vnum Deum.* Dan.3.

Thomas Argentinensis. 1350.

Lib.1.dist.2.q.1.conclusione 1. Impossibile est plures esse Deos,solo numero differentes:Primùm, quia illud quod est purus actus, non potest sub eadem specie numero multiplicari: sed Deus est purus actus. Ergo &c. Præterea si essent duo Dij numero differentes in eadem specie,tum essent duo infiniti Dij in eadem specie. Consequens est falsum apud omnes.

Ioannes Gerson. 1420.

De præceptis Decalogi cap.1. Firmissimè credendũ est,& nullatenus dubitandum, quòd solùm vnus est Deus, omnipotens, omnia sciens, ac omnem perfectionem habens.

Laurentius Iustinianus. 1430.

De Institutione & regimine Prælatorum cap.2. Vnus solus est Dominus,qui per Prophetam clamat,dicens: *Ego Dominus, & non est alter,formans lucem & creans tenebras.*

Bernardinus Senensis. 1430.

Dominica prima in Quadragesima,Sermone 9. Necessarium ad salutem est, credere Deum esse vnicum Creatorem,& non esse ei è regione vel ex aduerso alium vllo modorum; sed ipsum solũ esse principium, & principem vniuersitatis, ac singularis & vniuersalis imperij Dominum & omnium seculorum.Contra quem articulum blasphemant nefandissimi Manichæi, qui duo principia,videlicet beatorum & malorum; & duos principes, lucis & tenebrarum; & duos principatus siue regna; & duo vniuersa,scilicet bonorum & malorum insanissima pertinacia mentiuntur.

Aeneas Syluius. 1460.

Epist.396. Rationibus homo vnum Deum colit, vnam essentiam & vnum principium,sicut & Patriarchæ,Prophetæ & Apostoli tradiderunt.

Carolus Bouillus Samorabrinus. 1500.

Quæstionum Theologicarum lib.1.quæst.4. Quo pacto excludi debeat Deorum pluralitas,& diuina vnitas concludi? Per Analogiam animi facilè est Deorum excludere pluralitatem, & diuinam concludere vnitatem.Nam sicut vnicus est,& impers intellectus,à quo omnis intellectualis species prehensa-

henſatur,& in animi inducitur ſcrinium: ita vnicus & impers est Deus, à quo omnis reliqua substantia de nihilo est ad esse vocata.

Petrus Galatinus. 1510.

De arcanis Catholicæ veritatis lib.2.cap.1. Vnum esse Deum substantiæ ac naturæ simplicitate Christiana credit religio, & Deum vnum esse non opus est multis probare verbis, neque ad probandum diutius immorari, cùm ipsa Dei vnitas sit ita firmissima,ac tam fixa mentis conceptio,vt naturaliter esse non possit nisi vnus Deus; & Iudæi quoque, & quicunque legem credunt,hoc omnes fatentur & clamitant.

ARTICVLVS TERTIVS.

DEVM ESSE OMNIPOTENTEM.

NEGANT.

Anno ante Christũ natum 1500.

Israelitæ dicebant: Nunquid Deus poterit parare mensam in deserto? Nunquid & panem poterit dare, aut parare mensam populo suo? Psalm.77.

450. Anno post natũ Christũ 32.

Euripides,*Deus*,inquit,*omnia facere non potest: quandoquidem si opus est, faciet niuem nigram,& ignem frigidum,& quod sedet stans, & erectum,& vice versa.* Plutarchus de placitis Philosophorum lib.1.cap.7.

50.

Iudæi litigabant ad inuicem dicentes; Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? Ioannis 6.

60.

Simon Magus ait: Deus ille,qui Adamum condidit,impotens erat atque imbecillis. Neque enim efficere potuit,vt maneret Adamus,qualem esse volebat. Moses Barcepha de Paradiso,parte 3.

2.Tim.2.

Elimas Magus dicebat: Si omnipotens est Deus,quomodo dicitur à Paulo, seipsum non posse negare? Dionysius Areopagita de diuinis nominibus,cap.8.

80.

C.Plinius naturalis historiæ lib. 2.cap.7. *Imperfectæ naturæ præcipua solatia, ne Deum quidem posse omnia. Nam nec sibi potest mortem consciscere si velit; quod homini dedit optimum,in tantis vitæ pœnis: nec mortales æternitate donare, aut reuocare defunctos: nec facere,vt qui vixit non vixerit: qui honores gessit, non gesserit: nullumq; in præterita habere ius,præterquàm obliuionis: vtq; vt bis dena viginti nõ sint,ac multa similiter effcere non posse.*

130.

Valentinus,Deum illorum dixit esse omnipotentem, quæ ei subiecta sunt. Irenæus lib.1.cap.5.

340.

Ariani dixerunt Filium nullam habere potestatem,nisi acceperit à Patre: hoc est, non esse omnipotentem.quòd scriptum sit: Filius non potest facere quicquam,nisi quod viderit Patrem facientem. Athanasius,Ambrosius,Epiphanius,& Faustinus,vbi agunt de Arianis.

500.

Manichæi Deum imbecillem esse aiunt. Damascenus contra Manichæos.

630.

Mahometus in Alcorano asserit,non posse Deum habere Filium absque muliere.

800.

Pauliciani in Symbolo,Patrem non pronuntiant omnipotentem factorem cæli & terræ, visibilium & inuisibilium,sed cùm Patrem dixerint,statim subiiciunt, cæleste: cui nullo modo cæli, & eorum,quæ cæli ambitu continentur, dominatum tribuunt,ac potestatem. Photius apud Euthymium in Panoplia parte 2. tit. 2.

1140.

Petrus Abailardus dixit,quòd Deus non potest res aliter facere quàm fecit. Bernardus Abbas,& Thomas Aquinas vbi agunt de illius hæresi.

1150.

Rabbi Moses dixit, Deo aliqua esse possibilia, aliqua impossibilia; inter quæ impossibilia dicit accidens esse sine subiecto: & illos,qui dicunt hoc Deum posse,appellat ignorantes viam disciplinæ & scientiarum. Nicolaus Eymericus parte 2.Directorij quæst.3.

1390.

Ioannes VVicleuus stringit omnipotentiam infinitam, & dicit: Deum nullatenus posse quicquam facere, nisi quod facturus esset: nec potuit olim fecisse quicquam,nec aliter,nisi quod de facto prædixit, & consequenter dicit Deum nihil annihilare posse. Thomas VValdensis in prologo lib. 1.

Libro de Apostasia capite 5.inquit VVichius: *Hoc sæpè dixi,quòd nec Deus,nec homo,potest facere accidens sine subiecto.*

1525.

Andreas Carolostadius Dialogo de Cœna Domini,ait,*Christum simul in multis locis essentialiter esse posse,tam facile credo,quàm credo sanctam Annam habuisse quinque capita, & innocentem infantem habuisse barbam duodecim cubitos prolixam.*

1530.

Vdalricus Zvvinglius contra Lutheri confessionem: *Tam impossibile esse fatemur, vt humana natura Christi,vnà cum diuina vbique locorum sit substantialiter,quàm impossibile est,plures esse Deos. Christi corpus,illud quoque quod resurrexit,non nisi vno in loco esse potest.*

Ad cap.1. Lucæ: *Christus ait:* Iam non sum in mundo. *Ideo in pane corporaliter esse nunquam poterit. Non enim hæc potentia esset, sed impotentia; vt nihil sit quod isti pro se dicunt, Deo sunt omnia possibilia: Nihil est Deo possibile,quod contra eius veritatem immutabilem pugnat.*

Respon-

Responsione ad libellum Struthionis de cœna Domini: *Si in Sacramento ipsum corporaliter esse dixerimus, iam ipsum vno & eodem temporis momento plus mille in locis, imò infinitis esse necesse est, quod cum vera ipsius humanitate conuenire nequit, nec vlli corporum possibile est. Tot enim in locis simul esse nihil potest, quàm quod infinitum est, quod non aliud quàm vna solaq; est diuinitas: vnde nec in Sacramento, nec alibi Christi corpus pluribus in locis simul esse potest.*

1550. Ioannes Caluinus lib.2. Institut.cap.7.§.5. *Vexabant Augustinum Pelagiani, iniuriam fieri Deo, si plus iubeat, quàm per eius gratiam præstare queant fideles. Ille vt effugeret calumniam, fatebatur posse quidem Dominum, si vellet, hominem mortalem in Angelicam puritatem euehere: sed addo importunè de potentia Dei disputari, contra eius veritatem: ideo cauillis non esse obnoxiam sententiam. si quis dicat, fieri non posse, quod non futurum Scripturæ pronunciant.*

Lib.3.cap.23.§.2. *Neque tamen cõmentum ingerimus absolutæ potentiæ, quod sicuti prophanum est, ita meritò detestandum nobis esse debet.*

Ad cap.11.Iob, concione 43. *Non tribuenda est Deo potentia absoluta, quã Doctores Pontificij vocant, quæ res est detestabilis, ac diabolica.*

Ad caput 23. Esaiæ: *Commentum illud de absoluta potentia Dei, quod Scholastici inuexerunt, execranda blasphemia est.*

1559. Petrus Martyr Vermilius, de sacrosancto Eucharistiæ Sacramento, aduersus Stephanum Gardinerum, post obiectionem 11. *Querimus vos dicere, corpus Christi esse in multis locis, quodq; Dei potentiam obiiciatis; cùm hoc ex illarum rerum sit genere, ad quas se Dei potentia non extendit: Nempe vt multis locis eodem tempore corpus humanum saluæ suæ naturæ diffundatur.*

Dialogo contra Brentium, pag.5.6.8.9. *negat ipsum Deum vniuersa sua potentia efficere posse, ex triangulo quadrangulum, ex ternario quaternarium.* Ibidem negat *Deum sua omnipotentia efficere posse, vt corpus humanum possit esse in pluribus locis.*

1560. Theodorus Beza in Creophagia: *Quædam adeò sunt οὐσιώδη in rebus ipsis, & ita illis insita, vt si mutentur, rerum ipsarum interitum necessariò secum trahant: ex quo fit vt saluis rebus Deus illa mutare, nec velit, nec possit; quoniam ipse sibi hanc legem volens & vltro indixit. Sic necesse est vt manentibus numeris, & ponderibus ac mensuris, maneant quoque eadem, & sui semper similes illarum affectiones. Nunquam enim tria erunt quatuor, si tria permanserint; nec triangulum vnquam erit quadratum, quamdiu triangulum fuerit: Sic corpus necessariò suis dimensionibus constat, & quod finitum est, suis finibus circumscribitur.*

Defensione ad Selnecceri responsionem: *Concludimus ergo Christum non modò nolle, verùm etiam non posse velle, corpus illud suum verum & περίγραπτον multis simul in locis sistere.*

Homilia 2.de cœna Domini: *Illud efficere, vt quod fuerit non fuerit, vel vt aliquid simul sit & tale non sit, id verè non potest Deus.*

1567. Thomas Erastus libro de vna persona & duabus in Christo naturis, contra Schegkium pag.54. asserit, *Deum non posse facere, vt virgo quæ corrupta est, sit non corrupta.*

Pag.55.ait: *Negari non posse, quin sint quædam, quæ à Deo fieri nequeant. Nec posse Deum eodem temporis puncto velle aliquid, & idem non velle; probare aliquid, & improbare.*

1570. Simon Simonius in Antischegkianis asserit, *frustra omnipotentiam Dei adduci, ad probandum corpus Christi adesse posse in Eucharistia: Deum enim nunquam fecisse aut voluisse, vt res aliqua simul actu aliquid esset, & hoc idem non esset: vel, vt res aliqua reuera, in certo duntaxat loco fuerit. Hoc enim est contradictoria simul velle vera statuere.*

1573. Lambertus Danæus in elencho hæreticorum, capite de fallacia, quæ fit ex ignoratione elenchi, ait, *Deum non posse factum infectum reddere: Deum non posse montem sine valle facere: Christum non posse se ingenitum reddere.*

Libro contra Selneccerum pag.86.ait, *ne Christum quidem velle posse, vt corpus eius sit in cœna, & in multis locis simul præsens.*

Contra Chemnicium pag.451.ait: *Quemadmodum Deus non possit mentiri, ita Deum non posse facere, vt Christi corpus sit simul in pluribus locis.*

1575. Ioachimus Curæus in exegesi de sacra cœna pagina 88.& 129.asserit, *Deum, ne quidem per potentiam suam diuinam efficere posse, vt corpus non habeat extensiones, vel locationes dimensionum.*

1578. Benedictus Thalmanus in assertione veræ & orthodoxæ doctrinæ de vnitate personæ, & distinctione duarum naturarum in Christo, & refutatione dogmatis de carnis Christi omnipræsentia, folio 14.& 15.ait, *Deum non posse efficere, vt res aliqua simul actu fuerit aliquid, atque hoc idem non fuerit.* Pagina 111. scribit, *Omnipotente Dei virtute nunquam fieri posse, vt vnum & idem Christi corpus in vno loco sit circumscriptum, definitum, visibile, & palpabile: alibi autem incircumscriptum, indefinitum, inuisibile, impalpabile.*

1579. Ioannes Sturmius in Antipappis suis pagina 225. *Christi filij Dei omnipotentiam negat: asserens, Christum in sua patria, vbi maximè cupiebat, non potuisse quod voluerit facere.*

1580. Neostadiani Theologi in admonitione sua ita scribunt pagina 266. *Ne quidem ipse Deus, qui est infinitus, potest simul finitus & incircumscriptus fieri: multo minus, creaturam simul finitam & infinitam περίγραπτον & ἀπερίγραπτον facere: quia impossibile est ipsum velle aut facere contradictoria.*

1588. Theodorus Dorschius pro libris Francisci Dauidis: *In vero Deo non est tanta potentia, vt efficere possit, quò illa reuera sint, quæ menti impossibilia existunt.*

ASSERVNT SACRÆ LITERÆ.

*Gen.*1. *vers.*3. Dixit Deus: Fiat lux, & facta est lux. 6. Dixit quoque Deus: Fiat firmamentum in medio aquarum, & diuidat aquas ab aquis, &c. Et factum est ita. 9. Dixit verò Deus, Congregẽtur aquæ, quæ sub cælo sunt, in vnum locum, & appareat arida. Et factum est ita. 14. Dixit Deus: Fiant luminaria in firmamento cæli, & diuidant diem ac noctem: & sint in signa & tempora, & dies & annos. Et factum est ita. 24. Dixit quoque Deus: Producat terra animam viuentem in genere suo, iumenta, & reptilia, & bestias secundùm species suas; factumque est ita.

*Genes.*17. 1. Apparuit Dominus Abraham, dixitque ad eum: Ego Dominus omnipotens.

*Genes.*18. 13. Dixit Dominus ad Abraham: Quare risit Sara, dicens: Num verè paritura sum anus? Nunquid Deo est quicquam difficile?

*Genes.*28. 3. Deus omnipotens benedicat tibi, & crescere te faciat, atque multiplicet.

*Cap.*35. 11. Dixitque ei: Ego Deus omnipotens, cresce, & multiplicare.

*Cap.*43. 14. Deus meus omnipotens faciat vobis eum placabilem.

*Cap.*48. 3. Deus omnipotens apparuit mihi in Luza.

*Cap.*49. 25. Deus omnipotens benedicet tibi benedictionibus cæli.

*Num.*11. 23. Nunquid manus Domini inualida est? dicit Dominus.

1.*Reg.*14. 6. Non est Domino difficile saluare vel in multis, vel in paucis.

2.*Paralip.*14. 11. Domine non est apud te vlla distantia, vtrum in paucis auxilieris, an in pluribus; adiua nos Deus noster.

Iob 42. 2. Scio Domine, quia omnia potes, & nulla te latet cogitatio.

*Psalm.*70. 18. Donec annuntiem brachium tuum generationi omni quæ ventura est: Potentiam tuam & iustitiam tuam, Deus, vsque in altissima, quæ fecisti magnalia; Deus quis similis tibi?

*Psalm.*105. 2. Quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes eius?

*Psal.*134. 6. Omnia quæcunque voluit Dominus fecit in cælo & in terra, in mari, & in omnibus abyssis.

*Psalm.*135. 4. Qui facit mirabilia magna solus.

*Psalm.*138. 14. Confitebor tibi, quia terribiliter magnificatus es: mirabilia opera tua, & anima mea cognoscet nimis.

*Psalm.*148. 5. Ipse dixit, & facta sunt; ipse mandauit, & creata sunt.

*Sapien.*11. 18. Non enim impossibilis erat omnipotens tua manus, quæ creauit orbem terrarum ex materia inuisa.

*Sapient.*12. 18. Tu dominator virtutis, cum tranquillitate iudicas, & cum magna reuerentia disponis nos: subest enim tibi cùm volueris posse.

Isaiæ 40. 10. Ecce Dominus in fortitudine veniet, & brachium eius dominabitur. 12. Quis mensus est pugillo aquas, & cælos palmo ponderauit? Quis appendit tribus digitis molem terræ, & librauit in pondere montes, & colles in statera? Quis adiuuit Spiritum Domini? aut quis consiliarius eius fuit, & ostendit illi? &c.

Isaiæ 50. 2. Nunquid abbreuiata & paruula facta est manus mea, vt non possim redimere? aut non est in me virtus ad liberandum?

Isaiæ 59. 1. Ecce, non est abbreuiata manus Domini, vt saluare nequeat, neque aggrauata est auris eius, vt non exaudiat.

Ieremiæ 23. 23. Putásne Deus è vicino ego sum, dicit Dominus, & non Deus de longè? si occultabitur vir in absconditis, & ego non videbo eum, dicit Dominus? Nunquid non cælum & terram ego impleo, dicit Dominus?

Ieremiæ 32. 17. Ecce tu Domine Deus fecisti cælum & terrã in fortitudine tua magna, & in brachio tuo extento; non erit tibi difficile omne verbum: qui facis misericordiam in millibus, & reddis iniquitatem patrum in sinu filiorum eorum post eos: Fortissime, magne, & potens, Dominus exercituum nomen tibi.

2.*Machab.*8. 18. Nos in omnipotente Domino, qui potest & venientes aduersum nos, & vniuersum mundum vno nutu delere, confidimus.

*Matth.*19. 26. Apud homines hoc impossibile est; apud Deum autem omnia possibilia sunt.

Marci 14. 36. Abba pater, omnia tibi possibilia sunt.

Lucæ 1. 37. Apud Deum non erit impossibile omne verbum.

*Rom.*9. 19. Voluntati eius quis resistit?

*Ephes.*3. 20. Ei autem, qui potens est omnia facere superabundanter, sit gloria.

Philip.3.21. Christus reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suę, secundùm operationem, qua etiam possit subijcere sibi omnia.

Apostoli in Symbolo: Credo in Deum Patrem omnipotentem.

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Clemens PP. Primus. 80.

Lib.8.Recognitionum: Ridiculum puto, inquit Petrus, cùm naturalibus vijs de virtute homines iudicant, & putant hoc quidem esse Deo possibile, illud verò impossibile; aut hoc magis, illud minus.

Const.Apost.lib.7.cap.36. Tu Domine benignus es, qui es omnipotens: Adest enim tibi cùm volueris posse: Tuum namque robur æternum, & flãmam refrigerat, & leones cohibet, & cetos mitigat, & ægrotantes erigit, & facultates naturæ conuertit in alias, exercitumq; hostium, & populum superbè numeratum prosternit. Tu es in cælo, & in terra, & in mari, in terminatis nullo termino circumscriptus: magnitudinis enim tuæ nullus est finis.

Dionysius Areopagita. 90.

De diuinis nominibus, cap.8. Nos diuinum Paulum pro viribus assequentes, eum qui supra virtutem est Deum, Deum omnipotentem celebramus.

Cap.10. Dicitur omnipotens summa illa diuinitas, & vt omnia superans, & in omnibus merè imperans, atque vt omnibus amabilis, & desiderabilis perstans, & immittens omnibus voluntarias leges, dulcesq; partus diuinæ & omnipotentis, & tranquillissimæ suæ bonitatis amorem insinuans.

Ignatius. 100.

Ad Magnesianos: Vnus est Deus omnipotens, qui seipsum manifestauit per Christũ Filium suum.

Ad Philippenses: Ex æquo potest rerum conditor vniuersarum, & facere quod non est, & mutare quod est.

Iustinus Martyr. 160.

Oratione ad Antoninum: Præstabilius esse rectè præsumpsimus credere ea quæ & nostræ ipsorum naturæ, & hominibus alijs sunt impossibilia; quàm pariter cum alijs fidẽ illis abrogare: Quandoquidem & Doctorem nostrum Christum dixisse scimus: *Quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum.* Matt. 19.

Quæstione III. ad Orthodoxos: Deus demensam nõ habet facultatem. Quocirca nihil est ei non appositum, ad facienda quæ velit omnia: neque vel dissectione vel adustione prohibetur, quò minùs corporum efficiat resurrectionem. Nam Deus non lege & demenso naturæ operatur, sed suapte voluntatis & consilij potestate: quæ re nulla destituitur ad ea quæ velit efficienda.

Theophilus Antiochenus. 170.

Lib.2.ad Autolycum: Dei potentia in hoc ostenditur, dum absque materia supposita, quæ vult operatur. Animam infundere, & motum assignare, nullius alterius est, quàm solius Dei. Quemadmodum igitur in his omnibus potentior ostenditur Deus homine: sic etiam in eo excellit, quòd ex nõ existentibus producit, & produxit entia quotquot voluit, & quomodo voluit.

Athenagoras. 180.

De resurrectione: Qui resurrectionem non credunt, illud facient, si ostendant Deo aut voluntatem, aut facultatem restituendi mortui dissolutiõq; corporis deesse, vt illud rursus consolidet, & coũiat, ad hominis veteris formam instaurandam. Quòd si illud probare nequeant, desistant ab ista impia incredulitate & blasphemathione nefaria. Verùm quòd falsa dicturi sunt, siue Deum allegent non posse, siue non velle, ex sequentibus apparebit: Impotentia enim alicuius inde deprehenditur, si aut ignoret quid faciendum sit, aut si norit, imbecillior sit viribus quàm vt probè efficiat. Qui enim ignorat quid faciendum, is neque conari, neque perficere quicquam potest earum dũtaxat rerum, quarum notitiam nullam habet. Qui aũt cognoscit quid faciendum sit, & quomodo, & vnde id confici possit, vires autẽ aut omnino non habet, aut non sufficientes habet ad rem exequendam, quam probè intelligit, is si sapiat, suasq; facultates inspiciat, aut non tentabit, aut vbi incircumspectè tentauerit, in fine operis destituetur. Atqui impossibile est vt Deus ignoret vel ex parte, vel ex particula naturã corporũ resurrectioni destinatorum, &c. Vires Dei sufficere ad corporum restitutionem indicat vel ipsorũ procreatio: si enim corpora, cùm non essent, condidit, eorumq; principia vnde originẽ trahunt procreauit, etiam quomodocunque dissoluta, cum eadem facilitate instaurabit. Id enim illi æquè possibile est, &c. Pessimè in Deum contumelioſi sunt, dum inter se comparant vires vndequaque distantes, vel potius istarum virium possessores, & artificialia cum naturalibus in contentionem mittunt. Cum istiusmodi hominibus seriò agere culpa non vacat: stultum enim reuera est, leuibus vanisq; contradicere: longè autem probabilius est, ac omnium verissimum, illud scilicet allegare, quod hominibus impossibile sit, Deo possibile esse. Si verò per hæc ipsa vt probabilia, aut per omnia superiùs excussa, ratio demonstrat, id possibile Deo esse: satis liquet, pro impossibili habendum non esse; imò neque id à diuina voluntate abhorrere. Quod enim ille non vult, ideò nõ vult, vel quòd iniustum sit, vel quòd indignum sit, &c. Id quod Deo voluntarium est, idem omnino possibile est.

Irenæus. 180.

Lib.1.cap.6. Vniuersorum Deus simul vt cogitauit, perficit id quod cogitauit: & simul ac voluit, & cogitat hoc quod voluit: tunc cogitans cùm vult, & tunc volens cùm cogitat: cùm sit totus cogitatus, & totus sensus, & totus oculus, & totus auditus, & totus fons omnium bonorum.

Lib.2.cap.2. Sit fortassè hic sermo suasorius siue seductorius apud eos, qui ignorant Deum, & qui hominibus assimilant eum inopibus, & his qui non possunt statim aliquid ex parato fabricare, sed indigentibus multis organis ad eorum fabricationem: non autem verisimilis in totum apud eos, qui sciunt quoniam nullius indigens omnium Deus, Verbo condidit omnia, & fecit, neque Angelis indigens adiutoribus ad ea, quæ fiunt: neque virtute aliqua valde inferiori ab illo, & ignorante Patrem &c. Proprium est hoc Dei supereminentiæ, non indigere alijs organis ad conditionem eorum, quæ fiunt, & idoneus est & sufficiens ad formationem omnium proprium eius Verbum.

Clemens Alexandrinus. 200.

Oratione ad Gentes: Quanta est autem Dei potentia? Ipsius Dei solùm voluntas, est mũdi creatio. Solus enim Deus fecit, quoniam ipse quoque solus

lus est verè Deus. Sola voluntas operatur, & eius solum velle, factum esse consequitur.

Lib.1. Stromaton: Deo nihil aduersatur, nec est quicquam ei contrarium, vt qui sit Dominus & omnipotens.

Origenes. 230.

De principijs lib.1.cap.2. Non potest antiquius esse in Deo omnipotentis appellatio, quàm Patris. Per Filium enim Pater omnipotens est. Sed quomodo gloriam dixit esse omnipotentis, cuius gloriæ aporrhæa est sapientia: hoc intelligi datur, quòd etiam in omnipotentia gloriæ societatem habeat sapientia, per quam Deus omnipotẽs dicitur. Per sapientiam enim, quæ est Christus, tenet Deus omnipotentatum, non solùm dominantis authoritate, verùm etiam subiectorum spontaneo famulatu. Vt autem vnam atque eandem omnipotentiam Patris & Filij esse cognoscatis, sicut vnus atque idem est cum Patre Deus, ac Dominus, audi hoc modo Ioannem in Apocalypsi dicentem: *Hæc dicit Dominus, qui est, qui erat, & qui venturus est omnipotens.* Apoc.11. Qui enim venturus est omnipotens, quis alius nisi Christus? Et sicut nemo debet offendi, cùm Deus sit Pater, quòd etiam Saluator est Deus: ita & cùm omnipotens Deus Pater, nullus debet offendi, quòd etiam Filius omnipotens dicitur: Hoc namque modo verum erit illud quod ipse dicit ad Patrẽ: *Quia omnia mea tua sunt, & omnia tua mea, & glorificatus sum in eis.* Si verò omnia quæ Patris sunt Christi sunt, inter omnia verò quæ sunt Patris, est etiam omnipotens, sine dubio etiam vnigenitus Filius debet esse omnipotẽs, vt omnia quæ habet Pater, etiam Filius habeat.

Eusebius Cæsariensis. 320.

De demonstratione Euangelica lib.4.c.1. Vnus ipse ac solus est Deus, ex quo omnia, & per quem omnia sunt: In illo enim viuimus, mouemur, & sumus. Itaque quodcunque vult, id etiam est continuò. Ex qua sola causa omnia quæ genita sunt, id acceperunt vt essent, atque existerent ac durarent: sunt enim illo volente. Vult autem idcircò, quòd suapte natura bonus est: bono verò nihil natura coniunctum admixtumq; est, nisi vt ea quæ bona sunt velit. At enim cùm hæc velit, idem etiam potest. Quare cùm velit, simul idem & possit nulla re neque prohibente, neque impediente, quicquid pulchrum & vtile est, tam in ijs quæ sub aspectum cadunt, quàm in ijs quæ non cadunt, ipse sibi ipsi conficit.

Synodus Nicæna prima. 325.

In Symbolo: *Credo in vnum Deum Patrem omnipotentem, factorem cæli & terræ.*

Athanasius. 340.

Lib.1.ad Theophilum de vnita deitate Trinitatis. *Hæreticus:* Cur omnipotens Deus? *Athanasius:* Quoniam omnipotens est ipsa deitas Trinitatis.

In Symbolo: *Similiter omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus sanctus, & tamen non tres omnipotentes, sed vnus omnipotens.*

Didymus Alexandrinus. 360.

Apud Damascenum in Parallelis lib.1.cap.81. Vnico voluntatis nutu Deus quicquid vult ex nihilo creat; vt qui solus sempiternus, solus principij expers, solus denique & essentia & voluntate simplex sit.

Cyrillus Hierosolymitanus. 370.

Catechesi 4.de Deo: Prouisor est omnium futurorum, & omnium potẽtissimus, sciens & faciens quicquid vult.

Catechesi 8. Hæreticorum filij nesciunt omnipotentem Deum: Omnipotens est, qui omnibus dominatur, & omnium habet potestatem.

Ephræm. 370.

De resurrectione mortuorum: Audientes de mortuorum resurrectione, non diffidamus Christo dilecti fratres: omnia enim sunt possibilia Deo; impossibile verò nihil apud eum.

Basilius Magnus. 370.

Constitutionum Monasticarum cap.2. Sic cum animõ suo cogitans seruus Abrahæ dicebat: Deus est qui promisit: ipse est Dominus naturæ, & aliter quẽadmodum promisit res cadere nõ potest: ipse est, qui quæ sua sponte fieri non possunt, vt fieri possint facit. Omnium enim rerum potens est, & arbitratu suo cuncta commutat.

Apud Damascenum in Parallelis lib.1.cap.80. Qui portat omnia Verbo virtutis suæ, nec corporeo modo operatur, nec manuum labore ad rerum procreationem opus habet; sed spontanea voluntate obsequẽtem habet naturam earum rerum quæ fiunt, &c. Vbi Deus vult, naturæ ordo superatur; quod enim vult, hoc potuit. Apud eum est velle, quia bonus est; & perficere, quia omnia ei prona & facilia sunt.

Epiphanius. 380.

In Ancorato: Omnia sunt possibilia Deo, etiam corruptibilia transmutare in incorruptibilitatem, & quæ in terra sunt facere, vt in incorruptibilitate degant, &c. Potest ex lapidibus excitare filios: & potest Deus corruptibilia mutare in incorruptibilitatem, & potest in terra facere quietem paradisi, quia vult.

Hæresi 77. Quando voluit ostendere potentiam suam diuinam, transformatus ostendit faciem suam velut solem, & vestimenta sua alba velut niuem. Omnia enim possibilia sunt potenti, vt ostẽdat & ea, quæ sunt præter expectationem; & sensus expertia ac inanima ad gloriam & claritatem transmutet, velut virgã Mosis, velut calceamenta filiorum Israel.

Gregorius Nyssenus. 380.

Orationis Catecheticæ cap.1. Cùm autem omnia possit Verbi electio, eam ad nihil mali habere propensionem fatendum est. Ad vitiũ enim propensio est aliena à diuina natura; sed quicquid est boni, hoc etiam vult: volens autem omnia potest. Volens eiusmodi non est, vt non operetur, sed omnis boni propositum deducit ad operationem.

Oratione 3.de resurrectione: Palam est, quòd qui cæteris fidem non habent, non ex aliqua alia causa pugnant & aduersantur, quàm quod arbitrantur fieri non posse, vt Deus id, quod mortuum ac dissolutum est, resuscitet. Mortuorum reuera sensuq; carentium cogitatio, qui existimant aliquid esse, quod à Deo perfici & expediri non possit, & suam ipsorum infirmitatem maiestati omnipotenti assignant.

Gregorius Nazianzenus. 380.

Oratione 36. quæ est oratio 2. de Filio: Alia Dei nomina partim potestatis esse constat, partim œconomiæ; & quidem duplicis, alterius nimirum corpore sublimioris, alterius cum corpore coniunctæ. Exempli causa: Omnipotens, & Rex vel gloriæ, vel seculorum, vel virtutum, vel dilecti, vel regnantium. Item: Dominus vel Sabbaoth, hoc est exercituum, vel virtutum, vel dominantium. Hæc sine vlla dubitatione potentiam Dei ostendunt.

Ioannes Chrysostomus. 400.

Ad caput 13. Genes. Homil.34. De Deo, qui res nostras maximè dispensat sapientia, si qua semel promissa fuerint, etiamsi innumera intercedant obstacula, confidendum est ad magnitudinem

potentiæ suæ respicientibus, firmandaq; est ratio, & sciendum, quòd omnia, quæ ab illo sunt dicta, euenire omnibus modis oporteat. Nihil enim est, quod morari queat eius promissiones : quoniam Deus est, cui omnia sunt possibilia : Et idcirco quorsumcunque vult res transfert, & vbi non sunt viæ, inuenire scit vias, & desperatos in bonã spem adducit, quò excellentia potentissimæ suæ sapientiæ nobis manifestior fiat.

Hom.7.in priorem ad Thessalonicenses : Cur autem hæc à nobis dicta sunt? Non abs re, neque temerè, sed vt & credamus resurrectionẽ; & quando aliquid volentes rationibus comprehendere, non inuenerimus, non ægrè feramus, sed ad hoc confugiamus, quòd nihil sit quod Deus non possit, & non facilè faciat.

Homilia 2.in Symbolum Apostolorum : Omnipotens dicitur, quia posse ipsius non potest inuenire non
Psal.134. posse, dicente Propheta: *Omnia quæcunque voluit fecit in cælo & in terra.* Ipsa ergo omnipotentia, vt totum quod vult, possit.

Synesius. 410.

Epist.11. Deo omnia sunt possibilia, etiam ea quę sunt impossibilia.

Ioannes Cassianus. 430.

De Incarnatione Domini lib.6.cap.1. Legimus in Euangelio, appositis iubente Domino quinq; panibus innumeram Dei plebem esse saturatã. Et quo-
Ioan.6. modo id tamen factum sit, nec enarrare sermo, nec colligere æstimatio, nec concipere sensus potest. Tanta & tam incomprehensibilis diuinæ vis est potestatis ; vt cũ habeamus in nobis facti ipsius conscientiam, impossibile tamen nobis sit facti scire rationem.

Lib.7.cap.2. Deus vt voluit, & quando voluit, & ex ea quæ voluit adinuenit. Nec tempus ei, nec persona, nec consuetudo hominum, nec exempla rerum præiudicârunt: quia obsistere ei non potuit lex creaturarum, qui est Creator ipse cunctorũ. Et posse ei quod voluit promptum fuit ; quia potestas adfuit voluntati. Vis scire aliquatenus quãta sit omnipotentia Dei? Ego id etiam Dominum de creaturis suis facere posse credo, quod tu cum de seipso facere potuisse non credis. Omnia enim animantia, quæ posteriora se pariunt, si modò id Deus iubeat, anteriora multo se parere possunt. Nam & cibi ipsi, & pocula, si ea diuinitatis voluntas sit, in cõceptus quosdam, & progenies verti possunt : aquæ deniq; ipsæ, quibus ab exordio rerum manantibus, & quibus admodum animãtia omnia vtuntur, corporari, si Deus iubeat, in visceribus & gigni possunt. Quis enim sacris operibus modum statuet, aut diuinam prouidentiam circumscribet? aut quis dicet ei: Quid fecisti? si negas omnia Deum posse, nega anteriorem nasci ex Maria Deo nascente potuisse : si autem impossibile Deo nihil est, cur ei impossibilitatẽ in suo ipso aduentu obijcis, cui impossibile nihil in omnibus esse cognoscis?

Cyrillus Alexandrinus. 430.

Lib.2.in Ioannem cap.141. Nonne Thomas Christũ
Ioan.20. & Dominum & Deum suum appellauit? Nonne omnipotens & Creator à Scriptura vocatur?

Lib.11.cap.1. Clarificatur Christus: qui cùm spiritus eius omnia scire posseq; perspiciatur, quomodo ipse nescire quicquam aut minus posse credetur? Et si de ipso accipit spiritus, qui omnia potest, quomodo ipse non erit omnipotens?

Isidorus Pelusiota. 440.

Lib.2.Epist.117. Maximè quidem si quispiam à quodam veritati calumniam struere conanti interrogetur, omniane Deo possibilia sint, illeq; respondeat: ita. Ac deinde ipse inferat : Ergo etiam mala, dignus erit, cuius inscitia meritò rideatur. Neque enim inter ea omnia, quę Deus potest, mala recensentur : nam vbi Deus nominatur, bonum firmiter ac certò sequitur. Nec quisquam sana mente præditus, illud vnquam in animum admiserit, mala Deo possibilia esse: nec quisquam imbecillitatem appellarit mala perpetrare non posse. Imbecillitas enim propriè est malorum perpetratio. Vnde etiam Paulus, qui hęc compertissima habebat, peccata infirmitates appellabat his verbis vtens : *Si Christus, cùm adhuc infirmi essemus, secundùm tempus pro infirmis mortuus est.* Rom.5. Atque etiam Psalmistæ sermo hoc ipsum confirmat: *Multiplicatæ enim sunt,* inquit, *infirmitates eorum,* hoc Psal.15. est, peccata. Quin ne illud quidem inferens quispiam ei, qui Deo omnia possibilia esse ait, mentis compos esse censebitur. Quidnam tandem hoc? Nugari enim solent ac dicere : Num etiam hoc in Dei potestate situm est, vt quod factum est infectum reddatur? Nam hoc rursus cassum atque irritum est. Nihil porrò cassum atque irritum in diuina potentia vsurpatur. Superuacaneæ itaque & sunt, & demonstratæ sunt eæ calumnię, quę aduersus eiusmodi sermonem intentantur. Cæterùm vt ne has rursum excitare, atque audientium aures labefactare possint, si ex nobis quæratur, an omnia Deo possibilia sint, respondeamus : eum omnia hæc posse, quæ ipsius naturæ consentanea sint : atque ita inutilis omnis quæstio soluta erit. Potest enim omnia, vult autem optima.

Lib.3.Epist.335. Apostolus de Deo dicit : *In quibus impossibile est mentiri Deum.* Quibus verbis non imbecillitatis cuiusdam omnipotentem illam vim coarguit : verùm contra summum ipsius robur indicat, quòd ille veritatis pater mendacij minimè capax sit. Atque alio rursum loco eandem sententiam muniens, his verbis vsus est : *Si negauerimus eum, ipse fidelis manet : Negare enim seipsum non potest.* Nam hîc quoque non infirmitatis, sed singularis atque insuperabilis potentiæ argumentum est, quòd fieri nõ potest, vt diuina natura seipsam inficietur, &c. His igitur ad hunc modum expositis, quò tendat Saluator perspicuum est : Illud enim : *Non potest Filius à seipso facere quicquam,* non ipsius imbecillitatem prodit, verùm maximum robur : quòd videlicet in eum cadere nequeat, vt aliquid quod Patri aduersetur efficiat.

Theodoretus. 450.

Dialogo 3. Dominus Deus nihil vult eorum quę non sibi suapte natura insunt : potest autem quæcunque vult : vult autẽ quæ sunt suæ naturæ apta & conuenientia.

Lib.4.de materia & mundo : Opifex omnium rerum Deus, nec instrumentis, nec materia vlla indiget : sed quod alijs artificibus sunt & materia, & instrumenta, tempusq; præterea & conficiendi opera, ipsaq; ars, & exactissima diligentia, hoc est ipsi Deo sola vnicaq; voluntas.

Ad cap.3.ad Philippenses : Hæc autem faciet, vt qui potentiam habeat ineffabilem, & mortem & interitum facilè de medio tollat, & nostra corpora ad immortalitatem transmutet, & efficiat vt omnes ad ipsum respiciant.

Basilius Seleucius. 460.

De Verbi incarnatione oratione 1. Sapiãt insipientes, & à Iudaica temulentia recedant, qui fieri non posse obstinatè contendunt, vt mulier citra viri commercium fœtum edat. Ac quæsierim hîc ex illis : Vtrum factu difficilius sentiant, è muliere ne virgine nasci, an è terra formari? Qua fronte primum admittunt, secundum oppugnant? Et in illo quidem Deo omnipotentiam tribuunt : in hoc verò potentiam illius in ius vocant? Idem est

est enim, qui hoc non sine arte confecit, & qui illud nouo more & modo parauit. Nihil proinde apud Deum impossibile esse statuatur. Vbicunque enim ille operatur, ibi omne ἀδύνατον & impossibile è medio facessat oportet.

Procopius Gazæus. 530.

Ad cap.4.Exodi : Nos opus habebamus solo Deo, qui nobis remedium adhiberet, cui soli possibilia, quæ homini sunt impossibilia.

Ad caput 64.Esaiæ : Neque verò quæ hoc loco dicuntur, talia populum propter imbecillitatem ferre significant, sed propter iniquitates tantùm derelinqui : Est enim tanta Dei potentia, vt cælum, & quæ sub ipso sunt, complectatur & regat, quò fit, vtà seculo nec talem Deum esse audiuerimus, neque quenquam talium operum patratorem viderimus.

Iustinianus Imp. 540.

C.de summa Trinitate & fide Catholica : Cùm recta &c. Credentes enim in Patrem, & Filium, & sanctum Spiritum, vnam essentiam in tribus hypostasibus, seu subsistentibus personis, adoramus, vnam deitatem, vnam potestatem, Trinitatẽ consubstantialem.

Procopius Cæsariensis. 550.

De ædificijs Iustiniani oratione 5. Nos humana potestate omnia metientes, multa arbitramur impossibilia : Deo nihil omnium neque anceps, neque impossibile.

Sophronius Hierosolymitanus. 630.

Oratione in Christi natalitia : Potentissimus liberator & redemptor per suam natiuitatem & resurrectionem in medium se tulit, verúmque redemptorem & liberatorem se declarauit. Nihil enim extat, quod Dei potentiam vincat : *Dominus* namque *mortificat, & viuificat ; deducit ad inferos, & reducit,* vt scriptum est: sed neque quicquam comperiri quoque potest, quod omnipotenti eius nutui resistere valeat, &c. An non hæc omnia præstitit, modóque diuinissimo impleuit & consummauit? Nam quid animo concipi potest, quod Deus non efficiat? aut quis est, qui omnipotenti efficacissimæq; eius voluntati sua voluntate, etsi vel maximè contendat, obsistere valeat?

Maximus Monachus. 640.

Centuria quarta de charitate, cap. 4. Rerum opifex creatarum rerum cognitionem, quę in ipso ab æterno fuit, quando voluit protraxit in essentiam, & in rerum naturam produxit. Absurdum enim est de Deo omnipotente hæsitare, num possit aliquid in essentiam producere, quando & illi visum est.

De opificio Dei apud Euthymium Panopliæ parte 1.titulo 6. Mens primùm infinitam omnibus in rebus Dei magnitudinem cogitans, & pelagus illud, in quo nullum reperit vadum, admiratur. Deinde obstupescit quomodo rerum omnium essentiam ex nihilo procreârit. Facessant hinc Græci, qui ex nihilo negant quicquam fieri. Nos quemadmodum magnificentiæ diuinæ nullus est terminus, ita sapientiæ, potentiæq; nullum finem dicimus.

Ioannes Damascenus. 730.

Orthodoxæ fidei lib.1.cap.8. Credimus in vnum Deum, principium vnum principio carens, increatum, ingenitum, interitus ac mortis expers, sempiternum, infinitum, immensa vi præditum, potentiam nulla mensura comprehensam, & intellectam, verùm eiusmodi, vt eam sola sua voluntas metiatur (potest enim quicquid vult,) rerum omnium conditarum, tam quæ sub aspectum cadunt, quàm quæ oculis cerni nequeunt, parentem & effectricem.

Elias Cretensis. 790.

In orationem Nazianzeni 36. Quamquam omnia sunt possibilia Deo, non tamen vitiosa. Nam ea sunt quædam imbecillitas. Et Paulus propterea peccata imbecillitates vocauit, his verbis vtens : *Christus cùm adhuc infirmi essemus, pro impijs mortuus est.*

Nicephorus Constantinopolitanus. 800.

Epistola ad Leonem Tertium : Fateor me credere in vnum Deum Patrem omnipotentem, omnium factorem, omnium herum & Dominum. Credo in homousiam Trinitatem, in vna diuinitate, pari potentia, æquali regni maiestate glorificatam.

Theophylactus. 900.

Ad cap. 22. Matth. *Quòd si virtutem Dei sciretis, cognosceretis vtique Deo omnia esse possibilia,* & posse Deũ facere vt omnes viuant sicut Angeli.

Ad Marci cap.10. Quidam hoc loco dubitãt, quomodo dixerit : *Omnia possibilia sunt Deo :* cùm Deus peccare nequeat. Dicimus itaque, quando dicit omnia, intelligimus ea quæ sunt : peccatum autem non est. Peccatum enim res est sine essentia, & sine subsistantia. Vel aliter : Peccatum non est potentiæ, sed infirmitatis : sicut & Apostolus dicit : *Christus,* Rom.5. *cùm nos infirmi essemus, mortuus est.* Et iterum Dauid: *Multiplicatæ sunt infirmitates eorum.* Et ita peccatum Psal.15. apud Deum non est possibile, quia infirmitas est.

Moses Barcepha. 950.

De Paradiso, parte 3.*obijcit Simon Magus inquiens :* Deus ille, qui Adamum condidit, impotens erat atque imbecillis, neque enim efficere potuit vt maneret Adamus, qualem esse volebat. Ad hęc respondemus, mansisse Adamum, qualem ipsum & esse & manere volebat Deus conditor effectorq; ipsius : Volebat enim Deus ipsum pollere suopte arbitrio, atque liberum esse; non autem naturam habere vinctam & obnoxiam, qualem habẽt bruta animantia.

Euthymius. 1080.

Ad caput 19.Matthæi : Aiunt quidam, quòd si Deo omnia sunt possibilia, vtique facere malum Deo possibile est. Quibus nos dicimus, quod facere malum non est potentiæ, sed impotentiæ. Ideo etiam Dauid peccata appellauit imbecillitates siue infirmitates, dicens : *Multiplicatæ sunt infirmitates eo-* Psal.15. *rum.*

Ad caput 14. Ioannis : *Vt glorificetur Pater per Filium.* Patris siquidem gloria est Filij omnipotentia: *Si quid petieritis in nomine meo, ego faciam.* Ego tãquam cum Patre æqualiter omnipotens.

Ioannes Cantacuzenus. 1360.

Apologia 2. Sentimus & credimus apud Deum omnia esse possibilia, & impossibile apud hunc nihil esse prorsus, &c. Deus non facit quæ illi possibilia sunt, sed quæcunque vult. Quæcunque enim vult eadem potest; non autem quæcunque potest eadem vult. Possibile enim illi erat creare mundos infinitos, sed cùm hoc nolit, creauit vnum solum. Possibile item illi erat, alias creare Angelorum myriades, sed noluit.

Manuel Palæologus. 1400.

Oratione matutina, Dei celebrationem continente. Habes potestatem cum voluntate semper coniunctam.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Martialis. 100.

Epistola ad Burdegalenses cap.2. Deum vnum colite & adorate per omnem locum: Ipse enim est caput, cuius oculos nemo potest effugere, cuius potestatem nemo potest euadere.

Ad Tholosanos cap.20. Quòd si resipuerint à malitia sua, liberabuntur ab eo, cui nihil est impossibile: Deo enim omnia sunt possibilia.

Tertullianus. 200.

De resurrectione cap.11. Nunquid etiam Dei ipsius potentiam & potestatem & licentiam recensere debemus, an tantus sit qui valeat dilapsum & deuoratum, & quibuscunque modis ereptum tabernaculum carnis reædificare atque restituere? An & aliqua nobis exempla huius sui iuris in publico naturæ promulgarit, ne qui fortè adhuc sciant Deum nosse, qui nõ alia lege credendus est, quàm vt omnia posse credatur? &c. Igitur confide Deũm totum hunc mundum ex nihilo protulisse, & Deum nosti fidendo, quòd tantum valeat.

Aduersus Praxeam cap.10. Sed nihil Deo difficile: Quis hoc nesciat? Et impossibilia apud seculum, possibilia sunt apud Deum, quis ignoret? *Et stulta mundi elegit Deus, vt confundat sapientiam.* Legimus omnia. Ergo, inquiunt, difficile nõ fuit Deo, ipsum se & Patrem & Filium facere, aduersus traditã formam rebus humanis. Nam & sterilem parere contra naturam difficile Deo non fuit, sicut nec virginem. Planè nihil Deo difficile, sed si tam abruptè in præsumptionibus nostris hac sententia vtamur, quiduis de Deo confingere poterimus quasi fecerit, quia facere potuerit. Non aũt, quia omnia potest facere, ideoq; credendum est illum fecisse etiam quod non fecerit; sed an fecerit requirendum.

Matt. 19. 1. Cor. 3.

Cyprianus. 250.

Epist. 81. de tribus pueris Danielis 3. *Est Deus*, inquiunt, *cui nos seruimus, potens eripere nos de camino ignis ardentis, & de manibus tuis Rex liberabit nos: & si non; notum tibi sit, quoniam Dijs tuis non seruimus, & imaginem aureã, quam statuisti, non adoramus.* Cùm se crederent, & pro fide sua scirent, posse etiam de præsenti supplicio liberari, iactare hoc tamen, & vindicare sibi noluerunt, dicentes: *Et si non*; ne minor esset confessionis virtus sine testimonio passionis: Addiderunt posse Deum omnia facere, sed tamen non in hoc fidere, vt liberari in præsentia vellent, sed illam libertatis & securitatis æternæ gloriam cogitarent.

Lib. 4. epist. 1.

Zeno Veronensis. 260.

Sermone de resurrectione: Facilius est reformare quod fuerit, quàm institui quod ante non fuit: quod si non fuit & est, multo magis poterit esse quod fuit: Quippe cùm illius potentissimi artificis rerum omnium conditoris ipse sit vsus, impossibilium possibilitatem asserere: ex eoq; quod non est, facere quod est, naturam creare extra naturam, nihil prorsus habere difficile, solúmque ei hoc deesse, quod nolit esse: Hæc est enim proprietas Dei, id operari quod non potest credi.

Arnobius Rhetor. 300.

Aduersus Gentes libro 2. Si nos istud nescire dicamus, ac tantummodo auditum ex potentiore credidisse, vbi nostra videbitur credulitas lapsa? Si omnipotenti credidimus regi, nihil esse difficile, nihil arduum: si quod impossibile nobis est factu, illi possibile atque admodum executioni paratum? Est enim quod obstare eius voluntatibus possit, aut quod esse voluerit non necessariò sequatur vt fiat?

Lactantius. 310.

De ira Dei cap.11. Deus vnus est, in quo vis & potestas consummata est, nec minui potest, nec augeri.

Cap.13. Deus potest quicquid velit: & imbecillitas, vel inuidia in Deo nulla est. Potest igitur mala tollere, sed non vult.

Hilarius. 350.

Ad Psal.134. Laudandus Deus ob id est, quia benignus est: Nam vt omnipotens sit, naturæ suæ virtus est; vt verò benignus sit, nobis necessarium est, quos corporis infirmitas & conditio originis in peccatis detinet, &c. *Omnia quæ voluit fecit in cælo & in terra.* Soli Deo congruit omnia facere quæ velit: Sola enim perfecta virtus in nullo impeditur, quò minus quod velit & faciat; & ei, ex quo omnia sunt, nihil difficultatis occurrat: Inferioris ab eo naturæ est, ne totum quod velit & faciat. Dum enim alij se debet, caret omnipotentiæ virtute: Quia in idipsum quod subsistit habeat alium auctorem; & qui non sibi debet, non omnia potest dum à potiore subsistit.

Lib.12. de Trinitate: Nos Christum Dei virtutem & Dei sapientiam prædicantes, æquum est humanas doctrinas non tam defugere, quàm refellere: Nam cùm possit omnia, & in eo omnia sapienter Deus possit, nec virtuti eius ratio, nec rationi virtus obsistat: oportet & eos, qui Christum prædicant mundo, irreligiosis mundi imperfectisq; doctrinis per scientiam sapientis omnipotentiæ contraire.

Ambrosius. 370.

Lib.6.epist.37. Nunquidnam mentitur Deus? sed non mentitur, quia impossibile est mentiri Deum. Impossibile quoque illud, numquidnam infirmitatis est? Non vtique. Nam quomodo omnia potest, si aliquid efficere non potest? Quid ergo ei impossibile? Non quod virtuti arduum, sed quod naturæ contrarium. Impossibile est ei mentiri: Impossibile istud, non infirmitatis est, sed virtutis ac maiestatis.

Faustinus. 380.

Libro de fide contra Arium cap. 3. Quòd Dei Filius sit omnipotens, & indemutabilis, & quòd vna sit omnipotentia Patris & Filij.

Percutiamus & aliam eorum blasphemiam, per quam dicunt, quòd non sit omnipotens Filius: dicant quomodo non est omnipotens, per quẽ, vt ipsi quoque cõfitentur, omnia facta sunt. Dent vnum opus Patris, quod non fecerit & Filius, vt probent non esse omnipotentem Filium: Aut cùm nullũ sit opus, quod non & Patris exstat, & Filij, sine dubio omnipotens est & Filius, faciens quæcunque facit omnipotens Pater.

Hieronymus. 390.

Ad cap.40. Esaiæ: Nunc describitur illius magnitudo, quòd nihil ei impossibile sit; vt qui vniuersa condiderit, Creatorq; sit omnium, etiam hæc quæ comparatione eorum parua sunt, valeat perpetrare.

Ad caput 50. Esaiæ: *Nunquid est abbreuiata manus Domini?* Aduersum eos, qui putabant Dominum non potuisse liberare populum suum de captiuitate, ponit rationem & exempla plenissima: Quòd qui mare rubrum fecit peruium populo suo, Iordanis fluenta siccauit, & arescentibus in Aegypto fluuijs, pisces vertit in putredinem:

Exod. 7.

tredinem: & qui tribus diebus in AEgypto tenebras fecit esse palpabiles, ita vt cælum quasi sacco opertum esse videretur & tenebris: vtique potuerit & populum suum de periculo liberare. Siue quia supra dixerat, veni, & non erat homo: vocaui, & non erat qui audiret, illud possumus dicere: quod qui tantorum signorum patrator est, & cælum terrasq; & maria suo facit seruire nutui, etiam ipse crucem euadere potuerit.

Ruffinus. 390.

In explicatione Symboli: Vnde & sequens sermo omnipotẽtem pronuntiat Dominum. Omnipotens autem ab eo dicitur, quòd omniũ teneat potentatum. Tenet autem omnia Pater per Filium, sicut & Apostolus dicit: *Quia per ipsum creata sunt omnia*, &c. Quòd si per ipsum secula instituit Pater, & per ipsum creata sunt omnia, & ipse est hæres omnium, per ipsum ergo & potentatũ omnium tenet. Quia sicut lux de luce, & veritas de veritate; ita de omnipotente omnipotẽs natus est. Vnde in Apocalypsi Ioannis de Seraphim scriptum est: *Et requiem non habebant die ac nocte dicentes: Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabbaoth, qui erat, & qui est, & qui venturus est omnipotens:* omnipotẽs ergo dicitur qui venturus est. Et quis est alius qui venturus est, nisi Iesus Christus Filius Dei?

Coloss. 1.

Apoc. 4.

Augustinus. 400.

De ciuitate Dei lib.5. cap.10. Rectè omnipotens dicitur Deus, qui tamen mori & falli non potest: Dicitur enim omnipotens faciendo quod vult, non patiendo quod non vult. Quod si ei accideret, nequaquam esset omnipotens.

Lib.21. cap.5. Illud est certissimum, nihil eorum esse Deo impossibile quæcũque voluerit, eiq; nos credere prædicenti, quem neque impotentem, neque mentientem possumus credere.

Ad Volusianum epist.3. Demus Deum aliquid posse, quod nos fateamur inuestigare non posse. In talibus rebus tota ratio facti est potentia facientis.

Sermone 119. de Tempore: Omnipotens est ad facienda maiora, & minora: omnipotens est ad cælestia, & ad terrestria: omnipotens est ad facienda mortalia, & immortalia; omnipotens est ad facienda visibilia & inuisibilia; magnus in magnis, nec paruus in minimis. Postremò omnipotẽs est ad facienda omnia, quæ facere voluerit. Non ego dico quanta non possit: Nõ potest mori, non potest peccare, non potest mentiri, non potest falli. Tanta non potest, quæ si posset, non esset omnipotens.

Bacchiarius. 410.

Epistola de recipiẽdis lapsis: Dominus noster omnipotens est. Nunquid omnipotenti impossibile est delere peccatum?

Paulus Orosius. 420.

Lib.7. cap.43. Deum verum & solum qui potest omnia credant, timeant, diligant, sequantur.

Idacius Clarus. 430.

Aduersus Varimadũ Arianũ: Est Deus Pater, & procedit ab illo Spiritus Dei; est omnipotẽs, & procedit de omnipotentia Spiritus. Quòd omnipotens Spiritus Deus est, in Salomone ostenditur, dũ Spiritus omnia potens, & omnia prospiciens intimatur.

Sixtus Tertius. 433.

De diuitijs: Si de possibilitate Dei agitur, à regno eius nullus inuenitur esse extraneus, quia nihil Deo impossibile reperitur.

Arnobius Romanus. 440.

De Deo trino & vno: Ego tecum de omnipotente ago. Dicas mihi, *qui fecit cælum & terram, & omnia quæ in eis sunt*, omnipotẽs ipse est, an non? Serapion dixit: Qui hoc negat, nihil illo stultius est. Arnobius dixit: Filius Dei omnipotens omnipotentis Patris per omnipotentiam suam hoc voluit, vt vnus cum eo fieret Filius Dei iste filius hominis.

Petrus Chrysologus. 440.

Sermone 61. Omnipotens Deus potest omnia, & si omnia potest quòd in se, & ex se, & semper secũ habeat Filium quis negabit?

Eucherius Lugdunensis. 440.

Homilia 2. de Symbolo: Quando audis Deum ex homine natum esse, & maiestatem sub fragilitate latuisse, virginem prole ditatam, nec tamẽ virginitatem fuisse solutam, non se obijciat sensibus tuis nouitas operis, sed virtus operãtis. Nec dicas illud possibile est, illud fieri non potest. Quia qui te magna credere iussit omnipotens est. Diuinis rebus admiratio adhibenda est, nõ credulitas abneganda. In omnipotentem te credere cõfirmas, sed si de factis eius dubitas, imbecillitatem omnipotentis accusas.

Leo Primus. 450.

Sermone 2. de Natiuitate cap.1. Deus omnipotens, cuius natura bonitas, cuius voluntas potentia, cuius opus misericordia est.

Prosper Aquitanicus. 450.

Epigrammate 45.

Quod Deus omnipotens promittit, perficit ipse,
Nec proprium externis viribus implet opus.
Hinc secura fides sperat, quod credit, amatq;,
Auctorem, qui quod spondet, id efficiet.

Epigrammate 95.

Per Verbum omnipotens Deus omnia condidit vnus,
A quo natura condita nulla mali est.

Marius Victorinus Afer. 460.

Lib.1. in Genesin:

Numinis at verò diuini quærere causas
Mens fuge nostra procul: plus sit tibi credere semper
Posse Deum, quicquid fieri non posse putatur.

Cerealis. 480.

Contra Maximinum Arianũ cap.5. Quòd omnipotens sit Filius sic docetur: In Salomone legitur: *Omnipotens Sermo tuus.*

Sap. 18.

Cæsarius Arelatensis. 480.

Homilia 5. de Pascha. Ad nutum præcipientis Domini repente ex nihilo subtiterunt excelsa cælorum, profunda fluctuum, vasta terrarũ: pari potentia in spiritualibus Sacramentis præcipit virtus, & rei seruit effectus.

Fulgentius. 500.

Lib.1. ad Monimũ c.12. Ideo in Dei promissis nulla est falsitas, quia in faciendis nulla omnipotenti est difficultas: & propterea ibi nunquam deest voluntatis effectus, quia voluntas ipsa non aliud inuenitur esse quàm virtus. Quicquid autem vult potest, qui quantum vult tantum potest. Propterea de solo dignè dicitur: *Omnia quæcunque voluit fecit.* Et iterum: *Subest enim tibi, cùm voles, posse.* Ideo diximus tantam ibi esse virtutem voluntatis, quanta est voluntas ipsa virtutis; quia cui semper subest cùm volet posse, non aliud est in illo velle quàm posse.

Psal. 113. Sap. 12.

Boëtius. 500.

De consolatione Philosophica lib.3. prosa 12. Deum esse omnipotentem nemo dubitauerit. Qui verò est omnipotens, nihil est quod ille non possit.

Lib.4. prosa 1. Deus omnia scit, omnia potest, sed bona tantùm vult.

Primasius. 530.

Ad cap.11.epist. ad Romanos: Apud homines quidē impossibile est,aridos surculos reformare: Deo autem omnia possibilia sunt.

Iunilius Africanus. 540.

In Genesin: Creationem mundi insinuans Scriptura diuina, primo statim verbo omnipotentiam Dei Creatoris ostēdit:Quem enim in principio temporum mundum creasse perhibet, ipsum profectò ante tempora æternaliter extitisse designat; & quem ipsum conditionis initio cælum & terram creasse narrat, tanta celeritate operationis omnipotentem esse declarat;cui voluisse, creasse est.

Cassiodorus. 550.

De anima cap.9. Solus omnipotens Deus est, cui hoc est esse, quod sapere; hoc est posse, quod viuere; hoc est velle,quod facere. Et meritò, quando vniuersa,quę verè bona sunt,non ad illum veniunt, sed ab illo procedunt.

Fortunatus. 570.

Lib.9. Ad Childericum Regem & Fridegūdem Reginam:

Quod iubet omnipotens non possumus esse rebelles,
Cuius ad intuitum sydera,terra tremunt:
Ipse creat hominem, quid dicere possumus,idem
Qui dedit & recipit crimina nulla gerit.
Illius ecce sumus figmentum, & spiritus inde est,
Cùm iubet hinc imus,qui sumus eius opus.
Si libeat montes, freta, sydera, mutat in horas,
Cui sua facta fauent, nil homo fumus agit.

Gregorius Magnus. 590.

Ad Psalm 4. Pœnitentialem: Ingenti vulnere periclitor, quod nullus medicorum curare valeat, nisi medicus ille, qui est omnipotens,succurrat: Omnipotenti enim medico nihil est insanabile; qui sicut medetur sine pretio,ita salutem restituit verbo.

Ad Psal. 5. pœnit. Hæc est vera Dei ęternitas,& vera eiusdem immortalitas, quòd non solùm nullius finis limite sempiterna eius virtus & diuinitas concluditur, sed quòd potestas ac voluntas ipsius,nullatenus imperfectionis cuiusquam,aut inconstantiæ varietate permutatur.

Isidorus Hispalensis. 620.

Lib. 7. originum, cap.1. Vocatus est Deus omnipotens, eò quòd omnia potest; sed à faciendo quod vult,non à patiendo quod non vult.Quod si ei accideret,nequaquam esset omnipotens:Facit enim quicquid vult,& inde est omnipotens.

Sententiarum de summo bono lib.1. cap.2. Omnipotētia diuinæ maiestatis cuncta potestatis suæ immensitate concludit; nec euadendi potentiam eius quisquam inuenire aditum poterit: quia ille omnia circumquaque cōstringit: Cuncta enim intra diuini iudicij potentiam coarctantur, siue quæ cōtinenda sunt, vt salua sint; siue amputanda sunt,vt pereant.

Concilium Toletanum Sextum. 625.

In confessione fidei: Credimus & confitemur sacratissimā & omnipotentissimā Trinitatem, Patrem,Filium,& Spiritum sanctum.

Agatho. 670.

Epistola ad Heraclium & Tiberium AA. Credimus in Deum Patrē omnipotentē,factorem cæli & terrę.

Beda. 700.

Ad cap.1. Lucæ. Ne virgo se parere posse diffidat, accipit exemplū sterilis anus parituræ, vt discat Deo possibilia, etiam quæ naturæ ordine videntur esse contraria.

Alcuinus. 750.

Lib.1.de Trinitate cap.3. Planè & absque omni dubitatione credendū est Patrem & Filium & Spiritum sanctum, vnū esse Deum omnipotentem, æternum & incommutabilem.

Ambrosius Ansbertus. 770.

Homilia de Purificatione Mariæ: Procul dubio Maria, quem infantem genuisti, Deum omnipotentem adorasti.

Haymo. 820.

Ad cap.3.epist.ad Ephes. Licet omnipotens Deus per potentiam diuinitatis suæ vbique sit:tamen in illis specialiter dicitur habitare,qui fidem eius habent.

Rabanus Maurus. 840.

Lib. 1. de vniuerso cap. 1. Decimum Dei nomen est omnipotens: vocatus est autem omnipotens, eò quod omnia potest; sed à faciēdo quod vult,non à patiēdo quod non vult: Facit enim quod vult, & inde omnipotens est.

Altercatio Synagogæ & Ecclesiæ. 880.

Cap.3. Differt multū inter Deum & hominem: Quia Deus omnia potest, eò quod eius voluntati subiacet omne quod est; ac per hoc nihil ei impossibile est: Homo verò, qui per se nihil est, per se nihil sine Deo potest.

Remigius Antisiodorensis. 880.

De celebratione Missæ: Omnipotens dicitur Deus,quia omnia potest, quia immortalis est: imò vita mutari non potest, quia immutabilis est. Omnipotēs enim dicitur faciendo quod vult, non patiendo quod non vult.

Smaragdus. 950.

In Euangelium diei Paschæ: Omnipotens Deus est, & terribilis peccatoribus,& blandus iustis.

Fulbertus Carnotensis. 1000.

Epist.1. Dubitari nefas est, ad cuius nutum cuncta subitò ex nihilo extiterunt, si pari potentia in spiritualibus Sacramētis terrena materies naturæ & generis sui meritum transcendēs,in Christi substantiam commutetur, cùm ipse dicat: *Hoc est corpus meum,& hic est sanguis meus.* Sed hanc Dei possibilitatem æstimatio humana non capit, &c. Si Deum omnia posse credis, & hoc consequitur,vt credas, nec humanis disputationibus discernere curiosus insistas, si creaturas, quas de nihilo potuit creare,has ipsas multò magis valeat in excellentioris naturæ dignitatem conuertere, & in sui Corporis substantiam transfundere; multò magis dico, non quod infirmioris potētiæ in rebus creandis, quàm in mutandis fuisset:Sed humanæ opinioni vsuale, non diuinæ rationi cōparabile.

Leo Nonus. 1050.

Epistola ad Petrum Antiochenum Episcopum: Firmiter credo sanctam Trinitatem,Patrem,Filium,& Spiritum sanctum, vnum Deum omnipotentem esse, totamq; in Trinitate deitatem coëssentialem & consubstantialem, coæternam, & coomnipotentē, vniusq; voluntatis, potestatis & maiestatis.

Petrus Damianus. 1050.

Epistolæ 4. cap.10. Quòd Deus omnia possit, siue faciat, siue non,indubitabili fide credendum est: Nam quod malum est,debet potius dici nihil, quàm aliquid. Atque ideò nihil præiudicat, si dicamus Deū omnia posse, licet mala omnia non possit: cùm mala non intra omnia,sed potius extra omnia debeant supputari.

Cap.14. Potest Deus facere in illa inuariabili, & constantissima semper æternitate sua,vt quod factum fuerat, apud hoc transire nostrum, factum

non

non sit,&c. Sicut Deus vnus idemq; semper est, ita apud eum omnia posse indefectiuum atque pertransibile semper adest. Et sicut veraciter, & absq; vlla penitus contradictione dicimus, quia nunc & semper Deus hoc est, quod erat ante secula: ita nihilo minus veraciter dicimus, quia hoc nūc & semper potest Deus, qđ poterat ante secula. Si ergo per omnia semper potest Deus quicquid ab initio potuit,ante rerum conditionem,vt quæ nunc facta sunt, nullatenus fierent; potest igitur vt facta minimè fuissent,&c. Constanter igitur & fideliter asserendum est: quia sicut Deus omnipotēs dicitur, ita prorsus sine vlla exceptione, omnia veraciter potest, siue in his quæ facta sunt, siue in his quæ facta non sunt.

Radulphus Ardens. 1060.

In Annunciatione B. Mariæ Virginis: Nō solùm partus virginis, vel anus, vel sterilis Deo est possibilis, imò etiam quicquid hominibus videtur impossibile, Deo est possibile; cui facilius est quicquid vult facere, quàm nobis verbum proferre: & propter hoc dictum est potius,omne verbum, quàm omne factum.

Anselmus. 1080.

In Prosologio cap.7. Sed & omnipotens quomodo est, si omnia non potest? Aut si nō potest corrumpi, nec mentiri, nec facere verum esse falsum, vt quod factum est non esse factum, & plura similiter, quomodo potest omnia? An hæc posse non est potentia,sed impotentia? Nam qui hęc potest, quod sibi non expedit, & quod non debet potest: quæ quanto magis potest,tanto magis aduersitas, & peruersitas possunt in illum,& ipse minus contra illas. Qui ergo sic potest,non potentia,sed impotentia. Non enim dicitur posse, quia ipse possit; sed quia sua impotentia facit aliud in se posse, sine alio aliquo genere loquendi; sicut multa impropriè dicuntur, vt cùm ponimus esse, pro non esse: & facere,pro eo quod non est facere,aut pro nihilo facere. Ergo Deus inde verius es omnipotens, quia potes nihil per impotentiam, & nihil potes contra te.

Libro 2. cur Deus homo, cap.17. Omnis quippe necessitas & impossibilitas eius subiacet voluntati: Illius autem voluntas nulli subijcitur necessitati,aut impossibilitati. Nihil enim est necessarium aut impossibile, nisi quia ipse ita vult: ipsum verò aut velle aut nolle aliquid ,pter necessitatē, aut impossibilitatem,alienum est à veritate. Quare, quoniā omnia quæ vult, & non nisi quæ vult facit,sicut nulla necessitas siue impossibilitas pręcedit eius velle aut nolle, ita nec eius facere aut non facere, quamuis multa velit immutabiliter & faciat.

Franco Hafflingenienſis. 1100.

De gratia Dei libro 1. Sed huic infirmitati fidei facilè potest mederi consideratio omnipotentiæ Dei, quòd non sit omnipotenti impossibile aut difficile creaturarum suarum aliā in aliam pro placito suo transformare, qui omnia ex nihilo potuit verbo creare. Vt enim quiddam de vsu nostro loquar, non de Dei potētia(Deo enim omnia æqualiter sunt possibilia) facilius est in eam quā voluerit formam transformare quod est, quàm ex nihilo formare quod non est.

Rupertus Tuitiensis. 1120.

Ad lib.2.in Ioannem cap.2. Omnibus notum est,Deum esse omnipotentem. Hoc autem nouo miraculo probatur, id quod solis fidelibus creditum est,Deum omnipotentem factum esse hominem.

Hugo Victorinus. 1130.

Lib.1. de Sacramentis parte 2. cap.22. Omnia potest Deus quæ posse potentia est; & ideò verè omnipotens,quia impotens esse non potest. Eant igitur nunc,& de suo sensu glorientur,qui opera diuina oratione se putant discutere, & eius potētiam sub mensura coarctare: Cùm enim dicunt,huc vsque potest, & non amplius, quid hoc est aliud, quàm eius potentiam,quæ infinita est,concludere & restringere ad mensuram?

Bernardus. 1130.

Homilia 4. super Missus est. Quale verbum Deo impossibile esse poterit, qui omnia fecit in Verbo? Monet me & hoc in verbis Angelicis, quòd signāter non ait,quia non erit impossibile apud Deum omne factum, sed omne verbum; An idcirco posuit verbum, quia quàm facile possunt homines loqui quod volunt, etiam quod nullatenus facere possunt,tam facile,imò incomparabiliter facilius valet Deus opere implere, quicquid illi verbo valent exprimere?

Richardus Victorinus. 1140.

Lib.1.de Trinitate cap.24. Cōstat Deum potentem esse potentiæ plenitudine. Vbi autem plenitudo potentiæ est, nullum posse deesse potest. Consequens est ergo omnipotentiam eum habere,& veraciter omnipotentem esse, cui ineſt omne posse.

Arnulphus Lexouiensis. 1170.

Sermone habito in concilio Turonensi: Facile erat Christo mundum vincere,qui creauerat mundū: Omnipotens enim nomen eius, cui idem est & velle & posse mihi non ita: *Quoniam infirmus sum, conturbata sunt omnia ossa mea.*

Concilium Lateranense. 1215.

Cap.1. Firmiter credimus,& simpliciter confitemur, quòd vnus solus est verus Deus æternus, immensus, & omnipotens.

Iacobus Vitriacus. 1220.

Dominica 3. post Pascha: Nomini eius, quod est omnipotens, psalmum & laudem dicimus, dum maiestati suæ nihil posse resistere, & ipsum omnia sine difficultate posse facere confitemur, sicut scriptum est: *Ipse dixit,& facta sunt; mandauit,& creata sunt.* Psal. 148.

Alexander Alesius. 1230.

Parte 1.q.21.memb.1.art.2. Omnipotēs dicitur Deus, quia omnia possibilia potest, quę posse potentiæ est: & qa omninò potest, ita vt in hac ratione tangatur perfectio potentiæ diuinæ, quantum ad illa ad quæ est, & quantum ad illud cuius est. Per hoc quod dicitur posse omnia possibilia,quę posse potentiæ est,tangitur perfectio potentiæ,quantum ad illa ad quæ est,&c. Angelus & anima beata vult salutem electorum, quam tamen facere non potest. Solus ergo Deus potest quicquid vult vel à se, vel ab alio fieri; & ob hoc dicitur omnipotens.

Albertus Magnus. 1240.

Ad cap.1. Lucæ: Dei potentia infinita est,& omnipotens,& plus quàm omnipotens: vt enim ita dicam, Deus plus quàm omnia potest. Potest enim multa,quæ nunquam fuerunt,& tamen esse poterant secundùm Dei potentiam infinitam; & hoc ostendit in Filio, qui nihil maius facere poterat, quàm hominem talem ac tantum quātus est ipse.

Thomas Aquinas. 1250.

Ad cap.5.Apoc. Præsidentia,natura,potentia,hæc tria omnino vnum sunt in Deo: præsidentia,qua dominatur; natura, qua Deus est; potentia, qua potest operari quicquid vult.

Bonaventura. 1260.

Part.1. Breuiloquij,cap.7. De omnipotētia Dei hæc secundùm sanam doctrinam tenenda sunt, videlicet,

licet, quòd Deus est omnipotens, ita tamen, quòd ei non attribuũtur actus culpabiles, vtpote mentiri & malè velle; nec actus pœnales, vt metuere & dolere; nec actus corporales, siue materiales, vt dormire & ambulare, nisi fortè transumptiuè; nec actus inconuenientes, vt posse facere maiorem se, vel alium Deum sibi æqualem vel infinitum actu & consilio. Quia quodlibet inconueniens etiam minimum apud Deum est impossibile: licet tamen hoc non possit, est tamen opus verè & propriè & perfectè.

Richardus Mediauillanus. 1280.

Lib.1. Sent. dist.42. q.8. Deus est omnipotens, & potest omnia quæ vult se posse: sed ipsum posse omnia quæ vult se posse, non est præcisa ratio omnipotentiæ suæ: sed ideò esse omnipotens dici debet, quia potest omne illud quod est possibile absolutè: hoc est possibile, quod est possibile quãtum est ex parte sua, & hoc est omne illud, quod non includit contradictionem.

Iacobus Genuensis. 1280.

Sermo.1. de Trinitate: Patri attribuitur potentia; quia ipse est omnipotens, & omnia potest quæ vult. Psal.134. *Omnia quæcunque voluit Dominus fecit.* Baruch 2. *Stellæ vocatæ sunt, & dixerunt: adsumus.*

Richardus Pampolitanus. 1300.

In explicat. Symboli Apost. Sicut Pater est omnipotens, ita Filius, ita Spiritus sanctus: quilibet enim potest facere quicquid vult, sine adminiculo alicuius rei, nec ab aliquo extra potest impediri.

Nicolaus Lyranus. 1320.

Ad cap.1. Lucæ: Angelus inducit rationis efficaciam ex Dei omnipotentia, cùm dicitur (*quia apud Deũ non est impossibile omne verbũ,*) id est factũ. Quia dicere Dei est facere, secundùm illud: *Ipse dixit, & facta sunt.* Quicquid enim contradictionem non implicat, totum est Deo possibile, cuiusmodi est virginem concipere. Psal.148.

Ludolphus Saxo Carthusianus. 1330.

Vitę Christi parte 1. cap.5. *Non erit impossibile apud Deum omne verbum,* id est, omnis res digna verbo, quin implere possit omne verbo suo promissum. Quicquid contradictionem non implicat, totum est Deo possibile, cuiusmodi est virginem parere.

Thomas Argentinensis. 1350.

Lib. 1. dist. 42. & 43. q.1. art.3. Deum esse infinitæ potentiæ nullus fidelis debet dubitare; sed nec apud aliquem cuiuscunque sectę vel nationis vertitur in dubium, Deum esse infinitæ potentiæ in duratione.

Petrus Aliacus. 1400.

Super Magnificat: *Fecit mihi magna qui potens est.*) Hæc omnia si magna sunt, impossibilia tamen nõ sunt ei, à quo facta sunt qui potens est. Et ideo fecit magna, quia potens est: & singulariter magna, quia singulariter potens: & singulariter potens, quia singulariter omnipotens. Et ideò absolutè potens dicitur, quia omnia potest. Solùm ergo confessa est Dei potentiam, sed eam, qualis aut quanta sit, discutere non præsumpsit, quia hoc sciri nõ potest; cùm de ea verissimè sciatur, quòd immensa & omnipotẽs est. Erubescant ergo nũc, qui de suo sensu gloriantes Dei opera ratione se putãt posse discutere, & eius potentiam sub mensura coarctare. Quia qui absolutè potens est, summè potens, & ideo omnipotens est.

Thomas Valdensis. 1420.

Doctrinalis fidei lib.1. c.16. Hæc professio fidei Christianæ, in materia de omnipotentia Dei, contra omnes Abellardinos, & Vvicleuistas, qui secundùm illud Iob, quasi nihil posset omnipotens, sic loquuntur, abbreuiãtes potentiam, occantes infiniti tractus funiculum, apocopantes immensitatem magnitudinis infinitæ, & brachium virtutis Domini linguæ suæ framea mutilantes. Sed ô omnipotens deitas, & æterna potestas: hoc enim tradẽte Ecclesia per Sãctos tuos successiuè, à principio vsque ad nostra tempora, fideliter te posse credimus, quantum etiam omni virtute possibili capere non valemus. Iob.8.

Laurentius Iustinianus. 1430.

Libro de ligno vitæ, de virtute obedientiæ, cap.4. Volũt quidam quantum in ipsis est, Deum non esse Deum, cùm concupiscunt illum aut impotentem, seu iniustum, siue insipientem esse. Crudelis equidem detestandaq; malitia hæc est, quę vt liberè vti valeat peruersa voluntate, Dei potentiam, iustitiam, sapientiamq; perire desiderat. Quoniam cùm vult Deum esse impotentem, iniustum, ignorantemq;, quantum ad ipsum pertinet, Deum occidit, & de sua gloria deijcere affectat.

Dionysius Carthusianus. 1460.

Ad c.8. Dionysij Areopagitæ de diuinis nominibus: Aeternaliter in seipso simplicissimè comprehendit vniuersam virtutem ac potestatem, cum infinito excessu, vtpote verè omnipotens, qui est id quod habet, cui idem est esse & virtuosum, omnipotentemq; esse. De quo scriptum est in libro Sapientię: *Subest tibi cùm volueris posse,* &c. Omnipotentia Dei omnia excedit & vincit: potest incomparabiliter plura & mirabiliora peragere, quàm mens humana aut etiam Angelica comprehẽdere, cùm sit penitus infinita. Sap.12.

Baptista Mantuanus. 1500.

Lib.6. Fastorum de Eucharistia:

Huc æterna suas tulit omnipotentia vires:
Omnia quæ peragit, seu sint ingentia, seu sint
Parua, pari conatu illi sunt omnia quæ vult
Obuia; perfacili quæ vult habet omnia nutu.
Quæ talis, tantusq; opifex promiserit, aude
Credere: Quòd verò talis tantusq; putari
Debeat hic opifex, oculos ad cætera transfer
Quæ legitur fecisse opera admiranda.

ARTICVLVS QVARTVS.

IN DIVINIS ESSE VNITATEM ESSENTIÆ, TRINITATEM PERSONARVM, PATRIS, FILII, ET SPIRITVS SANCTI: ET IN EA PERSONARVM DISTINCTIONE, NIHIL ESSE MAIVS, NIHIL MINVS; NIHIL PRIVS, NIHIL POSTERIVS.

NEGANT.

Post natũ Christum

180. *MONTANI Trinitatem in vnius personæ angustias cogunt.* Hieronymus epistola ad Marcellam.

200. *Praxeas vnum Deum non aliter putat credendum, quàm si ipsum eundemq; & Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum dicat: Deumq; Patrem descendisse in Virginem, ipsum ex ea natum, esse passum, denique ipsum esse Christum.* Tertullianus aduersus Praxeam.

250. *Noëtus negabat numerum personarum, eundem dixit Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum in carne passum & genitum.* Epiphanius, Philastrius, Augustinus, & Damascenus de Noëtianis.

260. *Sabellius eundem docuit esse Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum: & in veteri quidem Testamento vt Patrem legem tulisse; in nouo autem vt Filium hominem esse factum; vt Spiritum autem sanctum ad homines venisse.* Hilarius, Epiphanius, Augustinus, Theodoretus, Leontius, & Damascenus de Sabellianis.

330. *Ariani dixerunt Patrem, Filium, & Spiritum sanctum esse dissimiles natura.* Athanasius disputatione contra Arium, Basilius lib.5. contra Eunomium, Augustinus hæresi 49.

350. *Donatistæ quamuis eiusdem substantiæ, minorem tamen Patre Filium, & minorem Filio putabant Spiritum sanctum.* Augustinus hæresi 69.

360. *Marcellus & Photinus docuerunt, Deum singulum esse & solitarium, & more Iudaico non esse tres personas, sed vnam duntaxat; licet tria sint nomina, Pater, Filius, & Spiritus sanctus, tamen non esse personas peculiares.* Vincentius Lyrinensis contra hæreses, Marius Victorinus libro 1. contra Arium, Theodoretus lib.2. hæreticarum fabularum.

370. *Eunomiani dicunt in Trinitate tres esse diuersas substantias & qualitates, vt auri, argenti, & æris; & Patrem quidem fecisse Filium, & iterum Filium, qui sit creatura, Spiritum sanctum.* Philastrius de Eunomianis.

380. *Priscillianus eundem esse docuit Patrem, qui & Filius & Spiritus sanctus.* Augustinus hæresi 70. Leo epistola 93.

400. Faustus Manichęus, *Vnum,* inquit, *sub triplici appellatione numen colimus, sed Patrem credimus lucẽ incolere summam & inaccessibilem: Filius in hac secunda luce consistit, cuius virtus in sole, sapientia in luna habitat: sedem Spiritus sancti omnem mundi ambitum fatemur.* Augustinus lib.20. cap.2. contra Faustum.

430. *Theodorus Mopsuestanus & Nestorius, dum impiè negant Deum, id est, Dei Filium de Virgine natum esse, nec tamen negant Filium Dei esse consubstantialem Patri, aut verum hominem assumpsisse, Quaternitatem pro Trinitate dogmatizant.* Synodus Quinta Oecumenica, & Maxentius in fidei confessione.

450. *Priscillianistæ adhuc perseuerantes, Patris, Filij, ac Spiritus sancti vnam atque eandem asserunt esse personam: tamquam idem Deus nunc Pater, nunc Filius, nunc Spiritus sanctus nominetur: Nec alius sit qui genuit, alius qui genitus est, alius qui de vtroque processit.* Leo Papa epist.93. cap.1.

500. *Anastasius Imp. edixit, non Trinitatem, sed quaternitatem adorandam esse: ob quod facinus fulmine percussus animam efflauit.* Paulus Diaconus, Pomponius Lætus, & Blondus in hoc Imperatore.

570. *Chilpericus Rex Franciæ Sabellianam hæresin promulgare volens scripsit Galliarum Episcopis, vt Trinitate abiecta, vnum tantùm Deum dicerent: asserens eundem esse Patrem, qui & Filius, & Spiritus sanctus est, & eundem esse Filium ac Spiritum sanctum qui Pater est, nec diuisionem personarum in Deum vllo modo cadere.* Gregorius Turonensis hist. Franc. lib.5. cap.44. Aimoinus lib.3. cap.41.

600. *Ioannes Philoponus cum sectatoribus suis communem humanam naturam, ipsamq; diuinam, quam indiuisibilem dicimus, in plurimas partitur personas, discernens eam, & singulatim indiuiduis tribuens, & tribus supersubstantialis naturæ subsistentijs dispertiens.* Nicephorus lib.18. cap.48.

620. *Seueritæ alium dicunt esse Patrem, alium Filium, & alium paracletum, Spiritum videlicet sanctum: non esse autem horum quemque per seipsum naturam, sed habere communem Deum siue deitatem, in eis existentem: atque de ea deitate indiuisibili modo participantes, quemlibet esse Deum.* Nicephorus lib.18. cap.49.

630. *Mahometus ponit vnum Deum vniuersi auctorem, qui neque genitus sit, neque genuerit: negat in vnitate Trinitatem, & solum binarium numerum in Trinitate confitetur, scilicet ipsam diuinã essentiam, &*

animam eius: vnde pluraliter loquentem ipsum introducit Azara 11. & 122. Damascenus de hæresibus, Auctor Summulæ contra Saracenos.

1000 *Lisoius & Heribertus dicebãt, deliramenta esse, quicquid in veteri ac nouo canone, de trina vnáque deitate beata confirmat auctoritas.* Glaber Rodolphus lib.3.cap.8.

1050. *Bogomili negant Trinitatem.* Euthymius Panopliæ parte 2. Tit.23.

1140. *Petrus Abailardus, & Arnoldus Brixiensis constituerunt, Deum Patrem plenam esse potentiam, tam in generando, quàm in discernendo, Filium quandam potentiam in discernendo per sapientiam, Spiritũ sanctum nullam esse potentiam, sed benignitatem.* Bernardus epist. 190. Otto Frisingensis de rebus gestis Friderici Primi cap.49.

1190. *Ioachim Abbas docuit, quòd Pater, & Filius, & Spiritus sanctus sint vna essentia; verùm vnitatem eiusmodi, non propriam & veram, sed quasi collectitiam esse, & quasi similitudinariam, vt multi fideles sunt vna Ecclesia.* Guido de hæresibus.

1270. *Raymundus Lullius docuit Deum plures habere essentias: Patrem esse priorem Filio, & Spiritum sanctum conceptum esse ex Patre & Filio.* Nicolaus Eymericus 2. parte Directorij, quęstione 19. Bernardus Lutzemb. de illius hæresi.

1520. Erasmus Roterodamus præfatione in tomum secundum operum D. Hieronymi, *Arianos* dicit, *non tam hæresim fouisse, quàm schisma fecisse; cùm essent illi nostris numero pares, eloquentia doctrinaq; superiores.*

1530. Martinus Lutherus in Enarratione Euangelij de sancta Trinitate: *Sanctissimæ Trinitati diem hodie festum celebramus, vbi prosp iciendum est, ne in cassum solennem diem ducamus: Tametsi vocula hæc Trinitas nusquam in diuinis Scripturis reperiatur, cæterùm humanitus tantùmodo inuenta sit. Vnde omninò etiam frigidè sonat, & multò præstabilius foret, si Deus potius, quàm Trinitas diceretur.*

In confutatione Latomianæ rationis: *Si odit anima mea vocem homousion, & nolim ea vti, non ero hæreticus, &c. Nec est quòd mihi obiectes aduersus Arianos receptum: Non fuit receptum à multis, quod & * Hieronymus optauit aboleri, ideoq; non effugerunt periculum, hoc inuento vocabulo, vt Hieronymus queratur nescire, quid veneni lateat in syllabis & litteris, adeò illud Ariani magis quàm Scripturas exagitabant.* *nusquã hoc Hieronymus de Homousio scribit.

1540. Michaël Seruetus lib.1. contra Trinitatem, *Tres illas res incorporeas in vna deitate distinctas, negat posse consistere: omnes qui Trinitatem statuunt in essentia Dei, Tritheitas & Atheos vocat, qui nec Deum nisi tripartitum & aggregatiuum habeant.*

Theodorus Beza epist.1. *Seruetus Patrem, Filium ac Spiritum sanctum Cerberum tricipitem appellauit.*

Caluinus contra Seruetum pag.880. *Seruetus Athanasium dicit fuisse Sathanasium, hunc tripartitum Deum inuenisse; Nicænos Patres omnes fuisse cæcos sophistas, ministros bestiæ, mancipia Antichristi, eiusq; præstigijs fascinatos.*

Ministri Ecclesiæ Tigurinæ epistola ad Senatum Geneuensem (est inter epistolas Caluini 159.) *Quòd ergo Seruetus Hispanus Trinitatem æternam Dei triceps monstrum, & Cerberum quendam tripartitum, denique imaginarios Deos, illusiones ac tres spiritus dæmoniorum appellitat, æternam Dei maiestatem nefandè & horribiliter blasphemat. Quòd Athanasium, Augustinũ, & alios Dei seruos eximios Trinitarios, atqne adeò Atheos appellat, (ita enim omnes Trinitatem agnoscentes nuncupat) non illos tantùm, sed totum chorum Sanctorum conuicijs indignissimè proscindit.*

1550. Sebastianus Francus epistola de abolendis ritibus Ecclesiasticis: *Seruetus, de quo lator præsentium plura tibi referet, vnam solummodò in diuinitate personam constituit: Patris nimirum, quem ipsissimum & proprijssimum spiritum nominat: Romana Ecclesia tres personas vnius essentiæ asserit. Mallem illi consentire.*

Ioannes Caluinus lib.1. Instit. cap.13. §. 5. *Vtinam sepulta essent nomina (Trinitatis, Personæ, Consubstantialis,) tonstaret modò hac inter omnes fides Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum vnum esse Deum: Nec tamen aut Filium esse Patrem, aut Spiritum Filium, sed proprietate quadam esse distinctos.*

Epistola ad Polonos pag.946. Vnus Deus, *id est Trinitas.* Creditis in Deum, *id est, in Trinitatem:* vt cognoscant te vnum Deum, *id est Trinitatem. Hoc non modò tamquam insipidum, sed vt prophanum quoque repudiamus.*

Ad cap.1. Ioannis: *Personas vocârunt discretas in Deo proprietates, quæ se mentibus conspiciendas offerunt.*

1550. Bernardinus Ochinus dialogo 2. *Vehementer exarsit in hac sancta diuinaq; nomina Deum infinitũ, Dei essentiam & substantiam, Deum in Trinitate personarum: ea vocans monstra Sathanica, Prophetis & Apostolis incognita.* Dialogo 20. *Si Trinitas* (inquit) *non apertè tradatur in sacris litteris, nemo ad eam credendam obstringitur.* Dialogo 21. *Cùm sit vna Ecclesia & vna fides, non debemus plura credere, quàm crediderunt Sancti fœderis antiqui: alioquin essemus deteriori, quam ipsi conditione, qui ad plura quam illi credenda obstringeremur. Illi autem non crediderunt Trinitatem, non personas coæquales, consubstantiales, coæternas.*

1550. *Valentinus Gentilis Patrem, Filium ac Spiritum sanctum ita distinguit, vt etiam separet: Inquit enim, hos esse tres æternos spiritus, eiusdem quidem naturæ, ordine tamen, gradu & proprietate distinctos: Pater solus habet αὐτουσίαν, & est αὐτοθεὸς, qui in se deitatis immensam essentiam habet, ab hoc Filium & Spiritum sanctum essentiatos esse, qui suam Deitatem ab illo dependentes habeant, & idcirco in Scripturis Deũ vnum dici, non quòd sit vnus numero, sed αὐτουσίας, principij nimirum & originis ratione.* Iosias Simlerus de æterno Dei Filio cap.1.

Ipse Valentinus ait Protheſi 33. *Confusio trium in vnum & eundem numero spiritum, fundamentum &*

origo omnium errorum fuit. Qui enim vnum Deum in tres personas distinguit, vel sibi præstigiàs facit, vel necessario vnius Dei substantiam diuidit ac discerpit. Protheſi 24. *Solus Pater est Spiritus* ἀγέννητος, *vniuersitatis auctor immensæq; substantiæ, Filius verò Spiritus est, ex Deo ineffabiliter genitus, paternæ voluntatis executor, ac pro generationis modulo circumscriptibilis genitus, & à genitore substantiali numero differens.* Protheſi 9. *Solus Pater est* αὐτοθεὸς, *id est, à nullo superiore numine essentiatus, sed à seipso Deus, qui vim generandi & propagandi habuit, quia voluit, ideoq; & λόγον ante secula genuit, & Spiritum propagauit.* Protheſi 22. *Christus & Spiritus sanctus, etiamsi sint eiusdem naturæ, substantiæ, intelligentiæ, id est Spiritus æterni consubstantiales: ita sunt tamen congruo gradu ordine & proprietate distincti, vt quemadmodum Pater, immensi & infiniti esse non possint.*

1550. *Lucas Lossius in Alcuini libros de Trinitate non rarò inculcat, tres personas inter se essentialiter esse discretas. Et Alcuinum ita loquentem facit lib.1. cap. 12. Hæc tria (personæ diuinæ) essentialiter tria sunt habentia proprietates suas: Quæ mox verba ipse contra vnitatem naturæ premit, & hoc modo dilatat: Essentialiter tria sunt, hoc est, hæ tres personæ Trinitatis verè inter se distinctæ sunt, quarum quælibet suas habet proprietates, quibus ab alijs substantialiter distinguitur.*

1550. *Henricus Bullingerus de Scripturæ & Ecclesiæ auctoritate aduersus Ioannem Cochlæum scribit, se confiteri, tres in diuinitate personas, non statu, sed gradu: non substantia, sed forma: non potestate, sed specie differre.*

1550. VVolfgangus Musculus primo Anticochlæo: *Nollem coram Ethnicis Patrem Filium & Spiritum sanctum dicere tres personas, ne viderer dicere tres Deos: vocabulum hoc persona, non ita necessarium est ad fidem Christianam, vt sine illo nequeas esse Christianus, cùm illud primi Christiani ignorauerint.*

1560. Theodorus Beza in magna confessione fidei Gallica, in principio secundi articuli puncto 1. *Verbum Dei clarè nos docet, quòd ista essentia diuina est distincta realiter, & secundùm veritatem, & ab æterno in tres personas.*

Confessio fidei duodecim ministrorum (quorum primarius fuit Beza) Plisiaci, publicis regni Comitijs in Gallia proposita: *Sancta nos edocet Scriptura, quòd in sola & simplici essentia diuina, quam confessi sumus, tres sunt personæ Pater Filius & Spiritus sanctus. Pater prima causa, principium & origo omnium rerum: Filius sermo & sapientia eius: Spiritus sanctus eius virtus & efficacia.*

1560. Iacobus Schegkius in Apologetico contra Genebrardum, fol.486. *Pater, Filius & Spiritus sanctus tria sunt realiter & hypostatice discrepantia.*

1560. Lambertus Danæus libro aduersus Genebrardum dicit, *orationem illam, qua dicimus in Litania:* Sancta Trinitas vnus Deus miserere nobis, *esse ineptam, insanam, inconcinnam, à Patribus malè inuentam atque periculosam.*

1560. *Seruetiani in Transyluania, tria Symbola, Apostolicum, Nicænum, & Athanasianum non admittunt nisi cum hac exceptione, quatenus verbo Dei consentiunt: negant tres esse personas diuinitatis: & Filium quidem ac Spiritum sanctum, non personas, sed altissimi Patris fingunt esse virtutes: quibus ille iam olim & nunc quoque, in noui mundi creatione, per Iesum Christum vtatur. Tum, ne illis obstet auctoritas Patrum, Augustinum & omnes veteres, qui tres in diuinitate personas profitentur, probrosè Trinitarios & Sophistas nuncupant.* Petrus Canisius in præfatione de corruptelis Verbi Dei.

1560. *Georgius Blandrata & Franciscus Dauidis in Polonia docent, esse quidem Patrem, esse Filium, esse Spiritum sanctum: non tamen tres debere dici personas, quòd sic Scriptura non loquatur: multoq; minus debere dici Deum trinum & vnum, è tribus personis: Symbolum Athanasij Sathanasij symbolum vocãt.* Petrus Carolinus in explicatione fidei, & Georgius Maior in confutatione errorum Georgij Blandratæ.

1578. *Nathanael Ælianus libro Germanico, quem inscripsit Matthan Ia. Quòd Deus vnus sit in essentia & persona, etiam Christus & Apostoli testantur in nouo Testamento. Christus cum dicit:* Audi Israel Dominus tuus, Deus vnus est: *Item Ioannis 17.* Hæc est vita æterna, vt credant te solum vnum Deum: *Paulus autem 1. Corinth. 8.* Etsi multi Dij, nobis tamen vnus est Deus Pater.

1579. *Articuli familiæ Amoris impressi Londini 1579. Trinitatem & Christi diuinitatem, passionem, mortem, ac resurrectionem vt Papistarum inuenta diligenter studeant tamquam vepres & spinas è vinea Domini extrahere, &c. Non est Trinitas: impiè loquuntur, qui dicunt Patrem esse Deum, Filium esse Deum, & Spiritum sanctum esse Deum. Hoc enim est profiteri tres Deos.*

1580. Christianus Francus libro contra Trinitatem Cracouiæ edito. *Quales fuerint, à quibus auidissimè receptum, comprobatum & proseminatum est Trinitatis dogma, nemo ignorat: Eos enim maximè omnium constat, imbutos consuetudine colendi multitudinem Deorum, cum maiorum, vt Apollinis, Martis; tum minorum, vt Castoris, Pollucis, Cereris, Liberi, Proserpinæ, Dianæ. Ex hoc vberrimo Deorum fonte & innumeri Sancti, tamquam minores inuocandi Dij, & tres etiam diuinæ personæ, veluti maiores Dij adorandi, in orbem Christianum profluxerunt.*

1582. Theodosius Schimbergius epistola præfixa scriptis Ioannis Sommeri: *Manifestum est Trinitatem, & diuinitatem Filij non esse articulos fidei veros, quia sunt impossibilia mentis: Ideo in rei veritate sunt blasphema dogmata & horrenda, ex imo orco, per filium perditionis, virtute Sathanæ Ecclesijs obtrusa. Falsus Deus & fictus à filio perditionis est, Deus vnus & trinus: hic enim nomine tenus Deus est, reipsa autem idolum.*

1590. Theodorus Dorschius libro Germanico, quo Franciſci Dauidis dogmata defendere conatur: *Falsus hic & fictus Deus, ait, ab homine peccati, est Deus trinus & vnus: Nam hic nomine tantùm Deus, reuera autem idolum est, de quo Paulus ait, quod nihil sit: Nam impossibile omninò est quod talis aliquis*

existens, qui vnus & trinus sit, possit aut debeat verus esse Deus. Nam verus Deus non est tantæ potentiæ, vt possit facere, esse eas res veneræ, quæ sunt impossibiles menti.

ASSERVNT SACRÆ LITERÆ.

Genes. 1. *vers.* 26. Dixit Deus: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.

Genes. 3. 22. Et dixit Deus: Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est.

Genes. 11. 7. Dixit Dominus: Venite, descendamus, & confundamus ibi linguam eorum.

Genes. 18. 1. Apparuit Dominus Abrahæ in conualle Mambre, sedenti in ostio tabernaculi sui, in ipso feruore diei. Cumq; eleuassent oculos, apparuerunt ei tres viri, stantes prope eum: quos cùm vidisset, cucurrit in occursum eorum de ostio tabernaculi sui, & adorauit in terram. Et dixit: Domine, si inueni gratiam in oculis tuis, &c.

Genes. 19. 24. Igitur Dominus pluit super Sodomam & Gomorrham sulphur & ignem à Domino de cælo.

Psal. 32. 6. Verbo Domini cæli firmati sunt: & spiritu oris eius omnis virtus eorũ.

Psal. 66. 8. Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus, & metuant eum omnes fines terræ.

Isaiæ 6. 3. Et clamabant alter ad alterum, & dicebant: Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus exercituum: plena est omnis terra gloria eius.

Oseæ 1. 7. Dicit Dominus: saluabo eos in Domino Deo suo.

Zachariæ 3. 2. Dixit Dominus ad Satan: Increpet Dominus in te Satan, & increpet Dominus in te.

Matth. 3. 16. *Marc.* 1. 10. *Luc.* 3. 22. Et aperti sunt ei cæli, & vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam, & venientem super se. Et ecce vox de cælis, dicens: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.

Matth. 28. 19. Euntes ergo docete omnes gentes: baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.

Lucæ 1. 35. Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi. Ideoque & quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.

Ioannis 14. 16. Rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum, Spiritũ veritatis. 26. Paracletus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia.

Ioannis 15. 26. Cùm venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit.

Act. 2. 33. Dextera igitur Dei exaltatus, (*Iesus*) & promissione Spiritus sancti accepta à Patre, effudit hunc quem vos videtis & auditis.

Galat. 4. 6. Quoniam estis filij, misit Deus Spiritũ Filij sui in corda vestra clamantem: Abba, Pater.

Ephes. 3. 14. Flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Iesu Christi, ex quo omnis paternitas in cælis & in terra nominatur, vt det vobis secundùm diuitias gloriæ suæ, virtute corroborari per Spiritum eius in interiori homine.

1. *Pet.* 1. 2. Electis secundùm præscientiam Dei Patris, in sanctificationẽ Spiritus, in obedientiam & aspersionem sanguinis Iesu Christi.

1. *Ioannis* 4. 13. In hoc cognoscimus quoniam in eo manemus, & ipse in nobis: quoniam de Spiritu suo dedit nobis, & nos vidimus, & testificamur, quoniam Pater misit Filium suum Saluatorem mundi.

1. *Ioannis* 5. 6. Et Spiritus est qui testificatur, quoniam Christus est veritas. Quoniam tres sunt qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus: & hi tres vnum sunt.

Iudæ 1. 20. In Spiritu sancto orantes vosmetipsos in dilectione Dei seruate, expectantes misericordiam Domini nostri Iesu Christi.

Iacobus Frater Domini.

In Liturgia: Deus magnus & mirabilis, conserua hæreditatem tuam, vt semper & perpetuò glorificemus te solum viuentem & verum Deum nostrum, sanctam & consubstantialem Trinitatem, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum; nunc, & semper, & in secula seculorum. Amen.

ASSE-

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Clemens Romanus. 80.

Constit. Apost. lib. 6. cap. 11. Confitemur vnum Deum, vnius Filij Patrem, & non plurium: vnius Paracleti per Christum aliorum ordinum effectorem.

Lib. 8. cap. 15. Tibi gloria, laus, magnificentia, veneratio, adoratio, & Filio tuo Christo Domino nostro, & Deo, & regi, ac sancto Spiritui, nunc & semper, & in secula seculorum. Amen.

Ignatius. 100.

Epistola ad Philipp. Vnus est vniuersorum Deus, Pater Christi, ex quo omnia: vnus Dominus noster Iesus Christus, per quem omnia: vnus Spiritus, qui operatus est, & vim suam exercuit in Mose, in Prophetis, & in Apostolis. Vnus Deus Pater, non duo, neq; tres. Vnus qui est, nec alius est præter ipsum, solus & verus. Vnus & est Filius Verbũ Deus: vnus & Paracletus. Non itaque tres Patres, neque tres Filij, neque tres Paracleti: sed vnus Pater, vnus Filius, & vnus Spiritus sanctus. Quare & Dominus mittens Apostolos ad docendũ omnes gentes, præcepit illis, vt baptizarent in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, non in vnum trinominem, neque in tres increatos, sed in tres eiusdem honoris.

Dionysius Areopagita. 100.

De diuinis nominibus cap. 1. Quocirca in omnibus fermè sanctis libris aduertimus diuinitatem sanctè prædicari, vt singularem quidem atq; vnicam ob simplicitatem atque vnitatem excellentis illius indiuidui, ex quo veluti vnifica virtute in vnũ euadimus, diuiduisq; nostris alteritatibus, supra mundanum modum conglobatis, in diuinã monadem atq; vnionem Deum imitantẽ colligimur. Vt Trinitatem verò propter diuinę fœcunditatis in tribus personis expressionem, ex qua omnis paternitas in cęlo, & in terra est, & nominatur.

De mystica Theologia capite 3. Itaque in eo quidem opere, quod de Theologicis institutionibus scripsimus, quæ sunt affirmantis Theologiæ imprimis propria celebrauimus: quomodo diuina illa benignissimaq; natura vnica, quomodo item trina dicitur, quęnam secundùm hanc sit Patris, quænam Filij appellatio, quid item istud est, aut quid significare vult, sancti Spiritus Theologia.

Prochorus. 120.

De vita B. Ioannis c. 1. Agite itaq; fratres fauore cõsubstantialis Trinitatis, pareamus præcepto Dei.

Cap. 5. Ioannes cœpit eos docere de vna sola diuinitate Patris & Filij & Spiritus sancti, quam deberent adorare, & quòd tres hypostases sint vna substantia.

Iustinus. 150.

In expositione orthodoxæ fidei: Vnum nos conuenit profiteri Deum, cuius est in Patre, & Filio, & Spiritu sancto notio: qua quidem Pater, Filius & Spiritus sanctus, vnius diuinitatis existentias agnoscentes: qua verò Deus existentiarum secundùm naturam & essentiam communionem intelligentia complectentes. Vnitas namque in Trinitate intelligitur, & Trinitas in vnitate cognoscitur. Quonam verò id modo, neq; ex alijs percunctari ipse velim, neq; mihi ipsi persuadere possim, rerũ arcanarum & ineffabiliũ rationem vt lingua lutea & carne squallida proferre audeam.

Athenagoras. 170.

Legatione pro Christianis: Deum asserimus, & Filium ipsius Verbum, & Spiritum sanctum: Trial quidem secundùm potentiam, Patrem, Filium & Spiritum; actu verò & essentia vnum. Filius enim Patris Mens, Verbum & Sapiẽtia est, & ab eodem Spiritus, vt lumen ab igne profluit.

Irenæus. 180.

Lib. 1. cap. 2. Ecclesia per vniuersum orbem vsque ad fines terræ seminata, & ab Apostolis, & à discipulis eorum accepit eam fidem, quæ est in vnum Deum Patrem omnipotentem, qui fecit cęlum & terram, mare & omnia quæ in eis sunt; & in vnũ Iesum Christum Filium Dei, incarnatum pro nostra salute; & in Spiritum sanctum, qui per Prophetas prædicauit dispositiones Dei.

Lib. 4. cap. 75. Per hanc igitur ordinationem, & huiusmodi conuenientiam, & talis factus, & plasmatus homo secundùm imaginem & similitudinem constituitur infecti Dei, Patre quidem bene sentiente, & iubente; Filio verò ministrante, & formante; Spiritu verò nutriente, & augente: homine verò paulatim proficiente, & perueniente ad perfectum, id est, proximum infecto fieri. Perfectus enim est infectus, hic autem est Deus.

Clemens Alexandrinus. 200.

Lib. 1. Pædagogi cap. 6. Dominus Christus fructus Virginis, non beata dixit vbera fœminea, nec ea ad nutrimentum delegit; sed cùm amans & benignus Pater Verbum impluisset, ipsum iam spirituale alimentum factum est bonis & moderatis hominibus. O miraculum mysticum. Vnus quidem est vniuersorum Pater, vnum etiam est Verbum vniuersorum, & Spiritus sanctus vnus, & ipse est vbique.

Lib. 3. Pædagogi, cap. 12. Laudemus vnum Patrem & Filium: Filium inquam Pædagogum & magistrũ, vnà cum sancto Spiritu, qui vnus est omnia, in quo omnia, & per quem omnia vnũ, per quem est quod semper est, cuius membra omnes, cuius sunt gloria & secula, qui est vndequaque bonus, vndequaque sapiens, vndequaque iustus.

Origenes. 230.

Homilia 12. in Numeros: Videamus ergo quorum puteorum vnum dixerit fontem. Ego puto quòd scientia ingeniti Patris vnus possit intelligi puteus, sed & vnigeniti Filij eius cognitio alius puteus intelligi debeat. Alius enim à Patre Filius, & non idem Filius qui & Pater, sicut ipse in Euangelio dicit: *Alius est qui & de me testimonium dicit Pater.* Et rursus tertium puto videri puteum posse cognitionem Spiritus sancti: Alius enim & ipse est à Patre & Filio: sicut de ipso nihilominus in Euangelio dicitur: *Mittet vobis Pater alium Paracletum, Spiritum veritatis.* Est ergo hæc trium distinctio personarũ, in Patre, & Filio, & Spiritu sancto, quæ ad pluralem puteorum numerum reuocatur. Sed horum puteorum vnus est fons; vna enim substantia est & natura Trinitatis. Et hoc modo non otiosa inuenietur Scripturæ sanctę distinctio, quę dicit, de puteorum tuorum fonte. Sed obseruanter mystica signauit eloquia, vt quod pluraliter dictum est personis, singulariter substantiæ conueniret. Ioan. 14.

Homilia 4. in Esaiam: Ob id alter ad alterum clamabant: *Sanctus, Sanctus, Sanctus.* Non eis sufficit semel clamare sanctus, neque bis, sed perfectum Trinitatis numerum assumunt, vt multitudinem sanctitatis manifestent Dei, quæ est Trinæ sanctitatis repetita communitas: Sanctitas Patris, sanctitas vnigeniti Filij, & Spiritus sancti. Etenim sanctificans & sanctificati ex vno omnes.

Lib. 1. dè principijs cap. 3. In Trinitate nihil maius

minusve dicẽdum eſt,cùm vnus diuinitatis fons verbo ac ratione ſuſtineat vniuerſa: Spiritu verò oris ſui, quæ digna ſunt ſanctificatione ſanctificat.

Ad cap.3. epiſt. ad Romanos: Fidere dicimus in Patrem & Filium & Spiritum ſanctum, qui integram ſubſtantiam,plenam perfectamq́,qui nihil diuerſum, nil diſcrepans, aut extraneum in Trinitate profitetur.

Dialogo primo de recta in Deum fide: Credo vnum omnium conditorem eſſe & opificem, & qui ab illo eſt, Deum Verbum conſubſtantialem iuxtáque perennem, eumq́ extremis temporibus hominem ex Maria aſſumpſiſſe, & in crucem actum & excitatum à mortuis. Credo etiam Spiritui ſancto, qui in omnem æternitatem exiſtit.

Gregorius Neocæſarienſis. 260.

In confeſſione fidei: Vnus eſt Pater Verbi viuentis, ſapientiæ ſubſiſtentis, & potentiæ & figuræ æternæ, perfectus perfecti genitor, Pater Filij vnigeniti, vnus Dominus, ſolus ex ſolo, Deus de Deo, figura & imago Deitatis, verbum efficax, ſapientia conſtitutionis rerum vniuerſarum comprehenſiua, & potentia totius creaturæ effectrix: Filius verus veri Patris, viſum effugiens viſum effugientis, & corruptioni non obnoxius non obnoxij corruptioni, & morti non obnoxius non obnoxij morti, æternus æterni: Vnus Spiritus ſanctus ex Deo ortum & exiſtentiam habẽs, quiq́ per Filium apparuit videlicet hominibus,imago Filij perfecti perfecta, vita viuentium cauſa,fons ſanctus, ſanctitas ſanctificationis ſuppeditatrix, per quem manifeſtatur Deus Pater, qui eſt ſuper omnia & in omnibus; & Deus Filius, qui per omnia permanat. Trinitas perfecta gloria atque æternitate & regno non diuiditur, neque abalienatur. Ergo neque creatũ quicquam aut ſeruum in Trinitate eſt, neque aſcititium quicquam & aduentitium,vt quod prius quidem non eſſet,nec ſuppeteret, poſterius autem introductum ſit: neque verò deeſt vnquam Filius in Patre; neque in Filio Spiritus: ſed immutabilis & inalterabilis eadem ſemper eſt Trinitas.

Concilium Nicænum. 325.

In Symbolo: Credo in vnum Deum Patrẽ omnipotentem, factorem cæli & terræ, viſibilium omnium & inuiſibilium. Et in vnum Dominum Ieſum Chriſtum, Filium Dei vnigenitum, & ex Patre natum ante ſecula,&c. Et in Spiritum ſanctum Dominum &viuificantem,qui ex Patre Filioq́ procedit, qui cum Patre & Filio ſimul adoratur & conglorificatur,&c.

Euſebius Cæſarienſis. 330.

Epiſtola de fide Nicæna: Credimus in vnum Deum Patrem omnipotentem viſibilium & inuiſibilium creatorem, & in vnum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Dei Verbum, Deum ex Deo, lumen de lumine,&c. Credimus & in vnum Spiritum ſanctum.Et iſtorum quemque eſſe & exiſtere credimus: Patrem verè patrem,& Filium verè filium, & Spiritum ſanctum verè ſpiritum ſanctũ: quemadmodum & Dominus noſter mittens diſcipulos ſuos dixit: Profecti docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti. Matt.28.

Athanaſius. 350.

In dictũ: *Omnia ſunt mihi tradita à Patre:* Trinitas vndecunque laudabilis,&venerabilis,& adoranda vna eſt, & indiuiſibilis, & quæ figura exprimi nequeat. Coniungũtur autem hæ Sanctificationes pro inſecabili illa Vnitate. In eo enim ipſo, quo ampliſſima iſta animantia tertiò protulerunt glorificationem, dum aiunt: *Sanctus, Sanctus, Sanctus,* triplici numero tres perfectas, abſolutas, integras perſonas oſtendunt, quemadmodum ſub vnica voce, *Dominus,* vnam ſubſtantiam declarant.

De æterna ſubſtantia Filij & Spiritus ſancti contra Sabellij gregales: Pater ſuum eſſe ad plenum poſſidet, & citra vllum defectũ radix & fons Filij & Spiritus ſancti. Itidem quoque Filius eſt,viuitq́ in plena integraq́ deitate,vt Verbum & germen Patris ſui citra vllum defectum. Plenus quoque Filio Spiritus ſanctus, nõ pars alicuius,ſed integer per ſe: atque ita verè Trinitas coadunata eſt ſine vllis interuallis. Nihil enim eſt quod illos diſtineat, coexiſtunt æternaliter, cùm nullum æuum intercedat. Formam porrò vnam & eandem ex ſe reddunt,Patre quidem in Filio ſpectabili,Filio verò & in Spiritu intelligibili, & ab homine in participatũ recepto. Ne igitur, quaſi in corpore, tria membra indiuiſa imaginemur, ſed accipiamus indiuiſam coexiſtentiam, inuicem ſibi coexiſtentibus ſine vllo interuallo: & tres cùm reuera ſint, vnam formam intelligamus, quæ quidem incipit à Patre,ſed reſplendet in Filio,apparet autem & demonſtratur in Spiritu ſancto.

Baſilius Magnus. 370.

Sermone de Aſceſi, ſiue exercitatione monaſtica: Monachum oportet de Patre & Filio & de Spiritu ſancto cum nemine diſputare, ſed Trinitatem increatam & coeſſentialem firmè libereq́ credere & confiteri, & ſe percunctantibus ſic reſpondere.

In Hexameron diuini opificij homilia 10. Dixit faciamus hominem, vt hoc inſigni dicto agnoſcas Patrem & Filium & Spiritũ ſanctum. At poſterius: Fecit Deus hominem,diuinam vt vnias maieſtatem. Sanè vt vnias nõ eas, quæ hypoſtaſes dicuntur, hoc eſt,ipſas tres perſonas,ſed quatenus id vnitatem concernit potentiæ, vt vnam in diuinis retineas gloriam ac maieſtatem,circa eius adorationem, impartiliter habens te, non item eam vnitatem diſſecans aut partiens in Deorum multitudinem. Neutiquam dixit: Fecerunt Dij hominem, ſed fecit Deus, diſcreta licet ſit Patris ac propria hypoſtaſis,perſona videlicet,propria itẽ Filij, propria quoq́ Spiritus ſancti. Quidni igitur tres ſunt? Quod vna ſit diuinitas.Quam enim in Patre contemplor diuinitatem,omnibus eſſentiæ gradibus,eandem intueor & in Filio.Et quam in Spiritu ſancto, hanc ipſam & in Filio iubeor agnoſcere, quod forma in vtroq́ ſit vna, & principium à Patre in Filio idem,quo ſit vt apud nos adorandi & glorificandi ratio vna ſit.

Ephræm. 370.

De recta viuendi ratione cap.46. Rebus omnibus tibi anteponenda eſt fides ſanctæ & conſubſtantialis Trinitatis: quòd ſine ea vitam,quæ verè vita ſit,viuere nemo queat.

Libello, quo ſeipſum reprehendit, & peccata ſua confitetur: Sanctæ Trinitati diuinitas eſt coæterna: Pater,& Filius,& Spiritus ſanctus, tres quidem perſonæ ſunt: ſed vna ſubſtantia, atque vna diuinitas.

Cyrillus Hieroſolymitanus. 370.

Catecheſi 16. Sicut vnus eſt Deus Pater,neque eſt ſecundus Pater: & ſicut vnus eſt vnigenitus Filius & Verbum Dei, fratremq́ non habet: ſic vnus tantùm eſt Spiritus ſanctus, & alius non eſt ſpiritus æqualis cum illo dignitatis. Vnus Deus Pater veteris & noui Teſtamenti Dominus: & vnus Dominus noſter Ieſus Chriſtus, in veteri per Prophetas prædictus,& in nouo aduenies: & vnus Spiritus ſanctus, qui per Prophetas de Chriſto præ-

intellexeris, principij quoque omnis eſt expers. Neque enim temporum Dominus tempori ſubiectus eſt.

Oratione 32. in præſentia 150. Epiſcoporum habita: Hic populus adeò verus ac ſyncerus eſt Trinitatis adorator,vt ab hac potius vita ſe diuelli paſſurus ſit, quàm vt trium horum aliquid à diuinitate diſiungat, &c. Nomen principij experti, Pater: principio, Filius: ei autem,quòd cum principio eſt, Spiritus ſanctus. Vna autem his tribus natura Deus eſt. Vnio verò eſt Pater, ex quo,& ad quẽ ea,quæ deinceps ſequuntur,referuntur: non vt confundantur ac permiſceantur; ſed vt cohæreant: nimirum nec tempore ea ſecernente ac diſtinguente,nec voluntate,nec potentia. Hæc enim tria, vt multa ſimus, effecerunt, ſingulis nempe; & ſecum,& cum alijs,diſſidentibus. At quibus & ſimplex natura, & eadem eſſentia eſt, his propriè quoque vnius vox conuenit.

Epiphanius. 380.

Hæreſi 57. Oſtendit in ſubſtantia eſſe Patrem,in ſubſtantia Filium,in ſubſtantia Spiritum ſanctũ. Rurſus in Iordane è ſupernis Pater loquebatur: Filius verò in Iordanem deſcendit: Spiritus intermedius in ſpecie columbæ apparebat, & venit ſuper ipſum, & quidem cùm Spiritus carnẽ non geſtarit, neque corpus induerit. Quo verò ne putetur coniunctio eſſe Spiritus ſancti ad Filium, figuratur in ſpecie columbæ, vt videretur natura in ſubſtantia eſſe Spiritus. Vnde verò aliunde nõ poſſimus oſtendere contra hos, qui inſaniam in ſeipſis pepererunt? Siquidem enim verum dicit ipſorum ſententia, & ſermo vanus; neque conſiſtentiam,neque vim habens, neque intelligentiæ rationem: Ergo reijciendæ ſunt Scripturæ, quæ vbique Patrem cognoſcunt Patrem,& Filium Filium, & Spiritum ſanctum Spiritum ſanctum. At quid dicis,ô bone? Num Deorum multitudinem putauerunt, qui verè cultum & reuerẽtiam Trinitati offerunt, qui ſanè ſunt filij veritatis & ſolius Catholicæ Eccleſiæ? Profectò non ſic. Quis enim non gaudet, vnum veritatis Deum eſſe? Patrem omnipotentem,ex quo vnigenitus Filius in veritate Deus Verbum, in ſubſtantia Verbum verum,genitus ex ipſo,ſine principio,ſine tempore? Quapropter vnum Deum certò prædicat Eccleſia; Patrem & Filium: *Quoniam ego in Patre, & Pater in me eſt, & duo vnum ſumus:* hoc eſt vna deitas,& vna voluntas,& vna dominatio. Ex ipſo verò Patre etiam Spiritus procedit, in ſubſtantia exiſtẽs, in veritate perfectus, Spiritus veritatis, qui illuminat omnia,qui ex Filio accipit, Spiritus veritatis, Spiritus Patris, Spiritus Chriſti. Quapropter vnam deitatem nouit Eccleſia. Vnus eſt Deus veritatis Pater, Pater perfectus in ſubſtantia, Filius perfectus in ſubſtantia, & Spiritus ſanctus perfectus in ſubſtãtia, vna deitas, vnus principatus, vnũ dominium. Quapropter vbiq́ clarè prædicãt diuinę Scripturę vnum Deum, hoc eſt, Trinitatem coëſſentialem; ſemper exiſtentẽ, eiuſdem identitatis, eiuſdem dominationis.

Hæreſi 62. Trinitas ſemper eſt Trinitas, & nunquam Trinitas appoſitionem accipit, vna exiſtẽs deitas, vna dominatio, vna glorificatio; ſed Trinitas numeratur Pater,& Filius,& Spiritus ſanctus, non velut vnum quiddam tribus nominibus appellatum, ſed verè perfecta nomina; perfectæ ſubſtantiæ, nihil immutatum. Pater autem ſemper Pater,& non erat tempus quando nõ erat Pater Pater. Perfectus ſemper exiſtens Pater in ſubſtantia, & Filius ſemper perfectus exiſtens, ſemper in ſubſtantia, ex Patre in veritate genitus, ſine principio, ſine tempore,& inenarrab

In Ancorato: Tria ſancta, tria conſancta, tria in

forma, tria cõformia, tria operantia, tria cooperantia, tria in subſtantia extantia, tria coëxtantia in ſubſtantia, inter ſe conuerſantia. Trinitas hæc ſancta vocatur, tria exiſtentia, vna cõcordia, vna deitas, eiuſdem eſſentiæ, eiuſdem ſubſtantiæ, eiuſdem potentiæ, ſimilia ex ſimili, æqualitate gratiæ Patris & Filij & Spiritus ſancti.

Gregorius Nyſſenus. 380.

Orationis catecheticæ cap. 39. Quoniam ergo in Euangelio tres ſunt perſonæ, & nomina, per quæ eis quæ creduntur origo fit, & generatio: Generatur autem ex æquo, qui in Trinitate generatur, à Patre, & Filio, & Spiritu ſancto. Ita enim de Spiritu dicit Euangelium: Quod id, quod eſt generatũ ex Spiritu, eſt Spiritus. Et Paulus, gignit in ſpiritu, & Pater omnium eſt Pater. Hîc mihi ſit ſobria mẽs auditoris, ne ſe efficiat prolem naturæ inſtabilis, cũ ſtabilem & inalterabilẽ ſibi liceat vitæ ſuæ principem efficere & auctorem. Nam conuenienter affectioni cordis eius, qui accedit ad diſpenſationem, eſt in poteſtate eius, qui gignitur, & increatam quidem confitens Trinitatem, ingrediatur vitam immutabilem & inalterabilem. Creatam autem aſpiciens naturam in Trinitate falſa exiſtimatione, & deinde in ea baptizatus, ingeneretur rurſus in vita mutabili, & quæ alteratur.

Sermone de Trinitate contra Iudæos: Quæ cùm ita ſint, perſpicuè & clarè ſancta Tripitas, Patris inquam, & Filij, & Spiritus demonſtrari atque probari poteſt: Quippe huius ad ſeipſam ſanctæ & coëſſentialis Trinitatis eſt illud: *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram*, &c. Atque in pluribus veteris Teſtamenti locis ſenſim & tacitè indicante S. Trinitate, deprehendi & animaduerti poteſt eius hypoſtaſis, id eſt, repræſentatio perſonarum, & coëſſentialitas vel cõſubſtantialitas, hoc eſt vnitas & identitas eſſentiæ & naturæ.

Ioannes Chryſoſtomus. 400.

Sermone de ſancta & conſubſtantiali viuificaq; & inſeparabili Trinitate: Qui aduerſus ſanctam & conſubſtantialem, inſeparabilemq; Trinitatem linguas acuunt & blaſphemant, nituntur q; Vnigeniti & Spiritus ſancti dignitatem deſtruere, arguuntur quidem ab ipſo Spiritu ſancto, qui locutus eſt per Prophetas &c. Maledictus omnis qui adorat creaturam & facturam: nos autem non adoramus creaturam, ſed Trinitatẽ increatam, mutationis expertem & conſubſtantialem, nihilq; habẽtem aduentitium vel ſeruile, vel quod productione in eſſe venerit, quaſi prius quidem non exiſtens, poſtea autem aduenies.

Homilia 11. in Marcum: Nos in Trinitate credimus, non credimus in quaternitate, duas in Chriſto eſſe perſonas. Si enim Chriſtus duas perſonas habet, Pater & Filius, id eſt Chriſtus, duplex eſt: ergo quatuor perſonæ ſunt. Nos ergo credimus in Patrem & Filium & Spiritum ſanctum.

Syneſius. 410.

Hymno 1. Laudo te, vnum. Laudo te, tria. Vnum ens es tria: Triaq; ens vnum es.

Proclus Conſtantinopolitanus. 430.

Epiſtola ad Armenos de fide. Vnus igitur eſt Filius, vnus Dominus eſt. Trinitatem namque vnius eſſentiæ confitemur, quartam nullatenus admittentes in Trinitate perſonam.

Cyrillus Alexandrinus. 430.

Aduerſus Anthropomorphitas, cap. 6. Sancta & cõſubſtantialis Trinitas excellentior eſt, quàm vt vlla ſpecie aut ſimulachro corporeo cõtineatur. Certa autem fide comprehendendum eſt, quòd Pater in Filio, & Filius in Patre, & qui videt Filium videt & Patrem. Cernitur autẽ & Filius in conſubſtantiali Spiritu. Scriptum eſt enim: *Dominus autem Spiritus eſt.* Vbi autem in vniuerſum identitas eſt eſſentiæ, ibi nulla planè differentia ſtatui poteſt: ſed id quod Patrem eſſe intellexeris, hoc etiã eſt Filius, præter vnũ id quod Pater eſt: & quod Filium eſſe cognoueris, hoc eſt etiã Spiritus, citra id quod Filius eſt. Vnumquodq; eorum quæ nominauimus in propria ſua hypoſtaſi ſubſiſtit, vereq; eſt id quod dicitur.

Lib. 4. in Ioan. cap. 18. Quia vna Patris & Filij & Spiritus ſancti natura eſt, ideo non ſunt diuiſæ operationes: ſed quod ab vna perſona factum dicitur, id opus totius Trinitatis eſt. Cùm enim cõſubſtantialitate vnum ſit Trinitas, vna profectò eſt virtus eius atque potentia: Omnia enim ex Patre per Filium in Spiritu ſunt.

Iſidorus Peluſiota. 440.

Lib. 2. epiſt. 142. Minimè quidẽ oportet diuinitatis naturam Iudæorum more in vnum Deum & Patrẽ contrahere: verùm ſanctam atque eiuſdem eſſentiæ Trinitatem dilatare: Siquidem perſonarum qualitate atque hypoſtaſeon proprietate diſtinguentes, per eſſentiæ identitatem eam rurſum in vnum Deum contrahimus.

Lib. 3. epiſt. 149. AEternum diuinæ naturæ propriè conuenit: ac proinde de adoranda duntaxat, ac ſummè regia Trinitate, quæ nec prius, nec poſt, nec primum, nec ſecundum, nec tertium admittit, vſurpari ſolet.

Theodoretus. 450.

In Geneſin quæſt. 20. In ſancta Trinitate tres intelligimus hypoſtaſes, easq; ſine confuſione vnitas, & per ſe ſubſiſtentes: Nam ante ſecula genitus eſt à Patre Deus Verbum: inſeparabilis autem eſt à genitore, & proficiſcitur à Deo & Patre Spiritus ſanctus, qui & intelligitur in propria hypoſtaſi.

Dialogo 1. Dei Patris & Filij vnigeniti & ſanctiſſimi Spiritus vnam ſubſtantiam dicimus, quem admodũ à Scriptura tam veteri quàm noua, & à Patribus, qui Nicææ conuenerunt, edocti ſumus.

Baſilius Seleucius. 460.

Oratione de Verbi incarnatione: Ex procreatarum rerum magnitudine & pulchritudine, illarũ molitor & opifex, qui eſt Pater & Filius & Spiritus ſanctus, certa quadã ratione dignoſcitur, & ſpectatur. Hęc enim Trinitas in vnitate cognita, vnitas q; viciſſim in Trinitate adorata, illorũ omniũ, quæ natura conſtant, eſt principium ſine principio, illuminationumq; omnium fons vberrimus, & venuſtorum omnium venuſtas venuſtiſſima.

Andreas Cæſareenſis. 500.

Ad cap. 10. Apocalyp. *Qui eſt, qui erat, & qui venturus eſt, Sanctus, Sanctus, Sanctus:* Per ſanctitatis nomẽ tertiò repetitum, diuinitati, quæ in tribus hypoſtaſibus ex æquo ſubſiſtit, laudem deferunt. Porrò autem illud, *Qui eſt, qui erat, & qui venturus eſt*, ſacroſanctæ Trinitatis myſterium nobis ob oculos ponit.

Ioannes Maxentius. 510.

In 2. fidei confeſſione: Eſt Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus ſanctus, non tres, ſed vnus Deus, vna ſubſtãtia ſiue natura, vna virtus, vna dominatio, vnum regnum, vna omnipotẽtia, vna gloria; tres tamen ſubſiſtentiæ, ſiue perſonę. Vnaquæque perſona incommutabiliter ſemper obtinens qd̃ proprium eſt, ita vt nec Pater ſit Filius aut Spiritus ſanctus, nec Spiritus ſãctus Pater ſit aut Filius.

Aeneas Gazæus. 530.

In Theophraſto: Atq; eiuſmodi eſt perennis hæc magna Patris ſapientia & virtus, quæ eſt vnitas & diuina Trinitas, nec maius, nec minus quicquã in ſe recipiens. Eſt enim vna ſubſtantia, quæ mentem habentes ſubſtantias conſtituit ac fecit.

Zacharias Mithylenæus. 530.

De mundi æternitate contra Philoſophos: Fuit nobis aliquando, ô amice, de principali ac beata Trinitate ſermo. At verò Philoſophus poſtulabat ſcire, qui eandem & Trinitatem & vnitatem eſſe dixeramus. Hæc etiam non eſſe vllo modo conſentanea pronunciabat. Ego autem ad ipſum: Triadem eſſe dicimus Trinitatem in vnitate, & vnitatem in Trinitate, propterea quòd hypoſtaſes quidẽ tres ſunt, vnica autem eſſentia &c. Domine & opifex vniuerſi Pater, Verbum, & Spiritus ſancte, diuina Trinitas, & trina atque ſancta vnitas, Pater principij expers, & ingenite, Fili, ſine principio genite, diuine Spiritus ſine principio à Patre procedens, Trinitas ineffabiliter in vnitatem relata, vnitas in Trinitate inenarrabiliter adorata, neque cõprehenſa Trinitas, increata, ſempiterna & conſubſtantialis.

Procopius Gazæus. 530.

Ad caput 1. Geneſ. *Dixit Deus: Faciamus hominem*, &c. Dura ora, quæ audent negare eſſentiæ diuinæ perſonas. Non enim inquit: Fiat homo, ſed: *Faciamus hominem.* Sed ſunt qui Angelis eum loqui contendũt. Si Angelos vt ſocios Deus creationis aſciuit, certè genus creatum cum Deo increato vel æterno condidit hominem, ſeruusq; finxit ſeruum. Præterea quomodo poteſt opinio veſtra ſtabiliri, cùm continuò inferat, *ad imaginem noſtram?* At non vna imago eſt Dei & Angelorum: Sanctę verò Trinitatis vna eſt imago, diuinitùs cõſiderata & perpenſa, in vnitate vel proprietate diuinitatis. Nam inquit: *Ego & Pater vnum ſumus: Qui me videt, videt & Patrem meũ.* Itaque Filio dicit: *Per quem & ſecula condidit:* Spiritui ſancto dicit: *Per quem firmatæ ſunt virtutes cælorum:* & quem orbem terrarum impleuiſſe teſtatur & c. Si vna eſt imago Deitatis, quomodo quidam audent diſſimilem eſſe Filium aut Spiritum ſanctum differere? Multitudinem quidem perſonarũ Scriptura ſignificat, verùm vbique vnam imaginem Trinitatis commemorat.

Iuſtinianus Imperator. 530.

In fidei confeſſione: Confitemur credere in Patrem & Filium & Spiritum ſanctum, Trinitatem conſubſtantialem, vnam Deitatem, ſiue naturam, & ſubſtantiam, & virtutem, & poteſtatem in tribus ſubſiſtentijs ſiue perſonis adorantes, in quibus baptizati ſumus, in quas credimus, & quibus confeſſiones dedimus: proprietates quidem ſeparantes, Deitatem autem vnientes. Vnitatem enim in Trinitate, & Trinitatem in vnitate adoramus, mirabilem habentem & diuiſionẽ & vnitionem. Vnitatem quidem ſecundùm rationem ſubſtantiæ ſeu Deitatis: Trinitatem autẽ ſecundùm proprietates, vel ſubſiſtentias ſiue perſonas. Diuiditur enim ſine diuiſione (vt ſic dicamus) & coniungitur diuiſè: Vnũ enim eſt Deitas in tribus, & tria vnum in quibus Deitas eſt. Aut (vt ſubtilius dicamus) ipſa tria eſt Deitas, Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus ſanctus, cùm vnaquæque perſona ſolùm intelligitur mente ſeparante inſeparabilia. Et tria vnus Deus, cùm ſimul intelliguntur propter eandem virtutem, eandemq; naturam, quam oportet & vnum Deum confiteri, & tres ſubſiſtentias prædicare, ſeu tres perſonas, & vnamquamque cum ſua proprietate.

Synodus Quinta Conſtantinopolitana. 553.

Confeſſione ſeu Collatione 8. cap. 1. Si quis non confitetur Patris & Filij & Spiritus ſancti vnam naturam ſiue ſubſtantiam, & vnam virtutem & poteſtatem, Trinitatem conſubſtantialem, vnam Deitatem in tribus ſubſiſtentijs ſiue perſonis adorandam, talis anathema ſit.

Andreas Cretenſis. 560.

Oratione in Annuntiationem B. Mariæ Virginis: Benedictus fructus, quem omnis cæleſtium terreſtrium & infernorum lingua celebrat triplici ſanctitate, in vna diuinitate Trinitatem indicans perſonarum.

Ruſticus Diaconus. 570.

Contra Acephalos: Qui igitur vhum ſunt Pater & Filius, aliud non ſunt: Pater igitur, & Filius, & Spiritus ſanctus vnum quidem ſunt, quia vna eorum natura eſt: vnus autem non ſunt, quia tres perſonæ ſunt:

Anaſtaſius Synaites. 580.

De rectæ fidei dogmatibus lib. 1. Cùm dico: ſancta Trinitas, Trinitatem dicens, non vtique eſſentiarum, ſed perſonarum. Vnum enim Deum glorificamus, non numero perſonarũ, ſed natura. Quod enim eſt Dei, hoc prorſus vnum eſt numero: ſingulæ alioqui perſonæ vnum ſunt natura, & hoc vnum eſſentia, non item prorſus vnum eſt numero. Itaque ſancta Trinitas eſſentia quidem eſt vnus Deus, numero autem Trinitas, quam in Patre & Filio & Spiritu ſancto ipſi adoramus, ac definimus. Neque enim vnquam intra Trinitatem contrahitur, neque vltra eam ad alterum ſeeffundit numerum. Non enim fas eſt vel duernionem cogitare, vel introducere quaternionem, & myſtico huic ſanctæ Trinitatis numero adiungere, aut quiduis ex præſcripto ternario auferre. Trinitas ſemper eſt, tota ipſa rerum opifex, tota adoratur, ſibiipſi conſempiterna, ſola increata. Creat namque, non item creatur. Ea nihil antiquius, poſterius ipſa nihil vſpiam eſt, &c. Neceſſariò igitur ternarius numerus pro qualicunque aſſumitur explanatione diuinæ naturæ, ad confirmationem deſcriptarum prius perſonarum: qui quidem numerus ſubſtantiuam habitudinem ipſarum expreſſiùs indicat, ſimul & earum eſſentiam oſtendit eſſe conſempiternam.

Procopius Cartophylax. 580.

In encomio S. Marci: Trinitas in vna natura adoratur & nuntiatur: Ita ab omni homine, Pater ſine principio, & Filius ipſe quoque ſine principio; cum eiuſdem ſubſtantiæ, & vitam dante Spiritu; diuinis ſermonibus explicatur atque cõlitur, in tribus videlicet perſonis vnus Deus, ſingularis illa & diuina natura, vna illa rerum omnium effectrix potentia, quæ mente non comprehendi tur.

Leontius. 600.

De Sectis, actione prima: Hanc fidem profiteamur, vnam ſcilicet eſſe diuinitatem, quæ tribus in hypoſtaſibus intelligatur. Vna Patris eſt hypoſtaſis, altera Filij, tertia Spiritus ſancti. Atque hæc tria nihil inter ſe differunt, niſi ſolo proprietatum reſpectu; quatenus hic Pater eſt, alter Filius, tertius Spiritus ſanctus. Nam horum trium vna eſt ſubſtantia, vna poteſtas, vna voluntas. In hoc tantùm differunt, quòd Filius ex Patre gignitur, Spiritus procedit. Quo autẽ modo vel Filius ex eo gignatur, vel Spiritus ſanctus procedat, curioſius inueſtigandum non eſt.

Antiochus. 610.

De fide Homilia 1. Aſtruimus porrò fidem eſſe, quã ipſi credimus in Patrem, & Filium, & Spiritũ ſanctum, conſubſtantialem & viuificantem Trinitatem, cũctis ſupereminentem. Itaque per omnem, qui de diuinis eſt, tractatum, auguſtiſſimam Dei maieſtatem ſacris cõſpicimus celebrari hymnis, nunc quidem vt ſingularem vnitatem, propter ſimplicitatem impartilitatis naturæ omni ſuperioris, eoq; inenarrabilis illius, per quam tanquam

virtutem viuificam,ipsi in vnum coalescimus & counimur. Nunc verò Trinitatis nomine prædicatur, vt tanta illa maiestas, qualicunque delineatione declaretur tribus subsistere personis,alioqui prolificationis immensæ.

Sophronius Hierosolymitanus. 630.

Epistola ad Honorium: Trinitatem in vnitate credimus,& in vnitate Trinitatẽ glorificamus: Trinitatem quidem pro tribus subsistentijs, vnitatem autem propter singularitatem Deitatis. Seu igitur sancta Trinitas numerabilis personalibus facta est subsistentijs, siue sancta vnitas extra omnem numerum est, & hæc quidem indiuisibilem habet diuisionem,& inconfusam gerit coniunctionem. Cùm diuiditur namque numeralibus subsistentijs, & numeratur personalibus alternitatibus,identitate essentiæ atque naturę coniungitur,& omnimodam partitionem non recipit. Vnitas enim singularis, & incomputabilis, omnem refugit secũdùm essentiam numerũ. Vnus enim Deus à nobis enixiùs creditur, quoniam & Deitas vna flagranter prædicatur, licet in Trinitate personarum agnoscitur: & vnus Dominus à nobis annuntiatur, quoniam & dominatio vna firmiter agnoscitur,licet in tribus subsistentijs demonstretur.

Maximus Monachus. 640.

Centuria 2. de charitate, numero 29. Quando dicit Dominus: *Ego & Pater vnum sumus*,vnitatem essentię significat:Quando verò rursum dicit:*Ego in Patre sum, & Pater in me est*, indiuisibilem personarũ communionem indicat. Itaque Tritheitæ,qui Filium à Patre segregant,in anceps labuntur præcipitium. Aut enim coæternum Patri Filium affirmantes, segregantes verò illum ab eodem,coguntur dicere, è Patre non esse natum,atque adeò eò adiguntur, vt dicant tres esse Deos, & tria Principia.Aut si dixerint è Patre esse natum,cæterùm segregantes illum, coguntur dicere, Filium Patri non esse coæternũ, atque ita omnium temporum Dominum faciunt esse temporaneum.Nam vnus Deus nobis colendus & obseruandus est, & tres personæ confitendæ.

Expositionis Liturgiæ cap.24. Deus vnus, vna substantia,tres personæ seu hypostases, ter subsistens substantiæ vnitas, & eiusdem cum hypostase seu personis substantię Trinitas, vnitas in Trinitate, & Trinitas in vnitate, non alia & alia,neque alia præter aliam: sed eadem in seipsa,& per se sub seipsa, sibi ipsi idem, & vnitas & Trinitas, incompositam & inconfusam vnionem habẽs & discretionem, quæ nec diuidi, nec in partes scindi potest. Vnitas quidem ex substãtię, seu quatenus est, ratione,sed non ex substantiæ compositione vel contractione vel cuiusmodicunque confusione: Trinitas verò ex modi existendi & subsistendi ratione,sed non per diuisionem, vel alienationem, vel cuiusmodicunque partitionem. Neque enim vnitas hypostaseſi seu personis diuisa est: neq; relatiuè vnum est, & in eis consideratur. Neq; in vnitate cõpositæ sunt personę,vel eam explent cõtractione, sed eadem sibiipsi idem,sed tamen aliter & aliter. Est enim sancta Trinitas personarũ vnitas eiusmodi, vt substantia, & simplici, quæ in ipsa est, ratione confundi non possit:& est Trinitas, personis & existendi modo,sancta vnitas.

Georgius Pisides. 640.

De mundi opificio:

Nam hymnos canunt tibi Imperatori suo,
Cherubim, Potestates, Thronorum exercitus,
Aptantq; Numinis iubar ter lucidum
Ad vnicam venerationem principem.
Sicq; euidenter ind cant,dum diuidant
Iunguntq; verbum,quod fluit diuinitus,
Hypostases diuiduè honorandas quidem,
Substantiam at solùm esse adorandam vnicam.

Thalassius. 650.

Hecatontade 4. numero 84. Cùm vna sit sanctæ Trinitatis vnitas absconditior,quàm ratione vel mente capi queat, & prædicta tamen & similia aiunt, quæ circa ipsam considerantur.

*Numero 85.*Sicut autem vnam Deitatem sanctæ Trinitatis dicunt,ita & tres hypostases vnius Deitatis glorificant.

Numero 98. Vnitatem in Trinitate, & Trinitatem in vnitate confitemur,vtpote quæ separet inseparatos,& coniungat separatos.

Petrus Episcopus Nicomediæ. 680.

In sexta Synodo Constantinopolitana, actione 10. Credo in Deum Patrem, & in vnum Dominum nostrum Iesum Christum Filium Dei vnigenitum, & in Spiritum sanctum Dominum & viuificantem, Trinitatem consubstantialem, vnam Deitatem & essentiam, virtutemq; & potestatem & dominationem, Deum vnum, vnitatem in Trinitate, & Trinitatem in vnitate adorandam. Vnitatem quidem,secundùm essentiæ siue Deitatis rationem: Trinitatem verò, secundùm subsistentias siue personas.

Germanus Constantinopolitanus. 720.

Epistola ad Ioannem Synadon: In omnibus Ecclesijs sancta laudatur & glorificatur Trinitas, in vnica dominatione & deitate, quemadmodum & nos vnum Deum confitemur: neque alius est prẽter eum, qui ex potestate illius dominatur per secula,qui ex non existẽtibus cuncta produxit,tam quæ visibilia sunt,quàm quæ inuisibilia. Hoc est in Patrem, Filium,ac Spiritum sanctum,sanctam, consubstantialem, viuificantem Trinitatem, in quam credentes & confitentes baptizati sumus.

Ioannes Damascenus. 730.

Orthodoxæ fidei lib.1.c.10. In his duntaxat hypostaticis proprietatibus tres sanctæ Trinitatis personæ inter se differunt, non essentia, sed peculiari cuiusque personæ nota indistinctim distinctæ. Porrò vnumquemque ex his tribus plenam atq; integram hypostasin habere dicimus(ne alioquin in compositam vnam ex tribus imperfectis naturam perfectam intelligamus) sic tamen vt in tribus perfectis personis, vnam simplicem substantiam, vndique plenam & perfectam credamus. Quicquid enim ex imperfectis conflatur,compositum sit necesse est. At ex perfectis personis compositio fieri non potest. Quò fit vt nec speciem ex hypostasibus dicamus,sed in hypostasibus.

Metrophanes. 760.

In carminibus:

Vnum triperſone Seraphi
Principium clara voce glorificant:
At principio carens,
Perenne,sanctifex,incomprehensibile:
Quod & omnis lingua
Canticis piè glorificat.
Næ, vt hominibus vnicam
Trilucem tuam monstrares deitatem,
Hominem creauisti,
Et ad imaginem formauisti tuam:
Et Mentem,Verbum,
Spiritumq; dans,& benignus
Aperiens vnum cælitus
In tribus thearchicis hypostasibus
Principium,dixisti

Consorti Nato, & Spiritu Pater,
Descendamus ô, &
Eorum linguas confundamus.

Basilius Ancyranus. 780.

*In Concilio Nicæno 2.Actione 1.*Credo in Deum Patrem omnipotentem, & in vnicum Dominum Iesum Christum filium eius vnigenitum, & in Spiritum sanctum Dominum viuificantem, Trinitatem consubstantialem,in throno eodem consedentem,in vna Deitate,potestate,& authoritate adoratam & glorificatam,in vnius sanctæ Trinitatis,in Domini nostri Iesu Christi œconomia.

Tarasius Constantinopolitanus. 780.

In Concilio Nicæno Actione 3. Credo in Deum vnum Patrem omnipotentẽ,& in vnum Dñm nostrum Iesum Christum filium Dei & Deum nostrum genitum ex Patre extra tempora & ante secula, & in Spiritum sanctum Dominum viuificantem, qui ex Patre per Filiũ processit.Et ipsum esse definimus Trinitatem consubstantialẽ, eiusdem venerationis, & honoris,& sedis, sempiternam,increatam, omnium opificem, vnum principium,vnam deitatem, & dominatum, vnũ imperium,potentiam,facultatem & authoritatem, in tribus subsistentijs indiuisim discretam, & distinctim vnitam: non ex imperfectis tribus vnũ existens, quemadmodum magnus ille Dionysius inquit. Secundùm quidem singularitatem personarum tria adorãda: iuxta verò communitatem naturæ vnus Deus, omnium visibilium & inuisibilium factor & prædestinator.

Elias Cretensis. 790.

In orationẽ 23.Nazianzeni: Duplex quædam in diuina Trinitate proprietas consideratur, altera naturæ,altera personarum. Naturalis proprietas est id, quod propriè in vna aliqua natura & speciatim agnoscitur, nec in altera vllo modo reperitur,vt hoc loco in diuina natura,quòd omni æuo prior sit, quòd increata, quòd omnipotens, quòd circumscriptionis expers,aliaq; omniaeiusmodi, quæ quidem in nulla alia natura insunt, quàm in ea,quæ in tribus personis agnoscitur. Ergo hæ quidem naturales diuinæ Trinitatis proprietates sunt: ob idq; etiã ad tres personas mouẽtur,ac transeunt. Personales autem proprietates sunt,Ingenitum,Genitum,& Procedens. Est ingenitum Patris proprietas, genitum Filij, procedẽs Spiritus sancti.

Nicephorus Constantinopolitanus. 800.

Epistola ad Leonem Tertium: Credo homousiam Trinitatem supersubstantialem, inaspectabilem, incomprehensibilem, impartibilem, inalterabilem,æternam,indiuisam,simplicem; omnis partis,omnis compositionis,omnis corporis, omnis quantitatis & qualitatis expertem ;eodem honore,eadem gloria,eadem deitate pollentem; nulli neque tactui, neque contactui obuiam; omnis figuræ exortem,infinitè bonam,lumen defectionis nescium,trilucem superspłendidam,semper pari similiq; modo affectã, virtutẽm omnia intuẽtem omniaq; perficientem.

Michael Syngelus. 830.

In encomio Dionysij Areopagitæ: Vna est indiuidua in Trinitate & increata diuinitas, vna dominatio,quæ omnia creauit præuidit & continet, vna substantia,vna potestas,& regnum,& potentia,vna voluntas & operatio, & tres in vnitate hypostases,eiusdem substantię,coæternæ,ac omnes sine principio,numero quidem ac proprietatibus immutabilibus & immobilibus diuisæ, cùm alioquin sint inuicem sine cõfusione vnitæ, singulaq; cum proprietate sua considerantur; non loco, nõ confinio, neque qualibet circumscriptione (incorporeæ enim sunt, nec circumscribi possunt) separatæ, sed solis rationibus distinctæ,&c. Vnus Deus,vnus Dominus colendus, qui in tribus hypostasibus adoratur & colitur: dum ad vnũ principium & causam Filius & Spiritus sanctus referuntur.

Theosterictus. 830.

De sancto Nicephoro: Iam & in principe ac beata Trinitate vna & eadẽ essentia, & in vna Dei Verbi carnem induti persona duę naturæ,& duę voluntates fuerant opportunis concilijs constitutæ & declaratæ, contrarijs opinionibus reiectis & reprobatis.

Basilius Macedo Imp. 860.

Exhortatione ad Leonem filium, cap. 1. Amplectere synceram in Christum fidem,quę vitæ totius initium, & fundamentum inconcussum est. Adora Patrem & Filium & Spiritum sanctum Trinitatem consubstantialem,indiuisam atque inconfusam.

Leo Philosophus Imp. 880.

Epistola ad Omarum regem: Ideò dicimus,Pater,& Filius,& Spiritus sanctus,lumẽ de lumine,& Verbum de Deo: quia vnum sunt, non separantes ea, quia procedit Verbum de lumine,& Spiritus sanctus de lumine,& quia nõ est in loco minimo minimus,& in maximo multiplex,sed vbique totus est. Non diuidimus inter eos, neque plures Deos dicimus, cui non est similis in regno, manens in perpetuum, regnum sanctum. Pater est genitor, Filius est genitus,Spiritus sanctus non est genitus, neque ingenitus.

Theophylactus. 900.

Ad cap.12.Ioannis: Vna est gloria sanctæ Trinitatis,& quæ Patris etiam Filij est,& quæ Filij etiam Spiritus est.

Ad cap.4. poster. ad Corinth. Per Christum lucet in nobis Pater, datq; illustrationem cognitionis: nõ substantiæ suæ,sed gloriæ. Animaduerte autẽ Trinitatis sacrosanctæ mysterium apud Paulum etiam nunc.De Spiritu namque dicit:Gloriam Domini speculamur.Dominus enim Spiritus est. De Filio autem: Illuminationem gloriæ Euangelij Christi. De Patre autem nunc:Illuminationem cognitionis gloriæ ipsius.

Moses Barcepha. 940.

De Paradiso parte 2.cap.6. Statuimus arborem vitæ mysticam esse meditationem atque cognitionem, qua profitemur sacrosanctam Trinitatem, hoc est, vnum esse Deum & tres personas sanctas, siue vnitatem in Trinitate, & Trinitatem in vnitate.

Simeon Metaphrastes. 960.

In vita S.Acacij: Dico ergo Spiritum sanctum à Patre & Filio esse inseparabilem; ac tres quidem personas esse in tribus appellationibus,sed vnam tamen horum omnium potentiam esse ac diuinitatem. Vnum autem dicimus Deum habentem & Verbum & Spiritũ sanctum. Absurdissimũ enim esset, Deum sine Verbo ac vitali Spiritu dicere Quemadmodum Imperator, qui nunc est, quem tu dominum,ego verò hominẽ dico,& maiori iudicio subiectum,& filius eius (quorum qui pater est Maximianus dicitur, filius autem Maxentius) duo quidem illi sunt,sed ipsorum tamen naturæ, humanæ inquam conditionis, ratio vna est, imperiumq; patris & filij vnũ,ac inseparabile: Honoratur enim filius per patrem, & pater per filium.Eodem modo & Deus consideratur: Nã cùm diuina Patris, Verbi, & Spiritus sancti essentia vna eademq; sit & immutabilis, propterea vnus

& verè Deus est, qui à nobis colitur.

Suidas. 980.

In voce ὑπόστασις: Communitas est natura cuiusque rei: propriè verò sunt substantiæ, vt natura hoc est essentia, vna deitas; hypostases verò tres, Pater, Filius, & Spiritus sanctus tres personæ, id est, characteres: vna autem natura & genus. Si ergo dixeris, custodiat nos Deitas, totam sanctam Trinitatẽ significasti: Si verò dixeris; Filius Dei nobiscum, vnam hypostaseon dixisti, & totam diuinitatem. Tres hypostaticæ proprietates sunt in deitate: ortu carere, Patris; natum esse, Filij; & Spiritus sancti procedere: Pater enim non est genitus, nec procedit Filius, nec genitus est Spiritus sanctus.

Euthymius. 1080.

Ad caput 12. Marci: Illud: *Audi Israel, Dominus Deus vester Dominus vnus est*, tres demonstrat hypostases, vnamq; diuinitatis naturam: Cùm enim dicitur Dominus, deinde Deus, & rursum Dominus, tres personæ manifestantur; quod autem additur, vnus, naturæ declarat vnitatem.

Georgius Cedrenus. 1100.

In Constantino: Quæ vnitatis numero de Deo dicuntur vnitatem naturæ confirmant; quæ eum numerũ excedunt proprietates personarũ, in vna essentia comprehensarũ, indicant: Diuersas enim in deitate naturas statuere Græcum est, vnicam personam Iudaicum: cæterùm sanctam & vnam essentiæ Trinitatem deducere in tres personas, hasq; in vnam naturam recolligere, rectissimum est, & vera sententia.

Michaël Glycas. 1120.

Parte 1. Annalium, fol. 95. Positũ est hoc loco verbum inspirandi, vt cum Patre & Filio Spiritus etiam sanctus hominis opifex esse demonstraretur: Sic enim scriptum est: *Dixit Deus: Faciamus hominem:* Sumptoq; de terra puluere Deus hominẽ formauit. Quis est ille, qui dixit? Pater. Et quis puluerem sumpsit? Filius. Itaque ne Spiritus sanctus ab hominis creatione remoueretur, & excluderetur, verbo inspirandi præclarè vsus est, per illud ipsum, vti diximus, Spiritum sanctum demonstrans atque denotans.

Constantinus Harmenopulus. 1120.

De fide orthodoxa: Hominem Christianum oportet credere Trinitatem vnius & eiusdem substantiæ, dignitatis, solij, quæ vnam in diuinitatem coit. Quippe Trinitatẽ in vnitate credimus, & vnitatem in Trinitate statuimus: Trinitatẽ, quòd in tribus personis & hypostasibus diuinitas consideretur; vnitatem, quòd vnius hæ substantiæ sint, ac diuinitatis, & vnus adeò Deus. Nam vnum Deum credimus, licet in Trinitate agnoscatur; & vnũ Dominum confitemur, licet in tribus hypostasibus ostendatur: ac neque in tres dominantes, neq; tres dominatus vna diuinitas, & vnus ille dominatus exorbitat; neque rursus alius quispiam Deus est, præter hasce tres personas, qui sunt Pater, Filius, & Spiritus sanctus: & qui non substantijs seu naturis annumerantur, sed hypostasibus, & intellectibilibus, atque perfectis proprietatibus: Etenim sanctissima Trinitas personis distincta, ratione substantiæ ac diuinitatis est indiuidua.

Nicetas Choniates. 1200.

Orthodoxæ fidei lib. 2. cap. 31. Credimus in Patrem & Filium & Spiritum sanctum, Trinitatem in Vnitate, & Vnitatem in Trinitate: Vnitatem quidem ratione naturalis coniunctionis, & dominationis; Trinitatem verò ratione τρισυποστάτου, hoc est triplici persona constantis perfectionis, & ratione diuitiarum supernaturalis Trinitatis. Vnitas enim reuera est Trinitas illa, quæ diuinitate coniungitur, & Trinitas vicissim reuera illa διαρυμένη ταῖς ἰδιότησι καὶ οὐ μεριζομένη, quæ proprietatibus ita diuiditur, vt tamen in partes haudquaquam dissecetur eadem coæterna, cuiusq; substantiæ par honor exhibetur.

Ioannes Cyparissiotus. 1200.

Decadis 9. cap. 4. Ex his manifestum fit, quòd in Trinitate, quæ est supra substantiam, persona & substantia non sunt idem ratione & cogitatione: sunt tamen re & substantia: similiter tres diuinæ personæ inter se non discernuntur re & substantia, sed ratione tantùm & cogitatione. Essentia enim earum vna est, sed non earum inter se reciprocatio: idcirco nõ potest cadere in eas alia oppositio, nisi eorum quæ sunt ad aliquid.

Nicephorus Callistus. 1300.

Lib. 1. cap. 2. Deus semper existens principioq; carens, & secula præcedens, ita vt ipsi soli cognitum est ante secula gignit suum ipsius Filium, verum Deum Verbum, supra omnis intelligentiæ & deprehensionis captum, & supra mentis sensum & cogitationem cognitionemq; omnem: simulq; sanctissimum suum profert Spiritum, non vt genitum illum, sed vt procedentem Deum, & ipsum perfectum atque ὁμοούσιον, hoc est, consubstantialem illis, & eiusdem planè virtutis & potestatis. Et tres isti vnum sunt, vna natura & essentia, & potestas: cum quibus & per quos simul & Angelicas potestates, & mũdum hunc vniuersum produxit & condidit.

Ioannes Cantacuzenus. 1360.

Aduersus Mahomedem oratione 3. En igitur cùm Deum nominauerit, & Sermonẽ Dei, & sanctum Spiritum (Trinitatem nimirum, quę tribus personis constat) non tamen miser hic animæ oculos aperuit, vt Trinitatis lumẽ intueretur, &c. Christianorum Deus vnus est, qui ante omnia de omnibus in omnibus, & super omnia est in nomine Patris, Filij, & Spiritus sancti creditus & honoratus, vnitas in Trinitate, & Trinitas in vnitate inconfusè vnita, & inseparatim distincta, eadẽ inquam vnitas & Trinitas omnipotens.

Georgius Codinus. 1400.

De officialibus Palatij Constantinopolitani fol. 148. Protopapa pronuntiat primùm: Gloria sanctæ, & consubstantiali, & viuificæ, & indiuisæ Trinitati vbique nunc & semper & in secula seculorum.

Gennadius Scholarius. 1450.

Dialogo de via salutis humanæ: Turca: Si Deus est vnus, cur dicitis eum tres esse personas, Patrem videlicet, Filium, & Spiritum sanctum? *Patriarcha:* Ecce sic tres esse dicimus & vnum. *Turca:* Doceas nos quæso quomodo est vnus Deus, & tres personæ? *Patriarcha:* Quemadmodũ sol est vnus, qui quidem radium habet & lumẽ, suntq; in sole tres quasi personæ, discus, radius & lumen: Discus quidem est substantia solis, radius verò qui descẽdit lampadis instar, terram percutiens, lumen autem quod illuminat loca tenebrosa absq; radio: Ecce itaque tres quasi personæ, corpus scilicet solare, radius & lumen: non tamen dicimus tres soles, verùm vnum & solum, nec dicimus personam vnam, sed tres. Si enim fueris interrogatus: Quot sunt soles in cælo? Respondere debes, vnus est sol. Si autem interrogatus fueris: quot sunt personæ in sole? Respondeas, tres; solare corpus, radius & lumen. Similiter sentiendum est etiam de Deo. Deus quidem vnus, personæ autẽ vnius Dei tres, Pater, Filius & Spiritus sanctus. Ex his poteris intelligere, quòd quemadmodum in sole tria distincta, ita

cta, ita est & vnus Deus trium personarum. Pater ipse est corpus solare: Filius autem est radius: Spiritus sanctus est lumen solis. Et sicut in sole est discus radius & lumen, & tamen vnus sol est, & non tres: similiter in Deo Pater, Filius, & Spiritus sanctus vnus Deus, & non tres Dij. Et quemadmodũ substantia solis producit radios, & à sole & à radijs procedit lumen: ita Pater generat Filium seu Verbum eius, & à Patre & Filio procedit Spiritus sanctus.

Zaga Zabo Æthiops. 1536.

In Confessione fidei Aethiopicæ: Credimus in nomẽ sanctæ Trinitatis, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, qui vnus est Dominus: tria quidem nomina, vna diuinitas: tres facies, vna verò similitudo: æqualis trium personarum coniunctio; æqualis inquam in diuinitate: vnum regnum, vnus thronus, vnus iudex, vna charitas, vnũ Verbum, & vnus Spiritus.

Moses Mardenus Assyrius. 1552.

In Confessione fidei: Credo in Deum Patrem & Filium & Spiritum sanctum, tres personas, tria nomina, tres proprietates; vnum Deum, vnam substantiam, vnam potestatem, vnam dominationem, vnam voluntatem, vnam operationem, vnam naturam, vnam essentiam.

Hieremias Constantinopolitanus. 1580.

Responsione 1. cap. 2. Interprete Socolouio: Vnus est Deus, vnus Dominus, Pater, Filius, & Spiritus sanctus: Nam & Patrem Deum confiteri audimus; & Filium item Deum de Deo, lumen de lumine dici; & Spiritum sanctum Dominum appellari sentimus; totamq; sanctam Trinitatem vnius substantiæ, æqualis gloriæ esse, Patrem & Filiũ cum sancto Spiritu æternum, omnipotẽtem opificem. Quod & omnes sancti Prophetæ vnò ore confessi sunt; Deum inquam Patrem, Verbum, ac Spiritum sanctum, vnum in Trinitate Deum vbique celebrantes: Et cælestes illæ, & diuinæ mentes apud Esaiam internà illa præpotentis Dei veneratione vnum canunt ac confitentur Dominum.

Gabriel Patriarcha Alexandrinus. 1595.

In Confessione fidei: Corde credo, & ore confiteor, quòd vnus est Deus verus, vnus in essentia, trinus in personis, Pater ingenitus, Filius à solo Patre genitus, Spiritus sanctus à Patre Filioq; æternaliter procedens. Pater non est Filius aut Spiritus sanctus: Filius non est Pater aut Spiritus sanctus: Spiritus sanctus non est Pater aut Filius; sed Pater tantùm Pater est, Filius tantùm Filius est, & Spiritus sanctus tantùm Spiritus sanctus est. Nullus alius aut præcedit æternitate, aut excedit magnitudine, aut superat potestate, sed absque initio semper est, & sine fine. Pater est generans, Filius nascens, Spiritus sanctus procedens; consubstantiales, coæquales, coomnipotentes, & coæterni. Hæ tres personæ sunt vnus Deus, non tres Dij; vna essentia, vna substantia, vna immensitas, vnũ principium, vnus creator visibilium omnium & inuisibilium.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Tertullianus. 200.

Aduersus Praxeam cap. 2. Peruersitas hæc damnãda est, quę se existimat meram veritatem possidere, dum vnicum Deum non aliàs putat credendum, quàm si ipsum eundemq; & Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum dicat; quasi non sic quoque vnus sit omnia, dum ex vno omnia, per substantiæ videlicet vnitatem, & nihilominus custodiaturœconomias sacramentum, quæ vnitatem in Trinitatem disponit, tres dirigens, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum: Tres autem non statu, sed gradu; nec substantia, sed forma; nec potestate, sed specie: Vnius autem substantiæ, & vnius status, & vnius potestatis: Quia vnus Deus, ex quo & gradus isti, & formæ, & species, in nomine Patris & Filij, & Spiritus sancti deputantur.

Cyprianus. 250.

De oratione Dominica: Sacrificium Deo maius, est pax nostra, & fraterna concordia, & de vnitate Patris, & Filij, & Spiritus sancti plebs adunata, &c. In orationibus celebrandis inuenimus obseruasse cum Daniele tres pueros in fide fortes, & in captiuitate victores, horam tertiam, sextam, nonam, sacramento scilicet Trinitatis, quæ in nouissimis tẽporibus manifestari habebat. Nam & prima hora in tertiam veniens, consummatũ numerum Trinitatis ostendit. Itemq; ad sextã quarta procedens, declarat alteram Trinitatem. Et quando à septimana ona cõpletur, per ternas horas Trinitas perfecta numeratur.

Zeno Veronensis. 260.

Sermone 1. de Genesi: Hic est Deus noster, qui se digessit in Deum. Hic Pater, qui suo manente integro statu, totum se reciprocauit in Filiũ, ne quid sibimet derogaret: Denique alter in altero exultat, cum Spiritus sancti plenitudine vna originali coæternitate renitens.

Dionysius Papa. 270.

Apud Athanasium Epistola de decretis Synodi Nicænæ: Meritò deinceps dixêre in diuisores, sectoresq;, & peremptores reuerendissimi Ecclesiæ de Deo præconij, qui monarchiam in ternas potentias, ternasq; substantias, & ternas deitates carpunt. Audio enim quosdam apud vos diuini verbi magistros huius sententiæ professores, qui ex diametro, vt sic dicam, pugnant cum placitis Sabellij: Ille enim cum blasphemia dicit, Filium esse Patrem, Patremq; Filium: Isti autem quodammodo tres Deos constituunt, dum in tres substantias alienigenas, & inter se omninò segregatas, sanctã vnitatem dispartiũtur: Vniri enim necessum est omnium Deo Dei Verbum, & in eodem hærere; versariq; Spiritum sanctum: & sanctam Trinitatem in vnum omnium rerum Deum, omnipotẽtemq;, veluti inverticẽ principemq; consummari; & coalescere. Marcionis enim vaniloqui doctrina, sectionẽ diuisionemq; monarchiæ in tres principatus instituit: sed ea diabolica institutio est, non autem verorum Christi discipulorum; & acquiescentium Saluatoris præceptis. Illi enim vt Trinitatem prædicari à sacris literis planè sciũt; ita tres esse Deos à veteri aut à nouo Testamento vspiam induci nequaquam agnoscunt, &c. Non igitur diuidenda est in tres deitates admirabilis & diuina Vnitas, & immensa maiestas, sed credendum est in Deum Patrem, & in Filium eius Iesum Christum, & in Spiritum sanctum, vniriq; Deo totius vniuersitatis Verbum: *Ego enim, inquit, & Pater vnũ sumus.* Et: *Ego in Patre, & Pater in me.* Ita enim & diuina Trinitas, & sancta prędicatio, professioq; monarchiæ conseruari poterit. Ioan. 10. & 14.

Publilius Optatianus Porphyrius. 320.

Panegyrico nono:

Omnipotẽs genitor, tuq; ô diuisio mixta,
Filius, atque Pater, & sanctus Spiritus vnum,
Faueas votis.

Osius Cordubensis. 330.

In synodo Nicæna lib. 2. Diuinitas non est vna persona, vt Iudæi opinantur, sed tres personæ verè

subsi-

subsistentes, non solo nomine. Et hoc pluribus testimonijs in nouo & veteri Testamẽto prædicatur. Vetus quidem magis corporeo adhuc modo differens, Verbum quasi loquẽs exhibuit: nouum autem Verbum Deum esse demõstrauit, (iuxta illud: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*) & personam perfectam ex perfecta: Deus enim est, non pars Filius, sed perfectus, sicut & Pater, eiusdem & essentiæ, cuius & qui eũ ineffabili modo genuit Pater. Sicut Pater & Filius simul subsistit & Spiritus S. eiusdẽ essẽtię, cuius Pater & Filius. Vnum igitur consiliũ, vnum regnum, vnam voluntatem, vnã denominationem, in omnibus creatis naturis & aspectabilibus, & quæ intelligentia percipiuntur, vnam diuinitatem, & eandem essentiam confiteri nos oportet, non prędicantes ineffabilis illius, & beatæ Trinitatis personarum confusionem, aut diuisionem, sed semper verum Patrem veri Filij, semper existentem, ac subsistentem Trinitatem indiuiduam, ineffabilem, & quæ verè superat intellectum atque sermonem, vnam diuinitatem, & eandem ipsius essentiam esse credentes.

Hilarius. 350.

De Synodis aduersus Arianos: Credimus in vnum Deum Patrem omnipotentem, cunctorum quæ sunt ædificatorẽm & factorem & prouisorem, ex quo omnia; & in vnum Dominum Iesum Christum filium eius vnigenitum Deum, per quem omnia, &c. Et in sanctum Spiritum, qui in paraclesin & sanctificationem & consummationem credentibus datus est. Manifesta vtique Patris, verè Patris, certaq; Filij, verè Filij, notaq; Spiritus sancti, verè Spiritus sancti, hisque nominibus non simpliciter, neque ociosis propositis, sed significantibus diligenter propriam vniuscuiusque nominatorum subsistantiam & ordinem & gloriam, vt sint quidem per substantiam tria, per consonantiam verò vnum.

Lucifer Calaritanus. 360.

De non conueniendo cum Hæreticis: Fides Apostolica & Trinitatem confitetur perfectam, & vnicam Deitatẽ fatetur Patris, & Filij, & Spiritus sancti.

Ambrosius. 370.

Libro de dignitate humanæ conditionis cap. 2. Sicut Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus: non tamen tres Dij sunt, sed vnus Deus, tres habẽs personas: ita & anima intellectus, anima volũtas, anima memoria; non tamen tres animæ in vno corpore, sed vna anima, tres habens dignitates.

Lib. 2. de fide, cap. 4. Didicimus vnã esse potentiam Trinitatis, quam nos in ipsa quoque docuit passione, atque post ipsam docuit passionem: Filius enim patitur per corporis sacramentũ, Apostolis Spiritus sanctus infunditur, Pater quoque maxima voce signatur. Didicimus vnam Patris & Filij esse imaginem, vnã similitudinem, vnam sanctificationem. Didicimus vnam esse operationem, vnam gloriam, vnam quoque diuinitatem. Vnus ergo & solus Deus, quia scriptum est: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies:* Vnus Deus, non vt ipse sit Pater & Filius, sicut impius Sabellius asserit, sed qa Patris & Filij Spiritusq; sancti vna diuinitas sit: vbi autem vna diuinitas, vna voluntas, & vna præceptio. Matth. 4.

Martinus Turonensis Episcopus. 380.

In professione fidei: Clemens Trinitas est vna diuinitas. Vt autem per Sacramentum cognoscatur, vnitas est ab eo qui est, Spiritus sanctus, à quo qui est, & vnigenitus: sic existens diuinæ naturæ lucis Spiritus, à sese per naturam, per substantiam maiestatis, potestatis, virtutis, diuinæ lucis: spiritus vnus in duobus, & vterque in idipsum. Pater in Filio, Filius in Patre, vterque in Spiritu sancto. Sic tribus perfectis confitemur corpus præscientiæ, quod super omnia cuncta concludit.

Damasus. 380.

In Symbolo: Credimus in vnum Deum Patrem omnipotentẽ; & in vnũ Dominũ nostrum Iesum Christum, Filium Dei; & in Spiritum sanctũ Deum: non tres Deos Patrem & Filium & Spiritum sanctum, sed vnum Deũ colimus, & confitemur.

Epist. ad Paulinũ Thessalonicen. Si quis negauerit vnam Patris & Filij & Spiritus sancti diuinitatem, authoritatem, potestatem, vnam gloriam, dominatum vnum, vnum regnum, voluntatem ac veritatem, anathema sit. Si quis negauerit tres personas esse Patris & Filij & Spiritus sancti, semper viuere, omnia continere, visibilia & inuisibilia, omnia posse, omnia iudicare, omnibus vitam tribuere, omnia fabricare, omnia conseruare, anathema esto.

Prudentius. 380.

Præfatione in Apotheosin:

Est tria summa Deus, trinum specimen, vigor vnus:
Corde Patris genita est Sapientia, Filius ipse est:
Sanctus ab æterno subsistit Spiritus ore.
Tempore nec senior Pater est, nec numine maior:
Nam sapiens retrò semper Deus, edidit ex se
Per quod semper erat gignenda ad secula Verbum.

In Apotheosi contra Vniotas:

Hæc est nostra salus, hinc viuimus, hinc animamur,
Hoc sequimur, nunquam detracto nomine nati
Appellare Patrem, Patris & sine nomine nunquam
Natum nosse Deum, nunquam nisi sanctus, & vnus
Spiritus interfit, Natumq; Patremq; vocare:
Sic tamen hæc constare tria, vt ne separe ductu
Tres faciam, tribus his subsistat sed Deus vnus.

Optatus Mileuitanus. 380.

Libro 4. ad Parmenianum: Quia Filius à Patre, Deus à Deo, erat vngendus, secundùm quod Filius petijt, & Spiritus promissa nuntiauit, compleuit Pater in Iordane. Quò cùm venisset Filius Dei, Saluator noster, à Ioanne ostensus est his verbis: *Ecce Agnus Dei*, hic est qui tollit peccata mũdi. Descendit in aquam, non quia erat quod in Deo mundaretur, sed venturum oleum aqua debuit antecedere, ad mysteria initianda & ordinanda & implẽda, baptismatis lotus, cùm in Ioannis manibus haberetur, secutus est ordo mysterij, & cõpleuit Pater, quod rogauerat Filius, & quod nuntiauerat Spiritus sanctus. Apertum est cælũ Deo Patre vngente spiritale oleum, statim in imagine columbæ descendit, & insedit capiti eius, & perfudit eum, vnde cœpit dici Christus, quando vnctus est à Deo Patre; cui ne manus impositio defuisse videretur, vox audita est Dei de nubẽ dicentis: *Hic est Filius meus, de quo bene sensi, hunc audite.*

Chromatius. 390.

Ad cap. 6. Matth. Perfecta fides est Trinitatis ostẽsa, cùm & Pater Christum Dominum ac Deũ nostrum filium suum esse testatur, & Spiritus sanctus, id est, paracletus in tanto fidei sacramento Patri Filioq; coniungitur, vt verum Patrem, verum Filium, verum etiam Spiritum sanctum crederemus, tres personas, sed vnam diuinitatem Trinitatis, vnamq; substantiam.

Philastrius. 390.

In hæresi triformẽ Deũ facientiũ, c. 47. Est vera persona Patris, quę misit Filiũ, & est vera persona Filij, quę aduenit de Patre, & est vera persona Spiritus, quę à Filio & Patre missa est. Triũ itaq; harũ personarũ vna est veritas maiestas & substantię æqualitas & diuinitas sempiterna. Qualis enim est immensa & inenarranda Patris persona, talis est & Filij, talis est & Spiritus sancti: & in distinctione nominũ ac tri-

ac trium personarum nõ sit aliqua naturæ diuersitas. Immensibilis igitur est hæc Trinitas, inuisibilis, & inenarrabilis, quę fide solùm cognoscitur.

Gregorius Bæticus. 390.

Libro de Fide: Vna est diuinitas Patris, & Filij, & Spiritus sancti, sicut & vna est sanctitas eiusdem perfectæ & inseparabilis Trinitatis.

Hieronymus. 390.

Ad cap. 4. ad Ephes. Vnus est Dominus, & vnus est Deus: quia Patris, & Filij denominatio, vna diuinitas est. Propterea & fides vna dicitur: quia similiter in Patrem, & in Filium, & in Spiritũ sanctũ credimus, & baptisma vnum. Eodem enim modo & in Patrem, & in Filium, & in Spiritũ sanctum baptizamur: Et ter mergimur, vt Trinitatis vnũ appareat sacramẽtum: Et non baptizamur in nominibus Patris, & Filij, & Spiritus sancti, sed in vno nomine, quod intelligitur Deus.

Epist. 57. ad Damas. Interrogamus, quid tres hypostases posse arbitrẽtur intelligi. Tres personas subsistentes, aiũt. Respõdemus nos ita credere. Nõ sufficit sensus, ipsum nomen efflagitant: quia nescio qd veneni in syllabis latet. Clamamus, si qs tres hypostases, aut tria enypostata, hoc est, tres subsistentes personas non confitetur, anathema sit. Et quia vocabula non edidicimus, hæretici iudicamur. Si quis aũt hypostasin vsiã intelligens, non in tribus personis vnam hypostasin dicit, alienus à Christo est: & sub hac confessione vobiscum pariter cauterio vnionis inurimur. Discernite, si placet, obsecro: non timebo tres hypostases dicere: si iubetis, condatur noua post Nicænam fides: & similibus verbis, cum Arianis confiteamur orthodoxi. Tota secularium literarum schola nihil aliud hypostasin, nisi vsiã, nouit. Et quis, rogo, ore sacrilego tres substantias prędicabit? Vna est Dei & sola natura, quæ verè est: id enim, quod subsistit, non habet aliunde, sed suum est.

Gaudentius. 400.

Tractatu de promissione Paracleti: Ne diuisus putaretur, vel Spiritus sanctus à Patre, cuius Spiritus est; vel Filius ab eo crederetur seiunctus, cuius & facies, & dextera, & sapientia, & virtus est: nõ ait: *Si ascendero in cælum*, Spiritus tuus illic est: vel; facies tua & Spiritus tuus illic sunt: sed; *tu*, inquit, *illic es:* cum Filio vtique, & cum Spiritu sancto, quoniam Trinitatis adorandæ vna eademq; diuinitas semper vbiq; est. Sed, vt Patris & Filij & Spiritus sancti vna traderetur credentibus fides & distincta cõfessio, propterea Pater & Filiũ mittere, & Spiritum sanctum scribitur.

Septimo Tract. de Exod. Vnus est Deus, vbi deitatis nulla diuisio est. Per omnes libros sanctarũ Scripturarũ, & Patrẽ Deum, & Filium Deũ, & Spiritũ sanctũ Deũ legimus, nõ Deos: quia Deos non sinit dici vnitas maiestatis. Est enim sola in Trinitate personarũ distinctio, non naturæ diuersitas.

Concilium Toletanum Primum. 400.

In Confessi fidei: Credimus in vnũ verum Deũ, Patrem omnipotentẽ, & Filium, & Spiritum sanctũ, visibiliũ & inuisibiliũ factorẽ, per quẽ omnia facta sunt in cælo & in terra, vnũ Deum, & vnã esse diuinæ substantiæ Trinitatẽ. Patrem aũt non esse Filium ipsum, sed habere Filium, qui Pater nõ sit: Filium non esse Patrem, sed Filium Dei de Patris esse natura: Spiritũ quoque esse Paracletũ, qui nec Pater sit ipse, nec Filius, sed à Patre Filioq; procedẽs. Est ergo ingenitus Pater, genitus Filius, non genitus Paracletus, sed à Patre Filioq; procedens.

Russinus. 400.

Apologia de fide sua ad Anastasiũ: Si quis est, qui vel tentare fidem nostram cupit, vel audire, vel discere: sciat quòd de Trinitate ita credimus, quòd vnius naturæ sit, vnius Deitatis, vnius eiusdemq; virtutis atque substantiæ, nec inter Patrẽ, & Filium, & Spiritum sanctũ sit prorsus vlla diuersitas: nisi quòd ille Pater est, hic Filius, & ille Spiritus sanctus, Trinitas in personis subsistentibus, vnitas in natura atque substantia.

Augustinus. 400.

De ciuit. Dei lib. 11. c. 10. Hęc Trinitas vnus est Deus: nec ideo non simplex, quia Trinitas. Neque enim propter hoc naturã istam boni simplicẽ dicimus, quia Pater in ea solus, aut solus Filius, aut solus Spiritus sanctus: aut verò sola est ista nominis Trinitas sine subsistẽtia personarũ, sicut Sabelliani hæretici putauerunt. Sed ideò simplex dicitur, quoniã quod habet, hoc est, excepto quòd relatiuè quęq; persona ad alterã dicitur. Nã vtiq; Pater habet Filiũ, nec tamen ipse est Filius: & Filius habet Patrem, nec tamen ipse est Pater. In quo ergo ad seipsum dicitur, non ad alterum, hoc est quod habet: sicut ad seipsum dicitur, viuẽs, habendo vtiq; vitam, & eadem vita ipse est. Propter hoc itaque natura dicitur simplex.

De Trinit. lib. 1. c. 4. Omnes quos legere potui, qui ante me scripserunt de Trinitate, quæ est Deus, diuinorum librorum veterum & nouorum Catholici tractatores, hoc intenderunt secundùm Scripturas docere, quòd Pater, & Filius, & Spiritus sanctus vnius eiusdemq; substantię inseparabili ęqualitate diuinam insinuent vnitatem. Ideoq; nõ sint tres Dij, sed vnus Deus: quamuis Pater Filium genuerit, & ideo Filius non sit qui Pater est: Filiusq; à Patre sit genitus, & ideo non sit Pater qui Filius est: Spiritusq; sanctus nec Pater sit, nec Filius, sed tantũ Patris & Filij Spiritus, Patri & Filio etiam ipse coęqualis, & ad Trinitatis pertinens vnitatem.

Lib. 3. contra Maximinũ Arianũ, cap. 10. In Trinitate, quę Deus est, & Pater Deus est, & Filius Deus est, & Spiritus sanctus Deus est, & simul hi tres vnus Deus: nec huius Trinitatis tertia pars est vnus, nec maior pars duo quàm vnus est ibi: nec maius aliquid sunt omnes quàm singuli: quia spiritalis hęc, nõ corporalis est magnitudo. *Qui potest capere, capiat:* qui autem nõ potest, credat, & oret, vt quod credit intelligat.

Paulinus Nolanus. 420.

Epist. 23. Ioannes ab illa ineffabili generatione ordiens, & coęternum, & consubstantialem, & coomnipotentem, & coopificem Patri Filium nuntiauit, in Spiritu sancto Deo Deum cernens, quia in ipso Trinitas diuinitatis impletur, & vna Trinitatis diuinitas cernitur. Spiritus enim Dei, sicut & Verbum Dei, Deus vterque in vno capite permanentes, & ex vno Patris fonte manantes: sed Filius nascendo, Spiritus procedendo, salua quisque personarum suarum proprietate distincti potius quàm diuisi erunt.

Epist. 25. Cùm ergo fides & cõfessio tua coęternã Trinitatẽ vnius diuinitatis & substantiæ & operis & regni esse testetur; cumq; Patrem Deum, & Filium Deũ, & Spiritum sanctũ Deum, vt est, qui est, & erat, & venturus est, qui misit te sicut Mosen & Apostolos euangelizare gentibus bona Domini, quod ita vt ipse à Deo doctus es doces, vnitatem Trinitatis sine confusione iungens, & Trinitatem ipsius vnitatis sine separatione distinguens; ita vt nulla alteri personę conueniat, & in omni personarum trium Deus vnus eluceat; & tantus quidem Filius, quantus & Pater, quantus & Spiritus sanctus, sed semper quisque sui nominis proprietate distinctus, indiuiduam retinet in virtutis & gloriæ æqualitate concordiam.

Vincentius Lyrinensis. 430.

Contra hæreses c. 22. Beata Catholica Ecclesia, quę

vnum Deũ in Trinitatis æqualitatem in vna diuinitate veneratur; vt neque singularitas substantiæ personarum confundat proprietatem, neque item Trinitatis distinctio vnitatem seperet deitatis.

Petrus Chrysologus. 440.

Serm.60. Credo in Deum Patrem omnipotentem: Hæc vox totum Trinitatis fatetur & aperit Sacramentum. Deum dicit, non Deos: quia vnum Deum in Trinitate credit Christiana fides. Scit Patrem, scit Filium, scit Spiritum sanctum, Deos nescit. Diuinitas in personis trina est, sed vna est in Trinitate diuinitas: personis Trinitas distincta est, non est diuisa substantijs. Deus vnus est, sed Trinitate: Deus solus est, sed non solitarius: Diuinitas nec Trinitate diuiditur, nec confunditur vnitate.

Eucherius Lugdunensis. 440.

De spiritualibus formulis, cap.1. Omnipotens Deus Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, vnus atque trinus: vnus videlicet extat in natura, trinus in personis: solus inuisibilis, immensus atque incomprehensibilis.

Homilia 1.de Epiphania & infantibus: Sit quasi trium munerum oblatio, Trinitatis perfecta confessio: credatur à nobis vnitas, sine confusione cõiuncta: Trinitas, sine separatione distincta: Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, vnus Deus credatur; tres personæ, non tres substantiæ.

Arnobius Romanus. 440.

De Deo trino & vno: Cauendum est ne scelerati Sabellij sensum incurrens, Patrem & Filium & Spiritum sanctum sic vnum Deum credas, vt non putes Patrem verum Filij genitorem, & Vnigenitum verum Patris Filium, procedentem ex Patre & Filio non credas Spiritum sanctum. Sicut vnus Deus secundùm sacram Scripturam credendus est, quę dicit: *Dominus Deus tuus Deus vnus est:* ita ipse vnus Deus Pater verus, Filius verus, Spiritus sanctus vnus & verus credendus est Deus.

Leo Primus. 450.

Sermone 1.de Pentecoste, cap.3. In Trinitate diuina nihil est dissimile, nihil impar; & omnia quæ de illa substantia possunt cogitari, nec virtute, nec gloria, nec æternitate discreta sunt. Cumq; in personarum proprietatibus alius sit Pater, alius Filius, alius sit Spiritus sanctus; nõ tamen alia deitas, neć diuersa natura est. Siquidẽ cùm & de Patre sit Filius Vnigenitus, & Spiritus S. Patris Filijq; sit Spiritus, non sicut quæcunq; creatura, quæ & Patris & Filij est: sed sicut cum vtroque viuens, & potens, & sempiternus.

Sermone 2.cap.3. Salubriter credimus, quòd simul tota Trinitas vna virtus est, vna maiestas, vna substantia, indiscreta opere, inseparabilis dilectione, indifferens potestate, simul implens omnia, simul continens vniuersa. Quod enim Pater est, hoc est & Filius, hoc est & Spiritus sanctus, & vera Deitas in nullo esse aut minor aut maior potest; quæ sic in tribus confitenda est personis, vt & solitudinem non recipiat Trinitas, & vnitatem seruet æqualitas.

Claudius Marius Victor. 460.

Præfatione in Genesin:

Summe & sancte Deus, cunctæ virtutis origo
Omnipotens, quem nec subtili indagine rerum
Mentibus humanis sensu comprendere fas est,
Et nescire nefas (nam te ratione profunda
In tribus esse Deum, sed tres sic credimus vnum,
Vnica personas vt tres substantia reddat,
Indiscreta pio conseruans fœdera nexu)
Tu sine principio, pariter sine fine perennis,
Solus es atque idem, nulliq; obnoxius æuo.

Prosper. 460.

In Sententijs, Sent.103.

Cùm Pater in Verbo sit semper, & in Patre Verbum,
Sitq; idem Verbi Spiritus, atque Patris;
Sic de personis tribus est tibi non dubitandum,
Vnum, vt docta fides, confiteare Deum.

Sedulius. 460.

Lib.3.Paschali: *Cui palmis compta vel vnquam*
Frondibus arboreis laudem cælestibus hymnis
Obuia turba dedit? Domino nisi cum Patre Christo,
Qui regit æthereum princeps in principe regnum,
Cui semper sanctus conregnat Spiritus æquè.

Eugenius Carthaginensis. 480.

De fide ad Hunericum: Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum ita in vnitate deitatis profitemur, vt & Patrem in sua proprietatis persona subsistere, & Filium nihilominus in propria extare persona, atque Spiritum sanctum personæ suæ proprietatem retinere fidei confessione fateamur: Non eundem asserentes Patrem, quem Filiũ; neq; Filium confitentes, qui Pater sit, aut Spiritus sanctus: neque ita Spiritum sanctum accipimus, vt aut Pater sit, aut Filius: sed ingenitum Patrem, & de Patre genitum Filium, & de Patre procedentem Spiritum sanctum, vnius credimus esse substantiæ vel essentiæ: quia ingeniti Patris, & geniti Filij, & procedentis Spiritus sancti vna deitas; tres verò personarum proprietates, &c. Licet hæc venerãda Trinitas personis ac nominibus distincta sit, non tamen ob hoc à se atque à sua æternitate discrepare credenda est. Si manens ante secula diuinitas in Patre, & Filio, & Spiritu sancto, verè ac propriè creditur, nec diuidi nostris interpretationibus potest, nec rursus versa in vnam personam Trinitatis ipsa confundi.

Salonius. 480.

In Ecclesiasten Salomonis: Quis est iste funiculus triplex, de quo dicit Salomon, qui difficilè rumpitur? Vnitas Patris, & Filij, & Spiritus sancti: quia in diuinitate tres sunt personæ, sed vna tantùm est natura.

Ferrandus Diaconus. 500.

Regula 4. Fides Catholica est, Patris, & Filij, & Spiritus sancti vnam contra Arium substantiam vel essentiam; tres aduersus Sabelliũ prædicare personas, vt cùm bene intellecta fuerit in essentia vnitas, in personis proprietas, vera quoque in maiestate adoretur æqualitas. Tres enim sunt: quia alius est Pater, alius Filius, alius Spiritus sanctus: sed hi tres vnum sunt. Quia singulatim Deus est Pater, Deus est Filius, Deus est Spiritus sanctus: neque tamen tres Dij sunt, sed vnus est Deus. Suspitionem nãque solitarij Dei remouet Trinitas, & vnũ Deũ credentibus ostendit vna substãtia. Nõ sic vna, vt per singulos semiplena, in omnibus fiat tota, & ideo sit vna, sed vna numero, genere, virtute, plenitudine: quã sicut habet in omnibus, sic nõ caret in singulis. Tãta in solo Patre, quãta in Filio & Spiritu sancto. Tanta in solo Filio, quãta in Patre & Spiritu sancto. Tanta in solo Spiritu sancto, quãta in Patre & Filio. Tanta postremò in singulis eorũ, quãta in duobus. Tãta in duobus, quãta in tribus. Tãta in tribus, quãta in singulis. Nihil quippe est ibi gradibus ordinatũ, nihil qualitate diuersum, nihil quãtitate minimũ, nihil loco separatũ, nihil tẽpore posterius, nihil inefficax, nihil passibile. Vbi hoc tantũmodo recipit distinctionem, quòd ad inuicem sibi sunt: Pater scilicet ad Filiũ, Filius ad Patrem, Spiritus sanctus ad eos, de quibus, & cum quibus Spiritus sanctus est, vt ipse solus in Trinitate appelletur Spiritus sanctus, propriúmque sit Patris generare, proprium Filij nasci, proprium Spiritus sancti de vtroque procedere.

Fulgen-

Fulgentius. 500.

Ad Monimũ lib.2.cap.7. Tota Trinitas vnitate Deitatis suæ naturaliter immensa infinitaq; permanet, & sic localiter nusquam est, vt tamẽ nusquam desit, atque ita sit vbiq; tota, vt nec per partes creaturę totius particulariter diuidi, nec vniuersitate totius possit creaturæ concludi.

Cap.11. Sãcta naturalis vnitas & æqualitas & charitas Trinitatis, quę vnus solus & verus est Deus, vnanimitate sãctificat, quos adoptat. In illa quippe vna substantia Trinitatis vnitas est in origine, æqualitas in prole, in charitate autem vnitatis æqualitatisq; communio, nulla est diuisio illius vnitatis, nulla diuersitas illius æqualitatis, nullum fastidiũ illius charitatis. Ibi enim nihil discrepat, quia æqualitas chara & vna, & vnitas æqualis & chara, & charitas æqualis atque vna naturaliter & incommutabiliter perseuerat.

Ad Trasimundum lib. 2. cap.1. Quæ ergo humanæ disciplinæ peritia, quæ viuacitas animi, quæ cordis sagacitas illius essentiæ (id est, Trinitatis, quæ vnus verus & solus est Deus) contingeret arcanũ? quæ nec cœpit esse, nec desinit, in cuius substantia nihil est quod non fuit, nihil potest non esse quod fuit, cuius nihil loco cõcluditur, quia totum immensum: nihil initio præuenitur, quia totum est sempiternum. Quæ se hoc præsertim iudicio sempiternam, increatam, immutabilemq; monstrauit, cùm ex nihilo, id est, ex eo quod nõ esset, creare potuit quod fuisset.

Cap.11. Sola est ergo vna Trinitas, quæ cũ se manifestat, ineffabiliter venit: & cùm se indignis occultat, ineffabiliter omninò discedit. Veniunt atq; abeunt proprio & incomprehẽsibili modo Pater, & Filius, & Spiritus sanctus: nec tamen localiter aut Pater, aut Filius mouetur, aut Spiritus. Nouerunt sic venire atque abire, vt nec ad locum localiter veniant, nec localiter de loco discedant. Hic aduentus Patris, & Filij, & Spiritus sancti, nõ mobilitatem, sed pietatem Dei venientis, ostendit: vna enim Deitas Trinitatis, quæ omnia implet, omnia continet. Illi venire dicitur, cui se manifestare dignatur; & ab illo discedit, à quo lumẽ suę dilectionis abscondit, &c. Quantũ ergo ad substãtiam & potẽtiam suam, vbique est Trinitas, vnus Deus totus, totum complens virtute, nõ mole, totus in singulis, totus simul in omnibus creaturis.

Ad Donatum cap.2. Proinde illud admoneo principaliter teneas sanctam Trinitatem, id est, Patrẽ & Filium & Spiritum sanctum, naturaliter verum esse Deum, summum, verũ & bonũ, vnius naturę, vnius essentiæ, vnius omnipotẽtiæ, vnius bonitatis, vnius æternitatis, vnius immensitatis. Ac sic, cùm vnum Deum audis, Patrem, & Filiũ, & Spiritum sanctum, vnam naturã summæ illius Trinitatis intellige. Et cũ Trinitatẽ audis Patrẽ & Filium & Spiritum sanctũ, tres personas vnius summæ illius diuinitatis agnosce. Tres enim personæ sunt, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, ideò Trinitas dicitur: sed vna substantia est Patris, & Filij, & Spiritus sancti, ideo ipsa Trinitas vnus Deus veraciter à fidelibus prædicatur.

Cap.3. Tres itaq; personas esse Patrẽ & Filium & Spiritũ sanctũ ostendunt ipsius eloquia veritatis. Vnde Saluator ait: *Nõ sum solus, sed ego & qui misit me Pater,* &c. Vnde Trinitas illa sancta dignè creditur in personis: Tres aũt Deos dici Patrẽ & Filium & Spiritum sanctum non permittit vnitas naturalis. Et quia in vna natura Trinitatis nulla potest esse diuersitas, ideo in tribus personis manet inconfusa proprietas, & in vnitate naturæ regnat incommutabiliter substantialis æqualitas. Ioan.8.

Boëtius. 500.

Lib.1.de Trinitate: Pater, inquiunt Catholici, Deus, Filius Deus, Spiritus sanctus Deus. Igitur Pater Filius Spiritus sanctus Deus vnus, non tres Dij. Cuius cõiunctionis ratio est indifferentia. Eos enim differentia comitatur, qui vel augent, vel minuunt, vt Ariani, qui gradibus meritorum Trinitatem variantes, distrahũt, atq; in pluralitate m deducunt.

Lib.2. Cùm colligo Patrẽ, Filium, & Spiritũ sanctum, non plures, sed vna occurrit esse substantia: vna igitur substãtia trium, nec superari vllo modo, nec disiungi potest, nec velut partibus in vnũ cõiuncta est, sed est vna simpliciter. Quęcunq; igitur de diuina substãtia prędicãtur, eà tribus oportet esse cõmunia, idq; erit signi, quæ sint, quę de diuina substãtia prædicẽtur, quòd quæcunque hoc modo dicuntur, de singulis in vnum collectis tribus singulariter prædicabuntur, hoc modo: Si dicimus Pater Deus est, Filius Deus est, Spiritus sanctus Deus est, Pater, Filius, & Spiritus sanctus Deus vnus. Si igitur eorum vna deitas, vna substantia est, licet Dei nomen de diuinitate substantialiter prædicari. Ita Pater veritas, Filius veritas, Spiritus sanctus veritas est: Pater, Filius, Spiritus sanctus non tres veritates, sed vna veritas est. Si igitur vna in his substãtia, vna veritas, necesse est veritatẽ substantialiter prædicari de bonitate, de incõmutabilitate, de iustitia, de omnipotẽtia, ac de cæteris omnibus, quæ tã de omnibus singulis, quàm de omnibus singulariter prædicamus, manifestum est substantialiter dici.

Paschasius Diaconus. 500.

Præfatione in libros de Spiritu sancto: In hac symboli perfectione & vnitas euidenter aperitur, & Trinitas, dum ter repetita confessio Patri & Filio & Spiritui sancto vnum credulitatis reddit obsequium.

Lib.1.c.4. Cùm Verbi vnam monstrauimus deitatem, tria nunc in vna deitate doceamus, tria nomina, non tria regna; tres appellationes, sed non tres potestates; tres hypostases vel subsistentias, sed non tres substantias.

Hormisda. 510.

Epistola 76.ad Iustinũ: Si Trinitas Deus, hoc est, Pater, Filius, & Spiritus sanctus: Deus aũt vnus specialiter, legislatore dicente: *Audi Israel, Dominus Deus tuus, Deus vnus est,* qui aliter habet, necesse est aut diuinitatem in multa diuidat, aut specialiter passionem ipsi essentiæ Trinitatis impingat, & (quod absit à fidelium mentibus) hoc est, aut plures Deos, more profanæ gentilitatis inducere, aut sensibilem pœnam ad eam naturam, quæ aliena est ab omni passione, transferre. Vnum est sancta Trinitas, non multiplicatur numero, non crescit augmento, nec potest aut intelligentia comprehendi, aut hoc quod Deus est discretione seiungi. Quis ergo illi secreto æternæ impenetrabilisque substantiæ, quod nulla vel inuisibilium creaturarum potuit inuestigare natura, profanam diuisionem tentet ingerere, & diuini arcana mysterij reuocare ad calculum moris humani? Adoremus Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, indistinctam distinctè, incomprehensibilem, & inenarrabilem substantiam Trinitatis: Vbi etsi admittit numerum ratio personarum, vnitas tamen non admittit essentiæ separationem: ita tamen, vt seruemus diuinæ propria naturæ, seruemus propria vniuscuiusque personæ, nec personis diuinitatis singularitas denegetur, nec ad essentiam hoc, quod est proprium nominum, transferatur. Magnum est & incomprehensibile sanctæ Trinitatis mysterium, Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus. Trinitas indiuisa: & tamen notum est, quia proprium est Patris, vt generaret Filium: propri- Deut.6.

um Filij Dei, vt ex Patre nasceretur æqualis: proprium Spiritus sancti, vt de Patre & Filio procederet, sub vna substantia Deitatis.

Caßiodorus. 530.

Ad Psal.50. Spiritus quantum ad essentiam diuinitatis,& Pater,& Filius,& Spiritus sanctus,rectè dicuntur vnus Deus; sed pro distinctione personarum, est proprium Patri, quòd naturaliter sine initio genuit Filium : proprium est Filio, quòd naturaliter à Patre generatus est : proprium est Spiritui sancto, quòd à Patre & Filio procedit, quæ ineffabili charitate atque cooperatione eorum consubstantialis æternitas & potestas omnia facit quæ vult, in cælo & in terra. Sed quamuis hæc incomprehensibilia, atque inexplicabilia,ita vt sunt,nobis nunc esse noscantur; tamen à nonnullis Patribus corporalium & simul existentium rerum talis similitudo proponitur.Inuenimus enim in sole tres istas proprietates,prima ipsa est substantia corporalis, quod sol est, deinde splendor eius, qui in ipso permanet,tertia calor,qui à splendore eius,vsque ad nos peruenit. Quæ hoc modo (si tamen tantæ rei potest similitudo aliqua reperiri) arbitror æstimanda: vt quod est in sole substantia corporalis, ita intelligatur in Trinitate quodammodo persona Patris:& quod est in sole splendor eius,hoc sit in Trinitate persona Filij : sicut Apostolus dicit, *Splendor gloriæ eius* : quod autem in sole est calor, hoc sit in Trinitate persona Spiritus sancti, sicut legitur : *Quis se abscondet à calore eius*?

Heb.1.

Psal.18.

Primasius. 540.

Ad cap.1. epist.ad Hebræos :Ita natura Patris, & Filij,& Spiritus sancti inseparabiliter coniuncta, & vnita, per Verbũ suum quasi per splendorem dignata est semetipsam ostendere,& insuper mysterium sanctæ Trinitatis,dicente ipso Filio : *Ego & Pater vnum sumus.*

Iunilius Africanus. 540.

In Genesin : Quòd dicit:*Faciamus*:vna ostenditur operatio trium personarum. In eo verò quod sequitur: *ad imaginem & similitudinem nostram*, vna & æqualis substantia eiusdem Trinitatis indicatur. Quomodo enim vna esset similitudo & imago, si minor Patre Filius, si minor esset Filio Spiritus sanctus, & si non consubstantialis eiusdem potestatis esset gloria totius Trinitatis? Aut quomodo diceretur, *Faciamus*, si trium in vna diuinitate non esset cooperatrix virtus?

Arator. 540.

Lib.2. Act. *Doceasq; volentem*
Qu d Pater & Natus, quòd sanctus Spiritus vnus
Sit Deus, & numerum triplicet substantia simplex.

Fortunatus. 570.

Lib.4.Poematum. Ad Gregorium de Iudæis conuersis per Auitum:

Est Deus alta fides,vnus, tria,trinus & vnus,
Personis proprijs stat tribus vnus apex :
Nam Pater,& Genitus,sanctus quoque Spiritus idem:
Sic tribus est vnum ius,opus, ordo,thronus.

Vitæ S.Martini lib.1.cap.6.

Rem Patris ac Geniti æqualem,vel Spiritus almi
Vim,genus, ac speciem,virtutem,lumen,honorem,
Vnum velle trium sua per tormenta fatetur.

Gregorius Magnus. 590.

In Symbolo : Credo in vnum Deum omnipotentem,Patrem,Filium, & Spiritum sanctũ,tres personas,vnam substantiam ; Patrem ingenitum,Filium genitum, Spiritum sanctum nec genitum, nec ingenitum, sed à Patre & Filio procedentem.

Lib.2.in Ezechielem,Homilia 21. In illa summa Trinitate,quæ omnia creauit,omnia continet, dimidium nihil est, nec ex duobus dimidijs aliquod vnum. Neque enim quicquã imminutionis, aut decisionis habet illa substantia, quæ semper incommutabilis manens,nec detrimentum recipit, nec augmentum.

Isidorus Hispalensis. 620.

Lib.7. Etymologiarum, cap. 4. Trinitas appellatur, quòd fiat totum vnum ex quibusdam tribus,quasi Trinitas,vt memoria,intelligentia,& voluntas. In quibus mens habet in se quandam imaginem diuinę Trinitatis. Nam dum tria sint,vnum sunt: quia & singula in se manent, & omnia in omnibus.Pater igitur,& Filius,& Spiritus sanctus Trinitas & vnitas :Idem enim vnum,idem & tria : in natura vnum, in personis tria : vnum propter maiestatis communionem, tria propter personarum proprietatem. Nam alius Pater,alius Filius, alius Spiritus sanctus. Sed alius quidem, non aliud:quia pariter simplex,pariterq; imcõmutabile bonum,& coæternum. Pater solus non est de alio,ideoq; solus appellatur ingenitus: Filius solus de Patre est natus,ideo solus dicitur genitus : Spiritus sanctus solus de Patre & Filio procedit,ideo solus amborum nuncupatur Spiritus. In hac Trinitate alia sunt appellatiua nomina, alia propria sunt. Propria enim sunt essentialia, vt Deus,Dominus,omnipotens,immutabilis,immortalis. Et inde propria,quia ipsam substantiam significant, qua vnum sunt. Appellatiua verò,Pater,Filius,& Spiritus sanctus Ingenitus,Genitus,& procedens. Eadem & relatiua : quia ad se inuicem referuntur.Cùm enim Deus dicitur, essentia est : quia ad seipsum dicitur. Cùm verò dicitur Pater, Filius, & Spiritus sanctus, relatiuè dicuntur : quia ad se inuicem referuntur Nam Pater non ad se ipsum, sed ad Filium relatiuè dicitur : quia est ei Filius. Sic & Filius relatiuè dicitur, quia est ei Pater. Sic & Spiritus sanctus, quia est Patris, Filijq; Spiritus. His enim appellationibus hoc significatur, quod ad se inuicem referuntur, non ipsa substantia,qua vnum sunt. Proinde Trinitas in relatiuis personarum nominibus est, deitas nõ triplicatur, sed in singularitate est: quia si triplicatur, Deorum inducimus pluralitatem.

Concilium Toletanum Quartum. 643.

Cap.1. Secundùm diuinas Scripturas,& doctrinam,quam à sanctis Patribus accepimus,Patrem, & Filium,& Spiritum sanctum vnius Deitatis atq; substantiæ confitemur:in personarum diuersitate Trinitatem credẽtes,in diuinitate vnitatem prędicantes: nec personas confundimus,nec substantiam separamus:Patrẽ à nullo factum, vel genitũ dicimus:Filium à Patre,non factum,sed genitum asserimus : Spiritum verò sanctum nec creatum, nec genitum, sed procedentem ex Patre & Filio profitemur.

Concilium Sextum Toletanum. 648.

Cap.1. Credimus & profitemur sacratissimam & omnipotẽtissimam Trinitatẽ,Patrem,& Filium, & Spiritum sanctum,vnum Deum solum,non solitarium,vnius essentiæ,virtutis,potestatis, maiestatis,vniusq; naturæ,discretã inseparabiliter per sonis,indiscretam essentialiter substãtia deitatis, creatricem omnium creaturarũ: Patrem ingenitum, increatum, fontem & originem totius diuinitatis : Filium à Patre intemporaliter, ante omnem creaturã, sine initio genitum,non creatũ. Nam nec Pater vnquã sine Filio,nec Filius extitit

sine Patre : sed tamen Filius Deus de Patre Deo, non Pater Deus de Filio Deo:Pater Filij,non Deus de Deo: Ille autem Filius Patris,& Deus de Patre, per omnia coæqualis Patri, Deus verus de Deo vero:Spiritum verò sanctum neque genitum, neque creatum, sed de Patre Filioq; procedentem, vtriusque esse Spiritum : ac per hoc substantialiter vnum sunt, qui & vnus ab vtroque procedit. In hac autem Trinitate tanta est vnitas substantiæ,vt pluralitate careat, & æqualitatem teneat. Nec minor in singulis,quàm in omnibus:nec maior in omnibus, quàm in singulis personis manet.

Hildephonsus Toletanus. 660.

Serm. 5.de Assumptione Mariæ :Nos ergo fratres,vt corde credamus, & ore cõfiteamur, tres denominatas & discretas personas Patris & Filij & Spiritus sancti vnius esse diuinitatis, æternitatis, vniuersitatis & gloriæ ; admoneant nos & doceant veritatis veracissima verba Prophetarum & Apostolorum & Euangelistarum veridica testimonia.Et vt in tribus personis summa,simplex,æterna,& incomprehensibilis credatur, confiteatur, & adoretur Trinitas,inuitet nos sanctarum Scripturarum synceritas,& catholicorum Patrum fidelis nos doceat authoritas, in quorum intellectu & scriptis fidei pietas & veritas non vacillat.

Concilium Toletanum Vndecimum. 674.

In Confeßione fidei : Confitemur & credimus sanctam atq; ineffabilẽ Trinitatem,Patrẽ,& Filium, & Spiritum sanctum,vnum Deum naturaliter esse,vnius substantiæ, vnius naturæ, vnius quoque maiestatis atque virtutis,&c. Hæc est sanctæ Trinitatis relata narratio, quæ nõ triplex, sed Trinitas & dici & credi debet.Nec rectè dici potest,vt in vno Deo sit Trinitas, sed vnus Deus Trinitas. In relatiuis verò personarum nominibus Pater ad Filium,Filius ad Patrẽ, Spiritus sanctus ad vtrosque refertur: quæ cùm relatiuæ tres personæ dicantur,vna tamen natura vel substãtia creditur. Nec sicut tres personas, ita tres substantias prædicamus: sed vnam substantiam, tres autem personas. Quòd enim Pater est,non ad se,sed ad Filium est; & quòd Filius est, non ad se, sed ad Patrem est:Similiter & Spiritus sanctus non ad se, sed ad Patrem & Filium relatiuè refertur, in eo quòd Spiritus Patris & Filij prędicatur.Item cùm dicimus, Deus,non ad aliquid dicitur, sicut Pater ad Filium,vel Filius ad Patrem, vel Spiritus sanctus ad Patrem & Filium : sed ad se specialiter Deus dicitur. Nã si de singulis personis interrogemur, Deum necesse est fateamur.Deus ergo Pater,Deus Filius,Deus Spiritus sanctus singulariter dicitur: nec tamen tres Dij, sed vnus est Deus. Item & Pater omnipotens, & Filius omnipotens, & Spiritus sanctus omnipotens singulariter dicitur : nec tamen tres omnipotentes, sed vnus omnipotens.

Agatho. 680.

Epistola ad Constantinum Imp. Heraclium & Tiberium AA. Hic est status Euangelicæ atque Apostolicæ fidei,regularísque traditio,vt confitentes sanctam & inseparabilem Trinitatem,id est,Patrem, & Filium, & sanctum Spiritum vnius esse deitatis, vnius naturæ & substantiæ siue essentiæ,vnius etiam prædicemus naturalis voluntatis,virtutis, operationis,dominationis,maiestatis,potestatis, & gloriæ. Et quicquid de eadem sancta Trinitate essentialiter dicitur singulari numero, tanquam de vna natura trium consubstantialium personarum comprehendamus, regulari ratione instituti.

Aldhelmus. 680.

De laudibus Virginitatis,cap. 30. Orantem pro nobis beatitudinem vestram, alma Trinitas, vna Deitatis substãtia, & trina personarum subsistentia,totius mundi monarchiam gubernans, ab alto cæli culmine iugiter tueri dignetur.

Aponius. 700.

Lib.3.in Cantica :Hæc tria,vnum confitendo Deum,vnicum Filium credẽdo Dei,& cognitio Spiritus sancti, omnium bonorum fundamẽta sunt, quæ in se Baptismum, Pœnitentiam,& Martyrium continere docentur.Quæ tria gloriosa de Trinitatis confessione Ecclesia in se quotidie gaudet fundi.

Beda. 720.

De Substantijs : In aqua, quam tribus personis appellare solemus, dicentes,ille fons, ille riuus, illud stagnum, trinitas, sed vnius elementi substantia inesse comprobatur : licet enim in personis fons & riuus atque stagnum differant,in vna tamen substantia conueniunt : Vbi quiddã,quod & de sole dixi, potest inueniri. Nullus deniq; riuus absque fontis sui substantia defluit,quousque fons ebulliendo subsistit. Cæterùm si fons exiccatur,& fontis persona priuatur.Sed & stagnum satis conuenit personæ Spiritus sancti : quoniam sicut fons & riuus in stagnum confluentes, vnius elementi substantiam habent ; ita & Pater & Filius in vnitate Spiritus sancti conuenientes, vnum sunt, & vnam substantiam efficiunt. In accensa quoque candela inueniri potest (vt reor) idem sanctæ Trinitatis mysterium. Nam cùm ardens elementis constet tribus, id est, stuppa, cera,igne, personarum trium figuram tenet, sed vnam substantiam : Et sicut nulla candelæ vtilitas in stuppæ & ceræ confectione absque incensione erit : ita etiam illi, qui in Patrem & Filium credens, Spiritus sancti ignem ab eis separat, nil proderit huiusmodi fides.

Ad caput 5.Ioannis : Rectè dicitur & Pater principium,& Filius principium, non tamen duo principia : sicut Pater Deus,& Filius Deus, non tamen duo Dij,sed vnus Deus dicendus est : Sic Pater principium, & Filius principium, non tamen duo principia, sed vnum principium fatendum est. Ergo & Spiritus sanctus principium est : non tamen tria principia Pater,Filius,& Spiritus sanctus, sed vnum principium.

Alcuinus. 750.

Lib.1.de Trinitate,cap.3. Teneamus firmissimè,Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum vnum esse naturaliter Deum : nec tamen ipsum Patrem esse qui Filius,nec Filium ipsum esse qui Pater est,nec Spiritum sanctum ipsum esse qui Pater aut Filius est. Vna est Patris & Filij & Spiritus sancti essentia : in qua non est aliud Pater, aliud Filius, aliud Spiritus sanctus: quamuis personaliter sit alius Pater, alius Filius, alius Spiritus sanctus. Quod nobis maximè in ipso sanctarũ Scripturarum demonstratur initio, vbi Deus dicit: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Cùm enim singulari numero dixit, imaginem, ostendit vnam naturam esse, ad cuius imaginem homo fieret ; cùm verò dicit pluraliter, nostram, ostendit, Deum, ad cuius imaginem homo fiebat, non vnam esse personam. Genes.1.

Ambrosius Ansbertus. 750.

Lib.3. in Apocalypsin: Vnus & verus Deus Pater, & Filius,& Spiritus sanctus : quia solus semper mutabilia cõdens,immutabilis perseuerat,solus semper esse habet.

Lib.10. In vno Deo, in vna diuinitatis ſubſtantia, tres eſſe perſonas prædicamus: & nec ipſum eſſe Patrem, qui eſt Filius, aut Spiritus ſanctus: nec ipſum eſſe Filium, qui eſt Pater, aut Spiritus ſanctus: nec ipſum eſſe Spiritum ſanctum, qui eſt Pater, aut Filius: cùm tamen non aliud Patrem, aliud Filium, atque aliud Spiritum ſanctum aſſeramus. Sicut enim hanc Trinitatem in perſonis diſcernimus, ita vnitatem in natura Deitatis coniungimus: quia nec Patrem à Filio & Spiritu ſancto, nec Spiritum ſanctum à Patre & Filio ſeparari poſſe prædicamus.

Carolus Magnus. 780.

Ad Eliphandum Toletanum Epiſcopum: Credimus ſanctam Trinitatem Patrem & Filium & Spiritum ſanctum vnius eſſe ſubſtantiæ, vnius potentiæ, & vnius eſſentiæ, tres perſonas, & ſingulam quamque in Trinitate perſonam plenum Deum, & totas tres perſonas vnum Deum omnipotentẽ. In qua ſancta Trinitate nulla eſt perſona vel tempore poſterior, vel gradu inferior, vel poteſtate minor: ſed per omnia æqualis Patri & Filio Spiritus ſanctus, diuinitate, voluntate, operatione, & gloria.

Libro 1. Legum c. 82. Primò omnium prædicãdum eſt omnibus generaliter, vt credant Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum vnum eſſe Dominum omnipotentem, ęternum, inuiſibilem, qui creauit cælum, & terram, mare & omnia quæ in eis ſunt: Et vnam eſſe Deitatem, & ſubſtantiam, & maieſtatem in tribus perſonis, Patris & Filij & Spiritus ſancti.

Haymo. 820.

Super Euangeliũ in feria 6. Paſchæ: Notandum quòd non ait, baptizãtes eos in nominibus Patris & Filij & Spiritus ſancti, ſed in nomine, vt indiuiduã Trinitatem Deum eſſe inſinuaret. Quia etſi trinus eſt in vocabulis, vnus tamen eſt in natura: quoniam Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus ſanctus eſt.

Super Euangelium in die Natiuitatis Domini. Nec Pater aliquãdo mutatur in Filium, aut Filius in Patrem, neq; Spiritus ſanctus in Patrem aut Filium: ſed Pater ſemper eſt Pater, Filius ſemper eſt Filius, Spiritus ſanctus ſemper eſt Spiritus ſanctus. Non enim diuina natura vel ſubſtantia mutari poteſt.

Krelatenſe Concilium Quartum. 830.

In confeſſione fidei: Patrem & Filium & Spiritum ſanctum vnius deitatis atq; ſubſtãtiæ confitemur, in perſonarum diuerſitate Trinitatem credentes, in diuinitate vnitatem prædicantes. Nec perſonas confundimus, nec ſubſtantiã ſeparamus: Patrem à nullo factum vel genitũ dicimus: Filiũ à Patre nõ factum, ſed genitum aſſerimus: Spiritum verò ſanctum nec creatum, nec genitum, ſed procedentem ex Patre & Filio profitemur.

Angelomus. 830.

1. Reg. 13. Rurſum tẽpore quieto nil amplius doctoribus Eccleſiæ Catholicæ plebibus qui præſunt prædicare conuenit, quàm vt credant Patrem & Filium & Spiritum ſanctum vnius ſubſtantię atq; deitatis: Filiũ verò non aliundè quàm de Patris ſubſtantia genitum, ſine initio, ac per omnia Patri ſimilem & coæqualem: Spiritum verò ſanctum ex Patre & Filio procedentem.

Hincmarus. 850.

In vita S. Remigij: Credamus & confiteamur ſanctam & inſeparabilem Trinitatem, Patrem & Filium & Spiritum ſanctum coæternam & conſubſtantialem & coæqualẽ ſibimet eſſe, vnius diuinitatis, eſſentiæ, omnipotẽtiæ, glorię, magnitudinis, maieſtatis, & quicquid ad ſe, id eſt, ſubſtantialiter dicitur: relatiuè autem tres perſonas, Patrẽ & Filiũ & Spiritum ſanctũ: & quòd inſeparabilis naturę vnitas nõ poſſit ſeparabiles habere perſonas. Quod & in hoc oſtenditur, perſonas non poſſe diuidi in Trinitate, quia cuiuslibet perſonę nomen ſemper ad alterã reſpicit perſonã. Si Patrẽ dicis, Filiũ oſtendis: ſi Filium nominas, Patrem prędicas: ſi Spiritum ſanctum appellas, Patris & Filij eſſe Spiritum neceſſe eſt intelligas.

Rabanus Maurus. 850.

De inſtitutione Cleri, lib. 2. c. 57. Hæc eſt autem poſt Apoſtolicum ſymbolum certiſſima fides, quã doctores noſtri tradiderunt, vt profiteamur Deũ Patrẽ & Filiũ & Spiritum ſanctũ vnius eſſe eſſentiæ, eiuſdẽ poteſtatis, & ſempiternitatis: vnũ inuiſibilem, ita vt in ſingulis perſonarũ proprietate ſeruata, nec ſubſtantialiter Trinitas diuidi, nec perſonaliter debeat omninò confundi.

Concilium VVormatienſe. 860.

Confitemur & credimus ſanctam & ineffabilẽ Trinitatem Patrem & Filium & Spiritũ ſanctum vnũ Deum naturaliter eſſe, vnius ſubſtantiæ, vnius naturæ, vnius maieſtatis atque virtutis.

Remigius Antiſiodorenſis. 880.

De celebratione Miſſæ: Quia Pater & Filius & Spiritus ſanctus vnius deitatis, vnius naturæ, vnius ſubſtantiæ, vnius eiuſdemq; poteſtatis exiſtunt: vna ex eis perſona propter vnitatis myſterium retinendũ, in ſacrificio inuocatur, &c. Nõ humano arbitrio, ſed vtriuſq; Scripturę authoritate cõiuncta dicimus ter: *Sanctus,* & ſemel *Dominus,* vt oſtendamus omnipotentem Dominum, Trinitatem in perſonis habere, & vnitatem in ſubſtantiam.

Ericus. 880.

Feria ſecunda poſt Iudica: Sciendum omnibus fidelibus eſt, quia tota Trinitas Deus Spiritus eſt, Domino dicente: *Deus Spiritus eſt.* Pater ergo Spiritus, & Filius Spiritus; atque ideo, vt diſtinctio ſiat Patris, & Filij, tertia Trinitatis perſona iam non abſolutè Spiritus, ſed cum epitheto Spiritus ſanctus appellatur.

Stephanus Leodienſis. 910.

Prologo in vitam S. Lamberti:

Is Pater, & Proles, nec non & Spiritus almus:
Subſiſtens Trinus, ſed ſubſtans creditur vnus.
Perſonas numerat nam ſubſiſtentia ternas.:
Eſſe tamen proprium numerat ſubſtantia nullum,
Det pedibus lucere meis, det lumina cordis.

Radulphus Flauiacenſis. 910.

In Leuiticum lib. 10. cap. 2. Sunt quãplurimi in populo Dei, qui Trinitatis myſteriũ, quomodo Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, tres ſint in perſonarum proprietate, vnum in communione ſubſtantiæ, capere nequeunt: qui tamen ſi decimam ſimilæ oleo conſperſæ offerant, vt iuxta Spiritus dogmata vnũ Deum confiteantur, & credãt; nec, quia Trinitatis vnitatem apprehendere non poſſunt, contradicere illi, aut contraria pronuntiare aliquatenus præſumant: hac ſua oblatione ſanctificãtur, dum & in his, quæ capacitatis ſuæ ſunt, rectè de Deitatis vnitate ſentiunt: & in his, quæ intelligentiæ ſuę modulũ tranſcendunt, de vnitatis Trinitate doctioribus non contradicunt.

Peregrinus Laureacenſis. 970.

In Symbolo: Confiteor ſanctam & ineffabilem Trinitatem, & credo Patrem & Filium & Spiritum ſanctum vnum Deum naturaliter eſſe, vnius ſubſtantiæ, vnius naturæ, vnius maieſtatis, vnius virtutis & poteſtatis.

Berno Augienſis. 1020.

Sermone 7. de ſancto Marco: Sicut in hac triũ litterarum copulatione diuiſio non admittitur, vt pax adimpleatur: ita nec ſancta Trinitas in diuinitatis ſubſtantia vllam diuiſionem patitur, vt Pater & Filius & Spiritus ſanctus rectè credatur.

Leo Nonus. 1050.

Epiſtola ad Petrum Antiochenum Epiſcopum: Firmiter credo ſanctam Trinitatem, Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum, vnum Deum omnipotentem eſſe, totamque in Trinitate deitatem coëſſentialem coæternam & coomnipotentem, vniuſq; voluntatis, poteſtatis & maieſtatis; creatorem omnium creaturarum; ad quem omnia, per quẽ omnia, in quo omnia, quę ſunt in cælo & in terra, viſibilia & inuiſibilia. Credo etiam ſingulas quaſque in ſancta Trinitate perſonas vnum Deum verum, plenum, & perfectum.

Guitmundus Auerſanus. 1060.

In confeſſione de S. Trinitate: Credo ſacroſanctæ diuinitatis æternam vnitatem; credo in eadem vnitate coæternam Trinitatem. Creator enim omnium vnus eſt Deus: Trinus autem, quia Pater eſt, & Filius, & Spiritus ſanctus. Non dico, quòd idem ipſe ſit Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus: ſed dico, quòd idem ipſum eſt Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus. Cùm dico ipſe, oſtendo perſonam, quæ eſt Pater, vel Filius, vel Spiritus ſanctus: Cùm verò dico ipſum, oſtendo ſubſtantiam, quæ eſt Deus. Creditur itaq; per ſingulos alia perſona, ſed non creditur in tribus niſi vna ſubſtantia.

Anſelmus Cant. 1080.

Ad cap. 1. epiſtolæ ad Romanos: Gratiam & pacem optat à Patre & Filio, nec adiungit Spiritum ſanctum: quia ipſe Spiritus ſanctus donum Dei eſt: & donum Dei gratia & pax. Ideoque tota Trinitas in hac ſalutatione ponitur, dũ Pater, & Chriſtus apertè nominantur, & Spiritus ſanctus gratia & pace ſignificatur. Nullo enim modo dari hominibus gratia poteſt, qua liberamur à peccatis, & pax, qua reconciliamur Deo, niſi in Spiritu ſancto.

Libro de veſtimentis, & membris, & artubus Deo attributis: Sicut enim digitus cum manu vel brachio, manus verò & brachiũ cum corpore vnum ſunt in natura: ita Pater & Filius & Spiritus ſanctus tres quidem perſonæ, ſed vna ſubſtantia diuinitatis.

Hildebertus Cennomanenſis. 1090.

Carmine de S. Trinitate:

Quiſque trium plenus Deus:
Non tamen Dij, ſed Deus.
In hoc Deo, Deo vero,
Tres & vnum aſſeuero:
Dans vſiæ vnitatem,
Et perſonis Trinitatem.
In perſonis nulla prior,
Nulla minor, nulla maior.
Vnaquæque ſemper ipſa
Sic eſt conſtans atque fixa,
Vt nec in ſe varietur,
Nec in vllam tranſmutetur.

Petrus Alphonſus. 1100.

In præfatione ſui dialogi: Credendum eſt, quòd vnus ſit Deus in perſonarum Trinitate, quæ nec vllo ſe præcedunt tempore, nec aliqua à ſe ſegregantur diuiſione, quas Chriſtiani Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum nominant.

Titulo 6. Cùm in Scripturis ſacris reperiatur Deus appellari Eloa & Adon, quod ſingulariter Deus vel Dominus interpretatur, ergo eſt vnus. Et aliàs cùmiterum reperiatur appellari Elohim & Adonai, quod pluralitatẽ ſignificat, plurales demonſtrãtur Dij; quod videtur contrarium. Aut enim vnus erit Deus, aut plures. In Deo autem non eſt hoc contrarium. Quòd enim ſe ſingulari nomine appellauit, ad vnam profectò reſpicit ſubſtantiam; quòd verò plurali, ad plures perſonas &c. Trinitas quidem ſubtile quid eſt, & ineffabile, & ad explanandum difficile, de qua Prophetæ non niſi occultè locuti ſunt, & ſub velamine, quoadusque venit Chriſtus, qui de tribus vna perſonis fidelium illam mentibus, pro eorum reuelauit capacitate. Si tamen attendas ſubtilius, & illud Dei nomen, quod in ſecretis ſecretorum explanatum inuenitur inſpicias Iehoua, nomen inquã trium litterarum, quamuis quatuor figuris, (vna namque de illis geminata bis ſcribitur) ſi inquam illud inſpicias, videbis quia idem nomen, & vnum ſit & tria. Sed quod vnum eſt, ad vnitatem ſubſtantiæ; quod verò tria, ad Trinitatem reſpicit perſonarum: conſtat autem nomen illud quatuor figuris, quarum ſi primam tantùm coniunxeris & ſecundam, erit ſanè nomen vnum. Item ſi ſecundam & tertiam, iam habebis alterum. Similiter ſi tertiã tantùm copulaueris atque quartam, inuenies & tertium. Rurſus ſi omnes ſimul in ordinem connexeris, non erit niſi nomen vnum.

Rupertus Tuitienſis. 1120.

De glorificatione Trinitatis, & proceſſione Spiritus ſancti lib. 5. cap. 18. Sicut tres operationes dilectionis, nec tamen tres dilectiones, ſed vna dilectio eſt, ſicut tria ſpiramẽta in homine, anima cor & vtrorumq; fortitudo, nec tres ſpiritus vnius hominis, ſed vnus eſt: ſic tres perſonæ deitatis ſunt Pater & Filius & Spiritus ſanctus, nec tres Dij, ſed vnus Deus eſt.

Hugo Victorinus. 1130.

Eruditionis Theologicæ lib. 7. cap. 21. Quia autem ille qui genitus eſt, nõ poteſt eſſe ille, à quo genitus eſt: neque item ille, qui à gignente & genito procedit, ille eſſe poteſt, qui eſt gignens vel genitus: inexpugnabili ratione veritatis cogemur in deitate perſonarum Trinitatem, & ſubſtantiæ vnitatem cognoſcere. Tribus ergo in deitate vna cõmunis eſt, & æqualis æternitas, & ęterna æqualitas: quia non poteſt eſſe ſingulis diſſimile, quod omnibus facit deitas vna cõmune. Tres ergo vnum ſunt, quia in tribus perſonis eſt vna ſubſtantia: ſed tres vnus non ſunt: quia ſicut diſtinctio perſonarum vnitatem deitatis non diuidit, ita & vnitas deitatis diſtinctionem perſonarum non confundit.

Bernardus. 1130.

De conſideratione ad Eugenium lib. 5. cap. 8. Dicimus Patrem, dicimus Filium, dicimus Spiritum ſanctum; non tamen tres Deos, ſed vnum. Quid ſibi vult iſte (vt ſic loquar) abſque numero numerus? Si tria, quomodo non numerus? Si vnum, vbi numerus? Sed habeo, inquis, quid numerem: & quid non numerem. Subſtantia vna eſt; perſonę tres ſunt. Quid mirum; quid vel obſcurũ in hoc? Nihil, ſi perſonæ ſeorſim à ſubſtantia cogitentur. Nunc verò cùm tres illæ perſonæ, illa ſubſtantia ſint; & illa vna ſubſtantia, tres illæ perſonæ: quis numerum neget? Nam verè tres ſunt. Quis numeret tamen? Nam verè vnum ſunt. Aut ſi tu facilè explicatu id putas, dicendo tres; dicito quid numeraſti? Naturas? vna eſt. Eſſentias? vna eſt. Subſtãtias? vna eſt. Deitates? vna eſt. Non hęc; ſed perſonas numero, inquis. Quæ non ſint illa vna natura, illa vna eſſentia, illa vna ſubſtantia, illa vna diuinitas? Catholicus es; minimè hoc dabis. Perſonarum proprietates, nõ aliud quàm perſonas: ipſasq; non aliud quàm vnum Deum, vnam diuinam ſubſtantiam, vnam diuinam naturam, vnam diuinam & ſummam maieſtatem fides Catholica confitetur.

Petrus Lombardus. 1140.

Libro 1. dist. 2. Hoc vera & pia fide tenendum est, quòd Trinitas vnus sit & solus verus Deus, &c. Teneamus ergo Patrem, & Filium, & Spiritū sanctum vnum esse naturaliter Deum: neque tamen ipsum Patrem esse, qui est Filius: non Filiū ipsum esse, qui Pater est: nec Spiritum ipsum esse, qui Pater est, aut Filius. Vna est enim Patris & Filij & Spiritus sancti essentia, quam Græci οὐσίαν vocāt. in qua non aliud est Pater, aliud Filius, aliud Spiritus sanctus: quamuis sit personaliter alius Pater, alius Filius, alius Spiritus sanctus.

Richardus Victorinus. 1140.

Libro 4. de Trinitate cap. 19. In diuina natura alius aliquis est persona vna, & alius aliquis persona alia, cùm tamen non sint nisi vna eadémque substantia: & quidē scimus, quòd in illa diuina personarū pluralitate sit summa similitudo, & summa æqualitas: in humanę autem naturæ substantiarum pluralitate sit multa dissimilitudo, & magna inæqualitas.

Otto Frisingensis. 1150.

De rebus gestis Friderici Imp. lib. 1. c. 5. Non tria apud nos, quæ Plato posuit, inueniūtur principia, sed vnum tantùm: Deus Pater, ex quo omnia: Deus Filius, per quem omnia: Deus Spiritus sanctus, in quo omnia. Et hi tres, sicut nec tres Dij, ita nec tria principia, nec tria æterna, sed vnum principium, & vnum æternum.

Hildegardis. 1160.

Lib. 2. visione 2. cap. 3. Pater, qui summa æquitas, sed non sine Filio, nec Spiritu sancto: & Spiritus sanctus, qui accensor cordium fidelium, sed non sine Patre, & Filio: & Filius, qui est plenitudo virtutis, sed non sine Patre, & Spiritu sancto, in maiestate diuinitatis inseparabiles sunt. Quoniā Pater non est sine Filio, nec Filius sine Patre, nec Pater & Filius sine Spiritu sancto, nec Spiritus sanctus sine ipsis. Et hæ tres personæ Deus vnus, in vna integra diuinitate maiestatis existūt; & vnitas diuinitatis in ijsdē personis inseparabilis vigens: quia diuinitas scindi non potest, sed ipsa, absque vlla mutabilitate inuiolabilis semper manet. Sed & Pater declaratur per Filium, Filius per ortum creaturarum, & Spiritus sanctus per eundem Filium incarnatum.

In explicatione Symboli Athanasij: Fides vera est, vt vnus Deus in Trinitate personarum, eadem Trinitas in vno Deo glorioſè honoranda sit, sine vlla confusione diuisionis vnitatis: quia vnus Deus in vna substantia diuinitatis inseparabiliter est. Non enim aliud est Pater in substantia, nec aliud Filius, nec aliud Spiritus sanctus; nec ab inuicem in substantia diuinitatis segregati sunt, sed in Patre & Filio & Spiritu sancto vna diuinitas vnius substantię in gloria maiestatis est.

Hugo Etherianus. 1160.

De Spiritu sancto contra Græcos lib. 1. cap. 8. In diuinis personis tres proprietates immobiles sunt, paternitas, filiatio, processio, secundùm quas solas tres personę, Pater scilicet & Filius & Spiritus sanctus insigniuntur. Quæ non modò in his, modò in alijs, nec in pluribus, aliquando in paucioribus, sed in ijsdem semper personis inspiciuntur. Hæ personæ neque augmentum suscipiunt, vt sint quatuor; neque diminutionem, vt in dualitatem redigantur, cùm vnus Deus pariter existant absque permutatione. Si enim vna specie plures homines vnum, multò conuenientius tres personę vnus Deus pura fide ac religione immaculata pronuntiatur: de quibus non est quærendum quomodo sint tres, cùm prorsus & omninò sint inseparabiles.

Petrus Blesensis. 1160.

Epist. 83. Vide mentem hominis, corpusq; solare considera, & videbis qualitercumque, licet tenuiter, & quasi oculo conniuenti quandam similitudinem Trinitatis agnosces. Est in mēte hominis intelligentia, memoria, voluntas: mentem autem vocamus memoriam, mētem dicimus intelligentiam, mentem dicimus voluntatem: Memoria, intelligentia, voluntas sunt vna mens, sed nec memoria est intelligētia, vel voluntas. In eodem corpore solis radium video, sentio calorem, & agnosco splendorem: Hæc tria vnius sunt essentiæ, nullum tamen illorum est alterum. Sed in illa ineffabili & incircumscriptibili Deitatis gloria, est Filius à Patre, & Spiritus sanctus ab vtroque: cùm Pater & Filius & Spiritus sanctus eiusdem substantiæ, eiusdem potentiæ & gloriæ sint: non sunt tamen tres Dij, sed in tribus personis est vna substantia vnius potentiæ, & in vna substantia tres personæ.

Godfridus Viterbiensis. 1170.

Prima parte Chronicorum de diuina essentia ante omnē creationem. Deus dicitur trinus & vnus, sicut (exempli causa) in solem conspicimus. Est enim in sole ignea substantia, splendor, & calor. quæ tria inseparabilia sunt. Per solem, intelligo Patrem; in splendore, Filium; in calore, accipio Spiritum sanctum, &c.

Ante creaturam Genitor Deus, & genitura,
Primáq; natura nouit statuitq; futura:
Prima salus vera, trinus & vnus erat.
Filius à Patre genitus, Deus in deitate,
Spiritus à Patre Natiq; fuit bonitate.
Sic tres personæ sub deitate patent.
Hîc vnum diuersa Deum tria nomina pandunt;
Est Pater, est Natus Deus, est & Spiritus almus:
Tres ita personas nomina trina sonant.

Potho Prumiensis. 1180.

De statu domus Dei lib. 4. cap. 2. Similitudo substantialis agnoscitur in Patre & Filio & Spiritu sancto, quia hæc quidem sunt tria in tribus personis vocabula, sed vna eadem in nullo dissimilis est substātia Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Substātialē quippe similitudine Pater, & Filius, & Spiritus sanctus vnum sunt: quāuis alius sit in persona Pater, alius in persona Filius, alius in persona Spiritus sanctus.

Adam Victorinus. 1180.

In prosa de S. Trinitate. Profitentes vnitatem, veneremur Trinitatem pari reuerentia, tres personas asserentes, personali differentes à se differentia. Hæ dicūtur relatiuè, cùm sint vnum substantiuè, non tria principia. Siue dicas tres vel tria, simplex tamen est vsia, non triplex essentia. Simplex esse, simplex posse, simplex velle, simplex nosse, cuncta sunt simplicia. Non vnius quàm duarum, siue trium personarum minor efficacia.

Innocentius III. 1200.

Sermone 1. de Aduentu Domini: In sancta & indiuidua Trinitate Patri attribuitur vnitas propter principiū, Filio tribuitur æqualitas propter medium, Spiritui sancto attribuitur connexio propter consortium.

De mysteriis Missæ lib. 4. cap. 11. Sanè in natura Dei est Trinitas personarum, videlicet Deus Pater Filius & Spiritus sanctus. In hypostasi Filij est substantiarum Trinitas, videlicet Deitas corpus & anima: In Sacramento corporis est Trinitas specierum, videlicet panis, vinum, & aqua. In natura Dei nec est accidens in substantia, nec substantia sub accidente. In hypostasi Filij est accidens in substantia, & substantia in accidente. In Sacramento

mento corporis accidens non est in substantia, sed substantia consistit sub accidente.

Antonius Paduanus. 1220.

Dominica 6. post Pascha: *Hæc locutus sum vobis.* Notatur sanctę Trinitatis fides apertè, & manifestatur, quòd à Patre & Filio mittitur Spiritus sanctus, qui tres vnius sunt substantiæ, & inseparabili æqualitate, vnitas est in essentia, & pluralitas in personis.

Concilium Lateranense. 1215.

Cap. 1. Firmiter credimus, & simpliciter confitemur, quòd vnus solus est verus Deus æternus, & immensus, omnipotens, incommutabilis, incomprehensibilis, Pater & Filius & Spiritus sanctus, tres quidem personæ, sed vna essentia, substantia, seu natura, simplex omnino: Pater à nullo, Filius à solo Patre, Spiritus sanctus ab vtroque pariter absque initio semper & fine: Pater generans, Filius nascens, Spiritus sanctus procedens.

Edmundus Cantuariensis. 1230.

In speculo Ecclesiæ cap. 28. Vnus est Deus in se & sua substantia, & Trinus in personis, &c. In Deo est potestas, & de illa potestate venit sapientia, & de vtraque venit amor. Et propter hoc, quòd ex prima persona venit secunda, & de ambabus procedit tertia: ideò prima persona vocatur Pater, secunda Filius, tertia Spiritus sanctus.

Alexander Alesius. 1230.

Parte 1. quæst. 44. Cùm dico personam Patris, dico habentem diuinum esse non ab alio, & à quo alius habet idem esse per generationem, alius verò per processionem. Cùm dico Filium, dico habentem idem diuinū esse ab alio per generationem, & à quo alius per processionem. Cùm dico personam Spiritus sancti, dico habentem idem esse diuinum ab alijs, scilicet Patre & Filio, per processionem. Est igitur idem esse Patris, & Filij, & Spiritus sancti esse diuinum: differentes tamen, & incommunicabiles horum proprietates. Si ergo nihil aliud est esse personæ, quàm habere esse rationalis naturæ, ex incommunicabili proprietate; oportet necessariò ponere, quòd Pater est persona, Filius est persona, & Spiritus sanctus. Et quia est ibi habere esse diuinum ex tribus proprietatibus incommunicabilibus, necessariò oportet ibi tres esse personas. Sic igitur patet, quòd in diuino esse pluralitas est personarum secundùm veritatem. Secūdùm hoc ergo dicendum, quòd licet persona substantiam dicat, & secundùm substantiam dicatur, non tamen vnitas substantiæ ponit vnitatem personæ, nec pluralitas personæ pluralitatem substantiæ. Sicut enim pluralitas substantiæ non tollit vnitatem personę, ita nec pluralitas personæ vnitatem tollit substantiæ.

Thomas Aquinas. 1260.

Part. 1. quæst. 30. articulo 2. Necesse est ponere tantùm tres personas in diuinis. Ostensum est enim, quòd plures personæ sunt plures relationes subsistentes, ab inuicem realiter distinctæ. Realis autem distinctio inter relationes diuinas non est, nisi ratione oppositionis relatiuæ. Ergo oportet duas relationes oppositas ad duas personas pertinere. Si quæ autem relationes oppositę non sunt, ad eandem personam necesse est eas pertinere. Paternitas ergo, & filiatio (cùm sint oppositæ relationes) ad duas personas ex necessitate pertinent. Paternitas igitur subsistens est persona Patris: & filiatio subsistēs est persona Filii. Aliæ autem duæ relationes ad neutrum harum oppositionem habent: sed sibi inuicem opponuntur. Impossibile est igitur, quòd ambæ vni personæ conueniant: oportet ergo quòd vel vna earum conueniat vtrique dictarum personarum, aut quòd vna vni, & alia alij: non autem potest esse, quòd processio conueniat Patri & Filio, vel alteri eorum: quia sic sequeretur, quòd processio intellectus, quæ est generatio in diuinis, secundùm quam accipitur paternitas & filiatio, prodiret ex processione amoris, secūdùm quam accipitur spiratio & processio, si persona generans & generata procederēt à spirante. Quod est contra præmissa. Relinquitur ergo, quòd spiratio conueniat & personæ Patris, & personæ Filij, vtpote nullam habens oppositionem relatiuam, nec ad paternitatem, nec ad filiationem. Et per consequens oportet, quòd conueniat processio alteri personæ, quæ dicitur persona Spiritus sancti, quæ per modum amoris procedit. Relinquitur ergo tres esse tantùm personas in diuinis, scilicet Patrem, Filium, & Spiritum sanctum.

Bonauentura. 1260.

Parte 1. Breuiloquij, cap. 2. De Trinitate Dei tria sunt considerandā, scilicet qualiter vnitas substantiæ & naturæ simul stet cum pluralitate personarum: secūdò qualiter cum pluralitate apparitionum: tertiò qualiter cum pluralitate appropriatorum. De pluralitate ergo personarum in vnitate naturæ hoc dictat regula fidei esse tenēdū, scilicet quòd in vnitate naturæ sunt tres personę, Pater Filius & Spiritus sanctus: quarum prima à nulla est, secunda est à sola prima per generationē, tertia verò est à prima & secunda per spirationem, siue processionem: Ita quòd Trinitas personarum nō excludit ab essentia diuina summam vnitatem, simplicitatem, immensitatem, æternitatem, incōmutabilitatem, necessitatem, & etiam primitatem: quin potius includit summā fœcunditatem, charitatem, liberalitatem, æqualitatem, germanitatem, cōformitatem, & inseparabilitatem: quæ omnia sana fides intelligit esse in beata Trinitate.

Aegidius Romanus. 1280.

Lib. 1. Hexameron cap. 23. In prima productione rerum significatur Trinitas, per Deū, & per Principium, & per Spiritum Domini, qui ferebatur super aquas. Nam cùm dicitur: *Deus in principio creauit cælum & terram,* & postea subditur: *Spiritus Domini ferebatur super aquas*: in eo quod dicitur *Deus,* intelligitur Pater: in eo quod dicitur: *In principio,* intelligitur Filius: In eo quod subditur: *Spiritus Domini ferebatur super aquas,* datur intelligi Spiritus sanctus.

Nicolaus Lyranus. 1320.

Ad cap. 1. Genes. *Faciamus* in plurali dixit, ad denotandam personarum pluralitatem in diuinis: veruntamen quia ista pluralitas stat cum vnitate simplicis essentiæ, ideo postea subditur in singulari: *Et creauit Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam.*

Ludolphus Saxo Carthusianus. 1330.

Vitæ Christi part. 1. cap. 26. Ideo hoc Euangelium in festo Trinitatis legitur, quia in eo quælibet personarum apertè exprimitur. Nam persona Filij est quæ loquitur: persona Patris exprimitur, cùm dicitur: *Scimus quia à Deo venisti*: persona Spiritus sancti, cùm dicitur: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto.* Exprimuntur autem personæ diuinæ cum suis appropriatis. Exprimitur persona Patris cum sua potentia, cùm dicitur: *Nemo potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo*: Signa enim facere diuinæ potentiæ est. Exprimitur persona Filij cum sua sapientia, cùm dicitur: *Scimus quia à Deo venisti magister*: ad magistrum enim spectat sapientiam docere. Exprimitur persona Spiritus sancti

cùm ſua bonitate, cùm dicitur: *Spiritus vbi vult ſpirat.* Non enim noſtris meritis, ſed ex ſua gratuita bonitate, ſe nobis infundit. Quamuis enim & Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus habeant eandem potentiam, ſapientiam, & bonitatem, tamen quia apud nos nomen Patris propter antiquitatem importat impotentiam, ne ſimplices hoc crederent de Patre cæleſti, attribuitur ſoli potentia, &c.

Ioannes Taulerus. 1350.

Sermone 2. in Feſto S. Trinitatis: Nullus omnino creatus capit intellectus vt illa ſupereſſentialis vnitas, tam ſimplex in eſſentia, & trina ſit in perſonis, vt perſonæ ab inuicem diſtinguantur, vt Pater Filium generet, vtq; Filius procedat à Patre, & tamen intus maneat in perfecta cognitione ſui ipſius. Adhæc vt Pater Verbum ſuum æternũ proferat, vtq; ex ea, qua ſe mutuò intelligunt, cognitione ineffabilis amor, qui eſt Spiritus ſanctus, promanet: & vt idem emanans, cum ineffabili ſui ipſius complacentia ac fruitione ad intra refluat, &c.

Bartholomæus Anglicus. 1360.

De proprietatibus rerum lib. 1. cap. 3. Quicquid in Deo eſt aut de Deo dicitur, aut eſt eſſentia, aut notio, aut perſona: vna eſt enim indiuiſibilis eſsétia, perſonæ tres, & hæ tres perſonæ ſunt vna eſſentia, & vnus Deus, & quælibet earum eſt vna eſſentia, & vnus Deus, Pater à nullo, Filius à Patre naſcendo, Spiritus ſanctus à Patre per Filium procedendo.

Petrus Aliacus. 1400.

In lib. 1. Sentent. d. 3. art. 1. concl. 1. Poſitio fidei cõcedit, quòd vna res ſimpliciſſima eſt tres res: & quælibet earũ, ſcilicet quòd vna diuina eſsétia eſt coniunctim Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus: & eſt ſingulatim Pater, & eſt etiam Filius, & eſt Spiritus S. quarum triũ rerum vna non eſt alia, ſed ſunt eadem indiuiſibilis eſſentia: quæ quidem eſſentia nullam trium illarum generat, nec ab aliqua generatur, nec aliquam producit, nec ab aliqua producitur: ſed generat, & producit vnam illarum trium, ſcilicet Filium: & Pater & Filius tãquam vnum principium producunt, ſed non generant Spiritum ſanctum.

Laurentius Iuſtinianus. 1430.

De perfectionis gradibus cap. 13. Secũdùm eſſentiam Deus ſeipſum ſibi ipſi communicat in generatione & proceſſione. Pater namque cùm generat Filium, ſe communicat Filio, in ipſa generatione ineffabili diuina coæterna & ſibi conſubſtantiali; Pater verò & Filius in proceſſione Spiritus ſancti, qui amor Patris & Filij, oſculum & amplexus amborum ſuo ſe communicat Spiritui, qui eſt idem quod Pater & Filius in ſubſtantia, eſſentia, bonitate, potẽtia, ſapientia, æternitate & maieſtate: non tamen in perſona. Nam quamuis Pater, Filius, & Spiritus ſanctus vnus ſit Deus inſeparabilis, inconfuſus, & immenſus, nõ autem vna perſona, quoniam alia eſt Patris perſona, alia Filij, alia Spiritus ſancti: non tamen vna anterior tempore altera, aut poſterior, nec maior vel minor, neque fortior ſeu debilior eſt, ſed per omnia ſibi æquales ſunt, ita vt totæ tres perſonæ ſit vnus Deus verus, omnipotẽs, ſummus, perfectus, Pater Filius & Spiritus ſanctus, concordes in volũtate, pares in omnipotentia, clementia, virtute & charitate. Quod enim operatur Pater, operatur Filius & Spiritus ſanctus: & quod ſcit Filius, ſcit Pater & Spiritus ſanctus: &c. Hæc eſt beata Trinitas, Pater & Filius & Spiritus ſanctus, non tres Dij, ſed vnus Deus.

Raymundus Sebundius. 1430.

In viola animæ cap. 7. In omni natura intelligibili & ſpirituali inuenitur & intellectus & voluntas. Intellectus eſt naturalis, & naturaliter operatur, & ex neceſſitate: Voluntas autem libera eſt, & ideo liberè agit. Eſt ergo duplex in natura ſpirituali productio, vna neceſſaria & naturalis, quæ fit per modum intellectus: alia libera & voluntaria, quę fit per modũ voluntatis. Prima productio in Deo eſt naturalis, & neceſſaria. Deus enim intelligendo ſeipſum, & ſuam eſſentiã, producit neceſſariò ſuam imaginem, ſicut ſol radium, & largitur ſuæ imagini, hoc eſt ſuæ ſoboli, totam ſuam ſubſtantiam. Et quia iſta productio eſt per modum naturæ, ideo vocatur generatio. Et quia fit per modũ intellectus, ideo productus vocatur Verbum Patris, imago & ſapientia Patris: quia verò quilibet per ſe ſubſiſtit, ideo vterque perſona nuncupatur. Porrò quod à voluntate producitur amor eſt, & quia eſt vna voluntas Patris & Filij, ideo à Patre & Filio amor procedit, qui eſt Spiritus ſanctus. Habes ergo in Deo tres perſonas, Patrem, & Filiũ, & Spiritũ ſanctum, &c. Sicut hæ tres perſonæ habẽt eandem numero eſſentiam, ſiue ſubſtantiam, ita ſunt inter ſe per omnia æquales: quippe quibus eſt vna diuinitas, æqualis gloria, coæterna maieſtas.

Dionyſius Carthuſianus. 1460.

In Summa fidei orthodoxæ lib. 1. cap. 41. Trinitas ſecundùm etymologiam dicitur quaſi triũ vnitas, & ſic ſignificat vnam eſſentiam triũ perſonarum.

Ioannes de Turrecremata. 1460.

In meditationibus: Crede, & firmiſſimè tene cum ſancta matre Eccleſia, S. Trinitatem, ſcilicet Patrẽ & Filium & Spiritũ ſanctum, vnum Deum omnipotentem, vnius ſubſtantiæ, vnius eſſentiæ, vnius potentiæ, Creatorẽ & rectorẽ omniũ creaturarũ.

Pelbartus de Themeſvvar. 1490.

Sermone 1. de S. Trinitate: Inconcuſſa fide credendum eſt, quòd S. Trinitas, ſcilicet Pater, Filius, & Spiritus ſanctus, eſt vnicus Deus & Dominus, & non plures Dij: imò impoſſibile eſt eas perſonas eſſe plures Deos, cùm diuinam naturam impoſſibile eſt plurificari.

Baptiſta Mantuanus. 1500.

Lib. 6. Faſtorum de Trinitate:

Nunc coniuncta tribus patres ſolennia noſtri
Conſtituêre, dies ſolis quæ proxima portat.
Hîc igitur coniuncta trium, quibus vnica virtus,
Vnum numen ineſt, vna omnipotentia, & vna,
Nomina plura licet teneat, ſubſtantia ſimplex,
Feſta renidentes fumo celebramus ad aras.

Petrus Galatinus. 1510.

De arcanis Catholicæ veritatis lib. 2. cap. 1. Vnum quidem eſſe Deum ſubſtantiæ ac naturæ ſimplicitate Chriſtiana credit religio: tres verò perſonas; quę ſunt Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, quarum proprietates ſunt, paternitas, generatio, atq; proceſſio: non eſſentia, neque natura tres, ſed merè vnum eſſe confitetur. Deus igitur in perſonis quidẽ trinus eſt, in eſſentia verò vnus.

ASSERVNT IVDÆI VETERES.

Rabbenus Haccados.

Libro, qui inſcribitur Reuelator ſecretorum, ad Antoninum conſulem: Quemadmodum Dei ſubſtantiæ notitiã nullã habere poſſumus, quoniã ea cognita ei ſimiles efficeremur: ita Dei nominis cognitionem

tionem habere nequimus. Nihilominus omnia eius nomina ſunt attributiua. Et quia nomẽ quatuor litterarum operationibus eius peculiarius eſt, oſtenditq; eius notitiam perfectiorem & illi accommodatiorem, prout nobis eſt poſſibile captu, & ex hoc nomine procedũt omnia: ideo hoc nomen dictum eſt Sem hammephoras, non quòd ipſum ſit nomen eius ſubſtantiale, ſed nos id dicimus: quoniam hoc eſt, quantum noſtra facultas cõprehendere poteſt, & altius aſcendere non poſſumus. Notare autem debes, nomen duodecim, nomenq; quadraginta duarum litterarum non eſſe nomina; quorum vnumquodque verbum duodecim litteris conſtet, aut quadraginta duarum, ſed quodlibet eorum ſunt verba diuerſa, quæ vnum oſtendunt. Poſtquam autem hoc tibi aperui, animaduerte nomen quatuor litterarũ, prout ſcriptio eius eſt: Sic enim ſcribitur in lingua noſtra Hebraica, Iehoua, ipſum Deum generantem ſignificare. Et quia non poteſt eſſe generans abſq; generato, neceſſariò amor à generante in generatũ, & è conuerſo procedere debet: quoniam ſi hoc non eſſet, non generaret. Et ſi nõ procederet amor à generato in generantem, diſtingueretur q; generatus à generante, duæ eſſent ſubſtantiæ. Propterea nos volumus generantem & generatum vnam eſſe ſubſtantiam. Idcirco neceſſe eſt ex altero in alterum procedere amorem. Ea propter ex hoc Sem hammephoras deriuatũ eſt nomẽ duodecim litterarũ, quod eſt אב אלוהים בן אלוהים רוח הקדש אלהים שלשה באחד אחד בשלשה Hoc eſt, Pater Deus, Filius Deus, Spiritus ſanctus Deus, Trinitas in vnitate, & vnitas in Trinitate: Quæ in Hebraico ſunt quadraginta duæ litteræ. Notare autem debes, hęc nomina eſſe ex diuinis arcanis, quæ à quocumque occultari debẽt, quouſque veniat Meſſias iuſtus noſter. Illa tibi patefeci, tu autem ea fortiter occulta.

R. Simeon filius Iohai.

In Zoar ad illa verba Deut. 6. *Audi Iſrael, Deus Deus noſter Deus vnus eſt.* Ait R. Ibba: Hic eſt, ó Iſrael, antiquus (Iehoua) Deus, qui eſt principium omnium rerum, antiquus antiquorum, hortus radicum, & omnium rerum perfectio, & dicitur Pater Elohenu, id eſt, Deus noſter, profunditas fluminũ, & fons ſcientiarum, quæ procedunt ab illo Patre. Et Filius vocatur (Iehoua) Deus. Hic eſt Spiritus ſanctus, qui à duobus procedit, & vocatur menſura vocis. Vnus eſt, vt vnum cum alio concludat & colliget. Neque enim alius ab alio diuidi poteſt. Et propterea ait Schema, hoc eſt, congrega Iſrael hunc Patrem & Filium & Spiritum ſanctum, eumq; fac vnam eſſentiam, vnamq; ſubſtantiam: quia quicquid eſt in vno, eſt in alio. Totus fuit, & totus eſt, totusq; erit.

Ad cap. 6. Eſaiæ: Sanctus hic eſt Pater, Sanctus hic eſt Filius, Sanctus hic eſt Spiritus ſanctus.

R. Ionathas Vzielis filius.

In paraphraſi Chaldaica Eſaiæ 6. Sanctus Pater, ſanctus Filius, ſanctus Spiritus ſanctus. Sic in antiquiſſimis manuſcriptis ſe legiſſe Lycij teſtatur Galatinus lib. 2. cap. 1. de arcanis Cathol. verit.

R. Moſes Hadarſan.

In lib. Gen. cap. 42. ſuper illud: *Ioſeph ipſe potens ſuper terram:* Ita legitur R. Eleazar dixiſſe, non eſt creatus mundus, niſi Verbo Dei ſancti benedicti, ſicut dictum eſt in Pſalmo 33. *Verbo Dei cæli facti ſunt,* vbi & R. Simeon dicit Spirauit, Deus Spiritũ oris ſui, & creatus eſt mundus, ſicut dictum eſt Pſal. 33. *Et Spiritu oris eius omnis exercitus eorum.* Hæc traditio.

In his tria hæc, Deus, Verbum eius, & Spiritus, diſtinctè & apertè in mundi productione concurriſſe ponuntur. Hæc autem tria quid aliud ſunt quàm Pater Filius & Spiritus ſanctus?

ARTICVLVS QVINTVS.

FILIVM ESSE VERVM DEVM DE DEO VERO, PATRI CONSVBSTANTIALEM, CVM PATRE HONORANDVM, GLORIFICANDVM, ET INVOCANDVM.

NEGANT.

Anno poſt natũ Chriſtum

60. EBIONITÆ *contendebant Chriſtum eſſe nudum hominem ex Ioſeph natum, & alium eſſe Ieſum, alium Chriſtum.* Clemens Romanus, Irenæus, Tertullianus, Euſebius, Philaſtrius, & Theodoretus, vbi agunt de illis.

80. *Cerinthus Chriſtum voluit eſſe nudum hominem, qui duntaxat ſapientia & virtutibus alios antecelleret.* Irenæus, Epiphanius, & Theodoretus.

120. *Carpocrates docuit natura Chriſtum eſſe ex ſemine Ioſeph & Mariæ, eadem lege, quemadmodũ alij homines, ex coniunctione maris & fœminæ.* Irenæus, Tertullianus, Philaſtrius, & Epiphanius de Carpocrate.

180. *Alogi non recipiunt æternum Dei Verbum.* Epiphanius de Alogis.

180. *Theodotus dixit Chriſtum eſſe hominem tantummodo, & inferiorem Melchiſedech.* Tertullianus, Euſebius, Epiphanius, Philaſtrius, & Damaſcenus.

200. *Beryllus Boſtrorum Epiſcopus aſſeruit, Chriſtum ante incarnationem non habuiſſe propriam in ſe diuini-*

tatem, ſed ſolam Patris in eo extitiſſe. Euſebius lib.6. c.26. Hieronymus in Catalogo.

230. *Helcheſaitæ Chriſtum nomine confitentur, creaturam ipſum putantes, & ſemper apparentem: & primùm formatum eſſe ipſum in corpus Adam, & rurſum induere quando vult.* Epiphanius & Theodoretus.

250. *Origenes, vel potius Origeniſtæ, corruptores librorum Origenis, dicebant non poſſe Filium videre Patrem, imò Filium Patri collatum eſſe merum mendacium, nec orandum vnà cum Patre, ſed Filium & Spiritum ſanctum eſſe creaturas.* Epiphanius ad Ioannem Hieroſolymitanum, Theophilus Alexandrinus lib.2. Paſchali, Hieronymus in Apologia aduerſus Ruffinum, Auguſtinus hæreſi 43.

270 *Manes Perſa dixit Filium eſſe partem vnius ſubſtantiæ Patris, & id Filium voluit intelligi, quod ex Dei ſapientia parte aliqua deductum apparuerit in carne.* Hilarius lib.6. de Trinitate.

280. *Hierax Vnigeniti ex Patre natiuitatem comparauit vnius lucernæ duobus luminibus, aut lychno in duas partes diuiſo, tanquam eſſet ſubſtantia exterior, quæ velut oleum aut alia quæpiam media materies lumen ex ſe vtrumque protenderet.* Hilarius lib.6. de Trinitate, Epiphanius hæreſi 69. ex epiſtola Arij.

325 *Arius contendit Filium Dei eſſe meram creaturam, ante alias creaturas omnes à Patre factam, præſtantiorem tamen cæteris creaturis omnibus, Patre minorem. Creatura eſt,* dicebat, *Filius, ſed non vt vlla ex rebus creatis: opus eſt, ſed non vt vllum ex operibus: res condita eſt, ſed non vt vlla ex rebus conditis: tempus erat quando non erat Filius, ex nihilo eſſentiam habuit, nec niſi per abuſionem Verbum dicitur.* Alexander oratione 3. contra Arium, Hilarius libro de Trinitate, Athanaſius oratione 2. contra Arianos, Ambroſius lib.1. de fide c.9. lib.3. c.7. Epiphanius hæreſi 69. Auguſtinus contra Felicianum c.6. Socrates lib.1. c.2.3.6. Theodoretus lib.2. c.8. Fauſtinus contra Arianos, &c.

340. *Aſterius Cappadox aſſerit Filium Dei non eſſe conſubſtantialem Patri, eamq; ob cauſam non eſſe virtutem Dei conſubſtantialitate, ſed ſicut creaturæ dicuntur virtutes Dei, ſicut apud Moſen locuſta & bruchus Dei virtus dicuntur.* Athanaſius ſerm.2. & 3. contra Arianos, Socrates lib.1. cap.36.

360. *Acaciani Filium Patri ſimilem, non tamen conſubſtantialem dicunt: Vnde apud Seleuciam Iſauriæ: Coëſſentialis,* inquiunt, *vocem reijcimus, vt à Scripturis alienam; Dei diſſimilitudinem deteſtamur, ſimilitudinem verò Filij ad Patrem clarè confitemur.* Athanaſius de Synodis Arimini & Seleuciæ, Epiphanius hæreſi 73. Socrates lib.2. cap.40. Sozomenus lib.4. cap.22.

350. *Metangiſmonitæ dicebant Filium ſic in Patre eſſe, vt vas in vaſe maiore.* Auguſtinus hæreſi 58.

350. *Marcellus & Photinus docuerunt, Chriſtum nudum eſſe hominem, & ex humanæ generationis natura initium habere, neque eſſe ante ſecula genitum.* Athanaſius de ſalutari Chriſti aduentu, & diſputatione contra Arium, Ambroſius de apologia Dauid, Marius Victorinus lib.1. contra Arium, Nazianzenus oratione de ſeipſo, Hilarius lib.7. de Trinitate.

360. *Actius Syrus Vnigenitum Filium dixit eſſe alterius ſubſtantiæ quàm ſit Pater, Filiumq; ordinis & temporis eminentia poſteriorem, Patrem priorem eſſe.* Baſilius lib.1. contra Eunomium, Athanaſius diſputatione contra Arium, Sozomenus lib.8. cap.26.

370. *Bonoſus Epiſcopus dicebat, Chriſtum eſſe Dei Filium adoptiuum, non naturalem.* Innocentius Primus epiſt.21. Gregorius Magnus lib.9. epiſt.61. Iſidorus lib.8. Etymol. cap.5.

380. *Eunomius aſſerebat Filium per omnia eſſe Patri diſſimilem, quia nullo modo ſimilis eſſe poſſet factura factori.* Ruffinus lib.1. cap.25.

400. *Maximinus Arianus dixit, Patrem & Filium vnum eſſe, non vnitate naturæ, ſed voluntate.* Auguſtinus lib.2. contra Maximinum.

420 *Pelagianorum quidam docuerunt, Chriſtum purum hominem de Maria eſſe natum, & eundem ſuis meritis anno 30. ætatis factum eſſe Chriſtum, & poſt paſſionem etiam ſuis meritis factum eſſe Deum.* Ioannes Caſsianus de incarnatione Domini lib.1. c.6.

430. Neſtorius apud Cyrillum Alexandrinum, epiſtola ad Comarium & Potamionem Epiſcopos: *Ego* (inquit) *Deum bimeſtrem aut trimeſtrem non dico.*

500. *Priſcillianiſtæ Chriſtum fatis, & cælorum conſtellationibus ſubiectum, omniaq; ex fatali neceſſitate operari arbitrantur.* Gregorius Homil.10. in Euang.

630. *Mahometus paſſim in Alcorano ſuo negans Deum habere Filium, damnat Chriſtianos, quòd Ieſum Filium Dei dicant, cum non ſit niſi nuntius Dei, qui non ſit venerandus vt Dominus, cùm ſcriptum ſit, non niſi vnum Deum adorandum eſſe.*

780. *Felix Vigelitanus, & Eliphandus Toletanus dicebant, Chriſtum ſecundùm humanam naturam eſſe adoptiuum, non proprium Dei Filium.* Aimoinus lib.4. c.33. Ionas Aurelianenſis lib.1. de cultu imaginum.

850. *Godſchalcus Belga dicebat, Deum Patrem plus eſſe, quàm Filium.* Chronicon Iſenacenſe.

1140. *Petrus Abailardus negabat in Chriſto fuiſſe Spiritum timoris Domini: dicebat illum eſſe quandam potentiam in diſcernendo per ſapientiam.* Bernardus epiſt.190. Otto Friſingenſis de rebus geſtis Friderici lib.1. cap.49.

1200. *Albigenſes dicunt, Chriſtum fuiſſe nec verum Deum, nec verum hominem.* Antoninus parte 4. titul.1. cap.7.

1300. *Raymundus Lullius dixit, Patrem eſſe priorem Filio.* Bernardus Lutzemburg.

1490. Hermannus Riſvvich, *Chriſtum,* inquit, *eſſe Dei Filium apertè nego.*

1520. Eraſmus Roterodamus Præfatione in Tomum 2. operum Hieronymi: *Arianorum hæreſis communita litteris, ac diuinæ quoque Scripturæ, validiſſimis, vt videbatur, nixa præſidijs, inſuper Imperatorum ac gentium adiuta ſtudijs opibuſq;, periculoſiſſimis rerum motibus labefactauit orbem Chriſtianum; in tantum, vt diu eſſet in dubio, vtro ſe inflecteret Eccleſiæ ſyncericas, & factio ſchiſma eſſet verius, quàm hæreſis; quòd aduerſarij numero pene pares eſſent, eloquentia doctrinaq; ſuperiores.*

Ad cap.2. epiſtolæ ad Philippenſes *(non rapinam arbitratus eſt eſſe æqualem Deo:)* primùm cum

Maximino

Maximino Ariano exponit: *Non vſurpauit ſibi cum Deo æqualitatem.* Deinde addit: *Scio magnos authores Hilarium, Auguſtinum, vt cæteros taceam, ſic interpretari: Non rapinam arbitratus eſt, quòd eſſet æqualis Deo: Nam quod erat naturæ, non putauit eſſe rapinæ. Cùm eſſet in forma Dei, hoc eſt, cùm verè eſſet Deus. Atque hanc præcipuam habent clauam, qua conficiantur Ariani, qui ſolum Patrem verè volunt eſſe Deum. Atqui ſi veris agere fas eſt, quid magni Paulus tribuit Chriſto, ſi cùm Deus eſſet natura, intellexit, id non eſſe rapinæ, hoc eſt nouit ſe ipſum? Illud autem compertum eſt, nuſquam maiorē vim fieri ſacris Scripturis, quàm vbi cum hæreticis agentes nihil non detorquemus ad victoriam: tametſi non video, quid hic locus propriè faciat contra Arianos, qui non negabant Dei Filium eſſe Deum, imò & magnum Deum fatebantur, & benedictum ſuper omnia Deum, ſed arbitrabantur Patrem aliquo modo peculiari dici Deum, quo Filius aut Spiritus ſanctus non diceretur.*

In annotationibus ad illud capitis 9. ad Romanos: Ex quibus eſt Chriſtus ſecundùm carnem, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſecula. *Mirum eſt, quid non agat Eraſmus, vt hoc telum de manibus nobis extorqueat: Primùm vocem* (Deus) *ſuppoſitam eſſe vult: deinde ait, hunc locum non eſſe efficacem ad reuincendos Arianos: denique ſic optimè exponi poſſe docet, vt poſt illa verba:* Ex quibus eſt Chriſtus ſecundùm carnem, *interpoſito puncto, ſequatur actio gratiarum:* ſuper omnia Deus, *videlicet Pater, ſit* benedictus in ſecula.

Annotatione ad illud Epheſ.5. In regno Chriſti & Dei: *ſic Patrem videtur appellare, quaſi Chriſtus non eſſet Deus. Verùm id aliàs admonuimus, Patrem ex conſuetudine ſermonis Apoſtolici ſignificari, quoties Deus abſolutè nominatur, cùm ex plurimis locis palam ſit, & Chriſtum illis vocari Deum.*

1521. Martinus Lutherus in confutatione Latomianæ rationis: *Nec eſt quòd mihi Homouſion illud obiectes aduerſus Arianos receptum. Non fuit receptum à multis, iiſq; præclariſſimis, quod & Hieronymus optauit aboleri, ideoq; non effugerunt periculū, hoc inuento vocabulo, vt Hieronymus queratur neſcire, quid veneni lateat in ſyllabis & litteris; adeò illud Ariani magis quàm Scripturas exagitabant, &c. Quòd ſi odit anima mea vocem Homouſion, & nolim ea vti, non ero hæreticus. Quis enim me coget vti?* Falſum hoc eſt.

1540. Philippus Melanchthon in Locis Cōmunibus, editis VVittembergæ anno 1535. Argentorati 1536. Halæ Sueuorum 1539. Tractatu de Filio: *Cùm haud dubiè ſit natura Filius, neceſſe eſt, in eo aliquid eſſe diuinæ naturæ ſubſtantialiter. Quicquid autem eſt extra perſonam Patris, quod tamen eſt aliquid diuinæ naturæ, id neceſſe eſt perſonam eſſe.*

In Locis Cōmunibus, editis Baſileæ 1541. cum cæteris eiuſdem operibus: *Neceſſe eſt,* inquit, *in Chriſto aliquam diuinam naturam eſſe, per quā omnia ſint condita,* &c. *Hæ ſententiæ clarè teſtantur in Chriſto & eſſe & manere quandam diuinam naturam.*

In Locis Communibus impreſſis anno 1545. fol.43. ſic Chriſtum loquentem introducit: *Nunc miſſus ſum ſubiectus cruci, & ſeruio meæ vocationi. Deinde verò gloriam, ô Pater, mihi reſtitue, quā ante conſtitutionem mundi apud te habui.*

1540. *Georgius Dauid iſtud potiſſimum habuit, vt Chriſtum Ieſum aboleret: nam ſe tertium Dauidem eſſe dicebat, in cuius animam Dei Patris & Filij & Spiritus ſancti diuinitas omnis conſediſſet. Itaque omnes reliquos, atque adeò Chriſtum ipſum, nihil niſi meram litteram & carnem extitiſſe, ſe verò eum eſſe, qui Spiritum ipſum dignis afflaret, cæleſteſq; efficeret: Sibi vni orbis terrarum imperium à Deo traditum eſſe, vt ad ſe venientes bearet, reliquos omnes perderet.* Cælius Secundus Curio in ſupplemento ad Sabellicum lib.29.

1540. Michaël Seruetus lib.1. de Trinitate fol.7. *Scripturæ ſimpliciſſimè de Ieſu vnico Filio Dei loquuntur, nullam aliam rem, nullam aliam naturam, nihil præter hominem natum, aut genitum Scriptura meminit.* Pagina 47. *Temerarium eſt de Verbo Dei aut Sermone facere Filium.* Pag.58. *Spiritualiter intelligendum eſt, Chriſtum eſſe Deum.*

1550. Ioannes Caluinus ad caput 14. Geneſ. verſ.18. *Summa eſt, Chriſtum ita fore ſecundum poſt Deum Regem, vt etiam in ſacerdotem vngatur.*

In harmonia Euangelica ad cap.22. Matthæi, verſ.44. ad illa verba: Dixit Dominus Domino meo, &c. *Seſſio ad dextram Metaphoricè accipitur, pro ſecundo vel proximo gradu, quem Dei vicarius occupat.*

Ad cap.26. Matth. verſ.64. *Dicitur Chriſtus ſedere ad dextram Patris, quia ſummus Rex conſtitutus (qui eius nomine mundum gubernet) quaſi ſecundam ab eo honoris & imperij ſedem obtinet: Sedet ergo Chriſtus ad Patris dextram, quia eius eſt vicarius.*

Ad cap.16. Marci verſ.19. Conſedit in dextris Dei: *Perinde eſt, ac ſi vocetur Dei vicarius, qui eius perſonam ſuſtinet.*

Ad cap.1. Ioannis, v.9. *Chriſtus lux eſt ex ſeipſa, & per ſe refulgens.*

Ad cap.6. Ioannis, v.55. *Chriſtum amplectere ſeruum Patris, vt ſe vitæ principem tibi oſtendat.*

Verſ.57. *Tres hîc recenſentur vitæ gradus, primum locum obtinet viuens Pater, qui ſcaturigo eſt, ſed remota & abſcondita: ſequitur Filius, quem habemus velut fontem nobis expoſitum, & per quem vita ad nos diffunditur. Deus Pater, penes quem reſidet vita, procul à nobis diſtat: Chriſtus quaſi medius ſtatuitur, qui eſt ſecunda vitæ cauſa, vt inde ad nos uſque perueniat, quod alioqui in Deo lateret.*

Ad cap.17. Ioannis, v.12. *Dicit ſe Chriſtus ſeruaſſe eos nomine Patris: quia ſe miniſtrū duntaxat ſtatuit, qui nihil niſi Dei virtute geſſerit atque auſpicijs.*

Libro Gallico de actis Seruети impreſſo anno 1554. in 4. fol.219. *Filius,* inquit, *eſt conformis Patri, habens ſubſtantiam diſtinctam ab eo.*

Libro aduerſus Valentinum Gentilem refutatione 10. ait: *Nomen Dei per excellentiam ad ſolum Patrem pertinere: huncq; ſolum ac propriè cæli ac terræ Creatorem eſſe: immò & Patri ſubiectum Filium, etiam ſecundùm diuinitatem.* Ibidem ait, *Impropriam & duram locutionem eſſe ſymboli Nicæni:* Deum de Deo, lumen de lumine.

Lib.1.Institut.cap.13.§.19.& 23. postquam quibusdam Scriptoribus Ecclesiasticis imposuit,Filium à seipso,& diuinitatem & essentiam habere, tandem concludit: *Ergo cùm de Filio, sine Patris respectu simpliciter loquimur, bene & propriè ipsum à se esse asserimus,&c. Cùm ponatur nomen Iehouæ (vbi Filij fit mentio) sequitur Deitatis respectu à seipso esse,* &c. *Quomodo Creator,qui omnibus esse dat,non erit ex seipso, sed essentiam aliunde mutuabitur?*

Epistola 2. ad Polonos asserit *Christum secundùm naturam etiam diuinam, Patre minorem esse.*

Ad cap.2.ad Philip. *ad illa verba:* Dedit illi nomen. *Plusquam ridiculi sunt Sorbonici Sophistæ, qui ex præsenti loco colligunt, genu flectendum esse, quoties nomen Iesu pronuntiatur: quasi vox esset magica, quæ totam in sono vim haberet inclusam.*

1550. Gaspar Zvvenckfeldius lib. de Verbo Dei, pagina 32. *Filium,* ait, *esse vitam seu hypostasin Patris.*

1555. Valentinus Gentilis prothesi 11. *Æterna λόγ8 substantia principium & originẽ habet à Deo, quatenus genita & distincta sit. Non est enim ex nihilo creata, aut de aliqua non existente materia facta,sed de immensa substantia illius genita.*

Prothesi 20. *Genitus à Genitore substantiali numero differt, non potestate, sententia, aut diuersitate naturæ.*

Prothesi 21. *Vnus Deus & λόγος eius duæ sunt eiusdem naturæ substantiæ intelligentes, id est, duo æterni spiritus, consubstantiales,congruo gradu, ordine, ac proprietate distincti.*

1557. *Gribaldus Christum fingit nouitium Deum, à Patre diuersum, & cui non eadem sit cum Patre essentia.* Ioannes Caluinus epist.238.

1560. Lambertus Danæus contra Genebrardum pag.7. *Durè & periculosè loquitur Augustinus (pace tanti viri dixerim) quando ait; Deus cùm Verbum genuit, id quod est ipse genuit. Durè etiam idem loquutus est, cùm ait: Christus est Filius substantiæ Patris,sapientia de sapientia, substantia de substantia.*

1560. Matthias Illyricus in glossa compendiaria noui Testamenti: *Filius per quandam metaphoram vocatur λόγος, sicut simili fortè hebraismo dici posset Baptista nominatus vox.*

1560. Bernardinus Ochinus dialogo 2. de Trinitate *Christum Dominum creaturam esse* dicit.

1560. Petrus Richerus in Americam sub VVillagnone missus,ibi & verbis prædicauit,& coram notarijs chartis dedit,& obsignauit chirographo; *eum,qui dixerit Iesum Christum necessariò inuocandum,hæreticum esse.* Addebat: *Per Christum quidem orandum esse Patrem, sed Filium nunquam esse inuocandum, ne humanitati eius honor haberetur.* Feu-ardentius in appendice ad libros Alphonsi aduersus hæreses, fol.1259.

1570. Georgius Blandrata in disputatione Albana actione quintæ diei, *Cùm Christus,* inquit, *inuocatur, non inuocatur tanquam Deus ille altissimus, sed caput nostrum Filius Dei, & Mediator, qui nobis à Patre constitutus est.*

Actione 6. diei: *Dicimus vnum esse æternum illum & altissimum Deum, nempe Patrem: non agnoscimus aliquem Dei Filium, qui non sit homo. Dicimus præterea hunc Iesum Filium Dei,de Spiritu sancto in tempore conceptum, etiam esse Deum. Primò, quia de Spiritu sancto conceptus est: secundò, quia data est illi potestas in cælo & in terra: tertiò, quia vbique testatus est Christus se esse Filium Dei, & Spiritus sanctificationis sine mensura datus est illi.*

1572. Ioannes Sommerus Pirnensis, lector Scholæ Claudiopolitanæ in Transyluania, aduersus Petrum Carolium lib.1.cap.4.de Filio: *Credimus & in vnum Dominum nostrum Iesum Christum,per quem omnia. Hunc non legimus aut inuisibilem, aut æternum vocari, neque super omnia Deum, neque eum ex quo omnia. Hic se minorem Patre confessus est. Hic nunquam aut visus est,aut quemquam alloquutus est,antequam nasceretur,neque antequam conciperetur vsque ab æterno fuit. Hic seipsum nunquã Deum, sed Dei Filium, sæpius autem Filium hominis nominauit.*

Lib.2.cap.5. *Christus nusquam naturalis Filius Dei dicitur; sed est παρὰ φύσιν Filius Dei, sicut gentes παρὰ φύσιν in bonam oleam insitæ sunt. Aduersariorum fabulæ, quòd ex essentia Patris ab æterno sit genitus,in Scriptura non sunt: apud Platonem,Plotinum,Trismegistum,Iamblichum,& alios Platonicos ad verbum extant.*

Cap.12. *Iesus Christus non est ex essentia Patris natus,vt Plato fabulatur, neque ab æterno,vt Carolus Pseudoplatonicus fingit; sed virtute & operatione Spiritus sancti conceptus ante annos 1572. Fuit Christus antequam Abraham fieret, seu pater multarum gentium, olim typicè, tandem historicè, sed hoc nihil ad æternitatem Christi.*

1578. Nathaniël Ælianus libro Germanico,quem inscripsit Matthan Ia: *Quòd Messias non sit simul Deus & homo, primùm ex eo liquet, quòd nunquam talis promissus est: secundò, quia nunquam in Scripturis noui Testamenti Deus vocatur: tertiò,quia in Scripturis noui Testamenti solus Pater Deus vocatur. Quòd Messias cultu inuocationis,quæ soli Deo debetur,non debeat honorari,patet primò,quia Moses solũ Deum adorandum dicit: secundò, quia Messias solum Patrem inuocandum præcipit.*

1579. Fratres familiæ Amoris libro Londini impresso 1579. art.24. negant, *Christum esse æqualem Patri, quòd ipse Christus dixit:* Pater maior me est: *Præterea addunt, Christum omnino non esse Deum.*

1580. Franciscus Dauidis in disputatione Albana,actione tertiæ diei: *Dico ego Christum hominem,non esse illum altissimum Iesum, sed Filium eius: Patrem Deum altissimum solum ab ipso Deum dicimus: Filium verò dicimus Deum communicatione.*

In defensione negotij de non inuocando Iesu Christo in precibus,fol.21. *Si Christus adorandus & inuocandus est,Christus erit ille solus verus Deus Deut.6. propositus. At illud iam olim per nos negatum & destructum est. Non ergò dicere & affirmare possumus,Christum adorandum & inuocandum esse,nisi præuaricatores esse velimus.*

Fol.20. *Sicut non extat mandatum de inuocando Christo,sic & nec de eo adorando,& fiducia in eum collocanda.*

1580. Christianus Francus libro contra Trinitatem: *Filius cùm generatus est, cœpit habere esse. Ergo non ab æterno fuit.*

ASSERVNT SACRÆ LITERÆ.

Psal.2. vers.7. Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te.

*Psal.*109. 1. Dixit Dominus Domino meo, Sede à dextris meis, Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. 4. Tecum principium in die virtutis tuæ in splendoribus Sanctorum: ex vtero ante Luciferum genui te.

Isaiæ 7. 14. Ecce, Virgo concipiet, & pariet Filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel.

Isaiæ 9. 6. Paruulus natus est nobis, & Filius datus est nobis,& factus est principatus super humerum eius: & vocabitur nomen eius Admirabilis, consiliarius, Deus, fortis,pater futuri seculi, princeps pacis.

Isaiæ 35. 4. Deus ipse veniet, & saluabit vos. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt. Tunc saliet sicut ceruus claudus, & aperta erit lingua mutorum.

Isaiæ 45. 14. Hæc dicit Dominus: Labor Ægypti,& negotiatio Æthiopię,& Sabaim viri sublimes ad te transibunt, & tui erunt: Post te ambulabunt, vincti manicis pergent: & te adorabunt,teque deprecabuntur: Tantùm in te est Deus,& non est absque te Deus. Verè tu es Deus absconditus, Deus Israel Saluator.

Ieremiæ 23. 5. Ecce, dies veniunt, dicit Dominus: & suscitabo Dauid germen iustum. 6. Hoc est nomen quod vocabunt eum, Dominus iustus noster.

Ionathas Vzielis filius Chaldaicè vertit: In diebus illis germinare faciam Messiam iustitiæ: & hoc est nomen eius,quod vocabitur Deus iustus noster.

Baruch 3. 36. Hic est Deus noster, & non æstimabitur alius aduersus eum. Hic adinuenit omnem viam disciplinæ,& tradidit illam Iacob puero suo,& Israel dilecto suo. Post hæc in terris visus est,& cum hominibus conuersatus est.

*Matth.*3. 16. Baptizatus Iesus, confestim ascendit de aqua. Et ecce aperti sunt ei cæli: & vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam,& venientem super se. Et ecce vox de cælis dicens: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.

*Matth.*16. 16. Petrus dixit: Tu es Christus Filius Dei viui.

Ioannis 1. 1. In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt: & sine ipso factum est nihil quod factum est.

Ioannis 3.16. Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret, vt omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.

*Ioan.*5. 18. Iudæi quærebant Christum interficere: quia non solùm soluebat Sabbathum, sed & Patrem suum dicebat Deum,æqualem se faciens Deo.

*Ioan.*8. 58. Antequam Abraham fieret, ego sum.

*Ioan.*10. 30. Ego & Pater vnum sumus.

*Ioan.*14. 1. Creditis in Deum, & in me credite.

*Ioan.*16. 15. Omnia, quæcunque habet Pater, mea sunt.

*Ioan.*20. 29. Thomas dixit Christo: Dominus meus, & Deus meus.

*Act.*20. 28. Vos Spiritus sanctus posuit Episcopos,regere Ecclesiam Dei,quam acquisiuit sanguine suo.

*Rom.*9. 5. Ex quibus est Christus secundùm carnem,qui est super omnia Deus benedictus in secula.

*Galat.*1. 12. Non ab homine accepi Euangelium,neque didici: sed per reuelationẽ Iesu Christi.

*Phil.*2. 6. Christus cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est,esse se æqualem Deo.

*Coloss.*1. 16. In ipso condita sunt vniuersa in cælis, & in terra, visibilia, & inuisibilia, siue Throni, siue Dominationes,siue Principatus, siue Potestates: omnia per ipsum, & in ipso creata sunt: & ipse est ante omnes,& omnia in ipso constant.

*Hebr.*1. 3. Qui cùm sit splendor gloriæ, & figura substãtiæ eius. 5. Cui dixit aliquando Angelorum: Filius meus es tu, ego hodie genui te?

1. *Ioan.*3. 16. In hoc cognouimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit.

1. *Ioan.* 5. 7. Tres sunt qui testimoniũ dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus S. & hi tres vnum sunt. 20. Et simus in vero Filio eius. Hic est verus Deus, & vita æterna.

Apocalyp. 4. 8. Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus omnipotens, qui erat, & qui est, & qui venturus est. 11. Dignus es Domine Deus noster accipere gloriam, & honorem, & virtutem.

Apoc. 17. 14. Agnus vincet illos, quoniam Dominus dominorũ est, & Rex regum.

Apostoli in Symbolo: Credo in Deum Patrem omnipotentem, & in Iesum Christum Filium eius, vnicum Dominum nostrum.

Iacobus frater Domini in Liturgia: Verbum Dei, incomprehensibilis & consubstantialis Patri & Spiritui sancto, coæterne & inseparabilis, suscipe incorruptum hymnũ, in sanctis & incruentis sacrificijs tuis.

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Clemens Romanus. 80.

Lib. 2. Recognit. Filium Dei Vnigenitũ dicimus, nõ ex alio initio, sed ex ipso ineffabiliter natum.

Const. Apostol. lib. 8. cap. 5. Sacrificium mundum & incruentum, quod per Christum cõstituisti, mysterium noui Testamenti in odorem suauitatis, per sanctum Filium tuum Iesum Christum Deum, & Saluatorem nostrum.

Apud Basilium de Spiritu sancto cap. 29. Sed & Clemens antiquior: Viuit, *inquit,* Deus & Dominus Iesus Christus, & Spiritus sanctus.

Ignatius. 100.

Ad Philippenses: Quomodo non Deus hic est, qui mortuos suscitauit, claudis pfectũ reddidit gressum, leprosos mundauit, cæcis visum restituit?

Ad Ephesios: Dominus noster & Deus Iesus Christus, Filius Dei viuentis primũ fecit, & tũc docuit.

Ad Antiochenos: Omnis qui annuntiat vnum & solum Deum, vt tollat Christi diuinitatem, is est Diabolus, & hostis omnis iustitiæ.

Ad Philadelphienses: Si quis dicat vnum quidem esse Deum, & confiteatur Christũ Iesum, sed eundem nudum esse hominem putet, non autem Deum Vnigenitum, Sapientiam, & Verbum Dei: huiusmodi serpens, fraudem & errorem prædicans in exitium hominum, & est huiusmodi inops sensu, cognomento Ebion.

Iustinus Martyr. 160.

In expositione fidei: Cùm ex substantia sua Pater Filium progenuerit, atque ex eadem Spiritum produxerit, iure optimo qui vnam eandemque participant essentiam, vna eademque dignantur diuinitate, &c. Intelligimus Filium à Patre prognatum, sicut lumen è lumine promicans. Nam hac imagine refertur & coæternitas, & essentiæ identitas, & passionis expers natiuitas.

Dialogo cum Tryphone: Si dicta Prophetarum intellexissetis, non inficiati essetis ipsum esse Deum, singularis & ingeniti, ineffabilisque Dei Filium, &c. Virtutem istam, quam Deum sermo propheticus vocat, non ita, vt solis lumen, nomine tantùm numerari, verùm numero aliud quoque quoddam esse, supra explicui: virtutem hanc dicens de Patre genitam, non per recisionem, veluti ab essentia Patris dispartitã, pro vt alia omnia diuisa, & secta non eadem sunt, quę ante fuerunt, quàm scinderentur.

Athenagoras. 170.

Legatione pro Christianis: Filius Dei est Verbum Patris, in idea & efficacia. *Ab ipso enim, & per ipsum facta sunt omnia,* cùm Pater & Filius vnum sint: ita vt Filius sit in Patre, & Pater in Filio, per vnionem & potentiam Spiritus. Siquidem mens & Verbum Dei, Filius Dei est: Primigenia hic est Patris progenies, quæ non vt facta (à principio enim Deus, qui est mens æterna, ipse in seipso λόγον, id est Verbum habet, cùm rationalis ipse ęternum sit) sed vt rerum cunctarum idea, & perfectio foret, progressa est. Quis igitur non miretur, nos qui Deum Patrem prædicamus, & Deum Filium, & Spiritum sanctum, ita vt & vnionis eorum vim, & ordinis distinctionem exponamus, impios & sine Deo homines vocari?

Theophilus Antiochenus. 170.

Lib. 2. ad Autolycum: Sermo eius, per quem omnia creauit, existens potentia & sapientia Patris, assumit personam Patris & Domini vniuersorum. Is venit in Paradisum sub persona Dei, & colloquebatur cum Adamo. Siquidem Scriptura sacra disertè ponit Adamum dixisse: *Vocem tuam audiui:* At vocem quid aliud dixeris, quàm Sermonem Dei, qui eius Filius est? Sed intellige hoc loco enarrari Sermonem perpetuò existentem, & insitum in corde Patris Dei. Antequam enim quicquam eorum quæ facta sunt, fieret, hunc consiliarium habuit, vt qui mens & prudentia eius foret. Cùm verò iam condere, quæ deliberauerat instituisset, hunc Sermonem genuit, prolatum primogenitum vniuersæ creaturæ. Nec interim Deus exinanitus est, sermone Sermonẽ gignens, & sermone alloquens, quo volebat semper.

Irenæus. 180.

Lib. 3. cap. 10. Magi per ea quæ obtulerunt munera, ostenderunt, quis erat qui adorabatur. Myrrha quidem, quòd ipse erat, qui pro mortali humano genere moreretur, & sepeliretur: Aurũ verò, quoniam Rex, cuius regni finis non est. Thus verò, quoniam Deus, qui & notus in Iudęa factus est, & manifestus eis, qui non quærebant eum.

Clemens Alexandrinus. 200.

Lib. 1. Pædagogi cap. 2. Pædagogus noster est Deo Patri suo similis, cuius est Filius, in quem nullum omnino cadit peccatum, estque nulli reprehensioni affinis, & animo impatibilis: Deus in figura hominis impollutus, paternę voluntatis seruiẽs, Deus Verbum, qui est in Patre, qui est à dextris Patris, & cum figura Deus est.

Cap. 6. Christum, cùm Deus esset, nihil didicisse fuit consentaneum: neque enim quis Verbo maior fuerit: sed neque magister ac doctor est eius, qui solus est magister. An non ergo vel inuiti fatebuntur, Verbum perfectum ex perfecto Patre natum?

Origenes. 230.

Dialogo 1. de recta in Deum fide: Credo vnum Deũ omnium omninò conditorem esse & opificem, & qui ab illo est Deum Verbum consubstantialem, iuxtaque perennem.

Gregorius Neocæsariensis. 260.

In confessione fidei: Vnus Dominus solus ex solo,

Deus ex Deo, figura & imago deitatis, Verbum efficax, sapientia constitutionis rerum vniuersarũ comprehensiuã, & potẽtia totius naturę effectrix; Filius verus veri Patris.

Eusebius Alexandrinus. 260.

Sermone in Ascensionem Domini: Sedet ad dextram Patris, perficiens omnem dispensationem, consubstantialis existẽs potestas Patris & Filij & Spiritus sancti.

Dionysius Alexandrinus. 270.

Apud Athanasium epistola de sententia Dionysij: Existente æterno Patre existit & æternus Filius, lumẽ de lumine: Nam si Pater est, necessariò & Filius est: Si enim nullus Filius est genitus, quomodo ipse Pater, aut cuius tandem Pater fuerit? Itaque ambo sunt, & ab æterno sunt, &c. Hoc pacto vnitatem, quæ indiuisibilis est, in Trinitatem dilatamus; & Trinitatem, quæ diminui non potest, in vnitatẽ consummamus; & tamen scilicet accusamur, quasi qui dicamus Filium vnum esse ex numero rerum factarum, & nequaquam Patri suo consubstantialem, &c. Ostendo falsum esse crimen, quod mihi obijciunt, quòd Christum Deo consubstantialem esse negassem.

Eusebius Cæsariensis. 320.

De demonstratione Euangelica lib. 4. cap. 3. Cùm vnus sit Pater, Filium quoque vnum, non plures esse oportet, vnumque perfectum solum genitum, Deum de Deo, non autem plures. In pluribus enim diuersitas erit ac differẽtia, deteriorisque introductio. Quare vnus Deus, vnius Filij perfecti & vnici, non plurium Deorum, neque filiorum Pater: Quoniam cùm luminis quoque vna sit essentia, ipsam item, quæ ex eo generetur perfecta, vnam ponere omnis cogit necessitas. Quam enim aliam præterea sobolẽ luminis cogitare possumus, nisi vnum ipsum, qui ex ipso proficiscitur, omniaque complet & illustrat radium? Quicquid enim ab hoc alienum fuerit tenebræ erunt, non lumen. Idcirco enim supremi omnium parentis, cùm lumen sit, quod nullis verbis comprehendi potest, ne simile quidem vllum propriumque exemplar fuerit, præter ipsum hoc solum, quod quidem ipsum dicere item de Filio fas est. Splendor est enim luminis sempiterni, speculumque immaculatum diuinæ euidentiæ, & imago bonitatis eius.
Heb. 1. Ex quo illud dictum est; *Qui cùm sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius,* &c. Hæc docent esse Filium, qui genitus sit, non illum quidem, qui certis temporibus non fuerit, posterius autem sit natus: sed qui sit ante tempora æterna, atque anteeat, & tamquam Filius vnà cum Patre semper degat.

Alexander Alexandrinus Episcopus. 325.

Epistola ad Alexandrum Constant. Quòd si omnia per ipsum facta sunt, qui fieri potest, vt is, qui rebus creatis essentiam indulserit, quodam tempore non fuerit? Nulla enim ratio vult, vt quod creat, eiusdem sit cum creato naturæ. Credimus in vnum Dominum Iesum Christum Filium Dei vnigenitum: genitũ quidem, non ex eo quod non est, sed ex eo qui Pater est: neque id quidem more corporeo, per incisionem, aut diuisionum fluxiones, vt Sabellio & Valentino visum est, sed modo quodam, qui verbis explicari omninò non potest.

Synodus Nicæna. 325.

In Symbolo: Credo in vnum Dominum nostrum, Iesum Christum Filium Dei vnigenitum, & ex Patre natum ante omnia secula, Deum verum de Deo vero, lumen de lumine, genitum nõ factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt, &c. Eos autem qui dicunt; Erat aliquando, quando non erat, & quia ex multis subsistentibus factus est; aut ex alia substantia dicunt esse mutabilem Filium Dei, anathematizat Catholica & Apostolica Ecclesia.

D. Antonius Eremita. 330.

Epistola vltima: De Ario, qui in Alexandria surrexit, & loquitur aliena verba de Vnigenito, cui qui est, & qui sine tempore est, tempus non asciuit, & ineffabilis, finem inter creaturas non dedit immobilis, immobilitatem non affixit.

Athanasius. 340.

Oratione 5. contra Arianos: Vnum esse Christum; vnum eundemque Deum confitemur, vnam hypostasin & vnam personam, non vt complemẽtum aliquod ad integritatẽ hypostaseos conferat corpus. Id enim prorsus impium, cùm diuinitas per se integra & perfecta, incapax omnis defectionis, simplex, vniformis, & incomposita in partes non distinguatur. Hoc est quatenus Verbum Deus est, & vniforme, in diuersitatem membrorum aut rerum, siue eæ corporeæ sint, siue incorporeæ, nõ cadit: Verbum enim res absoluta est, & penitus incorporalis.

Concilium Sardicense. 350.

Apud Theodoretum lib. 2. cap. 8. Hist. Eccl. Cõfitemur vnam esse Patris & Filij diuinitatem: Neque tamen quisquam est, qui neget, Patrem Filio maiorem, nõ quòd aliam habeat essentiam, aut quòd ab eo differat, sed quia ipsum nomen Patris maius est, quàm Filij. Et ideo deprauata est, & execrabilis Arianorum interpretatio, qui contendunt Seruatorem ideo dixisse: *Ego & Pater vnũ sumus,* quòd sit inter eos consensus, & concordia: Nos credimus, & affirmamus, & intelligimus, sacram illam Saluatoris sententiam, quæ ita se habet: *Ego & Pater vnum sumus,* de æternitate essentiæ, quæ est vna eademque in Patre & Filio capiendam esse. Itemque illud perpetuò credimus, hunc sine principio, & sine fine cum Patre regnare, & regnũ eius nec tempus habere quo terminetur, nec qua consumatur defectionem: Nam quod semper est, nunquam cœpit esse, nec aliquando deficere potest.

Cyrillus Hierosolymitanus. 360.

Catechesi 4. de Christo: Credo in Filium Dei, vnum & solum Dominum nostrum Iesum Christum, Deum ex Deo genitum, vitam ex vita genitam, lumen ex lumine genitum, ὁμοούσιον, hoc est, consubstantialem per omnia generanti: qui non in temporibus esse cępit, sed ante secula sempiternus, incomprehensibiliter ex Patre genitus: Sapientiam Dei, & Virtutem & iustitiam substantialem: qui in dextra Patris ante omnia secula sedet.

Catechesi 11. *Qui videt Filium, videt & Patrem:* similis enim in omnibus Filius Genitori: vita ex vita genitus, lumen de lumine, virtus de virtute, & Deus de Deo. Et non differẽtes sunt Deitatis splendores in Filio. Et qui dignus habitus est Filij deitatem videre, veniet etiam in fruitionem Patris.

Apollinarius. 365.

Τίφθ' ὑπεροπλίην κενεόφρονα σύνθετο φῦλα, Psal. 2.
καὶ γαίης βασιλῆες ἀολλίσθησαν ἕτοιμοι·
καὶ σφέων ἠγερέθοντο δικασπόλοι εἰς ἓν ἰόντες
Παμβασιλῆος ἑοῦ τε κατὰ χριστοῖο θεοῖο;
Vt quid superbiam stolidæ composuerunt nationes,
Et reges terræ congregati sunt parati:
Et ipsorum glomerati sunt iudices in vnum, euntes
Supremum Regem, suumque contra Christum Deum?
Ἧσο, θεῷ θεὸς εἶπεν, ἐμῶν ἐς δεξιὰ θώκων Psal. 109.
ὥς κεν ὑπὸ θρήνων δηΐους σέο ποσσὶ δαμάσσω.
Sede, Deo Deus dixit, mearum ad dextram sedium,

Donec ſub ſcabellum inimicos tuos pedibus domuero.

Baſilius Magnus. 370.

Homilia de fide: Pater omnium principium, omnium cauſa exiſtentium, animantium radix: vnde vitæ fons orta eſt: ſapientia, potentia, imago ipſiſſima inuiſibilis Dei, Filius ex Patre genitus, Verbum viuens, Deus exiſtens, & ad Deum exiſtens; non factus: ante omnia ſecula, non poſtea creatus: Filius, non ſeruus: Creator, non creatura; cuncta exiſtens, quæ eſt & Pater, Filius inquam & Pater. Manens igitur in eſſentia Filius, omnia eſt, quæ Pater eſt: ſecundùm ipſius Domini vocem dicentis: *Cuncta quæ habet Pater mea ſunt.* Reuera namque imaginis ſunt omnia, quæ in prototypo ſiue exemplari exiſtunt: *Vidimus,* inquit Euangelium, *gloriam eius, gloriam quaſi Vnigeniti à Patre*; hoc eſt, non ex munere, aut ex gratia, hæc ei miranda data ſunt; ſed ex naturali cõmunitate patriæ dignitatis dignitatem obtinente Filio. Accipere namque commune quiddam cum creatione eſt: habere autem ex natura proprium geniti. Vt ergo Filius, naturaliter ea quæ Patris ſunt poſſidet; vt autem Vnigenitus, omnia in ſeipſo comprehẽdit, nihil cum altero diuidens. Ex ipſa igitur Filij appellatione diſcimus, quòd naturæ ſocius eſt, non naſci iuſſus, ſed ex poteſtate ſplendens: ſine interuallo, ſine tempore, cum Patre coniunctus; æqualis in bonitate, æqualis in potentia, eiuſdem ſocius gloriæ; quid enim aliud quàm ſphragis & imago, totum in ſe Patrẽ oſtendens?

Gregorius Nazianzenus. 380.

In carminibus de Filio:

Nil erat ante Patrem magnum. nam cuncta coërcet
Complexu ille ſuo. A magno pendetq; Parente
Editus ex illo Sermo, qui temporis expers
Effigiem in ſeſe Patris exprimit vndiq;, & illi
Par eſt natura: namque inclyta gloria Patris
Filius eſt, & grande decus. Fuge quærere quonam
Sit pacto genitus: ſoli cum Prole Parenti
Cognitus hic modus eſt. Quis enim mortalis adeſſe
Tum potuit, Triademq; oculis ſpectare beatam?
Sed tamen id nulli dubium eſt, quin ſectio nulla,
Nullaq; ſit ſupero prorſus tribuenda Parenti
Fluxio, quæ nimium ſpurca eſt, nec denig; quicquam,
Quod cadat in noſtros ortus, quos cæca libido
Prægreditur. nam ſi idcirco me paſſio tangit,
Haud ſimplex quia ſum, ſed mente & corpore conſto,
Qua iam fronte Deo tribuetur paſſio, cùm ſit
Corporis, & rerum, propriæ quæ corporis, exors? &c.
Si prius eſt tempus quàm ſim, prius attamen haud eſt
Quàm Verbum, cuius Pater eſt ſine tempore. cumq;
Nil penitus deitate ſua maiùs ve priùs ve
Eſſet habens Genitor, Natus quog; tunc erat, atq;
Principium ipſe Patrem, qui tempus neſcit, habebat?
Non ſecus ac magnum Phœbi lux ignea diſcum:
Sit licet exemplum diuino numine quoduis
Inferius. nec enim debet committere quiſquam,
Vt Patris ac Nati, quorum eſt æternus vterque,
Quicquam interiiciat medium, ſolemq; nefando
Crimine diſſociet, charoq; à Patre ſecare
Audeat. Ille etenim deitatem diſſecat audax,
Ante Deũ, aut tẽpus quicunq; aut velle locarit. &c.

Epiphanius. 380.

Hæreſi 62. Filius ſemper perfectus exiſtens, ſemper in ſubſtantia ex Patre in veritate genitus, ſine principio, ſine tempore, & inenarrabiliter: non confrater exiſtẽs Patri, non auſpicatus ipſum eſſe, neq; qui intermiſerit vnquam, verùm ſemper Filius genuinus cum Patre exiſtens, ex Patre ſine tempore genitus, æqualis exiſtens, Deus ex Deo, lumen de lumine, Deus verus ex Deo vero, genitus, non creatus.

Gregorius Nyſſenus. 380.

Ad Simplicium de fide: Cùm dicunt: ſi erat, non eſt genitus: & ſi natus eſt, non erat: ne oceantur quòd nõ oporteat carnalis natiuitatis proprietates accommodare diuinæ naturæ. Nam corpora quidem, quæ non erant, gignuntur: Deus autem efficit vt ea quæ non ſunt exiſtant: non ipſe ex eo qđ non eſt, exiſtit. Idcirco Paulus quoq; eum ſplendorem gloriæ nominat, vt doceamur, quòd ſicut lumen de lucerna, & ex natura lumen edentis eſt, & vnà cum illa eſt: (ſimul enim atque emicuit lucerna lumen quoq;, quod ab ea exiſtit, pariter effulget) Ita hîc quoque Apoſtolus iubet intelligere, quòd & ex Patre ſit Filius, & abſq; Filio nunquam ſit Pater. Nam fieri non poteſt, vt gloria ſit abſque ſplendore: quemadmodum fieri non poteſt, vt abſque ſplendore lucerna ſit.

Ioannes Chryſoſtomus. 400.

Serm. de ſancta & conſubſtantiali Trinitate: Si dixeris mihi de Patre, Scriptum eſt: *Te ſolum verum Deum.* Sed eſt & hoc ſcriptũ: *Et Deus erat Sermo:* Et quomodo igitur æqualis Patri? Dicendo enim de Patre, quòd ipſe ſit ſolus verus Deus: monſtrauit Filium non naturalem, ſed adoptatum filium. At quid propriæ ſalutis inimice? num quia ſcriptũ, ſicut dicit Ioannes de Patre, *Deus lux eſt*: De Filio autem, *Erat lux vera*: ideo audes propter hoc dicere minorem Patrem, eò quòd non adiecit, quòd ſit lux vera: ſed de Filio ſolo dicit, quòd ſit lux vera? Sicut igitur non audes minorem facere Patrem, eò quòd non appoſitum eſt, quòd ſit vera lux: ita cùm audis de Patre: *Te ſolum verum Deum:* de Filio autem, ſolùm quòd ſit Deus, ne audeas minorem facere Filium: quoniã nomina diuerſo modo nunc illi, nunc huic adhærent. Ioan 17 Ioan.1. 1.Ioan.7 Ioan.1.

Ioannes Caſſianus. 430.

De Verbi incarnatione lib.2. cap.6. Dei Filius Ieſus Chriſtus, quia & à diuinitate genitus, & à diuinitate cõceptus. Si aũt Dei Filius, ergo indubitanter Deus: Si autem Deus, ergo gratia Dei non erat carens: Neque enim ea re vnquã caruit, quam ipſe fecit. *Gratia* enim *& veritas per Ieſum Chriſtũ facta eſt.* Ioan.1.

Cap.7. Omnis ergo in eo gratia, omnis virtus, omnis potentia, omnis diuinitas, omnis denique diuinitatis, & maieſtatis ipſius plenitudo cum eo, atque in eo ſemper fuerunt, ſiue in cælo, ſiue in terra, ſiue in vtero, ſiue in ortu: nihil vnquam Deo de Deo defuit: ſemper enim cum Deo deitas.

Cyrillus Alexandrinus. 430.

Lib.1. in Ioannem cap.2. Conſubſtantialis quidem Filius Patri, & Pater Filio rectè creditur: Adeò enim ſumma in eis identitas eſt, vt in Filio Pater, & in Patre Filius conſpiciatur: *Qui* enim *me videt,* Saluator inquit, *Patrem meum videt.* Et rurſus: *Ego in Patre, & Pater in me eſt.* Quod cùm ita ſit, non tamen idcirco aut Filius in propria hypoſtaſi, aut rurſus Pater per ſeipſum ſubſiſtere negabitur: nec ſumma illa identitas perſonas, id eſt, hypoſtaſes confundet: nec quoniam vnum ſubſtantia ſunt Pater, & qui cum eo eſt Filius, idcirco numero etiam vnum erunt: ſed natura quidem eadem in vtroque: propriè autem & verè vterq; ſubſiſtit.

Iſidorus Peluſiota. 440.

Lib.1.epiſt.241. Si Deus ſui ſemper ſimilis eſt, nec quicquam vnquam ipſi accedit, Pater ſemper ſit neceſſe eſt. Quòd ſi ſemper Pater eſt, ſequitur, vt Filium quoque ſemper habuerit. Ex quo conficitur, eum eandem cum Patre æternitatem habere.

Lib.3.epi.141. Diuiniſſimus atq; ab omni creatione præ-

ſtantior Patris Filius, qui à nobis adoratur, meritò Verbum appellatur, non quòd Verbum ſolum ſit, ac Patris interpres, vt quibuſdam placet, verùm quia dicto citius operatur, ac citra perpeſſionem vllam genitus eſt. Verbum autem cùm ſit, ſubſiſtens quiddam eſt, ac peculiarem proprietatẽ habet. Nã quòd hypoſtaſi minimè careat, hinc liquet, quòd ipſummet Verbũ ſe verba habere dicat, his verbis vtens: *Qui verba mea audit, & facit ea,* &c. Quocirca cùm Verbum verba habeat, profectò hypoſtaſi minimè caret: verùm cùm hypoſtaſin habeat, propterea Verbum nuncupatur, quia citra vllam perpeſſionem à Patre prodijt.

Theodoretus. 450.

Ad caput 2. Epiſt. ad Philip. *Cùm in forma Dei eſſet:* Cùm enim eſſet Deus, & natura Deus, & Patri æqualis, non hoc magnum exiſtimauit: Hoc enim eſt proprium eorum, qui præter dignitatem honorem ſunt aliquem conſecuti: ſed cælata dignitate, ſummam accepit humilitatem, & humanam formam ſuſcepit.

Lib. 5. in epitome diuinorum decretorum, cap. de Filio: Vnigenitus Filius ex Patre quidem eſt genitus: Eſt autẽ vnà cum mente, vt Verbum cum eo qui genuit, & ſplendor cũ igne, & radius cum ſole. Sed vnumquodque eorũ, nõ ipſum per ſe ſubſiſtit; ſed in illo, ex quo productum eſt, habet ſubſtantiam; Deus autem Verbum, ſplendor gloriæ, non eſt aliqua Patris operatio non ſubſiſtens, ſed ſubſtantia viuens, & per ſeipſum ſubſiſtens. Non enim abſolutè Verbum nominatus eſt, ſed Deus Verbũ: nec ſolùm ſplendor gloriæ, ſed etiam character ſubſtantiæ.

Titus Boſtrenſis. 460.

Ad cap. 4. Lucæ: Non ab extrinſeco ea vis illi aderat, verùm cùm natura, & veritate Dei Filius eſſet, ter ſancti & homouſij ſancti Spiritus virtute & energia, tanquam propria, ad miraculorum opera vtebatur.

Victor Antiochenus. 460.

Ad cap. 13. Marci. Filius Patris ſapientia exiſtens, omniaq; quæ habet Pater, vno hoc tantùm excepto, quòd non eſt Pater, integrè obtinet.

Andreas Cæſarienſis. 500.

Ad cap. 22. Apocal. *Ego Ieſus miſi Angelum meum.*) Et hinc quoq; diuina Chriſti potentia oſtenditur. Neque enim Angelum mitteret, niſi Deus eſſet.

Nonnus Panopolitanus. 500.

Ad cap. 1. Ioannis:

Ἀχρονος ἦν, ἀκίχητος, ἐν ἀῤῥήτῳ λόγος ἀρχῇ
ἰσοφυὴς γενετῆρος ὁμήλικος, υἱὸς ἀμήτωρ,
καὶ λόγος αὐτοφύτοιο θεοῦ, φῶς ἐκ φάεος φῶς·
πατρὸς ἓκν ἀμέριστος, ἀτέρμονι σύνθρονος ἕδρῃ·
καὶ θεὸς ὑψιγένεθλος ἓην λόγος. οὗτος ἀπ' ἀρχῆς
ἀενάῳ σιωπῇ λάμπε θεῷ τεχνήμονι κόσμῳ,
πρεσβύτερος κόσμοιο· καὶ ἔπλετο πάντα δι' αὐτοῦ,
ἄπνοα καὶ πνείοντα· καὶ ἐργοπόνῳ δίχα μούσῃ
οὐδὲν ἔφυ, τόπαρ ἔσκε.

Sine tempore erat, incomprehenſibile, in ineffabili Verbum principio,
Aequè exiſtens cum Patre coæuo, Filius ſine matre,
Et Verbum per ſe exiſtentis Dei, lumen de lumine, lumen
A Patre erat indiuiſum, æterna vnà ſedens in ſede:
Et Deus in alto genitus erat Verbum. Hoc ab initio
Aeterno ſimul ſplendebat cum Deo opifice mundi,
Antiquius mundo: Et erant omnia per ipſum
Non ſpirantia & ſpirantia, & laborioſo ſine Verbo
Nihil factum eſt, quod factum eſt.

Zacharias Mitylenæus. 520.

De creatione mundi contra Philoſophos: Pater Verbũ generans non pronuntiabile, neque rurſum internum, ſed eſſentiale, & in ſe cõſiſtens, eiuſdemq; cum ipſo eſſentiæ, ab æterno coæternum: quippe eiuſdem cum ipſo deitatis, nõ quidem hypoſtaſi, ſed eſſentia.

Procopius Gazæus. 530.

Ad cap. 4. Exodi: Vnus Dei Sermo repreſentabatur per aquam, quæ eius rei ſignum eſt. Nam aqua è flumine accepta ſignificauit Filium eiuſdem cum Patre ſubſtãtię, id eſt, μοούσιον eſſe. Eſt enim vita ex vita, & lux de luce.

Iuſtinianus Imp. 540.

Epiſtola ad Ioannem Papam: Omnes ſacerdotes Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ vno conſenſu confitẽtur, & glorificant, prædicantes Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, vnigenitum Filium & Verbum Dei ante ſecula, & ſine tempore de Patre natum, vnum eſſe ſanctæ conſubſtantialis Trinitatis, & coadorandum & conglorificandum Patri & ſancto Spiritui. Nec enim alium Dei Verbum, & alium Chriſtum agnoſcimus, ſed vnum atque eundem ipſum, conſubſtantialem Patri ſecũdùm diuinitatem.

Anaſtaſius Antiochenus. 580.

De rectæ fidei dogmatibus lib.1. Dicit: *Si non facio opera Patris mei, nolite mihi credere.* Iſtiusmodi igitur demonſtratio diuinæ conſubſtantialitatis omni ex parte perfecta eſt, & ſufficiens, & cui nemo contradixerit; nempe quòd eadem virtus ſit operatoria Patris & Filij.

Lib.4. de Paſſione Chriſti: Chriſtus verè Dei Filius erat, non quidem adoptatus filius, aut per gratiam Deus; ſed ſecundùm naturam Filius, & ſuapte natura Deus, Genitori quoque conſubſtantialis, ex quo ante Luciferum eſt genitus Deus incorporeus.

Leontius. 600.

De Sectis actione 3. Contra Arianos eſt, quod Ioannes dixit: *In principio erat Sermo, & Sermo erat apud Deum, & Sermo ille Deus erat.* Ac rurſus in epiſtola ad Hebræos de Filio dicit Apoſtolus: *Qui radius eſt maieſtatis, & effigies ſubſtantiæ Patris.* Quod ſi creatum, non ſoboles Dei Chriſtus eſſet; non caderet in eum eſſe Dei tum effigiem, tum radium. Quin & ipſe Dominus ait: *Ego & Pater vnum ſumus.*

Sophronius Hieroſolymitanus. 610.

Oratione 5. de Chriſti Natalitijs: Ieſus infans vniuerſorum eſt Seruator, Deusq; & Dominus verè inexplicabilis, etſi noſtri cauſa, qui carnales ſumus, adeoq; puram nudamq; illius diuinitatem intueri nequibamus, humanæ carnis corporisq; velamine ſit obtectus.

Epiſtola ad Honorium Papam: Credo in vnum Dominum Ieſum Chriſtum Filiũ Dei vnigenitum, qui ſempiternè & intemporaliter ex ipſo natus eſt Deo & Patre: non aliud principium quàm Patrem cognoſcentem; ſed nec aliũde quàm ex Patre ipſam ſubſtantiam habet, lumen de lumine conſubſtantiale, Deum verum de Deo vero, conſempiternum.

Sexta Synodus Conſtantinopolitana. 680.

Act.1. Dominus noſter Ieſus Chriſtus cum Patre & Spiritu ſancto diuinam & omnipotentiſſimam naturam communem habet.

Act.17. Profitemur Chriſtum conſubſtantialem Patri ſecundùm deitatem, & ante ſecula geniti.

Ioannes Damaſcenus. 730.

Orthodoxæ fidei lib. 1. cap.6. Hic ergo vnus ac ſolus Deus verbi haud quaquam eſt expers. Verbũ porrò habens, nõ eiuſmodi illud habiturus eſt, quod non reuera exiſtat, aut quod ortum vnquam habuerit, aut finem habiturum ſit. Neque enim vn-

quam fuit illud tempus, cùm Deus sine Verbo esset. Quin potius Verbum suũ ex se genitum semper habet, non verbi nostri instar substantia carens, atque in aërem dilabens, sed verè existens, ac viuũ & perfectũ, atque eiusmodi, vt extra ipsum minimè progrediatur, verùm in ipso semper sit.

Cap.9. Sancta, Catholica, & Apostolica Ecclesia, simul & Patrem & Vnigenitum ipsius Filium docet, ex eo citra tempus ac fluxionem & passionem ratione quadam incomprehensibili, ac soli illi rerum vniuersarum Deo perspecta, & explorata genitum: nõ secus videlicet atque vnà cum igne simul est & lumen, quod ex eo oritur; nec prior est ignis, posterius lumen, sed vtrunque simul. Et quemadmodum lumen, quod ex igne ortum habet, semper in eo est, nec ab eo quoquo modo disiungitur: ita Filius, qui à Patre gignitur, nullo modo ab eo separatur, sed semper in ipso est.

Elias Cretensis. 790.

In Orationem 1. Nazianzeni: Quòd vnigenitus Dei Filius Deus & dicatur, & sit, cùm ex multis alijs locis, tum ex ijs etiam, quæ proferemus, liquidò constat. *Hic Deus noster,* inquit, *non reputabitur alius ad eum. Postea in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est.* Baruch 3 Hoc enim de Filio apertè dictum est. Hic quippe est, qui per corpus à nobis conspectus est. Atque Euangelista Ioannes, cùm dixisset: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum,* Ioan.1. subiunxit, *& Deus erat Verbum,* &c. Quòd Vnigenitus vnà cum Patre rerum effector & architectus sit, vniuersa penè Scriptura testatur, &c.

Nicephorus Constantinopolitanus. 800.

Epistola ad Leonem: Fateor me credere in Filium Dei, Vnigenitum Dominum nostrũ Iesum Christum, verum Deum, Verbum æternum; ab æterno ineffabiliter, incõprehensibiliter, modoq; quem nulla neque spiritalis, neque sensilis creatura assequi potest, ex Patre natum, &c. Filius principij expers non est. Ex Patre enim est; Pater namque Filij principium, & origo existit. Quòd si temporis initium spectes, equè Filius principio caret, ac Pater. Est enim temporum conditor, non subiectus tempori: Inseparabili autem æternaq; generatione ex Patre elucet, tanquam gloriæ illius splendor, paternæq; substantiæ character.

Michael Syngelus. 830.

In Martyrio Dionysij: Filius ante omnia secula, à solo Patre, siue ab illius substantia, & solo, & vnicè, sine corpore, sine affectu, sine tempore natus est.

Photius Patriarcha Constantinop. 860.

Epistola ad Michaelem Bulgariæ principem de septem Oecumenicis Conciliys: Arius primùm aduersus pastorem suum superbam mentem extulerat; deinde contra communem pastorem ac Dominum furorem exercuit suum. Filium enim ac Verbum Dei, (ô temeraria lingua atque mens!) in rerum, quæ creatæ factæq; sunt, numerum redigere conabatur: Nec illud quod omnibus commune est, & per se cognitum, volebat considerare, nempe filios omnes eandem essentiam habere atque naturam, quam patres habent, ex eoq; fieri, vt si Filiũm creatum diceret, Patrem quoque creatũ pronuntiaret.

Leo Imper. cognomento Philosophus. 880.

Epistola ad Omarum Regem: Deus visus est Mosi in igne in monte Sina, in verbo luminis, & dixit: Ne timeas Moses: Ego sum Dominus Deus tuus, Creator tuus, lumen de lumine, Verbum de Patre, ex quibus Spiritus sanctus procedit. Et ideo dicimus Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, lumen de lumine, & Verbum de Deo,

Theophylactus. 900.

Ad caput 1. Ioannis: *Et Deus erat illud Verbum:* Vides quòd & Verbum erat Deus, & ita vna erat natura Patris & Filij, quia & vna diuinitas. Confundantur igitur & Arius & Sabellius. Arius quidem, qui creaturam dicit Filium Dei, & factura: confutetur autem per hoc quòd dicit: *In principio erat illud Verbum, & Deus erat illud Verbum.* Sabellius verò negans personarum Trinitatem, sed asserens vnitatem, reijciatur per hoc, quòd dicitur: *Et illud Verbum erat apud Deum.* Manifestè enim hoc loco alium esse Verbum, & alium esse Patrem declarat magnus Ioannes, etiamsi nõ sit aliud & aliud. Alius enim & alius de persona dicitur: aliud & aliud de naturis.

Ad cap.14. In Patre est Filius, secundùm quod in substantia illius apparet: & rursus Pater in Filio, sicut Rex in imagine sua apparet, & imago in rege. Vnus enim character imaginis & regis. Quòd autem vna substantia mea est, & Patris manifestũ. *Verba* enim *quæ ego loquor, à me ipso non loquor*: hoc est, non aliter hæc dico, sed quemadmodum Pater diceret, sic & ego loquor. Non enim habeo quidquam proprium, quod meum & separatum à Patre, sed omnia communia, vna substantia est, substantijs separatis.

Suidas. 980.

In voce εἱμαρμένη: Nos Christum Deum confitemur administrare omnia.

In voce πίστις: Nouimus alteram personam, quę nata sit, Filium vnà cum Patre absque principio, vnà cum illo causam immutabilem & impatibilem, & absque fluxu à Patre ortũ, quiq; ad causam & initium Patrem refertur.

Oecumenius. 1050.

Ad cap.1. epist. ad Hebræos: Subiungit: *Expressa imago substantiæ illius.*) hoc est, totam in seipso complexus essentiam & substantiam, Deus est infinitæ authoritatis, omnipotens Creator, & si quid aliud est, quod paternam exprimit substantiam, præterquàm esse Patrem, ea omnia est Filius, ideo quoq; omnia Verbo potentiæ versat, & continet, ac gubernat: *Per quem condidit & secula.* Vbi sunt, qui dicunt, quod aliquando non erat Filius? Siquidem non est sub tempore conditor seculorum.

Euthymius. 1080.

Ad caput 10. Ioannis: *Ego & Pater vnum sumus.* Vnum potentia, siue eiusdem potentiæ: Quòd si vnum potentia, vnum sanè & diuinitate & essentia & natura. Dicens itaque: *Ego, & Pater,* dualitatem significauit personarum, diuersitatem hypostaseων; subdens autem, *vnum sumus,* diuinitatis vnitatem, identitatem essentiæ naturæ & potentiæ significat.

Michael Glycas. 1100.

Parte 3. Annalium: Poterat quidem Christus ceu Deus efficere, vt eodem tempore tamhîc quàm illic reperiretur: verùm ne id pro re quadã imaginaria duceretur, ante passionem tale quid facere noluit.

Parte 4. Conuentum fuit Nicææ Arij causa Deum Sermonem afficientis ignominia, quem creatum quoddam esse diceret, & à natura essentiáque Patris alienum. Addebat fuisse tempus, cùm ille non existeret. Itaque sacrum hoc Cõcilium Ario deiecto & abdicato, rectam fidei sententiam confirmauit.

Nilus Thessalonicensis. 1150.

Lib.1. de causis dissensionum Ecclesiasticarum: Quis nescit, quòd etiam hoc, Filium esse coëssentialem Patri,

Patri, & Spiritum Patri & Filio, & alia quæcunque œcumenicis actis stabilita sunt, vetera erant, & Apostolicæ Propheticæq; traditiones, imò potius Spiritus sancti oracula?

Nicetas Choniates. 1200.

Orthodoxæ fidei lib.2. cap.20. Quid Filius? qua ratione Filius dicitur? & quot modis intelligitur? Filius propriè secundaria hypostasis est, in vna eademq; natura, vel personarum incrementum, vel vnigenita naturæ processio, vel cognatio cognita. υἱὸς autem, hoc est Filius, propriè dicitur quasi ὅιος, id est, qualis. Qualis enim Pater substantia, talis & vnigenitus est Filius: siue ex increato increatus, siue ex mortali mortalis, humanoq; humanus. Duobus itidem modis in Deo filiatio dicitur, natura & gratia. Natura quidem Deus Verbum, gratia verò iusti.

Cap.27. Quemadmodum in vnum Deũ Patrem credere didicimus, ita etiam in vnum Filium, qui natus sit ante secula, neque secundùm Valentini fabulas, alium Vnigenitum, alium Verbum, alium Christum, aliũ denique Iesum esse docemus: neque verò Arianam Eunomianamq; blasphemiã secuti, eum qui Filius dictus est, creaturam nominamus. Illum enim Scriptura diuina vnigenitum esse testatur. Quòd si creatus est Vnigenitus, sororem habeat creationem, vniuersasq; totius creationis partes necesse est: sin Vnigenitus est, vt est, nulla illi prorsus cum rebus creatis societas intercedit. &c. Diuus Ioannes Euangelista Christum & Verbum, quod fuit ante secula, & vnigenitum Filium, & mundi totius opificem, & Christum Iesum vocat his verbis: *In principio erat Verbum.* Ioan.1. Quibus verbis æternum fuisse significat: qui enim in principio erat, vtique semper erat. Nec enim dixit: In principio fiebat, vel in principio creabatur, sed *In principio erat.* Docet verò etiam quid esset, subiungit enim: *Et Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbũ.* Deinde proœmio resumpto subinfert: *Hic erat in principio apud Deum.* Atque hoc quidem communi nomine τὸ ὁμοούσιον, id est, æqualitatem substantiæ indicauit, Deus Verbum, splendor gloriæ, energia non est ἀνυπόστατος à Patre, seu à Patris hypostasi seiuncta, sed viuens & per se subsistens hypostasis. Nec enim simpliciter Verbum nominatur, sed Deus Verbum: nec splendor gloriæ duntaxat, sed hypostaseos quoque suæ character &c. Verbum cùm dicitur, generationem nulli passioni obnoxiam ostendit, &c. Est verò etiam eiusdem cum Patre potentiæ, eiq; similis & æqualis in omnibus.

Nicephorus Callistus. 1300.

Lib.8. cap.5. Arius inter presbyteros primas tenẽs, verboq; veritatis prorsus repugnans, creaturam facturamq; Patris Filium vocauit, in absurdas opiniones prouolutus. Ex non existentibus siquidem genitum esse, & fuisse aliquando tempus cùm non fuerit, meraq; sententię & arbitrij libertate, vitij & virtutis capacem esse.

Ioannes Cantacuzenus. 1360.

Apologia prima: Dicendo, *Ex vtero ante Luciferum genui te,* ostendit vnam & eandem Filij cum Patre substantiam & naturam; vt euincat quòd Christus Deus cùm sit naturalis, etiam & verus sit Dei Filius, & eiusdem cum Patre naturæ & substantiæ. Psal.109.

Apologia 2. Vnus Deus est Pater & Filius, & vna est diuinitas natura & potentia Patris & Filij.

Gennadius Scholarius. 1450.

Dialogo de via salutis humanæ: Filius seu Verbum Dei descendit in terram, & neque à Patre abest, neque à cælo, neque à terra: sed fuit semper, & est in gremio Patris inseparabilis, & sursum, & deorsum, & vbique, & nusquam deest.

Dauid Æthiopiæ Rex. 1524.

Epist. ad Romanum Pontificem: In nomine Dei Filij Iesu Christi, qui est idem cum Patre à principio mundi, & est lumẽ de lumine, Deus verus de Deo vero.

Moses Mardenus Assyrius. 1552.

In contẽplatione Theologica de sancta Trinitate: Quicquid habet Pater, habet & Filius, præterquam gignendi rationem.

Siud, siue Sulaka. 1553.

In professione fidei: Credimus in Filium Dei & Verbum ipsius, natum ante omnia tempora, existentem in sinu Patris sui, & cum eo fuit in omni quod faciebat.

Ioannes Basilius Dux Moscouiæ. 1570.

Theol. Mosc. cap.6. Nos filius tonitrui sic docuit: *In principio erat Verbũ,* idq; *apud Deũ. Et Deus erat Verbũ. Per quẽ omnia facta sunt.* Num cernis absque initio Filium cum Patre, propter huius erga eum charitatem indiuisum, nec tamen confusum esse? Quà de diuinitate etiam illa sunt dicta: *Verba quæ vobis dico, non de me dico, sed Pater manens in me facit opera, credite mihi, vt ego in Patre sum, sic & ille in me est,* &c. Vt Pater absque ætate, Filius sine principio, & Spiritus substantia semper existens; vnius sunt gloriæ, honoris, & potestatis, & vbique videre est, quemadmodum sit Patri æqualis Filij potestas, non vlla demissio. Ioan.1.

Hieremias Constantinopolitanus. 1580.

Responsi.1. cap.1. Filius est genitus Deus ex Deo.

Gabriel Patriarcha Alexandrinus. 1595.

In professione fidei: Firmiter credo & profiteor quòd vnigenitus Dei Filius, Patri consubstantialis, semper cum Patre & Spiritu sancto existat.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Martialis Lemouicensis. 100.

Epistola ad Burdegalenses, cap.10. Verbum, in quod credidistis, Filius est vnigenitus ante omnem substantiam, ante omne initium. Ipse enim est principium: quia de principio ineffabiliter genitus est. In nostro verò tempore mirabiliter ab Angelo annuntiatus, & in veritate incomprehensibili de Virgine Maria natus est. Nihil diminutus à diuinitate maiestatis suæ, cuius nos testes sumus Spiritus verò Dei, qui vos sanctificat, credentes in ipsum, qui Filium naturalem & sibi secundùm æternitatem æqualem per omnia resuscitauit tertia die à mortuis, non est genitus sicut Verbum.

Higinus. 138.

Epist.1. Nos non credimus Patrem aliquo tempore præcessisse, vt maior sit Filio; nec Filium postea natum esse, vt diuinitate Patris minoretur.

Tertullianus. 200.

In Apologet. cap.21. Hunc Sermonem ex Deo prolatum didicimus, & prolatione generatum, & idcirco Filium Dei, & Deum dictum ex vnitate substantiæ: Nam & Deus Spiritus. Etiam cùm radius ex sole porrigitur, portio ex summa, sed sol erit in radio: quia solis est radius, nec separatur substantia, sed extenditur; Ita de Spiritu Spiritus, de Deo Deus, vt lumen de lumine accensum, manet integra & indefecta materia matrix, etsi plures inde traduces qualitatis mutuaris: Ita quod de Deo perfecti est, Deus est & Dei Filius, & vnus ambo,

ita

ita de Spiritu Spiritus,& de Deo Deus,modulo alterno,nimirum gradu,non ſtatu fecit, & à matrice non receſſit,ſed exceſſit.

Aduerſus Praxeam, cap.13. Deos omninò non dicam,nec dominos,ſed Apoſtolum ſequar,vt ſi pariter nominandi fuerint Pater & Filius, Deum Patrem appellem,& Ieſum Chriſtum Dominum nominem:ſolum autem Chriſtum potero Deum
Rom.9. dicere,ſicut idem Apoſtolus : *Ex quibus Chriſtus,qui eſt ſuper omnia Deus benedictus.*

Libro 4.carminum contra Marcionem:

Hic Deus,hic & homo verus,verumq; locutus
De Patre principium genitum de lumine lumen,
Spiritus,& Verbum,Chriſti ſub imagine virtus,
Cum Patre ſemper erat vnitus gloria & auo, &c.
Huic Pater & Dominũ,& Chriſtum,regemq;, Deumq;,
Iudicio regnoq; dato,miſſurus in orbem eſt.

Nouatianus. 240.

*De Trinitate cap.17.*Sed ex his etiam rebus ſuperioribus diuinitatem Chriſti ſonantibus Dominus Ieſus Chriſtus & Deus, quod hæretici nolunt, eſſe monſtratur.

Cyprianus. 250.

*Lib.2.ad Quirinum aduerſus Iudæos,cap.6.*Quod Deus Chriſtus ſit, in Geneſi : *Dixit autem Deus ad Iacob : Exurge, & aſcende in locum Bethel, & habita illic,*
Gen.35. *& fac illic altare illi Deo,qui tibi apparuit cũ fugeres à facie Eſau fratris tui.* Item apud Hieremiam : *Hic Deus*
Baruch 3 *noſter, & non deputabitur alius abſque illo.*

Zeno Veronenſis. 260.

De Geneſi Sermone 3. Carnalis mentis homines, fratres dilectiſſimi,ſcandalum patiuntur, nõ ſtudio noſcendæ, ſed fruſtrandæ veritatis, quoties Deus Dei Filius, qui Patris maxima eſt gloria, æqualis Patri à Catholicis prædicatur.

De æterna Filij generatione,Sermone 1. Ineffabilis illa,incomprehenſibilisq; ſapientia ſapientiam, omnipotentia omnipotentiam propagat. De Deo naſcitur Deus ; de ingenito vnigenitus,de ſolo ſolus ; de toto totus ; de vero verus ; de perfecto perfectus. Totum Patris habens,nihil derogans Patri:procedit in natiuitatem,qui erat antequam naſceretur in Patre æqualis omnibus, qui habet habentẽ Filium paria procreauit, qui eſt Deus benedictus in ſecula ſeculorum.

Dionyſius Papa. 270.

Apud Athanaſium epiſtola de Decretis Synodi Nicænæ : Cæterùm non minus copulaueris eos,qui Filium Dei opus credunt, & factum eſſe Dominum opinantur ; cùm ſacra eloquia generationem ei congruentem,non autem formationem,aut creationem teſtimonijs ſuis attribuant: Blaſphemia nõ vulgaris, ſed maxima habẽda eſt,ſi Dominum dicas manufactum.

Arnobius Rhetor. 300.

Libr. 1.contra Gentes : Deus ille (Chriſtus) ſublimis fuit,Deus radice ab intima, Deus ab incognitis regnis,& ab omnium principe Deus ſoſpitator eſt miſſus,quem neque ſol ipſe,neque vlla (ſi ſentiunt) ſydera, non rectores, non principes mundi, non denique Dij magni, aut qui fingentes ſe Deos genus omne mortalium territant, vnde,aut qui fuerit, potuerunt noſcere vel ſuſpicari.

Lactantius. 320.

Lib.4.Inſtitut.cap.8. Qui audit Dei Filium dici, non debet tantum nefas mente concipere,vt exiſtimet ex connubio,& permixtione fœminæ alicuius Deum procreaſſe : quod non facit niſi animal corporale, mortiq; ſubiectum. Deus autem cùm ſolus ſit,cui permiſcere ſe potuit?aut cũ eſſet tantæ poteſtatis,vt quicquid vellet efficeret, vtiq; ad creandũ ſocietate alterius non indigebat, &c. Quomodo igitur procreauit? Primùm, nec ſciri à quoquam poſſunt,nec narrari opera diuina: ſed tamen ſanctæ litteræ docent, in quibus cautum eſt,illum Dei Filium eſſe Dei Sermonem, itemq; cæteros Angelos Dei ſpiritus eſſe. Nam ſermo eſt ſpiritus cum voce aliquid ſignificante prolatus. Sed tamen quoniam ſpiritus, & ſermo diuerſis partibus proferuntur;ſiquidem ſpiritus naribus, ore ſermo procedit : magna inter hunc Dei Filium, cæterosq; Angelos differentia eſt. Illi enim ex Deo taciti ſpiritus exierunt, quia non ad doctrinam Dei tradendam,ſed ad miniſterium creabantur. Ille verò cùm ſit & ipſe ſpiritus,tamẽ cum voce ac ſono ex ore Dei proceſſit, ſicut verbum, ea ſcilicet ratione,quia voce eius ad populum fuerat vſurus.

Cap.29. Cùm dicimus Deum Patrem, & Deum Filium,non diuerſum dicimus,nec vtrumque ſecernimus: quia nec Pater ſine Filio eſſe poteſt,nec Filius à Patre ſecerni : ſiquidem nec Pater ſine Filio nuncupari, nec Filius poteſt ſine Patre generari. Cùm igitur & Pater Filium faciat, & Filius Patrem ; vna vtrique mens, vnus ſpiritus, vna ſubſtantia eſt: ſed ille quaſi exuberans fons eſt,hic tamquam defluens ex eo riuus : ille tanquam ſol, hic quaſi radius à ſole porrectus : qui, quoniam ſummo Patri & fidelis, & charus eſt, non ſeparatur,ſicut nec riuus à fonte,nec radius à ſole.

Iuuencus. 330.

Lib.1. hiſtoriæ Euangelicæ,de Magis:

Aurum,thus,myrrham,regiq;, hominiq;, Deoq; Donaferunt.

Oſius Cordubenſis. 330.

*In Concilij Nicæni actis lib.2.*Nouum Teſtamẽtum Verbum Deum eſſe demonſtrauit,(iuxta illud:*In*
Ioan.1. *principio erat Verbum,& Verbum erat apud Deum,& Deus erat Verbum,*) & perſonam perfectam ex perfecta. Deus enim eſt, non pars Filius, ſed perfectus, ſicut & Pater ; eiuſdem eſſentiæ,cuius & qui eum ineffabili modo genuit Pater.

Marius Victorinus Afer. 350.

Aduerſus Arium lib.1. Arius dicit Filium factum, ſcilicet plenum Deum, vnigenitum, immutabilem,qui antequam crearetur non fuerit,propterea; non ſit ingenitus. Hæc eadem Euſebius,adijciens quòd Filius omnia facienti ſit ſimilis. Nos contra non eum ſimilem, ſed eundem dicimus, quippe ex eadem ſubſtantia.

Hilarius. 350.

*Ad Pſal.122.*Nobis vnus Deus eſt: Non tamen per vnionem Dei,Domini noſtri Ieſu Chriſti,ei quòd Deus eſt abnegantes:ſed ſequentes legẽ,& Prophetas, & Euangelia,& Apoſtolos diuinitatis vnitatẽ in innaſcibili Deo, & vnigenito Deo ſecundùm proprietatem atque naturam cum fide & veritate profitemur. Nuſquam enim genere plurali, nec Deos,neque Dominos ſermo Propheticus nũcupauit: ſed vnumquemque ſuo ordine. Geneſis namque ait: *Et pluit ſulphur & ignem Dominus à Do-*
Gen.19. *mino.*Et Propheta : *Vnxit te Deus,Deus tuus.* Et rurſum: *Dixit Dominus Domino meo.* Et in Euangelio : *Et Verbum erat apud Deum,& Deus erat Verbum.* Et Apoſtolus: *Vnus Deus,ex quo omnia; & vnus Dominus*
2.Cor.8 *Ieſus,per quẽ omnia,& nos in ipſum.*Et rurſum: *Ex qui-*
Rom.9. *bus Chriſtus, qui eſt ſuper omnia benedictus.* Hoc ergo propter Dominum dictum eſt: vt intelligeremus, per id quod vnus innaſcibilis Deus eſt,non adimi vnigenito Deo poſſe, quòd Deus eſt.Deus enim vterque vnus eſt, non quòd vnus diuiſus in duos ſit, aut vterque ipſe ſit, vt nuncupatio ſola fecerit Patrem & Filium,non natura gignendi : ſed

idcirco

idcirco Deus vnus, quia neque duo innaſcibiles, neque vnigeniti duo,ſed vnus ex vno,& ambo vnum,non diſſimili ſcilicet,aut differente à ſe ſubſtantia diuinitatis in vtroque.

Lib.2.de Trinitate: Filium mens conſternatur attingere,& trepidat omnis ſermo ſe prodere.Eſt enim progenies ingeniti, vnus ex vno, verus à vero, viuus à viuo, perfectus à perfecto, virtutis virtus, ſapientia ſapientiæ, gloria gloriæ, imago inuiſibilis Dei, forma Patris ingeniti.Quam autem progeniem opinabimur Vnigeniti ab ingenito? Clamat enim ſæpenumerò Pater de cælis : *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Non eſt abſciſſio, aut diuiſio : Impaſſibilis eſt enim ille qui genuit, & imago inuiſibilis Dei eſt ille qui natus eſt,& teſtatur : *Quia Pater in me,& ego in Patre.* Non eſt aſſumptio : Verus enim Filius Dei eſt, qui clamat: *Qui me videt,videt & Patrem.* Sed neque eſſe vt cætera viſus eſt : nam Vnigenitus ex vno eſt, & in ſe habet vitam, vt habet in ſe vitam ille qui genuit. Ait enim : *Sicut habet Pater vitam in ſemetipſo,ita dedit Filio habere vitam in ſemetipſo.* Sed neque pars Patris in Filio eſt.Teſtatur enim Filius : *Omnia,quæ Patris ſunt,mea ſunt. Et quæcunque habet Pater, dedit Filio.* Teſtatur & Apoſtolus : *Quia in ipſo inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter.*

Lib.8.de Trinitate : Dei Patris diuinitas corporalis in Chriſto eſt : non ex parte, ſed tota ; neque portio eſt,ſed plenitudo ; ita corporaliter manẽs, vt vnum ſint : ita vnum ſunt, vt à Deo non differat Deus:ita indifferens à Deo Deus, vt perfectum Deum ſubſtituerit perfecta natiuitas : ita autem perfecta natiuitas ſubſiſtat, quia in Deo ex Deo nato corporaliter diuinitatis inhabitet plenitudo.

Lucifer Calaritanus. 350.

De non parcendo in Deum delinquentibus : Credimus in vnum Deum Patrem omnipotentem, viſibilium & inuiſibilium factorem, & in vnum Dominum Ieſum Chriſtum Filium Dei,natum de Patre,hoc eſt de ſubſtantia Patris, Deum de Deo,lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, natum,non factũ,vnius ſubſtantię cum Patre,quod Græci ὁμοούσιον dicunt.

Ambroſius. 370.

*Libro 1.de fide,cap.8.*Deus igitur ex Deo, lumen de lumine,verus Deus de Deo vero,ex Patre genitus, non factus,vnius ſubſtantiæ cum Patre : ſic nempe noſtri ſecũdùm Scripturas dixerũt Patres, qui etiam ſacrilega dogmata ideo ſuis inſerenda putauêre decretis, vt Arij perfidia ipſa ſe proderet, ne quaſi fucis quibuſdam & coloribus illita velaretur.

Prudentius. 380.

Contra Ebionitas :

Eſtne Deus iam noſter homo ? verſatur & aſtat
Nobiſcum, nomenq; probat,verſumq;, vetuſtis
Obſcurum ſeclis præſenti illuminat ore.
Eſtne Deus, cuius cunas veneratus Eous,
Lancibus auratis regalia fercula ſupplex
Virginis ad gremium pannis puerilibus offert ?

Hymno de Romano :

Vis vna Patris, vis & vna eſt Filij,
Vnusq; ab vno lumine ſplendor ſatus,
Pleno refulſit claritatis lumine :
Natura ſimplex pollet vnius Dei,
Et quicquid vſquam eſt vna virtus condidit.

De hamartigenia :

Conditor ergo boni Pater eſt,& cum Patre Chriſtus;
Nam Deus,atque Deus,Pater eſt,& Filius vnum:
Quippe vnum natura facit, quæ conſtat vtrique
Vna voluntatis,iuris,virtutis,amoris.
Non tamen idcirco duo numina, nec duo rerum
Artifices:quoniam generis diſſenſio nulla eſt.
Atque ideo nulla eſt operis diſtantia,nulla
Ingenij,peperitq; bona omnia conditor vnus.

Fauſtinus. 380.

De fide contra Arium, cap.3. Cùm Deus in Deo eſt; & nõ eſt Deus præter eum; in quo Deus eſt, & ipſe eſt Deus Iſraël Saluator, oſtenditur vnitas diuinitatis in Patre & Filio, ſicut & omnipotentiæ,& quicquid omnino diuinæ ſubſtantiæ eſt ; hoc ſolo differens à Patre Filius,quòd ille Pater eſt, & hic Filius, id eſt,quòd ille genuit,& hic natus eſt : non tamen quia natus eſt, minus habet aliquid, quàm quod in Deo Patre eſt, imago Dei inuiſibilis exiſtens, & ſplendor gloriæ, & character ſubſtantiæ eius.

Cap.4. Eadem cum Patre Chriſto imago eſt, eadem forma,eademq; ſubſtantia, eadem naturæ vnitas,eadem poteſtas, eadem libertas voluntatis, idẽ honor, & omnia omninò quæ Patris ſunt, Filij ſunt: quia & quæ Filij ſunt,Patris ſunt.

Cap.7. Solus Filius Dei verus eſt filius, exiſtens hoc ſine initio, ſine fine, ſemper habens Patrem, & nunquam ipſe vti eſt genitus, generans accepit vocabulum Patris ; vnde & proprium & verum vocabulum filij in ſolo Filio Dei eſt, habens hoc naturaliter,quòd verus Deus eſt.

Philaſtrius. 380.

Cap.19.de Arianis : Filius cùm ſit verus, oportet de diuina illa ſubſtantia Patris genitus cognoſcatur : Verus enim Deus alio modo eſſe non poteſt Filius vnicus,niſi ſit de Patris illa diuina ſubſtantia propriè genitus.Sempiterna ſimilitudo itaque Filij & ſecundùm opera: quia ſicut facit Pater,& Filius ſimiliter facit omnia,& Dei ipſius eſt qualitatis diuina ſubſtantia genitus, quia de ipſo natus eſt propriè ſempiternus,non factus ex nihilo, vt homo,& Angelus, aut creatura aliqua eſt.

Gregorius Bæticus. 380.

*Libro de Trinitate & fide contra Arianos:*Similiter & Paulus docet,Chriſtum ſemper fuiſſe,& Deum eſſe,& æqualẽ Patri. Tunc enim verè Deus eſt,cùm æqualis eſt Patri : quia nec æqualis diceretur, ſi non verè Deus haberetur. Iniuria eſt enim veri Dei,ſi ei non Deus vnus dicatur æqualis. Ponit itaque in epiſtola ſua : *Hoc enim exiſtimate in vobis, quod*
Philip.2. *in Chriſto Ieſu,qui cùm in forma Dei eſſet conſtitutus, non rapinam arbitratus eſt,eſſe ſe æqualem Deo,ſed ſemetipſum exinaniuit,formam ſerui accipiens.* Si verè homo eſt Chriſtus, cùm formam ſerui accepit, verè quoq; Deus eſt,cùm in forma Dei eſſe perhibetur, nec alia ratione æqualem diceret, niſi in forma Dei eſſe verum Deum voluiſſet intelligi. Et qui verus Deus eſt, vtique ſemper eſt. Qui ſemper eſt Deus, non poteſt dici de eo,Erat,quando non erat.

Hieronymus. 390.

Lib.6. Commentariorum in Ezechielem, cap.18. Chriſtus dicit : *Pater quod dedit mihi, omnibus maius eſt : & nemo poteſt rapere de manu Patris mei.* Ex quo perſpicitur, vna Patris Filijq́ue poteſtas, virtus, atque ſubſtantia. Si enim de Filij manu, quæ dedit Pater,nemo poteſt rapere ; & hæc eadem in Patris manu ſunt, quæ non rapiuntur ab eo ; liquidò comprobatur,omnia Patris & Filij eſſe cõmunia, & in Filij manu tenere Patrem, ſicut Patris manu tenentur,quę Filij ſunt.

Ad cap.1.ad Galatas: *Notũ vobis facio.* Ex hoc loco Ebionis & Photini dogma conteritur : quòd Deus ſit Chriſtus, & non tantùm homo. Si enim Euangelium Pauli non eſt ſecundùm hominem, neq; ab homine accepit illud, aut didicit ; ſed per

reue-

reuelationem Iesu Christi, non est vtique homo Iesus Christus, qui Paulo Euangelium reuelauit. Quòd si non est homo, consequenter est Deus. Nó quo hominem negemus assumptum: sed quo tantùm hominem renuamus.

Ad cap. 4. ad Ephesios: Si, vt existimant Ariani, Deus Pater solus est Deus: eadem consequentia, solus erit Dominus Iesus Christus: & nec Pater erit Dominus, nec Filius Deus. Sed absit vt non sit vel in dominatione deitas, vel in deitate dominatio. Vnus est Deus, & vnus est Dominus: quia Patris & Filij dominatio vna est diuinitas. Propterea & fides vna dicitur, quia similiter in Patrem & Filium & Spiritum sanctum credimus.

Augustinus. 400.

In Euangelium Ioannis Tractatu 36. Agnoscis quia Pater, Pater est; & Filius, Filius est. Bene agnoscis, sed noli dicere: Pater maior est, Filius minor est. Noli dicere: Pater aurum est, Filius argentum est. Vna substãtia est, vna diuinitas, vna coæternitas, perfecta æqualitas, dissimilitudo nulla. Nam si tantummodo alterum credideris esse Christũ, non eum qui Pater est, & in aliquo tamen distantem secundùm naturam esse putaueris, à Charybdi quidem euasisti, sed in Scylleis scopulis naufragasti. In medio nauiga, vtrumque periculosum latus euita. Pater, Pater est: Filius, Filius est: Iam dicis Pater, Pater est: Filius, Filius est: bene periculum absorbentis gurgitis euasisti. Quid vis ire in alteram partem, vt dicas: Aliud est Pater, Filius aliud? Alius est, rectè dicis: aliud, non rectè. Alius est enim Filius, quia non est ipse qui Pater; & alius Pater, quia non est ipse qui Filius: non tamen aliud, sed hoc ipsum est & Pater & Filius. Quid est, hoc ipsum est? Vnus Deus est. Audisti: *Quia non sum solus, sed ego & qui misit me Pater*: audi quomodo credas Patrem & Filium, audi ipsum Filium, *Ego & Pater vnum sumus.* Non dixit: Pater ego sum, aut ego & Pater vnum est. Ioan. 10. Sed cùm dicit, *Ego & Pater vnum sumus*: vtrunque audi, & *vnum* & *sumus*, & à Charybdi & Scylla liberaberis. In duobus istis verbis, quòd dixit, *Vnũ*, liberat te ab Ario: quòd dixit, *Sumus*, liberat te à Sabellio: Si *vnum*, non ergo diuersum: *si sumus*, ergo & Pater & Filius. *Sumus* enim, non diceret de vno: sed & *vnum* non diceret de diuersis.

Sermone 64. de verbis Domini, cap. 4. Filius de Patre est, Pater non est de Filio: sed Pater Filij Pater est, & Filius Patris est Filius. Veruntamen Filius de Patre genitus, nõ Pater de Filio, & semper Filius: semper ergo genitus. Quis hoc capiat, semper genitum? Omnis enim homo cùm audit genitum, occurrit illi: Ergo erat tempus, quando non erat iste qui genitus est. Quid ergo dicimus? Ioan. 1. Non sic erat tempus ante Filium, quia *omnia per ipsum facta sunt.* Si omnia per ipsum facta sunt, & tempora per ipsum facta sunt: quomodo possent esse tempora ante Filium, per quẽ facta sunt tempora? Tolle ergo omnia tempora, semper cum Patre Filius. Si semper cum Patre Filius, & tamen Filius semper genitus. Si semper genitus, semper cum Genitore erat qui genitus est.

De Symbolo ad Catechumenos, lib. 1. cap. 3. Nolite cogitare in hac natiuitate initium temporis, nolite cogitare vllum spatium æternitatis: quando erat Pater, & non erat Filius. Ex quo Pater, ex eo Filius. Et quid est, ex quo, vbi non est initium? Ergo semper Pater sine initio, semper Filius sine initio. Et quomodo, inquies, natus est, si nõ habet initium? De æterno coæternus. Nunquam fuit Pater & non erat Filius, & tamen Filius à Patre est genitus. Vnde datur qualiscunque similitudo? In rebus terrenis sumus, in creatura visibili sumus. Det mihi similitudinem terra: non dat. Det mihi aliquã similitudinem vndarum elementum: non habet vnde. Det mihi similitudinem aliquod animal: nec hoc potest. Animal quidem generat, & quod generat, & quod generatur: sed prior est pater, & postea nascitur filius. Inueniamus coæuũ, & credamus coæternum. Si potuerimus inuenire patrem coæuum filio suo, & filium coæuum patri suo: credamus Deum Patrem coæuum Filio suo, & Filium Deum coæternum Patri suo. In terra possumus inuenire aliquem coæuum, non possumus inuenire aliquem coæternum. Intendamus coæuum, & credamus coæternum. Intentos faciet fortè aliquis & dicet: Quando potest inueniri pater coæuus filio suo, aut coæuus filius patri suo? &c. Occurrat vobis ignis Pater, & splẽdor Filius: ecce inuenimus coæuos. Ex quo ignis esse cœpit, continuò splendorem gignit: nec ignis ante splendorem, nec splendor post ignem. Et si interrogemus, quis quem generat, ignis splendorem, aut splendor ignem: continuò vobis occurrit sensu naturali, prudentia insita mentibus vestris: omnes clamatis, ignis splendorem, nõ splendor ignem. Ecce Pater incipiẽs, ecce Filius simul, nec antecedens, nec sequens. Ecce ergo Pater incipiens, ecce Filius simul incipiẽs. Si ostendi vobis Patrem incipientem, & Filium simul incipiẽtem: credite Patrem non incipientem, & cum illo Filium, nec ipsum incipientem, illum æternum, illum coæternum.

Lib. 2. cap. 3. Si das initium Filio, das initium & Patri. Pater enim à Filio appellatus est Pater. Si autem semper fuit Pater, semper fuit & Filius: & si Deus est Pater, Deus est & Filius: non enim aliud potuit procedere de Deo quàm Deus. Quòd si Deus est Pater, Deus est & Filius: & si sempiternus est Pater, sempiternus est & Filius: quem non præcessit ætate nec dignitate, non eum minuit æqualitate. Apostolum audi quid de Deo Filio dicat: *Cùm in forma Dei esset*, inquit, *non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo.* Non rapuit, quia naturaliter habuit. Omnipotentia itaque Patris in Filio, omnipotentia Filij in Patre: quia neque aliquando Pater sine Filio, neque aliquando Filius sine Patre. Philip. 2.

Ruffinus. 400.

In expositione Symboli: Credendus est ergo Deus Pater esse vnici Filij sui, Domini nostri, non discutiendus. Neque enim fas est seruo de natalibus Domini disputare. Contestatus est Pater de cælis, dicens: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite.* Matt. 17. Pater ipsum dicit esse Filium suum, & ipsum audiri iubet. Filius dicit: *Qui videt me, videt Patrem.* Et: *Ego & Pater vnum sumus.* Et: Ioan. 14. *Ego à Deo exiui, & veni in hunc mundum*: Quis est qui inter has Patris & Filij voces medium se discussorem interserat, & deitatem diuidat, affectum separet, & substantiam rumpat, spiritum secet, neget esse verum, quod veritas dicit. Est ergo Deus Pater verus, veritatis Pater, non extrinsecus creans, sed ex eo, quod ipse est, Filium generans, id est, quia sapiens, sapientiam; quia iustus, iustitiam; quia sempiternus, sempiternũ; quia immortalis, immortalem; quia inuisibilis, inuisibilem; quia lux, splendorem; quia Mens, Verbum, &c. Sicut lux de luce, & veritas de veritate, ita de omnipotente omnipotens natus est.

Paulinus Nolanus. 420.

In precatione Maturina:

Christe apud æternum placabilis adsere Patrem,
Saluator, Deus, ac Dominus, mens, gloria, Verbum,
Filius, & vero verum de lumine lumen,
Aeterno cum Patre manens, in secula regnans.

Natali 9.

Hæc tibi Christe Deus tenui fragilíq; paratu
Pro nobis facimus: nec enim te summe creator
Facta manu capiunt: toto quem corpore mundus
Non capit: angustum cui cælum terraq; punctum est.

Maximus Taurinensis. 430.

Homilia 4. in Natali Domini: Neque enim vt temporalis quidam, aut qui ante non fuerit, de fœmina nobis repentinus emersit, sed qui semper erat cum Patre Deus, semperq; regnabat, nouo per virginem voluit mortalibus apparere mysterio: nouus quidem homo, sed Dominus sempiternus; nouus Christus, sed rex omnium seculorum.

Homilia 1. de Pentecoste: Nec mirum si vnius sedis consessus offertur Filio à Patre, qui vnius est substantiæ & naturæ cum Patre. Cur autem ad dextram Filius esse dicatur, moueat fortasse aliquem. Licet enim dignitatis gradus non sit, vbi plenitudo diuinitatis est: tamen ideo ad dextram sedet Filius, non quo præferatur Patri, sed ne inferior esse credatur.

Arnobius Romanus. 430.

Ad Psal. 104. Non est Christus Deus recens, non aduena, non nouitius: sed ipse est Dominus Deus noster, qui semper fuit.

Ad Psal. 139. Dicũt hæretici assertionibus suis: Pater maior est, Filius minor: Ego respõdeam: Qui maior est senescit, & deficit; qui minor est iuuenescit, & similiter grandescit, vt definat: Deus autem nec minor, nec maior est; quia sicut finem non habet, nec initium habuit, semper fuit immutabilis Pater, & semper fuit cuius esset Pater, nec vnquã fuit sine Spiritu sancto. Ac per hoc Pater nunquam fuit sine bonitate, quæ est Filius; nunquam fuit sine sanctitate, quæ est Spiritus sanctus.

Petrus Chrysologus. 440.

Sermone 57. Confiteatur Filium, qui nominat Patrem: quia qui vocari Pater, Pater dici voluit, habere se filium clementer ostendit: quem non accepit ex tempore, non genuit in tempore, non suscepit ad tempus. Diuinitas nec initium capit, nec recipit finem, nec admittit posterum, quæ non agnoscit occasum. Deus Filium non doloribus parturit, sed virtutibus esse manifestat; nec præter se facit quod ex se est, sed generat, dũ quod in se est aperit, & reuelat. De Patre processit Filius, non recessit, nec successurus Patri prodiuit ex Patre, sed prodiuit mansurus semper in Patre.

Sermone 60. Patris & Filij vna est Deitas, par potestas.

Leo Magnus. 450.

Sermone 3. in Natiuitate Domini, cap. 1. Non enim ad illud tantummodo sacramentum, quo Filius Dei consempiternus est Patri, sed etiam ad hunc ortum, quo Verbum caro factum est, credimus pertinere quod dictum est: *Generationem eius quis enarrabit?* Isaiæ 55. Deus itaque Dei Filius, par atque eadem de Patre, & cum Patre natura, vniuersitatis Creator & Dominus, totus vbique præsens, & vniuersa excedens, in ordine temporum, quæ ipsius dispositione decurrunt, hunc sibi diem, quo in salutem mundi ex beata Virgine nasceretur, elegit, integro per omnia pudore generantis.

Sermone 8. cap. 1. Deus Dei Filius de sempiterno & ingenito Patre vnigenitus, sempiternus manens in forma Dei, & incommutabiliter, atque intemporaliter habens, non aliud esse quàm Pater, formam serui sine suæ detrimento maiestatis accepit, vt in sua nos proueheret, non ipse in nostra deficeret.

Eucherius Lugdunensis. 450.

Homilia de Natiuitate Domini, super illud: *In principio erat Verbum.* Nunquid Pater sine Filio fuit, quia nunquam sine Verbo, nunquam sine virtute, nunquam sine sapientia esse potuit? hæc autem sapientia, hęc virtus, hic Dei Filius, quamuis temporaliter de Virgine natus sit, in principio tamen, & ante tempora erat.

Prosper. 460.

De promissionibus & prædictionibus Dei, cap. 19. Virgo Maria peperit Christum, qui est Deus cæli: quia per ipsum facta sunt omnia.

Sedulius. 460.

Lib. 1. Paschali:

Qui sensus & corda dedit, cui conuenit vni
Facturam seruire suam, cui iure perenni
Arcibus æthereis vna est cum Patre potestas,
Par splendor, communis apex, sociale cacumen,
Aequus honor, virtus eadem, sine tempore regnum,
Semper principium, sceptrum iuge, gloria consors,
Maiestas similis: hæc est via namque salutis,
Hæc firmos ad dona gradus Paschalia ducit. &c.
Namque homines inter, natum genitore minorem,
Lex carnalis habet, quoniam pater ipse parentis
Filius ante fuit; mox & qui filius est nunc,
Adforet esse pater: sic per genus omne nepotum
In noua progenies, & aui numerantur auorum.
At Dominus, Verbum, virtus, sapientia, Christus,
Et totum commune Patris de lumine lumen,
De solo solus, cui nec minus est Patre quicquam,
Nec quo crescat habet genitus: non quippe creatus,
Ipse est principium. Namsicut clarus habetur
In Genitore manens, Genitor quoque clarus in ipso
Permanet, & rerum caput est Deus vnus vbique.

Cerealis. 470.

Libro contra Maximinum Arianum, cap. 1. Quia æqualis est Patri Filius, sic docet Apostolus Paulus dicens: *Hoc sentite in vobis, quod & in Christo Iesu, qui cùm in forma Dei esset, nõ rapinã arbitratus est, esse se æqualem Deo.* Qui est in forma Dei Patris, non potest esse minor, qui non rapuit quod non habuit, quia in forma Patris semper fuit. In Euangelio Ioannis ait: *Propterea Iudæi volebant eum interficere, quia non solùm soluebat Sabbatum, sed & Patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo.* Item ipse Dominus dixit: *Qui videt me, videt & Patrem.* Item: *Ego & Pater vnum sumus.* Hic vnum pro æqualitate dixit, quia æquales sunt, qui vnum sunt. *Sumus* autem ideo dixit, quia alius est Filius: sed vnum sunt Pater & Filius. Neque enim diuiditur Deus, cùm ipse Filius dicat: *Ego in Patre, & Pater in me est.*

Victor Vticensis. 480.

De persecutione Vandalica, lib. 2. Profitemur itaque Deum Patrẽ de seipso, hoc est, de eo quod ipse est, sempiternè atque ineffabiliter Filium genuisse, non extrinsecus, non ex nihilo, non ex alia genuisse materia, sed ex Deo natum esse: & qui de Deo natus est, non aliud est, quàm quod Pater est, & idcirco vnius substantiæ est: quia veritas natiuitatis diuersitatem non admittit generis. Nam si alterius à Patre substantiæ est, aut verus Filius non est, aut quod nefas est dicere, degener natus est. Est enim verus Filius, sicut Ioannes ait: *Vt simus in vero Filio eius.* 1 Ioan. 5. Nõ est etiam degener, quia Deus verus, de Deo natus est vero. Sicut idem Ioannes Euangelista exequitur, dicens: *Hic est verus Deus, & vita æterna.* Ioan. 14 Et ipse Dominus in Euangelio: *Ego sum*, inquit, *Via, Veritas, & Vita.* Ergo si aliunde substantiam non habet, de Patre habet: si de Patre habet, vnius substantiæ cum Patre est.

Eugenius Carthaginenſis. 480.

In confeßione fidei ad Hunericum regem: Profitemur Patrem de ſeipſo, hoc eſt, de eo quod ipſe eſt, ſempiternè atque ineffabiliter Filium genuiſſe, non extrinſecus, non ex nihilo, non ex alia ſubiacente materia, ſed ex Deo natũ eſſe. Et qui de Deo natus eſt, non aliud eſt, quàm quod Pater eſt, & idcirco vnius ſubſtantiæ eſt; quia veritas natiuitatis non admittit diuerſitatem generis. Nam ſi alterius à Patre ſubſtantiæ eſſet, non eſſet verus Filius, ſicut Ioannes ait: *Vt ſimus in vero Filio eius.* Non eſt etiam degener: quia verus Deus de Deo natus eſt verè, &c. Vnde æqualis eſt Patri Filius, non natus ex tempore, ſed gignẽti coæternus: ſicut ſplendor ab igne genitus gignenti manifeſtatur coæuus.

Fulgentius. 500.

Ad Thraſim. libro 3. cap. 3. Credimus igitur Dei Filiũ ante omne prorſus initiũ, hoc eſt, ſine aliquo ſuę natiuitatis initio, de Patris ſubſtantia genitũ, Deum de Deo, Dominum de Domino: non ex nihilo, quia de Patre: non nuncupatiuum, quia nomen habet ex veritate naturæ: non ex aliqua natura, quia non aliquid fuit coæternum Deo, vnde origo Filio præſtaretur: nec poſteriorem Filium eo qui genuit, nec minorem; ſed Patri prorſus & ſempiternitate immenſitatis, & immenſitate ſempiternitatis æqualem; immutabilem, mutabilium conditorem; intemporalem, tẽporalium factorem, & temporum: quem nullus continet locus, quo nullus caret locus, quia cũcta replet Creator immenſus. Qui non propterea non eſt Deus, quia dicitur genitus; ſed ideo verus dignè creditur, quia de Patre ſubſtantialiter genitus prædicatur. Quod enim dicitur genitus, non hoc eſt nomen diuinitatis in Filio, ſed nomen eſt natiuitatis in Deo: vt quem conſtat de Patre naturaliter genitum, conſtet non aliud eſſe quàm Deum. Hic itaque de Patre ſempiternus exiſtens, vnam tenuit cum Deo Patre naturam, ſed propriam ſumpſit ex Genitore perſonam: quia diuina natiuitas non diuiſionem naturalis vnitatis habuit, ſed perſonam Filij ſubſiſtentis à Patre diſtinxit, & ex vocabulo Patris alium, qui natus eſt, monſtrat.

Ad Donatum de Fide orthodoxa cap. 5. Ieſus Chriſtus non ſic eſt Dei Patris Filius, ſicut nos ſumus. Ille enim eſt proprius, nos redempti: ille natus, nos facti: ille verus, nos adoptiui. Ille autem qui verus eſt Filius, ipſe etiam verus eſt Deus: non adoptione generatus, ſed de Patre naturaliter natus. In quo vero Deo, veróque Filio, ideo eſt vera diuinitas, quia naturalis eſt illi de Patre natiuitas.

Sermone de duplici Chriſti Natiuitate: Eſt enim hoc Verbum, non quod definit prolatum, ſed quod permanet natum: non tranſitorium, ſed æternum: non factum à Deo Patre, ſed genitum: nec ſolùm genitum, ſed etiam Vnigenitum. Vnum quippe Verbum Deus Pater genuit de ſeipſo, per quod omnia creauit ex nihilo. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum: hoc erat in principio apud Deum: omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil.* In hoc autem, quòd per illud Verbum Deus Pater omnia fecit, oſtenditur, quia hoc Verbum genuit ipſe, non fecit. Illud igitur Verbum de Deo Deus eſt, de Creatore Creator eſt. Natus eſt itaque de Patre Deo Filius Deus: alter in perſona, non alius in natura: ſed ſemper apud Patrem, ſemper cum Patre, ſemper de Patre, ſemper in Patre.

Caſſiodorus. 540.

Ad Pſal. 54. *Exaudiet Deus, & humiliabit eos, qui eſt ante ſecula.*) *Qui eſt ante ſecula:* Verbum ſignificatur coæternum Patri, ne ex tempore aliquo extitiſſe videretur, qui ſecula creauit vniuerſa: tempus enim tunc cœpit, quando mundus ſumpſit initium. Deſinat ergo Arianorũ inſana temeritas Creatorem temporum prædicare ſub tempore, dum coæternus Patri, & conſubſtantialis cum ſancto Spiritu incommutabiliter vnigenitus Filius perſeuerat.

Ad Pſal. 55. In Patre ſe promittit Filium laudaturum, vt quicquid de illo dicitur, de iſto pariliter ſentiatur. Nam cùm prædicamus æternum atque omnipotentem Patrem, æternum atque omnipotentem Filium ſine dubio confitemur. Vnum eſt enim in vtroque præconium: quoniam vna virtus amborũ, indiuidua gloria, quando indiuiſibilis eſt natura.

Ad Pſal. 109. Vna deitas, vna poteſtas, vna æternitas, Pater dicit ad Filium, quòd nec ille ore protulit, nec ille auribus intentus audiuit. Vult enim Pater, & nouit Filius: vult Filius, & nouit Pater. Sed nec ipſa voluntas nobis comprehenſibilis eſt, nec ipſa notio humanis ſenſibus poteſt apparere.

Primaſius. 540.

Ad caput 1. Epiſt. ad Hebræos: Mirabili modo Apoſtolus omnem ſubſtantiam deitatis Patris & Filij oſtendit, vt duas perſonas aperiret in gloria & ſplendore. Per ſplendorem quippe vnitatem declarauit eſſentiæ cũ Deo Patre. In nomine autem gloriæ perſonã Dei Patris expreſſit: in ſplendore perſonam Filij. Et ſic Filius eſt ſplendor de ſplendore, ſicut lux de luce, Deus de Deo, lumen de lumine, principium de principio.

Concilium Bracarenſe Primum. 572.

Cap. 3. Si quis dicit Filium Dei Dominũ noſtrũ, antequam ex Virgine naſceretur, non fuiſſe, ſicut Paulus Samoſatenus, & Photinus, & Priſcillianus dixerunt, anathema ſit.

Fortunatus. 580.

In expoſitione Symboli: Deus Pater ſecreti Sacramenti vocabulum eſt, cuius verè Filius eſt Verbum, & ſpeculum, & character, & imago viuens Patris viuentis, in omnibus Patri ſimilis, eiuſdem naturæ, & in diuinitate genitus, genitori per omnia coæqualis: nec quæritur quomodo genuit Filium, quod Angeli neſciunt, & Prophetis eſt incognitum. Vnde illud dictum eſt: *Generationem eius quis enarrabit?* Quam ſecretam originem cum proprio Filio nouit ipſe ſolus, qui genuit.

Libro 3. de reſurrectione Domini ad Felicẽ Epiſcopum:

Chriſte ſalus rerum, bone conditor, atque redemptor,
Vnica progenies ex deitate Patris,
Irrecitabiliter manans de corde Parentis,
Verbum ſubſiſtens, & penetrare potens:
Aequalis, concors, ſocius cum Patre coæuus,
Quo ſumpſit mundus principe principium.

Gregorius Magnus. 590.

In Symbolo: Confiteor vnigenitum Filium conſubſtantialem, & ſine tempore natum de Patre, omnium viſibilium & inuiſibilium conditorem, lumen ex lumine, Deum verũ de Deo vero, ſplendorem gloriæ, figuram ſubſtantiæ.

Libro 23. in Iob cap. 11. Verbum Pater ſine tempore genuit, & quis dignè fari queat illam ineffabilem natiuitatem, quòd de æterno natus eſt coæternus, quòd exiſtẽs ante ſecula genuit æqualẽ, quòd gignente natus poſterior non eſt?

Concilium Toletanum Quintum. 620.

Cap. 1. Filius à Patre intẽporaliter, ante omnem creaturam, ſine initio genitus, non creatus. Nam nec Pater vnquam ſine Filio, nec Filius extitit ſine Patre. Sed tamen Filius Deus de Patre Deo, non

Pater

Pater Deus de Filio Deo: ille autem Filius Patris, & Deus de Patre per omnia coæqualis Patri, Deus verus de Deo vero, &c.

Iſidorus Hiſpalenſis. 620.

Libro 7. Originum, cap. 2. ὁμοούσιος Patri ab vnitate ſubſtantiæ appellatur: Hoc aũt vocatur ὁμοούσιον, quod eſt: *Ego & Pater vnum ſumus*: hoc eſt, eiuſdem cum Patre ſubſtantiæ. Quod nomen tametſi ſcriptum in ſacris literis non inueniatur, in aſſertione tamen totius Trinitatis defenditur: quia datur ratio, vnde rectè dici oſtendatur: ſicut & Pater in illis libris nuſquam ingenitus legitur, ſed tamen dicendus eſſe, atque credendus non dubitatur.

De ſummo bono lib. 1. cap. 16. Filij Dei perfecta natiuitas nec cœpit eſſe, nec deſijt: ne præterita ſit, ſi deſijt: & ne imperfecta ſit, ſi adhuc ſit: ſed ſic æterna ſit & perfecta, quatenus in ea natiuitate æternitas & perfectio habeatur.

De Natiuitate Domini, cap. 1. Ad Iudęorum repellẽdam perfidiam quædam ex veteri Teſtamento aggregauimus teſtimonia, quibus Chriſtum genitum ab omnipotente Patre agnoſcãt, ipſo teſtante: *Tecum principiũ in die virtutis tuæ, in ſplendoribus ſanctorum: ex vtero ante Luciferum genui te. Ex vtero* namque, id eſt, ex illa intima & incomprehenſibili Patris ſubſtantia; ſiue ex illo diuino, atque immenſo paterni pectoris arcano, quo Pater genuit, de eorde bonum eructat Verbum: ſicut & ipſe aliàs ait: *Eructauit cor meum Verbum bonum:* Atque alibi ipſe Pater ſic dicit ad Chriſtum: *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Pſal. 2.

Eucherius Gallus. 640.

In Geneſin lib. 1. cap. 22. Totus vbi eſt Filius, ibi eſt & Pater: & non poteſt eſſe Pater ſine Filio, nec Filius ſine Patre. Quia ſcilicet ſicut inſeparabiles ſunt in natura, ita & inſeparabiles in perſona.

Hildephonſus. 660.

De virginitate S. Mariæ, cap. 6. Veritas dicit: *Ego & Pater vnum ſumus.* & *Qui me videt, videt & Patrem.* & tu aſſeris hunc nec à Deo eſſe, nec huic æqualem exiſtere poſſe?

Libro contra eos, qui diſputant de perpetua Mariæ virginitate: Non Deus recens, neque homo purus, ſed vnus & integer Chriſtus, cum Deo Patre, & cum Spiritu ſancto colitur, & adoratur.

Agatho. 680.

Epiſtola ad Conſtantinum Imp. & Heraclium & Tiberium AA. Confitemur vnum eiuſdem ſanctæ coëſſentialis Trinitatis Deum verum, qui ante ſecula de Patre natus eſt.

Beda. 700.

Ad cap. 5. Ioannis: Vna eſt Patris & Filij in diuinitate ſubſtantia & operatio, vna voluntas, & poteſtas, vna vita & eſſentia: & æqualia omnia ſunt in Patre & Filio, niſi quòd Pater pater eſt, & Filius filius eſt, ſeparatio eſt in perſonis, & vnitas in natura.

Ad cap. 10. Quod dedit Pater Filio maius eſt omnibus, vt ipſe illi eſſet vnigenitus Filius, æqualis, conſubſtantialis. Quid eſt, quod dedit? Vtique gignendo dedit, quia non minorem ſibi genuit, non tempore poſteriorem, ſed coæternum, ſine initio temporis, ſemper Deum. Non eſt dicendum, non erat, antequam natus erat. Nũquid enim non natus erat, qui Patri coæternus erat? Qui ſapit, capit; qui non capit, credat: nutriatur fide, vt poſſit capere Verbum Dei, quia Verbũ Filius. Semper ergo Filius, & ſemper æqualis: non enim creſcendo, ſed naſcendo æqualis eſt, qui ſemper natus de Patre Filius, de Deo Deus, de æterno coæternus. Pater autem non de Filio Deus, Filius de Patre Deus. Ideo Pater gignendo dedit, vt Deus eſſet: gignendo dedit, vt æqualis eſſet: hoc eſt, quod maius eſt omnibus.

Alcuinus. 750.

De Trinitate lib. 1. cap. 11. Quamuis alius ſit Pater, alius Filius; non tamen eſt diuerſa ſubſtantia Patris & Filij: quia hæc non ſecundùm ſubſtantiam dicuntur, ſed ſecundùm relatiuum. Quod tamen relatiuum non eſt accidens, quia nõ eſt mutabile.

Lib. 2. cap. 13. Natus eſt Filius Dei ex æterno æternus, de Deo Deus, de lumine lumen.

Ambroſius Ansbertus. 770.

Lib. 1. in Apocalypſin: Principium Chriſtus dicitur, non quo in natura diuinitatis, vt Arius mentitur, initiũ habeat; ſed quo ab illo omnis creatura initium exiſtendi accipiat: Finis verò, non quo deficiat, ſed quo ipſe quaſi terminus omnia concludat. Quamobrem ipſe principium ſine initio, ipſe finis ſine defectu. Ipſe eſt principium, quia nullus ante illum: ſicut idem ipſe per Eſaiam teſtatur, dicens: *Ante me non eſt formatus Deus, & poſt me non erit.* Hinc etiam omnipotens vocatur. Vel certè α & ω; principium, & finis vocatur: quia ipſe eſt & Deus ante ſecula, & homo in fine ſeculorum. Iſaiæ 43.

Haymo. 820.

In octaua Paſchæ: *Dominus meus, & Deus meus.* Hoc nomen rectè Chriſto & eſſentialiter conuenit, qui eſt Rex regum, & Dominus dominantium, ſuper omnia timendus, colendus, & venerandus, cui per Propheram dicitur: *Tu* enim *feciſti omnia, cælum & terram, & vniuerſa, quæ cæli ambitu continentur: Dominus vniuerſorum tu es.*

Feria 5. poſt Latare: Vna eſt Patris & Filij in diuinitate ſubſtantia & operatio, vna voluntas & poteſtas, vna vita & eſſentia. Et æqualia omnia ſunt in Patre & Filio, niſi quòd Pater pater eſt, & Filius filius eſt: ſeparatio in perſonis, ſed vnitas in natura.

Rabanus Maurus. 850.

In Eccleſiaſt. lib. 8. cap. 18. Chriſtus Filius Dei, qui eſt virtus & ſapientia Patris, totius ſciẽtiæ, & Prophetiæ, atque omnium bonarum virtutũ auctor eſt, & diſtributor gratiarum ſpiritualium: vnus & ſolus Deus cum Patre & Spiritu regnãs per omne ſeculum.

Ericus. 880.

In Euangelium de feſto Trinitatis: Chriſtus vnius cũ Patre eſt ſubſtantiæ, eiuſdem maieſtatis: qui ante ſecula Deus erat, homo inter homines in fine ſeculorum apparuit.

Remigius Antiſiodorenſis. 880.

Ad cap. 2. Zachariæ: Chriſtus omnipotens eſt, & æqualis Patri.

Ad cap. 3. Deus Pater & Filius idem ſunt in ſubſtantia; ſed tamen alter eſt Pater, alter Filius in perſona.

Ad Pſal. 44. Ne putaremus Dominum Patrem indigere coniugio, in generatione Filij ſui oſtendit nobis, ipſam generationem non ab alio, ſed à ſeipſo factam, dicens: *Cor meum*, id eſt, intima mea ſubſtantia, & ſecreta eſſentia mea, *eructauit*, id eſt, genuit, *Verbum bonum*, id eſt, Filiũ mihi æqualem, & conſubſtantialem.

Luitprandus Ticinenſis. 950.

Lib. 2. cap. 12. Dominus noſter Ieſus Chriſtus coæternus & conſubſtantialis Patri ſanctoq; Spiritui, cuius miſericordiæ plena eſt terra, neminem vult perire, ſed omnes ſaluos fieri: qui ſolus Deus ante mundi conſtitutionem præuidit, atque poſt omnem creaturam, quaſi dominum cæteris vtentem, ac dominantem creauit hominem, quemq; in fine temporis, per ſui ſanguinis effuſionem, ve-

rus homo, verusq; Deus; non duo, sed vnus redemit.

Lib.5. cap.11.

Christe Pater, cum quo Pater est, & Spiritus vnum:
Iure Patris Verbum, per quod Pater omnia mundo
Ostendit secreta poli, seu mystica pandens:
Respice figmentum propria bonitate creatum:
Ne patiare, precor, me dæmonis arte perire.

Pelegrinus Laureacensis. 970.

In Symbolo: Pater ineffabili substantia Filium genuit, nec tamen aliud, quàm quod ipse est, genuit: Deus, Deum; lux, lucē: Filium quoque de substantia Patris, sine initio ante secula natum, nec tamen factum fateor. Igitur, non sicut Filius à Patre, ita Pater à Filio est: quia non Pater à Filio, sed Filius à Patre generationem accepit. Filius ergo Deus de Patre: Pater autem Deus, sed Deus non de Filio: si enim Pater fuit, semper habuit filium, cuius esset pater Deus. Et ob hoc Filium de Patre natum sine initio confiteor.

Smaragdus. 970.

In epistolam de Sabbato Pentecostes: Credant in Iesum Christum, Filium Dei vnicum, Deum verum, verumq; Dei Filium, non factum, non adoptiuum; sed genitum, & vnius cum Patre substātiæ, atque ita per omnia æqualem Deo Patri, vt nec tempore, nec gradu, nec potestate possit esse inferior: tantumq; esse illum, qui est genitus, quātus est ille, qui genuit.

Berno Augiensis. 1020.

Sermone de Ascensione Domini: Tu Iesu Christe dilecte mi, qui cum Patre & Spiritu sancto viuis & regnas Deus per omnia secula.

Sermone de Assumptione Mariæ: In cælestis regni thalamo ipse Christus spōsus & Dominus noster, cum Patre & Spiritu sancto vnus Deus viuit & regnat in secula seculorum.

Leo Nonus. 1050.

Epistola ad Petrum Antiochenum: Credo ipsum Dei Patris Filium, Verbū Dei æternaliter natum ante omnia tempora de Patre, consubstantialem, coomnipotentem, & coæqualem Patri per omnia in diuinitate.

Radulphus Ardens. 1060.

Dominica 1. post Natalem Domini: Cælestis Pater habuit, & habet Filium hæredem naturalem, & coomnipotentem, coæternum, & consubstantialem.

Anselmus. 1080.

Ad cap.1. epistolæ ad Ephes. *Qui ante sperauimus in Christo.* Per hoc, quòd in Christo speratur, Deus esse monstratur: & quia in eo speratum est ante aduentum eius, constat eum sine initio semper apud Patrem fuisse. Nisi enim ille fuisset, perijssent omnes, qui sperauerant in eo, quasi sperantes in nihilo.

Ad cap.2. epistolæ ad Philip. Erat æqualis, & sine rapina erat: quia æternus ab æterno natus erat. Erat in forma Dei: quia tantus, quantus ille; talis, qualis ille; hoc, quod ille; non hic, qui ille: sed hoc, quod ille. Ille enim Deus, & iste Deus: ille omnipotens, & iste omnipotēs: ille immutabilis, & iste immutabilis. Hoc quod ille, non hic qui ille: quia ille Pater, & hic Filius. Sic erat & semper in forma Dei, id est, in plena essentia Patris.

Hildebertus Cenomanensis. 1090.

Carmine de Trinitate:

Nate Patri coæqualis,
Patri coëssentialis,
Patris splendor & figura.

Franco Hasttigenienſis. 1100.

De *gratia Dei, lib.10.* Diligens lector diligenter attende, quomodo Dei Vnigenitus æterno Patri coæternus, cum quo illi vna substantia, eadē est gloria, vnūidemq; consilium, opusq; indiuisum, quomodo ad solius Patris gloriā omnia sua referat.

Honorius Augustodunensis. 1120.

In Ecclesiasten Salomonis: Dominus noster Iesus Christus naturaliter solus est Dei Filius, & solus descendit Deus de cælis, ad redimēdum genus humanum. Iste solus proprius & naturalis Filius, cēteri verò omnes sunt adoptiui: & ideo fratres eius non natura, sed gratia.

Rupertus Tuitiensis. 1120.

In Ioannem lib.1. cap.1. *Et Deus erat Verbum.* Substantiam quippe breuiter vnam esse testatus est, in duabus personis, Dei & Verbi sui: quod ægrè ferunt Sabelliani, molestè accipiunt Ariani. Sabelliani mallent vt dixisset, Dei & Verbi sui sicut vnā substantiam, sic vnam eandemq; esse personā: Ariani sicut duas personas, ita nihilominus duas ac diuersas vellent eum expressisse substantias. Solū enim Patrem esse Deum vel Creatorem, Filium verò creaturam esse volunt, licet magnam atque excellentem. Sed veritas præsentis testimonij, tāquam vox fulgurantis tonitrui, verberat vtrinq; terram. Exultent igitur Homousiani, id est, confessores consubstantialitatis, neque confundentes personas, neque substantiā separantes, scilicet duas quidem personas, sed vnam Patris & Verbi substantiam, cum tanti testis suffragatione, confitentes: *Deus*, inquit, *erat Verbum.*

Lib.10. ad cap.10. Ioannis: *Ego & Pater vnū sumus:* hoc proculdubio vult intelligi, quia Patris & Filij vna est diuinitas, vna eademq; omnipotentia, vna substantia, vna natura, quod Græcè ὁμοούσιον dicitur, quodq; confitentes nos, rectè homousiani dicimur.

Bernardus. 1130.

Sermone 71. in Cantica: Est Patri Filioq; natura, essentia, voluntas non modò vna, sed vnum. Hoc nempe est illis esse, quod naturam esse: hoc velle quod esse, vel naturā esse. Non est itaq; quòd vnitas, qua vnum sunt Pater & Filius, dicatur fieri de naturis, vel essentijs, vel voluntatibus, quia non sunt: non est quòd dicatur vel fieri, quia est. Nec enim factitia est, sed nativa. Sunt in sese Pater & Filius, non solùm ineffabili, sed etiam incomprehensibili modo sui ipsorum capabiles pariter & capaces: sed sanè ita capabiles, vt non partibiles: ita capaces, vt non participes. Nam vt in hymno Ecclesia canit: *In Patre totus Filius, & totus in Verbo Pater.* Et Pater in Filio, in quo sibi semper bene complacuit: & est Filius in Patre, à quo vt nunquam non natus, ita nūquam est separatus, &c. Nō possunt dici vnus Pater & Filius, quia ille Pater, & ille Filius est: vnum tamen dicuntur & sunt, quòd vna omninò illis, & non cuiq; sua substantia est.

Homilia 3. super Missus est: Altissimus Deus Pater, quamuis omnipotens sit, non tamen potuit vel æqualem sibi condere creaturam, vel inæqualem gignere Filium. Fecit itaq; Angelum magnum, sed non quantus ipse; & ideo nec altissimum. Solum autem Vnigenitum, quem non fecit, sed genuit, omnipotens omnipotentem, altissimus altissimū, æternus coæternum, ipsum sibi per omnia comparari, nec rapinam æstimat, nec iniuriam.

Petrus Lombardus. 1140.

Lib.1. dist.31. lit.a. Dicitur relatiuè Filius æqualis Patri, & vtriq; Spiritus sanctus est tamen æqualis Patri Filius, & vtriq; Spiritus sanctus, ppter summam simplicitatem essentiæ, & vnitatē. Aequalis est ergo Filius Patri secundùm essentiam, non secundùm relationem, &c. Aequalitas ergo Patris & Filij non est relatio, vel notio; sed naturalis vnitas, & identitas.

Ricar-

Richardus Victorinus. 1140.

Lib.1. in Apocal. c.2. *Gratia & pax ab eo, qui est, qui erat, & qui venturus est. Qui* essentialiter coæternus *est* Patri, *qui erat* cū Patre in creatione mundi, *qui venturus est* cum gloria Patris in die iudicij. *Qui est* per incommutabilitatē æternitatis, *qui erat* per potētiam creationis, *qui venturus est* per iustitiam retributionis. *Qui est*, quia super omnia Deus benedictus in secula idem subsistit: *qui erat*, quia de nihilo cuncta creauit: *qui venturus est*, quia viuos & mortuos in fine mundi iudicabit.

Petrus Cluniacensis. 1150.

Lib.2. epist. cont. Iudæos, c.1. Si Deus genuit, quantū ad illum, quē genuit, necessariò Pater est: & Filius Dei, quantū ad illum, à quo genitus est, necessariò Filius est. Sed nolo vos, nec credo vos tam stultè, tam insensatè desipere, vt æternā deitatis generationē carnali generatione aliqua, vel tenui similitudine cōparare nitamini. Absit à vobis, absit ab omni intellectu tā asininus animus, vt æterna, vt ineffabilis, vt incogitabilis omnipotentis Patris generatio, omnipotētis Filij natiuitas, alicui terrenæ vel vsitatę generationi cōparetur. Si quid tamē præter corporaliū generationū similitudines, de tā ineffabili re ab aliquo simili trahi potest, sic Dei Filius de cælo dicitur genitus, sicut lumen de lumine, radius de sole, splēdor ab igne, &c. Intelligimus & cōfitemur Christū esse Filiū Dei: nulli enim hoc homini, nulli hoc prorsus creaturæ cōgruit, vt vel genitus à Deo, vel Dei Filius, quātum ad deitatis naturā pertinet, sentiatur. Quòd si hoc nulli creaturæ, in quantū creatura est, congruit, soli hoc Christo, qui in quantū Deus est, & de Deo natus est, conuenit, &c. Nō erat Dei Filius, vt illi, de quibus scribitur: *Filios genui, & exaltaui:* non erat Dei Filius per gratiam, sed erat Dei Filius per naturā, teste ipso Patre, & de cælis clamante: *Hic est Filius meus dilectus.* Et quia per naturam erat Dei Filius, vtiq; certa ratione cogente, erat etiam Deus: non enim poterat ex essentia Patris gigni aut procedere, nisi quod ipse erat. Et ideo ex Deo genitus, erat veritate indubia & cogente Deus.

Hildegardis. 1170.

In expositione Symboli Athanasij: Coæternus Patri in diuinitate Filius à creatura indumētum, quod homo est, induit: quod indumentum diuinitas ita declarauit, velut soli radius suis infixus est. Sol autem lumen suum in terram emittit, nec tamen propter hoc augetur, aut minuitur: nec Filius Dei, in mundū veniens, auctus, nec minutus in diuinitate est. Quoniam indumentum suum sic induit, quemadmodum Deus Adam de fragili creatura vestiuit, ne nudus videretur.

Innocentius III. 1200.

De *Natiuitate Domini Ser.3.* De Patre nascitur semper, quoniā illa generatio est æterna, de qua Pater inquit ad Filium: *Ante Luciferum genuite:* Christus enim est Dei virtus, & Dei sapientia, primogenita ante omnem creaturam, quæ de se dicit per Salomonem: *Priusquam fierent abyssi, ego iam concepta eram, ante colles ego parturiebar:* Nam *in principio erat Verbū, & Verbum erat apud Deū, & Deus erat Verbum*, &c. Hic puer vocatur Deus substantiuè, secundùm naturam. Vt autem confundatur hæreticus; & erubescat Iudęus, producantur in medium testimonia, tam de veteri, quàm de nouo Testamento, vt rota contineatur in rota, & basis sit in columna. Dicat ergo Ioannes: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Dicat Thomas: *Dominus meus, & Deus meus.* Dicat Dauid: *Vnxit te Deus, Deus tuus, oleo latitiæ præ consortibus tuis.* Dicat Hieremias: *Hic est Deus noster.*

Isaiæ 1.
Psal.109.
1.Cor.1.
Prou.8.
Ioan.1.
Ioan.1.
Ioan. 20.
Baruch 3.

Guillermus Brito Armoricus. 1230.

Libro 1. Philippidos:

Christe Dei splendor, virtus, sapientia, Verbum,
Qui Patris æterni prodis æternus ab ore,
Qui verè es Verbum, lumen de lumine vero,
Deq; Deo vero verus Deus, vnus, & idem,
Atque coæternus Patri, cum Flamine sacro,
Te precor incipiens, vt me. &c.

Alexander Alesius. 1230.

Parte 1. quæst. 12. memb.8. Nulla maior potest cogitari potentia, quàm vt ex Patre generetur Filius per omnia æqualis sibi & consubstantialis.

Quæst. 47. memb.1. Dicitur Filius æqualis Patri, quia nec excedit, nec exceditur.

Memb.2. Filius est æqualis Patri, in nullo minor ipso, neque secundùm potentiam, neque secūdùm sapientiam, sed per omnia æqualis.

Albertus Magnus. 1240.

Ad cap.1. Lucæ: Filius Dei Deus est, & perfectus Deus est: & quia perfectum in omni natura tale alterū est, qualis est ipse, qui genuit, ideo Filius Dei Deus est, & perfectus Deus est, & per omnia æqualis ei, qui genuit.

Ad cap.10. Lucæ: Nihil minus habet Filius, quàm Pater; quia Filius est ars & Verbū Patris, & imago inuisibilis ipsius: nihil minus habens, quàm ipse, eandem habens naturam: idem posse, idem nosse, idem velle, & idem operari.

Ad cap.14. Ioannis: Deus incōmunicabile est nomen, & deitatis natura nulli, nisi vni, secundùm substātiam conueniens. Et ideò, qui cognouit deitatem in Filio, cognouit eam in Patre: quia Pater & Filius vnum sunt in natura.

Thomas Aquinas. 1250.

In compend. Theolog. cap.42. In regula Catholicę fidei docemur confiteri Filium consubstantialem Patri, per quod duo includūtur. Primò quidem, vt non intelligatur Pater & Filius secundùm carnalem generationem, quæ fit per aliquam decisionem substantiæ Filij à Patre, vt sic oporteat Filium non esse consubstantialem Patri. Secundò, vt etiam non intelligamus Patrem & Filium secundùm generationem intelligibilem, prout verbū in mente nostra concipitur, quasi accidentaliter superueniens intellectui, & non de eius essentia existens.

Contra Gentiles lib.4. cap.7. Ex sacræ Scripturæ documentis Ecclesia Catholica edocta, Christū verum Deum, & naturalem Dei Filium confitetur, coæternum Patri, & æqualem, & verum Deum, eiusdem essentiæ, & naturæ cum Patre, genitum, non creatum, nec factum.

Guilhelmus Peraldus. 1255.

In Summa de fide, cap.19. Ioannis 1. dicitur: *Et Deus erat Verbum.* Et post: *Omnia per ipsum facta sunt.* Ex quibus verbis manifestè apparet, Christum verum esse Deum.

Guibertus Tornacus. 1270.

Tractatu de officio Episcopi, cap.29. Credimus Filij cū Patre æternitatem, consubstantialitatem, modum existendi vtriusque ante mundi constitutionem, & post mundi consummationem.

Durandus à Sancto Portiano. 1320.

Lib.1. dist.9. q.2. Impossibile est, Patrem esse priorē Filio aliquo modo prioritatis, quod patet sic: In diuinis non sunt nisi duo concurrentia ad cōstitutionem suppositorum, scilicet essentia, & relatio. Ergo, si Pater esset Filio prior, hoc esset vel ratione essentiæ, vel ratione relationis: non ratione essentiæ, quia est penitus vna & eadem in Patre & Filio. Prius autem & posterius de necessita-

te reſpiciunt diuerſa ſecundùm rem, ſi ſit ibi prius & poſterius ſecundùm rem. Conſiderando ergo præciſè diuinã eſſentiã ſecundũ ſe, cùm ſit vna re & ratione, ſecundùm illã nihil poteſt dici prius aut poſterius in diuinis. Itẽ ratione relationis nõ poteſt eſſe Pater prior Filio, nec per cõſequens ratione eſſentiæ, vt eſt ſub tali ratione, vel tali perſona: quia quicquid ſit de relationibus diſparatis, tamẽ cõſtat, quòd relationes oppoſitæ ſimul ſunt natura. Ergo ſecundùm eas Pater, & Filius ſunt ſimul, nec vnus prior eſt alio, nec ſecundùm rem, nec ſecundùm intellectum.

Nicolaus Lyranus. 1320.

Ad cap. 20. Ioannis: *Dominus meus, & Deus meus.*) In hoc manifeſtè confitetur deitatem in Chriſto, contra perfidiam Ariani. Supra enim bene vocauerat ipſum Ieſum Dominum, ſed non vocabat ipſum Deum expreſsè, licet dixerit aliqua verba, per quæ eius deitas poteſt intelligi. Sed Thomas hic factus perfectior in cognitione, poſt Chriſti reſurrectionem manifeſtatam, cõfeſſus eſt ipſum Deum eſſe.

Ad cap. 1. epiſt. ad Hebræos: *Et adorent eum Angeli eius.*) Ex hac Scriptura oſtenditur ſufficienter, quòd in Chriſto ſit diuina natura, quia nulla natura adoratur à tota natura Angelica, vt ſuperior, niſi diuina. Et ideo, ex quo Scriptura hoc oſtendit, quòd Filius eſt ab omnibus Angelis adorandus, per conſequens oſtenditur, Deo Patri cõſubſtantialis: quia diuina natura eſt indiuiſibilis, ſecundùm quod Deut. 6. *Audi Iſrael, Dominus Deus noſter Deus vnus eſt.*

Ludolphus Saxo Carthuſianus. 1330.

De vita Chriſti parte 1. cap. 1. Cùm audis Filium ex Deo Patre genitum, caue ne mentis tuæ oculis infirmum aliquid carnalis cogitationis occurrat: quin potius columbino & aquilino intuitu ſimpliciter crede, ac perſpicaciter cõtemplare, quòd ab illa luce, ſimul immenſa, & ſimpliciſſima, fulgentiſſima, & ſummè arcana, coæternus, & coæqualis, & conſubſtantialis ſplendor exoritur, quæ eſt virtus ſumma, & ſapientia, & in quo omnia Pater diſpoſuit ab æterno; per quem fecit & ſecula, factaq; gubernat, & ordinat ad gloriam ſuam.

Thomas Argentinenſis. 1350.

Lib. 3. diſt. 11. articulo 2. Filius Dei non eſt minor Patre ſecundùm naturam diuinam, quam æterna generatione accepit à Patre, ſed ſolùm ſecundùm humanam naturam, quam accepit à matre.

Petrus Aliacus. 1400.

Sermone 1. de aduentu Domini: Sed quod ad diuinitatem Chriſti pertinet, ſequitur in eadem ſerie textus: *Et hoc eſt nomen, quod vocabunt eum Dominus Deus iuſtus noſter:* & vbi habemus, *Dominus Deus iuſtus noſter*, habetur in Hebræo nomen Domini Tetragrammaton: hoc autem eſt nomen appropriatum altiſſimo Creatori, ſicut dicit Rabbi Moſes in libro directionis perplexionũ. Vocabitur ergo Meſſias *Dominus Deus noſter*: qui tamen non vſurparet diuinitatis nomen, nec permitteret hoc nomine ſe vocari, niſi in veritate Deus eſſet.

Laurentius Iuſtinianus. 1430.

De vita ſolitaria, cap. 15. *Quàm magnificata ſunt opera tua Domine, omnia in ſapientia feciſti,* videlicet in Verbo tuo ſempiterno, quod genuiſti ante ſecula ex te, per te, in te, prout in Pſalmis legitur dixiſſe Patrem: *Eructauit cor meum Verbum bonum,* Pſal. 44.
Verbum vtique non compoſitum ex literis vel ſyllabis, vel voce prolatum, ſed ſemper manens, cum illo cuncta diſponẽs, nulliúsque egens: quoniam vnum cum Patre eſt, dicente ipſo: *Ego & Pater vnum ſumus.* Ioan. 10.
Tanta ſiquidem gignentis & geniti eſt ſimilitudo, tantáque parilitas, vt certiſſimè, qui videt Filium, videat & Patrem: quia vnius eſt naturæ cum illo, vnius ſubſtantiæ, vniúsque poteſtatis, vnius maieſtatis indiuiduæ & inconfuſæ: Veruntamen alia eſt perſona Patris, atque alia Filij; quamuis par gloria, vna eademq; amborum ſit confitenda diuinitas. Pater autem Deus, ſed non de Deo: quia à nullo eſt. Filius verò Deus, de Patre Deo: non tamen minor, neque inferior; ſed coæternus, & cõſubſtantialis ei, qui illum genuit.

Libro de humilitate, cap. 23. Alia eſt perſona Patris, & alia Filij perſona, & tamen amborum eſt vna ſubſtantia, par gloria, æqualis poteſtas, eademq; eſſentia. Et licet Pater à nullo, Filius verò à Patre ſit genitus; non tamen anterior eſt Pater Filio tempore, nec authoritate maior, neque ſapientia ſublimior: cùm in illa ſumma, inenarrabili, & ſempiterna generatione non ſit motus temporis, ſed incommutabilis æternitatis permanentia: non ſit maioritas, vel minoritas; ſed diuinitatis æqualitas, ſubſtantiæ identitas, poteſtatisq; parilitas: non cognitionis aut ſcientiæ gradus; ſed perfectiſſima notitia, vna amborum ſapientia, vnum lumen, idem actus.

Bernardinus Senenſis. 1430.

Tomo 3. Sermone de Natiuitate Domini, cap. 3. Verbum, quod ab homine conceptum eſt, non eſt homo: Verbum autem, quòd Deus de natura diuina concipit, eſt Deus: quia *Deus erat Verbum.* Vterque, ſcilicet Pater & Filius, Deus eſt, ſicut fons & flumen aqua veriſſimè dici poteſt.

Dionyſius Carthuſianus. 1460.

Ad caput 1. Ioannis artic. 3. Quoniam ergo perfectio, & natura Patris tota relucet in Filio, quòd non eſſe poſſet, niſi Filius eſſet verè immenſus, æqualisq; Patri, & per conſequens verus Deus, eandem cum Patre habens eſſentiam: finitum namque à perfecta repræſentatione infiniti diſtat ad infinitum.

Ioannes de Turrecremata. 1460.

Super part. 1. diſt. 15. c. Inter cætera, n. 1. Chriſtus non participatione alicuius ſimilitudinis, quemadmodum Angeli aut ſancti homines filij Dei dicũtur, ſed natura eſt verus Dei Filius ſecundùm diuinitatem.

Pelbartus de Themeſvvar. 1490.

Sermone 1. de ſancta Trinitate: Credendũ eſt, quòd ſolus Filius à Deo Patre gignitur ab æterno, vt Pſalmo teſte Deus Pater dicit Filio: *Ex vtero,* Pſal. 2.
hoc eſt de ſubſtantia diuina, *ante Luciferum,* id eſt, ante creationem ſtellarum, *genui te.*

ASSERVNT IVDÆI VETERES.

R. Simeon, filius Iohai.

In Zohar, ad illa verba Deuteronomij 6. *Audi Iſrael,* &c. Hic eſt, ô Iſrael, antiquus (Iehoua,) id eſt, Deus, qui eſt omnium rerum perfectio, & dicitur Pater Deus noſter, profunditas fluminum, & fons ſcientiarum, quæ procedunt ab illo Patre, & Filius vocatur (Iehoua) Deus.

Ibidem: Hoc arcanum Filij non reuelabitur vnicuique, quouſque venerit Meſſias: quia tunc (vt dicit Iſaias) repleta erit terra ſcientia Dei, ſicut aquæ mare operientes.

Rabbe-

Rabbenus Haccados.

In Galeraz-eia: Poſtquã hoc tibi aperui, animadũerte nomen quatuor literarũ, prout ſcriptio eius eſt: Sic enim ſcribitur in lingua noſtra Hebraica, Iehoua ipſum Deum generantem ſignificare; & quia non poteſt eſſe generans abſque generato, neceſſariò amor à generante in generatũ, & è conuerſo, procedere debet: quoniam ſi hoc non eſſet, non generaret. Et ſic non procederet amor à generato in generantem, diſtingueretuŕq; generatus à generante, duæ ſubſtantiæ eſſent. Propterea nos volumus generantem & generatum vnam eſſe ſubſtantiam. Idcirco neceſſe eſt ex altero in alterum procedere amorem.

Ioſephus.

Libro 18. antiquit. cap. 4. Eodem tempore fuit Ieſus vir ſapiens, ſi tamen virum eum fas eſt dicere. Erat enim mirabilium operum patrator, & doctor eorum qui libenter vera ſuſcipiunt, plurimoſq; tam de Iudæis, quàm de gẽtibus ſectatores habuit. Chriſtus hic erat: quem accuſatum à noſtræ gentis principibus, Pilatus cùm addixiſſet cruci, nihilominus non deſtiterunt eum diligere, qui ab initio cœperant. Apparuit enim eis tertia die viuus, ita vt diuinitus de eo vates hoc, & alia multa miranda prædixerunt: & vſque in hodiernum Chriſtianorum genus, ab hoc denominatum, nõ deficit.

R. Abba.

In Threnos Ieremiæ cap. 1. Quod erit nomen Meſſiæ? Deus nomen eius.

ARTICVLVS SEXTVS.

SPIRITVM SANCTVM ESSE TERTIAM IN TRINITATE PERSONAM, PATRI ET FILIO CONSVBSTANTIALEM, VERVM, VIVVM, ET OMNIPOTENTEM DEVM.

NEGANT.

Anno post natũ Christum

50. *SADDVCÆI Spiritum ſanctum eſſe penitus non cenſuerunt.* Nazianzenus oratione de S. Theologia, Epiphanius hæreſi 14.

170. *Montanus ſe dixit eſſe paracletum, & diuinum Spiritum.* Nicephorus lib. 4. c. 22.

200. *Tertullianus poſt mediam ætatem in Montani hæreſin lapſus, Montanum hæreticum Paracletum ſubinde nominat, vt libro de Reſurrectione carnis, cap. 11. & vltimo: De velandis virginibus, cap. 1. De anima, cap. 55. Aduerſus Marcionem lib. 1. cap. 29. Aduerſus Praxeam, cap. 1. 2. 8. 13.*

220. *Helcheſaitæ Spiritum ſanctum nugantur eſſe ſororem Chriſti, fœmineo habitu traditam: eundem, ſicut & Chriſtum, dixerunt habere altitudinem ſex milliariorũ, & latitudinem viginti quatuor.* Epiphanius contra Helcheſaitas.

240. *Origenes Tomo 2. in Ioannem Spiritum ſanctum per Filium dicit eſſe factum: Tractatu 13. in Ioan. aſſerit Patrem tanto ſuperiorem eſſe Filio & Spiritu ſancto, quanto hi ſuperiores ſunt creaturis. Alias aſſerit Spiritum ſanctum eſſe creaturam, & miniſtrum poſt Patrem & Filium, dignitate & honore tertiũ & inferiorem: fortitudinem Filij eſſe maiorem fortitudine Spiritus ſancti.* Epiphanius epiſtola ad Ioannem Hieroſolymitanum, Hieronymus apologia ad Ruffinum, & epiſtola ad Auitum. Sed Ruffinus libro de deprauatione librorum Origenis aſſerit, eiuſmodi ſententias non eſſe Origenis, ſed poſtea ab Arianis Origenis operibus inſertas.

320. *Firmianus epiſt. 8. ad Demetrianum aſſerit Spiritum ſanctum ſæpe Patrem, ſæpe Filium nominari: & cùm perſpicuè in Trinitate credamus, tertiam perſonam auferens, non ſubſtantiam eius vult eſſe, ſed nomen.* Hieronymus ad cap. 4. epiſt. ad Galatas.

350. *Ariani dicebant Spiritum ſanctum non eſſe Deum, ſed creaturam à Filio; ideoq; creaturam creaturæ vocabant: alij dicebant Spiritum ſanctum tantummodo quoddam eſſe Dei donum, ſiue virtutem.* Athanaſius diſputatione contra Arium, & Libro de communi eſſentia Patris & Filij, Didymus de Spiritu ſancto, Auguſtinus hæreſi 49.

360. *Macedonius docuit Spiritum ſanctum ſolum eſſe creaturam, nihil habere cum Filio commune, ſed tantùm eſſe miniſtrum ac famulum ipſorum.* Baſilius epiſt. 78. Epiphanius hæreſi 74. Auguſtinus hæreſi 52. Ruffinus lib. 1. cap. 15. Hiſt. Sozomenus lib. 4. cap. 7. Damaſcenus de hæreſibus, Zonaras in Valentiniano.

370. *Marcellus, & Photinus docuerunt Spiritum ſanctum non eſſe propriam perſonam, ſed extenſionem extenſionis.* Baſilius epiſt. 74. Epiphanius & Theodoretus de illorum hæreſi.

380. *Aëtius, & Eunomius docuerunt Spiritum ſanctum eſſentia alienum eſſe à Patris & Filij ſubſtantia, meramq; creaturam à Patre & Filio ante alias creaturas fabricatam; deitate, ac creandi poteſtate carere, non ſolùm minorem, ſed etiam mittendarium eſſe.* Baſilius lib. 2. contra Eunomium, Didymus lib. 1. de Spiritu

sancto, Ruffinus in Symbolo, Epiphanius, Sozomenus, Theodoretus vbi scribunt de illis.

400. *Petilianus, Cresconius, & alij Donatistæ dixerunt ante Saluatoris aduentum Spiritum sanctum non fuisse super terram.* Augustinus lib.2. contra litteras Petiliani.

560. Leouichildus Hispaniæ Rex, *Manifestè*, inquit, *cognoui Christum Filium Dei æqualem Patri: sed Spiritum Deum penitus esse non credo, eò quòd in nullis Codicibus legatur Deus esse.* Gregorius Turonensis Histor. Franc. lib.6. cap.18.

1150. *Petrus Abailardus dicebat Spiritum sanctum nullam esse potentiam, non personam ex substantia Patris, vel Filij: sed animam esse mundi.* Bernardus epist.190. Otto Frisingensis de rebus gestis Friderici I. lib. 1. cap.49.

1300. Raymundus Lullius ait: *Spiritum sanctum esse conceptum ex Patre & Filio.* Nicolaus Eymericus parte 2. Directorij, quæst.9. Bernardus Lutzemburg.

1520. Erasmus Roterodamus Præfatione in libros D. Hilarij: *Audemus Spiritum sanctum appellare Deum verum ex Patre Filioq; procedentem, quod veteres aliquandiu non videntur ausi.*

1530. *Guilhelmus Farellus negans Spiritum sanctum natura esse Deum, docuit esse motum in rebus creatum.* Petrus Carolus in Summa Gallica.

1540. Ioannes Caluinus lib.1. Instit. cap.13. §.22. *Spiritus sanctus est essentialis Dei virtus.*

1540. Philippus Melanchthon in Locis communibus, editis anno 39. & 45. *In Spiritu sancto est aliquid essentiæ Dei,* &c. *In Spiritu sancto est aliquid Dei.*

1540. *Bernardinus Ochinus in Polonia prædicauit Spiritus sancti hypostasin & personã nullam esse.* Iosias Simlerus in vita Bullingeri fol.40.

1540. *Lucas Sternberger irrisit Spiritum sanctum, asserẽs nihil in Scripturis sacris veteris aut noui Testamenti de illius diuinitate haberi, seq; potius velle redire in cœnobium, quàm credere in Spiritum sanctum, quia nusquam in Scripturis Spiritus sanctus appellatur Deus, aut Dominus.* Prateolus de hæresibus lib.10. cap.10.

1550. Theodorus Beza Confess. Gal. punct.1. art.1. *Nos credimus in Spiritum sanctum, qui est potentia Patris & Filij.*

1550. Michaël Seruetus lib.1. de Trinitate fol.28. *De Spiritu sancto non sit mentio, nisi vbi est sermo de agendo, quod est notatu dignum, quasi Spiritus sanctus non rem aliquam separatam, sed Dei agitationem, energiam quandam, seu inspirationem virtutis Dei designet.* Et lib.6. in fine: *Dic igitur,* inquit, *quòd Spiritus est diuina hominis agitatio in Spiritu: & quia sic mouendo in Christo credentes sanctificat, ideo dicitur Spiritus in homine sanctus.*

1550. Matthias Ceruasius Anabaptista in hunc modum de Spiritu sancto scribit: *Per vnicum Spiritum (quem non peculiarem personam, sed Dei virtutem esse confitemur) ambo, Pater nimirum, & Filius, vt verus Deus operati sunt, & dominati à principio, & in æternum.* Protocollum Franckentalense.

1550. *Matthias Steinbach se dixit esse Spiritum sanctum.* Zvvingerus in Theatro, capite de hæreticis.

1560. Petrus Goniezius Polonus, *de Spiritu sancto,* ait, *nondum esse reuelatum, quòd sit Deus.* Alphonsus Pisanus præfatione in acta Concilij Nicæni primi.

1570. Georgius Blandrata in disputatione Albana, actione sextæ diei: *Quæstio est, vtrum Verbum & Spiritus sint personæ? Nos dicimus, non esse personas, aut individua, aut aliud sophisticum; sed esse altissimi Dei Patris virtutes, quibus & olim, & nunc quoque in noui mundi creatione vtitur.*

1572. Ioannes Sommerus Pirnensis, Lector scholæ Claudiopolitanæ in Transyluania, in Refutatione scripti Petri Carolij Vittembergæ editi, lib.2. fol.171. in confessione de Spiritu sancto: *Credimus Spiritũ sanctum esse Dei Patris & Filij Spiritum: quem quidem nos Deum dicere dubitamus; inuocare autem, atq; adorare nobis religio est, cùm id nusquam mandatum sit à Deo Patre.*

Fol.160. *Spiritus sanctus adorandus est. Ergo verus Deus est. Antecedens falsum est. Sanctus enim Paulus dicit:* Hodie si vocem eius audieritis, &c. *non dicit: Venite adorate me; sed,* venite adoremus Dominum: *sunt q; verba Prophetæ, dictata illi à Spiritu sancto. Quomodo autem Carolius hinc colligat Spiritum sanctum adorandum esse, profitemur ingenuè, nos non assequi.*

Fol.167.b. *Spiritum sanctũ Deum esse, & seorsim à Patre distinctum habere ὑπόστασιν, negamus cum vniuersa Scriptura. Esse autem illum motum tantùm in animis excitatum non dicimus, sed fatemur esse occultam vim, & ἐνέργειαν Dei, quæ nos in vitam æternam regenerat.*

1579. *Familiani dicunt Spiritum sanctum non esse Deum: phantasma esse, quod Papistæ de Spiritus sancti vel essentia, vel deitate credunt.* Stous in Elisabeth. fol.1195.

1580. Christianus Francus libro contra sanctam Trinitatem edito: *Cùm nondum* (inquit) *contenti duabus diuinis personis, tertiam quoque adijcere vellent, quæ Spiritus sanctus vocaretur: non autem ignorarent, nullum extare in totis Biblijs de diuinitate Spiritus sancti apertum testimonium, imò vnigenitum Dei Filium nullum alium Deum admittere, sed prorsus excludere, tertiam personam finxerunt Spiritum sanctum, ὁμοούσιον quidem Patri & Filio, & ab vtroque productum: quam tamen commentitiam fictamq; doctrinam communis totius sacræ Scripturæ consensus refellit.*

ASSERVNT SACRÆ LITERÆ.

2. *Reg.*23. *v.*2. Spiritus Domini locutus est per me, & sermo eius per linguam meam: Dixit Deus Israël mihi, locutus est Fortis Israël, Dominator hominum.

*Matth.*28. 19. Baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti.

*Act.*5. 3. Dixit autem Petrus, Anania, cur tentauit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui sancto? 4. Non es mentitus hominibus, sed Deo.

1. *Corinth.*3. 16. Nescitis quia templum Dei estis: & Spiritus Dei habitat in vobis? Si quis autem templum Dei violauerit, disperdet illum Deus. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos.

1. *Corinth.*6. 19. An nescitis quoniam membra vestra templum sunt Spiritus sancti, qui in vobis est? 20. Glorificate & portate Deum in corpore vestro.

Augustinus Epist.66. Quem Deum, nisi Spiritum, cuius corpora nostra dixerat esse templum?

D. Marcus Euangelista.

In Liturgia: Emittas ex incircumscriptis sinibus tuis ipsum Paracletum, Spiritum veritatis, sanctum Dominum viuificantem, qui in Lege Prophetis & Apostolis est locutus, qui vbique adest, & omnia replet, & operatur sua potentia, non tanquam minister, in quibus vult, sanctificationem, pro beneplacito suo, simplex lex natura, in plura diuisus, actu diuinarum charismatum fons, tibi consubstantialis.

D. Iacobus frater Domini.

In Liturgia: Quærimus in omnibus subsidium & auxilium ab vnigenito Filio tuo, & à bono & viuificante & consubstantiali Spiritu nunc & in secula.

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Ignatius. 100.

Epistola ad Philadelphienses: Vnus est ingenitus Deus & Pater, vnus vnigenitus Filius Deus Verbum & homo, vnus paracletus Spiritus veritatis.

Iustinus Martyr. 150.

In expositione fidei: Si in mundi disciplina, & in Baptismi doctrina, & insuper in creationis ratione, potestatisq; virtute, coniunctim nobis vnum Patris & Filij & Spiritus sancti numen & nomen traditum est, quænam ratio & oratio inficiando asserere poterit, Filium, & Spiritum sanctum diuinæ naturæ & essentiæ non esse? Ac nobis quispiam insultans obijciat, quasi alia simus polliciti, & alia dicendo afferamus, eò quòd, cùm nos demonstraturos receperimus vnitatem, siue identitatem essentiæ sanctę Trinitatis, eodem cum Patre ordine, & loco Filium & Spiritum sanctum esse: ad fidem astruendam pro argumento adduxerimus. Non aliud quicquam communitatis, ordinis & loci huiusmodi ostendit ratio, quam eandem esse Patris & Filij & Spiritus sancti essentiam, &c. Itaque cùm pluribus à nobis sit ostensum, Filium quidem & Spiritum sanctum à creatura longè differre, eò quòd cum nulla re condita connumerẽtur: Patri autem vbiq; coniunctos esse: quomodo extremæ dementiæ non fuerit, non increatæ eos substantiæ esse opinari? Duorũ sanè alterum non consistere necesse est: oportet enim eos vel creatos esse demonstrantem ab increato separare, vel increatos esse ostendentem, à creatura secernere necessariò. Sed enim satis apparet & à creato disiunctos, & increato coniunctos esse: medium autem inter hæc pro confesso positum est esse nihil. Quocirca reliquum fuerit, cum quo vbique sunt coniuncti, cõmunem illis cum eodem habere naturam & essentiam.

Irenæus. 180.

Lib.4. cap.37. Et quoniam Verbum, id est, Filius, semper erat cum Patre, per multa demonstrauimus. Quoniam autem & sapientia, quæ est Spiritus, erat apud Deum ante omnem cõstitutionem, per Salomonem ait Deus: *Sapientia fundauit terram, paraut autem cælum prudentia.* Prou.3.

Lib.5. cap.8. Eos autem, qui abijciunt quidẽ Spiritus consilium, carnis autem voluptatibus seruiunt, & irrationabiliter viuũt, & effrænati deijciuntur in sua desideria, quippe nullam habentes aspirationem diuini Spiritus, sed porcorum & canum more viuunt, hos iustè Apostolus carnales vocat.

Cap.12. Aliud est, quod factum est, ab eo qui fecit. Afflatus igitur temporalis, Spiritus autẽ sempiternus. Et afflatus quidem auctus ad modicum; & tempore aliquo manens, deinde abijt, sine spiramento relinquens illud, in quo fuit ante: Spiritus autem circundans intus & foris hominem, quippe semper perseuerans, nunquam relinquẽs eum. Sed non primò quidem quod spiritale est, ait Apostolus, (hæc tanquam ad nos homines dicens,) sed primò quidẽ animale est, deinde quod spiritale est secundùm rationem. Oportuerat autem primò plasmari hominem, & plasmatum accipere animum, deinde sic communionem Spiritus recipere.

Clemens Alexandrinus. 200.

Lib.3. Pædagogi cap.12. Laudemus vnum Patrem & Filium vnà cum Spiritu sancto, qui vnus est omnia, in quo omnia, per quem omnia: vnum, per quem est, quod semper est; cuius membra omnes; cuius sunt gloria & secula, qui est vndequaque bonus.

Iulius Africanus. 230.

Epitome 5. de temporibus: Nos verò, qui & illorũ verborum mensuram didicimus, nec ignoramus fidei gratiã, gratias agimus ei, qui præbet nostris patribus omnium Seruatorem, & Dominum nostrum Iesum Christum: cui gloria, & maiestas cum sancto Spiritu in secula.

Origenes. 240.

Lib.6. ad cap.7. ad Romanos: Nouitatẽ Spiritus scio quosdam intelligentes illuc traxisse, vbi dicerent nouum Spiritum esse, tanquam qui ante non fuerit, nec veteribus innotuerit, & nesciunt se in hoc grauissimè blasphemare. Ipse enim Spiritus est in Lege, ipse in Euangelio: ipse semper cum Patre & Filio est: semper est, & erat, & erit, sicut Pater & Filius. Non ergo ipse nouus est, sed credentes innouat, cùm eos à veteribus malis ad nouam vitam, & nouam religionis Christi obseruantiam adducit; & spirituales ex carnalibus facit.

Lib.1. de principijs cap.3. De Spiritu sancto, quòd sit; multæ nos Scripturæ docent, sicut Dauid in 50. Psalmo dicit: *Et Spiritum sanctum tuum ne auferas à me.* Et in Daniele dicitur: *Spiritus sanctus, qui in te est.* In nouo verò Testamẽto abundantius testimonijs edocemur, cùm Spiritus sanctus super Chri-

ſtum deſcendiſſe deſcribitur: & cùm ipſe Dominus inſufflauit in Apoſtolos poſt reſurrectionẽ, dicens: *Accipite Spiritum ſanctum*: & ad Mariam dicitur ab Angelo: *Spiritus ſanctus ſuperueniet in te*, &c. Ex quibus omnibus dicimus, tantæ auctoritatis & dignitatis eſſe ſubſtantiam Spiritus ſancti, vt ſalutaris Baptiſmus non aliter, niſi excellentiſſimæ omnis Trinitatis auctoritate: id eſt, Patris, & Filij, & Spiritus ſancti cognominatione, compleatur; & ingenito Deo Patri, & vnigenito eius Filio, nomen quoque Spiritus ſancti copuletur. Quis ergo non obſtupeſcat quãta maieſtas ſit Spiritus ſancti, cùm eum, qui dixerit verbum in Filium hominis, audiat ſperare veniam poſſe: eum verò, qui in Spiritum ſanctum blaſphemauerit, veniam non habere, neque in præſenti ſeculo, neque in futuro, &c. Vſque ad præſens nullum ſermonem in ſcriptis ſanctis inuenire potuimus, per quem Spiritus ſanctus factura eſſe, vel creatura diceretur, &c. Sanè ne quis exiſtimet, nos ex eo, quod diximus Spiritum ſanctũ ſolis ſanctis præſtari, Patris verò & Filij beneficia vel operationes peruenire ad bonos & malos, iuſtos & iniuſtos, prætuliſſe per hoc Patri & Filio Spiritum ſanctũ, vel maiorem eius per hoc aſſerere dignitatem; quod vtique valdè inconſequens eſt. Proprietatem namque gratiæ eius operisque deſcripſimus. Porrò autem nihil in Trinitate maius minúſve dicendum eſt, cùm vnius diuinitatis fons verbo ac ratione ſua teneat vniuerſa, Spiritu verò oris ſui, quæ digna ſunt ſanctificatione ſanctificet.

Ioan 20 Luc.1.

Homilia 6. in Ieremiam: Nos vnum nouimus Deum, & in præterito, & in præſenti: vnum Chriſtũ & nunc, & modò ſimiliter: & vnum Spiritũ ſanctum cum Patre & Filio ſempiternum.

Euſebius Alexandrinus. 260.

Sermone in Aſcenſionem Domini: Sed mittam, dicit Chriſtus, Spiritum ſanctum cõſubſtantialem Patri & mihi.

Gregorius Neocæſareenſis. 260.

Oratione in Epiphaniam: In cuius te nomine baptizabo? (*inquit Ioannes ad Chriſtum*) In nomine Spiritus ſancti? At ille tecum eſt ſemper, vtpote tibi conſubſtantialis. Eadem illi ſeruitus, eadem mens, eadem vis, idem honor, eadem quæ tibi adoratio ab omnibus exhibetur.

Euſebius Cæſareenſis. 320.

De præparatione Euangelica lib. 7. cap. 5. Tertiò Spiritus additur ſanctus à Scriptura, quẽ ſicut Patrem & Verbum ſuum eadem dignitate atque honore honorari præcepit.

Athanaſius. 340.

In Nicæno concilio, diſputatione contra Arium: Si Spiritus ſanctus non eſt ſubſtantia Patris, cur eum Filius Dei in conſociatu ſanctificationis annumerat? Ita enim Dominus ad diſcipulos loquitur: *Proficiſcentes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti.* Si ergo omnes gentes, quæ fidem recipiunt & ſanctitatem, ſanctificãtur trina illa ac beatiſſima nomenclatura, certum eſt, etiam Spiritum ſanctum eius etiam deitatis eſſe, cuius eſt Pater & Filius: cùm & ipſe ſanctus ſit ex ſubſtantia, & ſanctos faciat omnes appropinquantes ſuæ communioni.

Marc. 16.

Epiſtola ad Serapionem de Spiritu ſancto: Quemadmodum Filius, eò quòd habet proprietatem cum Patre, quodque proprium germen eſt, ex illius ſubſtantia, nõ eſt creatura, ſed Patri Homouſios, hoc eſt eiuſdem eſſentiæ: ſic haudquaquam Spiritus ſanctus poſſit eſſe creatura: quin potius impius eſt, qui hæc dicat, eò quòd habet proprietatem cũ Filio, quod ex illo datur omnibus: denique quod quæ habet filij ſunt: Hæc ſufficiebant ad perſuadendum, vel cuiuis contentioſo, ne poſthac dicat eſſe creaturam Spiritum Dei, qui eſt in Deo: quique profunda ſcrutatur Dei, qui ex Patre datur per Filium, ne ex his cogatur & Filium dicere creaturam, qui eſt Verbum, qui eſt ſapientia, qui figura, qui ſplendor Patris.

Didymus Alexandrinus. 360.

Lib. 1. de Spiritu ſancto: Arguens Petrus Ananiã in eo, quod in venditione agri, cuius ſe totũ pretiũ obtuliſſe dicebat, fraudẽ feciſſet ex medio: ſancti Spiritus vnitatem ad Deum, non ſecundùm numerum, ſed iuxta ſubſtantiam comprobauit, dicens: *Ananiæ, quare compleuit Satanas cor tuum, vt mentireris Spiritui ſancto? non es mẽtitus hominibus, ſed Deo.* Si enim qui Domino mentitur, Spiritui ſancto mentitur, & qui Spiritui ſancto mentitur, mentitur Deo: nulli dubium eſt, conſortium Spiritus ſancti eſſe cum Deo. Et quomodo ſanctitas ſubſiſtit in Deo, eodem modo & deitas intelligitur in Spiritu ſancto. Iſte autem Spiritus ſanctus, quem diximus eiuſdem naturæ eſſe cum Patre, etiam à Filij diuinitate non differt, &c.

Act. 5.

Baſilius Magnus. 370.

Contra Eunomium lib. 5. *Alij*, inquit Paulus, *per Spiritum datur Spiritus ſapientiæ, alij verò ſermo ſcientiæ ſecundùm eundem Spiritum, alij gratia ſanitatum*, &c. *Hæc autem omnia operatur vnus & idem Spiritus, diuidẽs ſingulis prout vult.* Cùm dixiſſet Paulus: *Omnia hæc operatur Spiritus ſicut vult.* De Domino etiam ipſemet inquit: *Et diuiſiones operationum ſunt, idem verò Deus, qui operatur omnia in omnibus.* Quòd ſi *omnia operatur Deus ſicut vult, omnia verò hæc vnus & idem operatur Spiritus, diuidens ſingulis prout vult*, quomodo diuerſitas ſubſtantiæ illic eſt, vbi operationi identitas eſſe cognoſcitur? Proprium Dei eſt peccata dimittere: Si ergo nullius, niſi ſolius Dei eſt, peccata dimittere: dimittit autem Spiritus ſanctus per Apoſtolos: Deus eſt ergo Spiritus ſanctus, & eiuſdem operationis cum Patre & Filio.

De Spiritu ſancto ad Amphilochium cap. 16. Si ex prophetia, quæ iuxta diſtributionem donorum Spiritus operatur, agnoſcitur Deus in Prophetis eſſe, conſultent iſti, quem locum tribuãt Spiritui ſancto: vtrum æquius ſit illum cum Deo iungere, an ad creaturarum ordinem extrudere? Præterea ex his, quæ Petrus dixit Sapphiræ: *Quid eſt quod conuenit inter vos tentare Spiritum ſanctum? non mentiti eſtis hominibus, ſed Deo:* declarat quæ peccantur in Spiritum ſanctum, eadem peccari in Deum. Hoc autem pacto diſcere poteris, Spiritum ſanctum in omni operatione coniunctum & inſeparabilem eſſe à Patre & Filio.

Act. 5.

Cyrillus Hieroſolymitanus. 370.

Catechеſi 4. Crede in Spiritum ſanctum, & rectã habeas de illo ſententiam. Multi enim ſunt alieni à Spiritu ſancto, qui nefanda de illo docent. Tu verò diſce vnum eſſe Spiritum ſanctum indiuiſibilem, & multarum virtutum, multa operãtem, ipſum verò non partibilem, cognoſcentem myſteria, & perſcrutantem omnia, etiam profunda Dei: qui in ſpecie columbæ ſuper Dominum Ieſum Chriſtum deſcendit: qui in lege & Prophetis operabatur, & nunc tempore Baptiſmi animam tuam obſignat: cui cum Patre & Filio æqualis dignitas & honor exhibetur: quo indigent Throni, Dominationes, & Poteſtates.

Gregorius Nazianzenus. 380.

Oratione 52. quæ eſt epiſtola 2. ad Cledonium: Nos fidei Nicænæ, quæ à ſanctis Patribus, qui illic ad euertendam Arianam hæreſin conuenerunt, edita eſt, nec quicquam vnquam prætulimus, nec præferre poſſumus. Illud inſuper explicantes, quod ab illis minùs plenè de Spiritu ſancto dictum eſt, propterea, quòd hæc quæſtio nondum excitata & agi-

& agitata fuerat: nempe vnam eandemque Patris & Filij & Spiritus ſancti diuinitatẽ agnoſcendam eſſe, Deum quoque videlicet Spiritum profitẽdo. Eos igitur, qui ita ſentiunt, pro ſocijs habe, quemadmodum & ipſi habemus: eos autem, qui ſecus ſentiunt, auerſare, atque à Deo & ab Eccleſia Catholica alienos exiſtima.

Carmine de Spiritu ſancto:

——Sanctus pia corda tremore
Spiritus afficiat, qui Patri condeus atque
Eſt Nato, per quem mihi ſummi numinis orta eſt
Notitia, & qui nos diuina in numina vertit.
Omnipotens, variuſque in donis, cantio cœtus
Angelici, atque hominum, pietas quibus inſita cordi eſt:
A Patre progreſſus, diuino robore pollens.
Viuificus, celſa reſidens in culmine ſedis:
Nec rurſus deitate carens, ab eaque remotus:
Sed Patri & Nato vnigenæ par prorſus honore.

Epiphanius. 380.

Contra Sabellianos hæreſi 62. Semper Spiritus cum Patre & Filio non confrater Patri, non genitus, non creatus, non frater Filij, non ſoboles Patris: verùm ex Patre procedens, & de Filio accipiens: non alienus à Patre & Filio, ſed ex eadem eſſentia, ex eadem deitate, ex Patre & Filio, cum Patre & Filio ſemper in ſubſtantia, Spiritus ſanctus, Spiritus diuinus, Spiritus gloriæ, Spiritus Chriſti, Spiritus Patris: nam *Spiritus Patris, qui loquitur in vobis: & Spiritus meus conſiſtit in medio veſtrum*: tertius nomenclatura, æqualis deitate, non alteratus præter Patrem & Filium, vinculum Trinitatis, ſignaculum confeſſionis.

Contra Pneumatomachos hæreſi 74. Vnus eſt Spiritus ſanctus, velut vnus Deus, & vnus vnigenitus Filius Dei, ſic & Spiritus ſanctus Dei, à Deo autẽ, & in Deo: verùm vnigenitus Filius incõprehenſibilis eſt, & Spiritus incomprehenſibilis: ex Deo autem, & non alienus à Patre & Filio. Non autem eſt coniunctio cũ Patre & Filio, ſed Trinitas ſemper exiſtens, eiuſdem eſſentiæ, non alterius eſſentiæ à deitate. Non eſt enim deitas alia ab eſſentia, ſed ipſa per ſe deitas, & ex eadem deitate Filius, & Spiritus ſanctus.

Act. 5.

In Ancorato: Dicit B. Petrus ad Ananiam: *Quid tentauit te Diabolus, vt mentireris Spiritui ſancto?* Et ait: *Non mentitus es hominibus, ſed Deo.* Ergo Deus eſt ex Patre & Filio Spiritus ſanctus, cui mentitus eſt ille, qui de pretio detraxit aliquid. Quemadmodũ etiam Paulus huic ſententiæ concinit, dicens: *Vos autem templum Dei eſtis, & Spiritus Dei habitat in vobis.* Igitur Deus eſt Spiritus ſanctus.

Gregorius Nyſſenus. 380.

Orationis catechеticæ cap. 2. In nobis quidem ſpiritus eſt aëris attractio, rei alienæ, quæ neceſſariò attrahitur & profunditur ad cõſtitutionem corporis, quæ quidem dum verbũ emittitur, fit vox, in ſeipſa declarans vim verbi. In diuina autẽ natura eſſe quidem Dei Spiritum, pium eſt exiſtimatum; quomodo datum eſt eſſe etiam Dei Verbũ, propterea quòd non oporteat Dei Verbum deterius eſſe, & magis deficere, quàm noſtrũ verbum: ſiquidem cùm hoc conſideretur cum Spiritu, creditur illud eſſe ſine Spiritu. Neque tamen ad noſtri ſpiritus ſimilitudinem extrinſecus ad Deum affluere, & in eo fieri ſpiritum, id Deo conuenire eſt exiſtimandum: ſed quomodo cùm Dei Verbum audiuiſſemus, non rem eſſe aliquam, quæ nõ conſiſtat, verbum putauimus: neque quod inſit ex diſciplina, neque quod voce proferatur, neque quod cùm fuerit prolatum diſſoluatur, neque alio aliquo modo ita affici, quo cernitur affici noſter ſermo: ſed conſiſtere, vt ita dicam, eſſentialiter, vimque habere eligendi, eſſeque operans & omnipotens. Ita etiam cùm Dei Spiritum didicerimus, qui Verbum conſequitur, & eius declarat operationem, non intelligimus flatum anhelitus: deprimeretur enim, & ad nimiam demitteretur humilitatem magnitudo diuinæ potentiæ, ſi qui in eo eſt Spiritus, exiſtimaretur eſſe inſtar noſtri: ſed eſſentialem potentiam, quæ ipſa in ſeipſa conſideratur in propria hypoſtaſi ac conſiſtentia, neque poteſt ſeparari à Deo, in quo eſt; aut à Verbo Dei, quod conſequitur: neque ad hoc vt non ſit effunditur, ſed ad Dei Verbi ſimilitudinem eſt in hypoſtaſi, eligendi vi prædita, per ſe mobili operante, & ſemper bonum eligente, & ad omne propoſitum cum voluntate concurrentem habente potentiam.

Ad Euſtachium de S. Trinitate, & quòd Spiritus ſanctus Deus ſit. Cùm traderet Dominus ſalutarem fidem diſcipulis, qui verbo docebantur, Patri & Filio coniunxit etiam Spiritum ſanctum. Quod autem ſemel coniunctum eſt, id per omnia dicimus habere coniunctionem. Non enim quod in vno aliquo coniunctum eſt, in alijs ſeparatur. At in viuifica potentia, per quam ex materiali vita in immortalitatem natura noſtra transformatur, vnà cum Patre & Filio Spiritus aſſumpta virtus, etiã in multis alijs, vt in notione bonitatis, ſanctitudinis, æternitatis, ſapientiæ, rectitudinis, principalis virtutis, potentiæ, atque adeò vbique eius inſeparabile habet in omnibus nominibus, quæ ad ſuperiorem virtutem pertinentia, ratione ac mente concipiuntur. Quocirca rectum eſſe arbitremur, vt eum, qui in tot ſublimibus, Deumque decentibus notionibus Patri Filioque coniungitur, in nulla re ſeparatum eſſe exiſtimemus.

Ioannes Chryſoſtomus. 400.

Sermone in Pentecoſte de Spiritu ſancto: Spiritus ſanctus fuit quidem ſemper, & eſt, & erit, neque incœpit, neque deſinet, ſed ſemper Patri conſubſtantialiter familiaris, & connumeratus. Vita naturaliter viuens, & viuentium viuificator, lux de luce, & lucis ſuppeditator, per ſe bonus & fons bonitatis, per ſe Dominus, ſui iuris, Deus de Deo & deificãs, virtus omnipotens, etiam infirmis virtutem concedens, ſuperſubſtantialis ex ſubſtantia ſuperſubſtantiali, etiam alijs, quæ ſunt, ſuam eſſentiam donans. Spiritus ſanctus, Spiritus abſque materia, abſque rege, abſque ſenio, abſque ſucceſſore, indiſſolubilis, ſupra omnem captum & contemplationem, incommutabilis, impollutus. Spiritus ſanctus, Spiritus quem nemo interpretari poteſt, imperueſtigabilis, imperſcrutabilis, impartibilis, incircumſcriptus, ſpiritus opifex, ſpiritus in deitate perſonam habens.

De conſubſtantiali Trinitate: Quæ cùm omnia rectè didiceris, crede quòd Patri Filius conſubſtantialis ſit, & quòd conſubſtantialis ſit & Spiritus ſanctus. Nã ſi ex Patre procedit, & à Filio ſumit; non alterius ſubſtantiæ eſt Spiritus. Spiritus Dei, Spiritus Chriſti, Spiritus veritatis, Spiritus conſolator, non habens alium oppoſitum Spiritus Deus. Dominus autem Spiritus eſt: ſicut & Petrus ad Ananiam: *Cur cõſpiraſti inter vos, vt tentaretis Spiritum ſanctum?* Et manifeſtãs quòd Deus ſit, inquit: *Non mẽtitus es homini, ſed Deo.* Vides quòd Deus Spiritus, cui mentiti ſunt? Et Paulus dicit: *Vos templũ Dei eſtis, & Spiritus Dei habitat in vobis.* Manifeſtum quòd Deus eſt ſpiritus, qui habitat in vobis. Ne auſis igitur aliquid loqui contra conſubſtantialem & omnipotentem Trinitatem.

Act. 5

2. Cor. 6

Sermone de fide, legé naturæ, & ſancto Spiritu: Agnoſce igitur authoritatem, & ne ſugilles Spiritus diuinitatem. Agnoſcito diuinæ Trinitatis Theologiam, Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Iſta eſt increata natura, vera dignitas, indiuiſum myſteriũ,

impar-

impartibilis honor, indiſcreta ſpes, incõprehenſibilis gloria Patris, & Filij, & Spiritus ſancti: quam decet omnis gloria, honor, & adoratio, in ſecula ſeculorum. Amen.

Philo Carpathius. 420.

In Cantica Canticorum, ſuper illa verba: *Faſciculus myrrhæ patruelis meus mihi.* Per Spiritũ ſanctum, qui à diuinitate Chriſti & Patris eſt coæternus, & conſubſtantialis, & vtrique par diuinitate.

Cyrillus Alexandrinus. 430.

Lib. 10. in Ioannem cap. 3. Libenter interrogauerim eos, qui aduerſus gloriam Spiritus linguam impiè armant, quomodo ſi Spiritus creatura eſt, & à ſubſtantia Dei (vt illi dicunt) alienus, per ipſum in nobis Deus habitet? quomodo Dei particeps, qui Spiritum accipit, efficitur?

Lib. 13. Theſauri cap. 1. Si Spiritus ſanctus filios Dei facit eos, in quibus habitat, & participes Dei oſtẽdit, eosq; Deo ipſi coniungit, adeò vt poſſint clamare: *Abba, Pater:* non erit certè ſeruus, nec creatura: ſed eſſentialiter Deus verus, ex ipſo Deo Patre per Filium creaturis donatus, &c. Natura igitur & eſſentialiter Spiritus ſanctus Deus eſt: quoniam qui ipſum ſuſcipiunt, Dij per gratiam efficiuntur.

Cap. 2. Quòd Spiritus ſanctus Deus ſit, ab apice quoque Apoſtolorum Petro, cui hęc myſteria (vt Saluator ait) non caro nec ſanguis, ſed ipſe Pater cæleſtis reuelauit, diſcere poſſumus. Dicit enim ad Ananiam: *Anania, cur Satanas impleuit cor tuum, & mentitus es Spiritui ſancto? Non mentitus es hominibus, ſed Deo.* Si ergo Spiritui ſancto mẽtitus, Deo mentitur, Deus rectè Spiritus eſt, & non creatura. Act. 5.

Socrates. 430.

Lib. 3. cap. 5. Conuenire Epiſcopi ex varijs ciuitatibus cœperunt, deq; multis rebus apprimè neceſſarijs differere, Spiritus ſancti diuinitatem ſtabilire, eumq; in Trinitate conſubſtantiali comprehendere.

Sozomenus. 430.

Lib. 6. cap. 22. Dum hæc geruntur, controuerſia, quæ iam cœpta fuerat, nimirum vtrum Spiritus ſanctus Patri ac Filio conſubſtantialis cenſendus eſſet, iam magis magisq; creuit: deq; ea multæ diſputationes plenæ contentionis, non minores illis, quæ ante de Deo Verbo ſuſceptæ fuiſſent, inſtitutæ. In hac re quidem & hi, qui Filium Patri diſſimilem; & illi, qui eum ſubſtantia Patri ſimilem aſſerebant, inter ſe conſenſerunt. Nam vtriq; Spiritum ſanctum adminiſtrum, & tertium à Patre tum ordine, tum honore, quin etiam ſubſtantia diuerſum eſſe affirmabant. At qui Filium Patri conſubſtantialem affirmabant, hi de Spiritu ſancto idem ipſum ſentiebant. Quam doctrinam in Syria Apollinaris Laodicenus, in Ægypto Athanaſius Epiſcopus, in Cappadocia & Eccleſijs Ponti Baſilius & Gregorius ſtrenuè propugnabãt. Quæ controuerſia contendendi ſtudio cùm indies magis magisq; creſceret, Epiſcopus Romanus certior factus, ſcripſit ad Eccleſias Orientis litteras, vt vnà cum ſacerdotibus & Epiſcopis Trinitatem & cõſubſtantialem eſſe, & gloria æqualem exiſtimarent. Quo facto ſinguli rebus ab Eccleſia Romana ſemel iudicatis acquieuerunt, hęcq; controuerſia finem habere viſa eſt.

Iſidorus Peluſiota. 440.

Lib. 1. epiſt. 60. Quòd autem Spiritus ſanctus diuinæ naturæ ſit, vt tibi dilucidis & apertis Scripturæ teſtimonijs declaretur poſtulaſti. Atque tibi, ſi ingenij ſolertiã adhibeas, atq; ex eo loco, quem manibus tenes, aliquanto longius progreſſus fueris, ex Domini vocibus quæſtionis huius ſolutionem nanciſci licet: *Si enim, inquit, ego in Beelzebub eijcio dæmonia, filij veſtri in quo eijciunt? Si autem in Spiritu Dei ea eijcio, profectò peruenit in vos regnũ Dei.* Matt. 12. Porrò apud alterum Euangeliſtam apertius ita habetur: *Si ego in digito Dei eijcio dæmonia.* Luc. 11. Quo loco per digitum Dei Spiritus ſanctus intelligitur. Atque digitus, vt à nobis exemplum ſumam, ex corporis eſſentia eſt. Quamobrem à diuina eſſentia inſeparabilem & cognatã Spiritus ſancti perſonam eſſe, per digiti vocabulum declarauit.

Epiſtola 109. Cùm Deus & Saluator noſter Spiritum ſanctum diuinam Trinitatem complere tradiderit, atque in ſancti Baptiſmi inuocatione, vnà cum Patre ac Filio, tanquam à peccatis liberãs numeretur, & in myſtica menſa communem panem proprium incarnationis ipſius corpus reddat, quid tu, ô veſane atque attonite, eum quiddã factitium, aut creatum, aut ſeruilis naturæ, ac nõ herilis, & effectricis, ac regiæ eſſentiæ cognatum & cõſubſtantialem eſſe Spiritum ſanctum doces? Nam ſi ſeruus eſt, cum Domino minimè numeretur: ſi creatus eſt, cum Creatore minimè coniungatur.

Theodoretus. 450.

In epitome diuinorum decretorum: Spiritum ſanctũ ex Deo & Patre ſubſtantiam habere didicimus. Subſtantię autem modus nec creaturæ eſt ſimilis: increatus eſt enim Spiritus ſanctus: nec vnigenito Filio. Nullus enim Sanctus ſancti Spiritus ſubſtantiam appellauit generationem. Ipſum autem ex Deo eſſe, & diuinum eſſe docẽt ſacræ Scripturæ.

Ad cap. 3. prior. ad Corinth. *Neſcitis quòd templum Dei eſtis?*) Notandum quòd templa Dei appellauit eos, qui inhabitantem Spiritus habent gratiam. Teſtatur enim Scriptura quòd ſanctiſſimus Spiritus Deus eſt.

Titus Boſtrenſis. 460.

Ad cap. 4. Lucæ: Chriſtus cùm natura & veritate Dei Filius eſſet, ter ſacroſancti & homouſij Spiritus ſancti virtute & energia, tamquam propria ad miraculorum opera vtebatur.

Ioannes Maxentius. 500.

In ſecunda fidei profeſſione: Eſt Deus Pater, Deus Filius, Deus etiam Spiritus ſanctus: non tres, ſed vnus Deus, vna ſubſtantia & natura.

Zacharias Mythilenenſis. 530.

De mundi creatione: Pater aliam hypoſtaſin ab æterno producens, ſibi ipſi & Verbo conſubſtantialem: quem ſanè Spiritum ſanctum diuina vocant oracula, ſimul vnà cum Verbi & Filij atque ſapientiæ generatione, abſque vllo fluxu, & ſectione, & exinanitione.

Anaſtaſius Antiochenus. 580.

De rectæ fidei dogmatibus: Eadem eſt virtus operatoria Patris & Filij. Quæ enim videt Patrem facientem facit Filius: non qualia, ſed quæ facit. Idipſum & de Spiritu ſancto credimus atque confitemur. Conſubſtantialis enim eſt, & conſempiternus Patri & Filio: quippe qui vtrique ſemper coextitit. Quod enim Pater eſt ſecundùm ſubſtantiam generans, & genitus Filius, hoc & Spiritus ſanctus eſt. Et quomodo ex Patre Filius, ſic & Spiritus ſanctus ex Deo. Spiritus neque Pater, neque Filius; ſed quod dicitur eſt, nempe Spiritus ſanctus: Deus tamen & ipſe.

Leontius. 600.

De ſectis, actione 4. Macedonius Spiritum ſanctũ creaturam eſſe dicebat: quòd apertus ſacris in litteris, vt ipſe aiebat, textus non extet, qui Spiritũ ſanctum Deum eſſe tradat: Sed multis auctoritatibus conuincitur. Nam & Spiritus ſancti, tanquã

Dei, mentionem ſacra Scriptura fecit. Primùm, in Actis Apoſtolorum ad Ananiam S. Petrus ait: *Cur Satanas, Anania, cor tuum impleuit, vt mentireris Spiritui ſancto? Non hominibus mentitus es, ſed Deo.* Act. 5. En apertè Spiritum ſanctum appellauit Deum. Deinde rurſus in Actis Apoſtolorum dicitur: *Ipſis ieiunantibus, & miniſtrantibus Domino, dixiſſe Spiritum ſanctum: Segregate mihi Paulum & Barnabam, ad illud opus, ad quod eos vocaui.* Nam dum inquit: *ſegregate*, poteſtatem ſuam oſtẽdit, quòd ita ſcilicet loquatur, quaſi qui Deus ſit. Quippe ſi Dei creatum eſſet, & ab eo miſſus, ſic loqui debuerat: *Dixit Dominus: ſegregate mihi Paulum & Barnabam.* Ipſe quoque Dominus in Euangelijs ait: *Spiritus ille veritatis, qui de Patre procedit*, hoc eſt, qui ortus eſt de ſubſtantia Dei.

Sophronius Hieroſolymitanus. 630.

Epiſtola ad Sergium Conſtantinopolitanum Patriarchã: Credo in vnum Spiritum ſanctum, qui ſempiternè à Patre procedit, lumen & Deum ipſum agnoſcendum, verè Patri, & Filio conſempiternum, conſubſtantialem, atque contribulem; eiuſdem eſſentiæ, atque naturæ.

Maximus Monachus. 640.

De duabus in Chriſto naturis: Macedonius Spiritũ ſanctum creatum eſſe ponit, ab eo qui ſit creatus: Eccleſia autem eiuſdem eſſentiæ, cuius Pater & Filius, Spiritum ſanctum profitetur, Deumq; confirmat.

Ioannes Damaſcenus. 730.

Orthodoxæ fidei lib. 1. cap. 7. In diuina natura, quæ ſimplex & incompoſita eſt, quòd quidem Dei Spiritus ſit, piè confitendum eſt. Cæterùm exiſtimare Spiritum alienum quiddam eſſe, Deo extrinſecus aduẽniens (vt in nobis, quorum eſt compoſita natura) à pietate abhorret. Quin potius, vt cùm Dei Verbum audimus, non huiuſmodi verbum eſſe arbitramur, quod vel ſubſtantia careat, vel doctrina comparetur, vel per vocem efferatur, vel in aërem dilabatur, & euaneſcat: ſed quod eſſentialiter exiſtat, ac voluntate præditum ſit, & efficax atque omnipotens. Eodẽ modo cùm Dei Spiritum, Verbum comitantem, ipſiusq; operationem declarantem audimus, non flatũ quendam ſubſtantia carentem, animo nobis fingimus: (ita enim diuinæ naturæ amplitudo atque maieſtas in humilitatẽ deprimeretur, ſi Spiritum, qui in ea ineſt, parem ſpiritui noſtro eſſe conijceremus:) ſed vim eſſentialem, quæq; ſeparatim atque in propria hypoſtaſi conſideretur, atque à Patre progrediatur, & in Verbo conquieſcat, ipſumq; declaret & exprimat: quæ præterea nec à Deo, in quo eſt, diuelli; nec à Verbo, cuius comes eſt, diſiungi queat: nec denique ita dilabatur, vt omninò eſſe deſinat, verùm æquè ac Verbum exiſtat, viuat, velit, ſuapte vi moueatur, operetur, bonum ſemper velit, atque ad id omne, quòd propoſuit, coniunctam cum voluntate potentiã habeat, eáque natura ſit, vt nec principium habuerit, nec finem habitura ſit. Neque enim Patri Verbũ vnquam defuit, nec Verbo Spiritus.

Cap. 10. Eodem modo credimus in vnum Spiritum ſanctum, qui Dominus eſt, & viuificat: qui ex Patre procedit, & in Filio cõquieſcit: qui cum Patre & Filio ſimul adoratur, & conglorificatur; vtpote conſubſtantialis, & coæternus: qui Dei Spiritus eſt rectus, principalis, ſapientiæ, vitæ, ac ſanctitatis fons: qui cum Patre & Filio Deus eſt, & appellatur: qui increatus eſt, plenus artifex, omnipotens, omnium effector, infinita potentia præditus, rebus omnibus cõditis imperans, nullius autem rei imperio parens: qui implet, non impletur; deificat, non deificatur: participatur, non participat: ſanctitate afficit, non ipſe afficitur: qui conſolator eſt, vtpote omnium conſolationes capiens: per omnia Patri & Filio ſimilis, ex Patre procedens, & per Filium omni creaturæ impartitus, atque perceptus, per ſeipſum omnia creans, atque vt ſint faciens, ſanctificans, atq; conſeruans: ἐνυπόστατος, id eſt, in propria hypoſtaſi exiſtens, à Patre & Filio inſeparabilis, & nunquã egrediens, omnia habens, quæ habet Pater & Filius, excepta ingeniti & geniti proprietate.

Taraſius. 780.

Epiſtola ad Adrianum Papam, de non faciendis pecunia ordinationibus: Diuinus Spiritus eſt Chriſto Deo noſtro conſubſtantialis.

Epiſtola ad Epiſcopos Antiochiæ: Secundæ vniuerſalis Synodi decreta recipio, quæ definijt, Deum eſſe Spiritum ſanctum Dominum viuificantem: auerſor autem Macedonium, & omnes qui ab illius partibus ſtant.

Elias Cretenſis. 790.

In Orationem 23. Nazianzeni: Cùm Dei Spiritum audimus Verbum concomitantem, non anhelitus flatum cogitamus, verùm eſſentialem potentiam in propria & peculiari hypoſtaſi conſideratam, (quæ nec à Deo, in quo eſt; aut à Deo Verbo, quem concomitatur, ſeparari queat, nec in nihilum refundatur ac diſſipetur, verùm æquè ac Deus Verbum, hypoſtaticè ſit, ac per ſe moueatur) actuoſam, omnipotẽtem, & ad id omne, quod proponit, vim ac facultatem, quæ cum voluntate cõcurrat, habentem.

In Orationẽ 52. Nazianzeni: Ex eo, quòd quiſpiam dicat ſe in Spiritum ſanctum credere, in viuificum Dominum, qui ex Patre procedit, qui cum Patre & Filio ſimul glorificatur, quid aliud intelligendum præbet, quàm quòd Spiritus quoq; ſanctus Deus ſit? Quorum enim vna adoratio & gloria eſt, non eſt profectò dubium, quin horũ etiam eſſentia vna, & Deitas vna ſit.

Nicephorus Conſtantinopolitanus. 815.

Epiſtola ad Leonem Tertium: Spiritus ſanctus eandem cum Patre & Filio æternitatem ſortitus eſt.

Michael Syngelus. 830.

In Dionyſio Areopagita: Spiritus ſanctus ab ipſo ſolo Patre deſcendit, & per Filium proceſſit, & hominibus ſe oſtendit, vnius principatum edocens: nõ quem vna perſona circumſcribit, ſed quem naturæ par honoris conditio, & eadem conſilij concordia, & idem motus, & ad vnum ex ſeipſo conſpiratio conſtituit.

Photius Patriarcha Conſtantinop. 860.

Ad cap. 12. prioris ad Corinth. Conſidera diligenter, quomodo ſanctiſſimum Spiritum apertè Deum ac Dominum prædicauerit. Dicens enim, *Diuiſiones autem donorum ſunt, ſed idem Spiritus:* & rurſum de opere ſubiungẽs: *Et diuiſiones miniſteriorum ſunt, idemq; Dominus.* Deinde in eadem adhuc manens ſententia, vbi dixit: *Et diuiſiones operationum ſunt, ſed eadem manifeſtatio Spiritus ad id quod expedit:* oſtendens quòd & Deus & Dominus Spiritui ſancto aptauerit. Quæcunque enim prædixit, in Spiritus perſonam clauſit, non ex eo ſolũ, quod dixit: *Vnicuiq; datur manifeſtatio Spiritus,* verùm etiam per ſequentem donorum enumerationem: nam omnia per Spiritum Dei dari aſſeuerat, rurſumq; in ſummam redigens, ait: *Hæc autem omnia operatur vnus idemq; Spiritus.* Manifeſtum itaque eſt, quòd ſanctiſſimum Spiritum Deum ac Dominum eſſe clarè & apertè hoc loco D. Paulus diuinitus aſſeruerit.

Epiſtola ad Michaelem Bulgariæ Principem, de ſeptem Synodis Oecumenicis: Vt Arius aduerſus Filium egerat, ſic Macedonius aduerſus Spiritum ſanctum,

vt eius in omnes imperiũ ac dominatum in seruorum ac ministrorum ordine collocaret. Atqui facilè poterat, si voluisset infelix perspicere, quẽadmodum illi, qui Filium inter res collocãt procreatas, non minore Patrem afficiunt contumelia: ita qui sanctissimũ ipsius Spiritum in earum rerum, quæ procreatæ sunt, numero constituunt, par & simile in ipsum maledictum conferre. Nam si Spiritus creatus est, & ille, cuius est Spiritus, procreatus est. Quòd si summa ista impietas, vel auditu est intolerabilis, cur nõ cauit ille miser negare Spiritum esse Deum, ne ad hæc impia argumenta necessariò deueniret? Quomodo enim *scrutatur etiam profunda Dei*, & ei nihil est absconditũ? quomodo alter est paracletus? quomodo cum Patre & Filio collocatur? *Euntes*, inquit ipse Filius, *docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Si vnus ex tribus his, in quibus illustramur, creatus est, nec reliqui ab hac ignominia sunt alieni. Quòd si creatus est, quomodo creat? quomodo sanctificat? quomodo viuificat? quomodo gratias diuidit? quomodo est Deus?

Theophylactus. 900.

Ad cap. 16. Ioannis: Quia hæretici Spiritui sancto erant detrectaturi, quasi minor esset dignitate, eò quòd posterius veniret: propterea cõcedit ei maiora operari per Apostolos, vt per donorum magnitudinem compulsi, vel inuiti dignitatem Spiritus agnoscant, & non quia posterior apparuit, propterea minor iudicetur Filio.

Suidas. 960.

In voce πίστις: Spiritus sanctus est cum Patre & Filio æternus: qui vnà cum illis vt assessor, & honoris & gloriæ eiusdem particeps, & æquè Deus adoratur: per quem & Angelis, & hominibus, & omni rationis capaci naturæ diuina effunduntur beneficia.

Psellus. 1050.

De septem Synodis Græcorum:

Secunda sacrarum Synodorum facta est,
Vt tradunt omnes, in Constantinopoli:
Ista radicitùs euulsit Macedonium,
Qui Spiritum ter sanctum frustra alienabat
A summa Deitate, & creaturam esse blasphemabat.

O Ecumenius. 1050.

Ad caput vltimum Actuum Apostolorũ: Eos, qui Spiritum sanctum Patris dicunt esse ministrũ, Paulus vulnere ferit lethali. Siquidem eum, quem vidit Esaias Dominum sedẽtem super thronum excelsum & eleuatum, vocat hoc loco Spiritũ sanctum. Eiusdem namque substantiæ est cum Patre & Filio, & æqualem simul possidet potestatem.

Georgius Cedrenus. 1100.

In Constantino Magno: Qui de Spiritu sancto impiè loquuntur, eumq; diuina natura exterminãt, respondeant, quomodo Seruator noster Deus in humano corpore obuersans, sanctum illum Spiritum voluerit complementum esse Trinitatis, idq; in Baptismo, cum Patre & Filio, vt qui homines à peccatis liberent, numerari, & inuocari? Et in mystica cœna cùm Spiritus sanctus corpus incarnati Verbi dicatur formasse, quomodo possit factus esse, aut creatus, aut seruilis conditionis, nõ imperatricis naturæ, quæ omnes res effecit atque gubernat? Si enim seruili est statu, nõ debet annumerari Domino: Si creatura, non debet cum Creatore poni. Certè vnitus ei est, & annumeratur; siquidem rectũ est harum rerum accuratissimo doctori fidem adhibere, firmiter & constanter diuinam naturam enarranti.

Constantinus Harmenopulus. 1180.

De fide orthodoxa: Hominem re ipsa Christianũ oportet credere, sicut sacræ & vniuersales Synodi sanciuerunt, in vnum Deum Patrem omnipotentem, &c. Et in Spiritum sanctum coæternè de Deo & Patre procedentem, lumen & ipsum, Deũq; verum, & Patri & Filio coæternũ & cõsubstantialẽ.

Niceras Choniates. 1200.

Orthodoxæ fidei lib. 4. hæresi 31. Spiritus semper plenus, nec minus quàm Pater & Filius, principio carens, & coæternus est, diuinaq; charismata diuidit, & singulis pro dignitate tãquam Deus distribuit prout vult; quod Petrus etiam eis attestatus est, quæ Sapphiræ dixit: *Quid vtiq; conuenit vobis tentare Spiritũ Domini? non mentiti estis hominibus, sed Deo.* Act. 5.

Nicephorus Callistus. 1300.

Eccles. hist. lib. 1. cap. 2. Simulq; sanctissimum suum profert Spiritum, non vt genitum illum, sed vt procedentem Deum, & ipsum perfectum atq; ὁμοούσιον, hoc est, consubstantialem illis, & παντοδύναμον, id est, eiusdem planè virtutis & potestatis. Et tres isti vnum sunt, vna natura, essentia, & potestas.

Gennadius Scholarius. 1450.

Dialogo de fide: Quemadmodum & lumen solare & in corpore solari, & in radio, & in cælo, & in terra, & ingreditur in interiora domus, & omnia illuminat: ita & Spiritus sanctus vbique, & cum Patre, & cum Filio est, & sursum, & deorsum, & omnem hominem illuminat, & nullibi deest. *Spiritus* enim, ait magnus Paulus, *omnia inquirit, & profunditates Dei.*

Zaga Zabo Episc. Æthiops. 1540.

In confessione fidei: Spiritus Patris, Spiritus sanctus; Spiritus Filij, Spiritus sanctus est: Spiritus autem sanctus, Spiritus sui, sine vlla diminutione aut augmẽtatione. Is etenim Spiritus sanctus Paracletus, Deus viuus, qui ex Patre & Filio procedit, locutus est per os Prophetarum, & in flamma ignis descendit super Apostolos in atrium Sion.

Moses Mardenus Assyrius. 1552.

In professione fidei: Credo Spiritum sanctum procedentem ex Patre & Filio, absq; diuisione vlla in substantia ipsorum; nec esse personam iuniorem aut seniorem persona: Patrem Creatorem cũ Filio suo, & Spiritu suo sancto: Filium Creatorem cum Patre suo, & Spiritu suo sancto: Spiritũ sanctum Creatorem cum Patre, & Filio.

In contemplatione Theologica de sacrosancta Trinitate: Spiritus sanctus procedens à Patre, & sumens de Filio, & cum eo est eiusdem naturæ & substantiæ, qui laudandus est, & glorioſè prædicandus, atq; adorandus.

Siud, siue Sulaka, Patriarcha Nestorianorũ. 1553.

In professione fidei: Credimus etiam in Spiritũ S. Deum perfectũ, qui ex Patre & Filio procedit, & cũ Patre & Filio adoratur, & glorioſus prædicatur.

Hieremias Pat. Constantinopolitanus. 1580.

Respons. 1. cap. 2. Hæc sunt Confessionis capita, in quorum primo continetur: Vnum esse Deum, vnum Dominum, vnum Patrem cum Filio, & Spiritu. Patrem enim illa nominat Deum, & Filium Deum de Deo, & Spiritum sanctũ Dominum nominat, ac consubstantialem dicit Trinitatem, paremq; gloria Patrem Filio, & Spiritu, &c. Horum vnam esse naturam, & gloriam iam inde ante secula, vnam potentiam, & adorationem. Ait enim: *Qui cum Patre & Filio simul adoratur, & cõglorificatur.*

Gabriel Patriar. Alexandrinus. 1595.

In confessione fidei: Spiritus sanctus procedit consubstantialis, coæqualis, coomnipotẽs, & coæternus. Hæ tres personæ sunt vnus Deus, vna essentia, vna substantia. Amplector & approbo sanctã Synodum Constantinopolitanam primam, & reprobo quicquid illa reprobauit, & maximè impiam hæresin Macedonij, cum ipso auctore, qui affirmare ausus est, Spiritum sanctum non esse Patri & Filio coæternum, & consubstantialem, atque ideo non esse Deum, sed creaturam.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Martialis. 100.

Epistola ad Burdegalenses, cap. 10. Spiritus sanctus in diuina æqualitate processit ineffabiliter ab eo qui genuit, & ab eo qui genitus est, &c.

Item: Spiritus sanctus, in quo omnia subsistunt. Et hæc in personis tria diuisa, in diuinitate vnus Deus indiuisus est.

Cyprianus. 250.

De cardinalibus operibus Christi, capite de Spiritu sancto: Huius sempiterna virtus & diuinitas, cùm in propria natura ab inquisitoribus mundi antiquis philosophis propriè inuestigari non posset, subtilissimis tamen intuiti sunt coniecturis, &c. Qui si Spiritum & Dominum, & Creatorem, & viuificatorem, & nutritorem crederẽt omnium, quæ sub ipso sunt, conuenientem ad fidem haberent accessum.

Capite de ablutione pedum: Ipse summus Sacerdos sui est Sacramenti institutor & auctor: in cæteris homines Spiritum sanctum habuêre doctorem: & sicut par est Spiritui sancto & Christo diuinitas, ita in suis institutis æqua est auctoritas & potestas: nec minus ratum est, quod Spiritu sancto dictante Apostoli tradiderunt, quàm quod ipse tradidit, & in sui commemorationem fieri præcepit.

Zeno Veronensis. 260.

Sermone de somnio Iacob: Gladius Spiritus sanctus est, vnum caput habens, id est, vnam substantiam, virtutem, deitatem, maiestatem, volũtatemq; Patris & Filij.

Hilarius. 350.

De Trinitate lib. 2. De Spiritu sancto nec tacere oportet, nec loqui necesse est: sed fileri à nobis eorum causa, qui nesciunt, non potest. Loqui autem de eo non necesse est: quia de Patre & Filio auctoribus confitendus est. Et quidem puto an sit, non esse tractandum. Est enim, quandoquidem donatur, accipitur, obtinetur: & qui confessioni Patris & Filij connexus est, non potest à confessione Patris & Filij separari.

Lib. 12. Magna mihi erga res tuas religio est: neque quia te solum innascibilem, & Vnigenitum ex te natum sciens, genitum tamen Spiritum sanctum non dicturus sim, dicam vnquam creatum? Huius ego dicti, quod mihi cum cæteris à te substitutis cõmune est, ad te quòque prorepentis timeo cõtumeliam. Profunda tua Spiritus sanctus tuus secundùm Apostolum scrutatur, & nouit, & interpellator pro me tuus, inenarrabilia à me tibi loquitur, & ego naturæ suæ ex te, cum Vnigenito tuo manãtis potentiã, creationis nomine non modò non eloquar, sed etiam infamabo?

Liberius. 350.

Extat in operibus Athanasij *In cõfessione fidei:* Spiritum sanctum verè ex Deo naturaliter esse Deum confiteor, quo vera sit Trinitas sub vna substantia.

Ambrosius. 370.

Libro 3. de Spiritu sancto, cap. 10. Sed & ipse Petrus in in eo, quod proposuimus, exemplo præmisit Spiritum sanctum, & postea dixit Spiritum Domini. Act. 5. Sic enim habes: *Anania, cur impleuit Satanas cor tuu, ad mentiendũ Spiritui sancto, vt fraudẽ faceres de pretio agri? Non hominibus es mentitus, sed Deo.* Et subter ad vxorem ait: *Quid vtique conuenit tentare Spiritum Domini?* Primùm intelligimus, quia Spiritum sanctum Spiritum Domini dixit. Deinde cùm præmiserit Spiritũ, & addiderit: *Non es hominibus mentitus, sed Deo:* necesse est in Spiritu sancto aut vt vnitatem diuinitatis esse intelligas: quoniam cùm Spiritus tentatur, Deus fallitur: aut si vnitatem diuinitatis conaris excludere, secundùm scripturæ verba, ipse vtique Spiritum Domini credis. Si enim & de Spiritu expressum intelligimus, & de Patre, in Deo vtique Patre, & Spiritu sancto veritatis scientiæ aduertimus vnitatem: quia similiter à sancto Spiritu, ficut à Deo Patre mendacium deprehenditur. Quòd si vtrumque de Spiritu accipimus, cur qd' legis perfidè negare conaris? Aut igitur vnitatem diuinitatis Patris, & Filij, & Spiritus sancti: aut diuinitatẽ S. Spiritus in Patre & Filio confitere. Vtrum dixeris in Deo, vtrumque dixisti: quia & vnitas diuinitatem astruit, & diuinitas vnitatem.

Cap. 11. Nec solùm hoc loco euidenter sancti Spiritus θεότητα, hoc est, diuinitatẽ, testatur Scriptura; sed etiam ipse Dominus dixit in Euangelio: *Quoniam Deus Spiritus est.* Quem locum ita expresse Ariani testificamini esse de Spiritu, vt eum de vestris codicibus auferatis, atque vtinam de vestris, & non etiam de Ecclesiæ codicibus tolleretis.

Cap. 19. Cùm ex cæteris, tũ ex quatuor istis præ cæteris manifesta diuinitatis gloria cõprobatur: Deus enim ex eo cognoscitur, aut quia sine peccato est; aut quia peccata condonat; aut quia creatura non est, sed Creator est; aut quia non adorat, sed adoratur. Sine peccato itaque nemo est, quia nemo sine peccato nisi vnus Deus. Peccata quoque nemo condonat, nisi vnus Deus: quia æquè scriptum est: *Quis potest peccata donare, nisi solus Deus?* Luc 5. Creator quoque omnium non potest esse, nisi qui creatura non est; qui creatura autem non est, sine dubio Deus est: quia scriptum est: *Seruierunt creaturæ potius quàm Creatori, qui est benedictus Deus in secula.* Rom. 1. Deus quoque non adorat, sed adoratur: quia scriptum est: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.* Consideremus ergo vtrũ horum aliquid habeat Spiritus sanctus, quæ testimonium adferant diuinitatis, &c. Sed docere non possunt, & auctoritatẽ requirũt, vt lectione doceamus, quia non peccauit Spiritus sanctus, sicut de Filio lectum est: *Quia peccatum non fecit.* Et hoc accipiant Scripturarum auctoritate nos docere: scriptum est enim: Quia *in sapientia est Spiritus intelligentiæ, Spiritus vnicus, multiplex, subtilis, bene mobilis, disertus, immaculatus. Immaculatus* dicit Scriptura: nunquid mẽtita est de Filio, vt de Spiritu credas esse mentitam? Dixit enim Propheta in eodem loco de Sapientia, quia nihil maculosum in illam incurrit: ipsa immaculata est, & immaculatus eius est Spiritus. Ergo si peccatum non habet Spiritus, Deus est. Sed quomodo reus potest esse peccati, qui donat ipsa peccata, & peccatũ non fecit? Et quia sine peccato est, creatura nõ est: omnis enim creatura peccatorũ capacitati obnoxia est: sola aũt est à peccato immunis & immaculata sempiterna diuinitas. Sap 7.

Cap. 23. Quid autem dicam, quia sicut Pater & Filius, ita etiã Spiritus immaculatus est, & omnipotens? quia Græcè παντοδύναμον, πᾶν ἐπίσκοπον Salomon dixit, eò quòd omnipotens & speculator sit omnium. Ergo Spiritus in honore est, & in maiestate. Intuere nũc, ne quid eum fortè non deceat: aut si tibi displicet Ariane, detrahe eũ de Pa- Sap 7.

tris Filijq; consortio. Sed si detrahere volueris, cælum supra te verti videbis: quia virtus eorum omnis ab Spiritu est,&c. Si detrahere volueris, in Deũ tibi prius mittẽda est manus, quia Deus Spiritus. Sed quomodo detrahes eum, qui alta scrutatur Dei?

Prudentius. 380.

In præfatione in Apotheosin:

Sanctus ab æterno subsistit Spiritus ore,&c.
Spiritus iste Dei complet, Deus ipse fideles
In populos Charisma suum diffundere promptus,
Et Patris,& Christi virtutem in corpora transfert.

Damasus. 380.

In Symbolo: Credimus in Spiritum sanctum, nõ genitum, neque ingenitum; non creatum, neque factum: sed de Patre Filioq; procedentem, Patri & Filio coæternum, & consubstantialem, & cooperatorem. Quia scriptum est: *Verbo Domini cæli firmati sunt,& Spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Et alibi: *Emitte Spiritum tuum,& creabuntur,& renouabis faciem terræ.* Ideoq; in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti vnum confitemur Deum, quod nomen est potestatis, non proprietatis. In hac Trinitate vnum Deum colimus.

Theodoretus lib.5.cap.11. *Confessio fidei Catholicæ, quam Damasus Papa misit ad Paulinum Episcopum Thessalonicensem:* Quoniam post Nicænum Concilium eiusmodi error emersit, vt quidam profano ore dicere audeant, Spiritum per Filium factum esse, anathema denuntiamus omnibus, qui non liberè prædicant Spiritum sanctum vnius & eiusdẽ tum essentię, tum potestatis cum Patre & Filio.

Hieronymus. 390.

Ad cap.63. Esaiæ: Eiusdem Spiritus sanctus cum Patre Filioq; naturæ est.

2.Cor.1. *Ad Hedibiam quæstione 9.* Si Pater consolator, & Filius consolator, & Spiritus sanctus consolator est: & in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Matt.28. quod intelligitur Deus, baptizantur credentes: quorum vnum diuinitatis & consolatoris est nomen, eorũ & vna natura est. Hic Spiritus sanctus non solùm in Apostolis, sed etiam in Prophetis Psal.50. fuit: de quo Dauid orabat, dicens: *Spiritum sanctũ tuum ne auferas à me.* Et Daniel Spiritũ Dei habuisse Psal.109. narratur. Et Dauid in Spiritu loquitur: *Dixisse Dominum Domino suo, sede à dextris meis, donec ponã inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Nec sine Spiritu Psal.32. sancto prophetauerũt Prophetæ: *Et Verbo Domini cæli firmati sunt, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Et quicquid Patris & Filij est, hoc idem & Spiritus sancti est. Et ipse Spiritus sanctus cùm mittitur, à Patre & Filio mittitur: in alio atque alio loco Spiritus Dei Patris, & Christi Spiritus appellatur. Act.19. Vnde & in actibus Apostolorum, qui Ioannis baptismate fuerant baptizati, & credebant in Deum Patrem & Christum, quia Spiritum sanctum nesciebant, iterum baptizantur, imò tunc verum accipiunt Baptisma. Absque enim Spiritu sancto imperfectum est mysterium Trinitatis. Et in eodẽ Act.5. volumine Petrus Ananię & Sapphiræ dixisse narratur, quòd mentientes Spiritui sancto, non sint hominibus mentiti, sed Deo.

Rufinus. 390.

Ecclesiasticæ Historiæ lib.1. cap.29. Additur in Concilij Alexandrini decreto etiam de Spiritu sancto plenior disputatio, vt eiusdem substantiæ ac Deitatis, cuius Pater & Filius, etiam Spiritus sanctus crederetur, nec quicquã prorsus in Trinitate aut creatum, aut inferius posteriusve diceretur.

In expositione Symboli: Concilium vanitatis est, & quod illi aiunt, qui Filium quidem de substantia Patris fatentur, sanctum verò Spiritum separant, & secernunt: cùm vtiq; vnam eandemq; virtutem & diuinitatẽ ostẽderit Trinitatis Saluator in Euangelio, cùm dicit: *Baptizate gentes in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Matt. 28.

Gregorius Bæticus. 390.

Libro de fide: Si Spiritus Dei dicitur, non vt Angelus Dei, neq; vt homo Dei, quorum natura à diuina substantia inæstimabiliter discreta est: sed sic est Spiritus Dei, vt sit eiusdem substantiæ cum Patre, & Filio: quia & vna sanctitas est Patris, & Filij, & Spiritus sancti, &c. Dicam plenè & Deum, & Dominum Spiritũ sanctum, doctus à maioribus Ecclesiasticis viris, quia & ipsi per testimonia diuinarum Scripturarum prius à viris Apostolicis eruditi, suis posteris tradiderũt, &c. Vna est diuinitas Patris, & Filij, & Spiritus S. sicut & vna sanctitas eiusdẽ perfectę & inseparabilis Trinitatis.

Gaudentius. 400.

De promissione Paracleti, tractatu 14. Trinitatis adorandæ vna eademq; diuinitas semper vbique est, &c. Quòd plenitudinẽ doctrinæ suæ per sanctum pollicetur Spiritum retribuendam, æqualem sua omnipotentia eum credi voluit. Non est enim in Trinitate Dominus & seruus, Deus & Angelus, Creator & creatura: sed est aliud idem, aliud persona. Idem natura, ac proinde non Dij, sed Deus: quia diuisionem non capit vnitas Deitatis. Ait denique ibi Christus de Spiritu sancto: *Quem mittet Pater in nomine meo,* id est, in Dei nomine: Deum scilicet sicut Filium profitendum, &c. Et cùm Baptismi opus in Trinitate decerneret celebrãdum, non ait: in nominibus, sed *in nomine*: Pater enim Deus est, & Filius Deus est, & Spiritus S. Deus est. Ioan.14. Matt.28.

Augustinus. 400.

Lib.2.contra Maximinum Arianum,c.11. Non vis Spiritum dicere Deum, cuius tantam diuinitatẽ per laudem coactus es confiteri: vt cùm sit vnus, vbiq; sit præsens, & nemini sanctificãdo desit, vbicunq; quisq; Christianus esse & Deum orare voluerit, simul se omnibus exhibẽdo, siue in Oriente, siue in Occidẽte baptizentur in Christo: hoc & nos dicimus, talẽ ac tantũ abesse à nobis vt Deũ negemus.

Contra Maximinum Arianum lib. 3. cap.21. Spiritum sanctum negare Deum, quid est, nisi non esse, & nolle esse templum eius? Alloquitur nos Apostolus dicens: *Obsecro autem vos fratres per miserationes, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuam, sanctam, Deo placentem.* Corpora itaque fidelium hostia sunt Deo, membra Christi, templum Spiritus sancti, & Deus non est Spiritus sanctus? Quis hoc dicit, nisi in quo non habitat? Quoniam in quo habitat, vtiq; templum eius est. Denique cùm dixisset Apostolus: *Nescitis, quia corpus vestrum templum in vobis Spiritus sancti est, quem habetis à Deo, & non estis vestri? empti enim estis pretio magno.* Continuò secutus adiunxit: *Glorificate ergo Deum in corpore vestro:* vbi dilucidè ostendit Deum esse Spiritum sanctum, glorificandum scilicet in corpore nostro, tanquam in templo suo. Et quod Ananiæ dixit Apostolus Petrus: *Ausus es mentiri Spiritui sancto?* atque ostendens Deum esse Spiritum sanctum: *Non es,* inquit, *hominibus mentitus, sed Deo,* &c. Rom.12. 1.Cor.6. Act.5.

Lib.1.de Trinitate, cap.6. De Spiritu sancto collecta sunt testimonia, quibus ante nos, qui hęc disputauerunt, abundantius vsi sunt: quia & ipse Deus, & non creatura. Quòd si non creatura, non tantùm Deus: nam & homines dicti sunt Dij; sed etiam verus Deus. Ergo Patri & Filio prorsus æqualis, & in Trinitatis vnitate consubstantialis, & coæternus. Maximè verò illo loco satis claret, quòd Spiritus S. nõ sit creatura, vbi iubemur non seruire creaturæ, sed Creatori: non eo modo, quo iubemur per charitatẽ seruire inuicẽ, quod est Græcè δουλεύειν; sed eo modo, quo tantùm Deo seruitur, qđ est Græcè λατρεύειν. Vnde idololatræ dicuntur, qui simulachris eam seruitutem exhibent, quæ debetur Deo: Psal.81. Rom.1.

Deut.6. tur Deo: secundùm hãc enim seruitutem dictum est: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.* Nam & hoc distinctius in Græca Scriptura inuenitur: λατρεύσεις enim habet. Porrò si tali seruitute creaturæ seruire prohibemur, quandoquidem dictum est: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli* Matth.4. *seruies:* vnde & Apostolus detestatur eos, qui coluerunt, & seruierũt creaturę potius, quàm Creatori: non est vtique creatura Spiritus sanctus, cui Philip.3. ab omnibus Sanctis talis seruitus exhibetur, dicente Apostolo: *Nos enim sumus circumcisio, Spiritui Dei seruientes;* quod est in Græco λατρεύοντες: plures enim Codices etiam Latini sic habent: *qui Spiritui Dei seruimus.*

Maximus Taurinensis. 430.

Homil.de Symbolo: Spiritus inspirare legitur prout vult, & dona gratiarum cælestiũ diuidere prout vult: quomodo ergo non vnum cum Patre Filioq; credendus est Spiritus, cui æquè adiacet posse quod vult.

Arnobius Iunior. 440.

De Deo Trino & vno: Spiritũ sanctum contra doctrinam Macedonij Deum esse Paulus Apostolus euidenter ostendit, cùm ipsum, quem Esaias Propheta dicit: *Vidi Dominum sedentem in thronum excelsum, qui dixit mihi: Vade, dic populo huic: Videtes videbitis, & non videbitis:* Spiritum sanctum hũc Paulus hoc ordine patefecit, dicens ad Iudæos: *Bene* Act.28. *de vobis Spiritus sanctus dicit per Esaiam: Vade, dic populo huic: Videntes,* &c. Hoc autem, vt dixi, sectam Macedonij superat, quæ dicit: Nusquam legitur in Scripturis sanctis, Deus Spiritus sanctus: diximus Apostolum Paulum hunc dixisse Spiritum sanctum, quem Esaias dicit: *Vidi Dominum Deum omnipotentem Sabaoth, sedentem super thronum, & dicentem mihi,* &c. Nunc etiam B. Petrum ostendam Dominum dixisse Spiritũ sanctum, & sufficit. Dicit ad Act.5. Ananiam mentientem: *Quid vtique conuenit tibi & vxori tuæ mentiri Spiritui sancto? Non es his hominibus mentiti, sed Deo.*

Petrus Chrysologus. 440.

Sermone 57. Postquam susceptæ carnis confessus es sacramentũ, oportet te Deitatem Spiritus confiteri: vt Trinitatis vnitas æqua, Patris, Filij, & Spiritus sancti per omnia, & in omnibus virtutis integram fidei in nostra confessione custodiat & teneat veritatem.

Eucherius Lugdunensis. 450.

Homilia de S. Trinitate generali: Spiritus sanctus si Deus non esset, iuxta Patrem & Filium personam propriam non haberet: vbi autem esse probatur personarum paritas, ibi meritorum ac dignitatum indiuisa consistit æqualitas: & ideo Spiritum sanctum cum Patre & Filio vnum Deitatis noueris possidere priuilegiũ, quem personæ vides obtinere ius proprium, &c. Videamus attentius inter ipsa generationis sacrosancta mysteria quid agat Spiritus sanctus. Secreta & ineffabili potentia lauat culpas, infectas ad infectum redigit maculas, absoluit reas, & purificat cõscientias, quarum solus emundator, solus est cognitor: Deo enim tantùm potest illud adscribi, *qui solus,* inquit, *nosti corda hominum:* & Apostolus protestatur: *Spiritus scrutatur etiam alta Dei.* Si specialiter Deus creditur, qui occulta hominis intuetur, quanto magis Deus est, qui profunda paterni pectoris perscrutatur? Ipse præsentem contulit vitam, qui largitur æternam. Interroga muneris magnitudinem, remuneratoris perspicis dignitatem. Ipse ad regenerandas animas steriles benedicit aquas: ipse sacri fontis irriguum illa, qua dudum Mariam locupletauit, virtute fœcundat. Quomodo hęc operari posset, nisi Deus esset?

Leo Magnus. 450.

Sermone 2.de Pentecoste, cap.2. Cùm igitur ad intelligendam dignitatem Spiritus sancti aciem mentis intendimus, nihil diuersum ab excellentia Patris & Filij cogitemus: quia in nullo ab vnitate sua discrepat diuinitatis essentia. Sempiternum est Patri consempiterni sibi Filij sui esse genitorẽ: sempiternum est Filio intemporaliter à Patre esse genitum: sempiternum quoq; est Spiritui sancto Spiritum esse Patris & Filij. Vt nunquam Pater sine Filio, nunquam Filius sine Patre, nunquã Pater & Filius fuerint sine Spiritu sancto, & omnibus existentię gradibus exclusis, nulla ibi persona sit anterior, nulla posterior.

Prosper. 450.

Epistola ad Demetriadem: Spiritus sanctus secundùm veræ deitatis essentiam vbique totus est, & omnia comprehendit: sed ab illis modo quodam intelligitur recedere, quos destiterit gubernare.

Cerealis. 460.

Aduersus Maximinũ Arianum cap.11. Quia Deus est Spiritus sanctus sic docetur: Petrus ad eum, qui subtraxerat de pretio villæ dixit: *Quid est quòd impleuit Satanas cor tuum mentiri Spiritui sancto?* & post- Act.5. modũ adiunxit? *Non es mentitus hominibus, sed Deo.*

Vigilius Tridentinus. 470.

Lib.5.contra Eutychen: Athanasius, Eusebius, Lucifer, &c. plenissimam contra Macedonium de S. Spiritus Deitate confessionis regulam conscripserunt, eiusdẽ eum, cuius Pater est & Filius, substantiæ demonstrantes.

Eugenius Carthaginensis. 480.

De ratione fidei ad Hunericum: Spiritum sanctum Patri & Filio consubstantialẽ credimus, coæqualem, & coæternum dicamus, & testimonijs approbemus. Licet enim hæc veneranda Trinitas personis & nominibus distincta sit: nõ tamen ob hoc à se atque à sua æternitate discrepare credenda est. Si manens ante sęcula diuinitas in Patre, & Filio, & Spiritu sancto, verè ac propriè creditur, nec diuidi nostris interpretationibus potest, nec rursus versa in vnam personã Trinitatis confundi, &c. Et vt luce clarius vnius diuinitatis esse cum Patre & Filio Spiritũ sanctum doceamus, Ioannis Euangelistæ testimonio comprobatur. Ait namque: 1.Ioan.5. *Tres sunt qui testimonium perhibent in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus: & hi tres vnum sunt,* &c. Vt autem magis magisq; sancti Spiritus cum Patre & Filio vna diuinitas in creãdis rebus omnibus demonstretur, habes Creatorem Spiritum sanctum Iob cap.1. *Spiritus,* inquit, *diuinus est, qui fecit me;* & *Spiritus omnipotentis, qui docet me.* Et Dauid: *Emitte,* Psal.103 inquit, *Spiritum tuum, & creabuntur, & renouabis faciẽ terræ.* Si renouatio & creatio per Spiritum erit, sine dubio & principiũ creationis sine Spiritu non fuit, &c.

Fulgentius. 500.

Ad Donatum de fide orthodoxa cap.8. Inde est, quòd etiã Spiritum sanctũ Creatorẽ vera fides asserit, non creaturam. Quomodo enim Creator esse negetur, à quo firmata cælorum virtus ostenditur, Psal.32 dicente Dauid: *Verbo Domini cæli firmati sunt, & Spi-* Psal.103. *ritu oris eius omnis virtus eorum?* Et alio loco: *Emitte Spiritum tuum, & creabuntur.* Creator quippe est omnium rerum, qui factor est omnium. De quo beatus Iob dicit: *Spiritus diuinus, qui fecit me.* Spiritus ergo sanctus sicut omnia creauit, sic omnia replet immensus: & quia omnia replet, naturaliter est verus Deus. Scriptũ est enim: quia *Spiritus Domini* Sap.1. *repleuit orbem terrarum.* Nam & beatus Dauid vbique esse Spiritum Dei testatur, dicens ipse de eo:

Psal. 138. *Quò ibo à Spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam?* Quomodo autem Ariani negant Deum esse Spiritum sanctum, cùm ita simus templum Spiritus sancti, sicut sumus templum Patris & Filij? Apostolus enim dicit: *Nescitis, quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis? si quis autem templum Dei violauerit, disperdet illum Deus,* &c. AEqualis est ergo Patri & Filio Spiritus sanctus: quia Creator est omniū rerum, sicut Pater & Filius, &c. AEqualis est Patri & Filio Spiritus sanctus: quia omnium fidelium membra vnum templum habet, sicut Pater & Filius. Quis autem negare audeat vnam esse diuinitatem Patris, & Filij, & Spiritus sancti, cùm corpora fidelium (quæ mẽbra sunt Christi) ipsa sunt templum Spiritus sancti?

1. Cor. 3.

Responsione contra Arianos ad finem: Sanctum quoque Spiritum nõ aliud fatemur esse quàm Deum; nec à Filio, nec à Patre diuersum; nec in Filio, nec in Patre cõfusum. Vnus est enim atque idem Patris & Filij Spiritus, totus de Patre procedens, totus in vtroque consistens, nec est diuisus in singulis, quia inseparabiliter est vtrisque communis.

Paschasius Diaconus. 500.

De *Spiritu sancto lib. 1. cap. 12.* Deum Spiritum sanctum ex suis virtutibus & operibus demonstremus. Omnis creatura sicut temporum initijs subiacet, ita localis esse, certis spatijs & finibus circumscripta, cognoscitur. Spiritus sanctus nullis terminis tamquam factura concluditur. Deus necesse est pro ipsa libertate diffusę maiestatis habeatur.

Cassiodorus. 540.

Ad Psalm 138. *Quò ibo à Spiritu tuo?* Dicendo, *quò ibo?* significat naturam humanitatis non habere quò fugiat, cùm Spiritus sanctus vbique sit totus: sicut Salomon dicit: *Spiritus Domini repleuit orbem terrarum.* Sed hoc dictum est per schema, quod dicitur diaporesis, cùm quærimus quid potissimũ facere debeamus: sed cùm tali prædicatione vbique Spiritum sanctum esse noscamus, dubium nõ est Spiritum sanctum coæternum & coæqualem Patri & Filio reperiri. Nam vbique & tota esse nõ potest, nisi sola Trinitas. Quapropter cesset irreligiosa præsumptio: nihil hìc maius, minúsve fingatur.

Sap. 1.

Primasius. 540.

Ad cap. 8. epist. ad Romanos: *Qui inimicos diligit.)* Intelliges Spiritum sanctum sicut ex Patris, ita etiam ex Filij substantia procedere, qui eius Spiritũ habet. Et ideo sicut Patris, ita & Filij appellatur. Et ideo dixit in Euangelio: *De meo accipiet.*

Arator. 540.

Lib. 1. Act. Apost. de Anania.

Verba require Petri: Quisquam te fallere suasit,
Conclusitq; probans? homines haud talia fando
Deludit, mentire Deo, quæ damnat iniquos,
AEdificat doctrina pios, quòd Spiritus almus
Sit Deus, ex multis plena est instructa libris.

Act. 5.

Gregorius Turonensis. 580.

Historiæ Francorum lib. 6. cap. 18. Leuichildus Rex, Manifestè, inquit, cognoui Christum Filium Dei æqualem esse Patri, sed & Spiritum sanctum Deũ esse penitus nõ credo, eò quòd nullis legatur Codicibus Deus esse: Heu, heu, heu, quàm iniquam sententiam, quàm prauam mentem? Et vbi est illud, quod Dominus ait: *Spiritus Deus est?* Et illud Petri, quod ad Ananiam ait: *Quid tibi visum est tentare Spiritum sanctum? Non es hominibus mentitus, sed Deo?* Vbi est illud, quod Paulus, mystica dona cõmemorans, ait: *Hæc enim operatur vnus atque idem Spiritus, diuidens vnicuique prout vult?* Qui enim operatur quod vult, nulli cognoscitur esse subiectus.

Gregorius Magnus. 590.

In professione fidei, quæ extat in eius vita apud Ioannẽ Diaconum lib. 2. cap. 2. Credo Spiritum sanctum nec genitum, nec ingenitum; sed coæternum de Patre & Filio procedentem.

Homilia 26. in Euangelia: Sanctum quoque Spiritum, qui cùm sit coæqualis Patri & Filio, non tamẽ incarnatus est, discipulis se mittere Filius perhibet.

Homilia 5. in Ezechielẽ: Quia Spiritus sanctus Deus ante secula Patri & Filio est coæternus, quærẽdum nobis est, cur discurrere dicatur, &c.

Isidorus Hispalensis. 620.

Lib. 1. de Summo bono, cap. 17. Spiritus sanctus Creator est, sicut Pater & Verbum: Spiritus sanctus Patris & Filij est, & inde vnum sunt Pater & Filius: quia nihil habet Pater, quod non habeat Filius.

Lib. 7. Originum, cap. 3. Spiritus sanctus ideo prædicatur Deus, quia ex Patre Filioq; procedit, & substantiam eorum habet. Neque enim aliud de Patre procedere potuit, quàm quod ipse est Pater.

Concilium Toletanum Quartum. 620.

Cap. 1. Patrem, Filium, & Spiritum sanctũ vnius deitatis atque substantiæ confitemur, in personarum diuersitate Trinitatem credentes, in diuinitate vnitatem prædicantes.

Concilium Toletanum Sextum. 630.

Cap. 1. Credimus & profitemur sacratissimam & omnipotentissimam Trinitatem, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, vnum Deum solum, nõ solitarium, vnius essentiæ, virtutis, maiestatis, & potestatis, vniusq; naturæ.

Eucherius Gallus. 640.

Lib. 1. in Genesin, cap. 1. Spiritus sanctus Deus est, qui non loco continetur aut distenditur, nec temporum mutationibus subiacet, sed est vbiq; præsens ac totus. Superferri autem Spiritus aquis dicitur; non peruagatione, sed potestate: non localiter, sed potentialiter: non per spatia locorum, sicut terrę sol superfertur, sed per potentiã sublimitatis suę.

Concilium Toletanum Vndecimum. 660.

In confessione fidei: Confitemur & credimus, sanctam & ineffabilem Trinitatem, Patrem, & Filiũ, & Spiritum sanctum, vnum Deum naturaliter esse, vnius substantiæ, vnius naturæ, vnius quoque maiestatis atque virtutis, &c. Pater omnipotens, & Filius omnipotẽs, & Spiritus sanctus omnipotens, singulariter dicitur: non tamen tres dij, sed vnus est Deus.

Agatho. 680.

Epistola ad Heraclium & Tiberium Augustos: Credimus & in Spiritum sanctum, Dominum & viuificatorem, cum Patre & Filio coadorandum, & conglorificandum: & Deum Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum sanctum confitemur: non tres Deos, sed vnum Deum, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum: non trium nominũ subsistentiam, sed trium subsistentiarum vnam substantiam: quorum vna essentia, siue substantia, vel natura, id est, vna Deitas, vna æternitas, vna potestas, vnum imperium, vna gloria, vna adoratio, vna essentialis eiusdem sanctæ Trinitatis voluntas & operatio, quæ omnia condidit, dispensat, & continet.

Beda. 700.

Ad caput 3. Marci: Neque ij, qui Spiritum sanctum non esse; neque qui hunc esse quidem, sed Deum non esse; neque qui hunc Deum quidẽ esse, sed

sed Patre Filioq; minorem credunt & cõfitentur, quia non inuidentia diabolica, sed humana ignorantia ducti faciunt hoc, irremissibilis blasphemiæ crimine tenentur.

Ad cap. 5. Act. *Nõ es mentitus hominibus, sed Deo.)* Supra dixerat eum mentitum Spiritui sancto. Patet ergo Spiritum sanctum esse Deum, & errorem Macedonij damnatum, priusquam natus fuisset.

Alcuinus. 750.

De Trinitate lib. 2. cap. 19. Spiritus sanctus sicut Pater & Filius, plenus est Deus & perfectus: imò vnus Deus cum Patre & Filio, atque vna substantia. Quoniam ipse est Spiritus sanctus, qui in Scripturis dicitur Spiritus Dei, vel Spiritus Christi, siue Spiritus Patris, siue Spiritus Paracletus, & Spiritus vitæ, qui cum Patre & Filio æqualiter adoratur; quia æqualiter Deus est.

Ambrosius Ansbertus. 760.

Lib. 1. in Apocalypsin: Spiritus sanctus est Patri & Filio consubstãtialis & coæternus, sedetq; in throno cum illis.

Paulus Aquileensis. 780.

Aduersus Felicem Vrgelitanum: Vna æqualis, & consubstantialis, & coæterna est Patris, Filijq;, & Spiritus sancti inenarrabilis diuinitatis maiestas, quia vnus est Deus. Vnionem namque in essentia confitemur; Trinitatem verò personarũ discretione prædicamus.

Haymo. 820.

Ad cap. 3. Oseæ: Spiritus sanctus non est extra Patrem & Filium, sed simul cum Patre & Filio vnus est Deus.

Ad caput 6. prioris ad Corinth. Idem est Spiritus sanctus, quod & Deus; & in quo habitat Spiritus sanctus, habitat Pater, habitat & Filius: quia sicut sunt vnius substantiæ, vniusq; Deitatis; ita inseparabiles sunt.

Ad caput 3. posterioris ad Corinth. Nemo qui fidem sanctæ Trinitatis habet, dubitat Spiritũ sanctum Deum esse, qui tertia persona est Trinitatis; & tamen nõ sunt tres Domini, sed vnus est Dominus: & scitur ab hominibus fidelibus Spiritu sancto dictante Legem & Euangelium conscriptum esse, ideoq; Spiritus sanctus Dominus est Legis & Euangelij.

Hincmarus Remensis. 840.

Epistola ad Tarraconensem Ecclesiam: Colũbas vendere, est de Spiritu sancto, quem Deus omnipotẽs consubstãtialem sibi, per impositionem manuum hominibus tribuit, cõmodum temporale percipere.

Rabanus Maurus. 850.

De vniuerso lib. 5. cap. 7. Secunda Synodus centum quinquaginta Patrũ sub Theodosio Seniore Constantinopoli congregata est, quæ Macedonium Episcopum, negantem Deum esse Spiritum sanctum, hæreticum condemnans, consubstantialem Patri & Filio Spiritum sanctum demonstrauit.

Concilium Vvormatiense. 860.

In confessione fidei: Spiritum sanctum, tertiam in Trinitate personam, vnum & æqualem cum Deo Patre & Filio credimus esse Deum, vnius substantiæ, vnius quoque naturæ.

Altercatio Synagogæ & Ecclesiæ. 890.

Genes. 1. Cap. 3. *Spiritus Dei ferebatur super aquas:* Spiritus iste bonitatis amor & vita est, virtus vna in Patre manens, & in Filio; vtpote Patri Filioq; consubstantialis: hic amor, hæc bonitas Creatoris Spiritus sanctus est.

Smaragdus. 950.

In Euangelium Dominicæ 3. post Pascha: *Quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis:* De his dixit, quæ ad ipsam Patris diuinitatem pertinent, in quibus ille est æqualis Patri, in qua est & Spiritus sanctus æqualis Patri & Filio: quia vna substantia, vna natura, vna maiestas, vna gloria, vna æternitas est Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Et est vnus Deus omnipotens, inuisibilis, incomprehẽsibilis omni creaturæ, Pater, Filius, & Spiritus sanctus.

Pelegrinus Laureacensis. 970.

In Symbolo: Spiritum sanctum, qui est tertia in Trinitate persona, vnum & æqualẽ cum Deo Patre & Filio esse credo Deum, vnius substantiæ, vnius quoque naturæ, nec tamen genitum, vel creatum; sed à Patre Filioq; procedentem, amborum esse Spiritum.

Rupertus Rex Franciæ. 1000.

In Sequentia de S. Spiritu: Veni sancte Spiritus, & emitte cælitus lucis tuæ radium. Veni Pater pauperum, veni dator munerum, veni lumen cordium: Consolator optime, dulcis hospes animæ, dulce refrigerium. O lux beatissima, reple cordis intima tuorum fidelium. Sine tuo numine, nihil est in homine, nihil est innoxium. Laua quod est sordidum, riga quod est aridum, sana quod est saucium.

Berno Augiensis. 1020.

Sermone in die Pentecostes: Iste sanctus Spiritus, cùm sit cum Patre & Filio vnius substantiæ, vnius naturæ, verus Deus, incomprehensibilis, inæstimabilis, indiuisibilis: tamen propter varia eius dona, septiformis gratiæ inscribitur, &c. Spiritus sanctus cum æterno Patre, eiusq; vnigenito Filio, vnus & verus Deus, viuit & regnat in secula seculorum.

Leo Nonus. 1050.

Epistola ad Petrum Antiochenum: Credo etiam Spiritum sanctum plenum & perfectum, verúmque Deum, à Patre & Filio procedentem, coæqualem, & coessentialem, & coomnipotentem, & coæternum per omnia Patri & Filio.

Guitmundus Auersanus. 1060.

De sacrosancta Trinitate: Coæternus Patri & Filio est Spiritus sanctus: quia vtrorumque vnã substantiam ipse amor inseparabilis, qui est eadem substantia semper vniuit.

Anselmus Cant. 1080.

Ad cap. 14. prioris ad Corinth. Spiritus sanctus, qui Deus est, & replet Prophetas, non est author dissensionis, aut discordię, sed pacis & concordiæ:

Hildebertus Cenomanensis. 1100.

Apud Vincentium Burg. lib. 25. cap. 114.

Paracletus increatus,
Neque factus, neque natus,
Patri consors Genitóque,
Sic procedit ab vtroque,
Ne sit minor potestate,
Vel discretus qualitate:
Quanti illi, tantus iste:
Ex quo illi, ex tunc iste:
Pater alter, sed gignendo:
Natus alter, sed nascendo:
Flamen ab his procedendo:
Tres in vnum subsistendo:
Quisque trium plenus Deus;
Non tamen Dei, sed Deus:
In hoc Deo vero
Tres & vnum asseuero.

Rupertus Tuitiensis. 1120.

De operibus Spiritus sancti lib. 1. cap. 3. Spiritum sanctum credimus & confitemur verum esse Deum & Dominum, Patri & Filio consubstantialem, & coæternum, id est, per omnia secundùm substantiam, quod Patrem & Filium; non eundem in persona, quem Patrem & Filium. Nam sicut alia Patris, & alia Filij, sic nihilominus alia est persona Spiritus sancti: diuinitas autem, & gloria, atque maiestas, quæ Patris & Filij, eadem nihilominus est Spiritus sancti. Et vt personę Filij, & huius Spiritus sancti proprietates alijs quoque discernamus vocabulis, sicut Filium Verbum Patris dicimus, siue rationem, non vtique verbum affectiuum, neque affectatam rationem; sed substantiale Verbum, & rationem sempiternè & substantialiter viuentem: sic Spiritum sanctum dicimus Patris & Filij charitatem, siue amorem, non vtique accidentalẽ charitatem, nec aduentitiũ amorem; sed substantialem charitatem, & æternę substantiæ amorem.

Commentariorum in Ioannis cap. 1. lib. 2. Spiritus sanctus de illa mansione sua, in qua requiescit, satis firmo probat argumento, quòd Deus sit. Si enim Deus non esset, quomodo humano vel Angelico spiritui capabilis esset? Creatus namque spiritui alieno se infundere nullatenus potest, &c. Solus Creator Spiritus subtilitate sua capabilis est rationali spiritui, veluti creaturæ suæ: ille autem nullius est capax, nisi diuinæ atque creatricis substantiæ.

Bernardus. 1130.

Sermone 1. in Festo Pentecostes: Dulcissimũ quiddam in Deo Spiritus sanctus est, benignitas Dei, & idem ipse Deus.

Sermone de Passione Domini: Spiritus paracletus à te & Patre, par vtrique, in orbem terrę profunditur, omnia replens, omnia continens.

Guilhelmus Abbas S. Theodorici. 1130.

In meditationibus folio 69. Sicut orasti Christe Patrem, iturus ad passionem, hoc Spiritus sanctus operetur in nobis per gratiam, quod in Patre & Filio eius est ab æterno per naturam: vt sicut vos vnum estis, ita & nos in vobis vnum simus.

Petrus Lombardus. 1140.

Lib. 1. dist. 17. Spiritus sanctus, qui Deus est, ac tertia in Trinitate persona, à Patre & Filio procedit.

Petrus Cluniacensis. 1140.

Lib. 2. contra Iudæos, cap. 1. Et quidem par est Patri & Filio vtriusq; Spiritus.

Richardus Victorinus. 1140.

Lib. 6. de Trinitate, cap. 9. In eo quòd Spiritus sanctus Spiritus Dei dicitur, æterna de eo, qui æternus est, processio denotatur: immò & in eo ipso, quòd est ei de Deo æterna processio, in eo ipso inquã intelligi datur, quòd Deo cõsubstantialis sit: quia de Deo procedere, & æternitatem habere non potest, quod Deus non sit.

Hildegardis. 1160.

In explicatione Symboli Athanasij: Sed æternus est Spiritus sanctus, Patri & Filio coæternus, qui initio omni creaturæ adfuit, & eam inspirando motabilem fecit.

Adam Victorinus. 1180.

Prosa de sancto Spiritu:

Amor Patris, Filijq́,
Par amborum, & vtrique
Compar, & consimilis:
Cuncta reples, cuncta foues,
Astra regis, cælum moues,
Permanens immobilis, &c.
Par maiestas personarum,
Par potestas est earum,
Et communis Deitas.
Tu procedens à duobus,
Coæqualis es ambobus,
In nullo disparitas:
Quia tantus es, & talis;
Quantus Pater est, & qualis.

Innocentius Tertius. 1200.

Sermone 3. in Festo Pentecostes: Spiritus sanctus iste incunctanter est Patri & Filio consubstantialis & coæternus, sicut Ioannes Euangelista testatur: *Tres sunt qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus: & hi tres vnum sunt*: vnum in natura, vnum in nomine, vnum in potestate. 1. Ioan. 5.

Sermone 2. in Festo omniũ Sanctorũ: Spiritus sanctus est amor & delectatio ab vtroque procedens, sed nec posterior, nec minor, vtriq; consubstantialis, & coæternus vtrique.

De mysterijs Missæ, lib. 2. cap. 19. Pater, & Filius, & Spiritus sanctus sunt eiusdem naturæ.

Cæsarius Heisterbachius. 1220.

Lib. 8. cap. 36. Spiritus sanctus Deus est, tertia in Trinitate persona, à Patre Filioq; procedens æternaliter, ipsis consubstantialis, eiusdem sapientiæ atque potentiæ. Vnde in Psalmo: *Verbo Domini cæli firmati sunt, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Psal. 32.

Guilhelmus Aluernus. 1230.

De Retributionibus Sanctorum: Spiritus sanctus indubitanter est Deus vnus verus ac solus.

Vincentius Burgundus. 1240.

1. Parte Speculi, cap. 2. Est Spiritus sanctus æqualis vtriq; : quia ex summa liberalitate oportuit summum donum procedere. Ergo & summũ bonum est. Est etiam Deus: quia donum intrinsecus est, & quicquid est in Deo, Deus est.

Albertus Magnus. 1240.

In Euangelium Ioannis ad finem: Ad hæc mystica nobis viam sapientiæ Spiritus aperiat, qui cum Patre Verbi, & ipso Verbo, Deus trinus & vnus regnat per omnia secula seculorum. Amen.

Thomas Aquinas. 1250.

Contra Gentes lib. 4. cap. 19. Sanctarum Scripturarum testimonijs edocti, hoc firmiter de Spiritu sancto tenemus, quòd verus sit Deus subsistens, & personaliter distinctus à Patre & Filio.

In compendio Theologiæ, cap. 48. Spiritus sanctus, quo nobis insinuatur diuinus amor, non est aliquid accidentale in Deo: sed est res subsistẽs in essentia diuina, sicut & Pater & Filius. Et idcirco in regula fidei Catholicæ ostenditur coadorandus, & simul conglorificandus cum Patre & Filio.

Guilhelmus Peraldus. 1255.

In Summa virtutum ac vitiorum, de fide, cap. 19. De Spiritu sancto legitur Genes. 1. *Spiritus Domini ferebatur super aquas.* Et Iob 26. *Spiritus eius ornauit cælos.* Ex quo verbo patet, Spiritum illum esse Deum.

Vrbanus Quartus. 1260.

Paraphrasi in Psal. 50. Et Spiritus sanctus, non factus, non creatus, non genitus, sed à Patre & Filio procedens; qui ferebatur in principio super aquas, qui est Deus spirituum omnis carnis, qui locutus est per Prophetas. O Spiritus sancte Deus, qui es ignis non consumens, sed lucens; non comburens, sed vrens, vre renes meos, & cor meum. O ignis diuine, qui amor es afficiens, & ardor indeficiens, charitas, Deus meus, accende me.

Ægidius Columnius. 1270.

Lib. 1. Hexamer. cap. 12. Spiritus sanctus est verus Deus cum Patre & Filio.

Albertus Patauinus. 1300.

In præfatione Tom. 1. Quia in rebus tam altis humanum fallitur iudiciũ, nisi diuino Spiritu, qui ipsa verba edidit, exponantur, ante omnia eidem censeo esse supplicandum:

Spiritus alme veni, sine te non diceris vnquam,
Munera da linguæ, qui das in munere linguas.

Sermone 109. Pater est Deitatis principiũ, à quo Deus Filius, & Deus Spiritus sanctus procedunt.

Rainerus Pisanus. 1300.

In Pantheologia de Spiritu sancto, cap. 3. Spiritus sanctus est vnum perfectissimum, quo nihil maius excogitari potest. Et hoc ideo, quia Deus est. Quòd autem Spiritus sanctus Deus sit, & per consequens summum bonum & donum, probatur authoritate Ioannis 4. *Spiritus Deus est.*

Guido Rocherius. 1330.

In manipulo curatorum parte 3. de articulis fidei, cap. 1. Credere debemus Spiritum sanctum esse verum Deum.

Guido Carmelita. 1330.

In Summa, de Valdensibus cap. 21. Credere etiam oportet in Spiritum sanctum, qui est Deus tertia in Trinitate persona. Quia 1. Ioan. 5. *Tres sunt qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus: & hi tres vnum sunt* in substantia. Vnde Spiritus sanctus est Deus, *cuius nos templum sumus* 1. Cor. 12.

Thomas Argentinensis. 1350.

In lib. 1. Sentent. distinct. 18. q. 1. art. 4. Sicut Pater non est formaliter eo Pater, quo Deus: nam formaliter est Deus deitate, & Pater paternitate: sic Spiritus sanctus Deus est per diuinam essentiam, & naturam formaliter, donum autem est proprietate relatiua, &c. Spiritus sanctus eadem sua processione accipit, quòd Deus sit, & quòd sit donum, quamuis formaliter sit proprietate donũ, & natura Deus.

Petrus Aliacus. 1400.

Sermone secundo in die Pentecostes: Consideremus & laudemus magnificentiam venientis; quoniam magnus est & admirabilis Dominus, qui mittitur. Magnus in pietate, quia paracletus, id est, consolator pijssimus: magnus in veritate, de quo dicitur: *Ille docebit vos omnem veritatem:* magnus in potestate, vel in maiestate, quia *à Patre procedit.* Ideo Deus à Deo Patre, omnipotens à Patre omnipotente. Non enim Spiritus Patris expers esse poterit paternæ maiestatis, & suæ diuinæ potestatis. Venit ergo Dominus clemens, quia Spiritus pietatis: venit Dominus sapiens, quia Spiritus veritatis: venit Dominus potens, quia Spiritus diuinæ maiestatis.

Raimundus Sebundius. 1430.

In Viola animæ, cap. 7. Egregiè nunc confusus hinc Arius abscedit, qui impia voce ausus est dicere, Spiritum sanctum creaturam esse, & seruum Patris & Filij. Nam reuera necesse est, quòd amor, qui à Patre Filioq; procedit, sit infinitus: quia Pater amat Filium quantum potest, & è conuerso. Et quia Pater potest in infinitum amare, & Filius similiter. Igitur amor, qui est Spiritus sanctus, est infinitus, omnipotens, æternus, omnium rector & Dominus, & Patri & Filio coæqualis.

Ioannes de Turrecremata. 1460.

Super Decret. part. 1. dist. 15. c. inter cætera, n. 9. Synodus Cõstantinopolitana iustissimè atque sanctissimè Macedoniũ tanquam hæreticum condemnauit, asserens, & confitens Spiritum sanctum Deum verum esse, atque per consequens consubstantialem Patri & Filio. Hæc conclusio perfecta, vera, & Catholica euidentissimis sacræ Scripturæ testimonijs ostenditur.

Rupertus Lycius. 1470.

Sermone in Festo Pentecostes: Macedoniani Spiritum sanctum creaturam esse dixerunt: quos conuincimus testimonio Scripturarum sanctarum, ex quibus verissimè colligimus, quòd Spiritus sanctus est Deus, &c.

Pelbartus Themesvvarius. 1490.

Sermone 2. in die Pentecostes: Credere debemus quòd Spiritus sanctus æqualis est Deo Patri & Filio in potentia, in sapientia, & in omnibus proprietatibus communibus Deitatis, & per consequens æqualiter est adorandus. &c.

ARTICVLVS SEPTIMVS.

SPIRITVM SANCTVM NON SOLVM A PATRE, SED ETIAM A FILIO PROCEDERE.

NEGANT.

Anno post natũ Christũ 370. *EVNOMIVS Spiritum sanctum à Filio, non à Patre procedere voluit.* Basilius ad finem lib. 2. contra Eunomium.

430. Nestoriani in confessione fidei (quę extat in actis Concilij Ephesini, Tom. 2. cap. 31.) *Spiritus sanctus est Deus, vtpote eius substantiæ existens, cuius est Deus & Pater, ex quo etiam secundùm substantiam procedit.* Nos, *inquit Apostolus,* non Spiritum huius mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est. *Peculiari quadam ratione illum ab vniuersa creatura seiungens, Deoq́, ex quo propriè secundùm substantiam promanat, coniungens: Filium tamen non nominamus, neque per Filium substantiam suam sortitum dicimus.*

Cor. 2.

440. Theodoretus contra Cyrilli Alexandrini anathematismum nonum: *Proprium Filij semper consi-*

rebimus Spiritum; sanctum siquidem eiusdem cum eo naturæ, & ex Patre procedens est: si verò tanquam ex Filio, aut per Filium essentiam habere dicas, blasphemum hoc est, & tanquam impium aspernabimus. Credimus enim Domino dicenti: Spiritus qui ex Patre procedit. Ioan. 15

580. Rusticus Diaconus contra Acephalos: *Vtrum Spiritus sanctus à Filio sempiternè procedat, nondum perfectè habeo satisfactum.*

730. Ioannes Damascenus Orthodoxæ fidei lib.1.cap.11. *Spiritum sanctum ex Patre esse statuimus, & Patris Spiritum appellamus: at verò eum non ex Filio dicimus, sed Filij Spiritum nominamus.*

800. Nicephorus Constantinopolitanus epistola ad Leonem: *Spiritus sanctus ex Patre, non natiuitate, sed processione subsistentiam habens.*

860. Photius Patriarcha Constantinopol. publicè celebrata in Græcia Synodo definiuit, ac edito libro defendit, *Spiritum sanctum à solo Patre, non à Filio procedere.* Hugo Etherianus de processione Spiritus sancti lib.2.c.15. Nilus Thessal. ex quodam M.S.

900. Theophylactus ad caput 3. Ioannis: *Latini malè exponentes, quid sit Deum mittere Spiritum Filij sui, vel etiam nos habere Spiritum Christi, dicunt, quòd Spiritus etiam à Filio procedat. Cæterùm esse ex Filio Spiritum nulla Scriptura testatur, vt ne duo principia introducamus, Patrem & Filium.*

1050. *Michael Patriarcha Constantinopol. Imperatoris Græci patrocinio fretus, Pontificem Romanum cum suis excommunicatum esse proclamare cœpit, eò quòd in Symbolo addidissent illud* (Filioque procedit) *sibiq; primatum Ecclesiæ arrogauit.* Leo nonus epist. ad Constant. Monomachũ, Ansel. de process. Spiritus sancti, Sigebertus de anno 1054. *Græci cæteri, hunc Patriarcham secuti, Spiritum sanctum à solo Patre procedere insonant, & Romanam Ecclesiam excommunicant.* Hermannus Gigas in Chronicis.

1060. *Nicetas librum contra Latinos edidit, quo asserit Spiritum sanctum à solo Patre, non item à Filio procedere.* Seruatur Romæ in Bibl. Vaticana: citatur, & refutatur ab Hugone Etheriano.

1080. Euthymius ad caput 16. Ioannis: *Vide quòd mittit quidem Spiritum & Filius, tanquam eiusdem cum Patre honoris, verùm à Patre puta procedentem. Procedit itaque à Patre tanquam de eius substantia.*

1140. *Nicolaus Methonensis contra Latinos edito libro similiter asserit Spiritum sanctum à solo Patre, & non à Filio procedere.* Liber seruatur Romæ: citatur, & refutatur ab Hugone Etheriano.

1260. *Nicolaus Cabasilas scripsit contra Thomam Aquinatem de Spiritus sancti processione à solo Patre.* Liber seruatur Romæ, cui respondit Demetrius Cydonius Græcus Græco.

1300. Nicephorus Callistus in Synopsi de Trinitate: *Mens, & Verbum, & Spiritus ex Patre solo.* In dedicatione historiæ laudat Andronicum seniorem Palæologum, *quòd liquidò declarauerit Spiritus sancti processionem à solo Patre, & non à Filio.*

1439. *Græci in Concilio Florentino Spiritum sanctum primùm à solo Patre procedere contendunt: deinde Latinorum argumentis victi, etiam à Filio procedere fatentur. Postea in Græciam reuersi, priorem opinionẽ mordicus defendunt.* Laonicus Chalcocondylas de rebus Turcicis, lib.6.

1460. *Ioannes de VVesalia non credit Spiritum sanctum procedere à Patre & Filio, tanquam ab vno principio: quia appareat sibi, quòd non possit in textu sacræ Scripturæ inueniri.* Fasciculus rerum expetendarum & fugiendarum, Coloniæ impressus, In examine Ioannis de VVesalia.

1540. Petrus Martyr in epist. ad Romanos ait, *Disputationem inter Theologos de processione Spiritus sancti esse meram Scholasticam contentionem.*

1550. Ioannes Cazonouius epistola ad Ioannem Caluinum, *Spiritum sanctum ex Patre & Filio procedere* ex professo negat.

1566. Valentinus Gentilis Protheſi 36. & 37. contendit, *solum Patrem esse essentiatorem Filij, & Spiritus sancti.*

1572. Ioannes Sommerus contra Petrum Carolium, lib. 2. cap. 1. *Dicat Carolius, quomodo ex Patre & Filio mutuò sese amantibus, procedat ὑποστατικὸν πνεῦμα: Filio, & Spiritu, vel Patre se amantibus, nihil procedat? Item quomodo Spiritus sancti proprietas erit procedere, cùm Christus quoque dicatur procedere à Patre: imò cùm de pluribus aliis rebus, etiam de diabolis hoc ipsum Verbum dicat?*

1580. Christianus Francus libro contra Trinitatem Cracouiæ impresso: *Finxerunt Spiritum sanctum ὁμοούσιον quidem esse Patri & Filio, & ab vtroque productum, non tamen genitum: quam commentitiam fictamq; doctrinam communis totius sacræ Scripturæ refellit consensus.*

ASSERVNT SACRÆ LITERÆ.

Ioannis 10. *Vers.* 30. Ego & Pater vnum sumus.

Ioannis 15. 26. Cùm venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre, qui à Patre procedit.

Ioannis 16. 14. Ille *(Spiritus sanctus)* me clarificabit: quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis.

Ioannis 20. 22. Insufflauit *(Iesus,)* & dicit eis: Accipite Spiritum sanctum.

Roman. 8. 9. Vos autem in carne non estis, sed in Spiritu: Si tamen Spiritus Dei habitat in vobis. Si quis autem Spiritum Christi non habet, hic non est eius.

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Gregorius Neocæsarienſis. 260.

In Confessione fidei: Vnus Spiritus sanctus ex Deo ortum & existentiam habens, qui per Filium apparuit, imago perfecta Filij perfecti.

Eusebi-

Eusebius Cæsareensis. 320.

Vitæ Constantini lib.1.cap.2. Benignissimus etiam Dei Patris ac Filij eius afflatus mihi adsit ea dicenti.

Athanasius Alexandrinus. 340.

In Symbolo: Spiritus sanctus à Patre & Filio non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.

Epist.1.ad Serapionem de Spiritu sancto: Quoniam enim, vt ipse Dominus ait, *non à seipso loquetur Paracletus, sed quæcunque audierit loquetur, quoniam ex me accipiet, & annuntiabit vobis,* & cùm insufflasset in eos, dedit illum ex se discipulis, ita & Pater effudit illum super omnem carnem, sicut scriptum est: ideo sanè prius de Filio Dei congruenter mihi tũ dictum est, tum scriptum, nimirum vt ex cognitione Filij valeamus & Spiritus sancti rectam habere cognitionem. Qualem proprietatem Filium cognouimus habere cum Patre, eandem comperiemus & Spiritum sanctum habere cum Filio: & quemadmodum Filius dicit: *Omnia quæcunque habet Pater, mea sunt.* sic hæc omnia comperiemus esse per Filium in Spiritu sancto. Et quemadmodum Pater ostendit Filium dicens: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacitum est:* sic Filij est Spiritus: *Emisit* enim, inquit ad Romanos Apostolus, *Spiritum suum in cordibus nostris, clamantem, Abba, Pater.* Et quid admirabilius est, quemadmodum Filius dicit: *Quæ mea sunt Patris sunt?* sic Patris est Spiritus sanctus, quemadmodum dictus est Filij, &c. Ioan. 16. Ioel. 2. Rom. 8. Ioan. 14.

Sermone 4.contra Arianos: Non tria principia, aut tres Patres introducimus, sicut Marcionistæ: cùm nõ tres soles ad comparationem adducamus, sed vnicum solem, eiusq; splendorem, vnicamq; ex ambobus lucem.

Oratione de Concilio Nicæno: Mitto Apostolos in mundum, non in virtute hominis, sed in virtute Spiritus sancti, ex mea essentia profluentis, &c. Credendum est Spiritui sancto, quòd sit veritas Patris & Filij, coëssentialis vtrique, de essentia eorum profluens.

Didymus Alexandrinus. 360.

Libro 2.de Spiritu sancto: Saluator, qui & veritas, de Spiritu ait: *Non enim loquetur à semetipso,* hoc est, non sinet meo & Patris arbitrio; quia inseparabilis à mea & Patris est voluntate: quia non ex se est, sed ex Patre & me est. Hoc enim ipsum, quòd subsistit & loquitur, ex Patre & me illi est. *Ego veritatem loquor,* id est, inspiro quæ loquitur: siquidem Spiritus veritatis est, &c. Licet à Patre procedat Spiritus veritatis, & det illis Deus Spiritum sanctum petentibus se: tamen quia omnia, quæ habet Pater, mea sunt, & ipse Spiritus Patris meus est, & de meo accipiet, &c. Idem Spiritus Dei, & Spiritus Christi est, deducens & copulans eum, qui in se habuerit Dominum Iesum Christũ. Vnde & in consequentibus scribitur: *Si quis Spiritum Christi non habet, hic non est eius.* Sed & in epistola Petri, Spiritus sanctus esse Christi Spiritus comprobatur: *Scrutantes,* inquit, & inquirentes, id est Prophetæ, de quibus ei fuerat sermo superior, in quo ait: *quale tempus significat is, qui eis erat Spiritus Christi.* 1 Pet.1.

Basilius Magnus. 370.

Aduersus Eunomium lib.2. Illud verò cui non patet, quòd nulla Filij operatio à Patre diuisa est? Nec est aliquid in rebus, quod Filio insit, & à Patre alienũ sit. *Omnia,* inquit, *mea tua sunt, & tua mea.* Quomodo ergo Spiritũs causam & originem Vnigenito soli attribuit, & ad eius accusandam naturam huius creationem accipit? si igitur duo principia, in oppositum inter se ducens hæc ait, cum Manichæo & Marcione conteretur. Quòd si ab vna dependere ac prodire omnia putas, quod à Filio factum esse dicitur, ad primã refertur causam. Quare etsi cuncta producta per Deum Verbum credimus, omnium tamen esse causam Deum totius non negamus. Quo pacto autem Spiritum à Deo diuidere non habet manifestum periculum? partim Apostolo coniunctim nobis tradente, & modò Christi Spiritum dicente, & modò Dei, vbi scribit: *Si quis Spiritum Christi non habet, hic non est eius.* Et rursus: *Vos autem, qui non Spiritum mundi accepistis; sed Spiritum, qui ex Deo est.* Partim verò Domino, quoniam ipse veritas est, Spiritum veritatis dicente à Patre quoque procedere. At hic in destructione maiestatis Domini nostri Iesu Christi à Patre quidẽ Spiritũ remouet, Vnigenito verò in maiestatis demolitionem attribuit, non parua, vt arbitratur, vituperatione afficiens.

Libro 3. Cur necesse est (*inquit respondens ad consequentiam Eunomij*) si dignitate & ordine tertius est Spiritus sanctus, natura quoque ipsum tertium esse? Dignitate namque ipsum secundum esse à Filio, cùm ab ipso esse habeat, & omninò ab illa causa dependeat, pietatis ratio tradit: naturæ verò tertiæ, neque ex sanctis Scripturis didicimus, neque ex prædictis possibile est colligere. *Sic citãtur hæc in Concilio Florentino.*

Græci in Concilio Florẽtino Seß.20. respondebãt in omnibus Græcis codicibus illa verba: Cùm ab ipso esse habeat, & omninò ab illa causa dependeat, *non haberi; ac proinde Codices Latinos corruptos esse. Sed Latini ostenderunt Græcum codicem ante 600. annos scriptum, in quibus ea sententia continebatur.*

Et certè continetur ea etiam in verbis, quæ è vestigio sequuntur: Nam quemadmodum Filius ordine quidem à Patre secundus est, quoniam ab illo est & dignitate, quoniam origo & causa essendi Pater ipsi est, natura verò nullo modo secundus; quoniam in vtroque vna est deitas: ita Spiritus sanctus, etsi dignitate & ordine secundus à Filio est, non tamen alienæ ipsum naturæ esse inde consequitur.

Cyrillus Hierosolymitanus. 370.

Catechesi 17. Diuersæ quidem sunt Spiritus appellationes, sed ipse vnus tantùm est, atque idem Spiritus sanctus, viuens & subsistens, qui vbique Patri & Filio adest: non qui ab ore & labijs Patris & Filij eloquendo formetur, vel effletur, aut in aërẽ diffundatur, sed substantialis loquens ipse & operans, administrans & sanctificans: sed per stabilem tamen & consonam vnius existentis salutaris administrationis in nos, quæ fit à Patre per Filium cum Spiritu sancto.

Gregorius Nazianzenus. 380.

Oratione 49.seu Tractatu de fide: Misit nobis Christus Spiritum sanctum de propria sua, & ex vna eademq; substãtia, protectorem, signatorem, & ductorem in vitam æternam, sicut scriptum est ex voce Dei: *Effundam de Spiritu meo super seruos meos, & ancillas meas.* Et iterum: *Spiritus ex me prodiet.* Et ipse Dominus Saluatorq; noster, *De meo,* inquit, *accipiet.* Ioel.2. Ioan. 16.

Gregorius Nyssenus. 380.

Homil.3.super Pater noster: Filius Spiritus neq; est, neque dicitur: neque hæc relatiua consequentia conuertitur: sed Spiritus Filij dicitur, qui ab eo accipit, ab eoq; procedit, & ex eo est, quemadmodum ex Patre. *Citat Gennadius de processione Spiritus sancti cap. 1. & 2.*

Homil.4. Vnigenitus Filius ex Patre à sacra Scriptura nominatur, & hucusque Verbum suam constituit proprietatem, sanctus autem Spiritus, & ex Patre dicitur, & ex Filio præterea esse ostenditur. *Si quis Spiritum Christi,* dicit, *nõ habet, hic non est eius.*

Subiungit Gennadius: Etsi quidam aduersus propriam salutem ingenioſi verbum ex quibusdam

libris

libris stylo ferreo adhibito deleuerunt, quidam tamen reperiuntur codices, qui aduersus adulterantium audaciam clamant.

Epiphanius. 380.

In Ancorato: Spiritus sanctus non genitus, non creatus, non Filius, sed ex eadem essentia Patris & Filij, &c. Spiritus Dei, & Spiritus Patris, & Spiritus Filij, nō iuxta aliquam compositionē, quemadmodum in nobis corpus & anima, sed in medio Patris & Filij, ex Patre & Filio tertius nomēclatura, &c. Vita est totus Deus. Igitur vita ex vita est Filius. *Ego* enim *sum*, inquit, *Veritas, & vita.* Spiritus autem sanctus ab vtrisque Spiritus ex Spiritu, &c. Spiritus sanctus Spiritus veritatis est, lux tertia à Patre & Filio, &c. Sanctus Spiritus solus appellatur à Patre & Filio Spiritus veritatis, & Spiritus Dei, & Spiritus Christi, & Spiritus gratiæ, &c. Si itaque à Patre procedit, & *ex meo*, inquit Dominus, *accipiet*, quemadmodū *nemo nouit Patrem, nisi Filius; neque Filium, nisi Pater:* sic ausim dicere, quòd neque Spiritum, nisi Pater & Filius, ex quo procedit, & à quo accipit; & neque Filium & Patrem, nisi Spiritus sanctus, qui verè glorificat, qui docet omnia, qui testificatur de Filio, qui ex Patre & Filio, solus est dux veritatis.

Ioannes Chrysostomus. 400.

Homilia 1. in Symbolum Apostolorum: Iste est Spiritus procedens de Patre & Filio, qui diuidit propria dona singulis prout vult.

Hom. 2. Istū Spiritū sanctū dicimus Patri & Filio esse coæqualē, & procedentē de Patre & Filio, &c. Ecce & in Spiritum sanctū credimus, qui Spiritus sanctus, procedens de Patre & Filio, charitate coniungitur.

Philo Carpathius. 420.

In Cantica, paulo ante finem: Ipse enim dixit: *Non relinquam vos orphanos, sed vado, & venio ad vos; vado* corpore, *venio* Spiritu, qui à me semper Patréque procedit, deriuatur, & spirat.

Seuerus. 420.

In Catena Græcorum in Iob, cap. 33. Etsi enim per Filium Pater cuncta fabricatus est, sanè in Spiritu sancto, qui secundùm naturam proprius est Vnigeniti.

Cyrillus Alexandrinus. 430.

De recta in Deum fide, ad Theodosium Imperatorem: Immittit Christus Spiritum baptizatis, non alienum, sed eum, qui ex illo, & per illum est.

De recta in Deum fide ad Reginas, lib. 2. De eo, quòd Christus per paternam virtutem resurrexisse dicitur, ipsa viuificatio, vel exuscitatio, nō ad ipsam corporis naturam, licet illud Verbo ex Deo genito proprium extiterit, sed ad suprema illam virtutem, hoc est ad eam naturam iure meritoq; referenda est, quæ omnem excedit creaturam. Hoc totum tamen in persona Dei Patris, ex quo prodit Filius, per omnia illi æqualis, & similis: procedit autem per vtrosque & viuificus quoque Spiritus.

Lib. 13. Thesauri cap. 1. Quoniam igitur vita secundùm naturam Filius est, & Spiritus etiā sanctus, quem ipse largitur, viuificat: necesse est omninò confiteri Spiritum sanctum ex substantia Patris & Filij esse, totamq; ipsius virtutem atque operationem habere.

Cap. 2. Ex Filio naturaliter ac essentialiter Spiritum sanctum, sicut ex Patre prouenire credimus, per quem Filius omnia inungens sanctificat.

Lib. 9. in Ioannem, cap. 44. Alium Paracletum Spiritum appellat, non quia consubstantialis Patri & sibi non sit, sed quia in propria persona esse intelligitur. Spiritus enim nec Pater, nec Filius est, sed Patris atque Filij. Alium autem Paracletum dicit, quia & ipse Paracletus est, nec tamen aliud quicquā in Sanctis Spiritus operatur, quàm ipse Filius, cuius & est, & appellatur Spiritus, &c. Quomodo ergo, si alienus à substantia Patris Filius est, vt isti dicunt, Pater veritatis, hoc est Filij Spiritum, non vt alienum, sed vt proprium largitur? Nullus enim ambigit, quin Filij Spiritus sit. Quomodo rursus, si alienus à substantia Patris Filius est, Patris Spiritum, vt suum præbet? Scribitur enim quia sufflauit discipulis dicens: *Accipite Spiritum sanctum.* Nonne igitur dicendum est, imò autem omninò credendum, quia vnà cum Patre naturalibus deitatis bonis substantialiter Filius communicet, eodem modo Spiritum habet, quo habere Pater intelligitur, non aduentitium, neque deforis: stultū enim, & furiosum est, ita sentire: sed quemadmodum vnusquisque nostrum proprium in seipso spiritum continet, & ab internis visceribus ad exteriora profundit: Propterea Christus corporaliter sufflauit, ostendens hoc signo, quia quemadmodum ab ore humano corporaliter humanus spiritus procedit: sic ex diuina substantia Deitati congruenter Spiritus, qui ab ea est, profunditur. Quando igitur ipse Spiritus Patris ac Filij est, quomodo Pater atque Filius vnam potestatem distinctè simul atque cōiunctim non habebunt? Ioan. 20

Lib. 10. cap. 33. Cùm *Spiritum veritatis*, id est, suum, (ipse enim veritas est) Paracletum appellauerit, ex Patre ipsum procedere ait. Nam sicut Filij Spiritus est naturaliter in ipso manens, & per ipsum procedens: sic certè Patris quoque Spiritus est. Quibus autem Spiritus communis est: ij profectò substantialiter disseparari non possunt. Nemo enim impiorum nos ad ea, quæ intelligere nefas est, verbis suis impellere conetur. Nemo, inquam, Spiritum Patris per Filium, vt per ministrum, mitti ad creaturas credat. Credere namque debemus, quoniam Spiritus sic proprius Filij est, sicuti sanè ipsius quoque Dei Patris: idcirco ad sanctificationem suorum discipulorum ab eo mitti.

Dialogo cum Hermia lib. 6. *Cyrill.* Vnius naturę vnus etiam Spiritus, & procedit quidem quasi à fonte Patre; est autem non alienus & à Filio, proprietatem omnium habens in seipso, &c. *Herm.* Et quæ erit horum fides, vel quomodo manifestè discerem, quòd Spiritus sanctus proprius sit Filij, sicut scilicet Patris? *Cyrill.* Nō aliena, sed ipsum Christum afferam dicentem: *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò; quando autem venerit ille Spiritus veritatis, deducet vos in omnem veritatem. Non enim loquetur à semetipso, &c.* An non intelligentes sermo ille sufficientibus argumentis docet, quòd proprium quidem dicat *Paracletum* Spiritum enim veritatis nominauit illum, non alia autem ab ipso est veritas. Adijciens, *quia de meo accipiet*, substantialem & naturalem proprietatem ostendit euidenter, secundùm quam vnus est cum ipso Spiritus eius. Non enim participatiuè sapientem fore ab ipso Spiritum dicit, neque ministrorum modo Filij sermones allaturum; sed quasi si quis fragrantissimus flos suum diffunderet odorem, & circumstantium sensibus se infundens dicat: *De meo accipiet*, naturalem proprietatem significaret, & non aliquid quasi participās discretim: sic intelligas de Filio & Spiritu. Spiritus enim sapientiæ & virtutis existens, sapientia omninò & virtus est, totam ex toto efficaciam emittentem, in seipsa conseruans, & quasi in propria natura bene ostendens eam, cuius scilicet. Postquam autem dixit: *De meo accipiet*, apposuit necessariò: *Omnia, quæcunque habet Pater, mea sunt: Propter hoc dixi vobis, quòd de meo accipiet*, &c. Quòd autem

autem Patris Spiritus, Spiritus est Filij, ipse per seipsum erudiat, dicens: *Quādo venerit Paracletus, quem ego mittam vobis.*

Synodus Alexandrina. 430.

Epistola ad Nestorium: Etsi Spiritus in propria persona subsistat, eatenusq; in seipso consideretur, quatenus Spiritus est, & non Filius; non est tamen ab eo alienus, quandoquidem *Spiritus veritatis* nominatur: Christus autem veritas est: sed & perinde quoque ab illo atque à Deo Patre procedit.

Hanc Epistolam probant Concilium Ephesinum, Synodus 4. act. 1. & 5. Synodus 5. act. vltima. Synodus 6. act. 17. Synodus 7. act. 7.

Anastasius Synaites. 580.

Lib. 1. de recta fidei dogmatibus: A corpore quasi exemplari proprietate accepta, diuinorum connexionem ostendimus per membrorum proportionem ac similitudinem: sic & Spiritus oris eius Spiritus sanctus dicitur, cùm os sit Vnigenitus, & Spiritus rursus ex eo procedens, non solùm à Patre, sed etiam à Filio missus: atque Dominus semet esse ostendens discipulis insufflans dicebat: *Accipite Spiritum sanctum.*

Athanasius Syrus. 760.

De passione imaginis Christi, cap. 4. Vnus est Deus Pater, & ipse ingenitus: vnus Filius, & ipse vnigenitus; vnus Spiritus sanctus ab vtroque procedens, per quem nos veraciter credimus esse saluandos.

Tarasius Constantinopolitanus. 780.

Epistola ad Patriarchas Orientis: Credimus in Spiritum sanctum, qui ex Patre per Filium processit.

Leo Imper. cognomento Philosophus. 880.

Epistola ad Omarum Regem Saracenorum: Dixit: *Ne timeas Moses. Ego sum Dominus Deus tuus,* creator tuus, lumen de lumine, Verbum de Patre, ex quibus Spiritus sanctus procedit.

Simeon Metaphrastes. 960.

In Martyrio Dionysij Areopagitæ, cap. 1. Et ne dicam singula, finem accepit corporeus aduentus, incipit clara manifestatio veritatis, & in cælum ascendit meus Christus, & ad sedem paternam reuertitur, &, qui ex ipso procedit, Spiritum demittit discipulis, vt essent duces Gentium infidelium.

Demetrius Cydonius. 1300.

Contra Nicolaum Cabasilam de processione Spiritus sancti, pro Thoma Aquinate, Græcus contra Græcum, librū scripsit, qui M. S. Græcè seruatur Romæ in Bibliotheca Vaticana.

Bessarion Episcopus Nicænus. 1439.

Oratione dogmatica habita ad Græcos in Synodo Florentina, cap. 7. Mittitur ex Filio ipsa Spiritus hypostasis, quæ & à Patre procedit, quemadmodum ab ipsis Euangelij verbis, & à Doctoribus probatum est. Quare si mitti, si emanare, si prodire, si profluere, si scaturire, si oriri Spiritum à Filio audimus, diuinam eius hypostasin intelligere necesse est: Diuinam autē Spiritus hypostasin ex Filio profluere, vel emanare, & reliqua, quonam alio modo possibile est, nisi Filius causa seu principium ipsius subsistentię Spiritus sit? *Deinde citans Epiphanij & Cyrilli testimonia:* Quid his, *inquit*, apertius? quid clarius dici potest? Nonne palam isti Doctores Filium quoque causam siue principium Spiritus ponunt? nonne docent ex eo quoque ipsum procedere? Quid igitur? Claudemusne aures nostras hisce authoritatibus, & testimonijs Sanctorum tam multis, tam apertis, tam diuinis, tā consonis inuicem, & veritati, & obstinato corde contrà hæc contendemus? At hoc non sapientum, non bonorum hominum proprium est, & eorum, qui dispensatores verbi, & mysteriorū Christi, & esse, & videri velint.

Gennadius Scholarius. 1450.

De processione Spiritus sancti, sectione 2. Itaque verè concluditur ex Patre & Filio procedere Spiritum sanctum, etiamsi vobis displiceat. Nam personam Patris ante Filij personam considerare, idq; causæ ratione; personam verò Filij ante personam Spiritus sancti, ratione quoque causæ, nihil aliud ostendit, quàm quòd solus Pater causa Filij est; Filius autem id à Patre accipiens, sicut alia naturalia bona eius, & ipse causa est Spiritus sancti. Itaque Pater & Filius ambo vna causa sunt processionis Spiritus sancti.

Zaga Zabo Æthiops. 1536.

In confessione fidei Aethiopicæ: Spiritus Patris Spiritus sanctus, Spiritus Filij Spiritus sanctus est; Spiritus autem sanctus Spiritus sui sine vlla diminutione, aut augmentatione. Is etenim Spiritus sanctus Paracletus, Deus viuus, qui ex Patre & Filio procedit.

Moses Mardenus Assyrius. 1552.

In professione fidei: Credo in Spiritum sanctum procedentem ex Patre & Filio, absque vlla diuisione in substantia ipsorum.

Siud, siue Sulaka Nestorianorum Patr. 1553.

In professione fidei: Credimus etiam in Spiritum sanctum Deum perfectum, qui ex Patre & Filio procedit, & cum Patre & Filio adoratur, & glorioſus prædicatur.

Gabriel Patriarcha Alexandrinus. 1595.

In confessione fidei: Spiritus sanctus à Patre Filióque æternaliter procedit, non sicut à duobus principijs, aut duabus spirationibus: sed ab vtroque, tanquam ab vno principio, & vnica spiratione.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Tertullianus. 200.

Aduersus Praxeam cap. 4. Hoc mihi & in tertium gradum dictum sit, quia Spiritum non aliunde puto quàm à Patre per Filium.

Cap. 8. Tertius est Spiritus à Deo & Filio, sicut tertius à radice fructus ex frutice, & tertius ex fonte riuus ex flumine.

Hilarius. 350.

De Trinitate lib. 2. De Spiritu sancto nec tacere oportet, nec loqui necesse est: sed sileri à nobis eorum causa qui nesciunt, non potest. Loqui autem de eo non est necesse: quia de Patre & Filio authoribus confitendus est. Et quidem puto an sit, non esse tractandum.

Lib. 8. Spiritus sanctus à Filio accipit, qui & ab eo mittitur, & à Patre procedit. Et interrogo, vtrum idipsum sit à Filio accipere, quod à Patre procedere? Quòd si nihil differre creditur inter accipere à Filio; & à Patre procedere. Certè idipsum atque vnum esse existimabitur à Filio accipere, quod sit accipere à Patre: Ipse enim Dominus ait: *Quoniam de meo accipiet, & annuntiabit vobis. Omnia quæcunque habet Pater mea sunt, propterea dixi, de meo accipiet.*

Sermone de Trinitate (apud Gennadium de processione Spiritus sancti:) Pater plenus Deus in seipso factus, Filius plenus Deus ex Patre genitus, Spiritus verò sanctus plenus Deus ex Patre & Filio procedens.

Ambrosius. 370.

De *Spiritu sancto ad Gratianum, lib. 1. cap. 10.* Non quasi ex loco mittitur Spiritus, aut quasi ex loco procedit, quando procedit ex Filio, sicut ipse Filius, cùm dicit: De *Patre proceſsi, & veni.* Omnes interficit opiniones, quæ ex loco ad locum possunt, sicut in aliquibus corporalibus æstimari, &c. Spiritus sanctus cùm procedit à Patre & Filio, non separatur à Patre, non separatur à Filio. Quomodo enim separari potest à Patre, qui Spiritus oris eius est? Ioan. 10.

De *dignitate humanæ conditionis, cap. 2.* Sicut ex Patre generatur filius, & ex Patre Filióque procedit Spiritus sanctus: ita ex intellectu generatur voluntas, & ex his item ambobus procedit memoria, sicut facilè à sapiente quolibet intelligi potest.

Martinus Turonensis. 370.

In Symbolo: Existens diuinæ naturæ lucis Spiritus, à seſe per naturam, per substantiam maiestatis, potestatis, virtutis, diuinę lucis, Spiritus vnus in duobus, & vterque in idipsum, Pater in Filio, Filius in Patre, vterque in Spiritu sancto.

Damasus. 370.

In confeſsione fidei ad Paulum Antiochenum: Credimus Spiritum paracletum neque Patrem, neque Filium; sed ex Patre procedẽtem & Filio. Est igitur ingenitus Pater, genitus Filius, nõ genitus Paracletus, sed ex Patre procedens & Filio.

Philastrius. 380.

Cap. 45. de hæresi triformem Deum faciente: Est ergo vera persona Patris, quæ misit Filium; & est vera persona Filij, quæ aduenit de Patre; & est vera persona Spiritus, quæ à Patre & Filio missa est.

Hieronymus. 390.

Dialogo 2. aduersus Pelagianos, cap. 6. Nota quod Spiritus Iesu Spiritus sanctus sit, qui in alio loco, propter vnitatem substantiæ, Patris Spiritus appellatur. *Volunt loqui in Asia, & prohibentur à Spiritu sancto: tentant ire in Bithyniam, & non eos permittit Spiritus Iesu:* satis importunè, si eis faciendi, vel non faciendi semel dederat liberi arbitrij potestatem.

Augustinus. 400.

De Trinit. lib. 4. c. 20. Non possumus dicere, quòd Spiritus sanctus & à Filio non procedat; neque enim fruſtra idem Spiritus & Patris, & Filij Spiritus dicitur: nec video quid aliud significare voluerit, cùm sufflans in faciem discipulorum ait: *Accipite Spiritum sanctum.* Neq; enim flatus ille corporeus, cum sensu corporaliter tangendi procedens ex corpore, substantia Spiritus fuit, sed demonstratio per congruam significationem, non tãtùm à Patre, sed & à Filio procedere Spiritum sanctũ. Quis enim dementissimus dixerit aliũ fuisse Spiritum, quem sufflans dedit, & alium quem post ascensionem misit? Ioan. 20.

Lib. 15. cap. 26. Quapropter qui potest intelligere sine tempore generationem Filij de Patre, intelligat sine tempore processionem Spiritus sancti de vtroq;, &c. Et sicut Pater habet in semetipso, vt de illo procedat Spiritus sanctus, & vtrumq; sine tẽpore, atque ita dictum Spiritum sanctum procedere de Patre, vt intelligatur, quòd etiam procedit de Filio, de Patre esse & Filio.

Tractatu 90. in Ioannẽ: Hîc aliquis forsan quærat, vtrum & à Filio procedat Spiritus sanctus? Cur non credamus, quòd & de Filio procedat Spiritus sanctus, cùm & Filij sit Spiritus?

Aduersus Maximinum Arianum lib. 3. cap. 14. Spiritus est vtriusque, quoniã de vtroq; procedit: sed ideo, cùm de illo Filius loqueretur, ait: De *Patre procedit:* quoniam Pater processionis eius est auctor, qui talem genuit Filium, & gignẽdo ei dedit, vt etiam de ipso procederet Spiritus sanctus. Nã nisi procederet & de ipso, non diceret discipulis: *Accipite Spiritum sanctum*, eumq; insufflando daret, vt à se quoque procedere significans apertè ostenderet flando, quòd spirando dabat occultè. Ioan. 15. Ioan. 20

Concilium Toletanum Primum. 402.

In confeſsione fidei: Credimus in Spiritũ quoq; paracletum, qui nec Pater sit ipse, nec Filius; sed à Patre Filioq; procedens: Est ergo ingenitus Pater, genitus Filius, nõ genitus Paracletus, sed ab vtroque procedens.

Paulinus Nolanus. 420.

Natali 9. ——— *seditq; Parenti*
Dexter, & in seruos cælestia dona profudit,
Spiritum ab Vnigena sanctum & Patre procedentem.

Arnobius Iunior. 440.

De *Deo trino & vno*: Filius idem fons vitæ simul cum fluuio eodem Spiritu sancto procedente ex Patre & Filio, circuit vniuersa orbis terræ spatia, &c. Cauendũ est sanè, ne scelerati Sabellij sensum incurrens, Patrem, & Filium, & Spiritũ sanctum sic vnum Deum credas, vt non putes Patrem verũ Filij genitorem, & vnigenitum verum Patris Filium, procedentem ex Patre & Filio non credas Spiritum sanctum. Pater est, qui dicit de Filio: *Ante Luciferum genui te.* Filius, qui dicit: *Ante omnes colles generauit me.* ipsum autem Spiritum sanctũ, qui procedit ex Patre & Filio, sicut & de fonte & vena fontis procedens fluuius, Deum esse Paulus Apostolus euidenter ostendit. Pſal. 109. Prou. 8.

Leo Magnus. 445.

Sermone primo de Pentecoste cap. 3. Cùm de Patre sit Filius vnigenitus, & Spiritus sanctus Patris Filijq; sit Spiritus, non sicut quæcunque creatura, quę & Patris & Filij est; sed sicut cum vtroque viuens, & potens, & sempiternus, & ex eo quod est Pater Filiusq; subsistens.

Sermone 2. cap. 2. Sempiternum est Patri consempiterni sibi Filij sui esse genitorem: sempiternum est Filio intemporaliter à Patre esse progenitum: sempiternũ quoque est Spiritui sancto, Spiritum esse Patris & Filij.

Epistola 93. ad Turibium cap. 1. Priscillianistæ impiè sentiunt de Trinitate diuina, qui & Patris, & Filij, & Spiritus sancti vnam atque eandem asserunt esse personam, tanquam idem Deus nunc Pater, nũc Filius, nunc Spiritus sanctus nominetur: nec alius sit qui genuit, alius qui genitus est, alius qui de vtroque processit.

Eucherius Lugdunensis. 450.

In quæstionibus veteris & noui Testamẽti in Genesin: Spiritus sanctus nec genitus, nec ingenitus: ne si ingenitum dixerimus, duos Patres dicere videamur; & si genitum, duos Filios: sed potiùs qui ex Patre & Filio procedat, velut quædam Patris & Filij concordia.

Dominica prima post Ascensionem: Paucis verbis in hoc loco Spiritus sanctus & à se venire, & à Patre Filioq; procedere ostenditur. In eo enim, quòd dicitur: *Cùm venerit*, à seipso ostenditur: in eo verò, quòd Dominus ait: *quem ego vobis mittam à Patre*, ab vtroq; procedere monstratur. Quid est enim: *Quem ego mittam vobis à Patre*, nisi quem Pater & ego mittam vobis? Ab vtroq; enim mittitur, qui ab vtroque procedit. Sed quia Pater à nullo, Filius à Patre, Spiritus sanctus à Patre & Filio: ideo Dominus ait: *Qui à Patre procedit.*

Prosper. 460.

De *vita contemplatiua lib. 1. c. 18.* Spiritus sanctus à Patre Filioq; procedit.

In

In Sententijs cap. 103.

Vna trium deitas, vna est essentia cunctis,
Idem est & Verbi Spiritus atque Patris.

Ferrandus Diaconus. 500.

Regula 5. Pater vnius Filij Pater est: Filius vnius Patris est Filius: Spiritus sanctus & Patris & Filij est Spiritus. Ad solum Patrem generatio, ad solum Filium natiuitas, ad solum Spiritum sanctum pertinet de vtroque processio.

Fulgentius. 500.

Responsone 3. ad Ferrandum Diaconum: Non potuit Spiritũ sanctũ diuinitas Filij accipere, cùm ipse Spiritus sanctus sic procedat à Filio, sicut procedit à Patre; & sic detur à Filio, sicut datur à Patre; nec illa natura, vnde Spiritus sanctus habet originem, potuit vel expectare, vel accipere largitatẽ. Spiritus ille totus est Patris, totus est Filij, quia vnus naturaliter est Spiritus Patris & Filij: proinde totus de Patre procedit & Filio, totus in Patre manet & Filio; quia sic manet, vt procedat; sic procedit, vt maneat.

De fide ad Petrum, c. 11. Firmissimè tene, & nullatenus dubites, eundem Spiritum sanctum, qui Patris & Filij vnus est Spiritus, de Patre & Filio procedere, &c.

Paschasius Diaconus. 500.

Lib. 1. de Spiritu sancto, cap. 8. Spiritus sanctus ex vtroque procedit, ideo dicit: *Qui autem Spiritũ Christi non habet, hic non est eius.* Et alio loco: *Insufflauit, & dixit: Accipite Spiritum sanctum.*

Boëtius. 500.

Lib. 1. de Trinitate: Cogitemus processisse quidem ex Patre Filium Deum, & ex vtroq; Spiritum sanctum.

Hormisda. 510.

Epistola 76. ad Iustinum Imperatorem: Proprium est Patris, vt generaret Filium: propriũ est Filij Dei, vt ex Patre Patri nasceretur æqualis: proprium est Spiritus sancti, vt de Patre & Filio procederet, sub vna substantia deitatis.

Cassiodorus. 540.

In Psalmum 50. Proprium est Filio, quòd naturaliter à Patre est generatus: proprium est Spiritui sancto, quòd à Patre & Filio procedit.

In Psal. 58. Hæc propria vnus Deus sancta Trinitas habet, quòd Pater ingenitus, Filius genitus, Spiritus sanctus à Patre & Filio procedit.

Concilium Toletanum Tertium. 580.

Cap. 1. Quicunque Spiritum sanctum non credit à Patre & Filio procedere, eumq; non dixerit coæternum esse Patri & Filio, & coëssentialem, anathema sit.

Agnellus. 580.

Ad Arminium de ratione fidei: Ex Patre Filius, ex Patre & Filio procedit Spiritus sanctus: Pater omnipotens genitor est Filij, ex Patre & Filio procedens virtus, qui est Spiritus sanctus.

Gregorius Magnus. 590.

In confeſsione Fidei: Credo in Patrem ingenitum, Filium vnigenitum, Spiritum verò sanctũ neque genitum, neque ingenitũ; sed coæternum, de Patre & Filio procedentem.

Homilia 26. in Euangelia: Spiritus sancti missio est ipsa processio: quia de Patre procedit & Filio. Sicut itaque Spiritus mitti dicitur, quia procedit; ita & Filius incongruè mitti dicitur, quia generatur.

Libro 2. Dialogorum, cap. 38. Vnde ipsa quoque veritas, vt fidem discipulis augeret, dixit: *Si non abiero, Paracletus non veniet ad vos*: cùm enim constet, quia Spiritus paracletus Spiritus à Patre semper procedat & Filio, cur se Filius recessurum dicit, vt ille veniat, qui à Filio nunquam recedit? *Nota hîc Græcorum perfidiam, qui hunc locum sic corruperunt: πνεῦμα ἐκ τοῦ πατρὸς προέρχεται. καὶ ἐν τῷ υἱῷ διαμένει.* Qui ex Patre procedit, & in Filio manet.

Isidorus Hispalensis. 620.

Lib. 7. Etymol. cap. 3. Hoc interest inter nascentem Filium, & procedentem Spiritum sanctum, quòd Filius ex vno nascitur, Spiritus sanctus ex vtroq; procedit, & ideo dicit Apostolus: *Qui Spiritũ Christi non habet, non est eius.*

Cap. 4. Pater solus est non de alio, ideo solus appellatur ingenitus: Filius solus de Patre natus est, ideo solus dicitur genitus: Spiritus sanctus de Patre & Filio procedit, ideo solus amborum nuncupatur Spiritus.

Concilium Toletanum Quartum. 620.

Cap. 1. Spiritum sanctum nec creatum, nec genitum; sed procedentem ex Patre & Filio profitemur.

Concilium Toletanum Sextum. 648.

Cap. 1. Credimus & profitemur Spiritum sanctum neque genitum, neque creatum, sed de Patre Filioq; procedentem, vtriusque esse Spiritum: ac per hoc substantialiter vnum sunt, quia & vnus ab vtroque procedit.

Synodus Hetfeldensis. 650.

Apud Bedam historiæ Anglicanæ lib. 4. cap. 17. Suscipimus & Spiritum sanctum procedentem à Patre & Filio inenarrabiliter, sicut prædicauerunt sancti Apostoli, & Prophetæ, & Doctores, & nos simul subscribimus, qui cum Theodoro Archiepiscopo fidem Catholicam exposuimus.

Concilium Toletanum Octauum. 655.

Cap. 1. Credimus & in Spiritum sanctum viuificatorem, ex Patre & Filio procedentem, cum Patre & Filio adorandum & conglorificandum.

Hildephonsus Toletanus. 660.

De virginitate S. Mariæ cap. 8. Audisti testimonium Patris de Filio? audisti testimonium Filij de seipso simul & Patre? audisti testimonium de Spiritu sancto, qui vt hunc Filium Dei esse ostenderet, (de quo secundùm diuinitatem idem Spiritus procedit) quòd descenderit in eum corporaliter, secundùm veritatem incarnationis ipsius?

Concilium Toletanum Vndecimum. 674.

In confeſsione fidei: Credimus Spiritum sanctum cum Deo Patre & Filio esse Deum, vnius substantiæ, vnius naturæ: non tamen genitum, vel creatum; sed ab vtrisque procedentem, amborum esse Spiritum.

Aponius. 700.

Lib. 3. in Cantica: Spiritus sanctus vera ratione de voce & Verbo, de Patre & Filio procedere comprobatur.

Lib. 6. Pater in Filio, & Filius in Patre, Spiritus sanctus de vtroque manans, vnius essentiæ.

Beda. 700.

Ad caput 8. Ioannis: Spiritus sanctus, quod ad se est, Deus est; quod ad Patrem & Filium, Spiritus sanctus est: quia Patris & Filij Spiritus est, ex Patre & Filio procedens, vnius substantiæ, maiestatis, potestatis, cum Patre & Filio.

Homilia in Dominica Exaudi: Notandum in primis, quòd Dominus Spiritũ veritatis & à se mittendum esse testatur, & eundem mox à Patre procedere

cedere subiungit. Non quia idem Spiritus aliter à Patre procedit, quàm à Filio mittitur: sed ideo Filius eum à se mitti, & à Patre dicit procedere, vt aliam Patris, aliam suam esse personam designet, ac si in eadem distinctione personarum vnam esse operationem & voluntatem suam cum Patris voluntate & operatione denuntiet. Cùm enim eiusdem Spiritus gratia datur hominibus, profectò mittitur Spiritus à Patre, mittitur & à Filio: procedit à Patre, procedit & à Filio: quia & eius missio ipsa processio est, quia ex Patre procedit & Filio.

Alcuinus. 750.

De Trinitate lib.1.cap.6. Ergo hoc donum Dei, id est, Spiritus sanctus, qui de Patre & Filio æqualiter procedit, ineffabilis quædam Patris Filiiq; communio est: & ideò fortassis sic appellatur, quia Patri & Filio potest eadem appellatio conuenire.

Ambrosius Ansbertus. 770.

In Apocal.lib.9. Pater à seipso: Filius autem à Patre, non à seipso: Spiritus verò sanctus à Patre, & Filio cognoscitur esse.

Paulinus Aquileiensis. 780.

Aduersus Felicem Vrgelitanum: Credatur Filius, qui genitus est sine initio à Patre, non putatiuè, sed verè: credatur Spiritus sanctus, quia Spiritus sanctus est, & à Patre Filioq; procedit.

Carolus Magnus. 800.

Epistola ad Eliphandum Toletanum: Credimus in Spiritum sanctum, Deum verum, viuificatorem omnium, à Patre & Filio procedentem. Æternus Spiritus sanctus, ex Patre Filióque procedēs, vnus Deus, omnipotens, Pater, Filius, & Spiritus sanctus.

Haymo. 820.

Homilia in Octaua Paschæ: Et pulchrè insufflando Spiritum sanctum dedit, vt ipsum se esse ostenderet, qui in facie primi hominis spiraculum vitæ spirauerat: vel certè, quia anhelitus ab exteriore exterius trahitur, insufflando Spiritum sanctum dedit, vt ostenderet omnem diuinitatem in se esse, & sicut à Patre, ita quoque à se Spiritum sanctum procedere. Genes.2.

Angelomus. 830.

Ad cap.13.lib.1.Regum: Ecclesiæ Catholicæ plebibus prædicare conuenit, Spiritum sanctum ex Patre & Filio procedentem, vnius esse substantiæ cum eis, à quibus procedit.

Hincmarus. 840.

In vita S.Remigij: In Patre totus est Filius, & in Verbo totus Pater: in Patre simul & Filio totus Spiritus sanctus: à Patre & Filio totus idem procedit Spiritus sanctus.

Rabanus Maurus. 850.

De vniuerso lib.1.cap.3. Spiritus sanctus ideo prædicatur Deus, quia ex Patre Filioq; procedit, & substantiam eius habet.

De institutione Cleri, lib.2.cap.57. Profitemur Spiritum sanctum nec genitum, nec ingenitum; sed ex Patre & Filio procedentem.

Libro 6.in Eccles. cap.2. Spiritus sanctus est communis Patri & Filio; quia procedit à Patre, procedit & à Filio; mittitur à Patre, mittitur & à Filio.

Concilium VVormatiense. 860.

In professione fidei: Confitemur & credimus Spiritum sanctum à Patre Filioq; procedentem, amborum esse Spiritum. Nec enim procedit de Patre in Filium, nec de Filio tantùm procedit, ad sanctificandam creaturam; sed ab vtrisque procedere monstratur: quia charitas, siue sanctitas amborum esse cognoscitur: Et nec Patris tantùm, nec Filij tantùm; sed simul Patris & Filij Spiritus dicitur. In relatiuis verò personarum nominibus Pater ad Filium, Filius ad Patrem, Spiritus sanctus ad vtrosque refertur.

Ioannes Diaconus. 870.

Vitæ S.Gregorij lib.4.cap.75. Libros Dialogorum Gregorij Zacharias sanctæ Romanæ Ecclesiæ Episcopus, Græco Latinóque sermone doctissimus, post annos ferè 175. in Græcam linguam conuertens, Orientalibus Ecclesijs diuulgauit, quamuis astuta Græcorum peruersitas, in commemoratione Spiritus sancti à Patre procedentis, nomen Filij suaptim radens, abstulerit.

Remigius Antisiodorensis. 880.

Ad Psal.32. *Et Spiritu oris eius,* id est, Spiritu sancto, misso de cælis ab ore eius, id est, Christo, qui est os Patris, quia per illum nobis locutus. Hic ostendit, quòd Spiritus sanctus & à Filio procedit.

Ericus. 880.

Homilia de S.Trinitate: Sicut ergo Spiritus sanctus mittitur à Filio, sic mittitur & à Patre; & sic procedit a Filio, quomodo & à Patre. Inter nascētem Filium, & procedentem Spiritum sanctum ista est distantia, quòd Filius ex vno nascitur, Spiritus verò sanctus ex vtroque procedit.

Radulphus Flauiacensis. 930.

In Leuiticum lib.7.cap.1. Ignis egressus à Domino Spiritus sanctus est, qui à Patre Filióque procedit. De quo ipse Dominus: *Ignem veni mittere in terram.* Lucæ 12.

Smaragdus. 960.

Ad cap.15.Ioannis: Significat enim quòd æqualiter idem Spiritus sanctus à Patre & Filio procedit, & æqualiter à Patre & Filio mittitur: sed propter distinctionem personarum hîc dicitur a Patre procedere, & a Filio mitti, vt in eadem distinctione personarum, vnam esse operationem & voluntatem suam cum Patris voluntate denuntiet.

In Epistolam de Sabbatho Pentecostes: Credant & in Spiritum sanctum, Deum verum, ex Patre & Filio procedentem.

Pelegrinus Laureacensis. 970.

In Symbolo: Confiteor Spiritum sanctum, qui est tertia in Trinitate persona, vnum & æqualem cum Deo Patre, & Filio esse: Credo Deum vnius substantiæ, vnius quoque naturæ, nec tamen genitum, vel creatum; sed à Patre Filioq; procedentem, amborum esse Spiritum.

Leo Nonus. 1050.

Epistola ad Venetiarum & Histriæ Episcopos: Credo Spiritum sanctum nec ingenitum, nec genitum; sed à Patre & Filio procedentem, veraciter procedere.

Epistola ad Petrum Antiochenum Episcopum: Credo Patrem ingenitum, Filium vnigenitum, Spiritum sanctum nec ingenitum, nec genitum; sed à Patre & Filio procedentem.

Radulphus Ardens. 1060.

Dominica prima post Ascensionem: Duplex processio Spiritus sancti intelligitur: vna, qua Spiritus sanctus procedit æternaliter à Patre & Filio, vt tertia in Trinitate persona, & vna cum eis substantia, qua quotidie æquè a Patre & Filio procedit temporaliter, ad sanctificandum creaturam, &c.

Guitmun-

Guitmundus Auersanus. 1060.

De S.Trinitate: Iste amor est Spiritus sanctus, qui ab vtroq; ità procedit, vt semper in vtroque maneat: ita semper in vtroque manet, vt ab vtroque semper procedat.

Meginardus. 1070.

Tractatu de Fide: Nunquam non fuit Pater, à quo Filius ineffabiliter natus, à quo Spiritus sanctus non natus, sed procedens: quia Spiritus non est Filius, neque ingenitus, quia non est Pater; nec factus, quia non ex nihilo; sed ex Deo Patre, & Deo Filio Deus procedens.

Anselmus Cantuarienſis. 1080.

In Monologio cap.55. Nec Pater ab vllo est, nec Filius à Patre quasi spirante nascitur; iste autem æstimetur Spiritus vtriusque: quia ab vtroque suo quodam inenarrabili modo spirante mirabiliter procedit.

De processione Spiritus sancti: Si Spiritus sanctus est de Patre, quia est de Deo, qui Pater est, negari nequit esse quoque de Filio, cùm sit de Deo, qui est Filius.

Ad caput 4.Epistolæ ad Galatas: Misit Deus Spiritum sanctum, qui à Patre procedit, & à Filio: nam & missio, qua mittitur à Patre, ipsa est processio, qua procedit à Patre. Et ideo dicit Apostolus, eum mitti à Patre & Filio, vt ostendat eum ab vtroque procedere.

Hildebertus Cenomanensis. 1090.

Epist.21.ad Anselmum: Appulorum relationibus didici, vos in Concilio Barensi sermonem de Spiritu sancto habuisse, quem calumniosa Græcorum versutia à Filio minimè procedere fabulatur. Quid ergo aduersus hanc illorum dementiam in præfato promulgastis Concilio, succincto tractatu deprecor annotari.

Hymno de S.Trinitate:

Paracletus increatus,
Neque factus, neque natus,
Patri consors Genitóque,
Sic procedit ab vtroque,
Ne sit minor potestate,
Vel discretus qualitate, &c.
Flamen ab his procedendo,
Tres & vnum subsistendo.

Iuo Carnotensis. 1100.

Sermone de Pentecoste: Iste Spiritus sanctus, qui Patris & Filij vnus est Spiritus, à Patre procedit & à Filio, & ad corda credentium pariter mittitur & à Patre & a Filio. Vnde & Dominus dicit in Euangelio: *Cùm venerit Spiritus veritatis, qui à Patre procedit, ille vos docebit omnem veritatem. Ille me clarificabit: quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis.* Hæc verba ita interpretatur Didymus; Inseparabilis est Spiritus sanctus à mea & Patris voluntate. Et amplius; quia non ex se est, sed ex Patre & me est. Hoc enim ipsum, quòd subsistit & loquitur, à Patre & a me illi est. Quid est ergo Spiritum à Patre Filioq; subsistere, nisi eundem Spiritum à Patre Filioq; procedere. Ioan.15.

Rupertus Tuitiensis. 1120.

De operibus Spiritus sancti, lib.1. cap.28. Aduersus errorem eorum, qui dixerunt hunc Spiritum sanctum non à Patre & Filio, sed à sola persona Patris procedere, illud constanter dicendum est; quia quòd à Patre procedit Spiritus sanctus, gratiarum diuisio; quòd à Filio procedit, peccatorum remissio est.

De glorificatione Trinitatis, & de processione Spiritus sancti, libro 1. capite 17. Fuêre nonnulli maximè Græcorum, qui dicerent à solo Patre, & non à Filio procedere Spiritū sanctum; quos tamen sancta Romana Ecclesia, Latinæ Ecclesiæ columna, iamdudum per multa concilia, luce coruscans Euangelica, & super petram fidei firmiter stans fundata, sic reuerberauit, concentorem ex ipsis Græcis habens Athanasium Catholicum atque Orthodoxum, vt iam non sit nobis necesse quicquam addere, nisi quia spontaneum in sermonibus nostris huic processioni offerimus obsequium.

Honorius Augustodunensis. 1120.

Libro 3.de Philosophia mundi: Spiritus iste à Patre & Filio procedit: quia voluntas diuina, & bonitas inde, quòd ita potens Deus & sapiens ostenditur. Nihil enim Spiritū sanctum à Patre & Filio procedere est aliud, quàm diuinam voluntatem ex potentia & sapientia vsque ad creationem & gubernationem extendere. Hæc bonitas & voluntas Patri & Filio coæterna est.

Bernardus. 1130.

Sermone 3.de Pentecoste: Spiritus sanctus quasi specialiter Spiritus dicitur, quòd ab vtroque procedat, firmissimum atque indissolubile vinculum Trinitatis, tanquam propriè sanctus, quòd sit donum Patris & Filij, omnem sanctificans creaturam.

Sermone 20.paruorum Sermonum: De Spiritu sancto testatur Scriptura, quia procedit, spirat, inhabitat, replet, glorificat. Procedere dicitur duobus modis: vnde, & quò. Vnde? à Patre & Filio. Quò? ad creaturam.

Richardus Victorinus. 1140.

De Trinitate lib.6. cap.8. Spiritus sanctus prorsus vno eodémque modo procedit tam à Patre quàm à Filio: Siquidem vtrobique vna eademq; est per omnia ratio.

Petrus Lombardus. 1140.

Lib.1. dist.11. lit.A. Hîc dicendum est Spiritum sanctum à Patre esse & Filio, & procedere à Patre & Filio, quod multi hæretici negauerunt. Quòd autem de vtroque procedat, multis diuinorum eloquiorum testimonijs comprobatur. Dicit enim Apostolus: *Misit Deus Spiritum Filij sui in corda vestra.* Ecce hîc dicitur Spiritus Filij. Et alibi: *Qui autem Spiritum Christi non habet, hic non est eius.* Ipse enim Filius de Spiritu sancto dicit in Euangelio: *Quem ego mittam vobis à Patre,* &c. His & alijs authoritatibus ostenditur, quòd Spiritus sanctus a Patre & Filio procedit. Gal.4. Rom.8. Ioan.15.

Hugo Etherianus. 1160.

De processione Spiritus sancti, libro 2.cap.13. Apud Latinos omnibus patet per fidem Patris & Filij esse Spiritum substantialiter, & secundùm naturam: & æqualiter: quia non minus Filij, magis verò apparet esse Patris, sciliçet vtriusque per omnia æquè existit. Ob quam rem, non est secundùm abundantiam vel defectum alterutrum: quia quot modis est Patris, totidem Filij existit, secundùm naturam, substantialiter; secundùm causam, & secundùm emissionem, id est, processionem.

Cap.17. Si ex solo Patre procedit Spiritus, non est ipse imago Filij, sed Patris, vt sine medio ex ipso coruscans. Non est autē hoc, cùm Spiritus imago sit Filij, & ex ipso proximè refulgeat. Quare si Filius ideò a Patre prouenit, quia eius existit imago, & Spiritus ex Filio existentiā habet, quia imago eius est.

Adam Victorinus. 1180.

Prosa de sancta Trinitate: *Patri compar Filióque*

Spiritalis ab vtroque Procedit connexio.

Innocentius Tertius. 1200.

Sermone in die Ascensionis: Spiritus sanctus à Patre procedit & Filio, & cum eis est verus, & viuus Deus, benedictus in secula seculorum. Amen.

Concilium Lateranense. 1215.

Cap.1. Pater à nullo, Filius autem à Patre solo; at Spiritus sanctus ab vtroque pariter absque initio semper & fine. Pater generans, Filius nascens, Spiritus sanctus procedens.

Cæsarius Heisterbachius. 1220.

Lib 8.cap. 36. Spiritus sanctus Deus est, tertia in Trinitate persona, à Patre Filióque procedens æternaliter.

Iacobus Vitriacus. 1220.

Dominica post Ascensionem: Vterque mittit Spiritum sanctum, id est, tam Pater, quàm Filius, vnde vtriusque Spiritus dicitur: Patris namque Spiritus dicitur, sicut ad Romanos Apostolus ait: *Si Spiritus eius, qui suscitauit Iesum à mortuis, habitat in vobis, viuificabit & mortalia corpora vestra.* (Rom.4.) Spiritus Filij dicitur in eadem Epistola: *Si quis Spiritum Christi non habet, hic nõ est eius.* (Rom.8.) Ex quo patet, quòd ab vtroque procedit, &c. Licet autem in hodierno Euangelio dicat Dominus: *Mittam vobis Spiritum veritatis, qui à Patre procedit,* vt honorem & gloriam daret Deo Patri, propter authoritatem principij; nihilominus tamen vult intelligi, quòd ab ipso Filio procedit: vnde & ipse discipulos suos insufflauit, dicens: *Accipite Spiritum sanctum.* Certum est autem, quòd flatus à sufflante, & spiritus à spirante procedit.

Guilhelmus Aluernus. 1230.

De retributionibus Sanctorum: Nihil nouerunt Philosophi de magnificentia & largitate Dei, cõparatione Christianæ sapientiæ, qui generationem Filij ex ipso, & largitatem, quia Spiritus sanctus ex vtroque procedit, donum scilicet æquale ambobus ignorauerunt.

Alexander Alesius. 1230.

Parte 1.quæst.43.memb.4. Latini transumunt verbum procedendi ab exitu siue processu causati à causa; vnde dicunt, quòd procedere est ab aliquo exire, quamuis non in aliquem, secundùm quod dicitur à mente & notitia procedere amor, quamuis non intelligitur in aliquid. Et secũdùm hunc modum dicunt Latini, quòd Spiritus sanctus procedit à Patre & Filio: quia exit ab vtroque, velut amor à notitia & mente.

Thomas Aquinas. 1250.

Opusculo primo contra Græcorum errores, capite, quòd Spiritus S. est Spiritus Filij: Ad ostendendũ quòd Spiritus sanctus procedat à Patre & Filio, primò sumendum est, quod etiam ab ipsis errantibus negari non potest, cùm expressè authoritate sacræ Scripturę probetur, quòd scilicet Spiritus sanctus sit Spiritus Filij: Dicitur enim ad Galatas 4. *Misit Deus Spiritum Filij.* & Rom.8. *Si quis Spiritum Filij non habet, non est eius.*

Guilhelmus Peraldus. 1255.

In Summa de fide, cap.19. Procedit Spiritus à Patre & Filio: de processione S.Spiritus à Patre habes Ioannis 15. *Spiritus veritatis, qui à Patre procedit.* Græci verò negant Spiritum sanctum procedere à Filio, eò quòd istud non inueniatur expressè in canone sacræ Scripturæ: Nos verò hoc non concedimus, quia Spiritus sanctus vocatur Spiritus Christi. Rom.8. *Qui Spiritum Christi non habet, hic non est eius.*

Vrbanus Quartus. 1260.

Paraphrasi in Psal.50. Spiritus sanctus non factus, non creatus, non genitus, sed à Patre & Filio procedens.

Gregorius Decimus. 1270.

In 6.Decretalium, titulo 1. Fideli ac deuota professione fatemur, quòd Spiritus sanctus æternaliter ex Patre & Filio, non tanquam ex duobus principijs, sed tanquam ex vno principio, non duabus spirationibus, sed vnica spiratione procedit. Hoc professa est hactenus, prædicauit, & docuit; hoc firmiter tenet, ac prædicat; profitetur, ac docet sacrosancta Romana Ecclesia, mater omnium fidelium ac magistra: hoc habet Orthodoxorum Patrum atque Doctorum, Latinorum pariter & Græcorum, incommutabilis & vera sententia. Sed quia nonnulli propter irrefragabilis præmissæ veritatis arrogantiam in errores varios sunt prolapsi, nos huiusmodi erroribus viam præcludere cupientes, hoc sacro approbante Concilio dãnamus & reprobamus omnes, qui negare præsumpserint æternaliter Spiritum sanctũ ex Filio procedere: siue etiam temerario ausu asserere, quòd Spiritus sanctus ex Patre & Filio, tanquam ex duobus principijs, & non tanquam ex vno procedat.

Iacobus Genuensis Episcopus. 1280.

Sermone 3.de Trinitate: Fons generat riuum, sic Pater generat Filium: fons & riuus faciunt stagnum, quia Pater & Filius faciunt Spiritum sanctum: fons à nullo procedit, riuus à fonte procedit, & stagnum ab vtroque procedit: & tamen in fonte, riuo, & stagno est eadem aqua; quia in Patre, & Filio, & Spiritu sancto est eadem substantia.

Robertus Dominicanus. 1290.

Sermone 27. Credo vnum esse Spiritum sanctum à Patre & Filio procedentem, coæternum & consubstantialem Patri & Filio.

Nicolaus Lyranus. 1320.

Ad cap.16. Ioannis: *Quia de meo accipiet.*) A me procedendo. Nec est per hoc intelligendum, quòd partem essentiæ Filij recipiat: quia indiuisibilis est. & ideo, si aliquid capitur, totũ capitur. Omne autem verbum procedens ab aliquo naturaliter ipsum manifestat; & sic Spiritus sanctus procedens à Filio, & totam eius essentiam accipiens, totum ipsum manifestat.

Franciscus Maronius. 1320.

In lib.1.Sentent.dist.10.q.1. Ioannis 16. *Ipse de meo accipiet:* Si autem accipiet de eo, quod est Filij, ex eo colligitur, quòd æquè Spiritus sanctus accipit aliquid à Filio. Totus est à Filio, quia Deus est quicquid habet. Ergo procedit à Filio.

Augustinus Triumphus. 1320.

De potestate Ecclesiastica quæst.12.art.3. Spiritum sanctum ex Patre & Filio procedere, non solùm Græcorum & Latinorum Doctores asserunt, verùm etiam ipsa Veritas, Ioannis 14. cùm dicit: *Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille testimonium perhibebit de me.*

Guido Rocherius. 1333.

In manipulo curatorum part.3. de articulis fidei, cap.1. Credere debemus Spiritum sanctum esse verum Deum, ex Patre & Filio procedentem. Contra istũ articulum errant Græci, dicentes: Spiritum sanctum à solo Patre procedere. Contra errorem eorum addit Ecclesia Romana in Symbolo Nicęno: *Qui ex Patre Filioq; procedit.*

Thomas Argentinensis. 1350.

In lib.1.Sent.dist.11.art.2. Spiritus sanctus procedit à Patre & Filio: quia Pater generando Filium, omnia cõmunicat Filio, in quibus ad Filium non habet oppositionem.

Catharina Senensis. 1370.

Tractat.6.cap.167. Spiritus sanctus, qui procedit à Patre & Filio, me fecit aptam ad amandum.

Petrus Aliacus. 1400.

In lib.1.Sent.dist.11.quæst.8. Spiritus sanctus procedit à Patre & Filio æternaliter. Aliqui nituntur istam conclusionem rationibus probare: sed simpliciter dico, quòd per rationem hoc non potest concludi, sed omnes rationes, quæ ad hanc fierẽt, possent faciliter solui. Ideo tenendum est, authoritate fidei, scilicet ex determinatione Ecclesiæ Dei, nec aliter eam probo.

Raymundus Sebundius. 1430.

In viola animæ dialog.1. cap.7. Pater est largiens, & Filius recipiens: sed vbi est largitor & receptor, oportet quòd aliud inde procedat, quod scilicet nec sit dare, nec recipere, videlicet amor, qui procedit à dante in recipientem, & à recipiẽte in dantem. Et sic est ibi amoris processio, quæ est tertia res & tertia persona, quæ neque Pater est, neque Filius, sed amborum Spiritus. Hic autem amor necessariò à Patre Filioq; procedit.

Synodus Florentina. 1439.

Sessione vltima in litteris vnionis: Spiritus sanctus ex Patre simul & Filio, & ex vtroq; æternaliter, tanquam vno principio, & vnica spiratione procedit. Declarantes quòd id, quod sancti Doctores & Patres dicunt, ex Patre per Filium procedere Spiritum sanctum, ad hanc intelligentiam tendit, vt per hoc significetur, Filium quoq; esse secundùm Græcos quidem causam, secundùm Latinos verò principium subsistentiæ Spiritus sancti, sicut & Patrem. Et quoniam omnia quæ Patris sunt, ipse Pater vnigenito Filio suo gignendo dedit, præter esse Patrẽ, hoc ipsum, quòd Spiritus sanctus procedit ex Filio, ipse Filius à Patre æternaliter habet, à quo ęternaliter etiam genitus est. Definimus insuper explicationẽ illorum verborum, *Filioq;* veritatis declarandæ gratia, & imminente tunc necessitate, licitè ac rationabiliter Symbolo fuisse appositam.

Nicolaus Dorbellus. 1450.

In lib.1.Sent.dist.11. Spiritus sanctus procedit à Patre & Filio: quia in illo signo originis, in quo Pater producit actu voluntario, idem est principium productiuum in Patre & Filio, & ideo Filius eadem productione producit Spiritum sanctum cum Patre.

Dionysius Carthusianus. 1460.

In Summa orthodoxæ fidei lib.1. articulo 48. Oportet concedere Spiritum sanctum nõ solùm ex Patre, sed ex Patre & Filio procedere: Aliter enim non posset distingui à Filio, quoniam sola relatio ratione oppositionis multiplicat personas diuinas.

Rupertus Lycius. 1480.

In Quadragesimali serm.59.c.1. Secunda opinio damnata de Spiritu sancto, quòd non procedit à Filio, sed à solo Patre, quæ inuenta fuit à Nestorianis, damnata ab Ephesina synodo: propterea in Symbolo Patrum dicitur: *Et in Spiritum sanctum, Dominum & viuificantem, qui ex Patre Filioq; procedit.*

Carolus Bouillus. 1500.

Quæstionum Theologicarum lib.1.quæst.37. AEqualem substantiæ portionem mutuat Spiritus sanctus à Patre & Filio: omnis quippe inæqualitas procul à diuinitate abest. Non enim magis propinquat Patri Spiritus sanctus, quàm Filio: neque magis Filio, quàm Patri; sed æquè vtrique propinquus est, & paribus radijs ab vtroque pendet.

Quæstione 38. Spiritus sanctus, qui æquã substantiæ portionem à Patre & Filio capessit, non prius ab vno, quàm ab alio procedit: quippe qui haud quaquam ab vtroque separatim, sed vnà simulq; totus procedit. Diuidit enim Spiritum, qui prius ab vno extremorum, quàm ab alio educit, ac profert.

ASSERVNT IVDÆI VETERES.

Rabbi Simeon, filius Iohai.

In libro Zoar: super illa verba: *Audi Israel, Dominus Deus tuus, Deus vnus est.* Ait Rabbi Ibba: Hic est, ô Israel, antiquus (Iehoua) Deus, qui est principium omnium rerum, antiquus antiquorum, hortus radicum, & omnium rerum perfectio, & dicitur Pater Deus noster, profunditas fluminũ, & fons scientiarum, quę procedunt ab illo Patre. Et Filius vocatur (Iehoua) Deus. Hic est Spiritus sanctus, qui à duobus procedit, & vocatur mensura vocis: vnus est, vt vnum concludat & colligat.

In Bereschit, Rabba Vzira (vt citatur in Thalmud:) Spiritus Deus volitans erat super aquas: Hic est Spiritus Messiæ, de quo scriptum est Esaiæ 11. *Et requiescet super eum Spiritus Dei.*

FINIS LIBRI PRIMI.

LIBER SECVNDVS DE CHRISTO SALVATORE.

ARTICVLVS PRIMVS.

DEI FILIVM EX MARIA VIRGINE VERE CARNEM SVSCEPISSE, VERVM FVISSE HOMINEM, CORPORE ET ANIMA CONSTANTEM, VERE PASSVM ET MORTVVM ESSE.

NEGANT.

Anno post natũ Christum 80. *SATVRNINVS Saluatorem ignotum esse dixit, incorporalẽ, sine figura, in phantasmate, seu putatiuè & vmbratiliter visum hominem, nec carnem hominis veram, nec animam suscepisse.* Irenæus, Epiphanius, Philastrius, & Theodoretus de Saturnino.

100. *Basilides ex eo, quòd in historia passionis scriptum est, Simonem quendam à Iudæis coactum crucem Domini gestasse, affirmauit, non ipsum Christum, sed eius loco Simonem Cyrenæum passum esse, permutato habitu ac forma: Sic nempe, vt Christus Cyrenæi, & Cyrenæus Christi vultum repræsentaret. Eminus igitur stetisse, & Iudæorum stultitiam risisse, quòd Christum putantes se crucifigere, alium crucifigerent.* Irenæus, Tertullianus, Epiphanius, Philastrius, Augustinus, & Theodoretus de Basilide.

140. *Valentinus dixit, Christum carnem de cælo detulisse, nec quicquam de Maria accepisse, sed per eam transiuisse, sicut aqua per riuulum, aut canalem illabitur.* Irenæus, Tertullianus, Epiphanius, Philastrius, Augustinus, & Theodoretus de Valentino.

150. *Marcion & Cerdon Christum in hominis forma sine carne, putatiuè & vmbratiliter tantùm natum & passum esse asseruerunt, quòd natura virginem parere non sineret.* Irenæus, Tertullianus, Philastrius, Augustinus, & Nicetas de hæresibus.

160. *Apelles dicebat Christum ipso descensu aëriam sibi carnem contexuisse, eandemq; in ascensu singulis elementis reddidisse.* Tertullianus, Epiphanius, & Augustinus de illius hæresi.

270. *Manichæi dixerunt Filium esse partem vnius substantiæ Patris, & id Filium volunt intelligi, quod ex Dei substantia parte aliqua deductum apparuit in carne, cùm humani nihil haberet: crucẽ quoque, passionem, & mortem visione tantùm fuisse.* Hilarius lib. 6. de Trinitate, Hieronymus ad cap. 14. Matth. Ruffinus in Symb. Apost. Leo de festo Epiphaniæ, Suidas in voce Manes, Epiphanius, Theodoretus, & Damascenus de Manichæis.

350. *Hilarius* in Psal. 68. *sentit humanitatem Christi suapte natura fuisse doloris & miseriæ expertem: famem verò, sitim, mœrorem, timorem, cæteraq; animi & corporis infirmitates, non fuisse illi naturales, sed vltrò assumptas nostri gratia.*

380. *Apollinaris dicebat Christum suscepisse carnem sine anima.* Augustinus hæresi 55. Ruffinus lib. 2. cap. 20. Socrates lib. 2. cap. 46. Vincentius Lyrinensis contra hæreses.

400. *Fortunatus, Felix, Faustus, Secundinus, & alij Manichæi, negabant Christum esse natum, aut in Euangelio se vsquam ex hominibus natum esse dicere.* Augustinus lib. 2. cap. 2. contra illos.

440. *Priscillianistæ natalem Christi non verè honorant, sed se honorare simulant; ieiunantes eodem die, sicut & Dominico; quod vtique ideò faciunt, quia Christum Dominum in vera hominis natura natum esse non credunt, sed per quandam illusionem ostentata videri volunt, quæ vera non fuerint, sequentes dogma Cerdonis & Marcionis.* Leo Papa epist. 93. cap. 4.

450. *Eutyches prædicabat Dominum nostrum Iesum Christum consubstantialem nobis esse secundùm carnem, sed de cælo corpus habuisse.* Liberatus in Breuiario, cap. 12.

530. *Aphthardocitæ asserebant Christi corpus ab ipsa conceptione nulli obnoxium fuisse internecioni, neque affectionum illarum, quæ naturaliter, absque vlla reprehensione insitæ sint, particeps fuisse.* Damascenus de hæresibus, Nicephorus lib. 17. cap. 29.

540. *Iustinianus Imperator edictum proposuit, quo sanxit corpus Domini incorruptibile, naturalium & inculpatarum passionum haudquaquam capax fuisse: credendum esse Dominum ante passionem comedisse, quemadmodum post passionem manducauit: nec sacrosanctum illius corpus aliquam mutationem inde ab eo, quo in vtero formatum est, neque in voluntarijs, neque in naturalibus possessionibus, nec post resurrectionem quidem accepisse*

accepisse asserens: cui opinioni Sacerdotes passim assentiri coegit. Contra hunc scripsit Anastasius Antiochenus, Euagrius lib. 4. cap. 39. Nicephorus lib. 17. cap. 29.

600. *Armeny dicunt Christum suscepisse corpus non eiusdem essentiæ, cuius nostra sunt corpora, sed incorruptibile, & impatibile, & tenue, & increatum, & cæleste, quod & videre, & comedere, & bibere videatur, & aliys muneribus humanis fungi, cùm tamen nihil horum faciat. Præterea dicunt carnem in diuinitatẽ esse conuersam, & eiusdem factam essentiæ, cuius est ipsa diuinitas.* Euthymius in Panoplia part. 2. tit. 20.

630. Mahometus Azoara 11. *Iudæi Christum Mariæ filium se peremisse perhibent, sed nequaquam eum, imò sui similem suspendentes interfecerunt: professi etiam se suæ cædis auctores, cordibus suis non minimã ambiguitatem inde gerunt, sed eum nullatenus interfecerunt; quia Deus incomprehensibilis & sapiens, eum ad se transmigrare fecit.*

1050. *Bogomili dicunt Christum descendisse de cælis, & per aurem Virginis dextram influxisse, carnem induisse, quæ aspectu quidem videatur ex materia constare, & humani corporis esse similis, cùm tamen reuera materiæ sit expers, ac diuina.* Euthymius Panopliæ parte 2. tit. 23. cap. 7.

1180. *Noui Manichæi dicunt, Christum non habuisse verum corpus, nec veram carnem, sicut habent cæteri homines; nec verè fuisse passum, & mortuum in cruce, nec verè resurrexisse à mortuis, nec verè ascendisse ad cælum, in corpore & carne humana: sed omnia in similitudinem facta fuisse.* Nicolaus Eymericus parte 2. Directorij, quæst. 13.

1200. *Albanẽses dicunt quòd Filius Dei Christus non assumpsit naturam humanam in veritate, sed similem in beata Virgine: quòd Christus nõ verè comedit, nec verè bibit, nec verè passus est, nec verè mortuus est, nec verè resurrexit; sed putatiuè.* Guido de hæresibus, Antoninus 4. parte Summæ, tit. 11. cap. 7. §. 5.

1317. *Arnoldus de Villa noua docuit, quòd humana natura à Deo assumpta est æqualis Deo, omnibus bonis suis: & quòd tantum sit humanitas in Christo, quantum Deitas, & tantum possit.* Nicolaus Eymericus parte 2. Directorij, quæst. 11.

1530. *Anabaptistæ docent Christum non habuisse veram carnem ex Maria assumptam, nec fuisse verum hominem, sed habuisse corpus phantasticum; nec verè, sed tantùm per phantasma mortuum esse.* Cochlæus de erroribus Anabaptistarum Monasterienſium, Caluinus de Libertinis cap. 17.

1540. *Gaspar Swenckfeldius* Tomo 2. epistola 72. & 77. *dicit, Carnem Christi nullo modo similem carni Adami, siue ante, siue post lapsum: atque hoc dogma æquè inuiolabile ac sacrosanctum videri vult, ac Christum de Spiritu sancto conceptum.*

Parte 1. confessionis pag. 9. 19. &c. parte 3. pagina 175. & epistola 78. ad Augustanos, & libro de totalitate Christi fusissimè docet, *Christi carnem, vel humanitatem, non esse creatam, nec creaturam.*

1571. *Anno 1571. prope Heidelbergam publicè facta est Anabaptistis potestas disputandi illam quæstionem, an Christus ex Virgine carnem assumpserit, an aliunde.* Petrus Canisius lib. 1. de corruptelis Verbi Dei.

1579. Fratres familiæ Amoris libro Londini 1579. impresso, art. 42. affirmant, *Christũ vt in Virgine Maria, sic in suâ quoque carne conceptum esse, & incarnatum.*

ASSERVNT SACRÆ LITERÆ.

Esaiæ 7. *v.* 14. Ecce, Virgo concipiet, & pariet Filium.

Lucæ 2. 6. Factum est autem cùm essent ibi, impleti sunt dies vt pareret: & peperit Filium suum primogenitum, & pannis eum inuoluit, & reclinauit eum in præsepio.

Ioannis 1. 14. Et Verbum caro factum est.

Rom. 1. 3. Qui factus est ex semine Dauid secundùm carnem.

Galat. 4. 4. At vbi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub lege.

Philip. 2. 6. Qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiẽs, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo.

1. *Timoth.* 2. 5. Vnus mediator Dei & hominum, homo Iesus Christus.

Hebræorum 2. 14. Quia ergo pueri communicauerunt carni & sanguini: & ipse similiter participauit eisdem: vt per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium. 16. Nusquam Angelos apprehendit: sed semen Abrahæ apprehendit. Vnde debuit per omnia fratribus similari.

1. *Petri* 3. 18. Mortificatus quidem carne, viuificatus autem spiritu.

1. *Petri* 4. 1. Christo igitur passo in carne.

1. *Ioan.* 4. 2. Omnis spiritus, qui confitetur Iesum Christum in carne venisse, ex Deo est.

2. *Ioan. v.* 7. Multi seductores exierunt in mundũ, qui non confitentur Iesum Christum venisse in carnem.

Iacobus frater Domini:

In Liturgia: Vnigenite Fili & Verbũ Dei, qui es immortalis, ac dignatus es propter nostram salutẽ ex sancta Deipara semperq; Virgine Maria carnem induere, sine vlla conuersione homo factus es, crucíq; affixus Christe Deus, ac morte mortẽ cõculcasti.

ASSE-

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Ignatius. 100.

Epist. ad Trallianos: Obturate aures vestras, cùm vobis quispiam loquitur, excludens Iesum Christum Filium Dei, qui natus est Dauid, qui ex Maria, qui verè genitus est ex Deo, & ex Virgine: verùm non simili modo. Nec enim idem est Deus & homo. Verè assumpsit corpus: *Verbum* enim *caro factum est*, & vixit inter homines sine peccato: Ioan.1. *Quis* enim *ex vobis arguet me de peccato?* Verè edit, ac Ioan.8. bibit; crucifixus, & mortuus est, sub Pontio Pilato: verè inquam, non hominum opinione crucifixus, & mortuus est. &c. Quidam athei & increduli aiunt, ipsum sola opinione hominũ natum esse, non autem reuera corpus assumpsisse, & opinione mortuum, non autem verè passum, &c. Verè genuit Maria corpus, habens in se Deum habitantem: reuerà natus est Deus Verbum ex Virgine, vestitus corpore, obnoxio eisdem passionibus nobiscum: verè natus ex vulua, qui omnes homines in vulua fingit, & corpus sibi fabricauit ex sanguinibus Virginis, hoc solùm excepto, quòd nulla viri consuetudo interceserit. Verè natus est sicut & nos, & verè lacte pastus est, & cibo potuq; communi nobiscum vsus est: & expletis tribus annorum decadibus, verè baptizatus est à Ioanne, non autem opinione hominum, aut phantasia: verè condemnatus, & crucifixus est, non opinione, non phantasia, non impostura.

Ad Smyrnenses: Iesus Christus, Dei Filius, primogenitus omnis creaturæ, qui Dei Verbum est, & vnicus Filius, secundùm carnem de genere Dauid, ex Maria Virgine, baptizatur à Ioanne, vt impleretur ab eo omnis iustitia: qui versatus est inter homines sine peccato, & sub Pontio Pilato, & Herode Tetrarcha affixus est cruci pro nobis, in vera carne, ex quo & nos sumus, per diuinam beatamq; passionem eius, &c. Omnia hæc passus est propter nos, & verè passus est, non opinione, sicut & verè resurrexit, &c.

Dionysius Areopagita. 100.

De diuinis nominibus cap. 2. part. 1. Discretum est autem à diuinis operibus in nos benignè manantibus, quòd secundùm nos, atque ex nobis integrè & verè substantiam assumpsit supersubstantiale Verbum, eaq; & gessit, & pertulit, humanæ ipsius assumptionis electa atque præcipua. His enim neque Pater, neque Spiritus vlla ratione communicat, nisi fortè quis asserat, benignitate, clemẽtiaq;, & communione voluntatis, atque in omni supereminentissima & ineffabili operatione diuina (quã homo pro nobis factus adimpleuit immutabilis profectò Deus, & Dei Verbum) illos quoq; accessisse consortes, &c. Ignoramus autem quomodo ex virgineis sanguinibus, altero quàm naturali iure formatus est, quóve pacto, siccis pedibus corporale pondus habentibus, materiéq; grauitatem, liquidam perambulauerit instabilemq; substantiam, & alia, quæ excellentem Iesu naturam signant.

Iustinus Martyr. 150.

In expositione Fidei: Christus homo ostenditur, ex æqualibus & irreprehensibilibus naturæ nostræ perpessionibus.

Dialogo cum Tryphone: Christus in lucem editus, virtutem suam obtinuit, & incrementum capiẽs, iuxta communem mortalium omnium morem rebus congruentibus vsurpandis, suum cuique actui & ætati tribuit, alimentis omnibus vtens, & ad annos plus minus triginta durãs, quoadusque Ioannes aduentus eius præco præcessit.

Irenæus. 180.

Lib. 3. cap. 32. Errant igitur, qui dicunt eum nihil ex Virgine accepisse, vt abijciant carnis hereditatem, abijciant autem & similitudinem, &c. Si non accepit ab homine substantiam carnis, neque homo factus est, neque filius hominis: & si hoc non factus est, quod nos eramus, non magnum faciebat, quod passus est, & sustinuit, &c. Quid in Mariam descendebat, si nihil incipiebat sumere ab ea? Aut si nihil sumpsisset ex Maria, nunquam eas, quæ à terra erant, percepisset escas, per quas id, qd à terra sumptum est, nutritur corpus.

Lib. 5. cap. 1. Vani sunt qui putatiuè dicunt eum apparuisse: nõ enim putatiuè hæc, sed in substantia veritatis fiebant. Si autem cùm homo non esset, apparebat homo, neque quod erat verè perseuerauit Spiritus Dei: quoniam inuisibilis est Spiritus: neque veritas quædam erat in eo: non enim illud erat, quod videbatur. Prædiximus autem, quoniam Abrahã & reliqui Prophetæ, propheticè videbant eum, id quod futurum erat per visionem prophetantes. Si igitur & nunc talis apparuit, non existens quod videbatur, quædã prophetica visio facta est hominibus, & oportet aliũ expectare aduentum eius, in quo talis erit, qualis nunc visus est propheticè. Ostendimus autẽ, quoniam idem est, putatiuè dicere eum visum, & nihil ex Maria accepisse. Neque enim esset verè sanguinem & carnẽ habens, per quam nos redemit, nisi antiquam plasmationem Adę in semetipsum recapitulasset. Vani igitur qui à Valentino sunt, hoc dogmatizantes, vti excludãt salutem carnis, & reprobent plasmationem Dei.

Hippolytus. 220.

Epistola ad Reginam quandam: Eum ergo dicit primitias dormiẽtium, vtpote mortuorum primogenitum, qui cùm surrexisset, velletq; ostendere, 1.Cor.5. id esse excitatum, quod etiam erat mortuum, dubitantibus discipulis, aduocato Thoma ait: *Palpa hic, & vide, quòd spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere.* Ioan.20.

Origenes. 230.

Lib. 1. de principijs: Christus corpus assumpsit nostro corpori simile, eo solo differẽs, quòd natum ex Virgine de Spiritu sancto est. Et quoniam Iesus Christus natus, & passus est in veritate, & non per imaginem, communi hac morte verè mortuus est, verè etiam à mortuis resurrexit, & post resurrectionem cum discipulis suis cõuersatus, assumptus est.

Lib. 2. in Iob. In nouissimo tempore descendens de cælis Deus Vnigenitus, terreni corporis testa ex Virgine se induens, totius mundi saniem, immunditiem quoque, & putredinẽ rasit, omnium peccata supportando.

Methodius Tyrius. 260.

Oratione in Hypopantẽ Domini: Tu Maria Deo, nullius alioqui rei indigo, carnẽ, quam nõ habebat, mutuata es: quò nimirũ hac ratione omnipotẽs id, quod esse dignatus est, homo videlicet, appareret. Quid hoc illustrius? quidve sublimius? Qui cælum & terram implet, cuius præterea sunt omnia, quæcunq; mouentur atque subsistunt, is tui factus est indigus. Tu enim admirabilem incarnationem, quam aliquãdo non habuit, Deo mutuò dedisti: tu potentem corpore, tanquam decenti quadã panoplia induisti, per quã ipse quidẽ facilè à me caperetur, & cerneretur: ego verò tutum & commodum ad illum accessum haberem.

Petrus

Petrus Alexandrinus. 300.

Libro de Deitate: *Verbum caro factũ est*, cùm Angelus sacram Virginem eiusmodi oratione saluta uit: *Aue gratia plena, Dominus tecum*, hoc est, Dei Verbum nunc tecum est. Nam illa Gabrielis salutatio Deum Verbum in vtero virgineo natũ, & carnem factum insinuat. Hinc & scriptum est: *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi; ideoq; quod natum est ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Dei autem Verbum, citra viri commercium, sola Dei, qui quiduis efficere potest, voluntate, in Virginis vtero incarnatum est, viri præsentia, eiusdemq; actione ad hoc minimè requisita: Dei namque virtus Virginem per Spiritus sancti illapsum adumbrans, viro quouis efficacius operata est.

Alexander Episcopus Alexandriæ. 320.

Epistola ad Alexandrum Episcopum Constantinopolitanum: Dominus noster Iesus Christus corpus non specie adumbratum, sed verum ex Maria Deipara assumpsit, qui in fine seculorum inter homines ad delenda peccata versatus est, qui crucifixus est & mortuus sine vlla ipsius diuinitatis imminutione, qui resurrexit à mortuis, ascendit ad cælos, sedet ad dextram maiestatis Dei.

Synodus Nicæna. 325.

In Symbolo: Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cælis, & incarnatus est de Spiritu sancto, ex Maria Virgine: *Et homo factus est.* Crucifixus etiam pro nobis sub Põtio Pilato: *Passus, & sepultus est.*

Athanasius. 340.

Epistola ad Epictetum contra hæreticos: Nihil certè tale in diuinis Scripturis, quæ Deum in humano corpore fuisse aiunt, reperias: & Patres, qui Nicææ conuenerunt, non corpus, sed Filium ipsum Patri coæternum fuisse asseuerãt, idq; ex substantia Patris: corpus verò rursum ex Maria, secundùm diuinas Scripturas, ortum traxisse confitentur.

Oratione 4. contra Arianos: Vbi semel Verbum natum ex Maria prodijt, sub consummationem seculorum, ad peccata abroganda, (ita enim Patri visum fuit, Filium suũ mittere, *factum ex muliere, factum sub lege,*) tum scriptum est, Verbum assumpta carne hominem factum esse, & in ea carnẽ passum esse pro nobis, vt Petrus testatur: *Christo enim*, inquit, *passo in carne pro nobis*: vt palam fieret, omnésque crederemus, eum, cùm semper Deus esset, postmodum in nostri gratiam hominem esse factum, & *corporaliter*, vt inquit Apostolus, *habitauit diuinitas in carne.* Quæ verba idem valent, ac si dicas: Cùm Deus esset, propriũ quoddam corpus cepit, eoq; vtens vt organo, homo factus est propter nos. Ideoq; quæ propria sunt carnis, etiam de illo referuntur, nimirum, quia in carne consistebat, qualia sunt esurire, sitire, pati, fatigari, aliaq; id genus, quæ caro in se recipit.

Basilius Magnus. 370.

In Liturgia: Vnigenite Fili & Verbum Dei, cùm sis immortalis, dignatus es propter nostram salutem incarnari, & de sancta Dei Genitrice, & semper Virgine Maria, immutabiliter humanari, & crucifigi.

Cyrillus Hierosolymitanus. 370.

Catechesi 4. de generatione Filij: Crede quòd hic vnigenitus Dei Filius propter peccata nostra de cælo descendit in terram, & earundem affectionum cum nobis assumpsit humanitatẽ, & natus est ex Maria Virgine, & Spiritu sancto. Non opinione, non phantasia humanitatem assumpsit, sed in veritate: non tanquam per canalem transiens per Virginem, sed verè incarnatus ex ipsa, lacte nutritus verè, vereq; comedens, sicut & nos. Si enim phantasma erat illa incarnatio, phantasma & salus.

Catechesi 13. Illuminatorum: Passus est Iesus pro hominibus verè: non enim apparentia est crux, neque opinio redẽptio: non imaginaria mors, & fabulatoria salus. Si enim imaginaria esset mors, veri essent illi, qui dicebant: *Recordati sumus, quòd seductor ille dicebat adhuc viuens.* Passio itaque vera: verè enim crucifixus est, & non cõfundimur, neq; negamus; sed potius in eo gloriamur.

Epiphanius. 380.

Hæresi 20. Descendit de cælo, & conceptus est, nõ à semine viri, sed per Spiritum sanctum, & verè corpus de Maria habuit, sibi ipsiq; carnem de sancta matre efformauit, & animam ac mentem humanam accepit, & totum id, quod est homo, excepto peccato, in seipso per suam deitatem couniuit, natusq; est in Bethlehem.

Gregorius Nazianzenus. 380.

Oratione 51. quæ est Epistola 1. ad Cledonium: Si quis Christum per Virginem tanquam per canalem fluxisse, non autem in ea diuino modo, quia absq; viri opera: humano, quia iuxta pariendi consuetudinem, formatum esse dixerit, atheus est.

Gregorius Nyssenus. 380.

Oratione 2. de pauperibus amandis: Ipse Dominus Angelorũ, ipse cælestis beatitudinis Rex propter te factus est homo, & sordidas istas, abiectasq; carnis exuuiolas, vnà cum anima, quæ ipsis erat induta, sibi circumdedit, vt attactu suo tuis ægritudinibus mederetur.

Theophilus Alexandrinus. 390.

Lib. 1. Paschali: Ex tantis ac talibus assumpsit hominem, duntaxat absque peccato, ex quantis & qualibus nos omnes creati sumus: non ex parte; sed totus mediator Dei, & hominũ, homo Christus Iesus, nulloq;, quod nostræ similitudinis est; caruit, nisi solo peccato, &c. Sciendum est, quòd ex omni parte temperatum humanę conditionis exhibens sacramẽtum, perfectam similitudinem nostræ conditionis assumpserit, nec carnem tantùm, nec animam irrationalem sine sensu, sed totum corpus, totamq; animam sibi socians, perfectum in se hominem demonstrauit, vt perfectam cunctis hominibus in se, & per se largiretur salutem: habensq; nostri consortium, qui de terra cõditi sumus, nec carnem deduxit de cælo, nec animam.

Ioannes Chrysostomus. 400.

Homilia 24. in priorem ad Corinthios: Hoc corpus clauis confixum, & flagris cæsum non tulit mors. Hoc corpus in crucem actum sol cùm vidisset suos auertit radios. Propter hoc & velum tũc scindebatur, & petra rumpebatur, & terra quatiebatur. Hoc est illud corpus, quod fuit cruentatum, quod lancea percussum, & salutares emisit fontes vniuerso orbi terræ, vnum quidem sanguinis, alterum verò aquæ.

Homilia de Ioanne Baptista: Sancta Maria, Beata Maria, mater & virgo, virgo fuit ante partũ, virgo post partum. Ego hoc miror, quomodo de virgine virgo natus sit, & post natiuitatem virginis mater virgo sit. Vultis scire quomodo de virgine natus sit; & post natiuitatem mater ipsa sit virgo? Clausa erant ostia, & ingressus est Iesus. Nulli dubiũ quin clausa sint ostia. Qui intrauit p ostia clausa, non erat phantasma, nõ erat spiritus, verè corpus erat. Quid enim dicit: *Respicite & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, quæ me habere videtis.* Habebat carnes, habebat ossa: & clausa erãt ostia.

Quomodo

Quomodo clauſis oſtijs intrauerunt oſſa & caro? Neſcis quomodo factum ſit, & das hoc potentiæ Dei. Da potentiæ Dei, quia de virgine natus ſit, & tamen ipſa virgo fuerit virgo poſt partum.

Homilia 25. in 3. cap. Ioannis: Spiritus carnẽ Chriſti formauit, non tamen ex nihilo: (quid enim opus fuiſſet matrice?) ſed ex carne virginali. Quo nam autem pacto factũ ſit explicare non poſſum: ſed factum eſt, ne quis à natura noſtra partum illum alienum putaret.

Proclus. 425.

Epiſtola ad Armenios: Deus forma carens ſumpſit formam ſerui, caro factus, natus ex Virgine, volens vbique monſtrare, quia ſecũdùm veritatem fieri homo dignatus eſt. Naturam ſiquidem corpoream, & exordia, & habitus, paſſionesq; neceſſariò ſubſequuntur.

Cyrillus Alexandrinus. 430.

De recta in Deum fide ad Theodoſium: Si Verbi incarnatio vmbra eſt, aut res tãtùm imaginaria eſt, ergo vera non eſt, neque Virgo Filium Dei verè enixa eſt, neque Verbum, quod ex Deo Patre prodijt, ſemen Abrahæ verè complexum eſt, neque fratribus verè aſſimulatum eſt. Etenim quæ in nobis cernũtur, ea nec typus, nec vmbra, nec ſpectrum ſunt; ſed veritas, & res ipſa, &c. Si nũquam verè in carne apparuit, quale quæſo dorſum pro nobis cædendum præbuit? aut quales percutientibus genas exhibuit? Si Verbum Dei verè incarnatum non eſſet, nec verè quoq; pro nobis mortem oppetijſſet, neq; Chriſtus Dominus ex mortuis verè exſuſcitatus eſſet, &c. An non apertiſſimum eſt, obſecro, vnigenitum Dei Filium ſimilem nobis, hoc eſt hominem, factum eſſe, quò nimirum terrenum hoc noſtrum corpus, vita propria per œconomicam vnionem illi immiſſa, ab inducta corruptione liberaret? animam rurſum humanam, poſteaquam illam propriam ſibi reddidiſſet, ſuæq; naturæ firmitate ac immutabilitate perinde ac vellus colore imbuiſſet, peccato ſuperiorem declararet?

Paulus Emiſenus. 430.

Homilia de Chriſti Natuitate: Qui ante ſecula arcano ineffabiliq; modo ex Patre genitus eſt, nouiſſimis temporibus per mulierem in lucem funditur. Enimuerò natura noſtra perfectè aſſumpta, humanæq; naturæ conditionibus ex prima conceptione in ſe veluti proprijs trãslatis, ac noſtro tandem corpore, ſibi in templum coaptato, ex Deipara Virgine Deus perfectus, & homo itidem perfectus prodijt.

Iſidorus Peluſiota. 440.

Lib. 1. Epiſt. 102. *Omni cuſtodia ſerua cor tuum,* ne Chriſti naturam poſt incarnationem merũ duntaxat ſpectrum eſſe credas. Alterutram enim tollit, qui vnam tantùm confitetur; nempe vel diuina mutata, vel noſtra imminuta. Hæc eſt Manis Charybdis, per quam omnes in Gehennam præcipites agere ſtuduit.

Epiſt. 121. Chriſtus ſemen Abrahę apprehendit, & matrẽ illinc elegit, & in ea, & ex ea carnem induit, atque homo verè, per omnia excepto peccato nobis ſimilis, factus fuit.

Theodoretus. 450.

Gal. 3. *Dialogo 1.* Hęc pacta conuenta interpretans D. Paulus in Epiſtola ad Galatas, dicit: *Abrahæ autem dictæ ſunt promiſſiones, & ſemini eius.* Non dicit, & ſeminibus eius, tanquam de multis; ſed tanquam de vno, qui eſt Chriſtus, apertiſſimè oſtendens, Chriſti humanitatem, quæ ex ſemine Abrahæ germinauit, & quæ Abrahæ facta eſt, promiſſionem impleuit.

Baſilius Seleucius. 460.

Oratione prima de Verbi incarnatione: Cùm Filius Dei imaginem in integrum vellet reſtituere, noſtræq; carni immortalitatem impertiri, ipſemet carne ſe induit; cognatum videlicet per cognatum ſanaturus, fitq; homo numeris omnibus perfectus, quò eum integræ ſanitati reddat, quẽ olim creauerat.

Titus Boſtrenſis. 460.

Ad cap. 1. Lucæ: *Ideo quod naſcetur ex te.)* Non dicit Angelus ad Virginem, quod natum eſt ſimpliciter, ne quis corpus, quod ex ea prodijt, aliunde petitum exiſtimet: ſed addit, *ex te:* quo nimirum, quod naſcebatur, ſecundùm naturam ortum ex illa ducere, adeoq; naturalem illius fœtũ eſſe certò perſuadeat.

Andreas Cæſareenſis. 500.

Ad cap. 9. Apocalyp. Noſtri cauſa Chriſtus ſemel factus eſt homo, noſtraq; omnia ſolo peccato excepto participauit.

Ioannes Maxentius. 510.

In ſecunda fidei profeſſione: Fatendum eſt Deũ natum ex fœmina, non ſecundùm diuinitatem, ſed ſecundùm humanitatem; in cunis iacuiſſe pannoſum, ſordibus inuolutum; creuiſſe, ac profeciſſe ætate ac ſapiẽtia, ſed ſecundùm humanitatẽ.

Procopius Gazæus. 530.

Ad cap. 45. Eſaiæ: *Operatus eſt ſalutẽ in medio mundi,* quia carnem de terra, non de cælo demiſſam habuit.

Synodus Quinta Conſtantinopolitana. 535.

Act. 4. Si quis non confitetur eum, qui eſt ante ſecula & ſine tempore ex Patre natus, eſſe Deum Verbum, in vltimis diebus deſcendiſſe de cælis, & incarnatum eſſe de ſancta & gloriosa Dei Genitrice & ſemper Virgine Maria, & hominem factũ, natum ex ipſa: talis anathema ſit.

Andreas Cretenſis. 560.

In ſalutationem Angelicam: Non ſimulatam carnẽ nobis aſſumpſit, ſed in ipſa rei veritate, ſingulari ſimul erga genus humanum ſtudio, & ſecundùm homines ex hominum ſubſtantia ſibi aſciuit, qui eſt altiſſimus, ac totam noſtram naturam in ſemetipſo ſanctificauit: nec diſpenſationẽ eam ſub ſpecie quadam finxit: hanc ille carnis, inquam, veritatem cognouit, illæſa eius deitate manente.

Leontius. 600.

De ſectis actione 1. Filius & Sermo Dei, conſtituto propter nos in Deipara Virgine domicilio, cùm corpus animatum mente prędituin, rationis particeps, & ſimpliciter, vt loquar, humanũ induiſſet, eidem humano corpori vnitus eſt, citra confuſionem.

Euſtachius Presbyter. 610.

In vita S. Eutychij: Pernicioſa omnino peſtis eſt, affirmare incorruptum fuiſſe Domini noſtri Ieſu Chriſti corpus ante reſurrectionem. Quis enim adeò ſtultus eſt, vt Domini corpus ex eo, quòd cũ diuina natura copulatum fuit, incorruptum aſſerat, cùm hoc conceſſo colligendum ſit neceſſariò fictam, & ſimulatam humanæ carnis ſuſceptionem extitiſſe? Quomodo enim incorruptũ corpus pati potuit, aut circumcidi, aut pannis inuolui, aut lacte nutriri? Quæ ſi illam vitæ largitricem carnem ſubijſſe credimus, crucem item, & clauorum foramina, & lanceæ vulnus confiteri oportet. Incorruptum igitur de illo dici non poteſt, niſi per hoc verbum intelligamus, corpus illius nulla vnquã fuiſſe peccati macula contaminatum, aut in ſepulchro non eſſe diſſolutum.

Sophronius Hieroſolymitanus. 630.

Epiſtola ad Honorium: Filius Dei vterum intactũ virginitatis ingreſſus, caſtitatem luſtratam Marię ſanctæ, incarnatus, qui erat incarneus, & formã ſuſcepit noſtram, qui ſecundùm diuinam eſſentiam, quàntũ ad habitum & ſpeciem, inexformabilis, & corporatur ſecũdùm nos incorporeus, & homo iuxta veritatem efficitur, qui ſemper Deus cognoſcitur, &c. Et homo ſecundùm veritatẽ factus eſt ab ipſo ſummo conceptu de ſanctiſſima Virgine.

Oratione in Chriſti Natalitia: An nõ, cùm Dei Verbum eſſet, æternúmque ex æterno Patre ortum haberet, impollutum Matris Virginis vterum propter nos inhabitauit? verãq; in illa, & ex illa carnem ſuſcepit? ſuſcepit autẽ ex ea carnẽ, non prius quidem ex ea formatam & exiſtentẽ, quàm indiſſolubili vinculo illi coniungeretur: ſed vnà cum ipſo, & in ipſo Verbi complexu exiſtentiam ſortitam.

Maximus Monachus. 640.

Centur. 1. cap. 9. Chriſtus Deus naſcitur, aſſumpta carne animam intellectiuam habente. Qui cùm rebus ex nihilo creationem conceſſerit, factus eſt homo. Quem dum ſupernaturali modo Virgo peperit, nullum diſſoluit virginitatis argumentum. Qua enim ratione factus eſt homo, ſine vlla naturæ alteratione, aut cõmutatione potentię: ſic eam, quę peperit, tum matrẽ effecit, tum virginẽ conſeruauit, miraculo miraculũ circa idẽ declarans?

Germanus Conſtantinopolitanus. 720.

In Theoria: Vnigenitus Filius & Sermo Patris initio carentis cùm ſit, recepta propter noſtram ſalutem incarnatione ex ſacra Deipara, immutabili manente diuinitate & inconfuſa, vnus eſt, de ſancta Trinitate homo factus, & lubẽs crucifixus.

Ioannes Damaſcenus. 730.

Orthodoxæ fidei lib. 1. cap. 14. Dei Verbum totũ hominem ſalutis noſtæ cauſa ſuſcepit, hoc eſt, animam intellectualem & corpus, atq; humanæ naturę proprietates, ac naturales minimeq; reprehendendos affectus.

Lib. 3. cap. 2. Neque enim Deus Verbum, præexiſtenti ſeorſim carni vnitus eſt, verùm poſteaquã in ſanctæ Virginis vterum migrauit, citra vllam circumſcriptionẽ, in hypoſtaſi ſua, ex caſtis ipſius perpetuæ Virginis ſanguinibus, carnẽ anima rationali atque intellectuali animatam cõdidit: humanę nimirum conſperſionis primitias aſſumẽs: ac Verbum ipſum carni hypoſtaſis factum eſt.

Taraſius Conſtantinopolitanus. 780.

Epiſt. ad Epiſc. Antiochiæ, Alexandriæ, &c. Confiteor & propter noſtram ſalutem, in extremis temporibus, iuxta carnem, vnius ſanctæ Trinitatis Filij Dei, Dominiq; noſtri Ieſu Chriſti ex vera Deipara & ſemper Virgine Maria generationem, ſubſtantiam aſſumpſiſſe nobis ſimilem, materialiter ſine peccato non deſciſcente ab eo quod fuerat, crucifixum pro nobis carne, ſepultum & reſurgentem.

Elias Cretenſis. 790.

In orationem 51. Nazianzeni: Dei Filius humanã naturam aſſumpſit, atque ex virgineis ſanguinibus carnem anima rationali & intellectuali animatã ſibi ipſi efformauit, diuino ſimul & humano modo: diuino nempe, quia ſine ſemine, ac ſine viro: humano autẽ, quia, vt partus lex poſtulat, nono menſe genitus eſt: ob idq; Dei genitricem propriè ac verè ſanctam Virginem prædicamus.

Nicephorus Conſtantinopolitanus. 815.

Epiſtola ad Leonem Tertium: Confiteor Dei Filiũ, infinita benignitate & miſericordia erga propriũ plaſma motum, è cælo deſcendiſſe. In vtero enim Virginis verè proprieq; Deiparæ inhabitãs, & per Spiritum ſanctum animam & carnẽ ſibi adaptãs, totamq; noſtram naturam, quemadmodum hominẽ in principio finxerat, ſibi aſciſcens, prodijt Deus incarnatus, &c. Etenim ſemine Abrahã ſuſcepto, carnis ac ſanguinis perinde ac vnus ex nobis factus eſt particeps, carneq; anima intelligente viuificatam aſſumpſit, nullo quidem pacto ante ſummam illam vnionem præexiſtentem, ſed ſimul carnem, ſimul anima rationis cõpote animatam, ſimul Verbo vnitam.

Michael Syngelus. 830.

In Dionyſio Areopagita: Cæterùm Dauidicæ puellæ Virginis ventrem, quæ nuptiarum expers, ac propemodum innocens Virgo ſemper permanſit, vti ſementis, ſubijt, carnemq; ex illius ſanguine aſſumens, cum anima rationis intellectuſq; participe ſe coniunxit, eamq; ſibi copulauit.

Photius. 870.

Epiſtola ad Michaelem Bulgariæ Principem, de ſeptem Synodis: Chriſtus verus Deus noſter, propter nos & propter noſtram ſalutem, carnis & ſanguinis, quemadmodum nos, particeps eſſe voluit, & maſſam noſtram in ſeipſum ſuſcipiens, vnus ex duobus contrarijs declaratus eſt, Deus idem exiſtens & homo.

Leo Philoſophus Imp. 880.

Epiſtola ad Omarum Saracenorum Principem: Miſit Deus Verbum ſuum ad Mariam, quam elegerat: accepit formã hominis Verbum Dei, induit corpus de Maria, cum anima & intellectu. Habitauit Verbum ipſius, quod erat ex Deo, in ipſo corpore ſine ſeparatione ab ipſo in perpetuum. Si nõ eſſet ipſum corpus, quod induerat, nemo poſſet videre Verbum Dei: ſed veniens Verbum Dei, induit corpus de Maria.

Theophylactus. 900.

Ad cap. 14. Marci: Chriſtus, qui totum hominem cum naturalibus ſuſcepit cõditionibus, omninò & triſtitiam & angorem naturalem habuit: cæterùm dicẽdo, *tranſeat à me calix iſte,* monſtrauit humanitatem.

Ad cap. 1. Lucæ: *Ecce concipies.* Hoc ſingulare, qd nulli alteri conceſſum eſt. *In vtero* autem dixit, vt oſtendat Dominum ex ipſius Virginis vtero incarnatum ſubſtantialiter.

Theodorus Abucara. 950.

Diſputatione 11. Verè Deum Verbum ex Virgine natum eſſe, eſurijſſe, ſitijſſe, naturales affectiones ſubijſſe, crucifixumq; & mortuum eſſe dicimus.

Suidas. 970.

In Auguſto: Sub eo Ieſus Chriſtus, Deus & Seruator noſter, carnem aſſumpſit è ſancta Deipara & Virgine Maria.

Euthymius. 1080.

Ad cap. 2. Matthæi: Quare non manſit Chriſtus Nazarethæ, ſi vi occidi non poſſet? Quia ſi hoc factum eſſet, aliqui affirmaſſent humanitatem iuxta phantaſiam tantùm aſſumptam fuiſſe: humanis videlicet non ſubiectam affectibus.

Conſtantinus Manaſſes. 1140.

In Annalibus: Auguſto Cæſare potiente rerum coæternus ille Patri Sermo, conditor mundi, caſtam incorruptæ iuuenculæ aluum ingreſſus, ex eius ſanguine carnem ſibi compegit, cum qua inter homines conſpectus eſt, tam diuinitate, quàm humana natura planè perfectus.

Conſtantinus Harmenopulus. 1180.

De Fide Orthodoxa: Dei Filius propter salutem nostram suopte cõsilio Deiq; Patris voluntate in terram descendens, ex sancta Deipara perpetuaq; Virgine Maria verè, non specie tenus, natus est, compósita sibi ex ea carne, mentis atque animi compote; perfectusq; Deus existens, perfectus homo factus est.

Nicetas Choniates. 1200.

Thesauri Orthodoxæ Fidei lib. 2. cap. 31. Confitemur eundem Dei Filium in vltimis & præfinitis temporibus, vt genus humanũ seruaret, & reformaret, è cælis descendisse, seu voluntaria exinanitũ humilitate, puræ Deiparæq; Virginis Mariæ vterum subijsse; quæ à Spiritu sancto præpurgata corpore & animo fuisset, ex eiusq; sancta & incorrupta carne in subsistentia propria carnẽ assumpsisse; ita vt consubstantialis nobis effectus, eam in ipsa mediante anima rationis & intellectus participe compingeret, atque efformaret. Qui ex eadem Virgine intemeratáq; matre natus est, supra quàm dici aut excogitari, vlloue intellectu percipi possit. Cùm enim sine semine, supernaturalisq; conceptio fuisset, ineffabilis quoque partus, & inenarrabilis fuit. More itaque nostro, qui supra nos erat Christus & Dominus processit, omnia nostra essentialiter in se ferẽs, vno dempto peccato, totus homo factus est, totusq; Deus manens, idem terrenus & cælestis.

Nicephorus Callistus. 1300.

Eccles. histor. lib. 1. cap. 23. Verùm enimuerò, quòd perfectus natura homo Dominus sit, citra tamen naturæ inquinationem & sordes, apertè astruit nouem illa mensium, qua in vtero gestatus est, fœtura, natiuitas eius, educatio, baptismus, tentationes, fames, sitis, labores, fatigationes, lachrymæ, angores, somnus, tædium, & quæcũque sunt hominum naturales & irreprehensibiles affectiones: adhæc alapæ, colaphi, flagra, contumeliæ, irrisiones, sputus, sannæ, ludibria, & reliqua eiusmodi: præterea crux, claui, acetum, fel, lancea: postremò denique mors, funus, & sepultura. Atque hæc quidem à discipulis tum ad confirmandam carnis eius fidem sunt spectata: posteris autem ex ordine omnibus ea sacrorum Euangeliorum scripta exhibent, atque repræsentãt. Itaque hæc omnia Seruatorem verum hominem esse, satis indicant.

Ioannes Cantacuzenus. 1350.

Apologia 2. Reuera hominem assumpsit, nec alterius naturæ hominem, sed ipsissimam hominũ naturam, quæ ex Adam est, licet ex Virgine præter naturæ leges natus sit, &c. Sentimus & credimus, quòd Filius Dei carne assumpta ex sancta & Deipara Virgine, homo verus natus sit, & idem ipse verè sit mortuus, & non alius: & in cruce, & in passione, & in morte ipsius gloriamur.

Gennadius Scholarius. 1450.

Dialogo de via Salutis humanæ: Verbum Dei quando bene placuit natum est, vt ex labijs Prophetarùm fuerat prædictum, ex sancta Virgine Maria, & tunc manifestum fuit toti orbi. Quemadmodũ enim manifestatur noster sermo, cùm sit natus ex labijs nostris: ita & Verbum Dei natum est ex carne sanctæ Virginis, & manifestatum est toti orbi, &c. Descendit Filius & Verbum Dei, & ingressus est puram sanctam & immaculatam Virginem, & suscepit carnem, & homo factus est: & postea ex vtero Virginis egressus, conuersatus est in mundo cum hominibus vt homo, & nominatus est Christus, qui docuit homines viam veritatis.

Moses Mardenus Assyrius. 1552.

In confessione fidei: Descendit vna ex tribus personis de voluntate ipsarum trium, quę sunt vnũ, eaq; erat persona Filij, mansitq; in gremio sanctæ Virginis Mariæ, filiæ Dauidis, non relinquens tamen locum, & incarnata est ex Spiritu sancto, & ex Maria Virgine, secundùm prædestinationem scientiæ suæ, sumpsitque formam serui sui.

Hieremias Pat. Constantinopolitanus. 1580.

Responso 1. cap. 1. Verbum nulla diuinitatis alteratione & mutatione, nulla passione & fluxu interueniente, propter nos caro factum est, natura nostra perfectè momento temporis assumpta.

Gabriel Patriar. Alexandrinus. 1595.

In confessione fidei: Vnigenitus Dei Filius incarnatus est de Spiritu sancto, in immaculato vtero beatissimæ Mariæ semper Virginis veram & integram hominis naturam assumpsit, corpus videlicet & animam rationalem, in vnitate personę diuinæ, &c. Insuper firmiter credo & prædico eũdem Dei Filium incarnatum, verè natum esse ex Maria semper Virgine, itẽ verè passum, verè mortuum & sepultum.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Tertullianus. 200.

Lib. de carne Christi, cap. 1. Examinemus corporalem substantiam Domini: de spiritali enim certum est. Carnis quæritur veritas, & qualitas eius retractatur, an fuerit, & vnde, & cuiusmodi fuerit. Renuntiatio dabit legem nostræ resurrectioni. Marcion, vt carnem Christi negaret, negauit etiam natiuitatem; aut vt natiuitatem negaret, negauit & carnem: scilicet, ne inuicem sibi testimonium redderent, & responderent natiuitas & caro: Quia nec natiuitas sine carne, nec caro sine natiuitate: quasi non eadem licentia hæretica & ipse potuisset aut admissa carne natiuitatem negare, vt Apelles discipulus, & postea desertor ipsius: aut & carnem & natiuitatem confessus, aliter illas interpretari, vt condiscipulus & condesertor eius Valentinus. Sed & qui carnem Christi putatiuam introduxit, æquè potuit natiuitatis quoque phantasmata confingere, vt & conceptus, & prægnatus, & partus Virginis, & ipsius exinde infantis ordo τὸ δοκῆν haberetur.

Cap. 5. Sed hæc quomodo in Christo vera erũt, si ipse non fuit verus, si nõ verè habuit in se quod figeretur, quod moreretur, quod sepeliretur, & resuscitaretur? carnem scilicet hanc sanguine suffusam, ossibus substructam, neruis intextam, venis implexam, quæ nasci & mori nouit: humanã sine dubio, vt natam de homine? Ideoq; mortalis hæc est in Christo, &c.

In Apologetico cap. 21. Iste Dei radius, vt retro semper prædicabatur, delapsus in Virginem quandam, & in vtero eius caro figurata, nascitur homo Deo mistus: caro spiritu instructa nutritur, adolescit, affatur, docet, operatur, & Christus est.

Nouatianus. 240.

De Trinitate cap. 10. *Verbum*, inquit Ioannes, *caro factum est, & habitauit in nobis*, vt meritò corpus nostrum in illo fuerit: quoniam quidem nostram carnem Sermo suscepit. Et sanguis idcirco de manibus ac pedibus atque ipso latere dimanauit, vt nostri consors corporis probaretur, dum occasus nostri legibus moritur. Qui dum in eadẽ substantia corporis, in qua moritur, resuscitatus, ipsius corporis vulneribus comprobatur, etiam resurrectionis nostræ leges in sua carne monstrauit, qui corpus, quod ex nobis habuit, in sua resurrectione restituit. Ioan. 1.

Cyprianus. 250.

Epist. 73. Nunquid hanc Trinitatem Marcion tenet? nunquid eundem asserit, quem & nos, Patrem Creatorem? nunquid eundem vnum Christum Filium de Maria Virgine natum, qui Sermo caro factus sit, qui peccata nostra portauerit? qui mortem moriendo vicerit? qui resurrectionem carnis per semetipsum primus initiauerit, & discipulis suis, quòd in eadem carne resurrexisset, ostenderit?

De bono Patientiæ: Dei Filius de illa sublimitate cælesti ad terrena descendens, non aspernatur carnem hominis induere, & cùm peccator ipse non esset, aliena peccata portare: Immortalitate interim posita, fieri se & mortalem patitur, vt innocens pro nocentium salute perimatur.

Eutychianus. 275.

Epistola ad Episcopos Bæticæ: Non eguit ille homo effici, per quem homo factus est: sed nos eguimus vt Deus caro fieret, & habitaret in nobis, id est, assumptione carnis vnus interna vniuersæ carnis incoleret. Humilitas eius, nostra nobilitas est: contumelia eius, honor noster est: quod ille Deus in carne consistens, hoc nos vicissim in Deum ex carne renouati.

Arnobius Rhetor. 300.

Aduersus Gentes libro primo: Assumpsit Christus hominis formam, & sub nostri generis similitudine potentiam suam clausit, vt & videri posset, & conspici; verba faceret, & doceret, atque omnes exequeretur res eas, propter quas in mundum venerat faciendas. Quis est ergo visus in patibulo pendere? quis mortuus est? Homo, quem induerat, & secum ipse portabat.

Lactantius. 320.

De vera sapientia & religione lib. 4. cap. 13. Hominem fuisse Christum Hieremias docet, dicens: *Et homo est, & quis cognouit eum?* Item Esaias: *Et mittet eis Deus hominem, & saluabit eos, iudicans sanabit eos.* Sed & Moyses in Numeris ita loquitur: *Orietur stella ex Iacob, & exurget homo ex Israel.*

Hilarius. 350.

Lib. 10. de Trinitate: Si igitur homo Iesus Christus per initia corporis atque animæ nostræ vixit in corpore, & nõ ita vt corporis sui, sic & animæ suæ princeps Deus in similitudine hominis constitutus, & habitu repertus vt homo natus est: parem dolorem senserit corporis nostri, animæ nostræ, & corporis, vt conceptu, ita & initio animatus in corpore. Quòd si assumpta sibi per se ex Virgine carne, ipse sibi ex se animam concepti per se corporis coaptauit: secundùm animæ corporisq; naturam, necesse est & passionum fuisse naturam. Euacuans se enim ex Dei forma, & formam serui accipiens, & Filius Dei etiam filius hominis nascens, ex se suaq; virtute non deficiens, Deus Verbum consummauit hominem vi-uentem. Nam quomodo Filius Dei hominis filius erit natus, vel manens in Dei forma, formam serui acceperit: si non potente Deo Verbo ex se & carnem intra Virginem assumere, & carni animam tribuere, homo Christus Iesus, ad redemptionem animæ & corporis nostri perfectus est natus: & corpus quidem ita assumpsit, vt id ex Virgine cõceptum, formam eum esse serui effecerit.

Ambrosius. 370.

De incarnationis Dominicæ sacram. cap. 2. Dicitur hoc (*si rectè offeras, rectè autem non diuidas, peccasti, quiesce,*) Valentino & Manichæo, qui non putauerunt veritatem carnis humanæ à Christo esse susceptam.

Lib. 1. de Sacram. cap. 5. Memento quòd dixerim, Christus carnem susceperit, non sicut carnem, sed carnis istius veritatem; verè carnem Christus susceperit.

Prudentius. 380.

In Apotheosi contra Ebionem:

Ipse gerit quod struxit opus, nec ferre pudescit
Factor quod peperit, corpus loquor atque animæ vim,
Finxerat hoc digitis, animam sufflauerat ore:
Totum hominem Deus assumit, quia totus ab ipso est.

Hieronymus. 390.

Ad cap. 14. Matthæi: Si iuxta Marcionem & Manichæum Dominus noster non est natus ex Virgine, sed visus in phantasmate, quomodo nunc Apostoli timent, ne phantasma videant, &c. Qui putant Domini corpus non ideo esse verum, quia super molles aquas molle & aëriũ incesserit; respondeant, quomodo ambulauerit Petrus; quem vtique verum hominem non negabunt.

Ad cap. 4. Epist. ad Galat. Diligẽter attendite, quòd non dixerit *factum* per mulierem, quod Marcion & cæteræ hæreses volunt, quæ putatiuam Christi carnem simulant: sed *ex muliere*, vt non per illam, sed ex illa natus esse credatur.

Augustinus. 400.

Hæresi 11. Valentinus ait, Christum à Patre missum, id est, à profundo spiritale vel cæleste secum attulisse corpus, nihilq; assumpsisse de Virgine Maria, sed per illam tanquam per riuum aut per fistulam, fine vlla de illa assumpta carne, transijsse.

Hæresi 21. Cerdoniani aiunt Christum ipsum natum ex fœmina, neque habuisse carnem, nec verè mortuum, vel quicquam passum, sed simulasse passionem.

De fide contra Manichæos cap. 26. Nos Dominũ verum hominem suscepisse credimus, & in ipso visibiliter inuisibilẽ hominibus apparuisse, in ipso inter homines conuersatum fuisse, in ipso ab hominibus humana pertulisse, in ipso homines docuisse à quibus esset recedendum, quid esset perferendum, quò esset tendendum.

Ruffinus. 400.

In Apologia pro fide sua ad Anastasium: Filium quoque Dei in nouissimis diebus natum esse confitemur, ex Virgine & Spiritu sancto carnem naturæ humanæ & animam suscepisse, in qua passus, & sepultus, & resurrexit à mortuis, in eadem ipsa carne resurgens, quæ deposita fuerat in sepulchro.

Maximus Taurinensis. 430.

Homilia 5. de Christi Natiuitate: Cùm annuntiatur nobis sempiternus ille Vnigenitus Dei Patris, cui subiacent omnia, & per quem creata sunt vniuersa, sub fine temporum nasci voluisse de fœmina, & infantiam perpeti nostræ carnis: tantæ dignationis gratiam nõ debemus examinare, sed credere: nec discutere, sed mirari.

Homilia 6. Hodie cæli terrarumq; Dominus pro libertate seruorum formâ induit seruitutis. Hodie noua fœminei sexus gloria peperit Virgo, & quòd vniuersa nobiscum natura miratur, natus est homo, non per hominem procreatus. Sed quamuis nouum videatur, non tamen incredulum, quòd Christus in vtero Mariæ sine generante conceptus est, qui de Deo Patre sine conceptione processit. Quòd enim Deus est, solius Patris est Vnigenitus: quòd homo est, solius Matris est Filius.

Petrus Chrysologus. 440.

Sermone 144. *Ecce,* inquit, *concipies in vtero.*) Propter reuerétiam dixisse sufficerat, *concipies*: quòd exaggerat, *in vtero*, quid est? vt conceptus esset veritas, non figura: vt partus esset proprietas, non imago: vt sicut de Deo vero verus Deus natus est, sic de vero conceptu veritas humani corporis nasceretur. In ortu Christi humani corporis iniuria sublata est, non natura; nec est creatura deleta, sed culpa damnata. Est ergo hæresis, quæ Christum aërium corpus assumpsisse mentitur, nec habuisse carnem, sed hominem simulasse cõfingit.

Arnobius Iunior. 440.

In conflictu de Deo trino & vno: Filius de sinu Patris egressus, virginea integritas ita illũ suscepit, vt potest massa auri ignem suscipere: & ex ipsa massa produxit hominem perfectum ex semine Dauid secundùm carnem, &c. Natus non aërius, sed corporeus: non in phantasia, sed carnem, ossa, sanguinem, sensum, & animam gestans: passus crucem secundùm Scripturas, verè mortuus est, verè sepultus, verè à mortuis tertia die resurrexit. Hoc tamen in eo est mortuum, quod mori potuit.

Leo Magnus. 450.

In solennitate Natiuitatis Domini sermone 1. cap. 1. Dei Filius secundùm plenitudinem temporis, quam diuini consilij inscrutabilis altitudo disposuit, reconciliandam auctori suo naturam generis assumpsit humani: vt inuentor mortis diabolus per ipsam, quam vicerat, vinceretur.

Sermone 7. de Epiphanijs cap. 3. Vnigenitus Dei sub vna maiestatis suę inclinatione suscepit, vt & homo vellet nasci, & ab hominibus posset occidi.

Prosper. 460.

Sentent. 64.

Quisquis consilio æterno contraria sentit,
Et Verbum in nostra carne manere negas,
Diuinæ pietatis opus dissoluere quæris,
Speq; sua mundum dispoliare cupis.
Nam quis ventura quenquam saluabit ab ira?
Quisve hominis primi crimine liber erit,
Si Deitas Verbi non nostræ est insita carni,
Aut Christus falsi corporis vmbra fuit?
Qui genitus puer est intactæ Virginis aluo?
Quæ natura annis creuit & aucta cibis?
In qua prole patrem mundi se credidit Abram?
Quæue eius stirps est, omnia sanctificans?
Quod regale genus simul est & pontificale?
Quiue idem Dauid filius & Dominus?

Cæsarius Arelatensis. 480.

Homilia 5. de Pascha: Quia nec nos habebamus vnde viueremus, nec ille vnde moreretur, materiam de nostra mortalitate suscepit, vt sua immortalitate collocata mori posset, vita pro mortuis.

Vigilius Tridentinus. 480.

Lib. 1. contra Eutychen: Post resurrectionem vnius eum naturæ esse fatentur: quod quàm sit absurdum, quamq; ineptum, ipsa rerum veritate monstratur. Post resurrectionẽ enim, ad demonstrandam sui corporis veritatem, & comedit, & bibit, & contrectandum se discipulis obtulit, dicens: *Palpate, & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere.* Luc. 24.

Gennadius Massilienſis. 490.

De Ecclesiasticis dogmatibus cap. 2. Natus est Dei Filius ex homine, non per hominem, id est, non ex viri coitu, sicut Ebion dixit; sed carnem ex Virginis corpore trahens, & non de cælo secum adferens, sicut Marcion, Origenes, & Eutyches affirmant: neque in phantasia absque carne, sicut Valentinus asserit, id est, neque putatiuè imaginatũ, sed corpus verum.

Fulgentius. 500.

De fide ad Petrum cap. 2. Sic Christum verum hominem crede, vt eius carnem non cælestis, non aëriæ, non alterius cuiusquam putes esse naturæ, sed eius, cuius est omnium hominum caro, id est, quam ipse Deus homini primo de terra plasmauit, & cæteris hominibus plasmat, quos per propagationem ex hominibus creat. Sed licet caro Christi & omnium hominum vnius eiusdemq; naturæ sit: hæc tamen, quam Deus Verbum ex Maria Virgine sibi vnire dignatus est, sine peccato concepta, sine peccato nata est.

Alcimus Auitus. 500.

De consolatione castitatis, cap. 10.

Intactam Matrem pro spermate sanctus adumbrat
Spiritus, hac tantùm sanctum prabente cruorem.
Inde caro Verbum efficitur, quiq; imperat ipso
Cum Patre in cælo, materno in corpore seruit:
Sic Virgo fœcunda fuit, quæ pondere casto
Factorem portare suum, Dominumq; perennem
Edere promeruit, dignoq; agnomine dici
Virgo Dei Mater.

Boëtius. 500.

De duabus naturis, & vna persona Christi: Si noua veraq; non ex homine sumpta caro formata est, quò tanta tragœdia generationis? vbi ambitus passionis? Ad quam verò vtilitatem facta probabitur tãta humilitas diuinitatis, si homo, qui perijt, generatione ac passione Christi saluatus non est, quoniam negatur assumptus? &c. Manducauit, & bibit, & humani corporis officio functus est. Cibi ac potus indigentiam in Christo fuisse nullus ignorat: sed potestate, non necessitate, & ipsa indigentia ante resurrectionem in eo fuit. Post resurrectionem verò talis extitit, vt ita illud corpus immutaretur humanum, sicut præter præuaricationis vinculum mutari potuisset.

Primasius. 540.

Ad cap. 5. epist. ad Romanos: Sicut Adam sine commercio coniugali Dei manibus est factus: ita & Christus ex Virgine Deo operante processit.

Ad cap. 8. Christus similem carnem suscepit cæteris hominibus sine peccato, quia nec de concupiscentia, nec de coitu, sed de Virgine nata est.

Cassiodorus. 540.

Ad Psal. 33. Vita nostra, quæ reuera Deus est, qui carnem sumptam ex Virgine Maria sibi vniuit, eamq; propriam fecit, viuificatricẽ eam esse professus est, sicut ait in Euangelio: *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis sanguinem eius, non habebitis vitam in vobis* æternã. Quæ licet ex humana natura sumpta sit, non tamen eam, vt vnius hominis ex nobis existimare debemus, peccati alicuius contagione pollutam; sed adorabilem, salutiferam, viuificatricem, quæ peccata dimittit, propter Verbum, cui adunata est. Ioan. 6.

Fortunatus. 570.

De partu Virginis:

O vteri thalamus, noua iunctio facta salutis,
Quã Deus atq; caro nupsit honore nouo.
Quòd Deus amplexus carnem est, caro iuncta cohæsit,
Stat Deus, atq; homo fit, Christus vtrumq; genus:
Non Deus in carnem est versus, Deus accipit artus,
Non se permutans, sed sibi membra leuans.
Cuius non poterat deitas per aperta videri,
Velamen sumpsit carne videndus homo.

Concilium Bracarense. 572.

Cap. 2. Si quis Christum in vera hominis natura esse non credat, sicut Cerdon, Marcion, Manichæus, & Priscillianus dixerunt, anathema sit.

Gregorius Magnus. 590.

Lib. quarti Moralium cap. 12. Idcirco Redemptor noster non Angelus, sed homo factus est, quia hoc procul dubio fieri debuit, quod redemit: vt & perditum Angelum non apprehendendo defereret, & hominem in semetipso apprehendendo referaret.

Lib. 17. cap. 18. Vt rationalis esset hostia, homo fuerat offerendus: vt verò à peccatis mundaret hominem, homo, & sine peccato. Sed quis esset sine peccato homo, si ex peccati cõmixtione descenderet? Proinde venit propter nos in vterum Virginis Filius Dei, ibi pro nobis factus est homo. Sumpta est ab illo natura, non culpa. Fecit pro nobis sacrificium, corpus suum exhibuit pro peccatoribus, victimam sine peccato, quæ & humanitate mori, & iustitia mundare potuisset.

Isidorus Hispalensis. 620.

De doctrina & fide Ecclesiasticorum dogmatum cap. 2. Natus est Dei Filius ex homine, non per hominẽ. id est, non ex viri coitu, sicut Ebion dicit; sed virginem carnem ex Virginis corpore trahens, non de cælo secum adferens, sicut Marcion & Eutyches affirmant: nec in phantasia, id est, absq; carne, sicut Valentinianus dicit: neque phantasticè, id est, putatiuè imaginatum, sed corpus verum. Non tamen carnẽ ex carne, sicut Marcianus; sed verus Deus ex diuinitate, & verus homo ex carne; vnus Filius in diuinitate, & vnus homo ex carne: Filius in diuinitate, Verbum Patris, & Deus in homine; ánima, & caro. Anima non absque sensu & ratione, vt Apollinaris; neque caro absque anima, vt Eunomius: sed anima cum ratione sua, & corpus cum sensibus suis, per quos sensus veros in passione, & ante passionem carnis suæ dolores sustinuit.

Eucherius Gallus. 640.

In lib. 1. Regum cap. 25. Portabat terram Iesus, carnem, quam acceperat de terra, & in ea se occultabat, ne à Iudæis inueniretur Deus, &c. Illi ergo nõ cognoscentes persecuti sunt hominem; nec mori potuit, nisi in homine; nec crucifigi potuit, nisi in homine: quia nec teneri potuit, nisi in homine.

Synodus Lateranensis sub Martino Papa. 650.

Consultatione 5. cap. 2. Si quis secundùm Patres sanctos non confitetur propriè & verè ipsum vnũ sanctæ, & consubstantialis, & venerandæ Trinitatis Deum Verbum è cælo descẽdisse, & incarnatum ex Spiritu sancto, & Maria semper Virgine, & hominem factum, crucifixum carne, propter nos sponte passum sepultumq; & resurrexisse tertia die, & ascendisse in cælos, atque sedentem in dextra Patris, & venturum iterum cum paterna gloria, cum assumpta ab eo intellectualiter animata carne, iudicare viuos & mortuos, sit condemnatus.

Hildephonsus Toletanus. 660.

De virginitate Mariæ cap. 1. Sola persona Filij Dei in corpore tuo nascitura carnem assumet de te: ideoq; quod concipietur ex te, *quod nascetur ex te,* quod prodiet ex te *sanctum, vocabitur Filius Dei.*

Lib. de perpetua virginitate Mariæ, & eius parturitione: Christus quia conceptus est de Spiritu sancto ex virginea carne, & natus homo verè, mox ex ipsa conceptione ineffabili natiuitate Deus verus processit, & natus est homo, &c. Sicut clausis visceribus iure creditur conceptus, ita omninò & clauso vtero natus. Nec enim illi acteśsit de hominibus impotentia, quo nasceretur ex Virgine; sicut nec aliquando ei accessit, ne esset Deus & vnus Christus, qui voluit sic nasci in vnitate veri Dei & hominis, vt esset totũ veritas, quòd nascebatur, sine colluuione peccati, sicut ex nullà contagione primæ originis.

Agatho. 670.

Epistola ad Constantium Imperatorem, (quæ extat in Synodo 6. Constantinopolitana, act. 4.) Confitemur vnum eiusdem sanctæ coëssentialis Trinitatis Deum verum, qui ante secula de Patre natus est, in vltimis seculorum temporibus pro nobis, nostraq; salute descendisse de cælis, & incarnatum de Spiritu sancto, & sancta Virgine Maria, verè ac propriè Dei genitrice; secundùm carnem scilicet ex ea natum, & verè hominem factum.

Petrus Apollonius Collatius. 680.

De vrbis Hierusalem euersione, lib. 1.

Errores hominum tandem miseratus ab alto,
Humanamq; Deus sancta de Virgine carnem
Sumpserat, & castæ seruato corpore matris,
Non intellecto mundo comparuit ortu.

Beda. 700.

Ad cap. 1. Lucæ: Idem Filius Altissimi, qui in vtero virginali conceptus, & natus est. Idem homo in tempore creatus ex Matre, qui Deus est ante tempora natus ex Patre, &c. Ecce Verbum Dei Patri coæternum, lumenq; de lumine, ante secula natum, carnem in fine seculorum, atque animam nullo peccati pondere grauatam suscipit, & de vtero virginali, tanquam sponsus de thalamo suo, procedit in mundum.

Ad cap. 11. Sicut tunc Iudæi sancti Spiritus opera blasphemando, verum consubstantialemq; Patri Dei Filium negabant: sic hæretici postea, negando Mariam semper Virginem, sancti Spiritus operante virtute, nascituro ex humanis membris Vnigenito Deo carnis suæ materiam ministrasse, verum consubstantialemq; Matri Filium hominis fateri non debere dixerunt. Sed si caro Verbi Dei secundùm carnem nascentis à carne Virginis Matris pronuntiatur extranea, sine causa venter, qui eam portasset; vbera, quæ lactassent, beatificantur. Qua enim consequentia eius lacte credatur nutritus, cuius semine negatur esse conceptus? cùm ex vnius eiusdemq; fontis origine, secundùm physicos, vterque liquor emanare probetur? Nisi fortè putanda est Virgo sementiuam suæ carnis materiam nutriendo in carne Dei Filio suggerere potuisse, incarnando autem, quasi maiori & inusitato miraculo, minimè potuisse. Sed huic opinioni obstat Apostolus dicens: *Quia misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub lege.* Neque enim audiendi sunt, qui legendum putant, natum *ex muliere, factum sub legẽ*: sed *fa-*

ctum ex muliere. Quia conceptus ex vtero virginali, carnem non de nihilo, non aliundè, sed materna traxit ex carne. Alioquin nec verè Filius hominis diceretur, qui originem non haberet ex homine.

Alcuinus. 750.

Lib.3.de Trinitate cap.13. Non alius est, per quem omnia creata sunt; alius, qui creatus est homo: idem ipse Creator, & creatura; Creator in diuinitate, creatura in humanitate.

Cap.14. Verbum non amisit æternitatem suam, quamuis in tempore ex virginali vtero carnem assumendo homo fieri voluit.

Ambrosius Ansbertus. 770.

In Apocalyp.lib.7. Quis vnquam potest æstimare, quàm magnum & quàm admirabile sit, Deum hominem fieri, Creatorem creaturam effici, vitam Angelorum, ne fame moriatur, lacte nutriri; eum, qui orbem portat, puellæ manibus baiulari; Dei virtutem humana imbecillitate lassari: ex quo,& per quem viuunt omnia,occidi: sed die tertia à mortuis excitari, quadragesima verò cælos penetrare.

Haymo. 820.

Dominica 3. in Quadragesima: Christus si ventre portatus,vberibusq; est lactatus,patet profectò, q consubstantialem carnem Matris suscepit: maximè cùm secundùm physicos in ventre prægnantis liquor sanguinis & lactis ex vno fonte manat: sanguinis, vnde formatur homo: lactis, vnde pascitur.Si ergo Dominus Iesus Christus,sicut cæteri homines, lac suxit, & nutritus est, nimirum veram carnem,& non simulatam assumpsit,sicut Paulus Apostolus ait: *Qui factus est ex semine Dauid secundùm carnem.*

Ad cap.2.Epist.ad Hebræos: Sicut nos carne & sanguine constamus: sic & Christus participauit carni & sanguini homo factus. Et sicut Christus cõmunicauit nostræ substantiæ per assumptionem hominis: sic & nos participes eius sumus per assumptionem corporis & sanguinis eius.

Angelomus. 830.

Ad cap.1.lib.1.Regum: Vniuersitatis conditor ex nostra substantia carnem sumens, fœnum fieri voluit, ne nostra in perpetuum fœnum caro remaneret.

Hincmarus. 840.

In vita S.Remigij: Vna tantùm ex sancta Trinitate persona Filij, operatione Spiritus sancti, ex immaculata carne perpetuæ Virginis Mariæ, nostræ carnis substantiam animatam, nostræ naturæ anima rationali,& intellectuali,de incomprehensibili nobis virtutis suæ opere, totum scilicet hominem, vt totum saluaret hominẽ, assumpsit in vnitate personæ diuinitatis suæ. Natiuitas enim Domini secundùm carnem quamuis quædã propria habeat,quibus humanæ conditionis initia transcendit, siue quòd solus ab inuiolata Virgine, sine concupiscentia est conceptus, & natus: siue quòd ita visceribus matris est editus, vt fœcunditas pareret,& virginitas permaneret: nõ alterius tamen naturæ erat eius caro, quàm nostra est: nec alia illi, quàm cæteris hominibus anima est inspirata principio,quæ excelleret non diuersitate generis, sed sublimitate virtutis.

Rabanus Maurus. 850.

De vniuerso libro 4. cap.10. Natus est Dei Filius ex homine, & non per hominem, id est, non ex viri coitu, sicut Ebion dixit, sed carnem ex Virginis corpore trahens, & non de cælo secum adferens, sicut Marcion, Origenes, & Eutyches affirmant: neque in phantasia, id est, absque veritate, sicut Valentinus dicit: neque putatiuè imaginatum, sed corpus verum: non tantùm carnem ex carne, sicut Marcianus, sed verus Deus ex diuinitate, & verus homo ex carne, vnus Filius in diuinitate, Verbum Patris, & Deus in homine, anima & caro.

Concilium VVormatiense. 860.

In confessione fidei: De his tribus personis sola Filij persona hominem verum sine peccato, pro liberatione humani generis, ex Maria Virgine, nouo ordine, nouaq; natiuitate assumpsit.

Ericus. 880.

Homilia in Festo S.Trinitatis: Christus de Virgine natus, accepit vt idem homo, idem esset & Deus, sponte passus,sua virtute à mortuis resurrexit,atque in cælum ascendens,in dextra Patris sedet.

Sermone de Purificatione Mariæ: Deus veram ex Virgine suscipiens carnem, perfectionem ex ea humani corporis sumpsit,virginitatis ei gratiam non ademit.

Smaragdus. 950.

Ad cap.11.Lucæ: Si caro Verbi Dei,secundùm carnem nascens, à carne Virginis matris pronuntiatur extranea, sine causa venter,qui eam portasset: vbera, quæ lactassent, beatificantur. Qua enim consequentia, *&c.vt supra in Beda.*

Berno Augiensis. 1020.

In fine epistolæ: Bene vernali pluuiæ eadem *charitas*, quæ, testante Ioanne, *Deus est*, comparatur: quia ipse Deus vernali tempore sicut pluuia descendit in vellus, & per intactæ Virginis vterum, ad redimendum genus humanum, in hunc mundum nascendo venit, & eodem tempore, per sacræ passionis mysterium, de captiuitate diaboli liberauit.

Hymno de Purificatione Marię:

Cum Patre formans omnia
Formatus est ex fœmina,
Nullo virili semine,
Sed casta natus Virgine:
Et paruus hic infantulus
Subiectus est parentibus,
Obseruat & legalia,
Nostræ salutis gratia.

Petrus Damianus. 1050.

Sermone secundo de Natiuitate B.Mariæ: In beatissimum Virginis vterum, non solùm dignatus est Deus descendere, sed ex eo etiam perfectam sibi substantiam mortalitatis vnire.

Algerus. 1060.

Lib.1.cap.8.de Eucharistia: Christus in personationis iure, vt verus homo esset, in homine accepit animam cum ratione sua, & carnẽ cum sensibus suis, vt in ea pati posset.

Anselmus. 1080.

Ad cap.1.Matthæi: Super omnes virtutes necessaria est incarnatio Christi, sine qua nullus potest saluari: quæ designatur nobis per Mariam. Incarnatio enim Christi fuit nobis stella in mari,& lux in tenebris, per quam incarnationem natus est Iesus,qui ducet nos in terram repromissionis, &c. Alio modo natus est Christus de Maria, alio modo de Spiritu sancto. Cùm enim dicitur de Maria natus esse, de substantia eius intelligẽdum est, & tunc *De*, materiale est: cùm autem de Spiritu sancto natus esse dicitur,quasi ex potestate Spiritus sancti natiuitas illa fuisse intelligitur, & tũc *De*, potentiale est.

Lib.de excellentia B.Mariæ Virginis cap.11. Quemadmodum Deus ex sua substantia genuit eum, per quem cunctis originem dedit:ita B.Virgo Maria, de sua carne mundissima,peperit illum,qui decorum primæ creationis omnium cunctis restituit.

Ad c.8. ad Rom. Nostra caro est peccati caro,quia per libidinis vsum generata est: sola autem Christi caro nõ fuit caro peccati, quia non mater eum concupiscentia, sed gratia concepit. Tamen similitudo carnis peccati fuit,id est, passibilis,& mortalis: quæ nutriri,& esurire, & sitire, & dormire, & fatigari,& mori potuit.Mors enim, & infirmitas non est,nisi de peccato. Et vtique corpus illud mortale erat,& infirmum, vt cæterorum corpora.Caro peccati habet mortem,& peccatum:similitudo autem carnis peccati habuit mortem sine peccato.Si haberet peccatum, caro esset peccati: Si mortem non haberet, non esset similitudo carnis peccati.

Petrus Alphonsus. 1100.

In Dialog.titulo 9. Inuentus est sanè Dominus, & prope, cùm de sancta Virgine carnem assumpsit, & inter nos præsentialiter habitauit, &c. Filius Dei debebat incarnari, & sic per assumptam carnem mundo visibiliter ostendi.

Honorius Augustodunensis. 1120.

In Prouerbia Salomonis: Christus cùm in carne apparuit,magis se hominis, quàm Dei Filium confiteri voluit,vt diabolus eum non agnosceret, & ita passione sua genus humanum redimeret: quoniam si diabolus eum agnouisset Dei Filium esse, nequaquam eum crucifixisset. Gloria quippe Domini fuit cælare Verbum, id est, in forma hominis diuinitatis suæ occultare potentiam, vt dum infirmitatem carnis ostenderet, diabolus eum ad passionem tradere festinaret, quatenus per ignorantiam perueniret ad gloriam resurrectionis.

Rupertus Tuitiensis. 1120.

Ad caput 1.Ioannis: Hic cum nomine vel substantia carnis,anima quoque rationalis omnino debet intelligi: non enim Verbum sine anima carnem assumpsit. Venit quippe saluum facere quod perierat: totus autem homo perierat; totus reuera,id est,in corpore, & in anima. Nam in corpore mortalis; in anima iã mortuus, & in vtroque æternaliter erat damnatus. Vt ergo totum saluaret Verbum, totum nihilominus hominem, id est,carnem & animam rationalem assumpsit.

Bernardus. 1130.

Sermone 1.de Assumptione B.Mariæ: Quis enim, etiamsi linguis hominum Angelorumq; loquatur, explicare queat, quemadmodum superueniente Spiritu, obumbrante virtute Altissimi, caro factum sit Verbum Dei,per quod facta sunt omnia; & Dominus maiestatis,quem non capit vniuersitas creaturæ,intra virginea sese clauserit viscera, factus homo?

Lib.5.de Consideratione cap.10. Alieni sunt à nobis, qui Christi à nobis carnem alienare conãtur, nouam creatam in Virgine, & non de Virgine sumptam impiè asserentes. Pulchrè propheticus spiritus longè ante occurrit huic sententiæ,imò blasphemiæ impiorum: *Egredietur*,inquiens, *virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet.* Dixisse poterat:Et flos de virga,sed maluit *de radice*,vt vnde virgam,inde florem deduxisse originem demonstraret. Inde igitur sumpta caro,vnde Virgo;nec noua in Virgine,quæ prodijt ex radice.

Isaiæ 11.

Homilia infra Octauam Epiphaniæ: Nec ideò aut resurrectionem, aut mortalitatem, aut passibilitatem abrogamus, cùm eum non phantasticè, sed verè hominem esse confiteamur, & veram hominis fuisse naturam,in qua potuit proficere.

Petrus Lombardus. 1140.

Lib.3.dist.2. Quia in homine tota humana natura vitio corrupta erat,totam assumpsit,id est,carnem & animam, vt totam curaret, & sanctificaret; &c.Errãt, qui nomine humanitatis non substantiam, sed proprietatem quandam, à qua homo nominatur,significari contendunt, vbicunq; humanitas Christi memoratur, &c. Totam hominis naturam, id est, animam & carnem, & horum proprietates siue accidentia assumpsit Deus; non carnem sine anima, nec animam sine ratione,vt hæretici voluerunt: sed & carnem, & animam cum sensibus suis. Vnde Ioannes Damascenus ait: Omnia,quæ in natura nostra plãtauit Deus, Verbum assumpsit,scilicet corpus,& animam intellectualem,& eorũ proprietates. Totus enim totum assumpsit me, vt toti mihi salutem gratificaretur.

Petrus Blesensis. 1160.

Epist.83. Natus est Filius Dei de Virgine incorrupta, Spiritu sancto in ea cooperante, nostræq; salutis negotium ineffabiliter procurante. Abyssus autem inscrutabilis est incarnationis Dominicæ sacramentum. Plurima tamen antiquis Patribus acciderunt, in quibus huius natiuitatis figura præcessit. Quòd enim vellus Gedeonis rore cæli complutum est, area circũquaque arida manente,ros Spiritus Domini designatur in Virgine, quæ ad hoc per humilitatem fuam specialiter & singulariter à Domino est prælecta.

Arnulphus Lexouiensis. 1170.

Carmine de Christi Natiuitate:

Semper ab æterno nascens, ex tempore nasci
Sustinet humana conditione Deus:
Virgineumq; vterum virtus sacra Patris obumbrat,
Qua Verbum fieret conciliante caro.
Conformi soboles matrem patremq; figura
Exprimit, & speciem reddit vtrique suam.

Innocentius Tertius. 1200.

Sermone 1.de Aduentu Domini: Cur in similitudine carnis peccati de muliere corpus assumpsit, & nõ potius ex alia sibi materia nouum corpus formauit; vt sicut primus Adam factus est à Deo,ita fieret & secundus? *O altitudo diuitiarum* &c. Rom.11. Disposuit enim altitudo cælestis consilij, vt sicut per mulierem mors intrauerat in orbem, ita & per mulierẽ vita rediret in orbem: vt vnde mors oriebatur,inde vita resurgeret.

Albertus Magnus. 1240.

Ad caput 8.Lucæ: Si Christus verus homo non fuit,verè humana non est passus,scilicet somnum & vigiliam: cuius contrarium hîc dicitur. Dicit etiam Marcus, quòd ipse erat in puppi super ceruical dormiens: quæ solatia, nisi verus homo fuisset,nullo modo quæsiuisset.

Thomas Aquinas. 1250.

Tertia Summæ quæst.5. art.1. Natus est Filius Dei non putatiuus,quasi imaginatum corpus habens, sed corpus verum.Et huius ratio tripliciter potest assignari.Quarum prima est ex ratione humanæ naturæ; ad quam pertinet verum corpus habere. Supposito igitur quòd conueniens fuerit Dei Filium humanam naturam assumere, consequens est,quòd verum corpus assumpserit. Secunda ratio sumi potest ex his quæ in mysterio incarnationis sunt acta.Si enim nõ fuit verum corpus eius, sed phantasticum: ergo nec veram mortem sustinuit, nec aliquid eorum, quæ de eo Euangelistæ narrant,secundùm veritatem gessit; sed solùm se-

cundùm apparentiam quandam. Et sic etiam sequeretur, quòd nõ fuerit vera salus hominis subsecuta. Oportet enim effectum causæ proportionari. Tertia ratio sumi potest ex ipsa dignitate personæ assumentis, quæ cùm sit veritas, nõ decuit, vt in eius opere aliqua fictio esset. Vndè & Dominus hunc errorem per seipsum excludere dignatus est Lucæ vltimo, cùm discipuli conturbati, & territi, putabant se spiritum videre, & non verum corpus: & ideo se eis palpandum præbuit, dicens: *Palpate, & videte.*

Bonaventura. 1260.

Parte 4. Breuiloquij cap. 3. De modo incarnationis hoc tenendum est, quòd Angelo nuntiante Virgini, mysteriũ incarnationis perficiendum in ipsa, Virgo credidit, appetijt, & consensit; Spiritus sanctus in eam superuenit, ad sanctificandum & fœcundandum, cuius virtute Virgo concepit Dei Filium, quem Virgo peperit, & post partum Virgo permansit. Concepit autem non solùm carnem, verùm etiam carnem animatam, & Verbo vnitam, nulli peccato obnoxiam, sed omninò sanctã & immaculatam, cuius ratione mater dicitur, & est dulcissima Virgo Maria.

Cap. 8. Christus non tantùm assumpsit humanam naturam, sed etiam defectus circa naturam. Assumpsit enim pœnalitates corporales, vt famẽ, sitim, & lassitudinem: assumpsit & spirituales, vt tristitiam, gemitum, & timorem. Nec tamen omnes corporales assumpsit, sicut sunt defectus egritudinum corporalium multiformium: nec omnes spirituales, sicut sunt ignorantia, & rebelliones carnis aduersus spiritum. Nec qualitercunque: quia sic necessitatem patiendi suscepit, vt tamen nihil pati posset inuitè, nec secundùm volũtatem diuinitatis, nec secundùm voluntatem rationis: licet passio fuerit contra voluntatem sensualitatis, & carnis; sicut exprimit oratio Saluatoris, quæ dicit: *Non sicut ego volo, sed sicut tu vis.*

Iacobus Genuensis. 1280.

Sermone primo de Annuntiatione Virginis: Assumpsit Dei Filius ipsam carnem sine diuinitatis pollutione, sine diuinitatis mutatione, cum Virginis mutatione, pro nostra saluatione.

Richardus Pampolitanus. 1300.

In Symb. Apost. Spiritus sanctus cum Patre & Filio seperauit à B. Virgine quandã particulam de sanguinibus eius, quam purificauit ab omni fomite, & de ea formauit corpus, & in eodem instãti animam creauit, & gratiam perfectam ei infudit, cui corpori formato in eodem instanti animam creatam indidit.

Hugo Pratensis. 1310.

Sermone 1. Hyemali: Per assumptionem animæ & corporis, ex quibus homo constat, Filius Dei factus est homo.

Guido Rocherius. 1330.

In manipulo curatorum parte 3. de articulis fidei cap. 1. Primus articulus est de conceptione Filij Dei, scilicet credere quòd Filius Dei conceptus fuit in vtero matris B. Mariæ Virginis virtute Spiritus sancti. Contra istum articulum errauit Manichæus, dicens: Dei Filium non veram carnẽ, sed phantasticam assumpsisse. Et contra istum errorem dicitur in Symbolo Athanasij: Perfectus Deus, perfectus homo, ex anima rationali, & humana carne subsistens.

Guido Carmelita. 1340.

De Barulo: Christus fuit homo ex anima & carne, vnde habuit corpus carneum, & non cæleste. Corpus etiam Christi fuit passibile & mortale, vt ex prædictis patet, quòd passus fuit, mortuus, & sepultus, qui tempore passionis ait: *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.*

De Albanensibus: Filius Dei veram naturam humanam ex Virgine & in vnitate suppositi assumpsit, verus factus homo, & verè Filius Virginis.

Henricus ab Heruordia. 1350.

Aetatè 5. Natus est in Bethlehem Iudæ Christus Iesus, homo manifestus ex homine Virgine.

Petrus Aliacus. 1400.

Sermone primo de Aduentu Domini, de secunda quæstione: Dicebant Manichæi, Dei Filium non verum corpus, sed phantasticum assumpsisse, inde Dei Filium non verum hominem fuisse, sed phantasma. Et sic totum incarnationis mysteriũ destruitur, & ad quandam deducitur fictionẽ, & sic mentitur Scriptura, dicens: *Verbum caro factum est*, si solùm phantastica caro fuit. Mentitur etiam Scriptura, dicens, Iesum Christum ambulasse, comedisse, mortuum fuisse, & sepultum, si hæc sola apparitione phantastica contigerunt. Hũc errorem primitiuæ Ecclesiæ Doctores potentissimè effugarunt. Contra istos quoque eleganter disputat S. Thomas contra Gentiles, lib. 4. cap. 29. Ioan. 1.

Raimundus Sebundius. 1430.

Dialogo 2. cap. 11. Credis Deum pro homine hominem factum? Innumerabiles olim fuerunt, & adhuc sunt, qui hoc non credunt. Ego autẽ libenter id credo: quo humanæ naturæ maxima est dignitas attributa. Ex quo enim humanitas deitati est vnita, summa perfectio, summa dignitas, summa exaltatio est homini inde collata. Idcirco hostes sunt humanæ naturæ, qui Deum nolunt credere incarnatum.

Petrus de la Caualleria. 1450.

Tractatu contra Iudæos, articulo 4. Nos Christiani credimus Messiam verum hominem ex corpore & anima, sicut quilibet homo habet corpus & animam; & credimus illam naturam humanam à Messia assumptam per Deum, & vnitam diuinæ naturæ.

Dionysius Carthusianus. 1460.

Ad caput 1. Ioannis art. 5. Verbum factum est homo, assumendo simul in eodem instanti animam rationalem, tunc primò creatam, & carnem humanam ex purissimis sanguinibus sanctissimæ atque dignissimæ Virginis sumptam, & à Spiritu sancto formatam ac organizatam, rationaliqúe anima informatam, sic quòd in eodem instanti creata est anima Christi, & caro eius formata ac animæ copulata, & vtrumque simul à Verbo assumptum.

Nicolaus de Nyse. 1475.

Tractatus 4. parte 1. quæst. 4. Quidam dixerunt Verbum non assumpsisse carnem verã, sed phantasticam: quia indecens eis videbatur Deum vniri naturæ corporeæ; sed hoc est hæreticum. Ex hoc enim sequitur, quòd Christus non fuit verus homo, neque verè passus. Alij dixerunt Verbum assumpsisse veram carnem, sed illam de cælo attulisse, munientes errorem suum per illud: *Primus homo de terra, terrenus: secundus, de cælo cælestis.* Et per illud: *Qui de cælo venit, super omnes est.* Sed hic error pessimus, repugnat veritati incarnationis, &c. Si habuerit carnem cælestem, non habuit carnẽ passibilem. Est ergo alius modus dicẽdi, verus & Catholicus, quòd Christus verã carnem humanam habuit, &c. Christus assumpsit veram carnem, verum corpus, & veram animam, cum omnibus suis potentijs, vegetatiua, sensitiua, & intellectiua: aliàs non esset perfectus homo.

ASSERVNT IVDÆI VETERES.

Rabbi Simeon, filius Iohai.

Apud Rabbenũ Haccados: Deus sanctus & benedictus mittet Filium sanctum suum, & carne humana se induet. Væ illis, qui propter prauas suas opiniones erunt rebelles huic Messiæ, & respuent dicta, quibus præcipiet, vt mundificentur aqua mundificationis, ad purganda eorũ peccata. Ipsi verò non incedent in vijs Deo gratis, nec facient voluntatem eius, sed ingenti iracundia perciti, eum occident.

ARTICVLVS SECVNDVS.

CHRISTVM IESVM VNA CONSTARE PERSONA, DVABVS NATVRIS, DIVINA ET HVMANA, INTER SE CONIVNCTIS, NON CONFVSIS, SALVA CVIVSQVE NATVRAE PROPRIETATE.

NEGANT.

Anno post natũ Christũ 270. PAVLVS *Samosatenus Christum nudum fuisse hominem asseruit, in eoq; Dei Verbum ita habitasse, vt in quouis alio Prophetа: inde duas naturas à se inuicem diuisas, nullaq; omninò copulas statuit vnitas, quasi alius fuerit Christus, & aliud Verbum in eo habitans.* Georgius Cedrenus in Compendio Historiarum.

400. *Polemius asserit in Christo factum esse consubstantiationem & commixtionem diuinitatis & humanitatis.* Theodoretus lib. 4. hæret. fab.

450. *Eutyches docuit post incarnationem vnam tantùm fuisse, & esse in Christo naturam, & eam factam esse ex diuinitate & carne, per conuersionem diuinitatis in carnem: quia scriptum est:* Verbum caro factum est, *& vnum fieri alterum, sicut cùm aqua factum est vinum, & nunc cùm per consecrationem panis fit caro Christi. Asserebat etiam Christi carnem non esse nostræ similem naturæ, neque Verbum in veram carnem esse conuersum, sed carnem quandam apparentem & phantasticam, ita vt potius Verbum simulauerit se hominem, & natum & mortuum esse, quàm reuera fuerit.* Leo primus epist. 9. 10. 52. 97. Theodoretus libro 4. hæret. fab. Chalcedonense Concil. Euagrius libro 2. cap. 18. Leontius & Suidas de Eutychianis.

600. *Acephali, Monophysitæ, & Monothelitæ, vnam tantùm in Christi persona naturam prædicant, vnam voluntatem, vnam actionem & operationem: duarum naturarum proprietatem negant.* Euagrius lib. 3. cap. 34. lib. 4. cap. 4. Leontius de Sectis. Martinus Papa in Concilio Romano. Damascenus de hæres. Euthymius in Panoplia. Nicephorus lib. 18. cap. 45. & 46. Platina in Honorio.

620. *Armenij dicunt Christi carnem in diuinitatem esse conuersam, & eiusdem factam essentiæ, cuius est ipsa diuinitas, rationem huiusmodi affingentes: Sicut aceti gutta, si in mare demergatur, amplius non cernitur, neque subsistit: ita corpus Christi in diuinitatis pelago demersum, non naturam amplius suam aut proprietatem conseruat. Vnam igitur esse in Christo naturam, quæ diuinitatis sit, dixerunt.* Euthymius parte 2. Panopliæ, titul. 20.

1311. *Raymundus Lullius docuit, quòd in Christo sint tres naturæ, scilicet diuina, anima rationalis, & corpus humanum: & propter quamlibet istarum naturarum est Rex. Item, quòd tota humana natura Christi in passione pœnam habebat, & tota diuina natura pœnam eius sentiebat.* Nicolaus Eymericus parte 2. Directorij.

1520. Iacobus Faber Stapulensis ad caput 2. prioris ad Corinth. *Corpus Christi, id est, assumpta humanitas cælum implet ac terram. Est enim vbicunque Verbum Dei est; quia* Verbum caro factum est: *quare Verbum nusquam est sine carne.*

Idem ad caput 14. Ioannis: *Cùm Filius sit in Patre, & in omnibus Sanctis, qui sunt in cælo & in terra, an etiam corporaliter sit? Quidni, sed absque modo, nisi dicas diuino & incomprehensibili modo, qui non tam modus, quàm non modus dici debet.*

1530. Martinus Lutherus libro de Sacramento Cœnæ contra fanaticos: *Credimus quòd Iesus Christus sit iuxta humanitatem supra omnes cælos collocatus, & omnia impleat, quemadmodum Paulus scribit ad Ephesios: & quòd Christus sit omnium rerum Dominus, non tantùm secundùm diuinitatem, sed etiam secundùm humanitatem, & habeat in manu sua, & sit vbique præsens.*

Ad caput 9. Ecclesiastis: *Sic Christus quoque extrà locum est, contra illos, qui captiuant illum loco, cùm tamen vbique sit. Neque enim Verbum Dei segregatur à carne. Vbi Deus est, ibi & caro Christi est, sed Deus est vbique, ergo & Christus quoque vbique est:*

In defensione τοῦ ῥητ: *Verbum Cœnæ Christi corpus sedet ad dextram Patris: Dextra autem Patris est vbique locorum. Ergo certissimè etiã in pane & vino immensa Dei dextra præsto est. Porrò vbi dextra Dei præsto est, ibi quoque oportet corpus & sanguinem Christi esse.*

Libro de Concilijs: *Paulò ante negotium mihi fuit cum Nestorianis, (Zvvinglianis,) qui pertinacissimè contra me pugnabant, quòd diuinitas Christi pati non posset, &c. Dicendum est hic homo Christus, hæc caro & sanguis condidit cælum & terram.*

In confessione maiori de Cœna Domini: *Cùm credo, quòd sola humana natura pro me passa est, Christus ille vilis nec magni pretij Saluator est, imò ipse quoque Saluatore opus habet.*

1550. *Fœdum ac horribile certamen Francofordiæ (ad Oderam) inter Andream Musculum & Franciscum Stancarum fuit exortum, de Iustificatore Christo: cùm hic solam Christi humanam naturam iustificatricem assereret, exclusa diuina: ille contra adeò Christum iuxta vtrãque naturam statueret Iustificatorem, vt non veritus fuerit palam docere, diuinam Christi naturam, quæ Deus est, vnà cum humana mortuam fuisse in cruce. Stancarus quidem expulsus est ex Marchia, remansit Musculus: nec destitit hic, illo exterminato, id dogma de mortua diuinitate publicè profiteri ac spargere, adiutore Ioanne Islebio.* Syluester Czecanouius Dialogo de corruptis moribus vtriusque partis, fol. 5.

1550. Ioannes Brentius libro de omnipræsentia, seu de Maiestate Christi: *Filius Dei sic habet in filio hominis, vt euehat ipsum vnà secum in diuinam maiestatem, & effundat in eum omnes proprietates.*

Libro de duabus in Christo naturis asserit, *Christi corpus etiam ante ascensionem fuisse in cælo inuisibiliter, & nunc quoque non esse in aliquo certo cæli loco, sed vbique.*

1550. Caspar Suenckfeldius libro de duplici statu, articul. 17. & 18. ait: *Christi corpus in cælum assumptum planè Deum esse factum, & ita in Cœna adesse, quòd iam sit diuina essentia: & propterea illum esse blasphemum, qui humanam Christi naturam creaturam nominet.*

Lib. de diuina maiestate humanitatis Christi docet, *Christi humanitatẽ post ascensionem non esse creaturalem, sed supernaturalem, & ipsum Christum etiam eadem ratione humanitatis esse verum Deum.*

Lib. de collatione statuum Christi, collatione vltima: *Christus*, ait, *nunc iuxta naturam suam humanam deificatus, Deo incorporatus, ac omninò totus glorioſus, spiritualis, ac diuinus factus est; etiam iuxta corpus perfectus Deus, imò etiam corporalis Deus est.*

1550. Iacobus Andreæ lib. de Vbiquitate, contra Iacobum à Valentia, pag. 14. *Constanter affirmamus humanam naturam ad æqualitatem gloriæ & potentiæ cum diuino Verbo exaltatam esse.*

Pag. 109. *Postquam per resurrectionem exaltatus est, secundùm carnem etiam vt homo, siue secundùm humanam naturam vbique præsens cum Patre & Spiritu sancto æquali potentia regnat.*

Pag. 218. *Ne illum in certo aliquo cæli loco à nobis remotissimum fingamus, D. Paulus enim errore nos liberat:* Qui descendit, ipse est qui ascendit super omnes cælos, vt impleret omnia.

1550. *Ioannes Caluinus duas in Christo personas confingit; vnam Dei, alteram hominis & Mediatoris.* lib. 1. Institut. cap. 13. §. 9. 23. & 24. *quando ait, se velle de Christo disserere, quatenus est persona diuina, nec adhuc mediatoris attingere personam.* Et postea: *Respondeo*, inquit, *Christum esse Dei Filium, quia Sermo est, à Patre ante secula genitus; nondum enim de Mediatoris persona nobis sermo est, &c. Christus Filius Dei vocatur, non tantùm quatenus ante secula genitus ex Patre fuit æternus Sermo, sed quia Mediatoris suscepit personam.* Sic secundò ac tertiò distinguendo personam Mediatoris, id est, humanam à Verbo, seu persona Filij Dei, in oculis & ore omnium duas in Christo personas constituit.

1560. Martinus Chemnitius libro de duabus in Christo naturis, cap. 30. dicit: *Christi humanitatem non solùm esse in Cœna, sed etiam extra Cœnam in Ecclesia præsentem re ipsa.* Addit etiam *extra Ecclesiã omnia esse subiecta Christi humanitati, & Christi humanitatẽ omnibus rebus dominari, & omnia regere, nõ per vicarios, quasi à rebus distet, quomodo reges gubernant prouincias per alios, sed habere omnia præsentia.*

1570. Theodorus Beza opusculo, quo ad Brentij argumenta respondet, impresso Genevæ 1570. pagina 513. 638. & 639. ait: *In Christo duæ sunt vniones hypostaticæ, vna inter corpus & animam, dum sibi personaliter iunguntur: altera inter Verbum & hominem, vt simul conueniunt ad vnum constituendum Christum.*

De hoc reprehensus à Iacobo Andrea respondit, *verè corpus & animam personaliter coniungi, & personam constituere humanam.*

1572. Ioannes Sommerus lib. 1. contra Petrum Carolium cap. 3. *Copulatio siue vnio hypostatica duarum naturarum, vt in Scripturis inaudita, sic apud Philosophos portentum est stuporis & absurditatis plenum.*

Lib. 2. cap. 12. *In vnica Christi natura duæ diuersæ conditiones, formæ, figuræ, imagines conspiciuntur: altera contemptus, & miseriarum: altera gloriæ, honoris, dignitatis, & maiestatis plenissima.*

ASSERVNT SACRÆ LITERÆ.

Ioannis 1. *Vers.* 14. Et Verbum caro factum est, & habitauit in nobis.

Matth. 26. 11. Semper pauperes habetis vobiscum, me autem non semper habebitis.

Matthæi 28. 20. Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem seculi.

Marci 16. 6. Surrexit, non est hîc; præcedet vos in Galilæam.

Lucæ 2. 40. Puer crescebat, & confortabatur, plenus sapientia.

Lucæ 24. 39. Videte manus meas, & pedes meos, quia ego ipse sum, palpate, & videte: quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere. 51. Et factum est, dum benediceret illis, recessit ab eis, & ferebatur in cœlum.

Ioannis 6. 24. Cùm vidisset turba, quia Iesus non esset ibi.

Ioannis 11. 11. Lazarus amicus noster dormit, sed vado, vt à somno excitem eum. 15. Mortuus est, & gaudeo propter vos, vt credatis, quoniam non eram ibi, sed eamus ad eum.

1. *Petri* 4. 1. Christo igitur passo in carne.

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Clemens. 80.

Constitutionum Apostolicarum lib. 7. cap. 37. Domine Deus omnipotens, qui festos dies ad capiendam animis nostris lætitiam constituisti, vt in mentem veniret sapientiæ, à te conditæ, quemadmodum nostra causa, quod ortũ est ex muliere, in se subsistere fecit, apparuitq; in vita, declarãs se in Baptismo Deum & hominem; & propter nos permissu tuo passus, & mortuus est, ac potestate tua à mortuis suscitatus est.

Ignatius. 100.

Epistola ad Ephesios: Habemus medicum Christũ Iesum, ante secula Vnigenitum & Verbum, postea verò & hominem factum ex Maria Virgine: *Verbum* enim *caro factum est*, incorporeus in corpore, impassibilis in corpore passibili, immortalis in corpore mortali, vita in corruptione, vt à morte & corruptione liberaret, & curaret animas nostras.

Dionysius Areopagita. 100.

De diuinis nominibus capite primo: Supra modũ benignam, (*Trinitatem*), quia in vna personarũ suarum infirma nostra integrè verissimeq; suscepit, ad seipsam reuocans atq; astringens humilitatem nostram, ex qua ineffabiliter compositus est simplex Iesus, æternusq; temporales subijt metas, atque intra naturæ nostræ terminos venit, qui omnem naturæ totius ordinem eminẽter excedit, suisq; proprietatibus inconfusè subnixus.

Epistola 4. ad Caium: Quonam modo, inquis, Iesus, qui cuncta transcendit, hominibus cæteris essentiæ communione coordinatur? Non enim vt author hominum hoc loco homo dicitur, sed vt reuera homo, tota substantiæ veritate circũdatus. Nos autem Iesum non humana ratione definimus. Neque enim ille homo tantum est: (neque supersubstantialis esse posset, qui homo tantùm esset:) sed est homo verus, qui singulari benignitate amator hominum supra homines, & secundùm homines ex hominum substantia carnem supersubstãtialis accepit. Est autem nihilominus altissimæ illius, diuinæq; substantiæ (is qui semper supersubstantialis est) perquàm plenus atque exuberans. Itaque à tanta magnitudinis celsitudine ad nostra etiam veraciter infirma descendens, vltra humanum modum substantiam nostræ carnis accepit, ac supra hominem quæ sunt hominis gessit, &c. Et vt breuiter dixerim, neque homo ille erat, non quasi non homo, humanæq; cõditionis exors, sed veluti ex hominibus vltra homines ac super hominẽ homo veraciter factus. Iam quoq; neque diuina vt Deus, neque vt homo humana perficiens: sed Deo homine facto, nouam quandam ac inusitatam ex diuinitate atque humanitate permixtam operationem nobiscum quidem conuersatus ostendens.

Iustinus Martyr. 160.

In expositione fidei, de recta confessione: Filius cùm vnus sit, & duæ naturæ, altera diuina edit miracula, altera humilia excipit. Qua enim ex parte Deus est, res admirandas operatur; qua verò ex Virgine est homo, crucem, passionem, & consimilia, suapte voluntate naturaliter perfert, &c. Deus esse intelligitur ex prodigiorum operatione: homo autem ostenditur ex æqualibus naturæ nostræ perpessionibus.

Irenæus. 180.

Lib. 3. cap. 18. Hominem in semetipso recapitulatus est, inuisibilis & visibilis factus, & incomprehensibilis factus comprehensibilis, & impassibilis passibilis, & Verbum homo, vniuersa in semetipsum recapitulans.

Cap. 20. Oportuerat Mediatorem Dei & hominum, per suam ad vtrosque domesticitatem, & ad amicitiam & concordiam vtrosque reducere, & facere, vt & Deus assumeret hominem, & homo se dederet Deo. Qua enim ratione filiorum adoptionis eius participes esse possemus, nisi per Filium, eam quę est ad ipsum recepissemus ab eo communionem, nisi Verbum eius communicasset nobis caro factum?

Clemens Alexandrinus. 200.

Oratione adhortatoria ad Gentes: Hic Verbum Christus, & vt nos olim essemus, (erat enim in Deo;) & vt bene essemus, causa fuit. Nunc autem apparuit hominibus hic ipse Verbum, quia solus est ambo, Deus & homo.

Hippolytus. 220.

Ad Psalm. 2. Hic, qui processit in mundum, Deus & homo est. Et eum quidem hominem facilè est intelligere, quando esurit, ac defatigatur, & fatigatus sitit, & timens fugit, & omni tristitia afficitur, & super ceruical dormit, & passionis calicem deprecatur, angoreq; & ægritudine confectus sudat, & ab Angelis confirmatur, & à Iuda traditur, &c. Diuinitas autem eius rursus apertè potest videri, quando ab Angelis adoratur, & à Simeone expectatur, & Annæ ostenditur testimonio, & à Magis quæritur, & per stellam significatur, & in nuptijs ex aqua vinum efficit, & mare vi ventorũ commotum increpat.

Origenes. 230.

In proœmio lib. 1. de Principijs: Christus Iesus, qui ante omnem creaturam natus ex Patre est, nouissimis temporibus seipsum exinaniens homo factus est, incarnatus est, cùm Deus esset, & homo mansit quod Deus erat, corpus assumpsit nostro corpori simile, eo solo differens, quòd natum ex Virgine de Spiritu sancto est.

Tractatu 33. in Matthæum: Qui dicit discipulis suis: *Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi.* Et item: *Vbi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, & ego sum in medio eorum*, &c. Et qui in medio etiam nescientium se confistit Vnigenitus Dei, est Deus Verbum, & sapientia, & iustitia, & veritas, qui non est corporeo ambitu circumclusus. Secundùm hanc diuinitatis suæ naturam non peregrinatur, sed peregrinatur secundùm dispensationem corporis quod suscepit, secundùm quòd turbatus, & tristis factus est, dicens: *Nunc anima mea turbatur.* Et: *Tristis est anima mea vsque ad mortem.* Hæc autem dicentes, non soluimus suscepti corporis hominem, cùm scriptum sit apud Ioannem: *Omnis spiritus, qui soluit Iesum, non est ex Deo:* sed vnicuique substantiæ proprietatẽ seruamus. Si enim Matt. 28. 1. Ioan. 4

omnis homo fidelis, qui coniungitur Domino, vnus spiritus est: quanto magis homo ille, quem secundùm dispensationem carnis Christus suscepit, non est soluendus ab eo? Et vide quomodo ait: *Sicut homo peregrè futurus*: quoniam non erat homo, sed sicut homo: & quasi homo peregrinabitur, qui erat vbique secundùm diuinitatis naturam, &c. Quoniam ipse est, qui in parabola proponitur peregrinans quasi homo. Nec enim est homo, qui est, vbicunque duo vel tres fuerint in nomine eius congregati: neque homo est nobiscum *omnibus diebus atque ad consummationem seculi*: nec congregatis vbique fidelibus, homo est præsens, sed virtus diuina, quæ erat in Iesu.

Gregorius Neocæsariensis. 260.

Apud Euthymium in Panoplia parte 2. titul. 15. Oratione de singulari fide: Est Deus verus, qui cùm esset carnis expers, in carne apparuit; non tamen duas habet personas, sed duas naturas.

Oratione in Epiphaniam: Dein Deus es & homo, tu qui in principio eras, & qui caro factus es, sed non in carnem conuersus.

Petrus Alexandrinus. 300.

Lib. de Deitate: Dei voluntate Verbum factum est caro, habituq; inuentum est vt homo, quamuis per hoc diuinitatis iacturam nullam fecerit. Neque enim ea de causa egenus factus est, cùm esset dives, vt virtutis & maiestatis suæ perfectione exueretur; sed *semel pro peccatis nostris mortuus est, iustus pro iniustis, mortificatus quidē carne, viuificatus autē Spiritu*, &c. Quare & Euāgelista quoque vera prædicat, dum ait: *Et Verbum caro factum est, & habitauit in nobis*. Tum videlicet, cùm Angelus sacram Virginem eiusmodi oratione salutauit: *Aue gratia plena, Dominus tecum*. Nam illa Gabrielis salutatio Deū Verbum in vtero virgineo natum, & carnem factum insinuat. Hinc & scriptum est: *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi, ideoq; quod natum est ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.*

1.Pet.3.

Ioan. 1.

Lucæ 1.

Eusebius Cæsareensis. 320.

De Demonstratione Euangelica libri 4. cap. 10. Communi more ne versari quidem nobiscum haud indignum sua maiestate iudicauit: interim tamen nusquam desinens esse quod erat, sed in homine pariter Deum conseruans. Itaque statim in primo ad homines descensu, cum Deo diuinam commisceret nostri ortus admirabilitatem: quippe qui more nostro sit editus, & mortalis instar, hominem indutus: sed non tanquam homo, verùm vt Deus, de purissima nullasq; experta virgine nuptias.

Cap. 13. Christus corporeis auribus doctrinam per corpoream linguam insonabat, nec non omnia perficiebat per eum, quem assumpserat hominem, ijs, qui non aliter quàm sic duntaxat ipsius diuinitatem sentire poterant: Hæc namque omnia ad vsum atque vtilitatem omniū nostrum, humanum genus omni prosequens amore, Dei Verbum paternis consilijs administrabat: Ipse interim rursus & materiæ expers, & incorporeus manens, cuiusmodi etiam pridem apud Patrem erat, neque mutās essentiam, neque perdens quod suæ ipsius naturæ proprium erat: neque verò aut corporis vinculis impeditus, aut sua diuinitate deiectus, ac ne domesticam quidem Verbi potestatem amittens: sed neque ijs, qui illic quidem vbi ipsi humanum vas aderat, degeret tantùm, in alijs verò vniuersi partibus esse prohiberetur. Etenim tunc quoque cùm inter homines versabatur, nihilominus omnia complebat: Interim & cum Patre, & in Patre idem erat, & omnium rerum pariter in eodem tempore, tam cælestium, quàm terrestrium curam gerebat: nusquam ab illa præsentia, quæ cūctis rebus adest, nostro more exclusus; neque diuina ne ageret more suo impeditus: sed illa quidem à seipso communicans homini, hæc verò à mortali ipse non accipiens. Item mortali quidem vim diuinam suppeditans: à mortali verò ipse, non contra in partē aut communitatem adductus. Neq; igitur, in partu à corpore ipse incorporeus inquinabatur; neque item qui patibilis naturæ expers erat, aliquid à mortali secundùm essentiam patiebatur. Nam neq; verbi gratia, dum lyra pulsatur, aut nerui conelluntur, pati verisimile est eum, qui ita præludit; neque dum cuiuspiam viri sapiētis corpus torquetur, illius sapientiam, aut quam in corpore egerit animam, cędi aut puniri meritò dicere possumus: eadem ratione neutiquam, multoq; etiam minus, quod verbi aut naturæ, aut vis detrimenti quippiam ex corporis affectionibus trahat affirmare par est.

1.Pet.2.

Ioan.17.

Athanasius. 340.

Sermone 4. contra Arianos: Vt autem impassibilitatem naturæ Verbi, eiusq; ob carnem infirmitates cognoscamus, operę pretium est, vt maiori diligentia audiamus Beatum Petrum, qui ita scribit: *Christo igitur pro nobis carne passo*. Quocirca, cùm dicitur aut esurire, aut sitire, aut fatigari, aut nescire, aut dormire, aut plorare, aut postulare, aut fugere, nasci item & deprecari calicem, & simpliciter quæcunque sunt corporis tolerare, rectè ea omnia de Christo esuriente, sitiente pro nobis, colaphis cæso, laborante, exaltato, nascente, crescente, metuente, latente, atque ad istum modum loquēte: *Si possibile est, transeat à me calix iste*, calicemq; pro nobis, quantum ad carnem attinet, accipiente; ea, inquam, omnia rectè de eo dici ac prædicari possunt. Nam & ipse Apostolus propterea ad istum modum locutus est: *Christo passo* non deitate, sed *carne*, idq; pro nobis, vt nō ipsius Verbi proprias istiusmodi passiones & naturales, sed carnis esse cognosceremus. Ne quis igitur hominū scandalizetur, sed potius cognoscat Verbum ipsum ex natura sua impatibile esse, sed tamen ob carnem, quam induit, ista de eo prædicari, quia & illa propria sunt carnis, & caro illa proprium est corpus Saluatoris. Et ipse quidem impatibilis ex natura perseuerat, nullam noxam ex istis rebus sentiens, sed illas in se profligat: homines autem, in eum, qui impatibilis est, trāslatis passionibus suis, ibiq; pereuntibus, impatibiles & ipsi deinde, & liberi ab istis calamitatibus in æternum redduntur, &c. Non ideo quia homo factus est, desijt esse Deus: neque quia Deus subsistit, abducit se ab eo quod humanum est, abest: sed potius cùm Deus erat, assumpsit carnem: & in carne existens, deificat carnem: & quemadmodum in ea interrogationes faciebat, ita quoque & in ea mortuum excitabat: omnibusq; ostendit se, qui mortuos viuificaret, & animam reuocaret, multò facilius omnium occulta sibi cognita habere, eiq; certum esse, vbi Lazarus iaceat, &c. Vt morte mortem abrogauit, & humanitus omnia humana: ita solito pauore nostrum pauorem ademit, illudq; effecit, ne homines mortem timerent. Ista igitur simul & dixit & egit, quia humana erant, vt hanc vocem ederet: *Transeat à me calix iste*: & *Cur me dereliquisti?* sed tamen diuinitus idem ille solis deliquium induxit, & mortuos excitauit. Rursum humanitus inquiens: *Nunc anima mea turbata est*: illud autem diuinitus dixit: *Potestatem habeo, vt ponam animam meam; & potestatem habeo, vt sumam illam*. Nam turbari carnis proprium est, potestatem autem habere ponendæ aut sumendæ animæ pro arbitrio, & vbicunque placuerit, nō proprium est hominum, sed potentiæ Verbi: homo quippe non ex sua potestate, sed

Ioan. 19

ex ne-

ex necessitate naturæ, idq; inuitus ac nolens mortem obit: Dominus contra, ipse quidem immortalis, sed tamen carnem mortalem gestans, potestatem habuit vt Deus, segregandi se à corpore, illudq; rursus assumendi quando vellet, &c.

Epistola ad Epictetum: Illud ipsum perquàm mirum fuit, eundem fuisse & patientem, & non patientem: patiētem quidem quatenus ipsius proprium corpus, in quo erat, patiebatur: non patientem verò, quatenus ex natura Deus impatibilis erat.

In Symbolo: Est ergo fides recta, vt credamus, & cōfiteamur, quia Dominus noster Iesus Christus, Dei Filius, Deus & homo est: Deus est ex substātia Patris ante secula genitus, & homo est ex substantia Matris in seculo natus. Perfectus Deus, perfectus homo, ex anima rationali & humana carne subsistens. Aequalis Patri secundùm diuinitatem, minor Patre secundùm humanitatem. Qui licet Deus sit, & homo; non duo tamen, sed vnus est Christus. Vnus autem, non conuersione diuinitatis in carnē, sed assumptione humanitatis in Deū. Vnusomn inò, non confusione substantiæ, sed vnitate personæ. Nam sicut anima rationalis, & caro vnus est homo; sic Deus & homo vnus est Christus.

Eustachius Antiochenus. 340.

Sermone in illud: *Dominus creauit me initio viarum suarum*: Si generationis principium cœpit Verbū, ex quo, per maternum vterum traijciens, corporales tulit compages, constat quòd factus est ex muliere; Sin autem Verbum & Deus erat apud Patrem superioribus retrò seculis, & vniuersa per eum facta esse dicimus, non est factus ex muliere, qui & genitis omnibus causa, & author est; Sed est Deus natura sufficiens, infinitus, & qui nec mente comprehendi potest: ex muliere autem factus homo est, qui in virginali vtero sancto Spiritu compactus est.

In descriptione graduum: Acquisitam gloriam Pater non suscepit, vt qui sit perfectus, infinitus, & nec mente comprehendi potest, & nec pulchritudine indiget, & est ab omni probro & contumelia alienus: neque Verbum eius qui Deus est ex ipso genitus, per quem facti sunt Angeli, & cæli, & infinitæ terræ magnitudines; sed homo in Christo, qui surgit à mortuis, exaltatur, & glorificatur, aduersarijs probrum & ignominiam in se accipientibus.

Cyrillus Hierosolymitanus. 360.

Catechesi 4. Duplex erat Christus: homo quidem id, quod apparebat: Deus verò, quod intelligebatur. Comedebat quidē, vt homo, verè, ita vt nos, similes enim nobis corporis habebat affectiones: vt Deus autem quinque panibus aluit quinque millia. Mortuus est verè, vt homo: vt Deus autem mortuum quatriduanum excitauit. Dormiuit in naui verè, vt homo; & ambulauit super aquas, vt Deus.

Basilius Magnus. 370.

Apud Theodoretum Dialogo 2. Oratione de Eucharistia: Quamobrem ipse quidem propter amicum lachrymatus est, ostendens humanæ naturæ communionem, nósque ab eis, quæ sunt vtrinque immoderationibus & exuperationibus liberauit, nec vt in ferendis eis, quæ accidunt, nimis effœminati, mollésque videamur; nec vt eorum, quæ molesta sunt, nullum omnino sensum habeamus, permittens. Sic ergo esurijt Dominus, ei solido cibo perflato; & sitijt, consumpta in corpore humiditate; & defessus est, neruis & musculis ambulando extensis; non diuinitate oppressa labore, sed corpore, quæ ex natura consequuntur, accidentia suscipiente.

Amphilochius. 380.

Oratione in illud: *Pater maior me est*. (Quando carni affectiones, & Deo miracula dederis, necesse est, vt, velis nolis, humiles quidem sermones ex Maria nato homini, sublimes autem & Deo conuenientes Verbo, quod *erat in principio*. Propterea enim alicubi quidem magnifica & sublimia, alicubi verò humilia & abiecta verba loquor, vt per sublimia inhabitantis Verbi nobilitatem ostendam: per humilia autem humilis carnis imbecillitatem significem. Quamobrem alicubi quidem dico, me esse Patri æqualem, non mecum pugnans, sed ostendens me esse Deum & hominem: Deum quidem per sublimia, per humilia verò hominem. Si autem vultis scire, quomodo *Pater maior me est*: id dixi ex carnis, non ex diuinitatis persona.

Oratione in illud: *Si possibile est, transeat à me calix iste*.) Ne ergo carnis passiones Verbo impatibili ieceris; Deus enim sum, & homo, hæretice: Deus, vt spondent miracula; homo, vt testantur affectiones, & ea, quæ passus sum. Quoniam ergo Deus sum, & homo, dic quis passus est? Si Deus passus est, id dixisti, quod est blasphemum: Sin autem caro passa est, cur non ei tribuis passionem, cui timorem adiungis? Alio enim patiente, alius non pertimescit; & dum homo crucifigitur, Deus non perturbatur.

Oratione aduersus Arianos: Et ne longiore oratione vtar, paucis rogo te hæretice: Qui ex Deo est, ante secula genitus, passus est, an qui ex Dauid postremis temporibus natus est, Iesus? Si ergo diuinitas passa est, dixisti quod est blasphemum: Si autem, vt habet veritas, quare homini non adscribis passionem?

Epiphanius. 380.

In Ancorato: Ipse Saluator sanctus est, qui de cælo descendit, qui in officina Virginis salutem nostram operari dignatus est, qui ex Maria rursus genitus est, per Spiritum sanctum conceptus. Qui carnem accepit, & *Verbum caro factum est*: qui natura non immutatus est; qui cum deitate accepit humanam naturam, perfectus existens à Patre, & in carne inter nos versatus est, non apparentia, sed veritate. Qui perfectum hominem in seipsum efformauit ex Maria Deipara per Spiritum sanctum, non vt qui in homine habitârit, sed ipsum *Verbum caro factum est*. Non mutatus eo quòd sit caro, non transmutata deitate in humanam naturam, sed cum proprio corpore suæ deitatis, & cum propria substantia Dei Verbi in substantia existentis complexus, vt sit homo, &c.

Gregorius Nazianzenus. 380.

Oratione 31. quæ est in illud dictum: *Cùm consummasset hos sermones.*) Ex locis in loca tranfit, qui nullo loci spatio continetur: ille inquam temporis & corporis, & circumscriptionis expers. Idem & orat, & fit, & supra tempus erat, & sub tempus venit: & inuisibilis erat, & videtur. *In principio erat, & apud Deum erat, & Deus erat*. Id, quod erat, exinaniuit: id quod non erat, assumpsit: non duplex factus, sed vnum ex duplici natura fieri sustinens. Ambo enim Deus, nimirum quod assumpsit, & quod assumptum est; duæ naturæ in vnum concurrentes, non duo Filij.

Oratione 35. quæ est Oratio 1. de Filio, & 3. de Theologia: Nos quippe ex magnis & excelsis vocibus Filij diuinitatem percepimus, ac prædicamus. Quibus tandem? his nimirum, Deus Verbum, quod

in principio erat, & cum principio, & principium : vt in his locis : *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Et, *Tecum principium*, &c. Altiores voces diuinitati, ac præstantiori illi & incorporeæ naturæ, passionibusq; sublimiori attribuas : humiliores autem compositio, & tua causa inanito atque incarnato, imò etiam (non enim minùs commodè hoc à me dicetur) humanato, ac deinde exaltato, vt tu videlicet, abiecta hac dogmatum humilitate & crassitie, sublimior esse, simulq; cum diuinitate ascendere, non autem rebus in aspectum cadentibus inhærescere cõdiscas, quin potius cum intellectilibus rebus assurgas, atque intelligas, quæ prioris illius naturæ sit ratio, & quæ assumptæ humanitatis. Hic enim, quem nunc aspernaris, quondam supra te erat : qui nunc homo est, compositionis expers erat. Quod erat, permãsit; quod non erat, assumpsit. In principio sine causa erat, (quæ autem Dei causa afferri queat?) at postea quoque certa de causa natus est : nimirum, vt tu, homo contumelioſe, salutem consequaris, qui deitatem idcirco contemnis, quia crassitiem tuam suscepit, per intermediam mẽtem cum carne coniunctus, atque inferior hic homo Deus effectus, posteaquã cum Deo coaluit, præstantioriq; parte superante vnus factus est : vt ipse quoque tantum Deus efficiar, quantum ille homo. Natus quidem est, sed etiam genitus erat : ex mũliere quidem, cæterùm virgine. Illud humanum, hoc diuinum. Patris expers hîc : matris expers illic. Vtrumque horum diuinitatis est. Materno quidem vtero gestatus est; verùm à Propheta cognitus est, & quidem in vtero adhuc existente, atque coram Verbo, cuius causa procreatus fuerat, saltante. Fascijs quidem inuolutus est : at sepulturæ fascias rediuiuus excussit.

Ioan.1. Psal.109.

Gregorius Nyssenus. 380.

Homilia 13. in Cantica : In Christo quiddam creatum est, quiddam increatum. Et increatum vocamus illud ipsum, quod æternum est, ac seculis prius, & à quo res vniuersæ conditæ sunt : creatum verò quod ob susceptam nostri causa administrationem conformatum est ad similitudinem corporis humilitatis nostræ. Increatum dicimus Verbum, quod initio rerum existebat, & semper *erat apud Deum, & erat Deus Verbum, per quod facta sunt omnia, & sine quo nihil eorum factum est, quæ facta sunt*: creatum autem illum dicimus, qui caro factus est, & sibi tabernaculum in nobis extruxit, in quo etiam incarnato elucens gloria, indicat quòd Deus patefactus sit in carne, omninò inquam Deus, vnigena ille, qui Patris in sinibus existit.

Theophilus Alexandrinus. 390.

Epistola 2. Paschali : Christus perfectus Deus propria voluntate quicquid humanæ fuit & naturæ & conditionis assumens, (absque peccato duntaxat, & malitia, quæ nullam habet substantiam,) infans nascitur, Emmanuel adoratur, Magi de Oriente veniunt, Deum Dei Filium genu posito confitentur : tempore passionis pendens in cruce solis obscurat radios, nouo inauditóque miraculo diuinitatis suæ exprimens magnitudinem. Et indiuisus, & inseparabilis, nec in duos Saluatores quorundam errore seiunctus. Vnde & ad discipulos loquebatur : *Nolite vocare magistrum super terram : Vnus est enim Magister vester* Christus. Neque enim cùm hæc Apostolis diceret, à corpore, quod patebat aspectui, diuinitatis excellentiã separabat. Nec quando vnum se Christum Dei Filium testabatur, animam diuidebat, & carnem : non alter & alter, sed vnus atque idem vtrumque subsistens, Deus & homo, dum seruus videtur, & Dominus adoratur : siquidem in humani corporis vilitate ineffabilem cælabat Deum, & rursum fragilitatem carnis diuinis operibus excedebat. Et ne vnus quilibet Sanctorum, vt à plerisque æstimatum est, crederetur, sed ille, quem & Paulus ostendere volens, scribit : *Vnus Deus, vnus & Mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus.* Et iterum : *Mediator autem vnius non est, Deus autem vnus est.* Quia vnus Filius Patris, nostríque Mediator, nec æqualitatem eius amisit, nec à nostro consortio separatus est, inuisibilis Deus, & visibilis homo : forma serui absconditus est, & Dominus gloriæ confessione credentium comprobatur : Neque enim priuauit eum Pater naturæ suæ nomine, postquam pro nobis homo & pauper effectus est, nec in Iordane fluuio baptizatum altero appellauit vocabulo, sed Filium vnigenitum : *Tu es Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Nec similitudo nostra in diuinitatis est mutata naturam, nec diuinitas in nostræ naturæ versa est similitudinem, sed manens quod à principio erat, Deus Verbum, & in se, nos glorificans.

1. Tim. 2.

Luc. 2.

Ioannes Chrysostomus. 400.

Homilia de cruce : Christum cùm audieris non solummodo Deum putes, sed Deum & hominem crede. Scio namque esurijsse Christum, & scio Christum de quinque panibus & duobus piscibus satiasse quinque millia hominum, exceptis paruulis & mulieribus. Scio Christum sitisse, scio Christum super aquas pedibus ambulasse : scio Christum mortuum, & scio Christum mortuos suscitasse : scio Christum Pilato astitisse, & scio Christum ad dexterã Patris consedisse : scio Christum lapidatum, & scio Christum ab Angelis adorari. Et quædam quidem refero Deitati, quædam autem assigno humanitati : quia noui Christum de Maria natum, & scio Christum ante omnia secula genitum, & apud Deum semper Deum esse Verbum.

In Marcum Homilia 11. Nemo nos putet diuidere Christum. Hoc enim solent æstimare calumniatores, quòd nos in Christo duas personas faciamus; alium hominem, & alium Deum. Nos in Trinitate credimus, non credimus in quaternitate, duas in Christo esse personas. Si enim Christus duas personas habet, Pater & Filius, id est, Christus, duplex est : ergo quatuor personæ sunt. Nos ergo credimus in Patrem & Filium & Spiritum sanctum. De Patre & Spiritu nulla dubitatio est. Non enim assumpserunt corpus, non assumpserunt aliquam vilitatem. Nunc verò de Christo dicimus, Deo nostro, Filio Dei & filio hominis, & vno Filio Dei. Ipse Dei Filius, & filius hominis : quicquid magnum est, refer ad Filium Dei : quicquid paruum est, refer ad filium hominis : & tamen vnus Filius Dei est.

Atticus Constantinopolitanus. 420.

In actis Concilij Ephesini, Tomo 2. capite 28. Hodie Dominus secundùm humanitatis naturam genitus est : nam iuxta naturæ diuinæ dignitatem dudum ante existebat, &c. Verbum, in quod secundùm propriam naturam exinanitio nulla cadit, humani generis amore homo factum exinanitur : seipsum enim assumpta serui forma exinaniuit. Qui carnis & corporis expers erat, propter te incarnatur : *Verbum* enim *caro factum est.* Qui propter incorpoream naturam tactui non subiacebat, palpabilis efficitur : qui principio carebat, sub principio corporali nascitur : qui perfectus erat, crescit : qui indemutabilis, proficit : qui diues, in diuersorio gignitur : qui operit cælum nubibus, pannis inuoluitur : qui Rex, in præsepio ponitur.

Matth. 2

Matt. 23.

Si quem anxium reddit Vnigeniti incarnatio, aut Virginis imprægnatio, perpessionum communicatio, aut crux, aut mors, aut resurrectio, ist hæc terrarum orbi salutem peperisse intelligat : eadémque præpotentis benignitate minimè indigna esse animo pertractet. Nam si Deo turpe est in Virgine habitare : modis omnibus turpius erit Virginem formare. Quòd si verò condere turpe non est, neque opus suum inhabitare turpe erit. Rursum, si perpessioni obnoxium esse malum est, à perpessionibus liberare posse magnum quoddam bonum sit, necessum est. Quare licet immortalis esset : attamen quo mortem aboleret, mortem subijt. Pari modo, vt nostram resurrectionem constitueret, ex mortuis surrexit. Horum autem omnium non per diuinitatis naturam, sed per carnis assumptionem capax extitit : Et quidem illa in propriæ impatibilitatis asylo immotus consistens : hac verò nihil non patiens ac sufferens, spiritalis vitæ rationem quàm optimam nobis instituit.

Proclus. 425.

Epistola ad Armenios : Deus forma carens, sine initio incircumscriptus, & omnipotens Verbum, in carne veniens (adest enim illi posse quod vult) sumpsit formam serui, caro factus, natus ex Virgine, volens vbique monstrare, quia secundùm veritatem fieri homo dignatus est. Naturam siquidẽ corpoream & exordia, & habitus, passionésque necessariò subsequuntur : Non enim dicit Euangelista, quòd in hominem perfectum Deus ingressus est, quia *factus est caro*, naturæ nostræ primordia ipsa contingens. Sicut enim homo naturaliter editus, non statim procedit operatione perfectus, sed primùm ipsa depositio seminis efficitur caro, deinde processu temporis vim sumit, quæ consummationem sensuum operationumqúe contineat : ita Deus Verbum, ipsa initia & radicem humanæ institutionis attingens, primùm factus est caro, non conuersus (quod absit) in carnẽ. Manſit enim diuinitas omni mutabilitate superior; quia mutatio naturæ fluentis est passio : illius autem perennis sempiternæqúe ita se habentis essentiæ proprium est, vt incommutabilis perseueret. Vtrisque igitur diuinæ Scripturæ vtentes vocibus, dicimus quia & *caro factus est, & formam serui accepit.* Ex vtroque pio intellectu semina nobis salutis existunt : Per id enim quòd *Verbum caro factum est*, indiuiduum summæ ipsius adunationis Euangelista declarat. Sicut enim singularitas in duas singularitates dirimi non potest, (alioqui in hac diuisa, iam non erit singularitas, sed dualitas) ita quod vnum est iuxta summam adunationem, nequaquam in duo poterit vlla ratione partiri. Per id autem quòd *formam serui assumpsit*, naturæ diuinæ incommutabilitas intimatur : quia omne quod fit, aut ex eo quod non existeret factum est, vt cælum, quod ante non erat; aut ex eo quod est, in aliud conuertitur, vt fluenta Nili fluminis in sanguinem commutata. Sed vterque modus diuinæ substantiæ probatur incongruus : Nam nec ex vllis exstantibus processit, semper sine initio permanens; nec ex aliqua materia conuersus est Deus Verbum, in sua incommutabilitate persistens. Idcirco per hæc & Deitatis incommutabilitatem, & indiuiduum Sacramenti, diuina Scriptura testatur; quod factum est, demonstrans; & quod assumpsit, insinuans : vt per primum singularitatem naturæ personæ vtriusque commendet; per alterum verò incommutabilitatem substantię diuinæ pronuntiet. Deus igitur Verbum factus est homo perfectus, non imminuta natura deitatis, astipulante miraculo, quod intelligẽtiam nostræ mentis excedit : idipsum percipimus fide, non inquisitione colligimus, &c. Non alter est Christus, & alter Deus Verbum, (quod absit:) duos enim filios natura diuina non nouit. Vnus Vnigenitum genuit : vbi enim non est generantium copula, illic qualitatem non poteris inuenire nascentium, &c. Ego vnum Filium, sicut edoctus sum, piè cognoscens, quem Dei Verbi incarnati substantiam esse profiteor : Vno autem existente eo, qui passiones pertulit, atque miracula operatus est, qua ratione diuiniora reticent, humilioribus derogant? Vt enim fidem faceret Verbum, manens quod erat, *factus est caro*, id est, & infans, & homo perfectus : Tanto sacramento nulla conuersione violato, idem ipse perficiebat miracula, & iniurias sustinebat, per signa quidem diuina manifesteid quòd erat infinuans, per passiones autem factum quod formauerat manifestans. Vnum igitur eundem Filium prædicamus, & Patri consempiternum, & in nouissimis temporibus incarnatum, nihil adulterinum diuinæ naturæ penitus inferentes, &c.

Ioan. 1.

Exod. 7.

Ioan. 1.

Cyrillus Alexandrinus. 430.

De recta Fide ad Reginas, commentario 1. capite, *Quòd Christi mors sit salutaris.* Ex Catholica Petri : *Christo igitur passo in carne.*) Cùm Christus sit verus Deus, rectè sapientérque discipulus carne illum passum affirmat : Hac enim oratione naturam illam immensam, in quam nulla perpessio cadit, ab omni perpessione eximit. Sua igitur carne passus est Christus. Proinde Deus est, qui quidem secundùm diuinam naturam pati minimè potest, secundùm humanam autem potest.

Capite : *Quòd Iesus Christus vnus sit Dei Filius, & Dominus :* Ex epistola ad Ephes. *Vnus Dominus, vna fides.* En quanta rursus charitate & euidentia Apostolicus sermo hoc loco ostendat, Verbo per dispensatoriam vnionem cum humana natura coeunte, vnum tantùm absolutum esse Christum, vnũ constitutum esse Dominum, atque ideo vnum solum esse verum, naturalemq; Filium, ex vtroq; quasi conflatum.

Lib. 11. in Ioannem cap. 21. Putabant discipuli absentiam Christi, vt hominis dico, Deus enim vbique adest, multorum eis incõmodorum causam futuram : cùm non adesset, qui ab omnibus eos posset malis eruere. Sed oportebat non solùm in carnem Christi, verùm etiam in Deitatem respicere : quæ quamuis oculis non cernatur, adest tamẽ semper summa cum potestate. Nec quicquam est, quod prohibere possit, quin omnia repleat, & quod velit peragat : non enim loco aut dimensionibus circumscriptibilis natura diuina est. Quare cùm Deus & homo Christus verè sit, oportuit eos intellexisse, ineffabili Deitatis potestate, vnà cum eis semper futurum, etiamsi carne abesset. Idcirco enim ipse quoque in superioribus dicebat : *Pater sancte serua eos in nomine tuo, quos dedisti mihi.* Apertè significans Deitatis ratione, non carnis præsentia eos posse seruari. Quippe ipsa etiam caro, non à se sancta fuit, sed coniunctione Verbi, ad Verbi virtutem quodammodo reformata, salutis atque sanctificationis participantibus causa est. Non ergo carni, vt caro est, operationis diuinæ virtutem, sed naturæ Verbi attribuimus.

Ioan. 1.

Epistola ad Nestorium : Non dicimus, Verbi naturam per sui mutationem carnem esse factam : sed neq; in totũ quoq; hominem, ex anima & corpore constitutum, transformatam esse. Asserimus autem Verbum, dum carnem anima ratione prædita perfectam, inexplicabili, incomprehensoq; modo, non secundùm voluntatem, sententiarúmque consensionem, neque rursum per humanæ personæ assumptionem, sed secundùm hypostasin sibi

vnit,& hominem factum, & hominis Filium appellatum esse. Et quamuis naturæ sint diuersæ; vera tamen vnione coeuntes, vnum nobis Christum & Filium effecerunt: Non quòd naturarum differentia propter vnionem sublata sit; verùm quòd diuinitas & humanitas secreta quadam ineffabili coniunctione in vna persona, vnum nobis Christum & Filium constituerint. Ad hunc itaque modum, qui ante omne seculũ subsistit, & ex Patre ortus fuit, secundùm carnem ex muliere natus dicitur: Non quòd diuina illius natura aliquod existentiæ suæ initium ex sacra Virgine sumpserit, aut quòd post primam ex Patre, altera rursum propter seipsam generatione indiguerit, sed quòd propter nos, & propter nostram salutem humana natura secundùm hypostasin sibi vnita, ex muliere nasci voluerit. Atque hinc est, quòd secundùm carnem natus prædicetur, &c. Ad eũdem modum illud (*Verbum*) quoque passum & resuscitatum dicitur; non quòd Dei Verbum aut plagas, aut clauorum fixuras, aut alia id genus incommoda in propriam naturam exceperit: (Nam vt diuinum numen corporis expers est, ita perpeti quoque nihil potest:) sed quia corpus, quod sibi ascisuerat, isthæc expertum fuerat, eam ob rem & ipsum quoque nostri causa istiusmodi perpessum asseritur: Impatibile enim Verbum in corpore patibili existebat.

Isidorus Pelusiota. 440.

Lib. 3. epist. 130. Cùm Scriptura sacra de Saluatore verba facit, haudquaquam pugnantia docet: verùm cuique rei quod proprium & congruum est tribuit. Partim enim ad diuinitatem spectat, partim ad assumptam humanitatem, partim denique ad voluntarias perpessiones. Lucem quippe veram eum, & gloriæ splendorem, ac paternæ substantiæ figuram esse dixit: primum ob essentiæ claritatem; alterum ob æternitatem, vel, vt rectiùs loquar, coæternitatem; postremum ob substantiam, & quia veris & germanis notis ornatus est. Nam ne splendoris vocabulum minimè subsistens quiddam esse existimetur, figuræ atque characteris vox substantiam confirmat. Rursum speciosum forma præ filijs hominum, atque item speciosum in stola sua eundem vocat, propter diuinam & lapsus omnis expertem assumptæ humanitatis virtutem. Postremò non habentẽ speciem, neque decorem duplici de causa: altera, quoniam herili forma occultata seruilem ostendit; altera, quia in eo supplicio, quod voluntariè ac spontè subijt, nullum non contumeliæ genus excitatum est.

Theodoretus. 450.

Dialogo 2. Igitur corpus Dominicum surrexit quidem à corruptione & interitu alienum, & impatibile, & immortale, diuina gloria glorificatum, & à cælestibus potestatibus adoratũ; corpus tamen est, & habet quam prius circumscriptionem.

Dialogo 3. Quemadmodum diuinam quidem naturam dicebas è cælis descendisse, Filium autem hominis propter eam vnionem vocatum esse dixisti: ita ligno quidem carnem esse affixam dicere conuenit, sed diuinam naturam ab ea inseparabilem confiteri, & in cruce & in sepulchro passionem illinc non suscipientem: quandoquidem nec ad patiendum, nec moriendum sua natura apta est; sed habet immortalem & impatibilem substantiam. Hac vtique ratione Dominum quoque gloriæ crucifixum appellauit, impatibili naturæ nomen patibile attribuens. *Quoniam eius corpus appellatum est.* Hoc quoque præterea examinemus. Diuinus dixit Apostolus: *Si enim cognouissent, Dominum gloriæ non crucifixissent.* Crucifixerunt ergo naturam quam cognouerunt, non quam penitus ignorârunt.

Flauianus Constantinopolitanus. 450.

Ad Theodosium Imperatorem de Fide: Prædicamus Dominum nostrum Iesum Christum, ante secula quidem ex Deo Patre sine principio natum, secundùm diuinitatem: in nouissimis autem diebus eundem propter nos, & propter nostram salutem, ex Maria Virgine, secundùm humanitatem Deum perfectum, & hominem perfectum, eundem in assumptione animæ rationalis & corporis, consubstantialem Patri secundùm diuinitatem, & consubstantialem nobis secundùm humanitatem, ex duabus vtique naturis confitentes Christum post incarnationem ex sancta Virgine, & inhumanatum in vna subsantia, & in vna persona, vnum Christum, vnum Filium, vnum Dominum confitemur.

Ad Leonem Papam: Eutyches absconditum in se languorem malæ sectæ retinens, insiliens nostræ manſuetudini, inuerecundè & impudenter in multos impietatem propriam præsumpsit inferre, dicens: ante inhumanationem quidem Saluatoris nostri Iesu Christi duas naturas esse, diuinitatis & humanitatis: post vnitionem verò vnam naturam factam; neque sciens quod dicit, neque de quibus affirmat. Neque enim vnitas conuenientium in Christo duarum naturarum, sic vt vna re proprietates suas in vnitate confudit, sed manent in vnitate perfectæ naturarũ proprietates.

Concilium Chalcedonense. 453.

Actione 5. Sequentes igitur sanctos Patres, vnum eundémque confiteri Filium, & Dominum nostrum Iesum Christum, consona voce omnes docemus, eundem perfectum in Deitate, eundem perfectum in humanitate, Deum verè & hominem verè, eundem ex anima rationali, & corpore, coessentialem Patri secundùm deitatem, coessentialem nobis eundem secundùm humanitatem, per omnia nobis similem absque peccato; ante secula quidem de Patre genitum secundùm Deitatem, in nouissimis autem diebus eundem propter salutem nostram ex Maria Virgine Theotoco secundùm humanitatem, vnum eundem Christum, Filium, Dominum, vnigenitũ, in duabus naturis inconfusè, immutabiliter, indiuisè, inseparabiliter agnoscendum, nusquam sublata essentia naturarum propter vnionem, magisque salua proprietate vtriusque naturæ, & in vnam personam atque existentiam concurrente, non in duas personas partitum, atque diuisum, neque disiunctum, sed vnum & eundem Filium, vnigenitum Deum Verbum Iesum Christum, sicut ante Prophetæ de eo, & ipse nos Iesus Christus erudiuit, & Patrum nobis Symbolum tradidit.

Basilius Seleucius. 460.

Oratione de incarnatione Verbi: O sacer & Deifer venter, in quo peccati chirographum abolitum est, in quo Deus citra diuinitatis iacturam homo factus est. Quamuis enim ortum subiret, & ad nostræ natiuitatis conditionem sese dimitteret, manebat nihilominus quod erat. Maternas vlnas implebat, neque paternos tamen deserebat sinus: Deus enim cùm quæ vult operatur, in partes non deducitur; verùm omnibus indiuulsè cohærens, mundo salutem conciliat, &c. Deus patibile corpus induit, vt impatibilem diuinitatis naturam nulla ex parte læserit. Si enim sol hic per sordida & graueolentia loca transiens, nullas

nullas puritati suæ sordes ascisit: quanto minus iustitiæ sol impollutam Virginem sua luce illustrans, & sacrosanctum corpus ex ea sumens, secundùm diuinitatem in seipso impatibilis mansit?

Petrus Diaconus. 480.

De Incarnatione Domini, seu de gratia & libero arbitrio, capite 2. Igitur iuxta sanctorum Patrum traditionem, Dominum nostrum Iesum Christum in duabus naturis vnitis & inconfusis, hoc est, diuinitatis & humanitatis in vna persona siue substantia confitemur; nec illis acquiescentes, qui vnam Dei Verbi naturam incarnatam prædicantes, venerabilis Chalcedonensis Concilij fidem refugiunt; nec illos admittentes, qui duas naturas dolosè pronuntiantes, vnam Dei Verbi naturam incarnatam minimè confitentur.

Ioannes Maxentius. 510.

In prima Fidei professione: Confitemur vnum eundémque Filium Dominum nostrum Iesum Christum, perfectum eundem in diuinitate, perfectum eundem in humanitate; Deum verum, & hominem verum; eundem ex anima rationali, & corpore: homousion Patri secundùm diuinitatem, homousion nobis secundùm humanitatem, per omnia similem absque peccato. Ante secula quidem de Patre natum, secundùm diuinitatem: in nouissimis autem diebus eundem propter nos, & propter nostram salutem ex Dei Genitrice, secundùm humanitatem. Vnum eundémque Christum, Dei Vnigenitum, in duas naturas, inconfusè, incommutabiliter, indiuisè, inseparabiliter cognoscendum. In nullo naturarum diuersitatem propter vnitatem perimendam, salua potius proprietate vtriusque naturæ, in vna persona, vnáque subsistentia concurrente. Non in duas personas partiendum aut diuidendum, sed vnum eundémque Filium Vnigenitum, Deum, Verbum, Dominum Iesum.

Theodorus Lector. 520.

Lib. 2. Collect. Cùm qui à Seuero missi erant Philarchum ea docere conarentur, quæ veræ doctrinæ contraria erant, fabulam ad redargutionem eorum, quæ ab illis dicebantur, commentus est. Ea erat, quòd videretur literas accepisse, quæ Michaëlem Archangelum mortuum esse significarent. Respondentibus illis esse hoc impossibile. Quomodo igitur, inquit Philarchus, si duas naturas Christus non habet, nudam crucem Deus pertulit, cùm ne Angelus quidem pati quicquam, vel mori queat? Ad hunc itaque modum confusi qui à Seuero missi fuerant, & pudefacti, discesserunt.

Procopius Gazæus. 530.

Ad caput 22. Geneseos: Aries cædi subijcitur: sic Christi corpus patitur loco diuinæ naturæ, pati nesciæ. Nam in hunc modum inquit in Psalmis: *Sacrificium & oblationem noluisti, corpus verò adoptasti mihi.*

Iustinianus Imp. 540.

Epistola ad Ioannem Papam: Non alium Deum Verbum, & alium Christum cognoscimus; sed vnum atque eundem ipsum consubstantialem Patri secundùm diuinitatem, & consubstantialem nobis eundem ipsum secundùm humanitatem; passibilem carne eundem, & impassibilem deitate. Vt enim in diuinitate est perfectus, ita idem ipse & in humanitate perfectus est. In vna enim substantia Deitatem susciimus & confitemur, quod dicunt Græci τὴν καθ' ὑπόστασιν ἕνωσιν ὁμολογοῦμεν. (*eam quæ secundùm personam est vnitatem confitemur.*) Et quoniam Vnigenitus Filius, & Verbum Dei, ante secula, & sine tempore de Patre natus, idem ipse & in vltimis diebus descendens de cælis, incarnatus est de Spiritu sancto, & ex Dei Genitrice Maria homo factus Dominus noster Iesus Christus, propriè & verè Deus est.

C. de Summa Trinitate & Fide Catholica: Confitemur vnigenitum Dei Filium Deum de Deo, Filium ex Deo ante secula, & sine tempore ex Patre natum, coæternum Patri, ex quo omnia, & per quem omnia, descendisse de cælis, incarnatum esse è Spiritu sancto, & è sancta & gloriosa & semper Virgine Maria hominem factum esse, crucem pertulisse, sepultum fuisse, & resurrexisse tertia die: vnius & eiusdem miracula & passiones, quas sponte carne sustinuit, agnoscentes. Neque enim alium Deum Verbum nouimus, alium Christum; sed vnum & eundem consubstantialem Patri secundùm diuinitatem, & consubstantialem nobis secundùm humanitatem. Manſit namque Trinitas etiam post incarnationem, vnum ex Trinitate Dei Verbum: neque enim quartæ personæ adiectionem recipit sancta Trinitas. Hæc igitur cùm ita se habeant, anathematizamus omnem hæresin, præsertim verò Nestorium anthropolatram, diuidentem vnum Dominum nostrum Iesum Christum Filium Dei & Deum nostrum: nec disertè & secundùm veritatem confitentem sanctam gloriosam semper Virginem Mariam theotocon esse, hoc est Deiparam; sed alium esse dicentem Deum ex Deo Patre, alium qui ex sancta semper Virgine Maria natus est; hunc autem gratia & proximitate, quam habuit cum Deo Verbo, Deum factum esse, &c.

Andreas Cretensis. 550.

In Salutationem Angelicam: Non simulatã (quod videri alicui poterat) carnem à nobis assumpsit, sed in ipsa rei veritate singulari simul erga genus humanum studio, & secundùm homines, ex hominum substantia sibi asciuit, qui est Altissimus, ac totam nostram in semetipso naturam sanctificauit; nec dispensationem eam sub specie quadam finxit. Hanc ille carnis, inquam, veritatem cognouit, illæsa eius deitate manente, stupendæ prorsus alterationis, &c. Quid verò dignum magis admiratione, quàm Dei videre descensum ad vterum vsque mulieris pertingentem? ô rem incredibilem: Deus intra membra mulieris, *cuius cælum thronus est, & terra scabellum pedum eius.* Deus in vtero, qui Patri suo coæuus cælos inhabitat. Ecquid aliud præter existimationem magis, quàm Deum sub hominis specie apparere, vt tamen de propria deitate nihil ei decedat? *Ne timeas Maria, Dominus tecum.* Patris luminum Filius, ab æterno ex ipso genitus; temporali verò natiuitate ex carne tua progressus: Qui totus supernè in sinu Patris est, infernè autem totus tecum in vtero tuo est; ille ipse tecum, & intra te est: præueniendo namque te insilijt, ac tuum superingressus corpus est; In te adeò locũ inuenit, qui loco secundùm propriam naturam comprehendi nullo modo potest. Isaiæ 66.

Concilium Quintum Constantinopolitanum. 553.

Confessionis 5. capite 2. Si quis non confitetur Dei Verbi duas esse natiuitates, vnam quidem ante secula ex Patre, sine tempore, incorporaliter; alteram verò in vltimis diebus eiusdem ipsius, qui de cælo descendit, & incarnatus de sancta gloriosa Dei Genitrice & semper Virgine Maria, natus est ex ipsa, talis anathema sit.

Cap. 3. Si quis dicit alium esse Deum Verbum, qui miracula fecit; & alium Christum, qui pas-

sus est; vel Deum Verbum cum Christo esse nascente de muliere, vel in ipso esse, vt alterum in altero, & non vnum eundemque Dominum nostrum Iesum Christum, Dei Verbum, incarnatum, & hominem factum, & eiusdem ipsius miracula & passiones, quas voluntariè carne sustinuit, talis anathema sit.

Anastasius Antiochenus. 580.

De rectis veræ Fidei dogmatibus libro 3. de diuina dispensatione Incarnationis: Deus tantùm ex Patre cùm esset, nec ab ipsius essentia euarians, suum sibi assumpsit corpus ex Matre, citra vllam differentiam eidem consubstantialis genitus: eóque iuxta similitudinem superius mihi inductam, ex vtraque subsistantia vnus declaratus est esse Christus; Deus nimirum & idem homo. Hoc planè perspicuum reddidit, quòd in Sacramento erat admiratione dignum, quia suam vtramque proprietatem naturalem seruat, ac si secundùm se solum subsisteret, non concurrens alteri ad vnionem constituendam, tametsi persona vna inconfusè esset. Christus igitur vtriusque naturæ complexu, non item habitu subsistit, sed essentiæ vtriusque in hoc vnum consertione: magis autem ipsæ essentiæ non diuina quidem sine humana, non etiam è diuerso humana à diuina disparata, sed vtriusque permixtio & inseparabilis contemperatio, quam fatemur non se habere iuxta imitationem humidorum, quæ quidem nata sunt in aliud quiddam permutari & transire, facta inter se contemperatura, &c. Christus ante incarnationem Deus, ab ipsa incarnatione idem non destitit esse Deus, tametsi alteri se conseruerit essentiæ, propter corpus, quod consubstantiale est. Coëssentialis enim hic est factus, qui diuersæ sunt à Deo essentiæ, iuxta quam dicendi formulam processit, homo vt fieret, ante secula ex Patre nullo intercedente medio genitus. Hinc factum, vt duas illi fuisse credamus generationes. Per duo enim processisse didicimus, non vtique parili, sed dispari modo. Ex Patre siquidem secus processit atque ex Matre. Atqui idem ipse est, etiamsi non secundùm idem. Diuersitas enim consertarum essentiarum differentes effecit partus.

Libro 4. de Passione & impassibilitate Christi: Ne quis distinctè omnia de Christo dici censeat, sed & coniunctim: ob hoc, quæ humana sunt, quæ item diuina, de ipso promiscuè, & in commune prædicantur, intellectu discernente, quæ decenter vtrique conueniunt naturæ: Etenim quod diuinum est, vtique impassibile est: Impassibilis autem est, qui nulla vnquam tangitur passiua affectione, siue earum quæcunque sunt animæ, siue quæcunque sunt corporis, seu animati corporis. Animæ enim rationali competit tristari, turbari, angi, & penè exanimari, dum se illi ingerunt, quæ per se sunt tristia, &c. Diuina igitur natura ab omni passione cùm sit essentialiter immunis, & liberrima; eius tamen passio prædicatur, nempe crux, & mors, per quas salutem sumus consecuti. Ait enim Paulus: *Neque iudicaui me aliquid scire inter vos, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum.* Necesse sit passionem hanc propriè quidem sumi, & in primaria significatione. Assumpta enim natura ab ea quæ assumpsit nunquam separata est, sed secundùm subsistentem naturam est eidem counita, consertione ac nexu insolubili, sic vt omnia vnius sint eiusdémque Christi, tum quæ diuinæ sunt maiestatis, tum quæ humanæ naturæ, intellectu nostro citra confusionem vllam singula discernente, quando cupiet in persona Verbi internoscere quid diuinæ congruat naturæ, quid item humanæ: attamen vtraque hæc necesse est profiteri naturarum communione vnius esse & eiusdem personæ, passiones dico simul & impassibilitatem: ob id, qua parte is designatur, vtriusque coniunctione compositus est, vt cùm corporis animati sectiones ac vibices dicimus, præcipuè quidem eas esse agnoscimus corporis, propter tamen compositam vnionem dicebamus easdem esse & animæ, etiamsi liquidò nouerimus, his passionibus animam detineri non posse. Adhæc animales motus disciplinasque rationales, cùm præcipuè quidem ac peculiariter ad animam pertineant, dicebamus alioqui esse & totius compositi animalis, licet corporis natura neutiquam sit capax cognitionis & scientiæ. Ad eundem modum, & de Christo Deo simul & homine, omnia vnius eiusdemque esse prædicamus, nimirum impassibilitatem ipsam & passionem, ad vtrumque suapte natura spectare edocti. Et Christum quidem passibilem fuisse confitemur, non id alioqui secundùm diuinam naturam, vt neque secundùm humanitatem dicimus impassibilem. Verè etenim passus est passiones naturæ consentaneas: nempe quas nihil dedecoris consequitur, aut dignum reprehensione, attenta magnitudine appositionis naturarum inter se consertarum. Et est quidem Deus, qui patitur, diuinitate interim nihil in se recipiente externæ passionis: idem rursus cùm esset homo, non patiebatur, quatenus in ipso secundùm naturam diuinitas suâ retinebat impassibilitatem, counita licet patienti corpori.

Hesychius. 590.

Libro 2. in caput 8. Leuitici: Quia ipse Christus erat qui vngebat Prophetas, ipse qui vngebatur, vngens Verbo diuinitatis, secundùm quam ei omnia communia cum Patre & Spiritu sunt, à quo vngi dicitur. Nam Dauid Patrem vngentem dixit, cùm ait: *Propterea vnxit te Deus, Deus tuus.* Esaias autem vnctionem Filij ad Spiritum retulit, dicens: *Spiritus Domini super me, eo quòd vnxit me.* Quæ autem Pater & Spiritus, hæc eadem & Filius facit. Ergo ratione diuinitatis ipse est semetipsum vngens, & ipse est qui vngitur, dispensatione humanitatis, &c. Et si Christi caput, secundùm Pauli verbum, diuinitas intelligitur, non frustra tamen, nec extra ordinem, in hoc mysterio sacerdotis vngi nunc caput Legislator scripsit: vt cognoscamus, quoniam quemadmodum caput à pedibus diuidi non potest, sic neque Christi diuinitas post vnitionem ab humanitate diuiditur. Sed siue vngi dicatur, siue generari, siue pati, siue resurgere, siue assumi dicimus, hoc incarnatum Verbum non diuidentes, & dicentes hominem quidem vnctum, Deum autem non vnctum, sed Deum eundem simul & hominem. Isaiæ 61.

Chrysippus Presbyter. 600.

De S. Virgine Deipara: Itaque ne diffidat quis infantem esse Deum. Quòd si Deus est simul & infans, horum concursus appellationem Emmanuelis exposcit: *Et vocabunt nomen eius Emmanuel*, hoc est, Deum, & eundem indiuiduè hominem, Deum & hominem ipsum. Etenim partus secundùm carnem humanus est: qui verò natus, est Deus: Propterea & vuluæ sigillum permansit ei, quæ peperit. Est Deus, qui natus est; alioqui quo pacto stella natiuitatem eius in gentes euulgasset? Est Deus, qui natus est, sed ex muliere naturam habet humanam.

Antiochus. 610.

Homilia 130. Solus Filius in duabus naturis incõfusè, inuariabiliter, indiuisè inclaruit, atq; innotuit orbi. Duæ enim naturæ vnitate prorsus in dissolubili inter se conuenerunt: vnitate inquam inseparabili, inconfusa, immutabili. Caro enim caro est, & non deitas: tametsi facta est Dei caro, etiamsi dispẽsatoriè propriam sibi eam fecit cărnem. Duas itaq; profitemur esse naturas; vnum autẽ astruimus esse Christum, Filiũ & Dominũ, Dei Verbũ, qui & homo factus est, & carnem assumpsit. Iam quando differentes quidem hæ, verissima vnione counitæ sunt naturæ, vnus autem ex vtrãq; natura Christus, & idem Filius, non sic alioqui assertâ naturarum differentia, propter vnionem, magis autem quia Dei hominisq; naturæ, per nulli explicandum, & incogitabilẽ prorsus concursum ad illam vnionem, nobis perficiunt vnum Dominum & Christum & Filium.

Leontius. 610.

De sectis actione 1. Tandem Filius & Sermo Dei constituto propter nos in Deipara Virgine domicilio, cùm corpus animatum, mente prẽditũ, rationis particeps, &, simpliciter vt loquar, humanum induisset, eidem corpori humano vnitus est citra confusionem, & verè, citraq; diuisionem. Verè, quoniam ex Deo Sermone humanoq; corpore hypostasis absoluta est vna: citra confusionem, quoniam post vnionem nihilominus vnitæ res saluæ atque integræ manent, non mutatis subsẽtialibus proprietatibus: citra diuisionem, quoniam vna est earum hypostasis.

Act. 7. Est in confesso, Christum fuisse Deum & hominem: propriè Deum eundem, & propriè hominem: natura Deum eundem, & natura hominem: vnius eundem cum Patre naturæ, & eiusdem naturæ nobiscum: vnum de sancta Trinitate, ac vnũ de nobis: quodq; Deus Sermo dignatus sit homo fieri, &c. Christus & Deus est, & homo: idem eiusdem cum Patre subsẽtiæ, & eiusdem subsẽtiæ nobiscum. Propriè Deus, & propriè homo: vnus sanctæ Trinitatis, & vnus ex nobis. Nam eadem hypostasis duarum naturarum definitiones recipit, & quodcunq; de diuinitate quis protulerit, idem & in Christo inuenit: & vicissim quicquid de humanitate dixerit, idem & in subsẽtia Christi inuenit, eidem subsẽtialiter competens: quò sit vt necessariò duæ sint vnius hypostasis Christi naturæ.

Sophronius Hierosolymitanus. 620.

Epistola ad Honorium: Credo & quòd Deus Verbum Vnigenitus Patris Filius, qui ante omnia secula & tempora impassibiliter de eodem natus est Deo & Patre, miserationem induens, & humanitatis misericordiam circa humanũ nostrum lapsum, spontanea voluntate, & Dei gignentis consilio, & diuino complacito Spiritu, non separatus à gremio generantis ad nos humiles descẽdit, sicut eiusdem voluntatis Patri & Spiritui, ita & essentiæ inexplicabilis, & naturæ circumscriptionem nullo modo sustinens, aut secundùm nos localem transmeatum naturaliter sciens efficere diuinam operationem, & verum intactum virginitatis ingressus, castitatem lustratam Mariæ sanctæ, præclaraeq;, & quæ Dei sunt sapientis, & ab omni contagione liberatæ, & corporis, & animæ, & intellectûs, incarnatus, qui erat incarneus: & formam susceptt nostram, qui secundùm diuinam essẽtiam, quantum ad habitum & speciem inexformabilis: & corporatur secundùm nos, incorporeus. Et homo iuxta veritatem efficitur, qui semper Deus cognoscitur, &c. Nos vnũ Christum & Filium incarnatũ Verbum obsecramus, & vnam eius subsistẽtiam compositam dicimus, & in duabus eum annuntiamus naturis, & duas eiusdem Dei Verbi natiuitates credimus: vnam quidem ex Deo Patre, quam intemporalẽ & sempiternam scimus: secundam ex Dei genitrice Maria, quam & modernam & temporalem cognoscimus: & vnam Verbi Dei naturam in eo incarnatam glorificamus, &c. Vnus manens Christus, & Filius, & Vnigenitus, inseparatus in vtrisque naturis conspicitur, & quæ sunt vtriusque subsẽtiæ, naturaliter operabatur, secundùm insitã vnicuiq; essentialem qualitatem siue naturalem proprietatem. Quòd si naturam haberet singularem, & inconiunctam, sicut & subsistentiam atq; personam, non ageret vtique vnus idemq; Filius, & Christus profectò, quæ vtriusq; erant naturæ. Quando enim deitas expers est corporis, quomodo naturaliter opera corporis operata est? vel quomodo corpus deitate frustratum, actiones operatum est, quę essentialiter deitatis esse noscuntur? Verùm Emmanuel dum vnus est, & in eo ipse vtraque, id est, Deus & homo, quæ naturæ vtriusque sunt naturaliter gessit, secundùm aliud quæ gesta sunt operans: secũdùm quod Deus quidem est, idem ipse quæ diuina sunt: secundùm quod homo idem ipse est, quæ humana sunt: secundùm ipsum omnibus volens ostendere, quòd Deus idẽ ipse & homo sit: & ideo idem ipse tam quæ diuina sunt agit, quàm quę humana, similiter & dicit, & loquitur, &c. Secundùm quod Deus sempiternus idem ipse exiſtebat, patrabat miracula: secundùm quod homo verò idem ipse modernus agnoscebatur, faciebat humilia & humana. Sicut ergo in Christo vtraq; natura indiminutè proprietatem suam custodit, ita & operatur vtraq; forma cum alterius cõmunione, quod propriũ habuit, Verbo operante, quod Verbi est, cum communione scilicet corporis, & carne exequente, quod carnis est.

Maximus Monachus. 640.

Libello de duabus in Christo naturis: Ecclesia & essentiæ distinctionẽ in Christo ponit, & confusionis priuationem. Summa quidem vnitas quodammodo & diuersa, & eadem natura continetur: velut in sancta Trinitate, & naturam vnam, & tres personas concedimus. In homine autem cùm eadem persona insit, tamen est naturarũ diuersitas. Nam cùm vnus sit homo, alia est animæ natura, alia corporis. Eadem est Domini nostri Christi ratio: in eo enim eadem est persona, cùm interea alia sit diuinitatis, alia humanitatis natura. Vt enim in sancta Trinitate vnitas concedi nõ potest, quin distinctionem exprimamus: sic necesse est tam vnitatem, quàm distinctionem confiteri. Quemadmodum enim eisdem verbis distinctio & vnitas in sancta Trinitate significantur: ita tamen, vt ex eo, quòd tres personæ asserantur, distinctio: ex eo, quòd vna essentia ponatur, vnitas confirmetur: sic in vno sanctæ Trinitatis propterea distinctio probatur, quòd duæ naturę perspiciuntur: quodq; vna persona constituta asseritur, conceditur vnitas. Itaque vt Arium, qui in sancta Trinitate personarum distinctionem nõ probat, sed naturæ vnitatem negat, detestamur: ita Nestorium, qui in Christo naturarum differentiam non concedit, & personæ vnitatem negat, improbamus, &c. Vt propter eandem S. Trinitatis essentiam & naturam vnam essentiam asseris, & propter personarum distinctionem tres personas: ita & propter distinctam Verbi ac carnis essentiam, duas naturas atque essentias: & propter communem eorum personam, vnam personam concedito, &c. Qui in Christo, quia distinctæ sunt naturæ, personæ vnitatem negat, is Nestorianus est. Et

qui negat in perſonę vnitate naturarum differentiam, is Eutychianus eſt. Qui autē & perſonæ vnitatem, & naturę diſtinctionem in vno ſanctæ Trinitatis profitetur, regiam & ſynceram fidem tenet.

Sexta Synodus Oecumenica Conſtantinop. 680.

Act. 17. Profitemur Chriſtum conſubſtantialem Patri ſecundùm deitatem, & conſubſtantialem nobis ſecundùm humanitatem, per omnia ſimilem nobis abſque peccato, ante ſecula quidem ex Patre genitum ſecūdùm deitatem, in vltimis diebus autem eundem propter nos & propter noſtrā ſalutem de Spiritu ſancto & Maria Virgine proprie & veraciter Dei Genitrice ſecundùm humanitatem, vnum eundemq; Chriſtum Filium Dei vnigenitum, in duabus naturis incōfusè, inconuertibiliter, inſeparabiliter, indiuisè cognoſcendum, nunquam extincta harum naturarum differentia propter vnitionem, ſaluaq; magis proprietate vtriuſque naturæ, & in vnam perſonam, & in vnam ſubſiſtentiam concurrentem, non in duas perſonas partitum vel diuiſum, ſed vnum eundemq; vnigenitum Filium Deum Verbum Dominū Ieſum Chriſtum, & duas naturales voluntates in eo, & duas naturales operationes indiuisè, inconuertibiliter, inſeparabiliter, inconfusè ſecundùm ſanctorum Patrū doctrinam adæquè prædicamus, & duas naturales voluntates non contrarias, ſed ſequentem eius humanam voluntatem, & non reſiſtentem vel reluctātem, ſed potius ſubiectam diuinæ eius atque omnipoteti voluntati. Oportebat enim carnis voluntatem moueri, ſubijci verò voluntati diuinæ, &c.

Conſtantinus Quartus Imp. 680.

Edicto ad Populum in Occiduis partibus: Proceſſit ſecundùm nos, qui ſuper nos eſt, & Chriſtus, & Dominus, omnia ferens in ſeipſo naturaliter, quæ noſtra ſunt, præter ſolum peccatum: totus homo factus, & totus permanens Deus: idem ipſe terrenus, & cæleſtis; inuiſibilis, & viſibilis; mortalis, & immortalis. Duæ namque naturæ concurrentes ad inſeparabilem vnitatem, vnū quidem Emmanuel nobis perfecerunt, ſeruantem in ſe indiminutè naturarum, ex quibus extitit, proprietates. Cùm enim ſimplex ſit Verbum ſecundùm diuinam paternamq; & ſempiternam natiuitatem, duplex proceſſit ſecundùm maternam temporalem & corporalem natiuitatem. Vnde & duas Chriſti & Dei noſtri natiuitates glorificamus, vnam eius venerantes ſubſiſtentiam, in duabus perfectis naturis exiſtentem. Vnus quippe ſanctæ Trinitatis permanſit, etiam dum Verbum caro fieret. Perfectus in deitate, & perfectus idem ipſe in humanitate: conſubſtantialis Deo Patri ſecundùm deitatem, & conſubſtantialis nobis ſecundùm humanitatem; paſſibilis quidem carne, impaſſibilis autem Deitate. Nec enim alteri miracula, & alteri paſſiones ſequeſtramus: ſed vni eidemq; Domino noſtro Ieſu Chriſto vtrarumque indicia deputamus, ſecundùm aliud quidem miracula operari, ſecundùm aliud verò pati, &c.

Ioannes Damaſcenus. 730.

Lib. 3. Orthodoxæ fidei cap. 2. Poſt ſanctæ Virginis aſſenſum, iuxta Domini ſermonē ab Angelo prolatum, Spiritus ſanctus in eam ſuperuenit, eam luſtrans, vimq; ei tum ad ſuſcipiēdum Verbi Deitatem, tum ad gignendum ſuppeditans. Actum illa verè ſubſiſtens Altiſſimi Dei Sapientia & potentia, ille inquam Dei Filius, illud Patri conſubſtantiale diuinum, vt ita dicam, ſemen, in eam obumbrauit, atq; ex caſtis & puriſſimis eius ſanguinibus carnem anima rationali atque intelligente animatam, primitias videlicet noſtræ conſperſionis, ſibi ipſi condidit: non id quidem per ſeminis emiſſionem, verùm procreationis modo per Spiritum ſanctum: nec ita, vt paulatim, tacitisq; incremētis figura corporis abſolueretur, ſed vno eodēq; momēto perficeretur. Et quidē ipſum Dei Verbum carnis hypoſtaſis fuit. Neque enim Deus Verbum præexiſtenti ſeorſim carni vnitus eſt: verùm, poſteaquam in ſanctę Virginis vterū immigrauit, citra vllam circumſcriptionem in hypoſtaſi ſua, ex caſtis ipſius perpetuæ Virginis ſanguinibus carnem anima rationali atque intellectuali animatam condidit, humanæ nimirum conſperſionis primitias aſſumens: ac Verbum ipſum carni hypoſtaſis factum eſt. Ac proinde ſimul vt caro extitit, ſimul quoque Dei Verbi caro extitit, ſimul caro animata, rationis atque intelligentiæ particeps. Quò fit, vt non hominem Deitate affectum eſſe, ſed Deum humanitatem aſſumpſiſſe dicamus. Nam cùm natura perfectus Deus eſſet, idem natura perfectus homo factus eſt: & quidem ita, vt nec à natura ſua in alteram migrauerit, nec imaginariam duntaxat incarnationis ſpeciem exhibuerit; ſed carni, quam à ſancta Virgine ſumpſerat, anima rationali atque intellectuali animatę, atque in ipſo ſuum eſſe nactę, perſonaliter, ſine vlla cōfuſione, & mutatione, & diuiſione copulatus ſit: ſic nimirum, vt nec diuinitatis ſuæ naturam in carnis ſubſtantiam, nec rurſus carnis ſuæ ſubſtantiam in deitatis ſuæ naturam mutarit, nec deniq; ex diuina ſua natura & humana à ſe aſſumpta naturam vnam compoſitam effecerit.

Cap. 3. Etenim ſine vlla conuerſione ac mutatione vnitę inter ſe naturę ſunt: ſic videlicet, vt nec à ſua ſimplicitate diuina natura deſciuerit: nec rurſus humana, aut in deitatis naturam cōuerſa, aut in nihilū redacta, aut denique vna ex duabus naturis compoſita natura effecta ſit. Siquidem compoſita natura, cum neutra earum naturarū, ex quibus conflata eſt, eiuſdem ſubſtantię eſſe poteſt: vt quę ex alijs aliud effecta ſit, &c. Nos Chriſtum haudquaquam vnius compoſitæ naturæ eſſe aſſerimus, neq; ex alijs aliud, quemadmodum ex anima & corpore hominem, aut ex quatuor elementis corpus; verùm ex alijs eadem. Siquidē ex deitate & humanitate eundē Deum perfectū, & hominē perfectū, & eſſe, & dici, atq; ex duabus & in duabus naturis eſſe confitemur. Chriſti porrò vocabulum perſonę eſſe dicimus, vt quod non vnimodè dicatur, ſed duplicem naturam ſignificet. Ipſe etenim ſeipſum vnxit, corpus videlicet diuinitate ſua vngens, vt Deus; vnctus autem, vt homo: quandoquidem ipſe & hoc, & illud eſt, &c.

Cap. 4. In Domino noſtro Ieſu Chriſto, quoniam duas quidem naturas, at vnam duntaxat perſonam, ex vtriſq; compoſitam agnoſcimus, cùm naturas nobis ob oculos proponimus, diuinitatē & humanitatem appellamus: at cùm perſonam ex naturis compoſitā, interdum ab vtroq; Chriſtum nominamus, & Deum ſimul & hominem, & Deum incarnatum. Interdum rurſus ab vna parte Deum ſolum, ac Dei Filiū; & hominem ſolum, atque hominis filium; ac rurſus aliquando à ſublimibus duntaxat, aliquando ab humilibus ſolū. Vnus enim eſt, qui & illud, & hoc æquè eſt: quorū alterum ſemper citra cauſam vllam ex Patre extitit; alterum autē poſtea pro ſua ergà hominem beneuolētia factus eſt. Enimuerò cùm de diuinitate loquimur, ea, quæ humanitati propria ſunt, ipſi minimè aſſignamus: non enim paſſibilem, aut creatā diuinitatem dicimus. Nec rurſus carni, ſiue humanitati, ea tribuimus, quæ diuinitati propriè conueniunt: neq; enim carnem, ſiue humanitatem, increatam dicimus. At verò cùm de

perſona

perſona verba facimus, ſiue ab vtraque parte ſimul, ſiue ab altera duntaxat eam appellemus, vtriuſque naturæ proprietates ipſi imponimus. Et enim Chriſtus (quæ vox vtrumque complectitur) & Deus, & homo dicitur; & creatus, & increatus; & paſſibilis, & impaſſibilis. At cùm ab vna parte Filius Dei, & Deus nuncupatur, coniunctæ naturæ, hoc eſt, carnis, proprietates recipit: nam & Deus paſſibilis nominatur, & Dominus gloriæ in crucem actus; non qua Deus eſt, ſed qua idem etiam homo eſt. Eodemq; modo cùm homo, & filius hominis appellatur, diuinæ eſſentiæ proprietates atque ornamenta ſuſcipit: Puer enim æuo omni antiquior dicitur, & homo principij expers, non id quidem qua ratione puer & homo eſt, ſed qua Deus, æuo omni prior, ad extremum puer factus eſt. Atque hic communicationis modus eſt, vtraque videlicet natura proprietates ſuas cum altera communicante, propterea quòd vnam & eandem perſonam conſtituunt, mutuoq; in ſe immeant. Qua ratione de Chriſto dicere nobis licet: *Hic Deus noſter in terra viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt.* Et: Hic homo increatus eſt, & impaſſibilis, ac circumſcriptionis expers. Baruch 3.

Cap. 6. In incarnatione vnius ex ſanctæ Trinitatis perſonis Dei Verbi totam ac perfectam diuinitatis naturam cum tota humana natura copulatam fuiſſe dicimus, ac non partem cum parte. Ait quippe diuinus Apoſtolus: *In ipſo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter*, hoc eſt, in ipſius carne, &c. Toti humanæ naturæ totam diuinitatis eſſentiam vnitam eſſe aſſerimus. Neque enim Deus Verbum quicquam eorum, quæ, cùm nos initio fingeret, naturæ noſtræ inſeruit, prætermiſit: ſed omnia aſſumpſit, hoc eſt, corpus, animam intelligentem & ratione prędītam, eorumq; proprietates. Anima enim, quæ vnius horum expers eſt, hominis nomen ſuſtinere nequit. Totum quippe me totus aſſumpſit, ac totus toti vnitus eſt, vt toti ſalutem adferret. Nam alioqui ne medicina quidem ei allata eſt, quod aſſumptum non eſt. Ergo Dei Verbum per mediam mentem carni vnitum eſt, interiectam videlicet inter Dei puritatem & carnis craſſitiem, &c. Coloſ. 2.

Coſmas Hieroſolymitanus. 740.

Hymno 1. in Theogoniam: *Chriſtus mortalis factus, quod erat Deus manet:* Conformis luteæ tenuis cōpoſitionis Chriſte natus, & participatione carnis, peioris tradita diuina progenie, mortalis factus, & manens Deus & exaltans potentiam noſtram, ſanctus es Domine.

Hymno magno ſecundæ Feriæ: Ineffabilis Dei deſcēſus, qui Chriſtus ipſe eſt, Deus & homo, Deus nō rapinam eſſe putans dum formaretur, ſeruū oſtendit diſcipulis: gloriosè enim glorificatus eſt. Adminiſtraturus ipſe veni, cuius formam conditor ſpontaneus circumdor mendicanti Adæ, diteſcēs diuinitate, vt ponerem meam etiam ipſius animam in redemptionem, qui impaſſibilis diuinitate.

Nicephorus Conſtantinopolitanus. 815.

Epiſtola ad Leonem Tertium: Confiteor & credo vnicum opulentiſſimæ beatiſſimęq; Trinitatis ſuppoſitum, ipſum videlicet Dei Filium & Verbum, quòd cum Deo Patre & Spiritu ſancto in omne ęuum ſimul adoratur & conglorificatur: vtpote eiſdem coeſſentiale & coæquale exiſtens, infinita benignitate & miſericordia erga proprium plaſma motum, accedente huc paterna voluntate & miſeratione: & ſancti quoque Spiritus gratia, eiuſdemq; cooperatione de cælo deſcendiſſe, & cum hominibus conuerſatum eſſe, quò nos dudū propter peccatū damnatos, & è Paradiſi delicijs expulſos, corruptionięq; obnoxios, per gratiam ſaluaret, & diuinæ naturæ participes efficeret: In vtero enim Virginis verè proprieq; Deiparæ inhabitans, & per Spiritum ſanctum animam & carnem ſibi adaptans, totāq; noſtram naturā, quemadmodum hominem in principio finxerat, ſibi aſciſcens, prodijt Deus incarnatus, &c. Qui ergo eiuſdem eſt cùm Patre naturæ, nobis per omnia, peccato tantùm ſecluſo, factus eſt coëſſentialis: Etenim ſemine Abraham ſuſcepto, carnis & ſanguinis, perinde ac vnus ex nobis, factus eſt particeps: carnemq; anima intelligente viuificatam aſſumpſit, nullo quidem pacto ante ſummā illam vnionem præexiſtentem, ſed ſimul carnem, ſimul anima rationis compote animatam, ſimul Verbo vnitam. Nec rurſum ſecundùm ſolam gratiam in noſtra natura habitauit: ſed totus toti humanæ naturæ coniunctus, inconfuſam, indiuulſam, ſupernaturalemq; vnionem operatus eſt: Diuina enim & humana natura inter ſe coëuntes, in naturali ſua proprietate indemutatè perſiſtunt, pſeuerantq; nec vlla ex parte in ſe mutuo trāsformantur: Veruntamen propter naturalem illam coitionem & copulam, nominum quoque communicationem, mutuamq; reciprocationem piè cōcedendam exiſtimamus: Quandoquidem propter phyſicam illam admirandamq; coeuntium naturarum inter ſe vnionem, non re, ſed ſola imaginatione, vnius eiuſdemq; quandam hic diſtinctionem ſtatuimus. Porrò autem, quod cum naturarum diſtinctione perſonæ ſingularitas, eiuſdemq; vnitas indiuulſa interruptaq; ſemper cōſiſtat, permaneatque: (Nam monſtroſam impoſtoris Eutychetis, & Dioſcori confuſionem concretionemve procul hinc ablegamus:) fit vt vnum eundemq; confiteamur creatum, & increatum: æternum, & temporaneum: cæleſtem, & terrenum: circumſcriptum, & incircumſcriptum: patibilem, & impatibilem: ſine matre, & ſine Patre: alterum quidem propter ineffabilem, æternam, & omne ſeculum antecedentem ex Patre natiuitatem: alterum verò propter arcanā incomprehenſibilemq; cum natura noſtra vnionem. Duas enim ipſius natiuitates, omnem ſenſum, omnemq; intellectum excedētes agnoſcimus: Vnigenitus enim Filius, cùm in forma Dei ac in ſinu, hoc eſt, οὐσίᾳ Patris eſſet, & ab æterno ex ipſo eluceret, ſub ſeculorum finē ſemetipſum exinaniuit, ſeruilemq; formam, hoc eſt, noſtram ſubſtantiam ſuſcepit. Vnio itaque in Chriſto ſecundùm hypoſtaſin aliud ad aliud adiungit: puta viſibile ad inuiſibile, patibile ad impatibile, cæteraquę, ex quibus Saluator conſtituitur, non tamen alium & alium conſtituit; abſit: Vnum namque eundemqúe Deum perfectum, & hominem itidem perfectum confitemur: Nam etſi naturarum differentiam Chriſto tribuamus: vnum tamen, eundemqúe etiam poſt incarnationē agnoſcimus. Et quò ſtolidus Neſtorius à diuinis ſeptis faceſſat, propter naturarū ad hypoſtaticam vnionem coeuntium diuerſitatem, nō duos filios, aut dualitatem filiorū inducimus. Omnes autem Chriſti actiones, quæ vtique theandricæ, hoc eſt, Dei ſimul & hominis erāt, vni tribuimus: Nam vt Deus erat, edebat opera diuina, ſigna nimirum & miracula: vt autem homo, idem ipſe ſponte ſubibat paſſiones, ſuſtinebatqúe probra & contumelias. Vnde cum duabus naturis conſentaneè duas quoq; naturales operationes illius glorifico, ipſarum quodammodo naturarum, & ſubſtantiarum indices & conſtitutrices. Pari modo duas quoque naturales vnius eiuſdemqúe Dei & Domini noſtri Ieſu Chriſti voluntates veneror: Nam iuxta vtramque naturam, ex quibus, & in quibus exiſtit, & intelligitur, voluntatis facultatem ei tribuimus. &c. Credo rurſum illū ipſum crucifixū eſſe in noſtra natura, hoc eſt terrena, ſe-

cundùm

cundùm quam terrestrem nostrā massam susce-
pit,& factus est maledictum, propter peccata no-
stra, quò suæ nos benedictionis faceret esse parti-
cipes. Et carnis mortem ab improbis illatam pa-
tienter sustinuit,&c.

Michael Syngelus. 830.

In Dionysio Areopagita: Christus à Maria editus, Deus carne compactus apparuit, duplex qui simplex erat, in duabus perfectis naturalibus volun-
tatibus ac operationibus, in omnibus extra pec-
catum, similiter ac nos mortalis, procul omni mutatione ac confusione appellatus, & post su-
sceptam carnē vnus & ipse Filius, & vna substan-
tia esse perrexit.

Leo Philosophus Imp. 880.

Epistola ad Omarum Saracenorum Regem: Sed nunc tibi ostendam, quòd in Christo fuerint duæ ope-
rationes,& duę locutiones: vna Verbi,& alia cor-
poris, quod susceperat de Maria. Hoc est corpus perfectum, animam habens & intellectum. Ope-
ratio Verbi est,quādo cum Patre cuncta creauit; & manens in corpore peccata dimittebat,& mor-
tuos suscitabat,& cætera talia faciebat.

Theophylactus. 900.

Ad cap.1. Ioannis: Discimus igitur per, *Verbum caro factum est*,quòd ipsum Verbum homo factum est: & cùm sit Filius Dei, factum est filius mulieris, quæ propriè Deipara dicitur, eò quòd genuerit Deum in carne. Per hoc autem, quòd dicit: *Habi-
tauit in nobis*, discimus duas naturas credendas in Christo. Nam etsi vnus sit secundùm hypostasin; secundùm naturas tamen duo, Deus videlicet, & homo. Diuina autem natura & humana non fue-
rint vna, etiamsi apud vnum videantur, Chri-
stum dico.

Simeon Metaphrastes. 950.

In vita S. Siluestri cap. 19. Non patibilem genera-
tionem, ô Iudæi, in Deo dicimus, dixit à Deo af-
flatus Siluester: sed diuinam, & impatibilem, & Deo conuenientem. Et quomodo,dixerit quispi-
am, Verbum nasci ex Mente? Neque introduci-
mus temporalē ex Deo Filij eius generationem, sed temporis expertem,& æternam. Illud autem: *Hodie genui te*, dictum à Dauide,non supernam, & quæ est ante secula,& ei cōuenit,diuinitatis signi-
ficat generationem: sed eam,quæ est inferius,quę est in tempore,& in carne,quam suscepit propter nostram salutem. Nam nouit quidem hic Pro-
pheta Christum & Deum ante secula. Prædicit quoque eius in extremis temporibus generatio-
nem, propter mysterium susceptæ carnis dispen-
tionis,&c.

Suidas. 970.

In voce ἰησοῦς: Respondit Maria: Verè ego illū (*Iesum*) peperi, patrem eius in terra nescien, sed audiui ex Angelo,Dei Filium esse: Filius ergo meus est, quæ Maria vocor,& Filius Dei.

In voce ἀρόμβος: In tantum angorem passa est diuina natura humanam incidere, vt concretū san-
guinem sudaret.

Oecumenius. 1050.

Ad cap.1. primæ Ioannis: Non quod erat Christus perspeximus aut contrectauimus: nam *huius gene-
rationem quis enarrabit?* Sed quod genitum est & fa-
ctum, vel contrectatione cognitionis,vel sensibi-
li etiam palpatione, quemadmodum etiam post resurrectionem Thomas. Vnus enim erat, & in-
diuisus: Idem & visibilis,& inuisibilis: & appre-
hensus,& qui non posset cōprehendi: & contre-
ctatus,& qui non posset tangi: & humano more loquens,& tanquam Deus faciens miracula. Hæc autem propter summam Verbi ad carnem vnio-
nem dicimus.

Psellus. 1060.

De differentibus quæstionibus capite 3. Sancta Catho-
lica & Apostolica Ecclesia, in Domino nostro Ie-
su Christo vnam hypostasin dogmatizat, & duas naturas: hypostasin incarnatum Filium,naturas diuinitatem & humanitatem. Corpus igitur ani-
matum & intellectuale quod assumpsit, non vo-
cat hypostasin, ne inueniantur duæ hypostases, quod mentitus est Nestorius hæreticus,sed nomi-
nat ἐνυπόστατον, tanquam in Filij hypostasi esse ac-
cipiens. Ipse enim Filius Dei vna existens sanctæ Trinitatis hypostasis, factus est & corpori, quod assumpsit, hypostasis. Quare corpus Domini ἐνυπόστατον quidem est, non autem hypostasis. *Ci-
tat Græcè & Latinè Petrus Galatinus de arcanis Catholi-
cæ veritatis lib.3.cap.11.*

Euthymius. 1080.

Ad cap.1. Ioannis: Christus tanquam Deus semper erat, tanquam homo esse cœpit, &c. Cùm audie-
ris, *Verbum caro factum est*, ne transmutationem diui-
næ essentiæ intelligas: (ipsa enim immutabilis est,& impatibilis: sed quòd Verbum, permanens quod erat, factum est quod non erat, siue manens Deus, factus est homo, per carnis assumptionem animatus videlicet.

Georgius Cedrenus. 1100.

In Constantino Magno: Tametsi Verbum Dei, vera caro factū est, non tamen nudus homo fuit Chri-
stus in carne degens,sed potius ex vtraque natura vnus extitit Filius Dei Deus, natura rerum crea-
tarum superior, vel si rumpantur, qui Patrem cū Filio ratione maioris & minoris comparantes, diuersæ substantię à Patre Filium, eiq; dissimilem statuunt.

Michaël Glycas. 1120.

Parte 3. Annalium fol.299. Si transformatio Do-
mini in monte Thabor accidit,& Dominus Hie-
rosolymis die magnę illius quartę Ferię in Simo-
nis Leprosi domo conuiua erat, manifestè patet, miraculum hoc transformationis non ista quar-
ta Feria, sed alio die quodam contigisse: quippe cùm mons Thabor ab Hierosolymis interuallo dusim dierum absit: quo tandem pacto dicent,v-
no eodemq; die Christum in monte Thabor pari-
ter & Hierosolymis fuisse? Poterat quidem ille ceu Dominus efficere, vt eodem tempore tam hîc, quàm illic reperiretur: verùm ne id pro re quo-
dam imaginaria duceretur, ante passionem tale quid facere noluit. Quapropter pro cōmuni corpo-
rū natura localiter hinc inde proficiscebatur.

Constantinus Manasses. 1140.

In Annalibus: Augusto Cæsare potiente rerum coæternus ille Patri Sermo, conditor mundi, ca-
stam innuptæ iuuenculæ aluum ingressus, ex eius sanguine carnē sibi compegit, cum qua inter ho-
mines conspectus est, tam diuina quàm humana natura planè perfectus.

Theorianus. 1160.

In colloquio cum Catholico Armeniorum: Christi no-
men Deum simul & hominem significat: propte-
rea dicimus: *Sermo caro factus est.* At verò, Christus caro factus, non dicimus. Idē & inde patet, quòd nemo Sanctorum vnam Christi naturam dicat. Vnam verò naturam Sermonis, tum S. Cyrillus, tum S. Athanasius ante ipsum dixit: quippe cùm dicimus, vnam naturam Sermonis, diuinam, hoc Filij naturam significat: cùm verò adijcimus in-

carnatam, tota ratio administrationis cum car-
ne comprehenditur, &c. Si eiusdem est naturæ Sermo cum corpore, de terra naturam suam ha-
bente, sicq; Sermo vnius est cum Patre naturæ, iu-
xta confessionem Patrum, etiam ipse Pater erit eiusdem cum corpore terreno naturæ. Quo quid absurdius? Quid ergo de hoc impossibili disci-
mus? Sermo non est eiusdem cum corpore sub-
stantiæ, nec eiusdem naturæ: quòd si Sermo nec eiusdem est cum corpore substantiæ, nec eiusdem naturæ, planum est esse illum substantiæ naturęq; diuersæ. Si naturæ diuersæ, omninò alia natura Sermonis est, alia corporis. Non ergo Christus vna natura est.

Constantinus Harmenopulus. 1180.

De fide Orthodoxa: Cùm hæc sanctæ sit & consub-
stantialis Trinitatis ratio, simul etiam incarnati-
onis mysteria hoc quodam modo confiteri ne-
cesse est, quippe Dominus noster Iesus Christus, qui vnus est è sancta Trinitate, Dei Filius, propter salutem nostram, suopte cōsilio, Deiq; Patris vo-
luntate, in terram descendens, ex sancta Deipara perpetuaq; Virgine Maria, verè, non specie tenus natus est, compositā sibi ex ea carne, mentis atque animi compote: perfectusq; Deus existens, perfe-
ctus homo factus est: Ita quidem, vt idem totus sit Deus, & totus homo: de naturis duabus, diuinita-
te ac humanitate, vna in hypostasi subsistēs, absq; confusione, mutatione, & diuisione: ideoq; duas voluntates naturales, & actiones duplices habēs. Non tamen duos filios, aut duos Christos, aut du-
os Dominos dicimus; sed vnum Filium, & ante incarnationem, & post incarnationem eundem: consubstantialem Deo & Patri, ac nobis homini-
bus. Quamobrem & sanctam illam Virginē, quæ ipsum ineffabili modo peperit, Deiparam appel-
lamus, vti quæ Deum pepererit vnū è sancta Tri-
nitate: qui & crucem sustinuit, tanquam homo: & tanquam Deus tertia die resurrexit in corpore corruptionis experte.

Nicetas Choniates. 1200.

Thesauri Orthodoxæ fidei lib.2. cap.31. More nostro, qui supra nos erat, Christus & Dominus proces-
sit, omnia nostra essentialiter in se ferens, vno pecca-
to dempto, totus homo factus, totusq; Deus ma-
nens, idem terrenus,& cælestis; visibilis, & inui-
sibilis; mortalis,& immortalis. Duæ enim natu-
ræ indiuulsa coniunctione cohęrentes, vnum no-
bis Emmanuelem perfecerunt: ita tamen, vt citra vllum defectum proprietates naturarum, ex qui-
bus compositus est, sartas tectas cōseruaret. Cùm enim totus simplex esset, secundùm diuinam ean-
demq; paternam & æternam generationem: du-
plex processit, secundùm maternam eandemq; temporariam & corporalem generationem. Itaq; tametsi duas Christi Dei nostri generationes pro-
fiteamur, vnam tamen eius personam prædica-
mus, cuius essentia duabus in naturis perfectis e-
lucescat. Quāuis enim vna sanctæ Trinitatis per-
sona esset, mansit tamen, vel cùm *Verbum caro factū est*, perfectus in diuinitate, idēq; perfectus in hu-
manitate: Diuinitate quidem Deo Patri consub-
stantialis, idemq; nobis humanitate consubstan-
tialis: patibilis carne, impatibilis diuinitate. Vnde fit, vt alij miracula, & alij passiones non distribuamus: sed tanquam vni eidemque Do-
mino nostro Iesu Christo vtrumque specimen attribuamus: alia quidem ratione miracula e-
denti, alia item patienti. Diuinæ siquidem natu-
ræ ratione signorum virtutem deprompsit, ex humanæ autem formæ præscripto eas passiones non detrectauit, quibus ea natura obnoxia est, &c. Si Seruator perfectus homo fuit, in diui-
nitate perfecta manens, procul dubio neq; men-
te, neque voluntate caruit. Qui autem huma-
nam Christi animam naturali voluntate priuare conantur, eam mentis expertem, ipsi mentis ex-
pertes, describerūt, & passionem & mortem im-
patibili naturæ ascribentes. Qua quidem hæresi hoc cōsequuntur, vt perfectè salui facti nō vide-
amur. Nec enim naturalem humanitatis eius vo-
luntatem, naturalémve actionem negamus: ne vna eademq; opera dispensationis salutis nostræ caput & summam antiquemus, & diuinitati pas-
siones ascribamus, vt astruere conati sunt illi, qui vna illum voluntate, vnaq; actione, non sine ma-
gna impietate, recèns excogitārunt, impiamq; A-
rij, Apollinarij, Eutychis,& Seueri hæresin inno-
uārunt.

Nos autem Orthodoxę confessionis assertores, vnum eundemq; Christum Filium Dominum V-
nigenitum astruimus, qui duabus in naturis in-
confusè, simpliciter, inseparabiliter, indiuidue dignoscitur: Ita tamen, vt nullatenus naturarum differētia vi cōiunctionis sublata sit, imò potius vtriusque naturæ proprietas integra permanse-
rit,& in vnam personam vnamq; hypostasin con-
currerit. Non vt in duas personas partitionem diuisionémve admiserit, sed vnus idemq; Filius Vnigenitus, Deus Verbum, Dominus Iesus Chri-
stus perseuerauerit.

Nicolaus Cabasilas. 1290.

De Liturgia cap.31. Quando crucem erat ascensu-
rus, volens significare duas voluntates, diuinam scilicet & humanam, suæ quidem diuinitatis vo-
luntatem Patri attribuit, humanitatis autem vo-
luntatem suam esse dixit: *Non sicut ego volo, sed sicut tu vis: & non mea voluntas, sed tua fiat.*

Nicephorus Callistus. 1300.

Eccles. hist. lib.16. cap.33. Deinde circumquaque ci-
uitates peragrantes, velut inuicti belli duces, o-
mnibus facti sunt omnia, prædicantes Dei Ver-
bum idem simul Deum quidem & hominem; v-
nam verò eius subsistentiam, siue personā esse na-
tura, vtrumque horum, diuinitatē scilicet & hu-
manitatem habentem,&c. Si concedamus vnam esse, quæ duæ in Christo diuinitatis & humanita-
tis concurrerunt, naturam, iuxta Eutychetis & Dioscori deliramēta, particeps prorsus etiā mor-
tis fuerit diuinitas. Verùm os istis obturat Petrus, Christi discipulorum coryphæus, qui Christum pro nobis passum esse dicit carne, non adijciēs et-
iam diuinitate. Tametsi enim diuinitas Christi iuxtā subsistētiam carni vnita est, haudquaquam tamen passionis particeps fuit. Quomodo enim hoc fieri potest, cùm diuinitas perpessionem nul-
lam in se prorsus admittat?

Lib.18. cap.52. Ecclesia sanè Catholica Dominū nostrum Iesum Christum subsistentiam vnam è duabus naturis consistentem, deitatis inquam & humanitatis, profitetur, ita vt vtraque harū post vnionem proprietates suas saluas conseruet, & duarum istarum naturarum vnio mixtionem & confusionem, mutationemq; & alterationē nul-
lam admittat: ipseq; idem Deus sit & homo; & voluntates virtutesq; operatrices duas; diuinam videlicet simul & humanā habeat. Eutyches au-
tem duas quidem & ipse ante vnionē naturas di-
xit, deinde vnitas: post vnionem autē in vnam eas naturam abijsse, cōfusasq; esse; & mixtionem subijsse, opinatus est: adeò vt & diuinitas ea quæ humanitatis fuēre passa sit,& cōtra. Proinde hæc ita opinātes Monophysitas, & Theopaschitas di-
ni Patres nostri cognominārunt.

Ioannes Cantacuzenus. 1360.

Oratione 2. in Mahometum: Orauit quidem Christus pro his, qui crucifigebant se, sed vt homo: nō enim instar Dei sine corpore in terris versabatur; neque tamē homo nudus, vt Nestorius, & vos dicere soletis, sed Deus & homo. Et nunc quidem ceu Deus operabatur, vt cùm dicit: *Volo, mundus sis.* & *Remittuntur tibi peccata tua:* Nunc verò ceu Deus & homo, vt cùm cæcum tetigit, & sanatus est: & in filia Centurionis per attactum quidē ostendit se hominem esse; per illud autem quòd dicit: *Tibi dico resipice, & surge,* suam ipsius diuinitatē declarauit. Nonnunquam verò solam suam humanitatē demonstrauit, vt cùm esuriuit, laborauit, fleuit propter Lazarum. Perfectus enim Deus, & perfectus homo erat. Et quemadmodum instar Dei propria sua potestate quęcumque volebat, & illi libitum erat, faciebat: sic vt homo omnia humana, (excepto peccato, quod sancta eius anima non cognouit; & ægritudine, quæ sanctum eius corpus non attigit,) quæ hominis sunt suscepit.

Oratione 3. Et corpus quidem Christi mortuum est, sepultum est, & resurrexit; diuinitas verò illius passionis expers permansit. Quemadmodum enim Regis mandatum in charta descriptum, etiam charta corrupta, incorruptū & inuiolatum permanet: sic etiam in Christo contigit; corpus quidem illius corruptionem suscepit, & mortuū est, corruptionem verò absolutam minimè: diuinitas autem illius passione omni caruit. Deus enim non patitur.

Gennadius Scholarius. 1450.

Dialogo, qui inscribitur Viæ dux: Credimus, quòd quemadmodum anima & corpus est vnus homo: ita Verbum Dei ex vna parte, ex altera parte anima & corpus Filij sanctæ Virginis Mariæ erat vna persona Christus. Sed quemadmodum anima & corpus sunt omninò duæ naturæ in homine; sic & multo magis Verbum Dei & homo in Christo fuerunt duæ naturæ totaliter distinctæ. Neque Verbum Dei mutatum est in carnem, vel in animam Christi; nec caro, vel anima eius mutata est in Verbum Dei: sed semper erat, & semper est in Christo Verbum quidem Dei, Verbum Dei; humanitas autem humanitas: & non quòd acceperat humanitas Christi deitatem, sed Deitas Verbum Dei suscepit in se humanam naturam.

Moses Mardenus Assyrius. 1552.

In confessione fidei: Descendit vna ex tribus personis de voluntate ipsarum trium, quæ sunt vnum, eaq; erat persona Filij, manſitq́ue in gremio sanctæ Virginis Mariæ filiæ Dauidis, non relinquens tamen locum suum, & incarnata est ex Spiritu sancto, & ex Maria Virgine, sumpsitq; formā serui sui. Neque tamen mutata est, vt non esset Deus, qui fuerat: nec diuinitas ipsius facta est corporalitas, neque ipsius corporalitas diuinitas: nec confusæ sunt naturæ altera ab altera, neque fuerunt duo in duabus personis: sed vna persona fuit in diuinitate ipsius & humanitate ipsius, cum duabus naturis vnitis, cum duabus voluntatibus inseparatis. Neque erat vnus qui vellet, & alter qui nollet: neque vnus Dominus, & alter seruus: sed sicut erat ante incarnationem suam Creator, ita & post, &c. Neque passa est diuinitas ipsius cum humanitate ipsius, nec mors attigit diuinitatem eius, &c. Credo in Verbum Dei, quòd sit Deus perfectus in diuinitate sua, homo perfectus in humanitate sua, absque tamen peccato: in vna persona diuina cum duabus naturis vnitis, cum duabus voluntatibus inseparatis.

Siud, siue Sulaka Patriar. Nestorianorum. 1553.

In professione fidei: Natus est à Patre ante omnia tempora, & natus est ex Virgine Maria Deus perfectus, & homo perfectus absque diuisione: Filius Dei veri in duabus naturis, & ex duabus naturis in vna persona. Neque passio, neque mors accidit diuinitati, sed humanitati.

Hieremias Pat. Constantinopolitanus. 1580.

Responso 1. cap. 2. Verbum Dei manens in sua diuina natura, ab omni alteratione & mutatione remotum, omnisq; passionis expers, sineq; omni fluxu & corruptione propter nos caro factum est, plenamq; & perfectam nostram naturam in vno indiuiduo assumpsit, &c. Christus Deus & homo in carne pro nobis crucifixus, passus, & sepultus est.

Gabriel Patriar. Alexandrinus. 1595.

In confessione fidei: Vnigenitus Dei Patris Filius veram & integram naturām hominis assumpsit, corpus videlicet & animam rationalem, in vnitate personæ diuinæ, tanta vnitate, vt vnus & idē Christus sit, Deus & homo, Dei Filius & hominis filius, ita quòd vna natura nō confunditur cū altera, nec altera euanescit, sed in persona omninò vna sunt duæ perfectæ naturæ, diuina scilicet & humana, saluis earundem naturarum proprietatibus, duæ voluntates, duæ operationes, ita vt Christus sit tantùm vnus. Et sicut formam serui Dei forma non ademit, ita formam Dei forma serui non minuit. Qui enim verus Deus est, idem verus est homo. Deus per id, quòd *in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum:* Homo per id, quòd *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis.* Deus per id, quòd de quinque panibus quinque millia hominum satiauit, quòd Lazarum à mortuis resuscitauit: Homo per id, quòd esuriuit, sitiuit, fatigatus est. Vnus, & idem: secundùm diuinitatem æqualis æterno Patri, immortalis, & impassibilis: secundùm verò humanitatem minor Patre, mortalis, & passibilis.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Martialis Lemouicenſis. 100.

Epistola ad Burdegalenses cap. 2. Deus, qui Pater est omnium gentium, vnicum suum, quem solum genuit, & vnicè dilexit, ad mortem venire iussit. Mori enim potuit, quia homo fuit, & quia de Virgine Maria natus est homo. Filius Dei ante principium fuit: & quia Deus erat, diu teneri in morte non potuit. Resurrexit enim ante lucem in die tertia de loco, in quo eum sepeliri vidimus, &, apparuit nobis, & lætificauit nos. Testes enim sumus, quia eum in cælum ascendere vidimus, nec tamen à cælis vnquam recessit.

Cap. 10. Hæc autem, fratres mei, scitote, quia Verbū, in quod credidistis, Filius est vnigenitus ante omnem substantiam, ante omne initium. Ipse est enim principium, quia de principio ineffabiliter genitus est. In nostro verò tempore mirabiliter ab Angelo annuntiatus, & in veritate incomprehensibili de Virgine Maria natus est, nihil diminutus à diuinitate maiestatis suæ: cuius nos testes sumus. Spiritus verò Dei, qui vos sanctificauit credentes in ipsum, qui Filium naturalem, & sibi secundùm æternitatem coæqualem per omnia, tertia die resuscitauit à mortuis.

Tertullianus.

Tertullianus. 200.

In Apologetico cap. 21. Quem solum hominem modò præsumpserant de humilitate, sequebatur vti magnum æstimarent de potestate. Cùm ille verbo dæmonia de hominibus excuteret, cęcos reluminaret, leprosos purgaret, paralyticos restringeret, mortuos denique verbo redderet vitę, elementa ipsa famularet, compescens procellas, & freta ingrediens, ostendens sese Verbum Dei, id est, λόγον, illud primordiale primogenitum virtute & ratione comitatum, & Spiritu instructum, eundem qui verbo omnia & faceret, & fecisset.

De carne Christi cap. 5. Ita vtriusque substantiæ census hominem & Deum exhibuit: hinc natū, inde non natum: hinc carneum, inde Spiritalem: hinc infirmum, inde præfortem: hinc morientem, inde viuentem. Quæ proprietas conditionum diuinæ & humanæ, æqua vtique naturæ veritate cuiusque dispuncta est, eadem fide Spiritus & carnis: virtutes Spiritum Dei, passiones carnem hominis probauerunt. Si virtutes non sine spiritu, proinde & passiones non sine carne.

Lib. 5. contra Marcionem, cap. 9.

Hic Deus, hic & homo verus, verumq; locutus:
De Patre principium, genitum de lumine lumen:
Spiritus & Verbum, Patris sub imagine virtus:
Cum Patre semper erat vnitus gloria & æuo, &c.
Inq; creatura portans hominemq; Deumq;, &c.

Nouatianus. 240.

Lib. de Trinitate cap. 18. Alij hæretici vsqueadeò manifestam Christi amplexati sunt diuinitatem, vt dixerint illum fuisse sine carne, & totum illi susceptum detraxerint hominem, ne decoquerent in illo diuini nominis potestatem, si humanam illi sociassent, vt arbitrabantur, natiuitatem: quod tamen nos non probamus, sed argumentum afferimus, vsqueadeò Christum esse Deum, vt quidam illum subtracto homine tantummodò putarint Deum, quidam autem ipsum crediderint Patrem Deum: cùm ratio & temperamentum Scripturarum cęlestiū, Christum ostendant Deum, sed quà Filiū Dei, & assumpto à Deo etiam filio hominis credendū & hominem. Quoniam si ad hominem veniebat: vt Mediator Dei & hominum esse deberet, oportuit illum cum eo esse, & Verbum carnem fieri: vt in semetipso concordiam confibularet terrenorum pariter atque cælestium, dum vtriusque partis in se connectens pignora, & Deum homini, & hominem Deo copularet: vt meritò Filius Dei per assumptionem carnis filius hominis, & filius hominis per receptionem Dei Verbi Filius Dei effici posset. Hoc altissimum atque reconditum sacramentum, ad salutem generis humani ante secula destinatum, in Domino Iesu Christo Deo & homine inuenitur impleri, quò cōditio generis humani ad fructum æternæ salutis posset adduci.

Cyprianus. 250.

De idolorum vanitate: Hic est virtus Dei, hic ratio, hic sapientia eius, & gloria: hic in Virginem illabitur: carnem, Spiritu sancto cooperante, induitur; Deus cum homine miscetur: hic Deus noster, hic Christus est, qui mediator duorum, hominem induit, quem perducat ad Patrem. Quod homo est, esse Christus voluit, vt & homo posset esse quod Christus est. Sciebant & Iudæi Christum esse venturum: nam hic illis semper, Prophetis admonentibus, annuntiabatur: sed significato duplici eius aduentu, vno, qui exercitio & exemplo hominis fungeretur; altero, qui Deum fateretur, non intelligendo primū aduentum, qui in passione præcessit occultus: vnum tantùm credunt, qui erit in potestate manifestus. Quòd autem hoc Iudæorum populus intelligere non potuit, delictorum meritum fuit: sic erant sapientiæ & intelligentiæ cæcitate mulctati, vt qui vita indigni essent, haberent vitam ante oculos, nec viderent. Itaque cùm Christus Iesus, secundùm à Prophetis ante prædicta, verbo & vocis imperio dæmonia de hominibus excuteret, paralyticos restringeret, leprosos purgaret, illuminaret cæcos, claudis gressum daret, mortuos rursus animaret, cogeret sibi elementa famulari, seruire ventos, maria obedire, inferos cedere: Iudæi, qui illum crediderant hominem tantùm, de humilitate carnis & corporis, existimabant magum delicentia potestatis.

Felix Papa. 270.

Epistola ad Maximum Episcopum Alexandrinum: Credimus in vnum Dominum nostrum Iesum Christum, ex Virgine Maria natum: credimus autem hunc esse æternum Dei Filium & Verbum: non autem hominem à Deo assumptum, ita vt alius sit ab illo: neque enim hominem suscepit Dei Filius, vt alius ab ipso existat: sed cùm perfectus Deus esset, factus est simul homo perfectus, ex Virgine natus.

Eutychianus Papa. 275.

Epistola ad Ioannem, & Episcopos Bæticæ: Planè vitam suam nescit, qui Christum Iesum vt verum Deum, ita & verum ignorat hominem: & eiusdem periculi res est, Iesum Christum, vel Spiritū sanctum, Deum non credere, vel carnem nostri corporis in Christo denegare. *Omnis* ergo, ait, *qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui est in cælis,* &c. Hæc *Verbum caro factum* loquebatur, & homo Iesus Christus, Dominus maiestatis docebat, Mediator ipse in se ad salutem Ecclesiæ constitutus, & ipso illo inter Deum & homines Mediatoris sacramento vtrinque vnus existens, dum ipse ex vnitis in idipsum naturis, naturę vtriusque res eadem est, ita tamen vt neutro careret in vtroque, ne fortè Deus esse homo nascendo desineret, & homo rursus Deus manendo non esset. Hæc itaque humanæ beatitudinis fides vera est, Deum & hominem prædicare, Verbum & carnem confiteri; neque Deum nescire, quòd homo sit: neque carnem ignorare, quòd Verbum sit. Matth. 10:

Gaius Papa. 283.

Epistola ad Felicem Episcopum: Licet ergo in vno Domino nostro Iesu Christo, vero Dei atque hominis Filio, Verbi & carnis vna persona sit, quæ inseparabiliter atque indiuisè communes habeat actiones, intelligendæ tamen sunt ipsorum operum qualitates, & sinceræ fidei contemplatione cernendum est, ad quæ prouehatur humilitas carnis, & ad quæ inclinetur altitudo Deitatis: quid sit, quòd caro sine Verbo non agit: & quid sit, quòd Verbum sine carne non efficit. Sine Verbi enim potentia nec conciperet Virgo, nec pareret: & sine veritate carnis, obuoluta pannis infantia non iaceret. Sine Verbi potentia, non adorarent Magi puerum, stella indice declaratum: sine veritate carnis nō iuberetur transferri in AEgyptum puer, & ab Herodis persecutione subduci. Sine Verbi potentia nō diceret vox Patris missa de cælo: *Hic est Filius meus dilectus,* &c. Postremò, sine Verbi potentia non se Dominus Patri profiteretur æqualem: & sine veritate carnis non idem diceret, Patrem se esse maiorem, cùm Catholica Luc 1. Matth 2. Matth. 3. & 17 Ioan. 10 & 14.

fides vtrumque ſuſcipiat, vtrumq; defendat, quæ ſecundùm confeſſionem B. Petri Apoſtoli, vnum Chriſtum Dei Filium, & hominem credit & Verbum. Quamuis itaque ab illo initio, quo in vtero Virginis Verbum caro factum eſt, nihil vnquam inter vtramque formam diuiſionis extiterit, & per omnia incrementa corporea vnius perſonæ fuerint totius temporis actiones: ea ipſa tamen (vt ita dicam) quę inſeparabiliter facta ſunt, nulla permixtione confundimus, ſed quid cuiuſque formæ ſit, ex operum qualitate ſentimus.

Lactantius. 320.

Lib. 4. Inſtit. cap. 8. Inprimis teſtificamur, Chriſtũ bis eſſe natum: primùm in ſpiritu, poſtea in carne. Vnde apud Hieremiam ita dicitur: *Priuſquàm te formarem in vtero, noui te.* Et item apud ipſum: *Beatus qui erat ante, quàm naſceretur.* quod nulli alij contigit, præter Chriſtum. Qui cùm eſſet à principio Filius Dei, regeneratus eſt denuò ſecundùm carnem. Quæ duplex natiuitas eius magnum intulit humanis pectoribus errorem, circumfuditq; tenebras etiam ijs, qui veræ religionis ſacramenta retinebant.

Cap. 13. Ipſe Deus Pater, & origo, & principium rerum, quoniam parentibus caret, ἀπάτωρ atque ἀμήτωρ à Triſmegiſto veriſſimè nominatur, quòd ex nullo ſit procreatus. Idcirco etiam bis Filium naſci oportuit, vt ipſe fieret ἀπάτωρ atq; ἀμήτωρ. In prima enim natiuitate ſpirituali ἀμήτωρ fuit, quia ſine officio matris, à ſolo Deo Patre progeneratus eſt. In ſecunda verò carnali ἀπάτωρ fuit, quoniam ſine Patris officio, virginali vtero procreatus eſt, vt mediam inter Deum & hominem ſubſtantiam gerens, noſtram hanc fragilem, imbecillemq; naturam quaſi manu ad immortalitatem poſſet educere, factus eſt Dei Filius per Spiritum, & hominis per carnem, id eſt, & Deus & homo. Dei virtus in eo ex operibus, quæ fecit, apparuit: fragilitas hominis, ex paſſione, quam pertulit: quam cur ſuſceperit, paulò pòſt docebo. Interim & Deum fuiſſe, & hominem ex vtroque genere permiſtum, Prophetis vaticinantibus diſcimus. Eſaias Deum fuiſſe teſtatur his verbis: *Fatigata eſt AEgyptus, & natio AEthiopum, & Saba, viri alti ad te tranſgredientur, & tui erunt ſerui, & poſt te ambulabunt vincti compedibus, & adorabunt te, & precabuntur te, quoniam in te Deus eſt, & non eſt alius Deus præter te. Tu enim Deus es, & neſciebamus, Deus Iſrael Saluator.* &c. Itẽ Propheta Hieremias ſic ait: *Hic Deus noſter eſt*, &c. Deinde hominem fuiſſe eundem, Hieremias docet, dicens: *Et homo eſt, & quis cognouit eum?* Item Eſaias: *Et mittet eis Deus hominem, & ſaluabit eos, iudicans ſanabit eos.* Sed & Moyſes in Numeris ita loquitur: *Orietur ſtella ex Iacob, & exurget homo ex Iſrael.*

Iulius PP. 336.

Epiſtola ad Proſdocium: Ad fidei plenitudinem Dei Filius ex Maria Virgine natus prædicatur: Qui proinde inter homines moratus, non potenti quadam vi in homine operatus eſt: Iſtud enim in Prophetis & Apoſtolis locum habet. Eſt autem perfectus Deus in carne, & homo perfectus in Spiritu: non duo filij: ſed vnus germanus Filius, qui ſuſcepit hominem, hoc eſt, humanam naturam. Alter verò, qui à Deo aſſumptus eſt, homo mortalis eſt: ſed vnus interim Vnigenitus eſt in cælo, vnus Vnigenitus in terra.

Hilarius Pictauienſis. 350.

De Trinitate lib. 9. Neſcit planè vitam ſuam, neſcit qui Ieſum Chriſtum vt verum Deum, ita & verum hominem ignorat. Et eiuſdem periculi res eſt, Chriſtum Ieſum vel Spiritum Deum, vel carnem noſtri corporis denegare. *Omnis ergo*, inquit, *qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui eſt in cælis*, &c. Hæc *Verbum caro factum* loquebatur, & homo Ieſus Chriſtus Dominus maieſtatis docebat. Mediator ipſe in ſe ad ſalutem Eccleſiæ conſtitutus, & illo ipſo inter Deum & homines Mediatoris ſacramento vtrumque vnus exiſtẽs, dum ipſe ex vnitis in idipſum naturis, naturæ vtriuſque res eadem eſt, ita tamen vt neutro careret in vtroque, ne fortè Deus eſſe homo naſcendo deſineret, & homo rurſum Deus manendo non eſſet. Hæc itaque humanæ beatitudinis fides vera eſt, Deum & hominem prædicare, Verbum & carnem confiteri: neque Deum neſcire, quòd homo ſit; neque carnẽ ignorare, quòd Verbum ſit. Cùm autem contra naturam ſenſus noſtri, Deus manens homo naſcitur, iam non eſt contra naturam ſpei noſtræ, vt natus homo Deus maneat: cùm potior natura in inferiorem nata, fidem præſtet, inferiorem in naturam naſci poſſe potiorem, &c. Nec ſanè negamus, totum illum, qui eius manet, naturæ ſuæ eſſe Sermonem. Sed ſi Ieſus Chriſtus & homo & Deus eſt, & neque cùm homo, tum primùm Deus; neque cùm homo, tum non etiam & Deus; neque poſt hominem in Deo non totus homo, totus Deus, vnum atque idem neceſſe eſt dictorum eius ſacramentum eſſe, quod generis. Et cùm in eo ſecundùm tempus diſcernis hominem à Deo, Dei tum atque hominis diſcerne Sermonem: & cùm Deũ atque hominem in tempore confiteberis, Dei atque hominis in tempore dicta diiudica. Cùm verò ex homine & Deo rurſum totius hominis, totius etiam Dei tempus intelligis, ſi quid aliud ad demonſtrationem eius temporis dictum eſt, tempori coaptato, quæ dicta ſunt: vt cùm aliud ſit ante hominem Deus, aliud ſit homo & Deus, aliud ſit poſt hominem & Deum totus homo, totus Deus, non confundas temporibus & generibus diſpenſationis ſacramentum, cùm pro qualitate generum ac naturarum alium ei in ſacramento hominis neceſſe eſt ſermonem fuiſſe nõ nato, alium adhuc morituro, alium iam æterno. Noſtri igitur cauſa hæc omnia Ieſus Chriſtus manens, & corporis noſtri homo natus, ſecundùm conſuetudinem naturæ noſtræ locutus eſt: non tamen amittens naturæ ſuæ eſſe quod Deus eſt. Nam tametſi in partu, ac paſſione, & morte naturæ noſtræ rem peregerit; res tamen ipſas omnes virtute naturæ ſuæ geſſit: dum ſibi ipſe origo naſcendi eſt, dum pati vult, quod eum pati non licet, dum moritur qui viuit. Et tamen cùm hæc Deus per hominem agit, ex ſe natus, per ſe paſſus, & ex ſe mortuus: non & hominem ſe non egit, dum & natus, & paſſus, & mortuus eſt.

Marius Victorinus Afer. 360.

Lib. 1. Non ſolùm homo eſt Chriſtus, ſed etiam Deus in homine. Secundùm carnẽ Saluator paſſus eſt, ſecundùm Spiritum autem quod erat, ſine paſſione. Nos impaſſibilem & Filium dicimus, iuxta quod λόγος eſt: iuxta quod autẽ caro factus eſt, paſſibilem.

Ambroſius. 370.

Lib. 1. de fide cap. 6. Cùm in Euangelio, in Apoſtolo, in Prophetis generationẽ Chriſti legerimus, vnde audent dicere creatum eſſe vel factum? Et quidem in quo creatum legerint, in quo factum, conſiderare deberent. Edoctum eſt enim Dei Filium de Deo eſſe genitum, de Deo natum. Factum autem in quo legerint, diligenter aduertant. Non enim Deus factus, ſed Deus Dei Filius natus eſt. Poſtea autem ſecundùm carnem homo factus ex Maria eſt. Si mihi non credunt, credant Apoſtolo dicenti:

dicent: *Poſtquam verò venit plenitudo temporis, miſit Deus Filium ſuum, factum ex muliere, factum ſub lege.* *Filium*, inquit, *ſuum*, non vnum de multis: non cõmunem, ſed ſuum. *Suum* cùm dicit, generationis æternę proprietatem ſignauit. Hunc poſtea *factum ex muliere* aſſeruit, vt factura non diuinitati, ſed aſſumptioni corporis adſcriberetur. *Factum ex muliére* per carnis ſuſceptionem: *factum ſub lege* per obſeruantiam legis. Generatio autem illa cæleſtis ante legem, iſta poſt legem.

Lib. 1. de incarnationis Dominicæ ſacramento, cap. 6. Sed dum hos redarguimus, emergũt alij, qui carnem Domini dicant & diuinitatem vnius eſſe naturæ. Quæ tantum ſacrilegiũ inferna vomuerunt? Iam tolerabiliores ſunt Ariani, quorum per iſtos perfidiæ robur adoleſcit, vt maiore contentione aſſerant Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum, vnius non eſſe ſubſtantiæ: quia iſti diuinitatem Domini & carnem ſubſtantiæ vnius dicere tentauerunt. Deinde cùm iſti dicant, quia Verbũ in carnem, capillos ſanguinem & oſſa conuerſum eſt, & à natura mutatum eſt, propriè datur illis locus, vt infirmitatem carnis ad infirmitatem diuinitatis, quadam facta diuinæ naturæ mutatione, detorqueant. Sunt etiam qui in tantum impietatis prodierint, vt putent, quia diuinitas Domini circumciſa eſt, & imperfecta de perfecta facta eſt, & in ligno non caro, ſed illa operatrix omniũ ſubſtantia diuina, in carnis ſpecie coagulata pendebat. Quis autem non horreſcat, qui audiat, quia non ex Maria Virgine, ſed ex diuina ſubſtantia paſſibilem ſibi carnẽ fecerit Dei Verbum? Quod aſſerendo eò prolabuntur, vt non ex tẽpore corpus Domini eſſe ſuſceptum, ſed cœternum Dei Verbo ſemper fuiſſe contendant. Horum omniũ auctores ſunt, qui diuinitatem & carnem Domini vnius naturæ fuiſſe dixerunt.

Cap. 7. Non Chriſtum diuido, cùm carnis eius diuinitatisqúe diſtinguo ſubſtantiam, ſed vnum Chriſtum cum Patre & Spiritu Dei prędico, & illos magis qui carnem Chriſti vnius cum diuinitate eius dicunt eſſe ſubſtantiæ, tetrada inducere demonſtrabo. Non enim quod eiuſdem ſubſtantiæ eſt, vnus, ſed vnum eſt. Nam vtique Filium eiuſdem cum Patre ſubſtantiæ confitentes, in tractatu Concilij Nicæni, non vnam perſonam, ſed vnam diuinitatem in Patre, & Filio crediderunt. Ergo cùm dicunt eiuſdem carnem, cuius & Filius Dei erat, fuiſſe ſubſtantiæ, ipſi quod nobis obijciunt, ineptias vanæ aſſertionis incurrunt, vt diuidant Chriſtum. Itaque quartum increatũ quòd adoremus inducunt, cùm ſola increata ſit diuinitas Trinitatis.

Prudentius. 380.

In Pſychomachia, in pugna pudicitiæ & libidinis:

Atq; innupta Deum concepit fœmina Chriſtum,
Mortali de matre hominem, ſed cum Patre numen.
Inde omniũ iam dura caro eſt, quæ concipit illum,
Naturamq; Dei conſorti fœdere ſumit:
Verbum quippe caro factum, non deſinit eſſe
Quod fuerat Verbum, carnis dum glutinat vſum,
Maieſtate quidem non degenerante per vſum
Carnis, ſed miſeros ad nobiliora trahente.
Ille manet, quod ſemper erat, quod non erat, eſſe
Incipiens.

Damaſus. 380.

Profeſſione fidei, quam ſcripſit ad Paulinum Theſſalonicenſem Epiſcopum: Anathematizamus eos, qui duos filios aſſerunt, vnum ante ſecula, & alterũ poſt aſſumptionem carnis ex Virgine. Anathematizamus eos, qui pro hominis anima rationali & intelligibili dicunt Dei Verbum in humana carne verſatum, cùm ipſe Filius ſit Verbum Dei, & non pro anima rationali & intelligibili in ſuo corpore fuerit; ſed noſtram, id eſt, rationalem & intelligibilem ſine peccato animam ſuſceperit, atque ſaluauerit, &c. Si quis dixerit, quòd in carne conſtitutus Dei Filius, cùm eſſet in terra, in cælis cũ Patre non erat, anathema ſit. Si quis dixerit, quòd in paſſione crucis dolorem ſuſtinuit Filius Dei Deus, & non caro cum anima, quam induerat in forma ſerui, quã ſibi acceperat, ſicut ait Scriptura, anathema ſit. Si quis non dixerit excruciatum carne Dei Filium, & carne mortem guſtaſſe, fuiſſeq; primogenitum ex mortuis, quatenus vita eſt viuificus Deus, anathema ſit.

Fœbadius. 380.

Contra Arianos: Chriſtus nec mortalis, nec paſſibilis habendus eſt, ex ea tamen ſubſtantiæ parte, qua Deus eſt. Scimus enim nihil Spiritum Dei paſſum, duntaxat ſuo nomine: quia impaſſibilis Deus, quia Deus Spiritus. Scimus quòd omnis illa paſſio propriè carnis & animæ, id eſt, hominis: in quo quidem homine, cùm pateretur, erat & Filius Dei, cohærens illi per naturam (à quo venerat) Patri, & vnitatis vinculum ſeruans in terris hominem geſtabat, nec aberat à cælis. Sic mediator dictus, ſic ſequeſter vtriusque ſubſtantiæ. Nõ ergo paſſibilis Dei Spiritus, licet in homine ſuo paſſus: quem ideò nec in paſſione deſeruit, vt ei pati poſſe præſtaret, quòd niſi ita recipitur, fidei noſtræ ratio non ſtabit; dantis ſcilicet ei hominis infirmitatem, quem Deum non negant.

Hieronymus. 390.

Ad cap. 3. ad Galat. Poſtquam ob noſtram ſalutem de Virginis vtero dignatus eſt naſci, Dei & hominum homo Ieſus Chriſtus dictus eſt ſequeſter. Antequam verò humanum corpus aſſumeret, & eſſet apud Patrem in principio Deus Verbum, ad omnes Sanctos, ad quos factus eſt ſermo Dei, Enoch ſcilicet, Noë, Abraham, Iſaac, & Iacob, & poſtea Moſen, & cunctos Prophetas, quos Scriptura commemorat, ſine additamento hominis, quem necdũ aſſumpſerat, Mediator tantummodò nuncupatur.

Ad cap. 2. ad Titum: Neque verò alium Chriſtum Ieſum, alium Verbum dicimus, ſed eundem & ante ſecula, & poſt ſecula; & ante mũdum, & poſt Mariam; imò ex Maria magnum Deum appellamus Saluatorem noſtrum Ieſum Chriſtum.

Epiſtola 150. ad Hedibiam quæſt. 9. Hæc dicimus, nõ quòd alium Deum, alium hominem eſſe credamus, & duas perſonas faciamus in vno Filio Dei, ſicut noua hæreſis calumniatur: ſed vnus atque idem Filius Dei & filius hominis eſt: & quicquid loquitur, aliud referimus ad diuinam eius gloriam, aliud ad noſtram ſalutem.

Ruffinus. 390.

In Symbolum Apoſtolorum: Quantum ſpectat ad illam deitatis immortalem ſubſtantiam, quę Chriſto vna eademq; cum Patre eſt; ibi neque Pater, neque Filius, neque Spiritus ſanctus viſibilis, aut paſſibilis creditur: ſecundùm verò dignationem carnis aſſumptæ Filius & viſus, & paſſus in carne eſt, &c. Aſcendit Chriſtus cælos, non vbi Verbum Deus ante non fuerat: quippe qui erat ſemper in cælis, & manebat in Patre; ſed vbi *Verbum caro factum* ante non fuerat.

Auguſtinus. 400.

In Enchiridio ad Laurentium cap. 35. Chriſtus Ieſus Dei Filius, & Deus & homo eſt. Deus ante omnia ſecula, homo in noſtro ſeculo. Deus, quia

Dei Verbū; *Deus* enim *erat Verbum*: homo autem, quia in vnitatem perſonæ acceſſit Verbo anima rationalis & caro. Quocirca in quantum Deus eſt, ipſe & Pater vnum ſunt: in quantum autem homo, Pater maior eſt illo. Cùm enim eſſet vnicus Dei Filius, non gratia, ſed natura, vt eſſet etiā plenus gratia, factus eſt & hominis filius: idemq; ipſe vtrumque ex vtroque vnus Chriſtus: quia *cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt*, quod natura erat, id eſt, *eſſe æqualis Deo. Exinaniuit autem ſe formam ſerui accipiens*, non amittens vel minuens formā Dei. Ac per hoc & minor eſt factus, & māſit æqualis, vtrumque vnus, ſicut dictum eſt: ſed aliud propter Verbum, aliud propter hominem. Propter enim Verbum æqualis Patri, propter hominem minor. Vnus Dei Filius, idemq; hominis filius: vnus hominis filius, idemq; Dei Filius: non duo filij Dei, Deus & homo, ſed vnus Dei Filius: Deus ſine initio, homo à certo initio, Dominus noſter Ieſus Chriſtus.

Epiſtola 57. ad Dardanum, quæſt. 1. Proinde quòd ad Verbum attinet, Creator eſt Chriſtus: *Omnia* enim *per ipſum facta ſunt*. Quòd verò ad hominem, creatura eſt Chriſtus. *Factus eſt* enim *ex ſemine Dauid ſecundùm carnem*, & in ſimilitudinem hominum factus. Item quia in homine duo ſunt, anima & caro, ſecundùm animam triſtis fuit vſque ad mortem, ſecundùm carnē paſſus eſt mortem. Nec tamen cùm Filium Dei Chriſtum dicimus, hominem ſeparamus; aut cùm eundē Chriſtum filium hominis dicimus; ſeparamus Deum. Secundùm hominem namque in terra erat, non in cælo, vbi nunc eſt, quando dicebat: *Nemo aſcendit in cælum, niſi qui de cælo deſcendit, filius hominis qui eſt in cælo*: quamuis ſecundùm id quòd Filius Dei erat eſſet in cælo, ſecundùm id verò quòd filius hominis erat adhuc eſſet in terra, nondumq; aſcendiſſet in cælum. Similiter cùm ſecundùm id, quod Filius Dei eſt, ſit Dominus gloriæ, ſecundùm id autem quòd eſt filius hominis crucifixus ſit, ait tamen Apoſtolus: *Si enim cognouiſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent*. Ac per hoc & filius hominis ſecundùm Deum erat in cælo, & Filius Dei ſecundùm hominem crucifigebatur in terra. Sicut ergo potuit rectè dici, Dominus gloriæ crucifixus, cùm ad ſolam carnem illa paſſio pertineret: ità rectè dici potuit, *Hodie mecum eris in paradiſo*, cùm iuxta humanam humilitatem, per carnem in ſepulchro, per animam in inferno illo die futurus eſſet; iuxta diuinam verò immutabilitatem nunquam de paradiſo, quia vbique eſt ſemper, receſſiſſet. Noli itaque dubitare ibi nunc eſſe hominem Chriſtum Ieſum, vnde venturus eſt, memoriterq; recole & fideliter tene Chriſtianam confeſſionem, quoniam reſurrexit à mortuis, aſcendit in cælum, ſedet ad dexteram Patris, nec aliunde quàm inde venturus eſt ad viuos mortuoſq; iudicandos. Et ſic venturus eſt, illa angelica voce teſtante, quemadmodum ire viſus eſt in cælum, id eſt, in eadem carnis forma atque ſubſtantia, cui profectò immortalitatem dedit, naturam non abſtulit. Secundùm hanc formam non eſt putandus, vbique diffuſus. Cauendum eſt enim, ne ita diuinitatem aſtruamus hominis, vt veritatem corporis auferamus. Non eſt autem conſequens, vt quod in Deo eſt, ità ſit vbique vt Deus. Nam & de nobis veraciſſima Scriptura dicit, Quòd *in illo viuimus, mouemur, & ſumus*: nec tamen ſicut ille vbique ſumus, ſed aliter homo ille in Deo, quoniam aliter & Deus ille in homine proprio quodam & ſingulari modo. Vna enim perſona Deus & homo eſt: & vtrumque eſt vnus Chriſtus Ieſus, vbique per id quod Deus eſt, in cælo autem per id quod homo.

Epiſt. 102. ad Euodium: Quæ de Filio Dei verba dicuntur, videndum eſt ſecundùm quid dicantur. Non enim homine aſſumpto perſonarum numerus auctus eſt, ſed eadem trinitas manſit. Nam ſicut in homine quolibet præter vnum illum, qui ſingulariter ſuſceptus eſt, anima & corpus vna perſona eſt: ita in Chriſto Verbum & homo vna perſona eſt. Et ſicut homo, verbi gratia, philoſophus, non vtique niſi ſecundùm animam dicitur; nec ideò tamen abſurdè, ſed congruentiſſima & vſitatiſſima locutione, dicimus philoſophum cæſum, philoſophum mortuum, philoſophū ſepultum, cùm totum ſecūdùm carnem accidat, non ſecundùm illud, quod eſt philoſophus: ita Chriſtus Deus, Dei Filius, Dominus gloriæ, etſi quid huiuſmodi ſecundùm Verbum dicitur; & tamen rectè dicitur Deus crucifixus, cùm hoc eum ſecundùm carnem paſſum eſſe, non ſecundùm illud, quòd Dominus gloriæ eſt, non habeatur incertum.

Sermone 191. de Tempore: Execramur illorum blaſphemiam, qui nouo ſenſu aſſerere conantur, à tempore acceptæ carnis omnia, quæ erant diuinitatis, in hominem demigraſſe; & rurſum quæ humanitatis erant, in Deum eſſe transfuſa: vt quod nulla vnquam hæreſis auſa eſt dicere, vincatur hac confuſione vtraque exinanita eſſe ſubſtantia, & Deitatis ſcilicet, & humanitatis, & amiſſo proprio ſtatu in aliud eſſe mutata: vt qui tam Deum perfectum in Filio quàm hominem confitemur, nec Deum verè, nec hominem temerè credamus. Nos autem ita dicimus ſuſceptum à Dei Filio hominem, vt Deus tamen impaſſibilis permaneret. Paſſus eſt etenim Dei Filius non putatiuè, ſed verè omnia, quæ Scriptura teſtatur, id eſt, eſuriem, ſitim, laſſitudinem, dolorem, mortem, & cætera huiuſmodi: ſed ſecundùm illud paſſus eſt quod pati poterat; non ſecundùm illam ſubſtantiam, quæ aſſumpſit; ſed ſecundùm illam, quæ aſſumpta eſt.

In Ioannem de Verbis Domini, Sermone 38. Licet vnam perſonam in Chriſto credamus, duas tamen ſubſtantias, id eſt, naturas eſſe fatemur, diuinitatis ſcilicet & humanitatis, aſſumptricis & aſſumptæ, creatricis & creatæ. Quæ tamen ſubſtantiæ non ſunt confuſæ, ſed vnitæ, atque in vna eademq; perſona inſeparabiles, & in ſua ſemper proprietate manentes. Quapropter vnicuique ſubſtantiæ propria vtique aptanda ſunt, id eſt, infirmitates humanitati, quæ creata eſt: ſigna verò vel mirabilia diuinitati, quæ creauit. In tantum enim hæ duæ naturæ ſibimet vnitæ ſunt atque coniunctæ, vt idem atque idem Chriſtus Deus & homo, aliquando res aut agat, aut loquatur humanas, aliquando diuinas. Sicut illud eſt, quòd dormit in naui, & imperat ventis & mari: aut quòd eſurierit, & quòd quinque millia hominum de quinque panibus & duobus piſcibus ſaturauerit. Poſtremò quòd moritur, & quòd Lazarum quatriduanum auctoritate diuina iubeat à mortuis reuocari.

Concilium Toletanum Primum. 400.

In aſſertione fidei: Hunc ergo Filium Dei, Deum natum à Patre, ante omne omnino principium, ſanctificaſſe verum Virginis Mariæ, atque ex ea verum hominem, ſine virili generatum ſemine, ſuſcepiſſe, duabus duntaxat naturis, id eſt, deitatis & carnis, in vnam conuenientibus omnino perſonam, id eſt, Dominum noſtrū Ieſum Chriſtum credimus. Nec imaginarium corpus aut phantaſmatis alicuius in eo fuiſſe, ſed ſolidum atque verum: hunc & eſurijſſe, & ſitiſſe, & doluiſſe, & fleuiſſe, & omnes corporis iniurias pertuliſſe.

Hunc filium hominis, etiam Filium Dei: & Filium Dei, etiam hominis filiū appellamus, &c. Si quis dixerit vel crediderit deitatem Chriſti conuertibilem fuiſſe, vel paſſibilem, anathema ſit. Si quis dixerit vel crediderit deitatis & carnis vnam in Chriſto eſſe naturam, anathema ſit.

Vincentius Lyrinenſis. 430.

Aduerſus hæreſes cap. 19. In Deo vna ſubſtantia, ſed tres perſonæ: in Chriſto duæ ſubſtantiæ, ſed vna perſona: in Trinitate alius atque alius, non aliud atque aliud: in Saluatore aliud atque aliud, non alius atque alius. Quomodo in Trinitate alius atque alius, non aliud atque aliud? Quia ſcilicet alia eſt perſona Patris, alia Filij, alia Spiritus ſancti: ſed tamen Patris, & Filij, & Spiritus S. non alia & alia, ſed vna eſt eadēq; natura. Quomodo in Saluatore aliud atq; aliud, non alius atq; alius? Quia videlicet altera ſubſtātia diuinitatis, altera humanitatis: ſed tamen deitas & humanitas non alter & alter, ſed vnus idemq́ue Chriſtus, vnus idemq; Filius Dei, & vnius eiuſdemq; Chriſti & Filij Dei vna eademq; perſona. Sicut in homine aliud caro, & aliud anima, ſed vnus idemq; homo anima & caro. In Petro & Paulo aliud anima, aliud caro: nec tamen duo Petri caro & anima, aut alter Pauli anima, & alter caro: ſed vnus idemq́ue Petrus, vnus idemq́ue Paulus, ex duplici diuerſaq; ſubſiſtens animi corporisq́ue natura. Ita igitur in vno eodemq́ue Chriſto duæ ſubſtantiæ ſunt: ſed vna diuina, altera humana: vna ex Patre Deo, altera ex matre Virgine: vna coæterna & æqualis Patri, altera conſubſtantialis Matri: vnus tamen idemq́ue Chriſtus in vtraque ſubſtantia. Non ergo alter Chriſtus Deus, alter homo: non alter increatus, alter creatus: non alter impaſſibilis, alter paſſibilis: non alter æqualis Patri, alter minor Patre: non alter ex Patre, alter ex Matre, ſed vnus idemq́ue Chriſtus, Deus & homo: idem non creatus, & creatus: idem incommutabilis, & impaſſibilis: idem commutatus, & paſſus: idem Patri & æqualis, & minor: idem ex Patre ante ſecula genitus, idem in ſeculo ex matre generatus, perfectus Deus, perfectus homo: in Deo ſumma diuinitas, in homine plena humanitas, &c. Eſt ergo in Chriſto Verbum, anima, caro: ſed hoc totum vnus eſt Chriſtus, vnus Filius Dei, & vnus Saluator ac Redemptor noſter. Vnus autem, non corruptibili neſcio qua diuinitatis & humanitatis confuſione, ſed integra & ſingulari quadam vnitate perſonæ. Neque enim illa coniunctio alterum conuertit atque mutauit: (qui error eſt proprius Arianorum:) ſed ita in vnum potius vtrunque compegit, vt manente ſemper in Chriſto ſingularitate vnius eiuſdemq; perſonæ, in æternū quoque permaneat proprietas vniuſcuiuſq; naturæ.

Maximus Taurinenſis. 430.

Homilia 1. de Epiphania Domini: Crediderunt diſcipuli, non quòd Chriſtus Ieſus Filius eſſet Virginis, quod ſciebatur: ſed quòd idem Vnigenitus eſſet Altiſſimi, quod in opere probabatur. Vnde & nos fratres toto corde credamus ipſum eſſe Dei Filium, quem hominis filium cōfitemur. Credamus illum & noſtræ conſortem naturæ, & paternæ ſubſtantiæ coæqualem: quoniam & nuptijs interfuit vt homo, & aquas in vinum mutauit vt Deus.

Arnobius Iunior. 440.

Ad Pſal. 68. In Chriſto Ieſu Domino noſtro duas ſubſtantias Dei & hominis confitemur, & virtutes Deo tradimus, infirmitates homini applicantes, &c. *Suſtinui*, inquit, *qui ſimul contriſtare-*

tur, & non fuit. Non enim poterat ſimul pati diuinitas: ſicut ſol; ſi in ligno ſit, quando conciditur, ſimul concidi non poteſt; ita diuinitas ſimul fuit paſſioni, & non ſimul patiebatur iuſtitiam.

De Deo trino & vno lib. 1. Noſtræ fidei confeſſio eſt hæc: Vnum Dei Filium ex duabus ſubſtantijs perfectis & integerrimis credentes, ex viſibili & inuiſibili, ex corporeo & incorporeo, ex comprehenſibili & incomprehenſibili, ex paſſibili & impaſſibili, ex mortali & immortali, & vero Deo & vero homine fateamur, dicentes & credentes Deum in Chriſto, & Chriſtum Ieſum in gloria Patris, ita vnam deitatem habere, ſicut in duobus oculis vnus aſpectus eſt, in duabus auribus vnus auditus, in geminis naribus vnus odoratus eſt: ita & in his duabus ſubſtantijs, Dei & hominis, vnus Filius eſt Dei, &c.

Lib. 2. Cùm conſtat deſcenſus eius ad carnem, ſic teneamus, vt in ipſo Dei Filio duas natiuitates, ſicut duas ſubſtantias fateamur: ante tempora inuiſibiliter ex Patre, ex tēpore viſibiliter ex matre: ante tēpora Deus verus de Deo vero, ex tempore Deus verus & homo verus ex Maria ſemper Virgine Spiritu ſancto obumbrante: natus autem verus Deus inuiſibilis, cum vero homine viſibili: verus Deus incomprehenſibilis, cum vero homine mortali.

Petrus Chryſologus. 440.

Sermone 63. *Quoniam non eram ibi*:) Et erat locus vbi non erat Chriſtus? & quomodo non erat ibi, vnde mortuum Lazarum diſcipulis nuntiabat? Fratres, erat ibi Chriſtus Deus, ſed ibi non erat homo Chriſtus: erat ibi Chriſtus Deus cùm moreretur Lazarus, ſed tunc ad mortuum venturus erat Chriſtus, quando erat mortem Chriſtus Dominus ſubiturus. Dicebat itaque: *Quoniā non eram ibi*: Hoc eſt in morte, in ſepulchro, in inferno, vbi per me, & meam mortem poteſtas tota mortis eſt ſubruenda.

Sermone 77. *Surrexit, non eſt hīc.* Secundùm id, quòd in loco extitit: hīc eſt autem, per hoc, quòd vbique eſt, & loci capacitate non clauditur.

Leo Magnus. 450.

Sermone 1. de Natiuitate Domini cap. 2. Verbum Dei Deus, Filius Dei, qui *in principio erat apud Deum, per quem facta ſunt omnia, & ſine quo factum eſt nihil*, propter liberandum hominem ab æterna morte, factus eſt homo: ita ſe ad ſuſceptionem humilitatis noſtræ ſine diminutione ſuæ maieſtatis inclinans, vt manens quod erat, aſſumensq; quod non erat, veram ſerui formam ei formæ, in qua Deo Patri eſt æqualis, vniret: & tanto fœdere naturam vtrāmque conſereret, vt nec inferiorem cōſumeret glorificatio, nec ſuperiorem minueret aſſumptio. Salua igitur proprietate vtriusque ſubſtantiæ, & in vnam coēunte perſonā, ſuſcipitur à maieſtate humilitas, à virtute infirmitas, ab æternitate mortalitas: & ad rependendum noſtræ conditionis debitum, natura inuiolabilis naturæ eſt vnita paſſibili, Deusq́ue verus & homo verus, in vnitatem Domini temperatur, vt quod noſtris remedijs congruebat, vnus atque idem Dei hominumq; Mediator, & mori poſſet ex vno, & reſurgere poſſet ex altero. Ioan. 1. Philip. 1.

Sermone 3. de paſſione Domini cap. 1. Hoc Catholica fides tradit, vt in Redemptorem noſtrū duas nouerimus conueniſſe naturas, & manentibus proprietatibus ſuis, tantam factam vnitatem vtriuſque ſubſtantiæ, vt ab illo tempore, quo ſicut humani generis cauſa poſcebat, in beatæ Virginis vtero *Verbum caro factū eſt*, nec Deum illum ſine hoc quod homo eſt, nec hominem ſine hoc liceat cogitare,

Ioan. 1. Ioan 14. Philip. 2 Ioan. 1. Rom. 1. Matt. 26 Ioan. 3. 1. Cor. 2. Luc. 23. Act. 17.

gitare, quod Deus est. Exprimit quidem sub distinctis actionibus veritatem suam vtraque natura, sed neutra se ab alterius cõnectione disiungit. Nihil ibi ab inuicem vacat, tota est in maiestate humilitas, tota in humilitate maiestas. Nec infert vnitas confusionem, nec dirimit proprietas vnitatem.

Psal.21. Sermone 17. de Passione Domini cap. 1. *Deus meus, quare me dereliquisti?*) Hæc verba non sunt accipienda, tanquã fixo Iesu in crucis ligno paterne ab eo deitatis omnipotẽtia recessisset, cùm in tantam vnitatem Dei & hominis natura conuenerit, vt nec supplicio potuerit dirimi, nec morte disiũgi. Manente enim in sua proprietate vtraque substantia, nec Deus reliquit sui corporis passionem, nec Deum fecit caro passibilem: quia diuinitas, quæ erat in dolente, non erat in dolore. Vnde secundùm Verbi hominisque personam, idem est, qui factus est inter omnia, *& per quem facta sunt omnia.* Idem est, qui impiorum manibus comprehenditur, & qui nullo fine concluditur. Idem est, qui clauis configitur, & qui nullo dolore sauciatur. Idem postremò est, qui mortem subijt, & sempiternus esse non desijt: vt vtrumque signis non dubijs manifestetur, quod vera sit in Christo humilitas, & vera maiestas.

Epistola 10. ad Flauianum cap. 4. Agit vtraque forma cum alterius communione, quod proprium est, Verbo scilicet operante, quod Verbi est; & carne exequente, quod carnis est. Vnum horum coruscat miraculis, aliud succumbit iniurijs. Et sicut Verbum ab æqualitate paternæ gloriæ non recessit, ita caro naturam nostri generis non reliquit.

Ioan.1. Vnus enim idemq; est verè Dei Filius & verè hominis filius. Deus per id, quòd *in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum:* Homo per id, quòd *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis.* Deus per id, quòd *omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil:* Homo per id, quòd *factus est ex muliere, factus sub lege.*

Eucherius Lugdunensis. 450.

Dominica in Pentecoste: *Ad Patrem vado,* inquit Christus, sed vos non relinquo: maior est diuinitas, quæ vobiscum remanet, quàm humanitas, quæ cælos ascendet. Iam enim & illius imbecillitatem, & huius potentiam cognouistis. Vadit igitur Christus ad Patrem per humanitatem, qui vbique est per diuinitatem.

Dominicæ quartæ Aduentus Feria quarta: Hæc itaq; virtus superueniens obumbrauit Mariam, & ex duabus naturis Christum Dominum operata est. Sicut enim anima rationalis & caro vnus est homo, ita Deus & homo vnus est Christus. Quantum ergo ad humanitatem spectat, non solùm à Patre & Spiritu sancto, verùm & à seipso factus & creatus est Filius: quantum verò ad diuinitatem, nec factus, nec creatus est, sed à Patre solummodò genitus.

Sedulius. 460.

Libro tertio Paschali:

Flebant germanæ, flebat populatio præsens,
Flebat & omnipotens sed corpore, non deitate,
Exanimesq; artus illa pro parte dolebat,
Qua moriturus erat, lachrymisq; impleuit amicum
Maiestate Deum.

Claudianus Mamertus. 470.

Lib. 1. cap. 3. Christus homo verus, & Deus verus, ex duplici substantia vna persona, & Deus homo, & homo Deus est, idem gloriæ Dominus.

Cæsarius Arelatensis. 480.

Homilia 5. de Pascha: Quia nec nos habebamus vnde viueremus, nec ille vnde moreretur, materiam de nostra mortalitate suscepit, vt sua immortalitate collocata, mori posset vita pro mortuis.

Vigilius Tridentinus. 480.

Contra Eutychen lib. 4. Ipse vnus idemq; Dei Filius Dominus Iesus Christus, & mortuus est secundùm formam serui, & non est mortuus secundùm formam Dei. Idem Patri æqualis in forma Dei, idem Patre minor in forma serui, &c. Vides quantum sacrilegij habeat vnius tantùm confessio naturæ. Vides in quæ vos impietatis abrupta præcipitet nouitas ista doctrinæ, qa enim sic vultis videre Deum incarnatum, vt nihil habeat humanæ naturæ, sed totum quod est deitatis natura sit: Dei enim naturam, quæ immortalis est, scientes mori non posse, nec ei penitus mortis nomen congruere, elegistis à fide Apostolica exorbitare, dicendo: Deum inter mortuos deputatum, quàm eum fateri secundùm hominem mortuum, &c. Si Verbi & carnis vna natura est, quomodo, cùm Verbum vbique sit, non vbique inueniatur & caro: namque quando in terra fuit, non erat vtique in cælo. Et nunc quia in cælo est, non est vtique in terra, & in tantum non est, vt secundùm ipsam Christum speremus venturum de cælo, quem secundùm Verbum nobiscum esse credimus in terra. Igitur secundùm vos, aut Verbum cum carne sua loco continetur, aut caro cum Verbo vbique est, quomodo vna natura contrarium quid & diuersum non recipit in seipsa? Diuersum est autẽ & longè dissimile circũscribi loco, & vbique esse: & quia Verbum vbique est, caro autem eius vbique non est, apparet vnum eundemq; Christum vtriusq; esse naturæ, & esse quidem vbique secundùm naturam diuinitatis suæ, & loco contineri secundùm naturam humanitatis suæ: creatum esse, & initium non habere; morti subiacere, & mori non posse: quorum vnum est illi ex natura Verbi, qua Deus est, aliud ex natura carnis, qua idẽ Deus homo est. Igitur vnus Dei Filius, idemq; hominis factus filius, habet initiũ ex natura carnis suæ, & non habet initium ex natura diuinitatis suæ. Creatus est per naturam carnis suæ, & non est creatus per naturam diuinitatis suæ: circumscribitur loco per naturam carnis suæ, & loco nõ capitur per naturam diuinitatis suæ: minor est etiam Angelis per naturam carnis suæ, & æqualis est Patri secundùm naturam diuinitatis suæ.

Fulgentius. 500.

Ad Thrasimundum lib. 1. cap. 7. In vnitate personæ (in qua Deus & homo vnus Christus, inconfusibilem atque inseparabilem vtriusque veritatem naturæ commendans, verum se Deum diuinis operibus, verumq; hominẽ humanis passionibus demõstrauit, in passibili habens, per quod homo creatus est sanus: passibile suscipiens, per quod sanaretur infirmus) sic isti nescio qua deceptione falluntur, &c.

Cap. 20. Proinde si veritas nostræ salutis in Saluatore creditur, consequenter in vno eodemque Mediatore Dei & hominum homine Christo Iesu, diuinæ humanæque substantiæ indiuisa & inconfusa perfectio non negetur: quoniam Dei Filius, de Patris substantia genitus, nec sempiternitatem diuinæ naturæ perdidit, dum hoc, quod erat temporale, pro temporalium æterna salute suscepit: nec dominio naturalis ac veræ diuinitatis caruit, qui veritatem formæ seruilis acceptam interminabili & inamissibili dominio sublimauit: nec vera virtus, cùm nostram infirmitatem susciperet, infirmari potuit, quę vitium infirmitatis ab infirmo submouit.

Lib. 3. cap. 9. Hæc dum quidam minus attendunt, diuinitatem Christi non dubitant subijcere passioni: & audientes Christum in carne passum; putant Deum carni fuisse compassum, minus attendentes diuinam illam atque immutabilem Filij Dei substantiam, & in carne passibili passione suscepisse, & cum carne passionem sentire non potuisse. Quod vtique beatus Petrus in veritate diuinę

1 Pet.4. inspirationis confirmat, & dicit: *Christo igitur in carne passo, & vos eadem scientia armamini.* Qui si sciret Christi diuinitatem fuisse passibilem, sufficisset vt diceret: *Christo igitur passo,* nec addidisset, *in carne.* Sed quoniam nouerat, in vno eodemq; Christo & passibilem ante mortem fuisse humanam naturam, & impassibilem semper diuinam manere substantiam: propterea Christum passum fatetur in carne, cuius diuinitatem nouerat prorsus impassibilem permanere.

Ad Donatum cap. 6. Æqualis est Filius Patri, & minor est Filius Patre: æqualis vera diuinitate, minor vera humanitate. Æqualis, quia *in principio*

Ioan.1. *erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum:* Minor autẽ, quia *Verbum caro factum est, &*

Philip.2. *habitauit in nobis.* Æqualis, quia *cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualé Deo:* Minor autem, quia *semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens.* Æqualis est Patri Filius, quia de Domino natus est Dominus: Minor est autem Patre Filius, quia de ancilla factus est seruus, &c. Aequalis est Patri Filius, quia *omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factũ est nihil:* Minor est autẽ Patre Filius, quia *factus est ex muliere, factus sub lege.* Et ideò sicut veraciter Dei Filius Deo Patri coæternus agnoscitur, sic veraciter matre posterior inuenitur. Primam quippe natiuitatem Filij nullatenus præcessit æternitas Patris, cuius tamen secundam natiuitatem præcessit temporalis natiuitas matris. In illa quippe natura Dei Patris, quæ esse non cœpit, de æterno Patre coæternus est Filius, inenarrabiliter natus: in natura Virginis, quæ esse cœpit ex tempore, de temporali matre temporaliter est idem Filius misericorditer generatus.

Alcimus Auitus. 500.

Lib. 6. de consolatoria castitatis laude, cap. 10.

Intactam matrem pro spernate sanctus adumbrat
Spiritus, hac tantùm sanctum præbente cruorem:
Inde caro Verbum efficitur: quiq; imperat ipso
Cum Patre in cælo, materno in corpore seruit.
Ante auum de Patre, & matre in tempore natus:
Seminis hinc expers omninò, & temporis illinc.
Sic Virgo fœcunda fuit, quæ pondere casto
Factorem portare suum, Dominumq; perennem
Edere promeruit, dignoq; agnomine dici
Virgo Dei Mater.

Boëtius. 500.

Libro de duabus in Christo naturis, & vna persona: Firma veraq; fides Catholica continet, eundẽ Christum hominem esse perfectum, eundem Deum, eundemque, qui homo sit perfectus atque Deus, vnum esse Deum ac Dei Filium, nec quaternitatem Trinitatis astrui, dum homo additur supra perfectum Deum, sed vnam eandemq; personam numerũ Trinitatis explere, vt cùm humanitas passa sit, Deus tamen passus esse dicatur. Non quòd ipsa Deitas humanitas facta sit, sed quòd à Deitate fuerit assumpta. Item qui homo est, Dei Filius appellatur, non substantia diuinitatis, sed humanitatis, quæ tamen diuinitati naturali vnitate coniuncta est. Et cùm hæc intelligentia discernantur, & permisceantur: tamen vnus idemq; homo est perfectus, & Deus. Deus quidem, quòd ipse sit ex Patris substantia genitus: homo verò, quòd ex Maria sit Virgine procreatus. Itemq; qui homo est, Deus est, eò quòd à Deo fuerit assumptus: & qui Deus, idem homo, quoniam homine vestitus sit. Cumq; in vna eademq; persona aliud sit diuinitas quæ suscepit, aliud quam suscepit humanitas, idem tamen Deus est atque homo. Nam si hominem intelligas, idem homo est atque Deus: quoniam homo ex natura, Deus assumptione. Si verò Deum intelligas, idem Deus est atque homo: quoniam Deus natura, homo assumptione, &c.

Hormisda. 510.

Epistola 76. ad Iustinum Imp. Propriũ Filij Dei est, vt in nouissimis temporibus Verbum caro fieret, & habitaret in nobis: ita intra viscera sanctæ Mariæ Virginis genitricis Dei, vnitis vtrisque sine aliqua cõfusione naturis, vt qui ante tempora erat Filius Dei, fieret filius hominis, & nasceretur ex tempore, hominis more, matris vuluam natus non aperiens, & virginitatem matris Deitatis virtute non soluens. Dignũ planè Deo nascente mysterium, vt seruaret partum sine corruptione, qui conceptũ fecit esse sine semine, seruans quod ex Patre erat, & repræsentans quod ex matre susceperit. Nam iacens in præsepio, videbatur in cælo; inuolutus pannis, adorabatur à Magis; inter animalia editus, ab Angelis nuntiatur; vix egressus infantiam, & annuntians mysticam sine instructe doctrinam, inter rudimenta annorum puerilium edens cælestium signa virtutum. Idem enim Deus & homo, non, vt ab infidelibus dicitur, sub quartæ introductione personæ; sed ipse Dei Filius, Deus & homo, id est, virtus, & infirmitas; humilitas, & maiestas; redimẽs, & venditus; in cruce passus, & cæli regna largitus: ita nostræ infirmitatis particeps, vt posset interimi; ita ingenitæ potentiæ Dominus, ne posset morte consumi.

Cassiodorus. 530.

Ad Psalm. 2. in Conclusione: In hoc secundo numero, qui ex duabus monadibus pulchrè compositus est, aptissimè duæ naturę inconfusæ atque perfectę in vna natura sunt positæ Domini Christi: quarum est vna quæ regnat, & altera quæ ministrat: prima creatrix, posterior creata. Et ideò quæ assumpsit impassibilis, quæ verò est assumpta passibilis. Nam sicut Patres monent, demus iniurias carni, miracula diuinitati: discernamus intellectu naturas, & noxios vitemus errores. Diuinitas enim sic sibi humanitatem adunauit, vt nullatenus cum humanitate cõfundi possit, sed vtraque inconfusa & adunata permaneat.

Ad Psal. 3. Hominis susceptio est Verbum caro factum. Quapropter gloriam suam & exaltationem capitis sui caro dicit, quam suscepit omnipotens Verbum, vt diuina humanaq; substantia vna esset, sine aliqua confusione, persona.

Ad Psal. 8. Vnus est Dominus Christus, genitus ex Patre sine tempore, natus ex matre sub tempore. Primus mundum creauit ex nihilo, post ingenti liberauit exitio. Talis est enim Dei & hominis connexio, vt vtrumque integrum, vtrumque permaneat sine aliqua confusione distinctũ. Neque enim aut diuinitas impassibilis mutari potuit, aut humanitas aliud, nisi vt meliorata semper maneret, accepit. Sic enim verus atque omnipotens Mediator effectus est, vt qui in formâ Deo Patri æqualis erat, fieret & nobis carnis assumptione consimilis.

Ioannes Papa II. 532.

Epistola 3. ad Auienũ, Liberium, &c. de duabus in Christo naturis: Iustinianus Imp. filius noster, vt eius epistolæ tenore cognouistis, de his tribus quæsti-

onibus orta certamina fuisse significauit. Vtrum vnus ex Trinitate Christus & Deus noster dici possit, hoc est, vna de tribus personis sanctæ Trinitatis sancta persona? An Deus Christus carne pertulerit impassibili deitate? An propriè & veraciter mater Domini Dei nostri Christi Maria semper Virgo debeat appellari? Probauimus in his Catholicam Imperatoris fidē, & ita esse Propheticis & Apostolicis vel Patrum exemplis euidenter ostendimus. Vnum enim ex sancta Trinitate Christum esse, hoc est, vnum de tribus sanctæ Trinitatis personis sanctam esse personam siue subsistentiam, quam Græci ὑπόστασιν dicunt, in his exemplis euidenter ostendimus, &c. Igitur Christum Dominum nostrum vnum esse sanctæ Trinitatis ex duabus naturis cognoscendum, hoc est, in deitate & humanitate perfectum, non antea existente carne, & postea vnita Verbo, sed in ipso Deo Verbo initium vt esset accipiens, inde enimuerò ex materno corpore caro sumpsit initium, salua proprietate vel veritate vtriusque naturæ, hoc est, diuinitatis atque humanitatis, Dei Filium Dominum nostrum Iesum Christum Catholici confitemur, omni posthac commutationis confusione submota. Neque enim naturas in eo aliter agnoscimus, nisi differentiam intelligentes & confitentes diuinitatis atque humanitatis. Sed nec duas personas in Christo intelligimus, per id quod dicimus duas naturas, vt adunationis diuisionem facere videamur: & sit, quod abfit, quaternitas, non Trinitas, sicut Nestorius sentit insanus. Nec confundimus easdem vnitas naturas, cùm vnam personam Christi confitemur, vt Eutyches impius credit.

Arator. 540.

Lib.1. Act. Apost. cap.4.

Venit ad occiduas carnaliter editus oras,
Humana sub lege Deus, qui temporis expers
Principium de matre tulit: nec vile putauit
(Maiestate potens) terreni sumere formam
Corporis: atque opifex hominum pars esse, suoq;
Nos pretio reuocare sibi, post dona salutis,
Postq; tot erectos pulsis languoribus agros.
Cùm defleta etiam, perfunctaq; corpora luci
Redderet, & superas iterum concederet auras.
Se quoque permittens fusæ genitricis ab aluo
Carnis iura pati, vitam ne perderet orbis,
Maluit ipse mori: sed quod de Virgine fœta
Nascitur, illud obit: ligno suspenditur insons,
Et ligni vacuatur onus: sic vulnus iniqui
Fit medicina Dei.

Primasius. 540.

Ad caput 8. Epistolæ ad Romanos: Sicut anima & corpus ex diuersa substantia vnus est homo: ita Deus & homo ex diuersa substantia vnus est Christus.

Ad cap.2. ad Colossenses: Supplementum est credere Deum verum & hominem verum, vnam personam ex duabus substantijs: quia hoc est Fidei fundamentum, quod vobis sufficit ad vitam, etiamsi aliquid scientiæ minus interim habeatis.

Ad caput 4. ad Ephesios: Qui secundùm Deitatem vbique est, quò ascendit vel descendit? Corpus enim Domini, in quo passus est, & resurrexit, vno loco esse potest: veritas eius & diuinitas vbique est.

Iornandes. 540.

De regnorum & temporum successione, capite de regno Græcorum: Augusti 42. imperij anno Dominus noster Iesus de sancta Virgine natus, vt verus Deus & verus homo, in signis & virtutibus admirandis enituit.

Fortunatus. 580.

De partu Virginis lib.1.

O veteri thalamus, noua iunctio facta salutis,
Qua Deus atque caro nupsit honore nouo.
Quòd Deus amplexus carnem est, caro iuncta cohæsit;
Stat Deus, atque homo fit Christus vtrumq; genus.
Non Deus in carnem est versus, Deus accipit artus,
Non se permutans, sed sibi membra leuans.
Cuius non poterat Deitas per aperta videri,
Velamen sumpsit carne videndus homo.
Vnus in ambabus naturis, verus in ipsis,
Æqualis matri hinc, par Deitate Patri.
Non sua confundens, sibi nostra sed omnia nectens,
Quem sine peccato gignit vterque virum.
De Patre natus habens diuina, humanaq; matre:
De Patre sublimis, de genitrice humilis,
Quando incorporeus sibi corporis induit artus,
Æqualis matri fit minor inde Patre.
Carnē, animā, ossa, cutē, neruos, ventrē, femur, vngues
Seruus vt assumens, est minor inde Patri.

Gregorius Magnus. 590.

In Iob lib.18. cap.27. Non æquari potest gloria Vnigeniti habita per naturam alijs accepta per gratiam. *Mediator* quippe *Dei atque hominū, homo Christus Iesus,* non sicut iste hæreticus desipit, alter in humanitate, alter in Deitate est. Non purus homo conceptus atque editus, post per meritum, vt Deus esset, accepit; sed nuntiante Angelo, & adueniente Spiritu, mox Verbum in vtero, mox intra vterum Verbum caro, & manente incommutabili essentia, quæ ei est cum Patre, & cum sancto Spiritu coæterna, assumpsit intra virginea viscera, vnde & impassibilis pati, & immortalis mori, & æternus ante secula temporalis posset esse in fine seculorum: vt per ineffabile sacramentum, conceptu sancto, & partu inuiolabili, secundùm veritatem vtriusque naturæ, eadem Virgo & ancilla Domini esset & mater. Sic quippe ei ab Elisabeth dicitur: *Vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me?* Et ipsa Virgo concipiens dixit: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum.* Et quamuis ipse aliud ex Patre, aliud ex Virgine, non tamen alius ex Patre, alius ex Virgine: sed ipse est æternus ex Patre, ipse temporalis ex matre. Ipse qui fecit, ipse qui factus est: ipse speciosus forma præ filijs hominum per diuinitatem, & ipse, de quo dictum est: *Vidimus eum, & non erat aspectus, & non est species ei, neque decor,* per humanitatem. Ipse ante secula de Patre sine matre, ipse in fine seculorum de matre sine Patre: ipse conditoris templum, ipse conditor templi: ipse auctor operis, ipse opus auctoris: manens vnus ex vtraque & in vtraque natura, nec naturarum copulatione confusus, nec naturarum distinctione geminatus.

1.Tim.2.

Luc.1.

Isaiæ 53.

Homil.25. in Euangel. Hunc ergo Pater omnipotens hamo cepit, quia ad mortem illius vnigenitum Filium misit incarnatum, in quo & caro passibilis videri posset, & diuinitas impassibilis videri non posset.

Concilium Hispalense Secundum. 619.

Cap.13. Passus est Christus & mortuus, sed ex nostra infirmitate: viuit autem impassibilis & immortalis, sed ex sua virtute: quæ tanta est, vt in se nec passionem recipiat, nec mortem admittat, &c. Si Christus in carne passus est, non secundùm Deum, sed secundùm hominem crucifixus est. Ecce perpatuit de Filio Dei, quòd passus est, quòd mortuus est, corporis hoc tantùm fuisse, nō deitatis. Aliena sunt enim ista à Deo, testante Propheta de

illo:

Isaiæ 40. Psal. 101. illo: *Deus sempiternus, Dominus creans fines terræ, non laborabit, neque deficiet.* Et in Psalmo: *Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.* Omnes enim in Christo infirmitates humanitas sola portauit. Caro enim habuit vagitus infantiæ, non diuinitas: caro

Lucæ 2. est pannis inuoluta, non deitas: caro habuit alimenta, caro portauit ætatum commercia. Nam & quòd fatigatus est, quòd esurijt, quòd dormiuit, quòd fleuit, quòd passioni proximus tristis fuit, quòd postremò ipsam passionem & mortis conditionem sustinuit, totum hoc ad infirmitatem pertinet humanitatis, non ad incomprehensibilem substātiam Deitatis. Vnus est enim Christus, Deus & homo, caro & Verbum. Sed vnde Deus, inde habet immortalitatem: vnde homo, inde pertulit passionem: & vndè caro, inde mortuus: & vnde Verbum, inde æternus. Neque enim potest esse Deitate passibilis, qui est virtute paternæ gloriæ naturæ æqualis. Vnde & Patri derogatur, dum natura Deitatis in Filio passibilis creditur. Nam si vna Patris & Filij substantia est, vtique sicut Pater, ita & Filius immortalis est. Et si *ego & Pater vnum sumus,* sicut in Patre non est mors, ita nec in

Ioan.10. Dei Filio mors. Et si verum est: *Omnia quæ habet Pater, mea sunt,* ergo immortalitas Patris cum Filio

Ioan.17. communis est.

Isidorus Hispalensis. 620.

De Doctrina & fide Ecclesiasticorum dogmatum cap.2. Dei Filius hominis factus est filius, natus secundùm veritatem naturæ ex Deo Dei Filius, & secūdùm veritatem naturæ ex homine hominis filius, vt veritas geniti non adoptione, non apparitione, sed in vtraque natiuitate filij nomen nascendo haberet, & esset Deus verus, & verus homo, vnus filius. Non ergo duos Christos, neque duos filios, sed Deum & hominem vnum filium, quem propterea Vnigenitum dicimus, manentē in duabus substantijs, sicut & veritas naturæ contulit, non confusis naturis, neque commixtis, sed societate vnitis.

Lib.7. Originum cap.2. Cùm sit coæternus Dei Patris ante secula Filius, postquam venit plenitudo temporis propter salutem nostram formam serui accepit, & factus est Filius Dei, hominis filius. Inde quædam de illo in Scripturis sanctis secundùm formam Dei, quædam secundùm formam serui dicuntur: secundùm formam Dei de se ipso dixit: *Ego & Pater vnum sumus:* secundùm formam serui: *quoniam Pater maior me est.* Sic autem Dei Filio coniuncta est humana natura, vt ex duabus substantijs fieret vna persona. Solus ergo homo pertulit crucem, sed propter vnitatem personæ & Deus dicitur pertulisse. Hinc est quòd scribitur: *Si cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.* Filium ergo Dei crucifixum fatemur, non ex virtute diuinitatis, sed ex infirmitate humanitatis; non ex suæ naturæ permansione, sed ex nostra susceptione.

Eligius. 640.

Homilia 1. *Verbum* illud, quod *in principio erat, & apud Deum erat, & Deus erat Verbum, per quod omnia facta sunt, & sine quo factum est nihil,* in fine seculorum *caro factum est, & habitauit in nobis,* vt Mediator fieret Dei & hominum, homo Iesus Christus, verus Deus, & verus homo in vnitate personæ.

Concilium Toletanum Quartum. 643.

Cap.1. Credimus Dominum nostrum Iesum Christum, Dei Filium, & Creatorem omnium, ex substantia Patris ante secula genitum, descendisse vltimo tempore, pro redemptione mundi, à Patre, qui nunquam desijt esse cum Patre. Incarnatus est enim ex Spiritu sancto, & gloriosa sancta Dei genitrice Virgine Maria, & natus ex ipsa, solus idem Dominus Iesus Christus, vnus de sancta Trinitate, anima & carne perfectus, sine peccato susciens hominem, manens quod erat, assumēs quod non erat: æqualis Patri secundùm diuinitatem, minor Patre secundùm humanitatem, habens in vna persona duarum naturarum proprietatem. Naturæ enim in illo duæ, Deus & homo. Non autem duo filij, & Dij duo, sed idem vna persona in vtraque natura, perferens passionem & mortem pro nostra salute, non in virtute diuinitatis, sed in infirmitate humanitatis.

Concilium Toletanum Sextum. 648.

Cap.1. Solum Filium fatemur ad redemptionem humani generis humanitate sine peccato de sancta semper Virgine Maria assumpsisse, vt idem Filius Dei Patris, esset filius hominis, Deus perfectus, & homo perfectus: vt Deus perfectus & homo esset vnus Christus, naturis in duabus, vna persona, ne quaternitas Trinitati accederet, si in Christo geminata persona esset.

Hildephonsus. 660.

Homilia contra eos, qui mendosè affirmant Mariam Virginem contra legem Dominum peperisse: Quod natum est ex Maria diuinum & humanum fuit, ita vt ex Maria neque diuinitas Verbi nata credatur sine homine, neque homo sine Verbo. Quia *Verbum caro factum est,* per hoc Deus & homo vnus est Christus.

Contra eos, qui disputant de perpetua virginitate Mariæ: Hinc sanè insaniunt, qui hanc geminam operationem in Christo vbique non intelligunt, vel non credunt: in quo nec diuinitas sine homine operata est, nec humanitas sine diuinitate Verbi. Et ideò vbicunque excellit diuina virtus in homine Christo, diuini Verbi est sacramentum. Vbi verò opera humana operatur natura in eo, quia formam serui suscepit, diuini Verbi est in animo, ita vt in nullo diuisus inueniatur Christus: in nullo confundatur duarum naturarum gemina operatio.

Agatho. 680.

Epistola ad Constantinum, Heraclium, & Tiberiū AAA. Catholica Christi Ecclesia, & vnum Dominum Iesum Christum confitetur ex duabus & in duabus existentem naturis, & duas eius naturas, diuinam scilicet & humanam, etiam post inseparabilem vnitionē inconfusas, in eo esse defendit, & ex proprietatibus naturalibus vnāquamq; harū Christi naturarū perfectam esse cognoscit, & quicquid ad proprietatis naturā pertinet, duplicia omnia confitetur: quia ipse idem Dominus noster Iesus Christus & Deus perfectus est, & homo perfectus est, ex duabus & in duabus naturis: & post admirabilem incarnationem existens, nec deitas sine humanitate, nec humanitas eius sine Deitate possit intelligi. Consequenter itaque iuxta regulam sanctæ Catholicæ & Apostolicæ Christi Ecclesiæ, duas etiam naturales voluntates in eo, & duas naturales operationes esse confitetur & prædicat.

Beda. 700.

Ad cap.2. Lucæ: Iesus Christus in eo quod puer erat, id est, habitum humanæ fragilitatis induerat, crescere & confortari habebat: in eo verò quòd etiam Verbum Dei & Deus æternus erat, non confortari indigebat, nec habebat augeri. Vnde rectissimè *plenus sapientia* perhibetur *& gratia.*

Ad cap.5. Lucæ: Quòd secedit orare, non ei naturæ tribuās, quæ dicit: *Volo, mundare,* & curabat ab infirmitatibus: sed ei, quæ extendens manum tetigit leprosum. Non quo iuxta Nestorium sit gemina Filij persona, sed quo eiusdem personæ sicut naturæ, sic & operationes sint duæ.

Alcui-

Alcuinus. 750.

Lib.3.de Trinitate cap.13. Neque Dei Filius, Deus æternus ex Patre Deum deseruit Patrem, quamuis homo factus esset ex matre : sed idem qui gerebat,quæ hominis sunt in terris, idem ipse gerebat in cælis,quæ Dei sunt, sicut ipse ait in Euangelio: *Nemo ascendit in cælum,nisi qui descendit de cælo, filius hominis,qui est in cælo.* Hæc loquebatur in terra filius hominis,sed idem ipse Filius hominis erat in cælo. Quamuis in vnius corpusculi videretur latuisse angustia: tamen omnium creaturarum regebat latitudinem. Nec alius est,per quem omnia creata sunt, alius, qui creatus est homo : idem ipse Creator & creatura. Creator in diuinitate, & creatura in humanitate ; non alius, sed aliud : quia non vna natura in eo, sed vna est omnimodis persona, &c. In Christo non est personarum distantia, sed naturæ : ideo alius dici non debet, sed aliud de eo. Quocirca omnimodis vnus est, atque idem mortalis & immortalis, passibilis & impassibilis. Ideo Dominum glorię dixit Apostolus crucifixum : quamuis humanitas passionibus subiaceret.

Ioan.3.

Ambrosius Ansbertus. 770.

Homilia de Purificatione S. Mariæ: O quàm paruus, ô quàm magnus est, quem peperisti Maria! paruus in humanitate, magnus in diuinitate. Procul dubio, quem infantem genuisti, Deum omnipotentem tremens adorasti, adorãs tremuisti; quem tamen, quia secundùm humanitatem filium cognouisti, lactasti, fouisti, aluisti. Quis putas nobis posset indicare inter huiuscemodi obsequia animi tui sensum, ô beatissima Virgo, cùm hinc cernimus ex te natum vel tantillum infantem, illinc attendimus Deum immensum ; hinc creatum, illinc Creatorem ; hinc infirmum, illinc fortissimum ; hinc alendum, illinc alentem ; hinc non loquentem, illinc Angelos docentem?

Adrianus Primus. 770.

Epistola ad Episcopos Galliæ de errore Eliphandi Toletani Episcopi: Christus distinctè dixit: *Ascendo ad Patrem meum,* (per naturam) *& patrem vestrum,* (per gratiam adoptionis.) Hinc Paulus dixit: *Proprio Filio non pepercit, sed pro omnibus tradidit illum.* Scimus quia non traditus est secundùm diuinitatem, sed secundùm id quòd homo verus erat : illum nimirum ; qui traditus est, id est, hominem ipsum Apostolus proprium Dei Filium protestatur.

Paulinus Aquileiensis. 780.

Aduersus Felicem Vrgelitanum : Assumpsit quod nõ erat, permansit in id essentialiter quod erat, non commixtionem passus, neque diuisionẽ, sed in vna persona Christi Deus verus, & homo permanet verus. Non duo filij Deus & homo, sed vnus Filius Deus & homo : non alius filius hominis, & alius Dei ; sed vnus idemq; Dei hominisq; Filius. Vnde & eos valde execramur, qui eum adoptiuum impio grunniunt ore. Dei Filius qua ratione credi potest adoptiuus, qui inseparabiliter assumpto homine, in vna persona coëunte vtraque natura, non duo filij, alius Dei, & alius hominis, vt adoptiuus sit hominis filius, & sine adoptione Dei Filius : sed in vna persona vnus idemq; Dei & hominis Filius, qui nunquam hominem quem assumpsit deseruit, etiam nec in cruce, quãdo inclinato capite emisit spiritum.

Concilium Arelatense Quartum. 813.

In confessione Fidei : Dominus Iesus Christus vnus de sancta Trinitate, anima & carne perfectum sine peccato suscipiens hominem, manens quod erat, assumens quod non erat : æqualis Patri secundùm diuinitatem, minor Patre secundùm humanitatem : habens in vna persona dùarum naturarum proprietatem. Naturæ enim in illo duæ, Deus & homo. Non enim duo filij, & Dij duo ; sed idem vna persona, in vtraque natura: perferens passionem, & mortem pro nostra salute, non in virtute diuinitatis ; sed in infirmitate humanitatis.

Haymo. 820.

Ad c.2. priorisad Timoth. Dñs Iesus in vna persona verus Deus & verus homo est. Si solũmodò Deus esset, non poterat esse Mediator noster : quia ipse in natura diuinitatis vnius substantia est cum Patre. Et contrà, si solummodò homo purus esset, nequaquam Mediator esset inter nos & Deum Patrem : quia peccator esset, & similis nobis omnibus. Accepit ergo humanitatem nostram qui Deus erat : & per hoc, quia sine peccato conceptus, natus & conuersatus est, Deus verus & homo existens, innocenter pro nobis mortuus, factus est Mediator noster : quia nemo est Deus & homo, nisi ipse solus.

Homelia in Feria sexta post Pascha: Quia Mediator Dei & hominum Dominus Iesus Christus sicut verus homo, ita verus Deus credendus est : & aliquando de assumpta humanitate loquitur, aliquando de potentia diuinitatis. Quòd ergo ait: *Adhuc modicum vobiscum sum,* ad assumptam pertinet humanitatem, in qua potuit de loco ad locũ ire : quòd verò hîc dicit: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem seculi,* ad maiestatem pertinet diuinitatis, per quam vbique est præsens, vbique totus, nec in tempore accedit, vel in tempore recedit ; sed semper æqualiter, semper & ineffabiliter manet.

Angelomus. 830.

In lib.1.Reg.cap.13. Rursum tempore tranquillo nihil amplius de Dei Filio Doctoribus Ecclesiæ prædicare conuenit, quàm vt credatur verus Deus ex substantia Patris, sine tempore ineffabiliter natus, & verus homo (pro nostra redemptione) de substantia matris temporaliter creatus, & natus, gemina substantia, singulari verò persona consubstantialis Patri secundùm diuinitatem, consubstantialis verò matri secundùm humanitatem, vnus idemq; in singularitate personæ.

Rabanus Maurus. 850.

Lib.4.de Vniuerso cap.10. Non duos Christos, neq; duos filios sed Deum & hominem vnum Filium credimus : quem propterea & vnigenitum dicimus, manentem in duabus substantijs, sicut ei naturæ veritas contulit, non confusis naturis, neque immixtis, sed societate vnitis. Deus ergo hominem assumpsit, homo in Deum transiuit, non naturæ versibilitate, sed Dei dignatione, vt nec Deus mutaretur in humanam substantiam, assumendo hominem ; nec homo in diuinam glorificatus in Deum : quia mutatio vel versibilitas naturæ & diminutionem & abolitionem substantiæ facit.

Concilium Wormatiense. 868.

In confessione Fidei: De his tribus personis sola Filij persona hominem verum sine peccato, pro liberatione humani generis, ex Maria Virgine, nouo ordine, nouaque natiuitate assumpsit. Nouo ordine : quia inuisibilis diuinitate, visibilis monstratur in carne. Noua autem natiuitate est genitus, quia incorrupta virginitas & virilem coitum nesciuit, & fœcunda per Spiritum sanctum, carnis materiam ministrauit. Dei enim Filius non personam hominis accepit, sed naturam. Naturam quippe nostram in vnitatem suæ personæ assumpsit: & idcirco Filius Dei, & filius hominis vnus est Christus. In eo namque quòd Filius Dei est, æqualis est Patri: & in eo quòd est filius hominis, minor est Patre. Qui etiam ex quo homo est, pro delictis nostris passionem sustinuit : mortiq; addictus & cruci veram carnis mortem accepit.

Remigius Antisiodorensis. 880.

Ad cap.2. Zachariæ : *Post gloriam misit me ad gentes.*) Vox Domini est Saluatoris, & dicit se à Deo Patre missum, non per id, quod omnipotens est, & æqualis Patri ; sed per id, quod homo est, minor Patre.

Ad cap.3. In Christo duæ sunt substantiæ, Dei & hominis, in vna persona.

Luitprandus Ticinensis. 950.

Lib.6.cap.2. Vera fides hæc est, vt in Domino nostro Iesu Christo sicut duæ sunt naturæ, hoc est, Dei & hominis, sic & duæ credantur voluntates esse, siue operationes. Vis audire de eo quod Deitatis est? *Ego & Pater vnum sumus.* Vis audire quod humanitatis est? *Pater maior me est.* Cerne secundùm humanitatem eũ in naui dormientem : cerne eius diuinitatem, cùm Euangelista ait: *Tunc surgens imperauit ventis & mari, & facta est tranquillitas magna.*

Smaragdus. 970.

In Epistolam Sabbati Pentecostes : Credant Filium Dei vltimo tempore descendisse pro redemptione mundi à Patre, qui nunquam desijt esse cum Patre, & hominem verum factum, vt humanum genus homo liberaret ; & ipsum, qui absque initio æternitatem cum Patre & Spiritu sancto possidet, in fine seculorum perfectum naturæ nostræ hominem suscepisse, & Verbum carnem factum esse assumendo humanitatem, non permutando diuinitatem. Credant etiam eum pertulisse passionem & mortem, non in virtute diuinitatis, sed infirmitate humanitatis, mortuum vera carnis morte, resurrexisse vera carnis resurrectione.

Pelegrinus Laureacensis. 970.

In Symbolo Fidei : Sola Filij persona, hominem verum, sine peccato, pro liberatione humani generis, ex Maria Virgine, nouo ordine nouaq; natiuitate sumpsit. Nouo ordine : quia inuisibilis diuinitate, visibilis monstratur in carne. Noua autem natiuitate est genitus : quia incorrupta virginitas & virilem coitum nesciuit, & fœcunda per Spiritum sanctum carnis materiam ministrauit. Dei enim Filius non personam hominis suscepit, sed naturam nostram in vnitatem personæ assumpsit. Idcirco & Filius Dei, & filius hominis, vnus est Christus. In eo quòd Filius Dei est, æqualis Patri est : in eo verò quòd filius est hominis, minor est Patre.

Berno Augiensis. 1020.

Sermone de Natiuitate Christi: Hodie, iuxta vaticinium Esaiæ, Filius Dei, quem Maria Angelo nuntiante concepit, peperit, & post partum Virgo permansit, tanquam sponsus de thalamo suo, Christus processit de Virginis vtero ; cui meritò epithalamion vota persoluunt, qui ad tantæ coniunctionis solennia occurrunt, vbi omnipotens Verbum, quod *in principio erat apud Deum,* humanæ naturæ substantiam ita sibi in vtero virginali coadunauit, vt verus Deus & verus homo ad salutem omnium appareret in mundo.

Sermone de Pascha: Humanæ conditionis natura magnificè sublimatur, quando omnipotenti Verbo ineffabiliter adunatur : non quo duarum naturarum, diuinæ scilicet & humanæ, confusa fiat commixtio, sed in vna Mediatoris Dei & hominum Christi Iesu persona, mirabilis maneat vnitio. Ita enim confitemur, eundem Dominum nostrum Iesum Christum, verum Dei & hominis Filium, Deum verum & hominem verum, consubstantialem Patri secundùm diuinitatem, consubstantialem nobis secundùm humanitatem, sicut in quodam loco cõsonã modulamur voce dicentes: *Innouator naturæ Deus, homo factus est : id quod fuit, permansit ; & quod non erat, assumpsit ; non commixtionem passus, neque diuisionem.*

Leo Nonus. 1050.

Epist.ad Petrum Antiochenum: Credo Dei Patris Filium Verbum Dei æternaliter natum ante omnia tempora de Patre, consubstantialem, coomnipotentem, & coæqualem Patri per omnia in diuinitate, temporaliter natũ de Spiritu sancto ex Maria semper Virgine, cum anima rationali : duas habentem natiuitates ; vnam ex Patre æternam, alteram ex matre temporalem : duas voluntates & operationes habentem. Deum verum, & hominem verum : proprium in vtraque natura atque perfectum : non commixtionem atque diuisionem passum, non adoptiuum, neque phantasticum : vnicum & vnum Deum, Filium Dei in duabus naturis, sed in vnius personæ singularitate : impassibilem & immortalem diuinitate, sed in humanitate pro nobis & pro nostra salute passum vera carnis passione.

Algerus. 1060.

De Eucharistia lib.1.cap.2. Reuera, vt securiores essemus in Christo de conformitate & vnitate tantæ gloriæ, in humili nostra natura carnis nostræ naturam sibi vniuit, Deus in eadem persona : vt dum eam tam mirabiliter glorificatã videremus ; de germanæ carnis nostræ glorificatione non desperaremus.

Anselmus Cantuariensis. 1080.

Lib.2.Cur Deus homo, cap.18. Ad hoc valuit in Christo diuersitas naturarum, & vnitas personæ ; vt quod opus erat fieri ad hominũ restaurationem, si humana non posset natura, faceret diuina : & si diuinæ minimè cõueniret, exhiberet humana. Et non alius, atque alius ; sed idem ipse esset, qui vtrumque perfectè existens, per humanam solueret, quod illa debebat ; & per diuinã posset, quod expediebat.

Ad cap.15.prioris ad Corinth. Dominus ad hoc terrenus factus est, cùm esset cælestis, vt eos, qui terreni erãt, faceret cælestes, hoc est, ideò ex immortali mortalis factus est, assumendo serui formam ; non Domini mutando naturam, impartiendo Dominicam gratiam, non perpetiendo seruilem iniuriam.

Hildebertus Cenomanensis. 1100.

Oratione ad sanctam Trinitatem :

Nate Patri coæqualis,
Patri consubstantialis,
Patris splendor & figura,
Factor factus creatura,
Carnem nostram induisti,
Carnem nostram suscepisti :
Sempiternus, temporalis ;
Morituras, immortalis ;
Verus homo, verus Deus ;
Impermixtus homo Deus :
Non conuersus hic in carnem,
Nec minutus propter carnem :
Hic assumptus est in Deum,
Nec consumptus propter Deum :
Patri compar Deitate,
Minor carnis veritate :
Deus Pater tantùm Dei,

Virgo mater sed & Dei:
In tam noua ligatura
Sic vtrique stat natura,
Vt conseruet quidquid erat,
Facta quiddam quod non erat.

Petrus Alphonsius. 1106.

Titulo 8. de Christo: Psalmum 72. esse concesseris, videamus vtrum ista, quæ in eodem leguntur: *Et permanebit cum sole & ante lunam, in generatione & ante generationem, & sit nomen eius benedictum in secula, ante solem permanet nomen eius:* videamus, inquam, si de puro homine dicta sint hæc omnia; sed nequaquam, imò de Deo. Sequitur ergo, vt Christum & hominem dicamus, & Deum.

Honorius Augustodunensis. 1120.

De Philosophia mundi cap. 13. Cùm Filius Dei tam potens esset, quòd de potestate diaboli humanum genus, sola voluntate eripere posset, maluit tamen diuinitatem coniungere humanitati, vt qui Deum & hominem reconciliaret, in se quod hominis est & Dei haberet. Si enim Deus tantùm esset, nunquam in eum diabolus manus inijceret: quippe quomodo seruus in filium potentis domini cognitum manum inijceret? Vnde scriptũ: *Si cognouissent, nunquam Filium Dei crucifixissent.* Sed iterum, si tantùm homo esset, quomodo captiuus homo captiuum liberaret? Redemptor igitur noster Deus fuit & homo, & hoc, vt ex humanitate diabolum lateret, &c.

Rupertus Tuitiensis. 1120.

Lib. 1. in Ioannis Euangelium cap. 1. Christus, qui nũc homo est in fine seculorum, *in principio* & ante secula *erat Verbum.* Non erat totum, quod nunc est, scilicet caro & Verbum; sed erat tantummodò Verbum. Nunc geminæ gigas substantiæ duplicisq; operationis vna persona est: in principio autem vnius substantiæ vniusq; operationis Verbum erat.

Lib. 4. in Ioannem cap. 3. Sed cur, ô Ioannes amice sponsi, non apertè, sed quasi sub velamine vtramque, scilicet diuinam & humanam, Christi naturam commemorasti? Poterat enim sic dici: Qui Deus & homo est, ille Christus est; qui habet spõsam, sponsus est. Non quidem sic accipimus, ac si dictum fuisset: Non ego, qui purus homo sum vt quisquam vestrum, Christus, quia Deus nõ sum; sed ille Christus est, qui antequam homo esset, Deus erat: sed postquam homo factus est, nihilominus secundùm suam naturam Deus est, propter assumptam verò hominis naturam Christus est.

Hugo Victorinus. 1130.

De Sacramentis fidei lib. 2. par. 1. cap. 9. Natura Dei diuinitas, natura hominis humanitas: & diuinitas quidem humanitas non est, Deus tamen homo est. Natura diuersa, persona vna. Quia autem vnita est natura, vna est persona: & quia persona Dei & hominis vna est, Deus & homo vnus est. Propterea quod facit Deus, facit homo: & quod facit homo, facit Deus: quia non duo, sed vnus, Deus & homo. Ioan. 3. *Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, filius hominis, qui est in cælo.* in terra loquebatur, & in cælo se esse testabatur. Vtrobique enim erat. In terra per humanitatem, in cælo per diuinitatem. Idem qui in cælo erat, in terra erat. Per humanitatem in terra, & tantùm in terra: per diuinitatem in cælo, & in terra. 1. Cor. 2. *Si cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.* Mirum est: Homo in cælo dominabatur, & Deus in cruce moriebatur. Si potuit homo in terra positus per humanitatem, in cælo esse per diuinitatem: potuit & Deus in cælo regnans per diuinitatem, in terra mori per humanitatem.

Bernardus. 1130.

Sermone de B. Maria: Ibi cõfœderata sunt terrenis cælestia, & obuiauerunt sibi in osculo pacis misericordia & veritas, quando in vnã eandemq; personam concurrerunt diuinitas & humanitas, factumq; est nouum illud super terram, vt esset Deus homo & homo Deus.

Sermone 2. de Natali Domini: Verbum, (quod *erat in principio apud Deum, & Deus erat,*) Anima, quæ de nihilo creata est, & ante non erat, caro de massa corruptionis, sine corruptione aliqua diuino segregata artificio, (qualis nulla iam caro erat) vinculo indissolubili in personæ coeunt vnitatem.

Petrus Cluniacensis. 1150.

Lib. 5. Epist. 1. Homo ille à Filio Dei assumptus, & congruo tempore ei personaliter vnitus, ante omne seculum, ante omne tempus, ante omnẽ creaturam Filius Dei prædestinatione æterna factus est: & qui secundùm Spiritum sanctificationis in Virginem superuenientem, & ei obumbrantem, postquam, iuxta Apostolum, *venit plenitudo temporis,* Gal. 4. in eadem Virgine essentialiter conceptus, & de ea natus est, ipse, iuxta Psalmum, *ante Luciferum,* iam dicta prædestinatione hac, & sempiterno consilio eidem æternaliter vnitus est.

Lib. 2. contra Iudæos cap. 2. Non obsistit verę Christi deitati vera carnis humanæ susceptio: quia nõ inquinatur, non patitur, non humiliatur Deus propter assumptum hominem; sed mundatur, glorificatur, & exaltatur homo propter se assumentem purificantem, imò deificantem Deum.

Arnulphus Lexouiensis. 1170.

Carmine de Christi Natiuitate:

Semper ab æterno nascens, ex tempore nasci
Sustinet humana conditione Deus:
Virgineumq; vterum virtus sacra Patris obumbrat,
Qua Verbum fieret conciliante caro.
Conformi soboles matrem Patremq; figura
Exprimit, & speciem reddit vtrique suam.
Sic eius species speciem est imitata paternam,
Vt sit eo viso, visus & ipse Pater:
Virgineoq; sibi fabricans de corpore corpus,
Humanam ex homine contrahit effigiem:
Exhibet vna duas species persona, Deumq;
Factus homo proprium seruat vtrique genus.
Seruat enim propriam naturæ simplicitatem
Hic in carne Deus, cum Deitate caro.
Non commiscentur, nec enim confusa resoluit
Vel carnem Deitas, vel caro mixta Deum.
Regnat in assumpta Deitatis gloria carne,
Nec maiestatem carnea vela grauant.

Petrus Riga. 1180.

In Euangel.

Surrexit nunc, sed non est hîc, vt quasi dicat:
Non est hic carne, sed Deitate tamen.

Guntherus. 1180.

Libro 5.

Instabat veneranda dies, qua Christus in vna
Aequalis Deitate Patri, sine temporis ortu
Natus ab æterno, sub tempore temporis author
Cælitus infusa voluit de Virgine nasci:
Illic matre carens, isthic nihil ex Patre sumens:
Sic puer in cunis, Deus vt regnaret in astris,
Hunc celebrare diem magno meditatus honore
Cæsar.

Innocentius Tertius. 1200.

Lib. 4. mysteriorum Missæ, cap. 44. Cùm Christus secundùm naturam diuinam tribus modis existeret, in omnibus per essentiã, in solis iustis per gratiam, in homine assumpto per vnionem; voluit vt idem ipse secundùm humanam naturã tribus modis in rebus existeret, localiter in cælo, personaliter in Verbo, Sacramentaliter in altari.

Concilium Lateranense. 1215.

Cap. 1. Tandem vnigenitus Dei Filius Iesus Christus à tota Trinitate communiter incarnatus, ex Maria semper Virgine, Spiritus sancti cooperatione conceptus, verus homo factus, ex anima rationali & humana carne compositus, vna in duabus naturis persona, viam vitæ manifestius demonstrauit. Qui cùm secundùm diuinitatem sit immortalis & impassibilis, idem ipse secundùm humanitatem factus est passibilis & mortalis.

Iacobus Vitriacus. 1220.

In die Natalis Domini: Antiquus dierum factus est puer; Verbum, infans; risus, ploransq; æternus, factus est temporalis: quem totus non capit orbis, factus est localis: impassibilis, factus est mortalis: omnipotens, infirmus: immensus, paruulus: Deus noster, factus est frater noster. Suscipitur enim à maiestate humilitas, à virtute infirmitas, à diuinitate humanitas: Deus pariter & homo; vt mori posset ex vno, & resurgere ex alio. Factus est infantulus, vt nos perfecti simus: vilibus induitur, vt nos stolam immortalitatis recipiamus.

Alexander Alesius. 1230.

Parte 3. quæst. 19. memb. 2. Diuina natura, seu Deitas vnita humanitati, non vt humanitas sit vnum in illa: sed vt diuinitas & humanitas sint vnum in persona diuina. Et ideò sicut natura in ipsa vnione distinguitur à natura: ita & proprietas naturæ à proprietate naturæ. Inde est, quòd licet dicatur incarnata, id est, carni vnita: non tamen dicetur, quod est passibilis, mortalis, mortua, vel passa. Sed cùm dicitur, persona vnitur humanitati, siue Deus: ratione personę significatur humanitatis vnio ad personam, non in aliquo alio: sed in ipsa persona. Inde est, quòd proprietates naturæ humanæ conueniunt diuinæ personæ: vt sit dicere personam mortuam & passam, & ita Deum mortuum & passum.

Thomas Aquinas. 1250.

Contra errores Græcorum lib. 2. cap. 6. Cùm dicimus Deum hominem fieri, non sic accipiendum est, vt Deus conuertatur in hominem, sicut aër fit ignis, cùm in ignem conuertitur: sed potest ei æqualiter vniri propter efficaciam suæ virtutis, sicut anima vnitur corpori. Et licet humana natura ex anima constet & corpore, anima tamen non corporea; sed spiritualis naturæ est. Sicut ergo spiritualis natura vnitur corpori per efficaciam suæ virtutis: ita Deus potest vniri tam spirituali, quàm corporali; & secundùm eum modum dicimus Deum humanæ naturæ fuisse vnitum.

Tertia parte Summæ, quæst. 16. art. 5. In mysterio incarnationis non est eadem natura diuina & humana; sed eadem est ὑπόστασις vtriusque naturæ. Et ideò ea, quæ sunt vnius naturæ, non possunt de alia prædicari secundùm quod in abstracto significatur. Nomina verò concreta supponunt ὑπόστασιν naturæ, & ideò indifferenter prædicari possunt ea, quæ ad vtramque naturam pertinent, de nominibus concretis: siue illud nomẽ, de quo dicuntur, det intelligere vtramque naturam; sicut hoc nomen Christus, in quo intelligitur diuinitas vngens; & humanitas vncta: siue solùm diuinam naturam; sicut hoc nomen Deus, vel Filius Dei: siue solùm humanam naturam; sicut hoc nomen homo, vel Iesus.

Bonauentura. 1260.

Parte 3. Centiloquij c. 27. Hanc incarnationẽ tota Trinitas fuit operata: per quam quidẽ incarnationẽ facta est assumptio carnis à diuinitate, & vnio diuinitatis cũ carne viuifica spiritu rationali, secũdùm potentiã vegetandi, sentiendi, & intelligẽdi. In hac autem incarnatione non facta est vnio in vnitate naturæ, sed personæ, non humanæ, sed diuinæ; non assumptæ, sed assumentis: non personæ cuiuslibet, sed personæ solius Verbi. Hęc verò vnio tanta fuit, vt faceret Deum hominem, & hominẽ Deum: ita vt quicquid dicitur de Filio Dei per naturã, dicitur de filio hominis per gratiam, & è contra, exceptis his, in quibus exprimitur vnio, & includitur negatio. Non enim potest dici quòd humana natura diuinam assumpserit, vel sibi vnierit: sed quod assumpta fuerit, & vnita: Similiter non potest dici quòd Filius Dei inceperit esse. Hoc enim negatur de assumente, sed verè dicitur de assumpto.

Richardus Pampolitanus. 1300.

In Symbolum Apost. Spiritus sanctus duas naturas corpus & animam deitati vniuit in Filio: ita quòd persona Filij Dei habet duas naturas, diuinam & humanam. Natura autem diuina remansit sicut erat, & natura humana manet discreta à natura diuina: & ita Deus factus est homo, & illa persona Filij est Deus & homo.

Hugo Pratensis. 1310.

Sermone 1. Vnio duarum naturarum facta est in vna diuina persona, & non duarum personarum in vna natura. Sic igitur persona Verbi ac Dei, ex eo quòd assumpsit animam & carnem, ex quibus constat, homo facta est: homo natura humana, quæ semper est verus Deus in natura diuina. Et ideo *quod erat permansit, & quod non erat assumpsit.* Vnde Filius Dei secundùm naturam humanam operatus est omnia humana: & secundùm diuinam operatus est omnia opera, quæ solus Deus poterat facere.

Nicolaus Lyranus. 1320.

Ad cap. 8. prioris ad Corinth. *Vnus est Dominus Iesus Christus:* Vnitate personæ, non naturæ. Quia naturam diuinam habet ab æterno, humanam ex tempore.

Ioannes Taulerus. 1350.

Dominica 4. Quadragesi. Serm. 1. Filius licet per diuinitatem æqualis sit Patri, seipsum tamen humiliter demisit, & exinaniuit secundùm humanitatem; non quò se nobis occultaret, sed temperaret, quò ipsum veraciter contemplari valeamus.

Thomas Argentinensis. 1350.

Lib. 3. dist. 5. q. 1. art. 3. In Christo propriè loquendo non est facta vnio in natura: quia si in Christo esset vnio in natura, tunc in Christo esset vna natura: sed consequens est falsum, & contra fidem. Quia si in Christo esset vna natura, vel illa esset tantummodò diuina, & tunc Christus non esset homo: vel tantummodò humana; & tunc non esset Deus. Quorum oppositum patet in Symbolo Athanasij, vbi dicitur de Christo: *Perfectus Deus, perfectus homo, ex anima rationali & humana carne subsistens.* Nec potest dici quòd vna natura sit in Christo per conuersionem vnius naturæ in alteram: quia ibidem dicitur: *Vnus autem non conuersione Deitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum.* Nec per commixtionem; quia dicitur 1. de generatione; Mixtio est miscibilium alteratorum vnio: sed natura diuina mutari non potest, iuxta illud: *Ego Deus, & non mutor:* nec per consequens est Malac. 3 miscibilis, nec alterabilis. Nec per accumulationem: quia sola corporalia sic faciunt vnum. Nec per informationem: quia nec humana natura potest informare diuinam naturam, cùm diuina natura sit purus actus & infinitæ perfectionis, & per consequens à nulla alia natura perfectibilis. Nec

diuinà poteſt informare humanam: quia omnis natura formaliter alicui inhærens, aliquo modo dependet ab eo quod informat; diuina autem natura eſt penitùs independens: & ideò non debet concedi, quòd in Chriſto ſit vnio naturæ.

Clemens Sextus. 1342.

Extra libro 5. titulo 9. de pœnitentijs & remiſſionibus cap. 2. Vnigenitus Dei Filius de ſinu Patris in vterum dignatus eſt deſcendere matris, in qua, & ex qua noſtræ mortalitatis ſubſtantiam diuinitati ſuæ in ſuppoſiti vnitate ineffabili vnione coniunxit, id quod fuit permanens, & quod non erat aſſumens: vt haberet vnde hominem lapſum redimeret, & pro eo ſatisfaceret Deo Patri.

Henricus ab Heruordia. 1350.

Aetate 5. Chriſtus Ieſus homo manifeſtus ex homine Virgine, qui ab æterno Deus occultus natus eſt à Deo Patre; imò verus Deus & verus homo natus ex Virgine.

Catharina Senenſis. 1360.

Tractatu 2. cap. 78. Beatus erat, quia natura diuina vnita cum humana natura pœnam in nullo ſuſtinere poterat, & ſemper animam eius beatam efficiebat, abſque velamine ſe demonſtrando ſibi. Doloroſus autem erat, eò quòd crucem in corpore ſuo portabat, pœnam amariſſimam tolerãdo, atque deſiderij crucem, vt pro culpa ſatisfaceret humanæ generationis. Ideo beatus erat, atque doloroſus, eò quia caro pœnam habebat, Deitas verò pœnam habere nequibat.

Laurentius Iuſtinianus. 1430.

Libro de ligno vitæ, de fide cap. 6. De Chriſti admiranda incarnatione confitetur Eccleſia, quòd Deus Pater vnicum Filium ſuum in vtero Virginis humanæ naturæ coniungens, Deum, ante ſecula ſibi coæternum, fieri voluit hominem in fine ſeculorum: & quem ſine tempore genuit, ſaluandis hominibus ſub tempore oſtendit. Vnde ſalua proprietate vtriuſque ſubſtantiæ, & in vnam coeuntre perſonam, ſuſcipitur à maieſtate humilitas, à virtute infirmitas, ab æternitate mortalitas: & ad reparandum conditionis noſtræ debitum, natura inuiolabilis naturæ eſt vnita paſſibili, Deuſq; verus & verus homo in vnitate perſonæ temperatur, ſicut noſtris remedijs congruebat, vt vnus idemq; Dei & hominum Mediator & poſſet mori ex vno, & reſurgere ex altero.

Dionyſius Carthuſianus. 1460.

Ad caput primum Lucæ, art. 5. Verbum, id eſt, Vnigenitus Filius Dei, verus Deus in ſe æternaliter ſubſiſtens, caro, id eſt, homo verus factus eſt, aſſumendo naturam humanam ad propriam perſonalitatẽ, vtpote ſanctificando eam in ſemetipſo, conferens ei ſubſiſtere in eodẽ eſſe, in quo & Verbum ſubſiſtit; ita quòd Verbi atque aſſumptę humanitatis eſt vna ὑπόστασις, eademque ſuppoſitalitas, ſeu ſubſiſtentia perſonalis. Nam & ipſum Verbum eſt ſuppoſitum, ſubſtantificans humanitatis ſibi vnitæ.

Baptiſta Mantuanus. 1500.

Lib. 3. Faſtorum de Annuntiatione beatiſſimæ Virginis.

Tunc Deus æternis cœpit mortalia vinclo
Iungere perpetuo, faciens hominemq; Deumq;
Perſonam coitu miro concurrere in vnam.

ASSERVNT IVDÆI VETERES.

Rabbenus Haccados.

In Gale razeya: Quemadmodum litera He componitur ex Daled & Vau, ita Rex Meſſias componitur ex diuinitate & humanitate. Et ſicut hęc duo He ſunt duo Daled, & ab his procedũt duo Vau, tãquã duo filij, qui ab ipſis oriũtur: ita in ſubſtantia Regis Meſſiæ inueniuntur duę filiationes, quarũ vna eſt diuinitatis, qua Dei Filius eſt: altera erit humanitatis, qua erit filius Prophetiſſæ, de qua dixit Eſaias cap. 8. *Et acceſſi ad Prophetiſſam, & concepit, & peperit filium.* Et ſicut harum literarum Daled & Vau, quæ conficiunt He, vnaquæque diſtincta eſt ab altera, quamquam ambæ ſint vna litera, ita in Meſſia ſubſtantia diuinitatis diſtincta erit à ſubſtantia humanitatis, & contra, quæ duo ſimul iuncta ſunt Meſſias, &c.

Rabbi Simeon filius Iohai.

In Zohar, ſuper illud: *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.* Traditum eſt in libro Seniotha veſiphra, id eſt, pudoris & occultationis: Poſtquam in ſupernis determinatum eſt in vniuerſum de hominis formatione, ſanctũ corpus & fœmina incorporata ſunt. In tempore autem tertio (quod videlicet conſequitur primum ſanctorum Patrum tempus, & ſecundum tempus Prophetarum) completa eſt hæc maxima copula, & coniuncti ſunt atque incorporati mundi ſuperiores & mundi inferiores. Abhinc verò incorporatus eſt mundus ſuperior mundo inferiori, mediãte corpore ſancto. Quodammodo verò ridebant & congratulabantur ſimul, efficiebãturq; vnum corpus: quoniam quod erat ſuperius, erat & inferius. Deus ſanctus & benedictus ſuperius: & Deus ſanctus & benedictus inferius. Et profiliens Spiritus de vagina, venit in vnum corpus, & in his omnibus vnus tantùm videbatur; ille nimirum, cui dicitur: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Deus exercituum,* implet terram totã gloria ſua. Et hoc totum vnum eſt corpus. Traditum item eſt: Poſtmodum coniunxerunt ſe veluti duo corpora, quando vnum penetrat aliud, hoc & illud. Sicut ſcriptum eſt: *Torquem aureum facicmus tibi cum notis argenteis.* Colligatę ſunt iuſtitia & miſericordia, & vnitæ ſunt Verbo, nec altera ſine altera diſcedit. Quapropter ſic nobis traditum eſt: Quando diuiditur corpus à mundo hoc, id eſt, quando in vniuerſum moriuntur homines, totum quod eſt hominis, nequaquam ſuperius aſcendit: quemadmodum aſcẽdit hoc, quod ſanctum vocamus corpus, tantæ certæ dignitatis, quod non vocatur Adam, id eſt, homo terreſtris, & in hoc vtique differt à cunctis alijs corporibus. Legimus quoque, *Torquem aureum & notas argenteas.* Quoniam vnum ſunt iuſtitia & miſericordia. Et propterea ſequitur: *Pulchra facta eſt genatua propter torquem, & collum tuum pulchrum factum eſt propter margaritas. Torquem:* Sicut dictum eſt, *Torquem aureum, cum margaritis.* Etiã ſcriptum eſt: *Notæ argenteæ collum tuum.* Quoniam inter cunctas fœminas in matrona hac reperitur ſanctitas, imò diuinitas, quæ conſueuerat deſcendere ſuper Hieruſalem, ſuperq; Sanctuarium. Et omnia hæc, poſtquam Verbum in ea corpus aſſumpſit, factumque eſt de hominum vniuerſitate, id eſt, homo plenus fide. Et quid eſt plenus fide? quoniam ſcilicet in illo inuenitur tota fides.

ARTICVLVS TERTIVS.

IESVM CHRISTVM IN DVARVM ILLARVM NATVRARVM CONIVNCTIONE OMNIA NOVISSE, NEC VLLA IGNORANTIA LABORASSE.

NEGANT.

Anno poſtnatũ Chriſtũ

160. GNOSTICI *Chriſtum ignorantem, & quaſi ſub cuiuſdam pædagogi ferula alphabetum diſcentem finxunt.* Irenæus lib. 1. cap. 17.

200. Celſus, (apud Origenem lib. 2. contra eundem:) *Si præſciuit,* inquit, *Chriſtus, aut vitare potuit, aut non: ſi potuit, & non vitauit, imprudens fuit: quòd ſi non, nec impotens, nec imprudens fuit, conſequitur nec præſciuiſſe quæ paſſurus erat.*

340. *Ariani negant Chriſtum omnia nouiſſe.* Athanaſius oratione 4. contra Arianos, Ambroſius de Fide lib. 5. cap. 8.

440. Theodoretus aduerſus Cyrillum Anathematiſmo 4. *Non Dei Verbi eſt ignorantia, ſed formæ ſerui, quæ tanta per illud tempus ſciebat, quanta deit as inhabitans reuelabat.*

540. Agnoitæ dicebant, *Chriſtum ignoraſſe diem iudicij. Verbum,* dicebant, *accepit corruptibile corpus, vt pro nobis moriendo, nos à morte liberaret. Ergo accepit etiam noſtram ignorantiam, id eſt, mentem humanam ignorantem, vt nos ab ignorantia liberaret.* Liberatus in Breuiario, Gregorius Magnus lib. 8. epiſt. 42. Sophronius epiſtola ad Honorium, Iſidorus libro 8. Etymol. Nicephorus lib. 18. cap. 50.

1520. Martinus Lutherus Concione in Natali Domini, explicans lectionẽ epiſt. ad Hebræos: *Et Mar. 13.* De die hoc nemo ſcit, non Angeli, neque Filius quidem, ſed ſolus Pater. *Vbi intempeſtiuam quidam adferunt enarrationem, dicentes:* Filius neſcit, *id eſt, non vult ſcire. Quid enim opus eſt iſtis commentis? Chriſtus verus homo fuit: quare vt alius purus, ſed ſanctus homo, non quolibet tempore cogitauit, dixit, voluit, intellexit omnia, ſicut imperiti quidam omnipotentem ex eo hominem faciunt, permiſcentes duas naturas, atque opera earum parum prudenter. Sicut enim non quolibet tempore omnia vidit, audiuit, atque ſenſit: ita etiam corde non omnia ſemper agnouit, ſed quantum illum duxit ac docuit Dominus.*

1530. Huldericus Zuinglius ad caput 2. Lucæ: *Deus non fuit in Chriſto vice animæ, ſed animam creatam, intellectualemq; in corpore ſuſcepit, quæ indies profecit, cùm ab initio non omnia noſſet. Sic alibi Chriſtus dicit, Filium hominis diem illum non noſſe, vt homo ſcilicet verus, licet vt Deus omnia ſciret.*

1540. Franciſcus Lambertus ad caput 2. Lucæ: *Fugienda eſt illa commentitia Sophiſtarum opinio, qua Seruatorem in his, quæ ad ſpiritum attinent, ſuccreuiſſe negant, &c. Neceſſe eſt profiteri, ipſum animæ dotibus profeciſſe.*

1550. Martinus Bucerus ad caput 24. Lucę: *Vt omnia humanæ infirmitatis in ſe recepit, hominibus per omnia ſimilis factus, excepto peccato: ita etiam humanam ſcientiam, & ignorantiam, rationem videlicet mentemq; humanam, quæ per interualla augetur, ſiue accreſcit, ſiue diminuitur, aſſumpſit; ſecundum quam nimirum aliquid neſcire dicitur. Ideò alibi habetur:* Profecit ſapientia & gratia.

Lucæ 2. 1550. Ioannes Caluinus in Harmonia Euangelica ad cap. 3. Matthæi, verſ. 16. *Cùm dicat Euangeliſta Spiritum ſanctum à Ioanne viſum, eius etiam cauſa præcipuè cælos fuiſſe apertos, probabile eſt, quanquam non repugno, quin Chriſtus etiam, quatenus homo erat, redditus ſit ſuæ vocationis certior. Atque huc tendere videntur Lucæ verba, cùm dicit:* Orante Chriſto apertos fuiſſe cælos. *Etſi enim ſuas preces ſemper in aliorum vſum deſtinauit, opus tamen habuit ſecundum hominem, cùm tam arduum militiæ genus aggreſſus eſt, ſingulari Spiritus virtute armari.*

Ad cap. 9. Matthæi, v. 2. *Quòd quidam exiſtimant, Chriſtum diuinitus conſcium fuiſſe ipſorum fidei, quæ occultã intus latebat, mihi coactum videtur.*

Ad cap. 21. v. 18. *Scimus Chriſtum carnis noſtræ infirmitatibus ſponte fuiſſe obnoxium, quamquam naturâ liber & immunis erat: ſed in eo ſita eſt difficultas, quomodo deceptus fuerit, fructum in arbore quærens, præſertim cum nondum eſſet maturum fructibus tempus: deinde cur tam ſeuerè excanduerit in arborem innoxiam. Sed nihil abſurdi eſt, ſi dicamus, ſecundum hominem ſpeciem arboris fuiſſe illi incognitam.*

Ad cap. 24. Matthæi, v. 36. *Porrò ter & quater inſanus foret, qui ſe grauatim ignorantiæ ſubyceret, quam ne ipſe quidem Dei Filius noſtra cauſa ſubire abnuit, &c. Nihil abſurdi fuit Chriſtum, qui omnia ſciebat, aliquid ſecundum hominis ſenſum neſcire: neque enim aliter, & dolori & anxietati obnoxius, & nobis ſimilis eſſe poterat. Quòd ſecundum hominem Chriſtus diem vltimum neſciuit, id nihilo magis diuinæ eius naturæ derogat, quam quòd mortalis fuit.*

Ad cap.2.Lucæ,v.40. *Primùm creuisse dicit & roboratum spiritu,quibus verbis significat,vnà cum ætate creuisse etiam animi dotes. Vnde colligimus profectus istos, vel incrementa ad hun. anam naturam referri. Quæritur an non statim, ex quo conceptus fuit in vtero matris, excelluerit omni donorum Spiritualium plenitudine. Responsio facilis est: Si nihil derogat eius gloriæ,quòd prorsus exinanitus fuit; neque hoc ab eo est alienum,quòd sicut adolescere corpore,ita & secundùm animam nostri causa proficere voluerit. Et certè cùm docet Apostolus per omnia fuisse nobis similem,excepto peccato,proculdubio hoc quoque comprehendit,quòd eius anima subiecta fuerit ignorantiæ.*

1563. Carolus Molinæus in Harmonia: *Christus*,inquit,*ab initio non habuit omnem scientiam,sicut somniant Papistæ,sed per gradus.*

1560. Nicolaus Gallasius in Irenæum lib.2.cap.49. *Ita Christus ignorauit,vt disceret ipse,atque erudiretur more hominum.*

1560. *Lucas Lossius ad cap.2.Luc.*: Proficiebat, *id est,augebatur in eo sapientia,vt in alijs hominibus, exercitatione & vsu.*

1578. Nathanael Ælianus in libro,quem inscripsit Matthanıa,ait, *quòd Christus exitum suum,quem habiturus esset Hierosolymis,didicerit à Mose & Helia, & propterea de eo nullam antea mentionem fecerit: imò Christum,etiamsi modò in cælis sit,tamen nec præsentia,nec futura nosse,nisi ei à Patre reuelentur.*

ASSERVNT SACRÆ LITERÆ.

Psal.44. Vers.8. Vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.

Esaiæ 11.1. Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet. Et requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientiæ & intellectus, Spiritus consilij & fortitudinis,Spiritus scientiæ & pietatis.

Ioannis 1.14. Et Verbum caro factum est,& habitauit in nobis,(& vidimus gloriam eius; gloriam quasi Vnigeniti à Patre) plenum gratiæ & veritatis. 16. De plenitudine eius nos omnes accepimus.

Ioannis 6.64. Sciebat ab initio Iesus qui essent non credentes,& quis traditurus esset eum.

Ioannis 16.30. Nunc scimus quia scis omnia,& non opus est tibi, vt quis te interroget:In hoc credimus quia à Deo existi.

Ioannis 18.4. Iesus sciens omnia quæ ventura erant super se.

Ioannis 21.17. Domine,tu omnia scis: tu scis quia amo te.

Coloss.1.19. Quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare.

Coloss.2.3. In quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi.

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Clemens Romanus. 80.

Lib.10.Recognitionum: Si Magister noster diem & horam,cuius etiam signa prædixit,nescire se professus est,vt totum reuocaret ad Patrem, quomodo nos turpe ducemus, si aliqua nos ignorare fateamur, cùm Magistri in hoc habeamus exemplum.

Iustinus Martyr. 160.

*Quæst.58.*Si Christo ignorantiam ascribere impietatis est,certum fuerit,omnium eum obtinere præscientiam perfectam.

Theophilus Antiochenus. 170.

Lib.1.Comment.in Euangelia: *De die autem illa & hora nemo scit.*) Diem & horam Deus se tantùm scire, non hominem voluit: & ideo nec Filium dixit scire, vt improbitatem humanam in iudicij diuini curiosa inquisitione confunderet, cùm filium hominis hoc nescire dixisset. Cæterùm Filius Dei, qui Deus ex Deo est, hoc ignorare non poterat: quippe dixit: *Omnia Patris mea sunt.* Si ergo natura Patris in Filio erat, scientiæ natura degenerare non poterat. Ergo diuinitas vna Patris & Filij diem & horã nouerat,quam creauit: non poterat autem nosse humana fragilitas,quod vtiliter ignorabat.

Irenæus. 180.

Libro 1. cap. 17. De Gnosticis: Adferunt ad stuporem insensatorum, & quæ sunt veritatis non scientium literas. Assumunt autem in hoc & illam falsationem, quasi Dominus cùm puer esset, & disceret literas,cùm dixisset magister eius,quêadmodum in consuetudine est, dic A, respondit A. Rursum cùm magister iussisset dicere eum B, respondisse Dominum, tu prior dic mihi quid est A,tunc ego dicam tibi quid est B. Et hoc exponunt quasi ipse solus incognitũ scierit, quod manifestauit in typum A.

Clemens Alexandrinus. 200.

Libro 1.Pædagogi cap.6. Sapientes ergo rogemus: Christus hodie regeneratus, iamne est perfectus, an quod est absurdissimum,ei aliquid deest? Sed si ita est, vt aliquid disceret opus fuit; sed eum, cùm Deus esset, nihil didicisse fuit consentaneum. Neque enim quis Verbo maior fuerit: sed neque magister ac Doctor est eius, qui solus est Magister.

Eusebius Cæsarienſis. 320.

De Demonstrat.Euangelica,libro 10. cap.8 *exponens Psalm.21.* De ventre matris meæ Deus meus es tu: *deducit Christi animam in vtero Virginis perfectissimam cognitionem,& constantiam habuisse,imò & Deum vidisse,cui cogitationi nihil addi potest.* Cùm,*inquit*, adhuc intra cellam gestantis me, in vtero laterem, te tamen Deum meum videbam, &c. *Et suprà*: Putabar,vt reliqui hominum infantes, imperfectus esse,& absque vsu rationis. Non enim eram talis,

talis, licet mihi cæteris hominibus simile esset corpus.

Athanasius. 340.

Disputatione in Concilio Nicæno contra Arium: Si reuera diem illum scit Christus, cur ab eo dictũ est, neque Filium nouisse diem illam? *Athanasius*: Non ab eo dictum est in hanc formam, neque ego noui diem illam: id enim consequens fuisset, vt diceret Dominus, siquidem de se certum esse noluisset, quòd istius rei ignoratione teneretur. Quin in Matthæo istud ipsum non refertur, *neque Filius nouit diem illam*, & cæteri Euangelistæ omiserunt istius rei mentionem. A Marco autem solùm relatum est: *neque Filius nouit diem illam.* Lege Marci narrationem tecum in animo,& senties Domino diem illam & horam nequaquam occultam fuisse. Ait enim Dominus Iesus: *De die autem illa & hora nullus cognitum habet, nec Angeli quidem cælorum, nec Filius, nisi Pater.* Sciens enim se nihil distare secundùm substantiam à Patre, sed vnitum se esse Patri Deo, suam præcognitionem subindicauit sub Patris præcognitione, quemadmodum ipse inquit: *Ego & Pater vnum sumus.* Ac rursum: *Omnia quæ habet Pater, mea sunt.* Non propter res creatas locutus est, cùm diceret: *Omnia quæ habet Pater, mea sunt*, sed quæ spectant ad Deitatem Patris,ea sibi propria & peculiaria esse ostendit, nimirum: immortalitatem, incorruptibilitatem, inuincibilitatem, incomprehensibilitatem, potentiam, & præcognoscendi vim, & quæcunque Pater est,ea sibi vt propria vendicauit. Ignorare tamen dixit Angelos & Filium. Ioan.14.

Sermone 4. contra Arianos: Ea quæ humanitus de Saluatore referuntur,& illa quoque piam sententiam in se complectuntur. Ea enim de causa iam prius illa excussimus, vt si audierimus eum percunctantem de Lazaro,vbinam situs esset: & interrogantem: *Quemnam me dicunt homines esse?* &: *Quot panes habetis?* &: *Quid vultis vt faciam vobis?* cognoscamus ex superioribus dictis veram inibi esse sententiam, & non scandalizemur, quemadmodum Christi oppugnatores Ariani. Primùm igitur ijs ita impiè sentientibus hoc proponendum est,vndenam colligant,eum ea,quæ percunctatur, ignorare? Non enim quisquis interrogat,statim ignarus est eorum, quæ interrogat,sed fit,vt de illis percunctetur,de quibus plenam scientiam habet:certè Ioannes, qui inducit interrogantem Dominum, quot panes haberent, nouerat illum earum rerum ignarum non esse, sed consciũm: ait enim: *Hoc autem locutus est, vt tentaret Philippum: ipse enim nouerat, quid facturus esset.* Si igitur nõrat id, quod faciendum sibi erat, vtique ignoratione laborare non potuit, sed cum scientia interrogationem fecit, &c. Dominum cæli & terræ,per quem omnia facta sunt, reum ignorantiæ faciunt de die illa & hora: & Verbum, quod omnia nouit,condemnatur ab ijs, quasi qui diem illum ignotum habeat: & Filius, qui cognoscit Patrem, incessitur de insciti a diei & horę: huic insaniæ quam (quæso) parem inuenias? Per Verbum omnia facta sunt, & tempora, & rerum agendarum articuli, nox item & dies, & vniuersa rerum natura: & Opifex ab istis fertur suum opus non intelligere? Atqui ipsa series lectionis ostendit,Filium Dei illam diem & horam probè scire,etiamsi Ariani sua insciti a in præceps ruant. Vbi enim dicit, *Ne Filius quidem*, ibi discipulis recenset ea, quæ diem illum antecedunt, dum inquit,ista & ista futura sunt, ac tum denique finis. Iam,qui ea, quæ diem illum antecedunt, eloquitur, omninò in cognitione sua diem habet, quæ post res prænunciatas subsecutura est. Si enim diem nesciret, nunquam ea, quæ diem anteueniunt,designasset: quippe ignarus,quando ea hora futura esset,&c.

Basilius Magnus. 370.

Epistola ad Amphilochium: Inquisitum iam à multis Euangelicum dictum, quasi ignoret Dominus noster Iesus Christus diem vltimum & horam,& maximè ob hoc, quia frequenter ab his, qui dissimilem asserunt,profertur ad amputandam gloriam Vnigeniti,& ad ostendendam dissimilitudinem essentiæ,& eius, quæ secundùm dignitatem est, ὑφεστιν, id est, minorationem; quasi non habeat eandem cum Patre naturam, nec eodem quo ille modo omnia præsciat. Istud nunc à tua prudentia nobis quasi nouum propositum est, &c. Id ergo, quòd dicitur *nemo*, generalis quidem sermo esse videtur, quasi nulla persona ab hac voce subtrahatur. Non autem sic est à Scriptura relatum, quemadmodum custodientes inspeximus in id, quod dictum est: *Nemo bonus, nisi solus Deus.* Non enim, ibi semetipsum excludens à boni natura Filius ista dicit. Credimus similiter intelligendum,& id quod dictum est: *Nemo nouit Filium nisi Pater.* Neque enim ibi Spiritus ignorantiam accusat, sed primùm Patri adesse cognitionem suæ naturæ testatur. Sic & hoc,quod dictum est: *Nemo scit*,primam scientiã & eorum quę sunt, & eorum quæ futura sunt ad Patrem referentis, & per omnia primam causam hominibus subostendentis dictum esse arbitramur. Non quomodo vel reliquis testificationibus Scripturæ consonat dictum, aut communibus nostris intelligentijs poterit conuenire, qui credimus imaginem Dei esse inuisibilis Vnigenitum: imaginem autem non figuræ corporalis, sed ipsius Deitatis, & magnorum omnium,quæ in essentia Dei intelliguntur, imaginem virtutis, imaginem sapientiæ, secundùm quod dictum est: *Christus Dei virtus, & Dei sapientia.* Manifestum est autem, quòd pars sapientiæ sit agnitio, cuius non seruat omnem imaginem Filius, si in aliquibus deficit. Quomodo autem & Pater ei per quem fecit secula,istam extremam partem seculorum & horũ diem illam non ostendit? Et quomodo factor omnium extremæ partis eorum, quæ ab ipso facta sunt, scientia defecit? Qui autem dicit, *iuxta finem illa & illa, & in cælo signa, & super terram per loca apparebunt*, quomodo ipsum finem ignorat? In hoc enim quod dicit: *nondum est finis*, non quasi ambigens, sed quomodo sciens determinat. Deinde etiam sana mente inspicienti multa & ab humana parte Dominus eloquitur: *Da mihi bibere*; vox est corporalem necessitatem exprimens: & tamen is qui petebat, non erat caro inanimata, sed Deitas carnem animatam habens. Sic ergo & nunc id quod ignorantiæ est,ad id quod *proficit apud Deum & homines sapientia & gratia*, accipiens quis, extra pium intellectum non eijcitur. Tui autem erit amabilis laboris proponere Euangelicas voces, & conferre ad inuicem Matthæum & Marcum: isti enim soli inuicem ad eundem locum adducti,ex alterutro apparent. Matthæi igitur textus sic se habet: *De die autem illa & hora nemo scit,neque Angeli cælorum,nisi Pater solus.* Marci autem, *De die autem illa & hora nemo nouit, neque Angeli de cælo,neque Filius,nisi Pater.* Quid igitur in istis putamus significari dignius? Quia Matthæus quidem nihil dixit de Filij ignorantia. Videtur autem Marcus simul referre secundùm intelligentiam, ex hoc quod dicit: *nisi Pater solus.* Nos autem arbitramur quod dictum est,*solus*,ad Angelorum distinctionem referendum esse,: Filium autem non comprehendi pariter cum suis seruis ignorantia. Verax est enim, qui dixit: *quia quæcunque*

Matt.19. Lucæ 10. 1.Cor.1. Lucæ 21. Matt.24. Ioan.4. Matt.24. Mar.13.

habet Pater mea sunt. In ijs autem quæ habet, & agnitio est diei illius & horæ. Reticens igitur suam personam, sicut manifestum est in Matthæi dicto, Dominus Angelos dixit ignorare: scire autem Patrem solum, Patris cognitionem etiam suam, esse dicit. Propter quod & in alijs dixerat: *Sicut cognoscit me Pater, & ego cognosco Patrem.* Si autem cognoscit Pater Filium totum ex toto, ita vt & repositam in ipso omnem sapientiam agnouerit, secundùm similem manifestè mensuram & cognoscitur à Filio cum omni, quæ inest ei, sapientia & præscientia futurorum. Istam ergo dignam arbitramur interpretationem, ex eo quòd in Matthæo est, *nisi Pater solus.* Quòd autem Marcus manifestè videtur & Filium amputare ab cognitione, sic intelligimus: Quia nemo nouit, neq; Angeli, sed nec fortè Filius sciret, nisi à Patre ei esset data cognitio. Hoc autem prædicabile est, & Deo dignum de Filio dicere: quia cui est consubstantialis, ex ipso agnitionem habet, id quod in omni sapientia & gloria, quæ deitatem eius condecet, conspicitur.

Ad Cæsarianos Apologia pro sua ab illis discessione, & de Fide. Propter te & horam & diem iudicij ignorat. Quamquam nihil latet veram illam sapientiam. Nam per illam omnia sunt condita. Nemo enim mortalis vsquam est, qui opus suum quod fecit ignoret. Verùm id ita dispensat Christus, propter tuam infirmitatem, ne vel ij, qui deliquerunt, per angustiã præscripti temporis adigantur ad desperationem, tanquam non relicto resipiscentiæ tempore: vel rursus ij, qui in militia Christiana decertant, per temporis prolixitatem ad deserendam aciem impellantur, si viderint sibi bellum esse cum diutina aduersaria potestate. Itaque vtrisque per ignorantiæ prætextum consulit, istis propter bonum certamen tempus abbreuians: illis verò propter delicta diluenda resipiscentiæ tempus reseruans. Quamquam cùm in Euangelijs scriptum adnumerarit ignorantibus, propter multorum, vt dixi, infirmitatem; in actis verò Apostolorum tanquam perfectis, seorsim differens, per sui ipsius exceptionem dicit, *Vestrum non est scire tempora, & articulos temporum, quos Pater in sua ipsius constituit potestate.*

Epiphanius. 380.

In Ancorato: *Nemo nouit diem neque horam,* inquit Filius Dei, *neque Angeli cæli, neque Filius, nisi Pater.* Putant autem stolidi, qui non sunt ornati Spiritu sancto, num est quid in Patre, quod non est in Deitate Filij? Sicut enim habet Pater vitam in seipso, sic habet Filius vitam in seipso. Et *omnia, quæ sunt Patris* mei, *mea sunt,* inquit, idem Dei sanctum Verbum. Quæ verò sunt ea quæ Patris sunt, quàm hæc? Deus Patris est, hoc etiam Filij: vita Patris est, hæc etiam Filij: lux Patris, nimirum etiam Filij: immortalitas Patris, similiter etiam Filij: incomprehensibilitas Patris, itemque Filij: Omnia quæ Patris sunt, Filij sunt. Si itaque ea, quæ Patris sunt, ipsius sunt: etiam cognitio, quæ est in Patre, & in Filio, & in Spiritu sancto est. Si verò quis putat Filium ignorare diem, discat indoctus, & ne maledicat &c. Roga itaque Patrem, vt reuelet tibi Filium, & roga Filium vt reuelet tibi Patrem: & rursus roga Patrem, vt det tibi Filium, & reuelet tibi sanctum Spiritum, & det tibi ipsum habere in te, quò datus in te sanctus Spiritus reuelet tibi omnem cognitionem Patris & Filij, & Spiritus sancti, vt discas quòd in Filio non est vlla ignorantia, neque in sancto Spiritu. Etiamsi enim Angeli destituuntur maiore potestate ac cognitione, absit vt etiam Filius Dei & sanctus Spiritus destituantur.

Gregorius Nazianzenus. 380.

Oratione 20. quæ est in laudem Basilij: Proficiebat Christus vt ætate, ita etiam sapientia: non quòd hæc in illo incrementum caperent (quid enim eo quod à principio perfectum erat, perfectius esse possit?) sed quòd hæc paulatim detegerentur & elucerent.

Oratione 36. quæ est 4. de Theologia: Decimo loco ignorantiam ponunt (*Eunomiani,*) quodqúe extremum diem atque horam nemo cognoscat, ac ne Filius quidem ipse, sed solus Pater. At quî fieri potest, vt sapientia quicquam eorum, quæ sunt ignoret, ille inquam seculorum factor, ille consummator atque immutator, ille eorum, quæ facta sunt finis? &c. Quid enim hac cognitione plenius ac perfectius? Quî verò constat, ipsum, ea quidem, quæ horam illam antecedunt, ac quæ velut in ipso finis articulo sunt, exactissimè scire, ipsam autem horam ignorare? Ænigmati quippe res hæc similis est: perindè videlicet ac si quis ea, quæ ante murum sunt, certissimè se nosse affirmet, murũ autem ipsum ignorare se fateatur: aut diei finem probè sciens, noctis principium minimè cognoscat: vbi alterius cognitio alterum necessariò secum ducit. Eccui igitur dubium esse potest, quin horam quidem, vt Deus, cognitam habeat, ignoret autem vt homo, si quis partem aspectabilem ab ea disiungat, quæ mente sola perspici potest?

Gregorius Nyssenus. 380.

Oratione 3. de Festo Paschæ, & Resurrectione: Christus nobis resurrexit hodie Deus, calamitatibus & casibus amplius non obnoxius, immortalis: non ad necessitatem casuum, vel de cælo descendere coactus, vel resurrectionem tamquam inexpectatum inopinatumúe beneficium præter spem adeptus; sed qui nouisset omnium rerum finem, atque ita initium fecisset, vt qui in oculis diuinitatis haberet propositorum cognitionem, & priusquam de cælo descenderet, videret & gentium perturbationem, & duritiam Israelis, & Pilatum pro tribunali sedere, & Caipham vestem sibi discindere, & seditiosam plebem ita inflammari, & Iudam prodere, & Petrum propugnare, ac quicquid futurum erat cognitione præscriptum habens, non distulit beneficium homini præstare.

Ioannes Chrysostomus. 400.

Sermone de Trinitate: *Nullus scit diem illam, vel horam, neque Angeli, neque Filius, nisi Pater.* Et quomodo ergo, inquit, æqualis est Patri, qui nescit diem illam? Qui fecit illam ignorabit ne illam? Et quare igitur dicit, *neque Filius?* Vide theoriam exquisitiorem. Duas quis scientias & notitias in Scriptura inueniet: Vnam quidem, quæ ex opere sumitur; alteram verò ex cognitione. *Cognouit* enim, inquit, *Adam Heuam vxorem suam,* non quòd priùs ignorauerit. Aut quomodo ignorasset, qui dixerat: *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro ex carne mea?* Et cognouit Abraham Saram vxorem suam. Et Iacob Liam & Rachel. Num ignorabat illas, qui propter illas annos quatuordecim seruierat? Sciebat quidem illas agnoscendo, opere autem postea cognouit. Itaque Pater, qui non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit Filio, scit diem tam cognitione, quàm opere. Filius autem, qui venit vt saluet mundum, & non vt iudicet, scit eam speculatiua notitia: quia autem nondum iudicauit, ideo dixit, ignorat diem, notitiam operatiuam significans.

Gen.2. Gen.29.

Cyrillus Alexandrinus. 430.

Anathematismo 4. aduersus Theodoretum: Quasi in obliuionem adductus esset eorum, quæ bene se habere putauit, separat iterum vnum Christum in duos, dum Saluatoris vocem apponit, dicentis: *De die vel hora illa nemo nouit, neq; Angeli cælorum, neque Filius, nisi Pater.* Deinde sapientiam esse affirmans Verbum ex Deo Patre natum, quæ & ante omnia futura prænoscat, adijcit, & dicit: Nõ igitur Verbi Dei est ignorantia, sed formæ serui, quæ tanta per tempus illud sciebat, quanta deitas inhabitãs reuelabat. Hæc & de alijs similibus dicenda sunt. Igitur si non mentiris, dicens vnum esse Christũ, & Dominum Iesum, eũdem scilicet Deum & hominem, vtique diuidis, & duos dicere filios non erubescis. An non planè duo sunt, siquidem non est idem, qui dimensam habet scientiam cum eo, qui nouit omnia? Et cum eo, qui partiariam recipit reuelationem, is, qui perfectus est in sapientia, & tanta cognoscens, quanta & Pater: Etsi quidem est vnus & idem propter veræ vnitatis causam, & non alius atque alius disiunctimq; & particulariter, eius omninò erit etiam hoc scire, & neutiquam vt solum putetur scire. Itaque nouit quidem diuinè sicut sapiẽtia Patris, cùm dispensatiuè mensuram ignorantis humanitatis assumpsit: propriumq; sit hoc cum alijs: quamquam sicut dudum dixi, ignorans nihil, sed sciens omnia cum Patre.

Marc.13

In Ioannem lib.1. cap.17. Quamquam Verbum Dei carnem, id est, hominem factum esse asseruerit, conseruare tamen etiam sic integram deitatis dignitatem Patris, non minus quàm antea plenum bonis ostendit: firma enim atq; immutabilis supernaturalis illa natura est, eodemq; modo se sem per habens, proprijs semper dignitatibus æqualiter abundat. Quamuis ergo Verbum caro factum sit, inquit, nec tamen infirmitate carnis superatũ est, nec de prisca maiestate atque omnipotentia decidit, quoniam homo factũ est. Vidimus enim, inquit, gloriam Christi adeò sublimiorẽ creaturarum gloria, vt mentis quisque compos nulli alij quàm vnigenito Dei Filio cõuenire illam fateretur. Plenus enim erat veritate ac gratia. Nam si quis Sanctorum multitudinem consideret, & singulorum mirificè gesta diligenter enumeret, non negabit gloria illos Dei plenos fuisse. Gloriam tamen & gratiam Filij longè absque comparatione sublimiorem videbit: non enim mensura sibi datur vt cæteris, nec deforis accedit: sed vt in perfecto perfecta subsistantialiter ineſt, à Patre naturaliter habita, &c. Si tantæ igitur sunt vires Vnigeniti, quãtæ Patris, vt operibus demonstratur, æquali cum Patre glorificabitur gloria, qui æqualiter operatur, &c. Sed si plena est, inquies, gloria eius gratiæ & veritatis, quomodo sapientia, ætate, & gratia profeciſſe apud Lucam scribitur? Aut quid accedere potest ad plenum, vltra quod nihil est? sed non vt Verbum & Deus profeciſſe intelligitur, verùm quia magis eum indies homines admirabantur, illorum potius de Iesu opinio, quàm illius perfecta crescebat gratia: vt magis indies cognoscentes, magis illum procedere ac gratia crescere arbitrarentur.

Luc.2.

Isidorus Pelusiota. 440.

Lib.1. epist. 117. Quid aduersum seipsos Domini iudicium impij homines attrahunt? quid Gehennæ ignem Dei hostes accendunt? Consummationis diem, inquiunt, Dominus ignorauit. Absit: verùm inutiles quæstiones explicare recusabat. Alioqui quonam pacto horam aut diem ignorare poterat, seculorum effector, *in quo thesauri omnes sapientiæ* siti sunt? Non erat ignorantis ipsa quoq; extremi diei signa & terrores prædicere, eumqúe veluti præsentem certis notis atque insignibus describere: verùm, vt iam dixi, vanæ percunctationis explicationem ac sententiam minimè declarandam duxit. Quid enim, dic quæso, vtilitatis attulerit, finis mundi diem exploratum habere? At verò eundem ignorare conducit, vt omnem diem illum esse existimantes, parati ad eum simus, vigilantes, ac Dominum nostrum expectantes.

Victor Antiochenus. 460.

Ad cap.13. Marci: Cùm Angelos cæli mysterium hoc latere dicit, discipulos tacitè admonet, ne id ipsi curiosè discere aueant, quod Angeli ignorãt. Cùm porrò addit: *neque Filius:* non modò ne hoc discere studeant, vetat: verùm etiam ne anxiè inquirant. Quod enim propter hoc illud dixerit, ex ijs cognoscere licet, quæ post illius resurrectionẽ acciderunt. Nam cùm Apostolos aliquando curiosiores videret, quò illorum curiositati silentium imponeret, diei illius ignorationem præ se ferre visus est: cùm tamen eq̃uè certò atque Pater illum compertum haberet. Etenim si *omnia per ipsum facta sunt,* quomodo fieri potest, vt diem illũ ignoret? Qui enim secula cõdidit, certum est eum omnia tempora, & temporum momenta explorata habere. Quòd si omnia tempora nouit, omnẽ quoq; diem sciat oportet. Quomodo enim diem, quem ipse fecit, nesciret? Si igitur Pater diem illum ignorat, & Filius quoq; ignorat. Verùm quia Pater non ignorat, sed certò cognoscit; nec Filius quoque ignorat, sed certò cognoscit: vtpote Patris sapientia existens, omniaq;, quæ Pater habet, vno hoc tantùm excepto, quòd ipse Pater nõ est, integrè obtinens. Sed dicis: si Filius tempora omnia, temporumq; omnium discrimina, status, & rationes nouit: prout & illa ipsa, & cætera omnia condidit, cunctaq; admirabili ordine & sapientia in suos fines dirigit, cur diem illum prodere nõ voluit? Vt vigiles: huc enim spectat, quod mox subditur: *Vigilate,* &c.

Act.2.

Titus Bostrensis. 460.

Ad cap.2. Lucæ: Puer Iesus non implebatur gratia & sapientia, quòd aliquod gratiæ aut sapientiæ incrementum per temporum interualla ipsi accederet: (semper enim vt Deus earum rerum plenus erat:) sed quòd Dei Verbum sapientiam & gratiã, qua pollebat, iuxta corporis incrementum magis magisq; subinde proderet.

Sophronius Hierosolymitanus. 630.

Epistola ad Honorium PP. recensens insignes Hæresiarchas: Themistius, qui fuit ignorantiæ pater, & genitor, atque seminator nefandissimus, qui Christum verum Deum nostrum, diem iudicij nescisse delirabat, nesciens quæ ipse, iam à Deo proiectus, assereret, & non recognoscens, quæ ignorando loquebatur. Nisi enim ignorasset verborum suórum virtutem, non vtiq; lethiferam ignorantiam peperisset, & ignorantiæ fœditatem feruenter defenderet, ignorare Christum nõ secundùm id, quòd Deus erat sempiternus, sed secundùm id, quòd veraciter homo factus: diem consummationis atque iudicij ex insipientia mentis eructans, & purum eum efficiens hominem, & hac monstruositate se defamans Acephalum, & naturam vnam eiusdẽ Christi Saluatoris nostri compositam vaticinans.

Ioannes Damascenus. 730.

Lib.3. cap.21. Orthodoxæ fidei: Scire operæpretium est Christum ignoratione quidem laborantem ac seruam naturam assumpsisse. Hominis enim natura Dei conditoris sui serua est, atque in futura-

rum rerũ ignoratione versatur. Quare, si de Theologi Gregorij sententia id quod in oculorũ aspectum cadit, ab eo quod mente atque intelligentia percipitur, distinxeris, serua & ignorans caro Christi dicitur. Verùm ob personæ identitatem, atque indiuulsam coniunctionem, Domini anima rerum futurarum cognitione, quemadmodũ & reliquis miraculis, locupletata est, &c. Domini anima ob vnionem cum ipso Deo Verbo, ac personalem identitatem, vt reliquorum miraculorum, sic etiam futurarum rerum notitiam consecuta est, &c. Nos rerum omnium conditarũ Dominum didicimus, vnum Christum, eundem simul Deum & hominem, omniaq; ei nota & explorata esse. *In ipso siquidem sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ abscõditi.* Coloſ.2.

Luc.2. *Cap.22.* Proficere autẽ sapientia & ætate & gratia idcirco dicitur, quòd ætate quidem cresceret, per ætatis autem incrementum sapientiam eam, qua præditus erat, in lucem proferret: ac præterea quòd hominum in sapiẽtia & gratia progressum, paternæq; voluntatis expletionem, hoc est hominum pietatem ac Dei cognitionem & salutem, profectum suum duceret, atque vbiq; quod nostrum erat sibi asciscere. Qui autem eum progressus in sapientia & gratia perinde feciſſe aiunt, ac si earum incrementum acciperet, non à primo illo carnis ortu factam esse vnionem asserũt, nec personalem vnionem tuentur, verùm stulto homini Nestorio fidem adhibentes, habitualẽ quandam vnionem, ac nudam inhabitationem prodigiosè confingunt, nescientes nec quæ dicunt, nec de quibus affirmant. Nam si caro ab vltimo ortu Deo Verbo vnita est, imò potius in ipso extitit, ac personalem cum eo identitatẽ habuit, quid tandẽ afferri potest, quin omnibus prorsus sapientiæ gratiæq; opibus affluxerit: non ipsa gratiã more nostro percipiens, nec in partem eorum, quę Verbi erant, per gratiam veniens, quin potius ob personalem vnionem, tum humanarum, tum diuinarum rerũ, quę vnius Christi factę erant, (quando quidem idem simul & Deus & homo erat,) gratiam & sapientiam, ac deniq; omnium bonorum cumulum mundo fontis instar effundens?

Elias Cretensis. 790.

In 51. Orationem Nazianzeni: Vnigenitus Dei Filius & semper Deus, & semper Filius fuit, etiam si propterea, quòd ea opera, quę Dei maiestatem decebãt, paulatim demonstrarit, proinde apud Euangelistam Lucam ętate, & sapiẽtia, & gratia proficere dicatur. Nam cùm Deus Verbum esset, poterat quidem statim à vulua partem eam, quam assumpserat, ad perfecti viri mensuram prouehere: verùm id non procul à prodigio quodam abfuisset. Eoq; nomine humanæ naturæ mensuras & leges sequebatur. Qua etiam ratione sapientia, proficere dici queat, non quòd sapientiæ accessionem & incrementum susciperet, quatenus Deus erat, sed quia sapientiæ demonstratio simul cum corporis perfectione paulatim se porrigebat, & elucebat.

Theophylactus. 900.

Ad cap.2. Lucæ: Disputabat cum Scribis, rogans eos de Lege: & obstupuerunt omnes. Vides quomodo profecerit in sapientia, eò quòd noscereturà multis, & in admiratione esset. Emicatio enim sapientiæ eius, profectus ipse est.

Ad cap.13. Marci: Quòd Dominus sciuerit diem & horam, manifestum, quia seculi conditor est. Et quo pacto quod fecit nesciret? Verùm vtiliter abscondit Deus consummationem vitæ, siue omnium in communi, siue cuiuscunque in singulari, vt dum incertus est finis, semper solliciti simus & anxij, expectantes illum, & timẽtes ne impræparatis superueniat.

Euthymius. 1080.

Ad cap.24. Matthæi: *Nisi Pater solus.*) Dictio, *solus,* in ordine ad creaturas intelligitur, non ad Filium. Si enim *omnia, quæ habet Pater* Filij *sunt,* sicut dixit Filius: inter omnia autem est vnum, scire diem & horam: Filij procul dubio etiam hoc erit. Apud Marcum verò scriptum est: *Neque Filius, nisi Pater.* Et quidam intelligunt, quòd neque Filius nouit diem illũ & horam, vt homo: nam vt Deus, nouit æqualiter cum Patre. Aptius est autem, vt ita dicatur: Neque Filius scit, nisi Pater videlicet sciat: quia verò scit Pater, scit vtique & Filius. *Ego enim,* inquit, *& Pater vnum sumus.* Marc.13.

Nicetas Choniates. 1200.

Orthodoxæ fidei lib.1. cap.9. Diem & horam supremi iudicij nemo cognoscit præter Patrem, & Patri coæternum Filium, atque adeò Spiritum, qui ex Patre procedit.

Nicephorus Callistus. 1300.

Lib.18.cap.50. Agnoitæ dicunt, Deum quidẽ Verbum omnia nosse, humanitatem verò secundùm subsistentiam ei vnitam permulta ignorare. Nescire sanè horam & diem mundi totius consummationis, vtpote Patre minorẽ: propterea qđ in Euangelio secundùm Matth. & Marcũ dicat: *De die aũt illa & hora nemo nouit, neq; ipsi Angeli in cælis, neq; adeò Filius, præterquã Pater solus.* Itaq; cum huiusmodi vocibus primùm Arius & Aëtius & Eunomius hęresiarchæ, & deinceps alij progressi, imperitè simul & impiè prolocuti sunt, alterius esse naturæ Patrem, alterius Filium. Et illum quidem principio carentem: hunc autem creaturam, qui temporale principium sumpserit, minus per omnia Patri æqualem. Id verò per manus acceptũ Themistius philosophus magis etiam confirmauit, & defendit. Liceat autem hæresin hanc riuum quendam Ariani dogmatis dicere. Ac veteres quidem eius auctores, cùm pietas reluxisset, atque inualuisset, vnà cum inuento suo disperierũt. Eo verò ipso tempore Seueritæ malũ id magno perè propagârunt. Non longè autem post id rursum euanuit, & hæresis ea ignorantiæ profundo immersa est.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Hilarius. 350.

De Trinitate lib.9. An credibile esse possit, vt aliqd ex omnibus nesciat, qui omnibus ad id, quòd sunt atque erunt, auctor est. Si enim omnia per Christũ, & in Christo, & ita per ipsum, vt omnia in ipso sint, id quod neque extra eum, neque non per eum est, quomodo non etiam in scientia eius sit, cùm plerumque scientia ea etiam, quæ neque in se, neque per se sint, per virtutem naturæ non nesciæ apprehendat? &c. Cogitationes namque humanas non tantùm præsenti motu incitatas, sed etiam instinctu futuræ voluntatis agitandas Dominus Christus non ignorat, Euangelista testante: *Sciebat enim Iesus ab initio, qui essent non credentes, & quis esset traditurus eum.* Naturæ ergo eius virtus, quæ cognitionem rerum non extantium capit, & quiescentium adhuc animorum subituras

inquie-

inquietudines non ignorat, id quod per se, intraq; se est, nescisse existimabitur: & alieni potens, impotens sui esse? De quo dictum meminerimus: *Omnia per ipsum, & in ipso creata sunt, & ipse est ante omnes.* Vel illud: *Quia in ipso complacuit omnem plenitudinẽ inhabitare, & per ipsum reconciliari omnia in ipso.* Coloſ.1. Cùm igitur omnis in eo sit plenitudo, & omnia per ipsum & in ipso reconcilientur, & dies illa reconciliationis nostræ expectatio sit: hanc ille diem ignorat, cuius & in se tempus est, & per sacramentum eius est? &c. Nemo itaque quod per se, & intra se est, nescit. Christus aderit, & aduentus sui diem ignorat? Dies suus est secũdùm eundem Apostolum, quia *dies Domini sicut fur nocte aduenit:* & ignoratione eius detineri intelligẽdus est? Humanæ naturæ quod agere definiunt, quantum in se est, præsciunt, & sequitur gerendorum cognitio voluntatem agendi: Deus verò natus, quod in se: & per se est, nescit? Per eum enim tempora, & in eo dies est, quia & per ipsum futurorum constitutio est, & in ipso aduentus sui dispensatio est, &c. Proprium Deo quid aliud, quàm cognitio futurorum est? vt res nondum manentes, mansuraq;, posterius inuisibilium, ac nondum extantium generum capax natura contineat. Non patitur autem in nobis Doctor gentium Paulus hanc impij erroris professionem, vt ignorasse aliquid Coloſ.2. Vnigenitus Deus existimetur, ait enim: *Instituti dilectione, in omnes diuitias adimpletionis intellectus, in agnitionẽ sacramenti Dei Patris & Christi, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ abscõditi.* Deus Christus sacramentum est, & omnes sapientiæ & scientiæ in eo thesauri latent.

Ambrosius. 370.

De fide lib.5. cap.8. Vnde execrabiles eos, qui ista cõmemorant, & à Spiritu sancto esse damnatos, scire debemus: (quos enim alios nisi specialiter Arianos, Propheta condemnat?) qui dicũt, quòd Dei Filius nesciat tempora & annos? Non enim est aliquid quod ignoret Deus. Si autẽ Deus Christus, & altissimus Christus, *ipse est* enim *super omnia Deus.* Videte quemadmodum S. Dauid huiusce modi, qui Dei Filio scientiam derogent, perhorrescat. Sic enim habes: *In laboribus hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur. Ideo obtinuit eos superbia eorum, cooperti sunt iniquitate & impietate sua; prodijt quasi ex adipe iniquitas eorum, transierunt in dispositionem cordis.* Vtique condemnat qui ex dispositione cordis æstimanda quæ diuina sunt arbitrantur. Nã Deus nec dispositioni est subiectus, nec ordini, &c. Ariani quotidie perstrepunt, omnem in Christo scientiam esse non posse: quia ipse, inquiũt, diei & horæ se professus est esse ignarum. Nonne dicunt, quomodo sciuit, qui eum nõ potuisse scire commemorant, nisi quæ audierit & viderit, & ea quæ spectant ad diuinæ vnitatem naturæ ad infirmitatem quoque sacrilega interpretatione deriuant? Scriptum est, inquiunt: *De die autem illa & hora nemo scit, neque Angeli cælorum, nec Filius, nisi solus Pater.* Primùm veteres non habẽt codices Græci, quòd *nec Filius scit.* Sed non mirum si & hoc falsârunt, qui Scripturas interpolauêre diuinas. Qua ratione autem videatur adiectum, proditur dum ad interpretationem tanti sacrilegij deriuatur. Pone tamen ab Euangelistis scriptum. Medium vtique nomen est Filij Nam & filius hominis dicitur, vt secundùm imprudentiam assumptionis nostræ diem futuri iudicij nescisse videatur. Quomodo enim nesciret diẽ Dei Col.2. Filius, cùm *in ipso sint thesauri sapientiæ & scientiæ Dei abscõditi?* Quæro autem vtrum ex substantia, an ex accidenti habuerit scientiam? Omnis enim scientia aut ex natura, aut ex disciplina est. Ex natura suppetit, vt equo currere, pisci natare: hæc enim faciũt antequam discant. Ex disciplina rursus suppetit, natare homini: nam nisi didicerit, scire non poterit. Cùm ergo multis animantibus suppetant ex natura facere & scire quæ non didicerint, quid censes de Dei Filio, vtrum ex institutione, an ex natura habeat scientiam? Si ex institutione, ergo non est natus sapientia, & ex processu cœpit esse perfectus, nec erat semper. Quòd si naturalem scientiam habet, vtique perfectus in principio erat, qui perfectus ex Patre processit, & ideò præscientia non eguit futurorum. Non ergo nesciuit diem. Neque enim sapientiæ Dei est ex parte scire, & ex parte nescire. Nam quomodo potest nescire partẽ, qui fecit omnia, cùm minus sit scire quàm facere? Multa enim scimus quæ facere non possimus, nec eodem modo omnes scimus, sed ex parte cognoscimus, &c. Quòd si magnum & summum arbitrantur scire iudicij diem, dicant quid Deo Patre maius aut melius sit. Patrem igitur Deum nouit, vt ipse ait, quòd *nemo nouit Patrem nisi Filius, & cui Filius voluerit reuelare.* Patrem, inquam, nouit, & diem nescit? Si ergo creditis quòd Patrẽ reuelat, & diem non potest reuelare? Deinde quia gradus quosdam facitis, vt Patrem Filio, Filium Spiritui præferatis, dicite mihi vtrum Spiritus sanctus nouerit iudicij diem. Nihil enim de eo scriptum est hoc loco. Negatis profectò. Quid si docco, quod nouerit? Lectum est enim: *Nobis autẽ reuelauit Deus per Spiritum suum. Spiritus enim omnia scrutatur, etiam alta Dei.* Vtique quia *alta Dei scrutatur,* cùm Deus nouerit iudicij diem, etiam Spiritus nouit. Nouit enim omnia quæ Deus nouit, sicut Apostolus declarat, dicens: *Quis enim scit hominum, quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est?* sic & quæ Dei sunt, nemo cognouit, nisi Spiritus Dei. Videte igitur, ne negando Spiritum sanctum scire, negetis & Patrem scire. Quę Dei sunt, cognouit & Dei Spiritus: quæ autem non cognouit Spiritus Dei, vtique Dei non sunt. Confitendo igitur quæ Spiritus nouit Dei, quod negatis Filium scire, contra vestram assertionem Spiritũ Filio præfertis. Verùm non solùm sacrilega ista, sed etiam inepta dubitatio. *Vide cætera.* Matth.11. 1.Cor.2.

Hieronymus. 390.

Ad cap.11. Isaiæ: *Super hunc florem requieſcet Spiritus Domini:* quia *in ipso complacuit omnem plenitudinem diuinitatis habitare corporaliter:* nequaquam per partes, vt in cæteris Sanctis, sed iuxta Euangeliũ eorum, quod Hebręo sermone conscriptum legunt Nazaræi: *Descendet super eum eum omnis fons Spiritus sancti. Dominus autem Spiritus est: & vbi Spiritus Domini, ibi libertas.* In eodem Matthæi volumine legimus illud, quod in consequentibus scribitur: *Ecce puer meus, quem elegi: electus meus, in quo complacuit animæ meæ: ponam Spiritum meum super illum: iudicium gentibus proferet:* ad Saluatoris referri intelligẽtiam, in quo requieuit Spiritus Domini, id est, æterna habitatione permansit: non vt auolaret; & rursum ad eum descenderet: sed iuxta Ioannis Baptistę testimonium iugiter permaneret, qui ait: *Vidi Spiritum descendentem quasi columbam de cælo, & manentem in eo, & ego nesciebam illum,* &c. Coloſ.1 2.Cor.3. Ioan.1.

Ad cap.24. Matthæi, ad illa verba: *De die autem illa & hora nemo scit, neque Angeli cælorum, nisi solus Pater.*) In quibusdam Latinis codicibus additum est: *neque Filius,* cùm in Græcis, & maximè Adamantij & Pierij exemplaribus hoc non habeatur ascriptum: sed quia in nonnullis legitur, differendum videtur. Guepra, Arius, & Eunomius, quasi ignorantia magistri gloria discipulorum sit, dicunt: Non potest æqualis esse, qui nouit, & qui ignorat. Contra quos breuiter ista dicenda sunt: Cùm omnia tempora fecerit Iesus, hoc est, Verbum Dei: *Omnia* enim *per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est* Ioan.1.

nihil:

nihil: in omnibus autem temporibus, etiam dies iudicij sit: qua consequentia potest eius ignorare partem, cuius totum nouerit? Hoc quoq; dicendum est. Quid est maius notitia Patris, an iudicij? Si maius nouit, quomodo ignorat quod minus est? Scriptum legimus: *Omnia, quæ Patris sunt, mihi tradita sunt.* Si omnia Patris Filij sunt, qua ratione vnius sibi diei notitiam reseruauit, & noluit eam cõmunicare cum Filio? Sed & hoc inferendum: Si nouissimum diem temporum ignorat, ignorat & penultimum, & retrorsum omnes. Nõ enim potest fieri, vt qui primum ignorat, sciat quid secundum sit. Igitur quia probauimus non ignorare Filium consummationis diẽ, causa reddenda est, cur ignorare dicatur. Apostolus super Saluatore scribit: *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi.* Quare absconditi sunt? Post resurrectionem interrogatus ab Apostolis, de die, manifestius respondit: *Non est vestrũm scire tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate.* Quando dicit: *non est vestrũm scire,* ostendit quod ipse sciat, sed non expediat nosse Apostolis: vt semper incerti de aduentu iudicis, sic quotidie viuant, quasi die illo iudicandi sint. Deniq; & consequẽs Euangelij sermo idipsum cogit intelligi: dicens quoque Patrem solum nosse, in Patre cõprehendit & Filium. Omnis enim Pater Filij nomen est.

Luc.10.

Coloſ.2.

Act.1.

Ad cap.31. Hieremiæ, ad illud: *Mulier circundabit virum.* Absque viri semine, absque vllo coitu fœmina circundabit virum gremio vteri sui; qui iuxta incrementa quidem ætatis, per vagitus & infantiam proficere videbitur sapiẽtia & ætate: sed perfectus vir in ventre fœmineo solitis membris continebitur.

Augustinus. 400.

De peccatorum meritis & remissione lib.2.cap.29. Quis est igitur, qui audeat dicere Dominum Christum tantùm maioribus, nõ etiam paruulis esse Iesum, qui *venit in similitudine carnis peccati, vt euacuaret corpus peccati,* in quo infirmissimo nulli vsui congruis vel idoneis infantilibus membris anima rationalis miserabili ignorantia prægrauatur. Quam planè ignorantiam nullo modo crediderim fuisse in infante illo, in quo *Verbum caro factum est,* vt habitaret in nobis; nec illam ipsius animi infirmitatem in Christo paruulo fuerim suspicatus, quam videmus in paruulis. Per hanc enim etiam cùm motibus irrationabilibus perturbãtur, nulla ratione, nullo imperio, sed dolore aliquando, vel doloris terrore cohibentur: vt omninò videas illius inobedientiæ filios, quæ mouetur in mẽbris repugnans legi mentis.

Lib.15.de Trinitate cap.14. Verbum Dei Patris, vnigenitus Dei Filius, per omnia Patri similis & æqualis, Deus de Deo, lumen de lumine, sapientia de sapientia, essentia de essentia: est hoc omninò quod Pater, non tamen Pater; quia iste Filius, ille Pater. Ac per hoc nouit omnia, quæ nouit Pater, sed ei nosse de Patre est sicut esse. Nosse enim & esse illi vnum est, &c. Nouit omnia Deus Pater in seipso, nouit in Filio, sed in seipso, tanquã seipsum in Filio, tanquam Verbum suum, quod est de his omnibus, quæ sunt in seipso. Omnia similiter nouit & Filius, in se scilicet, tãquã ea, quæ nata sunt de ijs, quæ Pater nouit in seipso. In Patre autem tanquam ea, de quibus nata sunt, quæ ipse Filius nouit in seipso. Sciunt ergo inuicẽ Pater & Filius, sed ille gignendo, iste nascendo. Et omnia quæ sunt in eorum scientia, in eorum sapientia, in eorum essentia, vnusquisque eorũ simul videt: non particulatim, aut fingillatim, velut alternantecõspectu hinc illuc, & inde huc, & rursus inde, vel inde in aliud, atque aliud, vt aliqua videre non possit, nisi nõ vidẽs alia: sed, vt dixi, simul omnia videt, quorum nullum est quod nõ semper videt.

Prosper Aquitanicus. 450.

De promissionibus & prædictionibus part.2. c.31. Christus cùm omnia nõrit, aliqua se nescire simulat, vt est illud de Lazaro: *Vbi posuistis illum?* Et: *De die & hora nemo scit, neque Angeli, neq; Filius:* cùm eo die & ea hora ipse venturus sit Filius. Et illud: Narrantibus duobus discipulis de passione eius, & dicẽtibus ei: *Nescis quæ facta sunt in Hierusalẽ ante tertium diem?* Et ipse in quo facta sunt, nescienti similis dicit: *Quæ?* sed hæc quæ cælantur, aut in magno aguntur mysterio, aut intentio cordis extenditur in Deum, vt quantum non capit, auidius nosse quærat: & cùm quæsita non intellexerit, amplius metuat, sciens diuinum esse atq; profundum, quicquid mortalibus nosse fuerit denegatum.

Ioan.11. Matt.24

Lucæ 22.

Fulgentius. 500.

Responsione 3. ad Ferrandum Diaconum: Quòd si animæ Christi non ad mensuram dedit Deus Spiritum, necesse est vt nihil minus habeat sapientiæ, nihil minus scientiæ. Spiritus enim ille, *Spiritus est sapientiæ & intellectus, consilij & fortitudinis, scientiæ & pietatis.* Ac per hoc non solùm ad diuinitatẽ Christi, sed ad eius quoque animam illa perfectionis prærogatiua pertinet, quã ipsi Christo B. assignat Apostolus, dicens: *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi.* Si enim non ad mensuram accepit spiritum sapientiæ & scientiæ, necesse est vt omnes thesauros sapientiæ & scientiæ habeat. Quòd si ei aliquid eius plenitudinis demitur, cõsequens est, vt ad mensuram accepisse spiritũ prædicetur.

Col.2.

Primasius. 540.

Cap.19. in Apocalypsin: Quòd si quid solus Filius nosse dicitur, omnis prorsus Trinitas scire doceatur: sicut etsi quid Pater solus scire narratur, cũ sua procul dubio Sapientia, quæ est Christus; vel cum suo Spiritu, qui Patris & Filij dicitur, nosse probetur. Nam cùm diẽ iudicij solus Pater nosse perhibetur, scire profectò & Filius, & Spiritus sanctus non negatur. Et quòd in Euangelio dicit, diem iudicij neq; Filium, sed Patrẽ solum scire, illa regula locutionis hoc dicitur, qua sciẽdo aliqd loquentes facit, & nesciendo efficit nescientes.

Cassiodorus. 550.

Ad Psalmum 9. Licet per quædã indicia frequenter videantur edicta, quando tamen veniant, hominibus incognita habentur. De ipso enim die Dominus in Euangelio dicit: *De die autem illa & hora nemo scit, neque Angeli, neque Filius, nisi solus Pater.* De quo loco beatissimi Patres Hilarius, & Augustinus, Ecclesię sanctę lumina, plurima & luculenta dixerũt; iudicantes esse nefarium, si illa omnipotens Verbi humanatio aliquid de futuris ignorasse putaretur, quod Patrem scire prædicauit. Nam cùm Petrus in Euangelio dicat: *Domine, tu omnia nosti: tu scis, quia amo te.* Item ipse Dominus dicat: *Omnia, quæ habet Pater, mea sunt,* vtique Patris omnia nõ haberet, si quod Pater nosset, ille nesciret: sed ita salutariter ac veraciter credendum esse docuerũt, vt per Metonymiam, quę in Scripturis sacris sæpiùs inuenitur, debeat intelligi, quòd vtiliter suos faciat nescire subiectos. Nam in Genesi Abrahamo Deus dicit: *Nunc cognoui, quoniam times Dominum Deum tuum:* id est, nunc te cognoscere feci. sic & hîc positum est, nescio, id est, nescire vos facio. Nam ipse Dominus alibi similiter dicit: *Nescio vos:* cùm vtiq; quos damnabat ignorare non poterat. Denique interrogatus de ipso articulo dicit: *Non est vestrũm nosse tempora, vel momenta:* non enim dixit, non est meum; sed, *non est vestrũm:* sic vtrumque seruatum est, vt & homines ignorarent, quæ illos non oportebat agnoscere; & hoc Dei Filius nequaquam carnis infirmitate

Marc.13.

Ioan.21.

Ioan.16.

Gen.22.

Matt.25.

Luc.21. Act.1.

non

non sciret. Quòd si maiestatem illam (quod dici nefas est) texisse ignorantiam suspicemur, fortior vtique inueniretur ignorantia, quàm diuina natura, quæ (vt stultè dicam) opprimere valuit prouidentiam, per quam omnia sunt creata. Sed cùm hæc nimis doceãtur absurda, credere dignũ est, totam Trinitatem, cui vna atque omnipotens natura est, omnium rerũ indefessam semper habere notitiam.

Gregorius Magnus. 590.

Lib.8. Epist.42.ad Eulogium Patriarcham Alexandrinum, qui scripsit contra Agnoitas: Ita doctrina vestra per omnia Latinis Patribus concordauit, vt mirum mihi nõ esset, quod in diuersis linguis Spiritus non fuerit diuersus, &c. De eo verò quòd scriptum est: *Quia diem & horam neque Filius, neque Angeli sciunt:* omninò rectè vestra sanctitas sensit, quoniam non ad eundem Filium, iuxta hoc quod caput est, sed iuxta corpus eius, quod sumus nos, est certissimè referendum. Qua de re multis in locis idem B. Augustinus eo sensu vtitur: Dicit quoque & aliud, quod de eodem Filio possit intelligi: quia Deus omnipotens aliquando more loquitur humano, sicut ad Abraham dicit: *Nunc cognoui, quia times Deum.* Non quia se Deus tunc timeri cognouerit: sed quia tunc eundem Abraham fecit agnoscere, quia Deum timeret. Sicut enim nos diem lætum dicimus, non quòd ipse dies lætus sit, sed quia nos lætos facit: ita & omnipotens Filius nescire se dicit diem, quem nescire facit, non quòd ipse nesciat diem, sed quia hunc sciri minimè permittat. Vnde & Pater solus dicitur scire, quia cõsubstãtialis ei Filius, ex eius natura, qua est super Angelos, habet vt hoc sciat, quod Angeli ignorãt. Vnde & hoc intelligi subtiliùs potest: quia incarnatus Vnigenitus, factusq; pro nobis homo perfectus, in natura quidem humanitatis nouit diẽ & horam iudicij, sed tamen hunc non ex natura humanitatis nouit. Quod ergo in ipsa nouit, non ex ipsa nouit qua Deus est homo factus; diem & horam iudicij nõ nisi per deitatis suæ potentiam nouit: Sicut & in nuptijs cùm Mater Virgo diceret vinum deesse, respondit: *Quid mihi & tibi est mulier? Nondum venit hora mea.* Neque enim Iesus Angelorum Dominus horæ subiectus erat, qui inter cuncta, quæ creauerat, horas & tempora fecerat: sed quia Mater Virgo, cùm vinum defuit, per eum miraculum fieri volebat, statim ei responsum est: *Quid mihi & tibi est mulier?* ac si apertè diceret: Vnde facere miraculum possum, hoc mihi ex Patre, non ex matre est. Ex matre enim mori poterat, qui ex natura Patris miracula faciebat, &c. Itaq; scientiam, quam ex humanitatis natura non habuit, ex qua cum Angelis creatura fuit, hanc se cũ Angelis, qui creaturæ sunt, habere denegauit. Diẽ ergo & horã iudicij scit: quia Deus & homo. Res autem valde manifesta est: quia quisquis Nestorianus non est, Agnoita esse nullatenus potest. Nã qui ipsam Dei sapientiã fatetur incarnatam, qua mente valet dicere, esse aliquid quod Dei sapientia ignoret? Scriptum est: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Omnia per ipsum facta sunt.* Si *omnia,* proculdubio etiam dies iudicij & hora. Quis ergo ita desipiat, vt dicere præsumat, quia Verbũ Patris fecit quod ignorat? Scriptum quippe est: *Sciens Iesus, quia omnia dedit ei Pater in manus.* Si *omnia,* profectò diẽ iudicij & horam. Quis ergo ita stultus est, vt dicat, quia accepit Filius in manibus, quod nescit? De eo verò loco, in quo mulieribus de Lazaro dicit: *Vbi posuistis eum?* Ipsa specialiter sensimus, quæ sensistis: quia si negãt scisse Dominum vbi fuerat Lazarus sepultus, atque ideo requisisse, proculdubio compellentur fateri, quia nesciuit Dominus, in qui-

Marc.13.

Ioan.2.

Ioan.1.

Luc.10.

Ioan.11

bus locis se Adam & Eua post culpam absconderant, cùm in Paradiso dixerat: *Adãvbi es?* aut cùm Cain corripuit, dicens: *Vbi est Abel frater tuus?* Qui si nesciebat, cur protinus adiunxit? *sanguis fratris tui de terra clamat ad me?*

Gen.3. Gen.4.

Iulianus Toletanus. 680.

Lib.3.Prognost.cap.1. Iudicij tempus vel diem Dominus nobis voluit esse incognitum: Sic enim interrogantibus se de vltimo die discipulis, atque dicentibus, *quod signum aduentus tui erit, & consummationis seculi?* Respondisse eundem Dominum legimus: *De die autem illa & hora nemo sciet, neque Angeli in cælo, neque Filius, nisi Pater solus:* quãquam hoc ipsum, quod se dicit nescire, non arbitrandus est hoc ipsum Filius ignorasse: sed quòd sic sciat, vt nolit alijs dicere. Nam dum dicit ipse Dominus per Prophetam: *Dies vltionis in corde meo:* indicat se quidem scire, sed nolle alijs indicare.

Matt.24.

Isa.63.

Beda. 700.

Dominica 1. post Epiphaniam: *Et Iesus proficiebat sapientia & gratia apud Deum & homines.* Natura veræ humanitatis indicat, in qua proficere ad tẽpus voluit, qui in diuinitate idem est, & *anni eius non deficient.* Iuxta hominis quippe naturam proficiebat sapientia, non quidem ipse sapientior ex tempore existendo, qui à prima conceptionis hora spiritu sapientiæ plenus permanebat, sed eandem, qua plenus erat, sapientiam cæteris ex tempore paulatim demõstrando. Iuxta hominis naturam proficiebat ætate, quia de infantia ad pueritiam, de pueritia ad iuuentutem, consueto hominibus crescendi ordine peruenit. Iuxta hominis naturam proficiebat gratia, nõ ipse per accessum temporis accipiendo, quòd non habebat, sed pandendo donum gratiæ quod habebat. Et bene cùm dictum esset: *quia Iesus proficiebat sapientia, ætate, & gratia,* adiunctum est, *apud Deum & homines:* quia quantum proficiente ætate hominibus sapientiæ & gratiæ, quæ sibi inerat, dona patefaciebat; tantum eos ad laudem Dei Patris semper excitare curabat, peragens ipse, quod cæteris agendum præcepit.

Psal.101.

Ad cap.13. Marci: *De die autem illa,* &c. Gaudet Arius & Eunomius, quasi ignorantia magistri gloria discipulorum sit, & dicunt: Non potest æqualis esse, qui nouit & qui ignorat. Cùm verò omnia tempora fecerit Iesus, hoc est, Verbum Dei: (*omnia* enim *per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil:*) in omnibus autem temporibus etiam dies iudicij sit, qua consequẽtia potest eius ignorare partem, cuius totum nouerit? Causa ergo reddẽda est cur ignorare dicatur. Apostolus super Saluatore scripsit: *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi.* Quare *absconditi?* Post resurrectionem interrogatus ab Apostolis de die iudicij, manifestius respondit: *Non est vestrũm scire tempora & momenta, quæ Pater posuit in sua potestate.* Quando dicit, *non est vestrũm scire,* ostendit, quòd ipse sciat, sed non expediat nosse Apostolis, vt semper incerti de aduentu iudicis, sic quotidie viuãt, quasi die illa judicandi sint. Denique & consequẽs Euangelij sermo idipsum cogit intelligi. Docens quoque Patrem solum nosse, in Patre comprehendit & Filium. Omnis enim Pater Filij nomen est.

Act.1.

Alcuinus. 750.

Lib.2.de Trinitate cap.12. *De die & hora nemo scit, neque Angeli in cælo, neque Filius, nisi Pater.* Hoc enim genere locutionis nescire dicitur Filius, quia nescientes fecit, quod vtile illis fuit nescire, id est, qđ non ita sciebat, vt eos scire fecisset, quia vtilius illis fuit diẽ iudicij nescire, quàm scire, vt semper parati essent & vigilantes, dũ, qua hora dies Domini, quasi fur, veniret, paratos inueniret eos.

Ambrosius Ansbertus. 760.

Lib.9.in Apocalypsin: Quòd solus Pater diem iudicij scire narratur, quis ab hac cognitione Sapientiam separet Patris, in qua hoc ipsum nouit? Quis ab hac cognitione separet Spiritum Patris eiusq; Sapientiæ, qui *scrutatur etiam profunda Dei*? Potest etiam in eo, quòd Filius diem iudicij nescire se dicit, illa locutionis regula intelligi, quâ sciendo aliquid sciẽtes facit, & nesciẽtes efficit nesciendo.

Haymo. 820.

Lib 7. in Apocal. cap.19. *Habens nomen scriptum, quod nemo nouit nisi ipse.* Valde perplexa oritur quæstio, nunquid Filius scire aliquid potest, quod nesciat Pater aut Spiritus sanctus? Nõ omninò, quia quorum inseparabilis est substantia, inseparabilis est & scientia; ideoq; quod scit Filius, scit Pater, & scit Spiritus sanctus. Atque ideò cùm Filius aliquid scire dicitur, omnis prorsus Trinitas scire docetur: & quod solus Pater scire narratur cũ sua Sapientia, quæ Christus est, & suo suæq; Sapientiæ Spiritu nosse probatur: & quicquid Spiritus sanctus perhibetur scire, omninò cum Patre & Filio, quorum Spiritus est, scire creditur. Nam quod in Euangelio Dominus dicit: *De die autem illa nemo scit, nisi Pater:* non est ita intelligendum, quòd aliquid sciat Pater quod nesciat Filius, qui vtique Patris est Sapientia: sed potius ita, quòd nescire Filius dicitur, nescientes homines reddere, sicut & scire dicitur, aliquid scientes homines facere. Vnde est: *Tentat vos Deus vester, vt sciat,* (id est, vt scire vos faciat,) *si diligitis eum, an non.* Cùm ergo interrogassent eum Apostoli de die iudicij, & eis non ipsum diem indicauit, per hoc vtique nescire ipsum dicitur diem, quia eos nescientes reddidit. Neque enim ille ignorare potest diem, à quo omnis factus est dies: nec potest aliquod esse tempus, quod eum lateat, per quem facta sunt omnia tempora.

Altercatio Synagogæ & Ecclesiæ. 890.

Cap. 20. Erat plenitudo diuinitatis in anima Christi, erat & plenitudo sapiẽtię in anima Christi, & ex plenitudine sapientiæ plenè sapiens erat anima Christi: proiude vna est sapientia Dei, qua sapiẽs est anima Christi, nec participando sapiẽs, vt hoc vel illud in illa, & per illa sapiat, sed plenitudinẽ habendo, vt totum possideat. Anima Christi accepit plenitudinem Deitatis, plenitudinem sapientiæ, plenitudinem virtutis, imò totũ quod Deus est accepit, non vertibilitate naturę, sed vnitate personæ.

Radulphus Ardens. 1050.

Dominica I. post Epiphaniam: Quòd ætate secũdùm naturam humanitatis proficiebat, apparet. Sed quomodo, fratres mei, qui ab æterno sapiẽtia plenus erat, sapientia & gratia proficiebat? Proficiebat quidẽ non sibi, sed alijs sapiẽtia & gratia, dũ eas paulatim hominibus declarabat. Vnde Deus Pater glorificabatur, & homines mirabãtur.

Petrus Damianus. 1050.

Epist. 4. ad Desiderium Abbatem Cassinensem cap.1. *De die autem illa vel hora nemo scit, nec Angeli in cælo, nec Filius, nisi Pater.* Hoc proculdubio intelligendum est, quòd discipulis hoc tantummodò nesciat, qui sibi nihil prorsus ignorat. Cùm enim Iesus, Verbum videlicet Patris, tempora cuncta condiderit, (*omnia* siquidem *per ipsum facta sunt,*) quali consequentia, qui totum nouit, diem iudicij pariter & finem temporis ignorabit? Sed super eodem Saluatore scribit Apostolus: *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi.* Cur autem absconditi, nisi quia nõ omnibus palam manifesti? Nam de eodem iudicij die post resurrectionem à discipulis inquisitus ait: *Non est vestrũm nosse tempora,* &c. ac si dicat: Non vobis expedit nosse, quatenus dubietatis ista suspensio in operibus pietatis vos magis ac magis semper exerceat, & ab omni, (si qua posset obrepere,) vanitate defendat. Scit ergo sibi, quod nescit Apostolis: qui in hoc proculdubio probat se cum Patre, (cum quo videlicet vnum est,) hoc nosse, cùm denuntians, ait: *Ego & Pater vnum sumus.* Sic enim iuxta verbi sonum, asserit se quasi nescire quod Pater, sicut aliquando significatur quodammodo non habere quod Pater.

Matt.24.

Colos.2.

Act.1.

Ioan.10.

Anselmus. 1080.

Lib.2. Cur deus homo, cap.13. Verùm in hac similitudine, quam habere debet cum hominibus, dic vtrum ignorantiam quoque, sicut alias infirmitates nostras, habiturus sit? *A.* Quid dubitas de Deo vtrum sit omnia sciens? *B.* Quia quamuis sit immortalis futurus ex diuina natura, mortalis tamen erit ex humana. Cur igitur non similiter poterit ille homo esse verè ignorans, sicut verè mortalis erit? *A.* Illa hominis assumptio in vnitatem personæ non nisi sapienter à summa Sapientia fiet, & ideò non assumet in homine, quod nullo modo vtile, sed valde noxium est ad opus, quod idem homo facturus est. Ignorantia namq; ad nihilum illi vtilis esset, sed ad multa noxia: Quomodo enim tot ac tanta opera, quæ facturus est, faciet sine summa sapientia? aut quomodo illi homines credent, si eum scient nescium? si autem nesciet, ad quid erit illi vtilis ignorãtia illa? Deinde si nihil amatur, nisi quod cognoscitur: sicut nihil erit boni, quod non amet; ita nullum bonum erit, quod ignoret, &c.

Rupertus Tuitiensis. 1120.

De Trinitate & operibus eius comment.in Genesin lib.6. cap.19. Hãc infantiam puer Iesus spiritualiter excessit, testante Luca, cùm dicit: *Et Iesus proficiebat sapientia, ætate apud Deum & homines:* non quòd aliquid antea nescierit, cùm sit ipsa Sapientia Dei; sed quia paulatim de carnalibus legis cæremonijs intermittens sermonem, ferebat pueros ad perfectionem.

Luc.2.

De operibus Spiritus sancti libro 1. capite 29. Si plenus Spiritu sancto Iesus, si tota in eo columba manet, si *in ipso habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter*, quomodo quippiam nescire, aut quippiam non posse se ipse fatetur? Dicit enim: *De die autem illa vel hora nemo scit, neque Angeli in cælo, neque Filius, nisi solus Pater.* Et apud Ioannem: *Amen dico vobis, non potest Filius à se facere quicquam, nisi quod viderit Patrem facientem.* Item: *Non possum ego à me facere quicquam, sicut audio, iudico.* Primùm *de die illa* quærimus, cur vel quomodo dixerit, *nemo scit, neque Angeli, neque Filius, nisi Pater solus.* Si enim hîc in solo Patre vnam tantùm personã intelligimus, & proinde neque Filium, neque hũc Spiritum sanctum de die illa scire arbitramur, profectò Patris, & Filij, & Spiritus sancti vnitatem in diuinitate, æqualitatẽ in maiestate non tenemus. Et vbi erit, quòd Filio per os Petri Apostoli vniuersa dicit Ecclesia: *Domine tu omnia nosti?* vbi erit, quod de hoc Spiritu sancto Paulus Apostolus dicit: *Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei?* Ergo fidelius ac reuerentius suscipiendum est, quod dicitur: *De die autem illa nemo scit, neque Angeli, neque Filius.* Et quidem fideliter dicimus, *neque Filius scit,* id esse, non vos scire facit. Sed aduersus contentiones Arianas nõ hoc satisfacit. Nam neque Pater nos scire facit. Igitur vt firmius atque sanius teneamus, quod dixit, consulamus intentionem dicentis, simulq; & illud quæramus, modus sciendi vtrum simplex, aut multiplex sit. Hoc iam citiùs occurrit, quia multiplex est. Dicimur enim scire, quod intelligimus; scire, quod non improbamus; scire, quod

Matt.24.

Ioan.5.

Ioan.21. 1.Cor.2.

experti sumus. Modi isti in Deo plurimum differunt, si ritè aduertis. Primo videlicet modo, vnus Deus Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, semper omnia scit. Secundo modo, bona semper scit, mala semper nescit. Tertio modo, quædam bona, siue quædã mala aliquando scit, aliquando nescit. Bona, cùm verbi gratia ad Abraham dicit: *Nunc cognoui, quòd timeas Deum, & non peperceris vnigenito filio tuo propter me.* Nam quod erat in Abraham, id est, timorem Domini, nunc se cognouisse perhibuit, eo nimirum quo prius nõ cognouerat modo, scilicet experimento. Mala verò, cùm itidem exempli gratia ad Abraham dicit: *Clamor Sodomorum, & Gomorrhæorum multiplicatus, & peccatum eorum aggrauatum est nimis: descendam, & videbo vtrum clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint, aut non, ita vt sciam.* Nam quod erat malum, & pessimum scire volebat, eo quo prius nesciebat modo, id est, experimento. Quod & factũ est. Illo nempe protinus sciuit modo, quia quo scelere solebãt furere in viros, eodem furentes in ipsum dicebãt Loth: *Vbi sunt viri, qui introierunt ad te nocte? Educ illos huc, vt cognoscamus eos.* Cùm itaque tres sint modi sciẽtiæ, vel cognitionis Dei, vt iam sciamus iuxta quem modum dixerit, *De die autem illa nemo scit, neque Angeli in cælo, neq; Filius, nisi Pater solus;* quæramus intentionem dicentis, & ipsa quoque citò quærentibus occurrit, quia nimirum pro inculcando nobis metu illius diei vel aduentus sui, & cõsummationis seculi hoc dixit.

Gen.22.

Gen.18.

Gen.19.

Bernardus. 1130.

Homilia 2.super Missus est, &c. Virũ dixerim fuisse Iesum, non solùm cùm iam diceretur *Vir Propheta potens in opere & sermone,* sed etiam cùm tenera adhuc infantis membra Dei mater blando vel foueret in gremio, vel gestaret in vtero. Vir igitur erat Iesus necdum etiam natus, sed sapientia, non ætate: animi vigore, non viribus corporis: maturitate sensuum, non corpulẽtia membrorum. Neq; enim minus habuit sapientiæ, vel potius non minus fuit sapientia Iesus conceptus, quàm natus; paruus, quàm magnus. Siue ergo latens in vtero, siue vagiens in præsepio, siue iam grandiusculus interrogans Doctores in templo, siue iam perfectæ ætatis docens in populo; æquè profectò plenus fuit Spiritu sancto. Nec fuit hora in quacũque ætate sua, qua de plenitudine illa, quam in sui conceptione accepit in vtero, vel aliqd minueretur, vel aliquid eidẽ adijceretur; sed à principio perfectus, à principio, inquam, *plenus* fuit *spiritu sapientiæ & intellectus, spiritu consilij & fortitudinis, spiritu scientiæ & pietatis, & spiritu timoris Domini.* Nec te moueat, quod de illo legis in alio loco: *Iesus autẽ proficiebat sapientia, & ætate, & gratia apud Deum & homines.* Nam quod de sapientia & gratia hîc dictũ est, non secundùm quod erat, sed secũdùm quod apparebat, intelligẽdum est: non quia videlicet aliquid ei nouum accideret, quod ante non haberet; sed quod accidere videretur, quando volebat ipse vt videretur. Tu homo cùm proficis, non quando, nec quantum vis proficis, sed te nesciente tuus moderatur profectus, tua vita disponitur. At verò puer Iesus, qui disponit tuam, ipse disponebat & suam: & quando volebat, & quibus volebat, sapiens apparebat; quando, & quibus volebat sapientior; quando, & quibus volebat sapientissimus: quãquam in se nunquã esset nisi sapientissimus. Similiter & cùm semper omni gratia plenus fuisset, siue quam apud Deum, siue quam apud homines habere deberet, pro suo tamen arbitrio eam nunc plus nũc minus ostẽtabat, prout cernentium vel meritis congruere, vel saluti expedire sciebat. Constat ergo quia semper Iesus virilem animum habuit, etsi semper in corpore vir non apparuit. Cur denique dubito virum fuisse in vtero, quem inibi Deum fuisse non am bigo? Minus quippe est esse virum, quàm esse Deum.

Esa.11.

Luc.2.

Tractatu de duodecim gradibus humilitatis & superbiæ: Non debet absurdum videri, si dicitur Christum non quidem aliquid scire cœpisse, quod aliquando nescierit: scire tamen alio modo misericordiã ab æterno per diuinitatem, & aliter in tempore didicisse per carnem. Vide ne & simili locutionis modo illud dictum sit, quod Dominus requirentibus discipulis de die vltimo se nescire respõdit. Nam quomodo diẽ illũ ille nesciebat, *in quo omnes sapientiæ & scientiæ thesauri sunt absconditi*? Cur ergo se scire negabat, quod certum est quia nescire non poterat? Nunquid fortè mendaciter eos voluit celare, quod vtiliter non valuit innotescere? Absit. Sicut nihil ignorare poterat, cùm sapientia sit: sic nec mentiri, cùm veritas sit. Sed volẽs discipulos ab inutilis inquisitionis curiositate cõpescere, quod inquirebant, se scire negauit: non omni modo quidem, sed tali quodam modo, quo negare veraciter potuit. Nam etsi suæ diuinitatis intuitu æquè omnia, præterita scilicet, præsentia, atq; futura perlustrando, diem quoque illum palam habebat; non tamen vllis carnis suæ sensibus experiẽdo agnouerat. Alioquin iam spiritu oris sui Antichristum interfecerat; iam auribus sui corporis Archangelũ vociferantem, & tubam sonantem, in quo strepitu mortui susciandi sunt, audierat: iam oculis suæ carnis oues hœdosq;, qui ab inuicem segregãdi sunt, perspexerat. Denique vt intelligas, quòd illa tãtùm cognitione, quæ per carnem fit, se illum diem nescire perhibuerit, vigilanter respondens, non ait: Nec ego scio: sed, *nec ipse,* inquit, *filius hominis scit.* Quid est *filius hominis,* nisi nomẽ assumptæ carnis? Quo siquidẽ nomine intelligi datur, qa dicens se aliqd nescire, nõ iuxta quod Deus est, sed secundùm hominẽ loquitur.

Marc.13.

Col.2.

Marc.13.

Hugo Victorinus. 1130.

De Sacramentis fidei lib.2.part.1.c.6. Eadem anima Christi sicut plenam & perfectam Dei sapiẽtiam vnitam habuit, ita plenè & perfectè ex ipsa & per ipsam sapientiam sapiens fuit, nec tamen ipsi sapientiæ natura æqualis fuit: quia longè aliud est sapientia sapere, atque aliud sapientiam esse. Ex quo enim humanitati diuinitas coniuncta est, ex ipsa diuinitate humanitas accepit per gratiam totum, quod diuinitas habuit per naturam: ita vt secundùm illam ineffabilem vnionem & Dei esset in humanitate sua totũ, quod humanitatis erat: & hominis esset in diuinitate sua totum, quod diuinitatis erat. Sic ergo humanitatem Verbi in anima rationali, à prima conceptione sua, ex ineffabili vnione diuinitatis plenam & perfectam sapientiam, & potentiam, & virtutem, & bonitatem accepisse credimus: & ipsam sicut in vnione diuinitatis inseparabiliter, sic in ipsa, quæ ex vnione diuinitatis erat, plenitudine virtutes incommutabiliter permansisse cõfitemur. Neque enim idcirco Deus homo inter homines cõuersari voluit, vt quasi per interualla temporum sapientia aut virtute proficiens meritum sibi compararet, & seipso melior fieret: sed vt ea sapientia & bonitate, quam ipse in diuinitate sua plenam & perfectam semper habuit, & in humanitate sua plenam & perfectam semel & simul accepit, dispensationem salutis humanæ secundùm ineffabilem ordinationẽ suam compleret. Quapropter id, quod dicit Euangelista, quòd *proficiebat Iesus ætate, sapientia, & gratia,* non ita accipitur, quasi in semetipso melior factus, sed quia hominibus, quam ipse habebat, sed latebat, sapiẽtiam & gratiam, prout ratio temporum postulabat, magis semper ac magis aperuit.

Luc.2.

Richardus Victorinus. 1140.

Lib.1.de Emmanuele cap.20. Sed quid mirum est, si homo factus est velut Deus, quandoquidem homo factus est verus Deus? Certè si homo Christus est Deus, imò quia veraciter est Deus, eandem diuinitatē habet, quam habet Pater, & Spiritus sanctus: ergo & eandem potentiam: ergo & eandem sapientiam. Ergo & eodē modo sapit homo Christus, quo Pater & Spiritus sanctus.

Petrus Lombardus. 1140.

Lib.3.dist.14.litera B. Dicimus animam Christi, per sapientiā sibi gratis datam, in Verbo Dei, cui vnita est, quod etiam perfectè intelligit, omnia scire quæ Deus scit, sed non omnia posse quæ potest Deus: nec ita clarè & perspicuè omnia capit vt Deus: & ideo non æquatur Creatori suo in scientia, etsi omnia sciat, quæ & ipse: nec est eius sapientia æqualis sapientiæ Dei; quia illa multo dignior est, digniusqúe & perfectius omnia capit, quàm illius animæ sapientia. Ergo & in scientia maiorem habet sufficientiam Deus, quàm anima illa, quæ dignior est omni creatura.

Litera C. Scit anima Christi omnia quę Deus scit in Verbo Dei, quod liquidius & præsentius omni creatura contemplatur, vt ei vnita: in quo etiam Angeli, & quæ Dei sunt, & quę futura sunt cognoscunt.

Petrus Cluniacensis. 1150.

Lib.5.epist.1. In Christo Dei & Mariæ Filio verè
Colos.2. *sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei abscon diti:* vnde nec aliquid eum, sicut Deum, in creaturis latere, nec quicquam eorum, quæ in cælis, quæ in terris, quæ insuper apud inferos aguntur ignorare possibile est. Qui enim solus Creator est omnium, solus & rector & cognitor est vniuersorum.

Iacobus Vitriacus. 1220.

In die S.Pentecostes: Spiritus dicitur scire, quia facit nos scire: sicut & Filius de die illa dicitur nescire, quia non facit scire.

Alexander Alesius. 1240.

Part.3.q.25.art.5. m.2. Cùm dicitur, *(neq; Filius,)* istud intelligitur de Filio pro corpore suo, quod est Ecclesia, vnde cùm dicit: *(nisi solus Pater,)* non excluditur Filius, neque Spiritus sanctus: quia in notitia Patris est notitia Filij, & Spiritus sancti: ideo nō potest excludi: sed fit exclusio ipsius corporis Ecclesiæ, scilicet Angelorum & hominum, cuius est caput, cùm dicitur: *(neque Filius.)* Et hoc est, quod dicit Augustinus libro de verbis Domini: Cùm dixit, *Pater scit,* ideo hoc dixit, quia in Patre & Filius scit: nescit tamen Filius, id est corpus eius, in terra positum, quod est Ecclesia, &c. Sed nunc quæritur: Christus homo nunquid nouit illam diem? Quia videtur quod sic: quoniam Colos.2. habetur, quòd *in Christo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi.* Quid est ergo, quòd dicit, *Nemo?* Dicendum est ad hoc secundùm B. Gregorium, qui dicit: Nouit Vnigenitus horam iudicij, sed non ex natura humanitatis, hoc est ex generali natura humanitatis: quia tūc alij homines scirent: sed ex virtute diuinitatis, influēte super illum hominē. Cùm ergo dicit, *nemo nouit* &c. per hoc non excluditur Christus homo à notitia illius diei; sed per hoc excluditur, quòd non ex virtute humanitatis ipsam habet, sed ex virtute diuinitatis.

Hugo Cardinalis. 1245.

Ad cap.13. Marci: *Nemo scit.)* Hieronymus ostēdit, non de Vnigenito, sed de adoptiuo filio hoc dixisse. Nulli enim sanctorum hominum huius diei notitiam cōcessum est habere, quod solus Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, hoc est, vnus Deus in sua scientia habet alijs incognitum. Vnde Colos.2. *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi.* Act.1. *Non est vestrūm nosse tempora, & articulos temporum, quæ Pater posuit in sua potestate.* Hilarius: Filius & Spiritus sanctus, quia non sunt à se, de die illa nesciunt à se: Pater autem, quia à se est, scit à se.

Thomas Aquinas. 1250.

In Compendio Theologiæ cap.242. Quia in Marco legitur: *Neque Filius de die illa aut hora scit,* sumpserunt aliqui errandi materiam, dicentes, Filium Patre minorem, quia ea ignorat, quę Pater nouit. Posset autem hoc euitari vt diceretur, quòd Filius hoc ignorat secūdùm humanam naturam assumptā, non autem secundùm diuinam, secundùm quam vnam sapiētiam habet cum Patre, vel, vt expressius dicatur, est ipsa sapientia in corde concepta. Sed hoc inconueniens videretur, vt Filius etiam secundùm naturam assumptam diuinum ignoret iudicium, cùm eius anima, Euangelista attestante, plena sit gratia: nec etiam videtur habere rationem, vt cùm Christus potestatem iudicandi acceperit, quia filius hominis est, tempus sui iudicij secundùm humanam naturam ignoret. Nō enim omne iudicium Pater ei dedisset, si determinandi temporis sui aduentus esset ei subtractum iudicium. Est ergo hoc intelligendum secundùm vsitatum modum loquendi in Scripturis, prout dicitur tunc Deus aliquid scire, quando illius rei notitiam præbet, sicut dixit de Abraham Genes. 22. *Nunc cognoui* &c. non quòd tunc inciperet noscere, qui omnia ab æterno cognoscit, sed quia eius deuotionem per illud factum ostenderat. Sic igitur & Filius dicitur diem iudicij ignorare, quia notitiam dicipulis non dedit, sed eis respondit Act.1. *Non est vestrūm nosse tempora* &c. Pater autem isto modo nō ignorat, quia saltem huius rei notitiam dedit Filio per generationem æternam.

Richardus Mediauillanus. 1280.

Lib.3.distinct.14.art.2.q.4. Anima Christi dicitur scire omnia, quæ Deus scit, quantum ad omnia præsentia, præterita, & futura, loquendo de futuris: non tamen quantum ad omnia fieri possibilia. Et ego concedo, quòd anima Christi actu videt in verba omnia præsentia, præterita, & futura, & multa fieri possibilia.

Durandus à Sancto Portiano. 1300.

Lib.3. dist.14.q.4. Christus in scientia non profecit, quia omnia sciuit secundùm habitum ab instanti suæ cōceptionis æquè perfectè sicut postea. Et sic loquitur Damascenus, qui dicit: Quòd qui proficere dicunt Christum sapientia & gratia, vt additamentum sensus suscipientem, nō eam, quæ est secundùm hypostasin vnionem venerantur.

Antonius Andreas. 1320.

In lib.3. Sent. distinct.14. q.3. Anima Christi scientia infusa à principio nouit omnia perfectè, sed postea potuit naturaliter sibi acquirere sciētiam de ijsdem. Ratio pro secundo membro est: quia habuit intellectū agentem, possibilem, & potentialem, & sensus, & operationes proprias istarum potentiarum.

Nicolaus Gorranus. 1320.

Ad cap.13. Marci: *Neque Filius,* supple, scit vobis, quia scire vos non facit, quemadmodū & cognoscere dicitur, quando nobis aliquid manifestat. Vnde Genes.22. dixit Deus ad Abraham: *Nunc cognoui, quia times Dominum.* Quæritur quomodo dicitur hîc Filius nescire, cùm scriptum sit: *In eo sunt omnes thesauri sapiētiæ & scientiæ absconditi.* Si dicatur secundùm Bedam, quòd nescit, quia nos scire nō facit: contra eodem modo neque Spiritus sanctus scit, neque Pater, quia nos scire non faciunt. Ad

quod

quod dicendum, quod hoc dupliciter possit exponi, videlicet de Christo, & suo corpore, id est Ecclesia, vel sub alijs verbis, idem tamen significātibus, de Filio Dei per naturā, & de filio Dei per adoptionem. Si intelligatur de Filio per naturā, tunc dicitur nescire secundùm hominem, id est, à se homine. Vnde Hieronymus, Humanitas, ait, Filij Dei dicit in Euangelio se nescire finem huius mundi. Gregorius: Nouit vnigenitus Filius Dei limites iudicij, sed non ex natura humanitatis. Aliter secundùm Ambrosium, Filius nescire dicitur, & non Pater, quia Filius & Spiritus sanctus non sunt à se: Pater verò, qui est à se, dicitur scire à se. Si autem intelligatur de filio adoptiuo per gratiam, hoc est de corpore Christi, quod est Ecclesia, tunc planum est secūdùm quod ait Hieronymus. Nulli enim Angelorum, nec alicui sanctorum hominum concessum est huius diei notitiam habere, quem solus Pater & Filius & Spiritus sanctus, hoc est, vnus Deus in sua scientia, alijs incognita seruat.

Ludolphus Saxo Carthusianus. 1330.

Vitæ Christi part.1. cap.15. Habuit Christus plenitudinem omnium virtutum donorum Spiritus sancti, exceptis fide & spe, pro quibus habuit certam scientiam, & firmam intentionem: quia ab instanti suæ conceptionis beatus fuit. Quoties ergo Christus crescere & cōfortari, vel tale aliquid agere dicitur, omnia ad corpus referantur: Nam secundùm animam ab instanti conceptionis totaliter perfectus fuit: sed hanc perfectionem non ostendebat, nisi prout cōuenientia temporis exigebat.

Guido Carmelita. 1330.

De Agnoitis cap.79. De Filio Dei, qui est increata sapientia, dicitur Sapientiæ 8. *Signa & monstra scit antequam fiant, & euentus seculorum & temporum.* Et Daniel.13. *Nosti omnia antequam fiant.* Marci 13. *De die autem illa & hora* &c. Vbi non excluditur Filius ab eo, quod Pater scit: quia Filius omniū artifex omnium scientiam habens, omnia quæ facit nosci t, & in sua arte intuetur; facit autem omnia Pater quæ facit, Ioan. 5. ergo omnia scit quæ Pater scit. Dicitur autem Filius nescire diem & horam, non quia ipse nesciat: (cui enim Deus dedit iudicium facere, nouit diem & horam, quando venturus sit iudicare viuos & mortuos: officiū enim iudicis est, prænoscere diem & horam, quādo est iudicaturus:) sed vt communiter exponitur, dicitur nescire, quia ac si nesciret nō facit nos scire.

Thomas Argentinensis. 1350.

Libro 3. distinct. 14. artic. 3. Christus dicitur nescire diem illum non simpliciter, sed dicitur nescire eum ad manifestandum nobis: non enim accepit notitiam illius diei ad manifestandum alijs. Vnde etiam suis prælectis discipulis noluit huiusmodi diem manifestare, Act.1. vbi ait: *Non est vestrūm nosse tempora, vel momēta, quæ Pater posuit in sua potestate.* Nihilominus tamen Christus verè nouit diem illum; quia iudex debet scire diem sui iudicij, & ordinem ac dispositionē eius: sed Christo data est potestas iudicium facere; quia filius hominis est, vt ipse ait in Euangelio: & iterum: *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra.*

Alphonsius Tostatus Abulensis. 1430.

Ad cap.24.Matthæi quæst.209. Alij dicunt quòd Filius nescit quātum ad humanitatem, licet quantum ad deitatem sciat. Sed dicendum, quòd non stat; quia sicut scit quantum ad deitatem, ita & quantum ad humanitatem: sed in hoc differt; quia quantum ad deitatem naturaliter scit, quia scientia est eius essentia & natura: quantū ad humanitatem scit ex communicatione: nam per vnionem animæ Christi ad Verbū diuinum communicata est ei omnis scientia.

Laurentius Iustinianus. 1430.

Sermone in Festo Natiuitatis Domini: Cùm autem vitæ illius incrementa perspexeris, sublimiora semper in eo reperies documenta virtutum. Sic Euangelista insinuans ait: *Iesus autem proficiebat ætate, & sapientia, & gratia apud Deum & homines.* Luc.2.
Proficiebat quidem, non vt gratia & sapientia indies augeretur in illo, quippe cùm ab instanti conceptionis plenissimè sapientia & gratia compleretur: imò esset ipsa sapientia, dicēte sacro eloquio: *Fons sapientiæ Verbum Dei in excelsis;* gratiamq; Eccl.1.
omnibus largiretur, &c. Proficiebat tamen, nobis perfectiora notificando opera gratiarum meritorumq;.

De casto connubio Verbi & animi cap.10. Nihil in vniuersi constitutione extitit, de quo homo Christus perfectissimam nō haberet notitiam, nihilq; ipsum latuit de ijs, quæ ad humanam pertinent redemptionem. Cæteris Prophetis diuersa relata sunt mysteria; quibusdam minus, quibusdam amplius de incarnatione Verbi & generis humani reparatione: Ipsi autem Christo longè excellentius, quàm omnibus Angelis, Patriarchis, aut Prophetis. Non enim solùm habuit sciētiam per habitum innatum, vt Adam, & Angeli; sed etiam per habitum infusum, velut Sancti per gratiam illuminati. Verbo quidem vnitus ignorare nihil potuit. Nam ab instanti suæ cōceptionis, Dei fruens faciali visione, vt homo omnia cognouit, finita quidem cognitione actuali, infinita verò nō nisi cognitione habituali, vel excessiua: sicq; Christi anima per comprehēsionis gloriam capiebat, quantumcunque natura finita vnita infinito capere potuit. Quoniam verò Christus Deus & homo est, ex parte deitatis cognouit omnia simul finita & infinita, &c. Itaque Christus Dominus, omni plenissimus fuit sapientia, adeò vt nihil, quantumuis occultum fuerit, vel sit, valeat ignorare.

Dionysius Carthusianus. 1450.

In lib.3.Sentent.distinct.14.q.4.agens de Christi scientia: Præhabitis etiam consonant scripta Antisiodorensis, qui inter cætera dicit, quòd quicquid Verbum scit ab æterno, anima Christi cognoscit à primò incarnationis instanti. Quod verum esse constat ex dictis, si intelligatur de scientia visionis ipsius Verbi, non de scientia simplicis intelligentiæ, vt & Durandus fatetur. Et vt rursus Antisiodorensis testatur, potius data est animę Christi omnis scientia, quàm omnipotentia: quoniam anima illa à sui exordio fuit eminenter beata. Ad beatitudinem verò potius spectat scientia, quàm potestas.

Rupertus Lycius. 1480.

Feria 6. post Dominicam 3. Aduentus Serm.20. cap.2. Scientia Christi nō fuit per successionem temporis acquisita: sed ab initio conceptionis suæ sibi indita. Et ad hoc facit illud Gregorij super illo Verbo Lucæ 2. *Proficiebat ætate, & sapientia. Proficiebat:* non quòd ipse sapientior fieret ex parte, sed paulatim demonstrabat sapientiam.

ARTICVLVS QVARTVS.

IN VETERI LEGE SANCTORVM ANIMAS, LICET IN LOCO REFRIGERII, TAMEN IN LIMBO INFERORVM FVISSE: CHRISTI SALVATORIS ANIMAM IN ARA CRVCIS MORTE A CORPORE SEPARATAM, VERE AD INFEROS DESCENDISSE, NON VT ILLIC QVICQVAM amplius pateretur; sed vt Sanctorum, non autem impiorum animas inde liberaret.

NEGANT.

Anno post natũ Christum 150. MARCION *docuit Abelem, Enoch, Noe, Abraham, & reliquos Patriarchas non fuisse à Christo ab inferis liberatos, cùm illuc descendisset, sed eos ibidem remansisse, quòd nolent ipsi credere: Cain verò, & qui mores feros immanemq; naturam similiter ostenderunt, Nembrot, Sodomitas, & omnes impios saluatos regnum Dei percepisse.* Irenæus lib. 1. cap. 29.

380. *Philastrius* cap. 74. *inter innominatos hæreticos recenset, qui dicunt Dominum in infernum descendisse, & omnibus post mortem etiam ibidem renunciasse, vt confitentes ibidem saluarentur.*

600. *Christolytæ sunt, qui Dominum nostrum Iesum Christum asserunt, cùm excitatus est ab inferis, ibi corpore cum anima relicto cum sola diuinitate cælum ac supera petisse.* Damascenus de hæresibus.

1520. *Martinus Lutherus* in Psalmum 16. *asserit Christi animam apud inferos damnatorum pœnas exoluisse.*

1530. Erasmus Roterodamus in explanatione Symboli Apostol. Catechesi 4. *Sequitur:* Descendit ad inferos. *Hic est articulus, quem Cyprianus in Symbolo Romano non haberi ait. Ipsa inconcinnitas verborũ arguit, ab alio quopiam intertextum emblema.* Sepultus est *ad corpus pertinet, quod morte sopitum resurgit. At descendere ad inferos ad animam refertur, quæ nec sepulta fuit, nec resurrexit, sed ad tempus seiuncta, mox ad corpus exanime redyt. An Thomas Aquinas addiderit, subdubito. Nonnulla suspicio est hanc particulam ab alio adiectam, vel hoc argumento, quod non est suo loco.*

1530. Huldericus Zvvinglius in expositione fidei Christianæ: *Patres Apostolici in Symbolo adiecerunt:* Descendit ad inferos, *qua locutione vsi sunt vice Paraphraseos, qua & veram mortem significarent: Inferis enim connumerari, ex humanis abiisse est, & virtutem redemptionis eius ad inferos quoque peruenisse.*

1540. Martinus Bucerus ad cap. 27. Matthæi: *Si rectè accipias vocem* Infernus, *ibi memorant Euangelistæ Christum ad infernum descendisse, vbi narrârunt mortuum & sepultum: Scheol enim, pro quo nos in Scripturis ferè* Infernus *legimus, sepulchrum significat, quod nunquam saturatur. Quæ ergo Theologi superioris seculi de Limbo Patrum, & reali illo descensu Christi, quo etiam ad locum damnatorum & purgatorium accesserit, disputârunt, vana sunt: mittenda sunt hæc inuenta hominum.*

1540. Ioannes Brentius in Catechismo, explicans Symb. Apost. *descendere ad inferos nihil aliud esse vult, quàm prorsus interire,* Zu grundt/vnd zu bodem gehen.

1550. Henricus Bullingerus Decad. 1. in expositione Symboli, De descensu ad inferos: *Simplicius videbimur hunc articulum intelligere, si senserimus virtutem mortis Christi etiam dimanasse ad defunctos, & his profuisse, hoc est, propter mortem Christi omnes Patriarchas & fideles homines ante Christi aduentum mortuos ab æterna morte seruatos esse.*

1550. Ioannes Caluinus lib. 2. Inst. cap. 16. §. 9. *Hæc fabula de Limbo Patrum, ad quos liberandos Christum descendisse narrant, tametsi magnos habeat auctores, nihil tamen aliud quàm fabula est.* Deinde improbans eorum opinionem, qui infernum pro sepulchro accipiunt: *Nihil,* inquit, *actum erat, si corporea tantùm morte mortuus fuisset Christus; sed operæpretium simul erat, vt diuinæ vltionis seueritatem sentiret, quò & iræ ipsius intercederet, & satisfaceret iusto iudici. Vnde etiam oportuit eum cum inferorum copijs, & æternæ mortis horrore, quasi consertis manibus luctari.*

Ad caput 30. Iob: *Descendit Christus ad inferos, hoc est, angores & cruciatus omnibus peccatoribus debitos sustinuit.*

In Catechismo edito anno 1562. *Descensus Christi ad inferos significat, quòd Christus non solùm naturalem mortem sustinuit, quæ est separatio corporis & animæ; sed quòd anima quoque eius mirabilibus angustijs astricta, conclusaq; fuerit, quos Sanctus* dolores mortis *appellat; idcirco factum hoc est, qui se*

Deo præsentabat, sistebatq;, vt ei peccatorum nomine satisfaceret, necessarium, vt horribiles has conscientiæ angustias experiretur, non secus ac si à Deo derelictus esset, imò verò quasi illi iratus fuisset, atque in illa abysso constitutus exclamauit: Deus meus, vt quid me dereliquisti?

1550. Augustinus Marloratus ad caput 2. Actuum Apostolorum ait, *quòd Animæ Christi non sit relicta in inferno, significare, quòd non manserit sub tyrannide Diaboli, peccati, & mortis. Quæ de Christi ad inferos descensu disputantur, supernacanea esse, quòd anima non tam spiritum immortalis essentiæ, quàm vitam ipsam significet.*

1560. Theodorus Beza ad caput 2. Actuum Apostolorum, *locum Dauidis*: non relinques animam meam in inferno, *vertit: Non relinques cadauer meum in sepulchro. Reprehensus ob id à Castaleone, respondit: Non temerè feci, cum præcipuè locum à Papistis torqueri ad suum Limbum constituendum videamus. Veteres etiam inde descensum illum animæ Christi ad inferos excogitârunt. Idem in magna fidei confessione, tam Latina quàm Gallica nullam facit huius articuli mentionem.*

1560. *Erasmus Sarcerius,* in Catechismo exponens Symb. Apost. *per descensum Christi ad inferos interpretatur crucem & omnes persecutiones, in quibus Christus versatus est, & passionem ante pluribus commemoratam, nunc inferni vocabulo exaggeratiùs vocari.*

1560. *Caspar Oleuianus,* Libro Germanico, quem inscripsit Fester Grundt/ *fingit tropicum quendam & spiritalem descensum ad inferos, qui nihil aliud sit quàm extrema quædam & acerbissima Christi humiliatio, & in acerbissimos atque adeò infernales, cùm corporis, tum animæ imprimis dolores ac terrores descensus.*

1570. *Benedictus Aretius,* in problematibus Theologicis, *per descensum Christi ad inferos interpretatur, quod manifestata sit mors illius malis spiritibus, vt quem hactenus sæpè audierant promissum, mortalibus tunc exhibitum scirent.*

1580. Theologi VVirtenbergenses lib. Concordiæ pagina 750. *Simpliciter credimus, quòd tota persona Deus & homo post sepulturam descenderit ad inferos.*

ASSERVNT SACRÆ LITERÆ.

Genes. 37. *v.* 35. Iacob ait: Descendam ad filium meum lugens in infernum.

Onkelos Chaldaicè vertit, *Leuath bari, apud filium meum.*

Iob. 17. 13. Si sustinuero, infernus domus mea est, & in tenebris straui lectulum meum.

Psal. 15. 10. Non derelinques animam meam in inferno: nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.

Psal. 87. 5. Æstimatus sum cum descendentibus in lacum: factus sum sicut homo sine adiutorio, inter mortuos liber.

Isaiæ 38. 10. Ego dixi, in dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi.

Isaiæ 45. 2. Portas æreas conteram, & vectes ferreos confringam.

Oseæ 13. 14. Ero mors tua ô mors, morsus tuus ero inferne.

2. *Machab.* 6. 23. Eleazarus dixit: præmitti se velle in infernum.

Act. 2. 24. Quem Deus suscitauit solutis doloribus inferni, iuxta quod impossibile erat teneri illum ab eo. Dauid enim dicit: caro mea requiescet in spe. Quoniam non derelinques animam meam in inferno. Prouidens locutus est de resurrectione Christi: quia neque derelictus est in inferno, neque caro eius vidit corruptionem.

Ephes. 4. 9. Quod autem ascendit, quid est, nisi quia & descendit primùm in inferiores partes terræ?

Colos. 2. 13. Et vos cùm mortui essetis in delictis & præputio carnis vestræ, conuiuificauit cum illo: donans vobis omnia delicta, delens quod aduersus nos erat, chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio, affigens illud cruci: & expolians principatus & potestates, traduxit confidenter palàm, triumphãs illos in semetipso.

1. *Petri* 3. 19. Mortificatus quidem carne, viuificatus autem Spiritu, in quo & his, qui in carcere erant, spiritibus veniens prædicauit.

Apostoli in Symbolo.

Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & sepultus est; descendit ad inferos, tertia die resurrexit à mortuis.

Liturgia Diui Marci.

Rex maxime Patriq́ue coæterne, qui potentia tua infernum spoliasti, & mortem conculcasti, & fortem vinxisti, & Adam è tumulo excitasti, emitte dexteram tuam, &c.

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Ignatius. 100.

Epistola ad Trallianos: Verè, & non hominũ opinione crucifixus & mortuus est, videntibus cælestibus, terrenis, & qui sub terra detinebantur. Cælestibus quidem, tanquam incorporeis naturis: terrenis verò, vt Iudæis, & Romanis, & cæteris, qui tunc temporis crucifixo Domino aderant: subterraneis autẽ, eis videlicet, qui plurimi cum Domino resurrexerunt. Descendit ad infernum solus, regressus est autem cum multitudine, & septum illud æternum rupit, & medium parietem illius destruxit, & intra triduum resurrexit.

Theophilus Antiochenus. 170.

Lib. 4. Allegoriarum in Ioannem: In hoc, quòd apud infernum Abraham vidit, hęc subesse quibusdam ratio putatur, quòd omnes Sancti, ante aduẽtum Domini nostri Iesu Christi, ad inferna, licet ad refrigerij locum, descendisse leguntur.

Irenæus. 180.

Lib. 5. cap. 31. Tribus diebus *Dominus* conuersatus est vbi erant mortui, quemadmodum Propheta ait de eo: *Commemoratus est Dominus sanctorum mortuorum suorum, eorum qui ante dormierunt in terram stipulationis, & descendit ad eos, extrahere eos, & saluare eos.* Et ipse autem Dominus, *Quemadmodum* (ait) *Ionas in ventre ceti tres dies, & tres noctes mansit, sic erit Filius hominis in corde terræ.* Sed & Apostolus ait: *Ascendit autem, quid est, nisi quia & descendit in inferiora terræ?* Hoc & Dauid in eum prophetans dixit: *Et eripuisti animam meam ex inferno inferiore.* Resurgens autem tertia die, & Mariæ, quæ se prima vidit, & adorauit, dicebat: *Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum: sed vade ad discipulos, & dices eis: Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum.* Si ergo Dominus legem mortuorum seruauit, vt fieret primogenitus à mortuis, & cõmoratus vsq; ad tertiam diem in inferioribus terræ, post deinde surgens in carne, vt etiam figuras clauorum ostenderet discipulis, sic ascendit ad Patrem; quomodo non cõfundentur, qui dicunt inferos quidem esse hunc mundum, qui sit secundùm nos: interiorem autem hominem ipsorum derelinquentem hîc corpus, in supercæleſtem ascendere locũ? Cùm enim Dominus in medio vmbrę mortis abierit, vbi animæ mortuorum erant, post deinde corporaliter resurrexit, & post resurrectionem assumptus est: manifestum est, quia & discipulorum eius, propter quos & hęc operatus est Dominus, animæ abibunt in inuisibilem locum, definitum eis à Deo.

Ion. 2. 2.
Matt. 12. 40.
Eph. 4. 9.
Psa. 86. 13
Ioan. 20. 17.
Luc. 24. 39.
Psa. 22. 4
Act. 13.

Clemens Alexandrinus. 200.

Lib. 6. Stromaton cap. 2. Operatur, vt existimo, Seruator, quandoquidem eius est opus seruare & saluum facere: Quod quidem certè fecit, vt qui eos, qui in ipsum voluerint credere, per prædicationem, vbicunque essent, traxerit ad salutem. Si ergo Dominus nulla alia de causa descendit ad inferos, quàm vt annuntiaret Euangeliũ, sicut certè descendit: aut descendit vt annuntiaret omnibus, aut solis Hebræis. Atque si omnibus quidem, salui erunt omnes, qui crediderint, etiamsi sint ex gentibus: cùm iam illic confessi fuerint. Sunt enim salutares & quę erudiunt Dei castigationes, adducentes ad conuersionem, & potius pœnitentiam eligentes, quàm mortem: idq; cùm possint animæ purius perspicere, quę sunt liberę à corporibus, etiamsi obscurentur vitijs & perturbationibus, eò quòd non amplius se eis opponat, & eas impediat caruncula.

Hippolytus. 220.

De cõsummatione mũdi: Prophetę Christi sepultura, descẽsum ad inferos, ascensum, redemptionẽq; animarũ, quę fuerũt à seculis, prænostrárunt.

Oratione in magnum Canticum: Qui primũ ex terra creatum hominem perditum, & mortis vinculis alligatum ex infimis inferis extraxit; qui à superis descendit, & eum, qui erat inferius, in supernas partes deduxit: qui mortuorum Euangelistes seu felix annuntiator, animarumq; redemptor, eorumq;, qui sepulti erant, fuit resurrectio: is erat, qui fuit deuicti hominis per se auxiliator, ei similis, Verbum primogenitum, protoplastum Adam in Virgine visitans, spiritalis terrenum in matrice requirens.

Origenes. 240.

Homilia 15. in Genesin: In fine seculorum vnigenitus Filius pro salute mundi vsque ad inferna descendit, & inde protoplastum reuocauit. Quòd enim dixit ad latronem: *Hodie mecum eris in Paradiso,* non illi solum dictum, sed & omnibus Sanctis intellige, pro quibus ad inferos descenderat. Luc. 23.

Ad cap. 5. Epistolæ ad Romanos: Si verò, vt in nonnullis exemplaribus habetur, etiã in eos, qui non peccauerunt, in similitudinem præuaricationis Adæ, mors ista, id est, quæ in inferno animas detinebat, regnasse dicatur, intelligimus & Sanctos quosque sub ista morte, etiamsi non peccandi, at certè moriẽdi lege decidisse: Christũ verò idcirco in infernum descendisse, non solùm vt ipse nõ teneretur à morte, sed vt eos, qui inibi nõ tam præuaricationis crimine, quàm moriendi conditione habebantur, absolueret.

Gregorius Neocæsariensis. 260.

Oratione in Epiphaniam: Oportet me, inquit Christus, in inferni profundum descẽdere, vt eos, qui illic detinẽtur, eripiam: oportet me triduo mortis meæ carnis diuturnum mortis imperiũ euertere: oportet me corporis mei lucernam sedentibus in tenebris & vmbra mortis accendere.

Eusebius Cæsariensis. 320.

De Demonstratione Euangelica lib. 4. cap. 12. Christus cùm altius vocem emisisset, & Patri dixisset, *commendo Spiritum,* solutus à corpore abijt, neutiquã expectãs dum mors ad ipsum accederet, sed illam cunctantem, ac veluti cessantem, ac potius conijcientem se in pedes & fugitantem, ipse à tergo insequẽs atque impellens, æternasq; abditiorum tenebrarum portas refringens, & mortuis, qui illic catenis mortis impliciti erant, remeandi ad vitã iter retrorsum aperiens.

De Demonstratione Euangelica lib. 10. cap. 8. Vni Christo hoc immotum seruabatur, quandoquidem vni etiam apertæ sunt portę mortis, & vnum illum orci ianitores conspicati formidauerũt, ipseq; ille, qui mortis imperiũ habebat, de regijs sedibus cedens, & nefariam illius Tyranni impotentiam vsque adeò cernens inualuisse, vt nullus alius cælestium adesse illi in talibus locis auderet, atq; ad earum animarum salutem, quæ illic detinebãtur, socium se præbere, meritò ait: *Afflictione propius adesse, propterea quòd non sit qui adiuuet.*

Ecclesiastica historia lib. 1. c. 13. In præsentia, inquit Thadæus, filebo. Sed quoniam ad verbũ Dei prædicandum missus sum, cras referam, quo pacto Christus seipsum deiecerit, mortem obierit; qua ratione ad inferos descenderit, maceriemq;, quæ longo æui spatio integra & immota cõstitisset, diruperit; vt surrexerit post triduum; vt mortuos, qui multis seculis obdormiuissent, excitauerit; quatenus etiam solus descenderit ille quidem, sed cum ingenti multitudine ad Patrẽ suũ ascenderit.

Macarius Hierosolymitanus. 325.

In actis Cõcilij Nicæni lib. 2. Venit Saluator omniũ, & à nobis debita supplicia in sua carne, quæ sine peccato erat, pro nobis, & ex nobis, & ex nomine nostro suscepit. Descẽdebamus nos post mortẽ ad inferos: suscepit & hoc, descẽdens q; sponte ad eos, non tamen detentus est, sicut & nos, sed descendit tantùm. Non enim erat subiectus morti, sed mortis Dominus. Cumq; solus descendisset, cũ multis redijt.

Athanasius. 340.

De incarnatione Christi: In Christi quoque morte idipsum patet, corpore non vltra sepulchrum delato, anima ad inferos penetrante locis ingenti interuallo discriminatis: sepulchro quidem id quod corporeum erat, quia ibi corpus aderat, recipiente: inferno verò id quod incorporeum fuit. Qua ratione igitur factum est, vt cùm Dominus adesset incorporaliter, pro homine à morte sit agnitus? Vt earum animarum, quas infernus tenebat, vincula sua anima inobnoxia quidem vinculis mortis, sed tamen quæ quasi obnoxia facta esset disrumperet? explicans illis modum rationemq; suæ resurrectionis, vt plastes ille & conditor hominis hominem damnationi subiectũ ipse præsens ad plenum liberaret in sua forma?

De salutari Christi aduentu: Anima Adæ in condemnatione mortis detenta clamabat ad suũ Dominum perpetuò, & cum ea cæteri, qui Deo per legem naturæ placuerunt, vnà cum Adam detinebantur, simulque in mœrore erant, & vociferabantur.

Homilia de semente: Iesus propter nos mortuus est, & descendit ad inferna in medium mortuorum, & inter mortuos incedens, non solùm liber, sed & liberator mortuorum erat.

Synodus Ariminensis. 350.

Apud Athanasium de Synodo Arimini: Credimus Filium Dei secundùm Patris voluntatem crucifixum & mortuum esse, & ad inferos descendisse, atque ibi quod sui officij erat peregisse: quem ianitores inferorum conspicati exhorruerunt, eumq; tertio die ab inferis resurrexisse, & versatum cum discipulis fuisse.

Cyrillus Hierosolymitanus. 360.

Catechesi 4. illuminatorum: Descendit Christus ad inferos, vt & illinc iustos liberaret. Cur enim vellet viuentes quidem frui gratia, quamuis plurimi ex his sancti non essent; qui verò cum Adam à longo tempore concluſi erant, deinceps non potiri libertate? Esaias Propheta tanta de illo prædicauit, & non vis vt Rex descendens liberet suum præconem? Dauid illic erat, & Samuel, & omnes Prophetæ, ac ipse Ioannes, qui ad eum per suos nuntios dicebat: *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* Non vis vt descendens liberet tales?

Catechesi 14. Solus hic quidem descendit ad inferos, cum multis autem inde ascendit. Descendit in mortem solus, & multa corpora quiescentium Sanctorum excitauit. Exterrita est mors, videns nouum quendam descẽdentem in infernum, vinculis, quæ illic sunt, non ligatum. Qua de causa, ô portæ inferi, hunc videntes exhorruistis? quis insuetus vos cepit timor? Fugit mors, & fuga timiditatem arguebat. Accurrerunt sancti Prophetæ, Moses Legislator, Abraham, Isaac, & Iacob, Dauid, & Samuel, & Esaias, & Ioannes Baptista. Redempti sunt oẽs Sancti, quos deuorauerat mors.

Basilius Magnus. 370.

Homilia in Psal. 44. Christi quidem suaue fragrans odor myrrham ob passionem spirat: guttam verò, quòd non immobilis, nec otiosus, aut inefficax in sepulchro permanserit tribus illis diebus ac noctibus, sed in infernum descẽderit, gratia dispẽsationis circa resurrectionem absoluendæ, vt quæ de seipso erant oracula Prophetarum vniuersa expleret, &c. Habes ergo myrrham ob sepulturam, guttam ob descensionem ad infernum, quòd omnis gutta ad inferiora delabitur.

Homilia in Psal. 48. *Deus redimet animam meam de manu inferi.*) Palam vaticinatur Christi ad infernum descensionem, qui vnà cum alijs Prophetæ ipsius animã sit liberaturus, vt ibi nequaquam remaneat.

Epiphanius. 380.

Hæresi 46. contra Tatianos: Vnde etiam sanctum Adam patrem inter viuos credimus, propter quẽ & nos, qui ab ipso sumus, omnes Christus venit: vt his quidem, qui olim ipsum cognouerunt, & ab ipsius Deitate non aberrauerunt, verùm propter errores in inferno detenti sunt, indulgentiam largiretur: his quidem, qui adhuc in mundo sunt, per pœnitentiam; qui verò in inferno, per misericordiam & salutem.

Hæresi 69. contra Arianos: Omnia suscepit, quò in carne condemnaret peccatum, & in cruce dissolueret maledictionem, & in monumentum sepulchri detraheret corruptionem, & in infernum descendens cum anima in Deitate stimulum mortis confringeret, & pactum erga infernum destrueret, &c. Volebat Deitas omnia perficere quæ ad passionis mysterium pertinent, & cum anima descendere ad inferna, ad operandum salutem eorum, qui illic prædormierunt, Sanctorũ inquam Patriarcharum.

Gregorius Nazianzenus. 380.

Oratione 35. quæ est 3. de Theologia: Christus in infernum descendit: sed animas sursum ducit, atq; in cælos ascendit.

Hymno ad Christum post silentium:

Hac es Christe die leuibus reuocatus ab vmbris,
Atque retudisti spicula dira necis.
Horrendas hac luce fores tua rupit Auerni
Dextera: libertas est animisq; data.

Gregorius Nyssenus. 380.

Oratione prima in Christi Resurrectionem: Hęc Christi resurrectionis dies mortis dolores dissoluit: hæc mortuorum primogenitum edidit: in hac æreæ mortis portæ confractæ sunt: in hac ferrei inferorum vectes comminuti: nunc mortis carcer aperitur; nunc captiui libertas denuntiatur.

Theophilus Alexandrinus. 390.

Epistola prima Paschali: Saluator tollens animam & separans à corpore suo tempore passionis, rursus eam in resurrectione suscepit: & multò antequam faceret loquebatur in Psalmo: *Non derelinques animam meam in inferno.* Nec credibile est, quòd ad inferos caro eius descenderit, vel prudentia carnis, quæ appellata sit anima, inferis apparuerit: sed quòd corpus eius positum in sepulchro sit, & ipse nec de corpore & sapientia carnis, nec de diuinitate sua dixerit: *Non relinques animam meam in inferno,* sed vera de naturæ nostræ anima, vt perfectam, ac rationalem, & intelligibilem, atque sensibilem ad inferos descendisse animam monstraret. Psal. 15

Ioannes Chrysostomus. 400.

Sermone 5. de Resurrectione: Hodie sol iustitię Christus ascendit euangelizatis Sanctorum animis, ab inferis eleuãs secum corpora Sanctorũ tanquam choros syderum spiritaliũ. Enituit Hierusalem, in qua visi sunt resurgentes, &c. Et rectè dies dicitur lucis, in quo fugerunt tenebræ cæcitatis. *Exclamauerunt, qui erant in tenebris, quia lumen viderunt magnũ: & qui erant in regione vmbræ mortis, lux orta est eis.* Isaiæ 9

Demonstratione aduersus Gentiles, quòd Christus sit Deus: Descendit in infernum, omnes disturbauit; & tumultu turbationeq; impletam arcem destru-

xit. Audi de hoc in inferioribus tumultuantes, & dicentes: *Tollite portas Principes vestras, & eleuamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ.* Et Esaias iterum: *Portas æneas confringam, & vectes ferreos conteram, & aperiam tibi thesauros obtenebratos, & inuisibiles ostendã tibi.* Infernũ sic vocat. Nã quamuis infernus esset, animas tamẽ tenebat sanctas, & vasa pretiosa, Abraham, Isaac, & Iacob. Propter quod thesauros vocat: obtenebratos autem, quia nondum sol iustitiæ ibi fulserat, neque de resurrectione sermones prædicârat.

Psal. 23.

Isaiæ 45

Homilia 4. in Marcum: Ante aduentum Saluatoris, antequam Christus aperiret Paradisi ianuam cum latrone: omnes Sanctorum animæ ad inferos deducebantur. Denique dicit & Iacob: *Lugens & gemens descendam ad inferos.* Ideo Dominus mortuus est, ideo descendit ad inferos, vt animæ, quæ ibi vinctæ fuerant, laxarentur.

Gen. 38.

Synesius. 410.

Hymno 7.

Et terram lustrasti,
Et maritimos fluctus,
Et dæmonum vias
Liquidos campos aëris,
Et infernas latebras,
Mortuis subsidium
Deus ad inferos missus.

Hymno 9.

Et descendisti sub Tartara,
Animarum vbi plurima
Mors tenebat agmina;
Horruit te senex tunc
Orcus antiquus,
Et voracissimus canis
Recessit à limine:
Tu verò cùm soluisses catenis
Animarum sanctos cœtus,
Comitatu integerrimo,
Laudes referebas Patri.

Philo Carpathius. 420.

In Cantica: *Apprehendam te.*) Regnauit mors, & imperauit homini ab Adam vsque ad aduentum huius cælestis sponsi: sed idem Iesus humana carne eaq; mortali vestitus, vt in ea mortem perderet, & vitam repararet æternam; quam semel pro nobis assumpsit in mortem, quasi in domum intulit, eamq; in intimum promptuarium & sinum terræ, quæ nos omnes colligebat, triumphalem inuexit: vt inde Sanctorum animas, quæ illic reconditi thesauri Redemptoris huius præstolabantur aduentum, eximeret, ac solueret, secumq; adduceret sine fine victuras.

Ioannes Cassianus. 430.

De Canonico diurnarum orationum & Psalmorum modo lib. 3. cap. 3. Hora nona, inferna penetrans, inextricabiles Tartari tenebras coruscatione sui splẽdoris extinxit, portasq; eius æreas effringens, ac seras ferreas conterens, captiuitatem Sanctorum, quæ clausa tenebris immitis inferni tenebatur, salubriter captã secum transuexit ad cælos, igneaq; rhomphæa sublata, antiquum incolam Paradiso pia confessione restituit.

Cyrillus Alexandrinus. 430.

Ad Theodosium Imperat. de recta in Deum fide: Christi anima, quæ cum illo coniuncta copulataq; fuerat, non sua, sed diuina virtute potentiaq; nixa, ad inferos descendit, spiritibusq; ibidem captiuis sese exhibuit: Etenim ijs, qui vinculis istic cõstricti detinebantur: Exite, ait: cæteris verò, qui tenebris operiebantur: Reuelamini. Atque huc magnus ille Petrus respexisse videtur, cũ de Dei Verbo, eiusdemq; secundùm dispensatoriã vnionem anima, hunc in modum concionatur: *Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, iustus pro iniustis, vt nos offerret Deo: mortificatos quidem carne, viuificatos autem Spiritu. In quo & his, qui in carcere erãt, spiritibus veniens prædicauit, qui increduli fuerant aliquando.* Nemo, opinor, dicet diuinitatem per se solam ad inferos descendisse, spiritibusq; ibidem conclusis prædicasse: cùm ipsa omninò sub oculos non cadat. Multo minus concedendum est ipsam in apparentem animæ speciem transformatam esse: siquidem externæ istius apparentiæ commentum omninò repudiari debet. Quemadmodum ergo Vnigenitus cum ijs, qui in corporibus suis adhuc degebant, versatus est in corpore: ita Spiritibus, qui apud inferos tenebantur, animam mente & ratione præditam, sibi coniunctam habens, concionatus est.

Concilium Ephesinum. 430.

In Symbolo circa medium: Gratia Dei Christus pro omnibus gustauit mortem, tradens & proprium corpus, quamuis naturaliter ipse vita sit, & resurrectio mortuorum. Nam vt mortem ineffabili potentia proculcaret, ac prius in sua carne primogenitus Deus, licet iuxta naturam suã mortis expers, ex mortuis fieret primitiæ dormientium, viamq; faceret humanæ naturæ ad incorruptionis recursum, gratia Dei pro hominibus gustauit mortem, & tertia die exurgens spoliauit infernũ. Idcirco quamuis dicatur quòd per hominem facta sit resurrectio mortuorum, tamen intelligimus, hominem factum Verbum quod ex Deo est, & per ipsum mortis imperium fuisse destructum.

Proclus Constantinopolitanus. 433.

Homilia de Natiuitate Domini nostri Iesu Christi, habita Constantinopoli præsente Nestorio: Crucifigebatur, & thronus gloriæ non deserebatur: in sepulchro concludebatur, & cælum vti pellem extendebat: inter mortuos reputabatur, & infernum despoliabat.

Theodoretus. 450.

Dialogo 3. Quemadmodũ Principe generis condemnato vniuersum quoque genus simul condemnatum est: ita cùm Saluator execrationẽ & maledictionem soluisset, naturæ quoque libertate vt frueretur euenit. Et quemadmodum descendentem ad inferos Adam secuti sunt, qui erant naturæ participes: ita cum Christo Domino resurgente resurrectionis erit particeps vniuersa hominum natura.

Titus Bostrensis. 460.

Ad c. 23. Lucæ: *Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso.* Quomodo hæc Dei & Domini nostri promissio Latroni facta, nimirum: *Hodie mecum eris in Paradiso*, expleta est? Quòd Christus Dominus noster sua diuinitate impleret omnia, & in cruce erat secundùm carnem, & in cælo secundùm diuinitatem. De cruce rursum depositus, & in inferno erat secundùm animam, & suæ nihilominus diuinitatis virtute latronem in Paradisum inferebat. Forsan latronem, qui in ipsum crediderat, prius transtulit in Paradisum, quàm ipse ad inferos descendit.

Olympiodorus Diaconus. 480.

Ad cap. 19. Iob: *Nudus infernus coram eo.*) Iubet tantummodò Deus, & continuò mortuos infernus eructat, nec quicquam eorum quę pereunt illi tectum esse potest, illius inuicta potentia cuncta in medium proferente. Hæc Iobus de Vnigeniti incarnatione vaticinatus est: Siquidem coram eo tenebricosus & splendore carens infernus nudus est: & quę illi propinqua est perditio, hoc est mors, abdita in occulto latere non potest. Ille scilicet factus homo, & infernum prædatus est, & qui illic inclusi erant virtute sua eduxit, cùm eis, qui erant in vinculis, diceret: Egredimini: & eis, qui erant in tenebris: Retegimini: nec velum vllum diuino imperio officere potuit, verùm nulla interiecta mora retecti sunt. Dictum item est in Prouerbijs: *Infernus & perditio manifesta apud Dominũ*: Nec enim locus, in quo versabantur animæ, quę illius aduentui antecesserunt, conditus illi ipsi esse potuit, neque eius obtutum effugêre illi, qui corruptione ac morte interijsse funditus videbantur. Quin in regionem illam infernam descendit, & quæ à temporis principatu illic perpetuis vinculis tenebantur constrictæ, animas expediuit.

Nonnus Panopolitanus. 500.

In Metaphrasi ad cap. 2. Ioannis:

ἀλλ' ὅτε δὴ μετὰ κόλπον ἀνοσφίστοιο θερέθρου
νόστιμος ἐξ ἀΐδαο πάλιν ζώῳ τινὶ πότμῳ
ἀρχαίην πολίνορσον ἐὴν ἀνεδήσατο τιμὴν
οὐρανίην, τότε μοῦνον ἀνεμνήσαντο μαθηταὶ,
ὅτι δόμον δέμας εἶπε.

Sed quando post sinum reditu carentis Barathri
Redux ab inferis rediuiuo quodam fato
Antiquo reuerso suo se coronauit honore
Cælesti, tunc solùm recordati sunt discipuli
Quòd domum corpus dixit.

Ad caput 11. de Lazaro:

ἐξ ἀΐδος νόσησε φυγὰς νέκυς ὄφιμον ἄλγος
ἀθρήσας μετὰ τέρμα βίου παλινάγρετον ἀρχὴν
θαμβαλέην. ἀΐδης δ' ματὴν παρὰ γείτονι λήθῃ
παυδαμάτωρ, ἀδάμαστος ἐδίζετο νεκρὸν ἀλήτην.

Ex inferis redijt profugus mortuus, serum aliud
Aspiciens post metam vitæ rursus congregatũ principiũ
Admirandum. Infernus verò frustra apud vicinã lethen
Omnia domans, indomitum quærebat mortuũ errantẽ.

Dorotheus Archimandrita. 520.

Doctrina 22. Quid est, *captiuam duxit captiuitatem?* Ex transgressione Adæ captiuos nos omnes fecit inimicus, & subiectos habuit. Vnde egredientes animæ ex corporibus hominum inferna petebant: clausus enim erat Paradisus. Ascendens igitur Christus in altitudinẽ sanctæ & viuificæ crucis, à captiuitate, in quã nos hostis abduxerat ob transgressionem, liberauit per sanguinem suum, & iterum nos ex manibus inimici traxit, & superauit eijcientem & captiuos facientem nos: & hinc dicitur: *Captiuam duxit captiuitatem.* Hæc est virtus mysterij, propter hoc pro nobis mortuus Christus, vt nos mortuos reduceret ad vitam. Erepti igitur sumus ab inferis ob Christi humanitatem, & in nostra manu est redire ad paradisum. Non enim vsque adeò tyrannidem exercet hostis, vt antea, neque nos sub ea qua primùm seruitute habet.

Procopius Gazæus. 530.

Ad cap. 49. Genes. E cruce Christus pendens passis manibus fugauit omnes hostes, eosq; terga vertere coëgit. Vnde in Dauide legimus: *Persequar hostes meos, & apprehendam, nec à persecutione reuertar, donec interierint. Affligã eos, nec poterũt cõsistere. Cadent sub pedes meos.* &c. Hoc verò præcipuè tũc euenit, cùm committẽs Spiritum Patri, carne exutus descendit in hostium locũ, & cùm esset ipsa vita destruxit mortem, & aduersarias potentias, quas verisimile est ad primum eius aduentum, cùm eum nudum existimarent hominem, instituisse ipsum circumuenire, & insultare ei, ceu vili homini: vbi verò cognouerunt eum esse augustiorem homine, nimirum fuga inita terga dederunt.

Ad cap. 41. Esaiæ: Idem Christus & eis etiam spiritibus, qui apud inferos in carceris domo constricti tenebantur, de se ipse concionatus est, & vinculis necessitatis omnes liberauit.

Anastasius Sinaites. 580.

In Hexamer. de opere septimi diei: Cùm autem esset profectus ad spiritus, qui erant in carcere inferni, illic fecit omnia opera sui aduentus, quæ cœperat facere. Hæc est quies secunda; quem quidem diem septimum benedixit. In eo facta est salus eis, qui erant sub terra, sicut eis qui erant super terram. In eo spoliati sunt inferi, in eo liberatus est Adamus ex mœroribus. In eo dominatus est Christus mortuis, sicut & viuis. Tunc à cruce ambulauit in vestigijs abysti. Cùm illuc descendisset, tunc in metu apertæ sunt portæ mortis, tũc mortem est scrutatus, tunc alligauit tyrannum, tunc perfecit opera sua, propter quæ aduenerat.

De rectæ fidei dogmatibus lib. 4. Ipsum enim oportebat & ad animas corporibus exutas peregrè proficisci, illicq; captiuitate detentis prædicare absolutionem.

Lib. 5. Descendit in inferiores partes terræ, intq; cor illius introijt, tantillum temporis illic consumpturus, quantum expediebat apud illos morari: vt eis, qui in inferno concluſi tenebantur, sua potestate contraderet & gratiam & oportunum subsidium. Neque enim ad inferos descensus suo caruit fructu. Deus namque frustra nihil agit: sed vt illic conclusos educeret, eductos ad superiora subueheret, prior gradiens ante eos. Nec solam illam corporum in sepulchris corruptionem dissoluit: sed etiam animarum captiuitatem ex inferni clauſtris liberrimam eduxit, quo loci detinebantur miserrima oppressæ tyrannide.

Hesychius. 590.

In canticum Ionæ: Non erat in potestate Ionæ, vt sponte resurgeret, sed Christus poterat sua sponte hoc facere. Quapropter infernũ, ad quod descendit Christus, & mortem, quam verè gustauit, cor terræ nuncupauit: hic autem infernum vocauit ventrem Balenæ.

Sophronius Hierosolymitanus. 630.

In Christi Seruatoris Natalitia: Sol iustitiæ duplex nobis gaudium adfert. Hinc quidem ex vtero virgineo exortus: inde verò ex abditis inferorum antris excitatus. Vt exortus, immensa mortalium animos lætitia delibutos reddidit: vt verò excitatus, tristem mortem peremit, omnesq́ue, quos detinebat, mortuos illi ademit, & nobis, qui in terrestri hac regione versamur, ad incorruptam immortalemq; vitam iter aperuit.

Germanus Patriarcha Constantinop. 720.

In Theoria: Hinc enim ille mundanus terræ motus, trium horarum spatio tenebræ super vniuersam terram, atque veli & petrarum disruptio, & monumentorum patefactio, præterea etiam mortuorum resurrectio, & quæcunque ad inferos descendens Saluator egit, &c. Recitat deinde sacerdos eius ad inferos descensionem, vinctorum illic liberationem, & triduanam & sanctam à mortuis resurrectionem.

De cruce Domini sono 4. Profundum quid est? dirus Orcus & tenebricosus, ad quem vsque descendit, quærens ouem perditam.

Sono denùo tertio: Sonus grauis audiebatur in Orci specubus, cũ Protoplastus querulas ibi voces funderet, præ Paradisi delitiarũ desiderio, &c. Ergo pauperis cultu penetrauit ad inferos, indeq; prædam, quam nemo queat dicere, tulit. Virgo

pudica carnem ei miniſtrauit ſuam, cruxq; ſchalas præbuit, queis in Orcum deſcenderet. Deſcendit, inuenit hominem, eduxitq; tenebris, & Paradiſi priſtinæ reſtituit gloriæ. O Dei bonitatis immenſam profunditatem.

Ioannes Damaſcenus. 730.

Orthodoxæ fidei lib.3.cap.29. Ob id porrò deificata Chriſti anima ad inferos deſcendit, vt quemadmodum ijs, qui in terra verſabantur, iuſtitiæ ſol ortus erat: ita etiam ijs, qui infra terram in tenebris & vmbra ſedebant, illuceret. Et quemadmodum his, qui in terra erant, pacem, captiuis remiſſionem, cæcis viſum euangelizauerat: ſic etiã ijs qui in inferno erant: vt ipſi *omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum.* Atque hoc pacto ijs, qui ab omni æuo velut compedibus aſtricti tenebantur, ſolutis, ipſe rurſus à morte ad vitam redijt.

Oratione de Transfiguratione Domini: Si in monte Thabor manſiſſent, non Orci regia ad prædã conceſſa fuiſſet, non Adamus ſaluti reſtitutus, nõ Eua redempta, non Patriarchæ, ac Prophetæ, & iuſti ex imis inferni receſſibus erepti fuiſſent.

Oratione de Dominica Paſchæ: Cùm immenſam tuam miſericordiam ij, qui inferni catenis vincti tenebantur, conſpexiſſent, læto pede, ô Chriſte, ad lucem accurrebant, æternum Paſcha plauſu celebrantes.

Oratione de fidelibus defunctis: Fuit quibuſdam in inferno confeſſionis locus, ijs videlicet, qui in ſalutari Domini deſcenſu fidem amplexi ſunt. Neque enim ille vitæ auctor omnibus ſine exceptione ſalutem attulit: ſed ijs demum, qui illic quoque ipſius fidem amplexi ſunt. Ac nonnulli quidem per eos, qui ante crediderunt, Patres, & Prophetas, & Iudices, & Reges, ac Principes intelligunt, alioſq; nonnullos Hebraici populi, &c. Hi ſunt videlicet, vt mea fert opinio, quibus Chriſtus in inferno ſalutem attulit. Sic igitur à nobis, iuuante Chriſto, demonſtratum eſt, in inferno quoque confeſſionem extitiſſe.

Coſmas Hieroſolymitanus. 740.

In Theogoniam hymno 8. Regnat, ſed non perennat infernus generis mortalium. Tu enim poſitus in ſepulchro, forti vitæ auctore palma mortis clauſtra dilacerasti, & prædicaſti illic à ſeculo dormientibus liberationem immendacem.

Vna extitit in inferno inſeparabilis, in ſepulchro, & in Eden diuinitas Chriſtum cum Patre & Spiritu in ſalutem noſtram concinentium. Redemptor Deus benedictus es.

Solutum eſt immaculatum templum, procidẽs autem corrigit tentorium. Adam enim priori ſecundus, qui in excelſis habitat, deſcendit vſque ad infernicellas.

Marcus Idruntinus. 800.

Hymno in magno Sabbato: Vt tua gloria omnia repleas, deſcendiſti in ima terræ. Abs te enim non abſconſa eſt ſubſiſtentia mea in Adam, &c. Signa ſepulturæ tuæ oſtendiſti, viſus multiplicans, nũc autem ſecreta tua diuinitùs manifeſtaſti, & his, qui in inferno ſunt, Domine, non eſt Sanctus, præter te, Domine clamant. Infernus Verbum occurrens tibi, amarus factus eſt, mortalem videns deificatum, maculoſum vibicibus, & omnipotentificem horribili formæ aurem diſcordauit.

Nicephorus Conſtantinopolitanus. 815.

Epiſtola ad Leonem: Credo Chriſtum corpus ſuum ſepulturæ contraditum, incorruptum cõſeruaſſe, nullo modo ab arcana illa inexplicabilíq; vnione diuulſum, etſi illud tridui interuallo anima fuerit ſpoliatum: cum qua anima & ipſe quoque ad inferos deſcendit, eisq;, qui in carcere erãt, ſpiritibus, (quemadmodum Apoſtolorum Coryphæus diuinus Petrus exponit,) reſurrectionem prædicauit, libertatemq; & reſurrectionem impertiuit. 1.Pet.3.

Michael Syngelus. 830.

In Dionyſio Areopagita: Dei Filius in fine ſeculorum ex Maria Virgine ſine ſemine ac corruptione carnem aſſumpſit, & in lucem editus, in omnibus præter peccatum, mortali homini, vt nos ſumus, ſimilis factus, in cruce ſua ac morte Diaboli imperium, perempta morte, irritum fecit, ad inferoſq; laceros deſcendit, & ibi tenebras diſſoluit, ac eius reſurrectione lux mundo illuxit.

Theophylactus. 900.

Ad cap.27.Matth. Mortuorum reſurrectio, quæ facta eſt in cruce Domini, ſignificat eorum qui in inferno fuerunt liberationem.

Ad cap.23.Lucæ: Chriſtus in Paradiſo fuit cum mente, in infernum autem deſcendit cum anima.

Ad cap.4.ad Epheſios: Quò deſcendit Chriſtus? ad inferos. Has enim infimæ terræ partes appellat, iuxta communẽ opinionem & intellectũ, quemadmodum & Iacob inquit: *Deducetis canos meos cum dolore ad inferos.* Ac Dauid: *Similis ero deſcendentibus in lacum.* Deſcẽdit igitur ad infimas partes, poſt quas non eſt aliud quid; & aſcendit ſuper omnia, vltra quæ non ſunt alia.

Theodorus Abucara. 940.

Diſputatione 15. Quinta liberatio eſt animarum ab inferno, quia fieri non poterat, vt cum carne ad inferos anima Domini deſcenderet, quã mors à carne ſeparauerat: idcirco nuda cũ animabus, quæ ſedebant in tenebris, verſata eſt, eisq; lumine ſuæ diuinitatis illucẽſcens, eas, quæ in eum crediderant, in paradiſum tranſtulit, & inferni regnum deſtruxit. Quemadmodum enim porta & ingreſſus Verbi Dei aduentus in hunc mundum ſanctiſſima Virgo fuit: ita & mors ianuam & ingreſſum ad inferos deſcenſui præbuit.

Suidas. 950.

Invoce Adam: Dei Filius Vnigenitus & Sermo æternus miſertus hominis, vt à Dracone decepti, è gremio Patris ipſe ſe demiſit, & caro factus de Spiritu ſancto & ſancta Virgine Deipara, & per venerandam crucem & ſupplicium ſuum deiecto aduerſario in terræ partes infimas deſcendit, indeq; prolapſum Protoplaſtum eduxit, reſtituta imagini prima pulchritudine, & naturæ priſtinæ integritate.

Moſes Barcepha. 950.

De Paradiſo parte 1. paulò ante finem: Cùm Chriſti anima in cruce eſſet à corpore ſeparata, ipſa diuinitas ſimpliciter neque corpus neque animã deſeruit, ſed & vnà cum corpore ſepulchrum ſubijt, & ſimul cum anima inferos correxit, atque ad eas animas, quæ inibi tenebantur, concionem habuit, ſicut ait Petrus Apoſtolus in ſua Epiſtola. Itaque anima Chriſti eas animas, quæ in ſe credebant, ab inferis ſuſtulit, ſubuectasq; induxit cum latronis anima in paradiſum, vnde expulſus fuerat Adamus. 1.Pet.3.

Simeon Metaphraſtes. 970.

In vita Stephani iunioris: Etenim eximio & pererudito artificio carnalis Chriſti natiuitas, & diuina ipſius miracula, & venerandorum myſteriorum traditio, ac denique per ipſius crucem in infernum deſcenſus, & reſurrectio picta illic erant.

In vita Quiriaci Eremitæ cap.2. Cogitabat partum ſine ſemine, Virginem eandem & matrem: & quomodo Verbum, cùm Deus eſſet, factus ſit homo ſine mutatione, & quomodo per crucem inferos ſpoli-

ſpoliauerit, & fallacem ſerpentem aboleuerit, & Adamum rurſus reduxerit in Paradiſum.

Euthymius. 1080.

Ad Pſal.106. *Qui contriuit portas æreas.*) Occluſas diu olim, & valdè obfirmatas inferni ianuas infregit Dominus, quando illuc deſcendens carcere emancipatos Patres eripuit.

Ad cap.23. Lucæ: Primùm aſcendit ad Deum anima Ieſu: deinde ad inferos deſcendit, vt animas, quæ ibi detinebantur, liberaret.

Michael Glycas. 1120.

Parte 3.Annalium: Ad Orcum deſcendiſſe cùm ſanctam Chriſti audis animam, noli obſtupeſcere, neque dicere: fieri haudquaquam potuiſſe, vt eadem ánima migraret ad Orcum, & paternis in manibus deponeretur. Quippe Dei manus, videlicet illa continens omnia vis & poteſtas, tum in cælo eſt ſupernè, tum, in terris deorſum; neque adeò ipſis ab Orci angulis vnquam abeſt. Quò fit, vt ſi maximè ſancta Chriſti anima id temporis ad Orcum ſit profecta, minimè tamen à vi poteſtateq; illa, ceu diximus, omnia continente abfuerit. Imò dicendum potius, potentiam Patris ipſum eſſe Chriſtum, quemadmodum Paulus loquitur. Deponit igitur animam ſuam paternas in manus, vt hoc modo cunctis iuſtorum animabus iter ad ſuperna cæleſtiaq; largiretur. Ad Orcum verò deſcendit, vt etiam eis, qui iſthic detinerentur, prædicaret, ac religioſam illam pietatem docendo commonſtraret, quam prius ignoraſſent, &c.

Theorianus. 1170.

Epiſtola ad Sacerdotes de ieiunio Sabbati: Non ieiunant Græci Sabbato, quia eo die animæ iuſtorũ, ſtatim poſt deſcenſum Domini ad inferos, liberatæ fuerunt.

Nicetas. 1200.

In orationẽ 42.Nazianzeni: Chriſtus in infernum deſcendens non omnes, verùm eos ſolùm, qui crediderũt, ſaluos fecit. Chryſoſtomus ipſe affirmat, neminem in inferno à Chriſto ſalutem accepiſſe, niſi qui ſalute dignus eſſet, cùm ex hac vita exceſſiſſet.

Nicephorus Calliſtus. 1300.

Lib.1.cap.31. Ipſe iuſtitiæ ſol Chriſtus, anima ſola, per mortem à corpore ſegregata, apud inferos iuſtorum animis præſtò fuit: & dux itineris, ad Paradiſum ferentis præijt, lucis princeps, viæq; ductor eis perinde atque latroni factus. Eadem namque die, ac potius eadem hora ab inferis redijt: vt quidem cùm alij nonnulli, tum is, cui aurea lingua nomen indidit, inprimis hæc accuratiùs, certiusq; expoſuêre. Nec enim rationi conſonum erat, animam eius apud inferos retineri, qui nihil prorſus à primi parentis maledictione & exitio ſecum attuliſſet, ſubitò verò, &, vt ita dicam, fulgetri celeritate, dignos atque idoneos luce ſummè coruſcantis deitatis illuſtrans, ac immenſa potentia ex caliginoſis illis, ſoleq; carentibus latebris rèducens: & principibus ibi tenebrarum, ducibusq; malorum, diuinæ poteſtatis ſplendore, & Angelicarum cohortium militia, quaſi obtritis, nullo tempore & labore nullo, atque eo, qui ſolum Deum decet, modo, in momento vno ad ſacra immenſaq; luce relucentia paradiſi tabernacula traduxit.

Ioannes Cantacuzenus. 1360.

Apologia 2. Ipſe dicit Iob: *Num accepto luto formauiſti animal, & ſermone præditum poſuiſti illud ſuper terram? num in veſtigijs abyſſi deambulauiſti? aperienturne tibi præ timore ianuæ mortis, & tunc ianitores inferni te viſo ſtupuerunt?* Quid, quæſo, his innuit aliud, quàm ego Deus ſum, qui feci hæc, ego aperui portas mortis: timore enim mei apertæ ſunt, & me viſo in inferno ſtupuerunt ianitores illius. Veruntamen quidnam opus eſt hanc prophetiam interpretari? Talem enim eſſe videmus, vt vel planè ſtupidus, & rudis eam intelligat. Illud enim, *Viſo me ianitores inferni ſtupuerunt,* Chriſti reſurrectionem cum auctoritate diuina potentiq́ue vrtute factam ſignificat; præterea vniuerſam illam inferni mortisq; deſtructionem. Quin & Dauid luculenter ſic dicit: *Non relinques animam meam in inferno, neque dabis ſanctum tuum videre corruptionem.* Pſal.16.

Manuel Palæologus. 1400.

Oratione matutina Dei celebrationẽ continente: Morti te ipſum tradidiſti, ac morte tua ſeruaſti, quod in te eſt, omnes omnino homines: non eos duntaxat, qui ante te exitêre, (ſed & eorum animas, in inferno detẽtas, (ἐν ἅδῃ κεκρατημένας, &c.) ipſe cum anima deificata profectus eò, manumiſiſti Seruator, quotquot te ſcilicet agnouerunt,) verùm etiam ex illo qui tempore hucuſque nati ſunt, & qui deinceps naſcentur.

Gennadius Scholarius. 1450.

De Purgatorio ſectione prima: Eos etiam addimus, qui ante baptiſmum ſuarum virtutum beneficio ſeruati ſunt, primos Patres, Prophetas, Patriarchas, & iuſtos, quos ſuo aduentu Chriſtus ab inferni vinculis liberatos, in cælum deduxit, & vt eo fruerenturdignos effecit.

Zaga Zabo Æthiops: 1530.

In confeſſione Fidei Aethiopicæ: Chriſtus deſcendit ad inferos, vbi erat anima Adæ, & eius filiorum: atque anima ipſius Chriſti, quæ eſt ab Adam, quam animam Adæ ipſe Chriſtus accepit ex ſancta Maria Virgine, & in ſplendore ac potentia diuinitatis ſuæ & crucis fortitudine fregit æneas & igneas inferorum portas, & catenas ferreas, Sathanam colligauit, & redemit Adam, & eius filios.

Moſes Mardenus Aſſyrius. 1552.

In tabula lectionum noui Teſtamenti: Sabbatum annuntiationis idcirco appellatur, quòd eo Chriſtus Patribus apud inferos agentibus annuntiauit, extremo ſuo ſupplicio ſalutem eis partam iam eſſe.

Siud Sulaka Patriarcha Neſtorianorum. 1553.

In Fidei confeßione: Chriſtus paſſus mortuus & ſepultus eſt in humanitate ſua, propter nos, & propter redemptionem noſtri deſcendit ad infernum, & tertio die reſurrexit è ſepulchro vera reſurrectione.

Ioannes Baſilius Magnus Dux Moſcouiæ. 1570.

Reſponſione ad Ioannem Rohitam cap. 12. Licet quidam vſque ad Chriſti aduentum iuſti fuerint, neque contaminati: nihilominus tamen omnes, propter Adami damnationem, moriebantur, ac in Adum, id eſt, infernum deſcendebant.

Gabriel Patriar. Alexandrinus. 1595.

In confeßione Fidei: Firmiter credo & prædico Chriſtum verè paſſum, verè mortuum & ſepultum, verè cum anima deſcendiſſe ad inferos, ad liberandas animas Sanctorum Patrum, quæ in Limbo detinebantur, alligato inſatiabili homicida.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Tertullianus. 200.

Libro de anima cap. 55. Nobis inferi, non nuda cauoſitas, nec ſubdiualis aliqua mundi ſentina creduntur: ſed in foſſa terræ, & in alto vaſtitas, & in ipſis viſceribus eius abſtruſa profunditas. Siquidem Chriſtum in corde terræ triduum mortis legimus expunctum, id eſt, in receſſu intimo, & interno, & in ipſa terra operto, & intra ipſam cauato, & inferioribus adhuc abyſſis ſuperſtructo. Quòd ſi Chriſtus Deus, quia & homo, mortuus ſecundùm Scripturas, & ſepultus ſecundùm eaſdē, hic quoque legi ſatisfecit, forma humanæ mortis apud inferos functus, nec ante aſcendit in ſublimi ora cælorum, quàm deſcendit in inferiora terrarum, vt illic Patriarchas, & Prophetas compotes ſui faceret: habes & regionem inferum ſubterraneam credere, & illos cubito pellere, qui ſatis ſuperbè non putent animas fidelium inferis dignas: ſerui ſuper Dominum, & diſcipuli ſuper magiſtrum, aſpernati ſi fortè in Abrahæ ſinu, expectandæ reſurrectionis ſolatium carpere.

Lib. 2. contra Marcionem cap. 4.

Poſt vbi ſecretas inferni venit ad vndas,
Atque ſuum victor captiuum luce retexit,
Aſtanti iuſſumq; Patris virtute peregit,
Sponte ſuum corpus, quod liquerat, ipſe recepit.

Lib. 4. cap. 6.

Iſthic interdum requies, ſub corpore terræ
In parte ignota quidam locus extat apertus,
Luce ſua fretus Abrahæ ſinus iſte vocatur,
Altior à tenebris, longè ſemotus ab igne,
Sub terra tamen.

Lib. 5. cap. 10.

——— Poſtquam corpore ſancto
Omnia perpeſſus, perſoluit debita noſtra:
Infernum petit: hìc animas pro crimine vinctas,
Quas ſine præſidio, concluſa pondere legis,
Olim promiſſa, & ſperata, & tarda rogabant,
Sanctorum in requiem dedit, & cum luce retraxit.

Cyprianus. 250.

De cardinalibus operibus Chriſti: De Cœna Domini: Volebat pius Magiſter, cùm iam damnationis ſuæ dictaretur ſententia, & prope eſſet, vt figeretur in cruce, ſuæ dare indicia poteſtatis; vt qui animam Lazari reuocârat ab inferis, & quatriduano mortuo reddiderat vitam, dignoſceretur virtute diuina non humana tantùm opus patraſſe, & impoſſibile eſſe ſuam animam ab inferno teneri, qui alienam poteſtatiuè extraxerat.

De vnctione Chriſmatis: Paſſus eſt Rex illudi, & vita occidi, deſcendensq; ad inferos captiuam ab antiquo captiuitatem reduxit, &c. omninò conuenit vt eo tempore, quo Chriſtus captiuos eduxit ab inferis, reconciliati peccatores ad Eccleſiam reducantur.

De Chriſti reſurrectione: Honorificatus eſt Chriſtus reſurgens à mortuis, victor mortis, ſpolians inferos, & captiuos præmittens ad ſuperos.

Zeno Veronenſis. 260.

Sermone 3. de Paſcha: Hic eſt quo ferales diſruptæ ſunt tenebræ; quo mors ſubacta eſt, quo homines, quos ſuſceperant mortuos, refundere inferi coacti ſunt viuos.

Victorinus Pictauienſis. 270.

De Ieſu Chriſto Deo & homine:

Sed Deus omnipotens Patrem clamore per auras
Suprema iam voce vocat: quia deſeror audi.
Tempus erat ſpiritum Patri ſoluiſſe tonantem,
Et manes patuêre, & profugit vndique cælum, &c.
Mœſta fluenta gemunt, & luctum flumina plorant,
Inq; ſinus redière ſuos: à ſedibus imis
Tartarus euomuit proceres, Patresq; beati
Conſurgunt, moriensq; Deus reparatur in omnes,
Vim patiens hominum vitali morte ſepultus.

Lactantius. 320.

Lib. 4. Inſtit. cap. 12. Cùm mandatis Dei functus veritatem gentibus reuelaſſet: mulctaretur etiam morte, vt inferos quoque vinceret ac reſignaret: atque ita demum reſurgens ad Patrem proficiſceretur, in nube ſublatus, &c.

Iulius Firmicius Maternus. 350.

De myſterijs & erroribus profanarum religionum c. 25. Chriſtus Filius Dei, vt humanum genus à mortis laqueis liberaret, fecit quod ante non fecerat, clauſit ianuas ſedis infernæ, & duræ legis neceſſitatem calcata morte proſtrauit: Per triduum recens ita ab eo iuſtorum turba collecta eſt, ne diutius contra eos mortis dominaretur improbitas: Ne iuſtorum meritū ex longa deſperatione cōcideret, fregit clauſtra perpetua, & ferreæ fores Chriſto iubēte collapſæ ſunt, &c. Exultat ſalutare numen, & triumphales currus eius iuſtorum & Sanctorum turba comitatur.

Hilarius. 350.

Lib. 10. de Trinitate: Anne tibi metuere infernū chaos, & torrentes flammas, & omnem pœnarum vltricium abyſſum credendus eſt, dicens latroni in cruce: *Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiſo?* Naturæ huius poteſtatem, iam non dico metus, ſed nec infernæ ſedis regio eſt concludens, quæ deſcendens ad inferos, à Paradiſo non deſit: ſic vt & hominis filius loquens in terris, maneat & in cælo, Martyri ſuo Paradiſum promittens, & conſummatæ beatitudinis delicias pollicens: non habet hunc metus corporalis penetrantem quidem ad inferos, ſed vtique naturæ ſuæ virtute diſtentum. Et naturam hanc mundi dominam, ac libertate ſpiritalis virtutis immenſam, non ſibi terrore mortis Gehennæ chaos vendicat: qua Paradiſi deliciæ carere non poſſunt. Futurus in inferis Dominus, & in Paradiſo eſt futurus.

In Pſal. 53. Morte nō interceptus vnigenitus Dei Filius: ad explendam quidem hominis naturam morti ſe, id eſt, diſceſſioni ſe tanquam animæ corporisq; ſubiecit, & ad infernas ſedes, id quod homini debitum videtur eſſe, penetrauit.

Marius Victorinus. 360.

Lib. 4. aduerſus Arium: Quam vtique vitam induit ſimul cum corpore, & eam ab inferno reſumpſit.

Ambroſius. 370.

De Dominicæ incarnationis Sacramento cap. 5. Corpus Chriſti iacebat in tumulo, ipſe autem inter mortuos liber remiſſionem in inferno poſitis ſoluta mortis lege donabat.

De myſterio Paſchæ cap. 4. Expers peccati Chriſtus, cùm ad Tartari ima deſcenderet, feras inferni ianuasq; cōfringens, vinctas peccato animas, mortis damnatione deſtructa, è diaboli faucibus reuocauit ad vitam, atque ita diuinus triumphus æternis eſt characteribus conſcriptus, dum dicit: *Vbi eſt mors aculeus tuus? vbi eſt mors victoria tua?* Oſeæ 13. 2. Cor. 15.

Hymno, qui incipit, Ieſu noſtra redemptio:

Inferni clauſtra penetrans,
Tuos captiuos redimis:
Victor triumpho nobili,
Ad dextram Patris reſides.

Hymno, qui incipit: Veni Redemptor gentium:

Egreſſus eius à Patre,
Regreſſus eius ad Patrem:
Excurſus vſque ad inferos,
Recurſus ad ſedem Dei.

Lib. 4. de Fide cap. 1. Dominus reſurrectionis ſuæ pignore vincula ſoluit inferni, & piorum animas eleuauit. Reſurgens ex inferis Chriſtus venit nouis redimitus exuuijs, & ſpolio ex morte quęſito.

Ad cap. 5. ad Romanos: Boni in inferno erant, ſed ſuperiori, quaſi in libera morte, quia ad cælos aſcendere non poterant: ſententia enim tenebantur data in Adam, quod chyrographum in decretis morte Chriſti deletum eſt. Sententia verò decreti fuit, vt vnius hominis corpus ſolueretur ſuper terram, anima verò vinculis inferni detenta exilium pateretur.

Ad caput 4. ad Epheſios: Exſpoliauit inferos, cùm captiuos, quos ex præuaricatione Adæ, aut proprijs captos peccatis in conditione tenebat, abſtulit conſentientes ſibi, & aſcendens inde in cælos induxit.

Pacianus. 380.

Epiſtola 3. contra tractatus Nouatianorum: Dicam adhuc planiùs: Ille poſterior populus, ille pauper, ille mediocris, imago Eccleſiæ fuit, anima humilis & modeſta, anima liberata per Chriſtum: hanc venit Dominus ſaluam facere, hanc apud inferos non reliquit.

Prudentius. 380.

In Apotheoſi contra Ebionem:

Hunc ego non cumulem myrrhæq;, & thuris, & auri
Muneribus? ſcio quem videam, quæ dona rependam.
Hunc ego non venerer? qui cælo viſus, humiq;
Inuentus Rex atque Deus, moderatur vtrumque
Naturæ regimen, tumuloq; inferna refringens
Regna, reſurgentes ſecum iubet ire ſepultos:
Cælum habitat, terris interuenit, abdita rumpit
Tartara: vera fides Deus eſt, qui totus vbique eſt, &c.

Hymno 1. ad Galli cantum:

Inde eſt quòd omnes credimus,
Illo quietis tempore,
Quo gallus exultans canit,
Chriſtum rediſſe ex inferis.
Tunc mortis oppreſſus rigor,
Tunc lex ſubacta eſt Tartari,
Tunc vis diei fortior
Noctem coëgit cedere.

Hymno 9.

Quin & ipſum, ne ſalutis
Inferi expertes forent,
Tartarum benignus intrat:
Fracta cedit ianua,
Vectibus cadit reuulſis
Cardo diſſolubilis,
Illa prompta ad irruentes,
Ad reuertentes tenax,
Obijce extroſum recluſo,
Porta reddit mortuos,
Lege verſa & limen atrum
Iam recalcandum patet.

Hieronymus. 390.

Epiſt. 3. cap. 3. Ante Chriſtum Abraham apud inferos, poſt Chriſtum latro in Paradiſo.

Epiſt. 25. cap. 3. Luxit Iacob filium quem putabat occiſum, ad quem & ipſe erat ad inferos deſcenſurus, dicens: *Deſcendam ad filium meum lugens in infernum:* quia necdum Paradiſi ianuam Chriſtus effregerat: necdum flammeam rhomphæam & vertiginem præſidentium Cherubin ſanguis eius extinxerat. Vnde & Abraham, licet in loco refrigerij, etiam apud inferos cum Lazaro fuiſſe ſcribitur. Luc. 16.

Ad Pſal. 15. *Non relinques animam in inferno:*) quia propterea illuc deſcendit, vt electos ſuos exinde eijceret, & diabolum ligaret: Diabolus antea ſe taliter iactabat, vt omnia regna mūdi haberet, ſed modò illum non ſolùm tenere non potuit, ſed potius à Chriſto ligatus perhibetur.

Ad Eccleſiaſtis cap. 3. Ante aduentum Chriſti omnia ad inferos pariter ducebantur. Vnde & Iacob pariter ad inferos ſe deſcenſurum dicit, & Iob pios & impios in inferno queritur retentari, & Euangelium chaos magnum interpoſitum apud inferos, & Abraham cum Lazaro, & diuitem in ſupplicijs eſſe teſtatur. Et reuerà antequam flammeam illam rotam, & igneam rhomphæā ad Paradiſi fores Chriſtus cum latrone referaret, clauſa erant cæleſtia, & Spiritus pecoris hominisq; æqualis vilitas coarctabat.

Ad cap. 9. Eccleſ. Nota vt Samuelem quoque verè in inferno credas fuiſſe, & ante aduentum Chriſti, quamuis Sanctos, omnes inferni lege detentos.

Ruffinus. 390.

In expoſitione Symboli: Quòd in infernū Chriſtus deſcendit, euidenter prænuntiatur in Pſalmis, vbi dicit: *Et in puluerem mortis deduxiſti me.* Et iterum: *Quæ vtilitas in ſanguine meo, dum deſcendero in corruptionem?* Et iterum: *Deſcendiſti in limum profundi, & non eſt ſubſtantia.* Sed & Ioānes dicit: *Tu es, qui venturus es, an aliū expectamus?* Vnde & Petrus dixit: *Quia Chriſtus mortificatus carne, viuificatus autem ſpiritu. In ipſo* (ait) *eis qui in carcere incluſi erant, deſcendit ſpiritibus prædicare, qui increduli fuêre in diebus Noe.* &c. Redijt victor à mortuis, inferni ſecum ſpolia trahens: eduxit enim eos, qui tenebantur à morte, ſicut & ipſe prædixerat, vbi ait: *Cùm exaltatus fuēro à terrā omnia ad me traham.* Pſal. 21. 29. & 58. 1. Pet. 3. Ioan. 12.

Gaudentius Brixienſis. 400.

Tractatu 6. in Exodū: Nocte ergo qua corpus exanime relinquens in cruce Dei Filius, tranſijt cum anima ad Ægyptum inferiorem, vt animas in inferno poſitas viſitaret: tunc fecit vindictam in omnes immundos ſpiritus.

Tractatu 8. de lectione Exodi, qui eſt in ordine 10. Corpore in ſepulchro ſepoſito, diuinitas cum anima hominis ad inferna deſcendens, vocauit de locis ſuis animas Sanctorum, quorū corpora ſurrexiſſe Matthæus Euangeliſta teſtatur, dicens: *Et multa corpora Sanctorum dormientium ſurrexerunt, & exeuntes de monumentis, poſt reſurrectionem ipſius, intrauerunt in ſanctam ciuitatem, & multis apparuerunt.* Deſcendiſſe autem Saluatoris animam ad inferos viſitandos, non ſolùm B. Petri epiſtola: verùm etiam B. Dauidis prophetia teſtatur, cùm dicit: *Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis ſanctum tuū videre corruptionem.* Filius enim Dei non idcirco cū ſuſcepti hominis anima ad inferos deſcendit, vt eā in inferno relinqueret, ſed vt plurimas reſurrecturis Sanctorū corporibus animas reuocaret. Matt. 27. 1 Pet. 3. Pſal. 15.

Auguſtinus. 400.

Epiſtola 57. ad Dardanum, ſolutione primæ quæſtionis: Si ſecundùm hominem, quem Verbum Deus ſuſcepit, putamus dictum eſſe: *Hodie mecum eris in Paradiſo,* non ex his verbis in cælo exiſtimandus eſt eſſe Paradiſus. Neq; enim ipſo die in cælo futurus erat homo Chriſtus Ieſus, ſed in inferno ſecūdùm animam, in ſepulchro autem ſecundùm carnem. Et de carne quidē, quòd eo die in ſepulchro ſit poſita, manifeſtiſſimum eſt Euangelium. Quòd verò illa anima in infernum deſcenderit, Apoſtolica doctrina prædicat. Quandoquidem beatus Petrus ad hanc rem teſtimonium de Pſalmis adhibet, vbi de ipſo prædictum eſſe demonſtrat: *Quoniam* Luc. 23. Act. 2.

Gen. 37. Gen. 3.

niam non derelinques animam meam in inferno, neque dabis sanctum tuum videre corruptionem.

Epist.99.ad Euodium: Et Dominum quidem carne mortificatum venisse in infernũ satis constat. Neque enim contradici potest vel prophetię, quę dixit: *Quoniam non derelinques animã meam in inferno.* Quod ne aliter quisquam sapere auderet, in actibus Apostolorum idem Petrus exponit, vel eiusdem Petri illis verbis, quibus eum asserit soluisse *inferni dolores, in quibus impossibile erat eum teneri.* Quis ergo nisi infidelis, negauerit fuisse apud inferos Christum? &c. Profectò igitur in Paradiso, atq; in sinu Abrahæ, etiam ante iam erat beatificante sapientia, & apud inferos iudicante potentia. Vbi enim non est nullo loco obsessa diuinitas? Veruntamen secũdùm creaturam, quam ex quodã tempore suscipiendo, manens Deus homo factus est, hoc est secundùm animã eum fuisse apud inferos, apertè Scriptura declarat, & per prophetiam præmissa, & per Apostolicum intellectum satis exposita, qua dictum est: *Non derelinques animam meam in inferno*, &c.

Pſal.15.

Act. 2.

De ciuitate Dei lib.20.c.15. Non absurdè credi videtur, antiquos etiam Sanctos, qui venturi Christi tenuerunt fidem, locis quidem à tormentis impiorum remotissimis, sed apud inferos fuisse, donec eos inde sanguis Christi, & ad ea loca descensus erueret.

In Psal.85. Nondum Dominus venerat ad infernum, vt erueret inde omnium Sanctorum præcedentium animas, & tamen Abraham in requie ibi erat. Et quidem diues, cùm torqueretur apud inferos, cùm videret Abraham, leuauit oculos. Non enim posset leuatis oculis videre, nisi ille esset superius, ille inferius.

Tractatu 111. in Ioannem: Qui homini pœnaliter pendenti ait: *Hodie mecum eris in Paradiso*, secundùm id, quòd homo erat, anima eius ipso die futura fuerat in inferno, caro in sepulchro: secundùm autem id, quòd Deus, vbique, & in Paradiso erat.

Paulinus Nolanus. 420.

De obitu Cælsi pueri:

Demque quod verbo dixit, virtute probauit
Ipse suum reuocans ex Erebis hominem:
Tẽpore quamquã illo, non tantũ in corpore Christus
Signa suo dederit, cùm cruce victor obit.
Namque vt concussis patefecit Tartara terris,
Et vinctum inferno carcere soluit Adam,
Fissa resurgentes ruperunt saxa sepulti,
Et nouus in sancta floruit vrbe tholus.
Viderunt multi veterum renouata piorum
Corpora, descensu viuificata Dei.

Maximus Taurinensis. 430.

Homilia 2.in solẽnitate Pentecostes: Prædam Saluator quodammodo sustulit, cùm hominem quem susceperat inferni raptum faucibus portauit ad cęlum, & alienæ dominationis, id est, diabolicę potestatis seruum, de captiuitate erutum, duxit ad altiora captiuum.

Arnobius Romanus. 440.

Ad Psal.137. Postea inferos vidit, & longè factus est, nõ solùm à cælis, sed etiam ab ipsa terra, abyssi profunda descendens scidit, & quia inde reuerteretur ad superos, & quia à superis remearet ad cælos.

In conflictu de Deo trino & vno: Habuit etiam vnde inter animas defunctorum animam corporis sui defuncti ire ad inferos permitteret & redire.

Proba Falconia. 440.

In Centonibus:

Extemplò comites Erebi de sedibus imis
Vmbræ ibant tenues. tellus quoque & æquora Ponti
Signa dabant, sistunt amnes, terræq; dehiscunt:
Quin ipsæ stupuêre domus, atque intima lethi
Tartara, & vmbrosæ penitus patuêre cauernæ:
Sol quoque & exoriens, cuncti se scire fatentur,
Tunc caput obscura nitidum ferrugine tinxit.

Petrus Chrysologus. 440.

Sermone 65. Quid est? Vbi Christus cœpit inferi pulsare fores, portas tartari submouere, ianuas aperire mortis, gehennæ soluere legem vetustam, deturbare antiquissimum ius pœnarum, reposcere Lazari animam, ab inferis viam reditui innouare, occurrit ei tartari tota furens potestas, præferens edictum superni principis, excelsi regis portans decretum, gestans latam tot seculis Deo loquente sententiam; & videns hominem scisciabatur quis iste esset: quid auderet, quid sibi vellet, cur solus, aut sine tremore tremendos mortis lacessat & incessat accessus Cui dicenti quis esset, responderunt prophetica voce ministri resurrectionis Angeli: *Ipse est Rex gloriæ, ipse est fortis & potens in prælio.* Sed refert Tartarus: Ego Regem gloriæ in cælestibus scio omnibus potestatibus cælicis præsidere, cuius nutum tota sufferre non potest creatura: hunc autem video de terrẽnis vnum, concretum limo, corpore mortali septum, & in ipso habitu hominis hominibus viliorem, & ad summam citò dandum sepulchro, subdendum meæ protinus esse ditioni.

Pſal.23.

Sermone 123. Ipse Dominus quia clausit infernum, ad inferos tota potestate descendit, vt clausa protinus aperiret.

Eucherius Lugdunensis. 450.

De quæst. noui Testamenti, in Lucam: In hoc quoque quòd epulo apud infernum Abraham vidit, hæc subesse à quibusdam ratio putatur, quòd etiam omnes Sancti ante aduentum Domini nostri Iesu Christi ad inferna, licet refrigerij locum, descendisse dicuntur.

Libro formularum spiritualium, numero 35. Christus secundùm corpus sepultus est, secũdùm animam verò ad inferna descendit: tertia autem die per potentiam diuinitatis suæ carnem suam de sepulchro suscitauit.

Sedulius. 460.

Lib.3.Paschali:

——Christum dubitatis, an vnum
Posit ab infernis hominem reuocare cauernis,
Qui dabit innumeras post funera surgere turbas?
Ergo vbi clamantis Domini sonuit tuba dicens,
Lazare perge foras: magno concussa pauore
Tartara dissiliunt, Erebi patuêre recessus,
Et tremuit lethale chaos, mortiq; profundæ
Lex perit, atque anima proprias repetente medullas
Cernitur ante oculos viuens astare cadauer.

Libro 4.

Ergo vbi cuncta boni completa est passio Christi,
Ipse animam proprio demisit corpore sanctam,
Ipse iterum sumpturus eam: quia mortuus idem,
Idem viuus erat, membris obeuntibus in se,
Non abeunte Deo: cuius virtute retrorsum
Infernæ patuêre viæ, ruptæq; fatiscunt
Diuisa compage petræ, rediuiua iacentum
Corpora Sanctorum fractis abiêre sepulchris.

Claudius Marius Victor. 460.

Præfatione in Genesin:

——Dum lato in sydera vultu
Erexisti hominem, quem sæui fraude tyranni
In mortis laqueos, & ad impia Tartara raptum
Vnigena redimis profuso sanguine nati,

Deq;

Deq; imis Erebi dona ad maiora petitum
Restituis, quàm factus erat, vitaq; perenni
Reddis, & in cælum diro vehis hoste subacto.

Cæsarius Arelatensis. 470.

Homilia 3.de Paschate: O pulchra lux, quæ de cãdido cæli fastigio promicasti, & inter fluenta sulphurea, sedentes in tenebris & vmbra mortis subita claritate vestisti. Confestim igitur æterna nox inferorum Christo descendente resplenduit. Siluit stridor lugentiũ ille, soluta sunt onera cathenarum, dirupta ceciderunt vincula damnatorum. Attonitæ mentis obstupuêre tortores. Omnis simul impia officina contremuit, cùm Christum repente in suis sedibus vidit. Mox igitur ferruginei ianitores descendente Christo, talia inter vmbrosa silentia cæci, metu incubante, submurmurant. Quisnam, in quiunt, est iste terribilis, & niueo splendore chorus? nunquid noster talem excepit Tartarus? nũquid in nostram cauernam talem euomuit mundus? Inuasor est iste, nõ debitor: effractor est, non peccator: iudicem videmus, non supplicem: venit iubere, non succumbere: erumpere, non manere.

Homilia 38. Ante aduentum Saluatoris Diabolus regnabat in mundo, & omnes populi peccatores & iusti, exeuntes de corpore, in infernum descendebant propter originalia peccata, quæ de Adam traximus.

Claudianus Mamertus. 470.

De regressu animarum ab inferis lib.3. Atque ita fidei nostræ ratio periclitabitur, si nec Redemptoris anima inferos adeundo redeundoque ſerauit.

Gennadius Massilienſis. 480.

De Ecclesiasticis dogmatibus cap.78. Ante Passionem Domini omnes animæ Sanctorum in inferno subdebito præuaricationis Adæ tenebantur, donec auctoritate Domini, per indebitam eius mortem, à seruili conditione liberarentur.

Vigilius Tridentinus. 480.

Libro 2.contra Eutychen: Constat Dominum nostrum Iesum Christum sexta feria crucifixum, & ipsa die ad infernum descendisse, ipsa die in sepulchro iacuisse, ipsa die latroni dixisse: *Hodie mecum eris in Paradiso.* Caro igitur ipso die noæ fuit in Paradiso, nec in inferno, sed exanimis iacuit in sepulchro: anima per illud triduũ in inferno, nõ in sepulchro: & iure tamen dicemus Dominũ Iesum Christum in sepulchro iacuisse, sed in sola carne: Dominum Iesum Christum non derelictum in inferno, sed in sola anima. Et cùm in his omnibus Christus, & in his singulis Christus sit, vnus tamẽ est Christus: qui sic aliud fuit in sepulchro, aliud in inferno, vt tamen ipse vnus atque totus vbique fuerit, cùm separatim per loca se ipsum dispensauerit. Ergo dicimus Dominum iacuisse in sepulchro, sed in sola carne: & Dominum descendisse in infernum, sed in sola anima.

Lucæ 23

Fulgentius. 500.

Ad Thrasimundũ regem lib.3.cap.31. In hoc diuinitas Christi virtutem suæ impassibilitatis ostendit, quæ vbique semper atque ineffabiliter præsens, & secundùm animam suam in inferno sine doloribus fuit, & secundùm carnem suam in sepulchro sine corruptione iacuit: quia nec carni suæ defuit, cùm animam suam in inferno dolere nòn sineret: nec animam suam in inferno deseruit, cùm in sepulchro carnem suam à corruptione seruauit. Dignum namque fuit, vt carnem sepulchri non corrumperet locus, quam peccati non corrupit affectus: & animam dolor non contingeret inferni, quam seruitus nequiuit tenere peccati. Propter hoc in Psalmo, cùm ex forma serui, inqua Christus nostra peccata portauit, diceret: *Quia repleta est malis anima mea, & vita mea in infernum appropinquauit*: vt ostenderet eandem animam suam à peccato liberam, in infernum pro nobis peccatoribus descendisse, subdidit dicens: *Factus sum sicut homo sine adiutorio inter mortuos liber.*

Pſal.87.

Cap.34. Humanitas ergo vera Filij Dei, nec tota in sepulchro fuit, nec tota in inferno, sed in sepulchro secundùm veram carnem Christus mortuus iacuit, & secundùm animam ad infernum Christus descendit. Secundùm eandem animam ab inferno ad carnem (quam in sepulchro reliquerat) redijt. Secundùm diuinitatem verò suam, quæ nec loco tenetur, nec fine concluditur, totus fuit in sepulchro cum carne, totus in inferno cum anima. Ac per hoc plenus vbique fuit Christus, quia non est Deus ab humanitate, quam susceperat, separatus: qui & in anima sua fuit, vt solutis inferni doloribus, ab inferno victrix rediret, & in carne sua fuit, vt celeri resurrectione corrumpi non posset.

Symmachus Papa. 510.

Apologetico aduersus Anastasium Imperat. Christus Deus veraciter totus, & totus homo est, sic conceptus, sic editus, sic conuersatus in seculo, sic passus, sic apud inferos, sic resuscitatus.

Hormisda Papa. 514.

Epist.ad Iustinũ Imper.cap.3. Sepultus est Christus iuxta id, quòd homo voluit nasci: & iuxta id, quòd Patri erat similis, resurrexit: patiens vulnerum, & Saluator ægrorum: vnus defunctorum, & viuificator obeuntium: & ad inferna descendens, & à Patris gremio non recedens.

Merobaudis Hispanus. 520.

De Christo:

——Tu noxia pectora soluis,
Elapsasq; animas in corpora functa reducis,
Mundus & ad manes penetras, mortiq; latebras
Immortalis adis.

Arator. 540.

Lib.1. Act.

——Ligno suspenditur insons,
Et ligni vacuatur onus: sic vulnus iniqui
Fit medicina Dei, patuitq; resplenduit vmbris,
Pallida regna petens, propria quem luce coruscum
Non potuit fuscare chaos: fugêre dolores,
Infernus tunc esse timet, nullumq; coërcens
In se pœna redit, noua tortor ad otia languet,
Tartara mœsta gemũt, quia vincula cũctaquiescũt. &c.
Infernum Dominus cùm destructurus adiret,
Detulit inde suam spoliato funere carnem.

Primasius. 540.

Ad cap.4.ad Ephes. Sub terra infernus est. Qui descendit cum anima in infernum, ipse cum anima & corpore ascendit ad cælos, vt impleret omnia, quæ scripta sunt.

Ad cap.5.Apocal. Non absurdè credi videtur antiquos etiam Sanctos, qui venturi Christi tenuerunt fidem, locis quidem à tormentis impiorum remotissimis, & apud inferos fuisse, donec eos inde Christi sanguis, & ad ea loca descensus, erueret.

Cassiodorus. 540.

Ad Psalm.15. Anima Christi non est more communi in inferno derelicta, sed celeri resurrectione clarificata ad cælorum regna peruenit.

Ad Psalm.138. Hoc factum est lege humanitatis, vt crucifixo corpore ad rumpenda inferorum claustra descenderet, & laboranti humano generi Redemptor pijssimus subueniret.

Fortunatus. 570.

Libro 3. Carminum, Hymno de Christi resurrectione:

Salue festa dies toto venerabilis æuo,
Qua Deus infernum vicit, & astra tenet, &c.
Legibus inferni oppressis super astra meantem
Laudant ritè Deum lux, polus, arua, fretum.
Solue catenatas inferni carceris vmbras,
Et reuoca sursum quicquid ad ima ruit. &c.
Sed planè impleßi, remeans pie victor ad orbem:
Tartara pressa iacent, nec sua iura tenent.
Inferus insaturabiliter caua guttura pandens,
Qui rapuit semper, sit tua præda Deus.
Eripis innumerum populum de carcere mortis,
Et sequitur liber quo suus auctor adit.
Euomit absorptam trepidam fera bellua prædam,
Et de fauce lupi subtrahit agnus oues.
Hinc tumulum repetens post Tartara carne resumpta,
Belliger ad cælos ampla trophæa refers. &c.

Gregorius Turonenßis. 580.

Historiæ Francorum libro 10. cap. 13. Et quæ fuit necessitas Filio Dei de cælis descendere, carnem assumere, mortem adire, inferna penetrare, nisi vt hominem, quem plasmauerat, non permitteret in morte perpetua derelinqui? Sed & iustorum animæ, quæ vsque ad passionem eius infernali ergastulo tenebantur inclusæ, eo veniente laxatæ sunt. Nam descendens ad inferos, dum tenebras noua lux perfudit, animas eorum secum, ne hoc exitu amplius cruciarentur, eduxit.

Gregorius Magnus. 590.

Lib. 13. Moralium cap. 15. & 16. Dum Conditor ac Redemptor noster claustra inferni penetrans, electorum exinde animas eduxit, nos illò ire non patitur, vnde iam alios descendendo liberauit. Hi verò, qui ante eius aduentum in hunc mundum venerunt, quantumlibet iustitiæ virtutem haberent, ex corporibus educti in sinum cælestis patriæ statim recipi nullo modo poterant: quia necdum ille venerat, qui inferni claustra sua descensione solueret, & iustorum animas in perpetua iam sede collocaret. Vnde beatus Iob & afflictionem sentiens, & adhuc differri retributionem iustorum sciens, aptè subiungit: *Si sustinuero, infernus domus mea est, & in tenebris straui lectulum meum.* Priores etenim Sancti & sustinere aduersa poterant, & tamen è corporibus educti, adhuc ab inferni locis liberari non poterant: quia necdum venerat, qui illuc sine culpa descenderet, vt eos, qui ibi tenebantur ex culpa, liberaret, &c. Et quia in ipsis quoque inferni locis iustorum animæ sine tormento tenebantur, vt & pro originali culpa adhuc illuc descenderent, & tamen ex proprijs actibus supplicium non haberent, quasi in tenebris lectulum strauisse, est in inferno sibi requiem præparasse. Graue etenim tediũ electis fuit, post solutionem carnis, adhuc speciem non videre Creatoris.

Lib. 6. epist. 15. Nihil aliud teneatis, nisi quod vera fides per Catholicam Ecclesiam docet; quia descendens ad inferos Dominus, illos solummodò ab inferni claustris eripuit, quos viuentes in carne per suam gratiam in fide, & bona operatione seruauit.

Isidorus Hispalenßis. 620.

Sententiarum de summo bono lib. 1. cap. 16. Ante aduentum Saluatoris, quanquam sine pœna supplicij, tamen non in cælo, sed in inferno Sanctorum animæ tenebantur, pro quibus absoluendis Dominus in infernum descendit.

Concilium Toletanum Quartum. 643.

Cap. 1. Descendit ad inferos, vt Sanctos, qui ibi tenebantur, erueret, & deuicto mortis imperio resurrexit. Hæc est Catholicæ Ecclesiæ fides, hanc confessionem seruamus atque tenemus.

Hildephonsus Toletanus. 660.

De Virginitate Mariæ cap. 12. Ipse de cælo veniens, ipse sepulchrum aggrediens, ipse sepulchrum relinquens, ipse cælos repetens, ipse ad inferna in anima humana descendens, ipse de inferno potestate diuina Sanctorum animas liberans, ipse de morte liberans, ipse inter mortuos liber.

Iulianus Toletanus. 680.

Lib. 2. Prognosticon cap. 4. Nondum venerat Christus ad infernum, vt erueret inde omnium Sanctorum præcedentium animas, & tamen Abraham in requie ibi erat, &c. Hæc ergo fortasse duo fuerunt inferna, quorum in vno requieuerunt animæ Sanctorum, in altero torquentur animæ impiorum.

Aldhelmus. 690.

Hymno in Ascensionem Domini:

Nam dira lethi limina,
Cæcas & vmbras inferi
Lustrans sua potentia,
Lethi ligârat Principem:
Et quos suos in actibus
Fideq; lectos nouerat,
Omnes Auerni faucibus
Saluabat à ferocibus.
Et plurimos ab inferis
Portis reduxit spiritus:
Multos & ipso corpore
De fauce mortis eruit.

Aponius. 700.

Lib. 5. in Cantica: Vnaquæque anima requiem non alibi poterit inuenire, nisi veram eius passibilem carnem confitendo, veramq; impassibilem diuinitatem in cruce: aliud in sepulchro manssisse per triduum, & aliud penetrasse ad inferna, ad liberationem iustorum.

Beda. 700.

Ad Psalm. 85. Est alia regio, vbi caro, & sanguis, & omnis mortalitas viget, spes fragilis, & omnia caduca, & fluxa: & hæc comparatione illius dicitur inferna regio, vel infernus. Et meritò, quia locus mortuorum plenus: Corpus enim mortuum est propter peccatum, vt Apostolus ait, &c. Huius inferni comparatione infernus inferior potest dici communiter locus ille, quo post hanc vitam descendunt animæ, siue æternaliter damnandæ, siue temporaliter puniendæ. Ad hunc vtrunque infernum misit Deus Filium suum, vndique nos liberans: ad superiorem quidem nascendo, ad inferiorem moriendo. Sanctissima enim illa anima illuc descendit, vt suos inde deduceret, qui detinebantur in tenebris, & qui ibi non remansit, sed cum triumpho inde redijt, iuxta illud: *Non relinques animam meam in inferno.*

Alcuinus. 750.

Ad caput 3. Ecclesiastis: Ante aduentum Christi omnia ad inferos pariter descenderunt. Vnde & Iacob ad inferos descensurum se dicit. Ideò pios & impios queritur apud inferos detentari. Et reuera antequam flammeam illam rotam & igneam rhomphæam ad paradisi fores Christus cum latrone referaret, clausa erant cælestia.

De diuinis Officijs cap. 18. Christus per passionem carnis Angelis profuit in cælo, quorũ numerus, qui per apostatam Angelum imminutus fuerat, ex animabus fidelium quotidie adimpletur; & nobis, qui sumus in terra; & illis, qui propter originale peccatum detinebantur apud inferos: sed & ipsis, qui in diuersis mundi partibus habitabant.

Rmbrosius Ansbertus. 760.

In Apocalypsin lib. 9. Si enim non mendaciter, sed verissimè creditur, antiquos etiam Sanctos, qui dispensationis Christi fidem non solùm verbis, verùm etiam sanctis prophetauerunt actionibus, etsi apud inferos, locis tamen à tormentis impiorum remotissimis, fuisse, donec eos Christi sanguis, descensusq́ue eius ad eadem loca, exinde eriperet: profectò deinceps boni Christiani, qui ea fide pollent, *quæ per dilectionem operatur,* effuso illo pretio iam redempti, inferos prorsus nesciunt. At qui nunc post redemptionis tempora ad inferos descenderint, nequaquam ad vitam, sed ad condemnationem in futurum de monumentis resurgent.

Carolus Magnus. 800.

Epistola ad Eliphandum Toletanum: Poscimus per eum, qui pro te in cruce manus innoxias extendit, pro te sanguinem innoxium effudit, pro te mortem pertulit & sepulturam, & ad liberandum electos ad infernum descendit, & pro te surgens tibi viam ad cælos reuertendi demonstrauit.

Haymo. 820.

Ad cap. 4. Epist. ad Ephes. Non secundùm diuinitatem, quæ omnia implet, ascendit ipse, neque descendit, sed secundùm humanitatem. In anima quidem sola descendit in infernum, & iterum corpore & anima ascendit supra omnes cælos.

Angelomus. 830.

Lib. 1. Regum cap. 2. Christus descendit ad inferos, & non est anima eius in inferno derelicta, sed citò resurrexit à mortuis, & reduxit eum Pater ad semetipsum.

Eginardus. 840.

In vita S. Remigij: Idem Deus, qui in cruce homò factus pependit, & in sepulchro idem Deus homo factus iacuit: sed in sepulchro secundùm solam carnem idem Deus iacuit, & in infernum secundùm solam animam descendit, & resurrexit tertia die carne.

Rabanus Maurus. 850.

Lib. 4. de vniuerso cap. 10. Ante resurrectionem Domini omnes Sanctorum animæ in inferno sub debito præuaricationis Adæ tenebantur, donec auctoritate Domini, per indebitam eius mortem, de simili conditione liberarentur.

Lib. 19. cap. 3. in Hieremiam: Dominus in virtute diuinitatis descẽdit ad inferos, ac destructis claustris Tartari, suos, quos ibi reperit, eruens, victor ad superos ascendit.

Carolus Caluus. 870.

Oratione ad orandam sanctam crucem: Adoro te descendentem ad inferos, & liberantem captiuos: deprecor te, vt non dimittas me ibidem introire.

Remigius Antisiodorenßis. 880.

Ad Psalmum 85. Ipse enim sic nascendo, venit in mundum; ita moriendo, descendit in infernum: sed non ibi remansit, quia suis inde liberatis, cum potestate redijt.

Ad cap. 9. Zachariæ: *Tu quoque eduxisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua:* hoc est, liberasti eos de inferno, in quo nulla est misericordia. Denique in resurrectione Domini *multi Sanctorum,* qui in inferno vinculis peccati originalis tenebantur, surrexerunt cum eo, *& venerunt in sanctam ciuitatem, & apparuerunt multis.*

Altercatio Synagogæ & Ecclesiæ. 900.

Cap. 7. Quòd funus Iacob tantis filiorum planctibus septuaginta diebus dedicatur, quid aliud est, nisi quòd omnes Sancti, ante aduentum Christi, originalis culpæ nexibus astricti, quando hac vita decesserunt, cælum non meruerunt, sed ad inferna descenderũt? Verùm homo vetusto morbo per Baptismum solutus non plangitur, cui de hoc mundo migranti cælum aperitur, &c. Sicut carceralis custodia Ioseph non tenuit, sic infernus Christum tenere non potuit.

Cap. 14. Christus ante lucem surrexit, inferni claustra comminuit, & cælum conscendit.

Radulphus Flauiacenßis. 950.

In Leuiticum lib. 2. cap. 4. Bene ad ostium tabernaculi testimonij. Nam mors ipsius vitæ nobis ostium fuit, quæ superum damnatis ingressum aperuit. Antiqui enim Patres vsque ad aduentum Domini, quamlibet iustè vixerint, ducti ad regnum non sunt, nisi ille descenderet, qui Paradisi claustra hominibus impositione suæ mortis aperiret. Vitulus ergo iste in introitu tabernaculi coram Domino immolatur: quia mors Christi, vt reis veniæ aditum præberet, Patri singulariter placuit.

Smaragdus Abbas. 970.

Ad epistolam Feriæ sextæ post Paschæ: Catholica fides habet, quòd descendens ad inferna Dominus, non incredulos inde, sed fideles solummodò suos educens, ad cælestia secum regna perduxerit.

Fulbertus Carnotenßis. 1000.

In Hymno: Chorus nouæ Hierusalem.

Quo Christus inuictus leo
Draconе surgens obruto,
Dum voce viua personat,
A morte functos excitat.
Quam deuorarat improbus
Prædam refudit Tartarus,
Captiuitate libera
Iesum sequuntur agmina.

Radulphus Ardens. 1050.

In Natali Domini: Nec solùm charissimi, qui tũc in carne erant, viderunt hanc lucem, sed & habitãtibus siue *sedentibus in regione vmbræ mortis lux orta est ijs:* hoc est, Patriarchis, & Prophetis, cæterisq́ Sanctis, qui carne soluti præstolabantur aduentum Mediatoris quasi exules, habitantes non quidem in morte, sed in vmbra, hoc est, in similitudine mortis, carentes visione Dei.

In Vigilia Ascensionis: Descendit Christus non tantùm ad inferos, sed etiam ad inferiores partes terræ, id est, ad inferna, ea confringens, & captiuitatem captiuam educens. Populus enim Sãctorum, qui in inferno detinebatur, non tantùm captiuitas, imò etiam captiuata captiuitas erat. Rursus & in hoc, quòd ex miseria huius vitæ ad maiorem inferni miseriam captiuata fuerat, non tantùm captiuitas, imò etiam captiuata captiuitas erat. Hanc ergo captiuam captiuitatẽ more triumphatoris duxit secum Dominus in altum: infernum frangens, suos, qui ibi captiui tenebãtur, eduxit, & cum triumpho in cælum ascendens, dona Spiritus sancti suis dedit.

Guitmundus Auersanus. 1060.

De vnitate & Trinitate: Corpus quidem Christi in cruce mortuum, in lapide sepeliri permisit; ani-

ma verò viua cum Deo permanens, in infernum, non vt pateretur, sed vt dominaretur, descendit: quæ liberatis inde, quos dignos iudicauerat, cæteris verò dimissis, corpus suũ tertia die resumpsit.

Algerus. 1060.

De Eucharistia lib.2.cap.8. Dum corpus Christi in sepulchro iacuit, anima ad liberandas Sãctorum animas ad inferna descendit.

Ioannes Micrologus. 1060.

De Ecclesiasticis obseruationibus cap. 36. Ante descensum Christi ad inferos nullus Sãctorum ad illam gloriã peruenit, ad quam Christus antiquos Sanctos perduxit, & deinceps suos sequaces perducere non desinit.

Anselmus Cantuariensis. 1080.

In Elucidario: Venit Dominus ad infernum superiorem descendẽdo, vt redimeret captiuos à tyrãno, vt dicitur: *Dices his, qui vincti sunt: Exite, & his, qui in tenebris sunt: Reuelamini.* Vinctos vocat, qui erant in pœnis: alios verò, qui erant in tenebris, quos omnes absoluit, & in gloriam induxit Rex gloriæ, &c.

Ad caput 10. ad Romanos: Si in abyssum descendisse dubitetur Christus, nec mortuus esse creditur: quia sicut mortuus est, vt mortem occideret; sic in abyssum descendit, vt suos inde retraheret. Et hæc est iustitia fidei, distans à iustitia mortalis legis, vt non dubitet quis de spe Dei, quæ in Christo est, vt non diffidat Christum spoliasse infernum, & cum Sanctorum animabus cælum ascendisse: quia qui hoc credit, ex hoc efficitur iustus.

Ad cap.2. ad Colos. Christus expoliauit *Principatus ac Potestates* dæmonum, auferendo illis animas iustorum, quas in inferno propter culpam primi parentis detinebant: *Et traduxit*, id est, trans infernum duxit ad regna cælorum ipsas ab inferis ereptas Sanctorum animas: & hoc *confidenter*, id est, cum magna fiducia fecit, non timens dæmones, vtpote qui nullum habebat peccatum.

Iuo Carnotensis. 1100.

De conuenientia veteris & noui Testamenti: Christus expolians infernum, iustos quosque ad superna secum tanquam prædã egregiã triũphãdo euexit.

Petrus Alphonsus. 1106.

Titulo 9. Christus eduxit de domo carceris sedentes in tenebris: quia eos, qui in tenebroso carcere tenebãtur inferni, descendens ad inferos ipse extraxit.

Titulo 10. *Petrus:* In Genesi de Iacob legitur, quòd & filijs & filiabus suis ad consolandũ eum super filio suo Ioseph congregatis noluit consolari, dicens: *Quia descendam ad filium meum lugens ad inferos.* Non hoc secundùm corpus dicit: Sciebat enim quòd filius suus in terra non erat sepultus, imò putabat, quòd ab aliqua bestia erat deuoratus. Hoc ergo dixit secundùm animam: *Quia ad filium meum lugens ad inferos descendam.* Ac si diceret, quia mortuus est filius meus, moriar, & ad inferos, vbi anima eius est, & omnes animæ mortuorum, lugens deueniam. *Moses:* Si ita est, vt asseris, tunc & Patriarcharum animæ, & Prophetarum, cæterorumq; Sanctorum omnium, ante mortem illius, quem Christum dicitis, defunctorum, vnà cum animabus impiorũ, in vno loco demoratæ sunt. *Petrus:* Verum profectò est, quòd in obscuritate omnes ac tenebris, sed non erant omnes in locis pœnalibus, siue supplicijs: nam iuxta merita sua retribuebatur singulis: veruntamen omnes in inferno, & sub iure erant diaboli. Nullus enim mortuus ab Adam vsque ad mortẽ Christi claustra deuitauit inferni.

Gen.37.

Tractatu 11. Cùm Christi anima, à corpore dissoluta, ad inferos, vt inde bonos eriperet, descendit, nunquam ab ea diuinitas ipsa recessit.

Honorius Augustodunensis. 1120.

In Speculo Ecclesiæ: Ante Christi aduentũ omnes descenderunt ad inferos. Et si Abraham cum Lazaro apud inferos fuit, quæritur quomodo dives eleuatis oculis eos à longè viderit? Duo inferni leguntur, inferior, & superior: inferior, in quo reproborum animæ torquebãtur; superior, in quo electi Christum præstolabantur. De inferiori scribitur: *Eruisti animam meam ex inferno inferiori.* De superiori autem: *Educ de inferno animam meam, ad confitendum nomini tuo.* In inferiori autem nouem speciales pœnæ feruntur, &c. Superior autem infernus erat vltima pars terræ, loco inferno iunctus, sed à pœnis disiunctus, in quo iusti positi, potuerũt à malis cõspici, qui erãt in inferno inferiori.

Rupertus Tuitiensis. 1120.

De gloria & honore Filij hominis ad Matthæi cap.8. lib. 7. Cùm dicimus aut legimus prius Iudæum, id est, Iudaicum populum per præsentiam Saluatoris esse curatum, non solùm illos paucos attẽdimus, qui tunc in corpore inuenti, ante vel post passionem eius crediderunt, sed vniuersam populi illius electionem, omnes qui iam à seculo migrauerant, à tempore promissionis, quæ facta est Abraham, vsque ad tempus illud: quia tunc saluati, & ab inferis educti sunt per ipsum, cuius venturi fidem habuerant.

Hugo Victorinus. 1130.

De Sacramentis fidei lib.2.part.1.c.11. Anima Christi ad infernum descẽdit, caro in sepulchro iacuit: diuinitas cum vtroque permansit. Ergo Christus persona ad infernum descendit, sed secundùm animam solam; quia sola anima ad infernum descendit: & Christus persona in sepulchro iacuit, secundùm solam carnem; quia sola caro Christi in sepulchro iacuit.

Bernardus. 1130.

Sermone 75. super Cantica: Semel ad inferos descẽdit, non sanguis, sed anima, & hæc portio eorum, qui in carcere erant. Vna illa visitatio, quæ tunc facta est, per præsentiam animæ, cùm corpus penderet exanime super terram. Sanguis aridam rigauit, sanguis infudit terram, & inebriauit eã: sanguis quæ in terra, & quæ in cælis sunt pacificauit: non autem & quæ apud inferos, nisi quòd semel illò, vt dixi, anima eius excurrit.

Epist.98. Machabæi pro tẽpore non ad cœli mox gaudia, sed ad inferni tenebras descenderunt.

Petrus Cluniacensis. 1140.

Lib.4.epist.1. Si ad Apostolicum Symbolũ sermo recurrat, omnis Christiana lingua Dominum Iesum Christum mortuum, & sepultũ, & ad inferna descendisse fatetur. Qui quoniã in carne non descẽderit, triduana corporis indicat sepultura: nec quia in sola diuinitatis natura, inuicta ratio manifestat. Prudentia quippe, non potentia, percussisse superbum scribitur: quem sola potentia percussisset, si damnatum Archangelũ percussurus, in sola Deitate ad inferos descẽdisset. Oportebat aũt vt superbus mũdi princeps, à natura, quam vicerat, superandus, dolosæ suæ victoriæ sæpè victus amitteret iactãtiam. Et sicut de eo humana natura per Christũ in terris triumphauerat, ita & apud inferos humana anima triumpharet.

Arnoldus Abbas Bonæuallis. 1160.

De verbis Domini Tractatu 6. & 7. Quia & pro carne & pro spiritu hominis agebatur, & totus homo totum Christum habuit sanatorem, dũ & caro in medelam carnis oblata est in ligno, & ad sanctificationẽ animæ obtinẽdam spiritus ille descendit ad inferos, & ascendit ad superos, ibi confringens ferreos vectes, hîc portas aperiens æternales.

Petrus Riga. 1170.

In Recapitulatione de Samsone:

Dux Gazam fortis petit, vt societur amicæ:
Ducat vt Ecclesiam Tartara Christus adit.
Fraude ducem sepit hostilis turba: sepulchro
Christi custodes præbet Hebræa cohors.
Hostibus ille grauis stellarum tempore surgit:
Iste sub aurora læta trophæa refert.
Hic vrbis portas, prædam tulit ille beatam:
Præualet iste suis hostibus, ille suis.

Guntherus. 1180.

In Ligurino lib.1.

Digno vir pius illum
Egit honore diem, quo Christus carne resumpta
Victor ab infernis rediens nitidissimus vmbris
Rettulit eximios superata morte triumphos.

Libro 9.

Instabat veneranda dies, qua Christus ab imo
Ora solo turbæ referens optata fideli,
Victor ab inferna captiuos sede reduxit.

Concilium Lateranense. 1215.

Cap.1. Vnigenitus Dei Filius in ligno crucis passus, & mortuus, descendit in anima, resurrexit in carne, ascendit pariter in vtroque.

Iacobus Vitriacus. 1220.

Dominica prima post Pentecosten: Limbus inferni, quo Sancti detinebantur, longè est & valde remotus ab inferno inferiori.

Edmundus Cantuariensis. 1230.

In speculo Ecclesiæ cap.13. Vt nos redimeret ab infernali captiuitate anima sua descendit ad infernа cum deitate, corpore manente in sepulchro, & extraxit secum animas, quæ in terra fecerunt suã voluntatem.

Albertus Magnus. 1240.

Ad cap.11. Matthæi: Descensus ad inferos est de articulis Symboli Apostolorũ, &c. Descensus enim completur in liberatione eorum, qui in inferno sunt.

Ad cap.16. Lucæ: Dicendum, quòd Limbus Patrũ erat in tenebris, quoad hoc, quòd visionem Dei non habebant, tamen aliquid lucis habuerunt gratiæ interioris, propter felicem fidem, & spem, qua Redemptorem expectãrunt.

Thomas Aquinas. 1250.

In expositione Symboli cap.7. Licet Christus passus sit pro peccatoribus, & ad infernum descenderit, non tamen liberauit omnes, sed illos tantùm, qui sine peccato mortali erãt. Illos verò, qui in mortali decesserant, dimisit. Et ideò nullus, qui cum peccato mortali illuc descendit, speret veniam.

In compendio Theologiæ cap.235. Anima Christi descendit quidem ad inferos, secundùm locum: nõ autem, vt ibi pœnam subiret, sed magis vt alios à pœna absolueret, qui propter peccatũ primi parentis illic detinebantur, pro quo plenè iam satisfecerat, mortem patiendo. Vnde post mortem nihil patiendum restabat, sed absque omni pœnę passione localiter ad infernum descẽdit, vt se viuorum & mortuorum liberatorem ostenderet.

Guilhelmus Peraldus. 1255.

Dominica 3. in Aduentu, Sermone 1. Aduentus Christi in carnem, & ad Limbum cum gratiarum actione sunt recolendi: aduentus ad iudicium cum timore est cogitandus.

Bonauentura. 1260.

Part.4. Breuiloquij cap.10. Anima Christi post passionem descendit ad infernum, siue ad Limbum, ad liberationem, non omniũ, sed eorum, qui inter membra Christi decesserunt per fidem viuam, vel per fidei sacramenta.

Iacobus Genuensis. 1280.

Dominica 21. post Trinitatem Sermone 3. Voluit Dominus descendere ad inferna. Primò, propter triumphum: de hoste enim tunc quis perfectè triumphat, quando non solùm eum in campo vincit, sed etiam expoliat, & in domo sua eum ligat. Christus diabolum in cruce vicit, sed in inferno eum spoliauit. Coloss.3. *Expolians Principatus & Potestates.* Secundò, propter remedium: vt scilicet sanctis Patribus subueniret, & eos de Limbo educeret. Zachariæ 9. *Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non erat aquà.* Tertiò, propter exemplum: vt erudiamur sæpè in infernum mente descendere.

Aegidius Romanus. 1280.

Tractatu de inferno cap.15. Ante Christi passionem erat clausa ianua regni cælestis: quia nõdum erat solutum pretium pro peccato primi hominis, prout fuit infectio totius humanæ naturæ, pro quo purus homo satisfacere nõ potuit. Ideo ibãt ad Limbum sanctorum Patrum, quem Christus expoliauit, ducens secum ad cælos captiuatos: nunc autem nullus ad talem locum accedit.

Richardus Pampolitanus. 1300.

In Symbolum Apost. Secundùm animam coniunctam diuinitati descendit ad inferos. Nam secundùm diuinitatem localiter non potest descendere: quia vbique est, &c. Ad Limbum sanctorum Patrum Christus descendit: neque verò passus est tenebras, imò totum locum illum illuminauit.

Durandus à sancto Portiano. 1310.

Lib.3. dist.22. q.4. Christus non descendit ad infernum damnatorum, nec in Limbũ puerorum. Cuius ratio est, quia descensus Christi in infernũ fuit secundùm effectum liberationis eorum, qui in inferno detinebantur; sed damnati pro peccato actuali, & decedentes pueri in peccato originali, non fuerunt per Christum liberati. Ergo Christus non descendit in infernum damnatorũ, nec in Limbum puerorum, &c. De Patribus, qui fuerunt in Limbo patet, quòd per Christum liberati: quia tales nulli pœnæ erant obnoxij, nisi solì pœnæ damni debitæ peccato totius naturæ. Sed hoc debitum directè per passionem Christi solutum est. Igitur per passionem Christi tales fuerũt penitus liberati.

Albertus Patauinus. 1320.

Sermone 76. Ante aduentum Christi iustorum animæ, à corporibus egredientes, non perducebantur ad portam cælestis patriæ, sed interim in regione quietis manebãt, quæ dicitur Limbus Patrum, qui propter sui tranquillitatẽ etiam sinus dicitur, & creditur esse supra locum pœnarum: & ibi est claritas Angelorum, & felicitas quanta potest esse citra Dei visionem apertam. Et nota, quòd locus iste dicitur sinus Abrahę, non propter hoc, quòd primus Abrahã venerit illuc, sed quia eidem primitus loci illius facta est repromissio.

Ludolphus Saxo Carthusianus. 1330.

Vitæ Christi part.2. cap.68. Illa hora, qua Saluator noster inclinatò capite emisit spiritũ, corpore in cruce derelicto, anima simul cum diuinitate ad inferna spolianda descendit.

Guido Carmelita. 1330.

De Valdensibus cap.21. Christus corpore iacente in sepulchro, secundùm animam descendit ad inferos. Vnde Christus Dei sapientia increata Ec-

cleſiaſtici 24. ait: *Penetrabo omnes inferiores partes terræ, & inſpiciam omnes dormientes, ſedentes in tenebris & vmbra mortis.*

Franciſcus Petrarcha. 1350.

Lib.1.Epiſt.4.

Ni domitor mortis, qui quondam Tartara victor
Ingreſſus, clauſo poſuit ſua membra ſepulchro,
Vi repetens, ſecumq; trahens felicia Patrum
Agmina, & exhauſtas longis cruciatibus vmbras
Abſtulit ad ſuperos.

Ioannes Taulerus. 1350.

In Paraſceue ſermone 1. Cùm in cruce mortuus fuiſſet Chriſtus, ſanctiſſima illius anima diuinitati vnita ad Limbum deſcendit, redimens ac liberãs inde, quotquot Patris illius fecerant voluntatem.

Gerhardus Zutphanienſis. 1380.

Lib.2. c.39. Cogita deuotè qualiter anima Chriſti ad infernum deſcendit, quid ibi egit, de gaudio ſanctorum Patrum, & triſtitia dæmonum.

Hieronymus à ſancta Fide. 1400.

Lib.1. contra Iudæos cap.7. Ante Meſſiæ aduentum omnes animę generis humani propter peccatum primi parẽtis in infernum deſcendebant, & propter Meſſiæ paſſionem & mortem animæ iuſtorum, quæ ante ipſum fuerant, redemptæ ſunt, & ab inferno reductæ, & in vita æterna & gloria collocatæ.

Petrus Aliacus. 1400.

Super canticum Zachariæ: *Erexit nobis cornu ſalutis.* id eſt, noſtram erexit & direxit virtutem, ad conſequendam æternam ſalutem: quod factum eſt vtique in ſua glorioſa reſurrectione, quãdo ad vitam reſurgens immortalem, Patres, in Limbo inferni detentos, potẽter eduxit, & deinde in ſua mirabili aſcenſione, quando eos ad cęleſtia introducens feliciter ſublimauit.

Ioannes Gerſon. 1420.

In compendio Theologiæ: Deſcendit Chriſtus anima deitate vnita, quia corpus in ſepulchro quieuit, & deitas vbique erat. Vnde ſine ea deſcendere non potuit ad inferna, id eſt, ad Limbum, partem ſcilicet inferni ſuperiorem, quo detinebantur ſaluandi, quouſque debitũ primi parentis pèr mortem Chriſti ſolueretur.

Laurentius Iuſtinianus. 1430.

De triumphali Chriſti agone cap.22. Iſtiuſmodi perſuaſiones dum increduli audiunt, & obſtinatiſſimo animo in ſua perſeuerant perfidia, inuictiſſimus Chriſtianę militię propugnator, relicto corpore exanimato in tumulo, ad tartaream deſcendit inferi manſionẽ, quatenus vniuerſos Patres, in illa regione vmbræ mortis poſitos, de ergaſtulo tyrannicæ ſeruitutis eriperet.

Pius Secundus. 1450.

Conſtitutione 5. Chriſtus in ligno crucis moriens mortẽ noſtram deſtruxit, & vitam reparauit, deſpoliauit inferos, abduxit ſanctos Patres, & victor mortis, & diaboli triumphator, cælum iam longo tempore clauſum aperiens, aſcendit ad Patrem, nobisq; viam oſtendit, per quam ſequi eum poſſimus.

Ioannes de Turrecremata. 1470.

In Meditationibus: Mira dignationis tuæ gratia, bone Ieſu: poteras ſolo voluntatis tuæ imperio, ad inferos non deſcendendo, eripere eos, qui in tenebris illis tenebantur captiui; ſed pietate ineffabili tua charitate tractus, illuc deſcendere dignatus es, vt his, qui in tenebris & in vmbra mortis per longa tempora ſederant, ſplendida luce tua perfunderes, ſicut in natiuitate tua his, qui erant in terris, lux tuæ claritatis infulſit: tum etiam, vt apud inferos tuam demonſtrares potentiam.

Gabriel Bielius. 1480.

Lectione 54. in Canonem Miſſæ: Ad inferos ſecundùm animam Chriſtus deſcẽdit, vt Sanctos inibi detentos liberaret, Patres ſcilicet & Prophetas, in quibus licet nihil purgandum erat, propter peccatum tamen Adæ, portam regni claudens, ſuis meritis beatitudinem attingere non poterant, ſed expectabant pretij ſolutionem, quod fuit in paſſione Chriſti fuſus ſanguis.

Macarius Mucius. 1490.

De Triumpho Chriſti:

Chriſtus vt immenſa deſcendit luce ſub vmbras
Horrentes, mortiq; domos, & regna ſilentum,
Inuaſitq; Erebo clauſos trepidante receſſus,
Horruit immanis perculſi ianitor Orci,
Impulſaq; procul diſiecto cardine Ditis
Procubuere fores, timuit pallentis Auerni
Regia, nigrarumq; cohors turbata ſororum
Occuluit pauidis horrentia monſtra ceraſtis:
Aduentante Deo tremuerant ſceptra recluſæ
Noctis, & attoniti dextra cecidêre tyranni
Protinus, atq; imas Barathri petiêre latebras,
Confuſumq; chaos, ſecretaq; Tartara manes.
Ille ſerenata per aperta ſilentia fronte
Ingreſſus, pigramq; nubem, noctemq; fugabat,
Ante oculos furui pulſa caligine mundi:
Sternebant ſeſe, paſſimq; æquata iacebant
Obuia: tum nouies Stygijs circumflua campis
Ceſſit nigra palus Regi, lachrymaſq; remiſit,
Et triſtes Cocytus aquas, curſumq; negauit.
Vt ſtetit in medio cœtu, caſtoq; piorum
Concilio, inferna quos olim ſede repoſtos
Expectata ſalus ſperando læta fouebat,
Ora diu Patribus ſanctis optata reſoluit,
Talibus & lenis vacuauit pectora curis:
Affulſit promiſſa dies: delapſus ab alto
Sum Deus, humana tandem ſub imagine corpus
Mortalesq; vices ſubij, &c.
——Nunc veſtra ergaſtula ſunto
Libera, damnatis calcata ſuperbia criſtis
Submiſſa ceruice gemat, rebusq; ſecundis
Inuidia infelix aliorum ſorte benigna
Præcipuè veſtra doleat, rabieq; cruentas
Ira premat fauces, &c.
Vos alacres mecum ſupera ad conuexa, triumphum
Ducite felices animæ, ſuper alta reducam
Sydera, ſtelliferosq; axes, vbi regna beatos
Nullo fine manent, Patris dabo cernere vultus.

Baptiſta Mantuanus. 1500.

De Martyrio Dionyſij Areopagitæ lib.1.

Vnde erat his ortus tenebris, moriente Deorum
Principe, & infernas Chriſto ſubeunte lacunas,
Vt ſaluaret auos, & ab alto educeret Orco.

Lib.5.Faſtorum de Aſcenſione:

Chriſtus ab inferno poſtquam Phlegethonte reuerſus,
Sæpe ſuis ſeſe vultu patefecit aperto,
Ad ſuperos ſtatuit terris migrare relictis.
Collectis igitur quotquot de carcere longo
Suſtulerat, tenebroſi Erebi, &c.

Petrus Galatinus. 1510.

De arcanis Catholicæ veritatis, lib.6. cap.9. Sancti Patres, & Prophetæ, cæteriq; iuſti, qui vſque ad Meſſiæ mortem ad infernum deſcenderunt, detinebantur quidem in inferno à dæmonibus; dæmones tamen facultatem eis vel nocendi, vel mali alicuius inferendi nullam prorſus habebant. Præbet au-

bet autem mihi dicendi audaciã, quòd ante Chriſti aduentũ Sancti apud inferos, propter Adę peccatum, à diabolo, permiſſione diuina, detinerentur, non ſolùm id quod dictum eſt, verùm etiam longè magis Pauli Apoſtoli ſententia de Domino noſtro Ieſu Chriſto ad Coloſſ.2. dicentis, quòd ipſe fuit *expoliãs Principatus & Poteſtates*, infernales videlicet, vt ibi dicit gloſſa, auferẽdo ab eis Abraham, Iſaac, & Iacob, cæteroſq; iuſtos, *traduxit eos*, id eſt, longè à re tenebrarum ad cælum duxit, &c. Infernũ ſuperiorem portas inferni Ezechias appellauit, cùm apud Eſaiam cap.38. ita dixit: *Ego dixi in abſciſione dierum meorum, vadam ad portas inferni*, id eſt, vadam ad Limbum. Qui cùm ſit quaſi in principio inferni, non ineptè porta inferni dicitur. Et hũc infernum Chriſtus expoliauit, quum animas ſanctorum Patrũ inde eduxit. Quod enim nos Limbum, id eſt, locum requiei, ſeu ſinum Abrahæ dicimus, hoc priſci Hebræorum czeror, id eſt, ligatorium, ſiue conſeruatorium, vel oczar, id eſt, apothecam, ſeu cellarium, vel portas inferni, vel infernum ſuperiorem vocabant. Vnde patet, vnam omninò atq; eandem fuiſſe fidem eorũ atq; noſtram.

ASSERVNT IVDÆI VETERES.

Rabbi Simeon filius Iohai.

Apud Rabbenum Haccados: His auditis cœpit flere R. Hoſeas, dixitq;, Veh illis, veh illis impijs, iniquis, homicidis Iſrael; quorum amore vt peccatũ illis dimittat, Deus ſanctus & benedictus mittet Filium ſanctum ſuum, & carne humana ſe induet. Veh illis, quia propter ſuas prauas operationes erunt rebelles huic Meſſię, & reſpuent dicta, quibus præcipiet, vt mundificentur aqua mundificationis, ad purganda eorum peccata. Ipſi verò non incedent in vijs Deo gratis, nec facient voluntatem eius, ſed ingenti iracundia perciti, eum occident. Tunc anima eius deſcendet ad inferos, apud quos triduò morabitur; vt inde omnes animas Patrum iuſtorumq; educat, ſicut dictum eſt Geneſ.47. *Ego deſcendam tecum in AEgyptum, & ego inde educam te.* Et faciet Deus ſanctus & benedictus, vt eos in Paradiſum deducat, ſintq; læti in gloria Dei, iuxta illud Hoſeæ 6. *Viſitabit nos poſt duos dies, in die tertia ſuſcitabit nos, & viuemus ante faciem eius.*

Rabbenus Haccados.

Libro, qui inſcribitur, Reuelator arcanorum: Hic eſt Deus ſanctus & benedictus, qui ait, *Ego ſum vir, qui vidi paupertatem: me minauit, & adduxit in tenebras, & non in lucem.* Hic itidem Deus ſanctus & benedictus eſt, qui dixit: Decreui deſcendere ab inferos, ad redimendas animas iuſtorum, quas in virga indignationis ſuæ Pater meus, qui eſt in cælis, illic detruſit propter peccatum Adæ.

R. Moſes Hadarſan.

In expoſitione Gen. 24. *Et induxit me in tabernaculum.)* Dixit R. Ioſuas filius Leui: Iui cum Angelo mortis, nomine Kippod, quouſque perueni ad portas gehennæ, ſtatimq; miſi Kippod Angelum, qui ſcilicet præeſt Gehennæ, vt metiretur Gehennam à capite vſque ad finem, & non fuit ei hora vacans ad metiendũ. Quia tunc occiderunt Rabban Simeonem filium Gamalielis, & volui ire, & non potui. Poſt hoc autem iui cum Kippod Angelo, & ibat mecum Meſſias filius Dauid, quouſque perueni ad portas Gehennæ. Cumq́ue viderent captiui, qui in Gehenna erãt, lumen Meſſiæ, gauiſi ſunt eum recipere, dicẽtes: Hic educet nos de his tenebris, ſicut dictum eſt Hoſeæ 13. *De manu inferni redimam eos, à morte liberabo illos.* Et ſic Eſaias quoque dicit 35. cap. *Et redempti Dei redibunt, & venient, vel intrabunt in Sion,* & reliqua vſque: *Et fugiet dolor & gemitus.* Non dicitur autem *Sion* in loco iſto, niſi Gan-Eden, id eſt, hortus voluptatis, hoc eſt, paradiſus.

Midras Thehillim.

Ad illud Pſal.quadrageſ. octaui: *Etiam filij Adam, etiam filij viri, ſimul vel pariter diues & pauper.* Vbi ſic dicitur, *Filij Adam.* Hic Adam eſt Adam primus, licet alij dicant hunc eſſe Abraham, qui vocatus eſt Ioſue 14. cap. *Adam magnus in gigantibus.* Sequitur: *etiam filij viri.* Hi ſunt filij Noë, qui vir iuſtus appellatus eſt. Sunt autem qui aiunt, hos eſſe ſeptuaginta gentes, quæ omnes deſcendunt in Gehennã. Sequitur, *ſimul vel pariter diues & pauper.* Diues ſcilicet in lege, & pauper in lege, omnes deſcendunt in Gehennam, etiamſi fuerint capita vel principes; id eſt, Sanhedrin, hoc eſt, iudices ordinarij, quos Moſes ordinauit, &c. Sequitur: *Et viuet adhuc, vel vltrà, in æternum non videbit corruptionem.* Et quò vadunt? Dixerunt filij Koræ, *ad infernum*, ſicut dictũ eſt: *Sicut oues ad infernum poſiti ſunt.*

Midras Schir Haſchirim.

Cap.2. Cant. *Ego narciſſus, vel roſa terræ,* &c. Hoc eſt quod ſcriptum eſt Pſal.130. *De profundis vocaui te Deus.* Dixerunt autem Magiſtri, quòd Eccleſia Iſrael dixit hoc, quæ ait: *Ego ſum dilecta Deo:* ego quippe data ero in profundis Gehennę, quatenus redimat me inde Deus ſanctus & benedictus. Hoc eſt autem quod dictum eſt Pſal.89. *Et ſubire me fecit de puteo tumultus, & de luto fecis*, id eſt, de inferno. R. Ruben dixit: Niſi Scriptura dixiſſet, Eſaię 66. non licuiſſet dicere, ſed ex quo ſcriptũ eſt, dici poteſt. Quia in igne, vel per ignem Deus iudicatus eſt. Non enim ſcriptum eſt, ſchopher, id eſt, iudicãs, ſed niſpat, id eſt, iudicatus. Et ipſum eſt, quod Dauid per Spiritum ſanctũ dixit, Pſal.23. *Et cùm ambulauero in valle vmbræ mortis*, id eſt, inferni, *non timebo malum, quoniam tu mecum eris. Virga tua*, id eſt, tormenta tua, *& baculus tuus*, id eſt, lex tua, *ipſa conſolabuntur me.* Erit ne hoc poſſibile abſque tormentis? Docet quid ſit ad hoc dicendum, cùm ait ibidem: *Verè vel ſaltem bonum & miſericordia ſubſequentur me.* Et hoc poſſibile ne eſt in hoc ſeculo? docet quid dicendũ ſit, quod ſequitur, *omnibus diebus vitæ meæ.* Et quare? *quia habitabo in domo Dei in longitudine dierum.* Hæc omnia traditio.

Midras Coheleth.

Ad cap.1. Eccleſiaſtis: *Omnia flumina vadunt in mare, & mare non eſt plenum*, id eſt, omnes mortui non intrant niſi in Scheol, id eſt, infernũ, & infernus nunquam impletur, ſicut dictum eſt Prou. 27. *Infernus & perditio non ſatiantur.*

R. Salomon.

Ad illa verba Geneſ.37. *Deſcendam ad filium meum lugens in infernum*, id eſt, ſepulchrum, iuxta litterę quidem ſuperficiem, ſed iuxta gloſſam id eſt in Gehennam.

ARTICVLVS QVINTVS.

CHRISTVM IESVM CLAVSO B. MARIÆ VIRGINIS VTERO NATVM ESSE, CLAVSO MONVMENTO RESVRREXISSE, ET CLAVSIS IANVIS AD DISCIPVLOS INTRASSE.

NEGANT.

Anno post natũ Christum 1050. BERENGARIVS *dixit nullatenus debere credi, quod in Euangelio legitur, intrasse ad discipulos Dominum Iesum ianuis clausis.* Guitmundus Auersanus de Eucharistia lib.3.

1530. Ioannes OEcolampadius ad cap.21. Ioannis: *Textus non habet: Iuit per clausas ianuas: sed,* τῶν θυρῶν κεκλεισμένων, *vt ex illis verbis nihil habeant subsidij Papistæ cum reliquis de præsentia Christi in pane.*

1550. Ioannes Caluinus lib.4. Instit. cap.17. §.29. *Quòd Christũ exisse è sepulchro clauso, & clausis ianuis ad discipulos ingressum esse obiciunt, nihilo magis eorum errori suffragatur. Nam sicut aqua non secus ac solidum pauimentum Christo iter præbuit super lacum ambulanti: ita nihil mirum si ad eius occursum se flexit lapidis durities. Etsi probabilius est, eius imperio amotum fuisse lapidem, & mox transitu dato, in suum locum rediisse. Nec ianuis clausis intrare tantundem valet, ac penetrare per solidam materiam; sed sibi aditum patefacere diuina virtute, vt repentè steterit inter suos discipulos plane admirabili modo, cùm obseratæ essent fores.*

1550. Henricus Bullingerus ad cap.20. Ioannis ait: *Vel Angelum fores Christo aperuisse, sicut in Actis Petro contigit: vel Christi potentiam inuenisse modum ingrediendi, non aduersum naturæ & substantiæ corporis sui veri: vt non sit opus comminisci per miraculum duo corpora in eodem fuisse loco, aut corpus Domini nullo circumscribi loco.*

1550. Petrus Martyr in Dialogo fol.95. scribit, *Christum non intrasse ad discipulos per ostia clausa, sed vel per fenestras, vel per tecta, vel vndecunque voluerit ingressum esse.*

1550. Rodolphus Gualterus libro de Incarnatione folio 82. *Quòd verò de sepulchri lapidei operculo & foribus clausis garriunt, plus quàm puerile commentum, & iam centies à nostris confutatum est. Quis enim Euangelistarum vnquam memoriæ prodidit, Christi corpus per massam illam lapideam penetrauisse, vt rediuiuũ terris redderetur? Quis nescit Angelum cælo descendisse, qui & lapidem reuulsit, & milites splendore suo exanimauit? Quo ad fores clausas, satis constat Ioanni hoc propositum fuisse, vt temporis circumstantiam notaret, quo Christus ad discipulos venit, & quales illi sese tunc gesserint, doceret. Neque enim ex historiæ eius contextu quisquam euicerit, Christi corpus per fores illas, siue ligneas, siue ferreas, siue cancellatas penetrasse, aut quicquam fecisse, à corporis propria natura alienum.*

1560. Benedictus Aretius ad cap.21. Ioannis: *Porrò an clausis foribus ingressus sit Christus quæri solet, & ex verbis quidem Euangelistæ id colligi non potest: nam fores clausas fuisse solùm refert, tum quia vespera, tum quia cœtus illic est congregatus in metu; ita clausæ à Christo deprehensæ sunt: an verò clausis relictis sit ingressus, incertum est. Fieri potest, vt apertæ sint sponte ad Christi præsentiam: tamen Theophylactus, Chrysostomus, & Cyrillus sic accipiunt, quasi diuinitatis hinc argumentum eluceat. Vide Cyrillum cap.53. lib.12. in Ioannem, & Theophylactum in hunc locum. Quæ sententia nihil habet absurdi, si ad maiestatem solius Christi referatur. Nam qua potentia super aquas ambulauit, etiam fores vel aperire, vel transire potuit, vt Deo nihil inuium sit. Cedunt elementa, & parent res creatæ. Sed ad vbiquitatẽ carnis Christi illa nihil faciunt. Christus insolito more aliquando agit, vt ambulare per aquas, non ob id semper ita aget: inprimis cùm Scripturæ testimonium euidens sit, illum ascendisse ad cælos, & sedere ad dextram Dei Patris, &c.* Venit Iesus clausis foribus: *siue deinceps apertæ sint, siue minus, parũ refert, &c.* Foribus clausis venit: *nõ διὰ τῶν θυρῶν, ideoq; mittamus rixas de penetratione corporum. Christo multi modi aderant aperiendi ostium, vel ingrediendi etiã clauso ostio.*

1560. Theodorus Beza in Creophagia, negat *Christi corpus egressum esse è sepulchro clauso: lapidis enim duritiem per Dei omnipotentiam corporis Christi moli cedere potuisse.* Contra VVestphalum negat *Christum peruenisse ad discipulos per fores clausas, sed tum ad eos veniisse, & comparuisse inter discipulos, cùm ianuis clausis vnà essent.* Homilia 2. de Cœna Domini fingit *miracula de Christi ingressu per ianuas clausas, & egressu per lapidem sepulchri, in parietis & sepulchri mole, repente opificis sui corpori cedente, potius quam in ipso Christi corpore edita videri.*

Quantius

1577. Quantius in disputatione Ieuerensi inquit: *Cùm vespera esset, venit Christus clausis ianuis, quia circa vesperam solent claudi fores: Ideò fortè per Angelum aperta est ianua, vel alibi per fenestram penetrauit Christus.*

ASSERVNT SACRÆ LITERÆ.

Matth.28. v.1. Vespere autem Sabbathi, quæ lucescit in prima Sabbathi, venit Maria Magdalene, & altera Maria videre sepulchrum. Et ecce terræ motus factus est magnus. Angelus enim Domini descendit de cælo: & accedens, reuoluit lapidem, & sedebat super eum. Præ timore autẽ eius exterriti sunt custodes, & facti sunt velut mortui. Respondens autẽ Angelus dixit mulieribus: Nolite timere vos: scio enim quòd Iesum qui crucifixus est, quæritis, non est hìc: surrexit enim, sicut dixit.

Ioannis 20. 19. Cùm ergo serò esset die illo, vna Sabbathorum, & fores essent clausæ, vbi erant discipuli congregati propter metum Iudæorum, venit Iesus, & stetit in medio, & dicit eis: Pax vobis. 26. Et post dies octo, iterum erant discipuli eius intus, & Thomas cum eis. Venit Iesus ianuis clausis, & stetit in medio.

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Iustinus Martyr. 150.

Quæstione 117. Quonam modo post resurrectionem ad discipulos intrauit Christus, si corpus crassum clausis portis impeditur, quo minus transire possit? Quemadmodum non mutatione corporis in spiritum ambulauit Dominus super mare, sed diuina sua potentia fecit, vt ambulari posset mare, idq; nõ solùm suo corpore, sed etiam Petri: sic eadem sua diuina potestate exijt ex monumento saxo incumbente, & ad Discipulos ingressus est clausis ianuis. Non enim propter resurrectionem ablatum fuit saxum à monumẽto, sed vt declaretur spectantibus resurrectio. Non mutatione corporis in spiritum ingressus est ad eos, sed cum crasso corpore diuina sua potestate effectrice rerum, quæ sunt supra naturam.

Gregorius Nazianzenus. 380.

In Tragœdia:

——*En domum peruenimus*
Mariæ, vbi charos audio occlusa fore
Adesse Apostolos, timentes scilicet
Adhuc latronum barbaram & diram manum.
Quin & seræ omnes ianuæ obductæ, & fores.
Et quo modo autem foribus occlusis domus
Patebit aditus? audijt certè, & sine
Strepitu recluſit Maria chara clanculum,
Vtq; subeamus prouocat. quare domum
Suspensa paulatim pedum vestigia
Sensim ferentes ne metu iam perditos
Turbemus, ingrediamur. En nos vndecim
Nobis amicis, & alijs qui se gregi
Immiscuerunt congregatæ venimus.
Tu denuò ipsas Maria communi fores.
Itaq; silentium imperans volo Cleopham
Nunc audiamus: namq; adest, & plurima,
Vt video, narrat, quæ Dominus ipsis palam
Et dixit, & fecit, vt eum ipsum nouerint
In fractione panis. Ais, tace, tace.
Stat ecce Dominus. Has fores intra: nouum hoc
Dignumq; verè maximo miraculo,
Et quo modo autem foribus occlusis adest?
Quin fortè & idem sic sepulchro conditò,
Clausoq; surgens exijt, velut antea
Virginis ab aluo prodijt matris suæ,
Infracta seruans claustra quàm castissima.
Christ. *Pax omnibus vobis. Quid obstupescitis?*

Epiphanius. 380.

Oratione de Christi Saluatoris sepultura: Quemadmodum Christus Iesus naturalibus virgineæ naturæ claustris omninò integris, vteroq; materno vndiquaque clauso ex Virgine in lucem prodijt; ita idem ille sepulchri signaculis nequaquam reseratis, ex mortuis resurrexit.

Hæresi 20. Resurrexit, & clausis foribus ingressus est, vt crassarum partium corpus tenuiũ partium ostenderet, ipsum quod erat cum carne & ossibus. Nam vbi ingressus esset ostendit manus, & pedes, & latus: ossa item, & neruos, & reliqua, vt ne esset imaginatio ea quæ videbantur.

Amphilochius. 380.

Oratione habita super eo: *Non potest Filius quicquam ex se facere.)* Post resurrectionem Dominus vtrumque ostendit, & quod corpus est huiusmodi, & quod id est quod resurrexit. Recordare historiæ, erant discipuli congregati post passionem & resurrectionem, & portis clausis steterit in medio eorum Dominus. Neque hoc vnquam fecit ante passionem. An non potuit hoc iam olim Christus facere? Deus enim potest omnia. Sed non fecit ante passionem, ne existimares visionem aut apparentiam esse œconomiam: nec putares esse spiritalem Christi carnem, nec ex cælis defcendisse, nec alterius esse substantiæ quàm sit nostra caro. Hæc enim omnia nonnulli visione, & imaginatione concipientes, & per hæc se Dominum magnificare putantes, non aduertunt se per ipsam Eucharistiam blasphemare, & falsi veritatem accusare, vt omittam quòd est mendacium omninò à ratione alienum. Si enim aliud corpus accepit, quid ad meum, quod salute indiget? Si autem carnem è cælis deduxit, quid ad meam carnem, quæ è terra sumpta est? &c. Propterea ergo non ante, sed post passionem, portis clausis stetit Dominus in medio discipulorum, vt scias quòd etiam tuũ animale corpus, seminatum, surgit corpus spiritale. Ne autem rursus existimes, aliud esse quòd surgit: cùm Thomas resurrectioni diffideret, ostendit illi fissuras clauorum: ostendit illi vulnerum vestigia. An non poterat sibi ipsi mederi, maximè post resurrectionem, qui omnes etiam ante resurrectionem curauerat? Sed per hoc quidem, quòd clauorum fissuras ostendit, tradit esse idem. Per illud autem, quòd clausis portis ingreditur, ostendit quod non tale. Hoc quidem, vt diuinæ œconomiæ & dispensationis modum impleret, eo excitato quod morte erat affectum. Non tale

Ioan 20.

autem,

autem, ne rursus in corruptionem & interitum incideret, nec rursus mortem obiret.

Gregorius Nyssenus. 380.

Oratione 2. de Resurrectione Domini: Cùm Angelus lapidem reuoluisset, reperit resurrexisse Dominum, sepulchro, quod sigillis munitũ fuerat, ac præsidio militum custodiebatur, sicut Deum decebat, clauso relicto, quemadmodũ clausis quoque ianuis penetrans, in domicilium ad discipulos accessit. Quare etiam dicebat: *Non est hic, sed surrexit*, significans Angelus, ante suum aduentum, admirabiliter accidisse Resurrectionem Seruatoris, quam, vt Deus, propria virtute exequẽs, in eis, quæ disposita ac destinata erant, peragendis nullum Angelorum auxiliũ desiderauit. Nisi enim hoc ita esset, dixisset: Ecce resurgit, significans id quod statim fieret: sed quoniam ante factum erat, præterito tempore vtens dixit: *Non est hic, sed surrexit.*

Ioannes Chrysostomus. 400.

Homilia de Diuo Ioanne Baptista: Sancta Maria, beata Maria, mater & virgo, virgo fuit ante partum, virgo post partum. Ego hoc miror, quomodo de virgine virgo natus sit, & post natiuitatem virginis mater virgo sit. Vultis scire quomodo de virgine natus sit, & post natiuitatẽ mater ipsa sit virgo? Clausa erant ostia, & ingressus est Iesus. Nulli dubium quin clausa sint ostia. Qui intrauit per ostia clausa, non erat phantasma, non erat spiritus, verè corpus erat. Quid enim dicit? *Respicite, & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, quæ me habere videtis.* Habebat carnes, habebat ossa: & clausa erant ostia. Quomodo clausis ostijs intrauerunt ossa & caro? Clausa sunt ostia, & intrat quẽ intrantem non vidimus. Vnde intrauit, omnia clausa sunt: locus non est, per quem intret, & tamen intus est, qui intrauit, & non apparet quomodo intrauit? Nescis quomodo factum sit, & das hoc potentiæ Dei. Da potentiæ Dei, quia de virgine natus sit, & tamen ipsa virgo fuerit virgo post partum.

Luc. 24.

Ioan. 24.

De Resurrectione Homilia 9. *Venit ergo*, inquit, *Iesus, ianuis clausis.* Est quod nos quoque cum Thoma dubitemus, nisi facta respiciamus authoris. Sed si Deum esse, de quo loquimur, cogitemus: cui nihil inuium, cui humanum quoque pectus peruium confitemur: cuius hoc idem corpus clausis ostijs in ipsa statim salutatione, *Pax vobis*, conspicuum spectabatur discipulis; hæc si indubia fide credimus, ab omni quæstionis scrupulo liberamur. Hanc ergo nobis fidẽ afferat, hanc à nobis reposcat, hanc in nobis inueniat, hanc relinquat. *Deinde dicit Thomæ: Infer digitum tuum huc, & vide manus meas: & affer manum tuam, & mitte in latus meum, & noli esse incredulus, sed fidelis.* Non est meum, meos ludificare phantasmate, vanam imaginem visus si timet, veritatem corporis manus & digitus exploret. Potest fortasse aliqua oculos caligo decipere, palpatio corporalis verũ corpus agnoscat. *Spiritus*, inquit, *carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere.* Quòd ostia clausa penetrauit: sola est virtus diuini spiritus, non sola carnis substantia. Alioquin, quid profuit me suscepisse hominem, si piguit suscitasse? Respondeamus ergo & nos, & fateamur cum Thoma, id quod miraculum diuinæ virtutis exposcit.

Homilia 85. in Ioannem: Vespere illius diei magna cũ admiratione astitit. Et cur hac hora? Quoniam credibile erat eos magis formidare. Sed id mirandum est, quòd phantasma eum nõ sunt suspicati. Clausis enim foribus, & repentè est ingressus: sed profectò à Maria præmoniti, fidem confirmârant, præterea certa & mansueta specie se eis obtulit. Die autem nõ venit, vt omnes congregarentur, valde enim timebant: nec ostium pulsauit, sed repentè astitit.

Cyrillus Alexandrinus. 430.

De recta in Deum fide ad Reginas: Ex Euangelio Ioannis cap. 20. *Cùm serò esset die illo, & fores essent clausæ, vbi erant discipuli congregati, venit Iesus, & stetit in medio, & dixit eis: Pax vobis.* Non immeritò dubitauerit hîc quispiam, ac dixerit: Si Verbum post resurrectionem perinde ac ante venerãdam crucem corporeum erat, quomodo conclusis foribus in medio discipulorũ ex insperato apparuit? Ad hoc respondemus, diuina virtute factum id esse. &c. Sanè post resurrectionem ex mortuis, dispensationis mysterio, propter quod carnem salubriter assumpserat, iam perfecto, diuina virtute & potestate vtebatur familiarius, quàm naturę humanæ infirmitate, vt qui iam veluti opportuno tempore, per ea potius, quàm per exinanitionis conditiones agnosci voluerit.

In Ioan. lib. 12. cap. 53. Eodem illo die, quo Magdalenam allocutus est, discipulis quoque vnum in locum congregatis ac foribus clausis propter metum Iudæorũ, apparet. Occultabant autẽ se prudenter, quia recordabantur iussum sibi esse à Domino, vt Iudæorum iram declinarent. Clausis ergo foribus repentè Dominus omnipotentia sua, natura rerum superata, ingressus est ad discipulos. Nullus igitur quærat, quomodo clausis ianuis corpus Domini penetrauit, cùm intelligat non de homine nudo, vt modò nos sumus, sed de omnipotente Filio Dei hæc ab Euãgelista conscribi. Nam cùm Deus verus sit, rerum naturæ non subiacet, quod in cæteris quoq; miraculis patuit. Omnem enim mentem ac rationem excedunt, quę fecit. Qua enim ratione dices ipsum super maria quasi per aridam ambulasse, cùm aquarum natura corporibus nostris naturaliter non substernatur? Aut quomodo mille alia signa verbo solo effecit? Scio quia supra omnem rationem humanam illa fuisse contendes. Cum illis igitur hoc etiam numera, nec (vt quidam ex imperitia dicunt) credas non surrexisse cũ corpore suo Dominum, sed nudum corpore omninò apparuisse, &c. Caue igitur ne à recta digrediaris fide: sed potius quia foribus clausis ingressus est, Deũ esse natura crede.

Cap. 59. Nonne sufficiebat ei (*Thomæ*) ad cognoscendum Christum, statura corporis & faciei lineamenta? Ambiguum hoc certè fuisset. Putare namque potuerũt spiritum quendam imaginem sibi Saluatoris assumpsisse, & ad hoc miraculosus per clausas fores ingressus facilè inducebat: terrestre namq; corpus latiorem secundùm suam naturam viam desiderat. Necessariò ergo Dominus noster Iesus Christus latus nudauit, & vulnera, liuoresq; carnis ostendit, vt discipulos cõfirmaret.

Nonnus Panopolitanus. 500.

Ad cap. 20. Ioannis:

ᾗ σκιερὴν ὅτε γαῖαν ὅλην ἐμέλαινεν ὁμίχλη,
ἀχλυόεσσι δὲ θύρετρα συνεκλῄϊσαν ὀχῆες
ὅππόθι φωλεύοντες ἐναυλίζοντο μαθηταί,
ὡς τὸ πρὶν ἠὲ νόημα μετάρσιος εἰς μέσον ἔστη
Μιτρωθεὶς ἑτάροισι, καὶ ἔννεπε, σύνομος ὑμῖν
Εἰρήνη.

Et vmbrosam quando terram totam nigre fecerat caligo,
Immoti & fores concluserant vectes,
Vbi delitescentes commorabantur discipuli,
Sicut ala vel cogitatio sublimis in medium stetit,
Cinctus sociis, & dixit: communis vobis
Pax.

Anastasius Antiochenus. 580.

Lib. 5. de Resurrectione: Hæc omnia, tantoque his plura dispensata sunt, ad exhibendam fidem de resurrectione Saluatoris nostri, cuius futurus nũtius de cælo veniens *Angelus reuoluit lapidẽ ab ingressu monumenti:* non quasi viam præmuniens ad exitum ei, qui ibi positus fuerat, vt qui præuerterat Angelum tertia die resurgens à nemine prohibitus Dominus. Tantum est, locum indicauit vbi corpus positum fuerat: solas exuuias, nempe velamina resurgentis retinentem. Vnde & Angelus mulieribus, quæ eò cõuenerant, apparẽs dicebat: *Nolite timere vos, Scio enim quia Iesum quæritis Nazarenum crucifixum, non est hic, surrexit, sicut dixit: Venite, videte locum vbi positus fuerat.*

Sophronius Hierosolymitanus. 630.

Epistola ad Honorium: Et ideo erant humana eius vltra hominem, haud quidem, quòd natura humana non fuerat, sed quia spõte factus est homo. Supra naturam sunt elementorum subita conturbatio, vltranea sepulchrorum apertio, ex mortuis triduana resurrectio, corruptionis mortuorũ destructio, mortis indeficiens deiectio, custoditi signaculi lapidis & sepulchri coërcibilis exitus, ianuarum clausarum indetrectabilis ingressus, in cælum à terra nimirum admirabilis & corporalis ascensio, & omnia quæ his sunt similia, & sermonis naturam & vocis virtutem transcendentia, & omnem humanum intellectum superantia: quæ omnia vltra naturam & sermonem humanum effecta, diuinæ Dei Verbi essentiæ atque naturæ profectò existebant indicia.

Theophylactus. 900.

Ad caput 28. Matth. Resurrexit Dominus, lapide adhuc super sepulchrum posito. Postquam autem resurrexit Dominus, Angelus venit, vt deuoluto lapide accessum habeant mulieres ad sepulchrum.

Euthymius. 1080.

Ad cap. 20. Ioannis: Ad vesperam venit, quando magis timebant, & cùm simul essent congregati; & quidem ianuas non pulsauit, ne turbarentur; sed clausis illis introiuit tanquam Deus, & quasi corpore suo leui iam & subtili ac immortali effecto. Stetit autem in medio, vt omnibus esset conspicuus.

Nicetas Choniates. 1200.

In Thesauro lib. 4. cap. 25. Neq; vnquam seiungetur propter summam illam coniunctionem, duplicisq; naturæ concursum, qui confundi nullo modo possit. Ita in cruce pependit, & carne passus est; ita è monumento prodijt; ita ianuis clausis à discipulis visus est, eorum denique digitis contrectatus est; ita cælos ascendit, &c.

Nicephorus Callistus. 1300.

Ecclesiastica historiæ lib. 1. cap. 32. Non his autem solis, sed alijs quoque miraculis sepulchrum consecutis, fidem resurrectionis suæ confirmauit. Quæ verò ea sint age dum dicamus. Primum sigillum sepulchro impressum, quod intactum permansit: & custodia militaris illa & genere alienigena, quæ in propinquo sigillum id obseruabat. Præterea ingens ille lapis ad os sepulchri appositus, qui inde defluens, ac potius manu ac robore Angeli deuolutus (quod sanè in his omnibus opinionem omnem excellit) ne ipse quidem vel minimum signum suum corrupit. Traditum enim nobis est ab antiquis, Iudæos lapidem eum, qui in salutiferum illud sepulchrum pro operculo positus fuerat, ad summum monumenti labrum, petramque infernè illi se coniungentem, ferramentis quibusdam fabrili lapicidarum arte perforasse, ferrumq; ingẽs à fabro ex propinquo acceptum, per vtrumque foramen immisisse, & in circi siue annuli formam circumegisse: atque ita firmiter capitibus commissis, omni ex parte quasi vinculum circumduxisse, vt lapis, qualicunque modo, loco suo reuelli, aut saltem ratione aliqua moueri (nisi arte quapiam & vi adhibita, necessariò aut ferrum confringeretur, aut petra perrumperetur) non potuerit. Atque ad hunc modum cum magna cura, atque etiam signo appresso, cùm sepulchrum firmissimè communissent, custodia insuper competenti adhibita, eos abijsse. Quapropter, cùm nihil prorsus de signis illis motum mutatúmve esset, & lapis absque fragore & sonitu inde defluxisset, (qui quidem magnus fuisse perhibetur,) ita vt vnguenta afferentibus mulieribus, & discipulis ipsis accedẽtibus, locum is, vbi corpus depositum fuerat, magnitudine sua apertè indicârit: quis non euidentem hanc & irrefragabilem resurrectionis probationem atque demonstrationem agnoscat? Et talia quidem sunt hæc resurrectionis Seruatoris indicia apertissima. Sindonis verò & linteorum, ipsiusq; adeò, si placet, in capite sudarij, rursum qualia? Hæc etenim myrrhæ, & aloæ, & item viuifico corpori illi compacta, & quasi vnum corpus, vnguentorum vi atque efficacia facta, haudquaquam corpus furtim auferri permisêre, iuxta Iudæorum insanam dementiam. Quomodo enim corpus ipsum nudantes, hæc fures sic detraxissent? cùm sepulchralia lintea intacta, & decenter, perinde atque ei circundata fuerant, suo quæque loco reperta sint? Et sudarium non temerè, sed in vno, capitis scilicet loco, ritè circumuolutum iacuerit? Certum itaque est ac persuasum omnibus, qui intelligere cognitionemq; assequi & rectè sapere volunt, Dominum non solùm die tertio cum corpore surrexisse, sed etiam cum corpore tenui ac leui: nec amplius mortali & corruptibili & crasso, vt antea, sed prorsus incorruptibili & immortali, atque (vt semel dicam) spirituali magis & diuiniore, quodq; simul Deus esset, (nam sic dicere ausim,) captum sensus omnis excellente, vestitu & alimento, quo non indigeret, superiore, ita vt & clausas fores naturaliter pertransiret: quamuis mirifica ratione summissionis atque conformationis, eis, quos sibi in arctiorem consuetudinem acciuerat, conspectus fit, & latus fissurasq; clauorum contrectari siuerit, cibumque ederit, ac pisces & mel gustauerit, non ille quidem quòd esuiret, sed vt sidem resurrectionis nouæ faceret, & phantasmatis opinionem aboleret, ineffabili quodam modo præter naturam alimento à diuinitatis igne consumpto.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Hilarius. 350.

Libro ad Constantium Augustum: Erant discipuli inclusi, & secretò post passionem Domini cõiuncti confederant. Dominus Thomæ fidem propositis conditionibus confirmaturus assistit, palpandi corporis & contrectandi vulneris obtulit facultatem. Et vtique qui compunctus recognoscendus sit, necesse est vt corpus, in quo est compunctus, attulerit. Quæro ergo, per quas clausæ

domus partes sese corporeus intulerit. Diligenter enim Euangelista expressit dicens: *Venit Iesus ianuis clausis, & stetit in medio discipulorum suorum.* An constructa parietum penetrans, solidam lignorum naturam impenetrabilem transcurrit? Stetit namque corporeus, non simulatus aut fallax. Sequantur ergo oculi mentis tuæ penetrantis ingressum, & cum eo clausam domum intelligentiæ tuæ visus introeat. Integra sunt omnia & obserata: sed ecce assistit medius, cui per virtutem suam vniuersa sunt peruia. Inuisibilibus calumniaris, ego à te visibilium exposco rationem. Nihil cedit ex solido, neque per naturam suam aliquid tamquam lapsu insensibili ligna & lapides admittunt. Corpus Domini à sese non deficit, vt sese resumat ex nihilo. Et vnde qui assistit in medio est? Cedit adhæc & sensus & sermo, & extra rationem humanam est veritas facti. Idcirco ergo, vt de natiuitate fallimur, ita & de ingressu Domini mentiamur. Dicamus factũ non fuisse, quia intelligentiam facti non apprehẽdimus: & cessante sensu nostro, facti ipsius cesset effectus. Sed mendacium nostrum facti fides vincit. Assistit Dominus clausa domo in medio discipulorũ, & Filius est natus ex Patre. Noli negare, quòd steterit, quia per intelligentiæ infirmitatem consistentis non consequaris introitum. Noli nescire, quòd ab ingenito & perfecto Deo Patre Vnigenitus perfectus Filius Deus natus sit, quia sensum & sermonem humanæ naturæ virtus generationis excedat.

Ambrosius. 370.

Ad Psalm 118. octonario 10. Sed quia peccator signaculum tenere non potuit, & in crimine positus non sapiebat quæ Dei sunt, sed quæ hominum, propterea venit Dominus noster Iesus Christus, vt legisti in Euangelio, & à mortuis resurgẽs, cùm clausos discipulos reperisset, claustris ingressus est manentibus, & dixit: *Pax vobis.*

Ad caput 24. Lucæ: Habuit admirandi causam Thomas, cùm videret clausis omnibus per inuia septa corporibus inoffensa compage corpus insertum. Et ideò mirum, quomodo se natura corporea per impenetrabile corpus infuderit, inuisibili aditu, visibili conspectu; tangi facilis, difficilis æstimari.

Hieronymus. 390.

In Apologia pro libris aduersus Iouinianum ad Pammachium (quæ est Epist. 50.) cap. 8. Christus virgo, mater virginis nostri virgo perpetua, mater & virgo. Iesus enim clausis ingressus est ostijs: & in sepulchro eius, quod nouum & in petra durissima fuerat excisum, nec antea quis, nec postea positus est, &c. Respondeant mihi, quomodo Iesus ingressus est clausis ostijs, cùm palpandas manus, & latus considerandum, & ossa carnemqúe monstrauerit: ne veritas corporis, phantasma putaretur: & ego respondebo, quo modo S. Maria sit & Mater & Virgo, virgo post partum, mater antequam nupta.

Ad Eustochium Virginem in Epitaphio Paulæ cap. 11. Quòd si obtenderis: Ergo & nos post resurrectionem comedemus? Et quo modo clausis ingressus est ianuis, contra naturam pinguium, & solidorum corporum? Audies: Noli propter cibum, resurrectionis fidem in calumniam trahere. Nam & Archisynagogi filiæ resuscitatæ iussit cibum dari: & Lazarus quatriduanus mortuus, cum ipso scribitur inisse conuiuium, ne resurrectio eorum phantasma putaretur. Sin autẽ clausis ingressus est ianuis, & idcirco spirituale & aërium corpus niteris approbare: ergo & antequam pateretur, quia contra naturam grauiorum corporum super mare ambulauit, spirituale corpus habuit. Et Apostolus Petrus, qui & ipse super aquas pendulo incessit gradu, spirituale corpus habuisse credẽdus est: cùm potentia magis & virtus ostendatur Dei, quando fit aliquid contra naturam. Matt. 14.

Augustinus. 400.

De agone Christiano cap. 24. Nec nos moueat quòd clausis ostijs subitò eum apparuisse discipulis scriptum est, vt propterea negemus illud fuisse corpus humanum, quia contra naturam huius corporis videmus illud per clausa ostia intrare. *Omnia enim possibilia sunt Deo:* nam & ambulare super aquas contra naturam huius corporis esse manifestum est, & tamen non solùm ipse Dominus ante passionem ambulauit, sed etiam Petrum ambulare fecit. Ita ergo & post resurrectionem suam de corpore suo fecit quod voluit. Si enim potuit ante passionem clarificare illud sicut splendorem solis, quare non potuit & post passionem ad quãtam vellet subtilitatem in temporis momento redigere, vt per clausa ostia posset intrare? Matt. 19. Matt. 14. Matt. 17.

Epistola 3. ad Volusianum: Ipsa virtus per inuiolatæ matris virginea viscera membra infantis eduxit, quæ postea per clausa ostia membra iuuenis introduxit. Hîc si ratio quæritur, non erit mirabile: si exemplum poscitur, non erit singulare. Demus Deum aliquid posse, quod nos fateamur inuestigare non posse. In talibus rebus tota ratio facti est potentia facientis.

Sermone 160. Audiuit charitas vestra, cùm sanctum Euangelium legeretur, Dominum & Saluatorem nostrum Iesum Christum post resurrectionem suam clausis ostijs introijsse ad discipulos suos. Magnum miraculum: sed mirari desinis, si Deum cogitaueris. Mirum enim esset, si solus homo hoc fecisset. Refer ad omnipotentiam, non ad phantasiam. Ostijs clausis intrauit. Respondeo tibi, vt scias, quia vera caro fuerat, cicatrices tangendas monstrauit. Sed sicut non est, inquis, naturæ corporalis per ianuam clausam intrare: sic non est naturæ corporalis, super fluctus maris ambulare. Intrauit per clausa ostia, respondemihi, da mihi soliditatem carnis. Ambulauit super aquas maris, da mihi & tu pondus carnis. Vis nosse hoc omnipotentiæ fuisse? Et Petro dedit. Qui quod voluit, dedit; quod proprium erat, sibi seruauit. Ille enim viuens per clausas ianuas intrauit, qui nascendo integritatem matris non violauit. Matt. 14.

Gaudentius. 400.

Tractatu 2. de lectione Euangelij, qui est in ordine nonus: O miranda fides, reseratæ non sunt ianuæ, & ipse intrinsecus cum vero corpore Apostolicis non solùm videtur oculis, sed & manibus pertractatur. Veritas mirabilis facti, cuius rationem non nisi sola fides assequitur, omnipotẽtiam clamat auctoris, nec ideo negabitur factum, quia magnitudinem diuini operis pusillitas mentis humanæ non timuerit. Eadem ergo diuinitatis virtute per inuiolabilem fœminam mundi huius intrauit hospitium, claustrum virginei pudoris etiam nascendo conseruans, qui post resurrectionem ianuis obseratis domum potuit corporeus introire.

Petrus Chrysologus. 440.

Sermone 75. Venit Maria ad sepulchrum, venit ad resurrectionis vterum, venit ad vitæ partum: vt iterum Christus ex sepulchro nasceretur fidei, qui carnis fuerat generatus ex ventre: & eum, quẽ clausa virginitas vitam protulerat ad præsentem, clausum

clausum sepulchrum ad vitam redderet sempiternam. Diuinitatis insigne est, clausam Virginẽ reliquisse post partum: de sepulchro clauso exisse cum corpore, est diuinitatis insigne.

Sermone 80. *Scio quia Iesum, qui crucifixus est, quæritis: non est hîc.)* sic dixit Angelus, qui aperuit hoc sepulchrum, non vt inde exiret Christus, qui ibi iam non erat, sed vt ibi Christum iam non esse monstraret.

Sermone 84. Rogo cur dubitatur clausi corporis arcanum, & obseratum tota integritate domicilium virginale, absoluta diuinitas potuisse penetrare, quæ post resurrectionem corporis nostri crassata mysterio, foribus ingreditur & egreditur clausis: taliq; indicio se totius creaturæ demonstrat auctorem, cui non obsistit, cui deseruit ad omnia creatura? Sed si conceptum, partumq; virginitas excusare suo nescit Creatori; si ingressum, egressumq; clausa ianua Creatori suo non potest denegare, quem ad modum lapis monumenti, quamuis magnus, quamuis Iudaica malitia signatus, resurgenti poterat obsistere Saluatori? Sed sicut virginitas & ianua claustris suis fidem faciunt deitatis: ita reuolutus lapis fidem resurrectionis affirmat, qui nullum resolutus Domino suo præparauit egressum, sed nocte fidei præstat & admittit ingressum.

Leo Primus. 450.

Sermone 1. de Resurrectione Domini cap. 3. Ideo enim & clausis ostijs ad discipulos introibat, & flatu suo dabat Spiritum sanctum, & dato intelligentię lumine sacrarum Scripturarum occulta pandebat, vt agnosceretur in eo proprietas diuinæ humanæq; naturæ indiuidua permanere.

Epistola 81. ad Dioscorum Alexandrinum cap. 1. In hac Dominicæ resurrectionis die congregatis in vnum discipulis, ianuis clausis, cùm ad eos Dominus introisset, *insufflauit, & dixit: Accipite Spiritũ sanctum.*

Eucherius Lugdunensis. 450.

Homilia 2. de Natiuitate Domini: Itaque ad Euangelium recurramus: miraculum illud, quod Euangelista protulit, tempore resurrectionis dignè mihi vsurpem etiam tempore natiuitatis, cum Ioanne dicendo: *Venit Iesus ianuis clausis, & stetit in medio.* Ecce iam nunc ianuis clausis processit in mundum, materni pudoris signaculo minimè resignato: simulq; illud impletur Propheticum Ezechielis oraculum: *Et porta erat clausa, & non est aperta, quia Dominus transiuit per eam.* Eadem nunc potentia mundi istius ianuam per partum inuiolatæ matris intrauit, qua postmodum clausis foribus ad discipulos penetrauit. Ezec. 44.

Homilia 9. de Pascha: Quid mirum, si Dominus ad discipulos glorificatum corpus claustris stupentibus intromisit, qui illæso materni pudoris signaculo, ianuam mundi huius intrauit, cuius ortum natura nescit? Non dubites si potentiam exercere videas triumphantem, quem tam stupenda perspicis egisse nascentẽ. Quid hîc respondebunt Iudæi, sepulto Domino discedentes, & signantes lapidem cum custodibus? Quæ cùm ita sint, quomodo eum repellere potuit obiectus repagulj, quem non coërcuerat pondus sepulchri? imò quomodo eum obserata domus excludere potuit, quem includere mortis porta nõ potuit? Quid mirum, si substantiam corporis nostri per clausa ostia transmisit, cui etiã penetralia supernorum, & solis Angelis familiare secretum patere consueuit?

Sedulius. 460.

Lib. 4. Paschali:

Cum foribus clausis resideret turba fidelis,
Pace salutantis sese intulit, atque foratas
Expandens palmas, nudat latus: adsit ibi Thomæ,
Cui Didymus cognomen erat, cum fratribus vnà
Non fuerat, dubianq; fidem sub corde gerebat,
Donec rursus eo pariter residente veniret,
Qui nunquam subtractus erat: tunc limine clauso
Constitit in medio, non dedignatus apertum
Discipulo monstrare latus.

Arator. 540.

Lib. 1. Act. Apost.

O nunquam neglecta fides, cui subiacet illud
Quod natura negat, proprijs quam legibus vti
Non sinit Omnipotens, quoties iubet ipse vicissim
Posse, quod insolitum fieri mirata perurget.
Si quis adhuc fragili meditatur pectore Thomam,
Hinc documenta petat, quia tunc penetrata recepit
Ianua clausa Deum, mirum est si corpore portam
Sic adeat quem Virgo parit, quem viscera matris
Integra concipiunt? humanam quæ, rogo, carnem
Sumere causa fuit, nisi suscitet? inde reuersus
Exhibuit pro teste latus.

Gregorius Magnus. 590.

Homil. 26. in Euangel. Prima lectionis huius Euangelicæ quæstio animum pulsat, quomodo post resurrectionem corpus Dominicum verum fuit, quod clausis ianuis ad discipulos ingredi potuit? Sed sciendum nobis est, quòd diuina operatio, si ratione comprehenditur, nõ est admirabilis. Nec fides hâbet meritum, cui humana ratio præbet experimentum. Sed hæc ipsa nostri Redemptoris opera, quæ ex semetipsis comprehendi nequaquã possunt, ex alia eius operatione pensanda sunt, vt rebus mirabilibus fidem præbeant, facta mirabiliora. Illud enim corpus Domini intrauit ad discipulos ianuis clausis, quod videlicet ad humanos oculos per natiuitatem suam clauso exijt vtero Virginis. Quid ergo mirum, si clausis ianuis post resurrectionem suam in æternum iam victurus intrauit, qui moriturus veniens nõ aperto vtero Virginis exiuit? Ioan. 20.

Hildephonsus Toletanus. 660.

Sermone de Parturitione ac Purificatione B. Mariæ: Non dicimus itaque, vt aiunt, quòd monstruosè sit natus, sed sicut præsignatum est olim in Prophetis, & traditum est nobis à sanctis Patribus, quòd ipsa porta sit, quæ ostensa est Ezechieli, de qua dicit: *Vidi portam in domo Domini, & hæc erat clausa: & vir non transiet per eam, quia Dominus Deus exercituum ingressus est per eam.* De qua porta beatus Ambrosius in hymno, quem in honore sacratissimæ Virginis composuit: *Fit porta Christi,* inquit, *peruia, reserta plena gratia, transitq; Rex, & permanet clausa, vt fuit per secula.* Ergo cùm dicit, *Fit peruia,* semetipsum exponit, & ostendit transitum natiuitatis eius: cùm dicit, *permanet clausa,* ostendit adimpletum quod erat in prophetia: clausa igitur non diceretur, si in aliquo læsa esset eius integritas: sed in nullo est violatus pudor Virginis, nec fons in aliquo reseratus. Proculdubio patet sensus, quia clauso vtero ad nos venit, sicut ianuis clausis ingressus est ad discipulos. Siquidem aspectus discipulorum vtrumque tunc probauit, scilicet, quòd & fores clausæ essent, & quòd Dominus per easdem introiens, coram præsens astaret. Sic & fides nostra vtrumque de Christo certissimum tenet: quod & peruia fuerit eius integritas nascente Domino ex ea: & tamen vterus non fuerit reseratus. Alioquin quomodo clausum dici potest permansisse, quod violatum est? Aut quomodo sine dolore & sine gemitu puerpera peperit, si more cæterarum fœminarum vexatis viscеribus filium edidit? Et si ita patuit, vt aiunt, quomodo si-

ne dolore clausa permansit, vt fuit antequam pareret? Nec enim ianuæ illæ penetrabiliores erant clausæ, quàm vterus Virginis incorruptus. Idcirco non abs re creditur ad nos Dominum sic exisse, vt natiuitas Christi de carne Virginis probaretur, & Virgo nullis cruciatibus vexaretur. Fortè dicturi sunt isti, quòd corpus iam incorruptibile & immortale, exilius esset ad penetrandum quò vellet, quàm esset prius antequam resurgeret. Nequaquam igitur dicito quisque sanè sapis, ex quo conceptus est homo, idem semper qui antea Deus fuit. Vnde quando super vndas æquoreas ambulauit ante passionem, non minus homo quàm Deus fuit. Quòd srad naturam respicias rerum, aut corpus sine pondere vexit, aut vndas sua potentia, quo sustinere possent pondus corporis, solidius confirmauit. Et ideo, vt beatus Gregorius ait in homilijs suis, Redemptoris nostri opera, quę ex semetipsis comprehendi nequaquam possunt, ex alia eius operatione pensanda sunt: vt rebus mirabilibus fidem præbeant facta mirabiliora. Illud enim, inquit, corpus Domini intrauit ad discipulos ianuis clausis, quod videlicet ad humanos oculos per natiuitatem suam clauso exijt vtero Virginis. Deinde addidit: Quid ergo mirum si ianuis clausis post resurrectionē suam in æternum iam victurus intrauit, qui moriturus veniens non aperto vtero Virginis exiuit? Ecce tantus talisq; Doctor & summus Pontifex, de hoc quid senserit, qui omnes ante se legerat, tā Latinos, quàm & Græcos, & eximios certatores. Ecce ex hoc vno, quod nulli dubium esse credidit, approbat quod fortè dubium esse poterat. Nemo igitur qui sanè sapit de hac re multum dubitet, incertum aliquid affirmare cōtendat. Vnde quia de illo corpore, quod quidem videri poterat, fides intuentium dubitabat, dum fores cernebant clausas: Magister veritatis ab eis omnem aufert dubietatem, cùm eis manus & latus palpare & videre iubet. Ita & hic auctor egregius, de hoc quod omnibus in commune certum esse credidit, rem valde difficilem astruxit & firmauit: quod corpus Dominicum post resurrectionē ianuis clausis introierit, fuitq; incorruptibile primo modo & palpabile, tamen quolibet pacto ingressus ex Euangelio ianuis clausis probatur, sicut & clauso vtero Virginis natus. Quia si natus sit per vulnam, verè dici non potest, vt isti volunt omninò, nec ingressus per ianuas: & tamen ingressus ad eos conuincitur, quando in medio eorum stetisse legitur, sicut & de sepulchro egressus signato monumento monstratur, quando Angelus reuoluit lapidem, & vacuum ostendit monumentum. Vnde liquidò constat, quòd sicut saxeum illud ostium & peruium & penetrabile fuit, nec potuit cohibere viuum, quem prius claudebat sub sigillo mortuum: ita & clausstrum matricis atque genitale Virginis, cùm esset clausum & signatum sigillo pudoris, cùm impleti essent dies pariendi, non potuit obstare partui integritas corporis: nec tamen eguit reserari, quia non potuit vt esset tormentum ei, qui erat honor matris & gaudium: quia Deo totum erat peruium in ea quicquid erat clausum.

Matt.14. Marc.6.

Ioan.20.

Beda. 700.

In Homilijs æstiualibus, Homilia in Vigilia Paschæ: Quòd Angelus aduenit, obsequium seruitutis suę, quod Domino debuit, exoluit. Quia enim Christus Deus & homo est, inter acta humanitatis eius semper Angelorum ministeria Deo debita non desunt. Reuoluit autem lapidem, non vt egressuro Domino ianuam pandat; sed vt egressus eius iam facti præstet hominibus indicium. Qui enim mortalis adhuc clauso Virginis vtero nascendo potuit mundum ingredi, ipse absque vlla dubietate, iam factus immortalis, clauso licet sepulchro potuit resurgendo exire de mundo.

Haymo. 820.

Homilia in Octaua Paschæ: Rationabiliter quæri potest, quomodo Dominus post resurrectionem, verum corpus habens, ad discipulos foribus clausis intromitti potuit. Sed quia hoc mirabile factum ex se haud facilè cognosci potest, de alijs mirabilioribus eius operibus vel miraculis vnū ad memoriam reducamus. Nam vniuersalis Ecclesia confitetur eum ex Virgine esse natum. Quid ergo est mirum, si incorruptibilia & immortalia membra ad discipulos ianuis clausis introduxit, qui mortale & corruptibile corpus ex vtero Virginis clauso eduxit? Igitur, si quod maius est fecit, non est mirum, si quod minus est facere potuit. Non enim diuina mysteria humana ratione pleniter comprehendi possunt.

Smaragdus Abbas. 960.

Ad Euangelium de Feriatertia Paschæ: Quid mirum si clausis ianuis post resurrectionem suam in æternum iam victurus intrauit, qui moriturus veniens, non aperto vtero Virginis exiuit?

Radulphus Ardens. 1050.

Homilia in die S. Paschæ: Quando secundùm Matthæum *terræ motus magnus est factus*, antequam Angelus reuoluerat lapidem ab ostio monumenti, Christus resurrexisse, & multa Sanctorum corpora, qui dormierant, secum suscitasse credendus est. Nec mirum, si Christus, qui clauso Virginis vtero moriturus exierat, immortalis factus clauso sepulchro exierit: cùm generaliter omnia iustorum resurgentium corpora sint subtilitate donanda; vt nullo muro, nulla soliditate à sua agilitate retineri valeant, aut cohiberi.

Homilia in Euang. Dominicæ I. post Paschā: In resurrectione adeò subtile erit corpus humanū, quòd obstantia corpora possit penetrare, nec vinculis, nec clausstris prohiberi queat. Vnde & corpus Christi glorificatum potuit clauso sepulchro exire, clausisq; ianuis intrare.

Guitmundus Auersanus. 1050.

De Eucharistia lib. 3. Sed quid mirum, si Patrum historias Berengarius & sui despiciunt, qui Euangelio etiam contradicunt, dicentes: Nullatenus credi debere, quòd ibi legitur intrasse ad discipulos Dominum Iesum ianuis clausis.

Anselmus Cantuariensis. 1080.

Ad cap. 28. Matthæi: Obsequium suæ seruitutis, quod Domino debuit, Angelus exoluit: quia accedens reuoluit lapidem, non vt egressuro Domino ianuam panderet, sed vt egressus eius iam facti hominibus indicium præstaret.

De similitudinibus cap. 53. Sicut Angelis nihil obstitit, nec aliquid eos impedire potest, vel constringere, quin pro velle suo cuncta penetrent liberrimè: ita non erit aliquod obstaculum, quod nos retardet; nulla clausula, quæ nobis vllatenus obstet, &c. Amplius certè Dominicū corpus, cui corpora nostra configuranda Paulus testatur, clausō sepulchro à mortuis surrexit: ac deinde ad discipulos obseratis ianuis palpandum introiuit, nobisq; in hoc futuræ libertatis grande documentū reliquit.

Rupertus Tuitiensis. 1120.

Ad cap. 20. Ioannis: Quomodo verò, inquit aliquis, corpus verum fuit, quod clausis foribus introiuit? quod qui infideliter quærit, & verum corpus sic potuisse inferri non concedit, superest, vt multò minùs illud concedat, & corruptibiles atq; mortales adhuc Apostoli sic educti sunt, quomodo

Act.5. modo in Actibus Apost. scriptum est: *Carcerem quidem clausum inuenimus cum omni diligentia, & custodes stantes ante ianuas. Aperientes autem carcerem neminem intus inuenimus.* Superest, vt istos quoque, qui necdum resurrexerant, in ventos & aërem subtilem, quo per patentes rimas efflari possent, euanuisse asserant, siquidem sacram recepturi non sunt Scripturam. Quam qui non recipiunt, nec audiendi, sed vt infideles omninò vitandi sunt. Nobis credentibus illud pro argumento sufficit, quia de nihilo Deus cuncta creauit, & cūcta quasi nihilū & inane reputata sunt ei, ad agēdum quicquid voluerit, ad traducendū quippiam quocūq; voluerit. Mirumq; hoc potius esset, si ita non posset: cùm nemo ferè tam imperitus artifex sit, vt qđ cōposuit, penetrare ipse vel aperire non possit.

Matt. 28

Bernardus. 1130.

Sermone 1. in die S. Paschæ: Hunc lapidem magnū valde, de quo mulieres illæ deuotæ inuicem querebātur, facta iam resurrectione Dominica, *reuoluit Angelus, & resedit*, sicut scriptum est, *super eum.* Constat proinde clauso exijsse tumulo rediuiuū corpus, quod clauso Virginis vtero natum processit in vitam, & ad discipulos clausis introiuit ianuis in conclaui. Sed est locus vnde clausis noluit procedere ianuis, carcer vtique gehennalis. Confregit siquidem ferreos vectes, repagula vniuersa cōtriuit, vt liberè suos educeret, quos redemerat de manu inimici: & planis egrederentur portis agmina Sanctorū dealbatorum, qui *lauerūt stolas suas*, & candidas eas fecerunt *in sanguine Agni.*

Antonius Paduanus. 1230.

Sermone in die S. Paschæ: Sicut pectus non disiungitur, nō læditur, nō patitur, non aperitur, nec aliquē dolorem patitur, cùm à corde cogitationes exeunt: sic corpus glorificatum tantę erit subtilitatis, & nulla res erit ei impenetrabilis, & tamen

res ipsa infrangibilis, & indissolubilis clausa & solida remanebit. Sicut patet de corpore Christi glorificato, quod ianuis clausis ad Apostolos intrauit.

Albertus Magnus. 1270.

Ad cap. 20. Ioannis: Non est corporis glorioſi intrare ianuis clausis, sed corporis diuini potius, qđ ex diuinitate habet posse faciēdi quod vult. Et tale corpus diuinum intendit ostendere discipulis, ex quo Deus verus ostēderetur, & homo verus: & ideo ostijs clausis intrauit. Et hoc est quod dicit Augustinus: Moli corporis, vbi diuinitas erat, ostia clausa non obstiterunt.

Hugo Cardinalis. 1245.

Ad cap. 20. Ioannis: *Intrans ianuis clausis.* In quo ostendit, quòd corpus habuit glorificatum, quod transire potuit per corpus non glorificatum.

Richardus Pampolitanus. 1300.

In Symbolum Apostolorum: Esaias dicit: *Erit sepulchrum eius gloriosum*, quia in eo resurrexit, & clauso sepulchro exiuit.

Nicolaus Lyranus. 1320.

Ad cap. 20. Ioan. *Et vidit lapidem.)* Angelus enim Domini eum amouerat, non ad hoc, quò Christus de sepulchro surgeret: quia clauso sepulchro surrexit, & exijt; sicut clauso vtero Virginis natus est: hoc tamen fuit aliter; quia in resurrectione habuit corpus gloriosum, cui non resistit aliquid: sed exitus de vtero Virginis fuit miraculosus. Remouit igitur lapidē Angelus solùm ad manifestandum Christi resurrectionem iam completam.

Ad cap. 21. Ioan. *Et fores essent clausæ propter metum Iudæorum)* Hoc etiam ex diuina ordinatione factū est, vt Iesus intrans ad discipulos ianuis clausis, ostenderet se habere corpus gloriosum.

ARTICVLVS SEXTVS.

CHRISTVM IESVM VERE AD CÆLOS ASCENDISSE, NON DEITATE, SED CORPORE REDIVIVO.

NEGANT.

Anno post natū Christum

100. *ARPOCRATES dixit animam duntaxat Christi in cælum esse receptam, corpore inferius relicto.* Philastrius & Theodoretus de illius hæresibus.

160. *Apelles docuit Christum sine carne resurrexisse, & sine eadem ad cælos ascendisse.* Augustinus hæresi 23.

200. *Innominati quidam hæretici dicebant, quòd Saluator noster ascendens è terris ad cælum, & corpus suum assumens, peruenit vsque ad eum circulum, qui solis zona nominatur, & ibi posuit tabernaculum corporis sui. Non enim vltra erat possibile id progredi.* Origenes apud Pamphilum in Apologia.

270. *Manichæi ex illo Dauidico non intellecto:* In sole posuit tabernaculum suum, *docuerunt Christum, cùm in cælum ascenderet, assumptum corpus in solari orbe posuisse, ac cum sola diuinitate in cælos ascendisse.* Nazianzenus oratione 51. Athanasius lib. 3. de Assumptione hominis, Augustinus lib. 6. cap. 20. contra Faustum, Nicetas Choniates Orthodoxæ fidei lib. 4. cap. 11.

380. *Seleuciani & Hermiani aiunt Saluatorem in carne ad dextram Patris non sedere, sed eam exuisse.* Augustinus hæresi 59. & Ambrosius Ansbertus in Apocalypsin.

600. *Christolytæ asserunt Christum, cùm excitatus est ab inferis, ibi corpore cum anima relicto, sola diuinitate cælum ac superos petiisse.* Damascenus hæresi 93. Nicetas lib.4. cap.44. Orthodoxæ fidei.

1180. *Cororij, siue Coterelli volunt corpus Christi non esse glorificatum in cælo, sed post diem iudicij putridum cadauer fore.* Guido de hæresibus.

1200. *Noui Manichæi in Italia, negant Christum ascendisse ad cælum in corpore & carne humana, sed omnia in similitudinem facta fuisse.* Nicolaus Eymericus part.2.quæst.13.

1540. Caspar Svvenckfeldius libro de duplici statu Christi art.17. ait, *postquã Christus in cælum ascendit, humanam naturam conuersam esse in diuinam.*

1550. Ioannes Brentius in Recognitione doctrinæ suæ, de Christi maiestate fol.167. *Postquam Christus absoluit externum spectaculum ascensus sui vsque ad nubes, non est pueriliter cogitandum, quòd progressus sit physico & corporali modo à nubibus vsque ad fictitium illud cælum, quod empyreum vocant, vt commoretur in eo illa semper forma, qua visibiliter in monte Oliueti ascendit, &c. Sed sciendum est, quòd deposita forma, non quidem illa essentiali, qua homo verè est, & semper homo manet; sed accidentali, quam in externo ascensus spectaculo ad tempus* οἰκονομικῶς *assumpserat, receperit formam Dei (quæ aliquando forma serui tecta fuerat) aut (vt significantius loquar) perrexit omni cælesti sua maiestate, quam habuit, frui. Hoc enim verè est, Christum esse in cælo, videlicet non in fictitio cælo, corporali, seu Physico modo commorari, & deambulare, sed in omni cælesti gloria, tam in hoc corporeo cælo stellis insignito, quàm in hac tota terrarum vniuersitate versari, & omnia coram gubernare, &c.* Postea docet, *cælum, ad quod Christus peruenerit, esse ipsum Patrem cælestem.*

Fol.179. *Domus, de qua Christus loquitur apud Ioannem, non est cælum illud corporeum, & empyreum, quod fingunt consistere super hunc mundum. Hoc enim cælum in rerum natura non extat, &c. Domus Patris non est cælum empyreum, sed est cælum incorporeum ac spirituale, quod & cæleste regnum dicitur, & quod, vt dicebamus, nec locis, nec locorum spatijs seu interuallis, sed maiestate Dei definitur, &c. Cur Bullingere intellectum tuum verbo Dei captiuum non tradis? Absurdum videtur cælum esse vbique? multo quoque absurdius videtur, Diabolos quoque esse in cælo, & nugaris nescio quæ. Quis cupiat esse in cælo, in quo sunt cacodæmones? Nec cogitas quid tibi reddi possit. Quis cupiat cum Deo esse, qui est in inferno? Vbicunque Deus cum maiestate sua regnat, ibi est domus eius, quæ est cælum incorporeum, & spirituale, & cæleste regnum.*

1560. *Matthias Flaccus Illyricus libro de Ascensione Domini, & loco Petri Act. 3.* Quem oportet cælum susc ipere: *contendit Christum hominem non esse in cælo, vt in loco, sed potius cælum esse in Christo, cùm ipse sit vbique. Et ibidem vult Christum in die Ascensionis vsque ad nubes, & deinde non vlterius perrexisse in illa corporis forma visibili & circumscripta, sed quodammodo euanuisse, ita vt iam sit nusquam in illa forma aspectabili, sed vbique sit inuisibili maiestate.*

1560. *Ioachimus VVestphalus,* libello contra Ioannem à Lasko, *iniquum putat dictionem hanc* (Sursum,) *quasi locum esse explicandum, sed ait Christum ascendisse ad cælos, idem esse quod euanuisse.*

1576. Nicolaus Selneccerus in declaratione de Christi Persona & maiestate, articulo 3. *Christus ascendit ad cælos: hæc ascensio non significat sursum aliquò conscendere, vti per scalas aut gradus fit, sed ascendere iuxta Scripturam designat, aliquem summum honoris gradum consequi, noua & immensa potestate potiri.*

Articulo 5. *Cælum hîc non significat firmamentum, aut certam sedem in summo cælo empyreo; sed quòd Dominus ascendit in cælum idem significat, ac si dicerem: Dominus cælesti gloria, potestate, maiestate, & dignitate potitus est.*

Concione de Ascensione Christi: *Ascendere significat summam dignitatem consequi, eamq; maiorem, quàm vlla creatura, vllus Angelus, aut homo omni sua sapientia, ratione, aut cogitatione assequi aut nosse possunt. Nôrunt docti, quòd cum verbum Alah, (quod ascendere significat,) de Deo aut diuina gloria, aut aliàs de cælestibus rebus, spiritibus, visionibus, & similibus vsurpatur, quòd primò idẽ valeat, ac si quis dicat euanescere, disparere, vt Ezechiel. 11.* Ascendit gloria Domini, *id est, disparuit. item:* Ascendit à me visio, *id est, disparuit. Hac significatione multi veterum ac recentiorum ab omni errore alieni simpliciter & rectè ascensionem Christi explicarunt.*

1578. Nathanaël Aelianus libro, quem inscribit Mattan Ia: *Christus modò non regnat in cælo, sed expectat regnum: Scriptura promittit Christo regnum hîc in terra, non in cælo. Christi ad dextram Patris sessionem dicit non esse, quòd eandem cum Patre potestatem obtineat, sed quòd in dextra Patris confidat, & auxilium ab ea aduersus hostes expectet. Sedere Christum dicit in cælo, non quòd illic regnet, sed quòd certus sit, quòd tandem re ipsa in terris sit regnaturus.*

ASSERVNT SACRÆ LITERÆ.

*Deut.*32. v.40. Leuabo ad cælum manum meam. *Chaldæus vertit:* Præparabo in cælum domum diuinitatis meæ, & dicam permanens ego in æternum.

*Cap.*33. 26. Non est Deus alius, vt Deus rectissimi: ascensor cæli auxiliator tuus. Magnificentia eius discurrunt nubes, habitaculum eius sursum.

*Psal.*67. 19. Ascendisti in altum, cepisti captiuitatem, accepisti dona in hominibus.

*Psal.*103. 3. Qui ponis nubem ascensum tuum: qui ambulas super pennas ventorum.

Amos 9. 6. Qui ædificat in cælo ascensionem suam, & fasciculum suum super terram fundauit: qui vocat aquas maris, & effundit eas super faciem terræ, Dominus nomen eius.

Chaldæus vertit: Qui posuit in robusto altissimo diuinitatem gloriæ suæ, & Ecclesiam suam super terram confirmauit, & dixit, vt congregentur velut multitudines, velut aquæ maris, & effudit nos super faciem terræ, Dominus nomen illius.

Marci 16.19. Dominus quidem Iesus postquam locutus est eis, assumptus est in cælum, & sedit à dextris Dei.

Lucæ 24.51. Et factum est, dum benediceret illis, recessit ab eis, & ferebatur in cælum.

*Actor.*1.9. Et cùm hæc dixisset, videntibus illis eleuatus est: & nubes suscepit eum ab oculis eorum.

*Actor.*3.21. Quem oportet quidem cælum suscipere, vsque in tempora restitutionis omnium.

*Actor.*7.55. Stephanus plenus Spiritu sancto intendens in cælum, vidit gloriam Dei, & Iesum stantem à dextris Dei.

*Ephes.*4. 10. Qui descendit, ipse est, & qui ascendit supra omnes cælos, vt impleret omnia.

*Philip.*3. 20. Nostra conuersatio in cælis est; vnde etiam Saluatorem expectamus, Dominum nostrum Iesum Christum.

*Colos.*3.1. Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, vbi Christus est in dextera Dei sedens.

*Hebræor.*4.14. Habentes ergo Pontificem magnum, qui penetrauit cælos, Iesum filium Dei, teneamus confessionem.

*Hebræor.*6. 20. Vsque ad interiora velaminis, vbi præcursor pro nobis introiit Iesus.

Symbolum Apostolorum:

Ascendit ad cælos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis. Inde venturus est iudicare viuos & mortuos.

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Clemens Romanus. 80.

Epistola 1. ad Iacobum: Filius Dei pro salute generis humani de cælo descendens, de Virgine nasci dignatus est, mortem pertulit, sepultus est, & resurrexit, & in carne ipsa ad cælos ascendens, ad dextram Dei Patris consedit.

Ignatius. 100.

Epistola ad Magnesianos: Christus mortuus est, & resurrexit, ascendit in cælos ad eum, à quo missus erat, sedetque ad dextram ipsius, qui venturus est in fine seculorum cum paterna gloria, vt iudicet viuos & mortuos.

Ad Smyrnenses: Post resurrectionem ostẽdit Dominus seipsum illis, quòd verè, & non per phantasiam resurrexerit, & cum illis comedit & bibit per quadraginta perpetuos dies, & ita cum carne videntibus illis assumptus est ad illum, qui miserat eum, cùm ipsa carne venturus iterum cũ gloria & potestate.

Iustinus. 150.

Oratione ad Antoninum Pium: Quòd verò Christũ post resurrectionem eius à mortuis illaturus cælo fuerit Deus, atque ibi tantisper detẽturus, dum hostiliter aduersantes ei dæmones percutiat, & eorum numerus, qui boni atque probati esse ab eo prædicti sunt, expleatur: propter quos etiam nondum extremum decretum rerumq; consummationem fecit, Prophetæ Dauidis audite verba, quæ sunt huiusmodi: *Dixit Dominus Domino meo,* &c. Psal.109.

Egesippus. 160.

Lib.5. Historiæ: Iacobus Iustus clara voce respõdit: Quid me interrogas de Iesu filio hominis? Ipse sedet in cælo à dextris magnæ virtutis, & potentiæ Dei, & in nubibus cæli venturus est.

Irenæus. 180.

Lib.1.cap.2. Ecclesia per vniuersum orbem vsque ad fines terræ seminata, & ab Apostolis, & à discipulis eorum accepit eam fidem, quæ est in vnum Deum Patrem omnipotentem, *qui fecit cælum, & terram, & mare, & omnia quæ in eis sunt:* Et in vnum Iesum Christum Filium Dei, incarnatum pro nostra salute: Et in Spiritum sanctum, qui per Prophetas prædicauit dispositiones Dei & aduẽtum: Et eam, quæ est ex Virgine generationem, & passionem, & resurrectionem à mortuis, & in carne in cælos ascensionem dilecti Iesu Christi Domini nostri, & de cælis in gloria Patris aduentum eius.

Hippolytus. 220.

Oratione de Elcana & Anna: Tria annorum tempora præfigebantur in ipso Seruatore, vt quæ de ipso prædicta sunt ministeria peragerent, &c. In Pẽtecoste, vt præsignificaret regnum cælorum, cùm ipse primus cælos conscenderit, & hominem donum Dei obtulerit.

Ad Psal.23. Venit ad portas cælestes, & Angeli vnà cum eo incedunt: clausæ autem sunt cælorum portæ, nondum enim cælos ascendit. Nunc primùm videtur à cælestibus Potestatibus, ab Angelis, qui Saluatorem & Dominum præcurrunt: *Attollite portas Principes vestras, & eleuamini æternæ portæ, & introibit Rex gloriæ.*

Gregorius Neocæsariensis. 260.

Oratione in Epiphaniam Domini: Oportet me, *inquit Christus,* corporis mei lucernam sedentibus in tenebris & vmbra mortis accendere: oportet me cum carne illuc ascendere, vbi sum diuinitate: oportet me Adam in me regnantem ad Patrem adducere.

Eusebius Cæsariensis. 320.

Lib.1.cap.13. Cras, inquit Thadæus, referam quatenus Christus solus quidem descenderit, sed cum ingenti multitudine ad Patrem suum ascenderit: quo pacto ad dextram Dei cum gloria in cælis assideat.

Athanasius. 340.

Ad Adelphium contra Arianos oratione 5. Qui Verbum

carnem factum adorare nolunt, ingratos se exhibent eius humanitati: qui verò distrahunt Verbum à sua carne, nullam omnino redemptionem peccati, aut mortis euastationem existimant. Vbi (quæso) tandem nefarij seorsum per se inueniũt, illam carnem, quam Saluator noster Iesus Christus assumpsit, vt audeant dicere, non adoramus Dominum cum carne, sed disiungimus corpus, illiq; soli cultu inseruimus? Beatus certè Stephanus in cælis vidit Dominum à dextris stantem: Act. 7. Act. 1. Angeli item dixerunt discipulis: *Ita veniet quemadmodum vidistis eum in cælum proficiscentem.*

Oratione 4. contra Arianos: Certè in Actis Apostolorum scriptum habetur, quando vehebatur ab Angelis hominum more ascendens, efferensq; in cælum quam gestabat carnem, quo tempore discipuli hoc intuentes rursum percõtabantur, quando finis futurus esset, & quando eius aduentus expectandus.

Cyrillus Hierosolymitanus. 370.

Catechesi 14. Scio enim quòd progressus fidei docet te credere in resurgentem tertia die, & ascendentem in cælos, & sedentem in dextera Patris: quamuis autem meminisse te puto illius fidei seriem, nihilominus tanquam in transcursu mentionem facio dictorum. Recordare, quòd scriptũ Psal. 46. est apertè in Psalmo: *Ascendit Deus in iubilo.* Recordare, quòd & diuinæ Virtutes ad inuicem dicunt: Psal. 23. *Tollite portas Principes vestras,* &c. Memineris Psalmi Psal. 67. dicentis: *Ascendens in altum, captiuam duxit captiuitatem.* Memineris dicentis Prophetæ: *Aedificans in cælum ascensionem suam,* &c. Quando (*Iudæi*) tanquam Amos 9. impossibili ascensioni Saluatoris contradicunt, reduc in memoriam quæ de translatione Abacuc dicta sunt. Si enim Abacuc translatus est coma capitis portatus; quanto magis Prophetarum & Angelorum Dominus, de monte Oliuarum per nubem ascendẽs, propria virtute ascendere in cælum potentior erat? Dan. 14.

Epiphanius. 380.

Contra Herodianos hæresi 20. Et assumptus est Christus in cælum in ipso corpore & anima & mente, counitis his in vnam vnitatem, & vnam spiritualem substantiam: eaq; diuina effecta sedet in dextera Patris.

Contra Apelleianos hæresi 44. Si Dominus resurrexit, dic mihi ad quid faciendum post resurrectionem, si ipsum corpus rursum reliquit in quatuor elementa partitum, calidum ad calidum, frigidũ ad frigidum, siccum ad siccum, humidum ad humidum? Si enim excitauit ipsum vt rursus dissolueret, ergo fabulositatis hoc opus fuerit, & non veritatis. Excitauit autem ipsum Dominus noster Iesus Christus, & simul secum assumpsit corpus, quod in seipsum efformauit vnà cum anima & tota incarnatione perfectissimè. Consident enim iuxta Apostolicum sermonem, *Deus excitauit & collocauit eum in cælestibus,* velut testantur duo illi in vestitu splendido Apostolis conspecti, qui dixerunt: Act. 1. *Viri Galilæi, quid statis intuentes in cælum? Hic Iesus, qui assumptus est à vobis in cælum, sic veniet quemadmodum vidistis eum assumi.* Et vt ne detur tibi rursus occasio malitiei contra veritatem, post multum tempus assumptionis Saluatoris nostri, Stephanus sanctus Dei Martyr & testis, cùm lapidibus obrueretur à Iudæis, respondit dicens: *Ecce video cælum apertum, & Filium hominis stantem à dextris Patris:* vt ostendat ipsum corpus in veritate in spirituale resurrexisse, vnà cum Deitate Vnigeniti totum in spirituale vnitum, & in Deitatem counitum. Supernè est enim ipsum sanctum corpus vnà cum Deitate, totus Deus, vnus Filius sanctus Dei, sedens in dextra Patris.

In fine Ancoratus: Idem Christus passus est in carne, & resurrexit, & ascendit in cælos in ipso corpore, glorioſè sedens in dextra Patris, venturus in ipso corpore in gloria ad iudicandum viuos & mortuos.

Oratione de Ascensione Christi: Hodie Christus Dominus sydereos micantesq; luce cælos aperuit: hodie subtilissimas aëris partes velut solidum pauimentum calcauit. Hodie corpus è terra concretum supra cæli conuexa transtulit. Hodie nouum planeq; peregrinum spectaculum mundo ostendit: puta carnem nostram supra regium solium euectam.

Gregorius Nazianzenus. 380.

Oratione 49. quæ est Tractatus de Fide: Tertia quoque die resurrexit, non Deus in homine, sed homo potius in Deo: ascendit in cælos, obtulit Patri suo humanam illam, quam suscepit pro hominum salute, naturam, gratissimum munus.

Oratione 51. quæ est 1. ad Cledonium: Si quis sanctam carnem nunc depositam esse, nudamq; ac corpore vacuam diuinitatem esse, non autem cum assumpta parte, & esse, & venturam esse dixerit, præsentiæ illius gloriam non cernat. Vbi enim nunc corpus fuerit, nisi cum ea natura, à qua assumptũ est? Non enim iuxta Manichæorum deliria Soli impositum est, vt per dedecus honoretur: aut in aërem fusum & dissolutum est, vt vocis natura, & odoris fluxio, & fulguris cursus minimè consistentis. Vbi etiam illud ponemus, quòd ipse post resurrectionem contactus fuisse scribitur, aut ab ijs, à quibus confixus est, aliquando videbitur? Diuinitas enim per se oculorum obtutum fugit. Verùm cum corpore quidem, vt sentio, veniet: talis autem, qualis discipulis in monte apparuit, aut obiter ostensus est, diuinitate carnem superante.

Gregorius Nyssenus. 380.

Oratione Catechetica, c. 32. Christus eo quidẽ quod apparebat, in cælum ascendit; eo autem quod intelligebatur, erat vbique.

Homilia de Ascensione: Hodiernã celebritatem satis per se magnam Propheta Dauid maiorem efficit, dum illi gaudium è Psalmis appositè adiungit, &c. Hic enim excælsus Propheta supra seipsum egrediens, tanquam corporis onere nihil prematur, infert se cælestibus Potestatibus, & voces earum nobis exponit, cùm in cælum redeuntẽ Dominum ipsæ comitantes, Angelis, qui versantur in terris, quibusq; in humanam vitam ingressus commissus est, imperant ad hunc modum: *Tollite portas Principes vestras, & eleuamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ.* Et quoniam, vbicunque fuerit ille, qui in seipso omnia continet, pro suscipientium captu seipsum dimetitur (neque enim solùm inter homines homo fit, verùm etiam, dum inter Angelos versatur, ad illorum vocẽ sese demittit:) idcirco ianitores interrogant: *Quis est iste Rex gloriæ?* Respondent ipsis, demonstrantq; fortem & potentem in prælio, &c.

Ioannes Chrysostomus. 400.

Homilia 2. in Act. Apost. Quoniam oculi non poterant assequi celsitudinem vt viderent, vtrum in cælum ascenderet, an velut in cælum, vide quid fiat. Quòd idem Iesus esset, sciebant ex his quæ loquutus fuerat ad ipsos: quòd autem susceptus esset in cælum, ipsi deinde docuerunt Angeli. Eminus enim non potuissent agnoscere. Vides sic rerum esse ordinem dispẽsatum, vt non gererentur per Spiritum, verùm etiam nonnulla visu. Quamobrem nubes suscepit eum? Et hoc signum erat illum in cælum ascendere. Non ignis, neque currus igneus, quemadmodum factum est in Helia, sed 4. Reg. 2. nubes eum suscepit, quod erat cæli symbolum: quemadmodum dicit Propheta, *Qui ponit in nube* Psal. 103

ascen-

ascensum suum, &c. *Nubes suscepit eum.*) Rectè dictum est *eum:* Ipse enim conscendit nubem. Proinde Ephes. 4 *qui ascendit, ipse est qui descendit.* Hic verò mihi considera, quomodo partim quidem iuxta discipulorum intelligentiam loquantur Angeli, partim verò iuxta diuinæ naturæ dignitatem, tum quo pacto deinceps cogitatio videntium tollatur in altum, eo quòd illis secundi aduentus non mediocris cognitio data sit. Siquidem hæc verba: *Sic veniet:* perinde valent, ac si dicerent, cum ipso corpore veniet.

Sermone de Ascensione Domini: Quia longum spatium de terra tenebatur ad cælum, & oculorum acies portatum corpus ad illam altitudinem minimè poterat peruidere: sed ficut auem, si altiora postulat, deficiet aspectus inspicere, & noster oculus volatu vincitur celsiore: sic & Christi corpus quantò ferebatur ad summa, tantò oculos videntium aspectus imbecillitate incidebat, deficiente natura altiora conspicere: ideo stabant Angeli, iter cæleste monstrãtes, ne quis arbitraretur, quia tanquam in cælum ascendit sicut Helias, sed in cælum ascendit, qui eleuatus est à vobis ad cælum.

Homil. 5. ad cap. 2. ad Hebr. Reuera magnum, & admirabile, & plenũ stupore quòd quæ est ex nobis caro sedeat apud superos, & adoretur ab Angelis, & Archãgelis, & Seraphim, & Cherubim. Hoc sẽpè mente versans, stupeo, & mente excedo, & magna de genere humano visione apprehendo. Video enim magna & præclara præmia, & nostram naturam Deo esse magno studio.

Synesius. 410.

Hymno 9.

Tu verò alas agitans,
Cærulei cæli
Scandisti super dorsum,
In sphæriq; constitisti,
Intellectualibus purissimis:
Bonorum vbi fons
Silentio suppressum cælum.

Philo Carpathius. 420.

In Cãtica: *Exuimetunica.*) Potest hoc ad ipsam resurrectionem Sponsi referri, qui mortalitatem assumptæ carnis iam exuerat, & ab angustissimis terræ gressibus ad amplissima cælorũ spatia trãsierat. *Venter eius pixis eburnea.* Quare non absurdè venter Christi pixis eburnea dicitur, cùm mortalitas carnis ad immortalitatem atque gloriam æterni Patris per resurrectionem transfertur, ibiq; ad dextram collocatur secundùm illud. *Assumptus est in cælum, sedet à dextris Dei.*

Et ad finem: Fuge mi frater, fuge de hoc mundo ad Patrem illum æternum, quem nunquam deseris, abscede præsentia assumpti corporis, non spiritus ac gratiæ, qua semper es cum sponsa. Ipse enim dixit: *Non relinquam vos orphanos, sed vado, & venio ad vos: Vado* corpore, *venio* Spiritu, qui à me semper Patreq; procedit.

Cyrillus Alexandrinus. 430.

Lib. 9. in Ioannem cap. 31. Inaccessibile cælum erat hominibus prius, nec vllus vnquam hominum ante Christum cum sancto Angelorum consortio fuit: hunc ascensum postea nobis Christus præparauit, & iter fecit in cælum carni nostræ. In primitias enim mortuorum seipsum innouando, Deoq; Patri offerendo, primus homo visus in cælo est. Vnde cælorum Virtutes incarnationis mysterium ignorantes, magno affectæ stupore, cùm ascendere Dominum repentè vidissent, exclamabant: Isaiæ 63. *Quis est iste qui venit de Edom,* id est, de terra? quas non dimisit indoctas Spiritus sanctus, sed iussit, vt ei quasi Regi ac Domino cælestes portas patefacerent, dicens per Prophetam: *Attollite portas Principes vestras, & eleuamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ.* Viam ergo recentem ac viuam, vt Paulus ait, Dominus noster Iesus Christus nobis innouabit: *nõ in sanctuaria ingressus manufacta, sed in ipsum cælum, vt Deo pro nobis appareat.* Non enim vt ipse appareat Deo Patri, ascendit in cælos, qui & fuit, & erit, imò verò est semper cum illo, sed ascendit nunc, vt Deo Patri inaudito quodam pacto quasi homo appareat. Verbum humanitate olim nudũ, & nunc cum humanitate propter nos, & pro nobis Deo Patri apparens: vt cùm sit Filius Dei, verè homo etiam inuentus, audiet: *Sede à dextris meis,* & filiationis glóriam toti humano generi per seipsum adoptione largiatur. Vnus enim est nostrum, ac ideo Patri vt homo apparuit, atque apparet, vt nos, qui propter præuaricationem à facie Dei repulsi sumus ad faciem Dei rursus reducat. Psal. 23. Heb. 9. Psal. 109

Lib. 4. cap. 22. in Ioannem: Quòd si præter naturam caro mea in cælum conscendet, quid prohibet, ne similiter præter naturam viuificet?

De recta in Deum fide ad Reginas: Capite quòd Christus sit Deus, ex cap. 14. Ioannis: Ad Patrem se abire denuntiat, cùm tamen natura Filius sit, solusque omnia impleat. Abscedit itaque secundùm humanam naturam. At verò, licet vt homo in cælum assumptus sit: vt Deus tamen supplicum vota auditurum se promittit.

In Exegesi ad Acacium Episcopum de capro emissario: Ad cælum Vnigenitus Dei vnà cum carne sibi vnita redijt: eratq; nouum hoc in cælis spectaculum. Obstupuit enim sanctorum Angelorũ multitudo, cùm regem gloriæ exercituumque Dominum in forma humana cerneret.

Theodoretus. 450.

In Ezechielem Sectione 3. His ita dictis, inquit, recesserunt de ciuitate Cherubim gloriam Dei insidentem vehentia, steteruntq; super montem è regione Hierusalem. Est autem hic mons qui vocatur Oliuarum, vnde etiam secundùm carnẽ Saluator noster assumptus est. Meritò igitur eo quoque tempore, cùm & in humana figura apparuisset, duasq; in vna persona naturas ostendisset: & diuina quidem per ignem significata, humana verò per electrum declarata, lata contra Hierusalem sententia, in hunc montem proficiscitur, & inde redit in cælum: Etenim post crucem & mortem lata rursus contra Hierusalem sentẽtia, quia non relinquetur lapis super lapidem, qui non destruatur, in montem illum cum discipulis profectus, ab intelligentibus, & quæ cerni nequeunt Potestatibus latus in cælos assumptus est.

Tirus Bostrensis. 460.

Ad cap. 24. Lucæ: Postquam Christus bene discipulis precatus est, paululum progressus, subuectus est in cælum: vt vnà cum adiuncta sibi carne Patri assideat, simulq; regnum administret.

Ioannes Maxentius. 500.

In secunda fidei professione: Fatendum est Christũ mortuum sepultum resurrexisse, non secundùm diuinitatem, sed secundùm humanitatem: Deum cum ipsa carne ascendisse in cælum, sedisse ad dextram Patris, inde rursum cum ipsa carne in gloria venturum iudicare viuos & mortuos.

Procopius Gazæus. 530.

Ad Esaiæ cap. 2. Monti comparatus est Christi in terram descensus: quia mons est, qui in terram multum eminet, ipsaq; Domini caro, terra aliòquin naturæ communione existẽs, per eam quam habet cum Deo affinitatem sursum assumpta eleuataq; est.

Andreas Cretensis. 560.

Oratione de dormitione sanctissimæ Mariæ: Ipse magnus Pontifex Christus, qui cælos assumpta carne peruasit, quę habebat animam ratione præditam, & intelligentem, tanquam in templo suffit, & sacrificat, & sacrificatur, & offerens oblationes, offertur.

Anastasius Sinaites. 580.

Libro de Resurrectione: Est iterum vēturus eodem cum corpore Christus, futurus Iudex viuorum & mortuorum, ceu discipulis prænunciârunt Angeli, mirantibus super ascensu eius in cælum. Iuxta igitur Angelorum vocem vnà cum corpore quod resurrexit rursus aduenier, cum quo etiam nunc suo assidet Patri, eidem offerens ipsum nostræ conspersionis primitias.

In *Hexameron de quarto die:* Vidi solem super terram constructum, & ex duabus rebus compositum; nempe qui prius constat ex luce, & ex igne postea: Deinde post huiusmodi compositionem, & in hypostasi vnionem, in cælum è terra sublatum & restitutū, nihil aliud aspicio quàm Christum Dei Filium, cum carne in cælos assumptum.
Psal 18. Hic enim est sol, de quo scriptum est: *In cælo posuit tabernaculum suum,* hoc est, Verbi diuinitati vnijt suam carnem.

Hesychius. 590.

Lib. 5. cap. 16. Leuitici: Christus cum carne ascendens, & nostram in eo captiuitatem subleuauit, simul nos suscitans, & sedere faciens in dextra in cælestibus.

Sophronius Hierosolymitanus. 630.

Epistola ad Honorium: Christi ianuarum clausarum indetrectabilis ingressus, & in cælum à terra nimium admirabilis & corporalis ascensio, omnem humanum intellectum superant.

Ioannes Damascenus. 730.

Orthodoxæ fidei lib. 4. cap. 24. Resurrectionis diem celebramus, in qua nos Dominus Iesus vitæ author & Saluator ad hæreditatem ijs, qui spiritualem Deo cultum adhibent, promissam induxit: ad quam ipse præcursor noster ingressus est, cùm à morte ad vitam redijt, patefactisq; ipsi cælestibus portis, in Patris dextera corporeo modo consedit: quò nimirum ijs quoque, qui spiritualem legem seruant, aditus patebit.

Hymno de Ascensu Domini nostri Iesu Christi: Christum Dei & hominum Mediatorem Angelorum chori cum carne in cælis conspicantes, stupore corripiebantur, atque concordi voce triumphalem hymnum modulabantur, quoniam glorificatus est, &c.

Angelorum Ordines, ô Christe, humanam naturam vnà tecum ascendentem conspicientes, summa admiratione perculsi, sine vlla intermissione laudes tuas celebrant.

Nicephorus Constantinopolitanus. 815.

Epistola ad Leonem Tertium: Credo denique Christum assumptum esse in cælos, & ad dextram Dei Patris consedisse, & cum assumpto corpore non absque gloria, diuinaque maiestate olim denuò venturum esse.

Theophylactus. 900.

Ad caput 24. Lucæ: *Ferebatur autem sursum in cælum.* Helias enim quasi in cælum: (videdatur enim quasi in cælum ferri:) at Saluator in cælū ipsum præcursor omnium ascendit, vt ostendat conspectui Patris sanctam carnem, & confideat in cælis Patri. Et nunc adoratur natura nostra in cælo ab omni Angelica virtute.

Simeon Metaphrastes. 970.

In Encomio S. Martyris Georgij: Christi ad cælos Assumptio: quo quidem die humanam naturam nostram in seipso vnà cum Patre collocauit.

Oecumenius. 1050.

Ad cap. 1. Act. Ne turbētur discipuli, & veluti pereunte præceptore, & corpore illi diffluente, spe destituantur in posterum, qua expectandus erat, & propterea alius aliò dispergatur metu ac timore: ob hanc causam aduenium viri, & ascensum in cælis ipsis manifestantes, & corporis permanentiam ac salutem, his verbis, quibus dicunt: *Hic Iesus ita rursus veniet.*

Euthymius. 1080.

Ad Psal. 17. *In circuitu eius* dixit, quia intra ipsam carnem habitabat Deus, non tamen vt circumscriptus, sed vt omnipotens, ineffabili quodam modo illic permanens. Hoc autem dixit, vt ostenderet Christum simul cum carne in cælum assumptum esse: quodq; illuc ascensurus eam non deposuit, quemadmodum aliqui insipientes postea dixerunt.

Ad cap. 23. Lucæ: Quo pacto dixit Mariæ post resurrectionem, *Nondum ascendi ad Patrem meum?* quia tunc cum corpore nondum ascenderat.

Ad cap. 6. Ioannis: *Si videritis Filium hominis ascēdentem, vbi prius erat*) Loquitur de futura sui in cælum assumptione. *Ascendentem,* quoad humanitatem: *vbi prius erat,* quoad diuinitatem.

Constantinus Harmenopulus. 1180.

De fide orthodoxa: Christus tanquam Deus tertia die resurrexit in corpore corruptionis experte: cumq; se discipulis suis conspiciendum exhibuisset, in cælum cum corpore sursum abijt, eodem modo rediturus ad iudicandum viuos & mortuos.

Nicetas Choniates. 1200.

Orthodoxæ fidei lib. 4. hæresi 25. Quemadmodum Deus Verbum, antequam in cruce pateretur, carnem, quam sibi coniunctione & commixtione ineffabili coniunxerat, differentiæ expertem reddiderat: ita immortalitatis quoque participem resurrectione sua reddidit; neque ab illa quoquo modo seiunctus est, neque vnquam seiungetur, propter summam illam coniunctionem, duplicisque naturæ concursum, qui confundi nullo modo possit. Ita in cruce pependit, & carne passus est; ita è monumento prodijt; ita ianuis clausis à discipulis visus, eorundemq; digitis contrectatus est; ita in cælos ascendit, & consessus Paterni honore exceptus est, ita denique rursum venturus, & viuos cum incredulis iudicaturus est.

Nicephorus Callistus. 1300.

Lib. 1. cap. 36. Histor. Et cùm præcipua mandata & munera functionis Apostolicæ concionans exposuisset, benedictionemq; eis pro eo atque decebat, largitus esset, spectantibus eis lucidissima nube circumdatus in cælos sublatus est, & cum ea, quam receperat, accessione deificata reuersus ad dexteram Patris consedit.

Ioannes Cantacuzenus. 1360.

Apologia 2. De quonam Dauid dicit, quòd *altè supra cælos sit misericordia eius, & vsque ad nubes veritas illius?* & quòd *exaltatus sit supra cælos, & super omnem terram gloria illius?* Deus vbique est, & non est locus vbi Deus non sit. Hoc igitur citra omnem controuersiam dicit de homine, quem Filius & Verbum Dei assumpsit: qui antea quidem non erat in cælo, sed in terra; nunc verò subuectus est & exaltatus, & consedit à dextris Dei Patris: qui quidem in cælo est, super terram verò gloria eius.

Gennadius Scholarius. 1450.

Dialogo

Dialogo de via salutis humanæ: Credimus quòd Christus resurgens ascendit in cælum, & iterum venturus est cum gloria, vt iudicet mundum.

Siud, siue Sulaka. 1552.

In Fidei professione: Tertia die resurrexit è sepulchro vera resurrectione, & sublatus est post quadraginta dies cum eo corpore, cum quo surrexerat è sepulchro, & cum spiritu. Ascendit in cælum, & sedet ad dextram Patris sui.

Hieremias Pat. Constantinopolitanus. 1580.

Respon. 1. cap. 13. Honorabilia hæc dona in ipsum Dominicum transmutantur corpus, quod hæc omnia recipit, quod crucifixum est, quod resurrexit, quod ad cælos ascendit.

Liturgia Armeniorum.

In Symbolo: Tertia die resurrexit à mortuis. Et ascendit in cælum in eodem corpore in gloria Patris iudicare viuos & mortuos.

Gabriel Patriarcha Alexandrinus. 1595.

In confessione fidei: Credo & confiteor Christum verè mortuum, & sepultum, ex mortuis verè resurrexisse, & per quadraginta dies Apostolos docuisse de regno Dei, moxq; ad cælos ascendisse, sedereque ad dextram Patris.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Martialis. 100.

Epistola ad Burdegalenses cap. 2. Filius Dei resurrexit ante lucem die tertia, de loco, in quo eum sepeliri vidimus, & apparuit nobis, & lætificauit nos. Testes enim sumus, quia eum in cælum ascendere vidimus: nec tamen à cælis vnquam recessit.

Tertullianus. 200.

De resurrectione carnis, cap. 51. Sed pro omnibus iam stabit, quod in clausulam reseruauimus, etiam pro Apostolo ipso, reuerà maximæ inconsiderantiæ reuincendo, si tam abruptè, vt quidam volunt, clausis (quod aiunt) oculis, sine distinctione, sine conditione, omnem passim carnem & sanguinem à regno Dei extrusit, vtique & ab ipsa Regia cælorū, cùm illic adhuc sedeat Iesus ad dexteram
Mar. 16. Patris, homo etsi Deus; Adā nouissimus, etsi Sermo primarius; caro & sanguis, etsi nostris puriora; idem tamen & substantia & forma, qua ascendit, talis etiam descensurus, vt Angeli affirmant:
Ioan. 19. agnoscendus scilicet eis, qui illum conuulnerauerunt. Hic sequester Dei & hominum appellatus ex
1. Tim. 2. vtriusque partis deposito commisso sibi, carnis quoque depositum seruat in semetipso, arrhabonem summæ totius. Quemadmodum enim nobis arrhabonem spiritus reliquit, ita & à nobis arrhabonē carnis accepit, & vexit in cælū pignus totius summæ illuc quandoque redigendæ. Securæ estote caro & sanguis, vsurpastis & cælum & regnum Dei in Christo. Aut si negent vos in Christo, negent & in cælo Christum, qui vobis cælum negauerunt.

Libro 5. contra Marcionem, cap. 10.

Tertia namque die subiens cum corpore victor,
Immani virtute Patris, vita facta salutis,
Inq; creatura portans hominemq; Deumq;,
Conscendit cælos, captiuas ille reducens
Primitias, munus Domino, caramq; figuram:
Consedit q; Patri lucis virtute recepta,
Gloria qua munitus erat, dum vinceret hostem,
Spiritu coniunctus, de nobis carne ligatus.
Hunc Pater & Dominū, & Christū, Regēq;, Deūq;,
Iudicio regnoq; dato, missurus in orbem est.

Cyprianus. 250.

De Ascensione Christi: Celebrata in cruce solenni victoria, cùm iam templum corporis sui, quod persecutio Iudæorum effoderat, Dominus reparasset: noluit statim ad Patrem ascendere, & glorificati corporis præsentiam inferre cælestibus; sed necessaria dispensatione discipulorum infirmitati consulens, vtiliter distulit: & quadraginta diebus in terra conuersatus, & visus est sæpè, & locutus cum Apostolis, & manducauit, & bibit, &c.
Actor. 1. Ad hoc dilata est Ascensionis gloria, vt sub hoc dierum interstitio præcedens doctrina affectibus firmaretur, imò vt discipulorum desideria recessionem eius corporalem ambirent; quia spiritalis præsentiæ plenitudo, quamdiu conspectu carnis præsens aderat, aduentare non poterat: & paulatim in hoc conducti sunt, vt libenter consuetudine conuictus assueti carerent: cùm inhabitator Spiritus sanctus eorum animas possidens, inuisibili accessu finceriores eis affectus infunderet, & aperiret interiores oculos ad intuendum intellectu puro Patrem luminum, & substantia re- Heb. 11.
rum sperandarum propositæ apparētia sepeliret: Mar. 16.
nec incertitudinis scrupulus superesset, cùm Dominus & Magister, quem verum hominem probauerant, eis videntibus cælum ascenderet: sed iam securi se crederent secuturos; nec esse impossibile, quin & ipsi in carne & spiritu ad superos trāsferrētur, &c. Eleuatis igitur manibus hæreditariam eis benedictionem relinquens, non manufacto vehiculo, nec auxiliaribus carpentis euectus est Christus: sed naturæ diuinæ propria vsus virtute, carnem cælo intulit, & corpus glorificatum Patris conspectibus præsentauit. Non indiguit vectoribus Angelis, qui offendicula tollentes è medio, ferrent eum in manibus: sed præcedentes & subsequentes applaudebant victori, & concinentes in iubilatione modulabantur canticum nouum, & implebat cælos consonantiæ illius harmonia: Thronis & Dominationibus parantibus Filio iuxta Patrem consessum, &c. Inuisibilem Deum visibilem Filium recepisse ad dexteram suam, manifestum est: & humilitatem carnis nostræ throno iudiciario honoratam paternæ complacuisse altitudini.

Tractatu de Idolorum vanitate: Tunc in cælum circumfusa nube sublatus est, vt hominem, quem dilexit, quem induit, quem à morte protexit, ad Patrem victor imponeret: iam venturus è cælo ad pœnam diaboli, & ad censuram generis humani, vltoris vigore, & iudicis potestate.

Victorinus Pictauiensis. 270.

In Apocalypsin: *Quoniam nec frigidus, nec calidus es.*) Satis autem & plenè satisfactū, quando Christus in corpore in cælos ad Patrem ascendit, &c. Nouum est, Filium Dei hominem fieri; nouum, eum corpore in cælos ascendere, &c. Dicimus Christum Filium ante originem seculi spiritualem apud Patrem genitum, hominem factum, & morte deuicta in cælos cum corpore à Patre receptum, effudisse Spiritum sanctum, donum & pignus hæreditatis.

Lactantius. 320.

Lib. 4. Institut. cap. 12. Christus suscepit hominis figuram & conditionem mortalem, vt doceret homines iustitiam: & cùm mandatis Dei functus, veritatem gentibus reuelasset, mulctaretur etiam morte, vt inferos quoque vinceret ac resignaret: atque ita demum resurgens, ad Patrem proficisceretur in nube sublatus, &c. Christum

autem post passionem & resurrectionem ascensurum esse ad Deum Patrem Dauid in Psal.109. contestatus est, his verbis: *Dixit Dominus Domino meo. &c.*

Cap. 21. Ordinata discipulis suis Euangelica ac nominis sui prædicatione circumfudit se repentè nubes, eumq; in cælum sustulit quadragesimo post passionem die, sicut Daniel fore ostenderat, dicens: *Et ecce in nubibus cæli, vt Filius hominis veniens, vsque ad vetustum dierum peruenit.*

Marius Victorinus Afer. 350.

Lib.4.aduersus Arium: Ac ne quis crederet de Christo carnali Christum ista dicere, & non de toto se, qui est Spiritus, anima, caro, quid ait? *Quòd si videritis Filium hominis ascendentem?* Quid est Filius hominis? Spiritus, anima, caro. Hæc enim habuit cùm ascendit, & cum quibus ascendit.

Ambrosius. 370.

Ad caput 4. Epistolæ ad Ephesios: *Qui descendit, ipse est qui & ascendit super omnes cælos.*) Hoc est, quod dicit Dominus: *Nemo ascendit in cælum, nisi qui descëdit de cælo, Filius hominis, qui est in cælo.* Quod quidem & in Psalmis continetur: Ait enim: *A summo cælo egressio eius, & regressus eius vsque ad summum eius.* Hic ergo descendens è cælis in terram, homo natus est: post mortuus descendit ad inferos, post tertia die resurgens, ante omnes mortales ascendit super cũctos cælos, vt illusam mortem ostenderet creaturæ.

Ioan 3

Psal. 18.

Philastrius. 380.

Hæresi 24. de Passione Christi: Sunt hæretici, qui circa passionem aberrant, dicentes: quòd in passione dimiserit Deus noster Christus carnem, & sic ascenderit in cælum, vt non sit iam in carne diuinitas: neque enim post passionem resurrexit in carne, neque cum carne ascendit, inquiunt, in cælum, cùm salus omnis hominum in passione carnis, & resurrectione, & ipsius ascensione in cælum confiftat, sine cunctatione nobis & credentibus vniuersis: cùm & Apostolis Angeli dixerint, pro nostra fide ac lætitia in actibus Apostolorũ: Quòd *sicut vidistis eum ascendentem in cælum, sic eum iterum sperate venturum de cælo.*

Actor. 1.

Damasus. 380.

In confessione fidei, quæ extat apud Theodoretum Histor. lib.5. cap. 11. Si quis negauerit Christum in carne quam sumpsit, sedere ad dextram Patris, in qua etiam venturus est ad iudicium, de viuis & mortuis exercendum, anathema esto.

In Symbolo: Qui deuicto mortis imperio, cum ea carne, qua natus, & mortuus, & passus fuerat, & resurrexit, ascendit ad Patrem, sedetq; ad dextram eius, in gloria, quam semper habuit, & habet.

Carmine de Christo:

Quin & supplicij nomen nexumq; subisti,
Vt nos surriperes letho, mortemq; fugares
Morte tua: mox æthereas eructus in auras
Purgata reparans lætum te luce, parentem
Augustum foueas.

Hieronymus. 390.

Ad Psal. 67. Ascendisti in cælos, captiuasti nos, qui captiui tenebamur à diabolo. Qui quondam in Sinai descendens populo legem distribuit, ipse nunc in Sãcto, id est, in assumpto homine, (de quo Angelus ad Mariam: *Quod nascetur ex te sanctum vocabitur.*) cælorum excelsa conscendens, eos, qui in captiuitate diaboli tenebantur, absoluit; ac post se tanquam captiuos deductos æternæ vitæ restituit.

Lucæ 1.

Ad caput 3. Epistolæ ad Ephesios: Crux Christi non solùm nobis, sed & Angelis, cunctisq; in cælo Virtutibus profuit, & aperuit Sacramentum, quod antea nesciebant: Denique ad cælum cum corpore Deum reuertentem mirantur, & dicunt: *Quis est iste, qui ascendit de Edom, fuluida vestimenta eius ex Bosor: Hic formosus in stola candida?* Et in alio loco: *Quis est iste Rex gloriæ? Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ.*

Isaiæ 63

Psal.23.

Ruffinus. 390.

In Symbolum Apostolorum: Ascendit Christus ad cælos, non vbi Verbum Deus ante non fuerat; quippe qui erat semper in cælis, & manebat in Patre: sed vbi Verbum caro factum ante nõ federat. Denique, quia nouus iste ingressus portarum cæli ædituis & Principibus videbatur, videntes naturam carnis cælorum secreta penetrantem, dicunt ad inuicem, sicut Dauid Spiritu sancto plenus enuntiat: *Tollite portas Principes vestras, & eleuamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ. Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio.* Quæ vox vtique non propter diuinitatis potentiam, sed propter nouitatem carnis ascendentis ad dextram Dei ferebatur.

Psal.23,

In Apologia pro fide sua ad Anastasium: Christus in eadem ipsa carne resurrexit, quæ deposita fuerat in sepulchro: cum qua carne simul atque anima, post resurrectionem ascendit in cælos. Vnde & venturus expectatur ad iudiciũ, iudex viuorum & mortuorum.

Chromatius. 400.

Ad cap.6. Matthæi: In eo, quòd baptizato Domino cæli aperti sunt, monstratur, quia renatis in Baptismo cælorum regna paterent: quæ nobis Filius Dei in corpore ad cælum ascendens primus aperuit.

Augustinus. 400.

Epistola 57. ad Dardanum: Noli dubitare ibi nunc esse hominem Christũ Iesum, vnde venturus est: memoriterq; recole & fideliter tene Christianam confessionem, quoniam resurrexit à mortuis, ascendit in cælum, sedet ad dextram Patris, nec aliunde quàm inde venturus est ad viuos mortuosq́ue iudicandos. Et sic venturus est illa Angelica voce testante: *quemadmodum ire visus est in cælum,* id est, in eadem carnis forma atque substantia, cui profectò immortalitatem dedit, naturam nõ abstulit. Secundùm hanc formam non est putandus vbique diffusus. Cauendum est enim, ne ita diuinitatem astruamus hominis, vt veritatem corporis auferamus.

De Fide & Symbolo cap.6. Credimus Christum in cælos ascendisse, quem beatitudinis locum etiam nobis promisit dicens: *Erunt sicut Angeli in cælis:* in illa ciuitate, quæ est omnium nostrum mater Hierusalem æterna in cælis. Solet autem quosdam offendere, vel impios gentiles, vel hæreticos, quòd credamus assumptum terrenum corpus in cælũ. At gentiles plerunque Philosophorum argumentis nobiscum agere solent, vt dicant, terrenum aliquid in cælo esse non posse: nostras enim Scripturas non nouerunt, nec sciunt quomodo dictũ sit: *Seminatur corpus animale, surget corpus spirituale.* Non enim ita dictum est, quasi corpus vertatur in Spiritum, & spiritus fiat: quia & nũc corpus nostrum, quod animale dicitur, non in animam versum est, & anima factum. Sed spirituale corpus intelligitur, quod ita spiritui subditum est, vt cælesti habitationi conueniat, omni fragilitate ac labe terrena in cælestem puritatem ac stabilitatẽ mutata atque conuersa, &c. Sed vbi & quomodo in cælo sit corpus Dominicum, curiosissimum & superuacaneum est quærere, tantummodo in cælo esse credendum est. Non enim est fragilitatis nostrę cælorum secreta discutere, sed est nostræ fidei de Dominici corporis dignitate sublimia & honesta sapere.

Matt. 22

1.Cor.15.

De Symbolo ad Catechumenos lib.3.c.7. Quis est qui sedet ad dextram Patris? homo Christus. Nam in quantum Deus semper cum Patre & ex Patre.

Paulinus Nolanus. 420.

Epist.11. Mirum verò inter hæc, quòd in basilica Ascensionis locus ille tantùm, de quo in nube susceptus ascendit, captiuam in suà carne ducens captiuitatem nostram, ita sacratus diuinis vestigijs dicitur, vt nunquam tegi marmore aut pauiri receperit, semper excussis solo respuente, quæ manus adornandi studio tentauit apponere.

Epistola 43. de obitu Celsi:

Nos exempla Patrum, simul & præconia vatum,
Nos liber historiæ firmet Apostolicæ:
In qua corporeum remeare ad sydera Christum
Cernimus, & gremio nubis in astra vehi:
Et talem cælis reducem sperare iubemur,
Ad cælos qualem vidimus ire Patri.

Act.1.

Maximus Taurinensis. 430.

Homil.2.in solennitate Pentecostes: Prædã Saluator quodammodo sustulit, cùm hominem, quẽ suscepit, inferni raptum faucibus, portauit ad cælum, & alienę dominationis, id est, diabolicę potestatis seruum de captiuitate erutum duxit ad altiora captiuum: sicut scriptum est in Propheta: *Ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus.* Quàm bene triumphũ Domini Propheta describit? Solebat, sicut dicitur, Regum triumphantium currus captiuorum pompa præcedere. Ecce Dominum euntem ad cælos non præcedit, sed comitatur glorioſa captiuitas; nõ ante vehiculum, sed ipsa euehit Saluatorem. Quodam enim mysterio, dum Filius Dei filium hominis sustulit ad cælum, ipsa captiuitas portatur & portat.

Psal.67.

Proba Falconia. 430.

In centonibus:

His demum exactis, spirantes dimouet vmbras
Aëra per tenerum, cælóq; inuectus aperto
Mortales visus medio in sermone reliquit.
Infert se septus nebula, mirabile dictu.
Ast illum solio stellanti gloria cæli
Accipit, æternumq; tenet per sæcula nomen.

Eucherius Lugdunensis. 440.

In die Inuentionis Sanctæ Crucis: Descẽdit Christus de cælo, non locum mutando, sed se humiliando, & carnem suscipiendo: ascendit verò quantũ quidem ad humanitatem locum etiam mutando.

In die Pentecostes: Ad Patrem vado, sed vos non relinquo: maior est diuinitas, quæ nobiscũ remanet, quàm humanitas, qui cælos ascendit. Vadit igitur Christus ad Patrem per humanitatem, qui vbique est per diuinitatem.

Dominica 5.post Pascha: Mundum relinquit, & ad Patrem vadit, non secundùm diuinitatẽ, qua vbique est; sed secũdùm humanitatẽ, qua localis est.

Petrus Chrysologus. 440.

Sermone 61. Ascendit in cælum Christus, hominem ferens illò, vbi semper manſit.

Leo Primus. 450.

Sermone 1.cap.4. Magna reuerà & ineffabilis erat causa gaudendi, cùm in conspectu sanctæ multitudinis super omnium creaturarum cælestiũ dignitatem, humani generis natura cõscenderet, supergressura Angelicos Ordines, & vltra Archangelorum altitudinem eleuãda, nec vllis sublimitatibus modum suæ prouectionis habitura, nisi æterni Patris recepta confessu.

Sermone 2. de Ascensione Domini, cap. 2. Dominus noster Iesus Christus, quadragesimo post resurrectionem die, coram discipulis elcuatus in cælum, corporalis præsentiæ modum fecit, mansurus in Patris dextra, donec tempora multiplicandis Ecclesię filijs diuinitus præstituta peragantur, & ad iudicandos viuos & mortuos, in eadem carne, in qua ascendit, aduenial.

Sedulius. 460.

Lib.4. Paschali:

Hæc vbi dicta pio Dominus sermone peregit,
Bethaniæ mox arua petit, coramq; beatis
Qui tantum meruêre viris spectare triumphum,
Aetherias subuectus abit sublimis in auras.
Ad dextram sedet ipse Patris, totumq; gubernat
Iure suo, qui cuncta tenens excelsa, velima;
Tartara post cælum penetrat, post Tartara cælum.

Vigilius Tridentinus. 480.

Lib.3.contra Eutychen: Quòd Verbum, quia incarnatum (quod est carne indutum) homo esse voluit, nudum & vacuũ ad Patrem, à quo fuerat missus, reuerti non potuit Sed in eodem quo indutus est corpore, cælestia penetrauit Et ideo cùm Pater vacuũ ad se dicit non posse reuerti, quia nefas est ex quo in Virginis terram descendit, nudũ eum & hominẽ vacuũ confiteri, id est, absq; humani corporis natura, solam eius asserere Deitatem.

Lib.4. Si Verbi & carnis vna natura est, quomodo cùm Verbum vbique sit, non vbique inueniatur & caro? Namque quando in terra fuit, non erat vtiq; in cælo. Et nunc quia in cælo est, non est vtiq; in terra, & in tantum non est, vt secundùm ipsam Christũ spectemus venturum de cælo, quẽ secundùm Verbum nobiscum esse credimus in terra. Igitur secundùm vos, aut Verbum cum carne sua loco continetur, aut caro cum Verbo vbiq; est, quomodo vna natura contrarium quid & diuersum non recipit in seipsa? Diuersum est autem, & longè dissimile circumscribi loco, & vbiq; esse: & quia Verbum vbiq; est, caro autem eius vbiq; non est, apparet vnum eundemq; Christum vtriusq; esse naturæ, & esse quidem vbiq; secũdùm naturam diuinitatis suæ, & loco contineri secundùm naturam humanitatis suæ.

Gelasius. 490.

De duabus in Christo naturis contra Eutychen: Si in Deitatem, vt putant, humanitate transfusa, vel ex omni parte translata defijt esse humana substantia: ergo vt humanitatis forma sine sui proprietate cessauit? Si dicunt in nuda deitate humanæ formæ lineamenta constare, quid aliud quàm Anthropomorphitas conuincuntur inducere? quos dudum Catholica talia somniantes damnauit Ecclesia. Nam si & substantia & forma hominis Iesu Christi hac transfusione consumpta est, quis est quẽ vidit ad dextrã virtutis stantem S. Stephanus? Quis hominis Filius venturus est ad iudicandos viuos & mortuos? quis erit quẽ videbũt, in quem compunxerunt? Abolitũ est omne mysteriũ, vacuatum est resolutumq;, vt dictũ est, quod absit, omne sacramẽtũ; falsumq; erit, quod ait ipse Saluator: *Palpate & videte, quia spiritus carnẽ & ossa nõ habet, sicut me videtis habentẽ.* Et certè hoc post resurrectionẽ dixit, talis iam dixit, qualis cum discipulis per quadraginta dies cõuersatus est, conuescens, & cohabitans cum eis: Talis dixit, qualis ascẽdit in cælum: Talis dixit, qualis promissus est inde esse vẽturus. Aut legant ipsi vbi, posteaquã de se illa professus est, fuerit immutatus, & aliter quàm se discipulis patefecit, ascenderit leuatus in cælum.

Fulgentius. 500.

Ad Thrasimundum Regem lib. 2.c.18. Istam Christi veram humanitatẽ, quæ localis est, vt verã diuinitatẽ, (quę immẽsa semper est,) Apostolica quoq; nobis doctrina cernimus intimari. Nã vt Christi veri hominis corpus localiter contineri, Paulus monstraret Apostolus, ait ad Thessalonicenses:

1.Thes.1. *Quomodo conuersi estis ad Deum à simulachris, seruire Deo viuo & vero, & exspectare Filium eius de cælis, quem suscitauit à mortuis Iesum,* ipsum vtiq; monstrans corporaliter de cælo venturum, quem corporaliter à mortuis nouerat suscitatum. Propterea rursus ait: *Nostra autem conuersatio in cælis est: Vnde etiam Saluatorẽ exspectamus Dominum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, conforme corpori claritatis suæ, secũdùm operationẽ, qua potest etiam subijcere sibi omnia.* Interim attẽdatur hic locus, in quo Apostolus Filium dicit, omnia sibi posse subijcere, ne Pater existimetur cuncta tanquam inualido subiecisse, dicit etiam *corpus humilitatis nostræ* reformaturum *conforme corpori claritatis suæ.* Quod si verum est corpus Christi, loco potest vtiq; contineri. Hãc veritatem corporis Christi de cælo venturi, Ioannes quoq; confirmat, dicens: *Ecce veniet cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum compunxerunt.* In libro quoq; Actuum Apostolorum, sic eius corporalis intimatur ascensus: *Et cùm hæc dixisset, videntibus illis eleuatus est, & nubes suscepit eum ab oculis eorum.* &c. Cùm ergo caro Christi localis absq; dubitatione mõstraretur, diuinitas tamen eius vbiq; semper esse, Paulo testante, cognoscitur, qui fidelibus dicit: *An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Christi?* Quomodo autem in eo loqui potuit, si in illo non fuit? vel quomodo corporaliter ascendit in cælum, & in suis fidelibus esse prędicatur in terra, si non est in illo diuinitatis immensitas, quę cælum implere possit & terram?

Phil.3. Apoc.1. Actor.1. 2.Cor.13.

Lib.3.c.34. Idem atq; inseparabilis Christus secundùm solam carnẽ de sepulchro surrexit: idem atq; inseparabilis Christus secundùm totũ hominem, quem accepit terram localiter deserens, ad cælum ascendit, & in dextris Dei sedet: secundùm eundem totum hominem venturus ad iudicandum viuos & mortuos.

De Incarnatione & gratia Christi c.10. Christus, qui est super omnia Deus, videntibus eum discipulis carne in cælum, carne de cælo venturus ascendit: qui nec deseruit cælum, cùm in terra carnem accepit; & carne conscendens in cælum, suos in terra diuinitate non deserit.

Arator. 540.

In historia Apostolorum lib.1.

Arua Deus petijt, homo sydera, quis datur illi
Aethereа de parte fragor, quantumq; resultant
Cælestes in laude chori, cùm Rector Olympi
Euehit excelsis, quicquid suscepit ab imis?
Ingrediensq; polum, carnis comitante trophæo,
Exuuias atri raptas de fauce profundi,
Lucis in arce locat, terrenosq; erigit artus.

Primasius. 540.

Ad cap.4. Epist. ad Ephes. Qui descẽdit cum anima in infernum, cum anima & corpore ascendit ad cælos, vt impleret omnia, quę scripta sunt.

Fortunatus. 570.

In explicatione Symboli: Dominus post passionem ad cælos ascendit, nõ vbi non erat Deus Verbum, qui semper in cælis est: sed vbi adhuc Verbum caro factum non fuerat. Vnde videntes Angeli carnis naturam cælos intrare, stupuerunt dicentes: Psal.23. *Quis est iste Rex gloriæ?* Nam & ipsum sedere mysterium est carnis assumptæ, & prouectum sedis non diuina, sed humana natura requirit.

Lib.2. Vitæ S. Martini:

Cùm sua carnalis raperetur ad astra figura,
Atque pijs plantis strauerunt flamina pennas,
Cùm pede pressa sacro seruirent aëra Regi,
Angelicis vectus manibus celer æthera calcans,
Ingrediens teneras, neque frangens gressibus auras,
Pendula planta volans, cùm nubila finderet, intrans
Remige pennigero, qua non facit aula sigillum:
Cùm Galilæus tunc spectantibus Angelus astans
Sic ait: Altithronum rediturum, qualiter ire
Vidistis, calumq; supra vestigia ferre.

Gregorius Magnus. 590.

Homilia 8. in Ezechielem: Is qui diuinitate est vbique, carne ad cælestia ascendit.

Homil.9. in Euangel. Quis iste homo est qui peregrè proficiscitur, nisi Redemptor noster, qui in ea carne, quam assumpserat, abijt in cælum?

Homil.29. in Euangelia: Redẽptor noster nõ curru, nõ Angelis subleuatus legitur: quia is, qui fecerat omnia, nimirũ super omnia, sua virtute ferebatur. Illò etenim reuertebatur, vbi erat: & inde redibat, vnde remanebat: quia cùm per humanitatem ascenderet in cælum, per diuinitatem suam, & terram pariter continebat & cęlum.

Homilia 30. in Euang. Quando non maneret apud eos, qui ascensurus cælum promittit, dicens: *Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi?* Sed Verbum incarnatum & manet, & recedit: recedit corpore, manet diuinitate. Matt.28.

Isidorus Hispalensis. 620.

De Summo bono lib.1.c.16. Christus in cælũ ascendens, discessit quidem carne, sed præsens est maiestate.

De officijs Ecclesiasticis lib.2.c.23. Profitemur ipsum Filium hominem natum, veraciter crucifixum, & tertia die resurrexisse, & cum eadem ipsa carne glorificata ascendisse in cælum, in qua & ad iudicium viuorum & mortuorum expectatur venturus.

Honorius Primus. 620.

Epigrammate de Christi Ascensione:

Luce videt Christum Petrus, quem nocte negauit,
Et cecinit Dominum pergere ad astra suum.
Territus Andreæ, orat: Miserere Magister,
In regnum Patris collige discipulum.
Iacobus expauit, hominem per nubila ferri:
Supponit scapulas, dat pia vota Deo.
Hæret ab aspectu tremulus per membra Ioannes:
Et turbatus, adhuc sic stetit vt placeat.
Quin sequimur te Christe? vocat sine voce Philippus:
Num proiectus ego, liber & implicitus?
Bartholomæe pedes Christi pendere tremiscis:
Et vis (si capias) tendere posse manus. &c.

Eucherius Gallus. 640.

In lib.3. Regum: Dominus Saluator, in quo solo fœdus pacis apud Patrem habemus, post resurrectionem ascendens in cælum, carnem, quã assumpsit ex Virgine, in Patris dextram collocauit.

Aldhelmus. 680.

Hymno in Christi Ascensionem:

Hymnos canamus gloriæ,
Hymni noui nunc personent:
Christus nouo cum tramite
Ad Patris ascendit thronum:
Transit triumpho gloriæ
Poli potenter culmina,
Qui morte mortem assumpserat,
Derisus à mortalibus.
Hunc ergo cuncti consonis
Diem feramus laudibus,
Victor petit quo fulgidi
Iesus Olympi ianuas,
Quo nobis ipse apud Patrem
Toros beatos præuius,
Ac mansiones plurimas
Parauit Auctor ætheris.

Beda. 700.

Lib.1. Regum cap.12. Reuersus est Dominus in cælum cor-

lum corpore semel ascendendo, peracto suæ dispensationis officio: reuertitur quotidie præsentia diuina, qua semper vbique totus, *pertingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter.* Ibi enim est caro, quam pro nobis induit, & glorificauit: ibi aula beatorum & Angelorum & hominum.

Alcuinus. 750.

De Diuinis officijs capite 24. de Ascensione: Ascensionis Dominicæ solennitas ideo celebratur, quia eodem die, post mundi victoriam, post inferni regressum ascendere memoratur ad cælos, sicut scriptum est: *Ascendit in altum, cepit captiuitatem, dedit dona hominibus.* Quæ festiuitas ideo per reuolutum annorum circulum celebratur, vt vnitas assumptæ carnis ascendentis ad dextram Patris in memoriam reuocetur. Cuius corpus ita in cælo esse credimus, vt erat quando ascendit. Quod & vox Angelica protestatur, dicens: *Sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cælum,* id est, in eadem carnis specie atque substantia: cui profectò carni immortalitatem donauit, naturam non abstulit. Actor.1.

Lib.3. de Trinit. cap.11. Totus Filius ex vtero beatæ Virginis carnem assumpsit, in qua crucifixus, & sepultus est; in qua resurrexit, & in cælum ascendit, & in dextra Dei sedet.

Ambrosius Ansbertus. 770.

Deut.32. iuxta Septuaginta *In Apocalypsin lib.5. cap.10.* De hac certè manu paterna voce dicitur: *Tollam in cælum manum meam, & iurabo per dextram meam:* ac si diceretur: Assumptam Verbo carnem ad cælos eleuabo, & per vtramque naturam, id est, Verbi & hominis, quæ futura sunt roborabo. Leuare igitur ad cælum manum Angelo, fuit Redemptorem nostrum sua virtute ad sedem paternam euehere carnem, quam ex Virgine assumpsit.

Paulinus Aquileiensis. 790.

Libro aduersus Felicem Vrgelitanum: Cùm naturam nostram, quam in se assumptam, in dextera Patris collocatam, ostendendo Patri incessabiliter manifestat, propitium eum nobis aduocatus noster quasi interpellando efficit.

Haymo. 820.

Dominica 4. post Pascha: Quamdiu Apostoli Deum hominem secum conuersantem, conuescentem, colloquentem habebant, eius præsentia delectati, minus ad sciendam diuinitatem mentis oculos erigebant. Postquam autem Dominicum corpus ad Patris dextram collocatum nouerunt, illò totum desiderium suum transtulerunt, quò caput præcessisse cognouerunt.

Dominica 5. post Pascha: Iterum reliquit mũdum, & iuit ad Patrem, quando expleto incarnationis suæ mysterio, humanam naturam, quam ex nobis assumpserat, in Patris dextera collocauit. Manens ergo cum Patre per diuinitatẽ, venit in mundum per humanitatem; & rediens ad Patrem per humanitatẽ, mansit cum electis per diuinitatem.

In die Pentecostes: *Hæc locutus sum vobis apud vos manens.)* De præsentia corporali dicit, per quam post modicum ab eis recessurus erat: cui simile est quod alibi ait: *Hæc sunt verba, quæ locutus sum ad vos, cùm adhuc essem vobiscum.* Quia ergo in articulo passionis hæc loquebatur, mansurus cum eis semper per diuinitatem, recessurus loquitur per humanitatem.

In die Ascensionis: Hodie patefacta est omnibus ianua regni cælorũ, quia homo à Deo assumptus ascendit super omnes Virtutes Angelorum.

Ad cap.4. ad Ephes. In anima quidem sola descẽdit ad infernum, & iterum in corpore & anima ascendit super omnes cælos.

Glossa Ordinaria. 830.

Ad cap.4. Epist. ad Ephes. Constat quòd secundùm humanitatem Christus ascendit, & descendit. Ergo secundùm humanitatem descendit; quia secundùm Deitatem, quę vbique est, nec descendit, nec ascendit: sed secundùm animam ad inferos descendit, secundùm corpus & animam ad cælos ascendit.

Angelomus. 850.

In Cantica Canticorum cap.8. Christus hinnulus propter varietatem virtutum dicitur, qui cum carne ad cęlos ascendit, cum ipsa versatus est in terris. Montes aromatum Angeli intelliguntur, super quos exaltatus est homo assumptus.

Rabanus Maurus. 850.

Libro 2. Institut. cap. 57. Hæc est fides, quam Doctores nostri tradiderunt, vt profiteamur Christum veraciter crucifixum tertia die resurrexisse, & cum eadem ipsa carne glorificata ascendisse in cęlum, in qua & ad iudicium viuorum & mortuorum expectatur venturus.

Hincmarus. 850.

In Encomio S. Remigij: Elias, vtpote homo purus, Angelorum subsidio, quo à terra tolli posset, egebat: & Dominus cum Apostolis loquens subitò videntibus illis eleuatus est, et sinon Angelico fultus auxilio, Angelico tamen comitatus obsequio, vereqúe est assumptus in cælum, Angelis quoque id ipsum attestantibus, qui illis dixerunt: *Hic Iesus, qui assumptus est à vobis in cælum, sic veniet.* Act.1.

Smaragdus. 950.

In Epistolam de Sabbato Pentecostes: Credunt etiam Christum in eodem corpore, quod de Virgine assumpsit, & passionem sustinuit, & resurrexit, ascendisse in cælum, & in eodem nunc esse, & ad iudicium venturum esse.

Pelegrinus Laureacensis. 970.

In Fidei confessione: Idem Saluator noster peracto resurrectionis triumpho, paternam sedem repetijt, à qua per diuinitatem nunquam recessit.

Fulpertus Carnotensis. 1000.

Epistola ad Adeodatum: Christus quia corpus suum, quod semel pro nobis offerebat in pretium, paulò post à nostris visibus sublaturus fuerat in cælum, ne sublati corporis fraudaremur præsenti munimine, corporis nihilominus & sanguinis sui pignus salutare nobis reliquit.

Samuel Marrochianus. 1000.

Libro de aduentu Messiæ cap.13. Valde timeo, Domine mi, quod hæc quę dicta sunt testimonia Prophetarum de illo iusto, &c; quòd scilicet ascendit in cælum, sicut dixit idem Propheta & alij: quod non conueniat Deo in essentia, siue in natura diuina, secundùm quam nec resurgit, nec exaltatur, nec sedet, nec descendit. Ex his, quæ dicta sunt, sequitur necessariò, quòd iam venerit ille iustus, cui naturæ corporeæ hæc prædicta, & similia poterunt conuenire. Si autem tibi videtur fortè durum credere, Domine mi, quòd homo corporeus ascendit in cælum, audi auctoritates & exempla, quæ mihi occurrunt de Scripturis nostris. Et super hoc dicit Dauid Propheta de illo: *Ascendit Deus in altum, & saluabit captiuitatem, dedit dona hominibus.* Dicit etiã in Psalmo 67. de Ascensione eius: *Iubilate Deo, & glorificate nomen eius, iter facite, qui ascendit de partibus Occidentis, Dominus nomen illi.* Adhuc dixit Dauid de illo: *Iubilate Deo, qui ascendit super cælum cæli ad Orientem.* Et de isto dixit Amos: *Dominus est, qui ædificauit in excelso sedem suam.* Et de ipso etiam dicit Dauid in Psalmo: *Ascendit Deus in iubilo, & Dominus in voce tubæ.* De ipso etiam dicit Azar Pro-

pheta cap.2. *Vidi hominem descendentem de corde maris, & peruenit vsque ad cælum*, &c. Nunc etiam exempla aliqua adducam de lege nostra, quia videtur etiam nobis multum conuenienscredere, quòd in corpore ascendit in cælū: & hoc est propter consideration**em**. Nam in Lege & in Prophetis inuenimus, quòd Deus verus & gloriosus assumpsit de terra, & eleuauit plures sanctos viros Patres nostros. Et si de istis non dubitamus propter eorum sanctitatem, & propter testimonium Scripturæ, quare dubitamus de Ascensione iusti in corpore & anima, cui magis Scriptura perhibet, quàm illis testimonium sanctitatis?

Leo Nonus. 1049.

Epistola ad Petrum Antiochenum Episcopum: Credo Christum die quadragesima post resurrectionem cum carne qua surrexit & anima ascendisse in cælum, & sedere in dextera Patris.

Radulphus Ardens. 1050.

Homilia de Ascensione Domini: Sed à quo eleuatus est? Nunquid Dominus tanquam impotens auxilio indigebat alieno, quo eleuaretur sicut Enoch, qui legitur translatus, & sicut Helias, qui legitur curru transportatus? minimè. Illi enim, tanquam puri homines, nec etiam per cælum aërium in paradisum terrenum per se transire poterant: Sed Redemptor noster, tanquam verus Deus, se in cælum empyreum sua eleuauit potentia. Eleuatus est igitur ipse homo à se Deo, &c. Quę causa, quòd discipuli tam attentè Dominum contemplabantur ascendentem? Multiplex erat: Tristitia, quoniam de eius corporali recessu, quem adeò diligebant, non poterant non cõtristari. Admiratio, quoniam supra modum admirabantur humanam naturam, primò sic humilimam, modò super omnes cælos sic sublimatam.

Algerus. 1060.

De Eucharistia lib.1.cap.15. Vt ergo & in cælo, & in terra omnipotentiam se habere Christus ostenderet, Deificum corpus suum cælo illaturus, & mũdo daturus, quod quantum ad humanam formam nobis abstulit, non minus tamen substantialiter & verè in Sacramento corporis & sanguinis sui nobis reliquit.

Anselmus. 1080.

Ad caput 6. ad Hebræos: *Incedentem vsque ad interiora velaminis, vbi,* id est, in quæ interiora & æternæ patriæ secreta *introiuit* secũdùm humanitatem Iesus, qui secundùm diuinitatem vbique semper est. *Introiuit* pro nobis, pro salute nostra, vt interpellaret pro nobis; sicut Pontifex Sancta Sanctorum ingrediebatur, vt rogaret pro populo: & introiuit præcursor pro nobis, vt nos post eum illuc curramus. Cursor, quia nulla culpa eum præpediuit: Præcursor & tempore & dignitate pro nobis introducendis.

Ad cap.9. Christus prior ascendens aperuit nobis ingressum cæli, vt animæ corporibus exutę possint illuc intrare.

Iuo Carnotensis. 1100.

Sermone de Ascensione Domini: Hodie caro illa, quæ de terris subleuata est, ad dextram Patris collocata est, quia omni creaturæ prælata est, & omnis Principatus & Potestas ante eam incuruata
Hebr.10. est. Hodie via noua, de qua dicit Apostolus, nobis initiata est, quia per carnem Christi aditus cæli, per quem nulla prius caro transierat, reseratus est, &c. Quia igitur temporali eius præsentia viduati sumus, ad æternam eius visionem intentione festinemus.

Petrus Alphonsus. 1106.

Titulo 11. *Moses:* Prohibet ratio ponderosam rem super leuem vel ascendere, vel sustineri. *Petrus:* Fides profectò mea est, quòd Christus in cælum ascenderit: Credo enim quia suæ virtus omnipotentię tanta sit, vt quocunq; modo factum fuerit, possibile fuit esse vt placuit, &c. Cùm Christi corpus post resurrectionem leuissimum & subtilissimum fuerit: quippe cùm in morte omnem ponderositatem & spissitudinem amiserit, cuius rei argumentum est, quòd vlterius nec cibo nec potu indiguit; cùm, inquam, tale fuerit, & Spiritum, id est, animam secum habuerit, & prætereà Deitatem, quæ omnibus carnis spiritibus, Mose Genes. 1. attestante, dominatur & præcellit, nunquid non in cęlum, cùm placuit, ascendere potuit? Item de Helia, cuius corpus nullam per mortem subtilitatem suscepit, & tamen coram discipulo suo Eliseo in altum ascendit, quomodo credis quòd rationabiliter & secundùm Physicam factum fuit? Cùm ergo corpus Christi, & per mortem subtile factum sit, & per hoc, quòd post resurrectionem necessitate aliqua nec manducauit, nec bibit, quin & Deitatis plenitudinẽ, quę super Angelos est, in se habuerit, cur ascendere in cęlum nequiuit?

Rupertus Tuitiensis. 1120.

Lib.4. in Apocal. cap.6. *Ascendit Deus in iubilatione, & Dominus in voce tubæ. In iubilatione* videlicet eorundem Apostolorum, quibus *videntibus eleuatus* Actor. 1. *est.* Nam *ipsi adorantes,* inquit Lucas, *regressi sunt in Hierusalem cum gaudio magno. In voce* autem *tubæ,* id est, cum testificatione prænuntiationis Angelicę, qua dictum est, *Sic veniet,* &c.

Bernardus. 1130.

Tractatu de gradibus humilitatis & superbiæ: Raptus est Paulus, raptus est Helias, translatus est Enoch, Redemptor noster legitur eleuatus, hoc est ex seipso leuatus, non aliunde adiutus. Denique non currus vehiculo, nõ Angeli adminiculo, sed propria virtute subnixum suscepit eum nubes ab oculis eorum. Cur hoc? An fessum iuuit? An pigrũ impulit? An cadentem sustinuit? Absit, sed suscepit eum ab oculis carnalibus discipulorũ, qui etsi Christum nouerant secundùm carnem, sed vltra iam non nosc**erent**.

Sermone 2. de Pentecoste: Quanta ascendentis gloria, cùm medius Angelorũm & animarum sanctarum ad Patrem deduceris, & triumphatrice palma cælis inuectus, susceptũ hominem in ipsa claudis diuinitatis identitate? Quis cogitet, ne dũ loquatur, quàm sit fructus terrę sublimis in consessu ad dextram Patris, quod vtiq; cęlestiũ oculos reuerberat naturarum, quod Angelicus intuitus contremit, non attingit?

Petrus Blesensis. 1160.

Epist. 83. Quadraginta diebus cum discipulis visibiliter conuersatus, eisdem comitantibus venit in montem Olueti, & *videntibus illis eleuatus est,* & ascendit ad Patrem, vt eum in Patris æqualitate credamus, atque in communi resurrectione viuorum & mortuorum expectemus.

Hildegardis. 1170.

In explicatione Symboli S. Athanasij: In eodem corpore ascendens ad cęlos iuit, ibiq; dominando sedet ad dextram Patris, quę saluatio credentis populi est, illis vitam tribuens, quos sanguine suo redemit.

Gotfridus Viterbiensis. 1170.

Parte 13. Chronicorum folio 294. Quòd Christus vsque ad Patrem ascendit in cælum: Ecce ostensum est, quomodo Filius hominis in nubibus cæli sublatus est, & vsque ad omnipotentem perductus. Videntes autem ętherea Potestates, carnem Christi in nubibus ascendentem, & portas cęli ingredięt**em**, dixerunt: *Tollite portas Principes vestras, & eleuamini*

portæ

portæ æternales, & introibit Rex gloriæ, &c. Dauid iterum dicit: *Ascendit in altum, captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus.* Captiuitatem ductam esse captiuam, intelligimus carnem Christi de terris assumptam, quam ipse Christus deuicta morte, duxit secum captiuam.

Parte 14. folio 341.

Montis Oliueti præcessio discipulorum,
Et quingentorum plus septuaginta virorum,
Conspiciunt Christi corpus inire polum.
In cælum saliens, dixit: pergatis in orbem.

Gillebertus. 1200.

Sermone 7. super Cantica: Christum ingredientem in orbem terræ, Angelicæ laudes inducunt, & triumphaliter regredientem cũ admirationis cantico dicunt: *Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra? Iste formosus in stola,* vtique carnis suæ. Esa. 63. Iure quidem *formosus in stola sua,* quæ sine commixtione concepta est, & de Virgine nata est; quæ in sepulchro dissoluta non est, & die tertia resuscitata, quadragesima in cælum assumpta, omni die (quod super omnia mirandum & amandum) in salutis cibum credentibus proposita.

Concilium Lateranense. 1215.

Cap.1. Christus descendit in anima, resurrexit in carne, ascenditq; pariter in vtroque, venturus in fine seculi iudicare viuos & mortuos.

Iacobus Vitriacus. 1220.

In die Ascensionis Christi: In hac festiuitate *magnificauit Dominus facere nobiscum, facti sumus lętantes.* Natura Genes. 3. enim humana, cui dictum est: *Terra es, & in terram ibis*: hodie mutata sententia super omnes cælos est exaltata, vt terra cælo præemineret, & humanitas glorificata cælos exornaret.

Alexander Alesius. 1240.

Parte 3. quæst. 23. membro 4. Sumendo ascensum & descensum propriè, sic secundùm idem descendit & ascendit: quia descensus eius propriè fuit ad inferos, & hic fuit secundùm animã: ascensus propriè secundùm animam & corpus. Vnde secũdùm humanitatem fuit vtrumque.

Memb.7. art.2. §.1. Ascensio Christi causa fuit gloriæ, quæ est in societate confruentium; & in hoc est magna gloria, & maximè in illo loco, qui plus participat de operatione Dei & gratia, vbi cõgregatę sunt beatæ animæ cum Angelis, & simul vident Deum: hanc enim gloriam adduxit ascẽsio. Et sic patet, quòd ascensio est causa nostræ beatitudinis siue ascensionis.

Albertus Magnus. 1240.

Ad caput 3. Ioannis: Ascendit secundùm quod homo; quia sic hominibus formam filiationis cõmunicauit, per quã in cælum exaltatur: descendit autem secundùm quod Deus; quia sic humana natura visibilis apparuit, vt hominibus formam daret diuinam.

Thomas Aquinas. 1250.

Parte 3. quæst. 57. art. 3. Prima origo ascensionis in cælum est virtus diuina. Sic igitur Christus ascendit in cælum propria virtute. Primò quidem virtute diuina: secundò virtute animæ glorificatę mouentis corpus prout vult.

Art.4. Inter cætera corpora glorioſa manifestũ est quòd corpus Christi maiori refulget gloria Vnde conuenientissimum est sibi, quòd sit super omnia corpora constitutum in alto. Et ideo super illud Ephes. 4. *Ascendens in altum,* dicit Glossa: loco & dignitate.

In compendio Theologiæ cap.240. Sicut de Filio dicitur, quòd est natus, passus, sepultus, & quia resurrexit: non tamen secundùm naturam diuinam, sed secundùm humanã: ita de Filio dicitur, quòd ascendit in cælum, non quidem secundùm diuinam naturam, sed secundùm humanam. Nam secundùm diuinam naturam nunquam cælo discessit, semper vbique existens. Vnde ipse dicit Ioannis 3. *Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, Filius hominis, qui est in cælo:* Per quod datur intelligi, quòd sic de cęlo descendisse dicitur, naturam assumendo terrenam, quòd tamen in cęlo semper permansit, &c. Et sicut ascendere in cælum conuenit Filio Dei, secundùm humanam naturam; ita additur alterum, quod conuenit ei secundùm diuinam naturam, scilicet quod sedet ad dextram Dei Patris. Hanc igitur ascensionem Christi confitemur in Symbolo dicentes: *Ascendit in cælum, sedet ad dextram Patris,* &c.

Richardus Mediauillanus. 1280.

Lib.3. dist.22. art.4. q.2. Christus ascendit vsque ad supremam partem supremi cęli; quia nobilissimum locatum debet esse in nobilissimo loco, quamuis ex dispensatione, & ad modicum tempus non sit inconueniens ipsum esse in minus nobili loco: Christus autem est nobilissimum locatũ. Ergo debet esse in nobilissimo loco, qui est superior locus cæli supremi. Sed quòd semper in illo resideat, ita quòd nũquam ad alium locum ad modicum tempus sese transferat, non affirmo. Cùm post sui ascensionem narretur aliquando aliquibus apparuisse in hac vita; nec habeo rationem cogentem, quòd nũquam ad aliam partem cæli sese transferat.

Richardus Pampolitanus. 1300.

In Symbolum Apostolorum: Ascendit super omnes cælos, vt adimpleret omnia, & ita ascendit super cælum aëreum, & supra sydereum, & supra aqueum, & supra empyreum: non quòd sit extra empyreum cælum, vel supra, quia ibi nullus locus, sed est in digniori parte & altiori cæli empyrei supra Angelos.

Durandus à sancto Portiano. 1310.

Lib.3. dist.23. q.7. Ascendere in cælum non potuit Christo conuenire secundùm naturã diuinam, sed solùm secundùm quam non fuit vbique; sed in certo loco continebatur, & vero motui subijci poterat; non sic autem secundùm naturam diuinam, quæ vbique est, & immutabilis.

Hugo Pratensis. 1310.

Sermone 58. Christus in vno momento propria virtute super omnes cælos, & peruenit ad magnũ cælum sanctæ Trinitatis, & hoc in quantum homo: quia in quantum Deus, semper fuit in illo magno cælo.

Nicolaus Lyranus. 1320.

Ad Psal. 67. *Deus in loco sancto suo.)* Hoc est in cęlo empyreo. Licet enim secundũ deitatem sit vbique per præsentiã, essentiã, & potentiam; in cælo tamẽ empyreo dicitur esse specialiter per gloriæ refulgentiã, secundùm etiam humanitatẽ assumptã est ibi, sicut est in loco proprio & determinato.

Ad cap.1. Act. Assumptus est de terra in cælũ in sua humanitate: secundùm diuinitatẽ enim, quæ necessariò est vbique, non conuenit ei de loco ad locum transire. Assumptus est autem tota Trinitate assumptionem illam faciente, quæ in omnibus effectibus principaliter operatur: etiam à seipso. Nam corpus glorioſum sic est in potestate animę, quòd obediunt ei ad nutum, ad motum localem.

Ludolphus Saxo Carthusianus. 1330.

Vitæ Christi parte 2. cap.72. de Ascensione Domini: Ascendit vsq; ad nubes ea forma, quam ante passionem habuit: susceptus autem à nubibus ea, qua in monte apparuit. Quasi in globo baiulæ nubis ascẽdit, non per modum vehiculi, & quasi ad ascendendum egeret ministerio Angelorum, vel nubis:

quia sua propria virtute ferebatur, sed per modum obstaculi, vt ab oculis mortalium non videretur. Ascendit ergo Christus, & per nubes cælos penetrans assumptus est in cælum æthereum seu empyreum, non virtute aliena, sed propria; tum ratione Deitatis, quæ omnia potest: tum ratione humanitatis gloriosæ. Quia corpus glorioſum obedit ad nutum animæ, quantum ad motum localem, per dotem agilitatis, quæ est in tali corpore. Vnde non curru, non Angelis subleuatus legitur: quia qui fecerat omnia, super omnia sua virtute ferebatur. Ascendit in cælum empyreum super omnes alios cælos: imò super omnẽ spiritum beatum, & omnem creaturam.

Ioannes Bromiardus. 1380.

In Summa Præd. cap. 25. Filius Dei egressus à Patre, & vltimo creaturæ vnitus, scilicet terræ; iterum die Ascensionis ad eundem Patrem redit, terram suo principio copulando & vniendo: & sic per egressum eius à Patre, & regressum eius ad eũdem, est circulus vniuersi completus & perfectus. Quia sicut in circulo vna parte descendente, ascendit alia; sic Deo descendente, homo ascendit.

Ioannes Gerson. 1420.

Sermone de Ascensione: *Ascendens Christus in altum, captiuam duxit captiuitatem.* Gaudium ingens, hodie chirographum nostræ damnationis deletum est. Quid ni? Hodie illa natura in cælum it, cui dictum ante fuerat: *Terra es, & in terram ibis.*

Laurentius Iustinianus. 1430.

De triumphali Christi agone cap. 28. Discipulos suos exhortando benedicens, & ad ætherа scandens, à terra eleuatus est. Ex huius igitur insueti ascensus intuitu, astantium discipulorum admiratione transfixa sunt corda; adeò vt suimet obliti, quid dicerent, ignorarent. Erat vtique prodigium hoc veneratione dignissimũ: ab ipso vsque tunc mũdi exordio minimè fuerat auditũ, vt mortalium quispiam absque vehiculo, & sine adiutorio, cælorum corporaliter secreta penetrasset. Præcesserat Enoch, solus tantùm in ista generatione iustus repertus, qui Angelorum fretus adminiculo, de hoc seculo, in deliciarum translatus extiterat locum. Heliam quoque in curru igneo ab aspectibus hominum legimus fuisse sublatum. Sed & Abacuc Prophetam nouimus in momento de Iudæa in Babylonem esse deductum. Horum neminem per seipsum, sed per Angelorum ministerium id egisse cognouimus. Solus Mediator noster ex virtute Verbi, alieno non indigens suffragio, in beatorum mansiones glorioſus intrauit. Hoc longè ante Citharœdus sanctus contemplans, aiebat: *Exaltare Domine in virtute tua: cantabimus, & psallemus virtutes tuas.* In virtute igitur propria, cernentibus Apostolis, alijsq; quàm plurimis, ferebatur in cælum, patenter quidem & pedetentim, ita vt intuentibus nulla ineſſet de ascensu eius ambiguitas: sursum autem progrediente illo, facta est in cælo lætitia singularis. Conuenit simul vniuersus Angelorum exercitus, vt ascendente Domino pariter obuiarent: *Ecce,* inquiunt, *venit ad templum sanctum suum dominator Dominus:* ipse glorioſæ humanitatis amictus pallio, atque captiuorum ingenti multitudine circumseptus, laureatus incedit.

Dionysius Carthusianus. 1460.

Ad caput 24. Lucæ: *Et factum est dum benediceret illis, recessit ab eis,* id est, eleuari cœpit corporaliter in aêre. *Et ferebatur,* id est, propria virtute ascendit in cælum, quod diuina virtute principaliter fecit, & item per dotem agilitatis. Vnde in Actibus dicitur: *Et cùm hæc dixisset, videntibus illis eleuatus est, & nubes suscepit eum ab oculis eorum.* Act. 1.

Gabriel Bielius. 1480.

In Canonem Missæ lect. 54. *Sed & in cælos.*) Non in aêrem, vt iret in Babylonem, vt Abacuc: nec in Paradisum terrestrem, vt Enoch & Helias: sed in cælos; non vnum tantùm, sed super omnes, vt dicit Apostolus: *Qui descendit, ipse est qui & ascendit super omnes cælos, vt adimpleret omnia.* Dan. 14. Per omnes namque cælos, in quibus beati resident, hoc est per omnes Angelorum choros ascendit, & in decimo Trinitatis cælo ad dextram Patris consedit: & sicut *à summo cælo egressio eius,* ita secundùm Prophetam, *recursus eius vsque ad summum eius. Glorioſæ.*) quia in corpore glorioso & immortali, in quo resurrexit, ad cælos ascendit. Ephes. 4.

Baptista Mantuanus. 1500.

Lib. 5. Fastorum capite de Ascensione:

Hæc post Paschа fuit lux quadrageſima, & ecce
Ante suorum oculos comitum, quos iusserat inter
Prandia ferre gradus, illuc rei istius ergo
Conuerso ad superos vultu, manibusq; supinis
Tollitur à terris, & in aëra surgit apertum,
Continuò nubes totum conuoluit amictu
Lucido, & auroram versus, qua dextera mundi est,
Et qua mane diem sol aureus inchoat almum,
Vertit iter, volucriq; fuga conscendit Olympum.
Transierat Lunam, summoq; sedebat in orbe
Mercurij, exspectans comites post terga relictos.

ASSERVNT IVDÆI VETERES.

Rabenus Haccados.

Libro, qui inscribitur, Reuelator secretorum: Versabitur Messias post resurrectionem suam cum iustis, qui audient præcepta eius quadraginta diebus, in figuram illorum quadraginta dierum, quibus erit in deserto ad affligendam animam suam, antequam eum occiderint. Et his peractis, ascendet in cælum, sedebit ad dextram Dei. Sicut dictum est Psal. 110. *Dixit Dominus Domino meo, sede ad dextram meam.*

R. Moses Hadarsan.

Ad illa verba Genes. 18. *Et apparuit ei Dominus in ilice Mambre.* R. Barachias in nomine R. Leui referauit, id est, exposuit hoc per id, quod scriptum est Psal. 17. *Et dabis mihi scutum saluationem tuam, & dextra tua confortabit, vel suscipiet me.* In futuro enim Deus sanctus & benedictus sedere faciet Messiam ad dextram suam, sicut dictum est: *Dixit Dominus Domino meo, sede ad dextram meam.*

Author Midras Thehillim.

Ad Psal. 17. R. Ioden in nomine R. Chia dixit: Futurum est, vt Deus sanctus & benedictus sedere faciat Regem Messiam ad dextram suam, sicut dictum est Psalmo 110. *Dixit Dominus Domino meo, sede ad dextram meam.*

ARTICVLVS SEPTIMVS.

CHRISTVM IESVM DEI AC MARIÆ FILIVM, VNICVM ESSE HVMANI GENERIS SALVATOREM: QVI SVA INCARNATIONE, OBEDIENTIA, PASSIONE, MORTE, DESCENSV AD INFEROS, RESVRRECTIONE, ET AD CÆLOS ASCENSIONE, PRO OMNIBVS OMNIum hominum peccatis satisfecit.

NEGANT.

Anno post natũ Christũ

32. *CRIBÆ & Pharisæi, propria iustitia confidentes, arbitrabantur Messiam ipsos non à peccatis, sed à Romanorum tyrannide liberaturum, & Hierosolymis terrestre regnum instituturũ esse. Hinc mater filiorum Zebedæi petebat, vt in eiusmodi regno alter filiorum ad dẽxtram, alter ad sinistram Christi sederet.* Matth. 20. *& Apostoli post resurrectionem dicunt:* Domine, num in tempore hoc restitues regnum Israel? *Act. 1.*

50. *Pseudoapostoli apud Colossenses dixerunt, Filium Dei non esse salutis authorem, sed per Angelos patere viam ad Patrem.* Colos. 2.

60. *Alexander & Hymenæus negârunt per Filium nos saluari.* 1. Timoth. 1.

80. *Menander dicebat, se esse eum, qui missus sit ab inuisibilibus pro salute hominum.* Irenæus libro 1. cap. 22.

150. *Bassus dixit, non sperari salutem, neque in Christi maiestate, neque in eius præsentia corporali.* Philastrius de hæresibus.

200. *Helchesaitæ librum quendam compoſuerunt, quem dicebant è cælo delapsum, qui eum audierit, eiusq; doctrinæ crediderit, remissionem consecuturum: eamq; remissionem esse diuersam ab illa, qua Christus dimisit peccata.* Eusebius lib. 6. cap. 31. Theodoretus lib. 5. hæreticarum fab.

630. *Mahometus* in suo Alcorano, *non Christum, sed se esse Saluatorem hominum somniat.*

1140. *Petrus Abailardus non ideo dixit Filium Dei fuisse incarnatum, vt hominem liberaret à peccato, sed vt instituereꝛ, charitatemq; suam ostenderet.* Bernardus Epist. 190.

1500. *Hermannus Rifuvich dixit, quòd Christus damnauit vniuersum mundum, & neminem saluauit.* Bernardus Lutzemb.

1520. Martinus Lutherus in confessione: *Si illud credam, quòd sola humana natura pro me passa est, Christus ille vilis, nec magni pretij Saluator est, imò ipse quoque Saluatore opus habet.*

1540. *Libertini in eo statuunt redemptionem nostram, quòd Christus solùm velut typus fuit, in quo cõtemplemur ea, quæ ad salutem nostram requirit Scriptura. Eò redit omnis eorum oratio, quòd Christus fecit & passus est, tantum comœdiam, aut histrionicam actionem fuisse in theatro exhibitam, qua mysterium salutis nostræ nobis figuretur. Cùm aiunt, Christum aboleuisse peccatum, sensus eorum est, Christum abolitionem illam in persona sua repræsentasse. Cùm dicunt, victam esse mortem: quia, inquiunt, Christus personam illam egit, qui eam patiebatur: in resurrectione verò facinus edidit ducis victoriam ab hoste referentis: Christum fingunt velut imaginem aut exemplar, in quo figurata sunt ea, quæ ad salutem nostram requiruntur: sed interim imaginantur, quod in ipso factum est, in nobis quoque factum fuisse.* Ioannes Caluinus instructione aduersus Libertinos cap. 17.

1550. *Andreas Osiander docẽs Christum Mediatorem iustificare hominem secundùm diuinam naturam tantùm, Christi passionis, mortis, & sanguinis meritum penitus euertit; & iustitiæ thesaurum, quem Christus moriendo in cruce comparauit, abiecit, atque negauit.* Caspar Vlenbergius causa 9.

1550. *Franciscus Stanckarus duas in Christo naturas Nestorij more diuidens, Christum non nisi secundùm humanam naturam Mediatorem docet.* Caspar Vlenbergius causa 9. & Confessio Mansfeldensium de hæresi Stanckariana.

1550. Carolus Molinæus in annotationibus ad collationẽ 4. Euangelistarũ: *Errârunt monachi, ac sacrificuli, Doctoresq; Papistici, vrgentes meritatum incarnationis, tum natiuitatis, tum tentationum, tum afflictionum Christi. Nihil hæc prodesse nobis poterant, sed sola mors Christi, à Deo acceptata est pro expiatione peccatorum nostrorum & iure vitæ æternæ.*

1550. Ioannes Caluinus lib. 2. Instit. cap. 17. *Equidem fateor, si quis simpliciter & per se Christum opponere vellet iudicio Dei, non fore locum merito; quia non reperietur in homine dignitas, quæ possit Deum promereri.*

1560. *Boquinus, Pincerius, & Clebitius docent Christum non esse pro omnibus omnium hominum peccatis crucifixum & mortuum, sed tantùm pro fidelibus, & pijs.* Heshusius contra Caluinum.

1570. *Hieronymus Zanchius* in Miscellanea doctrina *dictum 1. Ioannis 2. in quo asseritur, Christum esse propitiationem pro peccatis totius mundi, asserit interpretandum esse, pro electis vniuersis, per totum orbem dispersis.* Pag. 290. ait: *Sanguis Christi non est secundùm propositum Dei, & reipsa pro improbis & incredulis effusus, sed tantùm pro quibusdam multis, hoc est electis, & quidem pro omnibus istis multis.*

1570. *Simon Simonius* contra Schegkium lib. 2. fol. 24. *scribit Christum tantùm electorum gratia seipsum exinaniuisse, forma serui assumpta.*

1576. *Benedictus Aretius* parte 2. Problemat. fol. 868. *asserit, Christum non omnium hominum, sed tantùm electorum Redemptorem esse: Non enim Christum datum esse omnibus Redemptorem, nec Deum velle omnes homines saluare, sed tantùm omnium ordinum aliquos. Vasa enim iræ Dei Deum non velle saluare, & Deum volentem ac scientem excludere Iudam, Pharaonem, Caiapham, Herodem; nec esse eorundem, & omnium aliorum desperantium & damnatorum Christum Saluatorem.*

1570. *Franciscus Blandrata & Franciscus Dauidis contendunt Christum non propterea in hunc mundum venisse, vt esset Saluator & Redemptor noster tamquam Deus & homo.* Petrus Carolius libro de Trinitate.

1578. Nathanaël Ælianus in Matthan Ia: *Peccata nostra non dimittuntur per mortem Christi, eo sensu, quo hactenus traditum est. Christi enim mors non est pretium redemptionis nostræ, &c. Falsum esse constat, quòd Patres per Christi mortem saluati sint.*

1579. *Familiani, qui sunt de Familia amoris, docent Christum non esse Saluatorem mundi, sed merum hominem: hominem peccatorem à Deo alienatum, eius gratiæ & fauori restitui sola eiusdem Dei gratia, & misericordia, absque merito, aut medio sanguinis, mortis aut passionis Christi.* Stous in Elisabeth. pag. 1195.

1580. Christianus Francus lib. de Trinitate: *Christus non est Deus, creatura est, cuius beneficium nullum agnosco: Mediator, quem vos esse fingitis, non potest esse: quòd neque vt Deus, neque vt homo hoc officio fungi vnquam potuerit.*

ASSERVNT SACRÆ LITERÆ.

Isaiæ 53. v. 4. Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit: vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra: disciplina pacis nostræ super eum, & liuore eius sanati sumus.

Zachariæ 9. 11. Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua.

Matth. 1. 21. Vocabis nomen eius Iesum: ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum.

Matthæi 20. 28. Venit filius hominis dare animam suam redemptionem pro multis.

Ioannis 1. 29. Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.

Act. 4. 12. Non est aliud nomen sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri.

Rom. 3. 23. Omnes peccauerunt, & egent gloria Dei: Iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo Iesu, quem proposuit Deus propitiationem, per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem iustitiæ suæ, propter remissionem præcedentium delictorum.

Ad Tit. 2. 14. Qui dedit semetipsum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem.

1. *Pet.* 1. 18. Non auro vel argento redempti estis, sed pretioso sanguine quasi Agni immaculati Christi & incontaminati.

1. *Ioan.* 1. 7. Sanguis Iesu Christi emundat nos ab omni peccato.

1. *Ioan.* 2. 2. Christus est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi.

Apocalypsis 1. 5. Qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo.

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Ignatius. 100.

Epist. ad Smyrnenses: Nemo erret, nisi crediderit Christum Iesum in carne cõuersatum, & crucem illius cõfessus fuerit, & passionem, & sanguinem, quem effudit pro mundi salute, non assequetur vitam æternam, siue Rex fuerit, siue Sacerdos, siue Princeps, siue priuatus homo.

Ad Trallianos: Vos itaque mansuetudinẽ sumentes, estote imitatores passionum Christi, & charitatis, qua dilexit nos, qui dedit semetipsum pro nobis redemptionis pretium, vt sanguine suo nos repurgaret à veteri impietate, & vitam daret vobis, qui mox malitia vestra perituri eratis.

Dionysius Areopagita. 100.

Eccles. hier. c. 4. Sanctificat pro nobis semetipsum totius sanctitatis apex Iesus, omniqúe nos sanctificatione replet.

Polycarpus. 140.

Epistola ad Philip. Christus sustulit peccata nostra in corpore suo super lignum, qui *peccatum non fecit, nec est inuentus in ore eius dolus*, sed propter nos omnia sustinuit, vt viuamus in ipso.

Iustinus Martyr. 150.

Orat. ad Antoninum Pium: Nunc autem imperij vestri temporibus Christus ex Virgine homo natus, iuxta Patris consilium & voluntatem, propter salutem ei credentium nullificari, & passionem subire perseuerauit, vt moriens atque resurgens mortem vinceret.

De veritate Christianæ Religionis: Haudquaquam in balneum vos misit Esaias, vt ibi cædes & delicta alia ablueretis, quæ neque maris vnda satis sit vt lustret, purificetque, sed pro eo atque decet, hoc illud antiquitus salutare fuit lauacrum, quod eos est consecutum, qui pœnitentiam resipiscentes egerunt, nec amplius hircorum aut ouium sanguine, sed fide per sanguinẽ Christi, & mortem eius purificantur; quia ipsa de causa mortuus est.

Theophilus Antiochenus. 170.

Lib. Allegoriarũ in Matthæum: Ideo passus est Christus maledictionem, vt nos à maledictionibus liberaret: illudi se passus est, vt nos illusione dæmonum, qui in hoc mundo versantur, auferret: spineam in capite coronam accepit, vt sentẽtiam capitalem, quæ ex spinis peccatorum nobis debebatur, eriperet: aceto potatus est, vt acredinẽ, qua sanguis noster efferbuerat, in se susciperet, & ipse liberaret à passionis calice, qui nostris passionibus debebatur: expoliatus est, vt nuditatem parentum nostrorum operiret. In ligno suspensus est, vt ligni præuaricationem ligno suæ tolleret passionis: mortem quoque ad se venire permisit, vt eam aduersum se colluctantem dimicantemq; prosterneret: & quæ per serpentem regnum inuenerat, cum ipso serpente postea fieret captiua per Christum.

Irenæus. 180.

Lib. 3. cap. 22. Ipse Dominus erat, qui saluabat eos; quia per semetipsos non habebant saluari.

Lib. 5. cap. 1. Verbum potens, & homo verus, sanguine suo rationabiliter redimens nos, redẽptionem semetipsum dedit pro his, qui in captiuitatem ducti sunt. Et quoniam iniustè dominabatur nobis apostasia, & cùm natura essemus Dei omnipotentis, alienauit nos contra naturam, suos proprios faciens discipulos, potens in omnibus Dei Verbum, & non deficiens in sua iustitia, iustè etiam aduersus ipsam conuersus est apostasiam, &c. Suo igitur sanguine redimente nos Domino, & dante animam suam pro nostra anima, & carnẽ suam pro nostris carnibus, & effundente Spiritũ Patris in adunitionem, & communionem Dei, & hominum.

Clemens Alexandrinus. 200.

Lib. 6. Stromaton: Seruatoris opus est seruare & saluum facere: Quod quidem certè fecit, vt qui eos, qui in ipsum voluerunt credere, per prædicationem vbicunque essent, traxerit ad salutem.

Origenes. 230.

Homil. 24. in Numeros: Si non fuisset peccatum, non necesse fuisset Filium Dei agnum fieri, nec opus fuerat eum in carne positũ iugulari; sed manifestet hoc, quod *in principio erat Deus Verbũ*: verùm, quoniam introijt peccatum in hunc mundum, peccati autem necessitas propitiationẽ requirit, & propitiatio non fit nisi per hostiam pro peccato.

Tract. 2. in Matth. Homo quidem non potest dare aliquam commutationem pro anima sua, Deus autem pro animabus omnium dedit commutationem pretiosum sanguinem Filij sui. *Nec enim empti sumus corruptibili argento vel auro, sed pretioso sanguine Agni immaculati.*

Lib. 2. in epist. ad Rom. Sanguis Christi tam pretiosus fuit, vt solus pro omnium redemptione sufficeret.

Eusebius Cæsariensis. 320.

De Demonstratione Euangelica lib. 4. cap. 29. Verus Saluator ac Dominus noster Iesus, cùm ad nostram vsque descenderit seruitutem, peccata nostra sustulit, atque humanas sordes absterserit: & quæ illi in passione probra illata sunt, ex mansuetudine, charitate q; erga nos sua sustinuit. Quapropter Esaias sic ait: *Hic peccata nostra fert, & pro nobis est in dolore*, &c.

Lib. 10. in Præfat. Oportebat Agnum Dei, qui à Maximo Pontifice assumptus fuerat, pro reliquis cognatis agnis, & pro omni humano grege Deo victimam offerri.

Libro decimo capite primo. Multis patientibus & peccantibus membris, ipse quoque ratione consentientis sibi inuicem naturæ (quandoquidem cùm Dei Verbum esset, ei placuit & serui formam accipere, & communi omnium nostro domicilio copulari) patientium membrorum labores in seipsum assumpsit, & nostras valetudinis infirmitates suas fecit, & ex legibus humanitatis pro omnibus nobis & dolores & labores sustinuit. Cæterùm non modò rebus his gestis Dei Agnus, verùm etiam pro nobis tormenta passus, supplicioqúe affectus, quo ipse quidem dignus minimè erat, sed nos ipsi propter multitudinem peccatorum, vt peccata nobis dimitterentur, auctor exi- Gal. 4.
stit: vtpote qui pro nobis & mortẽ subierit, & verbera, & probra, & contumelias, quibus nos digni eramus; in seipsum transtulerit: & *execratio pro nobis factus, execrationẽ, quæ nobis debebatur, ad seipsum attraxit.* Quid enim aliud ille, quàm pro animis nostris pretium? Itaque ex persona nostra oraculum ait: *Liuore eius nos sanati sumus, & Dominus tradidit eum pro peccatis nostris.* Isaiæ 53

Synodus Nicæna prima. 325.

In Symbolo: Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cælis, & incarnatus est de Spiritu S. ex Maria Virgine: *& homo factus est*: crucifixus etiam pro nobis, *passus & sepultus est.*

Antonius Eremita. 330.

Epist. 2. In quo & creaturarum Genitor visceribus motus pro plaga nostra, quæ sanari non poterat, nisi per solam ipsius bonitatem, misit Vnigenitum nobis, vt per seruitutem nostram seruitutis assumeret formam, traderetq; se pro peccatis nostris. Et peccata quidem nostra humiliauerunt eum, sed *liuore eius nos omnes sanati sumus.* Isa. 53

Athanasius. 340.

De Natura humanitatis suscepta contra Apollinarem: Christi passio, nostra est impatibilitas; illius mors, nostra immortalitas; illius fletus, nostra lætitia; illius sepultura, nostra resurrectio; illius baptisma, nostra sanctificatio est; illius vibices, nostra est sanitas; illius disciplina, pax nostra. Ob pacem enim nostrã ille castigatus est: illius ignominia, nostra gloria: vnde gloriam petit in nostri gratiam.

Didymus Alexandrinus. 350.

De Spiritu S. lib. 2. Saluator Mediatoris & legati personam habet, ex qua Pontifex deprecatur pro peccatis nostris, saluans in sempiternum eos, qui per ipsum accesserunt ad Deum: quia semper viuens interpellat pro ijs Patrem.

Cyrillus Hierosolymitanus. 360.

Ad Constantinum Augustum, de signo Crucis in cælo apparente: Christus secundùm diuinas Scripturas

Hierosolymis mundi operatus est salutem, qui mortem quidem hic perpessus est, proprioque ac pretioso sanguine suo hominum peccata deleuit: vitam verò & incorruptibilitatem, spiritalem cælestemque gratiam credentibus omnibus præbuit.

Apollinaris Syrus. 365.

De Aetatibus hominum:

Infinita Dei viuit clementia Christi,
Qui sua suspenso promisit regna latroni,
Et promissa dedit: nos idem solus & vnus
Restituens cælo pretiosa morte redemptos,
Qui sanctum Domini nomen profitemur Iesu.
Nam Christi meritum, nam mors & gratia Christi
Mortales homines, semel à Plutone vocatos,
Vexit in aetheream super ardua sydera sedem:
Sicut adhuc merito seruemur oportet eodem,
Visere qui cupimus sperata gaudia lucis:
Visere qui cupimus sperati lumina cæli,
Quod cruor & Christi mors nobis vna reclusit.

Macarius Aegyptius. 370.

Homil.20. Tam grauiter lapsus est homo, vt nullus præter solum Dominum sanare possit. Huic soli possibile est: nam ipse veniens abstulit peccatum mundi.

Basilius Magnus. 370.

In Psal.48. Quid vsque tanti momenti est, quod poterit homo dare pro redemptione animæ suæ? Inuentum tamen est vnum pro omnibus simul hominibus dignũ pretium, sanguis Domini nostri Iesu Christi, quẽ pro nobis omnibus effudit. Quamobrem *pretio sumus empti.*

Gregorius Nazianzenus. 380.

Orat. 38. quæ est oratio Panegyrica in Christi Natiuitatẽ: An propterea paruus est Christus, quia propter te humilis, quia bonus ille pastor, qui animã suam pro ouibus ponit, ad errantem ouem venit, ad montes & colles, in quibus sacrificabas, & vagantem inuenit, & inuẽtam ijsdem humeris, quibus & crucis lignum sustulit, sublatamq; ad supernam vitam reduxit, subuectamq;, eodem, quo eas, quæ nunquam à grege aberrârunt, loco numeroq; habuit? Quia lucernam, hoc est, carnem suam accendit, & domum euerrit, mũdum scilicet à peccato repurgans, & drachmam, hoc est, regiam imaginem vitiosis affectibus obrutam, conquisiuit.

Orat.42. quæ est orat.2. in S. Pascha: In Christo exiguæ cruoris guttæ orbem vniuersum instauarunt, atque idem, quod lacti coagulum, hominibus præstiterunt, in vnum nos coniungentes & constringentes.

Epiphanius. 380.

Hæresi 55. Et primùm quidem seipsum obtulit, vt solueret sacrificium veteris Testamenti, cùm perfectius & viuens pro toto mundo obtulerit ipse victima, ipse sacrificium, ipse sacerdos, ipse altare, ipse Deus, ipse homo, ipse Rex, ipse Agnus, omnia in omnibus pro nobis factus, vt nobis vita omnibus modis fieret.

In Ancorato: Christus dedit semetipsum pro nobis vt liberaret nos ab omni iniquitate, & purgaret sibi ipsi populum acceptum, æmulatorem bonorum operum, deleto per dogmata contra nos chirographo, quod erat contrarium nobis.

Gregorius Nyssenus. 380.

De vita Mosi: Contritam naturam nostram in integritatẽ traduxit, qui languores nostros portauit, & sanauit ægrotos, posteaquam in pristinam pulchritudinem dirutas naturæ nostræ tabulas restituit.

Ad Olympiodorum monachum de perfecti hominis forma: Porrò cùm redemptionem esse Christum discimus, qui seipsum, vt nos redimeret, pretium dedit, ea voce intelligimus, eum tanquam mercedem cuiusq; animi, præbẽdo nobis immortalitatem, nos è morte à se per vitam coëmptos, propriam sibi possessionem effecisse.

Ioannes Chrysostomus. 400.

Homil.9. in epist. ad Rom. Quòd seruati fuerimus vel tanta in malitia victitantes, hoc verò summũ est argumentum eius, qui seruauit, erga nos beneuolentiæ: non enim per Angelos, aut Archangelos, sed per ipsum Vnigenitum seruauit: quo fit, vt ipsum hoc quòd salui effecti fuerimus, & quòd tales cùm essemus, salui tamen fuerimus effecti, tum autem quòd ea nobis salus per Vnigenitum obuenerit, nec simpliciter per Vnigenitum, sed per ipsius Vnigeniti sanguinem, infinitas nobis gloriationis corollas nectat.

Marcus Eremita. 400.

De his, qui putant se operibus iustificari, cap.20. Christus Dominus noster, cùm non essemus, nos fecit, & condidit, & peccato mortuos proprio sanguine suo mercatus est, & ijs, qui ita credũt, gratiam suam gratuitò largitus est.

Ioannes Cassianus. 420.

Lib.4. de Incarnatione cap.4. Vides ergo ad sanandos homines Verbum missum esse: quia licet per Christum sanitas data sit, Verbum tamen Dei in Christo fuit, quod per Christum cuncta sanauit.

Cyrillus Alexandrinus. 430.

Homil. Epheſi in Nestorium dicta: Impij hi hæretici perditionis sunt filij, & semen iniquum, vti qui Dominum, qui illos redemit, negent: *Empti enim* 1.Pet.2.
sumus pretio, non quidem corruptibili, puta *auro & argento, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati, & incontaminati Christi.* At quomodo vulgaris, nobisq; similis hominis sanguis nobis pretium exæquare potuit?

Exegesi ad Valerianum, de Verbi incarnatione: Qui corporis expers erat vt Deus, corpus sibi aptatum fatetur, quò eo pro nobis oblato, suo nos omnes liuore, iuxta prophetæ vocem, sanaret. Quo pacto autem vnus pro omnibus mortuus iustum pro Isaiæ 53.
omnibus pretium exoluere potuit, si perpessionẽ illam puri cuiuspiam hominis fuisse dicamus? Quòd si verò Verbum secundùm humanam naturam passum propriæ carnis perpessiones, quasi proprias in se transtulit, sibiq; vendicauit, tunc demum vnius mortem secundùm carnem omnium hominum vitæ præponderasse rectissimè asserimus.

Proclus Constantinopolitanus. 430.

Homil. de Christi Natiuitate: Humana natura propter peccata multis obstricta debitis tenebatur; neque, quod debebat, vlla ratione dependere poterat. Per Adamum namque omnes peccato quasi chirographum dederamus, omnesq; diabolus in seruitutẽ redegerat: Etenim corpore nostro permultis pathematis subiecto, veluti charta vsus, nostræ venditionis pretia ostentabat, passionũq; debitũ malignus ille falsarius, minitabundus ob oculos nobis ponebat, ac nos vniuersos ad supplicium cõdemnationemq; deposcebat. Erat itaque alterutrum duorum necessarium: aut vt oës propter condemnationem præcipites abirent in mortem: (omnes enim peccauerant:) aut certè, vt eiusmodi pretium penderetur, quod exactum debitum ad iustitiæ amussim exæquaret. A. qui homo, quòd peccati debito subiaceret, saluare se

non poterat: Angelus verò, quòd tantum redemptionis pretium ipsi non suppeteret, humanum genus redimere nequibat. Supererat igitur, vt ille pro omnium peccatis moreretur, qui nulli peccato obnoxius erat: Atq; vnica hæc restabat mali solutio. Ille itaque, qui vniuersam naturam ex nihilo produxerat, cuiq; nulla ad erogandum facultas deerat, vitam morti condemnationiq; addictis reperit tutissimam, mortisq; solutionem decentissimam: dum nimirum ex Virgine, modo, quem solus ipse nouit, humanam naturam assumit, assumptamq; in mortẽ contradit, eumq; in modum redemptionis pretium dissoluit, iuxta illud Pauli: *In quo habemus redemptionem per sanguinem ipsius, peccatorumq; remissionem.* O rem stupendam; immortalitatem, quam ipse habebat, per suam mortem alijs conciliat. Ephes.1.

Isidorus Peluſiota. 440.

Lib.2. epist.192. Qui passus est, salutem attulit; qui mortem oppetijt, excitauit: qui contumelijs affectus est, summo honore condecorauit; qui cruci affixus est, ab execratione eripuit; vel peccatum ac mortem in crucem sustulit.

Theodoretus. 450.

Quæst.9. in Numer. Solus Christus vt homo macula caret. Esaias proclamat: *Qui peccatum non fecit,* Isa.53.
nec inuentus est dolus in ore eius. Vnde factum est, vt aliena peccata assumeret, cùm propria non haberet. *Ille* siquidem *peccata nostra tulit, & pro nobis afflictus est.* Et Ioannes ille magnus: *Ecce Agnus Dei,* Ioan.1.
qui tollit peccata mundi. Propterea dicitur *inter mortuos liber,* tanquam mortem iniustè passus sit. Psal.82.

Ad cap.2. epist. ad Ephes. Ipse fuit pacis arbiter & conciliator. Ipse effecit, vt qui ex illis, & ex nobis credebant, in vnum corpus redigerentur: & fecit vt lex cessaret, quæ instar cuiusdã muri nos à nobis inuicem arcebat, prius autem inimicitias, quę nobis cum Deo intercedebant, sustulit, cùm suam carnem pro nobis dedisset pretium redemptionis.

Basilius Seleucius. 460.

Orat.1. de Verbi Incarnatione: Ob id ad magnum illud incarnationis mysterium Christus se demisit, vt per illum omnia tandem restituerentur, & sanarentur, per quem omnia semel facta fuerant.

Victor Antiochenus. 460.

Ad cap.15. Marci: Cur, inquit, vniuersorum Dominus & opifex nostri causa homo effectus, tantam ignominiam, tantaq; supplicia pertulit? Nobis ille assimulatus est, nostrasq; in se miserias, & cruces susceptit, quo naturam nostram per peccatum collapsam erigeret, & in pristinum dignitatis gradum denuò reuocaret. Commoda itaq;, quæ per illius cruciatus in nos defluxerunt, sunt permulta: ipse enim nostra pro nobis delicta exoluit, ipse peccata nostra tulit, ipse nostri causa & doluit, & gemuit.

Olympiodorus Monachus. 500.

Ad cap.9. Ecclesiastis: Christi virtus arma belli, hoc est diabolum tartareasq; phalanges euertit, omnesq; species suæ iniquitatis ad debilitatem redegit.

Andreas Cæsareensis. 500.

Ad cap.1. Apoc. Illum, inquit, decet honor, gloria, & imperium, qui ardenti charitate incensus, sua morte genus nostrum à mortis vinculis liberauit, sanguinisq; viuifici, & aquæ effusione à peccatorum sordibus nos abluit, ac in regium sacerdotium cooptauit.

Procopius Gazæus. 530.

In Exodum fol.290. Cùm Christus natura sit conjunctus Patri, si eius participes facti fuerimus per Spiritum, connectemur per ipsum quoque Patri, in diuinæ naturę societatem venientes. Nec aliter illi contenderunt in mortem, quam prius exercitati sanguine Christi, qui dedit semetipsum pretium redemptionis pro nobis, offerens carnem suam, vt irreprehensibile sacrificium Deo & Patri.

Paulus Apameorum Episc. 536.

Epistola ad Iustinianum Imp. Christus est caput Ecclesiæ suæ, quam proprio sanguine acquisiuit, redimens nos à morte, quam nobis superinduxit diabolus superbus per malignos suppositos sibi.

Iustinianus Imperator. 540.

Epist. ad Ioannem PP. Non homo aliquis pro nobis sacrificium dedit, sed ipse Deus Verbum, corpus suum pro nobis dedit, ne in hominem sit fides & spes nostra, sed in ipsum Deũ Verbum nostram fidem habeamus.

Anastasius Antiochenus. 580.

Lib.4. de Passione & impassibili Deitate Christi: Effusus est sanguis eius, qui multis redimendis sufficeret: forsan melius fuerit dicere omnibus; sunt siquidem & omnes multi.

Antiochus. 610.

In Exomologesi: Verbum tuum nulla prorsus aspergine peccati decoloratum, quem per tuæ viscera misericordiæ misisti, suum vt plasma reuocaret in viam, caro nostri causa factus, passus est crucifigi. Is aboleuit quod aduersum nos erat chirographum, peccatorum nostrorum factus propitiatio.

Sophronius Hierosolymitanus. 620.

Epist. ad Sergium Const. Pro hominibus Christus mori dignatus est, & pro eorum redemptione diuinum sanguinem fudit, & munus præ omni dignitate diuinius animam posuit.

Maximus Monachus. 640.

In capitulis Theologicis centur.1. c.11. Quoniam ego homo sponte transgressus sum mandatum diuinum, soliditatemq; naturæ meæ, spe diuinitatis demulcens me diabolus, detorsit ad voluptatem, per quã subministrata morte insultabat, triumphum agens ob naturam corruptam: propterea Deus factus est homo perfectus, natura nullatenus immutata, dempto peccato, (siquidem de natura non erat,) vt obiecto carnis alliciens, prouocaret draconem illum insatiabilẽ, inhiantem ad deuorandum carnem, quæ quidem illi toxicũ erat futura, & virtute deitatis in ipsa latẽtis prorsus illum deletura: humanæ verò naturæ remedium, ad recuperandam vi diuinitatis in illa reconditæ pristinam gratiam. Vt enim ille effuso malitiæ suę veneno in lignum scientiæ naturam, quæ gustauit, corrupit: ita etiam ipse volens deuorare carnem Domini, potentia Deitatis in ea latentis deletus est.

De charitate Cent.1. cap.71. Dominus noster & Deus Iesus Christus eadem charitate nobis ostensa, pro vniuerso humano genere passus est, & omnibus ex æquo spem resurrectionis gratuito largitus est.

Synodus Trullensis. 710.

In Præfatione: Christus dedit se pro nobis redemptionis pretium.

Ioannes Damascenus. 730.

Orthodoxæ fidei lib.4. cap.12. Quanquam omnis Christi actio, ac miraculorum editio præclara, & diuina, ac admirabilis est, nihil tamen est ex omnibus, quod tantam admirationem excitet, atque eximia ipsius crux. Neque enim vlla alia re

peccatum deletum, primi parentis peccatum extinctum, infernus spoliatus, resurrectio donata, vis contemnendarum rerum præsentium, atque ipsius quoque mortis, nobis concessa, reditus ad veterem beatitudinem comparatus est, paradisi portæ patefactæ sunt, natura nostra ad Dei dexteram considet, filij denique Dei & hæredes facti sumus, quàm crucis Domini nostri Iesu Christi beneficio. Siquidem hæc omnia crux præstitit.

Orat. de Transfiguratione Domini: Si in monte Thabor manssissetis, nequaquam, ô Petre, pollicitatio tibi facta exitum nacta fuisset. Non enim regni clauiger extitisses: non latroni paradisus patuisset: non superba, atque insolens tyrannis deleta fuisset: non Orci regia in prædam concessa fuisset: non Adamus saluti restitutus: non Eua redempta: non Patriarchæ, ac Prophetæ, & Iusti eximis inferni recessibus erepti fuissent: non denique natura incorruptibilitatem induisset.

De Dormitione Deiparæ: Totum illum primum Adamum, vt erat antequam à mãdato recessisset, illum, inquam, à peccato purum ac liberum, ob viscera misericordiæ tuæ, Domine, susceptisti, corpus videlicet, animam, mentem, ac naturales harum rerum proprietates: vt mihi toti salutem afferres. Atque ita Mediator Dei & hominum factus, inimicitiam sustulisti, eosq; qui à Patre tuo defecerant, ad eum adduxisti: quod à via deflexerat, in viam reuocasti: quod corruptioni obnoxium erat, ad statum corruptionis expertem traduxisti: res à te conditas, multos Deos colentes, errore liberasti: Dei filios homines effecisti: contemptos & infames gloriæ tuæ participes reddidisti: eum, cui ea pœna constituta fuerat, vt inferas terræ partes habitaret, supra omnem Principatum ac Potestatem extulisti: eum denique, qui ita mulctatus fuerat, vt ipsi in terram reuerti, atq; infernum incolere necesse esset, in solio regio in teipso collocasti.

Cosmas Hierosolymitanus. 740.

Hymno primo: Venit incarnatus Christus Deus noster, soluit multiplices catenas delictorum.

Hymno 2. Profundi aperuit fundum, & per aridam proprios trahit, & in ipso obruit aduersarios, fortis in bellis Dominus, quia glorificatus est. Adam corruptum reformat fluentis Iordanis, & draconum capita nidificantium conterit, Rex seculorũ Dominus, quoniam glorificatus est, sordem abstergẽs hominum hic purgatus in Iordane, quibus voluit assimulatus est, quod erat manens, eos qui in tenebris illustrãs Dominus, quoniam glorificatus est.

Elias Cretensis. 790.

Ad Orat. 1. Nazianzeni: Christus datus est nobis à Deo redemptio, vt nos, peccato venditos, in libertatem asserens, & quia pro totius orbis expiatione tanq; redemptionis pretium seipsum dedit.

Nicephorus Constantinopolitanus. 815.

Epist. ad Leonem 3. Credo rursum illum ipsum crucifixum esse, in nostra natura, hoc est terrena, secundùm quam terrestrem nostram massam susceperit, & factus est maledictum propter peccata nostra, quo suæ nos benedictionis faceret esse participes. Et carnis mortem ab improbis illatam patienter sustinuit, à quo mortis stimulum, id est peccatum in carne sua cõdemnaret, & destrueret eum, qui mortis habebat imperium, hoc est diabolum.

Basilius Imperator. 860.

Exhort. ad Leonem filium cap. 1. Crede Verbi Dei in humana carne inter homines conuersationem, per quam ab hostili iugo peccati mundus liberatus est, sicut Ecclesiæ matris docet institutio.

Theophylactus. 900.

Ad cap. 1. Matth. *Is saluabit populum suum à peccatis.)* Hoc loco interpretatur, quid significet Iesus, nẽpe Saluatorem: *Ipse* enim, inquit, *saluabit populum suum*; non solum Iudaicum, sed & gentilem, qui credere & fieri populus eius non addubitauerit. Quomodo autem saluabit? Num ab hostibus? minimè, sed à peccatis suis. Vnde manifestũ, Deum esse, qui nascetur: solius enim Dei est condonare peccata.

Ad cap. 1. ad Hebr. *Per seipsum faciens purgationem peccatorum nostrorum.)* Cùm locutus esset de maiestate diuinitatis Verbi, deinceps de cura ipsius, quam in homines per carnem gerit, disserit, quod multò maius est, quàm quòd omnia ferat. Duo autem hîc ponit, tum quòd mundârit nos à peccatis, tum quòd per seipsum hoc fecerit, & multis locis in hoc gloriatur, quòd per Filium ipsum hoc factum sit. Nam per crucẽ & mortem, quam sustinuit, ipse purgauit nos, nõ solùm, quòd mortuus sit pro peccato nostro, cùm ipse omni peccato vacaret, quodq; pœnas luerit, quibus ipse non erat obnoxius, ac solueret naturam, quæ simpliciter ob Adami peccatum ac transgressionem cõdemnata erat.

Ad cap. 9. Eam ob rem mortuus est Christus, vt nos mundaret, ac in testamento reliquit nobis condonationem noxæ, & paternorum bonorum fruitione Mediator factus Patris nostri. Pater enim noluit dimittere nobis hæreditatem, sed irascebatur, vt filijs contumacibus & abalienatis. Christus itaq; Mediator factus reconciliauit nobis ipsum. Quomodo? Quod nos oportebat pati, (mori enim debuissemus,) hoc ipse pro nobis sustinuit, nosq; dignos testamento reddidit.

Theodorus Abucara. 950.

Disput. 15. cap. 5. Iam mihi quinam sint hostes illi quinque edissere, à quibus nos Christus liberauit. *A.* Mors, diabolus, legis maledictio, atque cõdemnatio, peccatũ, & infernus. *B.* Quod ad mortem quidem attinet, eam Christi obedientia destructam esse dixisti: sic etiam quonam modo nos à diaboli seruitute liberârit: eloquere iam, qui nos à legis maledictione redemerit, factus p nobis maledictio? &c. *A.* Iusto suo iudicio Deus à nobis omnia illa exigebat, quæ in Lege scripta sunt, quę cùm soluendo non essemus, idcirco pro nobis Christus Dominus noster illa persoluit; & maledictionem, cõdemnationemq;, cui obnoxij eramus, assumpsit, vltroq; in se recepit, & quæ pati debueramus, illa ipse pertulit, flagellatus, sputis conspersus, percussus, colaphis cæsus, crucifixus, & pro nobis mortuus est.

Simeon Metaphrastes. 970.

In certamine Clementis Ancyrani: Ante omnia illa consideranda sunt, quemadmodum ipse effector vniuersæ creatæ naturæ & nostri generis opifex propter nos homo factus est, & cùm in terram venisset, conuersatus est cum hominibus. Cur non dico id, quod est maximũ, quòd pro nobis quoq; ingratis famulis Dominus morte est condemnatus, consputus, colaphis pulsatus, & postremò mortuus? Et hæc omnia ipse passus est propter nos, & propter nostram salutem, vt peccati solueretur tyrannis, vt prior tolleretur condemnatio, vt cæli portę nobis rursus aperirentur.

Euthymius. 1080.

Ad Matthæi cap. 20. Veni, vt tradam *animam* meam in *redemptionem pro multis*, qui serui facti erant diaboli. *Multis* autem dicit nunc pro omnibus. Frequenter enim Scriptura multis dicit pro omnibus. Itaque pro omnibus tradidit animam suam, omnesq; redemit, quanquam multi sua sponte in seruitute remanserunt. Quodam etiam modo animam suam tradidit Patri. Exclamauit enim moriens: *Pater in manus tuas commendo spiritum meum.* Atq; non à Patre, sed à diabolo detinebamur. Aduertendum est autem ad difficultatis solutionem omnem redemptionem siue pretium liberationis in alijs sitam esse, aut venire in potestatem eius, qui aliquos retinet, eosq; qui detinẽtur, per illius manum liberari: Pretiũ verò, quod à Christo datum est, vtpote differenti modo, & omni alio pretio supernaturalius, liberauit sanè eos, qui detinebantur: ipsum verò non venit in potestatem eius, qui illos retinebat, cùm illud non posset accipere. Patri autem hanc tradidit, tamquã animam Filij sui: ideò etiam quasi dato iam pretio, quamquam non potuerit illud tyrannus accipere, liberati sunt, qui detinebantur.

Luc. 23.

Michael Glycas. 1100.

Part. 1. Annalium: Quam ob rem indita est pellicano admirabilis hæc erga sobolẽ affectio? Cùm multò ante Dominus in hac aue vellet exprimere cuncta, quæ nobis acciderunt, quòd nimirũ paradisus conditus sit, quòd in eo collocati homines illi primi, quòd intellectilis ille serpens animi mortem eis conciliauerit, quòd opifex omnium Deus paterna beneuolentia velut erga filios motus, homo factus, omnia perpessus, tandem in crucem sublatus sit, quòd de latere suo sanguinẽ effuderit, verum vitæ riuum, ad primorum hominum instaurationem, qui veneno serpentis extincti fuerant; ipso rerum initio talem erga sobolem suam affectionem pellicano inseuit. Nam propterea per Dauidẽ multo ante verbis his vsus est. *Factus sum pellicano solitario similis:* Etenim pellicanus, est ipse Christus; nidus, paradisus; pulli, primùm conditi homines; serpens insidiator, ipse diabolus; virus serpẽtis, fraus diaboli; mors, à Deo diremptio atque separatio; paterna affectio, Dei Sermonis facta nostri causa naturæ humanæ assumptio; alarum supra pullos expansio, Christi in crucem sublatio; laterum pulsatio, diuini lateris punctio, &c.

Nicetas Choniates. 1200.

Orthodoxæ fidei lib. 3. cap. 40. Carnem assumpsit Deus Verbum, vt naturam peccato corruptam restitueret. Propterea vniuersam eam, quæ præuaricauerat, assumpsit, vt vniuersam sanaret.

In Annalibus, in Ioanne Comneno: In Palæstina Christus extensis in cruce manibus, naturæ nostrę ruinam suo casu erexit, & paruis guttis totum mundum vniuit.

Nicephorus Callistus. 1300.

Lib. 1. cap. 3. Dei Verbum principij expers, seculaq; præcedens: quandoquidem aliter fieri non potuit, vt hominum genus tãdem prorsus ab infusa ei liberaretur execratione, & pernitie, & ad immortalem illam, atq; beatam reduceretur vitam, postremis temporibus, natura & conditione nostra accepta, ea & fecit, & perpessum est, quę æquum erat Deũ facere, corpore in hac vita peregrè versantem.

Ioannes Cantacuzenus. 1350.

Apologia 2. Christus solus pro nobis passus est, ipse peccatum è medio sustulit, & ipse vulneratus est propter iniquitates nostras, vt illas deleret, & liuore illius nos omnes sanati sumus, morte eius sumus omnes viuificati, & resurrectione illius omnes vicimus, & cruce illius abolita est omnis diaboli tyrannis, mortisq; potentia.

Manuel Palæologus. 1400.

Oratione matutina Dei celebrationẽ continente: Pro omnib. morti te ipsum tradidisti, ac morte tua seruasti, quod in te quidẽ est, oẽs omninò homines.

Gennadius Scholarius. 1450.

De Sacrificio in Azymo sect. 4. Illud verò: *Desiderio desideraui hoc Pascha manducare vobiscum,* hunc habet sensum, quòd anno hoc, quo terræ salus futura erat, & mysteria tradi, ac cætera per mortem dissolui oportebat, eo pacto crucem animo voluebat, vt nihil aliud æquè in mente haberet, ac mori pro communi salute.

Moses Mardenus Assyrius. 1552.

In Professione fidei: Christus crucifixus pro nobis est, & redemit genus nostrum humanum.

Gabriel Patriarcha Alexandrinus. 1595.

In Confessione fidei: Vnigenitus Dei Patris Filius in plenitudine tẽporis, quàm diuinæ misericordię consilium inscrutabile disposuit, vt nos à peccato Adæ, ac cæterarum culparum nostrarũ sordibus mundaret, & à morte, & inferno liberaret, incarnatus est de Spiritu sancto, &c. Credo & profiteor nullum vnquam hominem ex semine Adæ conceptum & natum, fuisse saluatũ, aut fore saluandum, nisi per fidem Mediatoris Dei & hominum Domini nostri Iesu Christi, in sanguine & morte ipsius, qua nos reconciliauit æterno Patri, & deleuit chirographum iniquitatum nostrarũ, æterna redemptione inuenta.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Martialis. 100.

Ad Burdegalenses cap. 9. Et maximè viuimus per passionem Agni incontaminati, qui à Iudæis in cruce pro salute mundi passus est. Ipsius sanguis vulnera lauit animarum nostrarũ, quibus à morte fatigati, & per lignum vetitum, vsque ad passionem Domini, & mortificati, & consopiti, ineffabili dolore prosternebamur. Nunc autem ex quo resurrexit à mortuis, iam viui, iam immortales, iam in sanctitate plena exultabimus.

Tertullianus. 200.

Aduersus Iudæos cap. 13. Christum oportebat pro omnibus gentibus fieri sacrificium, qui *tanquã ouis ad victimam ductus est, & velut agnus coram tondente se sine voce, sic non aperiit os suum.*

Lib. 3. contra Marcionem cap. 9. Christus in carnem ex carne nasci habebat, vt natiuitatem nostram natiuitate sua reformaret: atque ita etiam morte nostram morte sua dissolueret, resurgẽdo in carne, in qua natus est, vt & mori posset.

Cyprianus. 250.

Contra Demetrianum: Hãc gratiam Christus impertit, hoc munus misericordiæ suæ tribuit, subigendo mortem trophæo crucis, redimendo crẽdentem pretio sanguinis sui, reconciliando hominem Deo Patri, viuificando mortalem regeneratione cælesti.

Sermone de opere & eleemosynis: Christus hominis Filius esse voluit, vt nos filios Dei faceret: humiliauit se, vt populum, qui prius iacebat, erigeret: vulneratus est, vt vulnera nostra sanaret: seruiuit, vt ad libertatem seruientes extraheret: mori sustinuit, vt immortalitatem omnibus exhiberet.

Victorinus Pictauiensis. 270.

In Apocalypsin: In homine susceptо perhibuit testimonium mundo, in quo passus suo nos sanguine soluit à peccato.

Caius Papa. 283.

Epistola ad Felicem Episc. Qua ratione veritatem Mediatoris impleret, nisi qui in forma Dei æqualis est Patri, in forma serui particeps esset & nostri, vt mortis vinculum vnius præuaricatione contectum, vnius morte (qui solus nihil morti debuit) solueretur? Effusio enim iusti sanguinis Christi tam fuit diues ad pretium, vt si vniuersitas captiuorum in Redemptorem suum crederet, nullum diaboli vincula retinerent.

Arnobius Rhetor. 300.

Libro 2. contra Gentes: Christus mortem sustulit, & causa est nostræ salutis.

Lactantius. 320.

De beneficijs Christi:

Quisquis ades, medijq; subis in limina templi,
Siste parum, insontemq; tuo pro crimine passum
Respice me, &c.
Te propter, vitamq; tuam, sum Virginis aluum
Ingressus, sum factus homo, atq; horrentia passus
Funera, nec requiem terrarum in finibus vsquam
Inueni, sed vbique minas, & vbique labores.

Publilius Optatianus Porphyrius. 330.

In Panegyrico cap. 9.

Ipse hominis titulo incedis, teq; profanis,
Maxime Iudæis plectendum posti pia mille
Munia permittis, lethumq; salubre luisti.
Mox necat humanas in se caro pendula noxas.

Hilarius Pictauiensis. 350.

Lib. 4. de Trinitate: Per Virginem natus ex Spiritu sancto, aduersantes nobis inimicasq; virtutes ligno passionis affigens, mortem in inferno perimens, spei nostræ fidem resurrectione confirmans, corruptionem carnis humanæ gloria sui corporis perimens. Soli hæc Vnigenito Deo sunt propria.

Ad cap. 14. Matth. Dominus solus passurus, omnia omnium peccata soluebat.

Hymno in Epiphania:

Iesus refulsit omnium
Pius Redemptor Gentium, &c.
Felix Ioannes mergere
Illum tremiscit flumine,
Potest suo qui sanguine
Peccata mundi tergere.

Ambrosius. 370.

Lib. 9. Epist. 71. Veniès Dominus Iesus peccatum omnibus, quod nemo poterat curare, donauit, & chirographum nostrum sui sanguinis effusione
Colos. 2. Rom. 5. deleuit. Hoc est quod ait: *Superabundauit peccatum per Legem: superabundauit autè gratia per Iesum.* Quia postquam totus mundus subditus factus est, totius mundi peccatum abstulit.

Ad cap. 7. Lucæ: Nullius sanguis profuit, sicut sanguis Christi. Neq; enim redimere potuit sanguis Prophetarum, neque redemit nos Petrus, aut Paulus: solus ille redimere morte sua nos potuit, qui & Deus est, & homo: quod qui purus homo fuisset, nunquam valuisset.

Optatus Mileuitanus. 380.

De schismate Donatistarum aduersus Parmenianum lib. 3. Cùm dicitis, redimite animas vestras; Redemptori renuntiatis: cùm solus Christus sit Redemptor animarum, quas ante eius aduentum diabolus possidebat: has sanguine suo Christus
1. Cor. 1. Saluator redemit, Apostolo dicente: *Empti estis pretio magno.* Cõstat enim sanguine Christi omnes redemptos.

Hieronymus. 390.

Lib. 14. in Esaiam: Quod pro nostris debebamus sceleribus sustinere, ille pro nobis passus est, perficiens per sanguinem crucis suæ.

Augustinus. 400.

Enarratione in Psal. 95. Tenebantur homines captiui sub diabolo, & dæmonibus seruiebant; sed redempti sunt à captiuitate. Vendere enim se potuerunt, sed redimere non potuerunt. Venit Redemptor, & dedit pretium, fudit sanguinem suũ, & emit orbem terrarum. Quæritis quid emerit? Videte quid dederit, & inuenite qd emerit. Sanguis Christi pretium est. Tanti quid valet? Quid, nisi totus orbis? Quid, nisi omnes gentes?

Sermone octauo de Tempore: Duplex principaliter causa est, ob quam Dei Filius factus est filius hominis. Vna est, vt secundùm hominem, omnia patiendo pro nobis, à peccatorum nos vinculis liberaret. Sic enim Esaias Propheta prædixerat: *Hic peccata nostra portauit, &c.* Altera causa est, vt nos, quos sanguine suo redemit, à vitijs atque criminibus, non solùm doctrinæ auxilio & gratiæ; sed etiã exemplo ad studiũ sanctitatis accenderet.

Paulinus Nolanus. 420.

De obitu Cælsi:

In cruce pendet homo, Deus è cruce crimina donat,
Et moriens vitam criminũ interimit:
Proq; reis habitus, peiorq; latrone putatus,
Quem Iudæa pio præposuit Domino.
Credenti donat regnum cæleste latroni:
Clausus adhuc terris iam paradisum aperit. &c.
Nam post quam victa gessit de morte triumphum,
Mors superata abyt, stat reduiua salus.
Vitam ex morte dedit, moriem moriendo subegit,
Et genus humanum sanguine restituit:
Peccatum carnis superans in carne peremit,
Materiam culpæ iustitiam peperit.

Maximus Taurinensis. 430.

Homilia 4. de ieiunio Quadragesimali: Christus Dominus Redemptorq; noster, vt perditũ infirmũq; hominem reuocaret ad Deum, esuriem, lassitudinem, mœrorem, & omnia in se humani corporis infirma suscepit.

Homilia 1. de Cruce & passione Domini: Christus pepẽdit in cruce, vt omne genus hominũ de mundi naufragio liberaret.

Sixtus Tertius. 433.

De diuitijs: Interrogo te, cuius morte reparatus es, cuius cruore, cuius passione liberatus es? Quis pro salute tua indignissima conuitiorum audiuit opprobria? Quis infirmitates tuas susceptt, vel ægritudinum tuarum causas, & insanabilia vulnera abstulit? quo ægrotus, & iam morti obnoxius, vsus es medico? cuius caput pro peccatorum tuorum sentibus spinea est compunctum corona? cuius sputaminibus dedecorata facies? cuius maxillæ palmis sunt à Iudæis verberatæ? quis, ne tu in perpetuo flagellareris, flagella sustinuit? &c. cuius vulnere tua curata sunt vulnera? quis te ad vitam reduxit à morte? quis de inferis te reuocauit ad cælos? Non Patriarcha, non Propheta, non alter quicumque Sanctorum: sed Iesus Christus Dominus. Ipse enim spes nostra, ipse salus, ipse redemptio.

Petrus Chrysologus. 440.

Sermone 111. Gaudete fratres, quia peccatum, quod nos graui pondere deprimebat ad Tartarũ, à Christo sublatum est, & in Tartara iam demersum: & nos, quos morti culpa primi parentis addixerat, secundi & diuini parentis gratia à pœna reuocauit ad vitam. Saluari ergo sine Christo homo non poterat: quia totius mundi peccatum ante ipsius permanebat aduentum. Sed tu quòd per Christum iustificaris, amplecteris: & quòd per Adam damnatus es, tu refutas: & alterius tibi

pœnam

pœnam obfuisse conquereris, qui tibi conspici alterius subueniisse iustitiam.

Leo Primus. 450.

Sermone 10. de Natiuitate Domini cap. 6. Agnoscimus misericordiam Dei ab initio promissam, & ante secula præparatam, per quam resolui captiuitatis humanæ vincula potuerunt, quibus primum hominem, omnemq; eius posteritatem malesuadus peccati auctor obstrinxerat, & propaginem dedititi originali sibi præiudicio vindicabat. Quia igitur iustificãdis hominibus hoc principaliter opitulatur, quòd Vnigenitus Dei etiam filius hominis esse dignatus est, vt ὁμοούσιος Patri Deus, id est, vnius substantiæ, idem homo verus, & secundùm carnem Matri consubstantialis existeret: vtroque gaudemus, quia non nisi vtroque saluamur.

Rom. 5. *Sermone 12. de Passione cap. 3.* Effusio pro iniustis sanguinis iusti tam potens fuit ad priuilegium, tam diues ad pretium, vt si vniuersitas captiuorum in Redemptorem suum crederet, nullum tyrannica vincula retinerent: Quoniam, sicut Apostolus ait: *Vbi abundauit peccatum, superabundauit & gratia.* Et cùm sub peccati præiudicio nati potestatem acceperint ad iustitiam renascendi, validius donum factum est libertatis, quàm debitum seruitutis. Quam itaque sibi in huius sacramenti præsidio spem relinquunt, qui in Saluatoris nostri corpore negant humanæ substantiæ veritatem? Dicant, quo sacrificio reconciliati, quo sanguine sint redẽpti? Quis est, qui *tradidit semetipsum*
Ephes. 5. *pro nobis oblationem & hostiam Deo in odorem suauitatis?* Aut quod vnquam sacrificiũ sacratius fuit, quàm quod verus Pontifex altari crucis per immolationem suæ carnis imposuit? Quamuis enim *in con-*
Psal. 105. *spectu Domini* multorum *Sanctorum pretiosa mors* fuerit, nullius tamen insontis occisio propitiatio fuit mundi. Acceperunt iusti, non dederunt coronas: & de fidelium fortitudine exempla nata sunt patientiæ, nõ dona iustitiæ. Singulares quippe in singulis mortes fuerunt, nec alterius quisquam debitum suo funere soluit, cùm inter filios hominum solus Dominus noster Iesus extiterit, in quo omnes crucifixi, omnes mortui, omnes sepulti, omnes etiam sint suscitati.

Epistola 83. ad Episcopos per Palæstinam constitutos, cap. 3. Qua ratione veritatem Mediatoris impleret, nisi qui in forma Dei æqualis erat Patri, in forma serui particeps esset & nostri: vt per vnum nouum hominem fieret renouatio vetustatis, & mortis vinculum vnius præuaricatione contractum, vnius morte, qui solus morti nihil debuit, solueretur? Effusio enim pro iniustis sanguinis iusti tam potens fuit ad priuilegium, tam diues ad pretium; vt si vniuersitas captiuorum in Redemptorem suum crederet, nullum tyrannica vincula retinerent.

Prosper. 450.

Ad primam obiectionem Vincentianam: Contra vulnus originalis peccati, quo in Adam omnium hominum corrupta & mortificata natura est, & vnde omnium concupiscentiarum morbus inoleuit, verum & potens ac singulare remedium est mors Filij Dei Domini Iesu Christi: qui liber à mortis debito, & solus absque peccato, pro peccatoribus & debitoribus mortuus est. Quod ergo ad magnitudinem & potentiam pretij, & quod ad vnam pertinet causam generis humani, sanguis Christi redemptio est totius mundi.

De ingratis cap. 43.

Iustitia iniustos tolerat, clementia sauos:
Gloria contemptum subit, & tormenta potestas:
Inq; crucis pœnam nulli violabilis vsquam
Vita agitur: cuius permutatur morte peremptor,
Iusto vt pro iniustis effuso sanguine, sit mors
Vnius insontis multorum vita reorum.
Hoc igitur pretio captiui cùm redimuntur,
Agnoscant quali concluſi carcere, quoue
Obsessi fuerint morbo: quibus eripiendis
Succurri haud aliter potuit, quàm morte medentis.

Sedulius. 460.

Ad cap. 6. prioris ad Corin. *Empti estis non auro & argento, sed sanguine Christi.* Sanguis ægrorum alijs nocet: sanguis verò Christi mundum redemit.

In Hymno acrostichide:

Beatus auctor seculi
Seruile corpus induit,
Vt carne carnem liberans,
Non perderet quos condidit.
Lauacra puri gurgitis
Cælestis Agnus attigit,
Peccata, quæ non detulit,
Nos Abluendo sustulit.

Claudius Marius Victor. 460.

Præfatione in Genesin:

——Dum lato in sydera vultu
Erexisti hominem, quem sæui fraude tyranni
In mortis laqueos, & ad impia tartara raptum,
Vnigenæ redimis profuso sanguine Nati,
Deq; imis Erebi dona ad maiora petitum
Restituis, quàm factus erat, vitaq; perenni
Reddis, & in calum diro vehu hoste subacto.

Cæsarius Arelatensis. 470.

Homilia 7. de Paschate: Cùm per primam transgressionem Adæ origini & morti obnoxij teneremur, perspiciens ex alto Deus, in quo essemus genere debitores vitæ, qualitates captiuitatis reparauit, munus redemptionis, id est, vt pro debita morte offerret indebitã. Et quia nec nos habebamus, vnde viueremus, nec ille vnde moreretur, materiam de nostra mortalitate suscepit, vt sua immortalitate collocata mori posset vita pro mortuis.

Homil. 25. Attende pretium tuum, respice Dominum tuum; considera quale pretium pro te dedit, sanguinem suum pro te fudit; charum te habuit, quem tam carè redemit.

Salonius. 470.

In Prouerbia Salomonis: Salomon per Spiritum sanctum cogitauit quomodo nullus Prophetarum, nullus omninò electorum sufficeret ad redemptionem humani generis, nisi solus Mediator Dei & hominum homo Iesus Christus, &c. qui dedit pretium sanguinis sui, & redemit Ecclesiam.

Victor Vticensis. 480.

De persecutione Vandalica lib. 2. Gratias agimus Domino nostro Iesu Christo, qui propter nostram salutem descendit, sua passione nos redemit, sua morte viuificauit, sua ascensione glorificauit.

Lucidus Presbyter. 480.

Epistola ad Leontium, &c. Affero Christum Dominum & Saluatorem nostrum, quantum pertinet ad diuitias bonitatis suæ, pretium mortis pro omnibus obtulisse. Affero etiam per rationem & ordinem seculorum, alios lege gratiæ, alios lege Mosi, alios lege naturæ, quam Deus in omnium cordibus scripsit, in spe aduentus Christi fuisse saluatos: tamen ex initio mundi ab originali nexu, nisi intercessione sacri sanguinis, non absolutos.

Turcius Ruffus Asterius. 500.

In collatione veteris & noui Testamenti:

Vnius ob meritum cuncti periêre minores:
Saluantur cuncti vnius ob meritum.
Agnus ab hoste sacer reuocauit sanguine Patres,
Sanguine nosq; refert Agnus ab hoste sacer &c.

Fulgentius. 500.

Sermone de duplici Christi Natiuitate: Per primi hominis culpam cœpit diabolus homini dominari: per secundi hominis gratiam cœpit ab homine superari. Super primum superbus, sub secũdo captiuus. Per illum nos captiuatos tenuit, per istum nos liberatos amisit. Primus Adam nobis auctor extitit culpæ, nouissimus Adam nobis auctor extitit gratiæ. Ille de limo plasmatus, terrenos protulit: iste de Spiritu sancto natus, cælestes effecit. Per illum perdidimus gratiam priorem, per istum recepimus ampliorem. Ille quippe intulit nobis peccati maculam, cum qua nasceremur ad suppliciũ: iste nobis contulit iustificationis gratiã, vt renasceremur ad regnum. Per illum nos filios seculi generatio carnalis effecit: per istũ nos filios Dei generatio spiritalis exhibuit. Ille nos vitijs subdidit, iste nos florere virtutibus fecit. Ille nos per vitia deiecit, quò primus cecidit: iste nos per virtutes eleuat, quò primus ascendit. Ille quippe primus cecidit in infernum, iste primus conscendit in cælum.

Alcimus Auitus. 500.

Libro 1. de origine mundi:

Istius inducium somni mors illa secuta est,
Sponte sua subijt sumpto quam corpore Christus,
Qui cùm passurus ligno sublimis in alto
Penderet, nexusq; & culpas penderet orbis:
In latus extensi defixit missile lictor.
Protinus exiliens fluxit cum sanguine lympha,
Qua viuum populis iam tunc spondente lauacrum
Fluxit martyrium simul & baptismatis vnda.
Inde resurgenti, cælestiaq; astra petenti,
De lateris membro surgens Ecclesia nupsit.

Symmachus Papa. 500.

Epistola 4. ad clerum Dardaniæ: Christus nos pro sanguinis sui pretio comparauit gratiæ libertate concessa, nihil inuenientibus humanis operibus, quod dignum pro tanta mercede tribueret.

Laurentius Nouarienſis. 520.

Homilia de pœnitentia: Agnus Dei Christus tinctus in flumine, tulit noxiam sarcinã, à patre in filios deriuantem: nefas illud pessimum, à serpente suggestum, in fonte intinxit, in flumine aboleuit, in carne cremauit: tulit debitum vnius, & donauit indulgentiam cunctis,

Arator. 540.

Libro 1. Act.

Si volumus complere fidem, facis omnia Christe
Sanguine munda tuo, lateris qui fluxit ab ictu
Discretæ coniunctus aquæ, maculosus oberret
Anguis, & extinctum lymphis gemat esse venenum.

Primasius. 540.

Ad cap. 3. epistolæ ad Romanos: Ille se tradidit morti, cui nihil debebat, vt nos suo sanguine à morte redimeret. Non emit, quia per naturam ipsius fueramus; sed redemit, quia captiui tenebamur.

Ad caput 5. Maior est redemptio Saluatoris, quàm perditio transgressoris: quia per Christum omnia peccata dimissa sunt, non solùm originalia, sed etiam actualia.

Iunilius Africanus. 540.

De partibus diuinæ legis lib. 2. cap. 19. Cùm dicitur: *Sanguis fratris tui clamat ad me de terra,* passio Domini nostri Iesu Christi prædicitur, Apostolo teste in epistola ad Hebræos: *Quia conspersio sanguinis Christi plus potuit ad Dominum clamare pro nobis, quàm Abel sanguis clamauerat contra fratrem.*

Cassiodorus. 550.

Libro de anima cap. 14. Absque peccato fine dubio venit, qui erat omnium peccata soluturus, conceptus mystico spiramine, natus ex Virgine. Nihil de Adam traxit, qui vt Adæ malum solueretur aduenit. Funis ille longissimus, quo nos ligabamur, abruptus est: torrens, qui nos rapiebat, ibi siccatus est: iura sua mors perdidit, dum conditio nostra vitam Redemptoris accepit. Nam primus homo posteris transmisit exitium, veniens Christus Dominus credentibus contulit regna cælorum. Per istum enim reparat anima statum, quę per illum perdiderat meritum.

In Psalm. 7. Ipse fideles redimit, qui Filium suum pro humano genere inestimabile pretium dedit: nec ab alio potest salus venire, nisi à salutis auctore.

Fortunatus. 570.

Lib. 1. in honore sanctæ Crucis:

Virtus celsa Crucis totum ritè occupat orbem,
Hæc quoniam mundi perdita cuncta refert.
Quodq; ferus serpens infecit felle veneni,
Christi sanguis in hac dulce liquore lauat.
Quaq; lupi fuerant raptoris præda ferocis
In cruce restituit Virginis Agnus oues.
Tensus in his ramis, cum plantis brachia pendẽs,
Ecclesiam stabilit pendulus ipse cruce.
Hoc opus in ligno reparans, deperdita pridem
Quod vetiti ligni poma tulêre boni.

Hymno in honore sanctæ Crucis:

Beata, cuius brachijs
Pretium pependit seculi:
Statera facta est corporis,
Prædamq; tulit tartari:
Fundis aroma cortice,
Vincis sapore nectarem:
Salue ara, salue victima,
De passionis gloria,
Qua vita mortem pertulit,
Et morte vitam reddidit.

Gregorius Turonenſis. 580.

Historiæ Francorum lib. 6. cap. 5. Deus hominem creauit innoxium, sed astu serpentis circũscriptus, præuaricator præcepti factus est; & ideò à sede paradisi iectus, mundanis laboribus deputatus est, qui per mortem Vnigeniti Dei Christi Deo reconciliatus est Patri, &c. Nisi Dei Filius ad eum descendisset redimere, hæc explere non poterat alter: cuius nos natiuitate renati, baptismo abluti, vulnere curati, resurrectione erecti, ascensione glorificati sumus.

Gregorius Magnus. 590.

Lib. 3. in Iob cap. 11. Mediator noster puniri pro semetipso non debuit; quia nullum culpæ contagium perpetrauit. Sed si ipse indebitam mortem non susciperet, nunquam nos à debita morte liberaret. Pater ergo cùm iustus sit, iustum puniens, omnia iustè disponit: Quia per hoc cuncta iustificat, quòd eum, qui sine peccato est, pro

peccatoribus damnat: vt eo electa omnia in culmen iustitię surgerẽt, quo is, qui est super omnia, damna iniustitiæ nostræ sustineret, &c. Frustra tamen iuxta semetipsum afflictus est, iuxta verò nostra acta non frustra: rubigo quippe peccati purgari non potuit, nisi igne tormenti. Venit itaque sine vitio, qui se subijceret sponte tormento: vt debita nostræ iniquitati supplicia, eo reos suos iustè amitterent, quo hunc à semetipsis liberum iniustè tenuissent. Frustra ergo & non frustra afflictus est: quia in se quidem admissa non habuit, sed proprio cruore reatus nostri maculam tersit.

Homil. 39. in Euangel. Pro nobis Mediator Dei & hominum homo Iesus Christus gratuitò reddidit quod non debebat. Qui enim pro nobis mortem carnis indebitam reddidit, nos à debita animæ morte liberauit.

Hymno de passione Christi:

Rex Christe factor omnium,
Redemptor & credentium,
Placare votis supplicum,
Te laudibus colentium.
Cuius benigna gratia
Crucis per alma vulnera
Virtute soluit arduâ
Primi parentis vincula.
Ligatus es, vt solueres
Mundi ruentis complices,
Per probra tergens crimina,
Quæ mundus auxit plurima.

Isidorus Hiſpalenſis. 620.

De Summo bono lib. 1. cap. 16. Dum iaceremus sub reatu culpæ, iustos nos credebamus: venit medicus, patefecit vulnus, composuit semetipsum, & de sua morte nobis medicinam aptauit, vt esset ostensor non tantùm vulneris, sed & sanator, &c. Christus sicut peccatum, quod pœna dignum est, non admisit; ita pœnam peccati nostri suscepit, vt per indebitam pœnam suam ablueret nostrã culpam: vt per hoc amitteret diabolus, quos reos tenebat, dum vnum interficit, qui nihil peccati admiserat.

Concilium Toletanum Sextum. 625.

Cap. 1. Solum Filium fatemur ad redemptionem humani generis, propter culparum debita, quæ per inobedientiam Adæ originaliter, & nostro libero arbitrio contraxeramus, resoluenda, à secreto Patris arcanoq; prodisse, &c. Hic venit in hũc mundum peccatores saluos facere, & credentes iustificare: faciensq; mirabilia, traditus est propter delicta nostra, mortuus est propter expiationem nostram, resurrexit propter iustificationem nostram: cuius liuore sanati, cuius morte Deo Patri reconciliati, cuius resurrectione sumus resuscitati.

1. Tim. 1.

Rom. 4.

Eucherius Gallus. 640.

Lib. 2. in Geneſin cap. 40. Quæ est via, quæ ducit ad puteum viuentis & videntis, nisi humilitas passionis Vnigeniti, per quam nobis apertũ est hoc, quod prius latenter Scripturæ sacræ fluenta loquebantur. Nisi enim Vnigenitus Dei Filius incarnatus, tentatus, apprehensus, colaphis cæsus, sputis illusus, crucifixus ac mortuus fuisset, nobis huius putei, id est Scripturæ sacræ profunditas non pateret.

Martinus Papa. 647.

Epistola ad Amandum: Non vos afflictionum amaritudo à piæ mentis vestræ proposito coarctet recedere, considerantes quanta pro absolutione nostri & liberatione Creator Dominusq; noster pertulerit, quibusve contumelijs se afficiendum tradiderit, vt nos à vinculis potestatis diabolicæ liberaret.

Concilium Toletanum Vndecimum. 674.

In confessione fidei: Vnigenitus Dei Filius solus *pro nobis peccatum factus,* id est, sacrificium pro peccatis nostris: tamen passionem ipsam (saluâ diuinitate sua) pro delictis nostris sustinuit, mortique adiudicatus & cruci, veram carnis mortem accepit. 2. Cor. 5.

Aldhelmus. 680.

Epistola ad Geruntium Regem: A summo cælorum fastigio veneranda Dei proles descendens, ouem erroneam redemptura, & drachmam perditam quæsitura, aluum incontaminatæ puerperæ, virginali puerperio præditæ, sine periculo perpetuæ puritatis & dispendio castitatis intrat, &c. Dominus & Saluator noster à summo cælorum fastigio descendit, vt chirographum protoplasti deleret, & mundum pace sequestrata reconciliaret.

Aponius. 700.

In Cantica lib. 4. Christus moriendo vitam perditam reddidit, & destruxit mortis imperium.

Beda. 700.

Ad cap. 1. prioris Ioannis: Sacramentum Dominicę passionis, & præterita nobis omnia in Baptismo pariter peccata laxauit, & quicquid quotidiana fragilitate post Baptisma commisimus, eiusdem Redemptoris nobis gratia remittit.

Alcuinus. 750.

De Trinitate lib. 3. cap. 12. Nullus planè veram pacem cum Deo habere poterit, nisi per Mediatorem Dominum Christum, qui est in duabus naturis verus Deus, verusq; homo, vnus Christus: idem sacerdos & sacrificium, veniens ad nos offerre pro nobis quod sumpsit ex nobis, vt auferret à nobis quod inuenit in nobis, hoc est peccata.

Ambroſius Ansbertus. 770.

Ad cap. 5. Apoc. lib. 3. Ad comparationem victoriarum nostrarum tua sola iudicatur digna victoria, cuius singulari passione, de mortis principe, ac maledicto legis sumus redempti. Neque enim effusio nostri sanguinis imperium mortis destruere, ac Legis maledictum poterat auferre, nisi tu ipse in cruce pendens, pretium nostrę redemptionis effunderes, ac pro nobis ipse quodammodo maledictum fieres.

Haymo. 800.

Ad cap. 5. epist. ad Romanos: Christus non solùm illud peccatum originale, propter quod in mortem animæ & corporis ruimus, sed etiam omnia actualia abstulit in electis, & insuper donauit vitam sine fine mansuram.

Angelomus. 830.

Ad cap. 24. libri 2. Regum: Dominus Iesus Christus Ecclesiam suam pretioso sanguine suo emptam, ac per septiformem gratiam Spiritus sancti à cunctis suis delictis purgatam, in domum sibi sempiternam sanctificauit.

Rabanus Maurus. 850.

De laude S. Crucis:

Ipse salus nostra vindictam fecit in alto
Pro nobis moriens, iusteq; oppressit iniquum,
Mortem interficiens mortem, dum Tartara vicit.

Ad cap.5. Iudith: Magnum & præcipuum in publicis precibus fit adiutorium,si mentio Dominicæ passionis adhibeatur, quæ in ara crucis pro peccatis nostris expleta est; quia non solùm pro nostris offensionibus, sed etiam pro totius mundi,in expiationem omnium peccatorum,sanguis Redemptoris nostri effusus est.

Florus Magister. 860.

In expositione Canonis: Nullus tollit peccata nisi ille, de quo dictum est: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*: cui nullum bonum hominis impossibile, nullũ malum est insanabile. Quomodo autem Apostolus Petrus ostendit, qui ait: *Non corruptibilibus argento vel auro redempti estis de vana vestra conuersatione paternæ traditionis: sed pretioso sanguine quasi Agni incontaminati, & immaculati Christi.*

Paschasius Ratbertus. 880.

De corpore & sanguine Domini cap.22. Ex quo profectò liquet, quòd Christus in similitudine carnis peccati occubuit pro nobis, & omnia maledicta Legis & peccata nostra super se tulit.

Radulphus Flaniacensis. 950.

In Leuiticum lib.4. cap.4. Dominus & Saluator pro vniuerso populi sui reatu hostiam Patri seipsum obtulit.

Lib.10. cap.1. O beatus sanguis, cuius aspersione lepra nostra mundatur, cuius redemptione, qui captiuus fuerat,liber dimittitur,cuius tactu mortui suscitantur.

Luitprandus Ticinensis. 950.

Lib.2. capite 12. Solus Christus hominem in fine temporis, per sui sanguinis effusionem,verus Deus verusq; homo,non duo,sed vnus redemit.

Smaragdus. 970.

In diademate Monachorum cap.71. In tantum Christus nostram dilexit vitam, vt pro illa suam poneret animam.Dedit semetipsum Dominus morti,vt nos à periculo mortis eriperet,& ereptos Patri in filios adoptaret. Mortuus est namq; ne nos mori timeremus;resurrexit,vt & nos per eum resurgere valeamus; eripuit de præsenti seculo nequam, vt nobis gloriam pariter & vitam donaret æternam.Nos enim Filius Dei eripuit à raptore iniquo,vt proprio nos redderet Domino.

Fulpertus Carnotensis. 1000.

Epist.1. Profectò idẽ Deus Christus est,qui mortem carne sua suscepit: & idem homo Christus est, qui mortem sua diuinitate destruxit.

Berno Augiensis. 1020.

Serm.de S.Marco: Mediator Dei & hominum homo Iesus Christus,cùm Deus esset ante secula,per spontaneam benignitatem carne indutus, in populo suo piè & misericorditer apparuit,quem redimendo suum effecit.

Petrus Damianus. 1050.

Sermone de Exaltatione S.Crucis: Quid vltra debuit facere,& non fecit? Absoluit vinctum, illuminauit cæcum, reduxit erroneum, reconciliauit reum, quite portauit in humeris suis,qui pro te Patri proprio sanguine satisfecit.

Alphanus Salernitanus. 1060.

De duodecim fratribus Martyribus:

——*Fuit hoc miserabile cunctis*
Ius mortalibus impositum,dum Cunctipotentis
Filius,humanæ summa pietate ruinæ
Compatiens,mirabiliter de Virgine carnem
Sumpsit, & effuso pretioso sanguine priscum
Soluit delictum,culmen credentibus atque
Præbuit,vnde prius primi cecidere parentes.

Anselmus Cantuariensis. 1080.

In Interrogationibus infirmis, in extremis constitutis, proponendis: Credis te non posse saluari, nisi per mortem Christi? *Resp.infirmus:* Etiam. *Tunc illi dicitur:* Age verò, dum in te supereſt anima, in hac sola morte fiduciam tuam constitue,in nulla alia re fiduciã habe, huic morti te totum committe, hac sola te totum contege, totum immisce te, & si Dominus voluerit te iudicare,dic:Domine,mortem Domini Iesu Christi pono inter meum & tuum iudicium; aliter tecum non contendo. Et si dixerit tibi: quia peccator es, dic: Domine,mortem Domini nostri Iesu Christi pono inter te & mea peccata. Si dixerit tibi, quòd meruisti damnationem,dic: Domine,mortem Iesu Christi obtendo inter te & mala mea merita, ipsiusq; meritum offero pro merito, quod ego debebam habere,nec habeo.

Franco Affligenienſis. 1110.

De gratia Dei tom.11. Debitum peccato supplicium mors est. Cùm ergo debitum peccati innocẽs soluit, qui peccato nihil debuit, eos, qui obnoxij erãt,& peccato, & peccati supplicio eripuit. Tantum namque erat vnius mortis Christi pretium, quod totius mundi adæquaret,imò præponderaret debitum.

Honorius Augustodunenſis. 1120.

Ad Psal.24. *Propter nomen tuum Domine propitiaberis peccato meo, multum enim est.* Nomen Domini est Iesus Saluator: *non est enim nomen hominibus datum sub cælo, in quo oporteat saluari, nisi hoc nomen:* hoc est propter sacrificium Iesu propitiaberis peccato originali, & actuali: *multum est enim* in omnibus membris meis: sed maior est propitiatio illius sacrificij.

Rupertus Tuitienſis. 1120.

Lib.1. in Leuiticum, cap.17. Optimè & cum hoc Apostoli testimonio Rom.5. *Et non sicut per vnum peccatum, ita & donum.*) & cum omni Euangelicæ veritatis doctrina certũ tenet fides Catholica quia non solùm originale, sed & cuncta simul actualia nobis per passionem Christi Filij Dei remittuntur peccata.

Bernardus. 1130.

Serm.1. in Annuntiat. Mariæ: De remissione peccatorum validissimum teneo argumentum Dominicam passionem: vox siquidẽ sanguinis ipsius inualuit multò plus,quàm vox sanguinis Abel clamans in cordibus peccatorum remissionem omnium peccatorum. *Traditus est enim propter peccata nostra,* nec dubium, quin potentior, & efficacior sit mors illius in bonum, quàm peccata nostra in malum.

Sermone ad Milites Templi cap.11. Sed vnde confidimus,quòd mortẽ abstulit? hinc planè,quòd eam ipse, qui non meruit, pertulit. Qua enim ratione iterum exigeretur à nobis, quod pro nobis ille iam soluit? Qui peccati meritum tulit, suam nobis donando iustitiam, ipse mortis debitum soluit, & reddidit vitam. Sic namque mortua morte reuertitur vita, quemadmodum ablato peccato redit iustitia: Porrò mors in Christi morte fugatur, & Christi nobis iustitia imputatur. Verùm quomodo mori potuit,qui Deus erat? Quoniam nimirũ & homo erat. Sed quo pacto mors hominis illius pro altero valuit? Quia & iustus erat. Profectò nãq; cùm homo esset, potuit mori: cùm iustus,nõ debuit gratis. Non quidẽ peccator mortis sufficit soluere debitum pro altero peccatore,cùm quisq; moriatur pro se. Qui autem mori pro se non habet,nunquid pro alio fruſtra debet? Quanto sanè indignius moritur,qui mortem non meruerit; tanto is iustius, pro quo moritur, viuit. Sed quæ, inquis, iustitia est, vt innocens moriatur pro impio? Non est iustitia, sed misericordia.

ricordia.Si iustitia esset,iam non gratis; sed ex debito moreretur. Si ex debito, ipse quidẽ moreretur:sed is, pro quo moreretur, non viueret, &c. Christus peccata & dimittere potuit,cùm Deus sit:& mori,cùm sit homo:& mortis moriẽdo soluere debitum, quia iustus: & omnibus vnus ad iustitiam, vitamq; sufficere,quandoquidẽ & peccatum, & mors ex vno in omnes processerit,&c.

Richardus Victorinus. 1140.

Parte 1.de Emmanuele c.11. Diuisit inter se summa illa personarum Trinitas, vnus Deus negotium salutis humanæ,vt vnam eandemq; hominis culpam Pater puniret, Filius expiaret, Spiritus sanctus ignosceret. Ad maiorem igitur lapsi hominis gloriam, vt possit resurgere per iustitiam, Pater satisfactionem exigit, Filius exoluit, Spiritus sanctus se medium interponit.Hæc via,hæc porta salutis,hic summus,hic singularis humanę restaurationis modus.

Petrus Lombardus. 1140.

Lib.1.dist.48. Christi passio causa est nostræ salutis,quod non est passio alicuius Sancti.Nullius enim passione redempti sumus,nisi Christi.

Lib.3.dist.18. De merito etiam Christi prætermittendum non est,de quo quidam dicere solent, quòd non sibi, sed membris tantùm meruerit. Meruit quidem membris redemptionem à diabolo,à peccato,à pœna, & regni reserationem, vt amota ignea romphæa,liberè pateret introitus:sed & sibi meruit impassibilitatis & immortalitatis gloriam,&c.Meruit nobis per mortis & passionis tolerantiam aditum paradisi, redemptionem à peccato, à pœna, à diabolo: & per mortem eius hæc nos adepti sumus, scilicet redemptionem, & filiorum gloriæ adoptionem.

Petrus Blesensis. 1160.

Epist.83. Cùm homo perdidisset propter inobedientiam Paradisum, & infernales miserias perpetuas meruisset, missus est à Patre Filius,dignũq; fuit vt mitteretur Filius,& non Pater. Cùm enim à nullo esset Pater, Filius erat ab aliquo, eratque conuenientius, vt haberet in tempore matrẽ, qui ab æterno habuerat & Patrem.Cùm enim scriptũ esset in Psal.Dauid:*Non est qui redimat,* &c. non est qui det placationem pro sua anima, nedum pro aliena: missus est à Deo Patre Filius,vt homo pro homine moreretur, & pro homine captiuo tributum, tanquam homo exolueret,eumque tanquam Deus cæleſti portione redimeret. Huius aduentum desiderauerant Patriarchæ, prædixerant Prophetę,atque illius dilationem impatientius ferentes,querela continuata dicebant, quando veniet? &c.Nocuit nobis vetus Adam,sed plus profuit nouus.Amplius nobis contulit huius humilitas, quàm superbia illius abstulerit.

Hildegardis. 1160.

Lib.2.visione 5. Præuaricatio Adæ per sanguinem Filij Dei mirabiliter in saluatione restaurata est, cùm prius illam nullus, nisi Vnigenitus Dei à Patre missus in mundum, dissoluere ad supernũ ingressum posset. Nisi enim Filius Dei sanguinem suum pro salute hominum fudisset,illa transgressio Adæ ita comprimeret hominem, vt ad gaudium supernorum ciuium pertingere non posset.

Visione 7. Quoniam homo natus in peccatis hominem peccatorem de perditione mortis liberare non valuit: quapropter Filius Dei sine peccatò venit, qui hominem deuicta morte misericorditer de morte eripuit.

Mechtildis. 1160.

Lib.1.cap.10. Christus iram Patris mitigauit, & hominem Deo reconciliauit in sanguine suo, & in eum transierunt iræ, & non pepercit Filio suo vnico Christo, sed in manus impiorum Christus traditus est,& in tantum mitigauit Dei irã,quod si homo voluerit, nunquam de cætero ira Dei aduersus eum acuetur.

Stephanus Heduensis. 1180.

De Sacramento altaris, c.13. Necesse fuit vt pro redimendo homine offerretur hostia rationalis,scilicet homo assumptus à Verbo ex anima rationali,& humana carne subsistens. Hæc sola ad redimendum hominem sufficit,& nulla alia sufficere potuit, quia nec homo, nec Angelus, nisi homo Deus. Hæc autem sola Deo est accepta pro delictis omnium propitiatio.

Innocentius Tertius. 1200.

Sermone 1.de Natiuitate Christi: Inter Deum & hominem grauis erat inimicitiarũ discordia; quoniam homo seruum subtraxit,& abstulit Deo,quę tradidit, & subiecit diabolo. Pax igitur inter eos fieri rationabiliter nõ poterat, nisi damnũ,quod intulerat,restauraret. Homo verò nihil habebat quòd dignè Deo recompensaret pro damno: quia si quid Deo de rationabili redderet creatura, pro rationabili sublato substantia minus esset. Sed hominem non poterat dignè restituere,quia iustum & innocentem abstulerat, & neminem nisi peccatorem inueniebat. Videns itaque Deus,hominem sua virtute non posse iugum damnationis euadere, primùm præuenit eum per solam misericordiam,vt deinde liberaret etiam per iustitiam. Vt ergo Deus placari posset ab homine,dedit homini gratis,quod homo pro debito redderet Deo.Dedit igitur homini hominem,quem restitueret homo pro homine: qui vt recompensatio digna fieret, priori non solùm esset æqualis, sed maior. Quocirca *Verbum caro factum est,* vt daretur hominibus Deus homo.

Iacobus Vitriacus. 1220.

In Ramis Palmarum: Virtute passionis suæ Christus diabolum cruce alligauit, sicut vrsus ad stipem alligatur ne nocere possit quãtum velit. Virtute sanguinis Christi tanquam fune, Rachab coccineo, sicut iumentum seu porcus ligatus est, & astrictus,& crucis malleo contritus. Quo malleo Dominus portas æreas contriuit,& vectes ferreos cõfregit, & cruce dominica,velut claui ostio reserato suos in paradisum introduxit.

Franciscus Patriarcha F. Minorum. 1220.

Epistola ad sacerdotes sui Ordinis: Salutem in eo,qui redemit & lauit nos in sanguine suo.

Exhortatione ad omnes sui Ordinis Fratres: Attendamus fratres omnes, bonum Pastorem, qui pro ouibus suis saluandis crucis sustinuit passionem.

Alexander Alesius. 1230.

Parte 3.q.18.membr.5.art.2. Passio Christi per omnia sufficiens est, ad soluendum pro peccatis omnium.

Membro 6.art.2.§.1. Christus medius seu Mediator est conueniens & concilians: cuius participatione, & beneficentia homo miser & mortalis fieret beatus & immortalis.

Thomas Aquinas. 1250.

Parte 3.quæst.48. articulo 2. Ille propriè satisfacit pro offensa,qui exhibet offenso id,quod æquè vel magis diligit,quàm oderit offensam.Christus aũt ex charitate & obediẽtia patiẽdo,magis Deo aliqd exhibuit, quàm exegerit cõpensatio totius offensæ humani generis. Primò quidem propter magnitudinem charitatis,ex qua patiebatur: secundò propter dignitatem vitæ suæ, quam pro satisfactione ponebat; quæ erat vita Dei & hominis: tertiò propter generalitatem passionis & magnitudinis

tudinis doloris assumpti. Et ideo passio Christi non solùm sufficiens, sed etiam superabundans satisfactio fuit pro peccatis humani generis, secũdùm illud 1. Ioannis 1. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non autem pro nostris tantùm, sed etiam pro totius mundi.*

Articulo 4. Quia Christi passio fuit sufficiens & superabundans satisfactio pro peccato & pro reatu humani generis, eius passio fuit quasi quoddam pretium, per quod liberati sumus ab vtraque obligatione.

Quæst. 49. articulo 5. Est duplex peccatum impediens ab ingressu regni cęlestis. Vnum quidẽ commune totius naturæ humanæ, quod est peccatum primi parentis: aliud est peccatum speciale vniuscuiusque hominis. Per passionem autem Christi liberati sumus, non solùm à peccato communi totius humanæ naturæ, & quantum ad culpam, & quantum ad reatum pœnæ, ipso soluente pretium pro nobis; sed etiam à peccatis proprijs singulorum, qui communicant eius passioni per fidem, & charitatem, & fidei sacramenta. Et ideo per passionem Christi aperta est nobis ianua regni cælestis.

Bonauentura. 1260.

Parte 4. Breuiloquij cap. 1. Per Verbũ incarnatum facta est salus & reparatio generis humani: non quia aliter Deus non potuerit humanum genus saluare, vel liberare; sed quia nullus alius modus ita congruus & conueniens erat, ipsi reparatori, & reparabili, & reparationi.

Iacobus Cardinalis. 1300.

De anno Iubilæo cap. 14. Immerita capiti pœna in membra diffunditur, roseus in filios emanat cruor: se pretium Deo Patri dilectus Filius pro nobis, culpa inquam, longè capacius pretium luit. Quidni? Eius vel sola distillans sanguinis gutta callido hosti mundorum plus quàm millia centum eriperet.

Richardus Pampolitanus. 1300.

In Encomio nominis Iesu: Respirat animus Iesum quærens, cuius amore capitur, quem solum concupiscit, sine quo salutem obtinere non potestis, sine quo non sperat quis salutem.

Durandus à Sancto Portiano. 1310.

Lib. 3. distinct. 9. quæst. 1. Passio Christi fuit sufficiens, imò superabundans satisfactio pro peccatis totius mundi, secundùm illud 1. Ioannis 2. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris*, &c. Per passionẽ Christi liberamur à peccato quoad culpam, & quoad pœnam, omnes quidem secundùm sufficientiam, sed non secundùm efficientiam. Et quia ingressum regni cælorum nihil prohibet nisi peccatum, propter quod dicitur claudi hominibus ianua regni cælorum: ideò sicut per passionem Christi liberamur ab omni peccato, sic per eandem nobis dicitur aperiri ianua regni cælorum.

Albertus Patauinus. 1310.

Serm. 214. Christus cùm nihil dignum morte fecisset, prò nobis mortuus est; quia mors animæ non nisi per mortis pœnam non debitam poterat tolli. Ideò morte suæ carnis viuit omnis homo. Vnde Versus:

Mortis homo calicem gustauit omnis in vno:
Omnis in vnius morte reuixit homo.

Hugo Pratensis. 1310.

Sermone 1. Cùm Deus sit iustissimus, & nihil impunitum relinquat, & peccatum non possit ad ordinem reduci iustitiæ, nisi per satisfactionẽ condignam, oportuit quòd aliquis satisfaceret, cuius meritum esset infinitum, & qui esset supra totam naturam, sicut peccatum totam naturam corruperat. Nullus autẽ purus homo potest esse meriti infiniti, nec supra totam naturã, imò omnes sunt meriti finiti, & infra naturam; & ideò oportuit, quòd talis esset Deus. Deus autem non peccauit, sed homo. Et ideò, vt iusta fieret satisfactio, oportuit quòd Deus esset & homo simul: Deus, qui posset; & homo, qui deberet. Et ideò oportuit Filium Dei incarnari, vt in natura humana pro homine satisfaceret. In quo apparuit maxima charitas Dei: quia cùm in tota natura nullus inueniretur, qui posset satisfacere, voluit Filium assumere carnem, vt pro homine satisfaceret.

Clemens Sextus. 1342.

Extra Com. lib. 5. tit. 9. de Pœnit. & remiss. cap. 2. Non corruptibilibus auro & argẽto, sed sui ipsius Agni incontaminati & immaculati pretioso sanguine nos redemit, quem, in ara crucis innocens immolatus, non guttam sanguinis modicam, quę tamen propter vnionem ad Verbum pro totius humani generis redemptione sufficisset, sed copiosè velut quoddam profluuium noscitur effudisse.

Ioannes Taulerus. 1350.

Præparatione ad felicem mortem: Nihil omninò quibuslibet bonis operibus suis, quæ se meminit peregisse, innitetur, sed firma fiducia in dignissima Saluatoris nostri merita, profundissimumq; immensæ misericordiæ illius pelagus, & dirissima vulnera ipsius, cum vniuersis peccatis & negligẽtijs suis se immerget, inclinabit, & demittet. Nam vel minimũ Saluatoris vulnus ad delenda omnia omnium peccata abundè sufficeret. Hæc itaque peccatorum enormitati, & districto Dei iudicio opponere debebit, ne in desperationis profunda mergatur. Hæc enim est Christiana & Catholica fides, quæ neminem fallere potest.

Thomas Argentinensis. 1350.

Lib. 3. dist. 19. q. 1. Etsi formale principium, expulsiuum culpæ, sit gratia gratum faciens: passio tamen Christi est sufficiens causa effectiua, quæ dispositiuè saltem, & meritoriè culpam delet. Vnde cunctos mortales, à quacunque pœna, siue temporali, siue æterna, valet liberare. Neque aliud accommodatius antidotum ad sanãdum nostrum lethale vulnus poterat reperiri.

Henricus Suso. 1360.

In precibus Horarijs, lectione 1. O Sapientia æterna, & figura subsantiæ Patris, qui, vt hominem ad Paradisi gaudia reduceres, in hanc vallem miseriæ descendisti, eiq; viam redeundi per tuam dulcissimam conuersationem demonstrasti, & pro satisfactione cunctorum tanquam Agnus innocens Patri immolari voluisti.

Catharina Senensis. 1370.

Tractatu 1. cap. 14. sic introducit Deum Patrem loquentem: Cùm in me pœna cadere non possit, & de culpa diuina mea iustitia pœnam omninò requireret: neque purus homo per se satisfacere quoquo modo sufficiẽs vel idoneus erat, eò quòd illa culpa perpetrata fuerat in me, qui sum infinita bonitas, & homo debilis, pauper, & imbecillis, exoluere per se nequibat, paterna charitate coactus, Verbũ mihi coæternũ, vestitũ eiusdẽ vestræ naturæ vestimento, misi vobis, vt in ipsa massa corrupta primi parentis vestri, qui peccauerat, exoluere tur illa pœna, quam exigebat iustitia diuina. Et ita tolerando supra dorsum eius pœnas acerbissimas vsque ad mortem crucis opprobriosam, satisfactum extitit iustitiæ diuinæ pariter, & affectuosæ charitati paternæ, quæ cum inæstimabili misericordia satisfacere voluit pro culpa commissa, hominem gratiosè disponendo ad felicitatem illam æternam, ad quam ego creauerã eum.

Itaque

Itaq; humana vestra natura, diuinæ naturæ coniuncta & vnita, sufficientissimè satisfecit pro toto mundo, & vniuersa humana generatione.

Bonifacius Nonus. 1390.

Constitutione 1. Superni benignitas Conditoris humanam creaturam ad similitudinẽ suam creatam misericordi pietate respiciens etiam collapsam fore, primi parentis lapsum considerans, illam miro decreuit consilio releuandam, vt scilicet Verbum supernum, *quod erat in principio*, eam à mortis nexibus liberaret. Igitur pij Patris, quæ nos dilexit charitas, temporis veniente plenitudine, Verbum ipsum æternum, sub forma serui, carnem nostræ mortalitatis assumere, vt eandẽ mortem nostram moriendo destrueret, ac damnationis sententiam, simul ac maculam, quam per reatum primi hominis, generis humani posteritas incurrisse noscebatur, clemens Verbi æterni bonitas aboleret.

Petrus Aliacus. 1400.

In Canticum Simeonis: Dicitur Iesus *salutare*, dicitur *lumen*, dicitur *gloria:* Ipse quippe salus est peccatorum, ipse lumen iustorum, ipse gloria beatorũ. Hæc verò tria Christi bona remedia sunt contra tria humani generis mala. Iesus enim salus est cõtra nostram malitiam: Iesus lumen est contra nostram ignorantiam: Iesus gloria est contra nostram miseriam. O igitur, bone Iesu, vtinam sis nobis Iesus, id est, Saluator, salutare, & salus, nostram malitiam per tuam potentiam sanans. Vtinam sis nobis lumen, nostram ignorantiã per tuam sapientiam illuminans. Vtinam sis nobis gloria, nostram miseriam per tuam misericordiam saluans. Magna quippe est misericordia nostra, ideoq; ad nostram salutem opus est misericordia tua.

Laurentius Iustinianus. 1430.

De triumphali Christi agone cap. 1. Misit misericordiarum Pater & Deus totius consolationis, quando non sperabatur, Vnigenitum suum, in similitudinem carnis peccati, in hunc mundum, vt de peccato damnaret primorum parentum peccatum in carne sua, fieretq; Dei & hominum, verissimus Mediator, lapisq; angularis, in quo vtraque essent vnum. Talem siquidem illum fecit, vt pro originali delicto satisfacere posset, deberetq;. Nam in quantum Deus poterat, in quantum verò homo erat debebat. Quis enim, nisi Deus, diuinæ valet satisfacere offensæ? Et quis alius, nisi homo debet? In vna igitur persona conuenit Deus & homo, vnus Dominus Iesus, quia factus est nobis à Deo Patre sapientia, iustitia, sanctificatio, & redemptio, &c. O magnum pietatis opus, ô diuinæ miserationis indicium singulare? delinquit homo, & Dei Filius condemnatur.

Bernardinus Senensis. 1440.

Tomo 4. Sermone 40. Cape octauam, & nota cum quanto pretio tu (anima) es redempta; quia cum sanguine & vita Christi, ad denotandum pretiositatem animæ: quia vnus passus pedis, & vnicus ictus oculi Christi, & quilibet actus Iesu, & vna gutta sanguinis Christi erat sufficiens pro redemptione decem millium mundorum. Hinc sanctus Paulus dicit: *Empti enim estis pretio magno, portate Christum in corpore vestro*, &c. Nam si aliquis vestrũm posset habere vnam guttam sanguinis Christi, certè haberet illam valde charam. Sed quantum debes habere charam vnam animam, pro qua totus sanguis Christi est sparsus, qui nullo pretio potest comparari, nec intellectus potest intelligere? Considera ergo quanto pretio tu anima fuisti redempta.

Æneas Syluius. 1450.

In Passionem Saluatoris:

O Iesu, quantum genus hoc amasti
Perfidum, quòd ne moreretur, ipse
Pergis ad mortem, moriendo nostrã
Morte lauare nos.

Gabriel Bielus. 1470.

In lib. 3. Sentent. distinct. 19. Per peccatum primi hominis, quo Deus toti humano generi offensus fuit, homo cecidit in reatum, seu debitum mortis æternæ, & per hoc in potestatem diaboli, tãquam tortoris pœnam infligentis. Hoc debitũ, pro quãto obligat hominem ad pœnam luendam, dicitur *chirographum decreti:* quia sicut chirographum testimonium est, vel certitudo quædam debiti; ita obligatio, qua homo est debitor mortis æternæ, ex diuino decreto (quia certa est) metaphoricè dicitur chirographum decreti. Nunc autem remisso debito, quod est ordinatio hominis ad pœnam propter peccatum contractum vel commissum, liberatus est homo à culpa, à pœna, à potestate diaboli, & ab obligatione chirographi decreti. Quia remisso debito iam nõ est ordinatus ad pœnam, & per consequens, nec sub potestate diaboli, nec est sub obligatione chirographi. Fit autem hæc remissio per passionem Christi: quia ordinauit diuina sapientia hominem lapsum non ordinare ad vitam, & ita nec remittere culpam, nec pœnam, nisi ab aliquo innocente obsequium ita gratum offerretur, quantum culpa fuit displicẽs & ingrata. Christus ergo secundùm hominem ex charitate eligens mori, ad gloriam Dei obsequium tale obtulit. Nam plus placuit Deo hæc voluntas hominis Christi, ex tanta charitate elicita, quàm omnium hominum displicuêre peccata.

Philippus Beroaldus. 1490.

In Nænia de Passione Dominica, alloquens Iudæos:

Figite præclarum de Seruatore trophæum,
Sacrilegas armate manus, linguasq; procaces
Exercete odijs, & Christi poscite mortem:
Mortem, quæ vobis flagrantia Tartara pandit:
Mortem, quæ nobis patefecit limina cæli:
Quæ mortis vires, & formidabile virus
Insidiatoris fracta cerutice draconis
Extinxit: rupit pedicas, nodosq; resoluit.
O mors, tu nobis vitalia lumina præbes;
Nectar, & ambrosiæ succos tu sancta propinas:
Per te tartareos manes immane barathrum,
Infernosq; lacus stygios, Plutonia regna,
Effugimus: per te sublimia tecta petuntur.
Panditur Elysium per te sedesq; beatæ:
Per te parta salus, per te cælestia regna.

Ioannes Iouianus Pontanus. 1506.

Carmine ad amicos Hierosolymam proficiscentes:

Hîc, vbi crudeli traiectus brachia ferro est,
Fixit & immeritos cuspis adacta pedes,
Hausit & immeritum latus, heu ferrale telum,
Diluit & fusus crimina nostra cruor.

Ioannes Eckius. 1520.

Homilia 51. de Pœnitentia: Ita largiter redemit nos Christus suo sanguine, vt si etiam superessent mũdi centum, sufficienter pro omnibus effusus esset sanguis Christi. Sic si alteri lanci libræ imponas totius mundi peccata, alteri autem sanguinem Christi, quantum hic præualebit & præponderabit?

Synodus Tridentina. 1550.

Sess. 6. cap. 7. Iustificationis impij causa est misericors Deus, qui gratuitò abluit & sanctificat me-

ritoria

ritoria est dilectissimus Vnigenitus, qui cùm essemus inimici, propter nimiam charitatem, qua dilexit nos, sua sanctissima passione in ligno crucis nobis iustificationem meruit, & pro nobis satisfecit.

Hanardus Gamerius Musæus. 1565.

Satyra de Christi merito:

Quin ea Pontifici quæ subsunt pectora nostro,
Orbis item partes, locus omnis, & angulus omnis,
Omnia postremò pictis data signa figuris
Testantur, perhibent, proclamant, itque fatentur,
Quòd syncera fides Christo dependeat vno,
Quòd Christus sit sola salus, & sola salutis
Anchora, quæ ventis tempestatiq; resistat:
Quòd Christus proprij pretio nos sanguinis emit,
Emptis pollicitus cælestis præmia regni:
Quod confidentes nos expectamus ab illo.

Martinus Isengrinius. 1580.

In Missali cap.1. Confitemur, & quidem libenter cõfitemur cum Ecclesia Dei, quòd solus Christus per illud in ara crucis oblatum sacrificium, Deo Patri suo cumulatè satisfecit, peccatorum nostrorum remissionem, cum Deo Patre reconciliationem, filiorum eius adoptionem, regni cælestis hæreditatem nobis sufficienter promeruit.

ASSERVNT CANTICA ET HYmni Romanæ Ecclesiæ.

In precibus Matutinis: Te ergo quæsumus tuis famulis subueni, quos pretioso sanguine redemisti.

In Missa: Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cælis, & incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine. *Et homo factus est.* Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato. *Passus & sepultus est.*

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis.

In Completorio:

Defensor noster aspice,
Insidiantes reprime:
Guberna tuos famulos,
Quos sanguine mercatus es.

In Festo Annuntiationis B. Mariæ Virginis: Hæc est dies, quam fecit Dominus: exultemus, & lætemur in ea. Hodie Dominus afflictionem populi sui respexit, & redemptionem misit: hodie mortem, quam fœmina intulit, fœmina fugauit: hodie Deus homo factus est; id quod fuit, permansit; & quod non erat, assumpsit. Ergo exordium nostræ redemptionis deuotè recolamus, & exultemus, dicentes, Gloria tibi Domine.

In Aduentu Domini:

Mens iam resurgat torpida,
Quæ sorde extat saucia:
Sydus refulget iam nouum,
Vt tollat omne noxium.
De sursum Agnus mittitur,
Laxare gratis debitum.

In Christi Natalibus:

Beatus auctor seculi
Seruile corpus induit,
Vt carne carnem liberans,
Non perderet quos condidit.

In Epiphania Christi:

Herodes hostis impie
Christum venire quid times?
Non eripit mortalia,
Qui regna dat cælestia.
Lauacra puri gurgitis
Cælestis Agnus attigit:
Peccata, quæ non detulit,
Nos ad luendo sustulit.

In Octaua Epiphaniæ: Caput draconis Saluator contriuit in Iordane flumine, ab eius potestate omnes eripiens. Magnum mysterium declaratur hodie, quia Creator omnium in Iordane expurgat nostra facinora.

In Quadragesima: Media vita in morte sumus, quem quærimus adiutorem, nisi te Domine? qui pro peccatis nostris iustè irasceris: Sancte Deus, sancte fortis, sancte & misericors Saluator, amaræ morti ne tradas nos.

In Dominica Passionis:

Vexilla Regis prodeunt,
Fulget crucis mysterium,
Quo carne carnis conditor
Suspensus est patibulo.
Quo vulneratus insuper
Mucrone diræ lanceæ,
Vt nos lauaret crimine,
Manauit vnda sanguine.
Confixa clauis viscera:
Tendens manus vestigia,
Redemptionis gratia:
Hæc immolata est hostia.

Hebdomada Passionis:

Pange lingua gloriosi
Prælium certaminis,
Et super crucis trophæo,
Dic triumphum nobilem:
Qualiter Redemptor orbis
Immolatus vicerit.

Tempore Paschali:

Cuius corpus sanctissimum
In ara crucis torridum,
Cruore eius roseo
Gustando viuimus Deo.
Protecti Paschæ vespere
A deuastante Angelo,
Erepti de durissimo
Pharaonis imperio.
Iesu nostra redemptio,
Amor & desiderium,
Deus creator omnium,
Homo in fine temporum.
Quæ te vicit clementia,
Vt ferres nostra crimina:
Crudelem mortem patiens,
Vt nos à morte tolleres?

ASSERVNT IVDÆI VETERES.

Rabbenus Haccadas.

Libro, qui inscribitur, Reuelator arcanorum: Messias per suam ipsius mortem stirpem Adami saluam faciet, & animas ab inferno liberabit, quo nomine Iesus vocabitur, id est Saluator.

Rabbi Moses Hadarsan.

In Psal.49. ad illa verba: *Et viuet vltra in sempiternum, & non videbit infernum, cùm viderit sapientes morientes,* &c. Hic textus dictus est de Rege Messia, qui morietur propter redimendos Patres. Et postmodum viuet in sempiternum, nec videbit infernum, quemadmodum sapientes, qui moriuntur.

Rabbi Ioses.

In libro Siphræ: Egredere & dicæ meritum Regis Messiæ, ac præmium iustorum ab antiquo Adam. Cui non fuit datum nisi vnum præceptum de negatiuis, & transgressus est illud. Vide quot mortes decretæ sunt ei, & generationibus eius, generationibusq; generationum, vsque ad finem omnium generationum. Porrò quænam mensura multiplicatur, mensurane boni, an mensura vindictæ? Esto dicens, quòd mensura boni multiplicatur, mensura verò vindictæ minuitur. Quasi dicat, Deus semper citra condignum punit, & vltra condignum remunerat. Rex igitur Messias afflictus & humiliatus ieiunio, pœnisq; affectus, meritum & præmium omnibus retribuet. Sicut dictum est Esaiæ 53. *Et Dominus obuiare fecit in eo peccatum omnium nostrum.*

Midras Schir Haschirim.

Ad hęc verba Cant.1. *Racemus Copher.* Messias erit Ecclesiæ vir omnis propitiationis, & nascetur ex filijs Abraham, & satisfaciet pro peccatis, & poterit dicere mensuræ iudicijs: satis est. Hunc autem Deus oppignorabit, & tradet pro suis.

Cap.4. Sæpe, inquit Dominus, protexi populum meum propter meritum vnius post mille generationes venturi, quas ego succedere feci, vt tandem adducerem illis clypeum ipsum, qui vnicum liberorum meorum desiderium est, & qui solus mille clypeorum instar illis erit.

Midras Ruth.

Cap.2. Messias morte sua animas ab inferno liberaturus est.

ARTICVLVS OCTAVVS.

CHRISTI SALVATORIS CONCEPTIONEM, NATIVITATEM, CIRCVMCISIONEM, EPIPHANIAM, PASSIONEM, RESVRRECTIONEM, SEV PASCHA, ASCENSIONEM, PENTECOSTEN, ET OMNES DOMINICAS DIES RELIGIOSE, deuotè, ac festiuè celebrandas esse.

NEGANT.

Anno post natũ Christũ

270. *MANICHÆI Pascha & Resurrectioni consecratos dies reijciunt.* Augustinus contra epist. Manichæi cap.8. Et lib.1. contra Faustum cap.22.

350. *Aërius negauit celebrandum esse Pascha, ne videamur esse sub lege.* Epiphanius & Augustinus de Aërianis.

1140. *Petrobrusiani ridebant dierum solennium vacationes, & omnia festa tollebant, tanquam festi dies ad cæremonias Iudæorum solùm pertinerent.* Guilhelmus Abbas vitæ S. Bernardi lib.3. cap.5.

1313. *Lollardi dies festos non obseruabant, sed in die Paschatis laborabant.* Trithemius in Chronico Hirsaugiensi de anno 1313.

1380. *Guilhelmus Albus docuit, quòd diebus Dominicis, & alijs indictis ab Ecclesia festis, quantumcunque solennibus, licitum est fidelibus operari, & quæcunque opera temporalia facere & exercere.* Thomas VValdensis Tomo 3. Tit.16. cap.40.

1520. Martinus Lutherus contra Ambrosium Catharinum: *Nonam illam scelerati Antichristi faciem facio, festorum dierum multiplicationem & iniquitatem. Sic enim hodie Sanctissimus docet homines per otium Deo seruire, id est, vt ipse exponit, intermissione operum seruilium. Cùm omnes dies liberi sint, & ad laborandum, & ad feriandum.*

Libro ad Nobilitatem Germaniæ: *Consulo, vt omnia festa, præter diem Dominicam, aboleantur.*

1525. *Andreas Carlstadius omnia festa abrogauit, nec vllum festum præter Sabbathum docuit esse colendum.* Erasmus Alberus contra Carlstadium.

1540. Sebastianus Francus Paradoxo 89. *Templorum, Festorum, sacrificiorum* &c. *nullus in nouo Testamento vsus est.*

1579. Lambertus Danæus Ethices Christianæ lib.2. cap.10. *Christo veteres dies quosdam sacrârunt, atque dedicârunt, cuius & Natalem, & Epiphaniæ, & Resurrectionis, & Ascensionis dies coluerunt, fidei confirmandæ, atque testificandæ gratia. Et quamquam Christus est hodie, & heri, & eius mortis, resurrectionis, & ascensionis memoria quotidie nobis ob oculos versari debet: tamen ob circumstantiam temporis, Patres meritò eorum dierum celebrârunt memoriã: quòd illis res esset cum Ethnicis hominibus: Nobis hodie eosdem obser-*

obseruare dies nihil est necesse, quibus cum Ethnicis, Christum passum vel natum negantibus, res non est. Itaque neque dies istos colere, aut obseruare necesse est, aut etiam operæ pretium.

ASSERVNT SACRÆ LITERÆ.

Actor. 20. Vers. 7. Vna Sabbathi cùm conuenissemus ad frangendum panem. 16. Festinabat, si possibile sibi esset, vt diem Pentecosten faceret Hierosolymis.

1. Cor. 16. 2. Per vnam Sabbathi vnusquisque vestrûm apud se seponat.

Apocal. 1. 10. Fui in Spiritu in Dominica die.

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Clemens Romanus. 80.

Constitut. Apost. lib. 2. cap. 59. Die Dominico, qui est dies resurrectionis, studiosius templum Domini adite, vt Deum celebretis.

Lib. 5. cap. 12. Dies festos agite, ac primũ quidem diem Natalis, qui 25. die mensis noni celebratur: post hunc dies Epiphaniæ in maximo honore sit, in quo Dominus diuinitatem suam nobis patefecit.

Cap. 16. Oportet, fratres, vt qui pretioso Christi sanguine redempti estis, dies festos Paschæ accuratè, & omni diligentia post Æquinoctium celebretis.

Cap. 19. Post decimum diem ab Ascensione, qui est Pentecoste, id est à Dominica prima quinquagesimus, sit vobis maximè festus: tunc enim hora tertia misit nobis Dominus donum Spiritus sancti.

Lib. 8. cap. 33. Tota magna hebdomada, & proximè sequenti vacent serui: quia illa passionis est, hæc resurrectionis. Die Assumptionis vacêt, quòd tunc fuerit impositus finis œconomiæ Christi. In Pentecoste vacent propter aduentum Spiritus sancti, qui datus est eis, qui in Christum crediderunt. In festo Natalis vacent, quòd eo die præter omnem exspectationem tributa sit hominibus tanta lætitia, vt Deus Verbum, & Dei Filius ex Maria ad salutem mundi natus fuerit. In die festo Epiphaniæ vacent, quòd eo die declarata sit diuinitas Christi, testimonio Patris in baptismo.

Ignatius. 100.

Epistola ad Philippenses: Festiuitates ne dehonestetis: post passionis Dominicæ hebdomadã ieiunare, quartis & sextis ferijs ne negligatis. Si quis Dominicam diem, aut Sabbathum, vno excepto, ieiunauerit, Christi interfector est. Si quis cum Iudæis celebrat Pascha, aut symbola festiuitatis eorum recipit, particeps est eorum qui Dominum occiderunt, & Apostolos eius.

Ad Magnesianos: Post Sabbatum omnis Christi amator Dominicum celebret diem, diem resurrectioni consecratum Dominicæ, reginam & principem omnium dierum, quam expectãs Propheta dicebat: *In finem pro octaua:* In qua & vita nostra exorta est, & per Christum mors deuicta.

Iustinus Martyr. 160.

Oratione ad Antoninum Pium: Solis die communiter omnes conuentum agimus. Quandoquidem is primus dies est, quo Deus tenebris & materia (quam prius creauerat) versa mundum effecit: & Iesus Christus Seruator noster eo ipso die à mortuis resurrexit.

Dionysius Corinthiacus. 160.

Epistola ad Romanos: Hodie sacrum diem Dominicum celebraui mus, in quo vestram Epistolam, qua vos ad studium pietatis cohortaremur, legimus.

Theophilus Antiochenus. 170.

Lib. 1. Commentariorum in Euangelia: Primo die azymorum facto vespere Christus à Iuda traditus est, primus Parasceuæ passionis Dominicæ intelligendus est dies, secundus Sabbathi, tertius is, qui à resurrectione Domini Dominicus appellatur, & primus est Sabbathi.

Polycrates Ephesius. 180.

Epistola ad Victorem: Nos diem Paschatis integrè incorruptèq; recolimus, neque addendo quicquam, neque detrahendo. Etenim hi, Philippus, Ioannes, Polycarpus, &c. in Asia obdormierũt in Domino præclara illa Ecclesiæ seminaria, qui omnes diem Paschatis decimaquarta die lunæ ex Euangelij præscripto obseruârunt.

Irenæus. 180.

Epistola ad Victorem: Presbyteri, qui ante Soterem Ecclesiæ, cui tu iam præes, præficiebantur, Anicetum dico, Pium, Higinum, Telesphorũ, Sixtum, licet neque ipsi hoc festum, eo die, quo Episcopi Asiæ obseruarent, neque alijs post se ita obseruare permitterent, nihilominus tamen cum Episcopis illarum Ecclesiarum, in quibus ita obseruabatur, ad se accedentibus, pacem inter se & concordiam perpetuò retinuerunt, ac nũquam propter istum varium illius festi obseruandi modum, fuêre vlli aliquando ab Ecclesia eiecti.

Clemens Alexandrinus. 200.

Libro 7. Stromaton cap. 7. Is cùm executus sit præceptum, quod est ex Euangelio, facit illum diẽ Dominicum, quãdo malam abiecerit cogitationem, & acceperit eam quæ est ex cognitione, eam quæ est in ipso, Domini glorificans resurrectionem.

Origenes. 230.

Homilia 7. in Exodũ: Quòd si ex diuinis Scripturis hoc constat, quòd die Dominica Deus mãna pluit, & in Sabbatho non pluit, intelligant Iudei, iam tunc prælatam esse Dominicam nostram Iudaico Sabbatho: iam tunc indicatum, quòd in Sabbatho ipsorum gratia Dei de cælo ad eos nulla venerit.

Lib. 8. contra Celsum: Vnde generosè mihi videtur dictum in Epistolis Paulinis: *Dies obseruatis, & menses, & tempora, & annos, vereor ne frustra in vobis laborauerim.* Quòd si quis nobis ex aduerso regerat nostras Dominicas, Parasceuesqúe, aut Pascha & Pentecosten recurrentes solenniter: respondendum est, & ad hoc qui perfectus est, rationi, operibus, cogitationibus perpetuò hærens Deo Verbo naturali nostro Domino, semper agit dies Domini, & nunquam non habet diem Dominicam. Sic & qui semper parat seipsum ad veram vitam, abstinens à mundanis voluptatibus multos seducẽtibus, nec alens carnis ferociam, sed fugillans corpus suum, & in seruitutem redigens, semper agit Parasceues. Quisquis item cogitat, Pascha nostrum immolatum esse Christum, celebrãdumqúe hoc festum edendo carnem Verbi, nunquam non Pascha facit, quod interpretatur, ac si dicas transitoria: transiens semper ratione, omniqúe cogitatione atque actione ad Deum à negotijs secularibus, & ad ciuitatem eius festinans.

Gregorius Neocæsariensis. 260.

Oratione in Epiphaniam: O Christi atque hospitũ & fratrum amantes viri, etiam hodie suscipite linguam meam, qua de Christi baptismate in Iordanis flumine sumus verba facturi, vt maiore desiderio tantum Dominum, ita submissè ad nos descendentem prosequamini: licet enim Epiphanię Saluatoris celebritas præteriërit, gratia tamẽ ipsius perpetuò manet.

Petrus Alexandrinus. 300.

Canone 1. Quoniam quartum Pascha persecutionem iam apprehẽdit, satis est eis qui dilati sunt, &c.

Canone vltimo: Diem Dominicũ lætitiæ agimus diem, quòd in eo resurrexerit, in quo nec genua quidem flectere accepimus.

Constantinus Imperator. 320.

In Lomnes, C. de ferijs: Omnes Iudices, vrbanæq; plebes, & cunctarum artium officia venerabili die Solis, (*id est die Dominica*) quiescant; ruri tamen positi agrorum culturæ liberè licenterq; inseruiant. Quoniam frequenter euenit, vt non aptius alio die frumenta sulcis, aut vineæ scrobibus mãdentur, ne occasione momenti pereat commoditas cælesti prouisione concessa.

Sequentes Episcopi & Impp. hoc indultum abrogarunt.

Epistola ad Ecclesias, de actis Synodi Nicænæ, apud Eusebium lib. 3. vitæ Constantini cap. 17. Vbi cùm de sanctissimo festo Paschatis disceptaretur, communi omnium sentẽtia videbatur rectum esse, vt omnes vbique vno eodemqúe die illud celebrarẽt. Quid enim præstabilius, quidue augustius esse poterat, quàm vt hoc festum, per quod spem immortalitatis nobis ostentatam habemus, vno modo & ratione apud omnes integrè sincereq; obseruaretur? An primò quidem omnium indignum planè videbatur, vt ritum & consuetudinem imitantes Iudæorum, illud festum sanctissimum ageremus? In nostra enim situm est potestate, vt illorũ more reiecto, veriore ac magis sincero instituto, huius festi celebrationem, ad posterorũ seculorum memoriam propagemus.

Eusebius Cæsariensis. 320.

Eccles. Historiæ lib. 8. cap. 17. Iam verò cùm persecutio esset ad quintum annum continuata, ad 4. Non. Aprilis, in ipso die Dominico, & in ipso festo Resurrectionis Seruatoris nostri, Theodosia virgo ad tribunal accedit.

Vitæ Constantini lib. 4. cap. 64. Hæc sigillatim omnia gesta, & consummata sunt maxima illa celebritate venerandæ & sacratæ Pentecostes, quæ septem continuas hebdomadas omnibus honoribus decorata, ad extremum vnitatis numero consignata est. Huius in celebritatis extremo ferè die (quam si quis omnium celebritatum principem & maximam vocet, haud aberrauerit) omnia ista confecutus est Imperator.

Synodus Nicæna. 330.

In Actis à Ioanne Scholastico olim collectis: de Paschate: Sic autem acta sunt, quæ omnibus placuerunt, qui in sancta Synodo conuenerant, temporibus pij in Deum & Magni Imperatoris Constantini, qui non solùm Episcopos superius descriptos in vnum congregauit, vt nostræ genti pacem faciat, sed & ipse in eorum cœtu præsens conquirit, quæ Ecclesiæ Catholicæ conducunt. Quia igitur postquam excussum & extensum est, oportere ab vniuersis, qui sub cælo sunt, vno modo agitari Pascha, inuentæ sunt tres partes orbis, quæ Pascha cõcorditer agunt, vt Romani &c. vna verò Orientis dubitat, & discrepat. Visum est vt sublata omni quæstione ac controuersia sic etiam agant fratres, qui in Oriente sunt, vt Romani, & Alexandrini, ac cæteri omnes, vt omnes vno die Pascha celebrent. Et subscripserunt omnes Orientales, qui ab alijs discrepabant.

Canon. 20. Quoniam sunt in Dominica die quidam ad orationem genua flectentes, & in diebus Pẽtecostes, placuit de hoc sanctæ & magnæ Synolo, cunctos in omnibus locis consonanter, & consentienter stantes Dominum orare debere.

Athanasius. 340.

In dictum: *Omnia sunt mihi tradita à Patre meo,* &c. Finis prioris creationis est Sabbatum: secundæ autem creaturæ initium dies Dominicus, in quo veterem hominem renouauit & instaurauit. Sicut igitur prioribus temporibus Sabbati diem seruari voluit, in monumentum finis priorum: ita Dominicum diem veneramur in monumentum exordij secundæ reparationis.

Apologia ad Constantinum Imperatorem: Crede mihi Imperator, & in eam rem testem veritatem ipsam accipe, in Synaxibus Pentecostes ob multitudinem populorum, & in locis angustis, plurimos pueros, nec paucas puellas, & aniculas complures, & adolescentes multos afflictos iacuisse.

Epistola ad Orthodoxos de persecutione per Arianos: Noueram eos nihil sceleris in istam Ecclesiam omissuros, vbi ne ipsam quidem Dominicam diem sanctissimi festi vlla in reuerentia habuêre, quo minus eo ipso tẽpore, quo Dominus omnes ex mortis vinculis cõpedibusq; asseruerit, homines eius Ecclesiæ in vincula conijcerent.

Concilium Antiochenum. 344.

Canone 1. Omnes, qui audent dissoluere regulam sancti & magni Concilij Nicæni, de sancta & salutari festiuitate Paschali Saluatoris nostri, excommunicati & abiecti esse debent ab Ecclesia.

Synodus Laodicensis. 360.

Canone 29. Non oportet Christianos Iudaizare, & in Sabbato otiari: sed ipsos eo die operari: diem autem Dominicũm præferentes otiari: si modò possint vt Christianos.

Canone 51. Non oportet in Quadragesima nuptias, vel natalitia celebrare; sed sanctorum Martyrum facere commemorationes in Sabbatis & Dominicis.

Cyrillus Hierosolymitanus. 370.

Oratione de occursu Domini: Hodie dilecti festi huius stadium omni ex parte integrè percurramus, choreas ducamus, cum Pastoribus cælesti lumine perfundamur, cum Orthodoxis adoremus, cũ Bethlehem festum diem agamus, cum Simeone vlnis Christum complectamur.

Basilius Magnus. 370.

Homilia de humana Christi generatione: Nos quoque cum Angelis lætitiam voce gestuq; exprimamus: Nostrum hoc est festum, Theophaniam appellamus, in qua mundi salutarem concelebremus diem: Domini natalem hodiernũ pijs mentibus celebremus.

Exhortatione ad Baptismum: Quod autem tempus baptismo magis cognatum est, quàm Paschalis dies? quòd ea lux resurrectionis monumentum quoddam existat. Baptismi namque ad resurrectionem facultas quædam arrhabo q; est. Resurrectionis ergo gratiam in die Resurrectionis excipiamus.

Homilia 2. in Hexameron: Quæ cùm ita sint, vt ad futuram illam vitam, statumq; futurum illũ, nostram Moses mentem erigat, atque deducat, vnum eum appellauit diem, qui seculi ipsius imago, qui dierum primitiæ, qui luci coætaneus est. Ipsum inquam sanctum Dominicum diem, quem Resurrectio Domini honore præcipuo affecit.

Valentinianus, Valens & Gratianus AAA. 370.

L. quadraginta, C. de Ferijs: Quadraginta diebus, qui auſpicio cæremoniarum Paſchale tempus anticipant, omnis cognitio inhibeatur criminalium quæſtionum.

Valetinianus, Theodoſius, & Arcadius AAA. 380.

L. Nemo deinceps, C. de Epiſcop. audient. &c. Vbi primus dies Paſchalis extiterit, nullũ teneat carcere incluſum, omniũ vincula diſſoluantur. Sed ab his ſecernimus eos, à quibus cõtaminari potius gaudia lętitiamq; communẽ, ſi dimittantur, animaduertimus. Quis enim ſacrilego diebus Sanctis indulgeat? Quis adultero vel ſtupri inceſtiuę reo tempore caſtitatis ignoſcat?

L. omnes C. de Ferijs: Omnes dies iubemus eſſe iuridicos. Illos tantùm manere feriarum dies fas erit, quos geminis mẽſibus ad requiem laboris indulgentior annus excepit, æſtiuos feruoribus mitigandis, & autumnos fructibus decerpendis. Kalẽdarum quoq; Ianuariarum conſuetos dies otio mancipamus, &c. in quibus debẽt iura differri: ſacros quoq; Paſchæ dies, qui ſepteno numero vel præcedunt, vel ſequuntur. Dies etiam Natalis atq; Epiphaniarum Chriſti: & quo tempore commemoratio Apoſtolicæ paſſionis totius Chriſtianitatis magiſtræ à cunctis iure celebratur: in quibus etiam prædictis ſanctiſſimis diebus, neq; ſpectaculorum copiam reſeramus. In eadem obſeruatione numeramus & dies Solis, quos Dominicos ritè dixẽre maiores, qui repetito in ſeſe calculo reuoluũtur: in quibus parem neceſſe eſt habere reuerentiam, vt nec apud ipſos arbitros, vel à iudicibus flagitatos, vel ſponte electos, vlla ſit cognitio iurgiorum, &c. In quindecim autẽ diebus Paſchalibus cõpulſio annonariæ functionis, & omniũ publicorũ priuatorumq; debitorum differatur exactio.

In L. Actus, C. eodẽ: Actus omnes ſeu publici ſunt, ſeu priuati, diebus quindecim Paſchalibus conquieſcant.

Gregorius Nazianzenus. 380.

Oratione 41. quæ eſt in ſanctum Paſcha: Reſurrectionis dies, fauſtumq; principium: proinde ob feſtũ diẽ exſplẽdeſcamus, ac nos mutuò cõplectamur.

Oratione 43. quæ eſt oratio in nouã Dominicam: Quoniam inuidia diaboli mors in mundum intrauit, Deus paſſione noſtra patitur, nimirum homo factus, eoq; paupertatis ſeſe deijcit, vt caro compingatur, quò nos eius paupertate ditemur. Hinc mors, & ſepultura, & reſurrectio. Hinc noua creatura, & feſtum feſto ſuccedens, ac rurſus ego feſtũ diem agito, ſalutis meæ Encænia celebrans. Quid igitur (dixerit quiſpiam) nonne prima Dominica Encænium erat, ea inquam, quæ ſacroſanctam illam noctem, & luminum geſtationem excepit? Quid igitur hodiernæ Dominicæ hoc tribuis, ô feſtorum amans, & permultas animi hilaritates comminiſcens? Reſpondeo: Illa ſalutifera erat, hæc ſalutis natale: illa ſepulturæ & reſurrectionis confinium erat, hæc ſecundæ omnino regenerationis eſt: vt quemadmodum prima creatio, initium à Dominica die accepit, ſic etiam rurſus ſecunda ab eadem Dominica incipiat, vt quæ prima ſit earum, quæ ipſam ſequuntur, atque octaua ab ijs diebus, qui ante fluxerunt, ſublimi vtique ſublimior, & admirabili admirabilior.

Oratione 44. quæ eſt in ſanctam Pentecoſten: De hoc feſto pauca diſſeramus, vt ſpirituali modo feſtum diem agitemus. Aliud namque alij feſtum eſt: Verbi autem cultori ſermo, & ex ſermonibus is, qui tempori maximè congruit. Nec vlla pulchritudo pulchritudinis amantem perinde oblectat, vt feſtorum amantem ſpiritualis celebrandorum feſtorum ratio, &c. Feſtos dies agitamus, vt ſpiritui gratum eſt. Nec feriari noſtrum quicquam eſt aliud, quàm animæ aliquid eorum aggerere, quæ firma ac ſtabilia ſunt, ac manibus tenentur, non autem ſuffugiunt & dilabuntur.

Gregorius Nyſſenus. 380.

Oratione 3. de ſancto feſto Paſchæ: *Hæc* igitur eſt *dies, quam fecit Dominus: exultemus, & lætemur in ea*, non ebrietatibus, & comeſſationibus; non choreis, & debacchationibus inſanis; ſed diuinis, ac Deo conuenientibus cogitationibus. Hodie vniuerſum orbem terrarum videre licet, perinde ac ſi vna domus eſſet, in vnius rei, de more fieri ſolitæ, conſenſum & quaſi conſonantiam coijſſe, atque coaluiſſe, vnoq́ue ſigno, quaſi teſſera accepta, ad ſtudium orationis traductum: viæ publicæ viatoribus carent: mare hodie à nautis & vectoribus deſertum: agricola aratro ac ligone proiecto in habitum feriãtis compoſitus, & exornatus eſt: cauponæ à quæſtu vacant: ſtrepitus, tamquam hyems veniente vere, ceſſant: tumultus, turba, vitæ procellæ paci, & quieti diei feſti deceſſerunt: pauper vt diues exornatur: diues ſolito ſplendidior conſpicitur: ſenex perinde ac iuuenis accurrit, vt particeps lætitiæ fiat: infirmus quoque vim morbo adfert: puellus infans mutatione veſtis, ſigno externo feſtum colit, quandoquidem interiori animi ſenſu nondum poteſt: materfamilias cum toto grege domus, nemine familiarium ac domeſticorum abſente feſtum celebrans lætatur. Ac profectò ipſa imitatione præſens dies ad futurum rectè refertur atque comparatur. Vterque enim hominum cõgregator eſt: ille vniuerſorum, hic ſingularium.

Epiphanius. 380.

Hæreſi 75. In diebus Paſchatis fiunt apud nos humi dormitiones, caſtitates, afflictiones, ciccorũ eſus, preces, vigiljæ, ac ieiunia.

Oratione de Aſſumptione Chriſti: Eſt ſanè Pentecoſtes lætitia, in qua Apoſtolis Spiritus ſanctus datus eſt, magna, imò verò maior, quàm vlla omnino oratio aſſequi facilè queat: ſed nihil hæc ad huius diei, qua Dominus ad cælos aſſumptus eſt, celebritatem. Hæc enim ex omni parte & modo eſt maxima.

Theophilus Alexandrinus. 390.

Epiſtola prima Paſchali: Igitur Dominicũ Paſcha celebrantes, ſanctis Scripturarum purificemur eloquijs, & ad trophæa Saluatoris reſpicientes, cũcta offendicula, quibus vitæ noſtræ curriculum retardatur, auferamus è medio.

In edicto, cùm Theophania in Dominico die inſtaret: Et mos & honeſtas à nobis exigit, vt omnem diem Dominicum honoremus, eumq́ue celebremus: quoniam Chriſtus Dominus noſter præclarum in eo reſurrectionis ſuæ munus obijt. Et ideo in ſacris Scripturis ipſe & primus appellatus eſt, vt qui ſit nobis vitæ principium: & octauus, vt qui Iudæorum Sabbatiſmum exuperauerit.

Honorius & Theodoſius AA. 390.

In Lege Prouinciarum, C. de Ferijs: Prouinciarum præſides moneantur, vt in quæſtionibus latronum, & maximè Iſaurorum, nullum Quadrageſimæ tempus, nec venerabilis Paſchæ diem exiſtiment excipiendum: ne differatur ſceleratorum proditio cõſiliorum, quæ per latronum tormenta quærenda eſt.

Theodoſius Imp. 400.

In Lege 2. C. de Ferijs: Sanctum diem Paſchæ, & diem Natalis Domini, & Epiphaniæ, ſeptem, qui præcedunt, & ſeptem, qui ſequuntur, ſine ſtrepitu volumus obſeruari, & quod contra hoc factum fuerit, omnibus modis irritatur.

Ioannes Chryſoſtomus. 400.

De compunctione cordis lib. 2. Dominicam diem non octauam appellamus, ſed primam: quia non poteſt in octauum numerum reuolui circulus ſeptimanæ.

Oratione 43. in priorem ad Corinth. *Per vnam Sabbathi*, hoc eſt die Dominico, *vnuſquiſque veſtrũm apud ſe ſeponat, recondens quod ei bene placuerit.* Vide quomodo etiam adhortatur à tempore. Dies enim erat idoneus, ad eos adducendos ad eleẽmolynam. Recordemini enim, inquit, quænam ea die cõſecuti eſtis. Bona enim ineffabilia, & radix, & initium vitæ noſtræ, eo facta ſunt. Non hac autem ſolùm ratione aptum eſt tempus ad benignitatem prompto & alacri animo exercendam, ſed & quod habet quietem ac remiſſionem, immunitatemq; & vacationem à laboribus. Nam anima à laboribus libera, redditur expeditior & aptior ad miſerendum.

Oratione de beato Philogonio: Appetit feſtum omnium feſtorum maximè venerandum, adornandumq́ue: quod ſi quis appellet omnium feſtorum metropolim, haudquaquã aberret. Quod autem hoc eſt? Chriſti iuxta carnem Natiuitas: Ab hoc enim illuſtratio diei, feſtum videlicet Epiphaniorum, ac ſacrum Paſcha, Aſcenſio, & Pentecoſte originem ac fundamentum ducunt. Niſi enim ſecundùm carnem natus eſſet Chriſtus, nequaquam baptizatus eſſet: nam id eſt feſtũ Theophaniorum. Nequaquam fuiſſet crucifixus: nam hoc eſt feſtum Paſchæ. Nequaquam miſiſſet Spiritum ſanctum, quod eſt feſtum Pentecoſtes. Itaque ab hoc, ceu fonte quopiam, hi diuerſi amnes orti, nata ſunt nobis hæc feſta. Verùm non ob hoc tantùm par eſt hunc diem cæteris anteponi; ſed etiam ob id, quòd id, quod in hoc natum eſt, cæteris omnibus eſt venerabilius.

Ioannes Caſſianus. 420.

Collat. 7. cap. 34. Quamobrem ſoporis modicum deguſtantes, diſcutiamus obrepentem oculis noſtris vicina iam luce torporem, ac deinceps pariter ad Eccleſiam procedentes, quoniam nos hoc facere Dominicæ diei ſolennitas commonet, reuerſi poſt ſynaxim, ea, quæ Dominus ad inſtructionem communem pro deſiderio veſtro largitus fuerit, duplicato gaudio conferamus.

Collat. 10. cap. 2. Intra Ægypti regionem mos iſte antiqua traditione ſeruatur, vt peracto Epiphaniorum die (quem prouinciæ illius ſacerdotes, vel Dominici baptiſmi, vel ſecundùm carnem Natiuitatis eſſe definiunt: & idcirco vtriuſque Sacramenti ſolennitatem non bifariè, vt in Occiduis prouincijs, ſed ſub vna huius diei feſtiuitate concelebrant) epiſtolæ Pontificis Alexandrini per vniuerſas Ægypti dirigantur Eccleſias, quibus & initium Quadrageſimæ, & dies Paſchæ, non ſolùm per ciuitates omnes, ſed etiam per vniuerſa monaſteria deſignentur.

Collat. 21. cap. 20. In die Dominica maiores noſtri nec ieiunium agendum, nec genu eſſe flectendum, ob reuerentiam reſurrectionis Dominicæ, tradiderunt.

Iſidorus Peluſiota. 440.

Lib. 3. epiſt. 110. Cùm Epiphania, aut carnalis noſtri Saluatoris Natiuitas Dominico die occurrerit, dũplicem ſolennitatem efficit, ac velut feſtum in feſto. Eodem modo ſi apud Iudæos feſtum in Sabbati diem incidiſſet, Sabbata Sabbatorum vocabatur.

Leo & Anthemius AA. 460.

C. de Ferijs: Dies feſtos maieſtati altiſſimæ dedicatos nullis volumus voluptatibus occupari, nec vllis exactionũ vexationibus profanari. Dominicum itaque diem ita ſemper honorabilem decernimus & venerandum, vt à cunctis executionibus excuſetur: nulla quemquam vrgeat admonitio, nulla fideiuſſionis flagitetur exactio, taceat apparitio, aduocatio deliteſcat, ſit ille dies à cognitionibus alienus, præconis horrida vox fileſcat, reſpirent à controuerſijs litigantes, & habeant fœderis interuallum, ad ſeſe ſimul veniant aduerſarij non timentes, ſubeat animos vicaria pœnitudo, pacta conferant, tranſactiones loquantur: nec huius tamen religioſæ diei otia relaxantes, obſcœnis quenquam patimur voluptatibus detineri. Nihil eodem die ſibi vindicet ſcena theatralis, aut Cyrenſe certamen, aut ferarum lachrymoſa ſpectacula: & ſi in noſtrum ortum aut natalem celebranda ſolennitas inciderit, differatur. Amiſſionem militiæ, preſcriptionemq́ue patrimonij ſuſtinebit, ſi quis vnquam hoc die feſto ſpectaculis intereſſe, vel cuiuſcunque iudicis apparitor, prætextu negotij publici ſeu priuati, hæc, quæ hac lege ſtatuta ſunt, crediderit temeranda.

Andreas Cæſareenſis. 500.

Ad c. 1. Apoc. Diuino Spiritu afflatus (*Ioãnes*,) aurẽq́ue nactus ſpiritalem die Dominico, qui propter Chriſti reſurrectionem præ cæteris celebris habetur, *Audiui*, inquit, *vocem*, &c.

Theodorus Lector. 520.

Lib. 1. Collect. Leo ſtatuit, vt Dominicis diebus otium ſeruaretur ab omnibus, nec quicquam operis in illis fieret, ſed venerabiles eſſent.

Dorotheus Abbas. 520.

Doctrina 23. Atque hoc maximè faciendum eſt, cùm Dominica ſolennitas, vel ſanctorum Martyrum, vel quæcunque dies ſancta fuerit & præclara, ita vt pſalmodię ſtudiũ & curam adhibeamus, & mentem tamen non diuertamus à virtute ſanctorum verborum.

Inſtinianus Imperator. 540.

In Authentica. Ne luxu. cont. natur. cap. 1. Et quidem ſcientes prudentesq́ue ad ſanctorum dierum reuerentiam benignum Deum obſecramus, vt ita hi, qui impiæ huius actionis cœno coinquinati ſunt, pœnitentiam capeſſant, &c. Prædicimus autem omnibus, qui huiuſmodi alicuius ſibi peccati conſcij ſunt, niſi peccare deſierint, & ſeipſos renuntiantes beatiſſimo Patriarchæ, ſalutis ſuæ curam gefferint, pro impijs actionibus Deũ intra ſanctum feſtum placantes; quòd acerbiora ſibi accerſent ſupplicia.

Cyrillus Eremita. 540.

De S. Euthymio: Cùm ergo eſſet tam fraternus inter eos conſenſus, in Catilæ ſolitudinem peruenerunt, octauo die poſt feſtum Luminum, tranſigentes in ſolitudine, donec veniret feſtum Palmarum.

Vitæ S. Ioannis Silentiarij cap. 10. Paſchali iam feſto appropinquante, eamus, inquit, ad Lauram, & diem feſtum Paſchæ peragemus cum fratribus.

Vitæ S. Sabæ cap. 14. Cùm præclarum Paſchatis diem præclarè celebraſſet.

Andreas Cretenſis Hieroſolymitanus Epiſcopus. 560.

Oratione in Annuntiationem Deiparæ: Hodie rerum omnium potentia procreatrix, conſilium, quod ſibi in illis procreandis propoſuerat, ad exitum perducit, vt malitiæ Principis dolos, ab ini-

tio excogitatos destruat. Itaque lætantur homines, gaudent Angeli, & recreatus in se orbis redit vniuersus: Meritò igitur diem hunc festũ lætumque dicimus, quo nostri generis massam à Deo assumptam celebramus.

Hesychius. 590.

Lib.2.in Leuiticum, cap.9. Nam & nos illorum sequentes traditionem, Dominicam diem diuinis conuentibus sequestramus.

Lib.6.cap.23. Planius Legislator intentionem suam demonstrare volens, ab altero die Sabbati memorari præcepit quinquaginta dies, Dominicum diem proculdubio volens intelligi: hic enim est altera dies Sabbati. In hac enim resurrectio facta est, qua hebdomadæ numerantur septem, vsq; ad alterum diem expletionis hebdomadæ. Dominica rursus die Pentecostes celebramus festiuitatem, in qua sancti Spiritus aduentum meruimus.

Euagrius. 600.

Lib.1.cap.3. Itaque literæ Imperatoris erant ad Cyrillum missæ, quæ diem Pentecostes, quo die vitalis & sacer Spiritus ad nos descendit, conuentui præstituerunt.

Georgius Presbyter. 620.

De Sancto Theodoro Archimandrita: Ea verò nocte, qua Christi ortus celebratur, cùm ad eum clerici quidam & laici conueniissent, cum illis ab oratorio ad flumen transeundum descendit, &c. In templo S. Ioannis Baptistæ abstinentiam suam obseruauit à Natali die Christi vsque ad Ramos Palmarum; vnde egressum eum, ac ferrea cellula inclusum, ante illam celebritatem in locum eius reduxerunt.

Sophronius Hierosolymitanus. 630.

Oratione in Christi Natalitia: Lætam illustremq; præsentem diem cerno: vtpote gemino nos splendore & luce perfundentem, geminaque lætitia & iucunditate genus nostrum cumulantem, &c. Iure proinde meritóque lucem hanc dierum dominam appellaueris: vt quæ communem omnium Dominum nobis ex mortuis exhibeat rediuiuum, Natalitiaq; ob illius ex Virgine ortũ solennitate aucta & cumulata sit.

In vita Mariæ Aegyptiacæ: Ita omnia ieiunia celebrantes, reuertebantur ad monasterium, ante viuificum diem Resurrectionis Domini & Saluatoris nostri Iesu Christi, cùm festum Dominicum cum ramis Palmarum celebrare sancta cœpit Ecclesia.

Sexta Synodus Constantinopolitana. 680.

Cap.8. Diei verò Dominici (quia in eo Deus lucem condidit, in eo manna in eremo pluit, in eo nasci dignatus sit, in eo stella Magis refulsit, &c. in eo ipse pius Redemptor humani generis pro salute nostra à mortuis resurrexit, in eo Spiritum sanctum super discipulos infudit,) tanta debet esse obseruantia, vt præter orationes & Missarum solennia, & ea, quæ ad vescendum pertinent, nihil aliud fiat. Nam etsi necessitas fuerit nauigandi, siue itinerandi, licentia datur, ita duntaxat, vt huius occasione, Missæ & orationes non prætermittantur.

Synodus Trullensis. 710.

Can.89. Dies salutiferæ passionis in ieiunio, & oratione, & cordis compunctione peragentes fideles, vsque ad mediam magni Sabbathi noctem ieiunare oportet.

Canone 90. Dominicis genu non flectere, à diuinis nostris Patribus, Christi resurrectionem honorantibus, canonicè accepimus. Ne ergo huius obseruationis euidentiam ignoremus, fidelibus manifestum facimus, quòd post Vespertinum sacerdotum ad altare Sabbato ingressum, ex consuetudine, quæ seruatur, nemo genu flectit, vsque ad sequentem vesperam in die Dominico, in qua post ingressum in Vespertino siue Completorio genua rursus flectentes, Domino preces sic offerimus.

Ioannes Damascenus. 730.

Oratione de Transfiguratione Domini nostri Iesu Christi: Agedum, ô pie cœtus, hodiernum hunc diem lætis animis celebremus. Agedum, hunc festum diem cum supernis Virtutibus agitemus. Huc enim nobis cũ festi celebrandi gratia venerũt. Agedum, *in cymbalis bene sonantibus*, hoc est, labijs *iubilemus*. Agedum, spiritu exultemus. Cui enim festum ac lęta celebritas? cui voluptas & exultatio? an non ijs, qui Dei timore præditi sunt, qui Trinitatem colunt? &c. Nobis lætitia, & festiuum omne gaudium: nobis Christus festa perfecit. Psal.148.

Carmine de Dominica Paschæ: Resurrectionis dies: splendescamus, ô populi: Pascha Domini, Pascha. Nam ex morte ad vitam, & è terra in cælum Christus Deus nos traduxit, triumphum canentes, &c. *Cæli*, vt par est, *lætentur, & exultet terra.* Festum diem agat mundus vniuersus, tam visibilis, quàm inuisibilis. Christus enim, qui sempiterna lætitia est, ad vitam redijt. &c. Hæc dies vocata sancta; hæc vna Sabbatorum, regina & Domina, festorum festum, & celebritatum celebritas: in qua Christum in secula laudamus.

Carmine in Ascensione Domini: Christi, qui super Cherubinorum humeros cum gloria ascendit, ac nos in paterna dextera consedere fecit, triumphale carmen canamus, quoniam glorificatus est.

Pantaleon Diaconus. 850.

Oratione de Luminibus sanctis: Quæ festi huius est gratia, nihil puto sermonis eam splendore indigere. Omni quippe orationis elegantia, quæ in præsentiarum tractamus, pulchriora sunt, nec sermo vllus tam venustus, atque nostra hæc est per se panægyris. Quid etenim possit præsente nostra solennitate esse splendidius, ad quam & cælestia ad celebrandum regna conueniunt: ad quæ Regis desuper animus quoque accessit: in qua & terricolarum Rex, abscondito diademate, cum populo conuersatur: imò qui Dominus est vniuersi, Christus ad captiuum ducendum Sathanam delapsus, tecta per humanam speciem diuinitatis suæ maiestate, cum populo Iudaico cohabitat, & baptismi se vsui submittit, cùm ipse sit baptizantis baptisma.

Leo Imperator cognomento Philosophus. 880.

Oratione encomiastica in S. Chrysostomum: Aderat dies festus & celebris Crucis in altum elationis, & iusserat Pontifex, vt portæ Ecclesiæ clauderentur, &c. Erat dies maximus Christi ortus: Imperator autem, vt mos est, non simul aderat; significauit autem Pontifici, se non prius cõmunicaturũ, quàm ipse crimina diluisset. Sic præterijt etiã Quadragesima, & die vno ante Pascha, rursus Imperator eadem significat, &c. Quæ agebat, sciebant omnes: confunditur vniuersus populus, confunditur etiam dies festus, metus in fugam conijcit, & fugientes clerus, & quidquid erat fidelis populi, & eorum, qui gerebant magistratus, diuinum Pascha in quodam lauacro, quod Constantinianum dicitur, celebrârunt, vigilantes in illi-

illius noctis glorificationibus, & eos, qui erant catechesi instituti, baptizantes, & ea, quæ tempori conueniunt, munera obeuntes.

Constitutione 54. Statuimus nos etiam, quod Spiritui sancto, ab ipsoq; institutis Apostolis placuit, vt omnes in die sacro, quoq; nostra integritas instaurata est, à labore vacent: neque agricolæ, neque quiquam alij in illo illicitum opus aggrediantur. Si enim qui vmbrã quãdam atq; figuram obseruabant, tantopere Sabbati diẽ venerabantur, vt ab omni prorsus opere abstinerent, quomodo, qui gratię lucem, ipsamq́ue veritatem colunt, hos eum diem, qui à Domino honore ditatus est, nosq́ue ab exitij dedecore liberauit, non venerari par est? aut quomodo, cùm ex septem diebus vnus in Domini honorem consecratus sit, nos aliorum ad opera vsu contentos non esse, neque illum Domino eximium & inuiolatum conseruare: sed ipsum etiam vulgarẽ facere, nostrisq; operibus applicandum putare, religionis non est prorsus dissolutæ?

Theophylactus. 900.

Ad cap.24. Lucæ: Vnam Sabbatorum, primam dierum Sabbati, hoc est hebdomadæ dierum nominat, quæ apud nos, propter Resurrectionem Dominicam, Dominica dicitur.

Simeon Metaphrastes. 970.

Encomio in S. Martyrem Georgium: Ante illum quidem effulsit, & cum lucidissima splendentis auroræ hora exortus est, vel statim consequentem, aut continuam potius eam horam habuit dies ille festus, à toto mundo celebratus, omniumq́ue splendidissimus ac præcipuus, Saluatoris, inquã, Christi veri Dei ac Domini nostri & Martyrum principis, crucem passi & resurgentis. Idem quoque beati Georgij dies festus meritò consequẽtem habet eiusdem Christi ad cælos Assumptionem, quo die humanam nostram naturam in seipso vnà cum Patre collocauit.

Suidas. 970.

In αὐτὴ ἡ ἡμέρα: *Hæc est dies, quam fecit Dominus*, hoc est, Dominicum diem Pascha 25. Martij. Si igitur tertia die resurrexit Christus, vt ipse dixit, (*oportet Filium occidi, & tertio die resurgere,*) quam ob rem octauus dicitur dies Dominicus? Tertius à supplicio in cruce, octauus ab opificio & resurrectione. Principium enim huius aspectabilis mundi eo fuit, & verum lumen Christus eo resurrexit.

Euthymius. 1080.

Præfatione in Psalterium: Christi Conceptio tempore primùm fuit, postmodum Natiuitas, deinde impositio nominis, & Circumcisio: post hæc adductio in templum, & Hypantesis, hoc est, obuiatio, quam Latini Purificationem Virginis appellant. Verùm apud nos festiuitates illæ alio ordine atque alio interuallo celebrantur. Primò enim Conceptionem, ac deinde statim Resurrectionem celebramus. Vides quanta sit temporis festiuitatum distantia, & dierum coniunctio? Rursus Assumptio, Transfiguratio, Natiuitas, & deinde postrema omnium Apparitio, ac manifestatio celebratur.

Michael Glycas. 1120.

Parte 4. Annalium fol.348. Decretum est in Synodo Nicæna, vt Paschatis festum ita celebretur, quemadmodum hodie mos obtinet. Nam antea die mensis lunaris 14. Pascha celebrabatur, quomodo, quicunque festum hoc celebrant, eos sanctum & vniuersale Concilium canone 7. Quarto-decumanos & Quartanos appellat. Non enim die Dominico Paschà celebrabant, sed vbi decimus-quartus lunaris dies appetijsset, quo nimirum die luna plena esset; & quidem ita festum hoc celebrabant, vt in eo ieiunarent, ac priuilegijs vterentur.

Emmanuel Comnenus. 1140.

Apud Theodorum Balsamonem in Titulum 7. Photij de Ieiunio: Cum his, vt ab omni negotio penitùs immunes, computabuntur etiam Quadragesimalis ieiunij medietates, & Pentecostes, & Seruatoris Assumptio, & omnes totius anni Dominicæ, vt in eis sit excluſus omnis ad iudicium aditus, & nullus eorum, quibus iudicare forte datum est, iudiciale quid exerceat.

Nicetas Choniates. 1200.

In Ioanne Comneno: Imperator celeberrimo Resurrectionis Christi die diuina mysteria percepit.

Nicephorus Callistus. 1300.

Eccles. Histor. lib.7. cap.46. Constantinus diem eum, quem Iudæi primum numerauerunt, & Græci Soli dicârunt, Dominicum appellauit, eumq́ue festum & feriatum esse omnibus lege lata statuit.

Georgius Codinus. 1400.

De officialibus Palatij Constantinopolitani fol.130. Cùm igitur dies festus diuinarum Theophaniarum aduenit, sic planè colitur, vt & dies Natalium Christi.

Folio 128. Cùm autem Imperator quotannis quinquies cibum in triclinio sumat astantibus omnibus Principibus, indutis pallas & tunicas honoratas suas, nempe die festo Natalium Christi, Luminum die, item die Palmarum, die magno Dominico Paschatis, & die S. Spiritus.

Zaga Zabo Æthiops. 1536.

In confessione fidei Aethiopicæ: Nouem dies festos in Christi memoriam celebrandos Apostoli constituerunt, scilicet Annuntiationis, Natiuitatis, Circumcisionis, Purificationis siue Candelarum, Baptismi, Transfigurationis, Dominicæ Palmarum, Ascensionis quoque atque Pentecostes, cum suis etiam Ferijs. Ex institutione quoque Apostolorum celebrare tenemur diem Sabbati & Dominici, in quibus non decet nobis aliquam rem facere, ne minimam quidem.

Emmanuel Malaxus Peloponesius. 1578.

Historiæ Ecclesiasticæ lib.2.cap.9. in Maximo: Non cessabat quin singulis Dominicis diebus & festis tum Christi, tum Matris eius Virginis de suggesto doceret populum Christi.

Cap.22. Posteaquam in throno sedit, præterijt tota hebdomada Paschatis, quæ magna vocatur, sancti & venerãdi supplicij Seruatoris Iesu Christi celebratio sine vlla perturbatione: secuta est & ipsa Resurrectio, quam cùm in Ecclesia decantarent, ecce tibi tumultus.

Hieremias Pat. Constantinopolitanus. 1580.

Responsi primi cap.13. Ex his sacris Codicibus Missę ritum obimus, atque Dominicis quidẽ per magnam Quadragesimam, Paschatis diebus, & nonnullis alijs, Magni Basilij tomus recitatur: reliquis verò diebus Chrysostomi.

Cap.20. Nec verò mandata tantùm perficere debemus, sed nec virtutes & instituta festorum contemnere, in memoria habendo 53 canonem Apostolicum, qui dicit: Diebus festis si quis non sumit cum cæteris carnes, &c.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Pius Primus. 150.

Epistola 1. Nosse vos volumus, quòd Pascha Domini die Dominica annuis solennitatibus sit celebrandum. Istis ergo temporibus Hermes Doctor fidei & Scripturarum effulsit inter nos. Et licet nos idem Pascha prædicta die celebremus, quia tamen quidam inde dubitârunt, ad corroborandas animas eorum, eidem Hermæ Angelus Domini in habitu Pastoris apparuit, & præcepit ei, vt Pascha die Dominico celebraretur.

Victor. 186.

Epist. 1. Celebritatem sanctæ Paschæ die Dominica agi debere prædecessores nostri iam statuerunt, & nos illud vobis eadem die celebrari solenniter mandamus: quia non decet, vt membra à capite discrepent, nec contraria gerant.

Tertullianus. 200.

Aduersus Psychicos, cap. 14. Si omnem in totum deuotionem temporum, & dierum, & mensium, & annorum erasit Apostolus, cur Pascha celebramus annuo circulo in mense primo? cur quinquaginta exinde diebus, in omni exultatione decurrimus? cur Stationibus quartam & sextam Sabbati dicamus, & ieiunijs Parasceuen?

De corona militis, cap. 3. Die Dominico ieiunium nefas ducimus, vel geniculis adorare: eadem immunitate à die Paschæ ad Pentecosten vsque gaudemus.

De Idololatria cap. 14. O melior fides nationum in suam sectam, quæ nullam solennitatem Christianorum sibi vindicat, non Dominicum diem, non Pentecosten: etiamsi nossent, nobiscum non communicassent: timerent enim ne Christiani viderentur. Nos ne Ethnici pronuntiemur, non veremur. Si quid & carni indulgendum est, habes, non dico, duos dies tantùm, sed & plures. Nam Ethnicis semel annuus dies quisque festus est, tibi octauo quoque die: excerpe singulas solennitates nationum, & in ordinem texe, Pentecosten implere non poterunt.

Anterus. 236.

Apud Burchardum libro 5. cap. 77. Iuonem parte 2. cap. 27. & Gratianum dist. 1. Etsi non frequentius, saltem in anno ter homines communicent, nisi forte quis maioribus quibuslibet criminibus impediatur, in Pascha videlicet, & Pentecoste, & Natali Domini.

Apud Burchardum lib. 5. cap. 24. & Iuonem parte 2. cap. 34. Decernimus vt in omnibus Dominicis diebus altaris oblatio ab omnibus viris & mulieribus fiat.

Cyprianus. 250.

Lib. 2. Epist. 5. *Epist. 33.* Et quoniam semper gaudium properat, nec potest moras ferre lætitia, Dominico legit. Interim nobis hoc die auspicatus est pacem, dum dedicat lectionem.

Lib. 3. Epist. 23. *Epist. 53.* Quoniam tamen scripsistis, vt cum pluribus collegis de hoc ipso plenissimè tractem, & res tanta exigit maius & impensius de multorum collatione consilium, & nunc omnes ferè inter Paschæ prima solennia apud se cum fratribus demorantur, quando solennitati celebrandæ apud suos satisfecerint, & ad me venire cœperint, tractabo cum singulis plenius.

De Stella, Magis, & Innocentum nece: Ab illis infantilibus coagulis anima expedita, adepta rationis & intellectus plenitudinem in occursum Christi festinat: à quo militiæ suæ quærens stipendium, ad lucis & pacis æternæ præmittitur gaudia: & Epiphaniæ solennia in cælestibus celebrat.

Concilium Romanum sub Siluestro. 320.

Capit. 2. Omnibus Episcopis & presbyteris præceptum est Paschæ obseruantiam custodire à luna 14. vsque ad 21. ita vt Dominicus dies coruscet. Et dixerunt Episcopi: placet.

Ambrosius. 370.

In Psalm. 47. Quid est *secunda Sabbati*, nisi Dominica dies, quæ Sabbarum sequebatur? Dies autem Sabbati erat dierum ordine posterior, sanctificatione Legis anterior. Sed vbi finis Legis aduenit, qui est Christus Iesus, & resurrectione sua octauam sanctificauit, cœpit eadem prima esse, quæ octaua est; & octaua, quæ prima, habens ex numeri ordine prærogatiuam, & ex resurrectione Domini sanctitatem. Vnde & in Euangelio legimus δευτεροπρωτον Sabbatum, quòd Latinè dicitur secundoprimum. Vbi enim Dominica dies cœpit præcellere, qua Dominus resurrexit, Sabbatum, quod primum erat, secundum haberi cœpit à primo. *Luc 16.*

Sermone 1. de grano sinapis: Cùm videmus plures è fratribus pigrius ad Ecclesiam conuenire, & Dominicis præcipuè diebus minimè cælestibus interesse mysterijs, prædicamus inuiti.

Sermone 13. in die Natalis Domini: Qua gratia, vel quibus laudibus hunc diem Natalis Domini prædicemus, prorsus ignoro. In tanta enim festiuitate ad magnificandum Deum humana loquela non sufficit. Nam si tunc, cùm nascebatur Christus, Angelorum voce laudatus est, nunc humana laudandus est voce cùm regnat. Supergreditur enim illius temporis festiuitatem nostra solennitas. Siquidem tunc stupuerunt illi tantùm nascentem Dominum, nos illum suscipimus nascentem, resurgentem pariter & regnantem.

Sermone 19. de S. Epiphania: Exultandũ nobis est, fratres charissimi, quòd votis nostris vota succedunt, quòd gaudijs gaudia cumulãtur. Ecce enim adhuc Natalis Dominici solennitate corda nostra persultant, & iam festiuitate S. Epiphanię gloriamur.

De mysterio Paschæ cap. 5. Hæc est illa cælestium mysteriorum gratia, hoc Paschæ donum, hæc optabilis anni festiuitas, hæc exordia gignentium rerum. Hinc vitalis lauacri sacræ Ecclesiæ editi puerperio infantes, paruulorum simplicitate renati, baratro innocentis perstrepunt conscientiæ, &c. Hinc vnius plebis gremio beatæ Ecclesiæ nutrita fraternitas, vnicæ diuinitatis substantiam, ac virtutis trinum nomen adorantes, Psalmum annuæ festiuitatis cum Propheta concelebrant. *Hæc est dies, quam fecit Dominus, exultemus, & lætemur in ea,* &c.

Ad cap. 17. Lucæ: Quòd si Iudæi Sabbatum ita celebrant, vt & mensem, & annum totum, quasi Sabbatum habeant: quanto magis nos resurrectionem Domini celebrare debemus? Et ideo Maiores tradiderunt nobis Pentecostes omnes quinquaginta dies, vt Pascha celebrandos: quia octauæ hebdomadis initium Pentecosten facit.

Prudentius. 380.

Hymno quinto cathemerinon:

Sunt & spiritibus sæpè nocentibus
Pœnarum celebres sub stygе feriæ,
Illa nocte, sacer qua redyt Deus
Stagnis ad superos ex Acheronticis.
Non sicut tenebras de face fulgida
Surgens Oceano Lucifer imbuit:
Sed terris Domini de cruce tristibus
Maior sole nouum restituens diem, &c.
Nos festis trahimus per pia gaudia
Noctem concilijs, votaq; prospera
Certatim vigili congerimus prece,
Extructoq; agimus liba sacrario.

Philastrius. 380.

Cap. 97. hæresi de Zacharia Propheta, & ieiunio: Per annum quatuor in Ecclesia ieiunia celebrantur: in Natali primum, deinde in Pascha, tertium in Epiphania, quartum in Pentecoste. Nam in Natali Saluatoris ieiunandum est, deinde in Paschæ Quadragesima, atque Ascensione in cælum, post Pascha die quadragesimo inde vsque ad Pentecosten diebus decem.

Hieronymus. 390.

In vita Pauli Eremitæ: Diebus solennibus Paschæ & Pentecostes Antonius semper Pauli Eremitæ tunica in modum sportarum de palmæ folijs cõtexta vestitus est.

Epist. 152. ad Minerium & Alexandrum: Syfinnius frater noster multas sanctorum fratrum ac sororum de vestra prouincia ad me detulit quæstiones, ad quas vsque ad diem Epiphaniorum largissimo spatio cogitauri respondere.

Epist. 22. ad Eustochium cap. 15. Cœnobitæ Dominicis diebus orationi tantùm vacant, & lectionibus: quod quidem & omni tempore cõpletis opusculis faciunt.

Ad cap. 40. Ezechielis: Dum essem Romæ puer, & liberalibus studijs erudirer, solebam cum cæteris eiusdem ætatis & propositi diebus Dominicis sepulchra Apostolorum & Martyrum circuire, creboq; cryptas ingredi.

Ad caput 4. Epistolæ ad Galatas: Dicat aliquis: Si *dies obseruare non licet, & menses, & tempora, & annos,* nos quoque simile crimen incurrimus, quartam Sabbati obseruantes, & Parasceuen, & diem Dominicam, & ieiunium Quadragesimæ, & Paschæ festiuitatem, & Pentecostes lętitiam, & pro varietate regionum, diuersa in honorem Martyrum tempora constituta. Ad quod qui simpliciter respondebit, dicet: non eosdem Iudaicæ obseruationis dies esse, quos nostros. Nos enim non azymorum Pascha celebramus, sed Resurrectionis & crucis. Nec septem, iuxta morem Israël, numeramus hebdomadas in Pentecoste: sed Spiritus sancti veneramur aduentum. Et ne inordinata congregatio populi fidem minueret in Christo, propterea dies aliqui constituti sunt, vt in vnum omnes pariter veniremus. Non quò celebrior sit dies illa, qua conuenimus: Sed quò quacunque die conueniendum sit, ex conspectu mutuo lætitia maior oriatur.

Concilium Carthaginense Quartum. 398.

Cap. 64. Qui die Dominico studiosè ieiunat, non credatur Catholicus.

Cap. 65. Paschæ solennitas vno die & tempore celebranda est.

Concilium Carthaginense Quintum. 403.

Cap. 7. Placuit vt dies venerabilis Paschæ formatarum subscriptione omnibus intimetur: dies verò concilij 11. Kalend. Nouemb. intimetur, &c.

Gaudentius Brixiensis. 400.

Præfatione super tractatus in Scripturam: Communis voti fuerat, vt ea, quæ de diuinis eloquijs per Paschatis dies proximè præteritos explanaui, coram valuisses audire. Cùm enim semper, tum præcipuè diebus festis, præsentia tua nobis meritò grata est in Ecclesiæ Brixianæ conuentu.

Tractatu primo in Exodum, de Paschæ obseruatione; Oportuno tempore Dominus Iesus beatissimam festiuitatem Paschę voluit celebrari, post autumni nebulam, post horrorem hyemis, ante æstatis ardorem.

Tractatu 10. Explicitis his, quæ proposuerã differenda, tam de Exodi, quàm de Euangelij lectione, congruens aliquid diei Dominico referuaui, &c. Quòd primum diem Dominicum nominamus sanctum, credentes eum sanctificatum resurrectione Domini Iesu, expectamus etiam illũ verè sanctum septimi millesimi anni diem, qui & aduenier post illos sex dies, sex millium videlicet annorum seculi, quibus completis requies erit veræ sanctitatis, & verè credentibus in resurrectione Christi.

Augustinus. 400.

Epistola 118. ad Ianuarium cap. 1. Illa, quæ non scripta, sed tradita custodimus, quę quidem toto terrarum orbe obseruantur, datur intelligi vel ab ipsis Apostolis, vel à plenarijs concilijs, quorum est in Ecclesia saluberrima auctoritas, commendata atque statuta retineri: sicuti quòd Domini Passio, & Resurrectio, & Ascensio in cælum, & aduentus de cælo Spiritus sancti, anniuersaria solennitate celebrantur, & si quid aliud tale occurrerit, quod seruatur ab vniuersa, quacunq; se diffundit, Ecclesia.

Epist. 119. ad eundem cap. 13. Dies Dominicus non Iudæis, sed Christianis resurrectione Domini declaratus est, & ex illo habere cœpit festiuitatem suam.

Sermone 154. de Tempore: Venerabilis est hic dies, qui Dominicus dics, & dies primus atq; perfectus est, & dies clarus, in quo visa est prima lux, in quo transgressi sunt filij Israel mare rubrum siccis pedibus, & in quo pluit manna filijs Israel in deserto, & quo Dominus baptizatus est in Iordane, quo vinum de aqua in Cana Galilææ factum est, quo Dominus resurrexit à morte: quo intrauit Dominus in domos clausas, vbi erant discipuli congregati propter metum Iudæorum: in quo Spiritus sanctus descendit in Apostolos, & in quo speramus Dominum nostrum Iesum Christum ad iudicium venturum.

Sermone 251. de Tempore: Sciendum est, fratres charissimi, quòd ideo à sanctis Patribus nostris constitutum est Christianis, & mandatum, vt in solennitatibus Sanctorum, & maximè in Dominicis diebus otium haberent, & à terreno negotio vacarent, vt paratiores & promptiores essent ad diuinum cultum, cùm non haberent, quòd eos inde retardaret, incommodum, relinquerentq; eo tempore terrenam solicitudinem, quò facilius possent Dei intendere voluntatem, &c. Dominicũ ergo diem Apostoli & Apostolici viri ideo religiosa solennitate habendum sanxerunt, quia in eodem Redẽptor noster à mortuis resurrexit: quiq; ideò Dominicus appellatur, vt in eo à terrenis operibus vel mundi illecebris abstinentes, tantùm diuinis cultibus seruiamus: dantes scilicet diei huic honorem & reuerentiam, propter spem resurrectionis nostræ, quam habemus in illa.

Innocentius Primus. 406.

Epistola 1. ad Decentium Eugubinum cap. 4. Diem Dominicum ob venerabilem Resurrectionẽ Do-

mini noſtri Ieſu Chriſti non ſolùm in Paſcha celebramus, verùm etiã per ſingulos circulos hebdomadarum ipſius diei imaginem frequentamus.

Epiſtola vndecima ad Aurelium, de ratione Paſchali: Has literas de ratione Paſchali alterius (dico futuri) anni præſcripſi. Nam cùm ante diem II. Kalendarum Aprilium penè luna 16. colligatur, (nã quippiam minus eſt,) itemq; cùm in ante diem quartum Kalendarum earundem veniat, 23. exiſtimaui II. Kalendarum memoratarum die, feſta Paſchalia celebranda: quoniam in 23. luna nullũ Paſcha vnquam ante hoc Paſcha, factum eſſe cognoſcimus.

Paulinus Nolanus. 420.

Natali 9.

Eſt veneranda dies cunctis, qua Virgine natus
Pro cunctis hominem ſumpſit Deus, eſtq; deinde
Qua puerum, ſtella duce, myſtica dona ferentes
Suppliciter vidère Magi, ſeu qua magis illum
Iordanis trepidans lauit tingente Ioanne,
Sacrantem cunctas recreandis gentibus vndas:
Siue dies eadem magis illo ſit ſacra ſigno,
Quo primum Deus egit opus, cùm flumine verſo
Permutauit aquas, prædulcis nectare vini.
Quid paſchale epulum? Nam certè iugiter omni
Paſcha die cunctis Eccleſia prædicat horis,
Conteſtans Domini mortem cruce de cruce vitam:
Cunctorum tamen hoc magnæ pietatis in omnes
Grande Sacramentum, præſcripto menſe quotannis,
Totus vbiq; pari famulatu mundus adorat,
AEternum celebrans rediuiuo corpore Regem.
Hoc ſolenne dies ſequitur, ſeptem numeramus
Hebdomadas, & lux populu feſtiua recurrit,
Qua ſanctus quondam, cælo demiſſus ab alto,
Spiritus ignito diuiſit fulmine linguas, &c.
Ergo velut cælum ſtellis, vt floribus arua,
Temporibusq; annos Dominus: ſic ipſe diebus
Tempora diſtinxit feſtis, vt pigra diurnis
Ingenia obſequijs ſaltem diſcrimine facto
Poſt interuallum reduci ſolennia voto
Sancta libenter agant, reſidesq; per annua mentes
Feſta parent Domino.

Paulus Oroſius. 420.

Lib. 7. cap. 37. Taceo de infelicibus illis apud Polentiam geſtis, cùm barbaro & pagano duci, hoc eſt Sauli, ſumma belli commiſſa eſt: cuius improbitate reuerendiſſimi dies & ſanctum Paſcha violatum eſt, cedentiq; hoſti propter religionem, vt pugnaret extortum eſt: cùm quidem oſtendente in breui iudicio Dei, & quid fauor eius poſſet, & quid vltio exigeret, pugnantes vicimus, victores victi ſumus.

Maximus Taurinenſis. 430.

De Pentecoſte Homilia prima: Noſſe vos credo, fratres, quæ ſit ratio, quòd venerabilem hanc Pentecoſtes diẽ non minore lętitia celebremus, quàm ſanctum Paſcha celebrauimus: & quòd eadem deuotione huius Solennitãtis obſeruantiam decurrimus, ſicut illius obſequia ſolennitatis impleuimus. Tunc enim, ſicut modò fecimus, ieiunauimus Sabbato, vigilias celebrauimus, orationibus pernoctantes inſtitimus: vnde neceſſe eſt ſimilis obſeruantia ſimilem lætitiam ſubſequatur.

Homilia 3. Scire debet Sanctitas veſtra hanc ſanctam Pentecoſtes diem qua ratione curemus, vel cur iſtorũ dierum numero quinquaginta ſit nobis iugis & continuata feſtiuitas, ita vt hoc omni tempore neque ad obſeruandum indicamus ieiunia, neque ad exorandum Deum genibus ſuccidamus; ſed ſicuti Dominica ſolemus facere, erecti & feriati reſurrectionem Domini celebramus. Dominica enim nobis ideo venerabilis eſt, & ſolennis, quia in ea Saluator, velut ſol oriẽs, diſcuſſis infernorum tenebris luce reſurrectionis emicuit. Ac idcirco ipſe dies ab hominibus ſeculi dies Solis vocatur, quòd ortus eum Sol iuſtitiæ illuminet. Inſtar ergo Dominicę tota quinquaginta dierum curricula celebrãtur, & omnes iſti dies velut Dominici deputantur. Nam in Dominica reſurgens Saluator, reuerſus ad homines eſt, & poſt reſurrectionẽ tota quinquageſima cum hominibus commoratus eſt. Aequalis ergo eorum neceſſarium vt eſſet feſtiuitas, quorum æqualis eſſet quantitas.

Petrus Chryſologus. 440.

Sermone 73. de Paſchali ſolennitate: Hodierna feſtiuitas, fratres chariſſimi, nouis vetera non connectit, nec carnes Agni ſeruat in craſtinum: ſed dum præterita præſentibus ſolenni deuotione participat, & Paſcha noſtrũ Paſcha redeunte cõiungit, nouæ regenerationis ablactat infantiam.

Proſper. 450.

De promiſſionibus & prædictionibus Dei parte 3. cap. 38. Nam cùm ſanctæ Paſchæ ſolennis ageretur feſtiuitas, collecta illic & vndiq; omni curioſitate etiam aduenientes multitudo Sacerdotum multorũ, Aurelius illic cathedram habuit.

Leo Primus. 450.

Sermone 3. de Quadrageſima cap. 1. Si rationabile & quodammodo religioſum videtur, per diem feſtum in veſtitu nitidiore prodire, & habitu corporis hilaritatem mentis oſtẽdere: ſi ipſam quoque orationis domum propenſiore tunc cura & ampliore cultu, quantum poſſumus, adornamus: nonne dignum eſt, vt anima Chriſtiana, quæ verum viuumq; Dei templũ eſt, ſpeciem ſuam prudenter exornet, & redemptionis ſuæ celebratura ſacramentum, omni circumſpectione præcaueat, ne vlla eam macula iniquitatis obfuſcet?

Cap. 2. Vnde quia dum mortali carne circumdamur, non deſinit nobis hoſtis antiquus laqueos peccati vbique prætendere, & tunc maximè aduerſus Chriſti membra ſæuire, quando ab eis ſunt ſacratiora celebranda myſteria, meritò doctrina Spiritus ſancti hac eruditione imbuit populum Chriſtianum, vt ad Paſchale feſtũ quadraginta dierum ſe continentia præpararet.

Epiſtola 81. ad Dioſcorum Alexandrinum cap. 1. Dies reſurrectionis Dominicæ tantis diuinarum diſpenſationum myſterijs eſt conſecrata, vt quidquid eſt à Domino inſignius conſtitutum, in huius diei dignitate ſit geſtum. In hac mundus ſumpſit exordium. In hac per Reſurrectionem Chriſti & mors interitum, & vita accepit initium. In hac Apoſtoli à Domino prædicandi omnibus gẽtibus Euangelij tubam ſumunt, & inferendum vniuerſo mundo ſacramentum regenerationis accipiunt. In hac (ſicut beatus Ioannes Euangeliſta teſtatur) congregatis in vnum diſcipulis, ianuis clauſis, cùm ad eos Dominus introiſſet, *inſufflauit, & dixit: Accipite Spiritum ſanctum,* &c. Ioan. 20. In hac denique promiſſus à Domino Apoſtolis Spiritus ſanctus aduenit, vt cæleſti quadam regula inſinuatum & traditũ nouerimus, in illa die celebranda nobis eſſe myſteria ſacerdotalium benedictionum, in quo collata ſunt omnia dona gratiarum. Act. 2.

Sedulius. 460.

Lib. 4. Paſchali:

Cœperat interea poſt triſtia Sabbata felix
Irradiare dies, culmen quo nominis alti

A Domino dominante trahit, primusq; videre
Promeruit naſci mundum, atq; reſurgere Chriſtum.
Septima nam Geneſis cùm dicit Sabbata, claret,
Hunc orbis caput eſſe diem, quem gloria Regis,
Nunc etiam proprij donans fulgore trophæi,
Primatum retinere dedit.

Eucherius Lugdunenſis. 450.

Homilia 7. de Paſcha: Dies hęc, fratres, ſi bene perſpicimus, duplici nobis ſanctificatione veneranda eſt: Ipſa enim in principio iam naſcẽtis mundi prima facta eſt, quæ nunc quòq; in gloria beatæ Reſurrectionis electa eſt. Duplici ergo ſolennitate veneremur hanc diem, veneremur vt primã, veneremur vt tertiam.

Homilia 8. de Paſcha: Feſtiuitates iſtæ, chariſſimi, celebritates Dei Domini, quas annua deuotione veneramur, ſicut nobis in futurum vitam & gloriam pollicentur, ita etiam in præteritum de ſalutis noſtræ cauſa & occaſione naſcuntur. Ab eo ergo facti atque reparati, nunc impenſius exultemus in beneficijs ſuis: quia meliores ſunt dies illi, quibus liberamur, quàm illi, quibus in vitæ huius pericula naſcendo producimur.

Homilia prima in Aſcenſione Domini: Hodierna feſtiuitas non minor eſt illa celebritate, qua ad nos de ſinu Patris geminæ ſubſtantiæ Redemptor noſter per partum matris aduenit. Ille enim Natiuitatis dies Dominum ac Saluatorem noſtrum terris dedit, hic cælo reddidit.

Cæſarius Arelatenſis. 470.

Homilia 12. Vnde iterum atque iterum rogo, pariter & conteſtor, vt omni die Dominico, & præcipuè in maioribus feſtiuitatibus, donec diuina myſteria compleantur, nullus de Eccleſia abſcedat; niſi fortè quos aut grauis infirmitas, aut publica neceſſitas ſtare diutius non permittit. Verè dico, fratres, ſatis durum & prope nimis impium eſt, vt Chriſtiani non habeant reuerentiam diei Dominico, quam Iudæi obſeruare videntur in Sabbato.

Victor Vticenſis. 480.

De Perſecutione Vandalica lib. 1. Quodam tempore Paſchatis ſolennitas agebatur, & dum in quodam loco, qui Regia vocitatur, ob diem Paſchalis honoris ſibimet clauſam Eccleſiam reſerarent, compererunt Ariani: ſtatim quidam presbyter eorum, Andiot nomine, congregata ſecum armatorum manu, ad expugnandam turbam accenditur innocentum.

Fulgentius. 500.

Sermone de duplici Natiuitate Chriſti: Interea, fratres, dignum eſt, vt in die Dominicæ Natiuitatis, diem quoque Dominicæ reſurrectionis ſolenniter audiatis. Vnigenitus enim Deus ſicut pro nobis dignatus eſt naſci, ſic pro nobis ſecundùm carnem dignatus eſt mori, dignatus eſt etiam ſuſcitari. Iſte quippe dies eſt viſitationis, ille redemptionis.

Sermone de laudibus Mariæ ex partu Saluatoris: Natiuitas Domini noſtri Ieſu Chriſti totum mundũ aduentus ſui luce hodie perfudit. Hodie de cælo Deus deſcẽdit ad hominem, vt in cælo homini præpararet aſcenſum.

Sermone de Epiphania: Noſtis, fratres chariſſimi, quia dies iſte, qui nobis in honorem Domini per annos ſingulos celebratur, ore cunctorum fidelium Epiphania venerabiliter nũcupatur. Debet diei huius ſolennitas à fidelibus celebrari, & ideò ſolennitatis cauſa non debet ignorari.

Concilium Agathenſe. 506.

Cap. 21. Paſcha, Natali Domini, Epiphania Domini, Aſcenſione Domini, Pentecoſte, & Natali S. Ioannis Baptiſtę &c. non niſi in ciuitatibus, aut in parochijs teneant Miſſas. Clerici verò, ſiqui in feſtiuitatibus, quas ſupra diximus, in oratorijs (niſi iubente aut permittẽte Epiſcopo) Miſſas facere aut tenere voluerint, à communione pellantur.

Cap. 47. Miſſas die Dominico ſecularibus totas audire, ſpeciali ordine præcipimus; ità vt ante benedictionem Sacerdotis populus egredi non præſumat.

Cap. 63. Ciues, qui ſuperiorum ſolennitatum, id eſt Paſchæ, & Natalis Domini, vel Pentecoſtes feſtiuitatibus, cum Epiſcopis intereſſe neglexerint, triennio communione priuentur Eccleſiæ.

Cap. 64. Si quis in clero conſtitutus ab Eccleſia ſua diebus ſolennibus abfuerit, id eſt, Natiuitate Domini, Epiphania, Paſcha, vel Pentecoſte, triennio à communione ſuſpendatur.

Concilium Aurelianenſe Primum. 506.

Cap. 29. Litanias ante Aſcenſionem Domini placuit celebrari, ita vt præmiſſum triduanum ieiunium, in Dominicæ Aſcenſionis ſolennitate ſoluatur: per quod triduum ſerui & ancillæ ab opere relaxentur, quo magis conueniat plebs vniuerſa.

Concilium Tarraconenſe. 518.

Cap. 4. Nullus Epiſcoporum, aut Presbyterorum, aut Diaconorum, vel Clericorum, die Dominico propoſitum cuiuſcumque cauſæ negotiũ audeat iudicare, niſi hoc tantùm, vt Deo ſtatuta ſolennia peragant.

Theodoricus Rex Italiæ. 520.

In edicto cap. 154. Die Solis, qui Dominicus nuncupatur, & diebus Paſchalibus nullum præcipimus conueniri: qui contra fecerit ſacrilegij reus habeatur.

Concilium Aurelianenſe Tertium. 537.

Cap. 27. Quia perſuaſum eſt populis die Dominico agi cum caballis, aut bobus, & vehiculis itenera non debere, neque vllam rem ad victũ præparare, vel ad nitorem domus vel hominis pertinentem, nullatenus exercere: quæ res quià ad Iudaicam magis, quàm ad Chriſtianam obſeruãtiam pertinere probatur, id ſtatuimus, vt die Dominico, quod ante fieri licuit, liceat. De opere tãmen rurali, id eſt, agricultura, vel vinea, vel ſeſtione, vel meſſione, excuſſione, vel exacto ſepe cenſuimus abſtinendum, quo facilius ad Eccleſiam venientes, orationis gratia vacent. Quòd ſi inuentus fuerit quis in operibus ſuprà ſcriptis, quæ interdicta ſunt, ſe exercere: qualiter emendare debeat, nõ in laici diſtrictione, ſed in ſacerdotis caſtigatione conſiſtat.

Benedictus Abbas. 530.

In Regula cap. 15. A ſancto Paſcha vſque ad Pentecoſten ſine intermiſſione dicatur Alleluia, tam in Pſalmis, quàm in Reſponſorijs.

Vigilius PP. 540.

Epiſt. 1. cap. 5. Quoties Paſchatis, aut Aſcenſionis Domini, vel Pentecoſtes, aut Epiphaniæ, Sanctorumq; Dei fuerit agenda feſtiuitas, ſingula capitula, diebus apta ſubiungimus, quibus commemorationem ſanctæ ſolennitatis, aut eorum faciamus, quorum natalitia celebramus: cætera verò ordine conſueto proſequimur.

Concilium Aurelianenſe Quartum. 547.

Cap. 1. Placuit vt ſanctum Paſcha, ſecundùm laterculum Victoris, ab omnibus ſacerdotibus vno tempore celebretur. Quæ feſtiuitas annis ſingulis Epiphaniarum die in Eccleſia populis denuntietur. De

tur. De qua solennitate, quoties aliquid dubitatur, inquisita vel agnita per Metropolitanos à Sede Apostolica sacra constitutio teneatur.

Concilium Lugdunense Primum. 570.

Cap.6. Placuit etiam vniuersis fratribus, vt in prima hebdomada noni mẽsis, hoc est, ante diem Dominicam, quæ prima in ipso mense illuxerit, Litaniæ, sicut ante Ascensionẽ Domini sancti Patres fieri decreuerũt, deinceps ab omnibus Ecclesijs seu parochijs celebrentur.

Fortunatus. 570.

Lib.3. Poëmatum, Hymno de Resurrectione:

Salue festa dies, toto venerabilis ævo,
Qua Deus infernum vicit, & astra tenet.

Lib.4. ad Gregorium de Iudeis conuersis:

Ecce dies aderat, qua Spiritus almus ab alto
Missus Apostolicis fluxit in ora viris:
Res sacra ruricolas, vrbanos excitat omnes,
Certatimq; aditus ad pia festa terunt.

Vitæ S. Maurilij cap.18. Quidam Belgicus nomine, primo die Paschatis proprias segetes seruis proprijs temerario iure mundare præceperat: mancipia autem cùm reniti cœpissent, ac dicere contra auctoritatem fore, vt tali die opera agerentur seruilia, Dominus eorum, vt id agerent, inuitos coëgit. Sed cùm segetes ingressi lolia, & quæcunq; inutilia sarrire tentassent, mox Belgicus oculorũ cæcitate percussus, cœpta vt deserẽt immensis vocibus coëgit inuitos.

Pelagius Secundus. 580.

Epistola 4. ad Episcopos Germaniæ, & Galliæ: Sacrum ordinem Romanum, sacraq; constituta nostrorũ antecessorũ solerter relegentes: inuenimus has nouem Præfationes in sacro catalogo tãtummodò recipiẽdas, quas longa retrò veritas in Romana Ecclesia hactenus seruauit: vnam in Albis Paschalibus, aliam de Ascensione Domini, tertiam de Pentecoste, quartam de Natali Domini, quintam de Apparitione Domini, sextam de Apostolis, septim amde Sancta Trinitate, &c.

Concilium Lugdunense Secundum. 580.

Cap.5. Nullus Episcoporum Natalem Domini aut Pascha alibi, nisi ad Ecclesiam suam, præter infirmitatis incursum aut ordinem Regium præsumat celebrare.

Gregorius Turonensis. 586.

Historiæ Francorum lib. 5. cap. 11. Auitus Pontifex nocte sancta Pentecostes vigilijs celebratis Iudæos baptizans in sinum matris Ecclesiæ congregauit.

Concilium Matisconense Secundum. 588.

Cap.1. Custodite diem Dominicam, quæ nos denuò peperit, & à peccatis omnibus liberauit Nullus vestrũm litium fomitibus vacet: nullus causarum actiones exerceat: nemo sibi talem necessitatem exhibeat, quæ iugum ceruicibus iumentorum imponere cogat. Estote omnes in hymnis & laudibus Dei animo corporeq; intenti. Si quis vestrũm proximam habet Ecclesiam, properet ad eandem, & ibi Dominico die semetipsum precibus lachrymisq; afficiat. Sint oculi manusq; vestræ toto illo die ad Deum expansæ: ipse enim est dies requietionis perpetuus, ipse nobis per septimæ dici vmbram insinuatus nosci tur in Lege & Prophetis. Iustum igitur est, vt hanc diem vnanimiter celebremus, per quam facti sumus, quod non fuimus.

Guntramnus Rex Franciæ. 588.

Epistola ad Episcopos concilij Matisconensis 2. Idcirco huius decreti ac definitionis generalis vigore decernimus, vt in omnibus diebus Dominicis, in quibus sanctæ Resurrectionis mysterium veneramur, vel in quibuscunq; reliquis solẽnitatibus, quando ex more, ad veneranda templorum oracula vniuersæ plebis coniunctio deuotionis congregatur studio, præter quod victum præparari conuenit, ab omni corporali opere suspendãtur, nec vlla causarum præcipuè iurgia moueantur.

Gregorius Magnus. 590.

Lib.10. Epist.3. Dominico die à labore terreno cessandum est, atque omni modo orationibus insistendum; vt si quid negligentius per sex dies agitur, per diem Resurrectionis Dominicæ precibus expietur.

Homilia 22. in Euangelia: Sicut in sacro eloquio Sancta sanctorum, vel Cantica canticorum, pro sui magnitudine dicuntur: ita Paschalis festiuitas rectè dici potest Solennitas solennitatum. Ex hac quippe solennitate exemplum nobis resurrectionis datum est, spes cælestis patriæ aperta, & facta superni regni iam iam præsumptibilis gloria.

Homilia 30. de Festo Pentecostes: Pensate fratres post incarnationem vnigeniti Filij Dei qualis sit hodierna solennitas de aduentu Spiritus sancti: sicut enim illa, ita & hæc est honorabilis. In illa quippe Deus in se permanens suscepit hominem, in ista homines facti sunt per adoptionem Dij.

Concilium Antisiodorense. 614.

Cap.11. Non licet in Vigilia Paschę ante horam secundam noctis vigilias expedire: quia in illa nocte non licet post mediam noctem bibere, nec in Natali Domini, nec in reliquis solennitatibus.

Cap.16. Non licet die Dominico boues iungere, vel alia opera exercere.

Isidorus Hispalensis. 620.

De officijs Ecclesiasticis lib.1. cap.24. Dominicum diem Apostoli ideò religiosa solennitate sanxerunt, quia in eo Redemptor noster à mortuis resurrexit: quiq; ideò Dominicus appellatur, vt in eo à terrenis operibus, vel à mundi illecebris abstinentes, tãtùm diuinis cultibus seruiamus, dantes scilicet diei huic honorem & reuerẽtiam propter spem resurrectionis nostræ, quam habuimus in illa.

Cap.25. Natalis dies Domini ea de causa à Patribus votiuæ solennitatis institutus est, quia in eo Christus pro redemptione mũdi nasci corporaliter voluit, &c. Hæc est ergo Dominicæ Natiuitatis magna solennitas, hæc est diei huius noua & glorioſa festiuitas, aduentus Dei ad homines factus. Itaque dies iste pro eo, quòd in eo natus est Christus, Natalis dicitur: quemq; ideò obseruare per reuolutum circulum anni festa solennitate debemus, vt in memoriam reuocetur, quòd natus est Christus.

Cap.26. Epiphaniorum diem proinde festa solennitate viri Apostolici signauerunt, quia in eo per stellam est Saluator ostensus, quando inuenerunt Magi Christum in præsepio iacentẽ, & adorauerunt eum. Ideo ergo diem hunc annua celebritate sacrauerunt, vt mundus agnoscat Deum, quem elementa cælitus prodiderunt.

Cap.27. Dies Palmarum ideò celebratur, quia in eo Dominus & Saluator noster, sicut Propheta cecinit, tendens Hierosolymam, asello sedisse perhibetur. Zach.9. Matt.21.

Cap.28. Cœna Domini, hæc est quinta Feria vltimæ hebdomadis Quadragesimæ, quando Dominus & Saluator noster, post typicum illud Pascha completum, ad verum Pascha transiẽs, mysterium corporis & sanguinis sui primum Apostolis tradidit.

Cap.29. Parasceue, id est, sexta Sabbati, ideo in solennitate habetur, quia eo die Christus mysterium crucis expleuit, propter quod venerat in hunc mundum.

Cap.30. Sabbati Paschalis veneratio hinc celebratur, pro eo quòd eodẽ die Dominus in sepulchro quieuit.

Cap.31. Iam verò Paschale sacramentum, quod nunc in Saluatoris nostri mysterium manifestissimè celebratur, in veteri Testamento figuraliter primum gestum est, quando agno occiso, Pascha celebrauit populus Dei in AEgypto, cuius figura in veritate completa est in Christo, qui sicut ouis ad occisionem ductus est. Cuius quidem diem Paschalis resurrectionis, non solùm pro eo celebramus, quòd in eodem à mortuis resurrexit, sed etiam pro alijs sacramentis, quæ per eundem significantur. &c. Quòd anniuersarius dies Paschalis non ad eundẽ diem anni redit, sicut dies quo creditur Dominus natus, hoc fit propter Dominicũ diem & lunam. Manifestum est enim, quo die Dominus crucifixus sit, & in sepulchro fuerit, & resurrexerit. Adiuncta est enim ipsorum dierũ obseruatio per Nicænum Concilium vniuerso orbi Christiano, & persuasum, eo modo Pascha celebrari oportere, vt non solùm lunam Paschalem, sed & diem Dominicum, in quo resurrexit Dominus à mortuis, expectare debeamus. Inde est quòd ad eundẽ diem anni non reuertitur Pascha. Nam Iudæi tantundem mensem nouorum & lunam obseruant. Diem autem addendum Patres nostri censuerunt, vt & nostra festiuitas à Iudæorum festiuitate distingueretur. Exod.12.

Cap.32. Ascensionis Dominicæ solennitas ideò celebratur, quia eodem die post mũdi victoriam, post inferni regressum, Christus ascẽdisse memoratur ad cælos. Quæ festiuitas ideò per reuolutũ circulum annorum celebratur, vt humanitas assumptę carnis ascendẽs ad dextram Patris in memoriam reuocetur. Act.2.

Cap.33. In nouo Testamento Pentecoste cœpit, quando aduentum S. Spiritus, quẽ Christus promisit, exhibuit, quem ait non esse venturum nisi ipse ascenderet in cælum. Aduentus itaque S. Spiritus de cęlo supra Apostolos in varietate linguarum diffusa, solennitatem transmisit in posteros, eaq́e de causa Pentecoste celebratur, & dies ipse proinde insignis habetur.

Ionas Monachus. 640.

Vitæ S. Columbani cap.9. Solebat vir sanctus cùm Dominicæ diei aut quorumlibet Sanctorum sacratæ solennitates aduentarent, ab aliorum societate separatus, in loca abdita se recipere, & longioris spatij eremi secreta expetere, vt solida & tranquilla mente, absque curarum inquietudine, solus orationi vacaret, & religioni omni conatu intenderet.

Concilium Toletanum Quartum. 643.

Cap.4. Placuit vt ante tres menses Epiphaniarũ Metropolitani Sacerdotes literis se inuicem inquirant, vt communi scientia edocti, diem Resurrectionis Christi comprouincialibus suis in sinuent, & vno tempore celebrandum annuntient.

Concilium Cabilonense primum. 658.

Cap.18. Licet generaliter ab omnibus Catholicis, & Deum timentibus, diem Dominicum, prima Sabbati conuenit obseruare, & sicut superius in canonibus est statutum: non aliquid noui condentes, sed vetera renouantes instituimus, vt in ipso die Dominico ruralia opera, id est, arare, messes metere, exactus facere, vel quidquid ad ruris culturam pertinet, nullus penitus præsumat: quod qui inuentus fuerit faciens, sub disciplina districtionis omnimodis corrigatur.

Concilium Toletanum Decimum. 659.

Cap.1. De celebritate festiuitatis Dominicæ Matris cùm nihil fidei sinceritas per diuersitatẽ adversum incurrat, & vnitatem Catholicæ regulæ varietas nulla decerpat, est tamen, quod nisi temporum vnitate seruetur, & dissidium indiscisę vnitati parturiat, & Sacramentorum vnitate constare non valeat. Hinc est enim quòd Paschale festũ vno die celebramus, & tempore, ne in Iudaicũ decidamus errorem. Hinc aduentum S. Spiritus, post resurrectionem Domini, nisi expectemus tẽpore definito dierum & numero, non possumus impleri eiusdem Spiritus dono: quoniam si caret plenitudinis numero, carere potest & mysterij sacramento. Hinc Natiuitatis Dominicæ sacrum, quo euidenter de vtero virginali Verbum prodijt caro factum, absque dubio seruat & temporis cursum, & repræsentat speciale diei monumentum. Si ergo natiuitatis & mortis huius incarnati Verbi dies absque immutatione ita certus habetur, vt absq; diuersitate in toto terrarũ orbe ab omni Ecclesia concorditer celebretur; cur nõ festiuitas glorioſæ matris eius eadem obseruantia vno simul vbique die similiq; habeatur honore? &c. Natiuitas Saluatoris nostri die 8. Kalend. Ianuar. sicut mos est, solẽnis in omnib. habeatur.

Audoënus. 660.

Vita S. Eligij lib.2.cap.2. Eo tẽpore, quo apud Gallias à cuncto populo Rogationes celebrantur, cõuenientes simul die Dominica ante Litanias, inter cateruas populi, inter agmina clericorum, inter choros psallentium consecrati sumus.

Cap.16. Diem Dominicũ pro reuerentia resurrectionis Christi absque vllo seruili opere colite, Sanctorum solennitates pio affectu celebrate.

Adamnanus. 680.

Lib. de locis sanctis: In die Ascensionis Dominicæ per annos singulos Missa peracta, validi flaminis procella desursum venire consueuit, & omnes, qui in Ecclesia adfuerint, terra prosternere.

Aldhelmus. 680.

De laudibus Virginitatis cap.21. Tempore quodam, cùm sacrosancta Paschalis solennitas intra speleum celebraretur, & plures ad viri Dei speluncam, velut examen ad aluearium, pro festiuitate frequentanda certatim glomerarentur: qua peracta solitæ fugalitatis dapibus saginantur, tum fusis precibus, Dei patrocinium fideliter implorant: & pro foribus vestibuli tantas delitiarum affluentias solita pietate Christus famelicis suis tam vbertim contulit, vt vsque ad Pentecosten, quæ septenis hebdomadarum curriculis calculatur, diuinitus allata epularũ stipe, quotidie affatim pascerentur.

Beda. 700.

De ratione temporum cap.6. Ferias habere clerum primus Papa Siluester edocuit: cui soli Deo vacanti nunquam militiam vel negotiationem liceat exercere mundanam. Et quidem diem, qua & lux principio facta est, & Christi resurrectio est celebrata, Dominicum nuncupauit: quod illi nomen iam primis Ecclesiæ temporibus fuisse testatur Ioannes, qui dicit in Apocalypsi: *Fui in spiritu in Dominica die.* Apoc.1.

Homilia in Vigilijs Paschæ: Vigilias nobis huius sacratissimę noctis, sicut ex Euangelica lectione audiuimus, fratres charissimi, resurrectio Domini ac Saluatoris nostri dedicauit. Iustè enim hanc pro eius vigilijs celebramus & hymnis, qui pro nostro amore in ea dormire in mortẽ, ac de morte voluit excitari.

Homilia in festiuitate sanctæ Pentecostes: Quia S. Spiritus hodie, fratres charissimi, celebramus aduẽtum, debemus ipsi congruere solennitati quam colimus. Hoc etenim ordine tantum festiuitatis huius dignè gaudia celebremus, si nos quoq; Domino opitulãte aptos reddiderimus, ad quos Spiritus S. venire, & in quibus habitare dignetur.

Auctor Ordinis Romani. 730.

De die S. Paschæ: Die sancto Paschæ induti solennissimis vestimentis, omnes clerici conuenientes ad stationem ad sanctã Mariam maiorem, primitus cantent Tertiam.

Alcuinus. 750.

De Diuinis Officijs cap. 1. de Natiuitate Domini: Sacratissima huius diei Natiuitas ideò dicitur, quòd in ea natus est Christus, anno videlicet iuxta Hebraicam veritatem à conditione mundi 3952.

Cap. 3. de Octaua Domini: In hac octaua die circũcisus est. Iste dies octauus omnẽ plenitudinem in se obtinet, & est perfectus numerus. Ipse est enim dies Dominicus, & dies Resurrectionis Domini. Vndeverò initiũ sumpserit, liber Leuiticus pãdit: *Dies, inquit, octauus erit celeberrimus, atq; sanctissimus.*

Cap. 5. de Theophania: Solennitas hæc sacratissima, quæ à Græcis Theophania vel Epiphania nũcupatur, Latinè verò apparitio, seu ostensio, vel manifestatio interpretatur, multimoda in se cõtinet mysteria, &c.

De S. die Paschæ c. 20. Die sancto Paschæ in Introitu per ora Prophetarum præsentat se Christus in Ecclesia Patri suo, dicens: *Resurrexi.* Oratio prima monstrat aditum regni cęlestis apertum nobis esse, per capitis nostri resurrectionem, &c.

Carolus Magnus. 780.

Lib. 1. cap. 164. Hæ festiuitates per omnia venerari debent: Natalis Domini, Octaua Domini, Epiphania, Octaua Epiphaniæ, Paschæ dies octo, Litania maior, Ascensio Domini, Pentecoste.

Lib. 1. cap. 81. Statuimus quoque secundùm quod in lege Dominus præcepit, vt opera seruilia diebus Dominicis non agantur, sicut & bonę memoriæ genitor meus in suis Synodalibus edictis mãdauit, quòd nec viri ruralia opera exerceant, id est nec in vinea colenda, nec in campis arãdo, nec in metendo, vel fœnum secando, vel sepem ponendo, &c. Sed tria carnalia opera licet fieri die Dominico, id est hostilia carra, vel victualia, & si fortè necesse erit corpus cuiuslibet duci ad sepulchrum. Item fœminæ opera textilia non faciant, nec capulent, vestitus non consuant, vel acupictile faciant; nec lanam carpere, nec linum battere pręsumant, nec in publico vestimenta lauare, nec verueces tondere habeãt licitum, vt omnimodis honor & requies diei Dominicæ seruetur. Sed ad Missarum solennia ad Ecclesias vndique conueniant, & laudent Dominum pro omnibus bonis, quæ nobis in illa die fecit.

Lib. 5. c. 188. Si quis die Dominico opera seruilia fecerit liber homo, si boue iunxerit, & cum carro ambulauerit, dextrum bouem perdat. Et si alia, quæ canonica auctoritate prohibita sunt, seruilia fecerit opera, sacerdotibus illa emendet, sicut de reliquis negligentijs iudicibus emendari solet: & ab ipsis sacerdotibus pœnitentiam iuxta modum culpæ accipiat. Similiter & de præcipuis festiuitatibus obseruari placuit. Quòd si sacerdotes eos nequiuerint corripere, tunc à iudicibus ad sacerdotes adducantur, eisq; obedire omnibus faciant.

Lib. 6. c. 202. Placuit vt fideles diem Dominicum, in quo Dominus resurrexit, omnes venerabiliter colant. Nam si pagani ob memoriam & reuerentiam Deorum suorũ quosdam dies colunt, & Iudæi more carnali Sabbatum carnaliter obseruãt, quanto magis à Christianis iste dies honorificè colendus est?

Concilium Foroiulienſe. 790.

Cap. 13. Diem Dominicum inchoante noctis initio, id est, *vespere Sabbati, quæ in prima lucescit Sabbati,* quãdo signum insonuerit, vel hora est ad Vespertinum celebrandum officium, non propter honorem Sabbati vltimi, sed propter sanctam illam noctẽ primi Sabbati, hoc est, Dominici diei, cum omni reuerentia & honorifica religione venerari omnibus mãdamus Christianis, abstinere primùm omnium ab omni peccato, & ab omni opere carnali, etiam à proprijs coniugibus, & ab omni opere terreno, & nihil aliud vacare, nisi ad orationem: concurrere ad Ecclesiam, cum summa mentis deuotione, &c.

Leges Boiariorum. 800.

Cap. 9. Si quis die Dominica operam seruilem fecerit liber homo, id est, si bouem iunxerit, & cũ carro ambulauerit, dextrum bouem perdat: si autem fœnum siccauerit vel collegerit, aut messem siccauerit aut collegerit, aut aliquod opus seruile fecerit die Dominico, corripiatur semel vel bis, & si non emendauerit, rumpatur dorsum eius quinquaginta percussionibus. Si iterum præsumpserit operari die Dominico, auferatur de rebus suis tertia pars: si non cessauerit, perdet libertatem suam. Seruus pro tali crimine vapuletur; & si non emendauerit, manum dextrã perdat. Quia talis causa vitanda est, quæ Deum ad iracundiam prouocat, & exinde flagellemur in frugibus, & hoc vitandum est die Dominico.

Concilium Arelatense Quartum. 813.

Cap. 16. Ne in Dominicis diebus publica mercata, neque causationes, disceptationesq; exerceantur, & penitus à rurali & seruili opere cessetur, his solummodò peractis, quæ ad Dei cultum & seruitium pertinere noscuntur.

Concilium Turonense Tertium. 813.

Cap. 40. Interdicatur, ne mercata & placita vsquam fiant die Dominica, qua oportet omnes Christianos à seruili opere, in laude Dei & gratiarum actione vsq; ad vesperam perseuerare.

Concilium Moguntinum. 813.

Cap. 36. Festos dies in anno celebrare sancimus, hoc est diem Dominicum Paschę, cum omni honore & sobrietate venerari: simili modo tota hebdomada illa obseruari decreuimus, diem Ascensionis Domini pleniter celebrare. Item Pentecosten similiter, vt in Pascha.

Cap. 37. Omnes dies Dominicos cum omni veneratione decreuimus obseruari, & à seruili opere abstinere, & vt mercatus in eis minimè fit, nec placitum, vbi aliquis ad mortem vel ad pœnam iudicetur.

Haymo. 820.

Homilia in die sancto Natiuitatis Domini: Dominicę Natiuitatis diem, qua temporaliter natus est, annua reuolutione colentes, libet oculos mentis ad contemplandam naturam diuinitatis cõuertere.

Ludoicus, & Lotharius Impp. 830.

Legum Francicarum lib. 2. c. 7. Vt dies Dominicus, sicut decet, honoretur & colatur, omnes studeãt, & vt liberius fieri possit, mercata & placita à Comitibus, sicut sæpe admonitum fuit, illo die prohibeantur.

Lotharius Imperator. 830.

In legibus Alemannorum titulo 39. Die Dominico nemo opera seruilia præsumat facere: quia hoc lex prohibuit, vt Scriptura sacra in omnibus interdicit. Si quis seruus in hoc vitio inuentus fuerit, vapulet fustibus: liber autem corripiatur, vsque ad tertiam vicem.

Concilium Parisiense. 830.

Lib. 1. cap. 50. Nullo modo diuinæ auctoritati concordat, quòd religio Christiana, sicut à sanctis Patribus traditum accepit, & Ecclesiæ auctoritas se habet, diem Dominicum, in quo auctor vitæ à mortuis resurrexit, reuerenter, venerabiliterq; non colit. Vtcunq; enim à quibusdam Dominis venerando custodiri videtur, sed à conseruis seruitio eorum pressis, perrarò debito honore coli inuenitur. Paganis autem moris fuit, ob memoriam & reuerentiam Deorum suorum dies colere. Nam & Iudæis carnalibus moris est, Sabbatum carnaliter obseruare. Christianorum porrò religiosæ deuotionis, quæ (vt creditur) ex Apostolorum traditione, imò Ecclesię auctoritate descendit, mos inoleuit, vt ob memoriam Dominicæ resurrectionis, diem Dominicum venerabiliter atque honorabiliter colat: quoniam eo die Deus lucẽ mundi condidit, eo die Christus à mortuis resurrexit, eo die Paracletum Spiritum sanctum Apostolis misit de cælis: eo die, vt à quibusdam Doctoribus traditur, manna pluit de cælo. Hæc & his similia liquidò demonstrant, hunc diem cæteris diebus celebriorem, & venerabiliorẽ fore. &c. Multi nostrorum visu, multi etiam quorũdam relatu didicimus, quosdam in hac die ruralia opera exercentes, fulmine interẽptos, quosdam artuum contractione mulctatos, quosdam etiam visibili igne corporibus ossibusq; simul sub momento absumptis, in cineremũe subitò resolutis, pœnaliter occubuisse. vt multa alia terribilia iudicia extiterunt, & hactenus existunt: quibus declaratur, quòd Deus in tantæ diei dehonoratione offendatur.

Rabanus Maurus. 850.

Lib. 2. Instit. cap. 42. Dominicum diem Apostoli ideo religiosa solennitate sanxerunt, quia in eo Redemptor noster à mortuis resurrexit, &c. *vt supra ex Isidoro.*

Nicolaus Primus. 860.

Ad consulta Bulgarorum cap. 10. Dominico die à labore terreno cessandum est, atque omnimodo orationibus insistendum, vt quod negligenter per sex dies agitur, per diem resurrectionis Dominicæ precibus expietur.

Concilium Triburiense. 898.

Cap. 35. Secundùm sanctorum statuta Patrum, in hoc sancto præiudicamus concilio, vt nullus Comes, nullusq; omninò secularis, diebus Dominicis placitum habere, sed nec populum illo præsumat coẽrcere: quia inde irascitur Deus, cùm tantùm suo sancto seruitio debet populus desudare, inueniatur lites & contentiones frequentare. Diebus verò Dominicis vigilijs & orationibus insistendum, & ad Missas cuilibet Christiano cũ oblationibus est currendũ, & tantummodo Deo vacandum.

Regino Prumiensis. 920.

De anno 758. Eodem Anno Pipinus celebrauit Natalẽ Domini in Lõgolare, & Pascha in Topilia.

De anno 762. Pipinus celebrauit Natalem Domini in villa Gentiliaco, & Pascha similiter.

Concilium Dingelfingense. 930.

Apud Auentinum lib. 3. Annalium: Festo die solis, otio diuino intentus profanis negotijs abstineto. Qui hoc die vehiculariã aut huiusmodi operam fecerit, iumenta eius publica sunto: si contumax perrexerit, in seruituteṁ redigatur.

Fridegodus. 950.

Vitæ S. Audoëni cap. 13. Pauperculus quidam cùm die Dominico contra vsum ecclesiasticum opus seruile exerceret, atque in mola farinã conficeret, manum, qua lapidem molarem circumagebat, repentè aridam & inutilem sensit. Nam pollex eius adeò affligebatur superiori illius parte, vt sanguis inde promanaret, ipsumq; lignum, quo mola versabatur, inter pollicem & palmã tam strictè tenebatur, vt nullo pacto inde posset auelli. Procidens ergo ille pauper ad pedes sancti viri, miseriam suam ei lachrymabundus exponit, simul etiam culpam suam & negligentiam confitetur. At vir beatus contractæ manui signum sanctæ crucis imprimit, & pristinæ seruire cõsuetudini, naturæq; institutum exercere iubet: pauperem nihilominus admonens, vt Dominicis & Festis diebus potius ad Ecclesiã veniat, verbum Dei audiat, opere impleat, sanctam communionem percipiat, quàm molã verset, aut vllũ prorsus seruile opus, sine summa necessitate, exerceat. Si enim Iudæi, inquit, decreta legis, per Mosen datæ, tanta diligentia custodiunt; quanto magis cõuenit Christianos præcepta Euãgelij, per Christum promulgata, feruenter & audire, & custodire. Sicut ergo Iudæi nullum seruile opus faciunt in Sabbato: ità Christiani in die Dominicæ Resurrectionis debent ad Ecclesiam conuenire, verbum Dei auribus percipere, mente retinere, & ab opere seruili abstinere.

Otto Primus. 950.

In legibus titulo 3. de Feriis: In Natiuitate Domini, in Epiphania, in statutis ieiuniorum diebus, in Pascha, in Ascensione Domini, in Pentecoste, in Dominicis diebus, vt hę solennitates, quæ sunt Christianorum, cum omni vigilantia celebrentur, seruilia opera penitus prohibemus.

Stephanus Monachus. 990.

In historia de inuentione S. Maurini: Superueniente sacratissima Paschalis gaudij solennitate, vehementi oculorum dolore cœpit fatigari.

Fulpertus Carnotensis. 1000.

Hymno in die Paschatis: Chorus nouæ Ierusalem:

Nouam meli dulcedinem
Promat, colens cum sobrijs
Paschale festum gaudijs.

Petrus Damianus. 1050.

Tractatu de Ordine Eremitarum, & facultatibus Eremi fontis Auellani: Ab octauis Dominicæ Resurrectionis vsque ad diem sanctum Pentecostes, quatuor dies per hebdomadam ieiunatis: præter Dominicum verò diem, de cuius reuerentia nullus addubitat, tertia Feria, & quinta Feria, bis in die refici tis, &c. Solebãt hîc quidam & Dominicis diebus vtriusque Quadragesimæ coctionibus abstinere, quod nos ob reuerentiam sacræ diei, prohibere curauimus.

Iuo Carnotensis. 1100.

Sermone de Circuncisione Domini: Dominici natalis hodie diem celebramus octauum, in quo puer Iesus à parentibus carnis suę carnale suscepit Circuncisionis sacramentum, &c. Quoties ergo festiuitatem istam annuis recursibus frequentamus, & secundùm fidem gestorum, quæ de Christo leguntur, honoremus, vt eadem ad morum iustificationem & ædificationem referentes fidem firmam comprehendere mereamur.

Sermone de Epiphania: Hũc Epiphaniarum diem maiores nostri tribus de causis haberi sanxerunt solennem. Prima causa contigit, quia hodiernum diem declarat Euangelium, quando noua stella oriente, ortum veri luminis indicante, Magi in Orientis partibus exciti Hierosolymam venerunt. Alia huius festiuitatis ratio est, quòd Iesus, impleto trigesimo ætatis anno, in Iordanem ve- Luc. 3.

nit, & à Ioanne baptizatus Dei Filius declaratus
est. Tertia huius festiuitatis causa est, quòd Dom-
nus anniuersaria baptismi sui die coram positis
discipulis suis bonum coniugale sua præsentia
Ioan.2. & signorum suorum initio cõprobauit, & quòd
in nuptijs aquam in vinum mutauit.

Sermone in die Paschatis: Cùm cæteræ festiuitates in recordatione gestarum rerum lætitia spirituali fidelium mentes afficiãt, in Christi resurrectione, simili ratione, corda simul lætantur & corpora: quia Christo resurgente homo noster interior à morte peccati ei consuscitatus est, & exteriori spes suæ resurrectionis probatissimo argumento confirmata est. Idcirco hæc solennitas ad anniuersarium diem suum non recurrit, sicut reliquę solennitates, in quibus præteritorum tantùm fit recordatio: sed huius obseruantiæ dies Dominica deputatur, & lunæ decursus post plenilunium vicinum AEquinoctio vernali. Dominica enim dies, quæ octaua est, & Dominicam congruè repræsentat resurrectionem, quæ eo die facta est, & nostram præfigurat, quæ post septenariam huius temporis volubilitatem futura est.

Sermone de Ascensione Domini: Hodie, fratres, victoria Christi completa est, hodie triumphalia vexilla eius eriguntur, de spoliatione sua dolet cum Principe suo Tartarus, de restauratione damni sui gaudet cælestis exercitus.

Petrus Alphonsus. 1100.

Titulo 12. in Dial. Dies Dominica, dies scilicet resurrectionis, quæ suæ saluationis causa extitit, Christianorum Sabbatum est.

Sigebertus Gemblacensis. 1100.

Vita S. Maclouij cap. 7. Paschalis solennitatis mundus agebat lætitiam, quando solet sancta Ecclesia celebrius recolere nostræ Redemptionis memoriam, quæ his diebus completa est, per Passionem & Resurrectionem Dominicam.

Honorius Augustodunensis. 1120.

Sermone de Paschate: Ob magnitudinem huius diei tota hæc septimana pro vna die celebratur. Vnde & quotidie, *Hæc dies*, cantatur. Ideo & hora Vespertina non solito more, sed officio Missæ inchoatur. Quia hæc sacra dies est figura illius magnæ diei, quæ nullo terminatur vespere. Hæc est illa dies vna, melior super millia, in qua & Angelis & hominibus per Christum collata sunt gaudia ineffabilia.

Sermone de Pentecoste: Hæc festiuitas per dies septem celebratur, quia in septem donis Spiritus sanctus veneratur. Quemadmodũ Natiuitas Domini est celebris, sic etiam ista festiuitas omnibus fidelibus est solennis.

Bernardus. 1130.

In die Ascensionis serm. 2. Solennitas illa, fratres charissimi, gloriosa est, &, vt ita dicam, gaudiosa, in qua & singularis Christo gloria, & nobis spiritualis lætitia exhibetur. Consummatio enim & adimpletio est reliquarum solennitatum, & felix clausula totius itinerarij Filij Dei.

Sermone 4. Si Natiuitatis & Resurrectionis Dominicæ digna deuotione solennia celebramus, hodiernum quoq; diem non minus deuotè conuenit celebrari. In nullo siquidẽ à festiuitatibus illis ista degenerat, sed finis earũ & adimpletio est.

Hugo Victorinus. 1130.

Serm. 94. Hodie Paschalis solennitas est, quæ propter sui excellẽtiam dici potest Solennitas solennitatum, quemadmodum dicitur Canticum canticorum, Deus Deorum, Rex regum, Dominus dominantium. Ipsa quippe non solùm aliarum more solennitatum annuatim, vt est hodie, celebratur, verùm & singulis diebus Dominicis continuè & singulariter commemoratur.

Alexander Tertius. 1170.

Extra de Feriis, cap. 2. Diebus Dominicis & alijs præcipuis festiuitatibus, siue inter Pascha & Pentecosten, genuum flexio nequaquam debet fieri, nisi aliquis ex deuotione id velit facere in secreto. &c. Præterea festiuitas sanctæ Trinitatis, secũdùm cõsuetudines diuersarum regionum, à quibusdam cõsueuit in Octauis Pentecostes: ab alijs in Dominica prima ante Aduentum Domini celebrari. Ecclesia siquidẽ Romana in vsu non habet, quòd in aliquo tempore huiusmodi celebret specialiter festiuitatem, cùm singulis diebus, *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto*, &c. similia dicantur ad laudem Trinitatis pertinentia.

Cap. 3. Licet tam veteris, quàm noui Testamenti pagina septimum diem ad humanam quietem specialiter deputauerit: & tam eum, quàm alios dies Maiestati altissimæ deputatos, nec non Natalitia sanctorum Martyrum, Ecclesia decreuerit obseruanda: & in his ab omni opere seruili cessandum, &c. Indulgemus, vt liceat Parœcianis vestris diebus Dominicis, & alijs Festis (præterquam in maioribus anni solennitatibus) si alecia terrę se inclinauerint, eorum ingruente necessitate intendere: ita quòd post factam capturam Ecclesijs circumpositis, & Christi pauperibus congruam faciant portionem.

Guntherus. 1180.

Lib. 9.

Instabat veneranda dies, qua Christus ab imo
Ora solo turbæ referens optata fideli,
Victor ab inferna captiuos sede reduxit:
Hanc quanto potuit Mutinensi Cæsar in vrbe
Egit honore diem.

Ioannes Belethus. 1200.

De diuinis officijs cap. 3. Christiani diem, qui Sabbatum sequitur, Dominicum vocãt, tum propter Christi resurrectionẽ, tum propter Spiritus sancti è cælis missionem, vel quia Ioannes Euangelista in sua Apocalypsi sic ipsum nominauit.

Iacobus Vitriacus. 1220.

In die Ascensionis: Sancta & præclara Dominicæ Ascensionis festiuitas omnium aliarum festiuitatum finis est, & conclusio. Ad hoc enim incarnatus est Christus, ad hoc ascendit in cælum, vt nos in ipso, & per ipsum ascenderemus ad requiem & gloriam sempiternam.

Thomas Aquinas. 1250.

Prima 2. q. 103. art. 3. Sabbatum, quod significat primam creationem, mutatur in diem Dominicum, in quo commemoratur noua creatura inchoata in Resurrectione Christi, & similiter alijs solennitatibus veteris Legis nouæ solennitates succedunt: quia beneficia illi populo exhibita, significant beneficia nobis concessa per Christum. Vnde festo Phase succedit festum passionis Christi & Resurrectionis; festo Pentecostes, quo fuit Lex data vetus, succedit festũ Pentecostes, in quo fuit data lex spiritus vitæ.

Guilhelmus Peraldus. 1255.

In Summa tomo 2. de Superbia, capite de ingratitudine non obseruantium diem Dominicum: Notandum ergo, quòd illi, qui Dominicum diem non obseruant, ingrati sunt Deo de creatione mundi, & de hoc, quòd Deus pro eis voluit nasci in valle huius miseriæ, & de beneficio, quod mundo contulit in die Resurrectionis, & in die Pentecostes, quando Spiritum sanctum misit in discipulos suos.

Omnia enim hęc in die Dominica facta sunt, propter quæ dies illa celebris habenda est.

Bonauentura. 1260.

In secundum Sententiarum dist. 14. Paschalis solennitas non solùm celebratur in cõmemorationem resurrectionis præteritæ, sed etiam in præfigurationem resurrectionis futuræ.

Guilhelmus Durantius. 1270.

In Rationali diuinorum lib. 6. cap. 86. Solennitas Paschæ per Antonomasiam dicitur Solẽnitas solennitatum, eo quòd cæteras solennitates huius solennitatis nobilitas antecedit: & omnes dies Dominicæ sunt octauæ huius festi.

Hugo Pratensis. 1300.

Sermone 62. in die S. Pentecostes, de Epistola: Hodie sancta mater Ecclesia vnum de tribus principalibus festis recolit reuerenter & deuotè, ad vnius in Trinitate personæ, videlicet Spiritus sancti reuerentiam: in quo ipsius Spiritus visibilem missionem venerabiliter recolimus.

Augustinus Triumphus. 1320.

De potestate Ecclesiastica q. 50. art. 2. Loco diei Sabbati instituta est dies Dominica fidelibus celebranda propter tria: primò, propter significatorum præeminentiam: secũdò, propter signorum factorum excellentiam: tertiò propter temporũ conuenientiam. Nam longè melior est & perfectior requies animarum & corporum futura in octaua ætate, quam significat dies Dominica, quæ est octaua dies hebdomadæ.

Ludolphus Saxo Carthusianus. 1330.

Vita Christi part. 1. cap. 15. Specialiter in diebus festiuis quilibet Christianus debet ire ad locum, quem elegit Dominus, id est, ad Ecclesiam, nõ ad theatrum, vel tabernam: debet vacare diuinis laudibus, non choreis & vanitatibus: debet insistere Eleemosynis, non vsuris, vel spolijs: debet intendere bonis operibus, non comessationibus & ebrietatibus.

Parte secunda capite 69. Magna & solennis valde est solennitas Paschalis, & cæteras præcellit solennitates: Vnde omnes dies Dominici octauæ sunt huius festi: & in eo omnia signa lætitiæ proponuntur. Dignitas quippe Dominicæ diei notatur in hoc, quòd fuit prima dierum.

Ioannes Taulerus. 1350.

Sermone 1. in festo Pentecostes: Solennem illam Spiritus sancti missionem, quando illum Deus effudit singulari & notabili modo in electos & Apostolos suos, hodie vbique terrarum sancta recolit & celebrat Ecclesia.

Petrus Aliacus. 1400.

Sermone 2. in festo Pentecostes: Hodie ad celeberrimam Spiritus sancti missionis memoriam solenniter festinamus: hodie faustum illum diem recolimus, quo discipuli Christi repleti sunt Spiritu sancto.

Thomas VValdensis. 1415.

Tom. 3. tit. 16. cap. 140. Quia inter legalia tunc sublata Sabbati custodia fuit vnum, planum est tunc intrasse Dominicam loco eius: sicut Baptisma statim loco Circuncisionis. Adhuc enim superstes erat sanctus Ioannes, qui diceret: *Et fui in spiritu in die Dominica.* Apoc. 1. cùm de Dominica die ante Christi Resurrectionem nulla prorsus mentio haberetur, sed statim post missionem Spiritus sancti lege noua fulgente, in humano cultu sublatum est Sabbatum, & dies Dominicæ Resurrectionis clarescebat Dominica.

Bernardinus Senensis. 1430.

Tomo 2. Ser. 10. de obseruatione Sabbati: Plurima festa vltra diem Dominicam addita sunt ab Ecclesia sancta, & populo Christianorum, vt Christi, & Virginis, & aliorũ Sanctorum, quæ obseruanda sunt tum propter præceptũ Ecclesiæ, tum propter rememorationem tantorum beneficiorum, quę nobis à Deo in talibus diebus collata sunt: Sicut est beneficium Natiuitatis Christi, Ascẽsionis, & cõsimilium festiuitatum.

Dionysius Carthusianus. 1460.

Ad cap. 1. Apoc. Dominica dies diuinorum occupationibus est deputatus, plus quàm cæteri.

Petrus Apolonius Collatius. 1480.

In Fastis de Christi Natali:

Solennis Natalis adest, occurrite puri
Christicolæ, atq; animis concelebrate diem.

Baptista Mantuanus. 1500.

Lib. 1. Fastorum, de hebdomadibus, & diebus:

Sed tamen hebdomadas breuiter tractare, dies q;
Ante opus est, quàm Festa manus ad singula vertam.
Cæsar vt in menses diuisit Iulius annos,
Ordine sic alio partitus tempora Christus,
Traxit in hebdomadas menses, habet hebdomada autẽ
Vna dies septem: Tamen obseruantia venit
Talis ab Hebræo, quibus hoc quoque tempore semper
Septima lux est sacra Deo: nam dicitur olim
Sex opus hoc tantum Deus absoluisse diebus.
Septima lux expers operis fuit, atque recepit
Arequie nomen, sed nos Titana sequentem
Tradidimus Christo, quia tunc reduximus ab Orco
Venit agens longo squallentem carcere turbam.
Ogdoas hic oritur, nam lux octaua recepit
Septima, quem longo cultum perceperat æuo.
Prima dies diuini operis, qua condita lux est,
Est ea qua Christus victo surrexit Auerno;
Et tulit in lucem, fuerant qui nocte sepulti
Tenaria antiquos manes, tunc fulcit in omnes
Lux animas prisca legis, quæ soluerat omne
Credentum de mente chaos, qua ostenderet orbem
AEthereum, populis vbi lata fidelibus arua:
Sic antiqua nouis cedunt, sic prisca facessunt
Sabbata, cumq; nouo fiunt noua secula ritu.
Ac veluti redeunt conuerso Sabbata gyro,
Sic Domino sacrata dies sine fine recurrit
Semper, vt hebdomadis cursus compleuerit orbem,
Rursus init dictam Domini de nomine lucem.

ARTICVLVS NONVS.

CHRISTI CRVCIS SIGNVM, VEL SOLA FIDELIVM MANV EXPRESSVM, DÆMONIBVS ESSE TERRORI, HOMINÍBVS SALVTI: PROPTEREA FRONTEM, OS, PECTVS, OMNIA SACRAMENTA, CIBVM AC POTVM RECTE EO SIGNARI.

NEGANT.

Anno post natũ Christum

366. IVLIANVS Apostata, *O miseri homines*, inquit, *arma, quæ magnus misit Iupiter, cessatis adorare & colere, & interim Crucis lignum adoratis, imagines illius in fronte & ante domos pingitis.* Cyrillus Alexandrinus lib.6.contra Iulianum.

366. *Præstigiator quidam deducto Iuliano in fanum simulachrorum, & intra eius adyta collocato, fraudulentos dæmones inuocat: Quibus specie qua solent apparentibus, metus coëgit Iulianum signo crucis frontem suam signare. Dæmones igitur Dominici trophæi cõspicati figuram, aufugerunt. Tunc præstigiator causa cur fugerent intellecta, Iulianum obiurgat, qui se crucis virtutem admirari dixit: nam dæmones (quoniam eius virtutem ferre non poterant) aufugisse: cui præstigiator, ne sic existimes; siquidem non eam ob causam, quam tu adfers, formidabant, sed tuum factum detestati, se ab oculis nostris remouerunt.* Theodoret.hist.Eccles.lib.3.cap.3.

380. *Messaliani Crucem abominantur.* Constantinus Harmenopulus de sectis.

600. *Armenij non prius Crucem honorant, quàm baptizauerint: in medio ipsius crucis clauum figunt, & sanguine victimæ vngunt.* Nicephorus lib.18.cap.53.

639. *Mahometani Crucem abominantur, & Christianos eam adorantes appellant idololatras.* Cedrenus in Heraclio.

800. *Pauliciani cùm in morbum aliquem incidunt, crucem ex ligno confectam sibi ipsis imponunt, deinde si cõualuerint, eam perfringunt, conculcant, atque abiciunt. Euangelium nostrum non dubitant adorare, vbi pretiosæ crucis figura non est impressa: non autem in ea parte libri, in qua crucis imago sit.* Euthymius in Panoplia parte 2.titulo 21.

830. *Claudius Taurinensis cruces materiales euertit, & vexillum crucis exhorruit.* Ionas Aurelianensis lib. 1.de cultu imaginum.

1050. *Bogomili crucem despiciunt, quòd in ea Seruator occiderit, dæmones aiunt fictè crucem fugere, vt id homines aspicientes, eam magis honorent, tanquam dæmonum inimicam & expultricem.* Euthymius parte 2. Panopliæ titulo 23.cap.14.& 15.

1150. *Petrobrusiani dicunt Crucem non esse adorandam, nec venerandam.* Petrus Cluniacensis epist.1.

1540. Ioannes Brentius in Catechismo explicans Apostolorum Symbolum: *Alij, se solent cruce digitis formata signare, vt hoc signaculo tuti sint à diabolo, & tam à se quàm ab hisce creaturis diabolum abercant, & incantamenta dissoluant: Hæc non est pietas, sed Magia. Et si diabolus hoc facto signo fugerit, fingit se talem crucem metuere, vt homines hac simulatione seducat, & magicam impietatem confirmet. Nam diabolus non pellitur signo crucis manu facto.*

Præfatione ad responsionem Schmidelini contra Hosium, *negat signum crucis esse Apostolicæ traditionis, figmentum appellat: non eam, sed asinum potius adorandum esse dicit, qui naturalem potius dorso portet crucem: denig, omnem hunc Christianum cultum, magiam esse & idololatriam.*

1560. Magdeburgenses centuriæ 3. cap.10. in Tertulliano: *Signo crucis se signare, à Montanistis originem ducere contendunt.*

ASSERVNT SACRÆ LITERÆ.

Ezechielis 9. v.4. Et dixit Dominus ad eum, Transi per mediam ciuitatem in medio Ieruſalem: & ſigna Thau ſuper frontes virorum gementium, & dolentium ſuper cunctis abominationibus, quæ fiunt in medio eius. 6. Omnem autem ſuper quem videritis Thau, ne occidatis, & à ſanctuario meo incipite.

Matth. 24. 30. Tunc parebit ſignum filij hominis in cælo.

ASSE-

ASSERVNT LITVRGIÆ APOSTOLICÆ, & diuersarum Gentium Orientalium.

Liturgia D. Petri: Supplices rogamus ac petimus, *(osculatur altare,)* vti accepta habeas & benedicas, *(signet ter super oblata,)* hæc ✻ dona, hæc ✻ munera, hæc ✻ sancta sacrificia illibata.

Liturgia D. Iacobi: Deinde signacula crucis Sacerdos facit super dona, & stans dicit apud se: *Gloria in excelsis Deo,* &c. Sacerdos signacula faciens crucis super dona dicit: *Sanctus es Rex cælorum.*

Liturgia D. Marci: Sacerdos cruce signans patinas & calices elata voce dicit: *Credo in Deum,* &c. Ac Populo dicente: *Et incarnatus est & de Spiritu sancto,* (crucem facit,) eodemque subiungente: *Crucifixus etiam pro nobis,* (denuò cruce signat) &c. Sacerdos mysteria sancta crucis signaculo signat, dicens, &c.

Liturgia Æthiopum: In nomine ✻ Patris ✻ & Filij ✻ & Spiritus sancti: Domine Deus noster, Spiritum sanctũ mittere digneris, & iterum ✻ benedic sanctifica, &c.

Liturgia D. Basilij: Tum conuertit se Pontifex ad populum, & facit tres cruces super eum; primam in medio, secundam ad sinistram partem, tertiam ad dextram.

Liturgia D. Chrysostomi: Diaconus accipiens panem, facit in eo cum lanceola crucẽ, dicens: *In nomine Dei,* &c. Et incidens lanceola signaculum panis in quatuor partes, in figuram Crucis, dicit: *Hæc,* &c.

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Clemens Romanus. 80.

Constitutionum Apostolicarum lib.8.cap.12. Igitur Episcopus precationem silentio faciens, vnà cum sacerdotibus & splendidam vestem indutus, & stans ad altare, & facto manu in fronte trophæo crucis, dicat, &c.

Ignatius. 100.

Epistola ad Philippenses: Princeps mundi huius gaudet, cùm quis Crucẽ negârit, cognoscit enim Crucis confessionem suum esse ipsius exitium. Id enim trophæum est cõtra ipsius potentiam: quod vbi viderit horret, & audiens timet, & antequam fabricaretur Crux, studebat vt fabricaretur, cùm autem paranda esset crux, tumultuabatur, & pœnitentiam immisit proditori.

Dionysius Areopagita. 100.

Ecclesiasticæ Hierarchiæ cap.2. At verò Pontifex trino crucis sanctæ signaculo vnctionem inchoans, inungendum iam sacerdotibus toto corpore hominem tradit.

Cap.5.parte 2. Cuilibet autem ipsorum à benedicente Pontifice crucis imprimitur signum, & per singulos sacra prædicatio nominis, consumensq; consalutatio fit cunctis sacri Ordinis viris.

Parte 3. Signi vitalis impressio omnium simul carnalium desideriorum vacationem, vitamq; ad Dei imitationem effictam signat.

Prochorus. 120.

De Ioanne Apostolo cap.3. Balneatrix spiritu defecta collapsa est in terram: quam cùm vidisset Ioannes sic immutatam, apprehendit eam per manum, & erexit, & sanctæ crucis signaculo muniuit. &c.

Cap.31. Ioannes appropinquans sanctæ crucis signo dixit infirmo: *In nomine D.N. Iesu Christi surge, & vade in domum tuam sanus.* Et continuò surrexit æger sanus.

Iustinus. 150.

Dialogo cum Tryphone: Cùm populus bellum gereret aduersus Amalech, & Naue filius, Iesu nomine cognominatus, inter primos pugnaret, Moses ipse Deũ orabat, manibus vtrinq; expassis: Hur autem & Aaron eas toto die sustinebant, ne ipso defatigato dimitterentur. Nam si quicquã remittebatur de signo isto crucem imitante, prout in Mosis literis est scriptum, populus vincebatur: sin in statu isto permanebat, Amalech superabatur: Et qui foris erat, per crucem fortis rem præclarè gerebat. Non enim propterea quòd Moses ita ũrabat, populus in prælio superior erat; sed quòd nomine Iesu in prima acie versante, ipse crucis signum designabat.

Quæst.118. Eam ob rem precationis tempore vultu ad Orientem omnes conuertimur; perinde atque dextra manu in nomine Christi nos cõsignamus, qui sigillo tali indigent.

Irenæus. 180.

Lib.2.cap.42. Ipse habitus crucis fines & summitates habet quinque, duos in longitudine, duos in latitudine, & vnum in medio, vbi requiescit, qui clauis affigitur.

Clemens Alexandrinus. 200.

Lib.6. Stromaton: Quemadmodum in Astronomia exemplum habemus Abrahami, ita etiam in Arithmetica eundẽ Abraham: Cùm enim audisset abductum fuisse Loth captiuum, trecentis decem & octo vernaculis suis numeratis hostes aggressus, vincit maximum numerum eorum. Dicunt ergo Dominici quidẽ signi typum, quod ad figuram attinet, esse elementum, quod significat trecentos: ἰῶτα autem & κὰπα significare nomen salutare. Significare ergo eos esse Abrahæ domesticos, & ei coniunctos, quod ad salutem attinet, qui ad signum & nomen Domini confugerunt, & superasse eos, qui ipsos abducebant in captiuitatem, & plurimas gentes infideles, quæ eos sequebantur.

Hippolytus. 220.

De consummatione mundi: Mox cuncti ciborũ penuria accedent, atq; adorabunt Antichristũ: quibus dabit characterem in dextra manu & fronte, ne quis dextra sua pretiosam illam crucẽ pingat in fronte, &c. Lugebit mare, lugebit aër, lugebit sol, & c. propter genus humanũ: eò quòd omnes defecerint à sancto Deo, & crediderint impostori illi, suscepto charactere impuri illius & hostis Dei

loco viuificæ Crucis Saluatoris, &c. Tunc dicet Christus: Signo crucis meæ notati estis, sed hoc animi duritia deleuistis.

Origenes. 230.

Homilia sexta in Exodum: Quid timent dæmones? quid tremunt? sine dubio crucem Christi, in qua triũphati sunt, in qua exuti sunt principatus eorũ & potestates. Timor ergo & tremor cadent super eos, cùm crucis signum in nobis viderint fideliter fixum.

In Psal. 38. Hom. 2. Vt ergo non exprobremur ab insipiente, conuertemus nos ab omnibus iniquitatibus nostris, ne reprehendẽs in nobis maculas peccatorum, id est, suę voluntatis insignia, exprobret, & dicat: Ecce hic Christianus dicebatur, & signo Christi signabatur in fronte, meas autẽ voluntates, & mea chirographa gerebat in corde. Ecce iste, qui mihi & operibus meis renuntiauit in Baptismo, meis rursus operibus se inseruit, meisq; legibus paruit.

Homilia 8. in diuersos Euangelij locos: Filij Dei humilitas, nostra sublimitas est: Illius crux, nostra victoria: illius patibulum, noster triumphus. Gaudentes leuemus hoc signum in humeris nostris, victoriarum vexilla portemus, immortale lauacrum portemus in frontibus nostris: cùm dęmones viderint, contremiscent. Qui aurata Capitolia non timent, Crucem timent. In Ezechiele Propheta, cùm omnes qui missus fuerat Angelus occidisset, & interfectio cœpisset à sanctis, illi tantummodo sospites reseruantur, quos litera T, id est, Crucis pictura signauerat. Exultemus igitur, fratres charissimi, & ad Crucis similitudinẽ sanctas in cælũ manus leuemus. Cùm sic nos dæmones armatos viderint, opprimentur.

Homilia 6. in epist. ad Romanos: Tanta vis est Crucis, vt si ante oculos ponatur, & in mente fideliter retineatur, ita vt in ipsam mortem Christi intentis oculis mentis aspiciatur, nulla concupiscentia, nulla libido, nulla superare possit inuidia; sed continuò ad eius præsentiam totus ille, quem supra enumerauimus, peccati & carnis fugatur exercitus.

Eusebius Cæsariensis. 320.

Vitæ Constantini lib. 1. cap. 22. Constantinus cùm iam sol ad medium cælum ascendisset, die in pomeridanum tempus paululum inclinante, dixit se crucis signum ex lucis splendore figuratum, in ipso cælo soli imminens, manifestò oculis aspexisse, inq; eo inscriptionẽ consignatam, quæ hæc verba complectebatur: *In hoc vinces*, &c.

Cap. 24. Imperator simulatq; dies illuxit, surgens, primum arcanum illud visum amicis exponit: deinde artificibus, qui aurum & lapides pretiosos affabrè sculpere nôrant, accersitis, medio inter illos loco assidet: verbis signi describit effigiem, eam auro & lapidibus pretiosis imitatione adumbrare mandat. Quam quidem effigiem contigit, vt nos oculis olim contemplaremur. Ipse enim Imperator, Deo illud largiente, eam nobis ostendere dignatus est.

Cap. 25. Erat autem tali figura fabricata. Hastile oblongum, erectumq;, auro vndique obductum fuit: quod cornu habuit transuersum ad formam crucis constructum. Supra in fastigio ipsius operis, corona affixa, lapidibus pretiosis, & auro politè circumtexta, &c.

Lib. 3. cap. 2. Constantinus Christum Dei, libero ore & sermone in omnes diuulgauit: neq; salutarem eam appellationẽ, quã obtinuerat, erubuit; sed ipsa professione gloriatus, se in luce & omnium oculis collocauit; atq; interdum vultũ salutari illa passionis signauit nota, nonnunquam trophæo illo victorioso plurimum se extulit.

Cap. 3. Quin etiam in tabula depicta, quam in sublimi ante palatij vestibula suspenderat, se omnium oculis contemplandum proposuit: salutareq́ passionis insigne, supra caput ipsius locatum, in pictura exprimendum curauit.

Athanasius. 340.

De Incarnatione Verbi eiusq; corporali ad nos aduentu: Signo Crucis omnia magica compescuntur, veneficia inefficacia fiunt, idola vniuersa deserta relinquuntur, omnis irrationalis voluptas conquiescit, &c. Solo signo crucis homo vtens dolos dæmonum à se propellit, &c. Veniat qui istorum dictorum experimentum capere velit, & in ipsis præstigijs dæmonum, & impostoris vaticiniorũ, & in miraculis Magiæ vtatur signo Crucis ab ipsis deriso, nomenq́ Christi inuocet, & videbit quomodo eius rei metu dæmones fugiant, vaticinia conquiescant, magię & veneficia irrita iaceant.

In vita Antonij: Solent Dæmones rectè Angelos Dei se fingere, laudare studium, mirari perseuerantiam, futura præmia polliceri: quos cùm videritis, tam vos, quàm domos vestras, crucis armate signaculo, & confestim soluentur in nihilum: Quia metuunt illud trophæum, in quo Saluator aërias expolians Potestates, eas fecit ostentui, &c. Vos Philosophi gentiles si potestis ostendite, qua contextione verborum gentilitatem Christo præponere suaseritis? Crucifixum nominamus, & vniuersi dæmões, quos vos vt Deos colitis, fugiunt, atque ex obsessis corporibus ad primum Dominicæ crucis signum fugantur, &c. Adsunt à dæmonibus vexati, vos collectionibus vestris, & quo vultis malefico carmine, Deos vestros, quos putatis, expellite: si autem non potestis, victas submittite manus, & ad Christi trophæa confugite, & statim crucifixi credulitatem maiestatis potentia prosequentur, dixit Antonius, & inuocato nomine Iesu, cùm vitale signum in sacro numero Trinitatis pressisset in frontibus, vnà cum expulsis dæmonibus vana præsentium Philosophorum confutata est sapientia.

Basilius Magnus. 370.

Oratione in Gordium Martyrem: Hæc vbi dixisset Christi miles, se crucis signo communit, & animi magna constantia, vultu intrepido, colore nusquam mutato, ad supplicium hilaris contendit.

De Spiritu sancto cap. 27. Si consuetudines, quæ scripto proditæ non sunt, tanquam haud multum habentes momenti, conemur reijcere, imprudentes & ea damnabimus, quæ in Euangelio necessaria ad salutem habentur. Quod genus est (vt eius, quod primum est & vulgatissimum, primo loco commemorem;) vt signo crucis eos, qui spem collocârunt in Christum, signemus, quis scripto docuit? Nonne à tacita secretaq; traditione? Nonne ex doctrina, quam Patres nostri in silentio, quod curiosos & otiosos submouet, seruârunt?

Cyrillus Hierosolymitanus. 370.

Catechesi 4. Non pudeat nos crucis Christi. Quòd si aliquis id occultet, tu manifestè signa te cruce in fronte: vt dæmones signum Regis videntes, trementes procul fugiant. Fac autem hoc signum & manducans, & bibens, & sedens, & stans, & loquens, & ambulans, in omni tuo negotio.

Catechesi 13. Non pudeat nos crucifixum confiteri, sed in fronte confidenter signaculum crucis digitis imprimatur, & in alijs omnibus crux fiat: In pa-

nibus comedendis, & in poculis bibendis, in egressu, & ingressu: ante somnum, recumbendo, & surgendo: eundo, & quiescendo. Magna hæc est custodia, quæ propter pauperes gratis datur, sine labore propter infirmos: cùm à Deo sit hæc gratia signum fidelium, & timor dæmonum: Triumphauit enim de illis in hoc signo: Ostẽta illud audacter. Quando enim viderint crucem, recordantur crucifixi: metuunt eum, qui contriuit capita draconis: neque propterea, quòd est gratuitum, contemnas hoc signaculum; sed ideo magis venerare benefactorem.

Ephræm. 370.

Ad Monachos Paræneſi 2. Crucem fronti impressam tenentes, spectaculum diabolo tremendum habebitis; honorantes iustitiam, castimoniamq́ seruantes, iam incolæ Paradisi euasistis.

De armatura spirituali ad Monachos religiosos: Vicesciuti, Crucis signo te ipsum muni, signans eo mẽbra tua omnia, & cor tuum. Neque verò sola manu te signes, sed etiam animo; & studia tua, & ingressum tuum, & exitum tuum in omni tempore: sessionem quoque tuam, & resurrectionem tuam, & lectulum tuum, & quæcunque pertransis signa primùm in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Validissima quippe eiusmodi armatura est, nullusq; tibi vnquam nocere poterit, si ea munitus fueris. Nam si quis terreni regis signaculum defert, eum lædere nullus audeat: quanto magis nos, qui tale cęlestis Imperatoris signum ferimus, neminem metuere debemus?

Gregorius Nazianzenus. 380.

Oratione tertia, quæ est in Iulianum apostatam: Descendebat (*Iulianus*) in quoddam adytum plerisque inaccessum & horrendum, comitem eum habens, qui multis adytis dignus erat, hoc est, hominem in huiusmodi rebus sapientem, vel potius sophistam. Nam hoc quoque apud ipsos diuinationis genus est, vt in caliginoso quodam specu cum subterraneis dęmonibus ob res futuras congrediantur: siue quia tenebris magis oblectantur, (vt qui ipsi tenebræ quoque sint, ac tenebrarum vitij artifices,) siue quia piorum hominum, qui in terra sunt, societatem & congressum fugiunt, ex ijsq; infirmiores redduntur. Vt autem egregium virum progredientem terrores adoriri cœperunt, ac subinde plures ac formidabiliores, (sonos quosdam insuetos, aiunt, tetrosq́ odores, atque ignea spectra, & nescio quas nugas & deliramenta) rei nouitate perculsus, (harum enim rerũ studium ferò amplexus fuerat,) ad crucem vetusq́ remedium confugit, hocq; se aduersus terrores confignat, eumq́, quem persequebatur, opitulatorem adscisit. Ac quę sequuntur, magis tremenda. Valuit signaculum, cedunt dæmones, pelluntur timores. Quid deinde? Respirat malum: rursus audaciam concipit, rursus aggreditur, rursus eidem terrores vrgent: rursus signum adhibetur, ac Dæmones conquiescunt.

Oratione 19. quæ est oratio funebris in laudem patris defuncti: Visum est matri, me, quem charissimum habebat, noctu repentè superuenientem, cum canistro, panibusq́ inprimis candidis pro meo more benedictis, atque cruce confignatis, eam aluisse, sicq́ conualuisse, ac vires collegisse.

Carmine ad Nemesium:

Nec mirum, namque ipse etiam, sors inclyta Christi,
Prolato ipsius vel solo nomine sapè,
Dæmones eieci, stridentes atque gementes,
Clamantesq; Dei robur dominantis Olympo.
Aera vel medium signo crucis ipse notaui,
Illustremq; tulit typus hic ex hoste triumphum,
Mosis vt in manibus sancta pro gente precantis.
Quis det vt excelsam in speculam subuectus ad oẽs
Terrena de gente satos posiim ista tonarẽ?

Carmine Iambico 18. ad Diabolum:

Dæmon me adisti pessime, at repressus es.
Vt fumus est mi visus, ignem protinus
Sensi: Draconem prodidit fœtens odor.
Crucem at, meæ quæ præses est vitæ, tibi
Oppono, mundum quæ Deo totum ligat.
Hanc pertimescens cede, nec rursus redi.

Epiphanius. 380.

Hæresi 30. contra Ebionitas: Iosephus quidam apud Iudæos Patriarcha factus Christianus, accepto vase aquæ coram omnibus, magna voce crucis signaculum proprio suo digito vasi imposuit, & inuocato nomine Iesu, sic dixit: In nomine Iesu Nazaræi, quem crucifixerant patres mei, fiat virtus in hac aqua ad reprobrationem omnis incãtationis ac magiæ, &c. quo facto protinus dissoluta sunt incantamenta omnia, &c.

Gregorius Nyssenus. 380.

De S. Gregorio Thaumaturgo, cap. 8. Cùm subijsset templum, quo dæmones colebantur, illos quidem confestim exterruit Christi nominis inuocatione: Figura autem crucis aëre expiato, qui erat inquinatus nidoribus, illic remansit totam noctem pro more orationibus & hymnis decantandis vigilans.

Cap. 20. Ille se signaculo crucis muniẽs, & Christi nomen inuocans, domos peruasit illæsus.

De sorore Macrina, cap. 18. Hæc dicens, oculis, & ori, & cordi crucis signum apposuit.

Theodosius & Valentinianus AA. 400.

L. vn. C. Nemini licere signum Saluatoris Christi humi; vel in silice, vel in marmore, aut insculpere, aut pingere: Cùm sit nobis cura diligens per omnia superni numinis religionem tueri: signum Saluatoris Christi nemini licere, vel in solo, vel in silice, vel in marmoribus humi positis insculpere, vel pingere: sed quodcunque reperitur, tolli, grauissima pœna mulctãdo eos, qui contrarium statutis nostris tentauerit, specialiter imperamus.

Ioannes Chrysostomus. 400.

Demonstratione aduersus Gentiles, quòd Christus sit Deus: Veruntamen hoc maledictum, hoc abominabile, hoc extremi supplicij symbolum, Crux diadematibus & coronis clarius factum est. Neque enim sic regia corona ornatur caput, vt cruce, quę omni cultu dignior; & quam omnes prius abhorrebant, eius figuram tantopere quærunt: atque adeò vbique ea inuenitur apud Principes, apud subditos, apud mulieres, apud viros, apud virgines, apud nuptas, apud seruos, apud liberos: subinde omnes ea se fignant, inscribendo in nobilissimum membrum nostrum. In fronte enim nostra quasi in columna quotidiè figuratur. Sic in sacra mensa, sic in sacerdotum ordinationibus, sic iterum cum corpore Christi in mysticis cœnis fulget. Hanc vbique celebrari videre licet, in domibus, in foro, in solitudine, in vijs, in montibus, in collibus, in vallibus, in mari, in nauigijs, in insulis, in lectis, in vestibus, in armis, in thalamis, in symposijs, in vasis argenteis, in aureis, in margaritis, in marorum picturis, in corporibus brutis malè affectis, in corporibus à dæmonijs obsessis, in bellis, in pace, in diebus, in noctibus, in delicatorum choreis, in monachorum ordinibus: adeò certatim donum hoc mirabile rapiunt omnes. Mira est hæc gratia, nullus confunditur, nullus erubescit, cogitans quòd maledictæ mortis symbolum fuerit: sed omnes ipso magis ornantur, quàm diadematum coronis, vel multis gemmatis

monilibus & torquibus. Et non ſolùm non fugitur,ſed & deſideratur,& adamatur,& omnes de ea ſolliciti ſunt,& vbique fulget,& ſparſa eſt in parrietibus domorum,in culminibus,in libris,in ciuitatibus,in vicis,in locis quæ habitantur, & quę non habitantur.

Homilia 55.in Matthæum: Sed veluti coronam,ſic læto animo Chriſti Crucem circumferamus. Omnia enim,quæ ad ſalutem noſtram conducunt, per ipſam conſummantur. Nam cùm regeneramur, crux Domini adeſt: cùm ſacratiſſimo alimur cibo,cùm in Ordine conſecrandi ſtatuimur, vbique ac ſemper id victoriæ inſigne nobis aſſiſtit. Quapropter & in penetralibus, & in parietibus,& in feneſtris, & in fronte quoque ac mente, magno ſtudio crucem inſeramus. Id enim ſalutis noſtræ, id communis libertatis, id manſuetudinis atque humilitatis Domini ſignum eſt. Quando igitur cruce te ſignas,vniuerſam tecum crucis cauſam verte, & iræ ac reliquarum paſſionũ incendia extingue: quando te cruce ſignas, magna tuam frontem arma fiducia,libertate animũ munias. Nec enim latet vos quænam ſint, quibus libertate donati ſumus. Paulus enim,cùm ad capeſcendam veram hanc libertatem nos hortaretur, ad crucis & ſanguinis Dominici memoriam reduxit,dicens: *Pretio empti eſtis,non ſitis ſerui hominum*, &c. (1.Cor.6.) Pretium autem hîc crucem appellauit, quam non ſimpliciter digito in corpore,ſed magna profectò fide in mente prius formare oportet. Nam ſi hoc modo eam faciei tuæ impreſſeris, nullus ſceleſtorum dæmonum,cùm haſtam videat, qua lethale vulnus ſuſcepit, congredi tecum audebit. Nam ſi, cùm ſolummodo loca, in quibus capite damnati pœnas perſoluunt,videmus,ingenti horrore concutimur: quid paſſurum putas diabolũ; ſi mucronẽ tenere te viderit,quo vires eius Chriſtus diſſoluit, & quo caput Draconis magno ictu rotauit? Noli ergo tanto tu bono verecundari,ne quando in maieſtate ſua veniet Chriſtus,de te verecundetur. Tunc enim ſignum hoc ſuper radios ſolis coruſcans, ante Chriſtum videbis,&c. Hoc ſignum & priſcis, & noſtris temporibus clauſas ianuas reſerauit, hoc venenorum vires extinxit, hoc feroces beſtias repreſſit, hoc lethales ſerpentum morſus curauit. Etenim ſi portas inferni perfregit,ſi cęlorum oſtia recluſit,ſi paradiſi renouauit ingreſſum, ſi Diaboli neruos recidit, quid mirum eſt,ſi peſtifera venena, atroces beſtias, aliaq; huiuſmodi ſuperauit? Hoc igitur in mente tua inſculpe, & animarum amplectere ſalutem.

Oratione 5. contra Iudæos: Quomodo ingrederis Synagogam? ſi ſignaueris frontem tuam,illicò fugiet praua poteſtas,Synagogæ inhabitans: ſin verò non ſignaueris in ipſis foribus protinus arma abieciſti, mox nudum & inermem abreptum Diabolus innumeris malis afficiet.

Palladius. 410.

In Hiſtoria ſanctorum Patrum, cap.1. Quodam die Iſidorus ad puteum ſuum me miſit, vt implerem cadum,quo eo in refectione vteretur. Accidit autem,cùm acceſſiſſem infra in puteo vt viderem aſpidem, & præ metu aquam minimè haurirem, ſed currendo reuerſus ei nuntiarem. Ipſe autem è cella egreſſus, cùm per ſe hauſiſſet, bibit ieiunus, cùm prius ſignaculo Crucis munijſſet, & dixiſſet: quò venit Seruator,illic viribus caret diaboli improbitas.

Cap. 49. Vnum, inquit Copres, magnum miraculum præbuit mihi Deus multis præſentibus. Cùm enim in ciuitatem aliquando deſcendiſſem, inueni quendam virum magum, qui populos ſeduxerat. Cùm autem non poſſem ei publicè perſuadere, dixi conuerſus ad multitudinem, magnum rogum in platea accendite,& ingrediamur in flammam; & qui ex nobis illęſus à flãma manſerit,is habet bonam fidem. Poſtquam autem hoc factum eſt,& turbæ rogũ citò accenderunt,ipſum mecum trahebant in ignem. Is autem dicit: Vnuſquiſque ſeorſim ingrediatur, debeſq; primus ingredi,qui iuſſiſti. Cùm autem in nomine Chriſti ſignatus eſſem ingreſſus, flamma in hanc & illam partem diuiſa, me nulla affecit moleſtia, cùm ſemihoram in ea eſſem moratus.

Ioannes Caſſianus. 430.

Collat.7.cap. 23. Aut enim virtute Crucis etiam deſerta penetrante,& vbique eius gratia coruſcãte,retuſa eſt nequitia dæmonum, aut negligentia noſtra illos ab impugnatione priſtina reddit lentiores.

Collat. 8.cap. 18. Philoſophi beatum Antonium velut imperitum ac ſine literis virum deſpicientes, volenteſq; eum Magicis præſtigijs & circumuentione dæmonũ perturbare, ſpiritus ei nequiſſimos immiſerunt: illoq; nunc quidem imprimẽte pectori ſuo frontiq; ſignaculum crucis, nunc verò orationi ſimpliciter incumbente, ne approximare quidem diriſſimi Dęmones ei prorſus audebant.

Honorius & Theodoſius AA. 430.

L.Iudæos,C.de Iudæis & Cælicolis: Iudæos quoſdam feſtiuitatis ſuæ ſolennia ad pœnæ quondam recordationem incendere, & ſanctæ crucis adſimulatam ſpeciem in contemptum Chriſtianæ fidei ſacrilega mente exurere, prouinciarum rectores prohibeant,neue locis ſuis fidei noſtræ ſignũ immiſceant,ſed ritus ſuos citra contemptum Chriſtianæ legis retineant,amiſſuri ſine dubio permiſſa hactenus,niſi ab illicitis temperauerint.

Cyrillus Alexandrinus. 430.

Libro 6.contra Iulianum: Curæ ſemper eſt Chriſtianis domos & frontes ſigno pretioſæ Crucis ſignare, &c. Hæc omnia recordari nos facit ſalutare lignum,& ſuadet,vt cogitemus, & propterea pretioſi ligni crucem facimus, in memoriam omnis boni & virtutis.

Iſidorus Peluſiota. 440.

Lib.1.epiſt.362. Manuum cancellatio Patriarchæ (Gen.48.) Iacob ſalutiferam crucem adumbrabat, atque inferioris adductio nouum populum ſubindicabat, per huiuſmodi habitum modò non edita voce clamans: cùm crux in benedictionem apparebit, inferior populus augebitur, & *qui ſe humiliat exaltabitur.*

Sozomenus. 440.

Lib.5.cap. 2. Iulianus cùm fortè in adyta quædam celeberrima eaq; terribilia maximè deſcendiſſet,& ſpectra,quæ machinationibus vatum, & magicis præſtigijs apparere conſueuerant, ei ex improuiſo obiecta eſſent, præ terrore & metu, conſueto more,quo, cùm eſſet Chriſtianus, & in granibus periculis cõſtitutus, vti ſolebat,ſeipſum ſigno Chriſti conſignauit: quo facto ſpectra è veſtigio euanuerunt, & conatus vatis impeditus eſt.

Lib.7.cap 25. Donatus Epiſcopus contra Draconem nec gladio,nec haſta, nec iaculo aliquo armatus venit, ſed ſignum Crucis aduerſus ipſum aëri digito inſcripſit, & illi in faciem expuit. Draco ſputo in os accepto ſtatim expirauit.

Theodoretus. 450.

Eccleſiaſt.Hiſt.lib.3.cap.16. Horum vnus poculo accepto,nõ ante bibit, quàm ſalutare crucis ſignum impoſuiſſet.

Lib.5.cap.21. Hæc & alia huiuſmodi Epiſcopus

precatus,figura crucis aquæ indita, Equitium Diaconum ſumere iubet,ac deinde flammam aſpergere; quo facto,contactus aquę impatiens dęmon aufugit.

In Philotheo cap. 9.de S.Petro Eremita: Cùm mater feciſſet periculum ſpiritalis eius gratiæ, iuſſit me ſemel in hebdomada decerpere illius benedictionem. Eius autem habuit notitiam hac de cauſa. Morbus, qui ei in alterum ex oculis incubuerat,viſus eſt medicinę ſuperare ſcientiam,&c. Petrus manum impoſuit oculo,& ſalutaris crucis ſigno facto,morbum expulit.

Leo Imp. 460.

C.de Epiſcopis & Clericis: Decernimus vt poſthac neque Monachi,neque quicunque alij cuiuſcunque ſtatus atque fortunæ, in ædes publicas,vel in quæcunque loca populi voluptatibus fabricata, venerabilem crucem & ſanctorum Martyrũ Reliquias illicitè inferre conentur.

Andreas Cæſareenſis. 500.

Ad cap.7.Apocal. Aduentus Antichriſti tempore maximè hoc locum habebit, quando nimirũ viuificæ crucis ſignum fideles ab infidelibus ſecernet. Hi enim intrepidè citraq; vllum ruborẽ Chriſti crucis ſignaculum in conſpectu impiorum deferent. Ob id Angelus hic mox ſubiungit: *Nolite nocere terræ, neque arboribus, quoaduſque ſignemus ſeruos Dei noſtri in frontibus ipſorum.*

Theodorus Lector. 510.

Lib.2. Cùm Rex Coades multas in quodam caſtro pecunias & lapides pretioſos aſſeruari audiſſet,volebat eius rei veritatem cognoſcere, verùm dæmones locum illum inhabitantes, Coadem ab eo quod quærebat impediebant. Cunctam itaque magiam ſuam magi illius impenderunt, ſed fruſtra:adhibita eſt & Iudæorum magia, neque ſic tamen voti compos euaſit; cogitauit per Chriſtianos amoliri dæmones illos. Epiſcopus itaque Chriſtianorum in Perſia, peracta ſuper ea re ſynaxi, & acceptis diuinis myſterijs, & in Chriſtianos qui aderant diſpenſatis, ſigno crucis dæmones profligauit, & caſtrum Coadi ſine vlla moleſtia tradidit.

Cyrillus Eremita. 530.

In vita S.Euthymij: Erat dies octauus Theophaniarum,& iam aduenerat dies præfinitus,quo is exibat in vaſtam ſolitudinem, innumerabilis quidem ad eum confluit multitudo,cruces habens in manibus,& Kyrie eleiſon de more inuocans &c. Cùm Euthymius Auxentio veluti quoddam medicamẽtum crucis ſignũ immiſiſſet, ſoluit hominẽ ab ea affectione,& eũ reddit ſanũ protinus, &c. Cumq; vehementer oraſſet pro ægroto puero Euthymius,& ei figuram crucis impoſuiſſet,non aliquo opus habuit tempore, neq; vt in oratione diutius perſeueraret: ſed eum valentem & omnino ſanum ſtatim effecit: Stupent barbari, & proni humi cadentes, rogant vt Chriſti obſignentur ſignaculo, & partem Chriſtianorum conſequantur,& nomen.

Iuſtinianus Imperator. 530.

In Authen.de ſanctiſſ. Epiſcop.cap.32. Sed & ipſas honorandas cruces (cum quibus & in Litanijs egrediuntur) non alibi, niſi in venerabilibus locis reponi: & ſi quando opus vocauerit ad Litanias celebrandas, tunc ſolùm ipſas ſanctas cruces accipere eos qui conſuetè eas portare ſolent, & cum Epiſcopo & Clericis Litanias celebrare: hoc cuſtodientibus ſanctiſſimis locorum Epiſcopis, aut etiam eorum Clericis,& per loca Iudicibus.

Nouel.Conſtit.5.c.1. Epiſcopus manus extendat ad cælum,& per orationem locum conſecret Deo,figens in eo ſalutis noſtræ ſignum, ſicq; inchoet ædificium.

Conſtitut.67.cap.1. Nulli ſit licentia orationis domum ædificare antequam ciuitatis Epiſcopus orationem in loco faciat, & crucem figat, publicum proceſſum ibi faciens.

Iacobus Diaconus. 560.

De vita S. Pelagiæ: Contra hos Diaboli inſultus ſigna te ſancta cruce,& abrenuncia ei: Signauit ſe Pelagia in nomine Chriſti,inſufflauit Dęmonem, & nuſquam comparuit.

Euagrius. 600.

Lib.6.cap. 20. Choſroës iam ad ſuum regnum reſtitutus, mittit ad Gregorium crucem multo auro & lapidibus pretioſis exquiſitè elaboratã, qua honorem Sergij Martyris inclyti illuſtrari voluit. Hanc crucem primùm Theodora coniunx Iuſtiniani ei dedicauerat: deinde Choſroës ſenior cum alijs monumentis inde abripuerat. Mittit quoque aliam crucem auream.

Euſtathius. 600.

De S. Eutychio: Iunior quidam ab improbo Dæmone ita vexabatur,vt quoties illum affligeret, à nemine poſſet contineri. Omnes enim ſuperabat, omnes conterebat. Hunc miſerum ad virum ſanctum, qui impuros ſpiritus huiuſmodi expellendi gratiam à Deo habebat,adduxerunt. Qui pretioſæ crucis telum,dæmonibus formidabile,& oleum eius,vexati fronti cùm adhibuiſſet, ille ſigno crucis tanquam clauo ignito transfixus, clamare cœpit, & ſpumas effundere,& dentibus frendere, vt non ab vno,ſed à multis dęmonibus vexari videretur.

Leontius Cyprius. 610.

Aduerſus Hebræos: Aliter etiã, qui ex Chriſti ſententia viuentem manum dæmonibus inijciunt,& crucis ſignum opponentes, non ſinunt obſidentes dæmones obſeſſos homines lædere. (Apud Euthymium in Panoplia.)

In vita Simeonis Sali: Et cùm eorum frontes,& pectora, & totum corpus ſignaſſet,eos dimiſit.

Sophronius Hieroſolymitanus. 620.

In vita Mariæ Aegyptiacæ: Hæc dicens Maria, ſimulq́ue & pectori vexillum Crucis inſigens, dixit. &c.

Homilia de Cruce colenda: Crux tutelaris eſt, & fidiſſima Chriſtianorum cuſtodia,& vniuerſorum ex aduerſo occurrentium inſultuum profligatrix.

Ioannes Moſchus. 620.

In Prato ſpirituali,cap.94. Cùm Iulianus Abbas,Epiſcopus Boſtrenſis factus eſſet, quidam odio nominis Chriſti voluerunt eum veneno occidere, corrumpenteſq́ue pecunijs miniſtrum eius, qui ipſi porrigebat poculum,dederunt illi venenum, vt cùm porrigeret Metropolitæ poculum, venenum in calicem mitteret. Puer autẽ ita vt dictum fuerat fecit, deditq; calicem veneno infectum S. Iuliano. Suſcepit verò illum ſanctus vir, ac diuinitus agnouit inſidias. Suſceptum ergo calicẽ ante ſe poſuit,nihil omnino dicens puero, mittenſq; accerſiuit omnes primates ciuitatis, inter quos erant,& qui illi inſidias parauerant. Vir autem beatiſſimus nolens eos publicare, qui hoc fecerant, voce mitiſſima omnibus dixit: Si arbitramini humilem Iulianum veneno occidere, ecce corã vobis peſtiferum calicem bibo: ſignanſq; ter digito ſuo calicem, & dicens: *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*, bibo hunc calicem. Bibit illum coram omnibus totum,atque illæſus perſtitit. Quod illi cùm vidiſſent, proſtrati veniam petierunt.

Georgius Presbyter. 620.

In vita Theodori Archimandritæ: Cùm ad diē constitutam venisset puella annis viginti octo obsessa, & virum sanctum aspiceret, dæmonium in illa turbatum clamare cœpit, & virum sanctum detestari: O vis, inquiens, quæ nunc aduersum nos à spurio & è scorto genito proficiscitur. At seruus Dei Theodorus ipsum signo crucis increpuit, & dixit: quamuis meretricis sim filius, vt ais, tamen ad gloriam Filij Dei & Domini nostri Iesu Christi præcipio tibi, in nomine eius, vt recedas ab hac muliere, nec amplius in illam ingrediaris. Dæmon autem magna voce dixit, iussa tua quidem faciam, & egrediar, sed, &c.

Maximus Monachus. 640.

Ad cap. 8. Dionysij Areopagitæ de cœlesti Hierarchia: Sacerdotes signum viuificę crucis imponunt illis, qui accedunt ad Sacramenta, vt separentur ab infidelibus, & hostem fugent.

Synodus Trullensis. 710.

Can. 73. Cùm crux nobis viuifica salutare ostenderit, nos omnem diligentiam adhibere oportet, vt ei, per quam ab antiquo lapsu seruati sumus, eum, quem par est, honorem habeamus. Quamobrem & mēte, & sermone, & sensu adorationem ei tribuentes, crucis figuras, quæ à nonnullis in solo ac pauimento fiunt, omnino deleri iubemus, ne incedentium conculcatione victoriæ nōbis trophæum iniuria afficiatur. Eos itaque, qui deinceps crucis signum in solo construunt, segregari decernimus.

Alexander Monachus. 728.

In encomio S. Barnabæ Apostoli cap. 31. Episcopus experrectus Deum adorauit, totoq; choro & populo congregato, exijt in eum locum multo apparatu, & cruce ipsa prælata.

Germanus Constantinopolitanus. 728.

In Theoria rerum Ecclesiasticarum: Quòd subleuat sacerdos diuinum panem, & signum crucis ter facit in aëre, cum venerabili & viuifico pane, id innuit: vna quidem crux, quæ sursum designatur, sanctificatum supernum ætherem monstrat; media, aërem: infima, quæ sit supra & prope discum, terram, in qua viuificum illud Christi corpus sepultum est. Quòd autem in calice faciat crucis signum, idq; tertiùm sanctificatum indicat quatuor finibus terminatum vniuersum mundum, à diuina per carnem assumptam dispensatione, & ab ipsa viuifica passione Christi Dei.

Ioannes Damascenus. 730.

Orthodoxa fidei lib. 4. cap. 12. Crux nobis signi loco in fronte data est, haud secus ac Circūcisio Israēli. Per hāc enim nos qui fide prædi ti sumus, ab infidelib⁹ distinguimur, atq; agnoscimur. Hęc clypeus, atq; armatura, & trophęū est aduersus diabolū. Exod. 12. Hęc sigillū, vt ne exterminator Angelus nos tangat, velut Scripturæ sacræ monumētis proditū est. Hæc iacentium excitatio est, stantium fulcimentum, infirmorum baculus, ouiū virga, respiscentium adminiculum, proficientium perfectio, animæ & corporis salus, malorum omnium depulsio, bonorum omnium causa, peccati extinctio, resurrectionis planta, vitæ æternæ lignum.

Historiæ Barlaam & Ioasaphat cap. 31. Tunc improbi spiritus virtute diuina excruciati, veritatem inuiti in lucem protulerunt, his verbis vtentes: Christi potentiæ ac passionis ipsius signo, quod crucem appellant, ne tantillum quidem obluctari possumus. Nā cùm ea effingitur, statim quotquot aëris principes ac mundi rectores tenebrarum sumus, quàm celerrimè fugimus, ac prius etiam quàm ea plenè ac perfectè expressa sit, propulsamur. Quamobrem nos quidem in hunc iuuenem impetu facto, grauiter eum perturbauimus: verùm ille, cùm Christi opem imploraſſet, ac crucis signo seipsum munisset, nos irato animo propulit, atque firmissimum sibi præsidium comparauit.

Cap. 32. Apostoli dæmones, quos vos gentiles vt Deos metuitis, nō modò ab humanis corporibus depellebant, sed etiam crucis signo ex ipso terrarum orbe fugabant: cuius ope atque adiumento omnem quidem Magiam deleuerunt, veneficiaq; omnia irrita reddiderunt.

Cap. 37. Hac oratione vtens, crucisq; signo, hoc est, inuictis armis seipsum cingens, omnia Diaboli spectra irrita reddidit. Confestim enim bestiæ & reptilia instar fumi euanuerunt, & *sicut fluit cera à facie ignis.* Psal. 67.

Cap. 39. Hac precatione habita, Barlaam cùm paterno affectu Ioſaphatum complexus, atque osculo sancto exosculatus fuisset, ac sese crucis signo munijsset, ad beatum iter, atque ad recipienda beatæ illius vitæ præmia profectus est.

Cosmas Hierosolymitanus. 740.

Hymno in Exaltationem S. Crucis: Crucem figurans Moses in recto baculo, mare rubrum dissecuit Israēli pedibus eunti, &c. Subterraneorum Potestates inimicæ crucis horrent signatum signum in aëre, quo vertuntur: cælestium, terrestrium genus genu flectit Christo præbenti pacem animis nostris.

Theosterictus. 820.

De S. Niceta: Nicetas puerum mutum accepit, & pro ipso Deum precatus, crucis signo illum signauit, & adiuuante Christi gratia, puerum, qui nunquam locutus fuerat, bene loquentem ad patrem remisit, &c. Nicetas pro monacho dæmoniaco Deum precatus, signo salutaris crucis illū signauit, & eadem illa hora opprimentem Dæmonem eiecit, & fratrem sanum erexit.

Photius Constantinopolitanus. 860.

De Septem Synodis cap. 7. Crucis signū adoramus, quo dæmonum agmina fugantur, & varij curantur morbi, cùm semel in ipso exemplari gratia & virtus exhibita sit, & vsque ad exempla similis vis sese diffundat. Hæc igitur singula, nempe Christi imaginem, & ipsam crucem, crucisq; notam cultu adorationeq; prosequentes, honorem & adorationem non in ipsis concludimus, sed ad eum dirigimus, qui, propter incredibiles diuitias amoris erga nos, factus est homo, & mortem pro nobis pertulit contumeliosam.

Leo Philosophus Imp. 880.

In encomio Ioannis Chrysostomi: Cùm Sanctus aquā attulisset, rogat Episcopum, vt facto signaculo mulieri aquam aspergat. Hoc cùm factum fuisset, mulier statim accepit sanitatem, &c. Dæmoniacum curans signo pretiosæ crucis, & inuocatione sanctæ Trinitatis, dicit: *Ecce sanus factus es,* &c. Moriturus, cùm de more dixisset: *Gloria Deo* propter omnia, & facto signo crucis subiunxisset: *Amen,* & recubuisset, requieuit 14. mensis Septembris.

Theophylactus. 900.

Ad caput 4. prioris ad Timotheum: Demus, inquit, quòd quiddam sit immundum: signa, gratias age, glorifica Deum, ac defecit immunditia. Nam gratiarum actio cuncta purgat.

Simeon Metaphrastes. 950.

In encomio Ioannis Euangelistæ, cap. 13. Denique infuso veneno, sumptoq; extremis digitis cratere, quandoquidem animus ad id non accedebat, sed timidè admodum se habebat, intusq; cor sibi assiduè palpitabat: tandem crucis signaculo, Christianis consueto, venenum consignat, statimq; vbi clau-

clausis oculis bibisset, illæsus permansit, cruce veneno suam tollente vim.

De S. Pachomio cap. 9. Cùm sedissent verò vt comederent, pro more Palæmon facit signum crucis super cibos, Deo gratias agens, quem etiam corde humili sequebatur.

Euthymius. 1080.

Ad Psal. 139. Dæmones sanctæ crucis signo fugantur, & quoties à sanctis viris increpati fuerint, secedunt.

Parte 2. Panoplię, titulo 20. Crux manu designata res omnes sanctificat, quibus adhibetur: vt aquam Baptismi, & Oleum, & vnguentum, & vultus hominum credentium, & Panem mysticum, & sacrum Sanguinem, & reliqua. Antequam Christus in crucem ageretur, crux mortis erat instrumentum execrabile, & eius figura fugienda ac detestanda: sed postquam Christus ei fuit affixus, sanguine & aqua Domini sanctificata, figura sua eunctis fidelibus exhibet sanctificationem. Atque ita Crux, quæ prius homines tollebat, postea dæmones eiecit, atque expulit. Sancta est omnis figura crucis, siue manu, siue materia designetur, siue ex materia aliqua conficiatur.

Constantinus Harmenopulus. 1170.

De opinionibus Hæreticorum: Massaliani hæretico-rum opinionibus infecti, matrimonia soluunt, crucem abominantur.

Nicetas Choniates. 1200.

Lib. 20. Thesauri Orthodox. de Saraceni institutione: Mox *Amen* responso, signoq; crucis impresso, eum dimittit, qui postridie Catechumenis accensetur. Eum enim exutum & discalceatum sacerdos introducit, atque intra templi valuas, ad Orientem sistit, eiq; tertiùm insufflans, fronti & pectori eius signum crucis imprimit.

Nicolaus Cabasilas. 1280.

De Liturgia cap. 1. Sunt etiam eorum, quæ fiunt, nonnulla, quæ nullum vsum implent, sed alicuius tantùm rei gratia significandæ fiunt: sicut panis punctio, & quæ in ipso fit crucis inscriptio.

Cap. 8. Crucem in pane imprimit, & ita indicat quomodo sacrificium factum est, nempe per crucem.

Nicephorus Callistus. 1300.

Eccl. hist. lib. 13. cap. 37. de Ioanne Chrysostomo: Itaque cùm res suas disposuisset, linguam ad docendum mouisset, lætius se, ita vt calceos quoq; indueret, vestibus suis ornasset, & per communionem diuinam sanctificationem percepisset: *Gloria,* inquit, *tibi Domine de rebus omnibus:* & se ipso signo crucis, sub qua vixerat, obsignato, beatam illam ingressus est perfectionem, cum Christo viuens & regnans.

Philotheus Constantinop. Patr. 1360.

In institutione Diaconi: Exit deinde Diaconus per australem portam, & signum crucis facit ante sanctas portas: deinde vadit ad signum mansionis, vbi signo crucis facto conuertit se versus Occasum, & in medio templi stans, signum crucis facit.

Georgius Pachymerius. 1300.

Historiæ Eccles. lib. 12. Crux Christianorum trophæum multa contra Sultanum Arabum potuit;

Nicephorus Gregoras. 1330.

Lib. 9. de Senioris Imperatoris obitu: Columna quoque olim ante ædem quadraginta Martyrum posita concidit. Tum quoque multæ ferreæ cruces, templis impositæ, impetu ventorum tolerato ceciderunt.

Georgius Codinus. 1400.

De Officialibus Palatij Constantinopolitani fol. 132. Postquam conuentus dimissus est, abit, & salutat, osculaturq; crucem: & statim ea tollitur, prosequente Imperatore.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Martialis. 100.

Epist. ad Burdegalenses cap. 8. Crucem Domini, in quem credidistis Deum verum & Dei Filiū, semper in mente, in ore, in signo tenete. Crux enim Domini armatura vestra inuicta cōtra Satanam, galea custodiens caput, lorica protegens pectus, clypeus tela maligni repellens, gladius iniquitatem & Angelicas insidias peruersæ potestatis sibi propinquare nullo modo sinens. Hoc solo signo cælestis victoria data est nobis, & per crucem Baptisma Dei sanctificatum est.

Ad Tholosanos cap. 2. Mors Christi crucis lignum eis extitit: vnde triumphus crucis, vita nostra est in æternum. Per crucem enim vita nobis restaurata est, & mors mortua est.

Tertullianus. 200.

De Idololatria cap. 19. Non conuenit sacramento diuino & humano, signo Christi, & signo Diaboli, castris lucis, & castris tenebrarum.

Ad vxorem libro 2. cap. 5. Latebisne tu, cùm lectulum, cùm corpusculum tuum signas, cùm aliquid immundum flatu expuis, cùm etiam per noctem surgis oratum, & non magiæ aliquid videberis operari?

De corona Militis capite 3. Ad omnē progressum, atque promotum: ad omnem aditum, & exitum: ad vestitum, & calceatum: ad lauacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia: quæcunque nos conuersatio exercet, frontem crucis signaculo terimus. Harum & aliarum eiusmodi disciplinarum, si legem expostules Scripturarum, nullam inuenies: traditio tibi prętendetur auctrix, cōsuetudo confirmatrix, & fides obseruatrix.

Lib. 3. aduersus Marcionem cap. 22. Ipsa est enim litera Græcorum Tau, nostra autem T, species crucis, quam portendebat futuram in frontibus nostris apud veram & Catholicam Hierusalem.

Cyprianus. 250.

Epist. 56. Muniantur oculi, ne videant detestanda simulachra: muniatur frons, vt signum Dei incolume seruetur: muniatur os, vt Dominum suum victrix lingua fateatur. Lib. 4. Epist. 6.

Lib. de Lapsis. Frons cum signo Dei pura, Diaboli coronam ferre non potuit, coronæ se Domini reseruit.

De vnitate Ecclesiæ: Sic & Ozias Rex cùm thuribulum ferens, & contra legem Dei sacrificium sibi violenter assumens, resistente sibi Azaria sacerdote, obtemperare nollet, & credere, diuina indignatione confusus, & lepræ varietate in fronte maculatus est, ea parte corporis notatus offenso Domino, vbi signantur qui Dominum promerentur. 2. Par. 16. 4. Reg. 5

Ad Demetrianum: Euadere enim eos solos posse, qui renati & signo Christi signati fuerint, alio in loco Deus loquitur: quando ad vastationem mūdi & interitum generis humani Angelos suos mittens, grauius in vltimo comminatur, dicens: *Vadite, & cædite, & nolite parcere oculis vestris: nolite misereri senioris, aut iuuenis, & virginis. Paruulos & mulieres interficite, vt perdeleantur. Omnem autem super quem signum scriptum est, ne tetigeritis.* Ezech. 9. Quod autem sit hoc

signum,

signum,& qua in parte corporis positum, manifestat alio in loco Deus, dicens: *Transi per mediam Hierusalem, & notabis signum super frontes virorum qui ingemunt,& mœrent ob iniquitates.*

Lib.1.Testimon.aduersus Iudæos, cap.8. Signaculum Circumcisionis fœminis non proficit: signo autem Domini omnes signantur.

A bac.3. *Lib.2.cap.21.* Quòd in passione crucis & signo virtus omnis sit & potestas apud Abacuc: *Texit cælos virtus eius, & laudis eius plena est terra.* Hoc signo crucis & Amalech victus est per Mosen.

Cap.22. Quòd in hoc signo crucis salus sit omnibus, qui in frontibus notentur, apud Ezechielem

Ezech.9. dicit Deus: *Transi mediam Hierusalem, & notabis signum super frontes virorum, qui ingemiit & mœrent ob iniquitates, quæ fiunt in medio ipsorum,* &c. *Omnem, super quem signum scriptum est, ne tetigeritis: & ab ipsis sanctis meis incipite.*

Lactantius. 320.

Lib. 4. Institut. cap. 27. Nunc satis est, huius signi potentiã, quantũ valeat, exponere: quanto terrori sit dæmonibus hoc signũ, sciet qui viderit, quatenus adiurati per Christum, de corporibus, quæ obsederint, fugiant. Nam sicut ipse, cùm inter homines ageret, vniuersos dæmones verbo fugabat, hominumq; mentes emotas, & malis incursibus furiatas, in sensus pristinos reponebat: ita nunc sectatores eius, eosdem spiritus inquinatos de hominibus, & nomine magistri sui, & signo passionis excludunt. Cuius rei non difficilis est probatio. Nam cùm Dijs suis immolant, si assistat aliquis, signatam frontem gerẽs, sacra nullo modo litant,

Nec responsa potest consultus reddere Vates.

Et hæc sæpè causa præcipua iustitiam persequendi malis regibus fuit. Cùm enim quidam ministrorum nostrorum sacrificantibus Dominis assisterẽt, impositio frontibus signo, Deos illorum fugauerunt: ne possent in viscera hostiarum futura depingere.

Carmine de beneficijs Christi:

Quisquis ades, medyq; subiũ in limina templi,
Siste parum, insontemq; tuo pro crimine passum
Respice me, me cõde animo, me in pectore serua. &c.
Compressos speculare oculos, & luce carentes,
Afflictasq; genas, arentem suspice linguam
Felle venenatam, & pallentes funere vultus:
Cerne manus clauis fixas, tractosq; lacertos,
Atq; ingens lateris vulnus, cerne inde fluorem
Sanguineum, fossosq; pedes, artusq; cruentos.
Flecte genu, lignumq; crucis venerabile adora
Flebilis, innocuo terramq; cruore madentem
Ore petens humili.

Iulius Firmicius Maternus. 350.

De erroribus profanarum religionum cap. 22. Vnde tibi ornamenta quæuis ad gloriam? Cornua, nihil aliud nisi venerandum crucis signum monstrant. Huius signi vno extenso ac directo cornu mundus sustentatur, terra constringitur.

Ambrosius. 370.

De Isaac & anima cap. 8. Signaculum Christi in fronte est, signaculum in corde. In fronte, vt semper confiteamur: in corde, vt semper diligamus: signaculum in brachio, vt semper operemur.

Lib.9. Epist.77. Christianus populus per momenta singula fronti propriæ mortis contemptum inscribit; quippe qui sciat sine cruce Domini salutem se habere non posse.

Sermone 43. Debemus ergo surgentes gratias Christo agere, & omne diei opus in signo facere Saluatoris, &c. Qui in hoc signo seminare cœperit, vitæ fructum consequetur æternæ. Qui in hoc signo iter facere aggreditur, ad cælum vsque perueniet.

Sermone 56. Grande Crucis est Sacramentum; & si intelligamus, per hoc signũ etiam mundus ipse saluatur. Nam cùm à nautis scinditur mare, prius ab ipsis arbor erigitur, velum distenditur, vt cruce Domini facta, aquarum fluenta rumpantur, & hoc Dominico securi signo portum salutis petunt, periculum mortis euadunt. Figura enim sacramenti quædam est velum suspensum in arbore, quasi Christus sit exaltatus in cruce: atq; ideò confidentia de mysterio veniente homines ventorum procellas negligunt, &c. Vbi signum crucis erigitur, statim & Diaboli iniquitas repellitur, & ventorum procella sopitur, sed & bonus agricola cùm parat terræ solum vertere, & vitæ alimenta perquirere, non nisi per signum crucis id facere conatur, &c.

Prudentius. 380.

Hymno ante somnum:

Fac, cùm vocante somno
Castum petis cubile,
Frontem, locumq; cordis
Crucis figura signet.
Crux pellit omne crimen,
Fugiunt crucem tenebræ:
Tali dicata signo
Mens fluctuare nescit.
O tortuose serpens
Discede, Christus hîc est:
Hîc Christus est, liquesce:
Signum, quod ipse nosti,
Tuam damnat cateruam.

Hymo 9. Omni hora atque die:

Solue vocem mens sonoram, solue linguam mobilem:
Dic trophæum passionis, dic triumphalem crucem:
Pange vexillum, notatis quod refulget frontibus.

Hymno de Hemiterio & Cheledonio:

Cæsaris vexilla linquunt, eligunt signum crucis:
Próque ventosis Draconum quæ gerebant pallijs,
Præferunt insigne lignum, quod Draconem subdidit.

In Apotheosi contra Iudæos:

Iam purpura supplex
Sternitur æneadæ rectoris ad atria Christi,
Vexillumq; Crucis summus dominator adorat.

Contra Symmachum lib.1. de potentia Crucis:

Agnoscæ mea signa lubens regina necesse est,
In quibus effigies crucis aut gemmata refulget,
Aut longis solido ex auro præfertur in hastis.
Hoc signo, inuictus transmissis alpibus vltor
Seruitium soluit miserabile Constantinus,
Cùm te pestifera premeret Maxentius aula.

Hieronymus. 390.

In vita Hilarionis: Quadam nocte cœpit infantum audire vagitus, balatus pecorum, mugitus boum, planctum quasi mulierum, leonum rugitus, &c. Intellexit dæmonum ludibria, & prouolutus genibus Christi crucem signauit in fronte: taliq; armatus casside, & lorica fidei circundatus, iacens fortius præliabatur, amodò videre desiderans, quos horrebat audire, & solicitis oculis huc illucq; circumspiciens: cùm interim ex improuiso, splendente luna, cernit rhedam feruentibus equis super se irruere. Cumq; inclamasset Iesum, ante oculos eius repentino terræ hiatu pompa omnis absorpta est.

In vita Pauli Eremitæ: Nec plura his, conspicit Antonius hominem equo mixtum, cui opinio poëtarum hippocentauro' nomen indidit. Quo viso

salutaris impressione signi armat frontẽ, & heus tu, inquit, qua in parte hîc seruus Dei habitat?

Epistola 8. ad Demetriadẽ cap. 6. Claudas cubiculũ pectoris, & crebro signaculo crucis munias frontem tuam, ne exterminator Ægypti in te locum

Exod.12. reperiat, sed primogenita, quæ apud Ægyptios pereunt, in tua mente saluentur.

Ad c.8. Ezech. Antiquis Hebræorum, quibus vsq; hodie vtuntur Samaritani, extrema Thau littera crucis habet similitudinem: quæ in Christianorum frontibus pingitur, & frequenti manus inscriptione signatur.

Ad Psal.85. *Fac mecum signum in bonũ.* Muniar crucis tuæ signo, quod videntes Potestates aduersæ, fugiant confusæ, & discedant à me. Hæc enim pro nostro populo Propheta rogat. Sed & nos rogamus, Domine, vt crucis tuæ signo tutati, atq; eius præsidio custoditi, mereamur ab omnibus infidijs Diaboli liberari.

Ruffinus. 390.

Ecclesiast. Hist. lib. 2. cap. 29. Sed & illud apud Alexandriam gestum est, quòd etiam Thoraces Serapis, qui per singulas quasq; domos in parietibus, in ingressibus, in postibus etiam, ac fenestris erãt, ita abscisi sunt omnes & abrasi, vt ne vestigium quidem vsquam remaneret, sed pro his Crucis Dominicæ signum, vnusquisq; in postibus, in ingressibus, in fenestris, in parietibus, columnisq́ue depingeret.

Gaudentius. 400.

Tractatu 6. de Exodo: Habeamus in limine frontis signum sanguinis Agni, vt non finat exterminatorem Deus ad nos introire, &c. Semper Diabolus exterminator domos Israelitarum intrare nititur, cupiens eos occidere, semper Dei Filius tuetur suos, & protegit eos, vbi signum suæ passionis cognouerit.

Augustinus. 400.

In Ioannem Tractatu 16. Quid seruat fideli suo, qui talem honorem dat supplicio suo? deniq; modò in pœnis reorum non est apud Romanos. Vbi enim Domini crux honorata est, putatũ est, quòd & reus honoraretur, si crucifigeretur.

Tract.118. Postremò quid est, quòd omnes nouerunt signum Christi, nisi crux Christi? Quod signũ nisi adhibeatur, siue frontibus credentium; siue ipsi aquæ, ex qua regenerãtur; siue oleo, quo chrismate vnguntur; siue sacrificio, quo aluntur, nihil eorum ritè perficitur. Quomodo ergo per id quod mali faciunt, nihil boni significatur: quando per Crucẽ Christi, quam fecerunt mali, in celebratione Sacramentorum eius, bonum nobis omne signatur?

De Tempore Sermone 181. Hoc signo crucis cõsecratur corpus Domini, sanctificatur fons Baptismatis, initiantur etiam Presbyteri, & cæteri gradus Ecclesiastici; & omnia quæcunq; sanctificantur, hoc signo Dominicæ crucis cum inuocatione Christi nominis consecrantur.

De Sanctis Sermone 19. Signum crucis præsidium est amicis, obstaculum inimicis. Huius crucis mysterio rudes catechizantur, fons regenerationis consecratur: eiusdem crucis signo per manus impositionem baptizati dona gratiarum accipiunt: cum eiusdem crucis charactere basilicæ dedicantur, altaria consecrantur, Sacramenta cum impositione Dominicorum verborum conficiuntur. Sacerdotes item & Leuitæ per hoc ad sacros Ordines promouentur: & in vniuersum omnia Ecclesiastica Sacramenta huius virtute perficiuntur.

Seuerus Sulpitius. 410.

Vitæ D. Martini c.3. Si hoc, inquit Martinus, ignauiæ ascribitur, nõ fidei, crastina die inermis astabo; & in nomine Domini Iesu signo crucis, non clypeo protectus aut galea, hostium cuneos transibo securus.

Cap.10. Iamq; paulatim nutare pinus cœpit, & ruinam suam casura minitari. Pallebant eminus Monachi, & periculo iam propiore conterriti, spem omnem fidemq; perdiderant, solam Martini mortem expectantes. At ille confisus in Domino, intrepidus operiens, cùm iam fragorem sui pinus concidens edidisset, iam cadenti, & super se ruenti, eleuata protinus obuiam manu, salutis signum opposuit. Tũ verò, turbinis modo retroactam putares, ita diuersam in partem ruit, adeò vt rusticos, qui in tuto loco steterant, penè prostrauerit.

Paulinus Nolanus. 410.

Epist.12. ad Severum: Dextra læuaq; Basilicæ crucibus minio superpictis hæc epigrammata sunt:

Ardua florifera Crux cingitur orbe corona,
Et Domini fuso tincta cruore rubet.

Natali 8. S. Felicis:

Nos crucis inuicta signum & confessio munit:
Armatiq; Deo mentem, non quærimus arma
Corporis, & quanquam membris videamur inermes,
Arma tamen gerimus, quibus & sub pace serena
Contra incorporeos animis decernimus hostes.

Lib. 4. Vitæ S. Martini:

Atque hostem agnoscens, figmento in vtroque dolosum,
Crimine nec lædi potuit, nec laude moueri,
Verborum iaculis opponens signa salutis,
Et crucis obiectu confringens tela latronis.

Seuerus Minoricensis Episcopus. 420.

Epistola ad omnem Ecclesiam: Peractis mysterijs Ecclesiam ingressi, in occursum nostrum Iudæorum multitudinem conueniſſe conspeximus: Omnes vnanimiter deprecabantur, vt Christi characterem à me, licet indigno Pastore, susciperent. Reuersi itaque ad Ecclesiam, & toto corde gratias referentes, illicò in frontibus ipsorum signum salutis impinximus.

Bacchiarius. 420.

Epistola de lapsis recipiendis: Restauratur porta in Anathoth, quæ interpretatur respondens signum, quod suspicamur esse frontis patibulum, vbi signum salutis nostræ & Dominicæ sanctitatis accipimus.

Paulus Orosius. 420.

Lib.7. cap.35. de Theodosio: Sciens se esse non solum signo crucis tuendum, sed & victoriam adepturum, signo crucis se muniens, signum prælio dedit, ac se in bellum, etiamsi nemo sequeretur, victor futurus immisit.

Maximus Taurinensis. 430.

Homilia 2. de cruce & sepultura: Ipsius incessus hominis, cùm manus leuauerit, crucem pingit: atque ideo leuatis manibus orare præcipimur, vt ipso quoque membrorum gestu passionem Domini fateamur.

Leo Primus. 450.

Sermone 8. de Passione Domini: Cùm ergo Dominus lignum portaret crucis, quod in sceptrum sibi conuerteret potestatis, erat quidem hoc apud impiorum oculos grande ludibrium, sed manifestabatur fidelibus grande mysterium: quia gloriosissimus Diaboli victor, & inimicarum virtutum potentissimus debellator, pulchra specie, triumphi sui portabat trophæum, & inuictæ patientiæ humeris signum salutis adorandum regnis omnibus inferebat, tanquam & tũc ipsa operis sui imagine omnes imitatores suos confirmaret, & diceret: *Qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus,* &c. Nunc & ordo clarior Leuitarum, & Matt.10.

dignitas amplior seniorum, & sacratior est vnctio sacerdotum: quia crux tua omnium fons benedictionum, omnium est causa gratiarum, per quam credentibus datur virtus de infirmitate, gloria de opprobrio, vita de morte.

Eucherius Lugdunensis. 450.

Feria 2. post Paschа: Cùm crucis signum, quæ Christi sanguine cruentata est, in nostris frontibus facimus, tunc in superliminaribus domorum Christi sanguinem ponimus.

Sedulius. 460.

Lib. 1. Paschali:

Interea dum ritè viam sermone leuamus,
Spesq́; fidesq́; meum comitantur in arduа gressum,
Blandius ad summam tandem peruenimus arcem,
En signo sacrata crucis vexilla coruscant,
En regis pia castra micant, tuba clamat herilis,
Militibus sua porta patet, qui militat intret,
Ianua vos æterna vocat, quæ ianua Christus,
Aurea perpetuæ capietis præmia vitæ,
Arma quibus Domini tota virtute geruntur,
Et fixum est in fronte decus, decus armaq́; porto,
Militiaq́; tuæ, bone Rex, pars vltima restо.

Libro 4.

Protinus in patuli suspensus culmine ligni,
Relligione pia mutans discriminis iram,
Pax crucis ipse fuit, violentaq́; robora membris
Illustrans propriis, pœnam vertit honore,
Supplicium q́; dedit signum magis esse salutis,
Ipsaq́; sanctificans in se tormenta beauit.
Neue quis ignoret, speciem crucis esse colendam,
Quæ Dominum portauit ouans ratione potenti,
Quattuor inde plagas quadrati colligit orbis:
Splendidus auctoris de vertice fulget Eous,
Occiduo sacrа lambuntur sydere plantæ,
Arcton dextra tenet, medium læua erigit axem,
Cunctaq́; de membris viuit natura creantis,
Et cruce complexum Christus regit vndiq; mundum.

Faustus Rhegiensis. 470.

De excidio Monasterij Lyrinensis: Tum vexillum sanctæ crucis, quod in agmine primo dux bonus præferre consueuerat, defixo cuspide ponens, instaurat animos dictis.

De Pœnitentia ad Felicem Papam: Sicut Pater fidei Abraham, quinque illos Reges, in trecentis decem & octo, mysterio intra litteram latente, deuicit: ita & nos contra hos principales vitiorum duces, in Iesu nomine, & crucis signo, (hoc enim vtraq; æra exprimunt) dimicemus, vt audire mereamur à Domino: *Vincenti dabo coronam vitæ, & qui vicerit, non lædetur à morte secunda.*

Cæsarius Arelatensis. 470.

Homilia 3. de Pascha: Nam statim in ipso homine, quem redemptio in eius originem reuocauit, titulos suos Christus affixit. Hæc est illa crux, quam in postibus Regijs signatam in fronte gestamus, quam iustissimè in professione receptam Dominus Cardinalis & Imperator legitimus impressit, vt nos verè dici domus diuina possimus.

Sidonius Apollinaris. 480.

In Epitaphio Apollinaris:

Hæc sed maxima dignitas probatur,
Quòd frontem cruce, membra fonte purgans
Primus de numero patrum suorum,
Sacris sacrilegis renunciauit.

Victor Vticensis. 490.

De persecutione Vandalica lib. 2. Præstet (inquit Eugenius ad cæcum natum) tibi Dominus secundùm fidem tuam, & aperiat oculos tuos, simúlque signo crucis eo consignante oculos, statim cæcus visum Domino reddente recepit.

Cyprianus Arelatensis. 500.

Vitæ Cæsarij Arelatensis cap. 11. Vbi percrebuit apud Arelatenses hominem Dei reuerti, iamq́; eum vrbi appropinquare, omnes vtriusque sexus cũ crucibus & cereis ei processêre obuiam, psallentes, & ingressum eius operientes.

Alcimus Auitus. 500.

Lib. 5.

Sit nos Christe tuum saluet super omnia signum
Frontibus impositum.

Eugippius Abbas. 510.

Vitæ S. Seuerini cap. 44. Post huiusmodi ædificationis alloquium, sacramento communionis accepto, fleri se penitus prohibet, totumq́; corpus signo crucis extrema manu consignans, vt psallerent imperauit.

Iustus Orgelitanus. 540.

In Cantica, numero 21. Signum crucis cum odore Chrismatis prænotamus in fronte.

Numero 69. Tunc enim vniuersam Ecclesiam Christus sibi despondit, quando in patibulũ crucis ascendens, ex eadem cruce signum in frontibus omnes in se credentes edocuit.

Marcellinus Comes. 540.

In Chronico: In Circum ad Anastasium venientes, & ante suum solium consistentes, hymnum Trinitatis iuxta morem catholicum concinentes, coruscansque Euangelium crucemq́; Christi ferentes, è foro plurimi conuenerunt.

Cassiodorus. 550.

Ad Psalmum 4. Sicut nummus Imperatoris portat imaginem: ita & fidelibus signa cælestis Principis imprimuntur. Hoc munimine Diabolus multiformis expellitur, & fraudulenta machinatione non prævalet superare tentatum, quem habuit primi hominis suasione captiuũ. Crux enim est humilium inuicta tuitio, superborum deiectio, victoria Christi, perditio Diaboli, infernorum destructio, cælestium confirmatio, mors infidelium, iustorum vita.

Dinamius Patricius. 580.

Vitæ S. Maximi cap. 4. Rursus pertinax ille impostor, sperans se sanctum virum, vel aliqua ratione perturbaturum, ignei Draconis specie se illi ostendit: sed confestim crucis signo territus, euanuit, &c. Vir Dei insidias & malum dolum inimici cognoscens, sanctæ crucis signo se communit, cælestem implorat opem, ac deinde spiritali auctoritate sic respondet: Fallere non potest milites Christi nequitia plani & impostoris, nec suis fraudibus illis potest illudere malignus, quibus Deus id præstat, vt aduersa præuidere queant.

Fortunatus. 580.

Vitæ D. Martini lib. 1. cap. 14.

Vir tamen intrepidus perstat, pinoq́; cadente
Obtulit arma crucis, cumulans sua bella triumphis.

Libro 4.

Mox super ampullam fecit crucis ipse figillum,
Surgit ad ora liquor, spumansq́; exæstuat, &c.

Vitæ S. Germani cap. 27. Magnesiedis puella demone obsessa B. Germano fit obuiam. Non cessante sacerdote manu crucis signum depingere, expectantibus omnibus in musсæ similitudinem prorumpẽs, cum sanguine de naribus mulieris egressus est hostis.

Vitæ S. Maurilij cap. 6. Non longè à vico Calonnæ erat quidam Præsciacus collis nomine, diuersis idolorum titulis decoratus. Maurilius verò dolens illam longius manere superstitionem, vbi diuersarum animarum credebat inesse perditionem; quadam die, adhibitis secum paucis fidelibus viris, perrexit ad locum. Cumq́; peruenisset ad idolum, vt illud euerteret, dæmonia, quæ ibi latebant, clamare cœperunt, dicentia: Quid nos & hîc Maurili persequeris? In his regionibus nullus est locus, quo te euadere valeamus. Illicò autem in aduersum signo crucis oppositо, dæmonia repentè, eleuatо magno rugitu, non sine immensо fœtore fugerunt.

Carmine in laudem Dominicæ crucis:

Crux benedicta nitet, Dominus qua carne pependit,
Atque cruore suo crimina nostra tulit.

De Passione Christi:

O crux aue spes vnica,
Hoc passionis tempore
Auge pijs iustitiam,
Reisq́; dona veniam.

Corippus Grammaticus. 580.

De laudibus Iustini iunioris:

Ipse coronatus solium conscendit auitum,
Atque crucis faciens signum venerabile, sedit, &c.
Egreditur cum luce sua. frontemq́; serenam
Armauit, sancti faciens signacula ligni.

Gregorius Turonensis. 580.

Historiæ Francorum lib. 10. cap. 29. Interea ad sanctum Aredium cœperunt infirmi cõfluere: quos, manus singulis cum vexillo crucis imponens, sanitati reddebat.

De gloria Martyrum lib. 1. cap. 12. Pontifex fabricata cruce ex auro purissimo eam gemmam media intercapedine locat, & populo adorandam præbet: nec mora fugato hoste ciuitas liberata est.

Gregorius Magnus. 590.

Lib. 2. Dial. cap. 3. Cùm vas vitreum, in quo pestifer potus habebatur, recumbenti Patri Benedicto, ex more monasterij, ad benedicendum fuisset oblatum, ille extensa manu, signum crucis edidit, & vas, quod longius tenebatur, eodem signо rupit, & sic confractum est, ac si in illo vase mortis pro cruce lapidem dedisset.

Lib. 3. cap. 5. de Sabino Episcopo: Facto signo crucis venenum bibit securus.

Cap. 7. Quadam die Iudæus quidam ex Campaniæ partibus Romam veniens, Appiæ carpebat iter, qui ad Fundanum cliuum perueniens, cùm iam diem vesperascere cerneret, & quò declinare posset, minimè reperiret, iuxta Apollinis tẽplum fuit, ibiq́; se ad manendum contulit. Qui ipsum loci illius sacrilegium pertimescens, quamuis fidem crucis minimè haberet, signo tamẽ se crucis munire curauit. Nocte autem media ipso solitudinis pauore turbatus, peruigil iacebat, & repentè conspiciens vidit malignorum spirituum turbam, quasi in obsequium cuiusdam potestatis præire, eum verò, qui cæteris præerat, in eiusdem gremio loci consedisse, qui cœpit singulorum spirituum obsequentiũ sibi causas actusqúe discutere, &c. Cumqúe Iudæus, qui aduenerat, hoc vigilans cerneret, & magnæ formidinis anxietate palpitaret, ab eodem spiritu, qui cunctis illis obsequẽtibus præerat, iussum est, vt requirerent, quisnam esset ille, qui iacere in templo eodem præsumpsisset. Ad quẽ maligni spiritus pergentes, & subtiliùs intuentes, crucis mysterio signatum viderunt, mirantesqúe dixerunt: Væ, væ: vas vacuum, & signatum. Quibus hoc renuntiantibus cuncta illa malignorum spirituum turba disparuit, &c. Iudæus sacramentis fidei imbutus, atque aqua Baptismatis emundatus, ad sanctæ Ecclesiæ gremium perductus est.

Isidorus Hispalensis. 620.

De Ecclesiasticis officijs libro 1. cap. 10. Nam si & tunc superueniat quispiam, cùm lectio celebratur, adoret tantùm Deum, & præsignata fronte aurem tantùm accommodet, &c.

Allegoriarum in sacras Scripturas cap. 25. Crucis figura, quæ fidelium frontes ad tutelam designat, per Ezechielem Prophetam legitur demonstrata: *Et vocauit, inquit, virum, qui indutus erat lineis, & dixit ad eum, Signa Thau in frontes virorum gementium.*

Ionas Monachus. 640.

In vita S. Attilæ: Surgens è strato quo valebat conamine, sustentantibus vndique fratribus, extrà cellulam est progressus: ibiq́; aspiciens crucem, quam ipse in eodem loco poni præceperat, vt ingrediens egrediensqúe cellulam, eius tactu frontem suam muniret, cœpit mœstus lachrymas fundere, ac trophæum crucis commemorare: Aue, inquit, almà crux, quæ mundi pretium portasti, quæ vexilla fers æterna: tu nostrorum vulnerum medicinam attulisti.

Audoënus. 660.

Vitæ S. Eligij lib. 2. cap 16. Memineritis multos vos habere aduersarios, qui cursum vestrum impedire conentur: idcirco in omni loco, horis omnibus crucis signaculo vos armate, crucis vexillo vos communite. Hoc enim vel maximè illi timẽt, & expauescunt. Hoc vobis datum est scutum, quo possitis ignitas omnes maligni sagittas extinguere. Profectò magna res est signum Christi, & crux Christi, sed illis solis prodest, qui faciũt mandata Christi.

Synodus Toletana Vndecima. 680.

Cap. 3. Sacerdos celebraturus, signum in suo pectore præparet crucis.

Beda. 700.

Lib. 3. in Cantica cap. 4. Sed & noxios sæpe cogitatus, dum incauta mente voluimus, ac subitò respecti à Deo, signum sanctæ crucis pectori imprimimus, & quod nefariũ tractamus abijcimus, quasi vitta coccinea capillos nobis ligamus: quia fluxa cogitationum trophæo sacri cruoris comprimimus.

Ad cap. 22. Apocal. Lignum vitæ circa fontem vitæ cernitur, quod siue virtutem sanctæ crucis, siue Dominum Christum interpreteris, iam ante Baptismum reuelatum, in veteri Testamento, & nunc Baptismatis clarescente mysterio, cælesti fructu Sanctos imbuit.

Hist. Anglic lib. 5. c. 20. Quin etiam sublime crucis radiante metallo, VVilfridus hic posuit trophęũ.

Alcuinus. 750.

De Officijs Ecclesiasticis cap. 18. de Feria sexta, quæ & Parasceue: Elegit Christus crucem, quę leui manus motu exprimitur, qua & contra inimici versutias munimur. Hoc enim signo crucis consecratur corpus Dominicum, sanctificatur fons Baptismatis, initiãtur presbyteri, & cæteri gradus Ecclesiastici, & omnia quæcunque sanctificantur, hoc signo Dominicæ crucis cum inuocatione nominis Christi consecrantur.

Cap. 39. de celebratione Missæ: Diaconus Euangelium pronuntiaturus, crucem in fronte ponit, vt ostendat se discipulum eius esse, qui crucem pro totius mundi salute sustinuit: deinde in pectore, vt omnis vana & immunda cogitatio ab eius corde pellatur.

Paulus Diaconus. 780.

De rebus gestis Longobardorum lib. 3. cap. 12. (al. 6.) Cruce Domini & frontem & pectus nostrum munire debemus, & nos eam pedibus conterimus?

Æmoinus. 825.

Historiæ Franc. lib. 3. cap. 19. Tiberius Constantinus Imperator deambulans per palatium, vidit

in pauimento domus tabulam marmoream Dominicæ crucis vexillo insignitam, & ait: Crucem Domini, qua frontem & pectus munire debemus, indignis vt quid pedibus conculcamus?

Amalarius Treuirensis. 830.

De Officijs Ecclesiasticis lib. 3. cap. 24. Cæterùm de crucibus, quas solemus diuerso modo facere super panem & vinum, non est quid dicam, curtali & in tali loco figantur, vel quare plures in aliquo, vel pauciores in aliquo. Si Dominus, quando benedixit panem, fecisset crucis signaculum, ipsi nôrunt, qui præsentes fuerunt, præsertim cùm nondum erat erectum vexillum sanctæ crucis: ac modò scimus, quia necessaria est, dicente Augustino Homilia 64. in Ioannem: Quid, inquit, quòd omnes nouerunt, signum Christi, nisi crucifixi Christi? Quod signum, &c. Videtur mihi, si semel fuerit facta crux super panem & vinum, posse sufficere: quia semel Dominus crucifixus est. Non abs re est, si bis figatur: quia pro duobus populis fixus est Christus. At si figi necesse est in loco, vbi dicitur: *Accipiens panē*, seorsum necesse est figuretur super panem, & seorsum super vinū, secundùm modum, quo Christus vsus est in acceptione panis & calicis.

Theganus. 830.

De gestis Ludouici Imperatoris cap. 8. In crastinum verò, luce adueniente, sciens quod facturus erat, extensa manu dextera, virtute qua poterat, signum sanctæ crucis fronti imprimens, & super pectus, & super omne corpus consignauit.

Hincmarus. 840.

In vita S. Remigij: Sicque præeundo sanctis Euangelijs, & crucibus, cum hymnis, & canticis spiritualibus, atque Litanijs, è domo regia pergit ad baptisterium.

Rabanus Maurus. 850.

Lib. 1. cap. 27. De institutione Cleri : Signatur homo sanctæ crucis signaculo, tam in fronte, quàm in corde, vt ipse apostata Diabolus, in vase suo pristino suæ interemptionis cognoscens signum, iam sibi deinceps sciat illud esse alienum.

Lib. 2. cap. 37. Die Parasceues à Pontifice & à Clero, & ab omni populo species sanctæ crucis salutatur: Quia passio Redemptoris à fidelibus in hora redemptionis suæ digna laude veneratur.

Nicolaus Primus. 860.

Ad consulta Bulgarorum cap. 53. Consuluistis scilicet, an super mensam, in qua Sacerdos aut Diaconus deest, vexillum sanctæ crucis imprimere, & comedere liceat. Quod proculdubio licet. Nam omnibus datum est, vt & omnia nostra hoc signo debeamus munire ab insidijs diaboli, & ab eius omnibus impugnationibus in Christi nomine triumphare.

Remigius Antisiodorensis. 880.

De celebratione Missæ: Crucem pingit Diaconus, primùm in fronte, annuntiacurus verba vitæ: vt ostendat se illius discipulum esse, qui crucem pro salute totius mundi sustinuit. Deinde in pectore: vt omnis vana & immunda cogitatio ab eius corde pellatur. &c. Perlecto Euangelio, iterum se signo crucis populus munire festinat: vt, quod ex diuinis eloquijs ad salutem percepit, signatum sigillo crucis atque munitum permaneat, ne à mentibus suis diabolica fraude euacuari valeat.

Hugbaldus Elnonensis. 890.

Vitæ S. Aldegundis cap. 24. Cùm parentes de vita filij desperarent, deducunt illum ad Aldegundem: Illa visceribus pietatis condolens misello, fecit eum ad se vespertino tempore perduci: orauit pro eo, & facto signo crucis super eum, domū redire iussit, qui mox conualescens, restitutus est sanitati.

Odo Cluniacensis. 900.

Tractatu de translatione corporis S. Martini cap. 4. Ab Episcopis & Abbatibus, à clero & virginibus, à populo & Baronibus, à pueris etiam & senibus, in Ecclesiam suam, cum cereis & crucibus, cum hymnis & laudibus gloriosus Antistes gloriosè deducitur.

Ratherius Veronensis. 940.

In vita S. Vrsmari: Beatus vir cùm intuitus fuisset ægrotam mulierem, eleuata manu signum sanctæ crucis super eam fecit, & illicò fugata febre mulier conualuit.

Nodgerus Leodiensis. 960.

In vita S. Landoaldi: Dum artifices operi insistunt, & aquam vtpote de paludibus turbidam fastidiunt, Landoaldus cum puero Lamberto, inuocato Christi nomine, cum crucis impressione fontem limpidissimum baculi impressione omnium visibus fecit ebullire, qui fidem dictis præbet vsque hodie.

Osbertus Anglus. 1020.

Vitæ S. Dunstani cap. 20. Dunstanus statim signum salutiferæ crucis ruenti machinæ obijciens, eam sine funibus, & sine omni humano conamine ad superiora redire, ac in loco, in quem prius cum magno labore trahebatur, iacere coegit.

Petrus Damianus. 1050.

Sermone de Inuentione S. Crucis : Vbicunque signum crucis erigitur, illic procul dubio & Christi victoria, & diaboli captiuitas denotatur.

Tractatu de Ordine Eremitarum : Cui processioni & crucem argenteam satis idoneam procurauimus.

Radulphus Ardens. 1060.

In die Cœnæ Domini : Quando sacerdos eleuat hostiam, & ei imprimit crucis signum, eleuationem Christi in cruce repræsentat.

In festo Omnium Sanctorum : In Confirmatione fit vnctio in modum crucis in fronte, quæ est sedes pudoris, & pars corporis magis eminens, vt fidem Christi non erubescant in tribulatione, sed potius confiteantur & prædicent apertè. Quod bene significatur per hoc, quod præcipit Dominus in Ezechiele, signari literam Thau in frontibus dolentium, & gementium de iniquitatibus aliorum, vt sic discernerentur, & præmunirentur, nec cum peccatoribus perderentur.

Ioannes Micrologus. 1070.

De Ecclesiasticis obseruationibus cap. 9. Ordo quoque præcipit, vt qui lecturus est Euangelium, crucem sibi faciat in fronte, videlicet, iuxta Augustinum, in sede verecundiæ, vt eliminata omni verecundia, cum Apostolo non erubescat de Euangelio Christi. Facit etiam sibi in pectore, ne aliqua suggestio eum Diaboli impediat, quin puro corde Euangelium Dei annuntiare valeat.

Anselmus Cantuariensis. 1080.

Ad caput 10. Epistolæ ad Romanos: Non sine causa signum suum Christus in fronte nobis figi voluit, tanquam in sede pudoris, ne Christi opprobria Christianus erubescat.

Ad cap. 6. Epistolæ ad Galat. In fronte credentium, vbi sedes est verecundiæ, idcirco crux figitur, vt de nomine eius non erubescant. Signum veteris Testamenti Circumcisio est, in latenti carne: signum noui Testamenti Crux est, in libera fronte. Ibi enim est occultatio, hîc reuelatio; illud sub velamine, hoc in facie. Cùm quis inde transierit ad Christum, auferetur ei velamen, vt qui habebat in occulto Circumcisionem, in fronte portet Crucem.

Hildebertus Cenomanensis. 1090.

De Missæ mysterijs:

Inde sinistrorsum Domini sacra verba leguntur:
Plebs baculos ponit, flat, retegitq; caput:
Neue superueniens zizania seminet hostis,
Frontibus imprimitur mystica forma Crucis.

Florentius Vigornienſis. 1100.

In Chronicis de anno 840. Ionas vir venerabilis contra Claudium Taurinensem Episcopum hæresiarcham librum de adoranda cruce edidit. Dogmatizauit enim idem hæreticus, crucis Dominicæ signum non oportere adorari, quod nisi adhibeatur frontibus nostris, siue aquis, quibus regeneramur; aut Chrismati, quo linimur; aut sacrificio, quo vegetamur, nihil ritè perficitur.

Iuo Carnotensis. 1100.

De Sacramentis Neophytorum : Signatur itaque baptizandus primò crucis signaculo, in fronte, in pectore, in oculis, in auribus, in manibus, in ore, cuius virtute victus est Diabolus, & exaltatus est Christus.

Epist. 233. Cùm verò, cum hostia iam consecrata, intra vel supra calicem, signum crucis imprimitur, à latere calicis orientali vsque ad occidentalem, & à septentrionali vsque ad australem, hoc figurari intelligimus, quod ante passionem Dominus discipulis suis prædixit in commendationem suæ passionis: *Cùm exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum.*

Rupertus Tuitiensis. 1120.

Exod. 28. *De diuinis Officijs lib. 1. cap. 26.* Signo crucis Christi aurea lamina veterum Pontificum cessit, quod olim erat in fronte micans octauum decus Pontificum: inscripta nunc est penè eadem ineffabilis maiestas nominis. Illic enim erat ineffabile nomen Dei; hîc est inæstimabile mysterium Crucis. Crux namque inæstimabile signum est, admirabilis virtus est. Crux est spes Christianorum, resurrectio mortuorum, cæcorum dux, claudorum baculus, destructio superborum, consolatio pauperum, sustentatio inopum, spes desperatorum. Crux regum magnificentia, sacerdotum gloria. Crux igitur aurea lamina sacratius ornamentum.

Honorius Augustodunensis. 1120.

Sermone de Inuentione sanctæ Crucis: Christus Diabolum, se vt primum hominem tentantem, superauit; in ligno crucis triumphans, fortem ligauit, hominem redemptum de exilio ad patriam supernam reuocauit. Hæc victoriosa crux est ab initio multis modis præsignata, in qua sola sunt omnia in cælis, & in terris instaurata. Per hanc nobis Chrisma, Baptisma, Christi corporis Sacramenta consecrantur: per hanc cuncta benedicta mundantur: per hanc cuncta callidi dæmonis machinamenta dissoluuntur: per hanc omnia aduersa vincuntur.

Bernardus. 1130.

Vitæ Malachiæ cap. 45. Amplexatus est Malachias epilepticum, impressoque pectori eius signo crucis: Certus esto, inquit, te eiusmodi nil passurum, donec redeam: & ad verbum Malachiæ statim conualuit.

Hugo Victorinus. 1130.

De proprietatibus & epithetis rerum lib. 4. cap. 3. Crux, serpentis æneus palus, ligna Isaac, scala Iacob, virga Mosis, lignum Marah, lignum Thau in superliminari domus, ligna Sareptanæ, sycomorus Zachæi, coccineum filum Rahab, clauis Dauid, vectis in quo botrus deportabatur. Quatuor habuit partes: ex quatuor lignis fuit composita, oliua, cedro, palma, cypresso. Pellit phantasmata, delet venialia: in modum crucis currunt per maria naues, volant aues in aëre, natant homines, fiunt Ecclesiæ, & cucullæ.

Petrus Cluniacensis. 1140.

Epistola 1. contra id, quòd dicunt Crucem Domini non adorandam, nec venerandam: Fugantur apostatæ spiritus apparente crucis signo, & superbi Angeli, qui contra ipsam inuictam maiestatem caput erigere nisi sunt, isto (quod sic contemnitis) abiectionis indicio, vt nebula matutini solis radijs discussa, vanescunt. Hac vos permoti iniuria, contra crucem Domini bella suscepistis, & homines nequiores Dæmonibus, eorum pati dedecora non potestis.

Bernardus Abbas Bonæuallis. 1150.

Vitæ S. Bernardi libro 2. cap. 3. Inter eos qui vexabantur, mulier grandæua vsque ad Ecclesiam Beati Ambrosij, post beatum virum à multis tracta est: in cuius pectore pluribus annis Diabolus sederat, & iam ita suffocauerat eam, vt visu & auditu & verbo priuata videretur. Conuersus Bernardus ad populum, orare iubet attentius, & Clericis ac Monachis secum iuxta altare consistentibus, mulierem ibidem iubet constitui. Illa verò reluctans, & vi diabolica non naturali virtute recalcitrans, non sine aliorum iniuria ipsum Abbatem pede percussit. Quem Diaboli ausum mansuetè ille contempsit, & in eius expulsione Deum inuocat adiutorem, & ad immolationem hostiæ salutaris accedit. Quoties tamen eandem hostiam signat, toties ad mulierem conuersus, eodem signo crucis edito, spiritum nequam fortis athleta impugnat. Nam & ille malignus, quoties aduersus eum signum crucis intenditur, percussum se indicans, acrius sæuit: & recalcitrans contra stimulū, quidnam tolleret, prodit inuitus.

Godefridus Viterbiensis. 1170.

Chronicorum parte 13. Quòd credentes in Christo per signum sanctæ crucis saluarentur: Figuram sanctæ crucis in frontibus fidelium designandam, per Ezechielem Prophetam legimus prænuntiatum: *Vocauit, inquit, virum, &c. & dixit ei: Signa Thau in frontes virorum, &c.* Thau litera propriè ostendit speciem & formam crucis, cuius signaculo prænotati sunt, quicunque ab exilio huius seculi liberantur. Ezech 9.

Guilielmus Tyrius. 1180.

De Bello sacro lib. 8. cap. 21. Cœperunt omni deuotione circumire locum Dominicæ passionis, cum crucibus & Sanctorum patrocinijs.

Innocentius Tertius. 1200.

De sacro Altaris mysterio lib. 5. cap. 5. Quia verò *factus in agonia prolixius orabat, tertiò dicens sermonem eundem*, sacerdos facit tres cruces: primam & secundam distinctè super oblatam & calicem dicendo: *Sacrosanctum Filij tui corpus & sanguinem*: tertiò

signando ſeipſum in faciẽ,cùm dicit:*Omni benedictione cœleſti & gratia repleamur.* Fortè propter ſudorem corporis, crucem imprimens ſuper corpus: & propter guttas ſanguinis, crucem imprimens ſuper ſanguinem: & quia procidit in faciem ſuam orans, imprimit ſibi crucem in faciem: vel potius per duas cruces, quas facit Sacerdos ſuper corpus & ſanguinem, deſignantur vincula & flagella,&c.

Iacobus Vitriacus. 1220.

In Octaua Epiphaniæ: Omnes prædictæ vnctiones in modum crucis fiunt: quia ſigno crucis redempti ſumus, cuius vexillum ferre debemus: & quia ex virtute crucis & paſſionis Chriſti ſpiritualiter inuncti ſumus. Tribus autem locis ſignum crucis imprimitur; in pectore, in humeris, in vertice. In pectore crucem habemus, per cordis contritionem, & proximorum compaſſionem: in humeris per ſanctificationis laborem: in vertice autem, vbi ſedes eſt memoriæ, vt ſemper Chriſti crucem, tanquam ſignaculum ſuper cor poſitum ad memoriam reducamus.

Guilhelmus Aluernus Pariſienſis. 1230.

De Sacramento Baptiſmi cap. 3. Quoniam baptiſmali ſanctificatione electi, expugnato Diabolo, ab eisque eiecto, & detracto, Deo acquiruntur, dignum & iuſtum eſt, vt quemadmodum arci, & munitioni captæ, ſignum, ſiue inſignium regis capientis ſuperimponatur: ſic ſignum Regis regum, quod eſt ſalutiferæ, ac viuificæ Crucis inſignium, eis imponatur. Hinc eſt, quòd baptizandis primùm in fronte ſignum Saluatoris, hoc eſt, ſignum crucis imprimitur, ſignum ſcilicet captiuis, atque expugnationis, & victoriæ. Quod manifeſtum eſt fieri ſimiliter in expugnationibus vrbium, caſtrorum, & munitionum.

Hugo Cardinalis. 1240.

Ad Pſalm.4. Crucis Chriſti ſignaculum nobis eſt impreſſum in Baptiſmo, &c. Vnde legens Euangelium ſemper crucem facit ſuper librũ, & in fronte, & in ore, & in pectore.

Bonauentura. 1260.

In lib.4.Sentent.diſtinct.7.q.3. Signum crucis in baptizandi fit pectore & fronte, vt dæmõ cognoſcat ſe expellendum tam in occulto cordis, quàm in aperto confeſſionis.

Guibertus Tornacus. 1270.

De officio Epiſcopi cap. 24. Lecturus Euangelium debet ſe ſignare in fronte, in ore, in pectore, quaſi dicat: Crucem Chriſti non erubeſco, ſed corde credo, quod ore prædico.

Guilhelmus Durantius. 1280.

In Rationali Diuinorum lib. 4. cap. 43. Tres cruces communiter facit ſacerdos ſuper oblatam & calicem: quoniam in tribus verbis vtrumque pariter intelligitur. Nunquam enim in crucis ſignaculo panis ſeparatur à calice, niſi cùm ſeparatim nominantur in Canone. Et quando hoſtia collocatur à miniſtro in latere calicis, recta pars crucis ſolummodo ſuper panem, tranſuerſa verò vſque ſuper calicem debet protendi: quoniam recta pars crucis corpus Chriſti ſuſtinuit.

Lib.5.cap.2. Cùm ſacerdos dicit: *Deus in adiutorium meum intende,* ſigno ſe crucis munit, ad effugandam illius virtutem, ſcilicet quamlibet Diaboli verſutiam & poteſtatẽ. Valde enim timet ſignum crucis.

Guido Rocherius. 1333.

In Manipulo curatorum, de Sacramento Euchariſtiæ cap.10. Quàm citò cantatur Euangelium, tam clerus, quàm laicus; tam proferens, quàm audiens, debet ſe munire ſigno crucis in fronte, ore, & pectore.

Thomas Waldenſis. 1410.

Tomo 3.titulo 5.cap.47. Tam ante Baptiſmũ, quàm iam baptiſmate ſuſcepto, cum Chriſmate crux Chriſti baptizatis imprimitur.

Ioannes Gerſon. 1420.

In Summa Theologica lib.4.de Sacramento Euchariſtiæ: Finito Euangelio debet quiſque ſe munire ſigno crucis contra Diabolum, ne recipiat ſeu remoueat verba Euangelica à cordibus audientium.

Laurentius Iuſtinianus. 1430.

De triumphali Chriſti agone cap.17. Vexillum crucis Chriſtus, ne dum in ipſius hora certaminis voluit eſſe conſpicuum, verùm toto præſentis vitæ decurſu, quatenus quamdiu perſeuerat pugna, victoriæ quoque illius appareant ſigna. Signum vtique Mediatoris triumphale ſanctæ crucis dixerim eſſe trophæum: in qua idem mundi conditor pendêre dignatus eſt. Illam cruore ſanctificauit ſuo, atque aëris Poteſtatibus terribilem, honorabilem Angelis, hominibusque eam fecit eſſe amabilem. Nempe à die, qua vniuerſorum Dominus pependit in illa, tantus diabolo & complicibus eius pro hoc ſigno terror inhæſit, vt ipſius nequeant ſuſtinere aſpectum. Virtutem quidem crucis ſpiritualiter ſentientes, ad ſolam illius occultantur imaginem.

Dionyſius Carthuſianus. 1460.

In feſto Exaltationis S.Crucis: Tantam in cruce cõfidentiam habent fideles, vt eius impreſſione, & ſignatione, ſe ab aduerſitatibus tueri, & bonis firmari, à dæmonibus protegi credant, & ſperent.

Gabriel Bielius. 1480.

In Canonem Miſſæ lect.54. Format quinque cruces Sacerdos, ad ſignificandum quinque Chriſti plagas ſeu vulnera, in cruce inflicta. Format tres cruces ſimiliter ſuper oblatam & calicem,&c.

Paulus Eberus Lutheranus. 1560.

In Calendario: Anno 1551. 14. Martij in oppido Bernburgenſi ſub concionem ſtatua Crucifixi ad quatuor horas ſudauit: ſudor abſterſus, mox copioſè manauit.

ARTICVLVS DECIMVS.

SACROSANCTAM CRVCEM, IN QVA CHRISTVS SALVATOR PRETIVM NOSTRÆ REDEMPTIONIS SOLVIT, MVLTIS ANNIS IVDÆORVM INVIDIA TERRA DEFOSSAM, A SANCTA HELENA CONSTANTINI IMP. MATRE MIRACVLOSE FVISSE INVENTAM, ET EIVS INuentionis memoriam rectè ab Eccleſia celebrari.

NEGANT.

Anno poſt natũ Chriſtũ 1530. MARTINVS Lutherus libro de Formula Miſſæ: *Feſta ſanctæ Crucis anathema ſunto.*

1560. *Magdeburgenſes* centuriæ quartæ capite ſexto, folio 482. & capite decimo tertio, folio 1438. *hiſtoriam de Inuentione & Feſto ſanctæ Crucis fide laborare ſcribunt.*

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Euſebius Cæſareenſis. 325.

In Chronicis: Anno Domini 325. imperij Conſtantini 16. Helena Cõſtantini mater, diuinis monita viſionibus, beatiſſimum crucis lignum, in quo mundi ſalus pependit, apud Hieroſolymam reperit.

Cyrillus Hieroſolymitanus. 370.

Epiſtola ad Conſtantium Auguſtum, de ſigno crucis in cælo apparente: Tempore Deo dilectiſſimi, & beatæ memoriæ Conſtantini patris tui, ſalutare crucis lignum Hieroſolymis repertum eſt, diuina gratia concedente ei, qui rectè quærebat pietatem, etiam abſtruſam ſanctorum locorum inuentionem.

Socrates. 440.

Eccleſiaſticæ hiſtoriæ lib.1.cap.13. Helena Imperatoris mater, in ſomnijs diuinitus admonita, Hieroſolymam iter capit. Et cùm veterem illam Hieroſolymam deſertam, tamquam pomorum cuſtodiam (vt eſt apud Prophetam) offenderet, Chriſti monumentum, in quo ſepultus eſt, & ex quo reſurrexit, diligenter perueſtigat, ac tandem, licet valde ægrè, Deo tamen illi opem ferente, reperit, &c. Tres cruces in monumento offendit: vnam beatam illam quidem, in qua Chriſtus expaſſus fuit: alteras duas, quibus duo latrones ſuffixi occubuerunt: cum quibus vnà reperta eſt tabula Pilati, in qua varijs variarum linguarum characteribus ſcripſerat, palamq; declarauerat Chriſtum crucifixum, Regem fuiſſe Iudæorum. Sed quoniam incertum erat, quænam eſſet crux quam quærebant, mater Imperatoris non mediocri dolore affecta eſt. Quem quidem non longo tempore pòſt, Hieroſolymorum Epiſcopus, nomine Macarius ſedauit: & quod erat anceps & ambiguum, fidei vi & virtute diſſoluit, &c. Mulieri cuidam indigenæ, quam diuturnus morbus oppreſſerat, iam imminebat mors. Illi animam agenti ſingulas cruces apponit, pro certo perſuaſus eam ad integram valetudinem reſtitutam fore, ſi venerandam Seruatoris crucem attingeret: quæ ſpes illum minimè fefellit. Nam cùm duæ illæ cruces, quæ Domini non erant, eſſent mulieri admotæ, illa nihilominus in mortis articulo cõſtitit: verùm vt primùm tertia, quæ fuit vera Domini crux adhibita erat, illa iam fermè moriens, extemplò conualuit, & è morbo penitus euaſit. Ad hũc modũ lignum crucis Chriſti inuentũ eſt.

Sozomenus. 440.

Eccleſiaſticæ hiſtoriæ lib.2.cap.1. Per idem tempus Helena Conſtantini Imp. mater venit Hieroſolymam, cùm precandi cauſa, tum ſancta illa loca viſendi. Quæ quoniam pio animo erga religionẽ Chriſtianam erat affecta, viſa eſt ſibi operæpretium factura, ſi lignum crucis venerandæ inuenire poſſet, &c. Tres inuentæ ſunt cruces, & aliud liguiculum ſeparatim, quod tabulæ geſſit ſimilitudinem, verbis & litteris non Hebraicis ſolùm, verùm etiam Græcis & Latinis inſcriptum, quæ verba ac litteræ non aliud cõplectebantur, quàm *Ieſum Nazarenum Regem Iudæorum,* &c.

Theodoretus. 450.

Eccleſiaſticæ hiſtoriæ lib.1. cap.18. Qua re confecta ſepulchrum, quod diu abſtruſum iacuiſſet, emerſit: & ſimul tres cruces, quæ prope illud Domini monumentũ erant reconditæ repertæ ſunt. Quòd autẽ vna ex his Domini noſtri & Seruatoris Ieſu Chriſti crux fuit, reliquæ verò duæ latronum, qui pariter cum eo crucibus ſuffixi fuerant, extiterunt, ad vnum omnes ſine controuerſia crediderunt: ſed tamen ignorârunt prorſus, quæ illarum corpus Domini ſuſtinuiſſet, & guttis pretioſi eius ſanguinis aſperſa fuiſſet. Cæterùm ſapientiſſimus ille & planè diuinus Macarius, vrbis illius Antiſtes, tali via illorum animos dubitatione liberare aggreſſus eſt. Mulieri cuidã nobili, morbo diuturno oppreſſæ, vnamquamq; crucem ſigillatim, precibus ad Deum ſimul ardenter fuſis, admouens, crucis Seruatoris virtutem facilè perſpexit. Nam vt primùm ea mulieri adhibita fuit, illicò grauis ille morbus depulſus eſt, & homo ipſa ad integram valetudinem reſtituta.

Iustinianus Imp. 530.

In Authentica de Moderatore Helenop. cap. 1. Helena Constantini Magni mater, pientissima mulier, nobis sacrum Christianorum signum inuenit.

Andreas Cretensis. 570.

Oratione de pretiosa Crucis Exaltatione, cap. 5. Cùm Deus tradidisset Christianis sceptra Imperatoria, & totum Romanum imperium, ei tunc placuit per piam mulierem, mulierem regiam, & quæ regios habebat spiritus, tunc filio imperante Christianis, sine labore, & diuino, vt ita dicam, instinctu sapientem reddere: quæ partim quidem grauitate principali, partim autem nonnunquam communibus blanditijs, regaliter autem omnia faceret, quæ inflexibile Iudæorum poterant cor flectere. Et citò quærenti Imperatrici, communis apparuit thesaurus, hanc dico Domini crucem, quæ in vniuerso mundo hodie extollitur, cum qua etiam omnia, quibus beata illa & toti mundo salutaris fuit passio dispensata, extolluntur. Propterea ergo hodie diem festum celebramus: propterea frequentes cõuenimus, quòd sanctum illud, quod olim latebat, hodie euasit manifestũ: quòd thesaurus, qui fuerat absconsus, ex terræ metallis refulsit, sicut aurum: quòd id, quod erat in terra infossum, reuelatum est maximè insigne opus imperij Christianorum: quòd cessauit procella dæmonum, cùm crux euasisset manifesta.

Cap. 11. Crucis Exaltatio, quæ est & magna, & supermundana: & eius Inuentio non temerè celebratur in Dei Ecclesijs, quæ sunt in vniuersa terra.

Leontius. 610.

Vitæ Simeonis Sali cap. 3. Tempore Iustiniani Imp. cùm accederent ij, qui Christi erant amantes, & pro more sancta Christi loca cupiebant adorare, quæ sunt in sancta ciuitate, in Exaltatione pretiosæ & viuificæ crucis (Norunt autem omnes, qui illic adesse consueuêre, in hoc sancto, & omnibus laudibus celebrando festo, quod ex vniuerso ferè orbe terrarum cõcurrit multitudo populorum, quę crucem & Christum diligit) accidit vt in hoc venerabili festo duo quidam iuuenes, Dei prouidentia se inuicem conuenirent, &c.

Leo Imp. Philosophus. 880.

Epistola ad Omarum Regem: Quando voluit Christus hominibus confusionem Iudæorum ostendere, Inuentionem Crucis Constantino Regi Romanorũ, qui nec dum erat Christianus, aperuit. Cùm enim pergeret ad bellum, eleuans oculos ad cælum media nocte, vidit in cælo quasi duas columnas, vnam super aliam intentam, in similitudinem crucis, & in ea scripturam igneo fulgore rutilantem, & Græcè scriptam: Quia petisti à Deo tuo, vt ostenderet tibi fidem rectam, facito tibi signum regale in similitudinem crucis istius, quæ præcedet te contra inimicos tuos, secũdùm quod vidisti in cælo. Quo facto, hostes inuasit, & per virtutem S. Crucis illos deuicit. Cumq; reuerteretur, matrem suam Helenam cum exercitu vsque quò Hierusalem veniret direxit, vt quid de cruce Christi factum esset, à Iudæis perquireret. Multis autem cruciatis, virum illum, qui de tribu eius fuerat, cui res primùm notificabatur, inquiri præcepit. Illum autem rei veritatem aperire nolentem, in puteo sine potu ac victu recluũt. Cumque se moriturum cognouisset, ei locum ostendit, & dum foderent, fumus incensi de fouea exiuit: tres cruces, post 300. annos, ex quo Christus venerat, ostendens. Et cùm ante Reginam nescientem quæ crux Christi esset, portarentur, super mortuum subitò vnam crucem posuit, & nõ surrexit. Secunda adhibita, nihil profuit. Cùm verò tertiam adhibuissent, statim qui erat mortuus, surrexit. Regina, facta Ecclesia super Christi sepulchrum, partem de cruce ibi reliquit, & reliquam filio suo detulit. Hæc est causa quare crucẽ Christi adoremus.

Simeon Metaphrastes. 960.

In vita S. Isaacij: Post venerandæ, immaculatæ, & pretiosæ crucis Inuentionem, &c.

In vita S. Anastasij Martyris: Cùm venisset festum venerabile viuifici ligni Exaltationis, totam illã noctem celebrarunt precibus & psalmodijs.

Suidas. 980.

In voce ἑστιάδες: Vestales virgines Helena Cõstantini mater post inuenta sancta & pretiosa ligna, templo extructo in Sepulchro Domini, instituit, decreto victu è publico.

Ioannes Zonaras. 1100.

Tomo 3. in Constantino: Helena Hierosolymam proficiscitur, sepulchro Domini adorato, & sancta cruce inuenta, cui Deus noster suo corpore affixus fuerat, & fanis magno sumptu extructis ad filium reuertitur.

Nicephorus Callistus. 1300.

Lib. 8. cap. 29. Helena plurimi faciebat, vt crucis lignum, & viuificum Christi monumentum inueniret. Et quantũuis difficulter, attamen ea tandem inuenit, vt quidem nonnulli dixêre: Iudæo homine ex paterna quadam annotatione regionem indicante: reuera autem, vt equidem puto, Deo signis quibusdam, & visionibus nocturnis ostendente. Cùm enim Deo visum esset, res diuinas & occultas in lucem proferre, minimè opus fuit humanis indicijs. Enimuerò Imperatoris iussu, contaminato illo templo diruto, aggereq; exportato, ex eo loco sacrum illud resurrectionis antrum extitit, & tres sparsim disiectę cruces, &c. Hoc sanè modo memoriæ proditum est, sacrum in apertum productum esse lignum.

Georgius Codinus. 1400.

De Officialibus Palatij Constantinopolitani, fol. 158. Die festo Exaltationis Crucis sit è ligno anabathra in triclinio, quam etiam induunt linteo coccino. Adueniens igitur in eam Patriarcha, si quidem aderit, aut alius aliquis Patriarcharum, si abest ille, facit crucis exaltationem.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Ambrosius. 370.

Oratione funebri de obitu Theodosij Imp. Temporibus Constantini completum est illud propheticum: *In illo die erit quod super frænum equi est, sanctum Domino omnipotenti.* Quod illa sanctæ memoriæ Helena mater eius infuso sibi sancto spiritu reuelauit. Beatus Constantinus tali parente, quæ imperanti filio diuini muneris quæsiuit auxilium, quò inter prælia quoque tutus assisteret, & periculum non timeret. Magna fœmina, quæ multò amplius inuenit qđ Imperatori conferret, quàm quod ab Imperatore acciperet. Anxia mater pro filio, cui regnum orbis Romani cesserat, festinauit Hierosolymam, & scrutata est locum Dominicæ passionis, &c. Venit ergo Helena, cœpit reuisere loca sancta, infudit ei spiritus, vt lignum Crucis requireret, accessit ad Golgotham, & ait: Ecce locus pugnæ, vbi est victoria? Quæro vel

Zach. 14.

vexillum

vexillum salutis; & non inuenio. Ego, inquit, in regnis, & crux Domini in puluere? Ego in aulis, & in ruinis Christi triumphus? &c. Aperit humum, decutit puluerem, tria patibula confusa reperit, quæ ruina contexerat, inimicus absconderat: sed non potuit obliterari Christi triumphus, &c.

Ruffinus. 390.

Ecclesiasticæ Historiæ lib. 1. cap. 7. Per idem tempus Helena Cõstantini mater, fœmina incomparabilis fide & religione animi, ac magnificentia singulari, diuinis admonita visionibus, Hierosolymã petit, atque ibi locum, in quo sacrosanctum corpus patibulo affixum pependerat, ab incolis perquirit, &c. Cùm properasset ad locum cælesti sibi indicio designatum, purgatis ruderibus, tres confuso ordine reperit cruces. Sed obturbabat reperti muneris lætitiam vniuscuiusque crucis indiscreta proprietas. Aderat quidem & titulus ille, qui Græcis, & Latinis, atque Hebraicis litteris à Pilato fuerat conscriptus: sed nec ipse satis euidẽter Dominici prodebat signa patibuli. Hic iam humanæ ambiguitatis incertum, diuinum flagitat testimoniũ. Accidit in eadem vrbe primariã quandam loci illius fœminam graui ægritudine confectam, feminecem iacere. Macarius per idem tempus Ecclesię illius Episcopus erat. Is vbi cunctantem Reginam, atque omnes pariter qui aderant videt: Afferte, inquit, huc totas quæ repertæ sunt cruces, & quæ sit quæ portauerit Dominum, nũc nobis adaperiet Deus. Et ingressus cum Regina pariter & populis ad eam quæ decumbebat, defixis genibus ad Deum preces profudit, &c. Et cùm hoc fecisset, adhibuit primò vnam ex tribus, & nihil profecit. Adhibuit secundam, & nec sic quidem aliquid actum est. Vt verò admouit tertiam, repente adapertis oculis mulier consurrexit, & stabilitate virium recepta alacrior multo quàm cùm sana fuerat, tota domo discurrere, & magnificare Dei potentiam cœpit. Sic euidenti indicio regina voti compos effecta, templum mirificum in eo loco, in quo crucem repererat, regia ambitione construxit.

Seuerus Sulpitius. 400.

Sacræ historiæ lib. 2. Helenę Reginæ beneficio crux Domini reperta, quę neque in principio obsistentibus Iudæis potuerat consecrari, & postea diutæ ciuitatis oppressa ruderibus, non nisi tam fideliter requirenti meruit ostendi. Igitur Helena primùm de loco passionis certior facta, effodi terram, & contigua quæque ac vastissima ruinarum purgari iubet; mox pretium fidei & laboris tres pariter cruces, sicut olim Domino, ac latronibus duobus fixæ fuerant, reperiuntur.

Paulinus Nolanus. 420.

Epist. 11. Venerabilis illa regina Helena, vt venit Hierosolymam, diligẽter & piè, locis illis, & circa omnibus, diuinorum curiosa insignium, & oculis haurire gestiens, fidem, quam pijs auribus literisq; perceperat: Crucem Domini studiosissimè inquirere adorsa est. Sed quæ via vel ratio inueniendi subesset, cùm index idoneus nemo inueniri posset, vbi memoriam & curam religiosæ conscientiæ, vel obseruantiæ: & antiquitas æui, & superstitionis impiæ diuturnitas oboleuisset? Verùm fidelis mulier, Spiritum sanctum per affectum pium meruit: quo aspirante, cùm rem ab humana conscientia diuinitus remotam frustra diligens requisiuisset, de loco tantùm passionis fieri certior studuit. Iussit vrgente sine dubio conceptæ reuelationis instinctu, in ipsum locum operã fossionis accingi, paratáq; mox ciuium pariter, & militari manu, breui laborem istius molitionis hausit; & contra spem omnium, sed secundùm ipsius tãtùm Reginæ fidem, alta egestione reseratis terrę finibus, abditę crucis arcana patuerunt. Sed cùm tres pariter cruces, vt quondam fixæ Domino & latronibus steterãt, repertæ fuissent: gratulatio repertarum cœpit anxia dubitatione confundi iusto piorum metu: ne forsitan aut pro cruce Domini patibulum latronis eligerent, aut salutare lignum prò stipite latronis abijciendo violarent. Respexit pias fideliter æstuantium curas Dominus, & ipsi potissimum, quæ tam piæ solicitudinis Princeps erat, huius consilij lumen infudit, vt aliquem recens mortuum inquiri & inferri iuberet Nec mora, verbum factum: cadauer illatum est, deponitur: iacenti vna de crucibus admouetur: sed eorum ligna mors spreuit. Postremò Dominicam crucem prodit resurrectio: & ad salutaris ligni tactum, morte profuga, funus excussum, & corpus erectum est: tremefactisq; viuentibus, stetit mortuus, & funebribus, vt Lazarus quondam, vinculis expeditus, illicò inter expectatores suos rediuiuus incessit. Ergo crux Domini tot operta ætatibus, & Iudæis in tempore passionis abscondita, nequè gentibus, in ædificatione Fani terram sine dubio ad ipsam fabricam egerentibus, reuelata est: nonne diuina manu latuit, vt nunc inueniretur, cùm religiosè quæreretur? Ita vt crucem Christi decuit, experimento resurrectionis inuenta & probata crux Christi est: dignoque mox ambitu consecratur, condita in passionis loco Basilica, quę auratis coruſca laquearibus, & aureis diues altaribus, arcano positam sacrario crucem seruat: quã Episcopus vrbis eius quotannis cùm Pascha Domini agitur adorandam populo, princeps ipse venerantium, promit.

Hormisda. 514.

Epistola 27. ad Euphemiam Augustam: Magna etiam vestro sexui parata est laudis occasio, si vobis instantibus Ecclesiæ suæ Christus, quæ diuisa fuerant membra coniungat. Nec enim maior est gloria, quę humanæ salutis lignum scrutata est, & sola crucem, quam omnis veneratur mundus, inuenit. Superabitis quinimò illius merita, quia Ecclesiæ vnitas per illam suum inuenit signum, per vos est habitura remedium.

Gregorius Turonensis. 580.

De gloria Martyrum lib. 1. cap. 5. Crux Dominica, quę ab Helena Augusta reperta est Hierosolymis, ita quarta & sexta feria adoratur.

Cap. 6. Speciosi, omniq; metallo nobiliores Dominicæ crucis claui, qui beata membra tenuerũt, ab Helena Regina post ipsius sacræ crucis inuentionem reperti sunt: & de duobus quidem frenũ Imperatoris muniuit, quò facilius, si aduersæ gentes restitissent Principi, hac virtute fugarentur.

Historiæ Francorum lib. 1. cap. 36. Constantini tempore venerabile crucis Dominicæ lignũ per studium Helenæ matris eius repertum est, prodente Iuda Hebræo, qui post baptismum Cyriacus est vocitatus.

Gregorius Magnus. 600.

In Antiphonario: Inuentio Sanctæ Crucis: Antiphona: *Nos autem gloriari oportet.* Psalm. *Dominus regnauit,* &c.

Libro Sacramentorum: V. Nonis Maij: *Inuentio S. Crucis:* Deus, qui in præclara salutiferę crucis inuentione passionis tuæ miracula suscitasti, concede, vt vitalis ligni pretio vitę æternę suffragia cõsequamur.

Adamnanus. 680.

Libro de locis sanctis: Ingressis à septentrionali

parte

parte Hierosolymam, primùm de locis sanctis, pro conditione platearum, diuertendum est ad Ecclesiam Cõstantinianam, quę Martyrium appellatur. Hanc Constantinus Imp. eò quòd ibi crux Domini ab Helena eius matre reperta sit, magnifico & regio cultu construxit.

Beda. 700.

In Martyrologio : V. Nonis Maij Hierosolymis Inuentio S Crucis ab Helena Regina, sub Constantino Principe, cuius ipsa extitit mater.

Ordo Romanus. 730.

Folio 82. De Inuentione S. Crucis : In Inuentione S. Crucis legãtur lectiones, quę & in Natalitijs plurimorum Martyrum, siue Homilię ad ipsum diem pertinentes.

Vsuardus. 780.

In Martyrologio : V. Nonas Maij Hierosolymis Inuentio S. Crucis ab Helena Regina, sub Constantino Principe.

VVandelbertus Diaconus. 830.

In Martyrologio : V. Nonarum Maij :
His quoque celsa crucis radiant vexilla reperta.

Anastasius Bibliothecarius. 880.

De gestis Romanorum lib. 11. Helena Imperatoris mater in somnis admonita Hierosolymam properauit, & sepulchrum Christi, quod licet difficilimè, tamen inuenit sordibus coopertum, & desuper templum Veneris ædificatum : vbi virgineis cantibus insultabant, præcepitq; destrui sceleratissimum templum, ipsumq; puluerem funestis sacrificijs violatum eijcit, & procul à ciuitate dispergit. Exin locum purgari præcipiens, statim palam monumentum Domini apparuit. Apparuerunt & circa illud suffossæ tres cruces, & clauí, simul & titulus, literis Hebręis, Græcis, & Latinis conscriptus : *Iesus Nazarenus Rex Iudæorum :* De hoc ligno Sibylla dixit apud Paganos : *O ter beatum lignum, in quo Deus extensus est.* Tũc ergo quę crux Domini esset, quę latronum dubitare cœperunt. Proinde Macarius ciuitatis Præsul huiusmodi tractatu dubitationem soluit. Mulieri nãq; nobilitate clarę longa ægritudine fatigatę, vnam illarũ crucium, cum oratione promptissima adhibens, virtutem Saluatoris agnouit. Mox enim vt mulierem attigit crux, passionem seuissimę ægritudinis effugauit, & fœminę salutem restituit, &c.

Ado Viennensis. 890.

In Chronicis ætate 6. Per idem tempus ab Helena Constantini matre Hierosolymis Crux Domini inuenta est.

Regino Prumiensis. 900.

Lib. 1. Annalium : Crux Domini nostri Iesu Christi à Iuda inuenitur.

Luitprandus Ticinensis. 950.

Libro 4. cap. 12. Constantinus Magnus Sanctę Helenæ viuificæ crucis inuentricis filius.

Hermannus Contractus. 1050.

In Constantino : Hoc tempore crux Domini ab Helena Constantini matre Hierosolymis reperitur, sub Macario eiusdem vrbis Episcopo.

Petrus Damianus. 1060.

Sermone de Inuentione S. Crucis : Hodie, fratres chariſſimi, quia crucis inuentionem colimus, quasi reperto communi totius mundi thesauro, communiter in Christo gaudere debemus. Et sicut ille inuenta perdita oue, vel drachma, conuocatis amicis & vicinis congratulatus est : ita & nos inuento eo, non quod ipse perdiderat, sed quo nos perditos acquisierat, iustum est gloriari : præsertim cùm Apostolus dicat : *Mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi.* Gal. 6.

Ado Treuirensis. 1070.

In Martyrologio : 3. Maij Hierosolymis Inuentio S. Crucis ab Helena Regina Constantini matre. Inuentionis autem pretioſi ligni historia cognitu digna sic se habet, &c.

Berengosius. 1110.

De Inuentione & laude sanctæ Crucis lib. 1. cap. 2. Sicut illa passionis Dominicæ dies vniuerso quondam mundo erat optabilis : ita & ista dies sacratissima, non minus nobis debet esse venerabilis, quomodo sicut in illa die Saluator noster opus nostræ redemptionis impleuit : ita & in hac die lignum Dominicum nobis manifestare decreuit. Et ideo dies ista eò festiuius à nobis debet celebrari, quò in ea lignum idem Dominicum debuit Christo reuelante nudari, maximè cùm de hac die nihil aliud Scriptura loquatur diuina, nisi quòd hodie Crux Domini inuenta est ab Helena Regina.

Honorius Augustodunensis. 1120.

Sermone de Inuentione S. Crucis : Helena sanctæ Crucis amore succensa Hierosolymam properat, conuocatis Iudæis locum Caluariæ sibi demonstrari postulat, quem densitas veprium atq; virgultorum operuerat, & ideò incognitus erat. Regina proponit Judæis præmium, si locũ monstrauerint ; crucis supplicium, si negauerint. Regina populo comitante ad locum pergit, preces flexis genibus fundit, locus contremuit, fumus cocciomatis de terra ascendit : mox terram rastris aperiunt, tres cruces inueniunt ; mortuus apportatus cruci Christi impositus resuscitatur, virtutemq; sanctę Crucis sua resurrectione & voce protestatur.

Hugo Victorinus. 1130.

In institutione monastica, de vanitate mundi : Fulget crucis vexillũ in loco sanctitatis, & Regina compos voti cum gaudio remeauit, nec potuit vltra, signo gloriæ sublimato, potestas aduersa prosperari.

Excerptionum priorum lib. 8. cap. 1. Helena magnificentia singularis diuinis admonita visionibus Hierosolymam petijt, lignum Dominicæ Crucis exquisiuit, & mirificè per mortui cuiusdam ad vitam reuocationem inuenit.

Otto Frisingensis. 1150.

Libro 4. Chronicorum cap. 5. Circa idem tempus Helena Cõstantini mater, Crucem Domini Hierosolymis inuenit, mediaq; parte eius ibi relicta, alteram ad vrbem Regiam transportauit.

Conradus à Lechtenavv Abbas Vrsperg. 1225.

In Constantino : Helena religiosa diuinis monita visionibus, Hierosolymam petijt, & locum, vbi Christus crucifixus est, ab incolis quæsiuit, locũ inuenit, purgatisq; in altum ruderibus, crucem sanctam reperit.

Brocardus. 1260.

In descriptione Terræ sanctæ : In Caluaria per decẽ pedes ostenditur pars columnæ, in qua Christus fuit flagellatus, illuc ex domo Pilati translatæ. Non longè ab hoc loco descenditur per quadraginta septem gradus, ad locũ vbi Helena inuenit Crucem Domini defossam.

Guilhelmus Durantius. 1270.

Rationalis diuinorum lib. 7. cap. 11. Inuenta fuit crux tempore Eusebij Papæ, à beata Helena matre Cõstantini mediante Iuda, qui tunc Iudæus erat.

Iacobus Genuensis. 1280.

Sermone 3. de Inuentione S. Crucis : Sancta Helena & cæteri Christiani, qui cum ipsa erant, fecerant effodi crucem super omnem thesaurum pretiosiorem, & vehementer lætati sunt, quando ipsam inuenire potuerunt.

Ludolphus Saxo Carthusianus. 1330.

Vitæ Christi parte 2. cap. 66. Hæc sancta crux post passionem Christi, & resurrectionem Domini, per Iudæos, cum crucibus latronum, sub monte Caluariæ, profundè sub terra abscondita fuit : vbi ducentis annis & amplius, vsque ad tempora Constantini & Helenæ latuit ; sed Helena in lapide plusquam viginti passibus fodiens, ipsas tres cruces inuenit. Quibus sublatis, crucem Domini, ab alijs signo resurrectionis mortui probauit & discreuit.

Matthæus VVestmonasterienſis. 1370.

In Chronicis : Anno gratiæ 324. Helena Constantini mater, diuinis admonita visionibus, Hierosolymam petijt, crucemq; Dominicam diligenter quærens reperit.

Vincentius Valentinus. 1430.

Sermone 1. de Inuentione S. Crucis : Solennitas ista, & festum præsens dicitur Inuẽtio S. Crucis : quia B. Helena mater Constantini Imp. cum multis miraculis inuenit crucem Domini nostri Iesu Christi, quam Iudæi absconderant.

Petrus de Natalibus. 1460.

Lib. 4. cap. 117. Inuentio S. Crucis dicitur, quòd eo die à S. Helena matre Constantini crux inuenta fuisse perhibetur. Illud enim pretiosum lignũ Dominicum, in quo Dominus crucifixus fuit, plus quàm ducentis annis sub terra iacuit.

M. Antonius Sabellicus. 1480.

Ennead. 7. lib. 8. Helena Constantini mater, diuinarum rerum studio nocturnoq; visu impulsa, Hierosolymam eo nomine petijt, vt Dominicam quæreret crucem, vnde humana salus pependisset. Cæterùm loco ruderibus purgato, crux reperta est, & cum ea, quæ Saluatoris fuit, duæ aliæ subrutæ, vnde duo pependerant latrones.

Baptista Mantuanus. 1500.

Libro 5. Fastorum, de Inuentione S. Crucis :
Tunc Helenam regis matrem, quæ somnia nato
Audierat narrante, bonus furor egit ad vrbes
Protinus Assyrias, vbi crux inuenta latatis
Confestim Hebræis, veteriq; è rudere tracta.
Et quia tres tellure cruces tacuêre sub vna,
Vera modis patuit miris, impostа cadauer,
Quod tunc ad tumulum, turbis comitantibus ibat,
Restituit vitæ, res non concessa duabus,
Quæ tulerant Christi socios in morte latrones.

ARTICVLVS VNDECIMVS.

RELIQVIAS LIGNI CRVCIS, LANCEÆ, CLAVORVM, ET VESTIVM CHRISTI SALVATORIS, RELIGIOSE SERVANDAS ET VENERANDAS ESSE.

NEGANT.

Anno post natũ Christum 366. IVLIANVS *Apostata* (apud Cyrillum Alexandrinum lib. 6. contra Iulianum) *reprehendit Christianos, quòd Iouis arma cessent adorare & colere, & interim crucis lignum adorent.*

1520. Martinus Lutherus in Postilla de Exaltatione S. Crucis : *Primus crucis abusus est, quòd ligno, cui Deus affixus fuit, templa consecrantur. Si quis pedibus ista calcare vellet, extra decorum ageretur. Quod obseruantia quadam dignamur hac, vtcunque tolerari poterat ; sed quòd ad hæc affectus nostros transmouemus, & eorum nomine templa ædificamus, interim illa, quæ diuinitus præcepta sunt, negligentes, hoc nullius rei est. Huic abusui tanta fenestra patefacta est, quod si fragmentulum aliunde adepti sunt, ad hoc redimendum multum auri & argenti collatum fuit ; deinde ades sacræ extructæ. Hinc etiam peregrinationes religionis ergò. Ibi Deus suam libertatem exeruit, vt aliquoties de patibulo pars recisa, pro sancta cruce adorata sit. Nam fragmentorum crucis tanta copia in orbe est, vt si congesta essent, ex eis iusta domus ædificari posset.*

De abroganda Missa : *Sepulchrum illud corporale, quod Saraceni tenent, non magis est curæ Deo, quàm boues illos esse curæ Deo Paulus dicit.*

1550. Ioannes Caluinus admonitione de Reliquijs, vbi agit de ligno Crucis : *Nec eo contenti, quòd imperitis ac rudibus imposuissent, vulgare lignum pro ligno crucis ostentando, sed definierunt, etiam prorsus esse adorandum. Quæ doctrina omninò diabolica est.*

1560. *Magdeburgenses* Centur. 6. 7. 8. &c. cap. 6. de ritibus & cæremonijs, *improbant ligni Crucis, lanceæ, clauorum, & vestium Christi venerationem.*

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Cyrillus Hierosolymitanus. 370.

Catechesi 4. Hìc crucifixus est pro peccatis nostris verè, ac si negare volueris, locus hic apparés te arguit: Beatus hic mons Golgotha, in quo nũc propter eum, qui crucifixus est, in illo applaudimus, & ligno crucis vniuersus terrarum orbis per partes repletus est.

Catechesi 10. Lignum crucis testatur ad hodiernum diem apud nos apparens, & apud eos, qui secundùm fidem ex illo capientes, hinc vniuersum orbem ferè iam repleuerunt.

Catechesi 13. Si enim nunc negarem, arguet me hic Golgothas, cui nunc omnes proximè assistimus, arguet me lignum crucis, quod per particulas ex hoc loco, per vniuersum orbem sparsum est.

Ioannes Chrysostomus. 400.

Sermone in pretiosæ vitalisq; Crucis venerationem: Hodierno die Christi Ecclesia alter paradisus esse monstratur, quæ & sanctum pretiosæ crucis lignum proponit, & passionis Christi præsidium crucem facit, & eiusdem resurrectionis præmium.

Socrates. 440.

Lib.1.cap.13. Helena vnam crucis partem, in theca argentea occlusam, pro monumento ijs, qui illius spectandi cupiditate ducerentur, ibi reliquit: alteram mittit Imperatori. Quam vbi is receperat, ratus ciuitatem, in qua illa seruaretur, omninò saluam & incolumem fore, in suam ipsius inclusit statuam, quæ Constantinopoli in foro, quod à Constantino nomen traxit, supra columnam ingentem ex lapide porphyrete confectam collocata est, &c. Quin etiam clauos, quibus Christi manus cruci affixæ erant, Constantinus assecutus (istos enim mater in Seruatoris monumento reperiens, ad eum miserat) in fræna curat & galeam fabricandos, illisq; in bello gerẽdo vtitur.

Sozomenus. 440.

Lib.2.cap.1. Huius crucis salutaris iam tum inuentæ, maxima pars adhuc etiam Hierosolymis in capsa argentea custoditur: reliqua verò ab Imperatrice ad filium Constantinum deportata est. Quod ad clauos attinet, quibus corpus Christi cõfixum erat, memorant imperatorem ex illis sibi confecisse galeam & frænum equi, vt scriptũ est à Zacharia Propheta: & à quo prędictum, quòd in tempore isto, illud quod sit in frenum equi sanctũ esset Domino omnipotenti. Zach 14.

Theodoretus. 450.

Eccles.hist.lib.1.cap.18. Quod ad crucem Seruatoris attinet, Helena partem illius in Imperatoris palatio locandam, reliquum autem in capsa argentea reponẽdum curauit, illudq; dedit Episcopo illius ciuitatis: hortataq; illum est, vt ad posteritatem velut monumentum salutis nostræ reseruaretur.

Cyrillus Eremita. 530.

In vita B. Euthymij: Quo tempore Thomas administrationem tenebat monasterij, ad eum venit Antiochenus Cæsarius, & ab illo benignè & humanè acceptus, cùm in eodem cum eo accubuisset conuiuio, deinde, vt solet, inter eos agitati essent sermones, & audisset, quòd in Diaconico essent illius ligni partes, in quo Dominus illo suo admirabili consilio fuit crucifixus: petit ab eo, vt liceat sancta illa ligna adorare, & eorum exiguam aliquam partem accipere. Cùm ergo annuisset is, qui præerat monasterio, eadem quidem hora ei aperit ambas fores Diaconici: referat autem thecas rerum pretiosarum, aliquid ardentius faciens & amantius: & ingressus est Cæsarius cum ijs qui erant circa ipsum. Cùm autem adorassent, & complexi fuissent, aliquam quoque partem accipiunt illius salutaris & venerandi ligni.

Procopius Cæsariensis. 550.

De Bello Persico lib.2. Post hæc Cosroes cum exercitu Apameam venit, vbi pars crucis Dominicæ magnitudine cubitali visitur, ab homine Syro hucclam delata, quam oppidani magnam eius loci tutelam esse existimant, ac venerantur, theca ei condita lignea, quam auro multo ac gemmis, tribus sacerdotibus custodiendam tradiderunt, insuper quotannis certa die adorant. Tunc itaq; Apameensis populus videns Persarum exercitum ad se venire, in magna trepidatione fuêre, Cosroëmq; audientes, vt minimè promissis maneret, Thomam vrbis Præsulem adeuntes, rogauerunt crucis lignum eis ostendi, vt eo viso feliciter morerentur. Ille verò cùm eis morem gessisset, spectaculum fieri contigit, sermone ac fide maius. Præsule enim id tenente, ignis iubar supra ferebatur: vnde in templi tholo splendor præter solitum apparens, illum continuò circumeuntem sequebatur.

Rusticus Diaconus. 580.

Contra Acephalos: Clauos, quibus crucifixus est, & lignum venerabilis crucis, omnis per totum mundum Ecclesia absque vlla contradictione adorat.

Euagrius. 590.

Lib.2.cap.25. Vt primùm Apameenses intellexêre Antiochiam igne incensam, Thomam Episcopum rogabant, vt salutare vitaleq; lignum crucis, licèt cõsuetudo id minimè pati videretur, in medium proferret, inq; omnium oculis statueret: quò iam, cùm supremum vitæ diem viderentur obituri, illud contẽplarentur, amplexarenturq;, vtpote in quo solo hominum salus posita esset: atque adeò ad alteram vitam iam profecturi, crucem venerandam haberent pro viatico, &c.

Leontius Cyprius. 600.

Vitæ Simeonis Sali cap.3. Tempore Iustiniani Imperatoris cùm accederent ij, qui Christi erant amantes, & pro more sancta Christi loca cupiebãt adorare, quæ sunt in sancta ciuitate, in Exaltatione pretiosæ ac viuificæ crucis, &c.

Georgius Presbyter. 620.

In vita S. Theodori Archimandritæ: Sanctissimus Patriarcha Thomas, qui post beatæ memoriæ Cyriacum in Pontificia regiæ ciuitatis sede successerat, laudata viri gloriosa pietate, dedit etiam ipsi particulam venerandi ligni sanctæ crucis, & particulam sancti sepulchri Seruatoris nostri Dei.

Sophronius Hierosolymitanus. 630.

Homilia in laudem sanctæ Crucis: Quãdo benignus Deus noster per sanctorum Patrum traditionem, hanc nobis indixit viam, mereamur per venerabilem attactum viuificantis ligni, ipso clementer indulgente, qui eidem affixus est, ceu deinceps perspicuum euadet, &c. In medio ieiunij adorationis gratia proponi solet lignum vitale venerandæ crucis, quodq; nostræ salutis causa defixũ est in medio terræ. Salue pretiosa crux, in qua ipse Filius Dei ac Verbum expassis manibus circumplexus nos est, & suo conciliauit Patri.

In vita Mariæ Aegyptiacæ: Absque vllo labore, inquit Maria, adoraui lignum sanctę crucis, & sensi ibi odorem suauitatis, & merui ibi videre omnia Dei mysteria.

Ioannes Damascenus. 730.

Orthodoxæ fidei lib.4.cap.12. Hoc ingentis pretij lignum ac venerandum, in quo Christus seipsum sacrificij causa pro nobis obtulit, vt ex sancti corporis & sanguinis cõtactu sanctificatum, optimo iure adorari debet, clauiq; item, & lancea, & indumenta, ac sacra ipsius tabernacula, hoc est, præsepe, antrum, Golgotha, crux, viuificum sepulchrum, Sion Ecclesiarum arx, aliaq; id generis, quemadmodum ait Dei parens Dauid: *Introibimus in tabernaculum eius, adorabimus in loco vbi steterunt pedes eius.* Psal 131.

Theophanes Cerameus. 830.

In historia Miscellanea lib.11. Helena Saluatoris crucis partem aliquam filio distribuit, quam Constantinus suscipiens, & credens saluari ciuitatem vbi hæc particula seruaretur, in sua statua, sicut fertur, in foro Constantini positam, super columnam Porphyreticam studiosè condidit. Reliquam verò partem in argẽtea theca clausam Macario sacerdoti ciuitatis reliquit.

Simeon Metaphrastes. 960.

In Martyrio Anastasij Persæ: Cùm magna ciuitas Hierosolymorum capta fuisset à Rege Persarum, & sacra illa loca, quæ mei Christi vidêre conuersationem, & cruci affixionem, & resurrectionem, Medorum lanceæ & igni ijs, quos ipse nouit, modis essent tradita: & multa alia capta sint cum ciuitate, & salutis quoque nostræ trophæum, mortis solutio, peccati internecio, lignum, inquam, viuificæ crucis, illinc translatum est in Persidem: quod quidẽ mihi videtur diuinioris esse gratiæ, & eius, qui est crucifixus, solius dispensationis, quæ sæpe nouit etiam per aduersarios ea contexere, quæ sunt meliora & vtiliora. Postquam enim salutaris crux Domini hostilibus capta fuit manibus, & in Persidem abducta, imitatur eum, qui in ea fuit affixus, Christum: simul ac ingreditur Persidem eam statim totam illustrans radijs

suæ gratiæ, ferit quidem animas infidelium, non secus ac sol, qui laborantem oculum ingreditur: fideles autẽ non secus ac fulgur quoddam apparens in tenebris, reuocat.

De Iona & Barachisio Martyribus: Consolatio mihi præsto fuit ex sancto illo ligno, cui affixus fuit Dominus meus Iesus Christus.

Georgius Cedrenus. 1100.

In Constantino Copronymo: Anastasius manu tenens veneranda atque viuifica crucis ligna, eum, qui eis affixus est, iurauit.

In Heraclio Imp. Zacharias Patriarcha Hierosolymitanus & veneranda crucis ligna, cum ingenti præda ac captiuorum numero in Persidem sunt abducta, &c. Anno 19. ineunte Heraclius Hierosolyma Constantinopolim proficiscitur, ac venerabilia & viuifica crucis ligna auehit.

Nicephorus Callistus. 1300.

Lib.8. cap.29. Crucis maximam partem diuina Helena argenteæ cistæ inclusam, Episcopo ad memoriam posterarum generationum reliquit: vbi etiam sacram Exaltationem quotannis peragendam sanxit. Partem verò ad filium Imperatorem transmisit. Quam illum quo animo quis suscepisse dicat? cùm fide secum ipse reputauerit, vrbem eam seruatum iri, in qua tam sacrum conseruaretur donarium. Quapropter eam partem statuæ suæ inclusit, quam in vrbe à se magnificè cõdita, super porphyretica collocauit columna, in eo quod dicitur Constantini foro.

Helena AEthiopum Regina. 1509.

Epistola ad Emmanuelẽ Lusitaniæ Regem: Mittimus ad vos per hunc nostrum oratorem Matthæum crucem vnam, factam haud dubiè ex frusto ligni, in quo Seruator noster Iesus Christus crucifixus fuit Hierosolymis: id autẽ sacrosancti ligni frustum ad nos ex Hierosolymis allatum est.

Theodosius Zygomala. 1580.

Epist. de Constantinopolitanorũ cladibus: Circuibant mœnia, venerabile lignum crucis, in quo Dominus pependerat, & sanctas imagines ferentes.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Ambrosius. 370.

Oratione funebri de obitu Theodosij: Helenæ veritatis lignum refulsit, & gratia micuit. Quæsiuit clauos, quibus crucifixus est Dominus, & inuenit. De vno clauo frænos fieri præcepit, de altero diadema intexuit; vnum ad decorem, alterum ad deuotionem vertit. Misit filio suo diadema gemmis insignitũ, quas pretiosior ferro innexas crucis redemptionis diuinæ gemma connecteret, &c.

Hieronymus. 390.

Epist.17. sub nomine Paulæ & Eustochij, cap.8. Ergone erit illa dies, quando nobis liceat spelunca Saluatoris intrare? in sepulchro Domini flere cum sorore, flere cum matre? crucis deinde lambere lignum, & in Oliueti monte cum ascendente Domino voto & animo subleuari?

Ruffinus. 400.

Eccles. hist. lib.1. cap.8. Helena clauos, quibus corpus Dominicum fuerat affixum, portat ad filiũ, ex quibus ille frænos compõsuit, quibus vteretur ad bellũ, & ex alijs galeam nihilominus belli vsibus aptam fertur armasse. Ligni verò ipsius salutaris partem detulit filio, partem verò thecis argenteis conditam dereliquit in loco: quæ etiam nunc ad memoriã solicita veneratione seruatur.

Paulinus Nolanus. 410.

Epistola 11. ad Seuerum: Inuenimus quod dignè & ad Basilicæ sanctificationem vobis, & ad sanctorum cinerum cumulandam benedictionem mitteremus partem particulæ de ligno diuinæ crucis, quod nobis bonũ benedicta Melania ab Hierusalem, munere sancti inde Episcopi Ioannis, attulit: Hoc specialiter sorori nostræ venerabili Basulæ misit conserua communis: Sed quod alteri vestrum datur, vtriusque vestrum est. Accipite ergo ab vnanimis fratribus magnum in modico munus, & in segmento penè atomo hastulæ breuis, sumite munimentum præsentis, & pignus æternæ salutis. Non angustetur fides vestra carnalibus oculis parua cernentibus: sed interna acie totam in hoc minimo vim crucis videat, dumvidere vos cogitatis lignũ illud, quo Dominus maiestatis affixus tremente mũdo pependerit: exultetis cùm tremore, recordemur & petras fissas ad huius aspectum crucis, & saltem saxorum æmulatione præcordia nostra findamus timore diuino, &c. Ita vt crucem Christi decuit, experimento resurrectionis inuenta & probata crux Christi est, dignoq; mox ambitu consecratur, condita in passionis loco basilica, quæ auratis coruſca laquearibus, & aureis diues altaribus, arcano positam sacrario crucem seruat: quam Episcopus vrbis eius, quotannis, cùm Pascha Domini agitur, adorandam populo, princeps ipse venerantium promit.

Leo Primus. 450.

Epistola 72. ad Iuuenalem Episcopum Hierosolymitanum

num cap.4. Particulam Dominicæ crucis cum Eulogijs dilectionis veſtræ veneranter accepi.

Gregorius Turonenſis. 580.

De gloria Martyrum lib.1. cap.5. Crux Dominica, quæ ab Helena Auguſta reperta eſt Hieroſolymis, ita quarta & ſexta feria adoratur, &c.

Cap.6. Specioſi autem, omniq; metallo nobiliores Dominicę crucis claui, qui beata membra tenuerunt, ab Helena regina poſt ipſius ſacræ crucis inuentionem reperti ſunt: & de duobus quidem frænum Imperatoris muniuit, quo facilius, ſi aduerſæ gentes reſtitiſſent Principi, hac virtute fugarentur, &c.

Cap.7. De lancea verò, arundine, ſpongia, corona ſpinea, columna, ad quã verberatus eſt Dominus & Redemptor Hieroſolymis: ad hanc verò columnam multi fide pleni accedentes, corrigias textiles faciũt, eamq; circumdant: quas rurſum pro benedictione recipiunt, diuerſis infirmitatibus profuturas. Ferunt etiam ipſas coronæ ſentes quaſi virides apparere: quę tamen ſi videantur aruiſſe folijs, quotidie tamen reuireſcere virtute diuina, &c.

Cap.8. De tunica verò beati corporis non conſuta deſuper contexta per totum, quę iuxta Dauidicum vaticinium ſub ſorte iacuerat, fides Euangelica pandit. Ait enim: *Partiti ſunt veſtimenta mea ſibi, & in veſtem meam miſerunt ſortes.* De hac verò immaculati Agni tunica, quæ à quibuſdam audiui, filere nequeo: Ferunt autem in ciuitate Galateę, in Baſilica, quę ad ſanctos Archangelos vocitatur, retineri. Eſt enim hęc ciuitas ab vrbe Conſtantinopolitana, quaſi millibus centum quinquaginta, in qua Baſilica eſt crypta abditiſſima, ibiq; in arca lignea hoc veſtimentum habetur incluſum, quæ arca à deuotis atque fidelibus cum ſumma diligentia adoratur, nõ immeritò digna, quę hoc veſtimentum retinet, quod Dominicum corpus vel contingere meruit, vel velare.

Gregorius Magnus. 590.

Lib.7. epiſt. 126. ad Richaredum Regem Viſigothorum: Crucem quoq; dedi latori præſentium vobis oferendam, in qua lignum Dominicę crucis ineſt, & capilli B. Ioannis Baptiſtę: ex qua ſemper ſolatiumnoſtri Saluatoris per interceſſionẽ Præcurſoris eius habeatis.

Fauſtus. 600.

In vita D. Mauri: Maurus ad lectulum pergit ægroti, ibiq; oratione pręmiſſa, ſalutiferum tetigit lignum, & de eo à ſcapula vſque ad vngulas manuum ex omni parte ſignum crucis faciẽs, dixit: Deus omnium conditor creaturarum, qui ad reſtaurationem humani generis vnicum Filiũ ſuum, operante Spiritu ſancto, ex Maria ſemper Virgine incarnari conſtituit, qui per hoc ſacroſanctum ac glorioſum viuificæ crucis lignũ, vulneribus & languoribus animarum noſtrarum, nos redimendo, ſubuenire dignatus eſt, ipſe te per virtutem vitalis ligni huius, ad priſtinam reducere dignetur ſanitatem. Hæc cùm beatus oraſſet Maurus, infirmus conualuit.

Beda. 700.

De ſex ætatibus Mundi, in Leone Tertio Papa: Papa Sergius in ſacrario beati Petri Apoſtoli capſam argenteam, quæ in angulo obſcuriſſimo diutiſſimè iacuerat, & in ea crucem diuerſis & pretioſis lapidibus adornatam Domino reuelante reperit: de qua tractis quatuor Petallis, quibus gemmæ incluſæ erant, mirę magnitudinis portionem ligni ſalutiferi Dominicæ crucis interius repoſitam inſpexit, quæ ex tempore illo, annis omnibus in Baſilica Saluatoris, quæ appellatur Conſtantiniana, die Exaltationis eius ab omni oſculatur & adoratur populo.

In vita S. Felicis: Vbi poſtquam oratũ eſt, redijt domum Epiſcopus, ſumptamq; de ligno Dominicæ crucis non grandem aſſulam, miſit in medium incendij furentis, ſtatimq; immenſa illa volumina flammarum, quæ tanta virorum manus aquas ſpargendo extinguere nequiuerat, ipſe lignum addendo reſtinxit. Tanta etenim ſanctæ crucis erat virtus, vt ſeſe natura relinqueret, & ignis, qui omnia ſolet ligna vorare, ipſe ligno Dominicæ paſſionis velut exuſtus abſumeretur.

Aemoinus. 825.

De geſtis Francorum lib.4. c.21. Coſdroës Princeps Perſarum cuncta per quæ tranſibat vaſtãdo, Hieroſolymam venit, atque inter cæteras Eccleſiaſticas, ſeu populares manubrias, partem ſalutiferæ crucis, quam ibi Helena mater Conſtantini quondam Auguſti reliquerat, abſportauit: traditoq; filio ſuo regno, ipſe in argentea turri (quam ad hos vſus parauerat) aureo reſidens ſolio, vexillum noſtræ redemptionis quaſi collegam regni è latere conſtituit. Quod vbi Heraclio nuntiatum eſt, cum valida militum manu Perſidem petens, obuiam habuit Coſdrois filiũ, cum maxima Perſarum phalange, quæ eum metu coacta tyranni, non voluntate ducta iuuãdi, proſequebatur, &c. Heraclius victoria potitus, Coſdroën in memorato reperit fano reſidentem, & iuxta eum Dominicam crucem: quem dum interrogaret: vtrum Chriſti fidem ſuſcipere, & ſalutare lignum (quod licet indignus honorificè tamẽ tractauerat iuxta ſuum modum) vellet adorare, illeq; reſponderet, nullatenus ſe id facturum, Heraclius eum interfecit, aſſumptaq; Saluatoris cruce Hieroſolymã, indeq; Conſtantinopolim remeauit.

Ionas Aurelianenſis. 860.

Præfatione in lib.2. de cultu imaginum: Si quantitas tanta venerabilis ligni, in quo Dominus & Saluator noſter pependit, foret, vt ex eo minutatim diuiſo, cuncta Deo dicata templa poſſent imaginem crucis habere, nullatenus ex alijs lignis, eiuſdem formam in baſilicis locaremus.

Regino Prumienſis. 910.

In Annal. de Anno 622. Sergius Papa in ſacrario B. Petri Apoſtoli magnam portionem ligni Dominicæ crucis reperit, quæ ex tempore illo ab omni populo in Baſilica Conſtantiniana die Exaltationis eius oſculatur, & adoratur.

Luitprandus Ticinenſis. 950.

Lib.4. cap.12. Burgundionum Rex Rodolphus lãceam Domini à Samſone Comite dono acceperat. Erat enim excepta cæterarum lancearum ſpecie, nouo quodammodo opere, nouaq; elaborata figura, habens iuxta limbum medium vtrobique feneſtras. Hæ pro pollicibus perpulchrè duæ acies vſque ad decliue medium lanceæ extenduntur. Hanc igitur Conſtantini Magni Sanctæ Helenæ filij viuificæ crucis inuentricis fuiſſe affirmant, quæ media in ſpina, quam limbum ſuperius memoraui, ex clauis manibus pedibusq; Domini & Redemptoris noſtri Ieſu Chriſti affixis cruces habet. Henricus itaque Rex, vt erat Domini timẽs, totiusq; religionis amator, audito Rodolphum tam inæſtimabile donum habere cæleſte, nuntijs directis tentauit, ſi præmijs aliquibus id poſſet acquirere, ſibiq; aduerſus viſibiles inuiſibilesq; hoſtes, arma inuictiſſima, triumphumqúe perpetuum præparare.

Tangmarus Presbyter. 1020.

Vitæ S. Bervvardi cap.7. Paruam Eccleſiam valde ſplendidam in honore viuificæ crucis extruxit,

cuius etiam aliquam partem, largiente Domino Tertio Othone Auguſto Imperatore, ibidem clariſſimis gemmis auroqúe puriſſimo incluſam cõdidit: vbi etiam diuina pietas plurima ſignorum miracula, per virtutem S. Crucis oſtendit. Et cùm venerabilis Pontifex Beruuardus thecam auro gẽmisq; lautiſſimã, in qua viuificũ lignum includeret, pararet, ac cũ tribus particulis ſancti ligni quartam, ſi fieri poſſet, excidere tentaret, vt per ſingulas abſides portiones conderet, nec gracilitas, & paruitas quacumque ex cauſa ſectionem admitteret, ecce ſubitò inter manus eius quarta particula eiuſdem ſacratiſſimi ligni, angelico, vt creditur, miniſterio delata, apparuit. Mox igitur lætus Præſul, lignum ſanctum per quatuor abſides parauit. O quanti inde potantes ardorem vehementiſſimæ febris ſæpius virtute ſanctæ crucis reſtinxerunt? Multoties quoque obortam aëris inæqualitate peſtilentiam, fideles hoc viuifico ligno, ſe ſuaqúe luſtrantes ſedauerunt: multaqúe virtute huius ſanctiſſimi triumphi fiunt quotidiana remedia.

Ado Treuirenſis. 1070.

In Martyrologio 3. Maij: Helena partem ligni ſalutaris detulit filio, quã Epiſcopus vrbis eius quotannis, cùm Paſcha Domini agitur, adorandam populo, princeps ipſe venerantium promit. Neque præter hanc diem, qua crucis ipſius myſterium celebratur, ipſa quaſi quoddam ſacræ ſolennitatis inſigne profertur, quod ſolum Epiſcopi beneficio obtineri ferunt. Quæ quidem crux, in materia inſenſata vim viuam tenens, ita ex illo tempore, innumeris pene quotidiè hominũ votis, lignum ſuum commodat, vt detrimentũ non ſentiat, & quaſi intacta permaneat. Niſi interdũ religioſiſſimi poſtulent, qui hac tantùm cauſa illò peregrinati aduenerint, vt ſibi eius reuelatio, quaſi in pretium longinquæ peregrinationis deferatur, quotidie diuidua ſumentibus, & ſemper tota venerantibus. Sed iſtam imputribilem virtutem, & indetribilem ſoliditatem, de illius profectò carnis ſanguine bibit, quæ paſſa mortem, nõ vidit corruptionem.

Florentius VVigornienſis. 1100.

In Chronicis de Anno 884. Marinus Papa Alfredo Angloſaxonum Regi dedit non paruam illius ſanctiſſimæ Crucis partem, in qua Dominus noſter Chriſtus Ieſus pro hominum ſalute pependit.

Leo Oſtienſis. 1100.

In Chronico Caſſinenſi lib.2. cap.11. Leo Monachus particulam crucis Dominicæ Hieroſolymis Caſſinum detulit.

Sigebertus Gemblacenſis. 1110.

In vita S. Theodardi: Eo tempore Heraclius Imperator Romanorum victis Perſis crucem Chriſti, quam Perſæ incenſa Hieruſalem abſportatam annos quindecim tenuerant, reuexit in Hieruſalem, & diem Exaltationis eius celebrari edixit.

Guilhelmus Tyrius. 1180.

Lib.9. cap.4. Per idem tempus inuenta eſt in parte ſanctæ reſurrectionis Eccleſiæ portio vna crucis Dominicę, quam ob metum gentilium, quorum iugum patiebantur fideles, ad ampliorem cautelam, multò ante, paucis admiſſis, occultauerant. Hanc ſtudio & opera cuiuſdam hominis Syri, qui eius tam pretioſi depoſiti fuerat conſcius, repertam, theca reconditã argentea, primùm ad Domini ſepulchrum, deinde ad templum Domini cum hymnis & canticis ſpiritualibus deportantes, perſequente eam vniuerſo clero & populo, conſolationé quaſi de cælo miſſam, omnes in commune acceperunt, arbitrantes ſe laborum & moleſtiarum ſuarum mercedem accepiſſe.

Helinandus. 1200.

Apud Vincentium, in Speculo hiſtoriali lib.24. cap.5. Carolus Imp. cùm eſſet Conſtantinopoli, petiuit de Reliquijs paſſionis Dominicæ. Inito autem conſilio, indictum eſt ieiunium triduanũ omnibus noſtris, & duodecim perſonis Græcis, quæ electæ ſunt ad hoc ſanctuarium diuidendum. Tertia die Carolus peccata ſua confeſſus Ebroino Archiepiſcopo: deinde vterq; clerus Pſalmos cum Litania inchoant. Cùm autem Daniel Neapolitanus Antiſtes aperuiſſet thecam, in qua erat ſpinea corona, tantus odor exijt inde, vt omnes putarent ſe in Paradiſo eſſe. Tunc Carolus proſtratus in pauimentum, plenus fide orauit Dominũ, vt propter gloriã nominis ſui miracula ſuę paſſionis & reſurrectionis renouaret. Et cùm oraſſet, ſtatim ros cælitus veniens lignum infudit, & inebriauit, & flores emittere fecit, tantaq; lux cum odore adfuit, vt omnes ſua veſtimenta cæleſtia eſſe putarent. Cùm Daniel aduncа forcipe robur ipſius ligni ſecare inciperet, tunc magis ac magis florere cœpit, &c. Data ſunt præterea Regi Carolo fruſtum crucis Dominicæ, & Domini ſudarium, & Camiſia B. Mariæ, & faſcia, qua puerum Ieſum in cunabulis cinxit, & brachium ſancti ſenis Simeonis. Quæ omnia recondit in ſacco de bubalino tergore facto, & ad collum ſuũ ſuſpendit ad inſtar peræ. Veniente autem eo Aquiſgranum, ſanati ſunt cæci innumeri &c. Deniq; indixit per totum orbem, vt Idibus Iunij venirent Aquiſgranum videre Reliquias, quas de Hieruſalem, & de Conſtantinopoli aduexerat, prius peccata ſua confitentes.

Iacobus Vitriacus. 1220.

In hiſtoria Orientali cap.19. Lancea Domini ſancta, qua latus eius in cruce fuerat perforatum, quæ paulò ante per reuelationem ſub tefra reperta fuerat, eos pro vexillo præcedebat. Noſtris ex vrbe egreſſis non in humana virtute, nec in pugnatorum multitudine, ſed tantùm in Domino confidentibus, ros de ſupernis infuſus conſolatione mirabili, ipſorum animos exhilarans, equos debiles ac macilentos, & iam ferè deficientes, ſubitò robore ſuſcepto, miraculosè confortauit.

Conradus Vrſpergenſis Abbas. 1225.

In Chronicis de Anno 1101. Denique cuiuſdam diei hora tertia, præcedente Regem ligno Dominicæ crucis, quod anno priore terra diutiſſimè abſcõditum, Syri quidam Godfrido Duci demonſtrauerant, &c.

Matthæus Pariſius. 1250.

De Anno 1098. Portabant ſecum partem ligni Dominicæ crucis, quam ciuis quidã Hieroſolymitanus, nomine Syrus, Principibus propalauerat, ab antiquis à ſe temporibus cuſtoditam.

De Anno 1217. Quidam ex hoſtibus, dum Eccleſiam B. Amphibali ſpoliarent, crucem quandam argenteam & deauratam, in qua portio quædam Dominicæ crucis continebatur, tollens in ſinu ſuo, ſocijs ignorantibus, abſcõdit. Sed antequam ab ædibus Oratorij receſſiſſet, à Dæmonio agitatus, in ſocios enſem vibrare diſpoſuit. At illi eius miſeriæ condolentes, ligatis manibus illius, cauſam penitus ignorantes, ad Eccleſiam de Flaſtude perduxerunt, in ſuprema furia conſtitutum. Vbi vidente presbytero, & multis alijs, crux prædicta cecidit in terram, de ſinu exiliens furioſi. Quam reuerenter ac ſtupens Presbyter arripiens, & à terra in editum eleuans, quid hoc eſſet à prædo-

nibus requisiuit. Tandem in se reuersi, cognouerunt, per virtutē animaduersionis diuinæ, quòd à monachis, quos in proxima villa spoliauerāt, crucem furtim sustulisset. Tūc prædones nequissimi crucem illam cum tremore presbytero tradiderunt, adiurantes per virtutem Dei, vt antequam cibum sumeret, crucem monachis restitueret.

De Anno 1244. Eodem anno Rex Francorum Ludoicus ex reliquijs corruptelæ, quam in Pictauia, cùm negotijs bellicis indulsisset, cōtraxerat, grauiter infirmatur: in ecstasin lethalem raptus, iacuit aliquot diebus, quasi mortuus, & assertione plurium circumsedentium penitus exanimatus. Mater ipsius astans, profundiora trahens suspiria, singultibus sermonem prorumpentibus ait: *Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam*; & salua hodie regnum Francię, quod hactenus honorificè semper sustinuisti. Et applicans crucem sanctam, & coronam, & lanceam Christi, suo tempore acquisitas, corpori Regis filij sui, & votum faciens pro eo, quòd si ipsum Christus dignaretur visitare, sanum reddere, & cōseruare, cruce signaretur, sepulchrum eius visitaturus in terra, quam proprio sanguine Christus consecrauit. Et cùm ipsa, & omnes alij præsentes, pro ipso corde syncero & perfecto orationem continuassent: ecce Rex, qui mortuus credebatur, suspirās, brachia & tibias sibi attraxit, & postea extendit, & voce precordiali, quasi ex sepulchro resuscitatus, ait: *Visitauit me* per Dei gratiam *Oriens ex alto*, & à mortuis reuocauit me. Et inde plenè cōualescens, crucis solenniter humero suo sumpsit signaculum, vouens se Deo in spontaneum holocaustum, & terram sanctam se visitaturum.

Gaufridus de Bello Loco. 1280.

Vitæ S. Ludoici Regis capit. 17. Parisijs in Palatio Regali sacellum elegantissimum extruxit, in quo sacrosanctam Domini Iesu coronam spineam, magnam sanctæ crucis portionem, ferrumqúe lanceæ, quod Saluatoris latus fodit, admodum reuerēter reposuit, cum multis alijs Reliquijs, quas à Constantinopolitano Imperatore immenso labore & magnis impendiis acceperat.

Cap. 18. Quàm reuerenter annis singulis in Parasceue ad adorandum sanctæ Crucis lignum, solutis capillis, flexis atq; etiam nudis genibus accesserit, testantur eorū oculi, qui tunc eum sine lachrymis conspicere non potuerunt.

Suffridus Misnensis. 1307.

In Chronicis de Anno 612. Cosdroës Rex Persarum omnia ferè regna terrarum suo imperio subiugaüit, Ierusalem veniens, à sepulchro Domini territus redijt: sed tamen partem crucis sanctæ, quā Helena ibi reliquerat, absportauit.

Guilhelmus Nangiacus. 1310.

De Gestis Ludoici Regis Francorum: Anno 1231. Regno Ludoici anno 4. sanctissimus clauus Domini, vnus de illis, ex quibus corpus Dominicum cruci affixum dicitur extitisse, qui à tempore Caroli Calui Regis Franciæ & Imperatoris Romani, in eadem S. Dionysij Ecclesia dono ipsius permanebat, cecidit de vase suo, dum daretur gentibus ad osculandū: & sic perditus fuit inter multitudinem osculantium 3. Kalend. Martij, sed primo die Aprilis sequentis, multis prodeuntibus miraculis, inuentus, ad prędictam Ecclesiam cum gaudio & magna exultatione in die S. Parasceues est allatus. Huius claui sanctissimi amissione dolor & compassio Regi Ludoico & matri eius Reginæ, ac multis accidit, &c.

Anno 1239. Ludoicus Rex per solennes & certos nuntios de partibus Constantinopolitanis fecit coronam sacratissimam, qua Christus Filius Dei pro nostris enormitatibus in passione sua coronari voluit, apportari.

Lupoldus Bebenburgius. 1340.

De veterum Germaniæ Principum Zelo cap. 12. Carolus Magnus super occupatione terræ sanctæ à Saracenis facta, legatis Patriarchæ Hierosolymitani, & Constantini Imp. Constantinopolitani receptis, eidem terrę sanctę compatiens, cū magno exercitu illuc peruenit: & cùm, recuperata eadē terra, per Constantinopolim rediret, aurum, argētum, gemmasq; pretiosas à prędicto Imperatore grataner sibi exhibitas recipere renuit, solasq; Dominicæ passionis & Sanctorum Reliquias postulauit. Præmisso itaque ieiunio & oratione, de corona Domini partem, quæ tunc ipso cernente floruit, & clauum vnum passionis, partemq; crucis Dominicæ, sudariū Domini, camisiam Beatæ Virginis, fasciam, quæ puerum Iesum in cunabulis texit, ac brachium sancti senis Simeonis recepit: quæ omnia multis miraculis comitantibus secum detulit, & Aquisgrani in Basilicam S. Mariæ, quam construxerat, recondi fecit.

Ranulphus Hygedenus. 1350.

In Chronicis lib. 5. cap. 26. Carolus magnam arcā, in qua erat pars coronæ spineæ, & clauus Domini, & pars crucis Christi, & sudarium eius, & camisia Mariæ, & brachium Simeonis Aquisgranū transtulit.

Lib. 6. cap. 3. Martinus Papa Regi Aluredo magnam partem sanctæ crucis misit.

M. Antonius Sabellicus. 1480.

Ennead. 7. lib. 8. Partem crucis, quam secum Helena ex Hierosolymis attulit, in Sessorianam ædē reposuit, quæ crucis nuncupata est.

Baptista Mantuanus. 1500.

Lib. 5. Fastorum de Inuentione S Crucis:

Id Regina videns opus admirabile, lignum
In geminas secuit partes, vnamq; reliquit
Argento inclusam Solymis, promunere grandi
Detulit ad natum clauis cum quatuor vnam,
Et triplicem titulum, nostris quem repperit annis
Fortè faber reparans eius laquearia templi,
Quod Rex ipse cruci Roma construxerat olim.

ARTICVLVS DVODECIMVS.

CHRISTI CRVCIS SIGNVM SÆPISSIME NVNC IN AERE, NVNC IN VESTIBVS, ALIAS ALIO MODO VISVM, MIRACVLOSE APPARVISSE, ET CERTI ALIQVID PORTENDISSE.

Anno Christi 320.

LImperatori Cōstantino precāti, visio quędam diuina, & in primis admirabilis apparuit: quā si quis fortè alius dixisset, non tam facilè hominibus potuisset psuaderi. Verùm cùm Imperator ipse Victor nobis ipsis longo tempore pòst narraret, & sermonem iureiurando confirmaret, cui dubiū esse poterit, quin sit rei ita commemoratæ fides omninò adhibenda? Cùm iam sol ad medium cælum ascendisset, die in pomeridianum tempus paululū inclinante, dixit se crucis signum, ex lucis splendore figuratum, in ipso cælo, soli imminens manifestò oculis aspexisse, inq; eo inscriptionem consignatā, quæ hæc verba complectebatur: *In hoc vinces.* Admiratio ingens ipsum, & totum exercitum, qui eum quopiam iter facientem comitabatur, atque adeò huius prodigij spectator factus erat, incessit. Se dubitatione admodum intra se distrahi, quid tandem illud ostentum sibi vellet, asseruit: atque eum diu multumq; de eo cogitantem, oppressit nox. Ibi ei dormienti Christum Dei cum signo in cælo monstrato visum esse, præcepisseqúe vt exemplari ad imitationem illius signi, quod in cęlo apparuerat, fabricato, eo tanquam præsidio in prælijs cum hostibus committendis vteretur. *Eusebius Cæsareensis vitæ Constantini lib. 1. capite 22. & 23.*

Anno Christi 350.

Imperatore Constantio signum crucis Hierosolymis in cælo apparuit, de quo sic referunt:

Cyrillus Hierosolymitanus Epist. ad Constantium Augustum de signo crucis Hierosolymis in cælo apparente: Tempore Deo dilectissimi ac beatæ memoriæ Constantini patris tui salutare crucis lignum Hierosolymis repertum est: diuina gratia concedente ei qui rectè quærebat pietatem, etiam abstrusam locorum sanctorum inuentionem. Tempore verò tuo, Domine omnium pientissime Imperator, qui tua erga Deum pietate maiori parentes tuos superasti, non iam amplius de terra, sed de cælis sunt prodigia: quoniam Domini & Saluatoris nostri Iesu Christi Vnigeniti Filij Dei, mortis deuictæ trophæum, beata inquam crux, splendoribus luminis coruscans Hierosolymis apparuit. Sanctis enim hisce diebus sanctæ Pentecostes, circiter horam tertiam, omnium maxima crux ex lumine constituta in cælo, super sanctissimum montem Golgotham, & vsq; ad sanctum montē Oliuarum extensa, apparuit: non vni, aut alteri tantùm visa: sed vniuersæ ciuitatis multitudini manifestissimè ostensa: neque, vt aliquis fortè putauerit, celeriter secundùm phantasiam percurrens: sed compluribus horis supra terram apertè conspecta, coruscis splendoribus radios superans solares. Nam si ab illis superaretur, verè obfuscaretur, & lateret. Adeò excellētiores quàm sol emittebat fulgores, vt illicò vniuersa ciuitatis multitudo ad sanctam Ecclesiam concurreret, (metu illius diuini prodigij non sine lætitia concitata) iuuenum simul & senum, virorum & mulierum, & omnis ætatis, ad ipsas vsque in thalamis per domos recumbentes puellas. Vicinorum hospitum Christianorum, & aliunde aduenientium Ethnicorum ingens erat spectaculum, qui tum cōcordi, & vno ore omnes Iesum Christum Dominum nostrum, Filiū Dei vnigenitum, eiusmodi mirabilium effectorem laudabant: reipsa & experientia discentes, quòd Christianorum pientissimum dogma non est in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus & virtutis: non ab hominibus tantùm annuntiatum, sed de cælis diuinitus testificatum. Cùm igitur nos incolę Hierosolymitani paradoxum hoc prodigium hisce oculis percepissemus, Deo quidem omnium Regi, & Filio Dei Vnigenito, (ita vt æquum est) gratias cum adoratione egimus, & preces pro tua Deo dilecta potentia, in his locis sanctis effudimus. Operæpretium autem putaui, cælestes hasce & diuinas ostensiones silentio non præterire: quin potius bonum nuntium tibi, diuinamqúe ex his benignitatem per has litteras studui adferre, vt in bono fundamēto antea partæ fidei, ex his, quæ subitò diuinitusq; demonstrata sunt, ampliorem extruens notitiam, firmiorē in Dominum nostrum Iesum Christum spem assumas: atque confidens, & omni fortitudine repletus, tanquam is, qui desuper Deum habet socium, crucis trophæum efferas honorificentissimè, gloriationum signum producens, quod in cęlo ostensum est: cuius effigiem cùm ostēderet hominibus, etiam cælum multum gloriabatur & lętabatur. Atque hoc quidem prodigium, Imperator Deo dilectissime, Prophetarum testimonijs, ac verbis Christi quæ sunt in Euangelijs, prædictum, & nunc iam peractum est, & deinceps amplius perficietur. Nam in Euangelio secundùm Matthæum, cùm Saluator rerum futurarum cognitionem Beatis Apostolis suis traderet, & per illos alijs, qui cū eo versabātur, apertissimè prædixit: *Et tunc*, inquit, *apparebit signū Filij hominis in cælo.*

Gregorius Nazianzenus Oratione 4. quæ est inuectiua secunda in Iulianum: Quòd autem hoc etiam mirabilius clariusq; fuit, lux in cælo stetit, crucem in orbem describens, ac nomen illud & figura, quæ in terra prius impijs contemptui fuerat, in cælo nunc omnibus ex æquo ostenditur, Deoq; victoriæ aduersus impios obtentæ trophęum efficitur, trophæo omni sublimius ac præstantius.

Sozomenus lib.4.cap.4. Eodem tempore, Cyrillo post Maximum Ecclesiam Hierosolymitanã administrante, signũ crucis in cælo visum est: quod clarè admodum resplenduit, non vt Cometes solet, diffusis radijs, sed luce multa in vnum conferta, valde denso iubare & perlucido emicuit. Tantum pertinebat in longitudinem, quantum est interualli inter Caluariæ locum & montem Oliuarum. Quindecim autẽ stadia supra locum in cælo suspensum hæsit. Latitudo verò lõgitudini proportione respondet. Quo quidem, velut insigni miraculo, omnes obstupuerunt: ita vt singuli ædibus, foro, & opere, quod quisque fortè habebat in manibus, relicto, pariter cum liberis & vxoribus in Ecclesiam conuenerint, & vno ore Christum laudibus celebrarint, & Deum lætis animis confessi sint. Quæ res ad nostram regionem quoque perlata, non mediocriter omnes obstupefecit. Nam quamquam visio ipsa non admodum diu continuata est, tamen, quia ex omnibus (prope dixerim) terræ oris, vti fieri solet, homines vel precandi, vel loca illa visendi causa Hierosolymam aduenissent, res, quas id temporis aspexissent, suis indicârunt. Erat etiam Imperator de hoc visu certior factus, cùm per alios complures nuntios, tum per litteras Cyrilli. Dicebatur autem à viris rerum eius generis peritis, hanc visionem diuina quadam prophetia in sacris litteris quoque præsignificatam fuisse. Quod quidem certè cùm ita accidisset, multos cùm Gentiles, tũ Iudæos ad fidem Christianam deduxit.

Socrates Ecclesiasticæ historiæ lib.2.cap.24. Vbi Antiochiam aduentauerat Imp. signum Seruatoris in Oriente apparuit. Nam columna crucis effigiem exprimens in cælo visa, maximam intuẽtibus excitauit admirationem.

Anno Christi 360.

Iulianus, vbi in eius regionis montes peruenit, cùm post vindemiam Vergiliæ occiderent, vites gemmis & vuis recentibus germinârunt, & ros ex aëre in ipsum comitesq; eius ita diffusus est, vt gutta quælibet in sagis illorum crucis formam repræsentaret. *Nicephorus Callistus lib.10.cap.2.*

Anno Christi 440.

Dum loca Sanctorum ex more circuiret, tandem peruenit ad tumulum S. Cassiani Pontificis, in quo ita diuina virtus apparuit, vt in pario lapide contrarius color crucem exprimeret, & salutare signum varietas distincta monstraret. *Constantius Presbyter vitæ S.Germani lib.2.cap.7.*

Anno Christi 450.

Sanè nostris temporibus apud Persas persecutionem factam nouimus, imperante Arcadio religioso & Christiano Principe: qui ne traderet ad se confugientes Armenios, bellum cum Persis confecit. Eo signo, ante quàm potitus victoria iã coëuntibus prælium militibus, aëriæ cruces in vestibus paruêre. Vnde etiam victor auream monetam cum eodem signo crucis fieri præcepit, quę in vsu totius orbis, & maximè Asiæ, hodieq; persistit. *Prosper de promissionibus & prædictionibus Dei parte 3. cap.34.*

Anno Christi 650.

Cùm quodam tempore parochiam suam prædicando perlustraret, curru vectus, muli, qui currum trahebant, subitò subsistêre. Cumq; auriga flagello eos vrgeret ad procedendum, nullo modo eos inde potuit amouere. Sentiens vir Dei non sine nutu diuino animalia manere immota, confestim sursum erectis luminibus vidit crucis vexillum, multo splendore latè circumfusum. *Fridegodus vitæ S. Audoëni cap.18.*

Anno Christi 742.

Constantino Copronymo Iconomacho Imperatore in singulorum vestibus salutaris crucis signum, cæruleo colore, velut à manu aliqua pulcherrimè pingente, vel Dei potius digito & superna manu expressum cernebatur. *Theodorus Studites Oratione funebri in S.Platonem cap.5.*

Anno Christi 747.

Quòd verò vehementius mortalium mentes curasq; solicitauit, in hominũ vestibus & sacris Ecclesiarum indumentis, velisq; cruciculæ plurimæ animaduersæ sunt, quasi liuida olei macula quadam infectæ, quæ asperius aliquid etiam, quàm id quod in manibus erat portendere à solicitis futurorum mentibus putabantur. *Carolus Sigonius de Regno Italiæ lib.3.*

Anno Christi 774.

Rubicundi coloris signum (in crucis modum) in cælo apparuit post solis occasum. *Floretius VVigornienſis in Chronicis de hoc anno.*

Anno Christi 786.

Multa prodigia sunt visa: signum enim crucis in vestimentis hominum apparuit, & sanguis è cælo terraq; profluxit. *Lambertus Schaffnaburgenſis in Chronicis de hoc anno: Auentinus Annalium libro tertio.*

Anno Christi 790.

Apparuit signum crucis in vestimentis hominum, quod dictu & auditu admirabile fuit. Illud enim factum credimus, ad præmonitionem gentium regionis, vt plagam Dæmonũ, quæ proximè secuta est, possent euitare. *Matthæus VVestmonasterienſis in Chronicis de hoc anno.*

Anno Christi 820.

Soluto Hungo Pictorum Regi intempesta nocte in soporem, extemplò astans Apostolus Andreas, iussit alacriori esset animo, nec hostiũ multitudine terreretur, plurimamq; spem in diuina locaret ope: fore, vt gloriosam de Anglis posteræ die assequeretur victoriam. Mirum scribunt tunc accidisse supra Pictorum castra, lucidam cælo apparuisse crucem, illius instar, qua Apostolus Andreas pro Christi nomine supplicio olim erat affectus: hancq; Apostolum ipsi Hungo ostendisse, addidisseq;, id ostentum ante partam victoriam haud cælo defuturum. Experrectus Rex, milites iam tum lucentem crucem intempesta nocte admirantes, edocet: quam fortunam D. Andreas sibi suoq; exercitui fuisset pollicitus: per quietem hortatus, prima luce alacres hostes pugna adorirẽtur, numine sibi propitio, & aduerso hostibus: eoq; eorum multitudinem minimè timendam. Sequuta regis verba grata omnium vociferatio, quam hostes audientes, lucidam simul conspicati crucem, quippiam mali portento tali sibi præsagientes, ingenti pauore sunt perculsi. Picti Scotiq; tanta vi in Anglos sunt inuecti, vt illi, cùm impetum non possent sustinere, primùm Northumbri, mox tota acies impulsa, terga dederit, & vix quingenti viri euaserint. *Hector Boethius historiæ Scotorum lib.10.*

Anno Christi 940.

Peracta cæde Barbarorum, prodigiosæ res apparuêre, notæ scilicet crucis in vestimentis plurimorum: quibus visis, plurimi salubri timore perculsi, aduersa formidabant: ijdemq; vitia multa ex parte emendauerunt. *VVitichindus Corbeienſis lib.3.Annalium.*

Anno Christi 1157.

Hadriano IIII. Pontifice crucis figura in luna publicè visa est. *Matthæus Palmerius in Chronicis de hoc anno.*

Anno Christi 1160.

In Exaltatione S. Crucis, sæpe in ecstasi facta, vidi glorioſum illud signum crucis, nimij fulgoris, non tantùm in illa secreta regione lucis: sed & foris in inferiori quadam luce palam ostensum est mihi. *Elisabeth Schonaugienſis lib.2.visionum capite 1.*

Anno Christi 1217.

In villa de Bebon Frisiæ, apparuit in aëre triplex forma crucis: vna coloris candidi, versus Aquilonem; altera versus Meridiem, eiusdẽ schematis & coloris; tertia medio colore colorata, habens crucis patibulum, & formam hominis in eo suspensi, brachijs eleuatis & extensis, cum infixione clauorum, in manibus & pedibus, & capite inclinato. Et hæc media fuit inter alias, in quibus corporis humani effigies nõ apparebat. Alia quoque vice, & alio loco, in villa scilicet Frisiæ, quæ Fuserhuse appellatur, crux apparuit iuxta solem crocærulei coloris, & hanc plures quàm priorem viderunt. Tertia apparuit in villa Doctham, in qua B. Bonifacius martyrio coronatus est: vbi in Festo eiusdem Martyris, cùm multa hominum millia conueniſſent, visa est crux magna, & alba, ac si lignum trabis ex transuerso alterius trabis artificialiter construeretur. Mouebatur autẽ paulatim ab Aquilone ad Orientem, & hanc plurimi homines conspexerunt. *Matthæus Parisius in Chronicis de hoc anno.*

Anno Christi 1218.

In Leden Pago Colonienſis agri, tres in cælo cruces apparuêre, quarũ quæ media erat, Christi crucifixi imaginem expressam habebat. *Baptista Fulgosius lib.1. cap.4.*

Anno Christi 1230.

Prædicante Magistro Oliuero in partibus Germaniæ, apparuit omnibus manifestè Christus in aëre. *Matthæus Parisius in Chronicis de hoc anno.*

Anno Christi 1246.

Discoloratas cruces, & ex omnibus mundi partibus, quædam sanctissima Recluſa (vt ipsa mihi retulit) in Brabantiæ partibus vidit, cùm secunda expeditio, ad purgandam Albigensium terram, per Legatos Curiæ Romanę missa fuit: Sed & crux à multis populis, cùm in diuersis partibus prædicaretur, visa fuit manifestè. Nec non & ego, fidelium nouissimus, antequam pissimus Ludoicus Francorum Rex, anno ab Incarnatione Domini 1246. crucem transmarinam susciperet, crucem in cælo ex clarissimo & sydereo lumine vidi; nec recolo, me decentius & operosius formatã crucẽ vnquam sub aliqua materia vel figura vidisse. Octenos habere cubitos crucem ipsam in longitudine mihi planissimè visum est. *Thomas Cantipratenſis lib.2.miraculorum cap.9.*

Anno Christi 1248.

Crux prædicabatur in Diœcesis Coloniẽsis pago, quem vulgo Bedonfrisium vocant. Ibi tum mense Maio feria 6. ante Pentecosten, tres cruces visebantur in aëre, vna candida, versus Aquilonem, altera eiusdem coloris, ad Austrum; tertia colore medio, in qua cernebatur suspensi hominis effigies extensis brachijs, & capite inclinato, atque in manus & pedes eius adacti clani. Eaque mediũ tenebat inter alias locum, in quibus nulla cernebatur hominis figura. Alio tempore in Enchusen Phrisiæ oppido, cùm illic prædicaretur crux, alia crucis forma iuxta solẽ apparuit colore cæruleo, quam multi viderunt. *Gaufridus de Bello loco, in vita S. Ludoici Francorum Regis, cap.7.*

Anno Christi 1480.

Eo die, quo Rhodus oppugnabatur, signũ crucis in cælo apparuit, quo fruſtra Turci turrim in Rhodo globeo saxo concusserunt, cùm mors Mahometi intellecta est. *Ioannes Cuspinianus de Cæsaribus & Imperatoribus, in Mahomete II.*

Anno Christi 1501.

Miranda sanè, horrenda, & inaudita ostendit Deus hominibus. Siquidem, vt scribit Regi Romanorum Maximiliano Leodienſis Episcopus, à festis Paschalibus, singulis diebus in vno vel alio loco Diœcesis Leodienſis, apparuit publicè & inopinatè, aliquando in Ecclesijs, aliquando in plateis, aliquando in domibus, & in ipsis etiam cubiculis, signum Dominicæ crucis perfectum; & fuit frequenter nigrum, aut rubicundum, ita etiam, vt in aliquibus putaretur esse verus sanguis, cum medulla & sanie effusus: & fuerunt plerunque cruces simplices, aliquando tamen duplices, in forma sepulchri Dominici. *Ioannes Nauclerus Generatione vltima propè finem.*

Eadem refert Ioannes Franciscus Picus Mirandulæ Comes, de mysterijs Dominicæ crucis nuper in Germania delapsis ad Maximilianum Cæsarem:

Hîc demissa recens populi mysteria mirum
Attoniti inspectant homines, & inania passim
Inscribunt puro delapsa insignia cælo
Sanguinolenta crucis: clari memoranda triumphi
Effigies latè spectatur, spongia, flagra,
Visuntur, tunica inconsutilis, intima, claui
Cernuntur multi madefacti sanguine, telum
Quod sacram sæuo discreuerat impete costam
Pingitur, &c.
Non ignota cano, Cæsar monstrauit, & ipsi
Vidimus, innumeros prompsit Germania testes.

Anno Christi 1510.

Ad solem Occidentem, qua Regis Abassinorum imperium est, purpureæ crucis in cælo signum præfulgens aliquandiu apparuit; quo viso Lusitani omnes venerabundi procubuêre, & Albuquercius sublatis ad eam manibus, clara voce profusus in preces: O crux, inquit, nostræ redemptionis argumentum. O signum Christianæ victoriæ. *Ioannes Petrus Maffæus libro 5. histor. Indicarum.*

Anno Christi 1559.

Decimotertio Kalend. April. annosa quædam fraxinus, in ea regione insulæ, quã veteres Cambiam, nos hodie VValliam appellamus, violento ventorum impetu ita est deiecta, vt truncus arboris, licet media parte sui totus vi tempestatis diffissus & dissectus, radicibus tamen suis adhuc inhærescens, ad septem vsque pedes è terra extaret: ecce verò cùm ita arbor vasto hiatu distenderetur, in parte arboris interiore crux humano pede longior apparuit; & quod magis mirêre, eius pars, quæ humi strata est, eandem per omnia crucis figuram referebat. Vt autem res hæc omnibus penè nostratibus innotesceret, inde factum est, quod cùm Crux illa non subitò euanuerit, sed aliquot annos, in eodem arboris trunco, non sine ingenti intuentium stupore, permanserit, magnus foret ac frequens populi, tam raræ & celebris rei visendæ gratia ad eum locum concursus. Qui verò commodè se non potuerunt eò recipere, ij ab alijs impetrarũt, vt eius crucis vera ex omni parte forma, pictoris penicillo expressa, ipsis exhibe-

retur, cum his carminibus:

Hanc crucis effigiem, pie lector, fraxinus ipso
Quem legis hic anno mense die{que} dedit.
Arbor apud VVallos Stradlingi creuit in aruis:
Hic torquatus Eques (si modò quæris) erat.
Tempestas oritur, fortis constringitur arbor,
Exhibet hanc mollis, deinde medulla crucem.
Formam charta docet, nux auellana colorem,
Mensura, expressit quam tibi pictor, erat. &c.

Anno eodem circa Pentecosten in Cantia mulier quædam non ignobilis, subuculam sibi induitura, effigiem quandam crucis in ea videt expressam, quam cùm suspicaretur vel fortuitò aliquo coloris tinctu inductam, vel de industria filo intextam, cœpit eam diligentius intueri, ac tandem re diu multumque considerata, comperit nõ ab humano aliquo artificio, sed à cælesti potius influxu promanasse. Atque hoc quidem, non pro fabula vulgi ex triuio arrepta, sed pro vera rei gestæ historia, ab hominibus cùm honestissimi loci, & ordinis, tum maximæ fidei, qui propè domum illius fœminæ habitârunt, relatum esse scio. *Alanus Copus Dialogo 4.*

Anno Christi 1560.

In India media regione aëris, species crucis, aliaque prodigia valde conspicua apparuerunt. *Gaspar Vilela in Epistolis Indianis.*

Anno Christi 1566.

In Italia tres Cometæ insignes apparuerunt, post secuta est cęli siccitas ingens: hanc magna Romæ inundatio: in vrbe Incidiosa, & in vniuersa regione Trapezuntiæ, quæ vrbs est metropolis Cappadociæ, dicuntur visi fuisse tres soles ab hora tertia diei cælo sudo ac purissimo: supra hos soles candidus arcus perdurauit per longum spatium temporis. Ex illis solibus vnus secessit ad Oriętem, alius ad Occasum, tertius ordinarius processit ad Occasum de more, seq; demersit ad mare Athlăticum. Post biduũ hora quarta noctis crux insignis splendoris in cælo apparuit, & quædam stella inusitati luminis, & luna: quæ omnia pari splendore ad diem vsque perdurârunt. *Natalis Comes vniuersæ historiæ lib. 16.*

Anno Christi 1569.

Noslumbergæ, quod est oppidum non procul à Cassouio, lux clara visa est per noctem, tãquam meridies illuceret, hanc maxima obscuritas consecuta est, magnoperè formidabilis, cùm prior lux in duas igneas columnas cõuersa fuisset: postea magnæ secutæ sunt tenebræ, atq; Occasum versus columnæ igneæ recesserunt. Postmodum per mediam noctem cælum apertum est, in cuius hiatu crux apparuit, quæ aliquantulum perdurauit. *Natalis Comes lib. 20. Histor.*

Anno Christi 1571.

Byzantij cruces visæ sunt, (*eo tempore, quo Christiani, duce Ioãne Austriaco, tam insigni victoria potiebantur,*) per quas significabatur solum Deum Christianorum esse verum Deum Exercituum, Deum regnorum, Deum fortitudinis, excelsam suam sedem super omnes creditos Deos collocasse. *Natalis Comes lib. 23. Histor.*

Anno Christi 1591.

Nono Kalend. Maij, hoc est, die 23. Aprilis, inter horam 21. & 22. in Anglia Comitatu Nordfolciæ circulus magnus in cælo apparuit cum alijs duobus minoribus, & tres soles, quorum medius lucidior & splendidior erat, alij duo obtusioris lucis, sed talis, quæ possit mediæ noctis tenebras illuminare. Solem medium circulus minor versus Occidentem ambiebat, maiorem secans. Maior alium circulum continebat, in cuius medio crux similis illi apparebat, in qua S. Andreas Apostolus fixus, mortem pro Christo subijt, hinc Septentrionem, illinc Meridiem prospectãs. Ex aduerso solis medij oppositæ circuli maioris portione, Orientem versus, crux alia S. Andreæ ingentior priori se ostendebat, brachia duodecim, vt videbatur, longa, medium circulum veluti diuidens. Circulus maior hemisphęrium cingebat, latitudine qua solet apparere arcus cæleſtis. Duo alij circuli, & duæ cruces S. Andreæ albi erant, in pallorem quendam desinentes. Hæc signa diuinitùs in cælo ostensa, clarè visa ab eis, qui Norduici, vrbe Comitatus Nordfolciæ, vel finitimis locis adfuerunt. Quidam tamen intentiùs contemplantes, tres soles, & circulum maiorem, crucem mediam non aduerterunt, nec circulum minorem: sed à plurimis tamen conspecta, & considerata fuêre, qui multis ad Londinẽses litteris scriptis hæc eadem testati sunt. Et ex epistolis multorum Londino datis 23. Iunij, Romæ receptis 10. Augusti, series & ordo rei gestæ, & narratio nuntiata. Quam mihi Iosephus Cresquilus, Presbyter Societatis Iesu Londinensis, Collegio Anglicano in Vrbe Præfectus, vir magni candoris & probitatis, humanissimè cum exacta figura eorum, quæ Norduici in cælo visa sunt, donauit.

Anno eodem die 25. & 28. Maij, in diuersis Galliæ locis, multæ paruæ cruces cælitus illapsæ apparuerunt, eæque non solùm in templis conspectæ in ornamentis altarium, & Sacerdotum vestibus; sed in priuatorum etiam consuetis, quibus amiciebantur, indumentis. Priores visæ sunt Corbeiæ vrbe Galliæ ita appellatæ: posteriores in multis Piccardiæ vrbibus, veluti Ambianis & Montdidier. Simile spectaculum oblatum in sacris corporalibus & mappis altarium, superpellicijs sacerdotum, & vestibus multorum ciuium. Eadem crucis simulachra post Vigiliam Paschæ die 14. Aprilis ostensa fuêre Parisijs, in plerisque templis, & alijs multis locis, super corporalia, & multas alias mappas, Ecclesiasticorum & laicorum vestes. Vt nemo autem hæsitare de hoc miraculo posset, & naturæ vires excedere hoc ostẽtum omnes clarè cognoscerent, denuò Burgis nouæ cruces exortæ, quæ priorum fidem confirmarent, sicut ex Doctoribus illius Academiæ constitit. Coloris autem fuerunt ligni alicuius vulgaris. Est verò Burges, quæ Latinè appellatur Bituris.

Vicesimo tertio Maij, die Ascensionis Domini in templo S. Ambrosij, vbi quadraginta horarum continuæ precesà populo Parisiensi tunc effundebantur ad Altissimum, pro illius Regni calamitatibus auertendis, & seditionibus ac dissidijs religionis diuina ope componendis: apparuit crux super podere sacerdotali, camisiam Itali, alicam Hispani vocant. Die sequenti 24. Maij in Ecclesia S. Mariæ, quæ est Collegij Iesuitarum, magno numero cruces comparuerunt super linteamina altarium & mantilia, quæ supponuntur sacrę communioni percipiendæ, & superpellicium Concionatoris. Quæ res cùm diuulgaretur, totus populus conserto agmine vndique confluxit, vt cruces spectaret. Cùm autem turba per duas horas magna contentione concurreret, ecce nouus rumor ad eorũ aures peruenit, similes alias cruces multis in alijs templis denuò comparuisse: in ædibus, inquam, sacris Deiparæ Virginis à Furscio, S. Vrsini, S. Petri, S. Hippolyti, S. Ostrilli, & sacratis pluribus alijs locis. Deserta igitur Ecclesia Iesuitarum, ad alias festini conuolant ciues, sese præ multitudine conculcantes, & prementes, maiori contentione quàm prius: præsertim ad illam Dei-

Deiparæ Virginis à Furscio. *Alphonsus Ciacon Tractatu de signo Crucis.*

Anno Christi 1592.

Decimoquinto Martij post solis occasum, cælo sereno, in Comitatu Spanheimensi prope Crucenacum signum Crucifixi in cælo visum est, cuius pars longior transuersa erat, brachium autem ad terram propendebat, vsque dum luna contegeretur, cum qua & ipsa crux disparuit. *Iacobus Francus in Historia quinquennali de anno 92. fol. 158.*

Anno eodem 28. Decembris, ipsa die Innocentum intra septimam & octauam horam Falckemburgi in Silesia in cælo fumum viderunt, ac si bombarda esset displosa: sequebantur radij sanguinolenti, item stellæ, tanquam magna & rotunda tabula, tenui filo cælo dependens; ad vnum latus septem, ad alterum totidem minores stellæ visebantur. Maior stella velut dies splẽduit: postea nubes apparuit, in qua sanguinea crucifixi imago constitit. His tribus aut quatuor continuis horis visis, aër vniuersus nigredine obductus est: secutus est ventus ingens, adeò vt quilibet timeret, ne omnia dissiparentur. Huiusmodi ostentum Dominus de Herberstein, ex Silesia ad suos reuersus, D. de Vngenaden narrauit, & seipsum vnà cum plus quàm quadringentis hominibus vidisse testatus est. *Iacobus Francus ibidem fol. 292.*

Anno Christi 1594.

Primo Ianuarij cũ Turcicus Imperator exercitũ lustraturus, Constantinopoli egrederetur, ex improuiso summa tẽpestas orta est, quę & equos, & sessores dissiparet: Illo ipso tempore, natiui coloris crux in cuiuslibet Turcæ vestem cecidit: quę res Turcicum Imperatorem ita commouit, vt statim cum exercitu Constantinopolim reuersus, in morbum inciderit. *Iacobus Francus ibidem fol. 438.*

Anno Christi 1597.

Decimosexto Iunij Stralesundæ in quibusdam hortis ante Francorum portam, arbores, herbæ, frondes, & gramina sanguine respersa sunt: vti & quibusdam locis, quæ gramine tecta non erant, terram sanguine rubuisse compertum est. Ex quo spectaculo nihil aliud colligi potuit, quàm ea nocte sanguinem pluisse. Nam & piscatores in fluminibus & stagnis, similem sanguinem in suis scaphis inuenerunt. Præterea in lineo quodam panno, ea nocte in horto, vt candesceret, expositio, multæ sanguinis guttæ visæ sunt: quas cùm mulier eluere vellet, guttæ in cruces mutatæ sunt, quæ quo magis lotæ, eò manifestiores sunt factæ. Hæc à tota ciuium multitudine conspecta, pannus hic Senatui & concionatoribus visus, cruces attrectatæ & probatæ sunt. *P. A Iansonius, in Mundo furioso.*

FINIS LIBRI SECVNDI.

LIBER

LIBER TERTIVS: DE DEIPARA VIRGINE MARIA.

ARTICVLVS PRIMVS.

CHRISTI MATREM MARIAM OMNI PECCATO CARVISSE, AC ALIIS HOMINIBVS SANCTIOREM FVISSE.

NEGANT.

Anno post Christũ natum.

1520. MARTINVS Lutherus in Euangelium Dominicæ primæ ab Epiphania: *En Maria Deipara eousque errauit, vt nesciret, vbi Christus quærendus esset,* &c. *Quid potuit cogitare Maria, nisi sua culpa amissum Filium Dei, & Deo Patri visam indignam, cui Filium suũ commissum denuò relinqueret? Melius fuisset non factam fuisse matrem, quàm rapi ab eo ex improuiso,* &c. *Et quis inter homines maior peccator (vt conscientia tenerrima) quàm hæc ipsa mater Dei?*

Sermone de Natiuitate Mariæ: *Sumus pares Matri Dei, & æquè sancti sicut illa; nisi quod non possumus esse Dei matres, sicut illa fuit.*

1530. Philippus Melanchthon ad caput 2. Ioannis: *Christus matrem reijcit, vt æquet eam aliis hominibus, cùm inquit:* Quid mihi tecum est mulier? *q.d. quia mater es, ideò videris alicuius prærogatiuæ merito à me impetratura: ideo scias te, non plus esse apud me, quàm vel mulier peccatrix, vel Syrophœnissa.*

1530. Ioannes Oecolampadius ad caput 2. Ioannis: *Quid mater volebat? Nonne hoc vrget, vt videant cæteri Filium suum longè præstantiorem? Non potuit ignorare, quem genuit Filium. Quasi diceret Christus: Tu fortasse hoc velles, vt prodirem: (vt etiam infra ab amicis audit, vt ascendat in Hierusalem, & palam se monstret:) Vbi Maria non eum honorem quærit, qui debetur parentibus, sed etiam ambit honorem Messiæ, & cupit esse quasi socia, administrandi eius officij, quod Christo diuinitus mandatum erat. Ibi Christus durissimè eam alloquitur, vt contineat ipsam intra terminos suæ vocationis.*

1540. *Iacobus Scenckius,* ad Euangelium de Christi Conceptione, *asserit Mariam non solùm corruptam & vitiatam naturam habuisse, sed etiam in suis cogitationibus, verbis, vita, conuersatione, damnabilem personam mansisse, mortis & inferni terroribus obnoxiam, Deiq; iram, & damnationem æternam in animo sentientem, vt propterea verbis Angeli fulcienda fuerit, & confirmanda, ne in suis angoribus miseræ desperaret.*

1545. Ioannes Brentius Hom. 78. in Lucam: *Non possumus de Matre & cognatis Iesu hoc loco aliud sentire, quàm quòd importuna sua euocatione leges publicæ honestatis violauerint. Deinde etsi candidus quispiam auditor posset hoc loco factum Matris & cognatorum Iesu interpretari, quòd euocauerint Iesum magis rudi quadam simplicitate, quàm malitia: multa tamen argumenta indicant, & Ecclesiastici quidam magni nominis Scriptores testificantur, matrem & cognatos Iesu euocasse Iesum arrogantia quadam & elatione animi. Mater igitur & cognati Iesu ambitione sua tam grauiter peccant, vt etiam palam per Christum pudefiant.*

Homilia 21. in Ioannem: *Sentiunt quidam Mariam excitatam esse ad interpellandum apud Filium suum pro nouis coniugibus ambitioso affectu. Extant aliæ quædam significationes, quæ testantur nihil humani alienum fuisse à Maria: quippe quòd ipsa contineatur in publico humani generis indicio:* Propter vnum hominem peccatum introijt in mundum: omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt.

1550. Ioannes Caluinus in Harmonia Euangelica ad caput 1. Lucæ vers. 34. *Non magnopere laborandum est, vt Mariam ab omni purgemus vitio.*

1550. Guilhelmus Rodingus, oratione contra scholas Iesuitarum, ita Deiparam loquentem inducit; *Ego in peccatis concepta, immunda nata sum.*

1550. Ioannes Agricola ad caput 1. Lucæ: *Ingressus cubiculum puellæ, Angelus Gabriel adolescentis forma, amatorium quiddam, & nuptiale orditur, Virginem (vt apparet) pellectus ad concubitum:* Aue, in-

quit,

quit, κεχαριτωμένη, gratiosa, cuius conuictum & consuetudinem plerique omnes ambiunt. Medietur apud animum suum qui volet, pia curiositate, quid sit, videre comptulum adolescentem, solum cum puella, clauso cubiculi ostio, dulciter alloquentem Virginem, quam se ambire, nihil obscurè, & gestu, & oratione declaret.

1550. Rodolphus Gualterus, ad caput 3. Marci, dicit, *Sanctam Mariam nõ minus malignè restrinxisse Dei potentiam, quàm antea Zacharias.*

1560. Nicolaus Hemmingius in Postilla Dominicæ I. post Epiphaniam: *Hic taxatur apertè negligentia parentum Iesu: quæ negligentia fuit non leue peccatum: vnde nec leuis crux extitit in corde Virginis. Sensit partem gladij cor suum tetigisse: cogitabat hic thesaurum sibi commissum à Deo, vt illum obseruaret: contulit suam miseriam cum miseria Euæ. Nam vt illa genus humanum, à Diabolo seducta, perdidit: ita Virgo existimauit sua negligentia se amisisse Saluatorem promissum.*

1560. Magdeburgenses Centuriæ primæ lib. 1. cap. 10. fol. 294. lin. 17. *Solet hic quæri de peccato Mariæ, ob amissionem Filij Messiæ facta collatione ad peccatum Euæ, quæ salutem hominum initio peruertit, & amisit. Exaggeratur factum Mariæ, quia circa maius obiectum versatur, nempe mundi Saluatorem. Sed cum ea res alterius fori sit, & in Commentarijs explicari talia soleant, contenti simus in præsentia breui explicatione, quòd vtraque delicta Euæ & Mariæ non sint exigua: Sed tamen non tantùm secundùm obiecta discernuntur peccata, verùm magis principaliter secundùm interiores causas, nempe iudicium, & assensum voluntatis. Eua sciens & volens facit contra mandatum Dei: Maria insciens & contra voluntatem amittit Filium; sed nihilominus grauiter peccat.*

ASSERVNT SACRÆ LITERÆ.

Psal. 45. Vers. 5. Sanctificauit tabernaculum suum Altissimus.

Cant. 4. 7. Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.

Lucæ 1. 28. Aue gratia plena, Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus.

Liturgia D. Iacobi: Commemorantes sanctissimam, immaculatam, gloriosissimam, diuinam nostram Matrem Dei & semper Virginem Mariam, omnem vitam nostram Christo commendemus.

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Ignatius. 100.

Epistola ad Ioannem: Et quidam notificauêre eãdem Matrem Dei omnium gratiarum esse abundantem, & omnium virtutum, ac gratiæ fœcundam: quæ (vt dicunt) in persecutionibus & afflictionibus est hilaris, in penurijs & indigẽtijs non querula, iniuriantibus grata, & molesta in re lętatur: miseris & afflictis cõdolet coaflicta, & subuenire non pigrescit, &c. Humilibus quidẽ est deuota, & deuotis deuotius humiliatur, & mirum ab omnibus magnificatur, cùm à Scribis & Pharisæis ei detrahatur, &c.

Iustinus. 150.

Quæstione 136. Quia non quamlibet de vulgo fœminam Deus delegit, quæ genitrix Christi fieret, sed quæ mulieres omnes virtute anteiret: non absre eiusmodi virtutis nomine matrem suam beatam deprædicari voluit, per quam virtutem honore eo digna habita est, vt virgo mater fieret.

Origenes. 230.

Homilia 1. in diuersos: *Desponsata fuit Ioseph*, non tamen in cõcupiscentia iuncta, *Mater*, inquit, *eius*, mater immaculata, mater incorrupta, mater intacta, &c. Audite quid dicit omnes filij Euæ: audite omnes vos, quæ hæreditatem doloris & tristitiæ post illam, & ex illius condemnatione sumpsistis: audite quòd *Virgo in vtero accipiet*, non ex desiderio partum concipiens, quæ neque persuasione serpentis decepta est, neque eius affatibus venenosis infecta: sed *Virgo in vtero accipiet*, prædicationem Angeli suscipiens, Prophetarũ testimonia assumens.

Homil. 8. in Lucam: *Respexit ad humilitatem ancillæ suæ.*) In quam humilitatẽ Mariæ respexit Dominus? Quid habebat mater Saluatoris humile & abiectũ, quę Dei Filium gestabat in vtero? Quòd ergo dicit: *Respexit in humilitatem ancillæ suæ*, tale est, quasi dixerit: Respexit in iustitiam ancillæ suæ, respexit in temperantiam, respexit in fortitudinem atque sapientiam. Dignum quippe est vt virtutes respiciat.

Gregorius Neocæsariensis. 260.

Homilia in Annuntiationem B. Mariæ Virginis: Maria sic gratia plena dicitur, quòd in illa virgine totius gratiæ thesaurus reconderetur, quæ sola ex omnibus generationibus sancto corpore & spiritu fuerit: sola ferens eum, verbo qui portat omnia. Et non solùm Angelus pulchritudinem sanctæ Virginis, sed & virtutes animæ admiratur, & idcirco gratia plenam appellauit.

Athanasius. 340.

Epistola ad Epictetum: Idcirco gratia plena cognominata est, eo quòd adimpletione Spiritus sancti omnibus gratijs abundaret, & virtute Altissimi obumbraretur: quam virtutem per omnia tempora conceptus etiam habuisse confido. Neque enim id temporarium in Virgine accidisse opinor, sed per omnia tempora hoc illi datum fuisse.

Ephræm. 370.

Oratione de laudibus sanctissimæ Dei Matris: Intemerata prorsusque pura Virgo Deipara, Regina omnium, spes desperantium, Domina mea gloriosissima, eademq; optima, sublimior cælicolis, purior solis radijs & splendoribus, honoratior Cherubim, sanctior Seraphim.

Epiphanius. 380.

Sermone de laudibus Mariæ: Pater præparauit Virginem Filio cælesti sponso, quam Pater dilexit, Filius inhabitauit, Spiritus sanctus percupiuit. Virgo est lilium immaculatum, sublimior Angelis facta est, superior ipsis Cherubim & Seraphim, placẽs Christo Regi, à Deo in honore habita, tanquam ancilla digna & mater sancta, mater immaculata, &c. Solo Deo excepto cunctis superior existis.

Gregorius Nazianzenus. 380.

In Tragœdia:

Hoc propter, ecce, texa nunc tibi memor,

Gratiũq;

Gratumq́, carmen, ô puella, gratia
Aequanda nullis, mater & virgo, supra
Omnes decora virgines, & maxima,
Quæ vincis omnes cælitum Ordines.

Ioannes Chrysostomus. 400.

Homilia in Hypopanten Domini: Magnum reuera Virgo hęc mundi miraculum est. Ecquid enim in rerum vniuersitate queat hac maius & sublimius inueniri? Sola hęc cælum & terram amplitudine superauit. Quidnam illa sanctius? non Prophetę, non Apostoli, non Martyres, non Patriarchę, non Patres, non Angeli, non Throni, non Dominationes, nō Cherubim, non Seraphim, nō aliud denique quippiam inter creatas res visibiles, aut inuisibiles, vna hac maius aut excellentius inueniri potest.

In Liturgia: *Pro sanctissima, immaculata, super omnes benedicta Domina nostra Deipara*: Verè dignū est glorificare te Deiparam & semper beatissimam, & penitus immaculatam Matrem Dei nostri, honorabiliorem Cherubim, gloriosiorem incomparabiliter Seraphim, quę citra corruptionem Deum peperisti, verè Deiperā te magnificamus, *Aue gratia plena.*

Oratione in sanctissimæ Dei Genitricis Annuntiationem: Missus est seruus incorpòreus ad Virginem immaculatam: missus est à peccato integer, ad corruptionis expertem.

Sophronius. 400.

Serm. de Assumptione Mariæ, apud Hieronymū: Bene *gratia plena* dicitur, quia cęteris per partes præstatur, Mariæ verò simul se tota infudit plenitudo gratiæ. Quicquid in ea gestum est, totum puritas & simplicitas, totum gratia & veritas fuit, totum misericordia, & iustitia, quę de cælo prospexit: & ideò immaculata, quia in nullo corrupta. Verè hortus deliciarum, in quo consita sunt vniuersa florum genera & odoramenta virtutum, sicq; conclusus, vt nesciat violari neque corrumpi vllis insidiarum fraudibus. *Fons signatus* totius sigillo Trinitatis, ex quo vitæ fons manat, in cuius lumine videbimus lumen.

Proclus Constantinopolitanus. 430.

Homilia de Natiuitate D.N.I.C. Sacra Maria Deipara in vnum nos coēgit. Hęc impollutus, & purus ille illibatæ virginitatis thesaurus decusqúe & ornamentum: hæc spiritualis secundi Adami Paradisus: hęc verè leuis illa nubes, quę super Cherubim sedentem in corpore suo gestauit: hęc vellus mundissimum, cęlesti pluuia madens, ex qua pastor ouem induit.

Theodoretus. 450.

In Cantica: Inter tot animas omniū hominum, qui saluantur, vt electa columba, est vna illa sola, quæ Christum genuit, Virgo, mater, puella, quæ puritate profectò Cherubim & Seraphim antecellit.

Titus Bostrensis. 460.

Ad caput 1. Lucæ: *Benedicta tu in mulieribus*) Nulla enim mulier tantam vnquam consecuta est gratiam, neque consequetur vnquam, quantam mater Domini.

Chrysippus Presbyter. 500.

De Laudibus Virginis Mariæ: Tuum est reuera auere & gaudere, tuum est verissimè audire istud *gratia plena*: quia tecum est vniuersus lætitię thesaurus, totius lætitiæ & gratię Rex cum ancilla, cum speciosa inter mulieres, speciosus forma prę filijs hominum: cum puella impolluta, is qui sanctificat omnia.

Eutychianus. 600.

De Pœnitentia S. Theophyli: Sancta venerandaqúe & omnibus laudibus celebranda Deiparens, quę sola casta & pura est, sola sancta anima & corpore: sola habet fiduciam ad eum, qui est natus ex ipsa, &c.

Sophronius Hierosolymitanus. 630.

Oratione in Christi Natalitia: Christus in manifestissimum omnipotentis diuinitatis suæ indicium & argumentum, Virginem, ex qua prodijt, integram incorruptamq; conseruauit.

Germanus Constantinopolitanus. 720.

In adorationem venerādæ zonæ Deiparę Virginis, capite 1. *Gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei.* Nobis diuinus Dauid cecinit in spiritu, reuera ciuitatem, de qua gloriosa dicta sunt, apertissimè vocans ciuitatem magni Regis. Quenam ea est? Existimo eum manifestissimè, & sine vlla contradictione dicere eam, quæ verè est electa, & omnibus superior, non domorum excellentia, & altitudine excitatorum ędificiorum, sed diuinarum, & sublimium virtutum magnitudine, & puritate omnibus antecellentem, Mariam, nulli penitus culpę affinem, & castissimam Deiparam, in qua, qui verè est Rex Regum, & Dominus dominantium habitauit. Psal. 86.

Ioannes Damascenus. 730.

Oratione 1. de Natiuitate Mariæ: O beatos Ioachim lumbos, ex quibus semen omninò immaculatum fluxit: ô præclaram Annæ vuluam, in qua tacitis incrementis ex ea auctus & formatus fuit fœtus sanctissimus: ô beatum ventrem, qui viuum cęlum cælis ipsis latius peperit.

Oratione 2. *De germine meo, fili mi, ascendisti.*) Per germen quemnam tandem quęso propriè consentaneeq; acceperis? An non perspicuè solam hanc sanctam, ac Sanctis omnibus sanctiorem: quæqúe tota, hoc est, & corpore & spiritu, pura ei apparuit, qui in ea domicilium habuit, nimirum Mariam? Magnam, inquam, illam, ac re & nomine verè colendam, Dauidicum surculum, radicem Iesse.

Elias Cretensis. 780.

In Orationem 4. Nazianzen.: Dei genitrix, ne fordidis quidem cogitationibus vnquam inquinata est.

Ioannes Hierosolymitanus. 790.

De institutis Monachorum cap. 32. Beata Maria de natura humana aliter fuit orta: quia in suo ortu non fuit onerata amaritudine delictorum, sed instar illius nubeculę fuit leuis per immunitatem peccatorum, & dulcis per plenitudinem charismatum.

Theophanes. 830.

Hymno in Annuntiationem Deiparæ: Inuenisti gratiam coram Domino, quam inuenit nunquam alia quæpiam, ô purissima. Tibi data est gratia, ô Dei Genitrix, diuina: tibi *Aue* omnis creatura clamat ô Dei nympha. Tu enim sola mater Filij prælecta es pura, &c. Animâ purgauit, corpus sanctificauit, templum fecit capax me Dei, habitaculum à Deo iactum animantum templum aduentus sanctissimi Spiritus, & vitæ puram matrem.

Michael Syngelus. 830.

In Martyrio Dionysij Areopagitæ: Virgo integerrima, omnibus cælestibus Potestatibus sublimior est Maria.

Psellus. 1050.

In Cantica Canticorum: Has classes & hos Ordines Salomon ille prospiciens, & diuino afflatus spiritu tanto ante cernens Verbi sponsi puritatem incarnationem, & quæ ipsam sine semine genuit, sanctissimam Dei genitricem Mariam, illam immaculatissimam, quam omnes omnium hominum generationes vocibus nunquam cessantibus beatissimam prædicant, quæ totius mūdi Saluatorē peperit, &c. Inter tot animas omnium hominum, qui saluantur, vt electa columba, est vna illa sola, quæ Christum genuit, virgo, mater, puella Maria, quę puritate profectò Cherubim & Seraphim antecellit.

Euthymius. 1080.

Oratione in adorationem venerandæ zonæ Deiparæ, cap. 8. Maria est altior & superior quauis re creata, tam quę sub aspectum cadit, quàm quæ non cadit, quæ est pura, impolluta, intacta Patris, qui nec videri, nec comprehendi potest, ab omni reprehensione aliena, & pulcherrima sponsa.

Michael Glycas. 1120.

Parte 3. Annalium: Expers illa maculę Domini nostri Iesu Christi mater, prouectam ætatem attigisse perhibetur.

Ioannes Cantacuzenus. 1360.

Apologia 3. Credimus & cōfitemur, quod Mariæ similis homo nec natus sit, nec posthac ex viro & muliere nasciturus, vsque ad consummationem seculi. Et secundùm humanam quidem naturam, eam Angelis inferiorem esse iudicamus, tanquam hominem: honore autem & sanctimonia ipsam omnibus Angelis indubiè præferimus.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Cyprianus. 250.

Sermone de Christi Natiuitate: Nihil in hac re petijt vltio, nec præcedens delectatio aliquam expetijt pœnarum vsuram. Spiritu sancto obumbrante, incendium originale extinctum est, ideoq; innoxiam affligi non decuit, nec sustinebat iustitia, vt illud vas electionis communibus lassaretur iniurijs: quoniam plurimum à cęteris differens, natura communicabat, non culpa, &c. Vnde & matri plenitudo gratię debebatur, & virgini abundantior gloria: quæ carnis & mentis integritate insignis, spiritali & corporali intus & extra Christi præsentia fruebatur.

Ambrosius. 370.

Ad Psal. 118. Sermone 22. Suscipe me non ex Sara, sed ex Maria vt incorrupta sit virgo; sed virgo per gratiam, ab omni integra labe peccati.

Lib. 2. de Virginibus: Virgo erat Maria, non solùm corpore, sed & mente, quę nullo doli ambitu syncerum adulteraret affectum: corde humilis, verbis grauis, animi prudens, loquendi parcior, legendi studiosior, non in incerto diuitiarum, sed in prece pauperis spem reponens, &c.

Hieronymus. 390.

Ad caput 11. Esaiæ: Virgam de radice Iesse sanctam Mariam Virginem intelligamus: quæ nullū habuit sibi fruticem cohærentem, de qua legimus: *Ecce Virgo concipiet*, &c.

Epist 22. ad Eustochium de custodia virginitatis cap. 8. *Exiet virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet.* Virga Mater est Domini, simplex, pura, syncera, nullo extrinsecus germine cohærente, & ad eam similitudinem Dei vnione fœcunda. Isaiæ 11.

Ad caput 10. Ecclesiastis: Beata terra Ecclesiæ, cuius Rex est Christus, filius ingenuorum, de Abraham, Isaac, & Iacob, Prophetarum quoq; & Sanctorum stirpe descendens: quibus peccatum non fuit dominatum, & ob id verè fuerunt liberi. Ex quibus nata est Virgo liberior sancta Maria.

Ad Psal. 77. Aut certè nubē leuem debemus sanctam Mariam accipere, nullo semine humano prægrauatam. *Ecce Dominus venit in AEgyptum* seculi istius, *super nubem leuem*, Virginem: *& deduxit eos in nube diei.* Pulchrè dixit, *diei.* Nubes enim illa non fuit in tenebris, sed in luce.

Augustinus. 400.

De Natura & Gratia cap. 36. Excepta sancta Virgine Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorsus, cùm de peccatis agitur, habere volo quæstionem: vnde enim scimus, quòd ei plus gratiæ collatum fuerit, ad vincendum omni ex parte peccatum, quę concipere & parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum. Hac ergo Virgine excepta, si omnes illos Sanctos & Sanctas, cùm hìc viuerent, congregare possemus, & interrogare: Vtrum essent sine peccato, quid fuisse responsuros putamus? Vtrum hoc, quod Pelagius dicit, an quod Ioannes Apostolus? Rogo vos, quantalibet fuerint in hoc corpore excellentia sanctitatis, si hoc interrogari potuissent, nonne vna voce clamassent: *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est?* 1. Ioan. 1.

Oratione de quinque hæresibus cap. 5. Dicit tibi Manichæe Deus Creator hominis, filius hominis: Ego matrem, de qua nascerer, feci: ego viam itineri meo præparaui. Hanc, quam despicis, mater mea est.

Arnobius Romanus. 440.

Ad Psal. 10. *Dominus in templo sancto suo*, quod de immaculata Virgine susceptt, sedet in cælo ad dextram Patris, *& in cælo sedes eius.*

Petrus Chrysologus. 440.

Sermone 140. *Aue*, hoc est, accipe gratiam; ne trepides, ne sis solicita de natura: *gratia plena*, quia in alijs gratia, in te tota gratię pariter veniet plenitudo.

Eucherius Lugdunensis. 450.

Ad Euangelium Feriæ quartæ Dominic. 4. Aduentus: Quis vnquam tantam gratiam habuit, quantam Virgo Maria? Alijs enim ad mensuram gratiæ dātur, hæc autem gratia plena dicitur. Considera modò, quantæ ante eam, quantæ post eam mulieres, & virgines fuerunt, hæc tamen sola mater Domini fieri meruit. Magna enim & ineffabilis gratia est, vt vna ex tātis millibus eligatur. Quæ cùm gratia plena sit, priusquam & concipiat, post conceptionem quanta Dei abundauit gratia quis cogitare possit? Hęc autem sola inter omnes mulieres benedicitur, quæ adhuc sub antiquæ præuaricationis maledictione tenebātur, ex quo primæ mulieri à Deo dictum fuerat: *Multiplicabo ærumnas tuas & in dolore paries filios.* Hac enim lege non tenetur Virgo Maria, quæ virgo concepit, virgo peperit, & sine dolore pariens, virginitatis gloriam non amisit. Meritò igitur in mulieribus benedicitur, per quam mulieribus benedictio datur, & mundus à maledictionibus liberatur. Genes. 3.

Sedulius. 460.

Lib. 2. Paschali:

Et velut è spinis mollis rosa surgit acutis,
Nil quod lædat habens, matremq; obscurat honore:
Sic Eua de stirpe sacra veniente Maria,
Virginis antiquæ facinus noua virgo piaret.

Fulgentius. 500.

Sermone de laudibus Mariæ ex partu Saluatoris: Maria in angusto corporis membro sustinuit quicquid sustinent cæli: plena sunt viscera, & nullum nouit contagium virginis conscientia.

Sermone de duplici Christi Natiuitate: Primum hominem mulier corrupta mente decepit, secũdum Virgo incorrupta virginitate concepit. In primi hominis coniuge nequitia Diaboli seductam deprauauit mentem, in secundi hominis matre gratia Dei mentem integram seruauit & carnem.

Fortunatus. 570.

Lib.1.de partu Virginis:

Nomen honoratum benedicta Maria per auum,
Ad laudem artificis nobilis artis opus:
Dulcis & Angelico pretiosa puella relatu,
Omnes vltra homines dona decoris habens:
Inde rubore rosas, candore hinc lilia vincens,
Flos nouus è terra, quem polus arce colat.

Gregorius Magnus. 590.

Lib.1.Reg.cap.1. Potest huius montis nomine beatissima semper Virgo Maria Dei genitrix designari: Mons quippe fuit, quę omnem electę creaturæ altitudinem electionis suæ dignitate transcendit. An non mõs sublimis Maria, quæ vt ad cõceptionẽ æterni Verbi pertingeret, meritorũ verticem supra omnes Angelorum choros, vsque ad solium deitatis erexit? Huius enim montis prę-
Isaiæ 2. cellentissimam dignitatem Isaias vaticinans ait: *Erit in nouissimis diebus præparatus mons Domini in vertice montium. Mons* quippe *in vertice montium* fuit: quia altitudo Mariæ supra omnes Sanctos refulsit. Mons quippe & domus aptè dicitur, quę dum incomparabilibus est illustrata meritis, Dei Vnigenito, in quo recumberet, sacrum præparauit vterum.

Hildephonsus Toletanus. 660.

Contra eos qui disputant de perpetua virginitate Mariæ: Beata Maria licet ipsa de carne peccati sit nata, & procreata, ipsaqúe quamuis caro peccati fuerit: nõ tũc iam ex pręueniente Spiritus sancti gratia, ab Angelo prę omnibus mulieribus benedicta vo-
Lucæ 2. catur: *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Alioquin si non eodem Spiritu sanctificata est, & emundata, quomodo eius caro, non caro peccati fuit? Et si caro eius de massa primæ prævaricationis venit: quomodo Christus Verbum caro sine peccato fuit, qui de carne peccati carnem assumpsit? Nisi quia *Verbum*, quod *caro factum est*, eam primùm obumbrauit, in quam Spiritus sanctus superuenit, & virtus Altissimi totam eam possedit? Propterea verè caro eius iam non caro peccati fuit, in qua Deus totum infudit, & *Verbum*, quod *caro factũ est*, sine peccato ad nos venit. Qui iure non solùm legem naturę vitiatæ, in nascendo non tenuit, verè nec legem primæ originis, quam haberent fœminæ, si mandatum seruasset mater omnium Eua in Paradiso. Aliâs autem, quomodo Spiritu sancto eam replente, non sine peccato originali fuit, cuius etiam Natiuitas gloriosa Catholica in omni Ecclesia Christi ab omnibus felix & beata prędicatur? Enimuerò, si nõ beata esset & gloriosa, nequaquam tam festiua celebraretur vbiq; ab vniuersis. Sed quia tam solenniter colitur, cõstat ex auctoritate Ecclesiæ, quòd nullis quando nata est, subiacuit delictis, nec contraxit in vtero sanctificata originale peccatũ, &c. Nullius natiuitas celebratur in mundo, nisi Christi, & Marię, atq; beati Ioannis. Ioannis aũt, quia & ipse in vtero sanctificatus legitur: sic & beata Virgo Maria, nisi in vtero matris sanctificata esset, minimè eius Natiuitas colenda esset. Nũc aũt quia ex authoritate totius Ecclesię veneratur, cõstat eam ab omni peccato originali immunem fuisse, per quam non solũ maledictio matris Euę soluta est, verũ etiã & benedictio omnibus condonatur, &c. Quando Spiritus sanctus in eam aduenit, totã defœcauit à sordibus Virginem, & decoxit: vt esset sanctior quàm astra cęli.

Beda. 700.

Homilia in Natiuitate omnium Sanctorum: Beata Dei Genitrix, & semper Virgo Maria, templum Domini, & sacrarium Spiritus sancti.

Ad Euangelium in Festo Annuntiationis Mariæ: Beata Dei Genitrix meritis pręcipuis, etiam nomine testimoniũ reddidit: interpretatur enim stella maris. Et ipsa quasi sydus eximiũ inter fluctus seculi labẽtis gratia priuilegij specialis refulsit, &c. Verè erat Maria gratia plena, cui diuino munere collatum est, vt prima inter fœminas glorioſissimũ Deo virginitatis munus offerret. Vnde iure Angelico aspectu simul & affatu meruit perfrui, quæ Angelicam studebat vitam imitari. Verè gratia erat plena, cui ipsum, per quem gratia & veritas facta est, Iesum Christum generare donatum est. Et ideò verè Dominus cum illa erat, quam & prius nouæ castitatis amore à terrenis ad cælestia desideranda sustulit, & postmodũ mediante humana natura omni plenitudine diuinitatis consecrauit.

Alcuinus. 750.

De Trinitate lib.3.cap.14. Maria fuit lana mundissima, & virginitate clarissima, & incomparabilis vniuersis, quę erant sub cęlo, virginibus; eratq; talis ac tanta, vt sola digna fuerit, qua nullus alius indueretur, nisi augusta prędita dignitate: ita Spiritus sanctus superueniens in beatam Virginem, & virtus Altissimi obumbrauit eam, vt lana fieret diuinitate purpurata, solummodo æterno Imperatore indui dignissima: & sic facta est beatissima Virgo Maria Theotocos, &c.

Idiota. 800.

Contemplat. de Beata Maria Virgine cap.1. Trahe me post te, ô benedicta Virgo Maria: benedicta ante ortum, in ortu, & post ortum; ante seculum, in seculo, & post seculum.

Cap.2. *Tota pulchra es*, ô pluſquam gloriosa Virgo Maria, *tota pulchra es*, & *macula non est in te*: tota pulchra es in anima per virtutum & charismatũ omnium perfectam pulchritudinẽ: tota pulchra es in tua conceptione, ad hoc solũ effecta, vt templum esses Dei altissimi: tota pulchra es ex generatione Verbi diuini, *qui est splendor paternæ gloriæ.* Tuę gloriosę animæ nihil vnquam adfuit turpitudinis, vitij, aut peccati; & nihil defuit spiritualis pulchritudinis, gratię, ac virtutis. Tot enim habuisti pulchritudines, quot virtutes; & singulas in altiori gradu, quàm concessum fuerit, post tuum Filium superbenedictum, puræ creaturę: in his namq; similem nõ habuisti, nec es habitura sequentem. In te omnes virtutes, tam actiuæ, quàm contemplatiuæ conuenerunt, & præ cunctis creaturis te admirabilem reddiderunt. Per virtutes actiuas habuisti voluntatem mundissimã; per contemplatiuas, mentem purgatissimam. Non defuit tibi puritas Angelorum, non fides Patriarcharũ, non zelus Apostolorum, nõ patientia Martyrum, non sobrietas Confessorum, non innocentia, aut humilitas Virginum. In summa nullo genere vacasti virtutum, ô Virgo gloriosissima, non in parte, sed in toto, & macula peccati, siue originalis, siue actualis, siue mortalis, siue venialis nõ est in te, nec vnquam fuit, nec erit; sed adest omnis gratia naturalium bonorum, spiritualium charismatũ, & cęlestium donorum. Quantum enim distat inter odorem & gustum aromaticæ speciei, tanta est inter contemplationem tuam, & aliorum Sanctorum distantia.

Cap.6. Inuenisti Virgo gratiam cęlestẽ, quia fuerunt in te ab originis labe pręseruatio, Angelica salutatio, Spiritus sancti superuenientis & Filij conceptio.

Haymo. 820.

Homil.in Epist.de Assumptione Mariæ: In ipsa hæreditate Domini morata est Maria, quæ nõ peccando à possessione Domini non discessit, sed integrã suam animam à concupiscentia, & carnem à corruptione seruans, portio hæreditatis Dei effecta est.

Ericus. 880.

Sermone de Purificatione Mariæ: Maria purificationem susceptit sine sordibus peccatorum.

Altercatio Synagogæ & Ecclesiæ. 890.

Cap.14. Vellus illud Gedeonis, sanctissimæ Virginis corpus est, sine omni carnis macula. Cùm enim vellus sit in corpore, corporis nescit passiones: sic rore Spiritus sancti vellus, id est, corpus virginale complutum, nullum carnalis vitij sensit contagium.

Abbo Floriacensis. 980.

Libro 1.de bello Parisiacæ vrbis:

O Genitrix sobolis summi Regis celebranda,
Te gaudent, recolunt, laudant, venerantur, adorant:
Sanctior es cunctis, sexu felicior omni.

Fulbertus Carnotensis. 1000.

In Salutationem Angelicam: *Aue Maria*: electa, insignis inter filias, quę immaculata semper extitisti, ab exordio tuæ creationis, quia paritura eras Creatorem totius sanctitatis.

Petrus Damianus. 1060.

Sermone de Assumptione Mariæ Virginis: Caro Virginis Mariæ ex Adam assumpta, maculas Adę non admisit, sed singularis continentię puritas in candorem lucis æternæ conuersa est.

Sermone 3.de Natiuitate Mariæ: Quid, rogo, vitij in Mariæ mente, vel corpore vendicare sibi potuit locum, quæ ad instar cęli, plenitudini totius di-
Colos.2. uinitatis meruit esse sacrarium? *In Christo* enim *habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter.* Nec mirum, si cunctorum merita transcẽdat mortalium, quæ & ipsam superexcedit celsitudinem Angelorum.

Radulphus Ardens. 1060.

In Assumptione Virginis Mariæ: Cùm in omnibus sanctis diuina requieſcit sapientia, ~~præcipuè~~ & singulariter requiescit in Maria: ipsa enim omnia hęc, & plus quàm hęc habet. Quis enim sic fuit Iacob, id est, luctator contra vitia, vt Maria? Quis fuit sic Sion, id est, speculatiuus, vt Maria? Quæ ciuitas sic fuit sanctificata, vt ciuitas & claustrũ Dei Maria? Quis fuit sic Hierusalem, id est, pacificus, vt mediatrix Dei & hominum Maria? Quis habuit tãtam sanctimonię plenitudinem, quantam Maria? singulariter igitur & superexcellenter Dei sapientia requieuit in Maria.

Gregorius Septimus. 1070.

Lib.1.epist.47. Maria quãtò altior, melior, & sanctior est omni matre, tanto clementior & dulcior est circa conuersos peccatores & peccatrices.

Anselmus Cantuariensis. 1080.

Ad caput 5.posterioris ad Corinth. Omnes mortui sunt in peccatis, nemine prorsus excepto, dempta matre Dei, siue originalibus, siue etiam voluntate additis, vel ignorando, vel sciendo, nec faciendo quod iustum est.

De excellentia B.Virginis cap.3. Nulli dubium, castissimum corpus & sanctissimam animam eius, funditus ab omni fuisse macula peccati, iugi Angelorum custodia protectam; vtpote aulã, quam summus & omnium Creator Deus corporaliter inhabitaturus, & ex quo hominem, in suæ personæ vnitate inæstimabili fuerat operatione susceperturus.

De conceptu Virginali, & peccato originali, cap.18. Decebat vt illius hominis conceptio de matre purissima fieret. Nempe decens erat, vt ea puritate, qua maior sub Deo nequit intelligi, Virgo illa niteret, cui Deus Pater vnicum Filium suum dare disponebat.

Bruno Carthusianus. 1080.

Ad Psal.101. Hæc est incorrupta terra illa, cui benedixit Dominus, ab omni præterea contagione peccati libera, per quam vitæ vitam agnouimus, quæ quia digna fuit, Dominus è cælo in terram aspexit.

Iuo Carnotensis. 1100.

Sermone de Natiuitate Domini: Quomodo matrem carnis suæ sanctificauerit deinceps audiamus, vt inde lętetur Catholicus, immundus confutetur hæreticus. Omnem quippe nęuum, tam originalis quàm actualis culpę, in ea deleuit, ficque carnem de carne eius sumens, eandem in diuinam munditiam transformauit.

Rupertus Tuitiensis. 1120.

Lib.4.in Cantica: Vterus tuus nulli viro, nulli carnali commercio accessibilis, & mens tua nulli vitio, nulli spirituali nequitiæ vnquam fuit penetrabilis.

Lib.6.in Cantica: Libera es ab omni iugo peccati.

Hugo Victorinus. 1130.

De proprietatibus & epithetis rerum lib.4.cap.2. Beata Virgo pauper fuit, humilis, obediens, quieta, modesta, simplex, sapiens, ab Angelo nuntiata, in vtero sanctificata.

Bernardus. 1130.

Sermone 2.de Assumptione Mariæ: Cùm omnimodo constet, ab originali contagio sola gratia mundatam esse Mariam: quippe cùm & nunc in baptismate sola hanc maculam lauet gratia, & sola eam raserit olim petra circumcisionis: vt omninò pium est credere, proprium Maria delictum non habuit, nihilominus ab innocentissimo corde etiam pœnitentia longè fuit.

Sermone de priulegijs S.Ioannis Baptistæ: Cùm omnes in iniquitatibus concepti sint, neminem vnquam mortalium intra materna viscera sanctificatum legimus, præter Hieremiã, & Ioannem Baptistã: quanquam & de singulari Virgine nulla sit ambiguitas, quin ipsa maternis circumsepta visceribus, sublimiori sanctificationis genere mundata sit, vtpote sanctuarium illud, in quo Deus & Dei Filius canem fuerat susceperturus.

Sermone de B.Maria: Maria rosa fuit candida per virginitatem, rubicunda per charitatem; cãdida carne, rubicunda mente; candida virtutẽ sectando, rubicunda vitia calcando; candida affectum purificando, rubicunda actum carnalem mortificando; candida Deum diligendo, rubicũda proximo compatiendo. De lignis verò Sethim condi- Exod.25.
ta est Arca, in qua thuribulũ, manna, & virgà sunt recondita; quia licet Maria de patrum natura per peccatum vitiata duxerit originem, prælecta tamen per Spiritũ sanctũ, & pręseruata ad purum.

Super Salue Regina *Serm.4.* Tu ergo nasus Ecclesię similis es turri, celsa videlicet dignitate, firma grauitate. Turris es Libani. Libanus mons, qui dicitur dealbatio, altã prę omnibus signat innocentiam tuã. Innocens fuisti ab originalibus & actualibus peccatis. Nemo ita præter te. Vnde auctoritas Augustini: Cùm de peccatis agitur, nullam de B.Maria volumus fieri mentionem. Ex eo enim maiorem ei credimus collatam virtutem, ad vincendum ex omni parte peccatum, quę concipere & parere meruit eum, qui nullum habuit peccatum. Ex omni, inquit, parte, hoc est ex parte originalis, & ex parte actualis peccati. Ea ergo sola excepta, cęteri omnes quid dicre possunt, nisi quod

1 Ioan. 1. ait Apostolus Ioannes: *Si dixerimus, quòd peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* Ego quoque pia fide opinor, in vtero matris tuæ ab originalibus te absolutam peccatis: nec vana est fides, nec opinio falsa. Denique & rationes, & auctoritates inueniuntur ista stipulantes. Et quidem ratio sic: Si alij in vtero matris fuerũt sanctificati, multò magis tu mater Domini: Sed Hieremias & Hier. 1. Ioannes, alter sanctificatus, alter Spiritu sancto repletus, in vtero matris leguntur: ergo & tu Maria Luc. 1. genitrix Dei, quę sola totam Spiritus sancti gratiam possedisti, quam alij habuêre per partes. Te enim Angelus Gabriel pronuntiauit gratia plenã. Tuum odorem longè antè in filio Patriarcha Isaac trahebat, dicẽs: *Ecce odor filij mei, sicut odor agri pleni.* Gen. 27. Tu es ager plenus, plena virtutum, plena gratiarum. Tu protulisti frumentum electorum, quod est etiã Angelorum cibus. Te benedixit Dominus: te, inquã, benedixit Dominus, vt per te benedictã vita veniret, sicut mors per Euã processerat maledicta. De te secretorum cælestium conscius Salomon dicit: *Quæ est ista, quæ progreditur sicut aurora cõsurgens, pulchra vt luna, electa vt sol, terribilis vt castrorum acies ordinata?* Aurora semper noctem sequitur, nox præcedit aurorã. Quid autem est nox frigida & obscura, nisi originale peccatum, frigidũ concupiscentia, obscurum ignorãtia? Tu ergo processisti vt aurora lucida & rubicunda: quia superatis originalibus peccatis, in vtero matris, nata es lucida cognitione veritatis, & rubicũda amore virtutis. Inde est, quòd Natiuitatem tuã sanctam, sancta Ecclesia festiuis celebrationibus honoret, quòd aliãs non faceret.

Epist. 174. Ego puto quòd copiosior sanctificationis benedictio in eã descenderit, quæ ipsius non solùm sanctificaret ortum, sed & vitã ab omni deinceps peccato custodiret immunẽ: quod nemini alteri in natis quidem mulierum creditur esse donatum. Decuit nimirum Reginã virginum singularis priuilegio sanctitatis, absq; omni peccato ducere vitã, quæ dum peccati mortis q; pareret peremptorem, munus vitæ & iustitiæ omnibus obtineret.

Richardus Victorinus. 1140.

In Cantica c. 26. Beata Maria Virgo tota pulchra fuit, quia sanctificata in vtero: ab vtero quoque egressa, nec mortale vnquã, nec veniale commisit. Et ante conceptionem quidem Filij Dei prius per gratiã custodita est à peccatis, post hanc verò ita confirmata est, ex virtute Altissimi obumbrata, & roborata, vt peccatum omninò committere non potuerit. Ex quo templum Dei facta est, ita priuilegiata est, vt nullatenus aliqua macula potuerit deturpari. Tota item pulchra fuit, quia plena gratia, vt nec vllum vel minimum veniale in ea fuerit, quo minus in ea locum gratia habere potuerit, &c. Tota fuit pulchra, quia mundata in vtero, & deinde in sanctitate munditia confirmata, fomite peccati primò in ea sopito, vt non peccauerit, & tandem extincto, vt peccare deinceps non potuerit. Angelicam denique in terra adepta est puritatem & Dei similitudinem, in virtutibus & sanctitate, ac morum perfectione iusta, pia, prudens, modesta, misericors, sancta mente & corpore.

De Emmanuele lib. 2. cap. 26. Nisi Maria ab omni vitiorum contagione penitus purgata fuisset, Deum Dei Filium generare non posset: Vt enim Virgo conciperet, virgo pareret, summa sanctitate, summa puritate opus habebat.

Petrus Cluniacensis. 1150.

Lib. 5. epist. 1. Nullo pacto esse potuit vel debuit, ipsa ratione hoc ipsum vociferante, vt Spiritus sancti sacrarium, Filij Dei reclinatorium, totius deitatis solium, quælibet vel parua peccati nubecula postmodum subintrauerit, & cor illud conceptæ deitatis luce præfulgens, aliquis vel modicus tenebrosæ cogitationis fugax saltem volatus fuscauerit. Ergo secundùm ea, quæ præmissa sunt, beatæ Matri Virgini, nec die Pentecostes, nec aliquo post conceptionem Filij Dei die, quantum ad maiora & supra dicta gratiarum dona pertinet, nihil additum est: sed sicut ei nihil additum in maioribus confirmo, ita ei aliquid in minoribus fortè adauctum non nego.

Petrus Blesensis. 1160.

Serm. 44. De massa carnis humanæ, quasi de quadam vniuersitate frugum, in modum decimę primitiuæ, Mariæ caro exempta, & sanctificata est, & de illa sanctissima carne adhuc dignior quædam portiuncula electa est, quam sibi assumeret Verbum Dei.

Arnulphus Lexouiensis. 1170.

De Natiuitate Domini:

Virgineaq; fide veterem purgante reatum,
Numinis aduentu est sanctificata caro:
Credit, & exhibuit mundam deuotio matrem,
Magnificatq; Deum, magnificata Deo.

Petrus de Riga. 1170.

In Euangelio:

Post missus Gabriel, in sexto mense, salutem
Adfert mellifluam Virgo Maria tibi:
Hîc Petre fige stylum, tam claræ Virginis ortum,
Virtutes, speciem carmine pange nouo.
Non habuit similem, non est habitura sequentem
Terra parens, phœnix hæc fuit absque pare.
Vnam nec maculam natura reliquit in ista,
Ad caput à planta transuolat iste decor.

Adam Victorinus. 1180.

In Prosa de Assumptione B. Mariæ Virginis:

Salue Verbi sacra Parens,
Flos de spinis, spina carens,
Flos spineti gloria:
Nos spinetum, nos peccati
Spina sumus cruentati:
Sed tu spina nescia.
Tu candoris, & decoris:
Tu dulcoris, & odoris
Habes plenitudinem.
Palmam præfers singularem,
Nec in terris habes parem,
Nec in cæli curia.

Guarricus Igniacensis. 1180.

Sermone 1. de Purificatione Mariæ: Maria non tam purificata fuit, quàm mysterium purificationis commendauit, implendo legalem, significando spiritalem. Quid enim in ea purificandum esse potuit, quæ virgo concepit, virgo peperit, virgoque permansit: imò quæ ipso conceptu plenè purificata fuit, si quid minus ante puritatis habuit?

Sermone 4. Quem tanti non moueat exempli auctoritas, cùm videamus scilicet, quia illa Sanctarum sanctissima, quæ nihil purgandum habuit, purgationis tamen legalis implere mandatum non renuit? O mater immaculata, mater intacta, nonne tuæ tibi conscia es puritatis? quia scilicet integritatem tuam nec conceptus, nec partus violauit, sed sanauit?

S. Dominicus Prædicatorij Ordinis fundator. 1200.

Tractatu de Corpore Christi: Sicut primus Adam fuit

fuit ex terra virgine, & nunquam maledicta formatus: ita decuit in secundo Adam fieri, scilicet Christo, cuius terra, id est, Mater Virgo nunquam fuit maledicta.

Innocentius Tertius. 1200.

Sermone 2. de Assumptione Mariæ: *Acies castrorum,* id est plenitudo virtutum, ita fuit in Virgine *ordinata,* vt de se verè dicere posset: *Introduxit me Rex in cellam vinariam, & ordinauit in me charitatem:* Vt postquam in ea plenitudo diuinitatis corporaliter habitauit, vicit ex toto malitiam. Quoniam, vt vehementer opinor, ex tunc fomes peccati, languor naturæ, stimulus carnis, in ea fuit non solùm sopitus, sed prorsus extinctus: Vt de cætero non concupisceret caro aduersus spiritum, sed plena gratia, vitijs & dæmonijs terribilis appareret.

Albertus Magnus. 1240.

Ad caput 1. Lucæ: Sanctissima est caro beatæ Mariæ Virginis, quæ nunquam admisit aliquid sanctitati contrarium: omnes autem alij Sancti aliquid admiserunt.

Thomas Aquinas. 1250.

In lib. 1. Sent. distinct. 44. art. 3. respons. ad 3. argumentum: Puritas intenditur per recessum à contrario: & ideo potest aliquid inueniri, quo nihil purius esse potest in rebus creatis, si nulla contagione peccati inquinatum sit. Et talis fuit puritas beatæ Mariæ Virginis, quæ à peccato originali & actuali immunis fuit.

Parte 3. q. 27. ar. 4. Beata Virgo fuit electa diuinitus, vt esset mater Dei: & ideò non est dubitandum, quin Deus per suam gratiã eam ad hoc idoneam reddidit, secundùm quod Angelus ad eam dicit: *Inuenisti gratiam apud Deum: Ecce concipies,* &c. Non autem fuisset idonea mater, si peccasset aliquando: tum, quia honor parentum redundat in prolem, secundùm illud Prouerb. 17. *Gloria filiorum patres eorum;* vnde & per oppositum ignominia Matris ad Filium redundasset: tum etiam, quia singularem affinitatem habuit ad Christum, qui ab ea carnem accepit: dicitur autem 2. ad Corinth. 6. *Quæ conuentio Christi ad Belial?* tum etiam, quia singulari modo Dei Filius, qui est Dei sapientia, in ipsa habitauit: non solùm in anima, sed etiam in vtero. Dicitur autem Sapientiæ 1. *In maleuolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.* Et ideò simpliciter fatendum est, quòd beata Virgo nullum actuale peccatũ commisit, nec mortale, nec veniale, vt sic in ea impleatur, quod dicitur Cantic. 4. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.*

In expositione Salutationis Angelicæ: Dicitur Maria Virgo plena gratia, quantum ad tria. Primò quãtum ad animam, in qua habuit omnem plenitudinem gratiæ. Nam gratia Dei datur ad duo, scilicet, ad bonum operandum, & ad malum vitandũ: & quantum ad ista duo perfectissimam gratiam habuit beata Virgo. Nam ipsa omne peccatũ vitauit, magis quàm Sanctus aliquis post Christum. Peccatum enim aut est originale, & de isto fuit mundata in vtero: aut mortale, aut veniale, & de istis libera fuit. Vnde Cant. 4. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.*

Bonauentura. 1260.

In librum 3. Sentent. dist. 3. Quoniam beata Virgo aduocata est peccatorum, gloria & corona iustorum, sponsa Dei, & totius Trinitatis triclinium, & speciosissimum Filij reclinatorium: hinc est quod speciali gratia Dei nullum in ea peccatum habuit locum.

Iacobus Genuensis. 1280.

Sermone 2. de Assumptione S. Mariæ: Maria lunã sub pedibus habuit, quia nulla culpa vnquã in ea pregualere potuit. Vnde Augustinus in libro de Natura & Gratia: Excepta sancta Virgine Maria, si oẽs Sancti & Sanctę interrogati fuissent, vtrũ sine peccato essent, respondissent: *Si responderimus, quoniam peccata non habemus, nos ipsos seducimus.* Excepta, inquam, hac Virgine, de qua propter honorem Domini, cùm de peccatis agitur, nullam prorsus volo mentionem habere. &c.

Serm. 3. Maria fuit sine macula, per omnis peccati immunitatem. Ipsa quidem liberum arbitriũ in bono confirmatum habuit, & ideo nulli peccato conscientiæ patuit, &c. Non habuit admixtionem originalis, quia fuit in vtero à Spiritu sancto sanctificata: nec etiam habuit admixtionem mortalis, quia fuit à Patris potentia confirmata: nec etiam habuit admixtionem venialis, quia fuit à puritate Filij impregnata.

Gertrudis Sanctimonialis. 1280.

Insinuationum diuinæ pietatis lib. 2. cap. 17. Cùm verò Domine in glorioſa Matre tua easdẽ virtutes pro meo modulo commendarem, ipsa etiam simili modo videbatur vestiri. Et cùm eadem benedicta Virgo florens rosa sine spina, candensq; lilium sine macula, abundet, imò superabundet floribus omnigenarum virtutum, vt per ipsam nostra ditetur inopia, sit pro nobis quæso ipsa benigna Mater apud te perpetua interuentrix.

Ioannes à S. Geminiano. 1300.

In Summa lib. 1. cap. 48. Maria mater Domini assimulatur soli: primò, quia sol habet nobilitatem in ortu. Oritur enim ex alto, splendore multo: sic beatissima Virgo Maria orta est ex alta progenie; quia scilicet ex regali stirpe est nata, cum sanctitatis splendore: Non enim nata est infecta originali peccato, sicut alij communiter nascuntur. Hinc est, quòd Ecclesia festum de eius Natiuitate agit.

Augustinus Triumphus. 1320.

Tractatu in Orationem Dominicam, ad quintam petitionem: Omnes Sancti clamant, beatam Virginem fuisse sine omni peccato mortali & veniali, vt de mundissima Matre mundissimus nasceretur Filius, secundùm Augustinum & Bernardum. Ab originali autẽ, dato quòd ipsum habuisset, vt multi Doctores dicunt, tamen ab illo ante fuit purgata, quàm nata.

Franciscus Maronius. 1320.

Lib. 2. Sent. dist. 3. quæst. 2. art. 2. Decuit, quòd Christus Matrem suam, ne peccatum originale contraheret, præseruaret: quia agens benevolum circa affectum sibi gratum, nihil omittit de contingentibus: sed Deus est agens maximè benevolum, & puritas Virginis matris fuit sibi maximè grata. Igitur decuit quòd nihil committeret de contingentibus, quin ipsam ab originali perseueraret.

Lib. 3. dist. 2. quæst. 1. art. 9. Quatuor vicibus Maria fuit sanctificata: primò, in sua sancta conceptione: secundò, in Verbi conceptione: tertiò, in Spiritus sancti missione: quartò, in sui Assumptione & glorificatione. In prima sanctificatione fuit in ea fomes extinctus, seu præuentus: in secunda totaliter extinctus: in tertia autem fuit gratia cumulata: in vltima autem consummata.

Ioannes Taulerus. 1350.

Sermone in Festo Purificationis gloriosissimæ Virginis Mariæ: Beatissimæ matri Christi, instar reliquarum mulierum, purificatio non erat necessaria,

quando ea ab omni fuit præseruata peccato, Filiumqúe Dei per sancti Spiritus operationem concepit & peperit, Virgo manens perpetua, omni ornata puritate. Cuius nimirum tanta etiam supra Angelorum munditiam puritas fuit, vt sub Deo maior intelligi non possit, &c. Vires Mariæ supremæ absque medio in suam se verterant originem, vnitæ eidem: infimæ verò supremis, instar Adam in originali persistentis iustitia innocentiaqúe, perfectè obtemperabant: qui nimirum hinc illi accessit decor, quòd culpæ originalis perpetuò expers fuit: à qua præseruaret illam Filius eius, ita vt ne momento quidem temporis vel iræ filia, vel vas immũdum, vel diabolico (sicut nos alij oẽs) subiecta dominio fuerit. Præuenit hoc enim Sapientia æterna, nolens electissimum templum suũ aliqua labe aspergi.

Thomas Argentinensis. 1350.

Libr. 3. dist. 3. quæst. 1. art. 1. Decuit Filium Dei Virginem matrem à macula originali præseruare: quia hoc decuit Filium Dei in propria matre obseruare, ad quod obligatur quilibet purus homo ex præcepto diuino: sed quicunque filius posset matrem suam præseruare etiam à minore malo, quàm fuerit originalis culpa, ipse ad hoc tenetur ex præcepto diuino: quia aliàs non honoraret matrem, nec in maxima necessitate subueniret. Ergo, &c. Illud ergo quod decet aliquem facere, & nullam habet de impotentia excusationem, si hoc non facit aliquo modo pro inconuenienti sibi poterit imputari: sed Virginem præseruare ab omni macula Dei Filium decuit. Et ipse hoc potuit: Ergo aliquo modo inconueniens esse videtur, quòd hoc non fecerit.

Brigitta. 1360.

Libro 5. Reuelationum paulò ante finem: Maria de radice Adę processit, & de peccatoribus nata est, licet sine peccato concepta, vt Filius Dei de ea sine peccato conciperetur.

Lib. 6. cap. 49. Veritas est (*ait Maria ad Brigittam*) quòd ego concepta fui sine peccato originali, & non in peccato: quia sicut ego, & Filius meus nũquam peccauimus, ita nullum coniugium fuit, quòd honestius esset, quàm illud, de quo ego processi.

Ioannes Bromiardus. 1380.

In Summa de Maria, num. 10. Habuit florem eleuatum ad modum coronæ regalis, in hoc, quòd fuit cæteris eminentius & specialius sanctificata. De alijs quidem legitur, quòd fuerunt in vtero sanctificati; sicut de Hieremia, & de Ioanne Baptista: non tamen ilicò ita fuerunt sanctificati, quin potuerunt venialiter peccare: Maria verò tam eminenter sanctificata fuit, quòd nec mortaliter, nec venialiter peccauit.

Bonifacius Nonus. 1397.

Constitutione 1. Christus de clara stirpe regia Dauidica prælegit Virginem, in cuius vtero mystico spiramine Verbum ipsum carnem susciperet: perfectam Reginam inclytam matrem eligens, quæ tanto Regi digna fuit sui corporis thalamum præparare, de quo tanquam sponsus præ filijs hominum procederet speciosus. In Nazareth Virgo regia venustissima, à Domino conseruata, flos sanctitatis, vas cælestis gratiæ mundissimum, omniũm virtutum floribus redimita: cuius pulchritudinem sol & luna mirantur. Redemptorem gentium Virgo concepit datura lucem gentibus, sub mortis caligine constitutis. Sanè ipsa Regina cælorum, in cuius se clausit viscera Dei Filius factus homo, ex tanto honoris fastigio, sibi per Angelum nuntiato, nequaquam elationis assumpsit spiritum, sed tanquam ancilla humilis mater effecta Domini, humilitatis suæ, quam respexit Dominus, exequens officium, abijt in Montana, ad Elisabeth cognatam suam, &c.

Vincentius Valentinus. 1420.

Sermone de Purificatione Mariæ: Maria nunquàm peccauit aliquo modo, nec corde malè cogitando, nec ore vanè loquendo, nec corpore malè operando: imò fuit purior sole, in tantum quòd Spiritus sanctus de ea philocaptus, de sua puritate fecerit vnam cantilenam, dicens: *Quàm pulchra es amica mea.* Et iterum: *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Cant. 4.

Bernardinus Senensis. 1430.

Tomo 1. Serm. 53. Fuit beata Virgo Maria sine tyranno concupiscentiæ peccati originalis: quia sine eo concepta est, sicut, teste Salomone, Cant. 4. didicimus, qui ait: *Tota pulchra es amica mea, & macula,* scilicet originalis culpæ, *non est in te.*

Tom. 4. Serm. 48. Vtrum beata Virgo fuerit concepta in peccato originali, Ecclesia non damnat: sed magis pium est credere, quòd non fuerit in peccato concepta, quàm credere quòd sit.

Laurentius Iustinianus. 1430.

In Fasciculo amoris, cap. 7. Nemo ab ipso mundi initio vsque ad temporis plenitudinem (duntaxat Mediatore, eiusqúe Genitrice exceptis) iugum dominationis eius euasit.

Sermone de Annuntiatione B. Mariæ: Ab ipsa sui conceptione in benedictionibus est præuenta dulcedinis, atque à damnationis aliena chirographo, prius est sanctificata, quàm nata. In ipso enim vtero materno iam posita, super illam gratia sanctificationis effulsit, vtpote ei, quæ electa erat, vt vt pareret Deum. Nouerat opus suum ille, qui fecerat, & quale futurum erat, certissimè agnoscebat. Hinc est quòd Virginem ipsam, tam largo imbre Spiritus irrorauit. Erat planè sicut à carnis colluuione immunis, ita & ab omni peccati labe extranea.

Sermone de Festo Natiuitatis Mariæ: Quæ sanctificata in vtero, ac ab omni culpæ originalis fuerat liberata contagio, gratiæ plenitudinem, quam mente perceperat, protendebat exterius. Ipsam Spiritus custodiuit à carnis colluuione immunem, à libidinis delectatione expertem, à seculi amore alienam, atque ab vniuersorum criminum contagione immaculatam.

Nicolaus Cusanus. 1450.

Libro 5. Excitat. de dicto illo: *Cælum & terra transibunt.* Virgo gloriosa, cùm esset prædestinata ante secula, vt ex ipsa reciperet Dei Filius naturam humanam, vt Dei Filius fieret filius hominis: ita concepta est, vt dignum ad hoc habitaculum fieret. Induere se debuit Deus humanitate Mariæ: quare humana natura Virginis digna facta est ab initio. Nam etsi ipsa concepta fuit ex virili semine, via propagationis ab Adam, & quantum ad suum initium indiguit liberatore: quia *in Adam*, nisi liberentur, aut præseruentur, *omnes moriuntur*, vt in Christo omnes qui viuificantur, viuificentur: tamen sicut anima eius rationalis nullo tempore fuit, antequam esset corpori vnita, ita ipsa dum crearetur, sancta creata fuit: sic etiam quòd nulla duratione fuit verum dicere, Virginem fuisse sub peccato.

Lib. 8. in dictum illud: *Sicut lilium inter spinas:* Hoc cedit ad laudẽ Dei & Virginis Marię matris, quòd ipsa sub principatu auctoris mortis nullo vnquã tempore fuit, in qua vita debuit incarnari. Non indiguit Virgo liberatore, qui ipsam absolueret à sententia in Adam, & posteros eius ex voluptate carnis lata, cui nunquam subiacuit, quia præuenit succurrere misericordia electæ Matri misericordiæ, qui concipitur & nascitur liber: nec indiget Liberatore à seruitute, in qua nunquam fuit. Præliberatorem enim Virgo sancta habuit, cæteri Liberatorem & Postliberatorem. Christus enim sic omnium Liberator, quòd & Virginis Liberator & Præliberator: cæterorum verò Liberator & Postliberator. Ipsa sola post Adæ lapsum non indiga, sed plena originali iustitia vt Eua, & multo magis creata fuit: sicut Christus secundùm humanitatis naturã in omni plenitudine iustitiæ multo magis, quàm Adam creatus. Sola ipsa electissima Dei Mater hoc habet, qđ in initio essendi sub nequitia maligni deficere nequiuit; puta quòd in creatione rationalis anima in corpore, & separatione à corpore in potestate Maligni nunquam fuit. Sola igitur gloriosissima Virgo non reperitur tempore vllo peccato originali subiacuisse.

Concilium Basileense. 1439.

Sessione 36. Nos diligenter inspectis auctoritatibus, & rationibus, alijsq; plurimis super hac re visis, & matura consideratione pensatis, doctrinam illam differentem, gloriosam Virginem Dei Genitricem Mariam, præueniente & operante diuini numinis gratia singulari, nunquam actualiter subiacuisse originali peccato, sed immunem semper fuisse ab omni originali & actuali culpa, sanctamq; & immaculatam, tamquam piam & consonam cultui Ecclesiastico, fidei Catholicæ, rectæ rationi, & sacræ Scripturæ, ab omnibus Catholicis approbãdam fore, definimus, & declaramus, nullíq; decreto licitum esse in contrarium prædicare, & docere.

Petrus Apollonius Collatius. 1480.

In Fastis de Natiuitate gloriosæ Virginis:

Salue virgo parens, labes quam nulla vetusti
Per tot ducta gradus criminis implicuit:
Quippe hominum rerumq; sator, tam longa retexens
Fata, tibi numeros sustulit ante suos.
Te, dum conciperis, culpæ quicunque negarit
Immunem, brutis nil sapit ille magis:
Huic aut vipereo mens est infecta veneno,
Aut illum teter spiritus exagitat.

Sixtus Quartus. 1485.

In decreto 2. de Cõceptione Mariæ Virginis: Sanè cùm sancta Romana Ecclesia de intemeratæ, semperq; Virginis Mariæ conceptione publicè festum solenniter celebret, & speciale ac proprium super hoc officiũ ordinauerit, nonnulli, vt accepimus, diuersorum Ordinum prædicatores, in suis sermonibus ad populum affirmare hactenus non erubuerunt, omnes illos, qui tenent & asserunt, eandem gloriosam & immaculatam Dei Genitricem absque originalis peccati macula fuisse cõceptam, mortaliter peccare, vel esse hæreticos: eiusdem immaculatæ cõceptionis officium celebrantes, audientesq; sermones illorum, qui eam sine huiusmodi macula conceptam esse affirmant, peccare grauiter: &c. Nos huiusmodi temerarijs ausibus, & peruersis assertionibus obuiare volentes, huiusmodi assertiones Prædicatorum eorundem, & aliorum quorumlibet, qui affirmare præsumunt, eos, qui credunt aut tenent Dei Genitricẽ ab originalis peccati macula in sua conceptione præseruatam fuisse, propterea alicuius hæreseos labe pollutos fore, vel mortaliter peccare: aut huiusmodi officium Conceptionis celebrantes, alicuius peccati reatum incurrere: vtpote falsas & erroneas, & à veritate penitus alienas, editosq; desuper libros prædictos id continentes, quo ad hoc, auctoritate Apostolica tenore præsentium reprobamus, & damnamus.

Baptista Mantuanus. 1500.

Lib. 1. Parthen.

Ante tener sacra fœtus quàm viueret aluo,
Conceptus ne prima nouos exordia pullis
Inderent maculis, mens ne syncera, nitensq;
Communem imbiberet labem, ne pigra liquore
Pectora lethæo fierent, quæ lactea magno
Pabula & amplexus fuerant latura Tonanti,
Semine confusas sordes, & virus in ustum
Dissecuit, felici anima mox imbuit artus.
Sunt tamen audentes contra sentire, nec illos
Incusamus; habent quo se tueantur, & olim
Ista hominum communis erat sententia: verùm
Iam senio exangui frigens, sua robora sensim
Perdit, & amissa iam maiestate recedit
Sponte sua, cedítq; nouo Latonia Phœbo, &c.
Sed prior (vt nobis æquum sentire videtur)
Dignior est, & grata magis Nato atque Parenti:
Namq; gigi assurgens Mariæ decus addit, opusq;
Materna dignum attribuit pietate Tonanti.
Adde quòd & multis fert adiumenta, fidemq;
Roborat infirmam: nam nec venisse sub aluum
Sorde laborantem tali sublimia cæli
Numina nonnulli ingenio præstante putárunt.
Relligio maior, pietas animosior, istam
Consummata fides, legumq; peritia fecit.
Altera verborum textum & fastigia tantùm
Summa videns, abstrusa Dei mysteria nescit.
Quòd si syderei tanto splendoris honore
Fulget, vt æterno qui temperat ordine mundum
Gestarit gremio, lactauerit vbere, dulci
Strinxerit amplexu summoq; vocarit olympo,
Quare illam in nostras opus est detrudere sordes,
Et turpi infestare luto?

Guilhelmus Budæus. 1520.

Lib. 3. de transitu Hellenismi ad Christianismum: Immunitas est hæc (à vitijs, malisq; animi motibus) singularis omninò, & eximia, rarissimiq; exẽpli, quod olim prouidentia in Diua Christi parente Dei atque hominis, non modò à partu salutis integra atq; intacta, sed etiam à nęui natalitij conditione immuni, vt credimus, aliquãdo vsurpauit.

Erasmus Roterodamus. 1530.

In Pæane: Tu felix illa plantula, de Iesse radice sublimata, nihil tamen inde genitalium sordium trahens: tu sacratissimum pacifici Regis templũ tam magnificum, vt in eo Rex olympi præsideret, tam sacrum, vt nulla vnquam peccati labe potuerit profanari.

In Apologia ad libros Alberti Pij: Quàm magnificè sentiã de sacratissima Virgine declarat Pæan meus, & obsecratio iam toties excusa: præterea Liturgia cum Concione, quam edidi aduersus obtrectatores Virginis, semperq; faui sententiæ, quæ liberat eam ab omni peccato, etiam originali, &c. Quod ad Originis peccatum attinet, omnes vetusti solum Christũ eximunt ab omni peccato, nec hodie desunt, qui in templis suis publicè doceãt, illam non fuisse immunẽ à peccato originis, cùm ego contrarium sentiam in libris meis.

Ambrosius Catharinus Politus. 1540.

Ad cap. 5. epist. ad Romanos: Sermonem suum ita temperauit Apostolus, vt nihil prorsus adferat

præiudicij aduersus veritatem illam, quam de immaculata Virginis conceptione vnà cum Ecclesia sancta tenemus: nec verbis eius (si rectè intelligantur) valeamus argui. Dicit enim B. Paulus peccatum intrasse in mundum. Nos autem dicimus, hac mundi appellatione non comprehendi illam beatam Virginem, iuxta intellectum Scripturarũ, in quibus frequentissimè vox ista (*Mundus*) significat gratia Dei vacuos. Vnde Dominus de discipulis ait: *Mundus odio eos habuit, quia non sunt de mundo, sicut & ego non sum de mundo.* Quodergo dedit discipulis Dominus extempore, vt eos de mundo subduceret, hoc non dederit dilectissimæ Matri suæ, ac sponsæ, vt nunquam cum ijs, ab initio creationis illius, qui essent de mundo computaretur? Nec illud obstat, quod addũt: peccatum & mors pari passu incedunt. Nam non est huiusmodi ordo in Apostolo, in quem mors intrauit, in eum quoque intrauisse peccatum; sed è conuerso: in quẽ peccatum, in eum & mors. Alioquin & Christus mortuus est; & tamen non intrauit in eum peccatum.

Concilium Tridentinum. 1550.

Sess. 6. Canone 23. Si quis dixerit hominem semel iustificatum posse in tota vita peccata omnia, etiam venialia vitare, nisi ex speciali Dei priuilegio, quemadmodum de beata Virgine tenet Ecclesia, anathema sit.

Hieronymus Vida. 1560.

Hymno magnæ Matri Virgini:

Atq; ideo postquam diuino fœdere rupto
Primus in orbe parens hominum se perdidit ipse,
Seq; suumq; genus veniens corrupit in æuum,
Sola malo exorta es, veteriq; imperuia noxæ,
Seu tua te genitrix intactam, & prorsus auitæ
Secretam maculæ grauidæ concepit in aluo,
Seu simul atq; vtero concreta es, cælicolum Rex
Communem exemit labem, puramq; reliquit,
Ne tuus exoriens pura dilapsus ab æthra
Parte olim fœtus foret insyncerus ab vlla,
Nec priscam traheret materno à sanguine labem.
Teq; dehinc crescens procul omni innoxia culpa
Sanctam, incorruptam seruasti præside amico
Tuta Deo, &c.

ASSERVNT ETIAM ADVERSARIORUM quidam.

Mahometus. 630.

Azoara 5. D. Maria omnibus viris & mulieribus splendidior, & mundior, atq; lotior, soli Deo perseueranter studens.

Azoara 75. Nullus nascitur de filijs Adam, quem non tangat Sathan, præter Mariam & eius Filiũ. Multi perfecti fuerunt: nulla vnquam perfecta ex mulieribus, nisi Maria Mater Isæ.

Martinus Lutherus. 1530.

In Euangelium de Conceptione Mariæ: Virgo Maria quodammodo inter Christum & alios homines medium tenet. Siquidem Christus cùm conciperetur, & viueret, eo ipso articulo temporis plenus gratia fuit. Cæteri homines sine gratia sunt tam in priori, quàm in posteriori cõceptione. Atqui Virgo Maria, quamuis iuxta priorem conceptionem non plena erat gratia: tamen iuxta alteram conceptionem plena erat gratia: atq; hoc non immeritò. Nam mediũ fuit inter omnes natiuitates: & patre enim & matre nata est, ipsa verò sine patre peperit, & mater facta est partim carnalis, partim verò spiritualis Filij. Iam verò sicut Virgo Maria ritè inter carnalem & spiritualem natiuitatem medium est, finis carnalis, initium autem spiritualis: ita etiam iustè medium tenet inter conceptionem, &c. Dignum & iustum erat Mariæ personam ab originali peccato præseruari, de qua Christus sumpturus erat carnem, quæ omnia peccata superaret, &c. Nulla mulier tam sancta est, nec fuit, neq; erit in posterum, quæ præter Mariam fructum ventris sui benedictum pariat, quãdo nulla citra voluptatem, & peccatum concepit: propterea & Angelus Gabriel ad Mariam dicebat: *Benedicta tu inter mulieres.* &c. Christus sine peccato tam corpore, quàm anima: ita Maria Virgo iuxta corpus quidem sine gratia, iuxta animam autem plena gratia concepta est, &c. In Virginis Mariæ conceptione, cuius corpus progressu temporis, iuxta aliorum infantulorum ritum factum est, vsque ad animi infusionem, non opus fuit tali conceptione, quemadmodum Christi, videlicet, quem solum Deum & hominem citra viri operam omnibus membris absolutum concipi oportebat. Potuit enim Maria ab omni originali peccato præseruari, donec anima infundenda esset, &c. Marię conceptio piè creditur sine originali peccato facta esse, vt scilicet in ipsa animę infusione, vnà etiam ab originali peccato purificata fuerit, diuinis dotibus redimita, ad accipiendam sanctam animã, à Deo ipso infusam. Atque ita in primo momento cùm viuere inciperet, omnis peccati expers erat.

In Euangelium de Annuntiatione Mariæ: Siquidem gratia Dei ipsam omnis boni abundantem facit, & ab omni malo liberat. Secũdò Deus cum ea est, hoc est, omne quod facit, aut omittit diuinum est, & in eo à Deo perficitur: ad hæc tutatur eam, & defendit ab omni quod obnoxium & incommodum esse potest.

ARTICVLVS SECVNDVS.

MARIAM DEIPARAM FVISSE ET MANSISSE INCORRVPTAM VIRGINEM ANTE PARTVM, IN PARTV, ET POST PARTVM.

NEGANT.

Anno post natũ Christũ

60. CERINTHO *impossibile visum est, vt Iesus ex Virgine nasceretur, ideò Christum docebat esse nudum hominem ex Ioseph natum.* Irenæus lib. 1. cap. 25.

100. *Carpocrates de Christo prodidit, naturam eum ex semine Ioseph & Mariæ accepisse eadem lege, quemadmodum alij homines omnes ex coniunctione maris & fœminæ nascantur.* Irenæus lib. 1. cap. 24. Epiphanius hæresi 27.

170. *Marcion Christum in hominis forma sine carne fuisse asserit, quòd natura virginem parere non ferret.* Irenæus lib. 1. cap. 29. Tertullianus lib. 3. contra Marcionem.

230. *Origenes,* homilia 14. in Lucam, *Virginem Mariam post partum purgatione indiguisse innuit, & eius vulnam in partu reseratam.* Ambrosius ad cap. 2. Lucæ, Hieronymus lib. 2. contra Pelagium.

366. *Iulianus Apostata,* libro aduersus Christianos, *perpetuam Mariæ Virginitatem oppugnat.*

380. *Heluidiani, qui & Antidicomarianitæ, dixerunt Mariam, postquam Christum genuit, Ioseph viro suo fuisse copulatam, & ex eo filios genuisse, qui fratres Domini dicantur.* Hieronymus contra Heluidium, Epiphanius hæresi 48. Augustinus hæresi 84.

400. *Iouinianus Virginitatem Mariæ destruebat, dicens eam pariendo fuisse corruptam.* Augustinus hæresi 82.

800. *Pauliciani immaculatam & castissimam Virginem alios etiam ex Ioseph liberos, post partum illum salutarem, peperisse contendunt.* Photius apud Euthymium parte 2. Panopliæ, titulo 21. Glycas parte 2. Annalium fol. 290.

1315. *Lollardi dicebant si Maria virgo mansit post partum, non hominem, sed Angelum peperit. Virgo post partum non fuit.* Trithemius in Chronico Hirsaugiensi de anno 1315.

1410. *Discipula quædam Ioannis VVicleui Londini docuit, beatam Mariam, virginem non mansisse post partum: quia scilicet non est in Scripturis expressum.* Thomas VValdensis Doctrinalis fidei lib. 2. art. 2. cap. 23.

1550. Ioannes Caluinus in Harmonia Euangelica ad cap. 1. Lucæ v. 34. *Quòd suspicati sunt quidam, Mariam perpetuæ virginitatis conceptum habuisse votum; nimis infirmum est, imò prorsus absurdum. Perfidum enim fuisset se marito collocare, sanctumq; coniugij fœdus non sine Dei ludibrio spreuisset.*

1550. *Petrus Martyr,* ad caput 4. epistolæ ad Romanos, *Deiparæ vterum post partum non mansisse clausum contendit, veluti Christus nascendo maternum vterum aperuerit.*

Idem sentiunt Adamus Reisnerus libro Germanico de Hierusalem, Molinæus tertia parte Euangelicæ vnionis, Bucerus ad cap. 2. Lucæ.

1560. *Lucas Sternbergius tanto flagrauit Mariæ odio, vt eam virginitatis gloria, omniq; honore spoliandam putaret, vtpote quam ex Ioseph coniuge multos filios peperisse, & à reliquis non differre, spurcissimè finxit, & tradidit.* Petrus Canisius præfatione in opus Mariale.

1560. *In Polonia & Hungaria non desunt, qui aduersus hanc Virginem illibatam blasphemas & virulentas iactant voces, perinde ac si illa Iosephi commercium admiserit, & operi coniugali vacarit.* Canisius lib. 2. cap. 8. Marialis.

1565. Theodorus Beza, Præfatione in nouum Testamentum: *Perpetuam Mariæ ad mortem vsque virginitatem etsi piè & libenter credo: tamen nihil hoc ad salutis nostræ mysterium pertinet.*

ASSERVNT SACRÆ LITERÆ.

Esaiæ 7. v. 14. Ecce, Virgo concipiet, & pariet filium.

Ezechiel. 44. 2. Dixit Dominus ad me, Porta hæc clausa erit, non aperietur, & vir non transiet per eam: Quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam, eritque clausa Principi.

Matth. 1. 18. Cùm esset desponsata mater eius Maria Ioseph, antequam conueni-

ret, inuenta est in vtero habens de Spiritu sancto. 22. Hoc autem totum factum est,
Isaiæ 7. vt adimpleretur quod dictum est à Domino, per Prophetam dicentem: Ecce Virgo in vtero habebit, & pariet filium.

Luc. 1. 26. In mense autem sexto missus est Angelus Gabriel à Deo ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph, & ait Angelus ei: Ne timeas Maria, inuenisti enim gratiam apud Deum: Ecce concipies in vtero, & paries filium. Dixit autem Maria: Quomodo fiet istud? quoniam virum non cognosco? Dixit Angelus: Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.

Symbolum Apostolorum: Credo & in Iesum Christum, qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine.

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Ignatius. 100.

Epistola ad Heronem: Adæ corpus ex quatuor elementis confectum est, Euę corpus ex ipsius Adę latere: & insolens admirandusq; partus ille Domini ex sola Virgine: non quòd detestanda sit legitima commixtio, sed quod eiusmodi partus decebat Deum. Decebat namq; Creatorem, non cõsueto, sed peregrino & admirando vti partu, vtpote omnium opificem.

Iustinus Martyr. 150.

Dialogo cum Tryphone: Quòd quidem certè in genere iuxta carnem ipsius Abrahæ nemo vnquam è virgine natus sit, neque natus esse dictus sit, præterquam ipse noster Christus, omnibus est manifestum, &c. Filium hominis seipsum Christus vocauit à natiuitate sua è Virgine, quæ, sicut dixi, Dauidis, & Iacob, & Isaac, Abrahamiq; genere fuit, &c. Christus ex Virgine homo genitus: vt qua via à serpente inobedientia initium sumpsit, eadem via etiam exitium caperet. Eua enim cùm virgo esset & incorrupta, serpentis verbo concepto, inobedientiam & mortem peperit: fide autem & lætitia concepta Maria Virgo, cùm nuntium ei lætum Gabriel Angelus attulisset: *Fiat*, inquit, *mihi secundùm verbum tuum*.

Oratione ad Antoninum Pium: Atque hic Spiritus, cùm in Virginem illapsus esset, & illi obumbrasset, non per concubitum, sed per virtutem, prægnantem eam reddidit.

Irenæus. 180.

Isaiæ 7. Psal. 131. *Lib. 3. cap. 27.* Et in eo, quod dicit: *Audite domus Dauid*, significantis erat: quoniam quem promisit Deus Dauid de fructu ventris eius æternum suscitaturum se Regem, hic est, qui ex Virgine, quæ fuit de genere Dauid, generatus est. Propter hoc enim & de fructu ventris eius regẽ promisit, quod erat proprium Virginis prægnantis, & non de fructu lumborum eius, nec de fructu renum eius, quod est proprium viri generantis, & mulieris ex viro conceptionem facientis.

Hippolytus. 220.

Oratione de consummatione mundi: Virginem peperisse solam sanctissimam nouimus, quæ carnigerum verè genuit Saluatorem.

Origenes. 240.

Homilia 8. in Leuiticum: Non ex superfluo additur: *Mulier, quæ conceperit semen, & pepererit masculũ*: ad discretionem namque illius, quæ sine semine concepit & peperit, illum sermonem præ cæteris mulieribus legislator adiecit: vt nõ omnem mulierem, quæ peperisset, designaret immundam, sed eam, quæ concepto semine peperisset. Addi ad hoc quoque etiam illud potest, quod lex ista, quę de immunditia scribitur, ad mulierem pertinet. De Maria autem dicitur, quia Virgo concepit, & peperit.

Homilia 1. in diuersos: *Desponsata fuit Ioseph Maria*, non tamen in concupiscentia iuncta: *Mater*, inquit, *eius*: Mater immaculata, mater incorrupta, mater intacta: *Mater eius*: cuius *eius*? Mater Dei, Vnigeniti Domini, &c. O ineffabile, magnumq; sacramentum. Ipsa eademq; virgo, ipsa & mater Domini: Ipsa & genitrix, ipsa eius ancilla: plasmatio eius, ipsa quæ genuit. Quis vnquã ista audiuit? Quis vidit talia, & quis cogitare potuit, vt mater virgo esset, intacta generaret, quæ & virgo permansit & genuit? ficut enim quondam rubus comburi videbatur, & ignis eum non tangebat: & ficut tres pueri in camino ignis inclusi habebantur, & tamen eos non lędebat incendium, nec odor fumi erat in eis: vel quemadmodum Danieli in lacum leonum incluso clausiris non apertis allatum est prandium ab Abacuc: ita & hæc Virgo sancta genuit Deum, sed intacta permansit; mater effecta est, sed virginitatem non amisit: genuit infantem, sed virgo permãsit. Virgo ergo genuit, & virgo permansit: Mater filij facta est, & castitatis sigillum non perdidit. Quare? quia non homo iste tantùm qui videbatur, sed Vnigenitus erat Deus, qui in carne aduenerat.

Exod. 3. Dan. 3. Dan. 14.

In Lucam Homilia 7. Quod asserunt quidam Mariam nupsisse post partum, vnde approbent non habent. Hi enim filij, qui Ioseph dicebantur, non erant orti de Maria, neque est vlla Scriptura, quę ista commemoret.

Eusebius Cæsareensis. 320.

De demonstratione Euangelica lib. 4. cap. 10. Christus more nostro est editus, & mortalis instar hominem indutus; sed non tanquam homo, verùm vt Deus de purissima, nullasq; experta Virgine nuptias.

Athanasius. 340.

In Euangel. de sanctissima Deipara: Ad te clamamus, recordare nostri sanctissima Virgo, quæ etiam à partu virgo permansisti.

Sermone in descriptionem sanctissimæ Mariæ, & beati Ioseph: Vide admirabilem Virginis partum, illa ipsa, quæ peperit, pannis inuoluit, & reclinauit in præsepio. Aliarum mulierum, quæ in mundo sunt, vna parit, & alia infantem pannis inuoluit: At non ita Virgo fecit, sed quæ peperit, eadẽ pannis inuoluit. Quæ sine labore aliquo mater fuit, eadẽ & obstetricis munere functa est, cùm à nulla muliere didicisset. Maria cùm semel concepisset ac peperisset, nunquam amplius genuit, neque virum cognouit, quãuis aliqui delirantes, eò quod audiant Euangelistam Lucam dicentem: *Et peperit Filium suum primogenitum*, audeant dicere, Virginem ipsam alterum conceptione suscepisse; incorruptam, atq; ab omni labe puram, corruptioni subiectam fuisse temere iactitantes. Sed caue hoc suspiceris. Absurda enim omnino res est. Nã virginale illud claustrum, in quo diuinus thesaurus repositus fuit, omni ex parte purum atque impollutum permansit. &c.

Cyrillus Hierosolymitanus. 370.

Catechesi 12. Sed conuincere nos studeat, tam Græci, quàm Iudæi, & dicunt, quòd erat impossibile, Christum de Virgine nasci. Græcis igitur primùm ex ipsorum met fabulis os obstruamus. Qui enim dicitis proiectos lapides in homines mutari, quomodo Virginem parere posse negatis? Qui ex Iouis cerebro natam filiam fabulamini, quomodo ex vtero virginali nasci aliquem impossibile esse dicitis? Qui de femore vestri Iouis prognatum falsò dicitis esse Bacchum, cur nostram veritatem reijcitis? scio me indigna præsenti auscultatione dicere: sed vt oportunè tu Græcos redarguas, hæc attulimus ex ipsorum fabulis, ad eos dicẽtes. Illis verò, qui sunt de Circumcisione, sic occurrens, perquire: vtrum est difficilius, senẽ & sterilem, (muliebribus iam deficientibus) parere: aut virginem iuuenem generare? Sterilis erat Sara, & deficientibus iam muliebribus præter naturam peperit. Igitur cùm & sterilem, & virginem parere sit præter naturam: aut vtrumq; nega, aut vtrũque concede. Idem enim Deus vtrumq; operatus est: neque enim audebis dicere, quod illic quidem possibile, hîc autem impossibile est Deo. Et rursus, quæ natura manũ hominis vna hora in diuersas species mutare potest, & rursus restituere? Quomodo igitur Mosis manus sicut nix alba apparuit, & rursus statim illa albedine illa destituta est? Sed dices, quia Deus voluit, mutata est. Illic Deus volens potest: hic autem nunquid non potest? &c. ô Iudæi! vtrum autem difficilius est virginem parere, aut virgam in animal mutari? &c. Taceo hic quòd virga Aaron, quòd reliquę arbores per annos plures faciunt, hoc per vnam noctem fecit. Quis enim nescit, quod virga cortice destituta, etiãsi in medijs fluminibus plantetur, nunquam florebit? Quæro igitur sic ab illis: Eua ab initio de quo nata est? quæ mater conceperat illam, quæ matrem non habuit? Accipiamus porrò aliud longè maius. Ex corporibus enim corpora gigni, quamuis sit aliquando paradoxon, sed possibile tamen: sed puluerem terræ hominem fieri, hoc multo mirabilius. Ex vnius formæ puluere, & ossium robur, & pulmonis lenitatem, & reliquorum diuersitatem membrorum fieri, hoc admirabile. Lutum animatum circuire terram, & seipsum mouere, & ædificare, hoc admirandum? Itaque, ô indoctissimi Iudæi, vnde Gen. 1. Adam factus est? Nonne Deus accepit puluerem de terra, & creauit creaturam hãc admirandam? Quid igitur? lutum quidem in oculum mutatur, & virgo non generabit? &c. Despiciamus eos, qui ex viro & muliere generationem Christi asserũt, audentq; dicere, ex Ioseph & Maria Christum esse, eò quòd scriptum: *Et accipe mulierem tuam*. Meminimus enim & Iacob, qui priusquam Rachel Matth. 1. Gen. 29. acceperat, dicebat ad Laban: *Da mihi vxorem meã*. Sicut enim illic ante nuptiarum constitutionem, cùm tantùm promissio interceßisset, vxor Iacob nominabatur: sic & Maria propter solam despõsationem, vxor Ioseph vocabatur.

Gen. 18. Exod. 4.

Basilius Magnus. 370.

Homilia de humana Christi generatione: Cauendum omninò, ne in perfidiam infidelitatemq; incidas Iudaicam, qui affirmant non Virginem, sed puellam à Propheta vocari: *Ecce* enim, inquiunt, *puella concipiet*. Primùm quidem absurdissimum est omnium & ineptissimum, à Domino id dari signum tanti mysterij, quòd naturæ commune sit omni. Quid ait Propheta? *Et adiecit Dominus loqui ad Achaz dicens: Pete tibi signum in profundum*, &c. *Et dixit: Non petam, neque tentabo Dominũ*. Deinde paulò pòst ait: *Propter hoc dabit Deus ipse vobis signũ: Ecce virgo concipiet, & pariet*. Quoniam verò non petierat signum, nec in profundum, nec in sublime, vt cognitum esset, quòd qui descendit ad inferiores partes terræ, idem & suprà omnes cælos ascenderet, ideo ipse Dominus signum dedit: signum autem non vulgare, neque commune, sed extraordinarium & prodigiosum, ac valde communem excedens naturam. Virgo videlicet & mater, & in virginitate sancta perseuerans, gloriam nihilominus ac benedictionem pariendi fortita.

Isa. 7.

Ad cap. 7. Esaiæ: Vt admirabilis Christi ex Virgine generatio crederetur nihil in se continere quod suspectæ esset fidei, aut prorsus incredibile, etiam apud eos, qui perperam affecti, difficilè approbant, quæ concernunt diuinam dispensationem, rerum opifex animalia quædam creauit, quæ citra copulam complexumue masculi queant eniti, ac partum edere, per solam fœminam. Talia enim de vulturibus produnt memorię, qui de animalium naturis scitè tractârunt.

Oratione 19. quæ est de prouidentia: Qui ludibrio habent mysterium nostrum, tanquam à natura sit alienum, fieriq; non possit, vt virgo ea, quæ fœminis expers sit, salua virginitate pariat, velim cogitent, eum, cui visum est stulta prædicatione eos, qui crederent, seruare, innumerabiles ex natura occasiones, ad rerum admirabilium fidem nactum esse. Vultures enim sine concubitu fœtus edere fecit.

Amphilochius. 370.

Oratione de occursu Domini, Deiparaq; & Anna: Cuiuslibet virginis natura ita comparata est, vt vterus illius primò quidem referatur per viri coitũ, mox verò per partum. In nostro autem Seruatore secus se res habet: Ipse enim è Virginis matris vtero modo, qui verbis explicari omninò non potest, citra vllum prorsus viri commercium prodijt. Quare oraculum illud: *Omne masculinum adaperiens vuluam, sanctum Domino vocabitur*, ad vnum & solum Dominum nostrum spectat, &c. Ad virginis naturam quod spectat, portæ virgineæ nequaquam fuerunt reclusæ: ad nati verò Domini virtutem quod attinet, nihil est illi occlusum, nihil quod illũ impediat, nihil quod interturbet: sed omnia sunt illi aperta & obuia.

Epiphanius. 380.

Hæresi 78. Siue igitur mortua est, non nouimus: siue sepulta est, nõ copulata fuit carni, absit. Quis verò collecta sibi ipsi amentia, blasphemã quandam opinionem impingere voluerit, & os tollere, linguamq; laxare, labia distrahere, ex cogitatione praua, imò pro hymnis & gloria contumelias quasdam excogitare, & in sanctam Virginem debacchari, & vas honoratum non colere? Si verò etiam ab alia quadã speculatione ipsas res accipere conuenit, attingamus quoque rationum naturæ cognationes. Aiunt lęnam non parere, præterquam semel, & vnum: habere autem hanc causam: Animal est voracissimũ, specie fuluum, robore solidissimum, &, vt ita dicam, regalissimũ genus super alia animalia. Habet autẽ conceptionem ex vno coniuge. Perficit autem immissum semen viginti sex mensibus in vtero; ità vt catulus intus ad perfectionem gestetur propter tempus, vt etiã omnes dentes habeat iam prius quàm ex vtero prodeat, & vngues in statura firma clauiculares item appellatos, & dentes caninos, atq; molares, & alia, quæ adsunt huic animanti. Itaq; dum est ipse in vtero, in saltationibus motibusq;, ac alijs moribus per vngues diuellere aiunt, incidereq; matrices ac vteros prægnantes. Cùm igitur mater ad pariendum venerit, in illa die ab omni molesta gestationis natura ventrem alienum fieri. Nam vnà cum partu etiam vteros ac matrices

simul excerni dicunt rerum naturæ periti, vt ne amplius coitum appetat fœmina, nisi quis vim inferat. Neque verò, si contingat eam ad coitum cogi, amplius concipere possit, cùm non habeat locos siue matrices. Nunquid igitur dedit nobis etiam hæc consequentia, vt exquiramus ad propositam rem, motionem quandam cognationis, ad vtilitatem potius quàm ad detrimentum? Sic enim catulum Leonis Iudam obscurè dicit Iacob, Christum dicens. Si itaque Dominus leoni assimulatur, non secundùm naturam, sed propter ænigma, profectò etiam genitricem ipsius leænam dixerim. Vnde enim gignitur leo, si nõ leæna mater vocabitur? Leænæ autem non cõtingit secundus partus. Ergo non amplius partum nouit Maria, &c.

Gregorius Nazianzenus. 380.

In Tragœdia: Mariam sic de se loquentem introducit:

Expers veneris omnis ego sum, quam vel verbo
Audire, vel pictam cernere molestum esset:
Auersor enim hoc, virginem animum gerens.
Testem facio, quem vel latere potest nihil,
Quod nec adhibuit libido, nec animum cepit.

Gregorius Nyssenus. 380.

Orat. in diē Christi Natiuitatis: Orem admirãdam: Virgo mater efficitur, & permanet Virgo. Cernis nouum naturæ ordinem? In alijs mulieribus, quamdiu aliqua est virgo, non est mater. Nam posteaquam est facta mater, virginitatem non habet. Hic autem vtrumque nomen in idem concurrit. Eadem enim & mater, & virgo est. Nec virginitas partum ademit, nec partus virginitatem soluit. Decebat enim, vt qui in vitam humanam introibat, vt homines integros incorruptosq; seruaret, ab incorrupta sibi deseruiente integritate initium duceret. Nam hominum consuetudo expertem connubij incorruptam appellat. Hoc mihi ante magnus ille Moses, per eam lucem, in qua sibi Deus apparuit, videtur cognouisse, qui cùm rubus arderet, nec tamen consumeretur: *Ascendã,* inquit, *& videbo visionem hanc magnam:* nõ loci motum, vt arbitror, per ascensum declarãs, sed temporis transitum. Quod enim tunc per flammam & rubum significabatur, progrediente tempore, quod intercedebat, perspicuè in mysterio Virginis apertum fuit. Quemadmodum enim illic est rubus, & tangit ignem, & non comburitur: ita hîc est Virgo, quæ lucem parit, & non corrumpitur. Exod. 3.

Homilia 13. in Cantica: Propterea, inquit, candidum hũc & rubicundum, qui per carnem & sanguinem in hac vita versatus est, solum ex vniuersis hominum myriadibus, de puritate virginea electum esse, cuius conceptio duorum à coniunctione profecta non sit, partus minimè inquinatus, parturigo doloris expers: cuius thalamus Altissimi potestas, quasi quædam nubes virginitatem ipsam inumbrans: fax nuptialis, Spiritus sancti splendor, cubile vitiorum expers: conditio nuptiæ puritas incorrupta. Qui ex talibus ortus est, rectè appellatur *electus ex vniuersis myriadibus,* quo quidem significatur, non ex coniugali thoro ipsum existere. Nam huius solius generatio parturiginem non habuit, quemadmodum & sine coniugio cœpit existere. Neque enim propterea parturiginis vocabulum vsurpari de illa incorrupta & cõiugium non experta potest, propterea quòd virginitas & parturigo in eadem cõcurrere nequeant. Nimirum vti datus est nobis absque patre Filius: sic etiam puer hic absq; parturigine natus est: Vtque Virgo ipsa non cognouit, quo pacto in corpore ipsius corpus illud diuinitatem recipiens coaluerit; sic ne partũ quidem sensit, etiam Esaia vate de illa testante, quod parturigo ipsius doloris expers fuerit, cùm ait: *Priusquam labores parturiginum veniissent, liberata mare peperit.* Idcirco & electus fuit, & vtraque parte naturæ ordinem innouauit. Nec enim è voluptate cœpit existere, neque per dolores in lucem prodijt. Isa. 66.

Ioannes Chrysostomus. 400.

Homilia 49. in Genesin: Quando tibi dicit Iudæus: quomodo peperit Virgo? Dic ei, quomodo peperit sterilis & vetula? Duo impedimenta tunc erãt, & ætas intempestiua, & natura vitiata: in Virgine autem vnum impedimentum fuit, quòd non esset particeps concubitus. Sterilitas igitur iam viam parat virginitati. Et vt scias, quòd propter hoc steriles prius fuerunt, vt credatur virginitatis partus, audi verba Gabrielis, quæ ad Virginẽ dixit: Postquam enim venit & dixit: *Concipies in vtero, & paries Filium, & vocabis nomen eius Iesum:* obstupefacta est, & admirata, ac dixit: *Quomodo erit mihi istud, quia virum non cognosco?* Quid igitur Angelus? *Spiritus sanctus superueniet super te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Ne quæras, inquit, naturæ modum & ordinem, quando supernaturam sunt quæ fiunt: ne spectes coniugij dolores, quando maior, quàm in nuptijs natiuitatis modus erit. *Et quomodo fiet istud,* inquit, *quoniam virum non cognosco?* Sanè propter hoc erit, quoniam virum non cognoscis. Nam si cognosceres virum, non fuisses habita digna, vt huic ministerio seruires. Itaque quamobrem dubitas, eam ob rem crede: non quia malum nuptiæ, sed quia melior virginitas. Luc. 1.

Sophronius. 400.

Sermone de Assumptione Mariæ: Quod si quæritur post Ascensionem Domini quid egerit Maria, vnum pro certo est, quia Virgo sancta corpore & mente permansit: quam sanè Angelus Gabriel, ac si cælestis paranymphus, intactam custodiuit, & Ioannes Apostolus atque Euangelista, cui Christus eam de cruce cõmisit, virgo Virginem seruauit, &c.

Cyrillus Alexandrinus. 430.

Libro 2. de recta in Deum fide ad Reginas: Vnum & solum peperit sancta Virgo, nempe Emmanuelem. Cur igitur Filium illius primogenitum appellat? Neque enim vlli alij post ipsum ex ipsa nati sunt. Perpetuò namque illa virginitatem cõseruauit. Sanè quantum ex diuina Scriptura conijci potest, Vnigenitum Dei Verbum ob id primogenitum appellatum est, quia carni & sanguini, cæterisq; humanis æquè ac nos cõmunicans, inter multos fratres primatum sortitum est.

Proclus Constantinopolitanus. 430.

Homilia de Christi Natiuitate: Quòd si ea, quæ genuit, Virgo non permansit, neque is, qui natus est, aliud quàm purus homo extitit: atque ita partus ille nihil admiratione dignum habebit. Quod si illa verò in partu, & post partum virginitatem illæsam retinuit, is citra omnem controuersiam arcano modo ex ea ortus est.

Theodotus Ancyranus. 430.

Homilia 2. in Natalem Saluatoris: Quomodo, dic ergo, Moses ignem ex rubo vidit flagrantem, nec ipsum tamen rubum consumentem? Cur ergo ex Virgine nato, Virginemq; incorruptam seruanti fidem non habes? Si tu Deum ex rubo loquẽtem, Mosiq; *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob,* dicentem, audiens, & ipsum Mosen pronum adorantem cernens, credis: non ignis, qui cernebatur, sed Dei tantùm, qui loquebatur, rationem habens: Exod. 3.

habens: cur, cùm virgineum vterum memoro, abominaris & auersaris? Dic obsecro, vtrum est vilius, rubusne, an vterus Virgineus ab omni peccati affectione immunis?

Oratione de Natiuitate Saluatoris: Natura post partum nescit vlterius virginem: gratia verò & parientem ostendit, & matrem fecit, & virginitati non nocuit: gratia enim erat castitatem seruans. O terra sine semine, & fructum germinans salutarem.

Isidorus Pelusiota. 440.

Lib. 1. epist. 404. Quemadmodum virginitatem colente natura partus Domini extitit, nec incarnationis progressus castitati decrementi quicquam attulit: ita clauso atque obsignato monumento resurrectio contigit: Dei enim humanitate induti vtrumque est.

Epist. 426. Christus mulieris semen solus ex ea ortus est, sic nempe, vt nec viri semen interceſſerit, nec castitati quicquam decesserit.

Theodoretus. 450.

Sermone 10. de prouidentia: Christus è muliere quidem perinde vt nos nascitur: habet verò partus hic quiddam amplius & peculiare, nempe virginitatem. Virgo enim erat, quæ Dominum Christum concepit, & peperit.

Dialogo 2. Ingressus est clausis ianuis, quomodo & egressus est ex vtero, cùm claustra Virginis obsisterent, & sicuti in mare ingressus est.

Basilius Seleucius. 460.

Oratione in Annuntiationem Deiparæ: Effice, obsecro, Maria, vt abs te doctus, commodè de te loqui valeam, certoq; cognoscam, non quomodo carne indutum Verbum in lucem ederis: (tui enim partus modus mentis captum excedit) verùm quòd & mater fueris, & virgo nihilominus permanseris.

Titus Bostrensis. 460.

Ad cap. 1. Lucæ: *Quia fecit mihi magnã.*) Admirabilia, ait, per me operatus est. Nam cùm virgo essem, præpotenti illius voluntate naturæ fines supergressa concepi, nulliusque viri commercio vsa, digna effecta sum, quæ non cuiusuis promiscuè, sed Vnigeniti Filij Dei mater fierem.

Nonnus Panopolitanus. 500.

Capite 2. Ioannis: Ad conuiuium verò & ipsa Virgo Christi Dei Genitrix venit, Mater immaculata manu nuptialem attingens mensam, puerpera lectifuga, semper sectans virginitatem.

Chrysippus Presbyter. 520.

Sermone de S. Maria Deipara: Maria est Eua secundùm naturam, licet non sit Eua secundùm generandi rationem. Quæ enim mulier possit edere partum adeò alienum ab omni opinione? Nulli coitus inseruiens corruptioni imprægnata mater effecta est citra solutionẽ virginitatis. Lac edidit, quæ nullas nouit nuptias: nutriuit infantem, cuius tamen infantis nullus sit pater in terra.

Procopius Gazæus. 530.

Ad cap. 7. Esaiæ: Aduersantur 70. virorum interpretationi Iudæi, quæ Virginem dixerit, non autem, vt fert Hebræorum Scriptura, puellam, id est ætate quidem florentem, nuptiarum tamen prorsus haud expertem mulierem. Sed qui signum esse, vel quicquam habere potest admirabile, si quæ virum passa est, mulier pariat? Est enim signum prodigiosæ cuiusdam rei, & ab hominum consuetudine remotæ, demonstratio. Qui deinde, quod ex carnis voluntate natum est, Emmanuel possit appellari? Si enim signum est, quod datum est, admirabilis & ipsa existat generatio necesse est: sin autem communis est generationis modus, quî signum iam existere, quî rursus Emmanuel nominari queat? Cæterùm vt de virgine puellæ nomen etiam peculiariter vsurpari putent, id ex Scripturę verbis in Deuteronomio patebit, sic enim legitur: *Si in agro repererit vir puellam, quæ desponsata est, & apprehendens concubuerit cum ea, ipse morietur solus. Puella nihil patietur.* Tertio præterea Regum volumine, quæ Dauidem fouebat virgo Abisac nomine, puella dicitur, quam Regem non cognouisse testatur historia. Natus est ergo ille Emmanuel ex sancta Virgine: cui, cùm illa quomodo futurum illud esset, quia virum non cognosceret, postulasset, in eam Spiritũ sanctum esse illapsurum, virtuteq; Altissimi obumbraturum, respondit Angelus. Nequaquam enim legi Deuteronomicæ, quæ mulierem admisso semine masculum enixam septem dies immũdam haberi volebat, obnoxia fuit: sed nullo seminis auxilio facta Emmanuelis mater, pura, intemerataq; remansit. Deut. 22. 3. Reg 1. Luc. 1. Leuit. 12.

Andreas Cretensis. 560.

Oratione in Annuntiationem B. Mariæ: Tu verè benedicta, quæ sola ex omnibus matribus Creatori tuo mater electa es, & quod est matrum omnium proprium, ignoras; cuius quoque excellentia virginitatis maternis doloribus corrupta nõ est, virgineo germine tuo signa tuæ castitatis integra conseruante. Tu verè benedicta, quæ sola sine viri coniunctione Filium genuisti, qui cælos condidit & terram, virginitate tua cælis æquauit.

Hesychius Presbyter. 580.

Oratione 2. de S. Deipara: Tibi, ô Virgo, Prophetæ tribuũt laudes, & quisque Deiferam dicit, qui miraculorum mysterijs fidem habuerit. Et ille quidem te virgam Iesse vocitat, vt obscurè declaret virginitatem, quę nullo modo vuulnerari aut incuruari potuerit: Iste verò comparat cum rubo ardente, qui tamen non exuritur, vt subindicet carnem Vnigeniti, & virginẽ Deiparam. Hæc enim ardebat, & non consumebatur: peperit quidem, & vterum non aperuit: concepit, & vuluã non corrupit: eduxit infantem, & vterum signatum reliquit: lac suppeditauit, vbera tamen intacta conseruauit. Exod. 3.

Anastasius Synaites. 580.

Lib. 4. Hexameron: Luna quædam plena Maria, nunquam minuta fuit, aut defecit, aut priuata fuit essentiali lumine, nempe sua virginitate, quãdo ei acclamauit Angelus: *Aue gratia plena.*

Antiochus. 600.

Præfatione in Pandectas: Gloriosa & sancta Deipara semper Virgo Maria, &c.

Sophronius Hierosolymitanus. 630.

Oratione in Christi Saluatoris Natalitia: Christus virginem, ex qua prodijt, integram incorruptamq; conseruauit, ipsamq; nihilominus Deiparam esse palam ostendit.

Georgius Pisides. 640.

De mundi opificio:

Quis semine edidit sine vllo vultures,
Vbi fœminæ omnes, masculum nullum genus?
Hi virginem nostram gerentem lampada
Præferunt, quantum alitu natura quit.
Oportuit sed enim istius miraculi
Naturam imagines habere absconditas,
Vt nec nouata appareat partu hoc, neque
Arcana prorsus detegat partus sacri:
Nam virgines intactæ, vt illa, non manent,

Fœtuq́ maturo meandi tempore
Sua clauſtra confringit, foresq́ transilit.
At ſi parere ſic conſtat iſtos alites,
Vterumq́ ferre flamine Euri percitos:
Cur non magis quæ Virgo partum pepererit,
Faciet fidem nullo editæ prolis ſatu,
Vitalis auræ plena cùm eſſet ſpiritu?

Maximus Monachus. 640.

Centuriæ 1. cap. 9. Chriſtum dum ſupernaturali modo Virgo peperit, nullum diſſoluit virginitatis argumentum. Qua enim ratione factus eſt homo, ſine vlla naturæ alteratione aut commutatione potentiæ: ſic eam quæ peperit tum matrem effecit, tum virginem conſeruauit miraculo, miraculum circa idem declarans, itidem altero occultans alterum, &c. Tantò plus matrem quæ peperit virginem reddit, quantò præſtat dicere fœtum virginitatis indiſſolubile vinculum effici.

Apud Euthymium 1. parte Panopliæ titulo 7. Ecquis tantum excellit dicendi facultate, vt audeat, aut poſſit explicare, quomodo comprehenſus ſit Deus, quomodo caro ſine ſemine generata ſit, quomodo ſine corruptione mulieris partus extiterit, quomodo virgo nullo intercedente homine mater euaſerit, quomodo mater partu virginitatem non ſoluente virgo permanſerit?

Ioannes Damaſcenus. 730.

Orthodoxæ fidei lib. 4. cap. 15. Quemadmodum ipſe conceptus, eam, à qua conceptus fuerat, Virginem conſeruauit: ſic etiam in lucem editus, virginitatem ipſius incolumẽ cuſtodiuit, vt qui duntaxat per eam tranſierit, clauſamq́ ipſam tutatus ſit. Ac cõceptio quidem per aurem contigit: procreatio autem per eam partem, qua fœtus in lucem exire conſueuerunt. Neque enim impoſſibile hoc ipſi erat, vt & per portã tranſiret, & illius tamen ſignacula minimè labefactaret. Manſit ergo etiam à partu Virgo, illa ſemper Virgo, vt quæ ad extremum vſque ſpiritum nunquam cum viro conſuetudinem habuerit.

Coſmas Hieroſolymitanus. 740.

Hymno 1. Ex viſceribus Ionam fœtum euomuit marina fera, qualem accepit: in Virgine verò habitans Verbum, & carne accepta tranſijt ſeruata incorrupta: Quem enim non ſuſtinuit à lapſu, enixam continuit innocuam.

Ioannes Hieroſolymitanus. 790.

De inſtitutione Monachorum cap. 34. Beata Dei genitrix præputium impudicitiæ ſciuit à ſe penitus circumcidere, dum elegit prima fœminarũ propter Deum in perpetua virginitate viuere.

Nicephorus Conſtantinopolitanus. 800.

Epiſtola ad Leonem: Virginem quoque, quæ ſupernaturaliter & ineffabiliter pepererat, poſt partum virginem conſeruauit, virginitate illius ſecundùm naturam nulla ex parte demutata aut labefactata: ad deſignandum per ſecundæ natiuitatis proceſſum, nullam prorſus naturæ illius acceſſiſſe mutationem aut alterationem.

Theophanes. 830.

Hymno in Annuntiationem Deiparæ: Annuntiauit rubus incombuſtus manens & accipiens flammam: ô gratia plena, valde laudabilis ſecundùm te myſterium admirabile poſt partum: permanebis enim immaculata ſemper virgo.

Michael Syngelus. 830.

In vita Dionyſij Areopagitæ: Dauidica puella Virgo (Maria) nuptiarum expers, ac propemodum innocens, virgo ſemper permanſit.

Anaſtaſius Nicænus. 850.

Quæſtione 53. Quod eſt ergo candelabrum? Sancta Maria. Cur autem candelabrum? Quoniam materię expertem lucem geſtauit Deum incarnatum. Cur totum aureum? Quoniam poſt partum manſit Virgo. Dicit enim: *Hæc porta erit clauſa, & nemo intrabit per eam: ſed Dominus Deus ſolus intrabit, & ſedebit: quoniam ipſe eſt Dux, & egredietur, & claudet portam poſt ſe.* Eze. 44.

Theophylactus. 900.

Ad cap. 1. Matthæi: *Et non cognouit eam donec peperiſſet.*) Hoc eſt, non habuit vnquam rem cum ea. Hoc enim loco verbum, *donec*, non hoc manifeſtat, quòd non cognouerit eam vſque ad partum, poſtea autem cognouerit, ſed omninò nunquam eam cognouerit. Hoc enim habet Scripturæ proprietas. Sic cùm dicit: *Non reuerſus eſt coruus in arcam, donec areſceret terra*: neque enim poſtea redijt, &c. Sic hoc loco, *donec peperiſſet*: intelligas, hoc eſt, neque ante partum, neque poſt partum cognouit eam. Quomodo enim contigiſſet ſanctam illam, poſtquam ineffabilem partũ cognouiſſet? Gen. 8.

Suidas. 950.

In Auguſto: Sub eo Chriſtus Deus & Seruator noſter carnem aſſumpſit è ſancta Deipara & ſemper Virgine Maria.

Simeon Metaphraſtes. 960.

Oratione de ortu & educatione S. Mariæ cap. 4. Audi puram vocem Mariæ Virginis. Angelus partum annuntiat, & illa adhæret virginitati, non corrumpi iudicans eſſe præſtantius, quàm apparitionem Angeli. Et neque poteſt Angelo non credere, neque diſcedit ab ijs, quæ ſtatuerat. Eſt, inquit, mihi prohibita cum viro conſuetudo. *Quomodo erit mihi hoc, quoniam virum non cognoſco?* Hæc vox Mariæ, eſt demonſtratio eorum, quæ arcanè & occultè narrantur. Si enim eam Ioſeph acceperat in matrimonium, quemadmodum ei viſum eſt alienum, quod partum ei ante ſignificaret, ſi ipſa omninò expectabat fieri mater lege naturæ? Quãdoquidem carnem, quæ Deo fuerat conſecrata, veluti quoddam ſanctum donarium, intactum conſeruari oportebat: propterea etſi ſis Angelus, inquit, etſi de cælo venias, etiam ſi ſit ſuper hominem, id, quod apparet, non poteſt tamen fieri, vt virum cognoſcam. Quomodo ergo ero mater abſque viro? Nam Ioſeph quidem noui ſpõſum, virum autem nõ cognoſco. Quid ergo paranymphus Gabriel, qualem thalamum parat puro & impolluto matrimonio? *Spiritus*, inquit, *ſanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi.*

Euthymius. 1080.

De faſcijs Domini, & Zona Deiparæ cap. 13. Hodie glorificetur zona ad gloriam eius, quæ eſt ſemper Virgo & Dei Mater.

Ad cap. 1. Matthæi: Quomodo Ioſeph tentaſſet, vel etiam cogitaſſet eam cognoſcere, quæ de Spiritu ſancto concepiſſet, tantumq́ facta eſſet receptaculum?

Michaël Glycas. 1120.

Parte 3. Annalium fol. 288. Anno 42. Auguſti Dominus noſter Ieſus Chriſtus ex perpetua Virgine Maria natus eſt.

Nicephorus Calliſtus. 1300.

Eccleſ. Hiſtoriæ lib. 1. cap. 7. Anna aluo infœcunda, cùm ob ſterilitatis cauſam non haberet communes cum matronis & matribus à lege tributos honores, exemplo matris Samuelis, ipſa quoque fit ſupplex Deo, & in templo ſedulò verſatur, ne ſcilicet à benedictionibus legis excluderetur, ſed vt ei matri eſſe liceret, orans: ac quod paritura eſſet, ipſi Deo dicaturam ſe eſſe vouens. Sed enim diuino nutu ad eam, quam petierat gratiam, Anna confirmata atque roborata, poſtquam puella è maternis prodijt locis, Mariam eam ſtatim nominauit. Vt verò infans à lactè materno iam abhorruit, & mammam attingere noluit, promiſſionem mater adimplet, & in templum aſcendens iuxta votum, eam Deo conſecrat, tertium iam tum ætatis agentem annum. Poſtquam adoleuit, conſilium ſacerdotes agitârunt, quid de ea ſtatuerent, ne in ſacrum eius corpus admittere quicquam viderentur. Sacrilegium namq́ prorſus ſe commiſſuros putabant, ſi viro eam coniungerent, atque in ſeruitutem coniugalis legis redigerent, quæ ſemel Deo dicata eſſet, &c. Sæpe & multum re deliberata, diuinitus eis per inſpirationem oſtenditur, vt eam alicui, qui ad templũ ſedulò eſſet, ſponſæ nomine committerent. Eum verò talem eſſe debere, cui rectè virginitatis cuſtodia demandaretur, &c.

Ioannes Cantacuzenus. 1350.

Apologia 1. Mons hic eſt Diua virgo, quæ Filium & Verbum Dei ſecundùm carnem peperit: lapis autem abſque manuum opera abſciſſus, Chriſtus eſt, qui quidem natus eſt ex ipſa, ſed non ex viro, quod per illud intelligitur, cum ſine manibus dicitur abſciſſus, &c. Ipſe Maomet, & omnes Maſulmanni confitentur, quòd Chriſtus ex Diua Virgine Maria, citra virilem operam natus ſit, quòd Virgo ipſum pepererit, & quòd virgo poſt partum permanſerit, ſemperq́ Virgo eſſe deprehendatur.

Hieremias Conſtantinopolitanus. 1580.

Reſponſo 1. cap. 3. Chriſtus è Virgine viri experte natus eſt: virginitate eius & ante partum, & in partu, & poſt partum ab illo cuſtodita.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Tertullianus. 200.

De Virginibus velandis cap. 6. Scribens Apoſtolus ad Galatas: *Miſit*, inquit, *Deus filium ſuum factum ex muliere.* Quam vtique virginem conſtat fuiſſe, licet Hebion reſiſtat. Agnoſco & Angelum Gabrielem ad Virginem miſſum: ſed cùm benedicit illam, inter mulieres, non inter virgines deputat: *Benedicta tu inter mulieres.* Sciebat & Angelus mulierem etiam virginem dici. Gal. 4. Luc. 1.

De carne Chriſti cap. 17. In virginem adhuc Euam irrepſerat verbum ædificatorium mortis. In Virginem què introducendum erat Dei verbum extructorium vitæ, vt quod per huiuſmodi ſexum abierat in perditionem, per eundem ſexum redigeretur in ſalutem. Crediderat Eua ſerpenti, credidit Maria Gabrieli: quod illa credendo deliquit, hæc credendo deleuit.

Cyprianus. 250.

Lib. 2. ad Quirinum cap. 9. Quod hoc futurũ eſſet ſignum natiuitatis eius, vt de virgine naſceretur homo & Deus, hominis & Dei Filius, apud Eſaiam: *Et adiecit Dominus loqui ad Achaz dicens: Pete tibi ſignum à Domino Deo tuo. Et dixit Achaz: Non petã, & non tentabo Dominum Deum meum. Et dixit: Audite itaque domus Dauid: non puſillum vobis certamen cum hominibus, quoniam Deus præſtat agonem. Propter hoc dabit Deus ipſe vobis ſignum: Ecce Virgo in vtero accipiet, & pariet filium, & vocabitis nomen eius Emmanuel.* Iſa. 7.

Sermone de Natiuitate Chriſti: Erat Mariæ proprium priuilegium, quod nulla mulierum nec ante, nec deinceps meruit obtinere, quod erat ſimul mater & virgo ſingulis titulis inſignita. Vnde & matri plenitudo gratiæ debebatur, & Virgini abundantior gloria: quæ carnis & mentis integritate inſignis, ſpiritali & corporali intus & extra Chriſti præſentia fruebatur.

Zeno Veronenſis. 260.

Sermone de Circumciſione: O magnum Sacramentum, Maria Virgo incorrupta concepit, Virgo peperit, poſt partum Virgo permanſit.

Lactantius. 320.

Lib. 4. de vera ſapientia cap. 12. Deſcendens de cælo ſanctus ille Spiritus Dei, ſanctam Virginem, cuius vtero ſe inſinuaret, elegit. At illa diuino Spiritu hauſto repleta concepit, & ſine vllo attactu viri, repentè virginalis vterus intumuit. Quod ſi animalia quædam vento aut aura concipere ſolere omnibus notum eſt: cur quiſquam mirum putet, cùm Spiritu Dei, cui facile eſt quicquid velit, grauatam eſſe Virginem dicimus? Quod ſanè incredibile, niſi hoc futurum ante multa ſecula Prophetæ ceciniſſent. Salomon ita dicit: *Infirmatus eſt vterus Virginis, & accepit fœtum: & grauata eſt, & facta eſt in multa miſeratione mater Virgo.*

Cap. 13. Ipſe enim Pater Deus, & origo, & principium rerum, quoniam parentibus caret, ἀπάτωρ & ἀμήτωρ à Triſmegiſto veriſſimè nominatur, quòd ex nullo ſit procreatus. Idcirco etiam filium bis naſci oportuit, vt ipſe fieret ἀπάτωρ atque ἀμήτωρ. In prima enim natiuitate ſpirituali ἀμήτωρ fuit: quoniam ſine officio matris à ſolo Deo Patre generatus eſt. In ſecunda verò carnali ἀπάτωρ fuit, quoniam ſine Patris officio Virginali vtero procreatus eſt: vt mediam inter Deum & hominem ſubſtantiam gerens, noſtram hanc fragilem, imbecillemq́ naturam, quaſi manu ad immortalitatem poſſet educere, factus eſt & Dei Filius per ſpiritum, & hominis per carnem.

Hilarius. 350.

Lib. 10. de Trinitate: Corpus, quod Chriſtus aſſumpſit, id ex Virgine conceptum, formam eum eſſe ſerui effecit. Virgo enim non niſi ex ſancto Spiritu genuit.

Ambroſius. 370.

De Virgin. Inſtitutione cap. 5. Et tamen cùm omnes ad cultum virginitatis S. Mariæ aduocentur exemplo, fuerunt qui eam negarent Virginem perſeueraſſe. Hoc tantum ſacrilegium ſilere iam dudum maluimus, ſed quia cauſa vocauit in medium, ita vt eius prolapſionis etiam Epiſcopus argueretur, indemnatum non putauimus relinquendum: & maximè quia & mulierem eam legimus, ſicut in Cana Galilææ ipſe Dominus dicenti ſibi: *Vinum non habent fili*, reſpondit: *Quid mihi & tibi eſt mulier?* Et alibi legimus, quòd dixerit Matthæus de Ioſeph & Maria: *Inuenta eſt antequam conuenirent in vtero habens de Spiritu ſancto.* Et infra: *Non cognouit eam donec peperit.* Et iterum de Ioſeph: *Noluit eam traducere.* Et fratres Domini videntur ſignificare, quòd de Maria ſuſcepti ſint. Et Apoſtolus ait: *Poſtquam venit plenitudo temporis, miſit Deus Filium ſuum, factum ex muliere, factum ſub lege.* Quę ſingula notanda nobis ſunt, Ioan. 2. Matt. 1. Gal. 4.

vt qui illa legit, ſermonis huiuſmodi vinculo nõ alligetur. Reſpondeamus itaque ſuo ordine. De mulieris nomine quid mouemur? Ad ſexum retulit: non enim corruptelæ, ſed ſexus vocabulum eſt. Vulgi vſus non præiudicat veritati. Denique virginitas primum hoc nomen accepit. Nam cùm ſumpſiſſet Deus vnam de coſtis Adæ, & ſuppleuiſſet carnem in locum ipſius: *adificauit*, inquit, *eam in mulierem*. Vtique adhuc virum non cognouerat, & iam mulier vocabatur. Rationem quoque nominis huius Scriptura non tacuit, dicens: Quia *dixit Adam: Os de oſſibus meis, & caro de carne mea. Hæc vocabitur mulier, quoniam de viro ſuo ſumpta eſt.* Quia *ſumpta eſt*, inquit, *de viro ſuo*, non quia virum experta. Itaque quamdiu in paradiſo fuit, mulier vocata eſt, & cognita viro nõ erat. Vbi autem eiecta eſt de Paradiſo, tunc legitur, quia *Adam cognouit Euam mulierem ſuam, &* tunc *cõcepit & peperit filium.* Primus igitur ſolutus eſt nodus. Secunda quæſtio, quia ſcriptum eſt: *Antequã conuenirent, inuenta eſt in vtero habens.* Conſuetudo autem diuinæ Scripturæ eſt, vt cauſam, quæ ſuſcepta eſt, aſtruat, incidentem differat. Quo ſoluitur etiam tertia quæſtio, qua dictum eſt: *Non cognouit eam donec peperit filium.* Quid ergo? Poſtea cognouit? minimè. Denique ſcriptum eſt: *Ego ſum Deus, & donec ſeneſcatis ego ſum.* Nunquid igitur poſtquam ſenuerunt, quia *donec* dictum erat, Deus eſſe deſiuit? Item in Propheta Dauid legimus: *Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum.* Nunquid ſubiectis populis nationum, qui ante videbãtur inimici, cùm ſalutis auctorem negarent, ſimulachris ſeruirent: ad dextram Patris Filius ſedere deſiuit, aut in perpetuum non ſedebit? Quid autem præiudicat Mariæ, ſi cæleſtis conſilij myſterium Ioſeph non intellexit, & putauit Virginem non eſſe, quam prægnantem videret? Reſurrectionem eius Angeli ignorauerunt, quod ſignificant verſiculi: *Tollite portas Principes veſtras, & eleuamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ. Quis eſt iſte Rex gloriæ?* Interrogant quaſi ignorent, & alij reſpondent: *Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio, ipſe eſt Rex gloriæ.* Et repetiuit Propheta eoſdem verſiculos, & nihilominus illi quaſi ignorantes, iterũ interrogauerunt. Sic enim ſcriptum eſt: *Tollite portas Principes veſtras, & eleuamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ. Quis eſt iſte Rex gloriæ?* Quomodo ergo homo potuit diuinum ſcire ſecretum, quod Angeli neſciebant? Et in Eſaiæ libro habes: *Quis eſt iſte qui aduenit ex Edom, rubor veſtimentorum ex Boſor?* Et vtique minus erat hominem reſurrexiſſe, quàm virginem parturire. Etenim iam Heliæ precibus, Heliſæi orationibus mortui reſurrexerant, nunquam autem ante, nunquam poſtea Virgo generauit. Hoc autem opinatus eſt, quod traduceret eam quaſi ream, antequam ab Angelo moneretur: poſtea autem quaſi fidelis, nec dubius, virginitatis eius ſeruauit oraculum.

Gen.2. Gen.4. Matth 1. Pſal.109. Pſal.23. Iſa.63. 3.Reg.17. 4.Reg.4. Luc.1. Iſa.7.

Epiſt.81. ad Siricium Papam: Sed de via peruerſitatis proꝺuntur dicere: Virgo concepit, ſed non Virgo generauit. Quæ potuit ergo Virgo concipere, potuit virgo generare: cùm ſemper conceptus præcedat, partus ſequatur. Sed ſi doctrinis non creditur ſacerdotum, credatur oraculis Chriſti, credatur monitis Angelorum dicentium: *Quia non eſt impoſſibile Deo omne verbum.* Credatur Symbolo Apoſtolorum, quod Eccleſia Romana intemeratum ſemper cuſtodit, & ſeruat. Audiuit Maria vocem Angeli, & quæ ante dixerat: *Quomodo fiet iſtud?* non de fide generationis interrogans, reſpondit poſtea: *Ecce ancilla Domini, contingat mihi ſecundùm verbum tuum.* Hæc eſt Virgo, quæ in vtero concepit: Virgo, quæ peperit filium. Sic enim ſcriptum eſt: *Ecce virgo in vtero accipiet, & pariet filium.* Non enim concepturam tantummodo Virginem, ſed & pariturum virginem dixit. Quæ autem eſt illa *porta Sanctorum, illa exterior ad Orientem, quæ manet clauſa, & nemo*, inquit, *pertranſibit per eam, niſi ſolus Deus Iſrael?* Nonne eſt hæc porta Maria, per quam in hunc mundum Redemptor intrauit? Hæc porta iuſtitiæ, ſicut ipſe dixit: *Sine nos implere omnem iuſtitiam.* Hæc porta eſt Beata Maria, de qua ſcriptũ eſt, *quia Dominus pertranſibit per eam, & erit clauſa* poſt partum, quia Virgo concepit & genuit. Quid autem incredibile, ſi contra vſum originis naturalis peperit Maria, & Virgo permanet, quando contra vſum naturæ *mare vidit, & fugit*, atque in fontem ſuum Iordanis fluenta remeârunt? Non ergo excedit fidem quòd virgo peperit, quando legimus, quòd petra vomuit aquas, & in montis ſpeciem maris vnda ſolidata eſt. Non ergo excedit fidem, quòd homo exiuit de virgine, quando petra profluxit, ſcaturiuit ferrum ſuper aquas, ambulauit homo ſuper aquas. Ergo ſi hominem vnda portauit, non potuit hominem virgo generare, atque hominem, de quo legimus: *Et mittet illis Dominus hominem, qui ſaluos faciet eos, & notus erit Dominus AEgyptijs?*

Ezec.44. Matth.3 Pſal.113. Num.20 Exod.14. 4.Reg.6. Iſa.19. Iſa.7. Gen.24.

Damaſus. 380.

In Carminibus de Chriſto:

Quemq; vtero incluſum Maria, mox numine viſo
Virginei tumuêre ſinus, innuptaq; mater
Arcano obſtupuit compleri viſcera partu,
Auctorem paritura ſuum.

Prudentius. 380.

In Pſychomachia de pugna pudicitiæ & libidinis:

Nunquid & intacta poſt partum Virginis vllum
Fas tibi iam ſupereſt? poſt partum Virginis, ex quo
Corporis humani naturam priſca propago
Deſeruit, carnemq; nouam via ardua ſeuit,
Atq; innupta Deum concepit fœmina Chriſtum.

Contra Ebionem:

Innuba Virgo
Nubit Spiritui, vitium nec ſentit amoris.
Pubertas ſignata manet, grauis intus, & extra
Incolumis, florens de fertilitate pudica,
Iam mater, ſed Virgo tamen, mariti inſcia mater.

Hieronymus. 390.

Lib.1. contra Iouinianum cap.18. Loquatur Eſaias, ſpei noſtræ fideiq; myſterium: *Ecce Virgo in vtero concipiet, & pariet filiũ, & vocabis nomen eius Emmanuel.* Scio Iudæos opponere ſolere, in Hebræo verbum alma non virginem ſonare, ſed adoleſcentulam. Et reuera virgo propriè Bethula appellatur; adoleſcentula autem, vel puella, non alma dicitur, ſed naara. Quid eſt igitur, quod ſignificat alma? abſconditam virginem, id eſt, non ſolùm virginem, ſed cum ἐπιτάσει virginem: quia non omnis virgo abſcondita eſt, nec ab hominum fortuito ſeparata conſpectu. Denique & Rebecca in Geneſi, ob nimiam caſtitatẽ & Eccleſiæ typum, quem in ſua virginitate ſignabat, alma ſcribitur, non bethula: ſicut manifeſtum eſſe poterit ex ſermonibus ſueri Abraham, quos loquitur in Meſopotamia, & dicit: *Domine Deus domini mei Abraham, ſi tu dirigis viam meam, per quam ego ingredior, ecce dum ſtetero ſuper fontem aquæ, virgo, quæ egredietur vt hauriat aquam, & dixero ad eam: Da mihi paululum aquæ, vt bibam de hydria tua; & reſponderit, & tu bibe, & camelis tuis hauriam: hæc erit vxor quam præparauit Dominus filio domini mei.* In eo enim loco, in quo ait: *Virgo, quæ egredietur, vt hauriat aquam*, in Hebraico

ſcriptum eſt alma, id eſt, virgo ſecreta, & nimia parentum diligentia cuſtodita, aut certè oſtendant mihi, vbi hoc verbo appellẽtur & nuptæ, & imperitiam confitebor. *Ecce virgo in vtero concipiet, & pariet filium.*

Lib.2. aduerſus Pelagianos cap.2. Omnes hæretici errauerunt, non intelligentes myſterium natiuitatis eius: magisq; ad ſpecialem natiuitatem Saluatoris, quàm ad omnium hominum, referri poteſt hoc, quod dicitur: *Qui aperit vuluam, ſanctus vocabitur Domino:* Solus enim Chriſtus clauſas portas vuluæ virginalis aperuit, quæ tamen clauſæ iugiter permanſerunt. Hæc eſt porta Orientalis clauſa, per quam ſolus Pontifex ingreditur, & egreditur, & nihilominus ſemper clauſa eſt.

Ad cap.44. Ezechielis: Pulchrè quidam portam clauſam, per quam ſolus Dominus Deus Iſrael ingreditur, & dux, cui porta clauſa eſt, Mariam Virginem intelligunt: quę & ante partum, & poſt partum virgo permanſit. Etenim tempore, quo Angelus loquebatur: *Spiritus ſanctus veniet ſuper te, & virtus Altiſſimi obumbrabit te: quod autem naſcetur ex te ſanctum, vocabitur Filius Dei:* & quando natus eſt, Virgo permanſit æterna: ad confundendos eos, qui arbitrantur eam poſt natiuitatem Saluatoris habuiſſe de Ioſeph filios, ex occaſione fratrũ eius, qui vocantur in Euangelio. Super qua quæſtiuncula Romæ aduerſus Heluidium illius temporis hæreticum in adoleſcentia, non grandem librum ſcripſiſſe me noui.

Ezec.44. Luc.1. Marc.3.

Ruffinus. 390.

In explicatione Symboli: Sicut in ſancti Spiritus ſanctificatione nulla ſentienda eſt fragilitas: ita & in partu Virginis nulla intelligenda eſt corruptio. Nouus enim huic ſeculo datus eſt hic partus, nec immeritò: Qui enim in cælis vnicus Filius eſt, conſequenter & in terra vnicus eſt, quia & vnicè naſcitur. Nota ſunt omnibus & in Euangelijs decantata de hoc ſcripta Prophetarum, quę dicunt, quòd *Virgo concipiet, & pariet filium.* Sed & partûs ipſius mirabilem modum Ezechiel Propheta ante formauerat; Mariam figuraliter portam Domini nominans, per quam ſcilicet Dominus ingreſſus eſt mundum. Dicit ergo hoc modo: *Porta autem, quæ reſpicit ad Orientem, clauſa erit, & non aperietur, & nemo tranſibit per eam, quoniam Dominus Deus Iſrael tranſibit per eam, & clauſa erit.* Quid tam euidens dici de conſeruatione Virginis potuit? Clauſa fuit in ea virginitatis porta, per ipſam introiuit Dominus Deus Iſrael, & per ipſam in hunc mundum de vtero virginis proceſſit, & in æternum porta virginis clauſa ſeruata virginitate permanſit, &c. Pagani ſolent ridere nos, cùm audiunt prædicari à nobis virginis partum: propter quod paucis eorum obtrectationibus reſpondendum eſt. Omnis partus, vt opinor, ex tribus conſtat. Si adultæ ætatis ſit fœmina, ſi virum adeat, ſi non ſit illius vulua vitio ſterilitatis occluſa. Ex his tribus in hoc partu, quem prædicamus, vnum defuit, vir; & hanc partem (quia qui naſcebatur non erat terrenus homo, ſed cæleſtis) per cæleſtem Spiritum dicimus, ſalua Virginis incorruptione, completam. Et tamen quid mirum videtur, ſi virgo conceperit, cùm Orientis auem, quam Phœnicem vocant, in tantum ſine coniuge naſci vel renaſci conſtet, vt ſemper & vna ſit, & ſemper ſibi ipſa naſcendo vel renaſcendo ſuccedat? A pes certè neſcire coniugia, nec fœtus nixibus edere, omnibus palam eſt. Sed & alia nonnulla deprehenduntur, vti huiuſcemodi ſorte naſcendi. Hoc ergo incredibile videbitur, diuina virtute ad totius mundi redintegrationem factum, cuius exempla etiam in animalium natiuitate cernuntur? Et tamen mirandum, cur hoc gentilibus impoſſibile videatur, qui credunt Mineruam ſuam de cerebro Iouis natam: Quid ad credendum difficilius? aut quid magis contra naturam? Hic fœmina eſt, hic naturæ ordo ſeruatur, hîc conceptus, & partus temporibus ſuis editur. Ibi nuſquam fœmineus ſexus, ſed vir ſolus & partus. Qui illa credit, cur iſta miretur? Sed & Liberum de femore eius aſſerũt natum. Ecce aliud portenti genus, & tamen creditur. Venerem quoque, quam Aphroditem vocant, de ſpuma maris (ſicut etiam nominis ipſius compoſitio oſtendit) credunt eſſe progenitam: de quo natos Caſtorem, Pollucemq; confirmant: ex formica Myrmidones; & alia mille ſunt, quæ contra rerum naturam venientia, ipſis tamen viſa ſunt credibilia: vt Deucalionis & Pyrrhæ lapides iactos, & hominum ex his ſegetem natam. Et cùm hæc tot & talia figmenta crediderint, vnum eis verbum impoſſibile videtur, quòd adoleſcens fœmina diuinum germen, non hominis vitio, ſed Deo inſpirante conceperit.

Gaudentius. 400.

Tract.2. de lectione Euangelij, qui eſt ordine nonus: Qui ſine corruptela matris cõceptus creditur, cur nõ etiã ſine corruptela editus præſumatur? Incorrupta Virgo peperit, quod intacta virgo concepit. Integritatem naſcendo violare non potuit, qui venerat redintegrare naturam. Cuius facti fidem, ſi quis adhuc terrena cogitatione depreſſus, ſenſuq; carneo præpeditus, tardiore gradu ſequitur, ac de Dei omnipotentia infideli corde cunctatur: diſcat ex Euangelio Ioannis, eundem Deum poſt reſurrectionem ſuam, bis ad Apoſtolos, vbi erant in domo congregati, propter metum Iudæorum, clauſis vtique ianuis introiiſſe, & certò introgreſſus, &c. O miranda fides, referatæ non ſunt ianuę, & ipſe intrinſecus, cum vero corpore, Apoſtolicis non ſolùm videtur oculis, ſed & manibus pertractatur. Veritas mirabilis facti, cuius rationem non niſi ſola fides aſſequitur, omnipotẽtiam clamat auctoris: nec ideo negabitur factum, quia magnitudinem diuini operis puſillitas mentis humanæ non tenuerit. Eadem ergo diuinitatis virtute, per inuiolabilem fœminam, mundi huius intrauit hoſpitium, clauſtrum virginei pudoris etiam naſcendo conſeruans, qui poſt reſurrectionem ianuis obſeratis domum potuit corporeus introire.

Auguſtinus. 400.

Lib.4. de Symbolo ad Catechumenos cap.4. Aluus tumeſcit Virginis, clauſtrum pudoris permanet, impletur vterus matris ſine vllo cõplexu patris: ſentit prolem, quæ ſe ignorat coniugem. Angelus ad Virginem loquitur, à virgine cor præparatur: Chriſtus fide concipitur. Miraris hæc? Adhuc mirare. Parit mater & virgo, fœta & intacta: naſcitur filius ſine homine patre, qui fecit & ipſam matrem.

De ſancta Virginitate cap.4. Ipſa quoque Virginitas Marię ideo gratior & acceptior, quia non eam conceptus Chriſtus viro violaturo, quam conſeruaret ipſe, præripuit, ſed priuſquam conciperetur, iam Deo dicatam, de qua naſceretur, elegit. Hoc indicant verba, quæ ſibi fœtum annuntianti Angelo Maria reddidit: *Quomodo*, inquit, *fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?* Quod profectò non diceret, niſi Deo Virginem ſe ante vouiſſet. Sed quia hoc Iſraelitarum mores adhuc recuſabant, deſponſata eſt viro iuſto, non violenter ablaturo, ſed potius contra violentos cuſtodituro, quod illa iam vouerat.

Iſaiæ 7. Luc.1.

Maximus Taurinenſis. 430.

Homilia 3. de Natiuitate Domini: Non putas Deum nouũ puerum in aluo Virginis potuisse formare, qui cùm primum conderet hominem, nec semen patris, nec viscera materna quæsiuit? Dic itaque, quicunque es supernæ dispensationis arbiter, & discussor, quæ tibi videtur virtus eminentior, partum dedisse Virgini, aut perfectum hominem creasse de terra? *Primus enim homo,* vt ait
1.Cor.15. Apostolus, *de terra terrenus, secundus homo de cælo cælestis.* Si contra naturam esse contendis, quod in mysterio redemptionis nostræ, sine viro puella asseritur cõcepisse: cuius, quæso, naturæ est, quòd in parente generis nostri caro sine carne formata est? Quæ ista est ratio, imò quàm cæca contentio, vt non credatur Deus facere hominem posse de fœmina, quem creditur fecisse de puluere? si omnipotentis, ô homo, tali in negotio esse perspicis voluntatem, de opere cur retractas? *Omnia*
Psal.134. enim, sicut legitur, *Dominus, quæcunque voluit, fecit in cælo, & in terra.*

Eucherius Lugdunensis. 450.

Homilia 2. de Natiuitate Domini: Non vsquequaque miremur, si is, qui fidei semine acquiritur, salua materni pudoris fide inuiolabiliter procreatur. Itaque ad Euangelium recurramus: miraculum illud, quod Euangelista protulit, tempore resurrectionis, dignè mihi vsurpem etiam tempore natiuitatis, cum Ioanne dicendo: *Venit Iesus ianuis clausis, & stetit in medio.* Ecce iam nunc ianuis clausis processit in mundum, materni pudoris si-
Ezec.44. gnaculo minimè refignato, simulq; illud impletur propheticũ Ezechielis oraculum: *Et porta erat clausa, & non est aperta, quia Dominus transiuit per eam.* Eadem nunc potentia mundi istius ianuam per partum inuiolatæ matris intrauit, qua postmodum ad discipulos clausis foribus penetrauit. Quid hîc rationem quærimus? quid intellectum fatigamus? *Generationem eius quis enarrabit?* Quid nouitatem stupemus, vbi cernimus maiestatem? Miramur Dominum nostrum absque vllius viri semine intra virginea viscera hominem consummasse, quem scimus cæli terræq; immensitatem ex nihilo condidisse? &c. Secundùm hanc ergo potentiam credamus Dominum nostrum absque vllo sexus initio ex sola fœmina virum creasse, quem scimus inter ipsa initia generis humani ex solo viro fœminam condidisse.

Petrus Chrysologus. 450.

Serm.59. *Qui natus est de Spiritu sancto, ex Maria Virgine.*) Quid terrenum nascitur, vbi auctore Spiritu virgo vocatur in partu? Quis non diuinum credat, quando quæ peperit nil sensit humanum? Deum mulier virgineo portabat in templo: hinc est, quòd & acquisiuit honorem matris, & virginitatis gloriam non amisit.

Sermone 117. Virgo concepit, Virgo parturit, Virgo permanet.

Leo Magnus. 450.

Sermone 2. de Natiuitate Domini cap.2. Noua natiuitate genitus est, conceptus à Virgine, natus ex Virgine, sine paternæ carnis concupiscentia, sine maternæ integritatis iniuria, &c. Humano vsu & cõsuetudine quod credimus caret, sed diuina potestate subnixum est, quod Virgo conceperit, Virgo pepererit, & Virgo permanserit.

Sedulius. 460.

Libro 2. Paschali:

Hæc ventura senes postquam dixêre Prophetæ,
Angelus intactæ cecinit properata Mariæ,
Et dictum comitata fides, vterumq; puellæ
Sydereum mox implet onus, rerumq; Creator
Nascendi sub lege fuit: stupet innuba tensos
Virgo sinus, gaudetq; suum parituram parentem
Iamq; nouem lapsis decimi de lumine mensis
Fulgebat sacrata dies, cùm Virgine fœta
Promissum compleuit opus, Verbum caro factum,
In nobis habitare volens: tunc maximus infans,
Intemerata sui conseruans viscera templi,
Illæsum vacuauit iter, pro virgine testis
Partus adest, clausa ingrediens, & clausa relinquens.

In hymno Alphabeti, &c.

Clausa parentis viscera
Cælestis intrat gratia:
Venter puellæ baiulat
Secreta, quæ non nouerat.
Domus pudici pectoris
Templum repentè fit Dei:
Intacta, nesciens virum,
Verbo concepit Filium.

Gennadius Massilienſis. 480.

De Ecclesiasticis dogmatibus cap.68. Integra fide credendum est, Beatam Mariam Dei Christi matrem & Virginem concepisse, & post partum Virginem permansisse: nec est blasphemiæ Heluidij acquiescendum, qui dixit: Fuit virgo ante partum, non virgo post partum.

Fulgentius. 500.

Sermone 3. de laudibus Mariæ ex partu Saluatoris: De cælis medicus transiens per virginem, post transitum suum illæsam fecit Virginem permanere. Qui enim disrupta corporum mẽbra in alijs poterat integrare tangendo, quanto magis in sua matre, quod inuenit integrum, potuit non violare nascendo? Creuit enim eius partu integritas corporis potius, quàm decreuit: & virginitas ampliata est potius, quàm fugata.

Turcius Ruffus. 500.

In Collatione veteris ac Noui Testamenti:

Virgo Maria nitet, nullo temerante pudorem,
Post partum, pueri, Virgo Maria nitet.

Alcimus Auitus. 500.

Libro ad Sororem:

Tu Mariam sequeris, dono cui contigit alto
Virginis & matris gemina gaudere corona,
Conciperet cùm carne Deum, cæliq; Creator
Intraret clausum reserans mysteria ventrem,
A genitrice satus, sed quam formauerat ante:
Qui nitidam elegit, de qua procederet, aluum,
Solus qui carnis proprium disponeret ortum,
Præscireq; diem longè, tempusq; videret
Quo pariendus erat: quod vbi tamq; adfore nouit,
Intactam Matrem pro spermate sanctus adumbrat
Spiritus, hac tantùm sanctum præbente cruorem.
Inde caro Verbum efficitur, &c.
Seminis hinc expers omninò, & temporis illinc.
Sic Virgo fœcunda fuit, quæ pondere casto
Factorem portare suum, Dominumq; perennem
Edere promeruit, dignoq; agnomine dici
Virgo Dei Mater.

Hormisdas. 514.

Epist.76. Proprium est Dei Filij, vt in nouissimis temporibus Verbum caro fieret, & habitaret in nobis: ita intra viscera sanctæ Mariæ Virginis genitricis Dei, vnitis vtrisque sine aliqua confusione naturis, vt qui ante tempora erat Filius Dei, fieret filius hominis, & nasceretur ex tempore hominis more, matris vuluam natus non aperiens, & virginitatem matris Deitatis virtute non soluens. Dignum planè Deo nascẽte mysterium, vt seruaret partum sine corruptione, qui conceptum fecit esse sine semine, seruans quod ex Patre erat, & repræsentans quod ex Matre suscepit.

Fortunatus. 570.

Libro 1. de partu Virginis:

Dignus ager Domini, generans sine semine frugem,
Et ne casta seges messe repleta places:
Sola sine exemplo fœcunda, & libera nexu,
Ignara amplexus mater opima sinu:
Virgo intacta manens, fidei vbertate marita,
Inscia coniugio, fœta negante viro:
Accipis, vt nescius: sic reddis, vt integra consles:
Nec violata paris, nec pariendo doles.

Lib.2. de Natiuitate Christi:

Maria ventre concipit
Verbi fidelis semine,
Quem totus orbis non capit
Portant puellæ viscera.
Radix Iesse tam floruit,
Et virga fructum edidit:
Fœcunda partum protulit,
Et Virgo mater permanet.

Gregorius Turonensis. 580.

De gloria Martyrum lib.1.cap.9. Maria Virgo gloriosa, genitrix Christi, vt ante partum, ita virgo creditur & post partum.

Gregorius Magnus. 600.

In Psalmum 4. Pœnitentialem: Sicut Maria Christum peperit Virgo, & post partũ incorrupta permansit: ita & mater Ecclesia filios Dei sine dolore generat, & virgo semper illibata perseuerat.

Isidorus Hispalensis. 620.

De Vita & obitu Sanctorum cap.68. Maria virgo sancta, virgo fœta, virgo ante partum, virgo post partum, virgo in partu.

De doctrina & fide cap.35. Integra fide credẽdum, beatam Mariam esse Christi matrem, & Virginem genuisse, & post partum virginem permansisse: nec hîc blasphemiæ Heluidij acquiescendum, qui dicit: Virgo ante partum, non Virgo post partum.

Eligius. 640.

Homilia 2. in die Purificationis Mariæ: Maria sine susceptione seminis virilis virgo concepit, & virgo peperit.

Hildephonsus. 650.

De Virginitate Dei Genitricis cap.1. De prole ab Angelo pudicitia admonetur, de nomine prolis virginitas certificatur, & post fœtum integra & pudica manes: nasciturum ex te sanctum, Dei Filium vocitandum, tibi ab Angelo euangelizatur.
Luc. 1. *Quomodo fiet* quæris? de origine interrogas? de ratione perscrutaris? *Spiritus sanctus superueniet in te, & Altissimi virtus obumbrabit tibi,* &c. Sine consortio virili Dei Filium edidisti, & post fœtum illibata mansisti. Ex fœtu & virginitate læta manes: ex prole & pudore gauisa es honore parentis. Et Filio, & sponso fidelis, ita seruans Filio fidem, vt ne ipse quidem carnis suæ nouerit genitorem: ita seruans sponso fidem, vt ipse te sine viro nouerit genitricem. Tanto gloriabunda in Filio, quanto virorum omnium nescia tactus, &c. Si virgini nostræ aut generationem, aut integritatem adimis, grandi dedecore Deo iniuriam facis. Negas enim valuisse incorruptam seruare, quem fateris absque corruptione adire Virginem potuisse. Negas Deum, quod vellet facere quiuisse, quem concedis Genitricem integram inuenisse, corruptioni deditam reliquisse. Vt ergo asseris, omnipotentis diuinitas, non profuit virginitati, sed obfuit: quia dum virgineum decus nascendo violauit, summam virginitatem destruxit: ac per hoc ipsum astruis Virginem deturpasse nascendo, quam decorauerat ipse creando. Obmutescat os talia proloquens, &c. Ecce enim Virgo ex Deo, virgo ex homine, virgo attestante Angelo, virgo iudice sponso, virgo ante sponsum, virgo cum sponso: indubitata virgo etiam dubitante sponso. Virgo ante Filij aduentum, virgo post Filij generationem: virgo cum Filij natiuitate, virgo post Filium natũ. In partu virgo, cum partu virgo, post partum virgo.

Beda. 700.

Homilia in Vigilia Paschæ: Qui mortalis adhuc clauso virginis vtero potuit nascendo mundum ingredi, ipse absque vlla dubitatione iam factus immortalis, clauso licet sepulchro, potuit resurgendo exire de monumento.

Ad cap.2. Lucæ: Nota quòd non omnis mulier pariens, sed ea, quæ suscepto semine pepererit, designatur immunda, rituq́ue legis docetur esse mũdanda, ad distinctionem videlicet illius, quæ virgo cõcepit & peperit Filium, &c. Quod ait, adaperiens vuluam, consuetæ natiuitatis more loquitur: non quòd Dominus noster sacri ventris hospitium, quod ingressus sanctificârat, egressus deuirginasse credendus sit, iuxta hæreticos, qui dicunt, beatam Mariã virginem vsque ad partum, non virginem esse post partum; sed iuxta fidem Catholicam clauso virginis vtero, quasi sponsus suo processisse de thalamo.

Alcuinus. 750.

Lib.3. de Trinitate cap.14. Maria virgo salua sui integritate corporis Deum edidit & hominem: quę fuit Iana mundissima, & virginitate clarissima, & incomparabilis vniuersis, quæ erant sub cælo, virginibus, &c. Hæc sola Virgo ex Spiritu sancto & virtute Altissimi concipiens, ac sic glorificata, vt Deum Dei Filium coæternum & consubstantialem Patri generaret virgo: virgo ante partum, virgo in partu, virgo post partum.

Ambrosius Ansbertus. 770.

Sermone de Purificatione Mariæ: Cunctis fidelibus liquet, nequaquam Redemptoris nostri Matrem ex eius natiuitate maculam contraxisse, qua illorum dierum spacio à sacris ædibus abstinens purgaretur: quæ sine humana concupiscentia, sine humano concubitu, virgo concepit, sine aliqua carnis corruptione virgo peperit, & sine fine virgo permansit.

Haymo. 800.

In Epist. de Assumptione Virginis: Maria prima omnium virginitatem suam sine macula seruare deuouit, sicut Angelo Gabrieli Domini conceptionem nuntianti respondit: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* id est, ne cognoscerem, disposui.

De Circuncisione Domini: Dei genitrix virgo permansit post partum, quia virum non cognouit ante partum. De cuius perpetua virginitate Ezechiel Propheta dicit: *Conuerti me ad portam domus*
Ezec.44. *Domini, quæ respiciebat ad Orientem. Et dixit Dominus ad me: Porta quidem hæc clausa erit, & vir non transiet per eam, quia Dominus Deus Israel ingredietur per eam?* Et quid est, quòd Dominus ingressus est per eam, & clausa erit principi, nisi quia Dominus matri suæ sic contulit fœcunditatem, vt virginitatem non auferret? Dignum quippe erat, vt cùm Deus homo fieret, non ex alia, quàm ex virgine nasceretur: & virgo quæ pareret, non alium quàm Dominum peperisset: & ideo sicut virgo ante partum, sic virgo post partum permansit.

Rabanus Maurus. 840.

De Vniuerso libro 4. cap.10. Integra fide credẽdum est beatam Mariam Dei Christi matrem & virginem genuisse, & post partum virginem perman-

fisse: nec in hoc blasphemiæ Heluidij acquiescendum, qui dixit: Virgo ante partum, nō virgo post partum.

Ericus. 880.

Homilia de Purificatione Mariæ: Quod dicit, *adaperiens vuluam*, non est credendum, vt hæretici affirmare conati sunt, quòd Christus vterum matris, quem ingressus sanctificauerat, egressus virginitate priuauerit. Ipsa enim est porta, de qua scriptum
Ezec.44. legimus: *Porta hæc clausa erit, & vir non transiet per eā: quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam, erit q; clausa.* Deus namque veram ex virgine suscipiens carnem, perfectionē ex ea humani corporis sumpsit, virginitatis ei gratiam non ademit. Neque enim decebat, vt Creator humanę carnis Deus, qui in prima conditione homini virginitatem tribuerat, idem quod fecerat redempturus, virginitatem carni, de qua nascebatur, auferret.

Altercatio Synagogæ & Ecclesiæ. 890.

Capite 19. Maria virgo genuit, quia virgo concepit: inuiolata peperit, quia in conceptu libido non fuit. Vtrobique miraculum, & sine corruptione grauida, & in partu virgo puerpera, &c. Non maritali thoro coniunx facta est, quæ sponsa vocata est, quia virgo concepit, virgo peperit, virgo permansit.

Pelegrinus Laureacensis. 960.

In Symbolo: Filius Dei noua natiuitate est genitus: quia incorrupta virginitas & virilem coitum nesciuit, & fœcunda per Spiritum sanctum carnis materiam ministrauit.

Berno Augiensis. 1020.

Sermone de Natiuitate Christi: Hodie iuxta vaticiIsaiæ 7. nium Esaię Filium Dei, quem Maria Angelo nuntiante concepit, peperit, & post partum virgo permansit.

Petrus Damianus. 1050.

Sermone 3. de Natiuitate B. Mariæ: O mirabiliter fœcunda virginitas, quæ nouo & inaudito miraculo, & mater dici possit, & virgo. Qui toto mundo non capitur, puellæ innuptæ membris infunditur. Sentiebat quidem pondera ventris, quę pudorem non amiserat castitatis. Mirabatur partūs insignia, quæ nulla nouerat viri contagia. Erat spes in partu, cùm non fuisset voluptas in coitu. Immensum concepit, æternum genuit, genitum ante secula parturiuit, qui sibi & munus fœcunditatis attulit conceptus, & decus virginitatis non abstulit natus: qui antequam nasceretur, talem creauit eam, vt ipse dignè nasci posset ex ea.

Anselmus. 1080.

Homilia in Euangelium Lucæ cap. 10. Huiusmodi castello non incongruè virgo Maria assimulatur, quam virginitas mentis & corporis, quasi murus, ita vndique vallauit, vt nullus vnquam libidini esset ad eam accessus, nec sensus eius aliqua corrumperetur illecebra.

Iuo Carnotensis. 1100.

Sermone de Annuntiatione B. Mariæ: Sicut omni corruptione caruit iste conceptus, ita quicquid hæretici garriunt, in concipiendo & pariendo virginis vterus permansit intemeratus, &c. Quæ ratio est, vt non credatur Deus hominem posse facere de viro sine fœmina, qui primum hominem nec de viro fecit, nec de fœmina?

Rupertus Tuitiensis. 1120.

In Canticum Canticorum cap. 6. Quando Spiritus sanctus in te (*Maria*) superuenit, & filium virgo concepisti, virgo peperisti, tūc tu ex tunc pulchra pulchritudine diuina, *pulchra*, inquam, non quomodocunque, sed vt *luna*.

Ad caput 1. Matthæi: Maria sine viro virgo concepit, virgo peperit, & post partum virgo permansit. Quis enim alius, nisi Deus, ianuam ventris sic aperiet, vt & pareret, & virgo permaneret?

Honorius Augustodunensis. 1120.

Sermone in Annuntiationem Mariæ: Ezechiel portam semper clausam vidit, per quam solus Rex Regum transiuit, & clausam reliquit. Sancta Maria est cæli porta, quæ ante partum, & in partu virgo fuit, & post partum virgo permansit.

Hugo Victorinus. 1130.

De Mariæ Virginitate perpetua, cap. 1. Nondum coniunx erat Maria, quando ad eam missus est Angelus, sed tantùm desponsata erat: & idcirco fieri potuit, vt non mutauerit propositum virginitatis quando desponsata est, & mutauerit quando coniunx facta est. Hoc fortassis pro parte tua oppones. Sed absit à nobis, vt credamus eam, postquam se cælesti partu fœcundandam audierat, vllatenus ad carnale commercium assensum præbuisse, quæ & priusquam diuini arcanum sacramenti (quod in se complendum erat) didicisset, votum virginitatis conseruādæ, tam inuiolatum tenuit, vt cùm se futuram coniugem sponderet, illud tamen eadem nihilominus, qua cœperat deuotione, eadem perseuerantia in finem vsque custodiendum proponeret. Desponsata ergo erat, & coniunx erat, & vera virgo erat, & virginitatis propositum non reliquerat. Confitemur itaque virginem desponsatam, confitemur virginē coniugem factam, postea matrem quoque & virginem semper virginitatis propositum inuiolatum tenuisse, & castitatis decus perpetuū regnasse cum pudicitia coniugis, & honore parentis.

Bernardus. 1130.

Sermone 4. in Vigilia Natalis Domini: Non solùm sine pudore conceptus, & sine dolore partus; sed & mater est sine corruptione. O verè nouitas inaudita: Virgo peperit, & post partum inuiolata permansit, fœcunditatem prolis cum carnis integritate, & gaudium matris habens cum virginitatis honore.

Petrus Lombardus. 1140.

Lib. 4. dist. 28. Proposuerat Maria in virginitate manere, nisi Deus aliter facere iuberet, secundùm
Lucæ 1. quod videtur Angelo dixisse: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* id est, me non cognituram proposui. Neque enim quia virum tunc non cognoscebat, necesse erat inquiri, quomodo posset habere filium, sed quia se nunquam cognituram proposuerat.

Godfridus Viterbiensis. 1160.

In Chronicis parte 14. de Mariæ Virginis origine & vita: Maria virgo sancta, virgo perfecta, virgo ante partum, virgo in partu, virgo post partum.

Arnulphus Lexouiensis. 1160.

De Natiuitate Domini:

Virginis integritas saluo fœcunda pudore
Concipit, atque virum parturit absque viro.
Nec reserat partus signati claustra pudoris,
Absque viro genitus, editus absque viro.

Petrus de Riga. 1170.

In Euangel.

Arca Maria fuit, semen seruatur in illa,
Et regit, & seruat, & tegit ista suos:
Hæc rubus est Mosi, rubus est immunis ab igne:
Virgineum tetigit nulla libido decus.
Et virgo virgam sub germine protulit ista,
Flores absque viro protulit illa Deum.

Guarri-

Guarricus Igniacensis. 1180.

Sermone 1. de Purificatione Mariæ: Maria non tam purificata fuit, quàm mysterium purificationis commendauit: implendo legalem, commendando spiritalem. Quid enim in ea purificandum esse potuit, quæ Virgo concepit, virgo peperit, virgoqúe permansit?

Adam Victorinus. 1180.

In Prosa de Purificatione B. Mariæ:

Rubus quondam exardebat,
Et hunc ardor non vrebat,
Nec virorem nocuit.
Sic ardore spiritali,
Non attactu coniugali,
Virgo Deum genuit.

In Prosa de Purificatione B. Mariæ: Lætare mater & virgo nobilis, Gabrielis Archangelico quæ oraculo credula, genuisti clausa Filium. Te virga arida Aarō flore speciosa præfigurat Maria, sine viri semine nato floridam. Tu porta iugiter serata, quam Ezechielis vox testatur Maria, soli Deo peruia esse crederis.

Innocentius Tertius. 1200.

In Encomio Beatissimæ Virginis Mariæ: Miranda fœcunditatis prærogatiua, quòd talis talem taliter genuit. Talis virgo ante partum, & virgo post partum: qualiter, Angelo annuntiante, Spiritu sancto operante, virtute Altissimi obumbrante: qualem, sanctum sanctorum, vnicum matris virginis, vnigenitum Dei Patris, Deum & Dominum maiestatis. O quàm bene, quàm rectè flos dicitur, qui ex virginali virga producitur, in quo semper sunt quæ miremur.

Iacobus Vitriacus. 1220.

Dominica 11. post Octauas Pentecostes: Fuit beata virgo specialis locus Dei hominis, sicut Ezechiel
Ezec.44. ait: *Porta hæc clausa erit, & non aperietur, & vir nō transiet per eam, erit q; clausa principi. Princeps ipse sedebit in ea, vt comedat panem coram Domino.* Hæc porta est B. Virgo, quæ clausa fuit: quia virgo ante partum, virgo in partu, virgo post partum. Vir non transiuit per eam, quia virilis consortij ignara.

Thomas Aquinas. 1250.

Tertia parte q. 28. art. 1. Simpliciter confitendum est matrem Christi virginem concepisse. Contrarium enim pertinet ad hæresin Ebionitarum & Cerinthi, qui Christum purum hominem arbitrantur, & de vtroque sexu eum natum putauerunt.

Art. 3. Absque omni dubio detestandus est error Heluidij, qui dicere præsumpsit, matrem Christi post partum à Ioseph esse carnaliter cognitam, & alios filios genuisse. Hoc enim primò derogat Christi perfectioni. Secundò hic error iniuriam facit Spiritui sancto, cuius sacrarium fuit vterus virginalis. Tertiò derogat & sanctitati matris Dei.

Bonauentura. 1260.

In lib. 4. Sentent. dist. 30. *Accepit Mariam coniugem suā.*) ex duplici verbo prædicto ortum habuit vilissima hæresis Heluidianorum, qui fatentur beatam Virginem post generationem Christi fuisse cognitam à Ioseph: sed hæresis ista est omnino irrationabilis, quòd beatissima mater Dei, ex quo fuit templum Dei & Spiritus sancti operi carnis vacaret: & hoc non potest cadere nisi in animam impiam & stultam: credere scilicet tantam in matre Dei indignitatem. Ideo erroneum est, & pernitiosum, & Dominus in morte istum errorem euacuauit, quando eam beato Ioanni recommendauit, & dedit sibi in solatium loco filij, nec illū dedisset, si filios habuisset.

Parte quarta Breuiloquij cap. 3. De modo incarnationis hoc tenendum est, quòd Angelo nuntiante Virgini mysterium incarnationis perficiendum in ipsa, Virgo credidit, apperijt, & consensit: Spiritus sanctus in eam superuenit, ad sanctificādum & fœcundandum, cuius virtute Virgo concepit Dei Filium, quem virgo peperit, & post partum virgo permansit.

Rainerus Pisanus. 1300.

In Pantheologia de Incarnatione cap. 10. Mater Dei permansit semper virgo post partum. Probo authoritate Ezechielis 44. vbi dicitur sub figura sic: *Porta hæc clausa erit, & non aperietur* &c.

Nicolaus Lyranus. 1320.

Ad caput 1. Matthæi: Creditur reuelatum esse ipsi Ioseph propositum Mariæ de obseruanda virginitate. Licet enim cogeretur ad matrimonium contrahendum, secundùm temporis illius modum, tamen habebat virginitatem in desiderio & proposito, sed votū non expressit. Contraxit igitur matrimonium, committens se diuinæ voluntati: & tunc ex reuelatione diuina creditur, quòd Ioseph cognouit propositum Mariæ, & tunc ex communi consensu vouerunt virginitatem: quia, vt creditur, Ioseph adhuc virgo erat. Cuius ratio est, quia cùm Christus in passione sua nulli matrem seruandam tradidit nisi virgini, non est probabile, quòd ante conceptum, dum adhuc iuuencula esset, traderetur alicui nisi virgini custodienda.

Et non cognouit eam, donec, &c. Ex hoc loco dixit Heluidius hæreticus, quòd Maria, licet à Ioseph non sit cognita ante partum, tamen post eius partum ab eo cognita fuit, &c. Sed hoc nō valet: quia, sicut dictum est, Maria & Ioseph virginitatem vouerant. Item Beata Maria fuisset ingratissima, si tanto ac tali Filio non fuisset contenta. Item Ioseph, qui dicitur sanctus, sceleratissimus & præsumptuosissimus fuisset, si templum Spiritus sancti, & speciale habitaculum Dei violare ac polluere præsumpsisset.

Albertus Patauinus. 1320.

Sermone 131. Beata Christi mater ante partum, & in partu, & post partum virgo fuit: & hoc contra Iudæos, qui virginitati eius per conceptum derogant: & contra Physicos, qui virginitatem parientis non credunt: & contra Heluidium, qui post Christi partum alios filios Christi matrem mentitus est habuisse.

Ludolphus Saxo Carthusianus. 1330.

Vitæ Christi parte 1. cap. 5. Missus est Angelus ad virginem, non quamlibet; sed virginem mente, virginem corpore, virginem professione.

Ioannes Taulerus. 1350.

In Festo Purificationis Mariæ: Maria Filium Dei per Spiritus sancti operationem concepit & peperit, virgo manens perpetua, omni ornata puritate.

Hieronymus à Sancta Fide. 1400.

Contra Iudæos lib. 1. c. 4. Per portam clausam virginis Mariæ intellige virginitatem, per quam nemo nisi Dominus Deus Israēlis humanatus transiuit. Nam alioquin hæreticum esset, credere Dei diuinitatem locum aliquem occupare. Sunt ergo illa verba de gloriosa virginitate Mariæ hoc modo intelligenda: *Porta hæc clausa erit,* in conceptione: *non aperietur,* in partu: *& vir non transibit per eam,* post partum: *quoniam Dominus Deus Israelis,* Dei Filius Patri coæternus, *ingressus est per eam, & erit clausa* vsque in finem seculorum.

Ioannes

Ioannes Gerſon. 1420.

Sermone de Natiuitate Mariæ: Neque enim tibi laus altera præclarior, ô Maria, dari poteſt, quàm quòd ex te natus eſt Dominus Ieſus Chriſtus. Tibi quoque fuit vir Ioſeph iuſtus, & virgo, tuæ teſtis, & cuſtos virginitatis.

In Summa Theologica lib. 4. de Sacramento Matrimonij: Decuit virginem glorioſam vouere virginitatem, vt eſſet mater Chriſti incorrupta & corpore & voluntate. Perfecta enim incorruptio conſiſtit in voto virginitatis. Alia cauſa eſt, vt eſſet mulieribus exemplum virginitatis, ſicut Chriſtus eſt exemplum. Tertia cauſa eſt, propter ſanctitatem priuilegij, vt quam Altiſſimus fundauit, eſſet ſanctior & amabilior vniuerſis.

Dionyſius Carthuſianus. 1460.

Ad caput 1. Matthæi art. 3. *Et non cognouit eam* &c. Literaliter exponitur de cognitione copulæ carnalis, ita quòd Ioſeph non acceſſit ad eam maritali affectu, donec peperit Chriſtum. Sed nunquid poſtmodum eam cognouit? Non vtique. Tunc enim impijſſimus & præſumptuoſiſſimus extitiſſet, ſi templum Filij Dei, ſi ſacrarium Spiritus ſancti, ſi vterũ puritatis violaſſet: Maria quoque ingrata fuiſſet, ſi tanto Filio non fuiſſet contenta, &c.

Gabriel Bielius. 1480.

Lect. 32. in Canonem: Aptiſſimè ſyderi Maria comparatur, quia ſicut ſine corruptione ſydus ſuum emittit radium, ſic abſque ſui læſione Virgo parturit Filium, nec ſyderi radius ſuam imminuit claritatem, nec Virgini Filius ſuam integritatem.

Marcus Antonius Sabellicus. 1490.

Elegia 6. de Mariæ Virginitate:

Hactenus ecce tuos Virgo venerabilis ortus
Diximus, & gentis nobile ſtemma tuæ:
Virginitatis honos, mirandaq; gloria nunc me
Admonuit, cœptum dirige vatis iter.

Lib. 4. Exemplorum cap. 6. Fuit Deipara Chriſti mater non ſolùm virgo, ſed omnium etiam virginum decus & ſpecimen vnicum, vt nefas ſit ſanctiſſimum eius nomen in ordinem redigere, niſi pro typo ſit & virginitatis idea.

ASSERVNT IVDÆI VETERES.

Rabbenus Haccados.

Libro qui inſcribitur, Reuelator Secretorum: Quod Beth leuius dictionis Lemarbe, poſitum ſit in medio nominis Miriam, id eſt, Maria, oſtendit huius prophetiſſæ mentem & cogitationem omnem eſſe, vt ſuam virginitatem conſeruet. Erit enim Virgo mente & actu. Quoniam per bethula, id eſt, virgo ſignificatur.

ASSERVNT ORACVLA Sibyllina.

Sibylla Perſica.

Virgine matre ſatus, pullo reſidebit aſello,
Iucundus Princeps, &c.
Ille Deus caſta naſcetur Virgine magnus.

Sibylla Delphica.

Huius pertentant cor gaudia magna Propheta
Eximij, qui virginea conceptus ab aluo
Prodibit ſine contactu maris, omnia vincit
Hoc naturæ opera: at faciet qui cuncta gubernat.

Sibylla Samia.

Ecce dies, nigras quæ tollit læta tenebras,
Mox veniet, ſoluens nodoſa volumina Vatum,
Gentis Iudææ reſeret vt carmina plebi,
Hunc poterunt clarum viuorum tangere Regem,
Humano quem Virgo ſinu inuiolata fouebit,
Annuit hoc cælum, rutilantia ſydera monſtrant.

Sibylla Erythræa.

Lib. 8.

Et breuis egreſſus Mariæ de Virginis aluo
Exorta eſt noua lux. &c.

Nuntius hinc tali affatur ſermone puellam:
Accipe, Virgo, Deum gremio intemerata pudico.
Sic ait: aſt illam cæleſtis gratia molli
Lenijt afflatu, tum virginitatis amatrix
Perpetuæ, magno ſubitò correpta ſtupore
Atque metu, trepida preſſit formidine mentem,
Ignotis verbis commoto corde tremiſcens.
Hinc vt lætificis mens eſt recreata loquelis,
Erubuit malas ridens puerile venuſtas,
Lætitia dulciq; animum demulſa pudore.
Tunc ad ſe rediit, Verbumq; volauit in aluum,
Idq; ſuo factum atque animatum tempore corpus
Mortali facie cretum eſt, puer inde creatus
Virgineo partu: mira eſt mortalibus hæc res,
Sed res nulla Deo Patri Natoq; ſtupenda.

Huc reſpexiſſe volunt Virgilium Ecloga 4. vbi canit:

Vltima Cumæi venit iam carminis ætas:
Magnus ab integro ſeclorum naſcitur ordo:
Iam redit & Virgo, redeunt Saturnia regna:
Iam noua progenies cælo demittitur alto.

ARTICVLVS TERTIVS.

MARIAE VIRGINIS GLORIOSAM IN CÆLVM ASSVMPTIONEM NEGANT.

Anno poſt natũ Chriſtũ 1520. MARTINVS *Lutherus,* in Euangelium de Aſſumptione Mariæ, *dubitat an Maria in cælum corpore & anima aſſumpta ſit: ac magis credit non aſſumptam. Quamobrem* libro de pijs Cæremonijs Eccleſiæ, *Feſtum Aſſumptionis Mariæ abrogandum cenſet.*

1546. *Ioannes Riuius,* libro de abuſibus Eccleſiaſticis, *nullo modo affirmare vult Mariam vnà cum corpore aſſumptam eſſe: quoniam in ſacra Scriptura nullus de eare locus extet.*

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Euſebius Ceſarienſis. 320.

In Chronicis de anno 48. Maria virgo Ieſu Chriſti Mater ad Filium in cælum aſſumitur, vt quidam fuiſſe ſibi reuelatum ſcribunt.

Epiphanius. 370.

Hæreſi 42. Quomodo non poſſidebit Maria ſancta cum carne regnum cælorum, quæ non ſcortata eſt, non fuit petulans, non adulterium commiſit, nullum flagitioſum carnis opus perpetrauit, ſed impolluta permanſit?

Sophronius Presbyter. 400.

Ad Paulam & Euſtochium de Aſſumptione Virginis glorioſæ: Multi noſtrorum dubitant, vtrum aſſumpta fuerit Maria ſimul cum corpore, an abierit relicto corpore. Quomodo autem, vel quo tempore, aut à quibus perſonis ſanctiſſimum corpus eius inde ablatum fuerit, vel vbi transpoſitum, vtrũue reſurrexerit, neſcitur: quamuis nõnulli aſtruere velint, eam iam reſuſcitatam, & beata cum Chriſto immortalitate in cęleſtibus veſtiri. Quod & de Beato Ioanne Euangeliſta eius miniſtro, cui virgini à Chriſto Virgo commiſſa eſt, plurimi aſſeuerant, quia in ſepulchro eius, vt fertur, non niſi manna inuenitur, quod & ſcaturire cernitur. Veruntamen quid horum verius cenſeatur, ambigimus. Melius tamen Deo totum, cui nihil impoſſibile eſt, committimus, quàm vt aliquid temerè definire velimus, &c. Quia Deo nihil impoſſibile eſt, nec nos tale aliquid de B. Maria Virgine factum abnuimus: quamquam propter cautelam (ſalua fide) pio magis deſiderio opinari oporteat, quàm inconſultè definire, quòd ſine periculo neſcitur.

Euthymius Eremita. 540.

Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ lib. 3. cap. 40. Superius quidem dictum eſt, quòd Conſtantinopoli multas Chriſto erexit eccleſias ſancta Pulcheria. Ex his autem vna eſt, quæ in Blachernis fuit ædificata, in principio imperij diuinæ memoriæ Marciani. Ij ergo ſcilicet Pulcheria & Marcianus, cùm illic ædificaſſent domum venerabilem maximæ celebrandæ, & ſanctiſſimæ Deiparæ, & ſemper Virgini Mariæ, & eam omnibus exornaſſent ornamẽtis, quærebant eius ſanctiſſimum corpus, quod Deũ ſuſceperat. Et cùm accerſiuiſſent Iuuenalem Hieroſolymitanum Archiepiſcopum, & Paleſtinę Epiſcopos, qui in regia vrbe verſabãtur propter Synodum, quæ tunc facta eſt Chalcedone, dicunt eis: Audimus eſſe Hieroſolymis primam & egregiam ſanctiſſimæ Deiparæ, & ſemper Virginis Mariæ eccleſiam in prædio, quod vocatur Gethſemane, vbi eius, quod vitam portauit, corpus fuit in loculo depoſitum. Volumus ergo eius huc adduci Reliquias, ad cuſtodiam huius regiæ ciuitatis. Excipiens autem, reſpondit Iuuenalis: In ſancta quidem & diuinitus inſpirata Scriptura de deceſſu ſanctæ Deiparæ Mariæ nihil traditur. Ex antiqua autem & veriſſima accepimus traditione, quòd tempore glorioſæ eius dormitionis, vniuerſi quidem ſancti Apoſtoli, qui orbem terræ ad ſalutem gentium obibant, momento temporis ſublimè ſublati, conuenerunt Hieroſolymis. Et cùm apud eam eſſent, eis viſio extitit Angelica: & audita fuit diuina hymnodia præſtantiorum Poteſtatum: & ſic cum diuina gloria & ſupercæleſti, in manus Dei ſanctam tradidit animam ratione quadam ineffabili. Quod verò Deum ſuſceperit eius corpus, cum Angelica & Apoſtolica hymnodia elatum, iuſtis ei factis, in loculo fuit depoſitum Gethſemane. Quo in loco Angelorum chorea & hymnodia manſit tres dies perpetuos. Poſt tres autem dies, Angelica ceſſante hymnodia qui aderant Apoſtoli, cùm vnus abfuiſſet, & poſt tertium diem veniſſet, & quod Deum ſuſceperat corpus adorare voluiſſet, loculum aperuerunt: ſed intemeratum quidẽ, & omni ex parte laudandũ corpus nequaquam inuenire potuerunt. Cùm ea aũt ſola inueniſſent, in quibus fuerat compoſitum, & poſitũ, & ineffabili, qui ex ijs proficiſcebatur, eſſent odore repleti, loculum clauſerunt. Qui myſterij obſtupefacti miraculo, hoc ſolum poterant cogitare, quod cui placuit in propria perſona carne indui,

& ex sacrosancta Virgine homo fieri, & nasci in carne Deus Verbum, & Dominus gloriæ, & post partum eius incorruptam conseruauit virginitatem: ei quoque visum est, postquam ea è viuis excessit, intemeratum eius & impollutum corpus honorare translatione, ante communem & vniuersam resurrectionem.

Andreas Cretensis. 560.

Encomio de dormitione sanctissimæ Deiparæ cap.6. Sed iam abeamus, eo modo, qui tempori conuenit, festum celebraturi. Regina tribuum, Ecclesia fidelium, Reginæ generis, quæ à Deo Rege, omnium principe, in cæli regiam regaliter hodie assumitur, pompam celebrat, & ex se dona ei offert, quicquid est pulcherrimum atque iucundissimum. Quæ puluerem reddidit cælestem puluere exuitur: & quod à generatione acceperat, deponit operculum: & terræ reddit id, quod est ei cognatum. Quæ cùm vitam conciliasset, in vitalem statim denuò reuertitur: & in locum introducitur, ex quo vitæ ducitur principium, & qui vinci non potest, & qui ab omni materiali & patibili disiunctus est positura ac habitudine. Et in summa, ex ijs, quæ apparent, id quod apparet, assurgit: & cũ eo, quod intelligẽtia percipitur, intelligẽdi ratione congreditur, ijs rationibus, quas nouit is, qui prius colligauit & soluit, deinde rursus colligauit.

Cap.8. Erat spectaculum verè nouum, & quod non poterat consequi cogitatio. Mulier, quæ cælorum superauerat naturam puritate, in adytorum, quæ sunt in cælis, sancta comeans & ingrediens. Virgo, ipsorum Seraphim ipsam vincens naturam miraculo Dei generationis, primæ naturæ proximè accedens ad Deum, opificem omnium generationis: mater, quæ ipsum viuere peperat, consecuta vitæ finem partui nõ absimilem, & miraculum Deo & fide dignum. Sicut enim non fuit corruptus parientis vterus, ita mortuæ caro non interijt. O miracula: partus effugit corruptionem, & sepulchrum non admisit interitũ. Sanctos enim non attingit. Quomodo potest hoc demonstrari? Vultis dicam? Nemo autem ex ijs, qui adsunt, me irrideat. Quomodo est monumentum inane? Vos enim alloquar. Quomodo corpus euanuit? Quomodo non sunt in ea vestes, in quibus est sepulta, nisi effugisset interitum, id, quod sepultum fuerat, si translatus non fuisset thesaurus? Quod si ita est, quomodo non est vera & à mendacio aliena translatio? Nam alia quoque concurrerunt, animæ à corpore separatio, carnis depositio, compositionis solutio, partium disiunctio, resolutio, adiunctio, concretio, & eò discessio, vt nihil appareat. Stat enim sepulchrum inane vsque in hodiernum diem, quod & testimonio est approbatum, & approbat factam translationem.

Oratione 2. de dormitione Deiparæ cap.9. Vos autem, ô clarissimi & illustrissimi cœtus, vos rursus voco ad conclusionem orationis: age in sacra virginalis thesauri deductione præeuntes, canamus carmina funebria, & eam, quæ Festo præest, quibus possumus, coronemus honoribus. Vt hoc verò fiat insignius, adsit hodie omnis cœtus terrestrium & cælestium, & vnà mecum compleat hymnum decessui accommodatum, qui constat his verbis: Mota sunt castra Dei à tabernaculis Cedar, ad materiæ expertia & rediuiua tabernacula. Tabernaculum Legis exemplar accepit arcam supermundanam, cuius figura erat arca legalis. Attollatur id, quod est supra supernas fores, vt summam cæli portam cælestium regia regiè sinu accipiat. Hanc excipite candidis vestibus induti Angeli, laudate cæli, glorificate terrigenæ. Attollite ciuitatem Dei, regis magni. Plaude terra, prosequere laudibus: narra quæ sunt glorioſa Virginis, partus fascias, sepulchri miracula, quomodo sit sepulta, quomodo translata, quemadmodum cernitur inane sepulchrum, quod adoratur, &c. Gethsemane suscipe nouam Reginam: para sepulchrum: produc ea, quæ sunt vsui ad sepeliendum, orna thecam vnguentis. Sit arca tibi custos thesauri. Cautè & diligenter sanctum custodiatur. Si conseruetur quidem, manens in ipso, erit communis possessio, quæ adornabitur ab Angelis & hominibus. Si quid autem contigerit admirabile, & præter opinionem, & translatum fuerit id, quod est impollutum, esto prædicans miraculũ. Narrato translationem ijs, quæ sunt postea consecuturæ generationibus.

Timotheus Presbyter Hierosolymitanus. 570.

De Propheta Simeone, qui Christum vlnis excepit: *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius.* Ex hoc loco quidam constituere voluerunt, Domini matrem gladio enectam, martyrio vitæ finem fecisse. Verùm res ita non habet. Chalybeus enim gladius corpus diuidit, non etiam animã discindit: Virgo autem modis omnibus inculpata & sacrosancta, eius voluntate, qui in ea habitauit, ad cælestem regionem iam olim assumpta, translataque in hodiernum vsque diem immortalem vitam ducit.

Germanus Patriarcha Constantinopol. 720.

Oratione de obdormitione Virginis: Semper viuit tuus spiritus, & caro tua in sepulchro corruptionem non sustinuit. Omnia intueris, & inspectio tua versus cuncta dirigitur, &c. Corpus tuum Virgineum omninò sanctum est, & humanum quidem, sed quod ad summam immortalitatis vitam peruenerit, adeoq; integrum sit, vt absolutè viuum, & obdormitioni non obnoxium; quippe quod vas Dei capax fuerit.

Ioannes Damascenus. 730.

Sermone de dormitione sanctissimæ Dominæ nostræ Deiparæ cap.14. Sanctissimum Mariæ corpus præclarissimo imponitur monumento: sed hinc tertio die ad cursus cælestes in cælestia transfertur curricula. Non oportebat enim hoc diuinum habitaculum, fontem, qui non potest exhauriri, aquæ remissionis, cælestis panis terram inarabilem, botri ambrosiæ terram inirrigabilem, semper florentem & fertilem oleã paternæ misericordiæ, coërceri in sinu terræ; sed quomodo, quod ex ea constitit, Verbi Dei corpus sanctum & integrum, & interitui minimè obnoxium, tertio die surrexit ex monumento: ita etiam eam eripi è sepulchro decebat, & matrem transferri ad Filium: & quomodo ipse ad eam descendit, ita etiam eam illi dilectissimam ad ipsum extolli in maius & perfectius tabernaculum, nempe in ipsum cælum. Oportebat eam, quæ Deum Verbum in suo vtero hospitio exceperat, collocari in diuinis Filij tabernaculis: & quomodo dixit Dominus debere se esse in ijs, quæ sunt sui Patris: ita etiam matrem oportebat habitare in Regia Filij, in domo Domini, & in atrijs domus Dei nostri. Si enim in ipso est habitatio omnium, qui lætantur, vbi est causa lætitiæ, oportebat eius, quę in pariendo integram conseruauit virginitatem, incorruptum conseruari corpus etiam post mortem. Oportebat eam, quæ Creatorem in sinu gestauit infantem, in diuinis versari tabernaculis: oportebat sponsam, quam Pater despondit, degere in thalamis cælestibus. Luc.2.

Cap.17. Quid quæritis in sepulchro eam, quę ad cælestia translata est tabernacula? Cur à me custodiæ rationem exposcitis? Non licet mihi iussis diuinis resistere, Corpus sacrum & sanctum, relictis Psal.86.

sindonibus, cùm me impertijsset sanctificatione, & vnguento bonoq; odore repleuisset, & templum diuinum effecisset, abit raptum sublimè comitantibus Angelis & cælestibus omnibus.

Michael Syncelus. 830.

In Dionysio Areopagita: Cùm Dei matris innocentissimæ corpori iusta persoluerentur, quod ob editum Filij Dei partum, qui ex ipsa natus est, & ortum carnis ineffabiliter accepit, cum eaq; familiariter vixit, magnis honoribus auctum, à cælestibus Angelorum Ordinibus, plurima cum pompa elatum est, & ipsius delubrum mirandum in modum extructum, sanctissimis diuinissimisq; Apostolorum capitibus & manibus in Gethsemane translatum, linguis diuino Spiritu percitis, igneis & diuinissimis laudatum, & gloria cumulatum est. Hinc Virgo integerrima, quę omnibus cælestibus Potestatibus sublimior est, & omni creationi dominatur, post celebratam eius memoriam, ad sublimiorem cæli requiem est assumpta.

Leo Imperator cognomento Sapiens. 880.

Oratione in dormitionem sanctissimæ Deiparæ: Sed quæ linguæ facultas, quod orationis flumen ad hoc argumentum aliqua saltem ex parte dignè tractandum, quod laudatissima illa, & bonis omnibus cumulatissima hominum Angelorumq; Domina exhibet, sufficere posse videatur? O super omnes benedicta, qui solus magnalia, & potest & facit præpotens Filius tuus, quid hodie tibi largitur & præstat? quid agitur? quod spectaculum exhibetur? An non, obsecro, te sanctificationis arcam, te ornatissimum thalamũ & diuinissimum thronum ad suum diuinum & augustale tẽplum transponit? An non illam, ex qua carnis indumentum, quo inter homines versari potest, acceperat, carne vestiuit, & ad summa vestigia cælorum euexit? An non omnes, qui illi adsunt & administrant, tibi quoque prompta deferunt obsequia?

Simeon Metaphrastes. 950.

De vita & dormitione B. Mariæ cap.44. Hinc ad sacratissimam abducitur Gethsemane, & illic sanctissimum quidem corpus (*Beatæ Mariæ*) mandatur sepulturæ. Quidni enim, cùm etiam qui erat Deus, eius Filius, more hominum sepelitur? Per ipsum autem ad cælestia & diuina transmittitur tabernacula. Quod dicimus, confirmat Iuuenalis diuinus Hierosolymorum Episcopus, qui ab antiqua & vera traditione narrationem dicẽs ad se sic fuisse deductam ait: Quòd tres totos dies ad sepulchrum sancti permanserunt Apostoli, diuinas hymnodias ex alto audientes: Deinde post tertium diem, cùm vnus ex Apostolis tardius venisset ad exequias, vel quod ita contigisset, vel quod diuinum ita prouidisset consilium, vt nota esset omnibus translatio admirabilis, tunc & ipse quidem accessit, &, vt est consentaneum, magnum ex eo cœpit dolorem, quod tanti boni mansisset expers, idq; omninò tolerare non poterat. Sacer itaque ordo Apostolorum non iustum esse iudicans, vt ipse quoque viuificum illud corpus non videret, & amplecteretur, iubet statim aperiri sepulchrum. Et illud quidem fuit apertũ: thesaurus autem nequaquam erat in eo: sed solæ erant vestes, in quibus fuerat conditus, quomodo etiam eius Filij in resurrectione. Quas cùm ipse esset amplexus, & qui cum eo aderant, & repleti essent inexplicabili odore & gratia, rursus quidẽ claudunt sepulchrum. Miraculum autem posteris filius à patre accipiens deinceps tradit. Atque viuifici quidem corporis diuinæ sepulturæ ita se habet narratio; siquidem quod ex eâ natum erat, totam eam Verbum ad se transtulit, & voluit eam apud se & esse, & perpetuò simul viuere.

Michael Glycas. 1100.

Parte 3. Annalium: Etsi Virgo mater naturæ legibus fuit obnoxia, tametsi mortem degustauit, tãetsi vt homo in sepulchrum est deposita: naturæ tamen fines atque terminos superauit & excessit, neque sepulchrum & mortalitas eam in potestate sua retinere potuit. Nam & ipsa de sepulchro resurrexit, prorsus vti Filius eius, idemque Deus etiam fecerat, solis sepulchralibus exuuijs in monumento relictis. Huic narrationi fidem facit diuinus ille Iuuenalis, qui Hierosolymorum Antistes fuit. Exponit ille, quo pacto id temporis Thomas abfuerit, quo pacto deinceps ad sepulchrum accesserit, quo pacto illud ipsum perquisierit. Etenim Apostoli Thomæ gratia sepulchrum aperiri iusserunt, quòd illum cernerent absentiam in morte Virginis suam molestissimo ferre animo. Itaque sepulchrum quidem aperitur, at ipse thesaurus in eo reconditus nusquam apparebat: solæ sepulchrales exuuiæ reperiebantur. Consimili nimirum modo & ipsam Dei Matrem ex mortuis resurrecturam fuisse, quo Filius resurrexerat, multo ante Beatus ille Dauides huiusmodi verbis significauerat: *Surge Domine in requiem tuam, tu*, inquam, ipse, *& arca sanctitatis tuæ.* Nam quia nõrat Dauides, eam, quę Christum vtero suo gestasset, ac illam ipsam ob causam arca sanctitatis esset, atque nuncuparetur, eodem pacto resurrecturam è sepulchro, quo & natus ex ipsa Christus Dei Filius & Deus resurrexit: idcirco non absre consimilem vtriusque resuscitationem ex mortuis multo ante quasi pictura quadã expressit. Etenim ni res ita se haberet, non sanè posteaquam dixerat: *Surge Domine*, subiecisset: *& arca sanctitatis tuæ.* Quapropter hac quidem in parte amplius hæsitare noli. Nam quia duo illa primum omnium creatorum hominum corpora interitui facta sunt obnoxia propter inobedientiam, indeque porrò subsecutum aliud, nimirum vt malum eiusmodi latius serpens, in vniuersam humanam naturam se dederet: idcirco nũc quoque primum omnium duo corpora, excusso depositoque interitu, facta sunt primitiæ quasi quędam eius immortalitatis, quam spe certa nobis pollicemur. Atque hæc, quæ dicimus, caue pro fabula duxeris, &c.

Nicetas Choniates. 1200.

Libro 3. de imperio Isaacij Angeli: Theodorus Castamonita cum fastu & frequentissimo comitatu per forum in Pantanassæ templum 15. die Augusti ad Festum Assumptionis Dei genitricis celebrandum incedit.

Nicephorus Callistus. 1300.

Eccles. Histor. lib. 2. cap. 22. agens de dormitione Deiparæ: Vbi ad Gethsemane peruentum est, sepulturę quidem Maria, Filium imitata, traditur: per illũ autem ad diuina tabernacula, ad ipsum scilicet paradisum, vbi & vitæ arbor consita est, ratione ea, quam qui hæc fecit, Deus nouit, transfertur.

Cap.23. Porrò vitalis & salutiferi tabernaculi huius translationem, cùm multi alij disertis verbis clarè deprædicant, tum omnium maximè Iuuenalis Hierosolymorum Episcopus, magnus sanè diuinoq; afflatus numine vir, ex vetusta traditione rem hanc sic gestam scriptis suis cum fide confirmat. Dicit enim, &c.

Zaga Zabo Episcopus Æthiops. 1500.

In confessione fidei Aethiopicæ: Item voluerunt Apostoli, vt diem mortis & Assumptionis Mariæ Virginis cum omni honore celebraremus.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Ambrosius. 370.

In Missali: *In Vigilia Assumptionis Mariæ, super Oblat.* Suscipe quæsumus, Domine, sacrificium placationis & laudis, quod nos interueniente sancta Dei Genitrice, semperqúe Virgine Maria, cuius festiuum Assumptionis diem celebramus, & perducat ad veniam, & ad perpetuam gratiarũ constituat actionem.

Præfatio: *Per Christum Dominum:* Et in huius diei veneranda festiuitate, in qua sancta Dei Genitrix mortem subijt temporalem, nec tamen mortis nexibus deprimi potuit, quæ Filium tuum Dominum nostrum de se genuit incarnatum.

Eucherius Lugdunensis. 450.

Homilia in Assumptione Mariæ: Meritò sancti Patres constituerunt, vt in hac solennitate beatæ Mariæ virginis hoc Euangelium legeretur, quæ specialiter quidẽ per has duas mulieres significatur: Ipsa enim inter omnes creaturas beatissima Virgo vtriusque vitæ, actiuæ videlicet & contemplatiuæ plus cæteris omnibus priuilegia custodiuit.

Fortunatus. 560.

De partu Virginis lib. 1.

Cuius honore sacro Genitrix transcendis olympum,
Et super astrigeros erigis ora polos.
Conderis in solio felix Regina superbo,
Cingeris & niueis lactea virgo choris:
Nobile nobilior circunsistente senatu,
Consulibus celsis celsior ipsa sedes.
Sic iuxta genitum Regem Regina perennem,
Ornata ex partu mater opima tuo.

Concilium Lugdunense. 580.

Apud Gratianum de Consecratione dist. 3. Pronuntiandum est laicis, vt sciant tempora feriandi per annum: sunt isti dies: Natalis Domini, sancti Stephani, &c. S. Laurentij, Assumptio S. Mariæ, Natiuitas S. Mariæ, &c.

Gregorius Turonensis. 580.

De gloria Martyrum lib. 1. cap. 4. Impleto à B. Maria huius vitę cursu, cùm iam vocaretur à seculo, congregati sunt omnes Apostoli de singulis regionibus ad domum eius. Cumqúe audissent quòd esset assumenda de mundo, vigilabât cum ea simul: & ecce Dominus Iesus aduenit cum Angelis suis, & accipiens animam eius, tradidit Michaëli Angelo, & recessit. Diluculo autem leuauerunt Apostoli cum lectulo corpus eius, posueruntqúe illud in monumento, & custodiebant, ipsum aduentum Domini præstolãtes. Et ecce iterum astitit eis Dominus, susceptumq; corpus sanctum in nube, deferri iussit in Paradisum: Vbi nunc resumpta anima cum electis eius exultans, æternitatis bonis nullo occasuris fine perfruitur.

Cap. 9. Maria Angelicis choris canentibus in paradisum Domino præcedente translata est.

Gregorius Magnus. 600.

Libro Sacramentorum, in die Assumptionis Mariæ: Veneranda nobis, Domine, est huius diei festiuitas, in qua sancta Dei Genitrix mortem subijt temporalem, nec tamen mortis nexibus deprimi potuit, quæ Filium tuum Dominum nostrum de se genuit incarnatum.

Hildephonsus Toletanus. 660.

Sermone 2. de Assumptione B. Mariæ: Hæc est, fratres, festiuitas hodierna, præcipua & venerabilis nobis, sed venerabilior in cælo est Angelis, & Sanctis omnibus: quorum lætitia & gaudium proculdubio ex huius adimpletur diei exultatione: quando beata Dei Genitrix clarior sole refulsit in throno claritatis. Nam Christus, sicut legimus, *in sole posuit tabernaculum suum,* de quo ipse, vt ita loquar, tabernaculo *processit tanquam sponsus de thalamo suo.* De quo sanè tabernaculo, ac si ex voce Genitricis Dei dicitur: *Et qui creauit me requieuit in tabernaculo meo.* Idcirco absque dubio beata Virgo pro tanta gratia, tantiqúe honoris priuilegio materno hodie resedit sublimata in throno. Psal. 18. Eccl. 24.

Sermone 3. Festiuitas hodierna celebritas est omnium supernorum ciuium gratissima: quia eius est Assumptio de corpore, ex qua orta est veritas & iustitia. Hinc fratres, quæso, iungamus vota cum supernis ciuibus, & iuxta modulum infirmitatis nostræ exequamur laudibus: quoniam quod natum est ex ea, commune est omniũ gaudium. Illi siquidem hodie occurrunt lætantes, & suscipiunt eam gaudentes cum hymnis & laudibus: nos prosequamur cum omni deuotione cordis & integritate fidei: sicq; prosequamur, vt ad illa ineffabilia dona, quæ percepit beata Dei Genitrix, quandoque pertingere valeamus. Forte igitur hodie interrogauerunt quidam Sanctorum eminus prospicientes illud de Canticis: *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris?* Quoniam in ascensu eius multa fragrabant ornamenta virtutum incendio diuini concremata amoris. Quæ ideo quasi virgula fumi, quia ipsa est virga illa de radice Iesse, quæ hodie ascendit. Psal. 84. Cant. 8. Isaiæ 11.

Serm. 4. O beatissima & glorioſa celebratio noctis huius: in qua virgo venerabilis Maria cum laudibus cælestis militiæ poli aula cùm ineffabili triumpho excipitur: ex cuius carne Dominus Iesus Verbum caro efficitur, quam ad immortalitatis gloriam transmutatã, ac super Augelos eleuatam, nullus fidelium ambigit.

Serm. 5. Hodie ob venerationem Assumptionis Dei Genitricis Angeli lætantur, Virgines gratulantur, Patriarchæ ac Prophetæ Deo laudes referunt.

Iulianus Pomerius. 680.

Præfatione in librum Hildephonsi de laude B. Mariæ, Superueniente die Assumptionis sanctæ & semper Virginis Mariæ, ante tres dies, tribus diebus Litanias peregit.

Beda. 700.

Tomo 7. in Sermonibus varijs, Sermone de S. Maria: Hodie celebramus festiuitatem sanctæ Mariæ Dei genitricis, quæ hodie translata est in cælum de mundo, vt pro nobis oret Filium.

In computo vulgari, qui dicitur Ephemeris: Mẽsis Augusti 18. Kalend. Septemb. Assumptio sanctę Marię.

In Martyrologio: 18. Kalend. Septemb. Assumptio sanctæ Dei genitricis & perpetuæ Virginis Mariæ.

Ordo Romanus. 730.

Fol. 84. In Assumptione S. Mariæ, in ipsa nocte leguntur Cantica Canticorum, vel Homiliæ eiusdem diei. &c.

Ambrosius Ansbertus. 760.

Sermone de solennitate Assumptionis Mariæ: Huius diei solennitas sicut à quibusdam Christianis ignoratur, sic à multis præ cæteris anni solennitatibus honoratior habetur: maximè autem eo loco, quo primatum Ecclesia Catholica in primo Pastore sortita est.

Carolus Magnus. 780.

Lib. 1. Leg. cap. 164. Hæ sunt festiuitates in anno, quæ

quæ per omnia venerari debent: Natalis Domini, S. Stephani, &c. de Assumptione S. Mariæ interrogandum relinquimus.

Lib. 2. cap. 35. Festos dies in anno celebrari sanximus: Natiuitatem Ioannis Baptistæ, Assumptionem Mariæ, &c.

Idiota. 800.

In Contemplatione de B. Maria Virgine cap. 5. Fama tui sanctissimi nominis, clarissima virgo Maria, prius clausa fuit, quàm diu in mundo morata fuisti, sed post Assumptionem tuam in cælum, diuulgata fuit per omnia mundi climata.

Haymo. 820.

Homilia in Epistolam de Festo Assumptionis Mariæ: Maria *in hæreditate Domini morata est,* quæ non peccando à possessione Domini non discessit, sed integram suam animam à concupiscentia & carnem à corruptione seruans, portio hæreditatis Dei effecta est, cantans cum Propheta, & dicens: *Etenim hæreditas mea præclara est mihi.* Psal. 15.

Concilium Moguntinum. 813.

Cap. 36. Celebrari mandamus in Natali Petri & Pauli Apostolorum vnum diem, Natiuitatem Ioannis Baptistæ, Assumptionem Mariæ, &c.

Wandelbertus Diaconus. 830.

In Martyrologio mensis Augusti:

Octaua & decima mundi lux floscq; Maria,
Angelico comitata choro, petit æthera Virgo.

Leo Quintus. 847.

Sigebertus de anno 847. Leo Quintus decreuit, vt Octauę Assumptionis S. Marię in Ecclesia celebrarentur, quod antea non fiebat.

Nicolaus Primus. 860.

Ad consulta Bulgarorum cap. 4. Abstinendum est ante solennitatem Assumptionis Sanctę Dei genitricis & Dominæ nostræ Mariæ.

Continuator Reginonis. 990.

De anno 966. Otto Imperator iterum in Italiam ire disponens, Assumptionem sanctissimę Dei Genitricis VVormatiæ celebrauit.

Fulbertus Carnotensis. 1000.

Sermone in Festo Assumptionis Mariæ: In hac die cõpetenter sponso illi cælesti proclamat beata Virgo: *Tenuisti manum dexteræ meæ, & in voluntate tua deduxisti me, & cum gloria assumpsisti me.* Hodie, inquam, ipsa à sponso Filio & Domino congruè audiuit: *Iam hyems transijt, imber abijt, & recessit: Surge proxima mea, sponsa mea, columba mea, & veni.* Hæc ideo dicimus, quia sicut iam in consuetudinem suscepit Ecclesia, hodierna die ad cælos assumpta fuisse creditur Virgo Maria: sed quo ordine hinc ad superna transierit regna, nulla Catholica narrat historia, &c. Vera de eius assumptione sententia hæc esse probatur, vt secundùm Apostolum, *siue in corpore, siue extra corpus* ignorantes, assumptam super cælos eam esse credamus. Psal. 72. Cant. 2. 2 Cor. 12.

Concilium Salegunstadiense. 1020.

Cap. 1. Christiani sint in abstinentia in Vigilia Assumptionis S. Mariæ.

Petrus Damianus. 1050.

Sermone de Assumptione B. Mariæ: Hæc est illa dies, quæ cælorum officinas sublimiori gaudio cumulauit, annua mundo, Angelis continua, continuans homines Angelis, & Angelos hominibus felici fœderatione coniungens. Intuere mentalibus oculis Filium ascendentem, & Matrem assumptam, & videbis aliquid excellentius in ascensione Filij exhiberi: & aliquid glorioſius in assumptione Virginis demonstrari. Ascendit enim Saluator in cælum potestatiuè virtutis imperio, sicut Dominus & Creator, Angelorum comitatus obsequio, non auxilio fultus: assumpta est Maria in cælum, sed gratiæ subleuantis iudicio, comitantibus & auxiliantibus Angelis, quam subleuabat gratia, non natura. Ideo dies hæc Assumptio, illa Ascensio vocatur, cùm aliud sit potentia, aliud misericordia, solumqúe soli sit priuilegium Creatori naturam rerum propria potestate supergredi.

Radulphus Ardens. 1060.

Homilia de Assumptione Mariæ: Beata & venerabilis virgo Maria, cuius hodie Assumptionẽ celebramus, Dominum studuit imitari.

Ado Treuirensis. 1070.

In Martyrologio: xviij. Calend. Septemb. Dormitiò sanctæ Dei Genitricis & perpetuæ virginis Marię. Cuius sacratissimum corpus etsi non inuenitur super terram, sicut nec beati Mosi sepulchrum, quem sancta Scriptura dicit à Domino sepultum: tamen pia mater Ecclesia, quæ suis obseruationibus integerrima fide fundata consistit, eius venerabilem memoriam sic festam agit, vt pro conditione carnis eam migrâsse non dubitet. Deut. 34.

Anselmus. 1080.

De excellentia Mariæ virginis cap. 4. Tota Christianitas nouit Mariam supra omnes cælos exaltatam, & Angelicis choris prælatam certissimè credit.

Cap. 8. Verùm cùm ipse eam in regnum suum assumere, & ei magnificentiam regni suæ gloriæ decreuisset ostẽdere: cuius precor dignitatis aut honoris apparatibus intendebat tota curia Angelorum; quibusve vocibus exultationis & salutis resonabant numerosa tabernacula antiquorum Patrum, ipsi curiæ tunc assosciatorum? Certè crediderim omnes illius beatæ patriæ ciues festiuiori solito ac sublimiori nitore decoris, ad aduentum matris Domini sui præparari, & noua quadam ac ineffabili iucunditatis gratia pro tantæ rei expectatione coniubilare, &c. Stipatus mille millibus, imò innumerabilibus Angelorũ agminibus Deus ipse huic pijssimæ matri suæ de hoc mundo migranti occurrit, eamqúe super omnes cælos exaltatam, cunctæ secum creaturæ perenni iure dominaturam, in throno gloriæ collocauit.

Ad caput 1. Epistolæ ad Galatas: Quia Ioannes ibi deerat, credimus matrem Domini iam in cælum tunc assumptam fuisse, cuius sepulchrum ostenditur in valle Iosaphat.

Iuo Carnotensis. 1100.

Epist. 84. Diem tibi rescribimus loco non mutato Kalend. Septemb. ad quem si venturus es, vsq; ad Assumptionem B. Mariæ præmandare nobis ne pigriteris.

Sigebertus Gemblacensis. 1110.

In Chronicis de anno 688. Sergius constituit, vt in Annuntiatione Domini, in Natiuitate, & Assumptione S. Mariæ exeant Litaniæ.

Absalon Abbas Sprinckirbatensis. 1120.

Sermone de Assumptione Mariæ: Cum corpore dicam exaltatam, an sine illo? Verè dicam cum corpore: quoniam si in hac parte errauero, ipse error est mihi gratissimus, qui fonti pietatis Matri misericordiæ incumbit excusandus. Nunquid enim dicam Dei Filium Matri honorem denegasse, quẽ seruis voluit impendere? Helias in cælum curru leuatur igneo, & mater Dei computruit in tumulo? Præterea si spiritu migrãte sacrosanctum eius corpus terra detinuit, cur Filius venerationem illam denegauit in terris Reliquijs matris, quã cuilibet Martyri vel Confessori voluit exhiberi?

Honorius Augustodunensis. 1120.

Sermone in Assumptione Mariæ: Gloriosa virgo Maria, cuius hodie solennia recolimus, in exultatione & lætitia educitur, & per desertum aëris cum concentu Angelorum, & iubilatione Sanctorum in cæleste palatium Regina cælorum introducitur: in quo nunc est delicijs affluens, quia inter cœtus Angelorum, inter agmina omnium Sanctorum exundat in eam abundantius voluptatis Dei torrens.

Rupertus Tuitiensis. 1120.

Lib.6.in Cantica: Quando Spiritus sanctus in te superuenit Maria concepisti, & virgo peperisti: quando autem de hoc mundo assumpta, atque ad æthereum thalamum translata es, tunc tu, & ex tunc *electa vt sol*, electa inquam nobis.

Bernardus. 1130.

Sermone 1.de Assumptione Mariæ: Præcessit nos Regina nostra, & tam gloriosè suscepta est, vt fiducialiter sequantur Dominum seruuli.

Sermone 4. Mirantur omnes Mariam de terra assumptam ad cælum: mirentur potius pauperem Christum de cęlestis regni plenitudine descendentem. Longè enim ampliori miraculo dignum videtur, Dei Filium paulo minus ab Angelis minorari, quàm Dei Matrem super Angelos exaltari.

Hugo Victorinus. 1130.

Serm.47.de Assumptione Mariæ: Hæc in laudem beatissimæ Mariæ describuntur, cuius Assumptionis diem celebramus.

Richardus Victorinus. 1140.

In Cantica Cant.cap.42. De Assumptione Mariæ, & eius laudibus: O quanta fit considera, tu quisquis es in iubilo, istis suffulta flosculis, istis malis stipata, stat eruta periculis, in partu laureata, desiderantis osculis iam fruitur beata coniuncta Trinitati. O plaudant iam renati: ô iubilum, quo iubilat mater Nato vnita. O quàm preclara rutilat duplicibus vestita, translator non sic ventilat, fides allegat, ita quod regnet iam cum Deo. Aue Maria, gratia plena, tecum sit Deus, corruptionis nostræ quam somniat Iudæus, tabescat in fallacia seductor Saducæus. Nam verè surrexisti, ô dulcis Mater Christi, reorum miserere.

Petrus Cluniacensis. 1150.

Lib.2.de miraculis cap.30. Mos est Romanorum festum Assumptionis matris Domini inter vniuersas anni festiuitates præcipuo honore colere, speciali deuotione venerari. Vnde est, quòd inter plura deuoti animi sui erga præcelsam Virginem signa, cereos maximos faciunt, quos in Vigilia festiuitatis accendunt.

Arnoldus Abbas Bonævallis. 1160.

Tractatu de laudibus Mariæ: Postea Ioanne in obsequijs eius perseuerante non diu vacatione dilata, migrauit Maria ad Filium; & Angelis occurrentibus, & deportantibus illam inclytam animam, assumpta est in cælum. Vtrum in corpore, an sine corpore, nullius canonicæ Scripturæ definiuit auctoritas: sed quocunque modo sit, eam cum Christo esse dubium non est. Nec fas est homini loqui, quid illud gloriæ sit, quæ beatitudinis plenitudo, qua illa per fruitur. Hoc certum est, quia ibi est, vbi tam ipsa, quàm Filius eius vultui Dei assistit, pro nobis misericordiam postulantes, non iudicium, & obtinentes omni pœnitenti remissionem peccatorum.

Hildegardis. 1170.

Epistola ad Moguntinenses: O pura diuinitas, tu Mariam vnicam matrem tuam tam alienæ naturæ super sydera in cælum leuasti, quò non venerat Eua: quæ nobis perdidit Eua, ea per matrem Saluatoris, cum omnibus ornamentis Paradisi nobis reddita & reseruata sunt.

Elisabeth Schonaugiensis. 1160.

Lib.4.Viarum Dei: Tam carne quàm spiritu Domina nostra in cælum assumpta est. Eo die, quo nunc celebratur Assumptio eius, de hac vita migrauit: quadragesimo autem die post illum, hoc est 9.Kalend.Octobris resurrexit.

Godfridus Viterbiensis. 1170.

Parte 14.Chronicorum de Assumptione beatæ Mariæ Virginis:

Semper in obsequijs seruata Maria Ioannis,
Iam quinquagenis transactis virginis annis,
Spiritus & corpus transyt ante Deum.
Corporis ipsius terræ pars nulla remansit,
Vestimenta tamen plebs ecclesiastica sanxit,
Vt sacra seruari semper honore pari.

Adam Victorinus. 1180.

In Prosa de Assumptione beatæ Virginis:

O Maria stella maris,
Dignitate singularis,
Super omnes ordinaris
Ordines cælestium.
In supremo sita poli
Nos assigna tuæ proli,
Ne terrores siue doli
Nos supplantent hostium.

Guarricus Igniacensis. 1180.

Sermone 1. de Assumptione Mariæ: Non immeritò creditur sine iniuria vel inuidia cæterarum sedium, quoddam esse speciale regis solium excelsum & eleuatum super gloriam omnium: Mariam dico, exaltatam super choros Angelorum, vt nihil contempletur supra se Mater, nisi solum Filium: nihil miretur super se Regina, nisi solum Regem: nihil veneretur super se Mediatrix nostra, nisi Mediatorem solum, cui nos ipsa suis precibus cõciliet, commendet, & repræsentet vnico Filio suo Iesu Christo.

Ioannes Belethus. 1200.

De diuinis Officijs cap.146. de Assumptione Mariæ Virginis: Verum esse, beatam Mariam, quod ad animam eius attinet, assumptam certò nouimus: an verò corpus illius postea assumptum fuerit, profectò incertum est. Piè tamen credimus, ipsam integrè fuisse assumptam, sed prius anima, ac deinde corpore.

Cæsarius Heisterbacchius. 1220.

Lib.7.cap.38. Bertramus monachus Ordinis nostri tam feruente motu charitatis Dominam nostram sanctam Dei Genitricem amabat, vt non sine magno cordis cruciatu audire posset, si fortè dubitatiuè quis diceret, vel legeret, de corporali eius assumptione. Quum iam exegisset in Ordine quindecim annos, adhuc iuuenis ætate, in Vigilia Assumptionis eiusdem, ingressus ecclesiam, videt sanctam Dei Genitricem in corpore glorificato, in sede miri decoris residentem: sedebant circa illam diuersi ordines Sanctorum, Patriarchæ videlicet, Prophetæ, Apostoli, Martyres, Confessores, Virgines, Viduæ, Coniugati. Deinde vultum ei iucundissimum exhibens Maria, voce hilari & dulci sic ait: Noueris Bertrame pro certo me in vtraque substantia, id est, corpore & anima glorificatam, & die quadragesima à mortuis suscitatam. Mox vt beata Virgo verba prædicta protulit, conuentus ille cælestis disparuit.

Thomas Aquinas. 1250.

Opusculo 8. circa expositionem salutationis Angelicæ: Credimus quòd post mortem Maria resuscitata fuerit, & in cælum deportata.

Bonauentura. 1260.

De Assumptione Mariæ Virginis Serm.1. Attendite charissimi, quod regina habere debeat regium comitatum, regium vestimentum, regium thalamũ, regium diadema. Sic certè Regina nostra, hodie ad regnum assumpta, habuit regium comitatum copiosum, vestimẽtum pretiosum, thronum gloriosum, diadema speciosum. Meritò ille eam in sinu fouet in cælo, quem in sinu suo ipsa sępe fouit in mundo.

Guilhelmus Durantius. 1270.

In Rationali diuinorum lib.7. cap.24.de Assumptione Mariæ: Quædam religiosissima mulier Elisabeth nomine de partibus Saxoniæ, asseruit sibi reuelatum fuisse, quòd post quadraginta dies, post assumptionem animæ, assumptum fuerit corpus Mariæ.

Iacobus Genuensis. 1280.

Sermone 1.de Assumptione Mariæ: Assumpta est Maria, non solùm quantum ad animam, sed etiam quantum ad corpus est glorificata.

Ioannes à S.Geminiano. 1300.

In Summa lib.7.cap.4. Beata Maria assumpta fuit vtiliter, sublimiter, mirabiliter, & honorabiliter. Vtiliter quidem, si consideres officium: secundò assumpta fuit sublimiter, si consideres situm: quia apparuit in cælo scilicet empyreo, & hoc fuit in assumptione. Et apparuit in cælo tamquam Regina in throno ad congregandum scilicet Filio suo, quod figuratum fuit 3. Reg.2. Vbi dicitur quòd positus est thronus matri Salomonis, quæ sedit ad dextram eius, &c.

Durandus à sancto Portiano. 1310.

In lib.3.Sentent. dist. 3. quæst.1. Incineratio seu reuersio corporis humani in puluerem est pœna peccati originalis, secundùm legem communem, per quam natura derelicta fuit sibi: & ideo sicut de terra formatum est corpus, sic in terram reuertitur. Sed beata Virgo priuilegiata fuit in hoc articulo rationabiliter, vt sicut corpus Christi sumptum de corpore Virginis fuit immune à tali corruptione, secundùm illud Psalmistæ: *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem*: sic corpus Virginis, de quo fuit sumptum corpus Christi, fuit immune ab eadem corruptione.

Ludolphus Saxo Carthusianus. 1330.

Vitæ Christi parte 2. cap.86. In monte Sion est magna & deuota ecclesia, infra quam est cella, in qua habitauit beata Virgo diebus vitę suæ post ascensionem Filij sui, & prope illam cellam est & alia cella, in qua migrauit ad cęlum per Angelos assumpta. Cuius dormitioni omnes Apostoli dicuntur interfuisse, & in vallis Iosaphat medio eam sepeliuisse, &c. Non est credendum, quòd Maria mortua non fuerit: sed mortua est, ac tamen caro eius non computruit. Anima coniuncta est iteratò corpori mortuo, & ita assumpta est in cælum cum corpore glorificato. Vera autem & indubitata de eius assumptione sententia hæc esse probatur, vt secundùm Apostolum *siue in corpore, siue extra corpus* ignorantes, assumptam tamen & exaltatam super omnes choros Angelorum credamus.

Matthæus Westmonasterienſis. 1370.

In Chronicis: Anno gratiæ 45. qui est duodecimus post Passionem Domini, beata Virgo Maria in cęlum ab Angelis assumpta est.

Reinerus Pisanus. 1390.

In Pantheologia de incarnatione cap.7. Beata Virgo per primam & secundam sanctificationem, & per suam in cælum assumptionem, præ alijs multa priuilegia habuit.

Ioannes Bromiardus. 1380.

In Summa de Maria num.24. Maria in corpore & anima cæteris creditur altius assumpta. Quòd autem in corpore assumpta sit & anima, historia & Sanctorum rationibus ostenditur. Historia ad hoc est, de quodam religioso, de quo fertur, quòd diu illam assumptam in corpore credidit & anima: sed cùm verba Hieronymi legeret, qui de hoc dubitare videtur, vel pro non determinato relinquere, incœpit de hoc dubitare: de cuius corde beata Virgo volens dubietatis amputare vulnus, corpus suum palpabile, & visibile ostendit, quærens quid sentiret vel videret? cui ille, corpus, inquit, carneum ex ossibus & solidum carnibus. Cui illa: Si tantum ostendissem Hieronymo, nũquam de corporis mei assumptione dubitasset: & sic illum in eius assumptionis fide stabiliuit. Cuius exemplo nos idem, quod ipse oculis vidit corporis, oculis videntes fidei illud firmiter credamus, &c.

Ioannes Gerson. 1420.

In Summa Theologica, de gaudijs Paradysi part.6. Ad dextram Filij beata Virgo mater Saluatoris nostri Iesu Christi exaltata est super omnes choros Angelorum, vt credit sancta mater Ecclesia, cui non est derogandum.

Laurentius Iustinianus. 1430.

Sermone in Festo Assumptionis Mariæ: Inter præcipua festa, quæ sancta veneratur Ecclesia, hodierna nosci tur esse celebritas, in qua gloriosa Dei Genitrix carnis relicto tentorio, ad sydereum cæli profecta est palatium, &c.

Bernardinus Senensis. 1430.

Tom.1.Serm.44. Sicut non dedit Dominus sanctum suum videre corruptionem, id est, Christum: sic nec sanctam suam, de qua natus est sanctus: sed corpore & anima in cælum assumpta est.

Antoninus Florentinus. 1450.

Parte 4.tit.15.cap.43.§.3. Beatus Hieronymus in dubio relinquit, si in cælo fuit in anima & corpore, an in anima tantùm, vt alij Sancti communiter. Sed de Virgine gloriosa piè creditur ab omni Ecclesia & Doctoribus, quòd in corpore & anima glorificata sit in cælis, &c. Et hic igitur est melior gradus, in vita fruitiua, scilicet esse in cælis non solùm in anima, sed etiam in corpore. Sed tertius gradus adhuc est potior, vnde & optimus, videlicet esse in altissimo gradu gloriæ super omnem puram creaturam. Sic canit Ecclesia: *Exaltata est sancta Dei genitrix super choros Angelorum.*

Ioannes de Turrecremata. 1460.

In Meditationibus: Firmissimè credimus, Domine Iesu, quòd tu matrem tuam gloriosam, in eius Assumptione, ita omnimoda in corpore & anima illustraueris gloria, & honore sublimaueris, vt nulla mortalis lingua valeat exprimere. Quis enim excogitare sufficiat, quàm honorabiliter hodie Regina mundi processerit, quanto deuotionis affectu tota in eius occursu cælestium regionum prodierit multitudo, quantis gaudijs ad thronũ gloriæ sit deducta, quàm placido vultu, quàm serena facie, quàm diuinis amplexibus à Filio sit susceptа, & super omnem creaturam sit exaltata?

Petrus Apollonius Collatius. 1470.

Libro Fastorum: in gloriosam Virginis Assumptionem:

Nunc mihi sydereas tollenda est mater ad axes,
Virgineum mater retinens cum prole decorem, &c.

Ad Virginem assumptam:

Tandem sydereas domos,
Et cæli loca fulgida,
Magnis functa laboribus,
O Virgo capis inclyta.
Tantis ornat honoribus
Natus te meritò tuus,
Summi consilio Patris.
Illic proxima Filio
Felix Virgo puerpera
Commissos tibi protege.

Marcus Antonius Sabellicus. 1480.

Lib.1. Exemplorum cap.8. De Deipara Virgine: Aequè memorabile est, quòd de sacratissimo Deiparæ corpore tenet pro certo Christiana pietas, fuisse id post Virginis obitum cælo illatum: Oportuit sanè omnis esse corruptionis immune corpus, nullaqúe humana labe contactum. Nec verò vlla (quòd satis constat) eius sepulchri vestigia extant in terris, sepultiue corporis memoria, quæ piorum opinioni repugnet.

Baptista Mantuanus. 1500.

Lib.8. Fastorum de Assumptione B. Mariæ.

Hæc est illa dies, qua Christus in æthera Matrem,
Sustulit indutam membris: sic credere sanctum est.
Nam nec erat locus in terris, vbi viscera condi
Fas foret, æternum, quæ progenuêre Tonantem, &c.
Curia tum quali resonarit Olympica plausu,
Qui cantus cælo auditi, quàm læta, frequensq;
Pompa, quis ornatus Diuum, ne discere tenta:
Gaudia non capiunt nostri cælestia sensus.
Demum iussa super stellis, & sole micantem
Ire thronum, cæli accepit sceptrum atque coronam.

ARTICVLVS QVARTVS.

MARIAM VIRGINEM IN CAELO APVD CHRISTVM FILIVM MVLTVM AVCTORITATE ET GRATIA VALERE, NOBIS PATROCINARI, PRO NOBIS ORARE, ET A NOBIS RECTE INVOCARI.

NEGANT.

Anno post natũ Christũ 740. CONSTANTINVS *Copronymus præcepit, ne quis Mariæ intercessionem imploraret, quòd nemini opitulari posset.* Theosterictus oratione in S. Nicetam, Suidas in hoc Constantino, Glycas parte 4. Annalium.

1150. *Cathari beatæ Virginis auxilium non implorant.* Guido de Catharis.

1560. *Nicolaus Selneccerus,* in dispositione Euangel. de festis Sanctorum, circa Annuntiationem, *Virginis Mariæ inuocationem tetrum errorem appellat.*

1560. Christianus Rodingus contra scholas Iesuitarum Deiparam Virginem sic loquentem inducit: *Desine me salutare, & salutando venerari: istam tuam salutationem & preces execror: tu vbi terrarum sis, quid agas, denique an mortuus sis, neque scio, neque curo; tantum abest, vt te peccatorem exaudiam.*

ASSERVNT LITVRGIÆ Apostolicæ.

D. Petrus Apostolus.

In Liturgia: Domine Deus omnipotens, qui solus es sanctus, & in Sanctis requiescis, miserationes tuas largiens intercessionibus sanctæ Dei Genitricis, &c. Libera nos, quæsumus Domine, ab omni malo, intercessionibus Mariæ Deiparæ.

D. Iacobus Apostolus.

In Liturgia: Commemorationem agamus sanctissimæ, immaculatæ, gloriosissimæ, benedictæ Dominæ nostræ matris Dei, & semper Virginis Mariæ, & omniũ Sanctorum, vt precibus atque intercessionibus eorum omnes misericordiam consequamur.

ASSE-

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Irenæus. 186.

Lib.5. cap.19. Sicut Eua seducta est, vt effugeret Deum; sic Maria suasa est obedire Deo, vt virginis Euæ Virgo Maria fieret aduocata.

Athanasius. 340.

In Euangel. de sanctissima Deipara: Et nunc audi filia Dauid, & inclina aurem tuã in preces nostras, & ne obliuiscaris populi tui, neque nostri, qui sumus de familia & domo Patris tui. Ad te clamamus, recordare nostri sanctissima Virgo, quæ etiam à partu Virgo permansisti, & retribue nobis pro exiguis istis eloquijs magna dona ex diuitijs tuarum gratiarum, tu quæ gratia plena es. *Aue gratia plena* Domina, *Dominus tecum:* intercede Hera, & Domina, & Regina, & Mater Dei pro nobis.

Basilius Magnus. 370.

In Liturgia: Suscipe, salua, miserere, & custodi nos Deus gratia tua, sanctissimæ & intemeratæ Dominatricis nostræ Dei Genitricis & semper Virginis Mariæ memorantes, &c. Sanctifica animas & corpora intercessione sanctæ Dei Genitricis.

Ephræm. 370.

Oratione de sanctissimis Dei Matris laudibus: Tu meus portus, ô virgo inuiolata, & præsens auxiliatrix, denique sub tutela & protectione tua totus sum. Crebris lachrymis te, ô celeberrima mater, imploro, & aduoluor tibi Domina mea, supplicíter clamans, ne dulcis Filius tuus, & vitæ omnium dator, ob multa, quæ patraui, scelera, tollat me de medio, &c. Imple os meum gratia dulcedinis tuæ: illumina mentem, ô gratia plena: moue linguam meam, & labia ad laudes tibi alacri & læto animo canendas, &c.

Oratione ad sanctissimam Dei genitricem: Sicut humanissimi Dei Mater es, ita me peccatorem humaniter suscipe, & meam sordidissimam orationem admitte: nec non tuum Filium materna liberalitate volens exora, vt mihi quoque mitissima illa suę pietatis viscera referet. Adsis mihi virgo misericors, clemens, & benigna.

In Lamentatione sanctissimæ Dei Genitricis prope crucem stantis. At verò nos te, ô immaculata & benedicta Filij tui Deiq; omnium mater inculpata, pura, integra, sacrosanctissima, desperatorũ spes, & damnatorum, collaudamus, benedicimus tibi vt gratia plenæ, quæ Christum genuisti. Omnes tibi aduoluimur: omnes te imploramus. Erue nos, ô intemerata, ab omni necessitate, à cunctis diaboli tentationibus. Esto nostra conciliatrix & aduocata in hora iudicij: libera nos à futuro igne & tenebris, & tui Filij gloria Virgo nos dignare.

Gregorius Nazianzenus. 380.

In Tragœdia:

Veneranda, ô Virgo, casta, felicissima,
Quando beata nunc beatorum in polo,
Exuta quicquid fecis humanæ, sedes
Æternitatis pallio ornata, vt Dea
Habita, senectæ expers supremo ex æthere,
Benigna adesto vocibus meis: precor
Admitte, Virgo ô inclyta, hîc quando tibi
Verbi parenti, sed supra modum tamen
Legemq; solus inter omnes contigit
Honor. Ego fretus his tibi me audentius
In verba supplex offeram, & suauissimo
Contextam ab horto, qua tuum exornem caput,
Coronam, ô Domina, proferam, vt quæ gratia
Modum supra omnem, me tua semper leuans,
Me genere quouis casuum eruis omnium,
Hostes apertos quodq; longè maius est,
Illos latente machina qui me petunt,
Auertis. At tu quod precor summum, id mihi
Concede, vita sic vt excedam, illius
Vt tantum habens te præsidem, semper, velut
Ingentem opum vim, te tuum erga filium
Mihi patronam sentiam acceptissimam.
Ne me ergo tradi tu sinas tamquam ad crucem,
Ludibrioq; illius exponi, omnium
Iuratus hostis qui sit, & mortalium
Pestis: tuere me, atque ab æterno assere
Igne, & tenebris, per fidem qua iustior
Sum factus, & per gratiam tuam inclytam.

Ioannes Chrysostomus. 400.

In Liturgia: Omnia exuperant sensum, omnia sunt gloriosa in te Dei Genitrix, mysteria castitate signata, & virginitate custodita; mater cognita es sine fallacia, quæ verum peperisti Deum, ipsi supplica, vt animas nostras saluet.

Qui tuam opitulationem adepti, intemerata, & tuis intercessionibus à malis eruti, & per crucem Filij tui omninò protecti, ex debito piè te magnificamus.

Quoniam omnibus facturis præstantior existis, collaudare te dignè non valentes, Dei Genitrix, gratis flagitamus te miserere nostri. Deus sancte da nobis in sanctitate seruire tibi omnibus diebus vitæ nostræ intercessionibus Reginæ nostræ Matris Dei & omnium Sanctorum, qui à seculo tibi placuerunt.

Tu Domine dirige viam nostram, gressus nostros firma orationibus & intercessionibus sanctę & gloriosæ Dei genitricis & semper virginis Mariæ.

Sophronius. 420.

Sermone de Assumptione Mariæ: Hæc est virgo, quæ sola interemit hæreticam prauitatem, sola post Deum quæ nos confirmet in omni veritate, suisq; commendet meritis, & precibus auxilietur, vt ipsi digni inueniamur in eius laudibus. Idcirco hanc imitamini moribus, sequimini castitate, huius implorate auxilium.

Basilius Seleucius. 450.

Oratione 1. de Verbi incarnatione: O ter sancta Virgo Maria, aspice nos de cælo oculo propitio, & nunc quidem educ nos hinc cum pace. Ad iudicis autem thronum à confusione liberos nos siste, ac stationis tandem ad dextram participes nos effice, vt inde ad cælum abrepti, vnà cum Angelis increatam, homousiamq; Trinitatem laudemus.

Epiphanius Constantinopolitanus. 510.

Epistola ad Hormisdam: Intercessionibus Dei genitricis Mariæ omnia ad vnitatem indiuisam cõueniant.

Iustinianus Imp. 540.

L.1. C. de off. Præf. Præt. Af. Hoc deprecantes exoramus, & gloriosæ semper Virginis & Dei genitricis Mariæ precibus, vt quicquid minùs est, per nos vltimos seruos suos restituat in nomine suo Deus, & dignos nos faciat seruitium eius adimplere.

Ioannes Patriarcha Hierosolymitanus. 550.

Epistola ad Ioannem Constant. Pat. Nobiscum ergo eadem orate sanctissimi (communia enim sacer-

dotum sunt) & sanctæ ac gloriosissimæ virgini Dei genitrici Mariæ vnà nobiscum supplicate, vt intercedat pro pace Ecclesiarum, pro victoria & perpetuitate pijssimi & serenissimi Imperatoris nostri.

Andreas Cretensis. 560.

In Salutationem Angelicam: *Benedicta tu in mulieribus,* quam beatam dicunt omnes generationes, quam Reges honorant, principes venerantur, diuites populi obsecrant.

In encomio 2. dormitionis Deiparæ cap. 8. Placa Dominum pro cõmuni figmento. Nam quamdiu quidem versabaris in terra, te habuit parua terræ portio: ex quo autem translata es è terra, te vniuersus mundus continet commune propitiatorium.

Cap. 11. Nobis quoque, qui te, ô Dei Mater, ornamus, da vicissim hanc parui doni remunerationem, nempe vt habeamus quibusuis thesauris, & diuitijs pretiosiores & splendidiores, ad Filiũ tuum & Dominum nostrum & Regem & Deum preces supplices; per quas & peccãtes Deum placamus; & nos rectè gerentes, ad nos melius attrahimus: per quas arma Barbarorum infantium tela ducimus, lanceaq; & galea & iaculatio inutilia manent & inefficacia.

Eutychianus. 600.

In vita S. Theophili: Certè, Domina mea benedicta, & defensio generis humani, portus & protectio eorum, qui ad te confugiunt: Scio, ô Domina mea Deiparens, quòd te valde offenderim, &c. Quis enim, ô Domina mea, sperauit in te, & pudore est affectus? aut quis hominum fideliter omnipotentem tuam rogauit opem, & fuit vnquã derelictus? Reuera nullus vnquã. Quamobrem ego quoque peccator & nequam, rogo tuum perennem fontem, ex quo fluunt ad animas nostras curationes, præbe mihi viscera miserationum.

Sophronius Hierosolymitanus. 630.

In vita Mariæ AEgyptiacæ: Eiulans prospexi in loco, in quo stabam, sursum imaginem sanctæ Dei genitricis stantem, & aio, ad eam intentè & indeclinanter attendens: Domina virgo, quæ Deum verum genuisti, secundùm carnem: Scio enim, scio, quia non est condecens nec opportunum, me sic horridam adorare imaginem tuam, vel contemplari oculis, tantis sordibus pollutis, quę semper esse virgo dignoseris & casta: tamẽ quoniam ob hoc effectus est Deus homo, quem ipsa digna genuisti, vt peccatores vocaret ad pœnitentiam: adiuua me solitariam, & nullum habẽtem adiutorium. Præcipe, & mihi licentiam tribue, ingrediendi in Ecclesiæ patefactum aditum.

Germanus Patriarcha Constantinop. 720.

De Zonis & fascijs Deiparæ cap. 12. Quis post tuum Filium, ita generis humani curam gerit sicut tu? Quis ita nos defendit in nostris afflictionibus? Quis tam citò præueniens nos, ab irruentibus liberat tentationibus? Quis in supplicationibus adeò pugnat pro peccatoribus? &c. Is qui affligitur, ad te confugit: qui iniuria afficitur, ad te accurrit: qui est rebus asperis & aduersis implicatus, tuum inuocat auxilium, &c. Ne repellas sordidis labijs pronuntiatam orationem, quam beneuolè tibi offerimus. Ne quæso tenuis & indignæ linguæ supplicationem reijcias: sed animum remetiens, peccatorum nostrorum remissionem nobis concedas. Respice de sancto habitaculo tuo circumstantem fidelem populum, qui cùm te Dominam & patronam habeat, huc conuenit, vt toto animo te celebraret. Diuina igitur protectione tua, præsentem visitans cœtum, ab omni calamitate & angustia, ab omni morbo & incommodo, atque violentia liberatum, omni gaudio salubritate & gratia prosequere, atque in aduentu Filij tui clementissimi Dei nostri, cùm assistemus omnes iudicandi, tu, quæso, vt maternam habens fiduciam, & maximam potentiam, valida illa manu tua ab æterno igne nos eripiens, fac vt sempiterna cõsequamur bona: gratia illius ac bonitate hoc præstante, qui à te genitus est Dominus noster Iesus Christus.

In Encomio sanctissimæ Deiparæ: Abi ergo, ô Domina Dei mater, abi ad tuam hæreditatem, & vade in atria Domini exultans, da illis, qui tuum festum peragũt, tuum auxilium, & protectionem, & defensionem, eos omni ex parte liberãs tuis intercessionibus ab omni necessitate, & periculis, morbisq; grauibus. Eos colloca vt mater Domini, in loco deliciarum, vbi est lux, & pax, & rerũ expetendarum summum donum.

In Theoria rerum Ecclesiasticarum: Coniunctum autem est extremo primi Antiphoni hoc: *Intercessionibus Deiparæ seruanos:* cuius rei gratia, nisi ad confirmanda omninò, quæ prius dicta sunt, de typo semper Virginis: quòd eius ipsa dux est ministerij, & veræ dispensationis? Secundi verò Ephymniam: *Intercessionibus Sanctorũ tuorum:* quoniam enim pro salute animarum, & venia lapsuũ, diuinam celebramus mystagogiam, meritò tamquam superiorem Dei matrem omnibus Sanctis, aut etiam ipsis supercælestibus Potestatibus, in supplicatione primam appellamus: deinde eos, qui complacuerunt eius Filio.

Ioannes Damascenus. 730.

Oratione 1. de Natiuitate Mariæ: O Ioachim & Annæ filia, ac Domina, peccatoris orationem accipe, ardenter tamen amantis, ac colentis, teq; solam gaudij spem habentis, vitæ antistitem, in gratiam cum Filio me reducentem, firmamq; salutis arrham. Peccatorũ sarcinam discute, idq; quod menti meæ tenebras offundit, ac terrenam crassitiem dissipa. Tẽtationes comprime, pieq; ac sanctè vitam meam guberna, atque ad cælestem beatitudinem fac te duce perueniam. Pacem mundo, atque omnibus huiusce vrbis incolis, rectè de religione sentientibus, absolutam omnibus numeris lætitiam, ac sempiternam salutem, per tuorum parentum, ac totius Ecclesiæ complementi preces concilia.

In sanctissimæ Dei Genitricis Annuntiationem: Inuitu perabilem, Deipara, spem tuam habens, seruabor; defensionem tuam possidens, perquàm ô pura, non timebo, persequar inimicos meos, & in fugam vertam, solam habens vt thoracem protectionem tuam, & omnipotens auxilium tuum: & deprecor clamãs tibi Domina, salua me intercessionibus tuis, & eleua me è tenebroso somno ad tuam glorificationem, potentia ex te incarnati Dei. Gloriosa semper Virgo Maria, mater Christi Dei, adduc nostram deprecationem Christo Filio tuo, vt saluet per te animas nostras.

Oratione prima in dormitionem Deiparæ: Tu verò bona Domina, bonique Verbi parens, vtinam nos inspicias, ac res nostras arbitrio tuo regas, & modereris, fœdissimarumq; nostrarum affectionum impetum comprimas, fluctusq; compescas, atque ad tranquillum diuinæ voluntatis portum dirigas, ac futura beatitudine dones.

Cosmas Hierosolymitanus. 740.

Hymno 6. in Theogoniam: Misericordiæ ianuam aperi nobis benedicta Deipara. Sperantes in te, ne aberremus. Liberemur per te à calamitatibus. Tu enim es salus hominum. Gloriosa semper virgo Maria mater Christi Dei adduc nostram precationem

onem Christo Filio tuo & Deo, vt saluet per te animas nostras.

Tarasius Constant. 780.

Epistola ad Antiochiæ & Alexandriæ Episcopos: Obsecro intercessionem sanctissimæ & incontaminatę Deiparæ, & semper virginis Mariæ.

Synodus Nicæna secunda. 790.

Actione 3. & sexta: Cum Dei timore omnia agamus, postulemus intercessionem incontaminatæ Deiparæ.

Constantinus Sextus Imp. 790.

Paræneſi in concilio Nicæno: Speramus veram & celerem salutem à sanctorum multorũ munerum datore Deo, intercessionibus Dei genitricis & vestræ sanctitatis suscipere.

Theodorus Confessor Palæstinus. 800.

Epistola ad Ioannem Cyzicenum: Ego cùm diu flagris cæderer, vociferabar: nihil peccauimus in tuum imperium. Et rursum: Domine miserere, & sancta Deipara veni ad nostrum auxilium. Deinde etiam verberârunt fratrem, similiter clamantem, & dicentem: Sancta Deipara, ipsa quoque fugisti in AEgyptum portans Filium tuum, respice ad me, qui propter similem tibi fugam punior.

Nicephorus Pat. Constant. 813.

Epistola ad Leonem Tertium: Exosculor & amplector patrocinia sanctissimæ & immaculatissimæ semper Virginis ac Dominæ nostræ Dei Matris.

Theophanes. 820.

Hymno in Annuntiationẽ Deiparæ: Clamat tibi Regina, mouens lyram spiritus Dauid progenitor tuus: audi filia lætam vocem ab Angelo. Lætitiam enim annuntiat tibi ineffabilẽ. Clamo ad te gaudens, *inclina aurem tuam,* & intende mihi annuntianti Dei conceptionem sine semine. *Inuenisti* enim *gratiam coram Deo,* quam nunquam inuenit alia ô purissima.

Theosterictus. 830.

Oratione in S. Nicetam: Constantinus Copronymus Marię intercessiones, per quas mundus confistit, ne nominari quidem voluit, cùm diceret, nemini eam posse opitulari.

Basilius Imp. 860.

Oratione ad octauam Synodum: Oramus super omnia sanctum Dominum, omnes melioratos, & secundùm beneplacentem ei voluntatem clarescentes, non solùm à diuina ira intentatos mansuros, sed æterna bona consecuturos, orationibus & intercessionibus sanctissimæ Dominæ nostræ Dei Genitricis, & omnium Sanctorum. Amen.

Leo Imp. 880.

Oratione in obdormitionem sanctissimæ Deiparæ: Audis, haud es falsa, ô felix Maria: oraculum tuum verissimum extitisse, res ipsa non obscurè declarat. Ecce enim omnes tribus & populi te laudant, te beatam prædicant.

Suidas. 970.

In Constantino Copronymo: Mortalium omnium impurissimus præcipere ausus est, ne quis Mariæ intercessionem imploraret: neque enim opitulari cuiquam potest.

Euthymius. 1080.

Encomio in adorationem venerandæ Zonæ sanctissimæ Deiparæ, cap. 19. Hodie nos quoque, qui huc accurrimus, ab innumerabilibus afflictionibus liberati, & tecti sub alis eius intercessionis, suppeditam rationem, & sapientiæ cognitionem, desuper à Filio ex ea nato, per ipsam admittentes, cùm loqui iussi fuerimus, sine impedimento clamemus ex corde: Ne assiduas nostras preces repudies, ô intemerata: defende nos secundùm magnam & copiosam misericordiam tuam, ô Domina. Frange schedulam immensorum nostrorum malorum tuis, quę nunquam dormiunt, intercessionibus, ô optima. Nos ante finem concilia tuó misericordi & iusto iudici Filio & Deo.

Ioannes Zonaras. 1100.

De sanctissima Virgine Maria Oda 1. Sanctissima, quæ Deum peperisti eiusdem cum Patre naturæ vnigenitum Verbum, coæuum, paris honoris, etiamsi insanus Arius eum creaturam esse senserit à Patris essentia alienam, illum vt nos saluet obsecra. Supplicationibus tuis, Virgo, tuum ouile libera è supplicijs æternis, quæ mollissimus Eunomius ad comminationem solo figmento conscripta esse delirabat. Semitas meas, ô venerãda, dirige ad pœnitentiam, quam Nouatus nobis labentibus denegabat. O omnium Regina, nos omnes in decretis Filij tui firma. Virgo Dei genitrix ab Arij impietate eripe me,

Nicolaus Cabasilas. 1280.

De Liturgia cap. 49. Dei matris tamquam Dominæ serui meminerunt, vt eius intercessionibus à Deo visitentur, & eorum cura habeatur petunt.

Athanasius Constantinopolitanus. 1300.

Epistola 1. Ita fiet vt legem diuinam seruantes, quæ turpiter viuẽtes iustè amisimus, precibus beatæ Mariæ restituantur.

Nicephorus Callistus. 1300.

Oratione confessoria, quam fecit ad Deum omniũ: Hoc mihi annuas velim patrocinio Deiparæ Virginis & matris Mariæ.

Nicephorus Gregoras. 1330.

Lib. 9. cap. de duobus viris, qui Constantinopolim prodiderunt: Senior verò tumultu & clamore audito, de lecto surrexit perturbatissimus, & omni ope destitutus ducum, & militum, ad sacram imaginẽ Dei genitricis Hodegetriæ confugit, ante multos dies in palatium translatam, quæ ei firmo solatio erat. Hac igitur fretus, & humi prostratus ardenter cum lachrymis obtestatur, ne periclitantem deserat, & sicariorũ ensibus obijciat. Exaudiuit preces eius, & festinũ tulit auxilium, quæ quiduis potest castissima Dei genitrix. Nam dum ille in palatio Deiparam ad hunc modum deprecatur, iunior Imperator foris omnibus ducibus & tribunis suis conuocatis grauiter edicit, ne auũ Imperatorem, vel manu, vel vllo contumelioso dicto violarent, nec quemquam prorsus omnium.

Philotheus Constant. 1340.

In institutione Diaconi: Christe Deus intercessionibus tuę Matris serua nos, &c. Sacerdos dicit voce lenta: Sanctissima Deipara salua nos.

Ioannes Cantacuzenus. 1350.

Apologia 3. Omnes nos Mariam aduocatam & auxiliatricem agnoscimus. Orat enim & intercedit indefinenter pro peccatoribus, miracula edit & operatur admiratione digna & stupenda.

Sermone 3. contra Mahometh: Deus propitius sit nobis, & omnibus Christianis in die iudicij intercessione benedictæ Dominæ nostræ Deiparæ & semper virginis Mariæ.

Gennadius Scholarius. 1440.

In Concilio Florentino, vbi Græcorum nomine Latinis gratias agit: Quod ratũ fac sancte Deus, Rex meus,

& conditor meus per preces Deiparæ,& sanctissimæ virginis Mariæ.

Georgius Trapezuntius. 1460.

In Martyrio Andreæ de Chyo, cap.8. Vigesima secunda Martij producitur post meridiem: qui tamen nihil aliud, nisi Virgo Maria iuua me, in principio dolorum, idq; semel clamabat.

Eugenius Synaites. 1569.

Epistola ad Maximilianũ Imp. Quibus ita se habentibus, nos alibi spem firmam non habemus, nisi in Domino nostro Iesu Christo, eiusq; Matre.

Ioannes Basilius Dux Moscouitarum. 1570.

Responsione ad Ioannem Rohitam,cap.8. Mariam Reginam Deiparam, confidentia materna apud Filium pollentem, pro vniuerso Christianorum genere orãtem, illudq; protegentem inuocamus, auxilium ab ea imploramus, ac vt nobis veniam peccatorum, salutem, dulcemq; futurorum bonorum possessionem, à suo Nato impetret, rogamus.

Hieremias Patriarcha Constant. 1580.

Respons.1. cap.21. Dominam nostram hoc modo compellamus: Domina nostra Dei mater, intercede pro nobis peccatoribus.

Stammatius Sacellarius in Syro insula. 1580.

Epistola ad Theodosium Zygomalam: Reuerentiam quam decet genibus flexis præsto charitati tuæ, & oro Deum interuentu precum sanctissimæ Deiparæ, vt D. Tua valeat, cùm anima, tum corpore.

Theodosius Zygomala Constant. 1580.

Epistola ad Martinum Crusium, de Constantinopolitanorum cladibus: Nihilo tamen minus, diuino auxilio, intercessione sanctæ Deiparæ (in qua secundùm Deum spes suas vrbs habet, & cui dicata est à militibus, quibus sorte locus aduenerat, magnus Schytarum numerus cæsus est.

Gabriel Patriarcha Alexandrinus. 1595.

Epistola ad Clementem Octauum P. Deum altissimũ rogamus, vt Ecclesia sit vna Catholica & Apostolica, sine diuisione, & sine separatione, precibus sanctissimæ Dominæ Mariæ semper virginis.

Græcorum Euchologion.

Fol.100. Ad Dei Genitricem toto animo nũc recurramus peccatores & miseri, & procidamus in pœnitentia, clamantes de profundo animæ: Auxiliare Domina, misericordia mota super nos, festina: perdimur multitudine peccatorum, ne dimittas seruos tuos inanes: te enim vt vnicam spẽ possidemus.

Græcorum Horologion.

In Mesonyctio: Te inexpugnabilem murum, & munimẽtum salutis Dei Genitrix virgo oramus, inimicorum consilia dissipa, populi tristitiam in gaudium verte, vrbem tuam muni, cum Rege simul pugna, pro pace mundi intercede: quia tu es Dei Genitrix spes nostra.

Liturgia Armeniorum.

Admonentur astantes, vt Dei genitricem & omnes Sanctos inuocent in adiutorium, ad Deum Patrem cæleſtem, vt misereatur creaturæ suæ.

Liturgia AEthiopum.

Lætare Domina, quia salutem sanctam deprecamur, ô virgo in omni tempore mater Dei & Christi: effer sursum & in altum orationem nostram apud electos Filij tui, vt remittantur peccata nostra. Lætare Domina, quia peperisti nobis Dominum Iesum Christum: ora pro nobis apud Deum, vt misereatur animæ nostræ: ora pro nobis in conspectu throni Filij tui.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Ambrosius. 370.

Oratione 2.præparante ad Missam: Et vt efficax mea sit deprecatio, beatæ Mariæ virginis suffragia petò, quam tanti meriti esse fecisti, vt prima inter mulieres nouum munus offerret, & nulla præter ipsam tam nouum acciperet.

Augustinus. 400.

In Meditationibus cap.35. Pie & misericordissime Domine, ne efficiaris mihi inexorabilis, propter peccata mea, sed propter bonitatem tuam, suscipe preces serui tui, & da mihi effectum petitionis meæ & desiderij mei, intercedente & orante, & impetrante, glorioſa virgine genitrice tua Maria, Domina mea cum omnibus sanctis tuis, Amen.

Cap. 40. Sancta & immaculata virgo Dei genitrix Maria, & mater Domini nostri Iesu Christi, interuenire apud me digneris apud illum, cuius meruisti effici templum.

Sermone 18.de Sanctis: Sancta Maria succurre miseris, iuua pusillanimes, refoue flebiles, ora pro populo, interueni pro clero, intercede pro deuoto fœmineo sexu: sentiant omnes tuũ iuuamen, quicunque celebrant tuam commemorationem.

Fulgentius. 490.

Sermone de laudibus Mariæ ex partu Saluatoris: Venite virgines ad virginem, venite concipientes ad concipientem, venite parturientes ad parturientem, &c. Ideo omnes istos cursus naturæ virgo Maria in Domino nostro Iesu Christo suscepit, vt omnibus ad se confugientibus fœminis subueniret, & sic restauraret omne genus fœminarum, ad se venientium, noua Eua seruando virginitatem, sicut omne genus virorum Adam nouus recuperat Dominus Iesus Christus.

Gregorius Magnus. 590.

In Antiphonario: Saluator mundi salua nos: sancta Dei genitrix virgo Maria ora pro nobis.

Hildephonsus Toletanus. 660.

De virginitate Dei genitricis Mariæ cap.12. At nunc venio ad te sola virgo mater Dei: procido coram te, solum opus incarnationis Dei mei: rogo te, sola inuenta ancilla Filij tui, vt obtineas deleri facta peccati mei, vt des mihi loqui & defendere fidei synceritatem Filij tui: concedas etiam mihi adhærere Deo & tibi, famulari Domino & tibi. Illi, sicut factori meo; tibi, sicut Genitrici factoris mei.

Sermone 4. de Assumptione Mariæ: Et inter hæc vt inferar precibus vestris apud intercessionem B. Mariæ, quam summo cordis desiderio amantes colitis, veniam mihi obsecro impetretis. Et quia illa mater meruit effici Creatoris nostri, nos mereamur habere illam apud Filium suum, imò & Dominum suum Redemptorem q; nostrum interuenientem, & in omnibus auxiliatricem. Et quia illa meruit virtute Altissimi obumbrari, nos mereamur eius precibus adiuuari, ipso adiuuante, qui viuit & regnat Deus.

Sermone 6. Ad eam, de qua loquimur, preces & vota vertamus, opem intercessionis eius poscamus singuli, poscamus omnes. Oremus vt sit protextrix in prosperis, submoueat noxia, suggerat profu-

profutura, admittat preces supplicantium intra sacrarium diuinitatis: nobisq; impetret consortium suæ beatitudinis.

Sermone 1. Rogemus votis omnibus, imploremus precibus, vt ipsa pro nobis rogare dignetur apud Deum, quem genuit.

Sermone 2. Quam deprecantes veneramur, & venerantes deprecamur, vt ipsa pro nobis intercedere dignetur apud Dominũ nostrum Dei Filium, quem de se genuit incarnatum.

Beda. 700.

Hymno in Natali S. Dei Genitricis:

Et tu beata præ omnibus
Virgo Maria fœminis,
Dei genitrix inclyta
Nostris fauete laudibus.

Zacharias Papa. 730.

Epistola 11.ad Bonifacium: Oramus Dominum & Redemptorem nostrum, vt sacris interuentionibus sanctæ suæ Genitricis semper virginis Mariæ Dominę nostrę, & beatorum Principum Apostolorum Petri & Pauli, orantem pro nobis fraternitatem tuam sospitem & incolumem conseruare dignetur.

Alcuinus. 760.

De vsu Psalmorum fol.48. Rogo sanctam & beatissimam matrem Mariam, & omnes electos Dei inuoco in auxilium meum.

Ambrosius Ansbertus. 770.

Homilia de Purificatione Mariæ: Obsecro mi beatissima Virgo, offer nobis Christum pijs suffragijs, quæ nescis inuidere filijs: sed attendas filiorum iniurias, à quibus non vt dignum est honoraris. Deprecare vnicum Filium pro excessibus multorum filiorum.

Paulinus Aquileiensis. 780.

Aduersus Felicem Orgelitanum: Iesus Christus Catholicum & clementissimum & semper inclytum D. Carolũ regem, per intercessiones B. Mariæ, per quam meruimus auctorem vitæ suscipere, circũcingat & defendat.

Idiota. 800.

In præfatione contemplationũ de Maria: Cæteri Sancti iure quodam patrocinij, pro sibi specialiter cõmissis plus possunt prodesse in curia Altissimi, q̃ pro alienis: beatissima verò virgo Maria, sicut est omnium Regina, sic & omniũ patrona & aduocata, & cura est illi de omnibus, &c. Et ideo, iuxta cõsilium deuoti cuiusdam serui eius, Mariam semper cogita, Mariam semper inuoca, non recedat ab ore, non recedat à corde, & vt impetres orationis illius suffragium, non deseras conuersationis exemplum.

Ionas Aurelianensis. 860.

De cultu imaginum lib. 2. Mariæ intercessionem apud diuinam Maiestatem humiliter flagitamus.

Ericus. 880.

Homilia de Purificatione Mariæ: Cuius institutionis morem nos quoque pro modulo nostro hodierno die deuotè Deo iuuante imitaturi, Dei Genitricem submissis votis obsecremus, vt sua potenti intercessione apud suum Filium purgationem impetret criminum, quæ purgationem temporalem suscepit sine sordibus peccatorum.

Altercatio Synagogæ & Ecclesiæ. 890.

Cap.16. Maria Deum Patrem orat ac deprecatur pro seruis, Filium pro filijs, sed naturalem pro adoptatis.

Frodoardus. 960.

In Chronicis de anno 934. Dei genitricis precibus, beato quoque Martino intercedente, ad agendam pœnitentiam præsenti vitæ redditus est.

Abbo Floriacensis. 980.

De obsidione vrbis Parisiensis:

Vrbs in honore micat celsæ sacrata Mariæ,
Auxilio cuius fruimur vita modò tuti.

Fulbertus Carnotensis. 1000.

De Assumptione B. Mariæ: Quas ergo tibi laudes fragilitas humani generis persoluet, quæ solo tuo commercio recuperandi aditum inuenit? Accipe itaque quascumque exiles, quascumque meritis tuis impares gratiarum actiones: & cùm susceperis vota, culpas nostras orando excusa, &c. Accipe, quod offerimus: impetra, quod rogamus: excusa, quod timemus: quia nec potiorem meritis inuenimus, quàm te ad placandam iram iudicis, quæ meruisti esse mater Redemptoris & Iudicis. Succurre ergo miseris, iuua pusillanimes, refoue flebiles, ora pro populo, interueni pro clero, intercede pro monachorum choro, exora pro deuoto fœmineo sexu, &c.

Petrus Damianus. 1050.

Sermone de Natiuitate Mariæ: Virgo Dei genitrix, cuius pulchritudinem sol & luna mirantur, subueni Domina clamantibus ad te iugiter.

Hermannus Contractus. 1050.

In Hymno:

Alma Redemptoris mater, quæ pervia cæli
Porta manes, & stella maris: succurre cadenti,
Surgere qui curat, populo, tu quæ genuisti
Natura mirante tuum sanctum Genitorem:
Virgo prius ac posterius, Gabrielis ab ore
Sumens illud aue, peccatorum miserere.

Salue Regina, mater misericordiæ, vita, dulcedo, & spes nostra salue. Ad te clamamus exules filij Euæ: ad te suspiramus gementes, & flentes in hac lachrymarum valle. Eia ergo aduocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos conuerte: & Iesum, benedictum fructum ventris tui, nobis post hoc exilium ostende. O clemens, ô pia, ô dulcis virgo Maria.

Radulphus Ardens. 1060.

In Festo Assumptionis Mariæ: O glorioſa Dei Mater, meritis & precibus tuis trahe me post te: curremus in odore vnguentorum tuorum.

Gregorius Septimus P. 1070.

Lib.4.epist.1. Omnipotens Deus, à quo bona cuncta procedunt, meritis Dominæ nostræ cælestis Reginæ corda vestra confirmet.

Anselmus Cantuariensis. 1080.

De excellentia B. Virginis cap.6. Inuocato nomine Matris, etsi merita inuocantis non merentur, vt exaudiatur, merita tamen Matris intercedunt, vt exaudiatur.

Cap.12. Subueni nobis Domina pijssima, & non considerata peccatorum multitudine, velle tuum ad miserendum nobis inflecte. Eia succurre oramus, vt laus, quam per tot secula possedisti, cõtinua tibi duret in gratia ipsa, qua mundo perdito subueniſti. Tibi ergo nos commendamus, tu procura ne pereamus: effice potius vt salus nostra de die in diem multiplicetur.

Hildebertus Cenomanensis. 1100.

Epist.43. Quòd Ecclesia vniuersalis Litanijs insistat, quòd in lachrymis & in spiritu contribulato dicere consueuit: *Sancta Maria ora pro nobis,* nec indoctus ignorat cùm audit.

Amadæus Lausanensis. 1120.

Homilia 4.de laudibus B.Mariæ: Ergo redeamus ad nos, & culpas fletibus diluamus: rogemus matrẽ pietatis per arcana gaudij, & ineffabiles amores, quos singulari priuilegio meruit, vt maternæ pietatis affectu pro nostris excessibus apud proprium intercedat Filium.

Rupertus Tuitiensis. 1120.

Lib.7.in Cantica: Ad quem igitur Sanctorum cõuertemur? In quo ex omnibus vobis fugientem dilectum citius cõsequemur & comprehendemus? O beata Maria, mons montium, virgo virginum, sancta sanctorum, ad omnes quidem conuertimur montes aromatum, & vocamus, vt respondeant nobis: sed ad te præcipuè cõuertimur, ad te præ cæteris oculos nostros leuamus, tuum præ omnibus auxilium suspiramus.

Bernardus. 1130.

Deprecatione ad gloriosam virginem Mariam: Loquere Domina, quia audit gloriosus Filius tuus, & quæcunque petieris impetrabis. Inuoca bonum nomen eius super nos, vt curemur à vetusta lepra hac carnis & spiritus.

Sermone 2. de Aduentu Domini: Domina nostra, mediatrix nostra, aduocata nostra, tuo Filio nos commenda, tuo Filio nos repræsenta: fac, ô benedicta, per gratiam, quam inuenisti; per prærogatiuam, quam meruisti; per misericordiam, quã peperisti: vt qui te mediante fieri dignatus est particeps infirmitatis & miseriæ nostræ, te quoq; intercedente, participes faciat nos gloriæ & beatitudinis suæ Iesus Christus Filius tuus, Dominus noster, qui est super omnia benedictus Deus in secula.

Hugo Victorinus. 1130.

Sermone 34. Oremus pariter, vt meritis ac precibus S Mariæ virginis, sol iustitiæ super nos illuceat, semper stet, & nunquam occumbat.

Richardus Victorinus. 1140.

In Cant. canticorum cap.23. Ad te ergo matrem misericordiæ, matrem miserorum clamant exules filij Euæ, clamant ipsæ miseriæ. Habet enim miseria clamorem, & vallis hæc lachrymas: vallis est enim lachrymarum, adeò vt si ipsi miseri non clament, ista auribus tuis insonent. Non possunt hæc ante te silere, nec auditũ tuum latere, eò q; aures audiendi miserias habeas, & te has scire, sit eas audire. Sicut enim *vbicunque fuerit corpus, congregantur & aquilæ*; ita vbicunque fuerit miseria, tua & currit & succurrit misericordia. A Deo pietate replentur vbera tua, vt alicuius miseriæ notitia tacta, lac fundant misericordiæ, nec possis miserias scire, & non subuenire. Et quid mirum, si misericordia affluis, quæ ipsam misericordiã peperisti?

Petrus Cluniacensis. 1140.

Lib.1. epist.2. Adesto tu beatissima virgo, mater eiusdem Redemptoris, & Saluatoris nostri, & prę omnibus post ipsum, in te specialius cõfidẽtes, ab expectatione sua nullatenus confundi permittas.

Hymno de S. Maria:

Parens nostri tu parentis,
Et genitrix nos gignentis,
Pię matris fiducia
Natos Patri concilia.
Ora mater Deum natum,
Nostrum soluat vt reatum,
Et post concessam veniam,
Det gratiam & gloriam.

Arnoldus Abbas Bonæuallis. 1160.

Tractatu de laudibus Mariæ: Securũ accessum homo iam habet ad Deum, vbi Mediatorem causæ suæ Filium habet ante Patrem, & ante Filiũ Matrem. Christus nudato latere Patri ostendit latus & vulnera; Mater Christo pectus & vbera; nec potest vllo modo esse repulsa, vbi concurrunt & orant, omni lingua disertius, hæc clementiæ monumenta & charitatis insignia.

Petrus Cellensis. 1170.

De panibus cap.21. Filius nostra apud Patrem est propitiatio, qui interpellat pro nobis: Mater apud Filium, quia rogat pro culpis nostris. Filius est altare de terra sancta, quia corpus habet de Matre sine macula, in quo cremantur holocaustomata, dum condonantur peccata: Domina nostra nihilominus altare est terrenum, quia refugium est miserorum.

Guarricus Igniacensis. 1180.

Sermone 1. de Assumptione Mariæ: Laudo quidem in Paulo prædicationis ministerium, sed plus miror ac veneror in Maria generationis mysteriũ. Vide autem si non & Filij matrem videtur agnoscere, dicente vtique ipsis veluti quadam naturali pietate fidei, vt ad inuocationem nominis eius primò vel maximè refugiant, in omnibus necessitatibus & periculis, tamquam paruuli ad sinum matris, &c. Nihil veneratur supra se mediatrix nostra Maria, nisi Mediatorem solum: cui nos ipsa precibus suis conciliet, & repræsentet vnico Filio suo Iesu Christo.

Innocentius Tertius. 1200.

Sermone 2. in Festo Assumptionis Mariæ: Qui iacet in nocte culpæ respiciat lunam, deprecetur Mariam, vt ipsa per Filium cor eius ad compunctionem illustret. Quis enim de nocte inuocauit eam, & non est exauditus ab ea? Qui verò ad diluculũ pœnitentiæ surgit, respiciat auroram, deprecetur Mariam, vt ipsa per Filium cor eius ad satisfactionẽ illuminet. Quis enim deuotè inuocauit eam, & non est exauditus ab ipsa?

Hymno ad Mariam Virginem:

Pro me Deum interpella,
Vt me soluat à procella
Huius mundi tam immundi.
Peccatorum consolatrix
Consolare me lugentem,
In peccatis iam fœtentem:
Me defende peccatorem,
Et ne tuum des honorem
Alieno & crudeli,
Precor te Regina cæli:
Me habeto excusatum
Apud Christum tum natum.

S. Franciscus Patriarcha Minorum. 1220.

Oratione ad Sanctam Mariam: Sancta Maria ora pro nobis.

Guilhelmus Aluernus. 1230.

De diuina Rhetorica cap.18. Adibo te, imò etiam conueniã gloriosissima Dei Genitrix, quam matrem misericordiæ, & reginã pietatis vocat, imò clamitat omnis Ecclesia sanctorum. An poteris denegare peccatoribus interpellationis tuæ gratiam apud benedictum, ac semper & vbique benedicendum Deum, ac Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum? Tu inquam, cuius gratiositas nunquam repulsam patitur: cuius misericordia nulli vnquam defuit: cuius benignissima humilitas nullum vnquam deprecantem, quantumcunque peccatorem despexit, &c. Dum te exoro, vt me misericordissimo Filio tuo recõcilies, hoc proculdubio à te peto, quod maximè gratum, atque placitum tibi certissimè scio. Non potes igitur mihi denegare, quod peto.

Albertus Magnus. 1240.

Ad cap.1. Lucæ: Si circumdatus es tenebris, & abscondita est tibi via tua, respice illuminatricem, inuoca Dei Genitricem, & nomina Mariam.

Thomas Aquinas. 1250.

In expositione Salutationis Angelicæ: In omni peccato potes salutem obtinere ab ipsa Virgine gloriosa, in omni opere virtutis eam habere in adiutorium.

Bonauentura. 1260.

In carminibus super Salue Regina:

Salue lux fidelium, fulgens vt aurora,
Quæ es supra lilium pulchra, & decora,
Omne, quod est noxium, tolle sine mora:
Et Dei auxilium pro nobis implora.
Ad te clamamus miseri multum desolati,
Nobis aures aperi pectoris sacrati:
Vt à fauce inferi per te liberati,
Consequamur liberi viam tui Nati.
Clamamus deuotius ad te suspirantes,
Et affectuosius te piè precantes.
Dele quod interius malè cogitantes
Gessimus, exterius opere peccantes.

Iacobus Genuensis. 1280.

Sermone 1. in Festo omnium Sanctorum: Regina Virginum hodie omnibus Sanctis sociata pro nobis intercedit.

Ludolphus Saxo Carthusianus. 1330.

Vitæ Christi parte 1. cap.3. O Virgo virginum Maria, quæ prima nec similem visa es, nec habere sequentem, quæ prima inter fœminas votum virginitatis vouisti, deprecor bonitatem tuam immensam, vt tu (summum meum solatium) dirigas vitam meam, meq; tuas virtutes & exempla pro posse imitari facias, & gratiam tuã mihi semper adesse concedas.

Ioannes Taulerus. 1350.

De præparatione ad felicem mortem: Ipsam quoque Matrem misericordiæ, omnemq; cælestem exercitum deprecabitur, qui in hac sibi necessitate assistere, seq; ab exilio, ad iucundissimam societatem suam perducere velint.

Franciscus Petrarcha. 1360.

In Pœane ad diuam Virginem:

O sine labe nitens, penitus syncera q; virgo
Effice, namque potes, vt me tua sancta propago
Comiter excipiat, refouens, bis ter q; beata:
Ad te confugio supplex, & supplice corde,
Sis mihi præsidium, quæso, vitam q; labantem
Dirigito ad cursum rectum, metam q; laborum.

Gerhardus Zutphanienſis. 1380.

Lib.1. cap.35. Si quando diffidit tua conscientia ad Deum orare conscia suorum excessuum, arripe illud genus orationis, quod obsecratio dicitur, id est, roga aliquem Sanctorum, vt pro te deprecetur, clamando: *Sancta Maria ora pro me.*

Thomas VValdenſis. 1415.

Tom.3. cap.112. Hester potuit rogare Regem immitem cùm staret ante illum, & longè potentius, quando semel cum eo in solio collocata, cuncta pro voto composuit: & Domina orbis, Regina cæli modicũ vinum æternis nostris nuptijs, cum Filio suo clementissimo solio residens, comparare non potest, vnde totius gentis suæ restinguat æstum generalis incendij?

Ioannes Gerſon. 1420.

De mendicitate spirituali parte 2. Virgo gloriosa, spes certa, & refugium singulare peccatorum adesto mihi.

Laurentius Iuſtinianus. 1430.

Sermon. de Natiuitate Mariæ: Vt vniuersa hæc facilius mereamur, tu, ô beata Dei Genitrix, virgo fœcunda, cæli porta, delinquentium spes, pro nobis interuenire digneris. Non te repellet, qui nasci voluit ex te.

Antoninus Florentinus. 1450.

Parte 4. Summæ tit.15. cap.23. Maria apud Deum & iustis & peccatoribus subsidia mentis & corporis procurat.

Petrus Apollonius Collatius. 1470.

In Fastis: de Natiuitate gloriosæ Virginis:

Tu nos pestifera seruasti clade redemptos,
Pro quibus & meritis munera pauca damus:
Parua quidem meritis: at te nullius egentem
Scimus, & imperio subdita cuncta tuo, &c.
Æternum salue Virgo, ciues q; tuere,
Qui te perpetua relligione colunt.
Da veniam miseris, etiam te Diua precamur, &c.

Gregorius Tiphernas. 1480.

Hymno ad Diuam Virginem:

Te vocat in partu mulier, te miles eandem
Subuenias querulo saucius ore rogat.
Fer precor auxilium, Virgo sanctissima, nobis,
Et seruatricem porrige quæso manum.

Marcus Antonius Sabellicus. 1490.

Elegia 8. ad D. Virginem:

Proh quoties tantam matrem mirata precari,
O venias oculis conspicienda meis:
Virgo suprema veni, miseri spes vnica mundi,
Ante tuos liceat procubuisse pedes.

Elegia 13.

Accipe Diua pij non impia munera vatis,
Laudibus immixtas accipe Diua preces.
Ante thronum Nati supplex tu crimina mundi
Diluis, & mundo pandis ad astra gradum, &c.
Humanum tutare genus lux alma, tuam q;
Perge precor sobolem conciliare tuis:
Imprimis q; pios hæc paruula tecta penates,
Deuotos q; tibi protege Diua lares.

Baptiſta Mantuanus. 1500.

Voto ad Virginem:

Erue me tantis igitur Regina periclis,
Et lacera sparsas collige nauis opes:
Mox vbi liber ero, Lauretia templa reuisam,
Et tibi de nostro carmine munus erit.

Libro 1. Parthenices Mariæ:

Tu licet à nostro spatijs ingentibus orbe
Disiungare, suos quantum polus eleuat ignes,
Non tamen humanos casus oblita, tuum q;
Nil pertæsa genus, vigili mortalia cura
Suscipis, & lachrymæ tangunt tua pectora nostræ.
Tu placidum terræ sydus, quod liberat omnes
Apelagi feruore rates, quod lucis benignæ
Saturni Martis q; graues eliminat iras.

Eraſmus Roterodamus. 1530.

In Pœane ad Mariam: Certa fiducia en ego pronus tuis aduoluor pedibus, quibus etiam cælites ipsi se substernũt: præsentes tuo numini supplex tendo manus. Succurre queso mea seruatrix, mea salus, meum vnicũ castissimum q; perfugium Maria. Per omnium, qui in te spes suas fixerunt, vota obsecro virgo intemerata, peccatoris patrociniũ suscipe, eius iram, quam meis flagitijs excitaui, deprecare.

In Liturgia Lauretana:

Esto virgo fauens, qui modulis te celebrant pijs:
Iram auerte Dei, ne feriant fulmina noxios.

ARTICVLVS QVINTVS.

MARIAM DEIPARAM OMNI LAVDE A CHRISTIANIS CELEBRANDAM ESSE.

NEGANT.

Anno post natũ Christum

360. MESSALIANI *Deiparam Virginem nullo dignantur honore.* Harmenopulus de sectis.

420. *Anastasius Antiochenus docuit Mariam, Deiparam à nemine vocari debere.* Socrates lib.7.cap.32.

430. *Nestorius vocem Deiparam omnino reiecit.* Socrates lib.7.cap.32.

740. *Constantinus Copronymus lege sanxit, ne Maria Dei genitrix appellaretur: atque acceptis in manu auro refertis loculis, ijsq; multitudini ostensis, quanti eas æstimaret interrogauit: atque vbi illa plurimi dixissent, ex ijsdem loculis effuso auro rursus quanti illas faceret, quæsiuit, & postquam populus nihili subintulisset: Ad eundem, inquit, modum Maria, quoadusque Christum gestauit in vtero honore digna fuit; eum porrò vbi est enixa, nihil fœminis alijs dignitate præstitit.* Theosterictus oratione in Sanctum Nicetã, Suidas in hoc Constantino, Glycas parte 4.Annalium.

1520. Martinus Lutherus ad cap. 4. epistolæ ad Galatas: *Paulus, vt apparet, quasi per contumeliam Matrem Filij Dei mulierem tantùm appellat.*

In Postilla maiori ad Euangelium in Natiuitate Mariæ: *Ferre nequeo, vt Maria dicatur spes & vita mea.*

1530. *Melchior Hoffmannus Argentinæ in publica disputatione asserens, Christum non sumpsisse carnem ex Maria Virgine, eò processit, vt liberè diceret, Maledicta sit caro Mariæ.* Henricus Bullingerus aduersus Anabaptistas lib.2. cap.13.

1530. *Ioannes Oecolampadius,* in concione de omnibus Sanctis, *Mariæ venerationem cultum idolorum dicit esse.*

1540. *Lucas Sternbergius tanto Mariæ odio flagrauit, vt eam virginitatis gloria, omniq; honore spoliandam putaret, vtpote quam ex Iosepho coniuge multos filios peperisse, & à reliquis non differre fœminis finxit.* Petrus Canisius Præfatione in opus Mariale.

1550. *Rodolphus Gualterus,* ad cap.3.Marci, *Salutationem Angelicam quasi magicum murmur existimat.*

1560. *Matthias Reidt Lindauiensis minister, vt suum populum à cultu Mariæ magis ac magis abalienaret, solenne Canticum* Salue Regina, *integro ac virulento scripto oppugnandum suscepit.*

1560. Guilhelmus Bidembachius ad assertiones Torrensis: *Vt Maria spes nostra dicatur, quemadmodum eam in impio & insalutari* Salue Regina *salutant, horret animus cogitare, ne dum lingua eloqui. Spem enim nostram dicere non possumus, nisi simul etiam Deum nostrum dicamus.*

1570. Iacobus Heerbrandus in disputatione de semine Abrahæ: *Turpissimè,* inquit, *errant Pontificij, dum D. Virgini hoc tribuunt, quòd sit fons ineuacuabilis misericordiarum & veniæ, imò ipsa misericordia & venia.*

ASSERVNT SACRÆ LITERÆ.

*Cant.*4.*v.*7. Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.

Lucæ 1.28. Ingressus Angelus ad Mariam dixit: Aue gratia plena, Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus, 30. Ne timeas Maria, inuenisti enim gratiam apud Deũ. 41. Et repleta est Spiritu sancto Elisabeth: & exclamauit voce magna, & dixit: Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui. Et vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me? Ecce enim vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit in gaudio infans in vtero meo. & beata quæ credidisti, quoniam perficientur ea, quæ dicta sunt tibi à Domino.

Ipsa Maria ait: 48. Beatam me dicent omnes generationes.

Lucæ 11. 27. Factum est autem, cùm hæc diceret, extollens vocem quædam mulier de turba, dixit illi: Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ suxisti. At ille dixit: Quinimò.

Liturgia D. Petri.

Communicantes, & memoriam venerantes imprimis gloriosæ semperque Virginis Mariæ Genitricis Dei & Domini nostri Iesu Christi, &c. *Aue gratia plena, Maria, Dominus tecum,* &c. Imprimis sanctæ gloriosæ semperque Virginis Mariæ Genitricis Saluatoris nostri Iesu Christi, &c.

Liturgia D. Marci.

Aue gratia plena, Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui: quia peperisti Saluatorem animarum nostrarum. Imprimis sanctissimæ, intemeratæ & benedictæ Dominæ nostræ Dei Genitricis, & semper Virginis Mariæ.

Liturgia D. Iacobi.

Dignum est, vt te verè beatam dicamus Deiparam, semper beatam, & omnibus modis irreprehensam, & matrem Dei nostri: honorabiliorem quàm Cherubim, & gloriosiorem quàm Seraphim, quæ sine corruptione Deum Verbum peperisti, te reuera Deiparam magnificamus. Tibi ô plena gratiæ vniuersa creatura gratulatur, Angelorum cœtus & hominum genus: quæ es templum sanctificatum, paradisus spiritalis, virginum gloria, ex qua Deus carnem assumpsit. Tuum vterum thronum fecit, & tuum ventrem latiorem ac ampliorem cęlis ipsis reddidit: tibi ô gratiæ plena vniuersa creatura gratulatur: gloria tibi.

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Ignatius 80.

Epistola ad Ioannem: Sunt hìc multæ de mulieribus nostris Mariam Iesu videre cupientes, & quotidie à nobis ad vos discurrere volentes, vt eam contingant, & vbera eius tractent, quæ Dominũ Iesum aluerunt, & quædam eius secretiora perquentur ipsam Mariam Iesu. Est & Salome, quam diligis, filia, anno Hierosolymis & quinq; mensibus apud eam commorans: & quidam fortè notificauêre eandem matrem Dei omnium gratiarum abundantem, & omnium virtutum more virginis, virtutis & gratiæ fœcundam; quæ (vt dicunt) in persecutionibus & afflictionibus est hilaris, in penurijs & indigentijs non querula, iniuriantibus grata, & molesta relætatur: miseris & afflictis condolet coafflicta, & subuenire non pigrescit: contra vitiorum autem pestiferos conflictus in pugna fidei disceptãs enitescit. Nostræ nouę religionis & pœnitentię est magistra, & apud fideles omnium operum pietatis ministra. Humilibus quidem est deuota, & deuotis deuotius humiliatur, & mirum ab omnibus magnificatur, cùm à Scribis & Pharisæis ei detrahatur. Præterea multi multa referunt de eadem, tamen omnibus per omnia non audemus fidem concedere, nec tibi referre. Sed sicut nobis à fide dignis narratur, in Maria Iesu humanæ naturæ natura sanctitatis Angelicæ sociatur. Et hæc talia excitauerunt viscera nostra, & cogunt valde desiderare aspectum huius (si fas sit fari) cælestis prodigij & sacratissimi spectaculi. Tu autem diligenti modo disponas super desiderio nostro, & valeas. Amen.

Euodius. 100.

Est apud Nicephorum lib. 2. cap.3.

Epistola, quam Lumen inscripsit: Omne tempus à Natiuitate Christi vsque ad Dei Genitricis migrationem anni fuerunt quadraginta quatuor.

Irenæus. 180.

Lib.3. cap.33. Euæ inobedientiæ nodus solutionem accepit per obedientiam Mariæ. Quod enim alligauit virgo Eua per incredulitatem, hoc virgo Maria soluit per fidem.

Hippolytus. 220.

Apud Nicephorum lib.2. cap.3. Anna protulit Mariam Dei Genitricẽ, à qua nobis exortus est Christus ipsa veritas.

Methodius Tyri Episc. 260.

Oratione habita in Hypapanten Domini: Benedicta tu celeberrima & desideratissima: tuum Dei Genitrix nomen diuinis benedictionibus & gratijs omni est ex parte refertum. Tu fidelium fax, tu incircumscripti (si ita quidem loqui fas est) circumscriptio, tu speciosissimi floris radix, tu Creatoris mater, tu nutrix omnia nutrientis, tu cuncta continentis & comprehendentis comprehensio: tu illius gestatrix, qui verbo suo portat vniuersa: tu porta, per quam in carnem ingressus est Deus: tu purificantis carbonis forceps: tu præangustus illius sinus, qui sinu suo omnia complectitur. Tu incomprehensibilis illius roris vellus: tu Bethlehemitica illa cisterna, quam velut vitæ refocillatricem Dauid desiderauit, & ex qua immortalitatis poculum emanauit: tu propitiatorium, per quod Deus humanam naturam indutus, mortalibus innotuit: tu impolluti illius indumentum, qui lucenti vestimento circumfunditur: tu Deo nullius alioquin rei indigo, carnem, quam non habebat mutuata es, quo nimirum hac ratione Omnipotens id, quod esse dignatus est, homo videlicet, verè appareret. Quid hoc illustrius? quidue sublimius? Qui cælum & terrã implet, cuius præterea sunt omnia, quæcunque mouentur, atque subsistunt, is tui factus est indigus. Tu enim admirabilem incarnationem, quam aliquando nón habuit, Deo mutuo dedisti, &c. Salue in æternum ineffabile gaudium. Ad te namque rursus recurrimus, tu festiuitatis nostræ principium, tu medium, tu finis, tu pretiosa cælestis regni margarita, tu verè fons vberrimus totius sanctitatis, tu animarum altare, panis vitæ. Salue Spiritus sancti vmbraculum. In te per benignus ille Conditor feruentissimæ charitatis flammas, quasi confertos quosdam solis radios, est eiaculatus. Tu ante omnia secula conceptum in fine temporum enixa es: tu inaspectabilis Patris Filium, per quem omnis nobis pax est restituta, mysterium vtique absconditum, & ineffabile mundo patefecisti.

2.Reg 23.

In Threnis: Maria glorificata Deo; digna sedes,

quæ ſolis mentis oculis conſpici poteſt. Salue dilectionis Dei theſaure, ſalue humanitatis Filij fons, ſalue Spiritus ſancti vmbraculum.

Euſebius Cæſareenſis. 320.

Vitæ Conſtantini lib. 3. cap. 42. Helena ſanctiſſima Imperatrix Deiparæ partum eximijs monumentis exornare, & ſacrum illud antrum varijs cuiuſcũq; generis inſignibus illuſtrare ſtuduit.

Athanaſius. 340.

In Euangelium de ſanctiſſima noſtra Deipara: Quandoquidem ipſe rex eſt, qui natus eſt ex Virgine, idemq́ue Dominus & Deus, ea propter & Mater, quæ cum genuit, & Regina, & Domina, & Deipara propriè & verè cenſetur, &c. Iſta noua Eua mater vitæ appellatur, variegataq́ue permanet ad primitias vitæ immortalis omnium viuentium. Dicimus eam iterum atque iterum & ſemper & vndequaque beatiſſimam. Ad te clamamus, recordare noſtri ſanctiſſima Virgo, quæ etiam à partu virgo permanſiſti: *Aue gratia plena, Dominus tecum,* beatam te prædicant omnes Angelorum & terreſtrium hierarchiæ: *benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui.* Intercede Hera, & Domina, & Regina, & Mater Dei pro nobis.

In diſceptatione de concilio Nicæno, contra Arianos: Deus & Pater Chriſti ob noſtram ſalutem ædificauit ſibi domum in vtero Deiparæ Mariæ ſine commercio virili, & homo factus eſt.

Baſilius Magnus. 370.

In Liturgia: Sanctæ & intemeratæ Dominatricis noſtræ Dei Genitricis & ſemper Virginis Mariæ cum omnibus Sanctis memorantes, nos ipſos & alterutrum atque omnem vitam noſtram Chriſto Deo commendemus.

Ephræm. 370.

Oratione de laudibus ſanctiſſimæ Dei Matris: Intemerata prorſuſq; pura, virgo Deipara, regina omnium, ſpes deſperantium, domina mea glorioſiſſima, eademq; optima, ſublimior cælicolis, purior ſolis radijs & ſplendoribus, honoratior Cherubim, & polyomatis, id eſt multòculis ſpiritibus, ſanctior Seraphim, & nulla comparatione cæteris omnibus ſuperis exercitibus glorioſior, ſpes Patrum, gloria Prophetarum, Apoſtolorum præconium, & honor Martyrum, Sanctorum lætitia, & lumen ſtudioſorum Abraham, Iſaac, & Iacob, decus Aaron, Moſis ſplendor, & Gedeonis vellus, Hierarcharum cœtus, & omnium Sanctorum ac Virginum corona, ob fulgorem inacceſſa. Accerra aurea, lacerna micantiſſima, vrna cæli manna geſtans, tabula ſcriptam legem ferens mortalibus, arca vera, charta diuiniſſima, omnium princeps, circumſpecta & luciſera Virgo, conſolatio ſanctiſſima, & omnium dux, ſacratiſſima puella, &c. Tu peccantium & auxilio deſtitutorum adiutrix: tu portus procella vexatorum, ſolatium mundi, carcere clauſorum liberatrix celeberrima: tu orphanorum ſuſceptio, tu captiuorum redemptio, tu ægrotantium exultatio, & omnium ſalus. Tu ſolitariorum ſtabilimentum, & ſpes mundanorum. Tu virginum decus, corona, & gaudium, &c. Dignare, Virgo, te tuum ſeruum laudare, & dicere: *Aue* Dei ſplendidiſſimum & luculentiſſimum vas: aue Domina Maria *gratia plena:* aue in mulieribus Virgo beatiſſima: aue ſtella fulgentiſſima, ex qua Chriſtus prodijt: aue illuſtriſſima lux, mater & virgo: aue, quæ mirificè regem omnium peperiſti: aue, per quam nobis Sol præclariſſimus illuxit: aue Domina cunctis ſublimior: aue canticum Cherubim, & hymnus Angelorum: aue pax, gaudium, & ſalus mundi: aue generis humani lætitia: aue Patrum præconium, & Prophetarum decus: aue Martyrum pulchritudo, & corona Sanctorũ: aue piorum gloria, & in ſolitudine degentium hymnus: aue præclariſſimum hierarchiarum cęleſtium ornamentum: aue præſtantiſſimum orbis terræ miraculum: aue lignum vitæ, gaudium, & voluptas: aue vallum fidelium, & mundi ſalus: aue tranquille portus, & à fluctibus agitatorum liberatrix: aue noſtra periclitantium auxiliatrix.

Epiphanius. 380.

Sermone de laudibus S. Deiparæ Mariæ: Miſer ego ſum, qui effulgentes ſplendores Deiparæ, radios terribiles, & incomprehenſas facultates, cæli & terræ inhabitatæ myſterium, admirandumq́ue propitiatorium verbis conſequi tentaui. Dicam de ſola Deipara, quatenus aſſequor, denuò tamen vereor, vtpote qui lingua non ſim præditus idonea ad ea dicenda, quæ ſunt valde magna: ſum enim exili voce, tardaq; lingua, & minimè diſertus, vt ſic verba facere poſſim de percelebri, ſancta, innupta, & Deipara Maria matre Domini, de qua leuiter loqui non debet humana lingua. Gabriel ait: *Aue gratia plena,* multis virtutibus exornata Virgo, in lampade geſtans lucem inextinguibilem, ſole ſplendidiorem. *Aue gratia plena,* hami eſca ſpiritalis: in te ſiquidem hamus diuinitatis. *Aue gratia plena,* quæ es vrna aurea continens manna cæleſte. *Aue gratia plena,* quæ ſitientes perennis fontis dulcedine ſatias. *Aue gratia plena,* mare ſpiritale, habens gemmam cæleſtem Chriſtum. *Aue gratia plena,* ſplendidum cælum, quæ in cælis incomprehenſum contines Deum, &c. Quid dico? & quid proloquar? quo pacto beatam prædicabo gloriæ radicem? Solo enim Deo excepto, cunctis ſuperior exiſtis: natura formoſior es ipſis Cherubim, Seraphim, & omni exercitu Angelico, cui prædicandæ cæleſtis ac terrena lingua minimè ſufficit, imò verò nec Angelorum. Etenim ipſi quidem hymnum, laudem, honorem protulerunt: non tamen eo modo eloqui pro dignitate potuerunt. Lætabantur verò Angeli, tanquam ipſi duntaxat Deum haberent, quibus ſanctiſſima Virgo ſuperior nata, Deum habitantem in cælis concepit in terra, vt hac ratione exercitus Angelorum traheret in terram, & verſaretur cum hominibus. Ipſa enim eſt cæli ac terræ mediatrix, quę vnionem naturaliter peregit. O Beata Virgo, columba pura, & ſponſa cæleſtis Maria, cælum, templum, & thronus diuinitatis, quæ coruſcantem in cælo & terra ſolem habes Chriſtum: nubes lucida, quæ fulgur de cælo lucidiſſimum ad illuminandum mundum deduxiſti Chriſtum, &c.

Hæreſi 78. Siue mortua eſt ſancta Virgo & ſepulta, in honore ipſius dormitio, & in caſtitate mors, & in virginitate corona: ſiue ſublata eſt, veluti ſcriptum eſt: *animam ipſius pertranſibit gladius:* inter Martyres eſt ipſius gloria, & in laudibus ſanctum ipſius corpus, per quam lux exorta eſt mundo.

Hæreſi 79. Sit in honore Mariæ: Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus adoretur.

Gregorius Nazianzenus. 380.

In Tragœdia:

Veneranda, ô Virgo, caſta, feliciſſima,
Quando beata nunc beatorum in polo,
Exuta quicquid fecit humana, ſedes
Et æternitatis pallio ornata, vt Dea
Habita, ſenectæ expers, ſupremo ex æthere
Benigna adeſto vocibus meis; preces

Admitte, virgo ô inclyta, hic quando tibi
Verbi parenti, ſed ſupra modum tamen
Legemq́; ſolus inter omnes contigit
Honor, &c.
Hoc propter, ecce, texo nunc tibi memor
Gratumq́; carmen, ô puella gratia
A Eua nulli, mater, & virgo ſupra
Omnes decora virgines, & maxima,
Quæ vincis omnes cælitum Ordines,
Regina, Domina, generis humani bonum,
Amica ſemper eſto tu mortalibus,
Maximaq́; quouis in loco mihi ſalus.

Ioannes Chryſoſtomus. 400.

Sermone de Geneſi & interdictione arboris ad Adam: Mors per Adam, vita per Chriſtum. Euam ſerpẽs ſeduxit, Maria Gabrieli conſenſit: ſed ſeductio Euæ attulit mortem, conſenſus Mariæ peperit à ſeculo Saluatorem. Reſtauratur per Mariã, quod per Euam perierat. Per Chriſtum redimitur, quod per Adam fuerat captiuatum. Redditur per Mariam vita, quæ per Euam fuerat interempta.

Oratione in ſanctiſſimæ Dei Genitricis Annuntiationem: Miſſus eſt ſeruus incorporeus ad Virginẽ immaculatam: miſſus eſt à peccato integer ad corruptionis expertem, &c. Tunc Angelus Virginem adijt, & clara voce: *Aue,* inquit, *gratia plena, Dominus tecum.* Non eſt amplius Diabolus contra te. Vbi enim prius hoſtis ille vulnus inflixit, illic medicus adhibet medicamentum. Vnde mors ingreſſus principium habuit, inde vita ſibi aditum patefacit. Per mulierem mala fluxerunt, per mulierẽ emanant bona. *Aue gratia plena:* Ne te pudeat, ꝙ mulier cauſa damnationis extiterit. Tu enim iudicis & Redẽptoris mater exiſtis. *Aue gratia plena* quæ mũdi paries Saluatorẽ. *Aue gratia plena,* genitrix vitæ, quæ mortem delebit. Aue animatum Dei templum. Aue cæli terræq; pariter domicilium. Aue naturæ illius, quæ comprehẽdi non poteſt, ampliſſimum habitaculum. Per hanc adeſt chariſſimi ægrotantibus medicus, in tenebris cõſidentibus illuxit ſol iuſtitiæ.

Cyrillus Alexandrinus. 430.

Homilia Epheſi in Neſtorium habita: Salue per nos ſancta & myſtica Trias, quæ nos omnes ad S. Mariæ Deiparæ eccleſiam conuocaſti. Salue ſancta Deipara, eximium illud totius orbis decus, & ornamentum. Salue lampas inextinguibilis, corona virginitatis, ſceptrum rectæ doctrinæ, templum indiſſolubile. Aue locus eius, qui loco capi non poteſt. Salue mater & virgo, per quã is *benedictus* in Euangelijs nominatur, *qui venit in nomine Domini:* Salue, quæ immenſum incõprehenſumq; in ſancto virgineo vtero comprehendiſti. Salue Virgo, per quam ſancta Trinitas in vniuerſo orbe glorificatur & adoratur, per quam cælum exultat, per quam Angeli & Archangeli lætantur, per quam dœmones fugantur, per quam tentator Diabolus cælo decidit, per quam prolapſum plaſma in cælum denuò ſubuehitur, per quam vniuerſa creatura idolorum veſania detenta ad veritatis cognitionem perducta eſt, per quam ſanctum baptiſma obtingit credentibus, per quam exultationis oleum conſecratur, per quam toto terrarum orbe fundatæ ſunt Eccleſiæ, per quam gentes adducuntur ad pœnitentiam. Ecquis laudatiſſimam illam Mariã pro dignitate celebrare queat? Ipſa & mater & Virgo eſt: ô rẽ admirandã.

Proclus Conſtantinopolitanus. 430.

Homilia de Domini noſtri Ieſu Chriſti Natiuitate: Non vulgaris hac mũdi ætate mulierbri ſexui per virginem & matrem gloria acceſſit. Stupenda ſanè planeq; inaudita eſt hæc virginis & matris copula. Ecce igitur & terra, & mare virginem honorant, donisq; cumulant: hoc quidem mitia nauigantibus dorſa ſubſternẽs; illa verò viatorum veſtigia inoffensè dirigens. Exultet natura, honorentur fœminæ, choros humana ducat natura, & carmina cantet, glorificentur virgines: *vbi enim abundauit delictum, ibi ſuperabundauit & gratia.* Sacra Deipara Maria in vnum nos coëgit. Hæc impollutus, & purus ille illibatæ virginitatis theſaurus decusq; & ornamentum: hæc ſpiritualis ſecundi Adami Paradiſus: hæc vnitarum inter ſe naturarum officina: hæc ſalutaris reconciliationis panegyris: hæc thalamus, in quo Verbum humanam carnem ſibi deſponſauit: hæc animatus naturæ rubus, quem diuini partus ignis non cõbuſſit: hęc verè leuis illa nubes, quæ ſuper Cherubim ſedentem in corpore ſuo geſtauit: hæc vellus mũdiſſimum cæleſti pluuia madens, ex qua paſtor ouẽ induit: hæc ancilla eſt & mater, virgo & cœlum: hæc ſola pons eſt, per quem Deus ad hominem deſcendit: hæc admirandæ illius œconomię tela, ex qua, & in qua ineffabili quodã modo admirabilis illius vnionis tunica confecta eſt. Cuius quidem textor, extitit Spiritus ſanctus; netrix, virtus ex alto obumbrans; lana, vetuſta villoſaq; Adami pellis; trama, impolluta virginis caro; radius textorius, immenſa geſtantis gratia; artifex, verbum per auditum illapſum. Quis vidit? quis audiuit talia? Incircumſcriptus Deus vterũ inhabitat: quem cæli non capiunt, venter complexus eſt Virginis.

Anatolius. 443.

In cantico de Mariæ Natiuitate: Quæ ab æterno prędeſtinata fuerat, vt Dei domicilium, diuinumq; ſempiternæ naturæ templum foret, hæc vniuerſorum Regina iure ſalutatur.

Concilium Chalcedonenſe. 453.

Actione 5. Sancta Maria Theotocos eſt: qui non ſic ſapit, hæreticus eſt.

Baſilius Seleucius. 460.

Oratione in Annuntiationẽ Deiparæ: Copioſam pręconiorum materiam comperiet, qui ſacram Deiparamq; Virginem laudibus efferre inſtituerit, &c. Nec quorumlibet eſt promeritas Virgini laudes perſoluere, ſed eorum, qui diuinæ gratiæ lumine inſigniter illuſtrati ſunt, &c. Quomodo obſecro admirabilem illam inuſitatamq; gratiam pro dignitate celebrabo? Quomodo clementiæ fontem celebrabo? Quomodo benignitatis fluuium prædicabo? Quomodo virgineum illud pelagus cantabo? Quomodo magni illius myſterij altitudinem perſcrutabor, niſi tu Deipara me veluti imperitum natatorem, veterẽ hominem, qui ſecundùm erroris deſideria corrumpitur, exuere docueris? mentisq; meæ os, ô miſericordiæ plena, ad partus tui profunditatem deduxeris? quo miſericordiæ tuæ lumine colluſtratus, veritatis margaritam in te abditam inuenire queam? Fer opem quæſo, vt illam, te adiuuante, comprehendam. Effice obſecro, vt abs te doctus, commodè de te loqui valeam, &c. At quorſum attinet ea omnia, quæ à Prophetis, qui Chriſti ex Deipara Virgine ortum prædixerunt, expoſita ſunt, huc in medium adferre? Quæ lingua adeò eſt diſerta, aut ſonora, quæ Virginem illã pro dignitate decantare queat? Per eam enim illuſtribus bonis ditati ſumus. E quibus laudum floribus promeritam coronam illi texemus? Ex ipſa namque flos Ieſſe exortus eſt, genuſq; noſtrum gloria & honore coronatum eſt. Quæ dona offeremus ipſa non indigna? Quippe quæ tanta ſit, vt vniuerſa, quæ mundi ambitu continentur, cum illius dignitate comparari non valeant. Si enim Apoſtolus Pau-

lus de alijs Sanctis verè asserit, quibus dignus non erat mundus, quid de Deiparente Virgine cogitare nos par est, quæ vniuersos Martyres suo splendore tantum excedit, quantum sol reliqua astra? &c. *Aue gratia plena*, aue perpetuò virens castimoniæ paradisus, in qua vitæ lignum plantatum, omnibus salutis fructum fundit: ex qua itidem quadripartitus Euangeliorum fons dimanans, mortalibus fide exornatis, miserationum fluenta vbertim emittit. Aue, quæ inter Deum & homines Mediatrix intercedens, efficis, vt interiectus inimicitiæ paries tandem aliquando euertatur, terrenaq; cælestibus coniungantur.

Nonnus Panopolitanus. 500.

In Metaphrasi Ioannis cap. 2.

ἐς εἰλαπίνην δὲ καὶ αὐτὴ
παρθενικὴ χριστὸιο θεοτόκος ἵκετο μητὴρ,
ἀχράντῳ παλάμῃ γαμίης ψάυσασα τραπέζης
παιδοτόκος, φυγόδεμνος ἀεὶ μεθέπουσα χορείην.

Ad conuiuium verò & ipsa
Virgo Christi Deipara venit mater,
Immaculata manu nuptialem attingens mensam
Puerpera, fugiens cubile, semper sectans virginitatem.

Chrysippus Presbyter. 500.

De laudibus Virginis Mariæ: Virgam Iesse semper virentem, quæ cuncto generi humano vitam pro fructu attulit, omni quidē tempore beatam prædicare, admirari, & laudibus extollere conuenit. Ijs tamen, qui hymnis celebrant eam, est quoddā tempus præscriptum, quo ut plurimum præclara solennitas hæc peragitur: cumq; planè circa mysterium istud quippiam gestum sit, quod sensum multorum effugiat: agite ergo & nos, etsi munera digna offerre nequimus, pro viribus tamen bonam voluntatem adferamus. Mox verò sumamus initiū à verbis, quæ Gabriel apud eam fecit: *Aue gratia plena, Dominus tecum.* Aue, inquit: tuum enim est reuera auere & gaudere: tuum est verissimè audire istud, *gratia plena*, quia tecum est vniuersus lætitiæ thesaurus, totius lætitiæ & gratiæ Rex cum ancilla: cum speciosa inter mulieres, speciosus forma præ filijs hominum: cum puella impolluta, is qui sanctificat omnia. Tecum est conditor omnium, tecum inquam, vt ex te gignatur: tecum conceptione, vt ex partu tuo generetur: tecum velut Deus, vt ex te sit Deus & homo. Hactenus Gabriel verbis salutationis finem imponit. Nos autem, peropportunum est modò, vt plurimarum prophetiarum faustas acclamationes illi ascribamus, & dedicemus. *Aue gratia plena*: aue, quæ vuluam adepta es præter naturam, vel ipsis cælis latiorem: quandoquidem per hanc comprehendisti eum, quem ne cæli quidem capiunt. Aue fons lucis omnem hominem illuminantis. Aue solis ortus, qui nullum ferre potest occasum. Aue armarium vitæ. Aue, quæ es hortus Patris. Aue, quæ es pratum totius fragrantię sancti Spiritus. Aue radix omnium bonorum. Aue specimen gemmæ, omne pretium excedentis. Aue vitis vuas pulchras producens. Aue nubes pluuiæ potum animis Sanctorū exhibentis. Aue, quæ es puteus semper viuentis aquæ. Aue, quæ es rubus ardens igni spiritali, nusquam tamen adureris. Aue porta clausa, soli regi aperta. Aue mons vnde lapis angularis abscissus est sine manibus. His enim atque alijs multis huiusmodi cuncti qui Deum gestant, particulatim eam alloquuntur.

Luc. 1.

Cant. 4. 5

Procopius Gazæus. 530.

Ad cap. 3. Genes. Maria typus Euæ fuit: vtraque siquidem virginitate vigebant. Verùm Eua in virginitate existens deliquit, proinde tristitiam & dolores à serpēte traxit, quos deinde in omnes peccatrices mulieres, quæ secutæ sunt seculis omnibus transfudit. Verùm Maria gaudium & lætitiam toti mortalium generi obnuntiauit, humaniq; generis maledictionem, in quam deuenerat, fugauit. Præterea partus doloris expers finiuit eum, qui cum multis doloribus sit. Ideo Euam omnes culpant, & incusant; Mariam omnes laudant, & beatam pronuntiant, quæ quasi personam Euæ gerens, inquit: *Et beatam me dicent omnes generationes.*

Iustinianus Imperator. 530.

C. *de Sancta Trinitate*: Inuenimus quosdam morbo atque insania detentos impiorum Nestorij atque Eutychetis, qui detrectant sanctā gloriosam Dei genitricem Mariam Theotocon seu Deiparā appellare.

Synodus Quinta Oecumenica. 535.

Act. 4. Si quis per relationem aut abusiuè Dei Genitricem sanctam gloriosam semper Virginem Mariam dicit aut hominis genitricem, aut Christotocon, tanquam Christo Deo non existente, sed non propriè & verè Dei Genitricem ipsam confitetur, eo quòd ipse, qui est ante secula ex Patre natus est Deus Verbum, in vltimis ex ipsa incarnatus, & natus est, talis anathema sit.

Procopius Cæsariensis. 550.

De ædificijs Iustiniani oratione 1. Dei Genitrici passim per Romanum imperium multas ędes Iustinianus cōsecrauit, adeò planè magnificas & præstantes, tanquam ingenti pecuniarum acerno cōstructas, vt si quis vnam duntaxat ędem conspexerit, hoc solum opus ab ipso elaboratum existimabit, & in eo perficiēdo omne regni sui tempus confeciſſe.

Andreas Cretensis. 560.

Oratione in Annuntiationem Dei Genitricis: *Aue gratia plena Dominus tecum*, qui est ante te, hodie tecum est, & paulo post erit ex te. Illud quidē ab omni ęternitate, hoc autem in tempore. O immensam humanitatem, ô benignitatem incredibilem. Non fuit satis gaudiū indicasse, nisi ipsum gaudij auctorem inesse Virgini significaret. Illud enim *Dominus tecum*, perspicuè Regis præsentiam declarat: qui sic ex ipsa corpus assumit humanum, vt à propria gloria non recedat. *Aue gratia plena: Dominus tecum.* Gaude lętitię instrumentum, per quod tristis execrationis sententia in lętum gaudij iudicium commutatur. Gaude verè benedicta: gaude Virgo præclarissima: gaude ornatissimum diuinę glorię templum: gaude sacrosanctum Regis palatium: gaude thalame, in quo sibi Christus humanitatem sponsam adiunxit: gaude electa à Deo antequam genita: gaude diuinum inter Deum atque homines conciliationis perfugium: gaude thesaure vitę immortalis: gaude cęlum, in quo Sol glorię splendet; domicilium cęlo præstantius: gaude vnicum illius, qui nusquam capitur, amplissimum habitaculum: gaude sancta terra virginea, ex qua nouus Adam formatur, qui veterem Adam feruet: gaude fermentum sanctum, ac Deo gratum, ex quo totius generis humani massa fermentatur, & in vnius corporis Christi panem euadit, & admirabili ratione coagmentatur, &c. Gaude gaudij mater sempiterni: gaude noua Dei arca, in qua Dei Spiritus conquieſcit. Arca, in qua noster Noë Christus humanitatem seruauit: arca, in qua nouæ gloriæ sanctificatio, & qui natura sanctus est, in virginea naturę officina corpus sibi ratione mirabili fabricatus est. Gaude vna aurea,

na aurea, quæ continet illum, qui dulce manna & mel è petra ingrato populo subministrauit. Gaude Seraphica mystici carbonis ardentis forceps. Salue spiritale præcognitionis perspicuæ speculum, per quod Prophetę infinitā erga nos Dei submissionem mysticè vaticinati sunt. Gaude speculum, per quod iustitiæ Solem venientem è cælo susciptentes ij, qui dēsis in tenebris peccati versabantur, illustrati sunt. Salue Prophetarum & Patriarcharum omnium decus, & clarissima arcanę præcognitionis humanæ tuba. *Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui.* Et meritò *benedicta*: benedixit enim te Deus tabernaculiū suū, quoniam paternæ gloriæ plenum Christum Iesum, hominem eundem & Deum, in ijs, ex quibus, & in quibus naturis consistit, admirabili ratione in vtero tuo gessisti: *Benedicta tu in mulieribus*, quæ cælestem thesaurū, *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei reconditi*, in sacro virginitatis tuę penu, sine anguſtia comprehendisti. Tu verè *benedicta* es, cuius vterus areę cumulus est: quia benedictionis fructum, immortalitatis spicam Christum, sine semine, sine cultoris labore, multiplicem frugum innumerabilium messem, nostræq; salutis agricolæ produxisti. Tu verè *benedicta*, quæ sola ex omnibus matribus Creatori tuo mater electa es: &, quod est matrum omnium proprium, ignoras? cuius quoque excellentia virginitatis, maternis doloribus corrupta non est: virgineo germine tuo signa tuę castitatis integra conseruāte. Tu verè *benedicta*, quæ sola fine viri coniunctione Filium genuisti, qui cęlos condidit, & terram virginitate tua cælis exæquauit. *Benedicta tu in mulieribus*, quæ sola benedictionem suscepisti, quam Deus per Abraham gentibus omnibus promisit. Tu verè *benedicta*, quæ sola benedicti Filij Iesu Christi & Saluatoris nostri declaratae mater, &c. *Benedicta tu in mulieribus*, quam beatam dicunt omnes generationes: quam reges honorant, principes venerantur, diuites populi obsecrant, virgines, quæ vel præcesserunt, vel sequuntur, in templum regis comitantur. *Benedicta tu in mulieribus*, quam Esaias oculis propheticis aspiciens, Prophetissam, & virginem, & laterem, & locum, & caput libri obsignatum, arcana ratione nominauit. *Benedicta* tu verè, quam Ezechiel auroram & portam conclusam appellauit, &c. *Dixit Maria*: *Ecce ancilla Domini fiat mihi secundùm verbum tuum.* Apertè significat: Ecce parata sum, & nihil prohibet, vterus opportunus, vtpote minimè inquinatus, & soli seruatus Creatori. *Ecce ancilla Domini*, ad obediendum parata, ad seruiendum idonea, ad suscipiendum prompta.

Colos. 2.

Esa. 7. 8.

Ezec. 44.

Hesychius Hierosolymitanus. 580.

Oratione 1. de S. Maria Deipara: Hic dies festus, qui nunc agitur; omnem gloriam superat, vtpote qui contineat solennitatem Virginis, quæ vsque adeò omnibus antecellit, vt ipsum Deum Verbum volentem susceperit, quem illa citra vllam loci anguſtiam comprehendit.

Oratione 2. Tibi ô Virgo Prophetæ tribuunt laudes, & quisque Deiferam dicit, qui miraculorum mysterijs fidem habuerit. Et ille quidem te virgā Iesse recitat, vt obscurè declaret virginitatem, quæ nullo modo vulnerari aut incuruari potuerit: iste verò comparat cum rubo ardente, qui tamen non exuritur, vt subindicet carnem Vnigeniti, & virginem Deiparam. Hæc enim ardebat, & non consumebatur.

Eutychianus. 600.

De pœnitentia S. Theophili: Sancta venerandaque & omnibus laudibus celebranda Dei Parens, quæ sola casta & pura est, sola sancta anima & corpore, sola habet fiduciam ad eū qui est natus ex ipsa: quæ est solatium eorum, qui affliguntur: quę est vltio eorum, qui vexantur: quæ est amictus eorū, qui sunt nudi: quę est baculus senectutis: quę est firma defensio eorum, qui manè ad eam vigilant: quæ semper suis vlnis fouet Christianos.

Leontius. 610.

Citatur in Synodo 2. Nicenā act. 4.

Libro 5. Apologiæ contra Iudæos: Qui Martyrem colit, Deum ipsum colit: qui Matrem illius adorat, ipsi honorem assignat.

Antiochus. 620.

Præfatione in Pandectis: Glorioſa & sancta Deipara semper Virgo Maria, pro tempore quidem corruptiuæ morti obnoxia, quòd similis nostri esse voluit ad tolerādas corporis iniurias, eadem rursus nulli futura erat obnoxia corruptelæ, vt nos miserabili corruptela exemptos in pristinam reuocaret libertatem, ac demum iugo emancipatos dirę seruitutis ad incorruptionis gloriā transcriberet: vitę insuper restitutos donatiuæ, vestiret trabe immortalitatis.

Sophronius Hierosolymitanus. 630.

Oratione in Christi Natalitia: Christus in manifestissimum omnipotentis diuinitatis suæ indicium & argumentum, virginem, ex qua prodiit, integram incorruptamque conseruauit, ipsamque nihilominus Deiparam esse palam ostendit, &c. Cisterna hæc sacra, sanctissimam Virginem designabat, quæ & verum gestatura, & Deum pariturа erat.

Sergius Hierapolitanus. 640.

Oratione in Natalem Mariæ: In hac festa celebriq; luce buccina spirituali clangamus. Etenim quæ præsenti die ex Dauidico semine nascitur, vitæ mater est, tenebrarum expultrix, Adæ reparatrix; Euæ reuocatrix, immortalitatis fons, corruptionis interitus, ac liberatio, per quam nos quidem in diuinæ naturæ participationem translati sumus, atque à morte ipsa liberati, & acclamamus ipsi omnes fideles cum Gabriele: *Aue gratia plena, Dominus tecum*, qui propter te Maria magnam erga nos misericordiam declarat atque commonstrat, &c. Agedum quotquot Christiani sumus, cursu quodam ad Virginem contendamus. En illa nascitur, quæ antequam nasceretur, Dei mater fore designata est. Nascitur singulare virginitatis decus & ornamentum: nascitur Aaronis virga de radice Iesse germinans: nascitur Prophetarum præconium, & iustorum Ioachim & Annæ germen. Hæc iam nascitur, & vnà cum ipsa mundus renascitur, ac renouatur. Nascitur, & per ipsam Ecclesia decōri rursum pristino restituitur. Nascitur templum sanctum, receptaculum diuinitatis, organum virginale, Regiusque thalamus, in quo admirandum illud mysterium vnionis naturarum in Christo ineffabili modo inter se coēuntium fuit absolutū. Hunc proinde Christum adoremus, immaculatęque virginitatis natiuitatem hoc vel simili laudum præconio celebremus. *Natiuitas tua Dei Genitrix gaudium annuntiauit vniuerso mundo.*

Germanus Constantinopolitanus. 720.

Encomio in adorationem venerandæ Zonæ Deiparæ cap. 10. Tu autē, ô castissima, & optima, & summè misericors Domina, Christianorum solatium, eorum, qui affliguntur, potentissima recreatio, paratissimum refugium peccatorum, ne nos relinquas orbos tua defensione. Nam si tu nos deserueris, quonam confugiemus? Quid autem de nobis fiet, ô sacratissima Deipara, spiritus & vita Christianorum? Quomodo enim corpus nostrum, vitalis signum operationis habet respirationem: ita

etiam sanctissimum tuũ nomẽ, quod in ore seruorum tuorum versatur assiduè, in omni tempore, loco & modo, vitæ, lætitiæ & auxilij non solùm est signum, sed ea etiam procurat & conciliat.

Cap.11. Non est reuera finis tuæ magnitudinis, non est vlla satietas tuę defensionis, non est numerus tuorum beneficiorum. Nemo est qui liberetur à malis, nisi per te, ô purissima : nemo est, cui donum concedatur, nisi per te, ó castissima. Nemo est, cuius misereatur gratia, nisi per te, ô honestissima. Quamobrem quis te non beatam pronuntiabit? Quis non magnificabit, si non pro dignitate, ac promptè quidem, certè & alacriter.

Cap.12. Quis post tuum Filium ita generis humani curam gerit, sicut tu? Quis ita nos defendit in nostris afflictionibus? Quis tam citò præueniens, nos ab irruentibus liberat tẽtationibus? Quis in supplicationibus adeò pugnat pro peccatoribus? Quis ea, quæ corrigi non possunt, adeò repugnando excusat? Tu enim cùm habeas maternam apud tuum Filium fiduciam, & potentiam, nos, qui sumus condemnati, & non audemus intueri ad cæli altitudinem, tuis interpellationibus, & intercessionibus ei efficis familiares, & das salutem & ab ęterno liberas supplicio, &c.

Homilia de Natiuitate Mariæ: Commune mundi gaudium ex iustis hominibus Ioachim & Anna hoc die nascitur, laudatissima nimirum illa, & celeberrima Virgo, quæ sola propter eximię dignitatis pręstantiam verè rectequé animatũ Dei templum, ac propria Dei parens & censetur, & appellatur. Propter cuius intercessionem, Christe Deus, mundo quidem pacem & concordiam, nostris verò mentibus misericordiam vberem impartire.

Ad Psalmum 44. Secundùm Angeli vaticinium, ô Virgo illustris, proles ex iustis hominibus Ioachim & Anna in lucem prodijsti. Tu cælum, & sedes Dei, omnisqúe puritatis receptaculũ: tu mundi vniuersi certum existis gaudium, tu vitę largitrix, tu maledictionis interemptrix, tu benedictionis conciliatrix. Quamobrem, ô diuina Virgo, in hac natiuitate tua mundo pacem & concordiam posce, nostris verò animabus gratiam & misericordiam impetra.

Epistola ad Ioannem Episcopum Synadon: Verè ac propriè Dei matrem veneramur & magnificamus, & quauis visibili & inuisibili creatura superiorem reputamus.

Ioannes Damascenus. 730.

Orthodoxæ fidei lib.3. cap.12. Dei Genitricem propriè & verè sanctam Virginem prædicamus. Quẽadmodum enim verus Deus est, qui ex ipsa natus est: ita vera Dei mater, quæ verum Deum ex se incarnatum genuit.

Lib.4.cap.15. Quid afferri potest quin Dei Genitrix sit, quæ Deum incarnatum ex se genuit? sanè propriè ac verè Dei Genitrix est, & Domina atq; omnium rerum conditarum hera, vt quę ancilla & mater summi illius Opificis extiterit.

Oratione 1.de Natiuitate B.Mariæ: O castissimum ratione præditarum turturum par, Ioachim & Anna. Vos, vt naturæ legi consentaneum erat, pudicitia conseruata, ea, quæ naturam superant, diuinitus consecuti estis: Virginem enim Dei matrẽ mundo peperistis. Vos piè & sanctè in humana natura versati, Angelis superiorem, ac nunc Angelis dominantem filiam in lucem extulistis. O pulcherrima & suauissima filiola. O lilium inter spinas, ex nobilissima & maximè regia radice ortum: Per te legis translatio contigit, atque Spiritus, qui sub litera delitescebat, patefactus est, trãslata nimirum à Leuitica tribu ad Dauidicam sacerdotali dignitate. O rosa, quæ ex spinis, hoc est ex Iudæis orta es, ac diuina fragrantia cuncta perfudisti. O filia Adami, ac Dei mater. Beati lumbi & venter, ex quibus prodijsti. Beatæ vlnæ, quæ te gestauerunt: & labia, quibus puris tuis oculis frui concessum est, &c. O sanctissima Ioachimi & Annæ filia, quę Principatus ac Potestates fefellisti, atque ignea maligni tela extinxisti, quæ in Spiritus thalamo versata es, atque immaculata conseruata in Dei sponsam. O sanctissima filia, in maternis vlnis conspicua, rebellibusqúe Angelis formidabilis. O sanctissima filia, quæ materni vberis lacte aleris, & ab Angelis vndique cingeris. O Deo chara filia, parentum decus, quam, vt verè abs te dictum est, *generationes omnes beatam prædicant.* O Deo digna filia, humanę naturę venustas, primigenæ matris Euę correctio. Etenim per partum tuum, ea, quę ceciderat, excitata atque erecta est. O sanctissima filia, mulierum ornamentũ. Quamuis enim prima Eua à Dei mandato recesserit, ac per eam aduersus primum parentem serpenti operam nauantem, mors aditum inuenerit: at Maria tamen diuinæ volũtati obsecuta, deceptorem serpentem in fraudem induxit, ac mũdo immortalitatem inuexit. O filia semper Virgo, quę virili opera ad conceptionem minimè opus habuisti: sempiternum enim Patrem is habet, quem peperisti : O terrena filia, quæ Dei genitricibus vlnis Creatorem gestasti, &c. Ex te sola summus ille Opifex partem assumpsit, hoc est, massæ nostrę primitias. Caro ipsius ex carne tua, & sanguis ex sanguine tuo, & lac è mammillis tuis suxit Deus, ac labia tua Dei labijs vnita sunt, &c. Ioachim & Anna, tanquã spirituales montes dulcedinem stillãrunt. Lætare Beata Anna, quoniam fœminam peperisti. Hæc enim fœmina Dei mater est, vitę porta, lucis fons, atque fœminarum crimen dissoluit. Huiusce fœminę personam diuites plebis supplices deprecantur. Hanc fœminam hostium reges cum muneribus adorabunt. Hęc fœmina summo Regi Deo tanquam fimbrijs aureis circũamictam virtutum elegantiam offeret, Spiritusqúe sancti gratia coronatam, cuius gloria interna est. Vt enim fœminæ omnis gloria maritus est, foras prodiens : sic Dei Genitricis gloria interna est, nimirum ventris fructus. O desiderabilis ac ter beata fœmina. *Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui.*

Luc.1.

Pſal.44.

Pſal.71.

Pſal.44.

Lucę 1.

Oratione de dormitione Deiparæ: Tibi nos quoque hodierna die assidemus, ô Domina, Domina, atq; iterum dicam, Domina, Dei genitrix & Virgo, animas nostras ad spem tuam, non secus atque ad firmissimam quandam anchoram alligãtes, mentem, animam, corpus, totos denique nos tibi dicãtes ac consecrãtes, psalmis & hymnis spiritualibus, quãtum possumus, honorantes. Etenim si, vt sacrosanctus sermo nos edocuit, honoris, qui cõseruis habetur, beneuolentiam erga communem Dominum declarat, quo tandem modo studium te honorandi, quæ Dominum peperisti, negligendum erit?

Cosmas Hierosolymitanus. 740.

Hymno 6. Inuiuperabilem Deiparam spem tuam habens seruabor, defensionem tuam possidens, perquam pura non timebo, persequar inimicos meos, & in fugam vertã, solam habens vt thoracem protectionem tuam, & omnipotens auxilium tuum, & deprecor clamans tibi Domina salua me interceſſionibus tuis, & eleua me è tenebroso somno ad tuam glorificationem potentia ex te incarnati Dei. Gloriosa semper virgo mater Christi Dei, adduc nostram precationem Filio tuo & Deo,

Deo vt saluet per te animas nostras.

Theophanes. 820.

Hymno in Annuntiatione Deiparæ: Tibi data est gratia, ô Dei genitrix, diuina, tibi *Aue* omnis creatura clamat, ô Dei nympha. Tu enim sola mater Filij præelecta es pura. Aue Domina Virgo, aue purissima, aue receptaculum Dei, aue cãdelabrum luminis, Adæ reuocatio, Euæ redẽptio, mons sanctus, manifestum sanctuarium, & sponsarium immortalitatis. Vt multilucam lampadem, & à Deo structum thalamũ, videbo te, nunc vt aurea arca legis datorem susci pe, ô sponsa Dei, qui bene voluit hominum liberare per te corruptibilem substantiam.

Theosterictus. 830.

Oratione in S.Nicetam: Quam Christus sibi in domicilium delegit, gloriosissimam inquam suam Matrem, omnibus alijs rebus creatis superiorem, omnium hominum salutem, mundi patrocinium, quæ propter virginitatis suæ prætantiam, propè Deum versatur: huius inquam venerandum nomen multis modis Leo Copronymus ab Ecclesia expellere studuit.

Leo Imperator cognomento Sapiens. 880.

Oratione in obdormitionem sanctissimæ Deiparæ: Nos diem festum Matri Dei sacrum, qui nunc denuò recurrit, solenni ritu ac cęremonia celebremus. Sed quæ linguæ facultas, quod orationis flumen, ad hoc argumentum aliqua saltem ex parte dignè tractandum, quod laudatissima illa, & bonis omnibus cumulatissima hominum Angelorumq; Domina exhibet, sufficere posse videatur, &c. O super omnes benedicta, qui solus magnalia & facit & potest prępotens Filius tuus quid hodie tibi largitur & prestat? quid agitur? quod spectaculum exhibetur? An non obsecro te sanctificationis arcam, te ornatissimum thalamum, & diuinissimum thronum, ad suum diuinum & augustale templum transponit? An non illam, ex qua carnis indumentum, quo inter homines versari potest, susceperat, carne vestiuit, & ad summa vestigia cælorum euexit? An non omnes qui illi adsunt, & administrant, tibi quoque prompta deferunt obsequia?

Theophylactus. 900.

Ad cap.9.Ioannis: Quis erat loquens? omninò ille, qui ex Maria natus quidem & Filius Dei. Non alius ergo & alius, vnde propriè θεοτόκος sancta Maria, vtpote quæ Filium Dei carnem factum genuerit.

Suidas. 960.

In Augusto: Sub eo Iesus Christus Deus & Seruator noster carnem assumpsit è sancta Deipara & semper Virgine Maria.

Simeon Metaphrastes. 970.

Oratione de ortu & educatione sanctissimæ nostræ Deiparæ: Oportebat reuera Virginem, sicut ipsa Dei, ad homines venturi, inuenta est dignum & Deo conueniens habitaculum, ita nunc illam ad encomij argumentum nobis propositum, dignam linguam esse consecutam, quæ res eius eleganter narraret, & conueniẽtem ei laudem afferret: sed quoniam quò hoc est maius, eò difficilius explicari potest, pro viribus saltem alacri animo danda est opera, vt texamus eius laudationẽ. Scit enim ipsa quoque, Filij cedens legibus gratum habere id quod fit pro viribus.

Euthymius. 1080.

Oratione in adorationem venerandæ zonæ Deiparæ cap. 8. Hunc ante secula Deum, qui comprehendi non potest, qui refulsit in duabus essentijs & operationibus, vna autem persona, & nobis in omnibus fuit assimilatus præter peccatum, peperit quæ est verum patrocinium Christianorum, & propriè vereqúe est Deipara : quæ est altior & superior quauis re creata, tam quæ sub aspectũ cadit, quàm quæ non cadit, quæ est pura, impolluta, intacta Patris, qui nec videri, nec comprehendi potest, ab omni reprehensione aliena, & pulcherrima sponsa: quæ est in omnibus gloriosa & benedicta, & in bonitate & benignitate est incomparabilis, conuenienter ei, qui ex ea natus est Deus & homo, & nobis ad indeficientem proposita opem & salutem.

Cap.15. Nihil est quod tibi sit impedimento, ô impolluta Domina. Ecce enim post tuum festum pretiosæ tuæ & adorandæ Zonæ, huius quoq; tui templi dedicationem concorditer peragimus, vt qui simus serui, & debitores, ô optima. Respice seruos tuos, respice. In te enim omnes spem nostram collocauimus, & in te viuimus, & gloriamur, & sumus. Scimus enim, scimus fore, vt non hac nostra frustremur expectatione, aut fallamur & excidamus. Tua enim sumus hæreditas, ô impolluta, & ad te manè surgere, & cõfugere nunquam nos piguerit.

Nicetas Choniates. 1200.

Libro 20.Thesauri orthodoxiæ: Sanctam Virginem, quę Christum carne propria peperit, Dei propriè vereqúe matrem esse credo & confiteor: eandemqúe vt reuera Dei, qui homo factus est, matrem, atque idcirco Dominam & Reginam omnis creaturæ diuina gratia effectam adoro & veneror.

Seuerus Alexandrinus. 1280.

In precibus Abecedarijs: Salue sancta Maria mater, Regina cæli, porta paradisi, Domina mundi: pura vnica es, ô Virgo, tu concepisti Iesum absque peccato, tu peperisti Creatorem, & Redemptorem mundi.

Nicephorus Callistus. 1300.

Lib.18. cap.33. Græci quidam siue Gentiles, in cuiusdam domo conuiuantes, & vino sese inuitantes, post prandium, simul atque satis adbiberant, blasphemare, & conuitijs proscindere Verbi matrem cœpêre: postremum hoc compotationi adhibentes studium, vt quæcũque aliquis eorum excogitare posset, absurda atque indigna, per ea ridens œconomiæ & dispensationis salutis nostrę mysterio illuderet. Impietas ea postquam innotuit, illi quidem condignas petulantis linguę pœnas dedêre. Ædium autem, in quibus confidentes graui blasphemiæ indulserant, dominus, à sacris nostris non alienus, tum quidem, quod res ita tulerit, periculum effugit. Non multò verò post, noctu ei dormienti in somnis, Dei Genitrix astitit, cui diligentius, ecquid se, quænam esset nosset, percunctanti : postquam ipse nosse se eam professus est, illa ei cõtumeliarum indignitatem in memoriam reuocauit. Tum ille miser supplex illi esse, veniamqúe delicti petere, & ne tam citò morte mulctaretur, sed tempus ei pœnitentiæ relinqueretur, orare. Illa daturam se hoc ei, neque in præsentia ipsum ita morte pœnas luiturum promittere: vimine autem, quod manu gestare videbatur, genua eius circumcirca, veluti exarans, circumscribere. Id vbi factum, auolans, ei postea nõ apparuit. At ille somno discusso, membra ea, quæ vimine notata fuerant, statim ab reliquo corpore disrupta inuenit, recenti sanguine profluente. Et in publicum productus, iustum omnibus iudicium promulgauit. Qui verò id audierunt, laudes Deo propter tam inopinatum miraculum cantãrunt, Matrem itidem Dei celebrãrũt, quæ ita semper Christianorum genus tueretur, quæq; nouo

quodam modo affectionem erga nos suam vi quadam addacta ostenderet.

Ioannes Cantacuzenus. 1350.

Apologia 3. Credimus & confitemur, quòd Mariæ similis homo nec natus sit, nec posthac ex viro & muliere nasciturus vsque ad consummationem seculi. Et secundùm humanam quidem naturam, eam Angelis inferiorem esse iudicamus, tanquam hominem: honore autem & sanctimonia ipsam omnibus Angelis indubiè præferimus, eo quòd Verbum Filium Dei secundùm carnem peperit. Hanc colimus non vt Deum, sed vt Matrem Filij Dei secundùm carnem.

Emmanuel Malaxus. 1570.

Libro 2. Turcogræciæ: Eo quoque die Litanijs & gratiarum actionibus Dominum nostrum Iesum Christũ, & sanctam gloriosissimamque pammaristam, Dei genitricem, spem & anchoram piorum verorumque Christianorum, perquàm reuerenter venerati sunt.

Ioannes Basilius Dux Moscouitarum. 1580.

Responsione ad Ioannem Rohitam, cap. 6. Maria cùm digna sit inuenta quæ tantorum mysteriorũ ministra foret, ignem diuinitatis suo ventre innocua complecteretur, incomprehensibiliter Dominum comprehenderet, cumque per eam reconciliati Deo simus, & illæ Adami inimicitiæ sublatæ sint: meritò eam quippe matrem gubernatoris omnium rectricem, Reginam, Deiparam, confidentia materna apud Filium pollentem, defectus nostros eiusdem gratia supplentem, pro vniuerso Christianorum genere orantem, illudque protegentem inuocamus, auxiliumque ab ea imploramus.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Tertullianus. 200.

De carne Christi cap. 17. In Virginem adhuc Euam irrepserat verbum ædificatorium mortis: In Virginem æquè introducendum erat Dei verbum extructorium vitæ, vt quod per eiusmodi sexum abierat in perditionem, per eundem sexum redigeretur in salutem. Crediderat Eua serpenti, credidit Maria Gabrieli: quod illa credẽdo deliquit, hæc credendo deleuit.

Cyprianus. 250.

Sermone de Christi Natiuitate: Genitrix est & obstetrix, & deuotam dilectæ soboli exhibet clientelam, attrectat, amplectitur, iungit oscula, porrigit mammam, totum negotium plenum gaudio; nullus dolor, nulla naturę contumelia in puerperio. Nec locus ibi erat lauacris, quæ solent puerperis præparari, quippe nec aliqua naturæ iniuria Matrem Domini læserat: quoniã sine tormento peperit, quæ in conceptione caruit voluptate: & tamen consuetudinem sequens, vt legi satisfaceret, quasi cum alijs mulieribus esset ei in hoc opere ratio similis, diebus desgnatis recubuit, & depositi oneris lassitudinem professa, oblatæ quieti paruit: & in diebus separationis non se à toro Ioseph, qui eam nunquam tetigit, sed ab ingressu templi & cæteris, quæ lex prohibebat, continuit. Vltrò maturus ab arbore baiula fructus elapsus est: nec oportuit vellicari, quòd sponte prodibat.

Ambrosius. 370.

Lib. 2. de Virginibus: Sit vobis, ô sanctæ Virgines, tanquam in imagine descripta virginitas vitaq; beatæ Mariæ, & quæ velut in speculo refulget species castitatis & forma virtutis. Hinc sumatis licet exempla viuendi, vbi tanquam in exemplari magisteria expressa probitatis, quid corrigere, quid effugere, quid tenere debeatis ostendunt. Primus discẽdi ardor, nobilitas est magistri. Quid nobilius Dei Matre? quid splendidius ea, quam splendor elegit? quid castius ea, quæ corpus sine corporis contagione generauit? Nam de cæteris eius virtutibus quid loquar? Virgo erat, non solùm corpore, sed etiam mẽte, quæ nullo doli ambitu syncerum adulteraret affectum. Corde humilis, verbis grauis, animi prudens, loquendi parcior, legendi studiosior, non in incerto diuitiarũ, sed in prece pauperis spem reponens: intenta operi, verecunda sermone, arbitrum mentis solita non hominem, sed Deum quærere: nullum lædere, bene velle omnibus, assurgere maioribus natu, æqualibus non inuidere, fugere iactantiam, rationem sequi, amare virtutem. Quando ista vel vultu læsit parentes? quando dissensit propinquis quis? quando fastidiuit humilem? quando derisit debilem? quando vitauit inopem? eos solos solita cœtus virorum inuisere, quos misericordia non erubesceret, neque præteriret verecundia. Nihil toruum in oculis, nihil in verbis procax, nihil in actu inuerecundum: non gestus fractior, non incessus solutior, non vox petulãtior: vt ipsa corporis species simulachrum fuerit mentis, figura probitatis. Bona quippe domus in ipso vestibulo debet agnosci, ac primo prætendat ingressu, nihil intus latere tenebrarũ: vt mens nostra nullis repagulis corporalibus impedita, tanquam lucernæ lux intus posita foris luceat, &c. Sic Maria intendebat omnibus, quasi à pluribus moneretur. Sic implebat omnia virtutis officia, vt non tam disceret quàm doceret. Talem hanc Euangelista monstrauit, talem Angelus reperit, talem Spiritus sanctus elegit. Quid enim in singulis morer, vt eã parẽtes dilexerint, extranei prædicauerint, quæ digna fuit ex qua Dei Filius nasceretur? Hæc ad ipsos ingressus Angeli inuenta domi in penetralibus sine comite, ne quis intentionem abrumperet, ne quis obstreperet: neque enim comites fœminas desiderabat, quæ bonas comites cogitationes habebat. Quin etiam tum sibi minus sola videbatur, cùm sola esset. Nam quemadmodum sola, cui tot libri adessent, tot Archangeli, tot Prophetæ? Denique & Gabriel eam vbi reuisere solebat, inuenit, & Angelum Maria, quasi viri specie mota trepidauit, quasi non incognitum audito nomine recognouit. Ita peregrinata est in viro, quę non est peregrinata in Angelo, vt agnoscas aures religiosas, oculos verecundos. Denique salutata obmutuit, & appellata respondit: sed quæ primo titubauerat aspectu, postea promisit obsequiũ. Quàm verò religiosa in propinquos fuerit, Scriptura diuina significat. Nam & humilior facta est, vbi se à Deo cognouit electam, & statim ad cognatam suam in montana processit, non vtique vt exemplo crederet, quę iam crediderat oraculo: *Beata* enim, inquit, *quæ credidisti. Et tribus cum ea mensibus mansit.* Tanti enim interuallo temporis non fides quæritur, sed pietas exhibetur. Et hoc posteaquam in vtero parentis exiliens puer matrem Domini salutauit, prius compos deuotionis, quàm naturæ. Inde tot sequentibus signis, cùm sterilis pareret, Virgo conciperet, loqueretur mutus, adoraret Magus, expectaret Simeon, sydera nuntiarent: Maria mobilis ad introitum, immobilis ad miraculum, *conseruabat*, inquit, *hæc omnia in corde suo.* Quamuis mater Domini, discere tamen præcepta Domini desiderabat, & quæ Deum genuerat, Deum tamen scire cupiebat.

Lucæ 1.

Lucæ 2.

Ad cap. 1. Lucæ: Maria benedictionis nouam formulam mirabatur, quæ nusquam lecta est, nusquam ante comperta. Soli Mariæ hæc salutatio seruabatur. Bene enim sola gratia plena dicitur, quæ sola gratiam, quam nulla alia meruerat, consecuta est, vt gratiæ repleretur auctore, &c. Et meruit audire: *Beata, quæ credidisti.* Et verè beata, quæ sacerdote præstantior, cùm sacerdos negasset, virgo correxit errorem, &c. Nec mirum, si Dominus redempturus mundum, operationem suam inchoauit à matre, vt per quam salus omnibus parabatur, eadem prima fructum salutis hauriret ex pignore. Angelus cùm abscondita nuntiaret, vt fidem astrueret exemplo, senioris fœminæ sterilisque conceptum Virgini Mariæ nuntiauit; vt possibile Deo omne, quod ei placuerit, assereret. Vbi audiuit hoc Maria, non quasi incredula de oraculo, nec quasi incerta de nuntio, nec quasi dubitans de exemplo: sed quasi læta pro voto, religiosa pro officio, festina præ gaudio, in montana perrexit. Quò enim iam Deo plena, nisi ad superiora cum festinatione contenderet? Nescit tarda molimina Spiritus sancti gratia, &c. Superior venit ad inferiorem, vt inferior adiuuetur: Maria ad Elizabeth, Christus ad Ioannem.

Prudentius. 380.

Hymno 11. ad 8. Kalend. Ianuarij:

Sentune Virgo Nobilis
Matura per fastidia
Pudoris intactum decus
Honore partus crescere?
O quanta rerum gaudia
Aluus pudica contnet,
Ex qua nouellum seculum
Procedit, & lux aurea.

Hymno 3. ante cibum:

Fit caro viuida Sermo Patris;
Numine quem rutilante grauis
Non thalamo, neque iure thori,
Nec genialibus illecebris
Intemerata puella parit.
Hoc odium vetus illud erat:
Hoc erat aspidis atque hominis
Digladiabile dissidium,
Quod modò cernua fœmineis
Vipera proteritur pedibus.
Edere namque Deum merita
Omnia Virgo venena domat,
Tractibus anguis inexplicitis
Virus inerme piger reuomit,
Gramine concolor in viridi.

Hieronymus. 390.

Epistola 22. ad Eustochium de custodia virginitatis cap. 8. *Exiet virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet.* Virga mater est Domini simplex, pura, syncera, nullo extrinsecus germine cohærente, & ad similitudinem Dei vnione fœcunda. Virgæ flos Christus est, dicens: *Ego flos campi, & lilium conuallium.* Qui & in alio loco lapis prædicatur abscissus de monte sine manibus: significante Propheta, virginem nasciturum esse de Virgine. Manus quippe accipiuntur pro opere nuptiarum.

Esa. 11.

Cant. 2.

Dan. 2.

Cap. 9. In doloribus iugiter Eua parturiebat. Postquam verò Virgo concepit in vtero, & peperit nobis puerum, cuius principatus in humeros eius, Deum, fortem, patrem futuri seculi: soluta maledictio est. Mors per Euam, vita per Mariam. Ideoque & ditius virginitatis donum fluxit in fœminas, quia cœpit à fœmina.

Augustinus. 400.

De Sanctis Sermone 18. Adest nobis, dilectissimi, optatus dies beatę ac venerabilis semper Virginis Mariæ: ideo cũ summa exultatione gaudeat terra nostra, tantæ virginis illustrata die solenni. Hæc enim est flos campi, de quo ortum est pretiosum lilium conuallium, per cuius partum mutatur natura protoplastorum, deletur & culpa. Præcisum est in ea illud Euæ infelicitatis elogium, quo dicitur: *In dolore paries filios tuos*: quia ista in lętitia Dominum peperit. Eua enim luxit, ista exultauit. Eua lachrymas, Maria gaudium in ventre portauit, &c. Impleta est Maria gratia, & Euæ vacuata est culpa. Maledictio Euæ in benedictionẽm mutatur Mariæ: *Aue*, inquit, *gratia plena, Dominus tecum.* Tecum Dominus in corde, tecum in ventre, tecum in vtero, tecum in auxilio. *Benedicta tu*, inquit, *in mulieribus*, quę vitã viris & mulieribus peperisti. Mater generis nostri pœnam intulit mundo, genitrix Domini nostri salutem attulit mundo. Auctrix peccati Eua, auctrix meriti Maria. Eua occidendo obfuit, Maria viuificando profuit. Illa percussit, ista sanauit, &c. O beata Maria seculum omne captiuum tuum deprecatur assensum, te apud Deum mũdus fidei suæ obsidem fecit, &c. Efficitur subitò pregnans beata Dei Genitrix, & cuncta per secula prædicatur felix.

Gen. 3.

Maximus Taurinensis. 430.

Homilia 6. de Christi Natiuitate: Parturit fœmina salutem mundi, vt qua exierat fomes iniquitatis, fieret ministra iustitiæ, & per quam mors sibi in hunc mundum aditum patefecit, per eam ad nos vita haberet ingressum.

Petrus Chrysologus. 440.

Serm. 146. *Aue*, hoc est accipe gratiam: ne trepides, ne sis solicita de natura. *Gratia plena.* Quia in alijs gratia, in te tota gratiæ pariter veniet plenitudo. *Dominus tecum.* Quid est in te Dominus? Quid ad te non visitandi studio venit, sed in te nouo nascendi illabitur sacramento. Adiecit congruè: *Benedicta tu in mulieribus.* Quia in quibus Eua maledicta puniebat viscera, tunc in illis gaudet, honoratur, suspicitur Maria benedicta. Et facta est verè nunc mater viuentium per gratiam, quæ mater extitit morientium per naturam.

Sermone 143. Verè benedicta Virgo, quę & virginitatis possidet decus, matris & pertulit dignitatem. Verè benedicta, quę & superni conceptus meruit gratiam, & sustulit integritatis coronam. Verè benedicta, quę & diuini germinis suscepit gloriam, & regina totius extitit castitatis. Verè benedicta, quæ fuit maior cælo, fortior terra, orbe latior: nam Deum, quem mundus non capit, sola cepit. Portauit eum, qui portat orbẽ: genuit genitorem suum, nutriuit omnium viuentium nutritorem.

Leo Magnus. 450.

Sermone 1. de Natiuitate Domini cap. 1. Virgo regia Dauidicę stirpis eligitur, quę sacro grauidanda fœtu, diuinam humanamque prolem prius conciperet mente, quàm corpore. Et ne supernę ignara consilij, ad inusitatos paueret affatus, quod in ea operandum erat à Spiritu sancto, colloquio discit Angelico. Nec damnum credit pudoris, Dei genitrix mox futura.

Eucherius Lugdunensis. 450.

In Euangelium Feriæ vj. Dominicæ quartę Aduentus: *Beatam me dicent omnes generationes.*) Vera est prophetia, quam veritatis mater de seipsa prophetauit. Nulla enim ex eo tempore generatio fuit, quæ eius beatitudinem non prædicauit: semper eius beatitudinem Ecclesia concinit, in qua simul omnes generationes continentur, &c. Ex Maria

ille, qui potens est, carnem suscepit, cæli, terræque Dominam, & Reginam eam constituit.

Sedulius. 460.

Libro 2. Paschali:

Salue sancta parens, enixa puerpera Regem,
Qui cælum terramq; tenet per sæcula, cuius
Imperium sine fine manet, quæ ventre beato
Gaudia matris habens cum virginitatis honore,
Nec primam similem visa es, nec habere sequentem:
Sola sine exemplo placuisti fœmina Christo.

Fulgentius. 500.

Sermone de laudibus Mariæ ex partu Saluatoris: Maria in angusto corporis membro sustinuit quicquid sustinent cæli. Plena sunt viscera, & nullum nouit contagium Virginis conscientia. Cùm esset grauida, salubri leuitate plaudebat. Lumen enim, quod intra se habebat, pondus habere non poterat. Facta est Maria fenestra cæli, quia per ipsam Deus verum fudit seculis lumen. Facta est Maria scala cælestis, quia per ipsam Deus descendit ad terras, vt per ipsam homines ascendere mereantur ad cælos. Facta est Maria restauratio fœminarũ, quia per ipsam à ruina primæ maledictionis probantur esse subtractæ. Tria denique mala Euæ à tribus bonis Mariæ probantur exclusa. Nam Euæ dictũ est: *In doloribus & in tristitia paries, & ad virum conuersio tua, & ipse dominabitur tui.* Tribus ergo his malis se subiungant fœminæ, quæ Mariam non sequuntur, dolori, tristitiæ, seruituti. Maria autem è contrario, quàm præclarissimis tribus bonis sublimetur auscultа, salutationis Angelicæ, benedictionis diuinæ, & plenitudinis gratiæ. Sic enim eam legitur salutasse: *Aue Maria, gratia plena, benedicta tu inter mulieres.* Cùm dixit: *Aue,* salutationem illi cælestem exhibuit. Cùm dixit: *Gratia plena,* ostendit ex integro iram excluſam primæ sententiæ, & plenam benedictionis gratiam restitutam. Cùm dixit: *Benedicta tu inter mulieres,* virginitatis eius benedictum fructum expressit, vt ex eo benedicta dicatur inter mulieres, quæcunque perseuerauerit virgo. Maledicta enim Eua fuerat, quam nũc credimus per Mariam ad benedictionem glorię remeasse. Venite virgines ad Virginem, & lętamini: ponite maledictionem præuaricationis, & benedictionem restaurationis assumite. Proijcite dolores, quos Eua per serpentem accepit, & quos per Angelum Maria suscepit honores assumite.

Gen. 3.

Luc. 1.

Arator. 540.

Libro 1.

Porta Maria Dei, genitrix intacta creantis,
A Nato q; ornata suo, mala criminis Euæ
Virgo secunda fugat: nulla est iniuria sexus:
Restituit quod prima tulit.

Fortunatus. 580.

Libro 1. de partu Virginis:

Virgo hæc virga fuit, de qua flos Christus ab ortu,
Cuius odor viuax membra sepulta leuat, &c.
Sed redeo quò Virgo trahit, mihi laude canenda,
Qualis nulla fuit, nulla futura venit.
Hæc porta clausa est, in quam intrat nemo, nec exit,
Ni Dominus solus, cui quoque clausa patent.
Nobilis Elisabeth de qua canit alta prophetans,
Hac operante Deo germina lata refert:
O benedicta inter mulieres, vnde mihi hoc, me
Vt mater Domini visitet alma mei?
Hanc Gabriel vocitat benedictam laude puellam,
Et meritò extollit, quæ noua dona gerit, &c.
O Virgo insignis, mater pia, nobile semen,
Quam Deus impleuit totius orbis ope:
Quæq; Creatorem meruisti ventre tenere,
Et generare diem concipiente fide.
Mundatura nouo partu de crimine mundum,
Atque sacro fœtu progenitura Deum, &c.
O Virgo excellens, vincens super omnia matres,
Quam genus erexit, cui Deus alta dedit:
Cuius fructus adest, & flos non perdit honores:
Quæ Nato es genitrix, & tibi Virgo manes.
Felix, quæ generi humano sub tartara lapso
Ad cælos facta es sors, via, porta, rota:
Aula Dei, ornatus paradisi, gloria regni,
Hospitium vitæ, pons penetrando polos:
Arca nitens, & theca potens gladij bis acuti,
Ara Dei assurgens, luminis alta Pharos:
Celsa super cedros, & vasta cacumina montis,
Sub q; tuis plantis & rota solis adest.
Virgineo cœtu dux, sexu prima secundo,
Prælata astrigeris sola puella choris.
Figmentum figuli super omnia vasa decorum,
Atque creaturæ fulgida massa nouæ:
Candelabrum pulchrum Verbi capiendo lucernam,
Quam formam sculpsit tam super astra faber:
Exuperans portas Sion splendore coruſco,
Stans merito fidei gemma superba throni:
Ore diem iaculans, radios à fronte sagittas
Luminibus rutilis lumen honore rotans:
Sydereum speculum, illustris domus omnipotentis,
Vultibus ex illis fulgura clara ferens, &c.
O Virgo insignis, benedicta ad gaudia nata,
Auxilium terræ, fulgor, honor q; poli,
Ecce tuus florens vterus, quæ præstitit orbi?
Te pariente fide nos paradisus habet.
Quid sumus, aut fuimus? quos merserat Eua profundo,
De limo in cælum nos facis ire sinu.
Laudibus his, Domini Genitrix, fragor intonat astris,
Militiæq; poli hæc tibi clangor agit:
Ast ego ferre volens, videor subducere laudes:
Nam tibi quisque cupit voce fauere sacra,
Mens oret genitum, sic matri digna loquatur,
Cuius amore pio viuis honore nouo:
Cara, benigna, micans, pia, sancta, verenda, venusta,
Flos, decus, ara, nitor, palma, corona, pudor.

Isidorus Hispalensis. 620.

De vita vel obitu Sanctorum cap. 68. Maria, quæ interpretatur Domina, siue illuminatrix, clara ex stirpe Dauid, virga Iesse, hortus conclusus, fons signatus, mater Domini, templum Dei, sacrarium Spiritus sancti, virgo sancta, virgo fœta, virgo ante partum, virgo post partum, virgo in partu.

Hildephonsus. 660.

De Virginitate S. Mariæ cap. 1. O Domina mea, atque Dominatrix mea, dominans mihi, mater Domini mei, ancilla filij tui, genitrix factoris mundi: te rogo, te oro, te quæso, habeam spiritum Domini tui, habeam spiritum Filij tui, habeam spiritum Redemptoris mei, vt de te vera & digna sapiã, vera & digna loquar, vera & digna, quęcunque dicẽda sunt, dicã. Tu enim es electa à Deo, assumpta à Deo, aduocata à Deo, proxima Deo, adhærens Deo, coniuncta Deo: visitata ab Angelo, salutata ab Angelo, benedicta ab Angelo, beatificata ab Angelo: turbata in sermone, attonita in cogitatione, stupefacta in salutatione, admirata in dictorum annuntiatione. Inuenisse te apud Deum gratiam audis, & ne timeas iuberis, fiducia roboraris, cognitione miraculorum instrueris, ad nouitatem inauditæ gloriæ proueheris. De prole ab Angelo pudicitia admonetur: de nomine prolis virginitas certificatur, & post

Lucæ 1.

fœtum integra & pudica manes: Nascituram ex te sanctum, Dei Filium vocitandum, tibi ab Angelo euangelizatur, & quæ sit nascentis regis potentia, mirabiliter intimatur. *Quomodo fiet* quęris? Tota inuisibiliter Trinitas conceptionem operabitur in te. Beatam te nouerunt omnes cęlestes Virtutes: beatam prędicant omnes Vates: beatam celebrant omnes nationes. Beata tu fidei nostræ, beata tu animę nostræ, beata dilectioni nostrę, beata pręconijs & prædicationibus meis. Prędicem te, donec prędicanda es: diligam te, donec diligenda es: laudem te, donec laudabilis es: seruiam tibi, donec seruiendum est gloriæ tuę. Tu enim concipiens solum Deum, postremum sponsa facta es Filij Dei. Tu generans simul Deum & hominem, genitrix facta es Filij Dei.

Sermone 1. in Assumptione Virginis: Idcirco filij perpendite matrem Domini, quæ quasi vitis fructificauit suauitatem odoris, & protulit cunctis gentibus fructus honestatis & gratiæ. Floruit vt mater honorificata, vt mater pulchrę dilectionis & timoris, vt mater agnitionis Dei, & spei, in qua gratia omnis, spes vitę & virtutis: & quę sola refulsit virgo sancta inter filias, ac si lilium inter spinas. Virgo prudens, virgo pudicissima, virgo pulcherrima & fœcunda: corpore decora atque integra, animo fulgida, fide perspicua, vita pręclara, amore virginitatis deuota, in omni obedientia virtutum parata, & in ministerio sibi credito cautissima.

Rponius. 700.

Libro 4. in Cant. Verè digna Maria, quam solam beatam omnes generationes dicant, quã gloriosam inter omnes fœminas, non solùm diuersarum gentium nationes, sed etiam cęlorum Virtutes admirantes collaudent: per quam vitam ingressam, mortem fugatam, mundum reconciliatum gaudemus.

Beda. 720.

Ad caput 1. Lucæ: Christus solus veraciter sanctus est, qui vt ipsam conditionem naturæ corruptibilis vinceret, ex commixtione carnalis copulæ conceptus non est, *Sanctum,* inquit, *vocabitur filius Dei.* Quid hîc dicis Nestoriane, qui Beatam Mariam Dei negans esse genitricem, apertam niteris impugnare veritatem? Ecce Deum dixit superuenturum, Dei Filium nasciturum. Quomodo ergo aut Dei Filius Deus non est, aut quę Deum edidit, quomodo θεοτόκος, id est, Dei genitrix esse non potest? &c. *Et exclamauit voce magna Elizabeth, & dixit: Benedicta tu inter mulieres.* Intuendum est, quòd eadem voce Maria ab Elizabeth, qua à Gabriele benedicitur, quatenus & Angelis & hominibus veneranda, & cunctis meritò fœminis præferenda monstretur.

Homilia de S. Maria: Seruiamus semper tali reginæ Mariæ, quæ non derelinquit sperantes in se: cùm diligat orationes Sanctorum Christus & exaudiat, multo magis matrem suam exaudit pro peccatoribus orantem.

In Natali Sanctæ Dei Genitricis:

Et tu beata præ omnibus
Virgo Maria fœminis,
Dei genitrix inclyta,
Nostris faueto laudibus:
Pudica cuius viscera
Sancto dicata Spiritu,
Dauidis ortum semine
Regem ferebant sæculi.
Beata, cuius viscera
Summo repleta munere
Terris alebant vnicam
Terræ poliq; gloriam.

Ambrosius Ansbertus. 760.

Libro 2. in Apocalypsin: His locupletata fuit beatâ Virgo, quæ dicebat: *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Cùm itaque Maria virgo ideo beata credenda sit, quia fine humano semine concepit: quia Dei Filium hominem factum, intemerata virginitate mundo edidit: radicem tamen suæ beatitudinis ipsa solerter inspiciens ait: *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Ac si diceret: Quia humilitas verâ præcessit, quę Dei Filium ad habitaculum carnis meę inuitauit, quę Spiritum sanctum ad mundiciem cordis mei attraxit, vt Verbi carnem cum Verbo & Patre in visceribus meis formaret, propterea beatitudinis nomen in cunctis generationibus ipsa promerui. O quantum meruisti, ô quãtum beata humilitas in sacra Virgine valuisti? Quid enim in sacra Virgine meruisti, nisi vt Deum homini coniungeres, vt Verbum carni vnires? Quid in sacra Virgine valuisti, nisi vt Spiritum sanctum super eam attraheres, qui carnem Verbi cum Verbo, & Patre in vtero eius formaret? Quid in sacra Virgine potuisti, nisi vt quæ erat ancilla, Conditoris sui mater fieret & sponsa?

Lucæ 1.

Idiota. 800.

Contemplatione de B. Maria cap. 4. Ad hęc omnia fecit te Deus Maria virgo sanctissima, vt ex tuo superbenedicto fructu Angelica natura repararetur, humana renouaretur, inferior à seruitute liberaretur. Ædificauit ergo Angelis te Reginam, hominibus medicinam, creaturę inferiori libertatem. Per te, ô superbenedicta Virgo Maria, innocentia reparatur, vita Angelica reducitur, Deus homini pacificatur & vnitur, Diabolus vincitur & conteritur: quia de te scribitur: *Ipsa conteret caput tuum.*

Gen. 3.

Cap. 6. *Inuenisti gratiam apud Deum,* ô beatissimâ Virgo Maria, gratiam inquam corporalem: quia fuisti vas innocentiæ purissimę sine macula & labe, & virginitatis primipila, sine corruptione fœcunda, sine fastidio grauida, & sine dolore puerpera. Inuenisti Virgo Maria gratiam spiritualem: quia fuerunt in tua mente deuotio humilitatis, reuerentia pudoris, magnitudo credulitatis, & martyrium cordis. Inuenisti Virgo gratiam cęlestem: quia fuerunt in te ab origenis labe præseruatio, Angelica salutatio, Spiritus sancti superuentio, & Filij Dei conceptio.

Adiuuas in vita præsenti tam bonos quàm malos: Bonos, eos in gratia conseruando, vnde de te canimus: *Maria mater gratiæ.* Malos, eos ad misericordiam reducendo, ideo dicitur: *Mater misericordiæ.* Adiuuas etiam in morte ab insidijs diaboli protegendo, ideo subditur: *Tu nos ab hoste protege.* Adiuuas quoque post mortem, animas suscipiendo, & eas in cælum deducendo, & ideo subinfertur: *Et hora mortis suscipe.*

Ionas Aurelianensis. 860.

De cultu Imaginum lib. 2. Virginem, quę peperit Christum, non adoramus, sed sanctam Dei genitricem congruo honore veneramur, eiusque intercessionem apud diuinam maiestatem humiliter flagitamus. Nec immeritò: quippe, quoniam per eam auctorem vitæ suscipere meruimus, & pro eo quòd eadem sancta & intemerata Virgo Maria vtique Deum & hominem nobis edidit,

Dominum videlicet Iesum, à cunctis fidelibus pio colitur amore & debito veneratur honore.

Altercatio Synagogæ & Ecclesiæ. 900.

Cap.7. Et tu, ô Maria, mater matrum, virgo virginum, stella stellarum, dulcedo credentium animarum, quomodo, quo affectus occursu suscepisti Creatorem tuum? Nuntia vitæ audisti, corde credula Filium Dei concepisti, sacrarium facta es Spiritus sancti. Christum ergo factorem creaturarum noua, munda, vnica vnicum genuisti, stupenda dulcedine fouisti, lactasti splendidis veribus, nutristi paruulum & magnum, læta de paruulo, tremebunda de magno, vestisti, cibasti, tam auida inuentæ sapientiæ conseruandæ, quàm peregrina & aliena totius corporalis vel spiritualis maculæ. O virgo florentissima, fructu speciosissima, vita & moribus præcellentissima, quo charactere signabimus, quantis delicijs spiritualibus susceptus sit à te Patris æterni Filius?

Cap.16. *In domo Patris æterni multæ sunt mansiones*, id est cælestium Spirituum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum: sed hæc omnia regna superat altitudo Mariæ, super hæc omnia regna ex Filij gratia leuatur. Accedamus ad hunc thronum gratiæ cum fiducia. Ipsa enim est stella, cuius ducatu & interuentu ad patriam transfretamus.

Cap.19. Maria consolatio infirmorum, redemptio captiuorum, liberatio damnatorum, salus vniuersorum, de se sentit humilia, cuius honori famulantur omnia, terra, pontus, & æthera, per Mariam diuinæ misericordiæ sacramenta completa sunt, cæli propter hanc inclinati sunt, fontes aquarum apparuerunt, fundamenta orbis terrarum reuelata sunt, hoc est ex ipso Christo nascente Apostoli electi, per quos orbis, quasi fontibus inexhaustis, potaretur, & reuelata per Spiritum sanctum prophetia, mundus ad fidem ducendus fundamento quodammodo immobili stabiliretur.

Abbo Floriacensis. 980.

Libro 1. de bello Parisiacæ vrbis:

Vrbs in honore micat celsa sacrata Maria,
Auxilio cuius fruimur vita modò tuti:
Hinc indicibiles illi, si fortè valemus,
Reddamus grates, placidas reboemus & odas,
Vox excelsa tonet, laudesq; sonet, quia dignum:
Pulchra parens salue Domini, Regina polorum
Nostra nites altrix, orbis constans dominatrix.
Cælicoli cœtus, Virtutes, ac Dominatus
Primatusq;, Potestatesq;, Throniq; polorum,
O genitrix sobolis summi Regis celebranda,
Te gaudent, recolunt, laudant, venerantur, adorant:
Sanctior es cunctis, sexu felicior omni:
Cultorum miserere tui iam nata potentis:
Gloria, laus, & honor, radians q; decus tibi semper
Sit benedicta Dei mater sceptrig; in Iesu.

Fulbertus Carnotensis. 1000.

Sermone de Assumptione Mariæ: Et ideò laudes intonet vniuersa terra cum summa exultatione, tantæ Virginis illustratæ excessu: quia indignum valde est, vt illius recordationis solennitas sit apud nos sine maximo honore, per quam meruimus auctorem vitæ suscipere, &c. His præmissis loquamur aliquid de laudibus sacratissimæ Virginis. Sed quid nos tantilli, quid actione pusilli, quid in eius laudibus referemus, cùm etsi omnium nostrum membra verterentur in linguas, eam laudare sufficeret nullus? Altior cælo est, de qua loquimur: abysso profundior, cui laudes dicere conamur. Hæc est enim, quæ sola meruit mater & sponsa vocari: hæc primæ matris damna resoluit: hæc homini perdito redemptionem adduxit. Mater enim generis nostri pœnam intulit mundo, Genitrix Domini nostri salutem edidit mundo. Auctrix peccati Eua, auctrix meriti Maria: Eua occidendo obfuit, Maria viuificando profuit. Illa percussit, ista sanauit. Hæc enim mirabili atque inæstimabili modo omnium rerum & suum peperit Saluatorem. Quæ hæc Virgo tam sancta, ad quam venire dignaretur Spiritus sanctus? Quæ tam speciosa, vt eam Deus ipse eligeret sponsam? Quæ tam casta, vt esse posset Virgo post partum? Hæc est Dei templum, fons ille signatus, & porta in domo Dei clausa. Ad hanc namque Spiritus sanctus descendit, hanc virtus Altissimi obumbrauit. Hæc est immaculata coitu, fœcunda partu, Virgo lactans, Angelorum & hominum cibum nutriens. Meritò namque beata à nobis singulari præconio extollitur, quę singulare commercium mundo præbuit. Denique tantam se ad cæli fastigia subleuauit, vt Verbum in principio apud Deum de superna cæli arce susciperet. O felix Maria, & omni laude digniſſima. O Virgo Dei genitrix gloriosa. O sublimis puerpera, cuius viscеribus auctor cæli terræque committitur: ô felicia oscula lactentis labijs impressa, cùm inter crebra indicia reptantis infantiæ, vtpote verus ex te Filius tibi matri alluderet, cùm verus ex Patre Dominus imperaret. Nam auctorem tuum ipsa concipiens edidisti, in tempore puberem, quem habebas ante tempora Conditorem. O felix puerperium, lętabile Angelis, optabile Sanctis, necessarium perditis, congruum profligatis, &c. Sed quid dicam pauper ingenio, cùm de te quicquid dixero minor laus est, quàm dignitas tua meretur? Si cælum te vocem, altiores: si matrem gentium dicam, præcedis: si formam Dei appellem, digna existis: si Dominam Angelorum vocitem, per omnia esse probaris. Quid ergo de te dignè dicam, quid referam, cùm non sufficiat lingua carnis tuas enarrare virtutes? &c.

Petrus Damianus. 1050.

Sermone 1. de Natiuitate Mariæ: Quid grandius Virgine Maria, quæ magnitudinem summæ diuinitatis intra sui ventris conclusit arcanum? Attende Seraphim, & in illius superioris naturæ superuola dignitatem, & videbis quicquid majus est, minus Virgine, solumque opificem opus istud supergredi.

Sermone 3. Gaudeamus & exultemus in Natiuitate Virginis Dei genitricis: hodie nata est Regina mundi, fenestra cæli, ianua Paradisi, tabernaculum Dei, stella maris, scala cęlestis, per quam supernus Rex humiliatus ad ima descendit, & homo, qui prostratus iacebat, ad superna exaltatus ascendit. Hodie apparuit stella mundo, per quam sol iustitiæ illuxit mundo: hodie nata est splendidissima illa Virgo, ex qua processit *speciosus forma præ filijs hominum, tanquam sponsus de thalamo suo*, &c. Psal.44.

Carmine præterico de Maria:

Scala, thronusq; Dei, nitor orbis, ianua cæli,
Mater aue Christi, scala, thronusq; Dei.
Tu noua stella maris, qua lux est reddita terris,
Ortus & es solis tu noua stella maris.
Concipis absque viro tu sola puerpera Virgo,
Quæ Verbum verbo concipis absque viro.
Virgine vita redit homini, quem Virgo peremit:
Mors nece victa perit, virgine vita redit.

Herman-

Hermannus Contractus. 1050.

In laudem beatæ Mariæ Virginis composuit: Salue Regina misericordiæ, vita, dulcedo, & spes nostra salue: ad te clamamus exules filij Euæ: ad te suspiramus gementes & flentes, &c.

Item: Aue maris stella, in lucem gentium Maria diuinitus orta. Euge Dei porta, quę non aperta, veritatis lumen ipsum solem iustitię indutum carne ducis in orbem. Virgo decus mundi, Regina cæli, prędelecta vt sol, &c.

Radulphus Ardens. 1070.

In Annuntiatione Mariæ: Meritò beatissima Virgo Maria nuncupatur, quę stella maris interpretatur. Est enim quasi quædam lux, & quasi quædam stella præuia nobis in magno & periculoso huius mundi pelago nauigantibus, suo exemplo nos ducens, suis virtutibus nos illuminans, suis intercessionibus nobis auxilians. Si ergo fratres mei malignus spiritus nos infestat, si caro nos tentat, si mundus nos oppugnat, ad Mariam respiciamus, ad Mariam confugiamus, ad Mariam conclamemus.

Gregorius Septimus. 1070.

Lib.1.epist.47. De matre Domini, cui te principaliter commisi, & committo, & nunquam committere, quousque illam videamus, vt cupimus, omittam, quid tibi dicam? Quam cælum & terra laudare, licet vt meretur nequeant, non cessant. Hoc tamen procul dubio teneas, quia quanto altior, & melior, ac sanctior est omni matre, tanto clementior & dulcior circa conuersos peccatores & peccatrices. Pone itaque finem in voluntate peccandi, & prostrata coram illa ex corde contrito & humiliato lachrymas effunde: Inuenies illam (indubitanter promitto) promptiorem carnali matre, ac mitiorem in tui dilectione.

Lib.8.epistol.22. Scribe in corde tuo, quia summa Regina cæli, quæ super omnes choros Angelorum exaltata esse creditur, quæ est decus & gloria omnium mulierum, imò salus & nobilitas omnium electorum: quia illa sola meruit virgo & mater, edere naturaliter Deum & hominem, caput & vita omnium bonorum, in terris non dedignata est pauperem vitam gerere, & in omni sancta humilitate se custodire.

Anselmus Cantuariensis. 1080.

De excellentia B. Virginis Mariæ cap.12. Quapropter ea, quæ nobis sunt impenetrabilia intermittentes, precibus impetrare nitamur, vt quod intellectu capere nequimus, saltem affectu obtinere mereamur. Rogamus ergo te Domina per ipsam gratiam, qua te pius & omnipotens Deus sic exaltauit, & omnia tibi secum possibilia esse donauit: quatenus id apud ipsum nobis impetres & obtineas, vt plenitudo gratiæ, quam meruisti, in nobis sic operetur, quo participium beati prędmij nobis eius misericorditer quandoque condonetur. Intende ergo Domina pijssima, vt nobis ad effectum proueniat, propter quod Deus noster ex tuo castissimo vtero factus homo inter homines venit: ne sis quęsumus exoratu difficilis; quia procul dubio idem benignissimus Filius tuus Dominus noster Iesus Christus erit ad concedendum quicquid voles promptissimus & exaudibilis, &c. Vt Filium tuum totius mundi Saluatorem, & te eius reconciliatricem esse veraciter sentiamus, eo nos propęfiore studio iuua precamur, & fouę, quo in fęcibus mundi natos & alitos potiori leuamine prospicis indigere. Ab initio denique renouationis humanæ omnibus sub tuũ prę-

fidium confugientibus huc vsque succurristi, & idcirco præ omni creatura omni laude dignissima dici & esse meruisti. Eia succurre oramus, vt laus, quam per tot secula dignè possedisti, continua tibi duret in gratia ipsa, qua mundo perdito subuenisti.

Iuo Carnotensis. 1100.

Sermone de Natiuitate Domini: Quomodo matrem carnis suæ sanctificauerit deinceps audiamus, vt inde lætetur Catholicus, immundus confutetur hæreticus. Omnem quippe nęuum tàm originalis quàm actualis culpę in ea deleuit: sicque carnem de carne eius sumens, eandem in diuinam munditiam transformauit. Etenim fic ait Scriptura: *Deus noster ignis consumens est.* Sicut ergo ignis materialis omnem materiam, quam assumit, mundans in se conuertit: fic materiale carnis nostræ, quod diuinus ignis assumpsit, diuinitatis expers esse non potuit, quatenus quod Deus est per naturam, hoc inciperet habere per gratiam. Prima etenim humani generis parens quia serpentinæ persuasionis virus excepit; duplici maledicto succubuit, vt & cum viro mortem incurreret, & vt filios, quos carnis delectatione conciperet, cum dolore parturiret. Huius maledictionis omnes filiæ Euæ hęredes successerunt, & omnes filios suos sub necessariæ mortis condemnatione genuerunt. Sola hæc mater, quæ non fibilo serpentis, sed Angeli nuntiantis credidit verbis, benedictionem, quę vtrumque maledictum excluderet, audire promeruit: *Benedicta tu in mulieribus*, quia nec per concupiscentiam carnis concipies, nec Filium in dolore paries. D.cap.4. Heb.12. Luc.1.

Epist.147. Quod nostris viribus non valemus, meritis beatæ & perpetuæ Virginis, cui Deo auctore famulamur, indubitanter obtineri posse confidimus.

Zacharias Chrysopolitanus. 1100.

Ad finem Commentariorum in Euangelia: Dignum & omnibus modis conueniens erat, vt omnia subijcerentur sub pedibus eius, quæ omnium genuerat Creatorem. Dignum erat, vt Domina esset Angelorum, quę digna fuerat esse mater Domini Angelorum. Dignum erat vt Angelica puritas illi subderetur in cęlis, cui se totam infuderat diuina puritas in terris. Dignum erat, vt amplius matrem suam honoraret, quàm ministros, ipse qui dixerat: *Honora patrem tuum & matrem*, &c. Dignum erat, vt familiarius hanc amaret, copiosius remuneraret, quæ singularius atque ardentius omni rationali creatura ipsum dilexerat, &c. Itaque in ea tam potenti, tam pia, tam fideli aduocata nostra toto corde gaudeamus, quæ nulli dignè postulanti auxilium negat, & pro nullo apud Filium frustra interpellat. Gaudeamus inquam in illa, & dignis obsequijs, dignis laudibus cum illis sacrorum legionibus eam veneremur, ac vultum eius deprecemur cum omnibus diuitibus cæli.

Hugo Victorinus. 1120.

Libro 4. de proprietatibus & epithetis verum, cap.2. Beata Virgo pauper fuit, humilis, obediens, quieta, modesta, simplex, sapiens, ab Angelo nuntiata, in vtero sanctificata, prima votum virginitatis Deo sponso suo obtulit: ab Angelo salutata, plena gratię est prædicata, mater est Domini, Domina Angelorum, stella maris, terra quę germinauit Saluatorem, terra de qua formatus est verus Adam, terra de qua orta est veritas, terra de qua eductus est verus panis, terra quæ dedit fructum suum, terra cuius fructus sublimis, terra quam Dominus benedixit, terra de qua dicitur:

Cecidit semen in terram bonam, terra fluens lacte & melle; arca Testamenti, imò & fœderis, stella ex Iacob orta, vrna habens manna, thronus Salomonis, domus salutis, porta clausa, vellus complutum, thalamus sponsi, templum Salomonis, virga Aaron, tunica summi sacerdotis, mulier amicta sole, domus septem columnis excisa, hortus conclusus, fons signatus, triclinium Trinitatis, arca Noe, pulchra vt luna, electa vt sol, & aurora consurgens.

Serm. 34. Sanè quæcunque in Scripturis, vel in creaturis sunt laudabilia, Mariæ sunt laudi conuenientia. Sicut ergo est aurora, verę lucis præuentione, sic est flos pulchritudine, fauus dulcedine, viola humilitatẽ, rosa charitate vel compassione, suauitate lilium, vitis fructificatione, quodlibet aroma bona opinione, castrum securitate, murus vel turris fortitudine, clypeus aut propugnaculũ defensione, colũna rectitudine, sponsa fide, amica dilectione, mater fœcunditate, virgo integritate, Domina dignitate, Regina maiestate, ouis innocentia, agna munditia, columba simplicitate, turtur castitate, &c.

Rupertus Tuitiensis. 1120.

Lib. 4. in Cantica: Tu virtutum operatrix, ac totius sanctæ religionis magistra, qualem nunquã oculus vidit, qualis ab initio, quãdo Eua facta est, non fuit, nec est, nec erit in cogitationibus suis, in factis suis, in omni dulcore suauitatis, in omni flore & fructu honoris & honestatis.

Lib. 6. Quando nata es, ô Virgo beata, tunc vera nobis aurora surrexit, aurora prænuntia diei sempiterni: quia sicut aurora quotidiana finis præteritę noctis, & initium diei sequentis: sic natiuitas tua, natiuitas ex semine Abrahę, clara ex stirpe Dauid, ad quos cum iuramento Dei facta est repromissio benedictionis, finis dolorum, & consolationis fuit initiũ: finis tristitiæ, & lætitiæ nobis extitit principium, &c. Sicut ex te natum Dei Filiũ, solem verũ, solem ęternũ adoramus & colimus: sic te honoramus atq; veneramur, vt veri Dei Genitricem, scientes quia totus honor impensus Matri, sine dubio redundat in gloriam Filij.

Honorius Augustodunensis. 1120.

Sermone de Natiuitate Mariæ: Hæc est, quã Dominus benedixit in sua virtute, dum eã ex omni carne eligens, per ipsam apparuit pro mundi salute. Per ipsam inimicos nostros ad nihilũ redegit, dũ dęmones humani generis hostes fidelibus subegit. Ideo non defecit laus eius de ore hominũ, quibus hodie celebris est, & cœtibus Angelorũ. Ipsa enim est cęlestis gloria, & spiritualis Israel, scilicet videntis populum in lætitia. Hæc cedro cõparatur, quæ nimis multiplicatur, à qua putredinis & vermiũ corruptela fugatur: ita hæc Virgo beata erat in virtutibus dilatata, vt cedrus multiplicata, quæ non sensit corruptionem putredinis, per quã fugantur dæmones, vermes æternę dãnationis. Hæc stella maris dicitur, quia genus humanũ de salo huius seculi ad æternam vitam per eam dirigitur.

Bernardus. 1130.

Homil. 2. de laudibus Mariæ super Euangeliũ Missus est. &c. Curre Eua ad Mariã, curre mater ad filiam, filia pro matre respondeat, ipsa matris opprobriũ auferat, ipsa Patri pro matre satisfaciat: quia ecce si vir cecidit per fœminã, iam nõ erigitur nisi per fœminam. Quid dicebas ô Adam: *Mulier, quam dedisti mihi, dedit mihi de ligno, & comedi?* Verba malitiæ sunt hæc, quibus magis augeas, quàm deleas culpam. Veruntamen *Sapientia vicit malitiam*, cùm occasionem veniæ, quã à te Deus interrogãdo elicere tentauit, sed non potuit, in thesauro indeficientis suæ pietatis inuenit. Redditur nempe fœmina pro fœmina, prudens pro fatua, humilis pro superba, quæ pro ligno mortis gustum tibi porrigat vitæ, & pro venenoso cibo illo amaritudinis dulcedinem pariat fructus æterni. Muta ergo iniquæ excusationis verbum in vocem gratiarũ actionis, & dic: Domine, *mulier, quam dedisti mihi, dedit mihi de ligno vitæ, & comedi:* & dulce factum est super mel ori meo, quia in ipso viuificasti me. Ecce enim ad hoc missus est Angelus ad Virginem. O admirandam & omni honore dignissimã Virginem, ô fœminã singulariter venerandam, super omnes fœminas admirabilem, parentũ reparatricẽ, posterorum viuificatricem. *Missus est*, inquit, *Angelus ad Virginem*: Virginem carne, virginem mente, virginem professione, virginem denique (qualẽ describit Apostolus) mente & corpore sanctam.

Ser. 4. de Assumpt. Mariæ: Non est quod me magis delectet, sed nec est quod terreat magis, quàm de gloria Virginis Mariæ habere sermonem. Vt enim fileã interim ineffabile priuilegium meritorum, & prærogatiuã penitus singularem: tanto eam deuotionis affectu amplectuntur, honorant, suscipiunt (vt dignum est) vniuersi, vt licet de ea loqui gestiant omnes, tamen quicquid dicitur de indicibili, eo ipso quod dici potuerit, minus gratum sit, minus placeat, minus acceptetur. Quidni minus sapiat quicquid de incomprehensibili gloria comprehendere potuerit mens humana? Ecce enim si in ea laudauero virginitatem, mihi multę virgines post eam videntur offerri. Si humilitatẽ prędicauero, inuenientur fortè vel pauci, qui (docente Filio eius) mites facti sunt, & humiles corde. Si magnificare voluero misericordię eius multitudinem, sunt aliqui misericordiæ viri, etiam & mulieres. Vnum est, in quo nec primã similem visa est, nec habere sequentem, gaudia matris habens cum virginitatis honore. Optimam partem elegit sibi Maria, optimã planè: quia bona fœcunditas coniugalis, melior autem castitas virginalis, prorsus autem optima est fœcunditas virginea, seu fœcunda virginitas.

Sermone de Natiuitate Mariæ: Altius intuemini quanto deuotionis affectu à nobis Mariã voluerit honorari, qui totius boni plenitudinem posuit in Maria: vt proinde si quid spei in nobis est, si quid gratiæ, si quid salutis, ab ea nouerimus redũdare, quæ ascendit delitijs affluens. Hortus planè deliciarũ, quem non modò afflauerit veniens, sed & perflauerit superueniẽs Auster ille diuinus, vt vndiq; fluant & affluãt aromata eius, charismata scilicet gratiarum. Tolle corpus hoc solare, quod illuminat mundũ: vbi dies? Tolle Mariã hanc maris stellam, maris vtiq; magni & spatiosi: quid nisi caligo inuoluens, & vmbra mortis, ac densissimæ tenebræ relinquũtur? Totis ergo medullis cordium, totis præcordiorum affectibus, & votis omnibus Mariam hanc veneremur, quia sic est volũtas eius, qui totum nos habere voluit per Mariam.

Richardus Victorinus. 1140.

De Emmanuele lib. 2. cap. 25. Pensa, si potes, quę vel quanta sit ista mirificentia, Virginem concipere, Virginem parere, & post partum Virginẽ permanere. Æstima, si vales, quæ vel qualis sit ista magnificentia, partum virginis ab hora cõceptionis suæ omnem plenitudinẽ accipere, & in humanitatis veritate plenitudinem diuinitatis obtinere. Singularis gloria, specialis & gratia beatæ Virginis Mariæ, quæ cũ Virginitatis honore genuit & peperit Filiũ, nec qualemcunq;, sed Deum. Meritò dictum, meritò dicendum: *Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui.*

In Cantica Canticorum cap. 39. Maria supra homines est, in eo quòd nunquã peccatum cõmisit, sicut homines, inter quos nullus inuentus est, qui faciat bonum, & non peccet. Supra Angelos quoq; est,

Gen. 3.

1. Cor. 7.

Gen. 3.

Sap. 7.

quia eos puritate supergreditur, dum diuinitatem clarius illis contemplatur. Nec tãtùm peccatum non commisit, sed etiam aliorum peccata deleuit: nec solùm in se lucida fuit, sed etiã lucis radios ex se emisit, quia per eã mundus lumen gratiæ accepit. Inter diuina itaq; & humana media & mediatrix est Maria, vt humana supergrediatur, dũ tam sublimia per Filium operatur. O mira dignitas, de muliere procedere Solem mundum illuminãtem, de terra lucẽ radiare, per fœminã tenebras mundi in lucem claresc ere.

Petrus Comestor. 1160.

Carmine in laudem Mariæ apud Vincentium lib. 30. cap. 1.

Si fieri posset, quòd arenæ puluis, & vnda,
Vndarum gutta, rosa, gemma, lilia, flores,
Aethera, cælicolæ, nix, grando, sexus vterque,
Ventorum pennæ volucrum, pecudum genus omne,
Syluarum rami, frondes, auium quoque pennæ,
Ros, gramen, stellæ, pisces, angues, & aristæ,
Et lapides, montes, conualles, terra, draconES
Linguæ cuncta forent, minimè depromere possent,
Quæsis, vel quanta, ô Virgo regina Maria:
Quæ tua sit pietas nec littera, nec capit ætas.

Arnoldus Abbas Bonæuallis. 1160.

Tractatu de laudibus Mariæ: Si linguis hominũ loquar & Angelorum, nihil dignè, nihil propriè de sanctę ac perpetuæ Virginis matris Christi Marię gloria eloqui potero: quia verè in laudibus eius modulandis non inuenitur conueniens organũ, & hebes est cuiuscunque subtilitatis ingenium. Cùm enim debitę venerationis summa ad Christum respiciat, ex cuius plenitudine roratum est desuper, quòd Maria prędicatur gratia plena, manifestum est, indiuiduam esse Matris & Filij gloriam, & commune esse vtriusque prędonium, cuius definitio omnem superat intellectum, &c.

Hildegardis. 1160.

Tertij libri Sciuias Visione 13. cap. 1. O splendidissima gemma, serenum decus solis tibi infusum est; fons saliens de corde Patris, qui est vnicũ Verbũ eius, per quod creauit mundi primam materiã, quam Eua turbauit, hoc Verbum fabricauit in te hominem: & es illa lucida gẽma, à qua ipsum Verbum eduxit omnes virtutes, quemadmodum in prima materia ptulit omnes creaturas. O tu suauissima Virgo, frondẽs de stirpe Iesse: ô quàm magna virtus est, quòd diuinitas in pulcherrimã filiã aspexit, sicut aquila in solem oculum suum figit, cùm supernus Pater claritatẽ Virginis attendit, quando Verbum suum in ipsa incarnari voluit. Nam in mystico mysterio Dei illustrata mente Virginis mirabiliter clarus flos ex ipsa virgine prodijt.

Adam Victorinus. 1180.

In Prosa de Assumptione B. Virginis:

Salue Mater Saluatoris,
Vas electum, vas honoris,
Vas cælestis gratiæ.
Ab æterno vas præuisum,
Vas insigne, vas excisum
Manu sapientiæ.
Salue Verbi sacra Parens,
Flos de spinis, spina carens,
Flos spineti gloria.
Nos spinetum, nos peccati
Spina sumus cruentati:
Sed tu spinæ nescia.
Porta clausa, fons hortorum,
Cella custos vnguentorum,
Cella pigmentaria.
Salue decus virginum,
Mediatrix hominum,
Salutis puerpera.
Tu candoris, & decoris:
Tu dulcoris, & odoris,
Habes plenitudinem.
Palmam præfers singularem,
Nec in terris habes parem,
Nec in cæli curia.
Laus humani generis,
Virtutum præ cæteris
Habens priuilegia.
Sol luna lucidior,
Et luna syderibus,
Sic Maria dignior
Creaturis omnibus.

Innocentius Tertius Papa. 1200.

Sermone 2. de Assumpt. B. Mariæ: Cùm aurora sit finis noctis & origo diei, meritò per auroram designatur Virgo Maria: quę finis dãnationis, & origo salutis fuit; finis vitiorũ, & origo virtutũ. Oportebat enim vt sicut per fœminã mors intrauit in orbem, ita per fœminã Vita rediret in orbem. Et ideo quod damnauit Eua, saluauit Maria; vt vnde mors oriebatur, inde vita resurgeret.

Hymno ad Mariam:

Aue mundi spes Maria,
Aue mitis, aue pia,
Aue charitate plena,
Virgo dulcis & serena,
Sancta parens Iesu Christi,
Electa sola fuisti
Esse mater sine viro,
Et lactare modo miro,
Angelorum Imperatrix,
Peccatorum consolatrix, &c.

Iacobus Vitriacus. 1220.

In die Natalis Domini: Cùm fructu veniente flores soleãt decidere, in sola Maria flos virginitatis cũ fructu fœcũditatis permãsit. Pulchra in flore virginitatis, pulchrior in fructu fœcũditatis, pulcherrima in partu Dei & hominis: placens Deo per virginitatẽ, in fructu reficiens animas per saturitatẽ, in partu subueniens mundo per fœcunditatẽ, &c. Natus est Dei Filius ex Maria absq; humano semine, & sine vlla corruptione, tanquam vermiculus ex terra, odor ex nuce, scintilla ex silice, fructus ex arbore, radius ex sole. Vnde Psalmista: *In solè posuit tabernaculum suũ, & ipse tanquã sponsus procedens de thalamo suo.* Beata siquidẽ Virgo non solùm stella, per quã dirigimus cursum in hoc mari, nõ solùm luna, vt ad eã currãt peccatores, qui sunt in nocte, & peccatorũ obscuritate; non solùm aurora illuminans incipientes post noctẽ: sed etiã sol dicitur, perfectos illuminãs, qui feruẽt in meridie charitatis, pariens radiũ, id est Filium, sine sui corruptione, &c.

Cæsarius Heisterbacchius. 1220.

Lib. 7. Dial. c. 1. Mulier per Ioannem Apoc. 12. visa, Virgo est S. Maria, sole lucidior, fulgore charitatis; luna superior, id est, mũdo ex contẽptu glorię secularis; omnium virtutum stellis tanquã diademate gẽmato coronata; &, quod illis dignius est, diuino partu fœcũdata, &c. Sicut in vniuersis creaturis matre Creatoris nihil est sanctius, nihil dignius, nihil præcellentius: ita eius visione nulla Sanctorũ visio dignior, nulla iucundior, nulla eminentior. Ipsa est orbis conseruatrix, fida sibi famulantium defensatrix: per ipsam peccatores illuminãtur, desperati ad confessionem reparãtur: apostatæ à Deo per ipsam Deo mirabiliter reconciliãtur, iusti reuelationibus consolãtur. Nomen

eius & memoriale eius dæmones fugat, vincula soluit, timores pellit, tentationes compescit. Per ipsam pusillanimes confortantur, torpentes excitantur, eiecti misericorditer reuocantur. Diligêtes se diligit, imò diligendo præuenit & honorat, & contemnentes se, quia iusta est, punit & humiliat: morientibus assistit, & mortuorum animas ad vitam perducit æternam.

Guilhelmus Aluernus. 1230.

De diuina Rhetorica cap.18. An falsò & inaniter vocat te omnis Ecclesia Sanctorum aduocatâ suam, & miserorum refugium? Absit hoc à Matre Dei, quæ fontem pietatis toti mundo peperit, vt cuiquam miserorum suæ misericordiæ subuentionem vnquam deneget. Innumeris exemplis magnificorum operum misericordiæ tuæ, quæ operata es erga peccatores miserrimos, docuisti nos, & persuasisti de tua misericordia confidere, de tua pietate sperare, & in omnibus necessitatibus nostris sub alis tuæ protectionis fiducialiter cõfugere. An est misericordiæ tuæ onerosa multitudo ad te clamantium? An est aliquatenus difficilis gratiositati tuæ impetratio vel veniæ vel gratiæ quantecũq; ? Scio Domina misericordię, quia nihil horum est apud te, quin potius gaudium est tibi suffragari miseris, & reuocare gratiosissimis & semper efficacissimis precibus tuis periclitantes, & etiã periclitatos à perditione, & perditionis periculis. Tu enim dulcissima Dei mater super omnes Angelos, & homines nosti, quãtum placeat benedicto Filio tuo salus nostra, &c. Quia ergo super omnes homines & Angelos diligis gloriã benedicti Filij tui, quæ indubitanter maxima est ei ex saluatione perditorum, maximè placet tibi procurare illã. Hoc autẽ est impetrare peccantibus gratiam ipsius his, qui vitijs, & peccatis suis offensi sunt illi. Dum ergo te exoro, vt me misericordissimo Filio tuo reconcilies, hoc proculdubio à te peto, quod maximè gratum, atq; placidum tibi certissimè scio. Non potes igitur denegare mihi quod peto: si enim mihi denegares, quod tibi placidissimũ, atq; gratissimum est, quid posset sperari vnquam à te, vel super quo vnquam exoranda esses Domina mea dulcissima? &c. Nulla creatura & tot, & tanta, & talia impetrare posset apud benedictum Filium tuum miseris, quanta tu apud ipsum impetres eisdem. In quo proculdubio non tanquam ancillam suam, quæ indubitanter es, sed tanquam matrem verissimam te honorat. Ne allegaueris dulcissima Dei Mater peccata mea contra me, qui misericordiam tuam allego contra ea. Absit vt stent in iudicio peccata mea contra misericordiam tuam, quæ omnibus vitijs & peccatis super omnem cogitatum fortior est, atque potentior.

Albertus Magnus. 1240.

Ad caput 1. Matthæi: Maria illuminat Sanctos in gloria, & fluctuantibus in procellis tentationum; in dubijs est præuia, & omnium iustorum, quibus meretur gratiam, Domina; & pœnitentium & gementium propitiationis indulgentia. Amicitur sole, vt illuminet; stat sicut signum in cælo, ad quod fluctuans nauim in corde eijcere tentet; coronatur stellis, quia claritatem virtutis omnium Sanctorum, vt princeps ac Domina possidet; clamat parturiens, vt omnibus in amaritudine cordis clamantibus, ad similem compassionis affectum se conformet. Hæc est aurora consurgens, ex qua est ortus Sol iustitiæ, & sanitas in pennis eius.

Thomas Aquinas. 1250.

Part. 3. quæst. 26. art. 5. Latria, quia soli Deo debetur nulli creaturæ debetur, prout creaturam secundùm se veneramur. Licet autem creaturæ insensibiles non sunt capaces venerationis secũdùm seipsas, creatura tamen rationalis est capax venerationis secũdùm seipsam: & ideo nulli puræ creaturæ rationali debetur cultus latriæ. Cùm igitur B. Maria sit purè creatura rationalis, non debetur ei adoratio latriæ, sed solùm veneratio dulię: eminentius tamẽ quàm cæteris creaturis, in quantum est ipsa Mater Dei: Et ideo dicitur, quòd debetur ei non qualiscunque dulia, sed hyperdulia.

Opusculo 8. in expositione Salutationis Angelicæ: Maria Angelos excedit pulchritudine, & gratia: nec solùm illuminata est, sed etiam illuminatrix, quæ propterea soli & lunæ comparatur, ac totius Trinitatis est nobile triclinium: quę sola maledictionem sustulit, & benedictionem portauit, & ianuam paradisi aperuit; per quam & Christiani omnes, sicut per stellam maris, ad portum æternę gloriæ diriguntur.

Bonauentura. 1260.

Libro qui inscribitur, Viginti quinque mirabilia: Vt gloriosam Reginam Domini matrem benedictam in summo habeas omni tempore venerationis affectu, & in cunctis necessitatibus, periculis, & pressuris ad eam, tanquam ad tutissimum refugium, te conuertas, ipsius tutelæ præsidium flagitando, eamqúe in tuam suscipiens aduocatam, deuotissimè & syncerè tuam causam ei committas, quia mater est misericordiæ, quotidie ei studeas singularem reuerentiam exhibere: & vt tua deuotio ei sit accepta, & reuerentia grata ipsius puritatem ac munditiam omni virtute, mente, & corpore illibatè in te ipso seruando, toto conatu nitaris humilitate & mansuetudine vestigia illius imitari.

In Speculo B. Mariæ: Maria est illuminatrix plurimorum, per exempla lucidissima vitæ suæ: ipsa est, cuius vita inclyta cunctas illustrat Ecclesias: ipsa est, cuius vita gloriosa lucem dedit seculo: ipsa est lucerna Ecclesiæ, ad hoc illuminata à Deo, vt per ipsam contra tenebras mundus illuminaretur.

Ludolphus Saxo Carthusianus. 1350.

Vitæ Christi parte 2. cap. 86. Nulli dubium, quin totum ad gloriam laudis eius pertineat, quicquid dignè Genitrici suæ impensum fuerit, ac solenniter. Profectò quicquid humanis potest dici verbis, minus est à laude cæli, quæ diuinis est & Angelicis excellentijs prædicata & laudata prę conijs: à Prophetis quidem prænuntiata: à Patriarchis figuris, & ænigmatibus præfignata: ab Euangelistis exhibita, & monstrata: ab Angelo venerabiliter, & officiosissimè salutata, &c. Christus Matrem suam à dextris suis locauit, & omnia, quæcunque voluerit, ab eo impetrabit. O felix Maria, & omni laude dignissima. O Virgo Maria Dei Genitrix gloriosa. O sublimis puerpera, quæ Deum auctorem cæli & terræ, quem omnis creatura non capit, tuo immaculato vtero clausum gestasti. Quid nos tantilli, quid actione pusilli, quid in tuis laudibus referemus, cùm etiamsi omnium nostrum membra verterentur in linguas, te laudare nullus sufficeret? Quid dicam pauper ingenio, cùm de te quicquid dixero, minor laus est quàm dignitas tua mereatur? Quid ergo de te dignum dicam? quid referam, cùm non sufficiat lingua carnis tuas enarrare virtutes? O Maria tui recordatio nominis melle dulcior, nectare suauior, fessos recreat, mœstos lætificat, oppressos releuat, errantes ad viam salutis reuocat, & peccatores, ne desperent, suæ suauitatis odore confortat.

Ioannes Taulerus. 1350.

Dominica 1. Quadragesimæ Serm. 2. Gratiam, quam Adamus peccando perdidit, intemerata semper, ac votis omnium laudanda Dei genitrix, gloriosa Virgo Maria, multò abundantius inuenit. Vnde & rectissimè *mater pulchræ dilectionis* dicitur; vtpote, quæ cuncta opera sua per amorem retulit in Deum. Nullam vnquam sapientiam, scientiam, virtutem affectauit per auaritiam. Ipsa sola cunctas hæreses, & omnem hypocrisin interemit. E ccl. 24

Franciscus Petrarcha. 1360.

In Pæane Deiparæ:

Virgo decens, quam sol vestit, stellæq; coronant,
Cuius forma fuit summo tam grata Tonanti,
Vt tua condiderit sanctam intra viscera lucem:
Tu clypeus miseris firmus mortalibus vna es,
Ictus fortunæ contra, mortisq; cruentos:
Tu sola ex omni numero turbaq; piarum
Deligeris, luctus Euæ quæ in gaudia vertas.
Effice (namque potes) vt me tua sancta propago
Comiter excipiat refouens.

Laurentius Iustinianus. 1430.

Sermone de Annuntiatione B. Mariæ Virginis: Quòmodo non est Maria gratia plena, quæ effecta est mater Dei, Paradisi scala, cæli ianua, interuentrix mundi, dæmonum fuga, peccatorum spes, naufragantium portus, maris stella, confugium periclitantium, solamen laborantium, fluctuantium robur, Dei & hominum verissima mediatrix. Ipsius gratiæ plenitudinem cælestis nuntius persensit, cognouit, manifestauit, & dixit: *Aue gratia plena:* Salutat illam tanquam sibi Dominam, honorẽq; dignissimam, ac à Deo singulariter electam atque dilectam.

Sermone de Festo Natiuitatis Mariæ: Hinc Beatæ Virginis, cuius natalitius dies hodie in vniuersa Christi celebratur Ecclesia, excellẽtia fulget, hinc laudis ipsius holocaustum commendatur. Sanctificationis quidem priuilegio, virtutum meritis, virginitatis honore, prolis fœcunditate, humilitatis decore, atque donorũ plenitudine mortales supereminet vniuersos. Omnium quippe referta cumulo gratiarum cunctis in se Deum fecit esse laudabilem. Quis Deum non honoret in Virgine, qui Virginem Dei voluit fieri Genitricem, reparatricem seculi, lucem mundi, speculũ sanctitatis, fidei magisterium, peregrinationis solatium, immaculatum templum, & fœderis arca diuinis manibus fabricata? An non Maria Testamẽti arca verissima, quæ auro vestita mundissimo, virtutum gemmis ornata, ac imputribilibus lignis spiritualiter facta, Testamẽti tabulas, frondentem virgam, & suauissimum in se manna continuit? &c. Vteri huius venerare pudicitiam, & arcæ huius mysticæ gratiam contemplare, quæ tale excepit munus, talemq; genuit prolem, quæ te corporis sui manna reficeret, inebriaret cruore, passione redimeret, morte saluaret. Decebat prorsus, vt immaculata esset mente, & corpore sancta, plena gratia, meritis locuples, virtutum vniuersarum varietate decorata, quæ de cælo suscepit Verbum, fide concepit Filium, conuersatione illustrauit mundum, manna pauit turbam fidelium, &c. O beata inter fœminas, cuius gratia hominum & Angelorum transcendit naturam, propterea Angelicus nuntius de cælo missus ad Virginem, tam officiosissimè eam salutauit, dicens: *Aue* sanctissima *Maria*, &c. Quæ enim sanctificata in vtero, ac ab omni culpæ originalis fuerat liberata contagio, gratiæ plenitudinem, quã mente perceperat, protendebat exterius. Illam profectò adhuc in matris vtero decubantem adamauit Verbum, sibiq; in genitricem elegit, vtpote superabundanti iam benedictione præuentam, iamq; sancti Spiritus magisterio deputatam. Nos igitur ad honorem huius Virginis præcinamus in confessione, Deoq; nostro psallamus in cithara. Ipsam veneremur in matre, & matrem honoremus in Filio: vtrisque vota nostra fideliter exoluamus, quatenus Filium genitrice interpellante pro nobis, vincamus mundum, &c.

Antoninus Florentinus. 1450.

Quarta parte Summæ tit. 15. cap. 23. Mariam non solùm in mulieribus, sed & super omnes creaturas, ab omnibus generationibus benedici atque collaudari oportet:, nimirum ab hominibus, & ab Angelis, quia & mundi redemptorem, & Angelorum restauratorem procreauerit.

Ioannes de Turrecremata. 1460.

Libro contemplationum: Glorificemus Virginem, quam hodie Paradisus excepit gaudẽs, quam Angeli laudibus prosequuntur, quam Apostolorum chorus honorat, quam Martyres candidati beatificant, quam sanctorum Confessorum concelebrat numerus, cui hodie sanctarum Virginum cũ suis palmis exultãs occurrit exercitus. Quoniam hæc est, per quam omnis maledictio soluta est, & cælestis benedictio in totum venit mundum. Clama ergo fidelis anima: O Maria maris stella, mater dignitate singularis, in supremo sita cæli, nos commenda tuæ proli, vt tecum lætemur in gloria.

Dionysius Carthusianus. 1460.

Libro 1. de laudibus Virginis art. 3. Totis viribus laudemus, veneremur, diligamus, ac vereamur præstantissimam Dei matrem; cumq; hoc ipsum egerimus, recognoscamus nos nihil egisse condignũ, nec beneficijs eius posse idoneam rependere vicem, cum S. Augustino dicentes: Quid nos tantilli, quid actione pusilli in eius laudibus referemus? cùm etiamsi omnium nostrũm ora verterentur in linguas, eam tamen laudare nullus sufficeret.

Marcus Antonius Sabellicus. 1490.

Elegia 1. in laudem Mariæ:

Virginis almæ dies, tellus, quam pontus, & æther
Laudat, & immensi regio tota poli.
Salue festa dies cælestis conscia partus,
Virgineo salue digna puerperio:
Venturam cecinêre pij te carmine Vates,
Teq; Sibyllini non tacuêre chori.

Elegia 13.

O Patris veneranda Parens, ô filia Nati,
Sydus, & astriferi ianua sancta poli,
Accipe Diua pij non impia munera vatis,
Laudibus immixtas accipe Diua preces:
Ante thronum Nati supplex tu crimina mundi
Diluis, & mundo pandis ad astra gradum:
Iram sæpe tuæ lachrymæ flexêre Tonantis,
Sæpe minas lachrymæ comminuêre tuæ.

Baptista Mantuanus. 1500.

In historia Ecclesiæ Lauretanæ: Beatissimæ Virginis Lauretanæ venerabilis ac toto terrarum orbe celebratissimus locus, in quo manifestis ac euidẽtibus miraculis quotidie diuina virtus effulget, procul dubio imprimis debet à cunctis fidelibus honorari. Constat enim sacellum illud sacratissimum Beatissimæ Dei genitricis Mariæ, cælorum Reginæ, Angelorum Dominæ, militantis Ecclesiæ patronæ, peccatorum aduocatæ, fuisse cubiculum, in quo ipsa nata, & in gremio ac sinu Annę, matronæ sanctissimę, dulciter educata, in quo ab Angelo salutata, in quo denique nostrę salutis auctor fuit enutritus.

Actius Sannazarius. 1540.

Lib.2.de partu Virginis:

O decus, ô laudis mulier dux præuia noſtræ,
Cælitibus ſola humanum quæ digna reperta es
Conciliare genus, cœtuſq; attollere ad aſtra
Fœmineos: gremium cuius diuinus obumbrat
Palmes, inexhauſtu terras qui compleat vuis:
Quis me, quis tanto ſuperum dignatur honore?
Tune procul viſura humiles Regina Penates
Veniſti? Tun' illa mei pulcherrima Regis
Mater ades?

Concilium Tridentinum. 1560.

Seſſ.6.can.23. Si quis dixerit hominem ſemel iuſtificatum poſſe in tota vita peccata omnia etiam venialia vitare, niſi ex ſpeciali Dei priuilegio, quemadmodum de Beata Virgine tenet Eccleſia, Anathema ſit.

Hieronymus Vida. 1566.

In hymno Magnæ Matri Virgini:

Salue ſancta Parens, eadem ſalue innuba Virgo,
Regia progenies, genus alto à ſanguine Iuda,
Cui Pater omnipotens pleno ſe numine fudit,
Gratiáq; acceptam matres ſuper extulit omnes.
Tu Virgo longo poſt tempore prima ſalutem
Felici peperiſti vtero mortalibus ægris, &c.
Nunc ô ſtella maris noſtri nos aſpice præſens,
Eripe tot pelagi pene hauſtos fluctibus atris:
Nunc lucem, lucisq; tuæ iubar exere, & orbi
Exorere, ac radijs nigrantem diſcute nubem.

Marcus Antonius Muretus. 1570.

Carmine ad Beatiſſimam Virginem, quæ religioſiſſimè colitur in æde Lauretana:

Vnde mihi inſolitus præcordia concutit horror,
Et perfuſa metu trepidat velut icta Deo mens?
Fallor, an hoc facit ipſe locus, ſimulosq; pauenti
Subijcit, atq; animum præſentia numinis vrget?
O cælo dilecta domus, poſtesq; beati,
Quos ego iam pridem tota mihi mente cupitos,
Nunc primùm, veteris voti reus, aduena viſo:
Saluete, aſpectiq; mihi feliciter eſte.
Vosne per æthereas Iudææ à finibus oras
Aligerum, mandante Deo, vexêre manipli?
Hîc Virgo genitura Deum, genitricis ab aluo
Prodyt, & blandis mulſit vagitibus auras.
Hîc quoq; virginei ſeruata laude pudoris
Sancta ſalutifero tumuerunt viſcera fœtu.
Ille opifex cunctorum, illa æterno vnica proles
AEqua Patri, ille homini primæua ab origine lapſo
Spem cælo vitamq; ferens, hac luſit in aula
Paruulus, & ſanctæ blanda obtulit oſcula matri.
Quænam igitur Regum ſedes, quæ templa per orbem
Huic ſe auſint conferre loco? ter & amplius omnes
Ante alias felix Picenilittoris ora:
Cui Solymos ſpectare dom, cui munere Diuum
Fas calcare domi eſt pedibus veſtigia Chriſti.
En ego iam ſupplex procumbam atq; oſcula figam
Parietibus ſanctis, ſpargamq; hoc puluere crines.
Aſpice me ſuperis è ſedibus, aſpice Virgo
Proſtratum, atque imo gemitus ex corde cientem,
Et pectus tundentem, & fletibus ora rigantem:
Neu, quamquam culpis adopertum turpibus, arce
Adſpectu me Diua tuo, ſi pectore toto
Te veneror, ſi te dubijs in rebus ad vnam
Confugio, teq; auxilium Sanctiſſima poſco.
Pœnitet ex animo vitæ me Diua prioris,
Pœnitet, & meritas horret mens conſcia pœnas.
Quòd niſi tu caſto pendentem ex vbere Natum
Concilias, placasq; mihi, quo tendere curſum,
Quóve malis feſſam tentabo aduertere puppim?
At tu, namq; ſoles, placida dignare querelas
Aure meas, & ades lapſis mitiſſima rebus.
Certè equidem totapendentes ade tabellas
Adſpicio, quæ te miſeris præſtò eſſe loquuntur.
Hic, te animo ſpectans, torrentem viſcera febrim
Depulit: ille hyadas triſtes, hædumq; cadentem
Spectauit tutus, vertentibus æquora ventis:
Et duce te patrias enauit ſaluus ad oras.
Criminis ille reus falſi, ſub iudice duro,
Dum mortem expectat, tenebroſo carcere clauſus,
Munere Diua tuo, detecta fraude, reuiſit
Vxorem & natos, exoptatumq; parentem.
O ego nunc morbis multò grauioribus ager,
Naufragiumq; timens longè exitioſius illo,
Et iam pridem animum peccati compede vinctus,
Si poſſim morbis liber, vinculiq; ſolutus,
Fluctibus & ventis laceram ſubducere puppim:
Quas tibi lætus agam grates, dum vita manebit?
Te, cùm luce noua ſparget ſol aureus orbem,
Te recinam, quoties abſcondet opaca polum nox,
Et tua præcipuo venerabor numina cultu.

ASSERVNT ETIAM ADVERSARIORUM quidam.

Martinus Lutherus.

In comment. ſuper Magnificat: Eo ipſo quòd Maria Dei mater facta eſt, tam præclara & ingentia dona ei data ſunt, vt ſuperent captum cuiuſcunque. Hinc enim omnis honos ac beatitudo prouenit, vt in vniuerſo humano genere vnica perſona ſit ſuperior cunctis, cui nemo ſit par, quod cum cæleſti Patre Filium habet communem.

Ioannes Oecolampadius.

Sermone de laudando in Maria Deo: Rectè admonet Prophera, vt in Sanctis laudemus Deum. In quo autem plaſmate tam laudandus Deus, vt in Virgine Maria, quam hodie non ſolùm inhabitare, ceu templum ſanctiſſimum, ſed ex ea, & in ea carne aſſumpta homo fieri dignatus eſt? *Cœli enarrãt gloriam Dei*, ne inuideant: quem ipſi continere non poterant, Virginis vtero clauditur. Obſtupeſcant Angeli, quòd ipſis præteritis, Rex eorum ad Virginem diuertit. Et quomodo non per Mariã laudabilis Deus, in qua ſe oſtentat gratiſſimè, ſi vſpiã diuina commendantur munera: in quam congeſta, quæ alicubi diſſeminata: in qua refulgent, quę alicubi niteſcunt? Nam vt homini communicatæ creaturarum omniũ dignitates, ita iſta omnium humanarum eminentiarum particeps eſt. Quid mirum ſi παραβολικῶς nulli non creaturæ imparetur, dicaturq;, vt eſt, cælùm ornatiſſimũ, pulchra vt ſol, electa vt luna, clarior ſyderibus, fœcundior terra, profundior abyſſis, candidior lilijs, odoratior roſis, humilior violis: & rurſus procera, vt palma in Cades? exaltata, vt cypreſſus in Syon: exaltata, vt platanus iuxta aquas: exaltata, vt cedrus Libani? Et quis colligeret omnia?

Pſal. 150.

Pſal. 18.

omnia? Quid item mirũ, ſi figuris ſuis Scriptura nobis eam deliniet, quas pij non explodunt, licet doctiores ſublimiora reconditioraq; ex ijs hauriant myſteria. Rectè & ipſa dicitur ardens rubus Moſis, virga Aaron, vellus Gedeonis, Arca fœderis, turris Dauid, thronus Salomonis, hortus concluſus, fons ſignatus, porta clauſa, veſtimentum ſummi ſacerdotis, atque alijs modis. An & ad humanas laudes tranſeundum? Quid ergo mirum ſi dicatur, cùm ita ſit, quòd fide vincat Abraham, patientia longanimitateq; Iſaac & Iacob, caſtitate Ioſeph, mititate Dauid, maieſtate Salomonem, religione Ioſiam: &, vt ſemel dicam, omnes numeris omnibus vincat, excellatq; ita in vnoquoque virtutum genere, ac ſi ſolùm illud peculiare fuiſſet. Superuacuum foret eam conferre Saræ, Rebeccæ, Racheli, Delboræ, Heſter, & alijs ſanctis mulieribus, quæ & viros in tantum anteiuit. Quin potius ſi cæleſtes Angelicæq; Virtutes nobis cognitę eſſent, in eis liceret nobilius cognoſcere, quid illi cum vnaquaque cõmune. Sed quæ ſupra omnes, quæ Regina eſt omnium, quam Deus præ omnibus honorauit, cui ſimilis non reperitur alia, quid non aſſecuta, quod eminentiſſimã probet? &c. Nollem ex cultu Mariæ aliquid diminui, modò cultui diuino vero illi, quo colitur in ſpiritu & veritate, decedat nihil. Nunquam de me, vt in Domino confido, audietur, quaſi auerſer eam, erga quam minus bene affici, reprobatæ mentis certum exiſtimem indicium. Et quomodo non amarem? & quis eſt, qui non rapiatur in eius amorem, quam Deus ipſe deamat, quam venerantur Angeli & Archangeli, quæ peperit Saluatorem mundi, quæ humani generis eſt aduocata, quæ Regina appellatur miſericordiæ? Eia hortor iterum atque iterum, vt ſummis viribus per eam Deum laudemus, &c. Digniſſima quæ ſuper omnes creaturas laudetur, imò per eam Deus glorificetur, in qua tanta Dei munera tam eminenter ſunt conſpicua. O diuinam clementiam, ô immẽſam pietatem Dei, qui & Filio ſuo tam ſanctam præparauit matrem, & nobis tam propitiam in omnibus conſtituit aduocatam.

Ioannes Brentius.

Ad cap.1. Lucæ: Si abſit ſuperſtitio & impia opinio, non ſolùm licebit, verùm etiam valde vtile eſt hanc Mariam ſalutandi formulam ſępe recenſere, &c. Quia Angelus ornat Mariam in ſalutatione ſua magnis laudibus, commemoremus ſalutationem nõ ad ſuperſtitionem, ſed ad pietatem. primùm enim cùm recitamus Mariã gratia plenam, & benedictã inter mulieres, cogitemus, hæc verba ſignificare, Mariam præ omnibus mulieribus electam, vt ſit mater benedicti ſeminis Abrahæ, veri Meſſiæ, & excitemur ad gratiarum actionem, quòd quæ Dominus tot retro ſeculis de mittendo Meſſia in orbem terrarum promiſit, ea per Mariam Virginem impleuerit. Deinde confirmemus fidem noſtram, non ſolùm hoc nomine, quòd ex hac ſalutatione certificamur, Chriſtum iam dudum in hunc mundum natum, nec alium expectandum eſſe: ſed etiam hoc nomine, quòd etſi Maria mulier fuerit in hoc ſeculo contempta & abiecta, elegit tamen Deus ipſam in matrem Chriſti Filij ſui. Cùm igitur ſit tantæ clementiæ, quòd reſpiciat humilia, fiduciam concipiamus, Deum nos etiam in humilitate noſtra reſpecturũ & ſeruaturum.

Homilia 1. de Aſſumptione Virginis: *Cuique vt vult ſentire permittit, Mariam in cælum aſſumptam vnà cũ corpore, vel ſecundùm animam tantùm, adiungit tamen & illud:* Potuit fieri, quòd ſicut Enoch translatus eſt in cælum corpore, & ſicut multa corpora Sanctorum reſurrexerunt cum Chriſto: ita & Maria cum corpore translata ſit in cælum. Certiſſimum autem eſt, quòd Maria perpetuam conſecuta ſit felicitatem.

Ioannes Spangenbergius.

In Euangelium de Annuntiatione Mariæ: Hæc eſt ſalutatio, qua ſancta Trinitas Virginem Mariam dignata eſt alloqui, ideo & nos non detrectemus eam eiuſdẽ verbis ſalutare. Ipſa canit in ſuo Cantico: *Humilitatem ancillæ ſuæ reſpexit: ecce ex hoc tempore beatam me prædicabunt omnes generationes.* Si hæc verba ſunt implenda, neceſſe eſt profectò, eſſe homines, qui eam laudibus vehant ac ornent. Elizabeth incepit Lucæ 1. dicens: *Beata, quæ credidiſti.* Similiter & mulier, Lucæ 11. *Beatus venter, qui te portauit: & vbera, quæ ſuxiſti.* Quis eam nunc beatam prædicabit? Iudæi, Turcæ, Gentes, hypocritæ, & Pſeudo Chriſtiani proculdubio non faciunt, ſed ſumma ignominia & blaſphemia eam afficiunt: proinde noſtri erit officij, qui Chriſti Euangelium profitemur. Quare peruersè agunt, qui præ nimia ſapientia & ſanctimonia ferre nõ poſſunt, vt hæc ſalutatio recitetur. Verum eſt, non eſſe orationem: nihil enim in ea precamur: ſed eſt ſalutatio, qua ſancta Trinitas Mariam ſalutari voluit. Si ergo placuit ſanctæ Triadi, cur non itidem nobis placeat? &c. Trifariam hac ſalutatione vti licebit. Primùm inde diſcimus initium noſtræ ſalutis & redemptionis: ſecundò videmus, quantã gratiam Deus Mariæ largitus ſit: tertiò tam gratuitis Dei beneficijs in operibus accendimur, & adducimur ad orandũ Deum, vt & nobis vel ſcintillam diuinę impertiat gratię.

Luc.1.

Vrbanus Regius.

In minori Catechiſmo: PAEDAG. Iure & nos hanc Virginem benedictam cum Angelo, & beatã appellamus cum Eliſabetha, quæ beatitudinis & veræ ſalutis auctorem Chriſtum immaculata peperit, vt impleatur prophetia benedictæ Virginis, quę Seruatorem noſtrũ in vtero geſtans virgineo cecinit: *Beatam me dicent omnes generationes. Quia fecit mihi magna qui potens eſt, & ſanctum nomen eius.* DISCIP. Cur Chriſtiani hanc ſalutationẽ Angelicam quotidie recitant? PAEDAG. Ad renouandam aſſiduè memoriam maximi illius myſterij, quòd Deus homo factus eſt in plenitudine temporis ante 1540. annos, & quòd promiſſiones Abrahę factę exhibitę ſunt. Quoties ſalutationem repetis Angelicã, gratias agito ex toto corde miſericordi & veraci Deo, qui ſic dilexit nos, vt Filium ſuum Vnigenitum miſerit in hunc mundum, &c.

Luc.1.

Martinus Bucerus.

Ad cap.1. Matthæi: Pius animus de Maria vaſe tã ſancto atque electo, vt Chriſtum nobis pareret, non niſi ſanctiſſima cogitabit, nec vnquam ſuſpicabitur eam, quę grauida ſemel facta fuit è Spiritu ſancto, ſuſtinuiſſe, vt poſtea grauidaretur ab homine.

Henricus Bullingerus.

Sermone de B. Maria Virgine: Si Maria benedicta eſt inter omnes mulieres, & beata ab omnibus prędicãda nationibus, infelices certè ſunt Iudęi, qui ipſam nunquã conuitijs inceſſere deſinũt: infelices ſunt Pſeudo Chriſtiani, qui Iudęis nihilo meliores ipſam laude ſua ſpoliant, &c. Excellentiſſima ſunt in Maria omnia, & hoc ſplendidiora, quo proficiſcebãtur ex fide ſynceriore, & flagrantiore Dei dilectione. Oportuit ſingulari & perpetua virginitate & puritate omnium ſelectiſſima illuſtrẽ & eſſe & permanere, quæ ſingulariter electa à Deo in ſacroſanctũ Filij ſui thalamum & templum, mater erat omnium ſanctiſſimi partus, Filij vtique Dei ętermi futura.

ARTICVLVS SEXTVS.

FESTA, IN HONOREM DEIPARAE MARIÆ AB ECCLESIA INSTITVTA, SERVANDA ESSE.

NEGANT.

Anno postnatũ Christũ 1500.

1520. RICKARDI *Festa D. Mariæ inuentum hominum ociosorum affirmant.* Ioannes Schechta epistola ad Erasmum.

Martinus Lutherus in Euangelium de Festo Natiuitatis Mariæ: *Peruelim hoc festum omitti, cùm nullo Scripturæ testimonio nitatur.*

Libro de pijs ceremonijs obseruandis: *Assumptionis & Natiuitatis Mariæ Festa planè reijcimus.*

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Athanasius. 340.

In Euangelium de sanctissima Deipara: Festũ Annuntiationis Marię vnum est ex Dominicis festis, atq; adeò primarium, ac prorsus venerandum; vtpote quod pro ordine, & digestione rerum earum, quæ in Euangelio de Christo prædicantur, sacrosanctum habeatur; quippe in quo de Filij Dei è cælis descensu agatur.

Gregorius Nyssenus. 380.

Oratione de occursu Domini, & Deiparente, & Simeone iusto. Nos, qui trãsformamur renouatione mẽtis nostrę, & veterem hominem exuimus, & diuinæ imaginis similitudinem, quoad eius fieri potest ab hominibus, in nobis circumferimus; sic ad salutaria & spiritualia festa accedere necesse est, vt sint nobis, conuenienter ei quod dicit Prophe-
Zach. 8. ta, *ieiunium quartum, & ieiunium quintum, septimumq; & decimum, ad lætitiam & bona festa,* vt ieiunium scilicet intelligatur anagogicè, in eo quòd abstineatur & temperetur ab omni inquinamento & carnis & spiritus, &c. Etenim quando in archetypo, vt ita dicam, tempore præsentis festi, qui erat in forma Dei, & serui formam acceperat: qui fuerat Dei & hominũ intercessor, legis implens præceptum, cùm esset quadraginta dierũ infans, Verbum æternum ad templum cum matre est profectus, &c. Cuius quidem nos hodie celebrantes cõmemorationem, expleamus nos delicijs spiritualium contemplationum, sicut mentes incorporeæ, & diuinorum miraculorum maiestatẽ glorificantes, erimus socij illorum dignitatis.

Cyrillus Hierosolymitanus. 380.

De occursu Domini nostri Iesu Christi, & de Simeone, qui Deum excepit: Hodie, dilecti, festi cursum percuò peragamus: cum Angelis choros ducamus, cum pastoribus illuminemur, cum orthodoxis adoremus, cum Bethlehem festum agamus, cum Sion occurramus, cum templo sanctificemur, cũ virgine festum agamus.

Ioannes Chrysostomus. 400.

Oratione in Annuntiationem Mariæ: Rursus lætitiæ nuntij, rursus libertatis indicia, rursum reuocatio, rursum reditus, rursum gaudia, rursum à seruitute liberatio. Angelus cum Virgine loquitur, quoniam serpens cum muliere locutus fuerat.

Sophronius. 420.

Sermone de Assumptione Mariæ: De assumptione Mariæ, qualiter assumpta est, absens vobis scribere curaui, quæ absentia præsens deuotus obtuli, vt habeat sanctum collegium vestrum in die tantę solennitatis munus Latini sermonis, in quo discat tenera infantia lactis experiri dulcedinẽ, & de exiguis eximia cogitare: qualiter fauente Deo, per singulos annos, tota hæc dies expendatur in laudem, & cum gaudio celebretur.

Andreas Cretensis. 560.

Oratione de Dormitione Deiparæ: Mysterium est festum præsens, cuius argumẽtum est Deiparæ dormitio, dormitionem facultate superans; mysterium, inquam, quod non apud multos quidem iam celebratur, apud omnes autem iam nunc honoratur, & amatur.

Oratione in Annuntiationem sanctissimæ Dominæ nostræ Deiparæ: Aduenit hodie omnium gratia, quæ primam illam execrationem soluit, &c. Hodie mysterium, quod ante seculum absconditum fuerat, declaratur; & omnia in Christo perfectionem recipiunt. Hodie rerum omnium potentia procreatrix consilium, quod sibi in illis procreandis proposuerat, ad exitũ perduxit, vt malitiæ principis dolos ab initio excogitatos destruat. Itaque lætantur homines, gaudent Angeli, & recreatus in se redit orbis vniuersus. Quæ mens hæc concipere? quæ lingua explicare? quæ oratio assequi, aut auris percipere valeat? Meritò igitur diem hunc festum lætumq; dicimus, quo nostri generis massam à Deo assumptam celebramus. Ex quo lætitia gestit omnis creatura, & humana natura excitatur. Hodie lætitiæ nuntius affertur, Dei erga nos benignitatis patent indicia, mundi totius salus ostenditur. Vndenam, & à quo, & cui affertur hic nuntius? E cælo, & à Deo, & Virgini viro desponsatę. Quęnam hęc virgo? ecquis iste vir?

Illa quidem virgo Maria; hic autem Ioseph.

Hesychius Hierosolymitanus. 600.

Oratione 1. de Deipara: Hic dies festus, qui nunc agitur, omnem gloriam superat; vtpote qui contineat solennitatem Virginis, quæ vsque adeò omnibus antecellit, vt ipsum Deum Verbum susceperit.

Sergius Hieropolita. 640.

In Natalem S. Mariæ: In hac festa celebriq; luce buccina spirituali clangamus. Etenim præsenti die ex Dauidico semine nascitur vitę Mater, tenebrarum expultrix, Adæ reparatrix, &c. *Natiuitas tua Dei genitrix gaudium attulit vniuerso mundo.*

Gegorgius Nicomedius. 700.

De exitu Mariæ: Pulchra nobis principia argumenti dicendi ostendit hic dies festus: parauit pulchras conscensionum semitas: iecit pulchra fundamenta ascensionum, nũc erigens ad se orationem.

Germanus Patriarcha Constantinop. 720.

In Encomio Deiparæ, quando fuit adducta in templum à suis parentibus: Ecce rursus dies festus & celebris Matris Domini: ecce progressus sponsæ, in quam non cadit vlla reprehensio: ecce primus processus futuræ gloriæ.

Ioannes Damascenus. 730.

Oratione prima de B. Mariæ Natiuitate: Adeste gentes omnes, omne hominum genus, omnes cuiusuis linguæ & ætatis ac dignitatis, orbis vniuersi lætitiæ natalem diem lætis animis celebremus. Nam cùm Gentiles, dæmonum, per commentitias fabulas mentem surripientium, ac veritatem obscurantium, atq; regum natiuitates omni honoris genere celebrarint, pro sua quisque facultate munus quoddam offerentes: tametsi etiam alioqui illi vitæ humanæ perniciem inferrent, quãto tandem magis nos Dei Genitricis natalem honore complecti conuenit, per quam mortalium genus redintegratum est?

Oratione 2. in Dei Genitricis Natiuitatẽ: Alij alia festorum argumenta pro audiẽtium arbitratu pertractent; nobis autem illud ad laudationem in præsentia proponatur, cuius caput est præsens solennitas, auspicem habens Verbi matrem, &c. Sanè superiori oratione Dei Genitricis Natiuitatem, qua par erat, solennitate ac lætitia prosecuti sumus, hoc est, tum ego festi præsul, tum vos, atq; adeò id omne, quod vel in mundo est, vel mundo sublimius.

Orat. 3. Rursum festum, & rursum celebritas, rursumq;, ego cõmodus conuiuator, salutis meæ festum agitans, atque omnes ad spirituales epulas inuitans, quarum auspex Dei Genitrix conuiuas suos voluptatis torrente pascit.

Leo Imp. 880.

Homilia in obdormitionem Deiparæ: Nos diem festum Matri Dei sacrum, qui nunc denuò recurrit, solenni ritu ac cæremonia celebremus.

Simeon Metaphrastes. 950.

In vita Theodosij Cœnobiarchæ: Erat dies festus Virginis Dei matris: in quo, propterea quod erat valde insignis ac solennis, tam magna conuenerat multitudo (oportebat enim & festi causa esse multos celebraturos, & eius, qui festi celebritatem peragebat, dexteram, aut, vt potius dicam, propositum, habere etiam conuenienter multos qui alerentur) vt ne sufficerent quidem ad faciendum accumbere eos, qui accedebant, &c.

Vitæ Athanasiæ Abbatissæ cap. 18. Quoniam verò dies festus aderat, quo sanctissimæ Dei Genitricis assumptio celebratur, omnes sic admonet: Videte, ne quid eorum, quę ad diem festum pertinent, infectum prætermittatis.

Constantinus Porphyrogenetes. 990.

Oratione de imagine Christi ad Agabarum: Decimo quinto Augusti, Imperatoribus de more festum celebrantibus semper Virginis & Dei matris Mariæ, in venerabili templo, quod est in Blachernis, circa crepusculum illuc peruenerunt ministri harum rerum pretiosarum.

Euthymius Zigabenus. 1080.

Oratione de fasciis Domini, & Zona Deiparæ: Quæ nunc adest splendida & summa celebritas, in nos immittit radiorum micantia fulgura, & huius fidelissimi populi congregationem, tanquã astrorum multitudinem pene innumerabilem, mittit ad templum eius, quæ est verè Deipara.

Michaël Glycas. 1100.

Parte 4. Annalium: Festum, quod Hypopanta dicitur, illis primùm temporibus institutum fuit: quod cæteroquin, de Ioannis Chrysostomi sententia, inter festa Domini non recensetur.

Emmanuel Comnenus. 1140.

In Nouella, de diebus Festis: Octauo Septembris dies Natalis immaculatę Dominę & Dei Matris erit festus. 21. Nouembris Dei Matris in templum ingressus celebratur. 9. Decembris peragitur Cõceptio castissimæ Matris Dei nostri. 25. Martij Dei Matris Annuntiatio. 15. Augusti gloriosissima sanctæ Dei Matris emigratio.

Nicetas Choniates. 1200.

In Isaacio Angelo: Theodorus Castamonita fastu & frequentissimo comitatu per forum in Pantanassæ templum 15. Augusti ad festum Assumptionis Dei Genitricis celebrandum incedit.

Nicephorus Callistus. 1300.

Lib. 17. cap. 28. Iustinianus Imperator tunc primùm Seruatoris exceptionem toto orbe terrarũ festo die honorare instituit, sicut Iustinus de sancta Christi Natiuitate fecit. Atque non ita longo pòst tempore Mauritius sacrosanctę Dei Genitricis dormitionem quindecimo Augusti mensis die celebrari præcepit.

Festus dies τῆς ὑπαπαντῆς, id est, exceptionis, est dies purificationis Mariæ.

Georgius Codinus. 1400.

De officialibus palatij Constantinopolitani fol. 166. In obitu sanctissimæ Deiparæ iterum discedit ad S. Sophiæ, & pernoctat illic.

Fol. 162. In Festo natalium Virginis Deiparę discedit in venerandam ædem Libis.

Zaga Zabo Episc. AEthiops. 1530.

In confessione AEthiopicæ fidei: Item voluerunt Apostoli, vt diem mortis & Assumptionis Mariæ Virginis cum omni honore celebraremus. Præter Apostolorum præcepta quidam Preciosus Ioannes, nomine Semen Iacob, constituit in honorem eiusdem beatæ Virginis singulis annis supra triginta tres dies etiam celebrandos.

Emmanuel Malaxus. 1570.

De Patriarchis Constantinopolitanis lib. 2. cap. 9. de Maximo Patriarcha: Non cessabat, quin singulis Dominicis diebus & festis tum Christi, tum Matris eius Virginis de suggesto doceret populũ Christi.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Ambrosius. 370.

Missa Ambrosiana: in Festo Assumptionis Mariæ: Omnipotens sempiterne Deus, qui terrenis corporibus Verbi tui veritatis Filij vnigeniti per venerabilem ac gloriosam semperq; virginē Mariam ineffabile mysterium coniungere voluisti, petimus immensam clementiam tuam, vt quod in eius veneratione deposcimus, te propitiante consequi mereamur.

Concede nobis, quæsumus, omnipotens Deus, ad beatæ Mariæ semper virginis gaudia pertingere, de cuius nos veneranda Assumptione tribuis annua solennitate gaudere.

Eucherius Lugdunensis. 450.

Sermone in Assumptione S. Mariæ: Meritò sancti Patres constituerunt, vt in hac solennitate B. Mariæ virginis hoc Euangelium legeretur, &c. vt suprà.

Concilium Lugdunense. 580.

Apud Gratianum de consecr. dist. 3. Pronuntiandum est laicis, vt sciāt tempora feriandi per annum, id est, omnem Dominicam, Natale Domini, &c. Purificationem S. Mariæ, Assumptionem S. Mariæ, Natiuitatem eiusdem, &c.

Gregorius Magnus. 590.

Libro Sacramentorum, die 8. Septemb. Supplicationem seruorum tuorum miserator exaudi, vt qui in Natiuitate Dei Genitricis & Virginis congregamur, eius intercessionibus complacatus à te de instantibus periculis eruamur.

Eligius. 640.

Homil. 2. quæ est in die Purificationis S. Mariæ: Vocabulum, fratres, solennitatis hodiernæ à vobis dicitur cōsuetè, Purificatio sanctæ Mariæ: de qua purificatione talia insonuit lectio auribus charitatis vestræ: *Postquam impleti sunt dies purificationis eius,* &c. Luc. 2.

Concilium Toletanum Decimum. 659.

Cap. 1. Si Natiuitatis & mortis huius incarnati Verbi dies, absque immutatione ita certus habetur, vt absque diuersitate in toto orbe terrarum ab omni Ecclesia cōcorditer celebretur: cur non festiuitas gloriosæ Matris eius, eadem obseruantia vno simul vbique die, similiq; habeatur honore?

Hildephonsus. 660.

Sermone 1. in Assumptione gloriosæ Virginis Mariæ: Hodie, dilectissimi fratres, Natalitia beatæ Mariæ celebramus, quatenus ipsa interuenire dignetur pro nobis.

Sermone 2. Inter præcipuas Sanctorum festiuitates, hodierna nobis refulsit insignis & gloriosa Genitricis Dei Mariæ solennitas, in qua ipsa beata & venerabilis virgo assumpta est gloriosissimè ad æthereum thalamum.

Sermone de Natiuitate Mariæ Virginis: Celebritas hodiernæ diei nos admonet, vt in laude virginis Mariæ immorari debeamus: quia reuera indignū est, vt in die tantæ Dei genitricis laudes Domini nostri sileat lingua carnis.

Iulianus Pomerius. 680.

Præfatione in libros Hildephonsi: Superueniente die Assumptionis sanctæ & semper Virginis Mariæ, ante tres dies tribus diebus Litanias peregit.

Sergius P. 688.

Sigebertus in Chronicis de anno 688. Sergius constituit, vt in Annuntiatione Domini, in Natiuitate, & Assumptione S. Mariæ exeant Litaniæ.

Beda. 700.

In Martyrologio: VI. Idus Septemb. Natiuitas beatissimæ Dei genitricis Mariæ perpetuæ Virginis.

In Homilijs æstiualibus, de solennitate virginis Deiparæ, quando salutauit Elizabeth: Fit largiente Domino, vt si beatę Marię semper actus & dicta recolamus, semper in nobis & obseruantia castitatis & virtutis opera perseuerent.

In Sermonibus variis, Sermone de S. Maria: Hodie, fratres charissimi, celebramus festiuitatem S. Marię Dei genitricis, quę hodie translata est in cælum.

Ordo Romanus. 730.

Fol. 84. In Assumptione S. Mariæ: In ipsa nocte leguntur Cantica canticorum, vel Homilię eiusdē diei.

Ambrosius Ansbertus. 760.

Sermone in Purificatione Mariæ: Cunctis fidelibus patet, nequaquam Redemptoris Matrem ex eius natiuitate maculam contraxisse, qua illorum dierum spacio à sacris ędibus abstinens purgaretur, &c.

Carolus Magnus. 790.

Lib. 2. cap. 35. Festos dies in anno celebrare sanximus, hoc est, diem Dominicum Paschę cum omni honore & sobrietate venerari, &c. Item Assumptionem S. Marię, Purificationē S. Marię, &c.

Concilium Moguntinum. 813.

Cap. 36. Celebrari mandamus Assumptionem S. Marię, & Purificationem S. Marię.

Haymo. 820.

In epist. de Assumptione D. Mariæ: Lectionis huius capitulum, quod ex libro Sapientię sumptum cognoscitur, laudem ęternę Dei sapientię commendare videtur: sed hęc particula à Catholicis & eruditis Patribus in solennitate perpetuæ virginis Mariæ, de qua eadem Dei Sapientia carnem assumpsit, ad legendum ordinata est.

Amalarius Treuirensis. 830.

In ordine Antiphonarij cap. 62. Simili modo, vt superius, duo nocturnalia officia inueni in Romano Antiphonario in Vigilia S. Mariæ de Assumptione eius: idcirco & nos duplicia officia posuimus in ea festiuitate in nostro Antiphonario.

Rabanus Maurus. 850.

De institutione Cleri lib. 2. c. 33. Purificationis matris Domini tempus post dies quadraginta à Natiuitate eius celebratur: quia ex legis præcepto hoc tempus statutū est parientibus fœminis, quo purificari deberent, &c. Hac ergo de causa statuta est in Ecclesia festiuitas hæc, quia Matrem Domini secundùm legem in hac die constabat purgari.

Abbo Floriacensis. 980.

De obsidione Parisiensi.

Tertia lux huius fuerat belli recolenda,
Sancta Genitricis tunc Purificatio Christi,
Quæ nostra tribuit plebi gaudere triumpho.

Fulbertus Cartonensis. 1000.

Sermone in Festo Assumptionis Mariæ: Adest nobis, dilectissimi fratres, dies valde venerabilis, dies omnium Sanctorum solennitates præcellens: adest, inquā, dies inclyta, dies præclara, dies in qua è mundo migrasse creditur virgo Maria. Et ideò laudes intonet vniuersa terra cum summa exultatione, tantæ virginis illustrata excessu: quia indignum valde est, vt illius recordationis solennitas sit

tas sit apud nos sine maximo honore, per quam meruimus auctorem vitæ suscipere.

Concilium Salingunstadiense. 1020.

Cap. 1. Christiani sint in abstinentia in Vigilia Assumptionis S. Mariæ.

Petrus Damianus. 1050.

Serm. 2. de Natiuitate B. Mariæ Virginis: Natiuitas beatissimæ & intemeratæ Genitricis Dei meritò præcipuum & singulare præbet hominibus gaudium, quæ totius extitit humanæ salutis exordium, &c. Meritò hodie profusis gaudijs totus vbique terrarum orbis exultat: meritò vniuersa sancta Ecclesia nascente sponsi sui Genitrice (vt ita præ gaudio dixerim) Fescennini carminis laudes alternat: exultemus, inquam, in hac die præcipua, & totis viscеribus in Domino delectemur, in qua dum Redemptoris nostri recolimus Matrem, reliquarum festiuitatum celebramus originem. Quæ enim cunctis solennitatibus est antiquior tempore, nequaquam esse debet inferior dignitate. Nam si Salomon cum Israëlitico populo in dedicatione templi ex lapidibus facti, tam copiosum & magnificum sacrificium solenniter celebrauit, quale quantumq; gaudium beatæ Mariæ Natiuitas populo Christiano debet afferre, in cuius vterum Deus ipse descendens, dignatus est visibiliter habitare? 3. Reg. 8.

Ado Treuirensis. 1060.

In Martyrologio: Sexto Idus Septemb. Natiuitas sanctæ Dei genitricis Mariæ perpetuæ virginis, quam Spiritus sanctus custodiuit, & electam sanctificauit, vt ex vtero illius nasceretur homo Deus altissimus: cuius dormitionē decimo octauo Kalendarum Septembrium omnis celebrat Ecclesia.

Radulphus Ardens. 1070.

In Purificatione B. Mariæ Virginis: Hodie, fratres charissimi, beatæ Virginis & Matris Domini celebramus Purificationem, &c.

Anselmus. 1080.

De excellentia virginis Mariæ cap. 8. de Assumptione Dei Genitricis: O dies tanti occursus gloriosa & felix: dies tam præclarę exultationis beata & celebris: dies tam sublimis glorificationis festiua, & omni seculo admirabilis. Dies enim illa non solùm te Domina ineffabiliter sublimauit, sed cęlū ipsum, quod penetrasti, nec non cuncta, quæ in eo sunt, noua & ineffabili gloria decorauit.

Iuo Carnotensis. 1100.

Epist. 84. Monemus ergo, vt reuertaris ad iudicium, & diem tibi rescribimus, loco non mutato Kal. Sept. ad quem si vēturus es, vsque ad Assumptionē B. Mariæ præmandare nobis ne pigriteris.

Honorius Augustodunensis. 1120.

Sermone de Assumptione B. Mariæ: Gloriosæ Virginis Mariæ hodie solennia recolimus votiua.

Bernardus. 1130.

Sermone 3. de Purificatione B. Mariæ: Purificationē B. Mariæ Virginis hodie celebramus, quæ secundùm legem Mosi facta est.

Hugo Victorinus. 1130.

Institutionis monasticæ exceptionum priorum lib. 9. c. 4. Per idem tempus facta est mortalitas apud Byzantium magna. Qua de causa eodem anno celebrari solennitas cœpit sanctæ Dei genitricis Mariæ purificationis ipsius secunda die Februarij mēsis, & cessauit mortalitas illa.

Petrus Cluniacensis. 1150.

Lib. 2. de miraculis cap. 30. Mos est Romanorum festum Assumptionis Mariæ inter vniuersas festiuitates præcipuo honore colere.

Guarricus Igniacensis. 1180.

Sermone in Natiuitate Mariæ: Natalē beatissimæ Matris celebramus, de qua vita omnium accepit natalem. Nata est hodie mater noua, quæ primæ matris maledictionem dissoluit.

Adam Victorinus. 1180.

Prosa in Purificatione B. Mariæ:

Lux aduenit veneranda,
Lux in choris iubilanda
Luminosis cordibus.
Huius lata lux diei
Festum refert Matris Dei,
Dedicandum laudibus.

Innocentius Tertius. 1200.

Mysteriorum Missæ libro 2. cap. 51. Symbolum canitur in omnibus festiuitatibus beatæ Mariæ.

Concilium Oxoniense. 1225.

Cap. 1. Hæ sunt Vigiliæ ad vigilandum constitutæ: Vigilia Laurētij, Vigilia Assumptionis Mariæ, &c.

Thomas Aquinas. 1250.

Prima 2. quæst. 103. art. 3. Festo Neomeniæ succedit festum beatæ Mariæ virginis, in qua primò apparuit illuminatio solis, id est, Christi per copiam gratiæ.

Guilhelmus Durandus. 1280.

In Rationali Diuinorum lib. 7. cap. 24. de Assumptione Virginis gloriosa. Hoc festum habet ieiunium & Octauas, quod non habet aliud festum de illa. Hoc enim festum maius est omnibus alijs, quæ fiunt de illa.

Cap. 28. Festum Natiuitatis beatæ Mariæ virginis, quando videlicet in mundo nata est, ideo celebratur, quia fuit in vtero sanctificata, iuxta illud Psal. *Sanctificauit tabernaculum suum Altissimus.* Psal. 45.

Clemens Quintus. 1305.

Extra de Pœnis: Et quia nisi fiat quod bonum est, à malo abstinere non sufficit: Religiosis omnibus iniungimus, sub obtestatione diuini iudicij, & interminatione maledictionis æternæ, vt quoties prædicabunt in patria, Dominica quarta & vltima Quadragesimæ, & in festis Ascensionis Dominicæ, Pentecostes, B. Ioannis Baptistæ, Assumptionis & Natiuitatis Mariæ Virginis matris Dei; audientes expresè studeant informare, &c.

Matthæus Westmonasterienſis. 1360.

De anno 1228. Hoc anno venit in Angliam quidam Archiepiscopus Armenię maioris, qui interrogatus de Conceptione beatæ Virginis, si Ecclesia Orientalis eam solennizat, necne: respondit, quòd trium festiuitatum Conceptiones solenniter recolit Ecclesia Armeniæ, Conceptionem scilicet Christi, Cōceptionem B. Mariæ Virginis, & Conceptionem beati Ioannis Baptistæ.

Ioannes Taulerus. 1360.

Serm. in Natiuitate gloriosissimæ virginis Mariæ: Diem hodie solennem agimus, quo diuina prorsus & intemerata virgo Maria Domina nostra munda, pura, & sancta de materno processit vtero.

In Festo Visitationis B. Mariæ: Solennitatem hodie celebramus, dilectissimi, celeberrimæ atque dignissimæ Virginis Mariæ.

Henricus Hessus. 1380.

Epistola de Conceptione B. Virginis parte 3. cap. 12. Prędicari debet, quòd veritas nescitur adhuc ab Ecclesia, & quòd siue fuerit Maria concepta in originali, siue non, in nullo impedit festiuitatem de Conceptione, &c. Quòd autem rationabiliter solennis festiuitas de hoc sit habenda, patet, quia ibi fuit primordialis diuinæ gratiæ miraculosus flu-

xus pro reformatione humani generis,& prima inchoatio noſtræ redemptionis. Nec obſtare debet, ſi dies ſanctificationis ignoretur præciſus, quia etiam non eſt cura, ſi dies Natiuitatis Virginis, vel Aſſumptionis, & huiuſmodi non habeantur.

Laurentius Iuſtinianus. 1430.

Sermone in feſto Aſſumptionis Mariæ Virginis: Inter præcipua feſta,quę ſancta veneratur Eccleſia,hodierna noſcitur eſſe celebritas, in qua glorioſa Dei genitrix,carnis relicto tentorio,ad ſydereum prouecta eſt palatium.

Marcus Antonius Sabellicus. 1490.

Elegia 1. quæ eſt in Natalem D. Virginis:

Virginis alma dies, tellus quam pontus, & æther
Laudat, & immenſi regia tota poli.
Salue feſta dies cœleſtis conſcia partu,
Virgineo ſalue digna puerperio.
Venturam cecinêre pij te carmine vates,
Teq; Sibyllini non tacuêre chori.

Baptiſta Mantuanus. 1500.

Libro 9 Faſtorum: de Natiuitate virginis Mariæ:

Virginis extremos dum ſol circumuolat ignes,
Et parat ardentem radijs accendere Libram,
Altera Septembris cùm lux octaua reſurgit,
Virgo venit,virgo ante nurus venerabilis omnes.

AVCTOR.

HACTENVS de Deipara Virgine Maria. Si diſplicet, quòd eam dicimus in vtero ſanctificatam, omni peccato caruiſſe,cur non diſplicet,quòd ſcribitur? Hieremiæ 1. Priuſquam te formarem in vtero, noui te: & antequam exires de vulua, ſanctificaui te, & Prophetam in Gentibus dedi te. *Et Lucæ 1. de Ioanne:* Et Spiritu ſancto replebitur adhuc in vtero matris ſuæ. *Et ibidem de Zacharia & Eliſabeth:* Erant iuſti ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis & iuſtificationibus Dei, ſine querela. Geneſ. 5. 4. Reg. 2. *Si diſplicet, quòd Mariam corpore & anima in cœlum à Filio aſſumptam piè credimus,cur non diſplicet,quòd & Enoch, & Eliam Chriſto adhuc venturo translatos legimus? Si diſplicêt egregia illa epitheta,quibus B. Mariam vitam, ſpem, dulcedinem, aduocatam noſtram & dicimus, & in auxilium vocamus, cur non diſplicet, quòd etiã in Scripturis ſimilia alijs, Deiparæ Virgini longè inferioribus, tribuuntur? vt Geneſ. 41.* Fecit Pharao Ioſeph aſcendere ſuper currum ſuum ſecundum, clamante præcone,vt omnes coram eo genu flecterent: vertitque nomen eius, & vocauit eum lingua Ægyptiaca Saluatorem mundi. *Exod. 7.* Ecce conſtitui te Deum Pharaonis. *4. Reg. 2.* Aſcendit Elias per turbinem in cœlum. Eliſæus autem videbat,& clamabat: Pater mi, currus Iſrael, & auriga eius. Qui erant in Hiericho dixerunt: Requieuit ſpiritus Eliæ ſuper Eliſæum, & venientes in occurſum eius adorauerunt proni in terram. *Daniel. 8.* Daniel vir deſideriorum, intellige verba quæ loquar ad te. *Iudith 15.* Benedixerunt Iudith vna voce dicentes: Tu gloria Ieruſalem, tu lætitia Iſraël: tu honorificentia populi noſtri: tu eris benedicta in æternum. Et dixit omnis populus: fiat, fiat. *Matth. 5.* Vos eſtis lux mundi. *Philip. 4.* Igitur fratres mei chariſſimi & deſideratiſſimi, gaudium & corona mea. *Si diſplicent Feſta in honorem B. Mariæ ab Eccleſia inſtituta, cur non diſplicet quod ſcribitur? Iudith 16.* Dies victoriæ huius feſtiuitatis, in numero ſanctorum dierum accipitur & colitur à Iudæis ex illo tempore vſque in præſentem diem.

Denique ſi hæc omnia diſplicent, cur non diſplicet,quòd Aſchamus Anglus in Epiſtolis fol. 255 ſuam Reginam ſic ſalutat, alloquitur, inuocat?

Salue Diua, tuæ patriæ decus, optima ſalue
Princeps Eliſabetha, tuis Dea magna Britannis:
Pande tuis iam fauſta noui noua tempora ſecli,
Ciuibus imperium placidum, mundumq; benignum.
Lætaq; temporibus lætis da tempora Diua:
Tu Britonum, tu ſola ſalus, tu ſola columna.

Nicolaus Sanderus de Schiſmate Anglicano lib. 3. Proteſtantes iniquiores ſunt in Feſta ſanctiſſimi Sacramenti, & D. Virginis,cuius Aſſumptionis, Natiuitatis, & Conceptionis ſolennes dies abrogârunt, atque ad maiorem eiuſdem ſanctiſſimæ Virginis contemptum, Eliſabethæ Natalem ſolenniſſimè celebrant ſeptimo Septembris, id eſt, in ipſo feſto beatiſſimæ Deiparæ, cuius Natiuitatem atris literis, & minuſculis, Eliſabethæ verò maiuſculis & rubris, in Calendario ſuo notant; quodq; eſt auditu incredibilius, in ſummo vrbis Londinenſis templo (& neſcio an alibi) ad complementum diurni officij, quod olim terminabatur Antiphona ad Diuam Virginem, hodie nõnunquam dicuntur decantari laudes Reginæ Eliſabethæ.

LIBER QVARTVS: DE ANGELIS.

ARTICVLVS PRIMVS.

DEVM IN IPSO MVNDI EXORDIO EX NIHILO CREASSE SPIRITVS INCORPOREOS, IMMORTALES, BONOS, IVSTOS, INTELLIGENTES, LIBERRIMAE VOLVNTATIS, &c. QVI AB OFFICIO ANGELI VOCANTVR.

NEGANT.

Anno ante natũ Chriſtum. 400. post natũ Chriſtum 50. 120. 200. 240. 400. 480. 520. 620. 1050. 1060. 1120. 1315. 1440. 1460. 1545. 1550.

PLATO docuit Dæmones eſſe genere animalia animo paſſiua, mente rationalia, corpore aërea, tempore æterna. Auguſtinus lib. 8. de ciuit Dei cap. 14. 15. 16.

Saducæi & Samaritani dicebant, neque Angelum eſſe, neque ſpiritum. S. Lucas Act 23. Epiphanius hæreſi 14. Leontius de ſectis.

Baſilides dixit alios Angelos ex alijs eſſe natos, ac eorum quemlibet vnum feciſſe cælum, quouſque ad 365. cælos proceſſum eſſet. Epiphanius, Philaſtrius, & Theodoretus de Baſilide.

Tertullianus, libro 3. aduerſus Marcionem cap. 9. & 11. *Angelis veræ ac ſolidæ ſubſtantiæ humanæ carnem tribuit.*

Origenes paſſim in ſuis ſcriptis Angelos eſſe corporeos affirmat. Genebrardus in Paradoxis Origenis.

Fauſtus Manichæus fingit Deorum agmina, & innumerabiles regnicolas & Angelorum cohortes: quæ omnia aſſerit Deum non condidiſſe, ſed de ſua ſubſtantia genuiſſe. Auguſtinus contra Fauſtum libro 15. cap. 5.

Fauſtus Rhegienſis, epiſtola ad Paulinum, *Angelos eſſe corporeos aſſerit.*

Proclus Philoſophus, in elementis Theologicis, *docet minores Angelos à maioribus generari.*

Mahometus dicit Angelos ex igne creatos eſſe, & quemadmodum corpus hominis ex terra compactum eſt, ita etiam ex igne ſeu materia compactos putat, eosq; peccare & mori poſſe. Ioannes Cantacuzenus oratione 2. contra Maometem, Æneas Syluius epiſtola ad Morbiſanum Turcorum Principem.

Pſellus, libro de dœmonibus, *Angelis corpora tribuit.*

Baſilius, primarius Bogomilorum dux, Michaëlem Archangelum incarnatum fuiſſe dixit. Euthymius in Panoplia parte 2. tit. 23.

Rupertus Tuitienſis lib. 1. in Geneſin cap. 11. *aſſerit Angelos ex ſua origine ſubtilia corpora habere.*

Lollardi dixerunt Michaëlem & Angelos omnes æternis cruciatibus deputandos. Trithemius in Chronico Hirſaugienſi de anno 1315.

Matthæus Palmerius Florentinus ſcripſit plenum erroris de Angelis librum, quem pertinaciter defendens, tamquam hæreticus condemnatus apud Comam exuſtus eſt. Trithemius de Scriptoribus Eccleſ. in Palmerio.

Hermannus Riſwuich dixit Angelos, ſiue boni ſint, ſiue mali, à Deo non eſſe creatos, quòd hoc nuſquam Scriptura teſtetur. Bernardus Lutzemburgius.

Georgius Dauid negabat eſſe Angelos. Cochlæus de dictis & factis Lutheri de anno 1545. Lindanus in Dubitantio.

Ioannes Caluinus ad cap. 1. epiſt. ad Coloſſenſes: *Duabus de cauſis oportuit Angelos cum Deo pacificari. Nam cùm creaturæ ſint, extra lapſus periculum non erant, niſi Chriſti gratia fuiſſent confirmati. Deinde in hac ipſa obedientia, quam præſtant Deo, non eſt tam exquiſita perfectio, vt Deo omni ex parte, & citra veniam ſatisfaciat. Atque huc procul dubio ſpectat ſententia iſta ex libro Iob:* In Angelis ſuis reperiet iniquitatem. *Conſtituendum igitur, non eſſe tantum in Angelis iuſtitiæ, quod ad plenum cum Deo coniunctionem ſufficiat. Itaque pacificatore opus habent, per cuius gratiam penitus Deo adhæreant. Nec iniuria fit Angelis, cùm ad Mediatorem ablegantur, vt eius beneficio ſolidam cum Deo pacem habeant.*

1550. *Libertini vnum statuunt esse spiritum immortalem Dei, qui operetur omnia in omnibus: Angelos fingunt nihil esse.* Ioannes Caluinus contra Libertinos, Lindanus in Dubitantio, Prateolus de hæresibus.

1560. *Andreas Hiperius*, lib.2. Methodi Theologiæ, *scribit nonnullos imaginari Angelos esse motus, vel affectiones animorum in nobis, qui tacitè subinde irrepunt: bonos autem vocari, quando ad rem bonam; malos, quando ad malam instituunt vel exercent. Negant igitur spirituales & per se subsistentes esse substantias.*

ASSERVNT SACRÆ LITERÆ.

*Gen.*16. *v.*7. Cùm inuenisset Agar Angelus Domini, dixit ad illam: Agar, ancilla Sarai, vnde venis? & quò vadis? Quæ respondit: A facie Sarai dominæ meæ ego fugio. Dixitque ei Angelus Domini: Reuertere ad dominam tuam, & humiliare sub manu illius: multiplicans multiplicabo semen tuum, & non numerabitur præ multitudine.

Numerorum 22.31. Protinus aperuit Dominus oculos Balaam, & vidit Angelum stantem in via euaginato gladio, adorauitque eum pronus in terram.

Iosue 5. 13. Cùm autem esset Iosue in agro vrbis Iericho, vidit virum stantem contra se, euaginatum tenentem gladium, perrexitque ad eum, & ait: Noster es, an aduersariorum? Qui respondit; Nequaquam, sed sum princeps exercitus Domini, & nunc venio. Cecidit Iosue pronus in terram, & adorans ait: Quid Dominus meus loquitur ad seruum suum?

*Psal.*102. 20. Benedicite Domino omnes Angeli eius: potentes virtute, facientes verbum illius, ad audiendam vocem sermonum eius.

*Psal.*103. 4. Qui facis Angelos tuos spiritus: & ministros tuos ignem vrentem.

*Psal.*148. 2. Laudate eum omnes Angeli eius: Laudate eum omnes virtutes eius.

*Dan.*7. 10. Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei, &c.

Tobiæ 12. 15. Ego sum Raphael Angelus vnus ex septem, qui astamus ante Dominum. 18. Cùm essem vobiscum per voluntatem Dei eram. 19. Videbar quidem vobiscum manducare, & bibere: sed ego cibo inuisibili, & potu, qui ab hominibus videri non potest, vtor. Tempus est ergo vt reuertar ad eum, qui me misit. 21. Et cùm hæc dixisset, ab aspectu eorum ablatus est, & vltrà eum videre non potuerunt.

Lucæ 1. 26. Mense sexto missus est Angelus Gabriel ad virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph &c.

Lucæ 2. 9. Ecce, Angelus Domini stetit iuxta pastores, & claritas Dei circumfulsit illos, & dixit illis Angelus: Ecce euangelizo vobis gaudium magnum, quia natus est vobis hodie Saluator. Et subitò facta est cum Angelo multitudo militiæ cælestis, laudantium Deum, & dicentium: Gloria in altissimis Deo: & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.

*Heb.*1. 13. Ad quem autem Angelorum dixit aliquando: Sedeà dextris meis, quoadusque ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum? Nonne omnes sunt administratorij spiritus: in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capient salutis?

*Heb.*12. 22. Accessistis ad multorum millium Angelorum frequentiam.

1. *Pet.*3. 22. Profectus est Christus in cælum, subiectis sibi Angelis & Potestatibus, & Virtutibus.

*Apocalyp.*5. 11. Et vidi, & audiui vocem Angelorum multorum in circuitu throni, & animalium, & seniorum, & erat numerus eorum millia millium, dicentium voce magna: Dignus est Agnus, &c.

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Dionysius Areopagita. 100.

De cælesti Hierarchia cap.2. Non existimemus cælestes ac diuina specie præditos spiritus, multis pedibus, multisque esse faciebus: & siue ad boum stoliditatem, siue ad feritatem leonum esse formatos: seu ad aquilarum recuruis rostris effigiem, seu ad pilosam auium plumescentiam fictos: seu rotas quasdam igneas, & materiales sedes ad accubitum summæ diuinitati necessarias, supra cælum imaginari stolidè incipiamus, & equos discolores aliquos, & satellites armatos ac duces, & cætera id genus, quæ nobis euidenti & expressa varietate signorum sacratissimè ficta traduntur. Nempe enim poëticis fictionibus Theologia, vt eos describeret spiritus, qui formis carent, affatim vtitur: humanæ scilicet mentis infirmitatem non ignorans. 2.Mac. 3. Ezech. 1 Dan.7. Zach.1.

Cap.4. Sanctæ cælestium spirituum distinctiones,

nes, eis & quæ solùm sunt, & quæ sine rationis vsu viuunt, & quæ humana vtuntur ratione, diuinæ illius participationis dignitate, & copia longè præcellunt. Nam cùm se ad imitandum Deum spiritualiter intelligibiliterq; componant, atque diuinam similitudinem, vltra humanum morē intuentes, ad eam intellectualem speciem suam effingere cupiant, meritò vberiore illius participatione beatæ sunt. Astant enim propius illi cohærentes, &c.

Iustinus Martyr. 150.

Dialogo cum Tryphone: Quòd quidam ederint Angeli scriptum est; non tamen eodem, quo nos alimento vtuntur. Nam de alimonia Mannæ, qua patres vestri in solis locis victitârunt, Scriptura ait, Panem Angelorum manducasse eos. dixerim, verbum, quod manducasse eos testatur, perinde loqui, atqui si nos de igne asseueremus, omnia eum deuorare: minimè verò dictum ita exaudiendū esse, quasi dentibus & maxillis mandentes ederint.

Irenæus. 180.

Lib.2. cap.6. Multi sunt & innumerabiles circa Factorem Angeli, quemadmodum omnes confitentur Prophetæ, dena millia denum millium assistere ei, & multa millia millium ministrare ei. Dan.7.

Origenes. 230.

Homilia prima in Genesin: Cùm ea, quæ facturus erat Deus, ex spiritu constarent & corpore, ista de causa in principio, & ante omnia, cælum dicitur factum, id est, omnis spiritalis substantia, super quam, velut in throno quodam & sede Deus quiescit.

Eusebius Cæsariensis. 320.

De Demonstratione Euangelica lib.3. cap.5. Ex Saluatoris decretis accepimus, esse quasdam post supremum Deum Potestates natura incorporeas, intelligentes, rationales, omniq; virtute præditas, quæ circum Regē vniuersi choros exerceant: quarum plures etiam vsque ad homines ipsius Patris nutu, quadam salutari dispositione mittantur: quasq; & cognoscere, & venerari, pro ratione graduque dignitatis edocti sumus, vt soli Deo, qui est Rex vniuersi, adorationis honorem tribuamus.

Lib.4. cap.1. Cùm Deus vellet diuitiarū suarum thesauros pluribus impertiri, essetq; iam iam omnem rationalem creaturam in lucem productus, incorporeas videlicet quasdam atque intelligentes, & diuinas Potestates, Angelosq; atque Archangelos, materiæq; expertes, & omni parte puros spiritus produxit.

Athanasius. 340.

De communi essentia Patris, & Filij, & Spiritus sancti capite de Angelis: Angelus est animal rationale, expers materiæ, hymnis dicendis aptum, immortale.

Cyrillus Hierosolymitanus. 360.

Catechesi 15. Cogita primùm quantum sit Romanorum genus; cogita quot gētes Barbarorum nunc viuentes, & quot ante centum annos mortui; cogita quot ante mille annos sepulti sunt; cogita eos, qui fuerūt ab Adam, vsque ad hodiernum diem: magna quidem hæc multitudo, sed hæc tamen parua est. Plures enim Angeli. Nonaginta nouem oues sunt illæ, tu verò centesima: quoniam vnum est tantùm genus humanum. Nā pro locorum magnitudine cogitādum est; si hæc nostra terra est tanquam centrum in medio cæli, & tantam habet multitudinem, quantam habebit multitudinem cælum, quod terram ambit? & cæli cælorum immensam certè habent multitudinem: scriptum est enim: *Mille millia ministrabant ipsi, & decem millia myriadum assistebant ei.* Non quòd tanta solùm esset multitudo, sed hac maiorem Propheta dicere non poterat. Dan.7.

Basilius Magnus. 370.

Ad Psal. 32. Angelos initio vt essent, Verbum opifex omnium condidit; sanctificationem verò simul impendit ipsis Spiritus sanctus. Non enim in infantili statura sunt creati, deinde paulatim excitati, atque perfecti, sic spiritus susceptione digni habiti sunt: sed in prima constitutione, & quasi quadam conspersione suæ substantiæ, simul infusam habuēre sanctitatem. Quapropter & ad malitiam difficilè se poterāt transmouere, nimirum in sibi indulta sanctitate, stabilitatemq; ad virtutem dono Spiritus sancti adepti.

Ad Psalm.44. Angeli mutationem non patiuntur. Nullus enim apud illos puer, nullus adolescens, neq; senex; sed in quo ab initio creati sunt statu, in hoc perpetuò remanent, seruata simplici & eadem immutabili propriæ naturæ substantia.

De Spiritu sancto cap.16. Sanctificatio non est absq; Spiritu. Neq; enim cælorum Virtutes suapte natura sanctæ sunt: Nam si id esset, nulla re differrent à Spiritu sancto; sed iuxta portionem, qua se inuicem superant, à Spiritu habent sanctificationis mensuram. Quemadmodum enim cauterium non sine igne intelligitur, cùm aliud sit subiecta materia, aliud ignis: itidem & in cælestibus Virtutibus, substantia quidem earum, puta spiritus, est aërius, aut ignis immaterialis, iuxta id qđ scriptum est: *Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos ignem vrentem.* Ea propter & in loco sunt, & fiunt visibiles, dum ijs, qui digni sunt, apparent in specie propriorū corporum. Attamen sanctificatio, quæ est extra substantiam illorum, perfectionem illis adiungit per communionem Spiritus. Conseruant autem dignitatem per perseuerantiam in bono, habentes quidem in eligendo liberum arbitrium, nunquam tamen ab eius, qui verè bonus est, consortio excidentes. Heb.1.

Ephræm. 370.

Aduersus eos, qui scrutari volunt naturam Filij Dei cap.2. Inuisibilis est natura conditionis Angelicæ, in supernis immorantur, Deitatis ministri; semper Deo astant, eumque cum tremore glorificant.

Gregorius Nazianzenus. 380.

Oratione 38. quæ est oratio panegyrica in Christi Natiuitatem: Sic nimirum Sancta sanctorum, quæ etiam à Seraphinis obteguntur, ac tribus sanctificationibus celebrantur, in vnam Dominationem ac Deitatem coëuntibus; quemadmodum & alius quidam ante nos pulcherrimè & sublimissimè philosophatus est. Quoniam autem bonitati nequaquam satis erat sua ipsius solùm contemplatione moueri, sed bonum diffundi ac propagari oportebat, vt plura essent, quæ beneficio afficerentur, primùm Angelicas, & cælestes virtutes cogitauit: atque illa cogitatio opus erat, quod Verbo conficiebatur, & Spiritu explebatur. Atq; ita secūdi splendores procreati sunt, primi splēdoris administri: (siue intelligentes spiritus, siue ignem velut materiæ expertem & incorporeum, siue aliam quandam naturam, quàm proximè ad has accedērem, eas existimare oportet) gestit quidem animus dicere, ad malum immobiles, atq; ad bonum duntaxat agitationem habētes, vtpote Deum circumstantes, ac primario Dei fulgore collucentes: (hæc enim inferiora secundariæ illuminationis sunt) verùm vt non omninò immobiles, sed ægrè mobiles existimem ac dicam, Isaiæ 6. *Dionysius Areopagita de cæles. Hierarch. cap.7*

mihi persuadet ille ob splendorem Lucifer, qui propter superbiam caligo & effectus est, & nominatur.

Carmine de substantijs mente præditis:

Ast ab eo, decus eximium carpente, secunda
Lumina sunt mentes supera, formaq; carentes,
Quæ solium stantes circum regale (leues nam
Sunt mentes, igniq;, & pneumata dia, per altum
Æthera præpetibus pennis volitantia) promptè
Numinis æterni sanctissima iussa capessunt.
His simplex natura data est, ac prædita mente.
Nec verò aut fluxis traxerunt carnibus ortum,
(Rursus enim, fluxa constant qui carne, peribunt,)
Aut carnem assument, venientq; in corpora: verùm
Incolumis status ipsarum per secla manebit.

Epiphanius. 380.

Hæresi 65. Nisi vnà cũ cælo & terra Angeli quoque creati essent, non vtiq; dixisset ad Iob: *Quando genita fuerunt sydera, laudauerunt mè omnes Angeli mei voce.* Itaque ante Luciferum, quasi diceret, antequam esset quid, & creatũ esset. Erat enim semper Verbum cum Patre. Porrò dixerit quis, ostẽdisti Angelos fuisse ante sydera, & vnà cum cælo & terra hos factos esse dixisti, vnde facis demonstrationem, dic nobis? Nunquid ergo ante cælũ & terram omninò creati sunt? Nusquam enim clarè indicat Scriptura, tempus creationis Angelorum. Et bene quidem ostendisti, ipsos fuisse ante sydera: nisi enim fuissent, quomodo laudassent Deum hymnis ob syderum creationem? Nos equidem vniuscuiusq; quæstionis inuentionem, non ex proprijs ratiocinationibus dicere possumus, sed ex Scripturarum consequentia. Clarè enim indicat diuina Scriptura, quòd neque post sydera facti sunt Angeli, neque ante cælum & terram: cùm palam intransmutabile sit dictum hoc, quod ante cælum & terram nihil erat ex creatis.

Gregorius Nyssenus. 380.

Oratione quarta de oratione Dominica: Omnis creatura rationalis partim in incorpoream, partim in corpoream naturam diuisa est. Est autem Angelica quidẽ incorporea, altera verò species nos homines sumus. Atque illa quidem, quæ incorporea cùm sit, sola mente comprehẽditur, vt quæ nimirum à grauante corpore remota, atq; seiuncta sit: (de hoc loquor duro, renitenti, ac pondere suo ad terram vergente corpore:) per superam partem obuersatur in leuibus & æthereis locis immorans, in agili & expedita natura: altera verò propter corporis nostri cum terrena natura cognationem, tanquam limi & fecis quoddam sedimentum, hanc terrestrem vitam necessitate sortita est, &c. Incorporeæ natura cælestem beatitudinem sortita est: altera verò, quæ propter affinitatem, quam cum ea habet, in terra per carnem occupata est. Veruntamen boni & honesti studiũ æqualiter vtriusque naturæ essentiæ simul insitũ & attributum est, plenamq; item ac summam in se potestatem, & ab omni necessitate liberam voluntatem in vtrisque parem rerum vniuersarum præses effecit, vt animi libero quodam arbitrio atque proposito regatur, quicquid ratione pariter ac mente honoratum est. Sed superna quidem vita penitus à nequitia, atque vitiositate pura est, ac nihil quicquam ex ijs, quæ ex contrario intelliguntur, cum illa vita conuersatur, & communionem habet; sed omnis vitiosus perturbatusq; motus, & affectus, quibus rebus genus humanum obnoxium est, per infernam vitam vagatur & oberrat. Quamobrem eam, quæ in cælis est, sanctarum virtutum vitam, à nequitia atque vitiositate vacuam, & ab omni peccatorum macula integram & puram esse nouit diuinitus prodita sacra Scriptura.

Theophilus Alexandrinus. 396.

Lib. 2. Paschali: Festinemus ad Angelorum Metropolim, quæ libera est, & nulla malitiæ sorde maculatur, in qua nec dissensiones sunt, nec ruinæ, & de altero ad alterum transmigratio, omniq́ue voluptate calcata, & compressis luxuriæ fluctibus, qui aduersum nos crebrius intumescunt, cælestibus miscemur choris.

Ioannes Chrysostomus. 400.

Homilia 22. in Genesin: Quanta dementia plenum fuerit dicere Angelos deiectos, vt cum mulieribus rem habeant, & incorporea illa natura copuletur corporibus? An non audis Dominum dicentem de Angelorum substantia: *In resurrectione neque matrimonium contrahunt, neque elocantur, sed sunt sicut Angeli Dei?* Neque enim possibile est, incorpoream naturam talem vnquam concupiscentiam habere. Ad hæc etiam cogitare oportet, quòd hoc omnibus modis absurdissimum fuerit probare. Nam si Sancti, & qui Spiritum sanctum assecuti sunt, neque visionem Angelorum videre potuerunt. Enimuerò vir desideriorum fermè animam expirasset, conspecta Angeli præsentia, non tamen substantia; quo pacto enim videri posset corporalis substantia? sed transformatione solùm quadam visa parum aberat, quin & animam relinqueret, defectis viribus. Ita tantus ac talis vir penè absque spiritu iacebat. Quis enim etiam valde insanus cõprobaret talia verba dementiæ plena, quòd incorporea & spiritualis natura corporis complexum ferret? Matt. 12. Luc. 20.

Ad caput 6. Esaiæ: Seraphim spiritus dicuntur Virtutes incorporeę supernæ illius ac numerosissimæ multitudinis, quarum virtutem & beatitudinem, per earum nomenclaturam quis possit nosse? Seraphim enim iuxta interpretationem Hebraicæ linguæ dicuntur omnia ignita siue ardentia: nimirum purissima est eorum spirituum substantia, peruigil, mirè excitata, perniciissima, & agilis maximè vim habet operatoriam, omnis maculæ immunis est.

Cyrillus Alexandrinus. 430.

Libro quarto contra Iulianum: Et Virtutes sanctas ac rationales, ab ipso quidem originem sortitas, substistentes autem absq; omni macula, assuetas humili sensu illius sceptris & dominicæ voluntati obedire, irreprehensibilemq; prorsus præ se ferentes obedientiam, nobiscum qui lædimur militare iussit.

Nilus Abbas. 430.

In capitibus paræneticis, numero centesimo quinquagesimo tertio: Reuerere Angelos magis quàm homines. Multi enim nobis adsunt, & ab omni turpi actione recedunt.

Theodoretus. 450.

In Epitome diuinorum decretorum capite de Angelis: Angelos, nec vt Græcorum Poëtæ, & Philosophi, in Deos referimus, nec in masculinum, & fœmininum sexum incorpoream naturam distinguimus: nec intemperantis coitus, quæ sub aspectum non cadunt, Potestates accusamus, neque, vt statuunt hæreticorum fabulæ, esse creationis effectores definimus, neque cœternas esse dicimus Deo vniuersorum, &c. Immortali naturæ superuacanea est generis diuisio: ne-

sio: neque enim incremento opus habent, cũ non diminuantur; neque coitu, cùm sint à corporibus liberi. Et hęc docet sacra Scriptura: Angelos enim non duos ab initio solos, quemadmodum homines, fabricatus est: sed quotquot voluit produxit myriadas. Quę enim ab interitu aliena est natura, non eget incremento.

De curatione Græcarum affectionum lib. 3. de Dijs & Angelis: Naturam spirituum, qui videri non possunt, nequaquam ex duobus constituit, sed vniuersam simul semelq; creauit. Quot enim millia eorum spirituum ab initio esse sanxit, tót repentè simul produxit, vt superfluus continuò illis futurus fuerit fœminarum vsus: qui vt immortales propagatione nõ indigent, vtq; incorporei commixtionem non patiuntur. Idcircoq́ue ageos eos nuncupamus, tanquam nihil terreni insitum habentes, sed cunctarum infirmitatum exortes, quæ circa terram gignuntur. Vnum verò duntaxat munus sortitos, vt in cælesti choro Factorem suum hymnis concelebrent; tum vt ministeria obeant, in quibus imperio diuinæ voluntatis obediunt, ab vniuersorum Deo ad humani generis salutem gubernationemq; submissi.

Quæstione 3. in Genesin: Præcedunt ne Angeli creationem cæli & terræ, an vnà cum eis creati sunt? Superfluas equidem huiusmodi quæstiones existimaui. Nam quid iuuabit nosse quando conditi sint Angeli? Quòd autem Angeli substantiam habeant circumscriptam, nemo (vt arbitror) repugnabit: cùm Dominus dixerit, singulos homines subesse singulorum Angelorum imperio. *Videte* enim, inquit, *ne contemnatis vnum ex minimis, qui in me credunt: quia Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in cælis est.* Quin etiam cuique genti proprium Angelum præesse, affirmat Scriptura: verbi gratia, *Statuit terminos gentium pro numero Angelorum Dei.* Si igitur hic istis, ille verò illis præfectus est, singuli verò homines sub vnius, videlicet Angeli, cura degunt, certum est, Angelos determinatæ esse substantiæ. Quòd si verum est istud, sicuti profectò est, loco vtique opus habebunt. Nam sola diuinitas, veluti minimè circumscripta, loco non est obnoxia. At si quod circumscriptum est, in loco est, quî fit, vt Angelos ante cælũ & terram extare arbitrentur? Nam si non sit in rerum natura quod comprehẽdat, quomodo esse possit quippiam quod comprehendatur? &c. Matt. 18. Deut. 32. iuxta Septuag. 1. Tim. 5.

Victor Antiochenus. 460.

Ad Marci caput 12. Angelorum multitudo, tametsi ingens per generationem non est multiplicata, neque vnquam multiplicabitur, sed tantùm per creationem.

Andreas Cæsariensis. 500.

Ad caput 1. Apocalypsis: Per septem spiritus septem Angelos, quibus Ecclesiarum cura & gubernatio demandata est, accipere licet. Hi enim tanquam disparis potestatis, cum supremo illo numine, omniumq́ue regina Triade, non connumerantur, sed tanquam primarij illius serui & administri, vnà cum ipsa interdum nominantur. Cuius rei illustre exemplum subministrat vobis D. Paulus, ait enim: *Testor coram Deo, & Christo Iesu, & electis Angelis.*

Procopius Gazæus. 530.

Præfatione in Genesin: Moses non nominauit Angelos vel eas substantias, quæ solo intellectu apprehenduntur. Nec tamen desunt, qui audent asserere prædictas substantias ante mundi formationem à Deo esse creatas. Sunt & alij qui pronuntiant simul cum mundo prodijsse omnia entia, quę sub sensum, & quę sub intellectum cadunt. Nam vnà cum cælo Angelorum sede etiam Angeli conditi sunt. Quemadmodum enim non potuit aërem, vel ignem, vel extremis vel summis media coniunxit; ita licet nullibi nominatim Angelos nuncupet, attamen sub cæli nomine, quòd Angelos continet etiam Angelorum creationem nobis tautè insinuat.

Æneas Gazæus. 530.

In Theophrasto: Atque earum, quæ sunt intelligentia præditę, facultatum plenum est totum cælum, plenus est etiam æther Angelorum, atque dæmonum; itemq́ue plenus aër, plena terra, plenum mare, plena denique quæ sub terra sunt omnia: sed etsi mortalibus in decies millenos annos hæc externis sensibus exposita vita producatur, nunquam tamen opinor tantæ Angelorum atque dæmonum multitudini humanarum animarũ numerus par erit.

Andreas Hierosolymitanus. 560.

Sermone in Salutationem Angelicam: Pulsabo ne igitur fores? sed quomodo? nec enim illud consuetum Angelis est, nec quod corpore vacat, agere quicquam eorum potest, quæ vel apprehendunt, vel apprehenduntur.

Anastasius Synaites. 580.

Hexæmeron lib. 6. Ante vniuersam creaturã mente concipit & creat cælestes & Angelicas Potestates, quæ nos illuminant.

De rectæ fidei dogmatibus lib. 1. Hac ratione dicitur spiritus Dei, & spiritus Christi, non quasi spiritus administratorij ad ministerium missi. Nam tales essentiam sortiti sunt circumscriptam, vt ne pòtuerit (agedum dicamus) Gabriel simul in cælo esse, & apud Virginem; at neque apud Danielem in Babylone, & in Iudæa apud Abacuc. Creatæ enim est naturæ: Spiritus autem sanctus adimplet omnia.

Ioannes Abbas Raythu. 600.

In Scholijs, in Ioannis Climaci gradum 27. Angelus est substantia intellectualis, semper mobilis, arbitrio libera, Deo ministrans, in natura immortalis, quod est accipiens & habens, cuius substantiæ definitionem & formam solus Creator nouit.

Leontius. 610.

De Sectis actione 2. Angelos esse de Pentateucho conuincuntur Samaritani, ex hisce verbis: *Ecce Angelus meus ante faciem tuam præit.* Item: *Angelus Domini compellauit Agarem*, &c.

Georgius Pisides. 620.

De Mundi opificio:

Tu per beatas Angelorum essentias,
Vel spiritum indicas, vel ora flammea,
Vim feruidam pingens acutamq; his datam:
Vel quadriformæ imaginis fingis nota,
Dum robur ac diuersitatem harum exprimis.
Aut luminum expandis numerum in his maximum,
Lucem vt tuam possint videre apertius,
Et lateat ipsas quod cietur hic nihil.
Nam hymnos canunt tibi, Imperatori suo,
Cherubim, Potestates, Thronorum exercitus,
Seraphimq;, cunctus celeritate immobili
Stans adulat, fixuq; pernix cursitat:
Binis & alis velat aspectum suum,
Aliq;, geminis protegit pedes suos,
At alteris binis in altum tollitur.

Sophronius. 630.

Oratione de sanctorum Archangelorum & Angelorum excellentia: O vos omnes Angeli & Archangeli, cœ-

tus cæleſtis,corona impenetrabilis,phalanx præſtantiſſima, multitudo immenſa, exercitus innumerus,celſitudo inacceſſa, magnitudo incomprehenſa, chorus incomparabilis, notitia omni indagatione ſuperior,lætitia inexplicabilis,pompa ſummè admirabilis, quantitas cogitationem omnem excedens, ſubtilitas menſuram ignorans, agilitas cui alia nulla eſt ſimilis, ordo infinitè multiplex, celeritas infanda, ſubſtantia quę circumſcribi nequit,gloria mentis cogitatione comprehendi neſcia, vis omni virtute & robore maior. Vos omnium Regis eſtis adminiſtri; vos venti, & Spiritus,& aquæ,& principes, & equi, & exercitus, & Diaconi, & Apoſtoli, & Prædicatores, & Prophętæ, & Euangeliſtæ, & rerum diuinarum interpretes, & cuſtodes, & preſides, & conſeruatores, & abactores,&conductores, & viæ duces.

Maximus Monachus. 640.

Centuria 3. de Charitate cap.26. Omnis rationalis & intellectus capax eſſentia in duo diuiſa eſt, hoc eſt in naturam humanam & Angelicam; & omnis Angelica natura rurſum in genere in duos eſt diuiſa animos; in ſanctas Poteſtates, & immundos dæmones.

Cap.34. Angeli eſt nihil prorſus particularium etiam ignorare.

Ioannes Damaſcenus. 730.

Orthodoxæ fidei lib.2.cap.3. Ipſe Angelorum opifex ac procreator eſt, vt qui eos ex nihilo in ortũ produxerit, atque ad ſuam imaginem effecerit, naturam corporis expertem, velut ſpiritum quędam, aut ignem materia vacantem: (quemadmodum Pſal. 103. ait Dauid: *Qui facit Angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos flammam ignis:*) his nimirum verbis eorum leuitatem, ardorem, feruorem, maximam penetrabilitatem, & acrimoniam, qua Deum deſiderant, eiqúe inſeruiunt, deſcribens, illudqúe indicans, eos ad ſupera ferri, atque ab omni rerũ cum materia coniunctarum cogitatione puros ac ſecretos eſſe. Angelus porrò eſt eſſentia intelligens, perpetuo motu, atque arbitrij libertate prędita, corporis expers, Deo ſeruiens, natura immortalitatem diuinitus conſecuta: cuius formam ſubſtantię ac definitionem Creator ſolus perſpectam & exploratam habet, &c. Eſt igitur Angelus natura ſua rationis particeps, intelligens, arbitrijqúe libertate prędituς, voluntatis ac ſententiæ ratione mutabilis, hoc eſt, liberam in vtramque partem voluntatem habens. Quicquid enim creatum eſt, mutationi quoque ſubſit neceſſe eſt. Id enim vnum extra mutationis aleam eſt, quod nihil habet, à quo ſit creatum. Rurſusqúe id omne, quod ratione vtitur, arbitrij quoque libertate prędituς eſt. Angelus itaque vt rationis & intelligentię particeps, liberi arbitrij eſt: vt autem creatus, in ea conditione erat, vt mutationem recipere poſſet, liberumqúe ei eſſet, vel in bonum manere, ac progreſſum facere, vel in malum inflecti. Pœnitentię porrò ea ratione minimè capax eſt, quia corpore vacat, &c. Immortalis item eſt, non quidem natura, ſed gratia. Angelus, &c. Secundaria ſpiritalia lumina ſunt Angeli, ex primario illo ac ſempiterno lumine ſplendorem haurientes, non lingua atque auribus opus habentes, verùm citra ſermonis adminiculum cogitationes ſuas atque conſilia inter ſe communicãtes. Per Verbum igitur Angeli omnes creati ſunt, ac per ſancti Spiritus ſanctificationem omnes perfectionis numeros acceperunt: ita tamen, vt pro ſuâ quiſque dignitate & claſſe, luminis gratiæqúe participes ſint. Atque circumſcripti quidem illi ſunt: nec enim in terra verſantur, cùm in cælo ſunt: nec cùm à Deo ad terram mittuntur, in cælo remanẽt. Cæterùm nec mœnibus, nec portis, nec repagulis, nec figillis circumſcribuntur. Non enim terminis vllis includuntur. Termini autem expertes eos ob hanc cauſam dico, quia probis ac virtute prędituς hominibus, quibusqúe eos conſpiciendi ſui copiam facere Deus voluerit, non quales ſunt, apparent, ſed aliam atque aliam formam, prout videri ab hominibus poſſunt, aſſumunt, &c. Sanctitatem porrò aliunde, quàm à natura ſua, nimirum à Spiritu ſancto habẽt. Per diuinam gratiam futura prædicũt: matrimonio haud opus habent, quia mortales non ſunt. Iam verò cùm mentes ſint, in eiuſmodi quoque locis ſunt, quę mente ac ratione intelliguntur: non quod corporeo modo circunſcribãtur: (neque enim corporeo modo, quantum ad naturam attinet, figurantur, nec tribus dimenſionibus conſtant:) verùm quia, vbi imperatum fuerit, illic ſpiritaliter adſunt atque operantur, nec eodem tempore hîc atque illic eſſe atque operari poſſunt, &c. Cæterùm ſplendoris & ordinis ratione inter ſe differunt: ſiue pro ſplendoris portione ſedes illis ſua conſtituta ſit, ſiue contra, pro ſedis claſſisqúe ſuæ diſcrimine ſplendoris participes ſint, alijqúe alios, ob ordinis vel naturæ præſtantiam, illuſtrẽt. Illud quidem perſpicuum eſt, eos, qui præſtantiores ſublimioresqúe ſunt, ſplendorem & cognitionem inferioribus impartire. Ad explendã porrò Dei voluntatem, fortes ac prompti ſunt, eaqúe naturæ celeritate prędituς, vt vbi Dei nutus iuſſerit, illic ſtatim inueniantur. Qui etiam, prout à ſummo illo Opifice deſtinati & collocati ſunt, certas quiſque terrę partes cuſtodiunt, &c. Illud ſanè minimè dubium eſt, quin ex diuina voluntate atque præſcripto ſupra nos ſint, Deumqúe ſemper circumſtent. Ac ſunt quidem illi natura ita comparati, vt ad malum ægrè moueri, non tamen omninò non moueri poſſint: nunc verò ea iam conditione, vt ne vix quidem mouori atque inflecti queant. Quod tamen non eorum naturæ, ſed gratiæ, eiqúe, qua Deo vnicè bono adhærent, conſtantiæ tribuendum eſt. Deum porrò illi pro virium ſuarum modulo intuentur, eaſqę delicias habent. Quanquam autem illi, vt corporis expertes, atque ab omni corporea perpeſſione liberi, nobis ſuperiores ſunt: non tamen hoc habent, vt nulla in eos perpeſſio cadat. Id enim ſoli Deo peculiare eſt. Sanè figuram eam, quam Dominus Deus iuſſerit, aſſumunt, atque ita hominibus apparent, diuinaqúe ipſis myſteria patefaciunt. Denique in cælo degunt, nec aliud munus habent, quàm vt Deum laudent, diuinæqę ipſius voluntati obſequantur.

Cæſarius. 770.

Dialogo 1. Creati quidem ſunt Angeli, & obnoxij mutationi, ſpiritus rationales, ad miniſterium miſſi, quemadmodum inquit diuinorum carminum auctor, & cum ipſo Paulus conſentiens: *Qui facit Angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos ignis flammã:* quibus verbis ſimul & naturã, & maieſtatem eorum ſignificant, &c. Quòd mutabiles ſint, euidens eſt demonſtratio, ad malũ verſus auctor ille mali diabolus, ſecum ad defectionem multos Angelorum trahens, non natura, ſed voluntate mutatos, per ducis ſui ſuggeſtionem, qui congruentem ſuo facto ſuſcepit appellationem, &c. Ignorant cum hominibus Angeli res futuras: ſolius enim ſanctę Trinitatis eſt, omnia habere cognita, & præſcire ea, quæ futura ſunt. Miniſtrant autem & huic, & nobis. Huic quidem, vt erga Deum par eſt, ſeruientes: nobis verò præſtantes ea, quæ ad ſalutem noſtri certo conſilio ipſis ab ea mandantur.

Pantaleo Diaconus. 840.

Encomio in Michaelem Archangelum cap.1. Ex diuinis & infinitis Angelis alios quidem vnumquemque vnicuiq; præeſſe fidelium, & eum regere iuſſit Dominus, &c.

Theophylactus. 900.

Ad caput 13 prioris ad Corinthios: Angelis lingua eſt intellectualis, vis nimirum illa, qua ſibi mutuò diuinarum rerum intellectum ac diuinas cogitationes impertiunt, &c. Non oſſa & neruos habent Angeli, ſed ſummam ſubiectionem indicauit.

Ad cap.12.epiſt.ad Hebræos: Angeli ſecũdùm naturã quidem carent fine: quandoquidem ne principio quidem vacent: gratia autem diuina quòd fine careant, ſintq; immortales, acceperunt.

Suidas. 970.

In voce ἄγγελος: Angeli ſolius apprehenſione mentis circumſcribuntur. Nam cùm ante ſolem extiterint, neque loco, neque corpore, neque tempore continentur.

Euthymius. 1080.

Ad Pſalm. 102. Potentes viribus, hoc eſt robuſti: Angelorum enim virtus non ſeneſcit, ſed immortalis eſt: atque ideo Virtutes ac Poteſtates appellantur, quia nimirum potẽtes ſunt, vt perficiant, quæ ſibi à Deo iniunguntur.

Michael Glycas. 1110.

Parte 2. Annalium: Nam de Angelis Paulus inquit: *Nonne ſunt omnes adminiſtri ſpiritus, qui ad miniſterium ablegantur propter eos, qui ſalutem adepturi ſunt?* Quamobrem Deus per hæc nobis clarè oſtendit, omnia ſe per Poteſtates Angelicas gubernare, nec quicquam in rebus humanis abſque prouidentiâ fortuitò geri.

Nicetas Choniates. 1200.

Orthodoxæ fidei lib. 2. cap. 40. Angelus eſſentia eſt intellectu prędita, quæ ſemper mouetur, liberi arbitrij, incorporea, Dei miniſterio & cultui addicta, naturæqúe immortalis per gratiam particeps effecta. Cuius quidem eſſentię quæ ſit forma, quiq; terminus ſoli Creatori perſpectum & exploratum eſt. Incorporea porrò & expers materię dicitur, ſi nobiſcum conferatur. Quicquid enim in rerum natura craſſum & materiale deprehenditur, ſi cum Deo conferatur, qui ſolus ab omni comparatione liber & immunis manet.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Tertullianus. 200.

In Apologetico cap.22. Omnis ſpiritus ales eſt: hoc Angeli & dæmones. Igitur momento vbiq; ſunt. Totus orbis illis locus vnus eſt; quid vbique geratur tam facilè ſciunt, quàm enuntiant: velocitas diuinitas creditur, quia ſubſtantia ignoratur.

De iudicio Domini cap.6.

Protinus innumeri concurrunt ire miniſtri,
Conuallantq; Deum cum maieſtate ſuperna:
Angelica in terras deſcendunt agmina cælo:
Omnes, tuba Dei, quibus eſt diuina facultas,
Vultibus & forma virtutis ſpiritus omnes.
Igneus his vigor eſt, rutilantia corpora, cæli
Vis diuina micat.

Cyprianus. 250.

De Idolorum vanitate: Magorum præcipuus Hoſtanes & formam veri Dei negat conſpici poſſe, & Angelos veros ſedi eius aſſiſtere dicit. In quo & Plato pari ratione conſentit, & vnum Deum ſeruans, cæteros Angelos, vel dæmones dicit.

Prologo in librum de operibus Chriſti: Qui circa Deum ſunt Angelici ſpiritus, licet inuiſibilis naturæ ſint, in legationibus tamen ſuis ſe auditu manifeſtant & viſu, & ſalutis noſtræ miniſteriales ſæpiſſimè experimur, quorum officia & nomina in Scripturis ſanctis habentur. Illa quidem ſuperiora agmina nobis prędicant, non indicant Deum: & nuntiant quæ iubẽtur ſpiritalitatem iniuncti negotij peragentes, non vniuerſitatis explicantes ſcientiam: quia ad nos numerus, & menſura, & pondus refertur. Deus verò his omnibus non arctatur, ſed excedens omnia, & æternaliter antecedens poteſtas, & virtus, nihil habet coæuum, nec immenſitatis eius profundum vlla creatura, vel cæleſtis, vel terrena metitur.

Lactantius. 320.

Diuinar. Inſtit. lib. 2. cap. 16. Deus neque nomine, cùm ſolus ſit, eget: neque Angeli, cùm ſint immortales, dici ſe Deos, aut patiuntur aut volunt; quorum vnum ſolumq; officium eſt, ſeruire nutibus Dei, nec omninò quicquam niſi iuſſu eius facere. Sic enim mundum regi à Deo dicimus, vt à rectore prouinciam: cuius apparitores nemo ſocios eſſe in regenda prouincia dixerit, quamuis illorum miniſterio res geratur. Et hi tamẽ poſſunt aliquid præter iuſſa rectoris, per ipſius ignorantiam, quæ eſt conditionis humanæ. Ille autem præſes mundi, & rector vniuerſi, qui ſcit omnia, cuius diuinis oculis nihil ſeptum eſt, ſolus habet rerum omnium cum Filio ſuo poteſtatem: nec eſt in Angelis quicquam, niſi parendi neceſſitas. Itaque nullum ſibi honorem tribui volunt, quorum omnis honor in Deo eſt.

Lib.4.cap.8. Magna inter hunc Dei Filium, & cæteros Angelos differentia eſt. Illi enim ex Deo taciti ſpiritus exierunt: quia non ad doctrinã Dei tradendam, ſed ad miniſterium creabantur. Ille verò cùm ſit & ipſe Spiritus, tamen cum voce ac ſono ex ore Dei proceſſit.

Hilarius Pictauienſis. 350.

Ad Pſalm.118.poſt initium: Nonne cùm in aliquam turbidæ affectionis voluntatem infirmitatis noſtrę aculeis commouemur, metuimus aſſiſtentes nobis vndique choros Angelorum, & plenũ myſterijs cæleſtibus mundum. Si enim Angeli paruulorum Patrem noſtrum quotidie vident, qui in cælis eſt, poſſumus teſtimonia eorum metuere, quos & nobiſcum manere, & Deo quotidie ſcimus aſſiſtere.

Ambroſius. 370.

Ad Pſal.118.octonar. 8. Aliter eget iuſtitia Dei Angelus, aliter homo: aliter eget miſericordia Dei Archangelus, aliter homo. Angelica enim natura non vtiq; ita corruptelæ obnoxia eſt, vt natura generis humani: & ideo illa eget miſericordia Dei, ne poſſit errare, & auerſa à ſe Dei gratia labatur in vitium. Homo autem etſi iam firmiore proposito eſt, tamen propter contractorum ſeriem peccatorum, miſericordiam Dei quærit. Itaque etſi vterque miſericordia Dei indigeat, aliter tamen Angelo miſericordia, aliter homini debetur. Leue enim vitium in Angelo iudicio grauiore cenſetur.

Ad caput 1. Lucæ: Apparuit Angelus, & nunc præſto eſt, ſed non videtur. Neque enim in poteſtate noſtra eſt videre, ſed in poteſtate illius apparere. Tamen etſi poteſtas nõ eſt videndi, eſt gratia promerendi, vt videre poſſimus.

Ad caput 1. epistolæ ad Hebræos: *Qui facit Angelos suos spiritus.*) Non solos Angelos hoc sermone significat, sed omnes Virtutes ministerijs supernis fungentes. Sciẽdum est enim quòd Angelus nomẽ est officij, non naturæ. Qui etiam semper sunt spiritus, sed non semper Angeli vocari possunt. Quæris huius naturæ nomen? Spiritus est. Quæris officij? Angelus. Ex eo quod est, est spiritus; ex eo quod agit, Angelus: quia ἄγγελος Græcè, Latinè nuntius dicitur: sicut homo nomen naturæ, miles verò nomen officij: sic qui erant iam spiritus conditi à Creatore Deo, facit eos Angelos, mittendo eos nuntiare quod iusserit.

Psal. 103. Exod. 3.

De Fide contra Arianos cap. 8. Angeli in figura hominum sæpe visi sunt, & tamen non aliud sunt, quàm quod se esse norunt, neque substantiam mutant, cùm formam humani corporis sumunt.

Prudentius. 380.

Libro 2. contra Symmachum:

Porrò autem Angelicas legiones, quas mea fecit
Dextera, nosse meum est, & quæ natura creatis
Subsistat, qualesq; mihi seruentur ad vsu.

Hieronymus. 390.

Ad caput 7. Danielis: *Millia millium ministrabant ei.*) Non quòd iste ministrorum Dei numerus definitus sit, sed quòd maiorem multitudinem humanus sermo explicare nequiuerit. Ista sunt millia, & istæ myriades, de quibus in Psalmis legimus: *Currus Dei decem millibus multiplex, millia lætantium Dominus in eis.* Et in alio loco: *Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos ignem vrentem.* Duplex autem Angelorum officium est: aliorum, qui iustis præmia tribuunt: aliorum, qui singulis præsunt cruciatibus.

Psal. 67. Psal. 103.

Ad Psalm. 46. *Deus sedet super sedem sanctam suam.*) Angeli pro innocentia eorum dicuntur sedes, quia non peccârunt. Inde dixit: *Cælum mihi sedes est.*

Isaiæ 66.

Augustinus. 400.

De ciuitate Dei lib. 11. cap. 32. Vt volet quisque accipiat, dum tamen Angelos sanctos in sublimibus cæli sedibus, non quidem Deo coæternos, sed tamen de sua sempiterna, & vera felicitate securos, & certos esse nemo ambigat.

De Genesi ad literam lib. 4. cap. 24. Cùm sancti Angeli, quibus post resurrectionem coæquabimur, si viam, quæ nobis Christus factus est, vsque in finem tenuerimus, semper videant faciem Dei, Verboque eius vnigenito Filio, sicut Patri æqualis est, perfruantur, in quibus prima omnium creata est sapientia: procul dubio vniuersam creaturam, in qua ipsi sunt principaliter conditi, in ipso Verbo Dei prius nouerunt, in quo sunt omnium etiam quę temporaliter facta sunt, æternę rationes, tamquam in eo, per quod facta sunt omnia: ac deinde in ipsa creatura, quam sic nouerunt, tanquam infra despicientes, eamq; referentes ad illius laudem, in cuius incommutabili veritate rationes, secundùm quas facta est, principaliter vident.

Philippus Presbyter. 430.

Libro 2. in Iob cap. 7. Collocutionem Angelorum ego existimo mobilem quendam voluntatum fuisse consensum potius, quàm sonora colloquia: quoniam spiritus sunt, & non corpora membris composita. Vnde fieri potest, vt similes motus per subtilitatem naturæ suæ in se perspexerint: & hoc dictum sit colloquium. Non enim quicquam affectuum suorum ad inuicem latère spiritus potest: simplices enim creaturæ, nullum habentes quasi obstaculum corpulentum, perspicuæ sibi sunt. Vnde arbitror, quòd lingua illa, quæ est eis secundùm conditionis suæ modum, longè dissimili, atque insuspicabili distinctione, siue sono vocis, quæ fit verberato aëre, quod volunt ilicò enuntient; nec sit necesse eis humano more breuissimi saltem temporis spatio loquelam à cogitatione discernere. Illud tamen immobiliter est tenendum, nullo modo in silentio agi militiæ cęlestis officia, cùm legamus Angelicas Potestates ante sedem Domini in laudem gloriæ eius indefessis vocibus personare: neque vllo modo Apostolum dicturum fuisse: *Si linguis hominum loquar, & Angelorum*, nisi essent Angelorum linguæ, sicut hominum sunt: quamuis Angelicæ dissimiles sint humanis. Est ergo aliquod magnum, atque ipsum valde secretum, super diuersitate linguarum inter terrigenas & ministeria superna discrimen.

Maximus Taurinensis. 430.

Homilia in Festo Michaelis Archangeli: Sancti Angeli in splendidissimo habitu constituti, non tunicis operiuntur & pallijs, sed cùm sit in illis natiuitatis suæ nuda substantia, vestiti videntur esse, quòd sancti sunt.

Leo Magnus. 450.

Serm. 2. de Ascensione Domini c. 4. Sicut concipiendũ Christũ de Spiritu sancto B. Virgini Angelus nuntiauit: sic & editum de Virgine vox cęlestium pastoribus cecinit. Sicut resurrexisse à mortuis, supernorum nuntiorũ prima testimonia docuerunt; sic ad iudicandum mundum, in ipsa carne venturum, Angelorum officia prædicârunt, vt intelligeremus, quantæ Potestates sint ad futuræ cum iudicaturo, cui tantę ministrârunt etiam iudicando. Luc. 1.

Eucherius Lugdunensis. 450.

Sermone in Dedicatione Ecclesiæ: Angeli quãdo volunt ex aëre corpus assumunt, quo videri & tangi & loqui & manducare & bibere possunt. Sicut enim verum corpus est aër, ita & corpora quæ sumunt ex aëre. His autem ad tempus induuntur, quo cùm se expoliauerunt, mox in eũdem aërem resoluuntur. Angelus tamen Raphael ad Tobiam loquens ait: *Pax vobis, nolite timere: Et enim cum essem vobiscum videbar manducare & bibere, sed ego cibo inuisibili & potu, qui ab hominibus videri non potest, vtor.* Secũdùm igitur hanc sententiam & cæteros Angelos manducare & bibere intelligant, quibuscunque impossibile esse videtur, vt Angeli manducent & bibant: Moses tamen eos comedisse testatur.

Prosper. 450.

De Vita Contemplatiua lib. 1. cap. 3. Voluntatis sanctorum Angelorũ fuit, quòd malis sponte cadentibus, ipsi in sua dignitate manserunt, & diuino iustoquę iudicio actum est, vt quæ fuit cum Deo suo manendi voluntas, fieret permanendi voluntaria felixque necessitas. Et ideò quia nec peccauerunt vnquam, nec peccare iam possunt, illius contemplatiuæ vitæ semel facti participes, inexplebiliter auctorem beatitudinis suæ conspiciũt, ac meritò suæ stabilitatis in æternum felices effecti, de sua permansione securi sunt. Qui summum solidumque gaudium, quo insatiabiliter perfruuntur, de diuina contemplatione percipiunt, ac Deo suo infatigabiliter & amanter inseruiunt, ita perfectè beati, vt nec cupiant beatiores fieri vltra, nec valeant.

Ad Psalm. 103. *Qui facit Angelos suos spiritus.*) Secundùm literam non dubitamus esse spiritus nobis inuisibiles, ministros Dei: qui ab officio, quòd agunt, Angeli nuncupantur. Spiritus enim naturæ nomen est, Angelus actionis. Hos itaque ministros suos Deus facit etiam ignem vrẽtem, siue flagrantem: sicut legimus ignem in rubo apparuisse, & missum ignem desuper, & implesse quod præceptum est, ministerio executionis Angelicæ. Exod. 3.

Claudius Marius Victor. 460.

Præfatione in Genesin:

Nam tibi sola Deus, gigni quòd cuncta iuberes,
Causa fuit bonitas: cum iussu viuere primùm
Spiritibus, mundo q; frui, quem mente gerebas,
Atque omnes in te rerum cognoscere causas,
Et supra terras, & aquas volitare dedisti.
Certa quibus cælum sedes, queis libera corda,
Arbitriumq; sui largius es omnibus, vt iam
Alterutram in partem vellent, se vertere possent.

Claudianus Mamertus. 470.

De statu animæ lib. 3. Satis, vt arbitror, patet, Angelos vtriusque substantiæ & incorporeos esse in ea sui parte, qua ipsis visibilis Deus; & in ea itidem parte corporeos, qua hominibus sunt ipsi visibiles: quoniam nec Deus ab Angelo per corpus, nec Angelus ab homine sine corpore videri potest.

Gennadius Massilienſis. 480.

De Ecclesiasticis dogmatibus cap. 59. Angeli, qui in illa, qua creati sunt, beatitudine perseuerant, non natura possident bonum, vt non mutarentur cum cæteris, sed arbitrij seruantes bonam voluntatem, & bonum Conditoris, & fidem suo Domino seruauerunt; propter quod & meritò ab ipso Domino sancti Angeli vocantur, quòd tenuerunt arbitrij sanctitatem, nec sociorum exemplo deuiauerunt à bono.

Cap. 61. Virtutes Angelicæ, quæ in diuino amore perstiterunt fixæ, lapsis superbientibus Angelis, hoc munere retributionis acceperunt, vt nulla iam rubigine subrepentis culpæ mordeantur; vt & in contemplatione Conditoris sui sine felicitatis fine permaneant, & in hoc sic conditæ æterna stabilitate subsistant.

Gelasius Primus. 492.

Aduersus Pelagianam hæresin: Angelos ad profectum conditos promerendæ stabilitatis æternæ, illa res indicat, quoniam si sic facti essent, vt vlterius nihil egerent, nulla pars eorum vllum potuisset habere defectum: non enim in eis diuersam naturam fuisse dicendum est, ne ille, qui propria voluntate prolapsus est Angelus, excusaretur, si hoc illi non sue proteruitatis ingessit arbitrium, sed necessitas sibi inditæ conditionis imposuisse videatur. Vnde ergo beati & sublimes Angeli de perceptis grati, pię deuotionis officio, & non seipsos, sed potius ipsi præferendo conuenienter auctorem, ad eius perpetuitatem proficere, prouehique meruerunt: inde isti, qui reprobi sunt, de perceptis consequenter ingrati, debitumq; dissimulantes obsequium, retracti sunt.

Fulgentius. 500.

De fide ad Petrum Diaconum cap. 3. Illos, quos terrenorum corporum grauat nulla lutulenta materies, id est, Angelicos spiritus, quis non videat non vnius naturæ esse cum Deo, sed factos ex nihilo? Quorum naturalis mutabilitas in eo cognoscitur, quia eiusdem naturæ pars est in deterius permutata. Deinde quòd ij, qui deprauati nõ sunt, licet illius dono, à quo, cùm non essent, facti sunt, indefessa, & in quantum creaturæ Angelicæ gratis datum est, perfecta dilectione, contemplatione, atque exultatione, multitudinem dulcedinis Domini inceſſabiliter sentiant, nec ab eo naturali cõditione deficiant: etsi inhærentibus Deo nihil inest de varietate temporis, quia collato sibi æternæ incorruptionis atque incommutabilitatis munere, nihil in se sentiant immutationis: ineſt tamen singulis naturalis terminus, quo à se inuicem discernuntur, quia nullus eorum in alio est. Et cùm vni eorum opus quodlibet iniungitur, alios quoque alteri operi implendo diuinę potestatis deputatur arbitrio. Hæc omnia ostendunt etiam sanctos Angelos creaturam esse sanctæ Trinitatis.

Alcimus Auitus. 500.

Lib. 4. de Diluuio:

Est ille in cælis, numeros qui præterit omnes,
Angelicus sine fine chorus, qui laude perenni
Conclamat, celebrat q; Deum, famulantia suetus
Ferre ministeria, & iussis parere superni.

Arator. 540.

Lib. 1. Actuum Apostolorum:

——Iam nocte profunda
Angelus astra ferens, ergastula candidus intrat,
Se comitante die, cæli venicnte ministro
Carceris vmbra fugit, pulsa perière tenebræ:
Lucifero radiante nouo color exultat ater,
Et mutata vident nocturna crepuscula solem,
Custodum vallante manu inter vincula Petri
Corpore somnus erat.

Iunilius Africanus. 540.

Ad caput 1. Geneseos: Ipsum cælum mox creatum suis incolis, hoc estb eatissimis Angelorum agminibus impletum est, quos in principio cum cælo & terra esse editos, ac mox conditionem suam simul, & totius creaturæ primordialis, ad laudem Conditoris retulisse, testatur ipse Conditor, qui loquens ad famulum suum Iob dicit: *Vbi eras quando ponebam fundamenta terræ?*

Primasius. 540.

Ad cap. 1. epist. ad Hebræos: Omnipotens Deus, qui spiritus est incircumscriptus, omnia implet, & vbique est totus: quapropter Angelicus spiritus, qui circumscriptus est, quocunque mittatur, intra Dominum currit, Dominumque semper præsentem habet: ideoq; ipsi, qui mittuntur, ipsi etiam assistunt ei.

Cassiodorus. 540.

Ad Psalm. 103. Spiritus generale nomen est, incorporalis potentisq; substantiæ: visibiliter siue inuisibiliter operans, quod ei diuinitus inspiratur. Angelorum enim nomen non significat naturam, sed obedientiam. Angelus enim Græca lingua dicitur, qui Latinè nuntius interpretatur. Nã quando mittuntur, Angeli fiunt, cùm tamẽ natura spiritus esse noscantur.

Gregorius Magnus. 590.

In Ezechielem Homilia 7. Natura Angelica, quando creata est, liberum arbitrium accepit, vtrum vellet in humilitate persistere, & in omnipotentis Dei conspectu permanere, an ad superbiam láberetur, & à beatitudine caderet, per similitudinem à qua fuit: sed quia cadentibus alijs, sancti Angeli in sua beatitudine perstiterunt, atque hoc acceperunt in munere, vt iam cadere omninò non possent, in eis natura sua, quia iam deijci mutabiliter non potest, quasi in magnitudine chrystalli durata est.

Lib. 2. in Iob cap. 2. Angeli non sic à diuina visione foras exeunt, vt internæ contemplationis gaudijs priuentur: quia si Conditoris aspectum exeuntes amitterent, nec iacentes erigere, nec ignorantibus vera nuntiare possent, fontemque lucis, quem egredientes ipsi perderent, cęcis nullatenus propinarent. In hoc itaque est nunc natura Angelica à naturæ nostræ conditione distincta, quod nos & loco circumscribimur, & cæcitatis ignorantia coarctamur: Angelorum verò spiritus loco quidem circumscripti sunt, sed tamẽ eorum scientię longè super nos incomparabiliter dilatantur. Interi-

us quippe exteriusqúe sciendo diffusi sunt: quia ipsum fontem scientiæ contemplantur. Quid enim de his quæ scienda sunt nesciunt, quæ scientem omnia sciunt? Eorum itaque scientia comparatione nostrę scientiæ valdè dilatata est, sed tamen comparatione diuinæ scientiæ angusta: sicut & ipsi illorum spiritus comparatione quidem nostrorum corporum, spiritus sunt, sed comparatione summi, & incircũscripti spiritus, sunt corpus.

Isidorus Hispalensis. 620.

De summo Bono lib.1.cap.12. Natura Angelorũ mutabilis est; quia ineſt illis mutabilitas in natura: sed facit eos incorruptos charitas sempiterna. Gratia dicimus non natura esse incommutabiles: nam si natura incommutabiles essent, Diabolus non vtique cecidisset. Mutabilitati itaque naturæ suffragatur in illis contemplatio Creatoris.

Gen.1. Ante omnem creaturam facti sunt Angeli. Dictum est: *Fiat lux:* de ipsis enim dicit Scriptura: *Prior omnium creaturarum est sapientia.* Ante omnem creationem mũdi creati sunt Angeli, & ante omnem creationem Angelorum diabolus conditus est: Iob.40. *Ipse est principium viarum.* Vnde & ad comparationem Angelorum Archangelus appellatus est. Bonorum Angelorum numerus, qui post ruinã malorum Angelorum est diminutus, ex numero electorum hominum supplebitur, qui numerus soli Deo cognitus est.

Eucherius Gallus. 640.

In librum 3. Regum: Certè Angeli leuitate spiritalis sunt naturæ prediti, ita vt vbicunque voluerint statim quasi volando perueniant, & hìc cum alis figurati, & Prophetis cum alis sunt ostensi.

Hildephonsus Toletanus. 660.

De Virginitate Mariæ cap.10. Angelicæ forma naturæ ante soliditatem fragilis, ante firmamentũ labens, ante stabilitatem ruens, ante robur titubans, atque nutans, &c. post stabilitatem solida in bonis, post soliditatem indeficiens in amore diuinitatis, post firmamentum perennis in aspectu Dominicæ visionis, post robur inseparabilis à consortio Deitatis.

Beda. 700.

Homilia 2. in Solennitate Omnium Sanctorum: Qui Deus superna cælorum regna spiritibus Angelicis, ad laudem, & gloriam, atque honorem sui nominis ac maiestatis in perpetuũ miro ordine collocauit: de quibus plura loqui pertimescimus; quia soli Deo scire est, quomodo, vel quemadmodum eorum inuisibilis, absque contagione, seu diminutione in sua sola puritate consistat natura, &c. Alij ex illis ad nos in mundum missi, futura prędicando perueniunt; alij ad hoc sunt constituti, vt per eos signa, & miracula frequentius fiant: alij subiectis Angelorum spiritibus pręsunt, &c.

Ad Psal.32. *Cæli firmati sunt verbo Domini,* id est, hoc quòd cęlestis exercitus, vt Cherubim & Seraphim, præuaricante diabolo perstiterunt, non ex se, sed ex Domino Patre, & Verbo eius habuerunt. Et non pars virtutis, sed *omnis virtus eorum est à spiritu oris eius,* id est, Domini, id est, à Spiritu sancto.

Alcuinus. 750.

Lib.2. de Trinitate cap.17. Probabili ratione videri potest, Patribus nostris ante incarnationẽ Christi in persona Domini apparuisse vel locutos esse Angelos; nec illos etiam in sua substantia apparuisse credendum est, sed in subiecta creatura, quę illis tempore opportuno assumpta est; ita etiam Angelicam carnalibus oculis naturã inuisibilem esse certissimum est.

Ambrosius Ansbertus. 760.

In Apocal. lib. 3. cap. 6. Non est dubium, quòd de reparatione generis humani ipsi quoq; Angelici spiritus in lætitiam fuerint conuersi, qui pridem homines à suo consortio deputabant extraneos. Vnde & nato Redemptore Angelus pastoribus apparet, eosqúe claritas Dei illustrat: quo apparente, multitudo militiæ cæleſtis exercitus illi adiungitur, & communi exaltatione Deum collaudant, dicentes: *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.*

Lib.5. cap.12. Angelus prima, homo verò sexta die est conditus.

Idiota. 800.

De diuino amore cap. 23. In Angelis est vis & actus maximi amoris, quò ad te Domine, quò ad eos qui sunt sui consortij, & quò ad nos: Diligunt enim adeò, quòd ordo supremus ab ardore charitatis nominatur Seraphim.

Haymo. 820.

Ad cap.13. prioris ad Corinth. Loqui Angelorum ad Deum, nihil aliud est, quàm in præsentia eius esse; & Deum loqui ad illos, nihil aliud est, quàm præsentia vultus sui, qua fruuntur attendentes quid velit illis manifestare, & ipsorum vox in laude Conditoris ipsis est admiratio intimæ contemplationis.

Rabanus Maurus. 850.

De vniuerso lib.1.cap.5. ἄγγελοι Græcè, Hebraicè Melachim, Latinè verò nuntij interpretantur, eò quòd Domini voluntatem populis nuntient. Angelorum autem vocabulum officij nomẽ est, non naturę. Semper enim sunt spiritus, sed cùm mittuntur vocantur Angeli. Quibus ideo pictorum licentia pennas facit, vt celerem eorum in cuncta discursum significent: sicut & iuxta fabulas Poetarum venti pennas habere dicuntur, propter velocitatem scilicet. Vnde & sacra Scriptura dicit: *Qui ambulat super pennas ventorum.*

Altercatio Synagogæ & Ecclesiæ. 890.

Cap.3. Angelica natura bona quidem condita est, sed mutabilis: vt in altero, quòd bona creata est, Creatorem suũ agnosceret; in altero, quia mutabilis, superbiæ lapsum humiliter prouideret. Igitur inter cadentes & stantes medium erat arbitrium, non necessitatis ex conditione insolubile vinculum, vt sola voluntas in eis, aut pœnale iudicium si ruerent, aut gloriam sancti meriti subiret, si persisterent. Voluebat ergo cardo liberi arbitrij conditionem naturę Angelicæ, vt ruentes natura non excusaret, nec stantibus, quod in munere accepturi erant, excideret. Malorum itaque casus bonorum factus est firmior status, vt eo in amore diuino persistentium virtutis culmen augeretur, quo peruersa cadentium voluntas profundiùs in exitiabile malum vrgeretur. Sicut igitur prius cęlum, postea firmamentum dictum est, sic boni Angeli cæli nomine designati, firmamentum quoddam facti sunt; quia ne vnquam à statu suo ruerent, diuinitus acceperunt. Data est igitur Angelicæ naturæ substantia simplex, & immaterialis, discretio personalis, intelligentia rationalis, & libera inclinandæ voluntatis, siue ad bonũ, siue ad malum indulta potestas. Itaque ad substantiam eorum pertinet naturę subtilitas, ad formam intelligentiæ claritas, ad potestatem motus intelligibilis, & appetitus, & voluntatis rationalis habilitas.

Petrus Damianus. 1060.

Epist. ad Nicolaum Papam: Angelica virtus licet potens sit, non tamen à se, sed ab illo: licet immortalis sit, suumqúe beatè viuere nullo prorsus fine con-

cludat: tamen quià & loca mutat, & tempora, non coæterna dicenda est suo Creatori, qui naturaliter & essentialiter est ipsa potentia, ipsa immortalitas, ipsa æternitas.

Anselmus Cantuariensis. 1080.

In Dialogo de casu Diaboli cap.24. Quemadmodum malus Angelus vituperandus est, quia non potest ad iustitiam redire, ita bonus Angelus laudandus est, quia non potest abire. Sicut enim ille iam redire non potest, quia sola mala voluntate abijt, sic iste iam abire non potest, quia sola bona voluntate permansit. Palam igitur est, quia sicut illi non posse recuperare quod deseruit, est pœna peccati: ita huic non posse deserere, quod tenuit, est præmium iustitiæ.

Petrus Alphonsus. 1100.

Titulo 5. Licet Angelus corporeo sensu percipi non possit, illis tamen, qui secundùm Dei mandata incedunt, visibiles sunt.

Franco Attrebatensis. 1110.

De gratia Dei Tom.1. Et illa in creaturis Dei summa beata beatorum spirituum agmina in ministerium Conditoris sui miro & ineffabili nobis ordine distincta, nihilo minus, imò multo magis & ipsa Conditori suo procidunt; quòd sunt, quòd sapiunt, & quòd possunt, totum gratiæ eius ascribunt, atque attestante sacro eloquio, incessabili ei vocegratias referunt, & pro conditionis suæ excellentia, & pro beatitudinis perseuerantia.

Honorius Augustodunensis. 1120.

Sermone de S. Michaele: Angeli septuplo solẽ vincunt sua pulchritudine.

Rupertus Tuitiensis. 1120.

De timore Domini cap.7. Omnes Angeli cùm libero arbitrio conditi sunt, & sic bene constituti, vt in melius proficere haberent: profecerunt, qui voluerunt, qui bonam voluntatem habuerunt: defecerunt, & apostatauerunt, qui sibimet, quàm Creatori suo placere maluerunt. Factum est deinde eorum iudicium, & qui, cùm peccare possent peccare noluerũt, firmiterqúe in amore Creatoris pedem fixerunt, hoc in remunerationem acceperunt, vt amplius iam peccare, vel peccando mori nonpossint.

Bernardus 1130.

Sermone 19. super Cantica: Angelica creatura irrepercussa mentis acie intuetur diuinorum iudiciorum abyssum multam, quorum summæ equitatis ineffabili delectatione beata: gloriatur insuper affectui ea mãcipari per suum ministerium, ac palam fieri: & propterea diligit meritò Dominum Christum.

Sermone 22. Qui erexit hominem lapsum, dedit stanti Angelo ne laberetur; sic illum de captiuitate eruens, sicut hunc à captiuitate defendens. Et hac ratione fuit æquè vtrique redemptio, soluens illum, & seruans istum. Liquet ergo sanctis Angelis Dominum Christum fuisse redemptionem, sicut iustitiam, sicut sapientiam, sicut sanctificationem.

Hugo Victorinus. 1130.

Eruditionis Theologicæ tract.2.c.1. Cùm in Angelos & homines distincta sit rationalis creatura, primùm de Angelis agendum videtur, de quibus considerandum est, quando creati fuerint, vbi facti fuerint, quales etiam facti fuerint. Quædam auctoritates videntur velle, quòd ante omnem aliam creaturam facti sunt Angeli. Vnde illud: Eccl.1. *Prior omnium creata est sapientia,* quod de Angelis dictum est. Cui videtur contrarium, quod dicitur in Gen.1. Genesi: *In principio creauit Deus cælum & terram.* Si enim hæc in principio creata sunt, nihil ante cælum & terram factum est. Et in Propheta: *Iuitio tu Domine terram fundasti.* Psal. 101. Quare dicendum videtur, quòd simul creata sit & Angelica creatura, & corporalis. Vnde illud Salomonis: *Qui viuit in æternum, creauit omnia simul;* Eccle.18. id est, spiritualem & corporalem naturam. Et ita non prius tempore creati sunt Angeli, quàm illa corporalis materia quatuor elementorum. Tamen prima omnium creata est sapientia: quia, si non tempore præcedit, tamen dignitate, &c. Vbi facti fuerint quæritur: & videntur auctores velle eos fuisse factos in cælo. Vnde in Euangelio: *Videbam Sathan sicut fulgur de cælo cadentem.* Lucæ 10. Nec appellamus hìc cælum firmamentum, quod secunda die factum est, sed cælum empyreum, id est, splendidum, quod statim repletum est Angelis, illam scilicet superiorem partem, vsque ad quam machina illa elemẽtorum adhuc indistincta porrigebatur. Simul enim (vt diximus) creati sunt Angeli, & illa corporea materia. Vnde Augustinus exponit ita locum illum: *In principio creauit Deus cælum & terram: cælum,* id est, Angelos: *terram,* id est, corpoream machinam, in cuius superiori parte facti sunt cæli, id est, Angeli. Sed si in cælo erant, quomodo (vt legitur in Esaia) diceret Lucifer: Esa.14. *Ascendam in cælum, ponam sedem meam ad Aquilonem, & ero similis Altissimo?* sed ibi vocat cælum sublimitatem diuinitatis: *Ascendam in cælum,* id est, ad æqualitatem Deitatis.

Cap. 2. In prima conditione tria videntur esse attributa: essentia indiuisibilis, & immaterialis, & ideo indeficiens per rationem naturaliter insitam: intelligentia spiritualis: liberum quoque arbitrium, quo poterant sine violentia ad vtrumlibet propria voluntate deflecti.

Petrus Lombardus. 1150.

Lib.2. distinct.2. Simul creata est spiritualis creatura, id est, Angelica, & corporalis, secũdùm quod accipi potest illud Salomonis: *Qui viuit in æternum,* Eccle.18. *creauit omnia simul,* id est, spiritualem & corporalem naturam; & ita nõ prius tempore creati sunt Angeli, quàm illa corporalis materia quatuor elementorum, & tamen primò omnium creata est sapientia, quia etsi non tempore præcedit, tamen dignitate. Quòd autem simul creata fuerit corporalis spiritualisqúe creatura, Augustinus super Genesin apertè ostendit, dicens: Per cælum & terram spiritualem corporalemqúe naturam intelligi. Et hæc creata sunt in principio, scilicet temporis, vel in principio, quia primo facta sunt. Simul ergo cum tempore facta est spiritualis & corporalis creatura, & simul cum mundo: nec fuit ante Angelica creatura, quàm mundus, vt ait Augustinus: Nulla creatura creata est ante sęcula, sed à sęculis, cum quibus cœpit.

Potho Prumiensis. 1160.

De Statu domus Dei lib.4.cap.13. Angelorum nomen idcirco commune est omnibus cælestium spirituum ordinibus, quia omnium est manifestare occulta Dei his quibus pręsunt. Qui autem propriè dicuntur Angeli, hominibus præsunt, hisqúe voluntatem Dei annuntiant. At ipsis Angelis à superioribus Ordinibus spirituum Dei mysteria reuelantur.

Lib. 5. cap. 2. Angelorum spiritus est substantia incorporea, inuisibilis, sensibilis, rationalis, intellectualis, immortalis. Et bonorum quidem Angelorum substantia est lucida, & impassibilis, malorum tetra, & passibilis.

Hildegardis. 1170.

Lib.1.Visi.6.cap.2. Qui in prima sunt acie Angeli, velut pennas in pectoribus suis habent, & facies hominum in se prætendunt: in quibus & vultus

hominum, quasi in pura aqua apparent: isti igitur Angeli sunt desideria profunditatis, intellectus sui quasi pennas expandentes. Non quòd pennas, vt aues, habeant, sed quòd voluntatem Dei in desiderijs suis velociter perficiant, velut homo in cogitationibus celeriter volat, ita quòd & per facies suas pulchritudinem rationalitatis in se manifestant, vbi etiam Deus opera hominum manifestissimè perscrutatur.

Godfridus Viterbiensis. 1180.

Parte 1. Chronicorum de creatione & Ordinibus Angelorum: Natura quidem Angelica, tanquam ignis spiritualis esse describitur, vt ait Propheta: *Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos flammã ignis.* Psal. 103. Cùm autem nominamus Angelos, dicentes, *Michael, Gabriel, Raphael*, scias hæc non esse nomina Angelorũ, sed agnomina, ab hominibus inuenta & frequentata: vt per hæc dignitas, & officium eorum designetur, vt *Michael* dicitur, quasi Deus, qui est præpositus Paradisi: *Gabriel*, fortitudo Dei: *Raphael*, medicina Dei. Tanta est enim dignitas, & scientia Angelorum, vt videãtur proprijs nominibus non indigere.

Concilium Lateranense. 1215.

Cap. 1. Vnum est vniuersorum principiũ, Creator omnium inuisibilium & visibilium, spiritualium & corporalium, qui sua omnipotenti virtute, simul ab initio temporis, vtramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem & corporalem, Angelicam videlicet, & mundanam, & deinde humanam, quasi communem ex spiritu & corpore constitutam.

Guilhelmus Aluernus. 1230.

Secundæ partis de Vniuerso par. 2. cap. 79. Quòd si quis dixerit, ad quid occupant vel vnum pedem cæli omnes illæ & innumerabiles substantiæ Angelicæ, cùm omnes tanquam impartibiles, in vno pũcto concludi possint? Respondendum est: quia intentio Creatoris fuit ab æterno & implere, & decorare mundum & cælum, non solùm partem, aut punctum ipsius. Et quoniam definitæ, aut determinatæ, & notæ longitudinis, aliarumqúe demensionum futuræ sunt eiusmodi effulgentię, noluit eas commisceri, vel confundi; aut alio quolibet modo ad inuicem impediri: quod fieret nisi congruentia spacia & sedes debitæ singulis deputatæ seu distributę essent.

Albertus Magnus. 1240.

Ad cap. 1. Lucæ: Angelus definitiuè est in loco, & cùm est in vno loco, non est in alio; & cùm est in cælo, non est in terra; & cùm est in medio, non est in extremis.

Thomas Aquinas. 1250.

Prima Summæ, quæst. 52. art. 2. Esse in loco diuersimodè conuenit corpori & Angelo. Nam corpus est in loco circumscriptiuè, quia commensuratur loco. Angelus autem non circumscriptiuè, cùm non commensuretur loco, sed diffinitiuè; quia ita est in vno loco, quòd non in alio: Deus autem non circumscriptiuè, neque diffinitiuè, quia est vbique.

Quæst. 57. art. 5. In Angelis est cognitio duplex, vna quidem naturalis, secundùm quam cognoscũt res, tum per essentiam suam, tum etiam per species innatas; & hac cognitione mysteria gratiæ Angeli cognoscere non possunt. Hæc enim mysteria ex pura Dei voluntate dependent, &c. Est & alia Angelorum cognitio, quæ eos beatos facit: vident Verbum, & res in Verbo. Et hac quidem visione cognoscunt mysteria gratiæ, non quidem omnia, nec æqualiter omnes, sed secundùm quòd Deus voluerit eis reuelare.

Quæst. 68. art. 8. Angeli beati peccare non possunt. Cuius ratio est, quia eorum beatitudo in hoc consistit, quòd per essentiam Deum vident. Essentia autem Dei est ipsa essentia bonitatis. Vnde hoc modo se habet Angelus videns Deum ad ipsum, sicut se habet quicunque non videns Deum, ad communem rationem boni. Impossibile est autem, quòd aliquis quicquam velit, vel operetur, nisi attendens ad bonum, vel quòd velit diuertere à bono, in quãtum huiusmodi. Angelus igitur beatus non potest velle, vel agere, nisi attendens ad Deum: sic autem volens vel agens non potest peccare. Vnde Angelus nullo modo peccare potest.

Bonauentura. 1260.

Parte 2. Breuiloquij cap. 8. Sicut Angeli à Deo auersi, statim sunt obstinati per impœnitentiam; sic Angeli ad Deum conuersi statim fuerunt confirmati per gratiam & gloriam in voluntate; perfectè illuminati in ratione secundùm cognitionem matutinam & vespertinam; perfectè fortificati in virtute, siue motiua, siue operatiua; perfectè ordinati in operatione, siue contemplatiua, siue ministratiua. Et hoc secundùm triplicem hierarchiam, scilicet supremam, mediam & infimam.

Ægidius Romanus. 1280.

Lib. 1. Hexaemeron cap. 15. Sicut primò fuit conditum cælum, & postea facta est lux, & distincta à tenebris, sic primò fuerunt producti Angeli, postea fuerunt distincti: quia auersi à Creatore facti fuerunt tenebræ; conuersi autem facti fuerunt lux. Ideo post conditionem rerum primùm quod legitur esse factũ, est distinctio lucis à tenebris: quia modica fuit mora inter creationem Angelorum & eorum lapsum.

Libro 2. cap. 19. Angelus est in loco diffinitiuè, id est, finitiuè: quia finitur suũ esse, vbi est, & quia non est vbique, & cùm in cælo est, non est in terra.

Nicolaus Lyranus. 1320.

Ad caput 1. Geneseos: Moses rudi populo loquebatur, qui non poterat capere spiritualia, sed tantùm corporalia & crassa, & ideo de productione Angelorum non fecit expressam mentionem. Et iterum, quia populus ille pronus erat ad idololatriam, si fecisset mentionem de creaturis spiritualibus, & inuisibilibus, coluisset eas, tanquam Deos.

Ioannes Taulerus. 1350.

In solennitate omnium Angelorum: Quibus verbis de his præstantissimis spiritibus aut possimus, aut debeamus dicere, equidem ignoro: quando nec manus habent, nec pedes, nec imaginem, nec formam, neque materiam. Quæ autem nihil horum habent, ea nec sensus, nec cogitatio comprehendere potest. Et quomodo inde loqui poterimus? sanè quid sint nos latet; neque id mirum, quandoquidem nos ipsos ignoramus, spiritum videlicet nostrum, secundùm quem homines sumus, & ex quo habemus quicquid boni habemus. Quomodo ergo hos excellentissimos spiritus cognosceremus, quorum vtique nobilitas, multis modis omnem, quam totus mundus confiare possit, nobilitatẽ excellit. Sed dicimus híc non de essentia ipsorum, sed de operatione erga nos, &c.

Bartolomæus Anglicus. 1360.

De Proprietatibus rerum lib. 2. cap. 2. Natura Angelica omnem antecedit creaturam corpoream, in essentiæ subtilitate, in simplicitate, in intellectus perspicacitate, in liberi arbitrij habilitate. Quia hæc Angelica natura nullam habet dependentiam à materia, ideo corruptio materialis ei æqualiter non potest conuenire: vnde sensualis cognitio eius

tio eius intellectum deiformem non impedit: Angelus enim deiformem habet intellectum: & ideo supra tempus est, & totum intelligit simul, & non vnum post aliud, aut vnum ex alio &c. Triplex est virtus in Angelo, scilicet cognoscendi, operandi, & persistendi. Cognoscit enim Deum supra se in speculo æternitatis sine aliquà interpositione. *Semper* enim *videt faciem Patris.* Matth. 18. Extra se apprehendit omnia, sine collectione: intra se retinet apprehensa, sine obliuione: sic etiam habent virtutem operandi potenter, celeriter, vtiliter, incessanter. Habent etiam virtutem persistendi in naturæ suæ simplicitate: quia mortalitatis vicissitudine non alterantur, passibilitatis contrarietate non afficiuntur, mole carnea non retardantur. Persistunt etiam in gratię & gloriæ firmitate: quia diuinis legibus subiecti, nulla affectione, vel actione ei contrariantur.

Petrus Berchorius. 1360.

In Dictionario parte 1. Angelus est quædam substantia spiritalis, rationalis, intellectualis, semper mobilis, arbitrio libera, incorporea, Deo ministrans, gratia non natura immortalitatem obtinens. Bonus Angelus est, qui in principio suæ creationis Deo adhæsit, æternam gloriam adeptus, per quam Dei essentiam continuè speculatur.

Petrus Aliacus. 1400.

In Speculo considerationis cap. 12. De illis loquamur Angelis, quos fide tenemus in cælis glorioſos esse, atque beatos, immortalitate perpetuos, intellectu perspicuos, affectu beneuolos, munditia puros, sanctimonia integros, religione pios, pietate serenos, serenitate ac pace securos: & sicut à Deo conditos, sic diuinis laudibus & obsequijs deditos: sicut ab initio stabiles, sic in perfectionis stabilitate perseuerantes: sicut in personis distinctos, sic in distinctis Ordinibus & gradibus & officijs dispositos.

Ioannes Gerson. 1420.

In Summa Theologica lib. 6. de gaudijs Paradisi: Angeli cognitionem habent matutinam, hoc est cognitionem rerum in Verbo: item habent cognitionem vespertinam, id est, cognitionem rerum in se: item habent cognitionem meridianã, id est, apertam Dei visionem. Etiam est alia cognitio, quia maiores Angeli indicãt minoribus illa, quę per diuinas Theophanias receperũt: vnde Theophania est ostensio alicuius cognoscibilis, per illuminationem à Deo venientem: & hoc potest esse vel in symbolis, vel facie ad faciem. Angelus enim cognitione rerum in propria natura cognoscit simul plura habitu; non autem actu.

Laurentius Iustinianus. 1430.

Sermone in Festo Michaëlis Archangeli: Est spiritualis Angelorum natura in cælo, quę in ipso mundi exordio ab auctore omnium condita est, non beata, sed beatificanda, intellectualis, semper mobilis, arbitrio libera, incorporea, Deo ministrans, immortalitatem suscipiens secundùm gratiam, non secundùm naturam, in qua (videlicet) est essentiæ subtilitas, intelligentiæ perspicacitas, liberi arbitrij facultas, atque discretio personalis. Habet propterea in operando virtuositatem, officiositatem in ministrando, & post electionem siue in bono, siue in malo, immutabilem firmitatem; ad quod enim se vertit, inflexibilis est.

Bernardinus Senensis. 1430.

Tomo 4. Serm. 48. Minimus Angelus existens in vita æterna, est decies pulchrior, quàm sit pulcherrima anima, quam vnquam fecerit Deus, excepta anima Christi, & Virginis gloriosæ.

Ioannes Capistranus. 1440.

In Speculo conscientiæ par. 1. cap. 49. Quia Angelus simpliciter corporeus est, nec corpori vnitur, cognitio eius naturæ suæ debita est, vt simpliciter sine inquisitione veritatem apprehendat, propterea intellectualis natura nominatur.

Pius Secundus. 1460.

Epistola ad Morbisanum Turcarum Principem: Addit Mahometus Angelos creatos ex flamma ignis, & peccare, & mortuos esse. Nos cum Propheta dicimus, quòd Deus fecit Angelos suos spiritus, & creauit eos ex nihilo: & Philosophos nobiscum sentientes habemus, qui omnes Angelos, quos vocant intelligentias, incorporeos esse dixerũt. Nec peccatum in Angelis reperiri posse censemus, qui Deum in essentia videntem omnia vident, & omnia intelligunt ad suam perfectionem necessaria; nec est in eis ignorantia peccati mater. Nec subiectam corruptioni Angelicam naturam arbitramur, in qua non est materia, quæ separari possit à forma: sed ipsa forma per se consistit incorruptibilis, & immortalis.

Baptista Mantuanus. 1500.

Lib. 5. Fastorum, de Apparitione Michaelis Archangeli:

Spirituum nobis hîc est natura parumper
Enarranda, suo dum ver iam munere functum
Incipit æstati teneras concedere fruges.
Principio rerum, quando Deus omnia traxit
Ex nihilo, sparsitq; nouas per corpora formas,
Spirituum quoque progeniem, quo tempus in omne
Viueret incolumis, sine mole, & pondere finxit,
Diuisitq; nouem genus hoc in regna, deditq;
Iura super terras, super æquora, & æra, & ignes,
Astraq;, & æthereos orbes, & tradidit artem,
Qua regerent opus hoc tantum, cui nomina mundus.

ARTICVLVS SECVNDVS.

CAELESTES SPIRITVS IN CERTOS ORDINES SEV CHOROS ESSE DISTINCTOS, AC ALIOS ALIIS PRÆESSE ET PRÆFERRI.

NEGANT.

Anno post Christū natum.

1540. Ioannes Caluinus lib.1.Institut. cap.14.§.8. *De multitudine Angelorum & Ordinibus qui definire audent, viderint quale habeant fundamentum.*

1550. *Erasmus Sarcerius*, Lib. qui inscribitur: *Noua methodus in præcipuos Scripturæ locos*, tit. de Angelis, pag. 100. *vocat errorem & Scholasticorum figmentum, sine verbo Dei excogitatum, asserere hierarchias & prælaturas Angelorum, quæ in Angelos simpliciter, Archangelos, Thronos, Dominationes, Virtutes, Potestates, Cherubim, & Seraphim diuidantur.*

1560. *Magdeburgenses* Cent. 3. 4. 5. &c. cap. 4. *Communem Patrum doctrinam, de Angelorum Ordinibus, nugas vocant.*

1570. Hermannus Hamelmannus, de Traditionibus par. 3. lib. 1. *Quemadmodum ex diuersitate nominum possunt diuersi Ordines Angelorum colligi: ita subtilius more Dionysij de illis inquirere, & gradus statuere, non modò stultæ est curiositatis, sed temeritatis etiam impiæ & periculosæ.*

ASSERVNT SACRÆ LITERÆ.

Genes. 3. Vers. 24. Collocauit Deus ante paradisum voluptatis Cherubim & flammeum gladium atque versatilem, ad custodiendam viam ligni vitæ.

Esaiæ 6. 1. Vidi Dominum sedentem super solium excelsum & eleuatum, & ea quæ sub ipso erant replebant templum. Seraphim stabant super illud, sex alæ vni, & sex alæ alteri: duabus velabant faciem eius, & duabus velabant pedes eius, & duabus volabant. Et clamabant alter ad alterum, & dicebant: Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus exercituum.

Danielis 10. 13. Michael vnus de principibus primis venit in adiutorium meum.

Ephes. 1. 20. Deus Pater suscitauit Christum à mortuis, constituens ad dexteram suam in cælestibus, supra omnem Principatum, & Potestatem, & Virtutem, & Dominationem, & omne nomen quod nominatur, non solùm in hoc seculo, sed etiam in futuro.

Coloss. 1. 16. In ipso condita sunt vniuersa in cælis, & in terra, visibilia, & inuisibilia, siue Throni, siue Dominationes, siue Principatus, siue Potestates: omnia per ipsum, & in ipso creata sunt.

1. *Petri* 3. 22. Profectus in cælum, subiectis sibi Angelis, & Potestatibus, & Virtutibus.

Iudæ Vers. 9. Cùm Michael Archangelus, cum diabolo disputans, altercaretur de Moysi corpore, &c.

Liturgia D. Petri: Maiestatem tuam laudant Angeli, adorant Dominationes, tremunt Potestates, cæli cælorumque Virtutes, ac beata Seraphim socia exultatione concelebrant.

Liturgia D. Marci: Tu es supra omne Imperium, omnem Potentiam, & Virtutem, & Dominationem, & omne nomen, quod nominatur non solùm in hoc seculo, sed etiam in futuro. Tibi astant millia millium & decies millies centena millia Sanctorum

ctorum Angelorum & Archangelorum exercitus. Tibi astant honoratissima tua duo animalia, scilicet multocula Cherubim, & sex alata Seraphim, quæ duabus quidem alis facies tegunt, & duabus pedes, & duabus volant & clamant alter ad alterum, &c.

Liturgia D. Iacobi: Angeli, Archangeli, Throni, Dominationes, Principatus, Potestates, ac Virtutes tremendæ, Cherubim quoque multos oculos habentia, & Seraphim sex alis prædita, quæ duabus quidem alis facies operiunt suas, duabus verò pedes, & reliquis duabus volantia clamant ad alterum inceſſabili voce, perpetuis laudibus hymnum triumphalem tuæ magnificæ gloriæ, &c.

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Clemens Primus. 80.

Const. Apost. lib. 8. c. 12. Deus & Pater Vnigeniti Filij tui, qui per eum omnia Cherubim & Seraphim fecisti secula, & exercitus, Virtutesque, & Potestates, Principatus, & Thronos, Archangelos & Angelos. Te adorãt innumerabiles Angelorum copiæ, Archãgelorum, Thronorum, Exercituum, Cherubim, & senis alis præditi Seraphim, dicentes vnà cum millibus Archangelorum, & centum millibus Angelorum, nullo puncto temporis intermisso, & sine intercapedine clamantium, &c.

Dionysius Areopagita. 100.

De Cæsti Hierarchia cap. 5. Dignum videtur inquirere, quamobrem hi, qui nobis de Deo rebusque diuinis differuerunt, omnes quidem simul cælestes substantias Angelos vocent. Vbi verò altissimas illarum distinctiones exponere, & enarrare pergunt, Angelicum eum proprie Ordinẽ nominant: qui diuina & cælestia agmina complet, extremoque in loco positus perficit. Ante hunc verò Archangelos eminentius statuunt: Principatus deinceps, & Potestates, ac Virtutes, quasque his etiam superiores substantias nõrunt, atque enuntiant Sanctorum voluminum traditiones, graduum inter se celsitudine differentes. Dicimus itaque in omnibus sacratissimis distinctionibus superiores quosque eminentioresque ordines, inferiorum quoque agminum non carere fulgoribus atque virtutibus: posteriores verò, superiorum intelligentiæ exortes esse. Igitur sanctissima illa summorum Spirituum agmina, etiam Angelos Theologi appellant: & ipsa enim vim superni illius diuinique fulgoris enuntiant. Porrò extremum sanctorum spirituum ordinem Principatus, aut Thronos, aut Seraphim dicere, absurdum est, & à ratione prorsus alienum: neque enim supremis illis Virtutibus societate aut participatione coniungitur.

Cap. 6. Omnes simul cælestes immortalesque substantias in nouem Ordines diuinus Sermo distinxit, proprijsque ac significantibus vocabulis appellauit. Has eximius præceptor noster in ternas tertiò repetitas distinctiones ad Sanctæ Trinitatis diuisit imaginem. Ac primam quidem esse ait, quæ coram Deo versetur semper, idque ex diuina dignatione susceperit, vt illi inhæreat iugiter, nullisque medijs interiectis spiritibus inferatur. Nam sanctissimos Thronos, & oculis plurimis, alisque præditos Ordines, Cherubim scilicet & Seraphim, Hebræorum voce appellatos, iuxta Deum, nullis medijs insertis agminibus, eminenti propinquitate locatos ait, idque sanctarũ Scripturarum tradere expositionem. Hanc igitur ternariam distinctionem, vt vnam, & per omnia æqualem, primamque reuera hierarchiam, illustris dux noster ac magister esse ait, qua non sit præstantior altera, primoribusque Dei summi splendoribus maiori propinquitate coniuncta. Secundam verò asseruit, quæ Potestatibus, Dominationibus, Virtutibusque conficitur. Tertiã item, quæ in cælestibus functionibus extremum teneat locum, ex Angelis, & Archangelis, Principatibusque constantem.

Cap. 7. Ac Sanctorum quidem Seraphim appellationem ij, qui Hebrææ linguæ periti sunt, incendentes, siue calefacientes: Cherubim verò multitudinem scientiæ siue sapientiæ effusionem significare aiunt. Meritò igitur prima illa cæleſtis functio ab altissimis spiritibus agitur: cui sit Ordo omnibus celsior atque sacratior, vt ante conspectum diuinę Maiestatis continenter assistat, perpetuoque locata sit, atque in ipsam, vtpote propinquissimam, primores illæ diuinæ apparitiones ac perfectiones præcipuè ac peculiarius penetrent. Appellantur nempe calefacientes, & Throni, & sapientiæ effusio, congruo scilicet ac diuino illorum habitus signante nomine.

Ignatius. 100.

Epistola ad Trallianos: Etenim & ego, non quatenus vinctus sum, etiam cęlestia intelligere possim, Angelicos Ordines, Archangelorum militiarumque cælestium discrimina, Virtutum Dominationumque differentias, Thronorum Potestatumque diuersitates, Principatuum magnificentias, Cherubim Seraphimque excellentias, Spiritus sublimitatem, & Domini regnum, & incomparabilem Dei Patris omnipotentis diuinitatem. Hæc cùm nouerim, non continuò perfectus prorsus sum, aut discipulus, qualis Paulus, aut Petrus.

Athenagoras. 170.

Apologia pro Christianis: Magnum etiam numerum Angelorum & ministrorũ Dei esse fatemur; quos opifex & architectus mundi Deus verbo suo tanquam in classes ordinauit, centuriauitque, vt elementa, cælos, mundum, & quæ in mundo sunt, vicesque & ordinem omnium moderarent.

Irenæus. 180.

Lib. 2. c. 54. Post deinde, etiamsi per ipsos ea, quæ sunt super cælos, facta sunt, dicant nobis quæ sit inuisibilium natura, enarrent numerum Angelorum, & ordinem Archangelorum, demonstrent Thronorum sacramenta, & doceant diuersitates Dominationum, Principatuum, Potestatum, atque Virtutum.

Lib. 3. cap. 8. Quoniam enim siue Angeli, siue Archangeli, siue Throni, siue Dominationes ab eo, qui super omnes est, Deus, & constituta sunt, & facta per Verbum eius.

Clemens Alexandrinus. 200.

Lib.7.Stromaton: Hic est, qui dat Græcis sapientiam per inferiores Angelos: sunt enim iussu diuino & antiquo per gentes distributi Angeli.

Ad cap.3.prioris Epist.Petri: *Subiectis sibi Angelis*, qui sunt primus ordo: *& subditis Potestatibus*, qui sunt secundi ordinis: *subditis quoque Virtutibus*, qui ad tertium ordinem pertinere declarantur.

Hippolytus. 220.

Oratione de Consummatione mundi: Tunc cum pauore & stupore procedent Angeli, Throni, Potestates, Principatus, Dominationes, multis oculis & alis sex prædita Cherubim ac Seraphim fortiter clamantia: *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth omnipotens.*

Origenes. 230.

Contra Celsum lib.4. Nouimus Angelos tanto præstantiores esse hominibus, vt homines perfectionem adepti æquentur Angelis: nam *in resurrectione mortuorum nec elocabunt nuptum, nec nuptas domum recipiet; sed erūt iusti sicut Angeli Dei*, iam æquales Angelis. Nec ignoramus inter cælestes illos Ordines alios esse, qui vocantur Throni: alios, qui Dominationes: alios, qui Potestates: alios, qui Principatus, videmusq; nos illis longo interuallo proximos, sperantes interim per bonam vitam doctrinæ respondentem euasuros nos ad eorum similitudinem.

Methodius. 260.

Sermone de Resurrectione: Is, qui vniuersa ex nihilo fecit & construxit, immortalium naturam, non in Angelos & ministros solùm distributā construxit, sed etiam in Principatus, & Thronos, ac Potestates. Aliud enim genus est Principatuum: aliud Potestatum. Quia non vnus ordo, & vnus status, & tribus, ac familia immortalium, sed genera, & tribus, ac differentiæ; & neq; Cherubim propria natura decedunt, & in Angelorum formam mutantur, neq; rursus Angeli in aliorum.

Eusebius Cæsariensis. 320.

De demonstratione Euangelica lib.4.cap.1. Cùm Deus vellet, vtpote qui solus sit bonus, omnisq; boni & principiū & fons, diuitiarum suarum thesauros pluribus impartiri, effectaq; iam iam omnem rationalem creaturam in lucem producturus, incorporeas quasdam, & intelligentes, & diuinas Potestates, Angelos, & Archangelos, materiæq́ue expertes, & ab omni parte puros produxit spiritus.

Antonius Eremita. 340.

Epist.2.ad Arsenoitas: Quoniā igitur ex vno Creatore sunt omnes secundùm sensualem extantiam eorum, in fugiēdo verò eos à Deo, & multa diuersitas est in illis effecta, ob diuersas operationes ipsorum: idcirco autem omnia hæc nomina adiecta sunt istis, propter vniuscuiusq; eorum operationem, ideo & nunc quidā ipsorum vocantur Archangeli, alij Throni, & Dominationes, & Potestates, & Cherubim. Hæc autem eis nomina sunt addita, pro eo quòd Conditoris proprij custodierunt voluntatem.

Athanasius. 340.

Contra Arianos Serm.3. Multi Archangeli, multi Throni, multę Potestates, & Dominationes, milli es millia, & decies millies cētena millia ministrorum assistunt & apparent, qui se promptos offerunt, vt emittantur.

Serm.4. Nam & Angeli, & Archangeli, Dominationes, Throni, & reliquæ Potestates Verbi participes effecti, vident perpetuò faciem Patris Christi.

In dictum: *Omnia sunt mihi tradita à Patre.* Homines profectò audaces & proterui, qui non tremūt eam gloriam, in quam cupiunt Angeli proni inclinatiq; adspicere: cùm præ illis longè sint natura & ordine sublimiores. Quid enim propinquius Cherubinis & Seraphinis? Illi non obtuentur hanc Maiestatem, aut in pedibus erectos se tenent, imò ne faciem quidem nudam relinquunt: sed ea obuelata gloriam maiestatemq; Dei labijs nunquam cessantibus extollunt, nihil aliud quàm diuinam & ineffabilem naturam triplici titulo sanctitatis glorificātes. Neq; enim est quisquā sanctorum Prophetarū inter eos, qui maximè digni habiti sunt, vt eiusmodi spectaculis interessent, qui nobis id se audisse renunciauit, Angelos illos in primis vicibus exclamando, *Sanctus*, maxima voce vsos esse: in secundis non æquè magna: in tertijs adhuc submissiori.

De communi essentia Patris, & Filij, & Spiritus sancti: Quod opus supercæleſtiū Potestatū? Hymnus irremissus & amor incessabilis erga maiestatem Dei, fortasse & obsecratio continua de salute nostra. Cæterùm quia ipsi ordines & milites denominātur, restat vt ordinem distinguamus in ordinem docentium, pernitentium, puniētium, eorumq; qui animabus gratificantur, & qui apud homines permanent. Et quemadmodum discrimen ordinis in supernis Potestatibus cognouimus; ita quoque stationis & scientiæ discrimina sunt, Throni scilicet, Cherubim, & Seraphim, qui continuò, & sine vllo mediatore aut interprete à Deo condiscūt, vtpote cæteris sublimiores, & Deo propinquiores, & ab ijs erudiuntur inferiores Ordines, atque ita deinceps cæteri pro suo gradu: postremi autē omnium sunt Angeli, qui & hominum pædagogi sunt censendi.

Ad Antiochum Principem quæst.4. Quot sunt Ordines, & quot sunt Angelorū essentiæ? Respons. Vna & eadem est essentia, sicut etiam vna tantùm est essentia hominum. Ordines verò, sicut multum valens in Theologia Dionysius inquit, sunt nouem: Angeli, Archangeli, Principatus, Potestates, Virtutes, Dominationes, sex alis alata Seraphim, multis oculis ornata Cherubim, & Throni.

Cyrillus Hierosolymitanus. 360.

Catechesi 6. *Deū nemo vidit vnquā.* Quid igitur dicat aliquis, nonne scriptum est, quòd *Angeli paruulorum semper vident faciem Patris qui in cælis est?* Vident sanè Angeli, sed non ita vt est, sed secundùm quod est, & ipsi capiunt. Ipse enim Iesus dicit, quòd *Patrem nemo vidit, nisi qui est de cælo, hic videt Patrem.* Vident Angeli, ita vt capiunt; & Archangeli, ita vt possunt; Throni verò & Dominationes, plus quidem quàm illi, sed minus tamen quàm pro Dei benignitate. Solus autem Spiritus sanctus ita vt oportet, videt: *ille enim scrutatur omnia, etiam profunda Dei*, &c. Matt.18. 1.Cor.2.

Catechesi 11. Quid igitur doles nescire te homo quod cæli ignorant, sed & vniuersa natura angelica? Si enim posset esse, vt aliquis in primum cælum ascendens perspiciensq́ue Angelorum statum, & accedens interrogauerit, quomodo Deus Filium suum genuerit: dicerent fortè, superius habemus maiores quàm nos: illos interroga: ascende in secundum cælum, & tertium (si potes) conscende, & ad Dominationes, Principatus, & Potestates. Etiamsi ad illos accesserit quispiam, quamuis id sit impossibile: & hanc illi enarrationem recusarent: neque enim eam nōrunt.

Equidem

Equidem admiratus sum, audacem illorum curiositatem, qui per opinionem religionis incidunt in impietatem. Cùm enim Thronos & Dominationes, quæ sunt Christi opera: cùm & Principatus & Potestates ignorent, ipsum Factorem curiosè scrutari aggrediuntur. Dic mihi primùm, ô audacule, quid Thronus differat à Dominatione, & tunc fis curiosus circa Christū: dic mihi, quid sit Principatus, quid Potestas, quid Virtus, quid Angelus, & tunc Factorem perquire curiosè. *Omnia enim per ipsum facta sunt*, sed ne velis interrogare Thronos, aut Dominationes: neque enim enarrare poterunt.

Basilius Magnus. 370.

Homil.1.in Hexaēmeron diuini opificij: Fecit Creator primùm omnes beatarum mentium Ordines, quorum ne nomenclaturas quidē possumus inuenire. Et hæc subsistantiam complent mundi illius inuisibilis, & vt ipsi instruimur doctore Paulo: *In ipso*, ait, *condita sunt omnia, siue visibilia, siue inuisibilia, siue Throni, siue Dominationes, siue Principatus, siue Potestates, siue Virtutes, siue Angelorum exercitus, siue Archangelorum præfecturæ.*

De Spiritu S. cap.16. Throni, & Dominationes, Principatus, & Potestates, quomodo beatam illā vixissent vitam, nisi semper viderent vultum Patris, qui in cælis est? at visio non est absque spiritu. Qui possent dicere Seraphim: *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth*, nisi docti per Spiritum?

In Liturgia: Te laudant Angeli, Archangeli, Throni, Dominationes, Principatus, Potestates, Virtutes, & multocula Cherubim: tibi astant in cirtuitu Seraphim.

Macarius Aegyptius. 370.

Homilia 14. Est & terra lucida & diuina, in qua ambulant, & requiescunt Angelorum atque spirituum Ordines interiecti.

Gregorius Nazianzenus. 380.

Oratione 34. quæ est oratio 2. de Theologia: Vides ne quomodo circa huiusmodi sermonem æstuemus, nec, quò progrediamur, habeamus: aut certè nō vltra progredi possimus, quàm quòd Angelos quosdam & Archangelos scimus, Thronos, Potestates, Principatus, Dominationes, splendores, ascensus, intelligentes Virtutes, vel mentes potius, puras naturas, minimeq; adulterinas, ad malum immobiles, vel certè nō facilè mobiles, perpetuos choros circa principem illam causam agitantes, purissimo splendore illinc perfusas, aut pro naturæ ordinis cuiusque proportione, alias alio modo collustratas.

Oratione in S. Baptisma, quæ est numero 40. Secundū lumen est Angelus, primi illius luminis velut riuulus quidam aut participatio, per propensionē ad illud, ac ministerium illuminationem habēs: de quo statuere nequeo, vtrum pro classis suæ, ordinisq; ratione splendor ei impertiatur, an potius pro diuinæ illuminationis modo hanc vel illam sedem accipiat.

Epiphanius. 380.

Sermone de laudibus Deiparæ Virginis: Ita siquidem vel cælorum Virtutes in stuporem conuertit. Obstupuerunt omnes Angeli, Archangeli, Principatus, Potestates, Throni, Dominationes, Cherubim, ac Seraphim, & Angelorum vniuersus exercitus, timore, tremoreq; graui detenti: quia cernebant illum, qui habitat in cælis, per eam versari in terra, & exhorrescebant.

Gregorius Nyssenus. 380.

In Cantica Hom.15. Nam hæ sunt illæ instructæ copiæ, quippe vbi Potestates semper dominantur, perpetuò Dominatus rerum potiuntur; solidè fundati sunt Throni; imperia nullam in seruitutē rediguntur, sine intermissione faustis vocibus Deo acclamant: volatus Seraphim non quiescit, & statio non progreditur: Cherubim sustinere sublimem illum, eleuatumq; thronum non cessant: ministratores opus facere & sermonem audire non desinunt. Hæ igitur Potestates à Deo cùm ordinatæ sint, cumq; ordo ille copiarum vltra mundanarum quasq́ue mente tantùm intelligimus, æternum non confusa maneat, nulla malitia rationem illam optimè constitutam euertente: idcirco etiam anima, quæ ad illorum imitationem, ordine, decenterq; facit omnia, talem sui admirationem excitat, qualem ordinatæ illæ copiæ merentur.

Ioannes Chrysostomus. 400.

De incomprehensibili Dei natura Hom.2. Millia Angelorum sunt innumerabilia: mille millia Archangelorum: adde Sedes, Dominationes, Potestates, Principatus, cœtus incorporeos Virtutum innumeros, denique genera cælestia innumerabilia, quæ omnia Deus creauit tanta cum facilitate, quantam nemo valeat verbis exprimere.

Homilia 4.in Genesin: Quòd si visibilia sola sufficiant nobis, ad docendam potentiæ Conditoris magnitudinem: vbi & ad inuisibiles veneris Virtutes, & mentem extenderis ad Angelorum exercitus, Archangelorum, supernarum Virtutum, Thronorum, Dominationum, Principatuum, Potestatum, Cherubim, Seraphim: quæ mens, quis sermo sufficiet enarrare magnificētiam eius inenarrabilem?

Palladius. 400.

Historiæ SS. Patrum cap.20. Habes Angelos, Archangelos, omnes supernas Potestates, Cherubim, & Seraphim, Deum horum omnium effectorem, illic versare ne sub cælos descenderis.

Heraclides Cappadox. 420.

Epistola ad Lausum Præpositum: Solus est vniuersorum Deus, qui doceri nequit; quandoquidem & ipse per se est, & ante se non habet alium. Alia omnia autem doceri possunt: quoniam sunt & facta & creata. Atque primi quidem Ordines habent magistram summam Trinitatem: secundi autem discunt à primis: tertij à secundis, & sic deinceps vsque ad extremos. Qui autem sunt præstantiores honore & virtute, docent eos qui sunt inferiores cognitione.

Ioannes Cassianus. 430.

Collat.8. cap.15. Nam quia bonæ parti eadem Ordinum vocabula nō sine ratione, caussaue sint indita, & officiorum vel meritorum seu dignitatum sint nomina, nulli dubium est. Etenim de officio nuntiandi Angelos, id est, nuntios appellari manifestum est: & Archangelos, eò quòd ipsis Angelis præsint, nominis ipsius proprietas docet: Dominationes etiam ab eo, quòd quibusdam dominentur: Principatus quoque, quòd habeant quorum sunt principes: & Sedes, quòd ita scilicet Deo cohæreant, & domesticæ sint ei ac familiares, vt in ipsis, velut in quadam sede, diuina Maiestas peculiarius requiescat, & quodammodo in ijs firmius reclinetur.

Cyrillus Alexandrinus. 430.

Lib.1.in Genesin: Oportet hunc sermonem redigere ad beatos Angelos, qui à Deo facti sunt atque ex nihilo producti, Angeli, Archangeli, Throni, Potestates, Virtutes, atque Principatus, ipsa quoque suprema Seraphim, sancta Cherubim firmā gloriam habent, suumq; statū firmissimè seruant, & millia millium Deo ministrant, & decies centena millia ei assistunt.

Theodoretus. 450.

Ad cap. 1. Epist. ad Coloss. *Siue Throni, siue Dominationes.*) Existimo eum Thronos dicere Cherubim: Diuinum enim Thronum vidit super eos positum Propheta Ezechiel. Dominationes aũt, Principatus, Potestates eos, quibus fuerat credita cura gentium. Michael enim Princeps erat Iudæis, & B. Daniel dicit Principem Persarum, & Principem Græcorum. Ezec. 10.

Basilius Seleucius. 460.

Oratione 1. in Annuntiationem sacratissimæ Deiparæ: Verùm spiritus, qui se ducem ad diuina præbere solet, ope nixi, hæc omnia, quãtum vires ferent, exuperare decreuimus. Instituimus enim Angelorum choros, eorundemq; ductores & ordines, eximium Thronorum splendorem, præstantem Dominationum excellentiam, illustrem Principatuum dominatum, incomparabilem Potestatum nobilitatem, inuictam diuinarũ Virtutum fortitudinem, conspicuam oculatorum Cherubim puritatem, nullam in partẽ impeditam pennatorum Seraphim agilitatem, omnem denique aliam, si qua adhuc his superior extat, creaturam procul à tergo relinquere, nullaq; prorsus in re creata desiderij cursum figere.

Sophronius. 630.

In Encomio Angelorum: O diuini, materiæq; expertes Dei exercitus! ô mente rationeq; præditæ intelligentiæ! at præstat gradatim & ex ordine vos prædicare, magnificare, & inuocare. O Seraphim, quæ sex alis exornata, inq; prima cælestium exercituum acie collocata, vestro ardore cæteros omnes incenditis: Vos estis, quæ propter inconcussam stabilitatem, corporeæq; concretionis vacuitatem: tum ob æternitatem vobis communicatam, cognoscendiq; & inflammandi virtutem, expressum quoddam diuinæ similitudinis simulachrum præ vobis fertis: vos secundaria lumina, emanatione planè beata, è prima luce prodeuntia, rectè appeliamini: vt quæ immensum, infinitumq; trini, vniciq; principatus illius, numeris omnibus absoluti, splendorem, quantũ fas est, citra vllum medium excipiatis, exceptũq; cæteris mentibus & intelligentijs communem faciatis. Cùm vos ergo ob incendendi expiandiq; vim, qua polletis, quaqúe omnem malitiam, omnemq; fœditatem absumere & expiare consueuistis, incensorum & calefactorum nominibus designemini, internos, obsecro, animæ meæ recessus à vitiorum sordibus expiate. O vos Cherubim, oculis plena, & quadriformia, quæ interni viribus formæ vestræ cognatis, appositaq; proportione respondentibus, vi ratiocinante nimirum & irascente: fortitudine rursum, & cælesti celsitudine, amplè magnificeq; exculta, omniq; sapientia plena estis, diuini verbi cognitione me expolite. O Throni ardore accensi, & inaccessi, qui Dei opt. max. sedes, vehiculum, & requies estis, &c. O venerandæ Dominationes, hoc nominis ea de causa sortitæ, quòd diuinam auctoritatem vestro munere exprimatis, cælestiumq; bonorum communicationem verè propriéq; citra vllum prorsus impedimentum excipiatis, &c. O Potestates, quæ appellationem functioni vestræ consentaneam consecutæ, nulla prorsus seruitute valetis premi, nullo turbine concuti, queq; ab illo solo principatu, à quo omnis potestas fluit, potestatem & firmitatem nacti estis: impartiamini mihi potestatem contra aspectabiles, & inaspectabiles hostes, qui contra animam meam insurgunt. O immotæ, masculæque Virtutes, quæ propter animi robur & fortitudinẽ, inuictamq; virium præstantiam, diuinam potentiam & vim adumbratis, me debilem ac infirmum diuino robore circumcingite. O sancti, moueriq́ue nescij Principatus, qui a diuino principatu, omnis principij experte, omnisq; principatus auctore, & nomen & dignitatem principatus citra controuersiam accepistis, quiq; tertio Angelorum choro prælati estis, fidi adeste, &c. O ter sanctissime summeque amande & venerande sacræ militiæ princeps & administer Michaël, Angelorum Coryphæe, omni cultu, omniq́ue laude & celebratione dignissime, &c. O vos reliqui omnes Angeli & Archangeli, cœtus cælestis, corona impenetrabilis, multitudo immensa, exercitus innumerus, celsitudo inaccessa, magnitudo incomprehensa, chorus incomparabilis, &c.

Maximus. 640.

Ad caput 6. cælestis Hierarchiæ Dionysij: Primus Ordinum ternio complectitur Thronos, Cherubim, & Seraphim. Hunc ternionem prudens lector facilè inueniet, primum apud Ezechielem, qui & Throni, in quo Deus apparuit, meminit, & statim subiungit diuina Cherubim. Apud Esaiam autem mẽtio fit Seraphim, quæ Deum circumstãt & intuentur. Declarantur eadem propè eodem modo & in Apocalypsi Ioannis Apostoli & Euangelistæ. Deinde reliquos duos terniones Ordinum ponit, primò Dominationes, deinde Virtutes, post Potestates: tertij & vltimi ternionis sunt primùm Principatus, deinde Archangeli, ad extremum Angeli.

Ioannes Damascenus. 730.

Orthodoxæ fidei lib. 2. c. 3. De essentia Angelorum, æqualesne inter se sint, an dispares, haudquaquã compertum habemus; solus ille scit, qui eos creauit, Deus. Cæterùm splendoris ac ordinis ratione inter se differunt; siue pro splendoris portione sedes illis sua constituta sit, siue contra pro sedis classisq́ue suæ discrimine splendoris participes sint, alijq; alios, ob Ordinis, vel naturæ præstantiam illustrent. Illud quidem perspicuum est, eos, qui præstantiores sublimioresq; sunt, splẽdorem & cognitionẽ inferioribus impertire, &c. Vt autem sanctissimus, ac Theologiæ laude præstantissimus vir Dionysius Areopagita inquit, Theologia omnis, hoc est sacra Scriptura, nouem cælestes substantias nuncupauit. Has sanctus ille Doctor in tres Ordinum terniones distinguit. Quorum primum eum ait esse, qui Deum semper circumstat, assidueq; ac citra rei vllius interuentum ei copulatus est, nempe sex aligerorum Seraphim, oculatissimorum Cherubim, & sanctissimorum Thronorum: secundum Dominationũ, Virtutum, & Potestatum: tertiũ ac postremum, Principatuum, Archangelorum, & Angelorum.

Cæsarius. 760.

Dialogo primo: Creati sunt Angeli, & obnoxij mutationi, spiritus rationales, *ad ministerium missi*, quemadmodum inquit diuinorum carminum auctor, & cum ipso Paulus consentiens: *Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos ignis flammam.* Quibus verbis simul & naturam, & maiestatem eorum significant. Septem verò sunt Ordines, vt scripsit Iudas, & eximius enumerat Apostolus, quem & sequuntur sacri ministri officij diuini, dum alta clamant voce ad Deum: Te laudibus celebrant Angeli, Archangeli, Throni, Dominationes, Principatus, Potestates, Virtutes.

Michael Syngelus. 830.

In Dionysio Areopagita: A consideratione eorum quæ videntur, ad eorum quæ non videntur contemplationem, cogitatione suspensus, tresq; clarissimorum cælestium Ordinum ecclesias, ac tres sanctis-

sanctissimos angelicos apparatus sigillatim speculatus, non aliter ac si diuinus quidam atq; cælestis esset Angelus, & in eorum, qui corpore carent, classem cooptatus, ordinemq; inter ipsos, & sacràm præfecturam sortitus, splendorem animi, ad sedem celsissimæ diuinitatis, religiosè attollit.

Pantaleon Diaconus. 860.

In Encomio Michaelis Archangeli cap. 3. Michael, qui planè est plenus pietate Archangelica: qui propter eam, quæ conuenit in Dominum, reuerentiam, pietatem, & grati animi virtutem ineffabilẽ, & quę mutari non potest stabilitatẽ, prope Thronum assistit Dominicum horrendum, & terribilem, cum Cherubim, qui multos habent oculos, & cum Seraphim, qui habent sex alas, & primum locum obtinent inter mille millia, & decies mille myriades Angelicorum Ordinum: & proximè citra vllum stuporem canit ter sanctũ, & admirabilem hymnum.

Euthymius. 1080.

Ad Psal. 102. *Benedicite Dominum omnes Virtutes eius.*) Cùm de Angelis dixerit, nunc de alijs Ordinibus dicit, de incorporeis nimirum Virtutibus.

Ad cap. 15. Lucæ: Quidam centum esse Ordines senserunt, ad parabolam centum ouium attendentes: quidam verò alteram decem drachmarũ parabolam assumentes in patrocinium, decem hos esse dicunt: nouem quidem cælestes iuxta Dionysium Areopagitam: Thronos, Cherubim, Seraphim, Dominationes, Potestates, Virtutes, Principatus, Archangelos & Angelos: decimum verò terrenum, puta homines.

Michael Glycas. 1100.

Part. 1. Annaliũ de nouem Ordinibus: Debes autem scire cælestium descriptionum ac graduum nouẽ esse Ordines: nimirũ Cherubos, Seraphos, Thronos, Dominatus, Potestates, Imperia, Principatus, Angelos, Archangelos. Num verò alij præter hos sint in cælis ordines, quos in altera vita cognituri simus, B. ille Paulus nouit, qui ait: *Consedit Christus super omnem Principatum, Imperium, Potestatem, omneq; nomen, quod verbis exprimitur, non solùm in hoc æuo, sed etiam in futuro.*

Nicetas Choniates. 1200.

Orthodoxæ Fidei lib. 4. Hæresi 31. Angelos etiam diuinam & ineffabilem supersubstantialis diuinitatis plenitudinem velut in speculo cõtemplari, iuxta proportionem prærogatiuæ, quæ inter illos est, & sanctificationis modum, quem à Spiritu S. habent, testis est hæc Manoe oratio: *Morte moriemur, quia vidimus Dominum.* Testis est Angelus; qui Tobiæ apparuit, & is, qui Virgini *Aue* dixit. Iudic. 13. Tob. 5. Luc. 1.

Cyrus Theodorus Prodromus. 1200.

Dialogo de amicitia exulante:

Amicitia:

Ego quidem primùm Triade cum cælica
Diuinitatis pura semper vnior;
Deinde iuncti sunt animi mihi cæteri,
Trinæq; Triades mentium cælestium.
Dico Cherubim, & Seraphim, & Throni,
Poliq; tota reliqua militia sacra.

Ioannes Cantacuzenus. 1360.

Apologia 2. Rursus certè futurum est, vt denuò Christus redeat in gloria sua cum omnibus Angelis, cunctisq; Ordinibus cælestium.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Martialis Lemouicensis. 80.

Epist. 2. ad Tholosanos cap. 12. In regno cælorum sunt Ordines multitudinis laudantium Deum, Angelorum, & Virtutum, quæ per ipsum Verbũ, per quod omnia facta sunt, creatæ, in laudibus Creatoris sui quiescunt. Ipse laus & requies eorũ & spectatio noua, in quam semper desiderãt prospicere. Multa millia illic Potestatum, & Archangelorum in intima luce gloriam Dei Creatoris sui contemplare desiderant.

Nouatianus. 240.

De Trinitate cap. 1. In superioribus, id est, super ipsum quoque solidamentum partibus, quæ non sunt nostris contemplabiles oculis, Angelos priùs instituit, spirituales Virtutes digessit, Thronos, Potestatesq; præfecit, & alia multa cælorum immensa spacia, & Sacramentorum infinita opera condidit.

Dionysius Papa. 260.

Epist. 2. Quia verò creatura in vna eademq; æqualitate gubernari, vel viuere non potest, cælestium militiarum exemplar nos instruit; quia dũ sint Angeli, sint Archangeli, liquet quia nõ æquales sunt, sed in potestate, & ordine differt alter ab altero. Si ergo inter eos, qui sine peccato sunt, ista constat esse distinctio, quis hominũ abnuat huic se libenter submittere dispositioni?

Hilarius Pictauiensis. 350.

Lib. 2. de Trinit. Archangeli & Dominatus, Principatus & Potestates sine somno, sine occupatione, sine crimine æternis & indefessis in cælo vocibus Christum laudant.

Ad Psal. 134. Præterito Thronorum, Dominationum, Principatuum, & Potestatum, Cherubim, & Seraphim, Angelorum, & Archangelorũ miraculo, in his omnia Deus quæ voluit fecit in cælo & in terra.

Ambrosius. 370.

Lib. 1. de Spiritu S. cap. 7. Quemadmodum sanctificans Apostolos Spiritus non est humanæ consors naturæ, ita etiam sanctificans Angelos, Dominationes, & Potestates, non habet consortium creaturæ. Si qui autem putant non esse spiritalem in Angelis sanctitatem, sed aliam quandam gratiam suæ proprietate naturæ, hi inferiores profectò Angelos hominibus iudicabunt, &c. De qua creatura Deus ita locutus est, quod aut Dominationes, aut Potestates effundat, aut Angelos? sed *de Spiritu*, inquit, *meo effundam.*

Hieronymus. 390.

Lib. 2. aduersus Iouinianũ c. 15. Quare in regno cælorũ Archangeli sunt, Angeli, Throni, Dominationes, Potestates, Cherubim, & Seraphim, & omne nomen, quod nominatur non solùm in præsenti seculo, sed etiam in futuro? sine causa diuersitas nominum est, vbi non est diuersitas meritorum. Archangelus vtique aliorum minorum est Angelorum Archangelus, & Potestates, & Dominationes habent aliqua, super quæ exerceant potestatem, & in quæ subiecta dominentur.

Ad cap. 1. Epistolæ ad Ephesios: *Super omnẽ Principatum, Virtutem, & Dominationem.*) Arbitror Apostolum aut de traditionibus Hebræorum ea, quæ secreta sunt, in medium protulisse: aut certè, quæ quasi iuxta historiam scripta sunt, cùm intelligeret legem esse spiritualem, sensisse sublimius: & quod de regibus, atque principibus, ducibus quo-

que,

que, tribunis, & centurionibus, in Numeris & in Regnorum libris refertur, imaginem aliorum principum regumq; cognouisse: quòd scilicet in cælestibus sint Principatus, sint Potestates, sint Dominationes, atque Virtutes, & cætera ministeriorum vocabula, quæ nec nos possumus nominare, nec ipsum Paulum puto, vt in graui corpusculo constitutum, enumerare valuisse. Si autem sunt Principatus, & Potestates, & Virtutes, & Dominationes, necesse est vt & subiectos habeant, & timentes se, & seruientes sibi, & eos, qui sua fortitudine roborentur. Quæ distributiones officiorum non solùm in præsentiarum, sed etiam in futuro seculo erunt.

Augustinus. 400.

Ad Orosium, contra Priscilianistas & Origenistas cap. 11. Coloss. 1. Certè ait Apostolus: *Siue Sedes, siue Dominationes, siue Principatus, siue Potestates.* Et esse itaque Sedes, Dominationes, Principatus, Potestates in cælestibus apparatibus, firmissimè credo, & differre inter se aliquid indubitata fide teneo.

Enchiridio ad Laurentium cap. 58. Quomodo autem se habeat beatissima illa & superna societas, quæ ibi sint differentiæ personarum, vt cùm omnes tamquam generali nomine Angeli nuncupentur, sicut in Epist. ad Hebræos legimus: *Cui enim Angelorum Deus dixit aliquando, sede à dextris meis?* Heb. 1. Psal. 109. Hoc quippe modo significauit omnes vniuersaliter Angelos dici: sint tamen & illic Archangeli, & vtrum ijdem Archangeli nominentur Virtutes, atque ita dictum sit: *Laudate eum omnes Angeli eius: laudate eum omnes Virtutes eius*: Psal. 148. ac si diceretur: Laudate eum omnes Angeli eius: laudate eum omnes Archangeli: & quid inter se distent, quatuor illa vocabula, quibus vniuersam ipsam cælestem societatem videtur Apostolus esse complexus, dicendo: *Siue Sedes, siue Dominationes, siue Principatus, siue Potestates:* Coloss. 1. dicant, qui possunt, si tamen possunt probare quod dicunt, ego me ista ignorare confiteor.

Eucherius Lugdunensis. 450.

Dominica 3. post Pentecosten: Idem significant decem drachmæ, quod centum oues; vna quoque drachma, & vna ouis perdita, idem significant; nouem verò quę restant, nouem Ordines Angelorum sunt.

Sedulius. 460.

Ad cap. 1. ad Ephes. Nouem Angelorum scimus Ordines, Angelos, Archangelos, Virtutes, Potestates, Principatus, Dominationes, Thronos, Cherubim, Seraphim. Qui minima nuntiant, Angeli: qui summa, Archangeli vocantur: Virtutes, per quos signa & miracula fiunt: Potestates, super virtutes aduersas, quorum potestate virtutes aduersæ refrenantur, ne corda hominũ quantum volunt tentent: Principatus, qui ipsis quoque bonis Angelorum spiritibus præsunt: Dominationes sunt, qui etiã Principatus & Potestates dissimilitudine alta conscendunt, quibus cætera agmina ad obedientiam subiecta sunt: Throni sunt, qui tanta diuinitatis gratia replentur, vt in eis Dominus sedeat, & per eos sua iudicia discernat: Cherubim quoque, id est, plenitudo scientiæ sunt, qui tanto perfectiori scientia pleni sunt, quanto claritatem Dei vicinius contemplantur: Seraphim autem, id est, ardentes, vel incendentes, qui tanto magis Conditoris sui ardent amore, quanto hunc vicinius vident, inter quos & Deum nulli alij spiritus intersunt.

Salonius. 480.

In Ecclesiasten Salomonis: Decem fuerunt Ordines Angelorum, sed vnus cecidit per superbiam, & idcirco boni Angeli semper ad hoc laborant, vt de hominibus adimpleatur, & perueniat ad perfectum numerum, id est, denarium.

Gregorius Magnus. 590.

Homil. 34. in Euangel. Nouem Angelorum Ordines diximus, quia videlicet esse, testãte sacro eloquio, scimus Angelos, Archangelos, Virtutes, Potestates, Principatus, Dominationes, Thronos, Cherubim, atque Seraphim. Esse namq; Angelos & Archangelos, penè omnes sacri eloquij paginæ testantur. Cherubim verò atque Seraphim sæpe, vt notum est, libri Prophetarum loquuntur. Quatuor quoque Ordinum nomina Paulus Apostolus ad Ephesios enumerat, dicens: *Supra omnem Principatum, & Potestatem, & Virtutem, & Dominationem.* Ephes. 1. Qui rursus ad Colossenses scribens, ait: *Siue Throni, siue Potestates, siue Principatus, siue Dominationes.* Col. 1. Dominationes verò, & Principatus, ac Potestates iam ad Ephesios loquens descripserat: sed ea quoq; Colossensibus dicturus, præmisit Thronos, de quibus necdum quidquam fuerat Ephesijs locutus. Dum ergo illis quatuor, quę ad Ephesios dixit, id est, Principatibus, Potestatibus, Virtutibus, atque Dominationibus coniunguntur Throni, quinque sunt Ordines, qui specialiter exprimuntur. Quibus dum Angeli, & Archangeli, Cherubim atque Seraphim adiuncta sunt, procul dubio nouem esse Angelorum Ordines inueniuntur. Vnde & ipsi Angelo, qui prius est conditus, per Prophetam dicitur: *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia, & perfectus decore, in delicijs paradisi Dei fuisti.* Ezec. 28. Vbi notandum est, quòd non ad similitudinem Dei factus, sed signaculum similitudinis dicitur: vt quò in eo subtilior est natura, eò in illo imago Dei similius insinuetur expressa. Quo in loco mox subditur: *Omnis lapis pretiosus operimentum tuum, Sardius, Topazius, & Iaspis, Chrysolitus, Onyx, & Beryllus, Saphyrus, Carbunculus, & Smaragdus.* Ecce nouem dixit nomina lapidum: quia profectò nouem sunt Ordines Angelorum. Quibus nimirum Ordinibus ille primus Angelus ideò ornatus & opertus extitit: quia dum cunctis agminibus Angelorum prælatus est, ex eorum comparatione clarior fuit. Sed cur istos persistentium Angelorum choros enumerando perstrinximus, si non eorum quoque ministeria subtiliter exprimamus? Græca enim lingua Angeli nuntij, Archangeli verò summi nuntij vocantur. Sciendum verò quòd Angelorum vocabulum, nomen est officij, non naturæ. Nam sancti illi cælestis patriæ spiritus semper quidem sunt spiritus, sed semper vocari Angeli nequaquam possunt: quia tunc solùm sunt Angeli, cùm per eos aliqua nuntiantur, &c. Virtutes vocantur illi nimirum spiritus, per quos signa & miracula frequentius fiunt. Potestates etiam vocantur hi, qui hoc potentius cæteris in suo Ordine perceperunt, vt eorum ditioni virtutes aduersæ subiectæ sint, quorum potestate refrenantur, ne corda hominum tantum tentare præualeant, quantum volunt. Principatus etiam vocantur, qui ipsis quoque bonis Angelorum spiritibus præsunt, qui subiectis alijs dum quæque sunt agenda disponunt, eis ad explenda diuina ministeria principantur. Dominationes autem vocantur, qui etiam potestates Principatuum dissimilitudine alta transcendunt. Nam principari, est inter reliquos priorem existere: dominari verò, est etiam subiectos quosque possidere. Ea ergo Angelorum agmina, quæ mira potentia præeminent, pro eo quòd eis cætera ad obediendũ subiecta sunt, Dominationes vocãtur. Throni quoque illa agmina sunt vocata, quibus ad exercenda iudicia semper Deus omnipotens præsidet. Quia enim Thronos latino eloquio sedes dicimus, Throni Dei dicti sunt hi, qui tanta diuinitatis

tatis gratia replentur, vt in eis Dominus sedeat, & per eos sua iudicia decernat, &c. Cherubim quoque plenitudo scientiæ dicitur. Et sublimiora illa agmina idcirco Cherubim vocata sunt: quia tanto perfectiori scientia plena sunt, quanto claritatem Dei vicinius contemplantur: vt secundùm creaturæ modum, eò plenè omnia sciant, quò visioni Conditoris sui per meritum dignitatis appropinquant. Seraphim etiam vocantur illa spirituum sanctorum agmina, quæ ex singulari propinquitate Conditoris sui incomparabili ardent amore. Seraphim namque ardentes, vel incendentes vocantur. Quæ, quia ita Deo cõiuncta sunt, vt inter hæc & Deum nulli alij spiritus intersint, tanto magis ardent, quanto hunc vicinius vident. Quorum profectò flamma amor est: quia quò subtilius claritatem diuinitatis eius aspiciunt, eò validius in eius amore flammescunt.

Lib. 4. Epist. 52 Quia quæque creatura in vna eademq; qualitate gubernari vel viuere non potest, cælestium militiarũ exemplar nos instruit: quia dum sunt Angeli, & sunt Archangeli, liquet quòd non sunt æquales, sed in potestate & ordine, sicut nostis, differt alter ab altero. Si ergo inter hos, qui sine peccato sunt, ista constat esse distinctio, quis hominum abnuat, huic se libenter, dispositioni submittere, cui nouit etiam Angelos obedire?

Isidorus Hispalensis. 620.

De summo Bono lib. 1. cap. 12. Inter Angelos distantia potestatum est, & pro graduum dignitate ministeria ijsdem sunt distributa; alijsq; alij præferuntur, tam culmine potestatis, quàm scientia virtutis. Subministrãt igitur alij aliorum præceptis atque obediunt iussis. Vnde & apud Prophetam Zachariam Angelus Angelum mittit, & quæcunque annuntiare debeat præcipit. Zach. 2. Nouem esse distinctiones vel Ordines Angelorum sacræ Scripturæ testantur, id est, Angelos, Archangelos, Thronos, Dominationes, Virtutes, Principatus, Potestates, Cherubim, & Seraphim. Horum Ordinum numerum etiam Ezechiel Propheta describit sub totidem nominibus lapidum, cùm de primatu apostatæ Angeli loqueretur. Ezec. 28.

Beda. 700.

Lib. Quæstionum, quæst. 9. de Angelis: Inter Angelos distantia potestatum est, & pro graduum dignitate ministeria eisdem sunt distributa, alijsq; alij præferuntur, tam culmine potestatis, quàm scientia virtutis. Subministrant ergo alij aliorum præceptis, atque obediunt iussis, &c. Nouem esse distinctiones vel Ordines Angelorum sacræ Scripturæ testantur, id est, Angeli, Archangeli, Throni, Dominationes, Virtutes, Principatus, Potestates, Cherubim, Seraphim. Horum Ordinum numerum & Ezechiel Propheta describit sub totidem nominibus lapidum, cùm de primatu Apostatæ Angeli loqueretur: *Omnis*, inquit, *lapis operimentum tuum: Sardius, Topazius, & Iaspis, & Chrysolytus, & Onyx, & Beryllus, & Sapphyrus, & Carbunculus, & Smaragdus.* Quo numero lapidum ipsi Ordines designati sunt Angelorum, quos apostata Angelus ante lapsum quasi in vestimento ornamenti sui affixos habuit, ad quorũ se comparationem, dum se clariorem cunctis aspexit, confestim intumuit, & cor suum ad superbiam eleuauit.

Alcuinus. 750.

De Diuinis officijs cap. 39. Quia longum fuit in ista gratiarum actione totos Angelorum Ordines, qui in Scripturis nouem inueniuntur, ponere, figillãtim post cælos ponuntur Virtutes, quo nomine omnes cælestes spiritus generaliter appellari solent, vt in Psal. *Dominus Virtutum ipse est rex gloriæ.* Ad vltimum ponũtur Seraphim, qui est summus Ordo Angelicorum spirituum, & verè beata, quę ex singulari propinquitate Creatoris sui incomparabili ardent amore.

Haymo. 820.

Dominica 4. post Pentecosten: Nouem sunt Ordines Angelorum, id est, Angeli, Archangeli, Throni, Dominationes, Virtutes, Principatus, Potestates, Cherubim, & Seraphim.

Rabanus Maurus. 840.

Lib. 1. de vniuerso cap. 5. Nouem esse Ordines Angelorum sacræ Scripturæ testantur, Angeli, Archangeli, Throni, Dominationes, Virtutes, Principatus, Cherubim, Seraphim. Angeli vocantur, propterea quòd de cælis ad annuntiandum hominibus mittuntur. Archangeli Græca lingua summi nuntij nuncupantur. Qui enim parua & minima nuntiãt, Angeli; qui verò summa, Archangeli nuncupantur: Archangeli dicti eò quòd primatum teneant inter Angelos. Sunt enim Duces & Principes, sub quorum ordine vnicuique Angelorum officia deputata sunt. Nã quia Archangeli Angelis præsunt Zacharias Propheta testatur, dicens: *Ecce Angelus, qui loquebatur in me*, &c. Throni autem, & Dominationes, & Principatus, & Potestates, & Virtutes, quibus cunctam cælestẽ societatem Apostolus complectitur, Ordines Angelorum & dignitates intelliguntur. Et pro hac ipsa distributione officiorum, alij Throni, alij Dominationes, & Principatus, & Potestates dicuntur, pro certis dignitatibus, quibus inuicem distinguuntur. Virtutes Angelica quædam ministeria perhibentur, per quę signa & miracula in mundo fiunt. Potestates sunt, quibus virtutes aduersę sunt subiectę, quarum potestate maligni spiritus coercentur, ne tantum noceant, quantum cupiunt. Principatus sunt hi, qui Angelorum agminibus pręsunt, & Angelos subditos ad ministerium diuinum explendum disponunt. Nam alij sunt, qui assistunt; alij, qui administrant, &c. Dominationes sunt ij, qui etiam Virtutibus & Principatibus pręeminent. Throni sunt agmina Angelorum, qui Latino eloquio Sedes dicuntur; & vocati Throni, quia illis pręsidet Conditor, & per eos iudicia sua disponit. Cherubim, id est, scientię multitudo, sunt sublimiora agmina Angelorum, qui pro eo, quòd vicinius sunt positi, diuina sciẽtia cęteris amplius pleni sunt. Seraphim quoque similiter est multitudo Angelorum, qui ex Hebrẽo in Latinum ardentes vocantur, quòd inter eos & Deum nulli alij Angeli consistunt, & ideo quanto vicinius coram Deo consistunt, tanto magis charitate diuini luminis inflammãtur. Hęc vocabula agminum Angelorum ita sunt spęcialia Ordini singulorum, vt tamen sint ex parte comunia omnium. Sed ideo isti Ordines Angelorum priuatis nominibus appellãtur, quia hoc ipsum officium in proprio ordine plenius acceperunt, & cùm sint omnibus officia communia; propriè tamen & nomina suis Ordinibus deputantur.

Remigius Antisiodorensis. 880.

In Canonem Missæ: Cęlorum quoque Virtutes, ac Seraphim concelebrant, cùm cordis deuotione, & communi gaudio celebrant. Nam celebritas est concentus populi cum laude. Nouem autem sunt Ordines cælorum.

Altercatio Synagogæ & Ecclesiæ. 890.

Cap. 3. Habebat ipsa Angelica natura in essentia sua & in forma differentias & gradus, in ipso mox exordio conditionis suæ, quibus alij superiores, alij inferiores possent constitui, secundùm moderatio-

derationem sapientiæ cuncta bona creantis & bene ordinantis Dei. Proinde superiores spiritus sine superbia sunt alijs prælati, inferiores superioribus sine miseria sunt subiecti, &c. Denique hæc inuisibilium & intelligibilium inuisibilis discretio naturarum quanta, vel qualis sit, ille ponderat, qui creat in potentia, ordinat in sapientia, dirigit in bona voluntate semper ppitia creaturæ.

Alphanus Salernitanus. 1050.

In agone duodecim fratrum Martyrum:

——*Opifex rerum Deus arte suprema*
Composuit Cherubim, Seraphim, nec non aliorum
Agmina spirituum.

Radulphus Ardens. 1060.

Dominica 3. post Trinitatem: Christus nouem Angelorum Ordines in cælo corporaliter reliquit, hominem inter diuersos mundi errores quęsiuit, eius peccata in cruce portans, eum ad patriam reuexit: & in hoc gauisus est, & ad congaudendum non oui, sed etiam sibi, Angelos inuitauit.

Anselmus. 1080.

Ad cap. 12. posterior. ad Corinth. De tertio cælo multa dici possunt: Nouem enim sunt Ordines Angelorum, qui iuxta Dionysium in tres ternas distinctiones distributi sunt. Prima enim triplex eorum dispositio, id est, illa, quæ terris est vicinior, constat ex Angelis, & Archangelis, & Principatibus: media verò ex Potestatibus, & Virtutibus, & Dominationibus: suprema autem ex Thronis, & Cherubim, & Seraphim. Prima igitur dispositio primum cælum rectè potest accipi: secunda verò secundum cælum: tertia autem tertium cælum. Apostolus itaque raptus in tertium cælum, intelligitur supremis Angelorum choris interfuisse, id est, inter agmina Seraphim, siue Cherubim, secreta Dei vidisse.

Ad cap. 1. Epist. ad Coloss. *Vniuersa in ipso facta sunt, siue Throni,* id est, digniores spiritus, in quibus Deus sedet: *siue Dominationes,* id est, illi nobiliores spiritus, qui cæteris dominantur: *siue Principatus,* id est, hi, qui præsunt alijs, & quæ agere debeant disponunt: *siue Potestates,* id est, illi spiritus, qui subiectis aliorum Ordinibus potenter præeminent. Throni enim vocantur, quibus ad exercendum iudicium semper Deus præsidet. Nam quia Thronos Latino eloquio Sedes dicimus, Throni Dei dicti sunt hi, qui tanta diuinitatis gratia replētur, vt in eis Dominus sedeat, & per eos sua iudicia decernat. Throni verò dignitate loci excedūt, vt sex alios Angelorum Ordines subter se relinquant. In quibus statim post Thronos sunt Dominationes, id est, illi spiritus, qui in superni regis curia sunt nobilissimi, & subiectis quibusque dominantur, ac possident eos vt domini. Principatus etiam, qui ipsis quoque bonis Angelorum spiritibus præsunt, qui subiectis suis dum quæcunq; sunt agenda disponunt, eos ad explenda diuina ministeria principantur. Dominationes tamen potentię Principatuum alta dissimilitudine mirabiliter transcendūt. Potestates autem, iuxta Dionysiū, & ipsæ dignioris potentiæ quàm Principatus esse creduntur.

Hugo Victorinus. 1130.

Summæ Sententiarum tractatu 2. de creatione & statu Angelicæ naturæ cap. 5. Scriptura nouem Ordines Angelorum testatur esse in pluribus locis. Et inueniuntur in istis Ordinibus tria terna esse, & in vnoquoque tres Ordines, vt Trinitatis similitudo in eis præ alijs creaturis impressa videatur. Sunt enim tres Ordines superiores, tres inferiores, tres medij. Superiores, Seraphim, Cherubim, Throni: medij Dominationes, Potestates, Principatus: inferiores, Virtutes, Archangeli, Angeli. Ordo Angelorū dicitur multitudo cęlestium spirituum, qui intra se præ alijs in aliquo dono assimulantur. Seraphim enim interpretantur ardentes: Cherubim, qui præ alijs in scientia eminent: Thronus interpretatur sedes: Throni ergo vocantur, qui tanta diuinitatis gratia replentur, vt in eis sedeat Deus, & per eos iudicia sua decernat. Dominationes, qui potestatem Principatuum transcendunt. Principatus vocantur, qui sibi subiectis, dum quæ sunt agenda disponunt, eis ad explenda diuina mysteria principantur, &c.

Rupertus Tuitiensis. 1220.

Lib. 2. in Genesin cap. 15. Sunt nouem Angelorum Ordines, ex authenticis Scripturis nominati, scilicet Angeli, Archangeli, Throni, Dominationes, Principatus, Potestates, Virtutes, Cherubim, atq; Seraphim. Quorum ad societatem quia constat electos homines colligi, vnumquemque in suo ordine, & ijsdem Sanctis Angelis similes fore, alios alijs, secundùm diuersos ordinationis eorum gradus differentiasq; claritatis, &c. Non antequā caderent apostatæ Angeli, iam erant Ordines distincti; sed illis cadentibus, isti qui permansērūt, in ea qua firmati sunt remuneratione, sunt & ordinati, nouemq; Ordinibus distincti.

Honorius Augustodunensis. 1120.

In Speculo Ecclesiæ, Sermone de S. Michaele: Angelorum nouem Ordines referuntur, quia ad summæ Trinitatis ministeria mirè disponuntur, scilicet Angeli, qui singulis hominibus ad tutelam, vel solatium, vel auxilium mittuntur; à quibus dæmones, ne quantū volunt noceant, reprimuntur. Archangeli, qui ad summa peragenda, vel nuntianda mittuntur, quiq; singulis gētibus præesse creduntur. Virtutes, per quas signa & miracula administrantur. Potestates, per quas vitia, & dæmones refrenantur. Principatus, qui Angelorum agminibus principātur. Dominationes, quę ipsis Principatibus dominātur. Throni, per quos iudicia Dei exercentur. Cherubim, per quos scientia diuinæ cogitationis exhibetur. Seraphim, per quos ardor diuini amoris præbetur.

Bernardus. 1130.

Serm. 27. super Cantica: Diuisiones autem sunt non cælorum, sed beatitudinum. Nam alios quidem posuit Angelos, alios autē Archangelos, alios verò Virtutes, alios Dominationes, alios Principatus, alios Potestates, alios Thronos, alios Cherubim, atque alios Seraphim.

Lib. 5. de consideratione ad Eugenium cap. 4. Angeli, Archangeli, Virtutes, Dominationes, Potestates, Principatus, Throni, Cherubim & Seraphim: hęc nomina. Quæ significata eorum? Nullāne inter illos spiritus, qui simpliciter Angeli, & eos, qui Archangeli nuncupantur, distantia est? Quid ergo sibi vult gradualis distinctio hæc? putemus Angelos dici, qui singuli singulis hominibus dati creduntur: *missi in ministerium, propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis.* De quibus Saluator: *Angeli eorum semper vident faciem Patris.* Putemus his præesse Archangelos, qui conscij mysteriorum diuinorum, non nisi ob præcipuas & maximas causas mittūtur. E quibus magnus ille Archangelus Gabriel missus legitur ad Mariam: ob causam vtiq; qua maior esse non potuit. Putemus super istos Virtutes esse: quarum nutu vel opere signa & prodigia in elementis, siue ex elementis facta apparent, ad commonitionē mortalium, &c. Putemus Potestates superiores istis, quarum virtute potestas tenebrarum comprimitur, & coërcetur malignitas aëris huius, ne quātum vult noceat; ne malignari, nisi vt profit, possit. Putemus Principatus his quoque prælatos, quorum moderamine & sapientia omnis in terra principatus constituitur.

Heb. 1. Matt. 18.

regitur,

regitur, limitatur, transfertur, mutatur, mutilatur. Putemus Dominationes adeò cunctis supereminere præfatis Ordinibus, vt respectu horum cæteri videātur omnes administratorij spiritus, & ad istos, tāquam ad dominos referri regimina Principatuum, tutamina Potestatum, operationes Virtutum, reuelationes Archangelorum, curam & prouidētiam Angelorum. Putemus Thronos alto etiam ab his cuolasse recessu, qui ex eo, quòd sedent, Throni dicuntur: & ex eo sedent, quòd sedet in eis Deus. Neque enim sedere in eis, qui non sederent, posset. Quæris, quid illam sentiam sessionem? summam tranquillitatem, placidissimam serenitatem, pacem quæ exuperat omnem intellectum. Talis est, qui sedet in Thronis Dominus Sabaoth, iudicans omnia cum trāquillitate, placidissimus, serenissimus, pacatissimus: & tales sibi cōstituit Thronos similimos sibi. Putemus Cherubim ex ipso Sapientiæ fonte ore Altissimi haurientes, ac refundentes fluenta scientię vniuersis ciuibus suis. Et vide ne is sit, quem Propheta loquebatur: *Fluminis impetus lætificans ciuitatem Dei.* Putemus Seraphim spiritus totos diuino igne succensos succendere vniuersa: vt singuli ciues singulæ sint lucernæ ardentes, & lucentes: ardentes charitate, lucentes cognitione.

Psal. 45.

Petrus Lombardus. 1140.

Lib. 2. distinct. 9. Scriptura pluribus in locis nouem esse Ordines Angelorum promulgat, scilicet Angelos, Archangelos, Principatus, Potestates, Virtutes, Dominationes, Thronos, Cherubim, & Seraphim. Et inueniuntur in istis Ordinibus tria terna esse, & in singulis tres ordines, vt Trinitatis similitudo in eis insinuetur impressa. Vnde Dionysius tres Ordines Angelorum esse tradit, ternos in singulis ponens. Sunt enim tres superiores, tres inferiores, tres medij. Superiores, Seraphim, Cherubim, Throni: medij, Dominationes, Principatus, & Potestates: inferiores, Virtutes, Archangeli, Angeli, &c. Ordo Angelorum autem dicitur multitudo cælestium Spirituum, qui inter se in aliquo munere gratiæ similātur; sicut & in naturalium donorum munere conueniunt, vt verbi gratia, Seraphim dicuntur, qui præ alijs ardent charitate: Seraphim enim interpretatur ardens vel succendens: Cherubim, qui præ alijs in scientia eminent, &c.

Petho Prumiensis. 1160.

Lib. 4. de statu Domus Dei cap. 7. Ter ternas esse cęlestium Ordinum dispositiones nullus est qui ambigat, in quibus nimirū Ordinibus imago S. Trinitatis splendidè lucet, quia videlicet ab ipsa deificæ Trinitatis vna & indiuisa substantia spiritus creati, in ter ternas Ordinū distinctiones dispertiti sunt, quorum simplex & indissolubilis est natura, ab ipso, qui est vnus Pater spirituum, formata, &c. Ipsa cælestium spirituum agmina, in suis Ordinibus distincta, secundùm propriam donorum Dei distributionē, sic similitudini eius, à quo creati & dispositi sunt, appropinquant, vt alij ex his sint qui illuminēt, alij qui illuminantur: alij qui perficiant, alij qui perficiantur.

Cap. 8. Et primas quidem ter ternas agminum cælestium dispositiones in summis sedibus Deus iuxta se posuit, hoc est, Seraphim, Cherubim, & Thronos. Secūdas autem post has principales Ordinum ter ternas dispositiones continent in cælestibus sedes item ter ternis distinctas Ordinibus, quæ scilicet Dominationibus, Virtutibus, & Potestatibus complentur. Tertia verò, quæ & extrema est Ordinum distributio, in tribus consistit, id est in Principibus, Archangelis, & Angelis, &c. Seraphim itaque in prima ternaria Ordinum cælestiū dispositione altissima sede locata, tantā Deo vicinitate suprà coniuncta, vt nulla spirituum agmina inter ipsa & Deum media sint. Seraphim autem incendentes, siue calefacientes dicuntur, eò quòd incendio diuini amoris incomparabiliter ardeāt, eiq; de proximo inseparabiliter adhæreāt. His proximè adiuncta sunt agmina, quæ vocantur Cherubim, quòd interpretatur plenitudo scientiæ. Incendio quippe diuini amoris tanguntur ex adiunctis sibi superioribus agminibus. Vnde ex ipso diuini amoris calore pariter, & plenæ scientiæ lumen fortiuntur. Prima ergo agmina Seraphim in media sibiq; adiūcta agmina Cherubim calorem ex incendio sui amoris, quo Deū amant, & splendorem plenæ scientiæ, qua Deum cognoscunt, transfundūt. Media rursus agmina in subiecta sibi agmina de plenitudine scientię suę portionem non minimam transmittūt. Proinde pulchrè nominātur Throni agmina ipsa, in quibus ex infusione sapientiæ, quam desuper accipiant, agitur, vt in his Deus scientiarum Dominus sedeat, & per ea iudicia sua exerceat, &c.

Cap. 10. Sunt media spirituum agmina item in tribus Ordinibus dispositā, quę sunt Dominationes, Virtutes, & Potestates. Sed quæ sunt eorū officiorum vocabula, exponendo exequamur. Dominari est subiectos quoque possidere. Vnde illa Angelorum agmina, quæ mira potentia præeminent, pro eo, quòd eis cætera ad obediendum subiecta sunt, Dominationes dicuntur. Virtutes sunt illa agmina, per quæ signa & miracula frequentius fiunt, &c.

Otto Frisingensis. 1160.

Lib. 8. Chronicorum cap. 32. Quia ciuitas illa duōbus parietibus compacta, ex Angelis cōstat & hominibus, quis & qualiter inter eos ordo sit, intueamur. Tres Angelorum Hierarchias, id est, sacros Principatus præcipuus Theologorum ponit Dionysius, & vnamquamq; in tres Ordines subdiuidens, vt nouem Ordines Angelorum compleat; tria terna constituit. In prima Hierarchia Seraphim, Cherubim, Thronos: in secunda Dominationes, Virtutes, Potestates: in tertia Principatus, Archangelos, & Angelos ponit.

Gotfridus Viterbiensis. 1180.

Part. 1. Chronicorum: Nouem esse Angelorum Ordines, ad explenda Dei ministeria, eloquia diuina declarant: Paulus scribens ad Ephesios, ait: *Suprà omnem Principatum, & Potestatem, & Dominationem, & Virtutem.* Item ad Coloss. ait: *Siue Throni, Dominationes, Principatus, & Potestates.*

Innocentius Tertius. 1200.

Lib. 2. Mysteriorum Missæ, cap. 62. Cùm nouem sint Ordines Angelorum, quare tribus exclusis, tantùm sex in Præfatione ponuntur? an nō illi cum cæteris Maiestatem diuinam glorificant, & adorant? absit. Nam virtutes cælorum omnes comprehenduntur: Dionysius quippe tres esse ordines Angelorum tradit, trinos in singulis ponens, vt similitudo Trinitatis insinuetur impressa. Sunt enim tres Ordines superiores, tres inferiores, tres medij. Superiores, Seraphim, Cherubim, Throni: medij, Dominationes, Principatus, Potestates: inferiores, Virtutes, Archangeli, Angeli. De singulis autem his ordo medius subtrahitur; de superioribus Cherubim, de medijs Principatus, de inferioribus autem Archangeli: Quia ad comparationē Trinitatis æternæ (cuius Maiestas hìc præcipuè commendatur) omnis alia trinitas diminuta reperitur & imperfecta.

Cæsarius Heysterbacchius. 1220.

Lib. 8. cap. 41. Nouem sunt Angelorum Ordines, Angeli, Archangeli, Virtutes, Potestates, Principatus, Dominationes, Throni, Cherubim, & Seraphim.

Guilhelmus Aluernus. 1230.

Secundæ partis de Vniuerso pár. 2. cap. 112. Dixit Dionysius vir iste sanctus & sapiens in libro suo, quē de istis sanctis, ac beatissimis substantijs scripsit, quòd nouem sunt Ordines earum, sicut edoctus fuit à pręclaro illo Doctore suo, qui raptus in paradisum hoc ibi didicit & vidit. Et nouem cognominationes ipsorum Ordinum ab eodem Doctore suo & perfectore accepit. Et primum Ordinem dixit cognominari Seraphim, secundum Ordinem cognominauit Cherubim, tertium autem Thronum & Sedes, quartū Dominationes, quintum Virtutes, sextum Potestates, septimū Principatus, octauum Archangelos, nonum Angelos.

Thomas Aquinas. 1250.

In Compendio Theologiæ cap. 1. Prima Hierarchia in tres Ordines diuiditur. Primi ordinis Seraphim dicuntur, quasi ardentes & incendentes; secundi ordinis Cherubim dicuntur, à plenitudine scientiæ; tertij ordinis ab habendo in se Deum insidentem, Throni, dicti sunt. Secunda Hierarchia etiam in tres Ordines diuiditur. Primus ordo hierarchiæ huius dicuntur Dominationes: secundus ordo huius hierarchię Principatus appellantur, secundùm Gregorium; vel Virtutes, secundùm Dionysium: Tertius ordo huius hierarchiæ est Potestatum. Tertia hierarchia, quæ immediatè nobis præficitur, etiam tres Ordines habet: quorum infimus Angeli dicūtur, ex eo quòd hominibus nuntiant ea, quæ ad eorum gubernationem pertinent: vnde etiam hominum custodes dicuntur. Supra hunc autem est ordo Archangelorum, per quem hominibus quæ sunt contra rationem nuntiantur, sicut sunt mysteria fidei. Supremus autem ordo huius hierarchiæ Virtutes secundùm Gregorium dicuntur: quia ea, quæ sunt contra naturam, operantur in augmentum eorū, quę nobis contra rationē nuntiantur.

Bonauentura. 1260.

Parte 2. Breuiloquij cap. 8. Angeli fuerunt confirmati secundùm triplicem hierarchiam, scilicet supremam, mediam, & infimam. Ad supremam spectant Throni, Cherubim, Seraphim: ad mediam autem Dominationes, Virtutes, & Potestates: ad infimam verò Principatus, Archangeli, Angeli.

Richardus de Media Villa. 1280.

Lib. 2. dist. 9. Angelica hierarchia distinguitur in tres hierarchias: quia quamuis omnes sancti Angeli Deum immediatè & clarè videant, & multa alia in ipso, secundùm tamen plus & minus, Deum clarè vident, & alia in ipso conspiciunt. Sunt enim quidam, qui Deum ita clarè vident; quòd non tantùm in ipso conspiciunt rationes, secundùm quas Deus de lege communi regit aliquas partes mundi determinatas, vel vniuersum orbem: sed etiam rationes, quibus prædicta regit, secundùm leges, quas dispensat ex priuilegio speciali. Et ex istis constituitur superior hierarchia. Sunt alij, qui quamuis in ipso Deo non conspiciant rationes, quibus Deus regit vniuersum, & eius partes determinatas secundùm leges, quas dispensat ex priuilegio speciali: sed eis reuelantur à Deo mediantibus Angelis primæ hierarchiæ, quando placitum est diuinæ voluntati, tamen in Deo immediatè conspiciunt rationes, quibus Deus regit vniuersum de lege communi. Et ex illis constituta est media hierarchia. Sunt alij, qui nec ad primam, nec ad secundam cognitionem attingunt, sed tantùm immediatè conspiciūt in Deo rationes, quibus Deus regit aliquas partes mundi determinatas de lege communi. Et ex illis constituta est inferior hierarchia.

Guilhelmus Durandus. 1280.

In rationali Diuinorum lib. 4. c. 33. de Præfatione: Ad intelligentiam eorum, quæ hîc dicuntur, notandum est, nouem esse Ordines Angelorum, videlicet, Angel, Archangeli, Throni, Dominationes, Virtutes, Potestates, Principatus, Cherubim, Seraphim.

Ioannes à S. Geminiano. 1300.

In Summa lib. 7. cap. 20. Angeli Mariæ subduntur imperio; vnde competit illi illud Genes. *Vidi per somnium quasi solem, & lunam, & stellas vndecim adorare me:* vt per solem intelligatur suprema Angelorum hierarchia, per lunā hierarchia media, per stellas verò Angeli infimæ hierarchiæ, qui omnes B. Mariam Virginem adorant, & venerantur. Gen. 37.

Henricus Suso. 1350.

Dialogo de præcipuis Christianæ fidei adminiculis, cap. 12. Intuere oculis puræ intelligentiæ, vt percelsi Seraphici spiritus, & animæ eiusdem Ordinis amore feruentissimo præditæ, absq; intermissione flagrantissimo charitatis ardore in Mariam ferantur; vt luculenti Cherubim, & quæ inter eos sunt animæ, perennis atq; incomprehensi luminis eius splendido influxu perfruantur, idemq; alijs communicent; vt sublimes Throni, eorumq; sociæ animæ suauiter in Maria acquiescant, & illa in ijs: subinde speculare, quemadmodum tres alij Angelorum Ordines siue altera hierarchia, puta Dominationes, Virtutes, & Potestates congruentissimè exequantur æternam & sapientissimam Dei ordinationem, in toto vniuerso: simul etiam attende, vt vltima Angelorum Hierarchia fungatur officio denuntiandi & perficiendi leges in singularibus mundi partibus.

Ioannes Taulerus. 1360.

Sermone in Festo Michaelis Archangeli: Sunt nouem Chori seu Ordines Angelorum, qui tres efficiunt hierarchias. Habet enim quæque hierarchia tres choros, eædemq; singulæ specialem quandam exercent operationem.

Ioannes Bromiardus. 1380.

Prima parte Summæ cap. 22. In prima Angelorum Hierarchia sunt tres Ordines. Primus Seraphim, qui totaliter Dei dilectione inflāmantur, & magis ad secretam diuinitatis participationem appropinquāt, ad modum camerariorum, qui secretioribus assistunt factis principum. Secundus ordo est Cherubim, qui pleni sunt scięntia & discretione. Tertius est Thronorum, in quibus Deus residet, &c.

Petrus Aliacus. 1400.

In speculo considerationis part. 3. cap. 12. Angeli sicut in personis distincti sunt, sic in distinctis ordinibus, gradibus, & officijs dispositi. Sunt enim Angeli, qui in ministeriū missi, singulis hominibus dati creduntur: sunt Archangeli, qui minoribus Angelis persunt, & diuinorum mysteriorum conscij, nō nisi ob præcipuas & maximas causas mittuntur: sunt Virtutes, quarum virtute vel opere signa & prodigia fiunt: sunt Potestates superiores istis, quarum virtute potestas tenebrarum comprimitur, ne quantum vult, noceat: sunt Principatus, quorū moderamine omnis in terris Principatus constituitur, regitur, limitatur, transfertur, atque mutatur: sunt Dominationes, sic præfatis supereminentes Ordinibus, vt horum respectu cæteri videantur administratorij spiritus, & ad istos, tanquam ad dominos referri regimina Principatuum, tutamina Potestatū, operationes Virtutum, reuelationes Archangelorum, curam & prouidentiam Angelorum: sunt Throni, qui ex eo, quòd altè sedent, Throni dicuntur; & ideo sedent, quia in illis sedet Deus altissimus, quam sessionem

sionem summam trāquillitatem & tranquillam serenitatem ac pacem intelligimus: sunt Cherubim, qui ex ore Altissimi sapientiam haurientes, in vniuersis ciuibus cælestibus fontalis sapientiæ fluenta refundunt: sunt denicq; Seraphim, qui diuini amoris igne succensi singulos illos ciues lucernas ardentes charitate ac claritate lucentes efficiunt.

Ioannes Gerson. 1420.

In Summa Theologica lib. 6. de gaudijs Paradisi: Cælestis hierarchia diuiditur in superiorem, mediam, & inferiorem. Superior continet tres Ordines, Seraphim, Cherubim, & Thronos: primi considerant bonitatem Dei, secundi virtutem Dei, tertij æquitatem Dei; in primis Deus amat vt charitas, in secundis nosci vt veritas, in tertijs sedet vt æquitas. Proprium enim est Seraphim in amore Dei ardere, & alios ad incendium diuini amoris promouere: Cherubim verò proprium est relucere diuini luminis radio, pro eo, quòd vicinius primæ veritati iunguntur respectu inferioris; & homines promouere & excitare ad diuinam cognitionem: Throni dicuntur, eò quòd in ijs Dominus sedeat, & iudicia sua decernat. Media hierarchia continet Dominationes, Principatus, & Potestates. Inferior hierarchia continet Virtutes, Angelos, Archangelos.

Laurentius Iustinianus. 1430.

Serm. in Festo Michaelis Archangeli: Angelorum naturam Deus mirabiliter cōdidit, & iuxta incommutabilis sapientiæ suæ legem distinxit per Ordines, & singulis ministeria propria, actusq; diuisit & nomina. Nouem eorum sunt Ordines, & hæc vocabula singulorum, Seraphim, Cherubim, & Throni; Dominationes, Principatus, & Potestates; Virtutes, Angeli, Archangeli.

Bernardinus Senensis. 1440.

Tom. 4. Serm. 49. Nouem sunt Ordines Angelorum, scilicet Angeli, Archangeli, Virtutes; Dominationes, Throni, Principatus; Potestates, Cherubim, & Seraphim: & quilibet Ordo Angelorum est decies pulchrior altero.

Henricus Gorrichemius. 1450.

In lib. 2. Sentent. distinct. 9. Seraphim conueniunt in charitatis ardore, Cherubim in scientiæ plenitudine, & sic omnes, qui sunt eiusdem Ordinis, conueniunt in illo, quod illi Ordini est proprium.

Dionysius Carthusianus. 1460.

Ad cap. 5. de cælesti Hierarchia Dionysij Areopagitæ: Quamuis vniuersi ciues illi superni absolutè loquendo Creatorem suum toto diligant corde indefinenter, & sine interruptione secundùm suum extremum posse: attamen primus ille Ordo, cùm valde præcipuè illud agat, sancti amoris incēdio: sic quoque secundus chorus, qui Cherubim nuncupatur, respectu infimorum, valde præclara Deum limpiditate contemplatur: & ita de alijs.

Ioannes de Turrecremata. 1450.

In Meditationibus: Angelorum nobilitas quàm clara sit tam sublimitate naturæ, & excellentiæ perspicuitate, quàm gloria ministerij, quamqúe pulchrè disponente tua diuina sapientia triplici hierarchia nouēq; Ordinibus distincti sint, & admirabili officiorū varietate distributi, solus ipse eorum Conditor bene nosti.

ARTICVLVS TERTIVS.

QVEMLIBET HOMINEM, ET QVAMLIBET ORBIS TERRÆ REGIONEM PROPRIVM HABERE ANGELVM CVSTODEM.

NEGANT.

Anno post natū Christū 1550. IOANNES Caluinus ad cap. 32. Genes. v. 1. *Malignè Dei gratiam extenuant, qui tantùm ab vno Angelo quemque nostrum defendi putant. Nec dubium est, quin diabolus hoc astu fiduciam nostram aliqua ex parte minuere conatus sit.*

Lib. 1. Instit. cap. 14. §. 7. *An singulis hominibus singuli Angeli attributi sint ad eorū defensionem, pro certo asserere non ausim. Hoc quidem pro certo habendum, non tantùm vni Angelo vnumquemque hominem esse curæ, sed omnes vno consensu vigilare pro salute humana.*

Ad cap. 15. Act. §. 15. Angelus eius.) *Angelum eius nominant, qui diuinitus eius appositus sit custos, & salutis minister. Quòd vulgo hinc eliciunt singulis hominibus attribui singulos Angelos, qui eorum curam gerunt, nimis infirmum est. Nam Scriptura testatur magno populo interdum vnum dari Angelum. Ergo figmentum, quod passim inualuit, de binis cuiusque geniys, profanum est.*

Ad Psal. 90. *Falsum illud est commentum, suum cuique singularem Angelum esse.*

1560. *Magdeburgenses*, cent. 3. 4. 5. 6. &c. cap. 4. *negant singulos Angelos singulis hominibus deputatos esse.*

ASSERVNT SACRÆ LITERÆ.

*Gen.*48. *v.*16. *Iacob inquit*: Angelus qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis.

*Exod.*14.19. Tollens se Angelus Domini, qui præcedebat castra Israel, abijt post eos: & cum eo pariter columna nubis, priora dimittēs post tergum, stetit inter castra AEgyptiorum & castra Israel.

*Psal.*90.11. Quoniam Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis. 12. In manibus portabunt te: ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum.

*Dan.*10.12. Et ait ad me Angelus: Noli metuere Daniel: quia ex die primo, quo posuisti cor tuum ad intelligendum, vt te affligeres in conspectu Dei tui, exaudita sunt verba tua: & ego veni propter sermones tuos. Princeps autem regni Persarum restitit mihi viginti & vno diebus. Et ecce Michael vnus de principibus primis venit in adiutorium meum, & ego remansi ibi iuxta regem Persarum. Veni autem vt docerem te quæ ventura sunt populo tuo in nouissimis diebus.

*Iudith*13.20. Viuit Dominus, quoniam custodiuit me Angelus eius & hinc euntē, & ibi commorantem, & inde huc reuertentem: & non permisit me Dominus ancillam suam coinquinari.

*Matth.*18.10. Videte ne contemnatis vnum ex his pusillis: dico enim vobis, quia Angeli eorum in cælis semper vident faciem Patris mei, qui in cælis est.

*Act.*12.7. Ecce Angelus Domini astitit, & lumen refulsit in habitaculo, percussoque latere Petri, excitauit eum, dicens: Surge velociter. Et ceciderunt catenæ de manibus eius. Dixit autem Angelus ad eum: præcingere, & calcea te caligas tuas. Et fecit sic. Et dixit illi: Circumda tibi vestimentum tuum, & sequere me. Et exiens sequebatur eum, & nesciebat quia verum est quod fiebat per Angelum: existimabat autem se visum videre. Et exeuntes processerunt vicum vnum: & continuò discessit Angelus ab eo. Et Petrus ad se reuersus, dixit: Nunc scio verè, quia misit Dominus Angelum suum, & eripuit me de manu Herodis. Pulsante Petro ostium ianuæ, processit puella ad videndum, nomine Rhode. Et vt cognouit vocem Petri, præ gaudio non aperuit ianuam, sed intro currens nuntiauit stare Petrum ante ianuam. Illi autem dicebant, Angelus eius est.

*Heb.*1.14. Nonne omnes sunt administratorij Spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capient salutis?

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Dionysius Areopagita. 100.

*De cælesti Hierarchia ca.*9. At verò Principatuum, Archangelorum, Angelorumq; postremam distributionem, enuntiandi munus adeptam, humanis ordinibus ac functionibus sacris vicissim præesse credendum est, vt illius ministerio, suo ordine ferantur ad Deum & conuertantur, sintq; ipsius societate & coniunctione felices, dum diuinus processus eximia dignatione cunctis sacris Ordinibus indulgetur.

Hermas. 120.

*Lib.*2. *mandato*6. Duo sunt genij cum homine, vnus æquitatis, & vnus iniquitatis. Et ego dixi illi: Quomodo Domine scire potero, quòd duo sint genij cum homine? Audi, inquit, & intellige, æquitatis genius tener est, lenis, & verecundus, mansuetus, & quietus. Cùm ergo in cor tuum ascenderit, continuò loquitur tecum de iustitia, de pudicitia, de castitate, de benignitate, de venia, de charitate, de pietate. Hæc omnia cùm ascēderint in cor tuum, scito quòd genius æquitatis tecum est: huic ergo genio crede, & operibus eius. Accipe nunc & genij iniquitatis opera. Primùm amarus, iracundus, & stolidus est, & opera illius pernicioſa sunt, & euertunt seruos Dei. Cùm ergo in cor tuum ascenderint hæc, intelliges ab operibus eius, hunc esse genium iniquitatis.

Iustinus Martyr. 150.

*Quæstione*30. Si quemlibet hominem Angelus sequitur custos, vt sacræ docent literæ: homines autem quandoq; incrementum, quandoq; diminutionem, sicut in Diluuio, & reliquis calamitatibus propter facta sua sustinuerunt, Angeli, qui incrementi, & diminutionis capaces non sunt, quæ tum munia obiêre, quandoquidem Angelorum per se quisq; ab initio apud Deum ministerij sui functionem cœpit? *Solutio*: Omnes Angeli, tū qui regunt, tum qui reguntur, functionem suam implent, cælis & hominibus vtilem: quibus verò ministerium mandatum est, vt homines sequantur custodes, semp augentur, minuuntur nunquā: aut enim vtrumq; simul, animam, inquam, & corpus; aut animam post diuortium eius à corpore sequuntur vsq; ad restituēdi, siue renouandi mūdi tempus. Prius autem, quàm vt hominum sint assectæ & custodes constituantur, alijs muneribus pro hominibus obeundis principibus suis ministrant.

Athenagoras. 180.

Legatione pro Christianis: Neque tamen intra hūc finem nostra de diuinis essentijs professio continetur; sed etiam magnum numerum Angelorum & ministrorum Dei esse fatemur, quos opifex & architectus mundi Deus Verbo suo tanquam in classes ordinauit, centuriauitq;, vt elemēta, cælos, mundum, & quæ in mundo sunt, vicesq; & ordinem omniū moderarentur, &c. Idcirco Angelos Deus creauit, vt rebus à se digestis prouiderent: quamuis enim ipse vniuersali sua & communi prouidentia vniuersis prospiciat; particularem tamen rerum singularium, quæ cuique fuerint commissæ, Angelis imposuit.

Clemens Alexandrinus. 200.

*Lib.*5. *Stromaton*: Plato parvorum conuenienter Scripturæ & minimorum Angelos Deum videntes, quin etiam nostri curationem & visitationē, quæ ad nos venit per Angelos, qui nobis præsunt, indicat.

*Lib.*6. Per gentes & ciuitates sunt distributæ Angelorum præfecturæ: fortasse autem ex ijs sunt deputati singulis, &c. Sic ergo cognoscitur vtilitas, quæ à Deo peruenit ad homines, adhortantibus Angelis. Etenim diuina virtus præbet bona per Angelos, siue videantur, siue non videantur.

Origenes. 230.

*Homilia*8. *in Genesin*: Ipsi enim Angeli velut procurationem animarum nostrarum tenēt, quibus, dum adhuc paruuli sumus, velut tutoribus, & actoribus committimur, vsque ad præfinitū tempus à Patre.

*Homil.*8. *in Ieremiam*: Omnibus rebus Angeli præsident, tam terræ, & aquæ; quàm aëri, & igni: atque ita omnes ij Angeli, cum quibus versantur in terra, gaudent quando iustè agimus, quando peccamus lugent.

*Homilia*11. *in Numeros*: Vnusquisque Angelorum in consummatione seculi aderit in iudicio, educēs eos secum, quibus præfuit, quos adiuuit, quos instruxit, pro quibus vidit *faciem Patris, qui est in cælis*, &c. Ipsi Apostoli Angelis vtuntur adiutoribus ad explendum prædicationis suæ munus, & opus Euangelij consummandum: sic enim dicebatur in Actibus Apostolorum, quia Angelus Petri esset, qui pulsaret ad ostium Similiter ergo intelligitur & alius Pauli Angelus, sicut est Petri, & alius alterius Apostoli, & singulorum per ordinem. Act.12.

*Homil.*23. *in Lucam*: Ego non ambigo in cœtu nostro adesse Angelos, non solùm generaliter omni Ecclesiæ, sed etiam sigillatim: de quibus Saluator ait: *Angeli eorum semper vident faciem Patris, qui in cælis est.* Matt.18.

*Lib.*1. *de Principijs cap.*8. Simili quoque ratione etiam de Angelis videndum puto, nec existimandū, quòd fortuitò accidat, vt illi Angeli illud iniungatur officium: verbi gratia, vt Raphaeli curandi & medendi opus: Gabrieli libellorum prouidentia: Michaeli mortalium preces, supplicationesq; curare. Hæc enim officia promeruisse eos non aliter putandum est, quàm ex suis quemq; meritis, ac studijs, & virtutibus, quę ante mundi huius compagem gesserint: susceptisse tamen deinde in Archangelico ordine illud vel illud officij genus vnicuique deputatum; alios verò in Angelorum ordine meruisse describi, & agere sub illo, vel illo Archāgelo, vel duce, vel principe ordinis sui. Quę omnia (vt dixi) non fortuitò, atq; indiscretè, sed aptissimo & iustissimo Dei iudicio ordinata sunt, & pro meritis dispositā ipso iudicante & probante; vt illi quidem Angelo Ephesiorum committi Ecclesia debeat, illi verò alij Smyrnensium: & ille quidē Angelus vt sit Petri, alius verò vt sit Pauli: tum verò per singulos minimorum, qui sunt in Ecclesia, qui conscribi singulis debeant Angeli, qui etiam quotidie videant faciem Patris, sed & quis debeat esse Angelus, qui circumdet in circuitu timentium Deum.

*Lib.*3. *cap.*2. Quòd etiam per Angelos, vel bonos, vel malos, aliqua humanis cordibus suggerantur, vel qui Tobiam Angelus comitatur, vel Prophetæ sermo dicentis: *Et respondit Angelus, qui loquebatur in me*: sed & de Pastoribus liber hæc eadem declarat, dicens; quòd bini Angeli singulos quosque hominum comitentur: & si quādo bonæ cogitationes cor nostrum ascenderint, à bono Angelo suggeri dicit; si verò contrarię, mali Angeli dicit esse instinctum. Eadem quoque Barnabas in Epist. sua declarat, cùm duas vias esse dicit, vnam lucis, alteram tenebrarum: quibus & præesse certos quosque Angelos dicit: viæ quidem lucis Angelos Dei; tenebrarum autem viæ Angelos Sathanæ.

Eusebius Cæsariensis. 320.

*De præparatione Euangelica lib.*13. *cap.*7. Angelum vnicuique ad custodiam diuinitus datum à Scriptura nos didicimus, & Plato scribere non dubitauit, hoc modo: Quoniam, inquit, omnes animę forte viuendi modum elegêre, ordine ad sortem suam progrediuntur motæ à Dæmone, quem singulæ sortitæ sunt, qui ad custodiendam hanc vitam, & ad perficienda quæ elegerunt, vnà cum eis mittitur. Hoc ipsum credo Socratem etiam significasse, cùm dæmone quodam sæpius gubernari se dixerit. Psal.91.

Basilius Magnus. 370.

*Hom. in Psal.*33. Omni in Christum credenti Angelus assistit, nisi illum à nobis per improbas actiones profligauerimus. Velut enim fumus apes fugat, & fœdus odor columbas expellit: sic Angelū vitę nostrę custodem abigit multa lachrymarum aspergine dignū ac graueolens peccatum. Si enim in anima tua ea, quæ digna sunt Angelica custodia, habueris, mens item in te sibi opulentum fixerit domicilium, per multimodam veritatis contemplationem, perq; præclara opera, quæ secundùm virtutem gesseris, tibi adfuerit, necesse iam sit, vt te propter tutores, præsidialesq; custodes, qui tibi assistant, collocet Deus. Considera igitur quanta sit Angelorum natura: quoniam vniuerso exercitui & castris numerosæ hominum multitudinis vnus assimulatur Angelus. Ob magnitudinem itaque eius, qui te custodit, castra tibi munitionesq; præbet Deus: propter Angeli verò virtutem veluti circumuallat te vndique securitate, quæ est per illum.

*Homil. in Psal.*38. Cuilibet fidelium est Angelus assistens & adiunctus, qui in cælo est videre dignus.

*Lib.*3. *contra Eunomium*: Angeli omnes vt appellationis vnius, sic eiusdem etiam sunt naturæ inter se: attamen alij ipsorum gentibus præpositi sunt: alij verò fidelium singulos consequuntur: quanto autem gens vni viro præponenda est, tanto maiorem necesse est Angeli, qui gentis principatum habeat, esse dignitatem, dignitate eorum, quibus singulorum tutela cōmissa est. Quòd verò singulis fidelium adsit Angelus, vt pædagogus quidam, & pastor ad vitam dirigendam, nemo contradicet, qui verborum Domini recordatur, dicentis: *Ne contemnatis vnum ex his pusillis: dico enim vobis, quoniam Angeli eorum in cælis semper vident faciem Patris mei, qui in cælis est.* Quòd vero rursus sint quidam Angeli vniuersarum gentium præpositi, Moses nos per Canticum docuit: *Quando diuidebat Altissimus gentes, quando separabat filios Adam, constituit terminos populorum, iuxta numerum Angelorū suorum.* Et sapiēs Daniel in visione Angeli audiuit ipsum dicentem: *Quoniam princeps regni Persarum restitit mihi. Et ecce Michael vnus de principibus primis venit in adiutorium meum*, &c.

De vera virginitate: Neque enim quæ reueretur cæteros seipsam reuerentia indignam iudicabit: Verùm, vt diximus, seipsam primùm, conscientiamq; suam reuerebitur: etiamsi valde sit sola, deinde astantem sibi custodem Angelum. *Angeli enim eorum semper vident*, inquit, *faciem Patris, qui in*

cælis est. Neque verò conuenit, vt Angeli eius, cui credita est cura ac custodia salutis nostræ, faciem aspernetur homo: atque in primis virgo, quę hũc ipsum castitatis suæ, veluti paranymphũ, custodemq; habet.

Didymus Alexandrinus. 370.

Apud Damascenum in Parallelis lib.1. cap.7. Probi ac sancti viri lucidos Angelos custodes habent, mali autem tenebrosos.

Euagrius. 380.

Apud Damascenum in parallelis lib.1.cap.7. Scientię ac sapientiæ opes nobis Angelos adiungunt: at vir impurus & flagitiosus etiam ab eo Angelo, qui ipsi à puero datus est, disiungitur. Etenim spiritalis amicitia in virtute ac Dei cognitione cõsistit: quarum opera cum sanctis Angelis amicitię nexu copulamur: siquidem homines, quos scelerum pœnitet, lætitiæ ansam Angelis subministrant.

Gregorius Nazianzenus. 380.

Carmine 6. de substantijs mente præditis:

Ac pars æthereum circumstat sedula numen,
Pronaq; ad obsequium; pars altera sustinet orbem,
Auxilio seruatq; suo: sic scilicet illi
Diuersa vt curent, cælestia iussa sequentes.
Illi homines, vrbes isti gentesq; gubernent,
Et sacra conficiant quæ spiritualia nobis.

Orat. 32. quæ est oratio in præsentia 150. Episcoporũ habita: Præter omnia, & ante omnia clamabo: Valete Angeli huius Ecclesiæ præsides, meaq; præsentiæ, ac peregrinationis.

Orat. 34. quæ est oratio 2. de Theologia: Angeli diuinæ voluntatis ministri sunt, roborecq; non modò naturali, sed etiam aduentitio pollẽt, loca omnia peragrant, omnibus impigri adsunt, tum ob ministerij promptitudinem, tum ob naturæ leuitatem. Alij aliam quandam orbis partem complectuntur, aut certè alijs alia quędam pars commissa est, vt nouit qui hæc ordinauit ac distinxit.

Epiphanius. 380.

Hæresi 51. Regna & gẽtes sub Angelis posita sunt, velut atteſtatur Moses sanctus Dei seruus, iuxta consequentiam interpretans ac dicens: *Quando diuisit Altissimus gentes, velut dispersit filios Adam, constituit terminos gentium iuxta numerum Angelorum Dei.* Si igitur gentes sub Angelis positę sunt, meritò dixit: *Solue quatuor Angelos, qui in Euphrate desident.*

Gregorius Nyssenus. 380.

Lib. de vita Mosis: Verus Sermo ad nos vsque descendit, quo creditur postquam in peccatum natura nostra lapsa est, non omninò à clementia diuina neglectam, neque absque suo patrocinio demissam, sed Angelorum, qui natura incorporei sunt, aliquem in adminiculum cuique constitutum fuisse, naturæq; nostræ corruptorem in omnibus contra annitentem prauum aliquem atque maleficum dæmona, ad malè viuendum homines impellentem, ad singulos destinasse.

Ioannes Chrysostomus. 400.

Operis imperfecti Hom. 40. in Matthæum: *Et sepem circũdedit ei.*) Quid est sepes, nisi Angeli in circuitu custodientes populum Dei, ne in vineam Christi inuisibiles latrones irrumpant? Angelos enim præesse hominibus & Apostolus dicit: *Mulier velare debet caput propter Angelos.* Item Dominus: *Amen dico vobis quia Angeli eorum quotidie vident faciem Patris mei.* Et in Actibus Apostolorum dicitur ad puellam, nuntiantem de Petro: *Ne fortè Angelus eius sit.*

Hom. 3. ad cap. 1. ad Coloss. Primò congruentes numero gentium erant Angeli, nunc autem non cõgruentes numero gentium, sed numero fidelium. Vnde hoc constat? Audi Christum dicentem: *Videte ne despiciatis vnum de pusillis istis: Angeli enim eorum perpetuò vident faciem Patris mei, qui est in cælis.* Vnusquisque enim fidelis habebat Angelũ. Na m etiam ab initio vnusquisq; vir probus habebat Angelũ, sicut dicit Iacob: *Angelus qui pascit me, & liberat me à iuuentute mea.* Si ergo habemus Angelos, modestè nos geramus, tanquam nobis adsint quidam pædagogi. Nam adest etiam dæmon. Propterea oramus etiam, & dicimus: petentes Angelum pacis, & semper pacem petimus.

Orat. 14. in epist. ad Hebræos: Habemus nos quoq; fautores, si velimus: vnicuique nostrũm assidet Angelus.

Sermone de Ascensione Domini: Nam & Angeli præsunt, & si Martyres videre desideras, si Angelos cupis inspicere, aperi oculos fidei, & illud tibi theatrũ facilè demonstratur. Nam cùm in omni aëre Angelorum multitudo versatur, multò magis in Ecclesia, multò amplius hodierno die, quãdo eorum Dominus ascendit in cælum. Et vt scias quòd Angeli vbique versantur, audi quod Paulus fœmineo pudori prospiciens ait: *Debent mulieres velamen habere supra caput, propter Angelos.* 1. Cor. 11. Et iterum Iacob, *Angelus,* ait, *qui liberauit me à iuuentute mea.* Gen. 48. Et illi, qui cum Apostolis erant, aiunt ad Herodem: *Angelus ipsius est.* Et Iacob: *Vidi,* inquit, *castra Angelorum.* Et meritò Angelorum castra videbantur in terra. Nam sicut Imperatoris optimi prouisione vrbes omnes, vniuersæ ciuitates, castella singula, manu militari aduersus hostilem muniuntur aduentum, & omnia loca diligenter armantur, ne barbarica incursione deleantur: ita & Deus, quoniam barbara, & agresti mente rabientes dæmones ad pacis euersionem vbique versantur, ad tutelam nostram constituit exercitus Angelorum, vt eorum præsentia dæmonum confringatur audacia, & per eos nobis pacis gratia ministretur. Vides quòd & Angeli præsunt, consistunt Martyres, & vbique nobis præparantur auxilia.

Ioannes Cassianus. 430.

Collatione 8. cap. 17. Quòd vnicuique nostrũm duo cohæreant Angeli, id est, bonus & malus, Scriptura testatur. De bonis quidem Saluator: *Ne contemnatis,* inquiẽs, *vnum ex pusillis istis; dico enim vobis, quod Angeli eorum in cælis semper vident faciem Patris mei, qui est in cælis.* De vtrisq; liber Pastoris plenissimè docet.

Cyrillus Alexandrinus. 430.

Lib. 4. contra Iulianum: Et Virtutes sanctas ac rationales, ab ipso originem quidem sortitas, subsistẽtes autem absque omni macula, assuetas humili sensu, illius sceptris & dominicæ voluntati obedire, irreprehensibilemq; prorsus præ se ferentes obedientiam, nobiscum, qui lædimur, militare iussit. Non quòd ipse ad saluandum infirmus: quomodo enim, vel vnde? sed vt rex quidam fidelibus ministris permittens cõtra barbarorum insidias se opponere, & subditorum depellere insolentiam. *Immittet enim,* inquit, *Angelus Domini in circuitu timentium eum, & liberabit eos.* Psal. 77. Dictum est autem per vocem sanctorum sancto omni, & bene operari eligenti: *Angelis suis præcipiet de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis.* Psal 90.

Isidorus Peluſiota. 440.

Lib. 2. Epist. 85. Si hæc ita se habent, quonam pacto dæmon Angelo reluctari potuisset? at nimirum opinor id hinc contigisse, vt auctor est Moses, quòd cuique nationi Angelus attributus est. *Quando* enim, inquit, *diuidebat gentes Altissimus, quando separabat filios Adam, constituit terminos populorum iuxta numerum Angelorum Dei.* Deut. 32.

Theodoretus. 450.

In Genesin quæst. 3. Quòd Angeli substantiam habeant circumscriptam nemo repugnabit, cùm Dominus dixerit, singulos homines subesse singulorum Angelorum imperio: *Videte,* inquit, *ne contemnatis vnum ex pusillis istis, quia Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in cælis est.* Quin etiam cuique genti proprium Angelum præesse affirmat Scriptura, verbi gratia: *Statuit terminos gentium pro numero Angelorum Dei.*

Ad caput 10. Danielis: Ex his docemur singulis Angelis vniuscuiusq; nostrũm creditam esse curam, vt custodiant, tueantur, & à praui dæmonis nos liberent insidijs. Archangelis verò illud munus impositum, vt gentium sint præfecti.

Andreas Cæsariensis. 500.

Ad cap. 2. Apocalyps. Singulis hominibus Angelus custos præpositus est. Hos autem Angelos custodes ob naturæ claritatem, vitæq; sanctitatem, & castimoniam, tropo quodam stellarum voce denominat.

Procopius Gazæus. 530.

Ad cap. 4. Exodi: Collapsa natura nostra in peccatum, vnicuique subsidij causa apposuit Angelum misericors Deus.

Ad cap. 6. Esaiæ: Adeò magnum est ministrarum virtutum in eos, qui salutem sunt cõsecuturi, momentum; quæ non sponte tamen, sed Dei nutu missę nobis adsunt. Primaria enim illis & naturalis vita est, in Dei pulchritudinem semper aciem intendere, eumq́ue perpetuò celebrare. Hæc autem aduentitia functio est, vt hominum curam habeant, vt nobiscum versentur.

Seuerus. 530.

Epist. ad Ioannem Tribunum: *Quando diuidebat Altissimus gentes, & distergebat filios Adam, constituit terminos gentium secundùm numerum Angelorum Dei,* hũc habet sensum: Omnibus gentibus diuisis, Angelos secundùm eundem numerum præfecit, attribuens aliquem vnicuique ad custodiam. Etenim esse ipsos spiritus ministros, in ministerium missos propter eos, qui futuri sunt hæreditatem capere salutis, à Scripturis diuinitus afflatis audimus. Heb. 1. Quoniam etiam cuilibet Angelum ad custodiam datum fuisse, Euangeliorum vox testatur, Domino de pueris dicente: *Angeli eorum semper vident faciem Patris, qui in cælis est.* Matt. 18. Si autem singulis Angelum præfecit Deus, quomodo non magis & gentibus, & populis, & ciuitatibus?

Ioannes Climacus. 580.

Gradu 5. de Pœnitentia: Putas appropinquauerunt nobis Angeli custodes nostri? an adhuc longius à nobis stant? nisi enim illi appropient nobis, inutilis & infructuosus est omnis labor noster. Neque enim habet vim confidentiæ oratio nostra, neque munditiæ pennas, vt ingredi ad Deum possit, nisi hanc è proximo assumant Angeli, qui nobis præsunt, eamq; offerant Domino.

Anastasius Synaites. 580.

Lib. 5. Hexameron: His, qui virtutibus à Deo effecti sunt volucres, à Deo dantur S. Angeli, qui eorũ curã gerant, & prouideãt ad illuminationem. Ad eos enim iussum dirigit Deus, iubens, & dicens, vt multiplicentur volucres, hoc est qui cælestia sapiunt & obeunt. Ipse quoque Dominus nobis fidem facit, & docet Angelos esse custodes eorum, qui credunt in ipsum: *Dico enim vobis,* inquit, *quòd Angeli eorum perpetuò aspiciunt faciem Patris mei, qui in cælis est.*

Antiochus. 610.

Homil. 61. Duo Angeli dati sunt homini assessores, vnus quidem iustitiæ amantissimus, alter verò malitiæ omnis incentor malignissimus. Et quidem iustitiæ Angelus verecundię atque intemerati pudoris cupientissimus, mansuetus insuper est & tranquillus. Hoc vbi primùm ad cor ascenderit hominis, cum eo mox sermonem texit familiariter, de iustitia, de munditia, de castitate, &c.

Sophronius Hierosolymitanus. 630.

In Encomio Angelorum: Vos ij estis, qui cælum cursu expeditissimo transmittitis, qui motu celerrimo, incitatissimoq́ue per aërem discurritis, qui cælum & æthera repletis, qui nulli non homini custodes & comites adestis, qui Creatoris voluntatem indeflexè perficitis.

Germanus Constantinopolitanus. 720.

Oratione de Obdormitione Dei Genitricis: Cùm genus humanum conditum esset, Angeli diuinitus constituti sunt, qui vitæ ipsorum custodes essent, atque præsides. Sic enim scriptum sacris litteris legimus, *nationum limites pro Angelorum Dei numero statuit.* Item Angelus Domini circum timentes eum castra munit, inde hominibus ad deastrorũ cultum exorbitantibus, Angeli quoque ab eis recesserunt. Verùm quo deinceps tempore Virgo peperit, cælestia rursum cum terris vnita sunt, Angeliq́ue cum hominibus versari ac Deum celebrare consentientibus animis cœperunt.

Ioannes Damascenus. 730.

Orthodoxæ fidei lib. 2. cap. 3. Ad explendam Dei voluntatem fortes ac prompti sunt Angeli, & prout à summo illo Pontifice destinati, & collocati sunt, certas quisque terræ partes custodiunt, gentesq́ue & regiones tuentur, ac res nostras gubernant, nobisq́ue opem ferunt.

Anastasius Nicænus. 850.

Quæst. 61. Prius pro numero gentium erant Angeli, nunc non pro numero gentium, sed pro numero fidelium. Nam vnusquisque fidelis habet Angelum suum custodem, vt scriptum est: *Castrametabitur Angelus Domini in circuitu timentium eum, & liberabit eos.* Nam etiam ab initio quilibet vir probus habebat Angelum, sicut dicit Iacob: *Angelus qui me liberat à iuuentute mea.*

Pantaleon Diaconus. 860.

In Encomio Michaelis Archangeli: Constituit nobis Dominus diuinos Angelos & Archangelos, qui curam gererẽt ac præessent generi hominum, propter bonitatem naturalem, vt suppeditarent hominibus diuinos nuntios & dona, & componerent ac dirigerent eorum vitam ad ea, quæ sunt meliora. Et ex diuinis quidem, & infinitis Angelis, alios quidem vnumquemque vnicuique præesse fidelium, & eum regere iussit Dominus, vt dixit in diuinis Euangelijs: *Videte, ne despiciatis vnum ex his paruis: quoniam Angeli eorum semper vident faciem Patris, qui in cælis est.* Alios autem vt alienas & ignotas gentes regerẽt, vt qui omnia administrẽt, constituit pro numero gentium, vt vnus Angelus totam gentem gubernaret, vt scriptum est in Cantico Mosaico: *Quando diuidebat,* &c.

Narratione de miraculis Michaelis Archangeli: Simul atque constitutum fuit humanum genus, iussi sunt Angeli eius vitæ curam gerere, & vnumquemque hominem fidelem fortitus est bonus Angelus, vt eius vitam componeret, & eius animam perficeret.

Theophylactus. 900.

Ad cap. 18. Matthæi: Angeli sunt hominum præsides, ne damnum illis fiat à dæmonibus. Omnes enim homines, & maximè fideles, suos habent Angelos. Pusillorum autem & humilium in Christo

Angeli vsque adeò familiares sunt Deo, vt faciem eius semper videant, coram ipso stantes. Apparet autem ex hoc, quòd, licet omnes Angelos habeamus, Angeli tamen peccatorum, quasi propter nos confusi minus fidentes sunt, neque ipsi possunt tam liberè videre faciem Dei, & precari forsitan pro nobis.

Oecumenius. 1050.

Ad cap.12. Actor. Ex hoc manifestum est, quemcũque nostrum habere Angelum.

Euthymius. 1080.

Ad cap.18. Matth. *Angeli eorum semper vident faciem Patris.*) Hinc manifestum est, iustos habere Angelos custodes, dicit enim Dauid: *Castrametabitur Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos.* Quos autem seruant Angeli, qui tantam apud Deum habent libertatem, vt semper videant Deum, qui in cælis est, verè hos despicere non oportet: etsi non propter illorum virtutem, at saltem propter custodes eorum. Pſal.33.

Michael Glycas. 1100.

Parte 2. Annalium: Quilibet homo vitæ suæ præsidem Angelum habet, vt hoc pacto malorum geniorum in eos impetus frangatur.

Nicolaus Cabasilas. 1260.

De Liturgia cap. 34. Oramus pro bono Angelo, non vt tunc nobis detur: (datus est enim ab initio cuique fidelium Angelus) sed vt operetur, & suo fungatur officio, & nos custodiat, & ad vitam diuinam deducat, & non abscedat succensens propter peccata nostra.

Nicephorus Callistus. 1300.

Eccles. hist. lib. 14. cap. 21. In vrbe Constantinopolitana cùm anxij essent ciues, & addubitarent, cuinam parti victoria arrisura esset, Angeli Dei quibusdam in Bithynia propter negotium certum Constantinopolim petentibus apparuêre, eosque inibi annuntiare iussêre, vt illi precationi admodum incumberent, & animum fortem obtinerent, ac Deo crederent, victoriam Romanorum fore. Illud insuper addentes, indices ipsos, & inde nuntios victoriæ, qui Romanis præsentem maximè opem ferant, à Deo missos esse.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Tertullianus. 200.

Lib. de Anima cap. 37. Omnem hominis in vtero ferendi, struendi, fingendi paraturam aliqua vtique Potestas diuinę voluntatis ministra modulatur. *Quæ sit hæc Potestas, paulo post explicat, quum dicit,* nos officia diuina (*id est, phrasi Iurisconsultorum ministros Dei*) Angelos credimus. *Sentit igitur cuique hominum peculiarem Angelum esse deputatum.*

Victorinus Pictauiensis. 270.

In Apocal. Quatuor Angeli per quatuor angulos terræ, siue quatuor venti trans Euphratẽ fluuium, sunt quatuor gentes. Quia omni genti à Deo deputatus est Angelus, sicut dicit: *Statuit eos super numerum Angelorum Dei, donec Sanctorum compleatur numerus.*

Hilarius. 350.

Ad Psal. 129. Meminimus esse plures spirituales Virtutes, quibus Angelorum est nomen, Ecclesijs præsidentes. Sunt enim secundùm Ioannem Asianis Ecclesijs Angeli, & Mose testante secundùm numerum Angelorum fines gentium Adæ filijs constituti, & Domino dicente: *Pusillorũ Angeli quotidie vident Deum.* Sunt secundùm Raphaelem ad Tobiam loquentem Angeli assistentes ante claritatem Dei, & orationes deprecantium ad Deum deferentes. Hoc ideo commemoratũ est, vt si fortè hos esse oculos, vel aures, vel manus, vel pedes Dei intelligere voluerimus, habeamus non improbabilis intelligentiæ auctoritatẽ, maximè cùm scriptum sit: *Sunt enim efficientes Spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hæreditabunt salutem.* Hebr.1.

Cano.18. in Matth. *Pusillorum Angeli quotidie Deum vident: quia Filius hominis venit saluare quæ perdita sunt.* Ergo & Filius saluat, & Angeli pusillorum præsunt fidelium orationibus. Præesse Angelos absoluta auctoritas est.

Ambrosius. 370.

Lib. de Viduis: Obsecrandi sunt Angeli pro nobis, qui nobis ad præsidium dati sunt.

Hieronymus. 390.

Ad cap. 66. Esaiæ: Quòd vnusquisque nostrum habeat Angelos, multæ Scripturæ docent; è quibus est illud: *Nolite contemnere vnum de minimis istis; quia Angeli eorum quotidie vident faciem Patris.* Et puella Rhode Petrum Apostolum esse nuntiante, alij Angelum ipsius esse credebant. Sin autem hoc de minimis dicitur, & de vno homine: quanto magis de Sanctis, & præcipuè de Apostolis sentiendum est? quorum *Angeli quotidie vident faciem Patris,* iuxta illud quod scriptũ est: *Circudat Angelus Domini in circuitu timentium eum.* Et Iacob de se loquitur: *Angelus, qui liberauit me:* isti sunt qui descendunt, & ascendunt super filios hominum. Pſal.33.

Epist. 27. ad Eustochium cap. 1. Testor Iesum & Sanctos eius, ipsumque proprium Angelum, qui custos fuit, & comes admirabilis fœminæ, me nihil in gratiam dicere.

Ad cap.10 Danielis: *Princeps regni Persarum.*) Videtur mihi hic esse Angelus, cui Persis credita est, iuxta illud quod in Deuteronomio legimus: *Quãdo diuidebat Altissimus gentes, & disseminabat filios Adam, statuit terminos gentium, iuxta numerum filiorum Dei.* Deut.32. secundũ Septuag.

Isti sunt Principes, de quibus Apostolus Paulus loquitur: *Sapientiam loquimur inter perfectos, quam nullus principum huius seculi cognouit. Restitit autem Princeps,* id est, Angelus Persarum, faciens pro credita sibi prouincia ne captiuorum omnis populus dimitteretur. 1.Cor.2.

Ad cap. 5. Ecclesiastis: Non in ventum dicta transeunt, sed à præsente Angelo, qui vnicuique adhæret comes, statim perferuntur ad Dominum.

Ad cap. 18. Matthæi: Magna dignitas animarum, vt vnaquæque habeat ab ortu natiuitatis in custodiam sui Angelum delegatum.

Augustinus. 400.

In Soliloquijs cap. 27. Angeli ciues sunt beatæ ciuitatis supernę Hierusalem, quæ sursum est mater nostra, *in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis.* Diligunt conciues suos, per quos suæ ruinæ scissuras restaurari expectant: ideoq; magna cura & vigilanti studio adsunt nobis omnibus horis & locis, succurrentes, & prouidentes necessitatibus nostris, & solliciti discurrentes inter nos, & te Domine; gemitus nostros atque suspiria referentes ad te, vt impetrent nobis facilẽ tuæ benignitatis propitiationem, & referant ad nos desideratam tuæ gratiæ benedictionem. Ambulãt enim nobiscum in omnibus vijs nostris, intrant, & exeunt nobiscum, attentè considerantes, quàm piè, quàm honestè in medio nationis prauæ conuersemur. Adiuuant laborantes, protegunt quiescentes, hortantur pugnantes, coronant vincentes, &c.

Primasius. 540.

Ad cap.1. Epist. ad Hebræos: Generaliter, sicut Doctores dicunt, vnicuique fidelium ab ortu natiuitatis, vel potius à tempore baptismatis datur à Deo Angelus ad sui custodiam, & qui suadeat bona agere.

Gregorius Magnus. 590.

In Iob lib. 4. cap. 27. Sic iumentis homines, hominibus Angeli, Archangeli verò Angelis præsunt. Nam quòd iumentis homines præsunt, vsu cernimus, & verbis Psalmistæ docemur, qui ait: *Omnia subiecisti sub pedibus eius, oues & boues vniuersas, insuper & pecora campi.* Quia verò hominibus Angeli præsunt, per Prophetam testatur Angelus, dicens: *Princeps regni Persarum restitit mihi.* Quòd verò Angeli à superiorum Angelorum Potestatibus dispensentur Zacharias Propheta perhibet, qui ait: *Ecce Angelus, qui loquebatur in me, egrediebatur, & Angelus alius egrediebatur in occursum eius, & dixit ad eum: Curre, & loquere ad puerum istum, dicens: absque muro habitabitur Hierusalem.* Psal.8. Dan.10. Zach.2.

Isidorus Hispalensis. 620.

De Summo bono seu libro 1. Sententiarum cap. 12. Singulæ gentes præpositos Angelos habere creditur, quod ostenditur testimonio Angeli Danieli loquentis: *Ego,* inquit, *veni, vt annuntiarem tibi: sed princeps regni Persarum restitit mihi.* Et post alia: *Non est qui me adiuuet, nisi Michael princeps noster.* Item omnes homines Angelos habere, probatur loquente Domino in Euangelio: *Amen dico vobis, quia Angeli eorũ semper vident faciem Patris mei, qui est in cælis.* Vnde & Petrus in Actis Apost. cùm pulsaret ianuam, dixerunt intus Apostoli: *Non est Petrus, sed Angelus eius est.* Dan.10. Matt.18. Act.12.

Lib. 7. Originum, cap. de Angelis: Quòd Angeli & locis & hominibus præsint, per Prophetam testatur Angelus dicens: *Princeps regni Persarum restitit mihi.* Vnde apparet nullum esse locum, cui Angeli non præsint. Præsunt enim auspicijs omnium operum.

Audoënus. 660.

Vitæ S. Eligij cap. 16. Semper in Dei timore permanete, certi vnumquemque nostrum habere Angelum Dei, qui obseruet iugiter quid agamus; & si quidem bene agimus, gaudium afferimus Angelis nostris: si verò malis operibus vacamus, Angelos sanctos repellimus, & malignos dæmones nobis asciscimus.

Aponius. 700.

Lib. 5. in Cant. Angelorum custodia erga animas contra dæmonum impugnationem instituta probatur.

Beda. 700.

Lib. quæstionum quæst. 9. Boni Angeli ad ministerium salutis humanæ deputati sunt, vt curas administrent mundi, & regant omnia iussa Dei, testante Apostolo: *Nonne omnes,* inquit, *sunt administratorij spiritus, in ministerium missi, propter eos, qui hæreditatem capient salutis?* Singulę gentes præpositos habere Angelos creduntur, quod ostenditur testimonio Angeli Danieli loquentis: *Ego,* inquit, *veni vt nuntiarem tibi, sed Princeps regni Persarum restitit mihi.* Et post alia: *Non est qui me adiuuet, nisi Michael Princeps vester.* Item omnes homines Angelos habere, probatur loquente Domino in Euangelio: *Amen dico vobis, quia Angeli eorum semper vident faciem Patris,* &c. Vnde & Petrus in Actibus Apostolorum, cùm pulsaret ianuam, dixerunt intus: *Non est Petrus, sed Angelus eius.* Act.12.

Ad cap.12. Act. *Illi dicebant, Angelus eius est.*) Quòd vnusquisque nostrum habeat Angelum & in libro Pastoris, & in multis S. Scripturę libris inuenitur. Nam & Dominus de paruulis inquit: *Angeli eorum semper vident faciem Patris, qui in cælis est.* Et Iacob de se loquitur: *Angelus, qui eruit me de cunctis malis.* Et hîc discipuli Angelum Apostoli Petri venire dicebant.

Alcuinus. 750.

Ad *cap. 5. Ecclesiastis:* Quod non potes facere, non promittas. Non enim in ventum dicta transeunt, sed à præsente Angelo, qui vnicuique adhæret comes, statim perferuntur ad Dominum.

Haymo. 820.

In Festo Michaelis Archangeli: *Angeli eorum semper vident faciem Patris.*) In hoc loco discimus, quia vnusquisque fidelium ob sui custodiam deputatum habet Angelum, qui & eũ à tentationibus defendit, & in virtutibus iuuat, sicut Apostolus in Epist. ad Hebr. ait, &c.

Rabanus Maurus. 840.

De Vniuerso lib. 1. cap. 5. Vnicuique Angelorũ propria officia sunt iniuncta, quæ promeruisse eos in mundi constat exordio. Nam quia Angeli & locis & hominibus præsunt, Prophetæ testatur Angelus, dicens: *Princeps regni Persarum restitit mihi:* Vnde apparet nullum esse locum, cui Angeli non præsunt. Dan.10.

Ad *cap. 15.* Possunt & Angelicę Virtutes custodes murorum spiritalium intelligi, quæ nobis deputatæ sunt, vt nos suis solatijs contra malignos spiritus defendant.

Ionas Aurelianensis. 860.

De cultu Imaginum lib. 3. Sicut Imperatores optimi, vrbes omnes, vniuersæ ciuitates, castella singula, manu militari aduersus hostilem muniuntur aduentum, ne barbarica incursione deleãtur: ita Deus (quoniam de barbarica & agresti mente rapientes dæmones ad pacis euersionem vbique versantur), ad tutelam nostram constituit exercitus Angelorum, vt eorum præsentia dæmonum confringatur audacia, & per eos nobis pacis gratia ministretur. Vides quòd Angeli præsunt, insistunt Martyres, & vbique nobis præparantur auxilia?

Remigius Antisiodorensis. 880.

Ad Psal. 33. *Immittet Angelum Dominus in circuitu timentium eum, & eripiet eos.*) quia quisque fidelis habet Angelum bonum, qui eum custodiat, sicut in Euangelio: *Angeli eorum semper vident faciem Patris.* Matt.18.

Ad Psal. 90. Vnusquisque fidelium habet Angelum confortantem se in bonis operibus.

Petrus Damianus. 1060.

Sermone de Exaltatione S. Crucis: Angelos ad nostri custodiam deputatos quotidie multipliciter offendimus, & offensam negligentia cumulamus. Ipsi autem licet frequenter à nobis iniurias patiantur, sustinent tamen, & compatiuntur precantibus, nec minor illorum circa nos custodia, imò maior solicitudo, cùm boni custodis sit, infirmis magis, quàm sanis operam exhibere.

Radulphus Ardens. 1070.

In Festo Angelorum: *Angeli eorum:*) Ex hoc loco, & ex illo loco Actuũ Apostol. vbi puellę asserenti Petrum ad ianuam stare discipuli respondent: *Angelus eius est,* atque ex alijs locis cognoscimus, quòd vnaquæque anima, ab ortu natiuitatis suæ habet sibi Angelum in custodiam delegatum. Sed si omnes tam boni quàm mali habent Augelos suos sibi deputatos, quomodo in hoc paruuli quasi priuilegiati hîc dicuntur? Quia boni Angeli sunt eorum, eò quòd eos per consensum suos efficiunt;

malorum verò non sunt, eò quòd mali non bonos Angelos, sed potius malos eis consentiendo efficiunt suos.

Anselmus. 1080.

In Elucidario: DISCIP. Habent Homines custodes Angelos? MAG. Vnicuique genti, vnicuique ciuitati præsunt Angeli, qui iura, leges, iustos mores iustè dispensant & ordinant: Vnaquæque etiam anima, dũ in corpus mittitur, Angelo committitur, qui eam semper ad bonum incitet, & omnia opera eius Deo & Angelis in cælo referat.

Hildebertus Cenomanensis. 1100.

Matt. 18. *Epist. 37.* Et quoniam legisse te non dubito: *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei*, suum cuique Angelum assignabis tu. de te beatum illud ingeres gaudium, de quo in Euangelio Dominus ait: *Gaudium est Angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente.* Lucæ 15.

Honorius Augustodunensis. 1120.

In Speculo Ecclesiæ Serm. de Michaele Archangelo: Angeli singulis hominibus ad tutelam, vel solatium, vel auxilium mittuntur, à quibus dæmones, ne quantum volunt noceant, reprimuntur: Archangeli, qui ad summa peragenda, vel nuntianda mittuntur, quiqúe singulis gentibus præesse creduntur.

Hugo Victorinus. 1130.

Summæ Sent. tract. 2. de Statu & creatione Angelicæ naturæ cap. 6. Dicit Scriptura, quòd Angeli sunt deputati ad custodiam hominum, vt in Euangelio: Matt. 18. *Angeli eorum semper vident faciem Patris.* Gregorius etiam dicit, quòd quisque habet vnum bonum Angelum, sibi ad custodiam deputatum, & vnum malum ad exercitandum. Cùm enim omnes boni Angeli desiderent bonum nostrum, & communiter saluti omnium studeant; ille tamen, qui deputatus est alicui ad custodiã, eum potius ad bonum hortatur. Sicut legimus de Angelo Tobiæ, de Angelo Petri in Actibus Apost. Similiter & mali Angeli cùm desiderent malum omnium, tamen magis incitat eum malus Angelus, qui permissus est ei ad tentandum.

Bernardus. 1130.

Lib. 5. de Consideratione ad Eugenium cap. 3. Putemus Angelos dici, qui singuli singulis hominibus dati creduntur, *missi in ministerium propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis*, de quibus Saluator: *Angeli eorum semper vident faciem Patris.*

Serm. 12. super Qui habitat: *Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis.* Quantam tibi debet hoc verbum inferre reuerentiam, afferre deuotionem, conferre fiduciam? Reuerentiã pro præsentia, deuotionem pro beneuolentia, fiduciam pro custodia. Cautè ambula, vt videlicet cui adsunt Angeli (sicut eis mandatũ est) in omnibus vijs tuis. In quouis diuersorio, in quouis angulo Angelo tuo reuerentiam habe. Tu ne audeas illo præsente, quod vidente me non auderes. An præsentem esse dubitas, quem non vides? Quid si videres, quid si tangeres, quid si olfaceres? Vide quia non solo visu rerum præsentia comprobetur. Si fidem consulas, ea tibi Angelicam probat præsentiam non deesse. Adsunt igitur, & adsunt tibi, non modò tecum, sed etiam pro te. Adsunt, vt protegant: adsunt, vt prosint: simus ergo deuoti, simus grati tantis custodibus; honoremus eos quãtum possumus.

Richardus Victorinus. 1140.

In Cantica cap. 4. Angelorum ministerium non tantùm temporale nobis est, sed etiam sempiternum: quia per eorum præsens auxilium hæreditatem & æternam salutem capiemus, & gaudium eorum cum ipsis sine fine percipiemus. Quomodo verò putamus salutem nostram diligant, & quantum nos consortes secum habere cupiant? Quis æstimet, quanta caritate & cura circa commissos sibi vigilent? Quomodo torpentes excitent, & sollicitos atque feruentes amplius accendant? quomodo hinc mala excusent, inde bona diuino conspectui repræsentent, quomodo defendant, aut his gratiam obtineant? Cumqúe animam magno desiderio feruentem perspexerint, & ad Deum pura intentione suspirantem, quomodo putamus, hanc diligant, eiqúe congaudeant, & ad illam diuertant? quomodo inter illam & Deum discurrant?

Petrus Lombardus. 1150.

Lib. 2. distinct. 11. Angeli boni deputati sunt ad custodiam hominum, ita vt quisque electorum habeat Angelum ad sui profectum, atque custodiam specialiter delegatum. Vnde in Euangelio Veritas à pusillorum scandalo prohibens, ait: *Angeli eorum* Matt. 18. *semper vident faciem Patris mei*, &c.

Potho Prumiensis. 1160.

De Statu domus Dei lib. 5. cap. 9. Ipsi Archangeli distributa officia in populo Dei, qui eorum curæ commissus est, fortiuntur. Nam contra tyrannidem gentium in populum insurgentem Michael Princeps eorum in adiutorium de cælis mittitur: Daniel verò à Gabriele de mysticis visionibus docetur: Raphael verò ad curandum Tobiam & Saram missus fuisse legitur.

Petrus Cellensis. 1170.

De panibus cap. 10. His principaliter & propriè deseruiunt Angeli officijs, vt ad Deum venientium inquirant mentem, propositum, & meritum. Officij sui certo est & dignos intromittere, & indignos extrudere, bene meritos cum reuerentia suscipere, immeritos cum iniuria eijcere.

Cæsarius Heisterbacchius. 1220.

Lib. 8. cap. 41. Quilibet homo habet Angelum sibi à Deo deputatum ad custodiam ab hora natiuitatis vsque ad diem mortis, quorum ministerium hominibus necessarium est.

Guilhelmus Aluernus. 1230.

De Sacramento Pœnitentiæ cap. 15. Recordari debes, qualem villam tibi Deus dederit: de qua manifestum est, quia pulchrè magnificeqúe ædificauit eam architecto eius, atq; opifice ipso Deo, deinde duplici muro munitam, videlicet Angelorum custodia, & Dei protectione.

Secundæ partis de Vniuerso par. 2. cap. 158. Gens Christianorum ex ipso testimonio Legislatoris, credit vnicuique hominum vnum bonum spiritum assignatum à Creatore. Ita enim legitur in lege ipsorum de Angelis: *Angeli*, inquit, *ipsorum semper vident* Matt. 18. *faciem Patris, qui in cælis est.*

Albertus Magnus. 1240.

Ad lib. 1. Sentent. dist. 16. Hoc, quòd Angeli custodiunt nos, & obsequuntur nobis, non ostendit indigniorem eorum naturam; sed charitatem & obedientiam ipsorum, nostram autem indigentiam.

Richardus de Media Villa. 1290.

Lib. 2. dist. 11. quæst. 1. Vnicuique puto homini viatori fuit adhibita custodia Angeli, & ante lapsum, & post lapsum; & adhibebitur vsque ad completionem numeri electorum. Sicut enim dicit Dionysius in lib. de Angelica Hierarchia cap. 4. Lex diuinæ prouidentiæ est inferiora reducere ad Deum per superiora: homines autem per naturam Angelis sunt inferiores, & sub ratione, qua isti sunt viatores, & illi comprehensores. Et ideo consonum fuit diuinę prouidentiæ, vt quilibet purus homo

homo ab Angelo custodiretur, vt electos in procuratione suæ salutis adiuuarent, & reprobos ab aliquibus malis actionibus vel affectibus retraherent.

Iacobus Genuensis. 1280.

Dominica 3. post Trinitatis Serm. 3. Angeli gaudent triplici de causa de nostra conuersione. Primò, quia vident suæ custodiæ tam gloriosum fructũ: cuilibet enim homini Angelus ad suam custodiam deputatur; & dum est in vtero, ne ibi à Diabolo suffocetur, & dũ egressus est ab vtero, ne fortè à baptismi gratia impediatur; & dũ est in mundo, ne fortè ad peccata plurima detrahatur, & Deo seruire impediatur; & dum exit à mundo, ne fortè à laqueis diaboli teneatur. Sicut ergo medicus gaudet, quàndo videt circa ægrum curationis suæ fructum; sic Angelus multum gaudet, quando videt circa hominem suæ custodiæ effectum.

Ioannes Scotus. 1300.

In lib. 2. Sent. dist. 11. quæst. 1. Homines non sunt contemnendi, quia ad illorum custodias mittuntur Angeli.

Nicolaus Lyranus. 1320.

Ad cap. 12. Act. Apost. *Angelus eius est.*) Ex hoc loco, & ex hoc, quod dicitur Matth. 18. *Angeli eorum semper vident faciem Patris*, dicunt concorditer SS. Doctores, quòd singuli homines habent singulos Angelos ad sui custodiam deputatos, & aliquando appareant in specie illorum: sicut Angelus in specie B. Ambrosij Mediolani existentis apparuit Turonis in sepultura B. Martini.

Durandus à Sancto Portiano. 1320.

Lib. 2. dist. 11. quæst. 1. Angeli deputantur ad custodiam hominum à tempore natiuitatis vsque ad horam mortis inclusiuè, & rationabiliter, quia constituti in via periculosa indigent custodia: sed homines ab hora natiuitatis sunt constituti in via tendendi ad patriam, in qua quidem via multa pericula ijs imminent; ideo homines à natiuitate vsque ad mortem indigent Angelorum custodia, & non prius, nec postea.

Augustinus Triumphus. 1320.

De potestate Ecclesiastica quæst. 18. art. 1. Cura cuiusq; hominis commissa est Angelis, vt de hoc intelligatur dictum Hieronymi, quòd vnaquæque anima ab ortu natiuitatis habet Angelum ad suam custodiam, & exercitium virtutum deputatum.

Ioannes Taulerus. 1350.

Sermone de Festo Michaelis Archangeli: Singuli quippe hominum specialem Angelum habent, eis in baptismo assignatum, cui à Deo commissi sunt, vt perpetuò sine cessatione illis adsint, nec vnquam eos deserant, sed custodiant dormientes, vigilantes, in omnibus vijs & actibus eorum siue boni sint, siue mali.

Franciscus Petrarcha. 1370.

Ad Psalmum 4. Pœnitential. Deputasti homini comitem perpetuum ac ducem.

Petrus Aliacus. 1400.

In Speculo considerationis parte 3. cap. 12. Sunt Angeli, qui in ministerium missi singulis hominibus dati creduntur.

Ioannes Gerson. 1420.

In Summa Theologica de gaudijs Paradisi: Quidam Angeli præsunt regionibus, vt dicitur Daniel. 10. *Cùm enim egrederer apparuit princeps Græcorum, & dixit: Ecce nunc reuertor, vt prælier aduersus principem Persarum.* Quidam Angeli præsunt Ecclesijs, Apocal. 2. *Et Angelo Ephesi Ecclesiæ scribe: Hæc dicit Dominus*, &c. Quidam præsunt hominibus, Act. 12. de B. Petro, *Angelus eius est*, dixerunt illi qui orabant pro B. Petro, dum teneretur in carceribus Herodis.

Tractatu 8. super Magnificat: Tanta est dignitas tua, ó anima mea, tanta, quòd ab exordio creationis tuæ tibi, tuæqúe custodiæ deputatus est Angelus, vnus de Principibus cæli.

Bernardinus Senensis. 1430.

Tom. 4. Serm. 48. de Amore misericordioso fol. 272. Secunda contemplatio est ipsorum Angelorũ multitudo. Nam Dionysius in suo libro Hierarchiæ dicit, quòd solùm Angeli in paradiso existentes sunt plures, quàm sint stellæ, quàm sint arenæ maris & terræ, quàm sint folia & herbæ, & quàm sint omnia quæcunque creata. Vnde Matth. 19. de Angelis datis ad custodiam animarum loquendo dicit, quòd *Angeli eorum in cælis semper vident faciem Patris:* ad dandum intelligere, quod quælibet anima habet duos Angelos, vnum Dei, & spiritus; aliũ carnis, qui semper sunt contrarij. Considera quot Angeli debent esse, si infinitus est numerus animarum, & cuilibet animę datur vnus Angelus bonus, & vnus malus. Et cùm fuerint ab Adam tot animæ, cuius numerus est infinitus, & sint in præsentiarum in toto orbe, & futuræ sunt vsque ad finem orbis, quibus singulis dati sunt, & dabuntur duo Angeli, vnus bonus, & vnus malus. Contemplare tibi ipsi suadendo, quantus debet esse numerus Angelorum.

Dionysius Carthusianus. 1460.

Ad cap. 18. Matthæi ar. 3. Secundùm Doctores quilibet homo sortitus est Angelum specialem: imò secundùm Thomam, & alios quosdam etiam pueri nondum nati in vtero matrum habent custodientes se Angelos, propter pericula, quæ possunt ante partum, & in partu occurrere.

Nicolaus de Nyse. 1480.

Prima parte Summæ ædificatorij animæ Tract. 2. Ipsi animæ deputat Deus Angelum, qui tam nobilis est creatura, ad sui custodiam.

Rupertus Lycius. 1480.

Serm. 56. Quadragesimali cap. 3. O anima sordida, aperi oculos tuos, & vide Angelũ semper tibi assistentem, in quouis angulo, in quouis exercitio; exhibe illi reuerentiam, & à flagitijs desine consuetis, vsque ad mortem commorabitur tecum.

ASSERVNT IVDÆI VETERES.

Ad Psal. 139. *Ante & retro formasti me.*) Inuenitur in illo appetitus bonus, & appetitus malus, & sunt duo Angeli, licet alter eorum sit diabolus, & alter Angelus; atque intellectus, qui dedit illis esse, est Deus, & vocatur Angelus: & propterea est dictum à sapientibus: Angelus bonus, & Angelus malus: Angelus bonus ille, qui dirigit hominẽ in bonum in vita eius. Et si homo operatur contrarium, vertit se in ipsum, & est homini infernus.

Auctor libri Malchiel.

Principio ponemus coram te sententiam Rabbinorum, qui dicũt, non est herba infra, quę non habeat fatum supra. Et si ita se res habet in plantis corporeis, quantò magis animalibus viuentibus & spiritalibus, comparatione ad corporea, est aliquis, qui ea curet supra, vt infundat super ea virtutem suam; qui verò curat animalia viuẽtia vocatur Dominus, aut Angelus.

R. Salomon.

Ad illa verba Daniel. 10. *Vidi ego Daniel.*) Angelus vnius cuiusque hominis supra ipsum, &c.

ARTICVLVS QVARTVS.

BONOS ANGELOS PRO HOMINIBVS ORARE, RECTE AB IIS INVOCARI ET HONORARI.

NEGANT.

Anno post Christũ natum. 1540.

IOannes Caluinus lib.1. Instit.cap.14.§.12. *Valeat Platonica illa Philosophia de quærendo per Angelos ad Deum aditu, & ipsis in hunc finem colendis, quò Deum facilioremnobis reddant, quam superstitiosi, curiosiq́; homines conati sunt in religionem nostram ab initio inuehere, & in hunc vsque diem perseuerant.*

Ad cap.24.Genes.vers.33. *Angeli non ideo nobis constituti benedictionum Dei ministri, vt à nobis inuocentur, vel Dei cultum in se transferant.*

Ad cap. 2. Epist. ad Colos. *Omnem cultum Angelorum à Paulo prohibitum scribit.*

1550. VVolffgangus Musculus in Locis Communibus de Oratione: *Esto orent pro nobis Sancti. ex eo ne sequitur esse illos inuocandos, dicendumq́; ad eos:* Sancte Gabriel, S.Michael, *&c.* ora pro nobis? *Possuntne omnium necessitatum nostrarum esse gnari?*

In Commentarijs in Psal.33.& cap.18.in Matthæum: *Sanctos Angelos colendos & inuocandos esse ex professo negat.*

Idem faciunt Erasmus Sarcerius, *Methodo in præcipuos Scripturæ locos cap.de Angelis.* Bartolomæus VVestemerus, *ad Psal.33.* Oecolampadius, *ad cap.6. Esaiæ.* Bullingerus *ad cap.19. Apocal.* Rodolphus Gualtherus *Homil.9.in Lucam.* Augustinus Marloratus *ad cap.19.Apocal.*

ASSERVNT SACRÆ LITERÆ.

*Genes.*19 *Vers.*1. Venerunt duo Angeli Sodomam vespere, sedente Lot in foribus ciuitatis. Qui cùm vidisset eos surrexit, & iuit obuiam eis: adorauitque pronus in terram, & dixit: Obsecro, domini, declinate in domum pueri vestri.

*Genes.*32. 24. Ecce vir luctabatur cum Iacob vsque mane. 26. Dixitque ad eum: Dimitte me, iam enim ascendit aurora. Respondit: Non dimittam te, nisi benedixeris mihi.

*Genes.*48. 16. Angelus qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis: & inuocetur super eos nomen meum.

*Num.*22. 31. Protinus aperuit Dominus oculos Balaam, & vidit Angelum stantem in via euaginato gladio, adorauitque eum pronus in terram.

Iosue 5. 13. Cùm esset Iosue in agro vrbis Iericho, leuauit oculos, & vidit virum stantem contra se, euaginatum tenentem gladium, perrexitque ad eum, & ait: Noster es, an aduersariorum? Qui respondit, Nequaquam, sed sum princeps exercitus Domini, & nunc venio. Cecidit Iosue pronus in terram. Et adorans ait, Quid Dominus meus loquitur ad seruum suum? Solue, inquit, calceamentum tuum de pedibus tuis: locus enim in quo stas, sanctus est. Fecitque Iosue vt sibi fuerat imperatum.

1.*Paral.*21. 16. Porrò Angelus Domini stabat iuxta aream Ornan Iebusæi. Leuansque Dauid oculos suos, vidit Angelum Domini stantem inter cælum & terram, & euaginatum gladium in manu eius, & versum contra Ierusalem: & ceciderunt tam ipse, quàm maiores natu vestiti cilicijs, proni in terram.

Iob 5. 1. Voca ergo si est qui tibi respondeat, & ad aliquem sanctorum conuertere.

Septuaginta Interpretes verterunt: ἐπικάλεσαι ἤ εἴτι σοι ὑπακούσεται, ἢ τινα τῶν ἀγγέλων ἁγίων ὄψει. Voca autem si quispiam te audiat, vel si aliquem sanctorum Angelorum videas. *Vide infra in Lyra.*

Oseæ 12. 3. Iacob in vtero supplantauit fratrẽ suum: & in fortitudine sua directus est cum Angelo, & inualuit ad Angelum, & confortatus est, fleuit, & rogauit eum: in Bethel inuenit eum, & ibi locutus est nobiscum.

Zachariæ 1. 12. Respondit Angelus Domini, & dixit: Domine exercituum vsque quo tu non misereberis Ierusalem & vrbium Iuda, quibus iratus es, iste iam septuagesimus annus est? Et respondit Dominus Angelo, qui loquebatur in me verba bona, verba consolatoria.

Tobiæ 10. 11. Angelus Domini sanctus sit in itinere vestro, perducatque vos incolumes.

Tobiæ 12. 12. Dixit Angelus ad Tobiam: Quando orabas cum lachrymis, ego obtuli orationem tuam Domino.

Lucæ 15. 10. Gaudium erit coram Angelis Dei, super vno peccatore pœnitentiam agente.

*Apocalyp.*8. 2. Et vidi septem Angelos stantes in conspectu Dei: & datæ sunt illis septem tubæ. Et alius Angelus venit, & stetit ante altare, habens thuribulum aureum: & data sunt illi incensa multa, vt daret de orationibus Sanctorum omnium super altare aureum, quod est ante thronum Dei: Et ascendit fumus incensorum de orationibus Sanctorum de manu Angeli coram Deo.

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Auctor Testamenti 12.*Patriarcharum.* 180.

In Testamento Leui: Tunc duxit me Angelus in terram, & dedit mihi scutum, & gladium, & dixit: Fac vindictam in Sichem de Dina, & ego ero tecum, quoniam Deus misit me. Dicebam autem ei: Oro te Domine dic mihi nomen tuum, vt inuocem te in die tribulationis: & dixit: Ego sum Angelus excusans genus Israel, vt non percutiatur in finem. Postea velut ex somno excitatus, benedixi Altissimum, & Angelum excusantem genus Israel, & omnes iustos.

Origenes. 240.

Homilia 1.in Ezechielem: Omnia Angelis plena sunt. Veni Angele susципe sermone conuersum ab errore pristino, à doctrina dæmoniorum, ab iniquitate in altum loquente; & susципiens eũ quasi medicus bonus confoue, atque institue; paruulus est, hodie nascitur senex repuerascens: & susципe tribuens ei baptismum secundæ regenerationis, & aduoca tibi alios socios ministerij tui, vt cuncti pariter eos qui aliquando decepti sunt, erudiatis ad fidem. *Gaudium est enim maius in cælis super vnum peccatorem pœnitentiam agentem, quàm supra nonaginta nouem iustos.* Lucæ 15.

Libro 8.contra Celsum: Vnus est nobis placandus Deus vniuersorum Dominus, vnius fauor ambiendus per pietatem virtutesque cæteras: si vult præter hunc placari etiam alios, cogitet quòd sicut moto corpore vmbra quoque ipsius mouetur: ita cùm aliquis Deum habet propitium, sequitur vt amicos habeat omnes eius Angelos, animas, & spiritus. Sentiunt enim qui sint digni fauore cælestis numinis, quibus non solùm ipsi bene volunt, verùm etiam dant operam, vt Deum ei seruire volentibus concilient, & vnà nobiscũ precantur: vt quotquot eum colimus, audeamus dicere, hominibus bonæ voluntatis precantibus vltrò se adiungere innumera sanctorum Angelorũ millia, & intercedere pro mortali nostro genere, & (vt ita loquar) laborare nobiscum in hoc certamine, dum vident aduersarios dæmonas impugnatores salutis eorum, qui se maximè Deo dedicant.

In Lamento: Obsecratte Domine omnis Angelorum chorus propter me, qui pristina consummauit, vt miserearis super ouem, quæ errauit.

Antonius Eremita. 330.

*Epist.*5. Verè charissimi in Domino, manifestus sit vobis iste sermo, & id quod bonum est facietis, in quo & vniuersos reficietis Sanctos, alacritatem animorum præbentes, obsequium Angelorum, & lætificationem Iesu: quoniam necdum requiem habuerunt propter nos, vsque ad hãc horam. Verè enim filioli, quia nostra incommoditas & inutilitas dolorem eis omnibus præbet, vtuntur lachrymis & gemitibus pro nobis in conspectu Conditoris, & ob hoc cunctorum etiam Deus irascitur super opera nostra maligna, propter gemitum Sanctorum: Sicut iterum profectus & emendatio nostrorum animorum, alacritatem præbet choro Sanctorum; & vtuntur prece multa atque lætitia in exultatione coram Creatore nostro.

Ephræm. 370.

Oratione de laudibus Dei genitricis: Precibus Mariæ semper Virginis, & exercitus cęlestium, ac cœtus Angelorum Cherubim, Seraphim, Prophetarum, Martyrum, & omnium Beatorum supplicationibus miserere creaturæ tuæ Deus clementissime.

De Spirituali luctamine cap.2. Perfectorum orationes cum magna exultatione ad cęlum ascendunt: Angeli etiam & Archangeli cum gaudio occurrunt ijs, & susципientes eas vsq; ad thronum gloriæ sancti Dei perducunt.

Euagrius. 380.

Apud Damascenum lib.1.Paral.c.6. Angelos honoramus non ob naturam, sed ob virtutem: ac dæmones ignominia afficimus, propter vitium quod in illis est.

Ioannes Chrysostomus. 400.

De incomprehensibili Dei natura Homilia 3. contra Anomœos: Tempore sacrificij non solùm homines clamorem illum horribilem reddunt, sed etiam Angeli Domino genu flectunt, & Archangeli rogant, habent sibi tempus id idoneum, habent sacram illam oblationem in fauore. Itaque vt homines ramos olearum gerentes mouere reges consueuerunt: eoque arboris genere misericordiam commemorant & humanitatem; sic Angeli tunc pro ramis oleaginis corpus Domini ipsum protendentes, rogant pro genere humano, quasi dicant: Pro his, Domine, rogamus, quos tu adeò dilexisti, vt pro eorum salute mortem obires, animam in cruce efflares: pro his supplicamus, pro

quibus ipse tuum largitus es sanguinem: pro his oramus, pro quibus corpus hoc immolasti.

In Liturgia: Cælestis militiæ Princeps Michael rogamus te nunc indigni, vt tuis intercessionibus munias nos, vmbra alarum tuarum immateriatæ naturæ custodi nos: procidimus, & sine intermissione ad te clamamus, à periculis erue nos, vt Virtutum Princeps cælestium, &c. Angelum pacis fidelem ductorem & custodem animarum nostrarum à Domino petamus.

Theodoretus. 450.

Ad caput 1. Zachariæ: Edocetur à primo viso Angelo, qui inter montes vmbrosos consistebat, quòd essent missi in vniuersam terram circumlustrandam, atque ad confirmationem horum sermonum, qui in illis equis varijs spadicibus rufis sedebant, dixerunt ad Angelum inter montes intersistentem: Cùm omnem terram obiuimus, & explorauimus, in orbe terrarum pacem & quietem constitutam reperimus. Vbi hæc audisset Angelus, cui populi imperium mandatum fuit, acerrimè commotus, quòd omnibus pace fruentibus, populus sibi creditus, in mille adhuc malis versaretur, supplex Dominum obsecrat: *Domine omnipotens, vsquequò non miserebéris Hierusalem, & vrbium Iuda, quibus iratus es? Iste est septuagesimus annus*, &c. *Vbi has precationes*, inquit Prophera, *Dominus suscepit Angelo respondit, loquenti in me verba bona & sermones consolatorios.*

Iustinianus Imperator. 540.

In Authent. *Iusiurandum quod præstatur ab his qui administrationem accipiunt*: Iuro per Deum omnipotentem, & Filium eius vnigenitum Dominum nostrum Iesum Christum, & Spiritum sanctum, & per sanctam, & gloriosam Dei genitricem, & semper Virginem Mariam, & per quatuor Euangelia, quæ in manibus meis teneo, & per sanctos Archangelos, Michaelem & Gabrielem, puram conscientiam germanumque seruitium, me seruaturum sacratissimo Imperatori, &c.

Anastasius Synaites. 580.

Libro 1. Hexaëmeron: Supernæ Potestates valde & vehementer defendunt, diligũt, ac protegunt humanum genus, & pro eo orant, & intercedũt: quoniam per nos dignati sunt videre, quod per se non potuerunt.

Ioannes Climacus. 580.

Gradu 5. Non habet vim confidentiæ oratio nostra, neque munditiæ pennas, vt ingredi ad Deum possit, nisi hanc è proximo assumant Angeli, qui præsunt nobis, eamque offerant Domino.

Eusthatius Presbyter. 600.

In vita S. Eutychij: Anima eius in cælis cum sanctis Angelis & Apostolis pro vniuerso populo preces effundit.

Sophronius Hierosolymitanus. 630.

In Encomio sanctorum Angelorum: Cùm vos ergo (*Seraphim*) ob incendendi expiandique vim, qua polletis, quaque omnem malitiam, omnemque fœditatem absumere, & expiare consueuistis, incensorum & calfactorum nominibus designemini, internos, obsecro, animæ meæ recessus à vitiorum sordibus expiate, spinosaque materia, quæ eidem cohæret, incensa absumptaque diuinum sermonem pectori meo inserite; ac cordis mei tenebris penitus eliminatis, discussisque intimos mentis meæ sensus illuminate. O vos Cherubim oculis plena, & quadriformia, diuini verbi cognitione me expolite, & è terra in sublime potenter euehite. O Throni me ab omni fraude, & execrando opere liberate, Deique gloria & maiestate dignum efficite. O venerandæ Dominationes donate mihi, vt animi perturbationibus, quæ mentem corrumpunt, imperare, dæmonisque insidijs, quæ animum grauiter lædunt, vsque ad vltimum vitæ spiritum dominari queam. O Potestates impertiamini mihi potestatem contra aspectabiles, & inaspectabiles hostes, qui contra animam meam insurgunt; mentemque meam in captiuitatem redigere contendunt. O immotæ masculæque Virtutes me debilem ac infirmum diuino robore ac fortitudine circumcingite, & quò spiritales illos angues & scorpios viriliter propulsem, proteramque idoneum reddite. O flecti mouerique nescij Principatus, qui tertio Angelorum choro prælati estis, fidi adeste, & quò de infestissimis hostibus triumphem, issdemque ad finem vsque imperterritè, & sine vulnere resistam, sedulam operam nauate. O ter sanctissime sacræ militiæ Princeps Michael, Angelorum coryphæe, omni cultu, omnique laude & celebratione dignissime, &c. obsecro te, fidus causæ meæ patronus adesse ne grauêre.

O sanctissime Michael internos sensus meos illustra, internumque animæ meæ oculum illumina, & cor meum, vitæ huius fluctibus agitatum, confirma; & mentem meam ad terrena inclinatã, sursum ad cęlestem prudentiam subleua, &c.

O vos reliqui omnes Angeli & Archangeli, cœtus cælestis, corona impenetrabilis, phalanx præstantissima, &c. vestram benignitatem rogo & obsecro. O boni omnisque maculæ exortes Angeli, vestræ, ô impolluti spiritus, magnificentiæ supplico, conseruate vitam meam inoffensam, spem infractam, mores inculpatos, &c. Manu, quęso, me ducite, & deducite, & ad omnem salutarem, Deoque acceptam semitam dirigite, &c.

Maximus Monachus. 610.

De Liturgia cap. 26. Existimabat beatus senex, nec adhortari cessabat, oportere omnem Christianum sanctæ Ecclesiæ vacare, & nunquam abesse à sancta Communione, quæ in ea peragitur, propter sanctos Angelos, qui in ea permanent, & eos, qui ingrediuntur, semper describunt, & Deo aperiunt, & pro ijs orationes faciunt.

Ioannes Damascenus. 730.

Sermone extremo de Defunctis: Ita contingat, Domine vitæ dator, intercedente purissima Matre tua, materiaque carentibus ac venerandis Angelis tuis, atque omnibus simul Sanctis tuis, qui tibi ab orbe condito grati fuerunt.

In sanctissimæ Dei Genitricis Annuntiationem: Cælestium exercituum Princeps exercitus, precamur te nunc indigni, vt tuis precibus munias nos regimine alarum tuarum, sempiterna tua gloria custodiens nos procidentes, & fideliter clamantes, à periculis libera nos, sicut Ordinis Princeps superiorum Potestatum.

Nicæna Synodus Secunda. 790.

Act. 3. & 6. Cum Dei timore omnia agamus, postulantes intercessiones intemeratæ Deiparæ & semper Virginis Mariæ, item Angelorum, omniumque Sanctorum.

Tarasius Constantinopolitanus. 800.

Epistola ad Episcopos Antiochiæ: Obsecro intercessionem sanctissimæ nostræ Deiparæ, sanctorumque Angelorum.

Nicephorus Constantinopolitanus. 815.

Epistola ad Leonem tertium: Exosculor & expeto Sanctorum apud Deum patrocinia & intercessiones: primò quidem, præcipueque sanctissimæ & immaculatissimæ semper Virginis Mariæ: mox verò diuinarum cælestiumque Virtutum, &c.

Libro aduersus Iconomachos: Scimus & credimus nostras in Deum glorificationes per sanctos efferri Angelos. Siquidem verum est illud: *Sancti Angeli perpetuò vident faciem Patris, qui in cælis est.* Quid agentes, aut quid operantes? nisi quòd nostras petitiones ad aures Domini Sabaoth adducentes, eum reddunt propitium propter ea quę gessimus.

Pantaleon Diaconus. 860.

Encomio in S. Michaelem Archangelum cap. 9. Cùm hunc ergo susciendum, & maximum patronum, potentemque defensorem, & liberè & confidenter loquentem intercessorem apud omnium Regem Deum, diuinum militiæ principem habeamus Michaelem, ô chari patres, & fratres, piè ipsum semper omnes, vt reuera purissimum, in mundis cordibus semper magnificè extollamus, verbisque lætitiæ & spiritalis exultationis, vt decet, Archangelum honorificis verbis & laudibus prosequamur, amoreque & desiderio ei offeramus & veneremur, vt affatim colligamus perennes eius & salutares gratias, & defensiones intercessionis. Omnes laudatores eius eximiè à varijs eripit necessitatibus: & eos, qui in omni loco piè eum inuocauerunt à periculis, tam quæ videntur, quàm quæ cadunt sub intelligentiam, liberat.

De miraculis Michaelis Archangeli: Michael Archangele, qui prouides, ac prospicis, eosque firmo tuo patrocinio adiuuas, & defendis, qui te inuocant, & magno desiderio ad te accedunt: Tu illumina nostros intelligentes cordis oculos, vt intelligamus, mentesque apprehendamus, & enuntiemus tua miracula.

Basilius Imperator. 860.

Oratione ad Episcopos, qui cum Photio sedis Constantinopolitanæ inuasore schisma fecerant: Omnes benedicamus pariter Domino gloriæ nostræ, ac principi pacis & auctori, dispersa congreganti, & bene coaptanti; intercessionibus sanctissimæ Dominæ nostræ Dei Genitricis, Deum videntium Angelorum, & omnium Sanctorum. Amen.

Simeon Metaphrastes. 950.

In vita S. Cæciliæ, capite 2. Orans Cæcilia seipsam commendabat Domino, precibus Angelos Domini inuocabat, lachrymis precabatur Apostolos.

Michael Glycas. 1100.

Parte 2. Annalium: Nostras preces Angelorum opera perferri ad Deum Dominus ipse nobis persuadeat, qui sacris in Euangelijs inquit: *Cauete ne vnum ex istis pusillis despiciatis: nam Angeli eorum perpetuò faciem Patris mei cælestis intuentur*: nihil scilicet aliud agẽtes, quemadmodum clarissimus ille Patriarcha Nicephorus loquitur, quàm quòd preces nostras ad aures Dei Sabaoth deferunt. Idem Angelus Raphael declarat, cùm hisce verbis Tobiam alloquitur: *Quo tempore tu nurusque tua precabamini, ego precationis tuæ monumentum coram sancto illo Deo subuehebam*, &c. Quæ cùm ita sint, & cùm quilibet homo, ceu demonstrauimus, Angelum habeat, preces suas ad aures Dei Sabaoth deferentem: omnino necesse est Angelos primùm ascendere, atque vnà cum ipsis preces quoque nostras; deinde verò diuina munera cælitus ad nos peruenire. Nam idcirco B. ille Iacobus Angelos ascendentes, & vicissim descendentes vidit, per quos, tanquam Spiritus administros, res terrenæ gubernantur.

Nicolaus Cabasilas. 1260.

Expositione Liturgiæ cap. 34. Oramus pro bono Angelo, non vt tunc nobis detur, sed vt operetur, & suo officio fungatur, nos custodiat, & nos ad vitam diuinam deducat.

Nicephorus Callistus. 1300.

Confessione ad Deum: Hoc mihi annuas velim, primùm per patrocinium Virginis Deiparæ, deinde per intercessionem materiarum expertium & incorporeorum tuorum ministrorum.

Gennadius Scholarius. 1430.

In Concilio Florentino, vbi Græcorum nomine Latinis gratias agit: Hoc ratum fac sancte Deus, per preces Deiparæ, sanctorum Angelorum, ac omnium Sanctorum.

Hieremias Constantinopolitanus. 1580.

Responso primo cap. 21. Mediatores facimus cùm Sanctos omnes, tum eximiè Matrem Domini, & cum ea choros Angelorum quoque. Non in præsenti solùm, verùm in futuro etiam dicimus, mediationem quandam fore, Angelis, & Sanctis, nec minimum ipsa mundi Domina deprecaturis pro quibusdam, &c. Ad sanctos Angelos exclamamus: Omnes cælestes Potestates sanctorum Angelorum & Archangelorum, orate pro nobis.

Horologium Græcorum.

In Canone, qui est de superis Potestatibus: Verbum principij expers sacris Cherubim, Seraphim, Potestatum, Thronorum, diuinarum Virtutum, Angelorum, Archangelorum, Principatuum, Dominationum precibus diuites tuas miserationes nobis, vt clementissimus, tribue.

Ode 5. Spirituales Virtutes te nunc obsecrant, misericors Domine, Potestates, Throni, Seraphim, Dominationes, Angeli cum Achangelis, & Principatibus, propitius esto populo tuo, & vt misericors salua.

Ode 6. Vt liberer supplicio apud inferos inflicto, Cherubim, Throni, Dominationes, Angeli, Archangeli, Principatus, Potestates, vniuersæ creaturæ Dominum precamini.

Ode 7. Sancti Angeli, clamo, mentem meam illustrate perpetuò obtenebratam vitæ affectibus.

Ode 8. Omnes Angeli, Archangeli, & Dominationes sacræ, orate vt nostri misereatur.

Ode 9. Diuinæ Potestates, Cherubim, Seraphim, Dominationes, Angeli, Archangeli precem ad Deum fundite, vt probè viuamus, salutem consequamur.

Æthiopes moderni.

In Liturgia:: Custodi nos Deus in recta fide, per preces maiorum Angelorum splendentium Michaelis, & Gabrielis, & Raphaelis, & Vrielis, & viginti quatuor seniorum cæli.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Hilarius. 350.

Ad Psalm. 129. Sunt secundùm Raphaelem ad Tobiam loquentem Angeli assistentes ante claritatem Dei, & orationes deprecantium ad Deum deferentes, &c. Intercessione horum non natura Dei eget, sed infirmitas nostra. *Missi* enim sunt *propter eos, qui hæreditabunt salutem*; Deo ex his, quæ agimus, nihil ignorante, sed infirmitate nostra ad rogandum & promerendum spiritualis intercessionis ministerio indigente.

Ambrosius. 370.

Lib. de Viduis: Obsecrandi sunt Angeli pro nobis, qui nobis ad præsidium dati sunt.

Hieronymus. 390.

Ad cap. 10. Danielis: Quòd ait Angelus: *Et ego ingressus sum ad verba tua:* hunc habet sensum. Postquam tu cœpisti bonis operibus & lachrymis, atque ieiunio Dei inuocare misericordiam, & ego accepi occasionem, vt ingrederer in conspectu Dei, & orarem pro te, &c. *Nemo est adiutor meus in his omnibus, nisi Michael Princeps vester.* Ego sum, inquit, Angelus ille, qui offero Deo orationes tuas, & nullus est alius qui adiutor meus sit rogandi pro vobis Deum, nisi Michael Archangelus, cui creditus est populus Iudæorum.

Augustinus. 400.

In Iob Conc. 2. ad cap. 19. *Miseremini mei, miseremini ô amici mei.* Angelos videtur postulare, vt pro eo deprecentur; aut certè Sanctos, vt pro pœnitente orent.

Epistola 120. De gratia noui Testamenti cap. 29. Quòd ait: *Annuntiabitur Domino generatio ventura,* non sic accipiendum est, tanquam nescienti aliquid annuntietur vt sciat, sed sicut annuntiant Angeli, non solùm nobis beneficia Dei, verùm etiam illi preces nostras. Nam scriptum est, vbi Angelus hominibus dicit: *Ego obtuli memoriam orationis vestræ,* Tob.12. &c. non vt tunc Deus nouerit quid velimus, vel quo indigeamus: sed quia necesse habet rationalis creatura, obtemperans Deo, temporales causas ad æternam veritatem referre, siue petendo quid erga se fiat, siue consulendo quod faciat, qui pius mentis affectus est, vt ipsa construatur, non vt Deus instruatur.

In Meditationibus cap. 40. Sancte Michael, sancte Gabriel, sancte Raphael, sancti chori Angelorum, atque Archangelorum, per illum, qui vos elegit, & de cuius contemplatione gaudetis, vos rogare præsumo, vt pro me culpabili, Deo supplicare dignemini.

Drepanius Florus. 430.

Hymno ad Michaelem Archangelum:

Hunc oculis mentis inter myrteta beatus
Zacharias roseo sidere vidit equo,
Tendentem niueas templa ad cælestia palmas,
Prog Dei affectu plebe rogare pio.

Leo Primus. 450.

De Epiphania Sermone 5. cap. 4. Confirmate amicitias cum sanctis Angelis; intrate in ciuitatem Dei, cuius nobis spondetur habitatio, & Patriarchis, Prophetis, Apostolis, Martyribusque sociamini. Vnde illi gaudent, inde gaudete: horum diuitias concupiscite, & per bonam æmulationem ipsorum ambite suffragia.

Victor Vticensis. 480.

De persecutione Vandalica lib. 3. Adestote Angeli Dei mei, qui nunquam deestis, *constituti in ministerio vestro, propter eos, qui hæreditatem capessuri sunt æternæ salutis,* & videte Africam iam totam dudum tantarum Ecclesiarum cuneis fultam, nunc ab omnibus desolatam; tantis ordinibus sacerdotum ornatam, modò sedentem viduam & abiectam.

Alcimus Auitus. 500.

Libro 4. de Diluuio:

Est ille in cælis, numeros qui præterit omnes,
Angelicus sine fine chorus, qui laude perenni
Conclamat, celebrat q Deum, famulantia suetus
Ferre ministeria, & tußis parere supernis.
Hi nunc quod rectum mortalia corda precantur:
Concipitur dignis sacro quod pectore votis,
Quicquid larga manus collectis spargit egenis
Excipiunt, sancto q ferunt super astra volatu.

Aurelius Cassiodorus. 540.

Ad Psalm. 120. Hoc spiritualiter inquiras omninò proficuum est, vt oculos cordis sui, siue ad sanctos viros, siue ad libros diuinos, siue ad sublimes Angelos credatur eleuasse: qui magnitudine & firmitate sua verè montes sunt, vnde etiam competens sustinebatur auxilium.

Gregorius Magnus. 590.

In Agenda mortuorum: Subuenite Sancti Dei, succurrite Angeli, suscipientes animam eius, offerentes eam in conspectu Altissimi.

Libro Sacramentorum 3. Calend. Octobris, id est 29. die Septemb. Hostias tibi, quæsumus, Domine laudis offerimus, suppliciter deprecantes, vt easdem Angelico pro nobis interueniente suffragio & plácatus accipias, & ad salutem nostram prouenire concedas, &c.

Munus populi tui Domine, quæsumus, assume, quod non nostris meritis, sed sancti Archangeli tui Michaelis deprecatione sit gratum.

Beati Michaelis Archangeli intercessione suffulti, supplices te Domine deprecamur, vt quos honore prosequimur, contingamus & mente.

Hildephonsus Toletanus. 660.

De Virginitate Dei Genitricis cap. 11. Vnde oro te sancte Angele, per indissecabilem hæreditatem fidei nostræ, per tuæ æternitatis statum, vt des mihi hoc tantundem nosse de Virgine Matre Domini mei, quod ipse nosti; hoc credere, quod ipse sapis; hoc diligere, quod ipse diligis.

Beda. 700.

Lib. 4. in Cantica cap. 24. Sanctorum vel Angelorum vel hominum crebras pro nobis intercessiones apud misericordiã pij Conditoris quæramus.

Alcuinus. 750.

De vsu Psalm. fol. 58. Rogo sanctam & beatissimam Matrem Mariam, rogo vigintiquatuor Seniores, omnes sanctos Angelos deprecor, omnibus sanctis Prophetis supplico.

Ambrosius Ansbertus. 770.

In Apocalypsin lib. 4. cap. 6. Quamuis ergo bona præcesserint opera, necesse vt semper ad cælestium ciuium confugiamus latibula, id est, Angelorum intercessionibus ab ira iudicantis nos deprecemur liberari.

Haymo. 820.

De Festo Michaelis Archangeli: Angeli, qui custodes sunt vitæ nostræ, orationes & opera nostra Deo nuntiare creduntur: sicut Angelus ait Tobiæ: *Cùm orares, ego obtuli orationem tuam ante Deum.*

Rabanus Maurus. 840.

De laudibus S. Crucis lib. 2. cap. 3. Quapropter vos quoque præclari Angelorum exercitus supplices obsecramus, vt dignas grates Saluatori nostro incessanter agatis, & sanctum nomen eius in seculum benedicatis.

Ad cap. 13. Hieremiæ: Angeli, qui semper auxiliabantur ei, per quos etiam lex Mosi tradita est, destruxerunt eam vrbem, & dixerunt: Multis facinoribus oppressa est, Iesum interfecit, in Dominum nostrum misit manus: quandiu minora peccauit, potuimus rogare pro ea, potuimus obsecrare Dominum, potuimus parcere ei: super ista verò quis parcat?

Carolus Caluus. 870.

Oratione ante Litaniam: Peto Domine, vt omnes sancti Spiritus, Angeli, Archangeli, Virtutes, Potestates, Principatus, Dominationes, Throni, Cherubim, Seraphim orent pro nobis.

Remigius Antisiodorensis. 880.

Ad caput 1. Zachariæ: *Et dixerunt: Perambulauimus terram, & ecce omnis terra habitatur, ac quiescit,* ac si dicerent: Omnia regna tuta sunt, ac pacata, nec vlla premuntur angustia. Ex qua responsione ille Angelus, qui interpellabat pro Israel, occasione accepta deprecandi Dominum pro populo, dixit: O Domine, cùm omnis terra securè habitetur, cur non misereris Ierusalem, & vrbium Iuda? maximè cùm secundùm tua promissa tempus captiuitatis expletum sit.

Radulphus Ardens. 1060.

In Festo Angelorum, Sermone de Apocalypsi: Itaque armis fidei & charitatis nos armemus, in orationibus vigilemus, contra tentationes diaboli fortiter dimicemus, supernos ciues in auxilium nostrum inuocemus, eorum memoriam veneremur, & frequentemus; munditia mentis, & operum sanctitate eos nobis propitios faciamus, quatenus auxilijs & precibus eorum adiuti, diabolum superare, & cum victoribus coronari mereamur.

Sermone de Euangelio: Quoniam S. Angeli tantam erga nos habent charitatem, quia sic sunt soliciti nos defendere, nobis bona suggerere, pro nobis orare, pro nostra salute lætari, & Dominum laudare: diligamus & nos eos, veneremur, deprecemur, & memoriam eorum frequentemus, quatenus precibus & auxilijs eorum mereamur diabolicas insidias deprehendere & eludere.

Anselmus Cantuariensis. 1080.

In Euangeliorum enarratione secundùm Lucam cap. 2. Offerunt Angeli hostiam secundùm Legem, id est, par turturum, vel duos pullos columbarum pro sanctorum populo, vel pro quolibet electo, quem exhibent Deo, cùm merita castitatis eius, quam corpore de corde seruauit; aut patientiæ, quam intus & foris custodiuit, representant Domino.

In Elucidario: DISC. Sunt iugiter Angeli in terra cum his, quos custodiunt? MAG. Cùm opus fuerit in auxilium veniunt, maximè cùm precibus fuerint inuitati. Non est enim mora veniendi, cùm in momento de cælo ad terras, & iterum ad cælum relabi possint.

Honorius Augustodunensis. 1120.

Sermone de S. Michaele Archangelo: Quodam tempore barbari Christianis bellum indixerunt, qui triduano ieiunio auxilium Michaelis Archangeli implorauerunt, quibus idem Angelus apparuit, hostibus obuiam ire monuit, se ijs opem laturum innotuit, &c. Ideo omni tempore S. Michaelem inuocemus, vt cum eo & omni militia Angelorum mereamur in cælesti Hierusalem triumphare.

Rupertus Tuitiensis. 1120.

Ad cap. 1. Oseæ: Prophetis orantibus siue cæteris iustis hominibus, imò & Angelis interuenientibus, iuxta illud Zachariæ: *Et respondit Angelus Domini, & dixit: Domine Exercituum, vsque quò non miserebe-* Zach.1. *ris tu Hierusalem, & vrbium Iuda? iste iam septuagesimus annus est. Suscitauit Dominus spiritum Cyri regis Persarum,* &c.

Bernardus. 1130.

Sermone 12. Qui habitat. Quoties grauissima cernitur vrgere tentatio, & tribulatio vehemens imminere, inuoca custodem tuum, ductorem tuum, adiutorem tuum in opportunitatibus, in tribulatione, &c.

Sermone 7. in Cant. Credimus sanctos Angelos assistare orantibus, offerre Deo preces, & vota hominum, vbi tamen sine ira & disceptatione leuari puras manus perspexerint. Probat hoc Angelus ita loquens ad Tobiam: *Quando orabas, ego obtuli ora-* Tob.12. *tionem tuam.*

Petrus Cellensis. 1160.

Mysticæ explanationis Mosaici tabernaculi lib. 1. Cherubim tanquam fratres & amicos, honoremus, quorum & patrocinio adiuti, laqueum scandali caueamus, & vehiculo subleuati, patriam repetamus.

Adam Victorinus. 1180.

In Prosa de S. Michaele:

Vt ab ipsis adiuuemur,
Hos deuotè veneremur,
Instantes obsequio.

Innocentius Tertius Papa. 1200.

Proœmio in 7. Psalmos Pœnitentiales: Orant Angeli, & semper exaudiuntur à Deo; sed pro alijs offerunt precum suffragia, pro se verò referunt gratiarum actiones. Orauit Angelus dicens: *Domine* Zach.1. *exercituum quousque tu non miseréberis Hierusalem, & vrbium Iuda?*

Iacobus Vitriacus. 1220.

In Litania maiore: Quoniam in hoc aëre caliginoso habitant aëreæ Potestates, & orationes nostras impedire nituntur, atque per regionem suam transitum negant; necesse est nobis, quòd per Angelos sanctos ante tribunal Iudicis vehantur. Vnde & in Tobia Angelus ait: *Quando orabas cum la-* Tob.12. *chrymis, ego obtuli orationem tuam Domino.* Non hoc ideo dicit, quòd orationes nostræ Domino per Angelos innotescant: sed dicuntur Angeli Domino orationes nostras offerre, Dominum super orationibus nostris consulere, & nobis orantibus, vt bene agamus, & ad Dominum orationes nostras referamus, suggerere. Similiter & pro nobis tam Angeli, quàm Sancti, qui sunt in patria, Deum orare dicuntur, dum vota nostra cupiunt impleri: quod tamen non faciunt, nisi in voluntate Dei implenda cognouerint. Quod enim cognoscunt in Dei esse voluntate, id solum volunt: adeò enim addicti sunt voluntati diuinæ, vt nihil præter voluntatem eius possunt vel-

Ie. Intercedere autem pro nobis dicuntur meritis suis, dum eorum merita nobis suffragantur.

Guilhelmus Aluernus. 1230.

Secundæ partis de Vniuerso parte 2. cap. 156. Secundum officium Angelorum est interpellare & orare pro nobis. Cui officio quidam addiderunt officium præsentandi orationes nostras & vota ante Creatorem. Hoc autem non est, nisi interpellatio ipsorum, vel aliud adiutorium. Procurator namque, vel mediator, si fauorem vel gratiam habuerit in conspectu iudicis, proculdubio & promouet ipsam petitionem, quam porrigit. Orationibus igitur nostris permultum addunt Angeli sancti, & hoc est fauore suo, quem obtinent in conspectu Altissimi, non solùm orando, vel petendo, sed etiam fauendo, vel porrigendo.

Alexander Alesius. 1230.

Parte 4. quæstione 26. memb. 3. artic. 4. §. 2 De Angelis, quòd orant pro nobis, planè probant supradictæ rationes: in ter quas illa glossa Num. 25. apertè tangit modum orationis ipsorum pro nobis, quæ dicit sic: Vnicuique nostrûm Angelus bonus adest, qui regat, moneat; qui pro actibus nostris corrigendis, & miserationibus exposcendis, faciem Dei quotidie videat.

Albertus Magnus. 1240.

In Litania: Sancte Michael ora pro nobis. Mitte, quæso, sanctum Michaelem ad nos, qui princeps sit militiæ nostræ, dux in agmine nostro, vexillifer in certamine nostro, propugnator contra hostes nostros, in acie nostra defensor aduersus omnes insultus, atque actiones inimicorum: qui egrediatur in exercitibus nostris, & omnes aduersarios nostros faciat cadere coram nobis.

Thomas Aquinas. 1250.

Secunda 2. quæstione 83. articulo 4. Oratio porrigitur alicui dupliciter: vno modo, quasi per ipsum implenda: alio modo, sicut per ipsum impetranda. Primo quidem modo soli Deo orationem porrigimus: secundo modo orationem porrigimus sanctis Angelis & hominibus, non vt per eos Deus petitiones nostras cognoscat, sed vt eorum precibus & meritis orationes nostræ sortiantur effectũ. Et ideo dicitur Apocal. 8. quòd *ascendit fumus incensorum de orationibus Sanctorum, de manu Angeli coram Deo.*

Nicolaus Lyranus. 1320.

Ad caput 5. Iob: *Ad aliquem Sanctorum conuertere.*) Si non confidis de tuis meritis, de quibus non videtur quòd debeas confidere, propter malitiam tuam, deprecare vnum de S. Angelis, vt intercedat pro te.

Durandus à S. Portiano. 1320.

Lib. 4. Sentent. distinct. 45. quæst. 4. Beneficia diuina descendunt in nos mediantibus tam Angelis, quàm animabus Sanctis, non propter defectum diuinæ misericordiæ, sed propter ordinem diuinum considerandum, quo Deus vult bonitatem suam communicare inferioribus per superiores.

Albertus Patauinus. 1320.

Sermone 4. Si præcipiteris in culpam, non relinquet te Deus, sed saluabit Angelorum & Sanctorum precibus.

Ioannes Bromiardus. 1380.

In Summa, de Angelis: Adsunt Angeli, vt protegant; adsunt, vt prosint: non solùm habendi sunt in reuerentia, vtpote creaturæ nobiles; sed etiam in necessitatibus inuocandi sunt, vt patroni, custodes, & defensores.

Thomas VValdensis. 1415.

Tomo 3. capite 111. Angelis occurrendum est, quos obsecremus orare: obsecrandi sunt Angeli, inquit Ambrosius, & subdit causam, quia ægri sumus, & ad medici sedem per nos non valemus accedere. Adhibendi sunt ergo precatores inquit. Non erubescamus cum VVicleuistis superbis intercessores innixos scalæ eius. *Genesis 28.*

Ioannes Gerson. 1420.

Tractatu 8. super Magnificat: Angelicum potius imploremus auxilium, quàm de modis auxiliandi disputemus: sciunt aduocandi, sciunt auxiliandi, sciunt consulendi, sciunt purgandi, illuminandi, ac perficiendi suum hierarchicum triplex officium.

Laurentius Iustinianus. 1430.

De institutione & regimine Prælatorum cap. 10. Cùm populus corporali seu spirituali fatigatur in prælio, debet aduolare Prælatus ad orationis præsidium, deprecari Dominum, Angelorũm, Sanctorumque omnium interpellare subsidium: vt eorum supplicationibus Deo valeat reconciliare plebem sibi commissam.

Dionysius Carthusianus. 1460.

Ad caput 18. Matth. articulo 32. Ecclesiastica Hierarchia ab Angelica gubernatur; ideò Angeli infimi ordinis immediatè custodiunt homines, bona suggerendo, à malis pluribus retrahendo, à diuersis periculis defendendo, pro ipsis orando, gratiam impetrando.

Ioannes de Turrecremata. 1460.

In Meditationibus: Hos autem beatissimos cælestes spiritus recolendos & venerandos meritò sancta suscepit Ecclesia; cùm quia circa totius vniuersitatis creaturarum regimen diuinæ prouidentiæ diligentissimi sunt executores, tum eo maximè, quia ad ministerium humanæ salutis deputati, sedula diligentia eam solicitant, & maxima cum charitate procurant. Attende igitur fidelis anima quanto deuotionis affectu teneamur beatis Angelis gratiarum actiones debitis laudibus persoluere, quorum tanta erga genus humanum sunt charitatis beneficia.

Ioannes Ludouicus Viues. 1530.

In precibus ac meditationibus generalibus, ad Angelum custodem: Quantum debeo communi nostro Domino & parenti, qui te mihi dedit, vt duceres videns cæcum, sapiens stultum, fortis imbecillem, gnarus viæ ignarum: & quidem inter tot pericula & precipitia. O quoties me discriminibus exemisti? quoties in perniciem ruentem seruasti? Maximastibi ago gratias, pro eo, quod præstas mihi quotidie: & vehementer peto, ac obtestor, vt seruare me pergas, ac perseueres: abducas à malo, retrahas ad bonum; coge etiam nolentem, adiuua volentem, impelle euntem: denique sic ducito, vt tandem ad beatitudinem perducas, qua tu semper iam frueris: vt quemadmodum hic vel pupillus fui tuus, vel cliens, sim illic ciuis & socius: gaudeasque creditum commissumque tuæ curæ, tam felici portui appulisse.

ASSERVNT IVDÆI VETERES.

In Officio defunctorum: Angeli pacis egredimini in occursum defuncti, portas paradisi voluptatis referate illi, atque pacem aduentui eius denuntiate.

In lib. Precationum Iudaicarum: Angeli misericordes ministri Dei altissimi placate, quæso, faciem Dei optima deprecatione, fortasse miserebitur populi egeni & inopis. *Interpres Iudæus in hunc locum:* Ipsi, qui dicunt prohibitum esse intercessorẽ statuere, non habẽt rationem, qua probent. Nam quamuis nulli genti Deus tam propè adsit, quàm nobis, vt ferè non necesse sit mediatorem inuocare vel Michaelem, vel Gabrielem; tamen non est prohibitum. Et sic quoque se res habet, cùm quis honorẽ exhibet ministris, & intercessoribus Regis, confitendo tamen regi eum honorem, quem ei tribuere decet; sic quoque inuenimus in Iehosua, cui Angelus dixit: *Ego Princeps exercitus Dei veni. Et cecidit Iosua facie in terram, incuruans se, dicendo: Quid dicit Dominus seruo suo?* Nam intentio Iosue erat honorare missum nomine mittentis. Hoc modo & hîc dicit: Quia iniustus sum, propterea peto à vobis (ô Angeli misericordes) placate, quæso, faciem Dei altissimi.

ARTICVLVS QVINTVS.

EX BONIS ANGELIS QVOSDAM PROPRIA CVLPA PER SVPERBIAM CÆLO DETVRBATOS, MALOS DÆMONES EVASISSE, DEO ET HOMINIBVS ADVERSARI, NON TAMEN, NISI DEO PERMITTENTE, QVEMQVAM LÆDERE, NVLLAM SALVTIS spem habere, mirè sagaces esse, &c.

NEGANT.

Anno ante natũ Christum.

350. ARISTOTELES *malos esse Angelos credere noluit, deceptus ab ipso familiari dæmone suo, quem de oculo Veneris descendisse opinabatur.* Guilhelmus Aluernus tractatu de Legibus cap. 24.

Cassius Epicureus apud Plutarchum in Bruto: *Non probabile est,* inquit, *Genios esse.*

50. post natũ Christum

100. *Basilides ex Diabolo Deum fecit.* Clemens Alexand. lib. 4. Stromaton: *Quomodo non est verè impius (Basilides,) qui Diabolum quidem inter Deos referat; hominẽ autem peccandi potestate præditum, ausus est dicere Dominum?*

150. *Marcion & Cerdon diabolum beneficum nominant, & ipsum Deo opifici præferunt.* Nicetas lib. 4. Orth. cap. 14.

200. *Hermogenes docuit, diabolum & angelos in materiam esse refundendos.* Theodoretus Hæreticarum Fabularum lib. 1.

230. *Lucius Apuleius,* libro de Deo Socratis, *dæmones,* ait, *esse genere animalia, corpore aëria.*

250. *Origenistæ volucrunt diabolum & angelos eius post longissima tempora cælo reddendos, quòd Christus etiam pro iis passus sit.* Epiphanius & Augustinus de Origenistis, Synodus quinta OEcumenica actione 2.

400. *Priscillianistæ asserunt, quòd substantia in diabolo bona facta perire non possit, exustaq; in totum malitia diaboli, aliquando saluandam esse substantiam.* Orosius in Commentario ad Augustinum.

450. *Priscillianistæ adhuc perseuerantes contendunt diabolum nunquam fuisse bonum, nec naturam eius Dei opificium esse: sed ex Chao ipsum & tenebris emersisse, nullum sui habere auctorem, sed omnis mali esse principium siue substantiam.* Leo Magnus epist. 91.

500. *Priscillianistæ nondum extincti asserunt diabolũ non esse à Deo creatum, nec vnquam fuisse bonum Angelum, sed à semetipso extitisse.* Concil. Bracarense cap. 7.

630. *Mahometus docuit Deum condidisse Diabolos ex igne pestifero, eos septem millibus annorum ante Adamum in terra habitasse, ac tandem aliquando salutem consecuturos.* Azoara 25. & 65. Liber de Colloquio Mahometi cum Iudæis, Cantacuzenus in Apologia, Æneas Syluius epist. ad Morbisanum.

820. *Michael Balbus Imp. nullos esse dæmones asseruit.* Zonaras in hoc Michaele.

1050. *Bogomili dicunt dæmonem, qui à Seruatore appellatus est Satanas, filium esse Dei Patris, & vocari Sataniel, & Filio Verbo natu maiorem esse, præstantioremq;, vtpote primogenitum: fratres igitur esse.* Euthymius in Panoplia part. 2. tit. 23. cap. 6.

1150. *Petrus Abailardus dæmonum suggestiones in nobis contactu lapidum & herbarum fieri somniauit, nec*

diabolum ius in hominem habuisse, nisi vt carcerarium. Bernardus epist. 190.

1300. *Lollardi aiunt, Luciferum cum dæmonibus suis cælo iniuria pulsum, tandemq; beatitudini cum omnibus suis restituendum: Michaelem & Angelos omnes æternis cruciatibus esse deputandos. Vnde cùm se mutuò salutarent, dicebant: Salutet te iniuriam passus, id est, Lucifer.* Trithemius in Chronico Hirsaugiensi de anno 1315.

1390. Ioannes VVicleuus articulo 6. Constantiæ damnato: *Deus,* inquit, *debet obedire diabolo.*

1420. *Petrus Aponensis Medicus Italus persuadere volebat, nullos esse malos spiritus.* Ioannes Bodinus præfatione in Dæmonomaniam.

1520. Franciscus Georgius Venetus tomo 1. sect. 1. problemate 54. *Si antiquos Theologos sequi voluerimus, concedamus dæmones esse corporeos & generationi aptos: sicut apertè scriptum est, quòd filij Dei, qui sunt diaboli, vt omnes viri sapientes sentiunt, accesserunt ad filias hominum, & genuerunt.* Idem tom. 6. problematon sect. 5. cap. 192. *Theologi antiqui asserunt, esse in dæmonibus genituram, sexum, & animalitatem.*

Gen. 3. *Quibus fauet sententia Dei dicentis serpenti:* Ponam inimicitiam inter te, & mulierem, & semen tuum, & semen illius. *Nisi enim diabolus, per serpentem designatus, generaret, vanus fuisset ille sermo:* Inter semen tuum. *Si igitur generat per semen, nonne animal est, & consequenter sexum habet? Vnde principem illius fœminei sexus secretiores Theologi vocant Lilith, cuius potestas præcipua est in nocte, quam ipsi Laiela dicunt.*

1530. *Iudæorum quidam dicunt, quòd centum viginti annis, quibus Adam continuit se ab vxore, venerint ad eum dæmones, & conceperint ab eo, sicq; genuerit dæmones, & spiritus, Lamias, & Lemures.* Elias Leuita in voce Lilith.

1540. *Dæmoniaci Anabaptistæ asserunt, dæmones post finem mundi saluandos: & vt nos Deum, sic illi dæmonem decies per diem colunt, & inuocant.* Lindanus in Dubitantio.

Est & aliud quoddam Anabaptistarũ genus, quod Dei misericordiam omnibus omnino hominibus, adeoq; dæmonibus post iudicium pollicetur. Lindanus in Dubitantio.

1545. *Georgiodauidici negant esse diabolum.* Lindanus in Dubitantio, Cochlæus de actis M. Lutheri, de anno 1545. Sleidanus in historia, Surius in Com. Prateolus de hæresibus.

1550. *Libertini Diabolum, mundum, & peccatum accipiunt pro imaginatione, quæ nihil est: quo significare volunt, imaginationes tantùm friuolas, & inanes concipi, cùm aliquid de diabolo, aut de peccato opinamur.* Ioannes Caluinus de Libertinis cap. 10.

ASSERVNT SACRÆ LITERÆ.

Geneseos 3. *v.* 1. Sed & serpens erat callidior cunctis animantibus terræ, quæ fecerat Dominus Deus. Qui dixit ad mulierem: Cur præcepit vobis Deus, vt non comederetis ex omni ligno paradisi? Cui respondit mulier: De fructu lignorum, quæ sunt in paradiso vescimur: de fructu verò ligni, quod est in medio paradisi, præcepit nobis Deus ne comederemus, & ne tangeremus illud, ne fortè moriamur. Dixit autem serpens ad mulierem: Nequaquam morte moriemini. Scit enim Deus quòd in quocunque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri: & eritis sicut dij scientes bonum & malum. Vidit igitur mulier quòd bonum esset lignum ad vescendum, & comedit, deditque viro suo, qui comedit: & aperti sunt oculi amborum: cumque cognouissent se esse nudos, consuerũt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata, &c. Dixit Dominus Deus ad mulierem, quare hoc fecisti? Quæ respondit: Serpens decepit me, & comedi. Ait Dominus ad serpentem: Quia fecisti hoc, maledictus es inter omnia animantia, & bestias terræ: super pectus tuum gradieris, & terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ. Inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen tuum & semen illius: ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius.

Iob 1. 6. Quadam die, cùm venissent filij Dei, vt assisterent coram Domino, affuit inter eos etiam Satan. Cui dixit Dominus: Vnde venis? Qui respondens ait: Circuiui terrã, & perambulaui eam. Dixitque Dominus ad eum: Nunquid considerasti seruũ meum Iob? Cui respondens Satan ait: Nunquid Iob frustra timet Deum? nonne tu vallasti eum, ac domum eius? sed extende paululum manum tuam, & tange cuncta quæ possidet: nisi in faciem tuam benedixerit tibi. Dixit ergo Dominus ad Satan: Ecce vniuersa, quæ habet, in manu tua sunt: tantùm in eum ne extendas manum tuam. Egressusque est Satan à facie Domini. Cùm autem quadam die filij & filiæ eius comederent & biberent vinum, nuntius venit ad Iob, qui diceret: Boues arabant, & asinæ pascebantur iuxta eos: & irruerunt Sabæi, tuleruntque omnia, & pueros percusserũt gladio, & euasi ego solus, vt nuntiarem tibi. Cumque adhuc ille loqueretur, venit alter, & dixit: Ignis Dei cecidit de cælo, & tactas oues puerosque consumpsit. Venit alius, & dixit: Filijs tuis & filiabus vescentibus, & bibentibus vinum in domo fratris sui primogeniti, repente ventus vehemens eruit à regione deserti, & concussit quatuor angulos domus, quæ corruens oppressit liberos tuos, & mortui sunt.

Iob. 2. 1. Cùm quadam die venissent filij Dei, & starẽt coram Domino, veniss*et* quo-

que

que Satan inter eos, & staret in conspectu eius, dixit Dominus ad Satan: Vnde venis? Qui respondens ait: Circuiui terram, & perambulaui eam. Et dixit Dominus ad Satan: Nunquid considerasti seruum meum Iob? Cui respondens Satan ait: Pellem pro pelle, & cuncta quæ habet homo dabit pro anima sua: alioquin mitte manum tuam, & tange os eius, & carnem, & tunc videbis, quòd in faciem benedicat tibi. Dixit Dominus ad Satan: Ecce in manu tua est, veruntamen animam illius serua. Egressus igitur Satan à facie Domini, percussit Iob vlcere pessimo, à planta pedis vsque ad verticem eius: qui testa saniem radebat, sedens in sterquilinio.

Psalm. 77. 49. Misit in eos iram indignationis suæ: indignationem, & iram, & tribulationem: immissiones per Angelos malos.

Psalm. 90. 5. Scuto circundabit te veritas eius: non timebis à timore nocturno. A sagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris, ab incursu & dæmonio meridiano.

Isaiæ 14. 12. Quomodo cecidisti de cælo Lucifer, qui manè oriebaris? corruisti in terram, qui vulnerabas gentes? qui dicebas in corde tuo: In cælum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis. Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo. Veruntamen ad infernum detrahêris in profundum laci.

Cap. 34. 13. Et orientur in domibus eius spinæ & vrticæ, & pallurus in munitionibus eius: & erit cubile draconũ, & pascua struthionum. Et occurrent dæmonia, onocentaurus, & pilosus clamabit alter ad alterum.

Ecclesiastici 39. 33. Sunt spiritus qui ad vindictam creati sunt, & in furore suo confirmauerunt tormenta sua: in tempore consummationis effundent virtutem: & furorem eius, qui fecit illos, confundent. Ignis, grando, fames, & mors, omnia hæc ad vindictam creata sunt.

Sapientiæ 2. 24. Inuidia diaboli mors introiuit in orbem terrarum, imitantur autẽ illum, qui sunt ex parte illius.

Tobiæ 6. 7. Interrogauit Tobias Angelum, & dixit ei: obsecro te Azaria frater, vt dicas mihi, quod remedium habebunt ista, quæ de pisce seruare iussisti? Et respondẽs Angelus, dixit ei: Cordis eius particulam si super carbones ponas, fumus eius extricat omne genus dæmoniorum, siue à viro, siue à muliere, ita vt vltrà non accedat ad eos.

Cap. 8. 2. Recordatus Tobias sermonum Angeli, protulit de cassidili suo partem iecoris, posuitque eam super carbones viuos. Tunc Raphael Angelus apprehendit dæmonium, & religauit illud in deserto superioris Ægypti, &c.

Matth. 8. 28. Et cùm venisset Iesus trans fretum in regionem Gerasenorum, occurrerunt ei duo habentes dæmonia, de monumentis exeuntes, sæui nimis, ita vt nemo posset transire per viam illam. Et ecce clamauerunt dicentes: Quid nobis & tibi Iesu fili Dei? Venisti huc ante tempus torquere nos? Erat autem non longè ab illis grex multorum porcorum pascens. Dæmones autem rogabant eum dicentes: Si eijcis nos, mitte nos in gregem porcorum. Et ait illis, Ite. At illi exeuntes abierunt in porcos, & ecce impetu abijt totus grex per præceps in mare, & mortui sunt in aquis.

Ioannis 8. 44. Vos ex patre diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere: ille homicida erat ab initio, & in veritate non stetit: quia non est veritas in eo, cùm loquitur mendacium, ex proprijs loquitur, quia mendax est, & pater eius.

Ephes. 6. 11. Induite vos armaturam Dei: vt possitis stare aduersus insidias diaboli, quoniam non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinẽ: sed aduersus principes & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ, in cælestibus.

Iacobi 2. 19. Dæmones credunt, & contremiscunt.

1. *Pet.* 5. 8. Aduersarius vester diabolus tãquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret. Cui resistite fortes in fide.

2. *Pet.* 2. 4. Deus Angelis peccantibus non pepercit; sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos, in iudicium reseruari.

Iudæ v. 6. Angelos, qui non seruauerunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in iudicium magni diei, vinculis æternis sub caligine reseruauit.

Apoc. 12. 7. Michael & Angeli eius præliabantur cum dracone, & draco pugnabat, & angeli eius: & non valuerunt, neque locus inuentus est eorum amplius in cælo. Et proiectus est draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur Diabolus & Satanas, qui seducit vniuersum orbem: & proiectus est in terrã, & angeli eius cum illo

missi

missi sunt. Et audiui vocem magnam in cælo dicentem: Nunc facta est salus, & virtus, & regnũ Dei nostri, & potestas Christi eius: quia proiectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos ante conspectum Dei nostri, die ac nocte.

*Cap.*20. 1. Vidi Angelum descendentem de cælo, habentem clauem abyssi, & catenam magnam in manu sua. Et apprehendit draconem serpẽtem antiquum, qui est diabolus, & Satanas, & ligauit eum per annos mille, & misit eum in abyssum, & clausit, & signauit super illum, vt non seducat amplius gentes, donec consummentur mille anni, & post hæc oportet illum solui modico tempore.

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Clemens Romanus. 80.

Lib.2. Recognitionum: Testor cælum & terram, *(inquit Petrus)* quòd, si quantum cupit inimicus deſequire, permitteretur etiam à Deo, olim omnes homines deperissent, sed misericordiæ causa non sinit Deus.

Constit. Apostolic. lib.8. cap.7. Deus, qui fortem ligasti, & omnia vasa eius diripuisti; qui dedisti nobis potestatem calcandi super serpẽtes, & scorpiones, & super omnem potestatem inimici; qui dedisti nobis homicidam serpentem vinculis cõstrictum, sicut passerem pueris, quem omnia horrescunt & contremiscunt à facie potentiæ tuæ; qui ipsum è cælo in terram instar fulguris erumpere fecisti, non eruptione ad locum pertinente, sed honoris in dedecus mutatione, idq; propter voluntariam mentis malitiam, cuius aspectus exsiccat abyssos, & minæ liquefaciunt montes, increpa malos spiritus, & eripe opera manuum tuarum exactu alieni spiritus.

Ignatius. 100.

Epist. ad Philipp. Princeps mundi huius gaudet, cùm quis crucem negarit: Cognoscit enim crucis confessionem, suum esse ipsius exitium. Id enim trophæum est contra ipsius potentiam: quod vbi viderit, horret, & audiens timet: & antequam fabricaretur crux, studebat vt fabricaretur, & operabatur in filijs inobedientiæ, operabatur in Iuda, in Pharisæis, in Sadducæis, in senibus, in iuuenibus, in sacerdotibus: Cùm autem paranda esset crux, tumultuabatur, & pœnitentiam immisit proditori, & laqueum illi commonstrauit, & suspendium, quo strangularetur, edocuit: terrebat & mulierculam, turbans eandem in somnijs, & vt à crucifigẽdo cessarent, moliebatur, qui prius omnem lapidem mouerat, vt eadem crux pararetur: non quòd pœnitudine duceretur ob tantum malum: hac enim parte minus fuisset sceleratus: sed sentiebat suam ipsius perniciem. Crux enim Christi prima fuit ipsi condemnationis, mortis, & perditionis causa. Ideo & in quibusdã id efficit, vt crucem negent, vt passionis illos pudeat, &c. Ignoras tu quis sit ingenitus, qui omnium rerum scientiam tibi vendicas? At multa te latuerunt: Mariæ virginitas, & admirandus ille partus, quis sit ille, qui in corpore est, stella quæ duxit eos Magos, qui in Oriente erant, dona offerentes: Archangeli salutatio Virgini facta.

Epistola ad Smyrnenses: Hæretici posteri sunt & nepotes spiritus illius omnis mali primi inuentoris, qui Adam fecit Dei mandatum auersari per fœminam, Abel per Cain occidit, qui Iob oppugnauit, Iesum filium Iosedec accusauit, qui postulauit cribrare fidem Apostolorum, qui plebem Iudaicam concitauit aduersus Dominum, qui & nunc vim efficaciamq; exerit in filijs inobedientiæ.

Dionysius Areopagita. 100.

De diuinis nominibus cap.4. Deinde quonam modo Dæmones à Deo facti mali sunt? Bonum enim bona producit & statuit. Ac mali dicuntur, dixerit quispiam, sed non secundùm quod sunt: ex bono enim sunt, bonamq; sortiti substantiam, sed ex eo quod non sunt, quod iuxta sacra eloquia infirmati sunt ad seruandum suum principatum. In quo enim, obsecro, malos fieri dæmones dicimus, nisi in vacatione diuinorum bonorum habitus atque operationis? Præterea si naturâ mali sunt dæmones, semper ergo mali, atque malum instabile est. Itaque si semper eodem modo se habent, non sunt mali: semper enim idem esse, boni proprium est. Si autem non semper mali, non natura mali sunt, sed Angelicorum bonorum indigentia. Neque tamen omninò exortes boni sunt: quia & sunt, & viuunt, & intelligunt: estq; in ijs quidam desiderij motus. Mali verò esse dicuntur, quòd circa naturalem operationem infirmentur. Auersio est itaque illis malum (quod exciderint, potitiq; non sint naturalibus bonis) imperfectioq;, & imbecillitas, & infirmitas, ac fuga, & prolapsio virtutis conseruantis eis inditam perfectionem.

Hermas. 120.

Lib.2. mandato 6. de agnoscendis duobus cuiusque hominis genijs: Accipe nunc & genij iniquitatis opera. Primùm amarus, iracundus, & stolidus est, & opera illius perniciosa sunt, & euertunt seruos Dei. Cùm ergo in cor tuum ascenderint hæc, intelliges ab operibus eius hũc esse genium iniquitatis. Quomodo Domine intelligam? Audi, inquit, & intellige: Cùm iracundia tibi accesserit, aut amaritudo, intellige eum esse in te, &c.

Mandato 7. Diabolum ne timeas: timens enim Dominum dominaberis illius: quia virtus in illo nulla est: in quo autem virtus non est, is ne timendus quidem est. In quo verò virtus gloriosa est, is etiam timendus est. Omnis enim virtutem habens, etiam timendus est. Nam qui virtutem non habet, ab omnibus contemnitur. Time planè facta Diaboli, quoniam maligna sunt: metuens enim Dominum timebis, & opera Diaboli non facies, sed abstinebis te ab eis.

Iustinus Martyr. 150.

Oratione ad Antoninũ Pium: Apud nos archidux & princeps malorum dæmonum serpens vocatur, & Satanas, & diabolus: ficuti ex Scripturis, si inquiratis, cognoscere potestis, quem, vnà cum militia sua, & hominibus eum sequẽtibus, in ignem missum, & per seculum infinitum excruciatum iri præmonstrauit Christus.

Tatianus. 180.

Oratione contra Græcos: Quemadmodum latro, cùm humanitatem omnem exuerit, per audaciã similes sibi homines superare solet: sic dæmones quoque nimia improbitate aucti, fatuas animas vestras, erroribus falsisq; visis deceperunt. Non facilè autem moriuntur isti, cùm carnei non sint, sed viuentes negotia mortis exercent: toties nimirum & ipsi morientes, quoties illos, quibus

præeunt,

præeunt, peccatis imbuerint. Quocirca quod in præsentia peculiare habent, nempe non similiter vt homines mori, id quoq; punitionis ipsorum tempore habebunt: neq; pro morte commutata immortalitate vita fruẽtur ęterna, &c. Porrò dęmones omnes, non carnea, sed spiritali concretione constant, qualis est ignis & aëris: quæ corporum constitutio à solis illis perspici potest, qui spiritu Dei muniuntur: non item à cæteris hominum, quos anima regit. Dignius enim ab indigniore comprehendi non potest: quocirca dæmonũ substantia pœnitentiæ locum non habet. Materia enim & improbitas in eis relucent: materia autem voluit imperare animæ, &c. Dæmones pro sua malignitate in homines debacchando, varijs & ementitis figmentis ingenia ipsorum deorsum nutantia luxant & labefactant, quo minus ad viam cælorum erigi queant, &c. Veruntamen aliquãdo videntur dęmones etiam ab istis, qui ánima reguntur, non spiritu, cùm ipsi sponte conspectui se offerunt, vel vt aliquid esse existimentur; vel vt noceant hominibus, vtpote inimicis, amicitiam simulantes ex ingenij malignitate, vel vt sui similibus conferendi in se cultus occasionem exhibeant. Etenim si possent, cælum ipsum cum reliquis omnibus à Deo conditis detraherẽt & subuerterent. Nunc cùm id efficere nequeant, inferiorem saltem & sibi similem materiam impugnant. Hos vincere qui velit, materiam repudiet: armatus enim thorace cęlestis spiritus, quicquid suum est, seruare poterit. Atqui fiunt etiam morbi, & tumultus quidam oboriuntur in materia nostra; & eorum causas, cùm contingunt, dæmones ipsi sibi ascribũt, eodem tempore accedentes, quo morbus inuadit. Interdum etiam ipsi tempestate vecordiæ suæ habitum corporis concutiũt, qui perculsi verbo virtutis diuinæ territi discedunt, & æger sanatur, &c. Deus nihil non bonum in suo genere produxit: dæmonum autẽ luxuria rebus in mundo inuẽtis ad mala facinora abutitur, & istis, non Deo profectò idea malitiæ debet ascribi, &c. Non sanant dæmones, sed dolo capiunt homines: & rectè Iustinus ille, maxima dignus admiratione, dæmones latronibus esse similes docuit. Siquidẽ vt illi viuos aliquos capere solẽt, deinde pacta mercede familiaribus eos restituere: sic etiam, qui à vobis existimantur Dij, quorũdam membris hominum se infinuantes, deinde per somnum suam in illis gloriam fabricantes, in publicum prodire iubent, & in conspectu omnium, postquam desideratis ex mundo rebus se expleuerunt, ab ægris auolãt, & morbum suo dolo productum obliterantes, pristinæ valetudini homines reddunt.

Irenæus. 180.

Rom.3. *Lib.5. cap.23.& 24.* Deus quidem verax: mortui enim sunt, qui gustauerunt de ligno: serpens autem mendax ostensus est, & homicida, sicut Dominus ait de eo: Ioan.8. *Quoniam ab initio homicida est, & in veritate non stetit.* Sicut ergo in principio mentitus est, ita & in fine mentiebatur, dicens: Matt.4. *Hæc omnia mihi tradita sunt, & cui volo do ea.* Non enim ipse determinauit huius seculi regna, sed Deus, &c. Diabolus nunquam omninò quietus est, imò qui nec ipsas quidem gentes vult in tranquillo agere, &c. Diabolus apostata existens Angelus, hoc tantum potest, quod egit in principio, seducere, & abstrahere mentem hominis, ad transgredienda præcepta Dei, & paulatim obcæcare corda eorum, qui conarentur seruire ei, & ad obliuiscendum quidem verum Deum: ipsum autem quasi Deum adorare. Quemadmodum autem si quis apostata regionem aliquam hostiliter capiens, perturbet eos, qui in ea sunt, vt regis gloriam sibi vindicet, apud ignorantes, quod apostata & latro sit: sic etiam diabolus, cùm sit vnus ex Angelis his qui sup spiritum aëris prępositi sunt, quemadmodũ Paulus Apostolus, in ea quæ est ad Ephesios, manifestauit, inuidens homini, apostata à diuina factus est lege. Ephes.6

Clemens Alexandrinus. 200.

Lib.2. Stromatõn: Cùm Dominus sit cognitor cordium, & futura præsciat, facilem hominis mutationem & ad reuertendum propensionem, & diaboli calliditatẽ ab alto vidit à principio, qui homini inuidens, propter remissionem peccatorũ causas seruis Dei suggerit, astutè hoc moliens, vt ipsi quoque cum eo cadant.

Hippolytus. 220.

Oratione de cõsummatione mundi: Tum adducetur filius perditionis, id est diabolus, cum dæmonibus & ministris suis, angelis suis seueris & rigidis, tradenturq; igni inextinguibili, vermi non dormienti ac tenebris exterioribus.

Origenes. 230.

Lib.1. in Iob: *Diabolus venit, vt staret ante Dominũ.)* Venit, sed non in præsentia, non accessu, neque introitu, sed venit cogitatione, consilio, desiderio. Nam sicut quis latronũ positus in carcere ac vinculis vult frequenter & optat, vt fit foras in montibus, vbi pridem fuerat, sed non ipse est illic, sed sensus atque cogitatio eius, & venit illi in cogitationem, commonefaciens se de ijs, quæ illis sunt locis, & stationibus, factis quoque atque studijs: ita diabolus cùm commonefacit se priorũ omnium, & desiderat illa quæ sunt ante Deum, & vadit illuc sensu atque cogitatione, venisse dicitur ante Deum, cùm ipse non propriè venerit, sed sensu & cogitatione. Nam quomodo veniret ante conspectum Dei is, qui sanctæ animæ Iob appropinquare, vel eam tangere permissus non est? &c.

Circuiui, inquit Satan, terram.) Nõ per temporum spatia circuisti, sed subitò, celeriter, ac velociter omnia, quæ sub cælo sunt, peragrasti; & omnia, quæ in aëre sunt, peruolando; & cuncta, quæ sub cælo sunt, inspiciendo; subitò ab Oriente ad Occasum transeundo, & à Meridiano ad Aquilonem peruolando; & ea, quæ per quatuor terminos orbis, in omnibus gentibus, & prouincijs, & regionibus, atq; linguis fiunt, vel dicuntur vidẽs, & audiens, & sciens, non tanquam in præsentia habẽs, sed tanquam spiritus volans, & omnia quæ voce dicuntur audiens, & quę operibus fiunt vniuersa videns: ea verò quæ in corde, atq; intra animum tractantur nesciens. Si enim hominum cogitationes scisset, profectò nullum hominem saluum fieri permisisset: Nunc verò ea quidem, quæ cogitantur, vel tractantur, ignorat; ea verò, quæ operibus fiunt, & per vocem dicũtur, audit, & videt, vtpote spiritus callidus, & subtilis, & qui vbique est præsens, atq; totum mundum subitò peruolãs. Si enim venti aëris regiones & prouincias subitò perflant, atq; transeũt; nonne multo amplius aërei spiritus, id est nequissimi dęmones, subitò per uolant totum mundum, subitò vniuersa peragrãt quæ sub cælo sunt, subitò vbique præsentes sunt? In omni prelio vel pugna, in omni perturbatione atque mortis ruina, in omni seditione ac tumultu, in omni contentione ac lite, in omni sanguine ac homicidio, in furto atque adulterio, omniq; lamentabili bello, vbique prędentes sunt nequissimi atque aërij dęmones, plus perturbantes & succendẽtes atq; vniuersa mouẽtes. Vnde diuinationes sunt, ex qua malignissimi dęmones, aereiq; spiritus, subitò hũc mundũ peruolantes, atq; vniuersa, quæ in omni loco huius mundi fiunt, contemplantes, & ea quæ dicuntur audientes, qui alibi vbicũq; longè positi fuerint, suę nequitiæ ministris

reuelant,

reuelant, atq; demonstrant, tam in somnijs, quàm in vigilijs, nec non in phantasmatibus, & iuxta hæc quæ fiunt, vel emergũt, etiam alia futura sperare ac probare docent.

Homilia 7. in Ezechielem: Diuersis pugnat Diabolus insidijs, vt miserum perdat hominem, & bonam malis tribuit vitam, ad decipiendos videntes, & malam bonis inurit conscientiam. Mihi ipsi, qui in Ecclesia prædico, laqueos sæpe tendit, vt totam Ecclesiam ex mea conuersatione cõfundat. Omnia, vt diximus, diabolus operatur, & ea quæ videntur esse bona nec sunt, & ea quæ per naturam suam mala sunt: omnia aduersum humanam commentatur naturam.

Lib. 1. de Principijs in proœmio: De diabolo, & angelis eius, contrarijsq; virtutibus ecclesiastica prædicatio docuit, quoniam sunt quidem: sed quid sint, aut quomodo sint, non satis clarè expositum. Apud plurimos tamen ista habetur opinio, quòd Angelus fuerit iste diabolus, & apostata effectus, quàm plurimos Angelorũ secum declinare persuaserit, qui & nunc vsque angeli ipsius nuncupantur.

Proclus. 260.

Apud Epiphanium hæresi 64. Cæterùm reliqui Angeli in his, ob quæ fecit ac constituit ipsos Deus, manserunt. Hic verò (*diabolus*) violauit, & prauus factus est, circa concreditorum ipsi administrationem, & inuidiam contra nos cõcepit. Quemadmodum & qui postea carnes amauerunt, & cum filiabus hominum, ob concubitus amorem conuersati sunt. Spontaneam enim etiam ipsis habere ad vtraq; voluntatem Deus constituit, velut etiam in hominibus: vt aut obedientes verbo essent cum ipso, & acciperẽt beatitudinem, eaq; fruerentur: aut non obedientes iudicarentur. Erat autẽ & Diabolus stella Lucifer: *Quomodo*, inquit, *excidisti è cælo stella Lucifer, qui manè oriebaris?* Erat lucis sydus matutinum, sed excidit, & in terram cõtritus est, vbi procreasset homini contraria. Deus enim indignatur superbis, & cõtumacem sententiã impedit. Inuadit autem, vt versibus dicam,

Cuncto, velut qui principium finiq; sit,
Mortalium serpens malorum statu,
Thesaurum habens adeò grauem secum mali,
Errore cæcus, ignorantiaq; dux,
Vita lachrymis gaudens, simulq; suspirijs.
Ad improbas persuadet hic iniurias,
Consanguineas armemus vt contra manus
Fratres: Cain per duxit, vt resperserit
Cruore primus terram sæuus rubido.
Et primus vt noster parens cælestibus
De sedibus miser ruinam fecerit.

Eusebius Cæsariensis. 320.

De Demonstratione Euangelica lib. 3. cap. 5. Ab eodem Saluatore didicimus, hostiles quasdã inimicasq; humani generis, per hũc, qui circum terram versatur, aërem, volare potestates dæmonum, spirituumq; malorum, eorumq; qui in illis principatum tenent: quæ cum malis hominibus versentur, quas vt omni conatu fugiamus in præceptis habemus: tametsi vel quàm maximè Deorũ appellationes & cultus sibi ipsis arrogant, multoq; etiam magis ab illis esse declinandũ, propter hãc ipsam cum Deo repugnantiam, hasq; aduersus Deum inimicitias.

Lib. 4: cap. 8. Cùm multiplici errore vagetur, & nobis haud cernentibus circum hunc aërem, qui terram ambit, terrestris quædam volitet ac dæmoniaca natura, quam homines neq; cognoscere, neque discernere idonei sunt: cumq; bonorum itẽ spirituum ac potestatum, & ipsorum denique diuinorum Angelorum natura, ab ea quæ in deterius lapsa est, cõtinenter dissideat, non aliter ijs, qui à supremi omnium regis cultu declinassent, res bene poterat cedere, quàm si eorum, quæ in cælo spectantur, quæ præstantissima sunt, elegissent. Periculum enim non mediocre erat, nec vbi Deum quærentes, & curiosius, quæ ad aspectum non veniunt, indagantes: difficultate earum rerum, quę latent obscuręq; sunt, ad cõtrarias dæmoniacasq; potestates verterentur.

Cap. 9. Et hæc quidem sic se habebant: aduersantis verò & rebellis potestatis factio, siue dæmonũ ea sit, siue aliorum etiam deprauatorum spirituũ, qui & plus & minus de malitia reportant, grauius præterea cuiusdam magniq; dæmonis, qui omnium principatum inter eos obtinet, qui primi in diuino cultu nutauerunt, atque ob id proprium vocabulum amisêre, saluti hominũ inuidens in contrariam partem trahebat, omnisq; generis malitię machinis, cunctis gentibus, ipsiq; etiã sorti Domini, ex inuidia bonorum insidiabatur, &c. Mali dęmões in omni loco, & ciuitate, & regione, sub certo principe dispositi instructiq; sunt. Itaq; terrestribus potestatibus ac spiritibus malis, pro prioribus Dei ministris, omnis vita hominũ addicta est: omnibus certatim ac procliui alacritate in lubrico voluptatis proficientibus: adeò quidem, vt iam naturæ terminos transilirent, & modò se mutuo ardore corrumperẽt, modò quæ dicenda non sunt patrarent.

De præparatione Euangelica lib. 7. cap. 6. Virtutes ministrantes, & spiritus qui ad Dei ministeriũ mittuntur, propter eos, qui æternæ consecuturi sunt vitæ hæreditatem, sanctos dico Angelos Dei diuina luce frui, ac idcirco luminaribus cæli conferri, docti à Scriptura credidimus; à quibus pẽruersi quidam spiritus, cùm sua nequitia diuinam lucẽ suscipere nequiuerint, tenebrę factisunt. Quorum primũ, qui etiam alijs defectionis causa fuit, quoniam penitus propter impietatem suam in terrã decidit, quiq; totius venenosæ prauitatis auctor est, spõte à lumine ad tenebras lapsum draconem serpentemq;, lethiferi veneni productorem atrocem belluam, & leonem humanis carnibus viuẽtem, ac deniq; basiliscũ Scriptura solet appellare. Causa verò qua lapsus est, furor mentis, & arrogantia hoc pacto dicitur fuisse. *Quomodo decidit de cælo Lucifer, qui manè oritur, contritus est in terram, qui mittit ad omnes gentes: tu autem dixisti in mente tua: In cælum ascendam, super astra ponam sedem meam*, &c. His verbis apertissimè cum superioribus illũ Virtutibus conuersatum fuisse docemur. Et quoniã ceruices extulit propter arrogantiam decidisse, sub quo innũmerabiles quidẽ sunt spiritus, simili impietatis errore perlucida, diuina, regia, beataq; habitatione ad cõuenientia sibi ac omnibus impijs loca Tartari sententia Dei depulsi: Quæ loca abyssum diuina Scriptura, & tenebras non has, sed quas diuina verba intelligunt, solet appellare. Ex numero quorum multi, exercitationis hominũ gratia, in terra & regione, quæ sub luna est, derelicti, erroris humani, & impietatis gentium concaussa simul fuerunt: quibus interdum nomina indit Scriptura, malignos spiritus & dæmones, potestates & principatus mundi huius appellans.

Antonius Eremita. 330.

Epistola 2. Sancti omnes multum laboris emittunt pro vobis semper ad Deum cernentes laborẽ proprij Conditoris, omnesq; malitias paruipendentes, nec nõ & decipulas diaboli, & angelorum eius insidiãtium, iuges ad perditionem nostram. Quoniam etenim portio eorum in infernum habet ire, idcirco & illi volunt nostrũ quoq; studiũ vnà secum attrahere, &c. Nos sumus rationabiles nuncupati, sed gerimus irrationabilem sensum, dum ignoramus occultas calliditates, & artes diaboli

boli multiformes, quæ sint quales q; noscantur. Quando enim compererint conari nos confusionem nostram cognoscere, & quòd queramus modum efficaciæ illorum, operantes in nobis: & nõ tantùm vt non obediamus malitijs eorum, aut hortamentis, quę disseminãt in cordibus nostris, sed & ne quàm plurimi nostrorum profiteantur studia eorum: ipsi quoq; cognoscẽtes indulgentiam Conditoris, quòd mors his fiat in terris, illis verò sit præparatum hereditare gehennã propter negligentiam suam, &c. Verè filioli inuident nobis per omnem horam in suo maligno cõsilio, & persecutione quã plurima, & malitia sua, nec non & spiritibus, erroris siue cogitationibus blasphemis, infidelitatibus nostris quoque quę seminantur ab ipsis in cordibus, ac doloribus multis, quæ irrogant nobis per omnem horam, animi etiã defectionibus, in quibus per singula labefacere animum non desistũt, &c. Pro certo est, quòd cùm se nouerit diabolus per superbiam & inanem gloriam cælitus fuisse deiectũ, ideo & ille eos, qui peruenerint in magnam mensuram, aggreditur imprimis artifices existentes, per superbiam & inanem gloriam, vt sint aduersum se alterutrum: scientes quòd per ista segregent nos à Deo. Et quia nouerunt, quòd qui dilexerint proximum, diligant Deum, & ideo illi cùm sint virtutis inimici, proprium seminant fomitem simulationum in corde nostro, vt possideamus inimicitiam magnam aduersus alterutrum.

Athanasius. 340.

Contra Arianos oratione 1. Quia omninò abominabilis est scelerum inuentor diabolus, immensus calũniator, & vel semel visus, reijcitur ab omnibus, vt serpens, vt draco, vt leo, quærẽs quem rapiat & deuoret, ideo hoc ipsum quidem quod est dissimulat, & occultat: nomen verò qđ ab omnibus desideratur & expectatũ est, callidè vt personam induit, vt specie deceptos iam deinde suis vinculis perstringat, non aliter quàm plagiarius, qui cùm auertere cupit alienos liberos, lõgè à parentibus suis peregrè agentes, assimulat speciem vultumq; parẽtum: quos vbi desiderio sui captos deceptosq; longius abduxerit, iugulat & occidit. Eadem quoq; ratione sinuosus ille, & mille doli fraudisq; magister diabolus, nihil sibi fidens, vtpote qui sciat humani generis ad veritatem amores, veritatis speciem, vultumq; prætendit, suum tamen interim virus comitibus suis & assĕclis inspergit. Ita quoque & Euam decepit, non sua loquens, sed Dei verba assimulãs, & verborum sententiam refingens. Itidem quoque vxorem Iob persuasam instigauit, vt præ se ferret coniugalem charitatẽ, sed doceret tamen blasphemias in Deũ. Ita dolosus ille vanis & falsis imaginibus rerum hominibus illudit, obrepẽs & prouocans vnumquemque nostrũ ad vitij sui præcipitia. Iam olim ex quo deceperat primum hominem Adam, persuasus omnes sese homines in sua ditione habiturum; ferociter insultabat dicens: Ego vniuersum orbem terrarum mea manu veluti nidũ comprehendam, & vt oua relicta tollam, nec est qui aufugiat, aut obloquatur mihi.

Quæstione 6. Diabolus antequam creatus esset Adam, cecidit. Constat verò cecidisse eum propter superbiam suam, vt inquit Esaias Propheta: *Cogitauit apud semetipsum, supra nubes locabo solium meum, & Altissimo similis ero.* Isaiæ 14.

In Vita Antonij: Hoc primum debemus mentibus affigere, nihil Deum fecisse, quod malum est, nec ab eius institutione dæmonum cœpisse principia: peruersitas ista non naturæ, sed voluntatis vitium est. Boni etenim, vtpote à Deo conditi, ex proprio mentis arbitrio ad terras ruẽre de cælis, ibiq; in cœni sordibus volutari, gentilitatis impias constituêre culturas: & nunc de nobis torquentur inuidia, atq; vniuersa mala commouere non cessant, ne pristinis eorum sedibus succedamus. Diuersa autem eorum, & partita nequitia est. Quidam enim ad summũ nocendi verticem peruenêre: alij ex comparatione peiorum, videntur esse leuiores: atque omnes pro possibilitate virium, diuersa cõtra singulas causas sumpsêre certamina. Idcirco necessarium est, donum spirituum discernendorum à Domino petere, vt possimus tam fraudes eorum, quàm studia pręuidentes, aduersum disparem pugnam vnũ Dominicæ crucis eleuare vexillum. Hoc munere Paulus accepto docebat, dicens: *Non enim eius ignoramus astutias, ad cuius exemplum etiam nos oportet ex his, quæ passi sumus, mutuis nos inuicem instruere sermonibus.* 2. Cor. 2.

Basilius Magnus. 370.

Homilia quòd Deus non sit auctor malorum: Hinc cõsequenter alia quæstio de diabolo nascitur: vnde Diabolus sit, si non ex Deo sunt mala. Quid igitur dicemus? Vnde iniquus est homo? ex ipsius libera voluntate. Vnde malus diabolus? ex eadem penitus causa. Habebat enim & ipse liberam vitam, & insitam sibi potestatem, aut Deum sequendi, aut à bono discedendi. Gabriel Angelus à Deo iugiter stetit: Satan item Angelus ex ordine suo prorsus cecidit. Et illum propria voluntas in cælo retinuit, hunc verò voluntatis libertas cælo deiecit: Poterat enim & ille à Deo deficere, & iste non excidere. Sed illũ insatiabilis dilectio Dei seruauit; hunc à Deo derelictum esse ostendit per peccatum alienatio, &c. Aduersarius nobis est Diabolus; ob antiquam ex eius insidijs ruinã, ita Domino disponente, vt cum illo luctaremur. Itaq; per obedientiã nos renouauit, vt de inimico triumphãremus. Vtinam quidem non esset factus Diabolus, sed in eo ordine, quo ab initio constitutus fuit, remansisset. Postquam verò ab auctore suo defecit, inimicus Dei, inimicus item hominis ad ipsius imaginem constituti factus est. Nam ideò misanthropus exiſtit, & ideo Deo rebellis. Nos verò vt Dei opus odio prosequitur, vt eius imaginem insectatur. Ille igitur sapiẽs & prouidentissimus rerum humanarum dispensator, eius vtitur ad hõstram exercitationem malignitate, quemadmodum medicus viperæ veneno, ad salutarem medicamẽtorum præparationem. Sed quisnam erat Diabolus? ex quo Ordine? ex qua dignitate? & vnde Sátanas cognominatur? Satanas igitur, qđ bono aduersetur, appellatur. Diabolus verò dicitur, quoniam idem & in peccato nobis cooperatur; & accusator noster est. Gaudet ex interitu nostro, nosq; eorum gratia, quæ cõmissa sunt, traducit. Natura autem ipsius incorporea est, secundùm Apostolũ dicentẽ: *Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinẽ, sed aduersus spiritualia nequitiæ.*

Ad Esaiæ cap. 8. Operationes erroris à dęmonibus excitantur & fiunt, ad eorum subuersionem; qui explorare talia, & experiri voluerunt. Et quidem nunc imaginationes quasdam circũfusi circumsistentibus ingerunt, inter soporem carpendum; quæ aut contineant vitiosam corporis affectionem, aut prenuntiẽt quid futurum sit. Siquidem dæmones tales euentus simul cernere possunt: superiores quidem sunt corporeis affectibus, quòd sint proprietate materialium rerum longè perspicatiores, & qualitates herbarum sedulò obseruent, & earum vim excitandis affectionibus obscœnis cõgruentem norint. Plerumq; verò & futura prædicunt, eorum, quæ prius contigerunt, collatione. Quòd autem intelligãt ea ad nostram nondum peruenisse notitiam, nobis annuntiant quasi futura.

Macarius AEgyptius. 370.

Homilia 5. Quemadmodum triticum in cribro eius, qui tractat illud, alliditur, & agitatū in ipso assiduè vertitur: ita princeps nequitiæ cunctos homines rebus terrenis occupatos tenet, & eiusmodi occupationibus eos agitat, turbat, & commouet, efficitq; vt variis cogitationibus allidantur, dum obscœnis desiderijs, & terrenis atq; secularibus laqueis vniuersum genus Adæ peccato obnoxiū, sine intermissione captiuat, agitat, atq; decipit: sicuti Dominus, nequam illum prædicabat in Apostolos insurrecturum: *Expetiuit Satanas cribrare vos sicut triticum, &c.* Qua enim ratione ventus vnus sufficit ad omnes plantas & semina agitanda, & concutienda: aut sicut noctis vnius tenebræ, per vniuersam terrā extēduntur: ita princeps nequitiæ, qui quidem se habet ad instar tenebrarum rationalium peccati & mortis, & est velut quidam ventus latēs & agrestris, omne genus hominum, quod est super terram, perturbat, & circumagitat volubilibus cogitationibus.

Luc.22.

Homilia 15. Quemadmodum si fuerit in aliqua domo quidam adolescens, similiter & iuuencula, quæ ab illo blanditijs illecta assentiatur illi, stuprum committit, & fit dignus, qui expellatur: ita dirus ille serpens peccati comitatur animam, alliciens eam & prouocans: quę si assentiatur, communicat anima incorporea cū vitio spiritus incorporei, hoc est spiritus cum spiritu communionem habet, & fornicatur in corde suo is, qui assentitur, & cogitationem nequissimi recipit.

Ephræm. 370.

Ad euersionē Superbia: Versutus, & callidus, multiformisq; est hic immundus spiritus: vnde etiā in cunctos dominari nititur, singulisq;, per quas transire contigerit vias, in ijs laqueos constituit, sapienti per sapientiam, forti per fortitudinē, diuiti per diuitias, formoso per pulchritudinem.

Cyrillus Hierosolymitanus. 370.

Catechesi 2. Princeps est peccati diabolus, & pater malorum: hoc autem Dominus dixit, nō ego, quòd *ab initio Diabolus peccat:* nam ante illum peccauit nemo. Peccauit autē, non ex necessitate vitium naturę suscipiēs, quò sic peccati occasio rursus in opificem retorqueatur: sed bonus creatus, propria voluntate factus est Diabolus, ab actione capiens cognomen. Archangelus enim cùm esset bonus, diabolus postea seu calumniator à calumniando dictus est. Bonus cùm esset Dei minister, Satanæ deinceps nomen tulit: Satanas autem aduersarium significat. Non mea sunt hæc dogmata, sed Ezechielis. Ille enim deplorans istum, dicit: *Tu signaculum similitudinis Dei, & corona pulcherrima in paradiso Dei factus.* Et paucis interiectis: *Factus es immaculatus tu in diebus tuis, quibus tu creatus es, vsquequo inuentæ sunt iniquitates in te? omninò pulcher reperiebaris.* Neque enim exterius congestum est, sed ipse genuisti malum & causam mali. Deinde dixit: *Eleuatum est cor tuum super pulchritudinem tuam: propter multitudinem peccatorum vulneratus es, in terram proiecit te.* Et Christus in Euangelijs similiter: *Vidi,* inquit, *Satanam tanquam fulgur cadentem de cælo.* Cernis veteris Testamenti cum nouo consonantiam? Iste cadens traxit ad ruinā multos: iste obsequentibus sibi suggerit concupiscentias: ex hoc scortatio & adulterium, ac omne deniq; genus mali: Per hunc pater noster Adam pulsus est, & pro Paradiso admirando quodā modo sponte sua fructus ferente, terram spiniferam accepit.

Ezec.28.

Luc.10.

Catechesi 16. Spiritus nomen medium quoddam est: nam omne quod est absq; corporis mole, in vniuersum spiritus vocatur: cùm autē & dæmones corpora non habeant, spiritus vocantur. Sed magna est quædam inter hos spiritus differentia. Immundus enim dæmon, si quam hominis animam aggressus fuerit, (liberet autem ab hoc Dominus omnes animas tam præsentium hîc, quàm absentium) & tanquā lupus sanguiuorus, paratus ad deuorandum, super ouem veniat, sęuissimo illius aduentu grauissimus sensus, tenebrosa mens efficitur, & insultus iniquus, & rapina possessionis alienæ. Corpore enim alieno tamquam proprio vtitur violenter, membris alienis stantē iactitat, & alieno instrumento astantes acclamat: minister enim est illius, qui cecidit de cælo. Deprauat linguam, torquet labia, spumam pro verbis fundit, obtenebratur homo, apertus est oculus, & non videt per eum anima: gemit homo tremens, ante mortem miserimus. Verè hostes sunt hominum dæmones, turpiter illis abutentes, & absque misericordia.

Didymus Alexandrinus. 370.

Lib. 3. de Spiritu sancto: Obseruans Diabolus quibusdam motibus & operationum signis, ad quæ potissimum Iudæ cor esset vitia procliuius, deprehendit eum patere insidijs auaritiæ: & reperta cupiditatis ianua, misit in mentē eius quomodo desideratam pecuniam acciperet: & per occasionem lucri proditor Magistri & Saluatoris sui existeret, argentum proprietate cōmutans, & suscipiens pretium sceleris à Pharisæis atq; Iudæis. Hæc ergo cogitationis occasio, locum tribuit Satanæ: vt in cor eius introiens, impleret eum pessima voluntate. Introiuit ergo, non secūdùm substantiam, sed secūdùm operationem: quia introire in aliquem, increatæ naturæ est eius, quæ participetur à pluribus. Imparticipabilis ergo Diabolus est, non Creator, sed creatura subsistēs. Vnde & conuertibilis atq; mutabilis, è sanctitate decidit atque virtute.

Epiphanius. 380.

Hæresi 66. Diabolus non à creatione naturaliter malus creatus est, sed sibi ipsi post tempus malum facere excogitauit, de quo ignotum non est qualis futurus fuerit. Verū creatus est vnà cum omnibus bene, cùm Deus propter excellentē iustitiam, & ob eximiam bonitatem oēs & omnia vtilissima esse voluerit, & sua bona omnibus proposuerit.

Gregorius Nazianzenus. 380.

Oratione panegyrica in sanctā lumina, quæ est Orat. 39. Atq; hæc quidem ludant gentiles, ac dæmones, à quibus illi in hanc amentiam impelluntur, Dei nimirum honorem ad seipsos detorquētibus, atque in turpes sententias, & rerum species, alios alio modo discindentibus, inde ex quo nos, per scientię lignum minus tempestiuè & commodè perceptū vitæ ligno exturbatos, velut iam infirmiores, exagitârunt, gubernatrice mente abrepta ianuaq; vitiosis animi affectionibus patefacta: nec enim ferre poterāt, cùm inuidia atq; odio aduersus hominem suapte natura flagrarent, vel, vt rectius loquar, propter vitium suum in hunc habitum degenerassent, terrenos supernis bonis frui, cùm ipsi è cælo in terram corruissent, nec tantam gloriæ, pristinæq; ipsorū naturæ mutationē fieri. Carmine 6. de substantijs mente præditis:

——Angelus ægrè
Flectitur in vitium, facilis mortalibus autem
Est flexus, lapsusq; celer, vitioq; propinquant
Hoc mage, quo summo magis à Genitore recedunt.
Quocirca primus malè sana mente tumescens
Lucifer (eximio nam quòd frueretur honore,
Sperabat regale Dei solium q; decusq;)
Corruit amisso vilis splendore, miserq; :
Dum Deus esse cupit, tetra caligine totus
Obrutus est, leuis atq; licet, prostratus ad ima.
Quò fit, vt infestis odijs, ac feruidus ira,
Ob labem acceptam, quot quot prudentibus vti

Consilijs videt, incessat, studeatq; ferentem
Omnibus ad superas sedes præcludere callem.
Mortales etenim propius cum numine iungi,
Vnde ipse est lapsus, non sustinet, atque tenebras
Nobiscum, & noxas communes gestit habere.
Ergo diuinos Adamus dum quærit honores,
Præcipitem extrusit paradiso liuidus hostis.
Sic ille æthereā, fastu dum turget, ab arce
Corruit: at quoniam fastus grauis attulit ipsi
Exitium, haud solus cecidit, verùm agmine septus
Ingenti, sceleris cui dux fuit atque magister.

Gregorius Nyssenus. 380.

Oratione 1. de pauperibus amandis: Diabolus, cùm sit spiritus corporis expers, nihil vnquam edit omninò, & tamen propter improbitatem è sublimi illo cecidit dignitatis gradu: eadem ratione nullus dęmonum est, qui, quòd aut se obsonijs ingurgiter, aut immodicè bibat, ebriosusve sit, accusari possit. Natura enim à bibendi, edendiq; necessitate liberi sunt. Neque tamen idcirco vel die vel nocte per aëra oberrare vnquam cessant, flagitiorum auctores & ministri. Nobis autem omni studio moliuntur insidias: quippe liuore liquefiunt, & tabescunt inuidia, quòd ad eam nos homines necessitudinis coniunctionem cum ipso Deo, & felicitatis possessionem, à quo ipsi deiecti sunt, simus peruenturi.

Theophilus Alexandrinus. 390.

Epist. 2. Paschali: Talis Pastor gregis morbidi (*Origenes*) Christum vbiq; fugillat iniurijs, & diabolum honore sustollit, dum illum asserit, purgatum vitijs atq; peccatis pristinam aliquando gloriam recepturum, & hunc regnare desistere, simulq; cum diabolo sub Patris imperio redigendum: vt magis ad Origenis blasphemias, quàm ad vociferationem Iudæorum Propheta mirabundus exclamet: *Obstupuit cælum super hoc, & horruit valdè, dicit Dominus, eo quòd duo mala fecerit* Origenes: Christum asserens regnare desinere, & diabolum ad culmen, de quo ceciderat, ascensurum. Talem sceleris sui profundum lacum fodiens, qui aquas continere non possit, æqualem (quantū in se est) diabolum facit Filio Dei, dum illi detrahit regni gloriam sempiternam, & imperio Patris eū subijcit cum dæmonibus.

Ioannes Chrysostomus. 400.

Homil. 31. in Genesin: Diabolus cùm viderit spirituales diuitias coacceruatas, alacritatē feruidam, mentem vigilem, & quotidie diuitias augeri, cruciatur, & dētibus frēdet, & quasi pyrata circumit, & innumeras excogitat artes, vt si qua vel paruū inueniat aditum, quicquid nobis est spiritualiū diuitiarum deprædetur. Igitur sobrij simus, obsecro, & quanto magis spirituales nostræ facultates crescunt, tanto & vigiliæ nostræ intendantur, vt undequaque excludamus eius insidias, & gratiam Dei vitā optimā nobis cōciliantes, superiori loco stemus, quàm vt illius iacula nocere queant. Mala enim bestia est, & multiplices machinationes struit. Et quando non potest rectà nos ad vitia allicere, & suis dolis inescare, (non enim cogit, vel vim facit, absit: sed decipit tantùm, & quos negligentes videt, supplantat:) quando igitur salutem nostram manifestè lædere nequit, sæpe per opera virtutis, quę agimus, clanculo esca illata, diuitias nostras auehit omnes.

Homilia 3. de patientia Iob: Voluit Diabolus adesse in medio Angelorum, vti discas Angeli quidem naturam suscepisse, proditoris verò mentem ostendisse. Nam diabolus non naturæ nomen, sed præsumptionis. Nō enim diabolus factus à principio, sed Angelus creatus est. Diabolus verò quia detrahebat & Deo apud homines, & apud Deum hominibus, appellatur; quasi Deum contra homines, homines q; contra Deum; dominum aduersus seruum incitās, & seruum aduersus dominum, &c.

In Opere imperfecto in Matth. Homil. 5. Diabolus quantum ad se nunquam cessat tentans: nec enim habet alium actum. Non manducat, non bibit, non dormit, nec opus aliquod aliud operatur, nisi vt tentet, vt fallat, vt subuertat. Hic est cibus illius, hic honor, hoc & gaudium. Propterea infatigabilis est in malo, sed potentia Dei repellit eū; etsi permittit eum paulisper tentare propter fidē probandam, tamen repellit eum propter infirmam naturam.

Homil. 24. Diabolus nec generat, nec generatur: si non generatur, nescit seruare iura propinquitatis, quia nullum habet propinquum.

Homil. 16. in Genesin: Videbat dæmon super terram Angelum terrestrem, & à sua rodebatur inuidia malorum auctor: quoniam cùm ipse inter supernas Virtutes esset, & ob voluntatis suæ nequitiam & malitiam excellentem è summo illo cælo proiectus fuerit, magna vsus est machinatione, vt hominem & gratia Dei priuare, & ingratum factum, tantis bonis, per diuinam bonitatem ipsi concessis, nudare posset.

Concione 1. de Lazaro: Diabolus circumcursat, obsistere cupiens nostræ saluti, non solùm ipse nihil hinc lucri reportans, verùm etiam suo studio grauissima detrimenta sibi concilians. Is tamen vsque adeò vesanus est, vt frequenter & illa tentet, quę nequaquam fieri possunt: nec illos solùm adoriatur, quos omnino cōfidit se supplantaturos deiecturumq;, verùm etiā eos, quos probabile est artibus ipsius fore superiores. Itaq; cùm audiret laudari ac mirificè prædicari Iob, ab eo qui nouit arcana omnia, nimirum Deo, sperabat fore, vt eum viribus superior subuerteret: nec dēstitit omnia mouere, moliriq;, quò supplantaret hominem, nec desperauit impurus ille ac scelerātissimus dæmon: idq; cùm Deus illi iusto tantùm virtutis suo suffragio tribuisset. Et post hæc non erubescimus, neq; pudore suffundimur? Dic mihi, si cùm diabolus nunquam desperet nostram perniciem, sed indefinēter eam expectet, nos frātrum salutem desperauerimus? &c.

Marcus Eremita. 400.

Disputatione cum seculari quodam Causidico: Diabolus nō deterret solùm, ne cogitemus quicquid ad vitam pertinet; sed etiam ab oratione seducit & humilitate, quia nouit quæcunque citra hæc duo geruntur, tametsi bona sint, tandem se quādoque ablaturum.

Synesius. 410.

Lib. 1. de Prouidentia: Mortalium calamitates epilæ sunt malorum dæmonum. Sicut carbonibus accidit, vt facilè admotis facibus inflammentur, quòd iam ante ad ignem concipiendum sint idonei: ita dæmonis natura, cùm affectibus scateat, vel potius viua quædam sit, & motus compos affectio, vbi ad animum accessit propius, eam, quæ in hoc inest, affectionem commouet, & producit facultatem in opus: impressione enim facit quicquid facit. Quicquid autem actionē aliquam excipit, id ei assimilatur à quo afficitur: sic libidinē, sic iracundiam, & quæcumque his sunt gemina mala, dæmones consuetudine sua in animis per eas partes, quæ ipsis congruentes sunt, accendunt.

Nilus. 420.

Apud Damascenum in parallelis lib. 3. cap. 28. Non ōnibus dęmonibus eadem studia, aut eadem pernicioſa munera à diabolo imperantur: alij enim aliud execrandum ac Deo inuisum ministerium mandatur. Quidam enim impias cogitationes in hominum pectoribus insculpunt; nonnulli au-

tem fœdas & obscœnas cupiditates animę suadẽt. Atque alij quidem ad inanem gloriam,& inuidiam,& iracundiam,cæteraq; id genus animum extimulare consueuerunt: alij autem hæreticis disputandi materiam subministrant: alij demum voracitati, ac temulentiæ,& libidini operam impendunt. Ac rursus alij quidam dæmones per insomnia impostura faciunt, atque homines ludificantur,&c.

Ioannes Cassianus. 430.

Collationis 7. cap. 9. *Germanus:* Quod istud, quęso, est animæ cum istis spiritibus nequam tam indiscretum permixtumq; consortium, quo sic eidem nõ dicam iungi, sed vniri possint, & alloqui eã insensibiliter,& inseri atque inspirare illi quæcunque voluerint, & ad ea quæ placuerint eam valeant instigare,eiusq; cogitationes ac motus videant,atque perlustrẽt,tantaq; inter ipsos ac mentem vnitas fiat, vt sine Dei gratia quid ex illorum incitamento, quid ex nostra voluntate procedat, discerni penè non possit? *Serenus*: Non est mirũ posse spiritum spiritui insensibiliter coniugari,& occultam suadendi vim ad ea quæ libita fuerint exercere. Est enim inter eos, sicut inter homines, quædam substantiæ similitudo, atque cognatio. Siquidem definitio,quę de natura animæ assumitur, non incongruè etiam illorum substantiæ similitudini coaptatur. Altrinsecus verò eos sibi inseri vel vniri,ita vt capax alter alterius esse possit, omnimodis impossibile est. Hoc namque solũmodò deitati, quæ sola incorporea simplexq; natura est, rectissimè tribuitur. *Germanus*: Huic rationi satis arbitramur esse contrarium illud, quod videmus in arreptitijs fieri, cùm afflati spiritibus immundis loquuntur,& agunt ea quæ nesciunt. Quomodo ergo animas illorum spiritibus illis nõ credamus vniri, quorum videmus illas velut organũ factas,& derelicto naturali statu ad illorum motus affectusq; transire, ita vt iam non suas, sed illorum voces & gestum volũtatesq; depromant? *Serenus*: Prædictæ definitioni nostræ non est contrarium id,quod dicitis in energumenis fieri,cùm spiritibus immundis arrepti loquũtur,vel agunt ea quę nolũt,vel quòd ea quæ ignorant proferre coguntur. Non enim vno modo istam eos infusionem spirituum sustinere certissimum est. Quidã enim sic afflãtur, vt nequaquam ea quæ gerunt, vel loquuntur intelligant; quidam verò norunt, & postea recordantur. Quod fieri per infusionem spiritus immundi non ita putandum est, vt in animæ ipsius penetrans substantiam, & velut vnitus ei, & quodammodo indutus ea,sermones ac verba per os patientis emittat. Nullo namque modo istud ab ijs fieri posse credendum est. Nec enim per aliquam animæ diminutionem,sed per corporis debilitatem, hoc euenire manifesta ratione deprehenditur; cùm scilicet in illis membris, in quibus vigor animæ continetur,immundus spiritus insidens,ijsq; importabile atque immensum pondus imponens obscuritate teterrima intellectuales eius obruit & intercipit sensus: quod nonnunquam etiam vini febrisq; vitio, seu nimij frigoris alijsq; valetudinibus extrinsecus superueniẽtibus videmus accidere.

Capite 15. Nulli dubium est, quin possint spiritus immundi cogitationum nostrarum attingere qualitates, sed indicijs eas sensilibus forinsecus colligentes,id est, ex nostris dispositionibus, aut verbis & studijs, in quæ propensius conspexerint nos inclinari. Cæterùm illas, quæ necdum de internis animæ prodierunt,adire omnino non possunt. Ipsas quoque cogitationes, quas ingerunt, vtrum susceptæ, vel quemadmodũ susceptæ sint, non per ipsius animæ naturam, id est, per illum interiorem motum, in medullis ipsius latitãtem, sed ex motibus & indicijs exterioris hominis deprehendunt: vt puta cùm suggesserint gastrimargiam,si viderint monachum ad fenestram,aut ad solem oculum curiosius erexisse, vel de hora sollicitius inquisisse, cognoscunt desiderium gulæ fuisse susceptum. Si fornicationẽ ingerentes, senserint eum patienter telum libidinis suscepisse, seu viderint carne commotum, aut certè non vt oportuit aduersus suggestiones immunditiæ suspiraſſe lasciuiam, intelligunt in penetralibus animę libidinis iaculum fuisse defixum. Illo namque vnumquemque nostrum delectari certa ratione cognoscunt, ad cuius instigationem mox quodam nutu vel motu corporis cõsensum conuenientiamq; ab eo præstitam fuisse prouiderint. Quæ ab illis aërijs virtutibus ita deprehendi non est mirum, cùm hoc à prudentibus quoque viris sæpissime fieri videamus,vt scilicet interioris hominis statum de figura & vultu agnoscant. Quanto ergo certius hæc ab ijs poterunt deprehendi, quos vtique vt spiritalis naturæ multò subtiliores & sagaciores hominibus esse non dubium est.

Cap. 17. Hoc tamen nosse debemus, non omnes dæmones vniuersas hominibus inurere passiones, sed vnicuique vitio certos spiritus incubare, ac alios quidem immunditijs ac libidinum sordibus oblectari, alios blasphemijs,alios iræ furorisq; peculiarius imminere, alios pasci tristitia, alios cœnodoxia superbiaq; mulceri,& vnumquẽque illud vitiũ humanis cordibus, quo ipse gaudet,inferere,&c.

Cyrillus Alexandrinus. 430.

In Collectaneis Exod. 6. Quomodo Pharao ab Hebræis exigebat inexorabiliter laterum confectionem, non dabat autem paleas, per quas fiunt: ita etiam diabolus ab his,qui ipsi seruiunt,necessariò exigit inquinamentum & immunditiam, eos ferociter incendens ad rabida desideria. Reddit autem paratu difficilem, ne facilitate citò veniat in satietatem & contemptum.

Lib. 4. contra Iulianum: Etenim plurimi olim erant inter sanctos Angelos & supernorum spirituum choros numerati, qui beatã & sanctam viuebant vitam; sed, vt sacra Scriptura dicit, non seruabant suum principatum, & valedicebãt diuino consortio,ad deteriora prolapsi. Etiam miseri hanc suam prouinciam arbitrati sunt, vt ad hoc,ne Deo Patri subiecti essemus inhortarentur, asperi & superbi, à sanctorum multitudine separati, & terrebant homines, auertentes illos ab omni virtute, & prorsus non permittebant hominibus, vel saltem scire, quis natura vereq; esset vniuersorum Deus.

Lib. 6. Nihil animi nobis est aduersus factitios Deos. Nam quamuis olim conspicui fuerint in choris sanctorum Angelorum, mali facti sunt & apostatæ, & principatu suo non seruato, excidерunt quidam,ne sint vltra cum Deo, & prorsus alieni facti sunt à familiaritate illius, seduxerunt mundum, terruerũt homines, & in barathra inimicitiæ eos immiserunt, & abstrahentes à melioribus peiora adornârũt, sęq; omnis malitiæ amatores declarauerunt. Persuaserunt autem non solùm ipsos adorari, sed etiam ipsa elementa mundi,& brutorum animalium simulachra volatiliumq; & marinorum. An non iustè dicimus, deberi ab illis alienari,qui & corruptores & pestes fuerunt vniuersæ terræ?

Isidorus Pelusiota. 440.

Lib. 3. epist. 156. Ea, quæ cogitatione voluuntur, minimè diabolo cognita sunt (hoc enim diuinæ duntaxat potentiæ, quæ corda nostra sigillatim finxit, peculiare est: verùm ex corporis motibus animi consilia venatur,verbi gratia: videt quendam curiosè intuentem, atque aliena pulchritudine oculos pascẽtem, ipsius cupiditatem & impetum nactus, statim aut ad adulterũ, aut ad stuprum eum extimulat. Videt iracundum,& ad excandescendum procliuem; statim gladium acuit, atque ad cædem incitat. Videt turpibus lucris addictum; ad latrocinia & iniurias hortatur. Videt ventri deditum; statim eas etiam,quæ infra ventrem sunt, affectiones ipsi depingit, atq;, vt quod animo sibi proponit exequatur, materiam ipsi porrigit. Quid enim est quamobrem non omnes in eadem affectiones haudquaquam impellit? Nimirùm quia hic aliud, ille aliud vult; atque hoc huic, illud illi magis arridet. Quocirca ex corporis motibus animi quoque imbecillitates conijcit; atque ita fraudes suas nectit.

Theodoretus. 450.

Græcarum affectionum lib. 3. De Dijs,& Angelis: Dæmones cum suo principe,quem sacræ litteræ modò Hebraico vocabulo Satanam,id est,apostatam vocant; modò diabolum, quippe qui Deum Patrem apud homines criminãdo traducat, interq; ipsos homines alternas lites controuersiasq; injiciat. Hos, inquam, ab initio nequaquam malos fuisse à Deo creatos perhibemus, neque quà nunc præditi sunt, fortitos naturã fuisse, sed vitio voluntatis à melioribus ad peiora præcipites corruisse. Cùm enim datis sibi muneribus contenti non essent, sed altiora quoque appeterent, cõtraxisse labem superbiæ illos dicimus,ita vt ea quoque dignitate cassi prorsus exciderint, qua honestati ab initio fuerant: subinde autem rabie quadam contra humanum genus incitatos, quòd ad imaginem Dei factum videbãt, atrox bellum aduersus hominem suscepisse. Deum verò, qui hominem procreauit,credimus Angelis præsidentibus custodisse humanum genus, ne qua vel violentia, vel tyrannide aduersarius noster hominẽ superirruens, quem inuidia successus oderat, nulla habita ratione disperderet. Neque tamen sustulisse cœptum semel inter homines dæmonasq; certamẽ, vt ea scilicet colluctatio pugiles fortissimos proderet, eaq; occasione plurima virtutis ederentur exempla. Huius itaque rei causa, tametsi violentos aduersarij contra nos impetus per Angelorum custodiam repressisset, ille tamen concessit, vt hominis rationes atque discursus tentationũ pugna vexaret, vt videlicet eos corona dignos ostenderet, qui fortiter restitissent. Neque enim diabolum cõtra humanum genus armauit ipse atq; instruxit,sed ad humanam vtilitatem diaboli malitia vsus fuit. Ita & medicos solere aiũt, qui ad morborum curationem viperis nonnunquam serpentibusq; vtuntur.

Quæst. 34. in Genesin: Serpens talem à Deo omniũ Conditore naturam nõ accepit. Bonus enim creatus est, & vnà cum incorporeis Virtutibus conditus. At spõte in nequitiam declinauit; tum honore priuatus est, quem ab initio sortitus erat,& in terram proiectus maledictionem recepit.

Ad cap. 6. ad Ephesios: Erant ex bonis Ordinibus mali dæmones, sed propter improbitatem ab illo ordine exciderunt. Habent autem nunc quoq; appellationem ad conuincendam eorum malitiam. Nominant autem eos κοσμοκράτορας, id est, mundi principes: non quòd hunc principatum à Deo acceperint, sed quòd qui viuũt in socordia, sua sponte seruitutem amplectantur.

Diadochus. 460.

De perfectione spirituali cap. 81. Duo esse genera malorum spirituum docet nos spiritualis cognitio. Alij enim sunt tamquam subtiliores, alij crassiores. Subtiliores igitur animam oppugnant: crassiores verò quibusdam sordidis consolationibus carnem ducere captiuam soliti sunt. Quamobrẽ dæmones, qui cum anima luctantur, & qui cum corpore sibi ipsi sunt aduersarij, tametsi par vtriusque studium ac propositũ nocendi hominibus.

Simeon Stylites. 460.

Sermone de semper mente complectendo sui discessum: Si in hac vita homo vixerit propudiosis affectibus obtemperans, carnis delicias sectans, & huiusce mundi vanitatem; in die obitus eius pręstò sunt praui dæmones, miseram animam facto orbe circuitu, nec Dei permittunt Angelos admoueri, sed eam occupant dæmones miseris modis lachrymantem, demissamq;, & conquerentẽ, in loca obscura tenebrosa & tristia deducentes: vbi cuncti nocentes ad diem iudicij ac æternæ damnationis asseruantur, quo diabolus ipse cum angelis suis præceps est datus.

Titus Bostrensis. 460.

Ad Lucæ cap. 1. *Deposuit potentes de sede.)* Eosdem illos, qui sub aspectum non cadunt, aduersarios potentes appellat, quos itidem, tametsi validos è cælo in terram decurbauit.

Ad cap. 10. *Incidit in latrones.)* Latronum nomine agrestes sæuasq; dęmonũ acies designat. Qui quidẽ dæmones hominem illum fortitudine, temperantia, cæterisq; virtutum indumentis & ornamentis miserè exutum, peccatorumq; vulneribus dirè sauciatũ semiuiuum reliquerunt,& abierunt. Neque enim facilè est illis lethalia vulnera prius inferre alicui, quàm virtutum præsidijs & munimentis ipsum despoliarint. At verò, vbi primùm virtutum arma abstulerũt, statim citra intermissionem cædunt ac sæuiunt: neque ante cædendi ac sæuiendi finem faciunt, quàm mortem intulerint. Neque enim contenti sunt solo virtutum spolio, verùm toti in hoc sunt, vt homini vitam adimant.

Nemesius. 480.

De Animæ facultatibus cap. 41. Soli Angeli inter eà, quæ sunt sine corpore, mutati sunt; neque hi oẽs tamen, sed aliqui, qui ad inferiora propensi res terrenas concupierunt,cùm à propensione ad res superas,& Deum discessissent.

Andreas Cæsareensis. 500.

Ad cap. 23. Apocal. Per montem magnum diabolum designari arbitramur. Hic enim est,qui & furoris igne cõtra genus nostrum ardet,& gehennæ incendijs reseruatur, & tempore illo,quod illi ad tentandum permissum est, tertiam insularum,& nauium,& animantium, quę in mari natant, partem corrumpere & interimere enixè cõtendet. Quemadmodum olim ætate Iob clarum eius rei specimen dedit. Nam & mortalium hostis, & iusto Dei iudicio peccatorum vindex est.

Olympiodorus. 500.

Ad cap. 4. Ecclesiastis: Ipse princeps auctorq; malorum diabolus, cum apostaticis potestatibus,assiduè calumnias texunt, mendaciaq; moliuntur.

Ad cap. 8. Diaboli dolo ac fraude peccatum inuectum est in orbem terrarum, ea propter orationem Dominicam concludimus: *Sed libera nos à malo*, hoc est à Diabolo. Qui ergo peccat, diaboli iussum sequitur & voluntatem. Diabolus autem ex tunc,& à iuuentute sua, hoc est ab initio, dux fuit & auctor peccati.

Dorotheus Archimandrita. 520.

Doctrina 2. de humilitate: Vt quid autem diabolus non solùm hostis, sed & aduersarius noster vocatur? Hostis scilicet, quia bonum omne, omnesq; morta-

mortales odio habet, cunctisq; insidias ponit: aduersarius autem, quia in omni bono opere impedimento nobis esse quærit. Vult aliquis orare? hunc quærit auertere & impedire per malas cogitationes, per captiuitatem, per acediam. Optat alius quisquam mereri? hunc impedire studet per inertiam, incuriam, & negligentiam, & (vt breuiter dicam) cuiuis operi bono aduersatur, & hac de causa hostis & aduersarius maximè appellatur.

Procopius Gazæus. 530.

Ad cap. 1. Exodi. Diabolus nobis præficit suos ministros dæmones, qui varijs vitijs singulorum onerent mentes, ne otiosos mentis oculos ad Deum attollere possint, suasq; ceruices tandem eripiant iugo seruitutis quam seruierunt Diabolo, eiusq; ministris. Dæmones enim insigne lucrum amplasq; diuitias putant, si animas hominum à Deo abstrahant, simulq; solicitudinibus & curis inuoluant.

Ad cap. 2. Esaiæ: Elatus superbia diabolus, socijs secum assumptis, à Deo recessit, ista vsurpare ausus: *Super astra Dei exaltabo solium meum, similis ero Altissimo.* Esa. 14.

Andreas Cretensis. 560.

In salutationem Angelicam: Serpens Assyrius ille draco omnem humanam libertatē seruituti suæ subiecit:

Knastasius Synaites. 580.

Lib. 10. Hexameron: Cùm audieritis quòd serpēs erat prudētior omnibus bestijs terræ, scias quòd super omnem humanam prudentiam est longè fortior diaboli calliditas.

Isychius. 590.

In Leuit. lib. 5. cap. 18. Dæmones propter multitudinem gentes dicuntur: cùm enim nimis sint iniqui, & omni lætentur malitia, maximè tamen fornicatione, & multo magis idololatria gaudēt: quia in his corpus & anima maculatur, & totus homo, qui terra appellatur, per hoc polluitur, &c. In Gehenna maximè locus est & sors dæmonum, quod manifestat Dominus, dicens: *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius.* Matt. 25.

Antiochus. 610.

Homilia 105. Hæc enim solennis consuetudo dæmonibus inoleuit, si quando vnum aliquem viderint animo alacri psallentem aut orantem, cogitationes tunc suggerunt rerum prospectu ipso necessariarum, mentē interim psallentis per hæc aliò detorquent; nempe ad rerum illarum indaginem, vt vel sic, dum ad earum perscrutationem anxia diducitur, totius perdat dulcedinem psalmodiæ. Cuius rei gratia Christus laudem ex ore fidelium, sed malitia paruulorum prodeuntem perficit, aut certè per operatoriam, & efficacem vim psalmodiæ, inimicum, & vltorem prorsus destruet, sua aduersum nos tyrānide superbiùs insolescentem. Inimicum dixerim virtutum, vltorem verò siue defensorē malitiæ diabolum. Nos igitur hac nostra simplicitate laudibus concelebrantes Dominum, veteratoris inimici cōmentitias omnes machinas conteramus, prorsusq; demoliamur. Sit in ore tuo perpes ac iugis psalmus: Deus dum nominatim aduocatur, dæmones abste submouet longius, ac profligat.

Maximus Monachus. 640.

Capitum Oeconom. centuriæ primæ cap. 80. Diabolus est Dei tum hostis, tum vltor: hostis quidem, cùm tamquam oderit eum, videtur erga nos homines (qui tamen est interitus) habere dilectionem, certis spontaneorum affectionum modis, per voluptatem suadens voluntati nostræ bonis æternis præferre momentanea, quibus dum surripit totum animę desiderium, submouet nos penitus à dilectione diuina, & constituit nos spontaneos hostes Conditoris. Vltor autem est, quando patefacto in nos odio, de nobis supplicium exposcit, quasi propter peccatum eius mancipia facti simus. Nihil enim diabolo tam gratū, quàm homo, qui cruciatur. Cùm autem hoc sit illi permissum, excogitat affectiones inuehere, quibus vel inuiti nos mutuò torqueamus, & ita turbinis instar crudeliter fertur in illos, contra quos Deo permittente potestatē acceperit: non quo præceptum diuinum implere cupiat, sed quia peculiarem in nos affectum odij fouere desiderat: vt cū molestarum calamitatum graui pondere propter infirmitatē procubuerit anima, diuinæ spei vim à se ipsa amputet, & acerbitatum illarum euentum, correptionis loco causam impietatis in Deum faciat.

Cap. 82. Quisque dæmonum pro indita sibi aptitudine, ad hanc vel illam tentationem suggerendam accedit. Alius enim aliud parit vitium, & alius alio manifestè impurior, & ad hoc vitij genus magis idoneus.

Cap. 83. Sine permissu diuino ne ipsi quidem dæmones vlla in re possunt inseruire diabolo. Scit enim ipse Deus qua ratione cum decenti, humana, & bona prouidentia diabolo permittere solet per suos ministros de peccatis nostris varia sumere supplicia. Quod satis clarum est ex scripta de Iob historia, quæ describit citra voluntatem diuinam diabolū numq; ad Iob accedere potuisse.

Ioannes Damascenus. 730.

Orthodoxæ fidei lib. 2. c. 4. Ex his Angelicis copijs, is qui terrestris ordinis principatū tenebat, cuiq; custodiendæ terrę cura à Deo cōmissa fuerat, non natura malus conditus, sed bonitate prędituſ, bonique causa procreatus, atq; eiusmodi, vt ne minimum quidē vitij vestigiū à Creatore ipsi impressum fuisset, splendorem eum & honorem, quem Creatoris beneficio consecutus erat, non ferens, libera voluntate, ex eo quod secundùm naturam erat, in id quod contra naturam erat, immutatus est: atq; aduersus opificem suum Deum sese extulit, rebellare videlicet aduersus eum in animum inducens: ac primus à bono abscedens, in malum incidit. Neq; enim aliud quicquam est malum, quàm boni priuatio, haud secus ni mirum actenebrę nihil aliud sunt, quàm luminis orbitas. Bonū quippe spirituale lumen est, quemadmodum cōtra malum caligo spiritualis. Lux ergo à Creatore conditus, bonusq; procreatus, (*Vidit enim Deus omnia quæ fecerat, & erant valdè bona,*) libera volūtate caligo factus est. Vnà porrò cum eo auulsa est, eiq; comitem se adiūxit, simulq; corruit innumerabilis subiectorū ipsi Angelorum multitudo. Ergo cùm eiusdem, cuius reliqui Angeli naturæ essent, mentis inductione mali extiterūt, suapte scilicet sponte à bono ad malum inflexi. Quocirca nullā aduersus quemquā vim ac potestatē habēt, nisi ea ipsis Dei consilio ac dispensatione cōcedatur: quemadmodū in Iob, ac porcis illis, de quibus in Euangelio mentio habetur. Potestate autē à Deo concessa, & viribus pollent, & immutātur, & in quamlibet formam, vt quidem apparet, migrant. Ac futura quidem, tametsi ea nec Dei Angeli, nec dęmones norint, vtriq; tamen prędicūt, sed dispari modo. Angeli enim futuros euentus non aliter prædicūt, quàm Deo ipsis, quæ futura sunt, detegente, ac prædicere imperante. Quo fit, vt ea omnia eueniant, quæ ab ipsis prædicuntur. Dæmones autem ipsi quoque prædicunt interdum, videlicet quia ea, quæ procul gerūtur, cernūt: interdū sola cōiectura ducti. Ex quoetiā efficitur, vt Gen. 1. Iob. 1. Marc. 5.

plerumque mentiantur. Nec verò fides vlla illis adhibenda est, etiamsi persæpe accidat, vt, quo diximus modo, vera dicant. Quin Scripturas quoq; illi callent. Nullum porrò vitium, nullum impurorum affectuum genus est, quod nō ab ipsis excogitatum sit. Quamquam autem hominem lacessere atque aggredi ipsis permissum sit: nemini tamen illi vim inferre possunt. In nobis enim situm est eorum tela vel excipere, vel propulsare. Ob idque diabolo, ipsiusque dæmonibus, ijsque qui ducem ipsum sequuntur, nunquam extinguendus ignis, suppliciumque sempiternum paratum est. Illud etiam scire non alienum fuerit, quod hominibus mors est, hoc Angelis lapsum extitisse. Post lapsum enim precluſa iam est illis omnis resipiscendi facultas, quemadmodū &. hominibus, postquam ex hac vita migrārunt.

Cap. 27. Tam diabolus, qui, cùm à summo illo Artifice bonus procreatus fuisset, libera potestate vitij inuentor extitit, quàm Virtutes illæ, quę vnà cum ipso à Deo defecerunt, hoc est, dæmones, ac reliqua denique Angelorum agmina, quę in bono persiterunt, liquidò comprobārunt.

Oratione de Assumptione B. Mariæ: Dæmones ista sunt, atque vmbrosa quædam spectra, id quod natura non sunt in cassum fingentes, in subsidium nimirum accedente aberrantium hominum amentia. Quonam enim modo id, quod corpore vacat, ex concubitu gignet? Quonam modo miscebitur? Quonam modo id Deus erit, quod, cùm ante non esset, in ortum postea prodijt? Nam quod dæmonum natio corpore careat, inter omnes scilicet constat, etiam inter eos, qui mentis oculis capti sunt. Ait enim quodam operum suorum loco Homerus, dignorum se Deorum statum exponens:

Non panem comedunt, non carpunt dona Lyæi:
Vnde cruore carent, immortalesq; vocantur.

Non panem edunt, inquit: non vinum, quod vi calefaciendi præditum est, bibunt, ob eamq; causam sanguinis expertes sunt, atq; immortales appellantur. Immortales enim vocantur: at nō sunt id, quod vocantur: Etenim vitij mortem oppetierunt.

Tarasius Constantinopolitanus. 780.

Actione 1. secundæ Synodi Nicænæ: Veterator hostis hoc vnum conatur, vt discerpat, & conuellat, disturbetque Ecclesiam sanctam & catholicam.

Elias Cretensis. 790.

In Orationem tertiam Nazianzeni: Sinuntur quidem dæmones post baptismum nos adoriri: at non item vim nobis inferre, &c. Diabolus hac de causa inimicus & vltor dictus est, quia & ad peccandum impellit, & eorum, qui peccārunt, accusator existit: atque vt quidem inimicus ad peccandum adigit; vt autem vltor ac vindex eos, qui ipsi traduntur, supplicio ac cruciatu afficit.

Pantaleon Diaconus. 850.

De Michaelis Archangeli miraculis: Mihi autem persuadet, vt non immobiles, sed ad mouendum difficiles eos existimem, qui propter splendorem Lucifer & factus est, & dicitur tenebræ propter elationem: & quæ sub eo consistunt potestates, architectrices vitij, boni fuga, & nobis conciliatrices, &c. Princeps erat vnius Angelici Ordinis in cælis diabolus, non diabolus ab initio productus & factus, sed bonus ex bono, & pulcher ex pulchro. Postremò præter legēm naturæ, decretumq; & rationē diuinæ iustitiæ, imperij cupiditatis œstro percitus, rebellauit aduersus Creatorē, regnum eius & gloriam sibi conans vsurpare. Secum autem attraxit etiam infinitam rebellium multitudinem, quæ suæ stultitiæ & malitiæ eum accepit adiuto-

rem. Nam propter hanc causam impiæ cogitationis ex cęli conuexis vehementi impetu cecidit execrandus. Nam simul atque ei venit in mentem sceleratissima & maximè impia cogitatio, fuit confestim contritus ab omnipotenti Domino, qui dixit: *Videbam Satanam tanquam fulgur è cælo cadentem.* Esaiæ 41.

Knastasius Nicænus. 850.

Quæstione 23. Futurorum aut arcanorum nihil præsciunt dæmones, sed solus Dominus, qui nouit omnia prius quàm fiant. Quomodo etiam dicit per Prophetam: *Nonest qui annuntiet futura, præterite.* Dæmones autem illa dicunt hominibus, quæ vident, & audiunt; & ex quibusdam signis coniectantes, res multas significant. Viatorū quidem significant aduentum, eos vidētes in via ambulare, & esse venturos, præuenientes eorum aduentum: Hominum autem aduersus suos inimicos seorsum deliberantium consultationes, & sermones auscultantes, & quibus volunt ea annuntiantes, & quæ sunt his similia, ex eo quod vident, & audiunt, hominibus significant: fructuum autem terræ fertilitatem, & sterilitatem, ventorumque motus, & imbres, & pluuiæ retentionem, siccitatesque, & hyemis grauitatem, & quę sunt his similia, ex quibusdam indicijs coniectantes, prędicunt sicut & homines. Rursus hominum quoque beneuolentiam, & consilia, ex quibusdam signis videntes, in homines, aut etiam ex aliquibus verbis comprehendentes. Non solùm autem hæc inueniunt, quæ dicant immūdi dæmones, sed etiam mentem hominum. Sunt enim quædam signa à Dei prouidentia humano corpori insita, maximè in eius oculis, quę eius mortem apertè significant, & ante longum tempus, & breui tempore, vt dicunt, qui scientiam medicinæ subtiliter, & accuratè didicerunt. Iam autem quidam etiam affirmāt, ex Saracenis eos, qui magnam habent experientiam, hanc habere præscientiam, qua quidē ex quodam signo euidenter cognoscunt, eum, qui est moriturus in bello. Sic etiam dęmones eorum mortem prænuntiant, eoque magis, quò sunt perspicaciores proprietatum materialium. Nam vt qui sunt spiritus subtiles & incorporei, perscrutantur, & sciunt supra omnem medicinæ scientiam, facultates, & operationes, abundantiamque & defectum vitalis virtutis corporis per substantiā sanguinis: & hinc per coniecturam, non autem perfectè & accuratè, coniectant mortem hominis. Hoc ipsum dici potest & de diuinatoribus, & de Pythonissis: cernentes enim dæmones, quis sit furatus, & vbi sint quæ furto sunt ablata, ea etiam possunt dicere, vt sępe qui viderunt magnam vim imbrium fuisse in regione Indica, prædicunt aliquibus in Ægypto futurum magnum Nili ascensum.

Leo Imp. Philosophus. 880.

Epistola ad Omarum Saracenorum Regem: Creauit Deus Angelos suos, qui in prima conditione sua erant in circuitu throni: & subitò ingressus est in vna legione Angelorum tumor & superbia, facientes se Deo similes; dicentes: Ponamus sedem nobis sicut est sedes Dei, & circumeamus cęlum & terram, sicut & Deus. Cumque Deus cogitationes eorum cognouisset, proiecit Satanam, & omnem legionem ipsius de cælo ad terram, & facti sunt dæmones, & inimici filiorum Adam.

Theophylactus. 900.

Ad Marci cap. 1. Immundi dicuntur mali spiritus, eò quòd omnibus fœdis operibus delectātur, perditionemque suam existimat dæmon egredi ab homine. Dæmones enim, quia omnis misericordiæ expertes sunt, malum quiddam sustinere se

putant, nisi permittatur eis affligere homines. Insuper quoniam & carnem amant, & pasci solent materialibus vaporibus, magnam ferunt inediam, nisi in corpore habitent. Idcirco & Dominus dicit ieiunio eijci dæmoniorum genus.

Ad caput 1. Ioannis: Dæmones possunt miracula simulatè & apparenter facere: præscientiâ autem futurorum & prædictionem euidentem nullus habet, neque Angelus, quanto minus dæmones?

Simeon Metaphrastes. 960.

In vita S. Arsenij cap. 10. Hoc quoque nos non lateat, quòd noster inimicus diabolus, multis & varijs vtens machinis, nos conatur decipere, & boni prætextu in mala impellere: vt verbi gratia suggerens hospitalitatem, & consequenter fratrum, qui accedunt, gratam & benignam exceptionem, efficit, vt simul comedant, & compotent. Causa autem est bonum charitatis, deinde sic paulatim suffurans, & attrahens, imprudentes nos trahit, vt ventri seruiamus, & deinde nos ad satietatem libidinibus polluit, & voluptatibus. Alijs rursum submittês in animũ eleëmosynam, & benignitatem, & in pauperes beneficentiam, immittit amorem pecuniæ, & in furorem impellit auaritiæ. Alijs autem multorum vtilitatem tanquam escam porrigens, efficit vt silentium & quietem relinquant, tamquam rem inutilẽ, & vt cum multis quidem mundanis habeant conuersationem, & nonnunquam etiam cum mulieribus incautè hoc faciant persuadet, tamquam qui iam eò peruenerint, vt sint impatibiles: & sic miseros reddit libidinosos, & seruientes animi perturbationibus, &c.

Suidas. 970.

In voce Satan: Satan Hebræorum lingua dicitur apostata, siue trãsfuga, qui & Diabolus, vt qui Deum apud homines calumnietur, & inter ipsos homines contentiones & pugnas excitet. Dæmones autem ab initio non sunt ab vniuersitatis auctore Deo mali conditi, sed animi peruersitate à melioribus ad peiora deciderunt, liberè atque vltrò, & rebus à Deo datis non contenti, sed maiora appetentes, superbię perturbationem admiserũt, & honore initio dato exciderunt, & bellum aduersus homines susceperunt, & contra eos, vt qui in imagine Dei essent ornati insanierunt; sed Angelorum præfectura custodiuntur. Concertationem autem & pugnam Deus non prohibuit, vt lucta optimos demonstraret.

Michael Psellus. 1050.

De Dæmonum operatione cap. 13. Dæmonia figuras, & colores, & quascumque voluerint formas assumentia, eas in animalem spiritum nostrum traijciũt, eoque pacto multa nobis negotia faceſſunt, dum consilia suggerunt; formas subindicant, voluptatum memoriam refricant, & affectuum idola simulachraque subinde nobis tam vigilantibus quàm dormientibus excitant; immò etiam membra ventri subiecta titillationibus & illecebris demulcent, atque in vesanos & execrandos amores succendunt & inflammant, tumque maximè, si calores humidos nobis à natura insitos cooperatores habeant. Atque hũc quidem in modum dęmones hi, assumpta Orci galea, hominũ animas miro artificio miraque versutia conturbant.

Euthymius. 1080.

Ad cap. 10. Lucæ: *Vidi Satanam tanquã fulgur cadentem è cælo.*) Causam significauit subiectionis dęmoniorum, quia cecidit princeps eorum, qui fortes illos reddebat, ac confortabat, & iam facilè deuincuntur. Siquidem ante Saluatoris incarnationem in sublime ferebatur, & tyrannum agebat, ac potens erat: cùm autem Deus per carnem in terra diuersaretur, cecidit, non à cælo: olim enim inde ciderat, nec amplius eò ascendit, sed à dicta celsitudine, tyrannide, ac potentia.

Georgius Cedrenus. 1100.

In compendio Historiarum: Mali genij ad supplicia peccatoribus debita vsurpantur. Ita enim scriptũ est: *Misit in eos iram indignationis suæ, indignationẽ & irã & tribulationem, immissiones per Angelos malos.* Hi enim quamquam dedita opera habenas diuinæ voluntatis excusserunt: tamen iugo seruituris sunt subditi, coguntur veluti carnifices quidam à Deo & Sanctis imperata capessere. Psal. 67.

Michael Glycas. 1120.

Parte 1. Annalium capite de desertore siue Diabolo: Diabolus inter Angelicas potestates locum habuit, cùm bonus à Deo factus esset, nec vllum vitiositatis, aut improbitatis in se vestigium cõtineret, &c. Talis à Deo nimirum bonus conditus, terrestris ordinis, & ipsius adeò terræ custodiam à Deo sibi mandatam accepit. Cùm autem ferre non posset illustrationem, & honorem, quem Deus ei largitus fuerat, de naturali statu in alienum à natura sua exorbitauit, aduersusque suum opificem fastũ quodam elatus est: *Collocabo,* inquit, *solium meum in nubibus, & Supremo par ero.* Quam quidẽ ob causam etiam fulguris instar de cælo in terram cecidit: estque auulsa cum eo, simulque lapsa multitudo quædam Angelorum ipsi subiectorum infinita. Secundùm hęc impuri genij bellum aduersus nos susceperunt. Nequeunt enim æquo animo pati, vt homines eò studioſè contendentes videant, vnde ipsi pessimo consilio deciderunt. Quippe cùm omnis improbitatis receptacula sint, etiam inuidię morbo sunt infecti. Nec sic creatus à Deo putari debet diabolus, vt hostis noster esset, sed ex ęmulatione quadam nos oppugnat. Cùm enim se cerneret Angelorum ordine locoque motum, ferre non poterat, vt hominem terrestrem ad Angelorum dignitatem profectu suo subuectum aspiceret. Matth. 8. Luc. 19.

Nicetas Choniates. 1200.

Orthodoxæ fidei lib. 4. cap. 3. Carpocrates, turpitudinis omnimodæ auctor & magister, diabolis etiam virtutem quandam ascribit, quæ animarum ad cælos ascẽsui aduersetur, earum imprimis, quę fœdas in actiones se minimè prouoluerint. Qui tamen tantum abest, vt quod maximè cupiunt, ad optatum finem perducant, vt etiam ingressum in porcos sibi liberũ dari à Deo illo & homine Christo petierint: nec ijsdem in bubilia & ouilia Iobi, nec in ipsum denique rabiem suam exercere, alia lege permissum est, quàm quia ita diuinæ decretum prouidentiæ ferebat. Quinam verò alij ex alto cadere, tamquã fulgur, à Christo visi sunt, quàm reprobi spiritus & eorum princeps Satanas, tamquam exterior ignis, peruigil vermis, gehennaque nunquam desinens?

Lib. 4. cap. 36. Ea potestate præditus homo est, vt dæmonibus insultare, seque ex illorum laqueis expedire possit, si modò Dei præceptis obsequi pergat, eiusque mandatis obtemperet. Dæmonibus hoc vicissim datum est, vt cum camo & frẽno, quibus nos à Deo distrahunt, aliquando nobis ob oculos proponant, aliquando clam suggerant, aliquando denique dolosè simulẽt, taciteque obtrudant quæcunque à recto tramite in præcipitia trahunt.

Nicephorus Gregoras. 1320.

Lib. 6. Cùm diabolus in sacris literis huius mundi princeps appelletur, terrenarumque rerũ moderator, arcano consilio Dei conniuente, probabile est, eum res, quæ hîc geruntur, è vestigio persequi:

sequi; & quæ prorsus deprauata sunt, sibi prorsus vendicare: ex optimis autem portionem qualemcunque decidere, more hominum, qui prouinciam aliquam sortiti, habitatoribus tributum & annuum vectigal imponunt. Iniquissimè enim secum agi existimat, qui mundi princeps vocetur, nisi eorum, qui terrã incolunt, partim dux & dictator, partim socius sit, quatenus liceat, &c.

Ioannes Cantacuzenus. 1360.

Apologia 2. Quamuis adhuc nondum cõdemnatus sit diabolus in locum propriæ pœnæ, propterea quòd iudicium, quod Christus iudicaturus est, non dum transactum sit, hoc tamen veniente diabolus ignem hæreditabit inextinguibilem, qui illum manet. Et quamuis videatur ille viuere, pro mortuo tamen est habendus: perinde ac si homicida aliquis, aut fur, aliúsve quispiam, qui capitale aliquod commisit facinus, à rege capitis supplicio adiudicatus fuerit, licet post hanc à rege latam sententiam viuat adhuc diebus aliquot in carcere, mortuis tamen annumeratur, licet inter viuos adhuc sit. Idem igitur hoc de diabolo fieri intelligas. Postquam enim Christus resurrexit, ille peditus est, &c. Vides igitur diabolum viribus carere, quamuis easdem habere videatur; sed comminuta est, & euanuit vniuersa tyrannis illius Christo ex sepulchro resuscitato. Post secundum enim aduentum relegabitur in tenebras exteriores, & in ignem inextinguibilem, prout commeritus est.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Tertullianus. 200.

In Apologetico aduersus Gentes cap. 22. Atque adeò dicimus, esse substantias quasdam spiritales: nec nomen nouum est. Sciunt dæmones Philosophi, Socrate ipso ad dæmonij arbitrium expectante. Quid ni? cùm & ipsi dæmonium adhæsisse à pueritia dicatur. Dehortatorium planè à bonoomnes sciunt Poëtæ. Etiam vulgus indoctũ in vsum maledicti frequentat. Nam & Satanam principem huius mali generis proinde de propria conscientia anima eadem ex sacramenti voce pronuntiat. Angelos quoque etiam Plato non negauit. Vtriusque nominis testes esse vel Magos asserũt. Sed quomodo de Angelis quibusdam sua sponte corruptis corruptior gens dæmonum euaserit, damnata à Deo cum generis auctoribus, & cum eo, quem diximus, principe, apud literas sanctas ordine cognoscitur. Nũc de operatione eorum satis erit exponere. Operatio eorum est hominis euersio, sic malitia spiritalis à primordio auspicata est in hominis exitium. Itaque corporibus quidem & valetudines infligunt, & aliquos casus acerbos; animæ verò repentinos, & extraordinarios per vim excessus. Suppetit illis ad vtramque substantiam hominis adeundã subtilitas, & tenuitas sua: multum spiritalibus viribus licet, vt inuisibiles & insensibiles in effectu potius, quã in actu suo appareant, si poma, si fruges, nescio quod aurę latẽs vitium in flore præcipitat, in germine exanimat, in pubertate conuulnerat, ac si cæca ratione tentatus aër pestilẽtes haustus suos offundit. Eadem igitur obscuritate contagionis aspiratio dæmonum & Angelorum mentis quoque corruptelas agit furoribus & amentijs fœdis, aut sæuis libidinibus, cum erroribus varijs: quorũ iste potissimus, quòd eos ipsos captis & circumscriptis hominum mentibus comedat, vt & sibi pabula propria nidoris, & sanguinis procuret simulachris, imaginibus oblata; & quæ illi accuratior pascua est, hominem à cogitatu veræ diuinitatis auertat præstigijs falsis, quas & ipsas quomodo operetur expediam. Omnis spiritus ales est: hoc Angeli & dæmones: Igitur momento vbique sunt: totus orbis illis locus vnus est: quid vbique geratur, tam facilè sciunt, quàm enuntiãt. Velocitas diuinitas creditur: quia substantia ignoratur. Sic & auctores interdum videri volunt eorum, quæ annuntiant; & sunt planè malorum nonnunquam, bonorum tamen nunquam. Dispositiones etiam Dei, & nunc Prophetis cõcionantibus excerpunt, & nũc lectionibus resonantibus carpunt. Ita & hinc sumentes quasdam temporum sortes, æmulantur diuinitatem; dum furantur diuinationem. In oraculis autem quo ingenio ambiguitates temperent in euentus sciunt Cræsi, sciunt Pyrrhi. Cæterùm testudinem decoqui cum carnibus pecudis, Pythius eo modo renuntiauit, quo supra diximus: momento apud Lydiam fuerat. habent de incolatu aëris, & de vicinia syderum, & de cõmercio nubium cælestes sapere paraturas: vt & pluuias, quas iam sentiunt, repromittant. Benefici planè & circa curas valetudinum. Lædunt enim primò, dehinc remedia præcipiunt ad miraculum noua, siue contraria: post quæ desinunt lædere, & curasse creduntur.

Lib. 2. cõtra Marcionem cap. 10. Sed etsi ab homine in diabolũ transcripteris mali elogiũ, vt instinctorem delicti, vti sic quoque in Creatorem dirigas culpam, vt in auctorem diaboli, qui facit Angelos spiritus. Ergo quod factus à Deo est, id est, Angelus, id erit eius qui fecit. Quòd autem factus à Deo non est, id est, diabolus, id est delator: superest vt ipse sese fecerit deserendo de Deo, & quidem falsum: primò, quòd Deus illos ex omni ligno edere vetuisset: dehinc quasi morituri non essent si edissent: tertiò quasi Deus illis inuidisset diuinitatem. Vnde igitur malitia mendacij & fallaciæ in homines, & infamiæ in Deum? A Deo vtique non, qui & Angelum ex forma operum bonorum instituit bonum. Denique sapientissimus omnium editur, antequam diabolus, nisi malum est sapientia. Et si euoluas Ezechielis prophetiam, facilè animaduertes, tam institutione bonum Angelum illum, quàm sponte corruptum, &c. Hebr. 1. Gen. 3.

De anima cap. 57. Nullus penè hominum caret dæmonio, & pluribus notum est, dæmoniorum quoq; opera & immaturas & atroces effici mortes, quas incursibus deputant.

Minutius Felix. 230.

In Octauio: Isti igitur impuri spiritus dæmones sub statuis & imaginibus consecratis delitescunt, & afflatu suo auctoritatem quasi præsentis numinis consequuntur, dum inspirantur interim vatibus, dum sacris immorantur, dum nonnunquam extorum fibras animant, auium volatus gubernant, sortes regunt, oracula efficiunt, falsis pluribus inuoluta. Nam & falluntur, & fallant, vt & nescientes synceram veritatem, & quam sciunt in proditionem sui non confitentes. Sic è cælo deorsum grauant, & à Deo vero ad materias auocant, vitam turbant, omnes inquietant, irrepentes etiam corporibus occultè, vt spiritus tenues morbos fingunt, terrent mentes, membra distorquent, vt ad cultum sui cogant.

Cyprianus. 250.

Epist. 75. Ita autem principalium dęmoniorum impetu (*mulier prophetissam se simulans*) ferebatur, vt per longum tempus solicitaret & deciperet fraternitatem, ac mirabilia quædam & portentosa perficiẽs, & facere se terram moueri polliceretur. Non quòd dæmoni tanta esset potestas, vt terram

moueret;

mouere, aut elementum concutere nisu valeret; sed quod nonnunquam spiritus nequam præsciens, & intelligens terræ motum futurum, id se facturum esse simularet, quod futurũ videret. Quibus mendacijs & iactationibus subegerat mentes singulorum, vt sibi obedirent, & quocunque præciperet & duceret sequerentur: faceret quoque mulierem illam cruda hyeme nudis pedibus per asperas niues ire, nec vexari in aliquo, aut lædi illa discursione: diceret etiam se in Iudæam & Hierosolymam festinare, fingens tanquam inde veniret.

Lib.4. epist.7. *Epist.77.* Quòd si aliquis in illo mouetur, quòd quidam de ijs, qui ægri baptizantur, spiritibus adhuc immundis tentantur, sciat diaboli nequitiam pertinacem vsque ad aquam salutarem valere, in baptismo verò omne nequitiæ suæ virus amittere.

Libro quòd idola non sint Dij: Spiritus insynceri & vagi, qui posteaquam terrenis vitijs immersi sunt, & à vigore cælesti terreno contagio recesserunt, non desinunt perditi perdere, & deprauati errorem prauitatis infundere. Hos & Poëtæ dæmonas norunt, & Socrates instrui se & regi ad arbitrium dæmonis prædicabat, & Magis inde est ad perniciosa vel ludicra potentatus, quorum tamen præcipuus Hostanes & formã veri Dei negat cõspici posse, & Angelos veros sedi eius dicit assistere. In quo & Plato pari ratione consentit, & vnum Deũ seruans, cæteros Angelos, vel dæmonas dicit. Hermes quoque Trismegistus vnum Deum loquitur, eumque incomprehẽsibilem atque inæstimabilem confitetur. Hi ergo spiritus sub statuis atque imaginibus consecratis delitescunt: hi afflatu suo vatum pectora inspirant, extorum fibras animant, auium volatus gubernant, sortes regunt, oracula efficiunt, falsa veris semper inuoluũt. Nam & falluntur, & fallunt: vitam turbant, somnos inquietant, irrepentes etiam in corporibus occultè mẽtes terrent, membra distorquent, valetudinẽ frangunt, morbos lacessunt: vt ad cultum sui cogant, vt nidore altarium & rogis pecorum saginati, remissis quę constrinxerant, curasse videantur. Hæc est de illis medela, cùm illorum cessat iniuria: nec aliud illis studium est, quàm à Deo homines auocare, & ad superstitionem sui ab intellectuve religionis auertere: cùm sint ipsi pœnales, quærere sibi ad pœnam comites, quos ad crimen suum fecerint errore participes.

Ad Fortunatum de exhortatione Martyrij, in Præfatione: Aduersarius vetus est & hostis antiquus, cum quo prælium gerimus. Sex millia annorum iam penè complentur, ex quo hominem diabolus impugnat. Omnia genera tentandi, & artes atque insidias deijciẽdi vsu ipso vetustatis edidicit. Si imparatum inuenerit militem Christi, si rudem, si non solicitum, ac toto corde vigilantem, circumuenit nescium, fallit incautum, decipit imperitũ. Si verò quis Dominica præcepta custodiens, & fortiter Christi vestigijs adhærens, contra eũ steterit, vincatur necesse est: quia Christus, quẽ confitemur, inuictus est.

Lactantius. 320.

Lib.2.cap.8. Deinde fecit Deus alterum spiritum, in quo indoles diuinæ stirpis non permansit. Itaque suapte inuidia tamquam veneno infectus est, & ex bono ad malum transcendit, suoque arbitrio quod illi à Deo liberum datum fuit, contrarium sibi nomen asciuit. Vnde apparet cunctorum malorum fontem esse liuorem. Inuidit enim illi antecessori suo, qui Deo Patri perseuerando tum probatus, tum etiam charus est. Hunc ergo ex bono per se malum effectum Græci διάβολον appellant: nos criminatorem vocamus, quòd crimina in quę ipse illicit, ad Deum deferat.

Cap.14. Dæmonas Grammatici dictos aiũt, quasi δαήμονας, id est, peritos ac rerum scios: hoc autem putant Deos esse. Sciunt illi quidem futura multa, sed non omnia: quippe quibus penitus consilium Dei scire non licet, & ideo solent responsa in ambiguos exitus temperare, &c. Quoniam sunt spiritus tenues & incomprehensibiles, insinuant se corporibus hominum, & occultè in visceribus operti, valetudinem vitiant, morbos citant, somnijs animos terrent, mentes furoribus quatiunt, vt homines his malis cogant ad eorum auxilia decurrere.

Cap.15. Quarum omnium fallaciarum ratio expertibus veritatis obscura est. Prodesse enim putant eos, cùm nocere desinũt, qui nihil aliud possunt, quàm nocere. Dicat fortasse aliquis, colẽdos esse ergo, ne noceãt, siquidem possunt nocere. Nocent illi quidem, sed ijs, à quibus timentur, quos manus Dei potens & excelsa nõ protegit, qui profani sunt à sacramento veritatis. Iustos autem, id est, cultores Dei metuunt: cuius nomine adiurati, de corporibus exeunt.

Hilarius. 350.

In Psalm. 118. lit. Aleph: Quin etiã ipsum diabolũ, illum, per quem ipsa illa vitiorum nostrorum incentiua præbentur, suosque omnes testes metuere debemus, puncto temporis omnem amplitudinem mundi huius obeuntem. Cui dulce est peccare nos, vt peccatorum nostrorum testimonio glorietur. Est enim eius hęc propria calliditas, instigare ad peccandum, & arguere peccantes. Dictum est enim: An nescitis, quia adest diabolus accusator fratrum vestrorum? & quia hę sunt aduersariæ nobis virtutes, in testimonio cum cæteris permanentes, de sanctis tantùm Prophetam meminisse dignum fuit dicentem: *Beati scrutantes testimonia tua.*

In Psalm.128. Omnes humanæ iniuriæ, quæ religiosis viris inferuntur, nõ eosdem habent auctores, quos habent ministros. Executio quidem hominum est: sed Diaboli instinctus est. Et huius nobis intelligentiæ Apostolus auctor est, dicens: *Non enim nobis certamen est aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus Potestates mundi huius, potestates harum tenebrarum spiritualia nequitiæ in cælestibus.* Et rursum: *Secundum principem aëris huius spiritus, qui nunc operatur in filijs inobedientiæ.* Operantur ergo hæ spirituales nequitiæ in his, *qui inobedientes Dei legi sunt*; quos voluntatis suæ tanquam operarios eligunt, in res suas, alienæ intercessionis ministerio suo vsuri. Neq; solùm id ex Apostolicis dictis intelligimus, sed etiam ex libro Iob docemur. Cùm enim diabolus potestatẽ tentandi Iob postulasset, per direptionem substantiæ eius primùm desequiturus, homines ad pastorum cædem & direptionem pecudum incitauit, eosque in hanc voluntatem latrocinij accendit. Egit ergo quod volebat per humanæ operationis officium. Ephes.6

Ambrosius. 370.

Epist.84. Superbia à Diabolo sumpsit exordium, qui quoniam sua, (quam à Creatore acceperat) potentia & dignitate sibi placuit, seque auctoris sui gloriæ comparauit, cum ijs Angelis, quos in consensum impietatis suæ traxerat, à cælesti sublimitate deiectus est. Et ideo primis hominibus nocere potuit, quia illis malè credulis per mendacia venenata persuasit, vt meliores se futuros putarent, si in libertatem sui arbitrij prosilirent, quàm si in legis datæ custodia permanerent, &c. Cùm ergo per ineffabilem misericordiam Dei captiuis libertas, perditis salus, mortuis vita reparatur, antiquus hostis malignus fremit, & acrius in-

ardescit:

ardescit: & cùm innumeris nocendi artibus humanum genus nitatur euertere, serens discordias, incitans iras, actens cupiditates, suadens turpia, falsa commentans, & errorum laqueos per opinionum commenta multiplicans, plus vritur de virtute stantium, quàm lætatur de fragilitate labentium.

Iob.4. 2.Cor.10 *Ad cap.6.ad Ephes.* Certus Apostolus, quia exitia, quæ à perfidis Dei famulis irrogantur, auctore diabolo ministrantur, cuius altitudo grandis & hominibus impossibilis est, monet aduersus hæc arma Dei sumenda, cuius solius virtute superantur & destruuntur omnia machinamenta diaboli. Ipse enim est cuius satellites sunt, quos tenebrarũ harum diçit rectores, spiritus nequissimi, qui degunt in cęlestibus, in firmamento mundi. Hi sunt erroris duces, tenebrarum rectores, hoc est ignorantię & perfidię prępositi. Rectores enim tenebrarum in peruersum intelligendi sunt gubernare, quasi incredulitatis magistri.

2.Cor.11. *Ad caput 8. Lucæ:* Non mittuntur in porcos dæmones, sed ipsi petunt, quia cælestis luminis claritatem sustinere non poterant: vt qui oculos dolent, radium solis ferre non possunt, sed tenebrosa eligunt, & splendentia derelinquunt. Fugiunt ergo dæmones splendorẽ lucis æternæ, & ante tempus debita sibi tormenta formidant, non prædiuinantes quæ futura sunt, sed quę prophetata sunt recordantes. Dixit enim Zacharias: *Et erit in illa die, disperdam, dicit Dominus, nomina idolorum de terra, & non erit vltra memoria eorum, & spiritum immundum auferam de terra.* Docemur ergo quòd non semper manebunt, nec malitia eorum in hominibus possit esse perpetua. Nũc igitur illam metuentes pœnam, aiunt *Venisti perdere nos.* Sed quia adhuc esse desiderant, iam ab hominibus recedentes, propter quos pœnam sciunt sibi esse subeundam, petunt in porcos mitti. Zach.13. Matth.8.

Syricius. 390.

Epistola, quæ est apud Ambros. epist.80. Non patitur nos quietos ab incursione sua vacare hostis antiquus, ab initio mendax, inimicus veritatis, æmulus hominis, quem vt deciperet se ante decepit, pudicitiæ aduersarius, luxuriæ magister, crudelitatibus pascitur, abstinentia puniendus odit ieiunia.

Chromatius. 390.

Ad cap.5. Matthæi: Opus diaboli est, vt contra fidem, contra salutem, contra diuinam religionem suadeat, hortetur, extorqueat.

Hieronymus: 390.

Ad caput 25. Esaiæ: Visitabit quoq; super reges & principes terrę, *rectores tenebrarum istarum, & spiritualia nequitiæ in cælestibus.* De quibus principibus diuersis prouincijs præsidentibus & in Daniele scriptum est: *Exijt in occursum mihi princeps regni Persarum, & princeps regni Medorum, & princeps regni Græcorum.* Hos igitur principes, qui suum non seruauerunt gradum, congregabit Dominus in die iudicij, quasi in vno fasce pariter colligatos, & mittet in lacum inferni, &c. Et includentur in carcere, iuxta illud, quod ait Dominus: *Ite in ignem æternum, qui præparatus est diabolo & angelis eius.* Quod autem sequitur: *Et post multos dies visitabuntur*, videtur applaudere amicis meis, qui diabolo & dæmonibus dant pœnitentiam, quòd multa post tempora à Domino visitentur: Sed considerent, quòd non dixerit apertè Scriptura diuina, *visitabuntur* à Domino, vel *visitabuntur* ab Angelis, sed absolutè *visitabuntur*. Ex qua ambiguitate verbi & remedium potest intelligi & correptio: quòd postquam iusti prędmia receperint, illi in pœnis perpetuis visitentur. Ephes.6. Dan.8. Matt.25.

Ad cap.3. Habacuc: Sicut Ecclesiæ & omnis viri Christus est caput: ita cunctorum dęmonum, qui in hoc seculo debacchantur, caput est Beelzebub, princeps dęmoniorum, & singulæ eorum turmæ habent capita & principes suos: Verbi gratia, Spiritus fornicationum habet prępositum suum: spiritus auaritiæ habet ἄρχοντα suum: spiritus vanæ glorię, spiritus mendacij, spiritus infidelitatis habent præsides malitiæ suæ.

Apologia aduersus Ruffinum lib.2.cap.1. Dicimus iudicium futurum, in quo iudicio *vnusquisque recipiet propria corporis, prout gessit, siue bona, siue mala.* Quòd si homines recepturi sunt pro operibus suis, quãto magis & diabolus, qui omnibus extitit causa peccati? De quo illud sentimus, quod scriptum est in Euangelio: quia & ipse diabolus & omnes angeli eius, cum ijs qui opera eius faciunt, id est, qui criminantur fratres, cum ipso pariter æterni ignis hæreditate potientur. Si quis ergo negat diabolum æternis ignibus mancipari, partem cum ipso æterni ignis accipiat, vt sentiat quod negauit.

Epist.146. ad Damasum: Diabolum rectorem harum tenebrarum nunc inimicum hominẽ, nunc iudicem iniquitatis, nunc draconẽ, nunc Satan, nunc malleum, nunc perdicem, nunc Belial, nunc rugientem leonem, nunc Leuiathan, nunc Thanim, nunc Behemoth, & multis alijs vocabulis Scriptura cognominat.

Prudentius. 380.

In Hamartigenia:

Inuentor vitij non est Deus: angelus illud
Degener infami conceptum mente creauit:
Qui prius augustum radiabat sydus, & ingens
Ex nihilo splendor, nutrito ardebat honore:
Ex nihilo nam cuncta retro, factumq; quod vsquã est.
At non ex nihilo Deus, & Sapientia vera,
Spiritus & sanctus, res semper viua, nec vnquam
Cœpta, sed aërios etiam molita ministros,
Horum de numero quidam pulcherrimus ore,
Maiestate ferox, nimijs dum viribus auctus
Inflatur, dum grande tumens sese altius effert,
Ostentatq; suos licito iactantius ignes:
Persuasit proprijs gentium se viribus, ex se
Materiam sumpsisse sibi, qua primitus esse
Inciperet, nasciq; suum sine principe cœptum, &c.
Sed factus de stirpe bonus, bonitatis in vsum
Proditus, & primo generis de fonte serenus,
Deterior mox sponte sua, dum decolor illum
Inficit inuidia, stimuliq; instigat amaris:
Arsit enim scintilla odij de fomite zeli,
Et dolor ingenium subitus conflauit iniquum.
Viderat argillam, simulachrum, & structile flatu
Concaluisse Dei, dominum quoque conditione,
Qui cunctum proprio regeret moderamine mundum,
Impositum natura soli, pelagiq;, poliq;,
Vt famulans homini locupletem fundere partum
Nosset, & effusum terreno addicere regi,
Inflauit fermento animi stomachante tumorem
Bestia, deq; acidis vim traxit acerba medullis,
Bestia, corde carens, cui tunc sapientia longi
Corporis enodem seruabat recta iuuentam:
Complicat ecce nouos sinuoso pectore nexus,
Inuoluens nitidam spiris torquentibus alium.
Simplex lingua prius, varia micat arte loquendi,
Et discissa dolis resonat sermone trisulco.
Hinc natale caput vitiorum, principe ab illo
Fluxit origo mali, qui se corrumpere primum
Mox hominem didicit, nullo informante magistro.

Gaudentius Brixiensis. 400.

Tractatu 12. de eo quod ait Dominus Iesus: *Nunc*

iudicium

iudicium est huius mundi. Diabolus huius mũdi princeps vsurpatione dicitur, non natura. Etenim seducens humanum genus, vt derelicto Deo ipsum Satanam per simulachra colerẽt manufacta, principatum violenter tenuit, & exercuit tyrannidem in tantum, vt aduenientem verum principem suum non recognosceret mũdus, ipsius diaboli prestigijs obcęcatus.

Augustinus. 400.

De Ciuit. Dei lib. 8. cap. 22. Credendum est dęmones esse spiritus nocendi cupidissimos, à iustitia penitus alienos, superbia tumidos, inuidentia liuidos, fallacia callidos, qui in hoc quidem aëre habitant: quia de cęli superioris sublimitate dejecti meritò irregressibilis trãsgressionis in hoc sibi congruo velut carcere prędamnati sunt. Nec tamen quia supra terram & aquas aërius locus est, ideo & ipsi sunt meritis superiores hominibus, qui eos non terreno corpore, sed electo in auxilium Deo vero, pia mente facilimè superant. Sed multis planè participatione verę religionis indignis, tamquam captis subditisq; dominãtur: quorum maximæ parti mirabilibus & fallacibus signis, siue factorum, siue prędictorum Deos se esse persuaserunt.

Lib. 9. cap. 20. Est in dęmonibus scientia sine charitate, & ideo tam inflati, id est, tam superbi sunt, vt honores diuinos & religionis seruitutẽ, quam vero Deo deberi sciunt, sibi sategerint exhiberi, & quantum possunt, & apud quos possunt, adhuc agunt. Contra superbiam porrò dęmonum, qua pro meritis possidebant genus humanum, Dei humilitas, quę in forma serui apparuit, quantã virtutem habeat, animæ hominum nescium immũditia elationis inflatæ, dæmonibus similes superbia, non scientia.

Cap. 22. Dęmones non æternas temporum causas, & quodam modo cardinales in Dei sapientia contemplantur, sed quorundam signorum nobis occultorum, maiore experientia, multò plura quàm homines futura prospiciunt, dispositiones quoq; suas aliquando prænuntiant. Denique sępe isti, nunquam illi omninò falluntur.

De natura boni aduersus Manichæos cap. 33. Quia verò & ipsi mali angeli, non à Deo mali sunt conditi, sed peccando facti sunt mali, sic Petrus in Epistola sua dicit: *Si enim Deus Angelis peccantibus non pepercit,* 2. Pet. 2. *sed carceribus caliginis inferi detrudens tradidit in iudicio puniendos seruari.* Hinc Petrus ostendit adhuc eis vltimi iudicij pœnam deberi, de qua Dominus dicit: *Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius.* Matt. 25. Quamuis iam pœnaliter hunc infernũ, hoc est inferiorem caliginosum aërem tamquam carcerem acceperint: qui tamen aër quandoque & cælum dicitur, non illud, in quo sunt sydera, sed hoc inferius, cuius caligine nubila conglobãtur, & vbi aues volitant: nam & cęlum nubilum dicitur, & volatilia cęli appellantur. Secundùm hoc Apostolus Paulus eosdem iniquos angelos, contra quos nobis inuidos pio viuendo pugnamus, Ephes. 6. *spiritalia nequitiæ in cælestibus* nominauit. Quod ne de illis superioribus cælis intelligatur, apertè alibi dicit: Ephes. 2. *Secundùm principem potestatis aëris huius, qui nunc operatur in filios diffidentiæ.*

Ad Orosium contra Priscillianum & Origenistas cap. 5. Quantum possum, tantum etiam ego commoneo, vt de diaboli angelorumqúe eius correctione, & in pristinum statum reparatione sapere nihil audeas: Nõ quia diabolo & dæmonibus inuidemus, & eo modo quasi vicem maleuolentiæ illis rependimus, cùm illi non ob aliud, nisi inuidentiæ stimuli sagitati, nostra itinera, quibus in Deum tendimus, perturbare conentur: sed quia vltimæ sententiæ summi & veracissimi iudicis, ex nostra præsumptione addere nihil debemus. Ipse enim se similibus eorum dicturum esse prædixit: *Ite in ignem* Matt. 25. *æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius.*

Ruffinus Aquileiensis. 400.

In Apologia pro fide sua ad Anastasium: Si quis negat diabolum æternis ignibus mancipandum, partem cum ipso æterni ignis accipiat, vt sentiat quod negauit.

Paulinus Nolanus. 410.

Natali 7.

Natali det dona suo, nam cum ista propinquat
Elabente die, anno, tunc crebrior instat;
Et grauior, videas tunc ægra examina cogi
Densius, & certam reperti prope festa salutem,
Tunc solito grauius succensi dæmones ardent,
Flebiliúsq; vlulant, & vi maiore subacti
Vltima iam tormenta gemunt, nec abire sinuntur
Excessu facili, sed miris ante agitati,
Et varijs malè supplicijs tolluntur in altum
Suspensi solito sublimius, & patuntur
Aëris in vacuo, vinclisq; latentibus hærent
Pœnali per inane mora, per non sua quamuis
Corpora vexatos hostes sua pœna fatigat.
Soluuntur pœnis, cùm pœnas ferre videntur
Corpora, & immunis animæ expectant aliena
In membris tormenta suis homo dæmone capto
Liber agit, qui non hominis, sed dæmonis est crux.
Hostis amare quid insultas, qua spe veteris in nos?
Ecce Redemptoris nostri malus arte vicißim
Luderis illusor, dolus & tuus in tua cedit
Vincla tibi, capiens caperis, nectensq; ligaris,
Fit laqueus laqueatus homo, & sua præda latronem
Decipit, & capti captiuus corporis escam
Dum petit illicitam, lethalem deuorat hamo.

Arnobius Iunior. 440.

De Deo trino & vno lib. 2. Angelus iste, qui est diabolus, de præsumptione incurrit culpam, & primus omniũ Angelorũ in suo corde peccauit: Sic enim dicitur in Propheta à Domino: *Tu dixisti in* Isaiæ 14. *corde tuo: Ascendam super sydera cæli,* &c. Primus ergo in suo corde peccauit, ex quo pullulare omnium præsumptionum tunc genera cœperunt, cùm nullius exemplum secutus, à se dedit peccandi exordium.

Petrus Chrysologus. 440.

Sermone 40. Diabolus dum in hominem tendit, profiliuit in Deum: dum in reum sæuit, incurrit in iudicem, inuenit supplicium: dum ingerit pœnam, ipse accipit: dum dat sententiam, & viuens mortalium pastu, mors moritur: dum deuorat vitam absorbens reos mors absorbetur, innocentię dum deglutit auctorem, & perit mors ipsa, quæ perdebat omnes, dum omnium perimere vult salutem.

Leo Magnus. 450.

De Collectis & eleemosynis Sermone 4. Incentor ille auctorq; peccati, primùm superbus, vt caderet; deinde inuidus, vt noceret, quia in veritate non stetit, totam vim suam in mendacio collocauit, omniaqúe deceptionum genera de hoc venenatissimo artis suæ fonte produxit: vt ab illo bono, quod ipse propria elatione perdiderat, spem humanæ deuotionis excluderet, eosq; in consortium damnationis suæ traheret, ad quorum ipse reconciliationem pertinere non posset. Quicquid igitur hominum, quibuslibet impietatibus Deum læsit, huius fraude traductum, huius est nequitia deprauatum. Facilè enim in omnia flagitia impulit, quos in religione decepit.

Epistola 93. ad Thuribium cap. 6. Deus, qui est vniuersitatis conditor, nihil non bonum fecit. Vnde & diabolus bonus esset, si in eo, quod factus est, permaneret: sed quia naturali excellentia malè vsus est, & *in veritate non stetit*, non in contrariã transijt substantiam, sed à summo bono, cui debuit adhærere, desciuit.

Eucherius Lugdunensis. 450.

Feria 5. post tertiam Dominicam Quadrag. Vulpes propter astutiam maligni spiritus dicuntur. Dicuntur autem & volucres cæli: quoniam in hoc aëre obtinent principatum. Et isti quidem in peccatoribus & iniquis hominibus, nidos & foueas faciunt: quoniam in eorum cordibus malas cogitationes, & iniquitatum germina pariunt.

De spiritualibus Formulis cap. 3. Diabolus & apostatæ eius angeli mali nuncupantur, quòd licet angelicam dignitatem amiserint, subtilitatem tamẽ angelicæ naturæ non amiserunt: per quos angelos malos immissiones aduersitatũ vel ægritudinum permissione Dei fiunt quando, & vbi voluerint.

Prosper. 450.

De Vita contemplatiua lib. 1. cap. 3. Hoc iudiciũ, quod inter iustos homines iniustosq; futurum dicimus, inter sanctos Angelos & immundos credimus factum. Nam cùm essent vtrique sine peccato creati, & ad seruiendum Deo suo feliciter instituti, eorum quidam voluntate propria deprauati, noluerunt permanere quod facti sunt, & cùm se contra Creatorem suum typo superbiæ lethalis hostiliter extulissent, de superna cæli regione proiecti sunt. Quos diuina sententia eo supplicio condemnauit, vt quia noluerunt perseuerare cùm possent, nec vellent reparari, nec possent. Siquidem præuaricationis eorum fuit, quòd irreuocabiliter iudicij animaduersione percussi sunt: & ad damnationem iustissimã profectò pertinuit, quòd voluntatem redeundi ac facultatem penitus amiserunt.

Sedulius. 460.

Ad cap. 1. epist. ad Rom. Diabolus per superbiam id malum, quod antea non fuerat, sibi inuenit, & quod habuit bonum perdidit.

Claudius Marius Victor. 460.

Præfatione in Genesin:

Nam quòd de primis (scilicet Angelis) cælesti in sede
Vnus (dum lucis Domino, vitæq; suoq; (creatu
Inuidet auctori, titulumq; hunc appetit) auctor
Malluit esse mali, primamq; inducere mortem
Cum scelerum socijs, celso deiectus Olympo,
Virtuti nihil inde Dei præiudicat &c.

Gennadius Massilienses. 480.

De Ecclesiasticis dogmatibus cap. 81. Internas animæ cogitationes diabolum non videre certi sumus, sed motibus eas corporis ab illo, seu affectionum indicijs colligi experimento didicimus. Secreta autem cordis solus ille nouit, ad quem dicitur: *Tu solus nosti corda fidelium hominum.*

Salonius. 480.

In Ecclesiasten: Diabolus ab ipso mundi exordio regnauit in genere humano, & ideo senex dicitur: stultus rex, quia quanto plus decipit, tanto magis sibi pœnam accumulat.

Cæsarius Arelatensis. 480.

Homilia 30. Diabolus nos tunc maximè oppugnare consueuit, quando nos contra se spiritualibus armis præparatos esse cognouerit: & quia non potest corporaliter de Ecclesiæ conuentu repellere, in ipsa Ecclesia infructuosis nos studet sermonibus occupare, vt nobis per inanes, & vacuos, aut fortè etiam mordaces collocutiones, ac sordidas cogitationes, diuinæ lectionis fructum possit auferre.

Fulgentius. 500.

Lib. 1. ad Monimum cap. 17. Superbia tunc initium sumpsit, cùm Angelus aduersus Deum elatus, & ipsa elatione prostratus, per concupiscentiã (quæ radix est omnium malorum) volens vsurpare, quod illi datum à Deo non fuit, à Deo discessit, & cecidit, in quo si stetisset, non cecidisset. Sed per concupiscentiam malam, qua concupiuit plus extra se, minus factus est in se. Quam concupiscentiam, licet explere nequiuerit opere, tamen retinuit voluntate. Sic ipse iam sibi factus est pœna, vt suppliciũ semper esset malo voluntas mala, tanquam cæco ipsa cæcitas sua.

Alcimus Auitus. 500.

Lib. 2. qui est de peccato originali:

Angelus hic fuerat dudum, sed crimine postquam
Succensus proprio tumidos exarsit in ausus,
Se fecisse putans, mox tamquam conditor esset
Ipse sui, rabido concepit corde furorem:
Auctoremq; negans, diuinum consequar (inquit)
Nomen, & æternam ponam super æthera sedem,
Excelso similis, summo nec viribus impar:
Talia iactantem præcelsa potentia cælo
Iecit, & electum prisco spoliauit honore,
Quiq; creatura præfulsit in ordine primus,
Primas venturo pendet sub iudice pœnas.
Illum quandoquidem grauior sententia punit
Quem mirum cecidisse putes: nam crimen acerbat
Auctor, in ignaro minor est peccante reatus,
Durius idq; malum, quod maior fecit, habetur.
Sed quòd viuaces pertendit in abdita sensus,
Quodq; futura videt, rerumq; arcana resignat,
Angelici feruens superest natura vigoris.
Horrendum dictu, signiq; notabile monstrum:
Nam quicquid toto dirum committitur orbe,
Iste docet, scelerumq; manus ac tela gubernat,
Pugnat & occultus per publica crimina latro,
Et nunc sæpe hominum, nunc ille in sæua ferarum
Vertitur ora, subinde nouos mutantia vultus,
Alitiú interdum, subitò mentita volantis
Fit species, habituq; iterum consingit honestos, &c.

Paschasius Diaconus. 500.

De Spiritu sancto lib. 2. cap. 1. Sed forsitan dicis: Manifestum est, quòd se etiam dæmonum importuna violentia in homines, quos tentandos acceperat, frequenter infundat. Non ita est: nam corporis latebras intrare possunt, animæ verò interiora adire non possunt. Sciendum ergo est, quòd spiritualium nequitiarum dolosa subtilitas illa membrorum loca suo turbat incursu, quæ interdum vino nimio, vel febricio fatigãtur accensu. In animæ itaque sensus inimica tentatio per malitiam scit irrepere: in animæ verò recessus per naturam nescit influere.

Cassiodorus. 540.

Ad cap. 3. Canticor. Versutissimus ille hostis, & tam subtilitate spiritualis naturæ, quàm etiã temporis longæuitate doctissimus, contra quem Sancti bella suscipiunt.

Concilium Primum Bracarense. 572.

Cap. 7. Si quis dicit, diabolum non fuisse prius Angelum bonum, à Deo factum, nec Dei opificium fuisse naturam eius, sed dicit eum ex tenebris exortum fuisse, neque aliquem sui habere auctorem, sed ipsum esse principem absque substantia mali, sicut Manichæi, & Priscillianus dixerunt, anathema sit.

Cap.8. Si quis credit, quòd aliquantas mundas creaturas diabolus fecerit,& tonitrua,& fulgura, & tempeſtates, ipſe diabolus ſua auctoritate faciat, ſicut Priſcillianus dixit, anathema ſit.

Gregorius Magnus. 590.

Lib.2.Moralium cap.6. Satanæ voluntas ſemper iniqua eſt, ſed nunquam poteſtas iniuſta: quia à ſemetipſo voluntatem habet,ſed à Domino poteſtatem.Quod enim ipſe facere iniquè appetit, hoc Deus fieri non niſi iuſtè permittit. Formidari ergo non debet Satan, qui nihil niſi permiſſus valet.

Libro 32. Moralium cap. 18. Principium viarum Dei Behemoth dicitur: quia nimirum cùm cuncta creans ageret, hunc primum condidit, quem reliquis Angelis eminentiorem fecit. Huius primatus eminentiam conſpicit Propheta, cùm di-
Ezech.31. cit: *Cedri non fuerunt altiores illo in paradiſo Dei: abietes non adæquauerunt ſummitatem eius: platani non fuerunt æquæ frondibus illius: Omne lignum paradiſi Dei non eſt aſſimulatum illi, & pulchritudini eius; quoniam ſpecioſum feci eum,in multis condenſiſq; frondibus.* Qui namque accipi in cedris,abietibus,& platanis poſſunt, niſi illa virtutum cæleſtium proceræ celſitudinis agmina, in æternæ lætitiæ viriditate plantata? Quę quamuis excelſa ſint condita,huic tamen nec prælata ſunt,nec æquata. Qui ſpecioſus factus in multis condenſiſque frondibus eſſe dicitur: quia prælatum cæteris legionibus tanta illum ſpecies pulchriorem reddidit,quanta & ſuppoſita Angelorum multitudo decorauit. Iſta arbor in paradiſo Dei tot quaſi condenſas frondes habuit, quot ſub ſe poſitas ſupernorum ſpirituum legiones attendit. Qui idcirco peccans ſine venia damnatus eſt,quia magnus ſine comparatione fuerat creatus.

Iſidorus Hiſpalenſis. 620.

De Summo bono libro 1.cap.12. Primatum habuiſſe inter Angelos diabolum conſtat excellentia prælationis: ex qua fiducia cecidit ita, vt ſine reparatione laberetur, &c.

De Officijs Eccleſiaſticis libro 2.cap.23. Ipſum Satanam cum angelis ſuis atque cultoribus ęterno incendio condemnandum credimus: neque ſecundùm quorundam ſacrilegam diſputationem, ad priſtinam,id eſt,Angelicā dignitatem,ex qua propria malignitate cecidit,reducendum.

Libro 8.Etymol.capite de Dijs Gentium: Dæmones à Græcis dictos aiunt,quaſi δαήμονες, id eſt, peritos ac rerum præſcios. Præſciunt enim futurorum multa,vnde & ſolent reſponſa aliqua dare. Ineſt quidem illis rerum cognitio plus, quàm infirmitatis humanæ, partim ſubtilioris ſenſus acumine, partim experientia longiſſimæ vitæ, partim per Dei iuſſum Angelica reuelatione. Hi corporum aëreorum natura vigent: ante tranſgreſſionem quidem cęleſtia corpora gerebant,lapſi verò in aëream qualitatem conuerſi ſunt; nec aëris illius puriora ſpacia,ſed iſta caliginoſa tenere permiſſi ſunt,qui eis quaſi carcer eſt vſque ad tempus iudicij. Hi ſunt præuaricatores angeli, quorum princeps diabolus.

Eucherius Gallus. 640.

In lib.1.Regum: Maligni ſpiritus animos fidelium à meditatione ſacræ lectionis, ſecularia illis negotia inferendo,retardant, ne vel ipſi, per huius exercitium reſiſtendi fiduciam ſumant, vel alios fortè,qui legere neſciunt, ad reſiſtendum vitijs exhortando,aut corripiendo accendant. Tollunt fabros armorum, cùm eos, qui ſana eloquia nôrunt,in tantis ſceleribus obruunt,vt dicere bona,quæ didicerant,prorſus erubeſcant,&c. Malo ſpiritu vtitur Deus ad miniſterium iudicij ſui.Appellatur autem & ipſe ſpiritus Dei, ad vindictam malorum,& diſciplinam vel probationem bonorum.

Aldhelmus. 680.

De laudibus Virginitatis cap.5. Sine ancipiti ambiguitatis ſcrupulo veraciter credendum eſt, quòd prius Lucifer paraſitorum ſodalibus inflatis vallatus,& apoſtatarum ſatellitibus glomeratus, in profundum ſuperbiæ barathrum, & tetrum elationis tumidæ tartarum caſſabundus corruiſſet: quàm protoplaſtus recentis paradiſi colonus, & totius terreſtris creaturæ,quam teres vertigo cæli in modum rotantis fundibuli circumgyrat, rudis poſſeſſor lucis ambonibus & labris lurconibus vetitam deguſtans alimoniam, in gaſtrimargiæ voraginem crudeliter cecidiſſet. Quòd ſi angelica ſupernorum ciuium celſitudo elationis tantum ſupercilio turgeſcens beato cæterorum tubernio, & Deificæ contemplationis participio priuabitur, quanto magis gracilima mortalium fragilitas, ſi de proprijs meritorum emolumentis,vt inflata veſica intumuerit?

Aponius. 700.

Lib. 2.in Cantica: Diabolum ignorare non debet homo bonum Angelum à Deo formatum, & per voluntatem propriam malum effectum, quem ignorare nemo debet, vinci non poſſe ab homine,niſi Chriſti auxilio inuocato,&c.Dæmones cùm boni creati eſſent à Conditore, proprio libertatis arbitrio in malitiam tyrannidis ſunt conuerſi, & contra ſalutem hominum quotidie inflammantur, &c. Dæmones dum Angeli boni creati ſunt, & ſuper ſingulas nationes poſiti ſunt agere principatum, in ſuperbia eleuati, vnamquamque mentem vel animum fellita doctrina & criminibus irretire feſtinant. Quos per vitia carnis,& cupiditatem præuiderint ſe ſupplantare non poſſe, peruerſi dogmatis venenoſo poculo perimunt, ne ſoli in æternis ſupplicijs crucientur.

Beda. 700.

Libro Quæſtionum quæſtione 9. Primatum habuit Angelorum diabolus: ex qua fiducia cecidit, ita vt ſine reparatione laberetur, cuius prælationis excellentiam Propheta his verbis annuntiat: *Cedri non fuerunt altiores ei in paradiſo Dei, abietes non adæquauerunt ſummitatem illius,* &c. Prius de cælo cecidit diabolus,quàm homo conderetur. Nam mox vt factus eſt,in ſuperbiam erupit, & præcipitatus de cælo eſt. Nam iuxta Veritatis teſtimonium, *ab* Ioan.8.
initio mendax fuit,& in veritate non ſtetit: quia ſtatim vt factus eſt,cecidit: fuit quidem in veritate conditus, ſed non ſtando confeſtim à veritate lapſus eſt, &c.Apoſtatæ angeli ideò veniam non habent, quia carnalis fragilitatis nulla infirmitate grauati ſunt,vt peccarēt,&c.Pręuaricatores angeli ſanctitate amiſſa, non tamen amiſerunt viuacem creaturæ angelicæ ſenſum. Triplici enim modo præſcientiæ acumine valent,id eſt, ſubtilitate naturæ,experientia temporum, reuelatione ſuperiorum Poteſtatum. Quoties Deus quocunque flagello huic mundo iraſcitur,ad miniſterium vindictæ angeli mittuntur, qui tamen diuina poteſtate coercentur, ne tantum noceant, quantum cupiunt.

Alcuinus. 750.

In Geneſin quæſtione 3. Quare angelicum peccatum ſilentio in Geneſi abſcõditum eſt, & hominis patefactum? *Reſponſ.* Quia angelicum vulnus Deus non prædeſtinauit curare,hominis verò ſanare prædeſtinauit.

Interrog. 4. Cur ſummi Angeli peccatũ inſana-

bile fuit,& hominis ſanabile? *Reſponſ.* Angelus ſui ſceleris inuentor fuit: homo verò alterius fraude ſeductus.Item quanto ſublimior Angelus in gloria, tanto maior in ruina: Homo verò quanto fragilior in natura, tanto facilior ad veniam.

Ambroſius Anſbertus. 770.

Lib.5.in Apocal.cap.12. *Et ecce draco magnus,rufus.* Nulli dubium eſt, quin per draconem antiquus hoſtis figuretur: qui & propter malitiam draco, & propter inſidiarum multitudinem magnus, &
Ioan.8. propter homicidium rufus vocatur. *Ille enim homicida erat ab initiò,*&c. Hoſtis noſter, propter malitiam, draco; propter immanitatem ſceleris, magnus; propter occultas inſidias,ſerpens; propter ſeductionis diuturnitatem,antiquus; propter lapſum & accuſationem diabolus vocatur.

Libro 6.cap.13. Cunctis vera ſcientibus liquet, quia apoſtata ille ſpiritus gloriam quidem beatitudinis perdidit, ſed naturæ fortitudinem non amiſit: quam etiam nunc habet, ſed ea prout vult non vtitur; quia vinculis diuinæ poteſtatis retinetur.

Haymo. 820.

Ad Pſalm.77. Maligni angeli propter hoc manent irredempti, quia nulla eorum natura, quæ quidem perfecta erat, ſed ſola ſuperba voluntas impulit eos ad peccandum.

Ad Oſeæ cap.3. Dæmones quamdiu in ſua dignitate fuerunt, quodammodo vuæ erant, hoc eſt pinguedine Spiritus ſancti referti: poſtquam verò ſuperbientes contra Deum,ſimiles ei fieri voluerunt,euacuati gratia Spiritus ſancti, facti ſunt ſteriles,& veluti ad nihilum vtiles; de cęlo proiecti ſunt, veteri ſiccitate marceſcentes, & nihil antiquę gratię poſſidentes.

Ad cap.2.ad Hebræos: Quęret aliquis, quare homo ſit reparatus potius, quàm Angelicus lapſus? Cui reſpondendum, hominem non tantum deliquiſſe, quantum diabolum. Ille enim diabolo ſuadente peccauit; diabolus verò nullo ſuadente,ſed ſuperbiendo corruit: homo quia corpus habebat, manducare indigebat; diabolus autem,quia ſpiritus eſt, totus inexcuſabilis fuit.

Angelomus. 830.

Ad caput 4.libri 1.Regum: Philiſtijm,hoc eſt,cadentes poculo,immundos ſignificant ſpiritus,qui poculo ſuperbiæ inebriati,& ipſi de cęleſtibus ceciderunt,& multos quotidie hominum peruertere feſtinant poculo ſuæ malitiæ.

Ad lib.1.Regum cap.16. Diabolus ſpiritus Domini appellatus eſt, propter miniſterium: quia omnibus etiam ſpiritalibus malis bene vti dicitur vel ad damnationem quorundam, vel emendationem, vel ad probationem. Et licet afflictionem ſemper appetat, tamen ſi ab auctore noſtro poteſtatem nõ accipit, idem malignus ſpiritus ad tentationis articulum nullatenus conualeſcit. Vnde & omnis voluntas diaboli iniuſta eſt, & tamen permittente Deo omnis poteſtas iuſta.

Rabanus Maurus. 840.

De Vniuerſo lib. 4. cap. 10. Malum vel malitia non eſt à Deo creata, ſed à diabolo inuenta, qui & ipſe à Deo bono creatus eſt: ſed quia libero arbitrio, vtpote rationabilis creatura, commiſſus eſt, & cogitandi acceperat facultatem, ſcientiam boni vertit ad malũ, & multa cogitando factus eſt inuentor mali: & quod in ſe perdiderat, inuidit in alijs: nec contentus ſolus perire, ſuaſit alijs, vt qui eſſet ſuæ malitiæ inuentor, fieret & aliorum auctor; & ex eo malum vel malitia percurreret inter cæteras rationabiles creaturas, &c. Internas animæ cogitationes diabolum non videre certi ſumus: ſed motibus eas corporis ab illo & affectionum indicijs colligi experimento didicimus. Secreta autem cordis ſolus ille nouit, ad quem dicitur: *Tu ſolus noſti corda filiorum hominum.*

Remigius Antiſiodorenſis. 880.

Ad Pſalm.71. Calumniator eſt, qui alienam innocentiam nititur ducere in culpam exquiſita aliqua doloſitate, & machinata aliqua calliditate. Nullus ideo melius, quàm diabolus hic calumniator agnoſcitur: calumnia enim eius eſt: *Nun-* Iob.1.
quid gratis colit Iob Deum? Sic enim voluit innocentiam ſanctiſſimi viri in culpam ducere,ſi hoc poſſet efficere, vt pro terrenis diabolo ſeruiret.

Ad Pſalm.77. Tabernacula iſta ſignificant cæleſtem Hieruſalem, vbi angeli apoſtatæ quaſi in tabernaculis ad horam fuerunt: vnde expulſi ſunt, vt quandoq; tribus Iſrael,id eſt, collectio Deũ videntium,in eorum loco aſſumatur.

Altercatio Synagogæ & Eccleſiæ. 890.

Cap.3. Quia angelo malo malitia acceſſit, mutata bona natura in malam, per malam voluntatem ipſa malitia accidens eius fuit: quia ſi in bono,in quo creatus erat, perſiſteret, malitia in eo locum non haberet,&c.Cecidit Angelus,& factus eſt diabolus, ſicut tenebræ à radio lucis. Diuiſio igitur talis inter Angelos malos & bonos tam immutabilis facta eſt, vt nec boni vnquam cadant, nec mali vnquam reſurgant. Fuerũt enim ex prima conditione lucentes Angeli, & ſuo vitio facti ſunt dæmones tenebroſi.

Radulphus Flauiacenſis. 950.

Libro 20.in Leuit.cap.2. Paſcuntur maligni ſpiritus mentibus noſtris,& gratum eſt eis ſacrificium, cùm homo ſic corpore moritur,vt ad ęternum interitum ſpiritus pertrahatur.

Ratherius Veronenſis. 950.

In vita S.Vrſmari: Hanc dæmonis confeſſionem nequaquam ei aſcribi,qui *ab initio mendax fuit,& in* Ioan.8.
*veritate non ſtetit,*ſed Dei imperio cogente vera eum fatemur dixiſſe, non ſponte: ſicut & in Euangelio: *Scimus,* aiunt dęmones, *quòd ſis filius Dei.* Quod Mar.3.
vtique cùm eſſet veraciſſimum, pręter alia innumerabilia,Beati Petri prodit teſtimonium,ijſdem verbis Domino interroganti, glorioſę præbentis Matt.16.
confeſſionis reſponſum: tamen quadam ſui parte mendaciſſimum mentitam eſſe malitiam, teſtis eſt Dominica paſſio, ab impijs inſtinctu patrata diabolico. Nam licet nouerit pro ſalute humani generis Chriſtum veniſſe, neſciens tamen ordinem liberationis noſtræ, illuſus eſt morte Dominica, quaſi auis decipula. Oſtenſa namque mortalitate, quam ille interimere appetebat, carnis, abſcondito captus eſt hamo diuinitatis[illegible]terùm ſi indubitanter ſciret hunc eſſe Chriſtu[illegible]lium Dei viui, agnouiſſet mortis legibus nequaquam poſſe teneri. Si agnoſceret poſſe non mori, non hunc ſuaderet crucifigi. Non enim intellexit humanæ perditionis audaciſſimus lanio, quòd ſuo fruſtraretur imperio,in Saluatorem mundi ſæuiendo.

Smaragdus. 970.

In Diademate Monachorum cap.32. In oculis carnalium diabolus terribilis eſt,in oculis electorũ terror eius vilis eſt; ab incredulis vt leo timetur, à fortibus in fide vt vermis contemnitur, atque in momento oſtenſus repellitur. Diabolus ſerpens eſt lubricus,cuius ſi capiti,id eſt, primæ ſuggeſtioni non reſiſtitur,totus in interna cordis, dum non ſentitur, illabitur. Tentationum eius initia fragilia ſunt, quæ ſi nõ caueantur, ſed per vſum in conſuetudinem tranſeant, conualeſcunt, ita vt nun-

quam,aut difficulter vincantur:dum in tota vita diabolus hominem cupiat ſubuertere,amplius tamen in fine molitur decipere.

Berno Augienſis. 1020.

Libro de diuinatione dæmonum contemnenda: Dæmones ſunt prauæ voluntatis, maximęq; ſuperbiæ, faſtus,& inuidentiæ,atq; malitię,ſpiritus immũdi atq; peruerſi,&c. Quoniã de diuinatione dęmonũ quæſtio eſt,ſciendũ eſt illos ea plerunq; pronũtiare,quę ipſi facturi ſunt. Accipiũt enim ſępe poteſtatẽ & morbos immittere, & ipſum aërẽ vitiãdo morbidũ reddere,& peruerſis atq; amatoribus terrenorũ commodorũ malefacta ſuadere: de quorundã moribus certi ſunt, quòd ſint eis talia ſuadentibus cõſenſuri, ſuadẽt, & miris, & inſenſibilibus nodis,per illam ſubtilitatem naturæ ſuæ corpora hominum nõ ſentientiũ penetrando:& ſe cogitationibus eorũ per quędã imaginaria viſa miſcẽdo,ſiue vigilantiũ,ſiue dormientium.Aliquando aũt non quæ ipſi faciũt,ſed quę naturalibus ſignis futura prænoſcunt,quæ ſigna in hominũ ſenſus venire non poſſunt,ante prędicunt. Neq; enim quia prędet medicus,quod nõ prędet eius artis ignarus,ideo diuinus iã habendus eſt. Quid aũt mirũm,ſi quẽadmodum ille in corporis humani vel turbata, vel modificata tẽperie, ſeu bonas, ſeu malas futuras prędet valetudines:ſic dęmõ aëris affectione atq; ordinatione ſibi notas, nobis ignotas futuras,prędet tẽpeſtates? &c. Deus non vult dæmonũ genus ante tẽpus damnare. Sciunt enim ipſi dęmones, quia tempus eorum præſens hoc ſeculum continet. Propterea deniq; & Dominum rogabant, vt non torqueret eos ante tempus, neq; in abyſſum mitteret. Et ob hoc,neq; diabolum remouit à principatu mũdi huius,quia adhuc opus eſt opera eius,ad perſecutionem eorum,qui coronandi ſunt: opus eſt opera eius ad exercitia certaminum, & victoriarum beatorũ. Si enim dæmonibus auferatur libertas arbitrij, nullus vltra oppugnabit athletas Chriſti. Nullo aũt oppugnante, nec certamen aliquod erit, & ſublato certamine, nullum erit præmium,nulla victoria.

Petrus Damianus. 1050.

Epiſt.3. cap.6. Sæpe malignus ſpiritus velut auis in ramo arboris, ſic in lingua ponitur adulantis, & vt per organum vaſis in vaſe virus infundit, quod lethaliter in audiẽtis interiora transfundit.

Alphanus Salernitanus. 1050.

De duodecim fratribus Martyribus Beneuẽtanis:

——Opifex rerum Deus arte ſuprema
Compoſuit Cherubim, Seraphim, nec non aliorum
Agmina ſpirituum: quos inter condecorauit
Sic mirabilius, ſic & pretioſius vnum,
Eius ad ornatum reliqui quaſi veſtis vt eſſent,
Quo pretioſa [illegible] gloria longè
Præcipuum [illegible] cui non æquabilis eſſet.
Qui cùm ſic inter ſociorum caſtra niteret
Perſpicuè ſtellas velut inter luna minores,
Mox Maieſtati diuinæ,qua fuerat tunc
Inferior tantùm, ſimilem ſe poſſe putauit
Atque parem fieri. Sed quid latet Omnipotentem?
Dum cupit hæc,cecidit,ſecum deiectus & ordo
Nequitiæ fuit eiuſdem.

Bruno Carthuſianus. 1080.

Ad Pſalm.97. Dæmonia ſunt quę nulli præſtant bona,ſed in ſe credentes decipiunt: dicti dæmones quaſi ſcientes. Sed quoniam ſcientia non poteſt dici,quæ Creatoris non obſecundat arbitrio, eos ita ſcientes deleamus à corpore, quaſi non intelligentes: ſicut & Apoſtolus ſapientiam mundi ſtultitiam vocat.

Anſelmus Cantuarienſis. 1080.

Libro 1.Cur Deus homo cap. 7. Quamuis homo iuſtè à diabolo torqueretur, ille tamen eum iniuſtè torquebat: homo namque meruerat, vt puniretur; nec ab vllo conuenientius, quàm ab illo, cui conſenſerat vt peccaret. Diaboli verò meritum nullum erat, vt puniret: immò hoc tanto faciebat iniuſtius,quanto ad hoc non amore iuſtitiæ trahebatur, ſed inſtinctu malitiæ impellebatur. Nam hoc non faciebat Deo iubente,ſed in incomprehenſibili ſua ſapientia, quæ mala etiam bene ordinat,permittente.

Ad cap.12. Matthæi: Angelus in fortitudine ſcientiæ & ſubſtantię conditus eſt, ita quòd & profundam cognitionem habuit,& facultatem exequendi ex fortitudine ſubſtantiæ. Cùm ergo in tanto bono abundaret, videns diuinam eſſentiam præſtantiorem multò ſe, contra conſcientiam ſuam, non ex aliqua infirmitate cœpit Deo inuidere, & voluit ſe ei parificare. Non ergo ex infirmitate ignorantiæ, neque ſubſtantiæ contra Deum peccauit,ſed ex ſua prauitate,cognoſcens tamen eum eſſe Deum & conditorem ſuum,& tamen contra conſcientiam ſuam inuidit ei. Deus ergo iuſtus iudex ſubtracta gratia ſua,noluit eum viſitare,ſed permiſit eum excæcari omnino,& in eadem obſtinatione manere.

Ad cap.15.Matthæi: Sunt arguendi hac ſententia, qui cogitationes à diabolo immitti putant,& non ex propria voluntate naſci. Diabolus enim adiutor & incentor malarum cogitationum poteſt eſſe,non auctor: quia nec interiora, niſi per quoſdam habitus & geſtus exteriores nouit: verbi gratia; ſi pulchram mulierem nos crebrò inſpicere viderit, cor amoris iaculo vulneratum intelligit.

Petrus Alphonſus. 1100.

Titulo 10. Diabolus ſubtilis quidem & ſpiritualis res eſt, & fuit olim vnus de bonorum ordinibus Angelorum: cuius ordinis duo de principibus Huza,& Hazazel in Hebraica; Haroth verò, & Maroth in lingua vocantur Arabica. Et hic diabolus peccato & iniquitate ſua aggrauatus,& quaſi aliquantulum ponderoſior effectus, & ſic de ſummo cælorum delapſus, paulò deſcendit inferius, & eſt hic infra firmamentum ipſius habitatio.

Rupertus Tuitienſis. 1120.

Lib.1.in Geneſin cap.16. Inuidit magnus vnus de magnæ curiæ principibus, cuius audiuimus ſuperbiam,quia ſuperbus eſt valde,& ſuperbia eius & indignatio eius,plus quàm fortitudo eius. Initium namque peccati eius ſuperbia fuit,qua tumens magnus nimis viſus eſt, plenusq; ſapientia, & perfectus decore, & nihilo indigens ſapientiæ Dei,cùm in ſplendore ſuo complaceret ſibi.

Lib.7.cap.7. in Ioannem: Diabolus non naturæ, ſed peſſimi accidentis Græcum nomen eſt,& interpretatur deorſum fluens. Quo nomine rectè appellatur angelus ille damnatus, & perditus, qui cùm bene eſſet conditus, ſpirituum in altitudine cæli conuerſantium maximus,vitio ſuo deorſum fluens,per ſuperbiam ad profundum inferni deuolutus,factus opere,& dictus eſt nomine diabolus.

Lib.10.in Apocal.cap.18. Dæmones ſpiritus immundi ſunt,videlicet quia damnati Angeli, qui ſunt dæmones ſiue ſpiritus maligni, duplici pro cauſa pœnas dabunt: altera cauſa eſt,quia in cælo contra Creatorem ſuperbierunt: altera, quia genus humanum prima per ſerpentem prænaricatione deceptum, cunctis vitiorum ſordibus polluerũt. Propter illam dęmones,hoc eſt,ſciẽtes, quia contra ſcientiam Dei ſe extulerunt; propter iſtã cauſam ſpiritus immundi dicuntur,quia ſpurciſſimi ſunt.

Hugo Victorinus. 1130.

Summæ Sententiarum tractatu 2.de creatione & ſtatu Angelicæ naturæ c.4. Lucifer quia contra Creatorem ſuum in tantum ſuperbiuit, deiectus eſt in iſtum caliginoſum aërem, cum omnibus illis,qui ei cõſenſerunt. Et hoc ad noſtri probationem, vt ſint nobis adminiculum exercitationis. Non eſt eis conceſſum habitare in cælo, quę eſt clara patria: nec in terra,ne homines nimis infeſtarent; ſed in aëre caliginoſo, qui eſt carcer eis, vſque in diem iudicij. Tunc enim detrudentur in barathrum inferni,ſecundùm illud: *Ite maledicti in ignem æternum, qui præparatus eſt diabolo & angelis eius.* De hoc autem dubitatio eſt,vtrum modò omnes in iſto aëre ſint, vſque in diem iudicij,an aliqui eorum in inferno inferiori ſint; quod de auctoritate non multum certum habemus. Quidam tamen volunt dicere, quòd Lucifer,qui plus cæteris peccauit, ſtatim illuc demerſus ſit,& etiam quidam ex alijs.

Bernardus. 1130.

Sermone 5. de verbis Eſaię: *Vidi Dominum ſedentem, &c.* Væ tibi ſuperbe ſpiritus,ſolitudinis & ſolitariæ præſumptionis amator. Non ſtetiſti in veritate,expulſus eſt pes ſuperbiæ, ſtare non potuit: ſolus ſedere non volens,tamquam fulgur cecidiſti de cælo, non habiturus aliquando ſubleuantem.

Sermone 5.in Quadrageſima: Magnum diſcrimen aduerſus diabolicæ fraudis aſtutias tam crebros, imò continuos,habere conflictus: quem nec videre quidem poſſumus, & quem nimis aſtutum fecerit tam natura ſubtilis, quàm longa exercitatio malitiæ eius. Veruntamen in nobis eſt, ſi vinci nolumus,& nemo noſtrum in hoc certamine dejicitur inuitus.

Petrus Lombardus. 1140.

Lib.2.diſtinct.6. Præterea ſcire oportet,quoniam ſicut de maioribus & minoribus Angelis quidam perſtiterunt,ita de vtroque gradu quidam corruerunt: inter quos vnus fuit alijs omnibus cadentibus excellentior, nec inter ſtantes aliquis eo fuit dignior, &c. Sicut inter bonos Angelos alij alijs præſunt, ita & inter malos alij alijs prælati ſunt; & alij alijs ſubiecti: quamdiu durat mundus, Angeli Angelis,dæmones dæmonibus, homines hominibus præſunt. Solet etiam quæri, vtrũ omnes in iſto aëre caliginoſo ſint, an aliqui iam ſint in inferno? Quòd in inferno quotidie deſcendant aliqui dæmonum, veriſimile eſt, qui animas illuc cruciandas deducant; & quòd aliqui illic ſemper ſint, alternatis fortè vicibus, non procul eſt à vero, qui illic animas detinent atque cruciant.

Petrus Bleſenſis. 1150.

Epiſtola 34. Primus filius ſuperbiæ ille Lucifer, qui ſibi ſedem deſtinabat in lateribus Aquilonis, atque in ſimilitudinem Altiſſimi vſurpabat, vbi & in quo laborauerat miſer, quia iam ſedere & quieſcere diſponebat. Omnes alij mittebantur in miniſterium deuoti, & humiles, ad imperium Creatoris. Millia millium aſſiſtebant ei. Iſte autem erigebat ſibi ſedem, antequam laborauerat. *Ponam,* inquit, *ſedem meam ab Aquilone, & ſimilis ero Altiſſimo.* Appetijt æqualitatem Altiſſimi, meruitque quod ſuum erat perdere, dum rapuit alienum.

Ioannes Saresberienſis. 1160.

Libro 2. Polycraticon cap. 28. Quid mirum, ſi ea quandoque prænoſcant, qui & ſubtilitate naturæ vigent,& experientia temporis longiore, & reuelatione ſuperiorum Poteſtatum de plurimis admonẽtur? Si ergo ſpiritus corporis mole grauati, quos luteum carnis retardat indumentum, quorum acumen turbati ſenſus corruptio hebetat, ex præcedentibus aut quarumcunque rerum indicijs, quæ ſint ventura conijciunt: quid prohibet ſpiritus ab omni nexu corporis abſolutos, quos noxia moles non tardat, rerum imminentium,aut in plurima tempora ſuccedentium præmetiri euentum? Sed qui ferè pridie natus eſt, poſt dies pauculos diſceſſurus, medio tempore ex ſimilibus ſimilia colligit, & de cauſis ſibi interim notis ratiocinatur in poſterum. Nonne hoc facilius poteſt, non modò antiquus, ſed inueteratus dierum,qui ab initio conditus eſt plenus ſapientia & perfectione decorus?

Godfridus Viterbienſis. 1170.

Parte 1.Chronicorum, de creatione, & de Ordinibus Angelorum, &c. Altera quæſtio nobis proponitur: quomodo diabolus inter Angelos bonos aliquando ſcribitur eſſe? Vt in libro Iob: *Adfuit,* inquit, *etiã Satan ante eos,* ſcilicet inter Angelos. Qualiter cum electis Angelis eſſe potuit, qui damnatus per ſuperbiam, à cælis & à ſorte Angelorum dudum eiectus exiuit? Vnde dicimus, quia ſatis inter eos fuiſſe potuit,qui,quamuis beatitudinem amiſerit,naturam tamen Angelis conſimilem non amiſit. Etſi culpis aut meritis prægrauatur, conditione tamen ſubtilis naturæ extollitur,&c. Quęritur ſi dæmones omnia ſciant? Dicimus, quia ex ſui natura multam habent ſcientiam, non tamen omnia ſciunt. Sed quanto Angelica natura ſubtilior eſt,quàm humana, tanto in omnibus artibus ſunt peritiores: futura neſciunt,niſi quantum de aſtrorum ſcientia colligunt,& quantum eis à Deo permittitur. Porrò cogitationes & voluntates nemo ſcit, niſi ſolus Deus, & cui ipſe voluerit reuelare. Dæmones bonum nec ſciunt,nec poſſunt: ad malum verò efficaces ſunt,non quantum ipſi volunt, ſed quantum eis à bonis Angelis permittitur.

Innocentius Tertius Papa. 1200.

In Dominica 1.Quadrag.Sermone 1. Tentauit Chriſtum non qualiſcunque tentator, ſed ipſe diabolus, qui ſuper omnes tentatores malignos probatur aſtutus, ex ſubtilitate naturæ, ex antiquitate temporis,& ex aſſiduitate fallendi. Ex ſubtilitate naturæ,iuxta quod ei dicitur: *Tu ſignaculum ſimilitudinis,plenus ſapientia,& perfectus decore in Paradiſo Dei fuiſti.* Ex antiquitate temporis,quia prima eſt creatura, non quòd cunctos præceſſerit, ſed quam nulla præceſſit. Iuxta quod dicitur: *Quomodò cecidiſti Lucifer,qui mane oriebaris?* Ex aſſiduitate fallendi: *Quoniam aduerſarius veſter diabolus tamquam leo rugiens circuit ſemper,quærens quem deuoret.*

Ezec.28.

Eſa.24

1.Pet.5.

De Contemptu mundi lib. 2. cap. 30. Superbia inter ipſa rerum primordia creaturam contra Creatorem erexit, Angelum contra Deum, ſed eum abſque mora deiecit, quoniam *in veritate non ſtetit:* ab innocentia,in peccatum; à delictis,in miſerias; à cælo empyreo,in aërem caliginoſum.

Cæſarius Heiſterbacchius. 1220.

Libro 5.cap.10. In Eccleſia beati Petri in Colonia, cùm fœmina quædam à dæmone obſeſſa miſerabiliter tormentaretur,contigit vt alia obſeſſa ſuperueniret. Mox vna contra alteram cœpit inſurgere, clamoribus & contumelijs ſic ſe inuicem afficere, vt omnes miraremur. Dæmon dæmoni dicebat: Miſer, vt quid conſentiendo Lucifero ſic de gloria æterna ruimus? Ad quod alter reſpon-

dit: Quare fecisti? Cumque adhuc quasi pœnitudinis verba proferret, alter subiunxit: Tace, Pœnitentia ista nimis est sera, redire non poteris. Vides quanta sit in illis obstinatio? Idem spiritus malignus de reditu ad gloriam, sicut superior interrogatus, verbum sermoni eius valde contrarium, audiente me, respondit: Si esset, inquit, columna ferrea, & ignita, rasorijs, & calamis acutissimis armata, à terra vsque ad cælum erecta, vsque ad diem iudicij, etiamsi carnem haberem, in qua pati possem, me per illam trahere vellem, nunc ascendendo, nunc descendendo, dummodò redire possem ad gloriam, in qua fui.

Guilhelmus Aluernus. 1230.

Secunda partis de Vniuerso parte 3. cap. 7. Moderatur diuina clementia tentationum istos insultus dæmoniacarum, pro fortitudine, vel infirmitate hominum: alioquin nullus ex hominibus staret aduersus eos, iuxta sermonem Sapientis, qui dixit: *Non est potestas sub cælo, quæ eis valeat comparari.*

Cap. 8. Quemadmodum permittit omnipotentissima bonitas Creatoris, principibus hominibus malis diuersos ordines in principatibus, & ditionibus constituere: sic & principem malignorum spirituum, iuxta peruersitatem malignitatis suæ alios de malignis spiritibus exaltare, & varijs malis operibus præficere, alios ab huiusmodi officijs remouere, propter innumeras vtilitates, quas nouit inde elicere bonitas Creatoris.

Thomas Aquinas. 1250.

Ad caput 9. Apocalypsis: Diabolus dicitur stella principaliter, ratione scientiæ, siue notitiæ, quæ magna est in eo: non autem eam prorsus perdidit, sed tamen non habet tantam claritatem scientiæ, vt ante lapsum; qui in primordio mundi cecidit de cælo propter superbiam, &c. Casus diaboli excitat in eo inuidiam & malitiam ad tentandum homines, ne scilicet possent illuc ascendere, vnde ipse irreuocabiliter cecidit.

Ad cap. 12. Ipse diabolus cùm primò esset omnibus excellentior, videns suam naturalem excellentiam, superbiuit: multi autem ex alijs videntes eum tam excellentem, consenserunt eius superbiæ, & ei adhæserunt.

In disputatis Quæstionibus de dæmonibus, art. 5. Non pertinet ad rationem diuinæ sapientiæ, vt vlterius dæmonibus gratia infundatur, propter quam reuocentur à malo primę auersionis, in qua immobiliter perseuerant. Et ideò quamuis diuersa eligant per liberum arbitrium, in omnibus tamen peccant: quia in omni eorum electione permanet malitia primæ electionis ipsorum.

Bonauentura. 1260.

Parte 2 Breuiloquij cap. 7. De Apostasia dæmonum hoc est tenendum, quòd Deus omnes Angelos fecit bonos, tamquam medios inter se summum bonum, & commutabile bonum, quod est creatum, ita quod si conuerterentur ad amandum, quod est supra, ascenderent ad statum gratiæ, & gloriæ: si verò ad bonum commutabile, quod est infra, hoc ipso ruerent in malum culpæ & pœnæ: quia non est dedecus peccati sine decore iustitiæ. Primus autem Lucifer inter Angelos præsumens de priuato bono, priuatam appetijt excellentiam, volens alijs superferri, & ideò cecidit cum cæteris consentientibus sibi. Cadens autem factus est impœnitens, obstinatus, & excæcatus, & exclusus à Dei contemplatione, & deordinatus in operatione, toto nitens conamine ad subuertendum hominem per tentationem multiplicem.

Ægidius Columnius. 1280.

Libro 2. Hexameron cap. 2. Modica fuit morula inter creationem & casum diaboli, vt dicatur *mendax à principio*, & dicatur *in veritate non stetisse.* Quia, vt dicitur Ezechielis capite 28. *In delicijs Paradisi fuit.* Nam diabolus in veritate innocentiæ, & in delicijs innocentiæ fuit; sed ita fuit modica morula inter illa, vt dicatur *in veritate non stetisse.* Ioan. 8.

Durandus à Sancto Portiano. 1310.

Libro 2. distinct. 7. quæst. 3. Dæmon potest omnia illa prædicere, quæ potest præcognoscere: Dæmon autem, & quilibet Angelus, per certitudinem cognoscunt omnia futura, quæ purè dependent ex ordine causarum naturalium. Per coniecturam autem cognoscunt quædam futura, quæ dependent ex nostro libero arbitrio: sed ea, quę dependent merè ex voluntate diuina, non cognoscunt nisi sibi facta reuelatione à Deo, vel à beatis spiritibus. Ergo dæmones prędicare possunt de effectibus purè naturalibus per certitudinem quid eueniet: de his autem, quæ ex arbitrio nostro dependent, potest dæmon prædicere aliquid per coniecturam: sed ea, quæ ex sola Dei voluntate dependent, nullo modo potest prædicere, nisi ei fuerint reuelata.

Nicolaus Lyranus. 1320.

Ad cap. 8. Matthæi: Vsque ad iudicium est tempus meriti ac demeriti hominum: & ideò sicut vsque ad illud tempus sancti Angeli habitant inter nos ad nostram defensionem, ita mali angeli ad nostram tentationem, & impugnationem. Licet autem secum portet ignem suum, tamen reputant se torqueri & affligi, quando eijciũtur ab hominibus, ne ijs noceant, propter odium, quod erga nos habent. Et quia si non possunt hominibus nocere in persona, tamen appetunt ijs nocere in substantia: ideo rogabant Iesum dicentes: *Si eijcis nos, mitte nos in porcos. Et ait illis: Ite.*

Ludolphus Saxo Carthusianus. 1330.

Vitæ Christi parte 1. cap. 47. Dæmones dixerunt: *Legio mihi nomen, quia multi sumus.* Legio autem propriè dicitur numerus determinatus armatorum in exercitu, & continet sex millia, sexcentos, sexaginta sex, & inde dicitur Legio in dæmonibus, quia militant contra nos: & quia, etsi non possunt hominibus nocere in persona, saltem appetunt eis nocere in substantia. Ideo rogabant Iesum, si eos eijceret, ne se expelleret extra regionem, id est, habitationem hominum: vel in abyssum, & infernũ: Locus enim inferni debetur dæmonibus: permittuntur tamen inter homines habitare vsq; ad iudicium, vt gloriosior sit victoria electorum in superatione dæmonum tentantium. *Sed mitteret eos in porcos:)* Vt saltem sic in aliquo affligerent homines: quia vbiq; homines in mœstitiam mittere studeant, & de perditione eorum gaudent. Ecce dæmonũ infirmitas, qui nihil possunt, nisi permissi. Si ergo porcis nocere non poterant, nisi permissi, multò minus hominibus factis ad imaginem Dei. Oportet igitur Deum solum timere, illos autem contemnere, in quo etiam apparet eorum vilitas, quia ingredi volunt in porcos.

Ioannes Taulerus. 1350.

Sermone in Festo Michaelis: Dæmones, qui ex tertio choro Angelorum lapsi sunt contra pios grauiter insurgunt, vniuersos quos possunt dolos, fraudes, insidias machinantes, vt eos retrahant atque subuertant, nec locum illum, vnde ipsi extrusi sunt, assequantur: nec dici facilè, nec credi potest, quãtas in hoc absque cessatione nequitias adhibeant exerantque.

De decem

De decem cæcitatibus cæcitate 7. Maligni spiritus licet miro, & incomprehensibili odio in cõmune aduersus omne hominum ferantur genus, speciali tamen liuore insaniunt contra electos Dei amicos, qui illis resistunt, quosq; timent loca ea, vnde ipsi extrusi sunt, occupaturos: idq; adeò, vt etiamsi iam certum exploratumq; haberent, eiusmodi sese homines decipere non posse, ex obstinato tamen odio, ab eorũ vexatione nihilo magis abstinerent: quin & pertubare eos, & etiam subitæ neci tradere non omitterent, si à Deo & bonis Angelis non prohiberentur. Et licet certissimè sciant, ex huiusmodi suo odio, & damnandorum numerositate, æterna sua tormenta magis ac magis augeri; nihilominus tamen ex obstinata sua malitia, quamlibet inde grauia sese tum pericula, tum damna sustinere persentiant, ab hominum infestatione sibi temperare non possunt, adeò vt etiam puellos, intra materna inclusos viscera, perdere appetant, si tantùm id ipsis permitteretur. Enimuerò tetris illis spiritibus superbia quędam inest, & phantasia proterua, amens furor, & inuidia, & concupiscentia irrationabilis; tametsi naturalia in ipsis permanserint integra, puta subtilitas intellectus, fortitudo, & similia, &c. Quòd ad eorum subtilitatem attinet, sciendũ est, ab initio apostasiæ suæ nihil eos aliud vel didicisse, vel exercitasse, quàm homines fallere, occæcare, perdere, Deoq; gloriæ aduersari. Naturalem item ingenij subtilitatẽ, incessabilemq; humanæ perditionis sitim adeò eis suffragari, vt nulla sit fraus, dolus, nequitia, vitium, siue peccatum, quæ ipsorum experientiam effugere queant: per quæ etiã Sanctos & sublimis quosdã vitæ homines vincere aut subuertere potuerunt: nimirum cùm tanta sit illorum tum naturalis, tum multa industria, longoq; experimento parta subtilitas calliditasq;, vt nullus eam humanus capiat intellectus. Ex eaq́ue cuiuslibet hominis complexionem & naturalem propensionem solerter attendunt, explorant, obseruant, atque hanc ipsam vnà cum carnis fragilitate, pronitate ad malũ, & seculi blanditijs, & occasionibus ad expugnandam arcem animæ assumunt, sicq; mille laqueos & pericula omni in loco, tempore, studio, causa & opere miseris tendunt mortalibus.

Thomas Argentinensis. 1350.

Lib. 4. dist. 44. art. 4. Ista coniunctio flammarum infernalium aliter se habet ad animas & dæmones, qui nunc sunt in inferno; & aliter ad dæmones, qui sunt in isto aëre pro nostro exercitio. Nã hi, qui sunt in inferno, coniuncti sunt talibus flãmis localiter, & mentaliter: sed hi, qui hìc sunt nobiscum, huiusmodi flammis coniunguntur nõ localiter; quia aliàs huiusmodi flammæ comburerent humana corpora, vexata per dæmonia, etiam incenderent aëra circa nos, quem inhabitant huiusmodi dæmones. Sed coniunguntur mentaliter: Quia sicut boni Angeli, qui mittũtur ad nos pro nostra custodia, quando sunt apud nos, non sunt in cælo localiter, tamen sunt in cælo mentaliter, nec carent cælorum gloria & felicitate æterna: sic mali angeli, quando sunt apud nos, sunt in flammis infernalibus mentaliter: quia diuino iudicio apprehensio illarum flammarum continuè ipsis imprimitur, qua impressione ipsi affliguntur sine intermissione, non minus, si Deus voluerit, quàm si huiusmodi flammis localiter iungerentur.

Bartholomæus Anglicus. 1360.

De proprietatibus rerum lib. 2. c. 20. Mali angeli consentientes voluntati Luciferi cadentis irrecuperabiliter in hoc aëre caliginoso velut in carcere sunt recluſi. Ceciderunt autẽ de luce in tenebras, de sciẽtia in ignorantiam, de dilectione in odium & inuidiam, de summa felicitate in summã miseriam. Item dæmones præsunt dæmonibus secundùm maiorem scientiam, & secundùm minorem alijs subsunt. Quamuis obstinati sunt in malo, viuaci tamen sensu non sunt penitus spoliati: nã, vt dicit Isidorus, triplici acumine vigent dæmones. Nam quędam sciunt subtilitate naturæ, quędam experientia temporum & diuturnitate, quędam sanctorum spirituum reuelatione. Item dæmones, vt dicit Augustinus, in eius viuacitate ingenij cognoscunt, seminales rerum virtutes nobis occultas, quas per cõgruas & temperatas elementorum cõmixtiones spargunt, & sic diuersas rerum species producunt. Quod enim posset per se facere natura succedente, hoc potest diabolus facere per accelerationem operum naturæ. Vnde per artem dæmonum Magi Pharaonis serpentes & ranas subitò produxerũt, sicut super Exodum Glossa dicit. Item dæmonum intentio tota est ad malum, & ad fatigationem bonorum, & ideo elementa sæpe perturbant, tempestates in mari & in aëre concitant, fructus terræ corrumpunt & deuastant, vt pátet Apoc. 7. & longè peiora facerent, si boni Angeli non cohiberent. Et ideo quia continuè peccant, quocumque vadunt pœnam suam continuè secum portant.

Petrus Berchorius. 1360.

In Reductorio morali lib. 1. cap. 3. Diabolus est angelus malus, Lucifer scilicet & quilibet alius sequax eius, qui sponte de Deo recedens, in malitia existit obstinatus. Sunt igitur dæmones spiritus, angeli à Deo voluntariè peruersi, & auersi, in malitia obstinati, mente subtilissimi, humanę salutis inuidi, & absque omni lucro suo ad nocendũ hominibus semper prompti.

Ioannes Gerson. 1420.

De passionibus animæ consid. 16. Passiones spirituales perturbãtur crebrò ab immissionibus per angelos malos factis. Possunt quidem angeli mali, quantum Dei prouidentia permiserit, agere similia multa ad Angelos bonos, tam ob subtilitatem vigoremq; substantiæ suæ, quàm ob perspicuitatem naturalis ingenij, quam propter experientiarum diuturnitatem nunc in naturalibus actionibus sursum & deorsum, in cęlo & in terra, nunc in operationibus miraculosis Angelorũ & omnium spirituũ beatorum, quamuis errent frequenter. Excæcat eos malitia amens, superbia furens, sine lege & ordine liuor insaniens: excæcat eos iustum Dei iudicium, illudens eis, & peruersissimos eorum conatus aduersus electos suos conuertens in vsum suæ bonitatis. *Transfigurat se angelus Satanæ in Angelum lucis,* sicut tradit Apostolus. Quod fieri sic vno modo potest intelligi, vt ipse malus angelus cælet innatam malitiam, & horrificos affectus suos, fingẽdo se placidum, pulchrũ, & benignum, ad exemplar Angelorũ bonorum. Immutándo præterea doctrinas & obseruationes eorundem beatorum Angelorum in amore castitatis & virtutum, tam vt seducat facilius, quàm vt veneretur & colatur sicut Deus, &c. Denique quantas habẽt efficacias ad immutationem corporis actiones istæ malignorum spirituum, Scriptura sacra docet, de Magis Pharaonis, & alibi. Et ratio certa deducit, præconcesso quòd dæmones aliqui sunt, *aduersus quos nobis est colluctatio,* sicut tradit Apostolus. Et idipsum & sancti Patres multis supra numerum argumentis experti sunt.

De erroribus circa artem magicam cap. 1. Negare dæmones esse, negare eos plurimorum effectuum operatores existere, damnatur apud Christianos, vt erroneum & impium, sacris literis aduersum. Qua in re ridendi sunt, imò durè corrigendi, qui

Theologos derident, mox vt sermonem de dæmonibus faciunt, mox vt eis effectus quosdam attribuũt, quasi fabulosa sit eorũ responsio. Prouenit error iste apud quosdam literatos ex defectu fidei, tum ex debilitate & infectione rationis.

Laurentius Iustinianus. 1430.

De disciplina & perfectione monasticæ conuersationis cap.13. Consueuerunt vt plurimũ homines, quandocũq; aliquod difficile aggressi sunt opus, quum ad id peragendum impares se viribus senserint, mox ab amicis & domesticis subsidia quæritare: quatenus quæ propria nequeunt virtute perficere, alieno valeãt adiutorio. Hac malitiæ arte, hoc sagaci ingenio vti solet humani generis antiquus hostis, & seruorum Christi implacabilis inimicus. Cùm enim ad debellandos, & exercendos fidelium animos, ex superna dispensatione, constitutus sit in hoc aërio & caliginoso loco, quibus valet modis & industria, eos tentare non definit, vt decipiat, & prosternat. Apponit namq; incessanter callidꝰitatis suæ venena, quantum ei à Domino conceditur: sed non ad vota. Nam si ad decipiendos mortales plenam à Deo susciperet potestatem, prorsus non fieret salua omnis caro, nec quisquã reperiretur, qui laqueos illius posset effugere. Diuina autẽ dispensatione & pia agitur miseratione cum electis, vt nequaquam supra vires tententur. Quoties namq; prævalet aduersarius, & cãsui appropinquant: adest Dei clementia, atq; fugatis hostibus, suis præsidia militibus subministrat, &c. Quamuis autem cæleste super Dei seruos diabolus sentiat adiutoriũ, quamquã neminem saluãdorũm de manibus Domni Iesu eripere valeat: non cessat tamen ipse malignus, quin totis conatibus illis infestus sit, nunc per seipsum, nũc sæpe per alios. Ideo ad tentandum humano vtitur instrumento, potissimum aduersus eos, qui in monasterio & congregatione Deo militant.

De interiori conflictu cap.5. Diabolus nullo prorsus molis corporeæ grauatur onere, nullis parietum carcerumve præpeditur obstaculis, nulla ad tentandum fatigatione lassatur, sed semper paratus, semper accensus, semperq; nocendi auiditate procliuus est: calliditate ad deceptionem hominum vtitur nimia, & fucata arte decertat. Multifarijs illusionum generibus, diuersisq; tentationum phantasmatibus, per momenta singula, Deo permittente, mentis impellit domum, rationisq; ostia intrare conatur, vt arbitrij libertatẽ in seruitutem redigat: nunc terroribus pulsat, nũc verbosis clamoribus minatur supplicia; hoc vt perficiat validius, formas hominum, reptilium, iumentorumq; varias fingit: in quorũ primo aspectu humana infirmitas plurimum deterretur, sed crucis signaculo, Christi inuocato nomine, liberatur. Nempe quemadmodum fluit cera à facie ignis, sic dæmonum argumenta pereũt ab inuocatione nominis Iesu & Mediatoris nostri.

Baptista Mantuanus. 1500.

Lib. 5. Fastorum de apparitione Michaëlis Archangeli:

Sed pars vna suum nimis admirata decorem
Atq; potestatem, renuit seruire Tonanti,
Tam demens, tam læua fuit: pars altera mansit
Fida sub imperio Patris, caloq; rebelles
Expulit, & magno in tenebras molimine trusit.
Hi sunt qui patria pulsi studuêre per orbem
Inter mortales decus vsurpare Deorum.
Nunc quoque priuati prisco splendore latenter
Insidias tendunt animis, qui attollere sese
Altius attentant, & olympica limina quærunt.

De Nicolao Tolentino lib.1.

Tartarei manes genus implacabile, multas
Diffusum in species, nunquam certamina ponunt:
In vitijs regnant: est qui sibi vendicet iras,
Et trahat in rixas homines, in iurgia, in ensẽs:
Alter auaritiæ studium facit: alter amorum:
Alter ad inuidiæ flammas, incendia, & Ethnam
Prouocat: est etiam vitæ qui tædia sanctæ
Gignat, in immundis statuens solatia rebus.

ARTICVLVS SEXTVS.

MALOS ANGELOS SEV DAEMONES, PRO SVA MALITIA IN VARIAS SE FORMAS TRANSFORMARE, HOMINIBVS APPARERE, VARIA TERRICVLAMENTA INCVTERE POSSE.

NEGANT.

Anno ante natũ Christum. 60. post natũ Christum. 820. 1550.

CASSIVS, apud Plutarchum in Bruto, *negans esse dæmones, nec credit eorundem apparitiones, sed vult sensus tantùm decipi, & huiusmodi imagines fingi.*

Michaël Balbus, qui, vt est apud Zonaram, *nullos esse dæmones asseruit, nullas quoque eorundem apparitiones credidit.*

Andreas Tiraquellus, ad cap.10. lib.2. & ad cap.23. libri 5. Alexandri ab Alexandro Genialium dierum, *dæmonũ apparitiones & spectra mera esse somnia putat.*

ASSE-

ASSERVNT SACRÆ LITERÆ.

Gen.3.v.1. Sed & serpens erat callidior cunctis animantibus terræ, quæ fecerat Dominus Deus. Qui dixit ad mulierem: Cur præcepit vobis Deus, vt non comederetis ex omni ligno paradisi?

Psal.90. 5. Non timebis à timore nocturno, à sagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris, ab incursu & dæmonio meridiano.

Matth.4. 1. Tunc Iesus ductus est in desertum à Spiritu, vt tentaretur à Diabolo. 3. Et accedens tentator, dixit ei: Si Filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant. 5. Tunc assumpsit eum diabolus in sanctam ciuitatem, & statuit eum super pinnaculum templi, & dixit ei: Si Filius Dei es, mitte te deorsum. 8. Iterum assumpsit eum diabolus in montem excelsum valde, & ostendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum, & dixit ei: Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me. Tunc dicit ei Iesus: Vade retrò Satana: scriptum est enim, Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. Tunc reliquit eum diabolus.

Luc.24. 37. Discipuli viso Iesu, conturbati & conterriti, existimabant se spiritum videre.

2.*Cor.*11. 14. Ipse Satanas transfigurat se in Angelum lucis.

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Prochorus. 120.

De Ioanne Apostolo cap.2. Diabolus ab initio bonis inuidens, se transformauit in similitudinem mulieris: & introiens, verberibus, & plagis, & asperioribus conuitijs cœpit Ioannem lacessere, dicens: ministrum te huius operis constitueram, & omnia perdidisti, non valeo te vlterius sustinere: accende magis magisq; caminum, vt ego te in medium dedam: & arripiens malignus ille pallium, quo tegebatur, Ioanni minas intendens, dicebat: Vitam tibi nunc adimam flagitiose, exi foras, nõ fero, vt mihi amplius seruias. Ioannes verò per spiritum agnoscens, quòd dæmon esset, qui in illis habitabat thermis, inuocato nomine Iesu statim illum expulit.

Cap.3. Cùm primùm ponerentur, talis dæmonum illusio circa eos facta narratur. Nam cùm fundamenta locarentur, dæmonis suggestu quidam venefici iuuenculam ventre prono adhuc viuentem supposuerunt, quæ & ibi mortua est, cœperuntq; superædificare thermas, illis persuasi eas fausiores ob iuuenculam futuras: sed longè aliter euenit. Nam diabolus in eo loco diuersabatur, & illa occasione ludificabat homines, & ter in anno aut iuuenem, aut iuuenculam in illis balneis suffocabat.

Iustinus Martyr. 160.

Oratione ad Antoninum Pium: Quandoquidem & antiquitus peruersi dæmones, per spectra apparentes, mulieres constuprârunt, & pueros imminuerunt, & terriculamenta hominibus exhibuerunt: vt attoniti illi redditi, qui res ipsas, quæ fiebant, non ratione dijudicabant, ac metu correpti, dæmones malos esse nesciebant, Deos illos vocarent, & nomine quenq; quod sibi dæmonum quisque imposuerat, appellarent.

Tatianus. 180.

Oratione contra Græcos: Aliquando videntur dæmones etiam ab istis, qui anima reguntur, nõ spiritu, cùm ipsi sponte conspectui se offerunt, vel vt aliquid esse existimentur, vel vt noceant hominibus, vtpote inimicis, amicitiam simulantes ex ingenij malignitate, vel vt sui similibus conferendi in se cultus occasionem exhibeant.

Origenes. 230.

Lib.4. contra Celsum: Nostra opinio est, malos quosdam dæmones per impietatem defeciuisse à Deo vero eiusq; Angelis: itaque præcipitatos è cælo volutari humi circa crassiora & impuriora corpora, perspicaces tamen in rebus maximis, quòd nudi sint terrenis corporibus: hi talibus negotijs occupati, vt humanum genus abducant à vero Deo, insinuant se animalibus feris, rapacitate notis, & vafricie, eaq; mouent ad quælibet arbitratu suo: aut spectra quædam horum animalium oculis humanis obijciunt volantia, vel aliter se mouentia, vt homines præoccupati huiusmodi diuinationibus, non quærant rerum omnium Dominum, ne veram pietatem examinent, mentemq; suam in terram deijciant ad alites, dracones, vulpes, & lupos.

Athanasius. 340.

In vita D. Antonij: Orans prostratus, post orationẽ clara voce dicebat: Ecce ego hîc sum Antonius: non fugio vestra certamina, etiamsi maiora faciatis, &c. Talia eo dicente, bonorum hostis diabolus admiratus, quòd post tot verbera fuisset ausus reuerti, cõgregatis canibus suis, & proprio furore se lanians. Videtis, ait, quòd nec spiritu fornicationis, nec corporis doloribus superatus, insuper audacter lacessit nos. Omnia arma corripite, acrius nobis impugnandus est. Sentiat, sentiat: debet scire, quos prouocet. Dixit, & in adhortantis vocem audientium turba consentit: quia innumeras diabolus habet artes nocendi. Sonitus igitur repentinus increpuit, ita vt loco funditus agitato, & parietibus patefactis, multifaria dæmonum exinde turba se effunderet. Nam & bestiarum, & serpentium formas induentes, omnem protinus locum repleuêre phantasijs leonum, taurorum, luporum, aspidum, serpentum, scorpionum, nec non & pardorum, atq; vrsorum. Et hæc singula secundùm suam fremebant naturam. Rugiebat leo, occidere volens: taurus mugitu, & cornibus minabatur; serpens sibilo personabat: luporum impetus inhiabat: pardus discolor à tergo, auctoris sui calliditates varias indicabat. Truces omnium vultus, & vocis horridæ dirus auditus. Antonius flagellatus, atq; confossus, sentiebat quidem asperiores corporis dolores, sed imperterritus durabat mẽte peruigili.

Palladius. 400.

Historia sanctorum Patrum cap.18. de Nathanaële Eremita:

mita: Postquam perfecit cellam, & in ea habitauit tres vel quatuor mẽses, accedit noctu dæmon, taurina pelle indutus, sicut lictores, præ se ferens speciem militis pannos induentis, taurina pelle edens strepitus. Cui succensus, dixit B. Nathanaël: Quis tu es, qui hæc facis in meo hospitio? Dæmon autem respondit: Ego sum, qui te ex tua prima cella exegi, & nunc veni, vt te ex hac quoque fugem. Cùm ergo cognouisset Nathanaël, se fuisse illusum, reuersus est ad primam cellam: & spacio triginta septem annorum non est egressus extra fores, contendens cum dæmone, qui tot ac tanta ei fecerat, vt eum cogeret è cella egredi, vt ne ea narrare quidem liceat.

Cap. 20. Hinc rursus diabolus Macarium inuenit in solitudine, corpore valdè defatigato, & dicit ad eum: Ecce accepisti gratiam Antonij: cur non vteris auctoritate, & à Deo petis cibum, & vires ad iter ingrediendum? Is autem dicit ad eum: *Virtus mea, & laus mea Dominus:* Tu autem ne tentaueris seruũ Dei. Facit ergo diabolus vt ei phantasma appareat, camelus onera baiulãs, & errans per solitudinem, habens omnia ad vsum necessaria. Qui cùm vidisset Macarium, propè eum assedit. Is autem suspicatus esse phantasma, sicut erat, constitit ad orandum. Is verò protinus à terra fuit absorptus, &c. Dicebat Macarius: Cùm propius accessi ad illud monumentum Iannis & Mambre Magorum, ex eo egressi mihi occurrerunt ad septuaginta dæmones, varijs formis præditi; alij quidem clamantes; alij verò exilientes; alij verò cum magno fremitu in me stridentes dẽtibus; alij verò tamquam corui volantes, audebant meo vultui insultare, dicẽtes: Quid vis Macari, tentatio monachorum? quid ad nos accessisti? An non nos quoq; aliquem ex monachis vexauimus?

Ioannes Cassianus. 420.

Collat. 7. cap. 32. Nonnullos immundorum spirituum (quos etiam Faunos vulgus appellat) ita seductores & iaculatores esse manifestum est, vt certa quędam loca seu vias iugiter obsidentes, nequaquam tormentis eorum, quos prætereuntes potuerint decipere, delectentur; sed se risu tantummodò & illusione contenti, fatigare eos potius studeant, quàm nocere: alios ita esse furori ac truculentiæ deditos est manifestum, vt non sint contenti hominum tantummodò corpora, quos suppleuerint, atroci dilaceratione vexare: sed etiam irruere super eminus trãseuntes, ac affligere eos sæuissima cæde festinent.

Sozomenus. 440.

Hist. Eccl. lib. 6. c. 28. Apelles cùm in opere fabrili teneretur occupatus, spectrum dæmonis noctu, habitu mulieris formosæ, quàm continens esset tentare cœpit. Qui ferro, quod iam poliebat, ex igne extracto, dæmonis faciem exussit: dæmon autem cum fremitu & eiulatione aufugit.

Lib. 7. cap. 23. Aiunt porrò, præcedente nocte, postquam succedente die seditio mota fuit, spectrum mulieris fuisse visum magnitudine inusitatum, & aspectu horrendum: quod quidem in sublimi per ciuitatis plateas discurrẽs, aërem diuerberaret flagello horrisono: vt quemadmodũ ad iram feras incitant ij, qui ad huiusmodi spectacula operam suam nauant, ita hãc seditionem dæmonum insidijs genius aliquis malus commouerit.

Theodoretus. 450.

Historiæ religiosæ cap. 21. de S. Iacobo Eremita: Cùm primùm, aiebat, hoc vitæ genus sum ingressus, visus est mihi quidã nudus forma Aethiops ignẽ ex oculis emittens. Ego autẽ cùm eum viderem, & timore sùm affectus, & ad preces conuersus: nec in animũ inducere potui vt cibum sumerem, illo enim tempore mihi apparebat. Cùm autem septem & octo & decem dies transijssent, & ieiunus permanerem: tandem improbum illum insultum contemnens, sedi, & cibum sumpsi. Ille autem cùm hãc meam non tulisset animi magnitudinem, minatus est se virga percussurum. Ego autem, inquit, dixi: Si tibi quidem est permissum à Deo vniuersorum, percute, & plagam libenter accipiam, vt qui ab illo feriar. Sed si non sit tibi permissum, non percuties, licet millies insanias. His auditis tunc effugit. Sed me rursus clanculum perpetua afficiebat molestia. Nam aquam, quæ mihi bis in hebdomada infernè afferebatur, ei qui afferebat occurrens, & meam formam imitans accipiebat: & illum iubens recedere, fluentum effundebat. Idq; cùm non solùm bis, sed etiam ter fecisset, me sitis perpessione validè oppugnauit. Cùm ergo valde angerer, rogaui eũ, qui solebat ad me afferre, cur iã quindecim diebus ad me aquam non attulisset: is dixit, se iam ter & quater attulisse, & me accepisse. Et vbi, inquam, ego à te eam afferente accepi? Ille locum ostendit. Etsi millies, inquam ego, me illuc accedentem videris, ne vas dederis, donec ad hunc locum veneris. Sic cùm hæ quoque eius apertæ & irritæ fuissent insidiæ, alias rursus est aggressus. Dixit enim noctu vociferans, te tam tetro implebo odore, & tibi tãtam inuram infamiam, vt nemo te vlla ex parte aspiciat. Ego autem, inquit, ad hæc respondi: Agam tibi gratias. Inuitus enim tuum inimicum beneficio afficies, vt qui efficies, vt magis verser in Dei recordatione. Nam quò mihi plus est otij, eò magis occupor in perpetuò contemplanda diuina pulchritudine. Cùm itaq; pauci dies præterijssent, meridie consuetum peragens officium: Video, inquit, duas mulieres de monte descendentes. Ego autem cùm id præter consuetudinem ægrè tulissem, & eas lapidibus petere essem aggressus, memini minarum scelerati dæmonis, & conieci hanc esse eam quam dicebat infamiam. Dixi ergo magna voce, quòd etiamsi meis insiderent humeris, non eas impetam lapidibus, nec persequar: sed sola vtar deprecatione. Ego quidem hæc dixi: illæ verò euanuerũt, & sermone finem accepit visio spectaculi.

Theodorus Lector. 520.

Lib. 1. Collectaneorum: Gennadius cùm noctu ad altare orandi gratia descendisset, spectrum quoddam dæmoniacum vidit, quod cùm increpasset, huiusmodi clamorẽ emittere audiuit, quo se ipso viuente quiescere, tandem verò post mortem ipsius Ecclesiam vastaturũ dicebat. Metu huius Gennadius Domino plurimum supplicauit, ac paulò pòst vitam hanc finiuit.

Lib. 2. Castrum quoddam est inter Persas & Indos nomine Tzundadeero. Cùm Rex Coades multas in illo pecunias ac lapides pretiosos asseruari audisset, volebat eius rei veritatẽ cognoscere: verùm dæmones, locum illum inhabitantes, Coadem ab eo quod quærebat impediebant. Cunctam itaque magiam suam magi illius impenderunt, sed frustra. Adhibita est & Iudæorũ magia, neq; sic tamen voti compos euasit. Cogitauit per Christianos amoliri dæmones illos. Episcopus itaque Christianorum in Persia, peracta super ea re synaxi, & acceptis diuinis mysterijs, & in Christianos, qui aderãt dispẽsatis, signo crucis dæmones profligauit, & castrum Coadi sine vlla molestia tradidit.

Cyrillus Eremita. 530.

Vitæ S. Sabæ cap. 14. Sabas tunc attigerat tricesimũ quintum annum suæ ætatis: iam autem aduersus eum,

eum cœpit bellum dæmonum, non obscurè, nec latenter, sed apertè, & ita, vt oculis cernerentur, eum inuadentium. Nam cùm illam Deo gratam moram traheret in solitudine, esset autẽ nox media, humi verò accumbebat, vt labores parumper remitteret, videt quosdam dæmones, qui scorpionum, & serpentum speciem erãt imitati, & eum inuadebant, & omnibus modis tentabãt eum perterrefacere. Atque primùm quidem parum veretur: deinde cùm citò intellexisset, cuiusnam esset machinatio, audacter surgit ad precationem, & in eius lingua versatur Psalmus: Hoc autẽ erat quod canebatur: *Non timebis à timore nocturno, sed super aspidem & basiliscum ambulabis.* Talibus armis vtebatur Sabas aduersus dæmones. Solummodò ergo sic locutus est Sabas, & venenata illa animalia, tamquam fumus, statim euanuerunt, & dissolutũ est visum in aërem.

Cap. 15. Cùm aliquot dies deinceps intercessissent, rursus eum adoritur Satanas, leonis formã suscipiens, torueq; & furiosè intuẽs, & tamquam qui impetum esset in eum facturus: impetum verò rursus sustinens, & vitans congressionem. Ille autem cùm cognouisset esse maligni insultum, & ideo visione minimè esset conturbatus: Si accepisti, inquit, contra me potestatem, cur reprimis impetum? Ego sum paratus, Dei cedens nutibus, & non inuitum me offerens, vt deuores: sin minus cur fremis & exultas inaniter? Ambulabo enim, & conculcabo te leonem, munitus Christi virtute. Hæc dixit diuinus Sabas: & protinus aufugit bellua, quæ latebat sub specie leonis.

Æneas Gazæus. 530.

In Theophrasto: An non audis etiam circa sepulchra vidèri vmbras ac spectra, quæ profectò sunt illa aërea animarum corpora, quæ simulachra vocant? *Axitheus:* Nunquid hoc ignoras, qui cognita habes omnia, hæc spectra esse mala dæmonia, humanas animas repræsentantia? quodq; ij, qui incantationibus operã nauant, seq; posse profitentur defunctum euocare, non hominem carminibus suis attrahunt, sed dæmonium aliquod malum, quod simulachrum hominis effingat; atque vt imponat, miracula simul ac humanam vocem edat. Quod tamen spectrum orto sole statim euanescit, cùm verisimile sit ipsum, si esset hominis anima, etiam interdiu, quos charissimos habet, suauiter allocuturum, vnaq; futurum.

Ioannes Moschus. 600.

In Prato spirituali cap. 119. Dicebat nobis Abbas Eusebius presbyter eiusdem monasterij Raythu, cùm ad illum venissemus, quòd dæmon in habitu monachi profectus fuit ad cellam senis, & cùm pulsasset ianuam, aperuit senex, & dixit illi: Ora. Dæmon autem ait: *Et nunc, & semper, & in secula seculorum. Amen.* Senex autem rursus dixit: Ora. Et dæmõn similiter ait: *Nunc, & semper, & in secula seculorum. Amẽ.* Tunc senex: Ora, & dic: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto*, etiam *nunc, & semper, & in secula seculorum. Amen.* Hoc autem cùm dixisset senex, dæmon quasi vim passus ab igne, euanuit.

Georgius Presbyter. 620.

In vita Theodori Archimandritæ: Theodorus multis quidem in via dæmonũ dolis terrebatur. Improbi enim illi, ac veritatis inimici, sub luporũ, aliarumq; ferarum forma puerum territantes, & vndique eum inuadentes, vt deuoraturi, à bono proposito abducere conabantur. Verùm Christi Martyr Georgius illum educto gladio defendebat, vt ab ipsis feris lædi non posset, alacriusq; deinceps reuerteretur, &c. Cæterùm cùm veritatis hostis diabolus cerneret eum spiritalia & præclara contra se arma possidere, vt eum perderet, cogitabat. Quodam igitur die Gerontij condiscipuli ipsius personam induit, & super asperam quandam rupem eum adducit: & cùm in locum excelsum conscendisset, Saluatoris illi tentatione obijciens: Si vis, inquit, optime Theodore, virtutis tuæ specimen dare, deorsum desili. At ille loci altitudinem intuitus, respondit: Loci me terret altitudo. Atqui diabolus, inquit, tu solus inter omnes pueros me fortior iam eras, vincebasq; me: nunc autem hoc ego non metuo, sed me deorsum proijciam. Caue respondit Theodorus, ne id facias, ne præceps labaris, & pereas. Illo autem confirmante, se id sine periculo facturum: Si tu, inquit Theodorus, id feceris, ego item faciam. Stãs igitur diabolus super petram desilijt, & rectus ad Theodorum clamauit: Ecce, inquiens, ego saltaui; si vales & tu idem effice, vt videã vtrum hac item in re, quemadmodum in cæteris, sis generosus. Puer autem saltus magnitudine territus, considerabat Gerontium nunquam antea tam audacem fuisse. Præstò interim fuit Christi Martyr Georgius, apprehensaq; pueri manu, illinc eum abduxit: Veni, inquiens, sequere me, & ne audias tentatorem illum, qui animam tuam quærit: nequè enim Gerontius est, sed nostri generis inimicus. Atq; sanctus Martyr in oratorio suo puerum constituit.

Georgius Pisides. 630.

De mundi opificio:

Et perfidus, gnarusq;, & eloquens draco:
Namque allicit nos præmio nullo dato,
Formæ exhibet decus, nec vlla notat res,
Larvas figurat, spectra fingit inania,
Scrutatur animum, tangit & digitos manus,
Risum excitat, labellaq; oris comprimit:
Et opinione delitescentis criminis
Crimen reipsa noxium mox parturit.
Iam illusionem dæmonis non nescium,
Præpositi iniqui ac pessimi, tanto magis
Me pungit ac mordet, rubens cancer velut.

Simeon Metaphrastes. 960.

In Martyrio S. Marinæ cap. 7. Hæc sancta Martyre Marina orante in carcere, repente fit magnus terræmotus: & ecce ipse diabolus susceptæ formæ & specie terribilis draconis, qui colore quidem apparens varius & multiplex, multis autem, ijsq; seuis serpentibus per totum corpus cinctus & circumdatus, & corpore quidem edens execrandum sibilum, tetrum autem emittens odorem & intolerabilem, Sanctæ oculis astitit. Celeriter autem eam circumcursans, maximũ ei attulit timorem & perturbationem: vasto autem oris hiatu eam circumiens, existimabatur eam integram esse deuoraturus. Illa verò mente firma & stabilis, & vt quæ ad Deum omni ex parte intueretur, interrito & constanti animo precibus, quæ dici non possunt, & intensissimis cordis vociferationibus, mẽte rapta ad Altissimum, & simul signo Crucis signata, disruptum quidem ventrem draconis visa est videre ante suos oculos: illinc autem animaduertit se exire integram & illæsam. Nam quę eius vitam administrabat virtus sancti Spiritus, ei & inimici ostendit fœuitiam, vt postulauerat; & præbuit, vt ab eo statim liberaretur.

In Martyrio S. Iulianæ Virginis & Martyris: Cùm preces adhuc essent in labris, ad eam accedit, qui sub aspectum non cadit, omnium hostis & inimicus, simulans se esse Angelum Dei: Grauia, dicẽs, ô Iuliana, & valde grauia, & planè intolerabilia aduersus te Præfectus paratur supplicia. Tu autẽ solummodò, cùm te eduxerint è custodia, accurre, & statim sacrifica. Neque enim sustinebis supplicium nimiã acerbitatem. Illa autẽ: Et quisnam tu es? rogauit. Malignus verò, Sum, inquit,

Dei Angelus: & quoniam is magnam tui ducit rationem, mittit me ad te, magnificiens vt tu pareas, & non corpus tuum multis tormentis intereat. Perturbatione & terrore Martyr ꝑpter hæc fuit plena. Nam eius, qui apparebat, videbatur quidem forma Angeli, consilium autem apertè inimici. Cùm ergo valde & miserabiliter ingemuisset: Domine mi, inquit, omnium, quæ sunt, effector, ostende mihi, quisnam sit, qui hæc dicit, & qui se fingit tuum esse famulum. Dixit, & statim exaudijt is, qui inuocabatur, & vox extitit cælitus: Confide Iuliana: ego enim sum tecum. Eum autem apprehende, (do enim tibi aduersus eum vires,) & ex eo disce quisnam sit. Sic preces vox quidem est consecuta, vocem verò miraculum. Statim enim soluta quidem sunt vincula. Illa verò humo statim exurgit, & fit sui iuris: & cùm sic soluta essent illius vincula, vinctus videbatur is, qui apparuerat. Quē cùm Martyr strenuè tamquam seruum comprehendisset, qui grauia perpetrauerat, duxit ad examinationē, dicens: Quisnam es, & vnde, & à quo missus? Illum autē (validum enim, quod sub aspectum non cadebat, vrgebat flagellum) coegit verum dicere, cùm esset omninò amicus mendacij; & omnia simul recenset, eũ, qui miserat, quòd scilicet esset Satanas, &c.

Michael Psellus. 1050.

De operatione dæmonum cap. 18. Vnusquisque dæmonum transformato in quamcumque figuram voluerit corpore, colorisq́; cuiuspiam specie, in corporis speciem inducta; vt nunc quidem viri specie appareat, nunc in mulieris formam transmutetur, quin vt leo animetur, vt pardalis insiliat, vt aper irruat, & si quando ei placuerit in vtris formam conuertatur; quin vt catellus ad blandiens non raro apparuerit: cumq́; in has omnes formas subinde trãseat, earum tamen nullam perpetuam habet.

Ioannes Xiphelinus. 1080.

In Tito: Tempore eodem (*quo Vesuuius mons ita conflagrabat,*) magnus numerus hominum, inusitata magnitudine, quales gigantes finguntur, in monte Vesuuio, regioneq́; finitima, ac proximis ciuitatibus interdiu noctuq́; vagari versariq́; in aëre visus est.

Ioannes Zonaras. 1100.

In Isaacio Comneno: Thracesius refert, circa Neapolim venanti visum esse aprum horrendum aspectu, quē dum laxatis equo habenis persequeretur, in mare demersum euanuisse, & à plerisque non aprum, sed spectrum quoddam diabolicum esse iudicatum: atque interim fulgore quodam perstrictum Imperatorem, equo præ terrore excussum, & spumam ore reijcientem humi attonitum iacuisse.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Zeno Veronensis. 260.

Sermone de Resurrectione: Vagi atque immundi spiritus sub prætextu animarum vtriusque sexus humani dolosa blanditiarum captione, seu violentia viuentium domos corporales infringunt: & latibulum sibi perniciosum eorum in captiuitatibus quærunt. At vbi ventum fuerit ad diuini certaminis campum, cœperintq́; sacri nominis telo pulsari, tunc vexatum certari misereris: discoloratur enim per momenta color: figura sua tollitur à natura: in obliquos horroris insani vertuntur orbes oculorum: acies dentium spumosis horrida globis inter labra liuentia stridet: intorta omnia passim membra tremore vibrantur: gemit: flet: denunciatum pauet iudicij diem: pelliq́; se plangit: confitetur aggressuræ tempus & locum: nomen proprium fingit, discessumq́;, &c. At cùm diuina adiuratione in eculeo spiritali torquentur, nolentes & inuiti discedere cõpelluntur.

Hieronymus. 390.

Vitæ Hilarionis cap. 3. Sic attenuatus, & in tantum exeso corpore, vt ossibus vix hæreret, quadã nocte cœpit infantum audire vagitus, balatus pecorum, mugitus boum, planctum quasi mulierum, leonum rugitus, murmur exercitus, & rursus variarum portenta vocum, vt ante sonitu, quàm aspectu territus cederet. Intellexit dęmonũ ludibria, & prouolutus genibus, Christi crucē signauit in fronte, taliq́; armatus casside, & lorica fidei circumdatus, iacens fortius præliabatur, amodò videre desiderans, quos horrebat audire, & solicitis oculis huc illucq́; circumspiciēs: cùm interim ex improuiso splendente luna, cernit rhedam feruentibus equis super se irruere: cumq́; inclamasset Iesum, ante oculos eius repentino terræ hiatu pompa omnis absorpta est.

Augustinus. 400.

De Ciuitate Dei lib. 22. cap. 8. Vir Tribunitius Hesperius, qui apud nos est, habet in territorio Fussalensi fundum Zubedi appellatum, vbi cùm afflictione animalium & seruorum suorũ domum suam spirituũ malignorum vim noxiam perpeti cõperisset, rogauit nostros me absēte presbyteros, vt aliquis eorũ eò pergeret, cuius orationibus cederent. Perrexit vnus, obtulit ibi sacrificium corporis Christi, orans quantum potuit, vt cessaret illa vexatio: Deo protinus miserante cessauit.

Seuerus Sulpitius. 410.

Vitæ S. Martini cap. 24. Frequenter diabolus, dum mille nocendi artibus sanctum virum conabatur illudere, visibilem se ei formis diuersissimis ingerebat. Nam interdum in Iouis personam, plerũq́; Mercurij, persæpe etiam se Veneris ac Mineruæ transfiguratum vultibus offerebat. Aduersus quē semper interritus, signo se crucis & orationis auxilio protegebat. Audiebantur etiam plerumque conuicia, quibus illum turba dæmonum proteruis vocibus increpabat: sed omnia falsa & vana cognoscens, non mouebatur obiectis. Testabantur etiam aliqui ex fratribus, audisse se dæmonē proteruis Martinum vocibus increpãtem, cur intra monasterium aliquos ex fratribus, qui olim baptismum diuersis erroribus perdidissent, conuersos postea recepisset, exponentem crimina singulorum: Martinum diabolo repugnantem respondisse constanter: Antiqua delicta melioris vitæ conuersatione purgari, & per misericordiam Domini absoluendos esse à peccatis, qui peccare desinerent.

Cap. 25. Diabolus quodam die præmissa præ se, & circumtectus ipse luce purpurea, quo facilius claritate assumpti fulgoris illuderet, veste etiam regia indutus, diademate ex gemmis auroq́; redimitus, calceis auro illitis, sereno ore, læta facie, vt nihil minus quàm diabolus putaretur, oranti in cellula astitit. Cumq́; Martinus primo aspectu eius fuisset hebetatus, diu multumq́; silentiũ ambo tenuerunt. Tum prior diabolus: Agnosce, inquit, Martine, quem cernis: Christus ego sum, descensurus ad terram, prius me manifestare tibi volui. Ad hæc cùm Martinus taceret, neq́; quicquam responsi referret, iterare ausus est diabolus professionis audaciam: Martine quid dubitas credere,

cùm

cùm videas? Christus ego sum. Tum ille, reuelante sibi spiritu, vt intelligeret diabolum esse, non Deum: Non se, inquit, Iesus Dominus purpuratum & diademate renitentem venturum esse prędixit. Ego Christum, nisi in eo habitu, formaq́; qua passus est, nisi crucis stigmata proferentem, venisse non credam. Ad hanc ille vocem statim vt fumus euanuit, & cellulam tanto fœtore compleuit, vt indubia indicia relinqueret, diabolum se fuisse.

Paulinus Nolanus. 420.

Vitæ S. Martini lib. 5. de Auitiano:

Ille in præcelso residebat fortè sedili,
Conspicuus solio excellens, nimiumq́; superba
Ambitione tumens, subitò cùm Sanctus ad ipsum
Aspiciens videt horrentis tetriq́; cruentam
Dæmonis insani speciem ceruice reclinem,
Innexam toto pronam decumbere nisu.
Quam procul vt flatu benedicti contigit oris
Sanctus, & admoto verbi terrore fugauit.

Alcimus Auitus. 500.

Lib. 2. qui est de peccato originali:

Pugnat & occultus per publica crimina latro,
Et nunc sæpe hominum, nunc ille in sæua ferarum
Vertitur ora, subinde nouos mutantia vultus:
Alitis interdum subitò mentita volantis
Fit species, habitusq́; iterum confingit honestos.
Rursum etiam apparens formoso corpore virgo,
Illic ardentes obscœna in gaudia visus.
Sæpe etiam cupidis argentum immane coruscat,
Accenditq́; animos auri fallentis amore,
Delusos fugiens vano phantasmate tactus.

Adelinus Sagiensis. 520.

In Vita S. Opportunæ: Ecce in sinistro angulo domus astitit terribilis dæmon, & nimis ferox, in specie nigerrimi AEthiopis, cuius capilli & barba distillabant, quasi picem calidam & liquidam. Oculi eius erant quasi ferrum ignitum, quod de fornace multis scintillis emicans producitur. De ore & naribus eius flamma exibat & vapor sulphureus. Quem videns beata Opportuna, imperterrita dixit: Præcipio tibi diabole, auctor totius malignitatis, ne ab hoc loco mouearis. Tunc omnes sanctimoniales aduocans, & denuntians eis, quàm terribilis ibi adesset inimicus, dixit eis: Ecce spiritus immundus, & totius malitię repertor, ꝙ omnibus diebus nos impugnabat, Domino adiuuante, ab ancilla Christi victus cõfunditur. Precor itaq́;, amantissimæ sorores, ne eius suggestionibus & incentiuis cogitationibus acquiescatis. Tunc conuersa ad eum dixit: In nomine Domini recede à me ferox & truculēte inimice Christi: quia non me ancillam Christi superabis, sicut Euam primam fœminam superasti.

Cyprianus Arelatensis. 520.

Vitæ S. Hilarij Arelatensis cap. 19. Elpidius Diaconus & medicus, regiæ potestati sedulis officijs familiaris, & intimus, diabolica infestatione non solùm diuersis vexabatur insidijs, sed saxorum quoque imbre crebrò in suis ædibus appetitus est. Orat igitur S. Cæsarium, vt suis precibus eas mali dæmonis injurias à se auertat. Venit ad eius domum vir beatus, eamq́; sanctificaturus benedicta aqua conspergit, moxq́; adeò omnis illa vexatio profligata est, vt deinceps nihil eiusmodi accideret.

Fortunatus. 570.

Vitæ S. Martini lib. 1. cap. 4.

Hinc loca præteriens pulcherrima Mediolani,
Florea rura tenens, per amœna vireta viator
Obuius occurrit vetus, & temerarius hostis,
Mentitus speciem humanæ sub imagine formæ,
Falsiloquax, pereunte fide maledoctus in arte,
Quod peteretur iter quærit: cui cominus ille,
Huc properare, refert, qua se Deus ire vocaret:
Cui ferus hostis ait: quacumque accedere tentes
Tecum pergo nocens, vota in contraria currens:
Voce prophetali Sanctus cui protinus infit:
Est meus adiutor Dominus, mala nulla verebor, &c.
Hæc ait, & validi transfixus cuspide verbi
Dæmon abest: sic vmbra fugit qua Christus obumbrat.

Lib. 2.

Mille nocendi artes dum perfidus exerit hostis,
Nunc Iouis in faciem, nunc se mentitus Anubem,
Nunc habitu Veneris, sæpissimè fronte Mineruæ
Sedulus insidijs Sancto sua seria rumpens,
Diuersis formis, vt terror cresceret, offert,
Et vacuus generet specie variante timorem,
Qui virtute nequit, superatus vt arte rebellet, &c.

Gregorius Turonensis. 580.

Historiæ Francorum lib. 2. cap. 21. Factum est autem, vt Episcopus nocte quadam ingrediens, plenam Ecclesiam dæmonibus reperiret, ipsumq́; principem in modum ornatæ mulieris in throni illius cathedra residentem. Cui ait Pontifex: O meretrix execranda, nõ sufficit tibi loca cuncta varijs pollutionibus inficere, adhuc & cathedrã à Domino consecratam fœtida sessionis tuæ accessione coinquinas? Abscede de domo Dei, ne à te amplius polluatur. Cui ait: Et quia mihi meretricis nomen imponis, multas tibi parabo insidias ob desideria mulierum. Et hæc dicens euanuit.

De vita Patrum cap. 5. Cùm strenuè in oratione persisterent nocte Secundello Diacono apparuit tentator in specie Domini, dicens: Ego sum Christus, quem quotidie deprecaris: iam enim sanctus effectus es, & nomen tuum libro vitę cum reliquis Sanctis meis ascripsi. Egredere nunc ab hac insula, & vade fac sanitates in populis. His & ille illectus deceptionibus discessit ab insula, nec socio nuntiauit: tamen cùm infirmis in nomine Christi manus imponeret, sanabantur. Regressus autem post multum tempus ad insulam, venit ad socium, cum vana gloria dicens: Abij extra insulam, & virtutes multas in populis feci. Cumque conterritus ille interrogaret, quid hoc sibi vellet, cuncta quæ gesserat simpliciter pandit. At senior obstupescens, suspiransq́; & lachrymans ait: Væ nobis, in quantum audio à tentatore delusus es? Vade, age pœnitentiam, ne vltra tibi præualeant eius doli. Orantibus illis, aduenit iterum tentator in simili specie ad Secundellum Diaconum, dicens: Nonne præceperam tibi, eò quòd oues meæ morbidæ essent, & pastore indigerent, vt egredereris & visitares, atq́; opem sanitatis eis tribueres? Et ille: In veritate comperi, quòd seductor sis, neque te Deum credo, cuius te speciem habere mentiris. Tamen, si Christus es, crucem tuam, quam reliquisti, ipsam ostende, & credam tibi. Cumq́; non ostenderet, Diacono crucem Domini in os eius faciente confusus euanuit. Rursus ad eum veniens, cum multitudine dæmonum, tanta eum cæde mactauit, vt vix putaretur euadere posse, & discedens nusquam comparuit. Idem postea Diaconus, in summa sanctitate perdurans, die debito defunctus est.

Gregorius Magnus. 590.

Lib. 2. Dialog. cap. 2. de D. Benedicto: Quadam die dum solus esset, tentator adfuit. Nam nigra paruaq́; auis, quæ vulgò merula nominatur, circa eius faciem volitare cœpit, eiusq́; vultui importunè insistere, ita vt manu capi posset, si hanc vir

sanctus

ſanctus tenere voluiſſet: ſed ſigno crucis edito, receſſit auis.

Lib.3.capite quarto. Datius Mediolanenſis Epiſcopus cauſa fidei exactus, cùm ad Conſtantinopolitanam vrbem pergeret, Corinthum deuenit. Qui dum largam domum ad hoſpitandum quæreret, quæ comitatum illius totum ferre potuiſſet, & vix inueniret, aſpexit eminus domum congruentis magnitudinis, eamq; ſibi præparari ad hoſpitandum iuſſit. Cumq; eiuſdem loci incolæ dicerent, in ea hunc manere non poſſe, quia multis iam annis hanc diabolus inhabitaret, atq; ideò vacua remanſiſſet, vir venerabilis Datius reſpondit, dicens: Imò ideò hoſpitari in domo eadem debemus, ſi hanc ſpiritus malignus inuaſit, & ab ea hominum habitationem repulit. In ea igitur ſibi lectum parari præcepit, ſecurusq; illam, antiqui hoſtis certamina toleraturus, intrauit. Itaq; intempeſtæ noctis ſilentio, cùm vir Dei quieſceret, antiquus hoſtis immenſis vocibus, magnisq; clamoribus, cœpit imitari rugitus leonum, balatus pecorum, ruditus aſinorum, ſibilos ſerpentũ, porcorum grunnitus, ſtridores ſoricum. Tũc repente Datius tot beſtiarũ vocibus excitatus, ſurrexit, vehementer iratus, & contra antiquum hoſtem magnis cœpit vocibus clamare, dicens: Bene tibi contigit miſer, tu ille es, qui dixiſti: *Ponam ſedem meam ad Aquilonem, & ero ſimilis Altiſſimo*: Ecce per ſuperbiam tuam porcis & ſoricibus ſimilis factus es: & qui imitari Deum indignè voluiſti, ecce, vt dignus es, beſtias imitaris. Ad quam eius vocem, vt ita dicam, deiectionẽ ſuam malignus ſpiritus erubuit. An non erubuit, qui eandem domum ad exhibenda monſtra, quæ conſueuerat, vlterius non intrauit? ſicq; poſtmodum fidelium habitaculum facta eſt: quia dum eam vnus veraciter fidelis ingreſſus eſt, ab ea protinus mendax ſpiritus atq; infidelis abſceſcit.

Dinamius Patricius. 590.

Vitæ S.Maximi cap.3. Ecce autem beatiſſimi viri conſpectui Diabolus inſidiator forma ingenti atque terribili ſeſe offert. Sed cùm illum ſpiritualibus indutũ armis terrere non poſſet, nec opinantem monachum tanto affecit terrore, vt trepido gradu ad cellam illicò reuertentem, ardẽtiſſima febris mox corripuerit.

Cap.4. Rurſus pertinax ille impoſtor, ſperans ſe ſanctum virum vel aliqua ratione perturbaturũ, ignei draconis ſpecie ſe illi oſtendit: ſed confeſtim crucis ſigno territus euanuit. Iam enim inuictus athleta hoſtem ſæpius ſuperatum minimè formidabat.

Beda. 700.

Vitæ S. Cutberti cap.13. Eodem tempore, dũ congregatis in quadam villula perplurimis, verbum vitæ prædicaret, præuidit ſubitò in ſpiritu antiquum hoſtem, ad retardandum opus ſalutis, adeſſe: moxq; eius inſidias, quas futuras intellexit, docendo præoccupare curauit, &c. Et hæc dicens, denuò ſermonis, quem intermiſerat, ordinem repetijt: ſtatimq; hoſtis ille nequiſſimus, phantaſticum deferẽs ignem, domum iuxta poſitam incendit, ita vt viderentur faces ignium totam volitare per villam, ac iuuante vento fragor aera concutere. Tunc exiliens, quaſi ad extinguendum ignem, turba penè tota, quam docebat (nam paucos ipſe manu miſſa retinuit) certatim aquas iactabat, nec tamen vnda vera falſas potuit reſtinguere flammas, donec orante viro Dei Cutberto, fugatus auctor fallaciarum, ficta ſecum incendia vacuas reportaret in auras.

Ionas Monachus. 730.

In Vita S.Vulfranni Epiſcopi: Nec prætereunda ratio eſt, quam de duce Radbodo, venerabili presbytero Ouone narrante, didicimus, cur in Chriſtũ credere, aut fonte regenerationis noluit mergi. Nam in ægritudine poſitus, de qua & præſentis vitæ lucem clauſit, perpetuasq; Auerni deſcendit ad vmbras: dum ſopori deditus foret, deceptor hominum diabolus, qui etiam Dei omnipotentis permiſſu in Angelum ſe transfigurat lucis, ei apparuit diademate aureo, circumfulgentibus gemmis capite opertus, veſteq; aurea textili toto amictus corpore: diuq; attonitus præfatus Princeps, diligenter in eum attendebat, ſtupens, ac tremebundus, admirans cuius ſpeciei ac virtutis eſſet, qui ei apparebat. Isq; multimodæ artis nocendi ſæuiſſimus draco inquit ad eũ: Dic mihi queſo fortiſſime virorum, quis te ita ſeduxit, vt à cultura Deorum, & à religione prędeceſſorum tuorum velis recedere? noli ita, obſecro, agere: ſed in his, quę hactenus tenuiſti, culturis Deorum permane: ibisque ad domos aureas æternaliter manſuras, quas tibi in proximo daturus ſum.

Ioannes Diaconus. 870.

Vitæ S.Gregorij lib.4. cap.89. Eodem tempore poſt abſidem oratorij ſanctæ Mariæ ſemper Virginis, oratorio ſanctæ Barbaræ, vbi Gregorius laudes Domino celebrare ſolebat, coniuncti, dæmon apparuit, ſibiq; in antro, quod illic cernitur, hoſpitium faciẽs, nocturnis horis tanto crepitabat fragore, vt omnia fundamẽta monaſterij putaretur conuellere. Nonnunquam equos de ſtabulis auferens, audiebatur tota nocte diſcurrere, quorum duos præcipitio demerſiſſe probatus eſt. Cumq; pauore tãti ſonitus monachos à triclinio, in quo ad auram propter feruorem caumatis iacere ſolebant, penitus auertiſſet, vnus eorum confiſus in virtute Dei omnipotentis, ante foramen decumbens, oratione facta, cœpit dormire. Cui dæmon in ſimilitudine catti apparuit, eumq; vnguibus eſt aggreſſus diſcerpere: quo monachus oratione repulſo, identidem ſopori ſe tradidit. Cùm ſubitò dæmon in ſimilitudine cuiuſdam æthiopis, lancea minando apparuit, dicens: Ego quidem hinc vado, ſed te vulneratum dimitto: quo dicto, lanceam vibrauit, monachusq; eiulauit, tamquam ſi reuera percuſſus extiterit. Accurrentibusque monachis, licet pauidus, quod viderat indicauit, & deinceps ibi vlterius dæmonium non acceſſit.

Hucbaldus Elnonenſis. 900.

Vitæ S. Aldegundis cap.18. Vidit aliquando B. Aldegundis in viſu, demonſtrante Domino, valde triſtem humani generis inimicum: ac percontans illum ſolicitè, requiſiuit quę tanta contra humanũ genus eſſet eius peruicacia: quid emolumenti ſibi futurum ſperaret, dum tot millia hominum ad infernum impellere nõ ceſſaret. Cui malignus reſpondit: Inuidiæ non modicæ ſe dolore torqueri contra filios Adæ, qui quotidie illuc aſcenderent, vnde miſer ille cum ſuis exularet.

Cap.21. Cùm aliquando tertiana febre laboraret, hebdomada tranſacta, circa mediam noctem, immittente diabolo, tantus illam ſitis ardor inuaſit, vt niſi mox biberet, videretur exanimari. Cumq; viriliter reluctans, à potu vellet abſtinere, vimq; febris, non hoſtis tentationem reputaret, confugit ad orationem. Et ecce ante lucem vidit antiquum hoſtem, tetra & horrenda facie, ſibi aſtantem, qui fateri coactus eſt, quod tantum illi ſitis immiſiſſet ardorẽ: addidit blaſphemus, dicens beatę Virgini reſtare adhuc duram atque arctam viam, incertumq; eſſe, vtrum in Dei ſeruitio perſeueraret. Cui virgo conſtanter: *Dominus*, inquit, *mihi adiutor* eſt, non curo minas tuas. Continuò Satanas aufugit cõfuſus, & ſitis ab ea receſſit.

Osbertus Anglus. 1020.

Vitæ S.Dunſtani cap.2. Eius deuotioni diabolus inuidens,

uidens, eumq; à propoſito deflectere nitens, ſimulato teterrimorum canum globo, immani latratu ac terrifico impetu in eum ruit. At ille ſciẽs dæmonum eſſe figmenta, inuocato nomine Chriſti, ſigno ſe ſanctæ crucis armauit, arreptamq; virgulam, quæ fortè iacebat in via, contra illorum malignorũ incurſus vibrauit, & ſicut ventus fumũ, ſic omnes à facie ſua fugauit.

Cap.8. Quadam vice, cùm vir ipſe iam die adueſperaſcente fabrili intenderet operi, aſtitit feneſtræ ipſius dæmon vnus, humana effigie tectus, rogans ſibi neſcio quid operis ab homine fieri. At ille pietatis affectu ex more permotus, intermiſſis his, quæ faciebat, parabat ſe ad ſatisfaciendum poſtulanti. Interim is, qui venerat, formam ac verba mutare, vt nunc ſenis, nunc pueri, nunc laſciuæ puellæ æſtimares te vultus cum voce videre. Quod Dunſtanus audiens, protinus quis eſſet cognouit: & ſedens, motus eius patienter ſe ferre ſimulauit. Sumptis interea tenaculis, quibus calida ferra tenere ſolebat, fortiter ea igniuit, & candentia de fornace ſubitò proferens, monſtrũ per naſum arripuit, & ſtrictiſſimè tenuit. Videres itaque pulchrum certamen inter amicum Dei, & inimicum. Ille ardorem ſentiens, ac detectis inſidijs ſuperbiam ſuam deiectam nõ ferẽs, totis niſibus conabatur euadere. Iſte illum retinens, & intro viriliter trahens, lætabatur quòd in nomine Chriſti poterat de inimico eius triumphare.

Cap.15. Quadam nocte dum ſolus ex more oraret, in lupi effigiem demutatus dæmon coram eo aperto ore, & diſtentis dentibus ringens, horridus apparuit. In qua forma quoniam virum nec ad punctum quidem ab intentione ſua deflectere valuit, ſtatim in vulpeculam vertitur: & quo illum ad ſe intendere faceret, varijs anfractibus & iocoſis motibus huc illucq; perlabitur. Tũc Dunſtanus modicum ſubridens: Verè, ait, oſtendis quod agere ſoles; iocando namque blandiris incautis, vt eos deuores, vt tibimetipſi blandiaris. Sed iam diſcede miſer: quoniam Chriſtus, qui leonem & draconem conculcauit, ipſe te lupum & vulpeculam per me ſua gratia ſuperabit.

Sigebertus. 1100.

In Chronicis de anno 858. In Parochia Moguntina malignus ſpiritus euidens nequitiæ ſuæ dedit indicium. Nam primò lapides iaciendo, & parietes domorum quaſi malleis pulſando, inde manifeſtè loquendo, furta etiam prodendo, diſcordias inter vicinos ſeminando, homines inquietabat: deniq; animos omnium contra vnum hominem commouit, quaſi propter eius peccata cæteri talia paterentur, cuius fruges in vnum coaceruatas incendit, qui vbicumque intraſſet, ſtatim domus illa exurebatur, vt iam ei niſi in agris locus manendi nullus eſſet. Propter hoc presbyteris Litanias agentibus, & benedictam aquam ſpargentibus, inimicus lapides iaciendo, multis cruentatis tandem aliquando quieuit. Presbyteris recedentibus inimicus flebiliter vlulãs tandem presbyterũ quendam nominatim exprimens, ſe, quãdo aqua benedicta ſpargebatur, ſub cappa illius, quaſi familiaris ſui latuiſſe profeſſus eſt, accuſans eum cum filia procuratoris concubuiſſe. Sic per triennium inſtitit, donec ibidem cuncta ædificia incendio conſumeret.

Honorius Auguſtodunenſis. 1120.

De mundi Synopſi lib.1. cap.53. In aëre commorantur dæmones, cum tormento diem iudicij præſtolantes, ex quo ſibi corpora aſſumunt, dum hominibus apparent.

Petrus Cluniacenſis. 1140.

De miraculis ſui temporis lib.1. cap.8. de Gerhardo pio monacho: Nondum poſt obitum ipſius dimidius fluxerat annus, cùm fratri cuidã, quem, quia ad huc ſupereſt, nominare nolo, viſio memoranda apparuit. Videbat, & ecce dæmon, parui & nigerrimi AEthiopis ſpecie aſſumpta, lecto eius aſtabat. Qui portentoſa deformitate terrorem cõſpicienti intentans, manuum formam per aurium foramina emittebat, igneam linguam de barathro putidi oris eiectam in immẽſum protendebat, qua totum corpus fratris illius lingendo, ſe carnes eius prorſus conſumpturum eſſe dicebat. Tremens ille ad aſpectum dæmonis, nil aliud quàm mortem, iam iamq; abſumendus, præſtolabatur. Cumq; intolerabili horrendæ viſionis terrore turbatus, nihil vltra remedij ſe habiturum ſperaret, ecce Gerhardus cõſtanti animo ac ſplendido vultu ei aſtitit, & AEthiopem illũ manibus comprehenſum, ad terram eliſit, ac guttur nefandum viriliter pede compreſſit.

Eliſabetha Schonaugienſis. 1160.

Lib.1. cap.4. Poſt hæc in matutinis ſtabat coram me (*diabolus*) in humana effigie, ſtatura breuis, & ſpiſſus, & horribilis aſpectu: facies eius ignea, lingua eius flãmea, & longè ab ore porrecta: manus eius ac pedes eius ſimiles vnguibus auium rapaciſſimarum. In hac ſpecie ſæpies illo die mihi apparuit, & ſemel in ſpecie canis teterrimi.

Guilhelmus Neubrigenſis. 1200.

Rerum Anglicarum lib.5.cap.7. Vir quidam piæ deuotionis inſtinctu profectus in Hiſpanias ad memoriam beati Iacobi Apoſtoli, cùm fortè ſolus graderetur, repentè in iſta via obſtitit ei quidam enormi corpore & vultu terribili. Pauefactus homo, eleuata manu Chriſtianam ſumpſit armaturam. Ille verò tamquam non reputans ſalutare ſignaculum: nequaquam, inquit, hoc modo tueri te poteris, quin meus ſis: porrò ſi procidens adoraueris me, faciam te locupletem & inclytũ valde. Ad hæc homo pauorem fiducia ſuperans, cum libertate reſpondit: Liquet te eſſe partis ſiniſtræ, ſint tua tibi: nam mihi ſufficit omnipotentis Dei largitio, quem ſolum adoro. Et ille: Oportet te, inquit, vel inuitum aliquid habere de meo, & proferens tamquam pallium ſubtilis materię, iactauit ſuper caput hominis, qđ mox à tactu igneo capillis exuſtis, cutem quoque capitis denigrauit: Profiliensq; hoſtis, hominem periculo anxiũ per brachium apprehendit. Homo verò, cùm tanta perurgeret neceſſitas, ſanctum Iacobum fortiter inclamauit. Qui beatus Apoſtolus in ſpecie reuerenda manifeſtè mox adfuit, & potenti verbo inuaſorem improbum increpauit. Vt autẽ homo de manu inimici furentis ereptus, tuto iam auditu perciperet, quorum, vt creditur, audiendorũ gratia per voluntatem Dei articulum illum inciderat; Apoſtolus ad nequam illum, dic, inquit, quis ſis, vel quid negotij habes? Qui conſtrictus imperio: dæmon, inquit, ſum generi humano infeſtus, & mille nocendi artibus inſtructus. Egò enim grande illud ſcandalum, & Chriſtianæ poſſeſſionis iacturam in Oriente patraui; ego inter reges Chriſtianos, in terra promiſſionis, vt nil ab ijs ageretur, nec proſperaretur opus Dei in manibus eorum, deteſtabilem diſcordiam ſeminaui. Regem Anglorum à Syria digreſſum, per miniſtrum nequitiæ meæ, Ducem ſcilicet Auſtriæ captiuaui, multimodam exinde malorum occaſionem regnis Chriſtianis concinnans: eundem quoque regem de captiuitate propria reuertentem comitatus, in partibus iſtis nunc conſiſto, cubili regis, tanquam familiaris miniſter, frequenter aſſiſto, & circa theſauros eius apud Chinonem repoſitos peruigili cautela obſeruo. His dictis,

malignus disparuit. Apostolus etiam confortato homine, in suæ se claritatis secretum recepit.

Saxo Grammaticus. 1200.

Historiæ Danicæ lib.14. Cùm summa cura ac flagrantissimo studio ad eos opprimendos contenderent, dæmonem horrendæ formæ supernè verticibus imminentem vidêre. Quo monstro tamquam diuinitus dati ducis aduentu firmati, sumptis victoriæ auspicijs, ex improuiso hostium se castris immergunt, eosq; imparatos confodiunt, &c. Dæmon in furui animalis figura penetralibus excedere visus, subitò se circumstantium luminibus abstulit.

Cæsarius Heisterbacchius. 1220.

Lib.5.cap.47. Iuxta castrũ VVolminsteine, quod situm est in VVestphalia, quædam habitat inclusa, Gertrudis nomine, fœmina sancta & religiosa, & propter reuelatiões Dei, quibus illustratur, notissima. Hæc multo tempore, quia minus circumspecta fuit, sicut audiui, pro Angelo lucis angelum tenebrarum susscepit. Solebat enim diabolus, phantastica circumfusus claritate, per quandam cellulæ fenestram intrare ad illam, futura prædicere, & de interrogatis instruere. Ad quam si venisset quis, volẽs cognoscere statum alicuius amici sui defuncti, siue de alia re occulta certitudinem, illa inducias vsque in crastinũ petiuit, angelum suum consuluit; à quo sæpius decepta, falsa pro veris respondit. Quòd cùm comperisset frater Hermannus inclusus de Arnsberg, dæmonum nequitias non ignorans, iam dictæ inclusæ mandauit in hunc modũ: Cauta esto soror, quia
2.Cor.11. sæpe angelus Satanæ in angelum lucis se trãsfigurãs, multos seducit, & viris sanctissimis nonnunquam illudit. Sic ergo facias: Crucem de cera benedicta fenestræ, per quam intrare consueuit, imprime, & si intrans illam non vitauerit, Angelus Domini est: sin autem, angelus tenebrarum. Quod cùm illa fecisset, & diabolus nocturno tempore cum solito fulgore venisset ad fenestram, & lumine immisso non intraret, ait fœmina: Quare non intras? Respondente illo, non possum intrare, nisi ceram de fenestra proijcias. Illa diu se deceptã intelligens, contra eum spuit, & in contumelias erupit, & ne de cætero talia præsumeret, sub inuocatione sanctæ Trinitatis illum adiurauit.

Iacobus Vitriacus. 1220.

Vitæ Mariæ Oegniacensis lib.2.cap.4. Quodam die in viridario apud Villenbroc apparuit ei diabolus sub specie pastoris. Nam per id tempus sceleſtus ille multos congregauerat milites, qui die crastino hastis inter se congressuri erant, apud pagum Trasiginesium, ea autem nocte mansuri Niuellę. Cumq; execrabilis ille & superbus dæmon pastorem se iactaret, Christi ancilla ait: Non es pastor, sed magistri nostri, qui prædicant verbum Dei, & fideliter pascunt animas nostras veri pastores sunt. Contrà verò nequam ille, & tumidus Satan: Ego, inquit, plures habeo greges, mihiqúe magis obtemperantes, quàm magistri illi. Et ego cognosco illos, & illi me, & vocem meam audiũt, & pro voto mihi obsequuntur.

Guilhelmus Aluernus. 1230.

De legibus: Apparet interdum Lucifer diabolus in specie Domini Saluatoris: & etiam cuidam apparuit nostris temporibus in specie Crucifixi.

Bonaventura. 1260.

Vitæ S.Francisci cap.11. Quodam tempore Vicarius suus tenebat Capitulũ, ipse verò in cella orans, sequester erat, & medius inter fratres & Deum. Cùm igitur vnus ex ipsis, defensionis quodã contectus palliolò, non se subderet disciplinæ: videſ hoc vir sanctus in spiritu, vocauit quendam de fratribus, & dixit ad eum: Vidi, frater, diabolum super illius fratris inobedientis dorsum, collum eius tenentem adstrictũ, qui tali sessore subactus, obedientiæ fræno spreto, instinctus eius sequebatur habenas. Et cùm rogarem Deum pro fratre, subitò dęmon cõfusus abscessit. Vade igitur, & dic fratri, vt obedientiæ sanctæ iugo collum sine mora submittat. Monitus per internuntium frater, statimq; conuersus ad Deum, ad pedes Vicarij humiliter se proiecit.

Theodoricus Apoldius. 1290.

Vitæ S. Dominici lib.3. cap.7. Ingressus quandoque B.Dominicus cũ multis fratribus in monasteriũ sororum, de fraudibus & imposturis dæmonum ad eas cõcionabatur. Et ecce adest Satan in specie lacerti mirè deformis, & abominabilis, duo grãdia ostentans capita: discurrit iuxta ripam, ad quam sedebant, caudam & alterum caput celerrimè attollit & deponit, facit impetum in sorores, tamquam in illas inuasurus. At vir Dei agnoscens quis esset, in eum zelo Dei inflammatus, terribili vultu caput agitans, dicit: Inimice, inimice. Porrò ad sorores vertens se: Ne timueritis, inquit, nihil vobis officere potest. Sed quibusdam iam præ nimio terrore fugere volentibus, dixit vir Dei: Præcipio tibi humani generis inimice, vt quàm primùm te demergas in hanc aquã. Fecit ille, vt erat iussus, nec vsquam apparuit.

Petrus de Dacia. 1310.

Invita S.Christinæ virginis Stumblensis: Interea quadam nocte quidam dæmon in specie pulcherrimi iuuenis in thalamum virginis veniebat, portãsq; duas candelas in manibus, faciem Angeli prætendebat, & stans coram virgine orante, obsequium, tamquam à Deo missus, ipsi exhibebat. At virgo Christi in luce visibili non glorians, nec in consolationibus sophisticis exultans, sed potiu sindignam & peccatricem se reputans, mẽtem simul & oculos à visione huiuscemodi auertebat, & perseuerans in orationibus, suo dulcissimo fortius adhærebat. Ille autem vt vidit virginem per hũc modum non posse decipi, resumpta suæ peruersitatis pristina deformitate, sic eam alloquitur: Hæc præsumptio & securitas, in qua nunc gloriaris, auferetur à te, & hæc vana iucunditas in magnam tristitiam conuertetur: in proximo enim est, vt in manus nostras tradaris, & tormẽtis grauissimis affligaris. His dictis spargens ibidem fœtorem immundissimũ confestim euanuit. Transacta hebdomada venerũt dæmones aspectu multùm horribiles in thalamum virginis, & primò adulationibus varijs, & iniquis persuasionibus, deinde comminationibus, & blasphemijs mentẽ virginis grauiter affligebant, & omnem vitam & conuersationem diuersis argumentis peruersam & erroneam forc mendaciter asserebant. Videntes autem virginem in Christo immobilem, acrius in ipsam sæuiebant: tollentes verò corpus eius à terra, & ad parietes collidentes, sub pedibus suis miserabiliter contriuerunt: & hoc facto cõtinuò euanuerũt. Virgo autem Christi die superueniente iucundior apparuit: deinde per duas noctes sequentes venerunt prædicti dæmones in thalamũ virginis, & post longas cõminationes & vexationes expoliantes eam vestibus, nudam de suo thalamo eiecerunt. Et duo quidem ex ipsis crura virginis veste ferreo transfixerũt: hoc facto quidam dæmon in specie equi furibundi, & indomiti cõfestim adducitur, cui virgo Christi more latronis contumeliosè annectitur, & reliquis dęmonibus comitantibus ac blasphemantibus, per sepes, spinas, & tribulos, vsque ad montem quendam arenosum, in inferiore parte villæ situm trahitur.

tur. Vbi dum virgo Christi per singulas noctes, nunc sursum, nunc verò deorsum trahendo miserabiliter torqueretur, tandem ab equo, cui alligata fuerat, absoluitur, & ad parietes & ostia domorum ipsius villæ cum magno clamore & strepitu iactatur. Sed virgo Christi in omnibus his sui conscia, in cubiculum suum semimortua serpere cœpit: Vbi dum corpore crudo & dilacerato iaceret, & nullam prorsus consolationem intrinsecus haberet, ecce subitò dulcissimus sponsus (Christus) aduenies, cor sponsæ non solùm consolatione ineffabili penetrauit, sed etiã ipsum corpus, pro eius amore saucium, & disruptum, quasi suauissimo rore perfusum mirabiliter sanauit. *Seruantur huius Virginis sacræ Reliquiæ, vnà cum memorata historia apud nos Iuliaci.*

Nicolaus Lyranus. 1320.

Ad caput II. posterioris ad Corinth. *Et ipse Satanas transfigurat se in Angelum lucis.* Et hoc multipliciter: Vno modo, corpus visibiliter assumendo; sicut apparuit B. Martino, & multis alijs; & multos sic decepit. Alio modo inuisibiliter formando vocem audibilem; sicut B. Francisco, volens eum retrahere à pœnitentiæ rigore. Aliquando peruertendo iudicium sensuum, faciendo apparere quod non est: & multis alijs modis. Propter quod dicit B. Ioannes: *Probate spiritus, vtrum ex Deo sint.*

Matthæus VVestmonasterienſis. 1370.

In Chronicis de anno 1100. Hoc anno euenerũt multa aduersa, Diabolus quoque visibiliter apparuit in saltibus, & deuijs, & transeuntes allocutus est.

Paulus Venetus. 1400.

De regionibus Orientalibus lib.1. cap.44. Cernuntur & audiuntur in eo deserto interdiu, & sæpius noctu, dæmonum variæ illusiones. Vnde viatoribus summè cauẽdum est, ne multum ab inuicem seipsos dissocient, aut aliquis à tergo sese diutius impediat: alioquin quàm primùm propter montes, & colles quispiam comitũ suorum aspectum perdiderit, non facilè ad eos perueniat. Nam audiuntur ibi voces dæmonum, qui solitariè incedentes, proprijs compellant nominibus, voces fingentes illorum, quos comitari se putant, & à recto itinere deductos in perniciem deducunt.

Petrus Rauzanus. 1433.

Vitæ S. Vincentij lib.1. cap.9. Quadam nocte, cùm finito matutinali officio, ante beatæ Mariæ Virginis oraret imaginem, & inter cætera virtutem perseuerantiæ à Domino Iesu Christo sibi concedi peteret: visus est ei astare ante oculos diabolus in specie senis valde venerabilis, cuius erat barba vsque ad genua prolixa & nigerrima. Qui ei dixit: Ego sum vnus ex illis veteribus Patribus, q multis annis magna cum corporis continentia, ac incredibili potus cibiq; parcitate AEgypti solitudinem incolui. Et cùm essem iuuenis, omnem corporis voluptatem experiri volui: postquam verò tempora iuuentutis meæ in varijs delicijs consumpsi, in me reuersus, pœnitentiam egi: & sic clementissimus Deus dedit mihi veniam peccatorum. Nunc igitur, si mihi seni credendum est, qui habeo multarum rerum vsum, tibi suadeo, vt floridæ ætati tuæ compatiaris, & hanc corporis macerationem nunc omittas, & vsque ad senectã reserues. Nec dubites: paratus est enim Deus semper suscipere pœnitentem. Sanctus autem Vincentius, vbi primò rem huiuscemodi vidit, fuit vehemẽti timore commotus: sed postquam verba loquentis aduertit esse venenifera, Diabolum esse suspicatus est. Vnde sese Deo & beatæ Virgini commendans, nihil ad verba Diaboli respondit: sed se signo crucis muniens: Abi, inquit, pestifer serpens. Namq; ex subdolis verbis & dictis tuis, non vnus ex AEgypti Patribus, sed ex interni dæmonibus vnus esse conuinceris. Dæmon se cognitum videns, emisso eiulatu magno, ac tetro fœtore relicto protinus euanuit.

Alexander ab Alexandro. 1480.

Genialium dierum lib.4.cap.19. Non est profectò fabulosum, quod apud sanctos viros auctores memorant, vt cum tetris spiritibus, quos dæmones vocant, congressum habuerint, illosq; diuersis imaginibus, ac multiplici specie, ppè deluserint: siquidem nostra quoq; memoria id euenisse compertum est. Nuper amicus meus summus, ingenio & fide singulari, rem dictu admirabilem hæc prodentibus nobis, sibi euenisse enarrauit. Quod cùm credi vix posset, illam multorum testimonio cõprobauit: se, cùm apud coniunctissimum & sibi familiarem Neapoli diuerteret, & noctis silentio clamantis de via, & opem implorãtis vocem hominis audisset, quum accenso lumine accurrisset, vt quid rei esset inquireret, ibi dæmonem, & dirum quoddam numen, tetra & horribili specie conspexisse, qui iuuenem quempiam clamãtem, & reluctantem, in via infestis manibus inuadere quærebat. Quo cõspecto, cùm miser ille ad ipsum, quem prope videbat, accurrisset, & ne apprehenderetur, quãto poterat nixu ipsius vestem & manum apprehendisset, se, diuino sæpius aduocato numine, cùm multùm diuq; frustra fuisset reluctatus; vix tandem dęmonem abegisse: quo demũ abacto, cùm iuuenem animo cõsternatum in domum recepisset, nunquã quòd se dimitteret, aut pallium relaxaret, efficere quiuisse: tantaq; eum torpedo inuasit, vt mente euicta, sui compos non esset, cùm sibi prorsus repræsentari, & ante oculos obuersari illa species videretur.

Lib.5.cap.23. Nota & vulgata res est, ædes quasdam Romæ, quas ego incolui, euidentissimis ostentis ita infames, vt nemo illas incolere ausus fuerit, quin assiduis vmbrarum illusionibus, & tetris imaginibus, noctibus ferè singulis inquietetur: in quibus præter nocturnos tumultus, quos medio ferè noctis silentio audiebamus, & horrendos fremitus cum eiulatu, stridulo; vocis sono, quibus lachrymari & tremere videbatur, specie hominis squalida facie, vultu minaci, nigro corpore, & aspectu formidabili, nomen suum exprimentem, & opem implorantem, cernebamus. Sed ne quis hoc fabulosum, aut cõmentitium puter, auctor est Nicolaus Tubã, vir multæ & expertæ fidei, qui cùm rei explorandę gratia cum nonnullis doctis iuuenibus prima facie ad nos aduentasset, cupido incessit animo, hæc, quæ à me promebantur, vero testimonio experiri, & an vera essent intueri. Et ne quid inexpertũ relinquerent, noctem peruigilem egêre mecum, vt rem notam exploratamq; haberent. Neq; eos opinio fefellit: Nam cùm accensis luminibus peruigiles starent, haud procul species hæc dira terribiliq; facie & vultu tetro repræsentata est, quam ipsi tumultuari, & diris nos vocibus agitare videbant. Cumq; omnia clamore & tumultu streperent, post multa oculorũ ludibria, tantum formidinis pauorisq; intulit, vt territi & trepidi vix mente incolumi satis constarent. Et cùm totæ ædes gemitu funesto miscerẽtur, singulisq; cubiculis pestis illa importuna obuersaretur, dum propius accederemus, illam retrò cedere, & querula voce lumen effugere cernebamus. Demum cùm multum diuq; tumultuata fuisset, haud multò pòst, vbi multum noctis processit, visio omnis illa dilapsa est.

Hieronymus Cardanus. 1540.

De rerum varietate lib.16. cap.93. Est familia nobilis, ac inter primas Parmæ, Torellorum nuncu-

pata. Possident arcem, in qua aula est: in ea sub camino solet videri anus iam cētum annis, quoties ex familia obiturus est aliquis.

Martinus Cromerus. 1570.

De rebus Polonorum lib.9. Memoratur in Cracouiensi tractu spectrum apparuisse. Lacū enim quendam peramplum infestatione dæmonum, piscationibus & vsibus hominū exemptum fuisse. Ad eum hyberna glacie concretum vicinos cum sacerdotibus vexilla, cruces, & Reliquias sacras, quibus vis dæmonum propulsaretur, ferentibus, piscandi gratia conuenisse: immisso autem reti primo quidem tractu, contendentibus piscatoribus, tres pisciculos; altero nihil nisi rete cōuolutum; tertio denique monstrum horrendum caprino capite, & in speciem ignis ardentibus oculis extractum esse: territis autem ac diffugientibus cunctis, spectrum illud sub glaciem sese immersisse, ac toto lacu discursans, terribilem strepitum & sonitum edidisse, afflatosq; ab eo nonnullos homines fœda vlcera retulisse.

Auctor.

Diuersas diuersis temporibus factas huiusmodi malorum Angelorum, seu dæmonum apparitiones, etiā aduersariorum plerique agnoscunt, ac recensent: & præter cæteros ex professo de his scripsit Ioannes VVierus Doctor Medicus libris sex de præstigijs dæmonum inscriptis, ac Basileæ Anno 1583. in 4. impressis. Ex pluribus, illud tantùm refero, quod & mirabile est exemplum, & ab omnibus, vbi contigit, pro verissima historia memoratur, quod refert lib.1.cap.16. his verbis: Tibicen quidam Hamelæ Brunsuicorum ad eliciendos glires cōductus, sequenti rependit facinore ingratitudinem, cùm illi ex pacto non satisfieret. Anno siquidem 1284. die 26. Iunij, hunc tibicinem, Omnicolorem nuncupatum, obvestis varietatem, centum & triginta pueri, per plateam inde nomen, vt audies, sortitam, non procul extra ciuitatem vsque ad Caluariæ locum sub Coppen nuncupatum, ad viam communem Boream versus situm, secuti periēre, nec vnquam postea apparuēre. Hæc ita in Annalibus conscripta, Hamelæ in archiuis religiosè custodiuntur: leguntur & in libris templi sacris, atq; in eiusdem vitris picta conspiciuntur: cuius rei oculatus equidem testis sum. Vetustior præterea magistratus in historiæ huius confirmationem suis Codicillis publicis inscribere solet coniunctim, Anno Christi &c. & exitus puerorum anno &c. Obseruatur verò in hunc vsq; diem ad perpetuam rei gestæ memoriam, quòd tympani sonitus nunquam in eadem admittatur platea, per quam egressi pueri, si fortè isthinc aliqua educitur spōsa, donec ex illa exierit: nec etiam choreæ in eadem ducūtur. Hinc & nomen cōsecuta est platea Burgelose straſs. Mane post septimam horam contigisse hoc fertur, & fuisse in puerorum numero consulis filiam iam plenis nubilem annis, quæ simul euanuit. Puer verò quidam nonnihil secutus, necdum vestitus, volens suas adferre vestes, redijt domum: interea autem euanuēre omnes in exigua fouea colliculi, quæ mihi ostensa est. En diabolum tibicinem sanguinarium. *Eandem historiam referunt Iob Fincelius libro de prodigijs: Andreas Hondorphius in promptuario exemplorum: Henricus Buntingius in Chronico Brunsuicensi, parte vltima fol.52. Ipse cùm essem Hamelæ historiam hanc primores vrbis narrantes, & indubitatæ esse fidei asserentes audiui.*

ARTICVLVS SEPTIMVS.

MALOS ANGELOS, SEV IMMVNDOS SPIRITVS, PERMITTENTE DEO, HVMANA CORPORA INGREDI, MIRVM IN MODVM TORQVERE, VERE AB EXORCISTIS ET SANCTIS HOMINIBVS EIICI.

NEGANT.

Anno post natū Christum.

1550. LEVINVS *Lemnius*, de abditis naturæ miraculis lib.2.cap.1. *asserit humores, non malos genios morbos inducere: spiritus tamen aëreos se ijs vt tempestatibus immiscere, ac faces subdere.* Cap.2. *asserit, Melancholicos, Maniacos, Phreneticos, quiq; alia ex causa furore perciti sunt, nonnunquam linguam alienam personare, quam non didicerint, nec tamen esse dæmoniacos.*

1550. Ioannes Caluinus lib.4. Instit.cap.19. §.24. *De ementitis illis Exorcistis quis vnquam fando audiuit, quòd specimen vnum suæ professionis ediderint? Fingitur illis potestas data imponendi manus super energumenos, & catechumenos, & dæmoniacos, sed tali se potestate præditos dæmonibus persuadere non possunt: non modo quia eorum imperijs non cedunt dæmones, sed etiam quia ipsis imperant.*

1560. Hieronymus VVellerus, ad cap.2.posterior. ad Thess. *fatetur in Papatu & olim, & adhuc nostro sæculo dæmonia expulsa esse: sed exorcismos eiusmodi vult meras esse præstigias.*

ASSE-

ASSERVNT SACRÆ LITERÆ.

Tobiæ 6. Vers.8. Piscis huius cordis particulam si super carbones ponas, fumus eius extricat omne genus dæmoniorum, siue à viro, siue à muliere, ita vt vltra non accedat ad eos.

Matthæi 8.28. Cùm venisset trans fretum in regionem Gerasenorum, occurrerunt ei duo habentes dæmonia, de monumentis exeuntes, sæui nims, ita vt nemo posset transire per viam illam. Et ecce clamauerunt, dicentes: Quid nobis & tibi Iesu fili Dei? Venisti huc ante tempus torquere nos? Erat autem non longè ab illis grex multorum porcorum pascens. Dæmones autem rogabant eum dicentes: Si eijcis nos, mitte nos in gregem porcorum. Et ait illis: Ite. At illi exeuntes abierunt in porcos, & ecce impetu abijt totus grex per præceps in mare: & mortui sunt in aquis.

Matthæi 9.32. Egressis autem illis, ecce obtulerunt ei hominem mutum, dæmonium habentem. Et eiecto dæmonio, locutus est mutus.

Matthæi 10.1. Et conuocatis duodecim discipulis suis, dedit illis potestatem spirituum immundorum, vt eijcerent eos, 8. Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmones eijcite.

Matthæi 17.14. Et cùm venisset ad turbam, accessit ad eum homo genibus prouolutus ante eum, dicens: Domine miserere filio meo, quia lunaticus est, & malè patitur: nam sæpe cadit in ignem, & crebrò in aquam. Et obtuli eum discipulis tuis: & non potuerunt curare eum. Respondens Iesus, ait: O generatio incredula & peuersa, quousque ero vobiscum? vsquequo patiar vos? Afferte huc illū ad me. Et increpauit illum Iesus, & exijt ab eo dæmonium, & curatus est puer ex illa hora. Tunc accesserunt discipuli ad Iesum secretò, & dixerunt: Quare nos non potuimus eijcere illum? Dixit illis Iesus: Propter incredulitatem vestram. Amen quippe dico vobis, si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic, transi hinc illuc: & transibit, & nihil impossibile erit vobis. Hoc autem genus dæmoniorum non eijcitur nisi per orationem & ieiunium.

Marci 1.23. Et erat in synagoga eorum homo in spiritu immundo, & exclamauit, dicens: Quid nobis & tibi Iesu Nazarene? venisti perdere nos? Scio qui sis, sanctus Dei. Et comminatus est ei Iesus, dicens: Obmutesce, & exi de homine. Et discerpens eum spiritus immundus, & exclamans voce magna, exijt ab eo.

Marci 1.32. Vespere autem facto cùm occidisset sol, afferebant ad eum omnes malè habentes, & dæmonia habentes: & curauit multos qui vexabantur varijs languoribus: & dæmonia multa eijciebat, & non sinebat ea loqui, quoniam sciebant eum.

Marci 16.17. Signa eos qui crediderint, hæc sequentur: In nomine meo dæmonia eijcient, linguis loquentur nouis.

Lucæ 10.17. Reuersi sunt autem septuaginta duo cum gaudio, dicentes: Domine, etiam dæmonia subijciuntur nobis in nomine tuo. Et ait illis: Videbam Satanam sicut fulgur de cælo cadentem. Ecce, dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes, & scorpiones, & super omnem virtutem inimici: & nihil vobis nocebit. Veruntamen in hoc nolite gaudere, quia spiritus vobis subijciuntur: gaudete autem quòd nomina vestra scripta sunt in cælis.

Lucæ 11.14. Et erat Iesus eijciens dæmonium, & illud erat mutum. Et cùm eiecisset dæmonium, locutus est mutus: & admiratæ sunt turbæ. Quidam autem ex eis dixerunt: In Beelzebub principe dæmoniorum eijcit dæmonia. Ipse autem vt vidit cogitationes eorum, dixit eis: Omne regnum in seipsum diuisum desolabitur. Si Satanas in seipsum diuisus est, quomodo stabit regnum eius? Si ego in Beelzebub eijcio dæmonia, filij vestri in quo eijciunt? Ideo ipsi iudices vestri erunt. Porrò si in digito Dei eijcio dæmonia, profectò peruenit in vos regnum Dei.

Actor.16. 16. Factum est autem euntibus nobis ad orationem, puellā quandam habentem spiritum Pythonem obuiare nobis, quæ quæstum magnum præstabat dominis suis diuinando. Hæc subsecuta Paulum & nos, clamabat dicens: Isti homines serui Dei excelsi sunt, qui annuntiant vobis viam salutis. Dolens autem Paulus, & conuersus, spiritui dixit: Præcipio tibi in nomine Iesu Christi exire ab ea. Et exijt eadem hora.

Actor.19. 11. Virtutes non quaslibet faciebat Deus per manum Pauli: ita vt etiam super languidos deferrentur à corpore eius sudaria vel semicinctia, & recedebant ab eis languores, & spiritus nequam egrediebantur. Tentauerunt autem quidam de cir-

cum euntibus Iudæis exorciſtis, inuocare ſuper eos, qui habebant ſpiritus malos, nomen Domini Ieſu, dicentes: Adiuro vos per Ieſum quem Paulus prædicat. Erant autem quidam Sceuæ Iudæi principis ſacerdotum ſeptem filij, qui hoc faciebant. Reſpondens autem ſpiritus nequam, dixit eis: Ieſum noui, & Paulum ſcio: vos autem qui eſtis? Et inſiliens homo in eos, in quo erat dæmonium peſſimum, & dominatus amborum, inualuit contra eos, ita vt nudi & vulnerati effugerent de domo illa.

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Clemens Primus. 80.

Conſtit. Apoſt. lib. 8. cap. 6. Diaconus dicat: Energumeni, quos ſpiritus immundi agunt, adhibete cuncti preces Deo: intentè pro ijs precemur, vt ſumma in homines charitate Deus increpet per Chriſtum immundos & malos ſpiritus, qui increpauit legionem dæmonum, & diabolum principem peccati: increpet ipſe & nunc apoſtatas impietatis in Deum, eripiatque, quos ipſe condidit, ab illius actu, & repurget eos, quos cum magna ſapientia effecit. Deprecemur adhuc intentè pro ipſis: Libera, & ſuſcita eos Deus tua potentia. Inclinate energumeni, & accipite benedictionem. Et Epiſcopus precetur illis, dicens: *Qui fortem ligaſti, & vaſa eius diripuiſti*, &c.

Luc. 8.

Lib. 2. Recognit. Amant iſti ſpiritus immundi inhærere corporibus hominum, vt ipſorum miniſterio cupiditates ſuas expleant; & ad ea, quæ ipſi deſiderant, inclinantes animæ motus, ſuis eos parere libidinibus cogant, vt efficiantur ex integro vaſa dæmonum.

Ignatius. 100.

Epiſtola ad Antiochenos: Saluto ſanctum Presbyterorum collegium, ſaluto Diaconos, Hypodiaconos, Lectores, Cantores, Ianitores, Laborantes, Exorciſtas, Confeſſores.

Dionyſius Areopagita. 100.

De Eccleſiaſt. Hierarchia cap. 3. Energumenorũ (qui vexantur ab immundis ſpiritibus) multitudo, inſyncera quidem & ipſa eſt, ſecundo tamen, atque altiore gradu catechumenis eminet.

Iuſtinus Martyr. 150.

Dialogo cum Tryphone: Chriſti nominis potentiam dæmones tremunt, & reformidant. Et hodie quoque illi per nomen Ieſu Chriſti, crucifixi ſub Pontio Pilato, qui Iudææ Procuratorem egit, adiurati nobis parent.

Oratione ad Gentiles: Complures dæmonum intemperijs correptos homines, per orbem omnem, & hanc veſtram vrbẽ, quos alij adiuratores, & incantatores, & venefici veſtri curare non potuerũt, per nomen Ieſu Chriſti, ſub Pontio Pilato crucifixi, adiurantes ſanârunt, atque etiam nunc ſanãt, exarmantes, atque exigentes ab hominibus, qui illos obſederunt dæmones.

Irenæus. 180.

Lib. 2. cap. 57. In Chriſti nomine, qui verè illius ſunt diſcipuli, ab ipſo accipientes gratiam, perficiunt ad beneficia reliquorum hominum, quemadmodum vnuſquiſque accepit donũ ab eo. Alij enim dæmones excludunt firmiſſimè & verè, vt etiam ſæpiſſimè credant ipſi, qui emundati ſunt à nequiſſimis, & ſint in Eccleſia.

Origenes. 230.

Libro 1. contra Celſum: Id colligo ex Chriſti miraculis, quibus Celſus ſtruit calumniam, aſſerens Ægyptiacis artibus ab eo facta eſſe. Nec ex ijs ſolis ſumam argumentum, verùm etiam, vt par eſt, ex his, quæ patrauerunt Apoſtoli. Quin & hodie veſtigia Spiritus illius ſancti ſeruantur apud Chriſtianos, excantant dæmonia, multas ſanationes perficiunt, præuident voluntate Dei futura.

Lib. 7. Non pauci Chriſtiani dæmonia eijciunt ex obſeſſis corporibus, ſine omni curioſitate magorum & veneficorum, ſed ſolis precibus, adiurationibuſq; ſimplicibus, quæ ſunt artes hominum ſimplicium, per verbum ſuum coarguente dæmonum infirmitatem Chriſti gratia, &c. Tantum abeſt, vt dæmones veneremur, vt precibus & ſacrarum literarum recitatione profligemus eos ex obſeſſis corporibus, & ex locis ſibi dicatis, interdum ex animalibus. Nonnunquam enim vt hęc quoq; lædant, operantur dæmones.

Euſebius Cæſarienſis. 320.

De Demonſtratione Euangelica lib. 3. cap. 8. Quis ignorat noſtræ eſſe conſuetudinis, ipſo Ieſu nomine, & puriſſimis precibus omnem dæmonum vexationem abigere? Sic ipſius Ieſu verbum eiuſdemq; doctrina, iſto poteſtatis inuiſibili genere, vt omnes nos longè potentiores eſſemus, effecit, dæmonum vtique hoſtes atque inimicos, non autem amicos aut familiares nos reddens.

Athanaſius. 340.

In Vita B. Antonij: Quodam tempore cùm exijſſet ad exteriora monaſteria Antonius, & rogatus eſſet à fratribus, vt in naui quadam cũ monachis proficiſcentibus oraret, aſcendit, & ſolus ex omnibus odorem ſenſit teterrimum: aſſerebant cuncti piſcium ſalſorum, & caricarum in naui poſitarum hunc eſſe putorem. At ille alterius rei ſe fœtorem ſentire affirmauit. Adhuc loquente illo, adoleſcẽs quidam poſſeſſus à dæmone, qui præcedens iuxta carinam ſe nauis abſconderat, repente exclamauit. Quo ſtatim per Antonium in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti curato, intellexêre vniuerſi, illum diaboli fuiſſe putorem. Alius quoq; ad eum, vir inter ſuos nobilis, dæmonioſus adducitur, tanta oppreſſus inſania, vt non ſciret ſe eſſe apud Antonium, nec non & corporis ſui ſuperflua comederet. Quamobrem rogatus ſenex ab his, qui eum adduxerant, vt pro illo Dominum oraret, in tantum iuuenis miſeriæ condoluit, vt tota nocte peruigilans cum eo, aduerſus patientis inſaniam laboraret; ſed cùm iam luceſceret, & obſeſſus impetu in Antonium facto, vehementer eum impulliſſet, iraſci cœperunt, qui eum adduxerant, cur ſeni feciſſet iniuriam. Quibus Antonius ait: Nolite alienam culpam iuueni miſero aſcribere: furor iſte obſidentis eſt, non obſeſſi. Idcirco autem in hanc prorupit dolens hoſtis audaciam, quia Dominus ad aridam regionem ire eum iuſſit: & expulſi Satanæ indicium iſte aduerſus me impetus fuit. Nulla poſt verba mora, adoleſcens recepto ſenſu, & gratias agens Deo, & locum, vbi eſſet, agnouit, & totum Antonium amplexans, deoſculatus eſt.

Concilium Antiochenum. 340.

Canone 10. Chorepiſcopis conſtituere permittitur Lectores, Subdiaconos, & Exorciſtas: quibus ſufficiat iſtorum tãtùm graduum licentiam accepiſſe.

Cyrillus Hieroſolymitanus. 370.

Catecheſi 16. Illum. Immundus dæmon ſi quam hominis animam aggreſſus fuerit, (liberet autem ab hoc Dominus omnes animas tam præſentium hîc, quàm abſentium,) & tanquam lupus ſanguinorus paratus ad deuorandum, ſuper oũem veniat, ſequiſſimo illius aduentu grauiſſimus ſenſus, tenebroſa mens efficitur, & inſultus iniquus, & rapina poſſeſſionis alienæ. Corpore enim alieno tãquam proprio vtitur violenter, membris alienis ſtantem iactitat, & alieno inſtrumento aſtantes acclamat: miniſter enim eſt illius qui cecidit de cælo. Deprauat linguam, torquet labia, ſpumam pro verbis fundit, obtenebratur homo; apertus eſt oculus, & non videt per eum anima; gemit homo tremens, ante mortem miſerrimus. Verè hoſtes ſunt hominum dæmones, turpiter illis abutentes, & abſque miſericordia.

Catech. 2. Myſtag. Vt inſufflationes Sanctorum, & nominis Dei inuocatio, tanquam vehementiſſima quædam flamma, vrit dæmones, & in fugam conuertit: ſic & exorcizatum hoc oleum per orationem, Deiq; inuocationem tantam virtutẽ conſequitur, vt non modò ardentia peccatorum veſtigia expurget, verùm etiam omnes inuiſibiles dæmones expellat.

Gregorius Nazianzenus. 380.

Oratione 1. ſeu in Apologetico: Dæmones etiamnum vocato Chriſto contremiſcunt, nec ob noſtram improbitatem huius nominis vis imminuta, & extincta eſt: nos verò rem nomenq; adeò venerandum contumelia afficere non veremur.

Carmine ad Nemeſium:

Nec mirum: namque ipſe etiam ſors inclyta Chriſti,
Prolato ipſius vel ſolo nomine, ſæpe
Dæmonas eieci ſtridentes, atque gementes,
Clamantesq; Dei robur dominantis olympo:
Aëra vel medium ſigno crucis ipſe notaui,
Illuſtremq; tulit typus hic ex biſce triumphum.

Timotheus Alexandrinus. 380.

In Reſponſis Canonicis cap. 2. Si catechumenus à dæmone corripiatur, & voluerit ipſe, vel ſui, vt ſanctum baptiſma accipiat, debetne accipere, an non, & maximè ſi morti propinquus fuerit? *Reſp.* Si is, qui à dæmone corripitur, non fuerit ab immũdo ſpiritu mundatus, non poteſt ſanctum baptiſma accipere, ſed in exitu à vita baptizatur.

Ioannes Chryſoſtomus. 400.

Homilia 3. de natura Dei: Energumenos Diaconus tempore myſteriorum adducit, & iubet caput inclinare, cùm eis vnà cum fratribus orare non liceat: adducit eos, vt tu miſeratus, & quia tam acerbè vexantur, & quia vocem reddere nequeunt, tua facultate ad eorum vtaris defenſionem & auxilium.

Homilia 66. ad populum Antiochenum: Sanctorum oſſa dæmones ſiſtunt, & torquent, & vinctos ab illis ſoluunt fœuiſſimis vinculis. Quid hoc foro magis reuerendum, cùm videatur nemo, nemo dæmonis inſtet lateribus, voces ſentiuntur, & lacerationes, flagella, tormentaq;, ac linguæ ardentes, terribilem illam vim dæmone non ferente? Et corpus induti incorporeas opprimunt poteſtates, & cinis, & oſſa, & fauilla inuiſibiles illas poteſtates dilaniant.

Sermone de Virtutibus & vitijs: Pauli veſtes morbos fuderunt, Petri vmbræ mortem fugârunt: Sanctorum Martyrum cinis improbos dæmones expulit.

Ioannes Caſſianus. 420.

Collationis 7. cap. 11. Huic rationi ſatis arbitramur eſſe contrarium illud, quod vidimus in arreptitijs fieri, cùm afflati ſpiritibus immundis loquuntur, & agunt ea, quæ neſciunt. Quomodo ergo animas illorũ ſpiritibus illis nõ credamus viri, quorum videmus illas velut organum factas, & derelicto naturali ſtatu, ad illorum motus affectuſq; tranſire, ità vt iam non ſuas, ſed illorum voces, & geſtus voluntatesque depromant? *Reſp.* Prædictæ definitioni noſtræ non eſt contrarium id, quod dicitis in energumenis fieri, cùm ſpiritibus immundis arrepti loquuntur, vel agunt ea, quæ nõlunt, vel quod eà quæ ignorant proferre coguntur, &c.

Palladius. 420.

Hiſtoriæ ſanctorum Patrum cap. 19. & 20. Ad ſanctũ Macarium adductus eſt aliquando à matre propria lamentante adoleſcens, qui vexabatur à dæmone, à duobus adoleſcentibus ex vtraque parte conſtrictus. Hunc autem ita vexabat dæmon. Trium modiorum panes poſtquam comediſſet, & calicem aquę bibiſſet, vtraque eructans, cibos reſoluebat in vaporem: ab eo enim non ſecus ac igne conſumebantur, quæ comederat & biberat. Eſt enim ordo quoq; dęmonum, qui dicitur igneus. Sunt enim dęmonum quoq; ſicut hominum differentię, non mutata eſſentia, verùm mente diuerſa. Hic ergo adoleſcens, cùm ei mater non ſuppeditaret, ſæpe ſua comedebat excrementa, & lotium bibebat. Flente ergo eius matre, & alienam ſui illij mœrente calamitatem, & Sanctum valde obteſtante, & rogante, illum accipiens inuictus Chriſti athleta Macarius, ſupplex pro eo Deum orauit. Poſt vnum autem aut alterum diem remiſit dæmon vexationem, &c. Cumq; ſeptem dies oraſſet cum ieiunio, expulſo ab eo pernicioſo dæmone ingluuiei, emundatum eum matri reddidit.

Nilus. 430.

De Oratione cap. 100. Venit ad nos quidã, qui narrabat, quemadmodum dæmon vſque adeò cuidam Sancto, cùm oraret, reſiſtebat, vt ſimulatque ille manus tenderet, dęmon ſe in leonis formam verteret, & prioribus pedibus erectis, vngues vtrinque illius manibus infigeret, à quo non priusdiſcedebat, quàm manus frangeret: qui verò orabat, non prius remittebat, quàm orationes cõſuetas abſolueret.

Cap. 101. Talem fuiſſe intelleximus in lacu quiete commorantem Ioannem illum cognomento Paruum, ego verò magnum interpretor, qui circumplicatus dęmone, in ſpeciem draconis mutato, & corpus eius mandente, atque in faciem eius vomente, tamen ſe à colloquio & congreſſu Dei non dimouebat.

Sozomenus. 440.

Lib. 4. cap. 15. Arſacius dęmones potuit abigere, & homines ijſdem agitatos illis purgare. Nam cùm quidam vexatus dęmonio per forum gladio ſtricto curreret, omnesq; fugerent ab eo, & tumultus vrbem occuparet: Arſacius factus illi obuiam, Chriſtum nominauit, verbo hominem deiecit; eum extemplò dęmone purgauit, & ad ſanã mentem reduxit.

Socrates. 440.

Lib. 4. cap. 19. Sacerdotis ethnici filia à dæmonio ex improuiſo occupata, ſupra modum furere, reſque omnes diſturbare cœpit, neque eius rabies vlla ratione comprimi ſedariue potuit: ſed contra eos pios viros (*Macarios*) grauiter vociferata eſt ad hunc modũ: Cur huc veniſtis ad nos abigendos? Itaque Sancti illi, munus quod diuina gratia ipſis largita fuerat, palam ibi de integro oſtenderunt. Nam dęmonem ex virgine eijciunt, eam patri tradunt ſanam & valẽtem: ſacerdotẽ & omnes inſulę habitatores ad fidẽ Chriſtianã traducunt.

Theodoretus. 450.

Hist. religiosæ cap. 9. de Petro Eremita: Cùm quidam insaniens, & furore percitus, & maligni dæmonis plenus operatione, ad eum veniſſet, eum quidem mundauit, deprecatus, & ab illo diabolico furore liberauit, &c. Cùm quędam mulier adduxiſſet obſonatorem famulum, qui à malo dæmone vexabatur, rogauit, vt ei ſuum non negaret auxilium. Cùm precatus autem eſſet vir diuinus, iuſſit dæmoni vt diceret cauſam cur haberet poteſtatem in Dei creaturam. Ille autem tanquam homicida aliquis, vel murorum perfoſſor ac latro ſtans ante iudicem, & iuſſus dicere quę fecit, ſic omnia eſt perſecutus, vt qui pręter conſuetudinem cogeretur vera dicere, &c.

Cyrillus Eremita. 510.

In Vita S. Euthymij: Huius Thalamæ ſororis filia immũdi dęmonis dominatu tenebatur. Ea igitur portata ad capſam Reliquiarum, nullum quidem aliud medicamentum applicatum, niſi huius loculi ſanctificatio: Dies autem non plures quàm tres, ad perfectam ſufficiunt liberationem ab eo qui opprimebat.

Leontius. 600.

Vita Simeonis Sali cap. 40. Eorum, qui vexabantur à dæmone, miſerabatur ſuper omnem naturam. Recedens itaq; multis modis ſe faciebat, tamquam vnum ex ipſis: & cum ijs degens, multos ex ipſis curauit ſua oratione, adeò vt quidam dęmoniaci murmurarent & dicerent: O violente Sale, totum mundum irrides, & veniſti prope nos, vt nos vexares. Recede hinc: non es ex nobis. Quid nos totam noctem torques & vris?

Georgius Presbyter. 600.

De Vita Theodori Archimandritæ: Ex colle propinquo magna exijt ſpirituum immundorum multitudo. Quorum pars inuaſit viros & fœminas illius loci, eosq́ acerbè cruciabat: pars cæteros in varios morbos coniecit: complures autem vias & loca finitima occupârunt, & homines ac beſtias illac iter facientes, iniurijs afficiebant. Quamobrem regio illa magnis tum internis, tum externis calamitatibus laborabat. Cumq; illis in mentem veniſſet ſerui Dei Theodori, decreuerunt illius precibus immundos ſpiritus adiurare. Ex quo cœperunt ipſi ſpiritus non mediocriter formidare, & nomine eius audito mitius ac lenius agere. Ad monaſterium igitur profecti, tantoperè ſupplicârunt, vt cum illis tandem abierit. Appropinquante autem illo ad regionem ipſorum, ſentientes ſpiritus præſentiam ipſius, & homines obſeſſos corripientes, occurrerunt ei, & cum vlulatu vociferabantur ad hunc modum: Proh vis. Cur veniſti huc, ô ferriuore? &c. Sed cùm eos vir ſanctus increparet, obmutuerunt. Poſtridie autem, cùm eſſent omnes congregati, & illi, qui vexabantur, circa virũ ſanctiſſimum eſſent, ſupplicationẽ emiſit, & totam regionem luſtrauit, peruenitq; ad collẽ, vnde dæmonia exiſſe dicebantur: atque illa torquens diuina Chriſti gratia, venerandæq́ crucis ſigno tũſionibus in pectus adhibitis, diu precationibus incubuit: iuſſitq́ vt ex hominibus egrederentur, & in locum ſuũ redirent. Quæ valde clamantia, ſciſſis veſtimentis, obſeſſos ante pedes eius proſtrauerunt, & egreſſa ſunt. Peſſimus tamen ſpiritus, qui mulierem vexabat, reſiſtebat, & nolebat egredi. At vir ſanctiſſimus coma eius apprehenſa, vehementerq́ premens, adhibito crucis ſigno, & fuſis ad Chriſtum precibus increpabat eum: Hinc, inquiens, non diſcedam prius, quàm ab illa fueris egreſſus. Tunc clamare ſpiritus cœpit, ac dicere: Magna eſt, ô ferriuore, vis tua etiam in me. Iam egrdior, & non repugnabo. Da nobis tantùm aliquid ex ijs, quæ fers. Soluit ille calceamentum, coniecitq; in foueam collis, vnde exierant. Proiecta igitur muliere ante pedes eius, exiuit ab ea: At vir ſanctiſſimus ſtans, rurſum Dominum precabatur, vt ſpiritus item illos omnes, qui loca finitima & vias obſidebant, atque iter facientes vexabant, compelleret in locum, vnde egreſſi fuerant, regredi: Deiq́ gratia omnes ſub muſcarum, & leporum, ac murium ſpecie, vt quibuſdam videbatur, coacti in foueam illam redierunt. Tunc eam vir ſanctiſſimus precibus fuſis ſigno crucis obſignauit, iuſſitq́ vt foramen illud obſtrueretur, & in priſtinã formam redigeretur. Et ſupplicationem ad locum ſuum reduxit, &c. Mulier quædam ſerua, quæ dęmonium occultum habebat, beatum adijt Theodorum, vt ab eo benedictionem acciperet, qui cùm acerbè aduerſus eã, vt aduerſus dæmone vexatam, aſpiciens, Deũ pro illa rogaſſet, dæmon cõmotus ſtatim exijt, & mulier effecta eſt ſana.

Ioannes Moſchus. 610.

In Prato ſpirituali cap. 117. Frater quidam dæmonium habens acceſſit ad Abbatem Simeonem Stylitem in admirabilem montem, rogans, vt pro ſe oraret, & effugaret ab eo dæmonem. Dixit ei Abbas Simeon: Vbi moraris? Qui ait: In Raythu. Ad quẽ ſenex: Miror, inquit, frater, cur tanto te labore fatigaueris, tantũq́ itineris peregeris, vt venires ad me peccatorem hominem, cùm tales, ac tantos Patres habeas in monaſterio tuo. Vade igitur ad Abbatem Andream, & roga illum, vt oret pro te, & ſtatim curabit te. Venit igitur frater in Raythu, & ſicut ſibi mandauerat beatus Simeon, proſtrauit ſe illi rogans, & dicens: Ora pro me Pater. Dixit ei Abbas Andreas: Accepit gratiam huius curationis Abbas Simeon. Cumq; feciſſet orationẽ, continuò mundatus eſt frater.

Ioannes Damaſcenus. 730.

Hiſtoriæ Barlaam & Ioſaphat cap. 32. Apoſtoli Dæmones, quos vt Deos metuitis, nõ modò ab humanis corporibus depellebant, ſed etiam crucis ſigno ex ipſo terrarum orbe fugabant.

Theoſtrictus. 820.

Oratione funebri in ſanctum Nicetam: Alius quidam ex ijs, qui nuper ad eum venerant, impuro ſpiritu laborabat: qui ſpiritus occultè illum vexabat, ſeipſum non aperiens: ſubterfugiebat enim dęmon ille, ſancti hominis præſentiam metuens. Itaque illum latere ſtudebat. Cùm verò tempus veniſſet, quo adoleſcens ille ſanctum monaſticæ vitæ habitum accipere deberet, ſub magni Niceteę catechiſmo, & ſanctarum ipſius manuũ impoſitione, idq́ue doloſus diabolus ſenſiſſet, cœpit fratrem poſtera nocte perturbare, & viſa quædam ipſi obijcere, quibus terrorem ac fluctuationẽ in eius mentem conijciebat. Cùm igitur frater ille ſeipſum à diabolo vexari, & potentia illius ſe opprimi animaduerteret, media nocte ſurrexit, vt ad ſanctum virum cõfugeret: cumq́ue prope cellam veniſſet, in qua magnus Niceta dormiebat, vidit ſerpentem quendam valde magnum, qui ante portam illius cellæ ſerpebat, & ingreſsũ illi omninò præcludebat. Dæmon enim ipſe in eam figuram ſe verterat, vt eius mos eſt, quo iuuenem perterrefaceret, ne ad eum virum introiret, qui ab eo ipſum expulſurus erat. At frater ille ſancti viri auxilio fretus, & dæmonem contemnens, in cellam magni Patris inſilijt, & impuri dæmonis inſidias ipſi aperuit. Tunc ſanctus vir eum cruce ſignauit, & pro ipſo Deum precatus, illum admonuit, atq; adhortatus eſt, ne talem dæmonem metueret, iuſſitq́ue in cubiculum, in quo dormiebat reuerti. At inſidiator ipſe per paucos dies ſeipſum ſubtraxit. Cùm autem non

tem non ferret ſancti viri gratiam, & ab eo in ſe illatum ardorem, cœpit rurſus fratrem perturbare, intolerabiles quoſdam cordis dolores immittens. Poſtremò illum collidens mutum atque immobilem reddidit: cuius viſcera ita æſtuabant ac dilacerabantur, vt illa diſrumpi nos exiſtimaremus. Cùm igitur ſanctus Niceta veniſſet, pro illo Deũ precatus, ſigno ſalutaris crucis eum ſignauit, & eadem illa hora opprimentem dæmonem ab ipſo eiecit, & fratrem ſanum erexit. Itaq; ex illa hora frater incolumis permanſit, nũquam amplius à tali dæmone offenſus. Alius quiſpiam & ipſe de ijs, qui paulo ante venerant, habebat immundum ſpiritum, ſimiliter & eum ipſum latentem. Cùm igitur frater ille aliquot dies in monaſterio manſiſſet, cœpit à dęmone agitari, & vehementer vexari. Cùm autem ſanctus Nicera illuc veniſſet, pro fratre ipſo Deum precatus fuit: cumq́ue dæmonem ab eo expuliſſet, adiuuante Chriſti gratia, ſanum illum reddidit. Dicebat autem vir ille, poſtquam curatus fuit, à ſe viſum illum diuinum hominem virgam tenentem, & Æthiopem quendam deformem ab eo eijcientem.

Leo Philoſophus. 880.

Oratione Encomiaſtica in Ioannem Chryſoſtomum: Cùm adhuc verba continuaret Pontifex, ecce vir quidam dæmoniacus illa faciebat, & clamabat in medio omnium, quæ vexans cogit genus dæmonum: rogatur medicus vt curet laborantẽ. Quem quidem curat ſigno pretioſæ crucis, & inuocatione ſanctæ & viuificæ Trinitatis, dicens; *Ecce ſanus factus es*, ne Deum amplius blaſphemes, *ne deterius quid tibi contingat.*

Theophylactus. 900.

Ad cap. 5. Marci: Tormentum ſuum putant dæmones ſi cogantur exire ab homine: ideò dicunt, *ne torqueas*, id eſt, ne educas nos ex habitaculo noſtro, hoc eſt homine, &c.

Ad cap. 17. Matthæi: Oportet & illos ipſos dæmoniacos maximè ieiunare, & eos qui illos ſanare volunt.

Simeon Metaphraſtes. 950.

Vitæ S. Athanaſiæ cap. 21. Cùm verò anniuerſarius dies, quo ſancta illa mulier obierat, iam veniſſet, ecce viri duo aſtiterunt, & cum ipſis miſera quædam mulier prauis ſpiritibus vexata: qui ſpiritus ſupra ſanctæ illius mulieris Reliquias debacchantes, redarguti ſunt. Manibus igitur tegumentum illud, quod ſupra S. Athanaſiæ Reliquias impoſitum fuerat, amouentes, arcam è monumento extraxerunt. Quo facto mulier illa ſpiritu malo agitata, curationis ſtatim compos facta eſt.

Vitæ S. Stephani Iunioris cap. 33. Fœminæ cuidam haud obſcuro loco natæ filius erat nouẽnis à malo ſpiritu diuexatus: quo ſecum aſſumpto mater, in inſulam profecta eſt. Vt autem ipſe admirandi viri cubiculum vel ſolum perſpexit, tumultuari, & æſtuare, ac nunc ſublimis in altum ferri, nũc rurſus in terram allidi cœpit, inconditas quaſdam voces ad ſanctum virum emittens, dæmone nimirum, dum mouebatur, ipſum mouente, vimq́ue ei, dum vim ipſemet pateretur, afferente, &c. Matris luctibus commotus Stephanus, vni diſcipulorum imperat, vt crucis ſignum vniuerſo pueri corpori adhibeat. Ipſe autem intra ſe collectus, atque animæ oculum attollens, eum, qui celerrimè ſalutem afferre poterat, inuocabat. Atque ipſe quidem lachrymis perfuſus precabatur: ille autem humi magno cum impetu deiectus, amiſſa voce iacebat. Ipſe ſurgere eum, atque ad ſe venire iubebat: ille iuſſis obſequebatur. Demum eum, adorata Chriſti imagine matri ſuæ ſanum & incolumem tradidit.

Michael Pſellus. 1050.

De operatione dæmonum cap. 13. Quòd ſi dæmon irruens ex Subterraneorum genere ſit, hominem poſſeſſum concutit, & diſtorquet, atque per eum loquitur, ſpiritu patientis vtens non ſecus atque proprio quodam inſtrumento. Si quis autem eorum, qui Lucifugi dicuntur, clam irrepſerit, relaxationem ſeu remiſſionem inducit, vocem reprimit, & eum, quem inuaſit, mortuo prorſus ſimilem efficit. Nec fieri poteſt, vt eorum, qui ab eo correpti ſunt, vllus alio modo liberetur, quàm diuina potentia, quæ oratione & ieiunio conciliatur.

Georgius Cedrenus. 1100.

In Chronic. Malus genius Imperatorem Michaëlem Paphlagonem inuaſit, neque ante finem vitæ miſſum fecit. Qui ſpecioſo nomine malum id volebant velare, inſaniam animi appellabant. Sanè neque humanum, neque diuinum auxilium miſerabilibus eum iſtis cruciatibus ac torturis eripuit.

Theodorus Balſamon. 1160.

Ad Canonem 2. Timothei Alexandrini: Qui à dęmone corripitur, videtur eſſe dęmonis habitaculum. Iudicatur enim quòd niſi immundus ſpiritus inueniſſet hominem dignum ſuum habitaculum, in eo non habitaſſet. Qui autem baptizatur, per baptiſmum Spiritus ſancti gratiam in ſe habitantem ſuſcipit. Quomodo ergo fieri poterit, vt idem ſimul duo in ſe contraria ſuſcipiat? Et ideo catechumenum, & à vexante eum dæmone non liberatum, iudicauit pater non eſſe dignum ſancto baptiſmate. Sin autem moriatur, inquit, baptizabitur, ne gratiæ baptiſmi expers, à vita decedens, hoc viatico priuetur, & non ſignatus recedat.

Nicephorus Calliſtus. 1300.

Lib. 9. cap. 38. Arſacius multa ſupra vim & captũ hominum fecit. Dæmones namq; eiecit, alijs quoque caſibus afflictos homines reſtituit, & ad ſaniorem mentem multos reduxit.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Tertullianus. 200.

In Apologetico aduerſus Gentes cap. 23. Atqui omnis hæc noſtra in dæmones immundos dominatio, & poteſtas, de nominatione Chriſti valet, & de commemoratione eorum, quę ſibi à Deo per arbitrum Chriſtum imminentia expectant: Chriſtum timentes in Deo, & Deum in Chriſto, ſubijciuntur ſeruis Dei & Chriſti. Ita de contactu, deq; afflatu noſtro, cõtemplatione & repræſentatione ignis illius correpti, etiam de corporibus noſtro imperio excedunt inuiti & dolentes, & vobis præſentibus erubeſcentes.

De Corona militis cap. 11. Et quos interdiu exorciſmis fugauit, noctibus defenſabit, incumbens, & requieſcens ſuper luncho, quo perfoſſum eſt corpus Chriſti.

De Spectaculis cap. 26. Itaque in Exorciſmo, cùm onerarentur immundus ſpiritus, quòd auſus eſſet fidelem aggredi; conſtanter, & iuſtiſſimè quidem, inquit, feci: in meo eam inueni.

Ad Scapulam capite 2. Dæmones non tantùm reſpuimus, verùm etiam reuincimus, & quotidiè traducimus, & de hominibus expellimus, ſicut plurimis notum eſt.

Minutius Felix. 230.

In Octauio: Hæc omnia sciunt plerique vestrûm, ipsos dæmones de semetipsis confiteri, quoties à nobis,& meritis verborum,& orationis incendijs de corporibus exiguntur. Ipse Saturnus,& Serapis, & Iupiter, & quicquid dæmonũ colitis, victi dolore,quod sunt eloquuntur: nec vtique in turpitudinem sui, nonnullis præsertim vestrûm assistentibus, mentiuntur. Ipsis testibus esse eos dæmonas de se verum confitentibus credite. Adiurati enim per Deum verum, & solum,inuiti miseris corporibus inhæresc unt,& vel exiliunt statim,vel euanescunt gradatim, prout fides patientis adiuuat,aut gratia curantis adspirat.

Cornelius Papa. 250.

Epistola ad Fabianum apud Eusebium lib.6.cap. 35. De *Nouato:* Non est certè eius generis ille quidem, cui ex Satana (qui ingressus in illum, diu est in intimo pectore commoratus) primùm data fuit credendi occasio. Qui quidem vbi Exorcistarum præsidio spiritu illo malo liberatus esset, & post in tam grauem morbum, vt iam fermè mori putaretur, incidisset, in lecto aqua circumfusus baptismum accepit.

Cyprianus. 250.

Lib.2. epist.2. *Epistola 2.* Inde iam facultas datur, immundos & erraticos spiritus, qui se expugnandis hominibus immerserint, ad confessionem minis increpantibus cogere; vt recedant, duris verberibus vrgere; conflictantes, eiulantes, gementes, incremento pœnæ propagantis extendere, flagris cædere,igne torrere. Res illic geritur,nec videtur: occulta plaga,& pœna manifesta.

Lib.4. epist.7. *Epistola 76.* Quod hodie etiam geritur, vt per Exorcistas voce humana,& potestate diuina flagelletur,& vratur,& torqueatur diabolus: & cùm exire se,& homines Dei dimittere sæpe dicat,in eo tamen quod dixerit fallat, & id,quod per Pharaonem prius gestum est,eodem mendacio obstinationis & fraudis exerceat. Cùm tamen ad aquam salutarem,atq; ad baptismi sanctificationem venitur,scire debemus, & fidere, quia illic diabolus opprimitur,& homo Deo dicatus, diuina indulgentia liberatur. Nam si scorpij & serpentes, qui in sicco præualent, in aquam præcipitati præualere possunt, aut sua venena retinere: possunt & spiritus nequam (qui scorpij & serpẽtes appellantur,& tamen per nos data à Domino potestate calcantur) permanere vltra in hominis corpore, in quo baptizato & sanctificato incipit Spiritus sanctus habitare. Hoc denique & rebus ipsis experimur,vt necessitate vrgente,in ægritudine baptizati, & gratiam consecuti, careant immundo spiritu,quo antea mouebantur,& laudabiles ac probabiles in Ecclesia viuant. Et contra sæpe nonnulli de illis, qui sani baptizantur, si postmodum peccare cœperint,spiritu immundo redeunte, quatiuntur: vt manifestum sit Diabolum in baptismo fide credentis excludi,si fides postmodum defecerit,regredi.

Ad Demetrianum: O si audire eos velles,& videre,quando à nobis adiurantur, & torquentur spiritalibus flagris,& verborum tormentis de obsessis corporibus eijciuntur,quando eiulantes, & gementes voce humana & potestate diuina flagella & verbera sentientes, venturum iudicium confitentur. Videbis nos rogari ab ijs,quos tu rogas: timeri ab ijs,quos tu adoras: videbis sub manu nostra stare vinctos,& tremere captiuos,quos tu suspicis,& veneraris vt dominos.

Lactantius. 320.

Diuinarum Institutionum lib.2.cap.15. Dæmones iustos, id est, cultores Dei metuunt: cuius nomine adiurati, de corporibus exeunt: quorum verbis, tamquam flagris verberati, non modò dæmones esse se confitentur, sed etiam nomina sua edunt, illa,quæ in templis adorãtur. Nec Deo,per quem adiurantur; nec iustis,quorum voce torquentur, mentiri possunt. Itaq; maximis sæpe vlulatibus editis, verberari se, & ardere, & iam iamq́ue exire proclamant. Tantum habet Dei cognitio ac iustitia potestatis.

Lib.4.cap.27. Quanto terrori sit dæmonibus hoc signum, sciet, qui viderit, quatenus adiurati per Christum,de corporibus,quę obsederint, fugiũt. Nam sicut ipse,cùm inter homines ageret, vniuersos dæmones verbo fugabat, hominumq́ue mentes emotas, & malis incursibus furiatas,in sensus pristinos reponebat: ita nunc sectatores eius, eosdem spiritus inquinatos, de hominibus, & nomine magistri sui,& signo passionis excludunt.

Iulius Firmicius Maternus. 350.

De erroribus profanarum religionum cap.14. Apud nos Deos vestros religiosi nostri sermonis flagello castigant: Sic in corpore hominum constituti Dij vestri verbo Dei spiritualium flammarum igne torquentur: & qui apud vos quasi Dij coluntur, apud nos religiosæ fidei medela, Christi gratia, humano subiacentes imperio, & tormenta repugnantes sustinent, & victi pœnis vltricibus subiugantur.

Prudentius. 380.

In Apotheosi contra Iudæos:

Audiat insanum bacchantu energima monstri,
Quod rabidus clamat,capta inter viscera dæmon,
Et credat miseranda suis: torquetur Apollo
Nomine percussus Christi, nec fulmina verbi
Ferre potest, agitant miserum tot verbera linguæ,
Quot laudata Dei resonant miracula Christi.
Intonat Antistes Domini: Fuge callide serpens,
Exue te membris,& spiras solue latentes:
Mancipium Christi fur corruptissime vexas,
Desine, Christus adest, humani corporis vltor,
Non licet vt spolium rapias, cui Christus inhæsit.
Pulsus abi ventose liquor, Christus iubet, exi.
Has inter voces medias Cyllenius ardens
Eiulat,& notos suspirat Iuppiter ignes.

Paulinus Presbyter. 390.

In vita D. Ambrosij: Per idem tempus cùm vir illustris Probus puerum suum notarium,qui spiritu immundo grauiter vexabatur, direxisset ad Episcopum,egressum vrbe dimisit diabolus, timẽs ad virum sanctum perduci. Atque ita puer quamdiu Mediolani apud Episcopum fuit, nulla comminatio diaboli apparuit. Sed vbi egressus Mediolano est,& propè vrbem peruenit, idem spiritus, qui illum antea habuerat,vexare cœpit. Qui cùm interrogaretur ab Exorcistis, cur quamdiu Mediolani fuit,non in illo apparuisset,confessus est diabolus timuisse se Ambrosium,& ideò recessisse ad tempus, atque expectasse in illo loco, vbi ab illo recesserat, donec reuerteretur: quo reuertente, vas quod deseruerat repetisset.

Hieronymus. 390.

Contra errores Vigilantij cap.2. Constantinus Imp. Reliquias Andreæ, Lucæ, & Timothei transtulit Constantinopolim,apud quas dæmones rugiunt, & inhabitatores Vigilantij illorum se sentire præsentiam confitentur.

In Vita Hilarionis cap.10. Fortissimus iuuenis, nomine Marsilas, afflictus pessimo dæmone,non catenas,non compedes,non clausura ostiorum integra patiebatur: multorum nasum & aures morsibus amputauerat: horum pedes, illorum gulam fregerat: tantumq́ue sui terrorem omnibus incusserat,vt oneratus catenis & funibus,in diuersa nitentium, quasi ferocissimus taurus,ad monasterium pertraheretur. Quem postquam fratres vidêre,perterriti (erat enim miræ magnitudinis) nuntiauerunt Patri. Ille sicut sedebat,iussit eum ad se pertrahi,& dimitti. Solutoq́ue,inclina,ait, caput, & veni. Tremere ille,& ceruicem flectere,nec aspicere contra ausus: omniq́ue ferocitate deposita, pedes cœpit sedentis lambere. Adiuratus itaque dæmon,& tortus,qui iuuenem possederat,septima die egressus est. Sed nec illud tacendum est, quòd Orionus vir primarius & ditissimus vrbis Ailæ, quæ mari Rubro imminet,à legione possessus dæmonũ,ad eum adductus est. Manus,ceruix,latera, pedes ferro onerati erant, furorisq; sæuitiam torui oculi minabantur. Cumq; deambularet Sãctus cũ fratribus,& de Scripturis nescio quid interpretaretur, erupit ille de manibus se tenentiũ,& amplexus eum post tergum,in sublime leuauit. Clamor ortus ab omnibus: timebant enim,ne cõfecta ieiunijs membra collideret. Et Sanctus arridens: Sinite,inquit,& mihi meum palęstritam dimittite. Ac sic reflexa super humeros manu, caput eius tetigit, apprehensoq́ue crine ante pedes adduxit, stringens è regione ambas manus eius, & plantas vtroque calcans pede,simulq́ue ingeminans, torquere dæmonum turba,torquere. Cumq; ille eiularet,& reflexa ceruice terram vertice tangeret: Domine,inquit, Iesu,solue miserum, solue captiuum. Vt vnum, ita & plures vincere, tuum est. Rem loquor inauditam. Ex vno hominis ore diuersæ voces, & quasi confusus populi clamor audiebatur. Curatus itaque & hic,non post multum temporis,cum vxore & liberis venit ad monasterium, plurima, quasi gratiam redditurus, dona afferens. Cui Sanctus: Non legisti, inquit, quid Giezi,quid Simon passi sint? 4.Reg.5. Act.8.

Cap.13. Candidatus Constantij Imperatoris,rutilus coma,ex Franciæ prouincia oriundus,ab infantia possessus à dæmone,qui noctibus eum vlulare,ingemiscere, fremere dentibus compellebat, secretò ab Imperatore euectionem petijt, & acceptis ad Consularem Palęstinæ literis,Gazam & ad Hilarionẽ deductus est. Qui videns eum,ex oculis eius & vultu cur venisset agnouit. Statim ergo ad interrogationem suspensus homo, vix terram pedibus tangens, & immanè rugiens, Syro, quo interrogatus fuerat, sermone respondit. Videres de ore barbaro, & qui Francam tantùm & Latinam linguam nouerat,Syra ad purum verba resonare: vt nõ stridor,non aspiratio, non idioma aliquod Palæstini deesset eloquij. Confessus est itaque,quo in eum intrasset ordine. Et vt interpretes eius intelligerent, qui Græcam tantùm, & Latinam linguam nouerant,Græcè quoque eum interrogauit. Quo similiter,& in eadem verba respondẽte, multasq́ue incantationum occasiones & necessitates magicarum artium obtendente: Non curo, ait, quomodo intraueris: sed vt exeas in nomine Domini nostri Iesu Christi impero. Cumq́ue curatus esset, simplicitate rustica decem auri libras offerens, hordeaceum ab eo panem accepit, audiens quòd qui tali cibo alerentur, aurum pro luto ducerent.

Cap.30. Prospero cursu inter Cycladas nauigãs, hinc inde clamantium de vrbibus & vicis & ad littora concurrentium immundorum spirituum voces audiebat,&c. Non ad plenum viginti transiêre dies,cùm per omnem insulam Cyprum quicunque immundos habebant spiritus, clamare cœperunt,venisse Hilarionem seruum Christi,& ad eum se debere properare. Hoc Salamina, hoc Curium,hoc Lapetha, & vrbes reliquæ conclamabant: plerisque afferentibus, scire se quidem Hilarionem,& verè illum esse famulum Dei, sed vbi esset,ignorare. Intra triginta igitur,nec multo amplius dies,ducenti serui,tam viri, quàm mulieres ad eum congregati sunt. Quos cùm vidisset, dolens,quòd se non paterentur quiescere,& quodammodo in vltionem sui sæuiens,tanta eos orationum instantia flagellauit, vt quidam statim, alij post biduum,triduumue,omnes verò intra vnam hebdomadam curarentur.

Epist.17. ad Marcellam sub nomine Paulæ & Eustochiæ cap. 5. Si nobis non credimus,credamus saltem diabolo, & angelis eius: qui quotiescũque ante monumentum, in quo Dominus conditus est,de corporibus obsessis expelluntur, quasi in conspectu tribunalis Christi stantes contremiscunt, rugiunt,& serò dolent crucifixisse quem timeant.

Ruffinus. 390.

Lib.1.cap.4. In Paphnutio tanta inerat virtutum gratia, vt signa per eum non minus quàm dudum per Apostolos fierent. Nam & dæmones verbo tantùm fugabat,& ægros sola oratione curabat.

Eccles iast. Hist. lib. 2.cap.4. Macarij cum duobus solis pedissequis noctu ad insulam deducuntur,in qua erat templum quoddam summa veneratione à loci incolis obseruatum. Cumque primùm nauicula senum orã soli illius contigisset,ecce subitò sacerdotis tẽpli illius virgo filia correpta spiritu,cum ingenti vociferatione & clamoribus vsque ad cælum datis, agi per medios populos cœpit,& crebros ducens rotatus, stridens huc atque illuc rabida ora vibrare. Cumq; ad spectaculum tam ingentis monstri,maximè quòd esset sacerdotis filia,(qui in honore præcipuo apud illos erat,) populi conuenissent,per auras eam raptã sequentes, peruenient vsque ad nauiculam senum. Ibi verò,proiecta eorum pedibus & prostrata clamare cœpit. Quid venistis huc,ô serui Dei summi,antiquis nos & veternosis euoluere domicilijs? In hoc loco depulsi vndique latebamus, quomodo vos nequaquam latere potuimus. Cedimus antiquis sedibus: populos vestros terrasq́ue recipite. Cùm hæc diceret,increpitus ab eis erroris spiritus effugatur. Et puella sana vnà cum parentibus suis iacebat ad pedes nostri temporis Apostolorum.

Augustinus. 400.

Lib.8.de ciuitate Dei cap.26. Vbi est illa velut querela luctuosa, quòd terra Ægypti, sanctissima sedes delubrorum atq; templorum, sepulchrorum futura esset mortuorum; pleniss ima? Nempe spiritus fallax, cuius instinctu Hermes ista dicebat, per eum ipsum coactus est confiteri, iam tunc illam terram sepulchrorum & mortuorum, quos pro Dijs colebant, fuisse pleniss imam. Sed dolor dæmonum per eum loquebatur, qui suas futuras pœnas apud sanctorum Martyrum memorias imminere mœrebant. In multis enim talibus locis torquentur,& confitentur,& de possessis corporibus hominum eijciuntur.

De cura pro mortuis agenda cap.17. Et de Martyribus ab illo pergerem quærere, vtrum ipsi adsint in somnis, vel quocunq; alio modo videntibus eos, in qua figura voluerint: & maximè quando ab eis se torqueri dæmones in hominibus confitentur, & rogant eos, vt parcant sibi: an ista fiant Dei nutu per Angelicas Potestates, in honorem commendationemq; Sanctorum, ad vtilitatem hominum, illis in summa quiete positis,& ad alia longè meliora visa vacantibus, seorsum à nobis, orantibusq́ue pro nobis. Nã Mediolani apud Sanctos Protasium & Geruasium Martyres, expresso nomine sicut defunctorum, quos eodem modo commemorabant, adhuc viuum dæmones Episcopum confitebantur Ambrosium, atque vt sibi parceret,

obſecrabant,illo aliud agente,atque hoc cùm ageretur omninò neſciente.

Seuerus Sulpitius. 410.

Hiſtoriæ Diui Martini cap.4. Martinus relicta militia S.Hilarium expetiuit: qui Exorciſtam eum eſſe præcepit.Quam ille ordinationem,ne deſpexiſſe tamquam humiliorem videretur, non repudiauit.

Cap.16. Eodem tempore Tetradij cuiuſdã Proconſularis viri ſeruus dæmonio correptus,dolendo exitu cruciabatur. Rogatus ergo Martinus, vt ei manum imponeret,deduci eum ad ſe iubet: ſed nequam ſpiritus nullo proferri modo ex cella, in qua erat,potuit: ita in aduenientes rabidis dentibus ſæuiebat. Tum Tetradius ad genua beati viri aduoluitur,orans vt ad domum,in qua dæmoniacus habebatur,ipſe deſcenderet. Tum verò Martinus negare ſe profani & gentilis domum adire poſſe. Nam Tetradius eodem tempore adhuc gentilitatis errore implicitus tenebatur. Spondet ſe igitur,ſi de puero dæmon fuiſſet exactus, Chriſtianum fore. Ita Martinus impoſita manu puero, immundum ab eo ſpiritum eiecit. Quo viſo Tetradius in Dominum Ieſum credidit, ſtatimqúe catechumenus factus, nec multo poſt baptizatus eſt.

De virtutibus & miraculis D.Martini dialogo 3. Monaſterium beati viri duobus à ciuitate erat millibus diſparatum: ſed ſi quoties venturus ad Eccleſiam,pedem extra cellulæ ſuæ limen extulerat,videres per totam Eccleſiam Energumenos rugientes,& quaſi adueniente iudice agmina damnanda vt aduentũ trepidare Epiſcopi clericis, qui venturum eſſe neſcirent,dæmoniorum gemitus indicaret. Vidi quendam appropiante Martino in aëre raptum manibus extenſis in ſublime ſuſpendi, vt nequaquam ſolum pedibus attingeret.Si quando autem exorcizandorum dæmonum Martinus operam recepiſſet, neminẽ manibus attrectabat, ſermonibus increpabat,ſicut plerunque per clericos rotatur turbo verborum: ſed admotis Energumenis cæteros iubebat abſcedere,ac foribus obſeratis,in medio Eccleſiæ cilicio circumtectus,cinere reſperſus,ſolo ſtratus orabat. Tum verò cerneres miſeros diuerſo exitu perurgeri, hos ſublatis in ſublime pedibus,quaſi de nube pendere,nec tamen veſtes defluere ſuper faciem, ne faceret verecundiam nudata pars corporum. At in parte alia videres ſine interrogatione vexatos, & ſua crimina confitentes: nomina etiam nullo interrogante prodebant.Ille ſe Iouem,iſte Mercurium fatebatur.Poſtremò cunctos diaboli miniſtros cum ipſo cerneres auctore cruciari.

Paulinus Nolanus. 420.

Natali 8.S.Felicis:

Quidam homo non longum tempus tam prodigiali
Dæmone diſtentus fuit, vt iam non modò notos
Ille cibos hominum,vel ſi congeſta daretur
Multa menſa dape in facili conſumeret hauſtu,
Verùm & gallinas habitantum limine raptas,
Mox vt ſuſtulerat rapido diſcerperet ore,
Et pluuia incoctas non ſuffocante voraret.
Quin & funeream ſaniem ſitiebat, & oſſa
Lambebat pecudum,proiecta cadauera lambens
Obſcœnus conuiua canum:hic modò dæmone tento
Sobrius ecce procul conductum exercet agellum,
Et curante Deo ſancta Felicis in aula
Redditus ipſe ſibi,claro ſatis indice monſtrat,
Felicem meritis, & Chriſti nomine fortem
Immites domitare feras,& vincere flammas:
Dicite qui teſtes operum Felicis adeſtis,
Nonne feras igneſq́, domat,cùm dæmonas vrget,
Qui vitijs animas,& morbis corpora frangunt,
Peccatisq́, vorant? iſtos cruciansq́, fugansq́,
Nonne feras igneſq́, domat? fremit igneus vltor
Agminis igniferi Felix,flammamq́, nocentem
Opprimit igne Dei, tenebrarum vincitur ignis.
Luminis igne pio dæmon fugit,& Deus intrat,
Et fit homo bene verſa domus,felicior aula
Poſſeſſore Deo tetrum inficiata colonum.

Poſsidius. 433.

Vitæ S.Auguſtini cap.29. Noui quoque eundem & Presbyterum,& Epiſcopum, pro quibuſdã energumenis petentibus,vt oraret, rogatum: eumqúe in oratione lachrymas fundentem Deum rogaſſe,& dæmones ab hominibus receſſiſſe.

Petrus Chryſologus. 440.

Sermone 52.de dæmoniaco ſurdo & muto: *Domine,*inquit,*miſerere filij mei,quia lunaticus eſt, & malè torquetur.*Aut humanæ naturæ, aut cæleſtis elemẽti dæmon,quod ſuæ artis fuerat,voluit tunc videri,aptans lunæ curſibus hominis paſſiones, vexabat corpus lunaribus incrementis: vt eſſe lunæ crederent, quod erat diabolici criminis & furoris,&c. Verùm poſtquam venit occultorum cognitor,inſpector validiſſimus ſecretorum, cui latentia diaboli non poterunt obuiare figmenta, adducitur puer ſanandus præceptione diuina:vt quicquid diabolus vinxerat, ſolueretur à Chriſto. Egit,egit inimicus, vt hoc quod videbatur, eſſet naturæ.

Proſper. 450.

De promiſſionibus & prædictionibus: De dimidio temporis cap.6. Quædam iuuencula Araba natione,ancillæ Dei habitum geſtans, cùm in balneo lauans ſimulachrum quoddam Veneris impudicè reſpiceret,& ſeipſam, eiqúe ſe conſimulans,domicilium ſe diabolo præbuit. Statim ille leo, qui rugiens circuit, quæ quærebat,inuenit. Meatus igitur gutturis ipſius occupans,nullum cibum,nullumqúe potum traijciens,per ſeptuaginta fermè dies, totidemqúe noctes, ieiunium ſibi diabolus ex capta poſſeſſoqúe vaſe exhibuit.Hoc monſtrum parentes puellæ per tot dierum ſpatia auferri poſſe ſperantes,dum iuge malum vlterius tolerare non poſſent, ſimul cum filia ſeſe ingeſſerunt ſacerdoti, quæ acta erant fideliter intimantes. Hoc tantùm puella fatebatur, auem quandam noctis medio apparere,quæ ſibi ore neſcio quid infunderet. Stupor tunc inerat cunctis videre puellam, nullis indicijs diuturni ieiunij fœdatam, &c.

Conſtantius Presbyter. 490.

Vitæ S.Germani Epiſcopi Antiſiodorenſis libro 2.cap.10. Dum Miſſa ſacris myſterijs celebratur in altari,incognitus & improuiſus ingreditur: ſtatimqúe vnus è populo captiuus inimici eum ingenti vociferatione proclamat: Cur nos in Italia Germane perſequeris? Sufficiat tibi,quòd nos è Gallijs excluſiſti: ſufficiat,quòd nos & Oceanũ mare oratione ſuperaſti. Quid vniuerſa perluſtras? Quieſce,vt nos quieti eſſe poſſimus. Fit admiratio & terror in populo: &c. exorant, vt furioſum viſitaret. Quem non præſumptionis cothurno, ſed obedientiæ ſtudio præcepit exhiberi, remotumqúe in ſacrario, celebri abſolutione purgatum ad conuentum publicum reuocauit incolumem.

Ennodius Ticinenſis. 500.

Vitæ S. Epiphanij Ticinenſis capite 15. In eiuſdem anni periodo, ſumma dæmonum turba de obſeſſis cœperunt clamare corporibus, flagris ſe & cruciatibus

ciatibus nimijs,vt fugerent,ſacerdote Epiphanio imperante,compelli. Quos ille modica cum fletu oratione profuſa, ad extima terrarum confinia tranſmittebat,ac diuerſis vocibus eiulantes,meritorum ſuorum vrgebat imperio.

Adelmus Sagienſis. 530.

De vita S.Opportunæ: Non poſſum ſilentio præterire rem admirandam, quam ſub noſtro conſpectu Dominus efficere dignatus eſt. Malignus dæmon fœminam quãdam occupans, eius membra momentis omnibus diuerſis modis crudeliter excruciabat. Amabat eã impenſè maritus eius, & ad multa Sanctorum loca eam ducebat,ſpe liberationis obtinendæ.Tandem audita fama S.Opportunæ,quòd eius precibus vis dæmonum comprimeretur, ad eius eccleſiam eam deuotus adduxit. Ibi teterſpiritus ſentiens ſuas nequitias protritum iri, ita per os fœminæ clamauit: Væ væ mihi, Opportuna inueterata,quæ mihi ſemper inimica fuiſti: quæ tuis precibus crebrò contriuiſti machinas meas. Aſtabam ego illic inter cæteros dolens, & ecce in me multa cœpit iactare conuitia: Noli ſperare, inquit,rudis & neophyte Epiſcope, tua me virtute hinc eiectum iri. Nihil enim te reformido: ſed virtutem aduerſariæ meæ Opportunæ, &c. Aſpergitur fœmina aqua benedicta, & ſigno crucis conſignatur,& preces leguntur illi negotio opportunæ: cumqúe ventum eſſet ad ea verba: *Adiuro te draco nequiſſime in nomine Agni, qui ambulat ſuper aſpidem & baſiliſcum,qui conculcat leonem & draconem:* mox ſpiritus immundus crudeliter eam diuexans,ita vt vnguibus & dentibus ſeipſam laceraret, terribili voce clamauit: Scias Opportuna vetula, me quidem nunc egredi, ſed breui rediturum. Ijs dictis fœmina tranquilla reſedit, oculisqúe & manibus in cælum ſublatis, ad aræ latus acceſſit, ſeqúe beatæ Opportunæ deuotam fore promiſit.

Arator. 540.

Libro 2.Hiſtoriæ Apoſtolicæ:

In Macedũm terris cùm mœnia nota Philippi
Doctoru celebraret iter bacchata puella
Sub ſtimulo Pythonis ait: Paulum eſſe miniſtrum
Aeterni ſcitote Dei: profeſſio vera
Mendaci de teſte ſonat,vocemq́, fidelem
Perfidus auctor habet: ſed non defertur honori
Quod cogit formido loqui,nec mens cohæret
Nudus amore timor.Paulus miſeratus ab atro
Dæmone corda premi,molensq́, licere profano
Diuinas aperire vias: Fuge,dixit,& iſta
Vlterius tentare cave.nil iuſſa moratus
Hoſtis abeſt,vacuamq́, domum poſſeſſor iniquus
Deſerit,ac profugo mulier ſanata periclo
Conticuit de laude viri,quæ cœpta peregit.

Fortunatus. 570.

Vitæ S.Martini lib.1.cap.21.

Poſt quoque Tetradij famulus Proconſulis exſpes
Mancipium alterius ſub hoſpite dæmone factus
Dentibus vt rabiens alienis frenderet armis,
Nec ſua,ſed fieret hoſtis ſe milite pugna:
Quem dominus famulum ſupplex purgare precatur:
Sed duci ad Sanctum vetuit ferus hoſpes & hoſtis:
Tetradius rurſus inſti veſtigia lambens,
Supplicat,vt pergat,vbi ſæuus latro latebat.
Sed Sator ipſe domum gentilis adire recuſat.
Spondet Tetradius humilis cum faſcibus altis,
Hoſti ſi famulum eripiat,ſe credere Chriſtum:
Impoſita ergo manu puero fera larua recedit,
Et mala iucundum paſtorem beſtia fugit.

Vitæ S.Germani cap.54. Cùm aliquando regi prę-

ſentandus vir beatus occurreret, clericus ei quidam,nequitiæ ſpiritu vexatus, adducitur. Vnde expulſo aduerſario,videntibus circumſtantibus, velut auis paruula, de capite energumeni vmbra fugata egreditur.

Gregorius Turonenſis. 580.

*Libro de vita Patrum cap.4.*Cùm energumeni Gregorium Lingonenſem primo die Epiſcopatus ſui confiterentur, rogabant eum Presbyteri, vt eos benedicere dignaretur. Quod ille viriliter, ne vanam incurreret gloriam, refugiebat, clamans ſe indignum ad manifeſtandas virtutes Dominicas eſſe miniſtrum: ſed tamen quia diutius hoc diſſimulare non potuit, adduci eos ad ſe iubens, ſine vllo tactu,facto tantùm ſigno crucis è contra,verbo dæmonia diſcedere imperabat. Quod illa protinus audientia,corpora, quæ ſua nequitia diuexarant,abſoluebant. Nam illo abſente, multi de virga,quam in manu ferre ſolitus erat, ſuſpenſos atque ſignatos energumenos expellebant.

In vita S.Patrocli: Cùm igitur inibi multos energumenos manu impoſita, per ſignum crucis effugatis dæmonibus,mente integra reddidiſſet, vnus ad eum adductus eſt rabidus, qui rictibus patulis, dentibusq́, cruentis, quod attingere poterat, dentibus proprijs laniabat. Pro quo per triduum in oratione proſtratus,obtinuit ad illam diuinæ miſerationis potentiã, vt mitigato furore letho obnoxius mundaretur, immiſſisqúe in os eius digitis,fugato feralis atrocitatis ſpiritu,perſonam reſtituit incolumitati.

Gregorius Magnus. 590.

*Lib.1.Dial.cap.10.*Mox vt oratorium ingreſſæ ſunt matronæ,vnam ex illis malignus ſpiritus arripuit,& coram omni populo vexare cœpit. Eiuſdem verò oratorij presbyter, dum eam vehementiſſimè vexari conſpiceret, ex altari protinus ſindonem tulit,eamq́, operuit: ſed & hunc ſimul repẽte diabolus inuaſit. Et quia vltra vires voluit quicquam præſumere,compulſus eſt & ipſe cognoſcere in ſua vexatione quid eſſet. Hi verò,qui aderãt, puellam in manibus ex oratorio ſublatam ad domum propriam reportauerunt.Cumq́, hanc antiquus hoſtis vexatione continua vehementer attereret, propinqui ſui eam carnaliter amantes, & amando perſequentes, ad obtinendum ſalutis remedium, maleficis tradiderunt, &c. Sed miro omnipotentis Dei iudicio,dum arte peruerſa vnus ab ea repellitur,in eam ſubitò legio intrauit. Cœpit ex hora illa tot motibus agitari, tot vocibus clamoribusq́, perſtrepere,quot ſpiritibus tenebatur.Tunc inito conſilio parentes eius ſuę perfidiæ culpam fatentes, hanc ad venerabilem virũ Fortunatum Epiſcopum duxerunt, eiq́, reliquerunt. Qua ille ſuſcepta,multis ſe diebus, ac noctibus in orationem dedit: tantoq́, anniſu precibus incubuit,quanto & in vno corpore,contra ſe aſſiſtere legionis aciem inuenit.Quam poſt non multos dies ita ſanam atque incolumem reddidit, ac ſi in eam ius proprium diabolus nunquam habuiſſet.

Lib.2.cap.30. Malignus ſpiritus vnum ſeniorem monachum inuenit aquam haurientem, in quem ſtatim ingreſſus eſt: cumq́, in terram proiecit,& vehementiſſimè vexauit.Quem cùm vir Dei ab oratione rediens, tam crudeliter vexari conſpiceret,ei ſolummodò alapam dedit, & malignum ab eo ſpiritum protinus excuſſit ita, vt ad eum redire vlterius non auderet.

Ionas Monachus. 640.

Vitæ S.Columbani cap.23. Egreſſus inde ab Antiſiodoro,videt iuuenem à dæmone correptum celerrimè ex aduerſo ad ſe accurrere, qui iam viginti milliaria totis viribus currendo confecerat. Eo

viſo, ſubſtitit, donec homo dæmonis arte infestatus aduenirет: vbi ad virũ Dei venit, coram illo corruit, ſeſe diſcerpens. Eum itaque orationibus curatum, patri ſoſpitem reddidit.

Vitæ S. Bertulphi cap. 7. Cùm quodã tempore pſallendi officio expleto, Eccleſia egrederetur, obuium habuit hominem Viatorem nomine, dæmonis rabie plenum. Eo viſo ſublatis ad cælum oculis, Conditorem rogauit, vt ſuis votis faueret, hominemq; plenum malo dæmone flexus precibus ſuis curaret. Exaudiuit precantem Dominus, & vis rabida dæmonis profligata eſt: nec prorſus auſus eſt Satan Dei imaginem contaminare, ſed miſerabiliter hominem diſcerpens, fugit ab eo.

Rudoenus. 670.

Vitæ S. Eligij lib. 2. cap. 23. In Ferijs B. Martini quandoque more ſuo inter Miſſarum ſolennia, poſt Euãgelij lectionem, ad populum vir ſanctus concionabatur: ſed eius vocem amplius duodecim dæmoniaci, in templo debacchantes, valde interturbabant. Tum ille porrecta in eos manu præcepit in nomine Ieſu Chriſti, vt dum ipſe concionaretur, nemo illorum mutire auſus eſſet. Parent illicò, nec ſolùm clamor omnis conquieſcit, ſed etiam plerique dæmones, non ferentes vim verborum eius, relictis ijs, quos obſidebant, pudefacti aufugiunt.

Beda. 700.

Libro 3. Hiſtoriæ Anglicanæ cap. 11. Tranſacto tempore aliquanto, cùm eſſet in ſuo monaſterio Abbatiſſa, venit illuc quidam hoſpes, qui ſolebat nocturnis ſæpius horis repente ab immundo ſpiritu grauiſſimè vexari, qui cùm benignè ſuſceptus, poſt cœnam in lecto membra poſuiſſet, ſubitò à diabolo arreptus inclamare, dentibus frendere, ſpumare, & diuerſis motibus cœpit membra torquere: cumq; à nullo vel teneri, vel ligari potuiſſet, &c. dicebat Presbyter exorciſmũ, & quæcunq; poterat pro ſedando miſeri furore agebat: ſed nec ipſe, quamuis multum laborans, proficere aliquid valebat. Cumq; nil ſalutis furenti ſupereſſe videretur, repente venit in mentem Abbatiſſæ puluis ille præfatus. Statimq; iuſſit ire miniſtrã, & capſellam, in qua erat, adducere. Et cùm illa, afferẽs quę iuſſa eſt, intraret atrium domus, in cuius interioribus dæmonioſus torquebatur, conticuit ille ſubitò, & quaſi in ſomnum laxatus depoſuit caput, membra in quietem omnia compoſuit.

Conticuêre omnes, intentiq; ora tenebant,

quem res exitum haberet ſolicitè expectantes. Et poſt aliquantum horæ ſpacium reſedit, qui vexabatur, & grauiter ſuſpirans: modò, inquit, ſanum ſapio: recepi enim ſenſum animi mei. At illi ſedulò ſciſcitabantur, quomodo hoc contigiſſet. Qui ait: mox vt virgo hæc cum capſella, quam portabat, appropinquauit atrio domus huius, diſceſſêre omnes, qui me premebant ſpiritus maligni, & me relicto nuſquam comparuerunt. Tunc dedit ei Abbatiſſa portiunculam de puluere illo, & ſic data oratione à Presbytero, noctem illam quietiſſimam duxit: neq; aliquid ex eo tempore nocturni timoris, aut vexationis ab antiquo hoſte pertulit.

Alcuinus. 750.

In Hiſtoria S. Richarij: Sed & multoties dæmoniaci ad corpus ſancti Dei ſuorum obſequio deducti, diuina concedente clementia à vexatione maligni ſpiritus liberantur.

Walafridus Strabo. 830.

Vitæ S. Galli cap. 17. Cùm deuictis profundæ noctis tenebris ſol terris cum iucunditate ſerenum reſtitueret diem, iuſſit eos Dux venire in cubiculum, in quo arreptitia filia ſeruabatur. Iacebat autem tunc in ſinu matris ſuæ, oculis clauſis, ore hianti. Membra quoque eius ita erant diſiecta, vt quaſi mortua videretur. Fœtor verò tam grauis oris prorupit ex adyto, vt ſulphure locus ipſe aſperſus putaretur. Pater itaque cum domeſticis ſuis intrauit, vt videret quid vir Dei eſſet acturus. Ille de Domini largitate certiſſimus, humiliter ſe proſternens, has preces Domino cum lachrymis fudit: Domine Ieſu Chriſte, qui pro ſalute humani generis carnem ſumere, & per Virginem naſci dignatus es: iube hunc immundiſſimum ſpiritum de puella hac pro tui nominis gloria exire: vt plaſma tuum ſuperbus inuaſor deſerat, & tibi Creatori ſuo creatura tua gaudens deſeruiat. Et cùm ſurrexiſſet ab oratione, apprehenſa dextera eius, alleuauit eam: Spiritus enim malignus conturbauerat eam, & impoſita manu ſuper caput eius, dixit: Impero tibi in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti ſpiritus immunde, vt exeas & recedas ab hoc plaſmate Dei. Et cùm hæc dixiſſet, aperiens illa oculos, reſpexit in eum, & ſpiritus malignus his verbis eum allocutus eſt: Tune es, ait, Gallus, qui de habitationibus me expuliſti prioribus? Ego planè ob vltionem iniuriæ, quam dux iſte tibi & ſocijs tuis erogauit, filiam ipſius inuaſi, & ſic eijcis me? Si hinc exiero, quò vadam? Illuc, ait, vbi tibi paratur in abyſſo ſupplicium ſempiternum à Domino. Et ſtatim videntibus, qui aderant, exiuit de ore puellæ quaſi auis negerrima, & horrore terribilis. Hora eadem ſana ſurrexit, & à viro Dei gaudens gaudenti reddita eſt matri.

Eginardus. 850.

De Tranſlatione SS. Marcellini & Petri lib. 3. cap. 13. Sub idem ferè tempus, cùm Ratleicus à nobis ad Baſilicam Martyrum regreſſus eſt, allatus eſt nobis inde alter libellus, continens verba & ratiocinationem cuiuſdam dæmonis, qui ſe VViggonem nominauit: quæ facta eſt ab eo corã multis teſtibus ante altare, iuxta quod ſacri Martyrũ cineres repoſiti ſunt, ad interrogationem presbyteri, qui exorciſmum ſuper energumenum legerat: quod hoc modo contigiſſe narratur. Prædium eſt in pago Nithagonne, vocabulo Hecgſtat, pertinens ad monaſterium S. Nazarij: de quo puella quædam annorum circiter ſedecim, ab eodem erratico ſpiritu poſſeſſa, ad Baſilicam Martyrum à parentibus ſuis adducta eſt. Quæ cùm ante tumbam ſacra corpora continentem veniſſet, & presbyter ſuper caput eius exorciſmum ſecundùm conſuetudinem perlegiſſet, ac deinde dæmonem qualiter, & quando in ea fuiſſet ingreſſus percontari cœpiſſet: non barbara lingua, quam ſolam puella nouerat, ſed Romana locutione presbytero reſpondit. Cumque presbyter miraretur, atque interrogaret, vnde illi Latinæ linguæ notitia, cùm parẽtes eius, qui ibi præſentes aſtabant, huiuſcemodi ſermonem penitus ignorarent. Parentes, inquit, meos nunquam vidiſti. Tum presbyter: Tu ergo, inquit, vnde es, ſi iſti non ſunt parentes tui? Et dæmon per puellam: Ego, ait, ſum ſatelles atque diſcipulus Sataną, & multo iam tempore apud inferos ianitor fui: ſed modò per annos aliquot cum ſocijs meis vndecim regnum Francorum vaſtaui, frumentum, & vinum, & omnes alias fruges, quæ ad vſum hominum de terra naſcuntur, iuxta quod iuſſi eramus, enecãdo deleuimus: pecora morbis interfecimus, luem ac peſtilentiam in ipſos homines immiſimus. Hîc cùm presbyter ab eo quæreret, quanam de cauſa ei fuiſſet huiuſmodi cõceſſa poteſtas: Propter malitiã, inquit, populi huius, &c. Hæc omnia dæmon per os barbaræ puellæ Latinè locutus eſt. Et cùm presbyter imperando vrgere cœpiſſet, vt exiret: Exibo, inquit, non propter tuum imperium, ſed propter Sanctorum poteſtatẽ, qui me in illa diutius manere non permittunt. His dictis, puellam in pauimentum proiecit, atque ibi aliquantulum velut dormientem prono corpore iacere fecit. Poſt paululũ verò illo recedente, quaſi de ſomno euigilans, per virtutem Chriſti & merita beatorum Martyrum puella cunctis, qui aderant, cernẽtibus, atque mirantibus ſana ſurrexit, nec poſt exactum à ſe dæmonem Latinè loqui potuit, vt palam poſſet intelligi, non illam per ſe, ſed dæmonem per os eius fuiſſe locutum.

Ratherius Veronenſis. 930.

De S. Vrſmaro: Altera die ordinante Dei prouidentia, adfuit B. Vrſmarus Epiſcopus. Cumque relatum ei fuiſſet de ea, quę à diabolo vexabatur, puella, iuſſit illicò ipſam ſibi exhiberi. Quod cùm factum fuiſſet, ille non de ſua, ſed de Domini preſumens virtute, accepto libro cœpit legere exorciſmum ſuper caput eius. Dehinc benedicto oleo nares, oculosque & os eius liniuit, & protinus immundum ab ea ſpiritum fugauit. Liberata tamen puella, pauor quidam, qui præſentia diaboli ſeminatus fuerat, adhuc pectoribus vicinorum inerat. At vir Domini præcepit ſibi aquam cum ſale deferri: quibus benedictis, iuſſit ſpargi per cuncta monaſterij loca: & ſic omnis pauor cum auctore ſuo Satana diſceſſit. Alio quoque tempore ducta eſt ad eum puella quædam ſecularis, plena dæmonio, quam iuſſit ſibi in oratorium deferri. Quo facto præcepit eam vinculis, quibus ſtringebatur, abſolui: & poſthæc cœpit Dei potentiam ſuper caput ipſius inuocare, ipſumque dæmonẽ, vt à plaſmate Dei viui recederet, increpare. Mirum in modum hoſtis ille antiquus cœpit continuò anxiari & fremere, diuerſasque ac diras voces emittere. Sanctus verò Vrſmarus iuſſit eam extra oratorium trahi, ipſeque ſubſequens, percuſſit eam tribus vicibus baculo, quem geſtabat manibus: Tum ſpiritus nequam exijt ab ea tam celeriter, ac ſi ipſe fuiſſet percuſſus. Quã mox beatus Pontifex ſaniſſimam oratorio reddidit, perungensque oleo benedicto, liberam abire permiſit.

Fridegodus. 956.

Vitæ S. Audoeni Epiſcopi cap. 28. Cùm eius vrbis eccleſiam ingrederetur mulier quædam dæmoniaca, vexari cœpit miſerabiliter, frendensque dentibus in virum Dei rapido curſu inuehebatur. At vir beatus manu caput eius ſtringens, ilicò dæmonem eiecit, ſanamque illam parentibus reddidit.

Cap. 32. Ad ſepulchrum eius cæci illuminantur, dæmoniaci curantur, & diuerſi languores ſanantur.

Petrus Damianus. 1050.

Epiſtola 2. Leo ſedis Apoſtolicæ Præſul tantam extra meritum gratiam à Domino fuerat conſecutus, vt virtutes ac ſigna frequenter oſtenderet, vltrò etiam cum magnæ auctoritatis imperio obſeſſis corporibus dæmones effugaret. Inter quæ nimirum ſigna virtutum & illud aliquando contigit, vt eodem ſanctæ memoriæ Leone præſente dæmoniacus aſtitiſſet: cumque præfatus Epiſcopus nequitiæ ſpiritum abire præciperet, ille autem quibuſdam verbis peruicacis ſuperbiæ reſultaret, tandem per nomen Chriſti terribiliter adiuratus, reniti vltra non potuit. Cumque caput miſeri hominis huc illucque contunderet, & quodam horrore pauendo capitulos in altum ſubrigeret, & os quaſi ad euomendum quibuſdam conatibus aperiret, protinus ſubiecit Epiſcopus: Nequaquam, inquit, per os egredieris, vt niteris: omninò fruſtrabitur quod moliris: per poſteriora te exire præcipio. Nam tibi aditum oris non permitto: per ſordidos ergo meatus, immunde habitator, egredere, & fœda poſtè, vt dignus es, veſtigia derelinque. Vix verba compleuerat, & continuò nequiſſimus ſpiritus fluxu ventris eiectus eſt.

Rodo Treuirenſis. 1070.

In Martyrologio 7. Auguſti de martyrio S. Donati: Amphorianus attulit filium ſuum dæmoniacum ad beatum Donatum. Quo orante ſimul cum Satyro Epiſcopo & Hilarino expulſus dæmon puerum ſanum reliquit.

Adamus Bremenſis. 1080.

Lib. 1. c. 36. De S. Remberto: Sed & filium regis dicitur à dæmonio liberaſſe. Vbi multis aſtantibus Epiſcopis ſpiritus immundus ſæpe clamabat ex ore vexati: Rembertum ſolum inter eos dignè commiſſum egiſſe officium: ipſum ergo ſibi eſſe cruciatui.

Anſelmus. 1080.

In Elucidario: DISC. Poſſunt dæmones obſidere quos volunt? MAG. Gregem porcorum intrare non potuerunt, niſi permiſſi, quanto minus homines? Aliquando viri ſancti corpus obſident, illi ad coronam, ſibi ad pœnam: malorum autem animas ſemper obſident, interdum etiam corpora necant.

Liſiardus. 1100.

Vitæ S. Arnulphi Sueſſionenſis Epiſcopi cap. 24. Adoleſcens quidam infeſtiſſima dæmonum obſidione correptus, vinculis & catenis colligatus, non potuit domari: ſed quotquot contingere poterat, morſibus lacerabat. Tandem à multis vtcunque ſuperatus, & conſtrictus, cum multa vi pertractus eſt ad S. Medardi eccleſiam, vbi viro Dei indicatum eſt de eo. Qui miſeratus peſſimè captiuum, iuſſit eum ad ſe adduci. Cumq; propius acceſſiſſet, mox vt vir Dei illũ vidit, ſignum crucis edidit, dicens illis, qui eũ trahebant: Diſſoluite illũ. Illis reſpõdentibus, ſe id nullo pacto facere audere, nè fortè ab illo perimerentur, vir Dei ait: Iam dixi vobis, diſſoluite eum nihil metuentes. Tum illi ægrè ſanè manus apponunt, hominemque à vinculis abſoluunt. Ille ſolutus, mox pronus corruit in terram, & adorauit. Iam enim, poſtquam Chriſti ſeruum viderat, & ab eo fuerat conſignatus, vis inimici in illo fracta quieuit, &c. Tum vir Dei, irrogata illi pœnitentiæ mulcta, ſanum & incolumem, ſanaque mente præditum, à ſe dimiſit, non ſolùm legione dæmonum, ſed etiam humani ſanguinis hauriendi innata crudelitate liberatum.

Sigebertus Gemblacenſis. 1110.

Vitæ S. Maclouij capite 16. In pago vrbis Alethæ filiam habebat vir quidam prænobilis, quam miſerabiliter vexabat diabolicæ infeſtationis paſſio intolerabilis. Omnes enim ſe contingentes attrectabat morſibus, nec ipſis parcebat parentibus, nec comprimi aut ſedari poterat huius malę valetudinis vehementia, niſi ferreis catenis arctaretur tam immanis inſania. Pater, cuius animo, filia ægrotante, nihil poterat eſſe iucundum, ad medendum filiæ ſuæ felicem inuitat Macloiuium, quem olim audierat in curationum efficacia eſſe glorioſum. Nec differt ille miſericordiam, ſed credens quia facilè eſt Deo præſtare fideliter petenti medelam, pergit ad puellam: & volens diabolicæ malitiæ comprimere dolum, ſudarium ſuum proiecit in furentis puellæ collum. Tunc verò potuiſſes audire horribiles voces dæmonum, ſeruo Dei in hæc verba exprobrantium: O tranſmarine incola, non

potuit te sustinere patria tua, qui venisti huc quærere aliena, & nos expellere de regione nostra, &c. Sciens Maclouius *hoc genus dæmoniorum non ejci, nisi oratione & ieiunio*, fusa super aquam exorcismi oratione, & addita Episcopali benedictione potum dedit puellæ. Per aquæ benedictæ poculum, infusa virtute benedictionis per membra puellæ, diabolica immissione diu contrita, cecidit in terram puella quasi mortua. Paulò pòst resumpto spiritu, surrexit sana & læta, effugato pessimi peruasoris impetu, & lætificauit alios pro integro restauratæ incolumitatis statu. Matt.17.

Hugo Folietinus. 1120.

De claustro animæ libro 4. cap. 26. Et sunt nonnulli, qui etiam de obsessis corporibus malignos spiritus fugant, eosque virtute orationis & vi acceptæ potestatis ejciunt.

Rupertus Tutiensis. 1120.

De Vita S. Hereberti cap. 17. Concionante Hereberto (*de diaboli expoliatione*) in maxima turba audientium quidam aderat, ab eodem forti & tenebrarum principe corporaliter obsessus, & ob hoc nexibus duris obstrictus. Iam antea per multa Sanctorum loca fuerat deductus, vt meritis Sanctorum liberaretur, & non prouenerat illi optata salus: quia videlicet liberatio eius beatissimi huius meritis per Dei prouidentiam reseruabatur. Cùm igitur sermo eiusmodi ab ore beati viri profluer et, non sustinuit virtutem virtutis fortitudo inimici, qui ad singula dicta, tanquam ad totidem verbera, vehementius eiulabat, dentibusque miserrimi hominis tamquam suis in semetipso stridebat, audiens illas, quibus à Christo victus narrabatur historias. Itaque qui iam notus fuerat multis homo captiuus, omnibus innotuit, dum clamoribus cunctorum silentia turbaret, atque ad audiendum Dei verbum intentam totius regionis multitudinem solus inquietaret. Ad clamores eius maximè vir ille misericordiæ filius totus intendit, & sermonem, quem habebat in ore, prosequi non prævalens, quoniam magnitudine compassionis occupabatur, orabat tacita mente, vt in vno manifestaretur homine virtus Liberatoris, qui totum mundum liberauit. Hæc tacitus orans, iterum atque iterum de industria repetebat capitulum, victoris Christi gloriam, & victi diaboli referens ruinam: ita vt mente excessisse videretur, vnam eandemque toties iterando sententiam, flens pariter, & vberibus, quod perpulchrum est, lachrymis perornans oris eloquentiam. Non ergo sustinuit ille hostis antiquus, sed virtute verbi omnipotentis coactus effugit, liberumque, què diu possederat, hominem reliquit. Illo namque exturbato, is, qui vinctus à multis tenebatur, placido sermone: Obsecro, inquit, soluite me, vt ea, quæ beatus ille Pontifex loquitur, possim & ego quietus audire.

Bernardus. 1130.

Vitæ Malachiæ cap. 25. Erat mulier in ciuitate Culratim dæmonium habens. Vocatus est Malachias: orat pro addicta: vrget inuasorem: exit. Sed nondum exaturata nequitia eius, miseram inuadit mulierculam, quæ fortè propè assisteret. Et Malachias: Non ad hoc, inquit, tibi illam tuli, vt hanc peruaderes: exi & ab ea. Paret, sed repetit priorem. Qua denuò pulsus, recurrit in alteram. Ita per aliquod spatium alternatim vexabat illas, hinc inde refugiens. Tunc Sanctus indignans sibi illudi à dæmone, colligensque spiritum, infremuit, & totis viribus fidei facto impetu in aduersarium, ab vtraque fugauit: & quidem non minus vexatum his, quas vexauerat ipse.

Petrus Lombardus. 1140.

Lib. 2. dist. 8. Illud etiam consideratione dignissimum videtur, vtrum dæmones, siue corporei, siue incorporei sint, hominum substantialiter intrent corpora, eorumque animabus illabantur: an ideo intrare dicantur, quia malitiæ suæ ibi effectum exercent, Dei permissione opprimendo atque vexando eas, vel in peccatum pro voluntate sua trahendo, &c. Quòd in homines introeant, atque ab ijs expulsi exeant, Euangelium apertè declarat, commemorans dæmonia in quosdam ingressa, & per Christum eiecta: sed vtrum secundùm substantiam fuerint ingressa, an propter mali effectum dicantur ingressa, non adeò perspicuum est. De hoc autem Gennadius in definitionibus Ecclesiasticorum dogmatum ait: Dæmones per energicam operationem non credimus substantialiter illabi animæ, sed applicatione & oppressione vniri. Illabi autem menti illi soli possibile est, qui creauit, qui natura subsistens incorporeus, capabilis est suæ factura. Ecce hìc videtur insinuare, quòd substantialiter non illabantur dæmones, vel introeant corda hominum, &c.

Gerardus Nazarethanus. 1140.

De Conuersatione seruorum Dei cap. 20. Ad monachum quendam nouitium, à Diabolo obsessum, aqua benedicta, crux, & corpus Dominicum adferuntur: verùm diabolo recedere detrectante, frater ille scutica cæsus tandem liberatus est.

Helmoldus Presbyter. 1170.

In Chronico Schlauorum lib. 1. cap. 56. Venerabilis sacerdos Vicelinus, cæteriquè prædicatores verbi, continuerunt se in Faldrensi ecclesia, orationibus & ieiunijs assiduè intenti. Dedit ergo ijs Dominus gratiam sanitatum, iuxta quod ipse pollicitus est, infirmos sanare, dæmones effugare. Quid enim dicam de arreptitijs? Obsessorum, qui latè aduecti sunt, plena erat domus, ita vt fratres quiescere non possent, clamantes sanctorum virorum præsentia ignes suos accendi. Sed quis illuc venit, & Dei gratia liberatus non est? In diebus illis contigit virginem quandam, Imre dictam, vexari à dæmone, & ad Vicelinum sacerdotem perduci: quem cùm interrogationibus vrgeret, cur vas incorruptum ipse auctor corruptelæ temerare præsumpsisset? Ille diserta voce respondit: quia tertiò me offendit. In quo, ait, te offendit? Quia, inquit, negotium meũ præpediuit. Bis enim transmisi fures ad perfodiendum domum, sed hæc assidens focis, clamoribus suis eos absterruit. Cùm vir Dei coniurationum verba aduersus eum coaceruaret, ille, cur, inquit, propellis paratum vltrò egredi? Iam enim abibo ad proximam villam visitaturus sodales meos, qui ibi delitescunt. Hoc enim in mandatis accepi, priusquam in Daniam proficiscar. Quod tibi, ait, nomẽ? Ego, inquit, Ruffinus vocor: porrò sodales mei, de quibus requiris, duo hìc sunt, vnus cum Rothesto, alter cum muliere quadam eiusdem oppidi. Hos ergo hodie visitabo, craftina, priusquam ecclesiæ signum Primam increpuerit, huc valedicturus reuertar, & ita demum in Daniam proficiscar. Et hæc dicens egressus est: virgo quoq; passione vexationis liberata. Tunc iussit eam sacerdos refici, & craftina ante horam Primæ ad Ecclesiam reduci. Quam cùm parentes proximo mane ad Ecclesiam ducerent, priusquam limen calcarent, & Prima pulsari, & virgo vexari cœpit. Nec tamen boni pastoris diligentia prius abstitit, quàm spiritus, præsidẽtis potentia Dei actus, abscessit. Porrò ea, quæ de Rothesto prædixerat, rei exitus probauit: nam in breui maligno spiritu acerrimè correptus, laqueo semet strangulauit.

Guilhelmus Abbas. 1180.

Vita S. Bernardi lib. 2. cap. 2. Inter ipsarum Missarũ solennia, dum clericis cernentibus Bernardus secus altare sederet, paruulam ei puellam offerentes, quam vehementi impetu vexabat diabolus, orant, vt miserè sibi subueniat, & diabolum in ea debacchantem elidat. Audita supplicatione astantium, intuitus personam dentibus frendentem, & stridentem, vt etiam intuentibus esset horrori: compassus est ætati, & vehementiæ anxietatis illius condoluit. Patenam igitur calicis, in quo diuina celebraturus erat mysteria, postulat: in qua digitis superfuso latice, intra se orans, & de Domini virtute confidens, ori puellæ salubrem potum applicat, & corpori eius stillam medicinalem infundit. Nec mora, quasi vreretur Satanas, infusionis illius virtutem ferre non potuit: sed vrgente intrinsecus crucis antidoto, festinanter egrediens, vomitu sordidissimo tremebundus erupit. Sic persona purgata, diabolo profugo & confuso, laudes debitas canit Ecclesia, &c.

Theodoricus Benedictinus. 1200.

Vita S. Hildegardis lib. 3. cap. 26. Mulierem quandã acriter à dæmonio muto vexatam, cùm ad se magno labore virorum in lecto deportata esset, pia mater audaciæ & præsumptioni dæmonis, verbis è Spiritu sancto prolatis, confidenter resistens, ab orationibus & benedictionibus nõ cessauit, quousque per gratiam Dei ab hoste maligno eam liberauit.

Sigeberti Continuator. 1200.

De anno 1122. Norbertus apud Nigellam puellam quandam à dæmonio obsessam exorcizans, à dæmone irridetur: qui Cantica canticorum per os puellæ vsque ad finem recitauit, eaq; postea Latinè & Germanicè interpretatus est, sed tandem acriter Episcopo instante expellitur.

Cæsarius Heisterbacchius. 1220.

Lib. 5. cap. 10. & 11. Sentiunt, & timent dæmones pœnam sibi præparatam. Hinc est, quòd omnes exorcismi, qui ad illorum nequitiam eneruandã fiunt, per ignem & extremum iudicium concluduntur. Quàm parati sint ad nocendum hominibus, alijs tibi ostendam exemplis. Dum Abbas noster anno præterito in monte S. Saluatoris, iuxta Aquisgrani, Missam celebraret, finita Missa oblata est mulier obsessa, super cuius caput cùm legisset lectionem Euangelicam de Ascensione, & ad illa verba: *Super ægros manus imponent, & bene habebunt*, manum capiti eius imposuisset, dæmon vocem emisit tam horribilẽ, vt omnes terreremur. Adiuratus vt exiret, respondit, nondum vult Altissimus. Interrogatus quomodo intrasset, nec ipse respondit, nec mulierem respondere permisit: postea confessa est, ad vocem mariti sui, in commotione animi sui dicentis: Vade diabolo, quòd intrare illum senserit per auriculam. Marc.16.

Guilhelmus Aluernus. 1230.

Secunda partis de Vniuerso part. 3. cap. 13. Nonnulli ex peritioribus Medicis opinati sunt arreptiones huiusmodi in hominibus non operari malignos spiritus: quod quidem opinari stultissimum est. Hoc enim est, tamquam si quis diceret, mortem non irrogari veneno, vel gladio, propter hoc, quoniam ex corruptionibus humorum, aut mẽbrorum accidit. Quamuis namque & à rebus forinsecis passiones huiusmodi sæpe perueniant: nihilominus facilè est malignis spiritibus, ad eiusmodi organa appropinquantibus, similes illis imprimere passiones, & impressiones applicatione sua, vel coniunctione ad illa.

Vincentius Burgundus. 1250.

In Speculo historiali lib. 23. capite 143. de S. Albino: Dum quædam mulier arrepta maligno spiritu se beatissimo viro Albino vociferans & eiulãs præsentaret, mox aduersarius ipse super eius oculum similitudinem vesicæ sanguineæ collegit: tunc Pontifex faciens signum crucis increpauit malignum, dicens: Inimice oculum, quem non dedisti, nec potes auferre. Mox de collectione vesicæ in phlebotomi similitudinem subtiliter sanguis erupit; quo fluente sine læsione, immundus hostis euanuit, & puella incolumis, imperante signo crucis euasit.

Matthæus Parisius. 1250.

In historia Anglicana, de anno 1217. Quidam ex hostibus, dum Ecclesiam beati Amphibali spoliarent, crucem quandam argenteam & deauratã, in qua portio quedam Dominicę crucis continebatur, tollens in sinu suo, socijs ignorãtibus abscondit. Sed antequam ab ædibus oratorij recessisset, à dæmone correptus corruit in terram, dentibus stridens, & ore spumans, surgensq; festinanter à dæmonio agitatus, in socios ensem vibrare disposuit. At illi eius miseriæ condolentes, ligatis manibus illius, causam penitus ignorantes, ad Ecclesiam de Flastude perduxerunt in suprema furia constitutũ. Vbi vidente presbytero, & multis alijs, crux prædicta cecidit in terram, de sinu exiliens furiosi. Quam reuerenter ac stupens presbyter arripiens, & à terra in editum eleuans, quid hoc esset à prædonibus requisiuit. Tandem in se reuersi, cognouerũt per virtutem animaduersionis diuinæ, quòd crucem furtim sustulisset, &c.

Bonauentura. 1250.

Vitæ S. Francisci cap. 12. In castro S. Gemini seruus Dei à quodam deuoto viro susceptus, cuius vxor à dæmonio vexabatur, post orationem factam, in virtute obedientiæ imperauit dæmoni, vt exiret; eumq; potestate diuina tam subitò effugauit, vt verè claresceret, quòd obedientiæ sanctæ virtuti peruicacia dæmonum non obsistat. In ciuitate de Castello quidam furibundus & nequam spiritus quandam obsidens mulierem, à viro sancto obedientiæ accepto mandato indignabundus discessit, mente simul & corpore liberam obsessam prius fœminam derelinquens.

Thomas Lentinus. 1250.

In Vita Petri Mediolanensis: Complures dæmoniacos diuersisq; vexatos morbis solo contactu, vel crucis signo curauit, sicut multorum fide dignorum testimonijs est comprobatum.

Nicolaus Lyranus. 1320.

Ad cap. 9. Matthæi: Arreptitij aliquãdo loquuntur idioma ijs ignotum, sicut purus laicus Latinum; & hoc est manifestum signum, quòd sic loquens sit dæmoniacus: quia talis locutio non potest procedere, nisi ab aliquo intellectu. Et ideo cùm nõ procedat ab intellectu hominis, tale idioma ignorantis, sequitur quòd procedat ab intellectu Angeli vel dæmonis linguam sic mouentis.

Raimundus Capuanus. 1380.

In Vita Catharinæ Senensis: Filia Michaëlis Monaldi, Laurentia nomine, annorum scilicet octo, à dæmone arrepta est, adeoq; molesta fuit illi monasterio, vt pater eius coactus sit eam è monasterio educere. Multis autem modis dabant operam parentes eius, vt innocẽs puella à nequissimo spiritu posset liberari: sed nihil proficiebant, Christo eam curationis gratiam seruante Catharinæ virgini: ad quam cùm esset adducta, illa ad solitum precum refugium se confert, puellamq; flexis genibus orare cõpellit: ita nocte tota peruigil

cum dæmone pugnans, ante lucem coëgit, licet inuitum, illum abscedere, nihil læsa puella.

Ioannes Niderus. 1430.

Lib. 5. de Formicis cap. 11. Diuersimodè diuersi possidentur, quidam plus, alij minus per dæmones, à quibus non semper potenter possidentur, nec propter quodlibet mortale peccatum quis possidetur, &c.

Bernardinus Senensis. 1440.

Tom. 4. de amore ineffabili Serm. 41. fol. 207. Si videris aliquem dæmoniacum, si vultis eum liberare, adeatis aliquem sanctum virum, vel aliquem habentem magnam fidem in nomine Iesu, qui non sit in peccato mortali, & nominet ei nomen Iesu super illo dæmoniaco, & liberabitur, si erit pro meliori animæ suæ. Vnde inter cætera miracula in hoc proposito habetis, quòd dum S Bernardus Mediolani rogaret pro vno dæmoniaco Deum, dæmon, qui tenebat illum, loquendo dixit: Non exibo propter te Bernarde, sed bene exibo propter magnum Dominum.

Bernardus Iustinianus. 1450.

Vitæ Laurentij Iustiniani cap. 8. Neque minor in eo fuit dæmoniorum depellendorum & discernendorum gratia spiritum. Qui adfuit, & vidit, mihi narrauit, mulierem ad eum deductam, spumãtem ore, & dentibus frendentem. Quod ille videns: Attulistis, inquit, mihi hunc dæmonem tamquã ad Apostolum. Ite fratres, & quærite, qui sit me sanctior. Sum enim homo peccator. Enimuerò illi magis orabant, genibus prouoluti: Age, inquit, valeat fides vestra, quæ Chananææ profuit, & centurioni. Impositа arreptitij capiti manu: Quid, inquit, male dæmon venisti pauperculam hanc vexare? vbi nunc superbia tua, cùm de cælo decidisti? Non te pudet depugnare cum muliercula? Age, dimitte illam: Dominus Iesus te præcipitem agit: signaculo suo insignita est. Videres inter hæc verba illam contumaciam, atque oris distorti prauitatem explanari, illum tremorem palloremq; in naturalem verti faciem. Admirantibus omnibus, & omnipotenti Deo gloriam reddentibus liberata est.

Matt. 15. & 18.

Antonius Bonfinius. 1480.

Rerum Vngaricarum lib. 1. decad. 2. Eo die, quo Adelbertus Boëmorum designatus est Episcopus, quidam à Diaboli vinculis inter exorcizandum liberatur, spiritu immundo querula clamãte voce, nõ se in hoc suo theatro deinceps residere posse, quia Adelberti aduẽtu omnes Bohemiæ regno excedere cogerentur diaboli.

Hieronymus Emserus. 1520.

Vitæ S. Bennonis cap. 32. Matrona quædam Misnẽsis diœcesis, ex villa Pretzindorff propè Friburgum, nostra hac tempestate à dæmone arrepta ad sepulchrum D. Bennonis adducta, cùm nullus dæmon ab ea exorcismis fugari posset, induta est tandem D. Bennonis casula, & datus in manu baculus pastoralis, quo facto exclamauit dæmon: Nunc tempus est vt egrediar: relinquam tamen hospitæ meæ signum, quo mei perpetuò meminerit: moxq; aperto altero mulieris crure, terribiliter elisus est. Foramen autem, quod ille fecerat, nulla medicorũ arte sanabile, mulier adhuc hodie gestat, &, vt est timendum, donec vixerit non abolebitur.

Thomas Fazellus. 1540.

De rebus Siculis prioris decadis lib. 10. de Argyre peruetusta vrbe: Dæmones Christi cultus abhorret, (etsi diuersum Peripatetici Platonicique tueri studeant) eosq; incorporeos esse, & non natura facinorosos, sed à condito propè æuo cælo dilapsos, non alia de causa, quàm quòd in principis sui antesignani, à diuinę mentis placito arroganter deficientis, noxam temeraria æmulatione consenserint, palam prædicat. Ab his igitur quorundam hominum corpora obsideri idem cultus asserit: quæ arreptitia à Theologis appellantur. In quibus illud maximè est admirãdum, quòd mulieres, rusticosq;, ac idiotas aliquando Latinè, plerumque Græcè, & nonnunquam de naturæ rebus, ac supercælestibus etiam, tam doctè quàm eleganter loqui, animorumq; suos cuiq; conceptus (quos secreta cordis vocant) quod longè est mirabilius, enarrare non semel à me expertum visumq; est, quos tamen non nisi ex prodentibus se prius quibusdam in corpore notis, quas nostrates coniecturas appellant, dæmones deprehendere, eorũq; illi suggestu pronuntiare possunt. Eorum igitur multitudo, quæ in Sicilia est maxima, ad D. Philippi templum, aramq; quotannis, incolumitatis impetrandæ gratia, deferuntur: vnde aut nunquam, aut quàm rarissimè, nisi præsentissimo numinis remedio liberati discedunt. Sed nõ possum hoc loco non admirari quorundam imprudentiam, qui non in dæmones, sed in morbum, quem melancholiam nominant, siue in naturalem atrę bilis occupationem hanc arreptitiam referunt. Quos vt refellam, collatione id me quàm rectissimè consecuturum putaui. Atrum igitur humorem, tum natura, insitoue temperamento, tum etiam quotidiani victus ratione, Hippocrates & Galenus humanis corporibus ingenerari tradiderunt. Vtroq; autem modo genitus, vel à frigidiori siccaq; naturali temperatura, terrestriq; ac frigidò & sicco victu, quem propriè humorem melancholicum, atrabilariúmve, ac succum, siue sanguinem melancholicum appellârunt: vel ab impensè calido igneoq; naturali temperamento, pariterq; ad exustionem promptovictu exoritur: quem atram bilem, & nigram choleram vocant. Proinde vtrinq;, si mentis sedes offendatur, melancholiam: sin verò corporis meatus obstruantur, comitialem morbum gigni censuerunt. Igitur, si frigescat, attonitos, obtorpentes, anxios, mœroris plenos, taciturnos, formidolosos, & quandoq; absq; febre deliros, plura imaginantes, ac solitarios: si incalescat, percitos, ingeniosos, & ad omnem excandescentiam, & cupiditatem propensiores, & loquaciores facit. Si morbosa dispositio mentem afficit, non deliros modò, maniacos, ac furentes, sed & diuino quasi numine afflatos, vates, atque futura prædicentes quandoque gignit. Ex quo Sibyllæ efficiuntur & Bacchides. Hinc fœminas aliquot rudes, & omnium scientiarum expertes, dum ab eo atræ bilis genere corripiuntur, sensibus corporis tunc quiescentibus, de Philosophia & sciẽtiarum quarumlibet arcanis, tum Latino sermone differere, tũ præsagire sunt arbitrati. Affirmantq; id Maraci Syracusani exemplo, quod Aristoteles producit, qui quoties à mente alienabatur, poëtam insigniter præstabat. Illiteratæ etiam cuiusdam mulieris, cuius Petrus Aponus, Aristotelis Commentator, meminit, facto, quæ dum atra bile ægitabatur, Latinè; cessante verò ea, non nisi vernaculè callẽbat, identidem astruunt. Atque his demum rationibus inferunt, ex effectuum similitudine, hanc quoque arreptitiã ægritudini potius, quàm dæmonum instinctibus ininiti debere. Hæc sunt illa, quæ Philosophi & Medici de atra bile, & eius vi iniqua comparatione tradiderunt. At longè vehementiores, inhumanioresq; sunt hi effectus, gestus, habitusq;, quos in arreptis nõ morbus, aut natura, (omnem siquidem eorum vim excedunt) sed dæmonum insultus producunt. Quos, vt ipse vidi, cogor hîc ex pro-

ex professionis instituto adijcere. Enimuerò anno salutis 1541. solenni D. Philippi festo, dum Argyræ vnà cũ alijs religionis instinctu interessem, ducentas penè ibi arreptitias fœminas offendi. Mirum erat, ac horrendum spectaculum, videre eas, nõ ex sese, sed ex dæmonis, qui in earum corpora imperium occupauerat, ludibrijs agitatas, voces in sublime efferre, omni amictu ac verecũdia abiectis rotare crines, stridere dẽtibus, os oculosq; distorquere, spumam emittere, brachia ac totum penè corpus in altum magna vi sustollere, volubilem linguam turgere, guttur & illius venas intumescere, & denique furorem inauditum totis membris concipere. Græcè quasdam, plerasq; Latinè, Saracenicè alias loqui, ita perfectè, vt nihil purius ab expertissimo quoque in suo genere proferri possit. Cordium postremò conceptus, & quæ clam quisq; & sibi vni cognita perpetrauerat facinora, mulierem quandam Leontinam ignominiosè cuique exprobrare. Nocte illa, quæ sacra præcessit, arreptitiæ hæ ad præcipuum templi altare cum custodibus suis absq; vllo morbi signo, quasi prorsus incolumes quiescebant, Diui Philippi simulachrum ex adytis, quæ iuxta sunt, exportandum præstolantes. Manè verò aperta adyti ianua, Diuiq; signo ostenso, vt illud arreptæ conspexerunt, mox, ac si hostis capitalis adesset, illius aspectum formidantes, voce sublata, vestimenta scindere, crines vellere, vinculisq;, quibus strictissimè impediebantur, diffractis, quędam etiam è custodum manibus elabi cœpêre, quarum dein inusitati clamores, omniq; gemitu maiores, veluti rugitus immanes, ita toto templo, vicinisq; agris personuêre, vt è propinquo bellum ingens ac sæuum, cruentissimumq; prælium committi videretur. Ibiq; tum Ragusana quędam mulier, cunctis spectãtibus, mox curata est, signo perspectissimo relicto. Pendebat namque à fune supra altare sinistrum candelabrum æneum, lampadibus ac lychnis pluribus pellucidũ, à terra octo circiter cubitos eleuatum: quod ipso illo, quo liberabatur momento, nullo, qui quidem videretur, mouente, lampadibus omnibus dissipatis (mirum visu) crebris motibus, molaris rotæ instar, quàm velocissimè totũ inuersum est. Accedant huc velim nunc, qui Philosophi cẽsentur, & in atram bilem hos effectus referãt. Ecce mobile: ecce motum euidentissimũ: vbi quęso iam est motor? Num atra bilis tanti erat vigoris, vt non modò corpus, quod afficit; sed & distans, & inanimatum mouere posset? Semota sunt à Philosophiæ placitis, quinimò & ridicula sunt hæc omnia. Quocirca & à separata natura (cuiusmodi dæmonem esse constat) quæ à puella recesserat, candelabrum fuisse motum proculdubio censendum est. Sed ad pompam ipsam venio. Viri igitur, qui vel sacerdotio, vel dignitate præstabant, celeberrimam longo ordine pompam deducentes, D. Philippi imaginem, subnigram quidem illam, ac visu horribilem præcedebant: quam subinde conditionis cuiusuis viri, & mulieres innumeræ, ferè cum cereis thure etiam ardẽtibus permixtim sequebantur. Cumq; ad templi medium, vbi ara erat, peruentum esset: Leontina mulier quędam, quæ à quodã sacerdote sinu portabatur, plures iã annos dęmonio detẽta, edita voce ad cęteras versa, signo manu facto: Forti (ex. lamauit) animo estote, nullus abscedat, dies hic iã occidet. Hæc cùm ego audissem, obstupui, & eum, quo illa obsidebatur, esse inter dæmones principem, ex verbis, vultu præterea, audacia, ac imperio, quibus cæteris præstare videbatur, non absurdè cognoscerem. Cùm paulatim eodem ordine procedendo feretrum iam ad valuas templi primarias peruasisset, eadem illa mulier, ex editori loco, in gradu templi vltimo, conspiciens omnem arreptitiorum turbam sibi subiectam, substitit, appellatisq; omnibus, ac manu demonstratis, rursum vernaculè; Absit, inquit, metus, procul hinc terror abeat. Iam adueſperascit, iam ad occasum vergit hic dies nobis infensus, atque hostis acerrimus. Abijcite timorem: nullus vestrũm recedat: abstãt curæ, sufferte parumper: iam occasus instat. Cui ex illis vna: Vim patior, respondit: compellor hinc exire. At princeps contrà: Vbi vires? resumas animum. Iam diei adest interitus. At illa iterum: Exire cogor. O cruces, ô tormenta, quæ patior. Quibus vix expressis, præmisso fremitu à numine Diui Philippi exactus ab ea recessit dæmon: & mulier modò ferocissima, inauditam continuò mansuetudinem induit. Sed & dæmon ab ipsa mox in seruum quendam hæc curiosius inspicientem, videntibus nobis ac mirantibus, transmigrauit. Qui vlulare, ingemiscere, dentibus frendere, ac sanguineis oculis occupatus furere è vestigio cœpit. Verùm paulò pòst & ille ad aram perductus, nullo labore pristinâ mentem liberamq; recepit. Accedant huc rursus velim, qui dæmones negant, & doceant, an bilis atra de corpore in corpus transire possit. Aderant ibidem sexãginta (inter cæteras) puellę Ciramenses, quæ vnà nocte hora, dum simul in eodem vico luderent, à dæmonibus fuerant occupatæ: quę omnes, & quotquot aliæ ad hæc sacra conuenerant, spectantibus nobis, mirabiliter liberatæ, & incolumitati restitutæ sunt. Sola tamen Leontina illa tanti beneficij fuit expers: quæ eo nomine re sacra peracta, quasi de victoria triumphans sese omnibus insolenter ostentabat. At cùm paulò pòst ad sacrarium esset perducta, ob mira eius tũ dicta, tum facta, à plerisq; proceribus circumdata, mirum quiddam atque inauditum perpetrauit. Erant namque ibi nobiscum plerique sacerdotes, qui dæmonem ab ea conceptis obsecrationibus expellere conabantur. Sed cùm frustra id sæpe tentatum esset, vir quidam patritius Catanensis leuconij massam, quæ D. Agathæ Catanensiũ tutelaris Reliquias tetigerat, chartula inuolutam clam sacerdoti eam custodienti obtulit: quam is statim inter eius vbera, sine vllo alterius verbi additamento iniecit, ratus illius numine aliquid effectum iri. At illa quater & pluries ante subodorato leuconio, in hæc ad extremum sublimi voce nos irridens verba prorupit: Non potis fuit (inquit) seruus ille niger (D. Philippum intelligens) hinc me expellere, & mulier hæc Catanensis (D. Agatham innuens) deturbabit? Minimè herculè. His igitur & nonnullis id genus alijs modis, dæmonis impetu, & non atra bili agitari se mulier Leontina liquidò nobis declarauit.

Cornelius Gemma Louaniensis. 1565.

De naturæ diuinæ characterismis lib. 2. cap. 2. Viderer mihi piaculum meriturus, si paterer silentio noctis inuolui splendidum miraculi genus, quod in vrbe Laudunensi Galliæ, ad veritatis firmamentum, ante tot millium ora atque oculos testatum voluit Deus. Ætatis & formæ florida mulier Nicolaa d' Aubrij, iam primùm connubio iuncta, vitæ & religionis integerrimæ, correpta dæmonio est secundo Nouembris die, anni nunc labentis, à Christo nato 1565. Quàm verò prodigiosa ipsius affectus specie, quãtis artibus dæmon quos ludos ediderit, quanta cum admiratione populi, cum Sacramenti Iesu Christi maiestate & gloria, plenius hi scripserunt, qui præsentes omnia contemplati, regendæ custodiendæq; mulieri præfuêre. Nam & horum vnus, fide dignissimus vir, Canonicus d' Espinoy, mihi ob curationem antiqua necessitudine iunctus, & rem narrauit ordine, cùm licuit coram, & Gallicis libellis exaratam

dono

dono misit. Quod præcipuum est dicam breuiter: Ostendit se prius fœminæ hic genius malus in forma defuncti, siue cadaueris, auum sese illius esse dictitans: postquam verò per sacerdotem, vi verbi sacri exæstuans, dæmonem se professus fuit, iam niger, hirsutus, ac longè supra quàm dudum terribili specie rursum inuisit, subreptamq; semel atque iterum, de loco in locum transtulit, demum post multa foris oblata phãtasmata, præcipuè cati, aut scarabei, crabronis, ipsummet iuuenculæ corpus obsedit. Hic blandiùs inter initia notos, ignotos pariter suis quemque nominibus compellare: multis, qui confessione sacra sese non expiassent, fanda infandaque detegere palam, donec exhibita per sacerdotem hostia sacra, velut iniecto fræno, conticesceret. Nec tamen penitus cessit, quin hostis ille humani generis, quò laboranti fœminæ omnem remedij saluberrimi viam interciperet, eandem sæpe momento temporis oculorum, aurium, oris officio & facultate priuãrat. Sed appositus ille cœlestis siue Angelicus panis mox omni actionum earum vinculo liberauit. Visum operæpretium fuit, laborantẽ theatro publico & in conspectu plurium collocare, vbi diuersa vice, verbis diuinis per Antistites sacros exagitatus spiritus nequam, sese secundum à Lucifero dixit, nec solum habitare hoc domicilio, sed omnium numerum esse triginta, quod & expressis signis pro vero habitum fuit, cùm translata paulò pòst ad Ecclesiam D. Virginis, effusis precibus repente dæmones 26. vno agmine atque in nimbi nigrantis speciem defluxêre. Non multò post tres alij in æde Sanctorum omniũ magno strepitu obsessam mulierem reliquerũt, eos fuisse ordinis tertij à Lucifero ex ipsorũ professione cõstabat. Permansit omnium princeps, quamuis inuitus, (vt ipse coactus prodidit,) prædicens insuper, quibus signis quisque discessum suum, plenamque liberationem mulieris in proximo esse cognosceret, neque id prius futurum esse quàm Laudunensis Episcopi opera pelleretur. Interea non cessabant publici ritus & sacra solennia, quibus quãdo intererat, tanta mox figurarum in habitu fœminæ secuta peruersio, tam horrenda facies visa est, vt omnem scribendi vim, omnéque transcendat mortalium fidem: iam moles triplo, quadruplo auctior; iam oculi recurui, flammei, horrendum intuentes, oui quantitate extuberãt foras; lingua oris hiatu amplissimo, nunc ad pectus vsq; nunc ad aures & tempora, in omnem dimensionem vibrata torquetur. Vnum asylum his omnibus in salutari nectare corporis Dei viui, cuius præpotenti radio, ceu solis accessu, raptim illæ nocturnæ tenebræ vanescebant, &c. Lectatam semel mulierem cum medico ferunt, quẽ & pugnis affectum dimisit cum ignominia. Adhibitæ sunt & ligaturæ, frictiones, cucurbitæ, sectiones variæ, vnguenta, antidota: tentatę omnes Machaonis artes, nulla viam fortuna regit. Demũ oblato sacramento dies cõtinuos tres per Episcopum Laudunensem precibus alijsque diuinis officijs ita compressus spiritus nequam, qui se Beelzebub nominãrat, 8. Februarij die edito signo victus erupit, terribili tonitru, vlulatu, fumo, flammaque sulphurea templi fastigium complens, actum primò certum liberationis suę argumẽtum mulier dedit, crucis amplexa imaginẽ, toto corpore in genua reclinans.

ARTICVLVS OCTAVVS.

MALOS ANGELOS, SEV DAEMONES, QVIBVS IN BAPTISMO RENVNTIAVIMVS, NON ESSE CONSVLENDOS, OBSERVANDOS, COLENDOS, INVOCANDOS: MAGOS, MALEFICOS, LAMIAS, PYTHONICOS, HARIOLOS, SORTILEGOS, &c. NON esse ferendos, sed puniendos.

NEGANT.

Anno ante natũ Christum.

1750. ZOROASTER, in oraculis Magicis capite de dæmonibus & sacrificijs, *dæmonum cultum & magiam probat: ideo à Plinio, Epiphanio, & alijs primus artis magicæ inuentor dicitur.*

1530. *Mercurius Trismegistus*, cap. 13. Asclepij, *dæmonum cultum & magica docet.*

1500. *Iannes, Mambres, & Balaam magicis artibus excellunt.* Exod. 7. Nume. 22.

post natũ Christũ 50. 2. Timoth. 3.

Simon Magus ita magicis artibus Romam dementauit, vt ab eis Deus decerneretur, & simulachri honore donaretur in insula Æsculapij inter duos pontes collocati, habentis etiã titulum Latinis literis scriptum: Simoni Deo sancto. Egesippus de excidio Hierosolymitano lib. 3. cap. 2. Irenæus, Iustinus, Eusebius &c. de Simone hoc.

100. *Gnostici magicas Simonis præstigias in apertum iure proferendas censuerunt: & non modò philtris amatorijs, curiosè ab illis elaboratis, & quibusdam dæmonibus, qui eorum animis nefaria iniecêre somnia, quibus illis*

illis assessores extitêre, verùm etiam alijs, non disparibus ineptijs, se iam tanquam rebus maximi ferè momenti & ponderis nobilitârunt. Eusebius lib. 4. cap. 7. Nicetas Choniates Orthodox. lib. 4. cap. 14.

120. *Basilidiani magicis artibus, incantationibus, & maleficijs vtuntur.* Irenæus lib. 1. cap. 23. Epiphanius hæresi 24. Theodoretus lib. 1. hæreticarum fabularum.

130. *Carpocratiani præstigijs vtuntur, & dæmones inuocant.* Theodoretus lib. 1. hæret. fab.

230. *Helchesaitæ vtuntur inuocationibus & incantamentis dæmonum: Astrologiam, Magiam, & Mathematicum errorem complectuntur, & seipsos Prognosticos appellant.* Nicephorus lib. 5. cap. 24.

270. *Manes, à quo Manichæi, Magorum dogmata nouit, & in ipsis volutatur, astronomos laudat, & eorum dogmata curiosè vestigat.* Epiphanius hæresi 66.

300. *Manichæi in abominandis suis sacris dæmones inuocant.* Cyrillus Catechesi 6.

350. *Sataniani pro stultitia sua, consiliario intelligentia sua vsi, dixerunt: Satanas magnus est, & fortior nobis, & multa hominibus mala facit, cur nõ potius ad hunc confugimus, & ipsum adoramus, & ipsi laudes dicimus, quò propter blandum cultum non faciat nobis mala, sed nobis, vt qui serui ipsius sumus facti, parcat? Atque sic etiam Satanianos seipsos cognominarunt.* Epiphanius hæresi 80.

450. *Priscillianista per magicarum artium profana secreta, & Mathematicorum vana mendacia religionis fidem, morumq; rationem, in potestate dæmonum & effectu syderum collocant.* Leo Epist. 93. cap. 11.

600. *Gentiles Philosophi magicam artem adeò probabant, vt etiam in Scholis eam doceri curarent.* Metaphrastes in vita Anastasij.

742. *Constantinus Copronymus Magicis maleficijs, luxurijs, cruentis sacrificijs, & inuocationibus dæmonum delectatus est.* Otto Frisingensis lib. 5. cap. 9. Abbas Vrspergensis de anno 742.

830. *Zedechias Iudæus magica arte coram Ludoico Imperatore homines armatos cum equis & armis deuorauit: vehiculum fœni cum equis & auriga absorpsit: capita & pedes hominibus præcidebat, & cum sanguine in peluim ponebat: volabat per aërem: excitabat venaticos clamores, & similes ludificationes.* Trithemius in Chronico Hirsaugiensi.

1050. *Manichæi Agannenses occultè diabolum adorabant, vt quem sui corporis conditorem credebant.* Radulphus Ardens Dominica 8. post Trinitatis.

1270. *In Arragonia erant hæretici, docentes: quòd liceat dæmones adorare, & honorare latria meritoriè, sire præsentent suum Creatorem. Alij dixerunt, quòd non tantùm absque vitio hæreseos, imò etiam absque vllo peccato possint dæmones adorari latria, nisi quia prohibitum est per Ecclesiam Dei.* Nicolaus Eymericus part. 2. quæst. 10.

1300. *Raimundus Lullius scripsit libellum de inuocatione dæmonum magia plenum.* Bernardus Lutzemb.

1453. *Guilhelmus Linensis Doctor Theologus magicarum artium accusatus & condemnatus, cùm resipiscentia tandem afficeretur, confessus est: se per noctem cum Magis alijs persæpe deportatum esse, vt diabolũ adoraret, modò humana specie, modò hircina conspicuum, & religioni toti renunciasse. Quin etiam penes ipsum instrumentum obligationis contractæ cum Satana fuit deprehensum, quo sponsiones reciprocæ continebantur: inter alias autem hæc, Doctorem obligatum esse, vt publicè concionetur, quicquid de Magis prædicetur, fabulam esse: non posse fieri: nullam fidem sermonibus istis haberi oportere. Atque his concionibus augebatur mirum in modum Magorum numerus, & se confirmabat, dum ab illis persequendis cessarent iudices.* Petrus Mamorius libro de lamijs.

1490. Ioannes Picus Mirandulanus in conclusionibus magicis secundùm opinionem propriam, conclusione secunda: *Magia naturalis licita est, & non prohibita: De huius scientiæ vniuersalibus theoricis fundamentis pono infrascriptas conclusiones. Magia est practica scientia naturalis: nulla est virtus in cælo & in terra seminaliter & separata, quam & actuare & unire Magus non possit: Magicam operari, non est aliud quàm maritare mundum: ideo voces & verba in magico opere efficaciam habent, quia illud, in quo primùm magicam exercet natura, est vox Dei: qualibet vox virtutem habet in magia, in quantum Dei voce formatur: nulla nomina vt significatiua, & in quantum nomina sunt, singula & per se sumpta in opere virtutem habere possunt, nisi sint Hebraica, vel inde proximè deriuata: Ex secretioris philosophiæ principijs necesse est confiteri, plus posse characteres & figuras in opere magico, quàm possit quæcunque qualitas materialis.* Positione 28. de modo intelligendi Hymnos Orphei secundùm Magiam: *Frustrà naturam adit, qui Panа non attraxerit:* hoc est, frustrà naturalibus rebus vtitur, vbi Panem præsentem quis non habuerit. Nam omnes veteres per Panem eundem intellexerunt, quem Hebræi Satanam dicunt: & Plutarchus libro Oraculorum Principem dæmonum magnum Pana appellat.

1500. *Ioannes Trithemius scripsit libros 8. Steganographiæ dæmonum inuocationibus plenos, & supra modum detestabiles.* Carolus Bouillus libro aduersus Trithemium scripto.

1530. *Henricus Cornelius Agrippa scripsit aduersus Lamiarum inquisitores librum, quo reprehendit eos, qui maleficas mulieres ob id insectantur, quòd eas rem veneream cum dæmonibus habere compertum fuerit: quam quidem rem ipse deridet ceu fabulosam, & à somnijs & imaginationibus delirantium anicularum innatam, quæ cùm sæpe dormientes per somnia decipiantur, & interdum quoque vigilantes vehementi libidinis imaginatione eludantur, tamen verè arbitrantur ea sibi contigisse, quæ sola imaginatione peracta sunt. Epistola, quam adiecit ad finem libri tertij de occulta Philosophia, scribit clauem occultæ Philosophiæ à se amicis solũ asseruari. Is autem liber quartus est, discipulorum eius opera post mortem magistri mandatus typis: qui liber tanquam clara luce detestabile magiæ venenum retegit, omnes dæmonum inuocationes, circulos, characteres, & sacrificia Satanæ oblata. Idem Agrippa canem nigrum habuit, quem Dominum suum appellauit, qui ei semper se comitem adhibuit. Agrippa Gratianopoli in Xenodochio vita defuncto, canis coram omnibus in fluuium præcipitem se dedit, nec ab eo tempore vnquam ab aliquo visus est.* Paulus Iouius in elogijs, & alij de hoc Agrippa.

Ioannes

1578. Ioannes VVierus lib.6. de præstigijs dæmonum cap.27. *Lamiæ commiseratione potius, quàm pœna enormi dignæ sunt: omniq; potius auxilio, quod dolum, vim, metum passis, furiosis, deceptis, ignorantibus, impotentibus aut ipso iure competit, aut ratione suadente tribuitur.*

ASSERVNT SACRÆ LITERÆ.

Exod.7.v.11. Vocauit Pharao sapientes & maleficos, & fecerunt etiam ipsi per incantationes Ægyptiacas & arcana quædam similiter. Proieceruntque singuli virgas suas, quæ versæ sunt in dracones: sed deuorauit virga Aaron virgas eorum.

Exod.8. 7. Fecerunt & malefici per incantationes suas similiter, eduxeruntq; ranas super terram AEgypti. 18. Feceruntque similiter malefici incantationibus suis, vt educerent ciniphes, & non potuerunt: & dixerunt ad Pharaonem: Digitus Dei est hic.

Exod.20.3. Non habebis deos alienos coram me. 7. Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum.

Exod.22.18. Maleficos non patieris viuere.

Leuit.19.31. Non declinetis ad magos, nec ab ariolis aliquid scisciteminí, vt polluamini per eos: ego Dominus Deus vester.

Leuit.20.6. Anima quæ declinauerit ad magos & ariolos, & fornicata fuerit cum eis, ponam faciem meam contra eam, & interficiam illam de medio populi sui.

Deuteronomij 18.9. Quãdo ingressus fueris terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, caue ne imitari velis abominationes illarum gentium, nec inueniatur in te, qui lustret filium suum, aut filiam, ducens per ignem: aut qui ariolos scisciteturr, & obseruet somnia atque auguria: nec sit maleficus, nec incantator, neque qui pythones cõsulat, nec diuinos, & quærat à mortuis veritatem. Omnia enim hæc abominatur Dominus, & propter huiusmodi scelera delebit eos in introitu tuo.

1.Reg.28.3. Saul abstulit magos, & hariolos de terra, & interfecit eos, qui pythones habebant in ventre.

Sapientiæ 12.3. Illos antiquos inhabitatores terræ sanctæ tuæ, quos exhorruisti, quoniam odibilia opera tibi faciebant, per medicamina, (φαρμακειῶν.) & sacrificia iniusta.

Ecclesiastici 34.4. Ab immundo quid mundabitur? & à mendace quid verũ dicetur? Diuinatio erroris, & auguria, mendacia, & somnia malefacientium, vanitas est.

Actor.8.9. Vir quidam nomine Simon, qui ante fuerat in ciuitate magus, seducens gentem Samariæ, dicens se esse aliquem magnum: cui auscultabant omnes à minimo vsque ad maximum, dicentes: Hic est virtus Dei, quæ vocatur magna. Attendebant autem eum, propter quod multo tempore magicis suis artibus dementasset eos.

Act.16.16. Factum est autem euntibus nobis ad orationem, puellam quandam habentem spiritum pythonem obuiare nobis, quæ quæstum magnum præstabat dominis suis diuinando. Hæc subsecuta Paulum & nos, clamabat dicens: Isti homines serui Dei excelsi sunt, qui annuntiant vobis viam salutis. Hoc autem faciebat multis diebus. Dolens autem Paulus, & conuersus spiritui dixit: Præcipio tibi in nomine Iesu Christi exire ab ea. Et exijt eadem hora.

Act.19. 19. Multi ex eis, qui fuerant curiosa sectati, contulerunt libros, & combusserunt coram omnibus.

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Clemens Romanus. 80.

Exod.22. *Const.Apost.lib.7. cap.4.* Non eris Magus, neq; veneficus: *Veneficos* enim, inquit, *non sinetis esse superstites.*

1.Reg.15 Num.23 Deut.18. Leuit.19 *Cap.7.* Ne sis augur: Auguratio enim ad cultum idolorum ducit. *Augurium,* inquit Samuel, *peccatum est.* &: *Non erit auguratio in Iacob, neque vaticinatio in Israel.* Non eris incantator, neque filium tuum lustrabis, neque diuinabis, neque augurium ages, neque volatus auium obseruabis, neque disces prauas disciplinas. Hæc enim etiam lege vetita sunt.

Ignatius. 100.

Epistola ad Antiochenos: De incantatione, homicidio, obscœno puerorum amore superuacuum est scribere, quando & gentibus vetitum est hæc patrare.

Tatianus adhuc Catholicus. 170.

Oratione contra Græcos: Quin & vos si ridere pergitis, eadem quæ magi isti supplicia luetis. Quocirca, ô Græci, me tanquam è sublimi clamante auscultate, nec irridendo in præconem veritatis dementiam vestram transferte. Nullus affectus per occultam alterius rei dissensionem tollitur, nec insanus aliquis curatur amuletis, vel pelliculis appensis. Dæmonum istæ aggressiones sunt, & qui ægrotat, vel amat, vel odit, vel appetit vltionem, istos sibi auxiliatores asciscunt. Vtuntur autem

autem dæmones hoc artificij modo: Quemadmodum figuræ literarum, & versus, qui inde conscribuntur, non per se possunt indicare quod scribitur, sed hæc sibi cogitationum suarum signa homines constituerunt, ex certa ipsorum coniunctione, ita vt ordo literarum definitus est, rem intelligentes: sic etiam variæ radices, & neruorum & ossium adhibitio, non sua natura aliquid efficiunt, sed tanquam elementaris institutio sunt improbitatis dæmonum, qui ad quid singula valere debeant præscripserunt. Vbi verò vsurpari ab hominibus viderint, ministerium vel curationem ipsorum superueniũt, & eos ad seruitutem suam redigunt.

Irenæus. 180.

Lib.1.cap.23. Vtuntur autem & hi, qui sunt à Basilide, magia, & incantationibus, & inuocationibus, & reliqua vniuersa parerga.

Origenes. 230.

Homil.13. in Numer. Est apud homines opus aliquod, quod verbis efficitur: quod tamen opus tale est, vt quamuis magnis corporis viribus non possit impleri. Verbi gratia, erant in AEgypto incantatores & magi. Quis potest hominum fortitudine corporis virgam mutare in serpentẽ, quod ab illis factum refertur? Aut quis potest viribus corporis aquam in sanguinem vertere? Fecerunt tamen hoc AEgyptiorum incantatores & magi. Fecerat enim hæc prius Moyses: sed quia sciebat Rex AEgypti, quòd possent hæc arte quadam fieri verborum, quæ habetur inter homines, putauit & Moysen non hæc Dei virtute, sed magica arte fecisse, & quod humana arte fecerat, id Dei factum virtute simulare. Conuocat continuò AEgyptiorum incantatores, & magos: inter eum, qui virtute Dei operabatur; & eos, qui dæmones inuocabant, facit esse certamen: efficit tamen similiter & contraria virtus virgam serpentem, sicut fecerat virtus Dei; sed serpens, qui per virtutem Dei factus fuerat, absorbuit & deuorauit omnes illos serpentes, qui arte magica ex virgis versi fuerant in serpentes. Non enim potuit virtus dæmoniaca malum, quod ex bono fecerat, restituere in bonum. Potuit ex virga facere serpentem, virgam verò reddere ex serpente non potuit: & ideo consumuntur omnes ab ea virga, quę Dei virtute versa fuerat in serpentem. Postea verò per diuinam virtutem naturæ suæ redditur, vt naturæ Dominum fateretur. Fecerunt incantatores AEgyptiorum vt & aquę verterentur in sanguinem, sed non potuerunt iterum sanguinem vertere in aquam: Dei autem virtus non aquam, sed totum fluuium vertit in sanguinem; & rursum, orante Mose, limpidis eum ac naturalibus reddidit fluentis. Et iterum produxerunt magi AEgyptiorum cyniphes, sed non potuerunt repellere eas: Moses verò produxit cyniphes, & repulit. Deus enim noster delere facit, & iterum restituit: contraria autem virtus malè quidem facere aliquid potest, sed restituere in integrum nõ potest. Hæc autem omnia præmisimus, vt opera Balaam, vel verba eius possimus aduertere. Sunt enim & magorum nonnullæ differentiæ: alij enim plus, alij minus valent. Hic Balaam famosissimus erat in arte magica, & in carminibus noxijs præpotens. Non enim habebat potestatem, vel artem verborum ad benedicendum, sed habebat ad maledicendum: dæmones enim ad maledicendum inuitantur, non ad benedicendum. Et ideo quasi expertus in talibus, in opinione erat omnibus, qui erant in Oriente. Nisi enim experimenta eius plurima præcessissent, quòd frequenter maledictis hostem vertisset armatum, non vtique præsumpsisset Rex hoc posse fieri sermonibus, quod ferro & acie vix posset impleri, &c. Esse artem magicam designat etiam Scriptura, sed vti ea prohibet: nam & dæmones esse Scriptura designat, sed coli eos, & exorari vetat. Rectè ergo etiam magica vti prohibet: quia magorum ministri angeli sunt refugæ, & spiritus maligni, & dæmonia immunda. Nullus enim sanctorum spirituum obtemperat mago. Non potest inuocare magus Michaëlem; non potest inuocare Raphaëlem, neque Gabrielem: multo magis magus inuocare non potest Deum omnipotentem, nec Filium, nec Spiritum sanctum. Nos soli accepimus potestatem inuocandi Deum Patrem. Nos soli habemus potestatem inuocandi Vnigenitum eius Iesum Christum: sed illud est, quod dico, qui iam potestatem accepit inuocandi Christum, nõ potest iterum dæmones inuocare: & qui sancti Spiritus particeps factus est, ad immundos vltra spiritus accedere non debet. Si enim inuocauerit immundos spiritus, sanctus ab eo Spiritus refugit. Magi sunt, qui inuocant Beelzebub, &c. Vnde cõstat esse quosdam dæmones malos, qui inuocati à magis, adsunt eis ad malum, non ad bonum: parati enim sunt ad malefaciendum, bene autem facere nesciunt. Isti ergo dęmones arte quadam & compositione verborum in amicitias cesserãt Balaam, quorum amicitijs fretus, magnus apud homines videbatur.

Lib.7.contra Celsum: Liquent etiam res dæmonũ ex eorum inuocatoribus, qui horum opera vtuntur ad excitandos amores & odia, aut ad impediendas actiones, innumeraq; alia similia, quę faciunt per incantationes magicas, docti vocare & inducere dęmones ad quicquid libuerit. Quamobrem omnis dęmonum cultura est aliena à nobis summi Dei cultoribus. Idcirco visum est nobis culturam dæmonũ fugere, non aliter quàm perniciem certissimam.

Concilium Ancyranum. 316.

Cap.24. Qui vaticinantur, & Gentium consuetudines sequuntur, vel in suas ędes aliquos introducunt, ad medicamentorum inuentionem, vel lustrationem, in quinquennij canonem incidãt, secundùm gradus prefinitos, tres anni substrationis, & duo anni orationis sine oblatione.

Eusebius Cæsariensis. 320.

De præparatione Euangelica lib.5.cap.7. Magicæ artis ipsi Dij gentilium & inuentores & doctores fuerunt. Vnde namq; homines, quibus dęmones cogãtur, quàm ab ipsis dęmonibus discere potuissent? Neque putes id ita à nobis dici. Nihil enim nos harum rerum scimus, nec scire volumus. Sed ad redarguendum errorem Gentilium, & ad defensionem nostram Porphyrius testis citetur, qui in libro de Responsis his verbis vtitur: Non autem solùm felicem conuersationem suam, verùm etiam quibus rebus gaudeant, & quibus illigentur Dij hominibus significarunt.

Concilium Nicænum primum. 325.

Canone 20. Arabico: Nemo fidelium conuersetur cum maleficis & diuinis: & qui hoc fecerit, & eos interrogauerit, & eorum dicta approbauerit; in domumq; eorum intrauerit, aut in suam eos receperit, & eorum cibis ac potionibus vsus fuerit, si sacerdos est, mouendus est gradu suo, ac prohibendus communione fidelium, & ingressu Ecclesię, & Communione sacra prohibendus: si verò laicus fuerit, prohibendus est Ecclesia. Quòd si ad agendam pœnitentiam venerint, agenda est eis pœnitentia annis viginti, quo tempore pane tantùm ac sale vesci debent, & à vino abstinere, aqua contenti, vt sic castigati non redeant.

Constantinus Imperator. 330.

C. de Maleficis l. 3. Nullus aruſpex, nullus ſacerdos, nullus eorum, qui huic ritui adſolent miniſtrare, ad limen alterius accedat: ſed huiuſmodi hominum amicitia (quamuis vetus) repellatur, concremando illo aruſpice, qui ad domum alienam acceſſerit: & illo in inſulâ deportando, poſt ademptionem bonorum, qui eum aduocauerit ſuaſionibus vel prẽmijs. Accuſatorem autem huiuſmodi criminis non delatorem eſſe, ſed dignũ magis præmio arbitramur.

C. eodem l. 4. Eorum eſt ſcientia punienda, & ſeueriſſimis meritò legibus vindicanda, qui magicis accincti artibus, aut cõtra ſalutem hominum moliti, aut pudicos animos ad libidinem deflexiſſe detegentur.

Athanaſius. 340.

De Humanitate Verbi Dei: Veniat, qui iſtorum dictorum experimentum capere velit, & in ipſis præſtigijs dæmonum, & impoſturis vaticiniorũ, & in miraculis magiæ vtatur ſigno crucis, ab ipſis deriſo, nomenq; Chriſti inuocet, & videbit, quomodo eius rei metu dæmones fugiant, vaticinia conquieſcant, magiæ & veneficia irrita iaceant. Quis igitur, & quantus eſt hic Chriſtus, qui ſolo ſui nominis vocabulo ac præſentia omnia adobruit, & otioſa reddit, omnibusq; maior eſt, & orbem terrarum ſua diſciplina adimplet? Dicant Ethnici iſti, qui iſta deridẽt, nec vllo interim pudore tanguntur, num homo eſſe poſſit, qui talia faciat? quòd ſi homo, quî fit, vt vnus homo omnes omnium Deorum, quos ipſi colunt, vires tranſcendat, illosq; nullos eſſe ſua potẽtia demonſtret? Si magum illum dicant, quomodo per magum omnis magia obliteratur, ac non potius cõſtituitur? Si enim homines magos oppugnans, contra vnum aliquem duntaxat præualuiſſet, rectè opinari liceret, eum meliori arte aliorũ artes ſuperare. Quòd ſi ſemel de omni magia, atq; adeò magiæ nomine crux Chriſti victoriam reportat, ſatis euidens eſt, non eſſe magum Saluatorem noſtrum, quem dæmones, vbi ab alijs inuocati ſunt, vt Dominum fugiunt.

Conſtantius A. & Iulianus Cæſar. 360.

C. de maleficis, l. 5. Nemo aruſpicem conſulat, aut mathematicum; nemo ariolum: augurum ac vatũm praua confeſſio conticeſcat. Chaldæi, ac magi, & cæteri, quos maleficos ob facinorum magnitudinem vulgus appellat, nec ad hanc partem aliquid moliantur: fileat omnibus perpetuò diuinandi curioſitas. Etenim ſupplicio capitis ferietur, gladio vltore proſtratus, quicunq; iuſſis noſtris obſequium denegauerit.

Lege 6. Multi magicis artibus vſi elementa turbare, vitam inſontium labefactare non dubitant, & Manibus accitis audẽt ventilare, vt quiſq; ſuos interficiat malis artibus inimicos. Hos, quoniam naturę peregrini ſunt, feralis peſtis abſumat.

Lege 7. Etſi excepta tormentis ſunt corpora honoribus præditorum, præter illa videlicet crimina, quæ legibus demonſtrantur; etſi homines magi, in quacunque ſunt parte terrarum, humani generis inimici credendi ſunt: quoniam tamen, qui in comitatu noſtro ſunt, ipſam pulſant propemodum Maieſtatem; ſi quis magus vel magicis carminibus aſſuetus, qui maleficus vulgi conſuetudine nuncupatur; aut aruſpex, aut ariolus, aut certè augur, vel mathematicus, aut enarrandis ſomnijs occultans artem aliquam diuinandi, aut certè aliquid horum ſimile exercens, in comitatu meo vel Cæſaris fuit deprehenſus: præſidio dignitatis exutus, cruciatus & tormenta non fugiat. Si verò conuictus fuerit, & ad proprium facinus detegentibus repugnauerit, pernegando: ſit eculeo deditus, vngulisq; ſulcantibus latera perferat pœnas proprio dignos facinore.

Concil. Laodicenſe. 360.

Can. 36. Non oportet eos, qui ſunt ſacrati, vel clerici, eſſe magos, vel incantatores, vel mathematicos, vel aſtrologos, vel facere ea quę dicuntur amuleta, quæ quidem ſunt ipſarum animarum vincula; eos autem, qui ferunt, eijci ex Eccleſia iuſſimus.

Baſilius Magnus. 370.

Ad Pſal. 45. Cùm tribulatione quapiam afflictamur, ad omnia potius, quàm ad ipſum Deũ noſtrum recurrimus. Vnus tibi puſio ægrotat? quaquauerſum circumfers oculos, requirens incantatorem, aut certè eum, qui ſuperuacaneos vanosq; characteres, ſeu figuras puerorum innocentium collo circumliget. Si fortè inſomnium te ſolicitat, ad ſomniorum coniectorem properas. In quacunque neceſſitate imminente deprehenderis; verbo tantùm oſtendis te Deum refugium habere, re autem ipſa ex inutilibus & vanis rebus auxilium aſciſcere.

Ephræm. 370.

Sermone iudicris rebus abſtinendum eſſe: Quis poterit demonſtrare, conuenire Chriſtianis aruſpicem agere, aut phylacteria quæ vocant facere, aut eadem circũgeſtare, aut dæmonia conſulere, aut inebriari, aut tolerare qui eiuſmodi res impias conſectantur? Quis hæc Chriſtianorum eſſe oſtenderit?

Cyrillus Hieroſolymitanus. 370.

Catecheſi 4. c. de ſtatu hominis: Non ergo deinceps attẽdas aſtrologis: de his enim ſacra dicit Scriptura: *Stent, & ſaluent te aſtrologi cæli & terræ. Ecce omnes ſicut ſtipula igne comburentur, & non liberabunt animam ipſorum de flamma.*

Gregorius Nyſſenus. 380.

Epiſtola de Pythoniſſa: Quoniam homines voluptarij, corporisq; plus æquo amantes, in hac vita ſtudio res futuras ſciendi tenentur, qua cognitione vel mala ſe euitaturos ſperant, vel id, quod deſiderant, aſſecuturos: idcirco ne à Deo pendeant homines, prænotionis rerum futurarum varia genera fallax dæmonum natura commenta eſt, auguria, diuinationes per ſymbola, oracula, haruſpicia, mortuorum euocationes, furoris afflatus, numinis inſtinctus, inſpirationes, aliaq; plurima id genus: tum quæcumque prænotionis ſpecies ex aliqua fallacia vera cuipiam videatur, illa continuò à fallaci dæmone monſtratur, vt hoc tamquam patrocinio eius, qui in fraudem illectus eſt, fallax opinio iuſta comprobetur. Sic efficit dæmon, vt aquilæ volatus cum eius, qui obſeruarit, ſpe & expectatione concurrat, & vt iecoris palpitatio, & membranorum, ac pellicularũ ex inflatione orta titubantia, & oculorum inuerſiones, & vnaquæque prout notata fuerit ex fallacia obſeruatio, deceptis hominibus, à verſutia dæmonis commonſtratur: vt à Deo diſcedentes, dæmonum cultui ſe addicant, à quibus talia perfici credunt.

Valentinianus, Theodoſius, & Arcadius Imperatores. 380.

C. de Maleficis l. 9. Quicunque maleficiorum labe pollutum audierit, deprehenderit, occupauerit: ilicò ad publicum pertrahat, & iudicum oculis communis hoſtem ſalutis oſtendat. Quòd ſi quiſquam ex agitatoribus, id eſt aurigis, ſeu ex quolibet alio genere hominum, cõtra hoc interdictum venire tẽtauerit, aut clandeſtinis ſupplicijs

plicijs etiam manifeſtum reum maleficę artis oppreſſerit, vltimum ſupplicium non euadat, geminæ ſuſpicioni obnoxius, quòd aut publicum reum, ne facinoris ſocios publicaret, ſeueritati legum & debitæ ſubtraxerit quæſtioni; aut proprium fortaſſis inimicum ſub huiuſmodi vindictæ nomine conſilio atrociore confecerit.

C. de Epiſc. audient. L. Nemo deinceps: Vbi primus dies Paſchalis extiterit, nullum teneat carcer incluſum, omnium vincula diſſoluantur: ſed ab his ſecernimus eos, à quibus contaminari potius gaudia, lætitiâq; communem, ſi dimittantur, animaduertimus. Quis enim ſacrilego diebus ſanctis indulgeat? Patiatur tormenta veneficus, maleficus, adulter.

Epiphanius. 380.

Hæreſi 27. De Carpocratitis: Magia apud ipſos eſt excogitata, incantationesq; diuerſas ad omnem machinationem inuenerunt, ad amorem, & ad illectamenta. Quin & aſſeſſores dæmones ſibi ipſis attrahunt ad hoc, vt per multas præſtigias in magna poteſtate omnibus dominẽtur, quibus velint, & vt vnusquiſque quãcunque actionem aggredi audeat: nimirum ſeipſos decipientes ad perfectionem obcæcatæ mentis ipſorum.

Ioannes Chryſoſtomus. 400.

Homilia 21. ad populum Antiochenum: Quid verò diceret aliquis de his, qui carminibus & ligaturis vtuntur, & de circumligantibus aurea Alexandri Macedonis numiſmata capiti vel pedibus? dic mihi, hęne ſunt expectationes noſtræ, vt poſt crucem & mortem Dominicam in gẽtilis regis imagine ſpem ſalutis habeamus? Ignoras quãta crux perfecit? mortem diſſoluit, peccatum extinxit, Orcum inanem reddidit, diaboli ſoluit potentiam, & ad corporis ſanitatem præſtandam non eſt fide digna? totum orbem exuſcitauit, & tu in ipſa non confidis? Et quid pati dignus non eſſes? Non ligaturas verò tantùm, ſed etiam excantamenta tibi conducis, vetulas ebrias & titubantes domũ ducens. Nec confunderis, nec erubeſcis, poſt tantam ad hæc trepidans diſciplinam: & quod grauius eſt errore, quando hæc admonemus, & diſſuademus, putantes ſe excuſari, dicũt, quòd Chriſtiana eſt mulier hæc excantans, & nihil aliud loquitur, quàm Dei nomen. Propterea namq; magis ipſam odi & auerſare, quòd Dei nomine ad contumeliam vtitur: quòd ſe dicens eſſe Chriſtianam, gentilium opera facit: etenim & dæmones Dei nomen fatebantur, ſed tamen erant dæmones.

Homilia 8. in epiſt. ad Coloſſ. Citiùs mors homini Chriſtiano ſubeunda, quàm vita ligaturis redimenda.

Ioannes Caſſianus. 420.

Collat. 8. cap. 21. Cùm ſemen Seth fuiſſet impiæ generationi permixtum, ad res prophanas ac noxias quæ piè didicerat, inſtinctu quoque dæmonum deriuauit, curioſaſq; ex ea maleficiorum artes, atque præſtigia & magicas ſuperſtitiones audacter inſtituit, docens poſteros ſuos, vt ſacro illo cultu diuini nominis derelicto, vel elementa hæc, vel ignem, vel aëreos dæmones venerarentur & colerẽt. Hæc igitur, quã diximus, curioſarũ rerum notitia, quo modo in diluuio non perierit, ac ſuperuenientibus ſeculis innotuerit, perſtringendum breuiter puto. Quantum itaque antiquæ traditiones ferunt, Cham filius Noe, qui ſuperſtitionibus iſtis & ſacrilegis fuit artibus ac profanis infectus, ſciens nullum ſe poſſe ſuper his memorialem librũ in arcam inferre, in qua erat vnà cum patre iuſto ac ſanctis fratribus ingreſſurus, ſceleſtas artes ac profana commenta diuerſorum metallorum laminis, quæ ſcilicet aquarum inundatione corrumpi non poſſent, & duriſſimis lapidibus inſculpſit. Quæ, diluuio peracto, eadem qua celauerat curioſitate perquirens, ſacrilegiorũ ac perpetuę nequitiæ ſeminariũ tranſmiſit in poſteros. Hac itaq; ratione illa opinio vulgi, quà creduntur Angelos vel maleficia, vel diuerſas artes hominibus tradidiſſe, in veritate completa eſt.

Cyrillus Alexandrinus. 430.

Ad cap. 47. Eſaiæ: *Sta in incantationibus tuis.* Deridet & deludit magorum ſuperſtitionis vanum ludicrum, & omnino inutile eſſe hoc vitæ inſtitutũ demonſtrat.

Lib. 6. de adoratione in ſpiritu & veritate: Incantatio, & illa occulta & anilis inſuſurratio, magicæ artis pars atq; ſpecies eſſe videtur. Itaq; etiam beatus Moſes ſupernas leges nobis declarauit, qui ſemper hæc peccata coniunxit, & tamquam cognata, affiniaq; crimina vnà cum veneficijs incantationem recenſuit. Ait enim: *Non erit in vobis diuinans* Deut. 18. *diuinationem, augurans, & ominans, veneficus, incantator, portentorum obſeruator, & pythonem habęs, & interrogans mortuos.* Cæterùm cùm incantatio turpiſſima ſit, ac vitioſiſſima, tamen neſcio quonam modo eam nonnulli admirantur, atq; illud aiũt, Dominum Sabaoth nuncupare, cùm ſuper infirmis carmen incantant, qui huiuſmodi artes exercent. Hac ratione confirmare conantur, abeſſe à turpitudine hoc ſtudium. Videntur autẽ frigida quadam atq; infirma ratiocinatione ad hũc errorem atque dementiam abduci: hoc enim ipſum eſt in ea re moleſtiſſimum. Nos enim hac voce, Dominus Sabaoth, Deum vniuerſorum appellamus, cùm illum glorificare volumus, neq; rei prẽterea, ex omnibus quæ ſunt, vlli hanc appellationem permittimus: Vnus enim ac ſolus eſt exercituum Dominus. Hi verò adeò admirabilem & glorioſam appellationem ſeu glorificationem dæmonijs vnà ſecum ludẽtibus quibus voluerint, facilè proijciunt, & illis portentorum ſuorum actoribus gloriã, quæ ſoli Deo maximè conuenit, largiũtur, adulantes ſimul & viciſſim adulatione capti, & pro rerum quas voluerint etiẽtu, hanc tam tetræ impietatis magnitudinem mercedis loco rependunt. Eſt enim dæmoniorum cohors Deo ſemper inimica & appetentiſſima glorię. Non igitur committendum eſt, vt illorum prauis conſilijs abducamur, ſed potius ab illis quàm longiſſimè diſcedendum; neque malis medicis ac portentorum auctoribus dæmonijs auſcultandum, ſuarum in nos ludificationum nefarias has laudes mercedis cuiuſdã inſtar exigentibus. Tu verò ſi qua tibi pars corporis dolet, & verè credis hæc verba, Dominus Sabaoth: & alias huiuſmodi appellationes, quas Deo, qui ſecundùm naturam eſt, diuina Scriptura tribuit, vim habere putas pellẽdi malum illud, pro te ipſo preces fundens, hæc verba pronũtia: ſic enim rectius, quàm illi facies, neq; impuris ſpiritibus, ſed Deo gloriã tribues. Auguria igitur & carminũ incãtatio numerentur inter ea, quæ lege damnantur, & quæ à Deo turpiſſima, & maximè execranda iudicantur.

Sozomenus. 440.

Lib. 6. ca. 35. Nonnulli eorum, qui alijs in Philoſophia præſtare putabantur, incrementum religionis Chriſtianę ægrè admodum ferentes, iniuẽre conſilium de prænoſcendo, quis eſſet Valenti in imperio ſucceſſurus; qua de re cùm omnia omnis generis diuinandi genera experti fuiſſent, ad extremum tripodem ligneum è lauro fabricati, inuocationes dæmonũ & verba execrabilia pro more ſuo vſurparunt: adeò vt ex coniunctione ſingularum literarum per tripodis machinam & diuinationem ſignificatarum, futuri nomen exta-

ret Imperatoris. Philosophi igitur, cùm Theodorum, virum inter satellites Imperatoris insignem illum quidē & illustrem, sed gentilem, Imperatorem fieri auidè expeterent, vtq; ordo literarū vsq; ad D. huius nomini cōueniret, in fraudem inducti sunt, dum hac coniectura nixi, Theodorum imperio potiturum expectarent. Quo illorū conatu indicato, extra modum ira exardescere cœpit, quasi saluti suæ insidias comparassent. Ob quam causam tum Theodorus, tū tripodis opifices comprehensi sunt, mandatumq; vt ille igni, hi autem gladio necarentur. Pari ratione omnes illustriores in toto imperio philosophi eadem ipsa de causa extincti.

Theodoretus. 450.

Historiæ sanctorum Patrum cap.13. Cùm quædam puella thalamo adhuc contineretur, & repente cœpisset vexari à malo dæmone, accurrit pater ad diuinum hominem (*S. Macedonium,*) orans, & vociferans, & postulans vt curaretur filia. Is autem precatus, iussit vt dæmon statim abiret à puella. Is autem dicebat, se eam nō sua sponte esse ingressum, sed magicis coactum præstigijs. Dicebat autem eius quoque nomen qui coëgerat, & amorem esse causam incantationis. Sed cùm hæc audijsset, non tulit pater iræ impetum: nec expectauit, vt curaretur puella, sed omnium magistratuū summum adit præsidem, scilicet qui pluribus præerat gentibus, accusat hominem, & rem narrat. Is autem reus in iudicium adductus, rem negabat, & accusationem nominabat calumniam. Hic autem non alium citabat testem, quàm ipsum dæmonem, qui minister fuerat incantationis: & orabat iudicem, vt curreret ad illum virum diuinum, & acciperet eius testimonium. Cùm autem is diceret, non esse fas, nec iustum, vt in loco monasticæ exercitationis haberetur quæstio: dixit pater puellæ, se in iudicium ducturum Macedonium: & currens persuasit, & duxit: sedens autē extra iudicium iudex, non fuit iudex, sed spectator. Magnus enim Macedonius fungebatur officio iudicis, vtens ea, quæ intus habitabat, potestate. Et cùm iuberet dæmoni, vt consuetum mitteret mendacium, cum tota autem veritate rei narraret tragœdiam. Ille à maxima adductus necessitate, & virum ostendit, qui ei magicis carminibus vim attulerat; & ancillam, per quam illa potio puellæ data fuerat. Cùm autem alia quoque pararet dicere, quæ fecerat coactus ab alijs, vnius quidem ædes exurens, alterius verò iumenta interimens: alium verò aliquo alio damno afficiēs, iussit homo Dei eum filere, & statim procul recedere à puella & ab vrbe. Ille autem tanquam Domini legi parens, fecit quod iussus erat, & protinus effugit. Sic cùm hanc vir diuinus liberasset à furore, illum quoque miserum eripuit ab accusatione, & obstitit quo minus iudex in eum ferret sententiam capitis: non esse fas dicens, vt propter ea, quæ per ipsum sunt conuicta, supplicium capitis decerneretur, sed potius per pœnitentiam ei daretur salus.

Olympiodorus Monachus. 500.

Ad cap. decimum Ecclesiastis: Qui soliciti sunt hæc rescire, vel per auguria, vel per natalis obseruationem diei, vel per mendaces alias huiusmodi diuinationes, & qui cætera demum scire affectāt, quorum habere certam cognitionem non possumus, in vanum laborant, inutilemq; sibi desumūt operam.

Procopius Gazæus. 530.

In Leuiticum fol.365. Magia cædes perpetrat, sepulchra perfodit, animas hominum perturbat. Magi etenim sunt homines, qui naturam humanam corrumpunt.

Isychius. 580.

Lib.2.in Leuit.cap.7. Quicunque omina & diuinationes & purgationes, vel dies & tempora custodiunt; multo magis autem magi & venefici abominabiles sunt apud Dominum.

Lib.6. cap.19. Maxima diabolici erroris, & fraudis species, ventriloquorum est exquisitio. Vnde & Paulus puellam inueniens spiritum habentem pythonis, quamuis dæmonium magna de ipso & Syla prædicaret, malum tamen spiritū increpans effugauit. Pessimum est etiam & veneficijs adhærere: quia dæmonum inimicorum nobis & pestilentium nomina dicunt. Qui etsi ad breue tēpus, vt in errorem mittant, videntur operari aliquid, quod ad corporalem sanitatem vile ac paruum, quale etiam imperiti medici operari possunt: veruntamen hoc nec vt boni, nec vt bene volentes hominibus operantur, sed in seruitutem redigere, & à Deo separare cupientes. Act.16.

Cap.20. Non qualecunque peccatum esse declinare ad magos, siue, vt septuaginta, ventriloquos, vel veneficos, prædiximus. In vtroq; enim à Deo receditur, siue sensibiles pythonicos, & veneficos, siue intelligibiles dicas, id est, eos qui nomine Dei falsa prophetant, deceptores, & adulatores, qui veneficis sermonibus auditus multorū corrumpunt, vt à veritate quidem auditus auertāt, ad fabulas & errorem conuertantur, & propterea ponere faciem suam iudex, & disperdere eos de populo suo comminatus est, &c.

Euagrius. 580.

Lib.5. cap.18. Anatolius hostias simulachris immolasse fortè deprehensus est: qui cùm vocaretur in quæstionem, homo impius, præstigiator, & infinitis inuolutus sceleribus repertus fuit. Et tamen parū aberat, quin & ipse, & sui omnes (habuit namque alios sui similes, qui idolis itidem sacrificasse manifestò tenebantur) liberi dimissi fuissent, nisi populus excitato tumultu, omnia turbis ita miscuisset, vt consilium de illis impijs initum eo pacto diremptū esset. Quin etiam contra Gregorium Episcopū clamores tolluntur, eū consilii Anatolij participem fuisse palam prædicatur. Porrò aūt execrabilis dæmon, humanæ vitæ perturbator, nonnullos induxerat, vt victimis immolandis cum Anatolio se socios adiungerēt, &c. Imperator Tiberius mandatum dat, vt Anatolius & sui omnes Constantinopolim quàm celerrimè aduentarēt. Quibus rebus cognitis, Anatolius ad imaginem quandam Mariæ Deiparę funē in carcere sublimem appensam accurrens, manibus à tergo cōplicatis se ei supplicare, precesq; adhibere ostendit. Illa autem eum velut sacrilegū detestata, & vt Deo inuisum coarguens, penitus ab se auertit: spectaculum planè horribile, & sempiternæ memoriæ prodendum, &c. Vbi Anatolius ad vrbem Constantinopolim deductus fuit, & ibi vberius supra modum cæsus, &c. primùm in Amphitheatro bestijs expositus, ab ijsdem dilaniatus, & postea in crucem actus est.

Synodus Trullensis. 710.

Can.61. Qui vatibus seipsos tradiderūt, vel illis, qui hecatontarchæ vel centuriones dicūtur, vel alijs eiusmodi, vt ab illis discāt, quid sibi reuelari velint, cōuenienter ijs, quæ de ipsis à patribus cōstituta sunt, sexēnij canoni subijciūtur. Eos quoq; subijci oportet, qui vrsas, vel eiusmodi animalia ad ludum, & simpliciorum noxam circumferūt, & fortunam, & fatū, & genealogiam, & quorundam eiusmodi verborū multitudinē ex fallaciæ impostureq; nugis pferunt. Eosq; qui nubiū persecutores, & imprecatores, & phylacterij, & vates appellantur. Eos autem, qui in ijs persistunt, & nō ab eiusmodi perniciosis gentilibusq; studijs auertuntur,

tuntur, Ecclesia omnino exturbandos esse decernimus, sicut sacri Canones dicunt. *Quæ enim est lucis cum tenebris communicatio?*

Ioannes Damascenus. 730.

Historiæ Barlaam & Iosaphat cap.32. Apostoli signi crucis ope omnem quidem magiam deleuerunt, veneficiaq; omnia irrita reddiderunt.

Knastasius Nicænus. 850.

Quæst.23. Quid verò est nouum & alienum, si opem ferente dæmone, visionum signa Antichristus faciat diuersa, cùm iam etiam sciamus, quosdam quoque alios magos & præstigiatores varia fecisse prodigia adminiculo dæmonum: ex quibus sunt Iannes & Mambres, qui Mosis tempore virgas suas in serpentes, & aquam in sanguinē mutantes, ranarum multitudinem ex aquis produxerunt, adeò vt ab eis repleta esset terra AEgypti? Rursus autem Simon, qui fuit Magus tempore Apostolorum, quàm multa phantastica fecit signa? statuas enim faciebat ambulare, & in igne volutatus non vrebatur, in aēre volabat, & ex lapidibus panes faciebat, serpens fiebat, & in aliquas alias bestias transformabatur, duas habebat facies, in aurum conuertebatur, foras clausas aperiebat, vincula ferrea soluebat, in conuiuijs exhibebat spectra formarum omnis generis, &c.

Leo Imperator cognomento Philosophus. 880.

Constit.65. Vetus lex vult puniri incantationes, eò q; modestia animi sublata stimulis furoreq; amatorio rationem ad insaniam adigant: ac probat rursum illas, tanquā segetes ac fructus curent, aliaq; bona (vt quidem videtur) suppeditent. Atq; ita quod tanquā insidiosum punijsset, idem rursus tāquam beneficū honorat. Atq; nos istiusmodi incantationes pernicioſas esse persuasum habemus, & vt boni quicquā inde manare credamus, induci non possumus. Ac sanè etiamsi boni quippiam producere illas appareat, non id bonū esse, sed illecebram atq; nassam, quæ illectos in malorum omnium extremum, vbi à summo bono excidant, absorbeat, compertum habemus. Notum enim nobis est, illas, vt qui se ipsis dedūt, prę Creatore & Domino, infaustis dirisq; dæmonijs adhęreant, efficere; & qui illas affectantur, hos per externarum lætam quandam speciem vulnera in animam excipere. Quale quiddam inter pugnandum meticulosis frequenter accidit, qui dū ictus in manus excipere nolūt, illis vel caput, vel ventrem exponunt. Sanè verò si quis aliquo modo incantamentis vsus esse deprehensus fuerit, siue id instituendæ conseruandæve valetudinis, siue auertendę à rebus frugiferis calamitatis causa fecerit, is apostatarum pœnam subiens, supremum supplicium sustineto.

Simeon Metaphrastes. 950.

In Martyrio S. Pionij: Angeli defertores sequuntur eos, qui à Deo deficiunt, & omnibus maleficis, & magis, & præstigiatoribus, & vatibus inseruiunt angeli diabolici.

Oecumenius. 1050.

Ad cap.8. Actuum Apostolorum de Simone Mago: Hoc loco indicandum est, non oportere ad magos accedere: quòd si quis deceptus ad eos accesserit, quantocyus separetur: perseuerantia namque in his rebus stuporem mentis adducit, ne possit quis intelligere ad iudicandum.

Michael Glycas. 1120.

Parte 2. Annalium: Cur permisit Deus, vt excantatores eadem perficerent, quæ Moses præstiterat? Nimirum vt mendacij veritatisq; discrimen patefieret. Nam & ipsi quidem virgas in serpentes conuertebant, verūm virga Mosis ipsorū virgas deglutiebat: imitabantur & ipsi aquam in sanguine, sed immutatam semel naturę priori restituere nō poterant: educebant & ipsi ranas, sed ab ijsdem ædes AEgyptiorum repurgare non poterant: ijsdem facultas erat AEgyptios vexandi, sed sedandi supplicij potestatem nullam habebant.

Constantinus Harmenopulus. 1180.

In promptuario Iuris lib.6.tit.10. Qui ea quæ φιλτρὰ, hoc est amatoria pocula dicuntur, conciliandi amoris hominum causa faciunt, publicatis bonis relegantor. Qui maleficū aliquē sciens apprehenderit, eum in publicū iudicū conspectum pertrahat. Quòd si quis, cuiusmodi tādem sit, talē hominem comprehensum iudicibus nō tradiderit, extremū supplicium subeat. Qui præstigiationibus pudicos animos ad amores impellunt, bonorū publicationi & relegationi subijciuntor. Quòd si & in personam eximiā id facere ausi fuerint, gladio punientur. Factis sacrificijs ariolari prohibitum est: qui autem id fecerit gladio feriatur. Qui pocula miscent amatoria, vniuersis bonis publicatis relegantur: sunt autē amatoria pocula, quæ amorem ac dilectionē conciliant, per quę, vt nonnulli nugātur, potest quis quempiam in sui amorem pertrahere. Qui in hominum perniciem dæmones inuocant, gladio feriuntor.

Nicetas Choniates. 1200.

Lib.4. Annalium: Manuel verò Imperator Sclerū Sethum, & Michaëlem Siciditem, iusta ira permotus, cæcari iussit, qui sub Astronomiæ professione magiæ & dæmonum imposturis operam dabant. Nam Sclerus cùm nubilem quandam virginem, à qua contemnebatur, adamaret, ac manifestè solicitaret, per lenam ei malum Perſicū mittit; quo puella in sinū recepto, amore & libidine insanies, ab illo corrumpitur. Puellæ verò cognati facinus id indignè ferentes, & strenuè contra dæmonem pudicitiæ puellarum infestū, & pomo instar malefici illius serpentis insidiantem, quas castitate tanquam Edemio horto eijceret, vociferātes effecerunt, vt eius aspectu penitus priuaretur, quam impudicè aspexerat. Sicidites verò præstigijs quibusdam rerum earum cōspectum eripiebat, quas oculi intuebantur, & totas dæmonum cohortes immittebat ijs, quos volebat exterritos. Cùm autem aliquādo ex editiore palatij loco nauiculam vidisset, qua ollæ & patinæ vehebantur, astantes interrogauit, quid daturi essēt, si efficeret, vt nauta alienata mente nauigatione omissa remo ad cōminuenda fictilia vteretur? Qui cùm ei pollicerentur quicquid postulasset, nauta paulo post exurgit, & vasa non prius ferire destitit, quàm in puluerem redegisset. Quo conspecto illi risu emori, factum illud admirātes: nauta verò paulò pòst barba prehensa lamentari, amotaq; caligine illa se vt ira numinis agitatum deplorare. Rogatus cur merces suas ita tractasset? cum dolore narrabat, se remis intentū, horribilem serpētem supra vasa porrectum, oculis inconuenientibus in se cōuersum instar deuoraturi vidisse, qui prius volutari non destiterit, quàm fictilia confracta essent: inde subitò ex oculis euanuisse. Fecit & aliud non dissimile. In balneo lauās rixari cum quibusdam cœpit, & è conclaui egressus est. Paulò pòst & cæteri anhelantes, & trepidi, prę metu ac festinatione inuicem conculcantes, narrāt ex canali calidæ aquæ viros pice nigriores exilijsse, à quibus nates ipsorum plantis pedum ferientibus balneo exacti essent. Ob hæc igitur aliaq; grauiora facinora vtroq; oculis orbatus est. Ac Sethus quidem ijsdē rebus deinceps etiam studuit, alter verò monachus factus, scriptū spurcissimū, vt homo diuina gratia indignus, de diuinis mysterijs composuit.

Nicephorus Callistus. 1300.

Lib.10.c.35. Post mortē Iuliani Apostatæ multa

capita & corpora hominum iugulatorum in ciſtis, in puteis, & in locis ſecretioribus Imperatoriæ aulæ Antiochiæ ſunt reperta, quos ille, res futuras inquirens, clam mactauit: ſicuti & in oppido Carris. Nam ibi templū ingreſſus eſt, foribusq; probè clauſtris munitis, execrāda peregit, per incantationes & impoſturas, magica ſacra. Mulier quoq; poſt eius mortem ibi, ita vt in ſublime ſublata, & ex capillis ſuſpenſa fuerat, reperta eſt, quā futurum inueſtigans reſecuit.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Tertullianus. 200.

Lib. de Idololatria c. 9. Cùm magia punitur, cuius eſt ſpecies aſtrologia, vtiq; & ſpecies in genere damnatur. Poſt Euangelium nuſquam inuenias aut Sophiſtas, aut Chaldæos, aut incantatores, aut cōiectores, aut magos niſi planè punitos.

Lib. de anima cap. 28. Scimus etiam magos elicere explorādis occultis per catabolicos, & paredros, & pythonicos ſpiritus.

Cap. 57. Quid ergo dicemus Magiā? quod omnes penè fallaciam: ſed ratio fallaciæ ſolos non fugit Chriſtianos, qui ſpiritalia nequitiæ non quidem ſocia conſcientia, ſed inimica ſcientia nouimus, nec inuitatoria operatione, ſed expugnatoria dominatione tractamus multiformem luem mentis humanæ, totius erroris artificem, ſalutis pariter animæq; vaſtatorem. Sic etiam magiæ, ſecundæ ſcilicet idololatriæ, in qua ſe dæmones perinde mortuos fingunt, quemadmodū in illa Deos: quidni? cùm & Dij mortui. Itaq; inuocantur quidem Ahori & Bigothanati ſub illo fidei argumento, quòd credibile videatur, eas potiſſimum animas ad vim & iniuriam facere, quas per vim & iniuriam ſæuus & immaturus finis extorſit, quaſi ad vicem offenſæ: ſed dæmones operātur ſub obtentu earum: & hi vel maximè, qui in ipſis tunc fuerunt, cùm aduiuerent, quiq; illas in huiuſmodi impegerant exitus.

Minutius Felix. 230.

In Octauio: Magi non tantùm ſciunt dæmonas, ſed etiam quicquid miraculi ludūt, per dæmonas faciunt: illis aſpirantibus & infundentibus præſtigias edunt, vel quæ non ſunt, videri; vel quæ ſunt, non videri: eorum magorum & eloquio & negotio primus Hoſtanes, & verum Deum merita maieſtate proſequitur: & Angelos, id eſt miniſtros & nuntios Dei, ſed veri, eiusq; veneratiōni nouit aſſiſtere, vt & nutu ipſo, & vultu Domini territi contremiſcant. Idem etiam dęmonas prodidit terrenos, vagos, humanitatis inimicos, &c. Iſti igitur impuri ſpiritus dæmones ſub ſtatuis & imaginibus conſecratis deliteſcunt, & afflatu ſuo auctoritatem quaſi præſentis numinis cōſequuntur, dum inſpirātur interim vatibus, dum ſacris immorantur, dum nonnūquam extorum fibras animant, auium volatus gubernāt, ſortes regunt, oracula efficiunt, falſis pluribus inuoluta. Nam & falluntur, & fallunt, vt & neſcientes ſynceram veritatem, & quam ſciunt in perditionem ſui nō confitentes. Sic à cælo deorſum grauant, & à Deo vero ad materias auocant, vitam turbant, omnes inquietant, irrepentes etiam corporibus occultè, vt ſpiritus tenues, morbos fingunt, terrent mentes, membra diſtorquent, vt ad cultum ſui cogāt: vt nidore altarium, vel hoſtijs pecudum ſaginati, remiſſius quæ conſtrinxerant curaſſe videantur. Hi ſunt & furentes, quos in publicum videtis excurrere: vates & ipſi abſque templo ſic inſaniunt, ſic bacchantur, ſic rotantur. par & in illis inſtigatio dæmonis, ſed argumentum diſpar furoris. De ipſis etiam illa, quæ paulo ante tibi dicta ſunt, vt Iupiter ludos repeteret ex ſomnio, vt cum equis Caſtores viderentur, vt cingulum matronę nauicula ſequeretur. Hęc omnia ſciunt plerique veſtrūm ipſos dæmonas de ſemetipſis confiteri, quoties à nobis & meritis verborum, & orationis incendijs de corporibus exiguntur.

Cyprianus. 250.

De duplici Martyrio: Qui magicis artibus vtuntur, tacitè Chriſtum abnegant, dum cum dæmonibus habent fœdus.

Lactantius. 300.

Lib. 2. diuinarum Inſtitutionum c. 16. Dæmonū inuēta ſunt aſtrologia, & aruſpicina, & auguratio, & ipſa, quę dicuntur oracula, & necromantia, & ars magica, & quicquid præterea malorum exercent homines, vel palam, vel occultè: quæ omnia per ſe falſa ſunt. Sed ijdem ipſi authores præſentia ſua faciunt, vt vera eſſe credātur. Ita hominū credulitatem mentita diuinitate deludunt, quòd illis verū aperire nō expedit. Hi ſunt qui fingere imagines & ſimulachra docuerunt, qui, vt hominum mentes à cultu veri Dei auerterent, & fictos mortuorum regum vultus, & ornatos, exquiſita pulchritudine ſtatui, conſecrariq; fecerunt, & illorū ſibi nomina quaſi perſonas aliquas induerūt. Sed eos magi, & ij, quos verè maleficos vulgus appellat, cùm artes ſuas execrabiles exercent, veris ſuis nominibus ciēt, illis cæleſtibus, quæ in literis ſanctis leguntur.

Ambroſius. 370.

Ad cap. 8. ad Rom. Nec quidem ſi ſe angelus nobis oſtendat ad ſeducendos nos, ſubornatus fallacijs patris ſui diaboli, prēualere debebit aduerſū nos: cùm ſciamus Chriſto, vt magni cōſilij Angelo, nihil prępondū. Neq; ſi virtus ab aliquo facta fuerit, ſicut dicitur facta à Simone Mago, qui dicitur in aēre ſurſum, vt populo Chriſti ſcandalo eſſet, volaſſe, fidē noſtrā debebit minuere, ſcientiū Saluatorē nube famulante ſuſceptū aſcendiſſe ſuper omnes cælos. Neq; ſi in altitudinem ſe nobis oſtēdat, de qua dicit Ioannes Apoſtolus: *Ne ignoratis altitudinem Satanæ?* à deuotione nos Domini Ieſu debebit auferre, quem ſcimus deſcendiſſe de cęlo, vt terrena cæleſtibus ſociaret, &c. Nec ſi arte & ſublimitate aſtutiæ ſuę aliam creaturam fingat ad horam, ſicut finxerunt Iannes & Mambres coram Pharaone, conueniens eſt, vt per hæc à Deo Creatore vero nos reuocet.

Iſaiæ 9.

Act. 1.

Apoc. 2.

Exod. 7.

Hieronymus. 390.

Ad cap. 2. Danielis: Quos nos ariolos, cæteri ἐπαοιδοὺς, id eſt incantatores interpretati ſunt. Ergo videntur mihi eſſe qui verbis rem peragunt: magi qui de ſignis philoſophantur. Malefici qui ſanguine vtuntur, & victimis, & ſæpe contingūt corpora mortuorū. Porrò in Chaldæis γενεθλιαλόγους ſignificari puto, quos vulgus Mathematicos vocat. Conſuetudo autem & ſermo cōmunis magos pro maleficis accipit; qui aliter habētur apud gentē ſuam, eo quòd ſint philoſophi Chaldæorū, & ad artis huius ſcientiam reges quoq; & principes eiuſdem gentis omnia faciunt.

Ad ca. 5. epiſt. ad Gal. Et ne forſitan veneficia & maleficæ artes nō viderentur in nouo prohibitę Teſtamēto, ipſæ quoq; inter carnis opēra nominantur. Quia ſępe magicis artibus & amare miſeris euenit, & amari. Inimicitia quoq;, quæ poſt veneficia ponitur, quem habeat reatum, manifeſto crimini ſubiecta declarat.

Ad ca. 6. epiſt. ad Epheſ. Nō demus locū diabolo, ſed etſi ſpiritus poteſtatem habentis aſcenderit ſuper nos locum nō demus ei, &c. Sunt quidam dæmones amoribus & amatorijs canticis ſeruientes, vt

Oſee 4. Propheta quoque commemorat dicens: *Spiritu fornicationis ſeducti ſunt.* Nam & barbara quædam nomina eorum eſſe dicuntur (vt ſæpe confeſſi ſunt hi, quos verè vulgus maleficos vocat) & incantationes, & preces, & colores varij, & diuerſa vel metallorum genera, vel ciborum, ad quę inuocati aſſiſtere dæmones, & infelices animas capere memorantur.

Prudentius. 390.

Libro 2. aduerſus Symmachum:

Multiplicis dux dæmon at eſt, qui parte ſiniſtra
Centifidum confundit iter, trahit inde ſophiſtas
Barbatos, trahit hinc opibus vel honore potentes:
Illicit & volucrum linguis, & aruſpice fallit:
Inſtigat bacchantis anus ambage Sibyllæ:
In magicas artes trahit, inuoluit & matheſin:
Omine ſollicitat, capit augure, territat extis.

Concilium Carthaginenſe Quartum. 398.

Cap. 89. Augurijs & incantationibus ſeruientem à conuentu Eccleſiæ ſeparandum præcipimus.

Gaudentius. 400.

Tractatu 4. de lectione Exodi Non ſufficit, vt à mortifero dæmonum cibo vitam ſuā cuſtodiat Chriſtianus; ſed vt omnia abominamenta gentilium, & omnes idololatriæ tramites, ſicut quædam ſerpentis Diaboli venena diffugiat. Partes enim idololatriæ ſunt, veneficia, præcantationes, ſuballigaturæ, vanitates, auguria, ſortes, obſeruatio ſomniorum, parentalia.

Auguſtinus. 400.

Lib. 2. de Doctrina Chriſtiana cap. 20. Illud, quod eſt ſecundùm inſtitutiones hominum, partim ſuperſtitioſum eſt, partim ſuperſtitioſum non eſt. Superſtitioſum eſt, quicquid inſtitutum eſt ab hominibus ad facienda & colenda idola, pertinens vel ad colendam ſicut Deum creaturam, partemue vllam creaturæ, vel ad conſultationes & pacta quædam ſignificationum cum dæmonibus placita atque fœderata, qualia ſunt molimina magicarum artium, quę quidem commemorare potius, quàm docere aſſolent poētæ: ex quo genere ſunt (ſed quaſi licentiori vanitate) haruſpicum & augurum libri. Ad hoc genus pertinent omnes ligaturæ atque remedia, quę medicorum quoq; diſciplina condemnat, ſiue in prēcantationibus, ſiue in quibuſdam notis, quas characteres vocant: ſiue in quibuscunque rebus ſuſpendendis atque illigandis, vel etiam ſaltandis quodammodo, non ad temperationem corporum, ſed ad quaſdam ſignificationes aut occultas, aut etiam manifeſtas.

De Ciuitate Dei lib. 8. cap. 19. Aduerſus magicas artes, de quibus quoſdam nimis infeles, & nimis impios etiā gloriari libet, in nomine dæmonum, ipſam publicam lucem teſtem citabo. Cur enim tam grauiter iſta plectuntur ſeueritate legum, ſi opera ſunt numinum colendorum? An fortè iſtas leges Chriſtiani inſtituerunt, quibus artes magicæ puniuntur, ſecundùm quem alium ſenſum, niſi quod hæc maleficia generi humano perniciosa eſſe non dubium eſt? Ait Poēta clariſſimus:

Virg. Aeneid. 4. *Teſtor chara Deos, & te germana tuumq;*
Dulce caput, magicas inuitam accingier artes.

Illud etiam, quod alio loco de his artibus dicit:

Eclog. 8. *Atque ſatas aliò vidi traducere meſſes.*

Eo quòd hac peſtifera ſceleratáque doctrina fructus alieni in alias terras transferri perhibentur, nonne in duodecim tabulis, id eſt Romanorum antiquiſſimis legibus Cicero commemorat eſſe conſcriptum, & ei qui hoc fecerit ſupplicium conſtitutum? Poſtremò ipſe Apuleius, nunquid apud iudices Chriſtianos de magicis artibus accuſatus eſt? Quas vtique ſibi obiectas, ſi diuinas & pias eſſe nouerat, & diuinarum poteſtatum operibus congruas, non ſolùm eas confiteri debuit, ſed etiam profiteri, leges culpans potius, quibus hæc prohiberentur, & damnanda putarentur, quæ haberi miranda & veneranda oporteret. Ita enim vel ſententiam ſuam perſuaderet iudicibus, vel ſi illi ſecundùm iniquas leges ſaperent, eumque talia prædicantem atque laudantem morte mulctarēt, digna animæ illius dæmones dona rependerent; pro quorum diuinis operibus prædicandis, humanam vitam ſibi adimi non timeret, &c. Huius autem Philoſophi Platonici copioſiſſima & diſertiſſima extat oratio, qua crimen artium magicarum à ſe alienum eſſe defendit, ſeque aliter non vult innocentem videri, niſi ea negando, quę non poſſunt ab innocente committi. At omnia miracula magorum, quos rectè ſentit eſſe damnandos, doctrinis fiunt & operibus dæmonum, quos viderit cur cenſeat honorandos eſſe, neceſſarios eos aſſerens, perferendis ad Deos noſtris precibus, quorum debemus opera deuitare, ſi ad Deum verum preces noſtras volumus pernenire. Deinde quæro, quales preces hominum Dijs bonis per dęmones allegari putat, magicas an licitas? ſi magicas, nolunt tales: ſi licitas, nolunt per tales.

Libro 4. de Trinitate cap. 10. Quia non peruenerat diabolus quò ipſe perduxerat, magnus homini videbatur princeps in legionibus dæmonum, per quas fallaciarum regnum exercet: ſic hominem per elationis typum potentiæ quàm iuſtitiæ cupidiorem, aut per falſam Philoſophiam magis inflans, aut per ſacra ſacrilega irretiens, in quibus etiam magicæ fallaciæ curioſiores, ſuperbioresque animas deceptas illuſasque precipitat, ſubditum tenens, pollicens etiam purgationem animæ per eas quas τελετὰς appellat, transfigurando ſe in Angelum lucis, per multiformem machinationem in ſignis & prodigijs mendacij.

Cap. 11. Facile eſt enim ſpiritibus nequiſſimis per aërea corpora facere multa, quæ mirentur animæ terrenis corporibus aggrauatæ, etiam melioris affectus. Si enim corpora ipſa terrena, nonnullis artibus & exercitationibus modificata, in ſpectaculis theatricis tanta miracula hominibus exhibent, vt ij, qui nunquam viderūt, talia narrata vix credant; quid magnum eſt diabolo & angelis eius de corporeis elemētis per aërea corpora facere, quæ caro miretur, aut etiam occultis inſpirationibus ad illudendos humanos ſenſus, phātaſmata imaginum machinari, quibus vigilantes dormienteſue decipiat, vel furentes exagitet?

Maximus Taurinenſis. 430.

In Calend. Ianuarij de Circumciſione Domini: Non debet fidelis anima, quæ Angelorum conſortium concupiſcit, dæmoniorum luſibus delectari. Neq; verò luci ac tenebris, veritati atque mēdacio, turpitudini ac honeſtati apud Dei ſeruos vlla poteſt eſſe communio, ſicut nos Eccleſiarum Doctor inſtruit, dicens: *Quæ conuentio Chriſti ad Belial?*

Philippus Presbyter. 430.

Lib. 1. in Iob. cap. 12. Volatilia intelligunt dæmones, quia iuxta viam ſata frumenta decipiunt; ſiue leues, & elati homines, ac ſuperbi, aut certè aſtrologi, vel etiam genetliaci, ſiue illi, quos diuina Scriptura augures cæli appellat, qui ſub quodam numero, & curſu, ac neſcio qua ratione aſtrorum commentis ſuis hominum natiuitates euentusque pertractant vel nuntiant, & hæc volucri ſuppuratione reperire ſe arbitrantur.

Leo Magnus. 450.

Sermone 7. de Natiuitate Domini cap. 3. Habet diabolus multos ex ijs, quos tenaciùs obligauit, aptos ſuis artibus; quorum ad alios decipiendos & ingenijs vtatur, & linguis. Per iſtos remedia ægri-

tudinum, indicia futurorum, placationes dæmonũ,& depulsiones promittuntur vmbrarum.

Concilium Veneticum. 460.

Cap.16. At ne fortasse id videatur omissum,quod maximè fidẽ Catholicæ religionis infestat, quòd aliquanti clerici studentaugurijs, & sub nomine confictæ religionis(quas Sanctorum sortes vocãt) diuinationis scientiam profitentur, aut quarumcunq; Scripturarum inspectione futura promittunt,in hoc quicunque clericus detectusfuerit vel consulere,vel docere,ab Ecclesia habeatur extraneus.

Claudius Marius Victor. 460.

Lib.3.in Genesim:

Sed postquam toto dementia percita mundo,
(Vt taceam magici scelus inteſtabile monſtri)
In truncos,& saxa etiam,durique metalli
Arte cauas species,& cassas luce figuras
Impegit mortale genus.

Concilium Agathense. 500.

Cap.68. Non oportet ministros altaris aut clericos magos & incantatores esse,aut facere quæ dicunt phylacteria, quæ sunt magna obligamenta animarum.Hos autem, qui talibus vtuntur, projici ab Ecclesia iussimus.

Apud Iuonem lib. 8. Perquirendum est, si aliqua fœmina sit, quæ per quædam maleficia,& incantationes mentes hominum immutare se posse dicat,id est; vt de odio in amorem,vel de amore in odium conuertat,vt bona hominum aut damnet, aut subripiat.Et si est,quæ dicat se cum dęmonum turba, in similitudinem mulierum transformata, certis noctibus equitare super quasdam bestias,& in eorum consortio annumeratam esse, hæc talis omnimodis scopis correcta ex Parrochia eijciatur.

Alcimus Auitus. 500.

Libro 2.

Namque hinc posteritas vitiato germine duxit
Artibus illicitis cognoscere velle futura,
Arcaniq; sacris tardos immittere sensus:
Edita vel cælo, vel tetro mersa profundo
Rimari,inq; cauas naturæ irrumpere leges:
Quærere quàm dextro quisquam sit sydere natus,
Prospera quàm ducat restantis tempora vitæ,
Dissimilem paribus prouentum discere signis:
Nec non & geminos vno sub tempore fusos,
Quos indiscretus luci subduxerit orbis,
Motibus aduersis varia sub sorte notare.
Indigetes quosdam stellis ascribere diuos,
Iunior antiquis atas quos prætulit astris,
Atque infernali iamdudum nocte sepultis,
Vana per immensum disponere nomina cælum.
Iam magicam dignè valeat quis dicere fraudem,
Occultas tacito tentantem pectore vires?
Legifer vt quondam vates,sub rege superbo,
Dum noua monstraret iussi miracula signi,
Commouit liuore magos,vt talia tentent,
Accumulentq; suas zelo feruente ruinas.
Queis forsan si suppeteret non vana potestas
Demere,non etiam properarent addere monstra.
Aemula sed signis tantùm,non viribus aqua
Quod remouere nequit, duplicata sustinet ira, &c.

Libro 5.

Tunc mandat quoscunq; magos & carmina doctos
Illicitam diris tentent vt fraudibus artem.
Vndique tunc iussi concurrunt, & medicatas
Armant quisque suas noto phantasmate virgas:
Dant facta vanas species,angues q; putati
Illusos terrent oculos fallente figura.

Concilium Aurelianense Primum. 506.

Cap. 32. Si quis clericus, monachus, vel secularis, diuinationem, vel auguria crediderit obseruanda,vel sortes (quas mentiuntur esse Sanctorum) quibuscunque putauerit esse intimandas, cum his qui eis crediderit, ab Ecclesiæ communione pellantur.

Theodoricus Rex Italiæ. 520.

Epistola,quæ est inter Epistolas Cassiodori lib.4.epist.22. Intolerabilis excessus est, qui supernæ maiestatis affectat iniuriam, & oblitus pietatis credula sectatur erroris. Quem enim sperabit venię locum, qui reuerendum contempsit auctorem? Abscedat ritus de medio iam profanus: conticescat pœnale murmur animarum: versari non licet in magicis artibus temporibus Christianis.Magnitudinis itaque tuæ relatione comperimus,Basilium atq; Prætextatum, artis sinistræ iam diu contagione pollutos, in accusationem tui examinis personarum intentione deductos. Super qua re nostram te asseris exspectare sententiam, vt confidentius fiat,quod pietatis nostræ mandat auctoritas. Sed nos, qui nescimus à legibus discrepare, quorum cordi est moderatam in omnibus tenere iustitiam, præsenti auctoritate decernimus, vt quinque Senatoribus hanc causam legitima examinatione pẽsetis,& per omnia iuris ordine custodito, si crimen,quod intenditur,fuerit comprobatum,ipsarum quoque legum districtione plectatur, vt rei abditi,atque secreti,per hoc vindictæ genus à talibus culpis arceantur, quos ad leges trahere non potest incerta notitia.

Athalaricus Rex. 530.

Epistol. apud Cassiodorum lib. 9. epist. 18. Maleficos quoque,vel eos,qui ab eorum nefarijs artibus aliquid crediderint expetendum, legum seueritas insequatur. Quia impium est,nos illis esse remissos,quos cælestis pietas non patitur esse impunitos. Qualis enim fatuitas est, Creatorem vitæ relinquere,& sequi potius mortis auctorem?

Arator. 540.

Lib.2. Act.Apost.

Ast alij magicis ponunt incendia libris,
Vt mereantur aquas, & vitam ignibus ignes:
Ardua flamma minis,cuius super æthera fulgor
Euolat,& cælum tales petiere fauillæ.

Theodorus Cantuariensis. 560.

In Pœnitentiali: In tabulis,vel codicibus, aut alijs sortibus furta non sunt requirẽda,nec diuinationes aliquas in aliquibus rebus quis obseruare præsumat.Qui autem contra fecerit,quadraginta dies pœniteat.

Gregorius Turonensis. 560.

Historiæ Francorum lib.6.c. 35. Dum hæc agerentur,nuntiatur reginæ puerum, qui mortuus fuerat, maleficijs & incantationibus fuisse subductum, ibiq; Mummulum præfectũ, quem iam diu regina inuisum habebat,consciũ esse. Vnde factum est, vt epulante eo in domo sua, quidam de aulicis regis puerum dilectum sibi,qui à dysenteria correptus fuerat, lamentaretur: cui Præfectus respondit, habetur mihi herba in promptu, de qua si dysentericus hauriat, quãlibet desperatus sit, mox sanatur. Nuntiatis his reginæ, maiori furore succenditur.Interea apprehensas mulieres vrbis Parisiacæ tormentis applicat,ac verberibus cogit fateri quæ nouerant. At illæ confitentur se maleficas esse,& multos occumbere lecho se fecisse testatæ sunt,addentes illud, quod nulla ratione credi patior,filium tuum,aiunt,ô Regina,pro Mũmuli præfecti vita donauimus. Tunc regina tormentis

mentis grauioribus mulieribus affectis, alias enecat,alias incẽdio tradit, alias rotis ossibus confractis innectit.

Martinus Bracarensis. 590.

Synodorum Græcarum cap. 60. Non liceat clericos incantatores esse,& ligaturas facere, quod est colligatio animarum: si quis hoc fecerit, de Ecclesia projiciatur.

Cap. 71. Si quis paganorum consuetudinem sequens, diuinos & sortilegos in domum suam introduxerit, quasi vt malum foras mittant, aut maleficia inueniant, vel lustrationes paganorum faciant,quinque annis pœnitentiam agat.

Cap.72. Non liceat Christianis tenere traditiones gentilium, & obseruare, vel colere elementa, aut lunæ,aut stellarum cursus, aut inanem signorum fallaciam pro domo facienda, vel propter segetes,vel arbores plantandas, vel coniugia sociColoſ.3. anda. Scriptum est enim: *Omnia, quæ facitis aut in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini nostri Iesu Christi facite,gratias agentes Deo.*

Cap.74. Non liceat in herbarũ collectionibus, quæ medicinales sunt, aliquas obseruationes aut incantationes attendere, nisi tantùm in Symbolo diuino, & oratione Dominica, vt tantùm Deus Creator omnium & Dominus honoretur.

Gregorius Magnus. 590.

Lib.1.Dialogorum cap.4. Eo tempore, quo malefici in hac Romana vrbe sunt deprehensi, Basilius, qui in magicis operibus primus fuit,in monachico habitu Valertam fugiẽs petijt,&c. Omnes monachi Basilium ex monasterij habitatione repulerunt.Qui repulsus dixit frequenter, se cellã Equitij magicis artibus in aëra suspendisse, nec tamen eius quempiam lædere potuisse: qui non post longum tempus in hac Romana vrbe excandescente zelo Christiani populi igne crematus est.

Lib. 7. epist.67. Contra idolorum cultores,vel aruspicũ,atque sortilegorũ fraternitatem tuam vehemẽtius pastoralihortamur inuigilare custodia, atque publicè in populo contra huius rei viros sermonem facere,eosq́ue à tanti labe sacrilegij & diuini intentatione iudicij,& præsentis vitæ periculo, adhortatione suasoria reuocare. Quos tamen si emendare se à talibus nolle repereris,si seruisunt verberibus volumus castigari,si verò liberi,inclusione digni,districtamq; sunt in pœnitentiam dirigendi.

Lib.9.epist. 47. Peruenit ad nos, quòd quosdam incantatores & sortilegos fueris insecutus. Et omnino nobis solicitudinem zelumq́ue tuum gratum fuisse cognoscas: sed molestè tulimus, quòd te dubitare,nè ab eis nobis contra experientiã tuam surripi potuisset didicimus,cùm certus esse ac scire debueras,hoc tibi apud nos ad commendationem magis proficere,non ad culpam ascribi. Et ideo studij tui sit solicitè quærere, & quoscunque huiusmodi Christi inimicos inueneris, ita districta vltione corrigere; vt & nos de experientia tua melius debeamus habere iudicium, & Deo nostro te,quod maximè studendum est, valeas commendare.

Isidorus Hispalensis. 620.

Lib.8.Etymol.cap.10. Vanitas magicarum artium ex traditione malorum angelorum in toto terrarum orbe plurimis seculis valuit, per quandam scientiam futurorum & infernorum,& inuocationes:eorum inuenta sunt aruspicia, augurationes,& ipsa quæ dicuntur oracula,&necromantia. Nec mirum de magorum præstigijs, quorum in tantum prodiere maleficorum artes, vt etiam Mosi simillimis signis resisterent, vertentes virgas in dracones,& aquas in sanguinem, &c.

Concilium Toletanum Quartum. 640.

*Cap.28.*Si quis Episcopus, aut Presbyter, siue Diaconus,vel quilibet ex ordine Clericorum,magos,aut aruspices, aut ariolos, aut certè augures, vel sortilegos,vel eos, qui profitentur artem magicam, aut aliquem eorum similia exercentem, consuluisse fuerit deprehensus, ab honore dignitatis suæ depositus,monasterij censuram excipiat: ibiq́ue perpetuæ pœnitentiæ deditus scelus admissum sacrilegij soluat.

Eudoenus. 670.

Lib.2.vitæ S.Eligij cap.16. Ante omnia illud denuntio,atque contestor, ne vllas paganorum sacrilegas consuetudines obseruetis, non diuinos, non sortilegos,non incantatores pro vlla re, aut infirmitate consulere ausi sitis. Qui enim id facit, ille mox perdit Baptismi gratiam. Neq; etiam auguria, vel sternutationes obseruetis,nec in itinere constituti,aues cantantes curiosè attendatis,sed siue iter, seu quodlibet opus suscipitis, signate vos in nomine Christi, Symbolumq́ue & orationem Dominicã cum fide & deuotione dicite, nec quicquam vobis nocere poterit inimicus.

Beda. 700.

Ad cap.19. Act.Apost. *Qui curiosa fuerant sectati.* Curiosa dicit magicæ artis industriam, cuius sectatores meritò suos libros incendunt, magno licet pretio æstimatos,quando ipsos,quibus seruierant, dæmones Iesum Christum Dominum, & Apostolos eius vident honorare,&c. Hic propter enormitatem magici sceleris millenarius etiam adiectus est numerus.

Gregorius Tertius Papa. 730.

Cap.12.suorum Decretorum: Si quis ariolos, aruspices, vel incantatores obseruauerit, aut phylacterijs eorum vsus fuerit,anathema sit. 26.q.5.

Zacharias Papa. 740.

Epistola ad Bonifacium Episcopum: De Kalendis Ianuarijs, vel cæteris augurijs, phylacterijs, & incantationibus, vel alijs diuersis obseruationibus, quæ gentili more obseruari dixisti apud B. Petrum Apostolum, vel in vrbe Roma, hoc nobis & omnibus Christianis detestabile & pernicioſum esse iudicamus, dicente Deo: *Non augurabimini, nec obseruabitis somnia.* Et iterum: *Non est augurium in Israel,nec obseruatio in domo Iacob.* Ita & à nobis cauendum esse censemus, vt nullis augurijs, vel obseruationibus attendamus, quia omnia hæc abscissa esse à patribus edocti sumus.Et quia per instigationem diaboli iterum pullulabant à die qua nos iussit diuina clementia (quamquam immeriti existamus) Apostoli vicem gerere, ilicò omnia hæc amputauimus. Leuit.19. Num.23.

Synodus Francica. 742.

Decreuimus quoque, vt secundùm Canones vnusquisque Episcopus in sua parochia solicitudinem adhibeat,vt populus paganias nõ faciat, sed vt omnes spurcitias gentilitatis abijciat, & respuat,siue prophana sacrificia mortuorum,siue sortilegos,vel diuinos,siue phylacteria & auguria,siue incãtationes, siue hostias immolatitias, quas stulti homines iuxta Ecclesias ritu pagano faciunt, sub nomine Sanctorum Martyrum vel Confessorum.

Aribo Frisingensis. 770.

Vitæ S.Corbiniani cap.25. Cùm quadã die vir sanctus vespertina hora ad ecclesiam B Mariæ in castro Frisingensi, ad persoluendas Deo laudes, veniret, ecce quædam mulier rustica cum muneribus ei obuiam perrexit,quæ de maleficij suspicione iam antea viro Dei fuerat delata.Ibant cum ea

onusti

onusti carnibus viri,& animal viuum secum ducebant. Quod vir Dei cernens,subtiliter inquisiuit, quinam esset illius aduentus. Ad hæc mulier dolosa quandam in iuuentutis flore principis sobolem quibusdam illusionibus dæmonum asserebat fuisse commotam,seque suo carmine, suisque artibus ad salutem perduxisse gloriabatur:& inde hæc xenia apportare. Quibus auditis, vir Dei vehementer expauit,& ex equo prosiliens,tanto cõmouebatur zelo, vt ipse eam proprijs non parceret manibus cædere, & cuncta quæ cum ea portabantur xenia ad portam ciuitatis, domum reuertens, pauperibus distribuens perfidiam Principis non cessaret deflere.

Paulus Aquilegiensis. 780.

Variarum Historiarum lib.11. Iulianus cùm proficeret in Rhetorica,superuenit in Nicomedia Maximus Philosophus,non ille Bizantius pater Euclidis,sed Ephesius,quem postea quasi artes magicas exercentem Valentinianus Imperator præcepit occidi.

Carolus Magnus. 800.

Lib. 1.Legum cap. 64. Habemus in Lege Domini mandatum: *Non auguramini.* Et in Deuteronomio: *Nemo sit,qui ariolos scisciteur,vel somnia obseruet, vel ad auguria intendat.* Item: *Nemo sit maleficus, nec incantator,nec Pythonis consultor.* Ideò præcipimus, vt nec calculatores,nec incantatores,nec tempestarij,vel obligatores fiant,& vbicunque sunt emendentur, vel damnentur. Item de arboribus, vel petris, vel fontibus, vbi aliqui stulti luminaria,vel alias obseruationes faciunt, omnino mandamus, vt iste pessimus vsus & Deo execrabilis,vbicunq; inuenitur,tollatur, & destruatur.

Lib.7.cap.285. Qui de salute Principis vel summa Reipublicæ mathematicos, ariolos,aruspices,vaticinatores consulit, cum eo qui responderit,capite puniatur.

Additione 3.cap.61. Admoneant sacerdotes fideles populos, vt nouerint magicas artes, incantationesque quibuslibet infirmitatibus hominum nihil posse remedij conferre: non animalibus languentibus,claudicantibus, vel etiam moribundis quicquam mederi,non ligaturas ossium, vel herbarum,cuique mortalium adhibitas prodesse,sed hæc esse laqueos, & insidias antiqui hostis, quibus ille perfidus genus humanum decipere nititur.

Concilium Parisiense. 829.

Lib.3.cap. 2. Extant & alia perniciosissima mala, quę ex ritu gentilium remansisse dubium non est, vt sunt magi,arioli, sortilegi, venefici, diuini, incantatores, somniorum coniectores, quos diuina lex irretractabiliter puniri iubet,de quibus in Lege dicitur: *Anima,quæ declinauerit ad magos & arioìos, & fornicata fuerit cum eis,ponam faciem meam contra eam,& interficiam illam de medio populi sui,&c.* Dubium non est,sicut multis est notum,quòd à quibusdam præstigijs atque diabolicis illusionibus ita mentes quorundam inficiantur poculis amatorijs,cibis,vel phylacterijs,vt in insaniam versi à plerisque iudicentur, dum proprias non sentiunt contumelias. Ferunt enim, suis maleficijs aërea posse conturbare, & grandines immittere, futura prædicere, fructus & lac auferre,alijsque dare, & innumera à talibus fieri dicuntur,qui vt fuerint huiusmodi comperti,viri,seu fœminæ,in tãtum disciplina & vigore principis acrius corrigendi sunt, in quantum manifestius ausu nefando & temerario seruire Diabolo non metuunt.

Leuit.20

Leo Quartus. 847.

Epistola ad Episcopos Britanniæ: Sortes, quibus cũ-

26.q.5.

cta vos vestris discriminatis prouincijs, quas Patres damnauerũt,nihil aliud quàm diuinationes, & maleficia esse decernimus. Quamobrem volumus illas omnino damnari, & inter Christianos vltra nolumus nominari, & ne exerceantur anathematis interdicto prohibemus.

Hincmarus Remensis. 850.

Apud Gratianum 33 quæst.1. Si per sortiarias atque maleficas artes occulto, sed nunquam iniusto Dei iudicio permittente,& Diabolo præparante, concubitus non sequitur,hortandi sunt,quibus ista eueniunt, vt corde contrito & spiritu humiliato Deo & sacerdoti de omnibus peccatis suis puram confessionem faciant, & profusis lachrymis, & largioribus eleemosynis,& orationibus,atque ieiunijs Domino satisfaciant: & per exorcismos, & cætera Ecclesiasticæ medicinæ munia ministri Ecclesiæ tales,quantum Dominus annuerit,qui Abimelech ac domum eius Abrahæ orationibus sanauit,sanare procurent. Quòd si fortè sanare non potuerint,separari valebunt: sed postquam alias nuptias expetierint,illis in carne viuentibus,quibus iuncti fuerant, prioribus, quos reliquerant, etiamsi possibilitas concumbendi eis reddita fuerit,reconciliari nequibunt. Gen.20.

Rabanus Maurus. 850.

In Exodum lib.3.cap.1. *Maleficos non patiaris viuere.*) Maleficos appellat illos, qui præstigijs magicæ artis,ac diabolicis figmentis causas agunt;& ab vno Deo, qui verus est auctor omnium bonorum, auertere satagunt: quos vltra valere ad hominum perniciem lex non patitur, sed magis extinguere iubet.

Epistola ad Bonosum Abbatem: Magicas artes atque incantationes & superstitiones diuersas,quas gentiles & falsi Christiani in diuinationibus suis,& obseruationibus peruersis sequi videntur, detestatur lex diuina,quæ in libro Exodi ita dicit: *Maleficos interratua non patiaris viuere,* &c. Curandum summoperè est nobis,ne aliquẽ seducat per huiusmodi illusionem fraus, dolus, & nequitia hostis antiqui,ita vt à mendacibus velimus discere veritatem,& à pestiferis morborum mortisque auctoribus quæramus infirmitatis nostræ remedium: sed magis ad Deum viuum, & viuificatorẽ omnium confugiendo,deuoto corde properemus, per orationes sacras, ieiunia, & eleemosynas, illum deprecantes, vt ipse propter benignitatem suam consulat seruis suis,eripiens nos de omnibus inimicis nostris.

Magi sunt,qui vulgo malefici ob facinorũ magnitudinem nuncupantur. Hi permissu Dei elementa concutiunt,turbant mentes hominum minus Deo confidentium,ac sine vllo veneni hausto violentia tantùm carminis interimunt.

Necromantici sunt,quorum præcantationibus videntur resuscitari mortui, & ad interrogata respondere: ad quos suscitandos cadaueri sanguis adijcitur.

Hydromantici ab aqua dicti. Est enim hydromantia in aquę inspectione vmbras dæmonum euocare,& imagines ludificationis eorum videre, ibiq; in ijs aliqua audire, vbi adhibito sanguine, etiam inferos perhibentur scisciari.

Incantatores dicti sunt,qui artem verbis peragunt.

Arioli vocati sunt, quòd circa aras idolorum nefarias preces emittunt, & funesta sacrificia offerunt,ijsque celebratis dæmonum responsa accipiunt.

Sortilegi sunt, qui sub nomine fictæ religionis, per quasdam,quas Sanctorum sortes vocant,diuinationis scientiam profitentur, aut quarumcunq;

scriptura-

scripturarum scientiæ inspectione futura promittunt.

Ad hęc omnia pertinent ligaturæ execrabilium remediorum, quæ ars medicorum commendat, seu in præcantationibus,seu in characteribus, vel in quibuscunque rebus suspendendis, atq; ligandis. In quibus omnibus ars dæmonum est,ex quadam pestifera societate hominum & angelorum malorum exorta. Vnde cuncta vitanda sunt Christiano, & omni penitus execratione repudianda atque damnanda.

Ioannes Diaconus. 870.

Vitæ S.Gregorij lib.2.cap.43. Quidam diuitum Romanorum,relicta cõiuge, fuerat à Pontifice communione priuatus: quod ille molestissimè ferens, magorum suffragia requisiuit: qui magnis muneribus persuasi, posse se suis carminibus agere,vt immisso dæmone tam diu caballus Pontificis vexaretur, quousque cum sessore suo periclitaretur,fiducialiter promiserunt. Hac incestus iudex pollicitatione lætatus,magos iuxta viam,per quã Pontifex ad stationem profecturus erat, in abdito & edito stare permisit, vt videre transeuntes, non videri à transeuntibus possent. Cumq; magi ex planetatorũ, mappulatorumque processionibus magnum Pontificem cognouissent,immisso dæmone,tam fortiter eius equum vexari fecerunt,vt nequaquam à sessore,siue à stratoribus teneri posse putaretur. Tunc Gregorius, reuelante Spiritu sancto, dæmoniacã immissionem cognoscens, facto crucis signo, tam caballum à præsenti rabie liberauit, quàm maleficos ex latenti culmine iubens deponere,perpetua cæcitate multauit. Quos reatum suum suggestione incesti iudicis confitentes,& postmodũ ad sacri Baptismatis gratiam venientes,luminibus quidem, ne magiam relegerent,reddere noluit,eos tamen ecclesiastica stipe nutriri præcepit.

Radulphus Flauiacensis. 950.

In Leuiticum lib.14. cap. 4. Auguria idcirco sacra lege damnantur, quia gentili superstitione adinuenta sunt, ad ineundam cum dæmonibus societatem: qui huiusmodi significationibus cum hominibus talium curiosis confabulantur, ad eorum seductionem, nõnunquam vera nuntiantes, vt in errores inducant.

Berno Augiensis. 1020.

De Diuinatione dæmonum contemnenda: Pythonici sunt ventriloqui, in quorum ventre diabolus habitans,dat per omnia hominibus responsa,vt animas eorum decipiat,capiat,& secum in interitum ducat,&c. Satanas,iuxta Apostolum,se aliquando transfigurat in Angelum lucis, vt vel hoc modo decipiat hominum mentes: aliquando per magicas artes,occulto,sed non iniusto Dei iudicio, varia imaginationum genera & ludificationum hominibus immittit, vt ipsi homines se putent esse quod non sunt,&c. Hanc esse artem designat etiam sacra Scriptura, sed vti ea prohibet. Nam & dæmones Scriptura designat, sed coli & adorari eos vetat. Rectè ergo magica arte vti prohibet: quia magorum ministri sunt angeli refugæ, & spiritus maligni,& dæmonia immunda.

Concilium Salegunstadiense. 1023.

Cap.10. Quidam laicorum, & maximè matronę, habent in consuetudine, vt per singulos dies audiant Euangeliũ, *In principio erat Verbum,* & Missas peculiares, hoc est,de sancta Trinitate, aut de sancto Michaële:& ideo sancitum est in eodẽ Concilio,vt hoc vlterius non fiat,nisi suo tempore, & nisi aliquis fidelium audire velit pro reuerentia sanctæ Trinitatis,non pro aliqua diuinatione: & si voluerint, vt sibi Missæ cantentur, de eodem die audiãt Missas,vel pro salute viuorum, aut pro defunctis.

Algerus. 1060.

Lib.1.de Eucharistia cap.7. Phantastica illusio magicis congruit & diabolicis fraudibus: veritatis autem assertio diuinis sanctionibus,&c. Phantasticæ species rerum in somnijs vel Magorum prestigijs videri solent.

Anselmus. 1080.

Ad 3.cap.epist.ad Galatas: Incantatores fascinant & deludunt homines,vt credant verum esse quod falsum est.

Petrus Alphonsus. 1100.

In Dialogo titulo 10. Imprimis igitur debes scire, artis illius,quæ Necromantia appellatur, nouem particulas esse, quarum quatuor primæ tractant de quatuor elementis, qualiter in ijs operari possimus Physicè: quinque verò reliquæ, quemadmodum non nisi per inuocationem malignorum operari quis possit spirituum. Illi autem maligni spiritus diaboli ab hominibus appellantur.

Rupertus Tuitiensis. 1120.

In Apocalyps.lib.9.cap.16. Spiritus immundos magi præcipuè patronos, quo nescio infelici quodam pacto,asciuerunt sibi poetæ sub nominibus honestis,eosdem rogitant spiritus immundos aspirare sibi, sacrilega præsumptione Deos appellãtes;cùm dæmones sint.

Hugo Victorinus. 1130.

Excerptionum priorum lib.1.cap.25. Magica sub philosophia non continetur, sed est foris, falsa professione de vero mentiens,& veraciter lędens, homines seducit à religione diuina,culturam dęmonum suadet, & ad omne nefas suos sequaces impellit.

Bernardus. 1130.

Sermone 4.super Salue Regina: Hoc proximo inhibetur præcepto: *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum,* ac si diceret, nulli creaturæ Dei nomen exhibeas,nihil per incantationes aut auguria quęras.

Petrus Lombardus. 1140.

Lib.2.dist.7. Aliquando ijdem nefandi spiritus, quæ facturi sunt velut diuinãdo prædicunt: quorum scientia atq; virtute etiam magicæ artes exercentur,quibus tamen non tam scientia, quàm potestas à Deo data est,vel ad fallendum fallaces,vel ad monendum fideles, vel ad exercendam, probandamque iustorum patientiam.

Ioannes Gratianus. 1150.

26.quæst.5. Quòd autem sortilegi,& diuini, si cessare noluerint,excommunicandi sunt, ratione & auctoritate probatur. Est enim quoddam genus culturæ idolorum, ex dæmonum consultationibus futura prædicere. Sicut enim auarus,quia cultum Deo debitum nũmo impendit, idolorũ cultor ab Apostolo nominatur: sic illi, qui futura, quæ ex Dei oraculo nonnunquam reuelata inueniuntur, vel dæmonum consultatione, vel quibuslibet præstigijs inuenire laborant, diuinitatis iura creaturis attribuunt.

Hildegardis. 1150.

Primæ Sciuias visione 3.cap.19. Diabolus opera lucis frequenter per malos homines defuscare laborat: quemadmodum euenit in paganis,hæreticis, & pseudoprophetis; & in ijs,quos isti sua fallaci deceptione post se trahere conantur. Quomodo? quia volunt ea scire, quæ ipsis scienda non sunt; illum imitantes, qui se Altissimo similem esse voluit.

Cap.22. Vnde & peiora his apparuerunt, cùm homines per diabolum magica artę insanire cœperunt, ita quòd diabolum vident & audiunt: ipse eis fallaciter loquens & ostendens, quod velut creaturam vnam inspiciant, & alia existat.

Cap.27. Sed errorem huius peruersitatis, scilicet quòd signa actuum tuorum in stellis, aut igne, aut in auibus, seu in alia huiusmodi creatura quæris, amplius nolo tolerare. Quoniam omnes, qui errorem hunc diabolica visione primùm admuenerunt, Deum contemnentes, præcepta illius omninò abiecerunt, quapropter & ipsi contempti sunt.

Ioannes Salisberiensis. 1160.

Lib.1.Polycraticon cap.9. Eos autẽ, qui nocentiora præstigia, artesqúe magicas, & varias species Mathematicæ reprobatæ exercent, iam pridem sancti Patres ab aula amoueri iusserunt: eò quòd omnia hæc artificia, vel potius maleficia, ex pestifera quadam familiaritate dæmonum, & hominum nouerint profluxisse, verumqúe persępe proferunt, sola intentione fallendi; à quibus animam fidelem Dominus arcens ait: *Si dixerint vobis, & ita euenerit, ne credatis eis.*

Cap.10. Et quidem magi sunt, & ob magnitudinem maleficiorum sic appellantur, qui Domino permittente elementa concutiunt, rebus adimũt species suas, ventura plerunque prænuntiant, turbant mentes hominum, immittunt somnia, hominesq; violentia carminis duntaxat occidunt.

Libro 2. cap. 27. Quid de necromanticis dicam, quorum impietas, Deo auctore, per seipsam vbique iam viluit, nisi quòd morte digni sunt, qui à morte conantur scientiam mutuare?

Petrus Blesensis. 1160.

Epistola 49. Quædam mulieres cereas, siue luteas formant imagines, vt sic hostes vel amasios torqueant; quædam habent oculos fascinantes: quidam in volatu auium futura concinunt: quidam Genethliacos, quidam Mathematicos, quidam Pythonissas consulunt: & quia diuinationi eorum quandoque respondet euentus, eis fides à temerarijs adhibetur. Nam mendacij pater veritatem exhibet frequenter vmbratilem, donec infidelitatis filios secum præcipitet in Gehennam. Sic ergo scientia Christiani nil debet de futuris inquirere, sed illius dispositioni humiliter obedire, qui disponit omnia suauiter, cuius consiliarius nemo fuit, &c. *Non labores noscere tempora vel momenta, quæ posuit Pater in sua potestate.* Futurorum enim explorare notitiam augurijs, aut alijs illicitis modis diabolica tentatio est, & æternæ damnationis occasio.

Alexander Tertius. 1170.

Extra de sortilegis: Ex tuarum literarum tenore accepimus, quòd N. Presbyter cum quodam infami ad priuatum locum accessit, non ea intentione, vt vocaret dæmoniũ, sed vt inspectione astrolabij furtum cuiusdam Ecclesiæ posset recuperari. Verùm licet hoc ex bono zelo, & simplicitate se feciſſe proponat, id tamen grauissimum fuit, & non modicam inde maculam peccati contraxit, &c. Mandamus quatenus talem ei pro expiatione illius delicti pœnitentiam imponas, quod per annum & amplius, si tibi visum fuerit, eum ab altaris ministerio præcipias abstinere, & ex tunc liberum sit ei exercere officium sacerdotis.

Guilhelmus Neubrigensis. 1200.

Lib.3.rerum Anglicarum cap.6. Puella quædam mira pestilentissimæ artis magicæ confidentia ab amico quæsiuit tyranno, quomodo suos, qui iam præ oculis erant, hostes cuperet interire: illo submersionem eorum eligente, repente operatione diaboli (qui nimirum per Angelicæ naturæ potentiam in elementis mundanis plurimum potest, cùm à superiori finitur potestate) tranquillum mare os suum aperiens, in conspectu hostium, maiorem regiæ classis partem absorbuit. Quo viso, nefandus presbyter, ecce, ait, socij quàm efficaciter elemẽta pugnant pro nobis, cauete ne fortè euadant, quorum certum exitium pelagus vestræ virtuti reliquit, ne totum feciſſe videatur. Itaque regij exercitus pars reliqua subito interitu sociorum attonita facilè est oppressa, & Rex ipse interijt.

Saxo Grammaticus. 1200.

Historiæ Danicæ lib.7. Solus Frotho mortis eorũ fide repudiata, latebrę locũ ex perita augurij fœmina cognoscere instituit, cuius carminũ tanta vis erat, vt rem quantalibet nodorum consertione perplexam, è longinquo soli sibi conspicuam ad contactum euocare posse videretur.

Iacobus Vitriacus. 1220.

In die Circumcisionis Domini: Non debemus in carminationibus spem ponere, licet Deus inuocetur, vel bona verba ijs dicantur, propter speciem malam. Vnde Apostolus: *Ab omni specie mala abstinete vos.* Si enim diceretur nomine orationis, non carminationis, tunc non esset malum in ijs ex Dei virtute confidere. Vnde & iudicium aquæ frigidæ in Ecclesia est prohibitum, licet bona verba dicũtur in benedictione aquæ. Prohibitum est etiam sacerdotibus, ne huiusmodi aquam benedicant: quia non debemus Deum tentare: præsertim cùm huiusmodi iudicium frequenter fallat, ita vt innocentes condemnentur, & rei absoluantur.

Guilhelmus Aluernus. 1230.

Tractatu de Legibus cap.24. Prouexit & adauxit hanc pestem diuinatio dæmonũ, qua futura quædam, & alia occulta prædicere videbantur. Per hanc enim diuinitatem veram habere credebantur. Vnde & diuinatio quasi diuinitatis imitatio dicta est. Solius enim diuinæ intelligentiæ ac sapientiæ est, occulta nosse & reuelare.

Secundæ partis de Vniuerso parte 3.cap. 21. Naturarum vires & potentias occultas qui nouerunt, multa mirifica faciunt. Qui autem ministerio dæmonum talia operantur, reuera mali, & malè agentes, & habendi & dicendi sunt.

Thomas Aquinas. 1250.

2.2.quæst.90.art.2. Non licet dæmones adiurare per modum deprecationis, quia is ad beneuolentiam pertinet, qua non licet ad dæmones vti.

2.2.quæst.96.art.2. Si simpliciter adhibeantur res naturales ad aliquos effectus producẽdos, ad quos putantur naturalem habere virtutem, non est superstitiosum, vel illicitum: si verò adiungantur vel characteres aliqui, vel aliqua nomina, vel aliæ quæcunque bonæ obseruationes, quæ manifestum est efficaciam nõ habere, erit superstitiosum & illicitum, &c. Ad dominium diuinæ Maiestatis pertinet, cui dæmones subsunt, vt ijs vtatur Deus ad quodcunque voluerit. Sed homini non est potestas super dæmones commissa, vt ijs licitè vti possit ad quodcunque voluerit. Sed est ei contrà dæmones bellum indictum. Vnde nullo modo licet homini dæmonum auxilio vti, per pacta tacita, vel expressa.

Guilhelmus Peraldus. 1255.

Tomo 2. Summæ de Superbia, capite 26. de errore diuinationis: Diuini dicuntur quasi Deo pleni. Isti sibi attribuunt quod Dei est. Præsumunt enim prædicere futura, & reuelare occulta, quæ duo ad Deum specialiter pertinent. Sunt autem multę species diuinationis, ex quibus quatuordecim numerare sufficiat, licet sint multò plures. Prima fit in igne,

& vocatur Pyromantia: alia fit in aëre, quæ vocatur Aëromantia: tertia in aqua, & vocatur Hydromantia: quarta fit in terra, quæ vocatur Geomantia: quinta fit per Pythones, in quibus spiritus malignus loquitur: sexta fit per mortuos suscitatos, quæ Necromantia dicitur: septima est augurium, quæ attenditur in gestu, & cantu, & volatu auium: octaua attenditur circa sternutationes: nona circa somnia: decima circa sortes: vndecima circa variam inspectionem Psalterii, Euangeliorum, & aliarum Scripturarum: duodecima est Mathematicorum, qui constellationes considerant, qui etiam dicuntur Magi: decimatertia est eorum, qui arioli dicuntur, qui in aris idolorum dæmonum responsa respiciunt: decimaquarta est eorum, qui vocãtur aruspices, quasi horarum vel auræ spectatores, qui dies & horas in operibus agendis custodiunt. Regulariter autem tenendum est, quòd omnis diuinatio, quocunque modorum prędictorum fiat, vel alio simili, prohibita est, maledicta à Deo & sancta Ecclesia. Et sunt multa, quæ deberent homines cohibere ab hoc peccato. Primum est, quòd hoc peccatum diabolicum est. Diuini enim, ad modum Luciferi, similes esse volunt Altissimo, dum prædicere volunt futura, quod ad Deum specialiter pertinet. Secundò deberet homines cohibere à peccato isto hoc, quòd sacra Scriptura ita dissuadet illud. Vnde Leuit.19. *Nõ declinetis ad Magos*, &c. Tertiò deberet homines cohibere ab hoc peccato multiplex pœna, qua legitur Dominus puniuisse hoc peccatum, & pœnæ, quæ in lege diuina, & iure positiuo huic peccato taxantur, &c.

Bonauentura. 1260.

In lib.2.Sent.dist.7.q.3. Artes magicæ, siue diuinationes, non possunt esse absq; peccato, nec potest à diabolo requiri consiliũ, vel etiã auxiliũ, siue ministerium absq; peccato, nisi fortassis in hoc casu, vbi Deus diabolũ subijceret homini iusto, suo iudicio, & sicut de aliquibus Sanctis audiui narrari: voluntario aũt commercio vti eo nemo potest sine peccato. Aut enim est ibi peccatum infidelitatis, vtpote si dæmonio credendo, attribuat diuinũ aliquod: aut est ibi peccatũ idololatriæ, vtpote in oblationibus & sacrificijs: aut inobedientiæ saltẽ, quia facit contra prohibitionem diuinã & Ecclesiæ. Ratio autem huius prohibitionis est: quia talis peccat in seipsum, dum se committit discrimini. Peccat in Ecclesiam: quia habet commerciũ cum illo, qui est omninò præcisus, & Ecclesiæ aduersarius. Peccat etiam in Maiestatem diuinam, dũ recurrit ad diabolum, quasi non sit omnipotens, & omninò sufficiens & benignus Deus Christianorum. Et ideo prohibitum est, & sine peccato fieri non potest.

Richardus de Media villa. 1280.

In lib.2.Sent.d.7.art.1.q.2. Diabolũ inuocare est illicitum, & prohibitũ hominibus & lege diuina, & lege positiua. Et credo, quòd etiam lege naturæ, eo quòd diabolus est aduersarius obstinatus summi Principis nostri Dei, & est ab Ecclesia irreuocabiliter præcisus, & ita mendax & fallax. Quòd si aliquando dicit veritatẽ vtilem, aut eam dicit compulsus à Deo, aut hac intẽtione, vt magis sibi postea in mendacio credatur, vt sic decipiat incautiores. Et ideo qui familiariter eum inuocat, peccat directè contra Deum, & contra Ecclesiam, & cõtra seipsum, cùm diabolus humani generis sit pessimus inimicus. Et quia artes magicę sunt cum quibusdam inuocationibus dæmonum, vel cum quibusdam commertijs cũ dæmonibus, ideo vti artibus magicis erit prohibitum tanquam illicitum & profanum.

Albertus Patauinus. 1320.

Serm.109. *Nõ habebis Deos alienos.*) Ex Christianis transgrediuntur hoc præceptum omnes diuinatores, siue per augurũ, siue per somniũ, siue per sortes, siue per incantationes, siue per inspectiones vitri, speculi, & vnguis. Itẽ qui carminibus vtũtur, vt characteribus, vel signis. Item obseruatores superstitiosi temporũ, aut occurrentiũ verborũ, rerum, & actuum. Item qui Chrisma & aquam benedictam in vsus conuertunt indebitos.

Augustinus Triumphus. 1320.

De potestate Ecclesiastica quæst.48.art.1. Dæmonum inuocatores & consultores directè faciunt contra primum præceptum: *Non habebis Deos alienos*, propter duo. Primò, quia quilibet fidelis in baptismo fidelitatem promittit Deo, renuntiando diabolo & pompis eius. Si ergo post præstitum iuramentum fidelitatis dæmonem in suum auxilium & fauorẽ inuocat, ipso facto inuenitur proditor & fidei promissæ fractor. Secundò, quia consilium est pars prouidentiæ, vt dicit Philosophus 3. Ethicorum. Cùm ergo idem sit rei productor & prouisor, vt dicit Damascenus lib.2.cap.29. eo ipso, quòd quis dæmones consulit, faciẽdo eos sui & suorum actuum prouisores: quodam pacto, tacito vel expresso, manifestè profitetur, eos esse sui, & suorum actuum productores & creatores. Et per hũc modum determinat Augustinus, libro de decẽ chordis, vbi sic ait: Dicit tibi diuina lex: Vnus est Deus tuus, vnum Deum cole, & tu vis, dimisso vno Deo, tamquã legitimo animæ viro, fornicari per multa dæmonia? Et quod grauius est, non quasi apertè deferens, sicut apostatæ faciunt, sed tamquam manens in domo viri tui, admittis adulteros, cùm consulis mathematicos, aut aruspices, aut augures, aut maleficos.

Rupertus Holcotius. 1350.

In librum Sapientiæ lectione 189. Vacantes arti magicæ multipliciter deridentur. Nam deridentur à dæmonibus, deridentur ab hominibus, deridentur à bonis Angelis, & deridentur à Deo. Deridentur à dæmonibus, & decipiuntur frequenter ipsis spiritibus fallacibus & mendosis, quibus sacrificant, & quos colunt, &c. Nõ est dubium, quin à bonis Angelis etiam deridentur, qui se vilissimis spiritibus submittere non verentur. Vnde Angelus, obuians Balaam prophetæ Nigromantico cum euaginato gladio, satis eum de dijs suis confidentem derisit, quando asinam eum ad maceriem collidere imperauit. Deridentur à Deo finaliter, iuxta illud Psalmistæ: *Et tu Domine deridebis eos, & ad nihilum deduces omnes gentes*, id est omnes gentiliter se dæmonibus subijcientes, &c. Nulla virtus naturæ corporeæ, lapidis, metalli, ligni, vel herbæ, potest dæmones ad aliquid compellere, quamuis fingant se compelli, & homini aliquo modo subdi, vt per hęc familiaritatem cum hominibus cõtrahant, & finaliter eos fallant. Inuocationes, quas vetulæ per nomina barbarica, & extranea, vel obseruationes infinitas, pro morbis curandis adhibent, sortilegia sunt, quamuis admisceantur quædam de Deo, vel de Euangelio, &c.

Ioannes Bromiardus. 1380.

Parte 2. Summæ cap.11. de Sortilegis: Omnis sortilegij ars & species à diabolo est inuenta. Patet ex auctoritate Augustini de Ciuitate. Hęc vanitas magicarum artium ex traditione malorum angelorum in toto terrarum orbe plurimis seculis inualuit, &c.

Bartholomæus Salycetus. 1390.

Super Codicem ad Titulum de Maleficis: Diuinatores concrementur, & eos euocantes cum publicatione bonorum deportentur. Nullus debet consulere diuinatorem, & quilibet à diuinando debet cessare, & contra faciens punitur. Priuilegio à tormentis exempti, de crimine maleficio vel magico

accusati, sine præiudicio possunt torqueri, & culpabiles inuenti, sunt puniendi.

Ioannes Gerson. 1420.

De distinctione verarum visionum à falsis, sign. 2. Qui perscrutatur acutius artium magicarum traditiones sacrilegas & impias, facilimè noscit, plurima ibidem obseruanda proponi super immoderatis ieiunijs, & alijs, non ad aliud, quàm ad sensus & rationis perturbationem, quò fit vt etiam plerunque talibus dediti cadant in insaniam, & vultus oculorumqúe horrorem terrificum patiantur.

De erroribus circa artem magicam 2. di. Nequam spiritus dum sæuire permittitur sæuit, non solùm apertis viribus, sed frequenter astutis dolis, & fraudibus, non tam ad perdẽdum corpora, quàm ad seducendum animas, eas in idololatriæ, & apostasiæ, & inferni foueam dando præcipites. Quamobrem excogitauit, vt superbus, vt fallax, & dolosus, quo pacto vsurparet sibi ab hominibus honorem diuinum, & à vera religione abduceret, reperit quosdam ex hominibus, falli magis idoneos, quales sunt omnes, qui Deo reiecto, nil aliud curant, nil aliud student, quàm per fas aut nefas sua desideria pessima compleri. Quorum alij ad diuitias inopes, alij ad honores vanos, alij ad infames concubitus, alij ad curiositatem libidinosam faciendi futuros rerum effectus, aut alia naturæ secreta damnabiliter aspirant. Tales cùm aspexerit dæmon, intendit nunc occultè, nũc apertè ad obseruandum quædam instituta sua, quibus mediantibus fidem habeant optata consequi. Suadet itaque has obseruationes fieri, non quòd à seipsis habeant efficaciam aliquam, aut quòd per eas ipsi necessitentur, iuxta determinationem facultatis Theologicæ nuper factam: sed ob alteram quatuor causarum. Primò, vt lex Dei præuaricetur: secundò, vt ipse dæmon diuino cultu & ritu veneretur: tertiò, vt spes de Deo minor, aut nulla habeatur: quartò, vt fraus sua minus videatur. De lege Dei prohibente talia habet expressè textus Leuiticus 19. & 20. & Deut. 18. & in Sanctorum opusculis. In legibus quoque naturalibus multa per omnem modum: quas leges transgreditur, qui talibus operam præstitit. Vnde Exodi 22. *Maleficos ne patiaris viuere.* Colitur præterea dæmon per orationes, sacrificia, & thurificationes iussas fieri in artibus magicis. Manet siquidem ipse nequam spiritus in priori phantasia superbissima, qua quæsiuit esse similis Altissimo: imò & extolli vult super omne quod dicitur Deus. Et ita verum est, quòd hi ritus tanto plus habent de sacrilega idololatria, & minus excusantur, quanto sanctiora sunt, quæ in eis ad honorem dæmonum impenduntur.

Alphonsus Tostatus Abulensis. 1430.

Ad caput 22. Exodi: Malefici sunt omnes, qui malis artibus vtuntur, siue aruspices, siue incantatores, siue aperitores, siue Necromantia, aut Geomãtia, Pyromantia, & sic de cæteris, qui per dæmonum conuocationes, aut aliquas superstitiosas obseruationes aliquid agunt, aut agere se promittunt. Quod ad duo damnosum erat. Primò, quia sic mentes vtentium, & audientium à vero Dei cultu, & perfecta fide distrahuntur, quod malum maximum est. Secundò, quia per hęc maleficia multa damna proximis inferuntur.

Dionysius Carthusianus. 1460.

Ad cap. 24. Exodi: Malefici vocantur, qui præstigijs magicæ artis, vel diabolicis figmentis agũt, & qui magicis artibus vtuntur. Augurium est species diuinationis. Diuinatio est species superstitionis. Itaque augurium est, dum ad prænoscendum futurum aliquid consideratur ex motu, garritu, seu vocibus auium, aliorumve animalium, vt in sternutationibus hominum, saltibusve mẽbrorum: quod totum est superstitiosum. Et quamuis in talibus non sit inuocatio dæmonum manifesta, dæmones tamẽ in talibus ingerunt se secretò. Omnis quippe diuinatio ex dæmonibus prouenit, vel quia apertè inuocentur, vel quoniam vanæ inquisitioni occultè se ingerunt.

Innocentius Octauus. 1484.

Epistola aduersus mulierum maleficarum hæresin: Non sine ingenti molestia ad nostrum peruenit auditum, complures vtriusque sexus personas, proprię salutis immemores, & à fide Catholica deuiantes, dæmonibus incubis & succubis abuti. Quapropter ne labes huius hæreticæ prauitatis in perniciem animarum sua venena diffundat, opportunis remedijs, pro vt nostro incumbit officio, præuidere volẽtes, statuimus, vt inquisitores, per nos deputati, debitum inquisitionis officium in huiusmodi personis exequantur.

Alexander Sextus. 1496.

Constitutione 12. Cùm acceperimus in prouincia Lombardię diuersas vtriusque sexus personas diuersis incantationibus, & diabolicis superstitionibus operam dare, suisqúe veneficijs & varijs obseruationibus multa nefanda scelera procurare, homines, & iumenta, ac campos destruere, & diuersos errores inducere, magnaq; inde scandala exoriri: decreuimus, pro pastoralis officij nobis ex alto commissi ministerio, scelera huiusmodi compescere, ac scandalis & erroribus prẽmissis, quantum cum Deo possumus, occurrere. Eapropter tam tibi, quàm etiam successoribus tuis, per Lombardiam constitutis, de quibus in his & alijs plenam in Domino fiduciam obtinemus, cõmittimus & mandamus, vt etiam soli contra easdem vtriusq; sexus personas diligenter inquiratis, easq; iustitia mediante puniatis & compescatis.

Leo Decimus. 1515.

Const. 11. Cùm secundùm leges ciuiles, & sacrorũ canonũ censuras, sortilegia per inuocationem dæmonum, incantationes, & diuinationes, & superstitiones prohibitæ sint: statuimus, decernimus, & ordinamus, vt clerici, qui in præmissis culpabiles inuenti fuerint, arbitrio superiorum infamia notentur: si verò non destiterint, deponantur, atque in monasteriũ ad tempus detrudantur, beneficijsqúe & officijs Ecclesiasticis priuentur, laici verò vtriusq; sexus excommunicationi, & alijs pœnis iuris, tam ciuilis, quàm canonici subiaceant.

Concilium Treuirense. 1548.

Capite de sortilegis sacerdotibus & laicis: Qui auguria & sortes tractant, siue sacri, siue profani, aut diuinationibus, & incantamentis vacant: quibus sanè studijs Dei cultus deseritur, & ad dæmonum fallaciumq; spirituum præstigias confugitur, illos, quotquot Officiales attenta inuestigatione deprehenderint, Canonico anathemate, misi à damnatis diuinitus erroribus, ad legitimum Dei cultum illicò admoniti animum atq; mẽtem reuocauerint, non modò non ferendos Reuerendissimus vnà & synodi senatus declarat, sed per Officiales in vincula quoque conijciendos decernit, quousque dæmonum, magistrorum videlicet suorum, susurris ac illusionibus liberentur.

FINIS LIBRI QVARTI.

LIBER

LIBER QVINTVS: DE SANCTIS ECCLESIÆ.

ARTICVLVS PRIMVS.

SANCTOS, QVAMDIV IN MORTALI CORPORE DEGVNT, VARIIS TRIBVLATIONIBVS AFFICI, SED EARVM TOLERANTIAM AD GAVDIA ÆTERNA PROMERENDA VALERE.

NEGANT.

Anno post Christũ natum.

80. BASILIDES *asseruit, non oportere martyrium subire. Qui enim martyrium subit, mercedis exors reperietur, quum martyrium sustineat, pro eo qui hominem fecit: sustinet enim martyrium pro crucifixo Simone.* Epiphanius hæresi 24.

180. *Gnostici docuerunt, martyria non esse Deo grata.* Tertullianus in Scorpiaco.

590. *Hæretici tribulationes fidelium in sancta Ecclesia non nisi ex peccato esse suspicantur.* Gregorius Magnus in Iob. lib. 14. cap. 13.

1400. Ioannes Hussius ad caput 1. Iacobi: *Hic quæritur, vtrum tribulationes & tentationes temporales sint meritoriæ? Videtur quòd non, quia sunt mala quædam: mala verò non sunt meritoria. Ergo, &c.*

1520. Martinus Lutherus de Inuentione S. Crucis: *Non cogites tua afflictione & cruce te salutem consequi, si patienter & lætè toleres; sicut vecordes aliqui seductores suadent. Quemadmodum enim nos opera nostra non saluos faciunt: ita nec cruce, nec afflictionibus nostris salus nobis constat.*

1545. *Georgius Dauid asseruit stultos fuisse Apostolos & Martyres, quòd tormenta mortemq; propter Christi confessionem passi sint.* Ioannes Cochlæus de actis & scriptis Lutheri de anno 1545.

1560. *Magdeburgenses,* Cent. 3. cap. 4. de martyrio, *reprehendunt Tertullianum, Origenem, & Cyprianum, quòd immodicis laudibus extulerint martyrium.*

ASSERVNT SACRÆ LITERÆ.

Iob 1. Vers. 21. Iob his plagis auditis surrexit, & dixit: Nudus egressus sum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc. Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est, sit nomen Domini benedictum.

Iob 2. 7. Egressus Satan à facie Domini, percussit Iob vlcere pessimo, à planta pedis vsque ad verticem eius: qui testa saniem radebat, sedens in sterquilinio. 10. Si bona suscepimus de manu Dei, mala quare non suscipiamus?

Psalm. 33. 20. Multæ tribulationes iustorum: & de omnibus his liberabit eos Dominus.

Tobiæ 12. 13. Angelus dixit Tobiæ: Quia acceptus eras Deo, necesse fuit vt tentatio probaret te.

Matthæi 5. 11. Beati estis cùm maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduersum vos mentientes, propter me: gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis: Sic enim persecuti sunt Prophetas, qui fuerunt ante vos.

Matthæi 10. 38. Qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus. Qui inuenit animam suam, perdet illam: & qui perdiderit animam suam propter me, inueniet eam.

Matthæi 16. 24. Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.

Ioannis 9. 1. Præteriens Iesus vidit hominem cæcum à natiuitate: & interrogauerunt eum discipuli eius: Rabbi, quis peccauit, hic, aut parentes eius, vt cæcus nasceretur? Respondit Iesus: Neque hic peccauit, neque parentes eius: sed vt manifestentur opera Dei in illo.

Actor. 5. 41. Apostoli ibant gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati.

Actorum 14. 21. Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.

Roman. 5. 3. Gloriamur in tribulationibus: scientes quòd tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio verò spem.

Rom. 8. 17. Cohæredes sumus Christi, si tamen compatimur, vt & conglorificemur. Existimo enim quòd non sunt condignæ passiones huius temporis, ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.

2. *Corinth.* 4. 17. Id quod in præsenti est momentaneum, & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.

2. *Corinth.* 12. 10. Placeo mihi in infirmitatibus, in contumelijs, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustijs pro Christo. Cùm enim infirmor, tunc potens sum.

2. *Timoth.* 3. 12. Omnes, qui piè volunt viuere in Christo Iesu, persecutionem patientur.

1. *Petri* 2. 19. Hæc est gratia, si propter Dei conscientiam sustinet quis tristitias, patiens iniustè. Quæ enim est gloria, si peccantes, & colaphizati suffertis? Sed si bene facientes patienter sustinetis: hæc est gratia apud Deum. In hoc enim vocati estis: quia & Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius.

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Clemens Romanus. 80.

Epistola 2. Væ erit his, qui fratres tribulant; & eis, qui eos persequuntur: vos autem quantò amplius tribulamini, tantò purgatiores atque beatiores efficiemini, si tamen ipsa tribulatio patienter fuerit supportata.

Ignatius. 100.

Epistola ad Ephes. Confido vestris me precibus consecuturum, vt Romæ aduersus bestias pugnem, quò per martyrium discipulus esse possim illius, qui seipsum pro nobis obtulit Deo Patri oblationem, & hostiam.

Epist. ad Romanos: Ignis, crux, ferarum concursus, sectiones, laniena, ossium discerptiones, membrorum concisiones, totius corporis solutio, diaboli tormenta in me veniant, tantummodò vt Iesum nanciscar.

Irenæus. 180.

Lib. 4. cap. 72. Pretiosam arbitremur coronam, quę per agonem nobis acquiritur, sed non vltrò coalitam: & quanto per agonē nobis aduenit, tanto est pretiosior: quanto autem pretiosior, tanto eam semper diligamus.

Clemens Alexandrinus. 200.

Lib. 4. Stromaton: Nos persequuntur, non vt qui nos iniustos esse deprehenderint, sed quòd nos vitæ iniuriā facere existiment, eò quòd simus Christiani. Cur autem, inquiūt, cùm vos persequūtur, nihil vobis affertur auxilij? Quid enim, quod ad nos quidē attinet, nobis fit iniurię, cum morte dissoluamur ituri ad Dominum, & veluti ætatis, vitę sustinentes mutationem? Si autem sapuerimus, ijs gratias habebimus, qui nobis præbuerint occasionem celeris migrationis, si testimoniū feramus propter dilectionem.

Origenes. 230.

Homil. 1. in Hierem. Quęcunq; Hieremias passus est, scripta sunt: in lacum missus est luti, mansit ibi comedens panem diei, & aquā tantùm bibens, aliaq; multa, quæ pertulit, in libro eius continentur. *Quē autem Prophetarum non persecuti sunt patres vestri?* dicit Dñs ad Iudæos. Et necesse est eos, qui viuere religiosè in Christo cupiunt, omni genere à cōtrarijs virtutibus per ea quę reperiuntur vasa persecutionē pati. Qua de causa nihil nouū, aut peregrinū videatur his, qui in tribulationibus affliguntur. Actor. 7.

Antonius Eremita. 330.

Epist. 1. Nos famuli Christi quò plus premimur, eò magis assurgimus, & floremus.

Athanasius. 340.

In Apolog. de fuga sua: Iob magnus est habitus, quòd viuus tot & tantas ærumnas tolerauit, quarū nullum omnino sensum percepisset, si mortē sibi conciuisset. Quocirca & ipsi beati Patres istiusmodi viuendi disciplina vsi sunt, & in persecutione non timuerunt, & robur animi sui ostenderūt, cùm ita se in tam angustis & tenebricosis locis recluderēt, duriterq; & laboriosè viuerent, neque è diuerso cùm dies mortis aderat, fugæ sese mandauerunt.

Ephræm. 370.

Paranesi 38. Si exiguam non feras tentationem, quomodo magnam sufferes? & si puerum vincere nequeas, virum perfectum in lucta quo pacto superabis? & si verbum non toleres, verbera quomodo perferes? & si alapas & verbera non sufferas, crucem tuam quomodo portabis? Et si crucē portare nequiueris, quo pacto consors gloriæ eris in cęlis cum eis, qui dicunt: *Hæc omnia venerunt super nos, nec obliti sumus te, & iniquè non egimus in testamento tuo.* Et rursus: *Quoniam propter te mortificamur tota die: æstimati sumus sicut oues occisionis.* Psal. 43. Rom. 8.

Gregorius Nazianzenus. 380.

De vitæ itineribus:

Multas vita vias habet ærumnosa viarum,
Cunctarumq; suo nulla dolore caret:
Nec bona sunt hic vlla malis non mixta: bonorum
Atque vtinam non pars cederet ipsa malis.

Ioannes

Ioannes Chrysostomus. 400.

Epist. ad Venerium: Qui fudoribus atque ærumnis pluribus magnū aliquid, & generoso homine dignū obierint, maiora præmia consequentur, quàm qui facili & nullo negotio idē confecerint. Siquidem vnusquisque (quod B. Paulus inquit) tantum mercedis accipiet, quantum laboris exantlarit. Quamobrē minimè ista diutina fatigatio causam afferat desperandi, verū potius ipsum decus excitet. Nam quò grauior ad tentationē fit accessio, eò auctior ad coronas erit adiunctio, affluentiq; amplius vobis debita certaminū præmia honestorū.

Homil. 15. in Acta Apost. Turbaris quia in paupertate es, ne turberis. Turbatione enim dignū foret, si illic tribulādus esses. Hęc enim tribulatio refrigerij causa est. Illa tribulatio pœna: hęc disciplina, & correctio. Certamen est in præsenti tempore, vnde & opus est pugillatione. Bellum est, ac prælium. Nullus in bello quęrat delicias, nullus pro diuitijs sollicitus sit. Non tribulari malum est, sed peccare malum est.

Marcus Eremita. 400.

De Paradiso & lege spirituali c. 174. Ne omnē afflictionē, aut tribulationē hominibus propter peccata contingere existimes. Sunt enim nonnulli qui Deo placent, & tamen probantur tentationibus: scriptum est enim: *Impij & iniqui persecutionem patientur.* Similiter scriptum est: *Volentes piè in Christo viuere persecutionem patientur.* 2. Tim. 3.

Cap. 42. Per tribulationes & afflictiones bona parantur hominibus, quemadmodum mala per vanam gloriam & voluptatis studium.

Nilus Abbas. 420.

Apud Damasc. in Paral. lib. 2. c. 67. Aiunt nonnulli: Quī fit, vt iusti imbecillitate atque inopia conflictentur: iniusti contra robore atque opibus polleant? Quid ita? nimirum, vt illi coronentur: hi autem sempiternis supplicijs excrucientur.

Isidorus Peluſiota. 440.

Lib. 3. Epist. 201. Quòd iusti viri atque omni virtutum genere florētes multas hīc acerbitates pertulerint, hoc paratas ipsis in altero seculo coronas indicat.

Theodoretus. 450.

Lib. 9. de Legibus: Veluti quondam rubus ille, quē vidit Moses, ardore ignis nō est absumptus: ita nec Christianos, impiorum bellis petitos, tela hostilia cōsumpserunt. Quin potius sicut lignatoribus syluam cędentibus multò plures pullulant propagines ab radicibus, quàm sint rami, qui inciduntur: ita tunc quoque pijs compluribus interfectis, multò plures quotidie ad doctrinā Euangelicam accedebant, cruorq; ille cæsorū corporū irrigatio q̄dam erat, nouis in Ecclesia emergētibus plantis.

Isaac Presbyter. 460.

De mundi contemptu c. 34. Tribulatio parua pro Deo facta melior est opere magno, quod sine tribulatione perficitur. Quia spontanea tribulatio probationem fidei charitatis facit oriri, opus quietis ex saturitate conscientię fit. Et ideo in tribulationibus probati sunt Sācti pro charitate Christi, sed non in refrigerijs: quoniam opus, quod fit sine labore, iustitia est personarum secularium, quę de exterioribus faciunt eleemosynam, nec lucrantur in semetipsis. Tu autem ô passionis conator vel sectator stude in temetipso, vt dignus fias gustare gloriam eius. *Quòd si compatimur, & glorificabimur,* Rom. 8. id est, non glorificatur mens cum Iesu, nisi patitur corpus cum Christo.

Olympiodorus. 500.

Ad cap. 3. Ecclesiastis: Ingruente martyrio, tempus est perdendi animam, vt ipsam inueniamus.

Procopius Gazæus. 530.

Ad c. 15. Genes. Afflictionem Abrahami nepotibus inferri patitur, vt tandem tribulationum procellis erepti, efficacius agnoscant redemptorem.

Isychius. 580.

Lib. 2. in Leuit. c. 7. Non solùm autē in Christi doctrinis, sed & in respectu eius, patientiam in passionibus habemus, Paulo dicente: *Cogitate autem, qui talem sustinuit à peccatoribus aduersus semetipsum contradictionem, vt ne fatigemini animis vestris deficientes:* Propter quod & Dauid ait: *Et nunc quæ est patientia mea? nónne Dominus, & substantia mea ante te est?* & c. Similis est rubo tentatio: asperum quippe virgultum est, & quod difficile manu comprehenditur. Significatur autem per hūc, quia quemadmodū eorum, qui in agone contendunt, corona in sudore & labore est: sic & corona bonæ vitæ in tentationibus & tribulationibus consummatur. Vnde & Paulus dicebat: *Omnes, qui volunt piè viuere in Christo Iesu, persecutionem patiuntur.* Maximè si suas oblationes Domino offerant. Manifestū est autem, quia qui mūdam iustitiam, & quę placita est Deo, adeptus fuerit, hic & tentationes patitur, & tribulationes. Neq; enim intelligibiles inimici quiescunt, nec tentationes iusto desunt; quia abominatio est peccatoribus pietas. Finem autem tentationum & tribulationum Iacobus nobis sufficienter exposuit: *Beatus vir qui suffert tēptationem: quia cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam promisit Deus diligentibus se.* Hebr. 12. Psal. 38. 2. Tim. 3. Iacob. 1.

Maximus. 640.

Cent. 1. c. 22. Cùm oēs Sancti castigationis fuerint participes, nos quoq; qui cū illis castigamur, gratias agere debemus, vt illorum gloriæ socij esse dignemur. *Quem enim diligit Dominus, castigat; flagellat autem omnem filium, quem recipit.*

Cap. 64. Tribulatio expurgat animam, quę rubiginem contraxit è sordibus voluptatis, & segregat prorsus à rebus crassis habitudinē eius, postquam cognouerit damnum ex earum complexu proueniens. Hanc ob causam diabolo permittit Deus tormentis homines opprimere.

Thalassius. 640.

Hecatontid. 1. c. 28. Tristium ærumnosorumq; ēuentuum plagas patienter sustine. Talibus enim prudentia diuina te purificat.

Cap. 33. Æ rumnarum siue sponte assumptarum, siue diuina prouidentia inductarum, tolerantia & mœror concupiscentiam interimunt.

Ioannes Damascenus. 730.

Orthod. fidei lib. 2. c. 29. Sæpè Deus probū ac iustum hominē in calamitates incidere finit, vt abstrusam in eo virtutē alijs indicet: vt in Iob. Nonnunquam itē aliquid absurdi ac prępositeri fieri permittit, vt per eā actionē, quæ absurditatis speciē habet, magnū aliquid & admirabile cōficiatur: quēadmodū per crucē hominibus salutē cōparauit. Quin alio quoque modo piū virum grauibus incōmodis affici patitur, ne scilicet à recta conscięntia excidat, aut etiā ob vim gratiāq; diuinitus sibi cōcessam in arrogantiam prolabatur, velut in Paulo contigit. Quin ad aliorū correctionē aliquantisper quispiā deseritur, vt videlicet alij calamitosum ipsius statū intuentes, documentū inde sibi capiāt: quēadmodū in Lazaro ac diuite cernere licet. Sic enim natura cōparatum est, vt cùm aliquos malè multatos cernimus, animū contrahamus, ac demittamus. Ad alterius etiā gloriā, ac nō ob sua vel parentū peccata, pro derelicto habetur quispiā: vt ille iā inde à natiuitate cæcus ad gloriam Filij hominis. Sinitur insuper quispiā ad æmulationis studiū in aliorū animis excitādum graue aliquid perpeti; quò nimirum aucta atque illustrata eius, qui perpessus est, gloria, haud cunctanter alij ad aduersa perferenda se comparent, insequentis videlicet gloriæ spe, ac futurorum bonorum desiderio adIob 1. 2. Cor. 12. Luc. 16. Ioan. 9.

ducti: vt in Martyribus vsu venit.

Elias Cretensis. 780.

In Orat.1. Nazianz. Is crucem humeris ferre, ac Christum sequi potest, vt verè vir, atq; spirituali ætate perfectus, & in Dei castris collocatus, ac de hostibus victoriam consecutus, qui per membrorum, quæ super terram sunt, mortificationem voluntariam pro virtute, secundùm philosophiam in actione sitã, afflictionẽ subit, & piẽ ac Deo gratæ vitæ rationẽ à terra prorsus collectã & reductam habet: Crux quippe peccatum omne abolet.

Leo Imp. cognom. Philosophus. 880.

In encomio D. Chrysost. Atque magnus quidẽ Paulus vas electionis dicit: *Qui volunt piè viuere in Christo Iesu, persecutionem patientur.* Quin etiam ante eum magnus ille Dauid affirmat esse multas iustorũ afflictiones: Omnis quoq; diuinitùs inspirata Scriptura multis in locis his concinit. Quẽnã autem sit ratio, cur iustis multæ inferantur hîc molestiæ & difficultates, audiamus tonitru Gregorij Theologi: Si iugum suaue est, & onus Christi est leue, at hoc est propter spem & remunerationem, significante verbo, quòd quę sunt summæ in vitæ præsenti molestiæ, si spectetur spes, quæ illic est, & remuneratio, sunt similes rebus lætis & secundis. Quinetiã quòd hæc tormenta corporis sunt suis seruis lætitiæ, audiui sapientissimum ad Deum dicentem. Quamobrẽ cùm iustum, qui nũc habetur in admiratione, audieris tradi manibus iniquorum, ne perturberis: eum enim nihil tangit.

2. Tim. 3. Psal. 33.

Matt. 11.

Theophylactus. 900.

Ad cap. 1. poster. ad Corinth. Ne despondeas animum quisquis audis afflictiones & mala. Quanto enim exuberant hęc ipsa mala, tanto exuberant consolationes. Non simpliciter autem dixit passiones siue afflictiones, sed Christi, vt & inde animum Corinthijs addat. Christi enim, inquit, passiões sunt, quas nos hîc patimur, nosq́ue efficimur participes afflictionum ipsius.

Simeon Metaphrastes. 960.

In martyrio Callistrati & sociorum eius c. 11. Quòd si nonnullis quoque iustis inferuntur acerba quędã & aspera in præsenti vita, minimè est mirandum: ea enim sunt probatio virtutis, quam collegerũt: aut etiam delictorum quorundam punitio, per quam penitus emundati mundi omnino transmittuntur ad vitam, quæ illic est.

Euthymius. 1080.

Ad cap. 16. Matthæi: *Tollat crucem suam, & sequatur me.)* Dixit hęc, confirmans non solùm non esse indecens, vt ipse moriatur, sed neq; posse quempiam suum esse discipulũ, nisi & ille moriatur pro honesto. *Si quis*, inquit, *vult venire post me*, siue sequi me; tãquam discipulus, & imitator, *abneget semetipsum*: dico sanè suiipsius voluntatem, voluptatum ac vitæ amorem, aut suum proprium corpus, non parcens illi laboranti & afflicto, sed exponat illud periculis, *& tollat crucem suam*, siue ferat in memoria suam mortem: per crucem enim mortem significauit: quia tunc mortis instrumentum erat crux; semper suiipsius cædem expectet, semper ad mortem paratus sit, & quotidie voluntate moriatur, &c. Ne putes autem quòd mala pati solum sufficiat: nam & latrones, & deprædatores, ac magi, alijq́ue praui homines innumera mala patiũtur. Addit, *& sequatur me*: docens non solùm oportere talia pati, sed etiam se sequi, hoc est, per vestigia conuersationis ipsius incedere.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Tertullianus. 200.

In Scorpiaco aduersus Gnosticos cap. 6. Posuit Deus secũda solatia & extrema præsidia dimicationem martyrij, & lauacrum sanguinis exinde securum. De cuius felicitate Dauid: *Beati quorum dimissa sunt delicta, & quorũ opertæ sunt iniquitates. Beatus vir, cui non reputauerit Deus delictum.* Propriè enim Martyribus nihil iam reputari potest, quibus in lauacro ipsa vita deponitur.

Psal. 31.

Cap. 12. Sordes quidẽ baptismate abluũtur, maculæ verò martyrio cãdidãtur. Quia & Esaias ex rufo & coccino niueũ & laneũ repromittit. Magna etiã Babylon cũ describitur ebria Sanctorũ cruore, sine dubio ebrietas eius martyriorũ poculis ministratur, quorũ formido quid relatura sit ęquè ostenditur. Inter omnes enim reprobos, imò ante omnes, *timidis autem*, inquit, *dehinc cæteris, particula in stagno ignis & sulphuris.* Sic timor eius in epistola eius quem dilectio foras abijcit, habet pœnam.

Esa. 1. Apoc. 17.

Apoc. 21. 1 Ioan. 4.

In Apologet. aduersus Gentes c. 50. Cruciate, torquete, damnate, atterite nos: probatio est enim innocentiæ nostræ iniquitas vestra. Ideo nos hæc pati Deus patitur, &c. Illa ipsa obstinatio, quã exprobratis, magistra est. Quis enim non contemplatione eius concutitur, ad requirendum, quid intus in re sit? Quis non vbi requisiuit, accedit? vbi accessit, pati exoptat? vt totam Dei gratiam redimat, vt omnem veniam ab eo compensatione sanguinis sui expediat? omnia enim huic operi delicta donantur. Inde est, quòd ibidem sententijs vestris gratias agimus: vt est æmulatio diuinæ rei & humanæ, cùm dãnamur à vobis, à Deo absoluimur.

Minutius Felix. 230.

In Octauio: Vt aurum ignibus, sic nos discriminibus arguimur. Quàm pulchrum spectaculũ Deo, cùm Christianus cum dolore congreditur, cùm aduersum minas, & supplicia, & tormenta componitur? cùm strepitum mortis & horrorem carnificis irridens inculcat? cùm libertatem suam aduersus reges & principes erigit? soli Deo, cuius est, cedit? cùm triumphator & victor, ipsi, qui aduersum se sententiam dixit, insultat? &c. Pueri & mulierculæ nostræ cruces & tormenta, feras & omnes suppliciorum terriculas inspirata patientia doloris illudunt. Nec intelligitis, ô miseri, neminem esse, qui aut sine ratione velit pœnam subire, aut tormenta sine Deo possit sustinere.

Cyprianus. 250.

Epistola 8. Perfecutio ista examinatio est, atque exploratio pectoris nostri: excuti nos Deus voluit, & probari, sicut suos semper probauit: nec tamen in probationibus eius aliquando auxilium credentibus defuit. *Lib. 4. Epist. 4.*

Epistola 16. Vos de Domini vinea pingues racemi, & iam maturis fructibus botri, pressuræ secularis infestatione calcati, torcular vestrum carcere torquente sentitis. Vini vice sanguinem funditis, ad passionis tolerantiam fortes, martyrii poculum libenter hauritis. Sic apud seruos Dei annus euoluitur. Sic spiritalibus meritis, & cælestibus præmijs tẽporum vicissitudo celebratur. Beati satis, qui ex vobis per hæc gloriarum vestigia commeantes, iam de seculo recesserunt, confectoq; itinere virtutis ac fidei, ad complexum & osculum Domini, Domino ipso gaudente venerunt. Quo longior vestra pugna, hoc corona sublimior. Agon vnus, sed multiplici præliorum numerositate congestus. Famẽ vincitis, & sitim spernitis, & squalorem carceris ac receptaculi pœnalis horrorem roboris vigore calcatis. Pœna illic subigitur, cruciatus obteritur, nec mors metuitur, sed optatur, quæ scilicet immortalitatis præmio vincitur, vt vitæ æternitate, qui vicerit, honoretur. *Lib. 2. epist. 4.*

Epist. 56. Nec quisquam miretur persecutionibus nos assiduis fatigari, & pressuris angentibus frequenter vrgeri; quando hæc futura in nouissimis tẽporibus Dominus ante prædixerit, & militiam nostram magisterio & hortamento sui sermonis instruxerit: Petrus quoque Apostolus eius docuerit, ideo persecutiones fieri, vt probemur, & vt dilectioni Dei, iustorum præcedentiũ exemplo, nos etiam morte & passionibus copulemur, &c. Gaudere nos & exultare voluit in persecutionibus Dominus: quia quando persecutiones fiunt, tunc dantur coronæ fidei, tunc probantur milites Dei, tunc Martyribus patent cæli. Neque enim sic nomen militiæ dedimus, vt pacem tantummodò cogitare, & detrectare, & recusare militiam debeamus; quando in ipsa militia primus ambulauerit Dominus, humilitatis, & tolerantiæ, & passionis magister, vt qđ fieri docuit, prior faceret, & quod pati hortatur, prior pro nobis ipse pateretur. *Lib. 4. epist. 6.*

Lactantius. 320.

Lib. 5. diuinarum institut. cap. 23. Bonos, quos diligit, castigat sæpius, & assiduis laboribus ad vsum virtutis exercet; nec eos caducis ac mortalibus bonis corrumpi ac deprauari sinit. Vnde nemini mirum debet videri, si pro nostris sæpe delictis castigamur à Deo. Imò verò, cùm vexamur ac premimur, tum maximè gratias agere debemus indulgentissimo Patri, quòd corruptelam nostrã non patitur longiùs procedere, sed plagis ac verberibus emendat. Ex quo intelligimus, esse nos Deo curæ, quibus, quoniam peccamus, irascitur.

Hilarius. 350.

Ad Psal. 65. Deus credentes in se non tanquam fidei eorum ignarus examinat: sed quia etiam secũdùm Apostolum tentatio probationem adfert, examinantur credentes, non ad cognitionẽ Dei, sed ad sui probationem; vt igne purgati, & ab admixtione vitiorum carnalium defæcati, splendeant examinatæ innocentiæ claritate, &c. Per pœnarum genera Martyres in fidei testimoniũ corpora sua holocaustum vouerunt, vt in Dei domũ, id est in cælestis domicilij habitationẽ, consummatis hostiarum suarum sacrificijs introirent. Sed quid tandem in hac corporum suorum oblatione vouerunt? scilicet, vt per hæc martyrij sui exempla gentes ad spem regni æterni erudirent. Qui enim tum Christum prædicabant, non sibi, quibus tum erat cognitus; sed nobis, qui futuri adhuc eramus, vel quibus potius tum erat incognitus, prædicabant. Quæ eorum prædicatio omnis posteritatis fidẽ ad martyrij desiderium accendit. Non enim causa alia prædicabant, nisi vt fidei suæ & martyrij exemplo plures Martyres erudirent, &c.

Ambrosius. 370.

Ad Psal. 118. Octonario 20. Non hi solùm persecutores sunt, qui videtur, sed etiam qui non videntur, & multo plures persecutores. Sicut enim vnus persecutor rex multis persecutionis præcepta mittebat; ita etiam diabolus multos ministros suos dirigit, qui nõ foris tantùm, sed etiam intus faciant persecutiones in animis singulorum. De his dictum est persecutionibus: *Omnes, qui piè volunt viuere in Christo Iesu, persecutiones patiuntur.* 2. Tim. 3.

Prudentius. 380.

Hymno 10. ad defunctorum exequias:

Iam tunc docuit pater orbis,
Quàm sit rationis egena,
Mordax, & amara medela,
Cùm lux animum noua vexat.
Docuit quoque non prius vllum,
Cælestia cernere regna,
Quàm nocte & vulnere tristi
Tolerauerit aspera mundi.
Mors ipsa beatior inde est,
Quòd per cruciamina lethi
Via panditur ardua iustis,
Et ad astra doloribus itur.

Hymno Peristephanon 13. de B. Cypriano:

Contrà animos populi doctor Cyprianus incitabat,
Ne quis ab egregia virtutis honore discreparet,
Neu fidei pretium quis sumere degener timeret,
Esse leuem cruciatum, si modò conferat futura,
Quæ Deus ipse viris intermina fortibus spopondit:
Merce doloris emi spem luminis, & diem perennem:
Omne malum volucri nam tempore transuolare cursim:
Nil graue quod peragi finis facit, & quiete donat:
Se fore principium pulchræ necis, & ducem cruoris,
Seq; caput gladio submittere, sanguinem dicare,
Qui sociare animam Christo velit, vt comes sequatur.

Hieronymus. 390.

Epist. 22. ad Eustochiũ de custodia virginitatis c. 17. Hęc est sola digna retributio, cùm sanguis sanguine compensatur, & redempti cruore Christi pro Redemptore libenter occumbimus. Quis Sanctorũ sine certamine coronatus est? Abel iustus occiditur: Abraham vxorem periclitatur amittere: & ne in immensum volumen extendam, quære, & inuenies singulos aduersa perpessos. Solus in delicijs Salomon fuit, & forsitan ideò corruit. *Quem enim diligit Dominus corripit: castigat autem omnem filium quem recipit.* Nonne melius est breui tẽpore dimicare, ferre vallũ, arma sumere, latescere sub lorica, & posteà gaudere victorem, quàm impatientia vnius horæ seruire perpetuò? Gen. 4. Gen. 20. Prou. 3.

Epist. 139. Ad Cyprianum, explicans Psalmũ 39. Quanto in hoc seculo persecutionibus, paupertate, inimicorum potentia, vel morborum cruciatibus fuerimus afflicti, tanto post resurrectionem in futuro maiora præmia consequemur.

Gaudentius. 400.

Præfatione in suos Tractatus: *Quomodo in igne probatur aurum & argentum, homines autem iusti in camino humiliationis:* vt vtique gustum perpessi tentationum, & tribulationum onere inclinati, minimè in superbiam iustitiæ suæ meritis erigantur, aliquid se, cõtra actuum suorum dignitatem, pati muttitantes iniustum, quos non multò pòst immortalis præmij retributio subsequatur: sed potiùs, vt in humilitate spontanea permanẽtes sancti (scilicet virtutibus prædi ti, & humiles corde) probabiliores efficiantur in Christo. Sicut etiam venerandi Martyres extiterunt, qui cum beato Apostolo fideliter præsumẽtes *non esse cõdignas passiones huius temporis ad superuenturam gloriam, quæ reuelabitur in* Sanctis: vniuersa supplicia pro Domini Christi nomine, omnesq; irrogatos corpori cruciatus æquissimo animo susceperunt: Ipsum Dei Filium remuneratorem victricis patientiæ habituri, qui regnum cælorum seruis suis, vsquè in finem fidelibus, largietur. Eccl. 2. Rom. 8.

Paulus Orosius. 420.

Lib. 7. cap. 3. Christus Christianorum caput, saluator bonorum, qui formam subsecuturis verbo & opere statuens, quo magis doceret patientes in persecutionibus, quas pro vita æterna exciperẽt, esse oportere, mox vt Virginis partu editus, mundo apparuit, à passionibus suis cœpit.

Philippus Presbyter. 430.

Lib. 3. in Iob. cap. 8. Præsentibus tribulationibus filiorum suorum Ecclesia dura & impia videtur: quoniam non ingemiscit, & plangit angustias interitumq; natorum. In cuius figura sancta mater Machabæorum super filiorum suorum cruciati- 2. Mac. 7.

bus exultabat: videbat quippe in ſpiritu, ſicut & hęc ſancta mater Eccleſia per fidem quotidie contemplatur, quantam gloriam in æternum pariāt pœnæ præſentes, profeſſione veritatis exceptæ. Et ideo illud, quod ſequitur: *Fruſtra laborauit, nullo timore cogente,* cum graui pronuntiatione aliquantulum preſſiùs legendum eſt: vt non fruſtra intelligatur, ſiue pro nihilò laboraſſe, quoniam id Dei timore cogente Eccleſia fecerit, vt filios ſuos ad tentationes & ſeculi huius moleſtias præpararet, ſperans vtique à Deo pro his malis temporaneis eorundem filiorum ſuorum gloriæ & incorruptionis beatitudinem ſempiternam.

Iob 7.

Leo Primus. 450.

Sermone 9. de Quadrageſima: Sicut totius eſt corporis piè viuere: ita totius eſt temporis crucem ferre: quæ meritò ferri vnicuique ſuadetur, quia proprijs modis atque menſuris ab vnoquoq; toleratur. Vnum nomen eſt perſecutionis, ſed non vna eſt cauſa certaminis: & plus plerumque periculi eſt in inſidiatore occulto, quàm in hoſte manifeſto. B. Iob alternantibus bonis ac malis mundi huius eruditus, piè veraciterq; dicebat: *Nónne tentatio eſt vita hominis ſuper terram?* Quoniam non ſolis doloribus corporis atque ſupplicijs anima fidelis impetitur, verùm etiam ſalua incolumitate membrorum graui morbo vrgetur, ſi carnis voluptate mollitur, &c. Per iſtum agonē ad præmia æterna tendentibus in eo maximè diaboli inſidiatur aſtutia, vt quorum peruertere non poteſt probitatem, ſubruat fidem.

Proſper. 460.

Epigrammate 23.

Quòd plerumque mali in Sanctos ſæuire ſinuntur,
Quodq; bonis praui ſæpe nocere queunt,
Abſque Dei nutu non fit, qui corda ſuorum
His etiam bellis glorificanda probat.
Creſcunt virtutum palmæ, creſcuntq; coronæ,
Mutantur mundi prælia pace Dei.

Cap. 87.

Si mundo moritur diuino fonte renaſcens,
Fitq; nouus vita, qui ſepelitur aqua:
Fraudati non ſunt ſacro baptiſmate Chriſti,
Fons quibus ipſa ſui ſanguinis vnda fuit:
Et quicquid ſacri fert myſtica forma lauacri,
Id totum impleuit gloria martyrij.

1. Tim. 3. Ad Pſal. 125. *Omnes, qui volunt in Chriſto piè viuere, perſecutionem patientur:* & moleſtia laborum ſanctarum eſt cauſa lachrymarum. Sed *tempus flendi,* Eccl. 3. *tempus eſt ſeminandi,* quia opera charitatis, quæ releuandis hominum miſerijs adhibentur, æternorum meſſem pariunt gaudiorum. Gal. 6.

Cæſarius Arelatenſis. 470.

Homilia 15. Ergo capitalia crimina committentes, ſuperbi & impij, ideo tibi videntur eſſe beati, quia nihil mali in hoc ſeculo patiuntur. Audi de talibus Scripturam dicentem: *In laboribus hominū non ſunt, & cum hominibus non flagellabuntur.* Ideo in hoc ſæculo minimè flagellabuntur, quia pro nimietate ſcelerum ſuorum æterno ſupplicio reſeruantur. Nam Dominus ac Deus noſter, qui iſtos pro ſua iuſtitia caſtigare diſſimulat, filios ſuos diuerſis tribulationibus exercere non ceſſat, ſecundùm illud: *Fagellat Deus omnem filium, quem recipit.* Heb. 12. Et illud: *Ego quos amo arguo, & caſtigo.* Si omnem Apoc. 3. filium flagellat, quem recipit: ergo quem non flagellat, non recipit. Et ſi omnem, quem amat, caſtigat: ergo quem non amat, non caſtigat.

Saluianus Maſſilienſis. 480.

Lib. 1. de prouident. Dei: Non miremur nunc ſanctos homines quedam aſpera pati, cùm videamus quòd iam tunc Deus etiam per maximum nefas primum Sanctorum ſinit occidi. Quæ quidē qua ratione patiatur, neque humanæ imbecillitatis eſt plena indagine cognoſcere, neque nūc temporis diſputare.

Boëtius. 500.

De conſolatione Philoſophiæ lib. 1. proſa 4. At verò hic etiam noſtris malis cumulus accedit, quòd æſtimatio plurimorum non rerum merita, ſed fortunæ ſpectat euentum: eaq; tantùm iudicat eſſe prouiſa, quæ felicitas commendauerit. Quò fit, vt æſtimatio bona prima omnium deſerat infelices. Qui nunc populi rumores, quàm diſſonæ, multiplicesq; ſententiæ, piget reminiſci. Hoc tātùm dixerim, vltimam eſſe aduerſæ fortunæ ſarcinam, quòd, dum miſeris aliquod crimen affigitur, quę perferunt, meruiſſe creduntur. Et ego quidem bonis omnibus pulſus, dignitatibus exutus, exiſtimatione fœdatus, ob beneficium pertuli ſupplicium. Videre autem videor nefarias ſceleratorum officinas, gaudio, lætitiaq; fluitantes, perditiſſimū quemq; nouis delationum fraudibus innitētem, iacere bonos noſtri diſcriminis terrore proſtratos, flagitioſum quemque ad audendum quidem facinus impunitate, ad efficiendum verò prę̄mijs incitari: inſontes autem non modò ſecuritate, verùm etiam ipſa defenſione priuatos.

Metro 5. libri 1.

Nam cur tantas lubrica verſat
Fortuna vices? premit inſontes
Debita ſceleri noxia pœna:
At peruerſi reſident celſo
Mores ſolio, ſanctaq; calcant
Iniuſta vice colla nocentes.
Latet obſcuris condita virtus
Clara tenebris, iuſtuſq; tulit
Crimen iniqui.
Nil periuria, nil nocet ipſis
Fraus, mendaci compta colore;
Sed cùm libuit viribus vti,
Quos innumeri metuunt populi,
Summos gaudent ſubdere Reges.

Alcimus Auitus. 500.

De Diluuio:

Hæc inter miſeri feruentia funera mundi
Prægrauis inſanis pulſatur motibus arca,
Compagesq; tremunt, ſtridens iunctura laborat:
Nec tamen obſtructam penetrat vis improba, quanquā
Verberet, & ſolidam fluctu feriente fatiget.
Non aliter crebras Eccleſia vera procellas
Suſtinet, & ſæuis nunc diuexatur ab vndis:
Hinc gentilis agit tumidos ſine more furores,
Hinc Iudæa fremit, rabidoq; hanc impedit ore:
Hæreſeon veſana furens exinde charybdis
Concutit, & Graiūm ſapientia ſtulta Sophorum.

Symmachus PP. 500.

Epiſtola ad clerum Dardaniæ: Vbi illa religioſarū mentium ſtupenda patientia, proprijs bonis cōtenta nudari, ne de ſpe æternæ hæreditatis exciderent, quaſuis ambiens paſſiones, ne incorruptibilis illius boni iudicaretur indigna? Nam nulla maiora documenta ſunt fidei, quàm, vbi temporis ratio ſuadet, vitā ſubdere paſſioni. Et ideo qui pro ea periculum perſecutionis ſubire meruerit, dignum ſe cæleſtis oſtendit eſſe militiæ, &c. Vnuſquiſque exilia, & peregrinationes tanquam domum patriamq; reſpiciat; ne deſiderijs retentus humanis, Chriſti ſocietate priuetur.

Hormiſda. 516.

Epiſt. 14. Quæ difficultas beatitudini par eſt; aut quæ condignæ præmijs paſſiones ad futuram ſcilicet Rom. 8.

licet gloriam, quæ in nobis Apoſtolo annuntiante reuelabitur? Abſit, nec quicquam à Chriſti charitate nos ſeparet. Quāta eſt tribulatio, ſi gloriam parit? materia proſperorum eſt, quæ putatur aduerſitas: dū inclinamur, erigimur. Nemo haberet futuram remunerationē, niſi neceſſitates præſentium ſuſtineret. Videte quanto opere hominū terrena meſſis aſſurgat. Quanto eſt igitur labore procurandum, vt cęleſtia dona non pereant? Quieta eſt negligentium vita, ſed non voti opulenta Luc. 10. ſubſtantia. Dignus eſt operarius, vt fructum mercedis accipiat: indiſcreta paſſim pietas cum impietate langueſceret, ſi examinatio bonos à malis diuiſura ceſſaret. gratum admodum ſpectaculum Domino eſt in agone iuſtorum: nec quicquam ita ſupernam gratiam conciliat homini, ſicut aduerſorum impetus patienter excepti. Quis miles ſub pacis ſecuritate meretur?

Primaſius. 540.

Ad cap. 4. epiſt. ad Romanos: Gloriantur Sancti de tolerantia tribulationis ſine periculo vanitatis. Non ſolùm enim in gloria ſpei, ſed etiam in ſaluberrimis nobis tribulationibus gloriamur: ſcientes quantam habeant remunerationem, ſicut Iacobi 1. ait Iacobus: *Omne gaudium,* ait, *fratres mei exiſtimate, cùm in tentationes varias incideritis.* Et illud: *Beatus vir qui ſuffert tentationem; quia cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ.* De tribulatione enim gloriosa permittitur nobis vt gloriemur, &c. Optant fideles aliquid pati pro nomine Domini, vt acquirant de tribulatione finienda præmia ſine fine manſura.

Caſſiodorus. 540.

Ad Pſal. 37. Quapropter in afflictionibus aſperis gaudeamus, carnis noſtræ cruce lætemur: quoniam hoc nos ab æterna pœna liberat, quod hic propter Dominum momentanea celeritate diſcruciat.

Ad cap. 4. Canticorum: Duobus modis probatur Eccleſia, terroribus videlicet, & blandimentis. Quòd autē dicit: *Surge Aquilo, & veni Auſter,* nō imperat malis, nec cogit eos ad mala facienda; ſed permittit, & facultatem illis dat, vt poſſint ſæuire contra Eccleſiam, quatenus per illorū malitiam Eccleſia probetur, & illi grauius puniantur. Nouit enim Dominus malis hominum bona quædā facere: ſed ipſam perſecutionem in poteſtate ſua habet, vt non tantum ſæuiant, quantum volunt. Quò enim acerbius Eccleſia concutitur, eò maiorem virtutum odorem ex ſe emittit.

Gregorius Magnus. 590.

Lib. 3. Moralium cap. 5. Ecce cùm beatus Iob tot rerum damna ſuſtinet, tot funeribus pignorum percuſſus dolet, tot vulnera tolerat: dum decurrentem ſaniem teſta radit, dum per putredinem defluens in ſterquilinio reſidet, intueri libet quid eſt, quòd omnipotens Deus quos ſibi tam charos in æternum conſpicit, tam vehementer quaſi deſpiciens affligit. Ecce autem dum beati Iob vulnera cruciatusq; conſidero: repente mentis oculos Matt. 11. ad Ioannem reduco, & non ſine grauiſſima admiratione perpendo, quòd ille prophetię ſpiritu intra matris vterū impletus, &c. ab iniquis in carcerem mittitur, & pro puellæ ſaltatu capite truncatur, & vir tantæ ſeueritatis pro riſu turpium moritur, &c. Quid eſt, quòd Deus omnipotens, ſic vehementer in hoc ſeculo deſpicit, quos ſic ſublimiter ante ſecula elegit, niſi hoc, quod pietati fideliū patet: quoniā idcirco ſic eos premit in infimis, quia videt quo modo remuneret in ſummis: & foras vſque ad deſpecta deijcit, quia intus vſq; ad incomprehēſibilia perducit? Hinc ergo vnuſquiſq; colligat, quid illic ſint paſſuri, quos reprobat; ſi hīc ſic cruciat, quos amat. Aut quo modo ferientur, qui in iudicio arguendi ſunt: ſi ſic eorum vita premitur, qui, ipſo iudice teſte, laudantur?

Lib. 7. in Iob cap. 7. Sancti viri cùm de occultā erga ſe diſpoſitione ſuſpecti ſunt, plùs proſpera ipſa pertimeſcunt: tentari appetunt, flagellari concupiſcunt, quatenus incautam mentem metus & dolor erudiat, ne in hac peregrinationis via, hoſte ex inſidijs erumpente, ſua eam deterius ſecuritas ſternat. Hinc Pſalmiſta ait: *Proba me Domine, &* Pſal. 25. *tenta me.* Hinc iterum dicit: *Ego ad flagella paratus* Pſal. 37. *ſum.* Quia enim viri ſancti mentis ſuæ corruptionis vulnus ſine putredine non eſſe conſiderant, libenter ſe ſub manu medici ad ſectiones parant: vt aperto vulnere, virus peccati exeat, quod ſana cute intus occidebat. Vnde & adhuc ſubditur: (*Et hæc mihi ſit conſolatio, vt affligens me dolore, non parcat.*) Electi quique cùm perpetraſſe ſe illicita nouerūt, ſed perſcrutantes inueniunt, quia nulla pro illis aduerſa perpeſſi ſunt, in immenſæ formidinis terrore tabeſcunt, pauore æſtuant, finiſtris agitati ſuſpicionibus laborant: ne in æternum ſe gratia deſerat, quos in præſenti vita mali ſui retributio nulla caſtigat: timent, nè vltio, quæ ſuſpenditur, grauior in fine ſeruetur: feriri paterna correptione deſiderant, & dolorem vulneris medicamina ſalutis putant.

Iſidorus Hiſpalenſis. 620.

De Summo bono lib. 3. cap. 1. Iuſtus in pœnis gaudere debet, & impius in proſperitatibus timere. Neque à iuſto, neque à reprobo Deus miſericordiam ſuam ſubtrahit. Nam & bonos hīc per afflictionē iudicat, & illic remunerat per miſerationem: & malos hic remunerat per temporalem clementiam, & illic punit per æternam iuſtitiam.

Eucherius Gallus. 640.

In lib. 2. Regum cap. 8. Ab electis ſuis iniquitatum maculas ſtudet tēporali afflictione tergere, quas in perpetuum non vult vindicare.

Cap. 10. Sic itaq; electorum deſideria dum premuntur aduerſitate proficiunt, ſicut ignis flatu premitur, vt creſcat, & vnde quaſi extingui cernitur, inde roboratur. In eo namque oſtendimus, quanta ad Deum cupiditate flagramus, ſi non ſolùm ad eum per tranquilla, & mollia; ſed etiam per aſpera, & dura tranſimus.

Martinus Primus. 650.

Epiſtola 2. ad Amandum Epiſcopum: Suggeſtum eſt nobis, eo quòd Presbyteri, ſeu Diaconi, alijq; ſacerdotalis officij poſt ſuas ordinationes in lapſu coinquinantur: & propterea nimio mœrore fraternitatem tuam aſtringi, velleq; paſtorale obſequium pro eorum inobedientia deponere, & vacationem ab Epiſcopatus laboribus eligere, & in ſilentio atq; otio vitam degere, quàm in his, quæ tibi commiſſa ſunt, permanere, dicente Domino: *Beatus qui perſeuerauerit vſque in finem.* Vnde namq; Matt. 10. beata perſeuerantia, niſi de virtute patientię? quia ſecundùm Apoſtolicam prædicationem: *Omnes,* 2. Tim. 1 *qui voluerint in Chriſto piè viuere, perſecutionēs patientur.* Ideoq;, frater chariſſime, non vos afflictionum amaritudo à pio mentis veſtræ propoſito coarctet recedere, cōſiderans quanta pro abſolutione noſtri & liberatione Creator Dominusq; noſter pertulerit, quibūsve ſe contumelijs afficiēdum tradiderit, vt nos à vinculis poteſtatis diabolicæ liberaret.

Beda. 700.

Lib. 2. in Prouerbia Salomonis cap. 15. Omne tempus populi Dei, quamdiu in præſenti pauper eſt, afflictionibus abundat, & ærumnis: quia necdum ad

diuitias

diuitias supernæ bonitatis, & perpetuæ mansionis peruenit. Vnde Apostolus monet: *Redimentes tempus, quia dies mali sunt.* Ephes. 5.

Lib. 2. ad cap. 1. Canticorum: Sancta Ecclesia, si fieri posset, semper in tranquillitate mundanæ pacis Domino famulari, & sobolem ei cælestem propagare, atque educere desiderat. At verò ipse crebris eam in præsenti tribulationibus exerceri disponit, quò mundior ad perpetua bona perueniat, & ne, si cuncta temporalia fortè prosperè currant, incolatu præsentis exilii delectata, minus cęlestem patriam suspiret.

Ad Psal. 8. Quid agitur in tanta persecutione natorum, & tribulatione bonorum: quando scilicet ipsi boni flagellantur, atque omnibus modis angustiantur: quàm vt mortalia corpora eorum velut esca bestijs terræ proijciantur, animæ eorum in apothecas æternę beatitudinis recondantur?

Aponius. 700.

Lib. 1. in Cantica: Nullum aliud ferramentũ fortius potuit reperire, per quod antiquæ scorię animæ limarẽtur, nisi martyrij limam: per quod in tormentorum fornace possit anima, quantalibet sordium peccatorũ mole sit circũdata, in suo sanguine renouari: per quod perfecta fit columba, & in Christo immaculata.

Lib. 2. Si quis in Christi vineam venerit, & in ea sanissimis sermonibus, & vitæ sanctæ exẽplo culturam impenderit, hunc persequuntur, contra hunc pugnant huius generis homines, & inflammãte diabolo acutissimis contra eum verborum iaculis concitantur ad pugnam.

Lib. 3. Cùm ergo ad multas infirmitates à diabolo inflictas sanandas, multas à Deo correptiones patienter pertulerit anima, vel diuersas pro eius nomine illatas gaudẽs sustinuerit passiones, fasciculus myrrhę efficitur ei Christus, ad omnes vitiorum morbos de pectore eius expellendos.

Alcuinus. 750.

Ad cap. 16. Ioannis: Sancta Ecclesia, quamdiu in mundo spiritualium virtutum profectibus insistit, nunquam mundi tentationibus exerceri desistit. At cùm, deuicto laborum certamine, ad palmam peruenerit, iam non meminit pressuræ precedentis, propter gaudium perceptæ retributionis. *Non sunt* enim *condignæ passiones huius temporis ad superuenturam gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Rom. 8.

Ad cap. 3. Ecclesiastis: Quamdiu in hoc seculo sumus, tempus est belli: cùm migrauerimus autem de hoc seculo, pacis tempus aduenier. Nemo ergo nunc se putet esse securum in tempore belli, vbi certandum est, & Apostolica arma tractanda, vt victores quondam requiescamus in pace.

Idiota. 780.

Lib. 2. de contemplatione veræ patientiæ cap. 1. Omnipotens sempiterne Deus, misericordiam tuã nobis miseris tribuis incessanter, dum tribulationes & aduersitates super nos multiplicas, quæ non ex odio procedunt, sed potius ex amore. Nam superbenedictum Filium tuum, coæternum & connaturalem, quem dilexisti, & diligis, tribulationes multas & diuersas propter nos miseros peccatores sustinere voluisti. Vnde filijs adoptatis sufficere debet, si sic à te misericorditer diligantur, sicut diligis Filium tuum proprium. Quòd si superbenedictus Filius tuus nos diuersis flagellationibus flagellat, non ex hoc se nobis ostendit inimicum, sed potius verum amicum, sicut ipse suis discipulis dicebat: *Sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos.* Et: *Quos amo, arguo & castigo.* Vnde quamuis omnis fortuna sit timenda, tamen magis timenda est prospera, quàm aduersa: quia hæc quidem sæuiendo erudit, illa autẽ blandiendo seducit: hæc illuminat **hominem, illa excæcat**: ista mentis oculos aperit, illa claudit. Ioan. 14.

Cap. 4. Aperi oculos tuos, Rex æterne, aperi oculos tuos, & vide tribulationem meam, vt aspectus tui benignitate eam cum patientia, tolerem, & cum gratiarũ actione sustineam: quia si sic misericorditer mecum agas, operabitur in me tribulatio carnalium affectionum extinctionem. Nam sicut mare AEgyptios operuit, & Israelitis non nocuit: sic amaritudo tribulationum opera vitiorum impediet, & virtutum opera iuuabit, sicut scriptum est: *Curatio*, id est tribulatio, *cessare faciet peccata maxima.* Exod. 14. Tribulatio reddit hominem securum iudicij: quia non consurget duplex tribulatio. Ostendit præterea salutem æternam: quia *si compatimur, & conregnabimus.* Rom. 8.

Ambrosius Ansbertus. 780.

In Apocalypsin lib. 2. cap. 2. In hac ærumnosa peregrinatione, in hoc carceris exilio tribulationem exterius patitur Ecclesia, cùm aut ab aduersarijs probra, vincula, carceres, verbera, famem, sitimque tolerat; gladij quòque ac diuersorum tormentorum excipit mortem: aut cùm à seipsa laboribus, fatigationibus, ieiunijs, vigilijsq; lassata, penè succumbit. Quæ nimirum etsi interiori cõsolationem, exteriori tamen homini tribulationem afferre videntur. Affligitur quoque alia tribulationis interna penuria, cùm, resistente spiritui carne, necdum plenè vitia superare, vel extinguere valet.

Haymo. 800.

Lib. 2. in Apoc. cap. 3. Quinque sunt modi specialiter, quibus à Domino flagellantur homines: aliquãdo ad augmentanda merita; sicut Iob, & Tobias: aliquando ad custodiam virtutum; vt D. Paulus: aliquando vt peccata præterita corrigãtur; sicut paralyticus, cui dicitur: *Ecce sanus factus es*, &c. aliquando non vt emendentur, sed vt duplici pereant perditione; vt Antiochus, & Herodes: aliquando vt Dei gloria per hoc ostendatur manifesta; vt Lazarus, & cæcus natus. Sed electi quocunque modo affliguntur, meliores efficiuntur ex flagello.

Angelomus. 830.

Ad cap. 25. lib. 1. Regum fol. 50. Sic in hoc seculo electi pressuris tribulationum coangustantur, vt his admoniti, arctius ad inuicem mutua charitate connectantur, & ad inuicem coadunati manu sui Redemptoris in perpetuum conseruentur. At verò reprobi quanto latius in hac vita voluptatibus proprijs, veluti liberi, dimittuntur: tanto longius in futuro à diuinæ visionis gloria proijciuntur, vt de eis meritò dicatur: *Et quidem ipsi de manu tua expulsi sunt.*

Rabanus Maurus. 850.

Epistola ad Simonem Magnum Sacerdotem: Vbi Christus in causa est, non est verendum odium prauorum, sed amplectendum. Felix qui cum Christo coadiunctus odium sustinet mundi. Separat ergo se à corpore, qui nõ vult odium sustinere cum capite. Proinde sancti Martyres pœnas contemnebant persecutorum, vt suo corpori iungerentur in regno cælorum.

Remigius Antisiodorensis. 880.

In Psal. 9. Gustata amaritudine magis desideratur dulcedo. Quanto magis tribũlatio huius vitæ exacerbat pios, tanto magis desiderant vitam illam, vbi nulla persecutio erit: si enim hîc essent in lætitia, non tantopere desiderarent. Et hæc est vtilitas, quam pressura in fidelibus operatur.

Eulogius Cordubensis. 880.

Ad Floram: Paratus est sponsus tuus Dominus

Iesus Christus titulum tibi conferre perfectionis, si pugnare vsque ad mortem non cessaueris: si pro eo mori, sicut à principio elegisti, vsque ad supremum contenderis: si hanc perfunctoriam pœnalitatẽ gaudijs oblectata supernis pro nihilo penderis. Quia *non sunt condignæ passiones huius temporis, ad superuenturam gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Rom. 8. Certa bonum certamen, soror mea virgo beata, & si acrius vulnereris, non cedas. Quia hęc vulnera æternæ sunt felicitatis auspicia, & sempiternis cõferunt defectum doloribus. Cuncta permanent incolumia. Mors hæc vitam donat, cœtibus Sanctorum agglomerat, & statum perennitatis fideliter ac viriliter in agone perseuerantibus præstat.

Radulphus Flauiacensis. 950.

In Leuiticum lib. 8. cap. 1. Qui modica & temporalia propter pietatem sustinere refugiunt, immensa & æterna ob impietatem supplicia sustinebunt.

Lib. 19. cap. 8. Misericors Deus non permittit nos tentari supra quàm sufferre possumus: sed iuxta vires suorum militũ temperat infestationes inimicorum. Ipse vincit in Martyribus, ipse parcit in Confessoribus, vt & inferiores nimio certaminis pondere non frangantur, & quorundam fidelium fortitudo multoplicius coronetur.

Smaragdus. 970.

Ad cap. 5. prioris Petri: Ipsa passio, quæ vos fatigat, ei quoque, quæ per totum mundum est, Ecclesiæ Christi, vestræ videlicet fraternitati communis est: & quia à constitutione mundi semper passi sunt iusti, pudeat vos solos præ omnibus sustinere non posse.

In diademate Monachorum cap. 32. Iustus in aduersis probari se recognoscat, non deijci. Viri sancti plus formidant prospera, quàm aduersa: prospera deijciunt, aduersa verò erudiunt: ideoq; sancti viri constantia ita portare debet aduersa, vt frangi non queat. Tunc magis sunt oculi Dei super iustos, quãdo eos affligi ab iniquis prouidentia superna permittit. Nam tunc eis gaudia disponuntur æterna, quãdo præsenti tribulatione probantur.

Berno Augiensis. 1020.

Sermone 3. de S. Marco Euangelista: Quid totius humanæ vitæ cursus aliud est, quàm certamen continuum contra hostem antiquum? Quod per experimẽtum verum esse in seipso comprobat, qui dicebat: *Militia est hominis vita super terram.*

Petrus Damianus. 1050.

Epist. 3. cap. 2. Hoc etiam in populo Dei frequentius agitur, cùm prædicatis præmijs cælestibus seuire in electos reprobi permittuntur; vt si vocati, ad terram promissionis exire negligimus, pressuris saltem sæuientibus impellamur. Atque hæc AEgyptus; vita videlicet præsens, quæ nos oppressit blandiens, adiuuat præsens; quatenus quę dum foueret, iugo nos seruitutis attriuerat, libertatis viam, dum affligit, ostendat. Hæc itaq; causa est, quòd ab iniustis iusti sinuntur affligi; vt dum futura bona audiunt quæ diligunt, patiantur etiam mala præsentia, quæ perhorrescunt: Atq; ad faciliorem exitum, dum amor prouocat, cruciatus impellat.

Gregorius Septimus. 1076.

Lib. 1. epist. 23. Multæ sunt tribulationes iustorũ, sed his omnibus liberabit eos Dominus. His artibus, quibus creuit, sancta reparatur Ecclesia. Hãc nobis hæreditatem sancti Patres reliquêre, scilicet vt per multas tribulationes intremus in regnũ Dei. Grauis pugna, sed infinita sunt præmia. *Non enim condignæ sunt passiones huius temporis ad superuenturam gloriam, quæ reuelabitur in nobis.*

Anselmus Cantuariensis. 1080.

Ad cap. 5. ad Romanos: Tribulationes, quibus patientia fidelium probatur, non solùm eas debemus intelligere, quæ extrinsecus accidunt, hoc est damnis, vel languoribus, vel ex quolibet corporis cruciatu: sed eas, quas vel intus sibi faciunt, aut perferunt, dum in requie positi semetipsos affligunt, & arterunt, abstinendo voluptatibus suis, refrænando libidinem, & quæ ad bonũ continentiæ vel abstinentiæ pertinent faciendo.

Ad cap. 4. posterioris ad Corinthios: Paruis laboribus magna merces acquiritur, vt pro humiliatione leuis tribulationis supra modum sublimitas æternæ gloriæ rependatur: & ad comparationem æternitatis omne, quod in præsenti vita patimur, momentaneum est, licet diuturnum esse videatur. Ideo supra modum tribulationis est magnitudo remunerationis: quia, si rectè censeamus, æterna requies æterno labore fuerat emenda: sed Deus misericorditer pro breuissimo labore dat æternam requiem, pro breui despectione æternâ gloriam.

Rupertus Tuitiensis. 1120.

Ad cap. 6. Apoc. Gladius magnus magna & longa persecutio intelligitur: quem videlicet persecutionis gladium eques ille malignus à Christo vsq; ad nouissimos electos eius, tanquam à capite magni corporis, vsque ad pedes eius, ducere permittitur.

Honorius Augustodunensis. 1120.

Ad Psal. 16. Dæmones affligunt Ecclesiam malis suggestionibus, pagani persecutionibus, hæretici prauis dogmatibus, falsi fratres peruersis moribus.

Bernardus. 1130.

Sermone 16. super Psalmum, Qui habitat: *Cum ipso sum*, ait, *in tribulatione.* Quando hoc, nisi in die tribulationis nostræ, in die crucis nostræ, dum impletur quod ipse ait: *In mundo quidem pressuram habebitis*: & quod Apostolus eius: *Omnes, qui pie volũt viuere in Christo, persecutionem patiuntur?* Ioan. 16. 2. Tit. 3. Nam liberatio plena atque perfecta ante diem sepulturę esse non poterit, quòd maneat iugum graue super filios Adam à die exitus de ventre matris eorum, vsque in diem sepulturæ in matrẽ omnium. In hac ergo die *eripiam eum* (inquit,) quando nihil iamvltra, quod vel corpori vel animæ faciat, mundus habebit. Sanè glorificatio diem vltimum manet, diem resurrectionis, quãdo surget in gloria quod in ignominia interim seminatur. Vnde scimus quòd nobiscum sit in tribulatione? Ex eo vtique, quòd in ipsa tribulatione nos sumus. Quis enim sustineret, quis subsisteret, quis persisteret sine eo? *Omne gaudium existimemus cùm in tribulationes varias inciderimus fratres mei*, non modò quia *per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei*, sed quoniam *iuxta est Dominus his, qui tribulato sunt corde. Si ambulauero in medio vmbræ mortis* (ait quidam) *non timebo mala, quoniam tu mecum es.* Iacob. 1. Act. 14. Psal. 33. Psal. 22.

Petrus Cluniacensis. 1150.

Lib. 3. epist. 1. Recordamini Ecclesiam semper laboribus creuisse, passionibus multiplicatam esse, tolerantia cuncta resistentia vicisse.

Lib. 4. epist. 25. Sancta Ecclesia quanto amplius sub malleo tribulationis tundi conspicitur, tanto altius crux subleuatur; & more aromatum quò magis verberibus teritur, eò latius odoramenta suauitatis effudit.

Petrus Blesensis. 1160.

Epist.8. Glorioſum eſt cuilibet Chriſtiano, ſi affligitur, dummodò non eſt turpis, ſed in Chriſto commendabilis afflictionis occaſio.

Epiſt.57. Proficit lilium inter ſpinas; & dum ſupra dorſum iuſti fabricant peccatores, dilatatur Eccleſia. Contra vos omnem malitiam armat iniquitas ſuperborum: vos autem erga eos, qui pacem veſtram turbant, cor habeatis pacificum.

Arnulphus Lexouienſis. 1160.

Sermone habito in Concilio Turonenſi: Nulla nos abſterrere debet cõminatio, nulla perſecutio retardare. Participes conſolationum facti ſumus, iuſtum eſt, vt ſocij ſimus etiam tribulationum.

Guarricus Igniacenſis. 1180.

Sermone de Scripturarum ſanctarum vtilitate: Per multas tribulationes in regnum Dei intrare neceſſe eſt, & nemo niſi per tribulatiões ingreditur, aut proprias, aut alienas: ſola nimirum ſecundi Adæ tribulatio purgat, quos contaminauit offenſio ſola prioris; non quòd propria cuiquam ſatisfactio ſufficere poſſit. Quid enim vniuerſa pœnitentia noſtra, niſi quòd ſi non compatimur, omnino nõ poſſumus regnare? Quod in nobis minus eſt, ipſe ſupplet; modicum tamẽ illud quodcunq; noſtrum, nõ patitur reſeruari. Vbi propria macula, ꝓpria quoq; purgatio vitæ requiritur: & ſi contaminatio multiplex, opus eſt etiam multiplici tribulatione. Vnde enim tribulatio, niſi dũ reſiſtitur contaminationi, concupiſcentiæ repugnatur? Quid verò in homine purum ab hac macula, immune ab hoc contagio poterit inueniri? Ab intus manat, de corde exit peſtiferum virus, ac deinceps corpus occupat vniuerſum, mẽtem deſiderijs afficit, mẽbra illecebris inficit, &c. Quot corpus illecebras, quot oblectamenta mundus videtur habere, tot patitur tribulationes, tot ſuſtinet tentationes vir iuſtus.

Innocentius Tertius. 1200.

Ad Pſalmum 3. Pœnitentialem: Quis poſſet omnes hominis miſerias enumerare, cùm tota hominis vita ſit miſeria? Namq; *Homo natus de muliere breui viuens tempore repletur multis miſerijs*, quibus repletus aſſeritur, vt nihil in eo vacuum relinquatur.

Iob 14.

Sermone 3. Dominica 1. in Quadrageſima: Tres ſunt qui tentant: Deus, dæmon, & homo. Deus ſemper tentat ad bonum: dæmon ſemper tentat ad malum: homo verò quandoque tentat ad bonũ, quandoque ad malum. Deus tentat vt probet, dæmon vt fallat, homo vt inueſtiget. Dæmon principaliter tentat per voluptates, per opes & honores.

Sermone 2. in Commemoratione plurimorum Martyrũ: Fornax beatorum interior eſt afflictio pœnitentiæ, per quam pœnitentes purgantur ab iniquitate: exterior eſt tribulatio patientis, per quam patientes in charitate probantur.

Iacobus Vitriacus. 1220.

Dominica in Sexageſima ex epiſt. ad Corinth. Gloriatur Apoſtolus in infirmitatibus, & tribulationibus ſuis, propter multiplicem fructum, qui ex tribulationibus prouenit: ſicut nuces & oliuæ, quãtò magis vno anno verberante excutiuntur, tantò magis anno ſequenti copioſum fructum ferre dicuntur. Tribulatio enim animam conuertit ad Dominum, iuxta illud: *Imple facies eorum ignominia, & quarent nomentuum Domine.* Et in Euangelio dicitur: *Compelle intrare* per flagella & tentationes. Tribulatio purgat animam à peccatis, ſicut lixiuium quãto fortius eſt, tanto magis pannos mundificat, & albificat.

Luc.14.

Albertus Magnus. 1240.

Ad cap.4. Matth. Aliud eſt tentari à Deo per tribulationem, & aliud tentari à diabolo per illicitorum ſuggeſtiones. Et primum quidem poſſunt petere aliqui magni viri, experti vires ſuas, vt hîc vrat, & hîc ſecet, ne ſaucij vadant vrendi in ignem purgatorij vel inferni. Secundum nullus debet petere: quia hoc non eſt in pœna, ſed in illicitis ſuggeſtis & concupitis.

Ad cap.5. Matth. Licet pati ſit miſerũ, tamen pati propter iuſtitiam eſt glorioſum; & prout attingit gloriam, ſic habet beatitudinis præmium.

Thomas Aquinas. 1250.

Proœmio in Apocalypſin: Duas ſoluit quæſtiones. 1. Vtrum ſit conueniens Deum permittere, quòd ſui cultores ſuſtineant tribulationes? 2. De fructu ipſarum tribulationum, vtrum ſuſtinere tribulationes ſit meritorium vitæ æternæ? Quod ad primum, recitato argumento contrario ſubijcit, cõuenientiſſimum eſſe Deũ permittere ſuos cultores tribulationibus affligi: Tum propter amoris inſigne; quia Chriſtus Dominus pro nobis duriſſima ſuſtinuit: vnde lex amoris exigit, vt eius amore multa & magna ſuſtineamus. Ideo dicebat Apoſtolus ad Galat. vltimo: *Mihi abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti.* Tum propter punitionem culpæ præteritæ; quia delectatio culpæ, ad hoc vt deleatur, exigit amaritudinem pœnæ. Hier. 9. *Ecce ego conflabo*, &c. Tum propter cohibitionem futuræ, &c. Tum propter meritum coronæ. Ad primum dicendum, quòd de tribulatione vel pœna loquimur, aut in qãntum merè afflictiua; aut in quantum amoris declaratiua, ac promotiua; aut in quantum culpæ præteritæ purgatiua; aut in quantum futuræ cohibitiua; aut in quantum meriti æmulatiua. Primo modo non placet Deo tribulatio in iuſtis, vel alijs, nec ſub hac ratione eam permittit, ſed ſub aliqua ex quatuor rationibus ſequentibus. Non ergo delectatur in pœnis noſtris, ſed in vtilitate noſtra conſequente ex ipſis. Ad aliud dicendum, quòd liberalitas non eſt commendabilis, quæ eſt ſine comite ſapientia, & quæ diſſonat à iuſtitia. Siquidem iuſtitia exigit, vt pro Chriſto damna ſuſtineamus; item vt culpa per pœnam puniatur, &c. Per acredinem aduerſorum perducit Deus ſuos ad dulcedinem præmiorum.

Ægidius Romanus. 1280.

Tractatu de Inferno cap.15. In vita preſenti experimento videmus, quòd flagellationes & percuſſiones diuinæ vel ſunt purgationes vitæ præſentis; quia per eas homines conuertuntur, & boni fiũt: vel ſunt initium carentiæ felicitatis æternæ; quia per eas homines non correpti, ſed potius indurati, morientes ad inferna deſcendunt.

Hugo Pratenſis. 1300.

Sermone 73. Quamuis paſſiones non ſunt condignæ ad futuram gloriam, ſunt tamen valde congruæ & quaſi neceſſariæ ad perueniendum ad illam gloriam, propter multa bona, quę habent efficere, quæ bona oportet habere volentem ad illam gloriam peruenire. Hæc autem bona ſunt ſeptem. Primum eſt, quia tribulatio mentem illuminat. Gregorius: Oculos, quos culpa claudit, pœna aperit. Secundum eſt, quòd corroborat homines, ſicut ignis laterem, quem tamen videtur comburere. Rom.5. *Tribulatio patientiam operatur.* Tertium eſt, quòd purgat animam à peccatis. Greg. Quod flagellum grano, quod lima ferro, quod fornax auro, hoc tribulatio viro iuſto. Quartum eſt, quòd deſiccat deſiderium ab aquis deliciarum, & per conſequens conſeruat, quia humidum corrumpit. Quintum eſt, quia facit hominem ad Deum velocius currere. Equus piger non currit bene ſine calcaribus: tribulatio

autem eſt quaſi quidam ſtimulus. Sextum eſt, quia eſt quoddam ſignum, quòd ſumus filij Dei, & ab eo dilecti. Septimum eſt quoddam pignus hæreditatis æternæ; quia cùm ad illam hæreditatem poſſidendam nõ perueniatur niſi per multas tribulationes, iuxta illud Act.14. *Per multas tribulationes*, &c.

Ioannes à S. Geminiano. 1310.

In Summa lib.1.cap.80. Tribulationes, & amaritudines, & quæcunq; concuſſiones amicos Dei non diſſoluunt, ſed fortiores faciunt. Vnde ſunt ſimiles terræ, quæ, vt dicit Beda, vndique mari cingitur, vndique quatitur; & tamen non diſſoluitur, ſed potius ſolidatur; quia dum eius ſiccitas maris beneficio humectatur, partes terræ coadunantur, quę aliàs in puluerem verterentur: ſic ex tribulationum & amaritudinũ circundatione ſtillatur mentibus electorum humor conſolationis internæ, qua anima roboratur, conſolidatur, & ſic in ſeipſam tota coadunatur, vt per iram vel impatientiam minimè diſpergatur.

Ludolphus Saxo Carthuſianus. 1330.

Vitæ Chriſti part.1.cap.50. Ideo Dominus aliquamdiu & annuere precantibus differt, & tribulationes irruere permittit, vt continuè ad ipſum refugiamus, nec ab eo aliquando diſcedamus: quia ſi quales in tribulatione ſumus, tales eſſemus etiam in requie, nequaquam egeremus afflictionibus erudiri. Et quid de vobis dico? Etenim omnes, quicunq; vnquam clariores induti ſunt coronas, à tribulationibus & tentationibus coronati ſunt, & famoſi effecti.

Henricus Suſo. 1350.

Dialogo de præcipuis Chriſtianæ pietatis adminiculis ca. 13. Si non doleret crux, non poſſet nomen tueri ſuum: nihil eſt cruce moleſtius, nihil iucundius ac optabilius, quàm crucem pertuliſſe. Crux & afflictio breuis quidem dolor, ſed prolixum gaudium. Crux illi dolet, cui crux illa moleſta eſt, & inuiſa: qui verò eam fert æquanimiter, illi id præſtat, vt eum minimè excruciet. Certè ſi tanta abundares ſpirituali ſuauitate, & diuina conſolatione, & oblectatione, vt præ cæleſti illo rore perpetuò colliqueſceres, ex his omnibus per ſe conſideratis, non tantum tibi accreſceret meriti, neque pro his tanta tibi à Deo referenda eſſet gratia, neque perinde me tibi obligarent, ac quaſi debitorem efficerent, vt crux vna vel afflictio cum amore tolerata, aut tui derelictio in mentis ariditate, in qua me ex amore ſuſtineas. Et citius quidem vel decem euerti poſſent, ac excidere in magna voluptate, & iucunda ſuauitate cordis, quàm vel vnus ſubruatur continua laborans aduerſitate & perpeſſione.

Catharina Senenſis. 1360.

Tractatu primo c.20. Pijſſimus Deus, filia, inquit, chariſſima, patrem animæ tuæ volo cum omni ſancta ſolicitudine ſalutem animarum indefeſsè perquirere, in quo procul dubio mihi valde cõplacebit: hoc autem ipſe, ſiue tu, ſiue alius quicunque perficere non valeret abſque perſecutione & tribulationibus quàm plurimis, prout mihi concedere placebit, & expedire cognouero. Sicut enim optatis honorem videre meum in Eccleſia ſancta, ſic in corde veſtro concipere debetis affectum, amore mei tolerandi cum patientia quæcunque conceſſero. Et in hac experientia videbitur, vtrum honorem meum in veritate perquiratis: & ipſe tunc erit amabilis filius meus, & vnà cum alijs amicis meis ipſe quoque requieſcet ſupra pectus vnigeniti Filij mei, de quo vobis pontem feci, vt incolumes peruenire valeatis ad glorioſum finem atque terminum, ad quem vos ego gratioſè creaui: vbi recipietis fructum omnium laborum, quos amore mei cum patientia portaueritis. Itaque tolerate viriliter, quia *non ſunt cõdignæ paſſiones huius* breuiſſimi *temporis ad futuram* & æternam *gloriam*, ad quam vos introducam.

Ioannes Bromiardus. 1380.

In Summa Prædicat. de tribulatione: Bonis tribulationẽ immittit Deus. Primò, vt meliores fiant: ſecundò, vt maius præmium acquirant: tertiò, vt humilitatem, & ſtatum ſolidum teneant: quartò, in ſignum, quòd meliora eis reſeruat: quintò, vt cælum eis citiùs aperiat.

Ioannes Gerſon. 1420.

Sermone 2. de omnibus Sanctis: Luctus ſanauit olfactum à fluido reumate affluentium bonorum terrenorum, per paupertatem ſpiritus in Patriarchis & Prophetis, etiam inter medias diuitias. Luctus purgauit viſum ab inflatione ſuperbiæ tumidæ, & ab acri morſu vindictæ fellæ atque pungitiuæ, per mititatem in Apoſtolis. Luctus purgauit auditum in Martyribus ab impletione tremula terrenarum ſolicitudinum, & à proprij commodi viſcoſitate, per eſuriem iuſtitiæ & miſericordiæ impenſionem, &c. Hæc conſolatio ſuo odore traxit Abraham de terra, & cognatione ſua, & immolationem proprij vnigeniti nihili pendere compulit. Hæc conſolatio ſua pulchritudine ducebat Apoſtolos gaudentes à conſpectu concilij. Per ipſius dulcem harmoniam lapides Stephano, ignis Laurentio, Agathæ carcer, carbones igniti Tiburtio, Vincentio ſartagines dulceſcebant.

Laurentius Iuſtinianus. 1430.

Lib.2. de ſpirituali reſurrectione animæ: Ne contriſteris, cùm multifario languore torqueris; ſed potius gaude, ſciens neminem adultum abſque tribulationum incommodis ad perfectionis altã poſſe conſcendere. Intuere Chriſtum in cruce pendentem, irriſum, blaſphematum, felle potatum, vt in paſſionis ipſius conſideratione tuum valeas lenire dolorem. Tecum ſimiliter Martyrum tormenta reuolue, eculeos, verbera, ignem, vngulas, carceres, exilia, quatenus in comparatione eorum parua agnoſcas eſſe quæ pateris. Demum ſi potes diuina flagella humiliter ſuſtinentibus promiſſam in cælo contemplare mercedem, quam *nec oculus vidit, nec auris audiuit*, quæ *nec in cor hominis aſcendit.* Quamobrem ſi à carnificibus dilanietur corpus, attrectetur verberibus, ardentibus facibus comburatur, conſpergatur vlceribus, exaretur, excorietur, ſuſpendatur; transfigatur, perimaturq; nec ſic huiuſmodi cruciatus condigni erunt *ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Cæterùm ſi ob nimietatem infirmitatis præ doloribus contrahantur nerui; debilitentur greſſus, viſus hebetetur, obturetur auditus, omneque corpus à planta pedis vſque ad verticem capitis repleatur vulneribus, vermeſque ſcateant, cunctiſq; languoribus fatigetur; tolerabilia ſunt; propter ſupereminentem felicitatem, quæ iuſtis in futura reſurrectione promittitur. Quoniam perennis eſt gloria, & momentaneus dolor.

Ioannes de Turrecremata. 1460.

In Regula Benedicti cap.7. Tractatu 61. Sicut cera igne modico emollitur, & veterem imaginem deponit, & nouam recipit: ſic corda non indurata modica tribulatione molliuntur, & vetuſtatem vitiorum deponunt, & nouitatem aſſumunt virtutum. Corda verò dura non liquefiunt ad ignem tribulationis, niſi ſit tribulatio magna, mortem inferens, vel comminans: tunc ve-

tuſtas vitiorum deponitur, & corda parata ſunt fluere in omnem modulum & formam rectè viuendi, per omnia parata ſtare ſuperioris imperio: tum ſit ibi felix commutatio dexteræ Excelſi. Vas enim ignominiæ commutatur in vas gloriæ, & ſerui diaboli efficiuntur filij Dei. Prouerb.12. *Verte impios, & non erit.* Et Iob.28. *Auro locus eſt, in quo conflatur.* Hic locus eſt ignis tribulationis.

ARTICVLVS SECVNDVS.

SANCTOS POST DISCESSVM EX HAC VITA NVLLIS AMPLIVS MALIS AFFICI, COMITANTIBVS ANGELIS RECTA IN CÆLVM DVCI, CHRISTI GLORIFICA VISIONE FRVI.

NEGANT.

Anno post natũ Christũ

200. TERTVLLIANVS, Lib.4.contra Marcionem cap.34.In Apologetico cap.47.De anima cap.7.9.& 55. *ſentit animas iuſtorũ non in cæleſti, ſed in ſublimiori inferis loco vſq; ad reſurrectionem detineri.*

320. *Lactantius*, lib.7.Diuinarum inſtit.cap.21. *ſentit omnes animas vna eademq; cuſtodia detineri.*

400. *Vigilantius Gallus dixit Sanctorum animas vel in ſinu Abrahæ, vel in loco refrigerij, vel ſub aram Dei conſedisſe, nec poſſe, cùm voluerint, ſuis tumulis adeſſe præſentes.* Hieronymus contra Vigilantium.

600. *Armenij aſſerebant, Beatos ante diem iudicij Deum non videre.* Guido de Armenijs.

1000. *Græci Sanctorum animas non putabant in cælum, atque ad conſpectum Dei ante reſurrectionem admitti, licet beatè eas agere, & pro nobis orare, & noſtras preces exaudire faterentur.* Thomas Aquinas de erroribus Græcorum, Concilium Florentinum Seſ.1.

1130. *Petrobruſiani dicebant, Sanctorum animas ante reſurrectionis diem non eſſe in gloria.* Prateolus de hæreſ.

1140. *Petrus Abailardus Deum per eſſentiam à Beatis nondum videri docuit.* Prateolus de hæreſ.

1160. *Correrij dicunt, animas Sanctorum non obtinere gloriam in cælo ante diem iudicij, ſed eſſe in aëre cum corpore Chriſti.* Guido de hæreſibus.

1300. *Fratricelli dicebant, ſanctas animas non frui diuina viſione ante diem extremum.* Platina in vitis Pont. Bernardus Lutzemb.

1520. Martinus Lutherus ad cap.25.Geneſeos: *Sancti dormiunt, & neſciunt quid hîc agatur, & tamen quieſcunt.*

1530. *Cornelius Agripp.1*, lib.3. de occulta Philoſophia, *aſſerit Sanctorum animas nondum eſſe in cælo.*

1540. *Auguſtinus Bohemus negatur cælum nondum eſſe reſeratum, ſed hominibus occluſum fore vſque ad extremum mundi diem.* Lindanus dial.2.

1550. Ioannes Caluinus lib.3. Inſtit. cap.25. §.6. *Stultum & temerarium eſt inquirere, in quo loco ſint animæ iuſtorum, & an gloria fruantur, nec ne.*

ASSERVNT SACRÆ LITERÆ.

Lucæ 23. *v.*43. Hodie mecum eris in paradiſo.

*Ioan.*12.26.Si quis mihi miniſtrat, me ſequatur:& vbi ſum ego, illic & miniſter meus erit.

*Ioan.*13.36. Quò ego vado, non potes me modò ſequi, ſequêris autem poſtea.

Ioannis 14.2. In domo Patris mei manſiones multæ ſunt, ſi quò minus, dixiſſem vobis. Quia vado parare vobis locum. Et ſi abiero, & præparauero vobis locum: iterũ venio, & accipiam vos ad meipſum, vt vbi ſum ego, & vos ſitis.

*Ioan.*17. 24. Pater, quos dediſti mihi, volo, vt vbi ſum ego, & illi ſint mecum: vt videant claritatem meam, quam dediſti mihi.

2.*Cor.*5.1. Scimus quoniam ſi terreſtris domus noſtra huius habitationis diſſoluatur, quòd ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam æternam in cælis. 16.

lis. 16. Audentes igitur ſemper, & ſcientes, quoniam dum ſumus in corpore, peregrinamur à Domino: audemus autem, & bonam voluntatem habemus magis peregrinari à corpore, & præſentes eſſe ad Dominum.

*Philip.*1.23. Deſiderium habens diſſolui, & eſſe cum Chriſto.

*Hebr.*11.33. Sancti per fidem deuicerunt regna, operati ſunt iuſtitiam, adepti ſunt repromiſſiones.

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Clemens Romanus. 80.

Conſt.Apoſtol.lib.8.cap.47. Conſtitue defuncto Angelos placidos, & colloca eum in ſinu Patriarcharum, Prophetarum, & Apoſtolorum, & omnium, qui tibi à ſeculo placuerunt: vbi non eſt triſtitia, neq; dolor, neq; horror, ſed potius cœtus piorum & lætantium, & terra rectorum beata videntium gloriam Chriſti tui.

Dionyſius Areopagita. 100.

Eccleſiaſticæ Hierarchiæ cap.7.parte prima, loquens de Sanctis in morte conſtitutis: Nõrunt profectò ſe totos percepturos exactiſſimam ad Chriſti ſpeciem requiem, cùm ad præſentis vitę finem peruenerint, viamq; ad immortalitatẽ ſuam è vicino iam clarius intuentes, diuinitatis laudant munera, diuinaq; lætitia geſtiunt, non iam ad deteriora conuerſionem metuentes, ſed parata bona ſe firmiter perpetuoq; habituros probè noſcentes.

Parte 3. Iſta, vt reor, ſunt perſpicuè beatiſſima Sanctorum præmia. Quid enim immortalitati perfectæ, omniq; triſtitia vacuæ, ac plenæ perpetui luminis, conferri poſſit? Licet multum ſanè promiſſiones illæ ſublimiores noſtra mente ſint, quæ vocabulis nobis congruis deſignantur, longè tamen inferiores earum re & veritate appellationes habent. Verum enim exiſtimandum illud eloquium eſt, quòd *oculus non vidit, auris non audiuit, neque in cor hominis aſcenderunt, quæ præparauit Deus diligentibus ſe.*

Ignatius. 100.

Epiſtola ad Romanos: Ignes, crux, ferarum concurſus, ſectiones, laniena, oſſium diſcerptiones, membrorum conciſiones, totius corporis ſolutio, diaboli tormenta in me veniant, tantummodò vt Ieſum nanciſcar. Dominum deſidero, Filium veri Dei & Patris Ieſum Chriſtum; illum quæro, qui pro nobis mortuus eſt, & reſurrexit. Ignoſcite mihi, fratres; ne mihi impedimento ſitis, ne ad vitã perueniam. Ieſus enim eſt vita fidelium. Sinite me purum lumen haurire; cùm illic fuero, homo Dei ero. Non eſt in me ignis quippiam amans; ſed aqua viua ſaliens in me, intus mihi dicit: Veni ad Patrem.

Iuſtinus Martyr. 160.

Quæſt.75. Poſt exitum animarum è corpore illicò iuſti ab iniuſtis ſegregantur: adducũtur enim ab Angelis ad condigna ſibi loca. Ac iuſtorũ quidem animæ in Paradiſum, vbi conſuetudine & aſpectu fruuntur Angelorum & Archangelorum, viſione quoque ipſius Saluatoris Chriſti, pro eo atq; dictum eſt: *Peregrè abſumus à corpore, & præſentes adſumus ad Dominum.* 1.Cor.5.

Irenæus. 180.

Lib.1.cap.2. Iuſtis, & æquis, & præcepta eius ſeruantibus, & in dilectione eius perſeuerantibus, quibuſdam quidem ab initio, quibuſdam autem ex pœnitentia vitam donans, incorruptelam loco muneris confert, & claritatem æternam circumdat. *Nota*: quibuſdam, *hoc eſt ijs, qui mox à baptiſmo moriuntur; vel qui pro Chriſto vitam ponunt; vel denique perfectis ſtatim donari vitam, & claritatem æternam: alijs non niſi poſt pœnitentiam, hoc eſt ſatisfactionẽ in futura vita actam.*

Lib.2.cap.63. Per hæc enim (*ſcilicet quæ narrat Lucas cap.16. de diuite & Lazaro*) manifeſtiſſimè declaratum eſt, perſeuerare animas, & non de corpore ad corpus tranſire, & habere hominis figuram, vt etiam cognoſcantur, & meminerint eorum, quæ hîc ſint, & propheticum quoque adeſſe Abrahæ, & dignam habitationem vnamquamque gentem percipere etiam ante iudicium.

Quòd ergo idem Irenæus lib.5. cap.31. ait: Et diſcipulorum eius, propter quos hæc operatus eſt Dominus, animæ abibunt in inuiſibilem locum, definitum ijs à Deo, & ibi vſque ad reſurrectionem cõmorabuntur, &c. *non ſignificat Sanctorum animas interim non eſſe in cælo, vel non videre Deum; ſed ſolùm ſignificat, eas non eſſe in illa perfecta beatitudine, in qua eſt Chriſtus, qui animo & corpore eſt beatus. Et confirmatur multis coniecturis. Primò, quia hoc ipſo loco dicit Chriſtum deſcendiſſe ad inferorum loca, vt Sanctorum inde animas extraheret, & ſaluaret. Si eas ergo extraxit, non amplius ſunt ibi; & ſi ſaluauit, certè vident Deum: nam hæc eſt ſalus animarum. Secundò, cùm dixiſſet Chriſtum deſcendiſſe ad inferos antequam reſurgeret, & ſubiungeret, debere diſcipulos imitari magiſtrum ſuum, non tamen auſus eſt dicere, diſcipulorum animas deſcendere ad inferos, ſed ait, deduci ad* inuiſibilem locum, *vt ibi expectarent reſurrectionem. Per* inuiſibilem locum, *quid prohibet intelligere cælum, vbi eſt lux inacceſſibilis?*

Origenes. 230.

Lib.7. contra Celſum: Cùm perſuaſum habeant, non ſolùm Chriſtiani & Iudæi, verùm etiam alij multi, tam Græci, quàm Barbari, quòd ſuperſit & viuat poſt diſceſſum à corpore humana anima, & rationi conſentaneum ſit, quòd quæcumq; pura eſt, nullisq; malitię grauata compedibus, ſublimis euolat ad puriora loca ætheris, relictis craſſi corporis ſordibus, &c.

Lib.2.de Principijs cap.12. Puto quòd Sancti quicq; diſcedentes de hac vita permaneant in loco aliquo, in terra poſito, quem Paradiſum dicit Scriptura diuina, velut in quodam eruditionis loco, & (vt ita dixerim) auditorio, vel ſchola animarum, in quo de omnibus his, quæ in terris viderant, doceantur. Si quis ſanè mundus corde, & purior mente, & exercitatior ſenſu fuerit, velocius proficiens, citò ad aëris locum aſcendet, & ad cęlorum regna perueniet. Per locorum ſingulorũ manſiones, quas Græci ſphæras, id eſt globos appellauerunt, Scriptura verò diuina cælos nominat, &c. Cùm ergo ad cæleſtia loca peruenerint Sancti, tunc iam rationem aſtrorum per ſingula prouidebunt.

Dionyſius Alexandrinus. 260.

Epiſtola ad Fabium Antiochenum: Illi igitur Martyres Chriſti ſunt aſſeſſores, & regni ipſius conſortes, & participes iudicij ipſius, & cum illo iudicantes.

Euſebius Cæſareenſis. 320.

Eccleſiaſt. hiſt.lib.10.cap.1. Verùm hi Sancti Martyres, quàm celerrimo curſu ſublati ad ſuperos, res multò præſtabiliores ſunt conſecuti, & in ipſo cælo & paradiſo diuinis delicijs perfruuntur.

Vita Conſtantini lib.1. cap.1. Quin etiam cùm iam

aciem oculorum adijcio ad ipsum cæli complexum, omnia vndiq; ambientem, & eius beatissimum animum ibi cum ipso Deo vita frui cogitatione informo, & nõ modò omni caduco mortaliq; integumento exutum, verùm etiam apparatu fulgoris radijs mirè splendescente collustratum, & neutiquam in isto exigui temporis anfractu amplius ad mortalium cõsuetudinem volutatum, sed corona quæ perpetuò florebit, vita quæ nullum exitum est habitura, beati æui deniq; immortalitate honorificè donatum mecum considero, stupore oppressus penitus conticesco.

Lib.3.cap.45. Animus igitur corporis compagibus solutus, ad immortalem & Angelicam naturam, atq; adeò ad ipsum Seruatorẽ assumptus est.

Athanasius. 340.

In vita D. Antonij: Cùm sederet in monte Antonius, & oculos subitò tetendisset ad cælum, vidit nescio quam animam, lætantibus in eius occursum Angelis, ad cælum pergere. Cuius spectaculi nouitate stupefactus, beatum dixit sanctorũ chorum, orauitq; vt sibi rei præsentis agnitio panderetur. Et statim vox ad eum facta est, inquiens, istam esse Ammonis monachi animam, qui Nitriæ morabatur.

Cyrillus Hierosolymitanus. 360.

Luc.23. Catech.13. *Amen dico tibi* (inquit Christus ad latronem) *hodie mecum eris in Paradiso.* Cùm enim hodie vocem meam audisti, non obturasti cor tuum. Celeriter contra Adam tuli sententiam; celeriter tibi gratificor. Illi quidem dictum est: Gen.2. *Quacunque die comederitis, morte moriemini:* tu verò hodie obedisti fidei, hodie quoq; tibi salus. Ille propter lignum excidit: & tu de ligno introduceris in Paradisum. Ne timeas serpentem; cecidit enim de cælo, non eijciet te. Et non dico tibi: Hodie recedes, sed: *Hodie mecum eris,* non reijcieris: confide, neque timeas flammeum gladium, reuereturenim Dominum. O ingentem & inenarrabilem gratiam! Nondum Abraham fidelis ingressus est, & latro ingreditur: nondum Moses & Prophetæ, & iam latro iniquus ingreditur.

Basilius Magnus. 370.

Homilia 19. quæ est in Gordium Martyrem: Hæc vbi dixit Christi miles, crucis se signo communit, & animi magna constantia, vultu intrepido, colore nusquam mutato, ad supplicium hilaris contendit: vbi tantam cordis præ se ferebat alacritatem, vt non lictorum, sed Angelorum manibus committere se videretur, qui subitò post interitum sublimem eum in cælum deferrent.

Homilia 20. quæ est in Quadraginta Martyres: Vos non terra contexit, sed cælum excepit. Apertæ sunt vobis paradisi portæ, dignum profectò exercitibus Angelorum, Patriarchis, Prophetis, & iustis omnibus spectaculum.

Gregorius Nazianzenus. 380.

Oratione 10. quæ est in laudem Cæsarij fratris defuncti: At tu, diuinum & sacrum caput, vtinam cælos penetres, atque in Abrahæ sinu, quicumque tandem ille est, conquiescas, & Angelorum choream, ac beatorum virorum gloriam & splendorẽ spectes, vel potiùs vnà tripudies & exultes, omnia, quæ hìc sunt, ex alto deridens, &c. magno illi regi astans, atque illius emicante lumine impletus.

Oratione 11. quæ est oratio funebris in laudem Gorgoniæ sororis: Equidem non dubitò, quin ijs, quæ oculis cernuntur, multò præstantiora sint ea, quibus nunc frueris, nempe sonus epulantium, Angelorum chorea, cælestis ordo, gloriæ contemplatio, supremæ Trinitatis purior & perfectior illuminatio, non iam vinctam mentem, ac per sensus diffusam suffugientis, sed totam sese toti menti contemplandam, & tenendam præbentis. Omninò inquam his frueris.

Oratione 20. quæ est oratio funebris in S. Basilium: Et nunc ille quidẽ in cælis est, illic etiam (ni fallor) sacrificia pro nobis offerens.

In Epitaphio D. Basilij: Notum hoc vobis sit, quòd Basilius in cælum, vt cupiebat, euolauit: Gregorius autem in terra versatur, labijs vinculum ferens.

Epiphanius. 380.

Hæresi 78. Sancti sunt in honore, quies ipsorum in gloria: profectio ipsorum hinc in perfectione: sors ipsorum in beatitudine, in mansionibus sanctis, tripudium cum Angelis, diæta in cælo, conuersatio in diuinis Scripturis, gloria in honore incomparabili ac perpetuo, brauia in Christo Iesu Domino nostro.

Gregorius Nyssenus. 380.

Oratione funebri in Magnum Meletium: In adytis ac penetralibus sacerdos est, in interioribus veli, quò præcursor pro nobis ingressus est Christus: reliquit carnis tegumentum. non amplius signo & vmbræ cælestium seruit: sed in ipsam rerum imaginem intuetur: non ampliùs per speculum, atque per transennam, & ænigma: sed ipse facie cum facie collata intercedit apud Deum.

Ioannes Chrysostomus. 400.

Ad cap.12. Ioannis: *Vbi ego sum,* inquit Christus, *illic & minister meus erit.* Vbi Christus? in cælis. Ergo ante resurrectionem illuc anima & mente trãsferemur.

Sermone 3. in epist. ad Philipp. in morali digressione: Peccatores vbi sunt? Procul à Rege sunt; propterea lachrymis digni. Iusti autem siue hìc, siue ibi, cum Rege sunt; atque ibi quidem multò magis ac propius, non quasi quodam interiecto vestibulo: non per fidem, sed *facie,* inquit, *ad faciem.* 1.Cor.13.

Serm.4. *Et quid eligam ignoro.* Quid ais? Cùm hinc abiẽs ad cælum sis migraturus, & cum Christo futurus, ignoras quid eligas? Sed longè nos absumus à Pauli anima.

Oratione in Babylam Martyrem: Animam quidem ipsius Babylæ cælum habuit, corpus autem terra, sic vt creatura ipsa athletam diuiserit.

Oratione de B. Philogonio: Nam ille quidem subuectus in cælum, haudquaquam egere potest humanis laudibus; ad feliciorem magisq; duraturã quietem profectus.

Marcus Eremita. 400.

In præceptis salutaribus: Passionis Christi emolumenta sunt, inferni mortisq; spoliatio, earum, quæ cum Domino venerunt, animarum assumptio in cælos, &c.

Synesius. 420.

Hymno 3.

Da mihi vt elapsa
Ex corporis noxa
Celerem saltum dem
Ad tuas aulas,
Ad tuos sinus:
Vnde animæ
Profluit fons.

Philo Carpathius. 420.

In Cantica: Gaudent in cælis Sanctorum animę, nec aliud semper, quàm Christi laudes concinunt.

Cyrillus Alexandrinus. 430.

Lib.12. in Ioannem cap. 36. Tradidit Christus animam suam in manibus Genitoris, vt ab illa & per illam

illam facto initio certam huius rei spem habeamus, firmiter credẽtes, in manibus Dei post mortem nos futuros, vitamq; multò meliorem & perpetuò cum Christo victuros: ideo enim Paulus desiderauit resolui, & esse cum Christo. Philip. 1.

Sozomenus. 440.

Lib.1.cap.14. Ammon cùm mortem obiret, Antonius vidit animam eius, diuinis Potestatibus cum psalmis & hymnis præeuntibus, in cælum sublatam esse.

Lib.3.cap.13. Horum vitæ institutio sic tum ad rerum terrenarum despicientiam, tum ad cælestium indagationem animum excitabat, vt cùm è corporis custodia migrarent, aditum ad cælum haberent perfacilem.

Isidorus Peluſiota. 440.

Epist.151. Beatus Timotheus frater tunc ex hominum cœtu excessit, id quidem omne, quod mortale habebat in terra, deserens: animo autem in cælum penetrans, atque cum diuinis, ac mundo sublimioribus Virtutibus, vt confido, choros agitans, &c. vt probus athleta in cælestem aulam auolauit, ad accipiendam coronam.

Theodoretus. 450.

Lib.8.Græcarum affectionum: Animæ triumphatorum Martyrum in cælesti nunc patria vitam agunt, choris insertæ Angelorum, &c. Si cælum sedes illorum est, qui piè vitam duxerunt, hunc profectò finem sui cursus & Martyres consecuti iam sunt.

Historiæ sanctorum Patrum cap.26.de Simeone Stylita: Cùm autẽ post hæc diu vixisset, & solus ex omnibus, qui vnquam fuerunt, mansisset inexpugnabilis: postquã eum deinceps oportuit esse cũ Christo, & immensorum certaminum coronas accipere, quòd homo quidem esset, morte confirmauit ijs, qui non credebant: mansit autem etiam post mortem immobilis: & in cælum quidem anima peruenerat, corpus autem ne sic quidem cadere sustinuit: sed rectum stetit in loco certaminum, tamquã inuictus athleta nulla parte membrorum volens terram tangere.

Basilius Seleucius. 460.

De Lazari exsuscitatione: Iustus è viuis excedens, ad Angelorũ cœtus hinc transmigrat, etiamsi corpus illius nullo prorsus honore potiatur.

Cyrillus Eremita. 530.

Vitæ Ioannis Silentiarij cap.13. Dum ea de re Deum rogaret, mẽte raptus fuit in sanctam Bethlehem, & vidit in imis ambonis subsellijs venerandę, quę illic est, Ecclesiæ iacentem virum sanctum hospitem, qui consummabatur, & assumebatur eius anima ab Angelis, & cum diuina quadam hymnodia & suaueolentia ferebatur in cælos.

Leontius Cyprius. 610.

In vita Simeonis Sali cap. 46. Nunc ad æternam Dei & Patris luminum sedem assistens, vt qui libertatem acceperit & fidutiã, perpetuis eum hymnis & laudibus celebrat cum omnibus cælestibus Potestatibus.

Eustachius Presbyter. 610.

Oratione in S. Eutychium Patriarcham: Appositus est Patriarchis Patriarcha, Martyribus Martyr, Apostolis Apostolus, qui per eorum vestigia semper incesserat, vbi sanctorum etiam Apostolorũ, Andreæ, Lucæ, & Timothei corpora conquiescunt, ante ipsum altare, ad basin eius, vt ne post obitum quidem ab altari sancto corpus eius recederet: cùm anima eius altari in cælis assisteret, atque ibi cum sanctis Angelis & Apostolis pro vniuerso populo preces effunderet.

Ioannes Damascenus. 730.

Historia Barlaam cap. 40. Cùm ad hunc modum vixisset, & vsque adeò dignam vocatione sua operam ei, à quo vocatus fuerat, reddidisset, mundumq; sibi ipsi, ac seipsum mũdo crucifixisset, ad Deum pacis in pace migrat, atque ad Dominum, cuius perpetua cupiditas eum tenuerat, proficiscitur, vultuiq; Domini purè ac sine vllius rei interpositu apparet, eaq; iam ipsi præparata gloriæ corona exornatur, idq; diuinitus consequitur, vt Christũ cernat, cum Christo sit, Christi pulchritudine perpetuò exultet, in cuius manus cõmendata anima, ad viuorum regionem transijt, vbi epulantium sonus, vbi lætantium habitatio est. Psal.41.

Constantinus & Irene Impp. 780.

Epistola ad Episcopos Nicææ congregatos: Paulus sanctissimus Patriarcha, iuxta diuinam voluntatem, carnem præsentem commutaturus, præsensq; habitaculum derelicturus, & ad superiores sedes, imò verò ad Dominum nostrum Iesum Christum commigraturus, Episcopatui renuntiauit.

Ioannes Patriarcha Hierosolymitanus. 800.

In vita Ioannis Damasceni: Quo quidem nomine ille quoq; magnæ vrbis alumnus, qui idem cum primo Martyre Stephano nomẽ habebat, saxisq; vt ille pro Christo, sic pro ipsius imagine obrutus in cælum ascendit.

Theosterictus. 820.

Oratione funebri in S. Nicetam: Cùm verò tempus veniisset, quo dissolui haberet, vt cum Christo esse posset, morbo vehementius eum vrgente, & ipsius vires consumente, cùm dies Dominicus illuxisset, hora sexta sanctos illos pedes extendẽs, qui ad confessionem fidei bene concurrerant, migrauit, & vnà cum Angelis profectus est in cælum tertio die mensis Aprilis.

Ignatius Monachus. 830.

De S. Tarasio: Ipse pelliceum hunc exuit amictum, & relictis vinculis carneis venit ad luminosa atria cælestium, & habitat in ineffabili lætitia.

Theodorus Studites. 830.

Oratione funebri in sanctum Platonem cap.2. Laudabo illum oratione mea, non vt illi hac laudatione gratum faciam: Quæ enim gratia illi hæc esset, qui nulla re ex his, quæ hìc sunt, delectatur, cùm cęlestem conditionem fortitus sit, cuius qui compos fuerit, præsentia hæc irridet, cùm nihil in eis stabile sit, neq; beatum: sed tanquam vmbræ prætereant, & vt verni flores corrumpantur?

Cap.47. Et nunc ille quidem in cælis est, non solùm eo ordine ac statu dignus habitus, qui viris exercitatione præstantibus assignatus est: sed in eorum choro numeratus, qui Confessores extiterunt. Quorum enim certamina perpessus est, eorundem sortis manifestum est participẽ factum fuisse.

Michael Syngelus. 830.

In Encomio Dionysij Areopagitæ: O sanctum & diuinum caput, pro vero Christi amore præcisum! ô virum cum cælestibus Ordinibus incedentem, & ea locutum, quæ quemlibet sermonem & sensum excellunt! ô diuinissimam animam illam, quæ corona stipata Angelorum, ad cælestia culmina euolauit: quam, (dum magnificè ad Dominum gloriæ, & coronatorem Iesum ascenderet,)

pro glorioſis laboribus præmijs auctam, ſinguli Angelorum Ordines laudârunt, & certamen ipſius præmijs ac laudatione, quę Angelos decet, munerati ſunt: &c. quam cæleſtis Hieruſalem ſuas ipſius portas aperiens, ſinu ſuſcepit ſuo: quam Eccleſia primogenitorum, qui in cælis aſcripti ſunt, amplexata eſt: quam ſpiritus & animæ iuſtorum, piorum & humilium corde in iuſtitia & ſanctitate, moderata ac diuina animi æqualitate in mundo verſatam, & fidem ad ſanguinem animosè vſque profeſſam, & pro ipſa martyrio functam, in ſinum ſuſceperunt.

Methodius Conſtantinopolitanus. 840.

In Martyrio ſancti Dionyſij: Impij perſecutores & tyranni ſanctorum Martyrum ferro amputârunt capita, reddentes terræ corpora, ſanctis animabus ad cælum proficiſcentibus.

Theophylactus. 900.

Ad caput 23. Lucæ: Dicendum eſt idem eſſe regnũ cælorum, & paradiſum. Latro quidem eſt in paradiſo, hoc eſt regno, & non ſolus ipſe, ſed etiam omnes, quos enumerat Paulus. Alioqui non frueretur perfecta bonorum participatione. Nam ſicut condemnati in regnis non ſunt, ſed in cuſtodijs clauſi tenentur in deputatis pœnis: honorabiles verò & in regna ingrediuntur, & nunc in eis verſantur.

Simeon Metaphraſtes. 950.

In vita Sampſonis: Atque Deo quidem digna & munda illius anima ad cæleſtes tranſijt habitationes: ſacrum verò eius corpus deponitur honorabiliter in templo.

In vita S. Thomæ Apoſt. Eum quidem beatum iudicauit chorus eorum, qui per ipſum crediderũt: beatum quoq; cenſuit chorus eorum, qui ſunt in excelſis; plauſitq; iuſtorum multitudo cum Apoſtolis, videntes ſacram illam & diuinam animam in cælos aſcendentem, & ſtipatam Angelorum Ordinibus.

Ioannes Pſellus. 1050.

Oratione in S. Simeonem Metaphraſten cap. 14. Quàm multis autem fortis viri coronis non fuerit coronandus hic vir admirabilis, imò verò quibus non eſt iam coronatus, cùm ad Deum aſcenderit, & apud illos ducat choros, quorum mores & vitam hîc conſcripſit? Nam vel in fine oſtendit, qualem vitam egerat. Non enim eum veluti abſciſſum aut diuiſum fuiſſe dicunt ij, qui viderũt: ſed videbatur veluti à quodam vinculo liberari, & hilari nutu ſe extendere ad ducentes Angelos, & quodammodo ſeipſum tradere illorum manibus, vt citò emigraret è corpore.

Oecumenius. 1080.

Ad cap. 9. ad Hebr. Quòd in ſancta ſanctorum Pontifex ſolus ingrediebatur, typus fuit, quòd ſolus Chriſtus, verus ille Pontifex, ipſum penetrauerit cælum. Sed reliquum iam eſt, vt reuerſus, hominum ſecum genus adducat. Fuerat enim antea inuium, nunc verò per Chriſtum peruium factum eſt.

Nicetas Choniates. 1200.

Lib. 2. Orthodoxiæ cap. 78. Animæ, quæ ſe puras integrasq; conſeruarunt, quamdiu corpori coniunctæ fuerunt, nec Creatoris Patris vllo ſunt oblitę modo, imò aſſiduis in eum meditationibus eius exemplar in imagine illæſum cuſtodierunt: illæ, inquam, grata illa requie fruuntur, quæ ſupra totius mundi faſtigium beatis parata eſt: eisq; aulæ cæleſtis prati & paradiſi loco, incredibilis eorum quę ſunt ordo, diuinorumq; bonorum complementum proponitur.

Græci, qui Concilio Ferrarienſi interfuerunt anno 1439.

Seſſione vltima: Ex nobis ipſis proferimus, iuſtorum animas perfectam laureolam in cælo iam conſecutas eſſe, ac impiorũ ppetuas pœnas luere.

Gennadius Scholarius. 1450.

De Sanctorum fruitione ſectione 2. Illi, qui fruitionem Sanctorum negant, hæreticis ſunt deteriores, & incarnatam Domini diſpenſationem abnegant, qui homo fuit, crucem & mortem ſuſtinuit, vt ijs, qui à ſeculo obdormierunt, iuſtis videlicet, cæleſtem manſionem & fruitionem largiretur: eamq; credimus eum quotidie tradere, & tradidiſſe ijs, qui ſyncerè viuunt, & religiosè ipſi inſeruiunt.

Sectione 3. Age nunc officioſius adhibitis Eccleſiæ Doctoribus orationem exordiamur, & quæ Sancti rectè ſuper hac ſententia protulerunt, in medium afferamus; vt liquidò cognoſcatis iuſtos omnes, quatenus animæ ſunt, eſſe in Dei gloria, Deumq; in faciem videre, & huius viſione lętari: nam nihil aliud eſt Sanctorum fruitio, quàm Dei viſio, primumq;, quod ſacris Apoſtolis Chriſtus dixit, in medium prodeat: *Vado parare vobis locum, vt vbi ſum ego, & vos ſitis,* &c. Ioan. 14.

Georgius Trapezuntius. 1470.

In Martyrio Andreæ de Chyo: Andreas Martyr Chriſti præcipuus coronam martyrij miſericordia Chriſti conſecutus, in cælos aſcendit ad eum, pro quo multos cruciatus ſuſtinuit.

Emmanuel Malaxus. 1570.

In hiſtoria Patriarcharum Conſtantinopolitanorũ cap. 22. de morte Hieremiæ Patriarchæ: καὶ ὑπάγει τὸ πνεῦμα αὐτοῦ εἰς τὰς οὐρανίους μονάς. Et iuit ſpiritus eius ad cæleſtes habitationes.

Gabriel Alexandrinus. 1595.

Epiſtola ad Clementem 8. Credo illorum animas, qui poſt baptiſmum ſuſceptum nullam omnino peccati maculam incurrerunt; illas etiam, quæ poſt peccati maculam purgatæ ſunt, in cælum mox recipi, & intueri clarè ipſum Deum, trinum & vnum, ſicuti eſt, pro meritorum tamen diuerſitate alium alio perfectius.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Tertullianus. 200.

Carmine contra Marcionem de Iudicio Domini:

Ipſe ſedens Dominus, ſublimi lumine clarus,
Atque potens cunctis micat in virtutibus ignis,
Excelſoq; throno cæleſti ſede coruſcat;
Martyribus ſeptus, numero candente virorum,
Dilectiq; ſuis comitatus vatibus extat.

Cyprianus. 250.

De mortalitate: Conſiderandum eſt, fratres dilectiſſimi, & identidem cogitandum; renuntiaſſe nos mundo, & tamquam hoſpites & peregrinos iſtic interim degere. Amplectamur diem, qui aſſignat ſingulos domicilio ſuo; qui nos iſtinc ereptos, & laqueis ſecularibus exſolutos paradiſo reſtituit, & regno cæleſti. Quis non peregrè conſtitutus properaret in patriam regredi? Quis non ad ſuos nauigare feſtinans, ventum proſperum cupidius optaret, vt velociter charos liceret amplecti? Patriam noſtram paradiſum cõputamus, parentes

parentes Patriarchas habere iam cœpimus, quid nõ properamus & currimus, vt patriam noſtram videre, vt parentes ſalutare poſſimus? Magnus illic nos charorum numerus expectat, parentũ, fratrum, filiorum frequens nos & copioſa turba deſiderat, iam de ſua immortalitate ſecura, & adhuc de noſtra ſalute ſollicita. Ad horum conſpectum & complexum venire, quanta & illis & nobis in commune lętitia eſt? qualis illic cæleſtium regnorum voluptas ſine timore moriendi, & cum æternitate viuendi? quàm ſumma & perpetua felicitas? illic Apoſtolorum glorioſus chorus: illic Prophetarum exultantium numerus: illic Martyrum innumerabilis populus, ob certaminis & paſſionis victoriam coronatus: triumphantes illic Virgines, quæ concupiſcentiam carnis & corporis continentiæ robore ſubegerunt: remunerati miſericordes, qui alimẽtis & largitionibus pauperum iuſtitiæ opera fecerunt. Ad hos, fratres dilectiſſimi, auida cupiditate properemus; vt cum his citò eſſe, vt citò ad Chriſtum venire contingat, optemus.

De Stella, Magis, & Innocentium nece: Illicò ſpiritus infantilis vaſculi receptaculum deſerens, iam non tenelli corporis ætatisq; nouitiæ tẽpore tenetur: ſed ab illis infantilibus coagulis anima expedita, adepta rationis & intellectus plenitudinem, in occurſum Chriſti feſtinat: à quo militiæ ſuæ quærẽs ſtipendium, ad lucis & pacis æternæ præmittitur gaudia; & Epiphaniæ ſolemnia in cæleſtibus celebrat, nec in ſtellæ alicuius lumine, ſed in ipſa claritate diuinæ præſentiæ gloriatur.

In Exhortatione Martyrij cap. 12. Quis non omnibus viribus elaboret, vt cum Chriſto ſtatim gaudeat? vt poſt tormenta & ſupplicia terrena, præmia diuina percipiat? &c. Clauduntur oculi in perſecutionibus terræ, ſed patet cælum: minatur Antichriſtus, ſed Chriſtus tuetur: mors infertur, ſed immortalitas ſequitur: occiſo mũdus eripitur, ſed reſtituto paradiſus exhibetur: vita temporalis extinguitur, ſed æterna reparatur. Quanta eſt dignitas, & quanta ſecuritas exire hinc lætum, exire inter preſſuras & anguſtias glorioſum: claudere in momento oculos, quibus homines videbantur, & mundus, & aperire eoſdem ſtatim, vt Deus videatur & Chriſtus? tam feliciter migrandi quanta velocitas? terris repente ſubtraheris, vt in regnis cæleſtibus reponaris.

Zeno Veronenſis. 260.

Sermone de S. Arcadio Martyre: O dignus glorioſi exitus finis: aſcenſurus altitudinem cæli, corporis ſui impedimenta præmittit, & exequias funeris ipſe præcedit, &c. Arcadius beatiſſimus Martyr adhuc demoratur in ſeculo, & iam Martyr recitatur in cælis.

Hilarius. 350.

Ad Pſal. 64. *Inhabitabit in tabernaculis tuis:* Omnis perfectio bonorum in habitationis cæleſtis eſt requie. Multas manſiones Dominus in cælis eſſe teſtatur: ſed Patrem orat, vt Apoſtoli vbi & ipſe ſit maneant, dicens: *Pater quos mihi dediſti, volo vt vbi ego ſum, ibi & illi ſint mecum,* &c. Ioan. 17.

Ambroſius. 370.

Ad cap. 22. Lucæ: Vnde te euocem Petre, vt doceas me quid flens cogitaris? Vnde, inquam, te euocem? de cælo, vbi iam inſertus es choro Angelorum; an etiam de tumulo?

Oratione de fide reſurrectionis: Ego malim de veſtro merito melius iudicetis, vt non inter cœtus ferarum, ſed inter Angelorum conſortia vos credatis futuros, & animas ex hoc iam vitæ anfractu & terreni corporis colluuione diſcedere, & ad illa cõcilia ſuperna contendere.

Epiſtola 59. de S. Acholio: Eſt igitur Acholius iam ſuperiorum incola, poſſeſſor ciuitatis æternæ illius Hieruſalem, quæ in cælo eſt. Videt illic vrbis eius menſuram immenſam, purum aurum, lapidem pretioſum, lumen ſine ſole perpetuum, & hęc omnia iam dudum quidem ſibi comperta, ſed nũc facie ad faciem manifeſta videt.

Damaſus. 370.

De S. Agnete:

Nomen enim Chriſti celebratur ſedibus iſtis,
Tartaream ſolus potuit qui vincere mortem,
Inuictum ſolus cælis inferre triumphum.

Prudentius. 380.

De Beata Agnete Hymno 14.

O Virgo felix noua gloria,
Cæleſtis aruis nobilis incola.

De SS. Fructuoſo & Eulogio Hymno 6.

Felices animæ, quibus per ignem
Celſa ſcandere contigit Tonantis.

De Sancto Vincentio Hymno 5.

Hic te ex tenebris ſeculi,
Tortore victo & iudice,
Euexit ad cælum dies,
Chriſtoq; quantem reddidit.
Nunc Angelorum particeps
Luces in inſigni ſtola,
Quam teſtis indomabilis
Riuis cruoris lauerat, &c.
Ergo vt recline mollibus
Reiecit aulæis caput
Victor rẽlictis artubus
Cælum capeſſit ſpiritus.

De S. Cypriano Hymno 13.

Deſine flere tantum: tenet ille regna cæli;
Nec minus inuolitat terris, nec ab hoc recedit orbe.

Hieronymus. 390.

Epiſtola 3. ad Heliodorũ cap. 3. Ante Chriſtum Abraham apud inferos: poſt Chriſtum latro in paradiſo. Flãmea illa rhomphęa, cuſtos paradiſi & præſidentia foribus Cherubin Chriſti reſtincta, & reſerata ſunt ſanguine.

Epiſtola 24. ad Marcellam de obitu Læ: Nunc pro breui labore, æterna beatitudine fruitur, excipitur Angelorum choris Abrahæ ſinibus confouetur: Chriſtum ſequitur, & dicit: *Quæcunque audiuimus, vidimus in ciuitate Domini virtutum.* Pſal. 47.

Epiſtola 25. ſuper obitu Bleſillæ cap. 6. Breuis vitę ſpatium æterna memoria compenſabit; quę cũ Chriſto viuit in cælis, in hominum quoque ore victura eſt.

Epiſt. 27. ad Euſtochiũ in Epitaphio Paulæ, cap. 14. Fides & opera tua Chriſto te ſociant: præſens quod poſtulas impetrabis, &c.

Aſpicis auguſtum præciſa rupe ſepulchrum?
Hoſpitium Paulæ eſt. cæleſtia regna tenentis.

Gaudentius Brixienſis. 390.

Tractatu in dedicatione Baſilicæ Concily Sanctorum: In medijs cruciatibus nouus Martyr, inſtruente Spiritu ſancto eruditur & proficit, moritur & triumphat: Trinitas adorãda teſtem ſuum, inter pœnas fideliter permanentem, martyrio ipſo, ad vicem baptiſmi glorioſius & abluit, & emundat, & ad cælorum regna perducit.

Chromatius. 400.

Ad cap. 5. Matth. Quia omnia, quæ pro nobis Dominus egit, in ſacramentum ſalutis noſtræ oſtenſa cognoſcimus, in eo quòd baptizato Domino cæli aperti ſunt, idem monſtratur, quia renatis in baptiſmo cælorum regna paterent, quę nobis Filius Dei in corpore ad cælum aſcendens primus aperuit.

Auguſtinus. 400.

De Ciuitate Dei lib.20.cap.13. Animæ victrices glorioſorum Martyrum, omnibus doloribus & laboribus ſuperatis atque finitis, poſteaquam mortalia membra poſuerũt, cum Chriſto vtique regnauerunt, & regnant, donec finiantur mille anni, vt poſtea etiam receptis corporibus iam immortalibus regnent.

Libro Meditationum cap.23. Felix anima, quæ terreno reſoluto corpore, libera cælum petit, ſecura eſt & tranquilla, nō timet hoſtem neque mortem. Habet enim præſentē, cernitqúe indeſinenter pulcherrimum Dominum, cui ſeruiuit, quem dilexit, ad quem tādem læta & glorioſa peruenit. Hāc tātę beatitudinis gloriam nulla dies minuet, nullus improbus poterit auferre.

Paulinus Nolanus. 420.

In martyrio S.Geneſij : In eo loco exoptato gladij ictu feſtinantem ad Deum animam vinculis corporeis, quibus tenebatur, abſoluit: & vtraque ſubſtantia propriæ originis elementa repetente, terrena interim terris mēbra commendat, & cęleſtem ſpiritum emittit ad cælum.

Natali 3. S.Felicis:

Venit feſta dies cælo, celeberrima terris
Natalem Felicis agens, qua corpore terris
Occidit, & Chriſto ſuperis eſt natus in aſtris,
Cæleſtem nactus ſine ſanguine Martyr honorem.

Natali 6.

Addidit ornatum cælis, nec pignore terras
Orbauit: ſuperi Felicis mente fruuntur,
Corpore nos, animæq; potentis ſpiritus illic
Viuit, & hîc meritum.

Seuerus Sulpitius. 420.

Epiſtola ad Arcadium & Honorium Impp. O beatum virum Martinum, in cuius tranſitu Sanctorum canit numerus, Angelorum exultat chorus, omniumqúe cæleſtium Virtutum occurrit exercitus, quem Michaël aſſumpſit cum Angelis, Maria ſuſcepit cum virginum choris, paradiſus retinet lætum cum Sanctis.

Epiſtola ad Braſſulam: Martinus hic pauper & modicus cælum diues ingreditur: illinc nos, vt ſpero, cuſtodiens, me hæc ſcribentem reſpicit, te legentem.

Maximus Taurinenſis. 430.

In natali Taurinorum Martyrum : Martyres inferni porta non poſſidet, quoniam eos paradiſi regna ſuſcipiunt. Nam videmus eos vtique iam regnare.

Homilia 2.de S.Laurentio : Sixtus, qui commiſſis ſibi à Deo ouibus in terris adfuerat paſtor, aderat patronus è cælo.

Petrus Chryſologus. 440.

Sermone 66. Poſtquam Dominus, reſurgens à mortuis, aperuit infernum, patefecit cælos, Paradiſi clauſtra reſerauit, dedit Sanctis Paradiſi intrare requiem, ad cæli gloriam peruenire.

Sermone 133. de Petro & Andrea Apoſtolis: Nam crucem, quam refugerant, poſtea coniunctis viribus ardenter inuadunt, vt vnde reatum ſumpſerant, inde conſcenderent cælum, inde præmium ſumerent, & coronam.

Leo Magnus. 450.

Sermone 1.de Aſcenſione Domini cap.4. Hodie nō ſolùm paradiſi poſſeſſores firmati ſumus, ſed etiam cælorum in Chriſto ſuperna penetrauimus: ampliora adepti per ineffabilem Chriſti gratiam, quàm per diaboli amiſeramus inuidiam. Nam quos virulentus inimicus primi habitaculi felicitate deiecit, eos ſibi concorporatos Dei Filius ad dextram Patris collocauit.

Sermone de S.Laurentio cap.4. Nihil obtines, nihil proficis ſæua crudelitas. Subtrahitur tormentis tuis materia mortalis, & Laurentio in cælos abeunte, tu deficis flammis tuis.

Claudius Marius Victor. 460.

Præfatione in Geneſin:

In mortis laqueos, & ad impia tartara raptum
Vnigenæ redimis profuſo ſanguine Nati,
Deq; imis Erebi, dona ad maiora petitum
Reſtituis, quàm factus erat, vitæq; perenni
Reddis, & in cælum diro vehis hoſte ſubacto.
Iam iam nemo patrem temerarius arguat Adam,
Quòd leue præſcriptum violata lege reſoluens,
Ad lethum patefecit iter: nam culpa parentis
Compenſata ſatis: quia plus eſt vincere mortem,
Quàm neſciſſe mori, cæli nùnc lætus ab aula
Deſpicit æthereos axes, & ſydera calcat,
Diſpoſitosq; vocat ventura in regna nepotes.

Sedulius. 460.

Lib.4.Paſchali de Latrone:

Alter adorato per verba precantia Chriſto,
Saucia deiectus flectebat lumina, tantùm
Lumina, nam geminas arcebant vincula palmas,
Quem Dominus, ceu paſtor ouem deſerta per arua
Colligit errantem, ſecumq; adducere gaudet
In campos paradiſe tuos, vbi flore perenni
Gramineus blanditur ager, nemorumq; voluptas
Irriguis nutritur aquis, interq; benignè
Conſpicuos pomis non deficientibus hortos,
Ingemit antiquum ſerpens habitare colonum.
Ambo igitur varium diuerſo calle latrones
Aggreſſi facinus violentum, grande patrarunt.
Infernas adit ille fores, adit iſte ſupernas:
Ille profunda ſequens, penetrauit clauſtra gehennæ:
Abſtulit iſte ſuis cælorum regna rapinis.

Gennadius Maſſilienſis. 480.

De Eccleſiaſticis dogmatibus cap.78. Poſt aſcenſionem Domini ad cælos Sanctorum animæ cum Chriſto ſunt, & exeuntes de corpore ad Chriſtum vadunt, expectantes reſurrectionem corporis ſui, vt ad integram & perpetuam beatitudinem cum ipſo pariter immutentur.

Salonius. 480.

In Eccleſiaſten: Spiritus filiorum Adam non ſimul cum corpore diſſoluitur, ſed mox vt egreditur de corpore, aut deducitur ad gloriam, aut demergitur ad pœnam.

Victor Vticenſis. 480.

De perſecutione Vandalica lib.1. Huius Epiſcopi exitum ita vrbici captiui planxerunt, vt tunc ſe putarent magis tradi manibus barbarorum, quando ille perrexit ad cælum.

Fulgentius. 500.

Sermone de S.Stephano : Heri celebrauimus tēporalem ſempiterni Regis noſtri Natalem, hodie celebramus triumphalem militis paſſionem. Heri enim Rex noſter, trabea carnis indutus, de aula vteri virginalis egrediens, viſitare dignatus eſt mundum: hodie miles de tabernaculo corporis exiens, triumphator migrauit ad cælum. Ille ſempiternæ Deitatis maieſtate ſeruata, ſeruile cinctorium carnis aſſumens, in huius ſeculi campum pugnaturus intrauit: Iſte depoſitis corruptibilibus corporis indumentis, ad cæli palatium perenniter regnaturus aſcendit. Ille deſcendit, carne velatus: iſte aſcendit, ſanguine laureatus. Aſcendit iſte, lapidantibus Iudæis; quia ille deſcendit, lætantibus Angelis. *Gloria in excelſis Deo* heri ſancti

Angeli exultantes cantauerunt: hodie Stephanum lætantes in ſuum conſortium ſuſceperunt, &c. Heri præſepis anguſtia Chriſtum portauit infantem: hodie immenſitas cæli ſuſcepit Stephanum triumphantem.

Ferrandus Diaconus. 500.

In Pædagogo Chriſtiani militis: Doctor egregius Fulgentius tranſiuit ad æternę beatitudinis immortalia gaudia, Verbum Dei, quod in corde & ore ſemper habuit, facie ad faciem contemplaturus.

Alcimus Auitus. 500.

Libro 3. de ſententia Dei, agens de latrone:

Præripuit moriens aditum, cæloq; leuandus
Ardua ſublimi tenuit compendia ſaltu.

Ennodius Ticinenſis. 510.

In vita S.Epiphanij Ticinenſis: Cùm cerneret, ſarcina carnis abiecta, maturius ſe ad purum ætheris euolare fulgorem, læto animo, ac vultu ſereno, hymnis, ac canticis reſonans, ad ſedem ſuam cæleſtis anima remeabat.

Arator. 540.

Libro 1.Hiſt. Apoſt.

———Hunc denique Chriſtus adoptat,
Ad quem miles ouans, per vulnera ſacra vocatus,
Sanguine fecit iter, cupienſq; in præmia victor
Hac properare via, niuei metitus honorem
Callis, ad excelſi pergit faſtigia Regis,
Et per tot lapides petræ coniungitur vni.
———Cùm ſydera Martyr,
Carnifices inferna petunt, ſors prima reuelat,
Exemplumq; creat, quòd talia bella gerenti
Hoc de fonte manat, ſic occidentibus, vt mox
Tartara ſuccedant, morientibus aſtra pateſcant.

Gildas Sapiens. 550.

De Excidio Britanniæ: Multæ Sanctorum animæ ad ardua cæli id temporis à ſanctis Angelis vehebantur.

Fortunatus. 570.

Libro 2.Carminum, de S.Medardo:

Inter Chriſticolas, quos actio vexit in aſtra,
Pars tibi pro meritis magna Medarde patet.
Qui ſic vixiſti terrenis hoſpes in oris,
Vt cælos patriam feceris eſſe tuam.
Exilium tibi mundus erat cœnoſa cauēti,
Et modò te gaudet ciue manente polus:
Exutus tenebris, veſtitus tegmine lucis,
Poſt obitum frueris liberiore die.
De tellure ſatus, factus poſſeſſor Olympi,
Et matrem linquens cum Patre læta tenes.

Lib.8.de Senatu curiæ cæleſtis:

Culmina multa polum radianti lumine complent,
Lætanturq; pijs agmina ſancta choris:
Carmine Dauidicò plaudentia brachia texunt;
Creditur & ſacro tripudiare gradu.
Cœtibus Angelicis hominum ſociata propago
Reddit honorificum laudis amore ſonum:
Vocibus alternis diuina poëmata pſallunt,
Atque Creatori myſtica verba canunt.
Lucida ſydereo cæli ſtrepit aula tumultu,
Laudibus & Domini concutit aſtra fragor.
Hinc Patriarcharum reſonant modulamina vocum,
Inter quos Abrahæ eſt maxima palma fide.
A quo acceperunt, reddunt dehinc verba Prophetæ.
Moſes ante alios Dux, mare teſte, viros.
Inde ſimul fratres & celſa caterua piorum
Lumen Apoſtolicum præmeditante Petro.
Hinc mercede pari ſequitur pius ordo ſenatum,
In quibus eſt Stephanus victor honore prior.
Quos ſaxis, gladijſq; fame, ſite, frigore, flammis
Ereptos terris iungit in aſtra fides.
Caſibus heu varijs quos ſic tulit ira furentis,
Etſi mors diſpar, lux tamen vna tenet.

Gregorius Turonenſis. 580.

De vita Patrum cap.10. Beati Friardi glorioſum corpus ſacerdos ablutum recondit in tumulo, & Chriſtus animam ſuſcepit in cælo, relinquentem terrigenis exempla virtutum.

Gregorius Magnus. 590.

In Iob lib.13.cap.15. Quia auctoris noſtri gratia redempti ſumus, hoc iā cæleſtis muneris habemus, vt cùm à carnis noſtræ inhabitatione ſubtrahimur, mox ad cæleſtia præmia ducamur: quia dum Conditor ac Redemptor noſter clauſtra inferni penetrans, electorum exinde animas eduxit, nos illò ire non patitur, vnde iam alios deſcendendo liberauit.

Lib.4.Dialog cap.25. Perfectorum animæ mox vt huius carnis clauſtra exeunt, in cæleſtis regni ſedibus recipiuntur: quod & ipſa per ſe Veritas atteſtatur, dicens: *Vbicunque fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ.* Lucæ 17. Quia vbi ipſe Redemptor noſter eſt corpore, illuc procul dubio iuſtorum colliguntur animæ. Et Paulus: *Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto.* Philip. 1. Qui ergo Chriſtum in cælo eſſe non dubitat, nec Pauli animam eſſe in cælo negat.

Iſidorus Hiſpalenſis. 620.

Libro 1.de Summo bono cap.16. Sancti ex tempore reſurrectionis Chriſti ſtatim vt de corpore exeunt, mox ad cæleſtem habitationem aſcendunt.

Iulianus Pomerius. 660.

Apud Iulianum Toletanum lib. 2. Prognoſticon cap. 1. Hinc quoque videntur animæ iuſtorum duci, vel ire in Paradiſum, recedentes à corpore, quò ſe raptum dicit Apoſtolus, mente profectò, non corpore &c. Satis eſt dictum de Paradiſo cæleſti, & quòd in eo ſanctæ animæ ſtatim de corporibus ſuis exeuntes Deo donante mittantur. Quod ita debere credi Dominus noſter Ieſus Chriſtus ſua auctoritate firmauit, vbi latroni dicendo: *Hodie mecum eris in Paradiſo,* Luc. 23. ſine vlla ambiguitate probauit, quòd beatas animas, ſuis exutas corporibus, paradiſus cæleſtis ſine vllo interuallo temporis ſuſcipiat.

Audoënus. 670.

Lib.2.vitæ S.Eligij cap. 34. Atque hunc in modum ſancta illa anima, depoſita carnis ſarcina, & à vitæ huius angoribus liberata, ad ſuum iucundiſſima reuolauit auctorem, & in antiquam poſſeſſionem, poſt longam exilij huius peregrinationem, cælo gaudente, terra plorante, Angelis plaudentibus, ouans aſcendit.

Cap.36. Eligium mundi huius ærumnis ereptum cum ſummis laudibus cælicolæ in cælum deducunt. Iſti poſt pompas momentaneas traduntur in tartara: Eligius poſt mundi huius aduerſa omnia fortiter ſuperata, finibus Patriarcharum excipitur. Iſti diuitiarum mole preſſi, ruunt in Gehennam: Eligius eleemoſynis fultus, ſublimis fertur in cælum, cum beatis reſurrecturus in gloriam. Illi ob mala merita pœnas dant mortis ęternæ apud inferos: Eligius pro meritis beatis in ſinu Abrahæ quieſcit, ſine vllo metu iam felix. Iſti poſtremò in profundo tartari iam lugent miſeri cum damnatis: Eligius meus, perpetim laureatus, cum Sanctis omnibus in cæleſti paradiſo exultat.

Iulianus Toletanus. 680.

Libro 2.Prognoſticon cap.1. Vnus eſt terrenus para-

disus, vbi primorum hominum vita corporaliter extitit; alter verò cælestis, vbi animæ beatorum statim vt à corpore exeunt transferuntur, atque digna felicitate lætantes expectant receptionem corporum suorum.

Beda. 700.

Histor. Anglic. lib. 3. cap. 8. de Earcongote filia regis: Verùm nos de transitu tantùm illius, quo cælestia regna petijt, aliquid breuiter dicamus, &c. Ipsa nocte, in cuius vltima parte supernam migrauit ad lucem, multi de fratribus eiusdem monasterij, qui alijs erant in ædibus, iam manifestè se concentus Angelorum psallentium audisse referebant, sed & sonitum quasi plurimæ multitudinis monasterium ingredientis. Vnde mox egressi dignoscere quid esset, viderunt lucem cælitus emissam fuisse permaximam, quæ sanctam illam animam carnis vinculis absolutam ad æterna patriæ cælestis gaudia deducebat.

Alcuinus. 750.

Vitæ S. Villebrordi cap. 23. Virsanctus omnibus diebus vitæ suæ in diuino proficiens opere, Deo amabilis, & omni populo gratus, senex & plenus in omni perfectione dierum, appositus est ad patres suos, multiplicem laboris sui fructum accepturus à Deo, seculum hoc relinquens, vt cælum possideret, Christum sine fine in æterna gloria visurus.

De Officijs Ecclesiasticis cap. 18. Notũ habet omnis, qui verè Christianus est, Sanctos, cùm ab hac corruptibili vita decedunt, ad meliorem, id est incorruptibilem & interminalem transmigrare, scilicet de tenebris ad lucem perpetuam, de mœrore ad gaudium sempiternum, de labore ad requiem perennem, de carcere ad libertatem, de seruitute ad regnum. Vnde & mos Ecclesiasticus obtinuit, dies illos non funebres, sed natalitios appellare. Iure enim nasci dicuntur, qui de pressuris huius mundi, tamquam de angustijs cuiusdam arctissimi ventris, ad illam spaciosissimam & lucidissimam cælestis habitationis emittuntur latitudinem.

Ambrosius Ansbertus. 770.

Lib. 4. in Apocal. cap. 7. *Et datæ sunt illis singulæ stolæ albæ.*) Quid hoc loco per stolas albas, nisi merces baptismi, nisi præmium Martyrij, nisi retributio laborum, nisi gaudia cælestis patriæ designantur? Vbi intelligimus, quia Sanctorum animæ, qui nunc singulas stolas acceperunt, binas quando que accipient, id est dupla gaudia. Ante resurrectionem quippe stolas singulas accepisse perhibentur electi: quia in sola adhuc anima æternis beatitudinibus perfruuntur: binas autem in resurrectione accepturi sunt, quando cum animarum perfecto gaudio etiam corporis incorruptione vestientur.

Carolus Magnus. 780.

In Epitaphio Adriani Papæ:

O pete regna pater felix cælestia Christi:
Inde tuo precibus auxiliare gregi.

Synodus Francofurdiensis. 794.

Epistola ad Hispaniæ Episcopos: Sufficit vobis sanctorum Patrum vestigia sequi, & illorum dicta firma tenere, quorum animæ apud Deum, Dei Filium, Dominum nostrum Iesum Christum pro magno pietatis labore regnant in cælis. Hos ergo sequimini, vt horum doctrinis inconcussa veritate inhærentes, consortium æternę beatitudinis cum illis habere mereamini in cælis.

Haymo. 820.

Ad cap. 12. posterioris ad Corinth. Tres cæli non absurdè intelligi possunt tria genera visionum, ita vt per primam visionem intelligamus quicquid intra ambitum syderei cæli continetur, pariter cum ipso, quod & firmamentum appellatur; per secundam, cælum spiritale, vbi Angelica natura, & animæ Sanctorum in contemplatione Dei sunt positæ: per tertium verò cęlum intelligitur iam intellectualis visio, & rationalis, qua intelligendo conspicitur charitas, pax, & cætera huiusmodi, quibus appropinquatur Deo.

Dominica Septuagesimæ: Iusti sine mora, postquam egrediuntur de corpore, in cælum ascendunt.

Walafridus Strabo. 830.

Vitæ S. Othmari cap. 6. His & similibus notæ deuotionis insistens operibus, exacto nõ multi temporis spatio, ab his mundanę perturbationis angustijs, ad cælestis latitudinem gaudij commigrauit.

Wandelbertus Diaconus. 840.

Vitæ S. Goaris lib. 1. cap. 17. Vir beatissimus plenus dierum, & operibus bonis actibusq; iustitiæ consummatus, relinquęs corpore seculũ, ad eũ, quem incessanter concupierat, regem Christum felicitatemq; cælestis vitæ perueniens, futurus ibi sine fine possessor æternorum bonorum, qui hic bona, quę putantur præsentis temporis, cùm potuerit, noluit possidere: & habiturus cum Christo domum non manufactam ęternam in cælis, cui in suis membris, domum suam pauperem & terrenam fecerat frequenter hospitium.

Hildoinus Abbas. 840.

Epistola ad Lodoicum Pium de Dionysio Areopagita: Sed ijsdem in cælis talium nunc laude crescit, nec derogatione decrescit; qui Saluatori iunctus, & conciuis Angelorum effectus, de summa cælórum arce singulorum voluntates intendit, & sequens Agnum quocunque ierit, corda omnium diuino lumine plenus perscrutatur & penetrat.

Hincmarus. 850.

Invita S. Remigij: Nã vt taceamus de Apostolis, Martyribus, Cõfessoribus, & cæteris arctioris & pfectioris vitæ viris, qui mox corruptione carnis soluti cælos penetrant, & quem in sua carne cognouêre mortalem, iam in natura diuinitatis Patri & Spiritui sancto videre possunt æqualẽ: quorum vnus certaminum suorum conscius, non dubitauit de seipso testari: *Cupio dissolui, & esse cum Christo*, &c.

Sunt plures in Ecclesia iusti, qui post carnis solutionem continuò in beata paradisi requie suscipiuntur, expectantes in magnis congaudentium choris, quando recepto corpore veniant, & appareant ante faciem Dei, &c.

Rabanus Maurus. 850.

Lib. 4. de Vniuerso cap. 10. Post ascensionem Domini ad cælos omnium Sanctorum animę cũ Christo sunt; & exeuntes de corpore, ad Christum vadunt, expectantes resurrectionem corporis sui.

Eulogius Toletanus. 880.

In memoriali Sanctorum lib. 1. Saraceni Martyrum corpora præforibus inhumata relinquentes, canibus iusserunt exponi: quasi sentirent persecutoris supplicium, quorum animæ paradisi requie fruebãtur: aut obesset animabus in cęlo regnantibus temporalium pœna tormentorum illata corporibus.

Paschasius Ratbertus. 880.

In vita S. Adelhardi: Quis enim non fleret, etiamsi de silice natus esset, ea hora, cùm inclytus Dei pastor hinc abiens cęlos peteret?

Hucbaldus. 900.

Vitæ S. Lebuini cap. 15. Anima tandem referatis sibi claustrorum ianuis, exilit alacris, ac luce clarius micantibus iungitur cęlicolarum turmis, cũ quibus hymnizando penetrat aulam regni cęlestis, & percipit à benigno remuneratore suo hęreditatem incorruptibilem, & incontaminatam, & immarcessibilẽ, quam *oculus non vidit, nec auris audiuit.* Hinc illa sancti viri anima, secretarium laudis ęternæ ingressa, primaqúe beatæ immortalitatis stola inducta, ineffabili exhilarata lętitia, vtpote perenni viuens gloria, concinenti cum omnibus sanctis spiritibus melodia decantans Alleluia, iugiter Deum in æterna collaudat secula.

Regino Prumiensis. 910.

In Annalibus de anno 868. Nicolaus sanctissimus ac beatissimus Papa post multos pro Christo labores migrauit ad cælestia regna, recepturus pro administrata fideliter sibi credita dispẽsatione immarcessibilem glorię coronam.

Ratherius Veronensis. 930.

In vita S. Vrsmari: Bonus igitur Vrsmarus, moribus & annis maturus, digna suscepturus meritorum præmia, cælestia inuitatur ad regna. Qui exultans in Domino 14. Kalend. Maij soluitur ergastulo, victurus in secula cum Christo, Angelorum cuectus ministerio, cælesti infertur Paradiso: vbi sine fine Patriarcharum fruitur fide, Prophetarũ spe, Apostolorum confessu, Martyrum collegio, Confessorum ac Virginum contubernio, cunctorumqúe cælicolarum oblectatur perenni tripudio.

Witichindus. 950.

Libro 1. Annalium: Subitò sanctus Vitus repertus est in loco, vbi prius orationi vacabat, Angelo Domini ibi eum restituente, & vltima oratione celebrata animam cęlo tradidit.

Fridegodus. 960.

Vitæ S. Audoëni cap. 30. Regni tutorem omnes expetunt, quem plateę cęlestis Hierusalem coronatum exceperunt. O quanta fuit tunc plaudentium Angelorum lætitia: & tamen non mediocriter pium est flere Audoënum, qui vt cęlestem vitam duxit in seculo, ita modò togatus gaudet in cælo, & in tabernaculis iustorum magna cum tranquillitate requiescit, stipatus frequentia Angelorum.

Abbo Floriacensis. 980.

Vitæ S. Eadmundi cap. 16. De hoc Martyre constat, sicut & de alijs Sanctis omnibus, iam cum Christo regnantibus, quòd licèt eius anima sit in cælesti gloria, non tamen per visitationem die noctuqúe longè est à corporis prędentia, cum quo promeruit ea, quibus iam perfruitur, beatæ immortalitatis gaudia. Nam dum in æterna patria ei iũgitur, qui vbique totus est, de eo habet posse, quicquid habuerit, & velle.

Stephanus Monachus. 990.

De S. Maurino: Summa & vel vnica salus est ægris mortalibus, quòd electos suos ita Christus cęlis diuisit & terris, vt spiritus cælesti habitatione dignos superis admitteret, & terrę terrena permitteret.

Fulpertus Carnotensis. 1000.

Sermone de Assumptione Mariæ: Tu in cęlestibus regnis prędata es virginum choris: tu Agnum quocunque perrexerit sequeris: tu in cubiculo regis beatitudinum gemmis & margaritis ornata assistis: tibi thronus regius collocatur in aula Regis.

Petrus Damianus. 1050.

Sermone Historico de S. Fideli Martyre: Nunc procul dubio inter ignitos supernæ Hierusalẽ lapides emicat, & cum purpuratis commilitonibus Imperatori suo cælestis harmoniæ carmen alternat. Felici nimirum commercio fragilem corporis exuit tunicam, & candidam immortalitatis adeptus est stolam. Caput decollatus amisit, & pretioso nunc lapide coronatus incedit. Ille quippe eum remunerat in æterna iam quiete victorem, qui & inter bella dudum protexerat decertantem, Iesus Christus Dominus noster.

Sermone 2. de Sancto Apollinari: Nunc cum ignitis beatorum spirituum cœtibus emicat, cum trabeatis senatoribus curię cælestis exultat, cum Patriarchis in aureo sublimiter solio inthronizatus, cũ purpuratis Martyribus mirabiliter coronatus, cum his omnibus stola indutus gloriæ ineffabiliter emicat, & ante Imperatorem suum melodum Alleluia perenniter iubilat.

Alphanus Salernitanus. 1050.

De Martyribus Beneuentanis:

Vltima lux magno finem positura labori,
Magnanimos, summosq; duces, & robora belli
Ad quæsita diu poscebat præmia, cæli
Regia signiferi reliquos exceperat omnes.
Congaudete polo celebres, quos celsa triumphis
Curia supremis inter sua sceptra locauit.

Radulphus Ardens. 1060.

De pluribus Martyribus: Animæ iustorum sunt procul dubio in cælestibus ęternæ beatitudinis mansionibus, quæ ab initio ijs præparatæ sunt, dicente Domino: *In domo Patris mei mansiones multæ sunt.* Vbi vtique sunt in manu Dei omnia bona & iucunda eis largientis, & omnia mala & tristia ab eis auferentis.

Anselmus. 1080.

Ad caput 5. posterioris ad Corinth. Prędicatores Ecclesię, postquam de corporibus transeunt, nequaquam per morarum spatia (sicut antiqui Patres) cęlestis patriæ perceptione differuntur, sed mox vt à carnis colligatione exeunt, in cęlesti sede requiescunt.

Ad caput 1. ad Philip. Apostolus idcirco dissolui desiderat, vt cum Christo possit esse: quia perfectorum iustorum animę mox vt claustra carnis exeunt, in cęlestibus sedibus recipiuntur.

Ad cap. 12. epist. ad Hebræos: Omnes iusti, quicunq; in factis & dictis & cogitationibus perfecti sunt, mox vt animas de corporibus emittunt, cęlestibus habitaculis inferuntur.

Sigebertus Gemblacensis. 1100.

Vitæ S. Maclouij cap. 26. Reddidit ergo terræ quod erat suum: cæli cum tripudio Sanctorum eius spiritum exceperunt, recepturus mercedem laborum, deductus est via mirabili manibus Angelorum.

Hugo Folietinus. 1120.

De claustro animæ lib. 4. cap. 26. In cęlestibus vicis Angeli superni ciues habitant, qui nullo indigẽt, sed diuitijs indeficientibus abundant. Ad illos vicos animę iustorum transeunt, cùm ab hac valle lachrymarum post mortem recedunt.

Honorius Augustodunensis. 1120.

Sermone de Natiuitate Ioannis Baptistæ: Hodie sanctus Ioannes Euangelista de carcere huius mundi migrauit, ac cæleste palatium lętantibus choris Sanctorum gloriabundus intrauit.

In Synopsi mundi lib. 1. cap. 139. Super cęlum aqueum est spiritale cęlum hominibus incognitum: vbi est habitatio Angelorum. In hoc est Paradisus paradisorum, in quo recipiuntur animę Sanctorum, hoc est, in cælum, quod in principio legitur cum terra creatum.

Hugo Victorinus. 1130.

De claustro animæ cap. 41. Luce clarius constat, quòd perfectorum iustorum animę, mox vt huius claustra carnis exeunt, cęlestibus sedibus recipiuntur. Hoc autem ipsis iustis pro retributione suę iustitię crescet in die iudicij, quòd nunc animarum sola, postmodum verò etiam corporum beatitudine perfruentur.

Bernardus. 1130.

Sermone in Vigiliã SS. Petri & Pauli: Tria sunt, quæ in festiuitatibus Sanctorum vigilanter considerare debemus: auxilium Sancti, exemplum eius, confusionem nostram. Auxilium eius: quia qui potens in terra, potentior est in cęlis ante faciem Dei sui, &c. Quàm potentiores sunt Petrus & Paulus in cælis, qui tam potentes fuerunt in terris? Et qui nobis reliquerunt maiora exempla, quàm illi, qui in fame & siti, in frigore & nuditate iugiter sunt afflicti, & demum felici martyrio regna cælestia conscenderunt?

Sermone 2. in die Petri & Pauli: Si in terra adhuc positi omnia poterant, non quidem in se, sed in Christo: quid non poterunt hodie viuentes in æterna felicitate cum ipso?

Sermone 2. de S. Victore: In terris visus est, vt esset exemplo: in cęlum leuatus est, vt sit patrocinio, &c. Hodie Victor posito corpore, quo solo prępediri ab introitu gloriæ videbatur, tanto alacrior, quanto expeditior penetrauit in sancta, similis factus in gloria Sanctorum, &c. Anima eius in bonis demorabitur. Queris vbi? Cum Abraham, Isaac, & Iacob in regno cęlorum. Ita cum talibus & tali in loco sibi sedet. Sedet excelsa & fulgida, sedet lætabunda & laudans, &c. Sedet media Angelorum, digna planè eorum consortio, &c. Non est terra obliuionis, quam anima Victoris inhabitat; non terra laboris, vt occupetur in ea: non denique terra, sed cælum est. Nunquid cælestis habitatio animas, quas admitti, indurat, aut memoria priuat, aut spoliat pietate? Fratres, latitudo cęli dilatat corda, non arctat; exhilarat mentes, non alienat.

Hildegardis. 1160.

In quæstionibus: Sancti, qui in cęlesti patria sunt, omnia, quę in terris geruntur, sciunt: quoniam vel in iudicio Dei, vel in sonantibus Angelorum laudibus, omnia, quę in terris aguntur, coram Deo apparent.

Guilhelmus Abbas. 1180.

Vitæ S. Bernardi lib. 4. cap. 3. Contigit eadem hora pauperem quendam, & verè pauperem spiritu, in cella hospitum mori, cuius animam cum vocibus canoris in cęlum deferri pater sanctus audiuit: & interrogatis manè fratribus, qui adfuerãt, illam fuisse horam obitus eius comperit, qua prędictas audierat in sublime tendentium voces.

Innocentius Tertius. 1200.

Lib. 3. Mysteriorum Missæ cap. 9. In via communicamus Sanctis per fidem, quam ipsi habuerũt, & nos habemus: in patria verò participabimus Sanctis per speciem, quam ipsi habent, & nos habebimus. Nos enim fidem habemus, & spem; illi speciem habent, & rem. Nos percurrimus stadium, illi possident brauium: nos pugnamus in via, illi triumphant in patria.

Saxo Grammaticus. 1200.

Historiæ Danicæ lib. 11. Kanutus diuini iam animi immortalitate potitus, vt terrestribus patriam patrocinijs attollere studuit, ita cęlestibus protegere non desistit.

Alexander Alesius. 1230.

Parte 4. quæst. 15. memb. 4. art. 4. §. 4. Certũ est, quòd Christus expoliauit Principatus ac Potestates, Colos. 2. ac per hoc constat Sanctos, qui in Limbo erant, ad cęlum cum Christo esse sublimatos: ac per hoc & omnes iustos, qui non habebãt reatum pœnę, modo consimili sublimatos, &c. Iudicium illud erit quantum ad consummatam glorificationem in anima & carne, quam nondũ habent mortui: quamuis animę iam sint beatæ in cælo.

Guilhelmus Peraldus. 1250.

Dominicæ Sexagesimæ Serm. 1. de Epist. Cùm duę sint partes hominis corpus & anima, Deus vtriq; parti locum delectabilem pręparauit: corpori paradisum voluptatis in terris: animæ verò cęlum empyreum, id est splendidum, vbi modò sunt Angeli & animæ Sanctorum.

Thomas Aquinas. 1250.

De partibus Pœnitentiæ q. 69. art. 2. Sicut in corporibus grauitas est vel leuitas, qua feruntur ad suum locum, qui est finis motus ipsorum: ita etiam in animabus meritum vel demeritum, quibus perueniunt animę ad pręmium vel pœnam, quę sunt fines actionum ipsarum. Vnde sicut corpus per grauitatem vel leuitatem statim fertur in locum suum, nisi prohibeatur: ita animæ statim, soluto vinculo carnis, per quod in statu vię detinebantur, pręmium consequuntur, vel pœnam, nisi aliquid impediat; sicut interdum impedit consecutionem pręmij veniale peccatũ, quod prius purgari oportet: ex quo sequitur, quòd pręmium differatur. Et quia locus deputatur animabus secundùm congruentiam pręmij vel pœnę: statim vt anima absoluitur à corpore, vel in infernũ immergitur, vel ad cęlos euolat, nisi impediatur aliquo reatu, quo oportet euolationem differri, vt prius anima purgetur. Et huic veritati auctoritas Scripturę canonicę manifestè attestatur, & documenta Sanctorum Patrum. Vnde contrarium pro hæresi est habendum.

Bonauentura. 1260.

In 10. Diæta cap. 6. In chorea cælesti est cœtus vel exercitus infinitus, non nobis, sed soli Deo cognitus. Ibi enim est Christus tamquam monarcha pręcipuus, & Cęsar Augustus: ibi est regina cum puellis, id est virgo Maria cum Virginibus sanctis: ibi sunt Angeli tamquam regis nobilissimi domicelli: ibi sunt Patriarchę & Prophetę, sicut collaterales, & regis consiliarij, quibus tamquam senioribus expertis reuelat mysterium consistorij sui: ibi sunt Apostoli tamquam regis Seneschalli, habentes plenitudinem potestatis; quia rex reputat factum quod ipsi faciunt: ibi sunt Martyres, sicut strenuissimi regis milites, qui per fidem vicerunt tria regna, scilicet mundi, carnis, & diaboli: ibi sunt sancti Pontifices, Confessores, & Doctores.

In lib. 4. Sentent. dist. 21. q. 2. Aliqui errant, dicentes animas non esse glorificandas ante diem iudicij: Certum enim est, quòd Christus expoliauit Principatus & Potestates tenebrarum; & per hoc constat, Sanctos, qui in Limbo erant, ad cęlum cum Christo sublimatos; ac per hoc & omnes iustos, qui non habent reatum pœnę.

Mechtildis. 1290.

Lib. 5. cap. 12. Cùm anima egreditur è corpore, si tam libera est ab omnibus peccatis, vt cæli secreta statim promeruerit intrare, in primo egressu animam illam felicem Deus sic penetrat sua diuina virtute, omnesqúe sensus eius sic replet ac possidet, vt ipse sit oculus animę quo videt, & lux per quam videt, & decor qui videtur.

Benedictus Vndecimus. 1300.

In Extrauagantibus: Auctoritate Apostolica definimus, quòd secundùm communem Dei ordinationem animę Sanctorum omnium, qui de hoc mundo ante passionem Domini decesserunt, nec non sanctorum Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum, & aliorum fidelium defunctorũ, post sacramentum Baptismi ab alijs susceptum, in quibus nihil purgabile fuit, quando discesserunt, post ascensionem Domini in cęlum fuerunt, & sunt, & erunt in cęlo, cęlorum regno, paradiso cęlesti, cum Christo sanctorum Angelorum consortio aggregatæ, & post Christi passionem viderunt, & vident, & videbunt diuinam essentiam.

Nicolaus Lyranus. 1320.

Ad caput 14. Ioannis: *Iterum venio, & accipiam vos ad me ipsum.*) Ex hoc verbo dixerunt aliqui hæretici, quòd electi non assumuntur ad gloriam vsque ad diem iudicij, & tunc primùm assumentur, quãdo Christus veniet iterum in forma humana. Sed hoc expresè est contra dictum Apostoli Philip. 1. *Cupio dissolui, & esse cum Christo.* & 2. Corinth. 5. *Scimus quoniam si terrestris domus nostra habitationis huius dissoluatur, habemus domum non manufactam in cælis.* Ex quibus patet, quòd anima exuta à corpore, non habens impedimentum culpę, vel pœnæ temporalis debitæ, statim euolat ad gloriam. Hoc etiam patet ratione: quia talis anima per gratiam, quam habet, digna est gloria, & non habet impedimentum propriæ personę, nec totius naturæ: quia illud impedimentum per Christi mortem fuit ablatum, & intelligitur præparasse beatitudinis locum, in quantum per mortem suam amouit impedimentum naturæ, & ascendens ad cælos misit donum gratiæ, quæ ambo erãt necessaria ad consecutionem gloriæ.

Albertus Patauinus. 1320.

Sermone 76. Licet non sit opus beatis animabus deferri in cælum, quia ex conditione meritorum statim consequuntur quod merentur: tamen ad locum congruum comitantibus Angelis perducuntur, &c. Post Christi mortem perfecti morientes statim volant ad cęlum.

Ludolphus Carthusianus. 1330.

Vitæ Christi parte 2. cap. 64. *Pater in manus tuas commendo spiritum meum.*) Per hoc voluit nobis declarare, quòd Sanctorum animę in manus Dei ascendunt. Nam prius ab inferis omnium animæ tenebantur, donec venit, qui captiuis redemptionem prædicauit.

Thomas Argentinensis. 1350.

Lib. 4. dist. 49. quæst. 4. Anima purgata exiens statum huius vitę, & intrans statum futuræ vitæ, videt Deum facie ad faciem.

Guido Carmelita. 1340.

Errore 9. Armeniorum: Non credere beatę Mariæ Virginis, & Apostolorum animas esse in regno cælorum, est hæreticum, & contra promissionem Christi, qui ait: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Vnde Hebręorum 12. *Sancti per fidem vicerunt regna, adepti sunt promissiones*, quantum ad vnam stolam, quia habent beatitudinem animarum, Apocal. 6. quibus datur stola alia, scilicet gloriæ corporis in resurrectione.

Matthæus VVestmonasterienſis. 1370.

De anno 680. Hilda sanctissima languens annis sex, vt eius anima carnis molestia examinaretur, & virtus in infirmitate perficeretur, anno febrium septimo de morte transiuit ad vitam. In ipsa autem hora, qua decessit, monialis quædam animam eius videt ab Angelis in cęlos deferri, vbi cum Christo gaudijs perfruitur sempiternis.

Catharina Senensis. 1370.

Tractatu 2. cap. 82. Postquam anima fuerit nudata à corpore, & ad finem suum aduenerit, apertè videt & gustat gloriam & laudem nominis Dei semper in omnibus creaturis, quę rationem habẽt in se, ac etiam in dęmonibus, & in alijs quibuscunque creaturis: ita purè videt, & in suo visu veritatem agnoscit, videndo Deum Patrem æternum amplius amat, & amando satiatur, satiata autem veritatem agnoscit.

Ioannes Gerson. 1420.

De Ascensione Domini: Ante hunc diem nemo ascendit in cęlum, cùm de Christo scripserit Propheta, quòd *ascendit pandẽs iter ante eos.* An verò ipso ascendente coascenderint qui cum resurgente resurrexisse leguntur? Animas omni labe purgatas credo, sed de corporibus haud quicquam temere definire velim.

In Summa Theologica lib. 5. de pœnis inferni: Postquam animæ sufficienter in igne fuerint purgatę, statim euolant ad gloriam. Et hoc potest probari multiplici ratione. Prima, quia post purgationem nulla remanet in anima dissimilitudo ad gloriam, & ideò illi meritò debet iungi. Secunda ratione, quia ianua cęli illis semper est aperta, qui obstaculum nullum habent. Tertia ratione, quia necesse est illos spiritus, in quibus est charitas sursum eleuans, & nihil retardans, ad gloriam eleuari. Quarta ratione, quia post purgationem talis purgatus non debet esse in Purgatorio: hoc est satis notum; nec in Limbo, quia non est de numero illorum puerorum; nec in Inferno, quia non habet mortale. Ergo patet ipsum esse in cęlo, quia post mortem non sunt alia receptacula animarum.

Laurentius Iustinianus. 1430.

Sermone de S. Stephano: In sublime cęli profectus præsidium, sociatus Angelis, proprio q; laureatus sanguine, cum Christo gloriosè triumphat. Non sunt procul dubio condigne, quas pertulit, passiones, ad cælestem eidem gloriam prærogatam.

Concilium Florentinum. 1439.

In literis vnionis: Definimus illorum animas, qui post Baptisma susceptum nullam omnino peccati maculam incurrerunt; illas etiãm, quę post contractam peccati maculam, vel in suis corporibus, vel ijsdem exutæ corporibus sunt purgatæ, in cælum mox recipi, & intueri clarè ipsum Deum, trinum & vnum sicuti est, pro meritorum tamen diuersitate, alium alio perfectius.

Dionysius Carthusianus. 1460.

Ad caput 6. Apocalyps.: *Et datæ sunt illis singulæ stolæ albæ*, id est, vnicuique præmium essentiale, quod est gloria animæ. Ex his probatur, animas ante futuram resurrectionem beatificari.

Gabriel Bielius. 1480.

Lectione 67. in Canonem Missæ: Animæ à corpore separatæ statim consequuntur vel præmium, vel supplicium.

Baptista Mantuanus. 1500.

Libr. 8. Fastorum de S. Bernardo:

Sacra igitur meritis huius vigesima tanti
Est aurora Patris, qua sese in summa recepit
Limina supremi, quod continet omnia, cæli.

ARTICVLVS TERTIVS.

SANCTORVM ADHVC IN CORPORE MILITANTIVM PRO ALIIS PRECES APVD DEVM MVLTVM VALERE.

NEGANT.

Anno post Christũ natum. 400. PELAGIVS *dixit orationes, quas facit Ecclesia pro infidelibus, & alijs peccatoribus, vt conuertantur; siue pro fidelibus, vt perseuerent, frustra fieri: quoniam ad illa omnia sufficere dicebat nostri arbitrij liberam potestatem, & ita non opus esse à Deo petere, quæ nos ipsi consequi possumus.* Augustinus hæresi 88. Guido Carmel. de Pelagianis, Hugo Victorinus excerptionum priorum lib. 8. cap. 9.

1390. *Ioannes VVicleuus asserit, non esse orandum pro aliqua particulari persona, quòd oratio, quæ pro vno solo fit, non plus prodest illi, quàm alijs.* Thomas VValdensis tomo 3.

1550. *Anabaptistæ, qui se Catharos appellant, quia se ab omni peccatorum labe immunes esse volunt, nec aliorum preces expetunt, nec cuiusquam orationibus se indigere persuasum habent.* Caspar Vlenbergius Causa 9.

ASSERVNT SACRÆ LITERÆ.

Genes. 20. Vers. 7. Redde *(inquit Deus ad Abimelech)* viro suo vxorem, & orabit pro te: quia Propheta est, & viues. 17. Orante Abraham, sanauit Deus Abimelech, & vxorem, ancillasque eius, & pepererunt.

Numer. 14. 19. Ait Moses: Dimitte obsecro peccatum populi huius secundùm magnitudinem misericordiæ tuæ, &c. Dixitque Dominus: Dimisi iuxta verbum tuum.

1. Reg. 7. 9. Clamauit Samuel ad Dominum pro Israel, & exaudiuit eum Dominus.

Iob. 42. 8. Ite *(inquit Dominus)* ad seruum meum Iob, & offerte holocaustum pro vobis: Iob autem seruus meus orabit pro vobis: faciem eius suscipiam, vt non vobis imputetur stultitia. 10. Dominus conuersus est ad pœnitentiam Iob, cùm oraret ille pro amicis suis.

Ierem. 29. 7. Quærite pacem ciuitatis, *(inquit Dominus,)* ad quam transmigrare vos feci, & orate pro ea ad Dominum: quia in pace illius erit pax vestra.

Matth. 8. 6. Centurio orans pro famulo, sanitatem illi impetrat.

Matth. 15. 22. Mulier Chananæa orans pro filia, illa conualescit.

Actor. 12. 5. Oratio fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro Petro.

1. Timoth. 2. 1. Obsecro primùm omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, pro regibus, & omnibus qui in sublimitate sunt: vt quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & castitate.

Iacobi 5. 16. Orate pro inuicem, vt saluemini.

Liturgia D. Petri: In pace rogemus Dominum pro Patre & Patriarcha nostro venerando N. pro religiosissimis Augustis, vt vnà propugnent pro ciuitate hac, pro aëris temperie, pro nauigantibus, &c. Memento Domine seruorum tuorum, & ancillarum tuarum, & omnium astantium, quorum tibi fides nota est, & manifesta in te affectio.

Liturgia D. Iacobi: Pro senibus, & imbecillis, & infirmis laborantibus, & ijs qui infestantur ab immundis spiritibus, vt Deus celeriter sanitatem ijs mittat, Dominum oremus.

oremus. Pro nauigantibus, iter facientibus, peregrinantibus Christianis, ac pro fratribus nostris Dominum oremus.

Liturgia D. Marci: Dominator Domine Deus omnipotens precamur, & obsecramus te, vt pacem nobis dones, sanctissimum & beatissimum Papam nostrum N. & reuerendissimum Episcopum nostrum N. conserues, &c. Memento Domine omnis animæ afflictæ, nec non conuersationis eorum, qui à recta via deuiarunt.

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Clemens Romanus. 80.

Const. Apost. lib. 8. cap. 10. Oremus pro ijs, qui sunt in coniugio, & liberorum procreationi operam dant, vt tribuat ijs Dominus misericordiam: oremus pro fratribus nostris recès baptizatis: pro ijs, qui morbis conflictantur: pro nauigãtibus, & iter agentibus: oremus pro inimicis: oremus pro nobis mutuo.

Dionysius Areopagita. 100.

De Ecclesiastica Hierarchia cap. 7. Itaque sacrę Scripturę acquiescens, vtiles esse in hac vita dixerim Sanctorum preces hoc modo, scilicet, si quis sanctorum munerum desiderio incensus, ad eaque percipienda piè affectus, prauitatis tamen proprię conscius, quempiam sanctorum virorum adeat, oretque sibi adiutorem ac precatorem accedere: capiet ex hoc omnino vtilitatem commoda cuncta excedentem.

Polycarpus. 130.

Epistola ad Philippenses: Pro omnibus Sanctis orate, etiam pro regibus, & potestatibus, & principibus, & pro persequentibus & odientibus vos, & pro inimicis crucis, vt fructus vester manifestus sit omnibus, & sitis in illo perfecti.

Iustinus Martyr. 160.

Oratione ad Antoninum Pium: Nos solum Deum adoramus, & vobis in alijs rebus lęti inseruimus, Imperatores & Principes hominum esse profitentes, & simul precantes, vt cum imperiali potestate sanam quoque mentem habere cõperiamini, &c. Nos secundùm huiusmodi lationem, credentem iam & nobis ascitum ad fratres, qui dicuntur, eò adducimus, vbi illi congregati sunt ad communes preces, & supplicationes, cùm pro se ipsis, tum pro illuminato, & alijs vbique gentium omnibus, animo intento peragẽdas, vt digni idoneique simus, qui veritate agnita, per opera etiam ipsa boni atque officiosi rerum administratores, & datorum nobis mandatorum custodes inueniamur, atque vt salute saluemur sempiterna.

Theophylus Antiochenus. 170.

Libro 1 ad Autolycum: Quæ cùm ita sint, magis honorabo Regem siue Cęsarem, non tamen eum adorabo, verùm pro eo orabo, &c. Itaque ô homo Regem siue Cæsarem honora, magna cum beneuolentia subiectus ei existens, & orans pro eo.

Athenagoras. 180.

Apologia pro Christianis: Nos pro imperio vestro preces ad Deum fundimus, & vt filius (quod iustissimum est) in regno olim parentibus succedat, vtque imperium vestrũ magis magisq; semper augeatur, denique omnia ex animi sententia vobis eueniant, oramus: quod & nobis salutare fuerit, vt quietam tranquillamque vitam degentes, vobis interim ad quælibet imperata inseruiamus.

Irenæus. 180.

Lib. 2. cap. 56. Mortuos excitauit Dominus, & Apostoli per orationem, & in fraternitate sępissimè propter aliquid necessarium ea quę est in quoquo loco Ecclesia vniuersa postulante per ieiunium & supplicationem multam, reuersus est spiritus mortui, & donatus est homo orationibus Sanctorum.

Clemens Alexandrinus. 200.

Apud Eusebium lib. 3. cap. 17. Ioannes crebris precibus Deum pro adolescente lapso inuocat, ieiunijs continuis vnà cum illo se macerat, neque prius discessit, quàm illum Ecclesiæ præfecisset.

Origenes. 240.

Homilia 8. in Numer. Inuenies aduocatum, qui pro te interpellet Patrem, Dominum Iesum Christum multò præstantiorem, quàm fuit Moses, qui tamen orauit pro populo illo, & exauditus est. Et fortassis propterea Moses scribitur interueniisse pro peccatis populi prioris, & impetrasse veniam, vt multò magis nos confidamus, quòd aduocatus noster Iesus indubitatam nobis veniam impetrabit à Patre.

Dionysius Alexandrinus. 260.

Aduersus Germanum Episcopum obtrectatorem suum: Nos Christiani vnum illum Deum omnium opificem, qui etiam pientissimis Augustis Valeriano & Galieno imperium hoc commendauit, colimus & adoramus, illum indefinenter pro imperio illorum, vt immotum permaneat, oramus.

Petrus Alexandrinus. 300.

Sermone de Pœnitentia cap. 11. Scimus propter aliorum fidem quosdam esse Dei bonitatem assecutos, & in peccatorum remissione, & corporis sanitate, & mortuorum resurrectione, &c. Ergo simul oremus, & postulemus pro eorum reconciliatione per eum aduocatum apud Patrem, se nostris peccatis propitium exhibentem.

Eusebius Cæsariensis. 320.

Vitæ Constantini lib. 4. cap. 14. Imperator cùm existimaret piorum hominum preces magnum sibi momentum adferre ad salutem, & custodiam vniuersæ Reipub. eas cùm necessariò adhibuisset, non solùm ipse se Deo supplicem abiecit, verùm etiam vt pro se ab Ecclesiæ Præsidibus supplicaretur, mandauit.

Athanasius. 340.

Apologia ad Constantium: Tu autem, religiosissime Imperator, vbinam malles populum manus extendere, & pro te orare, ibine, vbi ethnici oberrabant, an in loco, tuum nomen titulumque præ se ferente, quem iam in præsentia, imò etiam tũ temporis, cùm prima fundamenta iacerentur, Dominum vniuersi appellitabant?

Patres Synodi Ariminensis. 350.

Epistola ad Constantium Augustum: Ne nos posthac vexari, & à nostris diœcesibus segregari permittas, sed vt Episcopi cum suis populis pace ad preces cultusque diuinos otium habeant orantes pro tuo imperio, salute, & pace, quam tibi in perpetuum diuinitas largiatur. *Extat apud Athanasium epistola de Synodo Arimini & Seleuciæ.*

Cyrillus Hierosolymitanus. 360.

Catechesi 5. Mystagogica: Deinde postquam confectum est illud spirituale sacrificium, & ille cultus incruen-

incruentus, super ipsa propitiationis hostia, obsecramus Deum pro communi Ecclesiarum pace, pro tranquillitate mundi, pro regibus, pro militibus, pro socijs, pro ægrotis & afflictis, & in summa pro his omnibus, qui egent auxilio.

Ephræm. 370.

Homilia de oratione, (quæ extat inter Homilias Cæsarij:) Oremus fratres non solùm pro nobis, sed etiam pro omnibus, qui vbique sunt, Christianis; nec solùm pro amicis, sed etiam pro inimicis. Hoc semper pro nobis, pro alijs omnibus supplicemus, vt Deus nobis hoc dignetur concedere, quod nouit animæ nostræ conuenire.

Gregorius Nyssenus. 380.

Oratione ad eos, qui alios acerbius iudicant: Tam alienus à cædendi acerbitate sacerdos esse debet, tamqúe promptus, & paratus ad excolendam humanitatem, vt etiam si Dominus aliquê vti plantam inutilem excindere iubeat, ipse tamquam insitor debeat supplicare, vt ignoscat parumper, ac sententiam differat.

Ioannes Chrysostomus. 400.

Homilia 6. ad cap. 2. prioris ad Timotheum: Quid sibi vult, quòd ait: *Primùm omnium?* In obsequio scilicet quotidiano, perpetuoqúe diuinæ religionis ritu. Atque id nouerunt fideles, quomodo diebus singulis mane & vespere orationes funduntur ad Dominum, quomodo pro omni mundo, *& regibus, & omnibus, qui in sublimitate sunt positi, obsecrationes* ab Ecclesia fiant, &c. Si pro his, qui nobis familiaritate iunguntur, orare iubemur, nõ fidelibus solùm, sed etiam infidelibus, considera quantum malum sit aduersus fratrem orare. Ille nempe orare te pro inimicis iussit: tu etiam aduersus fratrem oras: non aduersus illum, sed aduersus teipsum orare conuinceris.

Ioannes Cassianus. 420.

Coll. at. 9. cap. 13. Tertio loco ponuntur *postulationes*, quas pro alijs quoque, dum sumus in feruore spiritus constituti, solemus emittere, vel pro charis scilicet nostris, vel pro totius mundi pace poscentes, & (vt ipsius Apostoli verbis eloquar) cùm *pro omnibus hominibus, pro regibus, & omnibus qui in sublimitate sunt*, supplicamus.

Cyrillus Alexandrinus. 430.

Epistola Epheso ad Monasteriorum præfectos scripta: Quia vestris ad Deum precibus egemus, necessium est, vt vos, qui vestram vitam Deo consecrastis, puras ad Deum manus leuetis, atque id ipsum identidem nostri causa facitetis.

Theodoretus. 450.

Ad caput 2. prioris ad Timotheum: *Pro regibus, & omnibus in sublimitate constitutis.*) Valde sapienter hominum commune præpõsuit, ne quis orationem pro regibus existimaret assentationem. Quia autem erant impij, qui tunc dominatum obtinebant, & pietatis aperti hostes, docet iustã esse causam, cur pro ijs oretur.

Olympiodorus Diaconus. 480.

In Iob cap. 31. Iob ornamenta ac præmia accepit secundæ victoriæ, dum pro amicis deprecatoris partes amplectitur. Certaminum porrò munus, ac trophæum reportat, cùm amicis veniam impetrat, &c. Is qui exulceratus erat, qui conflictabatur inopia, qui stratus humi iacebat, iniuriarum obliterata memoria, pro ijs, qui integra sunt valetudine, pro locupletibus deprecatur. Quare si nos ipsi in his quoque temporibus egentem quempiam hominem, ægrotantemqúe viderimus, eundemqꝫ pro cæteris supplicantem, atque eius supplicationem euentu comprobatam, diuitem Domini gratiam admiremur.

Dorotheus Thessalonicensis Episcopus. 516.

Epistola ad Hormisdam: Hoc opto atque festino, vt veniat in hoc studio terminus vtilis, humanitate quidem Domini, & Dei nostri Iesu Christi, intercessionibus autem in cunctis beatissimi Apostoli Petri, & in omnibus sapientissimi Pauli, vt venerandæ eorum sedi, & tuæ beatitudini iustè debitus honor custodiatur, atque reddatur.

Procopius Gazæus. 530.

Ad caput 20. Genes. *Orabit Abraham prote, & viues.)* Obseruandum est preces Prophetarum esse efficaces, & conferre plurimum ad vitam, si pro aliquo preces ad Dominum fuderint.

Ad cap. 8. Exodi: Quòd Moses precibus sollicitat Deum pro Ægyptijs, & exauditur, magnum exemplum est, nostri esse officij, vt supplicemus pro his, qui diuersam consectantur religionem. In hoc egregiè ad rem contulit Moses, quod tradit Christus: *Diligite inimicos vestros, orate pro his, qui vos persequuntur.*

Iustinianus Imperator. 530.

In Authentica de Monachis & asset. col. 10. Si puris nudisqúe manibus clerus pro Repub. preces Deo obtulerit, manifestum sanè, quòd & res militaris pulchrè se habebit, & ciuitates in bono statu statuentur; Deo item propitio ac beneuolo constituto, quomodo non omnia in summa pace & recta legum moderatione vigebunt? Terra quoqꝫ nobis fructu m feret, & celerius bona sua edet, per Dei beneuolentiam, precibus illorum vniuersam Rempub. in vnum colligentibus, sed & communis hominum figura venerabilior erit, quærentqꝫ quod præstantius est, illorum puritatem reueriti.

In Authentica de ord. Cler. & Episc. §. Illud quoque, collat. 10. Si ad orandum pro populo sacerdotes destinati, indigni diuino ministerio inueniantur, quomodo pro transgressionibus & delictis populi Deum propitiare poterunt?

Antiochus. 600.

Homilia 72. Quòd pro inuicem orandum sit, & quamlibet inimicis. Hodie suggerimus vobis, vt condonetis offensas: quin & hortamur, vt pro illis quoque preces effundatis. Sic Samuel: *Absit*, inquit, *vt cessem clamare & orare pro vobis ad Dominum: absit hoc à me, vt peccem in Domino, vt cessem orare pro vobis.* 1. Reg. 7.

Sophronius Hierosolymitanus. 630.

Epistola ad Sergium Constantinopolitanum: Æqualem autem vobis opulentam postulationem offero, vt instantem ad Deum obsecrationem & deprecationem fundatis pro Christo dilectis & tranquillissimis nostris Imperatoribus, qui diuinitus Imperij gubernacula meruerunt, quatenus benignissimus & misericordissimus Deus, vestris Deo acceptabilibus orationibus mitigatus, annorum quidem eis copiosam multitudinem cõdonet, victoriasqꝫ maximas aduersus barbaros impendat & trophæa, & filios filiorum eorum coronet, & pace diuina circundet, & sceptra fortia concedat: atque vigentia barbarorum omnium, maximeqꝫ Saracenorum omnium supercilia confringat, qui ex nostris peccatis ex insperato nunc super nos surrexerunt.

Sexta Synodus Constantinop. 680.

Sermone prosphonetico ad Constantinum Imp. Etenim omnes vnanimiter ac cõstanter acclamamus: Domine saluum fac regem, qui post se corroborauit fidei fundamentum: benedicito vitam eius, dirige gressus cogitationum eius, conterat virtutem inimicorum suorum, & resistentes ei continuò

corruant,

corruant: quia fecit iudicium & iustitiam sempiternam, & periclitãti veritati manus porrexit, populumqꝫ tuum saluauit, ad eadem sapere nos concilians.

Ioannes Damascenus. 730.

Historiæ Barlaam cap. 17. Huius rei gratia, *(inquit ad Iosaphat Barlaam,)* flecto genua mea ad Deũ nostrũ, vt cordis tui oculos illuminet, detqꝫ tibi spiritum sapientiæ & reuelationis ad ipsius agnitionem, vt cognoscas quę sit spes vocationis tuæ, & quæ diuitiæ gloriæ hæreditatis ipsius in Sanctis, &c. Iosaphat hæc, *ait*, omnia ipse quoque scire gestiens, abste peto, vt diuinæ gloriæ diuitias mihi declares. Dixit ad ipsum Barlaam: Deum supplex rogo, vt hæc te doceat, atque huiusmodi rerum cognitionem animo tuo inserat.

Theophylactus. 900.

Ad cap. 2. prioris ad Timotheum: Sacerdos, veluti cõmunis orbis terrarum pater, consistit omnium curam gerens, quem & pro cunctis oportet mortalibus preces fundere, perinde ac Deus, cui sacrum facit, ac sacerdotio fungitur. Obserua hîc magnam & latè patentem gratiam: nam Iudæorum preces eiusmodi non sunt. Nec dixit statim: *Pro regibus*, vt non videatur adulari. Enimuerò cùm prius dixisset: *Pro omnibus hominibus*, tunc subiunxit: *Pro Regibus.* Etiamsi enim infideles fuerint reges, pro ipsis tamen orandum: tunc enim tales erant. Duo autem bona oriuntur ex eo, quòd pro cũctis mortalibus intercedimus. inimicitia dissoluitur, quæ nobis cum alijs est: nemo enim potest hostili animo esse aduersus eum, pro quo preces ad Deum fundit. Ad hæc meliores ipsi redduntur, quia à vitijs precum nostrarum auxilio transferuntur, vtqúe non adeò porro erga nos efferantur, venenatarumqꝫ belluarum instar gerant. Quàm enim arduum & magni momenti fuerit, eos, qui persequerentur, atqꝫ cęderent, audire pro se interpellari apud Deum, orariqúe ab ijs, quos ipsi cæderent, & opprimerent.

In epist. ad Philemonem: *Per orationes vestras:*) Discimus hîc quòd sit ingens orationum virtus: siquidem Paulus talis tantusqꝫ illarũ ope indigebat.

Oecumenius. 1080.

Ad cap. 2. prioris ad Timoth. Cùm Episcopus communis sit pater, debet pro omnibus hominibus precari, fidelibus & infidelibus, amicis & inimicis, calumniantibus & affligentibus.

Theodorus Balsamon. 1180.

In epistolã Petri Alexandrini Can. 11. Sed & pro propitiatione ipsorum orabimus, cum alijs quæ decet, seu cum alijs bonis operibus, quæ debent ab ipsis fieri.

Nicolaus Cabasilas. 1280.

De Liturgia cap. 12. Operatur oratio iusti, quandò illi etiam omninò, pro quibus preces fiunt, ex se omnia contulerint, morum bonitatem, preces, lenitatem, & æquitatem, & quocunqꝫ alio sciunt Deum delectari. Quæ est autem eorum prima protinus petitio? Pro superna pace, pro salute animarum nostrarum.

Nicephorus Callistus. 1300.

Lib. 11. cap. 25. Imperator è porticu Aphraatem virum sanctum interrogans: Quonam, inquit, vadis? Atqꝫ Aphraates, pro imperio tuo precaturus, respondit.

Athanasius Constantinopolitanus. 1300.

Epistola 1. Quo beneficio nos obligauit, vt nũ solùm propter religionem Imperatorẽ laudemus, sed & pro eo omnes Ecclesiastici preces adhibeamus.

Georgius Codinus. 1400.

De officialibus palatij Constantinopolitani fol. 186. Patriarcha supplicat, & propitium appellat Deum pro eo, qui vngendus est Rex.

Hieremias Constantinopol. 1580.

Respons. 1. cap. 15. Obijciat aliquis, quid opus est aliena oratione, si ego placeã? Nunquam hoc dixeris homo: vehementer oratione opus est, & quidem multa. Audi quid Deus dicit: *Orabit pro vobis, & remittetur vobis peccatum.*

ASSERVNT PATRES LATINI.

Tertullianus. 200.

In Apologetico cap. 32. Scito ex illis præceptum esse nobis, ad redundantiam benignitatis etiã pro inimicis Deum orare, & persecutoribus nostris bona precari. Qui magis inimici & persecutores Christianorum, quàm de quorum maiestate conuenimur in crimen? Sed etiam nominatim atque manifestè: *Orate*, inquit, *pro regibus, & pro principibus, & potestatibus, vt omnia tranquilla sint.* Vobiscum enim concutitur imperium, concussis etiam cęteris mẽbris eius: vtiqꝫ & nos (licet extranei à turbis æstimemur) in aliquo loco casus inuenimur. Est & alia maior necessitas nobis orandi pro Imperatoribus, etiam pro omni statu imperij, rebusqꝫ Romanis, quòd vim maximam vniuerso orbi imminẽtem, ipsamqꝫ clausulam seculi acerbitates horrendas comminantem, Romani Imperij commeatu scimus retardari. Itaqꝫ nolumus experiri, & dum precamur differri, Romãæ diuturnitati fauemus. Matt. 6. 1. Tim. 2. 2. Thes. 2

Cap. 39. Coimus in cœtum & congregationem, vt ad Deum quasi manu facta precationibus, ambiamus orantes. Hæc vis Deo grata est. Oramus etiam pro Imperatoribus, pro ministris eorum & potestatibus, pro statu seculi, pro rerum quiete, pro mora finis.

Ad Scapulam cap. 2. Itaqꝫ & sacrificamus pro salute Imperatoris, sed Deo nostro & ipsius, &c. Oramus pro salute Imperatoris, ab eo eam postulantes, qui præstare potest.

Cyprianus. 250.

Epistola 16. Et nos quidem vestri diebus & noctibus memores, & quando in sacrificijs precem cum pluribus facimus, & cùm in secessu priuatis precibus oramus, coronis ac laudibus vestris plenam à Domino fauentiam postulamus. Lib. 2. epist. 4.

Libro ad Demetrianum: Pro arcendis hostibus, & imbribus impetrandis, & vel auferendis vel temperandis aduersis, rogamus semper & preces fundimus: & pro pace ac salute vestra propitiantes ac placantes Deum, diebus ac noctibus iugiter atque instanter oramus.

De Oratione Dominica: Publica nobis & cõmunis est oratio: & quando oramus, non pro vno, sed pro populo toto oramus, quia totus populus vnum sumus. Deus pacis & concordiæ magister, qui docuit vnitatem, sic orare vnum pro omnibus voluit, quomodo in vno omnes ipse portauit.

Epist. 8. Vnusquisque oret Deum non pro se tantùm, sed pro omnibus fratribus, sicut Dominus orare nos docuit; vbi non singulis priuatam precem mandauit, sed oratione communi & concordi prece, pro omnibus iussit orare. Lib. 4 epist. 4.

Arnobius Rhetor. 300.

Aduersus Gentes lib. 4. paulò ante finem: Nam nostra quidem scripta cur ignibus meruerint dari? cur immaniter conuenticula dirui? in quibus summus oratur Deus, pax cunctis & venia postulatur magistratibus, exercitibus, regibus, familiaribus,

nimicis,adhuc vitam degentibus,&resolutis corporum vinctione.

Lactantius. 320.

*Lib.7.diuinarum Institut.cap.26.*Erat igitur congruens, vt in formando generis humani statu te auctore,ac ministro diuinitas vteretur.Cui nos quotidianis precibus supplicamus, vt te imprimis, quem rerum custodem voluit esse, custodiat: deinde inspiret tibi volũtatem, qua semper in amore diuini nominis perseueres. Quod est omnibus salutare, & tibi ad felicitatem, & cęteris ad quietem.

Hilarius. 350.

Libro ad Constantium Imperatorem: Permittat lenitas tua populis,vt quos voluerint,quos putauerint, quos elegerint audiant docentes, & diuina mysteriorum solennia concelebrent, & pro incolumitate,& pro beatitudine tua offerant preces.

Optatus Mileuitanus. 370.

Contra Parmenianum lib.3. Iam tum meditabatur Donatus, contra præcepta Apostoli Pauli, Potestatibus & Regibus iniuriam facere, pro quibus,si Apostolum audiret,quotidie rogare debuerat: sic enim docet B.Paulus:*Rogate pro Regibus & potestatibus,vt quietam & tranquillam vitam cum ipsis agamus.*

Ambrosius. 370.

Ad caput 2.prioris ad Timotheum:Hæc regula Ecclesiastica est tradita à magistro gentium, qua vtuntur sacerdotes nostri,vt pro omnibus supplicent: deprecantes pro regibus huius seculi, vt subiectas habeant gentes,vt in pace positi, in tranquillitate mentis,& quiete Deo nostro seruire possimus: orantes etiam pro ijs, quibus sublimis est potestas credita, vt in iustitia & veritate gubernent Rempub. suppeditante rerum abundantia, vt amota perturbatione seditionis,succedat lætitia.

Prudentius. 380.

Hymno 9.de Romano:

Tunc ille: Nunquam pro salute, & maximis,
Fortissimisq; principis cohortibus
Aliter precabor,quàm fidele vt militent,
Christiq; lymphis vt renascantur Patri,
Capiant & ipsum cælitus Paraclitum,
Vt idolorum respuant cal ginem,
Cernant & illud lumen æternæ spei.

Hieronymus. 390.

Ad caput 1.Iob: *Offerebat holocaust.a per singulos dies.)* Pro filijs suis,quos ita regebat,vt non tam pro præsentibus criminibus, quàm pro occultis in corde peccatis, quæ hominum quoque fugere notitiam possunt, diuinam clementiam assiduis sacrificijs exoraret.

Augustinus. 400.

Epistola 107.ad Vitalem fautorem Pelagianorum: Dic ergo apertissimè, nos pro ijs,quibus Euangelium prædicamus, non debere orare vt credant, sed eis tantummodo prædicare. Exerce contra orationes Ecclesiæ disputationes tuas,& quando audis sacerdotem Dei ad altare exhortantem populum Dei orare pro incredulis, vt eos Deus conuertat ad fidem; & pro Catechumenis, vt eis desiderium regenerationis inspiret; & pro fidelibus, vt in eo quod esse cœperunt, eius munere perseuerent: subsanna pias voces, & dic te non facere quod hortatur, id est, Deum pro infidelibus, vt eos fideles faciat, non rogare, eò quòd non sint ista diuinæ miserationis beneficia, sed humanæ officia voluntatis,&c.

Epistola 59.ad Paulinum quæst. 5. Hæc autem causa præcipua fuit ista dicendi, vt his breuiter perstrictis atque significatis,non putaretur negligendum esse quod sequitur: *Pro omnibus hominibus, pro Regibus,& his qui in sublimitate sunt.*

Paulinus Nolanus. 410.

Epistola 30.ad Florentium: Deus, qui te amantem nostri facere dignatur, non iuxta meritum malum faciens,sed secundùm diuitias bonitatis suæ, vt nobis adiutorium de patrocinio orationum tuarum, tibi merces de proximorum etiam minorum magna charitate cumuletur,memorem te nostri perpetuò faciat, omnibus orationibus tuis, & oblationibus curam nostræ salutis immisceat.

Bonifacius Primus. 420.

Epistola 1.ad Honorium Augustum: Ecce enim inter ipsa mysteria,inter preces suas,quas pro vestri felicitate depędit imperij,teste S.Petro, solicitis pro religionis obseruantia vocibus clamat: cum solicita petitione miscetur oratio, ne hos in varias res semel euulsa distrahat à cultu solito,tentatore solicitante discordia.

Cælestinus. 425.

*Epistola 8.*Cùm enim sanctarum plebium Præsules mandata sibimet legatione fungantur, apud diuinam clementiam humani generis agunt causam, & tota secum congemiscente Ecclesia, postulant & precantur,vt infidelibus donetur fides; vt idololatræ ab impietatis suæ liberentur erroribus; vt Iudæis,ablato cordis velamine, lux veritatis appareat; vt hæretici,Catholicæ fidei perceptione,resipiscant; vt schismatici spiritum rediuiuæ charitatis accipiant; vt lapsis pœnitentię remedium conferatur; vt denique catechumenis,ad regenerationis sacramenta perductis, cælestis aula misericordiæ referetur. Hęc non perfunctoriè,neque inaniter à Domino peti, rerum ipsarum monstrat effectus.

Leo Primus. 450.

Epistola 25. ad Theodosium Augustum: Ecce ego Christianissime & venerabilis Imperator, cum consacerdotibus meis implens erga reuerentiam clementiæ vestrę synceri amoris officium, cupiensque vos placere per omnia Deo,cui pro vobis ab Ecclesia supplicatur.

Sermone 4.in solennitate Epiphaniæ cap.5. Ecclesiasticum sanè atque diuinitus institutum non solùm non inhibemus,sed etiam incitamus affectũ. vt etiam pro talibus (*hæreticis*) nobiscum Domino supplicetis, quoniam & nos deceptarum animarum ruinas cum fletu & mœrore miseramur.

Prosper. 460.

De vocatione Gentium libro 1.cap.12.al.cap. 4. Præcepit Apostolus,imò per Apostolum Dominus, qui loquebatur in Apostolo, *fieri obsecrationes, & postulationes,gratiarum actiones pro omnibus hominibus,pro regibus,ac pro his qui in sublimitate sunt.*Quam legem supplicationis ita omnium sacerdotum, & omnium fidelium deuotio concorditer tenet, vt nulla pars mundi sit,in qua huiusmodi orationes non celebrentur à populis Christianis.Supplicat ergo vbique Ecclesia Deo,non solũ pro Sanctis, & in Christo iã regeneratis; sed etiam pro omnibus infidelibus,& inimicis crucis Christi; pro omnibus idolorum cultoribus; pro omnibus, qui Christum in membris ipsius persequũtur; pro Iudæis,quorum cæcitati lumen Euangelij non refulget; pro hæreticis & schismaticis, qui ab vnitate fidei & charitatis alieni sunt. Quid autem pro istis petit, nisi vt relictis erroribus suis conuertantur ad Deum, accipiant fidem,accipiant charitatem, & de ignorantiæ tenebris liberati, in agnitionem veniant veritatis?

Saluianus Massilienſis. 480.

Lib.1. de iudicio & prouidentia Dei: Sed ad illud fortè confugies, vt dicas nos metu futuri iudicij Deum colere, & ideo omnium præsentium officiorum cultu elaborare, vt in die futuri seculi mereamur absolui.Quid ergo sibi vult Apostolus Paulus, præcipiens quotidie in Ecclesia,ac iubẽs, vt offerantur iugiter Deo nostro *orationes, obsecrationes,postulationes,gratiarum actiones*? Et hęc omnia quam ob causam? Quam vtiq;, nisi, vt ipse dicit, *vt quietam & tranquillam vitam agamus in omni castitate*? Pro præsentibus,vt videmus,Domino supplicari iubet. 1.Tim.2.

Fulgentius. 500.

Epistola 5.de charitate ad Eugyppium: Orantem pro nobis sanctitatem tuam clementia diuina custodiat, quod opto sancte ac beatissime frater.

M.Aurelius Cassiodorus. 540.

Lib.1. epist.2. ad Ioannem Papam: Supplicandum vobis est, beatissime Pater, vt lætitiam, quam per vos (Deo largiente) percepimus, custodiri nobis vestris orationibus sentiamus.Quis enim dubitat prosperitatem nostram vestris meritis applicandam? Ecclesiasticis ieiunijs fames est excluſa popularis, decoris lachrymis tristitia fœda discessit, & per sanctos viros acceleratum est, ne traheretur diutius quod grauabat. Et ideo salutans officiositate qua dignũ est precor, vt viuacius oretis pro salute regentium: quatenus eorum vitam cælestis princeps faciat esse longæuam, Romanæ Reip. hostes imminuat,tempora tranquilla concedat.

Gregorius Magnus. 590.

In Ezechielem Hom.21. Doctores sancti cùm pro compunctis peccatoribus atque confitentibus omnipotenti Deo preces fundunt, per hoc, quòd ad veniam pro carnali eorum vita postulant, mensæ Domini carnes oblationis portant.

Eligius. 640.

Homilia prima in Natali Domini: Vestris igitur sanctis orationibus à Deo me exaudiri posse cõfidens, iam nunc effundo in conspectu eius orationem, & supplex eius benignissimam imploro clementiam.

Concilium Toletanum Sextum. 648.

Cap.3. Gratias omnipotenti Domino cælorum agimus ob feruorem fidei regis nostri, eò quòd ei tam illustrem creauerit animam,& sua repleuerit sapientia: ipse quoque donet ei, & in præsenti seculo diuturnam vitam, & in futuro gloriam æternam.

Concilium Toletanum Nonum. 660.

Cap.17. Obsecramus Dei misericordiã largam, vt sereniſſimo Domno Recesuintho Principi glorioso ita præsentis vitæ felicitatem impendat, vt Angelicę beatitudinis gloriam post longeua tempora concedat: atque ita nos eiusdem felicitate lætos semper efficiat, vt in terra viuentium remunerandos attollat.

Beda. 700.

Ad cap.13. Ioannis: Nunquid dicere possumus, quòd etiam frater fratrem à delicti poterit cogitatione mundare? Imò verò id etiam nos esse admonitos in eius Dominici operis altitudine noueri mus, vt confessi inuicem delicta nostra, oremus pro nobis, sicut Christus interpellat pro nobis, &c. Quia ad hoc Dominus dedit nobis exemplum. Si enim ille, qui nullum peccatum nec habet,nec habuit,nec habebit,orat pro peccatis nostris, quanto magis nos inuicem pro nostris orare debemus? Et si dimittit nobis ille, cui non habemus quod dimittamus, quanto magis dimittere debemus inuicem nobis, qui sine peccato hîc viuere non valemus? Quid enim videtur in hac altitudine sacramenti Dominus significare, cùm dicit: *Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis, sic & vos faciatis*? nisi quod apertissimè dicit Apostolus: *Donantes vobismetipsis, si quis aduersus aliquem habet querelam: sicut & Dominus donauit vobis,ita & vos.* Inuicẽ itaq; nobis delicta donemus, & pro nostris delictis inuicem oremus,atque ita quodãmodo inuicem pedes nostros lauemus. Ephes.4.

Synodus Remensis. 813.

Cap.40. Vt pro domino Imperatore,suaq; nobilissima prole orationes & oblationes super has, quæ hactenus pro ipsis Deo omnipotenti oblatæ sunt, augeantur, vt eos suis temporibus in præsenti seculo cum omni felicitate custodiat, & in futuro cum sanctis Angelis suis pia miseratione gaudentes efficiat.

Haymo. 820.

Homilia de Feria 2.Litaniarum: Cùm pro inimicis nostris Dominus orare nos iubet, quanto magis pro amicis & fidelibus nostris? Quia si fideliter oramus, non pro nobis metipsis tãtùm, sed & pro fratribus nostris etiam intentè orare debemus: quæ assiduitas orandi præstat nobis auxilium in aduersis.

In prioris ad Timoth. c.2. Ne fortè diceret aliquis, non debemus orare pro regibus infidelibus, quia pagani sunt, præcipit Apostolus pro omnibus hominibus orare, eodem Spiritu sancto afflatus, quo & Hieremias Propheta, qui misit epistolam Iudæis, qui erant in Babylone, vt orarent pro vita regis Nabuchodonosor, filiorumq; eius, & pro pace ciuitatis,ad quam ducti erant captiui,inquiens: *Ideo debetis orare pro ijs, quia in pace illorum erit pax vestra.* Hier. 29.

Rabanus Maurus. 850.

Lib.8.in Ecclesiast.cap.7. Orat Ecclesia pro persecutoribus suis,vt ipsi conuertantur ab errore suo,& agant pœnitentiam de peccatis suis.

Nicolaus Primus. 860.

Epistola ad Michaëlem Imp. Vos autem, quęsumus, nolite præiudicium Dei Ecclesiæ irrogare. Illa quippe nullum imperio vestro præiudicium infert,cùm magis pro stabilitate ipsius æternam diuinitatem exoret, & pro incolumitate vestra, & perpetua salute, iugi deuotione precetur.

Radulphus Flauiacensis. 950.

Lib.7.in Leuit.cap.6. Omnis Sanctus cùm viderit peccatorem conuerti ab errore viæ suæ, gaudere debet, & quantum potest, vt laqueos iniquitatis euadat,precibus suis eum adiuuare.

Petrus Damianus. 1050.

Epist.4. cap.17. Spiritus sanctus, qui est lumen æternum, & remissio peccatorum, illuminet vos omnes, & absoluat, sedulamq; mei memoriam in sanctis vestris orationibus vos habere præcipiat.

Anselmus. 1080.

Ad cap.9. epist.ad Romanos: Moses pro populo Iudaico mirabiliter intercessit,obijciés semetipsum pro eis dicens: *Dimitte eis peccatum, dimitte: si autem non vis,dele me de libro tuo,quem scripsisti.* Vbi demonstratum est, intercessio Sanctorum quantum pro illis valeat apud Deum. Securus enim Moses de iustitia Dei, quæ eum delere non posset, impetrauit misericordiam, ne illos,quos iustè posset, deleret. Intercessit ergo paratior deleri pro ipsis, quàm ipsos, sciens apud misericordiam se id agere,quæ quoniam nullo modo deleret ipsum, etiã illis parceret propter ipsum. Exod.32

Iuo Carnotensis. 1100.

Epistola 38. ad Adelam Comitissam : Rogo pro remedio animæ vestræ, vt Ecclesiam beati Ioannis Baptistæ, in qua regularem vitam Deo dante ordinauimus, diligatis, & res ad ipsam Ecclesiam pertinentes contra insidiantes & incursantes pro posse vestro defendatis. Pro hoc enim à fratribus prædictæ Ecclesiæ habebitis munus orationum, ac fidele seruitium.

Hildebertus Cennomanensis. 1100.

Epist.11. Vnde & nos tanto confidentius vestrarũ suffragio inhæremus orationum, quanto nouimus vos, velut è foribus supernam introspicere Hierusalem, & videre iam Dominum dominorũ in Sion. Nos quoque, si quid peccatoris, sed sacerdotis, potest oratio, ibi pro vobis fratribus nostris agimus, vbi Patri immolatur Filius.

De Officio Missæ:

Ingrediens sacra Sanctorum Leuiticus orat
Pro se, proq; suo principe, gente, domo.
Ante crucem Christus rogat, & se clarificari,
Et custodiri, quos dedit ipse Deus.
In cælis etiam semper pro plebe sacerdos,
Pro seruo Dominus, pro grege pastor agit.
Noster in hoc sacrifex Aaron Christumq; secutus,
Pro tota primùm supplicat Ecclesia:
Hinc etiam pro Pontificis, Regisq; salute,
Et reliquis infra, sicut oportet, agens.

Odo Cameracensis. 1110.

In expositione Canonis dist. 2. Prima periodus, hucusque protensa, pro tota Ecclesia, & pro omnibus fidei cultoribus orat. Secunda, quæ hîc incipit, pro præsentibus se accingit, qui sancti sacrificij sunt astipulatores, & cooperatores.

Bernardus. 1130.

Sermone 49. qui est de Oratione : Moneo te charissima, vt ores pro bonis hominibus, vt in bonis perseuerent: rogo etiã te, vt ores pro malis hominibus, vt de malo ad bonum conuertantur : ora pro amicis tuis, & ora pro tuis inimicis : ora etiã pro omnibus fidelibus viuis, & defunctis.

De octo punctis, quibus peruenitur ad perfectionem vitæ spiritualis : Quintum est, vt non contristeris, vel læteris, aut soliciteris pro amicis aut cognatis tuis, sed committe eos Deo, & spirituale subsidium, scilicet orationum tuarum suffragia, eis impende : te autem mundo crucifixum reputa.

Petrus Blesensis. 1160.

Epistola ad Patres in Cistercienſi capitulo congregatos : Subuerterer, nisi in lapide adiutorij, & orationũ vestrarum suffragio fiduciam concepissem. Nam iuxta verbum Iob: *quæ est fortitudo mea, vt sustineam?* Ecce non est auxilium in me, sed infirmitas & defectus. Vereor, ne offensus mihi Dominus, hanc iniunxerit solicitudinem multorum, qui non sufficiebam propriæ salutis procurare negotium. Sed posuit mihi Dominus in vobis verbum, vt si offensus mihi est, sese propitium vestra oratione mihi exhibeat, meumq; suppleat imperfectum.

Iob 6.

Stephanus Eduensis. 1170.

De Sacramento altaris cap.13. Rogamus pro Papa, pro Antistite nostro, pro Rege, pro omnibus Orthodoxis : oramus pro familiaribus absentibus, præsentibus; pro astantibus, scilicet pro ijs omnibus, qui assistunt præsentes mysterio altaris ; pro ijs omnibus offerimus sacrificium laudis.

Innocentius Tertius. 1200.

Proœmio in septem Psalmos pœnitentiales : Boni viuentes orant pro se, orant pro alijs, & contra alios : & quandoque exaudiuntur, quandoque non. Orauit pro se Petrus, qui cùm cœpisset mergi clamabat, dicens : *Domine saluum me fac*, exaudiriq́ue meruit. Orauit & Paulus tertiò, vt auferret ab eo Dominus stimulum carnis, & dixit illi Dominus : *Sufficit tibi gratia mea : nam virtus in infirmitate perficitur.* Quandoque similiter orant contra alios, & pro alijs, & exaudiuntur à Deo. Vnde Iacobus ait : *Helias homo erat similis nobis passibilis, & oratione orauit, vt non plueret super terram, & non pluit annos tres & menses sex : rursum orauit, & dedit cælum pluuiam, & terra fructum suum.* Interdum etiam orant pro alijs, & non exaudiuntur. Vnde dictum est Hieremiæ : *Noli orare pro populo isto.*

Matt. 14.

2. Cor. 12

Iacob. 5. 3. Reg. 17. 18.

Hier. 7.

Iacobus Vitriacus. 1220.

Domin. 2. in Quadragesima: Apostoli pro Chananæa orauerũt, & exaudita est. In quo nos Dominus instruit, quòd non in nobis, sed in misericordia eius, & in Sanctorum precibus spem ponere debeamus, vt anima in tribulatione posita Sanctos Dei & amicos tam diu deprecetur, donec ipsi dicant: *Dimitte eam*, & exaudi eius petitionem, *quia clamat post nos.* Vnde Iacobus in epistola Catholica : *Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, & oratio fidei saluabit infirmum.*

Thomas Aquinas. 1250.

Secunda secundæ quæst. 83. art. 7. Illud debemus orando petere, quod debemus desiderare. Desiderare autem debemus bona, non solùm nobis, sed etiam alijs. Hoc enim pertinet ad rationem dilectionis, quam proximis debemus impendere : & ideo charitas hoc requirit, vt pro alijs oremus. Vnde Chrysostomus super Matthæum dicit : Pro se orare necessitas cogit, pro altero autem charitas fraternitatis hortatur. Dulcior autẽ ante Deum est oratio, non quam necessitas transmittit, sed quam charitas fraternitatis commendat.

Bonauentura. 1260.

In Speculo disciplinæ cap.12. Non solùm pro se, verùm etiam pro alijs tam viuis quàm mortuis orãt religiosi.

Auctor Insinuationum diuinæ pietatis. 1300.

Lib.3. cap.73. Gertrudis oratura quadã vice pro pluribus personis, diuersisq; causis, ad pedes Domini Iesu deuotè se prostrauit, & illis saluberrimis vulneribus, prout deuotissimè potuit, efficacissima oscula, cum feruenti desiderio imprimẽs, personas & causas sibi commissas Domino commendauit. Quod cùm faceret, vidit quasi riuulũ erumpentem de corde ipsius Filij Dei, & totum in circuitu locum copiosè infundentem. Vnde intellexit, quòd Dominus per riuulum istum effudit sibi omnes effectus petitionum, quas ipsi ad pedes commendauerat.

Guido Carmelita. 1340.

In Summa de Pelagianis : Errant, quia negant orationes pro infidelibus, quas facit Ecclesia, vt ad fidem conuertantur ; illasq; orationes, quas pro fidelibus facit Ecclesia, vt in fide perseuerent, & fides in eis augeatur, dicunt nihil valere & prodesse. Quas dicere non faciendas, & nullius esse efficaciæ, est hæreticum, & manifestè contra sacram Scripturam : nam Genes. 20. Dominus ait Abimelech regi infideli de Abraham: *Propheta est, & orabit pro te.* Et Exodi 32. Moses orabat, vt Dominus placaretur populo fideli, &c.

Thomas VValdensis. 1410.

Tomo 3 tit. 10. cap. 103. Ego quondam iunior solitus eram audire deuotos presbyteros singulis Dominicis ad orandum pro monachis, & fratribus, cæterisq; religiosis Ecclesiæ zelo concitare fideles,

les, quam regulam Ecclesiæ Patres à primæuis tẽporibus traxerunt indubiè, ipso Apostolo sic iubente Ephesinis Christianis : *Per omnem orationem, & precem, orantes in omni tempore, & in spiritu, & in ipso vigilantes in omni instantia, & obsecratione pro omnibus Sanctis, & pro me, vt detur mihi sermo in apertione oris mei cum fiducia notum facere mysterium Euangelij*, &c. Hæc pietas Christiana semper fuit, hæc humilitas, orationes mutuas petere, & soluere, & orare pro inuicem, vt saluentur.

Ioannes Gerson. 1420.

Sermone de Oratione : Acceptabilior est cæteris paribus oratio pro Regibus, Principibus, & alijs in potestate constitutis, quantum bonum cõmune excedit particulare. Ideo culpabiles valde sunt, maledictionem eis imprecantes, quibus est maximè miserandum, quoniam habẽt homines super capita sua.

Laurentius Iustinianus. 1430.

De institutione & regimine Prælatorum cap.10. Instituti sunt plebibus Episcopi atque Pastores, veluti mediatores Dei & populi: quatenus pijs suis intercessionibus, orationumq; suffragijs diuinam iustitiã erga delinquẽtes faciant esse placabilem. Nam quoties populus spirituali seu corporali fatigatur in prælio, si quando diuina præcepta grauiter peccando transgreditur, quamdiu æquissima animaduersione percutitur, ad orationis debet Prælatus adùolare præsidium, ibiq; corde compunctus, prostratus corpore, compassione plenus, ignitus charitate, lachrymisq; suffusus, deprecari Dominum, Angelorum, Sanctorumq; omnium interpellare subsidium, vt eorum supplicationibus Deo valeat plebem sibi reconciliare commissam.

Bernardinus Senensis. 1440.

Tom.2.Serm.50. In tertio præcepto hortatur nos Dominus ad affectuosam oris locutionem, ideo subdit: *Et orate pro persequentibus, & calũniantibus vos.* Quantum sit apud Deum vltra generalem orationem affectuosam in speciali oratione orare pro inimicis, ostendit Gregorius, dicens in Moralibus ; Conditoris auribus illa maximè oratio cõmendatur, qua pro inimicis quoque intercedere nitimur. Talis etiam oratio, vt idem ait, etiam in nostris alijs orationibus mixta exaudibilis redit. Quid est enim, quòd Moses, Samuel, & Helias in postulatione alijs præferuntur, nisi quòd isti tantùm in serie veteris Testamẽti pro inimicis orasse leguntur? Moses à populo lapidibus impetitur, & pro lapidantibus deprecatur : Samuel à principatu eijcitur, & ait: *Absit à me, vt cessem orare pro vobis.* 4. Reg. 12. Helias etiam orauit pro Achas inimico suo.

Dionysius Carthusianus. 1460.

Lib.3. Summæ cap.142. Pro proximis est orãdum, quoniam nedum propriam, sed & illorum desiderare salutem charitas fraterna exigit.

ARTICVLVS QVARTVS.

SANCTOS IN CAELO TRIVMPHANTES PRO NOBIS ORARE, ORANDO PATROCINARI, ET SVBVENIRE.

NEGANT.

Anno post natũ Christum.

400. VIGILANTIVS Gallus: *Dum viuimus,* inquit, *mutuò pro nobis orare possumus, postquam autem mortui fuerimus, nullius pro alio exaudienda est oratio.* Hieronymus aduersus Vigilantium cap.3.

740. *Constantinus Copronymus cò dementiæ & vecordiæ peruenit, vt publicitus populo sanctionem vniuersalem proposuerit, ne intercessio Sanctorum, quòd nihil posset, peteretur.* Theosterictus oratione funebri in S. Nicetam, Suidas in hoc Constantino, Michaël Glycas parte 4. Annalium.

1200. *VValdenses asserunt Sanctos in cælo non orare pro nobis.* Guido hæresi 16. VValdensium, Nicolaus Eymericus tractatu 2. quæst.14. Antoninus 4. parte Summæ tit.11. cap.7. §.5. Æneas Syluius de Bohemis cap.35.

1315. *Lollardi dicebant, merita & intercessiones quorumlibet Sanctorum non posse hominibus apud Deum præstare suffragia.* Trithemius in Chronico Hirsaugiensi, de anno 1315.

1390. Ioannes VVicleuus tertij Trialogi cap.30. *Quis rogo faceret scurram mediatorem suum, vt regis patrioris, & clementioris colloquio potiretur? Sancti igitur in cælo licet non sint scurræ, sed incorporati Christo per gratiam Saluatoris : tamen minus se habent in comparatione ad illum, quàm scurra ad Regem terrenum.*

1420. *Thaboritæ in Bohemia nihil prodesse mortalibus Sanctorum preces iam cum Christo regnantium asseuerant.* Æneas Syluius epist.130.

1500. *Pickardi in Bohemia suffragia Sanctorum rem vanam & ridiculam arbitrantur.* Ioannes Schechta epist. ad Erasmum.

1520. Martinus Lutherus in Postilla maiori Dominica à Trinitate septima : *D. Petri merita ne asse quidem*

dem redemerim: quomodo enim mihi auxiliarentur, cùm neque sibi ipsi tulerit opem?

1530. Huldaricus Zuinglius in opere articulorum articulo 20. *Scio quorundam in me odium, quod propter hanc rem in me natum est, quòd minùs cæteris Diuorum intercessioni tribuam, imò primus hanc exploserim, &c. Si Diui pro nobis coram Deo orant, hoc fiat necesse est aut commiseratione, qua nostris malis afficiuntur, & commouentur; aut id minus. Si nostris malis afficiuntur, beati & felices non sunt: nam felicitatis proprium est nullo laborare, nullo dolore affici, nulla calamitate aut miseria tangi. Si malis nostris non tanguntur, aut nihil pro nobis orabunt, aut si pro nobis orant, Deum nihil mouebunt.*

1550. Henricus Bullingerus Decadis 4. Serm. 5. *Quid posthac opus fuerit intercessione Diuorum? Contemnunt mandatum Dei, quicumque contendunt per alios, quàm per Christum, & eius intercessionem peruenire ad Patrem. Qui obtemperat mandato Christi, & per nomen eius inuocat, nihil ei opus est Diuorum interuentu.*

ASSERVNT SACRÆ LITERÆ.

Baruch 3. v. 4. Domine omnipotens, Deus Israel, audi nunc orationem mortuorum Israel, & filiorum ipsorum, qui peccauerunt ante te.

2. *Machab.* 15. 12. Iudas Machabæus in somnis vidit Oniam defunctum manus extendentem & orantem pro populo: postea vidit & alium virum ætate grauem, & gloria mirabilem, & audiuit Oniam dicentem: Hic est Hieremias Propheta Dei, qui multum orat pro populo, & sancta ciuitate Hierusalem.

Matthæi 17. 3. Apparuerunt illis Moyses & Elias cum Christo loquentes.

Lucæ 9. 30. Et ecce duo viri loquebantur cum illo. Erant autem Moyses & Elias, visi in maiestate: & dicebant excessum eius, quem completurus erat in Ierusalem.

Lucæ 16. 27. Diues damnatus apud inferos in medijs tormentis recordatur fratrũ, & pro ijs orat, licet non impetret: Ergo multo credibilius est, Sanctorum in cælo spiritus nostri esse memores, & pro nobis orare.

2. *Petri* 1. 14. Certus quòd velox est depositio tabernaculi mei, secundùm quod & Dominus noster Iesus Christus significauit mihi: dabo autem operam & frequenter habere vos post obitum meum, vt horum memoriam faciatis.

ASSERVNT VARIARVM GENTIVM antiquissimæ Liturgiæ.

Liturgia Ecclesiæ Romanæ antiquissima, primùm à D. Petro conscripta: Domine Deus omnipotens, qui solus sanctus es, & in Sanctis requiescis, & à cælestibus Potestatibus ter sanctum hymnum suscipis, suscipe de ore nostro peccatorum hunc ter sanctum hymnum, nobis misericordias tuas & miserationes largiens intercessionibus sanctæ Dei Genitricis, & omnium Sanctorum tuorum, &c. Imprimis sanctæ, gloriosæ, semperque Virginis Mariæ, & beatorum Apostolorum, & Martyrum, & omnium Sanctorum, quorum intercessione & precibus concede, vt in omnibus tua protectione muniamur.

Liturgia, qua Romana Ecclesia iam annis vltra 1100. *vsa est, & adhuc vtitur*: Communicantes, & memoriam venerantes imprimis gloriosæ semper Virginis Mariæ, beatorũ Apostolorum & Martyrum &c. Et omnium Sanctorum tuorum, quorũ meritis precibusque concedas, vt in omnibus protectionis tuæ muniamur auxilio.

Liturgia Ecclesiæ Hierosolymitanæ, auctore D. Iacobo: Commemorationem agamus sanctissimæ, immaculatæ, gloriosissimæ, benedictæ Dominæ nostræ Matris Dei, & semper Virginis Mariæ, & omnium Sanctorum, & iustorum, vt precibus atque intercessionibus eorum omnes misericordiam consequamur.

Liturgia Ecclesiæ Æthiopicæ, primùm ab Euangelista Matthæo scripta, vt ferunt: Custodi eos Deus in recta fide, & in gloria omni tempore, per preces ac intercessionem, quam pro nobis facit Domina nostra sancta & immaculata virgo Maria, & per preces Angelorum, & patrum nostrorũ Patriarcharum, sancti Ioannis Baptistæ, &c. quorum orationes, & benedictiones, & auxilium, & gratia sit nobiscum.

Liturgia Ecclesiæ Mediolanensis, primùm à S. Barnaba scripta, postmodũ à D. Ambrosio aucta. In Natali S. Stephani: Omnipotens sempiterne Deus, qui primitias Martyrum in S. Leuitæ Stephani sanguine dedicasti: tribue quæsumus, vt pro nobis intercessor existat, qui etiam pro persecutoribus suis orauit Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum.

ASSE-

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Irenæus. 180.

Lib. 5. cap. 19. Sicut Eua seducta est, vt effugeret Deum: sic Maria suasa est, obedire Deo, vt virginis Euæ Virgo Maria fieret aduocata.

Origenes. 230.

Homilia 26. in Numeros: Quis dubitat, quòd sancti quique Patrum & orationibus nos iuuent, & gestorum suorum confirment atque hortentur exemplis, sed & voluminibus suis, per ea, quæ nobis ad memoriam scripta reliquerunt, docent nos.

Homil. 16. in Iosue: Ego sic arbitror, quòd omnes illi, qui dormierunt ante nos, Patres pugnent nobiscum, & adiuuẽt nos orationibus suis. Ita namque etiam quendam de senioribus magistris audiui dicentem in eo loco, in quo scriptum est in Numeris, quia ablinget synagoga illa hanc synagogam, sicut ablingit vitulus herbam viridem in campo. Dicebat ergo: Quare huiusmodi similitudo assumpta est, nisi quia hoc est quod intelligendum est in hoc loco, quòd synagoga Domini, quæ nos præcessit in Sanctis, ore & lingua consumit aduersariam synagogam, id est, orationibus & precibus aduersarios nostros absumit?

Homilia 3. in Cantica: Omnes Sancti, qui de hac vita decesserunt, habentes adhuc charitatem erga eos, qui in hoc mundo sunt, si dicantur curam gerere salutis eorum, & iuuare eos precibus suis, atque interuentu suo apud Deum, non erit inconueniens. Scriptum namque est in Machabęorum libris ita: *Hic est Hieremias Propheta Dei, qui semper orat pro populo.* 2. Mac. 15.

Homilia 3. in diuersos: Bene & secundùm voluntatem Dei Innocentium memoriam sancti Patres celebrari mandauerunt sempiternam in Ecclesijs, velut pro Domino morientium, velut pro Iudæis & gentibus credituris, vel etiam pro ipsis parentibus, quorum parentes præ nimio dolore percutiebantur, vt eis intercessio filiorum apud Deum plurimum profuisset, &c. Ideoq; hi beati & sancti infantes in æternum sociati sunt in numero omnium Sanctorum atque beatorum.

Lib. 8. contra Celsum: Vnus est nobis placandus Deus vniuersorum Dominus, vnius fauor ambiendus per pietatem virtutesq; cæteras: Si vult præter hunc placari etiam alios, cogitet quòd sicut moto corpore vmbra quoque ipsius mouetur: ita cùm aliquis Deum habet propitiũ, sequitur vt amicos habeat omnes eius Angelos, animas, & spiritus. Sentiunt enim qui sint digni fauore cælestis numinis, quibus non solùm ipsi bene volunt, verùm etiam dant operam, vt Deum ei seruire volentibus concilient, & vnà nobiscum precantur: vt quotquot eum colimus, audeamus dicere, hominibus bonæ voluntatis precantibus vltrò se adiungere innumera sanctorum Angelorum millia, & intercedere pro mortali nostro genere, & laborare nobiscum in hoc certamine.

Eusebius Alexandrinus. 260.

Homilia de Sanctis colendis: Ob hanc igitur causam præcepit nobis celebrare memorias Sanctorum, vt acceptis hymnis, & auditis laudibus, benignũ Deum exorent, vt preces nostras caducas admittat. Oportet igitur, vt qui memorias Sanctorum celebramus, multa religione & reuerentia eas celebremus.

Constantinus Imp. 320.

In edicto de Donatione: Elegimus nobis ipsum principem Apostolorum, & eius successores firmos apud Deum esse patronos.

Eusebius Cæsareensis. 320.

Ecclesiasticæ historiæ lib. 6. cap. 4. Atque è vestigio, post definitiuam de Potamiœna latam sententiã, Basilides vnus ex satellitibus, eam acceptam, ad locum supplicij deducit. Simul atq; autem multitudo ei molestiam facessere, & verborum petulantia insectari conabatur, hic eos, qui contumeliam ei faciebant, repulsos coercuit, & maximam clementiam summamq; humanitatem in eam declarauit. Illa verò hominem pro illius erga se commiseratione vehementer amplexata bono animo esse hortatur. Nam ait se, simulac abiret è vita, à Domino suo veniam & gratiam pro eo eflagitaturam, & non diu post eius in se merita, iusta remuneratione compensaturam, &c. Nõ longo tẽporis interuallo interposito Basilides, cùm satellites socij sui certa de causa iusiurandum ab ipso exigerent, asseueranter affirmat, omninò sibi non licere iurare: Christianum enim se esse, & hoc se propalam fateri, &c. Abducitur ad iudicem, & coram illo intentionem confessus, in vinculis conijcitur. Cùm fratres in Domino ad eum aduentarent, causamq; repentinæ & admirabilis huius mutationis sciscitarentur, fertur respondisse: Potamiœnam, triduò post martyrium noctu ei assistentem, coronam ipsius capiti imposuisse: dixisseq; se pro eo gratiam à Domino postulasse, postulatam obtinuisse: & Dominum nõ longo tempore post, eum ad suam gloriam recepturum.

Lib. 8. cap. 17. Theodosia virgo puella fidelis, & modesta, non annos decem & octo omninò adhuc nata, vinctis quibusdam Cæsareæ, qui regnũ Christi constanter confitebantur, ante tribunal confidentibus accedit (*Martyres*) cùm benignè salutatura, tum, sicut verisimile est, eos obsecraturа, vt cùm essent apud Dominum, illius recordarentur.

De præparatione Euangelicâ lib. 12. cap. 1. Plato aliquantulum progressus, certè, inquit, defunctorũ animæ virtutem quandam habent, qua vel post mortem rebus humanis auxiliantur: vera enim hæc opinio est, sed nisi prolixis rationibus probari nõ potest. Credere autem oportet huiusmodi sermonibus, quòniam à priscis valde viris traditi sunt. Credendum ergo est etiam illis, qui hæc ita se habere legibus confirmant. Sic certè de Hieremia traditum fuisse Iudæi contendunt, & Machabęorum liber retulit, visum ipsum fuisse post mortem orare pro populo. 2. Mac. 15

Antonius Eremita. 340.

Epistola 5. Verè, charissimi in Domino, sit vobis manifestus ille sermo, & id quod bonũ est facietis, in quo & vniuersos reficietis Sanctos, alacritatem animorum præbentes, obsequium Angelorum, & lætificationem Iesu: quoniam necdum requiem habuerunt propter nos vsque ad hanc horam, &c. Verè enim, filioli, quia nostra incõmoditas & inutilitas dolorem ijs omnibus præbet, vtuntur lachrymis, & gemitibus pro nobis, in conspectu Conditoris, & ob hoc cunctorum etiam Deus irascitur super opera nostra maligna propter gemitum Sanctorum: sicuti iterum profectus & emendatio nostrorum animorum alacritatem præbet choro Sanctorum: & vtuntur prece multa atque lætitia in exultatione, coram Creatore nostro: ipse quoque cunctorum opifex lætatur in operibus nostris, & propter testimonium Sanctorum donat nobis charismata immensa.

Athanasius. 350.

De interpretatione Psalmorum ad Marcellinum: Verùm cauendum, ne quis Psalmos secularibus ad loquendum verbis ornet, neue conetur dictiones immutare, aut omninò aliud pro alio substituere, sed simpliciter, vt scripta sunt, recitet, & psallat, vt Sancti, qui ista verba suppeditârunt, sua esse agnoscentes, comprecentur nobiscum, vt potius Spiritus sanctus, qui ita locutus est in Sanctis, conspiciens sua ibi verba resonare, nostram operam coadiuuet.

Epistola ad Felicem Papam: Vos igitur (vt semper sanctæ fidei vestræ consuetudo fuit) periclitantibus subuenite, leges imponite, vt Apostolica doctrina, quæ in Deo est, citò ad victoriam iudiciũ pertrahere valeat nostrum, nosq; (Apostolorum principe suffragante Petro) ab imminentibus periculis liberare.

Dorotheus Tyri Episcopus. 350.

In Synopsi de vita Esaiæ: Quia per Esaiam fuerat hoc factum, populus Iudæorum prope Siloam illum accuratè annuo honore sepelierunt, vt per sanctas illius preces, etiam post obitum illius, consimili modo aquæ istius beneficio frui liceret.

Cyrillus Hierosolymitanus. 360.

Catechesi Mystagogica 5. Cùm hoc sacrificiũ offerimus, postea facimus mentionem nominatim eorum, qui ante nos obdormierunt: primùm Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, vt Deus orationibus illorum & deprecationibus suscipiat preces nostras.

Basilius Magnus. 370.

Homilia 20. quæ est in Quadraginta Martyres: Hi sunt, qui nostram obtinẽtes regionem, quasi quædam turres contra aduersariorum incursum refugium exhibent. Nec vno in loco sese clauserũt, sed in multis locis hospitio recepti, multorum patrias ornauerunt, &c. Sæpe operam dedistis, sępe laborastis, vt vnum pro vobis orantem inueniretis: quadraginta sunt hi, vnam orationis emittentes vocem. *Vbi enim sunt duo vel tres in nomine Domini congregati, ibi Deus est.* Vbi verò quadraginta fuerint, quis dubitet Deum esse præsentem?

Epistola ad Iulianum Apostatam: Suscipio sanctos Apostolos, Prophetas, Martyres, qui pro me apud Deum supplicant, quò per illorum mediationem propitius mihi sit Deus noster, & remissionẽ peccatorum mihi gratis largiatur.

In Anaphora Syriaca: Cùm Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli &c. & omnes Sancti assiduas preces & obsecrationes tibi offerant, eoq; memoriam illorum celebremus, vt quando ipsi parum fidimus, memoria & legatione eorum protecti, per eos audeamus te accedere, & tremendo hoc sacro munere defungi. Esto expiator præuaricationum nostrarum tum propter sanctas preces illorum, tum propter nomen sanctum tuum.

In Liturgia: Sanctifica animas nostras & corpora nostra intercessionibus sanctæ Dei Genitricis, & omnium Sanctorum, qui à seculo glorificarũt te, &c. Præcipuè sanctæ & intemeratæ Virginis Mariæ, S. Ioannis Baptistæ, & omnium Sanctorũ tuorum, quorum postulationibus viuifica nos.

Ephræm. 370.

De compunctione cordis: Grex tuus electus, Monachorum quoque conuentus, & omnium Sanctorum, qui placuerunt ante, qui nunc in paradiso exultant, iam deprecantur pro me, & obsecrant te solum amatorem hominum: exaudies quoque eos, & saluabis me obsecrationibus eorum.

Sermone 1. de Pœnitentia: Salua me impium gratia & miserationibus tuis, & induc me in paradisum deliciarum cum omnibus iustis. Suscipe deprecationem serui tui Domine, precibus & intercessione Sanctorum omnium, qui complacuerũt tibi.

Oratione de laudibus Dei Genitricis: Precibus Dei Genitricis semper Virginis, & exercitus cælestiũ & cœtus Angelorum, Cherubim, Seraphim, Prophetarum, Martyrum, Hierarcharum, sanctorũ studiosorum intercessionibus, & omnium beatorum supplicationibus, miserere creaturæ tuæ Deus mi clementissime.

Gregorius Nazianzenus. 380.

Oratione 19. quæ est Oratio funebris in laudem patris sui mortui: Nec dubito, quin hoc nunc quoq; tanto magis deprecatione sua, quàm prius doctrina præstet; quanto nunc magis Deo appropinquat, vt qui corporeas compedes excusserit, ac limo illo, mentis puritatem inficiente, liberatus sit, nudusq; cum nuda principe illa ac purissima mente versetur, Angelici ordinis dignitatẽ & fiduciam consecutus.

Oratione 20. quæ est Oratio in laudem Basilij Magni: Ac nunc ille quidem in cælis est, illic etiam, ni fallor, sacrificia pro nobis offerens, & pro populo preces fundens: neque enim ita nos reliquit, vt prorsus nos reliquerit.

Oratione 24. quæ est Oratio in AEgyptiorum aduentum: Athanasius in bona senectute, post multas dimicationes & palæstras, vita defunctus, nunc res nostras, vt persuasum habeo, cælitus inspicit, & virtutis causa laborantibus manum porrigit; eoq́ue magis, quòd corporis vinculis liberatus est.

Epistola ad Eusebium Samosatenum epist. 133. Certus sum, quòd vir tantus, si nos suarum precum dignetur patrocinio, tantum possit apud Deum, quantum nobis prodesset, si quisquam è numero sanctorum Martyrum hoc faceret. *Apud Basilium.*

Epiphanius. 380.

In vita Esaiæ: Cæterùm quandoquidem Esaiæ Prophetæ istud acceptum referunt, in perennem eius rei memoriam populus accuratè Prophetã istic solo cum gloria & honore reddidit, vt per eiusdem intercessiones, in consummationem vsq; seculi, aquæ huiusmodi fructus impetretur, cui scilicet vsum referebant acceptum.

Gregorius Nyssenus. 380.

Oratione funebri in Meletium Episcopum: In adytis ac penetralibus sacerdos est, in interioribus veli, quò præcursor pro nobis ingressus est Christus: reliquit carnis tegumentum, non amplius signo & vmbræ cælestium seruit, sed in ipsam rerum imaginem intuetur: non amplius per speculum, atque per transennam, & ænigma: sed ipse facie cum facie collata intercedit apud Deum. Intercedit autem pro nobis, & pro populi erratis.

Oratione in S. Theodorum Martyrem: Hic enim, vt credimus, etiam anno præterito barbaricam tẽpestatem sedauit, & horrendum furorem, & immanium Scytharum bellum inhibuit, atque repressit, &c. Ipse quidem præclaro ac beato itinere abijt ad Deum, nobis verò memoriam certaminis pro doctrina reliquit, populos congregans, Ecclesiam erudiens, dæmones arcens ac fugans, Angelos pacificos reducens, rogans à Deo pro nobis vtilia, variorum morborum officinam officinæ hunc locum efficiens.

Oratione 1. in Quadraginta Martyres: Qua fiducia etiam nos intrepidè superata, intra paradisum perueniamus per illorum intercessionem, confirmati

firmati ad bonam confessionem Domini nostri Iesu Christi.

Ioannes Chrysostomus. 400.

Laudatione in sanctam Pelagiam cap 15. Faxit Deus, vt sanctæ virginis, & eorum, qui similiter certauerunt, orationibus ac precibus, & vt hæc & alia, quæ dicta sunt, diligenter memoria teneatis, & vt ad opus ipsum omnia referentes, in omnibus ad finem vsque Deo grati simus.

Sermone de Iuuentino & Maximo Martyribus: Vt milites vulnera, quæ sibi in prælijs sunt inflicta, regi monstrantes fidenter loquuntur: sic hi insecta capita gestantes, & in medium afferentes, quæcumque voluerint apud Regem cælorum impetrare possunt.

Homilia de Pœnitentia: Quicumque Sanctos vocauerit luminaria mundi non peccabit, non solùm dum essent in corpore, sed etiam magis nũc, quando de hac vita migrauerunt. Gratia enim & merita Sanctorum morte non minuuntur. Tunc quidem pisces capiebant ad mortem, nunc homines capiunt ad salutem.

Laudatione in sanctum Ignatium Martyrẽ: Quæ quidem omnia considerantes, cum omni gaudio atq; lætitia sacrum hunc locum frequentemus, vt cõtubernij, mensæq; cælestis participes cum Sanctis fieri valeamus, precibus ipsorum Sanctorum, & gratia ac benignitate Domini nostri Iesu Christi.

In Liturgia: Interuentibus Sanctorum tuorum salua nos Domine. Precibus Sanctorum tuorum salua nos Domine. Sancti Ioannis Baptistæ Prophetæ ac Præcursoris, Sanctorum & nominatissimorum Apostolorum, & Sancti huius, cuius memoriam agimus, & omnium Sanctorum supplicationibus visita nos Deus.

Philo Carpathius. 420.

In Cantica super illa verba: *Adiuro vos filiæ Hierusalem.*) Cælesti sponso nũc beati illi (*Apostolorum, Prophetarum, ac Martyrum*) spiritus in cælesti illa Hierusalem felicissimè assistunt, ac supplicãt pro sponsa hac militanti, mortali carne adhuc velata, studiosa tamen sui diuini sponsi, planeq; percupida illius assequendi.

Palladius. 420.

In historia sanctorum Patrum cap. 52. Apollo videbat quasdam reuelationes. Vidit enim suum fratrem natu maximum, qui ipse quoque fuerat cõsummatus in solitudine. Videbatur ergo eũ videre sedẽtem in eodem throno cum Apostolis, cùm ei reliquisset suarum virtutum hæreditatem, & sic pro ipso intercedebat Deum rogans, vt esset velox eius translatio.

Nilus. 420.

Extat actione 4. Synodi Nicænæ 2.

Epistola ad Heliodorum: Galata bonus senex, filio à Barbaris capto, abscõdens se in abdita quadam montis spelunca, luctu mœroreq; conficiebatur, Dominumq; nostrum Christum per intercessionem Platonis patris Martyris ad cõmiserationẽ solicitabat: idem quoque filius in vinculis per eiusdem Martyris patrocinium tentabat. Vtrorũque preces exauditæ sunt, &c.

Sabinus Constantiæ Cypri Episcopus. 430.

Extat in vita Epiphanij.

Epistola ad Polybium: Sancte pater Epiphani, scio & credo, quòd sicut, cùm in hac vita degeres, Deum exorabas, ita etiam nunc quoque potes, & aliquid amplius, &c.

Theodoretus. 450.

Lib. 8. Græcarum affectionum: Martyrum corpora non singula quidẽ singulis monumentis condun-

tur, sed ciuitates, oppida, paganiq; conuentus hęc inter sese fortitò partiti sunt, laborantibusq; animis ac ægrotis corporibus salutares eos confiteri non cessant: nihiloq; secius vrbium custodes ac locorum Præfides venerantur, quorum precibus ac interuentu apud Deum vtẽtes, per eos demum diuina munera consequuntur, &c. Hi igitur sunt verè hominum duces, principes, propugnatores, custodes, per quos à nobis infortunia auertuntur, procul q; arcentur, quæ à dæmonibus inferuntur mala.

In sanctorum Patrum historia cap. 3. de S. Marciano: Ego huic narrationi finẽ imponens, rogo, & quæso, vt per horum intercessionem diuinum consequar auxilium.

Cap. 18. de Eusebio: Ego autem rogo, vt illam consequar intercessionem, quam huc vsque percepi, dum adhuc esset superstes. Credo enim eum viuere, & habere puriorem ad Deum fiduciam.

Cap. 27. de Baradato: Mihi autem detur, vt eorum suffultus precibus, non sim procul ab hoc monte; sed paulatim conscendam, & me eorum contemplationis voluptate expleam.

Marcus Gazeus. 460.

De S. Porphyrio: Et nunc est in Paradiso deliciarum, intercedens pro nobis cum omnibus Sanctis, quorum precibus miserebitur nostri Deus.

Ephræm Chersonis Episcopus. 500.

Narratione de S. Clemente: In Dei mandatis pro viribus ambulemus, vt & sancti Martyris Clementis fruamur intercessionibus, & ineffabilia & æterna Dei bona consequamur gratia & benignitate Domini nostri Iesu Christi.

Ioannes Patriarcha Constantinopolitanus. 510.

Epistola ad Hormisdam: Vnde rogo Deum, semper eam (*Ecclesiam Romanam*) inseparabilem permanere orationibus sanctorum Apostolorum, & tuæ precibus sanctitatis.

Procopius Gazæus. 520.

Ad caput 4. Genes. *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me.*) Hoc loco sanguis pro anima accipi potest verissimè. Nam Deus exaudit Sanctos, etsi mortui fuerint, eos immortalem vitam viuere præsumendo.

Dorotheus Archimandrita. 530.

Doctrina 7. de accusatione sui ipsius: Deus ipse nos intelligere ista faciat, precibus meritisq; Sanctorũ. Amen.

Marianus Monachus. 540.

Extat in 5. Synodo Constantinopolitana act. 1.

Supplicatione ad Iustinianum Imp. Implendo itaq; quæ à sancto Agapeto iustè & canonicè iudicata fuêre, & per vestram generalem sanctionem ipsa confirmando, taliaq; de cætero præsumi interdicendo, illius beatam animam coletis; quæ cùm Deo proximior sit, eò quòd vinculo terræ & carnis huius soluta sit, & fiduciam ex proprijs operibus adepta, pro pace & salute vestræ pietatis intercedit.

Timotheus Alexandrinus. 540.

In vita S. Manæ: Ab eo die credidit magna multitudo gentilium & hæreticorum, admirantes & stupentes, quòd Deus per Sancti intercessionem curet omnem animam, &c. Eutropius verò laudauit & benedixit Dominũ Deum & omnes Sanctos eius, qui per ipsos dat salutem populo.

Procopius Cæsareensis. 550.

Oratione 1. de ædificijs Iustiniani: Deinde Diuis Prisco & Nicolao nouum templum extruxit, vbi iam Byzantini (vt plurimum) morantur, publicè illos Diuos & opitulatores venerantes & obstupescentes. Circa finus terminum in arduo satis, &

edito loco, ſanctis Coſmæ & Damiano olim templũ dedicatum eſt. Vbi Iuſtinianũ grauiter ægrotantem, & iam morituri ſpeciem præbentem, iſti Diui per ſomnũ & viſum apparentes, curauerũt

De bello Gothorum Lib.1. Hanc muri partem cùm demoliri tunc primùm Beliſarius niteretur, & iteratò ædificare cœpiſſet, obſtitêre Romani, Petrum Apoſtolum pro indubitato ſe comperiſſe aſſeuerantes, eius loci tuẽdi pollicitum curam ſe ſuſcepturum. Quod vtique Romanis ex voto ſucceſſit: quandoquidem nec eo die, quo per Gothos ſunt mœnia oppugnata, nec per omne id tẽpus, quo vrbem obſederant barbari, hoſtilis vis vlla ad hunc locum peruenit, nec planè vnquam eodem tumultuatum eſt.

Georgius Presbyter. 600.

In vita Theodori Archimandritæ: Sed, inquit, commẽdo te Deo, & ſancto eius Martyri Gregorio, vt te à periculis integrum conſeruet, &c. Vtinam S. Theodori precibus ad Dei noſtri tribunal miſericordiam conſequamur, & ſimul cum ipſo cæleſti regno potiamur.

Ioannes Moſchus. 610.

In Prato ſpirituali cap.148. Gratias tibi ago dominator Chriſte Deus noſter, quia cùm indignus ſim, veritatis tuæ præconem me facere dignatus es, & per orationes ſeruorum tuorum Petri & Leonis paruam & modicam alacritatẽ noſtram, tamquam duo viduæ minuta, ſumma & ineffabili tua benignitate ſuſcipere dignatus es.

Euſtachius Presbyter. 620.

Oratione in S. Eutychiũ: Appoſitus eſt Patriarchis Patriarcha, Martyribus Martyr, Apoſtolis Apoſtolus, qui per eorum veſtigia ſemper inceſſerat, vbi ſanctorum Apoſtolorum Andreæ, Lucæ, & Timothei corpora conquieſcunt, ante ipſum altare, ad baſin eius, vt ne poſt obitum quidem ab altari ſancto corpus eius recederet: cũ anima eius altari in cælis aſſiſteret, atque ibi cum ſanctis Angelis & Apoſtolis pro vniuerſo populo preces effunderet. AEquum erat, vt corpus, quod cum illa anima ſimul inceſſerat, & certamina pertulerat, nunquam ab almo altari ſeiungeretur, ſed cum populi ſacerdote ſupplicante, & munera Deo offerente, pro populo ſuo, & ciuitate quodammodo ſupplicaret. Nam corpora Sanctorum parem
Pſal.115. cum animis ipſorum vim habent: *Pretioſa* enim
in conſpectu Domini mors Sanctorum eius: Et: *Protegam*
4.Reg.19 *ciuitatem hanc,* inquit Dominus, *propter me, & propter*
Dauid ſeruum meum. Magnæ nobis cõſolationi ſunt
Heb.11. Sancti, qui *per fidẽ expugnauerunt regna, adepti ſunt repromiſſiones,* & plus valent poſt vitæ commutationem.

Sophronius Hieroſolymitanus. 630.

Oratione de ſanctorum Angelorum excellentia: Tu ergo vniuerſorum Rex, iuſtorum numero me accerſe, tuique gaudij, inculpatæ Matris tuæ, Angelorumq; ſanctorum, & Apoſtolorum, & Prophetarum, & Martyrum, & iuſtorum omnium, qui à ſeculo fuerunt, precibus intercedentibus, conſortes nos effice.

Germanus Patriarcha Conſtantinop. 720.

De Feſto Annuntiationis Mariæ: Ipſius precationibus Deus mundo pacem largitur, & animabus noſtris magnam miſericordiam.

Epiſtola ad Ioannem Epiſcopum Synadon: Ancillam autem & matrem Chriſti exiſtentem, verè pro genere noſtro intercedentem præſentiſſimè, ita vt Dominus ſalutem noſtram diſpenſet, illa verò materno affectu pro nobis poſcat, agnoſcimus: Sanctos denique omnes, tamquam conſeruos noſtros, & eiuſdem nobiſcum naturæ participes, gratiſſimos Dei miniſtros, & hac gratia à Deo donatos, vt beneficia à Deo data nobis miniſtrent.

Ioannes Damaſcenus. 730.

Orthodoxæ fidei lib. 4. ca.16. Sancti in mortuorum numero minimè habendi ſunt. Ex quo enim ipſamet vita, ac vitæ auctor, inter mortuos aſcriptus eſt, eos qui in ſpe reſurrectionis, fideq; erga eum, diem extremum clauſerunt, mortuos haudquaquam appellamus. Quî enim mortuum corpus miracula edere queat? Quonam itaque modo per ea dæmones expelluntur, morbi profligantur, ægroti ſanantur, cæci proſpiciũt, leproſi mundantur, tentationes ac mœrores diſcutiũtur, ac denique *omne donum optimum à Patre luminum,* eorum opera ad eos, qui fide minimè dubia poſtulant, deſcendit? Quid non laboris ſuſcipias, vt patronum quendam nanciſcaris, qui te mortali regi offerat, ac tuo nomine ad eum verba faciat? An non igitur ij honorandi ſunt, qui totius humani generis patronos ſe profitentur, ac Deo noſtri cauſa ſupplicant? Iacobi 1.

Sermone extremo de defunctis: Ita contingat Domine, vitæ dator, intercedente puriſſima Matre tua, materiaq; carentibus ac venerandis Angelis tuis, atque omnibus ſimul Sanctis tuis, qui tibi ab orbe condito grati fuerunt.

Hiſtoriæ Barlaam cap.40. Vtinam autem vos, qui hanc animis vtilem hiſtoriam legitis, atque auditis, ad eorum partem aſciſcamini, qui Deo vitæ ſuæ rationes probauerunt, per orationes & interceſſiones beatorũ virorum Barlaam & Ioſaphat, de quibus hæc hiſtoria contexta eſt.

Synodus Nicæna Secunda. 790.

Act.3.& 6. Cum Dei timore omnia agamus, poſtulantes interceſſiones incontaminatæ Deiparæ, & ſemper Virginis Mariæ: item Angelorũ, omniumq; Sanctorum.

Taraſius Conſtantinop. 790.

Epiſtola ad Ioannem Presbyterum: Poſcimus interceſſionem intemeratæ Dominæ noſtræ Deiparæ, ſanctorum item Angelorum, omniumq; Diuorũ & patrum noſtrorum.

Nicephorus Patriarcha Conſtantinop. 813.

Epiſtola ad Leonem tertium: Eorum bonorum hæredes efficiamur, quæ in Chriſto vero Deo repoſita ſunt non indignis: idq; immaculatæ inculpatæq; Matris eius, & omnium Sanctorum interceſſione: Amen.

Ignatius Nicænus. 830.

Oratione in S. Taraſiũ: Tu verò mercedẽ ac remunerationem à Deo acceperis, interceſſorem, defenſorem, & propugnatorem, & tuæ ſpei adimpletorem, quem ex Deo dilexiſti, habens Taraſiũ: qui & ſuis ad Deum interceſſionibus affatim & ſecurè præbeat, quæ ſunt vſui ad hanc caducam vitam: & præſtet, vt tuæ vitæ ita illic reddas rationem, vt reus non peragaris.

Michael Syngelus. 830.

In encomio Dionyſij Areopagitæ: Es igitur Pariſijs diuino & ſublimi altari impoſitus, inter eos, qui tecum coronati ſunt, medius aſſiſtens, benignum Ieſum verum Deum, ſummumq; ſacerdotem, coronatorem, & omnis benignitatis auctorem, vniuerſo mundo propitium reddens, quem dilexiſti, quem prædicaſti, quam capite truncatus coronam dignè retuliſti.

Theophanes Presbyter. 830.

Oratione in exilium S. Nicephori: Dei igitur, qui dicendi facultatem elargitur, benignitate confiſus, ad ſcribendum accedo, adiuuãte me precibus ſuis, orationemq; moderãte diuino patre Nicephoro, qui

qui ſe nobis maximum ad dicendum argumentũ præbuit.

Theoſterictus. 830.

Oratione funebri in S. Nicetam: Quam ſibi Chriſtus in domicilium elegit, glorioſiſſimam, inquã, ſuam matrem, omnibus alijs creaturis ſuperiorem, mundi patrocinium, quæ propter virginitatis ſuæ præſtantiam prope Deum verſatur, huius inquam venerandum nomen Conſtantinus Copronymus multis modis ab Eccleſia pellere ſtuduit. Eius verò interceſſiones, per quas mundus conſiſtit, illas ne nominare quidem voluit, cùm diceret nemini eam opitulari poſſe.

Baſilius Imp. 860.

Oratione ad Epiſcopos: Benedicamus pariter Domino gloriæ noſtræ, & principi pacis & auctori diſperſa congreganti, & bene coaptanti, interceſſionibus ſanctiſſimæ Dominæ noſtræ Dei Genitricis, Deum videntium Angelorum, & omnium Sanctorum. Amen.

Theophylactus. 900.

Ad cap.15. Matthæi: Obſerua, quòd licet Sancti orent pro nobis, ſicut pro Chananæa Apoſtoli: attamen nos pro nobis ipſis petentes magis audimur.

Simeon Metaphraſtes. 950.

In vita S. Sampſonis cap.10. Quàm multis clarus fuerit miraculis, qui eſt in rebus omnibus maximè admirabilis, non in vita ſolùm, ſed etiã multo magis poſt mortem, neque lingua poteſt dicere, neque auris admittere. Quomodo enim, cuius nec in hodiernum quidem diem conſtiterunt fluenta miraculorum? Imò verò nec conſiſtent quidem, donec ille idem fuerit, & eiuſdẽ vtetur viſceribus, pro hominibus apud Deum intercedens.

De S. Agatha: Quinto Februarij feſtum Agathæ celebrantes, glorificamus Dominum Deum noſtrum Ieſum Chriſtum, vt nos quoq; ſanctis eius interceſſionibus accipiamus remiſſionem peccatorum, & magnam miſericordiam.

O Ecumenius. 1050.

Ad verba illa 2. Petri 1. *Dabo operam & ſemper habere vos, poſt meum exitum, vt horum mentio fiat.* Nonnulli per hyperbaton intelligũt hoc modo: *Dabo operam & poſt meum exitum,* vos habere ſemper, ſiue indies & continuè horum memoriam, volentes ex hoc oſtendere, quòd etiam poſt mortem Sancti eorum meminerunt, qui hîc ſunt, & intercedunt pro viuentibus: ὅτι καὶ μετὰ θάνατον οἱ ἅγιοι μέμνηνται τῶν τηδε, καὶ πρεσβεύουσιν ὑπὲρ τῶν ζώντων.

Michael Glycas. 1110.

Parte 2. Annalium fol.269. Verùm Deus progreſſo in templum regi Ezechiæ, atq; ibi precato vatem Eſaiam mox adeſſe iubet, ac futuram ipſi proſperitatem ſignificat, huiuſmodi vſus inter alia verbis: *Protegam ciuitatem hanc tam mea, quàm Dauidis famuli mei cauſa.* Quæ quidem ita diuinitus prolata ſunt, ne putaret Ezechias orationem ſuam iuſtitiæ cauſa, qua præditus erat, exauditam eſſe. Præterea licet hinc intelligere, iuſtos homines etiam vita functos viuentium patronos agere.

Michael Choniates. 1220.

Oratione funebri in Nicetam Choniatem: His itaque de cauſis illum ad amicos (*Sanctos Dei*) peruenisſe, & in eadem illa ſempiterna tentoria, in quibus illi quieſcunt, inuectum fuiſſe, æterna cum illis beatitudine frui, denique iam pro nobis quoque audacter, & liberè, cùm alijs de cauſis, tum quia fratris amantiſſimus eſt, intercedere certò ſcio: vt ille, qui non aliter atque fuſorius ignis herbaũe balneatoria ſordidos expurgat, nos quoque tentationibus, quibus hîc obijcimur, velut igne & aqua expiet, ſicq; tandem ſuum in refrigerium tranſducat.

Nicolaus Cabaſilas. 1280.

De Liturgia cap.49. Dei Matris tamquam Dominæ ſerui meminerunt, & eius, & Sanctorum interceſſionibus, vtà Deo viſitẽtur, & eorum cura habeatur petunt.

Georgius Pachymerius. 1290.

Lib.6. Hiſtoriæ: Antiochenus Patriarcha in rupẽ mari circumfluam ab Armenio relegatus, Nicolai verò Thaumaturgi cura liberatus, Byzãtium confugit.

Nicephorus Calliſtus. 1300.

Oratione confeſſoria, quam fecit ad omnium Deum: Hoc mihi annuas velim primùm patrocinio Deiparæ virginis & matris Mariæ, interceſſione materiarum expertium & incorporeorum tuorum miniſtrorum, Præcurſoris tui Ioannis Baptiſtæ, glorioſorum Apoſtolorum, & omnium, qui à ſeculo placuerunt tibi.

Ioannes Cantacuzenus. 1350.

Serm.3. contra Maometh: Deus propitius ſit nobis & omnibus Chriſtianis in die iudicij, interceſſione benedictæ Dominæ noſtræ Deiparæ & ſemper virginis Mariæ, omniumque Sanctorum. Amen.

Gennadius Scholarius. 1440.

In concilio Florentino, vbi Græcorum nomine Latinis gratias agit: Id quod ratum fac ſancte Deus, Rex vere & conditor meus, per preces Deiparæ, & ſanctiſſimæ virginis Mariæ, Sanctorum Angelorum, & omnium Sanctorum.

Helena Regina Æthiopum. 1509.

Epiſtola ad Emmanuelem Regem Luſitaniæ: Dominus Deus te bene fortunet, tibi victoriam de inimicis tuis donet, per deuotas preces nuntiorum Redemptoris Chriſti, nempe per quatuor Euangeliſtarum, Ioannis, Lucæ, Matthæi, Marci regnũ tuum longè lateq; dilatet, & extendat, quorum ſanctitates & orationes te ſeruent.

Euchologion Græcorum impreſſum Venetijs anno 1536.

Venerandi & glorioſi Baptiſtæ Prophetæ tui ac Præcurſoris interceſſione Chriſte meus Saluator famulos tuos tuere.

Glorioſorum Apoſtolorum, & Martyrum, & omnium Sanctorum tuorũ precibus largire miſericordias populo tuo.

Hieremias Pat. Conſtant. 1580.

Reſponſ.1.cap.21. Mediatores facimus omnes Sanctos: imprimis autem & excellenter ante alios omnes ipſam Dei Genitricem virginem Mariam, matrem Dei: ſecundùm hanc autem, atque ſecundùm Angelorum atque aliorum Sanctorum choros, templis, donarijs, ſupplicationibus, ſacris imaginibus eorum non proprio Dei cultu, ſed relatè & conſideratione quadam ad ipſa exemplaria honorem facimus, illisq; aduoluimur, &c. Et alios Sanctos omnes mediatores nobis & aduocatos conſtituimus, nec in præſenti tantùm hac vita, ſed etiam in futura. Nam & hæc mediatio quædam eſt, cùm Angeli alijq; Sancti, atque adeò non minus ipſa mundi Domina pro nobis exorat.

Gabriel Alexandrinus. 1595.

Epistola ad Clemẽtem Octauum: Deum altissimum rogamus, vt Ecclesia sit vna Catholica & Apostolica, sine diuisione, & sine separatione, precibus sanctissimæ Dominæ Mariæ semper virginis, & optimorum Patrum nostrorum, sanctorum Apostolorum. Amen.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Cornelius. 250.

Epistola 2. Orantes Deum & Dominum nostrum Iesum Christum, vt intercedentibus sanctis eius Apostolis maculas purget peccatorum vestrorum.

Cyprianus. 250.

Lib 1. epist. 1. *Epistola 57.* Memores nostri inuicem simus, concordes, atque vnanimes; vtrobiq; pro nobis semper oremus, pressuras & angustias mutua charitate releuemus: & si quis isthinc nostrûm prior diuinæ dignationis celeritate præcesserit, perseueret apud Dominum nostra dilectio, pro fratribus & sororibus nostris apud misericordiam Patris non cesset oratio.

Lib. de mortalitate: Magnus nos illic charorum numerus expectat parentum, fratrum, filiorum: frequens nos illic turba desiderat, iam de sua immortalitate secura, & adhuc de nostra incolumitate solicita.

Tractatu de disciplina & habitu virginum: Durate fortiter, spiritaliter pergite, peruenite feliciter: tantum tunc mementote nostri, cùm incipiet in vobis virginitas honorari.

De stella, & Magis, & Innocentum morte: Innocentes in ordine Sanctorum Protomartyres primũ habeant locum, & secretorum cõscij diuinorum propinquitate familiarissima, clementiam Dei pro nostris exorent laboribus, quos vsque hodie funestus Herodes persequitur, quorum sanguine & morte diabolus delectatur.

Marcus PP. 336.

Epist. ad Athanasium: Sancta Romana Ecclesia semper immaculata permansit, & Domino præuidente, & beato Petro Apostolo opem ferente, in futuro manebit, & sine vlla hæreticorum insultatione firma omni tempore persistet.

Hilarius. 350.

Ad Psal. 124. Non simus pcursibus vagi, neq; vijs incerti, neq; inanis doctrinę vento euolantes. In ęternũ enim manendũ est, si sine cõmotione steterimus. Sed neq; desunt stare volẽtibus Sanctorum custodiæ, neq; Angelorum munitiones. Dicitur enim: *Montes in circuitu eius, & Dominus in circuitu populi sui, ex hoc & vsque in seculum.* Hos ergo secundùm superiora exempla montes esse existimabimus, humilitatem terræ excedentes, firmos & excelsos & immobiles. Cùm enim & montem significari Ecclesiam, id est, Dominum in corpore legimus, & inuenimus montes Dei exultare, atque lætari, (scriptum est enim: *Montes exultauerunt vt arietes:*) quomodo possumus montes non eos significatos esse intelligere, qui super terrenam naturam gloriosi iam in Dei rebus exultant? Ac ne leue præsidium in Apostolis, vel Patriarchis, ac Prophetis, vel potius in Angelis, qui Ecclesiam quadam custodia circumsepiant, crederemus, adiectum est: *Et Dominus in circuitu populi sui, ex hoc & vsque in seculum.* Sed fortè Apostolorum, vel Angelorum custodia sufficiens existimetur. Verum id quidem est, sed & Mosen audiamus. Namque cùm ei Dominus dixisset: *Ecce Angelus meus antecedet te*: & ille respondit: *Nisi tu mecum ambulaturus es, ne me expellas hinc.* Bonum quidem præsidium Angeli, sed melius Domini. Exod. 32.

Ambrosius. 370.

Libro de viduis: Cùm socrus Simeonis magnis febribus detineretur, Petrus & Andreas rogauerũt Dominũ pro ea. *Et stans super illam, imperauit febri, & remisit illam: & continuò surgens ministrabat illis.* Magnis, inquit, *tenebatur febribus, & rogauerunt illum pro ea.* Et tu habes proximos, qui Deo pro te supplicent. Habes Apostolos proximos, habes Martyres proximos, si ipsa Martyribus deuotionis societate, misericordiæ quoque muneribus appropinques. Proximus est enim qui misericordiam facit. Fac & tu misericordiam, & eris Petro proxima. Non sanguinis necessitudo, sed virtutis cognatio facit proximos: quia non in carne ambulamus, sed in spiritu. Ama ergo propinquitatem Petri, affinitatem Andreæ, vt pro te rogent, & recedant cupiditates tuæ verbo Dei pulsæ. Surgas illicò, quæ in terris iacebas, vt Christo ministres, &c. Habetis ergo viduæ auxilium, si tales vobis generos, posteritatis vestræ patronos, tales proximos eligatis. Ergo rogauerunt pro vidua Petrus & Andreas. Vtinã existat aliquis, qui tam citò possit rogare pro nobis, vel certè iste, qui pro socru rogat Petrus, & Andreas frater eius. Tunc enim pro affinitate poterant, nunc iam possunt pro nobis & pro omnibus impetrare. Luc. 4.

Oratione funebri de obitu Valentiniani Imp. Ne quæso eum, Domine, à fratre seiungas, ne iugum hoc piæ germanitatis patiaris abrumpi. Hic tuus iam, & tuo iudicio vindicatus, periclitatur amplius Gratianus, si separetur à fratre (*Valentiniano,*) si non mereatur esse cum eo, per quem meruit vindicari. Quas ille nunc manus ad te Pater erigit, quas pro fratre preces fundit? quo ei inhæret amplexu? quemadmodum sibi eum non patitur auelli? Adest enim pater, qui militiam sub Iuliano, & tribunatus honores fidei amore contempsit. Dona patri filium, fratri germanum, quorũ vtrumque imitatus est, alterum fide, alterum deuotione pariter atque pietate in templorum priuilegijs denegandis.

Libro 2. de Iacob, & vita beata cap. 10. Nec te Eleazare prętermittam, vtpote sacerdotum sacerdos, sed tuis iuuandum oratis, qui genere sacerdos, peritus in lege, maturus æui, cùm oblatus esses Antiocho persecutori, nec tentamentis potuisti capi, nec pręmijs inflecti, nec suppliciorum acerbitatibus frangi. 2. Mac. 6.

Prudentius. 380.

Hymno 1. de Hemiterio & Chelydonio:

Exteri nec non & orbis huc colonus aduenit:
Fama nam terras in omnes præcucurrit proditrix,
Hîc patronos esse mundi quos precantes ambiant.
Nemo puras hîc rogando frustra congessit preces:
Lætus hinc tersis reuertit supplicator fletibus,
Omne quod iustum poposcit impetratum sentiens:
Tanta pro nostris periclis cura suffragantium est.
Non sinant inane vt vllus voce murmur fuderit,
Audiunt, statimq; ad aurem Regis æterni ferunt,
Inde larga fonte ab ipso dona terris influunt,
Supplicum causas petitis quæ medelis irrigant,
Nil suis bonus negauit Christus vnquam testibus.

Hymno 3. de Eulalia:

Illa Dei sita sub pedibus
Prospicit hæc, populosq; suos
Carmine propitiata fouet.

Hymno 4. de Martyribus Cæsaraugustanis:

Hæc sub altari sita sempiterno
Lapsibus nostris veniam precatur
Turba, quam seruat procerum creatrix
———Purpureorum.

Hymno 6. de Fructuoso, Augurio, & Eulogio:

Exultare tribus libet patronis,
Quorum præsidio fouentur omnes
Terrarum populi Pyrenæarum.

Hymno 9. de Cassiano:

Suggere, si quod habes iustum, vel amabile votum:
Spes si tibi est quæ, si quid intus æstuas:
Audit, crede, preces Martyr prosperrimus omnes,
Ratasq; reddit, quas videt probabiles.

Hymno 14. de S. Agnete:

Agnes sepulchrum est Romulea in domo
Fortis puellæ, Martyris inclytæ.
Conspectu in ipso condita turrium
Seruat salutem virgo Quiritium:
Nec non & ipsos protegit aduenas,
Puro ac fideli pectore supplices.

Hieronymus. 390.

Aduersus Vigilantium cap. 3. Dicis in libello tuo, quòd, dum viuimus, mutuo pro nobis orare possumus; postquam autem mortui fuerimus, nullius sit pro alio exaudienda oratio: præsertim cùm Martyres, vltionem sui sanguinis obsecrantes, impetrare non quiuerint. Si Apostoli, & Martyres, adhuc in corpore constituti, possunt orare pro cæteris, quando pro se adhuc debent esse soliciti: quanto magis post coronas, victorias, & triumphos? Vnus homo Moses sexcentis millibus armatorum impetrat à Deo veniam: & Stephanus, imitator Domini sui, & primus Martyr in Christo, pro persecutoribus veniam deprecatur: & postquam cum Christo esse cœperint, minus valebunt? Paulus Apostolus ducentas septuaginta sex sibi dicit in naui animas condonatas: & postquam resolutus esse cœperit cum Christo, tunc ora clausurus est, & pro ijs, qui in toto orbe ad suum Euangelium crediderunt, mutire non poterit? Meliorq; erit Vigilantius canis viuens, quàm ille leo mortuus? Rectè hæc de Ecclesiaste proponerem, si Paulum in spiritu mortuum confiterer. Denique Sancti non appellantur mortui, sed dormientes. Apoc. 6. Exod. 32. Act. 7. Act. 27. Eccl. 9.

Epistola 25. ad Paulam super obitu Blesillæ ca. 6. Quas nũc existimas Blesillam nostram pati cruces, quę ferre tormenta, quòd tibi Christum videat subiratum? Clamat nũc illa lugenti: Si vnquã me amasti mater, si tua vbera suxi, si tuis instituta sum monitis; ne inuideas gloriæ meæ, nec hoc agas, vt à nobis in perpetuum separemur. Putas esse me solam? Habeo pro te Mariam matrem Domini: multas hîc video, quas ante nesciebam. O quanto melior est iste comitatus. Habeo Annam, quondam in Euangelio prophetantem: & quò magis gaudeas, tantorum annorum labores ego in tribus mensibus consecuta sum. Vnam palmam castitatis accepimus. Misereris mei, quia mundum reliqui? At ego vestri sortem doleo, quos adhuc seculi carcer includit; quos quotidie in acie præliantes nunc ira, nunc auaritia, nunc libido, nunc variorum incentiua vitiorum pertrahunt ad ruinam. Si vis, vt mater mea sis; cura placere Christo. Non agnosco matrem meo Domino displicentem. Loquitur illa & alia multa, quæ taceo; & pro te Dominum rogat, mihiq;, vt de eius mente securus sum, veniam impetrat peccatorum: quod monui, quod hortatus sum, quod inuidiam propinquorũ, vt salua esset, excepi. Luc. 2.

Gaudentius. 400.

Sermone de vita Petri & Pauli, qui habetur lib. 3. Sermonum Zenonis numero 48. Communicemus igitur fratres Sanctorum memorijs fide, opere, conuersatione, sermone, vt mereamur eorum precibus ad omnia quæcumque poscimus adiuuari, largiente gratia Domini nostri Iesu Christi, cui omnis gloria in secula seculorum. Amen.

Augustinus. 400.

Ad Psal. 85. Dominus noster Iesus Christus adhuc interpellat pro nobis: omnes Martyres, qui cum illo sunt, interpellant pro nobis. Non transeunt eorum interpellationes, nisi cùm transit gemitus noster.

Ad Psal. 88. Natalitia Sanctorum cum sobrietate celebrate, vt imitemur eos, qui præcesserunt; & gaudeant de vobis, qui orant pro vobis: vt benedictio Domini in æternum maneat super vos.

Sermone 5. de Sanctis, in Festo Petri & Pauli: *Et ponebant infirmos suos, vt vmbra saltem Petri transeuntis obumbraret eos.* Si tũc opem ferre poterat vmbra corporis, quanto magis nunc plenitudo virtutis? Si tunc supplicantibus proderat aura quædam transeuntis, quanto magis gratia nunc permanentis? Meritò per omnes Christi Ecclesias auro pretiosius habetur ferrum illud pœnalium vinculorum: si ad præsidia supplicantium tam potens fuit ante martyrium, quãto magis efficax post triumphum? Act. 5.

Lib. 20. contra Faustum cap. 21. Populus Christianus memorias Martyrum religiosa solennitate concelebrat, & ad excitandam imitationem, & vt meritis eorum consocietur, & orationibus adiuuetur.

Tractatu 8. in Ioannem: Ideo quippe ad mensam non sic Sanctos commemoramus, quemadmodum alios, qui in pace requiescunt, vt pro ijs oremus, sed magis vt orent ipsi pro nobis, & eorũ vestigijs adhæreamus.

Paulinus Nolanus. 410.

Natali 8. S. Felicis:

Concurramus ad hunc spe conspirante patronum,
Suscipiat nostras placida pietate querelas,
Et dum natalem ipsius celebramus ouantes,
Ille preces nostras meritis pius asseret altis,
Inq; vicem flebit nobis, quia mente dicata
Nos lætamur ei: non est cura hæc noua Sanctis
Exorare Deum pro peccatoribus ægris,
Viq; boni meriti meritum superare sinistrum.
Sic legimus Mosen populo peccante precatum,
Extinxisse graues æterni vindicis iras.
In sancto Felice Deus, per quem bona dona
Et medicas exercet opes terraq; mariq;:
Omni namq; die testes sumus vndiq; crebris
Cœtibus aut sanos gratantia reddere vota,
Aut ægros varias petere ac ambire medelas.

Seuerus Sulpitius. 410.

Epistola 2. ad Aurelium de S. Martino: Non deerit nobis, non deerit, mihi crede; intererit de se sermocinantibus, astabit orantibus: quodque iam hodie præstare dignatus est, videndum se in glo-

ria sua sæpe præbebit, & assidua nos benedictione proteget, &c. Spes tamen superest sola illa postrema, vt quòd per nos obtinere non possumus, saltem pro nobis orante Martino mereamur.

Epistola ad Brassulam: Martinus pauper & modicus cælum diues ingreditur: illinc nos, vt spero, custodiens, me hæc scribentem respicit, te legentem.

Licentius Afer. 420.

Carmine ad D. Augustinum:

Perge viam, qua te soboles præclara Tonantis
Perducit, sternens in planos ardua campos,
Et cùm luciferos præcordia vesper in ortus
Distulerit, sanctumq; super benedixerit ignem,
Sis memor ipse mei, bibulam qui ponitis aurem
Legibus inuictis, contundite pectora palmis.

Maximus Taurinensis. 430.

Homilia 2. de S. Laurentio: Magnus ille Sixtus, qui commissis à Deo sibi ouibus adfuerat pastor in terris, aderat patronus è cælo.

In Natali sanctorum Martyrum Tauricorum: Licet vniuersi Sancti vbique sint, & omnibus prosint: specialiter tamen illi pro nobis interueniunt, qui & supplicia pertulêre pro nobis, &c. Cuncti igitur Martyres deuotissimè percolendi sunt, sed specialiter ij venerãdi sunt à nobis, quorum corpora possidemus. Illi enim nos orationibus adiuuant, isti etiam iuuant passione. Cum his autem nobis familiaritas est: semper enim nobiscum sunt, nobiscum morantur: hoc est, & in corpore nos viuentes custodiunt, & de corpore recedentes excipiunt, &c. Et ideo fratres veneremur eos in seculo, quos defensores habere possumus in futuro.

Vranius Presbyter. 440.

In vita Paulini Nolani: O virum sanctum, & omnium ore laudabilem, qui sic vixit, vt non solum sibi, sed etiam omnibus viueret, & ideo quia multis vixit in hoc seculo, nũc sibi viuit in Christo, & tamen non sibi tantùm, sed etiam nobis, qui quotidie orat pro nobis.

Petrus Chrysologus. 440.

Epistola ad Eutychen Abbatem: In omnibus autem hortamur te frater honorabilis, vt his, quæ à beatissimo Papa Romanę ciuitatis scripta sunt, obedienter attendas: quoniam B. Petrus, qui in propria sede viuit & præsidet, præstat quęrentibus fidei veritatem.

Hilarius Arelatensis. 450.

In vita S. Honorati: Cumq; ego impedita singultibus vtcunq; poterã verbis ipsius verba subnectere, quòd iam non destitutionem eius dolerẽ: quippe qui mihi orationum suarum patrocinia nunquam defutura confiderem, quin & post transitum suum validiora præsumerem: vno me dolorum suorum vulnere, & difficilium inter extrema luctaminum grauiter affligi, &c.

In vita Genesij: Quæ hîc, nisi Christi, per intercessionem Martyris sui Genesij, præsens virtus operata est?

Leo Magnus. 450.

Sermone 1. in Natali Apostolorum Petri & Pauli cap. 7. Sicut autem & nos experti sumus, & nostri probauêre maiores, credimus atque confidimus, inter omnes labores istius vitę, ad obtinendam misericordiam Dei, semper nos specialium patronorum orationibus adiuuandos: vt quantum proprijs peccatis deprimimur, tantum Apostolicis meritis erigamur.

Ser. 2. c. 3. Nam & post resurrectionẽ suam Dominus B. Petro Apostolo post regni claues, ad trinam terni amoris professionem, mystica insinuatione ter dixit: *Pasce oues meas:* quod & nunc procul dubio facit, & mandatum Domini pius pastor exequitur, confirmans nos exhortationibus, & pro nobis orare non cessans, vt nulla tentatione superemur. Si autem hanc pietatis suæ curam populo Dei, sicut credendum est, vbique protendit: quanto magis alumnis suis opem suam dignatur impendere, apud quos in sacro dormitionis thoro, eadem, qua præsedit, carne requiescit? Ioan. 21.

De ieiunio septimi mensis Sermone 5. cap. 4. Sabbato apud Beatissimum Petrum Apostolum Vigilias celebremus, eius orationibus adiuuandi, vt sanctorum desideriorum consequamur effectum.

Sermone 7. cap. 4. Sabbato apud B. Petrum Vigilias celebremus, cuius nobis orationes suffragabuntur, & merita.

Serm. 9. cap. 4. Sabbato apud B. Petrum Apostolum Vigilias celebremus, cuius nos meritis & orationibus credimus adiuuandos.

Prosper. 460.

De promissionibus & prædictionibus Dei, de gloria Sanctorum in peroratione: In ara contriti cordis immolati holocausta, non sine incenso orationum omnium Sanctorum, quibus me ab omni peccato expiari posse confido.

Faustus Rhegiensis. 470.

Epistola ad Paulinum: Et hoc etiam animum tuum prouida in futurum cura solicitat, vtrum animæ exutæ corpore sentiendi & intelligendi vigorem affectumq; non exuant. Interrogemus diuitem illum ex Euangelio, non in terris aureis, vt poëtarum deliramenta adferũt, oberrantem, sed in inferni carcere, ex illorum numero, qui inclusi pœnam expectant, inter flammas conscientiæ ante diem iudicij constitutum, pro fratrũ, qui adhuc in mundo erant, emendatione solicitum, colloqui cum Abraham, per interiectum chaos vastissimum sedulam obsecrationem miscentem, & viuaci germanorum recordatione pulsatum, ita pro viuentibus supplicasse: *Rogo te Pater Abraham, vt mittas Lazarum in domum patris mei: habeo enim quinque fratres, vt testificetur ille, ne & ipsi veniant in hunc tormentorum locum; & si quis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent.* Ecce in inferni angustia damnatus, nullum iam de se remedium habens, tamen antiquum in fratres seruat affectum, & dum damnatus pro peccatoribus rogat, magnam inter paradisi nemora respirantibus iustis pro charorum suorum commodis curam esse demonstrat. Luc. 16.

Victor Vticensis. 480.

De passione septem Martyrum Carthaginensium: Tunc valebo quæ designata sunt indicare, si ipsi Martyres dignentur pro me misero Domino supplicare.

Symmachus PP. 500.

Apologetico aduersus Anastasium Imp. Me quidem ista non sauciant, sed te palam aperteqúe demonstrant, meum cogitasse honorem repellere, quem interuentu suo beatus Petrus imposuit, &c.

Ennodius Ticinensis. 510.

Hymno de S. Cypriano:

Nunc munus implet pristinum:
Orator orat, obtinet,

Et dura

Et dura causis temperat:
Facit beatos ex reis,
Peccata rumpens carmine.

Hormisda. 516.

Epistola 7. Ruffinum Diaconum, qui nobis literas vestras obtulit, in Christi charitate suscepimus: quem Apostolorum orationibus commendantes, cum pace remisimus.

Primasius. 530.

Libro 2. in Apocalypsi: Hæc sunt vasa aurea in domo magna boni odoris, Christi suauitate fragrãtia: orationes porrò Sanctorum gratiarum actiones sunt, congratulantium pro mundi salute, & intercessiones pro paruulorum stabilitate.

Cassiodorus. 550.

Lib. 1. Institut. cap. 23. Fuit nostris temporibus Dionysius Monachus Scytha natione, sed moribus Romanus, in vtraque lingua valde doctissimus: fuit in illo cum sapientia magna simplicitas. Interueniat pro nobis, qui nobiscum orare consueuerat, vt cuius hîc sumus oratione suffulti, eius possimus nunc meritis adiuuari.

Fortunatus. 570.

Ad finem libri 2. Vitæ S. Martini:

Nam prece posse vales apud illum, cuius haberis:
Quod peto tu poteris, quia totum præstat amicis:
Sic tibi quæque petit tribuat præsentia regis.

Libro 3. carminum, de Basilica S. Georgij Martyris:

Qui virtute potens Orientis in axe sepultus,
Ecce sub Occiduo cardine præbet opem.
Ergo memento preces & reddere vota viator:
Obtinet hîc meritis, quod petit alma fides.

Gregorius Turonensis. 580.

Lib. 4. vitæ S. Martini, in Prologo: Precibus Sanctorum & ipsam peccaminum remissionem non dubitamus adipisci, & non modò hanc mereri, verùm ab infernalibus supplicijs eorum interuentu saluari. Confidimus enim, quòd sicut hîc morborum genera referant, ita illic sæuas tormentorum pœnas auertant: & sicut hîc mitigant pœnas corporeas, ita illic restinguant æternas: & quomodo hîc lurida lepræ vlcera mundant, ita illic delictorum languoribus mederi suo interuentu obtineant.

Dinamius Patricius. 580.

In Maximo Rhegiensi Episcopo: Nos tota deuotione, summoqúe animi studio rogemus omnipotentem Deum, vt beatissimi Præsulis huius patrocinio fretis nobis det veniam peccatorum.

Gregorius Magnus. 590.

Lib. 3. epist. 30. Sanctorum Apostolorum virtutem, quos toto corde & mente diligitis, nõ ex corporali præsentia, sed ex protectione semper habebitis.

Lib. 7. epist. 96. Cui omnipotentem Deum intercessione B. Petri Apostolorum Principis rẽtributorem citius esse confidimus.

Lib. 9. epist. 38. Cuius corpus vos terra cooperuistis, eius vos intercessio ab omnibus peccatis protegat in cęlo.

Gordianus Siculus. 600.

In vita S. Placidi: Hic nunc cum his, qui sequuntur Agnum, canticum nouum decantare non cessat. Apud hunc igitur dignetur pro nobis interuenire.

Honorius Primus. 630.

Epistola ad Eduinum Regem Angliæ: Prædicatoris igitur vestri Domini mei Apostolicæ memoriæ Gregorij lectione frequenter occupati, præ oculis affectum doctrinę ipsius, quem pro vestris animabus libenter exercuit, habetote: quatenus eius oratio & regnum vestrum populumqúe augeat, & vos omnipotenti Deo irreprehensibiles repræsentet.

Iulianus Toletanus. 680.

Lib. 2. Prognost. cap. 26. Si sepultus diues in inferno Abraham pro fratribus orat, vt admoneãtur, ne & ipsi in iniqua tormenta deueniant; quomodo piorũ animæ, & maximè in requie constitutæ, charorum superstitum creduntur solicitudinem amisisse? Orare ergo possunt pro salute viuentium, in quantum à Domino permittuntur: nam vtique recordari veraciter possunt, quos in hoc seculo positi dilexerũt. Sensum enim, quo viuentes cum viuentibus adfuerunt, non amisisse, sed liberiorem illic habere credendæ sunt, vbi onere corporali grauari non possunt. Nam iuxta diuinam sententiam, *corpus corruptibile aggrauat animam.* Ergo anima, quæ nunc corpore grauatur, liberior corpore absoluta efficitur. Est igitur animę post mortem & sensus integer, & memoria plena. Ergo anima, quæ illic certo recordationis officio vtitur, proximorum dulcedinis recordatur. Recordans ergo quos amauit in seculo, commendare eos potest precibus Christo: quamquam nihil aliud orationes fidelium animarum, quàm desiderium earum accipiatur. Illud quoque dico, quòd celeberrima sit in hac re Ecclesiæ consuetudo, cùm se morituris commendat, & memores eos sui esse præoptat. Sic Martyribus, cùm morerentur, superstitum charorum se familiaritas commendauit: sic se quotidie piorum turba fidelium euocandis ab hoc seculo electis animabus committit, & vt semper sui sint memores poscit. Nec enim fides viuentium id à morientibus posceret, si apud se incertũ haberet, quòd in nullo eos iuuare possent post mortem. Sed quia tantę auctoritatis solicitudo nõ præterit, sequens rei multoties effectus probauit, cùm ea, quæ plerique viuentes à morientibus sibi fieri petunt, sine dilationis damno consequuntur. L cæ 16. Sap. 9.

Beda. 700.

In Sermonibus varijs, Homilia de Petro & Paulo: Precemur Deum, vt per suam misericordiam, & preces Apostolorum Petri & Pauli det nobis ita in hoc seculo viuere, vt dum animæ de corporibus exierint, ad æternam possint venire gloriam.

Homilia de S. Laurentio: Deprecemur Deum, vt per intercessionem S. Laurentij det nobis sic istum Martyrem imitari, vt cum illo vitam æternam habere mereamur.

Historia Anglorum lib. 3. cap. 12. Nec mirandũ, preces illius regis, iam cum Domino regnantis, multum valere apud eum, qui temporalis quondam regni gubernacula tenens, magis pro æterno regno semper laborare & deprecari solebat.

Ad cap. 7. Lucæ: Nos, qui de genitibus credimus, non ipsi ad Dominum venire possumus, quem nunc in carne videre nequaquã valemus, sed quicunque passiones nostrę seruitutis agnouimus, ad residentem in dextera Patris iam per fidem accedere debemus, iam seniores Iudæorum mittere, hoc est summos Ecclesiæ viros, qui nos ad Dominum præcesserunt, suppliciter obsecrando patronos acquirere, qui nobis testimonium reddentes, quòd diligamus Ecclesiam, & quantum in nobis est ædificare curemus, vt pro nostris apud Deum peccatis intercedant.

Alcuinus. 750.

In vita S. Richardi: Vnde intelligi datur, quam habeat apud Deum potestatem pro nobis interce-

dendi peccatis, si cum fide clamemus ad illum, qui tanta est virtute præditus depellendi morbos ab illis, qui cum fide veniunt ad illum.

Aribo Frisingensis. 770.

Vitæ S. Corbiniani cap. 46. Atque per eius merita & preces magnas ibi virtutes diuina potentia efficere dignatur, & multis in Deum verè credentibus, & fideliter petentibus sanitates illic iugiter conferuntur, præstante & miserante Domino nostro Iesu Christo.

Paulinus Aquileiensis. 770.

Aduersus Felicem Orgelitanum: Iesus Christus Catholicum, & clementissimum, & semper inclytum Dominum Carolum Regem per intercessiones B. Mariæ, per quam meruimus auctorem vitæ suscipere, & beati Petri primi pastoris Ecclesiæ, omniumqúe Sanctorum circumcingat & defendat.

Adrianus Primus. 780.

Epistola ad Constantium & Irenem AA. Ex his liquidò constat, ob recordationem Sanctorum imagines tantùm pingi, venerari, & coli, quos clarè cõstat seruos esse Dei, & pro nobis apud Deitatem obsecrantes, & intercedentes.

Haymo. 820.

Homilia de diuite & Lazaro: Exemplo diuitis nos instruimur, quia animę beatorum, in æterna beatitudine receptæ, pro salute charorum, quos inter seculi pericula reliquerunt, intercedere creduntur.

Æmoinus. 825.

Historiæ Francorum lib. 3. cap. 24. Non tulit Guntranus superbia iactantem, sed manus eleuans in cælum, prodigia facientem inuocauit Dominum, & vt sibi per intercessionẽ B. Martini misereretur orauit.

Hildoinus. 840.

Epistola ad Ludoicum Pium: Christianus animus vester sic euidentissimè erga se diuinæ bonitatis beneficia, & Sanctorum cognoscit solatia, & tam promptissimè se accensum ostendit circa auctoris, & reparatoris sui, seu specialium suffragatorum suorum venerationem atque obsequium.

Hincmarus. 850.

In Encomio S. Remigij: Sancti quo vicinius præsentem Domini vultum cernunt, eò se ardentius eius dilectioni totos impendunt: quò proximos suos omnes esse electos, ac Deo dilectos agnoscunt; quò corda illorum non minus quàm sua syncero animo referta respiciunt, eò illos ipsi non minus quàm seipsos amare delectantur. Nam pro fideliter laborantibus in huius vitæ agone Sancti Dei orant, ijsqúe compatiuntur.

Rabanus Maurus. 850.

Epistola ad Otgarium: Suppliciter posco, vt cùm Deo opitulante ad limina Apostolorum venietis, mei miseri & valde peccatoris in sacris orationibus vestris memores esse dignemini; quatenus princeps Apostolorum, cui claues regni cælorum commissæ sunt, cùm votis vestris annuerit, & pro vobis apud Dominum intercessor fortissimus extiterit, tunc etiam mihi veniam peccatorum meorum exorare & impetrare dignetur.

Ionas Aurelianensis. 860.

De cultu imaginum lib. 1. Salus animæ scimus quòd non nisi à Deo detur, sed fideliter credimus, quòd per Sanctorum interuentum nobis immeritis ab eo largiatur.

Ioannes Octauus. 870.

Epist. 12. Sanctus Papa Gregorius, Anglorũ gentis Apostolus, intercessor vester apud Deum.

Epist. 77. Et ideo pro tam sancto labore B. Petro Apostolo clauigero regni cælorum intercedente, operies, sicut scriptum est, multitudinem peccatorum.

Ioannes Leuita Romanus. 870.

Præfatione in vitam S. Gregorij: Peto vt B. Gregorij precibus, & in hoc seculo ab æmulorum insidijs, & in futuro à futurorum nexibus merear misericorditer liberari per Dominum nostrum Iesum Christum.

Regino Prumiensis. 910.

In Chronicis de anno 773. Carolus Rex cum omnibus auxiliante Domino, & intercedente Beato Petro, sine læsione Italiam ingressus est.

De anno 871. Capuani corpus sancti Germani Episcopi in feretro leuant, & sic portis apertis supplices castra Imperatoris petunt, orantes eiusdem Sancti interuentu sibi veniam largiri.

Odo Cluniacensis. 920.

Narratione in reuersione B. Martini Turonensis de Burgundia: Verè mirabilis Deus in Sanctis suis. Sancti siquidem patrocinãte suffragio, & obsessis securitas, & confidentia redditur; & obsessoribus formido, & pauor non modicus immittitur.

Ratherius Veronensis. 930.

Præfatione in vitam S. Vrsmari: Apud Dei clementiam pium interc esforem iugiter inuenire mereamur Vrsmarum sanctissimum Pontificem.

Witichindus. 950.

Libro 1. Annalium: Colito tantum patronum S. Vitum, quo aduenient e Saxonia ex serua facta est libera, ex tributaria multarum gentium domina. Neq; enim talis ac tantus summi Dei amicus tui gratia indiget, nos verò famuli ipsius indigemus. Vnde cùm eum possis habere intercessorem apud cæleste m Imperatorem, habeamus te aduocatum apud terrenum regem, tuum scilicet patrem atque fratrem.

Stephanus Monachus. 990.

De S. Maurino: Non enim beatorum spiritus sui hominis penitus deserunt exuuias, arma scilicet suæ militiæ, in quibus de antiquo triumphauerũt serpente. Isti enim sunt inclyti propugnatores tui, ô redempta Christi cruore Ecclesia: isti stant pro filijs tuis, ne eos barathro oris absorbeãt toto aere vagantes spirituum corruptores. Sed emeriti testes Christi, Angelorum ciues, imò consules pro meritis creati, etiam nunc iniquitatis satellites per te expugnant, quos per se vicerant. Hi reos Deo conciliant, orbem portant, tartara spoliant, vt Angelorum numerum expleant, & muros Hierusalem extruant.

Berno Augiensis. 1020.

Sermone 1. de S. Marco Euangelista: Rectius tamen nũc ob diuini amoris augmentum videtur huiusmodi sortitus esse vocabulum, in quo sanctæ Dei Genitricis ac semper Virginis Mariæ, aliorumque Sanctorum merita fideliter petentibus virtutum præstantur augmenta. Inter quos post virginem matrem ille meritò præcellit, qui spiritualis gratię priuilegium in Euangelio Christi promeruit, sanctus videlicet Marcus Dei, & Petri in baptismate filius.

Petrus Damianus. 1050.

In Festo Omnium Sanctorum: Isti sunt Sancti aduocati, quos apud iudicem habemus: pro quo isti interc esserint, sententiam non timet capitalem. Confugiamus ergo ad probata suffragia, nec nos deterreat enormitas peccatorum: quia maior est illorum pietas, quàm impietas nostra. Consiliarij sunt regis nostri, & ipsius iræ sæpe resistunt, nec

nos

nos deserunt in tempore malo: sciunt enim vbi nos reliquerint, quantis hostium insidijs pateamus.

Adelmannus Leodiensis. 1050.

Epistola ad Berengarium: Nos sanctiorẽ vitã salubriorem; doctrinam Socratis quondã doctoris Academiæ Carnotensis hominis Catholici & Christianissimi experti sumus: & nũc eius apud Deũ precibus adiuuari sperare debemus. Neque enim putandus est memoriam, in qua nos tanquam in sinu materno semper ferebat, amisisse, sed vbique absq; dubio memor est nostri, diligens plenius, quàm cùm in corpore mortis huius peregrinaretur, inuitat ad se votis ac tacitis precibus, obtestans per secreta illa & vespertina colloquia, quę nobiscum sæpius habebat.

Gregorius Septimus. 1070.

Lib. 4. epist. 1. Omnipotens Deus, à quo bona cuncta procedunt, meritis Dominę nostrę cælestis Reginæ, & beatorum Apostolorum Petri & Pauli intercessione corda vestra confirmet & custodiat.

Anselmus. 1080.

Ad caput 11. Epist. ad Hebræos: Sancti cùm adhuc nos expectant ad suam consummationem, ardentius nostram exoptant liberationem, & propter se, & propter nos, atque pro nobis interpellant, vt citius à præsentis seculi miseria liberemur.

Iuo Carnotensis. 1100.

De conuenientia veteris ac noui Testamenti: Inter orationes adhibentur suffragia Sanctorum Apostolorum & Martyrum, quorum exemplis informari, & meritis muniri præsens poscit Ecclesia, &c. Sacerdos de meritis suis non præsumens orat, vt Sanctorum meritis assequamur, quæ nostris meritis non valemus.

Hildebertus Cenomanensis. 1100.

Epistola 37. Cælum est patria tua, patria felix & expetenda gloria sua. Ibi spirituales parentes tui, qui te Christo genuerunt, te præcesserunt ad Christum, pro te supplicant apud Christum.

Epistola 52. Adsunt defensores nostri Martyres sancti; rogari volunt, atque, vt ita dixerim, quærunt vt quærantur: hos adiutores vestris orationibus quærite: hos protectores vestri reatus inuenite: cùm, teste Gregorio, nihil foris sit, quòd ignorent animæ Sanctorum, qui scientem omnia sciunt: quis dicet ab ijs proximũ diligi, qui proximi clamores audiunt, & nunquam exaudiunt? pulsari sciũt, & aperire nesciunt? angustias vident, & viscera claudunt?

Berengosius Abbas. 1110.

Sermone de Dedicatione Ecclesiæ: Quoties festiuis Sanctorum natalitijs debito honore ritè celebratis in Domino gloriamur, toties ipsorum precibus & meritis adiuti, larga benedictionis gratia Creatoris nostri perfundimur. Quicquid enim laudis & honoris militibus regis impenditur, totum ad gloriam regis, cuius sceptro milites insigniti sunt, titulatur. Nec dubium, quin eos semper habeamus patrocinantes in cælis, quorum celebritates piæ deuotionis studio gerimus in terris. Si enim noster spiritus, necdum carnis materia exutus, & tamen dilectionis geminæ feruore interdum ad astra libratus, preces Domino pro suis dilectoribus nititur effundere, vtique præstantius credendum est Sanctorum animas, summæ dilectionis plenitudine feruidas, suis in solennitatibus, ad sui corporis pignora fouentes descendere, suorumq; pro salute fidelium intercedere, ac debitæ retributionis donatiuum suis veneratoribus impendere.

Franco Affligenienſis. 1110.

De gratia Dei cap. vltimo: Fulget nunc, vt optamus & confidimus, in illa æterna claritate noster Fulgentius, vbi eum nostræ inobedientiæ flagitamus intercessorem, quem hîc obedientiæ habuimus præceptorem.

Rupertus Tuitiensis. 1120.

Ad cap. 10. Zachariæ: Nos filij sanctorum Martyrum, quibus illi certitudinem fidei Christianæ suo sanguine pepererunt, gloriam illorum videmus & lætamur, videntes & lætantes veneramur & exultat cor nostrum in Domino: quia tales apud Christum habemus parentes, tales patronos.

Theofridus Abbas. 1120.

Sermone de veneratione Sanctorum: In memoria iustorum, iustitiæ auctorem: in meritis Sanctorum, sanctitatis magnificemus largitorem: digna enim memoria iustorum erit cum laudibus, in quibus delectetur Deus eorum, & Dominus, vt per eorum intercessionem nostris misereatur excessibus. Exemplo fidelis Mosi sunt inter nos & Deum mediatores positi, vt qui per nostra despicimur merita cum Pharisæo, per eorum institificationem iustificemur cum publicano. Credimus eos apud Deum multa posse, cuius dilectioni nihil in hoc mundo præponũere. Prou. 10 Lucæ 18.

Bernardus. 1130.

Sermone in Vigilia Sanctorum Petri & Pauli: Tria sunt, quæ in festiuitatibus Sanctorum vigilanter considerare debemus: auxilium Sancti, exẽplum eius, confusionem nostram. Auxilium eius, quia qui potens in terra, potentior est in cælis ante faciẽm Domini Dei sui. Si enim dum hîc viueret, misertus est peccatoribus, & orauit pro eis: nunc tanto amplius, quanto verius agnoscit miserias nostras, orat pro nobis Patrem: quia beata illa patria charitatem eius non immutauit, sed augmẽtauit. Neque enim quia impassibilis omninò, ideo & incõpassibilis factus est: sed nunc potius induit sibi viscera misericordiæ, cùm ante fontem misericordiæ exiſtit. Est & alia causa, quæ magis vrget Sanctos, vt soliciti sint de nobis, quia, iuxta vocem Apostoli, *Deus prouidet pro nobis, ne sine nobis consummentur*, sicut ait sanctus Dauid: *Me expectant iusti, donec retribuas mihi.* Pſal. 141

Sermone 5. de Festo omnium Sanctorum: Sanè vt eam gloriam nobis sperare liceat, & ad tantam beatitudinem aspirare, summoperè nobis desideranda sunt suffragia quoque Sanctorum: vt quod possibilitas nostra non obtinet, eorum nobis intercessione donetur, &c. Hæc igitur nostra & eorum cohærentia est, vt nos congratulemur eis, ipsi compatiantur nobis: nos deuota meditatione regnemus in eis, ipsi in nobis, & pro nobis militent pia interuentione.

Epistola ad fratres Hybernenses de transitu Malachiæ: Et pium est Malachiam flere defunctum, & pium magis Malachiæ congaudere viuenti. Nunquid non viuit? Vtique, & beatè. *Visus est oculis insipientium mori, ille autem est in pace.* Dehinc etiam vtilitatis propriæ confideratio exultandum nobis suggerit, & lætandum, quòd tam potens suos patronus ad cæleſtem curiam, tam fidelis præcesserit aduocatus: cuius & feruentissima charitas obliuisci nequeat filiorum, & probata sanctitas obtineat gratiam apud Deum. Quis enim nunc Malachiã sanctum aut minus posse prodesse, aut minus suos diligere audeat suspicari? profectò cùm diligeretur prius, certiora nunc suæ dilectionis à Deo capit experimenta: *& cùm dilexisset suos, in finẽ dilexit eos.* Absit autem vt tua nunc, ô anima sancta, minus efficax æstimetur oratio, quando præsenti viuidius supplicare est maiestati, nec iam in fide ambulas, sed in specie regnas. Absit vt imminuta, ne dum

exinani-

exinanita tua illa tam operosa charitas reputetur, cùm ad fontem ipsum charitatis æternæ procumbis, pleno hauriens ore, cuius & ipsa prius stillicidia sitiebas. Non potuit morti cedere charitas fortis vt mors, imò & morte fortior ipsa. Nam & decedens non erat immemor vestri, affectuosius vos commendans Deo, & nostram quoque exiguitatem solita illa sua mansuetudine & humilitate exorans, vt vestri non obliuisceremur in finem.

Petrus Lombardus. 1140.

Lib. 4. dist. 45. G. Intercedunt ad Deum pro nobis Sancti & merito, dum illorum merita suffragantur nobis; & affectu, dum vota nostra cupiunt impleri: quod tamen non faciunt, nisi in voluntate Dei implenda didicerint.

Petrus Cluniacensis. 1150.

Contra Petrobrusianos: Hoc igitur modo mortui perfectiores pro imperfectioribus supplicant, quando Deum, non sicut in hac vita miseris gemitibus, sed sanctis affectibus, sicut vitam illam decet, pro dignis exorant. Non enim eos in precibus necesse est laborare, quorum sancta merita vel affectus non potest æterna sapientia, quæ illa contulit, ignorare; non potest summa benignitas non audire. Nec ipse Dominus tales illis affectus conferret, si eos exauditurus non esset.

Stephanus Eduensis. 1170.

De Sacramento cap. 13. Licet culpis nostris sis offensus, rogamus vt efficiaris placatus fidelium orationibus, & Sanctorum intercessionibus, meritis, & precibus.

Cap. 17. Ante consecrationem & hîc recensemus Sanctorum nomina, postulantes eorum intercessiones & suffragia, attendentes non numerum, sed eorum adiuuans suffragium. Ibi fit memoria beatæ Virginis, quæ omnibus Sanctis præcellit, & Apostolorum & Martyrum, qui in sanguine Agni dealbati sunt: vt eorum interuentu suffragante, ad salutem nostram fiat ministerium.

Innocentius Tertius. 1200.

Mysteriorum Missæ lib. 3. cap. 9. Communicamus, & memoriam veneramur Apostolorum, & Martyrum, & præcipuè gloriosæ Dei Genitricis Virginis Mariæ, vt eorum suffragio de fide perducamur ad speciem, de stadio veniamus ad brauium, de via transeamus ad patriam.

In Collecta post Hymnum ad Mariam: Interueniat pro nobis, quæsumus Domine Iesu Christe, apud tuâ clementiâ gloriosissima Virgo Maria, dignissima mater tua.

Saxo Grammaticus. 1200.

Historiæ Danicæ lib. 11. Canutus diuina iam animi immortalitate potitus, vt terrestribus patriam patrocinijs attollere studuit, ita cælestibus protegere non desistit: ideoque sanctitas eius, gloriæ & celebritatis fructu opulentissima, splendidum in fastis locum obtinet. Quin etiam salutares effectus suos quotidianis administrat indicijs, malitiamq; patriæ beneficijs pensat.

Guilhelmus Parisiensis Episcopus. 1230.

De diuina Rhetorica cap. 27. Consilium necessarium ac saluberrimum est, vt cùm vides per temet ipsum solum impetrare te lachrymarum donum non posse, hoc impetrare studeas Sanctorum suffragijs: & potissimè suffragijs gloriosæ Mariæ Magdalenæ.

Rodericus Toletanus. 1240.

Rerum Hispanicarum lib. 5. cap. 12. Interea Alcorrexi Rex Agarenorum eam partem Hispaniæ, quæ nũc Portugallia dicitur, & vsq; ad sanctum Iacobum, non veritus Apostolum, deuastauit, sed merita Apostoli occurrerunt, & immissa in eos infirmitate, aut pauci, aut nulli superstites euaserunt, qui in patria nuntiarent.

Albertus Magnus. 1240.

In Litania. Per intercessionem principis Apostolorum Petri effice Domine nos in soliditate veritatis, & confessionis tuæ bene fundari.

Thomas Aquinas. 1250.

Secunda secundæ quæst. 83. art. 11. Dicendum quòd Sanctis, qui sunt in patria, cùm sint beati, nihil deest, nisi gloria corporis, pro qua orant: orant autem pro nobis, quibus deest vltima beatitudinis perfectio. & eorum orationes habent efficaciam impetrandi ex præcedentibus eorum meritis, & ex diuina acceptatione.

Guilhelmus Durantius. 1270.

In Rationali diuinorum lib. 7. cap. 34. Facilius quod petimus obtinebimus, si simul omnes Sancti intercedant pro nobis: quia impossibile est multitudinem non exaudiri. Vnde in oratione hodierna dicitur: *Multiplicatis intercessoribus largiaris.*

Iacobus Genuensis. 1280.

Sermone 1. in Festo Omnium Sanctorum: Nos Sanctorum suffragijs indigemus: & quia hodie honoramus omnes, omnes aduocatos habemus: & quia impossibile est multorum orationes non exaudiri, impossibile erat eorũ preces à Deo non admitti.

Durandus à Sancto Portiano. 1320.

Lib. 4. dist. 45. quæst. 4. Valet nobis Sanctorum intercessio: quia quamuis non sint in statu merendi, sunt tamen in statu impetrandi aliquid nobis ex liberalitate eius, quem orant, scilicet Dei, cui sunt acceptissimi, &c. Orationes Sanctorũ nobis valent per modum liberalis & gratæ impetrationis: & hoc modo nobis semper valent, quotiescunque orant pro nobis, postulando simpliciter aliquid fieri pro nobis: quia cùm voluntas eorum sit totaliter conformis voluntati diuinæ, nihil volunt fieri circa nos, nisi quod Deus vult fieri. Illud autem quod Deus vult fieri voluntate consequente, quæ est volũtas simpliciter, semper fit. Nec tamen frustra orant pro nobis, licet non orent, nisi illud quod sciunt Deum velle: quia sicut effectus naturales, qui volente Deo eueniunt, non eueniunt, nisi mediantibus causis secundis, non propter inefficaciam potentiæ diuinæ, sed propter ordinem rebus diuinitus institutum: sic beneficia diuina descendunt in nos mediantibus beatis tam Angelis, quàm animabus sanctis, non propter defectum diuinæ misericordiæ, sed propter ordinem diuitiarum considerandum, quo Deus vult bonitatem suam communicare inferioribus per superiores.

Ioannes Taulerus. 1350.

Tractatu de cæcitatibus, cæcitate 4. Mariæ erga peccatores charitas, dignatio, misericordia, atq; compassio tam exuberans, tamq; perfecta est, vt quamdiu gratiæ tempus agitur, non possit misericordissimos oculos suos à miseris & pœnitentibus ipsam inuocantibus hominibus auertere, nec cessare pro illis continuas fundere preces Vnigenito Filio suo, donec hunc ijsdem, vt mater verè fidissima, plenè perfecteq́ue sentiat reconciliatum.

Catharina Senensis. 1370.

Tractatu 2. cap. 82. Omnes beati, qui sunt in vita durabili, salutem animarum exoptant absque pœna, quia pœna terminata est in morte ipsorum: sed non effectus veræ charitatis.

Nicolaus Clamengius. 1400.

De nouis celebritatibus non instituendis: Verisimile est Sanctos in suis festiuitatibus pro illis, qui eos dignè colunt, propensiores quodam modo esse ad inter-

intercedendum, quàm alio tempore, Christumq; ad exaudiendam illorum intercessionem etiam procliuiorem.

Laurentius Iustinianus. 1430.

Sermone in Festo Bartholomæi Apostoli: A Deo vtique consequimur quicquid vtile ac sanctum est, atque saluti nostræ proficuum: pro nobis tamen interpellantibus Sanctis. Intercessores nostri sunt, velut amici Dei, coniuncti Verbo, à peccatis liberi, & glorificati cum Christo. Facilius pro nobis valent impetrare, quàm nos, qui coinquinati sumus in luto, erramus in exilio, periclitamur in scelere, iugiterq; decidimus à salutis itinere. Quamobrem omnino Sanctorum patrocinijs indigemus, eorum præcipuè, quos Christus elegit, commẽdat gratia, susceptit & gloria.

Bernardinus Senensis. 1440.

Tomo 2. Serm. 65. in Octaua Resurrectionis: Superni ciues assiduè orant pro illis proximis suis, quos cruciari cernunt.

Gabriel Bielius. 1480.

In Canonem Missæ lectione 30. Credendum est firmiter, & nullatenus dubitandum, Sanctos in patria pro nobis intercedere, nobisq; suffragari merito, & prece, siue voto. Merito, dum præcedentia eorum merita nobis suffragantur: & prece vel affectu, dum nostra vota à Domino cupiunt impleri. Et in hoc orant pro nobis desiderio, nõ voce, dum affectuosè desiderant hæc vel illa nobis à Domino concedi, intuitu suorum meritorum vel affectuum.

Erasmus Roterodamus. 1530.

De amabili Ecclesiæ concordia: Religiosi affectus est credere, Sanctos & Sanctas, quos Deus adhuc mortali grauatos corpore tanti fecit, vt ad illorũ preces dæmones expulerit, mortuos ad vitam reuocauerit, nunc quoque nonnihil apud Deum posse.

ASSERVNT ETIAM AD-uersariorum quidam.

Martinus Lutherus.

De decem præceptis cap. 5. Omnes Sancti omnia possunt, & tantum tibi per eos datur à Deo, quantum te credis accepturum, &c. Quid enim aliud sunt Sancti, nisi velut guttulę roris, siue guttæ noctium, in cincinnis & capite sponsi?

In Responsione ad Louanienses: Nõ negaui vnquam meritis ac precibus Sanctorum, quantumlibet imperfectis iuuari, quod subdolè mihi inurere conantur miseri homines.

Ioannes Oecolampadius.

Ad Sermonem Chrysostomi de Iuuentio & Maximo Martyribus: Sancti in cælis sua adhuc charitate flagrantes, non desinunt pro nobis intercedere.

Ad cap. 12. Danielis: Beati spiritus, qui nobiscum diem nuptiarum Agni expectant, non sine desiderio nostræ salutis sunt, quod preces illorum esse opinor: & sic nobiscum Petrus & Paulus orant: *Adueniat regnum tuum.* Absit enim vt spiritus illos negemus suam charitatem erga nos imminuisse, tametsi longè secus quàm nos orent.

Philippus Melanchthon.

In Locis communibus Manlij fol. 151. Dicam tibi manifestum testimonium ex nouo Testamento, probans quòd mortui sint soliciti de Ecclesia & nobis. Ita enim ait Matthæus: *Helias & Moses loquebantur cum Christo de rebus futuris.* Non dubiũ est, quin Sancti ipsi, qui sunt In cælo, nostri cura erga Ecclesiam in terra viuentium afficiantur: sicut illi ibi disputabant cum Christo de ipsius passione, & collectione Ecclesiæ per totum orbem.

Ioannes Brentius.

Ad cap. 16. Lucæ: Ergone mortui intercedunt pro viuis? Certè negari non potest, quin hi, qui viuunt in Christo, bene cupiãt Ecclesiæ, & membris eius. Si enim Angeli orant pro nobis, quemadmodum Zacharias testatur, & si Christus ipse apud Patrem pro nobis intercedit, quomodo non & Sancti afficerentur erga nos in Christo & per Christum charitate, & optarent nobis à Deo felicia quæque?

Martinus Bucerus.

In disputatio Ratisbonæ de publicis Ecclesiæ precibus, quas Collectas vocant, in quibus intercessiones & merita Sanctorum commemorantur, ita scribit: Cùm in his precationibus quicquid Diuorum tribuitur intercessionibus vel meritis, id totum non ab ipsis Diuis, sed à misericordia Dei per Dominum nostrum Iesum Christum petitur; eo ipso, qui sic orant, confitentur & testantur, se, quæ à Deo per Sanctorum intercessionem, & merita orant, agnoscere ea esse gratuita Dei dona.

Dauid Chytræus.

Ad cap. 25. Matthæi: Cùm animæ piorum viuant, & sint beatæ, cumque vita ac beatitudo in actione consistant, certò nobis persuasum sit, animas piorum, à corporibus segregatas, non ignauum ocium agere, sed frui conspectu ac sermonibus Dei, & lætas Deo agere gratias, pro liberatione ex miserijs, & portu, quem consecuti sunt, & pro tota Ecclesia ardentissimè precari: vt Lucæ 9. Moses & Helias colloquuntur cum Christo de his, quæ euentura erant.

Confessio VVirtembergensium.

Capite de Inuocatione Sanctorum: Fatemur, quòd Sancti in cælis suo quodam modo pro nobis coram Deo orent, sicut & Angeli pro nobis sunt soliciti, & omnes creaturæ pro salute nostra cælesti quodam modo ingemiscunt.

Cæspar Cruciger.

Concione de Christi Natiuitate: Vt Ecclesia hoc festum in terris peragit: sic non est dubium, quin hoc ipso tempore Maria Dei mater, cum tota cælesti Ecclesia, cum omnibus Sanctis & beatis, qui ex animo Deo gratias agunt, pro vniuersa Dei in terris Ecclesia precetur.

Basilius Faber.

De statu defunctorum cap. 7. Non dubito quin defunctorum animæ, parentum, fratrum, sororum, & propinquorum, quos hîc reliquerunt recordẽtur, & Deum rogent, vt & ipsos ex lachrymarum valle eripiat, &c. Confirmat hanc doctrinam exemplum diuitis Lucæ 16. Nam si damnata anima suorum recordatur, multo magis beata anima ita afficitur erga suos parentes, liberos, fratres, sorores & propinquos.

ASSERVNT IVDÆI VETERES.

R. Dauid Kimhi.

Ad caput 3. Malachiæ: Eliam fortassis Angelum fœderis vocat, quomodo in Scholijs Aggheda dictis Eliam ardentissimo studio, ac miro quodam zelo olim flagrasse erga fœdus Circumcisionis, quod apud regnum Ephraemitarum abolitũ fuerat, vt

3.Reg.19.ſcribitur: *Zelo magno zelatus ſum pro Domino Deo exercituum, eò quòd filij Iſrael fœdus tuum dereliquerint.* Illi verò viciſſim reſponſum eſt: *Zelo tu quidem iam olim in Sittim affectus es, & hic etiam magno ſtudio Circumciſionem proſequeris.* Vnde id tandem? Quia ſcilicet Iſraelitæ Circumciſionis fœderi nequaquam reſpondeant: vſque dum tu præſens rem omnem oculis hauſeris. Quocirca decreto apud eos inito thronum inſignem Eliæ erigebant illius ætatis homines, vnde & Angelus fœderis appellatus eſt.

R. Abraham.

In Faſciculo myrrhæ, Geneſ. 22. In principio anni nos canimus: Et ligationem Iſaac hodie ſeminis eius recorderis, quemadmodum ipſe eſt ligatus & vinctus, ſic vincias & liges omnia genera pròprietatum iudicij: deinde ſubijt hic eſſe myſterium Iſaac poſiti in medio. Quoniam illum interponere ſolent, inter ſe & Deum in ſuis precibus quaſi interceſſorem.

R. Salomon.

Ad illud Eccleſiaſtis 4. *Laudo mortuos, qui iam dudum functi ſunt:* Patriarcharum ope & miniſterio Iſraëlita: duntaxat exaudiri docet.

Anonymus quidam Fagio interprete.

Implorant Iudæi memoriam meritò Patrum Iſaac, & Iacob, & meritò reliquorum iuſtorum, & Sanctorum; vt eorum meritum adſit, ſiue applicetur nobis. Implorant, inquam, bis quotidie, mane & veſperi, ad illum modum orantes, &c. *Et poſt:* Iacob pater noſter ſepelijt Rachel in via, ſecùndùm illud Geneſ 35. *Et ſepulta eſt in via, quæ ducit Euphratam:* totumqúe illud factum eſt, vt R. Salomon ait, quò oraret Rachel pro filijs ſuis ea hora, qua illos patrijs ſedibus expulerat Nabuzardan in Babyloniam.

Extant hæc in R. Salomone ad cap. 31. Hieremiæ.

Auctor libri precum Iudaicarum.

Placeat tibi Deus meus, & Deus Patrum meorum, vt ſit oratio noſtra grata, & accepta coram te, ſicut ſuffitus aromatum, & ſatisfac omnibus petitionibus cordis noſtri propter dignitatem omnium iuſtorum & iuſtarum, piorum & piarum, hîc ſepultorum, & propter dignitatem illorum ne dimittas nos vacuos à facie tua.

ARTICVLVS QVINTVS.

SANCTOS ADHVC IN CORPORE MILITANTES, VT PRO NOBIS ORENT, RECTE NOS ROGARE.

Anno poſt Chriſtũ natum. 1540.

NEGANT.

ANABAPTISTÆ, qui ſe Catharos appellant, quia ſe ab omni peccatorum labe immunes eſſe volunt, nec aliorum preces expetunt, nec cuiuſquam orationibus ſe indigere perſuaſum habent. Caſpar Vlenbergius Cauſa 9.

ASSERVNT SACRÆ LITERÆ.

Exodi 8. *Verſ.* 8. Vocauit Pharao Moyſen & Aaron, & dixit eis: Orate Dominum, vt auferat ranas à me, & à populo meo.

Numerorum 11. 1. Interea ortum eſt murmur populi, quaſi dolentium pro labore, contra Dominum. Quod cùm audiſſet Dominus, iratus eſt. Et accenſus in eos ignis Domini deuorauit extremam caſtrorum partem. Cumque clamaſſet populus ad Moyſen, orauit Moyſes ad Dominum, & abſorptus eſt ignis.

1. *Reg.* 7. 8. Dixerunt *filij Iſrael* ad Samuelem: Ne ceſſes pro nobis clamare ad Dominum Deum noſtrum, vt ſaluet nos de manu Philiſthinorum. Tulit autem Samuel agnum lactentem vnum, & obtulit illum holocauſtum integrum Domino, & clamauit Samuel ad Dominum pro Iſrael, & exaudiuit eum Dominus.

Eſther 4. 16. Vade & congrega omnes Iudæos, quos in Suſan repereris, & orate pro me.

Rom. 15. 30. Obſecro vos fratres per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, vt adiuuetis me in orationibus pro me ad Deum.

1. *Theſſal.* 5. 25. Fratres orate pro nobis.

Hebræ. 13. 18. Orate pro nobis.

ASSE-

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Dionyſius Areopagita. 100.

Eccleſiaſticæ Hierarchiæ cap. 7. Itaque ſacræ Scripturæ acquieſcens, vtiles eſſe in hac vita dixerim Sanctorum preces, hoc modo ſcilicet, ſi quis ſanctorum munerum deſiderio incenſus, ad eaqúe percipienda piè affectus, prauitatis tamẽ propriæ conſcius, quempiam Sanctorum virorum adeat, oretqúe ſibi adiutorem & precatorem accedere, capiet ex hoc omninò vtilitatem commoda cuncta excedentem. Fruetur enim ijs, quæ petit, ſuauiſſimis donis, ſuſcipiente diuina clementia, atq; imprimis in eo amplectente religioſam cognitionẽ ſui, reuerentiamqúe Sãctorum, & laudabile ſanctarum petitionum à ſe poſtulatarũ deſideriũ, conſentaneumqúe his ſacratiorem habitum.

Ignatius. 100.

Epiſtola ad Magneſianos: Memores eſtote mei in orationibus veſtris, vt Deum aſſequar, & Eccleſiæ, quæ in Syria eſt, cuius non ſum dignus appellari Epiſcopus. Opus enim mihi eſt amabili in Deo precatione veſtra.

Ad Trallianos: Orate pro me, qui in Dei miſericordia charitate veſtra indigeo, vt dignus fiam ſorte, ad quam aſſequendam iam deſtinor, ne reprobus inueniar.

Polycarpus. 140.

Epiſtola ad Philippenſes: Pro omnibus Sanctis orate.

Origenes. 240.

In epiſtolam ad Romanos lib. 9. cap. 15. Oſtendit Paulus non eſſe minimum in oratione certamen: ſiquidem in hoc certamine etiam auxilium eorum, qui Romæ ſunt, crediderit implorandum. Nunc ergo orat Apoſtolus, adiuuari ſe in agone orationum, vt liberetur ab incredulis.

Gregorius Neocæſareenſis. 270.

Canone 11. Fletus ſeu luctus eſt extra portam oratorij, vbi peccatorem ſtantem oportet fideles ingredientes orare, vt pro ſe precentur.

Euſebius Cæſareenſis. 320.

Vitæ Conſtantini lib. 4. cap. 14. Imperator cùm exiſtimaret piorum hominum preces magnum ſibi momentum adferre ad ſalutem & cuſtodiam vniuerſæ Reipub. eas cùm neceſſariò adhibuiſſet, non ſolùm ipſe ſe Deo ſupplicem abiecit, verùm etiam vt pro ſe ab Eccleſiæ Preſidibus ſupplicaretur mãdauit.

Athanaſius. 340.

Extat in iuer opera Luciferi.

Epiſtola ad Luciferum Epiſcopum: Quia ergo talis es, precatorem te eſſe pro nobis per orationes ad Dominum petimus, vt iam inſpicere dignetur Eccleſiam Catholicam, & eripiat omnes famulos ſuos de manu peccatorum.

Epiſtola ad Epiſcopos Africæ: Valere vos, noſtriqúe memores eſſe in Domino optamus, dilecti & deſideratiſſimi.

Baſilius Magnus. 370.

Epiſtola 7. Quare non defatigeris pro Eccleſijs deprecari, & Deum reconciliare: & eos, qui tuæ ſanctitati ſubminiſtrare dignati ſunt, frequenter adhortare.

Epiſt. 8. Sin minus, ora mihi in mentem venire id quod Deo gratum fuerit. In ſynodo mẽtionem noſtri fac, & tu quoque ora pro nobis, & populum aſſume, vt reliquos vitæ dies, & horas eouſque digni ſimus Deo, vt illi gratum fuerit, inſeruire.

Epiſt. 49. Quocirca ne ceſſes orare pro animabus noſtris, &c. Si digni habemur adiutorio precum tuarum, vt & te videamus, & bonis, quæ in te ſunt, perfruamur, &c.

Ephræm. 370.

Sermone de extremo iudicio, & de compunctione: Quapropter vos obſecro fratres mei ſancti, qui Deum timeris, & quæ illi ſunt placita ſemper facitis, intercedite pro me miſero & infelici peccatore apud ipſum, vt veniat ſuper me gratia eius propter veſtras orationes, ſalueturqúe anima mea in tremẽda magna & formidabili hora illa.

Gregorius Nazianzenus. 380.

Epiſt. 187. Tu viriliter age, ac pro nobis, qui magnis ærumnis premimur, Deum precare, vt pacatum è vita diſceſſum, ad quem iam vergimus, conſequamur.

Ioannes Chryſoſtomus. 400.

Epiſt. 36. ad Maronem Presbyterum: Ante omnia illud te oro, vt pro nobis preces ad Deum adhibeas.

Epiſt. 114. ad Elpidium Epiſcopum: Tu verò, Domine ſummè venerande, ac Deo chariſſime, pro nobis preces ad Deum adhibere ne intermitte.

Syneſius. 420.

Epiſt. 11. Vos igitur & ipſi pro me ſupplices ad Deum tollite manus, populisqúe in vrbe, & quicunque rure, inqúe vicanis Eccleſijs habitant, prẽces pro nobis, tam publicè quàm priuatim, vt faciant, denunciate.

Maximianus Conſtantinopolitanus. 430.

Extat Tom. 4. Synodi Epheſ. cap. 24.

Epiſtola ad Cyrillum: Cùm Chriſto Domino dignus euaſeris, propterea quòd crucem tuam ſuſtuliſti, ſectatorqúe illius effectus ſis, Chriſtum pro nobis deprecari ne omittas, fraternæ virtutis ornamenta proprias prærogatiuas eſſe ratus. Vale in Domino, & pro me, Deo dilectiſſime ac ſanctiſſime frater ac comminiſter, ora.

Theodoſius Imperator. 430.

Extat in Concilio Epheſino Tomo 5. cap. 15.

Epiſtola ad Simeonem Styliten: Quoniam quidem exploratum habemus totam reuerentiæ tuæ vitam ad Deum eſſe conuerſam, eaq; integritate vixiſſe hactenus, vt diuinam erga nos beneuolentiam certa quadam fiducia prouocare queas; non potuimus in preſentia has ad te litteras nõ perſcribere, teqúe etiam atque etiam rogare, vt hoc pacis concordiæq; negotium, quod à diuina prouidentia verè pendet, hoc potiſſimum tempore quàm maximè promouere ſatagas, diſſidiumqúe, diaboli technis paci rectè aliquando radicatæ & conſtitutæ iniectum, confeſtim è medio tollere contendas. Id quod tuæ ſanctitatis precibus, eiusdemqúe apud illos, qui eam confirmare, diſſipatamq; reſtituere poſſunt hortatu, impulſuq; confiſi, breui futurum minimè dubitamus.

Theodoretus. 450.

Extat in præambulis in synodum Chalcedonenſem epiſtolis.

Epiſtola ad Leonem P. Ante omnia autem ſupplico veſtro ſacro & Deo amico capiti, vt precum mihi præbeat auxilium.

Valentinianus & Marcianus AA. 450.

Epiſtola ad Concilium, quod in Nicæa ſecundò concurrerat: Orare ergo dignemini pro noſtro Imperio, quatenus & hoſtes ſubditi nobis efficiantur, & pax in vniuerſo orbe firmetur, & Romanæ res ſecure conſiſtant.

Acacius Conſtantinopol. 470.

Epiſtola ad Simplicium P. Attentius orate veſtra Beatitudo & pro Chriſtianiſſimo Imperatore, & pro nobis ipſis.

Iustinus Imperator. 516.

Epistola 1. ad Hormisdã: Precamur proinde, vt sanctis orationibus vestris diuinæ potentiæ supplicetis, quatenus initia nostri roborentur imperij.

Epist. 2. Oret vestræ religionis sanctitas, vt quod peruigili studio pro concordia Ecclesiarum Catholicæ fidei procuratur, diuini muneris opitulatio iugi perpetuitate seruari annuat.

Ioannes Constantinopolitanus. 516.

Epistola ad Hormisdam: Ora pro nobis sanctissime ac beatissime frater.

Eutychius Patriar. Constantinopol. 550.

Epistola ad Vigilium P. Ora pro nobis beatissime & sanctissime frater.

Euagrius. 600.

Lib. 1. cap. 13 Theodosius sanctissimum & aërium Martyrem Simeonem adhuc in columna degentem orabat, vti nominatim pro ipso Deum obsecraret obtestareturque, atque sua ipsum impertiret benedictione.

Sophronius Hierosolymitanus. 630.

Epistola ad Sergium: Vnde plus etiam quàm vos sanctissimos poscimus instãtissimas ad Christum preces effundere, vt has propitius à vobis suscipiens, citò deijciat eorum furore plenam iactantiam, &c. Ora pro me sanctissime frater.

In Vitã Mariæ Aegyptiacæ: Zozimas respondit: Mater, tuis orationibus sanctis pacem stabilem Deus largitus est: sed suscipe indigni mei cõsolationem, & propter Deum ora pro omni mundo, & pro me peccatore, vt non huius cursus & itineris labor sine fructu mihi efficiatur, & tantæ solitudinis via. Et illa respondit ad eum: Te quidem oportet, Abba Zozima, sacerdotij habentem honorem, pro omnibus & pro me orare: in hoc enim & vocatus es. Sed quia obediẽtiæ præceptum habemus, quod mihi à te iussum est bona faciam voluntate.

Nicephorus Constantinopolitanus. 800.

Epistola ad Leonem P. Plurium quidem orationes imploro, sicut plurium quoque præsidijs indigeo: at verò omnium maximè sanctas sanctæ & in spiritu desideratissimæ fraternitatis vestræ preces, & ad Deum intercessiones in præsentia exopto, easq; summopere desidero. Cùm enim tuę preces, haud secus atque Mosis, & Samuelis, aut si quispiam alius vnquam his similis extitit, ob sui puritatẽ maximè Deo appropinquent, rectaq; ad cæleste illud & spiritale altare ferantur: non dubitamus, quin maximam illæ nobis opem vtilitatemq; allaturæ sint. Proinde opem ferte meæ infirmitati, sanctasque vestras manus in altum sustollite, &c. Orate obsecro, instanterq; rogate, vt idem ipse nos illuminare, & emundare dignetur, quò filij perfectæ lucis effecti, alios quoque emundare & illuminare valeamus.

Synodus Octaua Generalis. 870.

Epistola ad Adrianum Secundum: Ora pro nobis sanctissime: Christus te custodiat ad consolationem nostram.

Ioannes Zonaras. 1100.

Lib. 3. Annalium: Theodora Imperatrix instantissimè orauit Patriarchã, aliosque Pontifices & Monachos, vt communibus precibus Imperatoris & coniugis sui salutem à Deo impetrarent. Quod cùm illi feruentibus animis fecissent, aiunt Deum preces seruorum suorum non esse aspernatum, sed ignouisse Imperatori Theophilo. Celebrãtur hæc & ab ijs, qui Dei humanitatem intuentur, & recipiuntur, & creduntur. Neque verò quisquam eis fidem abrogarit, nisi qui parum posse Sanctorum intercessiones apud Deum senserit, & Dei humanitatem cum humanis erratis componere ignorarit.

Gabriel Alexandrinus Patriarcha. 1595.

Epistola ad Clementem Octauum P. Rogamus sanctitatem tuam atque supplicamus, ne obliuiscaris nostri in continuis orationibus & petitionibus tuis ad Deum, vt adiuuet nos, atque confirmet in fide.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Cyprianus. 250.

Lib. 2. epist. 4. *Epistola 16.* Nunc est, fratres charissimi, vt memores mei sitis, vt inter magnas atque diuinas cogitationes vestras nos quoque animo & mente voluatis, simq; in precibus & orationibus vestris, cùm vox illa, purificatione confessionis illustris, & iugi honoris sui tenore laudabilis, ad Dei aures penetrat, & aperto sibi cælo de his subacti mundi partibus ad superna transmissa, impetrat de Domini bonitate quod postulat, &c. Optovos fortissimi ac beatissimi fratres semper bene valere, & nostri meminisse.

Lib. 2. epist. 5. *Epist. 33.* Vos orationibus frequenter insistite, & preces nostras vestris precibus adiuuate; vt Domini misericordia fauens nobis, citò plebi suę & sacerdotem reddat incolumem, & Martyrem cum sacerdote lectorem.

Ambrosius. 370.

Lib. 7. Epist. 55. Salutem vobis dico, diligite nos, & orate pro nobis: quia ego vos diligo.

Hieronymus. 390.

Epist. 40. quæ est ad August. Quòd petis literis tuis, vt ego pro te brem: id rectè facerem, si ego ipse à peccatis liber essem, vt pro alijs liceret orare: & ideo te admoneo, vt orationes assiduas animi tui pro me emittas ad Dominum.

Apologia ad Pammachium cap. 1. Vos quæso vtriusq; sexus virgines, mariti quoque, ac digami, vt conatus meos orationibus adiuuetis. Cunctorum in commune Iouinianus hostis est, quorum ego orationibus indigeo, &c.

Ruffinus. 390.

Ecclesiasticæ historiæ lib. 1. cap. 8. Constantinus Imp. ad Antonium quoq; primum Eremi habitatorem, veluti vnum ex Prophetis, literas suppliciter mittit, vt pro se ac liberis Domino supplicaret. Ita non solùm meritis suis ac religione matris, sed & intercessione Sanctorum commendabilem se Deo fieri gestiebat.

Augustinus. 400.

Epist. 77. Orate pro nobis digni exaudiri, cùm tãto sacrificio acceditis ad Deum synceriſſimę dilectionis, & laudis eius in operibus vestris. Orate, vt & nobis hęc luceant: quoniam nouit ille, quem oratis, cum quanto nostro gaudio in vobis luceãt.

De bono Viduitatis cap. 23. Obsecro vos per illum, à quo donum hoc accepistis, & huius doni præmia speratis, vt me quoq; orationibus vestris memineritis inserere cum tota vestra domestica Ecclesia.

Paulinus Nolanus. 410.

Epist. 37. Orate pro nobis; conferite validas orationum manus, vt superetis multitudinem peccatorum nostrorum.

Epistola ad Augustinum, quæ est inter epistolas Augustini 33. Omnes in Christo Sanctos, quales tibi cohærere nõ dubium est, à nobis saluta, commẽda nos omnibus, vt tecum pro nobis orare dignentur.

Natali 9. S. Felicis, Nicetã Episcopũ alloquens:

Ingredere hæc Psalmis recinens Antistes & hymnis,
Et mea vota refer Domino, & tua gaudia vot is

Iunge meis, celebrans communis festa patroni:
Hora opportuna propeccatore rogabis
Gaudentem Dominum de Confessoris honore.

Philippus Presbyter. 430.

Præfatione in Iob ad Nectarium: Peto, pelagus huius Scripturæ ingrediens, vt orationibus tuis à Deo obtineas, quatenus in profundo intelligentię constitutus, diuinæ manus potẽtia merear gubernari.

Rusticus. 450.

In subscriptione epistolæ Episcoporũ Gallicorum ad Leonem Papã: Rusticus Episcopus apostolatũ vestrum in Domino venerans saluto, & vt digneris pro me orare supplex rogo.

Victor Cartennensis Episcopus. 450.

Libro de Pœnitentia cap. 33. Et cùm præmium Dei largitione merueris, quæso vt in orationibus tuis nulla capiaris obliuione Victoris.

Sidonius Apollinaris. 480.

Lib. 9. epistola ad Aulianum: Proinde, Domine Papa, cum sacrosanctis fratribus vestris supplicaturas Christo iungite preces, vt dignatus prosperare quæ gerimus, nostriq; dominij temperans lites, arma compescens, illos muneretur innocẽtia, nos quiete totos securitate. Memor nostri esse dignare Domine Papa.

Ennodius Ticinensis. 500.

Epistola ad Leontium Abbatem: Superest, vt accipientes obsequia mea, cum vniuerso cui præsidis cõcilio, per Dei omnipotentis misericordiam coniurati, Deo pro paruitate mea precibus intistatis, vt cui deest per actiones suas fiducia bonorum, per suffragia vestra contingat.

Hormisda. 516.

Epistola 10. Vos orate, & nobiscum ad Deum preces & vota coniungite, vt per opem misericordiæ eius nostra actio laborans, pro Catholicæ fidei stabilitate promoueat immaculatos vos, & integros ab omni transgressorum societate seruantes.

Iornandes. 530.

Præfatione in Chronica ad Castalium: Si quid parum dictum est, & tu, vt vicinus genti, commemoras: adde, Ora pro me frater charissime.

Amator Episcopus. 535.

Epistola ad Syluerium Papam: Ora pro nobis sanctissime Papa.

Cassiodorus. 540.

Lib. 11. epist. 2. ad Ioannem P. Precor vt viuacius oretis pro salute regnantium; quatenus eorum vitam cælestis princeps faciat esse longæuam, Romanæ Reipub. hostes imminuat, tempora tranquilla concedat.

Fortunatus. 570.

Libro 3. epistola ad Euphronium Turonensem Episcopum missa: Ora pro me Domine sancte & Apostolice, peculiaris Domine & Pater.

Lib. 8. ad Gregorium Turonensem:

Summe pater patriæ, toto venerabilis orbe,
Vndique chara mihi fulgide, chare Deo:
Commendans humilem tibi me sacer arce Gregori,
Pro famulo proprio quæso precare Deum.

Gregorius Turonensis. 570.

Historiæ Francorum lib. 8. cap. 4. Vnum vos tantummodo sacerdotes Domini deprecor, vt pro filio meo Childeberto Domini misericordiam exoretis.

Gregorius Magnus. 590.

Lib. 1. epist. 24. Vnde fratres charissimi per venturum iudicem rogo, per multorum millium Angelorum frequẽtiam, per Ecclẽsiam primitiuorum, qui conscripti sunt in cælis, sub hoc pastoralis curæ onere lassescentem orationis vestræ intercessione iuuate, ne susceptа me põdera vltra vires premant.

Lib. 4. epist. 30. Per omnipotentem Dominum rogo, vt assiduas preces pro nobis ad Dominum facias, quatenus de peccatis, in quibus obligatus teneor, & tribulationibus, quibus premor, citius absoluar, & patriæ cælestis gaudijs perfruar.

Patherius. 600.

In Proœmio explicationum sacræ Scripturæ ex libris D. Gregorij collectarum: Humili obsecro prece, qua valeo, vt dum vobis, vel quisquis legerit in hoc opere, laboris mei cura placuerit, pro me ad Dominũ intercessores esse dignentur, quatenus hoc pondere corruptionis exuto, à meorum absolutus inueniri merear vinculis peccatorum.

Isidorus Hispalensis. 620.

Præfatione in libros Etymol. ad Braulionem Episcopum: Ora pro nobis beatissime D. frater.

Epistola alia ad eundem: Peto, vt pro meis peccatis apud Dominum existere intercessor digneris, vt impetratu tuo deleantur delicta mea.

Columbus, & cæteri Episcopi Africani. 640.

Epistola ad Theodorum Papam: Ora pro nobis Domine sancte ac beatissime Pater Patrum.

Maurus Rauennatensis Episcopus. 650.

Epistola ad Martinum Papam: Ora pro me Domine sancte, & meritis beatissime, totoque orbe Apostolice Papa.

Beda. 700.

Præfatione in Hexameron ad Accam Abbatem: Bene vale semper amantissime Antistes, nostri memor in Domino.

Præfatione in Marcum ad Accam: Sed & hoc ante omnia cunctos, qui hæc fortè lecturi sunt, deprecor in Domino, vt pro meis & corporis & animæ fragilitatibus apud pium iudicem intercessores existere dignentur.

Haymo. 820.

Ad cap. 15. epistolæ ad Romanos: Ideo Paulus exorabat, vt Romani suis orationibus ei subuenirent, quia timebat comprehendi, dum veniret Hierosolymam, ab infidelibus Iudæis, & retrudi in carcerem, vel occidi. Hinc decutitur Pontificum superbia, & Prælatorum, atq; Principum, & potentium huius seculi, qui dedignantur exorare subiectos suos, quatenus pro eis preces orationesq; fundant. Si enim ille, qui & Apostolus, & Põtifex erat omnium gentium, omniq; gratia Spiritus sancti repletus, non est dedignatus auxilium subiectorũ expetere in orationibus, quãto magis isti, qui pleni sunt rapacitate, superbia, omniq; nefario actu, non debent dedignari?

Rabanus Maurus. 850.

Præfatione in Exodum ad Freculphum Lexouiensem Episcopum: De cetero quoq; obsecro, vt fragilitatem meam orationibus adiuues, deprecans supernam maiestatem, vt me in præsentis pelagi tempestate ita sua gratia gubernet, qualiter me in præsenti vita in suo seruitio vtilem, & in futura suæ largitatis ope concedat esse beatum.

In lib. de institutione Cleri ad Heistulphum Episcopũ: Ideo tua suffragia supplex peto, vt ipsa veritas omnium creatrix atq; gubernatrix, licet non meis meritis, tamen propter tuam sacratissimam orationem, me in se sine vllo deuio erroris in æternum conseruare dignetur.

Carmine ad Fratres Fuldenses:

Supplex vos posco, testans per sceptra Tonantis,
Me vt commendetis vos precibus Domino:

Quatenus ipse pius concedat dona salutis,
Vobiscum mihimet regna beata poli.

Aluarus. 860.

Ext at Bibl. Pat. Tom. 9.

Epistola ad Eulogium Toletanum: Splendescе,& ampliori lumine, quo fulges, clarescе: quia reposita tibi sunt præmia,& centuplicata te manet corona, nosq; tuo suffragio, quo semper fouisti, tuere.

Ioannes Octauus. 870.

Epist. 170. ad Theodosium Patriarcham Hierosolymitanũ: Rogamus sanctam vestrã in Domino charitatem, vt sanctis orationibus vestris nostri semper memores existẽtes, pro nobis preces Iesu Christo Domino nostro quotidie fundere alacri animo dignemini charissime frater.

Leo Nonus. 1049.

Epistola ad Petrum Episcopum: Vt pro nostra gemina salute omnipotentem Dominum iugiter exores precamur, plurimum reuerende & desiderabilis frater.

Petrus Damianus. 1050.

Epistola 6. Incolumem te venerabilis Pater ad regendum Eccleſiæ ſtatum omnipotens Deus cuſtodiat: & tu quoque in ſanctis orationibus tuis mei memor eſſe digneris.

Gregorius Septimus. 1076.

Lib. 1. epist. 2. Per omnipotentem Dominum te rogo, vt venerabilem patrem Leonem, & cæteros religioſos viros, in partibus illis commorantes, ad exorandum Deum pro me ex vera charitate inuites, vt oratio, quę me liberare debuit, ne incurrerem periculum, ſaltem tueatur in periculo poſitum.

Epist. 53. Quapropter rogamus, vt ſanctæ congregationis veſtræ aſſiduis orationibus ſubleuari mereamur. Non ſolùm enim tam ſanctæ congregationis orationes ardenter exigimus, verùm etiam totius populi quærimus & optamus.

Anſelmus Cantuarienſis. 1080.

Ad caput 16. epist. ad Romanos: Quis eſt qui hæc legẽs vel audiens, quòd Paulus deprecetur eos, qui Romæ ſunt, orare pro ſe, contemnat orationes Eccleſiæ poſtulare, etiãſi inferiores meritis eſſe videantur hi, à quibus poſtulatur oratio? Ecce enim Paulus Apoſtolicis prędītus meritis, diſcipulos humiliter hortatur, vt orent pro ſe.

Paſchalis PP. 1099.

Epiſtola ad Anſelmum: Rogamus charitatem tuam, nos tuis ſanctis precibus commendari, vt quanto propius ad Deum paſſibus virtutum accedis, nobis orationum tuarum manus extendas.

Iuo Carnotenſis. 1100.

Epiſtola 111. Vnde poſtulo fraternitatem tuam, vt & tu memoriam confratris in tua mente reponas, quatenus & orationum munus deſideranti mihi porrigas, & vtrum apud te hanc gratiam impetrauerim aliquo ſigno oſtendas.

Epiſt. 155. Oret fraternitas tua cum cæteris conſeruis meis, vt qui dedit velle, addat & perficere pro bona voluntate.

Franco Affligenienſis. 1110.

Epiſtola ad Moniales: Orate pro me peccatore chariſſimę filiæ, vt pius Dominus dignetur eiectum ſuum iam reuocare, &c.

Bernardus. 1130.

Epiſtola 204. ad Abbatem S. Albani: Adde, obſecro, ad ea bona, quæ abs te, & de te nobis aſſiduè veniunt, tuas tuorumque pro nobis orationes, Pater chariſſime & deſideratiſſime.

Epiſt. 228. Commendate me orationibus ſancti Conuentus Cluniacenſis.

Epiſtola ad Hildegardim: (*extat inter epiſtolas Hildegardis fol. 70.*) Vnde rogamus magis & ſuppliciter poſtulamus, vt noſtri memoriam habeas apud Deum, & eorum pariter, qui nobis in ſpirituali ſocietate iuncti ſunt. Nam cùm ſpiritus Deo coniungitur, confidimus, quòd nobis multum prodeſſe valeas & ſubuenire: multum enim valet deprecatio iuſti aſſidua. Nos etiam pro te aſſiduè oramus, vt conforteris ad bona.

Petrus Bleſenſis. 1160.

Epiſtola ad Patres in Ciſtercienſi capitulo congregatos: Nos igitur infirmi & fragiles deuotè & humiliter ſupplicamus, vt pias affectiones veſtras circa nos excitet vinculum fraternitatis, profeſſionis communio, charitatis debitum, ſubiectionis neceſſitas, & deuotio ſupplicantis. Si qua ergo conſolatio vobis eſt in Chriſto Ieſu, ſi quod ſolatium charitatis, implete meum gaudium. Gaudij namque plenitudinem poſt Deum in orationibus veſtris pono, vt veſtrarum beneficio precum in hac miniſtratione commiſſa mihi velit miſericordia Domini meum ſupportare defectum. Nam licet vas electionis factus, & virtute indutus ex alto, ſanctorum tamen orationes ſibi ad doctrinam Gentium neceſſarias iudicans: *Obſecro,* inquit, *vos per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, vt adiuuetis me orationibus veſtris apud Dominum.* Rom. 15.

Eliſabeth Schonaugienſis. 1160.

Epiſt. ad S. Hildegardim: Obſecro, vt & orationum veſtrarum participem me faciatis, &, pro vt Spiritus Domini vobis ſuggeſſerit, aliqua conſolatoria verba mihi reſcribatis.

Adam Victorinus. 1180.

Præfatione in Soliloquium animæ: Valete ſemper in Domino venerabiles Domini & Patres chariſſimi, diluculoq; conſurgentes offerte holocauſtum pro filio veſtro, ne fortè peccet.

Innocentius Tertius. 1200.

Epiſtola ad Arnulphum Abbatem Ciſtercienſem, ab initio Operum Tomo 1. Rogo & obſecro in Chriſto Ieſu, quatenus in orationibus tuis apud iuſtiſſimũ iudicem & pijſſimum Patrem me reddas ſpiritualiter commendatum.

Conradus Vrſpergenſis Abbas. 1226.

In Mauritio Imper. Poſtquã multa bella in diuerſis mũdi partibus per diuerſos duces ſuos exercuerat, expedire ſibi iudicauit, in hac vita pro peccato recipere, & nõ in futura: compoſitaq; ſcripto preces Gregorio, & ad omnes Patriarchales ſedes, & ad omnes ciuitates, & ad monaſteria ciuitatum, ſiue ſolitudinum, cum cereis, & thymiatibus, & pecunijs tranſmiſit, & vt pro peccatis ſuis intercederent ſupplicauit, hoc potiſſimum deprecans, vt hîc, & non in futuro, quæ meruit reciperet.

Guilhelmus Peraldus. 1250.

Tomo 1. Summæ de Iuſtitia cap. 10. de ſpeciebus orationis: Eſt & oratio, qua aliquis pro alio intercedit, quæ ſuffragium dicitur: quod ſuffraglum humiliter petendum eſt, & maximè à Sanctis, qui iam beati ſunt. Iob 5. *Ad aliquem Sanctorum conuertere.* Populus etiam humiliter debet ſuffragium petere à miniſtris Eccleſiæ. Leuit. 3. *Rogante pro ijs ſacerdote, propitius erit illis Dominus.* Miniſtri etiam Eccleſię ſuffragium humiliter debent petere à populo, exemplo Pauli ad Rom. 15. *Obſecro,* inquit, *vos per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, vt adiuuetis me in orationibus veſtris pro me ad Deum.*

Ioannes Taulerus. 1350.

Epiſt. 19. Vnde cum omni dilectione, qua poſſum, vos oro, & obſecro, quò eundem per ſeipſum deprecemini, vt nos omnes introducat, deducat, & perducat in eandem hanc ſuperexcellentiſſimam viam, quæ Chriſtus ipſe eſt, Dominus ac Redemptor noſter in ſecula benedictus. Amen.

ARTI-

ARTICVLVS SEXTVS.

SANCTOS IAM IN CAELO TRIVMPHANTES, VT PRO NOBIS ORENT, IMPLORANDOS ET INVOCANDOS ESSE.

NEGANT.

Anno poſt Chriſtũ natum.

400. VIGILANTIVS Gallus: *Ergo,* inquit, *cineres amant Sanctorum animæ, & circũuolant eos, ſemperq; præſentes ſunt, ne fortè ſi aliquis precator aduenerit, abſentes audire non poſſint.* Hieronymus contra Vigilantium cap. 3.

630. *Mahometus* Azoara 49. *Sanctorum inuocationem improbat.*

740. *Conſtantinus Copronymus præcepit, ne quis Mariæ interceſſionem implorare t, quòd nulli opitulari poſſet; neue Sanctorum interceſſio, quòd nihil poſſet, peteretur.* Theoſterictus oratione funebri in S. Nicetam, Suidas in hoc Conſtantino, Clycas parte 4. Annalium.

840. *Claudius Taurinenſis inuocationem Sanctorum eo argumento labefactare conatus eſt, velut, poſtquam obierint, iudiciaria poteſtate non fungantur: quia in eorum locum alij Epiſcopi ſuccedunt.* Ionas Aurelianenſis de cultu imaginum lib. 3.

1130. *Petrus Bruſius, & Henricus Tholoſanus Sanctorum inuocationem deridebant.* Bernardus Sermone 66. ſuper Cantica, Guilhelmus Abbas vitæ S. Bernardi lib. 3. cap. 5. Guido de hæreſibus.

1150. *Cathari beatæ Virginis, Sanctorum, vel Angelorum, vel hominum auxilium non implorant.* Guido de Catharis.

1200. *VValdenſes aſſerunt Sanctos in cælo nec audire preces noſtras, nec orare pro nobis: ideoq; non eſſe implorandos.* Guido de VValdenſibus, Æneas Syluius hiſtoriæ Bohemicæ cap. 35.

1390. Ioannes VVicleuus cap. 3. Trialogi: *Multi probabiliter exiſtimant, quòd foret expeditius Chriſtum ſingulariter inter homines adorare: quia ipſe eſt mediator, & interceſſor optimus. Stultus ergo foret, qui alium interceſſorem inquireret: Chriſtus eſt ſemper viuens apud Patrẽ ad interpellandum pro nobis, & paratiſſimus illabi in mentem cuiuslibet viatoris, qui ipſum dilexerit. Vnde non oportet ad captandum eius colloquium Sanctos alios mediare, cùm ſit benignior & pronior ad iuuandum, quam aliquis eorum.*

Cap. 30. *Stultitia videtur fontem omnino paratiorem relinquere, & ad riuum turbidum & remotum accedere.*

1420. *Guilhelmus Sartorius Londini extremo ſupplicio affectus, dixit: Orare aliquam creaturam, eſt committere idololatriam: fideles nunquam dirigerent orationes ſuas ad Deum ſub ratione humanitatis, ſed ſub ratione deitatis.* Thomas VValdenſis Tomo 3. tit. 13. cap. 117.

1520. Martinus Lutherus de adoratione Sacramenti ad VValdenſes: *Non poſſum vos pro hæreticis habere, quemadmodum Sophiſtæ noſtri faciunt, quòd neque Dei Matrem, neque quenquam Sanctorum inuocatis, ſed in ſolo & vnico Mediatore Chriſto acquieſcitis. Etſi hîc alius pro alio intercedere debet, tamen de Sanctorum mortuorum interceſſione & inuocatione nihil in Scripturis extat.*

1540. Philippus Melanchthon in Antitheſi veræ doctrinæ, & Pontificiæ: *Manifeſta idolomania eſt omnis inuocatio mortuorum, qualis eſt in cultu Sanctorum.*

1550. Confeſſio miniſtrorum Eccleſiæ in Heluetia cap. 23. *Diuos cælites inuocare, aut his vti pro interceſſoribus, prohibet ſacerdotium Chriſti Domini, & vera religio.*

1560. Nicolaus Henningius in explicatione Euangelij de Feſto Annuntiationis Mariæ: *Inuocatio Sanctorum eſt cultus diabolicus, in Eccleſiam à diabolo inuectus.*

1560. Ioannes Brentius in Apologia confeſſionis VVirtembergenſis: *Concedimus Sanctos in cælo pro viuentibus orare in terra, num idcirco ſunt inuocandi? nihil minus,* &c. *Quis iuſſit vos inuocare Sanctos vt Dei amicos? Nam hic ipſe Sanctos inuocandi cultus idololatricus eſt, propterea quòd ſolus Deus ſit inuocandus.*

1570. Theodorus Beza Reſponſione ad Nicolai Selnecceri calumnias: *Sanctorum mortuorum inuocatio non tantùm ſtulta & inanis, ſed etiam impia eſſe conuincitur.*

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Origenes. 230.

In Lament. Incipiam me genibus prosternere,& deprecari vniuersos Sanctos,vt mihi,non audenti petere Deum propter nimietatem peccati,succurrant. O Sancti Dei vos lachrymis & fletu pleno dolore deprecor, vt procidatis misericordijs eius pro me misero,&c. Heu mihi pater Abraham deprecare pro me, ne de finibus tuis aliener, quos valde cupiui, nec condignè quidem propter ingens peccatum meum.

Lib.2.in Iob: O beate Iob viuens in perpetuũ apud Deum,& victor permanens in conspectu regis Domini,ora pro nobis miseris, vt etiam nos terribilis Dei misericordia protegat in omnibus tribulationibus, & eripiat ab omnibus oppressionibus maligni, & connumeret nos cum iustis, & cõscribat nos cum his qui salui fiunt.

Nectarius Constantinopolitanus. 370.

Oratione de S.Theodoro Martyre: O splendor Martyrum,& decus Sanctorum. O verè Dei donũ. O custos & inuictissime defensor fideliũ, ne obliuiscaris nostrę paupertatis, & humilitatis: sed semper pro nobis intercedere ne te pigeat,ô vir imprimis admirande:nec nos,qui quotidie ab animarũ nostrarum,qui cadit in intelligentiam, Iuliano nempe,qui & tunc & nunc est auctor mali,inimico oppugnamur,despicias ô vir maximè venerande. Te enim etiam post mortem credimus viuere,&c. Vt qui ergo in Christo viuas,& stes prope eum,redde eum tuis precibus propitium tuis famulis.

Basilius Magnus. 370.

Homil.20.in 40.Martyres: Qui aliqua premitur angustia, ad hos confugiat: qui rursus lætatur, hos oret. Hic vt à malis liberetur, ille vt duret in rebus lætis. Hîc mulier orans pro filijs auditur, peregrinanti viro reditum incolumem, ægrotanti verò salutem implorat.

Hom.26.de Mart. Mamante: Memores estote Martyris quotquot illo per somnia potiti estis, quotquot in hoc loco constituti adiutorem ipsum ad precandum habuistis, quibuscunq; ex nomine aduocatus ipsis adfuit operibus, quotquot aberrantes ad viam reduxit, quoscunque sanitati restituit, quibuscunque pueros iam mortuos ad vitam reductos reddidit, quotquot vitæ terminos prorogauit.

Ephræm. 370.

Ser.de sanctis Martyrib. Precamur beatissimi Martyres, qui pro Domino Saluatore, proq; illius charitate spõte & integrè torměta subijstis, atq; ideo familiarius Domino cõiuncti estis, vt pro nobis miseris, & peccatoribus, & negligẽtiæ squallore sordẽtibus Dominũ interpellare dignemini, vt superueniat in nos gratia Christi, quę corda nostra radio sanctę charitatis illustret,&c. Nũc igitur,ô beatissimi viri, ô gloriosissimi Martyres Dei me miserũ vestris iuuate precibus, vt in illa hora misericordiã cõsequar, quando manifesta erunt occulta hominũ,&c. Ego item imbecillis accepto vestris precibus ac meritis robore, cecini tota deuotione animi ante sanctas Reliquias vestras hymnum vestræ laudis & gloriæ. Pro me igitur misero ante thronũ Maiestatis assistite, vt vestris precibus saluari merear, ac vobiscũ æterna beatitudine pfrui.

Gregorius Nazianzenus. 380.

Orat.18.quæ est in laudẽ S.Cypriani Mart. Hæc,atq; his plura cõmemorans, Virginemq; Mariam supplex obsecrans, vt periclitanti virgini suppetias ferret, ieiunij & chamęunię pharmaco sese cõmunit: partim vt formæ venustatẽ tamquã insidiosam obscuraret, ficq; flãmę materiã subtraheret, ac libidinis facem absumeret: partim vt per sui afflictionem propitium sibi Deũ & exorabilem redderet,&c. At tu nos è cęlo benignus aspicias, sermonesq; nostros & vitã gubernes, sacrumq; hunc gregẽ pascas, aut pascentẽ adiuues, cùm in cæteris rebus, quoad eius fieri poterit, eum ad optima quæq; dirigens, tum graues lupos, syllabarũ & verborũ captatores amoliens, sanctæq; Trinitatis, cui nunc assistis, pleniorem clariorem q; splendorem nobis cõcilians.

Orat.20.quæ est oratio in laudẽ Basilij Magni: Tu verò, sacrum & diuinũ caput,è cælo nos quæso inspice, carnisq; stimulũ à Deo nobis ad disciplinã datum aut precibus tuis siste, aut certè, vt cũ forti animo perferamus, persuade: atque omnem nostram vitam ad id, quod maximè conducibile est, dirige: nosque, posteaquam ex hac vita migrauerimus, illic quoque tabernaculis tuis excipe.

Oratione 21.quæ est oratio in laudem Magni Athanasij: At ô charũ & sacrũ caput, tu inquã, qui prę ter cæteras tuas laudes sermonis & silẽtij modũ eximiè coluisti, orationi quidẽ nostræ finẽ hîc cõstitue, si virtutũ tuarũ prestantiam haudquaquã assecutæ, at viribus certè nostris minimè inferiori. Nos aũt vtinam ipse benignus desuper & placidus aspicias, atq; hunc populum gubernes, perfectum perfectæ Trinitatis adoratorẽ: meque, si quidem res pacatæ futurę sint, in vita teneas, gregemq; mecum pascas: sin autem Ecclesia bellis flagratura est, reducas, aut assumas, tecumque, & cum tui similibus colloces, tametsi magnum sit quod postulo.

In epitaphio Basilij: Te Basili supplex oro, vt pro mundo stes, donaque offeras. Excitare quæso, tuisque sermonibus & sacrificijs tempestatem seda.

Gregorius Nyssenus. 380.

Orat.in S.Theodorũ Mart. Multorũ beneficiorũ indigemus, intercede ac deprecare pro patria apud cõmunem Regẽ & Dñm. Timemus afflictiones, expectamus pericula, nõ lõgè absunt scelesti Scythę, bellum aduersum nos parturientes: vt miles propugna pro nobis, vt Martyr pro conseruis vtere libertate loquendi. Etiãsi superasti seculũ: at nosti affectus & vsus necessitatesq; humanæ cõditionis. Pete pacẽ, vt hi publici cõuentus nõ desinãt: ne debacchetur atq; grassetur aduersus templa altariaue rabiosus & sceleratus Barbarus: ne cõculcet sancta prophanus & impius. Nos enim etiã, quòd incolumes & integri cõseruati sumus, tibi beneficiũ acceptũ referimus. Petimus etiã futuri tẽporis prę sidiũ, atq; securitatẽ. Quòd si maiori etiã opus fuerit aduocatiõe ac deprecatione, fratrũ tuorũ Martyrũ coge chorũ, & cũ omnibus vnà deprecare: multorum iustorũ preces multitudinũ ac populorum peccata luent. Admone Petrum, excita Paulũ, Ioãnem item Theologũ ac discipulũ dilectum, vt pro Ecclesijs, quas constituerunt, soliciti sint.

Ioannes Chrysostomus. 400.

Homilia 26.in 2.ad Corinth. Nam & ille, qui purpuram gestat, ad sepulchra illa se confert, vt ea exosculetur, abiectoque fastu supplex stat, Sanctosque obsecrat, vt ipsi apud Deum sibi præsidio sint, atque, vt & tentoriorum opificem, & piscatorem, & quidem fato functos, patronos habeat, precibus is contendit, qui diademate cinctus est. Ergone, dic quæso, horum Dominum mortuum dicere audebis, cuius serui, etiam defuncti, eorum, qui vniuerso orbi imperãt, patroni ac defensores sunt? Atque id non Romæ solùm fieri quispiam viderit, sed etiam in vrbe Constantinopolitana. Nam & hîc quoque Constantinum Magnum filius ita demum ingenti honore se affecturum existimauit, si eum in piscatoris vestibulo conderet.

Extat tomo 3. Surij.

Homilia in Natali Apostolorum Petri & Pauli: Salue beata biga, quæ vna es anima in duobus corporibus, Petre & Paule. Saluete vos semper in Domino: sine intermissione pro nobis, rogamus, orate: promissa vestra implete. Sunt enim hæc vestra conuenta: vnius quidem hoc: *Venite mecum, & bonis ne deficiamur.* Alterius verò illud: *Studebo post meum obitum vestri facere mentionem.* Pactorum ergo conuentorum nolite obliuiscì, sed Trinitati principio carenti nullo intermedio assistentes, petite, quæ sunt nobis omnibus salutaria.

Gal.6. 2.Pet.1.

Extat tomo 4. Surij.

Sermone in adorationem venerabilium catenarum & gladij S. Petri ca.26. Tu verò, ô Petre, Christi Ecclesiæ petra & firmamentum, summe Apostolorum vertex,&c. qui catenas has, instar scelerati alicuius hominis, pertulisti,& curationum fontem illas reddidisti: tu, quæso, adesto hodie misertus nostri, & hoc in loco spiritu versare. Adsis huic templo miraculorum promptuario, quod sancta nominis tui appellatione præcipuè honoratur: in quo venerandas catenas tuas, vt thesaurum quendam, reponi voluisti,&c. His catenis nostrarum animarum vulnera, quęso, liges. His tumores & inflationes, à delictis illatas, reseces,& diuinis medicamentis eas cures. His, vt scuto bonæ voluntatis, Christi gregẽ corones. His barbaros ipsos deuincias, captiuos ducas, & ciuitati te venerãti hostiles illorum exuuias conferas. Omnium maximè pium & fidelissimum Imperatorem nostrum, pro telis militaribus, his catenis armes, munias, custodias, victorijs & trophæis corones, hostibus terribilem, & subiectis benignum atque optabilem facias.

In Liturgia: Pater Nicolae fungere legatione apud Christum Deum, vt animæ nostræ salutem consequantur.

Apostoli, Martyres, Prophetæ, Sacerdotes, Cõfessores, & iusti, cum mulieribus sanctis, qui bene certamen consummastis, & fidem seruastis, fiduciam seruantes ad Saluatorẽ, pro nobis ipsis orate saluari animas nostras.

Qui primas inter Apostolos habetis sedes, orbisq; didascali, apud omnium Dominum legatione fungimini, vt pax mundo donetur, & animabus nostris magna misericordia.

Philo Carpathius. 410.

In Cantica super illa verba: *Adiuro vos filiæ Ierusalem:* Rogandus est Deus, rogandi sunt & beatorũ spiritus, qui cum eo iam felicissimè regnant, vt quàm celerrimè, & quàm optimè fieri potest, nos ijs malis eripiat.

Cyrillus Alexandrinus. 430.

Homil.die Ioannis Euangelistæ dicta in cõcilio Ephesino: Quis obsecro is est, qui in terrarũ orbẽ ingressus est? quo quæso modo in illũ inductus est? Mysteriũ hoc aperi, ô Euangelista: effare nobis, ô beate Ioannes, magnũ quippiam & eximium: Tu qui tonitrui filius appellatus es: tu qui orbem totum singulari doctrina tua in admirationem rapuisti: tu qui voces habes immortales, tuis, ô Apostole, obliuio & tempus cedunt verbis. Ecce tantus hic pastorum cœtus ad te venit: remoue nobis lapidem, sicut beatus Iacob pastoribus Haran: reserа nobis puteum vitæ: da, vt nunc quoque de fontibus hauriamus, immò verò tuum nobis fontẽ appone.

Gen. 29. Esa.12.

Sozomenus. 440.

Lib.7.cap.24. Theodosius Imperator Constantinopoli egressus, cùm ad septimum milliare peruenisset, Deo preces nuncupauit in Ecclesia illa, quam in honorem beati Ioannis Baptistæ construxerat, ac petijt, vt expeditionis istius alea, tum sibi, tum exercitui suo, tum Romanis omnibus feliciter caderet,& auxiliarem sibi inuocauit ipsum Baptistam.

Theodoretus. 450.

Græcarum affectionum lib.8. Qui homines prospera sunt valetudine, conseruari eam sibi à Martyribus petunt: qui verò ægritudinem aliquam patiuntur, sanitatem exposcunt. Insuper & steriles viri, & mulieres, dari sibi filios petunt, &c. Non qui se ad Deos accedere arbitrentur, sed qui orent Dei Martyres, tamquam diuinos homines, intercessoresq; sibi eos apud Deum aduocẽt, & precentur. Piè verò fideliterq; precatos, ea maximè consequi, quæ desiderant, testãtur illa, quæ votorum rei dona persoluunt, manifesta nimirum adeptæ sanitatis indicia. Nam alij quidem oculorum, alij verò pedum, alij porrò manuum simulachra suspendunt, ex argento auroue confecta. Gratissimè namq; accipit illorum Dominus qualiacunq; sunt dona, nec exigua, nec vilia dedignatur: quippe qui ea pro ferentis facultate metitur. Hæc itaq; omnium spectaculo exporrecta, testãtur morborum depulsionem, cuius ipsa certissima signa sunt, à sanitatem consecutis allata. Hæc, inquam, sepultorum ibi Martyrum quæ sit virtus ostendunt: Martyrum autem virtus, quem ipsi coluerunt Deum, verum esse Deum declarat.

In historia sanctorum Patrum vitæ prima: Hoc mihi quoque in præsenti opus est auxilio, qui coner eorum vitam scribere Sanctorum, qui parum ante nos, & nostris temporibus claruẽre, & veluti quasdam leges ijs, qui imitari volent, velim proponere. Horum ergo preces sunt inuocandæ, & incipiendum est narrare.

Vita vltima: Eos obsecro, quorum vitam conscripsi, ne me despiciant procul degentem ab illorum spiritali chorea, sed trahant infra iacentem, & ad virtutis tollant altitudinem, & suo choro coniungant.

Antipater Bostrensis Episcopus. 450.

Oratione in sanctum Ioannem Baptistam cap.3. Quocirca rogo te, ô Baptista, concede mihi anchoram deprecationis, & vt qui sis vox, conserua mihi certos & stabiles sensus vocis instrumentorum.

Concilium Chalcedonense. 453.

Actione 11. Flauiano ęterna memoria. Ecce vltio, ecce veritas: Flauianus post mortem viuit, Martyr pro nobis oret.

Olympiodorus Diaconus. 480.

Ad cap.15.Iob: Tu ergo, ô beate Iob, qui isthæc philosophatus es, nos complectere, ac nobis dux esto, nec antea deseras quàm in complanatam viam deduxeris, qua iter rectà facere possimus, & à vero minimè aberremus.

Ephræm Episcopus Chersonis. 500.

De S.Clemente: O Martyrum splendor, & decus Sanctorũ, primitiæ Antistitum, vide nunc quoque hunc præsentem cœtum pium & religiosum, qui à vitæ fluctibus quotidie obruitur: eum tuis precibus illæsum custodi,& conserua: & qui tamquam feræ immanes insiliunt dæmones, & minantur se esse deuoraturos animæ nobilitatem, tuarum intercessionum iaculo repelle ô sanctissime.

Aretas Cæsariensis. 530.

Oratione de Martyribus Samona, Guria, &c. cap.21. O seruatores celeres expeditiq;, ô fidem vestram implorantium adiutores strenui inuictiq;, ô ad ea quæ spopondistis persoluenda sine mora promptissimi, & in tribuendo quod cuique conuenit minimè lenti.

Cyrillus Eremita. 540.

In vita S. Euthymij: Interea cùm in mentem veniſſet, magnum vocabat Euthymium aduerſus hanc affectionem, & eum Deo offerebat interceſſorem, & per ipſum rogabat vt liberaretur.

Gregorius Presbyter. 620.

In vita Gregorij Nazianzeni: Tù beate Pater, veræque ſcenæ aſpector, & myſta, vbi voce exultationis & ſalutis Angeli cum Sanctis Deũ collaudant, tui memor eſto Gregorij.

Euſtathius Presbyter. 620.

Oratione in S. Eutychium: Tu verò, beatiſſime ac ſanctiſſime Pater Eutychi, è cælo nos aſpice, & vitæ noſtræ curſum ad ſalutẽ dirige, vt cùm hinc deceſſerimus, recipias nos in ſinum Abrahæ, & in æterna iuſtorum tabernacula, vbi purius & perfectius quæ abs te de ſancta & eiuſdem eſſentiæ & ſempiterna Trinitate didicimus videamus. Eam, Pater, pro nobis, & pro grege tuo & fideliſſimo hoc Chriſtiq; amantiſſimo populo deprecare, vt æterna bona conſequamur.

Sexta Synodus Conſtantinop. 680.

Cap. 7. Vnusquiſque Chriſtianus ſolo Deo adorato inuocet Sanctos, vt pro ſe intercedere apud Maieſtatem diuinam dignentur.

Ioannes Damaſcenus. 730.

Oratione de Transfiguratione Domini: Hanc Eccleſiam ſuo quidem cruore Chriſtus comparauit: tibi autem (*Petre*) vt fidiſſimo famulo in fidem tradit. Hanc precibus tuis ita cõſerua, vt ab omni perturbatione ac fluctibus immunis ſit, &c. Id à Chriſto pete, vt tempeſtas ſedetur, tumultus comprimatur, paxq; tranquilla, ac fluctuum omnium expers, nobis concedatur. Hoc inquam à Chriſto ſupplex contende, ab eo inquam, qui ipſius immaculatus ſponſus eſt, qui te cæleſtis regni clauicularium inſtituit.

Taraſius Conſtantinopolitanus. 780.

Epiſtola ad Antiochiæ & Alexandriæ Epiſcopos: Obſecro interceſſionem ſanctiſſimæ & incontaminatæ Deiparæ & ſemper Virginis Mariæ, ſanctorum Angelorum, omniumq; Apoſtolorum & Martyrum.

Nicephorus Patr. Conſtant. 815.

Epiſtola ad Leonem Tertium: Exoſculor & expeto Sanctorum apud Deum patrocinia & interceſſiones. Primò quidẽ & præcipuè ſanctiſſimæ & immaculatiſſimæ ſemper Virginis ac Dominæ noſtræ Dei Matris: mox diuinarum cæleſtiumq; Virtutum, ſanctorum laudatiſſimorumq; Apoſtolorum, & omnium Sanctorum, qui ab initio mundi Domino placuerunt, vt qui maximam hinc ſalutem animæ corporiſq; conſequar.

Ioannes Patr. Hieroſolymitanus. 820.

Ad finem vitæ Ioannis Damaſceni: Mihi autem, ô beatiſſime vir, ignoſce, meoq; nomine feruentiſſimè Deum ora, & obſecra, quod præclaram hãc velut collectam, quam alius, vt potuit, rudius aliquanto & incultius fecerat, ego tui amore & deſiderio impulſus, in hunc ſermonem conuerti. Ac me, licet adhuc in corpore degam, Trinitatis adoratorem, materiæ expertem, ac ſpiritualem effice, totum à corpore excedentem.

Ignatius Nicænus. 830.

Oratione in ſanctum Taraſium: De cæterò autem æquum eſt, vt ad te conuertamus orationem, ô Dei ſerue, quicunque es, qui me nolentem incitâſti ad hoc certamen, & coëgiſti aggredi ea, quæ vires ſuperant. Tibi mea accepta ſit obedientia, & meæ orationis aſpiciens humilitatem, & inornatam dictionem, ne me accuſes negligentiæ. Non enim diuino Patri aliquid dignũ attulimus, aut potuimus propè accedere ad dignitatem Harum, quæ prope ſunt, virtutum, &c. Tu verò mercedem ac remunerationem à Deo acceperis, interceſſorem, defenſorem, & propugnatorem, & tuæ ſpei adimpletorem habens Taraſium, qui & ſuis interceſſionibus affatim & ſecurè præbeat, quæ ſunt vſui ad hanc caducam vitam; & præſtet, vt tuæ vitæ ita illic reddas rationem, vt reus nõ peragaris.

Michael Syngelus. 830.

In encomio Dionyſij Areopagitæ: Nunc eos, qui in ſacram hanc & venerandam tuam celebritatem, & optatiſſimam memoriam, celebres conuentus agunt, laudantes, ac Martyrium præmio digniſſimum honorantes, aſpicere, amplexari, atque ijs bene precari, ac benignum Deum propitium reddere, & precibus compellare velis, te maxime & diuiniſſime Præſul, Martyrum illuſtriſſime, obſecramus, vt à moleſtia vitæ, quæ nos circumſtat, liberare, tyrannidem, quæ in nos graſſatur, tollere, mœrorem, quo obſiti ſumus, repellere, tranquillitatem ac profundam requiem, & ſtatum perturbatione vacuum Eccleſijs impertiri dignetur.

Theodorus Studites. 840.

Oratione funebri in S. Platonem cap. 46. O diuinum & ſacrum caput, tu me ex alto propitius reſpicias, & cadentem erigas, gradientem dirigas, incolumem conſerues, & vnà mecum gregem hunc agas & paſcas, quem multis laboribus & ſolicitudinibus cõſtituiſti, vt veſtigia tua ſequatur, vt diuinorum mandatorum ſemitas teneat, protegas, foueas, & tam magnos quàm paruos greges tuos defendens, eorum eſto propugnator, ſicut tuæ migrationis tempore pollicitus es.

Oratione in exilium S. Nicephori: Nos autem, ô Patrũ ſanctiſſime, ô ſacrorum præconum decus, qui digni facti ſumus, vt te & terreſtrem haberemus ciuem, & cæleſtem apud Deum interceſſorem, ad arcam tuam cum deſiderio accedimus, &c. O Patriarcharum, & Pontificum ſocietatis particeps, qui nomine & re cum illis victoriæ præconia & præmia, ærumnis & periculis ſuperatis, percepiſti: ſuſcipe benignè ſynceri erga te cordis fidem, & affectionem, viciſſimq; tuas pro nobis puras ac caſtas preces exhibe, vt Eccleſia ſancta in tranquillitate verſetur, & fides integra cuſtodiatur: in perpetuum Deum nobis propitium redde, & nos in recta dogmatum doctrina firmos immobilesq; conſerua.

Nicephorus Philoſophus. 850.

Oratione funebri in Antonium Patriarcham Conſtantinopolitanum: Sanctorum conſortio nunc apertè fruens, protegas & defendas, ô diuinum & ſacrũ caput, ſacrum gregem, & tuis precibus corrobora ſceptra pietatis, & manum præbeas piæ potentiæ, mundi curas cum eo participans: & intercedas, apud Deum aſſiſtens, ſine intermiſſione, pro eo quod orafti, cùm eſſes cum ipſo, & mundanã ei conſerues nauem in tuto portu diuinæ tranquillitatis, omnes ſedans turbines, & obruens inſultus inimicorum tam eorum, qui ſub oculos cadunt, quàm qui non cadunt.

Theophylactus. 900.

Ad cap. 11. ad Hebræos: Sancti iam nunc arrhabonem & pignus amoris habent. Vnde enim ijs poteſtas eſſet, vt ſuccurrere queant inuocantibus ſe? Vnde ipſis quòd fiduciam habent intercedendi? Perfe-

Perfectionem autem & conſummationẽ tunc accipient.

Simeon Metaphraſtes. 950.

De S. Theophane: O ægrotantium medice, libera me à periculis, quę quotidie imminẽt, vt pulcherrimis factis incumbam, & per te illorum auctorem Deum agnoſcam. Peccatorum mihi veniam à Deo, & iuuentutis meæ delictorum obliuionem impetra.

Suidas. 970.

In Nicolao: Cùm S. Nicolaus in ſomnis Cõſtantino Regi apparuiſſet, tres Duces, à quibus inuocatus fuerat, ob calumniatorem quendam capitis damnatos liberauit, & alios quoſdam milites ſimiliter morte eripuit: neque in hodiernum vſque diem ceſſat eius patrocinia implorantes ab omni neceſſitate liberare.

Pſellus. 1050.

Oratione in S. Simeonem Metaphraſten: Tu autem mihi ſis propitius, ſi nõ perfectè expoſui omnem virtutem tuam, neque ex omnibus tuis bonis parem attuli laudationem, nec mihi iraſcaris propter ea, quæ ſunt à me prętermiſſa, ſed eorum memineris quæ hîc ſunt.

Georgius Cedrenus. 1100.

In Michaële: Conſtantinus, qui & Baſilius dicitur, vocis vſu ab exectione viriliũ priuatus, precabatur Deum, vt vocem ſuam ſolueret: precabatur & Theologiæ nomine illuſtrem Gregoriũ, cuius ibi fortè erat quædam ſtatua. Exaudit illius precem Sanctus, & viſa eſt Conſtantino dicere ſacra imago, mane iubens ceram, quam porrigebat legere: ac Baſilius fidem dicto habens, ingreſſus fanum, clara puriſſimaq; voce recitauit hæc: Rurſum Ieſus meus, ac vocem recepit.

Nicolaus Cabaſilas. 1280.

In Liturgia cap. 33. Propterea nihil pro Sanctis orat ſacerdos, ſed potius eos orat, vt ab ijs in orationibus adiuuetur.

Gennadius Scholarius. 1440.

De Sanctorum ſuitione ſectione 5. Si Sancti nũc cum Chriſto non ſunt, non receperunt: ſi non receperunt, neque intercedunt: ſi nón intercedunt, cur inuocamus? Si enim nunc non intercedunt, nunquam intercedent. Nam in futuro non eſt interceſſio, &c.

Georgius Trapezuntius. 1460.

In Martyrio Andreæ de Chyo cap. 12. Tu verò præcipuè Martyr precor intercedas ad Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum pro Eccleſia vniuerſali, ac amplificatione ipſius, proque ſummo Pontifice Paulo ſecundo, cuius tempora Martyrio tuo decoraſti, perpetuaq; feciſti: & ſicut in Græcia perfidiam deieciſti: ſic inſurgentes in Italia Platonicos interceſſione reprime.

Ioannes Baſilius Dux Moſcouitarum. 1570.

Reſponſione ad Ioannem Rohitam cap. 6. Honoramus beatos Apoſtolos, quòd ſint noſtræ ſalutis adiutores, viæ ductores: hos oramus atque inuocamus, vt quæ nobis tradiderunt, ea percipiamus.

Græci Veneti. 1576.

Epiſt. ad Cardinalem Guiſianum Reſponſ. 7. Ex diuinorum Patrũ traditione ſic dicere conſueuimus: Sancte Apoſtole Petre (vel quicumque tandem Apoſtolorum fuerit) deprecare pro nobis peccatoribus. Similiter appellare ſingulos Sanctorum ordines ſolemus, Martyres religioſos, & alios.

Hieremias Pat. Conſtant. 1580.

Reſp. 1. cap. 21. Nunc quidem Sanctos, nunc ipſam Dominam & matrem Dei, nũc Angelos mentesq; beatas compellamus, ac illorum ſacris precibus nos commendamus: Prophetam illum atque Præcurſorem Baptiſtamq; Domini, glorioſos Apoſtolos, Propheras, Martyres, ſanctosq; Paſtores & Doctores, ſanctarum item mulierum cœtus, omnesq; Sanctos oramus, vt pro nobis peccatoribus intercedant.

Liturgia Armeniorum.

Admonentur aſtantes vt Dei Genitricem, & omnes Sanctos inuocent in adiutorium ad Deum Patrem cæleſtem, vt miſereatur creaturæ ſuæ.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Cyprianus. 250.

De ſtella & Magis & Innocentum morte: Innocentes in ordine Sanctorũ Protomartyres primum habeant locum, & ſecretorum conſcij diuinorum propinquitate familiariſſima, clementiam Dei pro noſtris exorent laboribus, quos vſque hodie funeſtus Herodes perſequitur, quorum ſanguine & morte diabolus delectatur.

Ambroſius. 370.

Libro de viduis: Obſecrandi ſunt Angeli pro nobis, qui nobis ad præſidium dati ſunt: Martyres obſecrandi, quorum videmur nobis quoddam corporis pignore patrocinium vendicare. Poſſunt pro peccatis rogare noſtris, qui proprio ſanguine etiam ſi qua habuerunt peccata lauerunt. Non erubeſcamus eos interceſſores noſtræ infirmitatis adhibere, quia ipſi infirmitatẽ corporis, etiam cùm vincerent cognouerunt.

Sermone 93. in Natali Martyrum Nazarij & Celſi: Non clauditur locis, quod diffunditur meritis. Inuocaſti vbiq; Martyrem, vbiq; te exaudit ille, qui honoratur in Martyre. Moderante itaque eo, qui penſat vota tua, & diſpenſat munera ſua, in tantum vicina præſentia efficacis præbebitur aduocati, in quantum fuerit fides deuota ſuſcepti.

Ad cap. 21. Lucæ: Mortuis regibus in perpetuum Martyres regnũ cæleſtis gratię honore ſuccedunt: & illi fiunt ſupplices, hi patroni.

Oratione 2. præparante ad Miſſam: Apoſtolorum interceſſionem imploro, Martyrum preces depoſco, Confeſſorum orationes expoſtulo. Talium Domine Deus preces nunquam ſpernis, ſi vt pro me exorent, ipſe inſpiraueris.

Damaſus. 370.

De S. Agnete:

O Agnes verum decus, almæ pudoris imago,
Vt Damaſi precibus faueas precor inclyta virgo.

De Andrea Apoſtolo:

Iam nos foueto languidos,
Curamq; noſtri ſuſcipe,
Quò per crucis victoriam
Cæli petamus patriam.

De S. Agatha:

Iam renidens quaſi ſponſa polo,
Pro miſero rogita Damaſo:

Sic sua festa colt faciat,
Se celebrantibus vt faueat.

De S. Felice:

Corpore, mente, animo, pariter te nomine Felix,
Sanctorum in numero Christi sacrate triumphis,
Qui ad te sollicitè venientibus omnia præstas,
Nec quemquam pateris tristem repedare viantem:
Te duce seruatus mortis quòd vincula rupi,
Versibus his Damasus supplex tibi vota rependo.

Prudentius. 380.

Hymno 2. de S. Laurentio:

Quæ sit potestas credita,
Et muneris quantum datum,
Probant Quiritum gaudia,
Quibus rogatus annuis.
Quod quisque supplex postulat,
Fert impetratum prospere.
Poscunt, licentur, indicant,
Et tristis haud vllus redit:
Ceu præsto semper adsies,
Tuosq; alumnos vrbicos
Lactante complexus sinu,
Paterno amore nutrias.
Hos inter, ô Christi decus,
Audi & poëtam rusticum,
Cordis fatentem crimina,
Et facta prodentem sua.
Indignus agnosco, & scio,
Quem Christus ipse exaudiat:
Sed per patronos Martyres
Potest medelam consequi.
Audi benignus supplicem
Christi reum Prudentium,
Et seruientem corpori
Absolue vinclis seculi.

Hymno 5. de S. Vincentio:

Adesto nunc, & percipe
Voces precantum supplices,
Nostri reatus efficax
Orator ad thronum Patris, &c.
Miserere nostrarum precum,
Placatus vt Christus suis
Inclinet aurem prosperam,
Noxas nec omnes imputet.
Paulisper huc tu illabere,
Christi fauorem deferens,
Sensu grauati vt sentiant
Leuamen indulgentiæ.

Hymno 10. de S. Romano:

Romane, Christi fortis assertor Dei,
Eliguis oris organum fautor moue:
Largire comptum carmen infantissimo,
Fac vt tuarum mira laudum concinam:
Nam scis & ipse posse mutos eloqui, &c.

Hymno 14. de S. Agnete:

O virgo felix, ô noua gloria,
Cœlestis arcis nobilis incola,
Intende nostris collutionibus
Vultum gemello cum diademate.

Hieronymus. 390.

Epistola 27. ad Eustochium de Epitaphio Paulæ cap. 14. Vale, ô Paula, & cultoris tui vltimam senectutem orationibus iuua: Fides & opera tua Christo te sociant: præsens facilius quod postulas, impetrabis.

In vita Hilarionis: Non mihi videtur in calce libri tacenda Constantiæ illius sanctissimæ mulieris deuotio, quæ perlato ad se nuntio, quòd corpusculum Hilarionis Palæstinæ esset, statim exanimata est, veram in seruum Dei dilectionem etiam morte comprobans: Erat enim solita peruigiles in sepulchro eius noctes ducere, & quasi cum præsente, ad adiuuandas orationes suas sermocinari.

Aduersus Vigilantium cap. 3. De barathro pectoris cœnosam spurcitiem euomens audes dicere: Ergo cineres suos amant animæ Martyrum, & circumuolant eos, semperq; præsentes sunt: ne fortè si aliquis precator aduenerit, audire non possint? O portentum in terras vltimas deportandum.

Ad Psalm. 15. In illa delectabili potentia tua, qua tecum Sancti sunt regnaturi, quæ nullo fine concluditur. Vnde eos deprecamur, vt ab his nequaquam deiuncti, si non meremur vestiri gloria, nõ excludamur à venia.

Ruffinus. 390.

Eccles. hist. lib. 2. cap. 33. Theodosius cum sacerdotibus & populo omnia orationũ loca circuibat, & ante Martyrum & Apostolorũ thecas iacebat, cilicio prostratus, & auxilia sibi fida Sanctorum intercessione poscebat.

Gaudentius. 400.

Tractatu in dedicatione Basilicæ concilij Sanctorum: Tot igitur Sanctorum patrocinio adiuuandi, tota fide omniq; desiderio supplices secundùm eorum vestigia curramus, vt ipsis intercedentibus, vniuersa quæ poscimus adipisci mereamur, magnificantes Christum Dominum tanti muneris largitorem.

Augustinus. 400.

Annotat. in Iob cap. 14. *Miseremini mei, miseremini mei ô amici mei.*) Angelos videtur postulare, vt pro eo deprecentur; aut certè Sanctos, vt pro pœnitente orent.

De Baptismo contra Donatistas lib. 6. ca. 1. Beatus Cyprianus quidem iam corpore, quod corrumpitur, non aggrauante animam, nec deprimente terrena inhabitatione sensum, multa cogitantem serenius perspicit veritatem, quam meruit adipisci per charitatem. Adiuuet itaque nos orationibus suis, in istius carnis mortalitate, tamquam in caliginosa nube laborantes, vt donante Domino quantum possumus bona eius imitemur.

De ciuitate Dei lib. 21. cap. 27. Cùm campos Elysios Virgilius describit, vbi putant animas habitare beatorum; nõ solùm ibi posuit eos, qui proprijs meritis ad eas sedes peruenire potuerunt, sed adijcit, & ait:

Quique sui memores alios fecêre merendo, id est, qui promeruerunt alios, eosq; sui memores promerendo fecerunt. Prorsus tamquã ijs diceret, quod frequentatur ore Christiano, cùm se cuique Sanctorum humilis quisque commendat, & dicit: Memor esto mei; atq; vt id esse possit, promerendo efficit.

Sermone 17. de verbis Apostoli cap. 1. Martyres eo loco recitantur ad altare Dei, vbi non pro ipsis oretur: pro cæteris autem commemoratis defunctis oratur. Iniuria enim est pro Martyre orare, cuius nos debemus orationibus commendari.

De cura pro mortuis agenda cap. 4. Non video quæ sunt adiumenta mortuorum (vt apud memorias sanctorum Martyrum corpora eorum sepeliantur) nisi ad hoc, vt dum recolunt vbi sint posita eorum, quos diligunt, corpora, ijsdem Sanctis illos tamquam patronis susceptos apud Dominum adiuuandos orando commendent. Quod quidem facere possent, etiamsi talibus locis eos humare non possent, &c. Cùm itaque recolit animus, vbi

sepultum

sepultum sit charissimi corpus, & occurrit locus nomine Martyris venerabilis, eidẽ Martyri animam dilectam cõmendat recordantis & precantis affectus.

Sermone 1. de S. Stephano: Si igitur exauditus est Stephanus, vt eius orationibus deleretur peccatum, quod commiserat Saulus, commendemus ergo nos eius orationibus. Multo magis enim nũc exauditur pro veneratoribus suis, qui sic exauditus est tunc pro lapidatoribus suis.

Paulinus Nolanus. 410.

De obitu Cælsi:

Cælse iuua fratrem socia pietate laborans,
Vt vestra nobis sit locus in requie.

Natali 2. S. Felicis:

Sis bonus ô felix, tuis, Dominumq; potentem
Exores liceat, placati munere Christi.

Natali 3.

Hunc precor æterna nobiscum pace serenum
Posce diem, hoc iterum liceat gaudere reuerso,
Annuaq; hic & vota tuis & carmina festis
Reddere placati tranquillo nomine Christi.
Hic amor, hic labor est, nobis hæc vota tuorum
Suscipe, commendaq; Deo, vt cùm sedula cura
Seruitium nostrum longo tibi penderit æuo,
Tunc demum placidos pietate laboris alumnos
Absoluas mittente manu, positasq; tuorum
Ante tuos vultus animas, vectare paterno
Ne renuas gremio Domini fulgentis ad ora:
Quem bonitate pium, sed maiestate tremendum,
Exora, vt precibus plenis, meritisq; redonet
Debita nostra tuis, cùm tu quoque magna piorum
Portio, regnantem Felix comitaueris Agnum:
Posce ouium grege nos statui, vt sententia summi
Iudicis hoc quoq; nos iterum tibi munere donet,
Ne malè gratatis lauos adiudicet hœdis,
Sed potius dextræ positos in parte salutis
Munifico pecori laudatis aggreget agnis, &c.

Natali 8.

Concurramus ad hunc spe conspirante patronum,
Suscipiat nostras placida pietate querelas, &c.
Sancte Deo, dilecte Dei, tu dextera Felix
Esto precor nobis, tu munitissima turris.

Natali 9.

Quare inopi da Sancte tuo, vt te digna patrono,
Et pariter condigna tuo loquar vsus amico,
Posco tuos Felix tecum ad tua vota parentes.
Quæ tua vota loquor mea sunt, & verius hæc sunt
Vota mea, at tibi celsum honor terrena recusat
Gaudia: sed quia nostra tua sunt gaudia palmæ,
Vt tua digneris tibi ducere vota tuorum:
Ergo tuos etiam Felix imploro parentes,
Hic quoq; ades mihi nunc poscas, vt adesse vocatos,
Qui colitis lætos paradisi cælitis hortos,
Vos etiam Sancti supplex deposco Prophetæ,
In nostra qui carne Deum fore præcinuistis.
Vos quoq; corporibus cæsis & sanguine fuso
Occisum & viuum testati Martyres Agnum.

Seuerus Minoricensis. 420.

Epistola ad omnem Ecclesiam: Christiani vt corde, ita etiã viribus humiles, sed veritatis robore superiores, patroni Stephani patrocinium deprecabantur.

Vigilius Martyr Tridentinus. 420.

In vita S. Sisinnij: Nunc me immeritum S. Sisinni paterno amore consolare, & cum ijsdem Sanctos apud ipsos exorator accede, quatenus possim die illa fimbriam aut sacerdotum aut Martyrũ iam omnibus sepositis peccatis attingere.

Maximus Taurinensis. 430.

Homilia de S. Agnete: O splendida Christo, pulchra Dei Filio, & omnibus Angelis & Archangelis grata, vt nostri meminisse digneris, quibus possumus precibus exoramus: vt nobis ille tribuat peccatorum indulgentiam, qui tibi tuorũ omnium laborum tradidit palmam.

Hilarius Arelatensis. 450.

In vita S. Honorati: Memento itaque amice Dei, memento iugiter nostri: Deo incoinquinatus assistis, canens illud canticum nouum, & sequens Agnum quocumq; vadit. Tu illi pedissequus, tũ pro nobis patronus, orationum nostrarum interpres, acceptabilis & fortis assertor; profusas ad sepulchrum tuũ alumni gregis preces perfer: impetra vt conspiratione communi sacerdos & populus quæ iussisti, quæ docuisti aliquatenus obtinere mereatur. Apoc. 14.

Leo Magnus. 450.

Sermone 5. de Epiphania Domini cap. 4. Confirmate amicitias cum sanctis Angelis, intrate in ciuitatem Dei, cuius nobis spondetur habitatio, & Patriarchis, Prophetis, Apostolis, Martyribusq; sociamini. Vnde & illi gaudent, gaudete. Horum diuitias concupiscite, & per bonã æmulationem ipsorum ambite suffragia.

Claudianus Mamertus. 460.

Epigrammate ad Iacobum Magistrum:

Per cineres Pauli, per eam limina Petri,
Ne laceres versus dux Iacobe meos:
Sic tua pro clypeo defendat pectora Thomas,
Et comes ad bellum Bartholomeus eat:
Sic ope Sanctorum non Barbarus irruat Alpes:
Sic tibi det vires sancta Susanna suas:
Sic quicumque ferox gelidum tranauerit Istrum
Mergatur, volucres ceu Pharaonis equi.

Antonius Constantiensis. 470.

Epistola ad Arcadium exulem: Tecũ est omnis chorus Martyrum præcessorum tuorum, expectant te Martyres, & defendunt, & coronam extendunt. Qualis eris cùm Petrum & Paulum, quos rogare solebas vt Patronos, habebis amicos?

Constantius Presbyter. 480.

Vitæ S. Germani lib. 2. cap. 7. Vt autem diuinæ tubæ cantum, & exoptati clangoris sonum, ac sacræ resurrectionis gaudia obtinere mereamur, & pro nobis, & pro hac plebe attentius intercede ad Dominum nostrum Iesum Christum.

Victor Vticensis. 490.

De persecutione Vandalica lib. 3. Deprecamini Patriarchæ, de quorum stirpe nata est Ecclesia, quæ nunc in terris laborat. Orate sancti Prophetæ, cognoscentes afflictam, quã antea vaticinante præconio cecinistis. Estote Apostoli suffragatores eius, quam vt congregaretis vniuersum orbem, ascendente in vobis Dominò, vt equi velocissimi cursitastis: præcipuè tu Petre beate, quarè sines pro ouibus & agnis à communi Domino magna tibi cautela & solicitudine commẽdatis? Tu sancte Paule gentium magister, qui ab Hierusalem vsque ad Illyricum prædicasti Euangelium Dei, cognosce quid Vandali faciunt Ariani, & filij tui gemũt lugendo captiui: vniuersiq; ingemiscite simul sancti pro nobis Apostoli.

Ennodius Ticinensis. 500.

In vita Epiphanij Ticinensis: Tu mihi anima prævotens apud Redemptorem tribue, vt pectore li-

ber, &

ber, & cura vacuus, munda tibi, ſicut debentur, præconia mundus exoluam.

Hormiſda. 516.

Epiſt.31. Hinc eſt quòd B. Petrum Apoſtolum quotidie ſuppliciter obſecramus, vt vobis, per quos integrari membra ſua ſancta iam ſperat Eccleſia,& effectum Deus celerem,& ſalutem tribuat longiorem.

Elpis vxor Boetij. 520.

Hymno de Petro & Paulo:

Iam bone paſtor Petre clemens accipe
Vota precantum, & peccati vincula
Reſolue tibi poteſtate tradita.
Doctor egregie Paule mores inſtrue,
Et mente polum nos transferre ſatage,
Donec perfectum largiatur plenius,
Euacuato quod ex parte gerimus.

Arator. 540.

Libro 1.

Excute Petre meæ retinacula tarda loquelæ,
Deq; tuis epulis exhauſtæ porrige linguæ.

Fortunatus. 570.

Lib. 2. Vitæ S. Martini:

Fer pietatis opem miſero miſerando miſertor,
Rector vt altithronus cùm venerit arbiter orbis
Tum memor obtineas delicti obliuia noſtri.
Inter me & Dominum mediator adeſto benigne,
Quem ſua culpa ligat tua vt interuentio ſoluat.
Spes Fortunati ſit fida ſalutis egeni,
Suppliciter humilem tibi ſe ſtrauiſſe patrone,
Qui lepræ maculas medicata per oſcula purgas,
Mortis & extremæ reuocas in origine finem,
Carnis adhuc fragilis quondam ſub imagine conſtans:
Nunc opus vt mitis pietas tua commodet aures:
Nam prece poſſe vales apud illum, cuius haberis:
Quod peto tu poteris, quia totum præſtat amicis.
Sic tibi quæque petis tribuat præſentia regis

Libro 4.

Intercede, precor veniam, vir adepte coronam,
Eripe paſtor ouem, ne clauda vel exterа reſtet:
Porrige celſe manum, rege greſſum, dirige ſenſum,
Exceſſuſq; graues leuiori examine penſes,
Ac potius pietas diues miſerando precetur
Mitis, & exores placidæ fomenta medelæ,
Inter & ipſe Deum, atq; reum mediator adeſto,
Defixis genibus, tenſis ad ſydera palmis,
Vocibus incluſis, animis penetrantibus auras,
Obtineas meritis iudex cùm venerit orbis;
Tu quoque iuſſus eris dextro reſidere ſedili
Arbiter in populos tribuum, pauor ante tribunal.
Qualiter effugiam flamma ſtridente caminum?
Tunc precor vt fragilem ſacro velamine cales,
Et tua me trepidum defendat ab igne lucerna:
Sis precor in Domino famuli memor alme per ipſum,
Cuius erit tibimet lumen ſine fine videndum.

Gregorius Turonenſis. 570.

Hiſtoria lib.2.cap.5. Seruatius ſentiens per Spiritum pro delictis populi hoc ſibi non fuiſſe conceſſum, conſilium cepit, vt expeteret vrbem Romam, ſcilicet vt adiunctis ſibi Apoſtolicæ virtutis patrociniis, quæ humiliter ad Dominum flagitabat, facilius obtinere mereretur. Accedens ergo ad beati Apoſtoli Petri tumulum, deprecabatur auxilium bonitatis eius, in multa abſtinẽtia, maxima inedia ſe conſumens, ita vt biduo triduoq; ſine vllo cibo & potu permaneret, nec eſſet interuallum aliquod, quo ab oratione ceſſaret.

De gloria plurimorum Martyrum cap.27. Tunc preſbyter cum lachrymis proſtratus, ad beati Martyris tumulum ſuppliciter deprecatur, dicens: Queſo grauiſſime athleta Chriſti, vt eruas hunc pauperem de manu mortis iniquę, ne mihi fiat in opprobrium, ſi per meam accuſationem moriatur hic homo.

Gregorius Magnus. 590.

Lib.3. Dialogorum cap.25. Cùm quædam puella paralytica, in Diui Petri Eccleſia permanẽs, manibus reperet, & diſſolutis renibus corpus per terram traheret, diuq; ab eodem beato Petro Apoſtolo peteret, vt ſanari mereretur, nocte quadam ei per viſionem aſtitit, & dixit, &c.

Lib.11. epiſt.8. Omnipotens Deus excellentiam veſtram in ſuo ſemper timore cuſtodiat, atque ita veſtra vota in filiorum excellentiſſimorum regum, nepotum veſtrorum, intercedente B. Petro Apoſtolorum principe, cui eos commẽdatis, ſoſpitate adimpleat, vt ſtabile vobis gaudium de eorum ſemper incolumitate, ſicut cupitis, habere concedat.

In Antiphonario: Saluator mundi ſalua nos: Sancta Dei Genitrix virgo Maria ora pro nobis.

In Agenda mortuorum: Subuenite Sancti Dei, ſuccurrite Angeli ſuſcipientes eam, offerentes eam in conſpectu Altiſſimi.

Gordianus Siculus. 600.

In vita S. Placidi Martyris: Hic nunc cum his, qui qui ſequuntur Agnum, canticum nouum decantare non ceſſat. Apud hunc igitur dignetur pro nobis interuenire, vt maculis omnibus expiatos, nos vellere velit induere.

Synodus Cabilonenſis. 658.

Cap.1. Nunc tam ex communi omnium voluntate, quàm ex euocatione, vel ordinatione Domini Clodouei regis, pro zelo religionis vel orthodoxę fidei dilectione, in Cabilonenſi vrbe in Eccleſia ſancti Vincentij pariter conglobati, ipſius ſancti Martyris interceſſionem poſcentes, vt longæuitatẽ ſupradicti principis ſuo ſuffragio mereremur.

Beda. 700.

In Natali S. Scholaſticæ: Intercedite (*Scholaſtica & Benedicta*) pro nobis commiſſis, poſtulate pro nobis afflictis, rogate pro noſtris delictis: poſcite Chriſtum non ſolùm pro Monachis commiſſis, ſed etiã pro veſtris ancillis, vt omnis ætas, omnis ſexus, omnis ordo, qui veſtris præceptis colla ſubmittunt, peritura mundi deſpiciant, gaudia æterna concupiſcant, regna beata appetant, proſpera animarum & corporum percipiant, nulla diabolica fraude moleſtentur, nullis incurſionibus malignorum affligantur, nullisq; calamitatibus annihilentur. Euge Pater beate, faue precantibus, appone aures precibus famulorum tuorũ, da veniam poſcentibus, da dona quærentibus, parce peccantibus: quia tu paſtor es, nos verò oues: audi balatus ouium tuarum, trahe me poſt te, vt veniamus ad te, vt illic vera paſcua inueniamus, vbi ſunt vera gaudia ſempiterna. Redde Deo talenta cumulata de nobis, reporta cum vſuris credita dona doctrinarũ, meq; indignum huius operis præſumptorem tuis coniunge ſeruulis ſacris, vt cum omni grege commiſſo præmia vitæ aſſequamur.

Homilia in Litania maiori: Precemur omnes Sanctos, vt pro nobis intercedant ad Deum, vt dignetur nobis dare remiſſionẽ peccatorum, & cuſtodiat corpora & animas noſtras.

Zacharias PP. 740.

Epiſtola prima ad Bonifacium: Beatus Apoſtolorũ princeps

princeps Petrus cooperetur tibi in omnibus bonis, quæ ei parare deſideras.

Alcuinus. 750.

De vſu Pſalmorum fol.48. Rogo ſanctam & beatiſſimam matrem Mariam, rogo viginti quatuor ſeniores, omnes ſanctos Angelos deprecor, omnibus ſanctis Prophetis ſupplico, omnes ſanctos Apoſtolos, Martyres, Confeſſores ac Virgines rogo: ſimiliter omnes Sanctos & electos Dei inuoco in auxilium meum.

Paulus Diaconus. 780.

De geſtis Longobar. lib.4.c.17. aliàs c.5. Cùm dux ipſe propè Spoletum, vbi Baſilica beati Martyris Sabini Epiſcopi ſita eſt, in qua eiuſdẽ venerabile corpus quieſcit, adueniſſet, interrogauit, cuius hæc tam ampla domus eſſet: reſponſum eſt ei à viris fidelibus, Sabinum ibi Martyrem requieſcere, quem Chriſtiani, quoties in bello contra hoſtes irent, ſolitum haberent in ſuũ auxiliũ inuocare.

Haymo. 820.

Homilia de Virginibus Matth.13. Huius margaritæ pulchritudinem beatiſſima N. cuius hodie feſtiuam celebramus feſtiuitatem, multis diuitijs datis cõparauit. Vnde ſine dubio, quia regis terreni coniugium contempſit, ſponſa effecta eſt regis cęleſtis; & quæ noluit cum terreno rege regnare in mundo, regnat cum Chriſto in cælo. Et ideo dignum eſt, vt qui temporalẽ reginam honore debito veneramur, hanc Deo acceptam reginam deuotis precibus ſupplicemus, vt quia nos in ſuo exemplo in nomine Chriſti congregauit, ſuis nos meritis, & orationibus in præſenti vita iucundos efficiat, & in futuro acceptos reddat.

Ælmoinus. 825.

De geſtis Francorum lib.2. cap.4. Nec multo pòſt Sigiſmundus facti pœnitentia ductus, ſecum ipſe reputans, quid ſceleris admiſerit, ad ſepulchra Sanctorum recurrens, ſæpe humiq; proſtratus eos erga ſe clementiſſimos fore efflagitans rogabat, vt ſi quid minus perfectum diuinæq; maieſtati aduerſum in ſuis reperiretur actibus, id, eorum interuẽtu, iuſtus iudex in hoc ſeculo potius, quàm in futuro puniret examine.

VValafridus Strabo. 830.

De rebus Eccleſiaſticis ca.8. Rogamus Sanctos, non vt ipſi præſtẽt per ſe, quæ ſaluti noſtræ neceſſaria ſunt; ſed vt ab auctore bonorum, à quo eſt *omne datum optimum, & omne donum perfectum,* vtpote illi proximiores meritis, & ideo certius audiẽdi, impetrent, quæ ſaluti petentium opportuna non neſciunt. Iacob. 1.

Cap.28. Notandum Litanias non tantùm dici illam recitationem nominũ, qua Sancti in adiutorium vocantur, ſed etiam cuncta quę ſupplicationibus fiunt orationes appellari.

Vitæ S. Galli cap.47. Obſecramus itaq; te S. Galle Chriſti Confeſſor, vt ſicut ſanitatem corporum meritis tuis multis te contuliſſe retulimus: ita noſtris mentibus medelam implorare digneris.

Agobardus Lugdunenſis Epiſc. 840.

De SS. Cypriano, Sperato, & Pantaleone:

Digni cultibus & honore claro
Florens inclyte Cypriane dormis:
Sed quæſo vigiles, vigilq; noſtris
Intendas precibus, fiasq; nobis
Clemens & validus Dei Patronus:
Soluas crimina, conferasq; vota.
Sit quæſo memor illa lingua noſtri,
Quæ confeſſa Dei perenne Verbum,
Ceruicem gladio dedit ſecandam.
O Doctor ſacer, ô beate Martyr,
Serua Pontificem pium Agobardum,
Qui nomen, meritum, tuumq; feſtum
Dictis extulit, & honore compſit.

Rabanus Maurus. 850.

Lib.2. de laude Crucis: Vos igitur precor cæleſtes Angelorum cohortes, animasq; iuſtorum, quæ in conſpectu maieſtatis diuinæ veraciter exultatis, vt noſtrã ſalutem precibus adiuuare ſtudeatis.

Ionas Aurelianenſis. 860.

De cultu imaginum lib.1. Si per Sanctorum ſuffragia ſalus animarum non acquiritur, vt quid eorum interceſſio in Miſſarum celebrationibus, & cæteris humilimis ſupplicationibus apud diuinam maieſtatem flagitatur?

Lib.3. Sapientium virorum, in Eccleſiæ gremiõ conſiſtentium, eſt dicta Saluatoris intelligere, & pro abſolutione animæ ſuæ beatum Petrum, cæterosq; Sanctos, non quaſi Deum, ſed quaſi familiares Dei exorare, eorumq; confeſſiones ac ſepulturę loca, amore dictante viſitare.

Eulogius Toletanus. 860.

In memoriali Sanctorum lib.1. cap.25. Hinc vos inſtanti iam voluminis termino, ô corona Sanctorum, ego ipſe, licet indignus veſtri laudator Eulogius, poſtulo, vt hoc opus vobiſmetipſis probatũ efficiatis, ac ereptum ſanctificetis, ſanctificatum Deo libetis, neque inordinatam narrationis eius ſeriem penſetis. Sed velle meũ potius, quàm poſſe conſiderantes, voluntatis votum, non imbecillitatis remuneremini defectum.

Lib.3. cap.10. Cæterùm tu ſacratiſſima Eulalia, quæ vtiliter Eccleſiam Catholicam & viuens cõuerſationis exemplo, & moriens celſo meritorũ inſtituis patrocinio, eſto memor cultoris tui, eruę me laqueis mundi, abſtrahe perturbationibus ſeculi, & confer poſt mortem requiem paradiſi.

Remigius Antiſiodorenſis. 880.

Ad Pſal.121. In quo hæreſis illorum deſtruitur, qui dixerũt Sanctis non eſſe ſupplicandum, quoniam neſcirent quid hîc circa puluerem eorum ageretur: cùm etiam dæmones tantæ leuitatis & velocitatis ſint, vt vno penè eodemq; momento & hîc, & in Babylonia ſint, ſed multo magis hæc efficacia credẽda eſt in animabus Sanctorum, quę quanto dæmonibus ſunt beatiores, tãto ſunt perſpicaciores. Vos Sancti Dei rogate nobis exhiberi ea, quę ad pacem ſunt, & beatitudinem, quæ in cęleſti patria eſt, conſequendam ſunt valentia. Rogamus etiam & nos pro nobis, & pro omnibus alijs.

Hucbaldus Elnonenſis. 900.

In vita S. Rictrudis cap.18. Te igitur ſancta & Deo dilecta Rictrudis toto cordis affectu obſecramus, vt tuis ſanctis precibus & meritis, quibus variarum ſoluis ægritudinum nexus, nos à peccatorũ noſtrorum vinculis abſoluas.

Ratbodus Traiectenſis. 930.

Carmine de S. Lebuino:

Quam Lebuine vides ſacer ac memorande ſacerdos,
Hanc precor vt Chriſtum recolens nil faſtibus vſum
Pallentis vidua potius ceſſiſſe minutis
Gratam habeas, precibusq; tuis mea vincula ſoluas,
Et vera facias, poſt diuerſoria carnis,
Libertate frui, ſacris cum cœtibus Agni.

Radulphus Flaviacenſis. 930.

Lib.1. in Leuit. cap.4. Orationis ſacrificium non niſi Domino ſoli offerendum eſt. Nam etſi Sancti rogantur à nobis, non tamen vt nos ipſi ſaluent, (*Domini* ſiquidem *eſt ſalus*:) verùm vt nobis ſalutem im- Pſal.3.

Hier.17.

tem impetrent, postulantur. Alioquin *maledictus, qui spem suam ponit in homine.*

Notgerus Leodiensis. 960.

Præfatione in vitam S. Remacli: Dominus remedia prouidet lapsis, dum & Angelica præstat nobis suffragia non deesse, & Sanctorum confert patrocinia, quos pro nostris culpis intercessores implorare non dubitemus. Quos licet passim diuersis largitus sit prouincijs generatim & communiter honorandos, attamen singulis quibusque locis speciales quosdam attribuit, etiam specialiter amplectendos, & propensius exorandos.

In vita S. Landoaldi: Post hæc ætate quidem adultior apud Turones S. Martini petijt sepulchrum. Ibi eius interuentionis orauit auxilium, vt id sibi gratiæ apponi postulet Dominum, quatenus peregrinationis totius vitę sibi concedat dependere cursum.

Abbo Floriacensis. 980.

De obsidione vrbis Parisiensis:

Tunc trepidant ciues, cunctiq; vocant celebrandum
Germanum: miserere tuis Germane miselli.
Mœnia Germani nomen recinũt, & in omni
Exclamat miles specula, primiq; virorum:
O famulis, Germane, tuis succurrere disce, &c.
Voce rogant lachrymosa omnes, Germane beate,
Auxiliare tuis, alioquin nunc moriemur:
O pie, nunc succurre citus, succurre, perimus.
Germanum reboat tellus, nec non fluuiusq;,
Littora, & omne nemus pariter circum resonabat:
O Germane sacer nobis miserere rogamus, &c.
Omnibus en Germanus adest recolendus in orbe
Corpore subsidioq; simul, nil vota moratus, &c.

Ioannes Monachus Italus. 980.

De S. Odone Cluniacensi:

Vltima vox resonat, tu Christe parce redemptis:
Martinum ingeminat, Martinum suspicit, orat.

Stephanus Monachus. 990.

De inuentione S. Maurini: Age pater inclyte, pater pie, age cum iudicibus causas nostras, vt & in terra dignè te veneremur, & ibi quandoque faciem tuam contemplemur, vbi epularis & cum Angelis delectaris gloria & aspectu Agni.

Osbertus Anglus. 1020.

Vita S. Dunstani cap. 47. Quotidie de suis necessitatibus, tam corporis, quàm animæ, leuamen desiderantes, illuc currunt, & sicut à pijssimo patre, inter eos corporaliter conuersante, suffragia petunt.

Helgaudus Floriacensis. 1030.

In vitâ Roberti Regis Francia: Ad cuius amabilem vocem laxatis frænis, & equi pedibus de naui eiectis, cœpimus ad littus euehi. Ipse quoque S. Dionysium, sanctumq; Benedictũ, & omnes Sanctos Dei in adiutorium nostrum prouocabat, lachrymis perfusis oculis, cuius precem audiuit is, qui est benedictus Deus.

Glaber Rodolphus. 1040.

Lib. 5. Hist. cap. 2. de bello mirè gesto: Quod Gotfredus comperiens, ei petiuit auxilium B. Martini, promisit humiliter se emẽdaturum, quicquid in ipsius sancti Confessoris, cæterorumq; Sanctorũ possessionibus raptu abstraxerat, &c. Nulli dubium est, B. Martino auxiliante, qui illum piè inuocauerat, suorum inimicorum victorem extitisse.

Petrus Damianus. 1050.

Sermone 1. de S. Ioanne Euangelista: Vnde considerandum est fratres mei, quãta deuotionis instantia B. Ioãnis flagitare debeamus auxilium, quem sibimet interuentorem & ipsi Apostoli petierunt. Quantum apud iustum iudicem pro peccatoribus poterit, qui & pro ipsis cælestis curiæ senatoribus interuenit? Et qui aduocatus factus summis, quàm humiliter implorãdus est à minimis? Hymno de S. Ioanne Euangelista:

Virginis virgo venerande custos,
Magnus æterni logotheta Verbi,
Dele seruorum facinus tuorum,
Sancte Ioannes.
Tu decus mundi, iubar atque cæli,
Impetra nostris veniam ruinis,
Da sacramentum penetrare summum,
Quod docuisti.
Patris arcanum speculando Verbum,
Tollis errorem fidei per orbem:
Nos ad æternum speciem fruendam
Dux bone transfer.

Anselmus Cantuariensis. 1080.

In Elucidario: Iusti orant pro his, quos in Domino amauerunt, vel qui eos inuocant, vt à malis seruentur, vt à mundi tentamentis liberentur, & si in errore sint, vt corrigantur, & ijs celerius associentur.

Ioannes Archidiaconus Barensis. 1190.

De translatione S. Nicolai:

O Nicolaë Pater toto venerabilis orbe,
Qui patriam nostram deseris, imò tuam.
Quælibet hanc miseram quoties aduersa premebant,
Auxilium petijt mox Pater alme tuum:
Rebus in aduersis aderas Pater alme, salutis
Munimen tribuens supplicibus populis.

Berengosius Abbas. 1110.

Sermone 1. de Sanctis Martyribus: Quia iam tempus imminet, quo sermonem istum ad finem ducamus, dignum est, vt eorundem Martyrum Christi præsidia sine intermissione quæramus, quatenus meritis ipsorum intercedentibus charitas illa, quæ vniuersa cooperit delicta, vsque in finem regnet in nobis inuicta.

Honorius Augustodunensis. 1120.

Sermone de omnibus Sanctis: Igitur charissimi omnium Sanctorum meritis & precibus quærite Dominum hodie orando: omnes Sanctos ore & corde inuocate, votis & laudibus vos eis cõmendate, vt quicquid toto anno gessistis contra Christianam religionẽ, Sanctus Sanctorum omnium relaxet nobis Christus per illorum intercessionem.

Bernardus. 1130.

Homil. 66. in Cantica: Irrident nos hæretici quia baptizamus infantes, quòd oramus pro mortuis, quòd Sanctorum suffragia postulamus. Mortuos viuentium fraudant auxilijs, viuẽtes nihilo minus Sanctorum, qui decesserunt, suffragijs spoliantes.

Petrus Lombardus. 1140.

Lib. 4. dist. 45. Oramus Sanctos, vt intercedant pro nobis, id est, vt merita eorum nobis suffragẽtur, & vt ipsi velint bonum nostrum: quia eis volentibus Deus vult, & ita fiet.

Petrus Cluniacensis. 1150.

Hymno in translationem D. Benedicti:

Iam cælo residens Pater optime,
Diuinis famulos imbue regulis,
Angustum per iter scandere largiens
Dona regna perennia.

Helmoldus. 1170.

In Chronic. Sclauorum lib. 1. cap. 43. VVicelinus præerat socijs in solitudine, instituens eos tam doctrina, quàm exemplo: orationi etiam interdum vacans, omnium Sanctorum suffragia efflagitabat, præcipuè verò beati Nicolai, cuius obsequio specialius se manciparat.

Guilhelmus Neubrigensis. 1200.

Rerum Anglicarum lib. 5. cap. 7. Cùm vir quidam piæ deuotionis in Hispanias ad memoriam B. Iacobi Apostoli graderetur, repente in via obstitit ei quidam enormi corpore & vultu terribili. Pauefactus homo sanctum Iacobum fortiter inclamauit. Qui beatus Apostolus in specie reuerẽda mox adfuit, & potenti verbo inuasorẽ increpauit.

Iacobus Vitriacus. 1220.

In Litania maiori: Intercedere dicuntur meritis suis pro nobis Sancti, dum eorum merita nobis suffragantur. Oramus igitur Sanctos, vt intercedant pro nobis, id est, vt merita eorum nobis suffragentur, & vt ipsi velint bonum nostrum: quia ipsis volentibus Deus vult, & ita fiet. Ipsis ergo cooperantibus & adiuuantibus exaudit Dominus de templo sancto suo vocem nostram.

Guilhelmus Aluernus. 1230.

De legibus c. 24. Sanctos inuocamus aut oramus, non vt Deos, neque vt auctores eorum, quæ nobis præstari petimus, sed vt interpellatores pro nobis & impetratores: neque ab ipsis petimus, vt nobis huiusmodi beneficia largiantur, sed potius vt altissimum Deum orantes, quatenus ipse nobis ea largiatur. Nec dicimus: *Sancte Petre salua nos,* sed potius: *Ora pro nobis.*

Rodericus Toletanus. 1240.

Rerum Hispanicarum lib. 5. cap. 11. Tertio anno cùm patratis vastationibus vellent ad propria nauigare, inuocato nomine Domini, & beati Iacobi, Comes Gundisaluus Sancij occurrit eis, si posset exterminiũ vendicare. Et cùm præliũ iniuissent, gratia Dei, & virtute Apostoli, qui sine lege vastauerant, Dei iudicio sunt prostrati, & tam ipsi, quàm Rex eorum gladio ceciderunt.

Albertus Magnus. 1240.

In Litania: Omnes Sancti in vniuersum nos sua intercessione lætificent, vt dum eorum merita recolimus, patrocinia sentiamus.

Thomas Aquinas. 1250.

Secunda 2. q. 83. art. 4. A sancta Trinitate petimus, vt nostri misereatur: ab alijs autem Sanctis quibuscumque petimus, vt orent pro nobis.

Hugo Pratensis. 1300.

Sermone 35. Rogare debemus Apostolos & omnes Sanctos in omni necessitate nostra: quia ipsi sunt aduocati nostri, & medij inter nos & Deum, per quos Deus ordinauit nobis omnia largiri.

Augustinus Triumphus. 1320.

De potestate Ecclesiastica q. 17. art. 3. Sancti viuentes meruerunt vt pro nobis orarent, & nobis beneficia impetrarent: & ideo illis nominibus inuocamus, quibus dum viuerent per nos inuocabantur: quia dicimus: *S. Petre ora pro nobis.*

Franciscus Petrarcha. 1350.

Ad Mariam Magdalenam:

Dulcis amica Dei lachrymis illabere nostris,
Atq; meas intende preces, nostræq; saluti
Consule: namque potes.

Gerhardus Surphanensis. 1380.

Lib. 1. cap. 35. Si quando difficilis tua conscientia Deum orare, conscia suorum excessuum, arripe illud genus orationis, quod obsecratio dicitur, hoc est, roga aliquem Sanctorum, vt pro te deprecetur.

Petrus Aliacus. 1400.

De Oratione: Orationem porrigimus sanctis hominibus & Angelis, non scilicet vt per eos Deus petitiones nostras cognoscat, sicut posuit Apuleius libro suo de Deo Socratis: sed vt eorum precibus ac meritis orationes nostræ fortiantur effectum.

Thomas VValdensis. 1410.

Tomo 3. cap. 111. Hoc ergo more sanctorum Patrum & Scripturarum traditione commoti fideles, per Litanias sacras Sanctos exorant, vt siquidem per seipsos indigni sunt, per amicos Dei ad eius clementiam & propitiationem perueniant: Orantes primò Deum, cuius sunt Sancti, & cuius solo intuitu dicitur Litania, &c. In Deum ergo omnis turba Sanctorum cõcitatur ad orandũ: omnes intercessores vocamus, primò scilicet ipsũ per nos ipsos orantes, & demũ per Matrem eius, & Angelos, & seriatim per Apostolos, Martyres, Confessores, & Virgines, Deum, simulq; & ipsos, ne nobis ipsi offensi, Deum non modò non placent, sed exasperent: qui quamuis proni sint, tamen oratione nostra communicare desiderant, &c. Orent prò nobis omnes Sancti Sanctæq;, quos noui commendat auctoritas Testamenti.

Ioannes Gerson. 1420.

De mendicitate spirituali parte 2. Virgo glorioſa, & tu sancte Angele Dei, custos bone, & cæteri alij Sancti cælestes, adestote mihi, & mei adestote adiutores: impetrate mihi hanc glorioſam sententiam: *Veni benedicte Patris mei: accipe quod paratum est ab initio mundi.*

Laurentius Iustinianus. 1430.

Sermone in Festo S. Bartholomæi: Ad te igitur ô Bartholomæe Apostole confugium facientes, tuam precamur sanctitatem, vt vota nostra admittas, impetres veniã, vt valeamus adipisci indulgẽtiã.

In Festo S. Marci: Inuocat illum oppressus, & leuãmen sentit: eius implorat auxilium infirmus, & sospitãtem recipit: in mari, in solitudine, in periculis, inter latronum acies exoratur, & iuxta fideliter poscentium suffragatur vota: offert Deo orationes ad se clamantium atque gementium, vt beneficia conferat.

Dionysius Carthusianus. 1460.

Sermone 4. de omnibus Sanctis: Deuotissimè inuocemus Sanctos, vt iugiter & specialiter hodie intercedant pro nobis, nec cessent nos adiuuare ac tueri, quousq; ad eorum societatem pertingamus felicem.

Rodolphus Agricola. 1470.

Carmine in laudem B. Annæ:

Non erit vt quisquam duce te diffidere votis
Debeat: orantis fac modò vota iuues.
Te duce quisque ferat rectos ad sydera vultus,
Nec timeat vanas inualidasq; preces.
Nil tibi Nata negat, nil & negat ille parenti:
Ille colit Matrem, te quoque Nata colit, &c.
Ergo ades, & perfer suspiria nostra Tonanti,
Vtq; ferat placidus crimina nostra, roga.
Posce bonam mentem nobis, & dedita menti,
Dedita nec vitijs corpora fœda suis.

Erasmus Roterodamus. 1530.

De S. Anna matre Mariæ:

O terque quaterq; & amplius
Parens beata (nam potes)
Iuua preces mortalium
Tuo vacantum cultui.
Nam te patrona protinus
Speramus assequi, modò
Voles voletq; Filia.

ASSERVNT ETIAM ADuersariorum quidam.

Martinus Lutherus.

De præparatione ad mortem: In mortis articulo beatam Virginem, Angelos, proprium Apostolum, & Sanctos reliquos, quibus in vita seruiuit, inuocare nō cesset, vt pro se intercedāt apud Dominū.

Epistola ad Erphordienses: Sinite vt Diuorum implorent patrocinia, quando ita volunt, ea tamen lege, vt sciant, sibi cauendum, ne quam fiduciam & præsumptionem, persuasione falsa inducti, in vllum Sanctorum ponant.

Epist. ad Georgium Spalatinum: Non fuit mēs mea vnquam inuocationes Sanctorum esse vitiosas, pro causis vel corporalissimis: hoc sapiunt hæretici nostri Pickardi & Bohemi.

In purgatione quorundam articulorum: De intercessione Diuorum cum tota Ecclesia Christiana sentio, & iudico Sanctos à nobis honorandos esse atque inuocandos. Quis enim potest contradicere his, quæ ad hodiernam vsq; diem mirabiliter & visibiliter apud Diuorum sepulchra operatur Deus? Hoc tamen fateor me dixisse: nō esse Christiani hominis, Diuorū suffragia magis pro temporalibus, quàm spiritualibus rebus, & commodis inuocare. Proinde sic inuocandi sunt, vt Deus per illos inuocetur.

In Festo Ioannis Baptistæ: Dicere hîc aliquis posset, cuius vsus, & quo loco Sancti nobis erunt? Hoc eis vteris modo, quo proximo tuo. Quemadmodum enim illi dicis: *Ora pro me Deum:* ita & illis dicere potes: *Dine Petre ora pro me.* Non peccas, si apud eos, vt pro te orent instes: è diuerso, si eos non inuoces, nihil itidem peccabis.

Ioannes Oecolampadius.

Ad orationē Chrysostomi de Iuuentio & Maximo Martyribus: Neque Sanctos orare inficias irem, neque impiorum & idololatrarum esse asseuerauerim cum illis Sanctorum implorare patrocinia: Sancti enim in cælis sua adhuc charitate flagrantes, non desinunt pro nobis intercedere. Quid mali, si hoc petamus fieri, quod credimus Deum velle, etiamsi nihil tale præceperit? Quid mali si concedamus patrocinia Sanctorum, modò si id circumspectè, opportunè, & modicè fiat pro auditorum qualitate? Id quod agit Chrysostomus, & Nazianzenus in laudibus Cypriani, & obseruant hoc ferè omnes Ecclesię, tam Orientis, quàm Occidentis?

Martinus Bucerus.

In defensione contra Abrincensem Episcopum: Si quis perpensa infinita illa Dei in Sanctos indulgentia, & facilitate, & simul illorū in nos miseros adhuc conseruos suos & commembra charitate, animi ardore huc prorumpat, vt illos ceu præsentes præsens appellet, proq; se intercedere Deum roget: id licet in nulla Scriptura doceatur, si sic tamen fiat, nulli damnamus. Huiusmodi enim primùm ipsum Deum orant, & tota fiducia Dei bonitate, & Christi merito nituntur. Sanctos verò inuocant, vt vnà orent, ipsis orare aut non audētibus, aut negligentibus.

Ioachimus Camerarius.

De pijs, Catholicis, & orthodoxis precibus, fol. 12. Societatem quidem inuocationis expeti rectum est, & optare commendari nos communibus piorum precibus: sed has ipsas eodem tendere oportet.

Fol. 17. Pia affectio est, & votum communium precum non possit, vt opinor, damnari: cùm neque aduersetur doctrinæ veritatis cælestis, & exempla vetustatis extent.

ASSERVNT IVDÆI VETERES.

Flauius Iosephus.

De bello Iudaico lib. 3. cap. 14. Puræ animæ, quæ exaudiunt inuocantes, retinent locum in cælo adeptæ sanctissimum.

Iosephus Ben Gorion.

Belli Iudaici cap. 21. Exurge nunc Moses fili Amram, & vide populum tuum. Exurge nunc Aaron sancte sacerdos Dei, &c. Surge nunc Phinees: Euigila nunc Iosue. Tu Dauid Rex dormis? Expergiscere, & veni.

ARTICVLVS SEPTIMVS.

SANCTOS AD HVC IN MORTALI CORPORE MILITANTES, TANTA SÆPE SPIRITVS SANCTI LVCE ET GRATIA COLLVSTRARI, VT IN EA ABSENTIA, PRAETERITA, ET FVTVRA, NON MINVS QVAM PRÆSENTIA VIDEANT & intelligant.

ASSERVNT SACRÆ LITERÆ.

Genesis 2. vers. 19. Formatis igitur Dominus Deus de humo cunctis animantibus terræ, & vniuersis volatilibus cæli, adduxit ea ad Adam, vt videret quid vocaret ea, omne enim quod vocauit Adam animæ viuentis, ipsum est nomen eius. Appellauitq; Adam nominibus suis cuncta animantia, & vniuersa volatilia cæli, & omnes bestias terræ: Adæ verò non inueniebatur adiutor similis eius.

eius. Immisit ergo Dominus Deus soporem in Adam: cumque obdormisset, tulit vnam de costis eius, & repleuit carnem pro ea. Et ædificauit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem: & adduxit eam ad Adam. Dixitq; Adam: Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea: hæc vocabitur virago, quoniam de viro sumpta est. Quamobrem relinquet homo patrem suum, & matrem, & adhærebit vxori suæ: & erunt duo in carne vna.

1. Reg. 9. 19. Et respondit Samuel Sauli, dicens: Ego sum Videns, ascende ante me in excelsum, vt comedatis mecum hodie, & dimittam te mane: & omnia, quæ sunt in corde tuo, indicabo tibi. Et de asinis, quas nudius tertius perdidisti, ne solicitus sis, quia inuētę sunt. Et cuius erūt optima quęq; Israel? Nonne tibi, & omni domui patris tui?

4. Reg. 5. 21. Et secutus est Giezi post tergum Naaman: quem cùm vidisset ille currentem ad se, desilijt de curru in occursum eius, & ait: Recténe sunt omnia? Et ille ait: Rectè. Dominus meus misit me ad te, dicens: Modò venerunt ad me duo adolescentes de monte Ephraim ex filijs Prophetarum: da eis talentum argenti, & vestes mutatorias duplices. Dixitque Naaman: Melius est vt accipias duo talenta. Et coēgit eum, ligauitque duo talenta argenti in duobus saccis, & duplicia vestimenta, & imposuit duobus pueris suis, qui & portauerunt coram eo. Cumque venisset iam vesperi, tulit de manu eorum, & reposuit in domo, dimisitque viros, & abierunt: ipse autē ingressus stetit coram domino suo. Et dixit Elisęus: Vnde venis Giezi? Qui respondit: Non iuit seruus tuus quoquā. At ille ait: Nonne cor meū in præsenti erat, quando reuersus est homo de curru suo in occursum tui? Nūc igitur accepisti argentū, & accepisti vestes, vt emas oliueta, & vineas, & oues, & boues, & seruos, & ancillas. Sed & lepra Naaman adhærebit tibi, & semini tuo vsque in sempiternum. Et egressus est ab eo leprosus quasi nix.

4. Reg. 6. 8. Rex autem Syrię pugnabat contra Israel, consiliumque inijt cum seruis suis, dicens: In loco illo & illo ponamus insidias. Misit itaque vir Dei ad regē Israel, dicens: Caue ne transeas in locū illum: quia ibi Syri in insidijs sunt. Misit itaque Rex Israel ad locum quem dixerat ei vir Dei, & præoccupauit eum, & obseruauit se ibi nō semel, neque bis. Conturbatumque est cor Regis Syriæ pro hac re, & conuocatis seruis suis, ait: Quare non indicatis mihi, quis proditor mei sit apud Regem Israel? Dixitq; vnus seruorum eius: Nequaquam domine mi Rex, sed Elisęus Propheta, qui est in Israel, indicat Regi Israel omnia verba quæcunq; locutus fueris in conclaui tuo.

Lucæ 1. 39. Exurgens autem Maria in diebus illis, abijt in montana cum festinatione in ciuitatem Iuda: & intrauit in domum Zachariæ, & salutauit Elizabeth. Et factū est, vt audiuit salutationem Mariæ Elisabeth, exultauit infans in vtero eius: & repleta est Spiritu S. Elisabeth: & exclamauit voce magna, & dixit: Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui. Et vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me? Ecce enim vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit in gaudio infans in vtero meo: & beata quæ credidit, quoniam perficientur ea quæ dicta sunt ei à Domino.

Act. 5. 1. Vir autem quidam nomine Ananias, cum Saphira vxore sua vendidit agrum, & fraudauit de pretio agri, conscia vxore sua: & afferens partem quandam, ad pedes Apostolorum posuit. Dixit autē Petrus: Anania, cur tentauit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui sancto, & fraudare de pretio agri? Nonne manens tibi manebat, & venundatum in tua erat potestate? Quare posuisti in corde tuo hanc rem? Non es mētitus hominibus, sed Deo. Audiens autē Ananias hæc verba, cecidit, & expirauit.

Act. 7. 55. Cùm autem Stephanus esset plenus Spiritu sancto, intendens in cælum, vidit gloriam Dei, & Iesum stantem à dextris Dei. Et ait: Ecce video cælos apertos, & Filium hominis stantem à dextris Dei.

Apoc. 4. 1. Post hæc vidi, & ecce ostium apertum in cælo: & vox prima quam audiui, tanquam tubæ loquentis mecum, dicens: Ascende huc, & ostēdam tibi, quæ oportet fieri citò post hæc. Statim fui in spiritu: & ecce sedes posita erat in cælo, & supra sedem sedens. Et qui sedebat, similis erat aspectu lapidis iaspidis.

Apoc. 21. 2. Et ego Iohannes vidi sanctam ciuitatem Ierusalem nouam, descendentem de cælo, à Deo paratam, sicut sponsam ornatam viro suo: & audiui vocem magnam de throno dicentem: Ecce taberna culū Dei cum hominibus, & habitabit cum eis. 5. Et dixit, qui sedebat in throno: Ecce noua facio omnia.

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Irenæus, 180.

Lib. 2. c. 57. Quidam apud nos fratres præscientiā habent futurorum, & visiones, & dictiones propheticas.

Origenes. 230.

Lib.1.contra Celsum: Quin & hodie vestigia Spiritus illius sancti nisi columbæ specie seruantur apud Christianos, excantant dæmonia, multas sanationes perficiũt, præuidẽt volũtate Dei futura.

Eusebius Cæsareensis. 320.

Eccles.hist.lib.4.c.14.de Polycarpo: Ac triduo antequam prehendebatur, cùm in precibus attẽtè positus, somno oppressus esset, nocte in visione secũdùm quietem vidisse dicitur ceruical flamma accensum de repente consumi, conficiq. Qua quidẽ re è somno excitatum, statim visum suum ijs, qui vnà aderant, exposuisse: & quod futurum erat, mente ferè præsagientem, apertè suis prædixisse necessarijs, se flãmarũ incendijs corpori circumiectis vitã pro Christo profundere oportere.

Athanasius. 340.

In vita D. Antonij: Alio rursus tempore cùm sederet in monte, & oculos subitò tetendisset ad cælum, vidit nescio quam animam, lætantibus in eius occursum Angelis, ad cælum pergere. Cuius spectaculi nouitate stupefactus, beatũ dixit Sanctorum chorũ, orauitq. vt sibi rei præsentis agnitio panderetur. Et statim vox ad eum facta est, inquiens, istam esse Ammonis Monachi animam, qui Nitreæ morabatur. Erat Ammon vir grandæuus, qui perseueranter à pueritia vsq. ad senectutẽ in sanctitate vixerat. Itinere quoq. dierum tredecim à Nitrea locus, in quo sedebat Antonius, diuidebatur. Videntes ergo eum monachi admirantem, qui venerant, deprecati sunt, vt causam hilaritatis ediceret. Quibus ait, modò Ammonem quieuisse, quem propter frequentem eius ad Antonium comeatum, & propter celebritatem indultorum ei à Domino signorum, optimè nouerant.

Cyrillus Hierosolymitanus. 370.

Catechesi 16. Quemadmodum in tenebris si quis antea fuisset, solẽ deinceps extemplò videns, aspectus corporis eius illuminatur, ita vt quæ antea non videbat, tunc videat: sic etiam cui Spiritus S. donatus est, anima illius illustratur, & plusquam homo cernit. In terra erit corpus, & anima cælos contemplabitur. Videt, vt Esaias cernebat Dominum super throno excelso & eleuato: Videt, vt Ezechiel eum, qui sedebat super Cherubim: Videt, vt Daniel myriades myriadũ, & millia millium. Exiguus homo cernit principium & finem mundi, & medium temporum, & Regum successiones. Scit quæ nõ didicerat: adest enim verus doctor lucis. Intus consistens homo, & virtus scientiæ procul à Deo illi immittitur, ita vt ea quæ fiunt ab alijs ipse cognoscat. Non adfuerat Petrus Ananiæ, & Saphiræ, cùm sua bona vendebãt, sed per spiritum aderat. *Quare,* inquit, *tentauit Satanas cor tuum, vt mentiare Spiritui sancto?* Nullus erat accusator, nullus testis: vnde igitur hoc euenit, vt nosset? *Nonne,* inquit, *manens manebat tibi, & id quod vendidisti in potestate erat tua?* quare statuisti in corde tuo hanc rem? Qui erat absq. literis, per gratiam Spiritus illa didicit, quæ ne Græcorum quidem sapientes nouerant. Habes simile huic de Eliseo: qui cùm gratis sanasset lepram Naaman, Giezi pretium eius accepit, alieni officij præmiũ intercipiens, recepitq. à Naaman pecunias, & in obscuro illa occultauit, sed neque tenebris quicquam occultatur Sanctis. Nam venientem illum interrogat Eliseus, similiter atq. Petrus, dicens: *Dic mihi, si tanti ager venundatus est?* sic ille interrogat, quamuis nõ ignorasset: *Vnde Giezi?* sed luctuosum erat illud, *vnde.* A tenebris prodijsti, & in tenebras ibis. Vendidisti curationem leprosi, & hæreditabis ipsius lepram. Impleui, inquit, ego perfectionem illius, qui dicit mihi: *Gratis accepisti, gratis date:* tu autem vendidisti hanc gratiam; suscipe ergo & præmium istius venditionis. Sed quid ait ad illum Eliseus; *Nonne cor meũ ibat tecum?* Hîc ego fueram corpore conclusus; sed spiritus, à Deo mihi datus, ea quæ procul aberant cernebat, & quæ alibi dicebantur, manifestè ostendit mihi. Cernis quomodo illuminat animas Spiritus sanctus, tollit ignorantiam, & scientiam reponit. Esaias ferè ante mille annos, cernens tanquã tabernaculum Sion: Ciuitas erat iam condita & fistens, & mercibus exornata, & ornatu vario circundata: Ille tamen dicit: *Sion tanquam ager dissipabitur,* prædicens id, quod nostra ætate completum est: certitudinem autem prophetiæ demonstrans: *Relinquetur,* inquit, *filia Sion, sicut tentorium in vinea, & sicut tugurium cucumerariorum.* Etiam nũc cucumeris ille locus repletus est. Cernis quemadmodum iustos Spiritus sanctus illuminat? Esa.1.

Gregorius Nyssenus. 380.

Oratione de S. Stephano: Stephanus quidem naturam egressus, etiam antequam corpore excessisset, puris oculis cælestes sibi portas apertas videt, & id quod intra ad yta apparebat, cùm ipsam diuinam gloriam, tum gloriæ splendorem conspicatur. Ac paternæ quidem gloriæ nulla describitur oratione figura: splendor verò in ea, qua ab hominibus visus erat, forma ab athleta conspicitur, sic apparens, vt humana capere poterat natura. Atque hic quidem extra naturam humanam constitutus, & in Angelicum decorem transformatus, vt ipsis etiam nefarijs homicidis miraculo esset, in Angelicã dignitatẽ forma faciei mutata, cùm vidit effugientia aspectũ, tum eam, quæ sibi apparebat, gratiam sublato clamore significauit, &c.

Palladius. 400.

Historiæ SS. Patrum cap.19. Procedente tempore, cùm sanctus Macarius perspicaci oculo prœuidisset, dicit suo ministro Ioanni nomine, qui postea factus est presbyter in loco S. Macarij: (Presbyteratu enim dignus fuerat habitus magnus Macarius:) Audi me frater Ioãnes, & fer æquo animo meam admonitionem, eaq. tibi proderit. Tentaris enim, inquit, & te tẽtat spiritus auaritiæ: sic enim vidi, & scio quòd si meam æquo animo tuleris adhortationem, in Dei timore consummaberis, & in eius opere, & laudaberis, & in tuum tabernaculum non appropinquabit flagellũ. Quòd si non audieris, in te veniet finis Giezi, cuius vitio laboras. Contigit autem vt Sancto quidem non obedierit post eius mortem: sed obedierit ei, qui Iudæ alligauit laqueum propter auaritiam. & post alios quindecim aut viginti annos, cùm bona pauperum sibi vsurpasset, ita laborauit elephantia, vt non inueniretur integer locus in eius corpore, in quo quis posset figere digitum. Hæc est prophetia sancti Macarij. 4.Reg.5.

De S. Eulogio c.75. Vidimus aliũ quoq. presbyterum, nomine Eulogiũ, qui in offerendis Deo donis tantam accepit gratiam cognitionis, vt vnius cuiusq. ex ijs, qui accedebãt, monachis mentẽ cognosceret. Is cùm sæpe vidisset aliquos monachos ad aram accessuros, eos retinuit, dicẽs: Quomodo audetis ad sancta accedere Sacramẽta, cùm habeatis malas cogitationes? Et tu quidem hac nocte animo versasti turpem fornicationis cogitationem. Alius autem in animo suo reputauit, dicens nihil referre, an peccator, an iustus accedat ad Dei gratiam. Alius aũt de dono dubitauit, dicẽs: Nunquid me accedentẽ sanctificabit? Parum ergo secedite à S. Sacramẽtis, & ex animo agite pœnitentiam, vt sit vobis remissio peccatorũ, & fitis digni Christi cõmuniõe. Nisi enim primũ mũdaueritis cogitatiões, nõ poteritis ad Christi gratiã accedere.

Sozomenus. 440.

Ecclesiasticæ hist.lib.6.cap.28. Ioanni monacho Deus non minus quàm antiquis Prophetis res futuras, alijsque hominibus obscuras patefecit.

Ibid. Eulogius Presbyter etiam multo accuratius in hominum vitã inquirere solebat; quem ferunt, cùm sacrum faciebat, mentes accedentium ad mysteria ita præsciuisse, vt peccata eorum palam coargueret, & res in cuiusq. mente occultatas perspicuè contueretur. Itaque eos, qui aliquid delicti admiserant, aut de aliquo improbo facinore consilium iniuerant, ad tempus arcebat ab altari, peccatumque eorum planum omnibus fecit: quos postea pœnitentia purgatos, denuò ad mysteria admisit.

Theodoretus. 450.

Ecclesiast.historiælib.3.cap.19. Iulianus Sabba monachus cùm esset de Iuliani Imperatoris minis certior factus, longè attentius preces Deo omnium moderatori adhibuit. Atque eodem ipso die, quo Iulianus interfectus est, quanquam iter viginti dierũ & amplius aberat ab exercitu, cædem eius inter precandum cognouit. Nam ferunt eum, dum Dominum & clementem & benignum supplex oraret, derepẽtè fletum repressisse, & effusum in lætitiam exultasse gaudio, hilariquẽ vultu cœpisse intueri: qua re voluptas, quam capiebat animo, manifestò declarata est. Quẽ familiares eius, cùm ita mutatum cernerent, orasse vt causam lætitiæ ipsis indicaret: eum autem respõdisse, aprum syluestrem, hostem vineæ Domini, debitas scelerum in Christum admissorum pependisse pœnas, & mortuum iacere, ne amplius Christianis insidias struat. Quibus cognitis, omnes triumphare gaudio: & hymnum, quo Deo gratias agerent, cantare cœperunt. Postea autem facti erant certiores ab illis, qui mortem eius nuntiabant, sceleratum illum tyrannum extinctum eadem die ac hora, qua diuinus ille senex Iulianus eum cecidisse & cognouerat, & prædixerat.

Cyrillus Eremita. 500.

In Vita S. Euthymij: Præterea hoc quoque mihi renuntiatum est à patribus, à Deo datum esse Euthymio, vt internos animi motus ex externo aspectu, veluti per quoddam speculum intelligeret, & accuratè cognosceret, & cum quibusnam decertaret cogitationibus, & quasnam quidem superaret, à quibusnam autem maligni instinctu superraretur. Aiunt verò eum quoque aliquando dixisse quibusdam fratribus, qui cum eo seorsum versabantur, quòd sæpè videret terribilem Angelorum visionem, vnà secum Deo ministrantem, & sacra contrectantem, & quòd in Dominici corporis sumptione, aliquos quidem ex ijs, qui accedebant, videret ab ipsa illuminari, aliquos autem veluti obscurari, & morte affici; quicunque scilicet erant indigni ea luce & splendore.

Euagrius. 580.

Eccles.hist.lib.4.cap.7. Zosimas quidẽ genere Phœnix, ex Sinda pago Phœnicię maritimę ortus, (qui pagus nõ abest Tyro viginti stadia,) qui monasticum vitæ genus excolens, ita tum abstinentia à cibis, tum eisdem capiendis, tum alijs virtutibus, quæ in eius vita elucebant, Dei gratiam sibi conciliauit, vt non modò res futuras prœuideret, verùm etiam ab omni perturbatione liber & vacuus existeret, cùm fortè fortuna cum nobili quodam viro patricio, & prudentia eximio, nomine Arcesilao, qui & præclaris honoris insignibus, & cæteris vitæ ornamentis egregiè decoratus fuit, Cæsareæ vrbis primariæ Palæstinæ versaretur, ipso temporis articulo, quo Antiochia cecidit, subitò ingemiscere, grauiter lamentari, & suspiria ex intimo pectore ducere cœpit, tantamque vim profudit lachrymarum, vt terram madefaceret: deinde thuribulum postulat, & toto choro, in quo simul cõstiterunt, thuris incensi nidore perfuso, se prosternit humi, precibus & orationibus Deum placaturus. Tum Arcesilao sciscitãti, quid esset, quod eum tantoperè conturbaret? liquidò respondit; fragorem ruentis Antiochiæ iam tum eius auribus circumsonuisse: adeò vt Arcesilaus, & alij, qui fortè aderant, præ admiratione obstupescentes, ipsam horam, qua res gerebatur, literis mandarẽt; reperirentque postea ita se habuisse, vti Zosimas declarauerat.

Lib.6.cap.22. Symeones in ea columna, simul & in altera, summo in montis vertice sita, sexaginta octo annos vixit, omnibus gratiæ donis repletus: quippe dæmones expulit, sanauit omnem morbum, & omnem languorem, res futuras perinde ac præsentes prœuidit. Qui prædixerat Gregorio, illum eius morti minimè adfuturum, atque adeò ignoraturum, quid post ipsum mortuum euenire. Quin etiam cùm ipse mecum cogitarem de liberorum amissione, quæreremque quid causæ esset, cur gentilibus, qui liberis abundarent, idem ipsum neutiquam accideret: Symeones, quamuis hanc cogitationem nemini omninò patefecissem, scripsit ad me, vt ab eiusmodi cogitationibus, vtpote Deo minimè probatis, desisterem.

Leontius Cyprius. 630.

Vitæ S. Symeonis Sali cap.33. Quæcunque faceret, eum habebant tanquam vnum ex ijs, qui loquuntur & futura prædicunt, afflati à dæmonibus. Si quando autem trangressa esset vna ex ijs, quæ eius reputabantur amicæ, statim spiritu intelligebat eam esse fornicatam, dicebatque loquens, & os suum aperiens, & clamans: Da, da ei sancta: & vel precabatur, vt ad eam veniret infirmitas vsq. ad mortem, vel sæpè, si perseuerabat se impudicè gerere, ad eam immittebat dæmonem. Tandem itaque effecit, vt omnes, quæ se ei dederant, pudicè viuerent, & minimè transgrederentur.

Sophronius Hierosolymitanus. 630.

In vita Mariæ Aegyptiacæ: Cùm quadraginta septem annos in solitudine in Dei cultu ac pœnitentia ætatem transegisset, ad Abbatem Zosimam, quem antea nunquam viderat, inquit Abba Zosima, ignosce mihi propter Dominum, quoniam manifestare me tibi conuersa non possum. Mulier enim sum, & omni corporeo tegmine nuda, vt ipse vides, & corporis turpitudinem habens intectam. Sed si vis peccatrici mulieri orationem verè tribuere, proijce mihi indumentum, quo circundatus es, vt possim muliebrem infirmitatem operiens, conuerti ad te, & tuas accipere orationes. Tũc tremor nimiusque metus & mentis excessus accepit Zosimam, audientem scilicet, quia cum ex nomine vocaret Zosimam. strenuus enim erat vir ille valde, & diuinitatis dono prudentissimus, & cognouit quia ex nomine nõ vocãsset eum, quem nunquam viderat, de quo nec vnquam audierat, nisi manifestissimè prouidentiæ gratia fuisset illustrata. Fecit autem cum festinatione, quod iussum est ei: & exuens se pallio, quo erat indutus, terga versus proiecit ei. Illa accipiens in quantũ potuit, tegẽs partem corporis, quam oportet plus tegere cæteris, præcinxit se, & conuersa ad Zosimam ait ei: Quid tibi visum fuit Abba peccatricem videre mulierculam? Quid quærens à me videre aut discere, tantum non recusasti tolerare laborem? Ille autem in terram prostratus, poscebat benedictionem secundùm morem, accipere. Prostrauit autem se & ipsa, & vtrique iacebant in terra, alius ab alio poscens benedictionem: & non erat aliud ab alterutro audire, nisi tantùm, Benedic. Post

multarum autem ſpatium horarum, dixit mulier ad Zoſimam: Abba Zoſima, tibi competit benedicere, & orare. Tu enim presbyterij honore ſuffultus es, & plurimis iam annis ſancto aſſiſtis altari, & donis diuinitatis Chriſti ſecreta rimaris. Hæc verò verba Zoſimam in magnum timorem, & certamen magis inducebant. Dicit autem ei deficiens viribus, & quaſi halitu iam intercluſo: manifeſta iam quidem es ex ipſa viſione, ô ſpiritualis mater, quoniam tu ad Dominum profecta es, & fortiori parte ſeculo mortua es. Manifeſtè autem plus omnibus tributa eſt tibi gratia, vt me vocares ex nomine, quem nunquam vidiſti.

Simeon Metaphraſtes. 970.

In vita S. Auxentij Abbatis: Cùm de more in quadam nocturna vigilia ipſe intus precaretur, & reliqui foris permanerent, aperta feneſtra beatus, cùm *Benedictus Dominus Deus*, ter vehementer dixiſſet, & ſuſpirâſſet, & caput in terram inclinâſſet, dicit: Quod erat in Oriente luminare, ô fili, Simeon pater noſter dormijt. Cùm ij autem propter pſalmodiam non ſenſiſſent, quod dictum fuerat, valde flens beatus, rurſus dicit eis: Sanctus pater noſter, Eccleſiæ columna & firmamentum Simeon, requieuit, & nulli culpæ affinis & munda eius anima, me inutilem & ſordibus inquinatum, non eſt dedignata præteriens ſalutare. Hæc cùm audiiſſent, & valde eſſent perculſi, non potuerunt reſpondere, ſed ſiluerunt, ſignantes noctem, in qua hæc dicta fuerant. Cùm autem paucis poſt diebus hoc ad pium Imperatorem Leonem in principio ſui Imperij relatum eſſet, & omnibus id eſſet notum, diligenter ſcrutati qui audiuerant, inuenerunt fuiſſe certum, quod ſanctus dixerat, vt quod diuina gratia prædixiſſet per reuelationē in conſummatione ſancti Simeonis. Valde ergo obſtupefactī, & Deum glorificantes, in hoc quoque docti fuêre, Deum poſſe omnia.

In vita S. Spiridonis cap. 11. Inter eos erat etiā quædam mulier, quæ complures in hoc certamine ſuperabat, vrgebatqúe, & hoc maximè volebat facere. Ea verò fuerat haud ita pridem capta carnali amore, & victa, proh dolor, à peccato. Ipſe autem reuerà in cor intuens, & vt qui ſciret, quemadmodum res eius ſe haberet, ſenſim quidem auertit manſuetam illam & ſuauem ſuam faciem: ſenſim verò ei quoque dicit: Ne me tangas, mulier: Non, vt dixerit quiſpiam, ſibi placens, & ſe magnificè circumſpiciens, aut mulierem abominans, (Quomodo enim, qui erat illius diſcipulus, qui veſcebatur cum publicanis, meretricibus, & peccatoribus?) ſed eam pudore afficiens, & turpem ei actionem reuocans in memoriā, & ſic eam placidè vocans ad pœnitentiam: quod quidem eſt ab eo perfectum, & ſcopum eſt aſſecutus. Quò enim illa magis contendebat facere, quod ſtudebat, magisqúe vrgebat & inſtabat, ille eò acrius illam tetigit, apertè dicens id, quod illa fecerat.

Cap. 30. Hæc magnificiebat Triphyllius, & animo verſabat, quæ neque effugiebant conſpectū internorum oculorum Spiridonis: ſed & ille pulchrè vidit, & placidè reprehendit diſcipulum: O curnam, dicens, ô Triphylli, hæc vana & inania aſſiduè mente verſas, agros cupiens & vineas, quę reuerà quidem ſunt nullius pretij? Hæc cùm audiiſſet Triphyllius, non temerè audijt: ſed melior euaſit animo, & ea celauit in cordis penetralibus, & rogauit Sanctum, vt ei ignoſceret.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Prudentius. 380.

Hymno 2. de S. Laurentio:

Fore hæc ſacerdos dixerat
Iam Xiſtus affixus cruci,
Laurentium flentem videns
Crucis ſub ipſo ſtipite:
Deſiſte diſceſſu meo
Fletum dolenter fundere:
Præcedo frater, tu quoque
Poſt hoc ſequeris triduum.
Extrema vox Epiſcopi
Prænuntiatrix gloriæ
Nihil fefellit: nam dies
Prædicta palmam præſtitit.

Hieronymus. 390.

In vita Pauli Eremitæ: His Antonius auditis, flens & gemens, ne ſe deſereret, atque vt comitem talis itineris acciperet, precabatur. Et ille: Non debes, inquit, quærere quæ tua ſunt, ſed quæ aliena. Expedit quidem tibi, ſarcina carnis abiecta, Agnum ſequi, ſed & cæteris expedit fratribus, vt tuo adhuc inſtituantur exemplo. Quamobrem, quæſo, perge, niſi moleſtum eſt, & pallium, quod tibi Athanaſius Epiſcopus dedit, ad inuoluendum corpuſculum meum defer. Hoc autem beatus Paulus rogauit, non quòd magnoperè curaret, vtrum tectum putreſceret cadauer, an nudum, (quippe qui tanto temporis ſpatio contextis palmarum foliis veſtiebatur,) ſed vt à ſe recedenti mœror ſuæ mortis leuaretur. Stupefactus ergo Antonius, quod de Athanaſio & pallio eius audierat, quaſi Chriſtum in Paulo videns, & in pectore eius Deum venerās, vltrā reſpondere nihil auſus eſt: ſed cum ſilentio lachrymans, exoſculatis eius oculis manibusqúe, ad monaſterium, quod poſtea à Saracenis occupatum eſt, regrediebatur.

In vita Hilarionis: Hilarion hoc habebat, vt exodore corporum, veſtiumqúe, & earum rerum, quas quis tetigerat, ſciret cui dæmoni vel vitio ſubiaceret.

Auguſtinus. 400.

Lib. 22. de Ciuitate Dei, cap. 29. Si Propheta Heliſæus puerum ſuum Giezi abſens corpore vidit accipientem munera, quæ dedit ei Naaman Syrus, quem Propheta memoratus à lepræ deformitate mundauerat, quod ſeruus nequam domino ſuo non videnti, latenter ſe feciſſe putauerat: quanto magis in illo corpore ſpiritali videbunt Sancti omnia, non ſolùm ſi oculos claudant, verùm etiam vnde ſunt corpore abſentes? Tunc enim erit perfectum illud, de quo loquens Apoſtolus: *Ex parte,* inquit, *ſcimus, & ex parte prophetamus: cùm autem venerit quod perfectum eſt, quod ex parte eſt, euacuabitur.*

Seuerus Sulpitius. 410.

Vita S. Martini cap. 24. In Martino illud mirabile erat, quòd non ſolùm hoc, quod ſupra retulimus, ſed multa iſtiuſmodi, ſi quoties accidiſſent, longè ante præuidebat, & vt ſibi nuntiata fratribus indicabat.

Eugippius Abbas. 500.

Vita S. Seuerini Norici cap. 39. Seuerinus multa futura per Dei gratiam prædicebat, multorum etiam occulta cognoſcens, vt opus erat, proferebat in medium.

Iunilius Africanus. 540.

De partibus diuinæ Legis cap. 4. Quid eſt Prophetia? Rerum latentium præteritarum, aut præſentium, aut futurarum ex diuina inſpiratione manifeſtatio. Da in præteritis prophetiam. *Verbo Domini cœli firmati ſunt. &: Quoniam ipſe dixit, & facta ſunt. &: In prin-*

principio fecit Deus cœlum & terram. Da in preſentibus. Cognitionem futuri facti Giezi Propheta in præſenti vidit: & Ananiæ ac Saphiræ Petrus Apoſtolus. Da in futuris. *Ecce Virgo accipiet in vtero,* &c. Quare in definitione poſitum eſt latentium? Quia ſi quis iam cognita dicat, licet & futura ſint, tamen Propheta non eſt: ſicut nos cùm Reſurrectionem prædicamus, Prophetæ non ſumus. Si verò cuiuſcunque temporis latentia manifeſtat, tunc Propheta eſt, ſicut iam oſtendimus.

Gregorius Turonenſis. 590.

Miraculorum D. Martini lib. 1. cap. 4. Beatus Seuerinus Colonienſis ciuitatis Epiſcopus, vir honeſtæ vitæ, & per cuncta laudabilis, dum die Dominica loca ſancta ex conſuetudine poſt matutinos hymnos cum ſuis clericis circuiret, illa hora, qua beatus obijt, audiuit chorum canentem in ſublimi. Vocatumqúe Archidiaconum, interrogat, ſi aures eius percuterent voces, quas ille attentius audiret. Reſpondit nequaquam: cui ille, diligentius, inquit, auſcultā. Archidiaconus autem cœpit ſurſum collum extendere, aures erigere, & ſuper ſummos articulos, baculo ſuſtentante, ſtare. Sed credo eum non fuiſſe æqualis meriti, à quo hæc non merebantur audiri. Tunc proſtrati terræ ipſe pariter & B. Epiſcopus, Dominum deprecantur, vt hoc ei diuina pietas audire permitteret. Erectus autem, rurſum interrogat ſenex: Quid audis? Qui ait: Voces pſallentium in cælo audio, ſed quid ſit, prorſus ignoro. Cui ille, ego, inquit, tibi narrabo. Dominus meus Martinus Epiſcopus migrauit de hoc mundo, & nunc Angeli canēdo eum deferunt in excelſum. Et vt parum per moræ eſſet, vt hæc audirentur, diabolus eum cum iniquis Angelis retinere tentauit, nihilqúe ſuum in eodem reperiens, confuſus abſceſſit. Quid ergo de nobis peccatoribus erit, ſi tantum ſacerdotē voluit pars iniqua nocere? Hæc ſacerdote loquente, notauit tempus Archidiaconus, & Turonos miſit velociter, qui hæc diligenter inquirat. Qui veniens, eo die, & hora manifeſtiſſimè nouit tranſiſſe beatum virum, quo S. Seuerinus audiuit pſallentem chorum. Sed & ſi ad Seueri recurramus hiſtoriam, ipſa hora eum ſibi ſcripſit cum libro vitæ ſuæ fuiſſe reuelatum.

Cap. 5. Eo namque tempore B. Ambroſius, cuius hodie flores eloquij per totam Eccleſiam redolent, Mediolanenſi ciuitati præerat Epiſcopus. Cui celebranti feſta Dominici diei, iſta erat conſuetudo, vt veniens lector cum libro, non antea legere præſumeret, quàm ſanctus nutu iuſſiſſet. Factum eſt autem, vt illa Dominica, prophetica lectione iam lecta, ante altarium ſtante, qui lectionem B. Pauli proferret, beatiſſimus Antiſtes Ambroſius ſuper ſanctum altare obdormiret. Quod videntes multi, cùm nullus eum penitus excitare præſumeret, tranſactis ferè duarum, aut trium horarū ſpatijs, excitauerunt dicentes: Iam hora præterijt: iubeat Dominus lectori lectionem legere: expectat enim populus valde iam laſſus. Reſpondēs autem B. Ambroſius: Nolite, inquit, turbari, multum enim mihi valet ſic obdormiſſe, cui tale miraculū Dominus oſtendere dignatus eſt: Nam noueritis fratrem meum Martinum ſacerdotem egreſſum fuiſſe de corpore, me autem eius funeri obſequium præbuiſſe, peractoqúe ex more ſeruitio, capitellam tantùm, vobis excitantibus, non expleui. Tunc illi ſtupentes, pariterqúe admirantes, diem & tempus notant ſollicitè requirentes: Qui ipſam diem tempusqúe tranſitus Sancti repererunt, quo beatus Confeſſor dixerat, ſe eius obſequijs deſeruiſſe. O beatum virum, in cuius trāſitu Sanctorum canit numerus, Angelorum exultat chorus, omniumqúe cæleſtium Virtutum occurrit exercitus, diabolus preſumptione confunditur, Eccleſia virtute roboratur, Sacerdotes glorificantur. Quem Michaël ſuſcepit cum Angelis, Maria admiſit cum Virginum choris, paradiſus retinet lætum cum Sanctis. Sed quid nos in laudē eius tentemus, quod non ſufficimus adimplere? Ipſe eſt enim laus illius, cuius laus ab eius ore nunquam receſſit. Nam nos vtinam vel ſimplicem poſſimus hiſtoriam explicare.

Gregorius Magnus. 590.

Lib. 2. Dialog. cap. 12. Cœpit verò inter iſta vir Dei prophetiæ etiam ſpiritu pollere, ventura prædicere, præſentibus etiam abſentia nuntiare. Mos etenim cellę fuit, vt quoties ad reſponſum aliquod egrederentur fratres, cibum potumqúe extra cellam minimè ſumerent. Cumq; hoc de vſu regulæ ſollicitè ſeruaretur, quadam die ad reſpōſum frātres egreſſi ſunt, & in eo tardiori cōpulſi ſunt hora demorari. Qui manere iuxta religioſam fœminam nouerant, cuius ingreſſi habitaculum ſumpſerunt cibum. Cumqúe iam tardius ad cellam redijſſent, benedictionem patris ex more petierunt. Quos ille protinus percunctatus eſt, dicens: Vbi comediſtis? Qui reſponderunt: Nuſquam. Quibus ille ait: Quare ita mentimini? Nunquid illius talis fœminæ habitaculum non intraſtis? Nunquid hos atque illos cibos nō accepiſtis? Nunquid tot calices non bibiſtis? Cumqúe eis venerabilis Pater & hoſpitium mulieris, & genera ciborum, & numerum potionum diceret, recognoſcentes cuncta quæ egerant, ad eius pedes tremefacti ceciderunt, & ſe deliquiſſe confeſſi ſunt. Ipſe autē protinus culpæ pœnitentiam præcepit, perpendens quod in eius abſentia vltra non facerent, quē præſentem ſibi eſſe in ſpiritu ſcirent.

Cap. 14. Gothorum temporibus, cùm Rex eorum Totila ſanctum virum Benedictum prophetię habere ſpiritum audiſſet, ad eius mōnaſterium pergens, paulò longius ſubſiſtit, eiqúe ſe venturum eſſe nuntiauit. Cui dum protinus mādatum de monaſterio fuiſſet, vt veniret, ipſe, ſicut perfidæ mentis fuit, an vir Dei prophetiæ ſpiritum haberet, explorare conatus eſt. Quidam verò eius ſpatarius Riggo dicebatur, cui calceamenta ſua præbuit, eumqúe indui veſtibus regalibus fecit, quem quaſi in perſona ſua pergere ad Dei hominē præcepit. In cuius obſequio treſ, qui ſibi præ cæteris adhærere cōſueuerant, comites miſit, ſcilicet Vultericū, Ruſticū, & Blidinū, vt ante ſerui Dei oculos ipſum Regem Totilam eſſe ſimulantes, eius lateri obambularent, cui alia quoque obſequia quaſi ſpatarij præberent, vt tam ex eiſdem obſequijs, quàm ex purpureis veſtibus Rex eſſe putaretur. Cumqúe idem Riggo decoratis veſtibus obſequentium frequentia comitatus monaſterium fuiſſet ingreſſus, vir Dei eminus ſedebat. Quem venientem conſpiciens, cùm iam ab eo audiri potuiſſet, clamauit, dicens: Pone fili, pone hoc quod portas: non eſt tuum. Qui Riggo protinus in terram cecidit. Et quia tanto viro illudere preſumpſiſſet, expauit, omnesqúe qui cum eo ad hominem Dei veniebant, terrę conſternati ſunt. Surgentes autem ad eum propinquare minimè præſumpſerunt, ſed ad ſuum regem reuerſi, nuntiauerunt trepidi in quanta velocitate fuerant deprehenſi.

Cap. 15. Tunc per ſe idē Totila ad Dei hominem acceſſit, quem cùm longè ſedentem cerneret, non auſus accedere ſeſe in terram dedit. Cui cùm vir Dei bis terue diceret: Surge, ſed ipſe ante eum de terra erigere ſe non auderet: Benedictus Chriſti Ieſu famulus per ſemetipſum dignatus eſt accedere ad Regem, proſtratumqúe de terra leuauit, & de ſuis actibus increpauit, atque in paucis ſermonibus cuncta, quæ illi erant ventura, prænuntiauit,

tiauit,dicens: Multa mala facis, multa mala fecisti,iam aliquando ab iniquitate conquiesce.Equidem Romani ingressurus es,mare transiturus, nouem annis regnans,decimo morieris. Quibus auditis Rex vehementer territus,oratione petita recessit, atque ex illo iam tempore minus crudelis fuit,& non multo post Romam adijt, ad Siciliam perrexit. Anno autem regni sui decimo,omnipotentis Dei iudicio,regnum cum vita perdidit.Præterea Canusinæ Antistes Ecclesiæ ad eundem Dei famulum venire consueuerat, quem vir Dei pro vitæ suæ merito valde diligebat.Is itaque dū cum illo de ingressu Regis Totilæ, & Romanæ vrbis perditione colloquium haberet, dixit: Per hunc Regem ciuitas ista destruetur, vt iam amplius non inhabitetur.Cui vir Domini respondit: Roma à gentibus non exterminabitur, sed tempestatibus,coruscis turbinibus,ac terræ motu fatigata, in semetipsa marcescet. Cuius prophetiæ mysteria nobis iam facta sunt luce clariora, qui in hac vrbe dissoluta mœnia, euersas domus, destructas Ecclesias turbine cernimus,eiusque ædificia longo senio lassata, quia ruinis crebrescentibus prosternantur, videmus : quamuis hoc Honoratus eius discipulus,cuius mihi relatione compertum est, nequaquam ex ore illius audisse se perhibet. Sed quia hoc dixerit,dictum sibi à fratribus fuisse testatur.

Ionas Monachus. 640.

Vitæ S. Columbani cap.11. Per id tempus quidam frater Authigernus pulsare eum precibus cœpit, vt in Hiberniam sibi liceret peregrinandi causa proficisci. Cui Columbanus ait : Eamus in eremum,& Dei voluntatem exploremus,num optatum debeas iter arripere,an verò in cœtu fratrum permanere. Pergentes ergo simul, adolescentem Somarium, qui etiamnum superest, comitem sibi adiungunt, & ad destinatum eremi locum perueniunt, vnius tantùm panis alimonia contenti. Cumque iam duodecimus transisset dies, nec vllum panis fragmentum remansisset, hora refectionis appropinquante,iubet pater vt in imam vsque vallem per agri præcipita se conferant,& quicquid alimenti repererint, secum absportent. Illi lætabundi per concaua vallis ad Mosellam vsque perueniunt, inueniuntq; quinque magnos captos pisces, dudum à pastoribus vndis expositos, atque ex ijs tres, quòd adhuc viuerent, patri præsentandos tollunt. Cùm autem venissent ad eum : Cur, inquit ille, non omnes quinque attuliſtis ? Illis respondentibus se eos mortuos reperisse, atque ea causa apportare noluisse. Nequaquam, inquit vir Dei, ex his comedetis, nisi quos reliquistis,allati fuerint. At illi miraculo perculsi,quòd prophetico spiritu eum absentia cognouisse intelligerent, pernici cursu locum repetunt.

Audoënus. 660.

Vitæ S.Eligij lib.2.cap.13. Neque illud prætereundum puto, quamuis sit humile, quòd eodem itinere vir beatus spiritu cognouit.Cùm iam satis ea omnia,quorum causa aduenerat,expedijsset, cunctosque amicos & Episcopos Prouinciæ visitasset, domumq; Aspasij, qui filius erat Iunini Christianissimi viri,inuisisset, cum omnibus suis parabat remeare ad propria. Postremò autem omnium, vbi Aureliano Vsecensi Episcopo, conuiuio peracto, valedicere instituit, accidit vt vtriusque famulis satagentibus, vnus ex ministris eius perderet rem quandam,qua camelum onerarium semper ducere solebat,eaq; causa huc illucq; cursitãs, iter eius retardaret. Tunc Eligius illi ad se secretiùs accito indicat hominem qui furtum fecerat, additque: Vade ad rupem propinquam,atque illic inter vepres reperies absconsum & ligatum id quod quæris : solutoq; eo, accipe quod tuum est, & absq; vlla iniuria vel verbo aspero redde homini tibi designato ligamen illius.Quod cùm ille fecisset,nimio fur pudore atque stupore perculsus, veniam facti sui precabatur, offerens etiam satisfactionem homini.

Beda. 700.

Vitæ S.Cuthberti lib.1.cap.8. Propheticus & miræ sanctitatis erat homo. Denique præfatæ acerbitatem pestilentiæ triẽnio,priusquam veniret, Eatano Abbati suo prædixit fuisse futuram,nec se illa tollendum celauit, ipsum verò Abbatem suum non ea moriturum, sed illo potius morbo, quem dysenteriam medici appellãt, veridico, vt rerum exitus docuit, sermone præmonuit. Sed & Cuthberto inter alia,quia Episcopus esset ordinandus, insinuauit. Vnde idem Cuthbertus, postmodum in secessu anachoreseos positus,dicere quidẽ nulli volebat,quia Episcopum eum prædixerat futurum: sed tamen visitantibus se aliquoties fratribus, solebat multo cum dolore protestari, quia etiam si fieri possit, vt in caute permodicam domunculam habens deliteam, vbi circumferentes me vndique fluctus Oceani tumescentes,à cunctorum mortalium visu pariter & cognitione secludant: nec sic quidem liberum me ab insidijs mundi fallentis æstimo,sed ibi quoque,quia qualiber ex causa philargyria me tentans abripere possit,vereor.

Paulus Diaconus. 780.

De gestis Longobardorum lib.6.cap.58.aliàs 18. Liudprandi regis temporibus fuit in loco, cui Forum nomen est,iuxta fluuium Tanarum, vir mirę sanctitatis, Baodolinus nomine, qui multis miraculis, Christi gratia suffragãte,refulsit.Qui sæpè futura prædixit, absentia quoque quasi præsentia nuntiauit. Denique cùm rex Liudprandus in Vrbem siluam venatum isset,vnus ex eius comitibus ceruum sagitta percutere nisus, eiusdem Regis nepotem,hoc est,sororis eius filium, Aufusum nomine,nolens sauciauit.Quod Rex cernẽs,valde enim eundem puerum amabat, cum lachrymis eius incommodum lamentari cœpit,statimq; vnum è suis equitem misit, qui ad virum Dei Baodolinum curreret,eumq; peteret,vt pro vita eiusdem pueri Christum supplicaret. Qui cùm ad seruũ Dei pergeret,puer defunctus est:cui Christi famulus ad se peruenienti ita dixit: Scio quam ob causam veneris, sed illud quod postulas iam fieri non potest, quia puer ille defunctus est.Quod cùm is,qui missus fuerat,regi,quod à seruo Dei audierat, renuntiasset,rex licet doluerit,quod effectum supplicationis suæ habere non potuit, tamen quia vir Domini spiritum prophetiæ haberet, apertè cognouit.Huic quoq; non dissimilis apud Veronensem ciuitatem Theudelapius nomine vir fuit, qui inter miranda,quæ patrabat, præsago etiam spiritu multa quæ erant ventura prædixit.

Osbertus Anglus. 1020.

Vitæ S.Dunstani cap.12. Exinde vir Domini infatigabili desiderio ad supernam patriam mentis obtutum dirigere,& ciuibus eius, quibus conuersatione necdum poterat,iugi meditatione satagebat interesse. Vnde contigit, vt quadam die in cõtemplationis positus dulcedine, subitò raperetur super se,& patris ac matris suæ animas inter choros Angelorum conspiceret in cælorũ regno gaudere.

Cap.16. Per idem tempus seruus Dei Bathoniensem Ecclesiam visitare perrexit.Vbi post refectionem corporis in oratione detentus, leuatis in altum oculis,vidit animam cuiusdã iuuenis, quem ipse à puero Glasconiæ in sancta conuersatione nutrierat,multis Angelorum fultam agminibus, in cælum deferri.Qui pro tanta gloria fratris,vltra quàm dici queat,exultans, & immensas corde & ore Deo gratias agens,socijs quid acciderit manifesta voce exposuit,& diem & horam transitus eius notari præcepit. Illis autem ad hæc obstupescentibus,& verbis eius non ex toto fidem accommodantibus,venerunt quidam ad patrem,qui & de fratris obitu, & obitus hora sic, quemadmodum dixerat,testati sunt.

Petrus Damianus. 1050.

Vitæ S.Romualdi cap.36. Miserunt aliquando ad illum fratres,qui morabantur in solitudine,quę Bifurcum dicitur,consilium flagitantes,qualiter conuersari in eremo deberent, qualiter diabolicis impugnationibus resistere possent. Quorum nuntij cùm ad monasterium,à quo Romualdi cella longius aberat,peruenissent,ilicò venerabilis vir per spiritum eorum cognouit aduentum, præcepitq; Abbati Ansoni,qui sibi tunc assistebat, dicens: Vade,& pulmentum fratribus præpara, qui de longinquis partibus aduenêre. Qui continuò cœpit eum deridere, & dicere, quia verè falsus Propheta esset.Postremò tamen velut coactus ad monasterium veniens, eos, quos vir sanctus prædixerat,orantes iam in Ecclesia reperit.Quos videlicet Romualdus multo salutaris doctrinæ sale condiuit, multis denique contra antiqui hostis insidias virtutum armis instruxit, & postquam eos de omnibus subtiliter vtiliterq; docuit, cum multa eos ad eremum alacritate remisit.

Edinerus Anglus. 1100.

Vitæ S.Anselmi lib.1. Diuinis Scripturis tantam fidem adhibebat, vt indissolubili firmitate cordis crederet, nihil in eis esse, quod solidæ veritatis tramitem vllo modo exiret.Quapropter summo studio animum ad hoc intenderat,quatenus iuxta fidem suam mentis ratione mereretur percipere,quæ in ipsis sensit multa caligine tecta latere. Contigit ergo quadam nocte,vt ipse in huiusmodi mente detentus, ante nocturnas vigilias vigilans in lecto iaceret,& meditando secum rimari conaretur,quonam modo Prophetę præterita simul & futura,quasi præsentia olim agnouerint, & indubitanter ea dicto vel scripto protulerint. Et ecce cùm in his totus esset,& ea intelligere magnopere desideraret, defixis oculorum suorum radijs,vidit per medias maceries oratorij ac dormitorij monachos, quorum hoc officium erat, pro apparatu matutinarum altare,& alia loca Ecclesiæ circumeuntes,luminaria accendentes,& ad vltimum vnum eorum,sumpta in manibus chorda, pro excitandis fratribus scillam pulsantem : ad cuius sonitum conuentu fratrum de lecto surgente,miratus est de re quæ acciderat. Concepit ergo apud se, Deo leuissimum esse, Prophetis in spiritu ventura monstrare, cùm sibi concesserit,quæ fiebant, per tot obstacula corporeis oculis posse videre.

Hugo Cluniacensis Monachus. 1120.

In vitæ S.Hugonis Abbatis Cluniacensis: Illo tempore pacis conciliandæ prædictus Pater cum Episcopis,Rocleno Cabilonensi, & Drogone Masticensi,in campo venatorio pariter adfuit. Turbis verò circumstantibus, quidam pessimo fœdatus crimine non timuit interesse. Quem Sanctus sancto edoctus Spiritu,eminus intuens, ait præsentibus: Videtis miserum illum? videtis dæmone plenum? statimq; eũ designauit,& ad se venire mandauit.Cui præsentato : Quomodo,ait, huc intrasti,qui hoc crimine (crimen autem exposuit) te sordidare voluisti ? Cur miser nobis in te dęmonem repræsentasti ? Pacem nos quærimus,dęmonem nolumus. Confusus ille, negare non potuit. Quod vt viderunt permulti,qui illic aderant,inter se mutuò submissa voce colloquebantur: Diuertamus ab hoc homine, qui etiam occulta hominum nouit intueri,ne etiam in nostris nos peccatis,quemadmodum istum,valeat deprehendere. Tunc Pater sanctus tradidit hominem illum in manus Rocleni Episcopi Cabilonensis, cuius Parochiæ erat, eius peccatum illi exponens : quę quidem Episcopus ille pro officio correxit.Simili modo,eodem reuelante Spiritu sancto, cùm ad Charitatem veniens, fratres in sancto susciperet osculo,quendam inter alios sibi occurrentem subitò abhorruit,& ab osculo suspendit. Fratribus autem factum mirantibus,illum,qui vt nouitius susceptus fuerat, vnde veniisset, cui esset addictus sectæ, solicitè cœpit inquirere. Et quia spiritalis omnia iudicat,& ipse à nemine iudicatur,eum ex ipsius ore Manichæum esse conuicit, conuictumque cum infidelitatis macula lupum ab ouibus pastor abegit, & infidelem à consortio fidelium fidelis eiecit.

Turones venerat Hugo pater; vt pro Abbatia maioris monasterij, quam violẽtia Comitis Andegauensis Gaufridi,cognomento Barbati,nimis oppresserat,intercessor adesset. Cum omni itaque humilitate Comitem exorans,quia duriorem inuenit,eius se aduoluere pedibus vir sanctus non erubuit. Sed cùm nulla ratione ab oppressione monasterij eum posset compescere,atq; cum multa indignatione recedentem retinere vellet,fibula,qua eius chlamys stringebatur,dirupta est. Ab eunti itaque prophetica voce illud Samuelis ilicò inclamauit: *Scissum est à te regnũ hodie.* Qui mox, iuxta viri Dei vaticinium, perdidit dominium,à fratre suo Fulcone captus,& in carcerem coniectus: vnde etiam, sensu iam debilitatus, non nisi morte solutus exiuit. 1.Reg.15

Guilhelmus Abbas. 1140.

Vitæ S.Bernardi lib.1.cap.13. Sæpe sine omni relatione carnis & sanguinis, paternæ eius solicitudini diuinitùs innotescit, quid circa aliquos eorum longè à se distantes agatur : si quid eis prouidendum,si quid in eis emendandum sit : tentationes & excessus eorum, infirmitates & obitus, & quarumlibet secularium tribulationum incursus. Nam & pro absentium fratrum certis necessitatibus, præsentibus circa se fratribus sæpe orationem indicit: nonnunquam etiam morientes in alijs locis, ad ipsum per visionẽ accessisse noscũtur,benedictionem eius & licentiam postulantes: nimirum agente hoc obedientia missorum, & charitate mittentis.

Veneram aliquando ad eum, & dum loquerer ei, vidi & audiui, quod filere non debeo. Aderat Monachus quidam Fusniacensis, continuò ad suos rediturus. Cumque respõso accepto super his, pro quibus venerat,iam ab eo egrederetur,in spiritu & virtute Eliæ reuocans eum Propheta Dei, & nomine fratris cuiusdam de domo illa prę misso,de occultis quibusdam, me audiente, mandauit ei,vt corrigenda corrigeret: sin autem,iudicium Dei super se in proximo expectaret. Stupefactus ille,quis ei hæc dixerit,requisiuit. Quisquis, inquit,dixerit mihi : tu vade,& dic,quæ ego dico tibi,ne si dissimulaueris,te quoque inuoluat par pœna peccati. Mirabar super hoc: sed miranti mihi in simili causa mirabiliora de eo narrata sunt.

Guido namque frater eius, maior natu inter fratres suos, cuius grauitatis & veritatis fuerit vir,omnes sciunt, qui scire eum potuerunt. Hic, cùm simul alicubi essemus, & de huiusmodi lo-

loqueremur, & quærerem ego ab eo, ſicut iucundæ ad amicos collocutionis eſſe ſolebat: Fabulæ, inquit, ſunt, quæ auditis. Cumque ſuo more & ſolito ſtudio fraternas virtutes deprimeret, mihi tamen nollet eſſe moleſtus: Quæ, inquit, neſcio, non dico vobis: ſed vnum narrabo, quod ſcio & expertus ſum, multa ei in oratione reuelari. Deinde narrauit mihi, quomodo, cùm primò melliflua illa ſpiritualium apum aluearia noua de ſe examina circumquaque proferre, nouasque ex eis domos Ordinis ſui ædificare cœpiſſent: petente & agente Domino Guilhelmo Epiſcopo in Epiſcopatu Catalaunenſi eam, quæ trium Fontium dicitur, conſtruxerunt. Ad quam cùm Abbatem cum Monachis emiſiſſet Dominum Rogerium, virum nobilem ſecundùm ſeculum, ſed nobiliorem ſanctitate, & viros quoſdam ſimilis formæ cum eo: ſpiritualis pater filios, quos emiſit, non dimiſit, ſed paterna ſolicitudine, & pia affectione cum eis erat. Vnde cùm die quadam ſimul ſoli eſſent Abbas & ipſe frater eius, cuius hoc relatione didici, & de fratribus ipſis ad alterutrum loquerẽtur: ſubitò altius ſolito ſuſpirans, durius aliquid ſolito de eis corde ſuo ſibi reſpondente: Vade, inquit, fratri ſuo, ora pro eis: & quicquid oſtenderit tibi Deus, refer ad me. Ipſe enim grauiſſima valetudine ea hora laborans, in lectulo tenebatur. Ad quod ille vehementer expaueſcẽs: Abſit, inquit: non ſum, qui hoc modo nouerim orare, qui hoc merear impetrare. Perſeuerãte tamen eo in ſententia, itum eſt, & oratum. Ille igitur per ſingulos, in quantum prævaluit, pro ſingulis fudit ad Deum animam ſuam: tantaque per ſingulos in orando perfuſus eſt ſuauitate conſcientiæ, tantaq; impetrandi fiducia, & omni gratia ſpiritualis conſolationis, vt in omnibus certa fide exauditum ſe exultaret ſpiritus eius, exceptis duobus, in quibus oratio titubauit, hæſitauit deuotio, fiducia defecit. Quod cùm retuliſſet ad eũ, à quo miſſus erat, ille ſtatim pronuntiauit de illis duobus, quod poſtea probauit eu entus.

Guilhelmus Montis frigidi Monachus. 1180.

Apud Vincentium lib. 25. cap. 44. Gregorius Septimus, qui antea Hildebrandus dicebatur, Hugonis Cluniacenſis Abbatis cogitationes vidit, peſtem prædixit, reuelatione cognouit, quòd quidam Epiſcopus ad hunc verſum: *Gloria Patri & Filio*, nõ poſſet voce tenus adijcere, hæc verba: *& Spiritui ſancto.*

Theodoricus Abbas Benedictinus. 1200.

Vitæ S. Hildegardis lib. 2. cap. 4. Hildegardis quia prophetico ſpiritu cogitationes & intentiones hominum cognoſcebat, quoſdam peruerſa, & friuola mente ad ſe, quaſi ad explorandum, accedentes redarguebat: qui dum ſpiritui, qui loquebatur, non valerent reſiſtere, correpti & emendati, cogebantur à prauo incepto deſiſtere. Sed & Iudeos, dum ad ſe venirent cauſa interrogationis, cõuictos de lege ſua, ad Chriſti fidem exhortabatur verbis piæ admonitionis. *Omnibus* enim, iuxta Apoſtolum, *omnia* facta, extraneis quidem aduentantibus, quamuis reprehenſibilibus, blandè & leniter, prout eis videbat competere, loquebatur. Secum autem commorantes puellas, cum multo dilectionis ac maternæ dulcedinis affectu caſtigabat, quoties vel rancor cuiuslibet controuerſiæ, vel dolor ſecularis triſtitiæ, ſiue deſidia, aut negligentia in eis oriebatur. Denique voluntates, intentiones, & cogitationes earum in tãtum perſpiciebat, quòd in officijs etiam diuinis, ſecũdùm qualitatem cordis ſui, proprijs benedictionibus eis reſpõdebat. Præuidebat enim in ſpiritu vitam hominum & conuerſationem, nec non & vitæ præſentis quorundam conſummationem, ac ſecundùm qualitatem morum & meritorum, gloriam & pœnas animarum eorum: quæ tamẽ tanta myſteria nulli, præterquam illi ſoli, homini reuelabat, cui (vt prędiximus) omnia ſecreta ſua manifeſtabat.

1. Cor. 9.

Iacobus Vitriacus. 1220.

Vitæ Mariæ Oegniacenſis lib. 2. cap. 7. Quidam zelo Crucifixi à lõginquis regionibus, vt Chriſti ignominiam & iniuriam vindicarent, ad eum locum, qui Mons gaudij dicitur, peruenêre, ſed ibi ab hoſtibus Chriſti trucidati ſunt. Aberat ab illis per tanta terrarum ſpatia ancilla Chriſti, at nihilominus vidit ſanctos Angelos gratulabundos cæſorum animas ſine vllis Purgatorij pœnis in cælum deportare, &c. Sacerdos quidam ea præſente ſacrificium Miſſæ obtulit: cumq; non eſſet neſcius illam pro ipſo crebrò preces Domino offerre, nec haberet maius aliquid, quod ei retribueret, ne ingratus videretur, ſtatuit pro illa Miſſam iam celebrare: Peracto autem ſacrificio, ait illa ad eum: Miſſa hæc mea fuit. Hodie enim Filium pro me Patri obtuliſti. Illo verò admirante, & vnde hoc ſciret, percontante, cùm ſolus Deus cognitas habeat cogitationes hominum, illa reſpondit: Vidi columbam elegantiſſimam in caput tuum ad altare deſcendere, & quaſi volitando alas ſuas ad me extendere, didicíq; in ſpiritu, ſanctum Spiritum illud ſacrificium ad me transferre, &c.

Quidã ex præcipuis amicis eius, Pariſijs ſacerdotio initiabatur: illa verò cõrpore abſens, præſens ſpiritu, quemadmodũ ordinaretur, quomodo affectus eſſet cùm ordinaretur, ipſum locũ ordinationis, Pontificis quoq; & ipſius habitũ perſpicuè vidit, illiq́ue admiranti poſtea omnia narrauit: cumq; ei literas quaſdam per illius nuntium mitteret, inter alia quædam ſcripſit, quæ ille, donec completa eſſent, intelligere non potuit: erant autem eiuſmodi, vel ijs conſimilia. Arbor noua iam floruit, cuius primos fructus mihi Dominus deſtinauit. Statuerat idem primum ſacrificium ſuum facere in Francia, ſed Domino diſponente, apud Oegnies, præſente ſancta muliere, id fecit.

Bonauentura. 1250.

Vitæ S. Franciſci cap. 11. Miranda certè in viro Dei Franciſco ſpiritus prophetici virtus, qua & mẽbris iam arentibus reſtituebat vigorem, & duris imprimebat cordibus pietatem: quanquam non minus eiuſdem ſpiritus ſit ſtupenda limpiditas, qua ſic futurorum præcognoſcebat euentum, vt etiam conſcientiarum ſcrutaretur arcanum, quaſi alter Eliſeus, duplicem Eliæ ſpiritum aſſequutus. 4. Reg. 2.

Nam cùm Senis viro cuidam ſibi familiari quædam ſuperuentura finaliter prædixiſſet, & vir ille peritus, de quo ſupra mẽtio facta eſt, quod de Scripturis cum eo conferebat aliquando, his auditis, ab eodem ſancto Patre dubitando perquireret, an hæc ipſe dixiſſet, quæ illius viri relatione cognouerat: non ſolùm ſe illa dixiſſe aſſeruit, verùm etiam quærenti alienum euentum, proprium exitum prophetando prædixit. Quod vt certius cordi eius imprimeret, quendam ſecretum conſcientiæ illius ſcrupulum, quem nulli viuenti vir præfatus expreſſerat, & mirabiliter reuelando explicuit, & ſalubriter conſulendo reſerauit. Ad quorum omnium firmitatem accidit, quod vir ille religioſus, ſicut Chriſti famulus ei prædixit, ſic finaliter conſummauit.

Eo quoque tempore, quo reuertebatur de vltra mare, ſocium habens fratrem Leonardum de Aſſiſio, contigit eum fatigatum & laſſum, parumper aſellum conſcendere. Subſequens autem ſocius, & ipſe non modicum feſſus, cœpit dicere intra ſe,

tra ſe, humanum aliquid paſſus: Non de pari ludebant parentes eius, & mei. En ipſe equitat, & ego pedeſter aſinum eius duco. Hoc illo cogitante, protinus deſcendit de aſino vir ſanctus, & ait: Nõ, frater, conuenit vt ego equitem, tu venias pedes: quia nobilior & potentior in ſeculo tu me fuiſti. Obſtupuit ilicò frater, & rubore ſuffuſus deprehenſum ſe recognoſcens, procidit ad pedes ipſius, & lachrymis irrigatus, nudum expoſuit cogitatum, veniamq; poposcit.

Frater quidam Deo deuotus & famulo Chriſti, frequenti cogitatione verſabat in pectore, ſuperna fore gratia dignum, quem vir ſanctus familiari complecteretur affectu: quem verò tanquam extraneum reputaret, extra numerum electorum reputandum à Deo. Cùm igitur cogitationis huius crebrius vexatus impulſu, viri Dei familiaritatem vehementer optaret, nec tamẽ cordis ſui ſecretum reuelaret alicui, aduocans eum ad ſe dulciter pater pius, ſic alloquutus eſt: Nulla te turbet cogitatio, fili, quoniam te chariſſimum habens inter præcipuè mihi charos, libenter tibi munus meæ familiaritatis & dilectionis impendo. Miratus exinde frater, factusq; deuotior ex deuoto, non ſolùm in amorem creuit hominis ſancti, verùm etiam per Spiritus ſancti gratię munus donis eſt maioribus cumulatus. Cùm autem in monte maneret Aluernæ cella recluſus, vnus de ſocijs magno deſiderio cupiebat habere de verbis Domini aliquod ſcriptum, manu ipſius breuiter annotatum. Grauem enim, qua vexabatur, tentationem, non carnis, ſed ſpiritus, ex hoc credebat euadere, vel certè leuiùs ferre. Tali deſiderio languens, anxiebatur interius, quia verecundia victus, reuerendo patri rem pandere non audebat. Sed cui homo non dixit, ſpiritus reuelauit. Portari namque ſibi iuſſit à fratre prædicto atramentum, & chartam, laudesq; Domini iuxta fratris deſiderium propria manu ſcripſit, & vltimò benedictionem ipſius, dicens: Accipe tibi charta tulam iſtam, & vſque ad diem mortis tuæ cuſtodias diligenter. Accepit frater donum illud optatum, & ſtatim omnis illa tentatio effugatur. Seruatur litera, & cùm in poſterum miranda effecerit, virtutum Franciſci teſtimonium fuit.

Thomas Cantipratenſis. 1260.

Vitæ Chriſtinæ Virginis mirabilis cap. 17. Spiritu prophetiæ prędita illam fuiſſe, non vno modo doceri poteſt. Præmonuit multos, vt ſuæ ſaluti conſulerent: multos de occultis ſceleribus ſecretò obiurgauit, ijsque agendæ pœnitentiæ auctor fuit. Confligente Brabantiæ Duce cum hoſtibus ſuis, quæ fuit pugna miſerabilis, cæſis permultis, illa haud ſecus atque ſolent parturientes, clamitabat, dicens, Eheu, eheu, video aëra gladijs & ſanguine plenum. Properate ſorores, properate, preces fundite ad Dominum, ſtillent lachrymas oculi veſtri, ne contineat Dominus in ira ſua miſericordias ſuas. Cuidam etiam ſanctimoniali in eodem monaſterio S. Catharinæ dicebat: Feſtina filia: properè te confer ad deprecandum Dominum pro patre tuo, qui in præſentiſſimo iam ſalutis ſuæ periculo verſatur.

Stephanus Iuliacus. 1400.

Vitæ Coletæ Virginis cap. 46. Soror quędam, Coletà in templo cum alijs diuinum officium peragente, vagis occupabatur cogitationibus. Aduertit hoc in ſpiritu Coleta, mandauit ei per aliã quandam, vt ceſſaret donec eſſent preces abſolutæ. Illa ad ſe rediens, ſtatuit nullo pacto eiuſmodi cogitationibus aſſentiri. Alia quędam ſoror itidem ſub diuino officio, manu librum tenens, res vanas & pernitioſas animo voluebat. Id clarè intelligens Coleta, ſæpe innuebat ei, vt eas à ſe repelleret. Sed cùm non aduerteret, abſtulit ei librum, non ſine aſperitate quadam. Sentiens illa Coletæ patere cogitationes ſuas, tranſtulit ſe ad cogitanda diuina. Mox Coleta humaniter ad eam ſe conuertens, ſubridensq; librum ei reſtituit.

ARTICVLVS OCTAVVS.

SANCTOS IN CAELO TRIVMPHANTES, ET DIVINI SPIRITVS LVMINE COLLVSTRATOS, NVLLA LOCORVM INTERCAPEDINE IMPEDIRI, QVO MINVS ABSENTIA COGNOSCANT, ET NOSTRA VOTA percipiant.

NEGANT.

Anno poſt Chriſtũ natum.

400. VIGILANTIVS Gallus: *Ergo,* inquit, *cineres amant Sanctorum animæ, & circũuolant eos, ſemperq; præſentes ſunt, ne fortè ſi aliquis precator aduenerit, abſentes audire non poſſint.* Hieronymus contra Vigilantium cap. 3.

850. *Vigilantiani adhuc perdurantes dixerunt, Sanctis non eſſe ſupplicandum, quòd neſciant, quid hîc circa puluerem ipſorum ageretur.* Remigius Antiſiodorenſis in Pſal. 121.

1180. *VValdenſes dicebant, Sanctos nec audire, nec attendere preces noſtras.* Guido Carmelita, Nicolaus Aymericus, & Antoninus de VValdenſibus.

1520. Martinus Lutherus ad caput 9. Ecclesiastis: *Salomon sentire videtur, mortuos sic dormire, vt prorsus nihil sciant. Et planè credo non esse in Scriptura locum fortiorem pro mortuis dormientibus, & nihil intelligentibus rerum nostrarum, contra Sanctorum inuocationem, & Purgatorij fictionem, &c.* Nulla, *inquit Salomon*, est ibi cogitatio, ars, cognitio, sapientia. *Sensit ergo, mortuos omninò dormire, & nihil prorsus sentire. Iacent ibi mortui, non numerantes dies vel annos, sed excitati videbuntur sibi vix momentum dormisse.*

In Ionam: *Ego puto mortuos sic ineffabili & miro somno consopitos, vt minus sentiant aut videant, quàm hi, qui aliàs dormiunt. Deus nos fecit similes bestijs, dormiendo, vigilando, comedendo: Anima enim humana dormit omnibus sensibus sepultis.*

1550. Christianus Rodingus *contra Scholas Iesuitarum* Deiparam Virginem sic loquentem inducit: *Desine me salutare, & salutando venerari: desine Sanctos & vita defunctos adorare. Istam tuam salutationem, tuasq; preces execramur: tu vbi terrarum sis, quid agas, denique an mortuus sis, neque scimus, neque curamus, tantum abest vt te precantem exaudiamus.*

ASSERVNT SACRÆ LITERÆ.

Genes. 2. Vers. 20. Adam ante lapsum singulis animantibus ita sua nomina imponit, vt inde certa coniectura de cuiusque natura queat fieri. Etsi grauissimo sopiretur somno, cùm ex eius costa Eua formaretur, tamen experrectus, & quid factum, & quid futurum esset edixit.

1. *Reg.* 9. 19. Samuel Sauli quærenti asinas: Omnia quæ sunt in corde tuo, indicabo tibi, inquit: & asinas inuentas esse, & Saulem Regem fore dicit.

4. *Reg.* 5. Eliseus famulum Giezi munera à Naaman Syro accipientem absens videt.

4. *Reg.* 6. Intima Regis Assyriorum consilia Regi Israelitarum pandit.

Esaias tam aperta de venturo Christo habet vaticinia, vt non prophetiam videatur texere, sed Euangelium. *Qua Spiritus sancti gratia illi in corpore mortali absentia, præterita, & futura nouerunt, eadem gratia Sancti, qui in cælis Christi glorifica visione fruuntur, & cernunt, non vt hîc* per speculum in ænigmate, *sed de facie ad faciem, ea quæ hîc in terris fiunt cognoscunt.* 1. Cor. 13.

Lucæ 15. 10. Angeli in cælis cuiusque hominis conuersionem nôrunt, & de peccatorum pœnitentia lætantur: *Sanctorum hominum spiritus sunt æquales Angelis, Matth.* 22. *Marci* 12. *Lucæ* 20. *Ergo eodem quo illi modo & hi ea, quæ hîc fiunt, intelligunt.*

Lucæ 16. 23. Damnatus diues è medijs tormentis à longè Lazarum agnoscit, & Abrahamum alloquitur: *sed maior est Sanctorum quàm damnatorum gratia. Ergo magis hi, quàm illi absentia sciunt, & minus quàm illi locorum intercapedine impediuntur.*

Act. 7. 56. Ecce, *inquit Stephanus*, video cælos apertos, & Filium hominis stantem à dextris Dei. *S. Stephanus in spiritu è terris in cælum, & Filium Dei à dextris Patris stantem videre potuit, quid vetat, quò minus Sancti è cælis nos in terra peregrinantes videre queant?*

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Clemens Alexandrinus. 200.

Libro 6. Stromatum: Possunt animæ purius perspicere, quæ sunt liberæ à corporibus, etiamsi obscurentur vitijs & perturbationibus: eò quòd non amplius se ijs opponat, & eas impediat caruncula.

Origenes. 240.

De Principijs lib. 2. cap. 12. Cùm ad cælestia loca peruenerint Sancti, tunc iam rationem astrorum per singula peruidebunt, & siue animantia sint, siue quicquid illud est, comprehendent. Sed & alias rationes operum Dei, quas eis ipse reuelabit, intelligent.

Libro 8. contra Celsum: Vnus est nobis placandus Deus vniuersorum Dominus, vnius fauor ambiendus per pietatem virtutesque cæteras: Si vult præter hunc placari etiam alios, cogitet, quòd sicut motu corpore vmbra quoque ipsius mouetur: ira cùm aliquis Deum habet propitiũ, sequitur vt amicos habeat omnes eius Angelos, animas, & spiritus. Sentiunt enim qui sint digni fauore cœlestis numinis, quibus non solùm ipsi bene volunt, verùm etiam dant operam, vt Deum ei seruire volentibus concilient, & vnà nobiscum precantur.

Athanasius. 340.

Quæst. 11. De animabus Sanctorũ non est dubitandum. Nam & post mortem, & in die iudicij cognoscent omnia.

Basilius Magnus. 370.

De vera Virginitate: Quid per singula pergam? Ipsas Angelorum infinitas multitudines, & vnà sanctorum Patrum beatissimos spiritus. Nullus enim ex his est, qui non singula vbique consideret. Etsi enim oculis carneis minimè conspicui sunt: incorporeis tamen obtutibus ad agnitionem complectuntur omnia, & comprehendunt.

Gregorius Nazianzenus. 380.

Oratione 11. quæ est in laudem Gorgoniæ: Quòd si quid eos quoque, qui tibi à nobis habentur, honores curas, atque hoc præmij sanctis animis diuinitus contingit, vt ista sentiant, nostram quoque orationem pro multis, ac præ multis funebribus donis accipias velim, quam Cæsario ante te, & tibi post illum persoluimus.

Gregorius Nyssenus. 380.

Oratione de S. Theodoro: Quamquam tu vitam hanc transcendisti, humanas tamen molestias & necessitates non ignoras, impetra nobis pacem.

Maximus Monachus. 640.

Ad caput 7. Dionysij Areopagitæ de Ecclesiastica Hierarchia: *Alijs oculis.*) Alios oculos dicit mentis, quæ postea purior est, & ea, quæ apud inferos sunt conspicit, & conuertit: vsque ad obiectum gehennæ, quam prius non credidit.

Germanus Constantinopolitanus. 720.

Sermone 2. de Assumptione Mariæ: Omnia obseruas Maria, omnia contueris, & inspectio tua ad omnes se porrigit. Quamobrem licet oculi nostri impediantur, ne te videre queant; tu tamen sanctissima Virgo dignis teipsam patefacis: caro enim spiritus tui virtutem & efficaciam nihil quicquam moratur.

Simeon Metaphrastes. 950.

In Martyrio S. Anastasiæ Martyris: Vbinam sunt isti, vt eos cognoscamus? Illa verò, huc vsque quidem, inquit, hîc sunt versati, & nobiscum egerunt in corpore: nunc autem terra relicta nos procul vident, versantes in cælestibus. Mors enim suscepta propter hæc eis conciliauit.

Theodorus Ducas. 1200.

De communicatione naturali in extremo, Sermone sexto. Hæc, prout intelleximus, scripta sunt nobis. Hortamur omnes, vt meliora quidem his discãt, sed peiora vitent. Postquam verò ab hac carne liberati fuerimus, perfectè cognoscemus, an philosophia sit insipientia præstantior. Nunc verò scripsimus pro vt cognitum habuimus.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Ambrosius. 370.

Libro de Viduis: Obsecrandi sunt Angeli, qui nobis ad præsidium dati sunt: Martyres obsecrandi sunt, quorum videmur nobis quoddam corporis pignore patrocinium vendicare. Possunt pro peccatis rogare nostris, qui proprio sanguine etiam si quæ habuerunt peccata lauerunt. Isti enim sunt Martyres nostri præsules, spectatores vitæ actuumq; nostrorum.

Prudentius. 380.

De Hamartigenia:

Nec mirêre loci longè distantibus inter
Damnatas, iustasq; animas concurrere visu
Conspicuos, meritasq; vices per magna notari
Interualla, polus medio quæ diuidit orbe.
Errat quisqui animas nostrorum fine oculorum
Aestimat, inuoluit vitreo quos lucida palla
Obijce, queis speculum concreta coagula texunt,
Impediuntq; vagas obducto humore fenestras.
Númne animarum oculis denso vegetamine gutta
Voluuntur teretes? aut palpebralibus extra
Horrescunt setis, cilioue vmbrante teguntur?
Illis viua acies, nec pupula parua, sed ignis
Traiector nebulæ, vasti & penetrator operti est.
Nil ferrugineum, solidumue tuentibus obstat:
Nocturnæ cedunt nebulæ, nigrantia cedunt
Nubila, prætenti cedit teres area mundi.
Neq; tantũ aërios visu transmittit hiatus
Spiritus, oppositos sed transit lumine montes,
Oceani fines, atque vltima littora Thyles
Transcurrit, volucresq; oculos in tartara mittit.
Nostris nempe omnes pereunt sub nocte colores
Visibus, & cæco delentur tempore formæ.
Nunquid & exutæ membris ac viscere, perdunt
Agnitione notas rerum, vel gressibus errant?
Vna animas semper facies habet, & color vnus
Aëris, vt cuique est meritorum summa, sinistri
Seu dextri, alternas nec commutabile tempus
Conuertit, variatq; vices, longum atque perenne est
Quicquid id est, vnus voluit sua secula cursus.
Experto dubitas animas percurrere visu
Abdita corporeis oculis? cùm sæpe quietis
Rore soporatis, cernat mens viua remotos
Distantesq; locos, actum per rura, per astra,
Per maria intendens: nec enim se segregat ipsa
Ante obitum viuis ex artubus, aut fugit exul
Sanguinis & carnis penetralia, seq; medullis
Exuit, abductamue aligit de pectore vitam:
Viscera sed sede manens, speculatur acutis
Omnia luminibus, & quæ circumtulit acrem
Naturæ leuis intuitum, nullo obice rerum
Disclusa, ante oculos subiectum prospicit orbem,
Atque orbis sub mole situm sordens elementum.
Obiacet interea tellus, nec visibus obstat.
Quin si stelligerum vultus conuertat ad axem,
Nil intercurrens obtutibus, impedit ignem
Peruigilis animæ, quamuis densata grauentur
Nubila, & opposito nigrescat vellere cælum.
Sic arcana videt tactis cooperta figuris,
Corporeus Ioannes adhuc, nec carne solutus,
Munere sed somni, paulisper carne sequestra
Liber ad intuitum, sensi q; oculosq; peragrans
Ordine dispositos venturis solibus annos,
Procinctum videt Angelicum, iam iamq; cremandi
Orbis in excidium, raucos & percipit aure
Mugitus, grauium mundi sub fine tubarum.
Hæc ille ante obitum, membrorum carcere septus
Secedente anima, non discedente videbat.
Nonne magis flatus sine corpore cuncta notabit,
Corporis inuolucris tumulo frigente repositis?
Certa fides, rapidos sub tetra nocte caminos,
Qui polluram animam per secula longa perenni
Igne coquunt, oculis longum per inane remotis
Pauperis exp sitos, nec secius aurea dona
Iustorum dirimente Chao, rutilasq; coronas
Eminus ostendi pœnarum carcere mersis.
Hinc paradisicolæ post vlcera dira beato
Proditur infelix vlulans in peste reatus
Spiritus, ingq; vicem meritorum mutua cernunt.

De Martyribus Calaguritanis Hymno 1.

Non sinunt mane vt vllus
Voce murmur fuderit:
Audiunt, statimq; ad aures
Regis æterni ferunt.
Inde larga fonte ab ipso
Dona terris influunt.

Hymno 3. de S. Eulalia:

Illa Dei sita sub pedibus
Prospicit hæc, populosq; suos
Carmine propitiata fouet.

De S. Cassiano:

Audit, credè, preces Martyr prosperrimus omnes,
Ratasq; reddit, quas videt probabiles.

Hieronymus. 390.

Aduersus Vigilantium capite 2. Mortuum suspicaris Samuelem: & idcirco blasphemas. Lege Euangelium: *Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob: non est Deus mortuorum, sed viuorum.* Si ergo viuunt, honesto iuxta te carcere non clauduntur. Ais enim, vel in sinu Abrahæ, vel in loco refrigerij, vel subter aram Dei, animas Apostolorum & Martyrum consedisse, nec posse suis tumulis, & vbi voluerint, adesse præsentes. Senatoriæ videlicet dignitatis sunt, vt non inter homicidas teterrimo carcere, sed in libera honestaque custodia in fortunatorum insulis, & in campis Elysijs recludantur. Tu Deo leges pones? Tu Apostolis vincula injicies, vt vsque ad diem iudicij teneantur custodia, nec sint cum Domino suo? de quibus scriptum est: *Sequuntur Agnum quocunque vadit.* Si Agnus vbique; ergo & hi, qui cum Agno sunt, vbique esse credendi sunt. Et cùm diabolus, & dæmones toto vagentur orbe, & celeritate nimia vbique præsentes sint, Martyres, post effusionem sanguinis sui, arca operientur inclusi, & inde exire non poterunt?

Mart. 12.

Apoc. 6.

Apoc. 14.

Augustinus. 400.

Carmine de gaudijs Paradisi:

Qui scientem cuncta sciunt
Quid nescire hi queunt?
Nam & pectoris arcana
Penetrant alterutrum:
Vnum volunt, vnum nolunt,
Vnitas est mentium.

De ciuitate Dei libro 22. cap. 29. Si Propheta Helisæus puerum suum Giezi absens corpore vidit accipientem munera, quæ dedit ei Naaman Syrus, quem Propheta memoratus à lepræ deformitate mundauerat, quod seruus nequam Domino suo non videnti, latenter se fecisse putauerat: quanto magis in illo corpore spiritali videbunt Sancti omnia, non solùm si oculos claudant, verùm etiam vnde sunt corpore absentes? Tunc enim erit perfectum illud, de quo loquens Apostolus: *Ex parte,* inquit, *scimus, & ex parte prophetamus: cùm autem venerit quod perfectum est, quod ex parte est, euacuabitur,* &c. Si ergo in hac vita, vbi hominum mirabilium prophetia ita comparanda est illi vitæ, quasi paruuli ad iuuenem, vidit tamen Elisæus accipientem munera seruum suum, vbi ipse non erat: itane cùm venerit quod perfectum est, nec iam corpus corruptibile aggrauabit animam, sed incorruptibile nihil impediet, illi Sancti ad ea quæ videnda sunt oculis corporeis, quibus Helisæus absens ad seruum suum videndum non indiguit, indigebunt? Nam secundùm interpretes Septuaginta ista sunt ad Giezi verba Prophetæ: *Nonne cor meum tecum ibat, & noui quòd conuersus est vir de curru suo in obuiam tibi, & accepisti pecuniam,* &c. Sicut autem ex Hebræo interpretatus est Presbyter Hieronymus: *Nonne cor meum,* inquit, *in præsenti erat, quando reuersus est homo de curru suo in occursum tui?* Corde suo ergo se dixit hoc vidisse Propheta, adiuto quidem mirabiliter, nullo dubitante, diuinitus. Sed quantò amplius tunc omnes munere isto abundabunt, cùm Deus erit omnia in omnibus?

4. Reg. 5.

1. Cor. 13.

Paulinus Nolanus. 420.

Natali 6.

Te teneo, tu scis vbi sint, qui lumine Christi
Cuncta & operta vides, longeq; absentia cernis,
Et capiùs includente Deo, quo cuncta tenentur.
Atque ideo occulti fures, quacunque latebra
Non tibi celantur, nec de te euadere possunt.

Prosper Aquitanicus. 450.

De vita contemplatiua libro 1. cap. 4. Ibi Sanctis exuberabit tanta lætitia, tanta cælestium gratia gaudiorum, vt & remuneratori suo pro tantis muneribus gratias agant, & nullum fastidium ex ipsa affluentium bonorum perceptione sustineant. Ibi ita patebunt singulorum singulis mentes, sicut corporalibus oculis subiacent facies corporales: quia humanorum pectorum tanta ibi erit, & tam perfecta munditia, vt habeant vnde mundatori suo Deo gratias agant, &c. Nec latebit iam perfectè beatos aliquid secretorum, qui, quod est longè præstantius, ipsum visuri sunt mundis cordibus Deum: quandoquidem humana creatura ita perfecta erit, vt in melius aut deterius vltra mutari non possit. Cuius humanæ substantiæ, ad conditoris sui similitudinem sublimatæ, omnia bona, quæ naturaliter accepta peccato corruperat, reparabuntur in melius: id est, intellectus sine errore, memoria sine obliuione, cogitatio sine peruagatione, incolumitas sine debilitate, salus sine dolore, vita sine morte, facilitas sine impedimento.

Cassiodorus. 540.

De anima cap. 8. Viuit in se post huius seculi amissionem, non reflante spiritu, sicut corpus, sed æquali mobilitate, quæ illi attributa est, pura, subtilis, cita, æterna: videt, audit, tangit, ac reliquis sensibus efficacius valet, non iam ex partibus suis hæc intelligens, sed omnia specialiter ex toto cognoscens: alioqui absurdum est putare minus posse liberam, quàm mole brutissimi corporis ingrauatam. Talia enim intelligere posse non dubium est & Angelos, & Potestates aëreas, vel cætera, quæ sublimi & immortali substantia constare noscuntur.

Gregorius Magnus. 590.

Libro 2. Dialogorum cap. 35. Animæ videnti Creatorem angusta est omnis creatura. Quamlibet etenim parum de luce Creatoris aspexerit, breue ei fit omne, quod creatum est: quia ipsa luce visionis intimæ mentis laxatur sinus, tantumque expanditur in Deo, vt superior existat mundo: fit verò ipsa videntis anima etiam super semetipsam: cumque in Dei lumine rapitur, super se in interioribus ampliatur: & dum sub se conspicit exaltata, comprehendit quàm breue sit, quod comprehendere humiliata non poterat, &c. Quid itaque mirum si mundum ante se collectum vidit, qui subleuatus in mentis lumine extra mundum fuit? Quòd autem collectus mundus ante eius oculos dicitur, non cælum, & terra contracta est, sed videntis animus est dilatatus, qui in Deo raptus videre sine difficultate potuit omne, quod infra Deum est. In illa ergo luce, quæ exterioribus oculis fulsit, lux interior in mente fuit, quæ videntis animum cùm ad superiora rapuit, ei quàm angusta essent omnia inferiora, monstrauit.

Libro 4. Dialog. cap. 33. Quia in illa æterna hæreditate omnes communi claritate Deum conspiciunt, quid est, quod ibi nesciant, vbi scientem omnia sciunt?

Libro 12. Moralium capite 14. Sicut hi, qui adhuc viuentes sunt, mortuorum animæ quo loco habeantur, ignorant: ita mortui vitam in carne viuentium post eos qualiter disponatur, nesciunt: quia & vita spiritus longè est à vita carnis: & sicut corporea atque incorporea diuersa sunt genere, ita etiam distincta sunt cognitione. Quod tamen de animabus sanctis sentiendum non est: quia quæ intus omnipotentis Dei claritatem

tatem vident, nullo modo credendum est, quia foris sit aliquid, quod ignorent. Sed carnales quique, quia amorem præcipuum filijs impendunt, hoc eos beatus Iob nescire postmodum asserit, quod hîc vehementer amauerunt: vt siue nobiles, siue ignobiles sint filij, sciant, quorum eos semper cura fatigabat.

Eucherius Gallus. 640.

In lib. 4. Reg. cap. 19. Si Propheta Elisæus puerum suum Giezi absens corpore vidit accipientem munera, quæ dedit illi Naaman Syrus: quanto magis in illo corpore spiritali videbunt Sancti omnia, non solùm si oculos claudant, verùm etiam vnde sunt corpore absentes?

Beda. 700.

Ad caput 16. Lucæ: Credendum est, quòd ante retributionem extremi iudicij iniusti in requie quosdam iustos conspiciunt, vt eos videntes in gaudio, non solùm de suo supplicio, sed etiam de illorum bono crucientur. Iusti verò in tormentis semper intuentur iniustos, vt hinc eorum gaudium crescat: quia malum conspiciunt, quod misericorditer euaserunt; tantoque maiores ereptori suo gratias referant, quanto euidentius vident in alijs, quid ipsi perpeti, si essent neglecti, potuerunt. Quia qui Creatoris sui claritatem vident, nihil in creatura agitur, quod videre non possunt.

Alcuinus. 750.

Libro 2. de Trinitate capite 5. Deus ideo dicitur in cælis habitare, quia maior agnitio est in cælis illius summæ maiestatis & essentiæ in Angelis, vel in Sanctis animabus Sanctorum, quàm in terra habitantibus Sanctis, propter grauitatem carnalis habitationis, quæ vix permittit animam ad purum veritatis lumen euolare. Sicut dicitur: *Corpus quod corrumpitur, aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem.* Cùm igitur exuta erit anima hac mortali habitatione, & serena reddetur perpetuò, tunc videbit facie ad faciem, quod nunc per speculum in ænigmate considerat.

Sap. 9.

1. Cor. 13.

De diuinis Officijs cap. 39. Nec dubitandum est fidelium petitiones à spiritibus iustorum sciri: quia qui intus claritatem Dei vident, non est credendum, quia sit aliquid foris quòd ignorent.

Haymo. 820.

Homilia Dominica secunda post Pentecosten: Non solùm boni, cùm sint in æterna requie recepti, malos conspiciunt in pœna: sed etiam mali bonos in gloria. Quod iusto Dei iudicio agitur, vt inde Sanctis gloria, reprobis augeatur pœna, &c. Sanctis, qui Creatori suo iuncti erunt, nihil erit in creaturis, quod non videant.

Hildoinus. 840.

Epistola ad Ludoicum Imperat. Dionysius Areopagita Saluatori iunctus, & conciuis Angelorum effectus, de summa cælorum arce singulorum voluntates intendit, & sequens Agnum quocunque ierit, corda omnium diuino lumine plenus perscrutatur, & penetrat.

Hincmarus Remensis. 850.

In vita S. Remigij: Ante retributionem extremi iudicij iniusti in requie quosdam iustos aspiciunt, vt eos videntes in gaudio, non solùm de suo supplicio, sed etiam de illorum bono crucientur. Iusti verò in tormentis semper intuentur iniustos, vt hinc eorum gaudium crescat, quia mala conspiciũt, quæ misericorditer euaserunt, tanquæ maiores ereptori suo gratias referant quanto vident in alijs, quid ipsi perpeti, si essent relicti, potuerint. Nec illam tantæ beatitudinis claritatem apud iustorum animum fuscabit aspecta pœna reproborum: quia vbi iam compassio miseriæ non erit, minuere procul dubio beatorum lætitiam non valebit. Et quamuis eis sua gaudia ad perfruendum plenè sufficiant, mala tamen reproborum absque dubio semper aspiciunt. Quia qui Creatoris sui claritatem vident, nihil in creatura agitur quòd videre non possunt.

Ionas Aurelianensis. 860.

De cultu Imaginum lib. 3. Localiter non ita Petri intercessionem requirimus, quasi qui non eius aspectui pateamus, nisi in eo loco, quo exuuias eius venerati sumus; firmiter tenentes, quòd illi omnis creatura sit angusta, qui videntem omnia videt, continenti omnia inhæret.

Remigius Antisiodorensis. 880.

Ad Psalm. 121. In quo hæresis illorum destruitur, qui dixerunt Sanctis non esse supplicandum, quoniam nesciunt, quid hîc circa pulueream eorum ageretur: cùm etiam dæmones tantæ leuitatis & velocitatis sint, vt penè vno eodemq; momento & hîc, & in Babylonia sint: sed multo magis hæc efficacia credenda est in animabus Sanctorum, quæ quanto dæmonibus sunt beatiores, tanto præstantiores.

Notgerus Episcopus Leodiensis. 950.

Vitæ S. Remacli libro 2. cap. 8. Sanctorum animæ omnipotentis Dei claritatem intuentes, quæ foris aguntur cælesti Dei beneficio cognoscunt.

Anselmus Cantuariensis. 1080.

In Elucidario: Animæ iustorum sciunt omnia, quæ hîc aguntur: quæ autem in pœnis sunt, nesciunt, nisi quæ eis Angeli, vel Sancti referunt: quæ verò in inferno sunt, non plus nôrunt quid hîc agatur, quàm viui sciunt quid ibi geratur.

Hildebertus Cenomanensis. 1100.

Epistola 52. Sentio enim, sentio, & dico, Sanctorum animas, iam cum Christo regnantes, scire quid agatur à nobis, & easdem, cùm oportet & expedit, orare pro nobis, &c. Cùm enim, teste Gregorio, nihil foris sit, quod ignorent animæ Sanctorum, quæ scientem omnia sciunt: quis dicet ab ijs proximum diligi, qui proximi clamores audiunt, & nunquam exaudiunt; pulsari sciunt, & aperire nesciunt; angustias vident, & viscera claudunt?

Honorius Augustodunensis. 1120.

Sermone de Aduentu Domini: Hîc sol oculis nostris circumscribitur, radius eius quolibet corpore oppositio penetrare non finitur, nubibus obtegitur, noctibus prorsus à nobis occultatur: Angelici autem spiritus, vel animæ Sanctorum à nullis corporali loco comprehenduntur, soli Deo incomprehensibili atque incircumscripto circumscripti creduntur, cuncta obstantia luce suæ claritatis penetrare noscuntur. Hi singuli ab æterno sole illustrati, immensum fulgorem suum cum illa die participantur, ipsique inuicem alterutra claritate deliciantur.

Hugo Victorinus. 1130.

Libro 2. de Anima cap. 17. Potentiæ animæ atque virtutes longa exercitatione atque successu temporum crescunt: ipsa verò non crescit, neque decrescit; sed aut imparilitate membrorum, aut humorum crassitudine, & eorum corruptione

præpedita, vires suas exercere non potest. Anima corpore exuta viuit, videt, audit, & omnes sensus atque ingenia viuaciter tenet, vtpote pura, subtilis, cita, & perpetua.

Libro 2. de Sacramentis parte 16. cap. 11. Hoc certum est, Sanctorum animas, in secreto diuinæ contemplationis constitutas, eorum quæ foris aguntur tantum scire, quantum illis vel ad gaudium, vel nobis ad auxilium prodesse constat. Nos intercessores apud Deum quærimus, quid amplius vis? Times ne fortè non orent, qui semper orant?

Bernardus. 1130.

Sermone 1. super Salue Regina: Oportet vt nobis præsentem esse dicamus, quam præsentem salutamus: & vt totam animæ trinitatem in eam dirigamus, quam tam deuotissimis precibus exoramus. Agnoscit certè & diligentes se, & prope est omnibus inuocantibus se; præsertim his, quos videt sibi conformes factos, in castitate & humilitate.

Sermone 77. in Cantica, alloquens Gerhardum fratrem defunctum: Scis vbi versor, vbi iaceam, vbi reliqueris.

Epistola 78. Quàm læta Martyres aure horum puerorum clamorem spiritumq; percipiunt?

Petrus Lombardus. 1140.

Libro 4. dist. 45. litera F. Sed fortè quæris, nunquid preces supplicantium Sancti audiunt, & vota postulantium in eorum notitiam perueniunt? Non est incredibile, animas Sanctorum, quæ in abscondito faciei Dei veri luminis illustratione lętantur, in ipsius contemplatione, ea quæ foris aguntur intelligere: quantum vel illis ad gaudium, vel nobis ad auxilium pertinet. Sicut enim Angelis, ita Sanctis, qui Deo assistunt, petitiones nostræ innotescunt in Verbo Dei, quod contemplantur. Vnde & dicuntur Angeli orationes & vota nostra offerre Deo, non quia eum doceant, sed quia eius voluntatem super eis consulunt, &c. Si autem Angeli à Deo per Verbum eius discunt petitiones nostras, & quid de his implendum sit, & quid non: cur non credamus & animas Sanctorum, Dei faciem contemplantium, in eius veritate intelligere preces hominum, & quæ implendæ sint, vel non?

Hildegardis. 1160.

In quæstionibus, quæstione 34. Sancti in cælo, & impij in inferno nunquid sciunt ea, quæ aguntur in terris? *Solutio:* Sancti, qui in cælesti patria sunt, omnia, quæ in terris geruntur sciunt: quoniam vel in iudicio Dei, vel in sonantibus laudibus Angelorum, omnia, quæ in terris aguntur coram Deo apparent. Impij etiam, qui à peccatis suis nunquam cessabant, nec ea per pœnitentiam emendabant, ex irrisione, qua sequaces suos deridet, ea quæ mala sunt cognoscunt: & ex vlulatu, quo super beatos, qui eos non sequũtur, vlulant, ea, quæ bona sunt, intelligunt.

Guilhelmus Aluernus. 1230.

De retributionibus Sanctorum: Si quis quærat, vtrum & omnia, & singula, quæ sunt, vel esse possunt, visuræ sint animæ nostræ in illa gloria intellectus, seu virtutis intellectiuæ nostræ? Respondemus, quia quicquid decebit, & delectabit eas videre, visuræ sunt tunc: quod autem nec decet eas videre, nec delectaret, non sunt visurę, nec visio talium pertinere videtur ad gloriam intellectus.

Alexander Alesius. 1240.

Parte 4. quæstione 26. memb 3. artic. 5. Orationes nostræ tribus modis innotescunt Sanctis, scilicet reuelatione, & denuntiatione Angelica; inspectione, & intuitione in speculo Trinitatis; & propria comprehensione, vt quando præsentialiter assistunt in locis, in quibus ad illos diriguntur orationes. Vnde orationes, quę diriguntur Sanctis, quatenus vtilitati nostræ sufficit, illis sufficienter reuelantur.

Thomas Aquinas. 1250.

Parte 3. de partibus pœnitentiæ quæstione 72. artic. 1. Sancti, licet post hanc vitam cognoscant ea, quæ hîc geruntur, non tamen credendum est, quòd afficiantur doloribus, cognitis aduersitatibus eorum, quos in hoc seculo dilexerunt: ita enim repleti sunt gaudio beatitudinis, quòd dolor in ijs locum non inuenit.

In libr. 4. Sentent. distinct. 45. quæst. 8. Cogitationes cordium solus Deus per seipsum nouit: sed tamen Sancti cognoscere possunt, quatenus eis reuelatur, vel per visionem, vel quocunque alio modo.

Richardus de Media Villa. 1280.

Libro 4. Sentent. distinct. 45. artic. 7. quæst. 1. Beatæ animæ omnes orationes nostras, quas illis porrigimus, cognoscunt in Verbo Dei, quod clarè vident. Quamuis enim non videant omnia quæcunque videt Verbum: tamen probabile est, quòd in eo videant omnia, quæ facimus, & dicimus, & quæ in corde gestamus ad reuerentiam earum.

Durandus à Sancto Portiano. 1310.

Ad libr. 4. Sentent. distinct. 45. quæst. 4. Omnes Beati cognoscunt nostras orationes, siue mentales, siue vocales, quæ ad eos diriguntur: quia secundùm B. Augustinum, ad beatitudinem requiritur, quòd vnusquisque habeat quicquid vult, nec velit aliquid inordinatè. Sed quilibet recta voluntate vult cognoscere ea, quæ ad ipsos pertinent: & ideo Beati, quibus nulla rectitudo deest, volunt cognoscere ea, quæ ad ipsos pertinent, & cognoscunt. Sed orationes, quas ad eos dirigimus, eo ipso ad ipsos pertinent, tanquam ad mediatores inter nos & Deum. Ergo Beati orationes illas cognoscunt. Et cùm hoc non sit cognitione naturali, relinquitur, quòd sit cognitione reuelatoria, quæ pertinet ad beatitudinem accidentalem.

Albertus Patauinus. 1320.

Sermone 52. Quæritur quomodo Petrus cognouerit Mosen & Heliam, quos nunquam viderat? Respondeo, sicut lux ista solis facit, vt omnes colores sint cogniti: ita claritas glorioſæ transfigurationis deducit animum in congregationem omnium sensibilium. Vnde Petrus virtute lucis Christi cognouit Mosen & Heliam.

Guido Carmelita. 1330.

De VValdensibus cap. 16. Errant VValdenses dicentes, quòd Sancti in cælo non audiunt, nec attendunt orationes nostras, nec pro nobis orant. In quo hæretici vniuersalis Ecclesiæ statuta de orandis & petendis Sanctorum suffragijs destruunt contra veritatem. Nam legitur, quòd sanctus Angelus Raphaël Tobię orationes offerebat Deo. Igitur Tobiæ orationes sanctus Angelus audiebat. Et similiter sanctus Abraham audiuit orationem damnati diuitis, sepulti in inferno, deprecantis ne fratres sui venirent ad loca tormentorum, vt mitteret Lazarum qui eos instrueret, licet iniustè petens non fuerit exauditus, Lucæ 16. Longè magis ipse Sanctus, & alij Sancti in paradiso audiunt orationes Ecclesiæ, & præsentant Deo, ac orant pro nobis iustè petentibus, vt orationes nostræ exaudiantur.

Thomas Argentinensis. 1350.

Lib. 4. Sent. dist. 45. art. 4. Posito quòd Sanctorum animæ cognitione naturali non cognoscãt mentalem orationem: tamen possunt eam cognoscere cognitione supernaturali, prout huiusmodi oratio relucet in diuina essentia, in qua quilibet beatus clarè videt omnia ad suam beatitudinem spectantia, & quæ ad ipsum dirigũtur cognoscenda.

Franciscus Petrarcha. 1360.

In Pæane D. Virginis:

Virgo sancta pio Diuorum plena fauore,
Eximia cælum qua mansuetudine scandis,
Vnde meas audis voces Regina, precesq;.

Ioannes Bromiardus. 1380.

In Summa tomo 1. cap. 25. in Ascendere. Sicut cogitationem nostram nullum obstaculum vel spatium impedire potest: ita glorificatos, quin liberè possint esse vbicunq; voluerint sine impedimento: & cognoscere, & scire, & videre quæcumque volunt, & quæcumque circa nos aguntur, quantumcumq; simus in obscuris & occultis locis, sine absconsione clarè & apertè: quia vident speculum, id est, Deum, in quo relucent omnia.

Petrus Aliacus. 1410.

De oratione Dominica: Mortui ea, quæ in hoc mũdo aguntur, non cognoscunt naturaliter, & præcipuè interiores motus cordis; sed, vt dicit Gregorius 12. Moral. beatis in Verbo manifestatur illud, quod decet eos cognoscere de his, quæ circa nos aguntur. Maximè autem eorum excellẽtiam decet, vt cognoscant petitiones ad eos factas vel voce, vel corde. Et ideo Sanctos adhuc viuentes, vel in Purgatorio existentes non oramus: quia nondum fruuntur visione Verbi, vt possint cognoscere ea, quæ cogitamus, vel dicimus; sed beatis orationes nostras porrigimus.

Bernardinus Senensis. 1450.

Tom. 1. Serm. 63. de consubstantiali gloria Beatorũ ca. 2. Erit in beatis visus tãtæ perfectionis, quòd ab extrinseco nõ poterit corrumpi vel impediri. Nam sine obstaculo videbit cuncta corporalia. Primò videbit omnia intra, sicut extra, & cordis & corporis harmonias, atq; interiorum membrorum dispositionem: secundò videbit oculus subtus, sicut supra: tertiò videbit de longè, sicut de propè: quartò videbit minima, sicut magna: nam videbit atomum in Oriente, si ipse in Occidente maneret. Deinde auditus perficietur. Nam nullum obstaculum illum poterit impedire, vel conturbare. Audiet simul omnes voces, sonos, & cantus totius cælestis regni sine reuerberatione aëris: discernet in cantibus, & sonis, & vocibus vnum ab altero ita distinctè, quòd nullus sonus, aut vox ab altero poterit impediri. Audiet sine obstaculo omnes cantus, sonos, & voces, ita de longè, sicut de propè: quæ omnia nobis nunc sunt impossibilia.

Nicolaus Dorbellus. 1450.

In lib. 4. Sent. dist. 45. q. 4. Cognoscunt Sanctorum animæ supplicationes, quas eis porrigimus, in Verbo Dei, quod semper vident.

Nicolaus de Nise. 1470.

In Sent. Tract. 7. part. 1. part. 4. q. 3. Anima separata potest acquirere notitiam tam abstractiuã, quàm intuitiuam, non solùm sensibilium, sicut potest coniuncta, sed etiam quorumcunque intelligibilium proportionatorum, sibi proportionaliter præsentium. Proportionatum est autem sibi quodcumque intelligibile creatum. Ex quo sequitur, quòd potest cognoscere orationem siue vocalem, siue mentalem.

Gabriel Bielius. 1480.

In Canonem Missæ lect. 31. Quilibet Angelus, & eadem ratione quilibet Beatus, naturaliter potest distinctè & intuitiuè cognoscere cogitationes aliorum. Nec in hoc dependet à voluntate cogitantis. Vnde posita cogitatione vel affectione, non est in potestate cogitantis, vel volentis occultare eam alteri Angelo, vel Beato, quin ille possit ea distinctè cognoscere ex suis naturalibus, dummodò ad ipsum habeat debitam præsentiam, & non impediatur. Et ita ex suis naturalibus cognoscere potest Angelus, & Beatus orationes mentales orantis viatoris, stante debita præsentia, & & sublato impedimento. Nam cùm intellectus viatoris suos actus cognoscat, cur non intellectus Beati, qui est perfectior? Item omnis potentia cognitiua disposita, non impedita, & perfecta cognoscere potest naturaliter quicquid sub eius obiecto continetur. Sed cogitationes & affectiones continentur sub obiecto intellectus, quod est ens, in quantum ens. Ergo potest intelligi à quolibet intellectu sufficienter præsente, & non impedito. Item causæ naturales non subsunt imperio voluntatis creatæ, quin positis eis, eo modo, quo naturaliter agere sufficiunt, agant: sed cogitationes & volitiones cum intellectu præsente naturaliter causant sui cognitionem. Nec videtur quomodo Angelus, vel Beatus cognoscat essentiam animæ orantis, quæ est intimior: quàm accidentia inhærentia, scilicet cogitationes & affectiones. Item Beati cognoscunt omnes motus, & operationes corporales orantis. Ergo multo magis operationes purè spirituales, quales sunt cogitationes: quia tales sunt purum intelligibile & immateriale.

ARTICVLVS NONVS.

SANCTORVM ANIMAS PERMITTENTE DEO VIVENTIBVS ALIQVANDO APPARERE, ET IGNOTA QVÆDAM REVELARE.

NEGANT.

Anno post natũ Christum.

400. VIGILANTIVS Gallus: *In ſinu,* inquit, *Abrahæ conſederunt animæ ſanctorum Martyrum & Apoſtolorum, nec poſſunt ſuis tumulis, vbi voluerint, adeſſe præſentes.* Hieronymus contra Vigilantium cap.2.

1520. Lutherus in explicatione Euangelij de diuite & Lazaro: *Nullius vnquam anima ab orbe condito apparuit. Neque enim Deus illud admittit.*

De abroganda Miſſa priuata: *Dubium non eſt, quin totum ſit Satanæ negotiũ quicquid vſpiam eſt ſpirituum apparentium.*

1530. Huldaricus Zuinglius Reſponſione ad Valentinum comparem: *Quæ de apparitione animarum fabularis, vana ſunt & inania. Animæ enim corporibus exutæ, vel in cælis iam agunt, vel apud inferos. Quæ cælos inhabitant, nunquam deſcendunt: quæ in inferno detinentur, liberari non poſſunt.*

1550. Henricus Bullingerus Decadis 4. Serm.10. *Certiſſimum eſt, & Euangelica auctoritate confirmatum, ne beatas quidem animas nobis mitti à Deo, quæ nos aliquid doceant. Impios & condemnatos quis oro audiat?*

1570. *Ioannes Marpachius,* libro aduerſus Martinum Eiſengrinum de miraculis Sanctorum in Papatu, *apparitiones Sanctorum in Scripturis niſi à Chriſto & Angelis factas negat inueniri.*

ASSERVNT SACRÆ LITERÆ.

1. *Reg* 28. *v.*17. Samuel poſt obitum Sauli apparens, futura prædicit.

Eccleſiaſtici 46. 23. Poſt hoc dormiuit *Samuel,* & notum fecit Regi, & oſtendit illi finem vitæ ſuæ, & exaltauit vocem eius de terra in prophetia delere impietatem gentis.

2. *Machab.*15.12. Iudas Oniam vidit per ſomnium manus protendentem, orare pro omni populo Iudæorum. Poſt hoc apparuit & alius virætate & gloria mirabilis. Reſpondens verò Onias dixit: Hic eſt fratrum amator, & populi Iſrael: hic eſt qui multum orat pro populo & vniuerſa ſancta ciuitate, Ieremias Propheta Dei.

*Matth.*17.3. Apparuerunt illis Moyſes & Elias cum eo loquentes.

*Luc.*9.30. Et ecce duo viri loquebantur cum illo. Erant autem Moyſes & Elias, viſi in maieſtate: & dicebant exceſſum eius, quem completurus erat in Ieruſalem.

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Linus. 100.

De paſſione Pauli Apoſtoli: Dum hoc inuicem mirarentur, & ſecum quærerent, venit Paulus (*iam occiſus*) circa horam nonam ianuis clauſis, ſtetitq; ante Cæſarem, & ait: O Cęſar Nero, ecce ego Paulus regis æterni & inuicti miles, vel nunc crede miſer, quia non ſum mortuus, ſed viuo Deo meo. Et hæc dicẽs, repente diſparuit, &c. Longinus Megiſtus atque Aceſtus primo mane venientes ad ſepulchrum eius, viderunt duos viros orãtes, & in medio eorum ſtantem Paulum, &c.

Euſebius Cæſarienſis. 320.

Eccleſiaſticæ hiſtoriæ lib.6. cap.4. Baſilides cùm ſatellites ſocij ſui certa de cauſa iuſiurandũ ab ipſo exigerent, aſſeueranter affirmat ſibi omninò non licere iurare: Chriſtianum enim ſe eſſe, & hoc ſe propalam fateri. At illi primò eum etiamnũ iocari putabant: verùm vbi illud conſtanter aſſerit, abducitur ad iudicem: & coram illo intentionem confeſſus, in vincula conijcitur. Cùm fratres in Domino ad eum aduentarent, cauſamq; repentinę & admirabilis huius mutationis ſciſcitarẽtur, fertur reſpondiſſe: Potamiænam, triduo poſt martyrium noctu ei aſſiſtentem, coronam ipſius capiti impoſuiſſe, dixiſſeq;: ſe pro eo gratiam à Domino poſtulaſſe, poſtulatam obtinuiſſe, & Dominum nõ longo tempore poſt eum ad ſuam gloriam recepturum. Poſt illa, vbi fratres ſigillum in Domino ei impertiuerant, poſtero die ſecuri percuſſus, præclara martyrij corona donatus eſt. Alij item complures Alexandriæ, eiſdem temporibus, vtpote quibus Potamiœna ſecundùm quietem apparuiſſet, eosq; fuiſſet impenſe ad Dei verbum amplexandũ cohortata, frequentes ad Chriſti fidem acceſſiſſe commemorant.

Conſtantinus Imp. 330.

In edicto ad Sylueſtrum, & omnes eius ſucceſſores: Eadem tranſacta die, nocturno nobis facto ſilentio, dum ſomni tempus adueniſſet, adſunt Apoſtoli ſanctus Petrus & Paulus, dicẽtes mihi: Quoniam flagitijs poſuiſti terminum, & effuſionem ſanguinis innocentis horruiſti, miſſi ſumus à Chriſto Domino Deo noſtro, dare tibi ſanitatis recuperãdæ conſilium, &c.

Athanaſius. 340.

In vita S.Antonij: Alio tempore cùm ſederet in monte, vidit neſcio quam animam, lætantibus in in eius occurſum Angelis, ad cælum pergere: & ſtatim vox ad eum facta eſt, inquiens, iſtam eſſe Ammonis monachi animam, qui Nitriæ morabatur.

Baſilius Magnus. 370.

De Mamante: Memores eſtote Martyris quotquot illo per ſomnia potiti eſtis: quotquot in hoc loco conſtituti, adiutorem ipſum ad precandum habuiſtis.

Gregorius Nazianzenus. 380.

Oratione 3. quæ eſt prima inuectiua in Iulianum: Sanctis præclari honores & feſta cõſtituti ſunt, à quibus dæmones pelluntur, & morbi curantur; quorum ſunt apparitiones, & prædictiones; quorum vel ſola corpora idem poſſunt, quod animæ ſanctæ.

Oratione 10. quæ eſt in laudem Cæſarij: Tunc Cæſarium videbo non iam peregrinantem, nec qui iam ab alijs feratur, & lugeatur, ac miſerationi ſit; verùm clarum, illuſtrem, excelſum: qualis mihi ſępe in ſomnis viſus es, ô fratrum chariſſime, ſiue voluntate mea, ſiue ipſa veritate hoc informãte.

Nectarius Conſtantinopolitanus. 380.

De Theodoro Martyre cap.7. Pontifici & Paſtori Chriſtianorum, qui tunc erat, hoc impium Deus aperuit conſilium, mittẽs ad eum in ſomnis magnum Martyrem Theodorum, reuera Dei donũ, donatum ad ſalutem noſtrę fidei. Dei itaque Martyr accedit ad Patriarcham, reuera & non in ſomnis apparens: memini autem eorum, quæ dixit ad verbum. Sic enim dixit Principi paſtorum: Surge, & congrega gregem Chriſti, & omnes diligenter admone, ne quicquam emant ex cibo & potu, qui eſt in foro propoſitus. Impius enim Iulianus omnia polluit execrando ſanguine ſacrificij ſimulachrorum. Pontifex verò Sancto reſpõdit: Quomodo, ô Domine mi, poteſt hoc fieri? Nam hoc quidem poſſunt fortaſſe, qui ſunt diuites. Nam ſibi quidem prius habent repoſita, quæ ſunt neceſſaria. Pauperes autem ne habẽt quidem victum vnius diei. Quidnam ergo erit, quo poſſint ſolari inopiam rerum neceſſariarum? Martyr verò dixit: Præbens eis colybem ſolare neceſſitatem. Patriarcha autem dixit: Et quidnam hoc fuerit? Neſcio enim quod ſit hoc vocabulum. Martyr verò (ô ſolidam & acrẽ eius defenſionẽ!) reſpondit: Frumentum, inquit, coque, & eis in cibum diſtribue. Sermone enim Euchaitarum ſolemus hoc vocare colybem. Cùm ſic ergo feceris, conſerua Chriſti gregem illęſum & impollutum. Et quis tu es, Domine, dixit Patriarcha Martyri, qui tam benignè & miſericorditer noſtræ ſalutis curam geris? Ego ſum, inquit, Martyr Chriſti Theodorus, qui ab ipſo miſſus ſum ad veſtram ſalutem. Quid hoc admirabilius vnquam factum eſt à Propheta Iona, qui Niniuitis annuntiauit euerſionem ciuitatis, & ex eo eos induxit ad pœnitentiam? Hoc quidem certè eſt illo magis admirabile: quandoquidem illic quidem miſſus eſt, ſoſùm Propheta ſignificaturus euerſionem ciuitatis: Martyr autem Chriſti Theodorus ſignificauit futuram animarum euerſionem. Et ille quidẽ ſolùm ſignificauit, euertendam eſſe ciuitatẽ: Martyr verò & cauſam, & medicinam, ne tam multæ euerterentur animæ, neque ſimul perirent cum cultu ſimulachrorum, apertè nobis declarauit. Ion.3.

Gregorius Nyſſenus. 380.

De S.Gregorio Thaumaturgo cap.7. Petijt, vt ſibi fieret diuinitus manifeſtatio occultorum: neque prius auſus eſt accedere ad verbi prędicationem, quàm per quandam viſionem fuiſſet ſibi reuelãta veritas. Nam cùm noctu aliquandò de verbo fidei conſideraret, & omne genus cogitationes verſaret, ſæpe etiam intelligentibus dubiam reddentes veritatem, pro qua tunc ei vigilanti, & diligenter meditanti reuera apparet quidam, tamquam in figura humana, honeſta veſte pontificia indutus, forma ſenili, vultuq; dignitate & honeſtate habitus magnam virtutem præ ſe ferens. Is verò viſu ſtupefactus, ſurrexit quidem è cubili, rogauitq; vt ſciret quisnam eſſet, & quanam de cauſa veniret. Cùm ille autem voce quieta ſedaſſet eius animi perturbationem, & dixiſſet, ſe iuſſu diuino ei apparuiſſe propter ea, de quibus dubitabat, vt ei reuelaretur pię fidei veritas, illius verbis ei confirmatus eſt animus, illumq; aſpexit cũ quadam lætitia, & admiratione. Deinde cùm ille manum directò porrexiſſet, & ei tectis digitis veluti oſtenderet id, quod ex obliquo apparebat, ipſe quoque vnà cum porrecta illius manu ſuum quoque vultum conuertit, & ex aduerſo eius, quod viderat, aliud vidit ſpectaculum in muliebri figura, quæ formam ſuperabat hominis. Rurſus autem ſtupefactus, in ſeipſum inclinauit, dubioque ac omninò perplexo fuit animo propter ſpectaculum, vt qui oculis non ferret viſionem. Etenim in hoc maximè conſiſtebat admirabilitas viſionis, quòd cùm eſſet nox profunda, ſimul cũ ijs, quæ viſa fuerant, lux reſplendebat, tamquam cuiuſdam lucidi conflagrãtis thalami. Quoniam ergo non poterat oculis ferre viſionem, audiuit quendam dialogum eorum, qui à ſe viſi fuerant, explicantium inter ſe inuicẽ rationem eius, quod quærebatur: per quos non ſolùm didicit veram fidei cognitionem, ſed etiam nominatim cognouit eos, qui apparuerant, cùm vterq; ex his vocaret alterum ſuo nomine. Dicitur enim audiſſe ab ea, quæ in figura muliebri apparuerat, rogante Ioannem Euangeliſtam, vt manifeſtaret iuueni myſterium veritatis: illum autem dixiſſe, ſe paratum eſſe Matri Domini in hoc quoque gratificari, quoniam ei ita placeat. Et ita cùm dixiſſet breuẽ, & quæ facilè deſcribi poterat, orationem, ſe ab eius ſubduxiſſe oculis: eum autem diuinam illam myſtagogiam protinus mandaſſe literis, & illo tempore prædicaſſe verbum in Eccleſia.

Lucianus Presbyter Hieroſol. 410.

De reuelatione B.Stephani: Tertio Nonas Decembres, cõſulatu Honorij decies, & Theodoſij ſexies Auguſtorum, adueniente nocte, dormiente me in cubili meo, in loco ſancto baptiſterij, in quo cõſuetudo mihi erat dormire, & cuſtodire Eccleſiaſtica, quæ erant in miniſterio, hora tertia noctis, quæ eſt prima cuſtodia vigiliarum, quaſi in ecſtaſi effectus ſemivigilans, vidi virum ſenem, longũ, hieroprepem, hoc eſt, dignum ſacerdotem, canũ, barbam prolixam habentem, palliatũ alba ſtola, cui

cui inerant gemmulæ aureæ, habentes intrinsecus sanctæ crucis signum. Et virgam auream in manu tenens, venit, & stetit ad dextrã meam, & aurea virga pulsauit me, ter vocans me nomine meo, dicens: Luciane, Luciane, Luciane: & dixit mihi Græco sermone: Vade in ciuitatem, quæ dicitur AElia, quæ est Hierusalem, & dic sancto Ioanni, qui est in ea Episcopus: Quamdiu clausi sumus, & nõ aperis nobis? & maximè, quia temporibus tui sacerdotij oportet nos reuelari? Aperi nobis festinanter monumentum, vbi in negligentia positæ sunt Reliquiæ nostræ, vt per nos aperiat Deus & Christus eius & Spiritus sanctus ostium clementiæ suæ in hoc mundo, &c. Et respondi ei, dicens: Quis enim es tu domine, & hi, qui tecum sunt? Respondit mihi: Ego sum Gamaliel, qui Paulum Apostolum Christi nutriui, & legem docui in Hierusalem, & qui mecum in Orientali parte monumenti iacet, ipse est dominus Stephanus, qui lapidatus est à Iudæis & principibus sacerdotum in Hierusalem pro Christi fide foris portam, quæ est ad Aquilonem, quæ ducit ad Cedar, &c.

Nilus Abbas. 420.

Citatur Act. 4. Synodi Nicænæ 2.

Epist. ad Heliodorum Silentiarium: Cùm barbaricæ quædam nationes in prefatum montem eruptionem facerent, eos, qui in procinctu erant, simulq; Galatæ senis filium captiuos traxerunt, &c. Abscondens autem se in abdita quadam montis spelunca bonus senex, luctu mœroreq;, quòd optimo filio orbatus esset, macerabatur: Dominumq; nostrum Christum per intercessionem Platonis patrij Martyris ad commiserationem solicitabat; idem quoque filius in vinculis per eiusdem Martyris patrocinium tentabat, vt sui misertus Dominus, miraculum aliquod exhiberet. Vtrorũq; autem preces cùm essent exauditæ, patris videlicet in spem mortis latentis, filijq; in captiuitate detenti, ecce confestim Martyr noster Plato ipse eques, equumq; alium trahens, filio vigilanti cognoscentiq; ex pictura sæpe visa effigiem Martyris apparuit, iussitq; vt ex media turba exurgens equum ascenderet. Vix dixerat hæc, cùm vincula aranearum telis fragiliora visa sunt, ipseq; solus per diuinum nutum admonitus liberatusq; equũ ascendens, gaudens, confidensq;, diuinum Martyrem ducem suum secutus est. Compendio autem & admodum velociter vterq;, tum Sanctus ipse, tum adolescens monachus, veluti alati, ad senis mansionem perueniunt iacentis adhuc in terra, & filij cladem deflentis. Sanum autem patri ex animo dolenti præclarus victor Martyrq; filium dilectum postquam obtulisset, nusquam amplius visus est.

Sozomenus. 430.

Lib. 7. cap. 28. Atqui non hæc sola religionem cohonestabant, verùm etiam Abacuc, & post eum non longo interuallo Michæas, inter Prophetas primi, circa hoc tempus apparuerunt. Amborum autem corpora (vt intellexi) per diuinam in somnis visionem indicata sunt Sebenno, tunc temporis Eleutheropolis Episcopo, &c.

Lib. 9. cap. 2. Erat Imperatrix Pulcheria, soror Imperatoris: Huic enim cùm tertiò apparuisset admirandus ille Thyrsus, eos, qui sub terra absconditi latebant, indicauit, & ad se trãsferri iussit, vt & eiusdem loci, & eiusdem quoque honoris secum participes essent: simul & ipsi quoque quadraginta Martyres, militaribus vestimentis candidis induti, semetipsos illi cõspicuos fecerunt.

Cap. 17. Cophar villa est in territorio Eleutheropolis Palæstinæ. Huic præfectus erat, agri ipsius conseruus Calemerus quidam, domino quidem suo fidelis, sed morosus interim ac difficilis, & in conterminos agricolas iniquus. Quamuis autem talis esset, Propheta tamen (*Zacharias*) ei vigilanti clara luce apparens seipsum reuelauit, & horto quodam demonstrato: Age, quæso, inquit, hîc fodito, ab hac sepi in hortum mensura ducta ad cubitos duos, iuxta viam, quæ ducit ad ciuitatem Bethrerebin: reperies enim arcam duplicatam, ligneam interiorẽ, in exteriori plumbea, & propter hãc arcam vitreum item vas aquis plenum, & duos etiam serpentes amplitudine mediocres, mites, & innoxios, adeò vt mansueti videri possint. Calemerus igitur ad locum indicatum ex Prophetæ mandato profectus, operi gnauiter incumbit, & cùm secundùm prædicta signa iam in apertum producta, & recluſa esset arca sacra, apparuit diuinus Propheta candidam stolam indutus, vtpote qui (vt opinor) etiam sacerdos fuerit: sub pedibus autem eius extra arcam iacebat puer regali apparatu sepultus, &c. Propheta verò, tametsi seculis iam plurimis sub terra iacuisset, viuus tamen adhuc apparebat: capite raso, naso oblongo, barba modicè prominenti, capite breuiusculo: oculos habens aliquantulum profundos, ac supercilijs contectos.

Socrates. 440.

Lib. 1. cap. 8. Filiam habebat Spiridion virginem paterna pietate & sanctimonia præditam, cui nomen erat Irene: apud quam familiaris quidam & necessarius ornamentum valde pretiosum deponit. Illa depositum quò magis in tuto collocaret, in terram abdidit: paulò post excedit è vita. Postea autem venit qui illud deposuerat: & cùm virginem mortuam offenderet, patrem illius cœpit eo implicare negotio: atq; interdum eum insimulat, nonnunquam precibus causam agit. Senex, quoniam damnum illius, qui hoc deposuerat, suum ipsius damnum dicebat, ad filiæ sepulchrum se confert: Deum obtestatur, vt resurrectionem promissam iam ipsi ante tempus ostendat. Quæ quidem spes illum neutiquam frustrata est. nam virgo reuiuiscit, inq; patris conspectum venit: quæ simulac locũ indicasset, vbi ornamentum illud erat occultatum, rursus è vita migrauit. Ista cùm à multis Cyprijs ipse auribus accepi, tum in quodam libro Ruffini presbyteri Latino sermone conscripto legi.

Theodoretus. 450.

Eccles. hist. lib. 5. cap. 6. Duci autem optimo Theodosio, interim apud Gratianum cõmoranti, diuina quædam visio ab ipso omnium rectore Deo obiecta est. Videbatur enim videre, diuinum Meletium Ecclesiæ Antiochenæ Præsulem, lænam sibi imperatoriam injcere, & coronam illi honori conuenientem capiti imponere. Quæ cùm noctu secundùm quietem vidisset, prima luce cuidam ex familiaribus indicauit. Ille somniũ manifestũ esse, & nihil obscuri ambiguiue in se complecti dixit.

Cap. 24. Theodosius Imp. totam noctem huius vniuersitatis gubernatorem precibus solicitauit. Sub tempus autem noctis, quo galli cantare solent, somnus eum oppressit. Qui humi stratus, videre sibi visus est duos viros, candido vestitu amictos, equis albis vehi: qui ipsum bono animo esse, timorem abijcere, prima luce arma capere, & exercitum in aciem educere iubent. nam se auxiliares, & velut antesignanos ad eum missos esse: & alterum esse Ioannem Euangelistam, Philippum Apostolum alterum. Hac oblata visione, Imperator preces fundere non desistit, sed attentiore cogitatione eas Deo adhibet. Eadem quoque visio militi secundùm quietem apparuit, qui Præfecto suo eam narrauit: Ille eum deducit ad tribunum

militũm, tribunus autem ad ducem: dux nouialiquid inde portẽdi ratus, Imperatori significat. Tum Imperator: Nõ mea, inquit, causa hæc oblata est visio (ipse nãque illis, qui victoriam promiserant, fidem habui) sed ne quispiam existimaret, me, vtpote prælij faciendi cupidum, eam cõfinxisse. Huic igitur militi Deus, mei imperij propugnator, hãc obtulit visionem, vt mihi eandem narranti certum testimonium daret. Nam mihi primùm communis omnium Dominus illam ostenderat. Quare omni metu prorsus amoto, antesignanos nostros, & principes belli gerendi sequamur: atque nemo bellantium multitudine metiatur victoriam, sed eorum potentiam, qui se duces nobis præbent, quisque consideret. Hac oratione militum animis valdè confirmatis, omnes de monte deducit, &c. Cùm tela vtrinque conijci cœpta sunt, tum antesignani Imperatoris verè promissa præstitêre. Nam ventus violentus è regione hostibus irruens, illorum sagittas, iacula spiculaq; in ipsos retorquet, adeò vt nullum teli genus eis adiumento fuerit: neque miles grauis armaturæ, neque sagittarius, neque iaculator Imperatoris exercitum lædere potuerit. Quin etiam tanta pulueris copia in eorum facies impetu ferebatur, vt palpebras occludere, & pupillas oculorum pulueris vi grauiter oppugnatas tegere ac tueri eos coëgerit. Imperatoris autem exercitus, nullo damno incommodoue ex illo turbine accepto, fidentibus animis hostes trucidant.

Theodorus Lector. 520.

Lib. 2. Anastasius Imperator condidit Leucas, & cùm condidisset, vidit in somnis Bartholomæum Apostolum dicentem, subuertisse ipsum ciuitatis custodiam, quòd Reliquias suas illò missas reprobasset.

Cyrillus Eremita. 540.

In vita S. Euthymij: Sequenti nocte eis paratis ad iter, apparet beato Eliæ magnus ille Euthymius, Quid hoc sibi vult, rogans, quòd hodie iumenta congregetis? Cùm is verò respondisset, Vt aquam afferamus ex Pharis: propterea quòd ea nunc nobis omnino defecerit, increpauit illum, dicens: O vos modicæ fidei, quanam de causa Deum non rogauistis? Num is, qui ex prærupta petra inobedientem potauit populum, & aquam ex asini maxilla Samsoni aliquando fecit scaturire, non poterit vobis quoque ad vsum suppeditare, si solùm cum fide offeratis petitionem? Deinde eis etiam prohibuit iter ad Pharas, vt minimè necessariũ. Aqua enim vobis implebuntur vel maximæ cisternæ, si ne tres quidẽ horas expectaueritis. Cùm ad hanc visionem è somno excitatus fuisset beatus Elias, & statim eam Pheido & reliquis annuntiasset, iumenta quidem à proposito soluit ministerio: cùm nox autem iam transisset, & sol quantam videt terram suis illustraret radijs, nubes nescio vnde aërem, qui erat super cœnobiũ, repente complexa, protinus erupit in pluuiam. Et omnia quidem circum circa simile adhuc puniebat flagellum siccitatis: ij autem soli, qui erant in cœnobio, præter opinionem aquam erant adepti, perinde ac si aliquis pluuiam circumscripsisset, & rursus vlterius non fineret progredi. Postquam autem & cisternæ fuerunt aqua plenę, & non erat amplius opus imbribus, qui è cælo descendunt: dissipata est statim nubes, & vehemens imbrium procella rursus reducta fuit ad serenitatem.

In vita Ioannis Silentiarij cap. 13. Sanctus Sabas eodem anno in pace dormijt. Tũc magnum animo accepit dolorem hic Ioannes, quòd non adfuisset consummationi sancti Abbatis. Ei autẽ, cùm esset adeo anxius animo, & se esse patre priuatum lugeret, in somnis apparet pater noster Sabas, dicens: Ne sis de meo decessu tristis, ô pater Ioannes. Nam etsi sim à te carne separatus, sum tamen tecum spiritu. Eo autem respondente: Roga Dominum, vt me quoq; assumat, dicit beatus Sabas: Hoc nunc non potest fieri. Grauis enim tentatio est inuasura Lauram. Deus autem vult te esse in carne, ad eos consolandos & confirmandos, qui se pro fide fortiter gerunt & decertant.

Procopius Cæsareensis. 550.

Lib. 1. de bello Vandalico cap. 20. Aphris maximo dolore perculsis ac animi pendentibus dicunt Cyprianum in somnis apparuisse, ac bono esse animo Christianos huius rei gratia iussisse, sese breui tempore vltorem futurum pollicendo.

De ædificijs Iustiniani orat. 1. Apostoli beneficiorum memores ad Regis honorem nũc hominibus apparuerunt, Regis inquam pij & religiosi. Neque enim ab humanis negotijs recedunt diuina, sed admisceri percupiunt, & hominum conuersatione oblectantur, &c. Vbi Iustinianum grauiter ægrotantem, & iam morituri speciem præbentem, nempe à medicis desperatum, & inter cadauera iacentem, isti Diui (*Cosmas & Damianus*) per somnũ & visum curauerunt.

Euagrius. 590.

Lib. 2. cap. 3. de S. Euphemia: Miracula autem, quæ ab ista sanctissima Martyre quibusdam temporibus eduntur, nemini Christiano obscura sunt. Nam sæpenumerò aut Episcopis, qui ordine illius vrbis Ecclesiam rexerant, secundùm quietem ipsa Martyr apparens, aut alijs quibusdam ob pia vitæ rationem nobilitatis accedens, iubet, vt in ipso templo festum delicijs & opiparis epulis celebrent.

Lib. 3. cap. 8. Zeno per visionem, vt fertur, conspicatus sanctam, strenuam, & eximiam Martyrem Theclam, non ipsum solum impellentem, verùm etiam Imperij pollicentem restitutionem, versus Constantinopolim exercitum ducit.

Ioannes Moschus. 600.

In Prato spirituali cap. 3. Cùm ea cogitatione pulsabatur, assistebat ei sanctus Ioannes Baptista, dicens: Tolera, & perseuera, & ego te ab hoc bello liberabo.

Cap. 175. Mulier quædam vacabat in templo Dominæ nostræ sanctæ Dei Genitricis, orans eam & deprecans, & cum lachrymis dicens: Vindica me de Zenone Imperatore. Cùm ergo multis diebus hoc faceret, apparuit ei sancta Dei Genitrix, dicens: Crede mihi, mulier, vltionem tuam sæpe facere volui, sed manus eius prohibet me. Erat enim valde misericors, & eleemosynas faciens.

Georgius Presbyter. 620.

In vita Theodori Archimandritæ: Mater verberatũ filium ad lectuli spondam alligauit, nec cibum illi dedit. Verùm nocte illa sanctus Dei Martyr Georgius gladio accinctus fœminis apparuit, strictoq; gladio, irruit aduersum illas minabundus, &: Abscindam, inquit, vobis capita, quia puerum cæditis, & ad me ire prohibetis. Iurantibus autem illis, se id amplius non effecturas, remisit minas, atque discessit.

Leontius Cyprius. 620.

In vita Simeonis Sali c. 32. Quando inflammationẽ bellumq; sensit, in solitudine Dei orauit, vt dicebat, & magnũ Niconem, vt maguo fornicationis bello eum leuarer. Semel verò vidit egregium illum virum, ad se venientẽ, & dicẽtem, quomodo te habes, frater? Dixi autem ei, inquit, malè, nisi tu succurreris. Caro enim mea lasciuit, nescio

quare. Subridés ergo, inquit, admirabilis ille Nicon, sustulit aquam ex sancto Iordane, & iecit subter vmbilicum, cùm venerandæ eum crucis figura signâsset, & dixit ei: Ecce sanus factus es. Ab eo ergo tempore (vt iurabat) nec dormiens, nec vigilans sensit inflammationem corporis.

Ioannes Damascenus. 730.

Historiæ Barlaam & Ioasphat cap. 40. Hac oratione perfunctus iuxta sepulchrum flens consedit, ac sedens obdormiuit. Atque formidandos illos viros, quos prius conspexerat, ad se venientes, secp ad maximum illum & admirandum campum ducentes, intueri sibi visus est. Cùm autem ipse portam egrederetur, alij ipsi obuiam fuerunt, ingenti lumine perfusi, coronasq eiusmodi pulchritudine collucentes, quæ nulla oratione exprimi possit, manibus tenentes. Percontante autem Ioasphat, cuiusnam essent splendidissimæ illæ coronæ, quas perspiceret: Tua quidem vna est, (respondérũt illi,) tibi ob multas eas animas, quibus salutem attulisti, confecta, &c.

Oratione de fidelibus defunctis: Rursus, alij cuipiam è diuinis Patribus, cuius discipulus quidam negligenter vitam instituebat, tandemq in ea incuria extremum vitæ spiritum ediderat, ille singulari misericordia atque erga animas beneuolentia præditus Dominus, senis lachrymis precibusq commotus, eum instar diuitis illius, de quo
Luc. 16. in Lazari historia mentio fit, ad collum vsq deflagrantem ei ostendit. Ac deinde, cùm senex permultis sese laboribus afflixisset, Deumq cum lachrymis obsecrasset, ad zonam vsque rursus demonstrauit. Posteaq item, cùm vir sanctus labores laboribus adiunxisset, liberum prorsus eum, atque ab ignis ardore vindicatum per visum seni ostendit.

Elias Cretensis. 780.

In Orationem 3. Nazianzeni: Sancti Martyres dæmones eijciunt, omnisq generis morbis medentur, ac soluti corporibus quibusdam tamquam adhuc in corpore versantes apparent, ac multa ipsis, ad eorum custodiam & præsidium futura prædicunt.

Synodus Nicæna Secunda. 790.

Actione 4. Lecta est epistola Nili ad Heliodorum de Platone Martyre, qui apparens ex imagine agnoscebatur. Sancta synodus dixit: Demonstratum est, quomodo per præcognitam imaginem Martyris ipsum adeo Martyrem præsentem cognouit, cùm liberaretur. Theodorus Myrorum Episcopus dixit: Ego quoque non multum dissimilia passus sum. Nam cùm aliquando ab aulicis quibusdam iniuria essem affectus, venit ad me Diaconus meus vir pius, ac timens Deum, retulitq in somnis sibi esse visum Metropolitanum nostrum, pollicentem negotijs meis expectatum finem, & successum. Ibi mihi inquirenti qua effigie visus sibi esset Patriarcha, respondit: Facie rubicunda, & capite cano. Inquam non esse eam Patriarchæ similitudinem, sed D. Nicolai imaginem. Respondit tum is mihi, me rectè dixisse: Sic enim circumfertur illius imago passim expressa. Mox itaque confisus sermonibus, in sacram & regiam vrbem profectus, res, quæ ad Episcopatum meum pertinebant, ex animi sententia cõposui.

Ignatius Nicænus. 820.

De S. Tarasio: Leo adhuc imperatoriæ gloriæ sceptra administrãs, & Iconomachorum hæresin nefariè amplectens, cùm ei appropinquaret vitæ finis, quo erat gladio feriendus, vt ipse adhuc superstes sua voce declarauit, vidit beatum Tarasium in somnis ad eum accedere, & cum graui ira iubere cuidam Michaeli nomine, vt ensem in eũ adigeret. Ille verò iussui morem gerens, gladio transegit Imperatorem, &c.

Nicephorus Philosophus. 830.

In encomio Antonij Patriarchæ: Cùm hæc & plura alia deflendo diceret muliercula, & acerbis perfunderetur lachrymis, molestiaq & doloribus ei vires defecissent, somno opprimitur, & dulci somnio videt accedentem Patriarcham, manu signum crucis in eius fractura effingentem, & dicentem: Iam es curata, & citra impedimentum tibi licet ingredi: & euanuisse protinus ab oculis: somnium autem fuit res ipsa, & quæ fuit in somnis visio, est veritas. Nam cùm à somno esset experrecta, etsi dolores ei nullam amplius afferrent molestiam, rei tam admirabili, & tam præter opinionẽ nõ poterat credere mulier, sed putabat se adhuc ali somnio. Sed cùm perfectius excitata, sustulisset dubitationẽ, læta exiluit, gratias agentibus vocibus narrans miraculum, & salutem sibi datam publicè celebrans.

Constantinus Tius. 850.

Oratione de inuentione Reliquiarum S. Euphemiæ ca. 6. In illa insula S. Glyceriæ iacebant Reliquiæ. Dicta autem nocte visa est egredi ex insula Martyr Christi Glyceria, & hæc è naui exijsse, & se inuicem esse complexæ. Et cùm dixisset, quæ ex insula erat egressa, ei, quæ è naui exierat: Salue Martyr Christi Euphemia benedicta, & sese inuicẽ salutassent, rursus per se recedebant.

Leo Imp. Philosophus. 880.

Oratione encomiastica in Ioan. Chrysostomum: Adhuc autem antequam perueniret Sanctus in loci solitudinem, ab eo rursus videntur, sicut Antiochię, diuini Apostoli. Quid dicentes? diuinã gratiam afferentes, cõfirmantes, & corroborantes, vngentes, & laudantes eum propter puritatem conscientiæ; postremò annuntiantes eius ad Deum excessum, foreq vt ad eorum peruenire honorem & gloriam.

Simeon Metaphrastes. 950.

In vita Ioannis Chrysostomi: Cùm esset in itinere, & ad hoc vltimum duceretur exilium, paucis ante diebus nocte precanti Petrus ille magnus, & Ioannes, quos etiam viderat in principio vitæ ex Deo agendæ, rursus ei apparent, & libenter eum alloquuntur, recreantes à laboribus, & victoriã aduersus dæmones suauissimè annuntiantes. Deinde cùm ei gratum excessum prędixissent, & quę eum quidem bona mox essent exceptura, mala autem Eudociam persecutricem eius, comede, dicunt, quendam ei cibum ostendentes, quem cùm comederis, non erit tibi opus alio, donec eum sumes nobiscum, in quem non cadit interitus.

In Martyrio Agathæ virginis: Ea egressa custodiam circa mediam noctem, in senis similitudine apparuit ei Apostolus Petrus, quem puer præcedebat, habens medicamenta, &c.

Suidas. 970.

In Nicolao: Nicolaus acerrimus Christianorũ æmulator, & sacerdos Deo familiarissimus, nihil quidem scripsit, sed in somnis Imperatori Constantino apparuit, tres duces, à quibus inuocatus fuerat, ob calumniatorem capitis damnatos liberauit.

Ioannes Zonaras. 1100.

Tomo 3. Annalium de Constantino Imp. His peractis nocte ei astare visi sunt duo viri, qui se Petrum & Paulum esse Christi Apostolos profitentes diceret, si & corporis & animæ sanitatem consequi vellet, Siluestrum Episcopum esse accersendum, qui &

qui & luem corporis depulsurus esset, & vitã interitus expertem communicaturus.

Georgius Cedrenus. 1110.

In Theodosio: Theodosius bellum gerens contra Eugenium tyrannum, in oratorium cùm venisset, in pauimentum se prostrauit, ac lachrymans Dei opem popposcit. Inde cùm præ animi ægritudine paululum obdormisset, vidit in somnis duos quosdam albis equis insidentes, à quibus iubetur æquo animo esse, & exercitum ad pugnam excitare. Eorum alter se Ioannem, alter Philippũ Apostolos nominabant.

In Leone Isaurico: Eodem anno Amor cum quindecim millibus leuis armaturæ militibus excursionem faciens, Nicæam Bithyniæ obsidet. Verùm hi diu vrbe oppugnata, murorumq partibus deiectis, apparitione sanctorum, qui ibi coluntur, Patrum deterriti, re infecta turpiter discesserunt. Cùm quidem Constantinus Artabasdi stator, imaginem Deiparæ stantem cernens, correpto lapide petijt, deiectamq cõculcauit: cui Domina per visionem assistit, obnuntiauitq præclari huius in ipsam facinoris suo eum capite pœnas daturum. Postridie itaque Saracenis murum oppugnantibus, & certamine cõmisso, miser in murum accurrens, tormenti lapide caput, faciemqúe contritus, dignam suæ impietatis mercedem tulit.

Michael Glycas. 1120.

Part. 4. Annaliũ: In Philonis Philosophi Ecclesiastica historia reperitur, quodam persecutionum priscarum tempore seniori Ecclesiastico ab Antistite sacris interdictum fuisse. Cùm autem senior ille quãdam ob causam necessariam aliquò profectus esset, accidit vt ab Ethnicis comprehensus, testimonio suo veritatem obsignaret. Hinc templum eo loco conditur, & renoualia peraguntur: cumq Antistes hæc verba pronuntiaret: Pax vniuersis; sandapila templo excessit, idq non semel, sed bis terve factum. Hinc per quietem Antistiti senior oblatus: Abito, inquit, & Episcopo meo sis auctor, vt huc veniat, meq vinculis exoluat. Nã officio me sacro exclusit, ideoq sacris interesse vobiscum nequeo: Martyrij quidem coronam cõsecutus sum, sed Dei faciem nondum conspexi: quòd si me ipse profectus huc non exoluerit, alius exoluere nemo poterit. Cùm igitur his obtemperatum esset, sandapila templo excedere desijt. Atq hanc ob causam cuncti Deo gloriam tribuebant, qui seruis suis huiusmodi potestatem concessisset.

Nicephorus Callistus. 1300.

Lib. 6. cap. 17. De Gregorio Neocæsariensi: Huic Dei mater apparens, per Ioannem Euangelistam, professionem fidei nostræ, quantum ad Theologiam, & diuinitatis rationem pertinet scriptam exhibuit.

Lib. 13. cap. 37. Oppidum est illud Pityus grauis solitudinis, ad finem Pontici maris, sæuissimis barbaris cõterminũ: eò cùm adduceretur, & iam ad Deum migraturus esset, noctu ei oranti, qui vitæ eius duces fuerant, & Petrus & Ioannes assistentes, perquàm amicè cum eo sunt collocuti.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Ambrosius. 370.

Sermone 90. de sancta Agnete: Dum parentes beatæ Agnetis assiduis pernoctationibus vigilarent ad tumulum eius, vident in medio noctis silẽtio exercitum virginum, quæ omnes auro textis cycladibus indutæ, cum ingenti lumine præteribant. Inter quas vident beatissimam Agnetem simili veste fulgentem, & ad dextram eius Agnum niue candidiorem. Hæc itaq cùm viderent parentes eius, & qui simul erant, stuporem mentis incurrunt: sed beata Agnes rogat sanctas virgines parumper gradum figere, & stans parentibus suis dixit: Videte ne me quasi mortuam lugeatis, sed cõgaudete mihi, & congratulamini: quia cum his omnibus lucidas sedes accepi, & illi sum iuncta in cælis, quem in terris posita tota animi intentione dilexi. Et his dictis pertransijt. Hæc visio publicè ab omnibus, qui viderant, quotidie vulgabatur: vnde factum est, vt post aliquot annos ad Constantiam Constantini filiam hoc factum ab his, qui viderant, narraretur. Erat enim ipsa Cõstantia regina virgo prudẽtissima, sed ita obsessa vulneribus, vt à capite vsque ad pedes nulla membrorum pars libera remansisset. Accepto autem consilio, spe recuperandæ salutis venit ad tumulum Martyris nocte, & licet pagana, tamen credula animi intentione preces fideliter fundebat. Quod dum faceret, repentina somni suauitate corripitur, & vidit per visum beatissimam Agnetem talia sibi monita præferentem: Constanter age Constantia, & crede Dominum Iesum Christum Filium Dei esse Saluatorem tuũ, per quem modò consequeris omnium vulnerum, quæ in corpore tuo pateris, sanitatem. Ad hanc vocem Constantia euigilat sana, & sic sana, vt 'nec signũ in eius membris alicuius vulneris remaneret.

Sermone de Geruasio & Protasio: In diebus transactæ nuper Quadragesimæ, cùm Dominus mihi donasset, vt ieiunantium & orantium me faceret esse participem, in oratione posito ita mihi somnus obrepsit, vt nec vigilans apertè, nec dormiens integrè, viderem apertis oculis mecum duos iuuenes ephebos, vestibus candidissimis, id est, collobio & pallio indutos, caligulis calceatos, manibus extensis orantes. Nullam quidem grauedinem patiens, loqui cum eis non poteram; sed pars in me somni incumbebat, qui me ad eorum interrogationem verbum proferre non fineret: plenè autem euigilanti visio eorum ab oculis elapsa est. Vnde factum est, vt rogarem Domini misericordiam, vt si ludificatio dæmonum esset, abscederet: si verò veritas esset, plenius appareret. Ad impetrandum verò quod poscebam à Domino, augmentaui ieiunium, similiq modo, canente gallo, orantes mecum iuuenes apparuerũt. Tertia verò nocte defecto ieiunijs corpore, non dormienti, sed stupenti, cum quadam mihi tertia apparuẽre persona, quæ similis esset beato Paulo, cuius vultum me pictura docuerat, vt tãtum ipse mecum illis latentibus loqueretur, dicens: Isti sunt, qui propter monita mea respuentes prędia, & diuitias, secuti sunt Domini nostri Iesu Christi vestigia, nihil terrenum, nihilq carnale concupiscentes, in media hac Mediolanensi vrbe per decem annos in Dei seruitio perdurârunt.

Prudentius. 380.

Hymno 6. de Fructuoso, Augurio, & Eulogio Martyribus:

Sed ne Reliquias resuscitandas,
Et mox cum Domino simul futuras,
Discretis loca diuidant sepulchris:
Cernuntur niueis stolis amicti,
Mandant restitui, cauoq claudi
Mixtim marmore pulueremq sacrandum.

Hieronymus. 390.

Apoc.6. *Aduersus Vigilantium ca.2.* Ais vel in sinu Abrahæ, vel in loco refrigerij animas Apostolorum & Martyrum consedisse, nec posse suis tumulis, & vbi voluerint, adesse præsentes. Senatoriæ videlicet dignitatis sunt, vt non inter homicidas teterrimo carcere, sed in libera honestaq; custodia in fortunatorum insulis, & in campis Elysijs recludantur. Tu Deo leges pones? tu Apostolis vincula injicies, vt vsque ad diem iudicij teneantur custodia, nec sint cum Domino suo? de quibus

Apo.14. scriptum est: *Sequuntur Agnum, quocunque vadit.* Si Agnus vbique est: ergo & hi, qui cum Agno sunt, vbique esse credendi sunt. Et cùm diabolus, & dæmones toto vagentur orbe, & celeritate nimia vbique præsentes sint: Martyres post sanguinis sui effusionem arca operientur inclusi, & inde exire non poterunt?

Augustinus. 400.

De cura pro mortuis agenda cap.15. Mitti ad viuos

2.Cor.12 aliquos ex mortuis, sicut è contrario quòd Paulus ex viuis in paradisum raptus est, diuina Scriptura testatur. Nam Samuel Propheta defunctus

1.Reg.28. viuo Sauli etiam regi futura prædixit: quamuis nonnulli non ipsum fuisse, qui potuisset magicis artibus euocari, sed aliquem spiritum, tam malis operibus congruentem, illius existiment similitudinem figurasse, cùm liber Ecclesiasticus, quem

Eccl.46. Iesus filius Syrach scripsisse traditur, & propter eloquij nonnullam similitudinem Salomonis pronuntiatur, contineat in laude Patrum, quòd Samuel etiam mortuus prophetauerit. Sed si huic libro ex Hebræorum, (quia in eo non est Canone) contradicitur, quid de Mose dicturi sumus,

Deut.34. Matt.17. qui certè & in Deuteronomio mortuus, & in Euãgelio cum Helia, qui mortuus non est, legitur apparuisse viuentibus?

Capite decimosexto: Hinc & illa soluitur quæstio, quonam modo Martyres ipsis beneficijs, quę dantur orantibus, indicant se interesse rebus humanis, si nesciunt mortui quid agant viui. Non enim solis beneficiorum effectibus, verùm etiam ipsis hominum aspectibus Confessorem apparuisse Felicem ciuibus vel inquilinis piè à se dilectis, cùm à Barbaris Nola oppugnaretur, audiuimus, non incertis rumoribus, sed testibus certis. Verùm ista diuinitus exhibentur, longè aliter quàm sese habet vsitatus ordo, singulis creaturarum generibus attributus. Non enim quia in vi-

Ioan.2. num aqua, cùm voluit Dominus, repente conuersa est, ideo non debemus, quid aqua valeat, in elementorum ordine proprio, ab istius diuini operis raritate, vel potius singularitate discernere.

Ioan.11. Nec quoniam Lazarus resurrexit, ideo mortuus omnis quando vult surgit, aut eo modo exanimis à viuente, quomodo à vigilante dormiens excitatur. Alij itaque sunt humanarum limites rerum, alia diuinarum signa virtutum: alia sunt, quæ naturaliter; alia, quæ mirabiliter fiunt: quamuis & naturæ Deus adsit, vt fit, & miraculis natura non desit. Non igitur ideo putandum est, viuorum rebus quoslibet interesse posse defunctos quoniam quibusdam sanandis, vel adiuuandis Martyres adsunt; sed ideo potius intelligendum est, quòd per diuinam potentiam Martyres viuorum rebus intersunt, quoniam defuncti per naturam propriam viuorum rebus interesse non possunt.

Paulinus Nolanus. 410.

Natali 8. de sancto Felice:

——Cumulant Felicis amorem,
Quem prope corporeo præsentem vidimus actu
Obiectare manus flammis, & nostra tueri
Limina iuncta suis: quæ tamquam territa sancti
Obstantis facie propè tangens flamma pauebat,
Pulsaq; de nostri rapiendo culmine tecti,
Cominus in tuguri vicina strage peraysit.

Seuerus Sulpitius. 410.

Dialogo 2.c.14. Cæterùm id quod dicturus sum, Posthumiane, hoc te (me autem intuebatur) teste rectè perhibeo. Quodam die ego & iste Sulpitius pro foribus illius excubantes, iam per aliquot horas cum silentio sedebamus, ingenti horrore & tremore, ac si ante Angeli tabernaculum mandatas excubias duceremus: cùm quidem clauso suæ cellulę ostio, nos ibi esse nesciret. Interim colloquentium murmur audiuimus, & mox horrore quodam circumfundimur: & obstupentes, nec ignorare potuimus nescio quid fuisse diuinum. Post duas ferè horas ad nos Martinus egreditur. Ac tum eum iste Sulpitius cœpit orare, vt perquirentibus indicaret, quid illud diuini fuisset horroris, quod fatebamur nos ambo sensisse, vel cum quibus fuisset in cellula locutus: Tenuem enim nos licet, & vix intellectum fermocinantium sonum pro foribus audisse. Tum ille diu multumq; cunctatus: (incredibiliora fortè dicturus sum, sed Christo teste non mentior, nisi quisquã est tam sacrilegus, vt Martinum putet fuisse mentitum:) Dicam, inquit, vobis, sed vos, quæso, nulli dicatis. Agnes, Thecla, & Maria mecum fuerunt. Referebat autem habitum ac vultum singularum. Nec verò illo tantùm die, sed frequenter se ab ijs confessus est visitatum: Petrum etiam & Paulum Apostolos videri à se sæpius non negauit.

Paulus Orosius. 420.

Lib.7.cap.36. Intercurrente nocte B. Ambrosium Episcopum, paulo ante defunctũ, per somnium sibi videre visus est Mascezil, significantem manu, & impacto ad humum ter baculo, dicentem: hic, hic, hic: quod ille prudenti coniectura intellexit, merito annuntiantis fidem victoriæ: verbo locum, numero diem significari. Subfistit, ac tertio demũ die post noctem orationibus hymnisq; peruigilem ab ipsis cælestium sacramentorum mysterijs, in hostem circumfusum processit.

Vranius Presbyter. 440.

In vita S. Paulini Nolani: An te diem tertium, quàm de hoc mundo S. Ioannes ad Dominũ cõmigraret, retulit se vidisse sanctum Paulinum Angelica dignitate vestitum atque ornatum, totum niueum, totum syderium, atque odore ambrosio renidentem.

Auctor vitæ S. Fulgentij. 510.

Cap.30. Eunti mihi secundùm præceptum Dathiani primatis beatissimus Fulgentius per tempus quietis apparuit, & affabili, sicut solebat, aspectu, salutans amicabiliter: Quò, inquit, nunc sanctitas tua velociter ambulat? Cui respondi: Vt Ruspensis Ecclesiæ Episcopus eligatur. Ille verò subridens: Iam, inquit, ordinatus est. Nonne apparet, illius visitationibus fuisse perfectũ, quo est visitante prædictum.

Gregorius Turonensis. 570.

Historiæ Francorum lib.2. ca.6. de oratorio B. Stephani: Quæ à quibusdam audiui, narrare non distuli. Aiunt enim priusquam hi hostes venirent, vidisse se virum fidelem in visu quasi conferentem cum sanctis Apostolis Petro & Paulo B. Leuitam Stephanum de hoc excidio, ac dicentem: Oro Domini mei, vt non permittatis obtentu vestro Metensem vrbem ab inimicis exuri, quia locus in ea est,

est, in quo pignora mea continentur. Cui illi aiũt: Vade in pace, oratorium tãtùm tuum carebit incendio. Vnde procul dubio est, quòd horum obtentu, vrbe vastata, oratorium permansit illæsum.

Fortunatus. 580.

Libro 3. vitæ S. Martini:

Culmen Apostolicum, celsas & honore columnas,
Sæpe Petrum meruit, Paulumq; videre licenter.

Dinamius Patricius. 580.

Vitæ S. Maximi Episcopi cap.3. Quadam nocte imminente celeberrima beati Andreæ solennitate, cùm deputatus ego essem (ait Ceatto Diaconus) qui ad vigilias excitarem, primo noctis tempore blandus me solicitũ oppressit somnus, & dulces psallentium audiui melodias, moxq; excitatus non sine perturbatione multa, è lecto me propripui, quòd putarem me opportunum excitandi tempus neglexisse. Tum verò longè etiam dulciores, quàm humanis possunt studijs effici, spiritualium cantionum melodias hausi auribus meis. Continuò igitur ad ipsius arcis vestibulum suspẽso me gradu contuli. Atque illic beatissimos Apostolos Petrum & Andream, ad complendam cum sancto Maximo orationem alternis honoribus se præuenientes, ego peccator audiui. Ego perquirendi studio propius accedens, neminem illic videre potui præter sanctissimum Maximum prono vultu & corpore in templi pauimento prostratum.

Gregorius Magnus. 590.

Homilia 32. in Euangelia: Gothorum tẽpore matrona quædam fuit valde religiosa, quæ ad horũ Martyrum (*Processi & Martiniani*) Ecclesiam crebrò veniebat: quadam die dum ex more ad orandum venisset, egrediens, duos stantes sub peregrino habitu monachos inuenit, peregrinos credidit, dari eis aliquid eleemosynæ præcepit. Sed priusquam eius erogator eis ad largiendum eleemosynam propinquasset, astiterunt illi vicinius, & dixerunt: Tu nos modò visitas, nos te in die iudicij requiremus, & quidquid possumus, præstabimus tibi. Quo dicto, ab oculis eius ablati sunt: Territa illa ad orandum redijt, sesq; in lachrymis prolixius effudit, Et facta est post hoc tanto instantior in prece, quanto certior de promissione.

Lib.3. Dialog.cap.24. Adhuc supersunt aliqui, qui Theodorum eius Ecclesiæ custodem nouerunt, cuius narratione innotuit res, quæ ei contigit valde memorabilis. Quòd quadam nocte dum citius ad melioranda iuxta ianuam lumina surrexisset, ex more ligneis gradibus sub lampade positis stabat, & lampadis refouebat lumen. Tunc repente beatus Petrus Apostolus in stola candida deorsum in pauimento constitit, eiq; dixit: Colliberte quare tam citius surrexisti? Quo dicto ab oculis aspicientis euanuit. Sed tantus in eum pauor irruit, vt tota in illo corporis virtus deficeret, & per dies multos de stratu suo surgere non valeret. Qua in re quid idẽ B. Apostolus seruientibus sibi voluit, nisi præsentia sui respectus ostendere: quia quidquid pro eius veneratione agerent, ipse hoc pro mercede retributionis sine intermissione semper videret.

Cap.25. Alius hîc non ante longa tempora, sicut nostri seniores referunt, custos Ecclesiæ Abundius dictus est, magnæ humilitatis atque grauitatis vir, ita omnipotenti Deo fideliter seruiens: vt idẽ B. Petrus Apostolus signis ostenderet, quã de illo haberet æstimationẽ. Nã cùm quędã puellã paralytica in eius Ecclesia pmanens, manibus reperet, & dissolutis renibus corpus per terram traheret: diuq; ab eodem beato Petro Apostolo peteret, vt sanari mereretur, nocte quadam ei per visionem astitit, & dixit: Vade ad Abundium mansionarium, & roga illum, atque ipse tibi salutem restituet. Cumq; illa de tanta visione certa esset, sed quis esset Abundius ignoraret, cœpit huc illucq; per Ecclesiæ loca trahere, vt quis esset Abundius inuestigaret. Cui repente ipse factus est obuiam, quẽ quæsiuit, eiq; dixit: Rogo te pater indica mihi qui est Abundius custos? cui ille respondit: Ego sum. At illa inquit: Pastor & nutritor noster beatus Petrus Apostolus ad te me misit, vt ab infirmitate ista liberare me debeas. Cui ille respondit: Si ab ipso missa es, surge. Manumq; eius tenuit, & eam in statum suum protinus erexit. Sicq; ex illa hora omnes in eius corpore nerui ac membra solidata sunt, vt solutionis illius signa vlterius nulla remanerent.

Cap. 38. Redemptum Ferentinæ ciuitatis Episcopum vitę venerabilis virum, qui ante hos ferè annos septem ex hoc mundo migrauit, tua dilectio cognitum habuit. Hic sicut mihi adhuc in monasterio propè posito valde familiariter iungebatur, hoc quod Ioãnis iunioris prædecessoris mei tempore, de mũdi fine cognouerat, sicut longè lateq; claruerat, à me requisitus mihi ipse narrabat. Aiebat namque: quia quadam die, dum parochias suas ex more circuiret, puenit ad Ecclesiam beati Eutychij Martyris. Aduesperascente autem die stratum fieri sibi iuxta sepulchrũ Martyris voluit, atque ibi post laborem quieuit: cùm nocte media, vt asserebat, nec perfectè vigilare poterat, nec dormiebat, sed depressus, vt solet, somno, grauabatur quodam pondere vigilans animus: atque ante eum idem beatus Martyr Eutychius astitit, dicens: Redempte vigilas? Cui respondit: Vigilo. Qui ait: Finis venit vniuersæ carnis, finis venit vniuersæ carnis, finis venit vniuersæ carnis. Post quam trinam vocem visio Martyris, cum omnipotentis Dei gratia, quæ mentis eius oculis apparebat, euanuit. Tunc vir Dei surrexit, seq; in orationis lamentum dedit. Mox enim illa terribilia in cælum signa secuta sunt, vt hastæ, atque acies igneæ ab Aquilonis parte viderentur. Mox effera Longobardorum gens, de vagina suæ habitationis educta, in nostram ceruicẽ grassata est, atque humanum genus, quod in hac terra præ nimia multitudine quasi spissæ segetis more surrexerat, succisum aruit. Nam depopulatæ vrbes, euersa castra, concrematæ Ecclesiæ, destructa sunt monasteria virorum ac fœminarum, &c. Et quid in alijs mundi partibus agatur, ignoro. Nam in hac terra, in qua nos viuimus, finem suum mundus iam non nuntiat, sed ostendit.

Ionas Monachus. 630.

In vita S. Bertulphi cap.6. In tanto omnium silentio beatus Apostolorum princeps Petrus aduenit, & iuxta stratum ægri patris stans: Surge, inquit, & lospes abi ad sodales. Illo inquirente, quis esset, Petrum se esse respondit, cuius tum sacra toto orbe solennia celebrarentur. His dictis, abscessit. At Bertulphus timore perculsus, anxio & trepido corde sciscitabatur, quid rei esset: putabat enim & audiuisse me vocem, & visionem vidisse. Vt autem comperit me nihil neque vidisse, neque audijsse, non cernis, inquit, fulgam lucem, qua Petrus Apostolus proficiscitur? Me respondente, nequaquam eam me videre, siluit. Tum verò ego animi dubius, quid rei secum versaret, vix tandem precibus obtinere potui, vt mihi panderet veritatem: quam ille planè reticuisset, si me audiuisse & vidisse nõ iisset.

Audoenus. 670.

Vitæ S. Eligij lib. 2. cap. 37. Postquam beati viri corpus mandatum est sepulturæ, casu relicta ibi fuit pellis quædam caprina longè optima, ex Episcopi domo, quæ feretro impositа fuerat. Eam, cunctis abeuntibus, Vffo Diaconus, natione Sueuus, clam ablatam, in lectuli sui stramine abscondit. Reuersi funeris ministri, vident eam non adesse, nec mediocriter consternati, passim eam inquirunt. Sed cùm nulla ratione reperire possent, extitit inter eos non minima turbatio. Interim nox cogit omnes dare se quieti, & ecce Abbati Sparno vir sanctus in visione apparet, blandeq́, vt solebat, eum compellans, indicat locum, vbi res ablata haberetur. Altera luce Abbas, quid in visione cognouerit, duobus fidelibus fratribus exponit: illisq́ assumptis, abit ad lectum Diaconi, quærit rem furto subductam, moxq́ inuenit. Tum accitum Diaconum durissimè obiurgat, non tamen verberat. Siquidem beatus Eligius prohibuerat, ne id faceret.

Cap. 42. Quidam cultor vineę eiusdem Ecclesiæ, cùm esset desidiosus & negligens, sæpè à beato viro adhuc superstite reprehensus fuit, & vt curari posset, interdum etiam minæ verberũ ab illo intentatæ fuêre. Postquam autem vir sanctus è vita decessit, homo ille stultus & insolens quodam die venit ad monumentum eius, insultans illi nõ absque cachinno, ficq́, vt aiunt, garriens: Ecce qui mihi verbera minabaris, iam hîc iaces mortuus, ego verò aura vitali fruor. Dixit sic, moxq́ videt sibi astantem beatum Eligium, & virgam, quam manu tenebat, vibrantem in caput suum, ficq́ dicentem: Animaduerte, serue nequam, non me esse mortuum, vt tu iactitas: sed reuera me viuere, è terris ereptum. Ad hæc verba mox ab ictu cædentis intumuit viri caput, mẽbra omnia mirè pressa sunt, &c.

Iulianus Toletanus. 680.

Præfatione in librum Hildephonsi de laude intemeratæ Virginis: Hildephonsus bene sibi conscius, ante altare sanctæ Virginis procidens, reperit in cathedra ipsam Dominam sedentem, vbi solitus erat Episcopus residere, & populum salutare: & eleuatis oculis, aspexit in circuitu eius, & vidit omnem absidem Ecclesiæ repletam virginum turmis, &c.

Beda. 700.

Historiæ Anglicanæ lib. 2. cap. 6. Cùm verò & Laurentius Mellitum Iustumq́ secuturus, ac Britanniam esset relicturus, iussit ipsa sibi nocte in Ecclesia Beatorum Apostolorum Petri & Pauli stratum parari. In quo cùm post multas preces ac lachrymas ad Deum pro statu Ecclesiæ fusas, ad quiescendum membra posuisset, atq́ obdormisset, apparuit ei beatissimus Apostolorũ Princeps, & multo illum tempore secretæ noctis flagellis artioribus afficiens, sciscitabatur Apostolica districtione, quare gregem, quem sibi ipse crediderat, relinqueret: vel cui pastorum oues Christi in medio luporum positos fugiens ipse dimitteret? An mei, inquit, oblitus es exempli, qui pro paruulis Christi, quos mihi in indicium suæ dilectionis commendauerat, vincula, verbera, carceres, afflictiones, ipsam postremò mortem, mortem autẽ crucis, ab infidelibus & inimicis Christi ipse cum Christo coronandus pertuli? His beati Petri flagellis simul & exhortationibus animatus famulus Christi Laurentius, mox manè facto venit ad regem, &c.

Lib. 4. cap. 14. Erat tunc temporis in eodem monasterio puerulus quidam de natione Saxonum, nuper vocatus ad fidem, qui eadem tactus infirmitate nõ pauco tempore recubans in lectulo iacebat. Cùm ergo secũda memorati ieiunij ac supplicationum dies ageretur, contigit fortè ipsum puerum, hora fermè secunda diei, in loco, in quo æger iacebat, solum inueniri: cui diuina dispensatione subitò beatissimi Apostolorum principes dignati sunt apparere. Erat enim puer multum simplicis & mansueti animi, synceraǵ deuotione sacramenta fidei, quæ susceperat, seruans. Salutantes ergo illum verbis pijssimis Apostoli, dicebant: Noli timere, fili, mortem, pro qua solicitus es: nos enim te hodierna die ad cælestia regna sumus perducturi. Sed primùm expectare habes donec Missæ celebrentur, ac viatico Dominici corporis ac sanguinis accepto, sic infirmitate simul & morte absolutus ad æterna in cælis gaudia subleueris, &c.

Paulus Diaconus. 770.

De gestis Longobardorum lib. 4. cap. 17. aliâs 5. Ariulphus equo desiliens Basilicam conspecturus intrauit: tunc picturas eiusdem Ecclesiæ mirari cœpit. Qui cùm figuram beati Martyris Sabini depictam conspexisset, mox cum iuramento affirmauit, dicens: talem omninò eum virum, qui se in bello protexerat, formam habitumq́ habuisse. Tunc intellectum est beatum Martyrem Sabinũ eidem in prælio adiutorium contulisse.

Lib. 5. cap. 4. Eadem hora visæ sunt seruo Dei tres personæ spirituales, quarum vna erat Archangeli Michaelis, secunda Ioannis Baptistæ, tertia Apostoli Petri.

Ioannes Turpinus. 820.

De gestis Caroli Magni cap. 2. Carolo hæc summo studio cogitanti heros quidam optimam & pulcherrimam, vltra quàm dici fas est, habens speciem nocte in ecstasi apparuit, dicens: Quid ais fili mi? At ille inquit: Quis es domine? Ego sum, inquit, Iacobus Apostolus, Christi alumnus, filius Zebedæi, frater Ioannis Euangelistæ, quem Dominus super mare Galilææ ad prædicandum populis eligere dignatus est, quem Herodes Rex gladio peremit, cuius corpus in Galecia, quæ à Saracenis adhuc turpiter opprimitur, incognitũ requiescit: vnde vltra modum miror, cur terram meam à Saracenis minimè liberasti, qui tot terras tantasq́ vrbes acquisiuisti. Quapropter tibi notifico, quia sicut Dominus potentiorem omnium regum terrenorum te fecit, sic ad parandum iter meum, & liberandam tellurem meam à manibus Moabitarum te Deus elegit, &c. Nunc perge quàm citius poteris, quia ego ero auxiliator tuus in omnibus. Taliter beatus Iacobus Apostolus tribus vicibus Carolo apparuit.

Ludgerus. 820.

Epistola ad Rixfridum Traiectensem Episcopum cap. 8. Quo expleto promisso, facto illo in ecstasi, apparuit cum magna claritate S. Subertus, ornamentis pontificalibus indutus, tangensq́ ipsum baculo pastorali dixit: Ecce Bruno confortare, ac gaude: hac vice hîc non morieris: quia precibus meis impetraui ab omnipotenti Deo vitam tibi. His dictis signans eum signo sanctæ crucis disparuit.

Eginardus. 850.

De Marcellino & Petro Martyribus:

Duæ quidem referuntur Romæ natæ fœminæ:
Vna dicta est Lucilla, Firminaq́, altera,
Quæ propinquæ ter beatæ Martyris Tiburtij,
Ad illius sacrosanctum assidentes tumulum,
Deo gratas vigilando ducebant excubias:

Quibus

Quibus ipse cum beatu semet comitantibus
Marcellino atque Petro manifestè retulit
Per soporem, vbi sacra iacuissent corpora
Eorundem Electorum: atq́ simul admonet,
Vt euntes absq́ mora, illa statim auferant,
Et in crypta suum curent prope corpus ponere.

Ioannes Diaconus. 872.

Vitæ S. Gregorij lib. 4. cap. 94. Alio quoque tempore Thetgaudus quondam Treuerensis Episcopus, liberalitate Adriani Pontificis in eodem monasterio mansionem suscepit. Cui beatus Gregorius in somnis apparens, maximum terrorem, quo de suo monasterio concitus egrederetur, incussit. Ille perpendẽs visum fuisse phantasticum, oratione facta rursus dormire cœpit. Cui Gregorius Pontificali habitu redimitus apparens: Nonne, inquit, dixi tibi, vt à monasterio meo, quod in rebus proprijs per inuocationem sancti Andreæ Apostoli Domino dedicaui, recederes, quia diuersorium fieri nullo modo licuisset? Cumq́ Thetgaudus hospitandi sibi licentiam suscepisse se à Pontifice respondisset, Gregorius ait: Et tu, qui petisti, & ille, qui dedit, vtriq́ contra Deum fecistis, cuius vindictam citius incurretis. Euigilans Thetgaudus intremuit, & facta oratione sopori se reddere voluit, cùm repente veniẽtium sonitum audiens vehementer expauit, seq́ dormire simulauit. Appropinquans ergo Gregorius, sanctum Andream Apostolum per dexteram tenens, præcepit Subdiacono, qui se præibat cum lumine, dicens: Corripe illum. Qui dum correptus in lectulo clausis oculis resedisset, Gregorius ait: Aspice in nos. Intuitus in eos Thetgaudus magis intremuit: eumq́ sibi taliter comminantem audiuit: Quia secundò commonitus verbis oris mei credere noluisti, & me tua inobediẽtia adeò prouocasti, vt hunc Apostolum Dei huc fatigare studuerim, scito cognoscens, quia nisi hodie ab hoc monasterio meo recesseris, futura hebdomada cum tuis omnibus vita priuaberis. Siverò recesseris, ab hac quidem momentanea sententia liberaberis: sed neque tu, neque aliquis hîc tecum degentium suam patriam reuidebit. Mox Thetgaudus lectulo se proripuit, & primò suis, deinde monasterij monachis, postremò quibuscumq́ potuit somnium reuelauit. Et quia aliud hospitium citius à Pontifice impetrare non potuit, apud Sabinos concedẽs, eodem anno cum suis omnibus vita priuatus est.

Hucbaldus. 900.

Vitæ S. Aldegundis cap. 21. Videt Aldegundis in visu tamquam à Domino se postulantem in eius amore perseuerantiam, ac velut apparentem sibi sacerdotem ipsum Dominum, quod petebat clementer annuentem. Videt etiam B. Petrum Apostolum sibi panem candidum deferentem, seq́ de manu eius illum cum ingenti lætitia suscepisse.

Regino Prumiensis. 910.

Libro 2. Annalium de anno 862. Numenius Rex Britonũ moritur diuino nutu percussus. Nam cùm Ecclesias Dei deuastaret, & cõfinia crudeliter depopularetur, eò quòd Carolo debitam fidelitatẽ seruarent, quadam die cùm equum ascẽdere vellet, vt cœptam malitiam consummaret, repentè vidit ante se S. Maurilionem Episcopum astare, sibi hæc toruo vultu, & terribilibus oculis ingeminantem: Define iam crudelis prædo Ecclesias Dei vastare. His dictis baculum, quem manu gestabat, eleuans eum in capite percussit, qui à suis in domum reportatus, vitam cum regno finiuit.

Odo Cluniacensis. 920.

Tractatu quòd beatissimus Martinus par sit Apostolis c. 4. Spiritus sanctus ita singulari flamma diuini amoris igniuit Martinum, vt viuens in corpore per cordis charitatem totus igneus esset: & postquam migrauit à corpore aliquoties visibiliter totus igneus appareret. Hinc est quòd S. Traiano Sanctonensi Episcopo in igne ostensus est: & ad exequias Pelagiæ matris Aredij Abbatis globus igneus, totam illustrans Ecclesiam, de cælo venit: clamãtibus Energumenis, ad defunctę exequias veniſſe Martinum. Non dissimiliter Gregorio Turonensi eius Reliquias in nouam basilicam inferenti apparuit. Brichio quoque oratorium ingrediens, globum igneum per Ecclesię superiora discurrere sæpius videre consueuit.

Luitprandus Ticinensis. 950.

Lib. 2. cap. 14. Visi sunt à fidelibus in eodem bello sanctissimi Apostoli Petrus & Paulus, quorum precibus Christianos credimus meruisse, quatenus Pœni fugerent, & ipsi victoriam obtinerent.

Abbo Floriacensis. 980.

De obsidione vrbis Parisiensis:

Qui vigiles madidæ per opaca silentia noctis
Germanum nitida clarum vidisse figura
Se perhibent, metasq́ sui lustrasse locelli,
Lumine gestantem rutilantem sæpe laternam,
Quo sancti redolent artus forsan tumulati, &c.

Berno Augiensis. 1020.

In vita S. Vdalrici cap. 9. Alio tempore, dum iterũ sub cuiusdam noctis silẽtio membra quieti commendaret, S. Afra Martyr pulchra facie, veste decora, tunica succincta apparuit, eiq́ dixit: Surge, & sequere me: & statim eduxit illum in campum Lecfelt, vbi sanctum Petrum Apostolorum principem, velut in synodali colloquio sedẽtem inuenit, cum magna Episcoporũ aliorumq́ Sanctorum multitudine, vel quos olim in carne vidit, vel tũc primùm, reuelante sibi gratia diuina, cognoscere cœpit. Inter alia, quæ tractabantur, sicut olim in Apocalypsi S. Ioannis, audita est vox animarum de suis interfectoribus vindictam expetentium: ita tunc clamor ortus est Sanctorum de Arnulpho Duce Noricorum adhuc viuente, ob destructionem Ecclesiarum atque monasteriorũ.

Osbertus Anglus. 1030.

In vita S. Elphegi: Transacta magna noctis parte, cœpit domus cælestis gratiæ participium suscipere, æternæ vitæ odoramenta spirare, hymnos mellifluis Sanctorum vocibus sonare. Quos beatus Elphegus intuitus, cum magna cordis lætitia Dunstanum quondam Archiepiscopum, vultu & veste gloriosum conspicit assistentem, protẽsisq́ ad illum manibus ita dicentem: Ad te æterni Regis inuictissime miles, ad te honorandũ nostro obsequio venimus, missi ab illo, qui tibi & victoriam præstitit de inimico, & sempiternam coronam præparauit in cælo. Ẽn quorũ collegio post mortem carnis in perpetuum frueris, ciues Hierusalem cælestis, si ea quæ desunt, passionũ Christi amore, in carne tua patienter suppleueris.

Petrus Damianus. 1050.

Sermone de Translatione S. Hilarij Episcopi. Dum Confessor Christi Tredelinus B. Hilarij monasterium laudabiliter regeret, beatus Hilarius illi per visionem manifestus apparuit, & inter alia nõnulla, hoc illi quadam viuacis imperij auctoritate mandauit, vt videlicet ipse, simul & Pictauiensis Episcopus ad regem Francorum incunctanter accederent, & sumptus impendia, quibus ampliari & augustius fieri monasterium posset, fiduciaiter postularent. Quibus verbis insuper addidit, vt instaurato nouiter monasterio, locum

sibi sanctus Abbas congruum prouideret, in quo corpus eius facta translatione reconderent. Quos nimirũ felicis oraculi legatione perfunctos Rex clementer ac benignè susceptit, eisq; magnifica regiæ liberalitatis munera contulit.

Anselmus Cantuariensis. 1080.

In Elucidario: Animæ Sanctorum apparent quãdo volunt, & quibus volunt, siue vigilantibus, siue dormientibus. Quæ autem in pœnis sunt, non apparent nisi ab Angelis permittantur, & vt pro liberatione sua rogent, aut liberatæ gaudium suum amicis nuntient. Quæ autem in inferno sunt, nulli apparere possunt. Si autem aliquando videntur apparere, siue in somnis, siue vigilantibus, non illæ, sed dæmones esse creduntur in illorum specie, qui etiam in Angelos lucis se trãsfigurant, vt decipiant.

Florentius VVigornienſis. 1100.

In Chronicis de anno 1080. Dunholmẽsis Episcopus VValcerus Sanctum Cuthbertum corde syncero dilexit: quippe cui idẽ Sanctus, vt ipsemet Aldredo Eboracensi Archiepiscopo, & alijs viris religiosis narrare consueuerat, & dormienti, & vigilanti persæpè apparuit, & quæ fieri voluit, vt suo fideli amatori reuelauit.

Lisiardus. 1100.

Vitæ S. Arnulphi cap. 49. Proximo inde Sabbato, sentiens mortem imminere, dixit fratribus: parate iam funeri necessaria. Nam sub noctis initium decedam, vt mihi Dominus, cui pro viribus seruire conatus sum, hesterna nocte reuelauit, cùm ille terræ motus & aëris concussio fragorem cellæ excitaret. Sub prima enim quassatione beatus Petrus Apostolus ad me venit, significans mihi peccata remissa, & vitæ ianuam patere. Aderat illi Beatorum frequens cœtus, laudes diuinas cõtinenter modulantium. Sub altera quassatione cum multis Angelicis spiritibus sanctus Michaël me inuisit, pollicens, se duce me ad beatam vitam ingressurum. Tertia concussione adfuit Domina nostra, vera misericordiæ mater, multis stipata sanctarum Virginum agminibus, benignissima voce me certiorem efficiens de anima mea, inter assumptionis eius gaudia in cælos transferenda.

Rupertus Tuitiensis. 1120.

Vitæ S. Hereberti cap. 13. Nocte quadam, dum post vigilias fatigata sopori membra dedisset, ecce adest per visum illa beata Angelorum & omnium Regina Sanctorum; quæ stellato sedens solio, latum & amplum cælorum cum suo Filio possidens regnum, non paruipendebat etiam hoc paruum, quod sibi in terris offerebatur fideli deuotione domicilium. Et assistens: Scias, inquit, Hereberte, exauditas esse orationes tuas: iam ecce venio ad te, vt indicem tibi, votum, quod mente geris, quo in loco perficias. Ego enim sum Maria mater Domini: Surge ergo, & Diuitense castrum petens, locum in eodẽ mundari præcipe, ibiq; monasterium Deo, mihi, & omnibus Sanctis constitue, vt vbi quondam abundauit peccatum, & cultus dæmonum, ibi iustitia regnet in multitudine Sanctorum. His dictis misericordiæ mater disparuit.

Bernardus. 1130.

In vita S. Malachiæ Episcopi cap. 6. Mortua est interea soror eius. Nec prætereundæ visiones, quas vidit de ea. Huius siquidem Sanctus carnalem exhorruerat vitam, & tanto zelo, vt se deuouerit nõ visurum eam in carne viuentem. At illa carne soluta, solutum est votum, & cœpit videre in spiritu, quam in corpore noluit. Quadam nocte audiuit per somnium vocẽ sibi dicentis, sororem eius stare foras in atrio, & ecce per totos triginta dies nihil gustâsse. Qui euigilans citò intellexit, cuius esca inedia marceret. Et diligẽter discusso numero dierum, quem audierat, ipsum esse reperit, ex quo pro ea panem de cælo viuum non obtulisset. Tum ille, qui sororis non animam oderat, sed peccatum, beneficentiam, quam intermiserat, rursum adoritur. Neque id frustra. Non multò post visa est illi peruenisse ad limen Ecclesiæ, nec dum tamen posse intrare: apparere etiam in veste pulla. Cumq; ille perseueraret, curans ne qua die solita stipe frustraretur, secundò vidit eam in veste subcandida, admissam quidem intra Ecclesiam, sed altare contingere non permitti. Tertiò tãdem visa est aggregari cœtui candidatorum, & in veste candida.

Guilhelmus Abbas. 1140.

Vitæ S. Bernardi lib. 1. c. 12. Itum est & oratũ ad altaria, quæ in eadẽ Basilica erant tria. Primum in honore beatæ Dei Genitricis: duo circumposita in honore beati Laurentij Martyris, & Benedicti Abbatis. Eadem hora adfuit viro Dei beata Virgo, duobus istis stipata ministris, scilicet B. Laurentio, & B. Benedicto: aderant autem in ea suauitate, & serenitate, quæ eos decebat, & tam manifestè, vt ex ipso introitu cellulæ psonas discerneret singulorũ: imponentesq; ei manus, & loca doloris attactu pijssimo lenientes, omnem protinus ægritudinem depulerunt.

Petrus Cluniacensis. 1150.

Libro 1. de miraculis cap. 27. Nec dum plenè duo menses trãsierant, & ecce iam dictus miles quem interfectum retuli, cuidam altero militi de Ansa, qui Milo vocabatur, per syluam eidem castro cõtiguam sine socio equitanti se obuium obtulit. Ad cuius subitum conspectum, dum miles obstupuisset, & timore non modico turbatus, vtrum fugere, an subsistere satius esset meditaretur: mortuus qui apparuerat prior in verba prorupit: Noli, ait, timere, neque effugere mediteris: quia non vt ego tibi noceam, sed vt tu mihi prodesse studeas, ad te venire permissus sum. Ad te enim præ omnibus veniendi licentiam accepi, &c.

Guilhelmus Tyrius. 1180.

Lib. 6. cap. 14. Dum sic affligitur Dei populus, respexit eum Dominus, & gemitus eorum exaudiuit, mittens ei consolationem de sede maiestatis suæ. Quidam enim Petrus Clericus ad Episcopũ Podiensem & Comitem accessit Tolosanum, asserens quòd ei B. Andreas Apostolus in somnis apparuerit, & eum ter vel quater cõmonuerit diligentissimè, quatenus ad Principes loqueretur, & nuntiaret, vt lanceam, qua Domini nostri Iesu Christi latus fuerat perforatum, in Ecclesia principis Apostolorum occultè repositam cum omni studio perquirerent, eiq; locum certis designauerit inditijs. Qui accedens ad prædictos viros, verbum, sicut ei iniunctum fuisse testabatur, ex ordine pandit, asserens se ab eodem Apostolo multis terroribus ad hoc compulsum. Nam cùm sæpe legationem hanc sibi assumere (quoniam pauper & nullius prudentiæ erat) detrectasset, vrgentissimam Apostoli visionem nisi cum mortis periculo declinare se non posse profitebatur. Illi verbis fidem habentes, ad locum, quem eis intra septa prædictæ Ecclesiæ designauerat, conueniunt, &c. Fuerunt & alij nonnulli, qui se dicebant visiones Angelorum & sanctorum Apostolorum vidisse, quibus quasi inuicem consonantibus fides habebatur amplior, & populus à sua deiectione resurgebat in immensum.

Helinandus. 1180.

Apud Vincentium lib. 24. cap. 40. Elfredus Rex Angliæ, cùm quadã die in insula inclusus solus domi esset, socijs per oram fluminis dispersis ad piscandum, corpus curis ægrum sopori dedit. Et ecce S. Cuthbertus, Lindefarnensis quondam Episcopus, sic dormientẽ alloquitur: Ego sum Cuthbertus, si audisti, misit me Dominus, vt tibi prospera nuntiem. Anglia iam dudum peccatorum suorum pœnas luit, modò tandem indigenarum Sanctorum meritis à Domino respecta est: tu miserabiliter regno extorris, post paucum tempus in solio gloriosè reponeris, &c.

Apud eundem lib. 29. cap. 117. Animę defunctorum, suorum peccatorum pœnas lugentes multis apparere solent, in eo habitu, in quo prius vixerant, id est rustici in rusticano, milites in militari.

Guilhelmus Brito. 1210.

Lib. 12. Philippidos:

Visio cælestũ confortat taliter illum:
Visus ab ætherea sanctus Dionysius illi
Arce venire fuit, magno splendore relucens,
Quem præcedebant induti vestibus albis
Angelici ciues, ipse autem veste rubebat,
Quem prope Rex stabat candente Philippus amictu,
Corpore eo visu quem nunquam viderat ille:
Sed tamen auditu famam bene nouerat eius.

Guilhelmus Neubrigensis. 1200.

Rerum Anglicarum lib. 5. cap. 7. Vir quidam pię deuotionis instinctu profectus in Hispanias ad memoriam B. Iacobi Apostoli, etiam sepulchrum inuisere Dominicum voluit. Et cùm fortè solus graderetur, repente in via obstitit ei quidam enormi corpore & vultu terribili, &c. Homo cùm tanta perurgeret necessitas, S. Iacobum ex recentis obsequij conscientia fortiter inclamauit. Qui beatus Apostolus, in specie reuerenda manifestè mox affuit, & potenti verbo inuasorem improbum increpauit. Vt autem homo de manu inimici furentis ereptus, tuto iam auditu perciperet, quorum, vt creditur, audiendorum gratia per voluntatem Dei articulum illum inciderat; Apostolus ad nequam illum, Dic, inquit, quis sis, vel quid negotij habes. Qui constrictus imperio: Dæmon, inquit, sum generi humano infestus, & mille nocendi artibus instructus, &c. Apostolus etiam confortato homine in suæ se claritatis secretum recepit.

Cæsarius Heisterbacchius. 1220.

Lib. 8. cap. 80. Venerabilis Theodericus, Episcopus de Liuonia, cùm tempore quodam sanctimoniales cõsecraret, sanctam Mariam Magdalenam viduis astare vnus monachorum vidit; beatam verò Margaretam virginibus: inter stantes deambulabant, vocatas præsentabãt, coronas & velamina cõponebant. Erat enim tali visione dignus, vtpote vir bonus & religiosus.

Matthæus Parisius. 1240.

In historia Angl. de anno 1099. Visus est ea die in sancta ciuitate à multis vir in omnibus commendabilis Æmerus Podiensis Episcopus, qui apud Antiochiam obierat, ita vt viri plurimi de exercitu, fide dignissimi, eum super murũ primum omnium referrent ascendisse ciuitatis, & ceteros ad ingressum animasse. Qui etiam oculis corporeis se ipsum vidisse asserebant, cum principibus loca sancta circumeuntem manifestissimè. Alij autem plures, qui in peregrinatione sancta piam in Christo dormitionem acceperant, in eadem ciuitate apparuerũt multis, loca sancta cum alijs deuotissimè requirentes.

Thomas Aquinas. 1250.

Prima Summæ quæst. 89. art. 8. Quòd mortui viuentibus apparent qualitercunque, vel contingit per specialem Dei dispensationem, vt animæ mortuorum rebus viuentium interfint: (& est inter diuina miracula computandum:) vel huiusmodi apparitiones fiunt per operationes bonorum, vel malorum Angelorum, etiam ignorantibus mortuis, sicut etiam viui ignorantes alijs viuentibus apparent in somnis, teste Augustino. Vnde & de Samuele dici potest, quòd ipse apparuit per reuelationem diuinam, secundùm hoc, quod dicitur Eccles. 46. quòd dormiuit, & notum fecit regi finem vitæ suæ, vel illa apparitio fuit procurata per dæmones.

In 4. Sentent. dist. 45. quæst. 1. art. 1. Cùm diabolus, inquit Hieronymus, & dæmones toto vagentur orbe, & celeritate nimia vbique præsentes sint, Martyres post effusionem sanguinis arca operientur inclusi, & inde exire non poterunt? Ex quo potest doceri non solùm de bonis, sed etiã de malis, quòd sua receptacula interdum exeant, cùm non habeant maiorem damnationem quàm dæmones, qui vbique discurrunt.

Bonaventura. 1260.

In 4. Sent. dist. 45. quæst. 3. in Resolut. Non est nobis possibile in cælum ire, sed in cælo existentibus possibile est ad terram venire: quia anima liberior, quia exuta: & potentior, quia beata.

Robertus Dominicanus. 1290.

Libro Visionum cap. 2. Primo anno, quo sacerdõtio Christi functus sum, factum est, vt irem ad ciuitatem Massiliam, transactoque castro Rupisuariæ circa solis ortum, dum dictis matutinis ventum esset ad Preciosa, ad orationẽ: Sancta Maria, vidi cælum apertum, & ecce apparuit sedens in solio, velatam habens faciem, ad cuius dexteram erant Apostoli flexis genibus, induti vestimentis albis: ad sinistram autem beatissima Virgo Domina nostra, cuius tunica erat nitidi coloris, pallium autem nigri, coronam autem habens in capite suo, qui omnes flexis genibus rogare videbantur sedentem in solio.

Augustinus Triumphus. 1320.

De potestate Ecclesiastica quæst. 17. art. 3. Sancti non semper apparent in corporibus proprijs; sed vel de aëre, vel de subtilissimis elementis formatis: sicut Angeli non apparent in corporibus proprijs, quibus carent. Dato tamen quòd in corporibus proprijs apparerent, possent ea deponere in locis, vnde recepta sunt, Deo faciente & iubente.

Nicolaus Lyranus. 1320.

Ad cap. 17. Matth. Moses & Helias non fuerunt ibi secundùm apparentiam phantasticam, sed secundùm veritatem: quia Helias fuit ibi de loco quodam eminenti, ad quem fuerat raptus, vt habetur 4. Reg. 2. & sic apparuit ibi anima & corpore: Moses autem fuit ibi adductus de Limbo Sanctorum Patrum: non quia surrexit, sed quia anima apparuit ibi in quodam corpore sibi adoptato.

Matthæus VVestmonasterienſis. 1370.

In Chronicis Anno gratiæ 965. S. Adelvvoldus VVetanæ vrbis Episcopus, cùm nocte quadam ad maius Ecclesiæ suæ altare, ante Sanctorum Reliquias staret in oratione, tres sibi personæ reuerendæ apparuerunt, quarum illa, quę media videbatur, has voces euidenter expressit: Ego sum, inquit, Birstanus, huius vrbis quondam Episcopus, & partem ostendẽs dextram: hic, inquit, est Birinus, huius Ecclesiæ prædicator & Pontifex primus, & sinistram ostendẽs: hic, ait, est S. Suuithunus, huius Ecclesiæ & ciuitatis patronus. Noueris quoque

quòd ſicut me cum eis vides in tua præſentia, ita cum eis in cælo non diſpari fruor gloria.

Stephanus Iuliacus. 1400.

Vitæ S. Coletæ cap. 21. Sanctiſſima Anna Coletæ quandoque feruenter orãti apparuit, inſigni ornatu prædita, ducens ſecum honorificè totam ſobolem ſuam, puta, tres eximias filias ſuas, & eorum filios cumprimis generoſos. E quibus prima fuit beatiſſima Chriſti parens Regina cælorum, & Domina Angelorum, creaturarumqúe omnium, manu tenens dulciſſimum Filium ſuum, mundi Redemptorem Chriſtum Ieſum. Altera fuit Maria Iacobi, ſecum ducẽs quatuor illuſtres filios, Iacobum minorem, Simonem, Iudam, & Ioſeph Iuſtum. Tertia Maria Salome, habẽs apud ſe duos clariſſimos filios, Iacobum maiorem, & Ioannem Euangeliſtam. Ait autem ad Coletam beatiſſima Anna: Etſi ego tribus nupſi viris, attamen & triumphans & militans Eccleſia ex mea progenie maximis eſt aucta ornamentis. Poſt hãc apparitionem Coleta ſingularem concepit animi deuotionem erga ſanctam Annam.

Antoninus Florentinus. 1450.

Primaparte Summatit. 5. cap. 6. Aliquando apparent animæ ſine corporibus proprijs ſuſcitatis, ſed alijs corporibus aſſumptis, ex aëre formatis, ſicut eſſe potuit Moſi iam defuncti coram Chriſto ſe transfigurante. Quod cùm euenerit, per ſpecialem Dei diſpenſationem contingit, vt animæ defunctorum rebus viuentium interſint: & hoc eſt inter Dei miracula computandum. Vel hæ apparitiones fiunt per apparitiones bonorum Angelorum, ignorantibus etiam ipſis mortuis.

Rupertus Lycius. 1480.

Sermone 98. in Quadrageſimali: Aſſerimus quòd volente Deo ad conſolationem viuorum ſæpius animæ ſeparatæ diuerſimodè apparuerunt.

Baptiſta Mantuanus. 1500.

In hiſtoria Eccleſiæ Lauretanæ: Anno Chriſtianæ ſalutis 1386. cuidam vitæ innocentiſſimæ & puritatis immaculatæ viro, qui ad ſacellum hoc ſtudio pietatis aſſiduè diu noctuqúe veniebat, beata Virgo in ſomnis apparens, prædicta omnia reuelauit, & vt omnibus palam faceret imperauit.

Ioannes Nauclerus. 1500.

Generatione 39. Henricus II. Imperat. ingrediens vrbem Romã ſolebat ſemper primã noctem in Eccleſia ſanctæ Mariæ maioris manere. Contigit autem ſemel, dum ſolitarius oraret, quòd viſus ſit ſibi Chriſtus pontificalibus indutus procedere Miſſam celebraturus: quem ſequebãtur S. Laurentius, & loco Subdiaconi Vincẽtius. Poſt hos Virgo Dei Genitrix cum multitudine Virginum & Angelorum. Dehinc Ioannes Baptiſta cum Patriarchis, & Prophetis. Poſt hos Petrus & Ioannes cum cæteris Apoſtolis & Euangeliſtis, S. Stephanus cum Martyribus, S. Martinus cũ Confeſſoribus. Angeli inceperunt Introitum: *Suſcepimus Deus miſericordiam, &c.*

Tilmannus Bredenbachius. 1584.

Collationum ſacrarum lib. 8. cap. 23. Cùm anno Domini 1566. agerem Romæ cum viris clariſſimis D. Martino Eiſengreinio & D. Ioanne Pfiſtero, Oratoribus ſereniſſimi Bauariæ Ducis Alberti apud ſedem Apoſtolicam, paulo poſt Paſchæ ſolennia, D. Martinus Eiſengreinius, Orator tunc Bauaricus apud Pium V. Pontificem Maximum, admirabilem habuit ſub ipſum crepuſculum matutinum viſionem, quam mox, vt euigilauit, mihi ad ſe accerſito, atque item D. Philippo Dobbereinero admirabundus enarrauit. Olim is cum D. Friderico Staphylo tunc adhuc ſuperſtite diſſertationem habuerat de loco illo Salomonis: *Omnia in menſura, in numero, & pondere diſpoſuiſti.* Sap. 11. Itaque cùm nuper defunctus eſſet D. Fridericus, viſus eſt in ſomnis apparere D. Eiſengreinio, eundemqúe locum admirabili doctrina ac dexteritate explicare. Videbat quoque D. Eiſengreinius iuxta cubile ſuum pendentem tabulam, in qua omnis generis ſtatus, & conditionis homines verſari, agitariqúe videbantur, & ſinguli quidem occupabantur circa res & negotia ſua. In margine verò tabulæ infinitæ bilances apparebant pendentes, in quibus omnium & ſingulorum actiones, ſtudia & molimina exactiſſimè ponderabantur. Ac tandẽ poſt acutam & abſolutiſſimam iſtius loci Salomonis explicationem, cœpit interrogare Fridericum Eiſengreinius, quonam pacto ſecum ageretur: ſaluusne factus eſſet. Ille verò reſpondit: Spero. Quo dicto euanuit, quaſi deſiderans ſuffragium. D. Eiſengreinius mox euigilat. Paulò poſt exurgens, familiarem ſuum ad meum cubiculum amandat, vt me vocaret. Ego verò, quia erat dies feſtus iam in Vaticanum ad Eccleſiam S. Petri conceſſeram. Ille protinus mittit ad D. Philippum Dobbereinerum, eiq; totam rem exponens, mandat vt in loco ſacratiori, qualia aliquot iſta in vrbe ad ſuffragandũ animabus à ſummis Pontificibus deputata, maximisqúe indulgentijs cohoneſtata ſunt, ſacrificium corporis & ſanguinis Domini offerri curet.

ARTICVLVS DECIMVS.

SAMVELIS ANIMAM SAVLI VERE APPARVISSE.

NEGANT.

TERTVLLIANVS lib. de anima cap. 57. *Iuſtinus* quæſt. 52. *Auguſtinus* libro 2. ad Simplicianum quæſt. 3. *ſentiunt animam Samuelis non verè, ſed ſolum dæmoniacum ſpectrum Sauli apparuiſſe.*

Martinus Lutherus, Ioannes Caluinus, Ioannes VVierus, & alij plures noſtro ſeculo nihil aliud quàm diaboli præſtigias fuiſſe aſſerunt.

Quòd Iuſtinus, Tertullianus, & Auguſtinus ſuam opinionem retractârunt, eorundem, quæ infra ſubijciam, teſtimonia probant.

ASSERVNT SACRÆ LITERÆ.

1. *Reg.* 28. *Verſ.* 8. Ait Saul pythoniſſæ: Diuina mihi in pythone, & ſuſcita mihi Samuelem. Cùm autem vidiſſet mulier Samuelem, exclamauit voce magna, & dixit ad Saul: Quare impoſuiſti mihi? Tu es enim Saul. Dixitque ei Rex: Noli timere, quid vidiſti? & ait mulier ad Saul: Deos vidi aſcendentes de terra. Dixitque ei: Qualis eſt forma eius? Quæ ait: Vir ſenex aſcendit, & ipſe amictus eſt pallio. Et intellexit Saul quòd Samuel eſſet, & inclinauit ſe ſuper faciem ſuam in terra, & adorauit. Dixit autem Samuel ad Saul: Quare inquietaſti me, vt ſuſcitarer? Et ait Saul: Coarctor nimis: ſiquidem Philiſtijm pugnant aduerſum me, & Deus receſſit à me, & exaudire me noluit neque in manu Prophetarum, neque per ſomnia: vocaui ergo te, vt oſtenderes mihi quid faciam. Et ait Samuel: Quid interrogas me, cùm Dominus receſſerit à te, & tranſierit ad æmulum tuum? Faciet enim tibi Dominus ſicut locutus eſt in manu mea, & ſcindet regnum tuum de manu tua, & dabit illud proximo tuo Dauid: quia non obediſti voci Domini, neque feciſti iram furoris eius in Amalech, idcirco quod pateris, fecit tibi Dominus hodie. Et dabit Dominus etiam Iſrael tecum in manus Philiſthijm: cras autem tu & filij tui mecum eritis: ſed & caſtra Iſrael tradet Dominus in manus Philiſtijm. Statim Saul cecidit exporrectus in terram: extimuerat enim verba Samuelis.

Eccleſiaſtici 46. 23. Poſt hæc dormiuit Samuel, & notum fecit Regi, & oſtendit illi finem vitæ ſuæ, & exaltauit vocem eius de terra in prophetia delere impietatem gentis.

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Iuſtinus Martyr. 160.

Dialogo cum Tryphone: Animas ſuperſtites manere etiam in eo demonſtrauerim, quòd & Samuelis animam ventriloqua pythoniſſa, ita vt Saul petierat, euocauit.

Baſilius Magnus. 370.

Epiſtola 80. ad Euſtachium: Et mulier illa pythonica, quæ Samuelem ab inferis incantationibus ſuis euocauit, cùm videret animas, quæ requirebantur, Deos ſe videre dicebat.

Procopius Gazæus. 530.

Ad caput 7. Eſaiæ: Ex ijs, quæ in Ægypto apparuerunt, ſignis ſatis liquet, hîc in profundo, ſiue in excelſo, velut notum eſt, cùm de illis dicatur: *Miſit ſigna & prodigia in medio tui Aegypte.* Pſal. 134. De terra enim extiterunt ranæ, locuſtæ, culices, muſcæ, quæ caninæ nominantur. Exod. 4. 8. De cælo autem grando, ignis, trium dierum tenebræ. Cuius generis fuit & Ezechiæ tempore ſolis retroactus curſus, & Samuel in Saulis probrum ab inferis reuocatus. Iſaiæ 38. 4. Reg. 28.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Tertullianus. 200.

Lib. 3. Carm. contra Marcionem cap. 5.

Mirificus Samuel, cui Reges vngere primùm
Præceptum dare Chriſma, viros oſtendere Chriſtos,
Talibus in vitæ ſpacio laudabilis egit,
Vt quoque poſt requiem prophetica iura teneret.

Zeno Veronensis. 260.

Sermone de Resurrectione: Primo in libro verborum Samuel egregius ille sacerdos, mortis iam lege dispunctus, Sauli Regi desideranti sine ambiguitate non tantùm suam præsentiam exhibet, sed etiam ad consulta respondet: liberiusque canit mortuus, quàm canere consueuerat viuus. Vnde libet exclamare: profectus potius est, quàm mortuus.

Ambrosius. 370.

Ad caput 1. Lucæ: Helisæus mortuus defunctum
1.Reg.28. cadauer hominis tactu sui corporis suscitauit, &
Eccl. 46. Samuel post mortem secundùm Scripturæ testimonium futura non tacuit.

Hieronymus. 390.

Ad cap. 7. Isaiæ: Plerique putant Saulem signa accepisse de terra, & de profundo inferni, quando Samuelem per incantationes, & artes magicas visus est suscitasse.

Augustinus. 400.

De cura pro mortuis agenda cap. 15. Mitti ad viuos a-
2.Cor.12 liquos ex mortuis, sicut è contrario quòd Paulus
1.Reg.28. ex viuis in paradisum raptus est, diuina Scriptura testatur. Nam Samuel defunctus viuo Sauli etiam Regi futura prædixit. Quamuis nonnulli non ipsum fuisse, qui potuisset magicis artibus euocari, sed aliquem spiritum tam malis operibus congruentem illius existiment similitudinem figurasse, cùm liber Ecclesiasticus, quem Iesus Sirach scripsisse traditur, & propter eloquij nonnullam similitudinem Salomonis pronuntiatur, contineat in laude Patrum, quòd Samuel etiam mortuis prophetauerit.

Iulianus Toletanus. 680.

Lib. 2. Prognost. c. ap. 30. Vtrum possint mortui viuentium oculis apparere: Ex hoc Augustinus sic ait: Mitti ad viuos aliquos ex mortuis, sicut è contrario Apostolus ex viuis in paradisum raptus est, diuina testatur Scriptura. Nam Samuel Propheta defunctus viuo Regi Sauli etiam futura prædixit, &c.

Nicolaus Lyranus. 1320.

Ad cap. 28. lib. 1. Reg. Quæritur vtrum in tali suscitatione apparuit ipse Samuel, vel malignus spiritus in eius specie? Et arguitur quòd fuerit ipse Samuel: quia Scriptura hoc de ipso loquitur, tãquam de persona ipsius, nominans ipsum pluries proprio nomine, & ideò videretur falsitatẽ prætendere, nisi ipse fuisset. Item magna irreuerentia facta fuisset Sancto, si malignus spiritus in Scriptura sancta toties nominatus fuisset nomine ipsius. Item Ecclesiast. 46. dicitur de ipso: *Et post hoc dormiuit, & notum fecit Regi, & ostendit illi finem vitæ suæ.* Item dixit certitudinaliter verum de futuris contingentibus, scilicet de morte Saul & filiorum eius, & de debellatione sui exercitus. Et videtur fuisse verus Propheta Samuel, & non malignus spiritus, *qui est mendax, & pater mendacij*, vt habetur Ioannis 8. &c. Videtur quòd sit probabilior modus dicendi, quòd anima Samuelis virtute diuina & eius dispensatione apparuit ad annuntiandum Sauli diuinam sententiam: quia huic dicto magis videtur concordare textus Bibliæ hîc, & in Ecclesiastico. Ad hoc etiam faciunt rationes supra inductæ. Hoc etiam dictum tenent omnes Hebræi Doctores: istud etiam dictum videtur concordare ei, quod habetur in libro Numerorum, in casu quantum ad aliquid simile. Dicitur enim ibi, quòd Balaam magus & ariolus, qualiter quæsiuit responsum dæmonis bis in domo sua, & bis cum Balach. Et tunc secundùm omnes Doctores Catholicos dæmon virtute diuina fuit prohibitus dare ei responsum, & Angelus bonus dedit sibi responsum suæ voluntati contrarium. Nec Deus in hoc, vel Angelus bonus mago vel magicæ arti fauebat, sed magis effectum magicæ artis impediebat. Sic videtur in proposito rationabiliter posse dici, quòd dæmon fuit prohibitus ad vocationem Pythonissæ venire. Ad hoc enim illa ars ordinatur, vt ab omnibus tenetur, & patet, per Glossam Esaiæ superius allegatam, quòd diuina virtute apparuit Samuel annuntians Sauli contrarium voluntati suæ, &c. Non Pythonissa suscitauit Samuelem, sed illum Deus apparere fecit. Ipsa vocauit dæmonem, qui fuit prohibitus venire.

Num.22.2

Alphonsus Tostatus Abulensis. 1430.

Ad caput 28. lib. 1. Regum: Saluo meliori iudicio aliorum, dicendum videtur, quòd iste, qui surrexit, fuit Samuel, & prædixit veritatem Sauli. Colligitur hoc satis ex litera, quæ semper vocat eum Samuelem. Nam dicitur infra, quòd Samuel dixit Sauli: *Quare inquietasti me, vt suscitarer? Et dixit Saul: Coarctor nimis. Et respondit Samuel: Quid interrogas me, cùm Dominus recesserit à te, & transierit ad æmulum tuum? faciet enim tibi, sicut locutus est in manu mea, & scindet regnum de manu tua.* Omnia autem ista prædixerat Samuel, & tunc concordauit prophetiæ suæ: ideo missus fuit ad respondendum, vt sicut ipse prænuntiauerat Sauli principium regnandi & ablationem regni dum viueret, ita & nunc mortuus mõstraret quasi præsentia, ea quæ olim dixerat esse ventura. Sciendum tamẽ quòd Samuel suscitatus non venit per potestatem artis magicæ, quasi dæmones eum cogerent venire ad respondendum, cùm non haberent potestatem super ipsum, quia erat in sinu Abrahæ cum iustis. Nec etiam dicendum, quòd suasus fuerit à dæmonibus venire, & consenserit, quia hoc vitium erat in illo: sed Deus voluit mittere eum ad denuntiandum Sauli mortem suam. Quod patet: quia si veniisset coactus à dæmone, vel suasus ab eo, nescisset respondere Sauli: quia post mortem non erat Propheta, sicut dum viueret. Etiam quia Deus non immitteret ei spiritum propheticũ, si vellet agere contra voluntatem Dei peccando. Sciuit tamen omnia ista, quæ prædixit, cùm omnia sic euenirent, ideò Deus ei enuntiauit, & ab eo missus est.

Ioannes Capistranus. 1440.

De Papæ & Concilij auctoritate fol. 67. Saul cùm præuaricatus esset, & vertisset terga Domino, abijssetque retrorsum, priuauit eum Dominus regno, & mãdauit Samueli iam mortuo, vt appareret Sauli, & nuntiaret sibi, quomodo scinderet Deus regnum de manu sua, & daret illud Dauid proximo suo, 1. Reg. 28.

Petrus Galatinus. 1510.

De arcanis Catholicæ veritatis lib. 6. cap. 8. Dico salua sanctæ Romanæ Ecclesiæ definitione, cui me semper in omnibus submitto, quòd tunc verè Samuel ipse, & non diabolus Sauli apparuerit. Quamuis enim quædam in præmissa historia dicta, & ad visum Pythonissæ, quæ se Deos vidisse dixit, & non ad veritatis rationem trahi possint: ob tria tamen, quæ ibi referuntur, si verè anima Samuelis tunc ibi non affuisset, non videretur sacræ historiæ scriptor à mendacio excusari, nec verigraphus existimandus esset: quod profectò absurdum est dicere. Quorum primum est: *Et dixit Samuel ad Saul: Cur terruisti me, vel tremere me fecisti, vel inquietasti me, vt ascendere me faceres?* Secundum verò est, quòd subditur: *Et dixit Samuel: Cur interrogas me?* Et: *Dominus recessit à te.* Tertium demum est, cùm subinfertur: *Et cras tu, & filij tui mecum eritis, &* reliqua vsque ad illum locum: *Timuit Saul valde*

de verbis Samuelis. Ex his satis, vt arbitror, palam est, quòd si is, qui toties Samuel nominatus est, diabolus fuisset, haudquaquam huius sacræ historiæ auctor in non paruam ipsius sancti viri iniuriam, & in discrimen erroris fidelium, atque in auctoritatis sacræ Scripturæ detrimentum eum Samuelem tam sedulò nuncupasset. Postremò licet cacodæmon Samuelem Deo permittente ad Saulem adduxerit, siue traxerit: non tamen propter hoc iustitia aut sanctitas in eo penitus suffragium perdidit. Sicut nec in S. Iob, à diabolo tam vehementer afflicto, nec in Paulo colaphis, ab eodem affecto, nec in Antonio, ab ipso diris verberibus acto, nec etiam in ipso Domino Iesu Christo, à membris ipsius diaboli patibulo crucis affixo.

ASSERVNT ETIAM ADuersariorum quidam.

Conradus Pellicanus.

Ad lib. 1. Reg. cap. 28. Mulier Pythonissa superstitiosis ritibus suis contra Dominum Domino seruiens, & mala conscientia sua spiritus ad permissionem diuinam euocans, non sua, sed Domini virtute, qui impijs illusoribus illudit, & falsa cõtra Deum quærentibus, vt Balaam ariolo, vera respondet, qui futura cui, & quibus modis placet ostendit. Is Samuelis vel spiritum, vel spectrum Sauli præsentauit, non tam Pythonissæ infelicis opera, quàm sua sacrosancta prouidentia, qua cũcta gubernat ac disponit. Mulier videns prodeuntem Samuelem, &, vt Iudæi dicunt, reuerentiam aliquam velut regi exhibentem, vel alia quadam ratione, cognoscens Saul præsentem, clamat anxia, mori timens, dolum improperans, dixit Sauli: Deos, hoc est spectabilem personam, & diuinum aliquem spiritum, hactenus insolitum mihi apparere, video ascendentem de terra, virum senem, & pallio amictum. Intellexit ergo Saul quòd Samuelem videret, cuius spectrum & spiritum velut personam apparentem cernebat. Procidit itaque in faciem suam, & adorauit, cupiens ab illo meliora audire, quàm aliâs consueuerat, &c.

Ioannes Bodinus.

De Magorũ dæmonomania lib. 2. cap. 3. Saul exitum postremi in Philistæos prælij cupiens cognoscere, Magam Endore consuluit: quæ euocatum Samuelem, aut Samuelis imaginem sola vidit, Saule non vidente eum. Itaque rogauit eum Samuel, quamobrem interturbaret quietem suam, cùm à Deo relictus, & Deus ipsi inimicus esset, adiecit eum Dauidi regnum tradidisse, quod verbo eius Saul non obsecutus esset, ipsum quẽ & liberos eius fore secum die postero. Non sum nescius placere quibusdam Theologis diabolum fuisse istum, ac nõ Samuelẽ: sed bona pars refragatur, freta loco Ecclesiastici cap. 46. qui narrat in Samuelis laudibus, ipsum post mortem prophetasse, prænuntiata morte regis, & Philistæorum victoria. In eadem sententia est Iustinus Martyr, Rabbi Sædias, Haias, & Hebræorum plerique. Et ijs obseruandũ est istud suffragari, quòd responsio per Samuelis imaginem, quẽ diabolum putant, Saulifacta, magnum Iehouæ nomen habet quinquies repetitum, quod etiam audire dæmones perhorrescũt. Ideoque iudicium R. Dauidis Kimhi in hunc locum, neque Tertulliani libro de anima, neque Augustini amplecti possum, statuentium hunc fuisse diabolum, nec aduersantem huic sententiam planè confirmare.

ASSERVNT IVDÆI VETERES.

Iosephus Iudæus.

Lib. 6. Antiquit. cap. 15. Saul mutato regio habitu, ad Endorum & mulierem fatidicam proficiscitur, rogatq; eam, vt diuinet, educatque ad superos animam viri, cuius ipse voluerit, &c. iussit eam animã Samuelis excitare. Quæ cùm nesciret, quisnam fuisset Samuel, ab inferis hunc euocat. Quo in conspectum veniente, mulier specie viri diuina & veneranda perterrita ac stupefacta, versa ad regem, Nonne, inquit, tu es Saulus Rex? Hoc enim ex Samuele didicerat. Quo annuente, & rogante trepidationis causam, ait se videre ascendentem virum, diuina quadam specie præditum: percõtante deinde qua effigie, quoue habitu esset ac ætate, ait, senem esse venerandum, habitu sacerdotali amictum. Agnouit Rex Samuelem esse, & procidens adoratione salutauit. Anima autem Samuelis interrogante, quã ob causam se elici, ac suis moueri sedibus iusserit, necessitate se huc adactum conquestus est: imminere enim grauem hostium exercitum, & se inopem esse consilij, destitutum à Deo, neque per vates, neque per somniorum visiones futura præsignare dignante: quapropter ad eum se confugisse, cui res suas semper curæ fuisse sit expertus. Samuel verò adesse iam Regi extremum vitæ diem præuidens, superuacaneum respondit ex ipso futura scitari, cùm à Deo destitutum se agnoscat. Audi tamen, inquit, in fatis esse, vt Dauid assumpta regia dignitate bellum ex sententia conficiat, te verò & principatum & vitam simul amittere, eò quòd in bello, quod contra Amalechitas gessisti, obediens Deo non fueris, &, quæ tibi per me etiam tum viuum mandauit, neglexeris. Scito igitur, & exercitum tuum ab hoste profligandum, & te vnà cum filijs in prælio cadentem, cras mecum futurum.

Rabbi Eleazar.

Thalmud in libro Hagiga, id est historia: Dicitur in capite, quod incipit: *Omnes tenentur:* R. Eleazar cùm appropinquaret ad Scripturam hanc 1. Reg. 28. scriptam: *Et dixit Samuel ad Saul: Quare terruisti me, vel tremere me fecisti, faciendo me ascendere?* dicebat: Ex quo Samuel iustus de iudicio timebat, quanto magis nos? Et quid est, quod scriptum est ibidem? *Et dixit mulier ad Saul: Deos, vel iudices vidi ascendentes de terra.* Quoniam duo erant, quorum vnus erat Samuel, alter Moses. Iuit enim Samuel, & adduxit Mosen secum, & ait: Forsitan (quod absit, & pax sit) ad iudicium quæror. Surge ergo mecum. Nec enim vna quidem dictio est in lege abs te scripta, quam ego non compleuerim.

Midras Vaickra. Expositio Leuitici.

Ad illa verba Leuitici cap. 20. *Vir, siue mulier, in quibus fuerit spiritus Pythonicus, morte morientur.* Fecit mulier Samuelem ascendere, sicut dictum est 1. Reg. 28. *Et vidit mulier Samuelem, & clamauit: Cur decepisti me? Nam tu es Saul.* Et vnde cognouit eum? Dixerunt magistri nostri, quòd non eodem modo ascendit mortuus Regi, & alijs. Quando enim regi ascendit, faciem habet sursum, & pedes deorsum: quando autem rustico, faciem habet deorsum, & pedes sursum. *Dixit ad eam Rex: Ne timeas, sed quid vidisti? Et ait mulier: Deos, vel iudices:* quod

ideo dixit, quia duo fuerunt. Et qui fuerunt? Moses, & Samuel. Cùm audiuit hoc Saul, timuit: quoniam vnum vocauerat, & duo ascenderunt. Sic enim dictum est ibidem: *Ascendentes de terra. Et ait ad eam: Quae est forma eius?* Samuelis videlicet. *Dixit ipsa: Vir senex ascendens, & amictus pallio. Et ait Samuel ad Saul: Cur terruisti me, vel tremere me fecisti, vt faceres me ascendere?* Ecce verba, in quibus est ratio à loco maioris & minoris. Nam si eximius omnium Prophetarum, Samuel scilicet iudicium timuit, quanto magis cæteri omnium? Et quid est, quod ei adiecit? *Et eras tu, & filij tui mecum eritis. Mecum,* id est in pace mea, &c.

R. Salomon.

Ad cap. 28. lib. 1. Regum: *Deos vidi.*) Angeli duo ascenderunt Moses, & Samuel. Putabat enim Samuel, se vocari ad iudicium, & propterea ascendit cum eo Moses.

ARTICVLVS VNDECIMVS.

HOMINES, QVI DVM HIC VIVVNT, ALIOS VEL SANCTITATE, VEL POTESTATE PRAECELLVNT, HONORANDOS ESSE.

ASSERVNT SACRÆ LITERÆ.

Genes. 23. Vers. 7. Surrexit Abraham, & adorauit populum terræ. 12. Adorauit Abraham coram populo terræ.

Genes. 33. 1. Eleuans Iacob oculos suos, vidit venientem Esau. 3. Et ipse progrediens, adorauit pronus in terram septies. 6. Et appropinquãtes ancillæ, & filij earum, incuruati sunt. Accessit quoque Lia cum pueris suis: & cùm similiter adorassent, extremi Ioseph & Rachel adorauerunt.

Genes. 42. 6. Et Ioseph erat princeps in terra Aegypti, atque ad eius nutum frumenta populis vendebantur. Cumque adorassent eum fratres sui, & agnouisset eos, quasi ad alienos durius loquebatur.

Genes. 48. 12. Cumque tulisset eos Ioseph de gremio patris, adorauit pronus in terram.

Genes. 50. 18. Venerunt ad Ioseph fratres sui, & proni adorantes in terram, dixerunt: Serui tui sumus.

Exodi 20. 12. Honora patrem tuum & matrem tuam, vt sis longæuus super terram.

Leuit. 19. 32. Coram cano capite consurge, & honora personam senis.

Ruth 2. 10. Ruth cadens in faciem suam, & adorans super terram, dixit ad Booz, *&c.*

1. *Reg. 24.* 9. Et respexit Saul post se, & inclinans se Dauid pronus in terram, adorauit, dixitque ad Saul, *&c.*

1. *Reg. 25.* 23. Cùm vidisset Abigail Dauid, festinauit, & descendit de asino, & procidit coram Dauid super faciem suam, & adorauit super terram, & cecidit ad pedes eius.

2. *Reg. 9.* 6. Cùm venisset Miphiboseth filius Ionathæ ad Dauid, corruit in faciem suam, & adorauit.

3. *Reg. 1.* 16. Inclinauit se Bethsabee, & adorauit Regẽ. 23. Cùm introijsset Nathan in conspectum Regis, & adorasset eum pronus in terram.

4. *Reg. 2.* 15. Filij Prophetarum venientes in occursum Elisei, adorauerunt eum proni in terram.

1. *Paral. 21.* 21. Cùm veniret Dauid ad Ornan, conspexit eum Ornan, & processit ei obuiam de area, & adorauit eum pronus in terram.

1. *Paral. 29.* 20. Inclinauerunt se, & adorauerunt Deum, & deinde Regem.

Psalm. 138. 17. Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui Deus.

Daniel.

Daniel. 2. 46. Rex Nabuchodonosor cecidit in faciem suam, & Danielem adorauit.

Ecclesiastici 3. 6. Qui honorat patrem suum, iucundabitur in filijs. 8. Qui timet Dominum, honorat parentes.

Eccles. 38. 1. Honora medicum propter necessitatem.

Iudith 10. 19. Videns Iudith Holofernem sedentem in conopæo, & cùm in faciem eius intendisset, adorauit eum, prosternens se super terram.

Rom. 12. 10. Honore inuicem præuenientes.

Rom. 13. 7. Reddite omnibus debita, cui honorem, honorem.

1. *Petri* 2. 17. Omnes honorate. Regem honorificate.

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Clemens Romanus. 80.

Constit. Apostolicarum lib. 7. cap 10. Timebis Regẽ: scis enim Domini esse vltionem: magistratus eius honorabis, & Dei ministros.

Ignatius. 100.

Epistola ad Smyrnenses: Honorare oportet & Regem. Nec enim Rege quisquam præstantior.

Theophylus Antiochenus. 170.

Lib. 1. ad Autolycum: Quæ cùm ita sint, magis honorabo Regem, siue Cæsarem, non tamen eum adorabo; verùm pro eo orabo. Deum, qui verè verus est, adorabo. Non ad id Rex à Deo institutus est, vt adoretur; sed vt legitimo, qui ipsi congruit, honoretur honore. Rex enim siue Cęsar Deus non est.

Eusebius Cæsariensis. 320.

Lib. 4. Hist. cap. 14. Docemur magistratibus & potestatibus à Deo constitutis eum honorem, qui nostrorum animorum saluti, nostræque religioni nihil adfert detrimenti, pro dignitate tribuere.

Athanasius. 340.

Ad finem libri de Virginitate: Si homo iustus ædes tuas intrauerit, cum timore ac tremore occurrẽs illi, adorabis humi ad pedes illius. Siquidẽ illum non adorabis, sed Deum, qui illum mittit.

Ioannes Chrysostomus. 400.

Homilia 23. in epist. ad Romanos: Non solùm pecunias magistratibus pẽdere iubet, sed & honorem, & timorem.

Homilia 66. in Genesin: *Et eduxit eos Ioseph à genibus, & adorauerunt eum super faciem super terrã.*) Vide quomodo & pueros statim ab initio debitum seni honorem reddere docuit.

Procopius Cæsareensis. 540.

De bello Vandalico lib. 2. cap. 6. Gelimer & Bellisarius iussi ab his, qui imperatoriam purpuram sustinebant, Iustinianum supplices adorauerunt.

Theophylactus. 900.

Ad caput 12. epist. ad Romanos: *Honore vos mutuo præuenientes.*) Quî fraterna charitas persueret, differit; ex mutuo nimirum honore, quo alius alium anteuertit. Hoc enim est prœuenire, dum alius alium mutuo honorando anteuertit.

Ioannes Zonaras. 1100.

In Iustiniano: Cùm ad Imperatorem peruentum est, Bellisarius Gelimero persuadet, vt humi procumbat, & Imperatorem adoret. Facit ille, vt iubebatur, lachrymis oppletus; procumbit & ipse Bellisarius, vt Gelimero ostenderet, eum id facere, non vt captiuum, sed quia moris sit hoc modo adorari Romanorum Imperatorem, eiusque calamitatem subleuaret. Cùm eundem honorem & Imperatrici habuisset Gelimerus, hospitio splendido & regijs ministerijs iam ante præparatis excipitur.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Tertullianus. 200.

Ad Scapulam cap. 2. Christianus Imperatorem sciens à Deo constitui, necesse est, vt & ipsum diligat, & reuereatur, & honoret.

Prudentius. 380.

Lib. 1. contra Symmachum:

Denique pro meritis terrestribus æqua rependens
Munera sacricolis, summos impertit honores
Dux bonus, & certare sinit cum laude suorum.

Augustinus. 400.

Quæstionum super Genesin quæst. 61. *Exurgens Abraham adorauit populum terræ.* Quæritur quomodo scriptum sit: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies:* cùm Abraham sic honorauerit populum quendam gentium, vt etiam adoraret? Sed animaduertendum est, in eodem præcepto non dictum: *Dominum Deum tuum* solũ *adorabis*, sicut dictũ est: *Et illi soli seruies*; quod est Græcè λατρεύσεις. Talis enim seruitus non nisi Deo debetur.

In Exod. quæst. 69. Ambiguè posita sunt verba, vel vtrũ sacrificauerit Deo vero in populo eius, quãdo vidit generum suum (*Iethro*), vel vtrum adorauerit eum ipse Moses. Quamquam de adoratione, etiamsi expresè positum esset, honor videretur socero redditus, eo modo, quo solet hominibus honorificentiæ causa exhiberi à Patribus: sicut de Abraham scriptum est, quòd adorauerit filios Heth. Gen 23.

Sedulius. 460.

Ad caput 13. epist. ad Romanos: *Cui honorem, honorem.*) Potest hic honor circa eos esse, qui sublimes videntur in mundo, vt videntes humilitatem seruorum, Christum laudent potius, quàm vituperent doctrinam Euangelicam. Idcirco debitores dicit, quia homini, qui dignus est honore, siue præsenti, siue futuro, dignum est & iustum inclinari. Illi enim quis inclinatur, à quo honorem accipit, idcirco debitor dicitur. Si enim hoc non feceris principi tuo, superbies: aut enim merito quis, aut ætate honorandus est.

Fortunatus. 580.

Lib. 3. vitæ S. Martini:

Hinc celer exilijt rapiens se Cæsar, & ardens,
Martini genua amplectens, pedibusq; volutans:
Sicq; superbum hominem se agnoscere pœna coegit;
Vilia regna probans, & celsa cacumina curuans,

Imperiale caput Sancti ad vestigia subdens, &c.
Nec regina pedes cessat lachrymosa rigare,
Sternens membra solo, suspendens gaudia voto.

Gregorius Magnus. 590.

Lib.10.epist.35. Laudabile discretumqúe est, reuerentiam & honorem debitum exhibere Prioribus.

Eligius. 640.

Homilia 1. Pacem cum proximis nostris illibatam custodiamus, *reddentes*, iuxta præceptum Apostoli, *omnibus debita: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem.* Vnde & B. Petrus præcipit: *Subiecti estote omni humanæ creaturæ propter Dominum: siue Regi, quasi præcellenti: siue ducibus, tanquam ab eo missis, ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum.*

Rom.13. 1.Pet.1.

Concilium Toletanum Sextum. 648.

Cap.13. Qui primatu dignitatis atque reuerentiæ vel gratiæ ob meritum in palatio venerabiles habentur, his à iunioribus modestus honor per omnia deferatur.

Rabanus Maurus. 840.

Ad caput 10. Iudith: Cùm Iudith adorat Holofernem, non est perturbatio timoris, sed conseruatio ordinis. Quoties enim sancti viri terrenę potestati impendunt honorem, non ex vitio adulationis, sed ex iure dignitatis hoc faciunt. Vnde Princeps Apostolorum in epistola sua docuit, dicens: *Subditi estote omni humanæ creaturæ propter Dominum, siue Regi, quasi præcellenti; siue Ducibus, tamquam ab eo missis, ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum.*

Ionas Aurelianensis. 860.

De cultu Imaginum lib.1. De adoratione, quę mortalibus humilitatis & subiectionis gratia æquè mortalibus exhibetur, multa in diuinis eloquijs exẽpla reperiũtur. E quibus est illud in lib. Genes. *Surrexit*, inquit, *Abraham, & adorauit populum terræ*, filios videlicet Heth. Et in eodem libro: *Cùm adorassent Ioseph fratres sui, & cognouisset eos.* Et in Melachim: *Inclinauit se Bethsabea, & adorauit Regem.*

Gen. 23. Gen.24. 3.Reg 1.

Bernardus. 1130.

Sermone 19. de Obedientia: Venerare omnes melioris scientiæ, ac melioris vitæ: venerare vnumquemque hominem pro suo merito sanctitatis. Maiori gradui reuerentiam tribue competentem. Secundùm dignitatem vnicuique tribue honorem.

Ioannes Saresberiensis. 1160.

Lib.8. Polycraticon c.17. Constat enim, quia Apostolorum oportet adorare vestigia: & illos esse vt patres honorandos, colendos vt dominos, qui eorum possident sedem, & imitantur vitam.

Innocentius Tertius. 1200.

Sermone in solennitate dedicationis Ecclesiæ: De adoratione hominum legitur, quia *Iacob videns Esau venientem præcesserit vtramque turmam, & pronus in terram adorauit septies.* Filij quoque Iacob adorauerunt Ioseph in Ægypto. Cur ergo Mardochæus noluit Aman adorare? Quoniam ille diuinam sibi volebat adorationem impendi.

Gen.33. Gen.43.

Reginaldus Rex Insularum. 1220.

Epistola ad Honorium Tertium: Beatissimo Patri Honorio Dei gratia summo Pontifici Reginaldus Rex insularum commendationem cum osculo pedum, &c.

Carolus Rex Siciliæ. 1266.

Epistola ad Clementem Quartum: Sanctissimo in Christo Patri ac Domino suo Clementi diuina prouidentia sacrosanctæ & vniuersalis Ecclesiæ summo Pontifici Carolus Dei gratia Rex Siciliæ, cum omni reuerentia & honore, post pedũ oscula beatorum.

Augustinus Triumphus. 1320.

In Canticum Deiparæ Virginis quæstione 3. An ex præcepto diuino aliquæ personæ sint honorandę tamquam parentes? Ex præcepto sacræ Scripturæ quinque generibus personarum honorem paternum tenemur exhibere. Primò Apostolis, & sanctis Doctoribus, quorum doctrina illuminamur, & in vita spirituali regeneramur. Secundò Prælatis, & Pastoribus, quorum regimine in vita & moribus regulamur: sunt enim ministri Dei, in ministrando nobis dona & Sacramenta Dei. Ideo sicut patres debemus eos honorare, præcipiente ipso Saluatore: *Qui vos audit, me audit: qui vos spernit, me spernit.* Tertiò Regibus & Ducibus, quorum potentia protegimur, & à rabie tyrannorum liberamur. Quartò nostris primoribus & benefactoribus, quorum beneficio viuimus, & sustentamur: tales enim debemus vt patres honorare & appellare. Quintò senibus & nostris antiquioribus, quorum narrationes audiuimus, gestis instruimur & informamur. Vnde præceptum fuit: *Coram cano capite consurge, & honora personam senis.* Omnibus istis supradictis Scriptura sacra honorem paternum præcipit exhiberi.

ARTICVLVS DVODECIMVS.

SANCTOS IN CAELO CVM CHRISTO TRIVMPHANTES VENERANDOS ESSE.

NEGANT.

Anno post Christũ natum. 200. 360. 390.

ETHNICI *corpora Martyrum proijciebant in mare, dicentes; ne forte efficiantur Dij Christianorum, & illi, qui Deos nostros adorare nolunt, seruos nostros incipiant adorare.* Eusebius lib.4.cap.15. lib.8.cap.6.

Iulianus Apostata reprehendit Christianos, quòd relictis Dijs Sanctos colerent. Cyrillus Alexandrinus lib.6. contra Iulianum.

Vigilantius Gallus Sãctos esse venerandos negabat. Hieronymus cõtra Vigilantiũ.

Faustus

400. Faustus Manichæus reprehendens Catholicos ob Diuorum cultum: *Idola*, inquit, *vertistis in Martyres, quos votis similibus colitis.* Augustinus contra Faustum Manichæum libro 20. cap. 4.

630. *Mahometus*, in Alcorano, *omnem Sanctorum cultum abrogat.*

740. *Constantinus Copronymus sanctos Martyres honore priuauit, cùm præcepit illos non esse Sanctos appellandos, sed simpliciter nominari debere Apostolos, Quadraginta Martyres, Theodorum, Georgium, & alios similiter.* Theosterictus oratione funebri in S. Nicetam.

820. *Claudius Taurinensis librum scripsit contra Sanctorum venerationem.* Ionas Aurelianensis libro de cultu Imaginum.

1390. *Ioannes VVicleuus Sanctorum veneration i se opposuit.* Thomas VValdensis Tomo 3. tit. 13.

1520. Martinus Lutherus ad Euangelium Dominic. 23. Trinitatis: *Et tali falsa & impia confidentia in homines collocata damnum quoque illud in Christianissmum irrepsit, Sanctorum nempe cultus & veneratio. Vnde Christiana Ecclesia maximum sanè damnum, & tantùm non incomparabilem ruinã perpessa est. Quid enim Sanctorum cultus & veneratio aliud fuit, nisi diabolica res?*

Epistola ad Erphordienses: *Non necessarium est Sanctos colere, sed sufficit Christiano nosse solum Christum esse colendum. Quamquam sit superuacaneum Sanctos colere, non tamen eos putarim respuendos, qui Sanctos adhuc colunt.*

1550. *Ioannes Caluinus*, lib.1. Instit. cap.11. §.11. & cap.12. §.1. & 2. *non patitur vllum cultum exhiberi Sanctis, vel Angelis, vel hominibus defunctis, nec magnum, nec paruum.*

ASSERVNT SACRÆ LITERÆ.

1. *Reg.2. Vers.30.* Quicunque honorificauerit me, glorificabo eum.

Psal.111.7. In memoria æterna erit iustus.

Prouerb.10.7. Memoria iusti cum laudibus; & nomen impiorum putrescet.

Ecclesiastici 44.1. Laudemus viros glorioſos, & parentes nostros in generatione sua. 7. Omnes isti in generationibus gentis suæ gloriam adepti sunt, & in diebus suis habentur in laudibus.

Ecclesiastici 45.1. Dilectus Deo & hominibus Moyses, cuius memoria in benedictione est. Similem illum fecit in gloria Sanctorum, & magnificauit eum in timore inimicorum, & in verbis suis monstra placauit.

Lucæ 1.28. Ait Angelus ad Mariam: Benedicta tu in mulieribus, *&c. Ipsa Maria canit Vers.48.* Beatam me dicent omnes generationes.

Ioannis 12.26. Si quis mihi ministrauerit, honorificabit eum Pater meus.

Rom.2.10. Gloria, & honor omni operanti bonum.

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Clemens Romanus. 80.

Constitut. Apost. lib.5. cap.7. De Martyribus verò præcipimus vobis, vt in omni honore sint apud vos, vt apud nos fuerunt Iacobus Episcopus, & Condiaconus noster Stephanus. Hos enim & Deus beatos fecit, & viri sancti honorârunt, & fuerunt puri omnis delicti, neque ad peccatum flecti, neq; à virtute detorqueri potuerunt, quorũ non sunt dubiæ laudes. De quibus Dauid aiebat: *Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius.* Et Salomon: *Memoria*, inquit, *iustorum cum laudibus.*

Psal. 115. Prou. 10.

Dionysius Areopagita. 100.

Ecclesiasticæ Hierarchiæ cap.3. Sed & illud quoque sacratius intuere, quòd impositis sacro altari venerabilibus signis, per quæ Christus signatur ac sumitur, adest protinus atque incunctanter Sanctorum catalogus, coniunctionem eorum indiuiduam, vnionemqúe cum illo altissimam & sacratissimam indicans.

Iustinus Martyr. 150.

Apologia 2. Sed & Deum Patrem, & eius Filium, qui venit, nosqúe hæc docuit, & aliorum sequentium, similiumq; bonorum Angelorum exercitum & spiritum propheticum colimus atque adoramus, verboq; & re seu veritate veneramur, idqúe omnibus qui discere volunt, vt docti institutiq; sumus, copiosè tradimus.

Ecclesia Smyrnensis. 170.

Epistola de Polycarpi martyrio: Martyres vt discipulos & imitatores Domini propter incredibilem eorum beneuolentiam, quam in proprium Regem & Magistrum declarauerunt, meritò amplexamur.

Irenæus. 180.

Lib.3.cap.20. Et cùm hæc ita se habeant, ad tantam temeritatem progressi sunt quidam, vt etiam Martyres spernant, & vituperent eos, qui propter Domini confessionem occiduntur, & subsistent omnia à Domino prædicta, & secundùm hoc conantur vestigia sequi passionis Domini, passibiles Martyres facti, quos & concedimus ipsis Martyribus. Cùm enim inquiretur sanguis eorum, & gloriam consequentur, tunc à Christo confundentur omnes, qui inhonorauerũt eorum martyrium.

Origenes. 240.

Homilia 3. in diuersos: Bene & secundùm voluntatem Dei Innocentum memoriam sancti Patres celebrari mandauerunt sempiternam in Ecclesijs, velut pro Domino morientium, velut pro Iudæis & gentibus crediturus, velut etiã pro ipsis parentibus.

Eusebius Alexandrinus. 260.

Homilia de Sanctis colendis: Ob hanc causam præcepit nobis Deus memorias Sanctorum celebrare, vt acceptis hymnis, & auditis laudibus benignum Deum exorent, vt preces nostras caducas admittat.

Eusebius Cæsariensis. 320.

Vitæ Constantini lib.4.c.59. Hæc omnia dedicauit Imperator, vt Seruatoris nostri Apostolorũ memoriæ apud omnes gentes æternitatem compararet.

De præparatione Euangelica lib.13. cap.7. Nos quotidie id facitamus. Nam veræ pietatis milites, vt Dei amicissimos honoramus.

Concilium Gangrense. 350.

Can.20. Si quis arrogantia vtens, & Martyrum congregationes abhorrens, & sacra, quæ in ijs celebrantur, & eorum memorias accuset, anathema sit.

Basilius Magnus. 370.

Oratione in 40.Martyres: Quis modus, aut quę satietas Martyrum memoriam prosequendi erit, illi præsertim, qui eorum amore ac charitate magnoperè tenetur? Nam honor in bonos à cõseruis collatus, beneuolentiæ significationem apud cõmunem Dominũ habet. Palam enim est, quemadmodum is, qui generosos homines ac fortes cum honore exceperit, in simili si fortè contingat occasione, imitari nõ dedignabitur. Venerare igitur legitimè Martyres, vt egregię voluntatis tuę te testẽ adducas, ac demũ sine persecutione, sine igne, sine verberibus ac plagis, eodem cum illis prędmio dignus habearis. Nobis hodierna die non vnum propositum est celebrare, neq; duos, neq; decẽ, sed quadraginta, &c. Quæ digna laus, quæ sermonis copia poterit his adhiberi? Nõ enim linguę quadraginta ad prosequendum talium virorum virtutem sat fuerint.

Cyrillus Hierosolymitanus. 370.

Catechesi 5. Cùm hoc sacrificiũ offerimus, post ea facimus mentionem eorum, qui ante nos obdormierunt, primùm Patriarcharum, Apostolorum, Martyrum, vt Deus orationibus illorũ suscipiat preces nostras.

Ephræm. 370.

Sermone de Martyribus: Vos nempe verè beati & gloriosi estis, quos Angeli & homines pari consensu beatos prædicant.

Epiphanius. 380.

Hæresi 79. Sancti sunt in honore, quies ipsorum in gloria, perfectio ipsorum in beatitudine.

Hæresi 80. Sit in honore Maria, Dñs adoretur.

Gregorius Nyssenus. 380.

Oratione in S.Theodorum Martyrem: Cui regum talis honor habetur? Quis ex ijs, qui supra modum inter homines excellere visi sunt, tali memoria celebratur? Quis Imperatorum adeò decantatus, & fama celebratus est, vt hic miles pauper, modò conscriptus, & tyro; quem Paulus armauit, quem Angeli vnxerunt, quem Christus coronauit? &c. Vt seruus fidelis Deùm adoras, ad nos, qui te colimus & honoramus, accede.

Gregorius Nazianzenus. 380.

Oratione 3. quæ est inuectiua prior in Iulianum: Iam sumptuosissimis quoq; Martyrum monumentis, & votiuorum donorum munificentijs, omnibusq́ue alijs rebus, quibus diuinus timor insignitur, sapientiæ studium Christiq; amorem declarabãt, &c. Iulianus, vt alia, ita eum quoque, quo Martyres affici solent, honorem athleris inuidebat.

Oratione 6. quæ est ad Gregorium Nyssenum, cùm postridie illius diei, quo Episcopus creatus fuerat, veniisset: Si ad hunc modum coimus, aut confluimus, reuera festũ hunc diem, vt Christo gratum est, celebramus: reuera Martyres honore afficimus, aut afficiemus: reuera triumphalem choream agimus.

Oratione 18. quæ est oratio in laudem Cypriani Martyris: Cyprianus ferè nos effugit, (ô ingens damnum!) idq; vos passi estis, qui eum omnium maximè suspicitis, annuisq; honoribus festis q; celebratis, &c. Martyrum honoribus oblector, pugilum cruoribus exulto, atq; aliorum quidem certamina & victorię sunt, coronæ autem meæ. Atq; omniũ quidem Martyrum memoria celebranda est, omnibus & linguę, & aures, & mentes promptè aperiendæ, vt de eorum laudibus libenter aliquid dicamus, & audiamus, omniaq; alia eorum certaminibus inferiora esse censeamus.

Orat.22.quæ est in laudem Machabæorum: Machabęi quamuis apud multos non honorentur, quia nõ post Christum decertârunt: digni tamen sunt, qui ab omnibus honore afficiantur, quoniam pro legibus institutisq; patrijs fortẽ animũ præstiterũt.

Orat.48.quæ est oratio in laudem Martyrum: En oculis nostris incredibile spectaculum proponitur, quod videre quidem sæpe optauimus: præstãtior autem voto erat hæc cupiditas. Rursum hìc Martyrum honores multo iam antehac tẽporis spatio neglecti: rursum sacerdotum Dei concursus: rursum tripudia & spirituales celebritates.

Epistola 90. Tu & nobis vt aduersa valetudine laborantibus curam & officium debes, & itẽ sanctis Martyribus anniuersariũ honorem debes, quem in Arianzis tuis 22. mẽsis Dathusa die celebramus.

Epist.95. Tendentem me ad vos omni studio ac celeritate conuentus ille retinuit, quem illic in sanctorum Martyrum honorem celebratis.

Ioannes Chrysostomus. 400.

De Iuuentino & Maximiano Martyribus: Martyres semper in eodem manent vigore, semper in eodẽ iuuentutis flore sunt, semper suæ gloriæ fulgorem emittunt & radios. Quod scientes non aliter priscos, aliter recentes colitis Sanctos, sed eadem alacritate omnes.

Atticus Constantinopolitanus. 426.

Epistola ad Petrum & Aedesium Diaconos: Scribimus vobis de sancto Ioãne Chrysostomo, sacris tabulis inserto, de sententia præcipuè pijssimorũ Principum, & omniũ deinde Orientalium Episcoporum, ipsorum q; adeò Occidẽtalium, vt memoria eius, propter communem orbis vniuersi pacem celebretur.

Cyrillus Alexandrinus. 430.

Apud Damasc. lib. 2. Parallelorum c.7. Sanctorũ vrnas honoramus, ac velut in præclarissimæ ipsorũ virtutis magnitudinisq; animi prędmiũ, & mercedem nunq; intermorientem ipsis memoriam rependimus. Viros sanctos fidem seruantes honore afficimus, & eos, qui fortitudinis dotibus, tamquã coronis quibusdã, prędclarè redimiti sunt, quiq; ad extremũ vsq; spiritũ dimicârũt, & pro Christi religione martyrium obierũt, & per præclara facinora pietatis causa edita nomẽ suũ illustrârunt.

Lib.6.cont.Iulianũ: Sanctos Martyres neq; Deos esse dicimus, neq; adorare consueuimus: laudamus aũt eos potius summis honoribus, quòd pro veritate strenuè certârunt, & fidei sinceritatẽ seruârunt, ita vt & suã animã contempserint, & mortis terroribus valedicentes præualuerint in summis periculis, tantęq; fuerint fortitudinis, quasi statuas sibi suæ vitæ excitaturi. Proinde non est indignũ, imò etiam necessarium, eos, qui tã claris operibus glorioſi sunt, perpetuis honorari laudibus.

Sozomenus. 440.

Lib.5.c.18. Vbi verò Gallus, frater Iuliani, Cęsar à Constantio designatus, Antiochiæ ætatẽ degit, quoniã Christianus erat, imprimis eos, qui pro religione Christiana martyriũ obierant, colebat.

Theodoretus. 450.

Eccles. historia lib.3.c.14. de Iuuentino & Maximiano Martyribus: Iulianus Imp. causam, cur eos supplicio affecisset, non in veram pietatem, pro qua erãt è medio sublati, sed in petulantiam transtulit. Siquidem

quidẽ eos propterea mulctatos dixit, quòd ipsum contumelijs vexârant. Atque ista idcirco diuulgari mandauit, quòd veritatis athletis & nomen Martyrum, & honorem inuideret.

Lib.8.Græcarum affectionum: Quid igitur, viri Græci, qui defunctos tot numero homines appellatis Deos, aduersus nos indignationem cõcipitis, cùm nullos quidem nostrorum hominum referamus in Deos: quamquã debitos honores Martyribus persoluamus, vt Dei testibus seruisq; amantissimis, &c.? Atqui nos, ô Græci homines, nec hostias Martyribus, nec libamina vlla deferimus, sed vt sanctos homines, Deiq; amicissimos honoramus. Tanto enim amore Creatorem Deum, generisq; humani vindicem prosecuti sunt, vt amabile illis fuerit pro accepta semel religione iugulũ percussori porrigere.

Iustinianus. 530.

Nouella 16. Si autem vnius Sanctorum meminerit, aut venerandorum Martyrum facturus est memoriam, &c.

Procopius Cæsareensis. 540.

Oratione 1. de ædificijs Iustiniani: Iustinianus Diuis Prisco & Nicolao nouum templum extruxit: vbi iam Bizantini (vt plurimum) demorãtur, diuersanturq́ue, publicos illos Diuos & opitulatores venerantes & obstupescentes.

Oratione 2. Iustinianus Rex prouidentiã Reip. administrandę perscrutans, & imprimis Diuos colens Cosmam & Damianum: quorum corpora propè vsque ad mea tempora requiescunt.

Euagrius. 590.

Lib.1.c.16. Deus optimus maximus animũ Theodosij impulit, vt diuinum Martyrem Ignatium maioribus afficeret honoribus, & templum iam olim dæmonibus dedicatum Ignatio victori & Martyri consecraret.

Sophronius Hierosolymitanus. 630.

Serm.de Cyro & Ioanne: Venerentur alij aliter Sãctos hos, diuersimodè eorum dona magnificãtes, benefactaq; multifariam prędicantes: hi quidem excelsorũ templorũ erectionibus, illi verò variorum vnionum ornatibus: alij gemmarũ & auri contextibus, alij prędaro pictorum artificio, alij aureis argenteisq; donarijs, alij fericis bõbicinisq; texturis, & (vt vno dicam verbo) omnes in Martyrum honorem, pro cuiuslibet opibus & voluntate, inuicem vincere contendant, quò affectionẽ erga Sanctos hos ostendant, referantq; pro corruptibilibus immarcescentia, pro temporarijs ea quæ finem nõ habent prędmia: talibus enim donis admirandi isti suos amatores rursum afficere solent.

Ioannes Damascenus. 730.

Orthodoxæ fidei lib.4.c.16. Sanctis, vt Christi amicis, & Dei filijs atq; hęredibus honor haberi debet, quemadmodum inquit Theologus & Euãgelista Ioannes: *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatẽ filios Dei fieri,* &c. Ecquid igitur causæ esse potest, quin eos honore complectamur, qui Dei serui, & amici, ac filij appellati sunt? Etenim is honor, qui probis conseruis habetur, beneuoli erga communem Dominũ animi argumentũ est, &c. An non honorãdi, qui totius humani generis patronos se profitentur, ac Deo nostri causa supplicant? Honorandi certè, & quidem ita, vt in eorum nomine templa Deo extruamus, dona offeramus, eorum memoriam colamus, atque in ea spiritualiter oblectemur.

Ioan 1.

Pseudosynodus Constantinopolitana. 780.

Act.6.defin.17. Si quis nõ cõfitetur Sãctos venerãdos esse coram Deo & anima & corpore anathema sit.

Synodus Nicæna Secunda. 799

Actio 3. Apostolicas Ecclesiæ traditiones, quibus veneratio culturaq; Sanctorũ docetur, recipimus ac veneramur: Eos aũt vt ministros, & amicos, & filios Dei existentes honoramus. Honor enim, qui conseruis idem sentientibus inuicem exhibetur, indicium est beneuolentiæ erga Dominum. Sunt enim promptuaria Dei, & pura Christi habitacula, Spiritusq́ue sancti immaculata specula.

Elias Cretensis. 790.

In oratione 3. Nazianzeni: Quibus de causis sancti illi Martyres & magnificis honoribus afficiuntur, & publica festa in eorum honorem celebrantur.

Theosterictus. 820.

Oratione funebri in S.Nicetam: Constantinus Leonis filius, malæ radicis malum germen, sanctos Martyres, quantum in ipso fuit, honore priuauit, cùm præciperet, illos non esse appellandos Sanctos, sed simpliciter nominari Apostolos, quadraginta Martyres, Theodorũ, & alios similiter.

Michael Syncelus. 830.

In Dionysio Areopagita: Eos, qui in sacram ac venerandam hanc tuã celebritatem, & optatissimam memoriam celebres conuentus agunt, laudantes, ac martyrium præmio dignissimum honorantes aspicere velis, &c.

Procopius Chartophylax. 900.

Laudatione in S.Marcum Euangelistam: Alexandriã Marcum vt Euangelistam, vt Martyrem magno prędonio extollit, & hymnos eius appellationibus congruentes concelebrat. Videt hunc in monumento positũ, licet in supernis regionibus eius anima versetur & exultet. Eius pulueris thesauro locupletata, funebres cantus ipsi Apostolo pronuntiat, & tamquam cum viuente aliquo, & in spiritu versante colloquitur, & gratijs per illum ipsum cõcessis oblectatur: & pro illis honoribus, quos Apostolo congruentes velut dona quædam offert, maiora beneficia vicissim recipit.

Simeon Metaphrastes. 950.

De SS. Codrato, Cypriano, &c. Æquum est igitur fratres, vt considerantes præsentia sic à Christo disponi & gubernari, vt perpetuò nobis afferant vtilitatem, eos, qui lege diuina ipsi cõsecrati sunt, quiq; se cæteris hominibus præstantiores exhibuerunt, & Christi ærumnas delicijs prætulerunt, meritis laudibus celebremus, eosq́ue ad maiora contendentes studeamus imitari.

Constantinus Hermenopulus. 1250.

De hæreticorum opinionibus: Massiliani Deiparam nullo dignantur honore, neque Præcursorem ac Baptistam Ioannem, neque Sanctos, Martyribus exceptis.

Nicephorus Callistus. 1300.

Lib.14.cap.44. Sed id prouidẽtiæ diuinæ fuit, vt simul & Martyrũ potentia manifesta fieret, & sacræ eorum Reliquiæ longè ab idolorum nidore abessent, & sacro loco repositæ, debito, pro eo atque conuenit, honorentur delubro.

Ioannes Cantacuzenus. 1360.

Apologia 3. Christi Martyr Georgius à nobis Christianis colitur, quem etiam ipsi Musalmani in honore habent.

Zaga Zabo Episc. Aethiops. 1530.

In confessione fidei Aethiopicæ: Credo sanctos Prophetas & Apostolos, Martyres & Cõfessores veros Christi imitatores fuisse, quos cum sanctissimis Dei Angelis veneror, & honoro: pariq; modo etiam oẽs illorum sectatores cõplector & deosculor.

Hieremias Constantinopolitanus. 1580.

Responſ.2.cap.de Sanctorum inuocatione: Honorandi sunt Sancti, tamquam amici Dei, tamquam filij &

heredes,&c. Christum verum Deum nostrum, & Sanctos eius, verbis, picturis,sacrificiis, templis, imaginibus,honorantes: illum quidem vt Deum & Dominum venerantes; hos autem propter illum,vt germanos famulos, schetica illa adoratione afficientes: latreuticè verò neminem præter solum Deum adorantes.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Cyprianus. 250.

Lib 4. epist. 5. *Epist.34.* Laurentius & Ignatius palmas à Domino & coronas illustri passione meruerunt: Sacrificia pro ijs semper, vt meministis, offerimus, quoties Martyrum passiones & dies anniuersaria commemoratione celebramus.

Concilium Carthaginense Primum. 350.

Cap.2. Martyrum dignitatem nemo profanus infamet. At si quis ad iniuriam Martyrum, claritati eorum adiungat infamiam, placet eos, si laici sint, ad pœnitentiã redigi: si aũt sunt clerici, post cõmonitionẽ, & post cognitionẽ honore priuari.

Ambrosius. 370.

Serm.6. Igitur fratres quotiescunq; Martyrũ memoriam celebramus, prętermissis omnibus seculi actibus, sine aliqua dubitatione concurrere debemus, & reddere illis honorificentiã, qui nobis salutẽ profusione sanguinis sui pepererunt: qui tam sacrata hostia pro nostra propitiatione Domino sunt oblati; prętim cùm dicat ad Sãctos
Lucæ 10. suos omnipotens Deus: *Qui vos honorat, me honorat: qui vos spernit, me spernit.* Quisquis ergo honorat Martyres, honorat Christum: & qui spernit Martyres, spernit & Dominum.

Ser.93.de Nazario & Celso: Honoro in carne Martyris exceptas in Christi nomine cicatrices: honoro virtutis memoriã perennitate virtutis: honoro in cineribus semina ęternitatis: honoro corpus, quod mihi Dñm meũ ostendit diligere, quod me propter Dominum docuit mortem non timere.

Prudentius. 380.

Hymno 11. de S. Hippolyto:

Si bene commemini, colit hunc pulcherrima Roma
Idibus Augusti mensis, vt ipsa vocat.
Crede salutiferos feret hic venerantibus ortus,
Lucis honoratæ præmia restituens.

Hieronymus. 390.

Epist.53.ad Riparium: Honoramus Martyrũ Reliquias, vt eum, cuius sunt Martyres adoremus: honoramus seruos, vt honor seruorum redundet ad
Matt. 10. Dominum, qui ait: *Qui vos suscipit, me suscipit.*

Ad cap.3.Sophoniæ: Quos alios possumus intelligere filios Ecclesiæ nominatos, nisi Apostolos? Vide mihi Petrum, & Paulum, & Matthęũ, & Ioannẽ, &
Genes 12. considera hoc, quod ad Abrahã repromissum est: *Magnificabo nomen tuum in opere perpetratũ.* Quotidie nominatur in Ecclesia, quotidie magnificatur nomẽ eorum: nõ quòd ipsis prosit à nobis in Ecclesia nominari, sed q; nos magnificantes nomẽ eorum, & quę scripserunt lectitãtes, consequamur salutẽ.

Gaudentius. 400.

Tract de Machabæis: Si quis vestrũm, fratres dilectissimi, fortasse miratur, Iudæos viros, supplicia pro legis pręcepto perpessos, nũc à Christiana plebe inter Sanctos Martyres honorari: is profectò, si omnem sanctæ religionis causam rationemq́ue cognouerit, intelliget probabili ac summo iudicio id fuisse à nostris maioribus constitutum.

Augustinus. 400.

Libro 20.contra Faustum Manichæũ cap.21. Populus Christianus memorias Martyrum religiosa solẽnitate cõcelebrat, & ad excitãdam imitationem, & vt meritis eorum consocietur, atque orationibus adiuuetur: ita tamen, vt nulli Martyrum, sed ipsi Deo Martyrum sacrificemus, quamuis in memorias Martyrum constituamus altaria. Quis enim Antistitum, in locis Sanctorum corporũ assistens altari, aliquãdo dixit: Offerimus tibi Petre, aut Paule, aut Cypriane; sed quod offertur, offertur Deo, qui Martyres coronauit, apud memorias eorũ, quos coronauit. Colimus ergo Martyres eo cultu dilectionis, & societatis, quo & in hac vita coluntur sancti homines Dei, quorum cor ad talem pro Euangelica veritate passionem paratũ esse sentimus. Sed illos tanto deuotius, quanto securius post certamina superata, quanto etiam fidentiore laude prædicamus, iam in vita feliciore victores, quàm in ista adhuc vsq; pugnãtes. At verò illo cultu, quæ Grecè latria dicitur, Latinè vno verbo dici non potest, cùm sit quædam propriè diuinitati debita seruitus, nec colimus, nec colendum docemus, nisi vnum Deum.

Epist.44. Ostẽdatur mihi Romæ in honore tanto templum Romuli, in quanto ibi ostendo memoriam Petri: In Petro quis honoratur, nisi Christus defunctus pro omnibus?

De ciuit.Dei lib.8.c.27. Honoramus sanè memorias Martyrum, sanctorum hominũ Dei, qui vsq; ad mortem suorum corporum pro veritate certârunt, vt innotesceret vera religio, falsis religionibus fictisq; conuictis. Quis autem audiuit aliquando fidelium, stantem ad altare, etiam super sanctum corpus Martyris, ad Dei honorem cultumq; constructum dicere in precibus: Offero tibi sacrificium Petre, vel Paule, vel Cypriane, cùm apud eorũ memorias offeratur Deo, qui eos & homines, & Martyres fecit, & sanctis suis Angelis cęlesti honore sociauit: vt ea celebritate & Deo vero de illorũ victorijs gratias agamus, & nos ad imitationem talium coronarum atque palmarum eodem inuocato in auxilium, ex eorum memoriæ renouatione adhortemur?

Paulinus Nolanus. 410.

Natali 8. S. Felicis:

Cuius honore Deus gaudet, quia Martyr honorem
Contempsit proprium.

Seuerus Sulpitius. 410.

Epist.ad Bassulã: Martino diuinis plauditur psalmis: Martinus hymnis cælestibus honoratur.

Maximus Taurinensis. 430.

In Natali Petri & Pauli: Gloriosissimos Christianę fidei Principes annuis solennitatibus honorãtes, ipsum Dominum ac Deum nostrũ, qui huius auctor est fidei, debita religione veneramur: Apostoli namque Latino sermone dicuntur missi. Qui ergo honorant missos, manifestũ est eos honorare mittentem. Quoniã dignitas, quæ defertur ministris, illi fine dubio, cuius ministri sunt, exhibetur, vt ait ipse Saluator ad discipulos suos: *Qui vos audit, me audit: qui vos recipit, me recipit.* Luc.10. Matt.10.

In Natali SS. Octauij, Aduentitij, & Solutoris Martyrum: Cuncti Martyres deuotissimè percolẽdi sunt, sed specialiter ij venerãdi sunt à nobis, quorũ Reliquias possidemus.

Leo Primus. 450.

Serm.de S.Vincentio c.1. Cunctorum licet gloriosas Martyrũ passiones, quos distincta regionibus loca meruerunt, vna fides faciat omnibus indiscreto honore venerabiles: propriam tamẽ sibi in hoc venerationis obsequio illi vindicãt dignitãtem, qui Ecclesiam Dei & documentis præ cæteris exercuerunt, & patrocinijs adiuuerunt: inter quos iustè beatum Leuitam Vincentium celebramus.

Eucherius Lugdunensis. 450.

Homil.3.in Natali Apostol. Considerate fratres mei quanta

deuotione sanctos Apostolos honorare debeamus, quos ipse Dominus iam non seruos, sed amicos vocat.

In Natali S.Genesij: Vnde meritò populi in prosperis colunt Genesium, quem præsentem in periculis cognouerunt.

Antoninus Constantinienſis. 470.

Epistola ad Arcadium: Iam in stadio es, calca fortiter, ne timeas, nihil paueas, nihil penitus pertimescas: quia omnis pro te Ecclesia deprecatur, vt vincas; expectat te Ecclesia Martyrem suum, vt honorificet, sicut Stephanum suum.

Victor Vticenſis. 480.

De persecutione Vandalica lib.1. Quem cùm Theodoricus regis filius, qui eius dominus erat, pœnis nõ valentibus capite truncari iussisset, à suo prohibetur Iucundo presbytero, dicenti sibi: Poteris eum diuersis afflictionibus interficere. Nam si gladio peremeris, incipient Romani Martyrem prædicare. Tũc Theodoricus in Bizacenam prouinciam ad fodiendas eum condemnat scrobes.

Lib.3. Segregantur duodecim illi pueri corpore, non spiritu à grege Sanctorum, qui timentes præcipitium, cum suspirijs lachrymarum ne diuellerentur constringebant manibus genua sociorũ, &c. Quos interfectos nunc Carthago miro colit affectu, & quàsi duodecim Apostolorum chorum conspicit puerorum.

Gelasius. 490.

Decreto de Apocryphis Scripturis: Nos cum prædicta Ecclesiâ omnes Martyres, & eorum glorioſos agones, qui Deo magis, quàm hominibus noti sunt, omni deuotione veneramur.

Gregorius Turonenſis. 570.

Libro 4.vitæ S. Martini: Cùm sæpe videamus virtutum insignia prodire de tumulis Beatorum, nõ immeritò commouemur debitam ijs reuerentiam impendere.

Fortunatus. 580.

Lib.2. vitæ S. Martini:

Vir transcripte potens æterna in secula ciuis,
Signifer arma crucis fers nobilitata triumphis,
Dulcu, adorande, & mihi pectore, voce colende,
Cuius prosaicus cecinit prius acta Seuerus.

Gregorius Magnus. 590.

Lib.3. Dialogorum cap.24. Qua in re quid beatus Apostolus Petrus seruiẽtibus sibi voluit, nisi præsentia sui respectus ostendere, quia quicquid pro eius veneratione agerent, ipse hoc pro mercede retributionis sine intermissione semper videret?

Isidorus Hiſpalenſis. 620.

De Officijs Ecclesiasticis lib.1. cap.34. Honorandi sunt Martyres propter imitationem, nõ adorandi propter religionem: honorandi charitate, non seruitute.

Hildephonſus Toletanus. 660.

Sermone 1. de Assumptione Mariæ: Imitamini Matrem Virginem, & Sanctos omnes, quos laudatis: quoniam non tantum illis nostra prodest laudatio, quantum nobis eorum imitatio. Verè laudare Deum & Sanctos in ipsum iam opus virtutis est, dum proficit mens, & accenditur igne diuini amoris, solidaturq́ue fundamento veræ humilitatis.

Adrianus Primus. 780.

Epistola ad Constantium & Irenem AA. Omnes Principes, etiamsi pessimi sint peccatores, adoramus, & libẽter salutamus: quid vetat igitur, quò minus non liceat & Sanctos Dei ministros venerari, & in memoriam eorum imagines statuere, & erigere, ne in obliuionem perpetuam veniant?

Ludoicus Primus. 840.

Epistola ad Hildoinum Abbatem: Prædecessores nostri gloriam huius eximij testis (*Dionysij*) & amici Dei non inaniter coluerunt, qui dum eius sacras exuuias in terris ob honorem & amorem Christi opibus, quibus poterant, honorauerunt, per eius preces dignissimas honoris priuilegio potiri, & in terrenis, & in cælestibus meruerunt.

VVitichindus. 950.

De gestis Saxonum lib.1. Colito hunc tantum patronum (*S.Vitum*) quo adueniente Saxonia è serua facta est libera, ex tributaria multarum gentium domina.

Notgerus. 980.

In vita S.Landoaldi: Mansit honos, & cultus, & reuerentia circa Sanctorum corpora, quoadusq; effera gens Nortmannorum sedibus suis non cõtenta totam penè Galliam perturbauit, & timore eruptionis eorum, ne Sanctorum violarẽtur busta, iterum terræ sunt mandata, &c.

Petrus Damianus. 1050.

Sermone de S. Nicolao: Nicolaus iste meus, imò vester, electus ab vtero, sanctus à puero, iuuenum gloria, reuerentia senum, sacerdotũ honor, splendor Pontificum, conuentum vestrum sua lætificat festiuitate. Hic est Nicolaus, cuius miracula per totam mundi latitudinem diffunduntur, quẽ laudat orbis terræ, & qui habitant in eo.

Berngosius. 1100.

Sermone in dedicatione Ecclesiæ: Quicquid laudis & honoris militibus regis impenditur, totum ad gloriã regis, cuius sceptro milites insigniti sunt, titulatur. Nec dubium, quin eos semper habeamus patrocinantes in cælis, quorum celebritates piæ deuotionis studio gerimus in terris. Si enim noster spiritus, necdum carnis materia exutus, & tamen dilectionis geminæ feruore interdum ad astra libratus, preces Domino pro suis dilectoribus nititur effundere, vtique præstantius credendum est, Sanctorum animus, summæ dilectionis plenitudine feruidus, suis in solenniratibus, ad sui corporis pignora fouentes descendere, suorumq; pro salute fidelium intercedere, ac debitæ retributionis donatiuũm suis veneratoribus impendere. Habẽtes igitur eximia huius spei pignora, scilicet ipsorum beatorum spirituum exuuias, dignis honoribus Sanctorum præconia celebremus: amplius autem festiua eorum gaudia dẽbitis laudibus extollamus, quorum cineres & ossa in suo sinu largius refouet hæc nostra specialis Ecclesia.

Odo Cameracenſis. 1110.

In expositione Canonis: *Et memoriam venerantes.)* Aliter Deo gratum non offerimus sacrificium, aliter Deo vtiliter vota non soluimus, nisi memoriam Sanctorum veneremur. Qui enim membra Christi non honorat, nec Christum, qui caput est, honorare potest Et qui non honorat Filium, non honorat illum, qui misit illum. Honoremus ergo caput in membris, Deum in Sanctis suis, vt eorũ meritis precibusq; in omnibus protectionis diuinæ muniamur auxilio. *Imprimis gloriosæ.)* In veneratione Sanctorum hæc ratio custodienda est, vt primùm, & super oẽs beata Dei Genitrix honoretur, secundò Apostoli, tertiò sancti Martyres, inde alij Sancti omnes.

Bernardus. 1130.

Sermone 5. de Festo omnium Sanctorum: Ad quid Sanctis laus nostra? ad quid glorificatio nostra? ad quid nostra hæc ipsa solennitas? Quò eis terrenos honores, quos iuxta veracem Filij promissionem honorificat Pater cælestis? quò eis præconia nostra? Pleni sunt. Prorsus ita est dilectissimi,

bonorum nostrorum Sancti non egent, nec quicq; eis nostra deuotione præstatur. Planè quòd eorũ memoriam veneramur, nostra interest, non ipsorum. Vultis scire quantum interest nostra? Ego in me (fateor) ex hac recordatione sentio desiderium vehemens inflammari, &c.

Otto Frisingensis. 1160.

Lib.5. Chronicorum cap.18. Tempore Leonis Syri Imp. passa fuit virgo Christi Theodosia, cuius vsque hodie maxima in vrbe regia manet memoria & veneratio.

Innocentius Tertius. 1200.

Sermone 3. in dedicatione templi: Sacra Scriptura duas species adorationis distinguit, latriam videlicet, & duliam. Latriam Creatori debemus impendere: duliam verò quibusdam creaturis possumus exhibere.

Saxo Grammaticus. 1200.

Historiæ Danicæ lib.11. de S. Kanuto Rege: Sacra eius oppidulo orta toto pene terrarum orbe fulserũt: cultusq; ipsius primùm à ciuibus exceptus, paulatim in commune prorepsit.

Guilhelmus Aluernus Parisiensis. 1230.

Libro de Legibus cap.24. Si quis dicat, quia nos Christiani templa ædificamus non Dijs, sed hominibus, Sanctis scilicet, & quia sacra ijs statuimus, videlicet festa, sacrasq; cantiones & lectiones, quemadmodum & contra religionem Christianam dixerat Faustus hæreticus: quia Christiani idola in Martyres, sacrificia in agapas conuerterunt: Respondemus: quia non templa Sanctis, vel Martyribus, vel alijs; sed Deo altissimo ædificamus, & quicquid honoris Sanctis impendimus, vt Dei amicis, & vt Dei seruis, & propter ipsum Deum solum hoc facimus.

Alexander Alesius. 1240.

Part.3. q.30. m.3. art.2. §.4. Duplex est seruitus. Est enim seruitus obnoxietatis: &, hæc debetur Deo: eò quòd est principium nostri esse. Est etiam seruitus reuerentiæ: & hæc debetur Sanctis: quia ipsi sunt nostri ductores, vel per doctrinam, sicut prælati; vel per intercessionem, vel per administrationem.

Bonauentura. 1260.

De præparatione ad Missam cap.10. Alijs quoq; Sanctis exhibetur honor & deuotio, quæ dicitur dulia, quæ non est cultus, nec adoratio, sed subrogatio & inuocatio, vt sint apud Deum aduocati pro nobis: & omnis reuerentia, quæ eis impenditur, propter Deum, cui coniuncti sunt, exhibetur. Deus autem debet à nobis in immẽsum timeri, & honorari, & amari.

Ludolphus Saxo Carthusiensis. 1300.

Vitæ Christi parte 1. cap.6. Igitur dilectissimi hos summos Dei amicos (*Ioannem Baptistam & Ioannem Euangelistam*) inter choros Angelorum rutilantes, deuotis laudibus honoremus, & oratiões ad thronum gratiæ mittamus, vt misericordiam consequamur, & gratiam in auxilio opportuno inueniamus.

Ioannes Gerson. 1420.

Sermone in Festo D. Antonij: Erubescant, qui laudibus tuis, ô glorioſissime & vsque ad vltimum terræ nominatissime Pater Antoni, non applaudũt, sed detrahunt: qui ministros tuos vel non reuerenter suscipiunt, vel irridentes abijciunt.

Laurentius Iustinianus. 1430.

Sermone in Solennitate omnium Sanctorum: Dominum itaque in Sanctis eius laudemus, quibus tam præcipua munera prærogauit. Propter ipsum quoque veneremur & Sanctos, quibus traditum est triumphale regnum, iudiciaria sedes, Angelorum consortium. Quomodo non veneremur illos, quos tanto Christus sublimauit honore? Illos planè venerantur Angeli, quanto magis & nos? Nos itaq; iuxta modulum paruitatis nostræ honore congruo Sanctorum omnium solennia celebremus, vt qui ob temporis præsentis angustiam, eorumq; numerositatem, singulis non valemus specialem cultum impendere, saltem vniuersis persoluere studeamus eò alacrius, quòd ipsorũ multitudo nos prouocat. Magnificæ prorsus exultationis nobis materia ministratur, cùm rediuiua Sanctorum gloria celebranda proponitur.

Gabriel Bielius. 1480.

In Canonem Missæ lect. 30. Semper veneranda est Sanctorum memoria. Et quamuis multis de causis commemorationem Sanctorum peragit Ecclesia, vna tamen sufficit ad nostrum propositum, quæ est, vt nos fragiles & mortales Sanctos immortales venerantes, ipsisque nos commendantes, mereamur ipsorum meritis & precibus adiuuari, quatenus ad Deum plenè glorificandum eorum societati coniungamur.

ARTICV-

ARTICVLVS DECIMVSTERTIVS.

TEMPLA ET BASILICAS IN HONOREM SANCTORVM CONSTRVERE, CONSECRARE, MAGNIFICE ORNARE, PIVM ET CHRISTIANVM ESSE.

NEGANT.

Anno post natũ Christum.

324. EVSTACHIVS *loca sanctorum Martyrum & Basilicas contemnens, in ædibus priuatis conuentus agebat.* Concilium Gangrense cap.5.6.20. Socrates lib.2. cap.25. Sozomenus lib.3. cap.15.

360. *Eunomiani Basilicas Apostolorum & Martyrum non ingrediuntur.* Hieronymus contra Vigilantium cap.3. Gennadius Massil. cap.73.

700. *Constantinus Copronymus Sanctorum templa solo æquauit.* Suidas in hoc Constantino.

1520. Martinus Lutherus ad Euangelium Dominicæ I. Aduentus: *Bona opera appellant, quæ haudquaquam Deus præcepit, vt sunt peregrinari ad excelsa illa Diuorum, ieiunare, in honorem Sanctorum extruere & ornare templa, &c. Ecquis enumeret abominandas illas abominationes, & spurcissimas atque pernicioſissimas impoſturas?*

Ad Euangelium in die Natiuitatis Mariæ: *Hic honor è medio sublatus est, & in eius locum insani boatus, & Sanctorum, qui in cælum subuecti sunt, veneratio inducta est: hinc tot templa & altaria substructa sunt. Hic Petro, hic Paulo ædes erecta est, vt omnes ferè anguli Diuorum phanis pleni sint. At cui vsui ipsis illa? His sumptibus indotatis virginibus consuli poterat, & alia maioris momenti opera patrari, &c.*

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Eusebius Cæsareensis. 320.

Vitæ Constantini lib.4. cap.58. Vbi iam hæc peracta fuerunt omnia, Apostolorum templum in vrbe sui cognomine, ad perpetuam illorum memoriã conseruandam, ædificare cœpit.

Cap.59. Illud verò cùm in infinitam extruxisset altitudinem, lapidumqúe omnis generis ac crustarum varietate ab ipso solo ad superiorem contignationem colluſtrasset, summo artificio factis laquearibus tectum intus complexus est, auroq; vniuersum contexit. Supra verò pro tegula inductum æs, à toto opere imbrium iniurias arcebat. Quod ipsum etiã multo auro fulgebat, ita vt longè contemplantibus, per reciprocatos solis radios incredibilis splendor offundi videretur. Interiorem ædis partem vndiq; in ambitũ circumductam, reticulari opere ex ære & auro affabrè facto conuestiuit. Ac templum quidem in hunc modum permagna Imperatoris & cura & studio exornatum est. Hæc omnia dedicauit Imperator, vt Seruatoris nostri Apostolorum memorię apud omnes gentes æternitatem compararet.

Cap.60. Atque hęc longo ante tempore cogitatione cùm depinxisset, Ecclesiã Apostolis dedicauit, quamplurimum vtilitatis illorum memoriam animæ suæ conciliaturam existimans.

Concilium Gangrense. 324.

Can.20. Si quis per superbiam, tamquam perfectum se existimans, conuentus, qui per loca & Basilicas Martyrum fiunt, accusauerit, anathema sit.

Basilius Magnus. 370.

Homilia in Psal.114. Iam inde abusque nocte media, cùm hoc dicatum Martyribus templum subieritis, ipsorum Martyrũ Deum hymnidicis laudibus placabilem vobis reddentes ac propitium, interim tamen non destitistis ad hanc vsque diei horam nostrum operiri ad vos aduentum.

Gregorius Nazianzenus. 370.

Oratione 3. quæ est inuectiua prior in Iulianum Imp. Martyribus (vt diximus) ambo (*Iulianus & frater*) laborabant, munificentiaq; & liberalitate præclarè inter se contendebant, tum multarum manuum opera, tum impensis ædem sacram extruentes. Verùm quoniam non pari voluntate, animiq; instituto in hoc opus incumbebant, idcirco nec in eundem quoque finem labor vtrique progrediebatur. Etenim alterius, hoc est fratris natu maioris opus perficiebatur, atque ex ratione procedebat, Deo videlicet munus illud libenter admittente, velut Abelis sacrificium, rectè & oblatum & diuisum. Alterius autem munus non secus ac Caini sacrificium Deus Martyrum repudiabat. Itaq; ille quidẽ laborabat, sed terra quod elaboratum fuerat excutiebat. Ille vehementius obnitebatur: hæc hominis ægra pietate præditi fundamẽta capere detrectabat, tamquam terræmotum eum, quem ipsius scelus allaturum erat, clamãs, ac per impijssimi hominis dedecus Martyres honore afficiens.

Carmine in somniũ de Anastasiæ templo, quod ipse Constantinopoli fixit:

At summum decus ipsius sunt maxima templa:
Templa ego quæ quondam, nunc alienus habet.
Inter quæ, quod quadruplici, crucibusq; notato
Est latere, eximiè fulget Apostolicum.
Ast ob ea haud tantus cruciat mea pectora mœror,
Quantus ob ereptam vexat Anastasiam.

Cyrillus

Cyrillus Hierosolymitanus. 370.

Catechesi 16. Scimus Spiritum sanctum, qui locutus est per Prophetas, & in die Pentecostes descendit super Apostolos in specie ignearũ linguarum hîc Hierosolymis in superiori Apostolorũ Ecclesia.

Ioannes Chrysostomus. 400.

Hom.28.ad populum Antiochenum: Non paruam vigilans habet disciplinam, & aduertere volens etiam ex oratorijs ædibus. Propterea enim & ante Ecclesias, & Martyrum monumenta, pro foribus pauperes sedent, vt nos ex huiusmodi spectaculo multum capiamus vtilitatis. Considera namque, quòd nobis terrenas ingredientibus regias, nihil huiusmodi cernere licet. Ad veras autem regias, Ecclesiam dico, & oratorias ædes, & Martyrum templa, dæmonibus pressi, truncati, pauperes, senes, cæci, membra præferentes obtorta. Quid hoc tandem? vt tu docearis ex horũ spectaculo, &c.

Sozomenus. 440.

Lib.6.cap.18. Imperator cùm esset certior factus, illustrem esse Edessæ Ecclesiam, Diui Thomæ nomine nuncupatam, ad eam visendam se contulit.

Lib.7.cap.5. Diuina vis manifestè hîc apparens tum per se, tum per somnium sæpe multis, qui & morbis, & varijs rerum casibus affligebantur, opem tulit. Creditum autẽ est hanc esse Mariam. In huius enim honorem templum extructũ conspicitur.

Lib.7.cap.24. Theodosius egressus Constantinopoli, cùm ad septimum miliare peruenisset, Deo preces nuncupauit, in Ecclesia illa, quam in honorem Ioannis Baptistæ construxerat.

Isidorus Peluſiota. 440.

Lib.1.epist.85. Quin in Martyrum quoque templis gratia ea, quæ Sanctorum quoque corporibus insidet, dæmones excruciat.

Theodoretus. 450.

Libro 8.Græcarum affectionum: Martyrum templa conspicua cernuntur, magnitudineq; præstantia, omni præterea ornatus genere variata, splendoremq; quodammodo pulchritudinis suę latè fundentia. Neq; verò hæc per annũ semel, aut bis, aut quinquies aduentamus, sed in ijs sæpenumerò dies festos peragimus, sæpe diebus singulis eorum Martyrum Domino laudes hymnosq; cantamus.

Theodorus Lector. 520.

Lib.2. Sub Constantio Reliquię Andreæ & Lucę Constantinopolim venerunt, collocatæq; sunt in consecrato magno sanctorũ Apostolorũ templo.

Timotheus Alexandrinus. 540.

Narratione de Martyre Mena: Constantinus Imp. iussit quoq; Ecclesias ædificari in nomine omniũ Sanctorum & glorioſorum Martyrum, qui propter verum Deum nostrum fuêre Martyres, & cõfessi sunt pulchram confessionem.

Cyrillus Eremita. 540.

In vita S. Euthymij: Beata Eudocia cùm quamplurima templa Deo ędificasset, iussit in quodam ex ijs templis, quæ erant ab ea ædificata, quod est sacrum Petro principi Apostolorum, gratia alicuius vsus cisternam fodere, &c. Primum quidẽ Stephani Protomartyris Christi templum, quod nondum erat plenè constructum, dedicat quintodecimo mensis Ianuarij.

Procopius Cæsareensis. 550.

Oratione 1. de ædificijs Iustiniani: Dei Genitrici passim per Romanum imperium multas ædes Iustinianus consecrauit, adeò planè magnificas & prę stantes, tamq; ingenti pecuniarum aceruo cõstructas, vt si quis vnam duntaxat ędem conspexerit, hoc solum opus ab ipso elaboratum existimabit, & in eo perficiendo omne regni sui tempus consumpsisse. Vnam profectò ædem Dei Genitrici extruxit ante vrbis mœnia, sacratissimam planè & admodum augustam, &c. In eo vrbis loco, qui Secundus cognominatur, decoram planè & augustam ædem constructit Diuæ Annæ, quam fuisse quidam opinantur matrem Dei Genitricis. Non multo supra in extremo ciuitatis itinere Zoę Martyri venerandam admodum ædem extruxit. Michaëlis Archangeli templum, quod in Byzantio reperit breue admodum & tenebricosum, minimeq; dignum Archangelo, à patricio viro olim erectum, in eam formam, qua nunc apparet, transtulit. Diuis Petro & Paulo templũ iuxta regiam aulam extruit: Deinde aliud templum, huic ex obliquo finitimũ, illustribus Diuis Sergio & Baccho collocauit. Inter hæc duo templa neutrum altero est neq; excellentius, neq; inferius, siue elegantiam, siue magnitudinem, siue aliud quippiam existimabis. Vtrumq; fulgore lapillorum solem vincit: auri copia vndiq; satiat, & exornat simulachris. Tanta est horum templorum magnificentia, vt non solùm totius vrbis, sed ipsarum etiam regiarum prę cipuum ornamentum esse videantur.

Oratione 5. Ante Ephesum olim indigenæ Ioanni Apostolo templum erexerunt. Hoc templum exile planè, & angustum, & diuturnitate temporis collapsum, ad solum vsq; Iustinianus rex diruit, & in tantam amplitudinem atq; elegantiam instaurauit, vt iam prorsus æmulum sit ac simile mum illi tẽplo, quod in regia vrbe omnibus Apostolis dedicauit.

Apud Euagrium lib.4.c.16. Cyprianum virum sanctissimũ Carthaginenses ad vnum omnes imprimis colũt, cui templum planè memorabile extra vrbem ad littus maris extruxerũt: eumq; cũ alijs pietatis officijs venerantur, tum festum diem, quẽ Cypriana vocãt, quotannis celebrant. Atq; nautę tempestatem, quæ solet incidere, quo tempore Libyes hoc festum celebrandum statuebant, huius nomine nuncupare solent.

Knastasius Synaites. 580.

Apud Damascenũ oratione 3.de imaginibus: Quatuor passuum millibus Damasco distat locus, qui Carsatas dicitur. Quo in loco S. Theodori templũ est. In hoc templum ingressi Saraceni omnibus illud sordibus, & immunditijs fœdauerunt.

Euagrius. 600.

Lib.1.c.16. Deus optimus maximus animũ Theodosij impulit, vt diuinum Martyrem Ignatium maioribus afficeret honoribus, & templum iam olim dæmonibus dedicatum Ignatio victori & Martyri consecraret. Itaq; quod olim Fortunę dicatum fuit, iam sacrum sanctuariũ, & templum augustum, ad Ignatij memoriam celebrãdam, factum est.

Lib.2.cap.3. Itaq; congregantur Episcopi in sacro Euphemiæ Martyris templo, quod Chalcedoni vrbi Bithyniæ locatum est. Abest autem hoc templum à Bosphoro amplius duobus stadijs, situ in loco quodam amœno.

Lib.5.c.21. Signa quoq; diuinitùs ostentata antegressa sunt, quæ Mauricium Imperatorẽ fore prę significarũt. Nam ad multã noctẽ ei intra sanctuarium templi sanctæ & castissimæ Virgini & Deiparæ Mariæ dedicati, quod quidem ab Antiochenis templum Iustiniani nuncupatur, thus incensum offerenti aulæum sacræ mensæ igne conflagrare visum est, adeò vt ingens admiratio ac stupor illum incesserit, visionemq; magnopere extimuerit.

Sophronius Hierosolymitanus. 630.

Oratione 5.in Christi Natalitia: Quare intra ciuitatis huius portas concluſi, nec non in diuino hoc

Dei Genitricis templo constituti, festum hunc diem, anniuersariamq; solennitatem, non citra tristitiam obimus, publiceq; celebramus.

Germanus Constantinopolitanus. 720.

Encomio in adorationem venerandæ Zonæ Deiparæ c.2. Si Maria appellata est ciuitas animata regis Christi, meritò illius quoq; templum sanctissimum, cuius dedicationem hodie celebramus, & est, & nominatur ciuitas glorioſa.

Ioannes Damascenus. 730.

Orthodoxæ fidei lib.4.cap.16. Honorandi certè sunt Sancti, & quidem ita, vt in eorũ nomine templa Deo extruamus, dona offeramus, eorũq; memoriã colamus, atq; in ea spiritualiter oblectemur.

Synodus Nicæna Secunda. 790.

Act.6. A temporibus Constantini Magni Christianorum cœtus templa construxerunt, partim Christi nominis gratia, partim sanctorum Martyrum causa.

Theophanes Presbyter. 830.

Oratione de S.Nicephoro Patriarcha: Tunc sacer ciuitatis Antistes cum sacerdotibus & monachis, vniuersoq; populo Sancti Theodori templum accedit, in quo gratia plenæ Reliquiæ iacebant.

Ignatius Monachus. 830.

In vita S.Tarasij Patriarchæ Constant. Sepelitur inclytum corpus sanctorum virorum manibus in venerando templo omnium Martyrum, qui pro Christo sanguinem effuderunt.

Simeon Metaphrastes. 950.

Vitæ S.Georgij Martyris Armeniæ cap.31. Deo & eius Martyribus templa ædificabant, & ea extrinsecus cingebant parietibus, & eis opes, pretioſas vestes, possessionesq;, & thesauros dedicabant.

Vitæ S.Vari Martyris cap.11. Cùm autem finitum esset templum, idq; staret extructum in honorem Martyris, conuocat Episcopos & presbyteros, ad templi consecrationem.

Vitæ S.Febroniæ cap.14. Eius verò vrbis Episcopus, cùm templum valde insigne & pulchrum Febroniæ Martyri erigere cœpisset, per totos sex annos opus compleuit.

Suidas. 970.

In Constantino Copronymo: Venerem colebat, & humanas hostias immolãbat vltra vrbem, vbi S. Mauræ ædę destructa, & in carnificinam mutata, Mauram locum illum dixit, in quo sacra illa peragebat, & pueros mactabat.

Constantinus Porphyrogoneta. 990.

De agminibus militaribus Themate 3. Colossis, quæ nunc Chonæ dicuntur, visitur celeberrimum tẽplum Michaelis Archangeli.

Euthymius. 1080.

Oratione de fascijs & Zonis Deiparæ cap.16. Dedicatur hodie templum Dei Matris, quod est pulcherrimum, & luminosissimum, & cælo potest æquiparari: hodie dedicatur templum maximè benedictæ Dei Filiæ, in quo Angelorum exercitus assiduè ministrant, & circà sempèr splendentem capsam cum timore assistunt.

Ioannes Zonaras. 1100.

In Iustiniano: Cõdidit Theodora Imperatrix celebrem illam sanctorum Apostolorum ędem. Fuerat quidem prius quoq; ibi ædes eorundẽ, à Constantino ædificata, non tamen huic similis, sed ea & magnitudine, & pulchritudine multo inferior.

In Isaacio Comneno: Reuersus in magnam vrbem, ad grates ob salutem acceptam Deo persoluẽdas, intra regiam D. Theclæ Protomartyris ædem ille quidem condidit: quòd eo die, quo illius memoria celebratur, illud periculum effugerat.

Constantinus Manasses. 1140.

In Annalibus de Iustiniano: Erat Iustiniano Theodora matrimonio iuncta, ijsdem cum marito addicta studijs. Hæc à fundamentis templum discipulis Christi cõdidit, post primũ illud facilè principem locum sibi vendicans. Appellare illud quis non ineptè possit, inter alia templa cęruleo splendentem lumine, lunam, quòd secundùm solem pulchritudine sua secundas ferat.

Nicetas Choniates. 1200.

In Annalibus de Andronico: Post omnia iuxta ædẽ Quadraginta Martyrum magnificas ædes struxit.

In Alexio Comneno Porphyrogoneta: Qui honos à religioſis & Christianis huic pulcherrimo, & planè diuino templo D. Sophiæ habendus non fuit, quod omninò Dei manibus fabricatum est, primum ac postremum opus, pulcherrimum atque immutabile, nec in terris aliud, quàm orbis quidam cæleſtis extitit?

Nicephorus Callistus. 1300.

In dedicatione operis ad Andronicum Seniorem Palæologum: Veritatem meis verbis astruere possunt vtraq; sacra Apostolorum templa, & Dei Genitricis ædes, cum cæleſti pulchritudine certãs, quam Byzantij Blachernas vocant, & prope vrbis ipsius fana omnia, sub te & per te ad immensam magnitudinem, & formam excitata.

Lib.15.cap.25. Leo iste aliud quoque templum Virgini matri in loco, qui Fontis nomen habet, erexit, vbi denſæ & ingentes cupressi, pratum etiã teneris refertum floribus, quaſi quidam paradiſus amœnus, & pulcher, & quæcumq; sacrũ templum decerent, omnia erant.

Nicephorus Gregoras. 1330.

Historiæ Byzantinæ lib.2. Ioannes Ducas & Irene Imperatrix templa elegantiſſima maximis sumptibus, amplitudine & varietate structuræ insignia ædificârunt. Imperator Magnesiæ Deiparæ Virginis nomine, quod Sosandra dicitur, & aliud Nicææ magno Antonio sacrum: Imperatrix verò intra Prusam Metropolim ad montem Olympum sitam, nomine venerandi Prophetæ Præcursoris & Baptistæ, multis ornamentis additis, & amplis annuis redditibus adiectis, vbi monachi diuino cultui dediti habitarent, quæ loca plena erant suauitate & gratia spiritus.

Lib.7.c.de Niphonis è Patriarchico solio descensu: His de causis Imperator vetera fana curabat, quãuis maiores sumptus postularent, quàm extructio nouorum. Sunt autem hæc: D. Eugenij iuxta portam maximum templum, D. Pauli Apostoli, duodecim Apostolorum & Christi discipulorum, denique maximum illud diuinæ Sapientię templũ, quod cùm magis etiam exornare studuisset; imperij diuisio & confusio veluti subita tempestas obstitit.

Georgius Codinus. 1400.

De officialibus palatij Constantinopolitani fol.166. In Natalibus honorandi Præcursoris descendit in venerandam ædem Petræ, quæ de illius nomine honoratur.

Fol.168. In die resurrectionis sancti & iusti Lazari abijt in ædem venerandam, quæ de nomine illius honoratur.

Hieremias Constantinopolitanus. 1580.

Responso 2. capite de inuocatione Sanctorum: Honorandi sunt Sancti templis Deo de nomine ipsorũ ædificandis ad honorem Dei.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Ambrosius. 370.

Lib.1. epist.5. Ortus est sermo de Basilicæ, quam condidit Bassianus Apostolorum nomine, dedicatione, dedit huic sermoni viam: siquidē significabat quòd sedulò quæreret tuæ sanctitatis præsentiam.

Lib.3.cap.85. Quia nihil soleo Sanctitatem tuam eorum præterire, quæ hîc te absente gerantur, scias etiam sanctos Martyres à nobis repertos. Nam cùm Basilicam dedicassem, multi tamquam vno ore interpellare cœperant, dicentes, sic in Romana Basilica dedices. Respondi faciam, si Martyres inuenero.

Prudentius. 380.

Hymno de S. Hippolyto:

Ipsa illas animæ exuuias, quæ continet intus
Ædicula, argento fulgurat ex solido.
Præfixit tabulas dives manus æquore leui
Candentes, recauum quale nitet speculum.
Nec Parijs contenta aditus obducere saxis,
Addidit ornando clara talenta operi.

Hieronymus. 390.

Ad cap.65. Esaiæ: Samaritani, Iudæi, & hæretici, quales nuper sub magistro cerebroso in Gallia pullularunt, Basilicas Martyrū declinantes, nos, qui ibi orationes ex more celebramus, quasi immundos fugiunt.

Epistola 16. ad Principiam cap.6. Cùm & illam, & te ad B. Apostoli Pauli Basilicā barbari deduxissent, vt vel salutē vobis ostenderēt, vel sepulchrū, &c.

Augustinus. 400.

De ciuitate Dei lib.1. cap.1. An non etiam illi Romani Christi nomini infesti sunt, quibus propter Christum Barbari pepercerunt? Testantur hoc Martyrum loca, & Basilicæ Apostolorum, quę in illa vastatione vrbis, ad se confugientes, suos alienosq; receperunt.

Paulinus Nolanus. 410.

Ad Alithium epist.31. Quanto ipsum Apostolum attollebas gaudio, cùm totam eius Basilicam densis inopum cœtibus stipauisses.

Paulus Orosius. 420.

Lib.7.cap.39. Adest Alaricus, trepidam Romam obsidet, turbat, irrumpit: dato tamen præcepto prius, vt si qui in sancta loca, & præcipuè in sanctorum Apostolorū Petri & Pauli Basilicas confugissent, hos imprimis inuiolatos securosq; esse sinerent.

Leo Magnus. 450.

De Christi Natiuitate Sermone 7. Beati Petri Apostoli Basilica vni Deo viuo & vero est dedicata.

Sidonius Apollinaris. 470.

Lib.1. epist.5. Vbi priusquam vel pomœria contingerem, triumphalibus Apostolorum liminibus affusus, omnem protinus sensi membris malè fortibus explosum esse languorem.

Lib.4.epist.18. ad Lucentium: Basilicam S. Pontificis Confessorisq; Martini Perpetuus Episcopus dignissimus, tanto prædecessore successor, multū priori, quæ fuit hactenus, capaciorem nouauit. Magnū est (vt ferunt) opus nominandumq;, quod in honorem talis viri factum, talis vir facere debuerit. Huius me parietibus inscribere suprad-ictus sacerdos hoc Epigramma compellit:

Martini corpus totis venerabile terris,
In quo post vitæ tempora viust honor,
Texerat hîc primum plebeio machina cultu,
Quæ Confessori non erat æqua suo:
Nec desistebat ciues ornare pudore,
Gloria magna viri, gratia parua loci;
Antistes sed qui numeratur sextus ab isto
Longam Perpetuus sustulit inuidiam:
Internum remouens modici penetrale sacelli,
Amplaq; tecta leuans exteriore domo:
Creuerunt q; simul, valido tribuente Patrono,
In spacij s ædes, conditor in meritis:
Quæ Salomoniaco potis est conligere templo,
Septima quæ mundo fabrica mira fuit:
Nam gemmis, auro, argento, si splenduit illud,
Istud transgreditur cuncta metalla fide.

Victor Vticensis. 480.

De persecutione Vandalica lib.1. Ariani pulso Episcopo Ecclesiam nomine Restitutam, in qua semper Episcopi commanebant, sue religioni mancipārunt; & præcipuè duas egregias & amplas, S. Cypriani vnam, vbi sanguinem fudit: aliam vbi eius corpus sepultum est, qui locus Mappalia vocitatur.

Gennadius Massilienſis. 490.

De Ecclesiasticis dogmatibus cap.73. Basilicas Martyrum nominibus appellatas, velut loca sancta, diuino cultui mancipata affectu pijssimo, & deuotione fidelissima adeundas credimus: si quis contra hanc sententiam venerit, nō Christianus, sed Eunomianus, & Vigilantianus est.

Vigilius Papa. 537.

Epist.1.cap.4. Si qua Sanctorum Basilica à fundamentis etiam fuerit innouata, sine aliqua dubitatione, cùm in ea fuerit Missarū celebrata solennitas, totius sanctificatio cōsecrationis implebitur.

Gildas Badonicus. 550.

De excidio Britannico: Renouant Ecclesias ad solum vsq; destructas, Basilicas sanctorum Martyrū fundant, construunt, perficiunt, ac velut victricia signa passim propalant, dies festos celebrant, sacra mundo corde, oreq; conficiunt, omnes exultant filij gremio, ac si matris Ecclesiæ consorti.

Fortunatus. 570.

Lib.10. carminum, in S. Laurentij laude, & restauratione Basilicæ:

Addite nunc etiam populis miracula præstas,
Vt fidei tribuas indubitanter opem:
Dum tua templa nouant breuiori robore plebes,
Creuerunt q; trabes, creuit & alma fides.

Dinamius Patricius. 580.

Vitæ S. Maximi Rhegiensis cap.5. Templum in Rhegiensi castello in B. Albani honorem quanta potuit animi deuotione condidit, cuius columnas, quas hodieq; illic cernere licet, iuga boum eò pertraxerunt, sed ita tamen, vt nullam sentirent tanti pōderis molestiam: eius sanctitate id efficiente, quamdiu ille ad templi structuram operarius indefessus aderat.

Gregorius Turonensis. 580

Historiæ Francorum lib.9.cap.12. Erat villa, in pago Vabrensi, cui imminebat mons arduus. In huius cacumine Childebertus Rex Basilicam in honore sancti ac beatissimi Martini construxit.

Gordianus. 580.

Vitæ S. Placidi cap.51. Metellus ad B. Placidum veniens, pecuniam infinitam secum deferens, illi obtulit. Quam accipiens ad vrbem Romanam direxit, ex qua columnas & epistylia emit, quæ cùm in Siciliam delata essent, locari iussit in Ecclesia, quam tunc construebat in honore S. Ioannis Baptistæ.

Gregorius Magnus. 590.

Lib.1. epist.54. Festiuitatibus Sanctorum desiderabiliter insistentes, præsentis præceptionis nostræ paginam, ad experientiam tuam necesse duximus dirigendam: indicantes ei, oratorium beatæ Mariæ, quod nuper in cella fratrū ædificatum est, vbi Marinianus Abbas præesse dinoscitur, Augusto mense disposuisse nos adiuuante Domino summopere dedicare; quatenus cœpta nostra operante Domino debeant cōsummari. Sed quia cellę ipsius tenuitas exigit, debere nos in ipsa diei festiuitate concurrere, propterea volumus, vt ad celebrandam dedicationem dare debeas ad erogandum pauperibus, in auro solidos decem, vini amphoras triginta, annonæ modios ducentos, olei orcas duas, verueces duodecim, gallinas centum, quę tuis possint rationibus postmodum imputari. Statim ergo hæc fieri nulla moræ interiectione constitue, vt vota nostra Deo auctore celerem sortiantur effectum.

Faustus Benedictinus. 600.

In vita D. Mauri: In monasterio quatuor Ecclesię sunt ædificatę, quarum maior, in qua fratres tam ad diurnum, quàm ad nocturnum conueniebant officium, consecrata est in honore B. Petri Apostolorum principis: secunda in honore B. Martini: tertia verò, quæ & minor erat cæteris, in veneratione S. Seuerini: quarta autem, quæ in modum turris quadrifidæ, in ingressu monasterij altissimè ædificata est, benedicta fuit in honore S. Archangeli Michaëlis.

Isidorus Hispalensis. 620.

Lib.15. Originum cap.4. Martyrium locus Martyrum Græca deriuatione, eò quòd in memoriam Martyris sit constructum, vel quòd sepulchra sanctorum ibi sint Martyrum.

In Chronico Gothorum: Gothi aggrediētes vrbem, quoscumque in locis sacris Christi vel Martyrū, vel ad Basilicas cōfugientes inuenerunt, in vastatione vrbis, non interemerunt, nec cruentus sæuijt in eos gladius.

Audoenus. 660.

Vitæ S. Eligij lib.1. cap.18. Ædificauit Basilicam in honore S. Pauli Apostoli, ad ancillarum Dei corpora sepeliēda: cuius tecta sublimia plumbo eleganter operuit. Ædificauit etiam, imò renouauit Basilicam in honore S. Martialis Lemouicini Episcopi & Confessoris, eaq́ue vrbanè stabilita, tecta eius plumbo vestiuit.

Beda. 700.

Historiæ Anglicanæ lib.2.cap.14. Eduinus Rex baptizatus est Eboraci die sancto Paschæ in Ecclesia S. Petri Apostoli, quam ibidē ipse, cùm catechizaretur, atq; ad percipiendum baptisma imbueretur, de ligno citato opere construxit.

Lib.3.c.25. Finan Episcopus in insula Lindisfarnensi fecit Ecclesiam Episcopali sedi congruam: quam tamen more Scotorum non de lapide, sed de robore secto totam composuit, atque arundine texit: quā tempore sequente reuerendissimus Archiepiscopus Theodorus in honorem B. Petri Apostoli dedicauit.

Alcuinus. 750.

De diuinis officijs ca.31. Scriptum est in gestis Pontificalibus, quòd S. Bonifacius Papa quondam domum, Pantheon nomine, quæ erat consecrata in honore omnium dæmoniorum, eliminatis omnibus spurcitijs, sacrauerit Ecclesiam in honore Dei Genitricis omniumq; Sanctorum. Vnde cōstitutum est, vt plebs vniuersa per totum orbem in Kalendis Nouembribus, sicut in die Natalis Domini, ad Ecclesiā in honore omnium Sanctorum ad Missarum solennia conuenire studeat.

Paulus Diaconus. 780.

De gestis Longobardorum lib.4.c.5. aliàs 17. Cùm dux ipse prope Spoletum, vbi Basilica B. Martyris Sabini sita est, in qua eiusdē venerabile corpus quiescit, aduenisset, interrogauit, cuius hæc tam ampla domus esset: respōsum est ei à viris fidelibus, Sabinum ibi Martyrem requiescere.

Cap.7. al.22. Per idem tempus Theudelinda Regina Basilicam B. Ioannis Baptistæ, quam in Modicia construxerat, dedicauit, multisq; ornamentis auri, argentiq; decorauit, prædijsq; sufficienter ditauit.

Carolus Magnus. 800.

In pragmatica sanctione de Ecclesia Aquisgranensi: A Leone Pontifice Romano huius templi consecrationem & dedicationem impetraui fieri, præ nimia deuotione, quam erga idem opus habui. Decebat enim, vt ad idem templū, quod cunctis monasticis ædificijs in regno nostro formā & structura præesse videtur, in honorem sanctæ Dei Genitricis, à nobis regali studio fundatum, dignitate consecrationis præcelleret, sicut ipsa Virgo super omnes choros Sanctorum præcellens exaltata est.

Æmoinus. 825.

De rebus Francorum lib.4.cap.33. Dagobertus Rex, cùm se ornatum ire Dionysij & sociorū eius memoriam pollicitus esset, templum eius condidit, vniuersis, quæ tunc temporis in Gallijs erant, excellentius: nullumq; impensis statuens modum, marmoreis illud columnis, similiq; venustauit pauimento, immenso ædificandi sumptu, & exquisito fabricatum decore. Nec minor illi in alijs quoque ornatibus intentio: nam vestibus auro textis, & pallijs holosericis totum interiorem circumdedit templi ambitum.

VValafridus Strabo. 830.

De rebus Ecclesiasticis cap.6. Martyria vocabantur Ecclesiæ, quæ in honore aliquorum Martyrum fiebant: quorū sepulchris & Ecclesijs honor congruus exhibendus, in Canonibus decernitur.

Hincmarus. 850.

In vita S. Remigij: Ludoicus Rex Francorū per consilium Reginæ suæ feçit Ecclesiam in honore Apostolorum Petri & Pauli in Parisiorum ciuitate.

Rabanus Maurus. 850.

Lib.4. de Vniuerso cap.10. Basilicæ sanctorū Martyrum nominibus appellatæ, velut loca diuino cultui mancipata, affectu pijssimo, & deuotione fidelissima adeundæ.

Ioannes Diaconus. 870.

Lib.1. cap.6. vitæ S. Gregorij: Septimum monasterium sub honore S. Andreæ Apostoli, iuxta Basilicam SS. Ioannis & Pauli ad cliuum Scauri fabricauit.

Auctor anonymus. 890.

In Annalibus Caroli Magni:

Cuius in Albani specio sa Martyris æde,
Iuncta Moguntiacæ fulget quæ mœnibus vrbis,
Cum magno fecit sepeliri corpus honore.

Regino Prumiensis. 900.

De anno 517. Per idem tempus venit S. Goar ex Aquitania in territorium Treuirense, in pago Trigorio super ripam Rheni, & riuulū, qui VVochara dicitur, oratorium in honorem S. Deiparę construens, orationibus, eleemosynis, & prædicationibus inibi insistens, plenus virtutibus eodem in loco quieuit.

Luitprandus Ticinenſis. 950.

Lib.1.cap.2. Baſilius Imp. fabricauit pretioſo & mirabili opere iuxta palatium, Orientem verſus, Eccleſiam, quam νέαν, id eſt, nouam vocant, in honore ſummæ ac cæleſtis militiæ principis Archangeli Michaëlis.

Lib.2.cap.11. In huius collis ſummitate pretioſi operis Eccleſia eſt fabricata, & in honore beatiſſimi Petri Apoſtolorum principis conſecrata, vbi & propter amœnitatem Eccleſiæ loci & munitionem Ludoicus manebat.

Lib.3.cap.12. Munitio ipſa tantæ altitudinis eſt, vt Eccleſia, quæ in eius vertice videtur, in honore ſummi & cæleſtis militiæ principis Archangeli Michaelis fabricata, dicatur Eccleſia S. Angeli vſque ad cælos.

Rogerius Benedictinus. 1040.

Vitæ S. Brunonis Epiſcopi Coloni. cap.32. Interea certatim multis in locis, per Parochias Epiſcopij ſui fidelis hic Domini ſeruus, & prudens, Eccleſias, monaſteria, & cætera ædificia ſeruitio Domini Dei ſui, & honori Sanctorum eius apta, quædam à fundamẽtis erexit, quædam prius fundata nobiliter auxit, alia olim diruta reparauit.

Ioannes Micrologus. 1070.

In vita Caroli Magni: Inter illa Imperatoriæ ſanctitatis opera connumerari emeruit & illa egregiæ pulchritudinis, & admirandi decoris Eccleſia, quæ eſt Aquiſgrani, ſub titulo & honore beatæ Dei Genitricis fundata. Cùm enim religionem Chriſtianã, qua ab infantia fuerat imbutus, ſanctiſſimè & mira cum pietate coleret, miri decoris & formæ admirandæ perfecit Eccleſiam prædictam in loco præfato, quam auro & argento, luminaribus & vario ornatu ſolidi æris, cancellis quoq; & ianuis magnificè & mirificè adornauit. Cuius ſummam vigilantiã in eiuſdẽ operis ædificio quis non ſtuperet, cùm illius Baſilicæ materiã & formam diligentius attẽdit, & mirificum opus oculis & animo aduertit?

Lambertus Schaffnaburgenſis. 1090.

De anno 940. Eodem anno dedicata eſt Eccleſia S. Maximini Treuiris.

Sigebertus Gemblacenſis. 1100.

In Chronicis de anno 871. Coloniæ celebrata Synodo ad dedicationem Eccleſiæ à tribus Lotharingiæ Metropolitis, Luitperto Moguntino, Bertulpho Treuirenſi, Villeberto Colonienſi, cùm ab ijs maior Eccleſia, quæ eſt S. Petri, deberet dedicari, præcedente nocte auditæ ſunt voces malignorum ſpirituum, inter ſe dolentium & cõquerentium, ſe à poſſeſſis diu ſedibus debere expelli.

Galfridus Arturus. 1152.

Lib.12. rerum Britannicarum: Britones Eccleſiam in honorem S. Martini ædificauerunt, in qua pro fidelibus defunctis diuina celebrantur obſequia.

Innocentius Tertius. 1200.

Dominica 2. poſt Paſcha Serm.1. Oues ſuas paſcendas Dominus Petro commiſit, vocabulo tertiò repetito, quem paſtorem ſibi ſubſtituit, & ob hoc hodierna ſtatio in eius Eccleſia celebratur.

Rodericus Toletanus. 1240.

Rerum Hiſpanicarum lib.4. cap.8. de Alphonſo, & pijs operibus eius: Eccleſiam S. Mariæ, iuxta Baſilicam S. Thyrſi, ex lapidibus & columnis marmoreis, argento & auro, cum regali palatio adornauit, & Gothorum gloriam, tam in Eccleſijs, quàm palatijs, vt olim Toleti fulſerat, prout potuit, reparauit.

Cap.18. Rex conſtituit diem, in qua conuenirent nobiles, & Magnates, & Pontifices, qui Eccleſiam B. Iacobi dedicarent. Et celebrata dedicatione omnes cum gaudio ad propria redierunt: & fuerũt ibi in dedicatione multi Epiſcopi.

Matthæus VVeſtmonaſterienſis. 1300.

In Chronicis: Anno gratiæ 332. Imperator Conſtantinus fecit Eccleſiam in ciuitate Hoſtia, iuxta portam vrbis Romæ, in honorem beatorũ Apoſtolorum Petri, & Pauli, & ſancti Ioannis Baptiſtæ, & in ciuitate Albanenſi Baſilicam in honorẽ eiuſdem ſancti. Anno 333. conſtruxit Eccleſiam in vrbe Heliopoli miro opere omnibus Apoſtolis & Martyribus, & in Drepana ciuitate Bithyniæ fabricauit Eccleſiam in honorẽ Martyris Luciani.

Thomas VValdenſis. 1410.

Tom.3 tit.17.cap.145. Semper & vbiq; vno ore reſonant Auguſtini dicta, latriæ ſeruitutem eſſe Deo Eccleſias fabricare, in tantum, vt cuicumq; debitè fabricamus, indubitanter nouerimus eſſe Deum. Sed quid ad noſtros ſimplices reſpõdeamus, ſi interrogent: Vnde ergo Petro, & Paulo, & beatæ Virgini dedicamus, & fabricamus Eccleſias? Simpliciter dicimus: quòd non ijs dedicamus Baſilicas, nec altaria vel ſacrificia Chriſtiana, dicente Auguſtino 20. contra Fauſtum, & 22. de Ciuitate Dei, quòd non eos veneramur vt Deos, quia nec templa, nec altaria cõſecramus ijs, vt Deo, ſed memorias, ſicut Martyribus: Deo ſcilicet in memoria S. Petri.

Marcus Antonius Sabellicus. 1490.

Lib.10. Exemplorum cap.14. Sacrauit pia poſteritas Pantheon Deiparæ Virgini in vrbe Roma, opus cùm ſua mole, tum quòd ſit vna teſtudine complexum, inter pauca memorabile: ſtatuerunt & Franciſco Aſſiſiati municipes ſui templum auguſtiſſimum, pulchrum, & venerabile: Mediolanẽſes D. Ambroſio: ſed omnium opulentiſſimũ Veneti D. Marco, qui vrbi præfidet, quo nullum eſt hodie in terris opulentius, magiſq; viſendo apparatu.

ARTICVLVS DECIMVSQVARTVS.

FESTA IN HONOREM SANCTORVM AB ECCLESIA INSTITVTA CELEBRANDA ESSE.

NEGANT.

Anno poſt natũ Chriſtum.

1180. VALDENSES dicunt, quòd feſta Sanctorum non ſunt celebranda. Vnde in diebus feſtiuis Sanctorum manibus operantur. Guido Carmelita de VValdenſibus cap.17. Æneas Syluius hiſtoriæ Bohemicæ cap. 35.

1390. Ioannes VVicleuus Trialogo 3. *Non valet ſolennizatio vel feſtiuitas talis Sancti, niſi de quanto ad magnificandum Chriſtum præparat. Vnde ſi aliquæ ſunt ſolennizationes Sanctorum, quæ exorbitant ab hoc fine, non dubium, quin cupiditas, vel peccatum aliud ſit in cauſa. Ideo multi putant prodeſſe Eccleſiæ, quòd ceſſantibus omnibus iſtis feſtiuitatibus Sanctorum, ſolùm Chriſti feſtiuitas obſeruetur: quia, vt, inquiunt, Chriſti tunc memoria recentius haberetur, & plebis deuotio non ſic in membra Chriſti indebitè ſpargeretur.*

1430. *Thaboritæ feſtum diem præter Dominicum & Paſchalem non agunt.* Æneas Syluius Epiſt. 130. ſeu Dialogo contra Bohemos & Thaboritas.

1500. *Pickardi feſta Apoſtolorum, & reliquorum Diuorũ inuenta eſſe ocioſorum affirmant.* Ioannes Schechtha epiſtola ad Eraſmum.

1530. Martinus Lutherus libello de formula Miſſæ: *Omnium Sanctorum feſta prorſus abroganda putamus.*

De ceremonijs Eccleſiæ ſeruandis: *Feſta Sanctorum in vniuerſum aboleantur.*

Libro contra Ambroſium Catharinum: *Duodecima facies Antichriſti eſt feſtorum dierum obſeruatio, cùm omnes dies liberi ſint, & ad feriandum, & ad laborandum. In hac autem facie inſignius lucent magni illi feſti dies: Viſitationis, Corporis Chriſti, Apoſtolorum, Conceptionis, & ſimilium: & neceſſe eſt peccare & perire animas, ſi quæ non ſeruant, vel inuitè ſeruant hæc ſtulta inutilia & vana præcepta.*

1550. Confeſſio Miniſtrorum Eccleſiæ in Heluetia & Tiguri cap.24. *Feſta hominibus aut Diuis inſtituta non probamus.*

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Clemens Romanus. 80.

Conſtit. Apoſtolicarum lib.8. cap.33. *Quibus diebus feriandum ſit famulis:* In diebus Apoſtolorum vacent: magiſtri enim veſtri fuerunt, ad docendum vos de Chriſto, vobiſq; Spiritum ſanctum dederunt. In die Stephani Protomartyris item vacent, ac reliquis diebus Sanctorum Martyrum, qui Chriſtum vitæ ſuæ antepoſuerunt.

Eccleſia Smyrnenſis. 170.

Epiſtola ad Ponti Eccleſias: Nos poſtea oſſa Polycarpi Martyris, potiora lapillis pretioſis, auroq; puriora, ex cineribus ſelecta, eo loco repoſuimus, qui illis erat decorus conſentaneusq; vbi ſanè nobis in vnum aliquando coactis, Dominus præſtabit, vt celebremus eius Martyrij diem inſtar natalis feſti, cũq; exultatione & gaudio, quãtum fieri poteſt, maximo recolamus: idq; cùm ad Martyrum memoriam, qui antea tale certamen confecerũt, tum ad eorum exercitationem, mentisq; ad talem conſtantiam præparationem, qui poſtea Chriſtum in eo genere mortis confeſſuri ſunt.

Origenes. 230.

Homilia 3. in diuerſos: Innocentũ memoria ſemper, vt dignum eſt, celebratur in Eccleſijs, ſecundùm integrum ordinem Sanctorum, vt primorũ Martyrum pro Domino occiſorum: & vt ipſa Bethlehem primitias Domino Martyrum, in qua natus eſt ipſe Saluator obtuliſſe videatur, &c. Bene ergo & ſecundùm voluntatem Dei, eorum memoriã ſancti Patres celebrari mandauerunt ſempiternam in Eccleſijs, velut pro Domino morientium, velut pro gentibus, & pro Iudæis credituris, vel etiam pro ipſis parentibus, quorum parentes præ nimio dolore percutiebantur, vt eis interceſſio filiorum apud Deum plurimum profuiſſet.

Lib.3. in Iob: Animaduertamus, ô homines, quæ immutatio facta eſt in hominibus. Nam priores diem natiuitatis celebrabant, vnam vitam diligentes, & aliam poſt hanc non ſperantes. Nunc verò nos non natiuitatis diem celebramus, cùm ſit dolorum atque tentationum introitus: ſed mortis diem celebramus, vtpote omnium dolorum depoſitionem, atque omnium tentationum effugationem. Diem mortis celebramus, quia non moriuntur hi, qui mori videntur. Propterea & memorias Sanctorum facimus, & parentum noſtrorum, vel amicorum in fide morientium deuõte memoriam agimus, tam illorum re-

frigerio gaudentes, quàm etiam nobis piam consummationem in fide postulantes.

Eusebius Alexandrinus. 260.

Homilia de Sanctis colendis: Ob hanc causam præcepit nobis memorias Sanctorum celebrare, vt acceptis hymnis, & auditis laudibus, benignum Deum exorent, vt preces nostras caducas admittat. Oportet ergo, vt qui memorias Sanctorum celebramus, multa religione eas celebremus.

Eusebius Cæsarienſis. 320.

Vitæ Constantini lib. 4. cap. 23. Etiam ad ipsos gentium Præfectos Imperatoris nutu & voluntate edictum perlatum est, vt illi perinde Dominicũ diem venerarentur. Iidem consecratos Martyribus dies honore prosequebantur, & festorum solennitates in Ecclesijs celebrabant; quæ omnia secundùm Imperatoris voluntatem gerebantur.

Synodus Gangrenſis. 350.

Canone 20. Si quis arrogantia vtens, & Martyrum congregationes abhorrens, & sacra, quæ in ijs celebrabantur, & eorum memorias accuset, anathema sit.

Synodus Laodicenſis. 360.

Canone 51. Non oportet in Quadragesima Martyrum natalitia celebrari, sed eorum in Sabbato tantùm & Dominica memoriam fieri.

Ephræm Syrus. 370.

Lib. 2. de Pœnitentia: Cùm Sanctorum memorias celebramus, memores simus omnium debilium, viduarum, pupillorum, peregrinorum & pauperum.

Basilius Magnus. 370.

In Iulittam Martyrem: Hunc diem vobis indiximus celebriter agendum: quippe qui memoriam nouat magni illius certaminis, quod in muliebri quidem corpore, generoso alioqui animo, & plusquam virili desudatum omni admiratione stuporeque perculit, cùm illos, qui & ipsi præsentes spectârunt decertantem, tum eos, qui auditu percepturi sunt.

In Quadraginta Martyres: Quis modus, aut quæ satietas Martyrum memoriam prosequendi erit, illi præsertim, qui eorum amore ac charitate magnopere tenetur? Nam honor in bonos à conseruis collatus beneuolentiæ significationem apud communem Dominum habet. Nobis hodierna die non vnum propositum est celebrare, neque duos, neque decem, sed quadraginta.

Gregorius Nazianzenus. 380.

Oratione 3. quæ est inuectiua prima in Iulianum: Non victimas pro Christo cęsas veritus es? nec magnos pugiles extimuisti Ioannem illum, Petrum, Paulum, Iacobum, Stephanũ, Lucam, &c. quibus præclari honores & festa sunt constituta, à quibus dæmones propelluntur, & morbi curantur.

Oratione 22. quæ est oratio in laudem Machabæorum: Quid autem Machabæi? (horum enim nomine diem hunc festum agitamus,) Qui quamuis apud multos non honorentur, quia non post Christũ decertarunt: digni tamen sunt, qui ab omnibus honore afficiantur: quoniam pro legibus institutisque patrijs fortem animum præstiterunt.

Oratione 18. quæ est in laudem Cypriani: Cyprianus ferè nos effugit, (ô ingens damnum!) idq; vos passi estis, qui eum omnium maximè suspicitis, annuisq; honoribus festisq; celebratis: Cyprianus, inquam, cuius vel etiamsi alioqui obliuionis vitio laboraremus, meminisse tamen necesse fuerat: siquidem optimi potissimum viri memoria colendi sunt, ijsq;, quorum meminisse non modò pium est, sed etiam vtile ac fructuosum.

Oratione 32. in præsentia 150. Episcoporum habita: Valete Apostoli præclara colonia, certaminis mei magistri, etsi minus sæpe festa vestra celebraui, fortasse Pauli vestri Satanam ad vtilitatem meam in corpore circumferens, ob quem nunc à vobis abscedo.

Gregorius Nyſſenus. 380.

Oratione in Theodorum Martyrem: Etsi anniuersarijs ferijs hunc diem celebramus; at nunquam cessat studiosè aduenientium multitudo, ac formicarum similitudinem seruat ea, quæ huc pertinet via publica, cùm alij quidem ascendant, alij verò venientibus cedant. Ac nos quidem, ô beate, benignitate Creatoris anniuersariam circuli vicissitudinem assecuti, coëgimus tibi publicum conuentum, sacrum, inquam, Martyribus addictum, & communem Dominum adorantes, & tuorum certaminum victoriæ commemorationem peragentes. Tu verò huc iam ades ad nos, vbicumque tandem fueris, vt diei festo præsis.

Oratione in Gregorium miraculorum opificem: Apud omnes vbique populos sanciebat, vt nomine eorum, qui pro fide decertassent, dies festi atque solennes conuentus celebrarentur: cumq; alius in alium' locum corpora Martyrum deduxissent, per anniuersarium circuli ambitum congregati, lætabantur in honorem Martyrum ferias agentes.

Nectarius Constantinopolitanus. 380.

Narratione, propter quam causam in primo Sabbato sanctorum ieiuniorum celebramus memoriam S. Theodori Martyris cap. 8. Cùm venisset Sabbatum, intellexissent autem Christiani, irritam fuisse machinationem furiosi Iuliani, hymnum gratiarum actionis glorioso Martyri Theodoro exhibentes, lætum ac splendidum festum ei celebrârunt; frumentumq; coquentes, & pauperibus distribuentes, fecerunt eorum salutem omnibus manifestam. Singulis itaque annis ab eo tempore, vsque in hodiernum diem, miraculi inclyti Martyris memoriam, piè fidelibus peragendam reliquêre. Hoc est, quod à nobis nunc peragitur, & celebratur miraculum.

Ioannes Chryſoſtomus. 400.

Oratione de B. Philogonio: B. Philogonij dies, cuius hodie memoriam celebramus, ad ipsius benefactorũ enarrationem linguam nostram euocauit.

Homilia 66. ad populum Antiochenum: Quid de Christo loquar, cùm & discipulos suos, postquam obierunt, effulgere fecit? Quid dico discipulos? Nam & eorum loca, & sepulchra, & tempora perenni memoria celebrari curauit. Tu verò mihi & sepulchrum ostendas Alexandri, & profer diem, quo vitam finiuit: sed nihil horum insigne, sed omnia destructa sunt & exterminata: Christi verò seruorum & sepulchra clara sunt, regiam assecuta ciuitatem, & dies notissimi, mundo festam afferentes lætitiam.

Oratione de Martyribus: Nemo est, qui nesciat Martyrum glorias ad hoc diuino consilio à Dei populis frequentari, nisi vt & illis habitus honor dicetur, & nobis virtutis exempla, fauente Christo, monstrentur: vt dum hæc ita celebrari perspicimus, cognoscamus quanta eos gloria maneat in cælis, quorum natalitia taliter celebrantur in terris.

Homilia in S. Petrum: Pauci hodierno die nostræ concioni præsentes sunt. quænam causa est, quâobrem id facere debeatis? Martyrum diem festum, & memoriam celebramus, & nemo nobis occurrit.

In Natiuitate Ioannis Baptistæ: Festi celebrandi, & publicæ lætitiæ dies est opportunus, in quo mihi reuocatum est in memoriam Gabrielis ministerium, & Zachariæ sacerdotium.

Cyrillus Alexandrinus. 430.

Oratione, die Ioanni Euangelistæ sacro Epheſi dictæ: Celebritatem & gloriam Sanctorum nulla assequi potest oratio. Extiterunt enim mundi luminaria, verbum vitæ, sicut scriptum est, continentes.

Sozomenus. 440.

Lib. 2. cap. 16. Diem festum popularem, & valde splendidum, maximo hominum cœtu quotannis Alexandrini, eo die, quo Petrus ipsorum Episcopus martyrio occubuit, adhuc etiam agunt. Quem diem cùm Alexander quoque eorum Antistes vnà celebraret, iamq; sacra peregisset mysteria, fortè expectauit conuiuas, qui secum pranderent.

Lib. 3. cap. 13. Hesychas discipulus Hilarionis Reliquias illius clam abreptas deportauit in Palæstinam, inq; suo monasterio sepeliuit. Ex quo tẽpore dies festus maxima hominum frequentia, & summo splendore quotannis ab indigenis celebratus est. Nam Palæstinis in more positum est, bonos ac pios viros, qui apud ipsos vixerint, eo honoris genere afficere.

Theodoretus. 450.

Historiæ Eccles. lib. 3. cap. 14. Iuuentinum & Maximianũ Martyres, velut strenuos pietatis athletas Antiochia venerata, magnifico tumulo mandauit, & ad hodiernum vsq; diem quotannis festo publico eos honorificè celebrat.

Historiæ sanctorum Patrum cap. 24. Habet nunc quoq; sub eodem tecto Martyres, qui apud Persas quidem decertârunt, annuis autem, & celebribus festis à nobis honorantur.

Libro 8. Græcarum affectionum: Nos sæpenumerò dies festos sanctorum Martyrum peragimus, sæpe diebus singulis eorum laudes hymnosq; Domino cantamus.

Theodorus Lector. 520.

Lib. 2. Festus senator Romanus Anastasium Imperatorem adhortatus est, vt memoria coryphæorum Apostolorum Petri & Pauli cum multa reuerentia & veneratione coleretur. Quamuis itaq; & antea celebrata esset, tamen ex petitione Festi multò amplius & splendidius panegyris illa celebrari cœpta est.

Dorotheus Abbas. 520.

Doctrina 23. Atque hoc maximè faciendum est, cùm Dominica solennitas, vel sanctorum Martyrum, vel quæcumq; dies sancta fuerit, & præclara; ita vt psalmodiæ studium, & curam adhibeamus, & mentem tamen non diuertamus à virtute sanctorum verborum.

Procopius Chartophylax. 530.

In Encomio S. Marci: Simul etiam cum vere ipso iucundissimo & suauissimo anni tempore huius viri sancti dies festus exorsus est, & instar splendidissimi solis humanas animas illustrauit. Nãque vt nunc terra floribus exornata est: ita & præsens dies præclaris Euangelistæ Marci factis decoratus, omnes ad se congregauit.

Cyrillus Eremita. 540.

In vita S. Euthymij: Tertio itaque die, qui est postea consecutus, cùm aduenisset dies festus diuini Antonij, præcepit vt vigilent in templo per totam noctem.

Procopius Cæsareensis. 550.

Lib. 2. de bello Vandalico: Cyprianum virum sanctissimũ ex omnibus maximè Carthaginẽses colunt, ipsiusq; templo pulcherrimo ante vrbem iuxta littus cõstituto, festum quotannis celebrãt, quod Cypriana vocant, eodemq; vocabulo (vt ego nuper didici) irruentẽ tempestatem nominare solent, quòd hæc eodem tempore, quo festum hoc Afri celebrant, oriri consueuit.

Aretas Cæsarienſis. 550.

Oratione de S. Samona: Vos, qui ad diem festum conueniſtis, qui conuiuæ estis, qui auditores, qui oues ratione præditæ, quid Confessoribus hisce Martyribus, quid item contra nobis reponetis? Nimirum illos quidem hymnis laudibusq; prosequemini, & quæ bona sunt summa ope magis ac magis in dies sectari studebitis. Siquidem gratum Martyribus est, si hoc modo festi eorum dies celebrentur.

Euagrius. 600.

Lib. 1. c. 16. Quã de causa festum celebre (*S. Ignatij,*) & lætitiæ communis ad nostram vsq; ætatem peragitur. Quod quidem festum à Gregorio Pontifice multo maiore magnificentia illustratum est. Ista propterea in eo loco facta fuerũt, quòd Deus sacras Sanctorum suorum memorias ibi coli honorariq; voluit.

Eustathius. 610.

In Encomio S. Eutychij: Cùm festus dies sancti Timothei apud Hormisdæ regionem in nouo palatio celebraretur, S. Eutychius rem diuinam faciebat.

Leontius. 620.

In vita Ioannis Eleemosynarij: Erat celebris S. Martyris Mennæ dies.

Ioannes Damaſcenus. 730.

Oratione 1. de imaginibus: Cum luctu & lachrymis Iacob mortuus, elatus, sepultusq; fuit. At nos Stephani mortem cum lætitia celebramus. Quapropter aut solennes ad memoriam & laudes Sanctorum celebritates contra legis antiquę morem institutas tolle, aut imagines eorum, quas contra legis præscriptum tu fieri asseris, admitte. At eiusmodi celebritates Sanctorum tolli non possunt, cùm sanctus Apostolorum & diuinorum Patrum chorus eas fieri iubeat.

Elias Cretenſis. 780.

Ad Orationẽ 3. Nazianzeni: Martyres hæc omnia sustinebant, vt ne nudo quidem verbo tenus fidẽ prodere viderentur. Quibus de causis & magnificis honoribus afficiuntur, & publica festa in honorem eorum celebrantur.

Theodorus Studites. 820.

De honore imaginibus exhibendis: Commemoratione Præcursoris hodierna die, fratres ac patres, memoriæ prorsus succurrit eius vitæ disciplina, quam ipsi in monasterio tenuimus.

Leo Imp. Philoſophus. 880.

Constitutione 88. Sancimus, vt Athanasij, Basilij, &c. sacri consecrationis dies conuenientibus honoribus colantur.

Libro de apparatu bellico: Sacra sunt militum in bello cadentium corpora, præcipuè eorum, qui

strenuè sese pro Christianis propugnandis gesserunt: hæc omnino pio honore afficienda, & sepultura memoriaq; perpetua donanda sunt.

Simeon Metaphrastes. 960.

In vita S. Melanæ: Celebrabatur quidem festum glorioſi Martyris Laurentij: illa verò pernoctabat insomnis.

Ioannes Zonaras. 1100.

Tomo 3. in Zimisca: Eo die memoria Theodori ducis insignis Martyris celebrabatur.

In Alexio Imp. Sub hoc Imperatore terræ motus horrendus fuit, eo die, quo memoria D. Nicolai ob miracula celebris agitur.

Emmanuel Comnenus. 1140.

Apud Theodorum Balsamonem ad titulum 7. Photij de ieiunio: A mane vsque ad ipsum diuini sacrificij tempus liceat iudicibus vacare orationi, & Dei glorificationi, & post diuinum sacrificium iustitiæ curam gerere, &c. Octaua Septemb. Natalis immaculatæ Dominæ, & Dei Matris erit festus. Similiter & 14. dies Septembris, qui honoratus est in Exaltatione viuificæ Crucis. 26. propter Apostoli & Euangelistæ Ioannis Theologi emigrationem. 6. Octobris, quòd in eo agatur memoria S. Thomæ. 13. Nouembris, quòd Patris Chrysostomi in eo memoria peragatur, &c.

Nicetas. 1200.

In Alexio Comneno: Alexius in fundum Raicem ingressus est ad celebrandam memoriam Theodori Martyris septimo primi ieiuniorum.

Michael Choniates. 1220.

Oratione funebri in Nicetam Choniatem: Sanctorum omnium, qui circulari dierum totius anni albo inscripti sunt, nullus est, quem ille priuatim, die commemorationi eius dicata, festiuo solenniqúe ritu, & spiritualibus hostijs faciens, & hymnis omniumq; fructuum primitijs cohonestans non veneraretur. Nec enim cultu illo contentus, quem cum cæteris ciuibus in publico conuentu tribuebat, Ecclesia quoque priuatis in ædibus consecrata, annuum ei Diuo festum dicabat, quem vbiuis gentium coli videret.

Nicephorus Callistus. 1300.

Lib. 14. cap. 51. Hoc ijs tantùm diebus fit, quibus memoria S. Simeonis Stylitæ colitur.

Nicephorus Gregoras. 1330.

Lib. 9. de Senioris Imp. obitu: Hanc eclipsin secutus est lunæ defectus, eum terræ motus, ea vespera, qua D. Antonij memoria, cuius illi nomen inditum erat, veteri more à Christianis celebrabatur die Februarij 12.

Georgius Codinus. 1400.

De Officialibus palatij Constantinopolitani fol. 164. In festo Basilij Magni discedit in venerandam ædẽ, quæ de nomine illius honoratur.

Zaga Zabo Æthiops. 1530.

In confessione fidei Aethiopicæ: Ex indicto Synodorum Apostolorum diem martyrij S. Stephani, ac aliorum Martyrum celebramus.

Hieremias Constantinopolitanus. 1580.

Responso 1. cap. 15. Similiter etiam festos dies celebramus honorandorum Sanctorum causa, tamquam amicorum Dei: sicut & sanctus Dauid ait: *Mihi verò valde in honore fuerunt amici tui Deus.*

ASSERVNT PATRES LATINI.

Cyprianus. 250.

Lib 4. epist. 5. *Epist. 34. de Celerino, & cæteris Martyribus*: Sacrificia pro ijs semper, vt meministis, offerimus, quoties Martyrum passiones, & dies anniuersaria cõmoratione celebramus.

Lib. 5. epist. 6. *Epist. 37.* Dies eorum (*Martyrum,*) quibus excedunt, annotate, vt commemorationes eorum inter memorias Martyrum celebrare possimus.

Felix Primus. 270.

Epist. 2. Tales perturbatores Ecclesię non solùm prædictà agunt mala, sed & memorias Martyrum execrantur. Quapropter & in præsenti constituimus Synodo, vobisq; & omnibus Ecclesijs tenendum & agendum mandamus, vt super memorias Martyrum Missæ celebrentur, ne memoriæ eorum extingui à talibus, aut veneratio eorum possit prohiberi.

Ambrosius. 370.

Lib. 1. de Virginibus: Bene procedit, vt quoniam hodie natalis est Virginis, de virginibus sit loquẽdum, & ex prædicatione liber sumat exordium. Natâlis est virginis, integritatem sequamur: Natalis est Martyris, hostias immolemus: Natalis est sanctæ Agnes, mirentur viri, non desperent paruuli, stupeant nuptæ, imitentur innuptæ.

Lib. 3. Dies factus est Petrus, dies Paulus. Ideoq; hodie natali ipsorum Spiritus sanctus increpuit, *Psal. 18.* dicens: *Dies diei eructat verbum*, hoc est, ex intimo thesauro cordis fidem prædicant Christi. Et bonus vterque dies, qui nobis fidem euomuit.

Sermone 63. In sancti ac beatissimi Ioannis Baptistæ laudibus, cuius hodie natalem celebramus, quid potissimum prædicem nescio, vtrum quòd mirabiliter natus, an quòd mirabiliter occisus sit?

Sermone 67. Natalem beatissimorum Apostolorum Petri & Pauli hodie celebrantes, diuersis epulis nos reficere debemus, & tantam festiuitatem magna cum lætitia celebrare. Quis enim talium virorum solennitatem non magna cum lætitia debet celebrare? Quis enim talium virorum solennitate non magnos sibi exhibeat apparatus, vt quo plus expenderit, plus se Apostolos cõfirmet amare? Veruntamen non opus est proprio sumptu ad refectionem nostram: nam natali suo sanctus Petrus ipse nos reficit.

Sermone 71. de Natali S. Laurentij: Beatissimi Laurentij Martyris, cuius natalem hodie celebramus, passionem nosse vos credo, & quanta in persecutione pertulerit, dilectionem vestram scire non dubito.

Sermone 72. Sancti Cypriani festiuitatem, sicut omnibus notum est, hodie celebramus, & natali, sicut dicunt, imminente vindemia, natalem eius Martyrij procuramus.

Optatus Mileuitanus. 370.

Libro 2. contra Parm. Apostolus ait: *Memorijs Sanctorum communicantes.*) Ecce præsentes sunt Romæ duorum memoriæ Apostolorum. Dicite, si ad hos ingredi potuit, ita vt obtulerit illic, vbi Sanctorum memorias esse constat? *Rom. 12.*

Damasus.

Damasus. 370.

Hymno de S. Agatha:

Martyris ecce dies Agathæ
Virginis emicat eximiæ,
Christus eam sibi qua sociat,
Et diadema duplex decorat.

Prudentius. 380.

Hymno 11. de S. Hippolyto:

Si bene commemini, colit hunc pulcherrima Roma
Idibus Augusti mensis, vt ipsa vocat,
Prisco more diem, quem te quoque sancte magister
Annua festa inter dinumerare velim.
Inter solennes Cypriani, vel Chelydoni,
Eulaliaq; dies currat & iste tibi.

Hymno 5. de S. Vincentio:

Beate Martyr prospera
Diem triumphalem tuum,
Quo sanguinis merces tibi
Corona Vincenti datur, &c.
Sic rite solennem diem
Veneramur ore, & pectore:
Si sub tuorum gaudio
Vestigiorum sternimur.

Hymno 12. de passione Petri & Pauli:

Plus solito coeunt ad gaudia, dic amice quid sit,
Romam per omnem curritant, quantq;.
Festus Apostolici nobis redit hic dies triumphi,
Pauli atque Petri nobilis cruore.

Hieronymus. 390.

Epistola 19. ad Eustochium: Festus est dies, & natalis B. Petri festiuius est solito condiendus, ita tamen, vt Scripturarum cardinem iocularis sermo non fugiat, &c. Vnde nobis solicitius prouidendum est, vt solennem diem, non tam ciborum abundãtia, quàm spiritus exultatione celebremus. Quia valde absurdum est, nimia saturitate velle honorare Martyrem, quem scimus Deo placuisse ieiunijs.

In caput 4. ad Galatas: Dicat aliquis: Si dies obseruare non licet, & menses, & tempora, & annos, nos quoque simile crimen incurrimus, quartam Sabbati obseruantes, & Parasceuem, & diem Dominicam, & pro varietate regionũ diuersa in honorem Martyrum tempora constituta. Ad quod simpliciter respondemus, non eosdem Iudaicæ obseruationis dies esse, quos nostros, &c.

Rufinus. 390.

Ecclesiasticæ historiæ lib. 1. cap. 14. Tempore, quo apud Alexandriam Petri Martyris diem Alexander Episcopus agebat, cùm post expleta solennia conuenturos ad conuiuium suum clericos expectaret, in loco mari vicino videt eminus, &c.

Concilium Carthaginense Tertium. 397.

Cap. 47. Liceat etiam legi passiones Martyrum, cùm anniuersarij dies eorum celebrantur.

Augustinus. 400.

Libro 20. contra Faustum Manichæum cap. 21. Populus Christianus memorias Martyrum religiosa solennitate concelebrat, & ad excitandam imitationem, & vt meritis eorum consocietur, atque orationibus adiuuetur: ita tamen, vt nulli Martyrum, sed ipsi Deo Martyrum, quamuis in memorias Martyrum, constituamus altaria.

In Psalm. 63. Passionis sanctorum Martyrum diem hodie festum habentes, in eorum recordatione gaudeamus, recolentes quid patiebantur, & intelligentes quid intuebantur. Nunquam enim tantas tribulationes carne tolerarent, nisi magnam quietem mente conciperent. Hunc itaque Psalmum pro ista solennitate percurramus. Hesterno enim die multa audiuit charitas vestra, nec hodie tamẽ huic festiuitati negare potuimus nostram seruitutem.

In Psalm. 88. Concione 2. Dixerunt ista Martyres, quorum natalitia celebramus: *Ipse viuet, & non videbit mortem: ipse eruet animam suam de manibus inferni.* &: *Nos propter te mortificamur tota die.*

Et circa finem: Natalitia Sanctorum cum sobrietate celebrate, vt imitemur eos, qui præcesserũt; & gaudeant de vobis, qui orant pro vobis: vt benedictio Domini in æternum maneat super vos: fiat, fiat.

Sermone 21. de Sanctis, qui est Sermo 2. de Ioanne Baptista: Nos ergo, fratres dilectissimi, vt tam sanctam festiuitatem non solùm corporali, sed etiam spirituali cum gaudio celebrare possimus, secundùm vires nostras ad dandas eleemosynas, & ad tenendam cum omnibus pacem, nostros animos præparemus, & ab omni scurrilitate, vel turpiloquio, non solùm nosmetipsos, sed & omnem familiam nostram, & vniuersos ad nos pertinentes, pro amore Dei, & de zelo sanctæ disciplinæ, prohibere totis viribus laboremus, nec permittamus solennitatem sanctam, cantica luxuriosa proferendo, polluere. Tunc enim pro nobis sanctus Ioannes quicquid petierimus poterit obtinere, si nos festiuitatem suam pacificos, sobrios, castos, absque vllo turpiloquio cognouerit celebrare.

Sermone 47. de Sanctis: Quotiescunque, fratres charissimi, sanctorum Martyrum solennia celebramus, ita, ipsis intercedentibus, expectemus à Domino consequi temporalia beneficia, vt ipsos Martyres imitando accipere mereamur æterna. Ab ipsis enim sanctorum Martyrum in veritate festiuitatum gaudia celebrantur, qui ipsorum Martyrum exempla sequuntur. Solẽnitates enim Martyrum exhortationes sunt martyriorum, vt imitari non pigeat, quod celebrare delectat.

Concilium Quintum Carthaginense. 410.

Cap. 14. Nulla memoria Martyrum probabiliter acceptetur, nisi aut ibi corpus, aut aliquæ certę Reliquiæ sint, aut vbi origo alicuius habitationis, vel possessionis, vel passionis fidelissima origine traditur.

Paulinus Nolanus. 410.

Natali 2. S. Felicis:

Felix, hoc merito, quod nomine, nomine & idem
Qui merito: redit alma dies, qua te tibi summus
Asciuit patriam confessum Christus in aulam.

Natali 3.

Venit festa dies cælo, celeberrima terris,
Natalem Felicis agens, qua corpore terris
Occidit, & Christo superis est natus in astris,
Cælestem nactus sine sanguine Martyr honorem.

Natali 4.

Annua vota mihi remeant simul annua linguæ
Debita, natalis tuus ô clarissime Christo
Felix, natali proprio mihi charior, in quo,
Quamlibet innumeris sint gaudia publica turbis,
Est aliquid speciale tuis, &c.

Natali 8.

Ecce dies nobis anno reuoluta peracto
Illustrem reuehit Felicis nomine lucem.
Tempus erat latis modò promere gaudia verbis,
Anxia si latas paterentur tempora voces.

Natali 9.

Lux huius natalis adest, nec enim ille die fit
Sanctus, cuius honor celebrandi causa diei est.
Quòd si natalem reliquis præstare diebus

Turba facit solito, quæ densius ad sacra currit
Limina, conferta prope semper plebe videmus
Natalem Felicis agi : nam quæ rogo votis
Cassa dies oritur, vel magnis rara cateruis?
Sed tamen hanc speciale decus retinere fatebor
Iure diem, expleto quondam qua contigit æuo
Ponere terrenos habitus, & in alta vocari
Sidera Felicem retinendum sede beata.
Firmat enim ratio ista fidem, quæ tempora certis
Distinguit titulis, sacrosq; per annua signat
Festa dies, quibus aut Domini miracula quondam
Antiqui tremuêre patres, horrenda sinistris,
Et semper celebranda pijs, quia commoda Sanctis,
Dura fuêre malis.

Maximus Taurinensis. 430.

Homilia de Martyribus Taurinis: Cùm omnium sanctorum Martyrum deuotissimè natalem celebrare debemus, tum præcipuè eorum solennitas tota nobis veneratione colenda est, qui in nostris domicilijs proprium sanguinem profuderunt.

In festo S. Laurentij : Sanctum est, fratres, ac Deo placitum, vt natalem B. Laurentij præcipua deuotione veneremur.

Petrus Chrysologus. 440.

Sermone 129. in D. Cyprianum Martyrem : Quoniam hodie Deo in natali S. Cypriani Martyris côuenimus, in quo miro certamine de diabolo triumphauit: & quia nobis virtutum suarum gloriosum reliquit exemplum: ideo exultare nos conuenit, & lætari. Natalem ergo Sanctorum cùm auditis charissimi, nolite putare illum dici, quo nascuntur in terram de carne, sed de terra in cęlum, de labore ad requiem, de tentationibus ad quietem, de cruciatibus ad delicias, non fluxas, sed fortes, & stabiles, & æternas; de mundanis risibus ad coronam & gloriam. Tales natales dignè Martyrum celebrantur. Cùm ergo huiusmodi festiuitas agitur, noli æstimare, charissime, quòd in solis prandijs & profusioribus epulis natales Martyrum celebrentur : sed imitandum tibi proponitur, quod in memoria Martyris celebras. Idcirco ergo natales Martyrum annua celebrantur lætitia, vt quod semel actum est, per omne æuum in memoria maneat deuotorum.

Sermone 135. in D. Laurentium: Hodiernus dies beatissimi Martyris Laurentij corona illustratur: cuius egregij Martyris merita nulla pars Romani orbis ignorat, &c. Meritò Apostolus alloquens Martyres, vt in Epistola eius hodie cùm legeretur audistis : *Vobis*, inquit, *donatum est pro Christo, non solùm vt credatis in eum, sed etiam vt patiamini pro eo.* Ergo Martyrum merita velut Dei dona laudemus, amemus, oremus, subinferamus voluntatem nostram, &c. Quis est qui timeat volens? Quis est qui amet nolens? ferueat oratio, & festum Martyris celebretur: sed vt non sit inanis qui celebrat, imitemur. Philip. 1.

Hilarius Arelatensis. 450.

In vita S. Genesij : Natalis ipsius die frequens ille in ciuitate Arelatensi casus, pontis abrupti periculo, vrbem totam nimio tremore concussit, & animis subiti pauoris discrimine côcussis, solennitatis lætitiam, recepta salutis gratia, lætiorem reddidit, iucunditate duplicata. Nam cùm suos in hac celebritate, plus etiam quàm suos Arelas populus coëgisset, quorum in illa die gaudijs agendis ipsa ciuitas angusta erat, semitæ ac spatia câporum, hærente in agmine, & laborantibus sua cunctis densitate, ibat in vlterioris fluminis ripam, in honorem Martyris Christo deuotus exercitus, cum charis coniugibus, dulcibus pignoribus, plura simul habere beneficia festinans.

Leo Magnus. 450.

Sermone 1. in Natali Apostolorum Petri & Pauli cap. 1. Omnium quidem sanctarum solennitatum totus mundus est particeps, & vnius fidei pietas exigit, vt quicquid pro salute vniuersorum gestum recolitur, communibus vbique gaudijs celebretur. Veruntamen hodierna festiuitas præter illam reuerentiam, quam toto terrarum orbe promeruit, speciali & propria nostræ vrbis exultatione veneranda est; vt vbi præcipuorum Apostolorum glorificatus est exitus, ibi in die martyrij eorum sit lætitiæ principatus.

Sermone in Natiuitate sanctorum septem fratrū Martyrum Machabæorum cap. 1. Gratias dilectissimi agamus Domino Deo nostro, quòd quanta sit huius diei solennitas, etiamsi ego taceam, conuentus vester ostendit. Tam enim conspiranti studio, & deuoto animo conuenistis, vt festiuitatis magnificentiam etsi sermo non indicet, congregatio tamen ipsa testetur.

Eucherius Lugdunensis. 450.

In Natali S. Genesij : Hodie natale S. Genesij celebramus, & meritum. Beatorum Martyrum passiones natales vocamus dies, quando eos martyrij vita, & gloriæ fides, dum ingerit morti, genuit æternitati, & perpetua gaudia breui dolore parturijt. Meritò planè dicendi natales dies, per quos illi, qui nati fuerant in hanc fragilitatis humanæ miseriam, subitò renascuntur in gloriam, vitæ perennis initium de mortis fine sumentes. Etenim si istos dies natales vocamus, quibus in hanc lucem in delictis, & doloribus nascimur ad dolores, iustius isti celebrantur natales, quibus Sancti ex corruptibili luce in nouam illam futuri seculi veniunt claritatem.

Fulgentius. 500.

Sermone de S. Stephano Protomartyre : Heri celebrauimus temporalem sempiterni Regis nostri natalem, hodie celebramus triumphalem militis passionem. Heri enim Rex noster trabea carnis indutus, de aula vteri virginalis egrediens, visitare dignatus est mundum: hodie miles de tabernaculo corporis exiens, triumphator migrauit ad cælum.

Sermone de S. Cypriano Martyre: Clarum tanti Martyris natalis diem, beati scilicet Cypriani, quo terrenis ac moribundis membris exutus, ad æternæ præmia vitæ transmigrauit, & sacerdotij eius doctrinam & martyrij nobis victoriam commendauit, fecitqúe extemporali quondam tristitia liberiorem. Quis nesciat, hunc ipsum, qui nunc annua circumstitutione festus nobis reuoluitur dies, Christianis ac religiosis mentibus, illo tunc tempore fuisse solicitum, dum aduersus diabolum ab Antistite suscepto culmine, pia plebis expectatio trepidaret?

Athalaricus Rex. 520.

Apud Cassiodorum lib. 8. epistola 33. Ad Natalè Sancti Cypriani religiosissimè venerant peragendum.

Benedictus Abbas. 530.

Regulæ cap. 14. In Sanctorum festiuitatibus, sicut diximus, Dominico die agendis, ita agatur : excepto quòd Antiphonæ, vel Lectiones ad ipsum diem pertinentes dicantur.

Vigilius Papa. 537.

Epistolæ 1. cap. 5. Quoties Sanctorum Dei fuerit agenda festiuitas, singula capitula diebus apta coniungimus, quibus commemorationem eorum, quorum Natalitia celebramus, prosequimur.

Gregorius Turonensis. 580.

De Martyribus lib. 2. cap. 29. De Iuliano Martyre: Huius festiuitatis ignara plebs mœsta pendebat, nesciens diem, in quo deberet beatus pro virtutis & passionis gloria honorari.

Dinamius Patricius. 590.

Vita S. Maximi cap. 1. Beatissimi Maximi Rhegiensis Episcopi hodie dies sanctæ solennitatis colitur, qui quotannis rediuiuis temporum curriculis renouatur : cuius nos res gestas pandere pia animi deuotio admonet, & priscà consuetudo compellit.

Gregorius Magnus. 600.

Lib. 4. epist. 11. Nos solicitè requirentes ab Adeodato Diacono didicimus, quia nunquam consuetudo fuit decessoribus tuis, vt in Litanijs pallio, nisi in solennitate B. Ioannis Baptistæ, & beati Petri Apostoli, & B. Martyris Apollinaris vterentur.

Isidorus Hispalensis. 620.

De officijs Ecclesiasticis lib. 1. cap. 34. Festiuitates Apostolorum, seu in honore Martyrum solennitates antiqui Patres in venerationis mysterio celebrari sanxerūt, vel ad excitandam imitationem, vel vt meritis eorum consociemur, atque orationibus adiuuemur.

Cap. 35. Omnes festiuitates pro varietate regionum, diuersaqúe in honorem Martyrum tempora ideo à viris prudentibus instituta sunt, ne fortè rara congregatio populi fidem minueret in Christo.

Ionas Monachus. 640.

Vita S. Bertulphi cap. 6. D. Petri sacra toto orbe solennia celebrantur.

Hildephonsus Toletanus. 670.

Libro contra eos, qui disputant de perpetua Mariæ virginitate : Nullius natiuitas celebratur in mundo, nisi Christi, Mariæ, & beati Ioannis. Ioannis autem, quia & ipse in vtero sanctificatus legitur: sic & beata Virgo, nisi in vtero matris sanctificata esset, minimè eius Natiuitas colenda esset.

Beda. 700.

Historiæ Anglic. lib. 5. cap. 11. Inuenta Evvaldorum corpora iuxta honorem Martyribus condignum recondita sunt, & dies passionis vel inuentionis eorum congrua illis in locis veneratione celebratur.

Homilia in solennitate omnium Sanctorum : Hodie, dilectissimi, omnium Sanctorum sub vna solennitatis lætitia celebramus festiuitatem, quorum societate cælum exultat, quorum patrocinijs terra lætatur, triumphis Ecclesia sancta coronatur.

Alcuinus. 750.

De diuinis Officijs cap. 30. Ideo tres Missæ celebrantur in festiuitate S. Ioannis, quia tribus insignibus triumphis excellenter refulsit. Ad hoc enim venit, vt viam Domino prępararet, exemplo suæ conuersationis: qui triumphus celebratur in Vigilia eiusdem. Per ministerium baptismi claruit insignis : huius ministerij triumphus in prima Missa recolitur. Nazaræus permansit ex vtero matris : hoc donum recolitur in die.

Paulus Diaconus. 780.

De gestis Longobardorum lib. 4. cap. 6. al. 4. Regina quædam ex alia prouincia veniens Basilicam B. Ioânis Baptistæ in Longobardorum finibus construxit.

Carolus Magnus. 800.

Libro 2. Legum cap. 35. Festos dies in anno celebrari sanximus : In Natali Apostolorum Petri & Pauli diem vnum, Natiuitatem S. Ioannis Baptistę, Assumptionem S. Mariæ, Dedicationem S. Michaelis: Natalem S. Remigij, S. Martini, S. Andreæ. Et illas festiuitates Martyrum, vel Confessorum obseruare decreuimus, quorum in vnaquaque Parochia sancta corpora requiescunt.

Concilium Moguntinum. 813.

Cap. 36. Celebrari mandamus in Natali Apostolorum Petri & Pauli vnum diem, &c.

Rabanus Maurus. 850.

De institutione Cleri lib. 2. cap. 43. Dicuntur Sanctorum festiuitates natalitia, & meritò. Quomodo enim côsuetè nasci dicitur, cùm quis de vtero matris procedens, in lucem egreditur: ita rectissimè potest natus dici, qui à vinculis carnis solutus, ad lucem sublimatur æternam. Et inde mos obtinuit Ecclesiasticus, vt dies beatorum Martyrum, siue Confessorum Christi natales vocitemus, eorumqúe solennia non funebria, sed Natalitia dicantur.

Concilium Triburiense. 895.

Cap. 35. Diebus Dominicis, & Sanctorum festis, Vigilijs & orationibus insistendū, & ad Missas cuilibet Christiano cum oblationibus est currendum, & tantummodo Deo vacandum.

Odo Cluniacensis. 910.

Tractatu de translatione S. Martini: In synodo Archiepiscopi, & ipsorum, qui conuenerant, statutum est, vt singulis deinceps annis per vniuersam diœcesin Subuentionis huius festum quarto Idus Maij solenniter celebretur.

Fridegodus. 950.

In vita S. Audoëni : Quanta veneratione prosequendus est hodiernus Antistitis nostri Audoëni sacratissimus dies, quo ille iunctus Christo fruitur Angelicis paradisi delicijs, & à nobis magnò honore colitur tumulatus?

Frodoardus. 980.

In Chronicis de anno 924. Remis in Ecclesia S. Mariæ, solennitate omnium Sanctorum, quidam diu contractus, virtute diuina solutus & ereptus est.

Concilium Salegunstadiense. 1020.

Cap. 1. Quatuordecim dies Christiani ante festiuitatem S. Ioannis Baptistæ in abstinentia sint carnis & sanguinis, nisi infirmitate impediente, aut alicuius festi solennitate, quæ in illo Episcopio celebris habetur, intercedente : & ante Natiuitatem Domini, & in Vigilia Epiphaniæ, & in omnibus Vigilijs Apostolorum, & in Vigilia Assumptionis S. Mariæ, & in Vigilia S. Laurentij, nec non etiam in Vigilia omnium Sanctorum.

Berno Augiensis. 1020.

In vita S. Vdalrici: Aderat namque toti orbi venerandus dies, videlicet Præcursoris Christi natalitius, & vir Dei graui infirmitatis oppressus languore dixit, &c.

Petrus Damianus. 1050.

Epistolæ 4. cap. 15. Decollatio Ioannis mense Augusto celebratur, cùm tamen tempore Dominicæ passionis trucidatus ab Herode fuisse non dubitetur. Eadem quoque ratio est de festiuitate S. Iacobi, nec nō B. Petri, quæ dicitur à vinculis, &c. Patet absque dubio, quia alio anni tempore hæc per executionem operum sunt facta, atque alijs postmodum colendis solennitatibus instituta. Festiuitates enim illæ celebrantur circa metas Iulij mensis, quo videlicet tempore neque Pascha celebrasse, neque azymorum dies Hebræorum ille populus inuenitur, si tota Testamenti veteris se-

ries recenſeatur. Sed quia in ſolennitate Paſchali venerari dignè non poterant, ad eorum cultum aliud tempus eſt Eccleſiaſtica diſpoſitione præuiſum.

Anſelmus. 1080.

Ad cap. 2. Matthæi de Innocentibus: Hi Martyres ad inferos deſcenderunt; quia nondum paſſus erat Chriſtus, & ideo in ſolennitate eorum tacentur voces gaudij, hoc eſt, *Alleluia, & Gloria in excelſis Deo.*

Ino Carnotenſis. 1100.

Epiſt. 28. Ex præcepto Regis Remenſis & Senonenſis Epiſcopi inuitauerunt Suffraganeos Epiſcopos, vt poſt reſponſa veſtra apud Trecas prima Dominica poſt feſtiuitatem omnium Sanctorum conueniant.

Berngoſius. 1112.

Sermon. in Dedicatione Eccleſiæ: Quoties feſtiuis Sanctorum natalitijs debito honore ritè celebratis, in Domino gloriamur, toties ipſorum precibus & meritis adiuti, larga benedictionis gratia Creatoris noſtri perfundimur.

Hugo Victorinus. 1130.

Miſcellaneorum libro 1. titulo 112. Ex magna Saluatoris noſtri pietate agitur, quòd nobis merita Sanctorum feſtiua iucunditate recolenda indicuntur: quia in eo nos Deus noſter & exhortatur ad imitationem virtutum, & admittit ad participationem gaudiorum.

Bernardus. 1150.

Sermone 1. in feſtiuitate omnium Sanctorum: Feſtiuitatem hodiernam Sanctorum omnium cum omni deuotione dignum eſt celebrari. Nimirum ſi magna videtur & eſt beati Petri ſolennitas, ſeu beati Stephani, aut cuiuslibet cęterorum, quanta eſt iſta, quæ non vnius tantùm eſt, ſed vniuerſorum. Verùm non ignoratis fratres, ſecularibus id moris eſſe, vt diebus feſtis feſtiua ſibi conuiuia parent, & quanto fuerit ſolennitas clarior, tanto ſplendidius epulentur. Quid ergo? Nonne & his, qui conuertuntur ad cor cordis deliciæ ſunt quærendæ, & ſpiritualibus ſpiritualia comparanda? &c.

Helmoldus Presbyter. 1170.

In Chronico Sclauorum lib. 1. cap. 64. Illuceſcente ergo die, qua Sanctorum Ioannis & Pauli paſſio veneranda celebratur, deſcendit naualis Sclauorum exercitus per oſtium Trauennæ.

Guntherus. 1180.

Libro 4.

Iamq; aderat veneranda dies, quæ clara triumpho
Fulget Apoſtolico, totum feſtiua per orbem
Illa quidem, ſed Romuliæ ſpecialiter vrbi,
Cuius ſacra ſuo luſtrârunt mœnia Patres
Martyrio, ſæui dum ſpernunt ſceptra Neronis.
Illam quo poterat populus Caſtrenſis honore
Suſcepêre diem.

Innocentius Tertius. 1200.

Myſteriorum Miſſæ lib. 2. cap. 52. Licet in Natiuitate S. Ioannis Baptiſtæ, & feſtiuitate S. Laurẽtij Symbolum non cantetur, in Octauis tamen eorum cantatur: eò quòd infra Octauas Apoſtolorum & Aſſumptionis adueniant. Et ob hoc in Octauis S. Ioannis Præfatio de Apoſtolis, & in Octauis S. Laurentij Præfatio de Aſſumptione cantatur.

Gregorius Nonus. 1222.

Extra de Ferijs Tit. 9. cap. 5. Iudicialis ſtrepitus conquieſcere debet diebus feriatis; qui ob reuerentiam Dei noſcuntur eſſe ſtatuti: ſcilicet Natalis Domini, S. Stephani, Ioannis Euangeliſtæ, Innocentium, S. Silueſtri, &c. Natiuitatis Ioannis Baptiſtæ, Apoſtolorum, & præcipuè Petri & Pauli, B. Laurentij, beati Michaelis, ſolennitatis omnium Sanctorum, cæterisque ſolennitatibus, quas ſinguli Epiſcopi in ſuis Diœceſibus, cum clero & populo duxerint ſolenniter venerandas.

Thomas Aquinas. 1250.

Prima 2. quæſt. 103. art. 3. Feſto tubarum ſuccedunt feſta Apoſtolorum: feſto expiationis ſuccedunt feſta Martyrum & Confeſſorum: feſto cœtus atque collectæ ſuccedit feſtum Angelorum, vel etiam feſtum omnium Sanctorum.

Bonauentura. 1260.

Ad lib. 3. Sentent. diſtinct. 3. art. 1. quæſt. 1. Statuta vniuerſalis Eccleſiæ de Sanctorum celebritatibus omnia fundata ſunt ſuper ſanctitatem, vt nullo die pro aliquo Sanctorum ſolennizet, in quo perſona ſancta non fuerit, cui ille honor defertur.

Guilhelmus Durantius. 1280.

Rationalis Diuinorum lib. 7. cap. 1. Eccleſia Sanctorum feſta multis de cauſis celebrat. Primò, vt eis vicem rependamus; quia ipſi iam celebrant feſtum de nobis: quia gaudium *eſt in cœlo Angelis Dei,* & animabus ſanctis *ſuper vno peccatore pœnitentiam agente.* Secundò, quia eos honorando, rem noſtram agimus: nam eorum feſtiuitas noſtra eſt. Tertiò, vt habeamus eos interceſſores pro nobis. Quartò, vt eos imitemur, &c.

Guido Carmelita. 1330.

De VValdenſibus cap. 17. Errant Sanctorum feſta non colendo, qui tantis meritis in beatitudine Deo coniũcti, dignè debito cultu poſt latriã ſunt à nobis, pro quibus aduocant & intercedunt, venerabiliter honorandi.

Ioannes Taulerus. 1350.

Sermone 1. in Natiuitate S. Ioannis Baptiſtæ: Solemnem hodie diem agimus Natiuitatis præcipui ac ſingularis Sancti D. Ioannis Baptiſtæ. Neque verò hac ratione cuiuſque alterius Sancti dies natalitius celebratur, glorioſa tamen Virgine Matre excepta.

Petrus Aliacus. 1410.

Sermone de omnibus Sanctis: Magna eſt, & interpræcipuas ſolennitates meritò numeranda hodierna feſtiuitas. In qua non vnius Apoſtoli, non vnius alicuius Sancti ſingulariter, ſed pariter Sanctorum omnium, cum omni deuotione memoriam celebramus.

Ioannes Gerſon. 1420.

Sermone de Natiuitate Virginis Mariæ, conſideratione 4. Poſt celebrationem Natiuitatis B. Ioannis Baptiſtæ ſacratiſſimam & iucundam, quia ſine peccato natus eſt per ſanctificationem, inſtituit Eccleſia Natiuitatem beatæ & glorioſæ ſemperq; Virginis Mariæ celebriter fieri.

Baptiſta Mantuanus. 1500.

Lib. 11. Faſtorum, de ſolennitate omnium Sanctorum:

Affert prima dies ſolennia magna Nouembris:
Nam ſuperos omnes vno celebramus honore,
Et noua communi perſoluimus orgia ritu.
Si quid in hoc igitur toto peccauimus anno,
Hîc delemus: idem veteres fecêre Latini
Ante dies Chriſti, ſed erant ea feſta ſecundi
Menſis, & his nomen feſtis dementia fecit.

ARTICVLVS DECIMVSQVINTVS.

CHRISTI ET SANCTORVM EIVS IMAGINES IN TEMPLIS RETINENDAS ET VENERANDAS ESSE.

NEGANT.

Anno poſtnatũ Chriſtũ

200. *MANICHÆI, qui Chriſto non verum, ſed phantaſticum corpus tribuebant, docuerunt etiam illius phantaſmatis nullas habẽdas, aut colendas eſſe imagines.* Taraſius Conſtant. in Synodo Nicæna ſecunda, Michael Syngelus in vita Dionyſij Areopagitæ, Auguſtinus contra Fauſtum Manichæum lib. 20. cap. 15.

330. *Ariani negant Chriſti & Sanctorum imagines eſſe colendas:* Hinc act. 6. Synodi Nicenæ 2. *Euſebius, vt Arianus, accuſatur.*

366. *Iulianus Apoſtata Cæſareæ Chriſti imaginem deſtruxit, ac ſuam ſubſtituit.* Sozomenus lib. 5. cap. 20. *Reprehendit Chriſtianos, quòd Iouis arma ceſſent adorare, ac colere, interim crucis lignum adorent, imagines illius in fronte & ante domos pingentes.* Cyrillus Alexandrinus lib. 6. contra Iulianum.

480. *Xenias Perſa, nondum baptizatus, & tamen pro Epiſcopo ſe gerens, dixit Chriſti & Sanctorum imagines non eſſe recipiendas, nec venerandas.* Cedrenus in compendio Hiſtor. Nicephorus lib. 16. capite 27.

520. *Samaritani quidam irrumpunt in Eccleſiam, & in imagines Chriſti ac Sanctorum ferociſſimè graſſantur.* Simeon Eremita epiſt. ad Iuſtinum Imperat.

590. *Serenus Maſſilienſis Epiſcopus inconſiderato zelo ſuccenſus, Sanctorum imagines ſub hac quaſi excuſatione, ne cultu idololatriæ adorarentur, confregit.* Gregorius lib. 9. epiſt. 9.

630. *Mahometus ſuæ ſectæ hominibus nullas imagines permittit.* Alcoranus Mahometicus cap. 15. & 16. Laonicus Chalcocondylus lib. 3..

700. *Hebræus quidam maleficus Ezidi regi Arabum Mahometano promiſit triginta annos vitæ, ſi in ſuo imperio iuberet imagines Chriſti & Sanctorum ex Chriſtianis Eccleſijs auferri & comburi. Iuſſit ille: cùm Chriſtiani non parerent, immiſit Arabes & Hebræos in Eccleſias, qui negotium impigrè perfecerunt: ſed Rex Ezides anno ſequenti mortuus eſt. Hebræus autem tamquam impoſtor à ſucceſſore eius turpiſſima morte mori coactus eſt.* Synodus Nicęna ſecunda act. 5. Zonaras, Cedrenus, Nicetas in Leone Iſauriço.

720. *Leo Imperator Tertius Sanctorum imagines depoſitas incendit: Romano quoque Pontifici idem facere, ſi imperialem gratiam habere vellet, mandauit: ſed Pontifex id facere contempſit.* Paulus Diaconus de geſtis Longobardorum lib. 6. cap. 14.

740. *Conſtantinus Copronymus Sanctorum imagines erigi & honore affici edictis vetuit.* Suidas, Cedrenus, Zonaras, Sigebertus, & alij in hoc Conſtantino.

750. *Sabinus Bulgarorum Rex fuga ſibi conſuluit, quòd populus imaginum cultum defenderet, quem ille in Copronymi gratiam perſequebatur.* Blondus lib. 1. Decad. 2. Nauclerus generatione 26.

790. *Leo Quartus imaginibus bellum indixit, Catholicos, qui Sanctorum imagines habebant, crudeliſſimè afflixit.* Paulus Diaconus, Sigebertus, & Zonaras in hoc Leone.

813. *Leo Quintus Armenius deleri imagines in vniuerſum iubet.* Baptiſta Egnatius in hoc Leone.

830. *Claudius Taurinenſis Epiſcopus imagines & cruces è templis omnibus ſuæ Diœceſis abſtulit.* Ionas Aurelianenſis de cultu imaginum.

840. *Michael Imperat. edixit, ne vlli pictæ imagini, vbicunque ea eſſet, nomen Sanctus imponeretur. Theophylus eius filius, ne pingi quidem eas coloribus conceſſit, abiecti dicens eſſe animi, talium rerum admirationem, ipſamq; ſolam ſpectandam eſſe veritatem.* Conſtitutiones Theophyli, Cedrenus, & Zonaras in Theophylo.

1050. *Bogomili Baſilium, Nazianzenum, Chryſoſtomum, Patres omnes, qui ſacras imagines venerati ſunt, aiunt fuiſſe reprobos & idololatras.* Euthymius Panopliæ part. 2. titul. 23. cap. 1.

1200. *VValdenſes aſſerunt Chriſti & Sanctorum imagines delendas eſſe.* Æneas Syluius hiſtoriæ Bohemicæ cap. 35. Claudius Coſſordius contra VValdenſes, articulo vltimo.

1390. *Ioannes VVicleuus obiter attigit imaginum reprehenſionem, ſed diſcipuli eius acrius imagines poſtea oppugnârunt.* Thomas VValdenſis Tomo 3. titulo 19. cap. 150.

1410. *Hieronymus Pragenſis habuit & veneratus eſt in cubiculo ſuo imaginem VVicleui: ſed ab aliarum*

imaginum veneratione homines dehortatus est. Cùm Christi Saluatoris imaginem crucifixi, quam populus venerabatur, vidisset, eam non solùm irrisit, sed etiam deiecit, & stercore humano fœdauit, dicens: nequaquam pingendas esse imagines. Cochlæus histor. Husiiticæ lib.3.

1452. *Turcæ capta Constantinopoli Christi imagines fœdè conspurcantes, & ludibrio habentes dixerunt: Hic est Christianorum Deus.* Gennadius Scholarius, Leonardus Chius, & Isidorus Sabinensis de capta Constantinopoli.

1525. *Andreas Carlstadius primus in Germania imaginum hostis, eas templo abstulit: quod quia nescio, & non consulto Luthero fecerat, acriter propterea ab eodem fuit reprehensus.* Cochlæus de dictis & scriptis Lutheri.

1540. *Philippus Melanchthon*, in Locis Communibus capite de Decalogo, *reprehendit omnem imaginum veneration.*

1550. Ioannes Caluinus lib.1.Institut. cap.11. §.3. *Insanire* (ait) *eos minimè obscurum est, qui simulachra Dei & Sanctorum exemplo Cherubim defendere conantur.*

1550. Confessio Ministrorum Ecclesiæ in Heluetia cap.4. *Reiicimus non modò gentium idola, sed & Christianorum simulachra.*

ASSERVNT SACRÆ LITERÆ.

Exodi 25. *Vers.*18. Duos Cherubim aureos, & productiles facies, ex vtraque parte oraculi. Cherub vnus sit in latere vno, & alter in altero. Vtrumque latus propitiatorij tegant expandentes alas, & operientes oraculum, respicientque se mutuò versis vultibus.

*Numer.*21. 8. Fac serpentem æneum, & pone eum pro signo: qui percussus aspexerit eum, viuet.

3. *Reg.*7. 23. Fecit Salomon mare fusile. 24. Et sculptura subter labium circuibat illud decem cubitis ambiens mare: duo ordines sculpturarum historiatarũ erant fusiles. Et stabant super duodecim boues, è quibus tres respiciebant ad Aquilonem, & tres ad Occidentem, & tres ad Meridiem, & tres ad Orientem. 36. Sculpsit quoque in tabulatis illis, quæ erant exære, & in angulis, Cherubim, & leones, & palmas, quasi in similitudinem hominis stantis, vt non cælata, sed apposita per circuitum viderentur.

Marci 12. 16. Attulerunt Christo denarium. Et ait illis: Cuius est imago hæc, & inscriptio? Dicunt ei, Cæsaris.

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Methodius. 260.

Oratione 2. de Resurrectione: Protinus ergo quæ sunt hîc regum imagines, quamuis non ex pretiosa auri argentiue materia consistant; ab omnibus tamen honorantur. Neque enim quæ ex pretiosa materia conflatæ sunt homines duntaxat colunt, quæ verò ex vili contemnũt atq; aspernantur, sed omnes, licet ex ære gypsoue existant. Et quisquis in earum aliquam, qualiscunque fuerit, maledicta coniecerit, is non tanquam lutum spreuerit, aurumue contempserit, absoluitur: sed non aliter, ac si in ipsum regem impius extitisset, condemnatur. Quas quidem ex auro imagines conflamus, Angelorum ipsius Principatus & Potestates referentes, eas ad honorem, & gloriã Dei conficimus.

Eusebius Cæsareensis. 320.

Ecclesiasticæ historiæ lib. 7. cap.14. Mulierem illam sanguinis profluuio afflictatam, quam sanctorum Euangeliorũ testimonio à Seruatore nostro morbi remedium inuenisse cognouimus, ex Cæsarea Philippi oriundam, illiusque domum ibi ostendi, & admirabilia quædam Seruatoris in eam beneficij monimenta, & quasi trophæa ad hoc tempus durare memorant. Pro foribus enim domus illius, æneam mulieris effigiem genibus flexis, & manibus instar supplicantis, in anteriorem partem extensis, super editum lapidem collocatam: huic è regione, viri erectam imaginem ex eadem materia conflatam, vestitu ad talos demisso decenter ornatam, & manum mulieri porrigentem: ad cuius pedes in ipsa basi peregrinam quandam & inusitatam herbæ speciem enasci; quam quidem, vbi ad ænei vestitus fimbriam excreuerit, morbis cuiusq; generis medicandi vim & facultatem habere. Hanc statuam, effigiem Iesu exprimere dicunt: quam ad nostram vsque ætatem manentem, ipsi ad eam ciuitatem profecti, oculis cernebamus. Nec planè mirum, eos, qui ex gentilibus prognati, à Seruatore, dum inter homines viuebat, beneficijs affecti fuissent, ista effeciſſe: cùm & nos Petri & Pauli Apostolorum, & Christi etiam ipsius imagines in picturis, colorum varietate expressas, conseruatasque aspexerimus.

Demonstrationum Euangelicarum lib. 5. cap.9. Apparuit Deus Abraham ad querctũ Mambre, quamobrem ad hoc vsque tempus is locus tamquam diuinus, ad honorem eorum, qui illic Abraham apparuerunt, à vicinis populis celebratur, & spectatur adhuc firma terebynthus, & qui ab Abraham excepti sunt hospitio pictura sic expressi, vt duo quidem vtrinque tertium, vt honore præstãtiorem, medium habeant. Sit autem hic declaratus nobis Dominus ipse Seruator noster, quem etiam ignari venerantur, qui diuinis oraculis credunt.

Athanasius Alexandrinus. 340.

Interrogationum & responsionum ad Antiochum Principem cap.38. Absit, vt, quemadmodum Græci faciunt, nos Christiani tamquam Deos imagines adoremus.

Affectionem duntaxat, & charitatis nostræ studium erga figuram personæ per imaginem expressæ declaramus. Itaque lignum sæpe, quod iam erat imago, si figura deleta sit, tãquam inutile comburimus. Quemadmodum igitur Iacob cùm esset è vita discessurus, fastigium virgæ Ioseph adorauit, non virgam ipsam honorans, sed eum, qui virgam tenebat: ita nos Christiani non alia ratione imagines colimus, nisi quemadmodum etiam, cùm filios nostros & patres osculamur, animi nostri desiderium indicamus. Sicut & Iudæus olim legis tabulas, & duo Cherubim aurea, & sculptilia quondam adorabat, non lapidis auriue naturam colens, sed Dominum, qui ea vt fierent præceperat.

Basilius Magnus. 370.

Ad Amphilochium de Spiritu sancto cap.18. Quoniam Rex dicitur Regis imago, non autem duo reges: neque enim potestas scinditur, neque gloria diuiditur. Quemadmodum autem principatus ac potestas nobis dominans vna est, sic & glorificatio, quam illi deferimus, vna est, non multæ. Itaque imaginis honor ad exemplar primum refertur.

De Barlaam Martyre: Exurgite nunc, ô præclari Athleticorum gestorum pictores: mutilam ducis imaginem vestro illustrate artificio, & obscurius à me depictum coronatum athletam vestræ industriæ coloribus conspicuum reddite. Abibo certaminum & victoriarum Martyris à vobis posita imagine victus, gaudebo tali hodie per vestram dexteritatem victoria superatus. Video manus huius luctam cum igne exactius à vobis depictã, video alacriorem pugilem per vestrã depictum imaginem.

Contra Iulianum Imperat. Historias imaginum sanctorum honoro, & palam adoro. Hoc enim à sanctis Patribus non est prohibitum, sed in omnibus Ecclesijs nostris eorum historias erigimus. *Citat Adrianus Primus epistola ad Synodum 2 Nicænam, act.2. Citatur in eadem Synodo act.4.*

Gregorius Nazianzenus. 380.

Oratione 19. quæ est oratio in laudem defuncti patris: Templum hoc, quod Deo & nobis extruxit, opus sanè haud silentio dignum. Nam & octo æquilateris rectis in se occurrit, & columnarum ac porticũ elegantia, per laquearea in altum assurgit, & quidem eiusmodi picturis ornata, vt nec naturæ ipsi concedant.

Oratione 23. quæ est in laudem Heronis: Angelicus est vestitus candor, & splendor, cùm corporea forma pinguntur, ad designandam, ni fallor, naturalem ipsorum puritatem.

Gregorius Nyssenus. 380.

Oratione de laudibus S. Theodori: Quòd si venerit ad aliquem locum similem huic, vbi hodie noster conuentus habetur, vbi memoria iusti, sanctęque Reliquię sunt: primùm quidem earũ rerũ magnificentia, quas videt, oblectatur, dum ædem vt templum Dei & magnitudine structuræ, & adiecti ornatus decore splendidè elaboratum intuetur; vbi & faber in animalium figuram lignum formauit, & latomus ad argenti leuitatem crustas lapideas expoliuit: induxit autem etiam pictor flores, artis in imagine depictos, fortia facta Martyris, repugnantias, cruciatus, efferatas & immanes Tyrannorum formas, impetus violentos, flammeum illum fornacẽ, beatissimam consummationem athletæ, certaminum præsidis Christi humanæ formæ effigiem, omnia nobis tamquam in libro quodam, qui linguarum interpretationes contineat, coloribus artificiosè depingens, certamina atque labores Martyris nobis expressit, ac tamquam pratum amœnum ac floridum templum exornauit. Solet enim etiam pictura tacens in pariete loqui, maximeq; prodesse.

Oratione de diuinitate Filij & Spiritus sancti, habita Constantinopoli, quæque Abrahæ laudauit: Hinc prius vinculis alligatum assumit filium pater. Huius ergò acerbæ rei spectaculum sæpe pictura expressum vidi, nec sine lachrymis illud præteriui, cùm ars perspicuè rem gestam oculis subijceret: Isaac genibus flexis, manibusque post tergum reuinctis iacet ante ipsum altare: pater verò post filij poplites accedens, sinistraq; manu comã illius apprehensam, trahens ad se, incumbit filij capiti miserabiliter ad patrem respicientis: dexteram autem gladio armatam ad cædem dirigit: iamq; gladij acies corpus attingit, cùm vox diuinitus prohibens exauditur.

Helladius Cæsareensis. 380.

In vita S. Basilij antecessoris sui: Pius enim vir Domine nostrę astabat imagini, in qua etiã Mercurij celebris Martyris figura descripta erat. Astabat autem supplicans, vt impius Iulianus Apostata tolleretur. Ex qua quidem imagine didicit, quid esset euenturum. Vidit enim Martyrem exiguum ad tempus obscurum, non autem multo post hastam cruentam tenentem.

Ioannes Chrysostomus. 400.

In Liturgiã, quæ extat Tomo 5. operum eius, interprete Erasmo: Canuntur hæc ab vtroque choro alternatim: Sacerdos autem egreditur è paruo ostio, portans Euangelium, præcedente ministro cum lucerna: & conuersus ad Christi imaginem, inter duo ostia inflexo capite, cum exclamatione dicit hanc orationem, &c.

In encomio S. Meletij: Non autem ad nomen solum adeò fuistis affecti, sed ad ipsam etiam figuram corporis. Quomodo enim feciſtis in nominibus, hoc etiam feciſtis in illius imagine. Etenim in palis annulorum, & in simulachris, & in phialis, & in thalamorum parietibus, & vbiq; sacram illam multi expresserunt imaginem, vt nõ solùm audirẽt sanctam illam appellationem, sed etiam vbique viderent figuram corporis, & eius excessus duplicem haberent consolationem.

Nilus. 420.

Epistola ad Olympiodorum Proconsulem: Noui ac veteris Testamenti historijs hinc inde parietes templi repleri doctissimi pictoris opera velim, quò scilicet hi, qui literas non nórunt, neque sacram Scripturam legere queunt, contemplatione picturæ in memoriã reducant, quinam germane vero illi Deo per fortia facta fruierunt, atque in certamen excitentur glorioſorum & laudatorum facinorum, per quæ cum cælo terram commutãrunt, venerantes scilicet per contemplationem ea, quę non viderunt.

Sozomenus. 440.

Libro 5. cap.20. Cùm certior factus esset Iulianus Apostata Cæsareæ Philippi præclaram esse Christi statuam, quam mulier, quæ sanguinis profluuio laborabat, cùm esset morbo liberata, ibi collocauerat, eam deturbauit, suamque in eius loco posuit. Quo facto, ignis violentus de cælo delapsus, statuam eam circiter pectus dissecuit, caputque vnà cum collo in terram dejecit, atque in faciem humi ea in parte defixit, quæ fuerat à pectore diuulsa. Ex quo quidem tempore ad hodiernum diem atra, tamquam fulminis ictu ambusta, manet. Id temporis Gentiles statuam Christi tanta cum violentia trahebant, vt eam confringerẽt. At Christiani postea, cùm eius fragmenta collegissent, in Ecclesia posuerunt, vbi etiam adhuc custoditur.

Theodoretus. 450.

In historia religiosa de Simeone Stylita : Aiunt Romæ, quæ est lõgè maxima, eum fuisse adeò omnium sermone celebratum, vt in omnibus officinarum vestibulis, & porticibus ei paruas posuerint imagines, hinc sibi præsidium & tutelam parantes.

Theodorus Lector. 500.

Libro 1. Pulcheriæ Eudocia imaginem Matris Christi, quam Lucas Apostolus pinxerat, Hierosolymis misit. Sub Gennadio pictoris cuiusdam manus exaruit, qui loco Iouis Seruatorem pingere præsumpserat, quem Gennadius precibus suis curauit.

Simeon Stylites. 520.

Epistola ad Iustinum Imper. Omnem blasphemiam excellit impium hoc Samaritanorum factum, quod in Deum Verbum pro nobis incarnatum, eiusque gloriosam Matrem, & in venerandam sanctamque crucem designârunt. Hanc rem cùm cogitamus, ad diuinas vestras aures nos referimus. Nam cùm videamus pias vestras leges, eos, qui imaginem aut statuas Imperatoris ignominia afficiunt, extremo & iusto mortis supplicio plectere, qua tandem pœna puniendi sunt, qui in imaginem Domini nostri, eiusque Matris infando facinore grassati sunt? Profectò nõ video, quid mihi dicendum sit. Tantũ enim sceleris est commissum, vt nec vlla humanitatis mica superesse credatur.

Procopius Gazæus. 530.

Ad caput 20. Exodi : Quidam quærunt, si Deus adeo detestatur imagines, quare Cherubim fingere voluit? Respondetur: Non iussit fieri Cherubim vt adorentur, sed arca adoranda erat, sub imaginibus vitulorum, quibus apud Ægyptios diuinus deferebatur honor, vt sic cognoscerent, se pariter Deum & numina Ægyptiaca colere.

Ad cap. 12. Esaiæ: Iam diu in more positum erat, vt in nauium proris Deorum imagines, sicuti & hodie sanctorum Martyrum depingerentur.

Anastasius Sinaites. 580.

Apud Damascenum oratione 3. de Imaginibus: In templum S. Theodori ingressi Saraceni, omnibus illud sordibus fœdârunt. Quadam die cùm plures ipsorum considerent, vnus eorum sagittam in S. Theodori contorsit imaginem, & dextrum ipsius humerum vulnerauit: statimq; sanguis defluxit, & ad extremam vsque imaginis partem decidit, omnibus id, quod factum fuerat, sagittamque in humero Sancti defixam, & sanguinem emanantem contuentibus. Quo tamen tam admirabili signo perspecto, nec resipuerunt, nec eum, qui sagittã coniecerat, pœnituit, nec quisquam eorum commotus est. Cùm viginti essent eorum familiæ, qui in templo commorabantur, intra paucos dies omnes morbo deleti sunt, cùm eo in loco nemo ipsorum diebus illis interierit, exceptis ijs, qui in templo fuerant commorati. Hæc igitur imago sagitta percussa adhuc supereſt, sagittæque vulnus habet, & vestigiũ sanguinis. Multi autem eorum, qui rem viderunt, & eo tempore fuerunt, quo res hæc admiranda contigit, adhuc viuunt. Et ego eius imaginem vidi, & quod vidi monumentis mandaui.

Euagrius. 600.

Libro 4. cap. 26. Ad extremum igitur, cùm Edesseni desperatione debilitati ferè succumberent, sanctissimam imaginem diuinitus fabricatam, quam non hominum manus effinxerãt, sed Christus Deus Abgaro (quandoquidem eum videre cupiebat) miserat, proferunt: eamque in fossam, quam construxerant, importatam aqua conspergunt: ex qua non parum in rogum ac struem lignorum immittunt, atque diuina potentia fidei illorum, qui istud moliebantur, subsidio veniente, quod ab illis ante fieri neutiquam poterat, iam facilè confectum fuit. Nam extemplò ligna inferiora concepêre flammam, & dicto citius in carbones redacta, ad ligna superiora, igne omnia vndique depascente, eam transmisêre.

Leontius Neapolitanus. 610.

Libro 5. contra Iudæos : Nos derident, qui crucem sanctam, & diuinas imagines in honore & pretio habeamus, ac veneremur, nosq; simulachrorum & ligneorum Deorum cultores appellant, homines impij &c. Neque enim Sanctorum formæ & imagines & signa adorantur à nobis, tanquã Dij. Nam si ligneam imaginem adoraremus, vt Deum, eundem omnino cultum reliquis etiam lignis exhiberemus, neque, vt sæpe contingit, imaginem deleta forma igne combureremus.

Georgius Presbyter. 610.

In vita Theodori Archimandritæ: Accidit autem, vt, postquam ad mansionem suam reuersus est, in morbum grauissimum incideret, & sancti Angeli ad ipsum visendum accederent: ipse verò cœpit flere, & tristis esse. Erat autem supra ipsum imago Sanctorum Cosmæ & Damiani miraculis illustrium; qui tales se illi secundùm quietem conspicuos obtulerunt, quales ea pictura exprimebantur.

Sophronius Hierosolymitanus. 630.

In vita Mariæ Aegyptiacæ: Cœpi ego, inquit illa, flens nimium conturbari, & pectus tundere, atque suspiria de profundo cordis proferens & gemens, eiulãsque prospexi in loco, in quo stabam, sursum imaginem Dei Genitricis stantem, & aio ad eam intentè, & indeclinanter attendens: Domina Virgo, quæ Deum genuisti secundùm carnem, &c.

Synodus Trullensis. 710.

Canone 82. Inter nonnullas venerabilium imaginum picturas Agnus, qui digito Præcursoris monstratur, depingitur, qui ad gratiæ figuram assumptus est, verùm nobis per legem Christum Deum nostrũ præmonstrans. Antiquas ergo figuras & vmbras, vt veritatis signa & characteres Ecclesiæ traditos, amplectentes, gratiam & veritatem præponamus, eam vt legis implementum suscipientes. Vt ergo quod perfectum est, vel colorum expressionibus, omnium oculis subijciatur, eius qui tollit peccata mundi, Christi Dei nostri, instar hominis characterem, etiam in imaginibus deinceps pro veteri agno statui iubemus, vt per ipsum Verbi Dei humiliationem mente comprehendentes, ad memoriam quoque eius in carne conuersationis, eiusq; passionis & salutaris mortis deducamur, eiusque, quæ ex eo facta est mundo, redemptionis.

Germanus Patriarcha Constantinopolitanus. 720.

Epistola ad Ioannem Episcopum Synadon : Non adoramus creaturas, neque cultum diuinæ dominationi debitum in conseruos deducimus: absit: neque principes aut reges super terram adorantes, æqualem illis cum Deo adorationem præstare videmur. Nam & Propheta Nathan apparet, in terra cùm esset, Dauidem adorasse, quamquam hominem & regem, neque tamen ob id reprehensus est, quòd hominem iuxta Deum adorauit. Neque imaginum ex cera & colore effigiationem in errorem perfectionis diuini cultus suscipimus. Non enim inuisibilis deitatis imaginem, aut similitudinem, aut figuram, aut formam expressam

neque intelligere, neque inuestigare omnino possumus. Sed quando vnigenitus Filius homo fieri dignatus est, non aliter ac nos, carnem & sanguinem assumens, &, vt inquit magnus Apostolus, *per omnia nobis similis factus, excepto peccato:* igitur humanitatis illius characteris, & iuxta carnem indiscretæ formæ hominis imaginem figurantes, ipsius incomprehensibilem deitatem, atque inuisibilem ostendere nequimus. Non enim vmbraticè nostram naturam sibi vniuit: verùm reipsa, vereque homo perfectus per omnia, excepto, quod ab hoste nobis insitum est, peccato, factus est. Hanc ob causam in fide certi, sanctæ illius carnis characterem in imaginibus delineantes salutamus, & cultu & honore omni, quo decet, dignamur: nec ob aliud, nisi in recordationem diuinitatis illius viuificæ & inexpressę humanitatis. Eadem ratione & intemeratæ eius iuxta carnem matris, sanctæ Deiparæ Virginis similitudinem referimus: hoc modo ostendentes, quòd mulier iuxta naturam existens, & à nostra massa haudquaquam aliena, Deum inuisibilem, & omnia manu sua continentem, vltra omnem & hominum & Angelorum existimationem in ventre suo conceperit, & ex se incarnatum genuerit, &c.

Hæc apparatus imaginum ratio est, non quòd nos adorationem in spiritu & veritate, incomprehensibili & inuestigabili Deitati decentem, in manufactas imagines, aut in opera hominum arte facta transferre studeamus: verùm vt dilectionem nostram, quam iustè in sanctos Dei seruos habemus, per istum modũ declaremus. Hunc esse imaginum in Ecclesia Dei vsum vnusquisque per hanc institutionem cognoscat, neque aliunde nos salutis spem siue in hoc mundo, siue in futuro seculo expectare, nisi ab vnigenito Dei Filio. At si Domini & Seruatoris nostri, itém intemeratæ eius Matris veræ Deiparæ, nec non Sanctorum imagines salutamus, non confestim etiam fidem & deuotionem mentis erga illas habemus, sed vnum Deum agnoscimus, &c.

Ioannes Damascenus. 730.

Orthodoxæ fidei lib. 4. cap. 17. Quoniam nonnulli eo nomine nos reprehendunt, quòd Saluatoris, ac Dominæ nostræ, reliquorumque Sanctorum, ac Christi seruorum, imagines adoramus, atque honore afficimus, audiant velim quòd Deus ab initio hominem ad imaginem suam effinxit. Qui fit igitur, vt alij alios adoremus, nisi quia ad Dei imaginem facti sumus? Nam, vt ille magna rerum diuinarum eruditione præditus Basilius ait, imaginis honor ad exemplar transit. Exemplar porrò est id, cuius effigies exprimitur, ex quo forma hinc ducta fit, &c. Quia non omnibus hoc cõtigit, vt literas norint, ac lectioni operam impendant, idcirco Patribus visum est, vt refricandæ quamprimùm memoriæ causa, hæc tamquam præclara quædam trophæa in imaginibus pingerentur. Siquidem persæpe vsuuenit, vt Domini passionem animo minimè versantes, conspecta Christi crucifixi imagine, in salutiferæ passionis memoriam redeamus, ac prostrati, non materiam, sed eum, cuius imago effingitur, adoremus.

Athanasius Syrus. 760.

De passione imaginis Domini nostri Iesu Christi, qualiter crucifixus est in vrbe Beryto, cap. 2. Deponentes Iudæi Domini nostri Iesu Christi imaginem in terra, dixerunt ad inuicem, quoniam aures nostras tetigit non exigua opinio, quòd Iesum Nazarenum patres nostri diuersis modis illuserunt, ita & nos huic faciamus. Tunc cœperunt spuere in faciem imaginis Saluatoris nostri Iesu Christi, & percutiebant eum alapis. Ad extremũ cùm insaniam suæ mentis tolerare non possent, diuerunt: Sicut veraciter didicimus patres nostri lanceâ latus Iesu aperuerunt. Nos ne aliquid minus fecisse videamur, & hoc ipsum adijciamus. Afferri lanceam iusserunt, & præceperunt cuidam Hebræo tollere eam, & valido ictu latus dextrum imaginis illius transfodere: cumque tam maximum facinus fuisset perpetratum, res mira & vehementer stupenda ibi repente est effecta. Nam ipsius vulneris locus aqua & sanguine ilicò cœpit decurrere, &c.

Synodus Nicæna Secunda. 790.

Actione 7. Fatemur vnanimiter nos Ecclesiasticas traditiones, siue scripto, siue consuetudine valentes & decretas, retinere velle, quarum de numero est imaginum effiguratio, vt quæ historiæ Euangelicæ promissionis concinat, ad credulitatem veræ & non phantasticæ incarnationis Dei, & ad vtilitatem similitudinis, quam nobis exhibet, vtiliter inuentam. His sic se habentibus, regiam viam incedentes, & sanctorum nostrorum & diuinorum Patrum doctrinæ insistentes, & Catholicæ Ecclesiæ, in qua sanctus Spiritus inhabitat, traditionem obseruantes; definimus cum omni diligentia, & cura, venerãdas & sanctas imagines ad modum & formam venerandæ & viuificãtis crucis è coloribus & tessellis, aut alia quauis materia commodè paratas, dedicandas, & in templis sanctis Dei collocandas, habendasq; tum in sacris vasis & vestibus, tum in parietibus & tabulis, in ædibus priuatis, in viis publicis: maximè autẽ imaginem Domini & Dei Seruatoris nostri Iesu Christi: deinde intemeratæ nostræ Dñæ Deiparę, venerandorũ Angelorũ, & omniũ deinde sanctorũ virorũ. Quo scilicet per hanc imaginum pictarum inspectionem, omnes, qui cõtemplantur, ad prototyporum memoriam, & recordationem, & desiderium veniant, illisq; salutationem & honorariam adorationem exhibeant, non secundùm fidem nostram, veram latriam, quę solùm naturæ diuinæ competit: sed quemadmodum typo venerandæ & viuificantis crucis, & sanctis Euangelijs, & reliquis sacris oblationibus suffitorum & luminarium reuerenter accedimus, quemadmodum veteribus piè in consuetudinem hoc adductum est. Imaginis enim honor in prototypum resultat, & qui adorat imaginem, in ea adorat quoque descriptum argumentum. Sic enim sanctorum Patrum nostrorum obtinet disciplina, vel traditio Catholicæ Ecclesiæ, quæ à finibus vsque ad fines Euangelium suscepit.

Tarasius Constantinopolitanus Patriarcha. 790.

Epistola ad Ioannem Presbyterum: Cùm Nicææ inter nos de varijs esset agitatum, veritas & Deo placens voluntas iudicata est, quòd scilicet iuxtà antiquam constitutionem sanctorum Patrũ nostrorum, imaginum picturam, ad institutionem & memoriam mentis nostræ, & participationem sanctificationis Ecclesia recepit. Quicquid enim sanctum Euangelium per lectionem nobis demõstrat, hoc idem imagines per inspectionem. Quicquid item libri de passionibus Martyrum narrant, hoc ipsum etiam imagines signãt. Has enim recipimus tamquam effigurationem prototyporum.

Constantinus & Irene AA. 790.

Epistola ad Episcopos Nicæa congregatos : Dolebat Paulus Patriarcha Synodum quandam hîc indictam, quæ subuertere contendebat imaginum picturas, quas sancta Dei Ecclesia Catholica seruat, & amplectitur, & ad memoriam præfiguratorum suscipit.

Nicephorus Patriarcha Constant. 812.

Psal. 96. *Dialogo de imaginibus, qui Orthodoxus inscribitur:* Cùm scriptum sit de Christo: *Et adorent eum omnes Angeli eius:* sitqúe omnis homo imaginis suæ prototypon, nec vllus homo reperiatur, quin eius forma effingi possit: liquet Christum, vtpote qui *debuit per omnia*, sicut Apostolus ait, *fratribus assimulari*, prototypon esse imaginis suæ, tametsi verbis scriptum non sit. Quare cùm quærit hæreticus, vbi scriptũ sit de adoranda Christi imagine? respondendũ, ibi scriptum esse, vbi scriptum est adorandum esse Christum. Siquidem inseparabilis est à prototypo effigies eius. Etsi enim nusquam scriptum est verbis, Christum esse imaginis suæ prototypum, multa tamen alia similiter non sunt scripta verba, quæ idem valent, atque illa, quæ scripta sunt, vt ὁμοούσιος, θεοτόκος, & χυριοτόκος, quę vocabula necessitas aduersus hæreses adinuenit. Ad hunc modum hæresis Iconomachorum fecit, vt diceremus: Prototypõ imaginis Christi, quod eandem vim habet, vt illud, quod scriptum est. Etenim, si nõ est Christus imaginis suæ prototypon, ergo nec incarnatus est: manetq́ incircũscriptus infinitate diuinitatis suæ. Quòd si factus est homo, & in nostra natura & more nostro apparuit, cur non tribuimus illi, quod omni homini, vt ratio similitudinis postulat? &c. Cùm sint vnum non natura, sed σχέσει, id est, habitudine: quæcunque enim de causa dicuntur, de effectu quoque dicentur: sed illa propriè, quia natura: hæc nõ propriè, sed homonymè. Sic Crux, ex quacũque materia fiat, habet commune nomen cum vera cruce, sicut honorem & venerationem: & quibuscunque nominibus illa crux appellatur, totidem hęc eius imago. Illa viuifica crux, gloria mundi; & hæc gloria mundi. Sed illa propriè & natura ligni viuifici: hæc verò significatione nominis. Similiter Deus & homo dicitur Christus significatione nominis, & natura diuinitatis atque humanitatis: imago verò eius significatione nominis dicitur Christus: non autem natura diuinitatis & humanitatis. Est enim ex qualitate colorum, aut ex lapide aliaue materia, habetqúe communionem nominis, & honoris, & adorationis cum prototypo, etsi natura sit aliena, &c.

Epistola ad Leonem Tertium: Complector itidem suscipioqúe non solùm venerãdas Christi omnium Saluatoris nostri iconas, & venerabiles sanctissimæ Dei Matris imagines, verùm sacras quoque Sanctorum omnium effigies, eamqúe venerationem illis exhibeo, quam honor eorum meritò postulat.

Constantinus Tius. 820.

De inuentione Reliquiarum S. Euphemiæ cap. 2. Accidit præteritis annis, vt Dei permissione regnaret impurus & profanus Leo, ex gẽte infaustorũ Isaurorum, qui cùm non sanctè, nec piè regnum arripuisset, cœpit latrare aduersus Dei Ecclesiam, & prætextu pietatis, dum idola vocat, & eis assimulat, venerabiles frangere imagines, dicens sui similibus & execrandis hominibus, & eos docens ea esse, de quibus dicit Propheta: *Os habent, & non*
Psal. 113. *loquentur.* O audaciam & impietatem.

Theodorus Studites. 820.

Oratione in S. Platonem cap. 5. Hæc illius impij Cõstantini temporibus acciderunt, à quo imago Christi contumeliosè spreta, & à nefario illo homine ac populi corruptore simulachrum erroris nominata: imò verò Christus ipse noster Deus ab ipso despectus fuit. Siquidem honor imaginis ad eum refertur, cuius est imago, vt diuinus Basilius ait.

Epistola de Imaginum adoratione: In veritate, vt olim Iudæi non nôrunt Patrem per hoc, quòd Filium non receperunt: ita Iconomachi vtiq; Christum non nôrunt, quippe qui non agnoscunt, sed auersantur eius imaginem.

Oratione de Natiuitate Ioannis Baptistæ cap. 7. Neque verò putent stulti nos diuinitatem in hoc circũscribere, quę neque comprehendi potest, cuius nulla est positura, nullus locus, nulla quantitas, nulla qualitas, non aliquid aliud ex ijs, quæ sunt intra fines circumscriptionis, propterea quòd sit infinita, & nõ potest comprehendi. Nam hîc quoque eius, qui est homo, solummodò effingentes imaginem, non materię expertem, & informem animam vnà omninò effingimus. Non enim contingit: sed vtrique conuenienter attribuimus ea, quæ sunt eius propria rei: quod circumscribi non potest, id quod non potest circũscribi: & ei quod circumscribi, id quod circumscribi potest.

Theophanes Cerameus. 830.

Oratione in exilium S. Nicephori Patriarchæ: Vtilis sanctarum imaginũ vsus, iam inde vsque ab initio constitutus, & per manus traditus in omnibus Ecclesijs ornatè decoreqúe demonstrabitur, quemadmodum proximis temporibus sanctorum Patrum concilium celebrantium suffragijs diuinitus fuerat comprobatus.

Michael Syngelus. 830.

In Martyrio Dionysij Areopagitæ: Impias blasphemias atque deliria omnia, quæ in posterũ contra sanctam parisqúe potentiæ Trinitatem, contra dedicationem & adorationem sanctarum ac venerabilium imaginum in sacris Ecclesijs, & sedibus Apostolorum, per vniuersum terrarum orbem irrepserant, funditus abstulit.

Ignatius Nicænus. 830.

Narratione de vita S. Tarasij: Paulus, quem Cypria natum excepit Salamis, sanctè & integrè clauum regens sacerdotij, cùm nefaria adhuc vigeret hæresis, quæ accusat Christianos: eorũ, inquam, qui abolẽt imaginem Christi veri Dei nostri, & eius, quæ eũ verè & propriè peperit Dei Matris, & incorporearum, vt visæ sunt, Potestatum.

Photius Patriarcha Constantinopol. 860.

De septem Concilijs Oecumenicis cap. 7. de concilio Nicæno 2. Hoc sacrum magnumqúe concilium recẽs patefactum, & barbaram hæresin, quæ ab impijs & execrandis hominibus parta erat, diuina communiqúe sententia, simul cum ipsius auctoribus condemnauit. Infelices enim homines isti, verbis non confitentes, se Christo vero Deo nostro maledicere, factis in eum omnia maledicta & linguę petulantiam congesserunt. Cumq; illum sine medio, & sine aliquo velo contumelia afficere non auderent, per venerandam imaginem omnem Christo inimicæ mentis cupiditatem expleuerũt. Adorandam enim Christi imaginem, per quam idolorum error excluditur, (proh nefariũ sceleratæ & impiæ linguæ cogitationisqúe sonũ) idolum appellauerũt, & omnibus ipsam ignominijs afficientes, & per plateas & vias publicas trahentes, & pedibus conculcantes, in ignem coniecerũt, spectaculum Christianis hominibus miserãdum, & sola Christi hostium impietate dignum. Eadem & in reliquas sacras imagines contulerunt, cũ celeribus pedibus sanguinem funderent, dirisqúe manibus & impuris labris petulantiam exercerent, nec vllam tanti furoris ac dementiæ satietatem caperent, homines pessimi sacras Christianorum notas & effigies non minus, quàm si gentium essent abominationes, immò verò magis publicè detestabantur. Ex quo bellum grauissi-

mum aduersus Christum & Sanctos eius commouebatur. Omnibus enim perspicuũ est, honorem imaginibus habitum ad eos transire, quos illę referunt. Verùm isti noua Iudæorum Christi hostium progenies, dum Christi atque Sãctorum eius imagines afficiunt contumelia, ea perficiunt, in quibus patres eorum defecerunt, &c. Quamobrem sanctum & œcumenicum concilium eos, qui adulteræ istius opinionis ignobilitatem fugere noluerunt, insolubilibus anathematis vinculis constringendos iudicauit. Imaginem autẽ Christi veri Dei nostri ex Apostolorum & sanctorum Patrum traditionibus, & sanctorum oraculorum testimonijs, ad honorem & venerationem illius, quem ipsa refert, adorandam atque colendam suffragijs omnibus censuit, & confirmauit; cùm adoratio nimirum atque honor adhibeatur eodem modo, quo in alijs sacris notis, & formis sanctissimæ latriæ vtimur. Neque enim in illis consistimus, honoremqúe & adorationem concludimus, neque ad alios diuersos ac varios fines distrahimur, sed per diuersum ac singularem ipsorum cultum & adorationem, quæ cernitur, sacra conueniẽtiqúe ac minimè diuisa ratione animos nostros ad indiuisibilem illam singularemqúe atque vnicam diuinitatem dirigimus.

Octaua Synodus Constantinopolitana. 868.

Can. 3. Sacram imaginem Domini nostri Iesu Christi & omnium Saluatoris ęquo honore cum libro sanctorum Euangeliorum adorari decernimus. Sicut enim per syllabarum eloquia, quæ in libro feruntur, salutem consequuntur omnes: ita per colorum imaginariam operationem & sapientes, & idiotæ cuncti ex eo quod in promptu est, perfruuntur vtilitate. Quæ enim in syllabis sermo, hæc & scriptura in coloribus prædicat, & commendat. Dignum est enim, vt secundùm congruentiam orationis, & antiquissimam traditionem propter honorem, quia ad principalia ipsa refertur, etiam deriuatiuè imagines honorentur.

Theophylactus. 900.

Ad caput 9. Matth. *Ecce mulier, quæ sanguinis profluuio laborabat.*) Dicunt quòd statuam Domino fecerit, ad cuius pedes nascatur herba, quæ profluuio sanguinis laborantibus medeatur, quam Iuliani temporibus impij contriuerunt.

Theodorus Abucara. 920.

Disputatione 8. de Catholico Scripturarum sensu, atque obiter de legitimo sacrarum imaginum vsu: Ego tecum, *Iudæus inquit*, ex Scripturis contendo: nihil enim quicquam præter illas noui. *Abuc.* Nec ego illas improbo: hi tamen auditores mihi præmonendi sunt, quo sensu Scripturas accipio. Quemadmodum si quis in ædes depictas ingressus, Pauli forsitan imaginem videat, eamqúe digito commonstrans dicat: Hic Tharsensis ille Paulus est, qui consensit in Stephani cædem, &c. Hæc omnia certè ad expressum imagine Paulum, cuius ea est imago, referuntur, non item ad picturam & colores. Quòd si Paulum à pictore malè depictum lineatumqúe dicat, quia corporis humeros longè quàm deceat depressiores effinxerit, aut oculum eius non concinnè depinxerit, &c. ea verò nequaquam ad eum referuntur, qui depictus est, sed in sola imagine circumscribuntur: eodem prorsus modo quoque ea se habent, quę de Sanctis in Scriptura dicuntur. Alia enim ad Christum referentur, quæ illi quadam veluti in imagine præfigurant. Alia autem de Sanctis, ijsqúe adeò solis enũtiantur.

Suidas. 950.

In Epiphanio: Epiphanius Præsul Selybriæ, aut Olybriæ scripsit sermonem contradictorium contra imaginum concrematores valde vtilem.

Simeon Metaphrastes. 970.

Vitæ Stephani Iunioris cap. 3. Theandricæ similitudinis imago Christi adoranda nobis & colenda perspicuè tradita est, itemqúe illius, quę eum modo omni sermone præstantiori peperit, & Sãctorum, quorum vita ipsi grata atque accepta fuit. Ex quo enim ille in forma nostra ad nos accessit, Patres interea ac Doctores, quorum summa virtus fuit, venerãdarum imaginum cultum nobis perspicuè tradiderunt. Ne longè abeam post Christi in cælos ascẽsionem, mulier illa, quę sanguinis profluuio laborabat, ab eo sanitati restituta, ipsius imaginem, velut acceptum beneficium referens, exsculpsit. Ac prius etiam ab ipsomet Christo ipsissima Patris imagine, diuino linteo facies ipsius impressa est, ac Toparchę Abagaro id postulanti Edessam missa: demum ab Euangelista Luca picta est, &c. Non materiam adoramus, quemadmodum impijs facere videmus, sed spiritualem adorationem ad eam rem, quæ figura exprimitur, per picturam referimus. Siquidem imaginis honor, vt cum Basilio Magno loquar, ad exemplar ascendit. Atque hac ratione crucem, ex quacunque tandem materia constructa sit, adorare ita didicimus, vt non ipsi materiæ, sed ei affixo cultum tribuamus.

Psellus. 1050.

De septem Synodis:

Postremò septima rursus facta est in Nicæa.
Quinquaginta conuenerunt supra trecentos:
In ista piorum Patrum, diuinorumq́; sermones,
Irene Imperatrice tunc rem administrante,
Cum Constantino filio recens coronato.
Decreuerunt autem picturas honore afficiendas,
Et probè anathematizârunt impios quosdam:
Basilium Episcopum existentem Pisidiæ,
Theodosium Ephesi, Sisynnium Perges,
Aliosq́; plures venerandas picturas non honorantes.

Euthymius. 1080.

Ad Psalm. 134. Apud nos sunt Sanctorum imagines, quæ & aurum, & argentum sunt, & opera manuum hominum: verumenimuerò idola non sunt: quoniam idolorum quidem primæ species, ac prima eorum argumenta falsa sunt: fabulæ nimirum, quæ nulla rei veritate subsistunt: Deos etenim sibi ascribunt gentes, qui Dij non sunt, sed dæmones sibi falsò diuinitatem arrogantes. Verùm Sanctorum nostrorum imagines primas suas species veras habent, ac prima eorum argumenta vera sunt: quoniam secundùm veram historiam verè id fuerunt, quod appellantur; & vera etiam quæcunque de illorum vita ac conuersatione traduntur. Vnde sola scelestorum ac nequissimorum hominum aut dæmonum sunt simulachra, nostræ autem sanctorum & clarissimorum hominum imagines.

Georgius Cedrenus. 1100.

In Constantino Copronymo: Conuenerunt Nicęæ 350. qui imagines cum cruce adorandas esse statuerunt: nihil ij nouum decernentes, sed sanctorum Patrum decreta immota relinqui iubentes.

Ioannes Zonaras. 1100.

In Leone Isaurico: Eodem anno septimo Leo cum Deo pugnare incipit, & contra venerandas imagines insanire. Accersitoq; Germano Patriarcha, negat colendas esse imagines, earumqúe adorationem idololatriam vocat. At Diuus ille Pater: Bona verba, inquit, Imperator, ita sentire noli. Nam ista cogitatio planè impia est.

In Leone Armeno: Imperator triumphans, multaque præda parta regiam ingressus, non multò post insaniam contra sacras imagines est auspicatus, &c. Theodotus homo nefarius sacra Cathedra indignè consensa, cùm Imperatorem suffragatorem haberet, audacter in sacras imagines est grassatus. Leo item instar belluæ tractabat eos, qui venerandas statuas honorare vellent. Nam & à Theodoto ipso exasperabatur, & ab imperatorijs cubicularijs Præfecto, quem Protopsalten vocari receptũ est. Qui cùm sectæ Iconomachorum turbidam peruersitatem ad satietatem hausisset: instigabat Imperatorem, vt imagines passim tolleret.

Michael Glycas. 1120.

Parte 4. Annalium: Tandem sub Constantino ac matre eius Irene collecta fuit altera Nicæna Synodus, in qua Patres comparuêre 318. vt sacras imagines erigerent, & Christianorum accusatores confutarent, qui propterea criminabãtur eos, tamquam simulachrorum adoratores, quòd imagines sacras colerent. Definierunt autem venerandam crucem vnà cum religiosis imaginibus adorari debere, & imaginum Christiq; oppugnatores compescendos esse.

Constantinus Manasses. 1140.

In Annalibus: Rebus Romanis ad sceleratissimum Leonem Isaurum delatis, grauis tempestas Ecclesiam excepit, magnis cum hominum cædibus coniuncta. Nam execrabilis Imper. parturiebat ille quidem absurda nouaque consilia contra Christum & venerabiles eius imagines, &c. Adiunctis sibi corruptoribus ouium lupis, gregem, eheu, dilaniat, Virginis matris & Christi Martyrum simulachra tollit, decus summũ templis adimit, ornamenta delubris aufert, caliginem eis offundit, diem tristem & nigerrimum inducit.

Constantinus Copronymus sacras è templis imagines excidit, earumque loco pingi sculpiq; curauit præclaras scilicet venationes, & equestres ludos. Interfecit etiam sceleratissimus ille homo sanctum illum virum Stephanum, monachorum decus, quòd sacrarum imaginum propugnator constans esset, ac sæuam belluã feliciter configeret. Irene, & Constantinus eius filius imperio potiti, religiosorum hominum coacto concilio spinas oppugnationis imaginum, quæ pias mentes iam dudum punxerant, radicitus euulserunt, & in aruis animorum luxuriantibus rectæ veritatis doctrinæ semina conseuerunt.

Theodorus Balsamon. 1180.

Ad epistolam Dionysij Alexandrini: Hæc cùm Antistes definierit, videmus hodie, & maximè in mulierum monasterijs, mulieres securè stare in templorum vestibulis, quæ sanctis omnis generis imaginibus exornata, & ad Dei laudem deputata sunt.

Nicetas Choniates. 1200.

In Alexio Duca: Irruptione per Latinos facta, Græci cum crucibus & sacris Christi imaginibus, vt moris est in festiuitatibus, obuiam prodeunt.

In Ioanne Comneno: Nam cùm Romanæ phalanges vrgentibus hostibus, & audacius se inferentibus laborarent, imaginem Dei Genitricis cum gemitu & miserabilibus gestibus intuens, lachrymas bellicis sudoribus calidiores fundebat. Neque id frustra. Statim enim cælesti robore armatus, Scythicam aciem profligat.

Nicephorus Callistus. 1300.

Libro 6. cap. 16. Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, ipsiusque adeò Christi, & Virginis Matris coloribus adumbratas imagines plurimas ad hunc vsque diem conseruatas esse nouimus. Ac Lucas quidem Apostolus primus ipsas accuratè, opus id exorsus, manibus suis depinxit. Deinde verò ex veteribus alij quoque viri, pro eo atque par erat, veluti seruatores suos in signis atque picturis seruantes idem fecêre.

Libro 16. cap. 27. Xenaias iste primus (ô audacem animum, & os impudens) vocem illam euomuit, Christi, & illorum, qui illi placuerunt, imagines, μὴ δεῖν προσκυνεῖν, id est, non esse venerandas. Itaque impietatis istud mancipium, vnà cum innata sibi improbitate in vrbem peruenit.

Georgius Pachymerius. 1300.

Lib. 4. histor. cap. 7. Deiparæ imago per dies complures lachrymauit, & è Gregorij Martyris imagine sanguis ebullijt.

Nicephorus Gregoras. 1330.

Historiæ Byzantinæ lib. 9. de Seniore Andronico: Senior verò tumultu & clamore audito, de lecto surrexit perturbatissimus, & omni ope destitutus ducum atque militum, ad sacram Dei Genitricis imaginem Hodegetriæ confugit, ante multos dies in palatium translatam, quæ ei firmo solatio erat. Hac igitur fretus, & humi prostratus, ardentius cum lachrymis obtestatur, ne periclitantem deserat, & sicariorum ensibus obijciat. Exaudiuit preces eius, & festinum tulit auxilium, quæ quiduis potest castissima Dei Genitrix &c. Iunior Andronicus aui salutis diligenti cura suscepta, vix etiam à lachrymis temperans, palatium ingreditur, ac primùm venerabili Dei Genitricis imagine, vt decet, adorata, deinde auum illi inhærentem abductũ, salutauit, amplexus est, & blandis verbis recreauit.

Ioannes Cantacuzenus. 1350.

Contra Mahometem Apologia 3. Depingunt Christiani Christi natiuitatem, baptismum, crucem, resurrectionem; & visis his turbæ hominum in Dei recordationem perueniunt, & meditari incipiunt, quomodo Christus, cùm Deus esset, propter humani generis amorem carnem assumpserit. Quod idem in imagine Virginis cõtingit, tum quoque Martyrum & Sanctorum omnium. Et honorem imaginibus tribuimus, propter charitatem & honorem illorum, quibus imagines sunt propositæ.

Philotheus Constantinopolitanus. 1360.

In ordine instituendi Diaconum: In omnibus Liturgijs totius anni, si vult ministrare, & adueniente tempore abit Sacerdos cum Diacono, & ambo tres pœnitentias faciunt coram imagine Domini nostri Iesu Christi: quin etiam pœnitentias tres faciunt coram imagine Deiparæ Virginis, in medio templi vnam, & in choro vnam, & postea ingrediuntur Sacrarium.

Georgius Codinus. 1400.

De officialibus Palatij Constantinopolitani fol. 84. Soluto conuentu statuunt delubrum, cui appendent sanctę imagines, tum Natalium Christi, tum aliæ tres aut quatuor: coram eo autem pluteum, super quo situm est sanctum Euangelium. Ac sacerdotes quidem stant prope sanctas imagines, cum stolis sacerdotalibus.

Folio 94. Princeps sacrorum secundum fert, habẽs imagines diuinas multas, lingulis octo, quod vocant octapodium: aliud tertius, habens imagines Sanctorum quatuor magnorum Martyrum, Demetrij, Procopij, & Theodoti: aliud, qui fert sanctum Georgium equitem.

Gennadius Scholarius. 1450.

De primatu Papæ sect. 15. Vrbe Constantinopoli capta, aræ sunt profanatæ, templum conculcatum, sacra vasa confracta, imagines ornatissimæ conculcatæ, & sputis conspurcatæ. O me miserum & infelicem. Quis poterit vnquam tantam cladẽ deplorare?

Isidorus Sabinensis. 1460.

De captiuitate vrbis Constantinopolitanæ: Polluerunt Ecclesiam nobilissimam S. Sophię cum alijs, imagines Christi, & sanctæ Mariæ, & Sanctorum, insigniaq; viuificæ crucis conspuentes, confringentes, conculcantes.

Leonardus è Chio. 1460.

De vrbis Constantinopoleos iactura: Quid dicam? flebo, aut narrabo in Saluatorem, aut sanctas imagines collatas contumelias? Parce mihi Domine, si tam fœdum scelus enarro. O confusionem Christianorum, si Christi Dei iniurias vindicare retardent: sacras Dei scilicet Sanctorum effigies humi prosternunt, quibus super non modò crapulam, sed luxuriam cõplent, crucifixum posthac per castra præuijs tympanis deludendo deportant, sputis, blasphemijs, opprobrijs iterum processionaliter crucifigunt, pileum Teuerale, quod Zacchula vocant, capiti superponentes, deridendo: Hic est Deus Christianorum. O Dei patiẽtia, bene videris iratus bone Iesu, vt pro peccatis nostris tantas iniurias iterum toleres indignatus.

Dauid Rex Æthiopiæ. 1524.

Epistola ad Pontificem Romanum: Obnixè precor Sanctitatem vestram, vt mihi mittere velit aliquas Sanctorum imagines, & præcipuè beatæ Mariæ Virginis, vt sæpissimè sit in ore atq; memoria mea nomen vestræ Sanctitatis, & continuam ex muneribus vestris capiam voluptatem.

Hieremias Constantinopolitanus. 1580.

Responso 2. capite de inuocatione Sanctorum: Adoramus imagines eo modo, vt non ipsi materiæ exhibeamus reuerentiam, sed imaginum interuentu illis, qui per ipsas significantur. Honos, qui imagini habetur, ad prototypum transit, sicut D. Basilius ait, &c. Vt qui nõ honorat Filiũ, non honorat Patrem: sic qui non honorat imaginem, nec illum, quem imago refert, honorat.

Hypathius Ruthenorum legatus. 1595.

In fidei professione: Firmissimè assero, imagines Christi, ac Deiparæ semper Virginis, nec non aliorum Sanctorum habendas ac retinendas esse, atque eis debitum honorem ac venerationem impartiendam.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Tertullianus. 200.

Exo. 20. *Libro 2. aduersus Marcionem cap. 22.* Proinde & similitudinem vetans fieri omnium, quæ in cælo, & in terra, & in aquis, ostendit causas, idololatriæ scilicet substantiam cohibentes. Subijcit enim: *Non adorabitis ea, neque seruietis illis.* Serpentis autẽ æi effigies postea præcepta Mosi à Domino, non ad idololatrię titulũ pertinebat, sed ad remediandos eos, qui à serpentibus infestabantur. Et taceo de figura remedij. Sic & Cherubim, & Seraphim aurea in arcæ figuratum exemplum, certè simplex ornamentum, accommodata suggestui, longè diuersas habendo causas ab idololatriæ conditione, ob quam similitudo prohibetur, non videtur similitudinum prohibitarum legi refragari, non in eo similitudinis statu deprehensa, ob quem similitudo prohibetur.

Libro de Pudicitia cap. 7. Procedant ipsæ picturæ calicum.

Ambrosius. 370.

Sermone de Geruasio & Protasio tomo 3. Surij: Tertia nocte, defecto ieiunijs corpore, non dormienti, sed stupenti, cum quadam mihi tertia apparuêre persona, quæ similis esset beato Paulo, cuius vultum me pictura doceret, vt tantùm ipse mecum illis tacentibus loqueretur.

Damasius. 376.

In Pontificali de S. Syluestro: Huius temporibus fecit Constantinus Augustus Basilicam Constantinianam, vbi posuit dona ista; fastigium argenteum, habens in fronte Saluatorem sedẽtem in sella quinque pedum, pensantem libras centum viginti: & duodecim Apostolos, habentes singuli quinos pedes, pensantes libras nonaginta, cum coronis ex auro purissimo. Item à tergo respicientem in absida Saluatorem, sedentem in throno, in pedibus quinque ex argento purissimo, &c.

Prudentius. 380.

De Cassiano Hym. 10.

Erexi ad cælum faciem, stetit obuia contra
Fucis colorum picta imago Martyris:
Plagas mille gerens, totos lacerata per artus,
Ruptam minutis præferens punctis cutem.
Innumeri circum pueri (miserabile visu)
Confossa paruis membra figebant stylis:
Vnde pugillares soliti percurrere ceras,
Scholare murmur annotantes scripserant.
A Edituus consultus, ait; quod prospicis hospes,
Non est inanis, aut anilis fabula.
Historiam pictura refert, quæ tradita libris
Veram vetusti temporis monstrat fidem.

De S. Hippolyto Hym. 11.

Picta super tumulum species liquidis viget vmbris,
Effigians tracti membra cruenta viri.

Hieronymus. 390.

Epist. 27. ad Eustochium virginem de Epitaphio Paulæ cap. 3. Hierosolymis cuncta loca tanto ardore ac studio circumiuit, vt nisi ad reliqua festinaret, à primis non posset abduci, prostrataq; ante crucem, quasi pendentem Dominum cerneret, adorabat.

Augustinus. 400.

De consensu Euangelistarum lib. 1. cap. 10. Cogitauerunt (nempe Pagani, cùm vellẽt scriptum quoddam magicũ Christo falsò tribuere) ad quos potissimũ scribere potuisse facilè crederetur; tamquam ad illos, qui ei familiarius adhæsissent, quibus illud quasi secretum dignè committeretur; & occurrit eis Petrus & Paulus: credo quòd pluribus locis simul eos cum illo pictos viderũt: quia merita Petri & Pauli etiam propter eundem passionis diem celebrius & solenniter Roma cõmendat.

Contra Faustum Manichæum lib. 22. c. 73. Quod vsq; adeò ipsa veritas clamat, vt eius voce deterritus Faustus, cùm in ipsum Abraham quid diceret, vnguibus ac dentibus quærens, vsque ad calumniosum mendacium peruenirent; hoc tamen reprehendere non auderet: nisi fortè ei veniret in men-

tem factum ita nobile, vt & non lectum, nec quęsitum animo occurreret, vt denique tot linguis cantatum, tot locis pictum, & aures & oculos dissimulantis feriret.

Paulinus Nolanus. 420.

Epistola 12. ad Seuerum: Rectè in loco refectionis humanæ Martinus pingitur, qui cęlestis hominis imaginem perfecta Christi imitatione portauit, vt deponentibus in lauacro terrenæ imaginis vetustatem, imitanda cælestis animæ occurrat effigies, &c.

Epistola eadem de Fundana Basilica: Ideo super hac præter picturam gratia geminatus est titulus de pictura:

Sanctorum labor & merces sibi ritè cohærent,
Ardua crux, pretiumq́, crucis sublime corona.
Ipse Deus nobis princeps crucis atq́ corona
Inter floriferi cælestę nemus Paradisi.
Sub cruce sanguinea niueo stat Christus in agno,
Agnus vt innocua iniusto datus hostia letho.
Alite quem placida sanctus perfundit hiantem
Spiritus, & rutila Genitor de nube coronat.
Et quia præcelsa quasi iudex rupe superstat,
Bis gemina pecudis discors agnis genus hœdi
Circumstant solium: lęuos auertitur hœdos
Pastor, & emeritos dextra complectitur agnos.

Euodius Vzalensis Episcopus. 430.

Libro 2. de miraculis B. Stephani cap. 4. Cùm immensæ magnitudinis draco in die nundinarum Vzali è nubibus propenderet, relicta omni negotiatione erat magnus multitudinis concursus ad gremium Ecclesiæ matris. Ad ipsam amici Dei sacratam memoriam in facie prostrata iacebat diuersa ætas, dispar quoque sexus, donec Stephani prece fusa, clementia Dei draconem illum subtraheret. Sequenti die negotiator nusquam cognitus, aut verius Angelus Sennulo Vzalensi Subdiacono attulit velum varijs coloribus pictum, in quo inerat pictura hæc. In dextra veli parte ipse Stephanus videbatur astare, & gloriosam crucē proprijs repositam humeris baiulare: qua crucis cuspide portam ciuitatis videbatur pulsare, ex qua profugiens draco teterrimus cernebatur exire, amico Dei velut aduentante. Verùm ille serpens noxius, nec in fuga tutissimus, sub triumphali pede Martyris Christi contritus aspiciebatur & pressus. Talis itaq; pictura veli à Subdiacono suspensa est ante ipsam memoriam tanti patroni.

Auctor librorum de visitatione infirmorum inter opera Augustini. 500.

Lib. 2. cap. 3. Habent Christianorum arcana illius Dominicæ crucis quasi quoddam venerabile monimentum, quod de crucis ipsius imaginatione crucem cognominant; quod & nos omni veneratione dignissimum fatemur, & ad recordationem crucifixi nostri veneramur. Adijcitur etenim super crucem hominis inibi patientis imago, per quod salutifera Iesu Christi nobis renouatur passio: hanc complectere humiliter, venerare suppliciter, tamen hæc ad memoriam tibi reduces:

Nec Deus est, nec homo, præsens quam cerno figura:
Sed Deus est, & homo, quem signat sacra figura,
Verus homo, verusq́ Deus, tamen vnus vterq́
Probra crucis patitur, mortem subit, & sepelitur:
Viuit idem, crucis hac per signa triumphat ab hoste:
Id natum vobis crucis huius littera reddit.
Scilicet ipsius nota sunt crux, & crucifixus:
Hæc & ego veneror, Iesum quoque semper adoro.

Gregorius Turonensis. 580.

De gloria Martyrum lib. 1. cap. 22. Isto nunc tempore per credulitatē integram tanto Christus amore diligitur, vt cuius legem in tabulis cordis credentes populi retinent, eius etiam imaginem ad commemorationem virtutis, in tabulis visibilibus pictam, per Ecclesias ac domos affigant: sed in hoc inimicus semper humani generis æmulus extat. Nam Iudęus quidam cùm huiusmodi imaginem in tabula pictam, & parieti affixam in Ecclesia sæpe vidisset, ait: Ecce seductorem illum, qui nos, genusq́ nostrum humiliauit. Et sic nocte veniens, telo ipsam imaginem verberat, elisamq́ de pariete, opertam veste, ad domum portans flāmis parat exurere. Sed res mira apparuit, quæ quòd de virtute Dei fuerit non potest ambigi. Nā de vulnere, vbi imago transfossa fuerat, sanguis effluxit. Quod ipse iniquus spiculator, oppletus furore non sensit. Cùm autem per obscuræ noctis tenobras donum suam fuisset ingressus, lumine adhibito, cernit se totum sanguine cruentatum; timensq́ ne scelus suum patefieret, abiectam à se tabulam abdidit in obscuris: nec ausus est vltra cōtingere, quod iniquè præsumpsit auferre. Venientes autem Christiani diluculo ad domum Dei, iconem non inueniunt, stupentesq́, ac requirentes quod factum fuerat, cruoris vestigia deprehendunt. Quod sequentes ad domum Iudęi accedunt. Deniq́ scisciatati de tabula nihil certi cognoscunt. Requirentes eā sollicitè in angulo cellulæ Iudæi reperiunt, qua Ecclesię reddita, furem lapidibus obruerunt.

Gregorius Magnus. 590.

Lib. 9. epistola 9. ad Serenum Massiliensem: Perlatum ad nos fuerat, quòd inconsiderato zelo succensus Sanctorum imagines, sub hac quasi excusatione, ne adorari debuissent, confregeris. Et quidē quia eas adorari vetuisses, omninò laudauimus; fregisse verò reprehendimus. Dic frater à quo factū sacerdote aliquando auditum est, quod fecisti? Si non aliud, vel illud te non debuit reuocare, ne despectis alijs fratribus solum te sanctum & sapientem esse crederes? Aliud est enim picturam adorare, aliud per picturę historiam quid sit adorandum addiscere. Nam quod legentibus Scriptura, hoc idiotis præstat pictura cernentibus: quia in ipsa etiam ignorantes vident, quod sequi debeāt: in ipsa legunt qui literas nesciunt. Vnde & præcipuè gentibus pro lectione pictura est. Quod magnopere à te, qui inter gentes habitas, attendi debuerat, ne dum recto zelo incautè succenderis, ferocibus animis scandalum generares. Frangi verò non debuit quod non ad adorandum in Ecclesijs, sed ad instruendas solummodo mentes nescientium fuit collocatum. Et quia in locis venerabilibus Sanctorum depingi historias non sine ratione vetustas admisit, si zelum discretione condijsses, sine dubio & ea, quæ intendebas salubriter obtinere, & collectum gregem nō dispergere, sed potius dispersum poteras congregare, vt pastoris in te meritum nomen excelleret, non culpa dispersoris incumberet.

Lib. 7. epist. 54. ad Secundinum: Imagines, quas tibi dirigendas per Dulcidum Diaconum rogasti, misimus. Vnde valde nobis tua postulatio placuit: quia illum toto corde, tota intentione quæris, cuius imaginem præ oculis habere desideras, &c. Ab re non facimus, si per visibilia inuisibilia demonstramus. Sic homo, qui alium ardenter videre desiderat, aut sponsam amans videre conatur, si contigerit eam ad balneum, aut ad Ecclesiam ire, statim per viam incedenti se præparat, vt de visione eius hilaris recedat. Scio quidē, quòd imaginem Saluatoris nostri nō ideo petis, vt quasi Deum colas, sed ob recordationem Filij Dei in eius

eius amore recalescas, cuius te imaginem videre desideras. Et nos quidem non quasi ante diuinitatē, ante illam prosternimur, sed illum adoramus, quem per imaginem aut natum, aut passum, sed & in throno sedentem recordamur. Et dum nobis ipsa pictura quasi Scriptura ad memoriam Filium Dei reducit, animum nostrū aut de resurrectione lætificat, aut de passione demulcet. Ideoque direximus tibi furtarias duas, imaginem Dei Saluatoris, & sanctæ Dei Genitricis Mariæ, beatorumq́ Apostolorum Petri & Pauli continentes, per supradictum filium nostrum, & vnam crucē, clauem etiā pro benedictione à sanctissimo corpore Petri Apostolorum principis, vt per ipsum à maligno defensus permaneas, cuius signo munitum te esse credis.

Epist. 111. ad Serenum Massiliensem: Indico dudum ad nos peruenisse, quòd fraternitas vestra quosdam imaginum adoratores aspiciens, easdem Ecclesiæ imagines confregit, atque proiecit. Et quidem zelum vos, ne quid manu factum adorari possit, habuisse laudamus: sed frangere easdem imagines non debuisse iudicamus. Idcirco enim pictura in Ecclesijs adhibetur, vt hi, qui literas nesciunt, saltem in parietibus videndo legant, quæ legere in codicibus non valent.

Beda. 700.

Hist. Angl. lib. 1. cap. 26. Post dies aliquot venit ad insulam Rex, & residens sub diuo iussit Augustinum cum socijs ad suum venire colloquium. At illi non dæmoniaca, sed diuina virtute præditi veniebant, crucem pro vexillo ferentes argenteam, & imaginē Domini Saluatoris in tabula depictam, Litaniasq́ canentes, pro sua simul & eorum, propter quos, & ad quos venerant, salute æterna Domino supplicabant.

Homilia de Benedicto Anglo: Nunc cantandi, & in Ecclēsia per totum annum ministrandi secum magistros adduxit: nunc picturas sanctarum historiarum, quæ non ad ornamentum solummodò Ecclesiæ, verùm etiam ad instructionem intuentium proponerentur, aduexit, videlicet vt qui literarum lectione non possent, opera Domini & Saluatoris nostri per ipsarum contuitum discerent imaginum.

De templo Salomonis cap. 19. Sunt qui putant lege Dei prohibitum, ne vel hominum, vel quorumlibet animalium, siue rerum similitudines sculpantur, aut depingamus in Ecclesia, aut pariete, aut alio quolibet loco, eò quòd in Decalogo legis
Exod. 20 dixerit: *Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem, quæ est in cælo desuper, & quæ in terra deorsum, nec eorum quæ sunt in aquis sub terra.* Qui nequaquam hoc putarent, si vel Salomonis opus ad memoriam reuocassent, qui & in templo intus palmas fecit, & Cherubim cum varijs cælaturis, in columnis illius mala granata & retiacula, in mari quoque hoc æneo duodecim boues, & sculpturas histriatas, sed & in basibus luterum, vt in sequentibus legitur: leones cum bobus, palmas, axes, & rotas, cum Cherubim, & vario picturarum genere fecit: vel certè ipsius Mosi opera considerassent, qui iubente Domino, & Cherubim prius in propitiatorio, & postea serpentem æneum fecit in eremo, cuius intuitu populus à ferorū serpentium veneno saluaretur. Si enim licebat serpentem exaltari æneum in ligno, quem aspicientes filij Israēl viuerent: cur non licet exaltationē Domini Saluatoris in cruce, qua mortem vicit, ad memoriam fidelibus depingendo reduci, vel alia eius miracula & sanationes, quibus de eodē mortis auctore mirabiliter triumphauit; cùm horum aspectus sæpe multum compunctionis soleat præstare contuentibus, & ijs quoque, qui literas ignorant, quasi viuam Dominicæ historiæ pandere lectionem? Nam pictura Græcè ζωγραφία, id est, viua Scriptura vocatur. Si licuit duodecim boues æneos facere, qui mare superpositum ferentes, quatuor mundi plagas terni respicerent: quid prohibet duodecim Apostolos depingere, quomodo *euntes docerent omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, viua, vt ita dixerim, præ oculis omnium designare Scriptura?

Stephanus Secundus. 760.

Epist. ad Pipinum, Carolum, & Carolomannum Reges: Beneuentani omnes generaliter se in hanc vrbem coniungentes, resederunt iuxta beati Ioannis, & Pauli Apostoli, & cæteras Romanæ vrbis portas, & omnia extra vrbē prædia longè lateq́ ferro & igne consumpserunt, domus omnes comburentes, penè ad fundamenta destruxerunt, Ecclesiam Dei incenderunt, & sacratissimas Sanctorū imagines in ignem proijcientes, suis gladijs cōsumpserunt.

Adrianus Primus. 780.

Epistola ad Constantinum & Irenem AA. Petrus & Paulus principes Apostolorum sunt, qui Catholicam & orthodoxam fidem auspicati, per scriptā quidem, veluti legibus latis, fidem suam seruandam præceperunt: omnibus scilicet, qui in sedes illorum successuri erant vsque ad consummationem seculi permansuri: atque ita nostra seruat Ecclesia, & sanctas eorum figuras veneratur. Vnde in hunc vsque diem venerandis ipsorum imaginibus Ecclesiæ nostræ ornatæ atque conspicuæ sunt.

Paulus Diaconus. 790.

De gestis Longobardorum lib. 4. cap. 7. al. 5. Ariulphus equo desiliens, eandem Basilicam conspecturus intrauit. Tunc orantibus alijs ipse picturas eiusdem Ecclesiæ mirari cœpit. Qui cùm figuram B. Martyris Sabini depictam conspexisset, mox cum iuramento affirmauit, dicens: talem omninò eum virum, qui se in bello protexerat, formā habitumq́ habuisse. Tunc intellectum est beatum Martyrem Sabinum eidem in prælio adiutorium contulisse.

Lib. 6. cap. 49. al. 14. Hac tempestate Leo Imp. apud Constantinopolim Sanctorum imagines depositas incendit: Romano quoque Pontifici idem facere, si imperialem gratiam habere vellet, imandauit. Sed Pontifex hoc facere contempsit. Omnis quoque Rauennensis exercitus, & Venetiarum talibus iussis vno animo restiterunt, & nisi eos Pontifex prohibuisset, Imperatorem super se cōstituere aggressi fuissent, &c. Per idem tempus Leo Augustus ad peiora progressus est, ita vt compelleret omnes Constantinopoli habitantes, tam vi, quàm blandimentis, vt deponerentur vbicumq́ haberentur imagines, tā Saluatoris nostri, quàm eius sanctæ Genitricis, & omnium Sanctorum, easq́ in medio vrbis incendio concremari fecit. Et quia plerisq́ ex populo tale scelus fieri præpediebant, aliquanti ex ijs capite truncati, alij parte corporis mulctati sunt. Cuius errori Germanus Patriarcha non consentiens, à propria sede depulsus est, & eius loco Anastasius Presbyter ordinatus est.

Æmoinus. 825.

Historiæ Francorum lib. 4. cap. 111. In territorio Comensi in Ecclesia Ioannis Baptistæ imago S. Mariæ, puerum Iesum suo gremio continens, ac Magorum munera offerentium, in absidia eiusdem depicta, & ob nimiam vetustatem iam pene abolita, tanta claritate per duorum dierum spatia effulsit, vt omnem splendorem nouæ picturæ suæ

venuſtatis pulchritudinem cernentibus penitus vincere videretur: Magorum tamen imagines præter munera, quæ offerebant, minimè claritas illa irradiauit.

VValafridus Strabo. 840.

De rebus Eccleſiaſticis cap.8. Sicut quidam imagines vltra quàm ſatis eſt, venerantur; ita alij, dum volunt cautiores cæteris in religione videri, illas vt quaſdã idololatriæ ſpecies reſpuunt, & præſumptionis faſtu ſimplicium corda ſcandalizant. Huius rei quæſtio apud Græcos ſæpe tantas contentiones excitauit, vt ſub Gregorio Papa Iuniore Conſtantinus Imp. apud Conſtantinopolim omnes imagines depoſuerit; & ſub Gregorio Tertio Romæ ſit Synodus facta contra ſupradictam, vt dixerunt, hæreſin: in qua firmatum eſt, vt Sanctorum imagines, ſecundùm priſcum Catholicæ Eccleſiæ ritum, reſtituerentur. Ipſa denique querela Græcorum, temporibus bonæ memoriæ Ludoici Imp. in Franciam perlata, eiuſdé Principis prudentia ſcriptis ſynodalibus eſt confutata. Quam etiam Claudius quidam Taurinẽſis Epiſcopus, inter cæteras vanitatum ſuarum ineptias, cupiens renouare, ſuo iudicio damnatus interijt.

Lupus Ferrarienſis. 850.

Epiſt.60. Abbas Saligſtadienſis partem quandam cuiuſdam libri faciet mihi deſcribi, eamq; veſtro mihi reddendam nuntio ſe traditurum promittit, atque obſecrat, vt tabulas, quas Hilpius pictor beatis vouit Martyribus hebdomada ſecũda poſt Paſcha ipſi dirigere dignemini.

Nicolaus Primus. 860.

Epiſtola ad Michaëlem Imp. In cauſa ſanctarũ imaginum ante ſanctiſſimum Methodium, quinimò & ante Synodum in Nicæa ſub Irene congregatã, cùm adhuc hoc ſchiſma nouiter eſſet exortum, & Conſtantinopolitanos pene cunctos more peſtilentiæ inuaſiſſet, Romani Præſules Gregorius & Stephanus, conuocatis Epiſcopis Occidentalium regionum, inueniuntur fortiter dimicaſſe, & hoc funditus condemnaſſe.

Ionas Aurelianenſis. 860.

De cultu imaginum lib.1. Si imagines Sanctorum, & hiſtorias rerum geſtarum, in Eccleſijs ob pulchritudinem & recordationem rerum depictas in his volueris comprehendere; quæro abs te, cur præcipiente Domino Moſes duos Cherubim aureos, & cætera, quæ in Exodo leguntur, in tabernaculo Domini fecerit, & Salomon in domo Domini ſimilitudines boum & leonum expreſſerit? Quod cùm reſponderis, hæc in myſteriorum figura præceſſiſſe, nullatenus tamen negare poteris, quin ſimilitudines cæleſtium terreſtriumq; creaturarũ extiterint: etſi illa non à Deo ad adorationem, ſed vt typos futurorum prætenderent, in tabernaculo in domo Domini ſunt facta: ſinantur à te imagines Sanctorum, non vt adorentur, ſed potius vt quandam pulchritudinem reddant, & quarundã præteritarum rerum memoriam ſenſibus imperitorum ingerãt, in Eccleſijs depingi: creaturam verò adorari, eiq; aliquid diuinæ ſeruitutis impendi nefas ducimus, huiusq; ſceleris patratorem deteſtandum, & anathematizandum libera voce proclamamus.

Regino Prumienſis. 900.

De anno 655. Ea tempeſtate Leo Imp. Sanctorum imagines depoſitas incendit, Romanoq; Pontifici Gregorio, ſi ſuam gratiam habere vellet, ſimiliter facere mandauit. Sed Pontifex hoc facere contempſit. Leo Auguſtus ad peiora progreſſus eſt, ita vt omnes Conſtantinopoli habitantes tam vi, quàm blandimẽtis compelleret Sanctorum imagines deponere, & quaſcumque inuenire potuit in media ciuitate concremauit. Et quia plerique ex populo tale ſcelus fieri prohibebant, aliqui ex ijs capite truncati, alij parte corporis mutilati ſunt.

Luitprandus Ticinenſis. 950.

Lib.1.cap.8. Quantæ auctoritatis, quantæq; religionis Papa Formoſus fuerit, hinc colligere poſſumus, quia dum à piſcatoribus poſtmodum eſſet inuentus, atque ad B. Petri Apoſtolorum principis Eccleſiam eſſet deportatus, Sanctorum quædam imagines hunc in loculo poſitum venerabiliter ſalutârunt. Hoc namque à religioſiſſimis vrbis viris perſæpe audiui.

Leo Nonus. 1049.

Epiſtola ad Michaelem Pat. c.22. Recordamini iſtius nefandæ Synodi, quam voluerunt ſeptimam dici veſtri hæreſiarchæ, quorum conſpiratione ipſius Domini noſtri Ieſu Chriſti & Sanctorum reuerendæ imagines aut flammis traditę ſunt, aut aquis immerſæ: picturæ verò ex parietibus Baſilicarum deletæ. Quibus quamuis reſtiterit Romanorum auctoritas, præ cunctis tamen ſanctiſſimi Papæ Nicolai vbiuis prædicanda libertas; qui per ſuos legatos, tam pro ſacris imaginibus, quàm pro depoſitione beati Antiſtitis Ignatij, & ſubſtitutione Photij Neophyti, Eccleſiã S. Sophiæ clauſit, donec ſedis Apoſtolicæ acquieſceret decretis.

Anſelmus Cantuarienſis. 1080.

Ad cap.3. epiſtolæ ad Galatas: Ob compunctionem mentis habendam pingebatis Chriſtum crucifixũ in locis illis, vbi ſemper eum videre poſſetis, & memoria retinere.

Sigebertus Gemblacenſis. 1100.

In Chronicis de anno 560. Hoc tempore Iudæus quidam imaginem Saluatoris de Eccleſia furtim deponens, eam telo transfixit: & eam clam ad domum ſuam deferens, cùm eam vellet flãmis exurere, ſe ſanguine imaginis cruentatum videns, præ ſtupore eam abſcondit, quam Chriſtiani requirentes, & per veſtigia ſanguinis inuenientes, eam ſanguinolentam receperunt; Iudæum verò lapidârunt.

Iuo Carnotenſis. 1100.

Sermone in Purificationẽ S. Mariæ: Sanctorum miracula vel Martyria picturæ imaginatione recordamur.

Petrus Alphonſus. 1106.

Titulo 12. Idola non fabricamus, nec adoramus; imò crucem facimus, & ei imaginem hominis ſuperimponimus, & per crucem quidem altare, per imaginem ſacrificium, quod ſuper altare eſt, deſignamus. Sicut autem ſuper altare animalia ſacrificabant: ita & ſuper crucem immolatus fuit Dei Agnus. Et ſicut de lapidum reliquijs, quibus altare conſtruebant, cura nulla erat quid fieret: ita de reliquijs crucis, vel ſupra impoſitæ imaginis, quid fiat non curamus. Sicut etiam Salomon, & alij ante altare procidentes, nequaquam illud, immò Deum ſolum adorabant; ita & nos ante crucem genua flectentes, nequaquam crucem illam, aut imaginem ſuperpoſitam, imò Deum Patrem, & Filium ſuum Ieſum Chriſtum adoramus.

Petrus Cluniacenſis. 1150.

Lib.1. epiſt.1. contra id, quod Petrobruſiani dicunt, crucem Domini nec adorandam, nec venerandam eſſe: Cùm ante crucem humiliatus proſternor, eum, qui in ipſa olim pro requie noſtra tortus, pro vita noſtra

Exod.37.

ta noſtra mortuus eſt, vt Deum & Dominum, cui hoc ſoli debetur, adoro. Idcirco autem hoc priuilegium cruci Dominicę datum eſt, vt in creaturis ſola poſt Filium hominis, qui & Filius Dei eſt, adoranda eſſe credatur, quatenus in morte Domini, quam in cruce paſſus eſt, finem ſummamq; ſalutis humanæ conſtitutam eſſe ſciamus, & nequaquã more infidelium de cruce ac morte eius nos erubeſcere certis ac præcipuis humilitatis indicijs doceamus.

Otto Friſingenſis. 1160.

Lib.5. Chronicorum cap.18. Anno Dominicæ incarnationis 718. Leo natione Syrus imperauit. Hic imagines Domini & Sanctorum eius incendi, & multos impietati eius reſiſtentes decollari iuſſit. Inter cæteros paſſa fuit virgo Chriſti Theodoſia, cuius vſque hodie maxima in vrbe regia manet memoria, & veneratio.

Guilhelmus Tyrius. 1170.

Lib.6.cap.23. Turcę venerabiles Sanctorum imagines, quibus ſimplex populus, & plebs Dei cultrix, pia ruditate commendabilis, quaſi pro libris vtuntur, quæq; vice lectionis ſimpliciores ad deuotionem excitant, ex ipſis deraſerãt parietibus, & quaſi in viuentes perſonas deſæuientes, oculos effoderant, & mutilauerant nares, & luto ſumpto de immundis obduxerant.

Guilhelmus Neubrigenſis. 1200.

Rerum Anglicarum lib.4.cap.9. Forma crucis Dominicæ in Eccleſia pingitur, ad continuandam ſcilicet cunctis fidelibus ſaluberrimam Dominicæ paſſionis memoriam.

Innocentius Tertius. 1200.

In dedicatione templi Serm.1. Chriſti imagines nõ latria, ſed dulia poſſumus venerari: non propter imaginẽ, quæ per ſe nihil poteſt, ſed propter imaginatum, qui per ſe cuncta poteſt; non vt nos, qui facti ſumus ad imaginem & ſimilitudinẽ Dei, memores nos reputemus ſimiles imaginibus, quas ipſi fecimus ad imaginem & ſimilitudinem noſtram: ſed vt nos propter Deum ſacris imaginibus inclinemus, qui propter nos exinaniuit ſeipſum, formam ſerui accipiens. Videntes quippe imagines inclinamus, non vt ſpem ſalutis conſtituamus in illis, ſed ad memoriam excitati, deuotionem, quam ipſi Deo corde gerimus, opere demonſtremus.

Cæſarius Heiſterbacchius. 1220.

Lib.10.cap.19. Tempore diſcordiæ inter Ottonem & Philippum, in oratorium S. Goari Cõfeſſoris, quod ſitum eſt in territorio Treuerenſi, & eſt firmiſſimum, tum propter ſitum loci, tum propter ſtructuram, prouinciales ſe ſuaq; tranſtulerunt. Quo cognito VVernerus de Bouland vir potẽs, & diues, cùm ad expugnandum illud arietes machinasq; applicuiſſet, nec tamen profeciſſet, imaginem crucifixi ligneam hi, qui deintus erant, contra hoſtes, in quandam feneſtram poſuerant, ſperantes quòd ob illius venerationem loco parcerent. Quidam verò ex baliſtarijs, de cruce non curans, imò locanti illam indignãs, telum miſit, & ſacram iconam in brachio profundè ſatis vulnerauit. Mox mirum in modum antiqua renouantur miracula, & ad inſtar venæ humanæ ſanguis de loco vulneris cœpit ſtillare. Timore tanti miraculi prædictus VVernerus poſtea cruce ſignatus eſt. Audiens tanta mirabilia Abbas Ottirburgenſis, locum adijt, de rei veritate inquiſiuit. Cui cùm ab omnibus hoc quod prędictum eſt diceretur, Iudæus, qui tunc caſu adfuit, Abbatem in partem traxit, dicens: Verè Domine veriſſimum eſt quod audiſtis: & ſicut ipſe mihi retulit, multò amplius delectabatur in teſtimonio inimici. Adhuc telum ibi reſeruatur, adhuc vulnus & ſanguinis ſtigmata illic oſtenduntur. Vtraq; Abbas noſter vidiſſe ſe teſtatur.

Conradus Vrſpergenſis Abbas. 1226.

In Leone Iſaurico: In Chriſtianos, & Eccleſias Dei, ac religionem ſanctam impius fuit. Primùm quidem præcepit in Conſtantinopoli, vt quicunque haberent imagines Domini Saluatoris, ſeu ſanctæ Genitricis eius, vel Sanctorum aliorum, ſibi eas afferrent, quas ille in medio ciuitatis incendi fecit. Et quia multi de populo huic impietati non conſenſerunt, decollati ſunt.

Thomas Aquinas. 1250.

Tertia parte q.25.art.3. Imagini Chriſti in quantum eſt res quædam (puta lignum ſculptum, vel pictum) nulla reuerentia exhibetur: quia reuerentia non niſi rationali creaturæ debetur. Relinquitur ergo, quòd exhibeatur ei reuerentia ſolùm in quantum eſt imago, & ſic ſequitur, quòd eadem reuerentia exhibetur imagini Chriſti, & ipſi Chriſto. Cùm ergo Chriſtus adoretur adoratione latriæ, conſequens eſt, quòd eius imago ſit adoratione latriæ adoranda.

Art.eodem: Inter non ſcriptas Apoſtolorum traditiones eſt imaginum Chriſti adoratio. Vnde & B. Lucas dicitur depinxiſſe Chriſti imaginẽ, quæ Romæ habetur.

Guilhelmus Peraldus. 1255.

In Summa Tomo 1. de dulia cap.3. Sequitur de errore illorum, qui dicunt Eccleſiam idololatrare, quia ponit in Eccleſias imagines, & adorat diuerſos Sanctos. Qui error occaſionem potuit habere ex illo verbo Exodi vigeſimo: *Non facies tibi ſculptile*, &c. Sed contrarium manifeſtè oſtenditur ex hoc, quòd Dominus imagines Cherubim præcepit fieri Exodi vigeſimo quinto. Eſaias etiam vidit Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum Eſaiæ ſexto; Seraphim ſtabant ſuper illud. Et Ezechiel vidit imagines quatuor animalium Ezech.1. & Ioannes Apocalyp.4. Quas figuras ſicut ſancti minutis literis ſcripſerunt, quantum ad illos, qui legem ſciunt: ſic picturis, vel ſculpturis, quaſi groſſis literis ſcribi potuit, quantum ad laicos, qui legem neſciunt. Sicut enim ſcripturæ literæ ſunt clericorum: ita picturæ vel ſculpturæ literæ laicorum. Licet ergo Eccleſiæ habere imagines; nec eſt reuocatio hæc idololatriæ, ſed potius reuocatio ab idololatria. Et ſicut Dominus voluit ſibi ſacrificia fieri, vt filios Iſrael reuocaret à ſacrificijs, quæ idolis fiebant: ita imagines ſolebant fieri dijs, qui colebantur, volens Eccleſia homines ab hoc reuocare, voluit imagines fieri in Eccleſia ad rememorandum facta memoria digna.

Bonauentura. 1260.

In lib.3. Sentent. diſt.9. q.2. Imaginum introductio in Eccleſia non fuit abſque rationabili cauſa. Primò, propter ſimplicium ruditatem inuentæ ſunt, vt ſimplices, qui non poſſunt ſcripturas legere, in huiuſmodi ſcripturis & picturis, tamquam in ſcripturis apertius poſſint ſacramenta noſtræ fidei legere. Propter affectus ſimiliter tarditatem introductę ſunt, vt homines, qui non excitantur ad deuotionem in his, quæ pro nobis Chriſtus geſſit, dum illa aure percipiunt, ſaltem excitentur, dum eadem in ſcripturis atque picturis tamquã præſentia oculis corporeis cernunt. Plus enim excitatur affectus noſter per ea, quę videt; quàm per ea, quæ audit. Vnde Horatius in arte poetica:

Segnius irritant animos demiſſa per aures,

Quàm quæ sunt oculis subiecta fidelibus, & quæ Ipse sibi tradit spectator.

Tertiò imagines introductæ sunt propter memoriæ labilitatem: quia ea, quæ audiuntur solùm, facilius traduntur obliuioni, quàm ea, quæ videntur. Ideo dispensatione Domini factum est, vt imagines fierent, (præcipuè in Ecclesijs,) vt videntes eas recordaremur de beneficijs nobis impensis, & Sanctorum operibus virtuosis: quoniam imago Christi introducta est ad repræsentandum eum, qui pro nobis crucifixus est, nec offert se nobis pro se, sed pro illo: ideo omnis reuerentia, quæ ei offertur, exhibetur Christo.

Guilhelmus Durantius. 1270.

In Rationali diuinorum lib.1. cap. 3. Nos imagines non adoramus, nec Deos appellamus, nec spem salutis in eis ponimus: quia hoc esset idololatriæ, sed ad memoriam ac recordationem rerum olim gestarum eas veneramur. Vnde versus:

Effigiem Christi cùm transis pronus honora:
Non tamen effigiem, sed quem designat adora.
Nec Deus est, nec homo præsens, quam cerno figura:
Sed Deus est & homo, quem sacra figurat imago.

Augustinus Triumphus. 1320.

De potestate Ecclesiastica quæst. 48. art. 4. Imaginum adoratio prohibetur in primo præcepto, vt res quædam creata est, non vt sunt signa rerum adorabilium. Non enim adorantur imagines, vt terminus ad quem, sed vt terminus à quo.

Ioannes Taulerus. 1350.

Sermone 1. in Parasceuem: Ne qua Christi passionis fortè nobis vnquam obliuio obreperet, sancta mater Ecclesia non modò scriptis, & quotidiano sacri altaris officio, verùm etiam sacris imaginibus, quę nos, vtpote infirmos & fragiles, ad ipsam intuendam ac reminiscendam Dominicam passionem manu ducunt, absque cessatione inuitat, excitat, & hortatur ad laudandũ Deum, &c. Hac etiam de causa Sanctorum imagines & picturę religiosæ ab Ecclesia permittuntur, quò per harum contemplationem ad ipsorum Sanctorũ sequenda vestigia, vitamq; sanctam & laudabilem prouocemur. Attamen præ cunctis imaginibus ipsa crucifixi imago crebrò inspecta, ac deuotè considerata, plurimum confert, & abundantiorę præstat vtilitatem.

Rupertus Holcotius. 1350.

In lib. Sapient. 157. Vsum imaginum in Ecclesia introduxerunt Apostoli, licet hoc in Canone Bibliæ nullibi exprimatur, &c. Triplex fuit causa institutionis imaginum in Ecclesia. Primò, ad institutionem laicorũ, quibus imagines exhibentur loco librorum: secundò, vt incarnationis mysterium, & Sanctorũ exempla nobis frequentius & recentius affigerentur: tertiò ad excitandũ deuotionis affectum, qui magis ex visis, quàm auditis causatur.

Thomas VValdensis. 1410.

Tomo 3. Titulo 13. cap. 121. Cum Reliquijs item Christi sunt earum signa colenda, & eius imago, & Sanctorum imagines cum suis prototypis.

Ioannes Gerson. 1420.

Tractatu 8. super Magnificat: Nihil habet lignum crucis diuinitatis, etiam in qua pependit Dominus: sed in cruce tamquam in signo surgit fides nostra ad Dominum nostrum Iesum Christum Deum verum, qui salutem nostram operatus est in ea. Sic de imaginum veneratione vetus habet Doctorum determinatio: sic per figuram signum accipitur pro signato, vt nomen pro nominato, imago pro imaginato.

Bernardinus Senensis. 1430.

Tom. 1. Serm. 27. Fer. 2. post tertiam Dominicã in Quadragesima: Imagines Christi & Sanctorum eius ab Ecclesia introductę sunt ad animę exercitationẽ: quia per eas intellectus exercitatur ad talium repræsentatorum considerationem, affectus ad eorum deuotionem, & memoria ad eorum recordationem.

Gabriel Bielius. 1470.

In Canonem Missæ lectione 49. Quòd Christiana religio imagines sustineat in Ecclesia & oratorijs, nõ permittit eo fine, vt ipsæ adorentur, sed vt fidelium mentes per earum inspectiones excitentur ad reuerentiam & honorem exhibendum his, quorum sunt imagines, in quorum recordationem cognitiuam ducunt.

Hieronymus Sauonarola. 1480.

De veritate fidei lib. 3. cap. 18. Posset indecens videri crucem & imaginem Christi Sanctorumq; eius à nobis adorari, propterea quòd cultus hic rebus insensibilibus exhibetur. Sed hanc obiectionem facilè soluimus. Potest enim duplici ratione ipsa imago considerari. Vna quidem, prout quædam res est, veluti aurum, argentum, seu lignum, vel aliquid aliud simile, quomodo neque crucem, neque Sanctorum imagines adoramus. Altera verò, prout imago est, aliquid repræsentãs. Et quia idem est motus in imaginem in quantum imago est, & in rem ex imagine significatam, non est inconueniens, si hoc modo imagines adoramus. Ita enim non res insensibiles, sed imagines colimus, Reliquiasq; Sanctorum: quatenus in memoriam illi nobis per eiusmodi signa ac Reliquias referũtur. Quod rectius dici potest Sãctos à nobis in suis rebus & imaginibus adorari. Quemadmodum Cæsaris imaginem, non eo quòd talis res sit, sed quia illius imago est, serui eius honorant: quod quidem nihil est aliud, quàm ipsum Cæsarem venerari. Vnde quemadmodum Sanctos, ita etiam ipsorum imagines adoramus: crucem videlicet, crucifixumq; adoratione latriæ. At Virginis Mariæ matris Dei imaginem adoratione hyperduliæ: aliorum verò simulachra Sanctorum adoratione duliæ. Huiusmodi enim effigies ad recolendam Sanctorum memoriam, ad excitandasq; eorum exemplo ad virtutem sanctitatemq; animos, erigendosq; ad illorum suffragia pro nobis ad Dominum implorãda adiuuentæ sunt.

ARTICVLVS DECIMVSSEXTVS.

SANCTORVM RELIQVIAS RELIGIOSE SERVANDAS, ET COLENDAS ESSE.

NEGANT.

Anno post natũ Christum

176. ETHNICI, *submoniti à Iudæis, Præsidem exorabant, ne corpus Polycarpi cuiquam daret: ne Christiani (inquiunt) Crucifixo illo derelicto, hunc venerari incipiant.* Eusebius lib. 4. cap. 14.

200. *Marcionis & Manichæi fuit hæresis, Martyrum corpora esse abominabilia.* Magnes lib. 4. contra Theosthenem.

300. *Diocletianus & Maximianus famulos illos regios post mortem decoro & celebri funere terræ mandatos, rursus de integro effodiendos, inq; mare præcipitandos, sententijs decreuerunt: ne, vt eorum ferebat opinio, quidam eos in sepulchris & monumentis conditos, Deos esse reputantes, diuina veneratione prosequerentur.* Eusebius lib. 8. cap. 6.

366. *Iulianus Apostata:* (apud Cyrillum Alexandrinum lib. 10. contra Iulianum:) *His ita se habentibus, vos quare aduoluimini sepulchris? Audire vultis causam? Non ego dixerim, sed Esaias Propheta:* In sepulchris & speluncis dormiunt propter insomnia. *Considerate igitur, quomodo vetus impostura opus Iudæis erat dormire in sepulchris somniorum gratia. Quod & Apostolos vestros verisimile est post magistri mortem fecisse, vobisq; ab initio, qui primi credidistis, tradiderunt, vt & ipsi vobis imponerent, & post se demonstrarent publicas imposturas, & abominationis huius officinas.*

400. *Vigilantius Gallus:* (apud Hieronymum contra Vigil. cap. 2.) *Quid necesse est te tanto honore non solùm honorare, sed etiam adorare illud nescio quid, quod in modico vasculo transferẽdo colis? Quid puluerem, linteamine circumdatum, adorando oscularis? Properitum Gentilium videmus, sub prætextu religionis, introductum in Ecclesias: sole adhuc fulgente moles cereorum accendi, & vbicumque puluisculũ nescio quod, in modico vasculo pretioso linteamine circumdatum, osculantes adorare. Magnum honorem præbent huiusmodi homines beatissimis Martyribus, quos putant de vilissimis cereolis illustrandos, quos Agnus, qui est in medio throni, cum omni fulgore maiestatis suæ illustrat.*

720. *Constantinus Copronymus eo dementiæ venit, vt publicè constitueret, ne quis omninò ministrorum Dei Sanctus diceretur, sed vt Reliquiæ eorum despuerentur, & pro nihilo haberentur.* Theosterictus oratione funebri in S. Nicetam, Suidas in hoc Constantino.

770. *Habdalas Saracenorum Princeps ex Ecclesijs sterquiliniafecit, & Reliquias Sanctorum effossas dispersit.* Iuo in Chronicis.

840. *Claudius Taurinensis aduersus Reliquias & sepulchra Sanctorum quædam nefanda dogmatizauit.* Ionas Aurelianensis lib. 1. de cultu imaginum.

1380. Ioannes VVicleuus in articulis Constantiæ damnatis: *Sepulchra mortuorum sunt simpliciter illusionis obiecta: lapides enim politi sunt obiectum primum: aurum & argentum commassata super postrema istorum lapidum sunt secundum: & lapides pretiosi cum iocalibus sunt tertium illusionis obiectum.*

1400. Guilhelmus Albus VVicleuista dicebat: *Reliquiæ Sanctorum, hoc est, carnes & ossa hominis mortui, non debent à populo venerari, neque à monumento fœtido extrahi, nec in capsa aurea, vel argentea reponi: quia sic facientes, non honorant Deum & Sanctos eius, sed idololatriam committunt.* Thomas VValdensis parte 3. Tit. 22. cap. 164.

1420. *Hieronymus Pragensis Sanctorum Reliquias extractas de altari, luto instrauit, pedibus calcauit, populo irridendas exposuit.* Ioannes Cochlæus lib. 3. Historiæ Husiticæ.

1520. Martinus Lutherus in Postilla in die Exaltationis S. Crucis: *Quicquid de sancta Cruce dixi, intelligi debet de omnibus Sanctorum Reliquijs. Reliquiæ enim nihil aliud sunt, quàm fraudes & seductiones fidelium: quare omninò infra terram defodiantur. Hoc de explodendis & exibilandis Sanctorum Reliquijs olim pertractauit & Vigilantius, cui se fortiter & acriter opposuit Hieronymus. Quòd si adhuc Vigilantij monumenta supereſſent, quemadmodum Hieronymi etiamnum extant, facilè crediderim, eum multo Christianius super hoc scripsisse, quàm ipsum Hieronymum. Vellem terra omnes istas Reliquias contectas esse.*

1538. *Henricus Octauus Rex Angliæ D. Thomæ Cantuariensis Episcopi monumentum gemmis & auro nudauit, ipsas venerandas Reliquias exussit.* Laurentius Surius in Comment. de anno millesimo quingentesimo trigesimo octauo.

1550. Ioannes Caluinus Admonitione de Reliquijs: *Itaque, vt paucis dicam, Reliquiarum desiderium nunquam superstitione caret, imò, quod deterius est, mater est idololatriæ. Christianorum officij erat Sanctorum corpora in sepulchris suis relinquere: non erigere ipsa opere magnifico, & sumptuoso, quo præmaturam corporum resurrectionem fabricarent. Hoc quidem minimè intellectum fuit, sed è diuerso, contra decretum Dei, fidelium corpora effossa sunt, vt magnificè extollerentur, cùm in sepulchro suo, velut in lectulo, ad extremum diem quiescere debuissent.*

1562. *Caluinistæ Pictauij S. Hilarij, Lugduni S. Irenæi, Thuronibus S. Martini Reliquias exusserunt.* Laurentius Surius in Comment. de anno 1562.

ASSERVNT SACRÆ LITERÆ.

Genes. 50. *v.* 1. Cernens Ioseph obijsse patrem suum, ruit super faciem eius, flens & deosculans eum: præcepitq; seruis suis medicis, vt aromatibus condirent eum. 23. Post mortem meam *(inquit Ioseph)* Deus visitabit vos, & ascendere vos faciet de terra ista ad terram promissam: *&c.* asportate ossa mea vobiscum de loco isto. 25. Et condîtus aromatibus, repositus est in loculo in AEgypto.

Exod. 13. 19. Tulit Moyses ossa Ioseph secum: eò quòd adiurasset filios Israel, dicens: Visitabit vos Deus, efferte ossa mea hinc vobiscum.

Iosue 24. 32. Ossa Ioseph, quæ tulerant filij Israel de AEgypto, sepelierunt in Sichē, in parte agri, quem emerat Iacob à filijs Hemor patris Sichem.

4. *Reg.* 13. 21. Proiecerunt *cuiusdam* cadauer in sepulchro Elisei. Quod cùm tetigisset ossa Elisei, reuixit homo, & stetit super pedes suos.

Ecclesiastici 48. 14. Elisei mortuum prophetauit corpus. In vita sua fecit monstra, & in morte mirabilia operatus est.

Marci 5. 25. Et mulier, quæ erat in profluuio sanguinis annis duodecim, & fuerat multa perpessa à compluribus medicis, & erogauerat omnia sua, nec quicquam profecerat, sed magis deterius habebat: cùm audisset de Iesu, venit in turba retro, & tetigit vestimentum eius. Dicebat enim, quia si vel vestimentum eius tetigero, salua ero. Et confestim siccatus est fons sanguinis eius: & sensit corpore, quia sanata esset à plaga. Et statim Iesus in semetipso cognoscens virtutem quæ exierat de illo, conuersus ad turbam, aiebat: Quis tetigit vestimenta mea? Et dicebant ei discipuli sui: Vides turbam comprimentem te, & dicis: Quis me tetigit? Et circumspiciebat videre eam, quæ hoc fecerat. Mulier verò timens & tremens, sciens quod factum esset in se: venit, & procidit ante eum, & dixit ei omnem veritatem. Ille autem dixit ei: Filia, fides tua te saluam fecit: vade in pace, & esto sana à plaga tua.

Actorum 5. 14. Magis augebatur credentium in Domino multitudo virorum ac mulierum: ita vt in plateas eijcerent infirmos, & ponerent in lectulis ac grabatis, vt veniēte Petro, saltem vmbra illius obumbraret quemquam illorum, & liberarentur omnes ab infirmitatibus suis.

Actorum 19. 11. Virtutes non quaslibet faciebat Deus per manum Pauli: ita vt etiam super languidos deferrentur à corpore eius sudaria vel semicinctia, & recedebant ab eis languores, & spiritus nequam egrediebantur.

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Clemens Romanus. 80.

Constit. Apost. lib. 6. cap. 29. Eorum, qui apud Deum viuunt, ne Reliquię quidem corporum sunt inhonoratæ. Siquidem Eliseus Propheta, postquam defunctus est, mortuum suscitauit, à pyratis Syriæ occisum: attigit enim corpus eius corpus Elisei, & excitatus reuixit; quod quidem nunquam accidisset, nisi corpus Elisei sanctum esset. Et castus Ioseph Iacob patrem iam defunctum in lecto iacentem amplexus est; item Moses & Iesus filius Naue reliquias corporis Ioseph ferebant, neque se tamen cadauere contaminari putauerunt. Quocirca & vos Episcopi, ac reliqui, ne existimate pollui, si mortuos contingere, & tractare non caueatis: neque eorum Reliquias auersemini, eiectis huiusmodi obseruationibus stultis.

4. Reg. 13

Gen. 50. Exod. 13.

Iustinus Martyr. 150.

Quæstione 28. Sanctorum corpora, & sepulchra Martyrum, & dæmonum amoliuntur insidias, & morborum ab arte medica comploratorum conferunt sanationes.

Ecclesia Smyrnensis. 176.

Epistola ad Ponti Ecclesias: Nos Diui Polycarpi ossa potiora lapillis pretiosis, auroq; puriora, ex cineribus sublata, eo loco reposuimus, qui illis erat decorus consentaneusq;.

Eusebius Cæsariensis. 320.

Eccles. hist. lib. 7. cap. 14. Astyrius cùm Martyri Marino in mortis articulo præsto adesset, simulatque è vita migrârat, cadauer tollit, splendida & pretiosa obtegit veste, atque humeris impositum inde deportat: quod cùm magnifico & sumptuoso linteo inuoluisset, decenti sepulchro condidit, &c.

Iacobi Apostoli cathedram ad istud tempus seruatam Episcopi, qui illic ordine successerunt, permagno æstimant: vnde declarant perspicuè, quemadmodum veteres Patres, ad nostram vsq; ætatem, sanctis viris, ob eorum veram erga Deum pietatem, debitam venerationem & tribuerint, & adhuc tribuere non cessent.

Lib. 8. cap. 14. Simulatq; sanctissimum ac beatissimum Martyrem Apphianum medio mari, vt illis videbatur, in profundissimos vortices coniecerant, ex improuiso tanta procella, non visitata illa quidem, tanta etiam turbatio, non per mare solùm, sed per vniuersam continentem se diffundebat, vt cùm terra, tum tota ciuitas eius impetu & violentia concuteretur, atq; vnà cum isto mirando & repentino terræ motu ipsum mare Martyris cadauer, vtpote tam sacrum pondus sustinere non valens, ante portas ciuitatis eijceret.

Lib. 4. vitæ Constantini cap. 66. Milites arreptum cadauer *(Constantini Imp.)* aurea capsula includunt, & vndique purpurea veste contectum Constantinopolim perducunt. Ibi tum in omnium magnificentissimis Imperatorijs ædibus celso atque edito loco deponunt, luminibusq; circum funus aurea super candelabra accensis, admirabile spectaculum intuentibus præbebant, & sanè eiusmodi, quale nunquam in terris vllum à condito mundo sub sole visum est. Nam intus in ipso ferè medio regij palatij excelsa & aurea capsula inclusum Imperatoris corpus imperiali apparatu, id est, purpura, & diademate ornatum, permulti circumfusi vigiles, die noctuq; asseruabant.

Cap. 67. Iam totius exercitus Duces, & Comites, omniumque Principum cœtus, quibus antea in more fuit Imperatorem venerari: pristinū morem & consuetudinem conseruantes, statis temporibus introeuntes, Imperatorem in capsula iacentem, tamquam viuum etiam post mortem humi procumbentes salutabant. Horum reuerentiam eodem pietatis officio subsecutus est Senatus, & omnes reliqui magistratus.

De præparatione Euangelica lib. 13. cap. 7. Similiter etiam omnes, qui præclarè vixerunt, quoquomodo mortui sunt, venerabimur. Hæc nos quotidie factitamus, qui veræ pietatis milites vt Dei amicos venerantes, ad monumenta quoque illorum accedimus, votaq; eis facimus tamquā veris Sanctis, quorum intercessione ad Deum non parum adiuuari profitemur.

Magnes. 350.

Contra Theosthenem lib. 4. Ossa Prophetarum non sunt ossa mortuorum, quia Deus non est nisi viuorum. De his scriptum est: *Conseruat Deus ossa eorum.* Manifestum est itaque, quòd ossa Sanctorum non sunt mortua, sed potius plena virtute. Si enim fimbria propter illum, qui ferebat eam, credenti dedit virtutem sanitatis, & solo tactu curationē fecit, quomodo non dicamus Sanctos, fimbrijs inanimis honoratiores, non posse ijs, qui sine vlla dubitatione credunt, tribuere meliora, quibus Christus, dum in corpore viuebant, tamquam veste induebatur, & post mortem tamquam purpuram honore dignitatis regalis effecit? &c. Manichæi & Marcionis fuit hæresis corpora Martyrum abominabilia esse. *At pretiosa*, inquit Scriptura, *in conspectu Domini mors Sanctorum eius.* Quòd si pretiosa & honorabilis apud Deum, quomodo non esse apud homines ab impostoribus audiemus?

Athanasius. 340.

In vita Antonij: Legatarius Antonij benedicti, qui tritum pallium cum melota imperio eius meruerat accipere, Antonium in Antonij muneribus amplectitur, & tamquam magna hæreditate ditatus, lætanter per vestimentum recordatur imaginem sanctitatis.

Dorotheus Tyrius. 350.

In Synopsi: Philippus Hierapoli vnà cum filiabus suis honorificè sepultus est: Lucas Ephesi mortuus ac sepultus est, ac tandem vnà cum Andrea & Timotheo Apostolis, temporibus Constantij Regis filij Constantini Magni Constantinopolim translatus est: Titus in Creta mortuus, & cum gloria sepultus est. Cœmeterium Eunuchi Candacis Reginæ AEthiopum, quem dicunt gloriosè martyrium tulisse, munimentum insuperabile est fidelibus, barbaros scelestos fugans, morbos pellens, & sanationes operans vsque in hodiernum diem.

Basilius Magnus. 370.

Homilia in Psalm. 135. Pro legis Iudaicæ ritu si qui moriebantur, horum morticina habebantur abominationi: contra mors si cuipiam irrogatur pro Christi nomine, pretiosæ censentur Reliquiæ Sanctorum eius. In priori Lege dicebatur sacerdotibus: *Non contaminabitur super vllo mortuo.* Nunc è diuerso Martyris ossa quisquis attigerit, ob gratiam corpori insidentem, fit quadantenus sanctificationis particeps.

Orat. in Martyrē Iulittam: Corpus Iulittæ honore præcipuo venerabile asseruauit affinibus & cognatis incolume, nec vlla sui parte læsum: quod sanè in ornatissimo primarij templi vrbis totius vestibulo conditum, loco quidem adfert venerabilem sanctimoniam, nec minus, qui eò loci conueniunt, efficit sanctiores. Terra porrò istius beatæ aduentu aquam emisit, quæ suapte natura nulli non nostrum gratissima esse debeat, adeò vt Martyr hæc imaginem pientissimæ referat matris, dum nutricis in morem totius incolas vrbis alit suauiter perinde ac lacte quopiam in communes vsus affatim scaturiente. Hanc ipsam in nos benignè contulit Martyr gratiam, quam olim suis Hierechuntinis Eliseus impertiuit, dum salsuginem naturæ communis aquarum loci istius circumquaque finitimi benedictione permutauit in saporem dulcem planè, delitiosum & perquàm suauem.

Oratione in Quadraginta Martyres, loquens de Reliquijs ipsorum per totam regionem dispersis: Hi sunt, qui nostram obtinentes regionem, quasi turres quædam contra aduersariorum incursum refugium exhibent: nec vno in loco sese clauserunt, sed in multis locis hospitio excepti, multorum patrias ornauerunt.

Cyrillus Hierosolymitanus. 370.

Catechesi 18. Vt autem non solùm anima Sanctorum honoretur, credaturque quòd etiam in corporibus mortuorum inest virtus seu potentia; iacens in sepulchro Elisei mortuus, mortuumque Prophetæ corpus attingens, viuificatus est: atque ita mortuum corpus Prophetæ perficit opus animæ, & mortuum iacensq; præbuit vitam defuncto: exhibensq; alteri vitam, ipsum nihilominus mortuum permansit. Qua de causa? Ne si

resurrexisset Eliseus, factum id soli animæ ascribatur, & vt demonstretur, quòd absente etiam anima inest virtus quædam eiusmodi corporibus Sanctorum, propter tot annis inhabitantes in illis animas iustas, quarum ministerio vsa sunt. Neque verò diffidamus, vt rerum ignari, fieri istud. Si enim sudaria & semicinctia, extra corpus existentia, contacta ab ægrotis, liberabãt illos ab infirmitate; quanto magis Prophetę corpus ipsum mortuum excitauit?

Gregorius Nazianzenus. 380.

Oratione 3. quæ est inuectiua prior in Iulianum: Non victimas pro Christo cæsas veritus es? nec magnos pugiles extimuisti Ioannem illum, Petrum, Paulum, Iacobum, Stephanum, quibus præclari honores & festa constituta sunt, à quibus dæmones propelluntur, & morbi curantur; quorum apparitiones & prædictiones: quorum vel sola corpora idem possunt quod animæ sanctę, siue tangantur, siue honorentur: quorum vel solæ sanguinis guttæ, aut exigua passionis signa, idem possunt quod corpora? Hæc non colis, sed contemnis?

Oratione 4. quæ est inuectiua posterior in Iulianum: Non iam gentiles Martyrum sepulchris ignem admouebunt, vt per eorum ignominiam alios à certamine deterreant: non iam Sanctorum Reliquias, cum viliſſimis ossibus per contemptum permixtas, flammis absumẽt, aut in ventos spargent, vt eo honore, qui eiusmodi hominibus debetur, ipsos priuent.

Oratione 18. quæ est oratio in S. Cyprianum: Quamquam Cypriani nomen apud omnes, non modò Christianos, verùm etiam eos, qui aduersæ classis erant, (virtus enim omnibus similiter veneratione est,) clarissimum ac celeberrimum esset: corpus tamen obscurum erat: atque hic thesaurus apud mulierem quandam pietate feruidam occultabatur, idq; perdiuturno tempore: siue quòd Deus hac ratione piam matronam honore affici vellet, ac propterea illa Martyrem complexu suo teneret; siue etiã vt desiderium nostrũ exerceret, num scilicet hoc damno angeremur, acerbeque ferremus, nos sanctis Reliquijs priuari. At verò postquam ille Martyrum Deus commune omnium bonum alicui priuatim concedere, ac singulari erga illam gratia publicis commodis detrimentum adferre minimè sustinuit, per reuelationem corpus in apertum profert: atque hunc rursus honorem probæ cuidam mulieri confert, vt mulieres quoq; ex eo sanctificentur: quòd quemadmodum Christum ante pepererunt, resurrectionisq; ipsius nuntium discipulis attulerunt: ita nunc etiam Cyprianum, hoc est publicum orbis bonum partim indicârunt, partim tradiderunt, &c. Vestræ iam partes sunt, ea quæ restant à vobismetipsis adiungere, (vt nonnullum ipsi quoque Martyri munus offeratis) dæmonum nimirum oppressionem, morborum depulsionem, futurarum rerum prænotionem: quæ quidem omnia vel cineres ipsi Cypriani, modò fides adsit, efficiunt; quemadmodum nôrunt, qui huius rei periculum fecerunt, ac miraculum ad nos vsque transmiserunt, eiusdemq; memoriam posteris quoque tradituri sunt.

Luc.2. Matt. 28.

Iambico 18. quod est de Virtute:

Hunc penè totum clara per sacraria,
Thronos & altos, perq; doctrinam piam,
Cœtusq;, sancta plebis & cursus leues,
Dignasq; laudes maximis laboribus,
Fulgore complent, syderum in morem, illius,
Mactatus est qui, Martyres clarissimi.
Venerationi tamquã magnæ est veritas,
Exiguus etiam puluis vt, vel ossium
Particula veterum quæ piam, aut paulum coma,
Vestesve, sparsi aut sanguinis quædam nota,
Cultum parem habeant, atq; corpus integrum.
Locúq; nomen Martyris solum inditum
Noui quibusdam, Martyris loco integri,
Habuisse prorsus vim parem (ô miraculum,)
Meminisse nam vel Martyrum solum, vt reor,
Affert salutem. Quid febres ac dæmones
Mirum hinc fugatos in modum recensem?
Quin & sepulchra, sacra vbi olim corpora
Iacuêre, prauos spiritus pellunt procul.
Hæc mira pugiles indies patrant mei.

Gregorius Nyssenus. 380.

Oratione in S. Theodorum Martyrem: Anima quidem ex quo sublimis abijt, in suo loco acquiescit, & corpore soluta, cum sui similibus vnà viuit: corpus verò venerandum & immaculatum, illius instrumentum, cum multo honore & cultu cõpositum atque ornatum, in augusto sacroq; loco situm est: quod veluti res chara, magnoq; æstimata, atque recondita ad tempus regenerationis reseruatur, &c. *Deinde narrat pluribus verbis eos, qui templa Martyrum ingrediuntur, primò mirari molem ædificij, deinde parietes & pauimentum pulchrè ornatum, statuas & picturas varias, & subiungit tandem:* Vbi his oculos oblectauit, cupit deinceps ipsi conditorio appropinquare, sanctificationem ac benedictionem contrectationem eius esse credens. Quòd si quis etiam puluerem, quo conditorium, vbi Martyris corpus quiescit, obsitum est, auferre permittat, pro munere puluis accipitur, ac tamquã res magni pretij cõdenda terra colligitur. Nam ipsas attingere Reliquias, si quando aliqua eiusmodi prospera fortuna contingat, vt id facere liceat, quàm id sit multum optandum, & desiderãdum, ac summarum precum donum, sciunt experti, & eius desiderij compotes facti.

Epiphanius. 380.

In vita Ezechielis: Etenim in terra Spyriorum vir pius ille sepultus iacet, multiq; ad monumentum eius confluunt, ad precationem & obsequium. Sanè quando tanta eò frequentia vnà ad monumentum eius conueniunt, formidant Chaldęi ac metuunt, ne illum auferant. Quapropter egredientem comitantur, & reducunt.

Ioannes Chrysostomus. 400.

Homilia 32. in epist. ad Romanos, in Morali: Roma, quemadmodum corpus magnum ac validum, duos habet oculos illustres, sanctorum videlicet Petri & Pauli corpora: Non ita cælum splendescit, quãdo radios suos sol ex sese dimittit, quemadmodum Romanorum vrbs duas illas lampades vbique terrarum effundens. Hinc rapietur Paulus, hinc Petrus. Considerate & horrete, quale spectaculum visura sit Roma. Paulum videlicet repente ex theca illa cum Petro resurgentem in occursum Domini sursum ferri. Qualem rosam Christo mittet Roma? qualibus coronis duabus ornatur vrbs ista? qualibus catenis aureis cincta est? quales habet fontes? Propterea celebro hanc vrbem, non propter copiam auri, non propter columnas, neque propter aliam phantasiam: sed propter columnas illas Ecclesiæ. Quis mihi nunc dabit circumfundi corpori Pauli, affigi sepulchro, videre puluerem corporis illius, quæ adhuc in Christo deerant adimplentis, stigmata illius gestantis, prædicationem Euangelij vbique seminantis? Puluerem, inquam, oris illius, per quod Christus locutus est, per quod lux emicuit quouis fulgore clarior, &c. Vellem videre sepulchrum, quo recondita sunt arma illa iustiãe,

tiæ, arma lucis, membra nunc viuentia, &c. Hoc corpus vrbem hanc munit, quod quauis turri, innumerisq; mœnibus ac vallis est tutius, & cum isto corpus etiam Petri. Nam & viuentem honorauit: *Ascendi*, inquit, *vt Petrum viderem.*

Gal.1.

Libro contra Gentiles: Deus, qua est in humanum genus benignitate, inter alias, quas infinitas nobis salutis nostræ occasiones dedit, & hanc quoq; viam nobis à se munitam esse voluit, idoneum ad virtutem capessendum stimulum, relictis scilicet interim apud nos Sanctorum Reliquijs. Nam post sermonis facultatem ipsa certè Sanctorum sepulchra proximum locum obtinent ad animas hominum, in ipsos Sanctos intuentium, ad virtutum eorundem æmulationẽ excitandas, &c.

Laudatione in Martyrem Ignatium: Itaque non hodie tantùm, sed quotidie ad ipsum confluimus, spirituales ex eo fructus percipientes. Quisquis enim cum fide ad illum accedit, magnis afficitur beneficijs. Sanctorum enim non modò corpora, sed ipsi loculi & monumenta spirituali gratia cõferta sunt. Nam si in Eliseo id contigit, vt defunctus sepulchrum eius attingens mortis vincula dissoluerit, & ad vitam rursum redierit: multò magis id fiet hoc tempore, quo gratia fluit vberior, quo spiritus maior est vis, vt si cum fide aliquis arcam attingat, magnam inde virtutẽ hauriat: & eam ob causam Reliquias Sanctorum nobis concessit Deus, vt nos ad se eorum imitatione perducat, vt sint nobis velut portus quidam, & idoneum solatium eorum malorum, quæ assiduè nos affligunt.

Homilia 66. ad populum Antiochenum: Et quid de Christo loquor, cùm & discipulos, postquam obierunt, tunc effulgere fecerit? Quid dico discipulos? Nam & eorum loca & sepulchra simul & tempora perenni memoria celebrari curauit. Tu verò mihi sepulchrum ostendas Alexandri, & profer diem, quo vitam finiuit. Sed nihil horum insigne, sed omnia destructa sunt, & exterminata: Christi verò seruorum & sepulchra clara sunt, regiam assecuta ciuitatem, & dies notissimi, mundo festam afferentes lætitiam. Et illius quidem loculum & proprij nesciunt: horum autem sciunt & barbari. Et seruorum Crucifixi sepulchra regijs aulis sunt clariora, non magnitudine & ædificiorum pulchritudine, (nam & in hoc quidem superant,) sed quod multo maius est, conuenientium studio. Nam & ipse, qui purpuram indutus est, accedit illa complexurus sepulchra, & fastu depositò stat Sanctis supplicaturus, vt pro se apud Deum intercedant, &c. Et hic quidem regnans alicui subiecto præcipit, vt hunc quidem soluat, illum verò liget; Sanctorum autem ossa non hanc habent miserabilem & abiectam potestatem, sed illa multo maiorem: Dæmonas enim sistunt, & torquent, & vinctos ab illis soluunt sæuissimis vinculis. Quid hoc foro magis reuerendum, cùm videatur nemo, nemo dæmonis instet lateribus, voces sentiuntur, & lacerationes, flagella tormentaq;, ac linguæ ardentes, terribilem illam vim dæmone non ferente? Et corpus induti incorporeas opprimunt potestates. Et cinis, & ossa, & fauilla inuisibiles illas potestates dilaniant. Itaque quò regias quidem aulas videat nullus vnquam peregrinatus fuerit: multi verò reges plerumque huius spectaculi gratia peregrinati sunt. Futuri namque iudicij vestigia & signa Sanctorum ædes exhibent, vbi dæmones flagellantur, corriguntur homines, & liberantur. Vidisti vel mortuorum hominum virtutem? Vidisti peccatorum & viuentium imbecillitatem?

Sermone de Iuuẽtino & Maximo Martyribus: *Primùm laudat eos, qui corpora illorum inhumata relicta piè rapuerunt cum periculo vitæ suæ, deinde subiungit:* Idcirco sæpius eos inuisamus, tumulos adornemus, magnaq; fide Reliquias eorum cõtingamus, vt inde benedictionem aliquam consequamur.

Sermone 35. de Virtutibus: Sicut virtus erat in veste Pauli, & vmbra Petri ad sanandũ ægrotos: ita in Sanctorũ cineribus ad expellendos dæmones.

Honorius & Theodosius AA. 400.

L. Nemo C. de sacrosanctis Ecclesijs: Nemo Martyres distrahat, nemo mercetur.

Palladius. 400.

Historia Sanctorum cap. 103. Ad Innocentiũ Presbyterum aliquando adductus est nobis videntibus adolescens, quem inuaserat spiritus & paralysis, & ego, cùm vidissem, voluerim apertè matrem expellere eius, qui fuerat adductus, desperans eum posse curari. Accidit autem vt interim veniens senex hanc videret astantem, deflentemq; & eiulantem propter inenarrabilem calamitatẽ filij. Lachrymatus ergo præclarus senex, & commotus visceribus, accepto adolescente ingressus est in suum Martyrium, quod ipse ædificarat, in quo sitæ sunt Reliquiæ Ioannis Baptistæ: & cùm pro eo orasset vsque ad horam nonam ab hora tertia, sanum reddidit adolescentem, & eodem die & paralysin expulit, & dæmonem.

Ioannes Cassianus. 420.

Collat. 6. cap. 1. In Palæstinæ partibus summæ vitæ ac sanctitatis monachi diutissimè commorantes, repente sunt à discurrentibus Saracenorum latrunculis interempti. Quorum corpora licet sciremus tam à Pontificibus regionis illius, quàm ab vniuersa plebe Arabum tanta veneratione præpta, & inter Reliquias Martyrum condita, vt innumeri populi, è duobus oppidis concurrentes, grauissimum sibi certamen indixerint, & vsq; ad gladiorum conflictum pro sancta rapina sit eorum progressa contentio, dum pia inter se deuotione decertant, quinam iustius eorũ sepulturam ac Reliquias possiderent, &c.

Cyrillus Alexandrinus. 430.

Apud Damascenum lib. 2. Paral. cap. 7. Sanctorum vrnas honoramus, ac velut in præclarissimę ipsorum virtutis magnitudinisque animi præmium & mercedem nunquam intermoriẽtem ipsis memoriam rependimus.

Socrates. 440.

Lib. 1. cap. 26. Corpus Imperatoris Constantini necessarij ac familiares in loculo aureo condunt: ad Constantinopolim deportant: ibi in palatio altius à terra collocãt, magno prosequuntur honore, vsque eò, quoad vnus ex filijs aduentaret. Post Constantij ab Oriente aduentum regio decoratur funere, inq; Ecclesia Apostolorum reponitur. Quam quidẽ Ecclesiam ob eam ipsam causam Constantinus ædificauerat, ne Imperatores & sacerdotes Apostolorum Reliquijs aliquando destituerentur.

Isidorus Peluſiota. 440.

Lib. 1. epistola 55. Si te offendit quòd Martyrum corporum cinerem, propter eorum erga Deum charitatem atq; constantiam honore afficiamus: eos qui ab ipsis medicinam accipiunt interroga: atque quot morbis remedium afferant, intellige. Sic fiet, vt non modò id, quod à nobis fit, non irrideas, verùm etiam quod rectè & cum laude fit imiteris.

Lib. 2. epist. 5. Nam qui & terræ & maris imperium obtinet ad Piscatoris sepulchrum exosculandorum ossium causa se confert. An non immortales opes in fictilibus vasis conditas perspexisti?

Sozomenus. 440.

Lib. 3. ca. 13. Hesychas Reliquias Hilarionis clam abreptas deportauit in Palæstinam, inq; suo monasterio

nasterio sepeliuit: ex quo tempore dies festus, maxima hominum frequentia, & summo splendore quotannis ab indigenis celebratus est.

Lib.5. cap.8. Gazenses accenso rogo Martyrum corpora comburunt: reliqua autē ossa, quæ ignis neutiquam absumpserat, ossibus camelorum & asinorum, quæ ibi proiecta erant, admiscēt: adeò vt perdifficile esset ea inter ossa reperire. Attamen non diu sic latuerunt. Siquidem mulier quædam Christiana, quæ non ex vrbe Gaza orta fuerat, sed ibi suum domicilium collocauerat, iussu diuino ea noctu ex alijs ossibus selegit: atque in ollam iniecta, Zenoni eorum cōsobrino seruanda dedit. Nam ita Deus ei mandârat in somnijs.

Cap.18. Gallus frater Iuliani cùm persuasum haberet, se facilè hoc perfecturum, si modò Ecclesiam ibi in delubri loco extrueret: transtulit in Daphnem loculum Babylæ Martyris. Ex quo quidem tempore dicitur dæmonium nullum oraculum, vti consueuerat, edidisse.

Lib.9. cap.2. Pulcheria Imperatrix inuentis sacris quadraginta Martyrum Reliquijs, Deo preces gratulatorias fundebat, tum quòd se tanta reuelatione dignatus esset, tum quòd sanctarum Reliquiarum inuentionem assecuta esset. Posthæc pretiosissima theca Martyres honoratos iuxta venerabilem Thyrsum composuit, publica festiuitate, vt æquū erat, cū debito honore ac pompa ac psalmodijs celebrata. cui & ego ipse interfui.

Cap.16. Hoc imperio Deus multorum Sanctorū corpora manifestauit. Cuiusmodi vtique & illud est, quod tūc accidit in Zacharia vetusto Propheta, & in Stephano Diacono ab Apostolis ordinato.

Theodoretus. 450.

Eccles. hist. lib.3. cap.9. Iulianus, cùm in animo haberet bellum contra Persas gerere, ad omnia oracula, quæ erant intra fines imperij Romani, consulenda misit. Ille ipse verò supplex orat Apollinem Daphnæum, vti quæ sibi essent euentura ostenderet. Respondet Apollo, mortuos quosdā in proximo humatos impedimento esse, quo minus daret vaticinia. Eos igitur primùm inde transferendos esse: deinde, quid futurum sit, se prædicturum pollicetur. Nam se, nisi purgato luco nihil posse dicere. Eodem tempore in eo loco Reliquiæ inuicti Martyris Babylæ, & adolescentum, qui vnà cum eo, pro fide decertârant, repositæ iacuerunt. Atq; falsus vates apertè monstrauit, se gratia illius Martyris à consuetis & commentitijs oraculis edēdis prohibitum. Quod vbi intellexit Iulianus (non enim ignarus fuit virtutis, quæ in vetere pietate Martyrum residebat) nullum quidem corpus mortuum inde deportandū curauit, sed imperauit Christianis, vt Reliquias duntaxat inuictorum Martyrum ex eo loco transferrent. Qui ad lucū lubentibus animis profecti, loculum in bigis collocant, omnesq; ad vnum antecedentes saltare, Psalmosq; Dauidicos canere cœperūt: & inter singula versuum mēbra hæc verba interponere: *Confundantur omnes qui adorant sculptilia.* Nā Martyris translatione dæmonem euictum existimârunt.

Lib.5. cap.36. Postea verò ipsę etiam Ioannis Doctoris præstantissimi Reliquiæ fuēre Cōstantinopolim traductæ. Itaq; fidelis hominū cœtus, pelagus, nauigiorum multitudine, velut cōtinentem efficiens, Bosphori ostium, ad Propontidem situm, luminaribus cooperuêre. Hunc thesaurum is, qui iām imperium administrat, in illam vrbē importandum curauit.

Lib.8. Græcarum affectionum: Cùm cætera omnia paulatim marcescere aboleriq; Deus instituerit. Martyrū tamen gloriam incorruptā seruauit. Ac animæ quidem triumphatorum Martyrū in cælesti nunc patria vitam agunt, Angelorum choris insertæ: eorum verò corpora non singula quidem singulis monumentis conduntur, sed ciuitates, oppida, paganiq; conuentus hæc inter se sortitò partiti sunt, laborantibus animis ac ægrotis corporibus salutares eos confiteri non cessant.

Leo Imp. 460.

C. de Episcopis & Clericis: Neq; monachi, neq; quicumq; alij, cuiuscumque status aut fortunæ in ædes publicas, vel in quæcumq; loca populi voluptatibus fabricata venerabilem crucem, & sanctorum Martyrum Reliquias illicitè inferre conentur.

Theodorus Lector. 500.

Lib.2. Calandion petitas à Zenone Eustathij Reliquias è Philippis Macedoniæ, vbi ille in exilio mortuus fuerat, Antiochiam detulit, quas maximo cum honore exceperūt. Tota siquidem ciuitas, & omnis ætas, vt ita dicam, ad decem & octo milliaria extra vrbem in occursum illius egressa est.

Constantius filius Constantini Imper. imperauit annos 24. dies quinq;: & sub illo Constantinopolim venerunt Reliquiæ sanctorum Apostolorum Andreæ, Lucæ, & Timothei, collocataeq; sunt in consecrato magno sanctorum Apostolorum templo.

Sub Magni Theodosij imperio Reliquiæ sanctorum Martyrum Terentij & Africani in Martyrium sanctæ Euphemiæ sunt depositæ.

Sub Arcadij imperio, & Patriarcha Attico Cōstantinopolim allatæ sunt Reliquiæ S. Samuelis, & in prophetico ipsius loco iuxta hebdomum collocatæ sunt.

Sub imperio Theodosij iunioris filij Arcadij depositæ sunt Reliquiæ S. Stephani, Laurentij, & Agnetis, in Martyrio S. Laurentij.

Andreas Cæsareensis. 500.

In Apocal. cap.60. Reliquis quoq; sanctis Martyribus, qui pro Christo mortem perpessi sunt, neque mysticæ bestiæ, qui diabolus est, characterem, id est imaginem apostasiæ illius susceperunt, iudicandi potestas data est, per quam dæmones, vt ob oculos videmus, iudicare non desinunt vsque ad præsentis seculi consummationem, cum Christo glorificati: à pijs rursum regibus fidelibusq; principibus adorati, & diuina denique virtute, contra omnem corporum morbū, fraudemq; & vim dæmonum conspicuè donati.

Æneas Gazæus. 530.

In Theophrasto: Noui multa bonorum virorum corpora, quæ etiam phalanges dæmonum tantoperè terrerent, quantoperè ipsi vexabant hominem abs se captum atque obsessum: itemq; morbos innumeros, quibus curandis ars medica non suffecerat, ipsa facilè curarent, perpurgarent, omninoq; auferrent.

Procopius Cæsareensis. 540.

De ædificijs Iustiniani Oratione 1. Iuxta orificium sinus Irenes templum est fundatum tanta magnificentia, vt satis enarrare non possim: hîc asseruantur ex antiquo Reliquiæ sanctorum virorum nō minus quàm quatuor, qui in Romano exercitu æra merentes militabant in duodecima legione apud Militenem, &c.

Iustiniani morbus succrescens medicorum operam euicit. Interim audiens inuentas esse Reliquias, relicta ope humana, ad has fidem conuertit, & vera opinione in ijs, quæ maximè necessaria erant, vsus est. Postquam enim lapidem Reliquiarum sacerdotes genu regis imposuerunt, euanuit dolor, corporibus, quæ Deo seruierunt, cedens. Quod profectò Deus nolens esse dubium, magnum signum ōstendit eorum, quæ acta erât. Nam ex sanctis illis Reliquijs subitò oleum manauit, & arculam perfundens, pedes & totam purpuream vestem regis imbuit, & humectauit; quamobrem vestis hoc modo humectata asseruatur in regijs receptaculis, in eorum, quæ tum facta sunt, testimonium, subscriptum enim est, Iustiniano regi repositum esse cornu.

Cyrillus Eremita. 540.

In vita S. Euthymij: Splendidam & magnificam facit dedicationem, deponens sub ara quasdam partes Reliquiarum Martyrum Tarachi, Probi, & Andronici, &c. Diaconus Pheidus speluncam, quæ in principio silentem tenuit diuinū Euthymium, pulcherrimam & maximam ædem efficit. Deinde cùm sanctum illud corpus beati viri cum lampadibus & hymnis proprijs credidisset manibus, transfert ad eam ædem, quam ipse recenter fuerat fabricatus, & in sacro deponit loculo, vt nunquam posset amplius aperiri, & nec vel vllæ paruæ possēt illinc eius auferri Reliquiæ. Cùm tabulam autem imposuisset, vrceū desuper quasi circa pectus defigit. Illa verò ab eo tempore in hodiernum vsque diem omne genus gratiæ dat ijs, qui ad eum accedunt fideliter. Atque cùm sic quidem præclarè fecisset Reliquiarū translationem, reuertitur in sanctam ciuitatem.

Timotheus Alexandrinus. 540.

Narratione de maximis miraculis S. Menæ: Tūc surrexerunt quidam ex fidelibus ciuitatis Alexandrinæ, & quęsierunt Reliquias sancti & gloriosi Martyris Menæ, vt in eius nomine sanctum templum extruerent. Vniuersa autem illa prouincia congregata fuit in loco, vbi erat templum ædificandum, vt id citò perficerent. Eo autem perfecto Dei gratia & Sancti intercessione, erat homo quidam ex regione Isaurorum valde diues. Ingressus est autem Alexādriam causa negotiationis, & audiuit omnia miracula & curationes, quas fecit S. Menas, & dixit apud se: Volo ego quoque ire vt orem in templo S. Martyris Menæ, & adorem pretiosas & sanctas eius Reliquias, &c.

Euagrius. 600.

Lib.1. cap.13. Simeonis sanctissimum corpus post migrationem è vita Antiochiam deportatum fuit, Leone tum imperium gerente, & Martyrio administrante Episcopatum Antiochiæ: Ardaburio præterea Præfecto præsidiorum in Oriente, cum militum ducibus & cæteris ordinibus in ipsa mandra commorātibus, seruantibusque sanctissimum beati Simeonis corpus, ne vrbes vicinæ illud surriperent. Itaque corpus sacratum, multis miraculis in itinere editis, defertur Antiochiam: quod Leo Imperator postea ab Antiochenis petiuit. At Antiocheni contra Imperatori aliud postulatum offerebant, quod ita se habet: Quoniam ciuitas mœnibus caret, (Imperatoris namque furor ea diruit,) sanctissimum Simeonis corpus huc apportauimus, vt nobis & muri & munimenti loco sit. Quibus verbis persuasus Leo, eorumque obsecutus postulationi, venerandum corpus illis concessit. Istius corporis cùm multæ aliæ partes ad nostram vsque ætatem fuêre reseruatæ, tum caput ipse quidem conspicatus sum, Gregorio viro magni nominis id temporis Episcopatum illius Ecclesiæ gerente, & Philippico efflagitante, vti Sanctorum Reliquiæ, quò tutius in Oriente expeditiones militares faceret, ad ipsum mitterentur, &c. Ibi quoque catena ferrea, quam collo gestabat, reponebatur: qua cum corpus omnium sermone celebratum, quod tam graues exantlasset labores, diuinos honores consecutum est.

Cap.16. Maiora robustioraque Ignatij viri planè diuini ossa à bestijs relicta, (quæ, sicut tum à Ioanne Rhetore, tum ab alijs memoriæ proditum est, posteaquam sanctus Martyr bestiarum ventres, vti erat ei in optatis, sepulchri loco in Amphitheatro Romano consecutus fuerat, Antiochiam deportata fuerunt) regnante etiam Theodosio, quod fuit longo tempore post eius martyrium, in cœmiterium translata sunt: quippe Deus optimus maximus animum Theodosij impulit, vt diuinum illum Martyrem maioribus afficeret honoribus, & templum, quod iam olim dæmonibus dedicatum, Ignatio victori & Martyri consecraret. Itaque quod olim Fortunæ dicatum fuit, iam sacrum sanctuarium & templū augustum ad Ignatij memoriam celebrandam factum est: cuius Martyris sacræ Reliquiæ curru cum solenni pompa per ciuitatem portatæ, & in templo repositæ fuerunt, &c. Iulianus Apostata licet inuitus, sanctum Babylę corpus honorificè ex eo loco transtulit, templumque amplissimum, quod adhuc integrum manet, ante portas vrbis Antiochię extruxit: hocque egit ad eum planè finem, vti dęmones in posterū sua liberè obirent negotia, quę admodum se facturos ante Iuliano polliciti fuissent. Verùm istud certè Dei Seruatoris prouidētia administratum fuit, cùm vt virtus, quæ insit Martyribus, omnibus pateat, tum vt sacratæ huius sancti Martyris Reliquiæ in locum transferrentur sacratum, & templi præclarissimi honore decorarentur.

Lib.2. cap.3. Intra testudinem ad Orientem est sacrarium decorè constructum, in quo sanctissimæ Martyris Euphemiæ Reliquiæ in capsa bene longa, eaque ex argento valde scienter confecta, conditæ reponuntur. Miracula autem, quæ ab ista sanctissima Martyre quibusdam temporibus eduntur, nemini Christiano obscura sunt, &c. Est in ipsa capsa ad lævam velut transenna exigua, paruis ianuis obfirmata, per quam ferrū oblongum, spongia circumligatum, ad Reliquias vsq; immittunt: quod quidem vbi circumtorserint, spongiam plenam sanguine retrahunt, plenamq; cruentis guttis concretis plurimis. Quod vbi videt populus, statim Deum propterea veneratur, gloria ac laudibus effert. Tanta est aūt guttarū cōcretarum inde extractarū copia, vt pijs Imperatoribus, sacerdotibus omnibus ibi cōgregatis, & vniuersæ populi frequentiæ abundè satis suppetant, tum ad participandū, tum ad mittendū cæteris fidelibus, per orbē vniuersum, illarum rerū cupientibus fieri participes. Ac guttæ illæ concretæ manent integræ perpetuò, & sacer sanguis neutiquam in aliam formam commutatur. Quæ res fiunt non certo aliquo & definito tēpore, sed pro vt Episcopi vita, & morum illius grauitas fert. Aiunt namque cùm aliquis spectatus vir, & virtutibus eximius eam gubernet Ecclesiam, hoc miraculum sæpissimè fieri solere: cùm autem improbus illo munere fungatur, rarò admodum signa illa diuina edi, &c. Cùm aliquis eo loci accedat, vbi sacra capsa, in qua conditæ sunt sanctissimæ illæ Reliquiæ, reponitur, tam fragrante cōpletur odore, vt alij omnes odores, quibus homines vti solent, ab eo longè superentur. Nam neq; odori florum, qui ex pratis colliguntur, similis est, neque illi, qui ex rebus suauissimè olentibus capitur, neque talis, qualis conficitur ab vnguentario: sed peregrinus est, & præ cæteris eximius, ex ipsius Martyris Reliquijs vim & virtutem illam ei tribuentibus efflatus.

Lib.4. cap.27. Relinquebatur ab his, qui thesauros & monumēta attulerunt, auri argētiue prorsus nihil, sed alterius cuiusdam materiæ multò præstabilioris, quæ Deo omninò dicata fuit: sanctissimas dico Reliquias Sergij inuicti Christi

Martyris, quæ in capſa erant oblonga, argentoq; obducta repoſitæ. Itaque poſtquam Choſroes his verbis perſuaſus, totum exercitum ad vrbem excidendam dimiſerat, derepentè in ipſis mœnibus magna hominum multitudo clypeis munita viſa eſt ciuitatem propugnare. Quam qui erant miſſi à Choſroë conſpicati, reuerterunt, ac tum multitudinem, tum armaturam admirati, ad Choſroëm rem referunt. Vbi autem rurſus certior factus eſt, paucos admodum in vrbe remanere, eosqúe vel ætate exacta eſſe, vel tenera, & immatura (quippe omnes, qui firma fuêre ætate & robuſta è medio ſublati erant) pro certo nouit, iſtud miraculum à ſancto Martyre editum: & propterea metu perculſus, admiratusq; Chriſtianorum fidem, domum reuertitur.

Cap. 34. Sanctiſſimum Thomę monachi corpus cum ſolenni celebritate ac pompa trãsfertur Antiochiam, ibiqúe in cœmiterio ſepelitur: cuius virtute peſtis, quę illic tum graſſabatur, ſedata eſt. Ad cuius honorem Antiocheni diem feſtũ quotannis ad noſtram vſque ætatem agere non deſierunt.

Euſtathius Presbyter. 600.

In vita S. Eutychij: Cùm omnia funeri neceſſaria parata eſſent, Sanctus ipſe ſanctorum manibus ſublatus ferebatur. Certatim autẽ ſinguli vel oram veſtimenti, vel ſacrum feretrum attingere ſtudebant. Quid enim corpore illo ſacratius aut purius? alius ad eos, à quibus ferebatur, appropinquare, alius aſpectu tantùm, tamquam ex illo quoque proueniret vtilitas, frui cupiebat.

Ioannes Moſchus. 610.

In Prato ſpirituali cap. 40. Coſmas Abbas vir ſingularis religionis & fidei rectorumq; dogmatum valde tenax & zelator Theopoli defunctus eſt: & iuſſit Patriarcha Baſilius pretioſas eius Reliquias in monaſterio ſuo ſepeliri, vbi & poſitus erat quidam Epiſcopus. Die igitur quadã profectus ſum, vt ſalutarem ſepulchrum eius.

Georgius Alexandrinus. 620.

De Ioanne Chryſoſtomo: Theodoſius iunior iuſſit omni cum honore ac reuerentia deferri ſancti Ioannis Chryſoſtomi Reliquias, & ijs dedit pallia nihil indigna excipiendis Reliquijs. Illi igitur, qui miſſi erant, cùm ad Comanos peruenijſſent, Reliquias ipſius venerabiles & ſanctas è capſula ſiue feretro ſplendido corpori accõmodo deprõptas ſecum tulerunt, vti ab Imperatore fuerat ijs conditum. Reliquiæ igitur vt primùm relatæ ſunt, quotquot in Eccleſia deprehenſi tum ſunt, concurrerunt ad vnum omnes, vt ſupplices eum venerarentur. Ibidem viri Comani, cùm vidiſſent attactu panni ſepulchralis, quo ſancti Ioannis Reliquiæ condebantur, ſanatum claudũ, contemplati quod præter naturæ ordinem factũ fuerat ſtupendum miraculum, ſinguli quoque è veſtimentis ſepulchri, quibus tegebatur pretioſum illud ac venerabile corpus, arripuerunt, & ſibi deſumpſerũt pia benedictione, & ad ſanitatem morbo quouis laborantium. Attulerũt & veſtem magnifici ſumptus, quo eum cohoneſtârunt.

Ioannes Damaſcenus. 730.

Orthodoxæ fidei lib. 4. cap. 16. Chriſtus Dominus Sanctorum Reliquias, velut ſalutiferos fontes præbuit, ex quibus plurima ad nos beneficia manant, ſuauiſſimumqúe vnguentum profluit. Nec verò quiſquam huic ſermoni fidem detrahat. Nã ſi aqua in deſerto ex aſpera & ſolida rupe, atque ex aſini maxilla, ad ſedandam Samſonis ſitim, Deo ita volente profilijt, eritne cur cuiquã incredibile videatur, ex Martyrũ Reliquijs ſuaue vnguentum ſcaturire? Minimè certè, ijs quidẽ, quibus Exod. 17. Iudic. 15.

Dei potentia, honorqúe, quo Sanctos ſuos afficit, perſpectus & exploratus eſt. Atque illud quidem veteri lege comparatum erat, vt quiſquis mortuum contigiſſet, immundus cenſeretur. Verùm hi in mortuorum numero minimè habendi ſunt. Ex quo enim ipſamet vita, ac vitæ auctor inter mortuos aſcriptus eſt, eos, qui in ſpe reſurrectionis, fideqúe erga eum, diem extremum clauſerũt, mortuos haudquaquam appellamus. Quî enim mortuum corpus miracula edere queat? Quonã itaque modo per ea dæmones expelluntur, morbi profligantur, ægroti ſanantur, cæci proſpiciũt, leproſi mundantur, tentationes & mœrores diſcutiuntur, ac denique *omne donum optimum à Patre luminum*, eorum opera ad eos, qui fide minimè dubia poſtulant, deſcendit? Num. 19; Matth. 11. Iacob. 1.

Hiſtoriæ Barlaam cap. 12. Apoſtolorum virtus vſq; adeò emicuit, vt *in omnem terram eorum ſonus* exierit. Horum non verba duntaxat, & opera, ſed ipſe quoque cruor, & oſſa omni ſanctitate plena ſunt. Dæmones namque per vim in fugam vertunt, atque ijs, qui cum fide accedũt, incurabiles alioqui morbos profligant. Quin veſtes quoque ipſæ, & ſi quid aliud ad pretioſa eorum corpora propiùs acceſſit, omnibus venerationi ſunt. Pſal. 18.

Cap. 22. & 23. Arachus cùm multis illatis ſupplicijs monachos illos flectere non potuiſſet, arreptos eos ad regem Zardan duci, atque inter eundum percuti contumelijsqúe affici iubet, Reliquiarum interim peram geſtãtes, &c. Ait ad eos: Quanam de cauſa hæc mortuorum oſſa geſtatis? Si eorum, ad quos pertinent, deſiderio hæc fertis, hac ipſa hora vos etiam cum illis collocabo: vt votorum veſtrorum compotes effecti, gratiam mihi habeatis. Diuinæ autem illius cohortis dux atque antiſtes, regias minas pro nihilo ducens, perinde ac ſi nihil ipſi aduerſi contigiſſet, reſpondit: Hæc pura & ſancta oſſa idcirco circumferimus, vt admirabilium virorum, quorũ ipſa ſunt, deſiderium vtcunque leniamus, eorumqúe religioſam exercitationem, Deoqúe charam vitam nobis in memoriã reuocemus, atque ad eiuſdem vitæ ſtudium nos ipſos excitemus, &c. nos autem ad ſequẽda ipſorũ veſtigia nos ipſos mutuò acuimus. Quin etiam mortis memoriam, quæ permagnam vtilitatem adfert, atque ad religioſæ vitæ certamina promptos nos ac velut pennatos reddit, nobis hinc comparamus, ac præterea ex eorum contactu ſanctitatem haurimus.

Elias Cretenſis. 780.

In orationem 3. Nazianzeni: Sanctorum ſola etiam corpora diſiunctis animis tot ac tanta operantur, quot & quanta animæ. Nã ijs, qui piè ipſa contingunt, aut etiã honore proſequuntur, vberrima beneficia, & ſanitates profundunt. Quid autem corpora dico? Paucæ ſanguinis guttæ, & pili, & exigui panni Martyrum cruore ſanctificati, parem corporibus vim ac facultatem habent.

Synodus Nicæna Secunda. 780.

Can. 7. Quæcunque templa conſecrata ſunt abſque Reliquijs Martyrum, in ijs fieri ſtatuimus Reliquiarum depoſitionem, cum cõſuetis precibus. Qui autem templum conſecrat ſine ſanctis Reliquijs, deponatur, vt qui Eccleſiaſticas traditiones tranſgreſſus ſit.

Nicephorus Conſtantinopolitanus Patriarcha. 815.

Epiſtola ad Leonem: Adoro item & exoſculor venerandas Sanctorum Reliquias: quippe quæ certam animorum corporumqúe morbis ſalutem medicinamqúe conferant. Honoro quoque & veneror ſacroſanctas illorum tumbas & ſepulcras.

Theophanes Presbyter. 830.

Oratione in exilium S. Nicephori: Tunc ſacer ciuitatis Antiſtes cum ſacerdotibus, & monachis, vniuerſoqúe populo ad S. Theodori templum accedit, in quo gratia plenę Reliquiæ iacebant, easqúe cum veneratione & lachrymis complectẽs, tamquam Sanctum ipſum viuentem ſic eſt allocutus: O vir beatiſſime, &c.

Theoſterictus. 830.

Oratione funebri in S. Nicetam: Conſtantinus hic malæ radicis malum germen Sanctorum Reliquias omnino contemplit, & pro nihilo duxit.

Methodius Conſtantinopolitanus. 840.

In Martyrio Dionyſij: Sanctorum quoque corporibus digna veneratione ſepultis, eorum veſtimẽta, tunicæ videlicet, cilicium, atque caligæ Dionyſij pretioſi, & caſula ſancti Ruſtici Archipreſbyteri, atque dalmatica beati Eleutherij Archidiaconi, exceptis portionibus, quæ pro Reliquijs electorum Domini à fidelium deuotione ſumptę ſunt, vſque hodie debiti cultus reuerentia conſeruantur.

Theodorus Studites. 840.

De honore imaginum: Vos autem fratres huc incumbite, & ſcitote, etiamnum præter dicta à ſanctis Patribus noſtris, pariter & à nobis humilibus, quòd loca, in quibus Chriſtus natus eſt, ſancta ſunt, & habenda venerationi, atque adorãda prędicantur. Et ſi quis illinc acceperit ſiue puluiſculum, ſeu lapidem, eum adornat atque complectitur, quaſi peculiarem theſaurum, aut ſacras Reliquias quaſdam. Proinde intelligo aſſeruari Romæ claues Petri, Apoſtolici ſenatus principis, honoris gratia: etiamſi nullas claues ſenſibiles dederit Dominus Petro, ſed ore tenus, in hoc, vt penes illum eſſet poteſtas ligandi atque ſoluendi. Eas autem argento confectas, palam adorandas proponunt.

Conſtantinus Tius. 850.

Oratione de inuentione Reliquiarum S. Euphemiæ c. 4. Erat magna fides eorum, qui habitabant Conſtãtinopoli, in templo & Reliquijs omni ex parte benedictæ Martyris Euphemiæ, & confluebant omnes inſtar fluuij haurientes curationes. Ex pretioſis enim eius Reliquijs exibat ſanguis plenus odore bono, qui quidem tamquam vnguentum à Deo ſuppeditatũ, dabatur ęgrotantibus. Tunc execrãdus Imperator Leo, temeraria vſus audacia, noctu ingreſſus cum quibuſdam, qui erant ſuę ſectæ, impetum fecit in Reliquias omni ex parte benedictæ Martyris Euphemiæ: & cùm arcam aperuiſſet, abſtulit Reliquias benedictæ Martyris cum loculo, qui eas continebat. Cùm parata autem haberet alia oſſa mortui exiccata, ea iecit intra arcam, & cùm eam rurſus texiſſet, receſſit. Venerandas autem benedictæ Euphemiæ Reliquias cum ligneo loculo depoſuit in quadam domo oratoria, ex ijs, quæ illic erant in regia. Quamobrem eius ſorores & filiæ aromatibus, vnguentis, & luminibus id adorabant clanculum, propter inſignem gratiam & miraculorum magnitudinem.

Leo Imperator. 880.

De apparatu bellico cap. 20. Sacra ſunt militum in bellis cadentium corpora, prędipuè eorum, qui ſtrenuè ſe pro Chriſtianis propugnandis geſſerunt, hæcq; omninò pio honore afficienda, & ſepultura memoriaq; perpetua donanda ſunt.

Simeon Metaphraſtes. 950.

De Pamphilo, Valente, & cæteris Martyribus cap. 14. Et quatuor quidem dies, & totidem noctes ſanctiſſima Martyrum corpora expoſita fuerunt beſtijs carniuoris. Cùm autem Dei prouidentia nihil ad eos acceſſiſſet, non fera, non auis, aut aliquid aliud, ſed ſalua permanſiſſent & integra, iuſtum ac conuenientem honorẽ conſecuta, conſuetæ mandata ſunt ſepulturę, repoſita in pulchris templorum ędibus, & ſacris tradita oratorijs, in perpetuam memoriam vt honorarentur à populo, ad gloriam Chriſti veri Dei noſtri. Cui gloria & potentia ſimul cum Patre & ſancto Spiritu nunc & ſemper & in ſecula ſeculorum. Amen.

De Carpo, Papillo, & cæteris Martyribus: Pretioſas illorum Reliquias, quę abiectim & contemptim iacebãt, Chriſtianorum manus cùm ſuſtuliſſent, cum lampadibus ſimul & hymnis, in loco inſigni prędlarè depoſuerunt, opes Chriſtianis inuiolabiles, malignis ſpiritibus flagellum terribile, & rorem omnibus ægrotantibus, & certam medelam, ad gloriam Dei Patris & Domini noſtri Ieſu Chriſti, quem decet honor & potentia, cùm ſanctiſſimo & viuifico Spiritu, nunc & ſemper & in ſecula ſeculorum. Amen.

Suidas. 970.

In Conſtantino Copronymo: Eo vecordiæ & veſanię redactus eſt, vt lege ſanciret, ne quiſquam prorſus ſeruorum Domini Sanctus appellaretur, ſed vt eorum Reliquiæ conſpuerentur, nec eorum interceſſio peteretur. Nihil enim eos poſſe.

In voce Θύινα: Sub Zenone Imper. Barnabæ Apoſtoli, & comitis D. Pauli Reliquiæ in Cypro ſunt inuentæ; & in pectore Barnabæ Euangelium ſecundùm Matthęum, quod folia Θύινα habebat. Pretioſi ligni genus eſt Thyum.

Conſtantinus Porphyrogennetes. 990.

De agminibus militaribus themate 2. Baſiliſcus Comenenſium Epiſcopus martyrio obijt, cum quo etiam conditæ ſunt Reliquiæ Ioannis Chryſoſtomi.

Georgius Cedrenus. 1100.

In Conſtantino Copronymo: Reliquias ſanctæ Euphemiæ cum ciſta in mare abiecit, quæ Dei gratia incolumis demum appulit, ac deinde Conſtantino ac Irene imperantibus digna veneratione in ſuum eſt reducta templum.

Ioannes Zonaras. 1100.

In Leone Magno: Hoc Imperatore pretioſa Deiparę ſanctiſſimæ veſtis è Palæſtina Romam nouam translata eſt, & ab illo in argenteo loculo, in æde, quam ipſe in Blachernis ſtruxerat, repoſita eſt: quæ ędes ex eo ſacer loculus appellatur.

De imperio Conſtantini filij Leonis: Eo tempore veneranda manus Prędurſoris per quendam Diaconum Iobum Antiochia Byzantium translata eſt.

De imperio Romani pueri: Eo mortuo Nicephorus Phocas ab Imperatrice Byzantiũ accerſitus, de manubijs Berrhœanis triũphauit. Vnde & partẽ quandam venerabilis veſtis Ioannis Baptiſtę, & ab Antiochia partem capillorum eiuſdem ſanguine concretam Byzantium ſecum detulit.

Michael Glycas. 1120.

Parte 4. Annalium: Sacra tamen ara propterea relicta fuit, quòd iſtic venerabiles Patriarcharum & Apoſtolorum Reliquiæ ſint conditæ.

Nicetas Choniates. 1200.

In Andronico Comneno: Sed cùm tandem malorum finis inſtare, & pugna quietura videretur, Siculi duces interuenerunt, & turbæ in cędes ruentis impetũ repreſſerunt: quorũ vnus cataphractus equo inſidens Theodori Martyris, è cuius

sepulchro vnguentum ebullit, templum ingreditur, & alios obliquo ense verberando, alios vulnerando, vix militum intemperies cohiberi potuit.

Michael Choniates. 1220.

Oratione funebri in Nicetam Choniatem: Illum planè mihi constat omni ope atque opera eniti solitum, vt ad illorum archetypa exempla vitæ suæ regulam efformaret, & excoleret, eundemque, dū in viuis adhuc esset, quoad eius fieri poterat, omnibus votis exoptare, vt vnà cum illis conuersaretur, & exultaret: cùm præsertim sanctorum corporum Reliquias & imagines vndique conquireret, & comportaret, extructisque templis impositas & consecratas summis honoribus prosequeretur.

Nicephorus Callistus. 1300.

Lib. 2. cap. 41. Sancti Matthei sacrum tabernaculum in aureo repositum lecto, splendidisq; inuolutum vestibus, palatio Fuluianus infert: idque arce ferreæ, plumbo insuper probè communitę incluſum, demittere in mare iubet, hoc sic cogitans; si is, qui illud ab igne conseruatum tutatus esset, ab vndis quoque, vt in ferrea vrna positum supernataret, vindicaret, se Dijs suis omnibus repudiatis, vni, quem ille prædicasset, Deo per pietatis cultum seruiturum. Cùm ergo ita in mare proijceretur, statimq; diuina id cęlitus gubernāte manu in litore rursum exponeretur, populus vniuersus vrbe effusus, Platone Episcopo præeunte, hymnis laudibusq; à Matthæo prædicatum concelebat Deum.

Ioannes Cantacuzenus. 1360.

Apologia 3. Post mortem Martyrum concurrūt ad sepulchra & monumenta horum homines, & sanati sunt à morbis suis. Cæterùm vsque ad hodiernum diem infinita eduntur miracula circa sepulchra Martyrum, & aliorum Sanctorum, qui iuxta Euangelij præcepta vitam suam instituerunt.

Basilius Moscorum Dux. 1570.

Theol. Moscouit. capit. 6. Omnium Apostolorum, Prophetarum, cæterorumque ordinum Sanctorum, nobis in veri cognitione seruientium, & nostrorum ad Christum ducum memorias colimus, ad ossa illorum genua flectimus, vt eo maius auxilium ipsorum sentiamus.

Hieremias Constantinopolitanus. 1580.

Respons. 2. cap. de inuocatione Sanctorum: Quin etiam ex illorum sanctis Reliquijs multifariam beneficia scaturire nemo dubitare debet. Si enim è præduro saxo aqua in solitudine effluxit: si ex asini mandibula Samsoni sitienti aqua erupit; è Martyrum Reliquijs idem fieri incredibile sit? Nullo modo ijs quidem, quibus notum est, quid Sancti possint apud Deum, & quantus eorum sit honor.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Pius Primus. 142.

Epistola 2. ad Iustum Episcopum: Cura sanctorum Martyrum corpora sicut membra Dei, quem admodum curauerunt Apostoli Stephanum.

Cornelius Papa. 255.

Epistola prima Rogo vos nobis congratulari: quia rogatu cuiusdā deuotæ fœminæ atque nobilissimæ matronæ Lucinæ leuata sunt corpora Apostolorum Petri & Pauli de catacumbis. Et primò quidem B. Pauli corpus leuatum silentio, positum est in prædio prędictæ matronę via Ostiensi ad latus, vbi decollatus est. Postea verò beati Apostolorum principis Petri accepimus corpus, & condecenter posuimus illud iuxta locum, ivbi crucifixus est, inter corpora sanctorum Episcoporum in templo Apollinis, in monte aureo, in Vaticano Palatij Neroniani tertio Kalendarū Iuliarū die.

Eutychianus Papa. 275.

Causa 35. quæst. 6. c. Episcopus: Sic te Deus adiuuet, & istæ Sanctorum Reliquię, & illud sacramentum, quod iustè iurauit de synodali causa.

Ambrosius. 370.

Libro 9. epistola 85. Eruuntur nobiles Reliquiæ sepulchro ignobili, ostenduntur cælo trophæa, sanguine tumulus madet, apparent cruores triumphales. Succedant victimę triumphales in locum, vbi Christus hostia est. Sed ille super altare, qui pro omnibus passus est: isti sub altari, qui istius redempti sunt passione. Hunc ego locum prædestinaueram mihi: Dignum est enim, vt ibi requiescat sacerdos, vbi sacerdos offerre consueuit. Sed cedo sacris victimis dextram portionem: locus iste Martyribus debebatur. Condamus ergo Reliquias sacrosanctas, & dignis ædibus inuehamus, totumque diem fida deuotione celebremus.

Exhortatione ad Virgines: Condant alij aurum & argentum, ac de latentibus eruant venis: legant pretiosa monilium serta: temporalis ille thesaurus est, & sæpe habentibus pernitiosus, nos legimus Martyris clauos, & multos quidem; & plura fuerunt vulnera, quàm membra, &c. Munera itaque salutis (*Corpora sanctorum Martyrum Vitalis & Agricolæ*) accipite, quæ nunc sub sacris altaribus reconduntur.

Lib. 10. epist. 85. de inuentione SS. Geruasij & Protasij: Dominus gratiâ dedit, formidantibus etiá clericis iussu eruderari terram eo loci, qui est ante cancellos SS. Felicis atque Naboris. Inueni signa cōuenientia, adhibitis etiam quibus per nos manus imponēda foret, sic sancti Martyres eminere cœperunt, vt adhuc nobis silentibus arriperetur vrna, & sterneretur prona ad locum sancti sepulchri. Inuenimus miræ magnitudinis viros duos, vt prisca ætas ferebat. Ossa omnia integra, sanguinis plurimum. Ingens concursus populi per totum illud biduum. Quid multa? Condiuimus integra, ad ordinem transtulimus, vespere iam incumbente ad Basilicam Faustæ, ibi Vigiliæ tota nocte, manus impositio. Sequenti die transtulimus ea in Basilicam, quam appellant Ambrosianam. Dum transferimus, cæcus sanatus est. Talis mihi ad populum fuit sermo: Cùm tam effusam, tamque inauditam considerarem conuentus vestri celebritatem, & diuinæ gratiæ munera, quæ in sanctis Martyribus refulserunt, imparem me, fateor, huic muneri iudicabam, nec fieri posse, vt sermone absoluerem, quod vix possimus animo intendere, oculis comprehendere. Sed vbi sanctarum legi cœpit series Scripturarum, largitus est Spiritus sanctus, qui locutus est in Prophetis, quo dignum aliquid tanto cœtu & expectatione vestra Martyrumq; sanctorum meritis proferamus, &c. Cognouistis, imò vidistis ipsi multos à dęmonijs purgatos. Plurimos etiam vbi vestem Sanctorum manibus contigerunt, ijs quibus laborabant debilitatibus absolutos. Reparata vetusti corporis miracula, quo se per aduentum Domini Iesu gratia terris maior infuderat, vmbra quadam sanctorum corporum plerosque sanatos

cernitis. Quanta oraria iactitantur? Quanta indumenta super Reliquias sacratissimas, vt tactu ipso medicabilia reposcantur? Gaudent omnes extrema linea contingere, & qui contigerit saluus erit. Gratias tibi Domine Iesu, quòd hoc tempore tales nobis sanctorum Martyrum spiritus excitasti, quo Ecclesiâ tua præsidia maiora desiderat.

Serm. 91. De inuentione SS. Geruasij & Protasij: Celebritati vestræ, qui solent, inuident. Et quia celebritatem vestram inuidis animis ferre nō possunt, causam celebritatis odêre, atque amentiæ in tantum prodeunt, vt negent Martyrum merita, quorum opēra etiam dæmones confitentur. Sed hoc non mirum. Siquidem tanta est incredulorum perfidia, vt tolerabilior sit Diaboli confessio. Dicebat enim Diabolus: *Iesu Fili Dei viui, quid venisti antè tempus torquere nos?* Et cùm hæc audirēt Iudæi, ipsi tamen Dei Filium denegabant. Et nūc audistis clamantes dæmones & confitentes Martyribus, quòd pœnas ferre non possint, & dicentes: Quid venistis, vt ante tempus nos tam grauiter torqueatis? Et Arriani dicunt: Non sunt isti Martyres, nec torquere Diabolum possunt, nec aliquem liberare, cùm tormenta dæmonum ipsorum voce probentur, & beneficia Martyrum remedijs cæcorum, & absolutorum indicijs declarentur. Negant cæcum illuminatum, sed ille non negat se sanatum. Ille dicit: Video, qui non videbam. Ille dicit: Cæcus esse desiui, & probat facto. Isti beneficium negant, qui factum negare non possunt. Notus homo est, publicis cùm valeret mancipatus obsequijs, Seuerus nomine, Ianius ministerio. Deposuerat officium postquam inciderat impedimentum. Vocat ad testimonium homines, quorum ante sustentabatur obsequijs. Eos indices suæ visitationis accersit, quos habebat testes & arbitros cæcitatis. Clamat, quia vt cōtigit fimbriam de veste Martyrum, qua sacrę Reliquiæ vestiuntur, redditum sibi lumen sit. Nonne simile illud est, atque illud quod in Euangelio legimus? Vnius enim potentiam laudamus auctoris: nec interest, vtrū opus sit, an munus, cùm & muneretur in opere, & operetur in munere.

De Nazario & Celso: Cur non honorent corpus illud fideles, quod reuerentur & dæmones: quod afflixerunt in supplicio, sed honorant in sepulchro. Honoro itaque corpus, quod Christum honorauit in gloria, quod cum Christo regnabit in cælo.

Prudentius. 380.

Hymno 3. de S. Eulalia:

Hic vbi marmore perspicuo
Atria luminat alta nitor,
Et peregrinus, & indigena
Reliquias, cineresq; sacros
Seruat humus veneranda sinu, &c.
Sic venerarier ossa libet,
Ossibus altar & impositum.

De S. Laurentio:

O ter, quaterq;, ô septies
Beatus vrbis incola,
Qui te, ac tuorum cominus
Sedem celebrat ossium:
Cui propter aduolui licet,
Qui fletibus spargit locum,
Qui pectus in terram premit,
Qui vota fundit murmure, &c.
Vix fama nota est, abditis
Quàm plena sanctis Roma sit,
Quàm diues vrbanum solum
Sacris sepulchris floreat.

De S. Fructuoso Hymno 6.

Tum de corporibus sacris fauillæ,
Et perfusa mero leguntur ossa,
Quæ raptim sibi quisque vendicabat.
Fratrum tantus amor domum referre
Sanctorum cinerum dicata dona,
Aut gestare sinu fidele pignus.
Sed ne Reliquias resuscitandas,
Et mox cum Domino simul futuras,
Discretis loca diuidant sepulchris,
Cernuntur nueis stolis amicti,
Mandant restitui, cauoq; claudi
Mixtim marmore pulueres sacrandum.

Syricius. 390.

Epist. 4. Cùm in vnum plurimi fratres conueniſſemus ad S. Apostoli Petri Reliquias, per quem Apostolatus & Episcopatus in Christo cœpit exordium.

Hieronymus. 390.

Epist. 53. ad Riparium: Ais Vigilantium os fœtidum rursum aperire, & putorem spurcissimum contra sanctorū Martyrū proferre Reliquias, & nos, qui eas suspicimus, appellare cinerarios, & idololatras, qui mortuorum hominum ossa veneremur. O infelicem hominem, & omni lachrymarum fonte plangendum: qui hæc dicens, non intelligat, se esse Samaritanum & Iudæum, qui corpora mortuorum pro immundis habent, & etiam vasa, quæ in eadem domo fuerint, pollui suspicantur, sequentes occidētem literam, & non spiritum viuificātem. Nos autē nō dico Martyrū Reliquias, sed ne solem quidem & lunam, nō Angelos, non Archangelos, nō Cherubim, non Seraphim, & omne nomē, quod nominatur & in prę-
senti seculo, & in futuro, colimus & adoramus: ne seruiamus creaturæ potius quàm Creatori. Honoramus autem Reliquias Martyrum, vt eū, cuius sunt Martyres, adoremus. Honoramus seruos, vt honor seruorum redundet ad Dominum; qui ait: *Qui vos suscipit, me suscipit.* Si non honorandæ sunt Reliquiæ Martyrum, quomodo legimus: *Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius?* Si ossa mortuorum polluunt contingentes, quomodo Heliseus mortuus mortuum suscitauit, quod iuxta Vigilantium iacebat immundum? Ergo omnia castra Israelitici exercitus & populi Dei fuēre immunda, quia Ioseph & Patriarcharum corpora portabant in solitudine, & ad sanctam terram immundos cineres pertulerunt? Ioseph quoque, qui in typo præcessit Domini Saluatoris nostri, sceleratus fuit: qui tanta ambitione ossa Iacob in Hebron portauit, vt immūdum patrem auo & atauo sociaret immundis, & mortuū mortuis copularet? Iterum dicam ergo Martyrum Reliquiæ immundæ sunt? Et quid passi sunt Apostoli, vt immundum Stephani corpus tanta funeris ambitione præcederent; vt facerent ei planctum magnum, vt eorum luctus in gaudium verteretur?

Libro aduersus Vigilantium cap. 2. Hæc sunt verba blasphemiæ Vigilantij: Quid necesse est te tanto honore non solùm honorare, sed etiam adorare illud nescio quid, quod in modico vasculo transferendo colis? Et rursum in eodem libro: Quid puluerem linteamine circundatum, adorando oscularis? Et in consequentibus: Prope ritum gentilium videmus sub prætextu religionis introductum in Ecclesias, sole adhuc fulgente moles cereorum accendi, & vbicunque puluiſculū nescio quod, in modico vasculo pretioso linteamine circumdatum, osculantes adorare. Magnum honorem præbent huiusmodi homines beatiſſi-

Matth. 8.

Psal. 115.
4. Reg. 13.
Exod. 13.
Ioſ. 24.
Gen. 50.
Act. 8.

mis Martyribus, quos putant de vilissimis cereolis illustrãdos: quos Agnus, qui est in medio throni, cũ omni fulgore maiestatis suę illustrat. Quis enim, ô insanum caput, aliquando Martyres adorauit? quis hominem putauit Deum? Nónne Paulus & Barnabas, cùm à Lycaonibus Iupiter & Mercurius putarentur, & eis vellent hostias immolare, sciderunt vestimenta sua, & se homines esse dixerunt? Dolet Martyrum Reliquias pretioso operiri velamine, & non vel pannis, vel cilicio colligari, vel proijci in sterquilinium; vt solus Vigilantius ebrius & dormiens adoretur. Ergo sacrilegi sumus, quando Apostolorum Basilicas ingredimur? Sacrilegus fuit Constantinus Imperator, qui sanctas Reliquias Andreæ, Lucę, & Timothei transtulit Constantinopolim, apud quas dæmones rugiunt, & inhabitatores Vigilantij illorum se sentire præsentiam confitentur? Sacrilegus dicendus est & nunc Augustus Arcadius, qui ossa beati Samuelis longo post tempore de Iudæa transtulit in Thraciam? Omnes Episcopi non solùm sacrilegi, sed & fatui iudicandi, qui rem viliſſimam, & cineres dissolutos, in serico, & vase aureo portauerunt? Stulti omnium Ecclesiarum populi, qui occurrerunt sanctis Reliquijs, & tanta lætitia, quasi præsentem, viuentemq; Prophetam cernerent, susceperunt, vt de Palæstina vsque Chalcedonem iungerentur populorum examina, & in Christi laudem vna voce resonarent?

Apoc. 21

Actor. 4

Cap. 3. Quòd si Reliquiæ Sanctorum venerandæ non sunt, malè fecit Romanus Episcopus, qui super mortuorum hominum Petri & Pauli secundùm nos ossa veneranda, secundùm te vilem puluisculum, offert Domino sacrificia, & tumulos eorum Christi arbitratur altaria? & non solùm vnius vrbis, sed totius orbis errant Episcopi, qui cauponem Vigilantium contemnentes, ingrediuntur Basilicas mortuorum, in quibus puluis viliſſimus, & fauilla, nescio quæ, iacet linteamine conuoluta, vt polluta omnia polluat: & quasi sepulchra Pharisaica foris dealbata sint, cùm intus immundo cinere, iuxta te, immunda omnia oleant, atque sordeant. Et post hæc de barathro pectoris tui cœnosam spurcitiam euomens, audes dicere: Ergo cineres suos amant animæ Martyrũ, & circumuolant eos, semperqúe presentes sunt; ne fortè, si aliquis precator aduenerit, absentes audire non possint. O portentum in terras vltimas deportandum. Rides de Reliquijs Martyrũ, & cum auctore huius hæreseos Eunomio Ecclesijs Christi calumniam struis.

Cap. 4. Argumentatur Vigilantius contra signa atque virtutes, quæ in Basilicis Martyrum fiunt; & dicit eas incredulis prodesse, non credentibus: quasi nunc hoc quæratur, quibus fiant, & non qua virtute fiant. Esto signa sint infidelium: qui quoniam sermoni & doctrinæ credere noluerunt, signis adducantur ad fidem. & Dominus incredulis signa faciebat: & tamen non idcirco Domini suggillanda sunt signa, quia illi infideles erant: sed maiori admirationi erũt, quia tantæ fuêre potentiæ, vt etiam mentes durissimas edomarent, & ad fidem cogerent. Itaque nolo mihi dicas, signa infidelium sunt: sed respondè, quomodo in viliſſimo puluere, & fauilla nescio qua, tanta sit signorum virtutumqúe præsentia. Sentio, sentio, infeliciſſime mortalium, quid doleas, quid timeas. Spiritus iste immundus, qui hæc te cogit scribere, sæpe hoc viliſſimo tortus est puluere, immò hodieqúe torquetur; & qui in te plagas dissimulat, in cæteris confitetur. Nisi fortè in morem gentilium, impiorumqúe, Porphyrij, & Eunomij has præstigias dæmonum esse confingas, & non verè clamare dæmones, sed sua simulare tormenta. Do consilium, ingredere Basilicas Martyrum, & aliquãdo purgaberis: inuenies ibi multos socios tuos, & nequaquam cereis Martyrum, qui tibi displicent, sed flammis inuisibilibus combureris: & tunc fateberis, quod nunc negas: & tuum nomen, qui in Vigilantio loqueris, liberè proclamabis. &c. Ego confiteor timorem meum, ne forsitan de superstitione descendat, quando iratus fuero, & aliquid mali in meo animo cogitauero, & me nocturnum phantasma deluserit; Basilicas Martyrum intrare non audeo: ita totus & corpore, & animo pertremisco.

In vita Hilarionis: Postquam Palæstinæ sanctus vir Hesychius Hilarionem mortuum & sepultum audiuit, perrexit ad Cyprum, & simulans se velle habitare in eodem hortulo, vt diligentis custodię suspitionem accolis tolleret, cum ingenti vitæ suæ periculo, post decem ferè menses corpus eius furatus est: quod Maiomam deferens, totis monachorum & oppidorum turbis prosequẽtibus, in antiquo monasterio condidit, illæsa tunica, cuculla & palliolo, & toto corpore, quasi adhuc viueret, integro, tantisqúe fragrante odoribus, vt delibutum vnguentis putares, &c. Cernas vsque hodie miram inter Palæstinos & Cyprios contentionem, his corpus Hilarionis, illis spiritum se habere certantibus. Et tamen in vtrisque locis magna quotidie signa fiunt, sed magis in hortulo Cypri, forsitan quia plus locum illum dilexerit.

Epistola 17. ad Marcellam cap. 5. Maledictam terram nominant, quòd cruorem Domini hauserit. Et quo modo benedicta loca putant, in quibus Petrus, & Paulus, Christiani exercitus duces, sanguinem fudêre pro Christo? Si seruorum & hominum gloriosa confessio est, cur Domini & Dei non sit gloriosa confessio? Et Martyrum vbique sepulchra veneramur, & sanctam fauillam oculis apponentes, si liceat etiam ore contingimus: & monumentum, in quo Dominus conditus est, quidam existimant negligendum? Si nobis non credimus, credamus saltẽ diabolo, & angelis eius; qui quotiescunque ante illud de obsessis corporibus expelluntur, quasi in conspectu tribunalis Christi stantes contremiscunt, rugiunt, & serò dolent crucifixisse quem timeant.

In Epitaphio Paulæ cap. 6. Inde diuertens, vidit duodecim Patriarcharum sepulchra, & Samariam. Ibi siti sunt Eliseus, & Abdias Prophetæ, & Ioannes Baptista: vbi multis intremuit consternata mirabilibus. Namque cernebat varijs dæmones rugire cruciatibus, & ante sepulchra Sanctorum vlulare homines more luporum, vocibus latrare canum, fremere leonum, sibilare serpentum, mugire taurorum.

Ruffinus. 390.

Eccles. hist. lib. 2. cap. 28. Iuliani temporibus pagani apud Sebasten sepulchrum Ioannis Baptistæ mente rabida & funestis manibus inuadebant, ossa dispergebant, & ea rursus collecta igne cremabant, & sanctos cineres pulueri mixtos per agros & rura dispergebant. Sed Dei prouidẽtia factum, quosdam de Hierosolymis ex monasterio Philippi hominis Dei orationis illuc causa per idẽ tempus veniſſe. Qui cùm tantum nefas humanis quidem manibus, sed ferina mente fieri viderẽt, mori gratius habentes, quàm huiusmodi piaculo funestari, inter eos, qui ossa ad comburendum legebant mixti, diligentius, in quantum res patiebatur, ac religiosius congregantes, furtim se vel stupentibus, vel insanientibus subtraxêre, & ad religiosum patrem Philippum venerandas Reliquias pertulêre. Ille supra se ducens tantum thesaurum proprijs seruare vigilijs, ad Pontificem maximum tunc Athanasium hostiæ immaculatæ Reliquias per Iulianum Diaconum suum, post

etiam

etiam Palęstinæ vrbis Episcopum mittit. Quas ille susceptas, paucis arbitris sub cauato sacrarij pariete inclusas, prophetico spiritu profuturas generationi posteræ conseruauit: quibus nunc dejectis & prostratis idololatriæ vestigijs in ædibus quondam profanis aurea tecta consurgerent.

Concilium Carthaginense Quintum. 395.

Cap. 14. Placuit vt altaria, quæ passim per agros aut vias tamquam memorię Martyrum constituuntur, in quibus nullum corpus aut Reliquiæ Martyrum conditæ probantur, ab Episcopis, qui eisdem locis præsunt, si fieri pòteſt, euertantur. Si autem hoc propter tumultus populares non finitur, plebes tamen admoneantur, ne illa loca frequentent, vt qui rectè sapiunt, nulla ibi superstitione deuincti teneantur. Et omninò nulla memoria Martyrum probabiliter acceptetur, nisi aut ibi corpus, aut aliquæ certè Reliquiæ sint.

Gaudentius Brixiensis. 400.

Tractatu in dedicatione Basilicæ Sanctorum 40. Martyrum: Diuinis muneribus & cælestibus beneficijs condignas referre gratias pusillitas nostra non prævalet, fratres chariſſimi. Nam vt venerandas Sanctorum Reliquias haberemus, Deus noster tribuit, &c. Iam qui sunt isti, quorum beatis Reliquijs illustramur; hinc incipiam numerare. Primo in loco Ioannes Baptista est, vltimus quidem, sed maximus Prophetarum, &c. Post hunc habemus Andream beatiſſimum, &c. Tertius beatus Thomas, &c. Quartus Lucas est Euangelista, &c. Horum quatuor beatas habemus in præsenti Reliquias, qui regnum Dei & iustitiam prædicãtes, ab incredulis & iniquis occisi, &c. Post istos habemus Geruasium, Prothasium, atque Nazarium beatiſſimos Martyres, qui se ante paucos annos apud vrbem Mediolanensem sancto Sacerdoti Ambrosio reuelare dignati sunt; quorum sanguinem tenemus gypso collectum, nihil amplius requirentes. Tenemus etiam sanguinem, qui testis est passionis. Recepimus etiam sanctos cineres Sisinnij Martyris, & Alexandri; quos nuper in ara Agatini, vni venerandæ religionis cultui attẽtius inhærẽtes, gens interfecit sacrilega, flammisqúe adhibitis concremauit, &c. Iam quid post istos decem, de quadraginta Martyribus dignum loquar, &c. In ipsa enim maxima Cappadociæ ciuitate, quæ appellatur Cęsarea: vbi habent ijdem beatiſſimi insigne Martyrium; reperimus quasdam Dei famulas, &c. quibus ab aunculo suo Sacerdote ac Confessore Basilio olim traditæ fuerunt horum Martyrum venerandæ Reliquiæ, quas desiderio nostro incunctanter ac fideliter tribuerunt; idoneos veneratores tanti nos esse muneris approbãtes, simulqúe sub testificatione Domini confitentes, se semper orasse Deum nostrum, vt hæc tam pretiosa possessio in tales trãsfunderetur hæredes, qui eas consimili fide diligentiaq; imitarentur, qui studij ac venerationis ipsarum & successores & augmentatores existerent, & transmigrationem de hoc mundo suam quotidie expectarent. Exaudita est, ecce, fidelis oratio: venerabiles ipsas Martyrum quadraginta Reliquias populis credentibus hodie proponimus perpendendas; licet eis ex illo iam tempore celebritas debita nunquam defuisse nostri cognoscatur officij.

Augustinus. 400.

De cura pro mortuis agenda cap. 17 Mediolani apud SS. Geruasium & Prothasium Martyres expresso nomine, sicut defunctorum, quos eodem modo commemorabant, adhuc viuum dæmones confitebantur Ambrosium, atque vt sibi parceret obsecrabant, illo aliud agente, atque hoc cùm ageretur omnino nesciente.

De ciuitate Dei lib. 1. cap. 13. Non contemnenda & abijcienda sunt corpora defunctorum, maximeq; iustorum atque fidelium, quibus tamquam organis & vasis ad omnia bona opera vsus est Spiritus sanctus. Si enim paterna vestis & annulus, ac si quid huiusmodi tanto charius est posteris, quanto erga parentes maior affectus: nullo modo ipsa spernenda sunt corpora, quæ vtique multò familiarius atque coniunctius, quàm quælibet indumenta gestamus.

Lib. 22. de ciuitate Dei cap. 8. Miraculum, quod Mediolani factum est, cùm illic essemus, quando illuminatus est cæcus, ad multorum notitiã potuit peruenire, quia & grandis est ciuitas, & ibi erat tunc Imperator, & immenso populo teste res gesta est, concurrente ad corpora Martyrum Protasij & Geruasij. Quæ cùm laterent, & penitus nescirentur, Episcopo Ambrosio per somnum reuelata reperta sunt: vbi cęcus ille depulsis veteribus tenebris diẽ vidit, &c. Ad aquas Tibilitanas Episcopo afferente Proiecto Reliquias Martyris gloriosiſſimi Stephani, ad eius memoriam veniebat magnæ multitudinis cõcursus & occursus. Ibi cęca mulier, vt ad Episcopum portanté pignora sacra duceretur, orauit: flores, quos ferebat, dedit: recepit, oculis admouit, & stinus vidit. Stupẽtibus qui aderant prębat exultans, viam carpẽs, & viæ ducem vlterius non requirens. Memorati memoriam Martyris, quæ posita est in castello Synicensi, eiusdem loci Lucillus Episcopus, populo præcedente, atq; sequente portabat: fistula, cuius molestia iam diu laborauerat, & familiariſſimi sui medici, qui eam secaret, operiebatur manus; illius piæ sarcinæ vectatione repente sanata est. Nam deinceps eam in suo corpore non inuenit.

Sanctimonialis quædam in vicina possessione, quæ Caspaliana dicitur, cũ ęgritudine laboraret, ac desperaretur, ad eandem memoriã tunica eius allata est: quę antequam reuocaretur, illa defuncta est. Hac tamen tunica operuerũt cadauer eius parentes, & recepto spiritu salua facta est.

Rursus ibidem apud nos Irenęi cuiusdam collectarij filius ęgritudine extinctus est. Cumq; corpus iaceret exanime, atq; alijs gementibus & plangentibus, exequię pararẽtur, amicorum eius quidam inter aliorum consolantium verba suggessit, vt eiusdem Martyris oleo corpus perungeretur. Factum est, & reuixit.

Lib. 9. Confes. cap. 7. Cũ Iustina, Valentiniani Regis pueri mater, ab Arianis seducta Ambrosium persequeretur, memorato Antistiti tuo per visum aperuisti, quo loco laterent Martyrum corpora Protasij & Geruasij, quæ per tot annos incorrupta in thesauro secreti tui recondideras: vnde opportunè promeres, ad coërcendam rabiem fœmineam, sed regiam. Cùm enim propalata & effossa digno cum honore transferrentur ad Ambrosianam Basilicam, non solùm quos immundi vexabant spiritus confessis ijsdẽ dæmonibus sanabantur, verùm etiam quidam plures annos cæcus ciuis, ciuitatiq; notissimus, cùm populi tumultuantis lętitiæ causam quęsisset, atq; audisset, exilijt, eoq; se vt duceret suum ducem rogauit. Quò perductus, impetrauit admitti, vt sudario tãgeret feretrum pretiosæ in conspectu tuo mortis Sanctorum tuorum. Quod vbi fecit, atque admouit oculis, confestim aperti sunt. Psal. 115.

Epist. 137. Multis notissima est sanctitas loci, vbi beati Felicis Nolensis corpus conditum est, quò volui vt pergerent, quia inde nobis facilius fideliusq; scribi potest, quicquid in eorum aliquo diuinitus fuerit propalatum. Nam & nos nouimus Mediolani apud memoriam Sanctorum, vbi mirabiliter & terribiliter dæmones confitentur; furem quendam, qui ad eum locum venerat, vt fal-

sum iurando deciperet, compulsum fuisse confiteri furtum, & quod abstulerat reddere.

Epistola 103. Reliquias B. Martyris Stephani non ignorat Sanctitas vestra (sicut & nos fecimus) quàm conuenienter honorare debeatis.

Paulinus Mediolanensis Presbyter. 400.

In vita S. Ambrosij: Translato corpore Martyris Nazarij ad Basilicam Apostolorum, vbi pridem sanctorum Apostolorum Reliquiæ summa omnium deuotione positæ fuerunt, cùm tractaret Episcopus, quidã de populo repletus spiritu immundo clamare cœpit: se torqueri ab Ambrosio.

Paulinus Nolanus Episcop. 410.

Natali 6. Sancti Felicis:

Probat & sine corpore viuum
Christus, vt ostendat maiorem in morte piorum
Virtutem, quàm vim in vita superesse malorum.
Ecce vides tumulum, sacra Martyris ossa tegentem,
In spem non vacuam rediuiuæ condita vitæ.
Vnde igitur tantus circumstat limina terror?
Quis tantos agit huc populos? quanam manus vrget
Dæmonas? inuitosq; rapit? frustraq; rebelli
Voce reclamantes compellit adusque sepulchrum
Martyris, & sancto quasi fixos limine sistit? &c.
——In sanctis diuinitus insita membris
Gratia non potuit cum carne mori, tegiq;
Illicò, sed positis ex ossibus ecce micat lux,
Quæ medicis opibus meriti dare signa potentis
Hactenus ex illo nonnunquam tempore parcit,
Et toto quo mundus erit fulgebit in æuo,
Lux eadem sancti cineris per secula custos:
Martyris hæc functi vitam probat, & bona Christi
Ad tumulum Felicis agens, diffundit in omnes
Felicis latè terras mirabile nomen.
——Cùm gratia tanta sepultos
Ambiat, & quanto reduuia decore micabunt
Corpora, in obscuris cùm sit lux tanta fauillis? &c.

Natali 9.

Hîc & Nazareus Martyr, quem munere fido
Nobilis Ambrosy substrata mente recepi:
Culmina Felicis dignatur & ipse cohospes,
Fraternasq; domos priuatis sedibus addit.
Quamuis Sancti omnes toto simul orbe per vnum
Sint vbicunque Deum: quo præsentantur vbique
Corporis vt sua membra Deo: sed debita sanctis
Sunt loca corporibus, neque tantùm qua iacet ora
Totum corpus, ibi positorum gratia viuit:
Sed quocunque pij est pars corporis, & manus extat,
Conteslante Deo meriti documenta beati:
Magna & in exiguo Sanctorum corpore virtus
Clamat Apostolici vim corporis indice verbo.

Seuerus Sulpitius. 420.

Lib. 5. de vita B. Martini: Refrigerius mihi testis est, mulierem profluuio sanguinis laborantem, cùm Martini vestem (exemplo mulieris Euangelicæ) contigisset, sub momento temporis fuisse sanatã.

Seuerus Episcopus Minoricensis. 420.

Epistola ad omnes fideles: Tunc beati Stephani Reliquias, quæ nuper reuelatæ sunt, cùm ad Hispanias (*Orosius*) portare constituisset, ipso fine dubio Martyre inspirante, in memorati oppidi Ecclesia collocauit. Quo facto protinus ille ignis, quem Dominus venit mittere in terram, & quem valde ardere cupit, charitate eius accensus est. Statim siquidem tepor noster incaluit, & factũ est cor nostrum (sicut scriptum est) ardens in via. Lucæ 12

Maximus Taurinensis. 430.

De Martyribus Taurinis: Cuncti Martyres deuotissimè colẽdi sunt: sed specialiter ij venerãdi sunt à nobis, quorum Reliquias possidemus.

Eucherius Lugdunensis. 450.

Hom. de S. Blandina Lugdunensi: Sacra corpora funeris honore priuantes ignibus dabant, & post hominum mortem contra ipsam pugnabant humanitatem, veneranda ossa in cineres redigebãt, quasi verò possent flammis merita cõsumi, & virtutes cum cineribus concremari. Quàm confusa demẽtia? Quibus cælum acquirebant, his terram negabant. Nihil ergo feciſti inaudita sæuitia: incassum te extinguere eorum memoriam credidisti, quorum gloriã propagasti. Dispergis Sanctorum puluerem fluentis Rhodani ne resurgat: sed aquis resurrectio non consumitur, quæ per gratiam regenerationis etiam aquarum munere celebratur. Adorandas Reliquias Rhodano tradis. Hoc facit vis fluminis in corporis resolutione, quod temporis.

Prosper. 460.

In Chronicis: Theodosius venerabile caput Ioannis Baptistæ ex vico Coslai Constãtinopolim deportans, septimo ab vrbe lapide in Basilica, quam magno sumptu in eius honorẽ erexerat, recõdit.

Gennadius Massilienſis. 470.

De Ecclesiasticis dogmatibus cap. 73. Sanctorũ corpora, & præcipuè beatorum Martyrum Reliquias, ac si Christi membra, synceriſſimè honoranda. Si quis contra hanc sententiam venerit, nõ Christianus, sed Eunomianus & Vigilãtianus creditur.

Victor Vticensis. 480.

De persecutione Vandalica lib. 3. Cùm in mari venerabilia corpora sanctorum Martyrum iactarentur, ilicò (quod contra naturam est æquoris) eadem hora illæsa corpora pelagus litori reddere maturauit: nec ausum fuit, vt moris est, triduanã dilatione in profundo detinere, ne præcepto Dominico minimè paruisset. Ad quod miraculi genus & ipse tyrannus, licet impœnitens, vt fertur, expauit. Gaudens autem quæ aderat multitudo, corpora Sanctorum Martyrum diligenti tradidit sepulturæ.

Ennodius Ticinensis. 500.

In vita Epiphanij Ticinensis: Illud silentio præterire non debeo, quòd eius sanctæ Reliquiæ, vsque in diem tertium, quo cũ summa veneratione recõditæ dignoscuntur, tanto lumine & decore vestitæ cunctorum visæ sunt oculis, vt splendorem vitæ vultus designaret defuncti.

Eugippius Abbas. 510.

Vitæ S. Seuerini cap. 9. Tunc nuntius hominis Dei eius se conspectibus præsentauit, qui debito Sãctorum Geruasij & Protasij Martyrum Reliquias honore suscipiens, in Basilica, quam in monasterio construxerat, collocauit officio sacerdotum. Quo in loco Martyrũ congregauit sanctuaria plurimorum, quæ tamen præeũte semper reuelatione promeruit, sciens aduersarium sæpe subrepere sub nomine sanctitatis.

Cap. 23. Quidam sancti Ioannis Baptistæ Reliquias obtulit, multis apud se seruatas tẽporibus: quas Dei seruus debita veneratione suscipiẽs, Basilicam S. Ioannis, vltronea benedictione collata, sacrauit officio sacerdotum.

Concilium Epaunense. 517.

Cap. 25. Sanctorum Reliquiæ in oratorijs villaribus non ponantur, nisi forsitan clericos cuiuscunq; parochiæ vicinos esse contingat, qui sacris cineribus psallendi frequentia famulentur.

Marcellinus Comes. 540.

In Chronicis: Ioannes Baptista caput suũ duobus Orientalibus monachis reuelauit, vt ad Herodis quondam Regis habitaculum accedentes requirerent, fideliterq; humo extollerent. Hoc ergo caput fidei repertũ, suaq; hispida in mantica reconditum,

ditum, dum ad propria remeãtes habitacula peruenerunt, quidam Emissenæ figulus sese his exhibuit comitem, qui dum nesciens peram sibi creditam cũ sacro capite portat, ab eo, cuius caput vehebat, noctu admonitus, vtrumq; comitem fugiens, statimq; Emissenam vrbem cum sancto leuiq; onere ingressus est. Ibiq; dum aduexit Præcursoris Christi veneratus est caput, moriensq; sorori suæ rerum nesciæ signatũ in vasculo tradidit colendum. Illa verò successori suo positũ signatũq; vt erat dereliquit. Porrò Eutocus quidã occultus Arianæ perfidiæ presbyter talẽ tantumq; thesaurum indignus obtinuit, gratiamq; quam Dominus per Ioannem Baptistam infirmo populo tribuebat, is eam ac si suam duntaxat, in vulgo disseminabat. Hic prauitate sua detecta Emissena vrbe expulsus est. Hoc inde antrum, in quo beatissimi Ioannis caput in vrnam missum, sub terraq; conditum erat, quidam monachi pro habitaculo habere cœperunt. Marcellus demum presbyter, totiusq; monasterij Præsul, dum in eodem specu vita irreprehensibili habitat, idem B. Ioannes Christiq; Præcursor sese eidem, suumq; caput ostendit, ibidemq; sepultum multis præfulgens virtutibus patefecit. Hoc igitur venerabile caput Iuliaranio memoratæ ciuitatis Episcopo per præfatum Marcellum presbyterum constat inuentum Valentiniano & Marciano regnantibus.

Pelagius Papa. 556.

Epistola ad Sepaudum Episcopum Arelatensem: Quia legati filij nostri glorioſissimi Regis Childeberti beatorum Apostolorum Petri & Pauli & aliorum sanctorum Martyrum Reliquias popoſcerunt, necesse habuimus hominem bonum Subdiaconum de clero nostro dirigere, qui eas vsq; ad fraternitatem tuam cum reuerentia deportaret. Et ideo salutantes, hortamur, vt quæsita occasione, siue naui, siue terreno, cum talibus personis, de quibus nulla periculi possit esse suspitio, ad nos eum iuuante Domino remittatis.

Gregorius Turonensis. 580.

De gloria Martyrum cap. 44. de Agricola & Vitali: Horum Reliquias Namatius Auernorum Episcopus deuotè expetijt, vt scilicet eas in Ecclesia, quam ipse construxerat, collocaret.

In vitis Patrum cap. 8. de S. Nicetio: Apud Gennabẽsem Galliarum vrbem, dum eius Reliquiæ cum honore psallentium portarentur, tantam ibi Dominus gratiam præstare dignatus est, vt supplicitèr adorantes & cæci visum & claudi reciperent gressum: nec dubitare quisquam poterat, præsentem esse Confessorem, cùm videbãt talia infirmis remediorum munera præstari.

Fortunatus. 586.

Vitæ S. Germani Parisiensis lib. 1. cap. 58. Britannus quidam Presbyter pro infirmitate Rectoris patriæ suæ benedictionem sanitatis, nec non & ab eo Reliquias expetijt. Qui peracto negotio iter suum lætus regrediens, fortuitò mansionem in villa, qua prædicta mulier habitabat, obtinuit. Quam maritus alloquitur, vt sicut alij, & ipsi ad Reliquias D. Germani accurrerent. Quæ ire despexit, pro eo, quòd ei sanctus vir olim postulatam redemptionem non dederat: sed statim in loco, quo stetit, velut fixa stipite gressum mouere non potuit, manibusque contracta, ad Reliquias Sancti manu mariti deportata est. Inter hæc autem dicti pœnitens, miserante pio viro, saluti reducta est, confitens eius despectu sibi hoc repentinum accessisse periculum.

Gregorius Magnus. 590.

Libro 3. epistol. 30. ad Constantiam Augustam: Serenitas vestræ pietatis religionis studio, & sanctitatis amore conspicua, propter eam, quæ in honorem S. Pauli ædificatur, Ecclesiam, caput eiusdem S. Pauli, aut aliud quid de corpore ipsius, suis ad se iussionibus à me præcipit debere transmitti, &c. Sed hæc facere non possum, nec audeo. Nam corpora sanctorum Petri & Pauli Apostolorum tantis in suis Ecclesijs coruscant miraculis atque terroribus, vt neque ad orandum sine magno illic timore possit accedi.

Homilia 32. in Euangelia: Ad sanctorum Martyrum Processi & Martiniani corpora consistimus fratres mei. Nunquid isti carnem suam in mortem darent, nisi ijs certissimè constitisset esse vitam, pro qua mori debuissent? Ecce qui ita crediderunt, miraculis coruscant. Ad extincta namque eorum corpora viuentes ægri veniunt, & sanantur. Quomodo ergo illic viuunt, vbi viuunt, si in tot miraculis viuunt hîc, vbi mortui sunt?

Vitalianus. 657.

Epistola ad Osvvinum Regem Saxonum: Veruntamen gerulis harum nostrarum literarum vestris missis, & beneficia sanctorum Martyrum, hoc est, Reliquias beatorum Apostolorum Petri & Pauli, & sanctorum Martyrum Laurentij, Ioannis, & Pauli, & Gregorij, atque Pancratij, eis fecimus dari, vestræ excellentiæ profectò omnes contradendas. Nam & coniugi vestræ nostræ spirituali filiæ direximus per præfatos gerulos Crucẽ clauem auream habentem, de sacratissimis vinculis Beatorum Apostolorum Petri & Pauli.

Bracarense Concilium Tertium. 674.

Cap. 5. Agnouimus quosdam de Episcopis, quòd in solennitatibus Martyrum ad Ecclesiam progressuri, Reliquias collo suo imponant, vt maioris fastûs apud homines gloria intumescant, quasi ipsi sint Reliquiarum arca, Leuitæ albas induti, in sellulis eos deportent. Quæ detestanda præsumptio abrogari per omnia debet, ne sub sanctitatis specie simulata vanitas sola prævaleat, si modum suum vniuscuiusque ordinis reuerentia non agnòscat. Et ideo antiqua in hac parte & solennis consuetudo seruabitur, vt in festis quibusque diebus arcam Domini cum Reliquijs, non Episcopi, sed Leuitæ in humeris gestent, quibus & in veteri lege onus idem impositum nouimus esse præceptum. Quod si & Episcopus Reliquias per se deportare elegerit, non ipse à Diaconis in sellula vehatur, sed potius pedissequa vnà cum populis progressione procedente ad cõuenticula sanctarũ Ecclesiarum sanctæ Dei Reliquiæ per eundem Episcopum portabuntur. 1. Par. 15.

Aldhelmus. 680.

Libro de Virginitate cap. 11. Lucas Euangelista cùm generale mortis debitum naturæ suprema sorte persoluerit, Constantino orbis gubernante monarchiam, ossa illius ad tutelam Regni Romanorum Constantinopolim translata leguntur.

Beda. 700.

Historiæ Anglorum lib. 3. cap. 11. Inter quæ nequaquam silentio prætereundum reor, quid virtutis ac miraculi cælestis fuerit ostensum, cùm ossa S. Osvvaldi inuenta, atque ad Ecclesiam, in qua nunc seruantur, translata sunt. Cùm venisset carrum, in quo eadem ossa ducebãtur, incumbente vespera in monasterium præfatum, noluerunt ea, qui erant in monasterio, libenter excipere. Quia etsi Sanctum eum nouerant, tamen quia de alia prouincia ortus fuerat, & super eos regnum acceperat, veteranis eum odijs etiam mortuum insequebantur. Vnde factum est, vt ipsa nocte Reliquiæ allatæ foris permanerent: tentorio tamen maiore supra carrum, in quo inerant, extenso: sed miraculi cælestis ostensio, quàm reuerenter ea suscipienda à cunctis fidelibus essent, patefecit. Nam tota ea nocte columna

lucis à carro illo ad cęlum vsque porrecta, omnibus penè eiusdem prouinciæ locis conspicua stabat. Vnde mane facto, fratres monasterij illius, qui pridie abnuerant, diligenter ipsi petere cœperunt, vt apud se eędem sanctę ac Deo dilectæ Reliquiæ conderentur. Lota igitur ossa intulerunt in thecam, quam in hoc prępararuerant, atque in Ecclesia, iuxta honorem congruum, posuerunt: & vt regia viri sancti persona memoriam haberet sempiternam, vexillum eius super tumbam ex auro & purpura compositum apposuerunt, ipsamqúe aquam, in qua lauerunt ossa, in angulum sacrarij fuderunt. Ex quo tempore factum est, vt ipsa terra, quę lauacrum venerabile susceperit, ad abigendos ex obsessis corporibus dæmones gratiæ salutaris haberet effectum.

Alcuinus. 750.

In vita S. VVilibrordi: Vsque hodie diuina, operante misericordia, signa & sanitates ad sanctas sacerdotis Dei Reliquias fieri non cessant.

Paulus Diaconus. 790.

De gestis Longobardorum libro 6. cap. 48. al. 14. Luitprandus audiens quòd Saraceni depopulata Sardinia, etiam loca illa, ad quæ ossa S. Augustini Episcopi propter vastationem Barbarorum olim translata honorificè fuerant condita, fœdarent, misit eò, & dato magno pretio, accepit, & transtulit ea in vrbem Ticinensem, ibiqúe cum debito tanto Patri honore condidit.

Carolus Magnus. 800.

In Pragmatica Aquisgranensium sanctione: Itaque egregio opere huius eximiæ Basilicæ (*Aquisgrani extructæ*) non solùm pro voto ac desiderio meo, verùm etiam ex diuina gratia ad vnguem perfecto, pignora Apostolorum, Martyrum, Confessorum, & Virginum à diuersis terris & regnis, & præcipuè Græcorum collegi, quæ huic sancto intuli loco, vt eorum suffragijs régnum firmetur, peccatorum indulgentia condonetur.

Synodus Moguntina. 813.

Cap. 51. Deinceps corpora Sanctorum de loco ad locum nullus præsumat transferre sine consilio Principis, vel Episcoporum, vel sanctę Synodi licentia.

VValafridus Strabo. 830.

Vitæ S. Othmari cap. 7. Euolutis post transitum eius decem annis, fratres illius per visionem à Domino commoniti sunt, vt corpus eius ad monasterium reducerent. Hoc patefacto diuinæ voluntatis consilio, vndecim ex eisdem fratribus noctu ad locum, in quo sancti viri exuuiæ seruabantur, deueniunt: & sepulchrum aperientes, corpus eius ab omni corruptione illęsum reperiunt, excepto quòd pars extrema pedis vnius tantùm colore mutato, quasi tabida videbatur. Et congruò satis miraculo prima sanctitatis eius indicia claruerunt, vt videlicet tam illæsum à corruptione corpus eius inueniretur, quàm liber ipse fuerat à crimine, cuius oppositione superatus videbatur ad tempus. Hac itaque deuoti fratres rerum nouitate perfectius instructi, corpus honorificè sumptum rati imposuerunt: & accendentes candelas, vnam ad caput, alteram collocauerunt ad pedes.

Agobardus Lugdunensis Episcopus. 840.

De translatis Lugdunum Reliquijs sanctorum Martyrum Cypriani, Sperati, & Pantaleonis:

Hic dum Basilicas Deo dicatas,
Et Christi subeunt verenda templi,
Cernunt vt tua Cypriane Martyr
Seruaret loculus neglectus ossa:
Tum verò nimio dolore moti,
Et magno gemitu polum tuentes,
Poscunt auxilium Dei perennis,
Pro quo, Sancte, caput tibi recisum est:
Et mox adituis precando flexis,
Pandunt sarcophagum, certantq; sacros
Artus stringere linteis paratis,
Committuntq; sacro corpus locello:
Sperati quoque Martyris beati,
Nec non Pantaleonis ossa raptim
Tollunt cuncta simul, ligantq; pannis,
Ac tantas loculis gazas recondunt, &c.

Hincmarus Remensis. 850.

In vita S. Remigij, de secunda eius translatione: Anno incarnationis Dominicę 852. nuper adhuc ampliata ipsa Ecclesia, cùm de loco cryptę prioris sepulchrum vnà cum B. Remigij corpore translatum est in cryptâ, maiori & pulchriori opere factam, ipsum corpus sanctissimum, sicut & in anteriori eius translatione, ab Episcopis Rhemorum diœceseos integrum inuentum est, & brandeo rubeo inuolutum. Et cùm de ipso sepulchro in locello argenteo est transpositum, pars de ipso brandeo cum sudario, quod fuerat super caput eius, assumpta, in scriniolo eburneo secus altare sanctæ Mariæ in ciuitate honore debito veneratur.

Rabanus Maurus. 850.

De Vniuerso lib. 4. cap. 10. Sanctorum corpora, ac præcipuè beatorum Martyrum Reliquias, ac si Christi membra synceriſſima, honoranda, & Basilicas eorum nominibus appellatas fideliſſimè adeundas censemus.

Ionas Aurelianensis. 860.

Libro 1. de cultu Imaginum: Dicitur etiam eundem Claudium aduersus Reliquias sanctorum non contemnendas (vtpote quorum *mors pretiosa in conspectu Domini*, eorumqúe sepulchra, vt à sanctis Patribus traditum est, honoranda) quædam nefanda dogmatizare. Quapropter verisimile habetur, huius nouitij sanctæ Ecclesiæ hostis animam ex duabus animabus priscorũ compactam, Vigilantij scilicet, & Eustathij, qui, vt Sedulij verbis vtar,

Ambo errore pares, quamuis diuersa secuti.

Licet enim in plurimis ab alterutro defciuerint, in contemnendis tamen sanctorum Martyrum Reliquijs, eorumq; sepulchris dehonorandis, vnum peruersissimè senserunt.

Lib. 2. In veneratione sanctarum Reliquiarum à sancta Ecclesia Christus adoratur, sanctificator & viuificator earum.

Regino Prumiensis. 900.

De anno 655. Luitprandus Rex ossa sancti Augustini Episcopi à Sardinia transtulit, & in vrbem Ticinensem cum debito honore sepeliuit.

De anno 719. Eodem anno monachus quidam Hierosolymis veniens, Reliquias multas regi Carolo ex parte Patriarchæ Hierosolymitani attulit.

Odo Cluniacensis. 920.

Tractatu de translatione corporis S. Martini cap. 1. Sex mensibus emensis cõperto Canonici, quòd Rollo Turonum captum ire disponeret, communicato cum conciuibus suis consilio, pretiosam margaritam & singularem thesaurum (*sanctissimi videlicet Martini corpus*) Aurelianis vsque transmittunt.

Cap. 2. Tempore permodico ibidem commorati, metu inalescente cum thesauro illo incom-

parabili Antisiodorum vsque procedunt. Episcopus verò fama præambula præmonitur, & tota ciuitas obuiam ruunt: & tantum hospitem cum honore non indebito deducunt, & in Ecclesia beati Germani, secus eiusdē feretrum Martini non imparis sancti reponunt.

Luitprandus Ticinensis. 950.

Lib. 3. cap. 2. Ipsa insignis, & toto orbe notissima Roma, vrbe Papia inferior esset, si pretiosa corpora Apostolorum non haberet. Patet igitur, quòd hanc interceſſio beatissimi patroni nostri Syri eripuit, qui eam tam veridico præsagio honorauit.

VVitichindus Corbeiensis. 950.

Libro 1. Annalium: Legatus Caroli Regis missus ad Henricum Imperatorem protulit de sinu manum pretiosi Martyris Dionysij, auro gemmisqúe inclusam. Hoc, inquit, habeto pignus fœderis perpetui, & amoris vicarij. Hanc partem vnici solatij Francorum, Galliam inhabitantium, postquam nos deseruit insignis Martyr Vitus, & ad nostram pernitiem, vestramqúe perpetuam pacem, Saxoniam visitauit, communicare tecum Carolus Rex maluit: Neque enim postquã translatum est corpus eius à nobis, ciuilia vel externa cessauêre bella. Eodē quippe anno Dani & Nortmanni regionem nostram inuaserunt. Rex autem munus diuinum cum omni gratiarum actione suscipiens, prosternitur Reliquijs sanctis, & deosculans eas summa veneratione veneratus est.

Fridegodus. 960.

In vita S. Audoëni: Coloniæ cùm Martyrum monumenta perluſtraret, suo more Reliquias ex eorum monumentis ablatas secum magno cum honore asportauit.

Notgerus Leodiensis. 970.

Vitæ S. Landoaldi lib. 2. Inter agendum, dum sanctæ deuotionis celebraretur executio, Sanctorũqúe pretiosissimę per non modicam itineris intercapedinem transferrentur Reliquiæ, contigit, vt par erat, plurimos finitimorum tam felicis opinionis occupari rumore.

Stephanus Colonienſis. 990.

De inuentione S. Maurini Abbatis & Martyris: Quæ est sub nostro sole ciuitas hac nostra Colonia locupletior Sanctorum? Vbi Apostolorum patrocinia sic præsentia? Vbi tot in vnis cubilibus Martyrum millia, & tot aurea virginum agmina? vbi sic præsentes Confessores & Episcopi, qui genuerunt hunc populum Domini? Apud quos rugiebant dæmones, quorum præsentiam portare non poterant, nos pro anima & patria supplicantes audire dissimulant?

Frodoardus Remensis. 980.

In Chronicis de anno 926. Corpus sancti Remigij, & aliorum quorundam Sanctorum pignora Hungarorum metu Remis à suis monasterijs sunt delata; inter quæ sanctę quoque VValleburgis Reliquiæ, ad quas nonnulla exercebantur miracula.

Berno Augiensis. 1020.

In vita S. Vdalrici: Interea orationis causa Romam perrexit, vbi caput S. Abundij Martyris acquisiuit, secumqúe religiosa cum deuotione Augustam deportauit, &c. Processu quoque temporis locum Agaunensium, vbi sanctus Mauritius cum sacra legione quieſcit, orandi gratia adijt, ac non modicas Thebæorum Martyrũ Reliquias acquisiuit: quas cum summo honore Augustam attulit, ac in oratorio sanctæ Dei Genitricis cum hymnis ac psalmodijs religiosè collocauit.

Rogerius Benedictinus. 1040.

Vitæ S. Brunonis Colonienſis Episcopi cap. 26. Sanctorum corpora atque Reliquias, vt suis patrocinia cumularet, & per multos populos vltra citraqúe hac celebritate gloriam Domini propagaret, vndecunque collegit: ijs loca & ministeria omni sumptu & apparatu copiosius præparauit. Indicia sunt hæc inuictæ fidei, qua non ea, quæ sua, sed quæ Christi sunt quæsiuit. Baculum & catenam S. Petri qua diligentia, quo feruore, quo gaudio Coloniam, alterum Metis, alteram Roma adduxerit, omnes nouerunt. In cuius honore domum eius honoratissimam mirabiliter ampliauit, quam de pulchra pulcherrimã fecit. Inclytos & prącellentis famæ Martyres Patroclum, Eliphium, Priuatum, & Gregorium, quorum gesta sunt permagnifica, merita glorioſa, patrocinia tuta: Christophori, sanctiqúe Pantaleonis Reliquias pretiosas, quibus se patronis specialius delegauit, vtputa gemmas gratissimas, & dulcissima pignora, ad sanctissimam suæ Ecclesiæ sedem miro ambitu, varijs de locis attraxit.

Radulphus Ardens. 1060.

In communi vnius Martyris: Ecce illi, qui ita crediderunt, & miris operibus effulserunt, & mortui sese viuere miraculis produnt. Ad extincta namque corpora eorum viuentes ægri veniunt, & sanantur: periuri veniunt, & à dæmonio vexantur: dæmoniaci veniunt, & liberantur. Quàm gloriosè igitur viuunt, vbi viuunt, si in tot miraculis viuunt hîc, vbi mortui sunt?

Gregorius Septimus. 1076.

Lib. 8. epist. 8. Diuinæ pietatis respectui gratias ingentes referimus, cuius dignatio thesaurum magnum, totiqúe mundo profuturum, nostris temporibus misericorditer reuelauit. Non immeritò tuæ quoque dilectioni gratulamur, quæ tantæ lætitiæ cælitus reuera ostensæ participes nos efficere solicitè procurauit. Credimus siquidem, & incunctanter asserimus, tanti corporis inuentione non solum ipsum B. Matthæum Apostolum, verùm etiam ceteros Coapostolos, cum Sanctis omnibus, ipsisq; cælestibus spiritibus mortalibus congaudere.

Sigebertus Gemblacensis. 1100.

In Chronicis de anno 812. In Francia apud cœnobium Elnonense S. Amandus à Lothario eleuatur, à depositione eius anno circiter 152. cuius corpore adhuc integro inuento, cùm eius capilli & vngues, qui excreuisse videbantur, præciderentur, & de ore eius dentes adhibita forcipe extraherentur, sanguis inde profluxit, qui ad memoriam posterorum adhuc seruatur.

Honorius Augustodunensis. 1120.

Sermone de vinculis S. Petri: Ecce non solùm corpus Petri à Principibus veneratur, sed etiam catenæ & baculi eius, vel vestes, vel aliquid ad eum pertinens, quasi diuinum quid ab omni populo adoratur. Ecce totus orbis vndique ad vrbem Romam confluit, propter Petrum Piscatorem, non propter Augustum mundi Imperatorem. Quilibet inuestigat sepulchrum Piscatoris: nullus inquirit tumulum principis Neronis.

Theofridus. 1124.

Sermone de Sanctorum Reliquijs: Reliquias Sanctorum singulis prouinciarum & ciuitatum populis dedit Deus in solatium, vt dum importunis vrgentur incursibus hostium visibilium &

& inuisibilium, per harum defensentur meritum, &c. Non parui, sed maximi apud Deum pretij sunt Reliquiæ Sanctorum, quas exaltat super omnem mundi ornatum. Namque earum excellentiæ omnis lapis pretiosus non comparatur, sed quicquid in rebus voluentibus pretiosum est, in earum comparatione vilissimum iudicatur. Terrarum sunt munimenta, & æternæ retributionis, diuinæqúe magnitudinis documenta.

Petrus Cluniacensis. 1140.

De translatione D. Benedicti:

Claris coniubila Gallia cantibus,
Lætatis Benedicti Patris essibus:
Felix quæ gremio condita proprio
Seruas membra celebria.
Miris Italia fulserat actibus:
Gallos irradiat corpore mortuus:
Signis ad tumulum crebrius emicat,
Illustrans patriam nouam.

Hugo Etherianus. 1160.

De regressu animarum ab inferis cap. 6. Sancti Apostoli & Martyres quotidianis miraculis coruscant. Siquidem Sanctorum corporum præsentia infirmi liberantur, leprosi mundantur, & mortui suscitantur. Attende, & obstupesce mausolæa Regum & Principum orbis, Magni Pompei, Augusti, Neronis, & aliorum gentilium, quæ parum sciuntur, & coluntur minus: sepulchra verò Apostolorum à Dominatoribus mundi adorantur, & in multa veneratione habentur.

Godfridus Viterbiensis. 1170.

In Chronicis parte 16. in Leone Imperatore: Imperator Græcorum Leo Sanctos iniquitati suæ resistentes iussit decollari. Inter quos passa est sancta Theodosia: cuius corpus adhuc integrum Constantinopoli cum ingenti veneratione seruatur.

Helmoldus. 1170.

In Chronicis Sclauorum lib. 2. cap. 17. Henricus Imperator reuoluto anno reuersus est Brunsvvigam, & ditauit domum Dei Reliquijs Sanctorum, quas secum attulerat, vestiens eas auro, & argento, & lapidibus pretiosis, inter quas erant brachia Apostolorum.

Otto de S. Blasio. 1180.

Appendice ad Chronicon Ottonis Frisingensis, cap. 16. Anno 1162. Mediolanenses obsidione à Friderico Imperatore obsessi traditis armis vrbem relinquentes, cum maximo luctu egressi, hostibus ciuitatem relinquunt. Ingressus Imperator cum toto exercitu immensa ac ditissima spolia in Ecclesiasticis thesauris alijsqúe rebus pretiosis diripuit, Reliquijsqúe Sanctorum, quibus hæc ciuitas egregiè nobilitata fuit, per Ecclesias collectis, ac cum magna reuerentia absportatis: tres Magos, qui cum muneribus, stella duce, Christum in cunabulis adorauerunt, inibi inuentos, Reginoldo Colonienſi Episcopo, qui in hac obsidione cum sua militia præcipuè claruit, dono dedit. Quos venerabilis Pontifex ad Cisalpina trãsferens, Colonienſi Ecclesiæ intulit: hisqúe patronis totam Germaniam illustrans, vniuersam Theutoni corum gentem magnificè nobilitauit. Incorrupti enim, & quasi adhuc viui, in singulis de pretioso metallo sarcophagis, in eadem Ecclesia hactenus reseruantur.

Giraldus Cambrensis. 1180.

In topographia Hiberniæ distinct. 3. Inter vniuersos Hiberniæ baculos, ligneę naturæ Sanctorum Reliquias, virtuosus ille & famosus, quem baculum Iesu vocant, non immeritò primus & præcipuus esse videtur. Per quem vulgari opinione S. Patricius venenosos ab insula vermes eiecit. Cuius siquidem tam incertus est ortus, quàm certissima virtus. Nostris autem temporibus, & nostrorum opera, nobilis hic thesaurus ab Armachia Dublinium est translatus. Vidimus etiam in VVallia, nec non & vehementius admiramur, baculum quendam, cornu quoddam æneum, quod S. Patricij fuisse dicebat, pro Reliquijs in collo gestantem: Dicebat enim ob reuerentiam Sancti illius neminem ausum hoc sonare. Cùm igitur Hibernico more circumstanti populo cornu porrigeret osculandum, sacerdos quidam, Bernardus nomine, de manibus eius illud arripuit, & oris apponens angulo, aêremqúe impellens, sonare cœpit; qui & eadem hora multis astantibus ore quidem aure tenus paralyticè retorto, duplici passione percussus est. Cùm enim torrentis eloquij prius extitisset, & delatoris linguam detractor habuisset, sermonis cuiuslibet vsum statim amisit: vnde & in hac parte sic læsus est, vt semper hactenus linguę fuerit impeditæ. Præterea lethargum patiens, sic statim oblitioni cuncta tradiderat, vt vix etiam se nomen habuisse meminisset. Enimuerò tam enormiter in memoriam læsus fuerat, vt Psalmos, quos antea corde tenus optimè nouerat, multis ab inde diebus, quasi de nouo recordantem videremus; & literas etiam, quarum notitiam copiosè satis habuerat, denuò mendicantem, tamquam elementarium senem miraremur. Cui tandem in Hiberniam ad S. Patricium excessus huius causa peregre profecto plenior valetudo redijt, sed non plena.

Guilhelmus Neubrigensis. 1200.

Rerum Anglicarum libro 2. cap. 8. Cùm Mediolanenses obsessi ab Imperatore Friderico suburbana demolirentur, ne tam obsessis nociua, quàm obsidentibus vsui forent, ea de re monasterium quoque antiquum, & nobile, & Sanctorum insigne Reliquijs extra mœnia destruentes, quicquid in eo sacrum, reuerendumq; inuentum est, in vrbem transtulerunt. Trium præcipuè Magorum corpora, qui Saluatoris infantiâ mysticis honorando muneribus, facti sunt ex gentibus primitię Deo & Agno. Et quidem thesaurus iste olim in eiusdẽ Ecclesię secreto repositus, ipsos quoq; monachos clericosq; ibidem ministrantes latebat; sed cùm vsq; ad fundamentum destrueretur ipsa Ecclesia, repertus & reuelatus est, manifestis indicijs, quibus declarabatur, quòd viri illi (quorum memoria in benedictione est) honorato & adorato Saluatore puero, in regionem suam reuersi, etiam post passionis eius triumphum superstites fuerint: & percepta à prędicantibus Apostolis baptismi gratia, ad ipsum, quem in cunabulis olim honorauerant, ab eodem in dextra Patris sedẽte honorandi migrauerint. Nec notum est, à quibus personis sacræ illorũ Reliquiæ illuc delatæ, ibiq; repositæ fuerint. Eędem verò Reliquiæ ossibus & neruis compactę, cutem quoque aridam atq; imputribilem superductam habebãt, vi, vt putatur, balsami, quo post mortem (gentili more) corpora eorum delibuta creduntur. Sed aureus circulus eadem (vt dicitur) corpora, cùm reperta sunt, ambiebat: vt sibi mutuo cohærerent, &c. Victor Imperator ciuitatem euertit, ciues, quoniam se dediderãt, nõ disperdidit, sed disperſit: præclaras illas Magorum Reliquias ibidẽ reconditas (Longobardis ægrè ferentibus) in regnum Theutonicum transtulit, & thesauri huius custodia ciuitatem Coloniam insigniuit.

Innocentius Tertius. 1200.

Sermone primo in dedicatione templi: Requiescunt in sacris templis Sanctorum Reliquiæ, qui nobis suis precibus assequuntur, quod nostris meritis non valemus. Et idcirco, fratres, diligenter attendite, quàm solicitos & deuotos ante Sanctorum Reliquias, coram Angelis Dei vos oportet in templo Dominum adorare.

Concilium Lateranense. 1215.

Cap. 63. Cùm ex eo, quòd quidam Sanctorum Reliquias exponunt venales, & eas passim ostendunt, Christianæ religioni sit detractum sæpius, ne detrahatur in posterũ, statuimus præsenti decreto, vt antiquæ Reliquiæ amodo extra capsam non ostendãtur, nec exponantur venales. Inuentas autem de nouo nemo publicè venerari præsumat, nisi prius auctoritate Romani Pontificis fuerint approbatæ.

Cæsarius Heisterbacchius. 1220.

Lib. 8. cap. 87. Sanctorum animę, licet semper vultum contemplentur diuinum, habent tamen respectum ad corpora sua, & cùm viderint nos deuotos circa illa, multum in hoc delectantur.

Rodericus Toletanus. 1240.

Rerum Hispanicarum lib. 4. cap. 8. Rex Aldefonsus in altari S. Michaelis posuit arcam Reliquiarum, quam Rex Pelagius & Vrbanus Episcopus vrbis regiæ tempore perditionis Hispaniæ ad Asturias transtulerunt: ad quam hodie ex vniuersis partibus deuotè concurrunt populi Christiani, laudantes Dei beneficia, quæ Dominus Iesus Christus suis fidelibus ibidem impartitur. Et in eadem Ecclesia dicitur esse vestis illa gloriosissima, quam beata Virgo contulit glorioso Pontifici Aldefonso. Hæc autem arca Reliquiarum dicitur Hierosolymis constructa fuisse, & tempore persecutionis PseudoMachometi per mare Hispalim fuisse translata, indeq; Toletum adducta, demum tempore quassationis cum multis alijs Sanctorum Reliquijs in Asturijs collocata.

Lib. 6. cap. 13. Postea adeò (*Rex Toleti*) regem Hispalis infestauit, vt corpus beati Isidori permitteret inde leuari. Quod à duobus Episcopis Aluito Legionẽsi, & Ordonio Astoricensi, multis miraculis coruscantibus translatum est ab Hispali Legionẽ. Aliqui dicunt corpus B. Iustæ cum corpore B. Isidori tunc translatum.

Matthæus Parisius. 1250.

In hist. Angl. de anno 1191. Expugnata Hierosolyma collegerunt Christiani omnes Reliquias Sanctorum, quas in locis sacrosanctis poterant inuenire, & posuerunt eas in quatuor magnis eburneis capsellis, quas Salaadinus intuens, & quid in ijs contineretur diligenter inquirens, iussit deferri apud Baldach, ne Christiani de ossibus mortuorum gloriarentur vlterius, & crederent eos habere intercessores in cælis, quorum ossa venerarentur in terris. Princeps autem Antiochenus, & Patriarcha, cæteriqúe fideles, tanto thesauro nullo modo defraudari volentes, promiserũt sub iuramento se easdem Reliquias redempturos quinquaginta duobus millibus bisanciorum, & si pecuniam præfatam tempore constituto persoluere nequirent, easdem ei Reliquias resignarent. Vnde factum est, vt princeps Antiochenus prædictas Reliquias secum tolleret sigillatas, &c.

Suffridus Misnensis. 1307.

De anno 1162. Imp. Fridericus Mediolanum cepit & expugnauit, tunc Reinoldus Archiepiscopus Colonienſis, qui cum eo erat, impetrauit corpora trium Magorum, qui Christo infanti munera obtulerunt, quæ Mediolani extra muros ante portam Romanam in Ecclesia S. Eustorgij seruabantur pariter in vno sarcophago marmoreo. Quibus impetratis Coloniam gaudens secum tulit, & in Ecclesia maiore honorificè collocauit.

Augustinus Triumphus. 1320.

De potestate Ecclesiastica q. 17. artic. 3. Dubitatio & incertitudo consurgit in Ecclesia de corporibus Sanctorum, & maximè Sanctorum Ecclesiæ primitiuæ: quorum corpora fideles propter rabiem tyrannorum non poterant publicè sepelire. Fide autem Christiana iam per orbem diffusa, & persecutoribus, & tyrannis Ecclesiæ iam demersis, vel conuersis, Sanctorum corpora de locis, in quibus erant indecenter sepulta, per fideles ad loca honorifica & decentia translata sunt. In dubijs aũt, quę sunt in religione Christiana, talis modus seruandus est, secundùm Augustinum de vera religione: Quia vera semper sunt tenenda: dubia verò absq; peccato credi possunt, donec aut respuenda esse vel ratio doceat, aut sanctæ matris Ecclesiæ persuadeat auctoritas. Si ergo Ecclesia, quæ minimè errare potest, & potissimè Romana, quæ nullis hæresibus vnquam succubuit, vt scribitur 24. q. 1. nullam informationem habet de resident ia corporis alicuius Sancti, puto quòd sine peccato piè venerari potest à fidelibus vbicumq; creditur probabiliter esse. Sed si libris vel legendis Ecclesia tradat fidelibus corpus sancti venerari in aliqua Ecclesia, temerarium esset, nec posset sine peccato alibi venerari, potissimè quando per aliquos assereretur pertinaciter ibi esse, quia Ecclesia contrariam informationem tradit fidelibus.

Matthæus Vvestmonasterienſis. 1370.

In Chronicis de anno 446. Ad Albani Martyris peruenientis sepulchrum beatus Germanus, omnium Apostolorum, diuersorumq; Martyrum secũ Reliquias habens, facta oratione iussit reuelli sepulchrum, pretiosa ibidem munera conditurus, arbitrans opportunum, vt membra Sanctorum ex diuersis regionibus collecta, quos pares meritis receperat cælum, sepulchri quoque vnius seuaret hospitium. Quibus honorificè depositis, ac ordinatè sociatis, de loco ipso, vbi Martyris effusus erat sanguis, massam pulueris secum portaturus abstulit, in qua apparebat cruor seruatus ruibuisse per cædem Martyris, pallente persecutore.

Thomas VValdensis. 1410.

Tomo 3. titulo 23. de Reliquijs: Si apud sacerdotem summum inuoluendus erat gladius Goliæ pallio post Ephod, quia tulit eum Dauid quando percussit in valle 1. Regum 21. quæ superstitio est inuoluere gladium Petri, quo percussit Malchum? Luc. 22. Arca testimonij gestanda inuoluebatur pendente ante fores, & rursum operiebatur velamine pellium hyacynthinarum: mensa quoque Propositionis inuoluebatur panno hyacynthino cũ thuribulis, mortariolis, cyathis, & cæteris, Filijs Aaron tantùm ista licebat inuoluere; filijs autem Caath, quibus hæc omnia portare incumbebat, tangere non licebat, immò nec priusquam inuoluerentur inspicere, dicente Scriptura: *Cùm inuoluerint Aaron & filij eius sanctuarium, & cuncta vasa eius, tunc intrabunt filij Caath, vt portent inuoluta, & ne tangant vasa sanctuarij, ne moriantur,* &c. Num. 4. Si ista tam sacra erant, quæ erant seruitura figuris, & nisi Dei sacerdotibus ea nec tractare liceret, nec cernere, priusquam essent pannis inuoluta: quare nos sacras Reliquias non seruamus opertas, remotas à tactu vulgi fidelium; aut ne publicè videantur sudarijs aut sacris palliolis inuoluamus?

Ioannes Gerſon. 1420.

Sermone in die S. Antonij: O felicè dixerim Viennæ & Burgundiæ regionem, quæ venerandis S. Antonij corporis ſacroſancti Reliquijs decoratur: ô felices, qui religioſo, & peculiari quodam tanti Patris obſequio dedicari meruerunt.

Bernardinus Senenſis. 1430.

Tomo 3. in Aſſumptione B. Mariæ Virginis: Si corpora aliorum Sanctorum, & Reliquias, quæ latebant, Deus reuelauit, vt patet de beato Stephano, de beatis Geruaſio & Protaſio, & multis alijs, ſicut hiſtoriæ tradunt, illas ſacras Reliquias & ſanctiſſimum corpus, vt eis debita impenderetur reuerentia, & honor exhiberetur, Deus non reuelaſſet?

Felix Malleolus. 1450.

De furto Reliquiarum nuper in monaſterio beatæ Virginis loci Eremitarum per tres perſonas miraculosè commiſſo: Anno 1448. Dominica Lætare tres viri de terra longinqua & nocte ingruente feras portarum Eccleſiæ & altaris maioris ab antiquo firmiſſimas ibidem aperuerunt, & Reliquias pretioſiores eiuſdem monaſterij, in auro & argento ſolenniter reconditas, ſine impedimento cuiuſcumq; & cum matura quiete ſurripuerunt: & lacũ ibidem nemine præſente transfretârunt. Et dum in animo ſuo proponerent fugere per montes, & colles, & alpes, deuia & inuia, (quia *qui malè agit odit lucem*) & ne per inſequentes deprehenderentur, velociter ambularent, nutu tamen Domini tamquam amentes, & vtique nolentes, per vallem & viam planam, quæ ducit ad oppidum imperiale Thuricenſe ambulauerunt, & ad muros eiuſdem peruenerunt; & exinde per duas leucas & amplius huiuſmodi theſaurum Reliquiarum deportare nequiuerũt, ſed deſperantes in via publica reliquerunt. Et ex poſt inſecuti per familiam oppidanorum Thuricenſium in ipſorum dominio ſunt deprehenſi, & qualiter cum Reliquijs peruenerant de loco ad locum per ordinem edixerunt, & omnia geſta hiſtorialiter prædicta narrauerunt. Quæ quidem Reliquiæ taliter, vt præmittitur, inuentæ cum alijs rebus, conſequenter ad capellam S. Leonardi extra muros Thuricenſes ſunt repoſitæ: mox die Martis, cum magnæ ſolennitatis proceſſione totius cleri, & ſacrarum Reliquiarum obuiam delatione, ad Eccleſiam maiorem Thuricenſem glorioſè ſunt collocatæ.

Ioan. 3.

VVernerus Roleuingius. 1470.

De laudibus VVeſtphaliæ cap. 7. VVitichindus multis donis ditauit Eccleſias, præſertim Oſnaburgenſem, & Mindenſem. Collegium in Engeren fundauit, vbi olim erat principale caſtrum totius VVeſtphaliæ, & poſt bonam ac ſanctam vitam obijt ſeptimo idus Ianuarij, ſepultus in choro ibidem. Oſſa autem propter gloriam miraculorum, quæ per eum Deus facere dignatus eſt, tranſlata ſunt in quadam arca. Habentur ibi iſti verſus:

Oſſa viri fortis, cuius ſors neſcia mortis,
Iſte locus claudit, euge bone ſpiritus audit.
Omnis mundatur, hunc Regem qui veneratur:
AEgros hic morbis cæli Rex ſanat & orbis.

Gabriel Bielius. 1480.

In Canonem Miſſæ lect. 50. Sanctorum Reliquiæ venerandæ ſunt, tamquam ea, quæ fuerunt partes corporum Sanctorum.

ARTICVLVS DECIMVSSEPTIMVS.

CHRISTI ET SANCTORVM EIVS LOCA, MONVMENTA, ET RELIQVIAS VISITARE, EOQVE ORATIONIS ERGO PEREGRINARI, OPVS ESSE PIVM ET CHRISTIANVM.

NEGANT.

Anno post natũ Christum

240. EVSTACHIVS *loca ſanctorum Martyrum & Baſilicas contemnebat.* Socrates lib. 2. cap. 33.

820. *Claudius Taurinenſis peregrinationes fidelium, maximè ad limina Apoſtolorum Petri & Pauli, velut minus vtiles, cauillabatur.* Ionas Aurelianenſis libro de cultu imaginum.

1130. *Henricus Tholoſanus damnabat peregrinationes religionis voto ſuſceptas.* Bernardus epiſt. 241. VVilhelmus Abbas vitæ S. Bernardi lib. 3. cap. 5.

1390. *VVicleuiſtæ idololatriæ damnabant eos, qui ad loca ſancta peregrinabantur.* Thomas VValdenſis Tomo 3. Tit. 15.

1520. Martinus Lutherus Reſponſione ad librum Ambroſij Catarini: *Vndecima Antichriſti facies eſt Reliquiarum veneratio: bella planè, & lucriferaciſſima facies. Hinc excogitatæ peregrinationes innumeræ, quibus ſtultum vulgus operam, pecuniam, & tempus perderet, cùm domi ſuæ interim vel impiè curam negligit, relictis vxoribus & filijs, contra mandatum Dei, vel incomparabiliter meliora operari potuiſſet erga proximum ſuum. Hic enim Dei mandatum: in Reliquijs venerandis aut viſitandis merum ſtudium hominum*

Ioannes

1550. *Ioannes Caluinus*, lib. 4. Inſtit. cap. 13. §. 7. *Peregrinationes votiuas ad loca Sanctorum non ſolùm inanes, ſed etiam plenas manifeſta impietate dicit: non tamen aliter probat, quàm communi ſuo idiomate, quòd omnis voluntarius cultus Deo diſpliceat.*

ASSERVNT SACRÆ LITERÆ.

Deut. 16. v. 5. Non poteris immolare Phaſe in qualibet vrbium tuarum, quas Dominus Deus tuus daturus eſt tibi: ſed in loco, quem elegerit Dominus Deus tuus, vt habitet nomen eius ibi. 16. Tribus vicibus per annum apparebit omne maſculinum tuum in conſpectu Domini Dei tui, in loco, quem elegerit, in ſolennitate azymorũ, & in ſolennitate hebdomadarum, & in ſolennitate tabernaculorum.

1. Reg. 1. 3. Et aſcendebat Elcana de ciuitate ſua ſtatutis diebus, vt adoraret, & ſacrificaret Domino exercituum in Silo.

Luc. 2. 41. Et ibant parentes Ieſu per omnes annos in Ieruſalem, in die ſolenni Paſchæ. Et cùm factus eſſet annorum duodecim, aſcendentibus illis in Ieroſolymam ſecundùm conſuetudinem diei feſti, cõſummatisq; diebus cùm redirent, remanſit puer Ieſus in Ieruſalem: & non cognouerunt parentes eius.

Ioan. 12. 12. In craſtinum autem turba multa, quæ venerat ad diem feſtum, cùm audiſſent quia venit Ieſus Ieroſolymam: acceperunt ramos palmarum, & proceſſerunt obuiam ei, & clamabant: Hoſanna. 20. Erant autem quidam Gentiles ex his, qui aſcenderant, vt adorarent in die feſto.

Act. 8. 27. Vir Æthiops, Eunuchus, potens Candacis reginæ Æthiopum, qui erat ſuper omnes gazas eius, venerat adorare in Ieruſalem.

Act. 20. 16. Feſtinabat Paulus, ſi poſſibile ſibi eſſet, vt diem Pentecoſtes faceret Ieroſolymis.

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Euſebius Cæſareenſis. 320.

Eccleſiaſticæ hiſtoriæ lib. 6. cap. 9. Vnde Alexandrum, cùm tamquam diuino quodam oraculo ex Cappadocum regione, vbi primùm in epiſcopatus gradu fuiſſet locatus, Hieroſolymam tum voti, tum locorum viſendorum cauſa contenderet, illius Eccleſiæ fratres excipiunt benigniſſimè.

Cap. 12. Origenes Adamantius Zephyrino ijſdẽ temporibus Romanam Eccleſiam gubernante, ſcribit ſe Romam propterea iter ſuſcepiſſe, quòd ſibi admodum erat in optatis Eccleſiam Romanam planè antiquiſſimam viſere; vbi non diu commoratus, Alexandriam reuertitur.

Vitæ Conſtantini lib. 3. cap. 41. Helena mater Conſtantini cùm Deo omnium gubernatori debitum piæ mentis & affectionis munus impertire in animo haberet, & pro filio ſuo Imperatore, eiusq; liberis gratias per preces agendas eſſe putaret, ætate iam ingraueſcente, ſingulari quodam cõſilio adducta, venit tum ſacroſanctam terram oculis luſtratura, tum gentes Orientem incolentes conſpectura. Ac poſtquam locis, in quibus Seruatoris erant impreſſa veſtigia, debitam venerationem adhibuerat, idq; conuenienter prophetico ſermoni dicenti: *Adorabimus in loco vbi ſteterunt pedes eius*: pietatis ſuæ monumenta, quibus poſt ſe relictis poſteris hominibus prodeſſet, ſtatim fabricare aggreditur.

Eſa. 60.

De præparatione Euangelica lib. 13. cap. 7. Nos Chriſtiani veræ pietatis milites vt Dei amicos honorantes, ad monumenta ipſorum accedimus, votaq́ue ipſis facimus tamquam viris ſanctis, quorum interceſſione ad Deum non parum adiuuari profitemur.

Baſilius Magnus. 370.

Regularum fuſius diſputatarum Reſponſione 40. Verùm enimuerò neque nundinationes illæ, quæ ad ſepulchra Martyrum celebrari ſolitæ ſunt, conuenire nobis putandæ ſunt: neque enim vllam aliam ob cauſam adeſſe decet Chriſtianos ad Martyrum conditoria, aut iſtis contigua loca inuiſere, quàm orandi cauſa, & vt Sanctorũ conſtantiæ admoniti, in qua illi, ne pietatem amitterent, ad necem vſque fortiter perſeuerârunt, ipſi quoque ad ſimilis fortitudinis æmulationem incitentur.

Amphilochius. 380.

In vita Baſilij: Poſtea Hieroſolymam orationis cauſa ſe dimitti petijt, ſimul etiam vt eius loci miracula videret, &c. Vendamus, inquiunt, (*Baſilius, & Eubulus*,) facultates noſtras omnes, & egenis diſtribuamus; ac deinde proficiſcamur ad ſanctam ciuitatem, viſuri quæ illic ſunt miracula, atque apud Deum fiduciam nobis conciliemus, &c. Vt autem peruenerũt Hieroſolymam, omnia ſacra loca fide & dilectione perquirentes, & in ijs Deum, qui eſt ſuper omnia, adorantes, Maximo eius vrbis Epiſcopo innoteſcunt.

Gregorius Nyſſenus. 380.

Epiſtola ad Olympium Monachum cap. 1. Omninò conſuetudinis illius (*Macrinæ*) oblitus eſſe non debes, cùm ad vrbem Antiochi congreſſi ſumus, quo tempore petebas Hieroſolymam, vt monumenta Chriſti peregrinationis, dum in carne eſſet, inuiſeres, eorumq; ſermonum, quos varijs de rebus inter nos contulimus.

Epiphanius. 380.

In vita Ezechielis: In terra Spyriorum vir ille ſepultus iacet, multiq; ad monumentum eius cõfluunt, ad precationem & obſequium. Sanè quando tanta eò frequentia vnà ad monumentum eius conueniunt, formidant Chaldæi, & metuunt, ne illum auferant. Quapropter egredientem comitantur, & deducunt.

Ioannes Chryſoſtomus. 400.

Homilia 32. in epiſt. ad Romanos: Propterea admiror vrbem Romam non propter copiam auri,

non propter columnas, neque propter aliam phantasiam: sed propter columnas illas Ecclesiæ. Quis mihi nunc dabit circumfundi corpori Pauli, affigi sepulchro, videre puluerem corporis illius, quæ adhuc in Christo deerant adimplentis, stigmata illius gestantis, prædicationem Euangelij vbiq; seminantis? Puluerem, inquam, oris illius, p quod Christus locutus est, per quod lux emicuit quouis fulgore clarior, & vox exilijt dæmonibus quouis tonitru terribilior, per quod beatum illud verbum locutus est: *Optabam anathema esse pro fratribus meis*: per quod locutus est corã regibus, & non est confusus: per quod Paulum didicimus, per quod Pauli Dominum. Tonitru ita terribile nobis non est, quemadmodum vox illa dæmonibus. Si enim vestimenta ipsius horruerunt, multò magis vocem, &c. Et quid opus est singula recensere? Vellem videre sepulchrum, quo recondita sunt arma illa iustitiæ, arma lucis, membra nunc viuentia, tum verò, cùm in hac vita essent, emortua, in quibus omnibus viuebat Christus, quæ mundo fuerunt crucifixa, membra Christi.

Rom. 5.

Homilia 8. in epist. ad Ephesios: Nihil est illa catena beatius. Vellem nunc esse in illis locis, in quibus dicuntur manere illa vincula, & meritò viros illos (*Petrum & Paulum*) admirarer, propter Christi desiderium. Vellem videre catenas, quas pertimescunt quidem & horrent dæmones, reuerentur autem Angeli. Nihil est melius, quàm malè pati propter Christum, &c. Si ab Ecclesiasticis curis essem remotus, & esset mihi corpus sanum ac validum, non recusarem hanc susc ipere peregrinationem, vt solùm viderem catenas, vt carcerem, in quo fuit vinctus.

Homilia 66. ad populum Antiochenum: Christus tũc omnem terrarum orbem traxit ad se adorandũ, cùm mortuus fuisset. Et quid de Christo loquor, cùm & discipulos, postquam obierunt, tunc effulgere fecerit? Quid dico discipulos? Nam & eorum loca, & sepulchra, & tempora perenni memoria celebrari curauit, &c. Itaq; quò regias quidem aulas videat nullus vnquam peregrinatus fuerit: multiverò reges plerumque huius spectaculi gratia peregrinati sunt. Futuri namque iudicij vestigia & signa Sanctorum ædes exhibent, vbi dæmones flagellantur, corriguntur homines, & liberantur.

Synesius. 410.

Hymno 3.

Templa verò quotquot
Extructa sunt, ô Rex,
Vt tuis sanctis
Seruiant sacris,
Omnia adij,
Procumbens supplex
Solum palpebrarum
Rigans roribus,
Ne mihi inane
Iter contingeret,
Supplex orauí Deum.

Ioannes Cassianus. 430.

Lib. 4. Inst. cap. 31. Abbas Pynufius conscendens nauem in Palæstinæ partes commeare curauit, credens se tutius latitaturũ, si ad illa semetipsum asportasset loca, in quibus ne nomen quidem suum fuisset auditum. Quò cùm aduenisset, nostrũ monasterium protinus expetiuit, quod non longè fuit à spelæo, in quo Dominus noster Iesus Christus ex Virgine nasci dignatus est. In quo permodico tempore delitescẽs, secundùm sentẽtiam Domini, tamquam ciuitas super montem posita, diutius abscondi non potuit. Nam continuò quidam fratrum, qui ad loca sancta de AEgypti partibus orationis causa conuenerant, agnitum eum summa vi precum ad cœnobium suum reuocârunt.

Palladius. 430.

Historiæ Lausiacæ cap. 113. Philoromus pedestri itinere venit Romam vsque ad orandum in Martyrio sanctorum Petri & Pauli. Peruenit etiam vsque Alexandriam, cùm vouisset in Martyrium venerandi athletæ Marci. Dignus autem, inquit, sum habitus, qui voti gratia bis proprijs pedibus venirem Hierosolymam ad honoranda loca sancta, & ipse mihi suppeditaui impensas.

Cap. 118. Ruffinus presbyter Aquileensis, & Melania Hierosolymis excipiebat eos, qui veniebãt eò voti causa, Episcopos, monachos, & virgines, & omnes qui aduentabant suis fouebant expensis.

Sozomenus. 440.

Lib. 2. cap. 1. Per idem tempus Helena Imperatoris mater Hierosolymam venit, cùm precandi causa, tum loca illa sancta visendi.

Cap. 13. Milles peram solùm, in quo sacratum Euangeliorum librum habebat, gestans, Hierosolymam precatum se contulit.

Cap. 25. Ex quo tempore Ecclesia Hierosolymitana quotannis diem festum splendidè admodũ celebrat, adeò vt in eo initiationes sacrorum peragantur, & dies octo deinceps conuentus fiant: complures q; ex omnibus totius orbis terræ partibus, qui vndique ad sacra loca visenda confluerent, tempore quo hic dies festus celebrabatur, eò conuenirent.

Socrates. 440.

Lib. 7. cap. 46. Theodosius Imperator Eudoxiam coniugem Hierosolymam misit. Quippe pollicitus erat, illam hoc votum persoluturam, si filiam in matrimonio collocatam cerneret. Quin illa ipsa & Ecclesias Hierosolymorum, & omnes alias in vrbibus versus Orientem sitas cùm eò proficiscendo, tum domum redeundo, varijs ornamentis honorificè illustrauit.

Theodoretus. 450.

Lib. 8. Græcarum affectionum: Martyrum templa per annum non semel, aut bis, aut quinquies aduentamus, sæpe diebus singulis eorum Domini laudes hymnosq; cantamus, piè verò fideliterq; precatos, ea maximè consequi quæ desiderant, testantur illa, quæ votorum rei dona persoluunt, manifesta nimirum adeptæ sanitatis indicia.

Historia religiosa cap. 9. de Petro Eremita: Hic primo tempore certauit in Galatia. Illinc videndi gratia peruenit in Palæstinam, vt cùm vidisset loca, quæ susceperũt salutares passiones, in his Deum, qui seruauit, adoraret: non vt qui loco circumscribatur: sciebat enim eius naturam non posse circumscribi: sed vt pasceret oculos spectaculo eorum, quæ desiderantur: nec sola animæ vis, qua contemplatur, absque visu, spiritali alimento per fidem frueretur. Ijs enim, qui amore aliquem prosequuntur, est à natura insitum, vt non ex solo eius aspectu capiant voluptatem, sed & domum, & vestes, & calceos contemplentur cum magna lætitia.

Cap. 29. de Marana & Cyra: Cùm aliquando desiderassent salutarium Christi passionum sancta loca contemplari, venerunt ad AEliã, cùm in via nihil cibi sumpsissent. Sed postquam in illam vrbem venerunt, & adorationem impleuerunt, cibum sumpserunt, & reuersæ sunt rursus à ieiunijs confecto

confecto itinere. Est autem iter non pauciorum quàm viginti dierum.

Basilius Seleucius. 460.

De Verbi incarnatione: Constat namque saxa Sanctorum corpora ita tegere, vt ipsi tum (si eo tamen, quo par est, modo adeantur) sibi addictos tueri ac conseruare non desinant.

Cyrillus Eremita. 540.

Vita S. Sabæ cap. 7. Quædam in corde agitans, cùm diuini desiderij nullum modum nõsset, nec satietatem, in animo habebat ire in sanctam ciuitatẽ, & contemplari loca sancta, lustrareq; & visere patres, qui erant in solitudine. Accedit itaque ad Præfectum monasterij, & animum aperit, atque ab eo petit, vt liceat secedere. Qui cùm non permitteret, ad eum è superis diuina quædam aduenit visio, mandans, vt Sabam dimittat, nec prohibeat, quò minus peregrè proficiscatur. Ille ergo persuasus visione, eum dimisit. Ille autẽ id quod desiderabat consecutus, & cum precibus illinc dimissus, Deo duce pulchri illius itineris, tendit Hierosolymam.

In vita S. Euthymij: Euthymius anno ætatis 29. ad adoranda & veneranda sacra loca prompto & alacri animo vadit Hierosolymam.

Iacobus Diaconus. 560.

Vita S. Pelagiæ cap. 11. Octauo die nocte nobis prorsus inscijs surrexit, deponensq; baptismatis vestem, cilicinam induit, nec postea vnquam Antiochiæ visa est, sed abijt Hierosolymam, & in monte Oliueti, vbi Dominus precatus est, sibi cellam construxit. Nam diu post & mihi cupido incessit proficiscendi Hierosolymam, & adorandi illic resurrectionem Domini Saluatoris.

Antiochus. 600.

Epistola nuncupatoria ad Eustachium prope finem: Sed & sanctæ Assumptionis ædem à fundamento exædificat, adeò vt per hæc læta initia de futuris quoque spes amplissimas concipiamus, idq́ue vel ob eos maximè, qui huc sperantur venturi ab externis regionibus, sancta hæc loca vt adorent, vt omnes in commune glorificemus Deum.

Leontius. 600.

Vita Simeonis Sali cap. 3. Tempore Iustiniani Imperatoris, cùm accederent ij, qui erant Christi amantes, & pro more sancta Christi loca cupiebãt adorare, quæ sunt in sancta ciuitate, in Exaltatione pretiosæ & viuificæ crucis (nõrunt autem omnes, qui illic adesse consueuerunt in hoc sancto, & omnibus laudibus celebrando festo, q; ex vniuerso ferè terrarũ orbe cõcurrit multitudo populorum, quæ crucem & Christum diligit) accidit, vt in hoc venerabili festo duo quidam iuuenes se inuicem conuenirent.

Cap. 20. Simeon contendit recto cursu in sanctam Christi Dei nostri ciuitatem. Valde enim, vt dicebat, sitiebat, & vehementi ardebat desiderio iam longo tempore fruendi locis sacris. Cumq́ue venisset ad sanctum & viuificum Christi monumentum, sanctumq; & salutare, & victoria insigne cranium, impleuit suum desiderium. Mansit autem tres dies residens in sancta ciuitate, ingrediens & adorans ex omni parte veneranda loca Domini.

Ioannes Moschus. 610.

In prato spirituali cap. 151. Ioannes Persa iuit Romam, vt adoraret ad sepulchrum sanctorum Apostolorum Petri & Pauli.

Cap. 174. Intrauit nauim scriba cum vxore sua profecturus ad sanctam ciuitatem orationis causa.

Cap. 180. Ioannes Anachoreta quoties abire volebat ad locum aliquem, vel per vastam solitudinem, siue Hierosolymam, ad adorandam sanctam Crucem, & venerabilia loca, vel in Sinai montem orationis gratia, siue ad Martyres distantes ab Hierosolymis multis prolixisq; interuallis (erat enim senex Martyrum reuerentię mirabiliter deditus: & nũc quidem pergebat Ephesum, ad S. Ioannem: nunc autem Euchaitam, ad S. Theodorum: nunc verò ad S. Theclam, in Seleuciam Isauriæ: nunc ad S. Sergium, in Saraphas: & modò ad istum, modò ad illum Sanctum, &c.

Georgius Presbyter. 620.

In vita Theodori Archimandritæ: Cùm igitur ad eum venisset mater eius cum sorore, & ambarum parente, communicato cum illis consilio, & inuento ex prouidentia Dei itineris duce, iter suscepit: & præ animi desiderio laborem itineris non sentiebat. Peruenit tandem ad optatam sanctorũ locorum ciuitatem Hierusalem, & crucem salutiferam, sanctamq; resurrectionem, & almum præsepe, atque gloriosam ascensionem, & reliqua omnia salutaris mortis, & conuersationis magni Dei, & Saluatoris nostri Iesu Christi monumenta adorauit: inuisitq; cuncta monasteria, & omnes passim in cellis inclusos Patres, & ab illis benedictionem accipiens, præstantiorum vitę rationem, & instituta perdiscebat.

Ioannes Hierosolymitanus. 800.

Vitæ Ioannis Damasceni cap. 16. Hierosolymam profectus, cùm in his venerandis locis adorationis munere, vt par erat, perfunctus fuisset, tamquam ceruus diuina siti flagrans, in solitudinem contendit, atque ad diuini viri Sabæ Lauram se confert.

Theodorus Studites. 830.

Epistola de honore imaginum: Vos autem fratres huc incumbite, ac scitote etiamnum præter dicta à sanctis Patribus nostris, pariter & à nobis humilibus, quòd loca, in quibus natus est Christus, sancta sunt, & habenda veneratione, atque adoranda prædicantur, & si quis illinc acceperit siue puluisculum, seu lapidem, eum adornat, & complectitur quasi peculiarem thesaurum, aut sacras quasdam Reliquias.

Simeon Metaphrastes. 950.

In vita Ioannis Eleemosynarij: Intercessit aliquantum temporis, & quidam, qui erant ejusdem cuius Petrus regionis, arte aurifices, voti causa & adorationis peruenerunt ad loca veneranda.

In vita S. Codrati, S. Cypriani, &c. Sicilli, qui virtutem complexi, se viros fortes ac strenuos in rebus arduis præstiterunt, & cum Christo coniuncti sunt, non solùm à præsentibus laudantur, sed ex vltimis terrarum finibus visuntur; & tamquã mundi stellæ cœtu suo coronam conficiunt.

In vita S. Melanę: Cùm sic septem annos decertasset, eam subijt cogitatio longioris peregrinationis: Dicebat enim oportere ad sacra etiam loca accedere, & etiam videre Hierusalem, & obire, & adorare omnia, quæ illic sunt miracula. Cumq; ei ita visum esset, mare eam fuscepit, & peruenerunt Alexandriam.

Ioannes Zonaras. 1100.

In Theodosio iuniore: Eudocia cùm se inuisam cerneret, facultatem abeundi Hierosolymam petit; quò cum magnis opibus profecta, & templa

ædifi-

ædificauit, & pauperibus, eiusq; loci monasterijs multa dedit.

Georgius Cedrenus. 1110.

In Theodosio: Magnus Theodosius Hierosolyma intrare cupiens, eò habitu priuati hominis se contulit, venitq́ue ad portam S. Anastasiæ: cùm eam pulsasset, famulus quidam aperuit. Cùm verò lucernæ essent extinctæ, Imperatoris intuitu vniuersæ accensæ subitò sunt, vt in solennitate. Ianitor attonitus miraculo, eum ad Ioannem Pontificem maximũ adduxit. Qui vt eum agnosceret, Deum precando est consecutus, beatumq; prædicauit, qui cùm esset Imperator, tali habitu venisset adoratum loca sacra.

Nicetas Choniates. 1200.

In Ioanne Comneno: Cæterùm vera causa erat, quæ in exercitum minimè efferebatur: sed maximè dissimulabatur, quòd Antiochiam cum Constantinopoli coniungere, atque inde religiosa loca visere, & vitale Christi sepulchrum magnificis donis ornare, ac finitimos barbaros profligare perpetuò cupiebat.

Nicephorus. 1300.

Lib. 5. cap. 10. Alexander Cappadocum Antistes ex ipsa Cappadocia Hierosolymitanam profectionem precationis ergò, atque vt res ibi peractas cognosceret, suscepit.

Lib. 9. cap. 32. Ea res in terras omnes promulgata homines consternauit, quòd eam ex prouincijs cunctis, qui peregrè precationis ergò Hierosolyma venerant, vbique euulgarent.

Lib. 14. cap. 23. Eudocia Theodosij coniunx cùm desiderio coniugij Eudoxiæ filiæ videndæ teneretur, voto seipsam obligauit, vbi nuptiæ filiæ confectæ essent, se Hierosolyma adituram, vt simul & loca sancta veneraretur, & debitas Seruatori, ob innumerabilia ab eo accepta dona, ageret gratias.

Ioannes Cantacuzenus. 1360.

Apolog. 3. Post mortem Martyrum concurrerũt ad sepulchra & monumenta horum homines, & sanati sunt à morbis.

Gennadius Scholarius. 1450.

De primatu Papæ sect. 12. Ibi oportet esse Ecclesiã, vbi Christi signum refulget, vbi palam Christi fides prædicatur, vbi terræ Reges & Principes venientes ad sacra loca inspicienda, & Apostolorũ capita adoranda, vnà cum illis & præsidem eorum Pontificem adorant, & eius pedibus aduoluuntur.

Emmanuel Malaxus Constantinopolitanus. 1580.

De Patriarchis Hierosolymitanis cap. 19. de Hieremia: Statuit autem adire Hierosolymam, ad sepulchrum, in quo vitæ fons iacuerat Dominus noster Iesus Christus: rebusq; profectioni necessarijs comparatis, secum Clericos, & Diaconos, & Monachos non consecratos duxit: traiectus in terram excensum fecit, Hierosolymamq; inijt. Ibi sanctum Christi sepulchrum adorauit, cæteraq́ue sancta loca, & singularem voluptatem cepit, quòd tanta ipsum gratia Deus dignatus esset.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Ambrosius. 370.

Sermone 33. An putatis illum ieiunare fratres, qui primo diluculo non ad Ecclesiam vigilat, nõ beatorum Martyrum loca sancta perquirit, sed surgens congregat seruulos, disponit retia, canes producit, saltus syluasq; perlustrat?

Oratione de exitu, vita, & virtutibus Theodosij Imp. Helena magna fœmina, quæ multò amplius inuenit, quod Imperatori conferret, quàm quòd ab Imperatore acciperet: anxia mater pro filio, cui regnũ orbis Romani cesserat, festinauit Hierosolymam, & secuta est locum Dominicæ passionis. Stabulariam hanc primò fuisse asserunt, sic cognitam Constantio seniori, qui postea regnum adeptus est. Bona stabularia, quæ tam diligenter ꝑsepe Domini requisiuit, &c. Venit ergo Helena, cœpit reuisere loca sancta, infudit ei Spiritus, vt lignum crucis inquireret, accessit ad Golgatham, & ait: Ecce locus pugnæ, vbi est victoria? Quæro vexillum salutis, & non inuenio: Ego, inquit, in regnõ, & crux Domini in puluere, &c.

Eusebius Vercellensis. 370.

Epistola in exilio scripta: Sed concessit mihi Dominus hanc epistolam per charissimum nostrum Syrum Diaconum ad vos mittere, quem in potestate mittendi habui: quia prouidentia Domini nostri eo tempore ad videnda loca sancta accesserat, & cum cæteris fratribus inuentus non est.

Prudentius. 380.

Hym. 11. de S. Hippolyto:

Mane salutatum concurritur, omnis adorat
Pubes, eunt, redeunt, solis ad vsque obitum:
Conglobat in cuneum Latios simul, & peregrinos
Permistim populos religionis amor.
Oscula perspicuo figunt impressa metallo,
Balsama diffundunt, fletibus ora rigant.
Iam cùm se renouat decursis mensibus annus,
Natalemq; diem passio festa refert:
Quanta putas, studijs certantibus agmina cogi
Quaue celebrando vota coire Deo?
Vrbs augusta suos vomit, effunditq; Quirites,
Vnà & Patricios ambitione pari.
Confundit plebeia phalanx vmbonibus equis
Discrimen procerum, præcipitante fide.
Nec minus Albanis acies se candida portis
Explicat, & longis ducitur ordinibus.
Exultant fremitus variarum hinc inde viarum:
Indigena, & Picens, plebs & Hetrusca venit.
Concurrit Samnitis atrox, habitator & alta
Campanus Capuæ, iamq; Nolanus adest.
Quisq; suæ lætus cum coniuge, dulcibus & cum
Pignoribus rapidum carpere gestit iter.
Vix capiunt patuli populorum gaudia campi,
Hæret & in magnis densa cohors spatijs.
Angustum tantis illud spectus esse caterua
Haud dubium est, ampla fauce licet pateat.
Stat sed iuxta aliud quod tanta frequentia templum
Tunc adeat cultu nobile regifico.

Hymno 1. de Hemiterio & Cheledonio:

Hic calentes hausit vndas, cade tinctus duplici.
Illitas cruore sancto nunc arenas incolæ
Confrequentant obsecrantes voce, votis, munere.
Exteri nec non & orbis huc colonus aduenit:
Fama nam terras in omnes præcucurrit proditrix,
Hic patronos esse mundi, quos precantes ambiant.

Hieronymus. 390.

Epist. 17. cap. 6. Longum est nunc ab ascensu Domini

mini, vsque ad præsentem diem per singulas ætates currere, qui Episcoporum, qui Martyrum, qui eloquentium in doctrina Ecclesiastica virorum venerint Hierosolymam, putantes minus se religionis, minus habere sciẽtiæ, nec summam, vt dicitur, manum accepisse virtutum, nisi in illis Christum adorassent locis, de quibus primum Euangelium de patibulo coruscauerat.

Epist. 27. c. 3. Paula cũcta loca Hierosolymis tãto ardore ac studio circũiuit, vt nisi ad reliqua festinaret, à primis non posset abduci, prostrataq; ante crucem, quasi pendentem Dominum cerneret, adorabat. Ingressa sepulchrum, resurrectionis osculabatur lapidem, quem ab ostio monumenti amouerat Angelus: & ipsum corporis locum, in quo Dominus iacuerat, quasi sitiens desideratas aquas, fideli ore lambebat. Quid ibi lachrymarum, quantum gemituum, quid doloris effuderit, testis est cuncta Hierosolyma, testis est ipse Dominus, quem rogabat. Inde egrediens ascendit Sion, quæ in arcem vel speculam vertitur.

Cap. 4. Ostendebatur illi columna, Ecclesię porticum sustinens, infecta cruore Domini, ad quam vinctus ducitur, & flagellatur. Monstrabatur locus, vbi super centum viginti credẽtium animas Spiritus sanctus descendisset, vt Ioëlis vaticinium cõpleretur. Deinde pro facultatula sua pauperibus atque conseruis pecunia distributa, perrexit Bethlehem, & in dextra parte itineris stetit ad sepulchrum Rachel, in quo mater Beniamin, vt pater prophetauit in spiritu, filium dexteræ procreauit. Atque inde Bethlehem ingressa, & in specum Saluatoris introiens, postquam vidit sacrum Virginis diuersorium, & stabulum, in quo agnouit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui, me audiente iurabat cernere se oculis fidei infantem pannis inuolutum, vagientem in præsepe Dominum.

Epistola 46. ad Rusticum cap. 5. Cùm vos (*te & vxorem*) rabies barbarorum & imminens captiuitas separaret, sub iurisiurandi testificatione pollicitum, vt ad sancta transeuntem loca, vel statim, vel postea sequereris, & seruares animam tuam, quã visus fueras negligentia perdidisse. Redde igitur, quod præsente Deo spopondisti. Incerta est vita mortalium, ne ante rapiaris, quàm tuam impleas sponsionem. Imitare eam, quam docere debueras. Proh pudor, fragilior sexus vincit seculum, & robustior superatur à seculo. Tanti dux fœmina facti est, & non sequeris eam, in cuius salute candidatus es fidei? Tu vagaris in patria, imò non patria, quia patriam perdidisti: ista pro te in locis venerabilibus resurrectionis, & crucis, & incunabulorum Domini Saluatoris, in quibus paruulus vagijt, tui nominis recordatur, teq; ad se orationibus trahit, vt si non tuo merito, saltem huius salueris fide.

Epist. 154. ad Desiderium: Hortor vos, & precor per Domini charitatem, vt nobis vestros tribuatis aspectus, & per occasionem sanctorum locorum tanto nos ditetis munere. Certè si consortia nostra displicuerint, adorasse vbi steterunt pedes Domini pars fidei est, & quasi recentia natiuitatis, & crucis, ac passionis vidisse vestigia.

Ruffinus. 390.

Libro 1. cap. 7. Per idem tempus Helena Constantini mater, fœmina incomparabilis fide & religione animi, ac magnificentia singulari, cuius iure Constantinus & esset filius, & crederetur, diuinis admonita visionibus Hierosolymam petit, atque ibi locum, in quo sacrosanctum corpus patibulo affixum pependerat, ab incolis perquirit.

Libro 2. cap. 28. Sed Dei prouidentia factum est, quosdam de Hierosolymis ex Monasterio Philippi hominis Dei, orationis illuc causa per idem tempus venisse, &c.

Cap. 33. Igitur præparatur ad bellum (*Theodosius*) non tam armorum, telorumq;, quàm ieiuniorum orationumq; subsidijs: nec tam excubiarum vigilijs, quàm obsecrationum pernoctatione munitus: circumibat cum sacerdotibus & populo omnia orationum loca, ante Martyrum & Apostolorum thecas iacebat cilicio prostratus, & auxilia sibi fida Sanctorum intercessione poscebat.

Gaudentius Brixiensis. 400.

Tractatu de die dedicationis Basilicæ Sanctorum: Iam quid, post istos docens, de quadraginta Martyribus dignum loquar, qui se itineri meo, cùm per vrbes Cappadociæ Hierusalem peterem, fideles comites præbere dignati sunt?

Augustinus. 400.

Epist. 42. ad Madaurenses Idololatras: Videtis ipsa simulachra vel confringi, vel incendi, vel includi, vel destrui, & contra eadem simulachra, pro quibus huius seculi ipsæ potestates Christianos occidebant, impetus suos legesq; vertisse, & imperij nobilissimi eminentissimum culmen ad sepulchrum piscatoris Petri, submisso diademate, supplicare. Hæc omnia Scripturæ diuinæ, quæ in manus omnium iam venerunt, ante longissima tempora futura esse testatæ sunt.

Epist. 137. Ad clerum populumq; Hipponensem: In qua eius prouocatione cùm videre Bonifacium nolle quibuslibet infirmis, & ad suspitionẽ propẽsis, de suæ vitæ dubitatione scãdalũ fieri, paratumq; esse honoris sui apud homines damnũ perpeti potius, quàm in ea cõtentione, in qua nõ posset ignorãtibus, & dubitantibus, vel ad malè suspicandũ procliuioribus suam demonstrare conscientiam, vsque ad Ecclesiæ perturbationem inaniter progredi: elegi aliquid medium, vt certo placito se ambo constringerent, ad locum sanctum se peregrinaturos; vbi terribiliora opera Dei non sanam cuiusque conscientiam multò facilius aperirent, & ad confessionem vel pœna vel timore compellerent. Vbiq; quidem Deus est, & nullo continetur, vel includitur loco, qui condidit omnia, & eum à veris adoratoribus in spiritu & veritate oportet adorari, vt in occulto exaudiens, in occulto etiam iustificet & coronet: veruntamen ad ista, quæ hominibus visibiliter nota sunt, quis potest eius consiliũ perscrutari, quare in alijs locis hæc miracula fiant, in alijs non fiant? Multis enim notissima est sanctitas loci, vbi B. Felicis Nolensis corpus conditum est, quò volui vt pergerent, quia inde nobis facilius fideliusq; scribi potest, quicquid in eorũ aliquo fuerit diuinitus propalatum.

Seuerus Sulpitius. 410.

De virtutibus monachorum Orientalium Dialogo 1. c. 1. Ante hoc triennium, vbi Narbona nauim soluimus, adeò prospera, Dei nutu, nauigatio fuit; libuit animo ire Carthaginem, loca visitare Sanctorum, & præcipuè ad sepulchrum Cypriani Martyris adorare.

Sacræ historiæ lib. 2. Helena mater Constantini, cùm Hierosolymam agnoscere concupisceret, reperta ibi idola ac templa protriuit: mox vsa regni viribus, Basilicam in loco Dominicæ passionis & resurrectionis, & ascensionis constituit. Illud mirum, quòd locus ille, in quo postremum institerant diuina vestigia, cùm in cælum Dominus nube sublatus est, continuari pauimẽto cum reliqua stratorum parte non potuit. Siquidem

quæcumque applicabantur, insolens humana recipere terra respueret, excussis in ora apponentium sæpe marmoribus: quin etiam calcati Deo pulueris adeò perenne documentum est, vt vestigia impressa cernantur. Et cùm quotidie confluentium fides certatim Domino calcata diripiat, damnum tamen arena non sentit: & eadem adhuc sui speciem, velut impressis signata vestigijs terra custodit.

Paulinus Nolanus. 420.

Natali 3.

Nec modus est populis coeuntibus agmine denso,
Nec requies, properant in lucem à nocte, diemq́;
Expectare piget, votis anidis mora noctis
Rumpitur, & noctem flammis funalia vincunt,
Stipatam multis vnam iuuat vrbibus vrbem
Cernere, totq́; vno compulsa examina voto.
Lucani coëunt populi, coit Appula pubes,
Et Calabri, & cuncti, quos adluit æstus vtergq;
Qui læua & dextra Latium circumsonat vnda,
Et qua bis ternas Campania læta per vrbes,
Ceu propriis gaudet festis quos mœnibus amplis
Dines habet Capua, & quos pulchra Neapolis, aut quos
Gaurus alit, &c.
Roma Petro Pauloq́; potens rarescere gaudet
Huius honore Dei, portæq́; ex ore Capena
Millia profundens ad amicæ mœnia Nolæ
Dimittit duodena decem per millia denso
Agmine, confertis longè latet Appia turbis.

Natali 8.

Omni namque die testes sumus vndique crebris
Cœtibus aut sanos gratantia reddere vota,
Aut ægros varias petere ac ambire medelas.
Cernimus & multos peregrino à littore vectos
Ante sacram sancti prostratos Martyris aram,
Dum referunt grates tolerata referre pericla,
Testantes validis collisa naue procellis
Se raptos, miserante Deo, Felicis & ipsa
Educente manu, marij emersisse profundo.

Leo Primus. 450.

Sermone 1. de ieiunio Pentecostes cap. 4. Sabbato apud beatissimum Petrum Apostolum Vigilias celebremus: cuius nos orationibus & à spiritualibus inimicis, & à corporeis hostibus confidimus liberari.

Gennadius Massilienſis. 490.

De Ecclesiasticis dogmatibus cap. 73. Sanctorum corpora, & præcipuè sanctorum Martyrum Reliquias, ac si Christi membra, synceriſſimè honoranda, & Basilicas eorum nominibus appellatas, velut loca sancta diuino cultui mancipata, affectu pijssimo & deuotione fidelissima adeundas credimus. Si quis contra hanc sententiam venit, non Christianus, sed Eunomianus, & Vigilantianus creditur.

Ennodius Ticinenſis. 500.

In vita Epiphanij Ticinensis: De Tholosanis partibus aliquando regrediens, singula sanctarum habitationum loca visitabat.

Adelinus Sagienſis. 530.

In vita S. Opportunæ: Godegrandus Episcopus cùm amore cælestis patriæ ad limina beatorum Apostolorum Petri & Pauli, & diuersa loca Sanctorum orationis causa vellet peregrinando circũire, & secum isthuc deliberaret, velletq́; tali in opere septem annorum curricula transigere, vt laborando, peregrinando, & orando, posset delictorum veniam & gaudia æterna obtinere, disposita Ecclesiæ suæ administratione, cœpit misericordiam Dei inuocare, vt custos eius esse dignaretur in concepto itinere.

Marcellinus Comes. 540.

In Chronicis Indict. VI. Vincomalo & Opilione Coss. Ioannes Præcursor Domini caput suum, quod olim Herodes, impia infandaq́; postulatione, ab humeris amputatum, & in disco positum accepit, proculq́; à truncato eius corpore sepeliuit, duobus Orientalibus monachis, ob adorandam apud Hierosolymam Christi resurrectionem introeuntibus reuelauit.

Gregorius Turonenſis. 580.

In vitis Patrum cap. 8. De S. Nicetio: Agilulphus Diaconus noster Roma veniens beata nobis Sanctorum pignora deferebat. Hic causa orationis tantùm locum, quo Sanctus quiescit, adiuit. Ingressusq́; ædem, dum diuersorum miraculorum opus illustre perpendit, vidit immensum cateruatim populum ad eius sepulchrum, velut felicium examina apum ad consuetum alueare, confluere, & alios, Presbytero, qui aderat, ministrante, particulas ceræ pro benedictione sumere: alios parumper pulueris, nonnullos disruptas ab opertorio eius fimbrias carpere, & abire, ferentes in disparibus causis vnam gratiam sanitatis.

Fortunatus. 580.

Libro 4. vitæ S. Martini:

Inde Rauennatem placitam pete dulcius vrbem,
Pulpita Sanctorum per religiosa decurrens:
Martyris egregij tumulum Vitalis adora,
Mitis & Vrsicini, Pauli sub sorte beati:
Rursus Apollinaris pretiosi limina lambe,
Fusus humi supplex, & templa per omnia curre.

Beda. 700.

De ratione temporum lib. 2. Ceolfridus Abbas Romam orationis causa profectus, in itinere obijt.

Historiæ Anglorum lib. 5. cap. 7. Anno regni Altfridi tertio Cedualla Rex Occidẽtalium Saxonum, cùm genti suæ duobus annis strenuissimè præfuisset, relicto imperio, propter Dominum regnumq́; perpetuum venit Romam; hoc sibi gloriæ singularis desiderans adipisci, vt ad limina beatorum Apostolorum fonte baptismatis ablueretur, in quo solo didicerat generi humano patere vitæ cœlestis introitum.

Gregorius Tertius. 731.

Epistola 2. Bonifacius post temporum spatia orationis causa ad limina beatorum Apostolorum sese præsentauit, & quæ ad salutem animarum pertinent, à nobis exposcit imbui.

Aribo Frisingenſis. 770.

Vitæ S. Corbiniani cap. 4. Tunc demum iniens cõsilium, ad limina sacratissima beatorum Apostolorum Petri & Pauli orationis causa ire decreuit; & ibi se Apostolici viri doctrinæ & orationibus commendare.

Marcellinus Presbyter. 770.

Vitæ S. Suiberti cap. 4. Eodem tempore tanta erat deuotio hominum Angligenarum, postquam tota insula fidei sacramentis erat imbuta, vt non solùm nobiles, ignobiles, clerici, laici: verùm etiam Reges, & filij Regum de gente Anglorũ, spretis regnis, & delicijs mundi, eligerent ex maxima deuotione ad tempus peregrinari pro Christo in terris.

Paulus Diaconus. 770.

De gestis Longobardorum lib. 6. cap. 15. al. 4. Cedoaldus Rex Anglorum Saxonum, ad Christum conuersus, Romam properauit, vbi à Papa Sergio baptizatus, ad regna cælestia migrauit. Cuius corpus in Basilica B. Petri sepultum est, & hoc super se epitaphium descriptum habet:

Culmen, opes, sobolem, polentia regna, triumphos
Armipotens Cedoald liquit amore Dei:
Vt Petrum, sedemq́; Petri Rex cerneret hospes,
Cuius fonte sacras sumeret albus aquas, &c.

Carolus Magnus. 800.

Epistola ad Offam Merciorum Regem: Primò gratias agimus omnipotenti Deo, de salute animarum vestrarum, de Catholicæ fidei synceritate, quam in vestris laudabiliter paginis reperimus exaratam. De peregrinis verò, qui pro amore Dei & salute animarum suarum, beatorum Apostolorum limina desiderant adire, cum pace & sine omni perturbatione vadant.

Synodus Cabilonenſis. 810.

Cap. 45. A quibusdam, qui Romam, Turonumve, & alia quædam loca sub prætextu orationis inconsultè peragrant, plurimum erratur. Sunt Presbyteri, & Diaconi, & cæteri in clero constituti, qui negligenter viuentes, in eo purgari se à peccatis putant, & ministerio suo fungi debere, si præfata loca attingant. Sunt nihilominus laici, qui putant se impune aut peccare, aut peccasse, quia hæc loca oraturi frequentant. Sunt quidam potentum, qui acquirendi census gratia, sub prætextu Romani seu Turonici itineris, multa acquirunt, multos pauperum opprimunt; & quod sola cupiditate faciunt, orationum siue sanctorum locorum visitationis causa se facere videri affectant. Sunt pauperes, qui vel ideo id faciunt, vt maiorem habeant materiam mendicandi. De quorum numero sunt illi, qui circumquaq́; vagantes, illò se pergere mentiuntur, vel quia tantum sunt vecordes, vt putent se sanctorum locorum sola visione à peccatis purgari, non attendentes, quod ait Beatus Hieronymus: Non Hierosolymam vidisse, sed Hierosolymis bene vixisse, laudandum est. De quibus omnibus Domini Imperatoris, qualiter sint emendanda, sententia expectetur. Qui verò peccata sua sacerdotibus, in quorum sunt parochijs, confessi sunt, & ab his agendæ pœnitentiæ consilium acceperunt, si orationibus insistendo, eleemosynas largiẽdo, vitam emendando, mores componendo, Apostolorum limina, vel quorumlibet Sanctorum inuisere desiderant, horum est deuotio modis omnibus collaudanda.

Æmoinus. 825.

Historiæ Francorum lib 3. cap. 9. Beatissimus Germanus Præsul Parisianę vrbis ad loca sancta Hierosolymam pergens, indeq́ue rediens præfatum Principem adijt, à quo honorificè susceptus est.

Libro quarto cap. 73. Carolus in Franciam reuersus est, initoq́; consilio orandi, ac voti soluendi causa Romam statuit proficisci, sumptisq́ue secum vxore & liberis, sine mora in Italiam profectus est.

Eginardus. 840.

De vita & gestis Caroli Magni Francorum Regis: Cùm ex Francia multi nobilium, ob vota soluenda, Romam solenniter commearent, Carolomannum velut Dominum suum quondam præterire nolebant, &c. Carolus intra annos quadraginta septem quater Romam ad vota persoluenda, & orandum profectus est.

Ionas Aurelianenſis. 860.

De cultu imaginum lib. 3. Licet Deus vbique præsens sit, & omnia loca manus eus fundauerint: tamen B. Abraham fidem probaturus, nõ in quocumque loco, sed in monte, quo sibi placuit, filium offerri præcepit: & trium dierum spatio ad eundem locum supradictum virum ire voluit. Eundem autem locum postea ob id fuisse clarum, atque insignem traditur, atque à multis frequentatum, vnde & nomine in monte Dominus videbit est insignitus. Beatus item Moses, qui populum Israël docuerat, Domini esse terram, & plenitudinem eius, cælum, & cælos cælorum: tamen præcepit eis, ne in omni loco, quem vidissent, id est, qui eis placuisset, victimas & hostias offerrent: sed locum, quem Dominus Deus eorum elegisset, ascendere eos iussit, & ibi immolare hostias, &c. Si locus retinens arcam insensibili ligno compactam, & à foris intusq́; deauratam, continentem vrnam manna plenam, & virgam vnam, tabulasq́; lapideas, meruit nobilitari, tantaq́; frequentia populi honorari: cuius putandus est ille religionis, qui complectitur corpus Apostoli, tamquã cęlestis thesauri arcam? Quibus omnibus docemur, non improbandos, nec more tuo stultos insipientesq́; appellandos eos, qui deuotionis augmentandæ gratia, intercessionisq́; per suffragia quærendæ, Apostolorum adeunt limina: quia credimus, quòd per hæc non solummodo eorum mentibus adolescat amor circa diuini cultus seruitutem, sed etiam laboris sui atque itineris, quæ iubire volunt intentione diuini amoris, mercede donentur.

Lupus Ferrarienſis. 860.

Epist. 101. Adulphus & Acarius presbyterij gradu ornati, diuino, vt credimus, instinctu Romam proficisci orandi studio destinârunt, & nostra Abbatisq́; sui accepta licentia propositum exequuntur, quod vestræ paternitati de more commendamus, implorantes, vt quia laborem peregrinationis pro æterna remuneratione susceperunt, consolationem in vobis, in eundo eam inueniant, qua deuoti à religiosis fouentur.

Nicolaus Primus. 860.

Epistola 8. ad Michaëlem Imp. Græcorum: Siquidem tanta millia hominum protectioni, ac intercessioni Beati Apostolorum principis Petri, ex omnibus finibus terræ properantium, sese quotidie cõferunt, & vsque in finem vitæ suæ apud eius limina semet mansura proponũt, vt præter illud, quo vas è cælo submissum, in quo cunctorum ostensa sunt eidem B. Petro, horum omnium rectori, animantium genera, Catholicam signat Ecclesiam: etiam ipsa sola Romanorum vrbs, apud quã eiusdem Apostoli corporalis præsentia sedulè veneratur, ipsius valis cunctas dignoscatur in se continere vniuersorum animalium (quæ homines intelliguntur spiritaliter) nationes.

Epistola 16. Fidelium relatione, qui ad sanctorum Apostolorum limina orationis gratia veniunt, agnouimus, &c.

Auctor annalium Caroli Magni. 900.

Libro 1.

At Rex dispositis legionibus ad Ticinensem,
Orandi causa Romæ loca sancta petiuit,
Illic supplicibus votis ex corde peractis,
Ad Ticinum redijt, &c.
Tum quia præcipuo semper flagrabat amore
Petri, qui summè præclarus Apostolus extat,

Ipſius Romæ decreuit limina ſacra
Quærere, vota preces q3 Deo perſoluere curans.

Odo Cluniacenſis. 920.

Tractatu de translatione corporis S. Martini, cap. 3. Comes impiger ante dilecti Archipræſulis Martini corpus cum lachrymis orás, peregrinationis ſuæ preces & vota perſoluit.

Luitprandus Ticinenſis. 950.

Lib. 3. cap. 4. Burchardus Mediolanum cùm veniſſet, priuſquam vrbem ingrederetur, ad beati pretioſiq; Martyris Laurentij Eccleſiam orationis gratia declinauit.

Fridegodus. 960.

Vitæ S. Audoëni cap. 23. Itaque Vrbem Romam caput orbis ac Chriſtianæ religionis, quam Apoſtolorum Principes ſuis corporibus ornant, Martyrum cateruæ ſacris oſſibus decorant, adire tandem conſtituit. Cumque hoc longè lateq; fama vulgaret, vndique conueniunt ad virum Dei innumeri homines religioſi, auri argentiq; pondera multa ei afferentes, ſimulq; obſecrantes, vt ad corpora ſanctorum Apoſtolorum & Martyrum pro redemptione animarum ſuarum deferri iubeat. Multi etiam deuoti ac venerabiles viri vnà cum illo proficiſci ſibi licere gratulabantur. Stipatus igitur vir Deo dilectus ſanctorum comitum turba, ad limina Apoſtolorum hilaris peruenit. Ad ſingulas autem Apoſtolorum & Martyrum memorias ſe proſternens, vota & ſupplicationes tam pro ſe, quàm pro totius Eccleſiæ pace obtulit.

Osbertus Anglus. 1020.

Vitæ ſancti Dunſtani cap. 20. Poſt hoc temporis opportunitate accepta, beatiſſimorum Apoſtolorũ Petri & Pauli limina petijt, & eum ſummæ ſedis Pontifex magno ſynceræ dilectionis affectu illò venientem excepit.

Berno Augienſis. 1020.

In vita S. Vdalrici: Libuit interim viro Dei Romam pergere, Apoſtolorum limina viſitare, vt ſe ſuaq; omnia ipſorum aliorumq; precibus poſſet attentius commendare.

Canutus Rex Angliæ & Danemerciæ. 1030.

Epiſtola ad Primates Angliæ, (*quæ extat apud Florentium VVigornienſem de hoc anno:*) Notifico vobis, me nouiter iuiſſe Romam oratum pro redemptione peccaminum meorum, & pro ſalute Regnorum, quiq; meo ſubiacent regimini populorum. Hanc quidem profectionem Deo iam olim deuoueram, ſed pro negotijs regni, & cauſis impedientibus, huc vſque perficere non poteram. Nunc autem ipſi Deo meo omnipotenti valde humiliter gratias ago, qui mihi conceſſit in vita mea ſanctos Apoſtolos ſuos Petrum & Paulum, & omne ſanctuarium, quod intra vrbem Romam, aut extra addiſcere potui expetere, & ſecundùm deſiderium meum præſentialiter venerari & adorare. Ob id ergo maximè hoc patraui, quia à ſapientibus didici, ſanctum Petrum Apoſtolum magnam poteſtatem à Domino accepiſſe ligandi atque ſoluendi, clauigerumque eſſe regni cæleſtis, & ideo ſpecialius eius patrocinium apud Dominum diligenter expetere valde vtile duxi.

Hermannus Contractus. 1050.

In Chronicis, in epitaphio matris:

Carnem caſtigans, precibus loca ſacra petiuit:
Quærere cæleſtem ſedula ſueuit opem.

Petrus Damianus. 1060.

Prologo in vitam S. Romoaldi: Veruntamen cùm ad ſepulchrum eius ex longinquis terrarum partibus maxima in eius feſtiuitate fidelium multitudo conueniat, miracula per eum diuinitus facta conſpiciat, audire vitæ eius hiſtoriam deſiderabiliter quærat, &c.

Anſelmus. 1080.

In Elucidario: *Diſcip.* Prodeſt Hieroſolymam petere, aut alia loca ſacra inuiſere? *Magiſter:* Melius eſt pecuniam cum qua ituri ſumus in pauperes expendere. Si qui autem amore Chriſti accenſi, vel peccatorum ſuorum facta confeſſione, & pecunia de propria hæreditate, vel proprio ſudore acquiſita ierint, & ſe in itinere apud congregationes Sanctorum orationibus commendauerint, de rebus ſuis ipſis vel alijs pauperibus impertiunt, laudandi ſunt. Quia & Helena, & Eudoxia laudantur, quæ hæc fecerunt. Si qui verò propter curioſitatem, vel laudem humanam ad ſacra loca diſcurrunt, hoc in mercede accipiunt, quòd amœna loca & ædificia viderunt, vel laudem, quam amauerunt audierunt.

Sigebertus Gemblacenſis. 1100.

In Chronicis de anno 438. Eudoxia vxor Theodoſij Hieroſolymam ex voto properauit, & inde Reliquias Protomartyris Stephani attulit.

Honorius Auguſtodunenſis. 1120.

Sermone de vinculis ſancti Petri: Ecce totus orbis vndique ad vrbem Romam confluit, propter Petrum piſcatorem, non propter Auguſtũ mundi Imperatorem. Quilibet inueſtigat ſepulchrũ Piſcatoris: nullus inquirit tumulum Principis Neronis.

Bernardus. 1130.

Vitæ S. Malachiæ cap. 21. Malachias menſem integrum fecit in vrbe Roma, loca ſancta perambulans orationis cauſa.

Otto Friſingenſis. 1150.

Libro ſeptimo Chronicorum cap. 31. Romanus populus, in furorem verſus, peregrinos, cauſa orationis aduenientes, ad oblationem quæſtus gratia plagis & verberibus cogit, & quoſdam ex ipſis offerre nolentes, in ipſa porticu, & veſtibulo templi, nefario auſu, occidere non veretur.

Ealredus. 1164.

In vita S. Eduardi: Ego, inquit Eduardus, contra ſpem in ſpem credens, & Domini mei miſericordiæ me totum dedens, peregrinationem meam ad ſanctorum Apoſtolorum limina voui, & deinceps diuinæ me protectioni commiſi.

Guilhelmus Tyrius. 1180.

Hiſtoriæ belli ſacri libro nono, capite decimoquarto: Tandem protegente eos diuina clementia peruenerunt Hieroſolymam, vbi à Domino Duca & vniuerſo clero & populo deuotè ſuſcepti, loca ſancta corde contrito, & ſpiritu humilitatis perluſtrantes, fide diſcunt occulta, quod verbo & doctrina prius comprehenderant. Celebrato ſanè in Bethlehem Dominicæ Natiuitatis die, præſepe vident & ſpeluncam admirabilem, vbi pia Dei Genitrix, ſalutis porta, mundi reparatorem pannis inuoluit, & lacte pauit vagientem.

Guilhelmus Neubrigenſis. 1200.

Rerum Anglicarum lib. 5. cap. 7. Vir quidam piæ deuotionis inſtinctu profectus in Hiſpanias ad memoriam B. Iacobi Apoſtoli cum ſoſpitate ad propria remeârat. Qui poſt modicũ calore fidei & deuotionis fortius igneſcens, longè laborioſiori peregrinatione ſepulchrum inuiſere Dominicũ voluit, &c.

Rodericus Toletanus. 1240.

Rerum Hiſpanicarum lib. 4. cap. 11. Sed longè poſt, cùm gloria Apoſtoli Iacobi miraculis publicata pœnitentium animos incitaſſet, propulſis à ſtrata Saracenorum incurſibus, occultæ ſemitæ in viam publicam concreuerunt, per quam fermè ab vniuerſis Chriſtianorum finibus beati Apoſtoli limina viſitantur.

Matthæus Pariſius. 1250.

In Chronicis de anno 1176. Reges Anglorum, pater & filius, in Angliam venientes, properant ſimul, vt B. Thomam Martyrem egregium viſitarent: cum omni humilitate orationum & manſuetudine vota peregerunt.

Iacobus Cardinalis. 1300.

De anno Iubilæo:

Aurea centeno conſurgunt ſecula Phœbo,
Et radiat cæleſte iubar, miſeratus ab alto
Filius æterni Patris de Virgine carnem
Indutus, redimitq; ſuo de ſanguine culpas:
Grande datum miſeris, Romam qui limina Petri
(Cui reſerare polos datur, & concludere cælum)
Deproperant, Pauliq; ducis pia templa reuiſunt.

Matthæus VVeſtmonaſterienſis. 1370.

In Chronicis de anno 1189: Circa dies illos Fridericus Imp. in feſto ſancti Georgij, loca Dominicæ paſſionis viſitaturus, peregrinationis iter arripuit, ſatis magnificè apud Remisburgum tranſitum per Hungariam & Bulgariam habiturus.

Thomas VValdenſis. 1410.

Tomo tertio, titulo quarto, capite trigeſimoquarto: Ad multas blaſphemias reſpondet hoc dictum Auguſtini, quando fideles blaſphemant orantes in Eccleſijs, fideles item vituperant peregrinantes Romam pro indulgentijs, aut preces effundentes, quaſi tota Dei potentia, inquit, ad talem locum plus alijs limitata ſit, quod negat Auguſtinus. Sed vt admoneatur animus ad naturam, vel perſonam excellentiorem ſe conuertere: & hoc conuenit gradibus religionis, & plurimum expedit, vt omnium ſenſibus bene ſentiatur de Deo.

FINIS LIBRI QVINTI.

LIBER SEXTVS: DE SACRIS SCRIPTVRIS ECCLESIAE.

ARTICVLVS PRIMVS.

SACRAS SCRIPTVRAS, QVAS VIRI SANCTITATE ILLVSTRES NOBIS RELIQVERVNT, ET ECCLESIA IN CANONEM RECEPIT, APVD NOSTROS DIVERSIS LOCIS, VARIIS LINGVIS, ET MVLTA COPIA, TYPIS IMPRESSAS extare.

NEGANT.

Anno post Christũ natum. 1520. MARTINVS Lutherus libro de Ecclesia: *Papa Scripturam sacram in cœno & puluere sepelit.*

In Colloquijs Latinis Tomo 2. cap. de Biblijs: *Biblia olim erant incognita: Carlstadius octauo anno post suum doctoratum primò legit Biblia.*

1550. Ioannes Caluinus ad cap. 4. Lucæ: *Si temporum fiat comparatio, facilè ex præsenti loco constabit fœdiores hodie & magis deformes esse Papalis hierarchiæ corruptelas, quàm apud Iudæos sub Anna & Caipha fuerunt. Nam Scripturæ lectio, quæ tunc vigebat, non modò sub Papa obsoleuit, sed ferro & igne à templis arcetur, nisi quòd lingua ignota in ludibrium cantillant.*

ASSERVNT SACRA BIBLIA DIVERSIS linguis & locis sæpius à Catholicis impressa.

Biblia Complutensia.

Biblia multiplici lingua, Hebrea scilicet, Chaldæa, Græca, atque Latina imprimi curauit Compluti in Hispanijs tomis sex Anno Domini 1515. Franciscus Ximenius S. R. E. Tituli S. Balbinæ Presbyter Cardinalis Hispaniæ, & Archiepiscopus Toletanus, ac Regnorum Castellæ Archicancellarius.

Ex epist. ad Leonem X. Iussimus archetypas sacræ Scripturę linguas, cum adiunctis variarum linguarum translationibus impressioni mandari: antequam verò vetus Testamentum aggrederemur, Dictionarium præmisimus Hebraicorum, Chaldaicorumq; veteris Instrumenti vocabulorum, vbi non tantùm multiplex significatio cuiusq; dictionis exprimitur, sed locus Scripturæ in cuiusque significati testimonium citatur.

Ex alia Præfatione: Quibus omnibus pro præludio ita peractis, ad excussionem diuersarum veteris Testamenti linguarum nos conuertimus, adijcientes etiam singulis earum suam Latinam translationem. Qua in re id apertè testari possumus, maximam laboris nostri partem in eo præcipuè fuisse versatam, vt & virorum in linguarum cognitione eminentissimorum opera vteremur, & castigatissima omni ex parte, vetustissimaque exemplaria pro archetypis haberemus: quorum quidem tam Hebræorum, quàm Græcorum, ac Latinorum multiplicem copiam, varijs ex locis, non sine summo labore, conquisiuimus. Atque ex ipsis quidem Græca Sanctitati tuę debemus, qui ex ista Apostolica Bibliotheca antiquissimos, tum veteris, tum noui Testamenti codices, perquàm humanè ad nos misisti, qui nobis in hoc negotio maximo fuerunt adiumento.

Ex Præfatione ad Lectorem: Pentateuchus quidem triplicem linguam habet: Hebraicam videlicet, Chaldaicam, & Græcam, quas imprimendas iussimus cum alijs tribus interpretationibus iuxta correspondentibus. Hagiographi deinde libri simul, & Prophetales duplici lingua excuduntur, Hebraica, & Græca, cum alijs duabus Latinis translationibus, illis correspondentibus. At verò libri extra Canonem Græcam tantùm habent scripturam, sed cum duplici Latina interpretatione, altera B. Hieronymi, altera interlineari, deverbo ad verbum, eo modo, quo in cæteris. Hebraicarũ & Chaldaicarum dictionũ radices siue themata literis notata per margines assignauimus, vt ea citra negotiũ quiuis in Dictionario requirat,

Exempla-

Exemplaria Græca vetustissima simul & emendatissima habuimus, quę Leo X. Pontifex Max. ex Apostolica Bibliotheca ad nos misit, tantæ integritatis, vt nisi eis plena fides adhibeatur, nulli reliqui esse videantur, quibus meritò sit adhibenda. Quibus etiam adiunximus alia non pauca, quorum partem ex Bessarionis castigatissimo codice summa diligentia transcriptam illustris Venetorum Senatus ad nos misit; partem ipsi magnis laboribus atque expensis vndique conquisiuimus, vt copia emendatorum codicum abundè superesset. Latinam itidem B. Hieronymi translationem contulimus cum quamplurimis exemplaribus venerandę vetustatis, sed in his maximè, quæ in publica Complutensi nostræ Vniuersitatis Bibliotheca reconduntur, quę supra octingentesimum abhinc annũ literis Gotthicis conscripta, ea sunt sinceritate, vt nec apicis lapsus possit in eis deprehendi.

De pretio operis: Non habita impensarum ratione, quæ fuerunt propemodum infinitę, sed vtilitate, quę inde sequeretur ex lectione, taxauimus totum opus ducalium aureorum nummorum pretio sex cum dimidio, aut aliquanto pluris, prout distrahendorum librorum ratio exegerit, habita pro vectura impensarum æstimatione.

Biblia Regia apud Plantinum impressa.

Biblia sacra antiquis conscripta linguis, ac vetus quidem Testamentum Hebraica, Chaldaica, & Greca, cum triplici interpretatione Latina: quarum prima Hebraico textui annexa est, vetus ac vulgata illa, qua quidem iam tot secula vsa est, atque etiamnum vtitur Catholica Ecclesia: secunda Græco contextui est proxima: tertia verò eam, quam diximus Chaldaicam paraphrasin, cuius è regione adhibita est, exprimit. Nouum verò Græca atque Syriaca suismet Hebraicisq; repręsentata typis (hæc enim in Complutensi editione desideratur) & duplici Latina: quarum vna est vulgata, altera verò, quæ Syri contextus proprietatem exprimit, à Guidone Fabricio Boderiano viro Theologo, atque eius linguæ peritissimo conscripta. Atque hęc quidem in quinque sunt diuisa partes, siue tomos: quibus tomis tres alij sub nomine apparatus sacri adduntur, qui simul cum Biblijs Regijs, vel seorsim haberi possunt. Quorum primus, qui ordine in Biblijs Regijs est sextus, continet quatuor linguarum Grammaticę præcepta breuissima & absolutissima, & earundem Dictionaria vtilissima. Secundus eiusdem sacri apparatus tomus, qui ordine in Biblijs Regijs est septimus, continet Hebraicę linguę meditationem & exercitationem integris Biblijs Hebraicis propositis cum interpretatione Latina Sanctis Pagnini è verbo reddita, & nunc postremum à viris doctissimis examinata; ac lineis Hebraici contextus inserta. In margine difficilioribus verborum thematibus non vulgari diligentia adhibitis cum nouo Testamento Græco, cum Latina interpretatione, vetere illa ac vulgata lineis Græci contextus inserta. Quæ interpretatio cùm à proprietate dictionum Græcarum recedit, in margine libri est collocata, & alia diuerso characterum genere à Benedicto Aria Montano ad verbum expressa, in eius est substituta locum. Verba Græca inuestigatu difficiliora, hìc etiam sunt descripta. Tertio dicti sacri apparatus tomo, seu in ordine Bibliorum octauo, septem singulares libri, à Benedicto Aria Montano scripti continentur: scilicet liber de Hebraicis idiotismis, de arcano sermone, de actione siue habitu, de sacris ponderibus atque mensuris, de sacra Geographia, de sacris fabricis, de seculis & temporibus, quæ in duobus prioribus libris traduntur, & tabulis picturisque artificiosissimis repræsentantur. Omnia Philippi Secundi Regis Catholici pientissimi, ac de re literaria optimè meriti iussu ac liberalitate propè singulari edita, Antuerpiæ apud Christophorum Plantinum, Anno 1572. in folio regali.

Psalterium Octaplum.

Augustini Iustiniani Genuensis Prædicatorij Ordinis, Episcopi Nebiensis Psalterium Octaplum excusum Genuæ anno salutis 1516. in magno folio chartis 100. In singulis folijs prima columnella habet Hebręam editionẽ: secunda Latinam interpretationem respondentem Hebręæ de verbo ad verbum: tertia Latinam communem: quarta Græcam: quinta Arabicam: sexta Paraphrasin sermone quidem Chaldæo, sed literis Hebraicis conscriptam: septima Latinam respondentem Chaldææ: vltima verò, id est, octaua, continet Scholia, hoc est Annotationes sparsas & intercisas.

Ex Præfatione ad Leonem X. P. M. Scio, beatissimè Pater, perlatum ad aures tuas, iam diu laborasse nos, quo vtrumque sacræ Legis Instrumentum quinque præcipuis linguis, Hebræa, Chaldæa, Græca, Latina, & Arabica in vnum redactũ corpus, conspicua verborum sibi inuicem correspõdentium structura ederemus. Opus nimirum, vt meis viribus impar, ita nostrę professioni vel maximè congruens. Nihil enim æquè sacerdoti conuenit, quàm sacrarum literarum expositio & interpretatio. Huiusmodi autem sacræ interpretamenta Scripturę olim tentata sunt & à Græcis, & Latinis: quin etiam Hebræi, Chaldęi, & Arabes, eius conatus indicia posteris reliquêre, quorum venerandæ vetustatis, & fidei adhuc apud me extant monumenta. Græci quidem vna interpretatione minimè contenti, sex edidêre, quas postmodum diligentissimus Origenes in vnum collegit, appellauitque ex re Hexapla, quod sex editiones vna duntaxat lingua eodem folio continerentur. Nos verò non solùm Hexapla, verùm etiã Octapla perficere contendimus: nec in vna solùm lingua, verùm omnibus illis, quibus perdiscendis, haud sine magna causa impędi operam sacri Canones iubent. Quòd si tu rem ipsam probaueris, & dignam editione duxeris, in promptu erit nobis vniuerso operi manum extreinam imponere, & vtrumque Instrumentum ijsdem distinctum, linguis, eademq; serie & structura tradere impressoribus formandum.

Ex Epistola ad Bendinellum de Saulis Cardinalem S. Hadriani: Putabam me absolutum labore, opere iam perfecto Noui instrumenti: sed ecce finis noui factus est mihi initium veteris, nouis me vrgentibus stimulis, in eadem veteri quoque impendenda obsequia, quæ contulimus in nouo. Aggredimur igitur Deo auctore vniuersum vetus Instrumentum, & præter quintuplicem ordinem Hebręæ, Latinæ, Græcæ, & Arabicæ linguæ, addimus Chaldæam, figuris tamen Hebraicis, vnaq; eius interpretationem cũ columnella scholiorum, opus arduum & nostris humeris impar. Sed nihil esse deinceps difficile nobis in re tam necessaria statuimus, postquam quæ nedum difficilia, sed penè impossibilia ducebamus, diuinis suffragijs ita breui spatio temporis successisse nobis aduertimus: qui mihi auctor est, is & adiutor & perfector sit operis.

Ex Præfatione in Nouum Testamentum: Christianam profiteris obseruantiam? amplectere hoc opus, in quo Christianorum omniũ dogmatum multijuga linguarum serie veritas & celsitudo aperitur. Alienus à Christi pietate es? Quære hoc opus, in quo & Græcis, & Barbaris, & Iudæis, &

Latinis,& Arabibus,& Chaldæis,proprius cuiusque & peculiaris error aperitur,& veluti digito monstratur.Nec censeo,singulis singula tantùm apta: & singula vniuersis,& vniuersa singulis conducunt,&c.

Ex prædictis solùm Psalterium typis excusum extat: cætera ad editionem parata, propter auctoris mortem nondum sunt in lucem edita, sed manuscripta seruantur.

Paulus Apostolus in linguis plurimis.

Pauli epistolas in Græca, Hebraica, Chaldaica, Arabica, Indica, & Gheez linguis Romæ Petrus Æthiops imprimi curauit.

Biblia Hebræa seperatim impressa.

Biblia Hebræa impressa Pisauris anno 1494. in 4.& in fol.

Alia quoque Pragæ in Bohemia in fol.

Biblia Hebræa Venetijs 1530.in 4.

Biblia Hebræa Parisijs 1544.in 4. & in 16.Antuerpiæ 1574.

Biblia Hebræa,& eorundem Latina interpretatio Sanctis Pagnini Lucensis, recenter Benedicti Arij Montani,& quorundam aliorum collata studio ad Hebraicam dictionem diligenter expensa.Accesserunt huic editioni libri Græcè scripti, qui vocantur Apocryphi, cum interlineari interpretatione Latina ex Biblijs Complutensibus petita,Antuerpiæ 1584. in fol.

Vetus Testamentum Græcè seperatim impressum.

Biblia Græca Septuaginta interpretum Venetijs olim in folio Aldus excudit,sed corruptissimè.

Vetus Testamentum iuxta Septuaginta ex auctoritate Sixti Quinti Pontificis Maximi typis elegantissimis editum Romæ,Anno 1587.in fol.

Ex Præfatione ad Lectorem: Quo nomine dici nō potest,quātum omnes boni debeant Sixto Quinto Pontifici Maximo. Is enim quòd in sacris literis,vnde sanctissimam hausit doctrinam, ætatem ferè totā contriuerit; quòdq; in hoc libro cum veterum scriptis conferendo,singularem quandam diligentiam adhibuerit, vidit primus, qua ratione huic malo medendum esset; nec vidit solùm,sed etiam auctoritate sua effecit, vt summus Pōtifex Gregorius Decimustertius Græca Septuaginta interpretum Biblia,adhibita diligenti castigatione,in pristinum splendorem restituenda curaret.Quā rem exequendā cùm ille demandasset Antonio Carafæ Cardinali, viro veteris sanctitatis,& omnium honestarum artium cultori, nulla is interposita mora,delectū habuit doctissimorum hominum, qui domi suæ statis diebus exemplaria manuscripta,quę permulta vndique conquisierat,conferrent; & ex ijs optimas quasque lectiones elicerent: quibus deinde cum Codice Vaticanę Bibliothecæ sępe,ac diligenter cōparatis,intellectum est, eum codicem omnium, qui extant,longè optimum esse,ac operę pretium fore,si ad eius fidem noua hæc editio pararetur. Sed emendationis consilio iam explicato, ipsa quoque ratio, quæ in emendando adhibita est, nunc erit aperienda, imprimisque Vaticanus liber describendus, ad cuius præscriptum hęc editio expolita est. Codex is, quantum ex forma characterum conijci potest, cùm sit maioribus literis, quas verè antiquas vocant,exaratus, ante mille ducentos annos, ante tempora B.Hieronymi,& non infra, scriptus videtur.Ex omnibus autem libris, qui in manibus fuerunt, vnus hic,præ alijs,quia ex editione Septuaginta, si non toto libro, certè maiorem partem constare visus est,mirum in modum institutam emendationem adiuuit. Post eum verò alij duo, qui ad eius vetustatē proximi quidē,sed lōgo proximi interalio accedūt: vnus Venetus ex Bibliotheca Bessarionis Cardinalis: qui liber cum Vaticano Codice ita in omnibus consentit, vt credi possit, ex eodem Archetypo descriptus esse.Præter hos,magno etiam vsui fuerunt nobis ex Medicæa Bibliotheca Florentiæ collati, qui Vaticanas lectiones multis locis aut confirmārunt, aut illustrārunt. Sed libri Vaticani bonitas non tam ex horum cōdicum miro consensu perspecta est, quàm ex ijs locis, qui partim adducuntur, partim explicantur ab antiquis sacris Scriptoribus, qui ferè nusquam huius exemplaris lectiones non exhibent, ac reponūt,nisi vbi aliorum interpretum locum aliquem adferunt,non Septuaginta,quorum editio cùm esset noua emendatione perpolienda,rectè ad huius libri normam, qui longè omnium antiquissimus, solus iuxta Septuaginta inscribitur,perpolita est;vel potius rectissimè liber ipse ad literā, quoad fieri potuit, per antiquā orthographiam,aut per Librarij lapsus est expressus. Nam vetus illa, & iam obsoleta eius ætatis scriptura,aliquibus locis repræsentata non est; cùm tamen in alijs omnibus, nisi vbi manifestus apparebat librarij lapsus, ne latum quidē vnguem, vt aiunt,ab huius libri auctoritate discessum sit, ne in ijs quidem, quæ si minus mendo, certè suspicione mendi videbantur nō carere.Satius enim visum est, locos vel aliquo modo suspectos,quēadmodū habentur in archetypo relinqui,quàm eos ex alicuius ingenio,aut coniectura emendari: quod multa,quæ primò vel mendosa,vel mutilata in hoc codice videbantur, ea postea cum alijs libris collata,vera,& syncera reperirentur. Nam in libris Prophetarum, qui maximè in hoc exemplari (vno excepto Daniele) puram Septuaginta editionem resipiunt, mirum quàm multa non habeantur; quæ tamen rectè abesse,& eorum interpretum non esse,intellectum est, tum ex cōmentarijs veterum Scriptorum Græcis & Latinis,tum ex libris manuscriptis,in quibus illa addita sunt sub asteriscis: atque hæc ratio in notationibus quoque seruata est,in quibus cùm multa sint ex commentarijs Græcis petita, quæ in Codicibus manuscriptis partim mutilata, partim variè scripta aliquibus locis circumferuntur, ea non aliter,atque in archetypis exemplaribus reperiuntur,descripta sunt,quo vniuscuiusque arbitratu, adiuuantibus libris restitui possint.

Nouum Testamentum Græce impressum.

Nouum Testamentum Græcè ad sedecim exemplaria correctum impressum Parisijs 1560. in 16.

Nouum Testamentum Græcum cum vulgata interpretatione Latina Græci contextus lineis inserta. Quę quidem interpretatio cùm à Græcarum dictionum proprietate discedit, sensum videlicet magis,quàm verba exprimens, in margine libri est collocata, atque alia Benedicti Ariæ Montani opera è verbo reddita,ac diuerso characterum genere distincta, in eius est subsituta locum, Antuerpiæ 1584. in fol.

Nouum Testamentum Græcolatinum vulgata interpretatione Latina à Theologis Louanienſibus; quàm diligentissimè recognita, & emendata Coloniæ 1591. in 8.

Biblia Latina diuersis locis impressa.

Biblia Latina vulgatæ translationis impressa sunt Moguntię A. C. 1450. 1472. Norimbergæ 1478. Basileæ 1485. 1491. Coloniæ 1479.1529. Venetijs 1479. 1497. Lugduni 1512. 1522. 1525.

Biblia Latina apud Catholicos impressa, quæ indigent castigatione & censura.

Antuerpiæ 1526. 1528. 1532. 1534. 1538. 1540. 1541. 1542. 1544. 1545. Lugduni 1531. 1532. 1535. 1536. 1538. 1540. 1541. 1542. 1546. 1549. 1551. Parisijs 1528. 1540. 1541. 1542. 1543. 1545. 1546. 1549. 1552. 1555. Venetijs 1538. 1542. 1544.

Biblia Latina correctiora.

Biblia Latina ad vetustissima viginti sex manuscripta exemplaria, vt latius indicat Præfatio, opera Ioannis Hentenij Mechlinienſis castigata, & impressa Louanij 1547. Antuerpiæ 1561. 1565. 1567. 1570. 1574. Venetijs 1571. 1572. 1574.

Rursum eadem ad plura manuscripta exemplaria per Theologos Louanienses correcta, & impressa Antuerpiæ Anno 1582. Lugduni 1598. in 8.

Biblia sacra acri studio ac diligentia emendata Superiorum concessu Romę 1591. in fol.

Biblia Hebræa cum Commentarijs Hebræorum.

Biblia Hebræa cum Targum, id est, interpretatione Hebraica,& Commentarijs Rabinorum Venetijs 1517. in fol.magno. Continent hæc:

Pentateuchus cum Onkeli translatione, & R. Salomonis Iarchi Galli expositione.

Quinque minores libelli,cum R. Salomonis Iarchi Commentarijs.

Targum Hierosolymitanum in quinque libros Legis.

Targum secundum in librum Hester.

Tabula lectionum Legis & Prophetarum per Sabbata anni.

R.Moses Ben Maimon de 13.articulis fidei Iudaicæ expositis.

R.Manahen Raknat annotatio mandatorum Legis affirmantium & negantium numero 613.

Grammatica de accentibus R. Aaronis filij Aser de Tiberia.

Varia lectio quorundam locorum iuxta filium Aser,& filium Nephtali Tiberienses,cum assignatione temporū iuxta libros Legis & Prophetarum per 24.Canonicos libros.

Prophetæ priores & posteriores, & Psalterium,omnia cum Targum Ionathæ, & cum Commentario R.Dauid Kimhi.

Parabolæ Salomonis cum Commentario dicto Caffenaki,& Targum Chaldaico.

Liber Iob cum Targum Chaldaico, & duplici Commentario, altero R. Mosis ben Naaman Gerundensis, quam Ramban nominant; altero R.Abraham Prizol neoterici.

Daniel Propheta cum Commentario R.Leui ben Gerson.

Esdras,& Paralipomenon,siue verba dierum, cum Commentario R.Salomonis Iarchi, adiecta expositione R.Simeonis.

Eorundem Bibliorum secunda editio cum Targum & Massoreth magna & parua Venetijs 1523. in fol. Insunt autem hæc:

R. Salomonis Commentarij in Legem, & omnes Prophetas,& in libros Salomonis.

R.Abraham Aben Esra Commentarij in Legem,in Esaiam,in 12.Prophetas minores,in Psalmos,in Parabolas Salomonis: in librum Iob: in Cantica, cum cæteris paruis libris: in Danielem, Esdram,& Nehemiam.

R. Dauidis Kimhi Commentarij in omnes Prophetas priores & posteriores, nec non etiam in minores duodecim.

R.Leui Ben Gerson Commentarij in Prophetas priores, in Parabolas Salomonis, in Iob fusissimè.

R. Saadiæ Commentarij in Danielem.

Eidem editioni accesserunt Massoreth magnę R. Iacob filij Haijm, in ordinem Alphabeti digestæ.

Biblia Latina cum Commentarijs.

Biblia Latina cum Commentarijs Hugonis Cardinalis Basileæ 1504.in fol.

Biblia cum Commentarijs Nicolai de Lyra olim litera antiquissima in folio excusa, & postea recusa Basileæ anno 1508. vnà cum Glossa ordinaria textui inserta.

Biblia Latina cum Glossa interlineari & ordinaria Nicolai Lyrani, Postilla, ac moralitatibus, Burgensis additionibus, & Thuringi replicis Lugduni 1549. Venetijs 1588.in magno fol.

Biblia sacra cum Glossa ordinaria, primùm quidem à Strabo Fuldensi collecta, nūc verò nouis Patrum tum Græcorum,tum Latinorum explicationibus locupletata, annotatis etiam ijs, quę confusè antea citabantur, locis: & Postilla Nicolai Lyrani,& Matthæi Thuringi Replicis,ab infinitis mendis purgatis, in commodioremqúe ordinem digestis per Franciscum Feu-ardentium Ordinis Minorum, Ioannem Dadræum, & Iacobum de Cuilly Doctores Theologos Parisienses Parisijs 1590. in folio magno.

Biblia sacra cum duplici translatione & Scholijs Franciſci Vatabli, à pluribus, quibus scatebant, erroribus repurgata per Theologos Salmanticenses & Complutenses, Salmanticæ 1585. in fol.

ARTICVLVS SECVNDVS.

GRAECAM SEPTVAGINTA INTERPRETVM BIBLIORVM TRANSLATIONEM ALIIS GRAECORVM VERSIONIBVS PRÆFERENDAM ESSE.

NEGANT.

Anno post Christū natum. 125. *AQVILA ex Christiano Iudæus proselytus, interpretatus est Scripturas, irruens in Septuaginta duorum translationem, vt testimonia de Christo in Scripturis prolata aliter ederet.* Epiphanius libro de mensuris.

320. *Innominati quidam hæretici Aquilæ, Symmachi, Theodotionis, aut cuiusque alterius, trans-*

translationem sacrorum codicum ex lingua Hebræa ei præferebant, quam Septuaginta interpretes olim ediderunt. Philastrius de hæresibus.

1530. Martinus Lutherus ad cap. 46. Genes. *Septuaginta interpretes transtulerunt*: Septuaginta quinque animæ, *& Stephanus allegat ex ijs eundem numerum Act. 7. Sed is manifestus error, siue malitia est, quòd pro duabus animabus, quæ natæ sunt Iosephi in Ægypto, ausi sint ponere nouem. Sunt alij locis in quibus aut inscitia, aut improbitate hallucinati sunt. Ideo auctoritas eorum apud me parum valet.*

1540. Sebastianus Munsterus in Biblijs Hebraicis: *Septuaginta interpretum editio, quæ tempore Hieronymi vbique locorum receptissima erat apud Græcos & Latinos, nedum perperam in quibusdam locis versa fuit, verum & per scriptores & sciolos plurimum corrupta: vt interim taceam, illos non admodum peritos fuisse linguæ Hebrææ. Id quod vel inuiti cogimur fateri, alioquin non in tam plurimis locis tam fœde lapsi fuissent.*

ASSERVNT SACRÆ LITERÆ.

Nouæ legis scriptores Euangelistæ & Apostoli, quid senserint de hac translatione, inde meridiana luce clarius apparet, quòd sæpius Prophetarum veteris Legis oracula & testimonia citantes, non alia, quàm hac editione vtuntur.

ASSERVNT IVDÆI VETERES.

Philo Iudæus. 50.

De vita Mosi lib. 2. cap. 9. de Septuaginta Interpret. Hîc manserunt, sumptisq; libris sacris, vnà cum ipsis sustulerunt manus in cælum, Deo supplicantes, ne se à proposito signo aberrare permitteret. Votis eorum annuit Deus, vt plurimis, atque adeò vniuersis hominibus prodessent, qui ad rectam vitæ institutionem sapientissimis ac pulcherrimis præceptis essent vsuri. In secreto igitur loco considentes, nullo præsente, præter terram, & aquam, & aërem, & cælum, tanquam numine afflati, non aliud alij diuinârunt, sed easdem voces, eademq; omnes verba, non aliter ac si interpres occultè singulis illa suggessisset, protulerunt. Quis autem nescit, omnem linguam, & Græcam imprimis, vocabulis abundare, & fieri posse, vt eandem sententiam idem interpres sæpenumerò aliter atque aliter varijs dicendi rationibus describat atque explicet? Quod tamen in his tradunt non accidisse, sed in idem ita collata fuisse propria cum proprijs nominibus, Græca cum Chaldaicis, vt verba rebus explicatis maximè congruerent. Idcirco nunc etiam mos est, vt singulis annis in insula Pharo celebrentur festi dies, eoq; non Iudæi solùm, sed alij quàm plurimi nauigent, vt & locum ipsum honorent, in quo primùm eluxit interpretatio; & Deo propter vetus beneficium, cuius memoria semper est recens, gratias agant.

Iosephus Iudæus. 80.

Lib. 12. Antiquitatum cap. 2. Superuacaneum autem visum est apponere 70. Seniorum nomina, qui cum lege ab Eleazaro missi sunt, licet ascripta fuerint in epistola. Donariorum tamen, quæ Rex Deo misit, ornatum & magnificentiam silentio præterire non possum, vt omnibus nota fiat eius Regis erga Deum pietas ac liberalitas. Abundè enim sumptus suppeditans, & præsentia sua extimulans artifices, opera eorum assiduè visendo, nullam eis segnitiæ, aut negligentiæ relinquebat occasionem, &c. Et cùm vehementer cuperet eò gredi cum septuaginta Senioribus, qui Hierosolymis ad interpretandam Legem venerant, quicunque priuatorum negotiorum causa expetebant eius colloquium, præter morem suum dimitti iussit. Hos enim quinto quoque die solebat admittere, sicut legatos semel in mense: tunc verò illis dimissis ab Eleazaro missos expectabat. Vt verò senes illi venerũt cum muneribus à Pontifice missis, & cum membranis quæ legem aureis literis inscriptam continebant, primùm de libris eos rogauit: vt verò ex inuolucris depromptos obtulerunt, multum diuq́ue miratus membranæ subtilitatem, & commissuras, quæ ita latebant, vt visu discerni non possent, gratias se illis habere dixit, qui venerint, & maiores etiam ei qui miserit, sed longè maximas Deo, cuius leges attulerint, &c. Quarto die Demetrius assumptis eis transiuit aggerem illum septem stadiorum, & pontem, qui insulam continenti adiungit: & progressus ad Septentrionale littus, assignauit eis ibi domum remotam à strepitu, & contemplationi rerum idoneam: rogauitq́ue, vt quandoquidem ad opus iam ita instructi sint, vt nihil desiderent amplius, ordiantur interpretationem feliciter. Illi verò non parcentes labori, quàm poterant accuratissimè interpretabantur, vsque horam nonam assidentes operi: reliquum deinde temporis curando corpori dabant, &c. Versione legis intra septuaginta duos dies absoluta, Demetrius aduocatis omnibus Iudæis in locũ vbi versa fuerat, præsentibus etiam interpretibus, perlegit codicem. Concio verò & seniorum interpretationem approbauit, & Demetrium ipsum collaudauit, cuius suggestionis occasione maxima bona percepisset: rogauitq́ue, vt etiam optimatibus eorum copia legendi fieret. Deinde & Sacerdos, & seniores interpretum, & magistratus populi postulauerunt, quandoquidem feliciter absoluta esset hæc interpretatio, vt rata permaneat, nihilq; ex ea mutari liceat. Quæ sententia, cùm omnibus placuisset, iusserunt vt prius, si quis aliquid deprehenderet, vel superesse legi, vel deesse, diligentius inspectum & indicatum corrigeret, quando consultum esset, vt res semel approbata rata esset in perpetuum.

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Iustinus. 160.

Oratione ad Gentiles: Quòd si quis asseueret, Mosis quoque & aliorum Prophetarum scripta Græcis edita esse literis: ex historiarum externarum lectione is discat, Ægypti Regem Ptolomæum Bibliothecam Alexandriæ instituisse, & vndecunque libris comportatis compleuisse: eundéq;, vbi cognouisset antiquos libros Hebræorũ conscriptos literis diligenter asseruari, cognoscere ea

scripta volentem, septuaginta sapientibus viris Græcę simul & Hebraicæ linguæ peritis, vertendorum interpretatione eorum librorum laborem demandasse, ab ipsis vsque Hierosolymis accitis. Atque vt illi extra omnem turbam constituti, primo quoque tempore interpretationem absoluerent, non in vrbe ipsa, sed septem ab ea stadijs, vbi Pharos extructa est, pari cum interpretibus numero domunculas extrui præcepisse, vt singillatim pro se quisque interpretationem perficeret: illa quoque cura, qui operam eis dare iussi fuerant, mandata, vt omnibus quidem modis ipsis inseruirent, à congressu autem illos mutuo prohiberent, quò exquisita interpretationis veritas ex ipsorum etiam consensu cognosci posset. Et cognito, septuaginta istos viros non solùm eadem sententia, verùm etiam ijsdem esse verbis in translatione vsos, ac ne vna quidem dictione alium ab alio dissensisse (vsque adeò eadem de ijsdem omnia conscripserant) admiratione attonitum, cùm diuina virtute interpretationem absolutam esse credentem: tum quouis honore dignos illos, vt Dei amantes, & vicissim Deo charos viros iudicantem, cum muneribus multis in patriam suã redire iussisse, ac libros, ita vt par erat, exosculatum esse, & Deo consecratos in Bibliotheca ibi reposuisse. Hęc vobis viri Græci, non vt fabulã, nęque vt confictam historiam renuntiamus: sed qui ipsi Alexandriæ fuerimus, & vestigia domuncularum apud Pharum adhuc reliqua viderimus: & ab incolis, qui res patrias à maioribus per manus sibi traditas acceperunt, audierimus, commemoramus: quæ ex alijs quoque, aliqua ex parte, intelligere potestis, & potissimum ex eis, qui ista scriptis suis inseruerunt, sapientibus & spectatis viris Philone, & Iosepho, & pluribus alijs.

Irenæus. 180.

Lib. 3. cap. 25. Prius quàm Romani possiderent regnum suum, adhuc Macedonibus Asiam possidentibus, Ptolemæus Lagi filius cupiens eam bibliothecam, quæ à se fabricata esset in Alexãdria, omnium hominum dignis conscriptionibus ornare, petijt à Hierosolymitis in Græcum sermonem interpretatas habere Scripturas eorum. Illi verò (obediebant enim tunc adhuc Macedonibus) eos, quos habebant perfectiores Scripturarum intellectores, & vtriusque loquelæ septuaginta seniores miserunt Ptolemæo, facturos hoc quod ipse voluisset. Ille autem experimentum eorum sumere volens, & metuens ne fortè consentientes, eam veritatem, quæ esset in Scripturis, absconderent per interpretationem, separans eos ab inuicem, iussit omnes eandẽ interpretari Scripturam, & hoc in omnibus libris fecit. Conuenientibus autem ipsis in vnum apud Ptolemæum, & comparãtibus suas interpretationes, Deus glorificatus est, & Scripturę verè diuinæ creditę sunt, omnibus eandem, & ijsdem verbis, & ijsdem nominibus recitantibus ab initio vsque ad finem, vti & præsentes Gentes cognoscerent, quoniam per aspirationem Dei interpretatæ sunt Scripturæ, & non esse mirabile Deum hoc in eis operatũ, quando in ea captiuitate populi, quæ facta est à Nabuchodonosor, corruptis Scripturis, & post Septuaginta annos Iudęis descendentibus in regionem suam, & post deinde temporibus Artaxerxis Persarum Regis, inspirauit Esdræ sacerdoti tribus Leui præteritorum Prophetarum omnes rememorare sermones, & restituere populo eam Legem, quæ data esset per Moysem. Cùm tanta igitur veritate & gratia Dei interpretatę sint Scripturæ, ex quibus præparauit, & reformauit Deus fidem nostram, quæ in Filium eius est, & seruauit nobis simplices Scripturas in Ægypto, in qua adoleuit & domus Iacob, effugiens famem, quæ fuit in Chanaã: in qua & Dominus noster seruatus est, effugiens eam persecutionem, quæ erat ab Herode: Et hæc earum Scripturarum interpretatio, priusquam Dominus noster descenderet, facta sit, & antequam Christiani ostenderentur interpretata sit. Natus est enim Dominus noster circa primum & quadragesimum annum Augusti imperij: multò autem vetustior fuit Ptolemæus, sub quo interpretatę sunt Scripturæ: verè impudorati & audaces ostenduntur, qui nunc volunt aliter interpretationes facere, quando ex ipsis Scripturis arguuntur à nobis, & in fidem aduentus Filij Dei concludantur. Firma est autem, & non ficta, & sola vera, quæ secundùm nos est fides, manifestam ostensionem habens ex his Scripturis, quæ interpretatæ sunt illo modo, quo prędiximus, & Ecclesiæ annuntiatio sine interpolatione. Etenim Apostoli, cùm sint his omnibus vetustiores, consonant prædictę interpretationi, & interpretatio consonat Apostolorum traditioni. Etenim Petrus, & Ioannes, & Matthęus, & Paulus, & reliqui deinceps, & horum sectatores, Prophetica omnia ita annuntiauerunt, quemadmodum seniorum interpretatio continet. Vnus enim & idem Spiritus Dei, qui in Prophetis quidem præconauit, quis & qualis esset aduentus Domini, in senioribus autem interpretatus est bene, quę bene prophetata fuerant.

Clemens Alexandrinus. 200.

Lib. 1. Stromaton: Versas fuisse Scripturas & Legis, & Prophetarum ex Hebrẽo sermone in linguã Græcam aiunt tempore Ptolomæi Lagi filij, aut, vt dicunt nonnulli, tempore eius, qui fuit cognominatus Philadelphus: cùm maximam ad eam rem contulisset diligentiam Demetrius Phalerẽus, & vt verterentur vehementer procurasset. Nã cùm adhuc Asiam obtinerent Macedones, Rex magno studio contendens eam, quæ Alexandriæ in eius potestate erat, bibliothecã omnibus scriptis exornare, voluit, vt Hierosolymitani quoque eas, quæ apud se erant prophetias, in sermonem Græcum interpretarentur. Illi autem, vt qui adhuc obedirent Macedonibus, ex ijs, qui apud se erant probatissimi, & maximæ existimationis, Scripturarum peritos, & Grẽcæ linguę scientes, Septuaginta seniores delectos ad eum miserunt cum libris diuinis. Cùm autem vnusquisque figillatim ex sua propria interpretatus esset prophetia, conspirârunt omnes simul collatæ interpretationes & sententijs, & dictionibus: Dei enim erat voluntas, quę id ad Græcorum aures consulto comparauerat. Neq; verò ab inspiratione Dei erat alienum, qui prophetiam dederat, vt interpretationem quoque, tanquam Græcam efficeret prophetiam. Nam & in captiuitate Regis Nabuchodonosor, cùm interijssent Scripturæ, tempore Artaxerxis Persarum Regis inspiratus Esdras prophetauit, omnes veteres rursus Scripturas renouans.

Origenes. 240.

Homilia 1. in Cantica: Nos Septuaginta interpretum scripta per omnia custodimus.

Lib. 8. in caput 10. ad Romanos: Scire nos conuenit, quòd: *Domine quis credidit auditui nostro*, in Hebræis exemplaribus, *Domine*, non habetur, sed iuxta interpretationem Septuaginta seniorum. Sic & Apostolus hoc probãs, quod apud illos est, posuit, *Domine*, &c. Sed nec hoc quidem à nobis conuenit ignorari, quòd in exemplaribus Hebræorũ non habetur: *Et contradicentem.* Apostolus autem secutus est Septuaginta interpretum veritatem in suis scriptis: sicut illi interpretati sunt, exposuit.

Epistola ad Iulium Africanũ pro historia Susannæ: Hæc

autem dico, non quòd verear ac dubitè scrutari quæ sunt apud Iudæos Scripturas, & omnes nostras cum illorum Scripturis conferre, & videre quænam sint in ijs differentiæ. Si non est quidem certè graue, & arrogans dicere, hoc gnauiter pro viribus fecimus, vt mentem nostram exerceremus in omnibus editionibus, & earum differentijs, cum eo quod longè magis exercebamus interpretationem Septuaginta, ne videremur falsi & adulterini aliquid inducere in Ecclesias, quæ sub cęlo sunt, & daremus prætextum ijs, qui quærunt occasionem, & volunt eos, qui sunt in medio, calumniari, & ijs qui sunt in communi criminari.

Eusebius. 320.

De præparatione Euangelica lib. 8. cap. 1. Cùm iã Saluatoris nostri tempora viderentur propius aduenire, conducebatqúe maximè saluti omnium gentium, quæcunque à Prophetis scripta fuerant, intelligere per linguam Græcam, quã ferè omnes gentes intelligunt, Iudaicam Scripturam vniuersis proposuit. Aut enim post Saluatoris nostri tẽpora non habuissemus, Iudæis ex inuidia occultantibus, aut corruptiores nobis dedissent; aut, si rectè habere potuissent, in suspitionem traductores facilè vocarentur. Saluator ergo noster, qui vt Deus omnia præuidebat, optima dispositione vsus, Ptolomæo Aegyptiorum Regi traducendorum librorum cupiditatem iniecit. Quam rem Aristæus, vir doctus, vtpote qui rebus aderat, diligenter conscripsit. Fuit autẽ traductio facta temporibus secundi Ptolomæi, qui Philadelphus vocatus est.

Libro 13. cap. 7. Tota Scriptura nostra Demetrij Phalerei opera, & Philadelphi regis aptissimè translata est.

In Chronicis de Anno mundi 4920. Ptolomæus Philadelphus Iudæos, qui in Aegypto erant, liberos esse permisit, & vasa Eleazaro Pontifici Hierosolymorum votiua transmittens, diuinam Scripturam in vocem Græcam ex Hebræa per Septuaginta interpretes transferri curauit; quam in Alexandrina Bibliotheca habuit, quam sibi ex omni genere literaturæ comparauerat.

Athanasius. 340.

In Synopsi de Versionibus Bibliorum: Prima versio est 72. interpretum: Hi cùm Hebræi essent, elegerunt ex vnaquaque tribu sex viros, & diuinam Scripturam Ptolomęo Philadelpho Rege ducentis triginta annis ante incarnationem Domini nostri Iesu Christi interpretati sunt.

Cyrillus Hierosolymitanus. 370.

Catechesi 4. Ptolomæus Philadelphus cùm esset literarum studiosissimus Rex, & vndequaque libros congregaret, à Demetrio Phaleræo Bibliothecę præfecto de Legis & Prophetarum diuinis libris audiens, & longè melius esse iudicans, non coactè à nolentibus libros consequi; sed donis placare homines, & amicitiam eorum conciliare, quò posset optatis potiri, Eleazaro, tum apud Iudæos summo sacerdoti, plurima dona misit, & sex viros secundùm duodecim tribus Israel ad se interpretes mitti postulauit: & vt diuinæ Legis esse hos libros experientia disceret, & ne ij, qui fuerant ad eum missi, mutuò conspirarent, singulis interpretibus singulas domus distribuit, & vnicuique, vt separatim omnes Scripturas interpretarentur, mandauit. Qui cùm in septuaginta duobus diebus negotium hoc perfecissent, simul omnium interpretationes, ex diuersis domibus prodeuntes, protulerunt. Collatis autem simul, non solùm in sensibus, verùm etiam in verbis cõsonas inuenit. Non facundia & apparatu sophismatum humanorum factum id fuerat: sed ex Spiritu sancto diuinarum Scripturarum interpretatio perfecta est.

Epiphanius. 380.

Libro de ponderibus & mensuris: Septuaginta duo interpretes has dictiones à seipsis apposuerunt, non frustra, sed potius in vtilitatem. Cùm enim ad defectuosas dictiones illas apposuerint, lectionem ad claritatem deduxerũt, vt credamus nos, etiam participes fuisse ipsos Spiritus sancti. Quorum enim nullus vsus erat, ea repetere omiserũt: vbi verò claudum videbatur verbum esse in Græcam linguam translatum, illic additionem fecerunt. Admirari porrò licet ob hoc, & minimè audere reprehensionem inferre, sed potius laudem, cùm prius homo intelligat ex Dei consilio sic factum esse. Cùm enim septuaginta duo numero essent, & in Pharia insula, superna terra appellata, è regione Alexandriæ in triginta ac sex domunculis, par & par in domunculas à matutino vsque ad vesperam concluſi, & vesperi in triginta sex nauiculis in Ptolomęi Philadelphi palatiũ transeuntes, & cum ipso cibum capientes, & par ac par in cubiculis triginta sex dormientes, vt ne quid inter se conferrent, sed incorruptè interpretarentur, sic vitam degebant. Prædictas enim triginta sex domunculas nominatus Ptolomæus cõstruxit in vlteriori parte in insulam, ipsasq; duplices fecit, & duos ac duos, velut dixi, inclusit, obsonij parandi ac ministrandi gratia, vnà cum velociter scribendi peritis: Sed neque fenestras domunculis illis ex parietibus fecit, sed supernè ex domibus lucem introduxit. Illi verò sic degentes, à matutino vsque ad vesperam clausſtris concluſi, hoc modo interpretati sunt. Singulis autem paribus vnus liber tradebatur. Verbi causa: Liber Creationis mundi binis, Exitus filiorum Israel alijs binis, Leuiticus alijs binis. Atque sic viginti septem libri, electi, receptiqúe, ac genuini, verùm viginti duo, iuxta Alphabeti apud Hebręos ordinem, numerati conuersi sunt, &c. Hi itaque viginti & septem libri, qui viginti duo numerãtur, cum Psalterio & his, quæ in Hieremia sunt, Lamentationibus inquam ipsis, & epistolis Baruch, etiamsi non habeantur epistolę apud Hebræos, sed solùm lamentationes Hieremiæ coniunctæ, eo quo diximus modo conuersæ sunt in Græcam linguam, per circuitum singulis paribus interpretum traditi, & à primo pari secundo, & rursus à secundo tertio, atque sic peruenerunt ad nos singuli sexies & trigesies conuersi, velut fama refert. Postquam verò absoluti fuerunt, consedit Rex in throno alto, itemqúe triginta sex lectores, habentes vnusquisque libri triginta sex exẽplaria conuersa, ita vt vnus haberet libri Hebraici exemplar, & vnus ex lectoribus legeret, & alij se continerent, & attenderent, an inueniretur dissensio. Verùm mirabile est opus Dei ad hoc, vt cognosceretur, quòd illi viri donum Spiritus sancti habẽtes consenserunt in deserto, & vbi appositа erat dictio vel verbum, idipsum ab omnibus appositum repertum est: vbi verò detraxerunt omnes, æqualiter detraxisse comperti sunt. Et quæ quidem detraxerunt, his non est opus; quæ verò non sustulerunt, his opus est.

Ioannes Chrysostomus. 400.

Ad cap. 1. Genes. Homil. 4. Omnes diuini libri veteris Testamenti Hebræorum lingua ab initio sunt compositi, & in hoc nobiscũ consentiunt omnes. Et non ante multos annos aduentus Christi Rex quidam Ptolomæus in conquirendis libris admodum studiosus, operæpretium putauit, vt & hos libros colligeret, eaqúe de causa quosdam Iudæorum Hierosolymitarum vocauit, qui eos in

Græcam linguam verterent. Et perfectum est hoc eius opus. Factum est autem hoc diuinę dispensationis opus, vt non solùm Hebraicæ linguę periti, sed & omnes, qui totum orbem inhabitant, ex ijs vtilitatem perciperent. Est & rarum miraculum, quòd vir, qui Iudaica non curabat, hoc fecit, sed idolatrię deditus, & religioni damnatæ multum fauens.

Ad caput 1. Matthæi Homilia 5. Ad faciendam veræ translationis fidem, omnibus alijs iure Septuaginta interpretes sint digniores. Siquidẽ alij post aduentum Domini interpretati sunt. Iudęi siquidem permanentes, meritoqúe suspecti: quippe qui inimicè & subdolè multa corruperint: & data prorsus opera à Prophetis mysteria prædicta cælauerint. Septuaginta verò ante centum, & aliquantò amplius Dominici aduentus annos, ad interpretandum tot ac pariter accedentes, ab omni suspitione huiusmodi vindicãtur. Atque ob ipsum temporis interuallum, & illorum numerum, ac consensum, magis fide digni vtique fuerint.

Theodorus Antiochenus. 420.

Ad caput 1. Sophoniæ: Septuaginta viri literas sacras Græcè vertêre patrij sermonis peritissimi, & diuinarum Scripturarum scientissimi, delecti à principe sacerdotum, & ab vniuersis tribubus Israel, tanquam maximè idonei ad vertendas Scripturas: quorum interpretationem planè liquet accepisse Apostolos, & tradidisse his, qui ex nationibus crediderunt, ad quos ante vetus Testamentum non peruenerat, & ab Apostolis accipientes hanc septuaginta virorum translationem, habemus omnes, qui ex Gentibus credidimus, & in Ecclesijs legimus, & domi euoluimus. Quomodo ergo non stultum putabimus, si quis dicat 70. viros tot numero, & tales probatos à Pontifice Maximo Eleazaro, & ab vniuerso Israele, literarum sacrarum eruditissimos in verbo esse lapsos?

Theodoretus. 450.

Præfatione in Psalmos Dauidis: Mihi quidem temeritas videtur inuertere inscriptiones, quæ à prima origine vsque ad Ptolomęi tempora delatæ sunt, qui post Alexandrum in Aegypto regnauit: quas inscriptiones Septuaginta interpretes omnes seniores in Græcam linguam transtulêre, sicut alias omnes sacras Scripturas, supra centum & quinquaginta annos ante interpretationem Ptolemaicam, mirabilis ille Esdras edidit in lucem libros cęlestis gratię plenos, qui quidem cùm propter Iudæorum incuriam, tum verò ob impietatem Babyloniorum diutius deprauati mansêre. Si igitur Esdras diuino numine afflatus, horum voluminum memoriam illis hominibus renouauit, etiam hi Septuaginta viri non sine sancto Spiritu hęc opera in Gręcum sermonem conuerterunt. Rem quidem nimiæ temeritatis & confidentiæ plenam arbitror, falsas illas existimare, & nostras rationes vi sancti Spiritus sapientiores iudicare.

Olympiodorus Diaconus. 480.

Ad caput 1. Iob: Ii quoque ablegentur, qui Septuaginta illos mirificos homines, quasi minus rectè Hebraicè scirent, perstringunt, vel quòd vocabulorum homonymia decepti sint, vel quòd multis locis alia pro alijs interpretando reddiderint, cùm, quæ Hebraicè scripta erant, in Græcam conuerterent. Diuinis Patribus potius adhibenda est fides, qui librum ab Apostolis ex Septuaginta editione acceperunt, quam cæteris interpretationibus prætulerunt, vt quæ à Spiritu sancto manasset. Nam reliqui interpretes post Christi aduentum extiterunt, qui quòd Christiani minimè fuerunt, suo quisque aptam scopo, ac pro sua libidine interpretationem fecerunt. Septuaginta verò ante Christi aduentum, & seorsim omnem veterem Scripturam interpretati sunt, à Ptolomæo bini à binis seiuncti. Fuitqúe eorum tanta consensio, quasi vno ore essent cuncti locuti: interim nec ad gratiam, nec ad odium cuiusquam Hebraica transferentes. Itaque interpretationem illam, tanquam ab omni suspitione vacuam, atque adeò à multis, senioribusqúe nationis Israeliticę effectam, illi Principes sacrorum Ecclesiæ tradiderunt: vt superuacaneæ iam sint fabulantium Hebræorum prauæ interpretationes.

Procopius Gazæus. 530.

Præfatione in Genesin: Possum & alteram obscuritatis sacræ Scripturæ referre causam: atque hæc inde proficiscitur, quòd vetus Testamentum in linguam Græcam versum est industria & studio Ptolomæi, ante Christi incarnationem: siquidem omnia sacrosanctæ fidei dogmata & Ethnicis aperienda erant, quò expeditius ad veram fidem aduolarent.

Iustinianus Imp. 530.

Constitut. 146. Qui Græcam Scripturam legunt, vtantur interpretatione Septuaginta, quæ omnibus exactior est, & præter cæteras multa continet occulta; præsertim verò propter id, quod in interpretando accidit. Nam cùm semper bini seorsim concluſi essent, & diuersis locis interpretarentur, vnam tamen omnes compositionem ediderunt. Ad hęc quis non illud in ijs viris admiretur, quòd cùm longo tempore salutarem apparitionem magni Dei & Seruatoris nostri Iesu Christi præcesserint; tamen illam futuram quasi præsentibus cernentes oculis, prophetica quodammodo gratia ipsos circumfulgente, sacrorum illi librorum interpretationem accommodârunt? Atque hac quidem præcipuè omnes vtentur. Ne tamen in eam opinionem veniant, quasi cæteras interpretationes excluserimus, damus illis licentiam, vt etiam interpretatione Aquilæ vtantur; tametsi ille diuersæ nationis fuerit, & in nonnullis dictionibus non mediocrem cum Septuaginta habeat differentiam.

Ischius Hierosolymitanus. 600.

Libro 2. in Leuit. capite 8. *Congregataqúe omni turba ante foras ait.)* Quod Græca lingua in Septuaginta expressius translatum est, id est, ἐκκλησίασεν τὴν συναγωγὴν. Et quamobrem non dicit, collegit cõgregationem siue synagogam, sed conuocata, id est, ἐκκλησιάζῃ, omni turba, id est, synagoga seu congregatione? Quia procul dubio, & per hæc innuit aliquid, synagogam illam appellans: quia hoc nomen proprium cœtui populi antiquitus fuit. Conuocare autem, id est, ἐκκλησιάζειν, præcepit, vt cognosceremus paulò pòst futuram Ecclesiam, quæ huius inuenitur virtus esse sanctionis.

Euthymius. 1080.

Præfatione in Psalterium: Septem fuêre translationes veteris Testamenti. Prima à 72. viris facta est, qui Hebræi erant, & electi fuerunt iuxta numerum septuaginta seniorum, quos elegit Moses. Hi igitur commemorati Regis hortatu ad hanc prouinciam designati, in vnam per omnia interpretationem conuenêre.

Georgius Cedrenus. 1100.

In Ptolomæo Philadelpho: Hic sacras literas, sed

& reliquos Chaldaicos, Aegyptiacos, Romanos, alijsque linguis ſcriptos libros opera doctiſſimorum Hebræorum in Græcum ſermonem tranſcripſit. Hebraicorum librorum translatio 72. diebus abſoluta eſt. Rex pulchritudine ſacræ Scripturæ ſtupefactus, Proceribus præſentibus, vnaque Menedemo Philoſopho, & Demetrio Phaleræo quæſiuit, quidnã eſſet cauſæ, quòd ſacrarum literarum, quarum tanta ſit dignitas, nemo hiſtoricorum, aut Poëtarum mentionem fecerit. Reſpondit Demetrius, neminem eas fuiſſe auſum attingere: quando Theopompus eas aggreſſus, mente captus fuerit, ac per inſomnium monitus, id ſibi acciditſſe, quòd curioſè ſacras res inquirere conatus fuiſſet: & Theodectes Tragœdiarum ſcriptor in quadam fabula ſacrorum librorum facta mentione excæcatus fuerit. Vterque autem horum ab incepto deſiſtẽs, Deum placauerit, & ſanitati ſit reſtitutus.

Ioannes Zonaras. 1100.

Tomo 1. Annalium: Eleazarus literis & donarijs à Ptolomæo acceptis, è qualibet tribu viros ſenes delectos ablegauit legem ſecum portantes. Qui cùm Alexandriam peruenijſſent, & legem Regi aureis literis in membranis deſcriptam, vnà cum miſſis à Pontifice muneribus attuliſſent; Rex magnopere lætatus, viros humaniter exceptos, ſuæ menſæ adhibuit, & terna eis talenta diſtribuit, diuerſorijs amœniſſimis aſſignatis. Deinde à Demetrio in vnam tranquillam domum omnes ſunt deducti, hortante vt operi inſtarent. Hi pro virili accuratoque ſtudio conuerſionem abſoluunt. Qua intra dies ſeptuaginta duos perfecta, exſcripta, & recitata, Rex & voluntati ſuæ ſatis eſſe factum eſt gauiſus, & legislatoris ingenium, & ſapientiam ſupra modum eſt admiratus.

Nicetas. 1200.

In Commentario Pſalmorum: Nos verò & talem traditionem venerantes, Septuaginta interpretum editioni adhæremus: maximè quòd illi inter ſe diuiſi, vnam in ſingulis ſententiam & dictionem tradiderint.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Tertullianus. 200.

In Apologetico aduerſus Gentes cap. 18. Ptolomæorum eruditiſſimus (quem Philadelphum ſupernominãt) & omnis literaturæ ſagaciſſimus, cùm ſtudio Bibliothecarum Piſiſtratum, vt opinor, æmularetur, inter cætera memoriarum, quibus aut vetuſtas, aut curioſitas aliqua ad famam patrocinabatur, ex ſuggeſtu Demetrij Phaleræi, Grammaticorum tunc probatiſſimi, cui præfecturam mandauerat, libros à Iudeis quoque poſtulauit, proprias ſcilicet atque vernaculas literas, quas ſoli habebãt. Sed ne notitia vacaret, hoc quoque Ptolomæo à Iudæis ſubſcriptum eſt, Septuaginta duobus interpretibus indultis: quos Menedemus quoque Philoſophus prouidentiæ vindex de ſententiæ communione ſuſpexit. Affirmauit hęc vobis etiam Ariſteas, ita in Græcum ſtylum ex aperto monumenta reliquit. Hodie apud Serapæum Ptolomęi Bibliothecę cum ipſis Hebraicis literis exhibentur.

Hilarius. 350.

Ad Pſalm. 2. Medijs legis temporibus, poſcente Rege Ptolomęo, Septuaginta ſeniores libros veteris Teſtamẽti ex Hebręis literis in Græcas tranſtulerunt. Erat autem iam à Moſe antea inſtitutum in Synagoga omni ſeptuaginta eſſe Doctores. Nam idem Moſes, quamuis veteris Teſtamenti verba in literis condidiſſet; tamen ſeparatim quędam ex occultis legis ſecretiora myſteria ſeptuaginta ſenioribus, qui Doctores deinceps manerent, intimauerat. Doctrina ergo horum in poſterum, quę ab ipſo ſcriptore legis accepta, in hoc ſeniorum & numero, & officio conſeruata eſt. Hi itaque ſeniores libros hos transferentes, & ſpiritualem ſecundùm Moſi traditionem occultarum cognitionum ſcientiam adepti, ambiguè lingua Hebraica dicta, & varia quędam ex ſe nuntiantia, ſecundùm virtutes rerum, certis & proprijs verborum ſignificationibus tranſtulerunt; doctrinę ſcientia multimodam illam ſermonum intelligentiam temperantes, &c. Perfecta horum Septuaginta interpretum auctoritas manet: Primùm, quòd ante aduentum corporalem Domini tranſtulerũt, nec adulatio interpretandi adhibita tempori arguitur, tanto anteriores interpretationis ætate: dehinc, quòd illi ipſi principes Doctoresque Synagogæ, & præter ſcientiam legis per Moſen quoque doctrina ſecretiore per fecti, non potuerunt non probabiles eſſe arbitri interpretandi, qui certiſſimi & grauiſſimi erant auctores docendi.

Ad Pſalm. 59. in expoſitione tituli: Translatio Septuaginta ſeniorum & legitima, & ſpiritualis, ante paſſionem Domini geſtaque ſuſcepta, per nominum naturarumque ſpecies nunc quoque, vt in omnibus Pſalmis, cauſam ſenſumque manifeſtat.

Ambroſius. 370.

Ad Pſalm. 43. ad illa verba: *Quoniam humiliaſti nos in loco afflictionis*: Septuaginta virorum videtur cum his ſententia conuenire, cùm dicunt, quia ſcriptum eſt: *Quoniam humiliaſti nos.* Cuius interpretationis teſtimonia de Scripturis ſunt nobis accerſenda diuinis.

Philaſtrius. 380.

De Hæreſibus cap. 90. Sunt hæretici, qui ſicuti Septuaginta duorũ ſanctorum ſapientiſſimorumque virorum interpretationem reſpuentes, Aquilę cuiuſdam hominis vnius Pontici, qui poſt annos multos interpretatus eſt, editionem ſuſcipiunt. Qui cùm quędam prætermittere tunc temporis neceſſitate vrgente cogerentur, diſſonantia putantur dictaſſe, &c. Septuaginta duorum decreta atque conſulta, ea legens Eccleſia Catholica ſemper habet, & detinet incunctanter: Aquilę autem, quaſi ſuperflua, ita æſtimat eſſe & iudicat. Hæc etenim, id eſt Septuaginta duorum interpretatio ſub Ptolomæo Rege Aegyptiorum, poſt Alexandrum Macedonem, eſt edita: omnibus, populoque Iudaico in Hieruſalem data eſt, cùm habitarent non multi Iudæi, velut in ſubiectione iam poſiti Regis Aegyptij, rogatique ab ipſo Ptolomæo, vt interpretes mitterentur Alexandriam. Quò cùm veniſſent Septuaginta duo ſapientes ac prudentes viri interpretes, ſecundùm iuſſum regis, Hebræam linguam Græco ſermone interpretati, Græcis literis ediderunt. Cumque ſuſcepiſſet eos Ptolomæus Rex Aegypti, tentare volens, ſi eſſet eorum diuina Scriptura, quam legebant Iudæi, ſeparatim quemque iuſſit includi in cubiculum, nullumque videre alium, niſi ſolo excepto eo, qui interpretem exciperet dictantem: omniumque accipiens poſtea interpretationem quotidie, cùm conſentientem in vnum inueniret editionem omnium, iuſſit conſcribi, atque poni in templum, vt venientibus de Achaia, de Græcia,

atque

atque alijs prouincijs, Philoſophis, Poëtis, & Hiſtoriographis cupientibus, legendi copia non negaretur.

Hieronymus. 390.

Proœmio in quæſtiones Hebraicas Geneſeos: Neque verò Septuaginta interpretum, vt inuidi latrant, errores arguimus: nec noſtrum laborem illorum reprehenſionem putamus: cùm illi Ptolomæo Regi Alexandriæ myſtica quæque in Scripturis ſanctis prodere noluerint, & maximè ea, quæ Chriſti aduentum pollicebantur; ne viderentur Iudæi & alterum Deum colere: quos ille Platonis ſectator magni idcirco faciebat, quia vnum Deum colere dicerentur.

Epiſtola 101. ad Pammachium de optimo genere interpretandi Scripturam capite 4. Septuaginta editio vires obtinuit in Eccleſijs, vel quia prima eſt, & ante Chriſti facta aduentum: vel quia ab Apoſtolis, in quibus tamen ab Hebraico non diſcrepat, vſurpata. Aquila autem Proſelytus, & contentioſus interpres, qui non ſolùm verba, ſed etymologias quoque verborum transferre conatus eſt, iure proijcitur à nobis.

Aduerſus Ruffinum libro 2. cap. 7. Egone contra Septuaginta interpretes aliquid ſum locutus, quos ante annos plurimos diligentiſſimè emendatos meæ linguæ ſtudioſis dedi, quos quotidie in conuentu fratrum ediſſero: quorum Pſalmos iugi meditatione decanto? tam ſtultus eram, vt quod in pueritia didici, ſenex obliuiſci vellem? Vniuerſi tractatus mei horum teſtimonijs texti ſunt, commentarij in duodecim Prophetas & meam, & Septuaginta editionem ediſſerunt.

Præfatione in 4. Euangeliſtas: Neque ego de veteri diſputo Teſtamento, quod à Septuaginta ſenioribus in Græcam linguam verſum, tertio gradu ad nos vſque peruenit. Non quæro quid Aquila, quid Symmachus ſapiant: quare Theodotion inter vos & veteres medius incedat. Sit illa vera interpretatio, quam Apoſtoli probauerunt. De nouo nunc loquor Teſtamento, quod Græcum eſſe non eſt dubium.

Auguſtinus. 400.

Epiſtola ad Hieronymum: (*eſt inter Hieronymi epiſtolas epiſtola 86.*) De Septuaginta interpretum vel conſilij, vel maiore ſpiritus concordia, quaſi vnus homo eſſet, non audeo in aliquam partem certam ferre ſententiam, niſi quòd eis præeminentem auctoritatem in hoc munere ſine controuerſia tribuendam exiſtimo.

De Ciuitate Dei libro 15. cap. 14. Quæ facultas cùm volentibus vbique gentium præſto ſit, non tamen vacat, quòd Septuaginta interpretes in plurimis, quæ diuerſa dicere videntur, ex Hebræis codicibus emendare auſus eſt nemo. Non enim eſt illa diuerſitas putata mendoſitas, nec ego vllo modo putandum exiſtimo. Sed vbi non eſt Scriptoris error, aliquid eos diuino Spiritu, vbi ſenſus eſſet conſentaneus veritati, & prædicans veritatem, nõ interpretãtium more, ſed prophetantium libertate aliter dicere voluiſſe credendum eſt.

Libro 18. cap. 42. Ptolomæus Philadelphus petiuit ab Eleazaro, tunc Pontifice, dari ſibi Scripturas, quas profectò audierat fama prædicante diuinas. Has ei cùm idem Pontifex miſiſſet Hebræas: poſt etiam ille interpretes poſtulauit, & dati ſunt ei Septuaginta duo, linguæ vtriuſque doctiſſimi, Hebręæ ſcilicet atque Græcę. Traditur ſanè tam mirabilem ac ſtupendum, planeque diuinum in eorum verbis fuiſſe conſenſum, vt cùm ad hoc opus ſeparatim ſinguli ſederint, in nullo verbo, quod idem ſignificaret, & tantundem valeret, vel in verborum ordine alter ab altero diſcreparet: ſed tamquam ſi vnus eſſet interpres, ita quod omnes interpretati ſunt, vnum erat: quoniam reuera ſpiritus erat vnus in omnibus.

De doctrina Chriſtiana libro 2. cap. 15. Si quid aliter in Hebręis exemplaribus inuenitur quàm Septuaginta illi poſuerunt; cedendum eſſe arbitror diuinæ diſpenſationi, quę per eos facta eſt, vt libri, quos gens Iudæa cæteris populis vel religione, vel inuidia prodere nolebat, crederentur per Dominum gentibus, miniſtra regis Ptolemæi poteſtate, tanto ante proderẽtur. Itaque fieri poteſt, vt ſic illi interpretati ſint, quemadmodum congruere Gentibus ille, qui eos regebat, & qui os vnum omnibus fecerat, Spiritus ſanctus iudicauit.

Iſidorus Hiſpalenſis. 620.

De officijs Eccleſiaſticis libro 1. cap. 12. Primam poſt Eſdram editionem de Hebręo in Græcum Septuaginta interpretes ediderunt, ſub Ptolomęo Ægyptiorum Rege ſucceſſore Alexandri, qui in legendo ſtudioſus fuit, omniumque gentium libros congregauit. Iſte enim Eleazaro principi ſacerdotum multa dona mittens ad templum, petijt vt ſenes de duodecim tribubus Iſrael tranſmitterentur, qui interpretarentur omnes libros: & vt fidem interpretationis adueterent, ſingulis eorum, qui fuerant deſtinati, ſingulas cellas dedit, & aſſignans omnibus omnes Scripturas iuſſit interpretari. Qui cùm per ſeptuaginta dies omne negotium adimpleſſent, omnium ſimul interpretationes, quas per diuerſa ſegregati, nullo ad nullum propinquante fecerunt, congregauit in vnum. Atq; ita omnes libri interpretati per Spiritum ſanctum inuenti ſunt, vt non ſolùm intellectu, verùm etiam in ſermonibus conſonantes inuenirentur. Hæc fuit prima interpretatio vera ac diuina: hos libros meditari omnium Gentium Eccleſiæ cœperunt primùm, eos denique de Græco in Latinum interpretantes primi Eccleſiarum prouiſores tradiderunt.

Iulianus Pomerius Toletanus. 670.

Contra Iudæos libro 3. Septuaginta interpretes prophetandi potius munere, quàm tranſferendi officio diuinas Scripturas, reuelante ſibi Domino, tranſtulerunt, apud quos etiam hęc ſupputatio reperitur annorum. Ergo illa vobis & ſola pro his annis eſt obſeruanda auctoritas Septuaginta interpretum, quę meritò omnibus editionibus & translationibus antefertur: quam etiam vſque omnes Doctores Eccleſiaſtici tenuerunt, & in hac præcipuè annorum ſupputatione ſecuti ſunt. De quorum etiam venerabilium Septuaginta interpretum laude, atque præpollenti auctoritatis faſtigio quid vnuſquiſque Doctorum ſenſerit breuiter annotabo, &c.

Beda. 700.

De ſex ætatibus Mundi: Ptolomæus Iudæos, qui in Aegypto erant, liberos eſſe permiſit, Eleazaro Pontifici multa Hieroſolymã & in tẽpli donaria vaſa tranſmittens, Septuaginta interpretes petit, qui Scripturam ſanctam in Græcum verterent eloquium.

Rabanus Maurus. 850.

Libro 4. in Geneſim cap. 16. Nec Septuaginta interpretes, quos legere conſueuit Eccleſia, erraſſe credendi ſunt, vt non dicerent, quadraginta dies, ſed *triduum, & Niniue euertetur.* Maiore quippe auctoritate prædicti, quàm interpretum officium eſt, prophetico Spiritu, quo etiam ore vno in ſuis interpretationibus, quòd magnum miraculum fuit, conſonuiſſe firmantur, triduum poſuerunt;

quamuis non ignorarent, quòd dies quadraginta in Hebræis codicibus legerentur, &c. Non ergo dicamus vnum horum falsum esse, & pro alijs interpretibus aduersus alios litigemus, cùm & illi, qui ex Hebræo interpretantur, & Septuaginta interpretum auctoritas, quæ tanto etiam diuinitus facto miraculo commendatur, tanta in Ecclesijs vetustate firmetur.

Radulphus Flauiacensis. 950.

Libro 3. in Leuit. cap. 8. Sciendum, quòd vbi Hebraica veritas, quam nostra translatio sequitur, duos siclos ponit, Septuaginta transtulerunt: *Qui emi posit quinquaginta siclis argenti, siclo sanctuarij.* Spiritu enim prophetico (vt credimus) interpretantes, multa in verbis mysticis ad placitum suum mutauerunt, vbi tamẽ spiritualis sensus idem esset; hinc maximè Legis intentionem ostendentes, eamque figuratiuè loqui insinuantes, quòd legem interpretantes, quasi alia à Lege proferunt, eadem tamen, quæ Lex, alijs figuris exprimunt. Ad Gentes namque Legem transferentes, non illum cæremoniarum ritum, cui tunc temporis Iudæi seruiebant, illis tradunt: nimirum quas (si Prophetæ fuerunt) ab eodem in fine temporum, cùm ad fidem venissent, reuelandas prospiciebant: sed quod earundem cæremoniarum velamine tegebatur, nunc ijsdem, nunc alijs verbis insinuant.

Bridefertus Rameſienſis. 980.

Ad caput 28. Bedæ de ratione temporum: Aristobulus ex Planeada, vnus ex illis Septuaginta senioribus fuit, qui missi fuerant à Pontificibus ad Ptolemæum Regem Hebræorum libros interpretari in Græcum sermonem: quique multa ex traditionibus Mosi proponenti Regi & percunctanti responderunt.

Anſelmus. 1080.

In Enarratione Euangelij ſecundum Lucam cap. 3. Nemo fidelium putet, hoc in loco Septuaginta translatores erraſſe, ſed credat indubitanter, eos quod verum esse nouerant posuisse, & quod Moses minus dixerat, suppleſſe. Neque enim Spiritus sanctus hoc in Euangelio posuisset, nisi verum omnino esset.

Ad caput 12. Epistolæ ad Romanos: Patet Hebræos, qui Romę crediderant, habuisse in auctoritate translationem Septuaginta interpretum, iuxta quam Apostolus eis profert testimonium. Non enim proferret testimonium ex Scriptura, quam non reciperent.

Hugo Victorinus. 1030.

In Prænotionibus elucidatorijs, de Scripturis, & Scriptoribus ſacris cap. 9. Scripturam veteris Testamenti prius in Hebraica lingua editam constat. Postea Ptolomæus, qui Philadelphus cognominatus est, per Septuaginta interpretes, quos ab Eleazaro Pontifice acceperat, Bibliothecam veteris Testamenti in Græcam linguam ex Hebræa interpretari fecit. Et (vt quidam aiunt) ne posset decipi ab eis falsitate translationis, diuisit eos, vt singuli in singulis cellis separati essent. Illi verò ita omnia per Spiritum sanctum interpretati sunt, vt nihil in vnius codice inuentum esset, quod in alterius similiter non inueniretur. Propter quod vna est eorum interpretatio.

Petrus Cluniacenſis. 1150.

Libro 2. contra Iudæos: Nec latet nos, sed vos fortè ignoratis, Septuaginta interpretes, quos vester Iosephus refert, à Pontifice Eleazaro, ad transferendas de lingua Hebraica in Græcam Scripturas sacras, Ptolomæo regi Aegyptiorum directos, sex ista sublimia nati paruuli nomina reticuisse; & pro illis magni consilij Angelum transtuliſſe. Sed fecerunt illi hoc (vt auctores tam vestri, quàm nostri referunt) ne Regi iam vnum Deum colenti scandalum facerent: neue illum, qui nouiter idolorum cultum abiecerat, rursum obiecta hominis Christi deitate, dum tanti mysterij altitudinem penetrare non posset, non tam erudirent, quàm perturbarent. Sed hoc, siue alio animo illi fecerint, quid ad vos? si non habent nomina illa Græci libri, habent Hebraici. Relegite Esaiam, scrutamini verba ista, & non verbis meis, sed literis vestris credite: non libris alienis, sed proprijs acquiescite.

Ioannes Saresberienſis. 1160.

Libro 4. Polycr. cap. 6. Ptolomæus ad cumulum beatitudinis nonne sibi deesse aliquid credidit, donec ascitis Septuaginta interpretibus, licet gentilis esset, Legem Domini Græcis communicauit? Nihil enim refert an interpretes in eadem cellula clausi contulerint, an prophetauerint in diuersis, dum constet regem in veritatis inquisitione solicitum, Legem Domini in Græciam traiecisse.

Petrus Trecenſis. 1160.

In Historia Scholastica de libro Hesther cap. 17. Septuaginta interpretes cùm instituissent Regem de regni administratione, plenius disputauerunt de vno Deo colendo, & quòd nulla creatura Deus esset. Inde est, quòd vbicunque occurrit eis de Trinitate, vel sub silentio transierunt, vel in ænigmate transtulerunt, ne tres Deos colendos tradidisse viderentur.

Godfridus Viterbienſis. 1170.

Parte 11. Chronicorum: Ptolomæus Philadelphus volens ad plenum cognoscere, si scripta Iudæorum veraciter ex Deo essent, Septuaginta eorum interpretes ab inuicem singulos in singulis cellulis separauit, nec eos inuicem consilium aut colloquium habere permisit, donec vnusquisque per se cuncta transferret. Cumque ipsorũ omnium dicta conferret, nullam inter eos potuit discordiam inuenire. Quo casu credidit, & asseruit, vno Dei Spiritu eos omnia, quę scripserant, didicisse, & vnum esse Deum, à quo omnia Iudęorum scripta manarent.

Nicolaus Lyranus. 1300.

Contra quendam Iudæum impugnatorem Euangelij: Septuaginta interpretes fuerunt Iudæi, & in Lege, & in Prophetis peritissimi.

M. Antonius Sabellicus. 1480.

Lib. 7. Exemplorum cap. 5. Ptolomæus Philadelphus septuaginta senes Bibliacæ historiæ scientissimos ab Iudæa vsque in Ægyptum vocauit. Quos regia vrbe acceptos, hospitaliter & benignè coluit, eorumque interpretationem cupidè complexus, magnis à se muneribus dotatos honorificè dimisit: neque id Genti datum magis, quàm doctrinę credere est, cùm nulla tum gens esset in terris inuisior omnibus, aut despicatior quàm Iudęi.

Petrus Galatinus. 1516.

De arcanis Catholicæ veritatis, libro 1. cap. 3. Septuaginta interpretes non solùm Hebraica, Chaldæa, Græcaque lingua, ac omni disciplinarum genere, verùm Spiritu sancto quoque inter cæteros claruerunt. Nam cùm ante Christi natiuitatem, anno 250. rogatu Ptolomæi Philadelphi Alexandriam ab Eleazaro Pontifice totam Bibliam in Græcum eloquium traducturi missi fuissent, volens Ptolomęus ipse de eorum editionis puritate periculum facere (vt non Thalmudistæ modò

ac Philo

ac Philo Iudæorum disertissimus, Augustinus quoque, & quidam alij ex nostris testantur) per duas & septuaginta segregauit cellulas. Ipsi tamen in scribendo adeò concordes fuerunt, vt nec in verbo quidem discrepârint, sed vna scribendi serie, vno verborum literarumque contextu, eodemque temporis momento, vniuersum diuinum volumen illud in Græcum sermonem commutârint: quod vtique non humanæ, sed diuinæ ascribendum est virtuti. Quare neque dubium est, eos alia quoque Spiritu sancto inspirante ad Legis Prophetarumque explanationem literis mandasse, in quibus multa eos de Christo dicere contigerit.

Cap. 8. Septuaginta duo interpretes multa, teste Thalmud, transferre omiserũt, & plurima mutauerũt, ne diuina arcana gentilibus tunc indignis nota fieri contingeret. Hinc etiam & ipsi Scribæ multa, tamquam absurda, tanquam quæ apud Gentium nationes nefas erat vel somniare, de diuinis Scripturis abraserunt; tanquam ij, qui adhuc diuini consilij celsitudinem super humani generis salutem plenè non perpendebant.

ARTICVLVS TERTIVS.

D. HIERONYMVM NOVVM TESTAMENTVM GRÆCÆ FIDEI REDDIDISSE: VETVS IVXTA HEBRAICAM TRANSTVLISSE: ILLA BIBLIA OMNIBVS ALIIS LATINIS PRÆFERENDA ESSE.

NEGANT.

Anno post natũ Christũ 1520. 1540.

SANCTES Pagninus, in Præfatione suæ interpretationis Bibliorum ad Clementem Septimum P.M. *suspicatur vulgatam editionem non esse D. Hieronymi.*

Martinus Kemnitius, in Examine Concilij Tridentini: *Ioannes Caluinus*, aduersus Concilium Tridentinum: *Georgius Maior*, Præfatione in Psalmos: *& Tilmannus Heshusius*, libro de sexcentis erroribus Pontificiorum, *negant vulgatam Hieronymi Bibliorum Latinam editionem pro authentica habendam esse.*

ASSERVNT PATRES LATINI.

Hieronymus. 390.

De Scriptoribus Ecclesiasticis capite 135. Nouum Testamentum Græcæ fidei reddidi: Vetus iuxta Hebraicam transtuli.

In præfatione Psalterij ad Sophronium, quæ est Epistola 134. Certè confidenter dicam, & multos huius operis testes citabo, me nihil duntaxat sententia de Hebraica veritate mutasse. Si cubi ergo editio mea à veteribus discrepabit, interroga quemlibet Hebræorum, & liquidò peruidebis, me ab æmulis frustra lacerari, qui malunt contemnere videri præclara, quàm discere.

In Prologo Galeato in libros Regum: Mihi omninò conscius non sum, mutasse me quicquam de Hebraica veritate: certè si incredulus es, lege Græcos codices, & Latinos, & confer cum his opusculis, quæ nuper emendauimus: & vbicunque discrepare inter se videris, interroga quemlibet Hebræorum; cui magis accommodare debeas fidem: & si nostra firmauerit, puto quòd eum non existimes coniectorem; vt in eodem loco mecum pariter diuinârit.

Augustinus. 400.

De Ciuitate Dei libro 18. cap. 43. Non defuit nostris temporibus presbyter Hieronymus, homo doctissimus, & trium linguarum peritus, qui non ex Græco, sed ex Hebræo in Latinũ diuinas Scripturas conuertit, cuius tam literatum laborem Hebræi fatentur esse veracem.

Epistola 10. ad Hieronymum cap. 3. Proinde non paruas Deo gratias agimus de opere tuo, quòd Euangelium ex Græco in Latinum interpretatus es: quia penè in omnibus nulla offensio est, cùm Scripturam Græcam contulerimus. Vnde si quisquam veteri falsitati contentiosus fauerit, prolatis collatisque codicibus, vel docetur facillimè, vel refellitur. Et si quædam rarissima meritò mouent, quis tam durus est, qui labori tam vtili non facilè ignoscat, cui vicem laudis referre non sufficit?

Aurelius Cassiodorus. 540.

Lib. 1. Institut. cap. 12. Sciendum est planè S. Hieronymum ideo diuersorum translationes legisse, atque correxisse, eò quòd auctoritati Hebraicæ nequaquam eas perspiceret consonare. Vnde factum est, vt omnes libros veteris Testamenti diligenti cura in Latinum sermonem de Hebræo fonte transfunderet, & ad viginti duarum literarum modum, qui apud Hebræos manet, competenter adduceret, per quas omnis sapientia discitur, & memoria dictorum in æuum scripta seruatur.

Cap. 21. B. Hieronymus Latinæ linguæ dilatator eximius, qui nobis in translatione diuinæ Scripturæ tantum præstitit, vt ad Hebræum fontem penè non egeamus accedere, quando nos facundiæ suæ multa cognoscitur vbertate satiasse.

Gregorius Magnus. 590.

Libro 20. Moralium cap. 23. *Mutatus es mihi in crudelem, & in duritia manus tuæ aduersaris mihi.* Longè ab hac sententia vetusta translatio dissonat: quia quod in hac de Deo dicitur, hoc in illa de aduersarijs, ac persecutoribus memoratur. Sed tamen quia hæc noua (*Hieronymi*) translatio ex Hebræo nobis Arabicoque eloquio cuncta verius transfudisse perhibetur, credendum est, quicquid in ea dicitur: & oportet, vt verba illius nostra expositio subtiliter rimetur.

Isidorus Hispalensis. 620.

Libro 6. Etymol. cap. 5. Hieronymus trium linguarum peritissimus, ex Hebræo in Latinum eloquium Scripturas diuinas conuertit, eloquenterque transfudit: cuius interpretatio meritò cæteris antefertur. Nam & verborum tenacior, & perspicuitate sententiæ clarior est.

De diuinis Officijs lib. 1. cap. 12. De Hebræo in Latinum eloquium tantummodò Hieronymus Presbiter sacras Scripturas conuertit, cuius editione generaliter omnes Ecclesiæ vsquequaque vtuntur, eò quòd veracior est in sententia, & clarior in verbis.

Iulianus Toletanus. 680.

Libro 3. contra Iudæos: Et hæc vir ipse beatæ memoriæ Hieronymus dixit, qui diuinas Scripturas de Hebræo in Latinum eloquium vertit.

Beda. 700.

In Martyrologio: Pridie Kalend. Octobris depositio Hieronymi Presbyteri, cuius vita & doctrina vbique in Ecclesijs Christi laudabilis extat, qui diuinos libros ex Hebræa lingua in Latinâ transtulit.

Sigebertus Gemblacensis. 1100.

In Chronicis de anno 395. Hieronymo sacras Scripturas veteris Testamenti de Hebraica veritate in Latinam linguam vertente, editio Septuaginta interpretum, quæ tenebatur à cunctis, & Græcis & Latinis, cœpit in secundis haberi: quòd cùm contra inueteratum vsum Ecclesiæ fieri quâuis sancti & docti viri ægrè ferrent; prævaluit tamen auctoritas Hebraicæ veritatis, postquam patuit, quantum ab ea discrepent Septuaginta interpretes.

Hugo Victorinus. 1130.

De Scripturis, & sacris Scriptoribus cap. 9. Hieronymi translatio, quia Hebraicæ veritati concordare magis probata est, idcirco Ecclesia Christi per vniuersam latinitatem, præ cæteris omnibus translationibus, quas vitiosa interpretatio, siue prima de Hebræo in Græcum, siue secũda de Græco in Latinum facta corruperat, hanc solam legendam, & in auctoritate habendam constituit.

Martinus Polonus. 1320.

In Arcadio: Huius temporibus Hieronymus Presbyter, interpres & Doctor egregius, secundùm Hebraicam veritatem Biblia transtulit de Hebraico in Latinum.

Platina. 1460.

In Damaso: Damasus primus Hieronymi scriptis auctoritatem dedit, cùm prius Septuaginta interpretum scripta tantùm in pretio essent. Nam & Biblia Hieronymi legi cœpta sunt, & Psalmi eiusdem fideliter ex Hebraico traducti, cùm antea apud Gallos potissimùm incompositè legerentur.

Baptista Fulgosius. 1490.

Rerum memorabilium lib. 8. cap. 7. Hieronymus cùm Græcè, Hebraicè, Babylonicè, Syrè, atque Latinè calleret, ac ad purum linguarum omnium summum peruenisset, omnem Scripturam, quam sacram Christiana religio appellat, in Latinum vertit sermonem. Cuius traductionis elegantia atque veritas omnes ante eum factas traductiones exclusit. Nam statutum fuit, vt Hieronymi sola traductione vteretur Ecclesia.

Baptista Mantuanus. 1500.

Lib. 9. Fastorum, de S. Hieronymo:

At cùm perspiceres diuina volumina multis
Deprauata locis, & conceptacula lymphæ,
Vnde bibunt animæ, primum amisisse nitorem,
Hanc tua scabriciem vigilans industria longo
Detersit sudore, tuus labor ista fugauit
Nubila, & expulsa fecit vada limpida face.

Concilium Tridentinum. 1550.

Sessione 4. Sacrosancta Synodus considerans non parum vtilitatis accedere posse Ecclesiæ Dei, si ex omnibus Latinis editionibus, quæ circumferuntur sacrorum librorum, quænam pro authentica habenda sit innotescat: statuit ac declarat, vt hæc ipsa vetus & vulgata editio, quæ longo tot seculorum vsu in ipsa Ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, prædicationibus, & expositionibus, pro authentica habeatur, & vt nemo eam reijcere quouis prætextu audeat vel præsumat.

CANON BIBLIORVM HEBRAEORVM, QVEM IVDAEORVM *Synagoga recipit.*

1. Genesis.	13. Duodecim Prophetæ minores:	Oseas.	14. Liber Psalmorum.
2. Exodus.		Ioel.	15. Prouerbia.
3. Leuiticus.		Amos.	16. Iob.
4. Numeri.		Abdias.	17. Daniel.
5. Deuteronomium.		Ionas.	18. Esdras.
6. Iosue.		Micheas.	19. Paralipomenon.
7. Iudicum, & Ruth.		Nahum.	20. Esther.
8. Regum 1. & 2.		Abacuc.	21. Ecclesiastes.
9. Regum 3. & 4.		Sophonias.	22. Canticum Canticorum.
10. Esaias.		Aggæus.	
11. Ieremias.		Zacharias.	
12. Ezechiel.		Malachias.	

CANON BIBLIORVM GRAECORVM AC LATINORVM, *quem Christianorum Ecclesia recipit.*

1. Genesis.	18. Iudith.	34. Ioel.
2. Exodus.	19. Esdræ 1.	35. Amos.
3. Leuiticus.	20. Esdræ 2.	36. Abdias.
4. Numeri.	21. Machabæorum 1.	37. Ionas.
5. Deuteronomium.	22. Machabæorum 2.	38. Micheas.
6. Iosue.	23. Dauid.	39. Nahum.
7. Iudicum.	24. Prouerbia.	40. Abacuc.
8. Ruth.	25. Ecclesiastes.	41. Sophonias.
9. Regum 1.	26. Cantica.	42. Aggæus.
10. Regum 2.	27. Sapientia.	43. Zacharias.
11. Regum 3.	28. Ecclesiasticus.	44. Malachias.
12. Regum 4.	29. Esaias.	45. Matthæi, Marci, Lucæ, & Ioannis Euãgelia 4.
13. Paralipomenon 1.	30. Hieremias, cum Threnis, & Baruch.	46. Actus Apostolorum.
14. Paralipomenon 2.	31. Ezechiel.	47. Pauli epistolæ 14.
15. Iob.	32. Daniel.	48. Catholicæ epistolæ 7.
16. Tobias.	33. Oseas.	49. Apocalypsis Ioannis.
17. Esther.		

De Protocanonicis Scripturis.

Protocanonicæ Scripturæ sunt, quas inde vsque ab initio vniuersa orthodoxa Ecclesia sine contradictione in Canonem recepit. Tales sunt:

Mosis Pentateuchus,	Esaias,	Ad Corinthios 2.
Iosue,	Ieremias cum Threnis,	Ad Galatas 1.
Iudicum & Ruth,	Ezechiel,	Ad Ephesios 1.
Regum libri 4.	Daniel,	Ad Philippenses 1.
Paralipomenon libri 2.	Prophetæ duodecim,	Ad Colossenses 1.
Esdræ libri 2.	Matthæus,	Ad Thessalonicenses 2.
Iob,	Marcus,	Ad Timotheum 2.
Psalterium,	Lucas,	Ad Titum 1.
Prouerbia,	Ioannes,	Ad Philemonem 1.
Ecclesiastes,	Actus Apostolorum,	Petri prima epistola,
Cantica,	Epist. ad Romanos 1.	Ioannis prima epistola.

De Deuterocanonicis.

Deuterocanonicæ Scripturæ sunt, quas Ecclesia non statim, sed paulatim tempore procedente, non sine quorundam contradictione, in Canonem recepit. Tales sunt:

Esther,	*trium puerorum, Susannæ historia, Belis historia.*	tera historia,
Tobias,	Machabæorum lib. 2.	Epistola ad Hebræos,
Iudith,	Marci caput vltimum,	Epistola Iacobi,
Baruch,	Historia de Christi agonia, & Angeli consolatione,	Epistola Petri secunda,
Ieremiæ epistola,	Ioannis de muliere adul-	Epist. Ioannis secunda & tertia,
Sapientia,		Epistola Iudæ,
Ecclesiasticus,		Apocalypsis.
Additio Danielis, *id est*, *Oratio Azariæ, Hymnus*		

ARTICVLVS QVARTVS.

ET PROTOCANONICOS, ET DEVTEROCANONICOS SCRIPTVRÆ LIBROS RECIPIENDOS ESSE.

NEGANT.

Anno post natũ Christum 1520.

MARTINVS *Lutherus*, in suis Biblijs, *Deuterocanonicas, id est, eas Scripturas, de quibus olim aliqui dubitârunt, inter apocrypha refert.*

1560. Confessio VVirtembergensis capite de Scriptura: *Sacram Scripturam vocamus eos libros Canonicos veteris ac noui Testamenti, de quorum auctoritate nunquam in Ecclesia dubitatum est.*

1560. Ioannes Brentius in Apologia Confessionis VVirtembergensis: *Dicturi de auctoritate sacræ Scripturæ, percurremus primùm omnium apocryphos libros, qui habentur in vulgata Bibliorum editione.* Deinde dicit, *eos esse Esdræ 3. & 4. Iudith, Tobiam, Sapientiam Salomonis, Sirach Ecclesiasticum, Baruch, Machabæorum libros, particulas Esther, particulas in Daniele: Epist. ad Hebræos, Iacobi, Iudæ, secundam Petri, & Apocalypsin.* Et subiungit: *Sunt ex veteribus, qui recipiunt hos apocryphos in numerum Canonicorum scriptorum, similiter & quædam Concilia iubent eos vt Canonicos agnoscere. Non ignoro quid factum sit: illud autem quæro, num iure factum sit.*

1550. & 1570. *Ioannes Caluinus, Guilhelmus VVitakerus, & alij Sacramentarij de veteris Legis libris idem docent: sed de Canone noui Testamenti librorum idem sentiunt, quod in Synodo Tridentina definitum est.*

ASSERVNT.

Concilium Carthaginense Tertium. 397.

Cap. 47. Item placuit, vt præter Scripturas Canonicas nihil in Ecclesia legatur, sub nomine diuinarum Scripturarũ. Sunt autẽ Canonicæ Scripturæ, Genesis, Exodus, Leuiticus, Numeri, Deuteronomium, Iesu Naue, Iudicum, Ruth, Regnorũ libri quatuor, Paralipomenon libri duo, Iob, Psalterium Dauidicum, Salomonis libri quinque, Libri duodecim Prophetarum, Esaias, Hieremias, Ezechiel, Daniel, Tobias, Iudith, Hester, Esdræ libri duo, Machabæorum libri duo: Noui autem Testamẽti, Euangeliorum libri quatuor, Actuum Apostolorum liber vnus, Pauli Apostoli epistolæ tredecim, eiusdem ad Hebræos vna, Petri Apostoli duæ, Ioannis Apostoli 3. Iudę Apostoli vna, & Iacobi vna, Apocalypsis Ioannis liber vnus.

Augustinus. 400.

De doctrina Christiana lib. 2. cap. 8. Totus Canon Scripturarũ his continetur libris: Quinque Moyseos, id est, Genesi, Exodo, Leuitico, Numeris, Deuteronomio, & vno libro Iesu Naue, vno Iudicum, vno libello, qui appellatur Ruth, qui magis ad Regnorum principia videtur pertinere: deinde quatuor Regnorũ, & duobus Paralipomenon, non consequentibus, sed quasi à latere adiunctis, simulq; pergentibus. Hæc est historia, quę sibimet annexa tempora continet, atque ordinem rerum. Sunt aliæ tanquam ex diuerso ordine, quæ neque huic ordini, neque inter se connectuntur, sicut est Iob, & Tobias, & Hester, & Iudith, & Machabæorum libri duo, & Esdræ duo, qui magis subsequi videtur ordinatam illam historiam, vsque ad Regnorum vel Paralipomenon terminatam. Deinde Prophetæ, in quibus Dauid vnus liber Psalmorum, & Salomonis tres, Prouerbiorum, Cantica Canticorum, & Ecclesiastes. Nam illi duo libri: vnus, qui Sapientia, & alius, qui Ecclesiasticus inscribitur, de quadam similitudine Salomonis esse dicuntur. Nam Iesus filius Sirach eos scripsisse constantissimè perhibetur. Qui tamen quoniam in auctoritatem recipi meruerunt, inter Propheticos numerandi sunt. Reliqui sunt eorum libri, qui propriè Prophetæ appellati sunt, duodecim Prophetarum libri singuli. Quorum Prophetarũ nomina sunt hæc: Osee, Ioel, Amos, Abdias, Ionas, Micheas, Nahum, Abacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias. Deinde quatuor Prophetæ sunt maiorum voluminum, Esaias, Hieremias, Daniel, Ezechiel. His quadraginta quatuor libris veteris Testamenti terminatur auctoritas. Noui autem quatuor libris Euangelij; secundùm Matthæum, secundùm Marcum, secundùm Lucam, secundùm Ioannem: quatuordecim epistolis Pauli Apostoli: ad Romanos, ad Corinthios duabus, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Thessalonicenses duabus, ad Colossenses, ad Timotheum duabus, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebræos: Petri duabus, tribus Ioannis, vna Iudæ, & vna Iacobi, Actibus Apostolorum libro vno, & Apocalypsis Ioannis libro vno.

Innocentius Primus. 406.

Epistola ad Exuperium Tholosanum cap. 7. Qui verò libri recipiantur in Canone sanctarum Scripturarum, breuis annexus ostendit. Hæc sunt ergo, quæ desiderata moneri voce voluisti: Mosis libri quinque,

quinq;, id est Genesis, Exodus, Leuiticus, Numeri, Deuteronomium, nec non & Iesu Naue vnus, & Iudicum vnus, & Regnorum libri quatuor, simul & Ruth. Prophetarum libri sexdecim, Salomonis libri quinque, Psalterium. Item historiarum: Iob liber vnus, Tobiæ vnus, Hesther vnus, Iudith vnus, Machabæorum duo, Esdræ duo, Paralipomenon duo. Item Noui Testamenti: Euangeliorum libri quatuor, Pauli Apostoli Epistolæ quatuordecim, Epistolæ Ioannis tres, Epistolæ Petri duæ, Epistola Iudæ, Epistola Iacobi, Actus Apostolorum, Apocalypsis Ioannis.

Gelasius PP. cum septuaginta Episcopis. 490.

Tomo 2. Concil. in decretis: Ordo librorum veteris Testamenti, quem sancta & Catholica Romana suscipit & veneratur Ecclesia, digestus à Gelasio Papa cum septuaginta Episcopis: Genesis liber vnus: Exodi liber vnus: Leuitici liber vnus: Numeri liber vnus: Deuteronomij liber vnus: Iesu Naue liber vnus: Iudicum liber vnus: Ruth liber vnus: Regnorum libri quatuor: Paralipomenon libri duo: Psalmorum 150. liber vnus: Salomonis libri tres, Prouerbia, Ecclesiastes, & Cãtica Canticorum. Item Sapientiæ liber vnus: Ecclesiasticus liber vnus. Item ordo Prophetarum: Esaiæ liber vnus: Hieremiæ liber vnus: Cinoth, id est, de lamentationibus suis: Ezechielis liber vnus: Danielis liber vnus: Oseæ liber vnus: Amos liber vnus: Micheæ liber vnus: Iohel liber vnus: Abdiæ liber vnus: Ionæ liber vnus: Naum liber vnus: Abacuc liber vnus: Sophoniæ liber vnus: Aggæi liber vnus: Zachariæ liber vnus: Malachiæ liber vnus. Item ordo historiarum: Iob liber vnus: Tobiæ liber vnus: Esdræ liber vnus: Hester liber vnus: Iudith liber vnus: Machabęorum liber vnus. *Machabæorum libros duos vno volumine ligatos vnum librum vocat, eodem modo, quo paulò ante Esdræ libros duos vnum appellat.*

Item ordo Scripturarum noui & æterni Testamenti: Euangeliorum libri quatuor: secundùm Matthæum liber vnus: secundùm Marcum liber vnus: secundùm Lucam liber vnus: secundùm Ioannem liber vnus: Actuum Apostolorum liber vnus: Epistolæ Pauli Apostoli numero quatuordecim: Ad Romanos epistola vna: ad Corinthios epistolę duæ: ad Galatas epistola vna: ad Thessalonicenses epistolæ duæ: ad Ephesios epistola vna: ad Philippenses epistola vna: ad Colossenses epistola vna: ad Timotheum epistolæ duæ: ad Titum epistola vna: ad Philemonem epistola vna: ad Hebræos epistola vna. Item Apocalypsis Ioannis liber vnus. Item Canonicæ epistolæ numero septem: Iacobi Apostoli epistola vna: Petri Apostoli epistolæ duæ: Ioannis Apostoli epistolæ tres: Iudæ Zelotis Apostoli epistola vna.

Alcimus Auitus. 500.

Libro ad Sororem de consolatoria castitatis laude:

Nam quicquid sacræ diuina voluminalegis
Aut sensu aut verbo monstrant, quod prædicat ille
Antiquus mundi repetens exordia vates,
Siue ille historias texit, seu fortè figuras:
Quidue etiam ille Naue Mosi successor Iesus,
Succiduoq; simul quod quisque in tempore Iudex
Gesserit, vt digitos soror isthæc omnia dudum
Docta tenes: quid nunc Ruth Moabitida dicam?
Præterea reprobo qui successêre Sauli,
Quiq; gubernârint Iudam, atq; Israela reges:
Quaq; instaurator templi promptissimus Esdras
Egerit, aut melius cæcato in corpore cernens
Tobias, quid pro populo confecerit Hester,
Fœmineaq; animi Iudith in mente virilis,
Et quæ tam miserè afflicti patientia Iobi.
Porrò etiam vnde animi possis desumere mores,
Ter quinquagenos perscriptos ordine Psalmos,
Et quicquid docti Salomonis dextera scripsit,
Quodq; bis octoni post se vidêre Prophetæ,
Et Machabæorum fortissima prælia fratrum.
Vis vno breuius complectar vt omnia verbo?
Tota Instrumenti veteris tibi pagina nota est.
Dehinc quicquid priscæ succedens gratia legi
Intonat, atq; noui miracula Testamenti:
Quæ canit hinc Hominis facies, vox inde Leonis,
Et pernix Aquila, & fortis certamine Taurus:
Quicquid Apostolicis Lucas descripsit in actis:
Bis septena pij quod spargit epistola Pauli,
Quid Petrus docet, & Iudas, Iacobus & ipse,
Et quæ diuini quondam secreta Parentis
Vidit Ioannes, nobisq; incognita scripsit.
Et quæ veridici, nec in hoc tamen ordine, Patres
Exposuêre suis mysteria digna libellis,
Hæc tu cuncta tenens, animo sitiente bibisti.

Cassiodorus. 540.

Lib. 1. Diuinarũ institut. c. 13. In Historia libri viginti duo sunt: Mosis libri quinq: Iesu Naue liber vnus: Iudicum liber vnus: Ruth liber vnus: Regum libri quatuor: Paralipomenon libri duo: Iob liber vnus: Tobiæ vnus: Esther liber vnus: Iudith liber vnus: Esdræ duo: Machabæorum libri duo. In Prophetis libri viginti duo: Dauid Psalmorum liber vnus: Salomonis libri quatuor: Iesu filij Sirach liber vnus: Prophetæ maiores quatuor, id est, Esaias, Ieremias, Ezechiel, Daniel: & minores duodecim, id est, Osee, Ioël, Amos, Abdias, Ionas, Micheas, Nahum, Abacuc, Sophonias, Zacharias, Aggæus, Malachias. In epistolis Apostolorum, id est Pauli Apostoli: Ad Romanos vna: ad Corinthios duæ: ad Galatas vna: ad Ephesios vna: ad Philippenses vna: ad Thessalonicenses duæ: ad Colossenses vna: ad Timotheum duę: ad Titum vna: ad Philemonem vna: ad Hebræos vna: Petri duæ: Ioannis tres: Iudæ vna: Iacobi vna. In Euangelijs quatuor, id est secundùm Matthæum, secundùm Marcum, secundùm Lucam, secundùm Ioannem. In Actibus Apostolorũ liber vnus: in Apocalypsi liber vnus.

Isidorus Hispalensis. 620.

Libro 6. Etymologicon cap. 1. Hebræi vetus Testamentum Esdra auctore, iuxta numerum literarum suarum 22. libris accipiunt: diuidentes eos in tres ordines, Legis scilicet, & Prophetarum, & Hagiographorum. Primus ordo Legis in quinque libris accipitur. Secũdus ordo est Prophetarum, &c. Tertius ordo est Hagiographorum. Quartus apud nos ordo veteris Testamenti eorum librorum est, qui in Canone Hebraico non sunt: quorum primus Sapientiæ liber est: secundus Ecclesiasticus: tertius Tobias: quartus Iudith: quintus & sextus Machabæorum: quos licet Hebræi inter Apocrypha seperent, Ecclesia tamen Christi inter diuinos libros & honorat, & prædicat. In nouo autem Testamento duo sunt ordines. Primus Euangelicus, in quo sunt Matthæus, Marcus, Lucas, & Ioannes. Secundus Apostolicus, in quo sunt Paulus in quatuordecim epistolis, Petrus in duabus, Ioannes in tribus, Iacobus & Iudas in singulis, Actus Apostolorum, & Apocalypsis Ioannis.

Rabanus Maurus. 840.

De Institutione Cleri lib. 2. cap. 53. Hi sunt ergo libri veteris Testamenti, quos ob amorem doctrinæ, & pietatis legendos recipiendosque Ecclesiarum

principes tradiderunt. Primi namque Legis, id est, Mosis libri quinque sunt, Genesis, Exodus, Leuiticus, Numeri, Deuteronomium. Hos sequuntur Historici libri quindecim, Iesu Naue scilicet, & Iudicum, libri singuli, siue Ruth, Regum etiam libri quatuor, Paralipomenon duo, Tobiæ quoque, & Hesther, & Iudith, singuli: Esdræ duo: & duo Machabæorum. Super hos Prophetici libri sedecim sunt, Esaias, Hieremias, Ezechiel, & Daniel libri singuli: duodecim quoque Prophetarum libri singuli, & hæc quidem prophetica sunt. Post hæc versuum octo libri habentur, qui diuerso apud Hebræos metro scribuntur, id est, Iob liber, & liber Psalmorum, & Prouerbiorum, & Ecclesiastes, & Cantica Canticorũ, Sapientia, & Ecclesiasticus, Lamentationesq; Hieremiæ. Sic complentur libri veteris Testamenti quadraginta quinque. Noui autem Testamenti primùm quatuor Euangelia sunt, Matthæi, Marci, Lucæ, Ioannis. Hos quatuordecim Pauli Apostoli epistolæ sequuntur: quibus etiam subiunctæ sunt septem Catholicæ epistolæ Iacobi, Petri, Ioannis, & Iudæ: Actus quoque duodecim Apostolorum, quorum omnium signaculum est Apocalypsis Ioannis, quod est Reuelatio Iesu Christi, qui omnes libros & tempore concludit, & ordine. Hi sunt libri Canonici septuaginta duo: ob hoc & Moses septuaginta elegit presbyteros, qui prophetarent: ob hoc & Iesus Dominus noster septuaginta duos discipulos prædicare mandauit.

Theodulphus Aurelianensis Episc. 850.

In versibus, quos in fronte Bibliorum describi fecit:

Quicquid ab Hebræo stylus Atticus, atq; Latinus
Sumpsit, in hoc totum Codice lector habes.
Quo loca prima tenet Genesis, primordia Mundi,
Diluuiumq; canens, gestaq; magna Patrum.
Exodus Ægyptum spoliat, secat æquora rubra:
Pandit iter heremi; lympha ibi, lexq; datur.
Inde sacerdotum gentem Leuiticus ornat,
Et typicè exponit dona sacris typicis.
Bella, virosq; liber Numeri describit, & actus;
Queis fregit Moyses Idola, stupra, duces.
Post repetit legem, populo benedicit, & alma
Iura dat; ac dicto carmine victor obit.
Diuidit hinc proprio terram Nauegius Heros
Libro; deletis vrbibus atq; locis.
Pridem Iudicibus, quis & ordo cucurrit & actus,
Continuante stylo, cecinit inde sequens.
Moxq; sedent quæ Ruth Moabitis fœmina gessit,
Clara pijs meritis, clara nepote pio.
Psalmicanq; actus, & iniquigesta Saulis
Prime sequensq; liber hinc Samuelis habes.
Tertius & Quartus, Malachim queis nomen inhæsit,
Regum Hebræorum ex ordine gesta canunt.
Hinc sedet Esaias, Christum de Virgine nasci
Qui canit, & gentes ad pia iura vocat.
Hunc prope Hieremias, qui virgam ollamq; tuetur,
Ordine quadrupli flebile texit opus.
Partibus Ezechiel summis obscurus & imis
Hinc est, stirps qui hominis more vocatur Eri.
Post duodenus inest Vatum pius ordo minorum,
Longè aliud signans quàm sua verba sonent.
Nam Macham, & prolem, & Ioseph, creber intonat
Samariam, Effraim, Gesdrahel & viduam. (*Ose,*
Hinc Iohel, euersum prius atris cladibus Orbem,
Flaminis aduentum concinit inde pij.
Quatuor equè tribus probris regna increpat Amos,
Se & vidisse boat mystica plura satis.
Percutit Abdias Edom almi cuspide verbi,
Æmulus & fratris illius ore ruit.
Naufragio Ionæ signatur passio Christi,
Niniuis & vitam nomine mundus habet.
Filia latronis vastatur fœmina Michæ,
Quod ducis Israel læserit illa genas.
Voce Naum pulsat constanti sanguinis vrbem,
Pacicanosq; boat montis in arce pedes.
Abbacuc interno in cruce Christum spectat ocello,
Cornibus his vis est, eius operta tonat.
Promit Sophonias à porta & colle quod audit,
Plangorem indigenis fert quoq; pila tuis.
Aggeus instaurat templum; celsumq; Tonantem
Moturum recinit æquora, rura, polum.
Michea Zacharias postquam videt ordine plura,
Sessorem Dominum dicit, aselle, tuum.
Munera Malachias populi inquit abacta prioris,
Agmina cumq; suis gentium amata Deo.
Iob quoq; verba tenens cum gestis inde libellus,
Hic paruus quamuis pondera magna vehit.
Mox dulcis dulcem depromit Cantio Christum,
Psalmorum Lyrici quos statuêre pedes.
Protinus Idiotæ residentes tres ordine libri,
Cui nomen Salomon, siue Cohelet i nest.
Alloquitur primus sub prolis nomine cunctos,
Corrigit & mores, ethica, lege tua.
Omnia vana canit rutilo sub sole secundus,
Cui res est physicas enumerare labor.
Tertius Ecclesiæ thalamum Christiq; perornat;
Rebus & in Logicis vertitur eius opus.
Inde Philostoricus Daniel est, totius orbis
Omnia qui lapidem frangere regna canit.
Hinc duo ponuntur quis nomen verba dierum est,
Promere siue labor gesta genusq; Ducum.
Ponitur hinc Esdras, legem templumq; reformans,
Et reditum Israel ad sua rura canens;
Ecclesiaq; typum referens mox scribitur Hester,
Quæ plebi extorri lausq; decusq; fuit.
Post liber est positus, cui dat Sapientia nomen,
Quod Christi aduentus morsq; patescit ibi.
Protinus aptatur liber Ecclesiasticus isti,
Quo pia iura sonant lausq; beata Patrum.
Hinc pia pauperies, pietas & opima beato
Est, Tobi, libro rite notata tuo.
Scribitur insignis Iudith mox fœmina facti:
Incestus cecidit qua feriente furor.
Hinc gemini libri ponuntur Machabæorum,
Gesta quibus fratrum quatuor alma sedent.
Promit aperta nouæ Christum hinc hinc Buccina legis
Tegmine hinc typico prompsit operta vetus.
Matthæus, Marcus, Lucas, sanctusq; Ioannes,
Vox tonat hunc chorum quatuor vna simul.
Primus ab humana quia cœpit promere gente,
Humani formam schematis inde vehit.
Auia terribili perstringit voce secundus,
Scribitur & species inde Leonis ei.
Estq; sacerdotij quia rebus tertius ortus,
Forma Iuuencalis hinc sibi ritè datur.
At quia verborum pinnis super æthera quartus,
Hinc Aquilæ specimen celsa petentis habet.
Quatuor atq; decem hos Pauli scripta sequuntur,
Quæ orbi misit ouis, qui lupus ante fuit.
Romulidas reuocat à legis pondere prima,
Atq; Euangelicam censet habere fidem.
Arcades inteſtos aduerso errore secunda,
Ad veram scriptis conuocat illa fidem.
Pœnituisse placet, solatur tertia eosdem,
Laudansq; hortatur ad meliora simul.

Ad fidei Galatas deducit quarta vigorem,
Qua spreta pronos grande premebat onus.
Quinta Ephesi populos venerandù laudibus effert,
Quòd sanctam haudquaquam deseruêre fidem.
Sexta Philippenses solatur, laudat, & ornat,
Constanter fidei quòd tenuêre decus.
Moxq; Colossenses præuentos septima falsis
Vatibus instituit, corrigit, atque docet.
Thessala quam genuit fauet hinc octaua caterua,
Tempora quòd cùm essent nubila firma stetit.
Extima queis etiam prædicit tempora noua,
Quoue sit atra lues deijcienda modo.
At decima textus Timotheum informat, & aptat
Ecclesia in rebus, ordinibusq; sacris.
Temporis vndecima supremi probra canuntur,
Instruiturq; vijs omnibus ille bonis.
Instruit inde Titum decimæ subiecta secunda;
Quò vitet hæreses, presbyter esse queat.
Tertia post decimam pia dat tibi verba Philemon,
Quæ Roma vinctus misit ab vrbe Pater.
Vltima per Legis Vatumq; oracula Christum
Hebræis prolem prædicat esse Dei.
His sunt Catholicæ subiunctæ ex ordine septem
Paginæ, Apostolico quas capit ore stylus.
Scilicet vna pij Iacobi, Petriq; gemellæ,
Sunt tres Ioannis, vna, Iuda, tua est:
Complentq; Ecclesiam generali dogmate totam,
Instituuntq; fidem, iusq; salutis habent.
Hinc ad Apostolicos, quos Lucas protulit, Actus
It salus Ecclesiæ, qui noua gesta canunt.
Visio sancta libros, quæ sancto visa Ioanni est,
Claudit, & arcano limite signat eos.
Hoc Testamenti veteris q; noui q; sub vno
Calle patens biuium ducit ad alta poli.

Smaragdus Abbas. 950.

Ad caput nonum regulæ D. Benedicti: Codices legantur diuinæ auctoritatis tam veteris Testamenti, quàm noui, id est, quinque libri Moysis, Genesis, Exodus, Leuiticus, Numeri, Deuteronomium, Iesu Naue, Iudicum, Ruth, Regum, Paralipomenon, Iob, Psalmorum, Salomon, Sapientiæ liber, Ecclesiasticus, Tobias, Hesther, Iudith, Esdras: Prophetarum, id est, Isaias, Ieremias, Ezechiel, Daniel, Osee, Iohel, Amos, Abdias, Ionas, Micheas, Naum, Abacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias, & Machabæorum. Euangeliorum libri quatuor, id est Matthæus, Marcus, Lucas, & Ioannes. Epistolæ Pauli quatuordecim, id est, ad Romanos vna, ad Corinthios duæ, ad Galatas vna, ad Ephesios vna, ad Philippenses vna, ad Thessalonicenses duæ, ad Colossenses vna, ad Timotheum duæ, ad Titum vna, ad Philemonem vna, ad Hebræos vna, Iacobi vna, Petri duæ, Ioannis tres, Iudæ vna. Actus Apostolorum, & Apocalypsis.

Iuo Carnotensis. 1100.

In Decretis, part. 4. ca. 61. De ordine librorum veteris Testamenti: Genesis lib. 1. Exodi lib. 1. Leuitici lib. 1. Numeri 1. Deuteronomij 1. Iesu Naue, Iudicum, Regum 4. Ruth, Paralipomenon 2. Psalmorũ 150. Salomonis 3. Iob, Tobiæ, Esdræ, Esther, Iudith, Machabæorum.

De ordine Prophetarum: Esaias, Hieremias cũ Lamentationibus suis, Ezechiel, Daniel, Ioel, Amos, Abdias, Ionas, Micheas, Naum, Abacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias.

De ordine librorum noui Testamenti, quos sancta Romana Ecclesia tenet, & vniuersalis Ecclesia obseruat: Euangeliorum libri 4. secundùm Matthæum, secundùm Marcum, secundùm Lucam, secundùm Ioannem: Actus Apostolorum: Epistolæ Pauli numero quatuordecim: Ad Romanos, ad Corinthios 2. ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses, ad Timotheũ 2. ad Thessalonicẽses 2. ad Titum, ad Philemonem, ad Hebræos: Apocalypsis Ioannis.

Ordo septem Epistolarum Canonicarum: Petri Apostoli epistolæ 2. Iacobi Apostoli 1. Ioannis Apostoli epist. 3. Iudæ Zelotis epist. 1.

Petrus Cluniacensis. 1140.

Lib. 1. epist. 2. *Cùm libros Mosi, Iosue, Iudicum, Regum, Paralipomenon, Iob, Psalterium, Salomonis 3. quatuor Prophetas maiores, duodecim Prophetas minores, authenticos Scripturæ libros recensuisset, subiungit:* Restant post hos authenticos Scripturæ libros sex non reticẽdi libri: Sapientiæ Iesu filij Sirach, Tobiæ, Iudith, & vterque Machabæorum liber: qui etsi ad sublimem illam præcedẽtium dignitatem peruenire non potuerunt, propter laudabilem tamen & perneccssariam doctrinam, ab Ecclesia susci pi meruerunt.

Concilium Tridentinum. 1560.

Sessione 4. Sacrosancta Tridentina Synodus sacrorum librorum indicem huic decreto ascribẽdum censuit, ne cui dubitatio suboriri possit, quinam sint, qui ab ipsa Synodo suscipiuntur: sunt verò infra scripti. Testamenti veteris, quinque Moysi, id est, Genesis, Exodus, Leuiticus, Numeri, Deuteronomium: Iosue, Iudicum, Ruth, quatuor Regum, duo Paralipomenon, Esdræ primus & secundus, qui dicitur Nehemias: Tobias, Iudith, Hesther, Iob, Psalteriũ Dauidicum centum quinquaginta Psalmorũ, Parabolæ, Ecclesiastes, Canticum canticorum, Sapientia, Ecclesiasticus, Esaias, Hieremias cum Baruch, Ezechiel, Daniel: duodecim Prophetæ minores, id est, Osea, Ioel, Amos, Abdias, Ionas, Micheas, Nahum, Abacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias: duo Machabæorum, primus & secundus. Testamenti noui, quatuor Euangelia, secundùm Matthæum, Marcum, Lucam, & Ioannem: Actus Apostolorũ à Luca Euangelista conscripti: quatuordecim Epistolæ Pauli Apostoli: ad Romanos, duæ ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses, duæ ad Thessalonicenses, duæ ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebræos: Petri Apostoli duæ, Ioannis Apostoli tres, Iacobi Apostoli vna, Iudæ Apostoli vna: & Apocalypsis Ioannis Apostoli. Si quis autem libros ipsos integros, cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consueuerunt, & in veteri vulgata Latina editione habentur, pro sacris & canonicis non susceperit, & traditiones prædictas sciens & prudens contempserit, anathema sit.

Gabriel Pat. Alexandrinus. 1595.

In confessione fidei: Suscipio omnes libros Canonicos, quos suscipit sacrosancta Romana & Catholica Ecclesia: sunt verò: Quinque libri Mosis, &c. Esdræ primus & secundus, Tobias, Iudith, Esther, &c. Sapientia, Ecclesiasticus, Esaias, Hieremias cum Baruch, Ezechiel, Daniel, duodecim Prophetæ, duo Machabæorum primus & secundus. Testamenti noui quatuor Euangelia, &c. Epistola Pauli ad Hebræos, Petri Apostoli duæ, Ioannis Apostoli tres, Iacobi Apostoli vna, Iudæ Apostoli vna, & Apocalypsis Ioannis Apostoli.

ADVERSARIORVM OBIECTIONES.

Prima.

Iudæi in suo Canone non habent Sapientiam Salomonis, Ecclesiasticum filij Sirach, Tobiam, Iudith, Hymnum trium puerorum, caput 13. & 14. Danielis, nec libros Machabæorum: Ergo non sunt Canonici.

Nego consequens. Alius enim Iudæorum, alius Christianorum est sacrarum Scripturarũ Canon. Illi in eum referunt libros sacros Hebræos ab Esdra collectos, & correctos: Christiani recipiunt non hos solùm, sed & certos quosdam Græcos postea scriptos, & ab Ecclesia approbatos libros, quales sunt libri memorati, & totum nouũ Testamentum. Ergo si illi solùm libri sunt Canonici, quos Iudæi recipiunt, non solùm hi, sed etiã omnes noui Testamenti libri erunt reijciendi.

Secunda.

Melito Sardensis, apud Eusebium libro 4. cap. 25. *recensens Scripturæ veteris Testamenti libros, non meminit lib. Esther, Baruch, Tobiæ, Iudith, Ecclesiastici, Machabæorum.*

Origenes, apud eundem Eusebium lib. 6. cap. 19. *in Catalogo Scripturarum, non meminit Tobiæ, Iudith, Sapientiæ, Ecclesiastici, Baruch: & nominatim dicit:* Extra numerum istorum sunt libri Machabæorum.

Concilium Laodicense, Can. 60. *in Catalogo Scripturarum non recensẽt lib. Esther, Baruch, Tobiæ, Iudith, Sapientiæ, Ecclesiastici, Machabæorum, & Apocalypsin Ioannis.*

Cyrillus Hierosolymitanus, Catechesi 4. *recensens Scripturas sacras, Tobiam, Iudith, Sapientiam, Ecclesiasticum, Machabæorum libros, & Ioannis Apocalypsin præterit.*

Gregorius Nazianzenus, de veris & germanis sacræ Scripturæ libris, *similiter præterit lib. Esther, Iudith, Tobiæ, Sapientiæ, Ecclesiastici, Baruch, Machabæorũ, & Apocalypsin.*

Amphilochius, ad Seleucum de sacræ Scripturæ libris, *eosdem libros præterit, & de Apocalypsi subiungit:* Ast Apocalypsin Ioannis aliqui ijs inserunt, rursus sed longè plurimi adulterinam dicunt.

Hieronymus, in Prologo galeato, *referens Canonicos veteris Legis libros Hebræos, subiungit:* Hic Prologus Scripturarum quasi galeatum principium, omnibus libris, quos de Hebræo vertimus in Latinum, conuenire potest. Igitur Sapientia, quæ vulgo Salomonis inscribitur, & Iesu filij Sirach liber, & Iudith, & Tobias, & Pastor, non sunt in Canone: Machabæorum primum librum Hebraicum reperi, secundus Græcus est.

Aliquos olim dubitasse de epistola ad Hebræos, de epistola Iacobi, de epist. Iudæ, de secunda Petri, de 2. & 3. Ioannis, Eusebius, Ecclesiasticæ historiæ lib. 3. *Hieronymus*, de Viris illustribus, *& alij testantur. Ergo libri illi non sunt Canonici.*

Nego consequens. Nam duplex est sacrarum Scripturarum Canon. Primus eos libros complectitur, qui statim à primitiua Ecclesia omniũ Orthodoxorum cõsensu recepti sunt. Hos recensent auctores prædicti.

Secundus Canon eos comprehendit, qui & statim, & non statim, sed paulatim ab Ecclesia in Canonem recipi meruerunt: illi Protocanonici, hi Deuterocanonici appellantur. De illis agunt Melito, Origenes, concilium Laodicense, Cyrillus Hierosolymitanus, Gregorius Nazianzenus, Amphilochius, & Hieronymus, qui omnes vixerunt ante mille ducentos annos: illis scilicet temporibus, quibus Ecclesia de secundi ordinis libris nihil dum certi definierat. Sed postea in Concilio Carthaginensi Tertio celebrato anno 397. cui 218. Episcopi, & inter eos D. Augustinus, interfuêre, re diligentius examinata, simul etiam hi libri in Canonem recepti sunt. Huic Concilio, quomodo sequẽtibus seculis Ecclesia in enumerandis sacris libris consenserit, articulo præcedente ad longum demonstratum est. Nec sequitur: Ante Ecclesiæ definitionem, & tot seculorum consensum, licuit de aliquibus Scripturæ libris dubitare, & eos inter apocrypha referre: ergo idem etiam nunc licet. Licuit olim disputare, an etiam ij, qui ex Gentibus ad Christum conuerterentur, essent circumcidendi: an etiam Sabbatum, neomenias, & alios ritus Iudaicos seruare deberent. Multæ seculis sequentibus de Deo, de Sacramentis, de gratia Dei & libero arbitrio, de fide & operibus quæstiones sunt motæ, de quibus ab initio in vtramq; partem disputare licuit: sed postquam vtriusque partis argumentis satis superq; discussis, Ecclesia super his suam sententiam tot publicis Concilijs definiuit, nulli amplius dubitandi licentia conceditur: sed quicumq; contra Ecclesiæ publicatam definitionem senserit, pro hæretico habetur: & quod antea fuit error, nunc hæresis dicitur.

Si sequitur: Aliqui aliquando de his libris dubitârunt, ergo sunt Apocryphi: non solùm hæ, sed etiam plures Scripturæ erunt reijciendæ. Similiter aliquos dubitasse olim de Marci cap. 16. de sudore Christi sanguineo, & Angelo ipsum consolante, Lucæ 22. de historia adulteræ Ioannis 8. de secunda Petri, de secunda & tertia epist. Ioannis, infra hoc eodem libro certis articulis ostendemus. Has tamen Scripturas nec Lutherus, nec Caluinus, nec Brentius propterea reijciunt.

Lutherus & Brentius hoc argumento cæteras Deuterocanonicas Scripturas ab alijs separant, & inter Apocryphas numerant: Caluinus, VVitakerus, & alij eodem argumento ex veteris Legis Canone Tobiam, Iudith, Machabæos, &c. reijciunt, sed in Canonem nouæ Legis secundi ordinis libros admittunt. Sed si propterea Deuterocanonici veteris Legis libri rectè reijciuntur, etiam de nouo Testamento Deuterocanonici sunt reijciendi. Sed hoc negat Caluinus, negat VVitakerus, negant alij Caluinistæ, vt suo loco demonstrabo. Vides ergo quàm debili fundamento nitantur.

Adde: Etiamsi inter eos Patres, qui ante concilij Carthaginensis definitionem vixerunt, aliqui aliquãdo cum aliquibus de huiusmodi libris dubitasse videntur: aliquando tamen non dubitârunt, sed eosdem libros pro sacris receperunt, & eorundem testimonijs ad Ecclesiastica dogmata confirmanda sæpius vsi sunt, vt copiosius sequentibus articulis suis locis ostendam.

ARTICVLVS QVINTVS.

MOSEN, ET MOSAICA SCRIPTA, SVMMÆ ESSE AVCTORITATIS NEGANT.

Anno post Christũ natum.

120. *NAZARÆI Patres quidem suscipiebant, qui in quinque libris Mosi habentur, vsque ad Mosen: ipsos autem quinque libros non assumebant: sed confitebantur quidem Mosen, & quòd legem accepisset credebant: Non autem hanc,* inquiebant, *sed aliam: dicebant fictos esse hos libros, & nihil horum à Patribus factum esse.* Epiphanius hæresi 18.

160. *Apelles, dum assignare cupit scripta Mosi nihil in se diuinæ sapientiæ, nihilq; operis sancti Spiritus continere, exaggerat huiusmodi dicta, & dicit nullo modo fieri potuisse, vt tam breue spatium tot animalium genera, eorumq; cibos, qui per totum annum sufficerent, capere potuisset.* Origenes ad cap. 6. Genes.

200. *Ptolemaitæ damnârunt libros Mosaicos: quia crediderunt ea, quæ in ipsis continentur, non esse à Deo bono, sed à tribus diuersis auctoribus condita: videlicet vnam partem eorum à Deo opifice huius mundi, qui esset medius inter Deum bonum & diabolum: aliam verò à Mose iuxta propriam mentem, & non secundum Dei voluntatem: tertiam à senioribus Iudæorum, secundùm ipsorum ingenium, excogitatam.* Epiphanius hæresi 33.

230. *Celsus accusans Mosis historiam, culpat eos, qui ex eà tropologias & allegorias eliciunt.* Origenes contra Celsum.

360. *Iulianus Apostata reprehendit Mosen, quòd nullam mentionem facit creationis Angelorum, & quæ ille de Eua, de serpente, de Adamo scribit, hic inter fabulas refert.* Cyrillus Alexandrinus lib. 2. & 3. contra Iulianum.

400. *Faustus, & reliqui Manichæi, ideò se libros Mosaicos reijcere affirmant, quòd à principio vsque ad calcem à malo Hebræorum Deo dictati sint, & à filijs eius Iudæis omni turpitudine ac fœditate referti: qui vt eas fœditates contegerent, inseruerunt ijs pauca quædam verba de lege naturali, quam Deus bonus mentibus humanis impressit, vt tamquam velo ac nebula diuinorum verborum superinducta, auctoritatem libris suis conciliarent.* Augustinus lib. 22. contra Faustum.

600. *Mahomet dicit Mosen & Israelitas, vt legis transgressores, æterni ignis supplicio tradendos.* Georgius Cedrenus fol. 346. Euodius apud Euthymium in Panoplia parte secunda, titulo vigesimo quarto.

1050. *Bogomili reijciunt omnes libros Mosaicos, vna cum Deo, qui in ipsis memoratur. Dicunt Mosen à Satanaele deceptum, in Ægyptum reuertisse, Iudæorum populum decepisse, & eos eduxisse portentis ac signis, quæ virtute Satanaelis efficiebat: montem Sinai conscendisse, & innumerabilia hominum millia perdidisse.* Euthymius in Panoplia parte 2. titulo 23. cap. 1. & 10.

1200. *Albigenses dicunt, quòd vetus Testamentum non est à bono Deo, & quòd Moses malus fuerit.* Antoninus in Summa part. 4. tit. 11. cap. 7. §. 5.

1500. *Hermannus Riswich Mosen à Deo modo visibili Legem suscepisse, eiq; à facie ad faciem locutum fuisse inficiabatur.* Bernardus Lutzenburgus.

1520. Martinus Lutherus Tomo 3. Germ. Ienensi fol. 40. & 41. *Mosen neque audire, neque videre volumus. Nam ille Iudaico solùm populo datus est, neque quicquam ad nos pertinet. Sit Iudæis quasi speculum Saxonum, neque nos Gentes inquietet, aut turbet. Vt Gallia speculum Saxonum non curat: sic Lex Mosi nos non ligat. Si quis tibi Mosen cum suis legibus proponat, teque cogere volet, vt eas obserues, tum dicas: Abi ad Iudæos cum tuo Mose: ego Iudæus non sum, ne me cum Mose inuoluas.*

In Colloquijs coniugalibus capite de Lege & Euangelio: *Mosen cum sua lege non suscipiam: nam hostis Christi est. Si mecum ad iudicium accesserit, reijciam eum in nomine Dei, & dicam: Hic Christus stet.*

Fol. 118. *Moses omnium carnificum magister est: nemo eum terrendo, angustando, tyrannizando, cõminando, tonando æquiparat: conscientias dirè aggreditur, corda terret, torquet, lacerat.*

Fol. 121. *Lex est vera labyrinthus, quæ conscientias solùm in terrorem conijcit: iustitia Legis minotaurus est, hoc est merà fabula, non ad salutem, sed Acherontis ducens ad vndas.*

Ad Psalm. 45. *Apage cum Mose ad pertinaces ferosq; homines, ac superbos sanctos, quos terrefaciat, ac humiliet.*

ASSERVNT SACRÆ LITERÆ.

*Deuter.*34. v.10. Non surrexit vltra Propheta in Israel sicut Moyses, quem nosset Dominus facie ad faciem in omnibus signis atque portentis.

Iosue 1. 8. Non recedat volumen Legis ab ore tuo: sed meditaberis in eo diebus ac noctibus, vt custodias, & facias omnia quæ scripta sunt in eo.

Psalm. 1. 2. In Lege Domini voluntas eius: & in Lege eius meditabitur die ac nocte.

Malachiæ 4. 4. Mementote Legis Moysi serui mei, quam mandaui ei in Horeb ad omnem Israel præcepta & iudicia.

Ecclesiastici 45. 1. Dilectus Deo & hominibus Moyses, cuius memoria in benedictione est. Similem illum fecit in gloria Sanctorum, & magnificauit eum in timore inimicorum, & in verbis suis monstra placauit. Glorificauit illum in conspectu regũ, & iussit illi coram populo suo, & ostendit illi gloriam suam. In fide & lenitate ipsius sanctum fecit illum, & elegit eum ex omni carne. Audiuit enim eum, & vocem ipsius, & induxit illum in nubem. Et dedit illi cor ad præcepta, & legem vitæ & disciplinæ docere Iacob testamentum suum, & iudicia sua Israel.

Lucæ 20. 37. Quia verò resurgant mortui, & Moyses ostendit, secus rubum, sicut dicit Dominum, Deum Abraham, & Deum Isaac, & Deum Iacob. Deus autem non est mortuorum, sed viuorum: omnes enim viuunt ei. Exod. 3.

Ioan. 1. 17. Lex per Moysen data est.

Ioan. 5. 46. Si crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi: de me enim ille scripsit. Si autem illius literis non creditis, quomodo verbis meis credetis?

Actor. 7. 20. Eodem tempore natus est Moyses, & fuit gratus Deo. 22. Et eruditus est Moyses omni sapientia Ægyptiorum: & erat potens in verbis & in operibus suis.

Heb. 11. 24. Fide Moyses grandis factus, negauit se esse filium filiæ Pharaonis: magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere iucunditatem, maiores diuitias æstimans thesauro AEgyptiorum, improperium Christi.

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Clemens Romanus. 80.

Constitut. Apost. lib. 6. c. 1. Schismata cùm quidã olim tentare ausi essent, non tulerunt impunè. Nam Dathan & Abiron, qa se Mosi oppossuerũt, demersi sunt: Maria, quia intulit Mosi probrum, eiecta fuit ex castris diebus septem: aiebat enim Mosen duxisse vxorem AEthiopissam. Num. 16. Num. 12.

Cap. 3. Et desciuerũt à Mose Dei ministro omnium lenissimo ac fideli, & tantum virum ingratissimi homines inhonorârunt: illum dico Legislatorem, custodem, Pontificem, regem; illum diuinorum mysteriorum magistrum; illum, qui quasi quidam conditor Conditoris opera ediderat; illum mitissimum, modestissimum, summè tolerantem; illũ summa erga homines charitate præditum; qui multis periculis eum liberârat, & ex multiplici genere mortis sua sanctitate eripuerat: qui tot signa diuina & prodigia populo designârat: qui præclara, & mirabilia opera beneficij dandi causa patrârat: de quo dixit Deus: *Non surrexit Propheta vt Moses.*

Iustinus. 150.

Oratione ad Gentiles: Maiores Mosis per famis causam è Phœnicia in AEgyptum transierunt, atque ibi eum genuerunt, quem Deus ob præstantẽ eius virtutem honore auctum, Principem, Imperatorem, & Legislatorem genti suæ proposuit, cùm ex AEgypto Hebræorum multitudinem in regionem suam reuerti iustum esse & æquum duxit. Huic primùm Deus, quod cælitus in sanctos homines illabitur, diuinum & Propheticum exhibuit donum, & primum illum religionis nostræ doctorẽ instituit, ac deinceps secundùm hunc & reliquos Prophetas, &c. Quoniã ab oracuIis vestris verum vos cognoscere posse existimatis, historiasq; de vita Mosis à sacro cultu nostro profanis hominibus scriptas legitis, & ex Chaldæorũ atque Hebræorum genere ortum Mosen & Prophetas cæteros intelligitis; non incredibile esse arbitremini, virum, qui & ex religiosorum piorumq; hominum gente prognatus, & maiorum suorum religione, vitæ morumq; pietate dignè colenda spectatus sit, tam ingenti isto dono à Deo honoratum, & principem Prophetarũ omnium designatum esse, &c.

Theophilus Antiochenus. 170.

Ad Autolycum lib. 2. Moses, qui multis annis præcessit Salomonem, inquit, immò sermo Dei per Mosen: *In principio creauit Deus cælum & terram*, &c. Moses, qui & ipse Propheta est, de vnitate Dei in hunc modum disserit: *Hic Deus vester, qui firmauit cælum, & creauit terram*, &c. Gen. 1. Deut. 17.

Lib. 3. Apparet quoque non solùm Mosen, sed & reliquos Prophetas vetustiores esse omnibus profanis scriptoribus: Mosen quoque antiquiorem esse Crono, & Belo, & Iliaco bello satis euidenter demonstratur. Nam etiam Thalli historia edocet Belum antiquiorem esse Troiano bello annis 322. At Mosen præcedere bellum Troianum maximè annis 938. satis supra ostensum est.

Irenæus. 180.

Lib. 3. c. 6. Moses homo Dei existens, Deus datus est ante Pharaonem. Non autem verè Dominus appellatur, nec Deus vocatur à Prophetis, sed fidelis Moses famulus, & seruus Dei dicitur à spiritu, quod & erat. Exod. 4. Exod. 7. Heb. 3.

Lib 2. cap. 42. In quinque libris Legem populo Moses tradidit. Vnaquæque tabula, quam accepit à Deo, præcepta habebat quinque.

Clemens Alexandrinus. 220.

Lib. 1. Pædagogi cap. 7. Lex est vetus gratia, per Mosen à Verbo data. Quocirca dicit quoque Scriptura: *Lex per Mosen data est*, non à Mose, sed à Verbo, &c. Moses propheticè profectò cedens pedagogo, nempe Verbo, & nomen, & pædagogiam prædicit, & populo commendat Pædagogum, præceptis et obedientiæ traditis: *Prophetam*, inquit, *vobis suscitabit Deus, tanquam me de fratribus vestris.* Ioan. 1. Deut. 18.

Lib. 1. Stromat. Est itaque noster Moses propheticus, legum ferendarum peritus, ordinandæ & instruẽdæ aciei gnarus, exercitus ducendi artem tenens, politicus, ac philosophus.

Origenes. 230.

Lib. 1. contra Celsum: Moses in ore probi peritiq; oratoris adeò cautè vtrimque temperauit sermonem quinque suorũ librorum, vt nec nimia multitudine institutorum Iudæis præberet occasionem peccandi in moribus, nec prudentioribus lectoribus, qui rari sunt, deesset contemplandi & perscrutandi materia. Et tuorum quidem sapientum Poëtarum neque libri seruari amplius videntur; seruandi vtique, si qua illorum esset vtilitas: Mosis verò scripta, etiam alienos à Iudæorum ritibus ad credendum mouerunt, nimirum quia, sicut in ipsis continetur literis, primus earũ legum lator fuit Deus huius mundi conditor, qui eas Mosi tradidit. Par enim erat, vt totius mundi opifex, post leges toti mundo impositas, vim eis adderet, quæ valeret vbiuis gentium. Atque hæc mihi dicuntur nondum de Iesu inquirenti, sed adhuc de Mose, qui fuit longè inferior Domino, quem ostendo multò præcellentiorem tuis sapientibus Poëtis & Philosophis.

Eusebius Cæsariensis. 320.

De præparatione Euangelica lib. 11. cap. 2. Sapientissimus ille Moses, qui primus omnium hominum vetustissimorum vitas Hebræorum conscripsit, ciuilem atque actiuum viuendi modum narratione historica docuit. Quam quidem doctrinam ab vniuersalioribus ita instituit, vt Deũ causam auctoremq; omnium, quasi fundamentum iniecerit, & mundi atque hominis ortum præ oculis posuerit. Deinde ab vniuersalioribus ad particularia descendẽs, & priscorum virorum vitam, ad imitationem virtutis, ac pietatis eorum lectorem hortatur. Præterea cùm legum etiam auctor summa cum pietate fuerit, certè patet quàm magnum studium, ad corrigendum hominum mores habuerit.

De Demonstratione Euangelica lib. 5. post Præfationem: Primus Hebræorum Prophetarum initiator & Theologus Moses extitit: qui quidem quantorũ, qualiumq; bonorũ inuita auctor fuerit, iam hinc facilè contẽplari potes. Primùm sententias, opinionesq; euangelicas, ac veras protulit de omnium rerum auctore atque opifice Deo; tum de eiusdem Filio rationalium, intelligentiumq; naturarum auctore.

Constantinus Magnus. 330.

Oratione ad Sanctorum cœtum cap. 17. Quid de Mose pro dignitate satis dici potest? Qui populum confusione quadam turbatum, in ordinem redegit: qui leui persuasione & modestia illorum animos tranquillauit: qui illis pro seruitute libertatem reddidit: qui pro mœstitia lætitiam attulit: qui eousq; eorum sensim prouexit animos, vt illi ipsi graui admodum in cõtrariam partem facta mutatione, & prospero rerum præclarè gestarum euentu, superbè & insolenter se efferrẽt: qui etiam tantum illis, qui ipsum ætate anteirent, sapientia præstitit, vt sapientes & Philosophi à gentilibus plurimum prædicati, eius sapientiæ æmuli & prædicatores existerent. Pythagoras enim eius sapientiam imitatus, vsq; eò propter modestiam omnium sermone celebratur, vt Platoni homini modestissimo, eius continentia tamquam exemplar ad imitationem proponeretur.

Antonius Eremita. 330.

Epist. 2. Deus post multum temporis Legem posuit eis, vnde & operatus est per Mosen præbendo Legem. Et Moses quidem fundauit ijs veritatis donum, curare volens eandem validam plagam.

Athanasius. 340.

De Incarnatione Verbi Dei: Moses vir excellens, & apud suos verus creditus, id, quod iam ante de incarnatione Saluatoris nostri dictum erat, probans, & verum id esse animaduertens, sic fatur: *Orietur stella ex Iacob, & homo ex Israël, & comminuet duces Moab.* Num. 24.

In Synopsi diuinæ Scripturæ: Liber primus Genesis. Liber hic generationis Mosis est, qui ea, quæ in illo continentur, ex iussu Domini locutus est, & scripsit.

Basilius Magnus. 360.

In Hexameron Homil. 1. Moses sanè is est, qui hanc nobis historiæ commentationem in commune exponit. Ille inquam Moses, qui etiam dum ad matris pendẽs vbera, Scripturæ testimonio, probatur amabilis Deo fuisse, & gratiosus, quem sibi adoptatum filia Pharaonis magnifico ac regali impendio curauit educandum, & ad se accitis sapientibus AEgyptiorum, inque magistros præfectis puerum tradidit erudiendum. Ille sic erat natura suapte compositus, vt summo semper amore iusti & æqui fuerit obseruans, & tenax. Is igitur, qui dignus habitus est spectator vt esset, peraquè ac Angeli, faciei diuinæ: ille, inquam, quæ audiru didicerat, colloquente secum Deo, hæc nobis edisserit. Exod. 1.

Macarius AEgyptius. 360.

Homilia 12. Cùm Moses ascendit in montem, ieiunauit quadraginta dies; ascendit homo, descendit habens Deum. Ipsi iam perspicimus in nobis, intra paucos dies deficere corpus, nisi sustentetur cibis. Moses igitur cùm quadraginta dies ieiunasset, fortior omnibus descendit. Siquidem alebatur à Deo corpus illius alio cibo cælesti: quia verbum Dei erat illi pro alimẽto, & gloria relucebat in facie eius.

Gregorius Nazianzenus. 370.

Oratione 6. quæ est ad Gregorium Nyssenum: Quis legislatorum illustrissimus? Moses. Quis sacerdotũ sanctissimus? Aaron: non minus pietate, quàm corporibus fratres: vel potius, ille quidem Deus Pharaonis, & Israelitarum antistes, & legislator, & nubem ingrediens, & diuinorum mysteriorũ spectator & præsul, & tabernaculi illius veri fabricator, qđ à Deo, non ab homine constructũ est.

Orat. 49. quæ est oratio de Fide: Cùm Moses, qui cœli ordines, mundi elementorum vices, totius denique orbis ornamenta digessit, indicari expresserit, cui ipse Dominus testimonium omnium perhibuit, dicens: *Nemo erit ex Prophetis vt seruus meus Moses, cui facie ad faciem, & ore ad os locutus sum:* Deũ tamen purè videre non potuit. Meritò quidem prophetiæ omnis dignus, sed non vsq; adeò, vt intueri Deũ posset, qui homo tantummodo esset. Num. 12.

Gregorius Nyssenus. 380.

Oratione ad eos, qui ægrè ferunt reprehensiones: Quis Mose fuit melior pastor? Quis princeps & rector æquè moderatus & mitis, vt qui omnia fiat populo, educator, imperator, sacerdos: ipse denique pater in bello conseruans, in solitudine bona prę-

bens, cùm terra nec arata esset, nec seminata, rectè iudicans, citra errorem per viam ducens?

Ioannes Chrysostomus. 400.

Ad cap. 1. Geneseos Homilia 2. Et has quidem literas dedit Deus, attulit autem Moses. Quid igitur dicunt hæ literæ? *In principio fecit Deus cælum & terram.* Considera, charissime, quàm admirabilis & eximius sit ille Propheta. Alij enim omnes Prophetæ dixerunt, vel quæ multis postea temporibus futura erant, vel quæ in futuro seculo euenient. Beatus autem iste natus, cùm iam multa mũdi secula transissent, & ducem, & directricem fortitus supernam dexteram, dignus est habitus, vt illa nobis diceret, quæ ante suam natiuitatem omnium Dominus formauerat. Gen. 1.

Serm. de seipso, cùm esset Presbyter designatus: Respexit ad magnum illum Mosen, qui cùm esset in regio educatus palatio, mensa Sybaritica frui cõsuetus, & inter AEgyptios relictus strepitus ac tumultus, contemptis illis omnibus, ad lutum & laborem opificum se contulit vltrò, & in seruorum numero esse concupiuit, qui Rex erat, & regis filius. Siquidem post exilium, post impostu-ram apud socerum, post ærumnas peregrè toleratas redijt, Regis ipsius princeps, imò verius Regi iam factus Deus. *Feci*, inquit, *te Deum Pharaoni*, ipsoq; Rege splendidior erat, non gestans diadema, neque purpura amictus, neque curru vectus aureo, sed vniuerso illo fastu conculcato, erat *omnis filiæ Regis gloria ab intus.* Reuersus est sceptrum gestans, quo imperaret non hominibus tantùm, sed & cælo, terræ, mariq;, aëris & aquarum naturæ, stagnis, fontibus, ac fluminibus.

Cyrillus Alexandrinus. 430.

Lib. 1. contra Iulianum: At fortè dicet aliquis: Esto, Mosaica antiquiora sint his, quæ à Græcorum sapientibus scripta, adhuc tamen non est verum dicere, quòd suam sapientiam inde sublegerint, vel certè deprehendantur sustulisse, &c. Porrò ex his cognoscere poterit quispiam, Christianorum doctrinas esse antiquitatis magis venerandæ. Tũc enim nondum de literis sciebant Græci, Cadmo eas vix tandem è Phœnice ad illos transferente, & tunc Mosaica erant scripta. Quid? quòd Solon Atticarum legum inuentor, & etiam ipse Plato, quia in AEgypto fuêre, præ alijs sapientiores habiti sunt? Adhæc admirati sunt Mosaica. Nam quòd Moses Græcorum historicis notissimus fuerit, ex ipsis, quos scripsêre, libris facilè cognoscere licet. Nam & Polemon in primo historiarum Græcarum mentionẽ eius facit. Præter hunc & Ptolomæus Mendesius, & Hellanicus, & Philochorus, Castorq;, & cum his alij. Diodorus verò diligenter perscrutans Aegyptiaca, dicit se accepisse ab illorum sapientibus de illo, quæ sic scripsit. Nam post statum veteris AEgyptiorum vitę, quæ sub Dijs & Heroibus fuisse narratur, dicunt virum quendam magnæ mentis, & vitæ apud Iudæos celeberrimum Mosen, qui dicebatur Deus, persuasisse primùm, vt legibus scriptis viuendo populi vterentur. Etenim quia omni virtute præditum videbant Mosen, etiam Deum nominârũt illum; honoris gratia AEgyptij sic illum appellârunt, vel fortassis didicerant, quòd vniuersorum Deus dixerat illi: *Ecce te posui Deum Pharaoni.* Exod. 7.

Lib. 6. Quem suorum comparabit optimo Mosi, qui & à Græcorum historicis testimonium habet, quòd primus Legislator fuerit, maximeq; claruerit. Alias sanè viri virtutes ex Scripturis viderit quis: Deo enim illi dante potestatem, AEgyptiorum flumina in sanguinẽ vertit, grauibusq; grandinibus, & in profunda ac densa nocte habitantes flagellauit, & cognatos per medium mare euntes à Pharaonis crudelitate liberauit.

Isidorus Peluſiota. 440.

Lib. 3. epist. 76. Diuinarum Legum interpretis Mosis, nec sapientiam, quam à Deo accepit, animo concepisse, nec mentem eius indagasse videris: verùm tantum ab eius mẽtis magnitudine, quantum à vitæ probitate remotus esse.

Theodoretus. 450.

Quæstion. in Genesin cap. 1. Diuinus Moses à Deo omnium missus in Aegyptum, iussus est dicere tribulibus suis: *Qui est, misit me ad vos.* Exod. 3.

Basilius Seleucius. 460.

Orat. 1. in Annuntiationem sanctissimæ Deiparæ: Certè Moses mortalium omnium mitissimus, vereq́ magnus, cùm diuina vocatione mitteretur, vt populum, Pharaonis seruitute pressum, in libertatem assereret, prolixè istiusmodi legationem detrectauit, &c. Ipse solus ad Deum accessit, rerumq; cęlestium ornatum ab eo edoctus, vt ea, quæ viderat, typicè exprimeret, legem accepit. Et hic talis, tantusq; vir, tantosq; in virtutibus progressus habens, tubarum, & tonitruum, & fulminum sonitum audiens, in summam timoris & anxietatis magnitudinem deuenit. Exod. 3.

Procopius Gazæus. 530.

Præfat. in Genes. Genesis, quem librum explicandum sumpsimus, præclarum opus est, quod nobis contexuit Moses. Auctorem ne contempseris: maxima siquidem præditus fuit auctoritate. Hic vir, ne erres, is est, qui ipsum Deum, quatenus humanis oculis & possibile fasq; est, vidit. Imò (vt testatur Scriptura) *Dominus loquebatur ad Mosen facie ad faciem, sicuti homo loquitur ad amicum suum,* &c. Exod. 33. Cùm affectaret vberiorem cognitionem indipisci, & Deum quodammodò exactè, & non quasi per transennam cernere, nullam passus est repulsam, in petræ cauerna abditus. Cæterùm rectè tu dixeris petræ cauernam notitiam Dei illam, per quam ex incarnatione Christi Patris cognitionẽ venamur. Moses in petra consistens conspexit ea, quæ post Deum erant, id est, posteriora, ex quibus quasi per quãdam analogiam opifex eorum perspicitur. Hæc enim (vt verisimile est) Moses exactius & copiosius cognouit, quã vllus mortaliũ.

Anastasius Synaites. 580.

In Hexameron lib. 2. Eius, quod dicimus, testis est nobis proposita Scriptura Mosaica, quæ cõtinet quædam crassa verba, & indigna Deo, qui nõ potest circumscribi: quæ quidem Moses non à domo sua protulit, sed Deus, cùm ipse per sanctos Angelos in monte Synai hæc locutus esset in tabernaculo. Sed nec nomen suum omninò posuit Moses in eius inscriptione, vt fecerunt cæteri Prophetæ in libris suarum prophetiarum. Quòd autem Angeli hæc narrârunt Mosi, audi Paulum dicentem in epist. ad Hebræos de Scriptura Legis Mosaicæ: *Si enim, qui per Angelos dictus est sermo, fuit firmus & stabilis.* Heb. 2. Similiter & B. Stephanus in actis Apost. ad Iudæos verba faciẽs, dicebat de Mose: *Hic est, qui fuit in Ecclesia in solitudine cum Angelo, qui loquebatur & in monte Synai, & cum patribus nostris; qui accepit verba vitæ, vt daret nobis.* Act. 7. Ecce apertè audiui à Paulo, & Stephano Apostolis, esse Angelos, qui enuntiauerũt librum Genesis Mosi, & ea de causa non inscripsit eum suo nomine.

Ischius Hierosolymitanus. 600.

Lib. 4. in Leuiticum cap. 15. Omnis quidem Propheta Dei admirabilis est, vtpote cui sunt credita spiritualia: sed admirabilior Moses, sicut cui maiora sunt credita, tantæ sapientiæ percepit celsitudinem: Nam quia infirmus erat, qui ab eo Legem percipiebat populus, & qui perfectiora dogmata audire non poterat, tam infirmitati cõdescendere volens populi, quàm dignitati nõ iniuriare Legis,

inuenit

inuenit viam, per quã & cælaret sublimia, nec ea propter auditorum infirmitatem directè proferre potuisset.

Leontius Byzantinus. 620.

De Sectis act. 2. Veterem Scripturam vocamus eam, quæ ante Christi aduentum prodita fuit: nouã, quę post ipsius aduentũ. Veteris libri sunt 22. Primus Genesis, alter Exodus, tertius Numeri, quartus Leuiticus est, quintus Deuteronomion, atq; hos quinq; libros vniuersi Mosis esse testãtur.

Maximus Monachus. 640.

De Incarnatione Verbi: Verùm quis non contremisceret, cùm Mosen ex pſona Dei de peccatoribus dicentem audit: *Quoniam accendetur ignis in furore meo, & ad inferni profundum vsque comburet.* Deut. 32.

Ioannes Damascenus. 730.

Orthodoxæ fidei lib. 4. c. 18. Libri veteri Testamento comprehensi sic se habent: Legales quinq; sunt, Genesis, Exodus, Leuiticus, Numeri, Deuteronomion: hic primus quinquernio est, quę etiam Legis institutio dicitur.

Cap. 24. Cùm nec Lex esset, nec Scriptura diuinitus inspirata, ne Sabbatum quidem Deo consecratum erat. At postquam Scriptura diuinitus inspirata per Mosen data est, Sabbatum quoq; Deo dicatum ac consecratum est.

Suidas. 970.

In Lexico: Moy aqua apud AEgyptios, vnde Moses nomen habet Propheta & Legislator: Trimus cùm esset, Deus mirabilem ei staturæ proceritatẽ dedit. Ieiunauit Moses dies 80. quadragenos priores, & totidem post cõfractas tabulas in gemma Sapphiro digito Dei scriptas. Nemo ita stupidus fuit, quin Mose conspecto, pulchritudine formæ eius percelleretur.

Oecumenius. 1050.

Ad cap. 7. Act. Illo tempore natus est Moses, fuitq; gratus siue dilectus Deo: Expositum autem ipsum cùm tulisset filia Pharaonis, edocuit omni sapientia AEgyptiorum. Ex hoc manifestum est, non reijciendam esse omnem externæ scripturæ eruditionem: Siquidẽ encomij vice dictum est, quòd *Moses eruditus est omni sapientia AEgyptiorum.* De tribus quoq; pueris & Daniele dicitur, quòd *super oës eminebant Chaldæorum sapientia, cæteriq; scientys.* Act. 7. Neq; Moses, neque Ananias, aut Daniel peregrinam didicerũt eruditionẽ nisi necessitate, aut coactione dominorum. In nullo etenim ea vsi sunt, nisi quis fortè dicat, quòd bonum sit eam discere ad euertendas illorum fraudes. Occidit Moses Aegyptiũ, non animi furori obsecundans, neque ira motus, sed zelo.

Euthymius. 1080.

Ad cap. 1. Ioan. Lex, siue vetus Testamentum, per Mosen mediatorem data est: gratia verò, siue nouum Testamentum per Iesum Christum nullo altero mediante. Et Moses quidẽ seruus erat, quodq; à Deo accepit, hoc dedit: Christus autem Dominus erat, & ipse tanquam Deus nouum condidit Testamentum.

Michael Glycas. 1120.

Parte 2. Annalium: Hoc ipsum indicare volens Moses, inquit: *Deprecatus sum Dominũ pro Aarone fratre meo, ne morte mulctaretur.* Atq; hic ipse Moses, qui facie sua, ceu Basilius loquitur, Deum perinde meruit intueri, quemadmodum ab Angelis spectatur, propter aduersationẽ illam, quæ ad aquã acciderat, in montem Abarim, qui & Nabo dicitur, ascẽdere iubetur, atq; illic promissam terram intuitus fato fungi. Eundem virum profectò diuinissimum Epiphanius tradit ab Angelis sepultum esse.

Nicetas. 1200.

Lib. 1. Orthodoxæ fidei cap. 6. Moses quidem simpliciore, magisq; compendiario, imò potius compendiosiore stylo de mundi creatione differens: *In Principio*, inquit, *fecit Deus cælum & terram.* Gen. 1.

Cap. 30. Iudaismus ab Abrahamo originem circuncisionis interuentu duxit. Auxit eundẽ Moses, qui septimus ab Abrahamo Iudaicis rebus præfuit, Legis beneficio, quam à Deo in monte Syna acceperat.

Nicephorus Callistus. 1300.

In Synopsi diuinæ Scripturæ, de libris veteris Testamenti: Diuinæ Scripturæ disce nunc libros. Veteris Scripturæ libri sunt 22. quorum primus Genesis, secundus Exodus, tertius Leuiticus, quartus Numeri, quintus Deuteronomium, &c.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Tertullianus. 200.

In Apologetico c. 19. Si quem audistis interim Mosen, Argiuo Inacho par est ætate quadringẽtis penè annis: nam & septẽ minus, Danaum, & ipsum apud vos vetustissimum, præuenit; mille circiter cladem Priami antecedit. Possem etiam dicere, quingentis amplius & Homerum; habens quos sequar. Cæteri quoque Prophetæ, etsi Mosi posthumant, extremissimi tamen eorum non retrosiores deprehenduntur primoribus vestris sapientibus, & legiferis, & historicis.

Aduersus Marcionem lib. 3. cap. 3.

Dux populi Moses; qui limina regia liquit,
Spernens diuitias florentes tempore paruo,
Maluit afflictus populi portare labores
Subnixa ceruice, minùs non territus vllis,
Quàm sibi delicias, multasq; remittere pœnas;
Pro magnaq; fide, pro tanto mirus amore,
Armatus virtute Dei, magnalia gessit,
Percussit gentem plagis, terramq; reliquit,
Confundit regem, durum populumq; reducit.
Calcauit fluctus, hostes demersit in vndis,
Fecit aquam dulcem per lignum semper amaram.
Cum Christi populo manifestè multa locutus,
Cuius de facie lux, & nitor ore refulsit,
Acceptam Legem per paucos fudit in orbem,
Exempla implicita propriorum certa laborum:
Percussit petram, iussus quoque flumina fudit,
Extenditq́ue manus, vt signo vinceret hostem.
Omnia de Christo, per Christum cuncta loquuntur.
Hic probus, & magnus cum laudus pace quieuit.

Cyprianus. 250.

De bono patiẽtiæ: Moses ab ingrato & pfido populo cõtemnitur frequẽter, & penè lapidatur, & tamen lenis & patiẽs pro ipsdem Dominum deprecatur. Exod. 32.

Hilarius. 350.

De Trinitate lib. 5. Moses in reginę filium adoptatus, & omnibus Aegyptiorum doctrinis eruditus.

Ad Psal. 67. Sanctus quoq; Moses sub velamento verborum cõmunium ingentia cælestis spei sacramenta cõdebat, verba sua excipi vt pluuiam imbremq; cantauit, pluuiam irrigantẽ deserta & arida, & præparatam Dei hæreditatem.

Hieronymus. 390.

Ad cap. 6. Esaiæ: Moses, cui dixerat Dominus: *Veni, mittam te ad Pharaonem Regem AEgypti: & ille, ait: Obsecro Domine non sum dignus, prouide alium, quem mittas:* non de contemptu, sed de humilitate respõdit: quia nihil de purgatis labijs suis audierat, *qui omni sapientia AEgyptiorum fuerat eruditus.* Exod 3 4

Epist.103.ad Paulinum cap.7. Manifestissima est Genesis, in qua de creatura mundi, de exordio generis humani, de diuisione terræ, de confusione linguarum & gentium vsque ad exitum scribitur Hebræorum. Patet Exodus cum decem plagis, cum Decalogo, cum mysticis diuinisq; præceptis. In promptu est Leuiticus liber, in quo singula sacrificia, imò singulæ penè syllabæ, & vestes Aaron, & totus ordo Leuiticus spirant cælestia sacramenta. Numeri verò nonne totius Arithmeticæ, & prophetiæ Balaam, & quadraginta duarũ per eremum mansionum mysteria continent? Deuteronomion quoque secunda lex, & Euangelicæ legis præfiguratio, nonne sic ea habet, quæ sunt priora, vt tamen noua sint omnia de veteribus? Hucusq; Moses, hucusq; Pentateuchus: quibus quinque verbis loqui se velle Apostolus in Ecclesia gloriatur. 2.Cor.14

Concilium Carthaginense. 395.

Cap.47. Placuit, vt præter Scripturas Canonicas nihil in Ecclesia legatur, sub nomine diuinarũ Scripturarum. Sunt autem Canonicæ Scripturæ: Genesis, Exodus, Leuiticus, Numeri, Deuteronomion, &c.

Gaudentius Brixiensis. 400.

Tractatu 2. de lectione Euangelij, qui est in ordine nonus: Architriclinum hunc puto esse beatissimum Mosen, virum de tribu Leui, fidelem Dei dispensatorem in tota domo eius, qui non solùm in antiquis illis nuptijs illius plebis Israel, quæ repudiari postea meruit, prępositus fuit: sed etiam in istis, quæ celebrantur in Gentibus. Quis enim nostrum sine Architriclino Mose discere potuit, *quoniam Dominus Deus noster Deus vnus est, & non Dij?* Deut.6.

Augustinus. 400.

De Ciuitate Dei lib.18. cap.37. Nec Orpheus, nec Linus, nec Musæus verum theologum nostrum Mosen, qui vnum verum Deum veraciter prædicauit, cuius nunc scripta in auctoritatis Canone prima sunt, tempore præuenerunt: ac per hoc, quantum ad Græcos attinet, in qua lingua literæ huius seculi maximè ferbuerunt, nihil habẽt vnde sapientiam suam iactent, quo religione nostra, vbi vera sapientia est, si non superior, saltem videatur antiquior. Verùm quod fatendum est, nõ quidẽ in Græcia, sed in Barbaris gentibus, sicut in AEgypto, iam fuerat ante Mosen nonnulla doctrina, quæ illorum sapientia diceretur: alioqui non scriptum esset in libris sanctis: *Mosen eruditum fuisse in omni sapientia.* Act.7.

De Doctrina Christiana lib.2. cap.8. Totus Canon Scripturarum his libris cõtinetur: Quinque Moseos, id est, Genesi, Exodo, Leuitico, Numeris, Deuteronomio: Iesu Naue, &c.

Innocentius Primus. 406.

Epist. ad Exuperium Tholosanum c.7. Qui verò libri recipiantur in Canonem sanctarum Scripturarũ breuis annexus ostendit: Mosis libri quinq;, id est, Genesis, Exodus, Leuiticus, Numeri, Deuter. &c.

Leo Primus. 445.

Serm.4. de Collectis: Nõ sinantur latêre homines (*Manichæi,*) qui Legem per Mosen datam, in qua Deus vniuersitatis conditor ostenditur, recipiendam esse non credunt.

Amœnus. 460.

In Enchridio veteris ac noui Testamenti:

Fumat montis apex diuinis ignibus, in quo
Scripta decem verbis saxorum pagina Mosi
Traditur, ille suos suscepta Lege reuisit.

Prosper. 460.

Ad Psal.105. Sanctus Moses perturbatus murmure populi, non tenuit fiduciam, qualem debuit, & dubitanter petram virga percussit, distinguẽs hoc miraculum à cæteris, quasi non posset, qui cætera fecerat, etiã istud efficere. Hinc ergo meruit prior mori, quàm terram repromissionis intraret. Cui tamen Deus, tanquam electo suo, etiam post mortem bonum perhibet testimonium: vt intelligamus, eum huius tantùm hæreditatis priuatione mulctatum, non autem illius æternæ, quam significabat temporalis, & terrena possessio.

Alcimus Auitus. 500.

Lib. ad Sororem de consolatoria castitatis laude:

Nam quicquid sacra diuina voluminalegis
Aut sensu aut verbo monstrant, quod prædicat ille
Antiquus mundi repetens exordia vates,
Siue ille historias texit, seu fortè figuras: &c.
Tota Instrumenti veteris tibi pagina nota est.

Aurelius Cassiodorus. 540.

Institut. diuinarum lectionum cap.27. Hoc etiam ipse fidelissimus Dei famulus Moses fecit, de quo scriptum est, quòd *eruditus fuerit in omni sapientia AEgyptiorum.* Act.7.

Gregorius Magnus. 590.

Lib.6. Expositionis in 1. Reg. c.16. Magna vnctione indiget, qui de sua plenitudine replere alios debet. Vnde & Moses tam plenus extitisse dicitur, vt de spiritu eius Dominus tulisse, & alijs dedisse doceatur. Num.11

Isidorus Hispalensis. 620.

Lib.1. de Officijs: Veteris Testamenti secundùm Hebræorum traditionẽ scriptores habentur: primus Moses edidit Pentateuchum.

Beda. 700.

Ad cap.1. Ioannis: Lex quidem per Mosen data est, in qua quid agendum, quid vitandum sit cælesti iure decernitur: sed quod illa præcepit, non nisi gratia Christi completur.

Haymo. 820.

Homilia in Feria 2. Paschæ: Licet ante Mosen plures Patres fuerint, tamen eorum actionem Mose scribente cognouimus, quẽ veracis historiæ scriptorem primum fuisse non dubitamus.

Rabanus Maurus. 840.

De Institutione Cleri lib.2.c.53. Hi sunt libri veteris Testamenti, quos ob amorem doctrinæ, & pietatis legendos recipiendosqúe Ecclesiarum Pontifices tradiderunt. Primi namque Legis, id est, Mosis libri quinque sunt, Genesis, Exodus, Leuiticus, Numeri, Deuteronomion.

Theodulphus Aurelianensis Episc. 850.

In versibus, quos in fronte Bibliorum describi fecit:

Quicquid ab Hebræo stylus Atticus, atq; Latinus
Sumpsit, in hoc totum Codice lector habes.
Quo loca prima tenet Genesis, primordia Mundi,
Diluuiumq; canens, gestaq; magna Patrum.
Exodus AEgyptum spoliat, secat æquora rubra:
Pandit iter heremi; lympha ibi, lexq; datur.
Inde sacerdotum gentem Leuiticus ornat,
Et typicè exponit dona sacris typicis.
Bella, virosq; liber Numeri describit, & actus;
Quos fregit Moyses Idola, stupra, duces.
Post repetit legem, populo benedicit, & alma
Iura dat; ac dicto carmine victor obit.

Smaragdus Abbas. 950.

Ad caput nonum regulæ D. Benedicti: Codices legantur diuinæ auctoritatis tam veteris Testamenti, quàm noui, id est, quinque libri Moysis, Genesis, Exodus, Leuiticus, Numeri, Deuteronomiũ, &c.

Rupertus Tuitiensis. 1120.

Lib.1. in Exod. c.9. Hoc ergo fategit (*Moses*) quantũ potuit, quãtũuis infans scirpeo cophino suauiter cubaret, & leui papyro conserta cymba sine pondere supernataret, & bituminata sentinã omnem aquæ excluderet. Porrò mysticè totum administrandæ per illum Scripturę præsagium est. Elegans quippe infantulus vili scirpo collocatur, quia futurum erat eo scribente, vt elegantia spiritus vilitate literæ tegeretur. Ipse papyro scriptoris eiusdem futuri calamum præsignat, ituri cum *impetu fluminis, qui lætificat ciuitatem Dei,* contra illa vasa papyri, id est, vasa scriptorum falsitatis. *Lib.4.c.10.* Quid Moses, num obsequium illi defuit in Pharaonis aula, cui per adoptionem fuerat insertus? num in imperio virtus? in exilio pietas? in asserenda Iudæorum gente solertia? aut in contumacia huius corrigẽda sanctitas? in scribendis Legibus prudentia? Enimuerò tam idoneus in singulis apparuit, vt ad omnia natus videretur, quod aut temperantia, aut nulla alia virtus potuit homini præstare. Aliæ enim virtutes alio tempore exiguntur, hæc semper in qualibet vitæ parte eluceat necesse est.

ARTICVLVS SEXTVS.

IOBI HISTORIAM VERAM ET AVTHENTICAM ESSE NEGANT.

Anno post natũ Christũ 400. IVDÆI, in Thalmud ordine 4. Tract.3. *nec librum Iob in diuinis voluminibus habent, nec ipsum Iob vixisse vnquam inter homines putant. Posteriores Rabini, vt R. Salomon, R. Leui Ben Gerson, & alij nonnulli, librum quidem recipere videntur, quippe quem Commentarijs illustrare conati sunt: sed ipsum Iob non semel, nec leuiter reprehendunt. Siquidem R. Salomon audacter affirmat, S. Iob impatientem calamitatis, quæ illi acciderat, non verbis, sed corde peccasse. R. autem Leui vlterius progressus, scribit, hunc B. virum abnegatæ prouidentiæ diuinæ, mortuorumq; resurrectionis iustissimas pœnas dedisse.*

1520. *Martinus Lutherus,* in Conuiualibus Serm. titul. de Patriarchis & Prophetis, *affirmat se non credere omnia ita esse gesta, vt in libro Iob narrantur. Et rursus,* tit. de libris veteris & noui Testam. *ait, librum Iob esse veluti fabulæ argumentum, ad proponendum patientiæ exemplum.*

1550. *Anabaptistæ nostræ ætatis librum Iob irridentes, appellant eum Tragicocomœdiam Hebræorum, hoc est fabulam, partim secundum Comœdiæ, partim secundum Tragœdiæ leges editam: quia principio ipsius historiæ cædes filiorum ac filiarum Iob, quod in Tragœdijs vsu venit, referantur; in fine verò, quod Comœdiæ proprium est, felices Iobi euentus ponantur.* Sixtus Senensis lib.8. sanctæ Bibliothecæ hæresi 10.

ASSERVNT SACRÆ LITERÆ.

Ezechiel 14. Vers.14. Si fuerint tres viri isti in medio eius, Noe, Daniel, & Iob: ipsi iustitia sua liberabunt animas suas, ait Dominus exercituum.

Tobiæ 2.15. Nam sicut B. Iob insultabant reges: ita isti parentes & cognati eius irridebant vitam eius.

1. Corinth.3.19. Sapientia enim huius mundi stultitia est apud Deum. Scriptum est enim: Comprehendam sapientes in astutia eorum.

Iob 5. *Iacob.5.11.* Sufferentiam Iob audistis.

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Clemens Romanus. 80.

Constitut. Apost. lib.1. cap.6. Si poëtica legere cupis, habes Prophetas, Iob, Prouerbia, in quibus plus acuminis, quàm in omni poësi, & sapientia Sophistarum reperies, quòd is, qui solus sapiens, illa effatus sit: si cantilenas expetis, habes Psalmos.

Canone Apost.75. Sint vobis omnibus Clericis & Laicis Biblia veneranda & sancta: veteris quidem Testamẽti Mosis quinque, Iob vnus, Psalmi centum quinquaginta, &c.

Ignatius. 100.

Epistola ad Philadelphienses: Domini beneuolo animo sitis erga seruos, vt sanctus Iob docet: Vna est omnium humana natura, & vnum genus.

Iustinus Martyr. 160.

Dialogo cum Tryphone: Ac rursum in libro Iob scriptum est, vt & ipse allegasti, *Angelos venisse, vt assisterent coram Domino, & diabolum vnà cum illis adfuisse.* Iob 1.

Quæst. 78. Quòd diabolo in omnem corporis Iob constitutionem, affligendi eius vt vellet, potestas datur: animam autem eius, vt ne ille tange- Iob 5.

ret,inhibetur, declarat animam incorpoream aliud quippiam esse à carne eius affricta.

Melito Sardensis. 160.

Epist. ad Ornesium, *enumerans Scripturæ veteris libros,librum Iob inter eos recenset.*

Clemens Alexandrinus. 200.

Lib.4.Stromat.cap.2. Iob propter insignem continentiam, & fidem eximiam,vt qui pauper quidem ex diuite,ex illustri abiectus,ex pulchro deformis, ex sano morbidus factus, est nobis præclarum exemplar propositus, pudore afficiens eum, qui tentauerat ; benedicens ei, qui formauerat; secunda ferens,vt & prima ; rectè docēs Peripateticos,eum, qui est cognitione præditus, rectè posse vti omnibus.

Origenes. 230.

Libro 1.in Iob: Constantia atque tolerantia vehementium dolorū fulget admirabilis Iob, de quo plurimus sermo, de quo vehemens disputatio: cuius sanctæ virtutis insignia, cuius admirabilē constantiam,cuius miserabiles dolores,quis edicere,vel iuxta meritū proferre, vel admirari valeat, quæ scripta sunt Syrorū lingua, siue ab ipso Iob,siue ab amicis eius ? Ob hoc enim dicit ipse Iob 19. beatissimus Iob: *Quis dabit,vt scribātur sermones mei, & ponantur in libro in perpetuum?* Interpretata autem sunt à magno illo viro Mose in Hebraicam linguam, atque filijs Israel tradita, quod ostendit ipsa Scriptura Iob dicens: *Hic interpretatus est ex Syrorum libro.* A quo interpretatus ? manifestum est, quòd à Mose in Hebræum,item verò à Septuaginta interpretibus ex Hebræo in Græcum.

Eusebius. 320.

De Demonstratione Euangelica lib. 1.c.6. Sed quidnam de beatissimo Iob,de illo,inquam,vero homine,illo inculpabili,iusto,pio, dicemus ? Quæ tandem illi summę illius pietatis & iustitię causa extitit ? Nunquid præcepta Mosaica ? minimè. Num diei Sabbati,aut alterius cuiuspiam Iudaici ritus obseruatio? Vnde illi hoc, qui & ætate ipsum Mosen antecedit,& ante Leges ab illo positas est natus ? Etenim Moses septem ætates numeratur ab Abraham,hic autem quinque: sic Mose ipso antiquior duabus inueniatur ętatibus.Contemplare igitur huiusce vitam, quæ de Legibus à Mose positis nihil inducit : ab Euangelica Saluatoris nostri doctrina non abhorret. Dicit enim ipse,vbi suam ipsius vitam exponit, & arguentibus se amicis respondet: *Seruaui enim inopem de manu potentis, & pupillo,cui non erat adiutor, subueni,* &c. Iob 29. Ipsa hæc igitur documēta planè eadem sunt cum ijs,quæ omnibus nobis per Euangelicam doctrinam tradi nuntiarię solita sunt.

Athanasius. 340.

In Apologia de fuga sua: Qui in fuga moritur, inglorius moritur:ac proinde Iob magnus est habitus,quòd viuus tot ac tantas ærumnas tolerauit, quarum nullum omnino sensum percepisset, si mortem sibi consciuisset.

In Synopsi diuinæ Scripturæ: Iob inscriptus est hic liber, quoniam historiam illius complectitur, quid perpessus sit tentatus à Diabolo, & quomodo vicerit,ac piè illatas plagas tolerauerit,rursus omnia duplicata receperit,illustriorię, quàm fuerit ante, factus, iterum decem liberos adeptus est.Passus est autem cùm annos 70.natus esset, ita vt omnes ipsius anni fuerint 240. Post acceptas enim plagas adhuc vixit annos 170. vixit autem Iob ante tempora Mosis. Erat enim quintus ab Abraham ex posteris Esau.

Basilius Magnus. 350.

Oratione 11. de Patientia & tolerantia: Hæc dicens Iob,etiam dęmonis impetum retudit, & pudore ipsum affecit,eò quòd victoriam ab eo reportasset.Quid verò tandem hinc euenit? morbo nimirum leuatus est,perinde ac si frustra eum inuasisset,nihilq; penitus effecisset.Efflоruit enim secundùm pubertatem caro, vita verò omnibus bonis cumulata est.

Concilium Laodicense. 360.

Canone 60. *enumerans sacræ Scripturæ libros, Iob inter eos recenset.*

Cyrillus Hierosolymitanus. 360.

Catechesi 4. *enumerans sacræ Scripturæ libros:* Carmine,*inquit,* scripti sunt quinque: Liber Iob,liber Psalmorum,Prouerbia,Ecclesiastes,Cātica Canticorum.

Gregorius Nazianzenus. 370.

De veris & germanis Scripturæ libris :

Quinque metris constant,Iob,Dauid,tres Salomonis, Concio,& insignes Cantus,Prouerbia sacra.

Amphilochius. 380.

Ad Seleucum de S.Scripturæ libris:

Dein versibus scriptos quinque asseram libros:
Qui multa passus est, coronatus Iob,
Psalmos,medelam qui ægris animis ferunt,
Tresq; Salomonis,&c.

Ioannes Chrysostomus. 400.

Sermone in Beatos Iob,& Abraham : Quis tam strenuus & fortis,vti beatus Iob?Quem vidit quidem diabolus,aggredi tamē primùm detrectauit. Iob dum tentatur, apparet scientia, quę post multa tempora danda erat,Spiritu S.erudiente edoctus. Quo pacto demonstrabitur hoc? Nondum erat Lex,& longè ante Euangelij prędicationem præcessit.Quintus enim erat ab Abraham,& nepos Esau,& Legem seruauit sacrificando, & Euangelium cum cogitationibus certando.Vitulum enim sacrificabat, quasi Legem videns: & de internis cogitationibus solicitus erat, quasi Euangelium spectans.Dicebat enim Iob:*Ne fortè filij mei mala co-* Iob 1. *gitauerint in corde suo contra Deum.*

In Catena Græcorum ad cap.1. Iob : Vtilem esse librum cuiuis in omni vitæ genere & conditione, viris,mulieribus, senioribus, medijs, diuitibus, pauperibus, secundis aduersisq; rebus vtentibus, facilè est ostendere. Hic enim vir magnus, atque admirabilis, qui vbiuis gentium clarus est, qui pietatis athleta fuit,& corona donatus, qui cuncta certamina exantlauit,qui innumera aduersus diabolum trophæa constituit; hic,inquam, opulentus fuit, & inops ; gloriosus, & contemptus; liberis abundans, & orbatus ; in regijs aulis,& in sterquilinio ; in splendida veste,& post hanc in vermium fonte, &c.

Nilus Abbas. 420.

In Ascetico : Admirabilis Iob ea de re dubitans, ita loquitur : *Quis reuelabit faciem indumenti eius ? in* Iob 42. *plicam autem loricæ eius quis ingredietur ?*

Cyrillus Alexandrinus. 430.

Lib. 2. in Ioannem cap. 37. Audit per omnia, qui plantauit aurem: & considerat cuncta, qui finxit oculum. Vnde ad Iob ipse dicit : *Quis est qui cælat* Iob 42. *me consilium? continens autem verba in corde putat me cælare?*

Isidorus Peluſiota. 440.

Lib.3.epist.11. Iam si continenter etiam aspiciens, nullo incommodo hinc se affici contendat, à Iobo viro omni laude præstantiori coarguetur, his verbis vtente : *Pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogi-* Iob 31. *tarem quidem de virgine.*

Epist.106. Atque hoc perspicuè ex eo liquet,quòd & Noë,& Abrahamum, & optimos, ac celeberri-

mos

mos ipsius nepotes(quorum vnus,& quidem præstantissimus erat is,qui vniuersam diaboli potentiam concidit, atque ipsius sagittas consumpsit, pharetramq; inanem reddidit,hoc est clarus Iob) circa literas alloquebatur.

Theodoretus. 450.

Quæstionum in Genesin,quæst. 92. Vnde Iob originem traxit? Ab Esau: hoc enim docet, quæ de eo scripta est historia:*Vir erat,*inquit,*in regione Hustidæ.*Hoc item demonstrat beatus Moses,qui describens successiones eorum, qui regnauerunt ab Esau, sic ait:*Mortuus est Balach,& regnauit pro eo Iacob filius Zaræ de Bosra:* quæ omnia consentiunt cum historia Iob.

Olympiodorus. 480.

Ad caput 1. Iob : De scriptione libri eorum, qui Commentarios ediderunt,non vna omnium est sententia,affirmantibus nonnullis, è sapientibus Hebræis hominibus quendam extitisse, qui auditione, quę ad iustū hunc pertinent,primùm acceperit; deinde ad suæ eruditionis speciem hæc literis mandasse, ita nec diuinitus afflatam scriptionem hanc esse confitentur.Alij ab amicis Iob conscriptum esse tradiderunt,siue temporis cùm adessent recordatis,siue,quod verius est,gratia illustratis ; maximè quòd id fuerat precatus, cùm Iob 19. diceret : *Quis det scribi verba mea, poni autem illa in libro in æternum?* Voluminis auctorem Mosen quidam alij scribunt, è charactere orationis ducta coniectura.Sed nimirum diuino Theologo Gregorio Salomonis scriptum hoc iudicatum est.Valeant igitur,qui Scripturam hanc tanquam confictā,atque ab humana cogitatione profectā, nec inspiratam diuinitus criminantur.

Procopius Gazæus. 530.

*Præfatione in Genesim:*Huic addatur Iobi testimonium, cuius hic tenor est:*Cum cōgratularentur stellæ* Iob 38. *matutinæ,& iubilarent cuncti filij Dei* : per stellas matutinas intellige Angelos, vt habent Septuaginta interpretes.

In Exodum fol.291. Sapphirus commonstrat beatam Virginem, de qua vaticinatus Iob inquit : Iob 28. *Terra ex ipsa egredietur,panis subteruersus est quasi ignis: locus sapphiri lapides eius:* quibus verbis designatur purissimum Virginis corpus.

Anastasius Synaites. 580.

Comment.in Hexam.lib.10. Ille iustus,& nulli affinis reprehensioni,& pius Iob dicebat : *Nudus ab o-* Iob 1. *mni peccato exiui ex ventre matris meæ: ab eo quoque nudus recedam.*

Antiochus. 600.

Homil.117. Talis nihil obscurè fuit eximius ille Iob. Is enim perditis semel omnibus, domo insuper decem contignationibus fastigiosa adęquata solo,sed & filijs ruina oppressis, quam Domino pro his rependit gratiarum actionem ? Nimirum accepto hoc nuntio dicebat : *Dominus dedit,* Iob 1. *Dominus abstulit:sit nomen Domini benedictum.*Hoc insigni argumento internoscitur, qui nihil fucatè operatus est,dum inter medias deprehensus calamitates,toto pectore gratias agit Domino.

Maximus Monachus. 640.

Centuria prima cap.83. Hoc satis clarum est ex scripta historia de Iob, quæ describit citra volūtatem diuinam diabolum nunquam ad Iob accedere potuisse.

Ioannes Damascenus. 730.

Orthodoxæ fidei libro 4.cap.18.*recensens sacræ Scripturæ Canonicos libros:* Tertius, *inquit,* librorum quinquernio versibus constat, nempe liber Iob, Psalterium, Prouerbia Salomonis, Ecclesiastes, Cantica Canticorum.

Cæsarius. 760.

Dialogo 1. Audi de Deo Dauidem canentem:*Qui congregat quasi vtrem aquas maris.*Item alium dicentem: *Qui ligat aquam in aëreis nubibus.* Ante hos autem Iobus, certaminum diuinorū magister, turris,& propugnaculum inquit: *Et non est rupta nubes sub ipsa,* scilicet aqua. Intelligatur autem idem etiam de deificatæ humanitatis Seruatoris assumptione: Nubes enim subijt sub pedes eius,non adiuuans ascensionem : sed vt ostenderetur illum esse, qui per turbinem & nubes olim quidem ad Iobum, post ipsum verò ab Mosen locutus esset.

Theophylactus. 900.

Ad caput 8.Ioannis: Diabolus & Deum apud homines criminatus est, Euæ dicens: *Inuidens vobis,* Gen.3. *prohibuit vos à ligno.*Et ierum apud Deum homines accusauit falsò, vt Iob, dicens : *Non gratis colit Iob* Iob 1. *Deum.*

Ad cap.18.Lucæ : Iob prementibus se amicis, & grauius incumbentibus quàm calamitas ipsa, dicentibusqúe quòd propter peccata illa sit passus, compulsus est enumerare sua opera,idq; propter gloriam Dei,ne scilicet homines à recto virtutum cursu exciderent.

Suidas. 970.

In Lexico: Iob verè magnus ille & generosus veritatis pugil,primus aperuit gymnicum illud, & ingens, atque adeò totum terrarum orbem includens stadium,hic aduersarium omnibus congressibus prostrauit: hic vibicibus & plagis ad ipsa ossa penetrantibus acceptis,permansit inuictus:hic vermibus scatens,corollam meruit.Hūc neque mors prosternere potuit,neque à tergo inuadere. Instar enim firmissimę columnæ, aut incudis,impenetrabilis perstitit, per omnem ætatem subigens,& prosternens aduersarium. Habes & huius Philosophi prędmia : habes & librum eius,multò & Homerica & Platonica luscinia cātillantem argutius.Neque enim fabularum & calamitatum alienarum narrationes continet, neque de Achille agit audacissimo, aut callidissimo Vlysse, quorum cædes triumphi sunt, & mulierum stupra res bene gestæ: sed diabolum commemorat,qui à nudo quodam, & inermi, & solo eludatur ; & amicorum vicem eius dolentiū conciones,& lachrymas, & totius rerum cōditarum naturæ explicationem, & animalium, & auium naturas,& splendidas quasdam narrationes : atque ipsius etiam intorti istius serpētis imaginem, & vnigeniti Filij Dei ad inferos, & subterranea loca descensum, & ex orco reditum, & resurrectionem à mortuis. Idem liber iustum illum victorem pronuntiat,& liberos,& omnem rem familiarem magno illi cum fœnore restituit,& vitæ tempus conduplicat.

Nicetas Heracleensis.

In Catena Iob,cap.1. Quòd magnam hic liber prębeat vtilitatem satis planum factū esse arbitror. Nunc ad ipsam verborum interpretationem veniendum est. Quęcunque verò historiæ congruunt,atque allegoriæ,quæ historiam minimè lædant,omnia persequemur.

Nicetas Choniates. 1200.

Orthodoxæ fidei lib. 3.c.1.de descensu in Virginē: Item Iobus: *Qui extendit cælos solus,& graditur super fluctus* Iob 9. *maris.*

Nicephorus Callistus. 1300.

In Synopsi diuinæ Scripturæ: Veteris Testamēti libri versibus sunt scripti: Iob, Dauid, tria Salomonis, Ecclesiastes, Canticum,& Parœmiæ.

Ioannes Cantacuzenus. 1360.

Oratione 2.in Mahometum : Quid verò de iusto illo Iob

lo Iob dicemus? Et sanè de ferreo illo & adamantino Iob interrogo. Num ceu diseretus à Deo reiectus diabolo traditus est? & tot tantisque malis, mobilibus simul & immobilibus flagellatus est, liberorum scilicet amissione & proprij corporis afflictione, &c.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Tertullianus. 200.

Iob 2. *Lib. de patientia cap. 14.* Dissecabatur Malus, cùm Iob immundam vlceris sui redundantiam magna æquanimitate distringeret, cùm erumpentes bestiolas inde in eosdem specus & pastus foraminosæ carnis ludendo reuocaret. Itaque operarius ille victoriæ Dei, retusis omnibus iaculis tentationum, lorica, clypeoque patientiæ, & integritatem mox corporis à Deo recuperauit, & quæ amiserat reduplicata possedit.

Cyprianus. 250.

Iob 1. *De opere & eleemosynis:* Probat Scriptura diuina dicens: *Iob homo verus, & iustus, habuit filios septem, & filias tres, & emundabat illos, offerens pro illis hostias Deo secundum numerum illorum, & pro peccatis eorum vitulum vnum.*

De lapsis: Quid Iob in operibus promptius, in tentationibus fortius, in dolore patientius, in timore submissius, in fide verius?

Zeno Veronensis. 260.

Sermone de S. Iob: Iob vir fuit iustus & verax, ab vniuersis concupiscentijs huius mundi secretus, conuersatione limpidus, mente limpidior, vsque adeò circumspectus atque irreprehensibilis, vt Dei sit testimonio collaudatus, vnde non immeritò beatus beata vita fruebatur. Namque erat illi splendidissima domus, dies census, dies quoque numerus liberorum, & (quod est parentibus gratum) vtriusque sexus, & inuicem se amantium: quorum pro munere Deo diuinas hostias offerebat. Tãto autem puritatis ac fidei erat muro munitus, vt non auderet eum attentare diabolus, nisi à Deo iussus.

Iulius Papa. 336.

Epistola ad Orientales pro causa Athanasij: Nec consideratis, qui fratres persequi non cessatis, qualia Iob patientissimus inter cętera exorsus loquitur:
Iob 29. *Auris audiens beatificabat me, & oculus videns testimonium reddebat mihi,* &c.

Hilarius Pictauiensis. 350.

Ad Psalm. 68. Sancto etiam Iob, post illud vniuersarum passionum gloriosissimum bellũ, cùm dignus iam esset eloquio diuino, scientiaq; naturæ, post confracti intra se maris portas, rugientesque eius in matris suæ ventre terrores, rursum quid etiam in mari significaretur, Dominus reuelauit, dicens:
Iob 18. *Venisti autem super fontes abyssi, aut in vestigijs maris ambulasti?*

Ad Psalm. 118. Semper dicat:
Iob 1. *Bonitatem fecisti cum seruo tuo Domine,* vt ait ille passionũ humanarum glorioſus & beatus victor: *Dominus dedit, Dominus abstulit: sit nomen Domini benedictum.*

Ambrosius. 370.

De Interpellatione Iob lib. 1. cap. 2. Amissis Iob liberis, atque omnibus suis, prẽter vxorem, quæ ei sola ad tentationem fuerat reseruata, perfusus etiam vlcere graui, cùm videret amicos suos, non ad consolandum venisse, sed ad exaggerandum, & acerbandum dolorem, aduertit à Domino datam in se aduersario tẽtandi sui potestatem. Et quamuis sagittas Domini in corpore suo sentiret esse, à quibus compungi se diceret, tamen quasi bonus athleta, qui dolori non cederet, nec dura certaminis recusaret, addidit:
Iob 6. *Incipiens Dominus vulneret,* &c.

Ruffinus. 390.

In Symbolum Apostolorum: Iob quoque mysticis redundans totus eloquijs, audi quã euidenter resurrectionem prædicit mortuorum. *Est,* inquit, *arbori spes. Si enim abscisa fuerit, iterum pullulabit, & virgultum eius nunquam deficit,* &c.

Hieronymus. 390.

Epistola 103. ad Paulinum cap. 7. Iob exemplar patientię, quæ non mysteria sermone suo complectitur? prosa incipit, versu labitur, pedestri sermone finitur: omnesque leges Dialecticæ, propositione, assumptione, confirmatione, conclusione determinat: singula in eo verba plena sunt sensibus. Et, vt de cæteris fileam, resurrectionẽ corporum sic prophetat, vt nullus de ea vel manifestius, vel cautius scripserit.

Augustinus. 400.

De ciuitate Dei lib. 18. cap. 47. Homines quosdam non terrena, sed cælesti societate ad veros Israelitas supernę ciues patrię pertinentes etiam in alijs gentibus fuisse, negare non possunt: quia si negãt, facilimè conuincuntur de sancto & mirabili viro Iob, qui nec indigena, nec proselytus, id est, aduena populi Israel fuit: sed ex gente Idumæa genus ducens, ibi ortus, ibidem mortuus est: qui diuino sic laudatur eloquio, vt quod ad iustitiam, pietatemque attinet, nullus ei homo suorũ temporum coæquetur. Quæ tempora eius, quamuis non inueniamus in Chronicis, colligimus tamen ex libro eius, quem pro sui merito Israelitæ in auctoritatem Canonicam receperunt, tertia generatione posteriorem fuisse quàm Israel.

Seuerus Sulpitius. 420.

Sacræ historiæ lib. 1. Hoc temporum tractu Iob fuit, legem naturæ & agnitionem Dei, & omnem iustitiam complexus, prædiues opibus, atque eò illustrior, quòd his neque integris corruptus, neq; amissis deprauatus est. Nam cùm per diabolum exutus bonis, filijs etiam orbatus esset, ad extremum diris vlceribus affectus, non potuit vinci, vt præ doloris impatientia aliqua in parte peccaret. Mercedem denique diuini testimonij consecutus sanitati restitutus, omnia quæ amiserat in duplum recepit.

Philippus Presbyter. 430.

Lib. 1. in Iob: Sanctus Iob vir summę patientię & virtutis, Deique testimonio approbatus, multa de Christo Domino prophetauit, cuius etiam ipse personam singulariter gessit, &c.

Leo Magnus. 450.

Sermone 9. in Quadragesima: B. Iob alternantibus bonis ac malis mundi huius eruditus, piè veraciterq; dicebat:
Iob 7. *Nonne tentatio est vita hominis super terram?*

Prosper. 450.

De Promissionibus & prædictionibus Dei partis 1. cap. 22. Ex semine Esau Idumæa gens, in qua inter cæteros duces Iob ille fortissimus athleta Dei enituit, in exemplum omnis patientiæ productus, vt agonistico certamine principem totius militiæ diabolum superaret, fultus auxilio Dei. Vir namque cùm esset iustus, ac sine querela Deo, eumque in confusione diaboli qualis esset, Deus ostendere dignaretur:
Iob 1. *Animaduertisti,* inquit Deus diabolo, *ad puerum meum Iob? Non enim est illi similis quisquam in terris.*

Gelasius Papa. 490.

In Decretis suis, enumerans sacræ Scripturæ librorum ordinem: Item, *inquit,* ordo historiarum: Iob liber vnus, Tobiæ liber, Esdræ liber vnus, &c.

Alcimus Auitus. 500.

Libro ad Sororem in Catalogo diuinarũ Scripturarum:

Et quæ tam miserè afflicti patientia Iobi.

Cassiodorus. 540.

Institutionum diuinarum lectionum lib. 1. cap. 6. Sequitur Hagiographorum codex sextus, habens libros octo, qui in capite sui cõtinet Iob prȩclarum patientiæ glorioſumq; documentũ, quem labore B. Hieronymi Latina lingua, sicut & alia, multacautissimè translatum, expositumque promeruit: cuius explanationibus actum est, vt, sicut Dominus de ipso testari dignatus est, inculpabiliter cũcta locutus fuisse doceatur. Quanta enim liber ille continet suauia sacramenta verborum?

Iustus Orgelitanus. 540.

In Canticanum. 107. Tactus iste aduenientis plagæ
Iob 1. intelligitur cruciatus, secundùm illud in Iob, dicente Sataná ad Dominum: *Alioqui tange ossa & carnem eius, nisi in faciem benedixerit tibi.*

Gregorius Turonensis. 580.

Historiæ Francorum lib. 1. cap. 8. Esau est pater Idumæorũ, de cuius generatione quarta natus est Iobab. Hoc est Esau, Raguel, Zara, Iobab, quę & Iob. Is vixit annos 249. octogesimo nono anno ab infirmitate liberatus est: post infirmitatem autem, 170. annis restituta omni in duplũ facultate, cum tot, quot perdiderat, filijs iucundatus est.

Gregorius Magnus. 590.

Præfatione in expositionẽ B. Iob cap. 1. Quis hæc scripserit valdè superuacuè quæritur, cùm tamen auctor libri Spiritus sanctus fideliter credatur. Ipse igitur hæc scripsit, qui hęc scribenda dictauit. Ipse scripsit, qui & illius operis inspirator extitit, & per scribentis vocem imitanda ad nos eius facta transmisit. Cùm ergo rem cognoscimus, eiusque rei Spiritum sanctum autorẽ tenemus, quia scriptorem quærimus, quid aliud agimus, nisi legentes literas, de calamo perscrutamur? Arbitrari tamen verius possumus, quòd idem B. Iob, qui certamina spiritualis pugnæ sustinuit, etiam consummatæ suæ historiæ gesta narrauit, &c. Vnde & B. Iob S. Spiritu afflatus potuit sua gesta, quæ erant videlicet supernæ aspirationis dona, quasi non sua scribere: quia eò alterius erant quæ loquebatur, quòd homo loquebatur quę Dei sunt: & eò alter quæ erant alterius loquebatur, quòd Spiritus S. loquebatur quę hominis sunt.

Isidorus Hispalensis. 620.

Libro 6. Originum cap. 2. Librum Iob quidam Mosen scripsisse arbitrantur: alij vnum ex Prophetis: nonnulli verò eundem Iob post plagam suæ passionis scriptorem fuisse existimant, arbitrantes, vt qui certamina spiritualis pugnæ sustinuit, ipse narraret quas victorias expediuit.

De vita & morte Sanctorum cap. 24. Iob filius Zaræ de Bosra Rex Idumęorum quartus post Esau, successor Balæ filij Beor, homo gentilis, fide stabilis, humilitate summus, hospitalitate præcipuus, in disciplina mansuetus, in eleemosynis largus, diues in censu, extemplò factus egenus: locuples in liberis, repente orbatus: tentationi traditus, sed contra tentationem fidem religionis amans, &c. vixit post plagam 170. annis, & fuerũt omnes dies vitæ eius 248. anni.

Beda. 700.

Ad cap. 5. Iacobi: Quod impietatis vitium beatus Iob multum se cauere insinuat, cùm ait:
Iob 5. *Si aduersum me terra mea clamat, & cum ipsa sulci eius deflent, si fructus eius comedi absque pecunia, & animam agricolarum eius afflixi pro frumento, oriatur mihi tribulus, & pro hordeo spina.*

Alcuinus. 760.

Ad caput 5. Ioannis: *Ecce sanus factus es.*) Sæpe homo vt probetur tribulatur, sicuti Beati Iob patientia tribulata & probata est, &c. sed discamus flagellis pijssimi Redemptoris nostri humiliter substerni, arbitrãtes nos minus pati quàm meremur, semper illius sententiæ memores:
Iob 5. *Quia beatus homo, qui corripitur à Domino.*

Ambrosius Ansbertus. 770.

Libro 1. in Apocalypsin: Hinc est, quòd iustum Iob, ore Domini vltra omnes homines laudatum, sic ad tentandum accepit, non vt eum superaret, sed vt transactas eius virtutes nesciens custodiret, & merita potiora post flagella augeret.

Haymo. 820.

Dominica 5. post Pascha: Quis diabolum auctorem malitiæ esse neget, maximè cùm per B. Iob de eo dicatur:
Iob 42. *Omne sublime videt, & ipse rex super omnes filios superbiæ?*

Dominica 18. post Pentecosten: Nonnulli hîc exaltantur, & in futuro humiliantur, quales sunt superbi diuites, qui, iuxta Scripturę vocem,
Iob 21. *ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad infernum descendunt.*

Rabanus Maurus. 840.

De institutione Cleri i lib. 2. cap. 53. De Canone sacrarum Scripturarum: Post hæc versuum libri octo habentur, qui diuerso apud Hebræos metro scribũtur, id est, Iob liber, & liber Psalmorum, & Prouerbiorum, & Ecclesiastes, & Cantica Canticorum.

De Vniuerso lib. 1. cap. 2. Iob in factis & dictis suis exprimit personã Redemptoris, de quo scriptum est: *Ipse dolores nostros tulit, & agrotationes portauit.*

Theodulphus Aurelianensis. 850.

In versibus, quos in fronte Bibliorum describi fecit:

Iob quoque verba tenens cum gestis inde, libellus
Hic paruus, quamuis pondera magna vehit.

Paschasius Ratbertus. 880.

Lib. 2. in Lamentationes Hieremiæ: Hostis callidus, quoties flagella ingerit, Deum mox blasphemare persuadet. Quod bene Iob intelligens, quando mulier ei persuasit:
Iob 2. *Benedic Deum, & morere:* respõdit, & saniora consilij verba non tacuit: *Dominus,* inquit, *dedit, Dominus abstulit:*
Iob 1. *sicut Domino placuit, ita factum est.*

Bridefertus Ramesiensis. 980.

Ad cap. 4. Beda de temporum ratione: Iob filius Tharæ de Bosra, rex Idumæorum, quartus post Esau, successor Balæ filij Beor, homo gentilis, fide stabilis, humilitate summus, hospitalite præcipuus, in disciplina mansuetus, in eleemosynis largus: diues in censu, extemplò factus egenus: locuples in liberis, repente orbatus: tentationi traditus, sed contra tentationem fide religionis armatur: fit glorioſus in certamine, æquanimis in dolore: damna rerum pertulit, funera pignorum doluit, corporisque vulnera patienter excepit, & inter supplicia Deum semper glorificauit: mala suadentem insuper patienter sustinuit coniugem, verba amicorum superauit: pro tanta virtute patientiæ duplici in finem remuneratione subleuatur, recipiẽs post rerum casum multiplicem claritatem donorum.

Petrus Damianus. 1050.

Tractatu de ordine Eremitarum, & facultatibus eremi fontis Auellani: Vnde non immeritò scrutator ille

diuinæ patientię B. Iob dicit: *Qui facit magna & incomprehensibilia, quorum non est numerus.*

Iob 9.

Hildebertus Cenomanensis. 1100.

Epist. 31. Hos quoque quatuor angulos ita B. Iob domus habuit, in qua ventus irruens septem conuiuantes filios oppressit.

Iob 1.

Rupertus Tuitiensis. 1120.

De diuinis officijs lib. 8. cap. 8. B. Iob cùm de scientia, quâ habuerat priusquâ sibi Dominus de turbine loqueretur, dixisset: *Auditu auris audiui te:* & de augmento eiusdem scientię, quod accepit ex collocutione Dei subiunxisset: *Nunc autem oculus meus videt te,* statim multiplicem scientiâ causam esse ostendens effectiuam luctusqúe & pœnitentiæ, *Id circo,* inquit, *me ipse reprehendo, & ago pœnitentiâ in fauilla & cinere.*

Iob 42.

Libro 2. de meditatione mortis: Homo suauiter viuens diei suę benedicit, diem natiuitatis suæ benedici vult, adeò vt etiam festis illum ausus sit celebrare conuiuijs, sicut Herodes in Euangelio, & sicut longè antiquior Pharao circa tępus, quibus extitisse constat beatum Iob. Fuit contemporaneus Ioseph. Etenim vxorem illius tradit Philo fuisse Dinam filiam Iacob: contra præsumptiones hominum eiusmodi, qui taliter benedixerunt diem suę natiuitatis, rectè iste beatus & sapiens vir aperiens os suum, diei suæ maledixit, celeremqúe finem imprecatus est miserrimę conditioni, dicendo: *Pereat dies, in quo natus sum: in quo dictum est, conceptus est homo.*

Iob 3.

Bernardus. 1130.

Sermone 34. super Cant. Cantic. Nonne Deus seruum suum Iob, cùm post insignem triumphum, tantam & tam probatam ipsius patientiam larga remunerandam benedictione censeret, prius in multis & districtis percunctationibus humiliare curauit, & sic parare vitam benedictioni?

Petrus Cluniacensis. 1150.

Lib. 2. contra Iudæos cap. 5. Nonne Iob, qui de Canone tuo est, Deo loquitur, dicens: *Licet hæc cæles in corde tuo, tamen scio quia vniuersorum memineris?*

Iob 10.

Guarricus Igniacensis. 1170.

Sermone in Purificatione S. Mariæ: Huius lucernæ videtur Iob recordare, cùm in mœrore tentationis recolens cum suspirio lætitiam præteritæ consolationis ait: *Quis mihi tribuat, vt sim iuxta menses pristinos, secundum dies, quibus Dominus custodiebat me?*

Iob 29.

Innocentius Tertius. 1200.

De contemptu mundi lib. 2. cap. 15. Abraham diues fuit, & Iob locuples, Dauid opulentus: & tamen de Abraham inquit Scriptura: *Quia credidit Deo, & reputatum est illi ad iustitiam.* Et de Iob: *Quia non erat ei similis in terra, vir simplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo.* De Dauid autem: *Quia Dominus inuenit virum secundùm cor suum.*

Gen. 15. Iob 1. 1. Reg. 16.

Iacobus Vitriacus. 1220.

Historiæ Occidentalium cap. 34. Vnde Dominus in Iob loquens de Behemoth, sic ait: *Non parcam eis verbis potentibus, & ad deprecandum compositis.*

Iob 41.

Thomas Cantipratensis. 1260.

Libro 1. Miraculorum cap. 25. Quis homo tam crudeliter inhumanus Dei Filium, hominem inter homines, & propter homines factum, & sui causa peremptum, in Scripturis sanctis, veluti in lucidissimo speculo, prospiciens, non horresçat, & totis viribus compassus occiso, non commoriatur mortuo, vel irremedialibus lachrymis eum quotidie non lamentetur? Vnde Iob: *Visitans,* inquit, *speciem tuam non peccabis.*

Iob 5.

Alphonsus Tostatus Abulensis. 1430.

Ad caput 22. Genesis: Iob videtur fuisse de genere Esau, qui vocatur Iobab, & fuit secundus Rex in gente Idumæorum. Et hoc persuadetur ex multis: primò, quia Iob erat vir diues, & potens inter omnes Orientales, vt patet Iob 1. Hoc autem valdè conuenit ei ponendo eum regem, & potentem in genere Esau. Sed non tantum conuenit, si poneretur de genere Nachor, quia illi homines minoris conditionis erant. Item quia dicitur Iob 29. *Procedebam ad portam ciuitatis, & in platea parabant cathedram mihi:* & deinde subdit multa, quomodo principes audientes eum non audebant loqui, & post concludit: *Sedebam quasi Rex circumstante exercitu: eram tamen mœrentium consolator:* hæc aũt omnia nõ possunt conuenire nisi Regi, vel alicui valde magno viro, qui esset princeps super principes, cuiusmodi esset Iob, ponẽdo eũ de stirpe Esau. Itẽ patet hoc ex amicis eius. Habuit enim tres amicos, scilicet Balda Subitem, Elipha Themanitem, Sophar Naamazitem, vt patet Iob 3. Isti amici denominãtur à tribus ciuitatibus, quæ sunt in Idumæa, quæ vocata est ab Esau, vel Edom, in qua posteritas eius habitauit. De situ autem istarum trium ciuitatum in Idumæa habetur in libro de diuisione terræ sanctę. Item quia Iob 1. dicitur: *Vir fuit in terra Hus.* Est autẽ in Idumæa quædam pars terræ, quæ vocatur Hus, vt patet in libro diuisionis terræ sanctæ. De vna ciuitate istarum, scilicet de Theman, quòd sit in terra Idumęæ, patet Amos 1. vbi comminatur Deus, dicens: *Super tria scelera Edom,* id est, Idumææ, & deinde subiungitur: *Mittam ignem in Themam, & deuorabit ædes Bosræ.* Et illud satis consonat illi, quod dicitur 36. cap. scilicet, quòd Iobab fuit Rex Bosræ. Item vltimò, quia sepulchrum B. Iob adhuc vsq; hodie apud Iordanẽ fluuium in magna planitie in cõfinibus Palęstinæ & Idumææ iacet, & in magno honore à gentibus illis tenetur. Si autem Iob fuisse de stirpe Nachor, oportuisset omnia hæc fuisse in Mesopotamia, quia ibi habitauit Nachor, vt patet Genesis 24.

Iob 29.

ARTICVLVS SEPTIMVS.

ECCLESIASTEN SALOMONIS, VT CANONICVM LIBRVM VALERE AD ECCLESIASTICA DOGMATA CONFIRMANDA.

NEGANT.

Anno post natũ Christũ

350. SVNT *quidam hæretici, qui de veteri Testamento Ecclesiasten Salomonis reprobant.* Philastrius hæresi 83.

400. *Aiunt Hebræi, cùm inter cætera scripta Salomonis, quæ antiquata sunt, nec in memoriam duraverunt, & hic liber obliterandus videretur, eò quòd vanas assereret Dei creaturas, & totum putaret esse pro nihilo, & cibum, & potum, & delicias transeuntes præferret omnibus, ex vltimo capite meruisse authoritatem, vt in diuinorum voluminum numero poneretur.* Hieronymus ad caput vltimum Ecclesiastis.

500. *Innominati quidam hæretici dixerunt, Salomonem non solùm in compositione præsentis libri, sed omnium quoque librorum suorum caruisse Spiritus sancti illustratione: quia cor eius in senectute deprauatum à mulieribus fuerit, & ad artes magicas, & ad idola conuersum: quod profectò nunquam admisisset, si Spiritus sanctus aliquando in illo habitasset.* Iacobus Christopolitanus in præfatione Commentariorũ in Cantica.

600. *Iudæorum quidam asseuerant Salomonem hunc librum edidisse ad confutationem antiquæ idololatriæ, cuius radix & causa fuit mundi æternitas: qui cùm eo tempore, quo hæc scribebat, mulieres idololatras adamaret, nec ausus fuit apertè de mundi vanitate, eiusq; ortu & interitu scribere, ne illarum errorem ab ipsa radice conuellens, aut illas, aut illarum gentes offenderet: vnde veluti iis placere studens, affirmauit interdum omnia ab æterno fuisse, cùm diceret:* Nihil sub sole nouum: *addens multa his similia in gratiam mulierum, quas amabat.* Hugo Carensis præfatione in Ecclesiasten.

1520. *Martinus Lutherus Ecclesiasten cùm perlegisset, dicebat: Hic liber non est perfectus: multa abrepta sunt: neque ocreis, neque calcaribus indutus est, hoc est: nullam habet perfectam sententiam, equitat in arundine longo, sicut ego dum essem monachus in monasterio.* Henricus Petrus Rebenstock libro 2. Colloquiorum Latinorum Lutheri, capite de veteri Testamento.

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Melito Sardensis. 160.

Epistola ad Onesimum, *recensens sacræ Scripturæ libros, inter eos Ecclesiasten Salomonis numerat.*

Clemens Alexandrinus. 200.

Libro 5. Stromaton: Iam verò hinc Epicuri quidem mentem subijt casus, cùm hoc dictum non intellexisset *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.*

Eccl. 1.

Origenes. 230.

Homil. 1. in Psal. 38. Quia autem de hac vita accipiatur ista sententia, audi Ecclesiasten protestantem, ac dicentem: *Laudaui omnes, qui mortui sunt, super omnes, qui viuunt, quicunque ipsi viuunt vsque modò, & bonus super istos duos, quinondum natus est.* Laudat ergo mortuos plus quàm viuos.

Gregorius Neocæsareensis. 260.

Ad caput 1. Ecclesiastis: His verbis Salomon Dauidis regis & Prophetæ filius, rex mortaliũ omnium clarissimus, & Propheta sapientissimus, vniuersam Dei Ecclesiam affatur, quàm vana & inutilia sunt omnia ea hominum negotia & studia, quæ in humanis rebus suscipiuntur.

Athanasius. 340.

In Synopsi diuinæ Scripturæ cap. 15. Ecclesiastes: Et hũc librum scripsit Salomon. Dicitur autem Ecclesiastes, quoniam ita hunc nominauit auctor ipse qui scripsit, in principio ipsius dicens: *Verba Ecclesiastæ filij Dauidis regis Israel in Ierusalem: Vanitas vanitatum dixit Ecclesiastes.* Varijs, verò nominibus vocatus est Salomon: Sapiens, propterea quòd sapientię particeps factus est: Prudens, eò quòd veritatis in ipso fuit prudentia: Doctus, quoniam veram à Domino doctrinam habuit: Ecclesiastes verò vocatus est, quia ad populum ipse concionatus est, & quę Spiritus sunt locutus. Videtur autem in hoc libro de naturali Theoria philosophari: quoniam enim Ægyptij de illa suas iam habebant imaginationes, & Græci hisce de rebus fabulaturi erant, ob eam causam ipse impulsu Spiritus S. eos, qui de his rebus inquirere conabantur, compescit, dicens: *Non poterit homo inuenire opus, quod sub sole factum est: quantumuis quærendo fatigetur, non inueniet.* Deijcit etiam Ægyptiorum religionem circa diuinationem ex hominis natiuitate, dicens: *Qui obseruat ventum, non seret; & qui aspicit ad nubes, non metet: in quibus agnosci non potest, quæ sit via spiritus. Sicut ossa in ventre vterum gestantis, ita non cognoscet opera Dei, qui facit vniuersa.* Deinde & de singulorum theoria tractans, consentit, quòd de talibus vanè quæratur, & quòd eiusmodi nihil pariant aliud quàm laborem.

Basilius Magnus. 370.

Homil. 12. in principium Prouerbiorum: Tres omnino sacros à Salomone tractatus nouimus exijsse. Hūc imprimis Prouerbiorum, & Ecclesiasten, & Cantica Canticorum. Quolibet autem propriam retinente materiam, cuncti ad hominū scripti sunt vtilitatem. Ecclesiastes Physiologiam attingit, nobisque in hac vita vanitatem palam ostendit, vt in ijs, quæ citò prætereunt, minimè sit homini inuigilandum, neque item animi curas in vanis rebus collocandum.

Gregorius Nazianzenus. 380.

In Carminibus de veris & germanis Scripturę libris:

Quinque metris constant: Iob, Dauid, tres Salomonis: Concio, & insignes Cantus, Prouerbia sacra.

Gregorius Nyssenus. 380.

Commentario in Ecclesiasten Salomonis: Nobis exponendus propositus est Ecclesiastes, qui magnitudini vtilitatis habet parem laborem contemplationis. Nam cùm sensa Prouerbiorū iam mentem prius exercuerint, quorum obscuræ sunt rationes, & dicta sapiētia, & ænigmata, & varij verborum flexus, sicut libri illius continet proœmium, tunc ijs, vt quibus ad perfectiores disciplinas facta fuerit accessio, ad hanc Scripturam, quæ verè est excelsa, & diuinitus inspirata, existit ascensus. Si ergo Prouerbiorum, & quæ nos ad has disciplinas præparat meditatio, est adeò laboriosa, & contemplatu difficilis, quātum inspiciendum est inesse laborem in his sublimibus sensis, quæ nunc contemplanda nobis sunt proposita.

Ioannes Chrysostomus. 400.

Homilia 2. de eo quod dixit Esaias: *Factum est anno, quo mortuus est Ozias rex, vidi Dominum,* &c. Atque hæc tempora nouit Salomon, dicens: *Tempus tacendi, & tempus loquendi.* Sit igitur nobis tempus tacendi, quo detur & præceptori tempus loquendi. Eccl.3.

Theophilus Alexandrinus. 400.

Epist. 3. Paschali: Quod puto Ecclesiasten, ne de alienis nostra fontibus hauriamus, in volumine suo dicere: *Gyrans gyrando vadit spiritus, & in circulos suos reuertitur spiritus, annuum solis cursum significantem, eadem temporum rota in semet reuertitur, rediens ad ea vnde profectus fuerit.*

Ioannes Cassianus. 430.

Monasticarum institutionum libro 3. cap. 9. Absolutio ieiunij post vigiliarum laborem totidem Apostolicis viris in die Sabbati statuta non immeritò præsumitur per vniuersas Orientis Ecclesias, secundùm illam quoque Ecclesiastis sententiam, quæ licet habeat & alium mysticū sensum, tamen ab hoc quoque non abhorret, quo vtrique diei, id est hebdomadi pariter & ogdoadi eandem partem solennitatis impartire præcipimur, ita dicentis: *Da partem his septem, & quidem his octo.* Eccl. 11.

Theodoretus. 450.

Præfatione in Canticum Canticorum: Illud etiam prætari necessarium est, tria esse Salomonis volumina, Prouerbia, Ecclesiasten, & Canticum Canticorum. Ac Prouerbia quidem vtilē de moribus disciplinam complecti: Ecclesiasten autem eorum, quæ sensibus percipiuntur, naturam indicare, vitęq; præsentis docere vanitatem, vt ea fluxa & fragilia cognoscentes, tanquam fugacia ac prętereuntia spernamus, & quæ futura sunt, vt firma atq; æterna permanentia concupiscamus, &c.

Olympiodorus. 500.

In Ecclesiasten Salomonis, in Præfatione: Rerum certam cognitionem cùm à Deo Salomon accepisset, qui fuit filius Dauid, non solùm carnis progenie, sed imitatione virtutis, triplici ipsas diuisione partitus est, in morales scilicet, & naturales, ac eas quæ intellectu solo percipiuntur. Ac morales quidem tradidit in Prouerbijs: naturales autem in Ecclesiastæ sententijs: intelligibiles verò in Cāticis Canticorū. Est tamen inuenire & in Ecclesiaste moralium interspersam doctrinam, & rerum naturalium &c. Sed & in Ecclesiaste, & in Prouerbijs est item inuenire, quę intellectualia sunt. Se verò ipsum Ecclesiastem, hoc est Concionatorem Salomon nominauit, tanquam cūctos mortales in Ecclesiæ cœtum vocans, & in concordiam nectens, ac in communi Physicarum rerum speculationem tradens. Illud quoque sciendum est, sapientem hunc nostrum Ecclesiastem modò è sua ipsius loqui persona, modò eius personam gerere, qui ea, quę in mūdo sunt, attonitus admiretur.

Anastasius Synaites. 580.

Commentario in Hexameron lib. 4. Hic est sol, de quo etiam dicit propheticè Salomon: *Oritur sol,* Eccl.1. *hoc est, tendit ad inferos, & rursus venit in locum suum.* Christus enim cùm inferos subijsset, & resurrexisset, redijt ad Patrem.

Isychius. 590.

Lib. 6. in Leuiticum: Et Salomon ait: *Omnis rei tempus: tempus tacendi, & tempus loquendi: tempus belli, & tempus pacis.* Eccl.3.

Antiochus. 600.

Homil. 91. Quòd autem cæteris in rebus spectari debeat, & obseruari temporis commoditas, per Ecclesiasten erudimur: Ait enim: *Omnibus suum* Eccl.3. *est tempus, & tempus omni rei. Tempus tacendi, & tempus loquendi.*

Leontius. 610.

De Sectis actione *2. enumerans Sacræ Scripturæ libros Canonicos, inter eos Ecclesiasten Salomonis recenset.*

Ioannes Damascenus. 730.

Orthodoxæ fidei lib. 4. cap. 18. Tertius librorum sacrorum quinquernio versibus constat: nempe Iob, Psalterium, Prouerbia Salomonis, eiusdem Ecclesiastes, & Canticum Canticorum.

Theophylactus. 900.

Ad cap. 6. Marci: Duos igitur mittit: *Meliores enim sunt duo, quàm vnus,* dicit Ecclesiastes. Eccl.4.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Tertullianus. 200.

Lib. de velandis virginibus cap. 1. Nihil sine ætate est, omnia tempus expectant: denique Ecclesiastes: *Tempus,* inquit, *omni rei.* Eccl.3.

Cyprianus. 250.

Lib. 2. Testimoniorum ad Quirinū cap. 11. De hoc ipso apud Salomonem: *Vidi vniuersa opera, quæ facta sunt sub sole, & ecce omnia vanitas.* Eccl.1.

Cap. 30. Quod quis vouerit citò reddendū: apud Salomonem: *Prout voueris votum Deo, ne moram fece-* Eccl.5. *ris reddere illud.*

Hilarius. 350.

Ad Psal. 119. *Melius est,* inquit Paulus, *dissolui, & esse cum Christo.* Et Ecclesiastes ait: *Et laudaui omnes, qui* Phil.2. *mortui sunt, super omnes, qui viuunt vsque nunc,* libera Eccl.4. scilicet per dissolutionem corporis anima, onere atque consortio, atque etiam infirmis huius atque periculosæ carnis exuta.

Ambrosius. 370.

Proœmio Cōment. in Lucā: Quid tres libri Salomonis,

nis, vnus de Prouerbijs, alius Ecclesiastes, tertius de Canticis Canticorum, nisi trinæ huius (*naturalis, moralis, rationalis,*) ostendunt nobis sapientiæ S. Salomonem fuisse solertē? Qui de rationalibus, & Ethicis in Prouerbijs scripsit: de naturalibus in Eccl. 1. Ecclesiaste: *quia vanitas vanitatum, & omnia vanitas,* quæ in hoc mundo sunt constituta.

Philastrius. 380.

Lib. de hæresibus cap. 83. Sunt hæretici, qui de veteri Testamento multa reprobant, id est, Salomonis Ecclesiasten, paucis quidem conscriptum sententijs, omnem tamen thesaurum cęlestis scientiæ quærentibus continentem. Nam quòd omnibus sapientior prioribus sit, ipse Saluator testatus est.

Hieronymus. 390.

Ad cap. 1. Ecclesiastis: Salomon tria volumina edidit; Prouerbia, Ecclesiasten, & Canticum Canticorum. In Prouerbijs paruulum docens, & quasi de officijs per sententias erudiens: in Ecclesiaste verò maturæ ætatis virum instituens, ne quidquā in mundi rebus putet esse perpetuum, sed caduca & breuia vniuersa, quæ cernimus, &c. Malè igitur quidam opinantur, nos ex hoc libro ad voluptatem & luxuriam prouocari: cùm è contrario omnia, quę in mundo cernimus, esse vana doceantur: nec debere ea nos studiosè appetere, quę dum tenentur, intereant.

Lib. 1. aduersus Pelagianos cap. 10. Et Ecclesiastes, de quo certè libro nulla est ambiguitas: *Dixi,* inquit, *sapiens efficiar, & ipsa longè facta est à me:* profunda profunditas, quis eam inueniet? Eccl.7.

Augustinus. 400.

De Ciuitate Dei lib. 20. c. 3. Nempe Salomon sapiētissimus Rex Israel, qui regnauit in Hierusalem, librum, qui vocatur Ecclesiastes, & à Iudæis quoq; habetur in sacrarum Canone literarū, sic exorsus Eccl.1. est: *Vanitas vanitatum, dixit Ecclesiastes, vanitas vanitatum, & omnia vanitas. Quæ homini abundantia in omni labore suo, quo laborat sub sole?* Et cùm ex hac sententia connecteret cætera, commemorans grumnas, errores q; vitæ huius, & euanescentes interea tēporum lapsus, vbi nihil solidum, nihil stabile retinetur: in ea rerum vanitate sub sole illud etiā deplorat quodāmodo, quòd cùm sit abundantia sapientiæ super insipientiam, sicut est abundantia Eccl.2. lucis super tenebras, sapientis q; oculi sint in capite ipsius, & stultus in tenebris ambulet: vnus tamen incursus incurrat omnibus vtique in hac vita, quę sub sole agitur: significans videlicet ea mala, quæ bonis & malis videmus esse communia.

Prosper Aquitanicus. 450.

De Vocatione Gentium lib. 1. c. 24. Item in eodē (*Ecclesiaste*) libro legitur, quòd *corda & opera iustorum in manu sunt Dei,* & tantum in studijs suis proficiant, quantum ille donauerit. Quantumcunq; laborauerit homo vt quærat, nō inueniet; & quodcunq; dixerit sapiens, vt sciat, non poterit inuenire: quia vniuersum hoc dedi in cor meum, & cor meum vniuersum hoc vidit, quia *& iusti & sapientes, & operationes eorum in manu Dei.* Eccl.5. Eccl.9.

Salonius. 480.

Dialogo in Ecclesiasten Salom. *Veranius:* Quot libros edidit Salomon? *Salonius:* Tres tantū, iuxta numerum vocabulorū suorū: Prouerbia, Ecclesiasten, & Cantica Canticorum. *Veran.* Quid agit Salomon in Prouerbijs, aut quid docet in Ecclesiaste, vel Cantico Canticorum? *Salonius:* In Prouerbijs docet paruulū, & per varias sententias instruit quasi filium. In Ecclesiaste verò iam perfectæ ætatis virum imbuit, vt intelligat quia in huius mundi rebus nihil est perpetuum, nihil gratiosum, aut magnum: sed omnia sunt breuia, caduca, & vana, quæ cernimus.

Aurelius Cassiodorus. 540.

Diuinar. lect. lib. 1. c. 5. Secundus liber Salomonis, qui appellatur Ecclesiastes, à B. Hieronymo potēter expositus est, quem Latino sermone nūcupat Concionatorem, quòd loquatur ad populum, & sermo eius non specialiter ad vnum, sed ad vniuersos generaliter dirigatur. Ecclesiastes autem noster est Dominus Christus, qui medio pariete destructo, inimicitias carnis euacuās, fecit vtraq; vnū: hic super omnia sequenda dicit iussa diuina: cuncta mundi istius *vanitatem vanitatum* esse commemorans.

Gregorius Magnus. 590.

Tertia par. Curæ pastoralis, admonitione 16. Bene hinc per eūdem Salomonem rursum dicitur: *Qui obser-* Eccl.11. *uat ventum, non seminat: & qui considerat nubes, nunquā metit.* Quid enim per *ventum,* nisi malignorū spirituum tentatio exprimitur? Et quid per *nubes,* quæ mouentur à vento, nisi aduersitates prauorum hominum designantur?

Isidorus Hispalensis. 620.

Lib. 6. Originum cap. 2. Salomon filius Dauid Regis tria edidit volumina; quorum primū est Misle, id est, Prouerbia; secundū Ecclesiastes, Latinè Concionator, eò quòd sermo eius non specialiter ad vnum, sicut in Prouerbijs, sed ad vniuersos generaliter dirigatur: docens omnia, quę in mundo cernimus, caduca esse & breuia, & ob hoc minimè appetenda.

Aponius. 700.

Ad cap. 1. Canticorum: De qua dixit idem Salomō: *Omnia scrutauit cor meum, & hoc vnum agnoui, quòd* Eccl.7. *fecit Deus hominem rectum, & ipsi sibi exquisierunt adinuentiones multas.*

Alcuinus. 750.

In Præfatione Commentariorum in Ecclesiasten: De diuitiarum vana possessione in huius seculi delicijs penè sapientissimus Salomon totum composuit librum, cui titulus est Ecclesiastes, dicens in capite libri: *Vanitas vanitatum, dixit Ecclesiastes, &* Eccl.1. *omnia vanitas.* Si omnia vanitas, quæ vtilitas est diuitias retinere caducas? In quem librum ex sanctorū opusculis Patrum, ac maximè de beati Hieronymi commentario, paruum composui breuiarium vestri causa, filij charissimi, quatenus paterna solicitudine admonerem vos, ne nimio amore studeatis caducis inhiare diuitijs.

Ad cap. 1. Hic liber Concionator dicitur, quia Salomon in eo quasi tumultuantis turbæ suscepit sensum, vt ea per inquisitionem dicat, quæ fortasse per tētationem imperita mens sentiat. Nā quot sententias per inquisitionem mouet, quasi tot in se personas diuersorum susc ipit. Sed concionator verax, velut extensa manu, omnium tumultus sedat, eos q; ad vnam sententiā reuocat, cùm in eiusdem libri termino ait: *Finem loquendi omnes pariter audiamus: Dominum time, & eius mandata obserua.*

Ambrosius Ansbertus. 770.

Lib. 4. in Apocal. Et quam aliam habet tribulationem, nisi illam, quam nemo nostrum nouit, si ad Sanctorum consortiū pertingat, Salomone attestante, qui ait: *Nescit homo, vtrum amore an odio dignus* Eccl. 9. *sit, sed omnia reseruantur in futurum incerta.*

Haymo. 820.

Lib. 1. in Esaiā: Quòd ædificatio & agricultura referantur ad intelligentiam spiritualē, etiā alio loco Paulus Apostolus docet, fundatos & radicatos Ephes.3. in charitate credentes esse contestans. Vnde & Ecclesiastes non solùm sibi ædificauit domos, sed & Eccl.2. plantauit vineas, & fecit hortos & pomeria, & instituit omnes arbores pomiferas, extruxit q; piscinas, vt irrigaret saltum.

Angelomus. 830.

In Stromatis in Canticū Cantic. Salomō in Eccleſiaſte maturę ętatis virum inſtruit, vt nequaquā in mundi rebus credat aliquid eſſe perpetuū, ſed caduca & breuia vniuerſa quæ cernimus, &c. In Eccleſiaſte naturalis vita exprimitur. Ibi quippe quòd omnia ad finem tendant, conſiderantur, dū dicitur: *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* Eccl.1.

Theodulphus Aurelianenſis. 850.

In Verſibus, quos in fronte Bibliorum deſcribi fecit:

Protinus Idiotæ reſident tres ordine libri,
Cui nomen Salomon, ſiue Cohelet ineſt.
Alloquitur primùm ſub prolis nomine cunctos,
Corrigit & mores, ethica, lege tua.
Omnia vana canit rutilo ſub ſole ſecundus,
Cui res eſt phyſicas enumerare labor, &c.

Guitmundus Auerſanus. 1060.

De veritate Euchariſtiæ lib.1. Cùm verò ſapientiſſimus Salomon cunctas res eſſe difficiles dixerit, ita vt eas explicare non poſſit, nonne inſanienti quàm ſimillimus eſt, qui hæc diuina arcana diſcutere ad oculum violenter quærit? Eccl.1.

Hildebertus Cenomanenſis. 1100.

Epiſt.31. Si gloriari oportet, gloriare & exulta in Spiritu ſancto. Hic eſt ille funiculus, de quo Sapientia ait: *Funiculus triplex non citò rumpitur.* Quid enim certius quā ſperare in Deo, qui fecit, & formauit te? Eccl.4.

Hugo Etherianus. 1160.

De regreſſu animarum ab inferis c.4. Cauendum eſt profectò cuiq; ne illi literæ adhæreat: *Omnia vadūt in vnum locum: Omnia facta ſunt de humo, & omnia reuertuntur ad humum. Et quis ſcit ſi ſpiritus filiorum hominum aſcendat ſurſum, & ſpiritus pecoris ſi deſcendat ipſe deorſum in terram.* Eccl.3.

Ioannes Saresberienſis. 1160.

Lib.2.Polyc.cap.22. Huic veritati conſonat, quod in Eccleſiaſte ſanctus Salomon in auditu fidelium concionatur: *Eſt homo, qui diebus & noctibus non capit oculis ſomnum, & intellexi quod omnium operum Dei nullā inuenire poſſit homo rationem eorum, quæ ſunt ſub ſole.*

Iacobus Vitriacus. 1220.

Dominica 3. Aduentus: In omnibus modum teneamus, ne quid nimis: qui enim nimium emungit, ſanguinem elicit. Propterea Salomon ait: *Noli eſſe nimis iuſtus.* Quaſi dicat: *Si rectè offeras, & non rectè diuidas, peccaſti.* Prou.10. Eccl.7.

ARTICVLVS OCTAVVS.

CANTICVM CANTICORVM SALOMONIS VT LIBRVM SACRVM CANONICVM ET AVTHENTICVM VALERE AD ECCLESIAE DOGMATA CONFIRMANDA.

NEGANT.

Anno poſt natū Chriſtū 380. EST hæreſis quædam, quæ dē Cantico Canticorum ambigit, ipſa itidem exiſtimans, non ſpiritu diuino, ſed humanarum rerum cauſa ac voluptatum hominibus ab eodem prædicata. Philaſtrius de hæreſibus cap.84.

400. *Plerique ex iis, qui Canticum Canticorum calumniantur, ac ſpiritalem eſſe librum negant, fabulas quaſdam, ne aniculis quidem delirantibus dignas, contexunt: alij nimirū quòd ſapiens Salomon de ſeipſo, deq; Pharaonis filia præſcripſerit: nonnulli autem eidem affines ſtultitiæ, pro Pharaonis filia ſponſam eſſe Abiſai Sunamitidem confinxerunt.* Theodoretus Præfatione in Cantica Canticorum.

1520. *Martinus Lutherus,* in Exordio ſuarum Annotationum in Cantica, *vult libellum hunc nihil aliud eſſe, quàm familiare colloquium inter Salomonem & Rempub. Iudæorum, inuitantem Salomonem dilectum ſuum ad regnandum ſuper eam.*

1550. *Sebaſtianus Caſtalio,* in ſuorum Bibliorum ttanslatione Latina, *cum Anabaptiſtis ſentit, Canticum iſtud eſſe colloquium Salomonis cum amica quadam Sulamitha, & de ea dici:* Reuertere Sulamitha, reuertere, & intueamur te. *Ideo ad marginem adijcit:* Sulamitha amica Salomonis, & ſponſa. *Hinc poſtea,* vt teſtatur Beza in vita Caluini, *Canticum Salomonis tamquam impuram & obſcœnam cātionem ex Canone expungi iuſſit, & repugnantes miniſtros atrocissimis conuitijs proſcidit.*

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Clemens Romanus. 80.

Can. Apoſt. 85. *enumerans ſacræ Scripturæ libros ait:* Salomonis tres: Prouerbia, Eccleſiaſtes, Cantica Canticorum.

Ignatius. 100.

Epiſtola ad Epheſios: Ob id & Dominus in capite accepit vnguētum, vt Eccleſia ſpiret incorruptionem. *Vnguentum enim effuſum eſt nomē tuum, propterea adole-* Cant.1.

ſcentulæ dilexerunt te, traxerūt te: poſt te in odorem vnguentorum tuorum curremus.

Melito Sardenſis. 160.

Epiſt. ad Oneſimum *enumerans Sacræ Scripturæ Canonicos libros, inter eos Canticum Canticorum Salomonis recenſet.*

Origenes. 230.

Homil.1.in Cant. Cantic. Quomodo didicimus per Moſen quædam eſſe nō ſolùm ſancta, ſed & ſancta ſanctorum; & alia non tantùm Sabbata, ſed & Sabbata ſabbatorum: ſic nūc docemur, ſcribente Salomone, eſſe quædam non ſolùm Cātica, ſed & Cantica Canticorum. Beatus quidē is, qui ingreditur ſancta; ſed beatior, qui ingreditur ſancta ſanctorum. Beatus, qui Sabbata ſabbatizat; ſed beatior, qui ſabbatizat Sabbatorum ſabbata. Beatus ſimiliter & is, qui intelligit Cātica, & canit ea: nemo quippe niſi in ſolēnitatibus canit; ſed multo beatior ille, qui canit Cantica Canticorum. Et ſicut is, qui ingreditur ſancta, pluribus adhuc indiget, vt valeat introire in ſancta ſanctorū; & qui Sabbatum celebrat, quòd à Domino populo conſtitutum eſt, multa adhuc neceſſaria habet, vt agat Sabbata Sabbatorum: eodem modo difficile reperitur, qui omnia, quę in Scripturis continentur, Cantica peragrans, valeat aſcendere ad Cantica Canticorum.

Athanaſius. 340.

In Synopſi diuinæ Scripturæ: Salomon ſcripſit libros Canonicos tres, Prouerbia videlicet, Eccleſiaſtē, & Cantica Cāticorum. *Et poſt multa:* Et hunc librū Salomon conſcripſit, ſicut antea declaratum eſt. Totus autem ille ad finem vſq; myſticè cum allegoria ænigmatica cōſcriptus eſt: ſenſus enim dogmatum illius non eſt manifeſtus, ſed in arcano abſconditus. Quapropter conuenit, vt qui intelligentes ſunt in toto hoc libro aliegoricè verſentur, ne propter imperitorum inſcitiam quæ dicuntur contemptui exponantur.

Baſilius Magnus. 360.

Homil.12.in principium Prouerb. Tres omnino ſacros à Salomone tractatus nouimus exijſſe: Hunc in primis Prouerbiorum, & Eccleſiaſtem, & Cantica Canticorum, &c. Cantica Cāticorum animę perfectionis modum demonſtrant. Sponſi namq; & ſponſæ concordiam continent, hoc eſt animæ cum Deo Verbo familiaritatem.

Concilium Laodicenſe. 360.

Can.60. *enumerans ſacræ Scripturæ Canonicos libros, inter eos Canticum Canticorum Salomonis recenſet.*

Cyrillus Hieroſolymitanus. 360.

Catecheſi 4. de diuinis Scripturæ libris: Carmine ſcripti ſunt quinque libri: Iob, liber Pſalmorū, Prouerbia, Eccleſiaſtes, & Cantica Canticorum.

Gregorius Nazianzenus. 370.

De veris & germanis Scripturæ libris:

Quinque metris conſtant: Iob, Dauid, tres Salomonis: Concio, & inſignes Cantus, Prouerbia ſacra.

Amphilochius. 370.

Ad Seleucum de ſacræ Scripturæ libris:

Tresq; Salomonis: Prouerbia,
Eccleſiaſtes, Canticorum Cantica.

Epiphanius. 380.

Hæreſi 69. Et in Cantico Canticorum dixit ipſa ſponſa ad ſponſum ſic: *Reſpondet frater meus, & dicit mihi: Surge, veni, propinqua mea, pulchra mea, columba mea: quia hyems præterijt,* (triſtitia videlicet ac obſcura nubila, & horrenda, vt ita dicam:) *præterijt pluuia, abijt, tranſiuit.* Cant.1.

Ioannes Chryſoſtomus. 400.

Homil.37.in Matthæum: Si autem non intellexeris, veniet vt perdat te, & de templo ſanctitatis expellat, & aliam ſponſam de gentibus caſtiorem inducat in cubiculum ſanctitatis, vt tu proiecta, & in tenebris conſtituta, dicas per Salomonem: *Ne aſpexeritis me, quoniam ego ſum denigrata, quoniam deſpexit me ſol.* Cant.1.

Philo Carpathius. 420.

In Comment.in Cantica Canticorum: Hæc ipſa Cātica Canticorum & mentes honeſtiſſimas hīc ſanctiſſimè paſcunt, & ad ea lautiſſima conuiuia mirabiliter nos ire docent, quibus ijs ſolis licet accumbere, qui ſe hīc, dum vixēre, ab omni labe delictorum atque ſcelerum deterſerunt.

Cyrillus Alexandrinus. 430.

De Vnigeniti incarnatione cap.9. In Cantico Canticorum ipſe nobis introductus eſt Dominus Ieſus Chriſtus dicens: *Ego flos campi, & lilium conuallium.* Cant.2.

Theodoretus. 450.

Præfatione in Canticum Canticorum: Illud etiā prēfari neceſſarium eſt, tria Salomonis eſſe volumina: Prouerbia, Eccleſiaſten, Cantica Cāticorum: Canticum Canticorum myſticam ſpōſę & ſponſi neceſſitudinem & coniunctionem continet.

Proclus Conſtantinopolitanus. 450.

Homil.de Chriſti Natiuitate: Vnde cùm Eccleſia Synagogam cerneret ſpinis illum coronantem, lugens tantum facinus, aiebat: *Filiæ Sion exite, & videte coronam, qua coronauit eum mater ſua.* Cant.3.

Procopius Gazæus. 530.

Ad cap.27.Geneſ. Hi filij facti ſunt ſecūdùm promiſſionem Iſaaci, vt ſpirituales in Chriſto ſpargant odores, qui in Canticis Canticorum inquit: *Ego flos campi, & lilium conuallium:* ex terra ſcilicet prognatus reſpectu humanitatis, eſtqúe odor cognitionis Dei & Patris. Cant.2:

Anaſtaſius Synaites. 580.

Lib.4.Hexameron: Quandoquidem pueri communicārunt carni & ſanguini, ex quibus etiam ſuper terrā Chriſtus, nempe Sol compoſitus, apparuit. Et ideò etiam ſoror eius Luna, nempe Eccleſia, dicit in Canticis: *Patruelis meus albus & flauus:* nempe Deus & Adam: albus propter diuinitatem, flauus propter humanitatem. Cant.5.

Leontius Byzantinus. 610.

De Sectis actione 2. *enumerans ſacræ Scripturæ libros, ait:* Qui præcepta continēt quatuor libri ſunt: primus Iobi, alter Prouerbia Salomonis, tertius Eccleſiaſtes; quartus Canticum Canticorum.

Ioannes Damaſcenus. 730.

Orthodoxæ fidei lib.4.cap.18. Tertius ſacrorum librorum quinquernio verſibus conſtat, nempe liber Iob, Pſalteriū, Prouerbia Salomonis, eiuſdem Eccleſiaſtes, & Cantica Canticorum.

Pſellus. 1050.

Apud Theodoretum in Cantica: Canticum Canticorum eleganter admodum, & ſub ſpecie ac figura quadam nuptiarum tradit humanæ animæ perfectionem: Sapienter enim proponit Chriſtum ſponſum, ſponſamqúe itidem animā ſponſi amore languentem, atque inflammatam, & ad illius gratias, & munera velociter peruolantem. Continet etiam dicta quædam Eccleſiæ congruentia.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Tertullianus. 200.

Lib.4.aduersus Marcionem cap.11. In se enim & Ecclesiam deputat, de qua idem spiritus ad ipsum: Esai.49. *Et circumpones tibi omnes eos velut ornamentum sponsa.* Hanc sponsam Christus sibi etiam per Salomonem ex vocatione gentium arcessit. Siquidem legisti: Cant.4. *Veni sponsa de Libano.* Eleganter Libani vtique montis mentione iniecta, qui thuris est vocabulo penes Græcos: de idololatria enim sibi sponsabat Ecclesiam.

Cyprianus. 250.

Epist.76. Quòd autem Ecclesia vna sit, declarat in Cantico Canticorum Spiritus sanctus ex persona Christi dicens: *Vna est columba mea,* Libro 1. epist.6. *perfecta mea, vna est matri suæ, electa genitrici suæ.* De qua item denuò dicit: Cant.6. *Hortus conclusus, soror mea, sponsa mea, fons signatus, puteus aquæ viuæ.* Si autem hortus conclusus est sponsa Christi, quæ est Ecclesia, Cant.4. patere res clausa alienis & prophanis non potest.

Hilarius. 350.

Ad Psalm.119. Meminit huius tabernaculi sponsa illa in Canticis Canticorum, dicens: *Nigra sum, sed formosa, filia Hierusalem, sicut tabernacula Cedar.* Ex tabernaculi huius obscuritate confessa est se nigram, sed non abnuens, quia sponsa Christi sit, se esse formosam.

Ambrosius. 360.

Proœmio Commentar. in Lucam: Quid tres libri Salomonis, vnus de Prouerbijs, alius Ecclesiastes, tertius de Canticis Canticorum, nisi trinæ huius (*naturalis, moralis, rationalis.*) oste ndunt nobis sapientię S Salomonem fuisse solertem.

Libro de Isaac & Anima cap.4. Salomonis Prouerbia moralia, Ecclesiastes naturalis, mystica sunt eius Cantica Canticorum.

Optatus Mileuitanus. 370.

Aduersus Parmenianum lib.1. Scimus enim hæreticorum Ecclesias singulorum prostitutas, nullis legalibus Sacramentis, & sine iure honesti matrimonij esse. Quas non necessarias recusat Christus, quia est sponsus vnius Ecclesiæ, sicut in Canticis Canticorum ipse testatur. Qui cùm vnam laudat, cæteras damnat: quia præter vnam, quæ est verè Catholica, cæteræ apud hæreticos putantur esse, sed non sunt. Secundùm quod indicat in Canticis Canticorum: Vnam esse columbam suam, eâdem sponsam electam, eandem hortum conclusum, & fontem signatum.

Hieronymus. 390.

Epist. ad Paulinũ de sacra Scriptura libris: Salomon pacificus & amabilis Domini, mores corrigit, naturam docet, Ecclesiam iungit, & Christum, sanctarumqúe nuptiarum dulce canit Epithalamium.

Augustinus. 400.

De Ciuitate Dei libro 15. cap. 22. Vnde mihi videtur, quòd definitio breuis & vera virtutis ordo est amoris, propter quod in sancto Cantico Canticorum cantat sponsa Christi, ciuitas Dei: Cant.2. *Ordinate in me charitatem.*

Lib.17.cap.20. Salomon prophetasse reperitur in suis libris, qui tres recepti sunt in auctoritatem Canonicam: Prouerbia, Ecclesiastes, & Cantica Canticorum.

Lib. de Pastoribus cap.15. Nouimus Cantica Cãticorum sancta, cantica amatoria, cantica sancti amoris, sanctæ charitatis, sanctæ dulcedinis. Planè volo inde audire vocem pastoris, vocem dulcissimi sponsi.

Gaudentius Brixiensis. 400.

Tractatu 1. de lectione Euangelij: Libanus mõs arduus apud Phœnices cernitur, superbo imperio gẽtium comparatus: vnde vel maximè sponsa hæc euocatur Ecclesia, audiens vocem Christi dicentis: *Veni à Libano sponsa, veni à Libano: venies, & transibis ab initio fidei, capite Sanir & Hermon, à cubili leonum, à montibus Leopardorum.* Cant.4.

Philastrius. 400.

De hæresibus cap.83. Est hæresis, quæ de Canticis Canticorum ambigit, ipsa itidem æstimans non spiritu diuino, sed humanarum rerum causa ac voluptatum hominibus ab eodem prędicata: cùm cælestium rerum veritas humanæ similitudini comparata genus hominum docuerit, sicut scriptum est in Euangelijs, & vbique: Christi itaque diuina in carne præsentia omnes ita docebat, vt amore diuino prouocaret, monitione mulceret, misericordia commoueret, flecteret bonitate: nam vt Deus ostendebat, vt pater monebat, vt pastor pascua demonstrabat, vt Rex vincendo inimicum vestigia sequi ostendebat, vt sequentes suum fraternum, id est, Dominũ Christum, in carne venientem, in triumpho immortalis glorię & cęlestis meriti cum eo pariter gratulemur.

Habdenus Episcopus. 410.

Collatione Carthag.3.cum Donatistis fol.378. De qua in Canticis Cãticorum ex persona Domini scriptum est: *Tota speciosa es soror mea, & reprehensio non est in te.*

Arnobius Iunior. 440.

De Deo trino & vno, lib.1. Et in Cantico Salomonis Spiritus sanctus inuitans ad se Ecclesiam, dicit: *Veni ad me proxima mea, formosa mea.* Cant.2.

Vigilius Tridentinus. 480.

Contra Eutychem lib.3. Vnde Apostolus: *Christi,* inquit, *bonus odor sumus de vita in vitam, his qui salui fiunt,* 2. Cor.2. cuius tam præcipui ac saluifici odoris suauitate illecta, in Cantico Canticorum ad eum dicit Ecclesia: *Post te in odorem vnguentorum tuorum curremus.* Cant.2. De huius agri pulchritudine & ipse loquitur in Psal.49. *Et species agri mecum est:* per huius agri gloriam Ecclesia in prædicto Salomonis libro sodales adiurat, dicens: *Adiuro vos in gloria & virtutibus agri.*

Iustus Orgelitanus Episcopus. 540.

Præfatione in Cantica Canticorum: Cupiens in domo Dei aliquid offerre de muneribus Dei, & in lege ipsius, si non die ac nocte, saltẽ per interualla temporum exerceri; librum Canonicum sapientissimi Salomonis, qui prænotatur Canticum Canticorum, confidens in eum, cui omnia sunt possibilia, susc ipio pertractandum: non quòd ex me tantę altitudinis valeã profunda rimari, sed in quantum ostendere voluerit, qui corda illuminat, quæ haurire valuero, fratribus in Christo nostris, ex dono ipsius contemplanda producam, pariterqúe vobiscum offeram perfruenda, &c. Sacramenta libri huius quia multum inscrutabilia & inuoluta dignoscuntur, non immeritò in ipsa prænotatione tituli Cantica Canticorum præscribuntur, quia cæteris eminentiora sine dubitatione aliqua perducuntur. Sunt enim plurimis, & penè insolitis vltra aliarum Scripturarũ consuetudinem velata mysterijs: ita vt nisi Christus præsit sensibus, nec subtilissimis intelligentiarum adytis valeant inuestigari.

Aurelius

Aurelius Cassiodorus. 540.

In Comment. in Canticum Canticorum: Salomon inspiratus diuino Spiritu, composuit hunc libellum de nuptijs Christi & Ecclesiæ: & quodammodo Epithalamium fecit Christi & Ecclesiæ, id est, Canticum super thalamos. Vnde & Cantica Canticorum vocat hoc opus, quia omnia cantica superexcellit. Sicut enim dicitur Rex regum, & Dominus dominantium, & solennitas solennitatum: sic dicitur Canticum Canticorum ob excellentiam & dignitatem. Est autem in hoc obscurior iste libellus, quia nullæ ibi commemorantur personæ, & quasi Comico stylo compositus est.

Gregorius Magnus. 590.

Prologo in Canticum Canticorum: Attendendum est, quòd liber hic non Cantica, sed Canticorum Cantica dicitur: Tanto est enim omnibus canticis sublimius, quanto in nuptijs sublimioris festiuitatis offertur. Hic notandum est, quia quando vult timeri, Dominum: quãdo vult honorari, patrem: quando amari, sponsum se nominat Dominus. Attende ordinem. Ex timore enim honor, ex honore solet procedere amor. Nec vacat mysterio, quòd liber hic tertius ponitur in operibus Salomonis. Post Prouerbia enim Ecclesiastes, post Ecclesiasten Cantica Canticorum, non casu, sed plena ratione posuit. In Prouerbijs moralis vita Prou.1. exprimitur, cùm dicitur: *Audi fili mi sapientiam.* In Ecclesiaste naturalis, vbi finis omnium consideratur, cùm dicitur: *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* Eccles.1. In Canticis verò Canticorum contemplatiua vita exprimitur, dum in eo ipsius Domini aduentus & aspectus desideratur, cùm sponsæ voce Cant.1. dicitur: *Osculetur me osculo oris sui.* Quia ergo naturalis ad considerationẽ non perducitur, nisi prius moralitas teneatur, rectè post Prouerbia Ecclesiastes ponitur. Et quia superna contemplatio non conspicitur, nisi prius hæc infra labentia despiciantur, rectè post Ecclesiastem Cantica Canticorum ponitur.

Leander Hispalensis Episc. 600.

Oratione de conuersione Gothorum: Et hoc non in coniectura sensuum nostrorum, sed Scripturæ diuinæ auctoritate probatur, dicente Salomone: Cant.2. *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.*

Isidorus Hispalensis. 620.

Lib.6. Etymologiarum cap.2. Salomon tertium librum Canticum Canticorum prenotauit, vbi per Epithalamium carmen coniunctionem Christi & Ecclesiæ mysticè canit. Dictum est autem Canticum Canticorum, eò quòd omnibus canticis præferatur, quæ in Scripturis sacris habentur: sicut quædam in Lege dicuntur sancta, quibus maiora sunt Sancta sanctorum.

Hildephonsius Toletanus. 670.

Sermone de Assumptione Mariæ: Hodie nimis lætam Cant.2. meruit audire illud de Canticis: *Surge, veni proxima mea, sponsa mea, columba mea, immaculata mea; quoniam ecce hyems transijt, pluuia abijt, & recessit.*

Aponius. 700.

Prologo in Canticum Canticorum: Magno quidem illo Beati Danielis exemplo diuinorum mysteriorum intelligentiæ auidissimus, cupis persuasor exisstere: sed me acerrima iussione vltra vires sub grauissimi ponderis mole cogis succumbere, vt tibi opusculum in Cantica Canticorum sapientissimi Salomonis, Christo dictante, exponendo scribam. Bonum quidem opus, sed plenum præsumptione iniungis, qui me rudem eorum dentibus præparẽ, qui per singulas syllabas, antequam sensum desudantis contingant, subsannando verba condemnent. In quo opere hoc mihi solum opitulari solamen confido, quòd te meæ imperitię autorem sim habiturus: qui desiderio acquirendi sapientiæ thesauros, non credis nescire alios, quòd ignoras. Aggrediar igitur tuis orationibus fretus ipso duce, cuius in prædicto Cantico mirabilia legis absconsa.

Beda. 720.

Lib.2. in Cantica Canticorum cap.1. Cantica Canticorum, in quibus sapiẽtissimus Regum Salomon mysteria Christi & Ecclesiæ, Regis videlicet æterni, & ciuitatis eius, sub figura sponsi & sponsæ descripsit, quisquis legere cupit, meminisse debet imprimis, quòd omnis electorum congregatio generaliter Ecclesia vocatur.

Alcuinus. 760.

Ad cap.1. Eccles. In Cantico Canticorũ nec filius Dauid, nec rex Israel, siue Hierusalem præscribitur, sed tantùm Canticum Canticorũ Salomonis. Sicut enim Prouerbia, vt rudis institutio, ad duodecim tribus, & ad totum pertinet Israel: ita Canticum Canticorum ad eos propriè facit mentionem, qui tantùm superna desiderant.

Ambrosius Ansbertus. 770.

Lib.1. in Apocalyps. Quis est iste princeps pulchritudinis, nisi ille, cui in Canticis Canticorum spõsa ipsius loquitur, dicens: *Ecce tu pulcher es dilecte* Cant.1. *mi, ecce tu pulcher?*

Haymo Halberstadensis. 820.

Sabbato post Pascha: Hæc est veraciter, quæ in Canticis Canticorum voce Ecclesiæ dicit: *In lectulo meo per noctem quæsiui, quem diligit anima mea:* Cant.3. *quæsiui illum, & non inueni.*

Angelomus. 830.

In Stromatis in Cantica Canticorum: In Canticis Canticorum cõtemplatiua vita exprimitur, dum in eis ipsius Domini aduentus & aspectus desideratur, cùm sponsæ voce dicitur: *Osculetur me osculo oris sui.* Cant.1.

Paschasius Ratbertus. 880.

Lib. de Corpore & Sanguine Domini c.11. Hinc sponsa in Canticis: *Introduxit me rex in cellam vinariam, ordinauit in me charitatem.* Ac deinde: *Exultabimus, & lætabimur in te, memores uberum tuorum.* Exultãt Cant.2. ergo fideles, dum se intelligunt ad tantam vnitatem Christi sociatos per gratiam, & ad tantam flagrantiam charitatis prouectos.

Petrus Damianus. 1050.

Epist.3.cap.3. Christus ergo per mysterium suum tibi videatur in ore, & Christus per sui amoris incendium tibi semper viuat in corde, vt congruat etiam tibi, quod sponsa dicit in Canticis: *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur.* Cant.1. Quid enim per myrrham, amarissimam videlicet aromatis speciem, qua cadauera defunctorũ condiuntur, nisi Christi passio designatur? Quid aliud *inter ubera,* nisi cordis locus agnoscitur?

Willeramus. 1070.

Scripsit Commentariorum in Cantica libros 3. carmine & prosa compositos:

Vox Synagogæ:

Quem sitio votis, nunc oscula porrigat oris,
Quem mihi venturum prompserunt organa vatum,
Nunc etiam per se præsens dignetur adesse:
Oscula præbendo, sua dulcia verba loquendo:
Vbera nam, tui præcellunt pocula vini

Suauiter vnguentis flagrantia sat pretiosis.
Mitificans veterum tua lenis gratia Legem.

Hildebertus Cennomanensis. 1100.

Cant.1. *Epist.31.* Ab hoc ad hunc trahi desideres, vt appositi brauij spe brauij cursum spõdeas meliorẽ, iuxta illud Salomonis: *Trahe me post te.*

Honorius Augustodunensis. 1120.

Prologo in librum Salomonis, qui dicitur Cantica Canticorum: Auctor libri huius est Spiritus sanctus, loquens per vas sapientiæ Salomonem, huius libri scriptorem, qui fuit Rex sapientissimus, & Propheta præcipuus.
Ad finem libri:

Hunc cecinit Salomon mira dulcedine librum,
Qui tenet egregias sponsi sponsæq; camœnas,
Et thalami memorat socios, sociasq; fideles:
Hæc rogo mente tua iuuenis mandare memento:
Hactibi vera canunt vitæ præcepta perennis.
Hæc, &c.
Cantica sunt nimium falsi meliora Maronis.

Bernardus. 1130.

Sermone 1. super Cantica: Est panis apud Salomonem, isq; admodum splẽdidus, sapidusq;, librum dico, qui Cantica Canticorum inscribitur. Proferatur, si placet, & frangatur, &c. Salomon diuinitus inspiratus, Christi & Ecclesiæ laudes, & sacri amoris gratiam, & æterni connubij cecinit sacramenta, simulq; expressit sanctæ desideriũ animæ, & Epithalamij carmen exultans in spiritu, iucundo composuit elogio, figurato tamen. Igitur pro sui excellentia reor nuptiale hoc carmen huiusmodi titulo præsignitum, vt meritò Cantica Canticorum singulariter appelletur, sicut is quoque, cui canitur, singulariter dictus est Rex regum, & Dominus dominantium.

Stephanus Eduensis. 1170.

De Sacramento altaris cap.12. Hoc gemitu suspirabat, qui dicebat: *Liquefacta est anima mea.* Cant.5.

Innocentius Tertius. 1200.

Feria quinta post primam Dominicam Quadragesimæ Serm.1. Socrus est mater vxoris: mater autem Ecclesiæ, quæ vxor est Simonis, sacramentaliter sibi coniugio copulata, intelligitur Synagoga, iuxta quod ipsa dicit in Cant. *Filij matris meæ pugnauerũt aduersum me.* Nam de Synagoga nati sunt primùm fideles, de qua secundùm carnem & ipse Christus traxit originem. Cant.1.

Thomas Cantipratanus. 1250.

Lib.1. Miraculorum cap.13. Vnde non incongruè Spiritus sanctus in Canticis admonet, dicens: *Adiuro vos filiæ Ierusalem per capreas ceruosq; camporum, ne suscitetis, neq; euigilare faciatis dilectam quoad vsq; ipsa velit.* Cant.2. &3.

ARTICVLVS NONVS.

SAPIENTIAM SALOMONIS, VT CANONICAM SCRIPTVRAM, VALERE AD ECCLESIASTICA DOGMATA CONFIRMANDA.

NEGANT.

Anno post natũ Christum 1520. MARTINVS Lutherus, *in Germanica Bibliorum versione,* Sapientiam Salomonis inter Apocrypha reijciens: *Veteres,* inquit, *librum hunc ex numero sacrarum Scripturarum excluserunt, voluerunt; ab alio quopiam confictum, vt tam celebris Regis nomine editus, pluris æstimaretur.*

1550. *Ioannes Caluinus,* lib.1. Instit. cap.11. §. 8. *falsum esse contendit, quod Sapientiæ*

1586. *14. de origine idolorum scriptum habetur.*
Guilhelmus VVitakerus disputatione de sacra Scriptura: *Sapientiam Salomonis affirmo à nostris Ecclesijs meritò inter apocryphas Scripturas reponi: Librum Sapientiæ non Canonicũ intelligimus, plura non desideramus.*

ASSERVNT SACRÆ LITERÆ.

Sap.9. *Rom.11. vers.34.* Quis enim cognouit sensum Domini? Aut quis consiliarius eius fuit?

ASSE-

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Clemens Romanus. 80.

Epistola 1. Præcipiebat Petrus, os suum à multo & prauo colloquio custodire, & verba vana, & mendacia non loqui: *Quia os, quod mentitur, occidit animam.* Sap.1.

Const. Apost. lib.6. cap.29. Eos, qui excedunt è vita, prosequimini cantu Psalmorũ, si fuerint fideles: *Pretiosa enim in conspectu Domini mors Sanctorum eius.* Et aliàs: *Memoria,* inquit, *iusti cum laudatione, & iustorum animæ in manu Domini.* Sap.3.

Dionysius Areopagita. 100.

De diuinis nominibus cap.4. In primis Scripturarũ institutionibus quidam de diuina Sapientia dixit copiosius: *Amator factus sum formæ illius.* Sap.8.

Ecclesiasticæ hierarchiæ cap.2. Vsurpat ex eodem libro, quasi ex diuina Scriptura illud: *Acuet diram iram in lanceam, & pugnabit cum illo orbis terrarum cõtra insensatos.* Sap.2.

Egesippus. 150.

Ecclesiasticæ historiæ lib.5. (*vt citat Eusebius lib.2.cap.22.*) In quo eloquia sacra apud Isaiam scripta planè expleta fuêre: *Tollamus è medio iustum, quoniam nobis molestus est, & incommodo.* Locus est Sapientiæ 2. *Sed alleg at tamquam ex Isaia, sicut Marci primo, quod est in Malachia, citatur tamquam ex Isaia, per errorem fortè librarij alicuius.* Sap.2.

Iustinus Martyr. 160.

Dialogo cum Tryphone: Meritò vociferatur Isaias: *Propter vos nomen meum malè audit in gentibus.* Et: *Væ animæ ipsorum, propterea quòd prauum consilium ceperunt aduersus seipsos, dicentes: Vinciamus iustum, quoniam inutilis est nobis.* Isa.52. Sap.2.

Irenæus. 180.

Eusebius lib.5. cap.8. Quibusdam etiam vocibus ex Salomonis libro de Sapientia petitis ferè ad verbum Irenæus hoc modo vtitur: *Visio Dei est immortalitatis effectrix: immortalitas autem facit Deo appropinquare.* Sap.15.

Clemens Alexandrinus. 200.

Lib.4. Stromaton: Diuina Sapientia dicit de Martyribus: *Visi sunt in oculis insipientium mori, & reputata est vexatio eorum exitus, & à nobis discessus contritio: illi verò sunt in pace.* Sap.4.

Lib.5. Porrò Salomon rursum dicit: *Arbor est immortalitatis ijs, qui ipsam apprehendunt,* &c. Quid verò an non similiter Scriptura dicit: *Tollamus iustum à nobis, quoniam est nobis inutilis?* Sap.15. Sap.2.

Lib.6. Iam verò Salomon, eum vocans sapientem, qui est præditus cognitione, hæc dicit de ijs, qui mirantur dignitatem eius mansionis: *Videbũt enim mortem sapientis, & intelligent quid de eo decreuerit, & ad quid eum stabiliuerit Dominus,* &c. De cognitione autem differens Salomon, hæc dicit: *Clara est, & quæ non marcescit sapientia.* Sap.5. Sap.6.

Hippolytus. 220.

In Cantica Canticorum: Et vbi est vniuersa eius cognitio? vbi mysteria? vbi libri? Et Sapientia, & Ecclesiastes, & Canticum Canticorum? Quid? ergo falsum dicit Scriptura? Absit. Sed fuit quædam magna eorum, quę scripsit materia, vt ostendit dicendo: *Cantica Canticorum.*

Origenes. 230.

In Leuiticum Homil.5. Habet hic mundus Filium Dei, habet Spiritum sanctum, quod dicit Prophe-

ta: *Verbo Domini cæli firmati sunt, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Et iterum alibi: *Spiritus Domini repleuit orbem terrarum.* Psal.32. Sap.1.

Homil.12. Ingressus est Christus corpus incontaminatum. Ipse enim erat, qui dudum per Salomonem dixerat: *Magis autem cùm essem bonus, veni ad corpus incontaminatum.* Sap.8.

Libro 8. in epistolã ad Romanos: Sed audi quid in Sapientia Salomonis dicatur: *Quia non inuenietur ab his, qui tentant eum,* &c.

In Ioannem tomo 20. Quòd verò diluuium seminis Cain delendi causa factum fuerit, Sapientiæ liber, Salomoni inscriptus, his verbis docet: *Recedens autem ab ipsa (sapientia) iustus in ira sua perijt, cum animis fratricidis, per quem mundatam terram rursus seruauit sapientia, vili ligno iustum gubernans.* Sap.10.

Pamphilus Martyr. 300.

In Apologia pro Origene: Propter quod & sapientissimus Salomon naturam rerum per sapiẽtiam contuens, ait: *Dixi sapiens efficiar, & ipsa longè à me facta est.* Sap.7.

Antonius Eremita. 320.

Epist.2. Nam qui cognouerit seipsum, vniuersos cognouit. Ideo scriptum est: *Qui vocauit ex nihilo, vt essent cuncta.* Sap.1.

Athanasius. 340.

In Synopsi: Sapientia Salomonis vocatur hic liber. Nam & hunc à Salomone scriptum esse dicunt. Continet autem & doctrinam iustitiæ, & institutionem cùm deprauatorum, tum integrorum virorum: ad hæc prophetiam de Christo, &c.

Oratione 2. quæ est contra Arianos: AEternus cùm fons sit, necessum est & sapientiam æternam esse. Ita enim omnia facta sunt, vt à Dauide cantatum est: *Omnia in sapientia fecisti.* Nec aliter Salomon: *Deus Sapientia fundauit terram, expediuit cælos in prudentia.* Psal.103. Sap.8.

Epistola de decretis synodi Nicænæ contra Arianos: Ad quod ita quis meritò dixerit: O præcipiti temeritate homines. Opus ne est primogenitus omnis creaturæ, qui ex vtero ante Luciferum genitus est? Qui dixit, vt in Sapientiæ libro habetur: *Ante omnes colles genuit me?* Et frequenter in sacris literis inuenies eum genitum narrari. Sap.12.

Synodus Alexandrina. 350.

Epistola ad omnes vbique Ecclesias: Hæretici ad nouas criminationes prosiliunt, nec timent illud, quod in sacris literis scriptum est: *Falsus testis impunitus non erit.* Et: *Os, quod mentitur, occidit animam.* Extat apud Athanasium Apologia secunda. Prou.19 Sap.1.

Synodus Sardicensis. 350.

Epistola ad totius orbis Episcopos: Nec quisquã nostrum negat, Filium genitum esse: sed genitũ ante omnia dicimus, quæ visibilia inuisibiliaq; vocant, fabricatorem & opificem Angelorum, mũdi, & humani generis. Nam ait Scriptura: *Sapientia omnium artifex me docuit.* Extat apud Theodoretum Eccles. Hist. lib.2. cap.8. Sap.7.

Didymus Alexandrinus. 360.

De Spiritu sancto libro 2. Et libro, qui Sapientia inscribitur, ab his, qui diuina charismata cõsecuti sunt, vox gratias Deo perferens destinatur: *Quæ autem in cælis sunt quis inuestigauit? Voluntatem autem tuã quis cognouit, nisi quod tu dedisti sapientiam, & Spiritum sanctum tuum misisti de excelsis?* Sap.9.

Lib.3. Parcere dicitur quaſi creaturis ſuis, iuxta illud, quod alibi ſcribitur : *Parces autem omnibus* Sap.11. *Domine amator animarum, quia tuæ ſunt : neque odies, quos feciſti.*

Ephræm Syrus. 370.

Sermone, quo ſeipſum reprehendit, & peccata ſua confitetur: De cognitione diſſerui, vt me in Dei cognitione peccaſſe demonſtrarem : *Potentes,* inquit ille Sap.6. in libro Sapientiæ, *potenter tormenta patientur.*

Parænesi 47. Alio in loco ait Scriptura : *Sed æſtimauerunt luſum eſſe vitam noſtram, & conuerſationem* Sap.15. *vitæ compoſitam ad lucrum.*

Macarius AEgyptius. 370.

Homilia 29. Deus iudicaturus vnumquemq; virtutis fructus exiget, ac pro dignitate reddet vnicuique iuxta opera eius : *Potentes potenter tormenta* Sap.6. *patientur.*

Baſilius Magnus. 370.

De Spiritu ſancto cap. 30. Me verò etiam illud propheticum dictum reprimit : *Intelligens in tempore* Sap.8. *illo tacebit.*

Epiſt.141. Qui Spiritum ſanctum creaturam eſſe dicit, determinatam ipſius naturã inducit. Quomodo ergo ſtabit illud : *Spiritus Domini repleuit orbem?* Sap.1. Et poſt : *In animam malitioſam,* inquit, *non ingredietur ſapientia, neque morabitur in corpore peccatis obnoxio.*

Lib.5. contra Eunomium, de eo: *Quòd niſi Spiritũ ex Deo quis dicat, nec Verbum* : Spiritus eſt qui adimpleuit omnia, ſecundùm quod ſcriptum eſt : *Spiritus enim Domini adimpleuit orbem* Sap.1. Salomon inquit. *Et poſt multa* : Non erubeſcis fortè, cùm in infidelitate ſis. Quæris enim non vt fidem, ſed vt infidelitatem inuenias. Quod verũ eſt, ſecundùm quod ſcriptum eſt : *Nam in malignam animam non introibit* Sap.1. *ſapientia.*

Epiphanius. 380.

Hæreſi 67. Accerſe mihi Salomonem beatum illum ac ſapientiſſimum ad Hieracem hunc confutandum. Adſis Prophetarum beatiſſime, qui accepiſti à Domino effuſionem cordis ac ſapientiã, velut arenam iuxta littus maris. Quidnam de pueris ſentis? Et inquit : *Senectus enim venerabilis eſt,* Sap.4. *non diuturna, neque annorum numero ſupputata; verùm canities eſt prudentia hominibus, & ætas via immaculata.*

Hæreſi 76. Etiam Sapiẽtias, Salomonis inquam, & filij Sirach, & omnes in ſumma diuinas Scripturas oportebit te euoluere.

Gregorius Nazianzenus. 380.

Libro de fide : Hinc & Salomon : *Cùm ſit,* inquit, Sap.7. *vna, omnia poteſt, & permanens in ſe omnia innouat, & per nationes in animas ſanctas ſe transfert,* &c. Et apud Sap.16. Salomonem : *Subſtantia mea, dulcedo mea eſt* , &c. Sap.7. Salomon dicit : *Candor eſt lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula Dei maieſtatis, & imago bonitatis illius.*

Oratione 34. quæ eſt oratio 2. de Theologia : Iam verò quomodo illud tueri poterimus, quod ait Scriptura : Deum omnia peruadere, atque implere : (iuxta illud : Nonne Hier.13. *cælum & terram ego impleo, dicit Dominus?* Et : Sap.1. *Spiritus Domini repleuit orbem terrarum* :) ſi Deus partim circumſcribat, partim circumſcribatur?

Oratione 20. Quis prudentia perinde canus erat, etiam ante canitiem? Quandoquidem hac re ſe- Sap.4. nectutem quoque Salomon definiuit.

Gregorius Nyſſenus. 380.

De forma perfecti Chriſtiani : Si quis nimirum verè ſit templum Dei, nullumq; malitiæ ſimulachrũ contineat, is à Mediatore admittetur, cùm purus ſit, & ad puritatem ipſam ſuſcipiendam idoneus. *Neque enim in maleuolam animam,* vt ſcriptum eſt, Sap.1. *introibit ſapientia.*

De Virginitate cap.15. Animus is, qui Deo viuit, non vllis rebus ſe oblectauerit, quæ ſibi ex errore quodam non veram honeſti ſpeciem præbent : ſin ex aliqua affectione vitij maculam cordi contraxerit, ſpiritalis ipſe matrimonij iura reſcidit. Atque vt in diuinis literis ſcriptum extat : *In animam maleuolam non intrabit Sapientia.* Sap.1.

In teſtimonijs ex veteri Teſtamento delectis, aduerſus Iudæos, capite de Natiuitate ex Virgine : Et Salomon propheticè : *Puer eram ingenioſus, & animum bonum* Sap.8. *ſortitus : imò verò cùm bonus eſſem, veni in corpus impollutum.*

Theophilus Alexandrinus. 390.

Epiſt.1.Paſchali : Cur Dauid canit: *Quò ibo à Spiritu* Pſal.38. *tuo?* Quod dicens oſtendit, à ſancto Spiritu omnia cõtineri, & illius maieſtate circumdari: ſi omnia in omnibus, vtique & irrationabilia, & inanima ſunt. Et alibi legimus : *Spiritus Domini repleuit orbẽ* Sap.1. *terrarum.* Quod nunquam Scriptura memoraret, niſi irrationabilia quæque, & inanima illius numine complerentur.

Ioannes Chryſoſtomus. 400.

Homilia 11. in Geneſin : Propter hoc & Scriptura obſtupeſcens eminentem Sapientiam Dei dicit : *Qui dedit mari viam, & in aquis magnis ſemitam, quæ hu-* Sap.14. *mana ratio poteſt hæc pernoſcere?*

Homil. 39. in Matth. Vnde Salomon dicebat : *Fili* Sap.1. *ſerua te à cogitationibus, quæ ſunt ſine intellectu.*

Homil.43. Non enim Iudæi neſcientes Dei Filium eſſe occiderunt, ſed habere eum talem non ſuſtinentes, ſicut & prophetat de illis Salomon : *Venite, circumueniamus iuſtum : quoniam inutilis eſt no-* Sap.2. *bis, & improperat nobis peccata Legis.*

Palladius. 410.

In hiſtoria ſanctorum Patrum cap. 86. Euagrius moritur quinquaginta quatuor annos natus in ſolitudine : qui, vt ſcriptum eſt, *in breui conſummatus,* Sap.4. *impleuit longa tempora.* Fuit enim reuera eius anima grata Domino.

Ioannes Caſſianus. 430.

Collat.2. cap.13. *Senectus venerabilis eſt, non diutur-* Sap.4. *na, neq; numero annorum computata : cani enim ſenſus hominis, & ætas ſenectutis, vita immaculata.*

Collat.7.cap.4. Quod etiam in Sapientia, quæ dicitur Salomonis, ſcriptum eſt : γήινον οἴκημα βαρύνει νοῦν πολύ φροντίζοντα, id eſt : *Terrenum habitacu-* Sap.9. *lum aggrauat mentem multa cogitantem.*

Cyrillus Alexandrinus. 430.

Lib.10.in Ioannem cap.4. Verè namq; Salomon dixit : *Quia non ingreditur in malignam animam ſapientia,* &c.

Lib.11. in Ioannem cap.37. Tunc reipſa verum eſſe demonſtrabitur, quod per Prophetam Iudæi dicebant : *Circumueniamus iuſtum ; quoniam inutilis eſt* Sap.2. *nobis.*

Contra Iulianum lib.2. Gaudere Deum in ſuis operibus etiam Græcorum ſermones confirmant. Et nos quoque dicimus, confitente hoc diuina Scriptura. Dicit enim : *Ego eram cum qua lætabatur in* Sap.8. *conſpectu eius in omni tempore.*

Theodoretus. 450.

Quæſtione 43. in Deuteronomion : Per hæc docet nos Dominus ſe ſummam virtutẽ à perfectis exigere : & cùm

& cùm ergà alios homines grauiter peccantes ſit longanimis, Sanctis tamen hãc veniã non concedere; quod quidẽ Sapiens dixit aliquis: Sap.6. *Tenuiſſimus venia, & miſericordia dignus ; potentes autem potenter torquebuntur.* Et Dominus in ſacris Euangelijs: *Cui modicum datum fuerit, modicum exigetur ab eo.*

Iuſtinianus Imp. 530.

In fidei confeſſione: Miramur eorum dementiam, quòd diuinæ Scripturæ contraria agunt, euidenter dicenti : Sap.14. *Quia æqualiter apud Deum horribilia ſunt impius, & impietas eius.*

Procopius Gazæus. 530.

Sap.2. Ad cap.2.Geneſ. *Deus mortem non fecit, nec delectatur viuentium interitu : ſed inuidia diaboli mors in mundum introiuit,* ſicut Salomonis docet Sapientia.

Ad cap.45.Eſaiæ: Quod & alibi Scriptura indicat: Sap.11.12. *Omnia potes, neque quicquam eſt, quod efficere non queas.*

Conſtantinopolitana Synodus Quinta. 535.

Act.1. Quantum in ipſis fuit, impleuerũt, & proprium labiorum fructus carpſerũt, vt dicit di- Sap.3. uina Scriptura, &c. *AEqualiter* enim, vt dicit diuina ſcriptura, *odibilia ſunt Deo, impius, & impietas eius.*

Anaſtaſius Synaites. 590.

Lib. 2. de incircumſcripta Dei eſſentia : Quomodo igitur vera fuerit ſententia illa : Sap.1. *Spiritus Domini repleuit orbem terrarum?* Deus enim eſſentia cùm ſit, quę ſunt omnia diuina ſua adimplet eſſentia, eſtq; in omnibus quæ ſunt.

Antiochus. 600.

Homil. 110. Ait autem Scriptura : Sap.3. *Melior eſt vir patiens forti :* Et ſicut probatur aurum, & argentum in fornace: ſic electa corda probat Deus, iuxta Scripturam, &c. Dicit enim Salomon : Sap.4. *Vir longanimis ſapiens eſt.*

Leontius. 620.

Oratione, quam habuit aduerſus Iudæos de Chriſti cruce : At Salomon : Sap.14. *Benedictum eſt,* inquit, *lignum, per quod ſalus comparatur.*

Sophronius Hieroſolymitanus. 630.

Præfatione in vitam Mariæ AEgyptiacæ : Gratia Dei per omnes generationes in ſanctas pertranſiens animas, amicos Dei facit & Prophetas, quemadmodum Sap.7. Salomon ſecundùm Deum docuit.

Oratione de Chriſti Natalitijs : Denique nos, qui pridem ob delicta noſtra in mortem incurreramus, eandẽq; vltrò, & quaſi data opera nobis aſciueramus: *Deus enim mortem non fecit, neque* (cùm ſit optimus) Sap 1. *in viuorum perditione lætatur* : denuò in vitam aſſeruit.

Maximus Monachus. 640.

Capitum œconomicorum centuriæ 5. cap. 83. Nota porrò quo pacto diuinus amor prius exiſtens in bono, in nobis bonum peperit amorem, quo honeſtũ bonumq; expetimus, more illius, qui dicit : Sap.8. *Amator factus ſum pulchritudinis illius.* Et : Prou.4. *Adama illam, & ſeruabit te : obſide eam, & exaltabit te.*

Ioannes Damaſcenus. 730.

Orthodoxæ fidei lib.1.cap.4. Adhæc quomodo illud retinebitur, quod ait Scriptura : Sap 8. Deũ omnia prævalere atque implere.

Lib.2.cap.6. Sap.3. Quòd *iuſtorum animæ in manu Dei ſint, nec mors eos attingat,* etiã literis ſacris proditũ eſt.

Cæſarius. 760.

Dialogo tertio: Si enim Sap.2. *animæ iuſtorum in manu Domini,* quemadmodũ inquit Propheta, multo magis Dei & Sermonis.

Elias Cretenſis. 780.

In orationem 1. Nazianzeni : Iam verò imaginis vocabulum deſumptum quidem eſt ex eo libro, qui Salomonis Sapientia nuncupatur : (*imago* e- Sap.7. nim, inquit, *bonitatis* :) hanc autem vocem Apoſtolus quoque apertè de Chriſto vſurpauit.

Nicephorus Conſtantinop. 815.

Epiſtola ad Leonem Tertium : Exoſculor patrocinia diuinorum Patrum ac omnium Sanctorum, qui ab initio mundi Domino placuerunt, & abſq; vllo omninò fine in ipſo, & per ipſum viuunt : *Animæ enim iuſtorum in manu Dei ſunt* : Sap 3. vt qui maximam hinc animæ corporiſq; ſalutem conſequar.

Anaſtaſius Nicænus. 860.

Quæſt.16. Quamobrem Sapiens monet : *Ne mor-* Sap.1. *tem æmulemini in errore vitæ veſtræ* : neque attrahatis exitium in operibus manuũ veſtrarum. *Quia Deus mortem non fecit, neq; delectatur in perditione viuorum* : oſtendens noſtram euerſionem ſponte à nobis eligi.

Theophylactus. 900.

Ad cap.8.Matth. Anima egreſſa, in mundo non errat : *Iuſtorum* enim *animæ in manu Dei ſunt* : Sap.3. peccatorum verò & ipſæ hinc abducuntur, vt anima Luc.16. diuitis.

Ad cap.3.Habacuc: Atqui ipſi nos ipſos punimus: cui rei teſtimonium dicit, qui ait : Sap.1. *Deus mortem non fecit.* Et rurſum alius : Iacob 1. *Tentat autem Deus neminem.*

Simeon Metaphraſtes. 950.

In vita S.Auxentij : Venit illuc meditans eloquium Scripturæ, quod dictum eſt in pulcherrima Sapientia Salomonis, & impletum in vita ſanctiſſimi patris noſtri Auxentij : Sap.2. *Exterminemus iuſtum ; quoniam inutilis eſt nobis, & aduerſatur operibus noſtris.*

In vita S.Alipij cap.25. Credo autem ſapienti quoq; Salomoni, qui de virtute præditis animabus ſic docuit : Sap.2. *Iuſtorum animæ in manu Dei ſunt, & non tanget eos tormentum.*

Georgius Cedrenus. 1100.

In Conſtantino Magno : Comprehenſum in Chriſtum verbis Salomonis oſtendit : *Dixerunt inter ſe impij : Vinciamus iuſtum, quoniam nobis eſt incommodus.*

Michael Glycas. 1120.

Parte 1. Annalium, de cognitionis arbore : Enimuerò tu hos miſſos facito, quando ſapiens ille Salomon in Sapientia ſua tradit Deum mortem nõ condidiſſe. Imò in ſtatu interitus experte creauit hominem ad imaginem æternitatis ſuæ. Verùm Sap.2. deinceps *inuidia diaboli mors in mundum venit.*

Parte 2. Atque hæc omnia de Salomone commemorata, confirmat ipſemet in eo libro, qui Sapientia Salomonis appellatur, his verbis : Sap.7. *Deus mihi dedit rerum cognitionem veriſſimam, vt mundi compagem perſpectam habeam, ſiderumq; ſitus, & naturas animantium, & ſtirpium differentias, & radicum vires, & abditorum cognitionem.*

Nicetas Choniates. 1200.

Orthodoxæ fidei lib.4.cap.40. Hominum porrò filios hoc loco eos vocat, qui ex rationis præſcripto vitam inſtituunt, & ſuis affectibus imperant : eos contrà, qui in terram cernui & obſtipi procumbunt, cum iumentis confert Salomon idem ille, qui iuſtorũ animas in Dei manibus eſſe alio Sap.3. in loco aſſeruit.

Ioannes Cantacuzenus. 1360.

Apologia 1. Sancti quidem, ab inſipientibus pro mortuis & perditis habiti, *in manu Dei ſunt, & in pace quieſcunt,* Sap.3. iuxta Salomonis oraculum.

Apologia 4. Magnus ille & admirandus Salomon dicit:

Sap.1. dicit: *In animam maleuolam sapientia Dei non transit, nec in corpus peccatis deditum.*

Gennadius Scholarius. 1450.

De Purgatorio sect.6. Nec vtà damnatione tantùm liberetur, sed & cæleſtis habitationis capax euadat, ſecundùm oraculum: *Tamquam aurum in fornace probauit illos, & quaſi holocauſti hoſtiam accepit illos.* Sap.3.

De primatu Papæ sect.13. An non auditis Sapientiam dicentem: *Tunc ſtabit iuſtus in magna conſtantia aduerſus eos, qui ſe anguſtiauerunt?* Sap.5.

Hieremias Conſtantinopolitanus. 1580.

Reſponſ.3. capite de libero arbitrio: At etiam ſapiẽs Salomon ait: *Deus mortem non fecit, ſed ad immortalitatem hominem formauit.* Sap.1.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Tertullianus. 200.

De Præſcriptionibus aduerſus hæreticos capite ſeptimo: Noſtra inſtitutio de porticu Salomonis eſt, qui & ipſe tradiderat Dominum in ſimplicitate cordis eſſe quærendum. Sap.1.

Aduerſus Valentinianos cap.2. Porrò *facies Dei expectat in ſimplicitate quærentes,* vt docet ipſa Sophia, non quidem Valentini, ſed Salomonis. Sap.1.

Aduerſus Marcionem lib.3.cap.22. A perſona enim iniuſtitiæ ſublatus eſt iuſtus: quis, niſi Chriſtus? *Venite,* inquiunt, *auferamus iuſtũ: quia inutilis eſt nobis.* Sap.2.

Cyprianus. 250.

Epiſt. 62. Eccleſiaſtica diſciplina ſeruetur, cùm Dominus loquatur, & dicat: *Et dabo vobis paſtores ſecundùm cor meum, & paſcent vos paſcentes cum diſciplina.* Et iterum ſcriptum ſit: *Diſciplinam qui abijcit, infelix eſt.* Li.1.ep.11. Hier.3.

Epiſt. 52. Nam cùm ſcriptum ſit: *Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione viuorum:* vtique qui neminem vult perire, cupit peccatores pœnitentiam agere, & per pœnitentiam denuò ad vitam redire. Sa p.3. Li.4.ep.2 Sap.1.

De exhortatione Martyrum cap.12. Quæ ſpes, & merces maneat Martyres, poſt conflictationes huius temporis & paſſiones, per Salomonem Spiritus ſanctus oſtendit, & præcauit, dicens: *Etſi coram hominibus tormenta paſſi ſunt, ſpes eorum immortalitate plena eſt. Et in paucis vexati, in multis bene diſponentur: quoniam Deus tentauit illos, & inuenit illos dignos ſe,* &c. Item apud eundem vindicta noſtra deſcribitur, & perſequentium nos, atque infeſtantium pœnitentia prædicatur: *Tunc ſtabunt,* inquit, *iuſti in magna conſtantia aduerſus eos, qui ſe anguſtiauerunt, & qui abſtulerunt labores eorum,* &c. Sap.3. Sap.5.

Teſtimoniorum ad Quirinum lib.3. cap.59. De idolis, quæ gentiles Deos putant, in Sapientia Salomonis: *Omnia idola nationum æſtimauerunt Deos, quibus neque oculorum vſus eſt ad videndum, neq; nares ad percipiendum ſpiritum.* Sap.15.

De mortalitate: Sed & per Salomonem docet Spiritus ſanctus, eos qui Deo placeant maturius iſthinc eximi, & citius liberari, ne dum in iſto mundo diutius immorantur, mundi cõtractibus polluantur: *Raptus eſt,* inquit, *ne malitia immutaret intellectum illius.* Placita enim erat Deo anima eius: propter hoc properauit educere eum de medio iniquitatis. Sap.4.

Felix Primus. 270.

Epiſtola 3. Nos verò ad ipſius fontis originem redeamus, ex quo Filium ſemper Patrem videre potuiſſe vel poſſe euidentioribus teſtimonijs de veteris & noui Teſtamenti literis doceamus, Salomone dicente: *Eſt tecum Sapientia, quæ nouit opera tua, quæ adfuit tibi cùm faceres orbem terrarum, & ipſa nouit quid ſit placitum in oculis tuis.* Sap.9.

Lactantius. 300.

Libro 4. Inſtitut. cap.16. Et Salomon in libro Sapientiæ his verbis vſus eſt: *Circumueniamus iuſtum, quoniam contrarius eſt nobis, & exprobrat nobis peccata Legis,* &c. Sap.2.

Iulius Papa. 336.

Epiſt.1. ad Orientales Epiſcopos: Nec recordamini Sapientiam, quæ ait: *Peruerſæ enim cogitationes ſeparant homines à Deo.* Si peruerſæ cogitationes ſeparant homines à Deo, quantò magis opera iniqua? Sap.1.

Iulius Firmicius Maternus. 350.

De erroribus prophanarum religionum cap.29. Quę ſit ſubſtantia, eius Sapientiæ veneranda voce monſtratur: Ait enim in libris Salomonis: *Omnia idola nationum æſtimauerunt Deos, quibus neque oculorum viſus eſt ad videndum, neq; nares ad percipiendum ſpiritũ.* Sap.15.

Hilarius. 350.

Ad Pſalm.118. In hoc Pſalmorum libro legimus: *Iudicia tua abyſſus multa.* Paulus Apoſtolus ait: *Inſcrutabilia iudicia Dei.* Et rurſus Propheta: *Magna enim ſunt iudicia tua, & inenarrabilia.* Rom.11. Sap.17.

Ad Pſal.127. Vt autem nunc cognoſcamus, quid ſub vxoris nuncupatione intelligi oporteat, cauendum eſt, quid & alibi ſub eodem vxoris nomine à Salomone tractetur ita; *Quia quæſiui ſapientiam ſponſam accipere mihi.* Et quia ſponſam requirit, diuitem quærit, huius ſponſæ ſuæ opes memorat, dicens: *Honeſtatem glorificat conuictum habens Dei, & omnium Dominus dilexit eam.* Et ſi multam quis cognitionem deſiderat, nouit & quæ à principio ſunt, & quæ futura ſunt conſpicit. Sap.8.

Lucifer Calaritanus. 350.

Libro 1. pro S. Athanaſio ad Conſtantinum Imperat. Si nõ legiſti, cognoſce quid nos facere fueris hortatus, tu qui in ſortem delegeris eſſe illorum, quorũ facinora deſcribat ore Salomonis Spiritus ſanctus, dicens: *Neq; mercedem ſperauerunt iuſtitiæ, nec iudicauerunt honorem animarum ſanctarum: quoniam Deus creauit hominem inexterminabilem, & ad imaginem ſuæ ſimilitudinis fecit illum. Inuidia autem diaboli mors introiuit in orbem terrarum. Imitantur ergo illum, quotquot ſunt ex parte illius,* &c. Nunquid non legeras, dixiſſe in libro Sapientiæ Salomonem ad Deum: *Deus parentum & Domine miſericordiarum, qui feciſti omnia Verbo tuo,* &c. Sap.2. Sap.9.

Libro, Moriendum eſſe pro Filio Dei: Tormẽtis namque Martyres Dei conſecrari, & ipſa probationis paſſione coronari, aperiunt ita ſacræ Scripturæ: *Pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum eius: & ſi coram hominibus tormenta paſſi ſunt, ſpes eorũ immortalitate plena eſt: & in paucis vexati, in multis bene diſponetur: quoniã Deus tentauit illos, & inuenit eos dignos ſe.* Sap.3.

Felix Secundus. 366.

Epiſt. ad Athanaſium, & cæteros: Et iterum ſapientiſſimus Salomon ait: *Quoniam qui loquitur iniqua, non poteſt latere, nec præteriet illum corripiens iudicium,* &c. Hæc ſi amplecti voluiſſent proprio & ſano ſenſu, ad reprobum minimè laberentur. Sap.1.

Ambroſius. 370.

Libro de Salomone cap.1. In libro Sapientiæ ſuæ Salomon ſe Dominum deprecatum fuiſſe commemorat: *Adij,* inquit, *Dominum, & deprecatus ſum illum: Da mihi Domine ſedium tuarum aſſiſtricem ſapientiam,* &c. Sa.7.& 9.

Ad Pſalm.1. Vnde & Salomon ait: *Deus mortem nõ fecit, nec lætatur in perditione viuorum.*

Ad Pſal.118. Quid ſit ſcientia doceat te Salomon, qui ait de Domino Deo noſtro: *Ipſe enim mihi dedit eorum, quæ ſunt, cognitionem veram.* Sap.7.

De Spiritu ſancto lib.3.cap.19. Docere non poſſunt, & auctoritatem requirũt, vt lectione doceamus, quia non peccauit Spiritus ſanctus, ſicut de Filio lectum eſt: *Quia peccatum non fecit.* Et hoc accipiant Scripturarum auctoritate nos docere. Scriptũ eſt enim: *Quia in ſapientia eſt ſpiritus intelligentiæ, ſpiritus vnicus, multiplex, ſubtilis, bene mobilis, diſertus, immaculatus. Immaculatus* dicit Scriptura. Nunquid mentita eſt de Filio, vt de Spiritu credas eſſe mentitam? Dixit enim Propheta in eodem loco de Sapiẽtia, *quia nihil maculoſum in illam incurrit.* Ipſa immaculata eſt, & immaculatus eſt eius Spiritus. Sap.7.

Optatus Mileuitanus. 370.

Contra Donatiſtas lib.2. Quiſquis talis ex vobis eſt, fruſtra ſe Chriſtianum aut ſacerdotem Dei profitetur, qui lenitatem non curat, cùm ſcriptũ ſit: *Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione iuſtorũ.* Sap.1.

Lib.4. Rationem veritatis, frater Parmeniane, vel ſerò addiſce, quoniam nunc tempus inueniſti diſcendi. Et illud quòque in Salomone Propheta lectum eſſe dixiſti: *Filios adulterorum inconſummatos, & ſpuria vitulamina altas radices dare non poſſe.* Sap.4.

Philaſtrius. 380.

Capite de Pythoniſſa: Cùm Propheta dicat: *Iuſtorũ animæ in manu Domini ſunt, & non tanget eos mors:* quomodo anima impia piam animam, & Prophetam ab inferis potuit excitare? Sap.3.

Fœbadius. 380.

Libro contra Arianos: Hic eſt Spiritus notitiæ & veritatis, per quem Salomon de Dominica natiuitate: *Quid ſit,* inquit, *ſapientia, & quemadmodum facta ſit referam, & ab initio natiuitatis inueſtigabo eam,* &c. Non tam ergo à vobis minor maieſtate Filius dicitur, quàm Deus negatur, ille inquam, de quo Salomon ait: *Splendor eſt lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula Dei maieſtatis.* Sap.6. Sap.7.

Georgius Bæticus. 380.

Libro contra Arianos: Sed & poſtquam Apoſtolus Ioannes in Apocalypſi hæc dicit: *Amen, teſtis fidelis, initium creaturæ Dei, qui eſt, & qui erat.* Et Salomon inter cætera ait de Sapientia, quæ vtique Chriſtus eſt, Dei Filius: *Splendor enim eſt lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula,* &c. Apoc.1. Sap.7.

Fauſtinus. 390.

Lib. contra Arianos cap.3. Sed adhuc Salomon ait: *Et eadem ſapientia permanens in ſemetipſa manet.* Et alibi Salomon dicit: *Non enim eſt impoſsibilis omnipotẽs manus tua.* Sap.7. Sap.18.

Hieronymus. 390.

Ad cap.1. Eſaiæ: *Va fortes Iſraël,* quod nos ſic edifſerere poſſumus, vt dicamus, principes quoque corripi, & robuſtos, de quibus ſcriptum eſt: *Potentes potenter tormenta patientur.* Et: *Cui plus datur, plus exigetur ab eo.* Abutimurq; hoc teſtimonio, ſi quando opus fuerit aduerſum Eccleſiæ principes, qui ſuam deſtruunt operibus dignitatem. Sap.6.

Ad cap.18. Hieremiæ: Iactant (*Iudæi*) in ſacerdotibus & ſapientibus & in pſeudoprophetis legem & cõſilium Dei, & eloquium permanere, dicente Scriptura: *In peruerſam animam non intrabit Sapiẽtia* Sap.1.

Epiſt.13. ad Paulinum de inſtitutione monachi cap.1. Noli annorum nos æſtimare numero, nec ſapientiam canos reputes, ſed canos ſapiẽtiam, Salomone teſtante: *Cani hominis prudentia eius.* Nam & Moſes ſeptuaginta presbyteros iubetur eligere, *quos ipſe ſciret eſſe presbyteros,* vtique non æuo, ſed prudentia iudicandos. Sap.4. Exod.18.

Ruffinus. 390.

In expoſitione Symboli: Vnde cùm hæc & horum ſimilia quàm plurima in repromiſſionibus habeat reſurrectio iuſtorum, nõ erit iam difficile credere etiam illa, quæ Prophetæ prædixerũt, quòd *iuſti fulgebunt ſicut ſplendor firmamenti in regno Dei.* Sap.3.

Concilium Carthaginenſe Tertium. 397.

Cap.47. Sunt Canonicæ Scripturæ: Geneſis, Exodus, &c. Salomonis libri quinq;, libri duodecim Prophetarum, &c. Sap.1.

Chromatius. 400.

Ad cap.5. Matthæi: In verbis noſtris nullum debet eſſe mendacium; quia vtrumq; & periurium, & mendacium diuini iudicis pœna damnatur, dicente Scriptura: *Os, quod mentitur, occidit animam.*

Tichonius. 400.

Regula 3. Cùm in hoc gloriatur Salomon, ſciſſe non ex homine, ſed ex dono eſſe hominis continentiam: *Cùm ſciui,* inquit, *quia aliter non poſſum eſſe continens, niſi Deus dederit; & hoc ipſum erat ſapientia, ſcire cuius hoc donum eſſet, adij Dominum, & deprecatus ſum:* iudicio Salomonis credendum eſt, &c. Sap.8.

Auguſtinus. 400.

De moribus Manichæorum lib.1. c.16. Potuit ne quicquam magis concinere his teſtimonijs noui Teſtamenti, quàm illud quoq; in vetere dictum eſt de Sapientia: *Attingit autem à fine vſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter?* Namq; attingere fortiter, magis virtutem ſignificat: diſponere autem omnia ſuauiter, quaſi artem ipſam atque rationem, &c. Dicit Propheta: *Sanctus enim Spiritus diſciplinæ effugiet dolum.* Vbi enim dolus, ibi charitas nulla eſt. Dicit Paulus Deum eſſe Spiritum ſanctum, & ideo non eſſe creaturam. Dicit Propheta: *Et miſeris Spiritum ſanctum de altiſſimis.* Solus enim Deus altiſſimus, quo nihil eſt altius. Sap.8. Sap.1. Rom.5. Sap.9.

De Trinitate lib.13. cap.16. Non ſicut hominis animi perturbatio eſt ira Dei, ſed illius ira eſt, cui dicit alio loco ſancta Scriptura: *Tu autem Domine virtutum cum tranquillitate iudicas.* Si ergo iuſta diuina vindicta tale nomen accepit, etiam reconciliatio Dei, quæ rectè non intelligitur, niſi cum talis ira finitur? Sap.12.

Lib.14.cap.1. Secundùm hanc itaq; ſapiẽtiam, quæ Dei cultus eſt, ait ſancta Scriptura: *Multitudo ſapientium ſanitas eſt orbis terrarum.* Sap.6.

In expoſitionibus quarundam quæſtionum in epiſt. ad Romanos, quæſt.8. Sic diſtinctus eſt etiam ille locus in Sapientia Salomonis, vbi cùm enumeraſſet ſuperiora flagitia, ait: *Circumueniamus pauperẽ iuſtum: quoniam inutilis eſt nobis.* Sap.2.

De prædeſtinatione Sanctorum lib.1. c.14. Cyprianus libro de mortalitate & illud teſtimoniũ ponit de libro Sapientiæ: *Raptus eſt, ne malitia immutaret intellectum eius.* Quod à me quoque poſitum, fratres iſtos ita reſpuiſſe dixiſtis, tamquam non de libro Canonico adhibitum, quaſi & excepta huius libri atteſtatione, res ipſa nõ clara ſit, quam volumus hinc doceri. Quis enim audeat negare Chriſtianus, *iuſtum, ſi morte præoccupatus fuerit, in refrigerio futurum?* &c. Quæ cùm ita ſint, non debuit repudiari ſententia libri Sapientiæ, qui meruit in Eccleſia Chriſti de gradu lectorũ Eccleſiæ Chriſti tam longa annoſitate recitari, & ab omnibus Chriſtianis, ab Epiſcopis vſq; ad extremos laicos fideles, pœnitentes, catechumenos, cum veneratione diuinæ auctoritatis audiri, &c. Qui ſententijs tractatorum inſtrui volunt, oportet vt iſtum librum Sapientiæ, vbi legitur: *Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum eius,* omnibus tractatoribus anteponant: quoniam ſibi eum antepoſuerunt etiã temporibus proximi Apoſtolorum egregij tractatores, qui eum teſtem adhibentes, nihil ſe adhibere niſi diuinum teſtimonium crediderunt. Sap.4.

De dono perſeuerantiæ capite 17. Et de continentia legitur in libro Sapientiæ, cuius auctoritate vſi ſunt magni & docti viri, qui longè ante nos eloquia diuina tractârunt. Ibi ergo legitur: *Cùm ſcirem quia nemo poteſt eſſe continens, niſi Deus det.* Sap.8.

De doctrina Chriſtiana lib.2. cap.8. Illi duo libri, vnus, qui Sapientia: & alter, qui Eccleſiaſticus inſcribitur, quoniam in auctoritatem recipi meruerunt, inter Propheticos numerandi ſunt.

Innocentius Primus. 410.

Epiſtola ad Exuperium cap.7. enumerans Canonicos Scripturæ libros, ait: Geneſis, Exodus, &c. Salomonis libri quinq; libri duodecim Prophetarũ, &c.

Maximus Taurinenſis. 430.

De viro perfecto apud Hieronymum tomo 10. epiſt.7. *Si enim cognouiſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent:* de ipſa, inquam, ſe Apoſtolus transformatum corpori claritatis Domini, in lucẽtia membra rediturum ait. Per Salomonem quoque iſtud Sapientia promittente, cùm dicit: *Fulgebunt iuſti, & tamquam ſcintillæ in arundineto diſcurrent.* 2. Cor.3. Sap.3.

Idacius. 430.

Libro 1. contra Arianos: Idem Filius eſt candor æternæ lucis, & ſine macula deitatis, quam Salomon ſuper ſalutem ſuam dilexiſſe dixit, & Filium ſecundùm diuinitatem ſemper fuiſſe, vel eſſe, diuina vbiq; teſtantur eloquia, Salomone id ipſum clarius affirmante: *Immortalitas in cognitione ſapientiæ, & amicitiæ illius delectatio bona.* Sap.17. Sap.8.

Philippus Preſbyter. 430.

Lib.2. in Iob cap.4. Diuitum & pauperum vna eſt naſcendi & moriendi conditio: *Vnus,* inquit Salomon, *introitus ad vitam omnibus, & ſimilis exitus.* Sap.7.

Petrus Chryſologus. 440.

Sermone 101. Deus vitam fecit, diabolus machinatus eſt mortem, diuino eloquio ſic prodente: *Deus mortem non fecit; inuidia autem diaboli mors intrauit in orbem terrarum.* Sap.2.

Serm.109. Audi Scripturam dicentem, anima qualibus & quantis corporis aggrauetur: *Corpus quod corrumpitur aggrauat animam, & deprimit terrena cogitatio ſenſum multa cogitantem.* Sap.9.

Victor Cartennæ Epiſc. 450.

De pœnitentia cap.1. Non optat vlciſci, qui paratus eſt miſereri, ipſo de ſe per Prophetam dicente: *Nolo mortem morientis, ſed vt cõuertatur, & viuat.* Ezec.33. Quibus Sapientia concinens Salomonis: *Deus,* inquit, *mortem non fecit, nec lætatur in perditione viuorum.* Sap.1.

Proſper Aquitanicus. 450.

De vocatione Gentium lib.1. cap.24. In libro Sapientiæ de eodem gratiæ opere ita dicitur: *Quoniam ipſe & ſapientiæ dux eſt, & ſapientum emendator. In manu enim eius & nos, & ſermones noſtri.* De continentia quoq; quòd ex Dei habeatur munere, eadẽ Scriptura ſic loquitur: *Vt ſciui, quia aliter non poſſum eſſe continens, niſi Deus det, & hoc ipſum erat ſapientiæ, ſcire cuius eſſet hoc donum.* Sap.7. Sap.9.

Eucherius Lugdunenſis. 450.

De ſpiritualibus formulis cap.3. In Salomone quid dicturi ſunt reprobi in fine: *Ergo ſol iuſtitiæ non illuxit nobis.* Sap.5.

Cæſarius Arelatenſis. 470.

Hom.16. Quòd autem qui inuidus eſt, ſine demone eſſe non poteſt, ſicut Scriptura dicit: *Inuidia diaboli mors intrauit in orbem terrarum,* &c. Scriptura teſtis eſt: *Perdes,* inquit, *omnes qui loquuntur mendaciũ.* Et iterum: *Os, quod mentitur, occidit animam.* Sap.2. Pſal.5. Sap.1.

Cerealis. 470.

Aduerſus Maximinum Arianum cap.5. Quòd omnipotẽs eſt Filius, ſic docetur. In Salomone legitur: *Omnipotẽs Sermo tuus à regalibus ſedibus tuis in mediam exterminij terram proſiliuit.* Sap.18.

Eugenius Carthaginenſis. 480.

De fide ad Hunericum: Patris ergo ſubſtantiam Filium eſſe propheticis iam olim deſignatum eſt oraculis, dicente Salomone: *Subſtantiam enim & dulcedinẽ, quam in filios habebas, oſtendebas,* &c. De Spiritu ſancto, quòd vbiq; ſit, dicit Propheta ex perſona Dei: *Ego in vobis, & Spiritus meus ſtat in medio veſtrum.* Et Salomon ait: *Spiritus Domini repleuit orbem terrarum, & hoc quod continet omnia ſcientiam habet vocis.* Sap.16. Sap.1.

Claudianus Mamertus. 480.

De ſtatu animæ lib.1. Audiamus igitur quid imaginis ſuæ pronuntiet inimicis diuina Sapientia: *Dixerunt impij cogitantes non rectè, & exiguum cum tædio eſt tempus vitæ noſtræ,* &c. Impij ergo hæc dixerũt, ſuper quos paulò pòſt hæc eadem Scriptura ſic loquitur: *Excæcauit enim illos malitia eorum.* Sap.2.

Fulgentius. 500.

Ad Thraſimundum Regem lib.1. cap.18. Quod propheticè per Salomonem ſpiritali gratia cernimus intimatum, cùm ait: *Anima iuſti ſedes eſt ſapientiæ.* Sap.7.

Lib.2.cap.9. Vbi autem vnius infinitatis cum Patre Filius monſtraretur, ſancta Scriptura curauit de Sapientia dicere: *Splendor eſt enim lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula Dei maieſtatis.* Sap.7.

Epiſt.7. cap.3. Scriptum tenetur in literis ſacris: *Sapientiam non vincit malitia.* Sap.7.

Primaſius. 540.

Ad cap.16. Apocal. In Sapientiæ quoque libro ait: *Sanguine ſordido turbati in redargutione.*

Iunilius Africanus. 540.

In Geneſin: *Et Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas.*) Non eſt opinandum pueriliter, quòd Spiritus creator, de quo ſcriptum eſt: Quia *Spiritus Dei repleuit orbem terrarum,* poſitione loci, his, quæ erãt creanda, ſuperferretur, ſed, &c. Sap.1.

Caſſiodorus. 550.

Prologo in Pſalterium: Nam ſicut eſt in libro Sapientiæ Salomonis: *Spiritus enim ſanctus diſciplinæ fugiet fictum.* Sap.1.

Ad Pſal.1. Legitur in Salomone: *Omnia in menſura, numero, & in pondere Deum feciſſe.* Sap.2.

Gildas Badonicus. 560.

De excidio Britannico: Hæc de Prophetarum ſanctorũ minis dixiſſe ſufficiat. Pauca tamen de Sapientia Salomonis, quæ cùm hortationem, vel denuntiationẽ exprimãt regibus, non minus, quàm minas huic opuſculo inſerere neceſſarium duxi. Audiamus itaq; quid Propheta regius dixit: *Diligite,* inquiens, *iuſtitiam, qui iudicatis terram: ſeruite Domino in bonitate, & ſimplicitate cordis,* &c. Sap.1.

Gregorius Turonenſis. 580.

Vitæ S. Iuliani Martyris cap.20. Sæpe hoc ille audierat, qui Baſilicæ ſanctę violentiam intulit: ſed iniquam mẽtem ſemel obſeſſam vitio, bonitas mollire non potuit, Salomone obteſtante: *In maleuolã animam non ingreditur ſapientia.* Sap.1.

Gregorius Magnus. 590.

Lib.5. Moralium in Iob cap.14. Si rectos Deus prouidendo non raperet, nequaquam de iuſto Sapientia dixiſſet: *Raptus eſt, ne malitia immutaret intellectum eius.* Sap.4.

Homil.5. in Ezechielem: Qua igitur ratione diſcurrere Spiritum dicamus, dum cuncta intra ipſum ſint, & locus nuſquam ſit, vbi non ſit, ſicut ſcriptũ eſt: *Spiritus Domini repleuit orbem terrarum:* Et tamẽ cùm laus ſapientiæ deſcriberetur, adiunctum eſt: *Eſt enim in illa ſpiritus intellectus, ſpiritus vnicus, ſpiritus multiplex,* &c. Sap.7.

In Pſal.4. Pœnitent. Et Salomon ait: *Spiritus ſanctus diſciplinæ effugiet fictum, & auferet ſe à cogitationibus, quæ ſunt ſine intellectu.* Sap.1.

Iſidorus Hiſpalenſis. 620.

Lib.6. Etymol. cap.1. Quartus ordo veteris Teſtamenti librorum apud nos eorum eſt, qui in Canone Hebraico non ſunt: quorum primus eſt Sapientiæ liber, ſecundus Eccleſiaſticus, tertius Tobiæ, &c. Quos licet Hebræi inter Apocrypha ſeparant: Eccleſia tamen Chriſti inter diuinos libros & honorat, & prædicat.

Audoenus. 650.

Vitæ S. Eligij cap.16. Mendacium ſemper fugite: Non enim minimum crimen eſt, dicente Scriptura: *Os, quod mentitur, occidit animam.* Sap.1.

Hildephonſus Toletanus. 660.

Sermone 2. de Aſſumptione B. Mariæ: Quòd ſi *anima iuſti* cuiuslibet *ſedes eſt ſapientiæ,* teſte Scriptura, multo magis huius anima, quam Spiritus ſanctus ſic impleuit, etiam ante conceptionis horam, vt ſalutaretur ab Angelo. Sap.7.

Concilium Toletanum Vndecimum. 674.

In Profeſſione fidei: Nam ſi attendamus illud, quod Scriptura dicit de Sapientia: *Splendor eſt lucis æternæ,* ſicut ſplendorem videmus luci inhærere inſeparabiliter; ſic confitemur Filium à Patre ſeparari non poſſe. Sap.7.

Beda. 700.

Ad cap.17. Ioannis: Et hoc quidem in omnibus intelligi poteſt de illo, cui veraciter dicitur: *Nihil odiſti eorum, quæ feciſti.* Sap.11.

Alcuinus. 750.

De Trinitate lib.2. cap.7. De Spiritu quoq; ſancto Scriptura ſancta ſic loquitur: *Quia Spiritus Domini repleuit orbem terrarum.* Sap.1.

Haymo. 820.

Ad cap.11. epiſt. ad Rom. Idcirco omnipotens Deus præcipit ſibi vindictam reſeruari, vt ipſe, qui immutabilis eſt, iudicet illos; & qui non mouetur ad iram, iuxta quod ei eximius orator Salomon dixit: *Tu autem Domine cum tranquillitate iudicas omnia.* Sap.11.

Rabanus Maurus. 850.

De inſtitutione cleri lib.2.cap.53. Hi ſunt libri veteris Teſtamẽti, Moſis libri quinque, &c. liber Pſalmorum, & Prouerbiorum, & Eccleſiaſtes, & Cantica Canticorum, Sapientiæ, Eccleſiaſticus, &c.

Lib.2. in Exod. ca.10. Et in Salomone ſcriptum eſt: *Spiritus ſanctus diſciplinæ effugiet fictũ, & in maleuolam animam non introibit ſapientia.* Sap.1.

Nicolaus Primus. 860.

Epiſt.12. Quamobrem valde nobis metuendum eſt, quod Sapientia terribiliter mundi principes admonet, dicens: *Diſcite iudices finium terræ,* &c. Sap.6.

Eulogius Presbyter. 860.

Libro apologetico ſanctorum Martyrum: Quid intereſt quo mortis genere ex hac vita mortis excedat, quando, vt ſcriptum eſt: *Iuſtus quacumque die morte præoccupatus fuerit, anima eius in refrigerio erit?* Sap.4.

Remigius Antiſiodorenſis. 880.

Ad cap.2. Ioëlis: Coadunate ſenes non ſolùm ætate, ſed & moribus & prudẽtia, de quibus dicit Salomon: *Cani ſunt ſenſus hominis, & ætas ſenectutis vita immaculata.* Sap.4.

Altercatio Synagogæ & Eccleſiæ. 900.

Cap.2. Nam hoc eſt, quod ait Scriptura: *Ingrati ſpes tamquam glacies hyemalis transijt.* Sap.16.

Radulphus Flauiacenſis. 930.

Lib.4. in Leuiticum c.1. Notum autem eſt, teſte Scriptura: quia *iuſtorum* corporibus in pace ſepultis, *animæ* quoq; eorum *in manu Dei ſunt.* Sap.2.

Smaragdus Abbas. 970.

Ad cap.7. Regulæ D. Benedicti: Dicit enim Scriptura: *Cogitatio ſtulti peccatum eſt:* & vt intelligeres quale peccatum, dicit eadem Scriptura in alio loco: *Peruerſæ cogitationes ſeparant à Deo.* Prou.24. Sap.1.

Fulpertus Carnotenſis. 1000.

Serm. de Aſſumpt. Mariæ: Sed quis hæc ad plenum ita poteſt calcare, vt ab hac æmulatione, ijſdem vitijs interpellantibus, nec ad momentum ſe credat abſtrahi, cùm Scriptura pronũtiet: *Corpus, quod corrumpitur, aggrauat animam,* &c. Sap.9.

Leo Nonus. 1050.

Epiſt. ad Michaelem & Leonem cap.4. Catholica Eccleſia promiſſiones tuas retinens Domine, quotidie gaudet cõpleri in Doctoribus ſuis illud libri Sapientiæ: *Fulgebunt iuſti, & tamquã ſcintillæ in arundineto diſcurrent.* Sap.2.

Petrus Damianus. 1060.

Epiſt.4.cap.4. Hinc eſt, quòd eos in afflictione ſpiritus conqueri Scriptura teſtatur: *Exiguum,* inquiunt, *& cum tædio eſt tempus vitæ noſtræ, & non eſt refrigerium in fine hominis,* &c. Et Salomon ait: *Tamquam momentum ſtateræ, ſic eſt ante eum orbis terrarũ.* Sap.2. Sap.11.

Anſelmus Cantuarienſis. 1080.

Ad cap.1. epiſt. ad Rom. Deus illos iuſtè deſeruit, qui ſibi prætulerũt idola: & ſicut Scriptura loquitur: *Initium fornicationis eſt exquiſitio idolorum,* &c. Sap.14.

Hildebertus Cenomanenſis. 1100.

Epiſt.47. Et Salomon: *In maleuolam animam,* inquit, *non intrabit Sapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis.* Sap.1.

Bernardus. 1130.

Sermone de donis Spiritus ſancti cap.6. Niſi mentis intuitus diligenter purificatus fuerit, myſtica & diuina rectè intelligere nequit. Nam ſcriptũ eſt: *Spiritus ſanctus diſciplinæ effugiet fictum,* &c. Sap.1.

Hugo Victorinus. 1130.

Eruditionis Theologicæ tractatu de filia Iephthe: Hunc imitata multa Martyrum millia, vſque ad mortem pro veritate certârunt, & ab inimicis ſæuiẽtibus immolata ſunt. De quibus dicit Scriptura: *Tamquam aurum in fornace probauit eos.* Sap.3.

Richardus Victorinus. 1140.

Lib.1. de eruditione hominis c.14. Salomonis ſententia eſt, quòd ſolus ipſe ſcit omnia, vel ſciat omnia corda filiorum hominum. Sap.9.

Guarricus Igniacenſis. 1170.

Serm.4. de Aduentu Domini: Qui igitur viam Domini parare feſtinas, primò omnium bona ſit voluntas: *quoniam in maleuolam animam non introibit ſapientia.* Sap.1.

Innocentius Tertius. 1200.

Myſteriorum Miſſæ lib.1. cap.12. Hanc quidem allegoriam libri Sapientiæ confirmat auctoritas, dicens: *In veſte poderis, quam habebat, totus erat orbis terrarum.* Sap.16.

Guilhelmus Aluernus. 1230.

De diuina Rhetorica cap.52. Non corde dimidio, aut quolibet modo partito, orandus eſt Deus: ſed exemplo Salomonis: *Ex totis præcordijs meis dixi: Da mihi ſedium tuarum aſſiſtricem ſapientiam.* Sap.8.

Bonauentura. 1260.

Prologo in Lucam: Sermo Euangelicæ prædicationis effectum & fructũ adfert curationis, ſecundùm illud Sapientiæ 16. *Etenim neque herba, neque malagma ſanauit eos, ſed tuus Domine ſermo, qui ſanat omnia.*

Iacobus Genuenſis. 1280.

Sermone 2. de Dominica 2. Aduentus. Quanto potentiores, tanto contra eos ſæuiorem ſententiam proferet: Sap.2. *Potentes potenter tormenta patientur.*

Ioannes à Sancto Geminiano. 1300.

In Summa de Exemplis libro 5. capite 52. Fictus & hypocrita quot habet in se vitiorũ malitias, tot etiam habet in se nocendi vel fallendi vias: & ideò talem meritò Spiritus sanctus fugit, secundùm illud Sapientiæ: *Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum.* Sap.1.

Augustinus Triumphus. 1320.

De potestate Ecclesiastica quæstione 48. art.4. Nimium diligentes carnalia, vt filios vel vxores colentes, talia pro Dijs directè faciunt, contra primum præceptum, quo præcipitur vnum solũ Deum coli. Vnde Sapientiæ 14. scribitur: *Acerbo luctu dolens pater, citò sibi rapti filij facit imaginem, & eum, qui quasi homo mortuus fuerat, tamquam Deum colere cœpit.*

Rupertus Holcotius. 1360.

In librum Sapientiæ lect.1. De auctore libri Sapientiæ sunt variæ Sanctorũ opiniones. Videtur enim Hieronymus dicere, quòd Philo quidam Iudæus librum istum ex multis sententijs editis à Salomone compilauit: sed contra illam sententiam sunt euidentia argumenta. Primò, quòd libro 4. Ecclesiasticæ historiæ dicitur sic: Egesippus, & Irenæus, & omnium antiquorum chorus librũ, qui intitulatur Sapientia, Salomonis esse dixerunt. Item Matth.27. Glossa ordinaria: Prædictũ erat in libro Sapientiæ: *morte turpissima condemnemus eum.* Igitur ante passionem Christi liber fuit editus. Non igitur à Philone, qui floruit tempore Apostolorum. Item libri Philonis eiusdem in Ecclesiasticis historijs numerantur, vbi non ponitur iste liber. Item infra capite 9. dicitur: *Tu elegisti me regem populo tuo,* &c. quod Philoni non conuenit.

Ioannes Gerson. 1420.

In Sermone de Spiritu sancto: *Spiritus Domini replevit orbem terrarum.* Hoc præclarum Sapientis elogium decantat in exultatione cordis, in iubilo vocis sancta mater Ecclesia, recolens in ipso Missarum Introitu stupendum nimis aduentum Domini in orbem terrarum. Sap.1.

Laurentius Iustinianus. 1430.

De casto connubio Verbi & animæ cap.22. Visibilium & inuisibilium conditor Deus singula quæque sic ordinauit, vt nihil eorum quæ fecit absque certa prouidentiæ lege reperiatur confusum: *Omnia* (prout diuina pandit Scriptura): *in numero, pondere & mensura constituit: cuncta quoque proprium & sibi congruum direxit ad finem.* Sap.1.

Antoninus Florentinus. 1450.

Secunda parte Summæ tit.2. cap.8. §.5. Animam humanam cum corpore mori, tamquam falsissimũ non solùm negat veritas fidei, sed & sacra Scriptura, dicens Sapientiæ 5. *Iusti in perpetuum viuent.*

Ioannes Trithemius. 1490.

Homilia 3. *Iustitia, sicut testatur Scriptura, perpetua est, & immortalis.* Sap.1.

ARTICVLVS DECIMVS.

LIBRVM HESTHER VT CANONICAM SCRIPTVRAM VALERE AD ECCLESIÆ DOGMATA CONFIRMANDA.

Anno post Christũ natum.

OLIM DVBITABANT.

160. MELITO *Sardensis,* epistola ad Onesimũ, *recensens sacræ Scripturæ libros, Esther nullam mentionem facit.*

340. *Athanasius,* in Synopsi, *Hesther recenset inter libros non Canonicos, catechumenis tantùm prælegendos.*

370. *Amphilochius,* in Iambis ad Seleucum, *recensens veteris Legis libros Canonicos, de libro Hesther subycit, quasi dubitans:* Adijciunt illis deinde Hesther aliqui.

380. *Gregorius Nazianzenus,* in carminibus de sacris Scripturis, *huius libri non meminit.*

390. *Hieronymus,* Præfatione in lib Hesther, *septem postrema capita, quæ non in Hebræo, sed in Græco extant, vera libri esse membra negare videtur.*

540. *Iunilius Africanus,* de partibus diuinæ Legis, *librum Hesther inter eos numerat libros, de quibus aliqui dubitant.*

NVNC OMNINO NEGANT.

1520. Martinus Lutherus de seruo arbitrio contra Erasmum: *Hesther librum Iudæi habent in Canone, digniorem omnibus, me iudice, qui extra Canonem haberetur.*

In Colloquijs conuialibus cap. de Scripturis sacris: *Cùm Doctor Lutherus secundum librum Machabæorum*

chabæorum corrigeret, dicebat: Ego isti libro, & libro Esther adeò infensus sum, vt optarem neutrum eorum extare. Nimium enim Iudaizant, & multa habent, quæ Gentilium superstitionem sapiunt.

1560. *Ioannes Brentius,* in Apologia confessionis VVirtembergensis, *posteriora septem huius libri capita inter apocrypha recenset.*

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Clemens Alexandrinus. 200.

Lib.3. Pædagogi cap.2. Solam Hesther inuenimus iustè ornatam. Mysticè ornabatur mulier regi suo, sed eius pulchritudo inuenitur pretium, quo liberatus fuit populus, qui interficiebatur.

Lib.1. Stromat. In hac captiuitate fuit Hesther, & Mardochæus, cuius habetur liber.

Lib.4. Stro. Et rursus perfecta illa in fide Hesther Israelem à tyrannica potestate liberãs, & à crudelitate Satrapę: sola mulier afflicta ieiunijs restitit armatis copijs innumerabilibus, tyrãnicum per fidem soluens decretum, & tyrannum quidem mitigauit, Aman verò repressit, & Israelem perfecta ad Deum oratione illæsum conseruauit.

Origenes. 230.

Ad Psal.1. referens veteris Legis libros: Sunt 22. libri apud Hebræos. Primus Genesis est, &c. vigesimus Iob, vigesimus primus Hesther, &c.

Epist. ad Iulium Africanum: In multis quoque alijs sanctis libris inuenimus alicubi plus esse apud nos, quàm apud Hebræos; alicubi autem minus. Exempli causa, quoniam non assumi possunt omnia, pauca proferemus: vt in libro Hesther neque Mardochæi, neque Hesther preces, quæ legentes possunt ædificare, habentur apud Hebræos: sed neque epistolæ, neque quæ ab Aman scripta est, de euersione gentis Iudæorum: neque Mardochæi ex nomine regis Artaxerxis, gentem à morte liberans. Apud Septuaginta autẽ, & apud Theodotionẽ ea sunt, &c. Vide ergo, ne imprudentes, & inscientes abrogemus, quę habentur passim in Ecclesia: & legem statuamus fraternitati, vt deponant quidem sacros, qui apud eos ferũtur, libros: assentiantur autem Hebræis, & persuadeant, & nos puris impertiant, & qui nihil habeãt figmenti. An non prouidentia in Scripturis sanctis dedit omnibus Christi Ecclesijs ædificationem? Non curam gessit eorum, qui empti sunt pretio, pro quibus Christus est mortuus?

Lib.3. de Principijs cap.2. Dicebamus sanè in superioribus, quòd etiam memoriæ nobis quædam, vel bonorum, vel malorum suggerantur, siue per diuinam prouidentiam, siue per virtutes contrarias, sicut ostenditur in libro Hesther, cùm beneficium iustissimi Mardochæi Artaxerxes non inuenisset, & nocturnis vigilijs fatigatus à Deo in memoriam recepisset rerum gestarũ monumenta chartis mandata requirere. Esth.8.

Ad cap.12. epist. ad Romanos: Hoc ergo Scriptura illa continebat, quòd missus esset à Domino Angelus iste ad Hesther, vt ei gratiã daret apud regem. Esth.1.

Eusebius Cæsareensis. 320.

In Chronicis Olympiade 94. Persarum 11. Artaxerxes, qui cognominatus est Mnemon, Darij & Parasitiditis filius annis 40. sub hoc rege mihi videtur historia, quæ in Hesther libro continetur, expleta. Ipse quippe est, qui ab Hebræis Assuerus, & à Septuaginta interpretibus Artaxerxes vocatur.

Athanasius. 340.

Exhortatione ad monachos: His (*ieiunijs*) Mardochæus Aman crudelem superbia, præparato sibimet ligno acceptæ pœnæ conuersione suspendit. Esth.7.

Cyrillus Hierosolymitanus. 360.

Catechesi 4. de libris veteris Testamenti: Esdræ primus & secundus pro vno reputantur: duodecimus liber est Hesther.

Concilium Laodicense. 360.

Can.59. Non oportet libros non Canonicos, sed solos Canonicos veteris & noui Testamẽti in Ecclesia legi. Hęc sunt, quę legi oportet ex veteri Testamento: Genesis, Exodus, Leuiticus, Numeri, Deuteronomion, Iesu Naue, Iudices, Ruth, Hesther, Regum primus & secundus, &c.

Epiphanius. 380.

Libro de ponderibus & mensuris, enumerãs sacræ Scripturæ libros: Quartus quinarius est propheticus: Duodecim Prophetæ liber vnus. Manserunt etiã extra hunc ordinem alij duo libri ipsius Esdræ, qui pro vno reputantur, & alius liber Esther appellatus.

Ioannes Chrysostomus. 400.

Homil.3. ad populum Antiochenum: Fuit quædam mulier Hebræa, Hesther erat ipsi nomen: hęc Hesther vniuersum Iudęorum populũ internecione delendum sic eripuit. Postquam Persarum Rex omnes passim Iudæos interimi iussit, & nullus erat, qui contra iram illius obsistere posset, pristinum vestitum exuta mulier, & sacco amicta, & cinerem substrata, diuinæ clementiæ supplicabat, vt secum ad regem ingrederetur, & talia orans verba ad ipsum dabat: *Grata Domine fac verba mea, & da sermonem ornatum in os meum.* Hæc & pro magistro nos nũc Deum oremus. Si enim mulier pro Iudæis supplicans, barbaricum corripere furorẽ potuit: multò magis Doctor noster pro tali ciuitate, & cum tanta Ecclesia supplicans, benignissimum & mitissimum hunc Regem flectere poterit. Esth.14.

Ioannes Cassianus. 420.

Collat.1. cap.19. Aliquando referat nobis Deus cælestia sacramenta, & propositum nostrum ad meliores actus, voluntatemq; conuertit: vt ibi cùm Rex Assuerus castigatus à Domino, libros annales instigatur inquirere, quibus Mardochæi beneficia recordatus, summi eum gradu honoris exaltat, ac protinus crudelissimam super nece gentis Iudææ sententiam reuocat. Esth.6.

Nilus. 430.

De interemptione Patrum Sinæ: Quocirca dicebam: ô Domine & Deus muta cor ferinum ferarum verè immanium ad clemẽtiam & mansuetudinem, qui mutasti iram in Esther inflammatam Assueri regis Mediæ, & eius immitem animum conuertisti ad misericordiam. Esth.15.

Ioannes Damascenus. 730.

Orthodoxæ fidei lib.4. cap.16. Libri porrò hoc Testamento comprehẽsi sic se habent. Legales quinque sunt: Genesis, Exodus, &c. His accedunt libri duo Esdræ, qui in vno libro connectuntur, & Hesther, &c.

Simeon Metaphrastes. 950.

In vita Pionij Presbyteri: Nunc impij seniores insidias Susannę tetenderunt: nunc Aman insultat: Esther autem, atq; vniuersa ciuitas perturbatur. Nunc non fames panis, neq; aquæ sitis; sed audiendi verbi Domini fames ac sitis premit. Esth 3.

Michael Glycas. 1100.

Part.2. Annalium: Inter alios, quos Nabuchodonosor captiuos abduxerat, fuerunt Mardochæus & Esthera mulier. Hi cùm regnante Artaxerxe su-

perſtites adhuc forent, fortè accidit, vt cùm Mardochæus in aula regia duorum Eunuchorũ conſilia deprehendiſſet, aduerſus regem inita, rem omnem regi renunciârit, qua patefacta illi morte mulctabantur. Hinc offenſus Amanus auctor regi fuit, vt Iudæos adoriretur, miſſiſq; litteris ad centum viginti ſeptem regionum præſides, imperaret, vt quotquot vbique gentium Iudæi reperirentur, omninò morte afficerentur. Hanc rem vbi Heſthera regina cognouiſſet, cõpleto trium dierum ieiunio, Deum initio precatur, inde regem Artaxerxem huiuſmodi verbis alloquitur: Cùm te Rex intuerer Angelo diuino conſimilem, cor meum formidine maieſtatis tuæ perculſum planè ſe dimiſit, & contabuit. Tum rex illam hortari, vt qđ vellet à ſe peteret. Interim Amanus Mardochæo in regia conſpecto, totus in hoc incumbere, vt hominem in crucem ageret. Verùm Deus adempto regi ſomno, quo minus Amani conſiliũ ſuccederet, impediuit. Cùm enim Rex noctu præ quadã animi ægritudine non dormiret, fortè ſecum ipſe Mardochæi meritum recognoſcens, expendit. Quapropter inuito Amano Mardochæus honoribus ampliſſimis ornatur, & Amanus è cõtrario ſuę puerſitatis pœnas luens, Eſthera regina obſecrãte, ac rẽ pficiẽte, cruci affigitur, &c.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Alexander Primus. 109.

Esth.13. *Epiſt.1.* Si Trinitas non eſt, cur Mardochæus orando: *Domine Deus omnipotens, omnia in tua ſunt poteſtate*, dixit? Si vnitas non eſt, quare *in tua* poſuit, & non in veſtra ſignauit?

Hilarius. 350.

Præfatione in Pſal.1. enumerans veteris Teſtamenti libros: Sed & Daniel *(inquit,)* & Ezechiel, & Iob, & Heſther, viginti & duum librorum numerũ conſummẽt.

Pacianus. 370.

Ad Sympronianũ epiſt.2. Sed cùm per noſtrã fidem Chriſtiani principes eſſe cœpiſſent, ipſi principes Catholicæ, id eſt, ſuæ parti fauentes, proprio dolore commoti ſunt, niſi fortè Danieli imputabitur, quòd à Dario vindicatus eſt: aut Heſtheri ſanctiſſimę fœminę, cùm pro ea dux regis occiditur; aut tribus pueris, quòd propter eos, poſt experimenta flammarum, profanis & incredulis Rex Babylonis comminatur.

Esth.7.

Ambroſius. 370.

2.Tim.2 *Ad Pſalm.36.* Et alibi dicitur: *Cognouit Dominus, qui ſunt ipſius*: non cognoſcit eos, qui non ſunt. Et Esth.14. Eſther ait: *Non des virgam regni tui iýs, qui non ſunt.* Rectè ergo iuſtus dicit: *Et tranſiui, & ecce non erat.*

Hieronymus. 390.

Epiſt.103. ad Paulinum cap.7. Heſther in Eccleſiæ typo populum liberat de periculo, & interfecto Aman, qui interpretatur iniquitas, partes conuiuij, & diem celebrem mittit in poſteros.

Epiſtola 8. ad Demetriadem, de ſeruanda virginitate: AEſtuabat Chriſti tyruncula, oderat ornatum ſuum, & cum Heſther loquebatur ad Dominum: Esth.14. *Tu noſti, quòd oderim inſigne capitis mei,* hoc eſt diadema, quo vtebatur regina, & tantæ ducam immũditię velut pannum menſtruatæ.

Ad cap.64. Eſaiæ: Si quis poſt Euangelium Chriſti, & aduentum Filij Dei, pædagogæ Legis obſeruat cæremonias, audiat populum confitentem, quòd omnis illa iuſtitia panno ſordidiſſimo cõparetur: cui & Heſther diadema ſuum, quod erat Esth.14. regiæ poteſtatis inſigne, comparat: quod nequaquam voluntate, ſed neceſſitate portabat, dicens: Esth.14. *Tu ſcis neceſſitatem meam, quoniam deteſter ſignum ſuperbiæ meæ, quod eſt ſuper caput meum in die oſtenſionis meæ: abominor illud ſicut pannum menſtruũ, nec porto in diebus quietis meæ.*

Esth. 14 *Ad cap.26. Ezech.* Vnde & Heſther contra idola loquens: *Ne tradas,* inquit, *ſceptrum tuum his, qui nõ ſunt,* &c.

Ruffinus. 390.

In Symb. Apoſtolorum: Veteris Teſtamenti primi omnium ſunt quinque libri Moſi. Poſt hæc Ieſu Naue, &c. Eſdræ libri duo, & Heſther, &c.

Concil. Tertium Carthaginenſe. 395.

Cap.47. Sunt Canonicæ Scripturæ: Geneſis, Exodus, &c. Ezech. Daniel, Tobias, Iudith, Heſter, &c.

Auguſtinus. 400.

De doctrina Chriſtiana lib.2.c.8. Totus Canon Scripturarũ his libris cõtinetur: Quinq; Moſeos, &c. Iob, Tobias, Eſther, Iudith, &c.

Epiſt.199. ad Edicią: Nempe apud Patres Heſther illa regina Deum timens, Deum colens, Deo ſubdita, marito regi alienigenæ, non eundem ſecum colenti Deum, tamen ſubiecta ſeruiebat, quæ cum extremo periculo, non ſuo tantùm, ſed etiam ſuæ gentis, quæ tunc erat populus Dei, Domino proſterneretur, orando in ipſa oratione ſua dixit, ita ſibi eſſe ornatum regium, ſicut pannũ menſtrualem: & ita orantem confeſtim exaudiuit, qui cordis inſpector eam vera dicere ſciuit. Esth. 14.

De gratia & libero arbitrio cap.21. In libro Heſther ſcriptum eſt, quę mulier ex populo Iſrael in terra captiuitatis facta fuerat vxor alienigenæ regis Aſſueri. Ergo in eius libro ſcriptũ eſt, quòd cùm haberet neceſſitatem interueniẽdi pro populo ſuo, quem rex, vbicũq; in regno eius eſſet, iuſſerat trucidari, orauit ad Dominũ: cogebat enim eam magna neceſſitas, vt præter iuſſum regis, & præter ordinem ſuum ad illum auderet intrare. Et videte quid Scriptura dicat: *Et intuitus eſt eam tamquã taurus impetu indignationis ſuæ, & timuit regina, & conuerſus eſt color eius per diſſolutionem, & inclinauit ſe ſuper caput delicatæ ſuæ, quæ præcedebat eam, & conuertit Deus, & tranſtulit indignationem eius in lenitatem.* Esth. 15.

Chromatius. 400.

Ad cap.6. Matth. Similiter Heſther ſanctiſſima dũ iota facie, & capite vncto, poſt triduanum ieiunium intelligi à rege non potuit, Aman illũ inimicum populi ſui iniquiſſimum interemit.

Innocentius Primus. 406.

Epiſt. ad Exuperium Tholoſanum c.7. Qui verò libri recipiantur in Canone ſanctarum Scripturarum breuis annexus oſtendit: Moſis libri quinque, &c. Iob liber vnus, Tobiæ vnus, Eſther vnus, &c.

Seuerus Sulpitius. 410.

Hiſtoriæ ſacræ lib.2. Mihi viſum eſt, Artaxarxi, ſub quo Hieroſolyma eſt reſtituta, Heſther hiſtoriam cõnectere, &c. Heſther Iudęa ex tribu Beniamin, vtroq; parente orba, à Mardochæo patruele educata, cùm ad regales nuptias duceretur, mandante educatore genus & patriam occultauit: admonita, ne paternarum traditionum immemor, etſi in matrimonium alienigenæ captiua ſuccederet, gentilium cibis participaret. Igitur iuncta regi breui vi pulchritudinis totũ eius animum facilè cepit, adeò vt eam ęqualem imperio veſte purpurea donaret, &c.

Paulinus Nolanus. 410.

Natali 8.

Et maledictus Aman, ſanctæ prece perditus Heſther, Esther 7.
Qui bene pœnarum verſa vice, quæ malè ſanctis
Miſcuerat, ſolus bibit impius, & cruce iuſta,
Quam populo Domini præfixerat, ipſe pependit.

Idacius. 420.

Esther 13 *Aduerſus Varimadum Arianum:* Si Trinitas non eſt, quare Mardocheus orando: *Dominę, Domine Deus omnipotens, omnia in poteſtate tua ſunt,* dixit? Si vnitas non eſt, quare *in poteſtate tua* poſuit, & non in veſtra deſignauit? &c. In libro, quo Heſter hiſtoria continetur, ita ſcriptum eſt: *Ego,* inquit, *audiui in libris meis Domine, quia tu aſſumpſiſti tibi Iſrael* Esther 14 *ex omnibus gentibus in hæreditatem æternam.*

Philippus Presbyter. 430.

Lib.2. in Iob cap.1. Heſther quoque cùm de cultoribus dæmoniorum, ſocijs ipſius diaboli, in oratione ſua loqueretur ad Deum, ita ait: *Ne tradas* Esther14 *Domine ſceptrum tuum his, qui non ſunt.*

Proſper. 440.

De promiſſionibus & prædictionibus parte 2.c 38. Heſther, quæ à Mardochęo fuerat in filia educata, dũ aulâ regiâ Mardochæus curaret, à Deo, qui exaltat humiles, ad regiam perducta eſt dignitatem. Hæc cùm populum ſuum, agente amico regis Aman, cauſa Mardochæi damnatum intelligeret morti, gladiusqúe eorum ceruicibus immineret, animam ſuam Heſther pro ſuo populo ponens, inuocato diuino auxilio, penetralia regis ingreſſa eſt, quò mulieri non vocatæ accedere non licebat. Quam cùm rex indignatus aſpiceret, illa quo que tacuiſſet, conuertit, dictum eſt, cor eius Deus in lenitatem, eiqúe rex multa bona promittens, dum eius ſalutem reparare contenderet, ad conuiuium cum Aman venturum ſe, vt regina poſcerat, non negauit. Illic narrans quæ ſecum, & cũ ſuo populo acta erant, Aman eo ligno crucifigi rex ſtatuit, quo Mardochæum idem Amã ſuſpendere ſtatuerat innocentem. Esther 13. Esther 7.

Gelaſius. 490.

In Decretis: Ordo veteris Teſtamenti librorum: Geneſis liber vnus, Exodus liber vnus, &c. Heſther liber vnus, Iudith liber vnus, &c.

Alcimus Auitus. 500.

De conſolatoria virginitatis laude, enumerans ſacræ Scripturæ libros:

Quaq; inſtaurator templi promptiſſimus Eſdras
Egerit, aut melius cæcato in corpore cernens
Tobias, quid pro populo confecerit Heſter, &c.

Aurelius Caſſiodorus. 540.

Diuinarum lectionum lib. 1. cap. 13. enumerans Canonicos Scripturæ libros: Moſi libri quinque, &c. Iob liber vnus, Tobiæ vnus, Eſther liber vnus, &c.

Fortunatus. 580.

Libro 8. de Senatu curię cæleſtis:

Sara, Rebecca, Rachel, Heſther, Iudith, Anna, Noemi,
Quamuis præcipuè culmen ad aſtra leuent,
Nulla tamen meruit mundi generare parentem.

Iſidorus Hiſpalenſis. 620.

De diuinis officijs lib.1.cap.12. Hi ſunt libri veteris Teſtamenti: Moſis libri quinque, &c. Eſdræ duo, Tobiæ quoque, & Heſter, & Iudith ſinguli, &c.

Libro 1. Originum cap. 2. Heſter librum Eſdras creditur conſcripſiſſe. In quo eadem regina ſub figura Eccleſiæ Dei populum à ſeruitute & morte eripuiſſe ſcribitur: attamen interfecto Aman, qui interpretatur iniquitas, diei celebritas in poſteros mittitur.

Ambroſius Ansbertus. 760.

Lib.1. in Apocalypſin: Hæc regula ſeptem Machabæos fratres edocuit pro teſtamento Dei acerrimam mortem ſubire. Hæc, vt de ſexu muliebri aliquid loquamur, Iudith, Eſther ſimili voce perdocuic.

Haymo. 820.

Homilia in Octaua Paſchæ: Quod nomen illi rectè eſſentialiter conuenit, qui eſt Rex regum, & Dominus dominantium, & ſuper omnia timendus, colendus, & venerandus, cui per Prophetam dicitur: *Tu enim feciſti omnia, cælum, & terram, & vniuerſa, quæ cæli ambitu continentur: Dominus vniuerſorum tu es.* Esther 15.

VValefridus Strabo. 830.

De rebus Eccleſiaſticis cap.6. Nam carnalium Regum palatia ita dicuntur, ſicut ſcriptum eſt de Heſter: *Stetit in atrio domus regiæ, quod erat interius* Esther 5 *contra Baſilicam Regis.*

Rabanus Maurus. 850.

In librum Heſter: Hiſtoriam Heſter non ſolùm diuini libri, ſed & Ioſephi antiquitatũ libri continent: licet in aliquibus hiſtorica narratione differant. Sed & illud in quæſtionẽ vertitur, quis iſte Aſſuerus fuerit, qui regnauit ab India vſque Æthiopiam ſuper 27. prouincias. Nam hunc memoratus Ioſephus refert Cyrum eſſe filium Xerxis Regis, qui poſt Darium Regem patrem ſuum regnauit in Perſide. Hunc igitur Cyrum dicit Artaxerxem apud Græcos vocari, qui Longimanus cognominabatur, regnum tenens annis 40. Sed ego non puto Heſther eo tempore fuiſſe. Nõ enim Eſdras de ipſa filuiſſet, qui ſcribit hoc tempore, Eſdram & Nehemiam reuerſos eſſe de Babylonia, & ea deinceps conſecuta, quæ ab his geſta referũtur. Euſebius igitur in Chronicis ſuis, arbitratur hunc Aſſuerum eſſe Artaxerxem, qui cognominatus eſt Mnemon, Darij & Pariſatidis filium. Hic ab Hebręis Aſſuerus, à Septuaginta interpretibus Artaxerxes vocatur. Regnauit quoque poſt Darium patrem ſuum cognomento Nothum annis 40.

Nicolaus Primus. 860.

Epiſtola 15. Imitantes beatam reginam Heſther, quæ pro populo Dei etiam in mortem dedit animam ſuam, & quouſque hunc liberauit animæ ferias nullas ſuo conamini tribuit: cui Mardochæus: *Ne putes,* inquit, *quòd animam tuam tantùm liberes, quia in domo regis es, præ cunctis Iudæis,* &c.

Ioannes Octauus. 870.

Epiſtola 26. ad Rechildem Auguſtam: Vnde magnoperè gratulamur de vobis tot audientes præconia, & confidimus in Domino, quia eritis pro Eccleſia Chriſti apud pium coniugem more ſanctæ illius Eſther pro Iſraelitica plebe apud maritum. Esther 9

Theodulphus Aurelianenſis. 860.

De Scripturæ libris:

Eccleſiaq; typum referens mox ſcribitur Heſther,
Quæ plebi extorri lausq; decusq; fuit.

Smaragdus. 970.

Ad caput 9. Regulæ D. Benedicti: Veteris Teſtamenti ſunt libri: Quinque libri Moſi & c. Eccleſiaſtes, Tobias, Iudith, Heſther, Eſdras, &c.

Bernо Augienſis. 1020.

De rebus ad Miſſam pertinentibus cap.5. in offerenda: Beata Heſter Eccleſiæ typum gerens, Dominum rogat recordari ſui, vt det ſermonem rectum in os eius.

Petrus Damianus. 1050.

Epiſt.4.cap.14. Conſtanter igitur & fideliter aſſerendum eſt, quia Deus ſicut omnipotens dicitur; ita prorſus ſine vlla exceptione omnia veraciter poteſt, ſiue in his, quæ facta ſunt, ſiue quæ facta non ſunt, vt illud elogium, velut inuiolabile ponatur, in opuſculi concluſione ſignaculum: *Domine Rex omnipotens, in ditione tua cuncta ſunt poſita, & non eſt qui poſſit tuæ reſiſtere voluntati. Tu enim fe-* Esther 13

cisti cælum & terram, & quicquid cæli ambitu continetur: Dominus omnium tu es, nec est qui resistat maiestati tuæ.

Esther 14. *Epist. 14. cap. 19.* Horum quidem Hester speciem tenuerat, cùm dicebat: *Tu scis Domine necessitatem meã, quòd abominer signum superbiæ & gloriæ meæ: & quod est super caput meum in diebus ostentationis meæ, & detestor illud quasi pannum menstruatæ, & non portem in diebus silentij mei.*

Rupertus Tuitiensis. 1120.

Esther 13. *De Ecclesiasticis officijs, lib. 4. cap. 15.* Bene ergo illa lectio præmittitur, qua Hester aduersus Aman Dei implorat auxilium. Aman quippe diaboli typum gessit in eo, quòd adorari affectãs, populum Dei morti tradere voluit, & Mardochæo crucem parauit.

Hugo Victorinus. 1130.

Sermone 87. Diabolus proprio gladio perimitur, dum suę malitiæ, qua aduersus Ecclesiã corrumpendam sęuit, conscientia condemnatur: sicut in Esther legitur: *Aman Mardochæo lignum, in quo eum suspenderet, parauit: sed Mardochæus liberatus est, & ipse Aman in eodem ligno suspensus interijt.*

Richardus Victorinus. 1140.

Ad cap. 4. Apocalyps. Quod bene nobis Hester historia innuit. Legimus enim, quòd Hester Regem Assuerum, &c.

Petrus Cluniacensis. 1150.

Epist. 1. Vltimus in hagiographis sanctæ Scripturæ libris sequitur liber Hester, cui auctoritatem aliorum hagiographorum auctoritas confert. Si enim illi ab Hebraica veritate originem trahentes hunc socium, & paris auctoritatis in eodem Hebraico Canone habuerunt: sequitur quia nullo eorum librorum excepto omnes pari modo susci pi debuerunt.

Innocentius Tertius. 1200.

Esther 5. *Libro 2. de mysterijs Missæ cap. 11.* Osculum est signũ reuerentię, iuxta quod *Esther summitatem virgæ Regis legitur osculata.*

Sermone 1. in die Cinerum: Ieiunium valet ad pœnam vitandam, secundùm quod Esther ad consilium Mardochæi tribus diebus & tribus noctibus ieiunauit, & ex tunc ad regem ingressa, impetrauit reuocationem sententiæ, quam Aman protulerat aduersùs Iudæos, vt vniuersi perirent.

Iacobus Vitriacus. 1220.

Dominica 6. post octauas Pentecostes: Hester, de cuius libro hoc tempore sumuntur Responsoria, valde constanter se habuit, in tribulationibus non defecit, sed instanter apud regem Assuerum obtinuit, vt liberato populo suo, qui morti adiudicatus fuerat, suspenderetur Aman in patibulo.

Bonauentura. 1260.

Esther 2. Ad caput 1. Lucæ: *Aue gratia plena.*) Ideò bene per Esther designata est Maria, de qua dicitur Esther 2. quòd *erat formosa valde, & incredibili pulchritudine omnium oculis gratiosa, & amabilis videbatur.*

Iacobus Genuensis. 1280.

Dominica 5. post Pascha Sermone 2. Magnã virtus orationis, quæ quasi quædam persona ad Deum mittitur, vt mandata peragat, quò caro peruenire nequit. Ifti nuntio associantur duę domicellę, quod significatũ est Hesther 15. vbi dicitur: quòd *ipsa ad regem cum duabus famulabus ingrediens, vni innitebatur, altera iumenta in humum defluentia colligebat,* &c. Esther 15.

Ioannes à Sancto Geminiano. 1300.

In Summa libro 1. de cælo & elementis cap. 29. Malignus consultor mentem benigni principis aliquando ad furorem accendit, & ad nequitiam operis & nocendi pestilentiam trahit, sicut patet de Aman & Assuero. Vnde dicitur in Hesther: *Multi aures Principum simplices, ex sui natura alios æstimantes, callida fraude decipiunt.* Esther 16

Albertus Patauinus. 1310.

Sermone 71. Vnde Assuerus Rex, vt est Hester 13. *Cùm pluribus,* inquit, *Gentibus imperarem, & vniuersum orbem meæ ditioni subiugassem, volui nequaquam abuti potentiæ magnitudine, sed clementia & lenitate gubernare subiectos.* Esther 13.

Augustinus Triumphus. 1320.

De potestate Ecclesiastica quæst. 2. articulo 7. Non putandum est ex leuitate animorum procedere, si pro diuersitate rerum, & temporũ præcepta mutentur, & gratiæ subtrahãtur, vt scribitur Hesther vltimo.

Guido Carmelita. 1340.

De erroribus Iudæorum: Historia Hesther, docens charitatem erga suos habere, & aduersarijs resistere, plena fide, contemnenda non est.

Laurentius Iustinianus. 1430.

In ligno vitæ, cap. de timore Domini: Seueritas iudicantis non flectitur timore, quia potentissimus est, de quo legitur: *Non est, qui tuæ possit resistere voluntati. Tu enim fecisti omnia, quæ in ambitu cæli continentur, quoniam Dominus vniuersorum tu es.* Esther 13.

De triumphali Christi agone cap. 3. Nitebatur ei repugnare, cuius imperio creaturarum vniuersitas famulatur: de quo ait Propheta: *Non est qui tuæ possit resistere voluntati.* Esther 13.

Dionysius Carthusianus. 1460.

In librum Hesther: Liber Hesther inter Scripturas computatur Canonicas, atque in ordine hagiographorum reponitur.

M. Antonius Sabellicus. 1490.

Libro 8. exemplorum cap. 2. Inuenit sibi facilè locum inter tot illustria nomina Hesther mulier. Cæterùm eadem gente orta, quę cùm Artaxerxis edicto, in cuius pellicatum fuerat recepta, vt omnes vno die Iudæi toto ipsius regno ex composito interficerentur, suæ gentis periculo commota, non leges, non regis edictum reuerita, quem prohibebatur adire, nisi accersita, adijt tamen, suorumqúe excidium deprecata, non solùm pij voti compos facta est, sed Amanem etiam, cuius suasu & impulsu fuerat id periculum Iudæis conflatum, in eam fuisse sublatum crucem vidit, quam dirus satelles Mardochæo parauerat puellę auunculo.

ARTICV-

ARTICVLVS VNDECIMVS.

LIBRVM BARVCH, QVI ET HIEREMIÆ TRIBVITVR, VT CANONICVM SCRIPTVRAE LIBRVM VALERE AD ECCLESIASTICA DOGMATA PROBANDA.

NEGANT.

Anno post natũ Christũ 1520. MArtinus Lutherus Præfatione Germanica in Baruch: *Admodum vilis est hic liber, quicunque demum Baruch iste est. Verisimile est Hieremiæ ministrum, qui itidem Baruch dicebatur, maiorem ac sublimiorem, quàm hunc habuisse spiritum. Neque etiam annorum numerus cum historia conuenit: ita vt hunc librum prope eodem modo, quo tertium & quartum Esdræ, non transtulissem. Nam duos illos Esdræ libros omnino noluimus Germanicè transferre, quòd plane nihil habeant, quod non longè melius in Æsopo, & alijs vulgaribus libris inueniri queat.*

1530. Huldaricus Zuinglius in explicatione articuli 20. fol. 53. *Non est quòd multa respondeam: Nihil enim verba Baruch contra nos probant. Responsione nulla dignabor Apocrypha.*

1550. Petrus Palladius in Isagoge ad sacros libros de libro Baruch: *Constat hunc librum non esse magni momenti: sicuti neque tertius & quartus Esdræ.*

1560. *Franciscus Dauid Trinitarius,* actione quinta Disputationis Albanæ, *respondens Catholicis ad dictum Baruch 3.* Hic est Deus noster, *&c. Baruch,* inquit, *liber non est Canonicus.*

1570. Guilhelmus VVitakerus disputatione de sacra Scriptura, de libro Baruch: *Quisquis hũc librum scripsit, Græcus homo fuit, & Græcè scripsit. Ergo nec Baruch fuit, nec aliquis è numero Prophetarum. Ita efficitur necessaria ratione, hunc librum in Apocryphis esse statuendum.*

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Irenæum & multi alij veteres libri. Baruch sub nomine Hieremiæ citãt Hier. 31.

Clemens Primus. 80.

Psal. 109. *Epistola ad Iacobum:* Sufficit nosse, quòd lux genuit splendorem, sicut ait Propheta: *In splendoribus Sanctorum ex vtero ante Luciferum genui te.* Et illud:

Bar. 3. *Hic Deus noster, non reputabitur alius ad illum. Et post in terra visus est, & inter homines conuersatus est.*

Libro 5. Constitut. Apostol. cap. 19. Siquidè & nunc decimo die mensis noni in vnum locum congregati Lamentationes Hieremiæ legunt, in quibus

Thren. 4. scriptum est: *Spiritus ante faciem nostram Christus Dominus comprehensus est in corruptionibus eorũ.* Item

Bar. 3. Baruch, in quo scriptum est: *Hic est Deus noster, non reputabitur alius ad eum: Inuenit omnem viam scientiæ, & dedit eam Iacob puero suo, & Israel dilecto sibi: post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est.*

Athenagoras. 170.

Bar. 3. *Legatione pro Christianis:* Sed quid Prophetæ? *Dominus est Deus noster,* inquiunt, *non comparabitur alius ad ipsum.*

Irenæus. 180.

Esa. 66. *Lib. 5. cap. 35.* Ipsi autem sunt, de quibus ait Propheta: *Et derelicti multiplicabuntur in terra.* Et quotquot ex credentibus ad hoc præparauit Deus, ad derelictos multiplicandos in terra, & sub regno Sanctorum fieri, & ministrare huic Hierusalem, & regnum in ea significauit Ieremias Propheta:

Bar. 4. & 5. *Circumspice,* dicens, *ad Orientem Hierusalem, & vide lætitiam, quæ aduentat tibi ab ipso Deo: ecce venient filij tui, quos emisisti: venient collecti ab Oriente vsque ad Occidentem,* &c.

Clemens Alexandrinus. 200.

Bar. 3. *Lib. 1. Pædagogi cap. 10.* Per Hieremiam quoque enarrat prudẽtia: Beati sumus Israel, dicens, quòd quæ Deo grata sunt, à nobis cognosci possint. Prudentia, & cognitio significatur per eundem Prophetam dicentem: *Audi Israel mandata vitæ, auscultа vt cognoscas prudentiam.*

Bar. 3. *Lib. 2. cap. 3.* Pulcherrimè itaque alicubi dicit diuina Scriptura ad eos, qui sunt sui amantes & arrogantes, verba dirigens: *Vbi sunt, qui gentibus imperant, & qui dominantur feris quæ sunt super terram? Qui cali auibus illudunt, qui argenti & auri thesauros congregant, in quibus homines habent fiduciam, & non est finis acquisitionis eorum?*

Origenes. 230.

Bar. 3. *Libro 2. de Principijs cap. 3.* Denique etiã Baruch Prophetę librum in assertionis huius testimonium vocant, quòd ibi de septem mundis & cælis euidentius indicatur.

Homil. 7. in Exodum: Secundùm hoc ergo, quòd non seruantibus (*Legem*) generat mortem, dicuntur mandata non bona, in quibus non viuant in ijs. Sed quia admiscuit eis lignum crucis Christi, & in dulcedinem versa sunt, & spiritualiter intellecta seruantur, eadem ipsa mandata vitæ appellantur, sicut & alibi dicitur: *Audi Israël mandata vitæ.* Bar. 3.

Tracta-

Tractatu 35. in Matthæum: Adducit autem magis ad requirendum talia, si rationem habet idoneam, quòd etiam Israel pro vita Nabuchodonosor & Balthasar filij eius Deum orabat. Sed hoc, si videtur alicui dignum requisitione, requiret.

Eusebius Cæsareensis. 320.

De Propheticorũ librorum appellationibus, de Hieremia: Baruch denique cùm ista ab ore Hieremiæ excepta in libro describeret, narrat sub finẽ, quòd exceptum per insidias Prophetam, in cœnosum lacum proiecerint. Cur Baruch librum inscribit? Quia quæ Hieremias dictârat, in libro à se descripta captiuis apud Babylonem recitauit, consolãs eos, & auxilij spem à Deo nuntians.

De demonstratione Euangelica libro 6. cap. 19. Quẽ admodum ipse Prophetarum Deus, qui omnem viam scientię per eam legem, quæ à Mose data est, ijs, qui ad circumcisionem pertinent, ordinasset, posterioribus temporibus in terra olim conspiciendus, atque inter homines versaturus canitur:

Bar. 3. *Quis ascendit in cælum, & accepit eam,* (dicit autem sapientiam,) *& eduxit eam è nubibus?* &c. *Hic est Deus noster, non reputabitur alius ad ipsum: reperit omnem viam scientiæ, & dedit eam Iacob puero suo. Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est.* Nihil adiungere oportet diuinis vocibus, quæ euidentissimè nostrum propositum confirmant.

Concilium Nicænum Primum. 330.

Lib. 2. fol. 105. Clarius accipe testimoniũ authenticum, soli personæ Dei propositum, ostendens ipsum esse auctorem omnium factarum naturarum, sicut scriptũ est in libro Baruch ex ore Hieremiæ Prophetæ dicentis:

Bar. 3. *Qui præparauit terram in æternum tempus, implevit eam iumentis quadrupedibus: Qui mittit lumen, & ibit: vocauit illud, & obedit illi in tremore: & stellæ splenduerunt in custodijs suis, & lætatæ sunt. Hic Deus noster, & non reputabitur alius aduersus eum.*

Folio 109. In libro Baruch ex ore Hieremiæ Prophetę, vt prius ostendimus, de eo, qui fecit regiones & inhabitabilia dicitur:

Bar. 3. *Filij Agar exquirentes prudentiam, qui super terram, mercatores Meran, & Theman,* &c.

Athanasius. 340.

Contra Arianos Oratione 2. Susanna quoque locuta est: *Deus æterne.* Baruch item: *Iam clamabo ad*

Bar. 4. *æternum Deum in diebus meis,* &c. Nam id quoque rursum videamus, an Deus fons sapientiæ & vitæ appelletur, quemadmodum per Hieremiam loquitur: *Me dereliquerunt fontem aquæ vitæ* In Baruch item: *Relinquebatis fontem aquæ vitæ Dominum, & relinquebatis fontem sapientiæ.*

Bar. 3. *Oratione 3.* Iudæi vnà cum Arianis Filium abnegantes, ne Patrem quidem habent. *Obturantes enim fontem sapientiæ,* vt ipsis exprobrat Baruch, abiecerunt etiam sapientiam inde promanantem Dominum nostrum Iesum Christum.

Epistola in Decretis Synodi Nicænæ contra hæresin Arianã: Et huius sapientię fontem Deum esse in Propheta Baruch didicimus, increpante Israelem, quòd *dereliquisset fontem sapientiæ.* Quòd si istum abnegant, & repudiant, quid aliud faciunt, quàm quòd hoc ipso alienos se à Christianismo ostendunt?

Cap. 2.

Didymus Alexandrinus. 360.

Ad caput 1. Iacobi: Et quomodo aliqui dicunt, sola quæ meliora sunt à Deo esse, nõ etiam quæ molesta iudicantur & tristia, ponendum est illud, quod ait Scriptura: *Ipse declarauit super eos mala.*

Bar. 2.

Concilium Laodicenum. 360.

Can. 59. Hæc sunt quæ legi oportet ex veteri Testamẽto Geneſis, Exodus, &c. duodecim Prophetæ, Esaias, Hieremias, Baruch, Lamentationes, & Epistola, &c.

Cyrillus Hierosolymitanus. 360.

Catechesi 4. enumerans Scripturæ libros. Prophetarum, *inquit*, liber vnus. Et Esaiæ, & Hieremię cum Baruch, & Threnis, & Epistola.

Catechesi 11. Vis nosse quòd Deus est ille, qui ex Patre genitus, & deinde incarnatus est, audi Prophetam dicentem: *Iste Deus noster, non reputabitur alius ad illum,* &c. Cernis Deum post legislationem Mosis incarnatum? Bar. 3.

De occursu Domini: De hoc puero etiam clamat Hieremias: *Deus in terra visus est, & cum hominibus conuersatus est.* Bar. 3.

Basilius Magnus. 370.

Lib. 4. contra Eunomium, super illo: *Vt cognoscant te solum verum Deum:* Cùm Hieremias de Filio dixerit: *Hic Deus noster, nõ reputabitur alius præter ipsum,* Bar. 3. maiorem quoque Patre dixit. Quòd autem verus & Filius Deus, idem Ioannes in epistola dicit: *Vt cognoscamus te solũ verum Deũ: & simus in vero Filio eius Iesu Christo: hic est verus Deus, & vita æterna.* Nec igitur propter illud: *Nõ reputabitur alius præter ipsum,* maiorem Patre Filium intelligendũ, nec solum verum Deum esse Patrem, verum vtraque à falso dictos, nec existentes: sicut etiam in Deuteronomio dicit: *Dominus solus dux eius fuit,* &c.

De Spiritu sancto cap. 6. Siquidem arbitror stationem & confessum naturam Dei solidam, & vndequaque firmam significare: iuxta quem tropum & Baruch indicare volens Deum immobilem & immutabilem semper esse, ait: *Et tu sedes in* Bar. 3. *æternum, & nos perimus in æuum.*

Gregorius Nazianzenus. 380.

Oratione 36. quæ est Oratio 2. de Filio, & quarta de Theologia: Sin minus, quid dicturus es ad eos, qui alio loco, iuxta id, quod pro causę tuę fundamento posuisti, Filium solum Deum dictum esse contendunt, nimirum in illis verbis: *Hic Deus tuus, & non æstimabitur alius præter eum.* Et paucis interiectis: *Post hæc in terra visus est, & cum hominibus conuersatus est.* Nam quòd non de Patre, sed de Filio sermo habeatur, adiectio hæc apertè declarat. Hic enim est, qui corpoream nobiscum consuetudinem habuit, inferisque rebus coniunctus est. Quod si illud obtineatur, hęc verba: *Et non æstimabitur alius,* aduersus Patrem dici, non aduersus eos, qui falsa mortalium opinione Dij habentur, quod ad Patrem attinet, per ea vtique victi sumus, quibus aduersus Filium obnixè contendimus.

Orat. 49 quæ est de Fide: Et Hieremias receptissimus Prophetarum hanc vnitatem deitatis in Patre & Filio sciens, ait: *Hic est Deus noster, & non* Bar. 3. *reputabitur alius absque illo. Qui inuenit omnem viam prudentiæ, & dedit eam Iacob puero suo, & Israel dilecto suo.* Et: *Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est.*

Epistola 2. ad Cledonium: Idem autem etiam circa ἐνανθρωτοκήτεως vocem improbè ac versutè vsurpant, hoc verbũ ἐνανθρώπησον nõ ita explicantes, vt idem sit, quod, in homine, quẽ sibi affixit, extitit, iuxta id quod ait Scriptura: *Ipse enim sciebat* Ioan. 2. *quid esset in homine:* verùm idem esse dicentes, & docentes, quòd cum hominibus consuetudinem habuit & versatus est, atque ad hæc verba confugientes: *Post hæc in terra visus est, & cum hominibus ver-* Bar. 3. *satus est.*

Epiphanius. 380.

Contra Nazaræos: Quomodo verò cognoscitur, velut

Bar. 3. velut Hieremias de ipso dicit: *Homo est, quis agnoscet ipsum?* De ipso enim agnoscens Propheta dixit: *Quis cognoscet ipsum?*

Bar. 3. *Contra Ebionæos:* Quomodo verò cognoscetur, velut Hieremias de ipso dicit: *Homo est, & quis cognoscet ipsum?*

Gregorius Nyssenus. 380.

Bar. 3. *Oratione 1. de pauperibus amandis:* Meritò igitur & opportunè poteram verba Baruch vsurpare: *Hic admonuit omnem viam disciplinæ, & tradidit illam Iacob puero suo, & Israel dilecto suo.*

Bar. 3. *Oratione de occursu Domini:* Quando enim *hic Deus noster,* quem præmonstrando annuntiauit Propheta, *in terra visus est, & cum hominibus conuersatus est,* &c.

Orieseſis. 380.

Bar. 3. De institutis monasticis: *Audi Israel mandata vitæ, auribus percipe, & intellige prudentiam. Quid est Israel, quoniam in terra inimicorum es? Inueteraſti in terra aliena, commaculatus es cum mortuis, comparatus es cum his, qui in inferno sunt, & dereliquisti fontem sapientiæ,* &c. Hæc loquebatur Baruch propter eos, qui in terram Babylonis & inimicorum suorum ducti in captiuitatem, quia noluerunt Prophetarum susci pere mandata, & obliti sunt Legis Dei. Idcirco induxit super eos Deus pœnas.

Ioannes Chrysostomus. 400.

Hier. 31. *Ad Psalm. 46.* Et ideo dicebat Hieremias: *Dabo vobis testamentum nouum,* &c. Et Baruch rursus dicebat: *Hic est Deus noster, non reputabitur alius præter*

Bar. 3. *ipsum. Inuenit omnem viam scientiæ,* &c.

Homilia 26. in Epistolã ad Romanos: An in Palæstina occlusa sunt salutis negotia? an in modico orbis angulo? Non audisti Prophetam dicentem:

Bar. 1. *Quoniam omnes cognoscent me à paruo vsque ad magnũ?* Non vides rem ipsam loqui?

Homilia 5. de incomprehensibili Dei natura: Non

Bar. 3. Pater ipse natus de Virgine est, nec factus est puer. Quando enim Propheta alius ita scribit: *Hic Deus noster, non æstimabitur alius aduersus eum:* addidit: *inuenit omnem viam scientiæ, & dedit eam Iacob puero suo, & Israel dilecto suo. Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est.*

Sermone de Trinitate: Vide autem, obsecro, quid

Bar. 3. Hieremias de eo clamet: *Hic est Deus noster, nõ conferetur alius ad illum.* De Patre ne dicit, an de Filio?

Aduersus Gentiles, quòd Christus sit Deus: Primò omnium, quòd Deus existens homo futurus erat, dicit Hieremias: *Hic est Deus, non conferetur alius ad illum.*

Proclus Constantinopolitanus. 430.

Epistola ad Armenios: Quomodo etiam Propheticis attendemus oraculis clamantibus, quoniam

Bar. 3. *Deus noster in terris visus, & cum hominibus conuersatus est?* Visionem namque dicit Propheta, manifestationem quæ in carne facta est, & conuersationem, qua temporaliter cum hominibus commoratus est.

Ioannes Cassianus. 430.

Lib. 4. de Verbi incarnatione c. 9. Verùm quia hactenus Euangelicis vel maximè, atque Apostolicis quasi nouis testibus vsi sumus: nunc de Propheticis veteribus proferamus: admiscentes interdum antiquis noua, vt intelligãt omnes Scripturam sacram venturum in carne Dominum, toto quodãmodo suo corpore, quasi vno ore clamasse. Ait itaque eximius ille & admirabilis tam munere Dei diues, quàm testimonio, cui vni admodum contigit sanctificari antequam nasci, Ieremias Propheta: *Hic est,* inquiens, *Dominus noster: non* Bar. 3. *reputabitur alius præter eum,* &c. Vides à Propheta Deum quasi manu indice ostendi, & quasi digito significante monstrari?

Cyrillus Alexandrinus. 430.

De recta in Deum fide ad Theodosium Imperat. Cuius rei Propheta Hieremias nequaquam ignarus, optimè doctissimeque philosophatus, Deum ita compellat: *Tu quidem in seculum permanes, nos autem* Bar. 3. *vnà cum seculo interimus.*

Epistola ad Maximinum Constantinopolitanum: Sed agedum vna lingua rectę fidei confessionem offeramus, dicentes cum beato Baruch: *Hic est Deus* Bar. 3. *noster, non æstimabitur alius ad eum.*

Lib. 7. contra Iulianum: Dixit & alius sanctorum Prophetarum quidam de nostri omnium Saluatore Christo: *Hic Deus noster, non æstimabitur alius* Bar. 3. *ad eum.*

Homilia dicta Ephesi in Nestorium: Testes accipite sanctos Prophetas. Nonne Baruch Emmanuelem digito demonstrat? Ait enim: *Hic est Deus noster, &* Bar. 3. *non æstimabitur alius aduersus eum.*

Theodoretus. 450.

In Commentarijs in librum Baruch: Admirandus Baruch discessit vnà cum Iudæis, qui effugerant in Ægyptum, &c.

Dialogo 1. *Eranistes:* Ecce autem, qui hoc interpretatus est: ad Hieremiæ Prophetiam quid dixeris? Illa enim solum ipsum Deum prædicat. *Orthodoxus:* Quam dicis prophetiam? *Eranistes: Hic* Bar. 3. *est Deus noster, non reputabitur alius præter ipsum,* &c. Falsumne dicit Propheta? *Orthodoxus:* Absit. Diuini enim Spiritus sunt hęc, & illa verba. Quærãmus ergo quomodo inuisibilis sit?

Basilius Seleucius. 460.

Oratione 1. de Verbi incarnatione: Hieremias quoque apud Baruch ita clamat: *Hic est Deus noster, &* Bar. 3. *non æstimabitur alius aduersus eum.*

Ioannes Maxentius. 510.

Dialogo 2. Aptissimè denique de eo, qui visus & contractus est, quòd natura sit Deus, Hieremias Propheta testatur: *Hic Deus noster, non reputabitur a-* Bar. 3. *lius aduersus eum.*

Dorotheus Archimandrita. 520.

Doctrina 13. Qua de causa inclamat illis Propheta: *Orate, vt viuat Nabuchodonosor, quòd in vita eius est sa-* Bar. 1. *lus vestra.*

Procopius Gazæus. 530.

Ad Exodi cap. 3. *Nec quisquam nouit Patrem quis sit, nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare.* Nam Baruch: *Post hæc in terra visus est, & cum hominibus con-* Bar. 3. *uersatus est.*

Ad Esaiæ cap. 6. Quòd autẽ sedentem facit, statim & firmum, eundem bonorum tenorem indicat. Sic & Dauid ipse: *Deus in sancto throno suo sedet.* Sic item Baruch: *Quia tu sedes in sempiternum, nos autem peribimus in æuum.*

Anastasius Antiochenus. 560.

Lib. 3. de diuina dispensatione Incarnationis: Ait igitur Hieremias, ipsum hunc subindicans: *Hic Deus* Bar. 3. *noster, non æstimabitur alter ad eum,* &c. Quòd autem propheticum hoc oraculum de Christo redditũ sit, perspicuè declarat pars posterior clausulæ, nempe eius: *cum hominibus conuersatus est.*

Hesychius Hierosolymitanus. 580.

De sancta Maria Deipara: Audi Hieremiam vociferantem ingentia: *Hic est Deus noster, non reputa-* Bar. 3. *bitur alius præter eum.* Et: *Post hæc in terris visus, & cum hominibus conuersatus est.*

Leontius. 620.

De Sectis actione 2. Quòd Christus Deus erat ex noui fœderis Scriptura probari potest. Verùm & illud

illud ostendemus à Scriptura veteri. Nam manifestè id dicit Hieremias, his verbis: *Hic Deus noster, alius cum eo non comparabitur.* Bar.3.

Sexta Synodus Constantinopolitana. 680.

Actione 8. Quid igitur ita mirabile erat, quod futurum erat, vt & postquam fieret, à pluribus nō crederetur: primò quidem Prophetas præmisit, hoc ipsum prædicantes: Et hic quidem Patriarcha hoc præclamabat, dicens: *Ascendisti de germine fili mi, & cubans dormisti vt leo.* Gen.49. Esaias verò dicit: *Ecce Virgo in vtero habebit, & pariet filium, & vocabunt nomen eius Emmanuel.* Esa. 7. Et Hieremias: *Hic Deus noster, non æstimabitur alius præter eum,* &c. Bar. 3.

Ioannes Damascenus. 730.

Orthodoxæ fidei lib.3.cap.4. Hac ratione de Christo nobis licet dicere: *Hic Deus noster in terra visus est.* Et hic homo increatus, & impassibilis, & circumcisionis omnis expers. Bar. 3.

Lib.4.cap.6. Scire operæpretium est Scripturam sacram præsenti tempore loco futuri sępenumerò vti. Quo in genere illud est: *Postea in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est.* Nondum enim Dominus Deus conspectus fuerat, nec cum hominibus consuetudinem habuerat, cùm hæc dicebantur. Bar. 3.

Elias Cretensis. 780.

Ad Orationem 1. Nazianzeni: Quòd vnigenitus Dei Filius, Deus & dicatur, & sit, cùm ex multis alijs locis, tum ex ijs etiā, quæ proferemus, liquidò constat: *Hic Deus noster,* inquit, *non reputabitur alius ad eum,* &c. Bar. 3.

Knastasius Nicænus. 860.

Quæst.16. Benignus quidem & iustus iudex Deus nos sępe tradit aduersarijs non ad interitum, sed ad castigationem & disciplinam, vt per Hieremiam dicit Israeli: *Confidite, populi, in monumentum Israel venundati estis gentibus, non ad interitum.* Bar. 4.

Leo Philosophus Imp. 880.

Epistola ad Omarum Saracenorum Regem: Hieremias Propheta ait: *Ecce Deus noster, cui similis non est, qui inuenerit omnem viam prudentiæ, & post hæc videbitur super terram,* &c. Bar. 3.

Moses Barcepha. 900.

De Paradiso parte 2. Deinde gradientis Dei per Paradisum vox portendebat Verbum Dei aliquando apud nos in carne versaturum, ambulaturumqúe, quemadmodum de ipso prędixit Vates: *Et super terram visus est, & apud homines versatus est.* Bar. 3.

Simeon Metaphrastes. 950.

Vitæ S. Sylvestri cap.24. Non solùm autem Esaias dixit, Deum nobiscum futurum esse, sed Hieremias quoque eius ad nos aduentum prędnūtiauit: *Hic est Deus noster, non reputabitur alius præter ipsum.* Bar. 3.

Georgius Cedrenus. 1100.

In Constantino Magno: Quòd autem inter homines fuerit versatus, audi Hieremiam vaticinantem: *Hic est Deus noster, neque alius respectu eius reputabitur.* Bar. 3.

Nicetas Choniates. 1200.

Orthodoxæ fidei libro 4.cap. 27. Noëtiani in hæresis suæ confirmationem sacris è literis deprompta hæc prophetica detorquere conabantur: *Hic est Deus noster, & non æstimabitur alius aduersus eum: hic adinuenit omnem viam disciplinæ: posthæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus.* Bar. 3.

Cap.32. Imò etiam in libro Hieremiæ ita scriptum est: *Hic est Deus noster, & non æstimabitur alius aduersus eum.* Bar. 3.

Ioannes Cantacuzenus. 1360.

Apologia 1. Porrò Hieremiam Prophetam sic dicentem legimus: *Hic est Deus noster, & alius iuxta hunc non reputabitur,* &c. Hic est liber mandatorum Dei. En tibi oracula sole splendidiora. Cùm enim singuli Prophetarum diuersis vtantur dicendi formulis, omnes tamen in vnum consentiunt, quando quidem Deus est, qui hæc & similia per os ipsorum locutus est. Bar. 3.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Sixtus Primus. 117.

Epistola ad omnes fideles: Quis est hic Deus, in quo esse dicitur Deus Pater, prętер quem alium Deum non esse Prophetæ testātur. Et Hieremias: *Hic est Deus noster,* ait, *& non applicabitur alter ad eum: post hæc in terris visus est, & inter homines conuersatus.* Bar. 3.

Tertullianus. 200.

Aduersus Gnosticos cap.8. Meminerunt enim & Hieremiæ scribentis ad eos, quibus illa captiuitas imminebat: *Et nunc videbitis Deos Babyloniorum aureos, argenteos, & ligneos portari super humeros ostentantes nationibus timorem. Cauete igitur, ne & vos similes sitis allophylis.* Bar. 6.

Aduersus Praxeam cap.16. Quę erat persecuturus infinita semper ediscebat, & Deus in terris cum hominibus conuersari, non alius potuit, quàm Sermo, qui caro futurus erat. Bar. 3.

Cyprianus. 250.

Aduersus Iudæos libro 2.cap.6. probans, quod Deus est Christus: Item apud Hieremiam: *Hic Deus noster, & non deputabitur alius absque illo, qui inuenit omnem viam prudentiæ, & dedit eam Iacob puero suo, & Israel dilecto sibi: posthæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est.* Item apud Zachariam Deus dicit, &c. Bar. 3.

In orationem Dominicam: Per Hieremiam autem tibi Spiritus sanctus suggerit, & docet, dicens: *In sensu autem tibi detur adorari Deus.* Bar. 6.

Zeno Veronensis. 260.

De Natiuitate Christi Sermone 1. Sed & Baruch eodem spiritu loquitur, dicens: *Hic est Deus noster, & non deputabitur Deus alius absque ipso: qui adinuenit viam prudentiæ, & reuelauit eam Iacob puero suo, & Israel dilecto suo: Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est.* Bar. 3.

Lactantius. 320.

Libro 4. diuinarum Institutionum cap.13. Item Propheta Hieremias sic ait: *Hic Deus noster est, & non deputabitur alius absque illo: qui inuenit omnem viam prudentiæ, & dedit eam Iacob puero suo, & Israel dilecto suo: post hæc in terris visus est, & cum hominibus versatus est.* Bar. 3.

Hilarius. 350.

Lib.5. de Trinitate sub finem: Hieremias verò non dispari prophetica virtute indiscretæ à Deo Patre naturæ vnigenitum esse Deum ita docuit, dicens: *Hic Deus noster, & non deputabitur alter ad eum: qui inuenit omnem viam disciplinæ, & dedit eam Iacob puero suo, & Israel dilecto suo: Post hæc super terram visus est, & inter homines conuersatus est.* Bar. 3.

Iulius Firmicius Maternus. 350.

De erroribus profanarum religionum cap.29. Hieremias etiam, cùm præcepta Deo iubente plebi daret, hac-

ret, hac populum oratione conuenit: *Dicite autem in corde vestro: te oportet in corde adorari Domine: Angelus autem meus vobiscum est: legem autem exquiram ab animabus vestris,* &c. Bar.6.

Ambrosius. 370.

De Fide contra Arianos cap.7. Nam & Hieremias receptissimus Prophetarum hanc vnitatem diuinitatis in Patre & Filio sciens, ait: *Hic est Deus noster, & non deputabitur alius absque illo,* &c. Bar. 3.

Lib.1. de Pœnitentia cap.8. Denique intercessione prophetica, & obsecratione tanti vatis inflexus Dominus, dicit ad Hierusalem: quoniam ea quoque pœnitentiam pro delictis egerat, dicens: *Domine omnipotens Deus Israel, anima in angustijs, & spiritus anxius clamat ad te: Audi Domine, & miserere.* Et iubet luctus vestimenta deponi, & abijci gemitus pœnitentiæ. Sic enim scriptum est in fine libri: *Exue te Hierusalem stola luctus, & vexationis tuæ.* Bar. 3.

Lib.3. Hexam. cap.14. Delicatiora itaque validioribus munienda sunt, vt ipse quoque per Hieremiam docet, dicens: *Sicut ficus bonæ istæ, sic recognoscam translatos Iuda,* &c. Denique de ipsis etiam in posterioribus dicit: *Delicati mei ambulauerunt vias asperas.* Hier.24. Quibus infra ait: *Constantes estote, & clamate ad Deum.* Bar. 4.

Georgius Bæticus. 380.

Libro de Fide: Sed & Hieremias de Filij diuinitate exprimit, dicens: *Hic Deus noster est, & non deputabitur alius absque eo.* Bar. 3.

Ruffinus. 390.

In explicatione Symboli: Secundùm dignationem carnis assumptæ Filius & visus, & passus in carne est. Quod & Propheta prædixerat, vbi ait: *Hic Deus noster, & non deputabitur alter ad eum.* Bar. 3.

Tichonius. 400.

Regula 5. Generatio aliquoties decem anni sunt, sicut Hieremias dicit: *Eritis in Babylonia vsque ad generationes septem.* Bar.6.

Augustinus. 400.

De Ciuitate Dei lib.15.cap.23. Quam rem alius Propheta commendans ait: *Ibi fuerunt gigantes illi nominati, qui ab initio fuerunt staturosi, scientes prælium. Non hos elegit Dominus, nec viam scientiæ dedit illis: sed interierunt, & quia non habuerunt sapientiam, perierunt propter inconsiderantiam.* Bar. 3.

Lib.18.cap.33. Prophetans ergo de Christo Hieremias: *Spiritus,* inquit, *oris nostri Dominus Christus captus est in peccatis nostris:* sic breuiter ostendens, & Dominum Christum, & passum esse pro nobis. Thren.4. Item alio loco: *Hic Deus meus,* inquit, *& non æstimabitur alter ad eum,* &c. Hoc testimonium quidā non Hieremiæ, sed Scribæ eius attribuunt, qui vocabatur Baruch, sed Hieremiæ celebratius habetur. Bar. 5.

Quæstionum veteris ac noui Testamenti quæst.102. Et iterum dicit Deus per Hieremiam: *Delicati mei ambulauerunt vias asperas, ducti sunt vt grex direptus ab inimicis.* Bar. 3.

Paulinus Nolanus. 420.

Hortatione ad militem seculi, vt Christo militet, (*apud Hieronymum Tomo 10.epist. 24.*) De diuitijs seculi huius ita dicit: *Quia non proderunt thesauri iniquis: iustitia autem eripit à morte.* Prou.10. Et iterum per Prophetam dicitur: *Exterminati sunt omnes, qui exaltati fuerant auro & argento.* Bar. 3.

Idacius. 430.

Aduersus Varimadum Arianum: Si vnus Deus non sunt Pater & Filius, quis est hic Deus, in quo esse dicitur Deus, prætер quem non esse alium Deum Esaias sub numero protestatur? Et Hieremias: *Hic Deus noster, ait, & non applicabitur alter ad eum.* Bar. 3.

Philippus Presbyter. 430.

Lib.2. in Iob cap.2. Scio quòd redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum. Manifestum est: & ita Propheta alius dicit: *Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est.* Bar. 3.

Petrus Chrysologus. 440.

Sermone 88. *Ad Dominum Deum ipsorum.* Quis est hic Deus, de quo Propheta dicit: *Hic est Deus noster, & non est alius absque eo: qui inuenit omnem viam disciplinæ & dedit eam Iacob puero suo, & Israel dilecto suo?* Quando dedit? Tunc vtique, quādo legalibus in tabulis totius vitæ regulam, totam disciplinæ descripsit & normam. Bar. 3.

Prosper. 450.

De promissionibus & prædict. parte 2.cap.9. De dæmonum cultoribus Hieremias scribens, ait: *Ibi fuerunt gigantes nominati, scientes prælium. Nō hos elegit Dominus, nec viam scientiæ dedit eis: perierunt propter quod consilium non habuerunt.* Bar. 3.

Part.3.cap.3. De Verbo Deo & homine Dauid Propheta: *Misit,* ait, *seruum suum, & sanauit eos.* Et Hieremias: *Hic Deus noster, & non est alius absque eo: qui inuenit omnem viam prudentiæ, & dedit eam Iacob electo suo,* &c. Bar. 3.

Cerealis. 460.

Contra Maximinum Arianum cap.5, probans Christi omnipotentiam: Hieremias Propheta dixit: *Magnus est, & non habet finem, excelsus, & immensus: Hic Deus noster, & non est alius.* Et vt appareat de Christo dici, sequitur: *Postea in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est.* Bar. 3.

Felix Tertius. 470.

Epistola ad Petrum Antiochenum: Hoc si verū, plurium Deorum inualescit error, & euacuabitur illud: *Audi Israel: Dominus Deus tuus, Deus vnus est.* Deut.6. Itē quod ait Hieremias: *Hic Deus noster, non reputabitur alius ad eum.* Bar. 3.

Vigilius Tridentinus. 480.

Lib.4. contra Eutychen: Nemo aliquid debet ei, à quo nihil accepit: sed cùm dicit in sequentibus de Christo, exponēs Hieremiæ testimonium: *Et cum hominibus conuersatus est,* secundùm humanam formam ex Adam seruo suo, tuis nihilominus professionibus aduersaris. Bar. 3.

Fulgentius. 500.

De Incarnatione & gratia Christi cap.10. Deus ergo ille, qui in forma Dei, secundùm B. Hieremiæ vaticinium, *magnus est, & non habet finem, excelsus & immensus:* de quo statim paulò pòst idem Propheta dicit: *Hic Deus noster, & non æstimabitur alius ad eum,* &c. Bar. 3.

Ad Thrasimundum regem lib. 2. cap. 18. De ipso vno eodemqúe Dei sempiterno Filio, & futuro tunc hominis filio, in quo permansisset vera & immensa diuinitas, & à quo suscipienda esset vera localisqúe humanitas, propheticæ inspirationis agnitione repletus dixerat Hieremias: *Hic Deus noster, & non æstimabitur alius ad eum,* &c. Bar. 3.

Cassiodorus. 540.

Ad Psalm.81. Addit, *Deorum,* vt euidētius de hominibus dictum aduerteres, inter quos corporaliter habitasse cognoscitur Christus, sicut Hieremias Propheta dixit: *Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est.* Bar. 3.

Pelagius Primus. 555.

Epistola ad Vigilium Episcop. Quis est hic Deus, in quo esse dicitur Deus, prætер quem alium Deum non esse, sæpe numero singulari Propheta protestatur? Et Hieremias: *Hic Deus noster,* ait, *& non applicabitur alter ad eum.* &c. Bar. 3.

Gregorius Turonenſis. 580.

Hiſtor. Francorum lib. 7. cap. 5. Ego verò dixi ad Iudæum: non de Euangelijs & Apoſtolo, quę non credis, ſed de tuis libris teſtimonia prębens, proprio te mucrone confodiam. Igitur quòd Deus homo futurus erat, audi Prophetam tuum: *Et Deus,* inquit, *& homo, & quis cognouit eum?* Et alibi: *Hic* Bar. 3. *Deus noſter, & non reputabitur alius præter eum, qui inuenit omnem viam ſcientiæ,* &c.

Fortunatus. 580.

In Symbol. Apoſt. Sed vt breuiter dicamus, ſufficit nos ſcire, quia lux genuit ſplendorem, Propheta atteſtante: *In ſplendoribus Sanctorum ex vtero* Bar. 3. *ante Luciferum genui te.* Et illud: *Hic eſt Deus noſter, & non reputabitur alius ad illum.*

Libro 1. de partu Virginis:

Quæ genitura foret benedictum germine fructum,
Quem Ieremias voce tonante refert:
Bar. 3. *Hic Deus eſt noſter, non abſque illo alter habetur,*
Poſt hæc in terris viſus homo eſt habitus.

Gregorius Magnus. 600.

Lib. 28. Moralium cap. 2. Dei locutio ad nos intrinſecus facta videtur potius, quàm auditus: quia dũ ſemetipſum ſine mora ſermonis inſinuat repentina luce, noſtræ ignorantię tenebras illuſtrat. Vnde & Baruch Neriæ filius, cùm requiſitus exponeret, quemadmodum verba Hieremiæ prophetantis audiſſet, ait: *Ex ore ſuo loquebatur, quaſi legens, & ego ſcribebam.*

Iſidorus Hiſpalenſis. 620.

De *Natiuitate Domini cap. 18.* Et Hieremias in libro Baruch: *Hic eſt Deus noſter, & non æſtimabitur alius ab eo,* &c.

Hildephonſus Toletanus. 660.

De *Virginitate Dei Genitricis, cap. 5.* Secundùm diuinitatem eſt illud, quod connectit: *Egreſſus eius à diebus æternitatis.* Item Dauid: *Ambulabit de virtute in virtutem, & videbitur Deus Deorum in Sion.* Item Hieremias in libro Baruch: *Hic eſt Deus noſter, & non æſtimabitur alter ad eum,* &c.

Ambroſius Ansbertus. 760.

Libro 3. in Apocalypſin: Quod Dominus quoque de ſe ſcriptum fuiſſe apertè indicat, dicens: *Si crederetis Moſi, crederetis forſitan & mihi. De me enim ille ſcripſit.* Et illud Prophetę dicentis: *Poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt.*

Concilium Pariſienſe. 829.

Lib. 2. cap. 8. Si enim Hieremias Propheta Dei pro vita idololatræ regis Nabuchodonoſor orare admonet, quanto magis pro ſalute Chriſtianorum regum ab omnibus ordinibus Deo eſt humiliter ſupplicandum?

Altercatio Synagogæ & Eccleſiæ. 880.

Cap. 7. Quoties tamen propheticus ſermo tenebras Iudaicæ cęcitatis alloquitur? *Surge,* inquit, *Hieruſalem, & ſta in excelſo.*

Petrus Damianus. 1050.

Epiſtola 14. de contemptu ſeculi cap. 32. Deprimatur ergo nũc quilibet frater in anguſto ſuę remotionis ergaſtulo, vt infinitæ magnitudinis domus ſibi paretur in cælo. Hieremias ait: *O Iſrael quàm magna eſt domus Dei, & ingens locus poſſeſſionis eius? magnus eſt, & non habet conſummationem, excelſus, & immenſus.*

De *Epiphania Domini:* Habuit teſtimonium Prophetarum: quia Eſaias ait: *Egredietur virga de radice Ieſſe.* Hieremias autem: *Poſt hæc,* inquit, *in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt,* &c.

Hugo Victorinus. 1130.

Eruditionis Theologicæ per allegoriam de Verbo incarnato quæſt. 19. Dicit Propheta: *Poſt hæc in terris viſus eſt, & inter homines conuerſatus eſt.*

Sermone 43. De hac pace populo, non in via Dei ambulanti, ſed in inuio diaboli erranti Baruch ait: *Si in via Dei ambulaſſes, habitaſſes vtique ſuper terram.*

Bernardus. 1130.

Sermone 2. de Aſſumpt. B. Mariæ: Opportunè ſatis hoc mihi loco prophetica exclamatio aſſumenda videtur: *O Iſrael quàm magna eſt domus Domini, &* Bar. 3. *ingens locus poſſeſſionis eius?*

Sermone de conuerſione ad Clericos cap. 23. Murmuret Phariſęus, & dicat: *Quis poteſt dimittere peccata, niſi ſolus Deus?* Mihi enim qui id loquitur Deus eſt: *Et non æſtimabitur alius ab illo, qui adinuenit omnem viam diſciplinæ, &* Bar. 3. *dedit illam Iacob puero ſuo, & Iſrael dilecto ſuo: poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt.*

Petrus Cluniacenſis. 1150.

Lib. 2. contra Iudæos cap. 2. Hieremiæ Prophetæ notarius ſeu collega Baruch poſt multa, quæ de Deo promiſerat, ſubdit: *Hic,* ait, *eſt Deus noſter, & nõ* Bar. 3. *æſtimabitur alter ad ipſum,* &c. Quid clarius? quid apertius? Deum vocat. Quem? *Qui inuenit omnem viam diſciplinæ.*

Ioannes Saresberienſis. 1170.

Lib. 1. Polycraticon cap. 4. Percurre ſeriem Prophetarum, fidelis populi officia & ſtudia perſcrutare, quos in ſerie veteris Teſtamenti legis exercuiſſe venaticam, nempe Idumæos, & Iſmaelitas, & gentes, quæ Dominum neſciebant. *Vbi ſunt,* inquit Bar. 4. Propheta, (aut, ſi mauis, dum tamen in ſpiritu, notarius Prophetæ,) *qui in auibus cæli ludunt?*

Innocentius Tertius. 1200.

Sermone 1. in Natiuitate Domini: Antequam Verbum caro fieret, procul habitabat à nobis: vbi verò factum eſt caro Verbum, habitabat in nobis, non ſolùm per gratiam, verùm etiam per naturam. *Hic enim eſt Deus noſter,* qui ſecundùm Bar. 3. Prophetam *in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt.*

Iacobus Vitriacus. 1220.

In die Natalis Domini: Ieremias in libro, qui dicitur Baruch, ſic ait: *Hic eſt Deus noſter, &* Bar. 3. *non æſtimabitur alius ab eo.* Et paulò pòſt: *Poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus verſatus eſt.*

Bonauentura. 1260.

Ad caput 2. Lucę: *Venit in Nazareth.* Modò impletum eſt illud Baruch. 3. *Poſt hæc in terris viſus eſt,* Bar. 3. *& cum hominibus conuerſatus eſt.*

Guibertus Tornacus. 1270.

Tractatu de officio Epiſcopi cap. 48. Quinta lectio eſt Baruch: Hæc ſcilicet: *Audi Iſrael mandata vitæ,* Bar. 3. &c. Vbi agitur de promiſſione præmiorum, quæ per Chriſti paſſionem baptizatis fidelibus largiuntur.

Nicolaus Lyranus. 1300.

Proœmio in librum Baruch: Baruch fuit notarius Hieremiæ à temporibus Ioachim filij Ioſiæ, & poſtea ſcripſit librum, quãtum ad illam partem, cuius fuit auctor.

Albertus Patauinus. 1320.

Sermone 1. quartæ Feriæ: Triplex eſt triſtitia: prima eſt ſpiritualis, quę prouenit primò quidem ex memoria propriæ culpæ. Baruch 2. *Anima triſtis ſuper magnitudinem mali ſemper incedit curua.* Bar. 2.

Ludolphus Carthuſianus. 1330.

Vitæ Chriſti parte 1. cap. 18. *Habitauit in nobis,* id eſt, inter nos in mundo, ſecundùm illud Baruch: *In terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus* Bar. 3. *eſt.*

Rupertus Holcotius. 1360.

In Prouerbia Salomonis, lect. 58. Iſti ſimiles ſunt illis, de quibus dicitur Baruch 3. *Qui in auibus cæli ludunt, qui argẽtum theſaurizant & aurum, in quo confidunt homines.*

Bernardinus Senenſis. 1430.

Tom. 1. Serm. 13. Stellæ ſunt ſenſus noſtri tam corporales, quàm ſpirituales, de quibus Baruch 3. *Stellæ dederunt lumen in cuſtodijs ſuis.*

Laurentius Iuſtinianus. 1440.

De *caſto connubio Verbi & animæ cap. 2.* Hi omnes verum lumen viderunt, & illi adhærentes, tamquam radiantes ſtellæ, in Eccleſiæ ſunt poſitæ firmamento, perhibentqúe lumini teſtimonium, à quo lucem acceperunt. Vnde per Prophetam dicitur: *Stellæ dederunt lumen in cuſtodijs ſuis, & lætatæ* Bar. 3. *ſunt, vocatæ ſunt, & dixerunt,* &c.

De *triumphali Chriſti agone cap. 15.* Aliud tamen de Lege veſtra prolatum teſtimoniũ audite, contra vos: *Hic eſt,* ait Propheta, *Deus noſter, & non æſtimabitur alius ad eum.* Bar. 3.

ARTICVLVS DVODECIMVS.

LIBRVM IVDITH ESSE AVTHENTICVM, ET CANONICVM SACRÆ SCRIPTVRAE LIBRVM, CITANDVM AD ECCLESIASTICA DOGMATA CONFIRMANDA.

OLIM DVBITABANT.

Anno poſt natũ Chriſtũ 160. *ELITO Sardenſis,* epiſtola ad Oneſimum, *enumerans ſacræ Scripturæ libros, nullam mentionem facit libri Iudith.*

380. *Nazianzenus, Amphilochius, & Patres Concilij Laodicenſis, ſimili modo in ſuo Canone librum Iudith taciti prætereunt.*

390. Hieronymus lib. 10. ad Furiam cap. 6. *Legimus in Iudith (ſi cui tamen placet librum recipere) viduam confectam ieiunijs.*

Præfatione in librum Iudith: *Apud Hebræos liber Iudith inter Hagiographa legitur, cuius auctoritas ad roboranda illa, quæ in contentionem veniunt, minus idonea iudicatur.*

NVNC NEGANT.

1510. *Martinus Lutherus,* in ſuis Biblijs, *librum Iudith inter apocrypha conijcit, & Comœdiam potius, quàm hiſtoriam eſſe aſſerit.*

In Colloquijs Germanicis, capite de libris veteris Teſtamenti: *Mihi,* inquit, *videtur Iudith eſſe Tragœdia aut fabula, in qua deſcribitur & oſtenditur, qualis tyrannorum exitus eſſe ſoleat.*

1560. *Ioannes Brentius,* in Apologia Confeſſionis VVirtembergenſis, cap. de ſacra Scriptura, *Librum Iudith inter apocrypha numerat.*

1570. *Guilielmus VVitakerus,* in diſputatione de ſacra Scriptura, *idem facit.*

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Clemens Romanus. 80.

Conſtitut. Apoſt. lib. 3. cap. 7. Vt igitur prudentiſſima illa Iudith, pudicitiæ teſtimonio laudata, nocte & die pro Iſrael Dominum deprecabatur: ſic vidua illius ſimilis perpetuò pro Eccleſia Deum deprecabitur.

Lib. 5. cap. vlt. Heſter, Mardochæus, & Iudith, ieiunio facto, malum, quod impius Holofernes, & Aman Iudęus moliebantur, declinârunt.

Lib. 8. cap. 2. Atque etiam mulieres prophetârũt. Olim quidẽ Maria Moſis & Aaronis ſoror, poſtea verò Debbora, deinde Oldad, & Iudith: illa quidem Ioſia rege, hæc Dario.

Ignatius. 100.

Epiſtola ad Philadelphienſes: Sint viduæ non vagę, non guloſæ, non circumcurſantes, ſed vt Iudith Iudith 8. illa honeſtiſſima, vt Anna illa honeſtiſſima.

Clemens Alexandrinus. 200.

Libro 4. Stromaton cap. 4. Sic etiam Iudith, quæ cõſummata fuit in mulieribus, cùm eſſet vrbs circunſeſſa, precata ſeniores, ingreditur quidẽ in caſtra alienigenarum, omne periculum contemnẽs pro patria, ſeipſam tradens hoſtibus in fide Dei: præmia autem fidei mox accepit, cùm mulier in hoſtem ſe pręclarè geſſerit, & potita ſit capite Holofernis.

Origenes. 240.

In lib. Iudicum Homilia 9. Quid ego illam magnificam & omnium fœminarum nobiliſſimam memorem Iudith? quæ iam perditis penè rebus non dubitauit ſola ſuccurrere, ſeq; ſuumq; caput immaniſſimi Holofernis neci ſola ſubijcere, & pro-

cessit ad bellum non in armit, nec in equis bellicis, aut in subsidijs militaribus freta, sed virtute animi & confidentia fidei, consilio simul & audacia hostem perimit, & quam viri perdiderant, fœmina reddidit libertatem patriæ.

Homil. 1. in Psal. 37. Festiuitatibus Domini panem nos afflictionis edere iubemur, & in ipsis festiuitatibus dicitur, vt humiliet homo animam suam, & cùm festiuitas propitiationis indicitur, dicitur: *Humiliate animas vestras.* Iudith 8

Hom. 27. in Numeros: His ergo cùm recitatur talis aliqua diuinorũ voluminum lectio, in qua non videatur aliquid obscurũ, libẽter accipimus, verbi causa, vt est libellus Hester, aut Iudith, aut etiam Tobiæ, aut mandata Sapientiæ. Si verò legitur liber Leuitici, offenditur continuò animus, & quasi non suum refugit cibum.

Synodus Nicæna. 325.

Hieronymus Præfatione in librum Iudith: Quia hunc librum Synodus Nicæna in numero sanctarum Scripturarum legitur cõputasse, acquieui postulationi vestræ, imò exactioni, magis sensum è sensu, quàm verbum verbo transferens.

Athanasius. 340.

In Synopsi diuinæ Scripturæ, de libro Iudith: Hoc nomine vocatur iste liber ob eam causam, quòd historiam de Iudith continet, quomodo per illam Deus filios & populum Israel ab Holoferne impugnatos & obsessos saluauerit, Holofernem verò percusserit.

Disputatione contra Arium: Priusquam Spiritum sanctum Deum esse perdoceam, eundem creatorem esse cunctorum, verbis legalibus approbabo. Scriptum est: *Verbo Domini cæli firmati sunt, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Et in Iudith: *Tibi seruiet omnis creatura: quoniam dixisti, & facta sunt: misisti Spiritum tuum, & ædificauit.* Sap. 1. Iudith 16

Exhortatione ad Monachos: Ieiunijs Bethuliæ populus Assyria obsidione conclusus, & vsque ad deditionem sui experta plurima virtute conterritus, ab Holofernis tumentibus minis constantis manu fœminę meruit vindicari. Iudith 13.

Apollinaris. 370.

Libro de ætatibus hominum: in morum adolescentiæ formatione:

Quin & Holopherni caput est à ventre recisum,
Cùm potor vino plus æquo deditus esset.

Ioannes Chrysostomus. 400.

Ex varijs in Matthæum locis Homil. 10. ex cap. 6. Matthæi: Si fieri potest, opus religiosi ieiunij, & ipsius corporis atque animæ afflictionem vultus hilaritate velemus; cuius rei exempla, etiam secundùm historiam, præterito tempore legimus præostẽsa. Nam sanctissima Iudith, cùm magno mœrore pro populo esset afflicta, post solennitatem triduani ieiunij, capite vncto & lota facie, ita internæ afflictionis tristitiam texit, vt simulato gaudio lætari hostibus videretur: ac sic dum lętitia vultus ieiunium texit, de hoste triumphum victoriæ reportauit. Iudith 9. & 13.

Homilia 60. in Ioannem: Mulier Absalom, mulier Amon perdidit: Ipsa Iob perdere conata est, ipsa Nabal cæde eripuit, ipsa vniuersam gentem liberauit. Et Delbora, & Iudith, & alię multę Imperatorum sunt functæ officijs.

Isidorus Pelusiota. 440.

Libro 1. Epistol. 87. Documento sunt celebris illa Susanna, cum filia Iephthe, & admiranda Iudith. Quarum prima senum intemperantem libidinem in iuuenili ętate superauit: altera mortem quoque magno animo susceptit, atque cum virginitate pręclarè abscessit: postrema pro castitatis pręconio hoc à Deo accepit, vt tyranno necem afferret. Iudith 13.

Procopius Gazæus. 530.

Ad caput 2. Esaiæ: Par fuit eos, qui facto à diuinationibus initio, ab opum etiam, equorumqúe insana libidine nõ abhorruerant, ipsam demum idololatriam attingere, qui diuitiarum instabilitati, fallacibusqúe ad salutem equis confiderent, non ei, *qui bella potest conterere.* Psal. 32. Iudith 16

Andreas Cretensis. 560.

De S. Crucis Exaltatione: Extulit aliquando præclara Iudith acinacem aduersus caput Holofernis dormientis, Crucis præfigurãs exaltationem, salutem fecit Israel.

Suidas. 970.

In Holoferne: Holofernes Imperator Cambysis, filij Cyri, qui cùm bellum gereret cum Arphaxad rege Medorum, & auxilia ab omnibus gentibus vsque ad Ægyptum postulasset, eaque negata illis essent, victo Arphaxad, bellum intulit eis, qui auxilia non miserant, misso Holoferne cum magnis copijs, qui omnes subegit. Cùm autem ad Bethuliam Iudææ vrbem venisset, Achiorem tribunum suum misit, comminatus, ni vrbem cepisset, se interfecturum eum. Achior autem potitus aquæ ductibus, eò redegit oppidanos, vt à deditione facienda non abhorrerent. Cæterùm Iudith sponsę ornatu egressa, decollauit Holofernem. Itaque conseruata est vrbs.

Ioannes Zonaras. 1100.

Tomo 1. Annalium: Nobis autem nec viraginis Iudithæ res gestæ sunt prætereundæ silentio, quæ Holoferne sublato, & vrbem, & gentem suã conseruauit.

Georgius Cedrenus. 1110.

In Dario Cambyse: Eo tempore terribile facinus est factũ: Iuditha enim, Hebraica mulier, insidias Olopherni Persę tendens, clam ad eum se contulit, simulans se gentem Iudæam velle prodere. Barbarus pulchritudine eius captus, amore statim correptus est. At verò Iuditha eum monere, ne quem suorum circa se haberet: se enim ab ijs de stupro appellari. Olophernes fidem mulieri adhibens, solus cum ea vixit, ipsa triduo ita tolerato, noctu capta occasione dormientis caput amputauit.

Michael Glycas. 1120.

Parte 2. Annalium: Cyrum in regno Cambysis filius, qui & Nabuchodonosoris cognomentum habuit, secutus est. Eius copiarum Imperator fuit Holofernes ille, quem cùm Iuditha prudenter necasset, ac rebus ipsius omnibus potita fuisset, non tamen insolenter animos sumpsit, sed omnibus Deo consecratis, in viduitate solitaqúe continentia vixit vsque ad annum centesimum quintum.

Nicetas. 1200.

In Orationem 42. Nazianzeni: Conueniebat enim intelligibilem naturam ante sensibilem procreari. Atque cogitatio illa opus extitit, quemadmodum ad Deum Iudith dicebat: *Cogitasti enim,* inquit, *atque eodem momento præsto fuerunt omnia quæcunque fecisti.* Iudith 9

ASSERVNT PATRES LATINI.

Tertullianus. 200.

De Monogamia cap. 17. Sed hanc iudicabunt iam, non Isaac monogamus pater noster, nec Ioannes alioqui Christi spado, nec Iudith filia Merari, nec tot exempla Sanctorum. Iudith 1

Libro 1. aduersus Marcionem cap. 7. Si communio nominum conditionibus præiudicat, quanti nequam serui Regum nominibus insultant Alexandri, Darij, & Olofernis? Iudith 1.

Hilarius. 350.

Ad Psalm. 125. Discentes hęc omnia, à Lege & Prophetis, Euangelijs & Apostolis, & cantantes ex Lege: *Dominus conterens bella, Dominus est nomen illi:* cognoscentes à Propheta: *Ego sum, qui feci cælum & terram ex nihilo.* Iudith 16 Esaię 48.

Lucifer Calaritanus. 360.

De non parcendo in Deum delinquentibus: Quid me agere oportuit tempore, quo te iudico natum ad nos Dei seruos à via vertendos veritatis, cùm Nabuchodonosor Holoferné virtutis suæ principem misisset. Quid orat Iudith Deum? nempe vt destrueret inimicos Israel. Nunquid dixit: *Custodi insurgentes aduersus domum tuam? Domine Deus patris mei Simeon, qui dedisti gladium in vltione alienigenarum, qui violauerunt vuluam virginis in coinquinationem,* &c. *Tu proijce illorum vires, contere illorum plenitudinem virtute tua,* &c. Magnalium fuit satis, vt mulier ista Deo cupiens placere Iudith manu interimeret sua hostem, & nos ne quidem verbo tibi à Domino restitissemus instituti pastores? Iudith 9.

Ambrosius. 370.

Libro de Viduis: Sed nec fortitudo bonę viduæ deesse consueuit. Hæc enim vera est fortitudo, quę naturæ vsum, sexûs infirmitatem mentis deuotione transgreditur. Qualis illa fuit, cui nomen Iudith, quæ viros obsidione fractos, perculsos metu, tabidos fame, sola potuit à colluuione reuocare, ab hoste defendere.

Libro 2. de Virginibus: Et Iudith se, vt adultero placeret, adornauit: quia hoc religione, non amore faciebat. Nemo eam adulteram iudicabat: bene succesśit exemplum. Nam si illa, quæ se commisit religioni, & pudorem seruauit & patriam, fortassis & nos seruando religionem, seruabimus etiam castitatem.

Lib. 3. Offic. cap. 13. Ecce tibi offert se Iudith mirabilis, quę formidatum populis virum Holofernem adijt, Assyriorum triumphali septum caterua; quem primò formæ gratia, & vultus decore perculit, deinde sermonis circumscripsit elegantia. Primus triumphus eius fuit, quòd integrum pudorem de tabernaculo hostis reuexit: secundus, quòd fœmina de viro reportauit victoriam, fugauit populos consilio suo, horruerunt Persæ audaciam eius.

Prudentius. 380.

In Psychomachia, de pugna pudicitiæ & libidinis:

Assyrium postquam thalamum ceruix Holopherni
Cæsa cupidineo madefactum sanguine lauit,
Gemmatumq; torum mœchi ducis aspera Iudith
Spreuit, & incestos compescuit ense furores,
Famosum mulier referens ex hoste trophæum
Non trepidante manu, vindex meæ, celitus audax.

Orientius. 380.

De institutis monasticis paulò post initium: Non confundamur cùm loquimur inimicis nostris in porta, sed magis digni simus audire illud: *Aperite portas, vt ingrediatur populus, qui custodit iustitiam & veritatem.* Iudith 13.

Hieronymus. 390.

Epistola 9. ad Saluianam de seruanda viduitate c. 6. Hæc filia in Christo castissima inculco, & crebrius repeto: vt posteriorum oblita in priora te extendas, habens tui ordinis quas sequaris Iudith de Hebræa historia, & Annã filiam Phanuelis de Euangelij claritate. Vnde altera in typo Ecclesiæ diabolum capite truncauit: altera Saluatorem mundi prima susćepit, sacramentorum consćia futurorum. Lucæ 2. Iudith 9.

Epistola 22. ad Eustochium, de custodia virginitatis cap. 9. Statim vt Filius Dei ingressus est super terram, nouam sibi familiam instituit, vt qui ab Angelis adorabatur in cælo, haberet Angelos & in terris. Tunc Holofernis caput Iudith continens amputauit: tunc Aman, qui interpretatur iniquitas, suo combustus est igni. Iudith 13. Hester 7.

Concilium Carthaginense Tertium. 395.

Cap. 47. Sunt Canonicæ Scripturę: Genesis, Exodus, &c. Ezechiel, Daniel, Tobias, Iudith, &c.

Augustinus. 400.

De doctrina Christiana lib. 2. cap. 8. Totus Canon Scripturarum his libris continetur: Quinque Moseos, vno libro Iosuæ, &c. Sunt alię tamquam ex diuerso ordine, quæ neque huic ordini, neque inter se connectuntur: sicut est Iob, & Tobias, & Hester, & Iudith, & Machabæorum libri duo &c.

Sermone 228. de Tempore: Cùm Holofernes ille filiorum Israel, imò sui capitis inimicus, exterarum gentium sibi ius vendicaret, atque obsidione, armis, ignibus quoq; pugnaret, Iudith sanctissima, cuius precibus patuit cęlũ, orationis arte arma victricia fabricauit, quibus aduersa cõfligeret, & pauescentes viros fœmina vindicaret. Squallebat ciuitas obsidione barbaræ feritatis: ita enim vniuersa languebat, vt manibus hostium iam tradi commodius iudicarent, quàm pernicioso famis populatione vexari. Ecce Iudith post precem, & saccum, post cinerem, ad cultus puellares redit, spes omnium populorum procedit, solicitos populos redditura securos, sua sapientia consolatur, &c.

Innocentius Primus. 410.

Epistola 3. ad Exuperium Tholosanum cap. 7. Qui verò libri recipiantur in Canone sanctarũ Scripturarum breuis annexus ostendit. Hęc sunt ergo, quæ desiderata moneri voce voluisti: Moses libri quinque, &c. Item historiarum: Iob liber vnus, Tobiæ vnus, Hester vnus, Iudith vnus, Machabæorum duo, Esdræ duo, Paralipomenon duo, &c. 8 libri

Paulinus Nolanus. 420.

Natali 8.

Terrentemq; manu latè populos Holophernem
Arte pudicitiæ deceptum callida Iudith
Risit, in impuro quæ non polluta cubili
Barbara truncato victrix duce castra fugauit.

Idacius Clarus. 420.

Aduersus Varimadum Arianum: Si Trinitas non est, cur Iudith adorando ait: *Domine Domine, Deus omnium virtutum respice in orationem meam?* Iudith 13.

Arnobius Romanus. 430.

Ad Psalm. 139. Homicidium in Abel malum, in Goliad bonum est: & mendacium in Iudith bonum est, contra Susannam malum est.

Prosper. 450.

De promissionibus & prædict. parte 2. cap. 38. Nec impari etiam loco Iudith sancta ordine subsequente ponitur, quæ etiam ipsa figuram sanctæ Ecclesię personamqúe suscipiat. Nam cùm dux militię regis Babylonis Bethuliam Holophernes obsidione cinxisset, sublatisqúe aquis siti affligeret ciuitatem, primores eius in deditionem statuerãt tradere Holoferni. Hæc disponentibus Iudith obstitit, paucorum dierum inducias poscens. Quibus ieiunijs orationibusqúe supplex Regem regum, & Dominum dominorum exorauit. Exuta igitur veste viduali, sese omni ex parte, mente, corpore, moribusqúe componens, mirabilem cunctis exhibuit: eo vsa consilio, quo, custode Deo, credebat pulchritudine captum hostem posse perimere, suam pudicitiam illo seruante, qui dator & custos est castitatis. Quæ cùm læta caput hostis afferret, quam viri non valuerunt, fœmina patrię reddidit libertatem.

Sidonius Apollinaris. 470.

Carmine Eucharistico ad Faustum Regiensem:

Quiq; manum Iudith ferientem colla Holofernis
Iuuisti, exciso iacuit cùm gutture truncus,
Et fragilis valido latuit bene sexus in ictu.

Gelasius. 490.

In Decretis: Ordo librorum veteris Testamenti, quem sancta Catholica Romana suscipit & veneratur Ecclesia, digestus à Gelasio Papa cum septuaginta Episcopis: Genesis liber vnus, Exodus liber vnus, &c. Item ordo historiarum: Iob liber vnus, Tobiæ liber vnus, Esdræ liber vnus, Hester liber vnus, Iudith liber vnus, Mardochęus liber vnus.

Alcimus Auitus. 500.

De vera virginitatis laude ad sororem, numerans sacræ Scripturæ libros:

Quæqúe instaurator templi promptissimus Esdras
Egerit, aut melius cæcato in corpore cernens
Tobias, quid pro populo confecerit Hester,
Fœmineaq; animi Iudith in mente virilis.

Fulgentius. 500.

Epistola 2. de statu viduali cap. 10. Tales sunt etiam nuptiæ, quę & bene suscipi possunt, & bene contemni. Quàm bene nuptiarum opus in castitate coniugali Susanna seruauit? quàm melius in continentia viduali Iudith atque Anna contempsit? quàm optimè in integritate virginali Maria instituit?

Cap. 14. Hunc sanctæ viduæ cordis contritione, & corporis castigatione quęsiuerunt. Huic cordis
Iudith 8 & corporis plena continentia deuotissimè seruierunt. De Iudith enim scriptum est: *Et erat Iudith in domo sua vidua annis tribus, & mensibus quatuor, & fecit sibi tabernaculum super solarium domus suæ, & imposuit super lumbos suos cilicium, & erant super eam vestimenta viduitatis suæ, & ieiunabat Iudith omnibus diebus viduitatis suæ.* Ac ne quis illã sanctã viduam non deuotione cordis, sed necessitate paupertatis existimet ieiunasse, audi quid de ea in subsequentibus dicitur: *Et erat Iudith bona aspectu, & formosa facie valde, & prudens corde, & bona in intellectu, & erat honesta valdè: quia reliquerat ei Manasses vir eius aurum & argentum, seruos & ancillas, & pecora, & prædia.* Ecce vidua præclara natalibus, facultatibus diues, ætate iuuenis, specie mirabilis, diuitias contempsit, delicias respuit, carnis incentiua calcauit, & induta virtute ex alto, non quæsiuit secundo famulari cõnubio. Propterea testimonio tam præclari operis apparuit, quantum Deo dilecta sit continentia vidualis. Deniq; cùm Holofernes innumero Bethuliã obsedisset exercitu, & omnis Israelitarum virtus perturbata lãguesceret: egreditur castitas oppugnatura lasciuiam, & ad interitum superbię humilitas sancta procedit. Ille pugnabat armis, ista ieiunijs: ille ebrietate, ista oratione. Igitur quod omnis Israelitarum populus facere non potuit, sancta vidua castitatis virtute perfecit: obtruncauit vna mulier tãti agminis ducem, & insperatã Dei populo reddidit libertatẽ.

Bellator Presbyter. 540.

Bellator Presbyter scripsit Commentaria in librum Iudith. *Cassiodorus lib. 1. Institut. cap. 6.*

Aurelius Cassiodorus. 540.

Diuinar. Instit. lib. 1. c. 13. recẽsens Canonicos Scripturæ libros: Mosis, *inquit*, libri quinq;, &c. Tobię vnus, Esther liber vnus, Iudith liber, Esdræ duo, &c.

Gregorius Turonensis. 580.

Historiæ Francorum lib. 9. c. 27. Puella extensa manu trans caput viri gladium reperit: quo euaginato caput ducis, velut Iudith Holofernis, ictu virili vibrauit.

Isidorus Hispalensis. 620.

De vita & morte Sanctorum c. 64. Iudith filia Merari de tribu Simeon magnanimis, in gloria virorũ præstantior. Hæc pro salute populi morti se obtulit, nec trepidauit furorem regium. Nam dormientem necauit principem, saluo pudore suis ciuibus triumphalem victoriam reportauit. Vixit annis 105.

Libro 6. Originum cap. 1. de nouo & veteri Testamento: Librum Iudith numerat inter eos, quos etsi Hebræi inter apocrypha separent, Ecclesia tamen Christi inter diuinos libros & honorat, & prædicat.

Hildephonsus. 660.

De virginitate Dei genitricis Mariæ cap. 11. Verùm vt cuncta quasi suæ conditionis compede, ita generali dicto constringam, audiant vniuersa sub vno: Iudith 16
Magnus es Domine, & præclarus virtute, insuperabilis, tibi seruiet omnis creatura tua: quia dixisti, & facta sunt: misisti Spiritum tuum, & creata sunt. Si igitur cũcta, quę facta sunt, seruiunt, restat nihil esse factori æquale: quia quod Domino seruit, Domini est.

Beda. 700.

De sex ætatibus mundi, de anno 3430. Cambysen aiunt ab Hebręis secundũ Nabuchodonosor vocari, sub quo Iudith historia conscribitur.

Gregorius Tertius. 730.

Epistola ad Germanum Patriarcham Constantinop. Neque hoc tamen mirãdum est. Nam si Bethulia per manus Iudith Israelitidos mulieris seruata est, cuius opus Holofernis erat sublatio, & per ea tempora ob id salus Israelis vocata est, quomodo non oportebat & tuam sanctitatem huiuscemodi propugnatrice vtentem, hostibus ciuitatis præualere, ipsamq; victoria coronare?

Haymo. 820.

Ad caput 11. Epistolę ad Romanos: *Fiat mensa eorum in laqueum.* Ad mensam solent tractare impij de nece innocentum, sicut Herodes de obtruncatione beati Ioannis, & Holofernes spurcissimus de violatione Iudith.

Freculphus Lexouiensis. 830.

Tomo 1. lib. 3. cap. 19. Cambysen Cyri filium aiunt vocari secundum Nabuchodonosor, sub quo historia Iudith conscribitur, quæ Holofernem interfecit. Is enim templum ciuitatemqúe Hierosolymitarum reædificari prohibuit.

Concilium Aquisgranense. 837.

Lib. 2. c. 30. Quòd verò Deo oblata, quę vtiq; sancta vocãtur, ab his, quibus officiũ nõ est, auferri, immò contingi fas nõ sit, verba Iudith, loquentis ad Holofernẽ, patenter innuũt, quę ita inquit: *Deniq;* Iudith 11.

hoc

hoc ordinant, vt interficiant pecora sua, & sanguinem eorum bibant, & sancta Domini Dei sui, quæ præcepit non contingi, in frumento, vino, & oleo, hæc cogitauerunt impendere, & volũt cõsumere, quæ nec manibus debebant cõtingere. Ergo quoniam hæc faciunt, certum est, quoniam in perditionem dabuntur. At si fortè quispiam quęrat, ex qua auctoritate hæc verba Iudith protulerit, legat diligenter Leuiticum, & cæteros veteris Testamenti libros, in quibus Domino cõsecrata ab exteris contingi prohibentur, & manifestè inueniet, vnde eadem verba sumpserit.

Rabanus Maurus. 840.

Ad cap. 1. Iudith: Quidam quærendum putant, historia Iudith quo tempore, quibusve sub regibus edita fuerit: ob hoc maximè, quia ipsi reges, qui in historia notati sunt, hoc est Arphaxad, & Nabuchodonosor, apud eos, qui Assyriorũ, vel Medorum historias conscripsêre, in ordine regum vtriusque inserti non reperiuntur. Eusebius in Chronicis asserit Cambysen filium Cyri, qui post patrem, triginta annis regnantem, octo annis regnauit in Perside, ab Hebræis secundum Nabuchodonosor vocari, sub quo Iudith historia conscripta sit. Sed quia ipsa historia Arphaxad dicit esse Regem Medorũ, & Nabuchodonosor regem Assyriorum, qui regnauit in Niniue, ipsumq; Nabuchodonosor superasse regem Medorum, & obtinuisse eum: non inuenio quomodo regnum Assyriorum, à Medis atque Persis destructum atque vastatum, rursus præualuerit ipsis Medis, si Cambyses Nabuchodonosor esse intelligatur: nisi fortè dicamus, quòd ipse Cambyses, quia gentes finitimas impugnasse, & AEgyptum superasse describitur, cùm regnum Assyriorum atque Persarum eo tempore vnitum erat, aliquem regem nomine Arphaxad in Media repugnantem vicerit, ac suo imperio subiugauerit. Sed ad hanc opinionem sequendam neminem trahimus, eligat sibi vnusquisque quod sibi vtile videatur, tantùm vt sensus eius à veritate non discordet.

Theodulphus Aurelianensis. 860.

De Scripturæ libris:

Scribitur insignis Iudith mox fœmina facti,
Incestus cecidit qua feriente furor.

Eulogius Cordubensis. 860.

Epistola ad Virgines sacras: Iudith sopitum quiete vitiorum Holofernem saluo pudore peremit: & sic cum excellenti victoria medias pugnatorum acies scindens, suum reuisura populum regreditur.

Smaragdus. 970.

Ad cap. 9. Regulæ Benedicti: Veteris Testamẽti sunt quinque libri Mosi, &c. Ecclesiastes, Tobias, Hesther, Iudith, Esdras, &c.

Petrus Damianus. 1050.

De contemptu seculi cap. 19. Istorum verò forma Iudith fuerat, quæ videlicet cilicijs eatenus vsa, cùm necessitas petijt, diuersis se ad corporis venustatẽ infulis adornauit, sacra testante Scriptu-
Iud. 10. ra, quæ ait: *Abstulit à se Iudith cilicium, & exuit se vestimentis viduitatis suæ, & lauit corpus suum, & vnxit se myrto optimo, & discriminauit crinem capitis sui, & imposuit mitram super caput suum, & induit se vestimentis iucunditatis suæ, induitq; sandalia pedibus suis, assumpsit etiam dextrariola, & lilia, & inaures, & annulos, & omnibus ornamentis suis ornauit se.* Cum his igitur sancta fœmina & verè circa se humilitatis custodiã tenuit, & eum, quo locupletata fuerat, spiritum non amisit.

Radulphus Ardens. 1060.

Dominica 4. post Epiphaniam Domini: Qui liberatus non agit gratias liberatori, meretur de cætero nõn liberari. Hinc Hebræi post liberationem Deo canticum cantabãt, vt Moses post submersionem
Pharaonis, Delbora post occisionem Sisaræ, Iu- Iud. 13.
dith post interfectionem Holofernis.

Anselmus Cantuariensis. 1080.

Ad cap. 11. epist. ad Hebræos: Tentatus est Ioseph, cui impudica domina dicebat: *Dormi mecum.* Et Iu-
dith, cui dixit Holofernes: *Tu eris magna in domo* Iud. 11.
Nabuchodonosor, & nomen tuum nominabitur in vniuer-
sa terra, &c. *Iudith cilicium habebat super lumbos suos.* Iud. 9.

Hildebertus Cennomanensis. 1100.

Epist. 31. Iudith quoque cùm vsque ad despera- Iudith 13
tionem sacerdotes trepidarent, Bethuliam liberauit in oratione & ieiunio.

Rupertus Tuitiensis. 1120.

De diuinis officijs lib. 12. cap. 25. Iudith fortitudinis speciem in hoc nimirum prætendit, quòd formidantibus viris bellicosis, immanissimo tyranno pro liberatione patriæ se opposuit, & principem militiæ fœmina inermis Dei adiutorio superauit. Fortitudo enim eius à Deo fuit, sicut ipsa in
oratione dicit: *Et nunc Domine subueni mihi viduæ, vt* Iudith 9.
quod per te posse credidi, perficiam. In quo quàm verè fortis fuerit, caput Holofernis ebrietate sopiti amputatura ipsius pugione, ostendit, dicens: *Conforta me Deus meus in hac hora: & præcidit caput eius.* Sed hoc volumen apud Hebræos non est in Canone, sed Nicænæ Synodi auctoritate ad instructionem venit sanctæ Ecclesiæ.

Hugo Victorinus. 1130.

Sermone 85. Nota est historia Iudith, quomodo Holofernem principem exercitus regis Assyriorum, qui in eadem historia Nabuchodonosor appellatur, interfecit.

In speculo Ecclesiæ cap. 4. In Septembri legitur in Ecclesia, & cantatur de Iob, Tobia, Esdra, Iudith, & Esther: quia hi aduersa patienter sustinuerunt: & Ecclesia in fine mundi aduersa omnia pro Domino tolerabit.

Bernardus. 1130.

Sermone 1. in Cantica: Cecinit, ait Scriptura, *Is-* Exod. 15.
rael carmen hoc Domino: Cecinit etiam Delbora, ce- Iudith 16
cinit & Iudith, cecinit & mater Samuelis. 1. Reg. 2.

Serm. 13. in Cantica: Iosue, Iephthe, Gedeon, Samson, Iudith quoque, quamquam fœmina, gloriosè in diebus suis triumphârunt de hostibus, sed pace cum gaudio fruentibus cæteris, nemo cũ ijs communicauit in gloria.

Hildegardis. 1160.

In Appendice ad Symbolum D. Athanasij: Sed & in mollem muliebrem sensum tantam vim misit, vt
mulier Holofernem in nocte interficiens Israeli- Iud. 13.
ticum populum liberauit, & in hoc Genitricem Filij sui præsignauit, per quam fidelis populus liberandus erat.

Ioannes Saresberiensis. 1160.

Polycrat. lib. 8. c. 20. Holofernes non virtute hostili, sed suis vitijs gladio mulieris occubuit, & qui viris formidabilis fuerat, luxuria & ebrietate victus à fœmina interfectus est. Nec fœminæ ad tyrannũ patuisset ingressus, nisi hostilem animum pia simulatione texisset. Non enim est dolus, qui seruit fidei, & militat charitati. Siquidẽ fidei est, quòd increpat sacerdotes, qui diuinæ miseratione præscripserant tempus, ex pacto hostibus se dedituri, & vrbem, nisi infra quinque dies Dominus ei subueniret. Charitatis autem, quòd nulla formidauit pericula, dum fratres & populum Domini ab hostibus liberaret. Nam & hoc egre-

dientis in salutē indicant verba: *Fac*, inquit, *Domine, vt gladio proprio eius superbia amputetur*, &c.

Iudith 9.

Ealredus Anglus. 1160.

In vita Eduardi regis Angliæ: Per te Domine Iesu Ioseph, relicto pallio in manibus meretricis, cum titulo castitatis euasit. Admirabilis Susannæ constantia tua virtute de impudicis presbyteris triumphauit. Sanctæ Iudith castitas ab Holoferne nec lædi potuit, nec tentari.

Godfridus Viterbiensis. 1170.

In Chronicis parte 13. de Iudith: Iudith interpretatur laudans. Interpretatur etiam vidua Iudith vidua magnanimis, in gloria virorum virtute præstantior. Ipsa pro salute populi morti se obtulit, nec furorem regum trepidauit. Nam principem Holofernem dormientem necauit, saluoq; pudore suis manibus triumphum & caput ipsius principis reportauit.

Gillebertus. 1200.

In continuatis Sermonibus super Cantica, ad ea verba Cant. 3. *Quæ est ista, quæ ascendit, & digna lectulo Salomonis.* Iudith & lotam, & vnctam lego, vt regios vnguenti suauitate mulceret amplexus. Hęc verò vnguentis iam non vtitur in sponsi gratiam, sed liquefacta est odore ipso vnguenti.

Innocentius Tertius. 1200.

Iudith 3.

Proœmio in Psalmos pœnitentiales: Iudith stans ante lectum Holophernis, orabat Dominum, vt cōfortaret eam.

Iacobus Vitriacus. 1220.

Dominica 16. post Octauas Pentecostes: His diebus leguntur in Ecclesia historię Iudith & Hesther. Prędictæ siquidem mulieres in tribulationibus valde fuerūt constantes, & per angustias tribulationum ad latitudinem iucunditatis peruenerunt. De Iudith siquidem legimus, quòd sacerdotibus & alijs, qui erant in Bethulia, deficientibus in tribulationum angustijs, ipsa viriliter stetit, & populum suum de manu inimicorum liberauit.

Guilhelmus Aluernus. 1230.

De diuina Rhetorica cap. 42. Hæc omnia nouit Iudith, quæ in oratione sua dicebat ad Dominum:

Iudith 9.

Tu Domine, cui mansuetorum & humilium semper placuit deprecatio, &c.

Vincentius Burgundus. 1245.

In speculo historiali lib. 4. cap. 21. A culpa mendacij, quam videtur toties incurrisse Iudith apud Holofernem, eiusq; satellites, pluribus medijs excusari potest. Nam ad hæc omnia generalis est solutio, quòd quæcumque dixit de populo Israel ab Holoferne capiendo intelligenda sunt secundùm merita eorum: quia peccata eorum exigebant, vt ita eradicarentur, sicut exponebat: vel etiam merita eorum: quia iam adeò desolati erant, & pusillanimes effecti, quòd volebant se sponte tradere: vel omnia intelligenda sunt sub conditione, scilicet quasi loqueretur simpliciter & assertiuè. Est etiam alia solutio generalis, quæ sumitur ex glossa, scilicet quòd Iudith propheticè loquebatur, prædicēs Iudæos esse tradendos in manus populi gentilis, quod factum est sub Tito & Vespasiano, propter peccata, quæ commiserant in Christum & Apostolos. Et ita vbique excusatur à mendacio.

Bonauentura. 1260.

De principio sacræ Scripturæ: In libro Iudith proponitur exemplar summæ pudicitiæ.

Iacobus Genuensis. 1280.

Sermone 3. de Assumptione B. Mariæ: Maria non habuit admixtionem peccati venialis, quia fuit à puritate Filij impregnata. Iudith 13. *Viuit Dominus, quia custodiuit me Angelus eius & hinc euntem, & illi cōmorantem, & huc reuertentem.*

Ioannes à Sancto Geminiano. 1300.

In Summa lib. 1. de cœlo & elementis cap. 10 Baptismus fons est sordium ablutiuus, & Baptismus omnes abluit fordes peccatorum, scilicet originalis, & actualis, & venialis. Iudith *exibat in vallem Bethuliæ, & baptizabat*, id est, lauabat se in fonte.

Iud. 15.

Albertus Patauinus. 1320.

Serm. 3. Nulla tentatio nocet abstinentibus. Ieiunans enim Iudith Holofernis caput præcidit.

Serm. 5. Pœnitentia est vas aqueum ratione lachrymationis. Iudith 8. *De nostris pœnitentiis peccatis, & indulgentiam à Domino fusis lachrymis postulemus.*

Iudith 8

Nicolaus Lyranus. 1320.

Tom. 6. fol. 277. de Septuaginta interpretibus: Sicut obstetrices AEgyptiorum ex pietate ad filios Hebræorum motæ fuerunt ad dicendum mendacium Pharaoni: & Iudith similiter ex desiderio liberandi populum Israel mota fuit ad ornandum se curiosè, vt sic concupiscentiam carnalem Holofernis erga se excitaret, quod est simpliciter malum. In istis vel consimilibus dicta vel facta mala excusantur à tanto, & non à toto.

Guido Carmelita. 1330.

De Catharis: Si sacerdotes postulabant, vt Iudith oraret pro se, dicentes: *Ora pro nobis, quia tu mulier sanctæ es*: longè amplius sine correptione recurrere debemus ad auxilium beatę Mariæ Virginis, vt ipsi dicamus: Ora pro nobis, quoniam mulier sanctissima es.

Iudith. 8.

Petrus Berchorius. 1360.

Lib. 17. Moralitatum cap. 2. Hic habes, quòd Nabuchodonosor præceperat Holoferni principi militiæ suæ, quòd omnes Deos terræ destrueret, vt ipse solus Deus ab his nationibus, quæ per Holofernem possent subijci, diceretur. Sic igitur factū est, quòd Iudith sancta mulier caput Holofernis amputauit, & sic Nabuchonosor potentiam enerauit.

Thomas VValdensis. 1416.

De Sacramentis Titulo 1. de oratione, & eius ritibus c. 6. Sancta Iudith de pudica vita, & longæua sanctitate laudatur, sed in necessitatis examine plus his omnibus in sancta oratione cōfidens, ante lectum Holofernis legitur orasse cum lachrymis.

Iudith 9.

Laurentius Iustinianus. 1430.

De sobrietate cap 2. Iudith quoque omne tempus viduitatis suæ his sobrietatis armis, & abstinentiæ munita peregit, & omnium Assyriorum circumuenit exercitum, sobrij vigore consilij abstulit Holoferni caput, seruauit pudicitiam, & victoriam reportauit.

Bernardus Senensis. 1440.

Tom. 1. de cultu sanctæ Trinitatis Serm. 10. cap. 1. Quidā infirmitatis & mortalitatis suæ obliti, se Deos adorandos constituerunt. Nam sicut expresse legitur Iudith 2. *Nabuchodonosor præcepit Holoferni principi militiæ suæ, vt omnes Deos terræ exterminaret*, videlicet vt ipse solus Deus diceretur ab his nationibus, quæ possent Holofernis potentia subiugari.

Rudolphus Agricola. 1470.

Carmine in laudem D. Annæ:

Iudith & Hebræis ferrum flammasq; minantem
Hostem tartareas fecit adire domos:
Laudibus & canitur Iudith, & laudibus Hesther:
Semper & æternum nomina clara tenent.

VVernerus Roleuingius. 1480.

In Fasciculo temporū ætate 5. Holofernes princeps militiæ Nabuchodonosor Cambysis multas terras dominio suo subiugauit, & tandem venit Bethuliam, ibi à Iudith muliere interficitur, vt patet Iudith 2. & 13.

Baptista Fulgosius. 1500.

Lib. 7. cap. 4. Nonne Iudith se quoque dignam fecit, vt cuius mirum consilium magnaq; calliditas, qua patriæ suæ salutem peperit, silentio non prætereatur? obsessa enim Bethulia (in qua ipsa nata erat) ab Holoferne, cùm sublata spe resistendi omnia desperationis plena essent, nonne ipsa re cū ciuitatis principibus cōmunicata, ausa est & mulier, & formosa, vna tantùm comitata ancilla, hostium castra petere? &c.

ARTICVLVS DECIMVSTERTIVS.

HISTORIAM TOBIAE ESSE CANONICAM SCRIPTVRAM, ET VALERE AD ECCLESIASTICA DOGMATA CONFIRMANDA.

OLIM DVBITABANT.

Anno post Christū natum. 160. 360. 380. 390.

MELITO *Sardensis*, epistola ad Onesimum, *Concilium Laodicense*, *Nazianzenus*, *& Amphilochius, texentes Catalogum veteris Testamenti librorum, nullam mentionem Tobiæ faciunt.*

Hieronymus, in Prologo Galeato, & Præfatione in libros Salomonis, *Tobiam cum Hebræis extra Canonem ponere videtur.*

NVNC OMNINO NEGANT.

1520. *Martinus Lutherus*, in suis Biblijs, *Tobiam inter apocrypha refert.*

In Colloquijs Latinis Tomo 2. capite de veteri Testamento, *Iudith*, inquit, *mihi videtur esse Tragœdia, in qua finis describitur tyrannorum: Tobias verò comœdia, quæ de mulieribus loquitur. Doctor Ionas cùm Tobiam transtulisset, scriptum translatum adferens dixit: permulta stulta esse in eo libro, præcipuè de tribus noctibus, & iecinore piscis assato, quo diabolus fugatus sit. Respondit Martinus Lutherus: Est poëma Iudaicum: Diabolus acerrimus hostis non tam facilè fugatur.*

1560. *Ioannes Brentius*, in Apologia confessionis VVitembergensis, *librum Tobiæ inter apocryphos numerat.*

1586. Guilhelmus VVitakerus, disputatione de sacra Scriptura, cap. de libro Tobiæ: *Ipse liber per se loquatur, cuius character totus se minimè Canonicum esse, satis ostendit.*

Contra Campianum pag. 17. *Illum Tobiæ Raphaelem minimè moramur, nec illos septem Angelos agnoscimus, quorum ille meminit. Hoc totum à Scripturis Canonicis alienum est, quod ab illo Raphaele commemoratur, & superstitionem nescio quam redolet.*

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Clemens Romanus. 80.

Tob. 4. *Epist. 1.* Vnde & in veteri Testamento scriptum est: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.*

Polycarpus. 150.

Tob. 4. *Epistola ad Philippenses*: Cùm poteritis benefacere, nolite differre: *quia eleemosyna à morte liberat.*

Clemens Alexandrinus. 200.

Tob. 7. *Lib. 1. Stromaton*: Hìc etiam factum est signum Ionæ. Et Tobias per Raphaelem Angelum Saram ducit vxorem, cùm dæmon septem eius procos sustulisset: & post nuptias Tobiæ, pater eius Tobith visum recepit.

Tob. 8. *Lib. 6. Stromaton*: Petit homo vt mundo corde effectus, per agnitionem, quę est per Filium Dei, facie ad faciem in beati spectaculi mysterio initietur, audiens Scripturam, quæ dicit: *Bonum est ieiunium cum oratione.*

Tob 12.

Origenes. 230.

Epistola ad Iuliam Africanum de historia Susannæ: Sed quoniam Tobia vtuntur Ecclesiæ, sciendum est, quòd etiam in captiuitate quidam captiui erant diuites, & res suas rectè gerebant. Ipse autem dicit Tobias: *Quoniam memor fui Dei, in tota anima mea.*

Tob. 1.

Homilia 27. in Num. His ergo cùm recitatur talis aliqua diuinorum voluminum lectio, in qua videatur aliquid obscurum, libenter accipiunt: verbi causa, vt est liber Hesther, aut Iudith, vel

etiam Tobiæ, aut mandata Sapientiæ. Si verò legitur liber Leuitici, offenditur continuò animus, & quasi non suum refugit cibum.

Tob.12. Ad cap. 11. ad Romanos: *Mysterium Regis celare*, ait Scriptura, *bonum est.*

Dionysius Alexandrinus. 260.

Tob.12. *Epistola ad Germanũ calumniatorem:* Verùm quoniam *secretum Regis occultare* (vt inquit Scriptura) *præclarum est, & Dei opera prædicare cum primis eximium*, ego cum Germano manus conferere aggrediar.

Athanasius. 340.

In Synopsi diuinæ Scripturæ: Tobiæ vocatur liber propterea, quia historiam illius habet. Erat autẽ de tribu Nephthalim in ciuitate constitutus.

Apologia ad Imp. Constantium: Quid prudentes Christiani dicant attendendum est. Hi interrogandi, non autem obtrectatores, cùm de ijs scriptum sit: *Stultus stulta loquitur.* De istis autem tibi

Esa.53. Tob.4. præcipiatur: *Ab omni sapiente accipe consilium.*

Ephræm. 370.

Paræsi 10. Tum quoq; nos valdè ingemiscentes fletu exclamabimus amarè dicentes: *Iustus es Domine, & iudicia tua recta.*

Tob.3.

Apollinaris. 380.

De ætatibus hominum:

Si vobis essent Tobiæ dogmata cordi,
Non ita de vobis quererentur dira magistri.

Ioannes Chrysostomus. 400.

Homilia 5. ad cap. 4. Matth. Vtrum ad sanitates infirmitatum, quemadmodum per Raphaëlem sanauit Tobiam: an ad correctionem animarum, an ad effugationem dæmonum, quoniam quidem multa opera per Angelos facit, verum est.

Tob.11. *Homil. 26. ad cap. 10. Matth.* Si Christianus dederit ei, qui non est Christi, non magnam habet mercedẽ: quia nec Christiano dedit, nec quasi Christiano, dicente Tobia: *Effunde vinum tuum super sepulturam iustorum, & non dederis peccatori.*

Tob.4. *Sermone de Pœnitentia:* Quando esurienti fœneras, pretium vitæ est, vestire nudum, pascere peregrinum, & cum indigentibus mensæ habere cõsortium. Scriptum est enim: *quoniam eleemosyna à*

Tob.12. *morte liberat.*

Antiochus. 600.

Homilia 83. Nulli obscurum arbitror, quia humilibus dat Deus gratiam, superbis autẽ resistit, quemadmodum Tobias dicit filio: *Consilium ab omni sapiente perquire, & ne contemperis consilium vtile.*

Tob.3. Tob.1. *Homil. 120.* Propter hoc Tobias dicebat: *Primitias fœtuum meorum dabam sacerdotibus ante altare.*

Exod.23. Alius: *Non apparebis in conspectu meo vacuus.*

Sophronius Hierosolymitanus. 630.

In Prologo vitæ Mariæ AEgyptiacæ: *Secretum regis celare bonum: opera autem Dei reuelare & confiteri honorificum est.* Ita enim legitur Angelum dixisse Tobiæ, post oculorum amissionem, gloriosamq; illuminationem, & post illa transacta pericula, è quibus liberatus consecutus est Dei pietatem. Tob.12.

Cæsarius. 760.

Dialogo 1. Ad Tobiam Raphaëlus mittitur, adportandum eius peram, & ad comitandum quatuordecim dies, vxoremq; legitimam copulandam, & ad separandum ab interfectore dæmone eam, quæ viro per ipsum iunctus erat, & ad aperiendum oculos socero sponsæ volucrum stercore cæcatos, & expressa piscis bile restitutos.

Pantaleo Diaconus. 850.

In encomio Michaëlis Archangeli, capite de Raphaële Archangelo: Inducitur præclarus Raphaël, quãdo Tobiæ occæcatos oculos artificiosè illuminauit. Tob.1. Hic enim Tobias fuerat abductus captiuus in prima Hebræorum captiuitate Niniue. Cùm autem esset pius, & iustus conuenienter Legi, eorum, qui erant sui generis, morientiũ in captiuitate, clam sepeliebat corpora, quæ contemptui habebantur, & non sepeliebantur, &c.

Simeon Metaphrastes. 950.

De S. Georgio Martyre: Bene nõrat sapiens ille vir eleemosynis & multa fide peccata expurgari, quæ sunt victoriæ impedimenta: *Eleemosyna enim à morte præter cætera liberat.* Tob.12.

Ioannes Zonaras. 1100.

Lib. 1. Annal. Nunc series narrationis postulat, vt & Tobiæ historiam breuiter percurramus. Is igitur ex tribu Nephthalim oriundus, captus fuerat Tob.1. temporibus Salmanasaris regis Assyriorum, homo pius erga Deum, & iustus erga homines.

Michael Glycas. 1120.

Parte 2. Annalium fol. 190. Idem Angelus ille diuinus Raphaël confirmat, cùm hisce verbis Tobæũ Tob.12. alloquitur: Quo tempore tu nurusq; tua precabamini, ego precationis tuæ monumentum coram sancto illo Deo subuehebam, qui nunc misit me ad te, nurumq; tuam sanandos.

Nicetas Choniates. 1200.

Orthodoxæ fidei lib. 4. cap. 31. Angelos etiam diuinam & ineffabilem supersubstantialis diuinitatis pulchritudinem velut in speculo contemplari, iuxta proportionem prærogatiuæ, quę inter illos est, & sanctificationis modum, testis est illa Abrahami hospitalitas, testis est Angelus, qui Tobiæ Gen.18. Tob.5. Luc.1. apparuit, & is, qui Virgini dixit: *Aue.*

Nicephorus Callistus. 1300.

In Synopsi librum Tobiæ inter sacras Scripturas computat.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Alexander Primus. 109.

Epist. 1. Si Trinitas non est, cur Tobias filium suum, cùm in Rages ciuitatem cum Raphaële Archangelo mitteret, benedicens eos ita dixisse docetur: *Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob, ipse impleat benedictionem suam in vobis?*

Tob.5.

Calixtus. 210.

Tob.4. *Epist. 2.* Vnde bene Scriptura ait: *Quod tibi non vis fieri, alteri non facias.*

Cyprianus. 250.

De oratione Dominica: Sermo non habens fructũ, promereri Deum non potest: quia nulla est operatione fœcundus. Et ideo Scriptura diuina instruit, dicens: *Bona est oratio cum ieiunio & eleemosyna*, &c. Citò ad Deum orationes ascendunt, quas ad Deum merita nostri operis imponunt. Sic & Raphael Angelus Tobię oranti semper, semper & operanti, testis fuit dicens: *Opera Dei reuelare & confiteri honorificum est. Nam quando orabas tu & Sara, ego obtuli memoriam orationis vestræ in conspectum charitatis Dei.*

Tob.4.

De opere & eleemosyna: Sordes quascumq; cõtrahimus eleemosynis abluamus: Loquitur in Scripturis Spiritus sanctus, & dicit: *eleemosynis & fide purgantur peccata.* Non vtique illa, quæ fuerant ante contracta. Nam illa Christi sanguine & sanctificatione purgantur, &c. Raphaël quoque Angelus paria testatur, vt & eleemosyna libenter & largiter fiat, dicens: *Bona est oratio, cum ieiunio, &*

Tob.12. *eleemosyna:*

eleemosyna: quia eleemosyna à morte liberat, & ipsa est, quæ purgat peccata.

Pontius Diaconus. 270.

In Martyrio Cypriani cap. 13. Fiebat itaque exuberantium operum largitate, quod bonum est ad omnes, non ad solos domesticos fidei Fiebat plus

Gal.6. Tob.2. aliquid, quàm Tobiæ incomparabili pietate signatum est. Necatos ille à Rege, & proiectos sui tantùm generis colligebat, ijs tam bonis quàm pijs actibus superuenit exilium.

Marcellus. 300.

Epist. 2. Tu ne delecteris in correctionibus nostris, quia post tempestatem faciet Deus tranquillitatem: post lachrymas & fletum exultationem

Tob.3. infundet: *Benedictus Dominus Deus Patrum nostrorũ, qui cùm iratus fuerit, misericordiam faciet, & in tempore tribulationis peccata dimittet.*

Hilarius. 350.

Tob.12. *Ad Psal. 129.* Sunt secundùm Raphaelem ad Tobiam loquentem Angeli assistentes ante claritatem Dei, & orationes deprecantium ad Deum deferentes.

Lucifer Calaritanus. 360.

Lib. 1. pro Sancto Athanasio: Iustum est damnare absentem, & quidem innocentem, aut iniustum? Si iustum non est, cur cogis facere nos eam rem, per quam puniri mereamur à Deo? Tobias, *omnibus*, inquit, *diebus vitæ tuæ, fili, Deum in mente habe, &*

Tob.4. *noli peccare velle, vel præterire præcepta illius. Iustitiam fac omnibus diebus vitæ tuæ, & noli ambulare per viam iniquitatis.*

Ambrosius. 370.

Libro de Tobia: Lecto prophetico libro, qui inscribitur Tobias, quamuis plenè vobis virtutes sancti Prophetæ Scriptura insinuârit, tamen compendiario mihi sermone de eius meritis recẽsendis, & operibus apud vos vtendum arbitror, vt ea, quæ Scriptura historico modo digessit latius, nos strictius comprehendamus, virtutum eius genera veluti quodam breuiario colligentes.

Libro 10. epist. 82. Quæ nobis salus esse potest, nisi ieiunio peccata eluerimus nostra? Cùm Scriptura dicat: *ieiunium & eleemosyna à peccato liberant.*

Tob.4. & 12.

Optatus Mileuitanus. 370.

Libro 3. cõtra Parmenianum: Traducebatis ad vos aquam antiquæ piscinæ; sed nescio an cum illo

Tob.6. pisce, qui Christus intelligitur, qui in lectione Patriarchæ legitur in Tigride flumine prehensus: cuius fel & iecur tulit Tobias ad tutelam fœminæ Sarę, & ad illuminationem Tobiæ non videntis. Eiusdem piscis visceribus Asmodæus dæmon à Sara puella fugatus est, (quæ intelligitur Ecclesia,) & cæcitas à Tobia exclusa est.

Prudentius. 380.

Hymno in exequijs defunctorum:

Sancti sator ille Tobiæ,
Sacer ac venerabilis heros,
Dapibus iam ritè paratis
Ius prætulit exequiarum.
Iam stantibus ille ministris,
Cyathos & fercula liquit:
Studioq; accinctus humandi,
Fletu dedit ossa sepulchro.
Veniunt mox præmia cælo,
Pretiumq; rependitur ingens:
Nam lumina nescia solis
Deus illita felle serenat.

Fœbadius. 380.

Contra Arianos: Vsitatum verò ac familiare diuinis voluminibus est, nomen substantiæ: nec ipsos puto ignorare qui negant. Dauid enim ex

Psal.63. persona Christi: *Infixus sum in limo profundi, & non est substantia.* Sed & Tobias: *Si fuerit*, inquit, *tibi copiosa substantia.* Et item: *Fili ex substantia tua fac eleëmosynam.*

Tob.4.

Hieronymus. 390.

Proœmio in Ionam: Liber Tobiæ, licet non habeatur in Canone (*Hebræo,*) tamen quia vsurpatur ab Ecclesiasticis, tale quid memorat, dicente Tobia ad filium suum: *Fili ecce senui, & in eo sum, vt reuertar de vita mea*, &c. Tob. 14

Ad caput 8. Ecclesiastis: Et hoc est, quod in Tobiæ libro scribitur: *Mysterium regis abscondere bonum est.* Tob.12.

Ruffinus. 390.

Ad Psal. 36. AEquitas dicuntur diuina eloquia, iuxta id quod scriptum est: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Tob.4.

Chromatius. 390.

Ad cap. 5. Matth. Si eos, qui petunt, despiciamus, qua fiducia Deum nobis quod petimus præstare credimus? Dicente scriptura: *Vide ne auertas faciem tuam ab vllo paupere, ita fiet, vt nec à te auertatur facies* Tob.4. *Dei.*

Concilium Carthaginense Tertium. 397.

Cap. 47. Sunt Canonicæ Scripturæ: Ezechiel, Daniel, Tobias, Hesther, &c.

Augustinus. 400.

De Quæstionibus ex vtroque Testamento cap. 119. Dei ergo famulus sanctus Tobias post Legem exemplũ nobis datus est, vt quæ legimus quomodo fiant sciamus: & si tentationes aduenerint, à Dei timore non recedamus, neque auxilium aliundè quàm ab ipso speremus.

Sermone 4. de Petro & Paulo: Est enim Christus piscis ille, qui ad Tobiam ascendit de flumine viTob.6. uus, cuius iecore per passionem assato, fugatus est diabolus, & per amaritudinem fellis afflatus est cæcus, & illuminatus est mundus.

Epistola 120. de gratia noui Testamenti capite 20. Quod non sic accipiendum est, tamquam nescienti aliquid annuntietur, vt sciat: sed sicut annuntiant Angeli non solùm nobis beneficia Dei, verùm etiam illi preces nostras. Nam scriptum

Tob.12. est, vbi Angelus hominibus dicit: *Ego obtuli memoriam orationis vestræ.*

Libro 2. de doctrina Christiana cap. 8. inter Canonicas Scripturas librum Tobiæ recenset.

Innocentius Primus. 406.

Epistola 3. ad Exuperium Tholosanum capite septimo: Qui libri recipiantur in Canone Scripturarum breuis annexus ostendit: Mosis libri quinque, Iob vnus, Tobiæ vnus, Hesther vnus, &c.

Seuerus Minoricensis Episc. 420.

Epistola ad omnes Ecclesias: Quia Dei opera reuelari, & confiteri honorificum esse Raphael Angelus moneat, profectò filere vel cęlare opera Chri-

Tob.12. sti periculosum est.

Paulus Orosius. 420.

In Proœmio libri 1. Beatus Tobias ducem Angelum sequens; canem comitem habere non

Tob.11. spreuit.

Paulinus Nolanus. 420.

Epist. 35. Sanctam verò & sanctificatam spem

per

per humandi curã nos Tobias docet, huius ſpecialiter muneris prærogatiua iuſtificatus à Domino, & Archangeli voce laudatus, quòd prætuliſſet prandio ſuo pauperis ſepulturam. Tob.2.

Bacchiarius. 420.

Epiſtola ad Ianuarium: Nonne ſic beatus Tobias veniam miſericordiæ cæleſtis emeruit, mortuis in captiuitate fratribus tribuens ſepulturam? Tob.2.

Philippus Presbyter. 430.

Lib.2.in Iob.cap.14. Secundùm naturæ bonum loquitur, vt in Tobia ſcriptum eſt: *Quod tibi non vis fieri, alteri non feceris.* Tob.4.

Arnobius Iunior. 440.

Ad Pſal. 100. *Ite ergo*, inquit, *in ignem æternum*, quia vnde extinguitur ignis contempſiſtis. Audiſtis enim ſcriptum, quòd *eleemoſyna à peccato liberat.* Audiſtis, *quia ſicut ignis extinguitur ab aqua, ita ab eleemoſyna tolluntur vniuerſa peccata.* Matt.25. Tob.4.

Leo Magnus. 450.

Sermone 5. de collectis & eleemoſynis: Vnde & Tobias filium ſuum præceptis inſtituens: *Ex ſubſtantia*, inquit, *tua fac eleemoſynam, & noli auertere faciẽ tuam ab vllo paupere: ita fiet, vt nec à te auertatur facies Dei.* Tob.4.

Proſper Aquitanicus. 450.

De promiſſionibus & prædictionibus Dei part. 2.cap.39. Tobias quoq; captiuus apud Niniuem fuit, ea religionis ſuæ patiẽtia præditus, quia ſciebat irã Domini æquo animo ſuſtinendam. Dignis operibus confeſſionibusq; ſatisfaciens Deo, moribus quoq; ſanctis filium erudijt: cui in mandatis dedit, neque penuriam paupertatis, neque labores diuturni exilij formidandos, ſi modò in mandatis Domini perſeuerans, diſcederet ab omni iniquitate, & bene ageret, &c. Tob.1. Tob.4.

Eucherius Lugdunenſis. 450.

De ſpiritualibus formulis cap.2. Baculus ſuſtentaculum eſt quodlibet, vt in libro Tobiæ: *Baculum ſenectutis noſtræ.* Tob.5.

Homilia in dedicat. Eccleſiæ: Angelus Raphaël ad Tobiam loquens ait: *Pax vobis, nolite timere. Et enim cùm eſſem vobiſcum, videbar vobis manducare, & bibere: ſed ego cibo inuiſibili, & potu, qui ab hominibus videri non poteſt, vtor.* Secundùm hanc igitur ſententiam, & cæteros Angelos manducare, & bibere intelligant, quibuſcumque impoſſibile videtur, vt Angeli manducent & bibant. Tob.12.

Cerealis. 460.

Aduerſus Maximinũ Arianũ c. 3. Itẽ audi, vbi non ſolũ æquales mittũtur ab æqualibus, ſed ẽt maiores mittuntur à minoribus, ſicut legimus Angelũ miſſum eſſe à Tobia, & Chriſtus miſſus eſt à Pilato ad Herodem. Nunquid humiliauit ſe Angelus, quia perrexit quò miſſus eſt à Tobia? aut humiliauit ſe Chriſtus, miſſus ad Herodem? Tob.5.

Sedulius. 460.

Ad caput 11. epiſt. ad Romanos: *Myſterium regis*, ait Scriptura, *celare bonum eſt.* Tob.12.

Cæſarius Arelatenſis. 470.

Homilia 36. Tobias ait: *Omnibus diebus vitæ tuæ Dominum habe in mente, & noli ambulare in viam iniquitatis. Ex ſubſtantia tua fac eleemoſynam, & noli auertere faciem tuam ab vllo paupere.*

Claudianus Mamertus. 470.

De ſtatu animæ libro tertio: Tobias filio, dum cælo iter præuius pandit, Angelum comitem dedit.

Saluianus Maſſilienſis. 480.

Libro 2.ad Eccleſiam Catholicam: Tũc omnes Sancti cunctis facultatibus ſuis, iuxta præſcriptos Legis terminos, vtebantur, ambulantes in omnibus mandatis Domini ſine querela, ſicut Tobias; qui magnanimitate deuotionis præcepta Legis excedens, ſepulturis hominum mortuorum etiam in mortis periculo ſeruiebat, &c. Tob.4.

Gelaſius. 490.

In ordine librorum veteris Teſtamenti: Iob liber vnus, Tobiæ liber vnus, Eſdræ liber vnus, &c.

Alcimus Auitus. 500.

Lib. ad Sororem:

Quaq; inſtaurator templi promptiſſimus Eſdræ
Egerit, aut melius cæcato in corpore cernens
Tobias, quid pro populo confecerit Heſther.

Laurentius Nouarienſis. 520.

Homilia de eleemoſyna: Huius præceptionis vel operis auctor eſt iuſtiſſimus Tobias, cæcus corpore, & clarus opere: tentatus ad tempus, & non mortificatus: temporali aſpectu pauliſper priuatus, & perpetuò bonorum operum lumine plenus. Hic talibus monitis filium præſtruebat: *Fili de ſubſtantia tua fac eleemoſynam*, &c. Audiſti commonitionem iuſti: *Eleemoſyna de morte liberat, & nõ permittit intrare in tenebras.* Tob.4. Tob.12.

Benedictus Abbas. 530.

In Regula cap.61. Caueat Abbas, ne aliquando de alio noto monaſterio monachum ad habitandũ ſuſcipiat ſine conſenſu Abbatis, & eius literis cõmendatitijs: quia ſicut ſcriptũ eſt: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Tob.4.

Primaſius. 540.

In Apocalypſin lib.5. *Fundamenta ex omni lapide pretioſo:*) In cantico legimus Tobiæ:; *Ex lapide pretioſo omnis circuitus murorum eius.* Tob.13.

Gregorius Magnus. 590.

Parte 3. curæ Paſtoralis admonitione 27. Ne ſaltem aliquid præbeant, quibus omninò conferre nihil debent, audiant quod ſcriptum eſt: *Da bono, & noli recipere peccatorem. benefac humili, & non dederis impio.* Et rurſum: *Panem tuum & vinum ſuper ſepulturam iuſti conſtitue, & noli ex eo manducare & bibere cum peccatoribus.* Eccle.12. Tob.4.

Homilia 34. in Euangel. Raphael interpretatur medicina Dei: quia videlicet dum Tobiæ oculos, quaſi per officium curationis tetigit, cæcitatis eius tenebras terſit. Qui ergo ad curandum mittitur, dignum videlicet fuit, vt Dei medicina vocaretur. Tob.11.

Iſidorus Hiſpalenſis. 620.

Lib.6. Etymol. cap.1. Licet librum Tobiæ Hebræi in ſuum Canonem non recipiant: Eccleſia tamen Chriſti inter diuinos libros & honorat, & prædicat.

Eligius. 640.

Sermone 2. Sermo non habens fructum Dominum promereri non poteſt: ideo diuina Scriptura inſeruit, dicens: *Bona eſt oratio cum ieiunio & eleemoſyna.* Tob.11.

Audoenus. 670.

In vita S. Eligij: Sitis ſtudioſi præſtandæ eleemoſynæ: ea enim, vt ſcriptum eſt, *à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras.* Tob.4.

Iulianus Toletanus. 680.

Lib.1. Prognoſticon cap.18. Antiquorum iuſtorum funera officioſa pietate curata ſunt: & Tobias ſepeliendo

mortuos Dominum promeruiſſe teſte Angelo commendatur. Tob.12.

Beda. 700.

Vita S.Chutberti c.2. Ille iuſtus obtemperans poſt dies paucos ſanatus eſt, agnouitq; Angelum fuiſſe, qui hæc ſibi monita dediſſet, mittente illo, qui quondam Raphaelem Archangelum ad ſanandos Tobiæ viſus deſtinare dignatus eſt.

Beda vt in alios Canonicos Scripturæ libros: ſic etiam in librum Tobiæ, vt probatæ auctoritatis, Commentaria ſcripſit, quæ incipiunt: Liber ſancti Patris Tobiæ, &c. Tob.12.

Ambroſius Ansbertus. 760.

Libro 4. in Apocalyp. Etiam bene operantes ſemper tentatio ſolet probare, ſicut iuſto viro inſtenti per Angelum dicitur: *Quoniam acceptus eras Deo, neceſſe erat, vt tentatio probaret te.* Tob.12.

Carolus Magnus. 790.

In Legibus addit. 2. Attendite etiam Tobiam, de quo legitur, quòd cùm factus eſſet vir, accepit vxorem Annam, & genuit ex ea filium, nomen ſuum imponens ei: quem ab infantia timere Deum docuit, & abſtinere ab omni peccato. Tob.4.

VValafridus Strabo. 830.

Vita S. Galli lib.1. cap.8. Deus, qui eduxit te de regione longinqua, ipſe ſicut Tobiæ famulo ſuo comitem cælitus dedit, ita Angelum ſuum mittet nobiſcum, & oſtendet nobis locum deſiderijs ſalutaribus aptum. Tob.5.

VVandelbertus Diaconus. 840.

Prologo in vitam S. Goaris: Miracula diuinorum operum humano generi fide ſemper integra eſſe ſuſcipienda, & deuota glorificatione narranda, Scriptura ſancta commonente, & Angelo hoc ipſum Tobiæ ſancto præmonente didicimus. Tob.12.

Rabanus Maurus. 850.

De inſtit. Cleri lib.2. cap.53. recenſens ſacræ Scripturæ libros: Paralipomenon lib. duo, Tobiæ quoq;, & Iudith, & Heſther ſinguli.

Theodulphus Aurelianenſis. 860.

In carminibus de ſacris Bibliorum ſcriptis:

Hinc pia pauperies, pietas & opima beato
Eſt, Tobi, libro rite notata tuo.

Adrianus Secundus. 870.

Epiſtola 2. Licet hoc minus ſtuduerit agere, ſaltem gratiam diuinæ miſerationis, quæ in te mirabiliter operata eſt, non taceas: *Secretum enim regis celare bonum eſt: opera verò Dei enarrare mirificum.* Tob. 12.

Smaragdus Abbas. 950.

Ad caput 4. Regulæ D. Benedicti: Raphael quoque Angelus, vt à nobis eleemoſyna libenti animo fiat, hortatur, dicens: *Bona eſt oratio cum ieiunio & eleemoſyna: quia à morte liberat, & à peccato purgat.* Tob.12.

Radulphus Ardens. 1050.

Dominica 2. poſt Epiphaniam: Percepta benedictione nuptiali ſponſus & ſponſa non ſtatim debẽt ſeſe cognoſcere, ſed dare honorem Sacramento, & prima nocte cum luminaribus in Eccleſia vigilare, & orationi vacare. Legimus enim quòd Sara filia Raguelis ſeptem ſponſis nupſit, qui mox in prima nocte, volentes intemperanter ad eam accedere, à diabolo ſuffocabantur. Quod timens Tobias, cùm nollet eam ducere, Raphaël Angelus ei dixit: *Noli timere: ſuper petulantes, & Deum non timentes poteſtatem habent dæmones: tu autem cùm acceperis eam, tribus diebus continebis.* Tob.6.7.

Rupertus Tuitienſis. 1120.

De diuinis officijs lib.12. cap.25. Tobias in figura prudentiæ non inconuenienter accipitur, quæ cæcatis oculis exterioribus, videnti filio mandata viuendi largitur.

Theofridus Abbas. 1124.

Sermone de veneratione Diuorum: Cùm beatus Iob oculus cæco, & pes claudo: in mortuorum ſepultura non inferiores illi inuenti ſunt Tobiæ. Tob.12.

Hugo Victorinus. 1130.

De clauſtro animæ capite decimo quarto: Fortis Tobias, fortis Iob, fortiſſimus Abraham. Duobus modis probatur animi fortitudo: cupiditate ſcilicet, & carnalitate. Non ceſſit Tobias cupiditati, quando Gabelo conſobrino ſuo egenti pondus argenti commiſit: nec plus amauit pecuniam, quàm proximum, &c. Non plus amauit Tobias filium quàm debuit, nec carnalitatem præpoſuit ſpiritualitati: præſentem filium bona docuit, orabat pro abſente.

Bernardus. 1130.

Sermone 7. ſuper Cantica: Credimus ſanctos Angelos aſtare orantibus, offerre Deo preces & vota hominum: vbi tamen ſine ira & diſceptation eleuari puras manus perſpexerint. Probat hoc Angelus, ita loquens ad Tobiam: *Quando orabas cum lachrymis, & ſepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium, ego obtuli orationem tuam Domino.* Tob.12.

Richardus Victorinus. 1140.

Ad Pſal.136. In deuotionis organo filium ſuum inſtructum eſſe voluit, qui præcipiendo admonuit, in admonendo præcepit: *Omni tempore benedic Deum, & pete ab eo, vt vias tuas dirigat.* Tob.4.

Petrus de Riga. 1170.

In Aurora, de libro Tobiæ:

Qui legis hiſtoriam Tobiæ, diſcute ſenſum,
Qui latet, expetra larga fluente bibes.
Tobias populum ſignare videtur Hebræum:
Ille Deum coluit, ſeruijt iſte Deo.
Ieroboam vitulis cùm multi ſacra pararent,
Ille colebat eos, idola nulla colens.

Innocentius Tertius. 1200.

Sermone 3. in dedicatione templi: Aſſiſtunt in templis Angeli Dei fideliter adorantibus, vt deuotas eorum adorationes offerant Domino. Hinc Angelus ad Tobiam: *Ego obtuli orationem tuam Domino.* Tob.12.

De eleemoſyna cap.3. Iuxta Raphaelis Angeli teſtimonium, *eleemoſynæ* tantæ eſt efficaciæ, vt *à morte liberet, & purget peccata.* Tob.12.

Guilhelmus Aluernus. 1230.

De diuina Rhetorica cap. 29. Nihil eſt vel veniæ, vel gratiæ, vel gloriæ, quod pietas non impetret: ſicut expreſsè legitur Tobiæ quarto: *Quoniam eleemoſyna ab omni peccato, & à morte liberat.*

Secundæ partis de Vniuerſo parte 3. cap.22. In vnamque ex libris Hebræorum expreſsè legitur, dixiſſe quendam ex ſanctis Angelis: *quia fumus cordis cuiuſdam piſcis poſitus ſuper carbones, exterminat omne genus dæmoniorum, ſiue à viro, ſiue à muliere.* Et manifeſtum eſt, quòd liber iſte authenticus eſt, tam apud gentem Hebræorum, quàm apud gentem Chriſtianorum. Tob.6.

Guilhelmus Peraldus. 1250.

Tob.6. *Dominica 1. post Epiphaniam Sermone 1. in Euangelium:* Tobias & Sara tribus diebus continuis leguntur fuisse in oratione antequam carnaliter conuenirent. Et sicut ibidem legitur, in eos, qui coniugium ita suscipiunt, vt Deum à se, & à sua mente excludant, & suæ libidini ita vacent, *sicut equus & mulus, quibus non est intellectus,* &c.

Bonauentura. 1260.

Tob.4. *De Hierarchia part. 3. de Principatibus Hierarchiæ: de Angelis, qui sunt tertij ordinis tertiæ Hierarchiæ:* Hoc docuit Tobias, dicens: *Si multum tibi fuerit, libenter tribue; & si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum impartire stude.*

Iacobus Genuensis. 1280.

Tob.15. *Dominica Palmarum Sermone 1.* Ille homo est Angelicus, qui cuncta inferiora despiciens, solo Dei pascitur amore. Iuxta illud Tobiæ 15. *Et cùm essem vobiscum, videbar quidem manducare & bibere: sed ego cibo inuisibili, & potu vtor, qui ab hominibus non potest videri,* &c. Eleemosyna valet in morte, quia instar lucernæ viam illuminat, sic anima in tenebris cadat. Tobiæ 4. *Eleemosyna ab omni peccato, & à morte liberat.*

Guibertus Tornacus. 1280.

Tob.6. *De officio Episcopi cap. 17.* Fumum thuris quidam existimant valere ad dæmones effugandos, assumentes pro testimonio quod scribitur in Tobia: *Cordis eius particulam si super carbones ponas, fumus eius extricat omne genus dæmoniorum.*

Nicolaus Hanapius. 1285.

Tob.4. *In exemplis virtutum ac vitiorum, ex sacris literis excerptis cap. 1.* Tobias quatuor annis fuit cæcus, & deinde, iuxta consilium Angeli, ad linitionem de felle piscis lumen recepit, Tobiæ 11.

Albertus Patauinus. 1300.

Tob.4. *Sermone 95.* Superbiæ progenies sunt omnia vitia, sicut dicitur Tobiæ 4. *In superbia sumpsit initium. Ideo nunquam eam in sensu tuo dominari permittas.*

Augustinus Triumphus. 1320.

Tob.12. *De potestate Ecclesiastica quæstione 1. artic. 8.* Vnde dicitur Tobiæ 12. quòd *eleemosyna*, quæ de bonis temporalibus & corporalibus fit, *à morte liberat, peccata purgat, & ipsa facit inuenire vitam æternam.*

Ludolphus Saxo Carthusianus. 1330.

Vitæ Christi parte prima, capite septuagesimo tertio: Alius dæmon præest luxuriæ, & iste vocatur Asmodæus, de quo dicitur in Tobia, quòd *interfecit* Tob.3. *septem viros Saræ.*

Guido Perpinianus. 1340.

De Cathari: Nullas, aut paucas eleemosynas faciunt: & quas faciunt, eas faciunt ad ostentationem. Isti errant, quia *eleemosyna à peccato & à morte liberat.* Tob.4. & Tob.12.

Errore 9. Iudæorum: Tobiæ historia documenta continet fidei & pietatis plena.

Ioannes Bromiardus. 1380.

Tob.12. *In Summa Prædicantium cap. 6. de Confessione:* Confitendo ergo clamet à Diabolo captus, & dicat illud Tobiæ 13. *Ego autem in terra captiuitatis meæ confitebor illi.*

Thomas Waldensis. 1416.

Tom. 3. tit. 1. cap. 6. Quàm sancta vita senioris erat Tobiæ, quando eleemosynas quotidianas, & contribulium sepulturas exercuit? Pro nulla tamen harum aliquid dicitur, sed quando orabat cum lachrymis, quòd Angelus obtulit orationem eius Domino.

Laurentius Iustinianus. 1430.

Tob.8. *De casto connubio Verbi & animæ cap. 16.* De hoc sacer proloquitur sermo, cùm Tobiæ & Saræ historiam narrans, ait: quòd *Angelus Raphael apprehendit dæmonem, qui septem occiderat viros, & relegauit eum in deserto superioris Aegypti.*

Bernardinus Senensis. 1440.

Tob.12. *Tomo 1. Serm. 18. de pudicitia coniugali cap. 3.* Audiui nostris temporibus in notabili ciuitate Italiæ euenisse, quòd cùm iuuenis nuper vxore ducta misceretur cum ea, inter eius amplexus mortuus est. Nec mirum. Legimus enim Tobiæ 6. Angelum dixisse Tobiæ timenti Saram accipere in vxorem, eò quòd septem eius viri à dæmone necati essent, &c.

Ioannes Capistranus. 1440.

Tob.12. *De Papæ & Ecclesiæ auctoritate fol. 42.* Commendatur Tobias, qui etiam in captiuitate detentus, omnia primitiua sua, & decimas suas fideliter offerebat.

Ioannes Trithemius. 1490.

Homilia 3. Ait namque Scriptura: *Qui faciunt iniquitatem & peccatum, hostes sunt animæ suæ.*

ARTICVLVS DECIMVSQVARTVS.

ORATIONEM AZARIAE, ET HYMNVM TRIVM PVERORVM DANIELIS III. ESSE AVTHENTICAM ET CANONICAM SCRIPTVRAM, CITANDAM AD ECCLESIASTICA DOGMATA CONFIRMANDA.

NEGANT.

Anno post natũ Christum 380. *VDÆI non recipiunt hymnum trium puerorum. Vnde Hieronymus,* Præfatione in Danielem: *Audiui,* inquit, *ego quendam de præceptoribus Iudæorum, qui tantum fuisse otij tribus pueris cauillabatur, vt in camino æstuantis incendij metro luderent, & per ordinem ad laudem Dei omnia elementa prouocarent.*

1520. *Erasmus Roterodamus in Commentarijs huius præfationis, ad illa verba:* Qui apud Hebræos: *Mirum quod Hieronymus verũ iugulat, id nunc passim legitur & canitur in templis, ceu res in primis sancta. Tanto plus valet consuetudo multitudinis imperitæ, quàm hominis eruditi iudicium.*

1530. *Martinus Lutherus,* in suis Biblijs, *orationem Azariæ, & hymnum trium puerorum inter Apocrypha ponit.*

1570. *Guilhelmus Vitakerus,* disputatione de sacra Scriptura, *hymnum trium puerorum inter spuria & apocrypha Danielis scripta refert.*

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Origenes. 230.

In Matthæum Tractatu 3. Manifestè Scriptura cognoscit, aliud esse animam, aliud autem esse spiritum: sicut attestatur Paulus, dicens: *Deus autem sanctificet vos ad profectum.* Et apud Danielem: *Benedicite spiritus & animæ iustorum Domino.* Dan.3. v.86.

Ad caput 1. ad Romanos: Et Daniel dicit: *Laudate spiritus & animæ iustorum Dominum.* Dan.3. v.86.

Epistola ad Iulium Africanum de historia Susannæ: Nam in ipso quidem Daniele, in ea parte, quæ est de fornace ardente, inuenimus: *Et vincti.* In nostris autem exemplaribus, præter ea, quæ sunt in Hebraicis, supersunt non pauca, quorũ erat quidem initium congruenter quibusdam, quę feruntur in Ecclesijs. Sic ergo precati sunt Ananias, Azarias, & Mizaël, & hymnis laudârunt Dominũ vsque ad illud: *Benedicite omnes, qui colitis Dominũ; Deum Deorum laudate & confitemini, quoniam in seculum misericordia eius. Et factum est, cum audisset Rex hymnos canentes, & aspiciebat eos viuentes,* &c. Dan.3. v.90.

Eusebius. 320.

De propheticorum librorũ appellationibus, de Daniele: Narrat præterea martyrium Sydrach, Misac, & Abdenago, eorumque canticum, vtque seruatis ipsis, combustis autem qui ignem succendebant, regem pœnituit.

Athanasius. 340.

Sermone contra omnes hæreses: Nabuchodonosor in fornacem tres pueros coniecit, quo tempore Verbum roriferum inter illos aderat, & ignẽ excutiebat, pueriq; hymnos modulabantur.

In dictum: *Omnia sunt mihi tradita à Patre.* Certè de operibus ita sermo diuinus: *Ipse dixit, & facta sunt: ipse mandauit, & creata sunt.* De Filio autem: *Eructauit cor meum Verbum bonum.* Daniel porrò nouerat Filium Dei, & opera Dei: Filium quidem vidit irrorantẽ caminum, cùm de operibus diceret: *Benedicite omnia opera Domini Domino.* Vbi cùm singulas creaturas recenseret, nequaquam Filium istis annumerauit, cùm certũ haberet eum opus non esse, sed per eum opera facta esse. Psal.146. Psal.44. Dan.3. v.57.

Oratione contra Sabellij gregales: Illud dictum: *Quò fertur sublimis super omnes gentes.* Item illud: *Exaltabo te Domine.* Rursus & illud: *Laudabilis, & superexaltatus in secula:* non in loco quopiam, & sublimi Dominum constituũt, neque Dominum ab hominibus euehi describunt, sed maiestatem inuisibilis deitatis sublimitatem vocant. Psal.122. Psal.29. Dan.3. v.55.

Libro de virginitate: Vis scire bestias & iumenta cognoscere Dominum, eiq; benedicere? Audi spiritum præcipientem illis in hymnis: *Benedicite bestiæ, & omnia iumenta Dominum.* Certè si illi non benedicerent, non illis benedicendi munus iniunctum fuisset. Dan.3. v.81.

Basilius Magnus. 360.

Libro de Spiritu sancto cap. 30. Quin & pueri, qui fuerunt in Babylonia, docuerunt nos, etiamsi nemo sit, qui pietati suffragaretur; tamen per nos ipsos quod officij nostri est peragere: qui quidem ex incendio medio canebant hymnos Deo, haud reputantes multitudinem aspernantium veritatem, sed sibi inuicem sufficientes, cùm essent tres.

Cyrillus Hierosolymitanus. 360.

Catechesi 9. Illuminatorum: Et vis nosse, quòd natura Dei incomprehensibilis est? Dicunt tres pueri in camino ignis laudantes Deum: *Benedictus es*

Dan.3. v.55. *Deus, qui intueris abyssos, & sedes super Cherubim.* Dic mihi quæ sit natura Cherubim? Et tunc sedentem super illum perspicito.

Ephræm Syrus. 370.

De humilitate comparanda cap.9. Videmus enim, quòd cùm tres pueri in medio ardentis flammæ consisterent, nullus eorum elato corde fuerit, sed multa cum humilitate Deum collaudantes, glorificauerunt in medio fornacis, dicentes: *In spiritu humilitatis, & animo contrito suscipiamur à te Domine.*

Epiphanius. 380.

In Ancorato: Cùm vellent aliquid tribuere Deo, vbi perscrutati essent profunditates per sanctum Spiritum in corde, incipiunt dicere, comprehendentes omnem creaturam, & distinctis opificijs ab opifice, & creatis à Creatore, dicunt: *Benedicite omnia opera Domini Dominum.* Omnia dixerunt, nihil reliquerunt. Reuelabat ipsis Spiritus sanctus, velut dignis factis, vt simul cum Angelis essent, & Angelorum contubernales forent, omnia quæ in cælis sunt, & in terra, & sub terra. Et de cætero nō ignorabant, & dicunt ijdem sancti pueri, velut dixi: *Benedicite omnia opera Domini Dominum.* Et incipiunt numerare ac diuidere, qualia opera, qualia quæ fecerunt, qualia opificia, qualia quę operantur, qualia effecta. Et numerant cælum, terram, aquas supra cælum & Angelos: creati enim sunt Angeli: & Thronos, ac Potestates, &c.

Dan.3. v.57. *Gregorius Nyssenus.* 380.

Oratione de sanctis quadraginta Mart. Tres illi pueri ad communem laudum decantationem vnà assumūt frigus, & æstum: frigus per congelationem, æstum per combustionem; deinde transierunt per ignem & aquam.

Vitæ S. Macrinæ cap.24. Quæ quidem pompa non carebat mysterio, cùm à principio ad finem vsq; decantatio Psalmorum eadem voce, tripliciq; canentium ordine, sicut ille trium puerorum cantus, absolueretur.

Ioannes Chrysostomus. 400.

Sermone de S. Trinitate: Vide autem & tres pueros in camino omnes creaturas, & facturas, vt glorificent Deum, vocantes: solem, lunam, stellas, cælos, Angelos, Virtutes, homines, spiritus, omnem creaturam, visibilem & inuisibilē, & mente præditam, & nusquam connumerant Filium, vel Spiritum sanctum inter facturas.

Dan.3. v.25. *Homilia de tribus pueris:* Circa damnatos suos innocens pœna blanditur: *Et stans Azarias precatus est, & aperiens os suum in medio ignis dixit: Benedictus es Domine Deus patrum nostrorum.*

Homilia de Susanna: Liberati sunt tres viri de camino ignis ardentis, adfuit illis Deus eorum, & in ipsa deambulatione laudes dixerunt.

Ioannes Cassianus. 430.

Collat.1.cap.14. Sunt multi, qui viuentes in corpore hoc mortui sunt, & in inferno iacentes Deū laudare non possunt: & è cōtrario sunt, qui mortui sint corpore, Deum spiritu benedicunt, atque collaudant, secundùm illud: *Benedicite spiritus & animæ iustorum Dominum.* Dan.3. v.86.

Cyrillus Alexandrinus. 430.

Homilia, quam habuit in Ephesiorum ciuitate, priusquam à Comite comprehenderetur: Cùm autem adolescentuli illi Ananias, Azarias, & Mizael in ignē coniecti, cælestis auxilij præsentiam animaduertissent, in ignis camino psallebant, diuinisq; laudibus flammarum æstum sedabant.

Lib.5. Thesauri cap.7. Quòd Filius Creator est, non creatura, patet diligenter obseruanti Scripturas. Tres enim illi adolescentes apud Babylonios omnem generatim creatam naturam ad benedicendum Deum vocantes, nunquam dixerūt: Benedicat Verbum, aut Sapientia, aut manus Dei Dominum. Nec enim ignorabant Dominū ipsum esse, non creaturam.

Isidorus Pelusiota. 440.

Lib.3. epist.295. Quòd autem in veteri quoque Testamento probi & clari viri cognitam habuerint immortalitatem, audite quid tres pueri in fornace dicant: *Benedicite spiritus & animæ iustorum Domino.* Idonei autem illi scilicet, quibus fides adhibeatur, qui tyrannum minimè pertimuerunt, verum pietatis specimen ediderunt, atque ignem tamquam pudore affecerunt. Dan.3. v.86.

Theodoretus. 450.

In Commentarijs in hunc Hymnum: Admiranda sunt, ô dilecti, quæ à tribus pueris in camino dicta sunt, quo modo nihil ex rebus creatis reliquerunt, vt ostenderent, nihil liberum, vel sui iuris esse, sed omnia Deo esse subiecta, cùm omnia nominassent, & comprehendissent, & quæ super cælos sunt, & quæ super terram, & quæ subter terra.

In epitome diuinorum decretorum lib.5. capite de Angelis: Tres pueri Deo in fornace benedicentes, omnem quidem creaturam ad laudum societatem vocârunt: primùm autem Angelos. Ita autem habet laudationis principium: *Benedicite omnia opera Domini Dominum, laudate & superexaltate eum in secula.* Deinde protinus subiungunt: *Benedicite Angeli Domini Dominum,* docentes eos quoque esse partem diuinorum operum. Dan.3. v.57. Vers.58.

Procopius Gazæus. 530.

Ad cap.1. Genes. Primo loco ponuntur pisces, his succedunt volucres, tertius ordo est quadrupedum, & sic reliquorum. Hunc ordinem nec tres pueri in candente fornace laudantes Deum infringūt, dicentes: *Benedicite cæli, & omnia quæ mouentur in aquis Domino,* &c. Dan.3. v.59.

Leontius Cyprius. 600.

Aduersus Hebræos: Quòd si gentes aliquas fuisse reliquas dixeris, quæ armis inter se dimicarent: respondebo, illud esse Scripturæ proprium, vt totum ponat pro maiori parte. Quale est etiam illud trium puerorum: *Non est hoc tempore princeps, nec Propheta:* cùm tamen & Daniel, & Ezechiel cū illis esset, & Hieremias in Hierusalem. *Apud Euthymium part.1. Panoplie titulo 8.* Dan.3. v.38.

Ioannes Damascenus. 730.

In carminibus de Pentecoste:

Et vincula rumpit, roscidam & flammam facit:
Typus supremi numinis trilucidus
Iuuenes canentes inquiunt: Rerum omnium
Sunimum parentem pro suis amplissimis
Meritis creatum est quicquid in mundo canat.

Cosmas Hierosolymitanus. 740.

In magna Tertia, Hymno 4. Sectæ tyrannicæ tres pueri non credentes, in caminū iacti Deum confitebantur, psallentes: *Benedicite omnia opera Domini Dominum.* Vers.57.

In Pentecosten Hymno 10. Abramienses olim in Babylone pueri fornacis flammam calcârunt, & laudantes canebant: *Patrum nostrorū Deus benedictus es.* In Babylone pueri, diuino igne, veluti zelo, tyranni & flammę minas viriliter calcauerunt, & in medium ignis iniecti, irrorati canebant: *Benedicite opera Domini Dominū, & superexaltate per omnia secula.* Vers.26. Vers.57.

Cæsarius. 760.

Dialogo 1. Et Dauides diuinorum auctor carminum:

num: *Laudate Dominum ex cælis,* inquit: & socij Ananiæ diuini: *Benedicite,* inquiunt, *cæli Domini Dominum,* vtrique numerum per Spiritum subticentes, &c. *Laudate Dominum in firmamento virtutis suæ,* inquit Dauides: cum hoc autem consentientes Ananiæ socij canunt, *sit benedictus,* inquiunt, *in firmamento cæli,* &c. Ad eundem modum & illi socij Ananię: *Laudate omnia opera Domini Dominum,* inquiunt.

Simeon Metaphrastes. 950.

In vita S. Auxentij Abbatis: Ipse de cætero pro eis acclamabat finem hymni trium puerorum Ananiæ, Azariæ, & Misael, qui sunt in Propheta Daniele: *Benedicite omnia opera Domini Domino.* Vers.57. Respondentibus omnibus: *Laudate, & superexaltate eum in secula.*

De Daniele & tribus pueris cap.7. Sed cùm vnà cum ijs in ignem descendisset & Angelus, statim quidem à circumpositis relaxantur vinculis: aura autem rore aspergens eis euasit ignis, & tamquam in thalamo, in media flamma stantes laudabant Deum vniuersorum: *Benedictus es,* dicentes, *Domine Deus Patrum nostrorum, & laudabile & gloriosum est nomen tuum in secula,* & quæ deinceps sequuntur in Cantico. Vers.26.

Euthymius. 1080.

In canticum sanctorum trium Puerorum: Omnes creaturas aduocant tres pueri ad Creatoris laudem, deinde eas distinguunt, & iuxta mensuram, & modum laudare iubent. Et tres quidem pueri priuatim vnumquodque tractârunt, illa inuicem coniungentes, quæ mutuò inter sese rationem aliquam habent. Verùm ij, qui Antiphonam Psalmorum postmodum confecerunt, totum hunc hymnum per duos versiculos protulerunt.

Ioannes Zonaras. 1100.

Tomo primo Annalium: Tres adolescentes patria instituta violare nolentes, statuas non adorârūt. Itaque statim in caminum coniecti sunt. Verùm ignis eos non attigit, sed stantes in medio flammæ intolerabilis, hymnum cecinerunt Deo.

Nicolaus Cabasilas. 1280.

De Liturgia cap.48. Hoc testantur sancti Azariæ filij, qui cùm ignem viciissent, & eam tunc gratiam à Deo accepissent, quandoquidem oportebat ipsos propter admirabilem & inopinatam salutem Deo gratias agere, qui eos seruauerat, & eum laudare non satis habuerunt, si ipsi laudarent; nec suum sufficere auxilium existimârunt, sed etiam Angelos conuocârunt, & omnia hominum genera, & cælum ipsum, & solem, & astra, & terram, & montes, & omnia rationis & animæ expertia, & omnem, vt semel dicam creaturam.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Tertullianus. 200.

Aduersus Hermogenem cap.44. Et cui credibile est, Deum non apparuisse materiæ, vel qua consubstantiali suæ per æternitatem: ab ea longè fuisse, quem credimus vbique esse, & vbique apparere? cui etiam *inanimalia & incorporalia laudes canūt* apud Danielem.

Cyprianus. 250.

De Oratione Dominica: Hanc orationis legem seruauerunt tres pueri in camino ignis inclusi, consonantes in prece, & spiritus consensione concordes. Quod declarat Scripturę diuinę fides: & cùm docet quomodo orauerint tales, dat exemplum, quod imitari in precibus debeamus, vt tales esse possimus: *Tunc,* inquit, *illi tres pueri, quasi ex vno ore hymnum canebant, & benedicebant Dominum.* Vers.51. Loquebantur quasi ex vno ore, & nondum illos Christus in carne visus orare docuerat. Et idcirco orātibus fuit penetrabilis & efficax sermo: quia promerebatur Dominum pacifica & simplex & spiritalis oratio.

Sermone de lapsis: Ananias, Azarias, & Misael, illustres ac nobiles pueri, quò minus exomologesin Deo facerent, nec inter flammas, & camini exæstuantis incendia quieuerunt. Bene sibi licet conscij, & Dominum fidei ac timoris obsequio sæpe promeriti, humilitatem tamen tenere, & Domino satisfacere, nec inter ipsa gloriosa virtutum suarum martyria, destiterūt. Loquitur Scriptura diuina: *Stans,* inquit, *Azarias precatus est, &* Vers.25. *aperuit os suum, & exomologesin faciebat Deo cum sodalibus suis in medio ignis.*

Zeno Veronensis. 260.

Sermone 5. de Daniele, & tribus pueris: Mira res: opacitas intus, incēdium foris est. Intus hymnus canitur: foris vlulatus auditur.

Sermone 8. In caminum missi, vt submersi sunt flammis, statim inuisibili rore incendia temperantur: mors refugiens mutat officium: incensores cremantur, incensis hymnum canentibus flamma blanditur: Deus à creatura benedicitur vniuersa.

Hilarius. 350.

Ad Psal.125. Testes sunt tres pueri inter flammas cantantes.

Ambrosius. 370.

Lib.2. Hexam. cap.4. Hîc specialem firmamenti huius exterioris soliditatem dicit, quod dicitur cæli firmamentum, sicut legimus in hymno prophetico: *Benedictus es in firmamento cæli,* &c. Nam & ros, & gelu, & frigus, & æstus, secundùm hymnum propheticum benedicunt.

Ad Psal.118. Serm.7. Peregrinabantur in hoc mūdo tres pueri, naturam incendij non sentientes: cantabiles habebant iustificationes Dei, cùm hymnum Deo de creaturarum laudatione cantarent.

Serm.20. At verò fornax, in qua Ananias, Azarias, & Misael hymnum Deo canebant, fornax aurea illa, non ferrea, per quam toto orbe sapientia fide deuotionis illuxit.

Patianus. 370.

Paræneſi ad pœnitentiam: De Azaria ibidem Scriptura diuina: *Stansq;,* inquit, *Azarias precatus est, &* Vers.25. *aperiens os suum exomologesin faciebat Deo simul cum sodalibus suis.*

Ruffinus. 390.

Inuectiua 2. in Hieronymum: Cur trium puerorū hymnus, qui maximè diebus solennibus in Ecclesia canitur, ab eodem (*Hieronymo*) à suo loco penitus abrasus est, & inter Apocrypha deputatus?

Hieronymus. 390.

Lib.2. aduersus Ruffinum cap.9. Quòd refero, quid aduersum Susannæ Historiam, & hymnum trium puerorum, quę in voluminibus Hebræis non habentur, Hebræi soleant dicere, qui me criminatur stultum, se sycophantam probat: non enim quid ipse sentirem, sed quid illi contra nos dicere soleant explicaui. Quorum opinioni si non respondi

ſpondi in Prologo breuitati ſtudens, ne non Præfationem, ſed librum viderer ſcribere, puto quòd ſtatim ſubiecerim. Dixi enim: *De quo non eſt huius temporis diſſerere.*

Ad caput 3. epiſtolæ ad Gal. Simul illud etiam attendite, quòd hic Spiritus abſque vllo additamento ſanctus intelligitur, quem ex dono Dei conſequimur, & non hominis, de quo alibi ſcribitur: *Incorruptus eſt Spiritus in omnibus.* Et in Daniele: *Benedicite ſpiritus & animæ iuſtorum Dominum.* Verſ. 86.

Epiſt. 49. de muliere ſepties icta: Huc huc mihi trium exempla puerorum, qui inter frigidos flammarum globos hymnos edidêre pro fletibus, circa quorum, ſaraballa ſanctamq; cæſariem innoxium luſit incendium.

Auguſtinus. 400.

Contra Iulianum Pelagianum lib. 5. cap. 5. Et quis audeat dicere, aliquid meum non eſſe bonum, cùm omnis creatura Dei bona ſit, & benedicat in hymno trium puerorum frigus & æſtas Dominũ, quæ inter ſe ſunt contraria, ſeruant tamen pro rerum incolumitate concordiam.

Epiſt. 122. Nunquid meliores eſſe poſſumus tribus illis viris, qui in camino ignis ardentis pro conſeruanda lege Dei proiecti ſunt? Et tamen lege quid illic dicat Azarias, vnus ex tribus, qui aperiens os ſuum in medio ignis dixit: *Benedictus es Domine Deus patrum noſtrorum, & laudabile, & glorioſum nomen tuum in ſecula.*

Drepanius Florus. 400.

In Hymno trium puerorum:

Omne quod æternus per Verbum condidit auctor
Auctoris nomen celebret, laudesq; reſultet,
Exultetq; ſuum per ſecula cuncta parentem:
Angelicæ veſtro turmæ benedicite Regi,
Ingentumq; ſimul reſonet vox celſa polorum:
Hunc modulentur aquæ, quas ſuſtinet arduus æther,
Hunc omnis ſancto virtus decantet amore, &c.

Seuerus Sulpitius. 410.

Libro 2. ſacræ Hiſtoriæ, de Anania, Azaria, & Miſaele, in caminum coniectis: Hebræos, mirum dictu, & incredibile non viſentibus, ignis non attigit, cùm aſpectantibus deambulâtes in camino pſalmum Deo dicere viderentur.

Paulinus Nolanus. 420.

Natali 8.

Sic & crudelem confudit flamma tyrannum,
Sanctis ſpectantem pueris ſeruire caminos,
Innocuos cantare, reos ardere miniſtros.
Sed velut æternos pueris recinentibus hymnos,
Roſcidus accenſos diſcuſſit ſpiritus ignes:
Sic nobis, &c.

Proſper. 450.

De promiſſionibus & prædictionibus Dei parte 2. cap. 23. Cùm tres amici Danielis ſtatuam adorare noluiſſent, camino detruſi, illud mirum diuinitas præbuit, quòd fugato incendio ipſos potius miniſtros regiæ iuſſionis vorax flamma conſumpſit: tres verò viri illæſi, hymnum regi vero dum canerent, in medio camini Filiũ Dei habere meruerunt.

Sedulius. 460.

Ad cap. 1. epiſt. ad Roman. Hæc enim tria eſſe in homine deſignat ad Theſſalonicẽſes Apoſtolus ſcribens, vt integrum corpus noſtrum, & anima, & ſpiritus in die Domini noſtri Ieſu Chriſti ſeruetur. Et Daniel dicit: *Laudate ſpiritus & animæ iuſtorũ Dominum.* Verſ. 86.

Sidonius Apollinaris. 470.

Carmine 16. Euchariſtico ad Fauſtum Regienſem Epiſcopum:

Quiq; trium quondam puerorum in fauce ſonaſti,
Quos in Chaldæi poſitos fornace tyranni
Roſcida combuſto madefecit flamma camino.

Alcimus Auitus. 500.

Libro ad ſororem:

Inſignes pueros, Sidrach, Miſach, Abdenago,
Quos ſtatuam Aſſyrij negligentes principis illam
Inſtar adorantum venerarier Aſſyriorum
Protinus ardenti nudos fornace receptos
Ambibat ſaluos vſtis tortoribus ignis,
In medijs Domino reſonantes cantica flammis.

Fulgentius. 520.

Ad Venantiam de Pœnitentia cap. 16. In ipſis tribulationibus gratias agamus Domino, & hoc, quod Sanctus Azarias dixit in fornace, nos in tribulatione dicamus: *Benedictus es Domine Deus patrum noſtrorum, & laudabile, & glorioſum nomen tuum in ſecula.*

Iunilius Africanus. 540.

De partibus diuinæ Legis lib. 2. Ignis quomodo probatur factus, & quando? Factum quidem ex generali Scriptura poſſumus approbare, cùm dicitur de Deo, *qui fecit cælum & terram.* Et rurſus: *Benedicite omnia opera Domini Domino,* & ſubiunxit: *Benedicite ignis & æſtus Domino.* Verſ. 56. Verſ. 66.

Iſidorus Hiſpalenſis. 620.

De vita & obitu Sanctorum cap. 60. de tribus pueris: Reſtinxerunt camini flammantis incendia, & inter horrendas ſpiſſæ caliginis flammas hymnũ apertis vocibus cecinerunt.

De officijs Eccleſiaſticis lib. 1. c. 6. Hymnos primùm Dauid Prophetam condidiſſe, & ceciniſſe manifeſtum eſt. Deinde & alios Prophetas. Poſtea quidem & tres pueri in fornace poſiti, conuocata omni creatura, Creatori omnium hymnũ canentes dixerunt.

Concil. Toletanum Quartum. 620.

Cap. 13. Hymnum quoque trium puerorum, in quo vniuerſa cæli terræq; creatura Deum collaudat, & quem tota Eccleſia, per totum orbem diffuſa, celebrat, quidam ſacerdotes in Miſſa Dominicorum dierum, & in ſolennitatibus Martyrum canere negligunt. Proinde ſanctum Concilium inſtituit, vt per omnes Hiſpaniæ Eccleſias, vel Galliciæ in omnium Miſſarum ſolennitate idem in pulpito decantetur, communionem amiſſuri, qui antiquam huius hymni conſuetudinem noſtramq; definitionem exceſſerint.

Eucherius Gallus. 640.

Lib. 1. in Geneſin: Opus Dei eſſe Angelos, hymnus trium puerorũ teſtatur. Nam cùm prædictũ eſſet: *Benedicite omnia opera Domini Domino*: in executione eorundem operum etiam Angelos nominauit. Verſ. 57.

Beda. 700.

Ad cap. 13. Ioannis: Apud Sanctos vbicumque hęc cõſuetudo non eſt, quod manu non faciunt, corde faciunt: in illorum numero ſunt, quibus dicitur in hymno beatorum trium virorum: *Benedicite ſancti & humiles corde Dominum.* Verſ. 87.

Aponius. 700.

Lib. 1. in Cantica: Cantauerunt tres pueri canticum in fornace: in quo mirabilia Dei narrantur, & humilitatis forma oſtenditur.

Alcuinus. 750.

De diuinis Officijs capite 39. de celebratione Miſſæ: In hymno trium puerorum ad Dei laudem omnia elementa prouocantur: non quòd elementa muta habeãt ſenſum laudandi, ſed quòd cuncta bene cogitata laudem pariant, & impletur cor cõſideratione creaturæ ad eructandum hymnum Creatori.

Adrianus Primus. 780.

De Imaginibus ad Carolum Magnum cap. 25. Semper benedicere nos docet Scriptura: *Benedicite, & nolite maledicere.* Item: *Benedicite omnia opera Domini Domino.* Rom. 12 Dan. 3. verſ. 57.

Haymo. 820.

Ad caput 5. prioris ad Theſſalonicenſes: Rationabilitas & excellentia animæ, qua ſapimus, & ab alijs creaturis diſcernimur, ſpiritus appellari ſolet, ſicut oſtenditur ibi: *Benedicite ſpiritus & animæ iuſtorum Domino.* Verſ. 86.

VValafridus Strabo. 830.

De rebus Eccleſiaſticis capite 22. In concilio Toletano ſtatutum eſt, vt etiam hymnus trium puerorum ad Miſſam in omni Dominica in pulpito cantetur.

Remigius Antiſiodorenſis. 880.

De celebratione Miſſæ: In hymno quoque trium puerorum omnia elementa ad laudem Dei prouocantur.

Rupertus Tuitienſis. 1120.

De diuinis Officijs libro 3. cap. 10. Hac lectione prælecta, ſequitur hymnus trium puerorum, quo ad benedicendum Creatorem omnis creatura commouetur.

Hildegardis. 1150.

In appendice ad explicationem Symboli Athanaſij: O quàm glorioſa diuinitas eſt, quę creando & operando per creaturam ſuam ſeipſam oſtendit: quẽadmodum in tribus pueris fecit, quos ita infudit, quòd ſine omni viſione Scripturarum, & abſque doctrina hominum, in camino ignis ipſum laudabant.

Petrus de Riga. 1170.

In Daniele:

Angelus ad pueros deſcendens excutit ignem,
Flare facit ventum roris in igne graui.
Tres igitur laudem cecinêre Deo: Benedictus
Patrum noſtrorum ſit ſine fine Deus.
Ille ſequens hymnus, qui poſt Benedicite currit,
In laudes Domini prodit ab ore trium.

Godfridus Viterbienſis. 1180.

Parte 13. Chronicorum: Tres pueri ſtirpe regia clari, memoria glorioſi, fide pares, in medio ignis hymnum Deo cantauerunt.

Innocentius Tertius. 1200.

De myſterijs Miſſæ libro 3. cap. 9. Sic Azarias oraſſe legitur in fornace: *Ne quæſumus Domine miſericordiam tuam auferas à nobis, Deus noſter, propter Abraham dilectum tuum, & Iſaac ſeruum tuum, & Iſrael ſanctum tuum.*

Iacobus Vitriacus. 1220.

Dominica 3. poſt Paſcha: Pictura pictorem laudat, & domus bene compacta architectum commendat. Vnde in Cantico trium puerorum, quod eſt: *Benedicite Domino omnia opera eius,* omnis creatura ad Dei laudem inuitatur. Non quòd inſenſibilia propriè Deum laudent, ſed quia laudandi materiam præſtant. Verſ. 57.

Mechtildis. 1280.

Lib. 4. cap. 11. Cùm pro quadam perſona in triſtitia exiſtente oraret, hoc à Deo reſponſum accepit: ſæpe legat hunc verſum: *Benedictus es Adonai in firmamento cæli, & laudabilis, & glorioſus, & ſuperexaltatus in ſecula.* Verſ. 56.

Auguſtinus Triumphus. 1320.

In orationem Dominicam ad finem. Quantumcunque iuſtitię viuamus, & quantumcunque obedientiam Deo verè exhibeamus, meliores eſſe non poſſumus illis tribus viris, qui in caminum ignis proiecti ſunt, qui tamen cantantes Domino dicebant: *Omnia Domine iudicia tua ſunt iuſta, & non feciſti nobis ſecundùm peccata noſtra.* Verſ. 28.

Nicolaus Lyranus. 1320.

Ad caput 3. Danielis: Quidam inter Hebræos præceptor arguebat iſta non eſſe de textu, eò quòd verisimile non ſit, iſtis pueris tantum otij in fornace fuiſſe, vt metro luderent, omnesque creaturas ad Dei inuitarent præconium. Veruntamẽ quicquid ſit de veritate, ſeu cõcluſione, ratio iſta non valet: imò valde credibile eſt, quòd cùm pueri iſti in medio ignis tantam Dei circa ſe pietatem ſentirent, vt non ſolùm non læderentur, ſed velut rore refrigerarentur, aduerſariosque ſentirent comburi, & Angelum Dei adeſſe, mirabiliter inflammati ſint ad Dei præconiũ, & omnia ad eius inuitauerint laudem, &c.

Richardus Pampolitanus. 1300.

In Symbolum Apoſtolorum: *Omnia per ipſum facta ſunt.* Propter hoc tres pueri inuitabant omnes creaturas ad benedicendum Deum, Danielis 3.

Thomas VValdenſis. 1410.

Doctrinalis fidei libro 3. art. 1. cap. 4. Quare iſti non viderunt, quomodo in hymno triũ puerorum, poſt omnium creaturarum memoriam, recolit religioſos illius temporis, ſpecialiter exhortans eos, vt benedicant: *Benedicite,* inquit, *religioſi omnes Domino Deo Deorum: laudate, & confitemini ei, quia in omnia ſecula miſericordia eius.* Quos bene hortabatur in fine hymni, vt per hoc, quòd præpoſuit Sacerdotes, & Iſrael, id eſt, populum, & Ananiam, Azariam, & Mizaëlem, & deinde ſubiunxit, *religioſos*, daretur intelligi, tales quoſdam ſanctos fuiſſe alios à ſacerdotibus templi, & à vita, & à conuerſatione populi ſegregatos. Verſ. 90.

De Sacramentis Titulo 12. cap. 112. Angeli & cæleſtes ſpiritus, Deo ſemper preſentes, inceſſanter benedicunt Deum: & tamẽ nec malè, nec ſuperfluè ſcribit Propheta Domini, quod tota inter orandum quotidie reſumit Eccleſia: *Benedicite Angeli Domini: Benedicite ſpiritus & animæ iuſtorum Domino,* &c. Verſ. 58. Verſ. 86.

Petrus de Natalibus. 1470.

Lib. 1. cap. 71. Tres pueri in medio flammæ ambulantes, quaſi ex vno ore benedicebant Dominum, & hymnum, *Benedicite*, componẽtes, omnem creaturam ad benedictionem inuitabant.

Marcus Antonius Sabellicus. 1490.

Lib. 4. Exemplorum cap. 2. de tribus pueris: Cùm ſcirent prophetica voce dictum: *Dominum Deum tuum adorabis*, in caminum ignis conijci maluerũt, quàm Aſſyrij regis ſtatuam adorare, digni qui innoxiam fuerint flammam experti, quique periculo ſeruati, hymnum Deo Seruatori cecinerint.

ARTICVLVS DECIMVSQVINTVS.

HISTORIAM SVSANNAE, QVAE EXTAT DANIELIS XIII. VT AVTHENTICAM ET CANONICAM SCRIPTVRAM AD ECCLESIASTICA DOGMATA CONFIRMANDA CITANDAM ESSE.

NEGANT.

Anno post natũ Christũ 240. EVSIVS *Africanus*, epistola ad Origenem, *historiam Susannæ coniecit esse commentum, propter verba Danielis ad Presbyteros:* ἀπὸ τοῦ σχίνου σχίσαι, *&* ἀπὸ τοῦ πρίνου πρίσαι, *quæ etymologiæ ita Græco sermone cohærent, vt Hebræo eloquio accommodari non possint.*

390. *Hebræi historiam Susannæ non habent. Audiui ego quendam de præceptoribus Iudæorum, cùm Susannæ derideret historiam, & à Græco, nescio quo, eam diceret esse confictam, illud opponere, quòd Origeni quoque Africanus opposuit, etymologias has* ἀπὸ τοῦ σχίνου σχίσαι, καὶ ἀπὸ τοῦ πρίνου πρίσαι *de Græco sermone descendere.* Hieronymus Præfatione in Danielem.

1520. Erasmus in Commentarijs ad hunc locũ: *Hunc locum inter cætera crimina Russinus obijcit Hieronymo: ad quod tamen ille satis obliquè vafreq; respondet. Quod ad Græcam etymologiam attinet, absurdum est in libro, quem Hebraicè Chaldaicèq; scriptum videri velis, adducere Græcam etymologiam, quæ non semper respondet in omni lingua, &c. Ad Græcam vocem alluſit Daniel, cũ ait:* Ecce Angelus Dei scindet te medium, &c. *Cæterùm ea vocum alluſio, quoniam non respondet in sermone Chaldaico, nimirum constat, hoc esse Græci scriptoris commentum.*

1525. *Martinus Lutherus*, in suis Biblijs, *historiam Susannæ inter Apocrypha coniicit.*

1560. *Ioannes Brentius*, in Apologia Confessionis VVirtembergensis capite de sacris Scripturis, *historiam Susannæ inter fabulas & Apocryphas Scripturas refert.*

1570. Guilhelmus VVitakerus disputatione de sacra Scriptura: *Susannæ, Belis, Draconisq; fabula, quæ in vulgatis Biblijs cum Danielis prophetia coniungitur: hæc omnia esse spuria & apocrypha demonstrabo.*

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Clemens Romanus. 80.

Apost. Constit. lib. 2. cap. 37. Vsu enim euenire solet, vt quidam propter æmulationem, aut inuidiam contra fratrem aliquem falsam instituant accusationem, vt duo illi senes in Babylone aduersus Susannam.

Cap. 51. Si verò senes illos, qui Babylone dictis contra Susannam testimonijs eam ad mortem damnârunt, imitemini, iudicium, quod de ijs factum est, & eorum condemnationem subibitis: quoniam quidem Susannam Dominus per Danielem è manibus sceleratorum eripuit: senes autem sanguinis Susannæ reos ad ignem damnauit,
Vers. 48. ac vobis etiam per Danielis personam exprobrauit, dicens: *Sic fatui filij Israel, qui neque habita quæstione, neque cognita veritate, filiam Israel condemnastis? Reuertimini ad iudicium: falsum enim testimonium contra eam dixerunt.*

Ignatius. 100.

Epistola ad Magnesianos: Nec enim annosi continuò sapientes sunt, nec senes intelligentiam possident; sed spiritus, qui in hominibus est. Daniel enim ille sapiens, cùm duodecim esset annorum, spiritu Dei afflatus erat, & senes frustra canos ferentes, calumniatores, & alienæ formæ appetitores esse coarguit.

Dionysius Areopagita. 100.

De diuinis nominibus cap. 7. Idque diuina scripta tradere existimo, cùm aiunt: *Qui nouit omnia antequam fiant.* Dan. 13. vers. 42.

Irenæus. 180.

Lib. 4. cap. 44. Et audient eas, quæ sunt à Daniele Propheta, voces: *Semen Chanaan, & non Iuda, species seduxit te, & concupiscentia euertit cor tuum: Inueterate dierum malorum, nunc aduenerunt peccata tua, quæ faciebas antea, iudicans iudicia iniusta, & innocentes quidem damnabas, dicente Domino: Innocentem & iustum non occides.* Dan. 13. vers. 56. Exod. 23.

Clemens Alexandrinus. 200.

Lib. 4. Stromaton cap. 6. Taceo Susannam, & Mosis sororem, quòd hęc quidem duxerit exercitum vnà cum Propheta: illa verò per summam honestatem vel ad mortem vsque procedens, cùm ab intemperantibus condemnaretur amatoribus, perstitit firma & constans testis pudicitiæ.

Origenes. 240.

Epistola ad Iulium Africanum, pluribus historiam Susannæ probans, tandem ita concludit: Et hæc quidem respondi, cùm non liceret, præcipuè post reprehensionem dicere encomion sacræ Scripturæ de Susanna, insistendo vnicuique verbo, & ostendêdo eximios sensus. Quod quidem poterit seorsim componere quispiam ex ijs, qui res diuinas diligenter & satis sunt meditati.

Homil. 1. in Leuiticum: Sed iam tempus est nos aduersus improbos Presbyteros vti sanctę Susannę vocibus, quas illi quidem repudiantes, historiam Susannæ de Catalogo diuinorum voluminum desecârunt: nos autem & suscepimus, & opportunè contra ipsos proferimus, dicentes: *Angustiæ sunt mihi vndique.* Dan. 13. vers. 22.

Homilia 6. in Ezechielem: Sæpe miratus sum id, quod dictum est à Daniele ad presbyterum peccatorem, cui pro peccato nomen imponens: *Semen, inquit, Chanaan, & non Iuda.* Vers. 56.

Ad caput 4. epistolæ ad Romanos: Vis autem ex vetere Scriptura perdoceri, quòd filius quis dicitur non tantùm eius, de cuius carnali semine descendit, sed eius, cuius imitatur & opera, audi Danielem quid dicat ad vnum ex illis senioribus, quos arguit adulterij: *Semen, inquit, Chanaan, & non Iuda: species seduxit te, & concupiscentia euertit cor tuum.* Ver. 56.

Eusebius Cæsareensis. 320.

Eccles. hist. lib. 6. cap. 24. Per idem tempus Africanus, librorum scriptor, qui κεστοὶ appellantur, magna commendatione ad hominum famam profluxit: Huius de historia Susannæ à Daniele literis prodita, quasi adulterina esset, & commentitia, magnoperè dubitantis extat epistola ad Origenem scripta: ad quam Origenes pleniſſimè respondebat.

Lib. 6. de præparatione Euangelica cap. 9. Deum igitur omnia futura præscire, quamquam etiam per communem de Deo conceptum clarissimum sit, tamen & à Scriptura nonnihil afferamus. Susannam ergo audiamus dicentem: *Deus æterne, qui absconditorum es cognitor, qui nosti omnia antequam fiant, tu scis, quòd falsum testimonium tulerunt aduersum me.* Vers. 42.

Athanasius. 340.

In Synopsi diuinæ Scripturæ: Daniel, cuius exordium est: *Et erat vir habitans in Babylone, & nomen ei Ioachim, & accepit vxorem nomine Susannam,* &c. Dan. 13. vers. 1.

Oratione 2. contra Arianos: Cùm Sancti ita loquuntur: ille qui est ante secula, & per quem fecit secula, nihilominus sempiternitatem Filij Dei prædicant, quibus Verbum etiam ipsum Deum esse ostẽdunt. Esaias certè dicit: *Deus æternus, qui cõstruxit extrema terrarum.* Susanna quoque locuta est: *Deus æterne.*

In testimonijs ex sacra Scriptura, de naturali communione similis essentiæ inter Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, capite, quòd Spiritus sedeat: In Daniele, cùm Susanna ad mortem abduceretur, ait Scriptura: *Excitauit Deus spiritum sancti pueruli, cui nomen Daniel.* Vox igitur illa, *excitauit*, de stante intelligi nõ potest, sed de sedente, aut dormiente, vt illud in Psalmis: *Excitatus est vt dormiens Dominus in nubibus sanctis.* Vers. 45. Psal. 77.

Didymus Alexandrinus. 360.

De Spiritu sancto lib. 1. Et Danieli adhuc puero suscitasse dicitur Deus Spiritum sanctum, quasi iam habitantem in eo. Vers. 45.

Lib. 3. Hac fallacia diabolus etiam presbyteros, qui aduersus Susannam in crudelitatem se verterant, intrauit, implens animas eorum incendio libidinis, & sera senij voluptate: Scriptum est enim: *Venerunt autem & duo presbyteri pleni iniqua cogitatione.*

Cyrillus Hierosolymitanus. 360.

Catechesi 16. Illuminatorum: Age, inquit Daniel puer, argue senes de peccatis iuuenilibus. Scriptum est enim: *Suscitauit Deus spiritũ pueri iuuenculi.* Et vt summatim eà comprehendamus, per decretum Danielis temperans illa & innocens seruatur. Vers. 45.

Ephræm Syrus. 370.

De ijs, qui animos ad impudicitiam pelliciunt, cùm dicunt nihil esse malì: Caueamus locum tribuere voluptuarijs, miserisque cogitationibus, ne quoq; in nos dicatur, quod scriptum est: *Euerterunt sensum suum, & declinauerunt oculos, vt non viderent cælum, neque recordarentur iustorum iudiciorum.* Dan. 13. vers. 9.

De abstinendo à cupiditatibus carnalibus: Et si dixeris te ex principibus esse, atque optimatibus, scito & eos ex primoribus populi fuisse, qui beatæ restiterunt Susannę in Babylonia.

Controuersia de Virginitate & continentia: Similiter & beata Susanna, quòd victrix illius concupiscentiæ exiterit, sempiternis apud omnes gentes præconijs celebratur. Non enim suo lapsu cõfusa est, neque comminationem mortis pertimescens, suam prodidit pudicitiam. Cæterùm seniores illi ac iudices populi, qui gubernare populum videbantur, huic incontinentiæ vitio succũbentes, lapidibus obruti mortui sunt, cum summa nomini suo ignominiæ nota inusta, ac apud omnes etiam posteros relicta.

Basilius Magnus. 370.

Ad caput 3. Esaiæ: Si quis fuerit ad exemplum sapientis illius Danielis corpore quidem iuuenculus, canus verò sensu, vtique iustius præferendus venit istis, qui in proposito flagitiosæ & petulantis vitæ consenescentes, canitiem ostentãt corporis, quemadmodum seniores illi in Babylone, *inueterati dierum malorum.* Quare & ad Danielẽ adhuc puerulum, qui per sensibilem quidem ętatem erat iunior, at intellectili prudentia canus, transierat donum presbyterij. Non enim mentiti sunt, qui dicebant: *Veni, sede in medio nostrum, quia dedit tibi Deus honorem presbyterij.* Vers. 50.

Homilia in principium Prouerbiorum: Senior secũdùm animam est, qui prudẽtia perfectus est, qualis erat Daniel, quamquam corpore iuuenis, sapientiam ac grauitatem omni canitie præstantiorem præ se ferens. Idcirco enim dicunt illi, qui erant pleni dierum malorum: *Huc ac cede, & sede in medio nostrum, nuntiaq; nobis, quomodo presbyterij honorem tibi dederit Deus.* Vers. 50.

Homilia 2. de Ieiunio: O singularem & eximiam ieiunij vim, Leonum ora compressit, Draconem perrupit, Belem euertit, Susannam è periculo eripuit.

Gregorius Nyssenus. 380.

De hominis opificio cap. 29. Dicimus Dei vim cuncta prospicientem initio speciem totam hominis in creatione complexam esse, vt ea iam tum existeret, quemadmodum est ante declaratũ ipso etiam Vatis testimonio, qui *Deum omnia nosse prius quàm oriantur*, ait. Dan. 13. vers. 42.

Esaias Abbas. 380.

Oratione 25. ad Petrum Abbatem: Peccatũ ad mortem vsque adeò prosequamur, vt in die necessitatis, sicut Susannam, nos Deus adiuuet.

Gregorius Nazianzenus. 380.

Oratione 18. quæ est de S. Cypriano: Puella desperatis omnibus alijs remedijs ad Deum confugit, atque aduersus detestabilem amorem sponsum suum patronum ac defensorem assumit, qui & Susannam mortis periculo liberauit, & Theclam seruauit. Illam à sæuis presbyteris: hanc à tyranno ipsi-

no ipſius proco, patreqúe magis tyrannico.

Oratione 27. quæ eſt de ſeipſo, & ad eos, qui ipſum cathedram Conſtantinopolitanam affectare dicebant: Cùm quibus malis, tum ab externis aperto nos bello laceſſentibus, tum ab internis & domeſticis inſidias molientibus afficiamur, exploratum habeatis: (quandoquidem, vt Danielis verbis vtar:
Verſ. 5. *Egreſſa eſt iniquitas à ſenioribus Babylonicis,* qui Iſraelem regere exiſtimabantur,) idcirco, &c.
In Præceptis ad Virgines:

Nec verò Suſanna mihi præclara tacenda eſt,
Iure licet thalami fuerit ſociata marito:
Illa pudicitiæ tanto flagrauit amore,
Vt vetitam fugiens vencrem, dextrasq; nefandas,
Iudicio iniuſto decretæ proxima morti,
Conſilio iuuenis tanto diſcrimine vitæ
Eruta ſit, cani mentem, ingenijq; ſagacis,
Ore ſuo qui presbyteros Babylonis iniquos
Conuicit, charoq; orbauit lumine vitæ.

Epiphanius. 380.

In Ancorato: Non eſt ignorantia de hoc etiam ante tempus fornacis, quando repletus fuit Daniel Spiritu ſancto, & dixit: *Purus ego à ſanguine ipſius: &*
Verſ. 46. *reuerſi ſunt ad iudiciale forum, & iudicauit presbyteros Spiritu ſancto impletus.*

Ioannes Chryſoſtomus. 400.

Homilia de Suſanna: Diuinæ lectiones & ſancta oracula Dei, quæ inſonuerunt auribus veſtris, nidum faciunt in mentibus noſtris. Audiuimus de Suſanna lectionem: ædificetur pudicitia coniugalis, & tam firmo fundamento innitatur, muroqúe valletur, vt & inſidiantes repellat, & falſos teſtes conuincat. Remanſerat caſta mulier moritura, niſi adeſſet qui videbat, quod iudicantes latebat.
Verſ. 22. Conſcripta ſunt verba eius: *Angustiæ mihi ſunt vndique. Si enim hoc fecero, mors mihi eſt: ſi autem non fecero, non effugiam manus veſtras.*

Ad Pſal. 118. Ægyptia mulier Ioſepho laqueum tetendit, verũ non ipſe propterea aberrauit, quippe qui pudicitiam ſuam ſartam tectam conſeruauerat: quod etiam Suſannę à presbyteris accidit.
Verſ. 45. *De ſancta Trinitate:* De Spiritu ſancto dicit: *Excitauit Deus Spiritu ſancto puerum adoleſcentem, cui nomen Daniel.* Et in multis alijs locis præmonſtratus eſt Spiritus ſanctus in veteri Teſtamento.

Palladius. 410.

Dialogo de vita Chryſoſtomi: De veritate autem eſt quæſtio, da veniam pater, neque mihi iam velim canos obijcias: & mali enim ſæpe fuerunt, non animam virtute canam, ſed corpus diuturnitate æui rugoſum præferentes. Cuiuſmodi & illi fuerunt in Babylone presbyteri, & in Samaria Ephraim.

Iſidorus Peluſiota. 440.

Lib. 1. epiſt. 87. Excuſationem neſcit natura, veniam fœmina non habet. Poteſt enim fortiter ac ſtrenuè aduerſus molliciem impetum facere, cupiditatumqúe machinas atque tormenta firmiter propulſare. Documento ſunt celebris illa Suſanna, cum filia Iephthe, & admiranda Iudith.
Lib. 2. epiſt. 290. Quòd ſi quis hęc ita ſe habere neget, is perturbatione atque confuſione omnia implebit, atque & Saram, & Ioſephum, & Suſannam in crimen vocabit, propterea, quòd alij his conſpectis vulnerati ſunt.

Theodoretus. 450.

Epiſt. 110. Cùm tuas literas legiſſem, beatiſſimæ illius Suſannę ſum recordatus, quæ nefarios illos homines cùm vidiſſet, & omnium Deum adeſſe crederet, mirabilem illam edidit vocem: *Angustiæ*
Verſ. 22. *mihi ſunt vndique.* Elegit tamen potius incidere in calumniatorum inſidias, quàm iuſtum iudicem contemnere.

Nemeſius. 480.

De animæ facultatibus cap. 42. Plenæ ſunt huiuſmodi hiſtorijs & Hebræorum Scripturæ, & Græcorum literę. Nam eiuſmodi Suſannæ caſus literis ſanctis mandatus eſt.

Procopius Gazæus. 530.

In Deuteronomion fol. 446. Cęterùm teſtis fidus nõ mentitur, vt Sapientia inquit: *Mendaces verò peribunt.* Quemadmodum iudicibus in Suſannę cauſa iniquis teſtibus accidit.

Ad Eſaiæ cap. 3. Nam & Babylonijs ſenioribus ius dixiſſe conſtat Danielem, & poſt reuerſionem Ieſum, itemq; Zorobabelem.

Antiochus. 600.

Homilia 17. Seniores illi, qui iudicium exercuerũt aduerſus Suſannam, ij per aſſiduam congreſſionem, cùm alienam pulchritudinem eſſent edocti, ac demum abijſſent præcipites in immenſum pelagus concupiſcentię, inſurrexerunt in beatam illam Suſannam.

Homilia 20. Veritas dicti luculenter declaratur exemplo Ioſeph, ac beatæ illius Suſannæ apud Danielem. Maluit enim hæc temporarię mortis diſcrimen adire, quàm vt coronę ſuę caſtitatis vlla ex parte inferret contumeliam ac detrimentum. Et iudicium Dei, hoc eſt, Daniel, iudices damnauit inuidiæ (hæc enim nominis iſtius eſt interpretatio): caſtimoniam verò pudicæ mulieris reipſa docuit eſſe intentati flagitij liberam, eamq; ſubduxit morti.

Maximus. 640.

De charitate centuria 4. cap. 88. Non eſt labor animę grauior, quàm ſycophantia, ſiue quis ob fidẽ, ſiue ob vitam ſycophantias perpeſſus fuerit. Et nemo hanc poteſt contemnere, niſi ille ſolus, qui in Deum intentos habet oculos (veluti Suſanna,) qui ſolus poteſt fidentes in ſe ex periculis liberare, ſicut & illam: nec non homines certos facere, veluti etiam de illa innocenter condemnata, & animam bona ſpe erigere, atque conſolari.

Ioannes Damaſcenus. 730.

In Parallelis lib. 1. cap. 54. de Dei auxilio, & quòd Dei fauore aſpirante imbecilles ſunt hominum inſidiæ, ac pauci multos ſuperent: Ex Daniele: *Et exclamauit voce*
Verſ. 42. *magna Suſanna, & dixit: Deus æterne, qui abſconditorum es conditor,* &c.

Taraſius Conſtantinop. 780.

Epiſtola ad Conſtantinum & Irenen Auguſtos: Quidam ipſum robur ſacerdotij denegantes, conſurrexerunt, Babyloniorumqúe ſacerdotum accuſationem arripuerunt (quos & Propheta triumphat, dicens: *Egreſſa eſt ex Babylone iniquitas,* &c.
Verſ. 5.

Concilium Nicænum Secundum. 780.

Actione 6. Rurſum alibi beatam Suſannam continentia exornatam exhibet, extẽſis manibus auxilium ex alto inuocantem, Danielemqúe præſidentem iudicem eruentem è manibus impiorum ſacerdotum.

Pantaleo Diaconus. 850.

De *Michaele Archangelo:* Eundem autem maximum militiæ principẽ videt etiam Dei ſummus contemplator Propheta Daniel, arguens ſceleratos, qui aduerſus caſtam Suſannam inſanierant, & dicit alteri eorum: *Expectans Angelus Dei iam tenens gladium, vt te ſecet medium.*
Verſ. 55.

Leo Philoſophus Imp. 880.

In encomio Chryſoſtomi: Hinc adeſt, quæ hoſpitalitate & temperantia (ſcientibus loquor) Saram & Suſannam exprimit, Olympias.

Theophy-

Theophylactus. 900.

Ad caput 6. Ioannis: Inſuper & proditoris malitiam Chriſtus indicat, quo certè mõſtrabatur deitas. Nam Propheta inquit de Deo: *Qui ſciebat omnia,*
Verſ. 42. *priuſquam ipſa fierent.*

Simeon Metaphraſtes. 970.

In Martyrio S. Pionij: *Filioli mei,* inquit Pionius, *quos iterum parturio:* Alumni mei delicati ambulauerunt vias aſperas atque difficiles. Nũc impij ſeniores inſidias Suſannę tetenderunt: nunc delicatam atque formoſam retegunt, vt eius pulchritudine impleantur, & falſum in illam teſtimonium ferant.

Commentario de Daniele, & tribus pueris: Non ex his autem ſolis, ſed etiam ex alijs Daniel apparuit magnus in contemplatione, & admirandus in intelligentia: &, vt alia omittamus, quod de Suſanna factum eſt iudicium, quod diu ante fecit, cùm eſſet adhuc iuuenis, quidnam reliquit intelligentiæ, quo id poſſet ſuperare? Quę quidem cùm fuiſſet marito fidelis, morte autem eſſet damnata, ex iniquiſſima calumnia eorun., qui illam impudicis aſpexerant oculis, & erat ſimilia paſſura ijs, quæ Ioſeph paſſus eſt, qui illum tunc eripuit, is eam quoque mirabiliter ſeruat per Danielem: qui ſapiente iudicio ſeniorũ conuicit malignitatem, & eos magis morte dignos oſtẽdit, & vt mortem paterentur effecit.

Euthymius. 1080.

In Pſalm. 118. *Super ſenes intellexi.*) Talis etiam fuit Daniel, qui Suſannę cauſam ſupra omnes populi ſeniores intellexit.

Nicetas. 1200.

In Orationem 44. Nazianzeni: Quę de presbyteris commemorat, in Danielis libro ſcripta ſunt, ad quem lectorem remittendum duximus. Atque adoleſcentem & corpore & animo elegantẽ Theologus Danielem nominat, qui ante adultam ætatem (non duodecimum annum ætatis agebat) iudex presbyterorum ſedit.

Michael Choniates. 1220.

Oratione funebri in Nicetam Choniaten: Quòd ſi Suſannam Daniel à violentorum amatorum & iniquorum iudicum furore aſſeruit: at pro tribunali prius federat, libidine excæcatos iudices ſeorſum abduxerat, vtrumque interrogauerat ſigillatim, ſuoqúe ipſorum iudicio conuictos & capitis damnatos lapidibus cooperiri iuſſerat, atque hoc pacto pudicam ab iniqua ſententia liberauerat.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Tertullianus. 200.

De corona militis cap. 4. Si & Suſanna in iudicio reuelata, argumentum velatæ præſtat, poſſum dicere, & hîc velamen arbitrij fuit.
In Carminibus contra Marcionem lib. 3.

Quàm magnus Daniel, qualis vir, quanta poteſtas,
Qui falſos teſtes ipſorum prodidit ore,
Seruauitq; animam damnatam crimine ficto.

Cyprianus. 250.

Epiſt. 40. Nec ętas vos eorum, nec auctoritas fallat: qui ad duorum presbyterorum veterem nequitiam reſpondens, ſicut illi Suſannam pudicam corrumperẽ & violare conati ſunt, ſic & hi adulterinis doctrinis Eccleſiæ pudicitiam corrumpere, & veritatem Euangelicam violare conantur.
Libro 1. epiſt. 8.

De diſciplina & bono pudicitiæ: Fuit, vt legimus, Suſanna filia Helchiæ, vxor Ioachim pulcherrima, pulchrior moribus. Hanc nullum ad decorem commendabat ſpecies: ſimplex enim erat. Excoluerat pudicitia, & cum pudicitia ſola natura. Hanc ex ſenioribus duo cœperant deperire, nihil memores nec diuini timoris, ſed nec ſuæ annis iam marceſcentis ætatis: ita illos in flagrantia tranſactę iuuentutis incendia rediuiuę libidinis flamma reuocabat. Pudicitiæ latrones amorem profitentur, ſed oderant: reſiſtenti minantur calumnias, adulterij ſe dicunt accuſatores, voto adulteri. Inter duos libidinis ſcopulos auxilium de Domino petebat, quia viribus corporis repugnare non valebat. Et exaudiuit è cælo clamantẽ ad ſe pudicitiam Dominus: & cùm iniquitate oppreſſa duceretur ad pœnam, vidit inimicorum liberata vindictam. Bis victrix, & in periculo ſuo tam funeſtè totiens conſepta, & libidinem euaſit, & mortem.

Zeno Veronenſis. 260.

Sermone 9. Suſanna illuſtris Hebręa, veræ decus pudicitiæ, docuit fœminas ſuę caſtitatis exẽplo. Stabat Suſanna in iudicio perditorum, falſorum teſtium oppreſſa mendacijs, conſcientiæ tamen bonis cõtenta ſecretis, nõ tam rea ſuſceptura ſententiam, quàm dicata Deo pro caſtitate fortiter moritura.

Hilarius. 350.

Enarratione in Pſal. 52. Sed & Daniel presbyteros condemnans, ait: Non ſemen Abraham, ſed
Verſ. 56. *ſemen Chanaan, & non Iuda.*

Lucifer Calaritanus. 360.

Lib. 2. ad Conſtantinũ Imper. pro S. Athanaſio: Sic vos fuiſtis armati ad Eccleſiæ violandã caſtitatẽ, ſicut illi ad Suſannę fuerunt, qui dixerũt: *Oſtia viridarij*
Verſ. 20. *clauſa ſunt, nemo nos videt, in concupiſcentia tui ſumus, propter hoc conſenti nobis, & eſto nobiſcum, alioquin falſum dicemus teſtimonium contra te,* &c. *Ad ſenes ingemiſcens dixit Suſanna: Angustiæ ſunt mihi vndique. Si enim hoc egero, mors mihi erit,* &c.

Ambroſius. 370.

Ad Virginem lapſam cap. 4. Dicis violentiam paſſa ſum, reſpondebit fortiſſima tibi Suſanna: Inter duos presbyteros populi etiam iudices poſita, inter paradiſi ſyluas conſtituta, vinci non potui, quia non volui.

De fuga ſeculi cap. 9. Pulchrè eam effudit Suſanna, vt euaporare in eam poſſet incendia corporis, mortis formidines, vitæ cupiditates. Effuſa ſuper ipſam anima omne reſtinxit carnale deſideriũ, ſeculare ſtudium. Quæ etiam prodigioſorum ſenum, & impudentium presbyterorum potuit flammas reſtinguere, niſi in his libidinis profluuium redundaſſet. A quibus cùm intenderetur calumnia, ſi aſſenſus negaretur adulterio, ingemuit Suſanna, & dixit: *Angustiæ mihi ſunt vndique.*
Verſ. 22

Euſebius Vercellenſis. 380.

Epiſtola ad presbyteros Italiæ: Sed vt gauiſi non ſunt ſeniores mali, qui pudicitiam Suſannæ violare quærebant: ita nec hi gaudebunt, qui Eccleſiam perſecutione varia infidelitati conantur ſubijcere. Dixit enim ſanctus Daniel ad illos: *Sic ti-*
Verſ. 48 *mentes filiæ Iſrael concumbebant vobiſcum.*

Ruffinus. 390.

Inuectiua 2. in S. Hieronymum: Omnis illa hiſtoria de Suſanna, quæ caſtitatis exemplum præbebat Eccleſijs Dei, ab iſto abſciſſa eſt, & abiecta, atque poſthabita, &c. Modò tu dicis: Omnis, qui putabat Suſannam nuptis & innupris exemplum pudicitiæ præſtitiſſe, errauit. Non eſt verum. Et omnis, qui putabat, quòd puer Daniel Spiritu ſancto fuerit repletus, & argueret adulteros ſenes, errauit:

rauit: non erat verum.

Hieronymus. 390.

Apologiæ aduersus Ruffinum lib.2.cap.9. Quòd refero, quid aduersus Susannæ historiam, quæ in volumine Hebraico non habetur, Hebræi soleant dicere: qui me criminatur stultum, se sycophantam probat. Non enim quid ipse sentirem, sed quid illi contra nos soleant dicere explicaui.

Aduersus Heluidium de perpetua virginitate Mariæ cap.2. Quis in tempore illo Virgini credidisset, de sancto eam Spiritu concepisse, venisse ad eam Angelum Gabrielem, Dei detulisse mandatum: ac non magis quasi adulteram, iuxta exemplum Susannæ, sententiæ omnium condemnassent?

Aduersus Iouinianum lib.1.cap.13. Erat Daniel adhuc puer, & notus populo, vel propter interpretationem somniorum regis, vel propter Susannæ liberationem, & occisionem presbyterorum.

Epistola 13. ad Paulinum cap.1. Daniel adhuc puer longeuos iudicat, & impudicos senes ætas lasciua condemnat.

Epistola 49. de muliere septies icta: Huc B. Danielis reuocetur historia, iuxta quem adulantibus caudis prædam suam leonum ora timuerunt. Nunc Susanna nobilis fide omnium subeat mentibus, quæ iniquo damnata iudicio, Spiritu sancto puerum replente, saluata est. Ecce non dispar in vtraque misericordia Domini. Illa liberata per iudicem, ne iret ad gladium: hæc à iudice damnata, absoluta per gladium est.

Epist.113. ad Marcellam: Neque verò eorum, qui à me exemplaria acceperunt, vel auctoritate, vel ætate ducaris, cùm & Daniel puer senes iudicet, & Amos pastor caprarum in sacerdotum principes inuehatur.

Ad caput 18. Esaiæ: Deus omnia fecit bona, sed ab his, qui sua voluntate sunt pessimi, semen ortum fit malum, quod voluntate fit, non natura. Vnde
Vers. 56. & in Daniele legimus: *Semen Chanaan, & non Iuda.*

Ad caput 29. Hieremiæ: Aiunt Hebræi nos esse presbyteros, qui fecerunt stultitiam in Israel, & mœchati sunt vxores ciuium suorum, quorum vni
Vers. 52. loquitur Daniel: *Inueterate dierum malorum.* Et alteri: *Semen Chanaan, & non Iuda, species decepit te.*

Augustinus. 400.

Tractatu 36. in Ioannem: Veritas quæritur per duos testes? Ita planè sic se habet humani generis consuetudo: sed tamen fieri potest, vt & duo mẽtiantur. Susanna casta duobus falsis testibus vrgebatur: nunquid quia duo erant, ideo falsi testes non erant? De duobus dicimus, aut de tribus? vniuersus populus mentitus est contra Christum, &c. Quando Susanna casta fœmina fidelisq; coniunx duobus falsis testibus vrgebatur, Trinitas illi in conscientia, atque in occulto suffragabatur. Illa Trinitas in occulto vnum testem Danielem excitauit, & duos conuicit.

De Sermone Domini in monte libro 2.cap.9. Ioseph tentatus est illecebra stupri, sed non est illatus in tentationem: Susanna tentata est, nec ipsa inducta vel illata in tentationem: multiqúe alij vtriusque sexus.

Seuerus Sulpitius. 410.

Lib.2. sacræ Historiæ: Danielis egregiam ad conseruandam legem perseuerantiam, & in absolutione Susannæ diuinum consilium, cęteraqúe ab eo gesta, ordine persequamur, &c. Per idem tempus Susanna quædam Ioachim nupta, spectatæ fœmina pulchritudinis, à duobus presbyteris appetita, cùm impudicis non acquieuisset, falso crimine incessitur.

Idacius Clarus. 420.

Vers. 42. *Aduersus Varimadum Arianum:* Et in Daniele: *Deus æterne, qui occultorum es cognitor, qui omnia nosti antequam nascantur, tu scis quia falsum testimonium hi dicunt contra me.*

Maximus Taurinensis. 430.

Sermone de accusato Domino apud Pilatum, & de Susanna: Susanna mulier inimicos suos tacuit, & vicit. Non enim apud Danielem iudicem verborum se ratione defendit, non patrocinij sermone tutata est: sed in sancta fœmina tacente lingua pro ea castitas loquebatur. Castitas enim Susannę adfuit in iudicio, quæ eam & defendit in Paradiso. Ibi enim pudori eius consuluit, hîc saluti: ibi ne macularetur pudicitia, hîc ne innocentia damnaretur. Castitas ergo Susannę & presbyteros & impudicos conuicit in paradiso, & in iudicio falsos accusatores obtinuit, bisqúe victrix reos facit testimonij, quos reos fecerat adulterij: atq; tandem iudicem meretur castitas Danielem puerum iuniorem, necdum pubescentis ętatis, &c.

Leo Magnus. 450.

Sermone 16. de Passione Domini cap.4. Sed tu impijssime homo, *Semen Chanaan, & non Iuda,* nec iam vas Vers. 56.
electionis, sed filius perditionis & mortis, vtiliora tibi diaboli incitamenta credebas.

Prosper. 460.

De promissionibus & prædictionibus parte 2.cap. 33. Duodecim sanè sunt propheticæ Danielis visiones: in Hebræo decem reperiuntur. Quas duodecim, Domino donante, certa cum comparatione percurram. In prima contra impudicos seniores castitatem Susannæ defendit. Hoc agit Dominus Iesus, dum aduersus sceleratos hæreticos Ecclesiæ suæ integritatem tuetur, quam peruersis suis disputationibus vitiare contendunt.

Cæsarius Arelatensis. 470.

Homilia 23. Virgines ergo cogitantes Mariam, viduę considerantes Annam, maritatę verò Susannam, imitentur illarum castitatem in hoc seculo, vt illis coniungi vel sociari mereantur in æternum.

Claudianus Mamertus. 480.

Epigrammate ad Iacobum Magistrum:

Sic tua pro clypeo defendat pectora Thomas,
Sic tibi det vires sancta Susanna suas.

Fulgentius. 500.

De Fide ad Petrum cap.33. Deo omnia incommutabiliter sunt notissima, cui dicitur: *Deus, qui occultorum es cognitor, qui scis omnia antequam fiant.* Vers. 42.

Epistola 2. de statu viduali cap. 10. Quàm bene nuptiarum opus in castitate coniugali Susanna seruauit?

Alcimus Auitus. 500.

De consolatoria castitatis laude ad sororem:

Susannam post hunc quis dignis laudibus vnquam
Excolat, infirmis quondam quæ vicit in annis
Improba vota senum, coniuratosq; furores?
Optimus Hebræos & præstantissimus inter
Ille vir Ioachimus erat, quem si quid habebat
Iudicij ac litis populus referebat ad vnum, &c.

Benedictus Abbas. 530.

In Regula cap.63. In omnibus locis ętas non discernatur in ordine, nec præiudicet: quia Samuel & Daniel presbyteros iudicauerunt.

Gregorius Magnus. 590.

Homilia 30. in Euangelia: Ecce apertis ijsdem oculis fidei, Dauid, Amos, Danielem, &c. intueor, & sanctus iste Spiritus qualis sit artifex considerare volo, sed in ipsa mea cõsideratione deficio. Implet namque cytharędum puerum, & Psalmistam facit. Implet pastorem armentarium sycomoros vellicantem, & Prophetam facit. Implet abstinentem puerum, & iudicem senum facit. 1. Reg 26 Amos 7. Dan.13.

Isidorus Hispalensis. 620.

Libro 7. Etymolog. cap.8. de Prophetis: Daniel interpretatur iudicium Dei, quia in presbyterorum iudicio sententiam diuinę examinationis exhibuit, dum reperta eorum falsitate, Susannam ab interitu liberauit.

In Allegoriis veteris Testamenti: Susanna figuram Ecclesiæ habet, quam testes falsi Iudæi, quasi adulteram legis accusant.

Concilium Lateranense Primum. 650.

Consultatione 4. Ideo cum beata & nos ad Dominum exclamemus Susanna, contra iniquos sacerdotes, in defensione memoratorum sanctorum
Dan.13. verſ. 42. conciliorum, dicentes: *Aeterne Deus, occultorum cognitor, qui nosti omnia antequam fiant,* &c.

Aldhelmus. 680.

De laudibus Virginitatis cap. 16. Fallaces testium personas, quę presbyteros contra Susannam mussitantes æmulabantur, vltrix diuini potentatus censura ijsdem cladibus, quibus peierantes se deuouerant crudeliter percussit.

Cap.24. Quemadmodum antiquitus Susannam cùm fabricatores falsitatum potius, quàm presbyteri populorum, quos adulterinæ titillationis calor incesti crimine cruentabat, dissona sermonum procacitate fallaciter infimulare machinarentur, densis, dirisqúe lapidum imbribus obruti, crudele mortis spectaculum prębuerunt, &c.

Beda. 700.

Ad cap.8. Ioannis: Denique quando Susanna casta fœmina fidelisq; coniunx duobus falsis testibus arguebatur, Trinitas illi in conscientia atque in occulto suffragabatur: illi Trinitas in occulto vnum testem Danielem excitauit, & duos conuicit.

Stephanus Secundus. 752.

Epistola ad Pipinum Regem: Quamobrem cuiusdam bonæ mulieris Susannę pudicitiæ verba loDan. 13. verſ. 24. quamur: *Angustiæ nobis vndique, & quid agamus ignoramus.*

Alcuinus. 760.

Ad caput 8. Ioannis: Nunquid semper duo homines verum dicũt testimonium? Nonne duo falsi testes contra Susannam falsum protulerunt testimonium?

Haymo. 820.

Ad caput 3. Esaiæ: Non sedet ad iudicandum ad hoc, vt in præsenti perdat tempore, sicut in Danielis volumine (*cap.13.*) legitur: sed stat, id est, considerat, & discernit omnium opera.

Florus Magister. 840.

Ad illa verba Canonis: *Præceptis salutaribus moniti,* &c. Nam & Susanna, cùm damnaretur ab iniustis iudicibus, tacebat, & orabat: os eius non audiebatur ab hominibus, cor eius clamabat ad Deum.

Rabanus Maurus. 850.

De Vniuerso lib.3. capite de Prophetis: Daniel interpretatur iudicium Dei, quod in presbyterorum iudicio sententiam diuinæ examinationis exhibuit, dum reperta eorum falsitate, Susannam ab interitu liberauit.

Concilium Valentinum. 855.

Cap.2. Deum præscire & præscisse æternaliter & bona, quæ boni erant facturi; & mala, quæ mali sunt gesturi: quia vocem Scripturæ dicẽtis habemus: (*Daniel.13.*) *Deus æterne, qui absconditorum es*
Verſ. 42. *cognitor, & qui nosti omnia antequam fiant,* &c.

Adrianus Secundus. 865.

Epist.4. Basilius princeps eripuit Ecclesiam Dei, dum quotidie, quia non consensit adultero, traheretur tam ad corporis, quàm ad animi mortem: instar vtique Danielis sanctissimam eripientis Susannam à sententia mortis, quam impudici presbyteri, qui videbantur regere populũ Domini, non autem regebant, sed potius perdebant, nequiter extorserunt.

Paschasius Robertus. 880.

In Lamentationes Hieremiæ libro 2. litera Iod: Tales itaque plangit, quales in Daniele super Susannam insaniisse legimus, de quibus dicit: *Inueterati* Verſ. 52.
dierum malorum, nunc venerunt peccata, quæ opprobramini.

Smaragdus. 970.

Ad caput 63. Regulæ Benedicti: Quòd dicit, Samuel, & Daniel pueri presbyteros iudicauerunt, de Heli, & de illis, qui Susannam opprimere voluerũt, intelligitur. Samuel presbyteros iudicauit, quando filios Heli peccare vidit, & eos in corde suo pręuaricatores iudicauit, & cõdẽnauit: Heli quoq; similiter reprehẽdit. Daniel quoq; tunc presbyteros iudicauit, quãdo illos iniqua cogitatione plenos, qui Susannã voluerũt falso crimine & testimonio condemnare, reprehendit, condemnauit, & Angelico eos gladio trucidandos esse præscripsit.

Rogerius Benedictinus. 1040.

Vitæ Brunonis Episcopi Colonienſis cap. 20. Nemo super hac re culpabilem eum dicat, cùm Samuelem sanctum, & alios plures sacerdotes pariter legamus & iudices, & Danielem Propheram duos presbyteros ad mortem damnasse legamus.

Radulphus Ardens. 1060.

Homilia in Litaniamaiore: Oratio igitur, quę fit solo corde, etsi non labijs, Deo accepta est. Vnde & Susanna tacens, dicitur clamasse, propter vehementem mentis intentionem.

In Communi vnius Martyris: Tales erant *duo senes inueterati dierum malorum,* qui puellam teneram Susannam corrumpere voluerunt, sed ab ea supèrati sunt.

Iuo Carnotensis. 1100.

Epist.162. Si sciremus vos esse paratos, vt cum gaudio tolerare possitis ruinas domorum, exterminationes corporum, rapinas bonorum vestrorum, possemus vos exhortari, vt sequeremini cõsilium Susannæ, quæ magis elegit in manus hominum incidere, quàm Dei legem derelinquere.

Hugo Victorinus. 1120.

Sermone 85. Vnde & impio presbytero aduersus iustam Susannam dictum est: *Rectè mentitus es* Verſ 55.
in caput tuum.

Bernardus. 1130.

Epistola 242. Quis scit si conuertantur Romani ad precem pauperis, quæ non cedunt potentium minis, non omni armaturę fortiũ. Nonne quondam in Babylone ad vocem pueri iunioris vnius omnis ille populus, qui à senibus iniquis iudicibus seductus fuerat, reuersus est ad iudicium, & sic seruatus est sanguis innoxius illa die?

Sermone 3. in Annuntiatione Dominica: Videtisne duos senes (nam à senioribus exire cœperũt) quomodo in pomerio Ioachim absconditur, Susannam quærunt vxorem eius: sequamur eos. Nam iniqua cogitatione pleni sunt contra eam. *Consentire nobis,* aiunt senes, aiunt Pharisæi, aiunt lupi, qui ab alterius paulò ante, licet errantis ouiculæ fuerant deuoratione frustrati: *Consentire nobis, &* Verſ. 20
commiscere nobiscum. Inueterati dierum malorum, modò accusabatis adulterium, modò adulterium suadetis.

Arnulphus Lexouiensis. 1150.

Sermone habito in Concilio Turonensi: Sed quis ego

sum, qui mandato Romani Pontificis audeam obuiare? *Angustiæ sunt mihi vndique*: inter verecundiam & necessitatem constitutus sum.

Vers. 22.

Petrus Cluniacensis. 1150.

Lib. 2. contra Iudæos cap. 5. Audi bonam mulierem Susannam, quæ licet non sit de Canone tuo, fuit tamen de populo tuo. Audi eam, vtrum Deus aliquid ignorare possit, in oratione propria profitentem: *Domine*, ait, *qui nosti omnia antequam fiant.*

Vers. 42.

Petrus Riga. 1170.

In Daniele, de Ioachim:

Huic facie præstans, quæ tunc Susanna vocata est,
Et quæ stirpe Iuda prodijt, vxor erat.
Porrò qui causas arbitrarentur in illo
Anno, presbyteros constituêre duos:
Qui tandem Ioachim, velut eius in ade frequentes,
Vxoris speciem concupiêre suæ:
Quærebantq; senes multo molimine votis
Implendis posset qualiter esse locus.
Hortus erat Ioachim, quo se plerunque lauabat
Vxor in absconso: prodijt inde locus.
Hic latuêre senes, vt ibi sine teste repertam
Protinus arriperent, & fruerentur ea.
Æstus erat, calor instabat, sol flammeus vndas
Iusserat immemores frigoris esse sui.
Riuus, qui ludens Ioachim lasciuit in horto,
Lampadis eiusdem vi tepefactus erat.
Illic inuitant Susannam balnea: surgit,
Huc properat, fraudem nescit inesse loco:
Tentat aquam, laudat tentatam, nuda subintrat,
Laudatam nudam vidit vterque senum.
Vidit, & incaluit, conceptæ pabula flammæ
Huius vtraque genæ sunt in vtroque sene.
Hinc species, hinc spes: illinc Venus, inde venustas:
Hinc calor, inde color cor tetigêre senum.
Igni dant vires oculi, lux ignea, ceruix
Lactea, cæsaries aurea, nuda caro.
Res noua, decrepitis audax amor imperat igni
Exangues stipulæ dant alimenta nouo, &c.

Ioannes Saresberiensis. 1170.

Lib. 7. Polycrat. cap. 19. Frustra vt quemquam eorum excipias, aliquem oppones titulum: quia clamore conductitio præualente delebitur concurrentibus exemplis, & sanctionibus patrum: Puer est, & monstrat seniores à Daniele puero condemnatos.

Innocentius Tertius. 1200.

Ad Psalmum 5. Pœnitentialem: Clamor hic nõ tam vocis intensio, quàm cordis deuotio debet intelligi. Sic clamauit Susanna, quæ flens suspexit in cælum. Erat enim cor eius fiduciam habens in Domino, & ideo exaudiuit Dominus vocem eius.

Iacobus Vitriacus. 1220.

Dominica infra Octauam Epiphaniæ: Daniel puer senes presbyteros iudicauit. Vnde in libro Sapientiæ dicitur: *Senectus venerabilis est non diuturna, nec numero annorum computata.*

Albertus Stadensis. 1240.

In Chronicis folio 12. Sub Baltasare liberata est Susanna à calumnia sacerdotum per Danielem, & illi lapidati.

Guilhelmus Peraldus. 1250.

In Euangelium Dominicæ 9. post Trinitatis, Sermone 3. Cùm aliquis diffamatur absque culpa sua, citò decidit infamia, & reuertitur pœna in confingentes: vt accidit presbyteris, qui Susannam accusârunt, Danielis 13.

Vers. 5.

Bonauentura. 1260.

Ad caput 22. Lucæ: Et impletum est illud 1. Esd. 9. *Manus principum & magistratuum fuit in transgressione hac trina.* Et Danielis 13. *Egressa est iniquitas à senioribus, qui videbantur regere populum.*

Vrbanus Quartus. 1262.

Paraphrasi in Psal. 50. Sed tu Domine liberator es meus, qui Danielem de lacu leonum, Susannam de falso crimine liberasti.

Vers. 17.

Ioannes à Sancto Geminiano. 1300.

In Summa lib. 3. de vegetabilibus, & plantis cap. 27. *Dixit Susanna: Afferte mihi oleum, & smigma,* &c. Et hæc est vnctio spiritualis lætitiæ, quæ pertinet ad decorem & morem conscientiæ.

Nicolaus Lyranus. 1320.

Ad cap. 13. Danielis: Historia Susannæ contigit ante captiuitatem Babylonicam, vel citò post: quia Daniel adhuc erat valde iuuenis.

Vers. 42.

Guido Carmelita. 1330.

De Agnoëtis cap. 79. De Filio Dei, qui est increata Sapientia, dicitur: *Signa & monstra fecit antequam fiant.* Daniel 13. *Nosti omnia antequam fiant.*

Petrus Aliacus. 1400.

Sermone in Festo Omnium Sanctorum: Sancti, qui in terra sunt, ex omni parte persecutionum patiuntur angustias: Propterea sancta illa & deuota Susanna, Sancti cuiuslibet personam reputans, dicebat: *Angustiæ sunt mihi vndique.* Daniel. 13.

Vers. 22.

Bernardinus Senensis. 1430.

Tomo 1. Sermone 3. de mendacio cap. 2. Danielis quoque 13. scriptum est, quòd duobus senibus, luxuria rabidis, iniquè accusantibus sanctissimam Susannam, ac mendaciter testificantibus contra eam, Daniel primo ait: *Dic sub qua arbore videris eos colloquentes,* &c.

Vers. 54.

Laurentius Iustinianus. 1440.

De triumphali Christi agone cap. 11. Ecce simile Susannæ sanctæ memorabile exemplum. Conuenerunt olim presbyteri duo, iniquitate pleni, dierumque malorum inueterati, vt aduersus mulierem innocentem, quæ eorum desiderijs malignis noluit præbere consensum, falsum proferrent testimonium. Verùm iudicãte Deo eandem, quam proximę suæ parare moliti sunt, pertulêre necem.

Dionysius Carthusianus. 1460.

Ad caput 13. Danielis art. 14. de Susanna. Quia historia ista in Ecclesia, & in officio Missę solenniter legitur, de veritate eius non dubitamus.

Nicolaus de Nise. 1470.

In lib. Sentent. tract. 4. parte 3. quæst. 1. Si auctoritatem senectutis in instrumentum malitiæ vertant publicè peccando, sunt acriter arguendi, sicut & Daniel dicit: *Inueterate dierum malorum.*

Vers. 52.

M. Antonius Sabellicus. 1490.

Libro 1. Exemplorum capite 4. Non multum absimilis huic quæstio illa memorabilis, qua vsus Daniel adolescens fatidicus Susannæ pudicitiam ab infanda calumnię labe vindicauit, accusatoribus in id supplicium, quod puellæ intenderant, compulsis.

ARTICVLVS DECIMVSSEXTVS.

CAPVT XIIII. DANIELIS, QVO DESCRIBITVR BELIS, DRACONIS, DANIELIS, ET ABACVC HISTORIA, AVTHENTICAM ESSE SCRIPTVRAM, ET VALERE AD ECCLESIASTICA DOGMATA PROBANDA.

NEGANT.

Anno post natũ Christũ

390. *Ieronymus*, Præfatione in Danielem, *caput 14. Danielis inter apocryphas & dubias Scripturas referre videtur. Sed ob id à Ruffino reprehensus, se non suam sed Hebræorum opinionem recensuisse respondet.*

1520. Erasmus in Commentarijs huius D. Hieronymi Præfationis: *Mirum quod Hieronymus verũ iugulat, id nunc passim legitur, & canitur in templis, ceu res in primis sancta, &c. Imò nullo delectu legimus de Bel dracone, quam Hieronymus non veritus est appellare fabulam: nec additurus, ni veritus fuisset, ne bonam voluminis partem detruncasse videretur: sed apud quos tandem? Apud imperitos, inquit ipse.*

1525. *Martinus Lutherus*, in suis Biblijs, *Belis draconisq; historias inter apocryphas Scripturas collocat.*

1570 *Guilhelmus Vvitakerus*, in Disputatione de sacra Scriptura, controuersia 1. quæst. 1. cap. 9. *Belis draconisq; historiam inter spuria & apocrypha Danielis scripta refert.*

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Clemens Romanus. 80.

Constitut. Apostolicarum lib. 8. cap. 1. Imò neque sapiens ille Daniel, bis ex ore leonum ereptus; neque tres illi pueri in fornace ignis, reliquos suæ nationis spreuerunt.

Irenæus. 180.

Lib. 4. c. 11. Quis enim est viuorũ Deus, nisi qui est super omnia Deus, & super quem alius nõ est Deus? quem Daniel Propheta (cùm dixisset ei Cyrus rex Persarum: *Quare non adoras Bel?*) annuntiauit dicens: *Quoniam non colo idola manufacta, sed vnum Deum, qui constituit cælum & terram, & habet omnis carnis dominationem.* Vers. 3.

Clemens Alexandrinus. 200.

Lib. 1. Stromaton: Tunc Daniel coniectus in lacum leonum, ab Abacuc diuina prouidentia nutritus, septimo die seruatur.

Origenes. 230.

Homil. 1. in diuersos: Sicut tres pueri in camino ignis incluſi habebantur, & tamen eos non lædebat incendium, nec odor fumi erat in eis: vel quẽadmodum Danieli intra lacum leonum incluſo clauſtris non apertis allatum est prandium ab Abacuc: ita & hęc Virgo sancta genuit Deum, sed intacta permanſit.

Eusebius Cæsarienſis. 320.

De Propheticorum librorum appellationibus, in Daniele: Narrat etiam Daniel, vt est in leonum lacum coniectus, primùm quidem quòd Darium regem adorantibus Babylonijs omnibus, solus ipse Deũ adoraret: deinde verò quòd Bel & Draconẽ sub Cyro rege fuſtu liſſet: ſed est ipſe incolumis de lacu extractus, in eumq; deiecti, & à leonibus ſtatim deuorati, qui has illi inſidias ſtruxerant.

Athanaſius. 340.

Sermone 4. contra Arianos: Daniel quoq; Aſtyagi ita locutus est: *Non colo idola manufacta, ſed Deum viuum, conditorem cæli & terræ, qui dominatum habet in omnem carnem.* Vers. 4

In illud Euangelij: *Qui dixerit verbum contra Filium hominis.* Et Daniel ita liberè ad Darium auſus eſt dicere: *Nõ veneror idola manufacta, ſed Deũ viuentẽ.* Vers. 4.

Cyrillus Hieroſolymitanus. 360.

Catechęſi 14. Si enim Abacuc translatus est, coma capitis portatus, quanto magis Prophetarum & Angelorum Dominus de monte Oliuarum per nubem aſcendens, propria virtute aſcendere in cælum potentior erat?

Ephræm Syrus. 360.

De recta viuendi ratione c. 86. Danielem Prophetã in lacum leonũ coniecerunt impij, vt ab illis deuoraretur: ignorantes ſcelerati ſe in propriam id machinari confuſionem. Deus autem per manũ Habacuc, & per ſuũ Angelũ fideli ſeruo ſuo miſit prandium: immanes autem feræ in medio ſui videntes Prophetã, inclinantes ſe, adorabant illũ.

De patientia & compunctione: Olim ſiquidem Angelus tuus, Domine, corã Propheta Habacuc apprehendens, in momento temporis eum ſtatuit in Babylone ſuper lacum leonum, vbi incluſus detinebatur Daniel, rurſusque confeſtim in terram ſuam ipſum reſtituit.

Baſilius Magnus. 370.

Homil. in diuites auaros: Lacus Babylonius iuuenem habuit Iſraelitam, captiuum quidem caſu, animo verò ac propoſito liberum. Ad hunc leones eſurientes immiſſi, præter naturam abſtinuerũt. Pauit eum Abacuc ab Angelo cum obſonijs longè deportatus, & ne vir ſanctus inedia premeretur, temporis momento tantum veniendo penetrauit, quantum à Babylonia diſtat Iudęa.

Homil.2.de Ieiunio: O eximiam & singularem ieiunij vim: leonũ ora cõpressit, draconẽ perrupit, Belem euertit, Susannam è periculo eripuit.

Gregorius Nazianzenus. 380.

In præceptis ad Virgines:

Ipse feris Daniel rabidis proiectus in escam,
Non aluit sæuos lacerata carne leones:
Sed postquam fudit̃q; preces, palmasq; tetendit,
Aëra per medium delata est esca Prophetæ.

Oratione 19. quæ est oratio funebris in laudem patris sui mortui: Quonam igitur modo Deus eam alit? Non manna pluens, vt olim Israël: aut per coruos pascens, vt illum Heliam: aut per Prophetã in sublime raptum satians, vt Danielem antea, cùm fame in lacu premeretur, &c.

Epiphanius. 380.

In vita Abacuc Prophetæ: Cùm ante expugnationẽ prospiceret captiuitatem Hierosolymæ, maximè cùm super ciuitatem, tum super populum eius luxit. Appropinquante autẽ Hierosolymis Nabuchodonosor, vt dissiparet eas, fugam dedit ille in Ostracinã, & manebat illic incola in terra Ismaël. Ast vbi Chaldæi Hierosolymis soluentes remearent in patriam suam, cum exuuijs atq; captiuis, & reliquię vrbis Hierosolymę in Ægyptũ descenderent, antistes ille reuersus in patriam, ministrauit messoribus sui agelli: seminauerat enim hordea. Cæterùm statim vt esculenta præparauerat, vaticinatus est suis, dicẽs: Proficiscar ipse in longinquam terram, & reuertar ocyus, & si cunctauero diutius, apponite nostris messoribus quod manducent. Et translatus repente in Babylonem, exhibuit prãdium Danieli, qui erat in cauea cum leonibus.

Gregorius Nyssenus. 380.

Oratione de pauperibus amandis: At illi pauperes, qui aduersa pręditi valetudine, angustoq; hospitiolo, imò verò angusti hospitioli angulis cõclusi sunt, vti Daniel in lacu, te benignũ & pauperum studiosum atque amantem tamquam Abacuc expectant: quamobrem per eleemosynam Prophetę socius efficere.

Ioannes Chrysostomus. 400.

Sermone contra Gentiles & hęreticos de Euangelio: *Nuptiæ factæ sunt.*) Erat Daniel iuuenis, & leonum ora constrinxit, & dracones confregit, Bel subuertit, & presbyteros iudicauit, Susannam liberauit, tantęq; virtuti imperfecta ętas nõ obfuit.

Homil.5.in Matthæum: Si Abacuc homo constitutus à nullo est visus, quãdo ab Angelo per comam capitis portabatur de Iudæa in Babylonem, quãto magis est credibile de Christo, nõ fuisse visum, cùm volens à diabolo assumeretur?

Oratione 24. in priorem ad Corinth. Nulla mulier, quæ concepit & est grauida, parturiens tanto dolore premitur, quanto illa habens corpus Domini dilacerabatur, & discerpebatur: & quod in dracone accidit Babylonio, quando accepto nutrimento disruptus est medius, hoc in hac quoq; accidit.

Homil.2.in epist.ad Philemonem: Daniel item secũdò in lacum leonum iniectus, ait: *Recordatus est enim mei Deus,* &c. Vers. 37.

Palladius. 430.

Dialogo de vita D. *Chrysostomi:* Quando sacerdotes Belis, à Daniele cõfusi sunt? Nonne cùm ipsos esse arguit ciues, qui cibos potusq́ue consumerẽt?

Nilus Abbas. 420.

In Ascetico: Danielem quidem cùm homines, vt ipsi putabant, perdidissent, leones seruârunt: quẽ homines ex iniuidia iniustè damnauerant, custodierunt. & iustitiam, à qua recesserant homines, rectum ipsi de iniustè damnato iudicium ferentes, declarârunt.

Isidorus Peluſiota. 440.

Lib.1.Epist.69. An non ventris appetitus, & carnium desiderium Belis quoque cultores, & adoratores per cinerem conuictos & deprehensos exilio addixit?

Basilius Seleucius. 450.

Demonstratione contra Iudæos: Cyrus post Astyagen fuit, sub quo Bel euersus est, & draco occisus.

Cyrillus Eremita. 540.

In vita S. Euthymij: Ille autem reipsa, & non in somnis protinus raptus, non dissimili fortè modo ei, quo Habacuc, ita facilè & momento temporis statuitur in littore, & perinde ac si ex somno surrexisset, ô diuinam prouidentiam, in sancta inuenitur ciuitate.

Vita Ioannis Silentiarij cap.9. Cumq; non inuenisset viam, per quam rediret in spelũcam, neq; posset ingredi, cecidit propemodum. Ecce autem repente diuinæ virtutis visitatione in altum sublatus, non secus ac Propheta Abacuc raptus, inuentus est in spelunca.

Andreas Cretenſis. 560.

De *S. Crucis Exaltatione:* Extulit aliquando Daniel vocem in lacu leonum ad Altissimum, prefigurans Crucis exaltationem, quando prandium ei attulit Propheta Abacuc raptus momento temporis.

Anaſtaſius Synaites. 580.

De rectæ fidei dogmatibus libro 1. Angeli essentiam sortiti sunt circumscriptam, vt non potuit Gabriel simul in cælo esse, & apud Virginem: neque apud Danielem in Babylone, & apud Abacuc in Iudæa.

Pantaleo Diaconus. 850.

De *Sancto Michaele Archangelo cap.6.* Michael Prophetam Danielem in lacum per iniuriam coniectum celerrimè conseruauit, & sæuorum leonum ora refrænauit, & Abacucum rapuit, & ad eum cum cibo parato à Palęstina abduxit Babylonem, & eum rursus repentè in suum locum restituit.

In narrationę miraculorũ Michaelis Archãgeli: Abacuc quoq; Propheta erat in Iudæa. Ipse aũt coxerat pulmentum, & panes intinxerat ad nutrimẽtum, & ibat vt id ferret suis messoribus. Angelus autem Domini apprehendit verticem Habacuc, & impetu sui spiritus eum portauit à Iudæa in Babylonem, cum lentis alimẽto, & intulit ipsum Archangelus in lacum leonum, non solutis illic signaculis: comeditq; Daniel seruus Domini, & lætatus est. Et rursus idem Angelus Michael restituit confestim Habacuc in locum suum, nihil ei impedimenti afferẽs, quo minus eadem hora veniret, & eodem cibo messores suos copiosè aleret. Papè quanta est diuini Angeli pernicitas?

Simeon Metaphraſtes. 970.

De S. Theodora virgine: Theodora libenter ei obtemperabat. Nouit enim ab illo ipso Deo, qui misit in lacum leonum Prophetam Abacuc, vt Danieli, qui & ipse Propheta erat, cibum impertiret, quiq; & leonum ora obstruxit, &c.

De rebus gestis Cornelij Centurionis cap.5. Dixit ex animo Cornelius: Deus, qui tẽpore Danielis famuli tui Belum euertisti, & draconem sustulisti, & ora obstruxisti leonibus, vt tuũ seruares famulũ, tu quoque nunc euerte hęc simulachra, &c.

De Daniele & tribus pueris cap.23. Babylonij non solùm nullo sensu prædituũ Bel colebant: sed etiã magnum quendam draconẽ, qui in domo quadã deliteſcebat, tamquã Deũ colebãt. Tentatur ergo in hoc quoq; Daniel à Cyro: & iubebat, vt eũ adoraret, tamquam verè comedentẽ, & bibentem, & viuentem Deũ. Ille autem: *Dominum,* inquit, *meum adorabo. Quòd si velis scire eum etiam esse mortalem, & in quem*

quem natura cadit interitus, non autem Deum, permitte, ô rex, & ego occidam sine gladio & virga. Cùm ei rex in hoc annuisset, & picem simul & adipem & pilos coxisset, & offam fecisset, demisit in os draconis. Ille autem cùm comedisset, confestim rumpitur. Babylonij cùm accepissent Danielem, rursus demittunt in lacum leonũ: diuina manu obstruuntur ora leonum, nec sacrum corpus audent attingere.

Cap. 24. Erat sacer Habacuc in Iudæa, qui cùm panem in disco comminuisset, & ius ei immisisset, abibat vt ferret ad messores. Angelus autem Domini ei apparuit, & iussit eũ id ferre Babylonem ad Danielem: & protinus Angelus comam capitis apprehendit, & momento temporis impetu ducentis spiritus expansus stetit super lacum, & appellauit Dei vinctum, & ait: Accipe hanc cœnam, quam Deus ad te misit, tui magnam curam gerens. Ipse autem Habacuc, cùm eadem rursus virtute illud immensum transuolasset spatium, momento temporis ita fuit loco restitutus, vt nondum præterijsset hora prandij messoribus.

Michael Glycas. 1100.

Parte 2. Annalium: Id temporis Daniel Belum simulachrum Babyloniorum aboleuit, & improbitatẽ sacrificorum per cinerem coarguit: sustulit item draconem illum, quem religiosè venerabantur. Hinc factum, vt orta sacrificorum seditione aduersus Cyrum, quasi iam apertè Iudaizantem, Daniel ijs dederetur, & totos sex dies in eadem cum septem leonibus fouea concluderetur. Verùm ne tum quidem aliquid detrimenti accepit. Quin etiam Vates Abacucus in oculi momento ad Danielem peruenit, quamquam fouea ipsa obsignata foret, eiq; coctum messoribus in Iudæa cibum defert.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Anacletus. 95.

Epist.1. Nam si veraciter Deum credimus, eumq́ue diligimus, vt debemus, & proximos, sicut nosmetipsos, ipse nos eripiet & consolabitur. Et sicut per Angelum suum Abacuc Prophetã cum prandio in lacum leonum ad Danielem vatem misit, & Philippum vnum de septem Diaconis ad Eunuchum: ita dabit nobis consolationem & liberationem.

Tertullianus. 200.

De *Ieiunijs cap.7.* Nam & Angelus missus ad Danielem hanc statim professus est causam diuinæ dignationis: *Veni,* inquit, *demonstrare tibi quatenus miserabilis es,* ieiunando scilicet, si Deo miserabilis, leonibus in lacu fuerat horribilis: Vbi illi quidem sex diebus ieiunãti prandium Angelus procurauit.

Cap.9. Danieli in lacu leonum esurienti prandium metentium exhibitum est.

De Idololatria cap.18. Nam si ita esset, vtiq; tantæ sanctitatis & constantię viri statim habitus inquinatos recusassent, statimq; apparuisset Danielem idolis non seruisse, nec Belem, nec draconem colere, quod multò postea apparuit.

Cyprianus. 250.

Libro 4. epist. 6. *Epistola 56.* Daniel cùm compelleretur adorare idolum Bel, quem tunc populus & Rex colebat, in asserendum Dei sui honorem plena fidei libertate prorupit, dicens: *Nihil colo ego nisi Dominum Deum meum, qui condidit cælum & terram.*

Dan. 14. vers. 4. *De Oratione Dominica:* Cùm Dei sint omnia, hãbenti Deum nihil deerit, si Deo ipse non desit: Sic Danieli, in leonum lacu iussu regis incluso, prandium diuinitus procuratur, & inter feras esurientes, & parcentes, homo Dei pascitur.

Sermone de eleemosyna: Danieli in lacum leonum incluso prandium diuinitus apparatur, & tu metuis, ne operanti, & Deum timenti desit alimentũ?

Zeno Veronenſis. 260.

Sermone pro fidei veritate: Non hodie inducitur Daniel inter frementium leonum rabidos rictus intrepidus cælesti prandio satur.

Sermone de Timore: Huius suffragio Daniel populis terribilem inermis draconem necat: leonibus obiectus in periculo prandet, qui solet extra periculum ieiunare.

Hilarius. 350.

De *Trinitate lib.10.* Daniel Prophetæ prandio alendus, leonum lacum non timet: Apostoli cædi se pro Christi nomine, & pati gaudent: Pauli libatio sua corona iustitiæ est.

Ad Psalm.125. Testis Daniel in fame Prophetæ prandio saturatus.

Eusebius Vercellenſis. 360.

Epistola ad Presbyteros & plebes Italiæ ab exilio missa: Agnoui, fratres charissimi, vos, vt desiderabam, esse incolumes: & quasi subitò raptum omni longinquitate terrarum (vt Habacuc factum est, qui per Angelum portatus fuit vsque ad Danielem) sic me iudicaui ad vos peruenisse.

Ambroſius. 370.

De Iacob & vita beata lib.1.cap.8. Daniel sacerdotũ furta prodebat, & superstitiones eorum redarguebat, ostendens nulla veritate subnixas, sed fraudibus adumbratas.

Lib.2.cap.9. Neget quis beatum Esaiam, cùm medius secaretur: Hieremiam, cùm mergeretur: Danielẽ sanctum, cùm inter leones staret intrepidus, & prandium ei raptus ab Angelo Propheta deferret? Non vtique ideò beatus, quia alienum prandebat prandium, sed quia meritis suis impasta leonum ora claudebat.

Enarratione 1. in Geneſin ad Horatianum: Accipe etiã quod supra hominis substantiam: Moses in imo ambulauit mari, in summo Apostoli: Abacuc sine pennis volauit.

Ad Psal.36. Abacuc prandium messoribus deferendo eleuatus ab Angelo aëreitramitis iter carpsit, & redditus terris, inter sæuos leonum strepitus, pio Prophetę dulce conuiuium ministrauit.

Ad Psal.118.octona.17. Daniel Propheta secundò in lacum missus leonum, & immanium ferarũ sęuitia atq; horrore circumdatus, recta omnia in conspectu esse Dñi imperterrito clamore iactabat.

Prudentius. 380.

Hymno post cibum:

Sic olim tua prælucens potestas
Inter rauciſonos ſitum leones
Illapſis dapibus virum refouit.
Illum fuſile numen execrantem
Et curuare caput ſub expolita
Actis materia nefas putantem
Plebs diræ Babylonis, ac tyrannus
Morti ſubdiderant, feris dicârant,
Sæuis protinus hauſtibus vorandum.
O ſemper pietas, fidesq; tuta:
Lambunt indomiti virum leones,
Intactumq; Dei tremunt alumnum.
Sed cùm tenderet ad ſuperna palmas,
Expertumq; ſibi Deum rogaret,
Clauſus iugiter, indigensq; victu,
Iuſſus nuntius aduolare terris,
Qui paſtum famulo daret probato,
Raptim deſilit obſequente mundo.

Cernit fortè procul dapes inemptas,
Quas meßoribus Abacuc Propheta
Agrefti bonus exhibebat arte.
Huius cæſarie manu prehenſa,
Plenis (ſicut erat) grauem caniſtris
Suſpenſum rapit, & vehit per auras.
Tum raptus ſimul ipſe, prandiumq;
Senſim labitur in lacum leonum,
Et quas tunc epulas gerebat, offert:
Sumas lætus, ait, libensq; carpas,
Quæ ſummus Pater, Angelusq; Chriſti,
Mittunt liba tibi ſub hoc periclo.
His ſumptis, Danielus excitauit
In cælum faciem, cibosq; fortis
Amen reddidit, Alleluia dixit.

Hieronymus. 390.

Epiſtola 22. ad Euſtochium de cuſtodia virginitatis c.4. Potuit & Danieli de regijs ferculis opulentior menſa transferri: ſed Habacuc ei meſſorum prandium portat, arbitror ruſticanum: ideoq; & deſideriorum vir appellatus eſt, quia *panem deſiderij nõ manducauit, & vinum concupiſcentiæ non bibit.* Innumerabilia ſunt de Scripturis diuinis reſponſa, quæ gulam damnent, & ſimplices cibos probent, hęc ſufficiant pauca de plurimis.

Epiſt. 41. ad Ruſſinum: O ſi mihi nunc Dominus Ieſus Chriſtus vel Philippi ad Eunuchum, vel Abacuc ad Danielem translationem repẽte concederet: quàm ego nunc tua arctis ſtringerem colla amplexibus?

Auguſtinus. 400.

Serm. 65. de Tempore: Nunquid Dominus, qui cælum & terram fecerat, cuius omnis eſt creatura, non potuit in eremo per Angelum prandiũ mittere, ſicut Danieli in lacum leonum per Abacuc miſit?

Paulus Oroſius. 410.

Apologetico contra Pelagium : Præparatis onuſtus eſcis Abacuc, vt ieiuno inter eſurientes feras iuſto prãdium miniſtraret, (vt vulgata narrat editio,) in momento diei à Iudęa in Babyloniam translatus fuit, protinus ac relatus.

Seuerus Sulpitius. 420.

Libro 1. Æneid. *Lib. 2. ſacræ Hiſtoriæ:* Erat ea tempeſtate apud Babylonios Beli antiquiſſimi regis, cuius etiã Virgilius meminit, ex ęre ſimulachrum, quod ſuperſtitione hominum conſecratum, Cyrus quoq; adorare erat ſolitus, antiſtitum eius dolo illuſus, qui veſci effigiem illam, atq; potare affirmabant: cùm diurnam penſitationem, quæ idolo inferebatur, clam ipſi abſumerent. Igitur Cyrus, cùm Daniele familiariter vteretur, quærit ab eo, cur ſimulachrum non adoraret, cùm manifeſtum viuentis Dei eſſet indicium, abſumentis ea, quæ inferebãtur. Daniel ridens hominis errorẽ, negare id poſſe fieri, vt ęs illud, id eſt bruta materies, cibo vteretur ac potu. Accerſiri ergo Rex ſacerdotes iubet: adhibito eos terrore increpat, quis impenſa conſumeret: cùm Daniel minimè id ab inſenſibili ſimulachro poſſe fieri contenderet. Tum illi confiſi parato dolo, inferri & obſignari à rege templum depoſcunt, vti, niſi omnia poſtero die abſumpta deprehenderentur, morte pœnas perſoluerent: dum eadem conditio Danieli maneret. Itaque ſigno regis templum obſignatur, cùm priùs Daniel, ſacerdotibus inſcijs, pauimẽtum cinere aſperſiſſet, vt introeuntium occultos aditus veſtigia proderent. Igitur poſtero die Rex templum ingreſſus, animaduertit abſumpta, quę idolo apponi iuſſerat. Tum Daniel occultam fraudem veſtigijs prodẽtibus referat: ſacerdotes cum vxoribus & filijs ſuffoſſo foramine ingreſſos, ea, quæ idolo appoſita fuerant, deuoraſſe. Ita omnes iuſſu regis interfecti, templum & ſimulachrum Danieli in poteſtatem datum, atque ex arbitrio eius dirutum.

Eucherius Lugdunenſis. 450.

Homil. 10. de Paſcha: Daniel maximus Prophetarum horrendum draconem, id eſt, qui ſpiritum diaboli pręferebat, ſolidioris cibi virtute confecit, faciens de pice & adipe, id eſt de duabus ſubſtantijs vnam offam, qua aſſumpta, quod putabatur cibus, interitus fuit.

Proſper Aquitanicus. 460.

De promiſſionibus & prædictionibus Dei parte 2. cap. 35. In duodecima viſione ſpectaculum quoddam lætiſſimum, non tantum regi, quãtum etiam ſpiritalibus mentibus exhibuit Daniel. Bel quippe idolum, quod omnes Babylonij ſimul cum rege cultui habebant, magnos regios apparatus, velut quotidie comedens, quos ſacerdotes cum ſuis per occultum intrantes oſtium conſumebant: Daniel eorum fraudes ſubtili arte demonſtrans, ſeri in pauimento templi cinerem ſuis præcepit. Signatis igitur foribus annulo regis, in poſterum diem venientibus, non illa ab illo figmento conſumi, virorum ac mulierum impreſſa veſtigia demonſtrãrunt. Confeſſione etiam ſacerdotum occultum eſt illud oſtium proditum, per quod introeuntes, omnia deuorabant. Confracto itaque regia iuſſione figmento draconem, quem ſimul vt diuinum ſuſpiciebant, ſine gladio & fuſte ita peremit Daniel, quemadmodum ſciebat corruptibilem poſſe corrumpi. Pro munere veræ religionis oſtenſæ in lacum Babylonij deuorandum Prophetam miſerunt. Nec defuit diuina potẽtia, quæ & cuſtodiam ſolitam ſuo, & prandium per eius ſocium miniſtraret incluſo.

Sedulius. 460.

Ad caput 1. epiſtolæ ad Romanos: Primi Babylonij Deum vocauerunt figmentum Belis, hominis mortui, qui principatum dicitur in ijs geſſiſſe: coluerunt & ſerpentem draconem, quem occidit Daniel homo Dei.

Alcimus Auitus. 500.

De conſolatoria caſtitatis laude ad ſororem:

Quos meritis aquans Danielis candida virtus,
Horrida frendentum compeſcuit ora leonum.
Nam cùm in ſe Aſſyrios, & Beli imagine fracta,
Atque ſacerdotum detecta fraude ſuorum,
Dignus ob id mercede puer, mouiſſet, in antrum,
Quo ſeptem ingentes ſolitum nutrire leones,
Ora famescentum ſatiet qui dira ferarum,
Mittitur: vtq; illi feritas minus horrida parcat,
Subtrahitur diris conſueta leonibus eſca.
At verò qui nunquam non in tempore ſeruis
Nouit adeſſe ſuis, puero adfuit, inq; leones
Virtutem dedit, vt poſita feritate, ſuaq;
Iam famis obliti, ſartum tectumq; fouerent,
Immunemq; ſuis à victibus: & tamen illud
Quis non addiderit toti admirabile mundo?
Quòd tum in Iudæa degens regione Propheta,
Angelica medium ſublatus in aera dextra,
Vertice de ſummo pendens, ſummoq; capillo,
Subiectasq; terens immoto greßibus auras,
Intulit optatas puero nil tale putanti
In Babylona dapes, gratijs tunc protinus actis
Excepit Daniel tranſmiſſas deſuper eſcas.

Gregorius Magnus. 590.

Lib. 2. Dialog. cap. 22. Certè Scriptura teſte nouimus, quòd Propheta ex Iudæa ſubleuatus, repentè eſt cùm prandio in Chaldæa depoſitus: quo videlicet prandio Prophetam refecit, ſeq; repentè in Iudæa iterum inuenit. Si igitur tam longè Abacuc potuit ſub momento corporaliter ire, & prandium deferre, quid mirum ſi Benedictus pater obtinuit, quatenus iret per ſpiritum, & fratrũ quieſcentium ſpiritibus neceſſaria narraret? vt ſicut ille ad cibum corporis corporaliter perrexit: ita iſte ad inſtitutionem ſpiritalis vitæ ſpiritaliter pergeret?

Iſidorus Hiſpalenſis. 620.

De vita & obitu Prophetarum cap. 40. de Daniele : Caſtitatem fœminæ reuelauit, ſimulachrum Bel diuinæ aſpirationis argumentis elifit, draconem diuinę mentis inſtinctu incredibili admiratione diſrupit: & in lacum miſſus, rabiem mitigauit ferarum, atque virtute animæ fortis inter fremẽtes ſecurus epulatur leones.

Gregorius Tertius. 730.

Epiſtola ad Germanum Conſtantinopolitanum: Neque etiam imagines duarum meretricum Oloden & Oholibas ereximus, aut has adorauimus: neque ſacrificia à nobis Bel in Babylone, neque Dagoni in Palæſtina obtulimus, neque item alijs Gentiũ Dijs ſubiecti fuimus.

Vvalafridus Strabo. 830.

De rebus Eccleſiaſticis cap. 1. Paganos etiam templa feciſſe Dijs ſuis agnoſcimus: quia & templũ Dagon in Samuele legimus: Danielem quoque in templo Belis ſacerdotum eius ſtrophas deprehẽdiſſe.

Hincmarus. 850.

De ſecunda S. Remigij translatione: In eo, quòd ſanctiſſimum corpus eius prius in deſignata nutu diuino Eccleſia ſepultum, & poſtea Angelico miniſterio de loco ad locum eſt deportatum, Abacuc Prophetam, qui manu Angeli de Iudæa ſuper lacum Babylonis eſt deportatus, indeq; in Iudæam reuectus, deſignatum videmus.

Altercatio Synagogæ & Eccleſiæ. 880.

Cap. 3. Helias corpore ſublatus eſt: Abacuc de regno in regnum: Ezechiel quoq; ſpiritu in montem excelſum.

Anſelmus Cantuarienſis. 1080.

Ad caput 11. epiſt. ad Hebræos: *Obturauerunt ora leonum.*) Sicut Daniel, quẽ illæſum in lacum leonum per noctis vnius ſpatiũ fides ſeruauit: aliaq; vice ſex diebus cum ſeptem ieiunis leonibus in lacu clauſus ſine læſione perdurauit.

Honorius Presbyter Auguſtodunenſis. 1120.

Sermone in Annuntiationem S. Mariæ: Daniel permiſſu regis idolum Babyloniorum deſtruxit, & draconem, quem adorauerunt, interfecit. Vnde Babylonij ira permoti, eum in lacum leonum miſerunt, & lapide magno vſque ad ſeptem dies clauſerunt. Angelus Domini Prophetam Habacuc de Iudæa cum prandio rapuit, & ſuper lacum leonum ſtatuit, qui cibum Danieli detulit, nec tamen ſigillum amouit.

Rupertus Tuitienſis. 1120.

Ad caput 1. Abacuc : Fateor non libenter recurrit animus ad illum carneũ Nabuchodonoſor, præſertim cùm iſte Abacuc legatur alicubi fuiſſe Danielis contemporaneus, quo tempore non futura, ſed facta erant, quæ de eodem Nabuchodonoſor legimus.

Petrus Cluniacenſis. 1150.

Epiſt. 1. Cui verò in toto orbe Abacuc Prophetæ auctoritas non innotuit, cùm & frequenter legatur, & libenter audiatur translatus ab Angelo per cincinnum capitis de Iudæa in Babylonem, ibiq; Danieli, in lacu leonum clauſo, prandium, quod meſſoribus parauerat, exhibuiſſe?

Petrus Riga. 1170.

In Daniele:

Rex audita pauens, Danielem tradidit illis,
Inq; leoninum mittitur ille lacum:
Septem non eſcas ſolitas habuêre diebus,
Vt citius perdant ora ferina virum:
Sed miſerata ſuum ſeruat diuina Prophetam
Gratia: namq; feræ nil feritatis habent.
Ieiunat Daniel, nullas ibi ſuſcipit eſcas,
Nec fuit eſca feris, quem tenuêre feræ.
Stans procul hinc Abacuc pulmentum ferre parabat
Illi, qui ſegetes falce ſecante metunt.
Angelus inquit ei: fer pulmentum Danieli,
Quem grauis affligit in Babylone fames.
Reſpondens ait hic: ignoro lacum Babylonis,
Neſcio prædictus, neſcio quis ſit homo.
Et de Iudæa tulit illum crine capilli
Angelus, & locat hunc in Babylonis humo.
Exclamans Abacuc, ait: ô Daniel vir honoris,
Quæ Deus huc miſit prandia tolle cibi.
Veſcitur ille cibo, grates referendo, locoq;
Redditus eſt Abacuc, quo ſtetit ille prius.
Septima lux aderat, Rex vt fleret Danielem
Venit, & inuenit nil nocuiſſe feras:
Deq; lacu tulit hunc, laudando Deum Danielis:
Clamans quòd ſimilis non ſit in orbe Deus,
Inq; lacum mitti iubet omnes ante leones
Illos, qui tanti cauſa fuêre mali:
Quos in momento rapit, & vorat ira leonum,
Ceſſauitq; malum, cùm periêre mali.

Innocentius Tertius. 1200.

Epiſtolarum decretalium lib. 1. epiſtola ad Epiſcopos Franciæ: Ad ſtaturam noſtram nec cubitum vnum valemus adijcere, vel ſimul in diuerſis locis exiſtere: in vnius tamen corporis vnitate, vel ad remota quælibet in ictu oculi tranſuolare poſſumus, & cum Abacuc exuli Danieli depoſito in lacu leonum per nos ipſos cibi conſolationem adferre, ac meſſoribus nihilominus miniſtrare.

Cæſarius Heiſterbachius. 1220.

Lib. 7. cap. 38. In his, quæ dicta ſunt, parem hunc iudico virum duobus antiquis Prophetis, Ezechieli ſcilicet & Habacuc: ex quibus vnus mirabiliter videt, quæ agebantur in Hieruſalem: alter verò è Iudæa ſubitò translatus eſt in Babylonem.

Iacobus Vitriacus. 1220.

In Euangel. in capite ieiunij: Danieli in lacu leonum miſit per Prophetam Abacuc alimentum & panes, quos triuerat in alueolo.

Guilhelmus Aluernus. 1230.

Secundæ partis de Vniuerſo parte 2. cap. 70. Quòd apud quendam ex Prophetis Hebræorum legitur, quòd Angelus bonus Prophetam arreptum cincinno capitis in Babylonem portauerit, dico, quia præter virtutem naturam Angelicam adfuit ibi noua virtus ſuperaddita Creatoris, cuius iuſſu hoc factum fuiſſe narratur eodem libro. Non enim cincinnus capillorum hanc virtutem naturaliter habuit, vt pondus corporis Prophetæ ferre poſſet, neque ipſi capilli adeò tenaciter adhærebant capiti eius, vt tantò tractu & pondere non auulſi eſſent ab ipſo.

Albertus Stadenſis. 1250.

In Chronicis fol.12. in Balthaſare: Sub eodem Daniel 70. ſacerdotes furtim oblationes Belis comedentes occidit, Bel & templum eius ſubuertit, draconem maſſa picea & pilis cocta ſuffocauit. Propter quod in lacum miſſus, ab Habacuc de Iudæa in Babylonem translato viſitatus eſt, & liberatus.

Bonauentura. 1260.

Ad cap. 4. Lucæ: *Et manibus tollent te.*) Quaſi portatores, ſecundùm quod legitur Angelum portaſſe Abacuc, Danielis vltimo.

Iacobus Genuenſis. 1280.

Sermone 3. de Aſcenſione Domini: Secundus gradus eſt, operibus miſericordiæ vacare. Per iſtum gradum raptus eſt Abacuc, vt habetur Danielis 14. qui raptus eſt ab Angelo vſque in Babylonem, portans Danieli prandium, quod & meſſoribus præparauerat: per quod datur intelligi, quòd homo interdum debet pauperes remotos inquirere, de neceſſarijs dare.

Nicolaus Hanapius. 1285.

In Exemplis virtutum ac vitiorum, ex ſacris literis excerptis, cap. 1. de miraculis: Daniel cum leonibus ſeptem diebus remanſit illæſus, Danielis 14.

Albertus Patauinus. 1300.

Serm. 261. Hanc populi violentiam, & Pilati occaſiones, figurauerunt Babylonij, Danielis 14. cõgregati ad regem, & dicentes: *Trade nobis Danielem ad occidendum, alioquin interficiemus te, & domum tuam.*

Sermone 30. *Et veniſtis ad me.*) Sicut Abacuc ad Danielem, portans ſibi prandium, Dan. 14.

Auguſtinus Triumphus. 1320.

De poteſtate Eccleſiaſtica quæſt. 48. art. 3. Danielis 14. ſcribitur, quòd ipſemet interfecit draconem, ponendo in os eius eſcas confectas ex adipe, & pice, & pilis, & ſic maleficio fuit vſus (vt videtur) ad interfectionem draconis. Reſponſ. Daniel non interfecit draconem magicæ artis maleficio, ſed Dei potius auxilio.

Ludolphus Saxo Carthuſianus. 1330.

Vitæ Chriſti parte 1. cap. 22. In Babylone idolum Belis pro Deo colebatur; quod multum comedere, & bibere dicebatur, quod Daniel deſtruxit, & ſacerdotes eius interemit. Ibidem etiam in ſpelunca draco latitabat, quem gens tamquam Deum æſtimabat, cui ſacerdos ſtatutis horis cibum offerebat: Daniel autem maſſam de pice, & adipe, & pilis confecit, & in os draconis iniecit: quã cùm comedit, ſtatim eſt ruptus, & ſic vterque deuorator, & guloſus per Danielem eſt deſtructus, &c. Cùm Abacuc Propheta pulmentum meſſoribus ſuis paraſſet, portauit eum Angelus Domini per capillos de Iudæa in Babylonem ad Danielem, vt comederet, & poſtea in momento eum reportauit.

Thomas Argentinenſis. 1350.

Lib. 1. Sentent. d. 2. quæſtio 1. artic. 3. Dato quòd omnis gens ſeu natio cogitet ſibi Deum, non oportet tamen, quòd reputet ſibi per ſe notum talem Deum eſſe, cùm ipſum videant neceſſariò tranſire in non eſſe. Exemplum de Bel Deo Babylonis, quem Daniel deſtruxit, vt patet Daniel. 14. quia ſic diſſipat Dominus conſilia gentium.

Laurentius Iuſtinianus. 1430.

De triumphali Chriſti agone: Heliam in curru igneo ab aſpectibus hominũ legimus fuiſſe ſublatum: ſed & Abacuc Prophetam nouimus in momẽto de Iudæa in Babylonem eſſe deductum. Horum neminem per ſeipſum, ſed per Angelorũ miniſterium id egiſſe cognouimus.

Dionyſius Carthuſianus. 1460.

Ad cap. 14. Daniel. Quoniam Eccleſia in officio Miſſæ vtitur iſta hiſtoria, legitq; eam loco epiſtolæ, non videtur de veritate dubitandum eſſe.

Baptiſta Fulgoſius. 1480.

Libro 1. de prodigijs capite 6. de miraculis: Abacuc momento ex Iudæa in Babylonem translatus fuit, vt pulmento, quod meſſoribus ferebat, Danielem in lacu paſceret: in Iudæam ab eo loco pari celeritate relatus.

ARTICVLVS DECIMVSSEPTIMVS.

LIBRVM IESV FILII SIRACH, QVI ECCLESIASTICVS INSCRIBITVR, ESSE CANONICAM SCRIPTVRAM, ET VALERE AD ECCLESIASTICA DOGMATA PROBANDA.

OLIM DVBITABANT.

Anno post natũ Christum 160. 380. 390.

MELITO Sardenſis, Gregorius Nazianzenus, & Amphilochius, texentes Catalogum ſacrarum Scripturarum, libri Eccleſiaſtici nullam mentionem faciunt.

Hieronymus, Præfatione in libros Salomonis, aſſerere videtur, Eccleſiaſticum non valere ad auctoritatem Eccleſiaſticorum dogmatum confirmandam.

NOSTRO SECVLO NEGANT.

1520. Martinus Lutherus in Colloquijs Latinis Tom. 2. cap. de libris veteris Teſtaméti ait: *Eccleſiaſticus verus eſt Legiſta, non Propheta: nihil ſcit de Chriſto. Quid eſt Ieſus Sirach (quantumuis liber ſit optimus) ad Chriſti & Apoſtolorum verba? Tantùm eſt legalis liber: loquitur de iure & œconomia. Hoc miratur mũdus, & verba Chriſti excellentiſſima negliguntur.*

1570. Guilielmus VVitakerus, in Diſputatione de ſacra Scriptura, controuerſ. 1. quæſt. 1. cap. 13. de Eccleſiaſtico: *Non eſſe*, inquit, *Canonicum librum, ex eo colligi poteſt, quòd Græcè ſcriptus fuerit.*

ASSERVNT SACRÆ LITERÆ.

Eccl. 14. 1. *Pet.* 1. *verſ.* 24. Omnis caro vt fœnum, & omnis gloria eius tamquam flos fœni: exaruit fœnum, & flos eius decidit.

Iacobi 1. 10. Quoniam ſicut flos fœni tranſibit.

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Clemens Primus. 90.

Hier. 2. *Epiſt. 1.* Et iterum per Prophetam loquitur, dicens: *Expauit*, inquit, *cælum ſuper hoc, & horruit amplius vehementer dicit Dominus.* Et iterum: *Impone homo tuæ linguæ oſtium & ſeram: Ceſſa cornu in altitudinem extollens, & loquens aduerſus Deum iniquitatem & proximum tuum.*

Eccl. 28.

Ignatius. 100.

Epiſtola ad Heronem: Ne omnibus credas, ne omnibus confidas, neque ſi quis blandiatur tibi. Multi enim ſunt miniſtri ſathanæ. Et: *Qui citò credit, leuis eſt corde.*

Eccl. 19.

Clemens Alexandrinus. 200.

Libro 1. Pædagogi cap. 8. Hìc oriuntur aliqui, qui dicunt, non eſſe bonum Dominum, propter virgam, minas, & timorem: neque Scripturam audientes, quæ ſic dicit: *Et qui timet Dominum, conuertatur ad cor ſuum.*

Eccl. 21.

Lib. 5. Stromaton cap. 5. Salomon quoque rurſus dicit: *Arbor enim eſt immortalitatis ijs, qui ipſam apprehendũt.* Et ideo dicit: *Ecce do ante faciem tuam vitam & mortem; diligere Dominum Deum, & ambulare in vijs eius, & audire vocem eius, & credere vitæ.*

Sap. 15. Eccl. 15.

Eccl. 38. Libro 2. Pædagogi cap. 8. *Honora medicum propter vtilitatẽ eius*, inquit Scriptura. *Ipſum enim creauit Altiſſimus.* A Domino autem eſt medicina.

Origenes. 230.

Homilia 8. in Numer. In libro, qui apud nos quidem inter Salomonis volumina haberi ſolet, & Eccleſiaſticus dici: apud Græcos verò Sapientia Ieſu filij Sirach appellatur, ſcriptum eſt: *Omnis ſapientia à Deo eſt.*

Eccl. 1.

Homilia 1. in Iudicum: Vt autem hoc amplius Scripturarum auctoritate clareſcat, quomodo ſoleat dicere Scriptura cognoſcere vel neſcire, vide quomodo alibi ſcriptum eſt: *Qui cuſtodit mandatum, neſciet verbum malum.*

Eccl. 8.

Homil. 1. in Ezechielem: Vide Salomonem ſapientiſſimum omnium, quid de Dei correptionibus ſuſpicetur: *Fili noli eſſe puſillanimis in diſciplina Dei, neque deficias correptus ab eo.*

Eccl. 7.

Homil. 9. in Ezechielem: Quid enim ait Scriptura: *Quid ſuperbit terra & cinis?*

Eccl. 10.

Tractatu 24. in Matth. Inflati ſunt, cùm deberent recordari Sapientiæ verbum dicentis: *Quantum magnus es, tantum humilia te, & coram Deo inuenies gratiam.*

Eccl. 13.

Euſebius Cæſareenſis. 320.

De præparatione Euangelica lib. 8. cap. 2. Simeonis tempeſtate Ieſus filius Sirach fama celebris fuit, qui ſapientiam titulo omnium virtutum genera profitentem compoſuit.

Athanaſius. 340.

In Synopſi de hoc libro: Hic itaque Ieſus, cùm eſſet Salomonis ſectator, haud minus illo in illuſtranda ſapiẽtia, & pietatis diſciplina ſtrenuum ſe geſſit, verè multiſcius exiſtens & dictus.

In Apologia de fuga ſua: Et Salomon hunc ſermonem obſignans, ita ait: *Tollentur immaturæ animæ impiorum.* Eccl. 19.

Libro de virginitate: Ait enim Scriptura ſacra: *Qui attingit picem, inquinabitur: & qui communicat ſuperbo, ſimilis illi efficietur.* Eccl. 13.

Synodus Alexandrina. 340.

Epiſtola ad Epiſcopos Eccleſiæ Catholicæ: Non Athanaſij, ſed illorum acta luctum lamentationemq; merentur. In ipſos enim ploratus congruit. Siquidem ſcriptum eſt: *Ne fleas mortuum, neque lugeas; ſed complorate comploratione egredientem, quia non amplius reuertetur.* *Extat apud Athanaſium Apologia 2. contra Arianos.* Eccl. 22.

Baſilius Magnus. 370.

Ad cap. 8. Eſaiæ: Ait enim Scriptura: *Cùm conſummauerit homo, tunc incipit: & cùm quieuerit, tunc indigebit.* Eccl. 18.

Sermone de aſceſi: Potiſſimum autem debet ſe monachus à congreſſione mulierum abſtinere: itemq; à vini vſu: quia *Vinum & mulieres apoſtatare faciunt ſapientes.* Eccl. 19.

In Regulis fuſius diſputatis, Reſponſione 17. Porrò hæc ita eſſe ſapientiſſimus Salomon confirmat, his verbis: *Fatuus in riſu exaltat vocem ſuam; vir autem ſapiens vix tacitè ridebit.* Eccl. 21.

Reſponſ. 104. Atque in vniuerſum neceſſariò omni in re memoria tenere antiſtes debet, quid dicant diuinæ literæ: *Sine conſilio nihil fac.* Eccl. 32.

Ephræm Syrus. 370.

Aduerſus improbas mulieres: Quòd autem malitia leonem & draconem mulier improba ſuperet, fidem huius facit Sapiens, dum ait: *Commorari leoni & draconi placebit, quàm habitare cum muliere nequã*, &c. Non immeritò dictum eſt à Sapiente: *Breuis omnis malitia ſuper malitiam mulieris.* Eccl. 25.

De *Patientia*: Patriarchæ, Prophetæ, Apoſtoli, & Martyres fortiter perferentes tentationem atq; tribulationem, etiam inter anguſtias gauiſi ſunt, propter ſpem retributionis & mercedis, quæ exſpectatur,

Eccl. 2. ſpectatur, ſicut ait Scriptura: *Fili, accedens ad ſeruitutem Dei, dirige cor tuum, & ſuſtine.*

Cyrillus Hieroſolymitanus. 370.

Eccleſ. 3. *Catechesi 6.* Attentè prius aſpicias ſolem, & tunc Dominum curioſè ſcrutare: *Altiora te ne quæſieris, & fortiora te ne ſcrutatus fueris*: vetatur tibi hæc cogitatio.

Macarius AEgyptius. 370.

Eccl. 24 *Homil. 10.* Hi quanto ſpiritaliter locupletiores ſunt, tanto ſe pauperiores exiſtimant, & abſque ſatietate ſpirituali deſiderio feruntur erga ſpõſum cæleſtem, vt ait Scriptura: *Qui edunt me, adhuc eſurient: & qui bibunt me, adhuc ſitient.*

Gregorius Nazianzenus. 380.

Eccl. 4. *Oratione 1.* Duc tu quoque precibus tuis, præi ſermone, fulci ſpiritu: *Benedictio enim patris firmat domos filiorum.*

Eccl. 11. *Aduerſus Iulianum oratione 2.* Qui potentes de ſedibus deponit, & inſuſpicabilem diademate ornat. Nam id quoque à Scriptura accipio.

Oratione 10. quæ eſt in laudem Cæſarij fratris: Cùm hactenus ipſum lachrymis & laude proſecuti fuerimus, vt ne legem eam, quæ in huiuſmodi rebus viget, neglexiſſe videar: neque enim hoc à noſtra philoſophia alienum eſt: *Memoria quippe iuſtorum,* Prou. 10. Eccl. 38. inquit ille, *cum laudibus.* Et: *Super mortuum plora, & quaſi dira paſſus incipe plorare.*

Gregorius Nyſſenus. 380.

Eccl. 3. *De vita Moſis:* Hoc eſt etiam quod Sapientia monet: *Altiora te non quæras*: id eſt, noli oſſa Chriſti cõterere. Non enim eges ſcientia ipſorum.

Eccl. 40. Eccl. 20. *In Eccleſiaſten Homilia 3.* Qui hæc in ſua plantat anima, & colit vinum, quod cor lætificat, & ſuam operatur terram, vt dicitur in Prouerbijs, ſicut lex exigit eius agriculturæ, vtpote rectè viuendi inſtitutum rationibus, & cogitationibus euocãs, & adulterina euellens.

Epiphanius. 380.

Eccl. 3. *Hæreſi 76.* Oportebat te euoluere Sapientias, Salomonis inquam, & filij Sirach, & omnes in ſumma diuinas Scripturas.

In Ancorato: Si verò reprehendit nos Scriptura diuina, dicens: *Quæ tibi præcepta ſunt, ea conſidera.* Et: *Non opus eſt tibi occultis.* Et: *Altiora te ne quæras, & profundiora te ne expendas.*

Ioannes Chryſoſtomus. 400.

Eccl. 16. *Ad cap. 6. Geneſ.* Sed & hoc, quod poſtea à Propheta dictum eſt, prius ipſe implebat: *Melior eſt vnus faciens voluntatem Domini, quàm innumeri præuaricatores.*

Eccl. 43. *Ad Pſalm. 134.* Hoc etiam in Iob dictum eſt: *Alligans aquam in nubibus eius.* Et Salomon: *Continens aquam in veſtimento.*

Eccl. 16. *Homil. 51. in Matth.* Quid eſt *in tempore opportuno?* quaſi eſt aliquod tempus, quando non eſt opportunum dicere, cùm dicat Salomon: *Doctrina & flagella in omni tempore?*

Eccl. 4. *Ad populum Antiochenum Homil. 33.* Vis noſſe quãtum ita miſerens admittas peccatum? Audi Scripturam dicentem: *Sicut qui occidit filium coram patre: ita qui offert ſacrificium ex pecunijs pauperum.*

Eccl. 34. *In prima paræneſi ad Theodorum lapſum:* Corrumpit pœnitentiam iterum ijſdem malis inſtitiſſe: *Nam vnus eſt,* ait Scriptura, *qui extruit, & alter qui demolitur: quid lucri accedit præter laborem?*

Ioannes Caſsianus. 430.

Eccl. 25. *Collat. 2. cap. 13.* Diuitiæ ſenum non ſunt canicie capitis, ſed induſtria iuuentutis, ac præteritorũ laborum ſtipendijs metiendæ: *Quæ enim non congreſti,* inquit, *in iuuentute, quomodo inuenies in ſenectute tua?*

Coll. 6. cap. 16. Quicquid per diligentiam vel acquiritur, vel tenetur, poteſt etiam per negligentiam deperire: ideoq; dicitur: *Ne beatifices hominẽ* Eccl. 11. *ante exitum ſuum.*

Palladius. 430.

In Dialogo de vita Chryſoſtomi: Deus bonus & iuſtus ſecretiſſima ratione ſua ſtadij in morem porrigit mundum, noſq; liberos fecit, vt propriæ voluntatis arbitrio in omnibus vtentes, iuſtas perſoluamus, ſi malè geſſerimus, pœnas, ſicut lex ait: *Poſui ante faciem tuam vitam & mortem, elige quod vis.* Eccl. 15.

Concilium Epheſinum. 430.

Eccl. 32. *Epiſtola ad Synodum Pamphiliæ:* Cum conſilio omnia fac, dicit diuinitus inſpirata Scriptura.

Cyrillus Alexandrinus. 430.

Homilia, quam Epheſi habuit: Quibus rationibus patientia comparetur, id diuina nos Scriptura edocet: *Fili,* inquit illa, *accedens ad ſeruitutem Dei, præpara animam tuam ad tentationem, & dirige cor tuum, & conſtans eſto.* Eccl. 2.

De adoratione in ſpiritu libro 7. Fieri poteſt, vt quãuis id fiat, quod lex iubet, tamen lex ipſa violetur, niſi lege quis rectè vtatur: hoc q; illud eſt, opinor, quod ait Salomon: *Eſt iuſtus, qui perit in iuſtitia ſua.* Eccl. 7.

Acacius Beroeus. 430.

Epiſtola ad Cyrillum: Quomodo ergo neceſſaria eſt, conueniens q; illa ſacrarum literarum admonitio: *Altiora te ne quæſieris, & fortiora te ne ſcrutatus fueris?* Eccl. 3.

Iſidorus Peluſiota. 440.

Lib. 1. epiſt. 106. Tibi, qui prudenter interrogas, reſpondere neceſſe: *Loquere* enim, inquit Scriptura, *in aures audientium.* Eccl. 25.

Epiſt. 334. *Super mortuum plora, quoniã defecit lux eius.* His verbis non hoc vult Scriptura, vt omnes eos, qui è viuis excedunt, lachrymis & luctu proſequamur, verùm vt eum, qui improbis actionibus extinctus eſt, lugeamus, &c.

Ioannes Maxentius. 500.

Præfatione in Dialogos contra Neſtorianos: Hoc ſi verum, nunquam nos Scriptura diuina admoneret, dicens: *Ne confundaris loqui verbum pro anima tua,* Eccl. 4. *& pro veritate certa vſque ad mortem.*

Procopius Gazæus. 530.

Præfatione Commentariorum in Geneſin: Laudanda eſt igitur haud immeritò illa Sirach admonitio: *In ſuperuacaneis operum tuorum ne ſis curioſus: plura enim intellectu hominum oſtenſa ſunt tibi.* Eccl. 3.

Ad Eſaiæ cap. 42. Atq; idipſum, quod Sancti præſtare non deſinunt, teſte magno Dauide, vbi ait: *Quoniam iniquitatem meam annunciabo, & meditabor* Pſal. 37. *in peccatis meis.* Iuxta illud: *Non erubeſcas confiteri* Eccl. 4. *peccata.*

Ad cap. 55. De Chriſto ipſo in hæc verba locutus eſt Dauid: *Et torrente deliciarum tuarum potabis eos.* Pſal. 35. Et de ſe in Prophetis Chriſtus: *Ecce ego inclino in eos* Eccl. 25. *tamquam fluuius pacis.*

Anaſtaſius Antiochenus. 580.

Lib. 9. Hexameron: Si autem adiutrix eſt mulier, quomodo dicit Scriptura: *quòd vinum & mulieres* Eccl. 19. *ſeparant à Deo?*

Iſychius Hieroſolymitanus. 600.

Lib. 6. in Leuit. Mutabilis eſt noſtra vita, mutationesq; multas & voluntates ſuſcipit, octauo die oblatio accepta, in ſeculo ſcilicet futuro, ſit: propter quod dixit Salomon: *Ante mortem ne laudes quemquam hominum.* Eccl. 34.

Antiochus. 600.

Eccl. 34. *Homil. 84.* Ieſus item Sirach filius: *Inſomnia extollunt imprudentes.* Infert: *Quemadmodum qui pugno capit vmbras, & qui perſequitur ventos: ſic qui intendunt inſomnijs. A mendace enim quid egredietur veritatis?*

Sophronius Hieroſolymitanus. 630.

Eccl. 20. *De vita Mariæ AEgyptiacæ:* Sed omnia, quæ circa te ſunt, edicito mihi, vt Dei magnalia facias manifeſta: *Sapientia enim abſcondita, & theſaurus occultus, quæ vtilitas in vtroq;?* ſicut ſcriptum eſt.

Maximus. 640.

Eccl. 3. *Ad cap. 3. Eccleſiaſticæ Hierarchiæ:* Hæc verba ex imagine & ſimilitudine lucis, quæ ſenſus mouet, ad modum aptum diuinarum intelligentiarum conuenient: quandoquidem ſcriptum eſt: *Altiora te ne quæſieris.*

Ioannes Damaſcenus. 730.

Orthodoxæ fidei lib. 4. cap. 18. Qui omnium virtutũ genere ac doctrina referti ſunt, hoc eſt Sapientia Salomonis, & Sapientia Ieſu, quam Sirach pater compoſuit, & Græcè interpretatus eſt, nepos Ieſu, & Sirach filius, præclari & elegantes libri ſunt, non tamen alijs annumerantur, neq; in arca fœderis erant.

Oratione 3. de dormitione Deiparæ: Nobis nihil vltra ea, quæ dicta ſunt, perſcrutari liceat, Scriptura nimirum aliarum rerum indagationem nobis obſtruente: *Quæ enim tibi præcepta ſunt,* inquit, *ea cogita: altiora te ne quæſieris.* Eccl. 3.

Anaſtaſius Nicænus. 880.

Quæſt. 16. Eſt enim in noſtra poteſtate & libero noſtro arbitrio ſalus noſtra & interitus, vt ſcriptũ eſt: *Deus ab initio fecit hominem, & dimiſit eum in manu conſilij ſui,* &c. Eccl. 15.

Theophylactus. 900.

Ad cap. 14. Lucæ: Circa terrena occupatus non vult ſpiritualis cœnæ particeps eſſe. Dicit enim Sapiens: *In quo erit ſapiens, qui tenet aratrum?* Eccl. 38.

Simeon Metaphraſtes. 950.

De vita Ephrem: Capta eſt mulier, quæ voluit capere impatibilem animam & inexpugnabilẽ, vt quæ ne hoc quidem potuerit cognoſcere, quod dicit Salomon: *Oculi Domini altiſſimi ſunt innumerabilibus partibus ſole ſplendidiores, qui intuentur omnes vias hominum.* Eccl. 23.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Tertullianus. 200.

De exhortatione caſtitatis cap. 2. Cùm vtrumque expræceptis eius didicerimus, quid velit, quid nolit, iam nobis eſt voluntas eligendi alterum, ſicut Eccl. 15. ſcriptum eſt: *Ecce poſui ante te bonum & malum.*

Calixtus. 218.

Eccl. 18. *Epiſtola 1.* Dicit quippe ſancta Scriptura: *Poſt concupiſcentias tuas non eas, & à voluntate tua non auertere.*

Fabianus. 237.

Eccl. 10. Eccl. 11. Epiſt. 2. *Fili,* ait Salomon, *in manſuetudine ſerua animam tuam, & da illi honorem, cui honor competit,* &c. Sacerdotes honorandi ſunt, non lacerandi, vel exprobrandi ſunt. Legitur in Eccleſiaſtico: *In* Eccl. 7. *tota anima tua time Deum, & ſacerdotes illius ſanctifica.*

Cyprianus. 250.

Li. 3. ep. 9 *Epiſtola 65.* Sed & Salomon in Spiritu ſancto cõſtitutus teſtatur, & docet, quæ ſit ſacerdotalis auctoritas, & poteſtas, dicens: *Ex tota anima time Deum,* Eccl. 7. *& ſacerdotes eius ſanctifica.*

De opere & eleemoſyna: Loquitur in Scripturis diuinis Spiritus ſanctus, & dicit: *Eleemoſynis & fide* Eccl. 3. *delicta purgantur.* Item denuò dicit: *Sicut aqua ignẽ extinguit, ſic eleemoſyna extinguit peccatum.*

In exhortatione Martyrij cap. 9. Ad hoc preſſuræ fiunt & perſecutiones, vt probemur. In Deuteronomio: *Tentat Dominus Deus vos, vt ſciat, ſi diligitis eũ.* Deut. 13. Eccl. 27 Et iterum apud Salomonem: *Vaſa figuli probat fornax, & homines iuſtos tentatio tribulationis.*

Sixtus Secundus. 257.

Eccl. 24. *Epiſtola 1.* Quod Pater eſt, id eſt etiam Filius, Salomone dicente: *Ego ex ore Altiſſimi prodij, primogenita ante omnem creaturam: ego feci vt in cælo oriretur lumen indeficiens.*

Marcellinus. 296.

Eccl. 24. *Epiſtola ad Salomonem Epiſcopum:* Et vt Filius cum Patre in altiſſimis habitaſſe credatur, Salomonis teſtimonio comprobatur: *Ego Sapientia,* inquit, *habitaui in altiſſimis, & thronus meus in columna nubis.*

Euſebius Papa. 315.

Epiſtola 3. Ideo chariſſimi, & vos iuxta ſanctam Scripturam diſcite benefacere, & mala declinare, & Patrum regulis imbui, ſicut ſcriptum eſt: *Fili, ſi* Eccl. 14. *habes benefac tecum, & Deo dignas oblationes offer. Memor eſto, quoniam mors non tardat, & teſtamentum inferorum quia demonſtratum eſt tibi.*

Hilarius. 350.

De Trinitate libro 12. Quòd ſi ita ſentire te pium eſt, Paulum impietatis neceſſe eſt, Filium ante tempora æterna eſſe dicentem, condemnes. Etiam ipſam de ſe teſtantem Sapientiam, quòd ante ſecula fundata ſit, crimineris, quæ Patri aderat tũ, cùm cælum præpararet. Eccl. 24.

Ad Pſal. 144. In eo libro, qui nobiſcum Salomonis inſcribitur, apud Græcos autem atque Hebræos Sapientia Sirach habetur, ita monemur: *Ecce* Eccl. 28. *circumualla poſſeſſionem tuam ſpinis, argentum & aurum tuum conſtitue, & ori tuo fac oſtium & ſeram, & verbis tuis iugum & menſuram.*

Ambroſius. 370.

Ad virginem deuotam cap. 2. Non legiſti Salomonẽ dicentem: *Bonis bona creata ſunt ab initio: ſimiliter* Eccl. 33. *impijs & peccatoribus bona & mala?*

De bono mortis c. 8. Illud quoque egregium, quòd Scriptura ait: *Ante mortem non laudaueris quemquam.* Eccl. 11. *Vnuſquiſq; enim in nouiſſimis ſuis cognoſcitur, & in filijs ſuis æſtimatur, ſi bene filios ſuos inſtituit.*

Ad Pſal. 118. octonario 22. Si ergo non debemus audire aliena vel ſuperflua, quanto magis non debemus obloqui, cùm dicat vnicuique noſtrum Scriptura venerabilis: *Argentum & aurum tuum alli-* Eccl. 28. *ga, & ori tuo fac iugum & pondus?*

Optatus Mileuitanus. 370.

Contra Donatiſtas lib. 3. Quia illud à Salomone diſcere noluiſti, quod ait: *Abſconde panem in corde pauperis, & ipſe pro te rogabit.* Eccl. 29.

Lib. 4. In auxilium eum adduxeris Prophetam, in quo lectum eſt: *Sacrificium peccatoris, quaſi qui victimet canem.* Eccl. 34.

Damaſus. 380.

Epistola 6. Quod bene per Sapientiam Salomonis dicitur: *Antequam scruteris, ne reprehendas: intellige prius, & tunc increpa; antequam audieris, ne respondeas.* Eccl.11.

Hieronymus. 390.

Ad caput 10. Ecclesiastis: *Qui fodit foueam.*) Ex parte simplex, & ex parte mysticus intellectus est. Siquidem & alibi Salomon ait: *Qui statuet laqueum, capietur in illo.* Et in Psalmo septimo: *Lacum aperuit, & effodit eum, & incidit in foueam, quam fecit.* Eccl.27.

Ad cap. 33. Ezechielis: De magistris negligentibus Salomon loquitur: *Sapientia abscondita, & thesaurus occultus, quæ vtilitas in vtrisq;?* Eccl.20.

Ad Psal. 73. *Deus autem Rex noster ante secula.*) Sicut per Salomonem Sapientia, quæ est Christus, dicit: *Condidit me in initio viarum suarum, ante secula fundauit me.* Eccl.24.

Epistola 33. Diuina Scriptura loquitur: *Musica in luctu intempestiua narratio.* Eccl.22.

Ruffinus. 390.

De *benedictione Beniamin:* Quod quidem nec nos refugimus, aut improbamus: sed conamur facere, sicut scriptum est: *Sapiens audiens verbum collaudat, & adijciet ad illud.* Eccl.21.

Gaudentius. 400.

Tractatu 13. Loquitur Scriptura diuina: *Conclude eleemosynam in corde pauperis, & ipsa pro te exorabit Deum.* Eccl.29.

Augustinus. 400.

De doctrina Christiana libro 2. cap. 8. Illi libri duo, qui Sapientia Salomonis; & alius, qui Ecclesiasticus inscribitur, quoniam in auctoritatem recipi meruerunt, inter Propheticos numerandi sunt.

Epistola 248. Nec frustra Scriptura dicit in libro Ecclesiastico: *In mortuo produc lachrymas, & quasi dira perpessus incipe lamentationem.* Eccl.38.

De Genesi ad literam lib. 7. cap. 28. Tunc enim factum, cùm exortum est, non antequam exoriretur, quis non diceret, nisi Scripturæ verba reuocarent? Meminerit etiam scriptum esse: *Qui vivit in æternum, creauit omnia simul.* Eccl.18.

De cura pro mortuis agenda cap. 17. Quòd si mihi fortasse de sancta Scriptura respondere, ac diceret: *Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris, sed quæ præcepit Dominus illa cogita:* id etiam gratanter acciperem. Eccl.3.

Ad Orosium contra Priscillianistas: Clamat sancta Scriptura: *Altiora te ne quæsieris.* Eccl.3.

Innocentius Primus. 406.

Epistola ad Exuperium Tholosanum cap. 7. enumerans sacra Scripturæ libros: Salomonis, *inquit,* libri quinque.

Paulinus Nolanus. 420.

Apud Hieronymum Tomo 10. Epistola 14. cap. 1. Vetus Scripturæ celebrata sententia est: *Esse pudorem, qui gloria inueniatur, & gratia: & esse rursus pudorem, qui soleat parere peccatum.* Cuius dicti veritas quamquam satis ad omnium intelligentiam ipsa sui luceat claritate: mihi tamen nescio quomodo in præsenti causa propius innotuit. Eccl.4.

Natali 10. S. Felicis:

Vt faciem colubri Salomon peccata timeri
Horrerig; monet, dicens armata leonis
Dentibus: & verè quoniam velut ore ferino
Sæua vorant animam, quam vicerit ægra voluptas.

Maximus Taurinensis. 430.

Homilia 1. de Eleemosyna: Dicit Scriptura diuina: *Sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna extinguit peccatum.* Magna planè & cunctis ambienda sententia, quæ hominibus penè iam mortuis, & peccatorum suorum incendio arefactis, rediuiuum quoddam beneficium pollicetur. Eccl.3.

Homilia 2. de Festo Paschæ: Ipse est Dei Filius, cui Pater dies diuinitatis suæ eructat arcanum. Ipse inquam est dies, qui ait per Salomonem: *Ego feci, vt oriretur in cælo lumen indeficiens.* Eccl. 24.

Sixtus Tertius. 433.

Libro de malis Doctoribus, & operibus fidei: Sed ne hoc nostris sermonibus astruxisse tantùm videamur, ad comprobandam huiusce intelligentiæ veritatem aliqua diuinæ legis exempla promenda sunt. Dicit enim Scriptura: *Qui credit Deo, attendit mandatis eius: & qui confidit in illo, non minorabitur.* Eccl.32.

Leo Primus. 450.

Sermone 1. de Quadragesima cap. 3. Et ideò sapientissimus Salomon: *Fili,* inquit, *accedens ad seruitutem Dei, præpara animam tuam ad tentationem.* Vir enim sapientia Dei plenus, sciens studium religionis laborem habere certaminis, cùm præuideret pugnæ periculum, ante admonuit pugnaturum: ne fortè, si ad ignorantem tentator accederet, imparatum citius vulneraret. Eccl.2.

Sermone 8. de ieiunio septimi mensis c. 1. Dicit Scriptura: *Post concupiscentias tuas non eas, & à voluntate tua auertere.* Eccl.18.

Prosper. 450.

De promissionibus & prædictionibus Dei part. 2. cap. 35. In his suppleta est prophetia, dicens: *Qui foueam fodit proximo, incidet in eam: & qui statuet laqueum proximo, peribit in illo.* Ecc. 27.

De vita contemplatiua lib. 2. cap. 8. Ait enim in Ecclesiastico Spiritus sanctus: *Est correptio mendax in ira contumelioſi, & est iudicium, quod non est bonum.* Eccl.19.

Victor Episcop. Cartennæ. 450.

De Pœnitentia cap. 1. Crede mihi, totum, quo suspectus es, fit illicò veniale, cùm inuenta fuerit in te huiusmodi pœnitudo iustitiæ, Scriptura dicente: *Pœnitentibus autem dedit partem iustitiæ, & corroganit deficientes sustinere, & destinauit illos in sortem veritatis.* Eccl. 17.

Sedulius. 460.

Ad cap. 12. ad Romanos: Plus vult sapere, qui illa scrutatur, quæ Lex non dicit. Vnde & Salomon ait: *Altiora te ne scuteris, & maiora te ne quæsieris: sed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper.* Eccl.3.

Cæsarius Arelatensis. 470.

Homilia 15. Et per Prophetam clamat Spiritus sanctus: *Sicut aqua extinguit ignem: sic eleemosyna extinguit peccatum,* &c. Et alibi clamat Spiritus sanctus: *Homo homini seruat iram, & à Deo quærit medelam?* Eccl.3. Eccl.29.

Salui anus Massilien sis. 480.

Lib. 3. ad Ecclesiam Catholicam: *Fili,* inquit Scriptura sancta, *si habes, benefac tecum, & Deo bonas oblationes offer.* Et alibi: *Miserere,* inquit, *animæ tuæ.* Eccl.14. Eccl.30.

Gelasius. 490.

Epistola 5. Nonne hæc est illa naturalis, quæ ad detestanda captiuitatis iura descendit, quâ Scriptura sancta sic memorat: *Graue iugum super filios Adam, à die exitus de ventre matris eorum, vsque ad diem sepulturæ in matrem omnium?* Eccl.40

Fulgentius. 500.

De Incarnatione & gratia Iesu Christi cap. 28. Quod autem interrogant isti de Deo dicentes: Cur ergo non facit omnes homines velle credere, cùm non sit personarum acceptio apud Deum? Scire debet hoc in illis altioribus positum, à quibus sancta Scriptura humanæ curiositatis arcet audaciam, dicens: *Altiora te ne quæsieris, fortiora te ne scrutatus fueris: sed quæ præcipit tibi Deus, illa cogita semper.* Eccl.3.

De remissione peccatorum lib. 1. cap. 12. De talibus in libro Ecclesiastico Scriptura diuina sic loquitur: *Qui baptizatur à mortuo, & iterum tangit illum, quid proficit lauatio eius?* Eccl.34.

Hormisda. 514.

Epist. 6. Cùm moneamur spiritualibus institutis, ne, quæ prodesse possunt, in diem differantur, clamante sapientissimo Salomone: *Ne tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem,* &c. Eccl.5.

Laurentius Nouariensis. 520.

Homilia 1. de Pœnitentia: Vides, quia & in auribus loquens permanet? Et inde illa Scripturæ cõmonitio sonet: *Sepi aures tuas spinis, noli audire linguam nequam,* &c. Non audisti quod scriptum est: *Sicut aqua extinguit ignem, sic eleemosyna extinguit peccatũ.* Magna hæc sententia, desinat querela, desinat dubitatio. Eccl.28. Eccl.3.

Homilia de eleemosyna: Hæc quæ diximus Dauidica sunt: ecce Salomonis validiora solatia, quæ misericordiæ medicina fouent ægrotantes, fulciunt titubantes: *Conclude,* inquit, *eleemosynam in ore pauperum, & ipsa pro te orabit in die malo.* Eccl.29.

Benedictus Abbas. 530.

In regula c. 3. Si qua minora agenda sunt in monasterij vtilitatibus, seniorum tantùm vtatur cõsilio, sicut scriptũ est: *Omnia fac cum consilio, & post factum non pœnitebit.* Eccl.32.

Cap. 7. Vnde Scriptura præcipit, dicens: *Post concupiscentias tuas non eas.* Eccl.8.

Felix Quartus. 530.

Epistola ad Sabinam: Scriptum est enim: *Fili cõserua tempus, & deuita à malo: pro anima tua non confundaris dicere verum est,* &c. His fulta Scripturarũ auctoritatibus, semper sta recta, & à via veritatis ne auertaris. Eccl.4.

Ioannes Secundus. 532.

Epistola ad Valerium: Et in Salomone: *Qui genuit me, requieuit in tabernaculo meo.* Eccl. 24.

Cassiodorus. 540.

Ad Psalm. 55. Quoniam sperat in Domino, qui nunquam in se decipit cõfidentes, sicut Salomon dicit: *Quis sperauit in Domino, & confusus est?* Eccl.2.

Lib. 1. Instit. cap. 13. enumerans sacræ Scripturæ libros: Salomonis, *inquit,* libri quatuor, Iesu filij Sirach liber vnus.

Pelagius Primus. 555.

Epistola prima ad Vigilium: Et in Salomone: *Miserere nobis Deus omnium, & ostende nobis lumen miserationis, & immitte timorem super gentes,* &c. Et vbi est, quod in Salomone Scriptura loquitur, dicens: *Sicut etiam in conspectu eorum,* inquit, *magnificatus es in nobis, ita in conspectu nostro magnificaberis in illis.* Eccl.36.

Gildas Badonicus. 560.

De excidio Britanniæ: Hactenus cum Regibus patrię non minus Prophetarum oraculis, quàm nostris sermonibus disceptauimus, volentes eos scire quæ Propheta dixerat: *Quasi,* inquiens, *à facie colubri fuge peccata: si accesseris ad illa, suscipient te dentes leonis,* &c. Eccl.21.

Gregorius Magnus. 590.

Lib. 2. Moralium cap. 11. Quia verò nos omnes terra genuit, hanc non immeritò matrem vocamus. Vnde scriptum est: *Graue iugum super filios Adam, à die exitus de ventre matris eorum vsque ad diem sepulturæ.* Eccl.40

Homil. 1. super Ezechielem: Vide Salomonem sapientissimum omnium, qui de Dei correptionibus suspicatur: *Noli esse pusillanimis in disciplina Dei, neq; deficias correptus ab eo.* Eccl.7.

Ad Psalm. 4. Pœnitentialem: Vnde non inconuenienter ait Scriptura: *Homo sapiens tacebit vsque ad tempus.* Hinc rursum scriptum est: *Ori tuo fac ostiũ & vectem, & in verbis tuis iugum ac statierem.* Eccl. 20. Eccl.28.

Isidorus Hispalensis. 620.

Lib. 6. Etymolog. cap. 1. Quartus ordo veteris Testamenti librorum apud nos est eorum, qui in Canone Hebraico non sunt, quorum primus est Sapientiæ liber, secundus Ecclesiasticus, tertius Tobias, &c. quos licet Hebræi inter Apocrypha separant, Ecclesia tamen Christi inter diuinos libros & honorat, & prædicat.

Eligius. 640.

Homilia 8. Qui substantiam suam tribuit Deo, & animã suam offert inimico, impletur in eo, quod scriptum est: *qui baptizatur à mortuo, & iterum tangit mortuum, quid proficit lauatio eius?* &c. Quod denuò Salomon contestatur, & clamat: *Fili peccasti? Ne adijcias iterum, sed & de pristinis deprecare, vt tibi remittantur.* Eccl.34. Eccl.19.

Martinus Primus. 647.

Epist. 13. Quoniam igitur scriptum est fratres: *Quis miserebitur incantatori à serpente percusso, & omnibus qui appropiant bestijs? sic & qui comitatur cum viro iniquo, & obuolutus est in peccatis eius.* Eccl.12.

Concil. Toletanum Octauum. 655.

Cap. 9. Horrenda voracium ingluuies, dum frẽno parsimoniæ astringitur, religioni contraire monstratur. Dicente enim Scriptura: *Qui spernit minima, paulatim decidet.* Eccl.19.

Beda. 700.

De sex ætatibus mundi de anno 3733. Sub Simone Pontifice Iesus filius Sirach Sapientiæ librum cõponens, quem vocant Panareton, etiam Simonis in eo mentionem facit. Eccl.50.

Zacharias Papa. 740.

Epistola 11. Docuisti enim eos, & non susceperunt, & factum est illis sicut scriptum est: *Sapientiam qui docet fatuum, quasi qui conglutinat testam arenam & salem,* &c. Eccl. 22.

Alcuinus. 750.

De virtutibus & vitijs, capite de Pœnitentia: Dicitur in Scriptura sancta: *Ne adijcias iterum, sed de pristinis deprecare, vt remittantur.* Eccl.21.

Capite de castitate: Admonet nos itaque sancta Scriptura, dicens: *Post concupiscentias tuas non eas, & à voluntate tua auertere.* Eccl.18.

Synodus Francofordiensis. 794.

Epistola ad Præsules Hispaniæ: Item in libro Sapientiæ, ipsa dicente Sapientia, id est, Filio Dei: *Ego ex ore Altissimi prodiui, primogenita ante omnem creaturam.* Eccl. 24.

Haymo. 820.

Ad caput primum Epistolæ ad Romanos: Primùm necesse est, vt nobis misericordiam impendamus,

deinde verò alijs. Vnde dicit Salomon: *Fili miserere animæ tuæ, placens Deo.*

Eccl. 24.

Ad caput 1. prioris ad Corinth. Christus virtus Dei Patris est: quia per illum Deus Pater omnia fecit:

Eccl. 24.

ipse est etiam Sapientia eius, quæ dicit per Salomonem: *Ego Sapientia ex ore Altissimi prodij.*

Angelomus. 830.

Eccl. 27.

Lib. 1. Regum cap. 1. Insipientium non est vnus, sed multi. Vnde Scriptura: *Stultus vt luna mutatur.*

Rabanus Maurus. 850.

De institutione cleri lib. 2. cap. 53. Hi sunt libri veteris Testamenti: Mosis libri 5. &c. Psalmorum, & Prouerbiorum, & Ecclesiastes, Cantica Canticorum, Sapiētiæ, Ecclesiasticus, Lamentationes & Hieremiæ, &c.

Lib. 5. de Vniuerso cap. 3. Ecclesiasticus morū pene omnium disciplinam, & sanctæ religionis conuersationem affatim & copiosè describit. Dictus autem Ecclesiasticus pro eo, quòd in medio cœtu populi, id est coram Ecclesia fuerit habitus. Hic propter nimiam sensus similitudinem, & eloquij parilitatem Salomonis titulo prænotatur. Constat autem hunc librum sub Iesu filio Sirach editum fuisse, & inter reliquos sanctarum Scripturarum libros pari habitum venerationi.

Ionas Aurelianensis. 860.

Lib. 3. de cultu imaginum: Fortè eleemosynarum largitio hac occasiōe adnullabitur, de qua Scriptura dicit, *quòd resistat peccatis, sicut ab aqua restinguitur ignis.*

Eccl. 3.

Altercatio Synagogæ & Ecclesiæ. 900.

Cap. 9. Hanc arcam mysticis sensibus plenam reserare contende, vt thesaurus inclusus prolatus diuidatur, ne illud diuinæ paginæ elogium tarditas tua incurrere videatur: *Sapientia abscondita, & thesaurus inuisus, quæ vtilitas vtriusq;?*

Eccl. 20.

Paschasius Ratbertus. 900.

De corpore & sanguine Domini cap. 2. Vnde Salomon, & per eum Spiritus sanctus iubet: *Cùm sederis ad mensam potentis, vt comedas cum principe, diligenter attende quæ apponuntur coram te: quoniam talia oportet te præparare.*

Eccl. 31.

Smaragdus Abbas. 970.

Ad caput 3. Regulæ D. Benedicti: Hoc ipsum diuina approbat Scriptura, dicens: *Aurum, & argentū, & constitutio pedum, & super vtrumque consilium beneplacitum.*

Eccl. 40.

Fulpertus Carnotensis. 1000.

Epistola 1. Vnde scriptum est: *Altiora te ne quæsieris.*

Eccl. 3.

Leo Nonus. 1049.

Epistola ad Constantinum Monomachum: Neque enim tuam prudentiam latet, quod in Ecclesiastico habetur: *Benedictio patris format domos filiorum: maledictio autem matru eradicat fundamenta.*

Eccl. 3.

Petrus Damianus. 1050.

Sermone 2. de vitio linguæ: Eos autem, in quos effunditur, pernicioſa tabe corrumpit. Vnde scriptum est: *Sepi aures tuas spinis, & noli audire linguam nequam.* &c. Quia sicut de insipiēte Salomon dicit: *Apertio oris illius inflammatio.*

Eccl. 28.

Eccl. 20.

Anselmus. 1080.

Ad cap. 14. prioris ad Corinth. Possunt & Doctores, qui Scripturas alijs exponunt, nomine Prophetarum designari, iuxta illud Sapientis: *Adhuc doctrinam quasi propheticam effundam.*

Eccl. 24.

Edinerus Anglus. 1100.

Vitæ S. Anselmi libro primo: Sciens itaque scriptum esse: *Omnia fac cum consilio, & post factum non pœnitebit:* nolebat se alicui vni vitæ earum, quas mente voluebat, incōsultè credere, ne in aliquo videretur Scripturæ præceptis non obedire.

Eccl. 32.

Bernardus. 1130.

De consideratione lib. 4. cap. 4. Viri callidi & dolosi proprium esse solet, tunc prætendere humilitatē, cùm obtinere voluerit, de qualibus dicit Scriptura: *Est qui se humiliat nequiter, & interiora eius dolo sunt plena.*

Eccl. 19.

Epistola 5. Discas à Salomone, *multos quidem amicos, vnum autem habere consiliarium de mille.*

Eccl. 6.

De gradibus Humilitatis: Cauendum est ideo malum desiderium, quia mors secus introitum delectationis posita est. Vnde Scriptura præcipit, dicens: *Post concupiscentias tuas non eas.*

Eccl. 18.

Richardus Victorinus. 1140.

In explicationibus aliquorum passuum difficilium Apostoli: ad locum 1. Cor. 6. *Omnia mihi licent.)* Deus in hominis posuit libertate vtrum velit bona, an mala eligere. Hinc est illud Sapientis de Domino dictum: *Apposuit tibi ignem & aquam: ad quod volueris porrige manum tuam. Ante hominem vita & mors, bonum & malum, quod placuerit, dabitur ei.*

Eccl. 15.

Ioannes Sarisberiensis. 1160.

Lib. 2. Polycraticon cap. 29. Absit, vt de medicis quicquam peruersum loquar. Dicam cum sancto Salomone: *Quia medicina à Domino Deo est, & vir sapiens non contemnet eam.*

Eccl. 38.

Hildegardis. 1170.

Lib. 3. Visione 2. num. 10. Nunc autem gratia Dei constituit hominem rationalitate subnixum, vt iustitiam operetur in scientia boni & mali; quatenus hac scientia appetat bonum, abijciens malum, & vt sic cognoscat vitam & mortem, per hoc eligens in qua parte remanere desideret, vt Salomon in intellectu Sapientiæ inquit: *Apposui tibi aquam & ignem, ad quod volueris porrige manum tuam.*

Eccl. 15.

Innocentius Tertius. 1200.

Sermone 2. de Aduentu Domini: De hac aqua secundùm effectum dicit Scriptura: *Sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna extinguit peccatum.*

Eccles. 3.

De Eleemosyna cap. 4. Audi super hoc sententiam Sapientis: *Conclude eleemosynam*, inquit, *in corde pauperis, & ipsa pro te orabit ad Dominum.*

Eccl. 29.

Hugo Cardinalis. 1240.

Præfatione in Ecclesiasticum: Hic liber apud Græcos παναρετος, apud Hebræos Parabola, apud Latinos Ecclesiasticus appellatur, eò quòd Ecclesiæ sit vtilis, sicut & Ecclesiastes. Per hos enim duos libros maximè instruitur Ecclesia.

Guilhelmus Peraldus. 1250.

Domin. 9. post Trinitatem Ser. 2. super Euangelium: Sed quomodo hoc est verum, cùm scriptum sit Ecclesiastici 34. *Qui offert sacrificium ex substantia pauperis, quasi qui victimat filium in conspectu patris?*

Eccl. 34.

Guibertus Tornacus. 1260.

De officio Episcopi capite decimo quarto: Non dicendum est esse mortuos, quorum animę sunt in manu Dei, & de quibus scriptum est: *Corpora Sanctorum in pace sepulta sunt, & viuent nomina eorum in æternum.*

Eccl. 44.

Iacobus

Iacobus Genuensis. 1280.

Sermone 9. de Assumptione B. Mariæ: Mariæ puritas fuit continua: nunquam enim fuit interrupta. Eccles. 24. *Vsque ad futurum seculum non desinam*, &c.

Eccl. 24

Hugo Pratensis. 1310.

Sermone 2. Virtutes & opera virtutum defendunt hominem tam in vita, quàm in morte; tam in præsenti, quàm in futuro ab omnibus animam impugnantibus. Eccles. 29. *Super scutum potentis, & super lanceam aduersus inimicum tuum pugnabit.*

Eccl. 29

Augustinus Triumphus. 1320.

De potestate Ecclesiastica quæstione 55. artic. 1. Falsum testimonium proferre contra proximum suum prohibet Spiritus sanctus, quando ait: *Noli mentiri aduersus proximum tuum.*

Eccl. 7.

Guido Carmelita. 1330.

De VValdensibus cap. 21. Christus, corpore iacente in sepulchro, secundùm animam descendit ad inferos. Vnde Christus Dei Sapientia increata Ecclesiastici 24. ait: *Penetrabo omnes inferiores partes terræ, & inspiciam omnes dormientes, sedentes in tenebris & vmbra mortis.*

Eccl. 24.

Henricus Suso. 1350.

Dialogo de præcipuis Christianæ pietatis adminiculis cap. 7. In memoriam Domine nunc redeo dicti illius amantissimi, quo tu illic ad nos loqueris de te ipso in Ecclesiastico: *Transite ad me omnes, qui cōcupiscitis me.*

Eccl. 24.

Thomas VValdensis. 1414.

Doctrinalis fidei lib. 2. art. 2. cap. 20. Similiter quāta fuit gloria Dei in hominibus, Scripturæ nullæ pertranseunt, & tamen Ecclesiasticus ad hoc probandum citat Ecclesiam sanctorum Patrum, ab Abraham Patriarcha, vsque ad successores eius in captiuitate Babylonis: & non tantùm dicta Scripturæ inseruit, quæ fuerunt ante eum, sed dicta antiquorum Patrum quædam collegit, sicut ipse refert in fine libri de se: *Qui renouauit*, inquit, *sapientiam de corde suo:* & docens hoc faciendum à viro sapiente: *Sapientiam*, inquit, *omnium antiquorum exquirit sapiens.*

Eccl. 17.

Eccl. 39.

Laurentius Iustinianus. 1430.

In Ligno vitæ de patientia cap. 3. Similiter etiam tribulatio hominem probat. Vnde Scriptura dicit: *Vasa figuli fornax probat, & homines iustos tentatio tribulationis.*

Eccl. 27.

De oratione cap. 4. *Relinque*, ait Scriptura, *proximo tuo nocenti tibi, & tunc deprecanti tibi peccata soluentur*, &c. Additio peccati potissima est causa, ne oratio exaudiatur: *Vnus enim orans*, (ait sermo diuinus,) *& vnus maledicens, cuius vocem exaudiet Dominus?* quasi dicat, neutrius.

Eccl. 18.

Ioannes Capistranus. 1440.

De auctoritate Papæ & Ecclesiæ: Ad decimas dandas hortatur etiam Syrach, dicens: *Bono animo gloriam redde Deo, & non minuas primitias manuum tuarum. In omni dato hilarem fac vultum tuum, & in exultatione sanctifica decimas tuas.*

Eccl. 35.

Eccl. 34.

Ioannes Trithemius. 1500.

De profectu militiæ spiritualis Homilia 1. Quoniam, sicut dicit diuina Scriptura, *nisi vos constanter tenueritis in timore Domini, citò subuertetur domus vestra.*

Eccl. 27.

ARTICVLVS DECIMVSOCTAVVS.

LIBROS MACHABAEORVM, VT CANONICOS VALERE AD ECCLESIASTICA DOGMATA PROBANDA.

OLIM DVBITARVNT.

Anno post natū Christum

160. *MELITO Sardensis, Amphilochius, Nazianzenus, & concilium Laodicense, texentes Catalogum sacrarum Scripturarum, horum librorum nullam mentionem faciunt.*

380. *Hieronymus*, Præfatione in Danielem, & in Prologo Galeato, *asserere videtur Machabæorum libros non esse inter Canonicas Scripturas computandos.*

360. *Ruffinus*, in explicatione Symboli, *libros Machabæorum inter eos recenset, qui Ecclesiastici, non Canonici appellantur.*

390. *Gregorius Magnus*, lib. 19. Moralium cap. 13. *dicit librum Machabæorum, licet non Canonicum, tamen ad ædificationem Ecclesiæ editum esse.*

400.

590.

NOSTRO SECVLO NEGANT.

1520. *Martinus Lutherus*, in suis Biblijs, *libros Machabæorum inter Apocrypha ponit.*

In Colloquijs Germanitis, cap. de sacra Scriptura: *Cùm Doctor Martinus librū Machabæorum corrigeret, dixit: Ego isti libro, & libro Esther adeò infensus sum, vt optarem neutrum eorum extare. Nimium enim Iudaizant, & multa referunt, quæ Gentilium superstitionem sapiunt.*

1530. Huldaricus Zuinglius Tom.1 artic.57. *Secundus Machabæorum liber non plus probat, quàm Ioannes de Monte villa, hoc est, quàm Æsopi fabula.*

1550. Bernardinus Ochinus Dialogo de Purgatorio: *Quòd Apocryphi sint libri Machabæorum, ex Laodicensi & Africana Synodis manifestum est: imò omnes sacri Doctores, qui sacrarum literarum Catalogum percensent, de Machabæis nullam mentionem faciunt.*

1560. Ioannes Brentius in Apologia confessionis VVirtembergensis, cap. de memoria defunctorum: *De Machabæorum libris faciendum est iudicium ex auctore seu scriptore eorum. Non est ignotum, quòd auctor eorum sit Iosephus, cuius extant libri de Antiquitatibus Iudæorum, & de bello Iudaico: de quo multæ sunt notæ, quæ significant hominem Spiritu sancto præditum non fuisse.*

1570. Guilielmus VVitakerus, in Disputatione de sacra Scriptura, agens de libris Machabæorum: *Humanus*, ait, *in ijs est spiritus, humanus animus, humanum ingenium, humana confessio, humana historia, humana omnia.*

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Clemens Romanus. 80.

1.Ma c.2. *Const. Apost. lib.7. c.38.* Deus, qui respexisti sacrificium Abel, Mathathiæ, & filiorũ eius in zelo tuo, Iaël in benedictionibus, & nũc accipe preces populi tui.

Dionysius Areopagita. 100.

De cælesti Hierarchia cap.2. *dum Angelicarum virtutum signa; quibus in sancta Scriptura apparuerunt, enumerat, apparitionem equitis cataphracti, qui Heliodorũ oppressit, adducit ex 2. Machab.3. capite.*

Egesippus. 160.

In Proœmio: Machabæorum quoque res gestas propheticus sermo paucis absoluit, &c.

Lib.1. cap.1. Bello Parthico, quod inter Machabæos duces gentemq; Medorum diuturnum fuit, incentiuum principiũ dedit sacrilegij dolor: quia rex Antiochus, vbi AEgyptum suo imperio adiunxit, in superbiam elatus, ritus Hebræorum negligi, ministeria quoque eorum profanari iusserat, idq;, postulantibus plerisq; Iudæorum, statuere ausus. Quod factum Mathathias sacerdos perpeti nequiuit: nec solùm ipse temperauit à sacrilegio, regaliq; edicto non obtemperauit, verùm etiam immolantem simulachris hostias de popularibus suis nactus, gladio transuerberauit.

1.Mac. 2.

Clemens Alexandrinus. 200.

Lib.1. Stromaton: In hac captiuitate fuit Esther, cuius habetur liber, sicut & Machabæorum.

Origenes. 230.

Lib.2. de Principijs cap.1. Vt autem ex Scripturarum auctoritate hæc ita se habere doceamus, audi quomodo Machabæorum libris, vbi mater septem Martyrum vnum ex filijs cohortatur ad toleranda tormenta, ait ei: *Rogo te fili, respice calum & terram, & ad omnia, quæ in eis sunt.*

2.Mac.6.

Homil.3. in Cantica: Omnes Sancti, qui de hac vita discesserunt, habentes adhuc charitatem erga eos, qui in hoc mundo sunt, si dicantur curam salutis gerere eorum, & iuuare eos suis precibus, non erit inconueniens. Scriptum namque est in Machabæorum libro: *Hic est Hieremias Dei Propheta, qui semper orat pro populo.*

2.Mac.15

Tomo 18. in Ioannem: Apparet autem Sanctis, qui antea ex hac vita migrârunt, curam esse de populo, quemadmodum in Machabæorum gestis scriptum est: *Hic est Hieremias Dei Propheta, qui multũ orat pro populo.*

2.Mac.15

Ad cap.5. epist. ad Romanos, arguens eos, qui dicebãt, in veteri Lege nullum fuisse ausum mori pro Deo: Veteris, *inquit*, Testamenti legant Machabæorũ libros, vbi cum omni instantia beata mater cum septem filijs martyrium susceperit, quiq; non solùm martyrium patienter excipiunt, verùm etiam contumeliam ingerunt in tyrannos, & videãt si verum est, quod dicunt.

2.Mac.7.

Eusebius Cæsareensis. 320.

De præparatione Euangelica lib.12. cap.1. Credere oportet huiusmodi sermonibus: quoniam à priscis valde viris traditi sunt. Credendum est etiam ijs, qui ita hæc se habere legibus confirmant. Sic certè de Hieremia traditum fuisse Iudæi contendunt. Et Machabæorũ liber retulit, visum ipsum fuisse post mortem orare pro populo.

2.Mac.12

De demonstratione Euangelica lib.10. demonstratione 1. Fidem huic rei facit ea, quæ vocatur Machabæorum, historia, quæ in hunc modum se habet: *Et conuenerunt ad Alcimũ & Bacchidem congregatio Scribarum, requirẽtium quæ iusta sunt.* & deinceps adiungit: *Et iurauit illis dicens: Non inferemus vobis malum, neque amicis vestris, & crediderunt ei*, &c.

Basilius Magnus. 370.

In constitutionibus Monasticis cap.19. Considera mihi quanta septem Machabæorum in decertando consensio fuerit, & præ istis flagrantiorem apud hos animorum consensionem reperies.

Ephræm Syrus. 370.

Paræsi 25. Senex aliud expectat nihil, nisi vt hac liberetur vita, ac dissoluatur: & adhuc vt ignauiæ forma reddar & exemplum, & non patientiæ suadetis? Si enim senex Eleazarus, dum incendij supplicijs torqueretur, non est mutatus mente: vnde & iuuenes ætate huius patientiã respicientes, contempserunt tormenta quæ videbantur, viceruntq; tyrannum septem sancti pueri: quid igitur ego?

2.Mac.6.

2.Mac.7.

Gregorius Nazianzenus. 380.

Oratione 20. quæ est in laudem Basilij: Mitto septem Machabæorum dimicationem, qui cum sacerdote & matre in sanguine, atq; omnis generis tormentis consummati sunt. Quorum ille tolerantiam æmulatus, gloriam quoque retulit.

1.Mac.6.

Orat.22. quæ est de Machabæis: Eleazarus primitiæ eorum, qui ante Christum passi sunt, vir sacerdos & natu grandis, tum capillis, tum prudentia canus, prius quidem pro populo sacrificia & preces adhibens, nunc quoq; seipsum Deo offerens, perfectissimam hostiam ac totius populi expiatricem, faustum certaminis præludium, septemq; insuper filiorum offerẽs institutionis suæ fructũ, hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem.

2.Mac.6.

Theophilus Alexandrinus. 390.

Epist.1. Paschali: Quid memorem insignes Machabæorum victorias, qui ne illicitis carnibus vescerentur, & communes tangerent cibos, corpora obtulerunt cruciatibus, totiusq; orbis in Ecclesiã Christi laudibus prædicantur?

2.Mac.7

Ioannes Chrysostomus. 400.

Deut.6. 1.Mac.1. Homilia 37. in Matth. *Dominus*, inquit Moses, *Deus tuus, Dominus vnus est.* Idcirco Machabæi admirationi sunt, qui ne Legem traderẽt, mori maluerunt.

Homil.77. Quoniam Iudæi sæpe aliãs à grauioribus se bellis receperunt, vt tempore Senacharib & Antiochi, quando irruente hoste & templo capto virtus & constantia Machabæorum cuncta reparauit.

2.Ma.5.6

De verbis Esaiæ: Vidi Dominum, *Homilia 4.* Quid autem Machabæorum mater, nonne vxor fuerat? nonne septem filios addidit Sanctorum choro? nonne vidit illos martyrio coronatos? nonne veluti spectatrix astabat, nihil animo labascens? nonne astabat obtestans illorum vnumquemq;, & mater Martyrum septies ipsa martyrium præstitit? Dum illi torquebantur, illa plagã accipiebat. Neque enim adeò sine affectionibus quæ gerebantur spectabat: mater erat, & naturæ illata vis propriam virtutem declarabat: at illa non vincebatur.

2.Mac.7.

Isidorus Peluſiota. 440.

Lib.3. epist.4. Non quòd stellæ ceciderint, sed quòd Antiochus Epiphanes à Machabæis insigniter superatus sit, ac Iudaico imperio exturbatus. Non enim dixit: Stellæ ceciderunt: verùm ille à stellis præclarè pugnantibus cecidit, hoc est victus ac profligatus est. Quòd si quis vocabulum illud ἔπεσεν, pro ἐτράπη, id est, percussit, accipiat, potest illud dici, quòd septem fratres, ac matrem, & sacerdotem Eleazarum, qui præclaram ac fulgidam vitam ostenderunt, atq; syderum instar in terra extiterunt, percusserit. Machabæus enim Persica lingua Dominum sonat. Ea igitur tempestate, qua aduersus clarissimos illos viros audacia præceps actus Antiochus huiusmodi Tragœdiam excitauit, Machabæi coactis copijs eum è regione propulerunt. Vnde etiã ijs, qui tormentis excruciati sunt, nomen ob victoriam remansit. Machabæi enim illi quoque appellati sunt, qui Machabæorum temporibus horrendos & immanes cruciatus pertulerunt, nec paternas leges eiurârunt.

Theodoretus. 450.

In Psal.43. Prædicit hic Psalmus Macedonicam crudelitatem, Illustrisq; Antiochi impium & ferinum animum, atq; Machabæorum fortitudinẽ & pietatẽ. Nam beatus Mathathias, cùm hoc Psalmo sæpius ob diuinum amorem cum filijs vsus esset, vicit infinitos Macedones, multitudinemq; elephãtum, cùm imbecilles reputasset, tamquam diuina gratia destitutos, cum paucis contra hos bella gessit, cumq; idolorum altaria euulsisset, diuinum templum purgauit, & vsitatum cultum suis gentibus restituit.

1.Mac.1.

Procopius Gazæus. 530.

Ad caput 3. Genes. Quòd si quis præuaricator hæc negauerit, sanè leues illi videbuntur labores Machabæorum, qui indigna patiebantur ob contemptam carnem suillam, quam quis facilè aspernaretur.

Ioannes Damascenus. 730.

Oratione de defunctis: Animaduertite enim quid Scriptura sacra de Iuda Machabæo memorię prodiderit, nimirum eum in Sion regis magni ciuitate, cùm populum, cui præerat, ab exteris hostibus cæsum & obtruncatum vidisset, sinusq; eorum excutiens, condita in ipsis idola comperisset, statim expiandi huiusce sceleris causa, Domino ad misericordiam prompto ac propenso, pro vnoquoq; eorum munera obtulisse, in eaq; re summæ pietatis munere perfunctũ fuisse. Vnde etiã factum est, vt diuina Scriptura, quemadmodũ omnibus alijs nominibus, ita hoc quoq; nomine summis eum laudibus euexerit, atq; mirificè cõmendârit.

Elias Cretensis. 780.

In Orationem 4. Nazianzeni: Per eos autem, qui deinceps sequuntur, Machabæos intelligit, qui quidem sub Antiocho cum matre & præceptore Eleazaro pro legali cultu ac patrijs ritibus ad extremum vsque spiritum dimicarunt.

Moses Barcepha. 900.

De Paradiso cap.19. Diui Machabæi cùm à porcina carne sese abstinerent, eamq; ob rem plurima tolerarent mala, non ipsam spectabant suillam carnem, eaq; ceu contemptibili cibo abstinebant: sed diuinum versabant animo præceptum, quod modis omnibus sibi obseruandum, nec vllo pacto transiliendum statuebant.

Simeon Metaphrastes. 970.

De Clemente Ancyrano: Vna mulier Hebræa aliquando septem produxit Martyres, & ipsa in illorum septem decertauit corporibus.

2.Mac.7.

Michael Glycas. 1100.

Parte 2. Annalium: Extitit tum Mathathias quidam, cui quinq; filij erant: & inter alios Iudas ille Machabæus, qui diuina quadam æmulatione commotus, regium ducem interemit, & egregia facinora vel sexcenta patrauit.

1.Mac.1.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Tertullianus. 200.

Aduersus Iudæos cap.4. Nec dubium est opus seruile eos operatos, cùm prædas belli ageret ex Dei præcepto. Nam & temporibus Machabæorum Sabbatis pugnando fortiter fecerunt, & hostes Allophylos expugnauerunt, legemq; paternam ad pristinum vitæ statũ pugnando Sabbatis reuocauerunt. Nec putem aliam legem eos defendisse, nisi in qua de die Sabbatorum meminerant esse præscriptum.

1 Mac. 2.

Cyprianus. 250.

Li.1. ep.3 Abac.2. *Epist.55.* Cùm occurrat & moneat Scriptura diuina dicens: *Ille verò qui præsumit & contumax est, vir sui iactans, nihil omninò perficiet, qui dilatauit tamquam infirmus animam suam.* Et iterum: *Et verba viri peccatoris ne timueritis; quia gloria eius in stercora erit, & in vermes.*

1.Mac. 2

Li.4.ep.6 *Epist.56.* Quid in Machabæis beatorum Martyrum grauia tormenta, & multiformes septem fratrum pœnæ, & confortans liberos suos mater in pœnis, & moriens ipsa quoq; cum liberis, nonne magnæ virtutis, & fidei documenta testantur, & nos ad martyrij triumphum suis passionibus adhortantur?

De Exhortatione Martyrij cap.11. Quæ verò ediderunt confessionũ prœconia, quàm præclara, quàm magnæ fidei documenta præbuerunt? Rex Antiochus infestus, imò in Antiocho Antichristus expressus, ora Martyrũ gloriosa & spiritu confessionis inuicta, contagio suillæ carnis maculare quærebat, & cùm flagellis grauiter verberasset, ac nihil promouere potuisset, sartagines iussit igniri; quibus ignitis & accensis, cum, qui primus locutus fuerat, & magis Regẽ virtutis & fidei cõstãtia, puocauerat, admoueri præcepit, & frigi, pducta & execta prius lingua, quæ cõfessa Deũ fuerat: qd Martyri gloriosius contigit. Lingua enim confessa nomen Dei prior ad Deũ debuit ipsa proficiscei, &c. At ille in martyrio suo fidens, & resurrectionis sibi præmium de Dei remuneratione promittens, exclamauit, & dixit: *Tu quidem impotens ex hac*

2.Mac.7.

2.Mac.7

præsenti vita nos perdis, sed mundi Rex defunctos nos pro suis legibus in æternam vitæ resurrectionem suscitabit,&c. Nec Eleazarus tacendus est, qui cùm sibi à ministris regis offerretur facultas, vt accepta carne, qua liceret sibi vesci, ad circumueniendum regem, simularet se illa edere, quæ de sacrificijs atque illicitis cibis ingerebantur; consentire ad hanc fal-
2.Mac.6. laciam noluit, dicens: Nec ætati suæ, nec nobilitati conuenire id fingere, quo cæteri scandalizarentur, & in errorem inducerentur, existimantes Eleazarum, nonaginta annos natum, ad alienigenarum morem, relicta & prodita Dei lege transisse: nec tanti esse lucrari breuia vitæ momenta, vt offenso Deo incurreret æterna supplicia.

Zeno Veronensis. 260.

Sermone 5. de S. Arcadio: Cui hæc comparanda
2.Mac.6. est confessio? Machabæorum est iungenda numero: Eleazari est adæquanda proposito, comparanda consilio.

Sermone de Resurrectione: Nec Machabææ matris memoriam recolit, quæ spe succincta filiorum,
2.Mac.7. Antiocho sæuienti libenter septem filios non dicã extulit, sed ipsa potius feliciter suis hortamentis occidit, religiosè confidens Deo se genuisse filios, non mundo.

Marius Victorinus Rhetor. 350.

Ex libri 2. Machab. cap.7. martyrium septem fratrum heroico carmine descripsit, quod incipit:

Rex fuit Antiochus Syriæ ditißimus olim,
In cuius regno mater natiq; fuisse
Septem (vt fama refert) de sancta gente creati,
Quos cura aßiduò generis meminisse iubebat,
Et Legi seruire data,&c.

Hilarius. 350.

2.Mac.7. *Ad Psalm.125.* Testis Eleazar inter iura dominorum patrijs suis legibus liber: testes cum matre sua Martyres septẽ, Deo gratias inter noua mortis tormenta referentes.

Lucifer Calaritanus. 360.

Libro de non parcendo in Deum delinquentibus: Loquitur sancta Scriptura, dicens in Machabæorum
1.Mac.1. libro primo: *Et scripsit Rex omni regno suo, vt esset vniuersus populus vnus, vt relinquerent vnusquisq; legitima sua*, &c. Loquitur sancta Scriptura dicens: *Ap-*
1.Mac.2. *propiauerunt dies Mathathiæ moriendi, & dixit filijs suis: Nunc confortata est superbia, & castigatio, & tempus euersionis, & ira indignationis, nunc filij æmuli estote Legis*,&c.

Ambrosius. 370.

Lib.2.de officijs cap.29. Illud sanè diligẽter cauendum est, vt deposita viduarum intemerata maneant, & sine vlla seruentur offensione. Fides enim exhibẽda omnibus, sed maior est viduarum causa, & pupillorum. Deniq; hoc solùm viduarum nomine (sicut in libris Machabæorum legimus) commendatum templo omne seruatum est.

Lib.3.cap.14. Denique quod consumptum est sacrificium Mosi tempore, sacrificium pro peccato erat. Vnde Moses ait: (sicut in Machabæorum libro scriptum est:) *eò quòd non sit manducatum, quod erat pro peccato consumptum.*

De Iacob, & vita beata lib.2. cap.10. Nec te Eleazare prætermittam, vtpote sacerdotum sacerdos, sed tuis iuuandus oratis, qui genere sacerdos, peritus in Lege, maturus æui, cùm oblatus esses Antiocho persecutori, nec tentamentis potuisti capi, nec præmijs inflecti, nec suppliciorum acerbitatibus frangi. Deniq; à blandimentis cœpit, quia iudicabat tormenta sua posse superari. *Erubesco,*
2.Mac.6 inquit, *canitiem tuam, reuereor senectutem, miror prudentiam, cur abstinendum bonis epulis putes, quas natura largitur.*

Optatus Mileuitanus. 370.

Lib.7. contra Parmenianum: Si etiam Antiochi re- 1.Mac.1.
gis tempora commemorare voluissent, quibus omnes Iudæi coacti sunt, vt libros incendio darẽt, ita & vniuersa Scriptura data est, vt apex vnus in aliquo libro minimè remansisset. De Iudæis illo tempore nemo damnatus est, nec à Deo, vel ab aliquo Angelo in quemquam Iudæum est vlla dicta sententia: quia peccatũ fuerat imperantis, & minantis, non populi cum tremore & dolore tradẽtis. Tyrannus Antiochus fructum malignitatis 2.Mac.1.
suæ habere non potuit, dum præter septem fratres, 2.Mac.6.
& vnum seniorem, carnem suillam manducare detrectantes, nullum Iudæum occidit, & Lex perire non potuit.

Prudentius. 380.

Hymno de D.Vincentio:

Sic corpus: ast ipsum Dei
Sedes receptum continet
Cum Machabæis fratribus,
Secto Isaiæ proximum,&c.
Num Machabæi Martyris
Linguam tyrannus erutam,
Raptamve pellem verticis
Auibus cruentis obtulit?

Hieronymus. 390.

Ad cap.23. Esaiæ: Pleriq; nostrorum, & maximè Machabæorum principum Cethim Italiæ, Macedoniæq; insulas arbitrantur. Hoc enim Scriptura commemorat, quòd Alexander Rex Macedonum egressus sit de terra Cethim. 1.Mac.1.

Ad cap.11. Danielis: *Et reuertetur, & indignabitur contra Testamentum sanctum.)* Hæc plenius in Machabæorum gestis legimus, quòd postquam eum in AEgyptum pepulerunt Romani, indignans 1.Mac.1.
venerit contra Testamentum sanctuarij.

Concilium Carthaginense Tertium. 397.

Cap.47. Placuit, vt præter Scripturas Canonicas in Ecclesia nihil legatur sub nomine diuinarum Scripturarum. Sunt autem Canonicæ Scripturæ: Genesis, Exodus, Leuiticus,&c. Esdræ libri duo, Machabæorum libri duo,&c.

Bacchiarius. 400.

Epistola ad Ianuariũ de lapsis recipiendis: Melior est ille Iudas Machabæus, qui etiam pro mortuis fratribus orationem credidit esse faciendã, quos furata de Lamirni ciuitate idolorum dona prostra- 2.Mac.12
uerant.

Augustinus. 400.

De doctrina Christiana lib.2.cap.8. Totus Scripturarum Canon his libris continetur: Quinque libris Moseos, &c. Iob, Tobias, Esther, Machabæorum libri duo,&c.

De Ciuitate Dei lib.18. c.36. Machabæorum libros non Iudæi, sed Ecclesia pro Canonicis habet, propter quorundam Martyrum passiones vehementes: qui antequam Christus venisset in carnem, vsque ad mortem pro lege Dei certauerũt, & mala grauissima, atque horribilia pertulerunt.

De cura pro mortuis agenda cap.1. In Machabæorum 2.Mac.12
libris legimus oblatum pro mortuis sacrificium; sed etsi nusquam in Scripturis veteribus omninò legeretur, non parua tamen est vniuersæ Ecclesiæ, quæ in hac consuetudine claret, auctoritas.

Innocentius Primus. 410.

Epistola 3. ad Exuperium: Qui verò libri recipiantur in Canone, breuis annexus ostendit: Mosis libri quinque,&c. Hesther vnus, Iudith vnus, Machabæorum duo, Esdræ duo,&c.

Seuerus Sulpitius. 420.

Historiæ sacræ lib.2. Qua tempestate illustris illa passio septem fratrum matrisq; fuit, qui omnes
2.Mac.7. cùm legem Dei, & instituta maiorũ violare supplicijs cogerentur, mori maluerunt.

Arnobius Iunior. 440.

In disputatione de Deo Trino & Vno: Mundũ quoq; ipsum à Deo credimus factum ex nihilo, sicut le-
2.Mac.7. gimus in Machabæis: *Aspice fili mi cælum & terram, & aspice omnia quæ in eis sunt, intellige quomodo ex nihilo ea fecit Deus.*

Eucherius Lugdunensis. 450.

Homilia de Machabæis: Hodie sacras septem Martyrum palmas per vniuersam Ecclesiã fides Catholica, hostili gladio roborata, cõcelebrat, quos
2.Mac.7. mater gloriosis luctibus honorabilis, in gremiũ diuinæ adoptionis inuidenda morte transfudit, & septem pignora in regnum Dei sub vnius diei felicitate parturit. In quorum cruciatibus cùm diuersos tormentorum apparatus velut ante oculos nostros lectionis series exposuerit, & audito ipso terribilia sensibus nostris impresserit, fortasse aliquis secum cogitet, vnde adolescentulorum infirmitas tantum pondus malorum tolerare suffecerit.

Leo Primus. 445.

Sermone de Machabæis: Causam solennitatis hodiernæ plenissimè sacræ historiæ lectione didicistis: nec latere vos potuit, quem in tanto rerum gestarum ordine exceperitis auditum, cùm gloriosam septem Martyrum matrem exultanti, & nõ tacito honoraretis affectu: in singulis quidem filijs passam, sed in omnibus coronatam. Subsecuta est enim felici exitu, quos inuicto præmisit hortatu. Beata genitrix, beata progenies, memorabilis præcedentium fortitudo.

Prosper Aquitanicus. 450.

De promißionibus & prædictionibus Dei parte 2. cap.
2.Mac.7. *40.* Antiocho regnante præclara illa fœmina Machabæorum mater, pro spe æternæ vitæ legitimisq; suis, ne vetitas carnes suillas filij sui tangerent, vno die septem Martyres edidit Deo, quos terra contempta non huic mundo, sed ipsi peperit cælo: suo exemplo nos admonens pereuntia contemnere, appetere sempiterna, velocius finienda finire, quò possent certantes atque vincentes illud apprehendere, quod non habet finem. Sic ipsa statim secutura, filios præmisit ad vitã, quam veram sciens, omniq; metu carentem, sibi suisque filijs fideli testimonio acquisiuit. Propter quam
2.Mac.12 & alios in bello mortuos Iudas Machabæus *duodecim millia talentorum Hierosolymam misit offerre sacrificium pro mortuis: bene & optimè de resurrectione cogitans.*

Honoratus Constantinæ Africæ Episcopus. 470.

Epistola ad Arcadium exulem: Vide ne timeas, ad-
2.Mac.7. iuuat te, vt coronet te. Septem filios Machabæa mater pro Christo misit ad mortem, ante eã cruciabantur, & ipsa magis eos hortabatur, vt morerentur: ipsa autem post filios occisos iam exultat coronata.

Gelasius. 490.

In Decretis: Ordo veteris Testamenti librorum, quem sancta & Romana suscipit Ecclesia: Genesis liber vnus, Exodi liber vnus, &c. Esdræ liber vnus, Machabæorum liber vnus,&c. *Nota, vt cùm dicit* Esdræ liber vnus, *Esdræ & Nehemiæ duos libros vno volumine contentos intelligit: sic cùm ait*: Machabæorũ liber vnus, *vtrũq; recipit, & neutrum excludit.*

Hormisdas. 500.

Epistola ad presbyteros Syriæ: Pensate qualis Machabæorum exitus, quæ luctatio tolerãtibus, quæ historia laudum secuta est, quali Iudas & illa fra- 2.Mac.7.
trum caterua mortis honore prædicatur.

Paschasius Diaconus. 500.

Præfatione in vitam S. Seuerini: Fidelissimus ille Mathathias morti gloriosissimæ iam propinquãs, 1.Mac.2.
filijs suis hæreditario iure Sanctorum exempla distribuit, quorum certaminibus admirandis celerius excitati, animas suas pro legibus sempiternis sanctitatis feruore contemnerent.

Alcimus Auitus. 500.

Libro 6.

Sic prægnans fœcunda olim, at fœcundior orba,
Atque animos superans genitrix Machabæa viriles,
Fœmineam & vincens animo virente senectam,
Orbari læto ducebat in omine, si quos
Ediderat mundo, patrijs pro legibus illos
Felici iam morte Deo generaret, vt esset
Mors illis requies, faustæq; exordia vitæ.
Ergo in tormentis positos, constantior ipso
Supplicio genitrix corde hortabatur & ore,
Spernere crudelis nimium felicia regis
Tormina, lætitia dehinc commutanda perenni,
Augebatq; pios ad fortia facta furores.

Libro eodem, texens diuinæ Scripturæ catalogum:

Et Machabæorum fortißima prælia fratrum.
Vis vno breuiter complectar vt omnia verbo?
Tota Instrumenti veteris tibi pagina nota est.

Aurelius Cassiodorus. 540.

Diuinarum institutionum lib.1.c.6. Bellatoris Presbyteri expositio in libros Machabæorum, vt præualet, labore collecta est,&c. Libri Machabæorum à supradicto amico nostro Bellatore sedula expositione, Domino iuuante, confecti sunt, ne tam magna lectio inexplanata forsitan linqueretur, quæ nobis tot virtutum exempla declarauit.

Fortunatus. 570.

Libro 10. ad Chilpericum Regem:

Fœmina bis felix pia mater Machabæorum
Natos septem vno funere læta tulit.

Isidorus Hispalensis. 600.

Lib.6. Etymol. cap.1. Quartus apud nos ordo veteris Testamenti est eorum librorum, qui in Canone Hebræorum non sunt. Quorum primus est liber Sapientiæ, &c. quintus & sextus Machabæorum, quos licet Hebræi inter Apocrypha separent: Ecclesia tamen Christi inter diuinos libros & honorat, & prædicat.

Beda. 700.

Dialogo Quæstionum super libros Regum cap.12. De Machabæis autem fratribus quid eloquar, qui sub Antiocho rege pro sacris legibus dira tormenta 2.Mac.7
perpessi sunt? Mater pia, cùm diuersis supplicijs vrgeretur, non solùm non fleuit, sed & gaudens hortabatur ad gloriam passionis. Quis poterit omnia, quæ illis veteribus Legis & Prophetarum libris figuratè annuntiantur, quantalibet breuitate perstringere?

Vitæ S. Chutberti cap.2. Quod si cui videtur incredibile, Angelum in equo apparuisse, legat histori- 2.Mac.10 &3.
am Machabæorum, in qua Angeli in equis, & ad Iudæ Machabæi, & ad ipsius templi defensionem aduenisse memorantur.

Ambrosius Ansbertus. 760.

Lib.1. in Apocal. Hæc regula septem Machabæos 2.Mac.7.
fratres edocuit, pro testamento Dei & legibus eius 1.Mac.2.
blandientem simul & terrentem impium regem despicere, intrepidosque acerrimã mortem subire. Hæc Mathathiã, Iudam, & fratres eius armauit, vt pro dilectione ciuium nec animabus suis parcerent.

VVandelbertus Diaconus. 830.

In Ephemeri, in Augusto:

Quos ferus in mortem Antiochus cum matre subegit,
Venturo sanguen qui Christo sponte dicârunt,
Augustas retinent Machabæi iure Kalendas.

VValafridus Strabo. 830.

2.Mac.1 *De rebus Ecclesiasticis cap.1.* Et Antiochum reliquiarum populi Dei persecutorem grauissimum, & templi, quod post reuersionem de captiuitate reædificatum est, violatorem, in templo Naniæ corruisse cognoscimus.

Concilium Aquense sub Pipino. 837.

Lib.2.cap.28. Qui templum Domini pecunijs, aut Deo oblatis, aut ab alijs depositis expoliari impune posse & debere arbitrantur, perpendant quid Heliodorus, suiq; comites Hierosolymam aduenientes, vt ærarium Domini pecunijs expoliarent, ab equo cælesti, eiusq; terribili sessore, nec non & cælicolis iuuenibus duobus perpessus sit,
2.Mac.3. de quo ita habes libro 2. Machabæorum: *Cùm venisset Heliodorus Hierosolymam,* &c.

Hincmarus. 840.

De translatione S. Remigij: Licet enim non fiant nobis tam frequentia ac reuerenda per hunc seruum suum miracula: tamen certi esse debemus, quia non subtrahit ciuitati suæ, ac nobis ciuibus suis continua intercessionis suæ auxilia: sicut de
2.Mac.15. Hieremia legimus: *Hic est fratrum amator, & populi Israel: hic est, qui multum orat pro populo, & vniuersa sancta ciuitate Hierusalem.*

Rabanus Maurus. 850.

De institutione Cleri libro 2.cap. 53. Libri veteris Testamenti sunt: Mosis libri quinque, &c. Tobiæ quoque, Hester, & Iudith singuli, Esdrę duo, & duo Machabęorum.

Præfatione in Commentaria super libros Machabæorum: Tempore illo, quo Romana Ecclesia constituit libros legi Machabæorum in Ecclesia, eorundem librorum expositionẽ, quam ante annos aliquot vrgẽtibus amicis sensu historico simul, & allegorico dictauerã, excellentiæ vestrę deferam.

Concilium Triburiense. 895.

Cap.34. Fit conuentus Christianorum & paganorum, fortiter dimicant isti pro fide, illi contra fidem. Vnde fortissimo confortante Domino, sic-
1.Mac.3. ut Mathathias, pater Machabæorum ait: *Non in multitudine exercitus fit victoria belli, sed de cælo veniet fortitudo;* sepe fit victoria Christianorum, victa est pars paganorum.

Smaragdus. 970.

Ad cap.9.regulæ Benedicti: Veteris Testamenti libri sunt: Quinque libri Mosi, &c. Aggeus, Zacharias, Malachias, & Machabæorum.

Anselmus Cantuariensis. 1080.

Ad cap.11.epistolæ ad Hebræos: Hoc fecerunt septem
2.Mac.7 egregij fratres cum matre, quos Rex Antiochus flagris & laureis crucians, compellebat contra legem carnes porcinas edere.

Rupertus Tuitiensis. 1120.

De victoria Verbi lib. 10.c.8. Inspice quia tota Scriptura libri 2. Machab. circa Dei legem, & maximè
2.Mac.14 circa templum Domini versatur, quod tunc in toto orbe terrarum nomini Domini dedicatum, solum & vnicum habebatur.

Cap.9. Intentio Scripturæ huius est, templum illud, quod erat Hierosolymis, sanctum & legitimum asserere, ac Domino placitum: & illum fuisse locum orationis solum, quem Deus elegit, in quo illi oporteret sacrificari, &c.

2.Mac.10 *Cap.14.* Ponamus iã huius rei de Scriptura ipsa documentum: *Qua die autem,* inquit, *templum ab alienigenis pollutum fuerat, contigit eadem die purificationem fieri 25. mensis Casleu.*

Vita S. Heriberti cap.11. De ipso quoque quodammodo id ipsum dicebat, quod de alio quodã non ignoto, sed eximio Propheta sacra narrat pagina:
2.Mac.15 *Hic est fratrum amator, & populi sui, qui multum orat pro populo, & pro ciuitate ista.*

Bernardus. 1130.

Sermone 13. super Cantica: Iudas Machabæus, multis & ipse inclytus victorijs, cùm frequenter exultanti populo pacem fortiter pugnando tribuisset, nunquid gloriam quandoque partitus est alicui? *Denique & facta,* inquit, non gloria, sed *latitia*
1.Mac.4 *magna in populo.*

Hugo Victorinus. 1130.

De claustro animæ lib.1.cap.7. Eleazarus, vt veridica narrat historia, elephantem occidit, & occisus ab elephante legitur esse.
1.Mac.6. *Lib.2.cap.17.* Sicut veridica narrat historia: Antiochus Illustris, filius Antiochi regis, ascendit
1.Mach1. Hierosolymam in multitudine graui.

In Speculo Ecclesiæ cap.3. A Kalendis Octobris vsque ad Nouembrem Machabæorum libri leguntur, & cantantur inde Responsoria.

Richardus Victorinus. 1140.

Libro 3. de eruditione hominis cap.1. Quamuis videatur concupiscentia quandoque vel ad modicum quiescere, incipit iterum & iterum resurgere, & vehementius impugnare: *Silut,* inquit Scriptura, *terra Iuda diebus paucis.* Si terra Iuda vix po-
1.Mac.7 test paucis diebus silere, quanto magis mare?

Otto Frisingensis. 1150.

Libro 2. Chronicorum cap.47. Quia omnes Canonicæ in Machabæis terminantur historię, qualiter post hoc gentis Hebræorum regnum vsque ad Christum steterit ex historijs tantùm eorum cognosci datur.

Petrus Cluniacensis. 1150.

Libro 1. Epistola 2. contra Petrobrusianos: Succedat sacrorum librorum auctoritas, & tam Canonis diuini, quàm aliorum voluminum ei cohærentium, & ab Ecclesia traditorum clarisuus sonus, & erroris tenebras luce sua discutiat. Ac primò omnium Machabæorum liber secundus in medium adducatur: ex quo famosissimam lectionem, & in sacrificijs diuinis, quæ assiduè per totũ mundum pro mortuis offeruntur, quotidie frequentatam, contradictor hæreticus audiat, & audiens pietatis verba, piè per orbem terrarum vbique resonãtia, inter innumerabiles pios, pietati diuinæ pro mortuis supplicantes, penè solus impius esse erubescat, &c. Sed & de Iuda Machabęo optimo Hebræorum Duce verax Scriptura commemorat, quòd deleto pagano exercitu, gladium A-
1.Mach.3 pollonij Ducis à se interfecti abstulit, & erat pugnans in eo omnibus diebus.

Ioannes Saresberiensis. 1170.

Lib.1.Polycrat.cap.5. Egregiè quidem Eleazarus, cùm redimẽdæ vitæ causa solicitaretur committere in legem Domini, exempli periculum oppo-
2.Mac.6. suit, dicens: *Quis ego sum Eleazarus nonaginta annorum, vt transeam ad vitam alienigenarum, & iuuenes religiosos seducam?*

Eckbertus Presbyter. 1170.

Aduersus Catharos Sermone 9. Vnum adhuc satis euidens testimonium, ad confirmationem partis nostræ inducere possumus ex historia Machabęorum, cuius talis est auctoritas in Ecclesia, vt publicè in diuino seruitio lectitetur. Scriptum est in libro secundo eiusdem historiæ, quòd Iuda Machabæo dimicante, &c.

Innocentius Tertius. 1200.

Procemio in septem Psalmos pœnitentiales: Exaudi-

untur

untur boni defuncti cùm orant, tam pro se, quàm
2.Mac.15 pro alijs: vt in secundo Machabæorum: *Hic est fratrum amator, & populi Israel: Hic est, qui multum orat pro populo, & vniuersa sancta ciuitate Hieremias Propheta Dei.*

Iacobus Vitriacus. 1220.

Dominica 3. Aduentus: Gaudent mali de temporali prosperitate, de quibus in libro Machabæorũ:
1.Mac.2. *Gloria peccatorum stercus & vermis: hodie extolletur, & cras non inuenietur.*

Thomas Aquinas. 1250.

Secunda secundæ quæst.83.art.11. Sanctos in patria orare pro nobis ex 2. Machabæorum vltimo pro-
2.Mac.15 batur: *Hic est Hieremias Propheta Dei, qui multum orat pro populo.*

Bonauentura. 1260.

Ad caput 9 Lucæ: *Saluam faciet illam,* scilicet in
2.Mac.7. futura vita, secũdùm illud 2. Machab. 7. *Tu quidem scelestissime in præsenti vita nos perdis, sed Rex mundi defunctos nos pro suis legibus, in æternæ vitæ resurrectione suscitabit.*

Iacobus Genuensis. 1280.

Dominica 2. Quadragesimæ Sermone 1. Ex quo sperare debemus, quòd Sancti pro nobis orant, si eorum suffragia deuotè petamus, scilicet auctoritate, ratione, & reuelatione. Primò hoc ostenditur auctoritate, quæ habetur 2. Machab. 15. *Hic est, qui multum orat pro populo, & vniuersa sancta ciuitate Hierusalem. Hic est fratrum amator, & populi Israel.* Orant enim Sancti pro ciuitate sancta, hoc est Ecclesia, &c.

Nicolaus Lyranus. 1300.

Ad caput primum primi Machabæorum: Quia huius primi libri & secundi Machabæorum maior est auctoritas, quàm Iosephi, cùm ab Ecclesia recepti sint ad legendum, ideo non est dimittendus textus propter Iosephum, sed magis è conuerso.

Ad cap.3.primi Regum: Hoc modo Razias videtur se interfecisse, nec tamen inde vituperatur in Scriptura, sed magis laudari videtur.

Augustinus Triumphus. 1320.

De potestate Ecclesiastica quæst. 50.art.6. Bella in hostibus expugnandis diebus Dominicis com-
2.Mac.12 mitti possunt, imminente necessitate. Legimus enim 1. Machab. 2. quòd illi sancti Machabęi, quorum aliqui permiserunt se interfici, antequam vellent bellare diebus Sabbati, postmodum alij plena deliberatione prehabita dixerunt: *Omnis homo, qui venerit ad nos in bello die Sabbatorum, pugnemus aduersus eum, & non moriamur, sicut mortui sunt fratres nostri.*

Guido Carmelita. 1330.

Errore nono Iudæorum: Historia libri Machabęorum veneranter susципienda est, quæ docet iusta bella ad defensionem fidei non culpanda, immò, vbi opus sit, etiam Sabbato exercenda. Vnde filij Israel contra aduersarios perfidos idololatras iussu Domini pugnauerunt. Hoc fecerunt fortiter & fideliter Machabæi, ne sancta remanerent fœdata, sed mundata Domino consecrarentur.

De Aërianis: Aëriani contemnunt sacrificium offerre pro defunctis, contra illud, quòd *Iudas*
2.Mac.12 *Machabæus misit duodecim millia drachmas argenti Hierosolymam offerri pro peccato mortuorum.*

Henricus Suso. 1350.

Sermone 1. Vt enim sacræ affirmant literæ, ingens diuinæ dilectionis indicium est, multo tem-
2.Mac 6. pore non finere peccatoribus ex sententia agere, sed statim vltiones adhibere.

Ioannes Bromiardus. 1380.

In Summa prædicantium capite 2. de bello: Quartò non solùm Deus, sed & Angeli eos iuuant, sicut patet 2.Mach.10. de Iuda Machabęo pugnante con-
2.Mac.10 tra Timotheum. Apparuerunt aduersarijs de cælo viri quinque in equis, frenis aureis decori, Iudæis ducatum præstantes. Ex quibus duo Machabæum medium habentes circumseptum, incolumem conseruabant.

Thomas VValdensis. 1416.

Doctrinalis fidei libro 1. art. 1. cap. 23. Hæc est ergo necessitas, quæ sic opponitur libertati, non autem coactio, quæ libertatem non tollit omninò, veluti dictamen probat Spritus sancti, 1. Machab. 2. dicentis, *cogi Iudæos ad sacrificandum per satrapas regis Antiochi:* non tamen abstulerant eis voluntatis libertatẽ, quò minus imputabatur eis ad culpam, qui coacta sacrificia compleuerunt.

ARTICVLVS DECIMVSNONVS.

CAPVT VLTIMVM D. MARCI VT CANONICAM SCRIPTVRAM VALERE AD ECCLESIASTICA DOGMATA CONFIRMANDA.

DVBITANT.

Anno post natũ Christũ 400.

HIERONYMVS lib. 2. aduersus Pelagianos cap. 6. *In quibusdam exemplaribus, maximè in Græcis codicibus, iuxta Marcum, in fine Euangelij scribitur:* Postea cùm accubuissent vndecim Apostoli, apparuit illis Iesus, & exprobrauit incredulitatem, & duritiam cordis eorum, qui eis, qui viderant eum resurgentem, non crediderunt. Epistola 150. ad Hedibiam quæst. 3. quæ causa sit, vt de resurrectione Domini, & apparitione Euangelistæ diuersa narrauerint: *In quibus primùm quæris, cur*

Matthæus

Matthæus dixerit: Vesperæ autem Sabbati illucescente, in vna Sabbati Dominum surrexisse: *& Marcus mane resurrectionem factam esse commemoret, ita scribens*: Cùm autem resurrexisset vna Sabbati mane, apparuit Mariæ Magdalenæ, de qua eiecerat septem dæmonia: *& illa abiens nuntiauit iis, qui cum ea fuerant, lugentibus & flentibus, illi q; audientes, quòd viueret, & quòd vidisset eum, non crediderunt ei. Huius quæstionis duplex solutio est. Aut enim non recipimus Marci testimonium, quod in raris fertur Euangelijs, omnibus Græciæ libris penè hoc capitulum in fine non habentibus: præsertim cùm diuersa atque contraria Euangelistis cæteris narrare videatur. Aut hoc respondendum, quòd vterque verum dixerit: Matthæus, quando Dominus surrexerit vespere Sabbati: Marcus autem quando eum viderit Maria Magdalene, id est, mane prima Sabbati.*

1080. *Euthymius in explicatione huius capitis, statim post illa verba:* Nemini quicquam dixerunt, timebant enim, *&c. Quidam interpretum asserunt, hoc in loco completum esse Marci Euangelium: quæ verò sequuntur, recentiorum additionem esse. Oportet tamen hæc explanare, cùm veritati nihil repugnent.*

1520. *Thomas Caietanus ad caput 16. Marci*: Surgens autem Iesus.) *Aduerte hîc prudens lector, Hieronymum habere dubium hoc capitulum. In epistola siquidem ad Hedibiam subiungit hæc verba*: Aut enim nõ recipimus Marci testimonium, *&c. vt supra: Quæ ideò attulerim, vt intelligamus, quàm variè habeatur capitulum hoc. Et reuera nonnulla sunt in hoc capitulo, quæ in nullo alio Euangelista habentur. Nihil tamen ego video manifestè contrarium alijs Euangelistis. Nec quisquam mente compos asserere aut credere potest, hoc vltimum, quod habetur apud Marcum capitulum, totum adiectitium esse, nisi aliud, quo caremus, perditum fuerit, &c.*

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Clemens Romanus. 80.

Constitut. Apostolic. lib. 8. cap. 1. De charismatibus, quæ ipse per Spiritum sanctum tribuit omnibus simul, dicit: *Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequẽtur: In nomine meo dæmonia eijcient, linguis loquentur nouis, &c.*

Prochorus. 120.

In historia Ioannis Apostoli c. 1. Præcepit Christus Dñs discipulis suis, antequam in cælum ascenderet, dicens: *Ite in mundum vniuersum, & prædicate Euangelium omni creaturæ, & baptizate omnes gentes, quæ voluerint credere.*

Tatianus. 170.

In Harmonia Euangeliorum cap. 101. *Et profecti prædicauerunt vbique, Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis.*

Irenæus. 180.

Lib. 3. cap. 11. In fine autem Euangelij ait Marcus: *Et quidẽ Dominus Iesus postquam locutus est, receptus est in cælos, & sedet ad dextram Dei.*

Ammonius Alexandrinus. 230.

In Harmonia quatuor Euangelistarum: Hæc dicens receptus est in cælum, sedetq́ue ad dextram Dei. At discipuli Dominicis obtemperantes iussibus, cęlestem doctrinam in orbem vniuersum diuulgărunt, & Dominicam opem semper circa se, ad eum modum, quo prædixerat ille, præsentẽ senserunt, Marci 16.

Dionysius Alexandrinus. 260.

Epistola de tempore, quo Christus ex mortuis resurrexit: Confirmat & illustrat hæc omnia etiam Marcus, dum inter cætera ita scribit: *Maria Magdalena, & Maria Iacobi, & Salome emerunt aromata, vt venientes vngerent Iesum. Et valde mane vna Sabbatorum veniunt ad monumentum, orto iam sole.* Valde enim mane & hîc quoque Euangelista ponit. Est autẽ idem valde mane, quod valde diluculo. Neminem autem turbet, quod addit: *orto iam sole.* Nam etsi valde mane, hoc est summo diluculo iter ingressæ essent, & fortè ad monumentum quoque venissent: attamẽ dum in via morãtur, & circa sepulchrum versantur, & occupantur, sol exoriri, primosq́ue radios spargere cœpit. Subiungit hîc porrò: adolescentem stola candida indutum visum, qui dixerit: *Surrexit, non est hic.*

Eusebius Cæsariensis. 320.

De demonstratione Euangelica libro 1. cap 6. Et hæc ipsa sunt, quę suos discipulos Christus Dei, vt omnibus gentibus nuntiarent, hortabatur, dicens: *Euntes disciplinam vestram tradite omnibus gentibus, docentes eas seruare omnia quæcunque præcepi vobis.*

Lib. 10. cap. 8. Hoc ipsum Marcus quoque ostendit, sic dicens: *Et valde mane vna Sabbatorum veniunt ad monumentum, orto iam sole, & dicebant ad inuicem: Quis reuoluet nobis lapidem ab ostio monumenti? Erat quippe magnus valde: & veniunt, & inueniunt illum reuolutum.* Erat autem iam tum excitatus.

Athanasius. 340.

Sermone in illud: *Profecti in pagum*: Terrebantur dæmones, cùm viderent pullum vinculis eximi, conturbabantur inter se aduersariæ Potestates, quæ nos in captiuitatẽ abegerant. Verùm cùm superuenisset Dominus Iesus, eiusq́ue præsentiam agnoscerent, in metum coniecti sunt, cùm audirent eum ad discipulos loquentem: *Ecce dedi vobis potestatem calcandi serpentes, & scorpiones, & contra omnes vires inimici.*

De diuinæ Scripturæ Synopsi lib. 2. de Euangelio secundùm Marcum: Venerũt mulieres ad sepulchrũ post Sabbatum aromata ferentes, vident Angelum in monumento, & perterrefiunt. Postea apparuit duobus in via, & deinde vndecim: quibus etiam incredulitatem exprobrauit, & misit eos prædicatum & baptizatum, & potestatem dedit faciendorum signorum. Post ista assumptus est.

Cyrillus Hierosolymitanus. 370.

Catechesi 14. Lętari conuenit de resurgente. Venit Maria quęrens, vt est in Euangelio, & non inuenit, &c.

Gregorius Nyssenus. 380.

De Christi Resurrectione oratione 2. Quid autem λίαν πρωΐ, id est, *valde mane*, sit, explicans Marcus, adiecit: *Orto sole. Et dicebant ad inuicem: Quis reuoluet nobis lapidem ab ostio monumenti, & sublatis oculis vident lapidem reuolutum. Erat enim magnus valde*, &c. Quod apud Marcum scriptum est: *Ac Dominus quidem postquam locutus fuisset iis, assumptus est in cælum, & sedit à dextris Dei*, intelligendum est accidisse quadragesimo die, secundũ id, quod in Actis memoriæ proditum est.

Ioannes Cassianus. 430.

De Incarnatione Domini libro 7. cap. 20. Audiamus ipsum Dominum ad discipulos loquentem: *Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmones eijcite.* Et iterum: *In nomine meo dæmonia eijcietis.* Matt. 10. Mar. 16.

Victor

Victor Antiochenus. 460.

Ad caput 16. Marci: *Surgens Iesus manè prima Sabbati apparuit primò Mariæ Magdalenæ*, &c. Hoc illi aduersari videtur, quod legitur apud Matthæũ: hic enim vespere Sabbati Dominũ resurrexisse scribit: propterea comperti sunt, qui hunc locum à falsarijs vitiatum existiment. Verùm ne ad id hic confugere videamur, ad quod cuiuis confugere promptum est, Marci cõtextum vno duntaxat commate, ab ea, quam offert, difficultate vindicare possumus. Itaq; locum hunc Euangelistę ita legamus, vt proximè post vocẽ *Iesus*, virgulã subijciamus, ad hunc modum: *Surgens autem Iesus*: mox verò subdamus: *Manè prima Sabbati apparuit primò Magdalenæ*, ita vt illud: *Surgens autem Iesus*, reijciamus ad id, quod apud Matthæum de vespere Sabbati legitur: (tũc enim ipsum resurrexisse credimus:) quod hinc autem consequitur, nempe illud: *Manè prima Sabbati*, (quòd alteram sententiam auspicetur) ad sequentia transmittamus. Marcus ergo Mariam Magdalenam Iesum, quem Matthæus vespere Sabbati exuscitatum commemorat, manè vidisse narrat.

Procopius Gazæus. 530.

Ad caput 12. Esaiæ: Sed in istos, qui Christi puer est, vir simplex aliquis, & malitia puer, Saluatoris virtute fretus, manum immittit, quibus nulla est nocendi potestas, propter eum, qui de radice Iesse egressus, pueris suis serpẽtes & scorpiones conculcandi facultatem largitus est.

Anastasius Synaites. 580.

Lib. 3. Hexameron: Cuius fructus semen est Euangelica prædicatio, facta ex ipso fructu, & procedens in terram dilatata, & dispersa, quando mandauit discipulis: *Ite, & prædicate Euangelium omni creaturæ.*

Georgius Presbyter. 600.

In vita Theodori Archimandritæ: Qui ab Eliseo Propheta inuocatus est Deus, cùm mors esset in olla, idem vera pollicetur: *Et si mortiferum quid*, inquiens, *biberitis, non vobis nocebit.*

Ioannes Damascenus. 730.

Historiæ Barlaam & Ioasaphat cap. 10. Quocirca, inquit, *si credideris, & baptizatus fueris, saluus eris: sin autem non credideris, condemnaberis.*

Theophylactus. 900.

Ad caput 26. Marci: *Et valde mane.* Id Matthæus vesperam Sabbatorum, & Lucas profundum diluculum dicit. Surrexerunt, & veniunt ad monumentum, & disceptabant: *Quis reuoluet nobis lapidem?* Cumq; illę cogitarent, Angelus reuoluit lapidem, non sentientibus mulieribus.

Simeon Metaphrastes. 970.

De rebus gestis S. Thomæ c. 10. Deinde, vt dicã cum diuino Euangelio, *Domino adiuuante, & sermonẽ confirmante per signa consequentia*, paulatim ad veram fidem accesserunt.

Nicetas. 1200.

In orationem 38. Nazianzeni: A Patre in vitam reuocatus, ac susceptus fuisse dicitur, vt cùm ait Paulus: *Deus autem & Dominus à mortuis excitauit, & nos excitabit.* Et Marcus: *Dominus*, inquit, *postquam ipsis locutus est, receptus est in cælum.*

Ioannes Cantacuzenus. 1360.

Apologia 2. Die quadragesimo abijt Christus cum Apostolis in montem Oliuarum, & dicit illis: *Euntes in mundum vniuersum, prædicate Euangelium vniuersæ creaturæ*, &c. *Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur: In nomine meo dæmonia eijcient*, &c.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Tertullianus. 200.

De Præscriptionibus aduersus hæreticos cap. 30. Sic enim Christus Apostolis solet facere: dare illis præterea virtutem eadem edendi signa, quæ & ipse. Mar. 16.

Ambrosius. 370.

Ad caput 2. Lucæ: Denique postea his dicitur: *Ite in orbem vniuersum, & prædicate Euangelium*, vt Euãgelicæ prædicationis vestigium proferentes, toto Dominicorum seriem circumferrent orbe gestorum.

De Spiritu sancto libro 2. Hos, quos Deus posuit in Ecclesia, Christus elegit, & Apostolos ordinauit, & in orbem direxit, dicens: *Ite in orbem vniuersum, & prædicate Euangelium omni creaturæ: qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur. Signa autem credentes ista sequentur: In nomine meo dæmonia eijcient*, &c.

Hieronymus. 390.

Epistola 53. ad Riparium aduersus Vigilantium: Ergo & Domini corpus in sepulchro positum immundum fuit? & Angeli, qui candidis vestibus vtebantur, mortuo cadaueri atque polluto præbebant excubias, vt post multa secula Dormitantius somniaret, imò eructaret immundissimã crapulam, & cum Iuliano persecutore Sanctorum Basilicas destrueret?

Ruffinus. 390.

Ad Psalm. 75. Mirabiliter, id est, cũ signis & prodigijs, sicut scriptum est: *Illi autem prædicauerunt vbique Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis.*

Augustinus. 400.

De consensu Euangelistarum libro 3. cap. 25. Hanc secundam Domini visionem erga discipulos factam, id est, quam secundo loco Ioannes commemorârat, apud Marcum possemus agnoscere, breuiter eam, sicuti assolet, perstringentem, nisi moueret, quod ibi ait: *Nouissimè recumbentibus illis vndecim apparuit*: non ideo quia Ioannes tacuit *recumbentes*: potuit enim hoc prętermittere: sed quia iste dixit: *nouissimè*, quasi vltra iam non eis apparuerit, cùm adhuc Ioannes tertiam sit eius narraturus demonstrationem ad mare Tiberiadis: deinde quòd dicit idem Marcus: *Exprobrans illis incredulitatem illorum, & duritiam cordis, quia his, qui viderant eum resurrexisse, non crediderant.* Nam ita contexit narrationem idem Marcus, cùm commemorasset breuiter de duobus illis, quibus apparuit in villam euntibus, quòd nuntiassent cæteris, nec illis creditum esset: *Nouissimè*, inquit, *recumbentibus illis vndecim apparuit, exprobrans incredulitatem eorũ, & duritiam cordis, quia his, qui viderant eum resurrexisse, non crediderant*, &c.

Philippus Presbyter. 430.

Ad caput 37. Iob: Fac igitur quod præcepit cęteris nubibus, dicens: *Ite in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ.*

Petrus Chrysologus. 440.

Sermone 83. de nona Christi manifestatione facta recumbentibus vndecim discipulis: Hodie beatus Euangelista sic retulit, Apostolos in ipso crucis tempore mensis deditos, Dominicæ passionis oblitos: *Recumbentibus*, inquit, *illis vndecim apparuit Dominus. Recumbentibus*: Vbi? ad sepulchrum Domini, mox

ad men-

ad mensam seruit? &c. Hinc dicit Dominus: *Ite in mundum vniuersum, prædicate Euangelium vniuersæ creaturæ*, &c.

Arnobius Romanus. 440.

Ad Psalm. 64. Quando parasti omnes in veritate tua, quid dixisti? *Prædicate Euangelium omni creaturæ: signa autem credentibus hæc ostendatis: infirmos curabitis, cæcos illuminabitis, mortuos suscitabitis.*

Leo Primus. 450.

Epistola 61. ad Theodoretum: Quinimò ab incredulorum corde perierat immortale mysterium: quia nihil prodest tanta salus incredulis, ipsa veritate suis dicente discipulis: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur.*

Prosper. 460.

De vocatione gentium lib. 2. cap. 3. Magnum sacramenti mysterium est, quod prædicatoribus, quibus dictum est: *Ite in orbem vniuersum, & prædicate Euangelium vniuersæ creaturæ*, ijsdem prius dictum fuerat: *In vias gentium ne abieritis.*

Primasius. 540.

Lib. 4. in Apocalypsin cap. 13. Hoc præcipuè signum Dominus quoque commendat, dicens: *Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur: In nomine meo dæmonia eijcient, linguis loquentur nouis*, &c.

Gildas Badonicus. 560.

De excidio Britannico, in Præfatione: Audiebam sanè: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit: qui autem non crediderit, condemnabitur.*

Fortunatus. 570.

Vitæ S. Medardi cap. 19. Comprobatur in hoc sancto pastore veridica Saluatoris nostri sententia, quam eius ex ore sancta & Euangelica nos docet historia: *Signa*, inquit, *eos, qui credunt in me, hæc sequentur: In nomine meo dæmonia eijcient, linguis loquētur nouis, serpētes tollent, & si quid mortiferum biberint, non nocebit eis.*

Gregorius Magnus. 590.

In Iob lib. 6. cap. 8. Vnde & discipulis veritas dicit: *Euntes in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ.*

Homilia 29. super Euangelia *finem huius capitis ex professo explicat.*

Isidorus Hispalensis. 620.

De diuinis Officijs lib. 2. cap. 24. Nequaquam baptismi sanctificatur officio, nisi qui sub Trinitatis tingitur sacramento, sicut Dominus ait: *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, &c.

Hildephonsus Toletanus. 660.

De Virginitate cap. 7. Quare non credis Marco dicenti: *Et Dominus quidem Iesus, postquam locutus est discipulis, assumptus est in cælum, & sedet à dextris Dei?*

Beda. 700.

In Commentarijs in Marcum *vltimum hoc caput pro authentico agnoscit, & totum explicat.*

Alcuinus. 750.

Ad caput 6. Ioannis: Discipuli apposuerunt turbis, quando prædicauerunt vbique *Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis.*

Ambrosius Ansbertus. 770.

Lib. 3. in Apoc. Bene autem iustorum Ecclesia per nubem figuratur: quia prædicatores eius & verbis pluunt, & comminationibus tonant, & miraculis coruscant. De quibus per Euangelistam dicitur: *Illi autem profecti, prædicauerunt vbique, Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis.*

Haymo. 800.

Homilia in Ascensionem Domini *finem huius capitis pro authentica historia agnoscit, & interpretatur.*

Concilium Parisiense. 829.

Cap. 1. Discipulis Dominus ait: *Euntes in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ: qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit.*

Angelomus. 830.

1. Regum 2. Hinc in Apocalypsi scriptum est: *Et de throno præcedebant fulgura*, hoc est, quod Marcus ait: *Illi autem profecti prædicauerunt vbique, Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis.*

Eulogius Cordubensis. 860.

Memorialis Sanctorum lib. 1. Et Dominus quidem ad officium prædicandæ veritatis discipulos inducens, impauida eos audacia iubet esse contentos, dicens: *Euntes per vniuersum mundum, prædicate Euangelium omni creaturæ, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti: qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit: qui non crediderit, condemnabitur.*

Smaragdus. 970.

In explicatione Euangeliorum *hanc historiam agnoscit, probat, & explicat vt authenticam.*

Radulphus Ardens. 1050.

In explicatione huius Euangelij *idem facit.*

Algerus. 1070.

Libro 3. de Sacramento cap. 7. Cùm Dominus dicat in Euangelio: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit*, & sola fide sine Baptismo saluentur homines, vt latro: & solo baptismate sine fide, vt pueri: sed tunc tantùm, cùm non contemptus religionis, sed articulus necessitatis alterutram excludit.

Rupertus Tuitiensis. 1120.

De Diuinis officijs lib. 9. cap. 8. Hæc itaque solicitudo nobis gaudium præsens imperfectum reddit, cuius summam solus in Euangelio Marcus perscribit: Nam cùm dixisset: *Et Dominus quidem Iesus, postquam locutus est eis ascendit in cælum*, addidit hoc: *Et sedet à dextris Dei.* Summa quippe gaudij nostri est, quòd vera carnis nostræ natura, in illo nos hominis Filio præcedens, consedit à dextris Dei, &c.

Bernardus. 1130.

Sermone 1. de Ascensione Domini *agnoscit, probat, & explicat finem Euangelij D. Marci.*

Hugo Victorinus. 1130.

De Sacramentis fidei lib. 2. parte 6. cap. 7. *Qui crediderit*, inquit, *& baptizatus fuerit, saluus erit.* Ecce ergo dubium non est, quin vbi fides est, & baptismus est, salus sit. Et quid sequitur? *Qui verò non crediderit*, & baptizatus non fuerit, *condemnabitur*: sicut dixerat, *qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit?* Quare? nisi quia credere voluntatis est, & quia fides credere volenti deesse non potest.

Institutionis monasticæ Sermone 54. Hinc est quòd recumbentibus vndecim Apostolis ait: *Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur: In nomine meo dæmonia eijcient, serpentes tollent, & si quid mortiferum biberint, non eis nocebit.*

Petrus Cluniacensis. 1150.

Libro 2. contra Iudæos cap. 4. Audite quid de vniuersis verè credentibus à Christo iam passo, mortuo, & suscitato dicatur: *Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur, linguis loquentur nouis*, &c. Mar. 16.

Godfridus Viterbiensis. 1170.

Parte 14. Chronicorum, de Ascensione Domini:

Tunc linguis vbicunque nouis mea iussa loquentur,
Quorum dæmonia sermonibus eijcientur,

Serpentes

Serpentes tollent, eijcientq; febres.
Mortiferum si quid biberint, non vsque nocebit:
Sermo meus signis magis & virtute patebit,
Gratia de cælis plena fauebit eis.

Innocentius Tertius. 1200.

Libro 6. mysteriorum Missæ cap. 1. Præsentamus ei patenam, id est, cor patens latitudine charitatis, in obsequium sepulturæ, iuxta quod legitur: *quia mulieres emerunt aromata, vt venientes vngerent Iesum: & valde manè vna Sabbatorum veniunt ad monumentum, orto iam solo. Et dicebant ad inuicem: Quis reuoluet nobis lapidem ab ostio monumenti?*

Hugo Cardinalis. 1240.

In Commentarijs *caput vltimum Marci agnoscit, probat, & explicat.*

Nicolaus Lyranus. 1320.

In Commentarijs *caput vltimum Marci agnoscit, probat, & explicat.*

Porchetus Saluaticus. 1360.

Parte prima victoriæ contra Iudæos cap. 22. Verbò instituit Christus baptismum post resurrectionem suam, quando ait Apostolis Marci vltimò: *Euntes in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ. Qui crediderit, & baptizatus fuerit*, &c.

Dionysius Carthusianus. 1460.

In Commentarijs *caput vltimum Marci agnoscit, probat, & explicat.*

ARTICVLVS VIGESIMVS.

HISTORIAM LVCAE XXII. DE SVDORE CHRISTI SANGVINEO, ET ANGELO IPSVM CONFORTANTE, VT AVTHENTICAM SCRIPTVRAM VALERE AD ECCLESIASTICA DOGMATA CONFIRMANDA.

DVBITANT, AVT NEGANT.

Anno post natū Christū.

350. HILARIVS lib. 10. de Trinitate: *Nec sanè ignorandum nobis est, & in Græcis, & in Latinis codicibus quamplurimis, vel de adueniente Angelo, vel de sudore Christi sanguineo nihil scriptum reperiri. Ambigentibus igitur, vtrum hæc in libris varijs aut desint, aut superflua sint, incertum hoc nobis relinquitur de diuersitate librorum.*

390. Hieronymus lib. 2. aduersus Pelagianos cap. 6. *In quibusdam Exemplaribus tam Græcis, quàm Latinis inuenitur, scribente Luca:* Apparuit illi Angelus de cælo, confortans eum *haud dubium, quin Saluatorem.* Et factus in agonia prolixius orabat: factus est sudor eius sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.

600. *Armenij à sacris Euangelijs abstulerunt vocem illam, quæ dicit:* Et factus est sudor eius, sicut guttæ sanguinis in terram descendentes: *hoc esse imbecillitatis existimantes, non diuinæ maiestatis.* Nicon de pessima Armeniorum religione, & Euthymius in Panoplia.

1520. Thomas Caietanus ad caput 22. Lucæ: *Aduerte quòd Hieronymus non reputat omninò certam hanc Angeli apparitionem, eò quòd non inuenitur in omnibus codicibus Euangelij secundùm Lucam.*

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Dionysius Areopagita. 100.

Cælestis Hierarchiæ cap. 4. Omitto enim ea dicere, quæ sacrosanctis nostris traditionibus exponuntur, vt scilicet Iesum Angelus passioni proximum & orantem confortasse memoretur.

Iustinus Martyr. 150.

Dialogo cum Tryphone: Nam in libris, qui sunt ab eius discipulis, ipsorumq; sectatoribus compositi, memoriæ mandatum est, sudorem ipsius tamquam guttas sanguinis defluxisse in terram, eo deprecante, ac dicente: *Transeat, si fieri potest, poculū hoc.*

Tatianus. 170.

Harmoniæ Euangelicæ cap. 16. *Iterū secum abijt, & orauit. Apparuit autem illi Angelus de cælo, confortans eum: factus est in agonia, & prolixius orabat. Et factus est sudor eius sicut guttæ sanguinis decurrens in terram.*

Irenæus. 180.

Lib. 3. cap. 32. Si nihil sumpsisset ex Maria, nec lachrymasset super Lazarum, nec sudasset globos sanguinis.

Hippolytus. 220.

Ad Psal. 2. Homo est Christus, quando esurit, sitit, passionis calicem deprecatur, angoreq; & ægritudine confectus sudat, & ab Angelo cōfortatur.

Ammonius Alexandrinus. 230.

In Harmonia: Laborabat angore tāto Dominus, vt sudore eius sanguinolento tellus etiam maderet, cùm protinus è cælo vox Angelica auditur, quæ animum ac robur addidit.

Athanasius. 340.

De beatitudine Filij lib. 6. Si quis confitetur Filium Dei quasi phantasma sic in homine visum fuisse, anathema illi. Si quis confitetur verū hominem, quem assumpsit, non verè māducasse, aut bibisse,

aut sanguinem sudasse, anathema illi.

Gregorius Nazianzenus. 380.

Oratione 36. quæ est Oratio 4. de Theologia: De Christi oratione ad eum, qui à morte eũ saluum facere poterat, adhæc de agonia, & sanguineo sudore, atque oratione, & si quid aliud est eiusdem generis, pertractare supererat, nisi cuiuis exploratum esset, huiusmodi nomina perpetienti humanitati attribuenda esse, non diuinitati.

Epiphanius. 380.

Libro 3. cap. 32.

In Ancorato: Fleuit Christus, velut in Euangelio secundùm Lucam habetur, in exemplaribus incorruptis, & vtitur eo testimonio sanctus Irenæus in opere contra hæreses, aduersus eos, qui Christum in apparẽtia apparuisse dicunt. Verùm orthodoxi quidam sustulerunt verbum, timentes, & non intelligentes ipsius finem, ac vim & robur: Constitutus enim Christus *in anxietate sudauit, & fuit sudor ipsius velut guttæ sanguinis, & conspectus est Angelus confortans eum.*

Ioannes Chrysostomus. 400.

Extat in 6. Synodo Constant. act. 10.

Sermone de S. & consubstantiali Trinitate: Dominus prætexebat formidinem, vt cùm diabolus ipsum quasi hominẽ aggrederetur, inueniret Deum, qui illũ interimeret, & liberaret omnes, qui ab eo detinebantur in inferno. Sic enim ait: *Apparuit Angelus confortans eum* Qui ab Angelis adoratur, & *cui flectitur omne genu cælestium, terrestrium, & infernorum,* quo pacto ab Angelo robur accipiebat? Nõ robur accepit, sed glorificationem Angeli dicentis: *Tuum est regnum & imperium Domine.*

Sermone: *Pater, si possibile est, transeat à me calix iste:* Postremò etiam ad crucem veniens, finit eã, quæ carnis sunt, patiri: ideò enim & guttę sudorum de ea cadebant, & Angelus inueniebatur eam sustentans, & tristatur, & hæsitat.

Ioannes Cassianus. 430.

Collationis 5. cap. 25. Quem statum Dominus quoque inter illarum supplicationũ formulas, quas vel solus in mõte sedens, vel tacitè fudisse describitur, similiter figurauit, cùm in orationis agonia constitutus, etiam guttas sanguinis inimitabili intentionis profudit exemplo.

Theodoretus. 450.

Dialogo 3. Dominus Christus dixit D. Paulo in carcere incluso: *Noli timere Paule,* & quę sequũtur. Is autem, qui ab eo timorem expulit, passionem timuit, vt beatus Lucas dixit, vt etiã cruentæ guttę ex toto corpore ,pmanarẽt, & terrã corpori subiectam irrogarent, ipsęq; ab Angelico auxilio cõfirmaretur. Sunt autem hęc contraria. Quemadmodum enim non sunt cõtraria timere, & timorem expellere? Veruntamen non sunt contraria: Idem enim est & Deus natura, & homo. Et vt Deus quidem ijs animum addit, qui opus habẽt, vt ijs animus addatur: vt homo autem ab Angelo fidenti animo esse monetur, & ab eo audaciam & confidentiam accipit; licet & diuinitas & Spiritus vnà adesset, vt vnctio: sed nec coniuncta diuinitas, nec sanctus Spiritus tunc corpus aut animam sustentârunt, sed Angelo hoc ministerium permiserunt. Et tristis quidem fuit anima, sudauit corpus, vt etiam cruentæ guttę ex nimio timore promanarent.

In Epitome diuinorum decretorum lib. 5. capite: Quòd Dominus susceperit supplicia: Hunc Christi timorem docuit Lucas apertius. In tanta enim agonia fuisse scribit, vt cruentus esset sudor eius corporis: *Fuit enim,* inquit, *eius sudor tanquam guttæ sanguinis.* Hoc autem etiam adiecit, quòd Angelus veniens confirmauit ipsum.

Basilius Episcopus Seleuciæ. 450.

De Lazari exuscitatione oratione 3. Et quidõ Matthæus, Marcus, & Lucas, per tremorem, & agoniam, & sanguineum sudorem, rei huic fidẽ faciũt.

Matth. 26. Marc. 14. Lucæ 22

Titus Bostrensis. 460.

Ad cap. 22. Lucæ: *Et factus est sudor eius.* Vt verum se hominem esse omnibus planum faciat, eamqúe luctam & agoniam ex diuina natura non prouenire ostendat, sudauit: *Factus est enim sudor eius sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.* Sub qua vtique re magnum sacramentum tectum latebat. Nam licet ingenti terrore quispiam concutiatur, summeqúe meticulosus habeatur, non ideo tamen ob solum metum, vel ob solam illam animæ luctam sanguine sudare solitus est. Ea propter sanguineo sudore perfundi, res est planè præter naturam. At placuit nihilominus Christo, vt hoc quoque in se fieret, quo nimirum timiditatis fons, pauorisqúe fluxus, qui naturæ nostrę cohærebat, hoc modo abstergeretur. *Apparuit autem illi Angelus de cælo, confortans illum.*) Non ideò id factum est, quòd is, qui ab vniuersa cælestium Virtute non absque timore, ac tremore glorificatur, & adoratur, Angeli confortatione egeret: verùm vt illud impleretur, quod in Mosis cantico ea de re proditum extabat, nempe illud: *Et confortent illum omnes filij Dei.*

Sexta Synodus Constantinopolitana. 680.

Actione 9. Nec in hoc solùm demonstratio stetit, sed circumferens eandem carnem, permittit eam, quæ contemptibilia sunt naturę, sustinere, & esurire, & sitire, & dormire, atque fatigari: ad extremum & ad crucem veniens, reliquit eam, quæ carnis sunt, pati. Propter hoc enim & guttæ sudorum descendebant de ea, & Angelus inueniebatur eum confortare, & tristatur, & æstuat.

Cæsarius. 760.

Dialogo 1. Quomodo æqualis Patri secundùm diuinitatem est Christus angori & sudori obnoxius, & ab Angelo confirmatus, quemadmodum de ipso Lucas inquit? Resp. Per hæc manifestò docemur, non imaginariè, nec hominum opinione, sed reipsa potius vnitum esse viuum illum, & per se subsistentem sanctum Deum Sermonem.

Theophylactus. 900.

Ad cap. 22. Lucæ: Quod ab humana natura fuerit orare, quę iuxta permissionem patiebatur communem affectionem, qua amamus vitam, & non à diuinitate, sicut dicunt Ariani, manifestum est ex hoc, quòd sudauit, idq; cum tanta anxietate, ita vt planè, iuxta parœmiã, sanguinis guttę ex eo cecíderint. Parœmia enim est in his, qui valde laborant, ita vt sanguinem sudent, sicut & in his, qui amarè flent, dicimus quòd sanguinem fleant. Hoc igitur voluit manifestare Euangelista, quòd non tenuibus quibusdam humoribus, & veluti ostentationis gratia apparentibus, sed magnis guttis sudorem stillauerit, & collegerit secũ riuos sanguinis Hinc igitur manifestum, quòd natura illa, quę sudabat, & in agone erat, humana ista fuit, nõ diuina: quia & humana natura permissa est hæc pati, & sic passa est. *Visus est autem ei Angelus confortans eum,* idq; ad nostram consolationem, vt orationis virtutem discamus, quòd confortet.

Suidas. 970.

In voce Θρόμβος: In tantum angorem passa est natura diuina humanitatem incidere, vt concretum sanguinem sudaret.

Euthymius. 1080.

Ad caput 26. Matthæi: Lucas latius dixit, quòd *apparuit illi Angelus de cælo, confortans eum,* dicens videlicet ei tamquam homini, vt confortaretur ac roboraretur: *quodq; factus in agonia,* hoc est angore correptus, protendebat orationem: docens nos, vt in necessitatibus orationem protendamus. Et

quòd

quòd *factus est sudor eius sicut grumi sanguinis decurrentes in terram.* Grumi sanguinis, hoc est crassissimæ sanguinis guttę, significans non quòd sanguinem sudauerit, sed quòd crassos deduxerit sudores. Ne fictio videatur quod factum est, non in facie tantùm mœstitiam demonstrat, sed & manifestius hanc prodit, & orat frequentius, Angelusq; ei apparet ad fortitudinem exercens: & angore corripitur, ac protendit orationem, crassíque defluunt sudores.

Parte 2. Panopliæ titulo 20. Cùm mortis tempore legamus Christum orasse, & sudores tamquam guttas sanguinis ex proprio corpore profudisse, quæ naturam suæ carnis comprobarent, Armenij callidè sudores ex Euangeliorum libris deleuerunt, vt argumentum assumptę carnis ex Virgine, quod inde sumitur, euitaretur, & Seruatoris naturam hominum naturæ negarẽt esse similem.

Nicon.

De pessima Armeniorum religione: A sacris quoque Euangelijs abstulerunt vocem illam, quæ dicit: *Et factus est sudor eius sicut guttæ sanguinis in terram de scendentes;* hoc esse imbecillitatis existimantes, non diuinæ maiestatis.

Oecumenius. 1050.

Ad caput 2. epistolæ ad Galatas: *Et factus est sudor eius sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.* Ex quo apparet, quòd mirabilibus suspirijs & clamoribus cordis clamabat ad Deum. Ideo sanguis decurrebat in terram, quo pro Ecclesia orabat, & pro illa effundere sanguinem cupiebat.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Hieronymus. 390.

Lib. 2. contra Pelagianos c. 6. In quibusdã exemplaribus tã Græcis, quàm Latinis inuenitur scribente Luca: *Apparuit illi Angelus de cælo cõfortans eũ:* haud dubium, quin Saluatorem. *Et factus in agonia prolixius orabat: factusq; est sudor eius, sicut guttæ sanguinis decurrens in terram.* Saluator in passione ab Angelo confortatur, & Critobulus meus non indiget auxilio Dei, habens liberi arbitrij potestatem: & tam vehementer orabat, vt guttę sanguinis prorumperent ex parte, quem totum erat in passione fusurus.

Ruffinus. 390.

Ad Psal. 54. *Cor meum turbatum est.*) Hinc scriptum est in Euangelio: *Cœpit pauere, & tadere, atque tristis esse Iesus, & Angelus Domini confortabat eum:* atque vt se maximo timore percitum fuisse ostenderet, non semel tantùm, sed *ter orauit, & etiam in agonia factus prolixius orabat,* &c.

Augustinus. 400.

De consensu Euangelistarum lib. 3. Lucas prætermisit quoties orauerit: dixit sanè quod isti tacuerunt, & orantem ab Angelo confortatum, & prolixius orantis sudorem fuisse sanguineum, *& guttas decurrentes in terram.*

Philippus Presbyter. 430.

Lib. 1. in Iob: Nam cùm ex ea parte, qua homo erat, infirmaretur proximus passioni, Euangelista ait: *Apparuit Angelus Domini de cælo confortans eum.*

Eucherius Lugdunensis. 450.

Dominica infra Natiuitatem Domini: Quotiescunque Christus vel confortatur, vel tale aliquid agit, ómnia ad hominem referantur.

Prosper. 460.

Epigrammate 69.

Ferre parans Christus pœnã, mortemq; propinquam,
Inuictamq; suis ingenerare fidem,
Cum prece sanguineas fundebat corpore guttas,
Et pretium mundi sudor erat Domini.

Cassiodorus. 540.

Ad Psalm. 90. Quando humilia de ipso dicuntur, humanitati sunt fine dubio deputanda: quando aliquid potentius tonat, diuinis virtutibus conuenit applicari. Quod hìc & inferius vtrumque seruatum est. Nam quòd legitur Angelis mãdatum, vt eum custodiant, infirmitatis humanæ est, sicut Euangelium quoque testatur: *Apparuit illi Angelus de cælo confortans eum.*

Beda. 700.

Ad caput 22. Lucę: *Apparuit illi Angelus de cælo, confortans eum.* Si quid sibi hęresis ex hoc blanditur, vt infirmum affirmet, cui opus fuerit Angeli confortantis auxilio, meminerit Creatorem Angelorum creaturæ suæ non eguisse præsidio.

Et factus est sudor.) Nemo sudorem hunc infirmitati deputet, quia & contra naturam est sudare sanguinem. Neque ad hęresin infirmitatis pertinere vllo modo poterit, quod aduersus hæresin phantasma mentientem proficit, per sudorem sanguinis ad corporis veritatem. Sed potius intelligat per irrigatam, sacratamqúe eius sanguine terram, non sibi qui nouerat, sed nobis apertè declaratum, quòd effectum iam suę precis obtineret, vt fidem videlicet discipulorum, quam terrena adhuc fragilitas arguebat, suo sanguine purgaret.

Remigius Antissiodorensis. 880.

Ad Psalm. 90. *Quoniam Angelis suis mandauit de te* Deus Pater, id est, propter te, vt tibi subministrarẽt obsequium seruitutis. Vnde illud: *Apparuit Angelus confortans eum.* Hęc confortatio non fuit ad necessitatem, sed ad seruitutis exhibitionem.

Anselmus. 1080.

In Speculo Euangelici sermonis cap. 7. Et angustias quidem cordis tui certissimè indicabat sudor ille sanguineus, qui orationis tempore de sanctissima carne tua guttatim decurrebat in terram.

Rupertus Tuitiensis. 1120.

De diuinis Officijs lib. 5. cap. 13. De quo hac die legitur in passione secundùm Lucam hoc modo: *Et ipse auulsus est ab ijs, quantum iactus est lapidis, & positis genibus orabat, dicens: Pater, si vis, transfer calicem istum à me. Et factus in agonia prolixius orabat, & factus est sudor eius tamquam guttæ sanguinis decurrẽtis in terram. Apparuit autem illi Angelus de cælo confortans eum,* &c. Contremiscit Ecclesia tantorum mirabilium contemplatrix: nimirum omnium Angelorum hominumqúe Dominum procidisse, & in sudore sanguinis agonizari videns, humana corda hoc terrifico clamore percutit, ne quis audeat stare rigidus & elatus, cùm ille tantus in tam magna sese propter nos humilitate deijciens genua posuerit.

Drogo Hostiensis. 1130.

De Sacramento Dominicæ Passionis: Sed vtinam gutta, quæ de agone tuo sudat, vsque ad terram nostram decurrat, & aperiat terra os suum, & bibat illum, & clamat ad te, & tecum ad Patrem, melius quàm sanguis Abel.

Bernardus. 1130.

De Passione Domini cap. 37. Secunda sanguinis effusio Iesu Christi, qua passionis rosa coloratur, inuenitur in sudore sanguineo orantis, & agonizantis benigni Iesu. Ita enim ait Euangelista: *Et*

factus in agonia prolixius orabat, & factus est sudor eius sicut gutta sanguinis decurrentis in terram.

Potho Prumiensis. 1160.

De Statu domus Dei lib.4. Humani generis Conditor & Redemptor Angelorum Dominus paulo minus minoratus ab Angelis, his subesse dignatur. Nam cùm *factus in agonia prolixius oraret, apparuit ei Angelus de cælo confortans eum.*

Petrus Riga. 1170.

In Aurora de Euangel.

Orat idem rursus, fit sudor sanguinis, adstat Angelus, hinc orat tertiò rursus idem.

Innocentius Tertius. 1200.

Sermone 1. de Assumptione Mariæ: Audi Christi agonem: *Factus*, inquit, *in agonia prolixius orabat, & factus sudor eius sicut guttæ sanguinis cadentes in terram.*

Iacobus Vitriacus. 1220.

Dominica in ramis Palmarum : In illa anxietate *factus est sudor eius sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.* Non tamen credimus tantam fuisse anxietatem in eo, vel mortis horrorem, vt sudorem sanguineum emitteret. Istud enim non secundùm humanam potentiam, sed miraculosè factum est propter mysterium designandum, vt purgationem terrenorum in suo sanguine futuram ostenderet: sicut non secundùm cursum naturæ, sed miraculosè mystica aqua de latere eius profluxit. In illa autem agonia & anxietate *apparuit ei Angelus de cælo, confortans eum.* Sed nunquid fuit desolatus? nequaquam: quia non propriè dicitur desolatio, nisi vbi est mentis præ dolore exorbitatio. Confortari tamen voluit ab Angelo propter nos, qui tamen Angeli confortatione non indigebat, cùm tristitiam illam virtute diuinitatis potuit temperare, vel penitus amouere. Ad instructionem autem nostram hoc fieri ab Angelo voluit, vt nobis positis in pressuris ostenderet nobis Angelum deputatum, vel alium affore, qui nos consoletur.

Edmundus Cantuariensis. 1230.

In Speculo Ecclesiæ cap.26. Secundum, quod hic debes cogitare, est, quòd Christus die Cœnæ iuit in hortum, Patrem suum orauit, & præ tristitia mortis taliter sudauit, quòd guttæ sanguinis stillauerunt de facie eius benedicta, vsque ad terram.

Albertus Magnus. 1240.

Ad caput 22. Lucæ : *Apparuit illi Angelus.)* Hîc tangitur confortationis quidam modus. Dicit autem tria, modum scilicet Angelicæ confortationis, agoniam angustiosæ luctationis, & signum agoniæ, quod sudor sanguinis est. De primo dicitur: *Apparuit illi:* visibilem se faciens plus alijs longè stantibus, quàm Domino, cui semper Angeli sunt præstò obsequentes : *Confortans eum.)* Non quòd cõfortatione indiguerit, quia fortior tunc superuenit, & fortè alligauit, & vasa eius distribuit: sed quia Angelus administrationis suæ ostendit obsequium.

Richardus de Media Villa. 1280.

Libro 2. distinct. 12. quæst. 1. cap.4. Cùm Lucæ 22. legatur Angelus Christum confortasse, illa confortatio debet intelligi prò quadam assistentia amicalis reuerentiæ.

Nicolaus Lyranus. 1320.

Ad caput 22. Lucę: *Apparuit illi Angelus* :) Visione corporali in specie humana confortans eum per modum seruientis. Quod factum fuit ad fidem confirmandam discipulorum, quòd Christus sit maior Angelis ratione Deitatis. *Et factus in agonia prolixius orabat.)* Ostendens quòd in maiori necessitate debet homo magis orationi insistere. *Et factus est sudor eius sicut guttæ sanguinis.* Ex vehementi enim anxietate sensualitatis, quæ permittebatur agere & pati, quod erat sibi proprium, fiebat, vt non solùm humores exierunt per sudorem, sed cum hoc aliquid de sanguine sudorem tingente.

Ludolphus Saxo Carthusianus. 1330.

Vitæ Christi part. 2. cap. 59. *Apparuit ei Angelus.)* Visione corporali in assumpto corpore humano, consolans eum per modum seruiẽtis. Et cùm Dominus prolixius oraret, interim sudor feruentissimus, in modum sanguinis erumpens, in hac agonia vsque ad terram abundanter currebat.

Ioannes Gerson. 1420.

In Summa Theologica lib.6. de gaudijs Paradisi : Si obijciatur illud Lucæ 22. *Ecce apparuit ei Angelus de cælo, confortans eum.* Respondetur secundùm glossam Bedæ. In testimonium naturæ vtriusque & Angelus eum confortasse, & Angelus ei ministrasse describitur: non quòd confortaret eum confortatione potestatiua, sed solùm ministeriali, sicut armiger strenuum militem confortat.

Bernardinus Senensis. 1430.

Tomo 1. Serm. 55. Decurrit in terram sanguineus Christi sudor, ac rigatur terra diuino cruore, vt terra cordis pinguedine fœcundetur, &c. Primò contemplanda est vehemens Christi anxietas. Nam agonizante Christo *apparuit Angelus, confortans eum*, &c.

Raimundus Sebundius. 1430.

Dialogo 7. de mysterijs sacræ Passionis Domini nostri Iesu Christi : Considerans Dominus Iesus imminens & amarum mortis discrimen, ac tum vehementi anxietate permotus, inflammabatur corpus ac cor eius, vt apertis membrorum poris, sudor sanguineus profiliret. Et hæc quidem benignissimus miserator in figura morientis hominis vltro peregit, qui humanæ mentis certamen in se expressit.

ARTICV-

ARTICVLVS VIGESIMVSPRIMVS.

IOANNIS VIII. HISTORIAM MVLIERIS ADVLTERÆ, VT AVTHENTICAM SCRIPTVRAM, VALERE AD ECCLESIASTICA DOGMATA CONFIRMANDA.

DVBITANT, AVT NEGANT.

Anno post natũ Christũ

320. EVSEBIVS Cæsarienſ. lib. 3. cap. 33. Hiſtor. *Papias aliam narrat historiam de muliere, quæ multorum criminum apud Dominum esset insimulata: quam quidem Euangelium secundùm Hebræos complectitur.*

390. Hieronymus libro 2. aduersus Pelagianos cap. 6. *In Euangelio secundùm Ioannem in multis & Græcis & Latinis codicibus inuenitur de adultera muliere, quæ accusata est apud Dominum.*

500. *Nonnus Panopolitanus*, in Paraphrasi Euangelij Ioannis, *hanc historiam, vt spectam, nullo carmine transtulit.*

900. *Theophylactus*, in explicatione capitis 8. Ioannis, *eandem historiam tacitus præterit, & ne verbo quidem eius meminit.*

1080. Euthymius ad caput 8. Ioannis: *Scire*, inquit, *oportet, quòd ea, quæ ab hoc loco habentur, vsque ad cum, quo dicitur*: Iterum ergo locutus est eis Iesus dicens: Ego sum lux mundi: *in exactioribus exemplaribus, aut non inueniuntur, aut obelo confossa sunt, eò quòd illegitima videantur, & addita. Et huius argumentum est, quòd nullus ea sit interpretatus. Nobis tamen animus est & hæc declarare, quòd vtilitate non careant, sicut & caput de muliere in adulterio deprehensa, quod inter hæc ponitur.*

1516. Erasmus Roterodamus ad 8 caput Ioannis editionis primæ: *Historia de muliere adultera non habetur in plerisq; Græcis exemplaribus: in nonnullis adiecta erat in calce. Atque adeò Chrysostomus nullam huius facit mentionem, edisserens Euangelium Ioannis. Diuus Augustinus, cùm in hoc Euangelium diligenter & copiosè scripserit, hunc locum ne attigit quidem. Nos tamen, quoniam iam vbique recepta est, præsertim apud Latinos, nolumus suo loco mouere.* Sed parcit hîc veritati Erasmus, vt infra in Chrysostomo & Augustino patebit.

1520. Thomas Caietanus ad caput 8 Ioannis: *Aduerte quòd prima pars huius capituli, cum tota historia adulteræ, non est omninò authentica, quoniam non constat ipsam esse partem Euangelij. Vnde & Hieronymus libro 2. aduersus Pelagianos*: In Euangelio secundùm Ioannem, *&c. vt supra.*

1540. *Anabaptistæ contendunt hanc historiam ab audaculo quopiam ex Euangelio secundùm Hebræos, à Tatiano hæresiarcha condito, fuisse translatam.* Sixtus Senensis sacræ bibliothecæ lib. 7. hæresi 5.

1560. Theodorus Beza ad cap. 8. Ioannis: *Ad me quod attinet, non dissimulo mihi meritò suspectum esse, quod veteres illi tanto consensu vel reiecerunt, vel ignorârunt. Deinde quòd narrat Iesum solum fuisse relictum cum muliere in templo, nescio quàm sit probabile, & quòd scribit Iesum digito scripsisse in terra, nouum mihi & insolens videtur: neque possum coniicere, quomodo commodè possit explicari.*

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Clemens Romanus. 80.

Const. Apost. lib 2. c. 24. Alteram mulierem, quę deliquerat, cùm seniores ante Dominum sisterent, iudicio eidẽ relicto, egressi sunt. Dominus autem, qui corda nouit, percontatus eam, esset ne à senioribus condemnata, cùm negasset illa: *Abi igitur*, inquit, *neque ego te condemno.*

Tatianus adhuc Catholicus. 180.

In Harmonia Euangeliorũ: *Adducunt autẽ Scribæ & Pharisæi mulierem in adulterio deprehensam, & statuerunt eam in medio, & dixerunt ei: Magister, hæc mulier deprehensa est in adulterio.*

Ammonius Alexandrinus. 230.

In Harmonia Euangel. Ingresso templum Domino, Scribæ & Pharisæi adulteram in opere nefario deprehensam producunt, captiosè quærentes, quid fieri statueret. Porrò Iesus ita responsum tẽperauit, vt neq; illam absoluens Mosis legem abrogare, neque condemnans in tanta peccantium multitudine vindictam à sola hac paupercula expetere videretur. Ioan. 8.

Athanasius. 340.

In Synopsi lib. 4. de Euangelio secundùm Ioannem: Disputat cum ijs Nicodemus: illi verò compescunt eũ. Iesus rursus disputat cum ijs: ipsi contra verba eius subuertere conantur: subijcitur de muliere adulterij accusata.

Ioannes Chrysostomus. 400.

Homil. 60. in Ioan. Quòd autem hæc non discendi gratia interrogẽt, non hîc tãtùm, sed multis in locis perspicuũ est, vt cùm rogârũt, an liceret censum dari Cæsari, an lapidanda esset adultera, & cùm de ea, quæ septem viros habuisse deprehensa erat, percontati sunt? In quibus non discendi studium, sed maleuolam mentem præ se tulerũt, & tunc eos reprehendit.

Gennadius Scholarius. 1450.

De Primatu Papæ cap.5. Cauete ne id audiatis: *Qui vestrum est sine peccato, primus lapidem tollat*, id est, qui peccatū nō cōmisit, incipiat iudicare de peccato.

De sacrificio in Azymo: Cùm in adulterio deprehensam, & eos, qui de adulterio damnati essent, lex iuberet lapidari, Dominus dixit: *Qui ex vobis sine peccato est, primus lapidem iaciat aduersus eam.*

ASSERVNT PATRES LATINI.

Calixtus P. 218.

Epistola 2. Mundatur ergo homo à peccato, & resurgit gratia Dei lapsus, & in pristino manet officio. Videat ne amplius peccet, vt sententia Euangelij maneat in eo: *Vade, & amplius noli peccare.*

Ambrosius. 370.

Posterioris Apologiæ Dauid cap.1. Plerosque Psalmi 50. titulus fortasse offendit, quòd venerit ad Dauid Nathan Propheta, cùm intrauit ad Bethsabee: simulqúe non mediocrem scrupulum etiam mouere potuit Euangelij lectio, quæ decursa est, in quo aduertistis adulteram Christo oblatam, eandemq; sine damnatione dimissam. Nam profectò si quis ea auribus accipiat otiosis, incentiuū erroris incurrit, cùm legerit sancti viri adulterium, & adulteræ absolutionem, humano propemodum, diuinoqúe lapsus exemplo: quòd & homo putauerit adulterium esse faciendum, & Deus censuerit adulterium non esse damnandū, &c. Quomodo ista distinguimus? Esto tamen, Dauid petulanter errauit, nunquid & Christus errauit, vt putemus eum non rectum habuisse iudicium? Bene ergo, quasi ad eos Dauid hodie prophetauit, dicens: *Intelligite insipientes, & stulti aliquando sapite.* Quomodo enim Christus potuit errare? Fas non est vt hoc veniat in sensus nostros, &c.

Lib.7.epist.58. Ad omnia tamen accipe responsum Saluatoris. Nam cùm adulteram reperissent Iudæi, obtulerunt eam Saluatori captanter, vt si absoluereteam, videretur legem soluere, qui dixerat: *Non veni soluere legem, sed implere:* si damnaret, videretur aduersus finē venisse propositi sui. Hoc igitur præuidens Dominus Iesus, *inclinato capite scribebat in terra.*

Hieronymus. 390.

Ad Psalm. 36. Multos quidem dolos meditati sunt, cùm interrogarent si deberent censum dare Cæsari, an non: aut si mulier deprehensa lapidaretur? Sed tunc apertè dolum ingerunt, cùm falsos testes adducunt.

Ad Psalm.44. Veritas ipse Christus: quia ipse est veritas. Vnde de illa muliere dixit ad Iudæos: *Qui sine peccato est vestrum, prior in illam lapidem mittat.*

Libro 2. contra Pelagianos cap.6. *Etsi fatetur hanc historiam in aliquibus codicibus non reperiri, ipse tamen eam probans, ait:* Hoc quod dicitur, sine peccato, Græcè scriptum est ἀναμάρτητος. Qui ergo dicit, aliud esse sine peccato, & aliud ἀναμάρτητον: aut Græcum sermonem nouo verbo exprimat, aut si expressum est à Latinis, vt interpretationis veritas habet, perspicuum est ἀναμάρτητον nihil aliud esse, nisi sine peccato. Et quia accusatores omnes fugiunt, rursumqúe in terra scribens, terramqúe despiciens, paulatim discedere, & oculos illius declinare cœperunt; solusqúe remansit cum muliere: cui locutus est Iesus: *Vbi sunt, qui te accusabant? nemo te condemnauit? Quæ ait: nullus, Domine. Respondit ei Iesus: Nec ego te condemnabo. Vade, & amodò noli peccare.* Præcepit Dominus, ne vlterius peccaret, sicuti & alia similiter in lege mandauit. Sed vtrum ea fecerit, nec ne, Scriptura non dicit.

Ruffinus. 390.

Inuectiua 1. in D. Hieronymum: Oblata est Domino à Iudeis adultera, vt viderent quid de ea secundùm legem iudicaret. Ille misericors & misera-

tor Dominus dixit: *Si quis vestrum peccatum non habet, mittat super eam lapidem. Et tunc omnes*, inquit, *discesserunt.* Et Iudæi quidē, licet impij & increduli, tamen erubuerunt conscientias suas: ne, cùm ipsi essent peccatores, in peccatores viderētur vlcisci.

Augustinus. 400.

De adulterinis coniugijs lib.2. cap.6. Nunc autem postquam Christus ait adulteræ: *Nec ego te condemnabo, vade, deinceps noli peccare*, quis non intelligat debere ignoscere maritum, quod videt ignoscere Dominum amborum: nec iam se debere adulteram dicere, cuius pœnitentis crimen diuina credit miseratione deletum?

Cap.7. Ex illo sunt hominū numero, quibus Dominus ait: *Qui sine peccato est vestrum, prior in eam lapidem iaciat.*

Ad Psalm.50. Hęc fecit Dominus Iudæis, quando ad eum adulteram mulierem adduxerunt, proponētes laqueum tentationis, & in id, quod proposuerant, incidentes: *In adulterio*, inquiunt, *hæc mulier deprehensa est: Moses huiusmodi lapidari iussit. Tu de illa quid censes?* tamquam bicipiti muscipula tentant es capere sapientiam Dei, vt si iuberet occidi, perderet mansuetudinis famam: si autem iuberet dimitti, incurreret blasphemiam, tamquam reprænensor legis calumniandus. Quid ergo respondit? Non ait: Occidite: non ait: Dimittite, sed ait: *Qui se scit sine peccato esse, primus in illam lapidem iaciat.* Iusta lex, quæ iubet adulteram occidi: sed hęc lex iusta ministros habeat innocentes. Attendite quam adducitis, attendite & qui estis. Illi hoc audito, vnus post alterum discesserunt. Remansit adultera & Dominus, remansit vulnerata & medicus, remansit magna miseria & magna misericordia. Adducentes erubuerunt, nec veniam petiuerunt: adducta confusa est, & sanata. Ait illi Dominus: *Mulier, nemo te condemnauit? Et illa: Nemo Domine. Et ille: Nec ego te condemnabo, vade, deinceps iam noli peccare*, &c.

Tractatu 33. in Ioannem ex professo hanc historiam interpretatur.

Idacius. 430.

Aduersus Varimadum Arianum: Digitus Patris, digitus Filij, digitus Spiritus sancti. De Patre in Exodo: *Dixerunt Magi Pharaoni Regi: Digitus Dei est.* De Filio in Euangelio: *Et inclinans se Iesus, digito scribebat in terra.* De Spiritu sancto in Euangelio: *Si ego in digito Dei eijcio dæmonia, vtique appropinquauit in vobis regnum Dei.*

Petrus Chrysologus. 440.

Sermone 115. Hinc est fratres, quòd cùm in Euangelio à Scribis & Doctoribus Legis apud Dominum ista accusaretur adultera, auertit faciem suam Dominus, & declinauit in terram, ne crimen cerneret, quod puniret: & maluit, fratres, in pulueresscribere veniam, quam in carne scribere sententiam.

Leo Primus. 450.

Sermone 10. de Passione Domini: Dicit & Christus oblatæ sibi adulterę: *Nec ego te condemnabo, vade, & amplius noli peccare*, vt per omnia opera sua ostenderet, in illo aduentu suo Saluatorem mundi se veniſſe, non iudicem.

Eucherius Lugdunensis. 450.

Sabbato post tertiam Dominicam Quadragesimæ: Quòd Iesus digito scribebat in terra, tale erat, ac

si dice-

si diceret: Vos Legis mihi testimonia affertis, vos Legis mihi verba narratis, qui Legem ipsam non intelligitis.

Prosper. 450.

De vocatione Gentium libro 1. cap.8. Vnde adulteram ex Legis constitutione lapidandam & veritate liberauit & gratia: cùm executores præcepti de conscientijs territi, trementem ream sub illius iudicio reliquissent, qui venerat quærere & saluum facere quod perierat, & ideò *inclinatus*, id est, ad humana demissus, & in opus nostræ reformationis inflexus, *digito scribebat in terram*, vt Legem mandatorum per gratiæ decreta vacuaret.

Sedulius. 460.

Lib.3. Paschali:

Ecce trahebatur, māgna stipante caterua,
Turpis adulterij mulier lapidanda reatu,
Quam Pharisæa manus placido sub iudice sistens,
Dum damnare parat, plus liberat: omnibus illis
Nam simul è turbis proprio sine crimine nullus
Accusator erat, saxum qui missile primus
Sumeret, obscœnæ feriens contagia mœchæ.

Gelasius Papa. 490.

Aduersus Andromachum Senatorem: Nonne ipse Dominus, cùm adultera ad eum esset adducta, accusantibus dixit: *Si quis vestrum est sine peccato, prius in eam lapidem mittat?* Non ait: Si quis vestrum non similiter adulter est: sed, *si quis sine peccato est.* Quolibet ergo obstrictus quisque peccato, in alterius peccati reum lapidem nō audeat mittere. Quibus tunc pro sua conscientia discedentibus, mundi Saluator adijcit: *Mulier, vbi sunt accusatores tui? nemo te condemnauit? nec ego te condemnabo: sed vade, vlterius iam noli peccare.*

Gregorius Magnus. 590.

Lib.1. in Iob. cap.5. Cùm quidam deducta adultera Christum tentare voluissent, vt in culpam aut impiæ consuetudinis, aut iniustitiæ laberetur, ad vtraque responsit, dicens: *Qui sine peccato est vestrum primus in illam lapidem mittat*, dat simplicitatem mānsuetudinis. *Qui sine peccato est vestrum*, dat zelum iustitiæ, *primus in illam lapidem mittat.*

Lib.14. in Iob cap.13. Hinc est, quòd insidiantibus quibusdam, & puniendam adulteram deducentibus, dicitur: *Qui sine peccato est vestrum, primus in illā lapidem mittat.* Ad aliena quippe punienda peccata ibant, & sua reliquerant. Reuocantur itaque intus ad conscientiam, vt prius propria corrigāt, & tunc aliena reprehendant.

Isidorus Hispalensis. 620.

De Allegorijs noui Testamenti: Mulier adultera, quæ offertur à Iudæis Domino lapidanda, est Ecclesia ex Gentibus, quæ prius relicto Deo idolis fuerat fornicata: hanc volebat Synagoga zelans interfici, & Christus eam seruat per remissionem delicti.

Beda. 700.

Ad cap.31. Prouerbiorum: Non statim more Legis Mosaicæ peccantes punit, sed misericorditer ad pœnitentiæ remedia vocat. Cuius exemplum clementię ab ipso Deo & Saluatore nostro manifestè percepit, cùm oblata ei peccatrice muliere: *Si quis*, inquit, *sine peccato est, primus mittat in illam lapidem.* Et sic eam à crimine, quod patrārat, sub conditione amplius non peccandi miseratus absoluit.

In Commentarijs in Ioannem, cap.8. *probat, & ex professo explicat hanc historiam.*

Alcuinus. 750.

In Commentarijs in Ioannem cap.8. *Historiam hanc pro authentica agnoscit, & interpretatur.*

Rabanus Maurus. 850.

Lib.3. in Exodum: Pulchrè per digitos libri designantur: quia nimirum & tabulæ Legis digito Dei scriptæ esse referuntur, & in Euangelio Dominus, districtionem Legis temperaturus, *digito scribebat interram.*

Nicolaus Primus. 860.

Epistola 40. ad Carolum Regem: Denique tunc constat accusatorem examen subterfugere, quando se iustas posse querimonias habere desperat. Sic nimirum Iudæi lapidibus adulteram mulierem obrui debere putabant, vbi ad verum iudicium hanc detulerunt, & quod existimabant videre, non viderunt; & quod non putabant audire, audierunt, *confusi & reuersi discesserunt.*

Radulphus Flauiacensis. 970.

Lib.3. in Leuit. cap.4. Statuerunt adulteram coram eo, & Legis præcepto commemorato, quæsierunt ab eo quid decerneret. Si enim dimittenda, inquiunt, censuerit, cōtra Mosen dixisse probabitur: si lapidandam, immisericors ab omnibus, qui modò mansuetudinem illius amplectuntur, habebitur.

Radulphus Ardens. 1050.

De pluribus Martyribus: Quomodo enim adulter adulterum, auarus auarum, latro latronem damnare potest? Hinc veritas dicit: *Qui sine peccato est, primus in adulteram lapidem mittat.*

Rupertus Tuitiensis. 1120.

In Commentarijs in Ioannem *historiam de adultera pro authentica agnoscit, & explicat.*

Bernardus. 1130.

In Annuntiatione Dominica, præsertim cùm tertio Sabbato Quadragesimæ occurrit de adultera, Sermone 3. Considera an videri possit de tabula legisse, vnde refelleret Pharisæos: *Qui sine peccato est, primus in eam lapidem mittat.* Verbum quidem abbreuiatum, sed viuum & efficax, & ancipiti gladio penetrabilius. Meruit quidem adultera lapidari: sed is punire gestit, qui dignus est puniri, &c.

Hugo Victorinus. 1130.

De claustro animæ lib.4. cap.33. Si autem accusatus ab aliquo audit à magistro: *Vbi sunt qui te accusabant? Vade, & iam noli amplius peccare:* legit in libro gratiæ: *Iesus autem inclinans se deorsum, digito scribebat in terram.* Habes nunc scriptorem libri, & titulum: habes pennam & calamū: habes etiam pergamenum. Inclinatio est miserentis Dei condescensio: scriptor est Iesus, id est, Saluator: concurrūt hæc omnia, vt qui se inclinat saluet, quatenus qui condescendit salutem præstet.

Petrus Riga. 1170.

In Euangel.

Clementi mulier offertur adultera Christo,
Liuor Hebræus eam dum lapidare parat.
Hæc mulier notat Ecclesiam de gentibus ortam,
Quæ mœchata fuit, idola vana colens:
Quam voluit zelans Iudæa perire, sed ille
Qui fons est veniæ cuncta relaxat ei.

Innocentius Tertius. 1200.

Ad Psalm.3. pœnitentialem: Et ita tu solus es iustus punitor, cùm non sit in te, quod est in alio puniendum: quemadmodum Scribis & Pharisæis de muliere in adulterio deprehensa dixisti: *Qui sine peccato est vestrum, prior in eam lapidem mittat.*

Iacobus Vitriacus. 1220.

In capite ieiunij, in explicatione thematis ex Ioele Prophetæ: Non solùm peccare, sed & velle peccare damnabile est. Vnde Dominus ad mulierem (adulteram:) *Vade, & amplius noli peccare*, id est, peccandi voluntatem non habeas.

Guilhelmus Peraldus. 1250.

Dominica 17. post Trinitatem: Phariſæi obſcurârũt Saluatoris potentiam, cùm dicebant: *Hic in principe dæmoniorum eijcit dæmonia*: bonitatẽ verò, cùm *adduxerunt ei mulierem in adulterio deprehenſam*, Ioannis 8.

Bonauentura. 1260.

In Meditationibus vitæ Chriſti cap. 68. Cùm quædam mulier fuiſſet in adulterio deprehenſa, & ſecundùm Legem deberet lapidari, adduxerunt eam ad ipſum in templo, quærentes quid de ea faciendum eſſet: ſapiens autem Dominus, eorum retia cognoſcens, & declinare ſciens, *inclinauit ſe humiliter, & digito ſcribebat in terra.*

Guilhelmus Durandus. 1280.

Tractatu de modo generalis Concilij celebrandi, Tract. 1. part. 1. Cùm Dominus dicat in Euangelio Ioannis 8. *Qui ſine peccato eſt veſtrum, primus in illam lapidem mittat*, reuocari debent intus ad conſcientiam, &c.

Ludolphus Saxo Carthuſianus. 1330.

Vitæ Chriſti parte 1. cap. 73. Per mulierem in adulterio deprehenſam ſignificatur quælibet perſona Chriſto per fidem deſponſata, ſed poſtea per mortale peccatum cum diabolo adulterata: per Scribas verò & Phariſæos ſignificantur dæmones, qui dicuntur Scribæ, quia peccata noſtra retinẽt memoriter, tamquam firmiter ſcripta. Hi mulierem ad iudicium adducunt, quia damnationem hominum ſolicitè quærunt. Et quia Dominus *non vult mortem peccatoris, ſed vt magis conuertatur, & viuat*: ideo ei dicit: *Vade, & noli amplius peccare*, quia ſufficit tibi vera pœnitentia de præteritis, & cautela pro futuris. Ezech. 18

M. Antonius Sabellicus. 1480.

Lib. 4. Exemplorum cap. 4. Adduxerant Iudæi ad Chriſtum mulierem in adulterio deprehenſam, quærentes, eſſetne manifeſti criminis comperta lapidibus obruenda? Quiſquis veſtrum (inquit lux illa veritatis, quin ipſa potius veritas) eſt criminis expers, in eam lapides primus iaciat: ad quam vocẽ alijs aliò delabentibus, ſoluta eſt multitudo: mulier verò cum periculo ſeruata, iuſſaq; non amplius delinquere, vt palam eſſet non vindictam, ſed vindictæ auctores repudiatos.

ARTICVLVS VIGESIMVSSECVNDVS.

EPISTOLAM D. PAVLI AD HEBRÆOS, VT CANONICAM SCRIPTVRAM RECTE AD ECCLESIASTICA DOGMATA PROBANDA CITARI.

DVBITANT, AVT NEGANT.

Anno post natũ Christum

200. TERTVLLIANVS, libro de pudicitia cap. 20. *etſi recipit, & citat hanc epiſtolã, non tamen D. Pauli, ſed Barnabæ potius eſſe aſſerit.*

250. 300. *Cyprianus, Arnobius, & Lactantius, ad Eccleſiaſtica dogmata probanda, nuſquam hanc epiſtolam citant.*

320. *Euſebius*, Eccleſiaſticæ hiſtoriæ lib. 3. cap. 3. & 22. *aſſerit epiſtolæ ad Hebræos à nonnullis, & maximè in Romana Eccleſia contradici.*

350. *Ariani epiſtolam ad Hebræos à reliquis ſeparabant, & adulterinam appellabant.* Theodoretus argumento in hanc epiſtolam, Epiphanius hæreſi 69.

390. Hieronymus ad cap. 6. Eſaiæ: *Vnde & Paulus Apoſtolus in epiſtola ad Hebræos, quam Latina conſuetudo non recipit*: Nonne omnes, *inquit*, miniſtri ſunt Spiritus?

Heb. 1. Et ad caput 8. *B. Apoſtolus in epiſtola, quæ ad Hebræos ſcribitur, docet (licet eam Latina conſuetudo inter Canonicas Scripturas non recipiat) hoc teſtimonium ex perſona debere intelligi Domini Saluatoris.*

1520. Eraſmus Roterodamus ad cap. 13. epiſtolæ ad Hebræos: *Vt non poteſt doceri certis argumentis, cuius ſit hæc epiſtola, quòd nullius habeat inſcriptionem: ita compluribus indicijs colligi poteſt, ſi non certis, certè probabilibus, ab alio quopiam, quàm à Paulo ſcriptam fuiſſe. Primùm, quòd ſola omnium Pauli nomen nõ præferat: deinde, quòd vſque ad Hieronymi ætatem recepta non fuerit à Latinis: tertiò, quòd Ambroſius in hanc epiſtolam nihil ſcripſerit.*

1525. *Thomas Caietanus*, in Commentarijs, *dicit hanc epiſtolam à D. Paulo conſcriptam non eſſe, & minus conſtare à quo ſit conſcripta: inde fieri, vt ſola huius epiſtolæ auctoritate, ſi quid dubium in fide accideret, determinari non poſſit.*

1530. *Martinus Lutherus*, in prima noui Teſtamenti Germanica editione, *ait hanc epiſtolam neque à Paulo, neque à quoquam Apoſtolorum ſcriptam eſſe, ſed à docto quodam viro ex multis Patribus contextam: quamquam veræ fidei fundamentum non ponat, tamen aurum, argentum, lapides pretioſos commodè ſuperædificare. Igitur non debet nos impedire*, inquit, *quòd ligna, fœnum, ſtipula vnà miſcentur.*

In poſteriore noui Teſtamenti editione ſeparat hanc epiſtolam ab authenticis Scripturæ libris, & præfatur: *Hactenus Canonicos & præcipuos Scripturæ libros habuimus, qui ſequuntur, non eandem quam nunc ſemper obtinuêre auctoritatem.* Aſſerit deinde hanc ad Hebræos Epiſtolam nec Pauli, nec cuiuſquam Apoſtoli eſſe, quòd contraria Apoſtolicæ doctrinæ tradat.

1560. Magdeburgenſes Cent. 1. lib. 2. cap. 4. de Scriptura noui Teſtamenti: *Epiſtolam ad Hebræos Pauli phraſin non referre, facilè eſt animaduertere, &c. Non fuit difficile iudicare, ea, quæ capite ſeptimo & decimo apertè in eam ſententiam proferuntur, quòd ſemel ad Chriſtum conuerſi, ſi iterum labantur, per ſeriam etiam pœnitentiam non poſſint recuperari, neque doctrinæ Pauli, neque aliorum Apoſtolorum, neque Chriſti eſſe. His & ſimilibus rationibus mota prudens vetuſtas de epiſtola ad Hebræos iure dubitaſſe videtur.*

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Clemens Romanus. 80.

Epiſtola 1. Fides & dilectio totius bonitatis eſt fundamentum: *Sine fide autem placere Deo nemo poteſt.* Heb. 11.

Clemens epiſtola, quam Eccleſiæ Romanæ nomine ad Corinthiorum Eccleſiam exarauit, quoniam multa nonnunquam eodem ſenſu ex epiſtola ad Hebræos inſerit, & interdum ijſdem etiam verbis ex illa petitis vtitur, apertiſſimè quidẽ declarat, illud opus non recenti hominum memoria editum. *Euſebius lib. 3. cap. 32.*

Dionyſius Areopagita. 100.

Epiſtola ad Titum: Arbitror itaq; ſolidum cibum intellectualis perſeuerantiſq; perfectionis atque identitatis ſignificationem præferre, per quam intellectuales illi ſenſus ſecundùm ſtantem ac potentiſſimam ac ſingularem indiuiduamq; ſcientiam diuina participant, quibus beatiſſimus Paulus ſolidi veraciter cibi à ſapientia accepti, conſortium & participium tradit. Heb. 5.

Iuſtinus. 160.

Quæſt. 71. Ex multis Scripturæ locis conijcere licet, veros eſſe, qui dicunt, ſexies mille annorum eſſe præſentis mundi ſtatus tempora, cùm nonnũquam dicit: *Extremis hiſce diebus locutus eſt nobis per Filium*: Quandoque: *In quos termini ætatum inciderunt.* Heb. 1. 1. Cor. 10

Quæſt. 99. Hoc ex rebus Iephthe oſtenditur clarius, qui cùm filiam ſuam Deo mactarit hoſtiam, in epiſtola ad Hebræos ab Apoſtolo in piorum recenſetur catalogo. Heb. 11.

Clemens Alexandrinus. 200.

Lib. 2. Stromat. cap. 2. Fides eſt voluntaria anticipatio, pietatis aſſenſio, *rerum quæ ſperantur ſubſtantia, argumentum eorum, quæ non videntur*, vt eſt ſententia diuini Apoſtoli. Heb. 11.

Lib. 6. Strom. cap. 2. Paulus quoque in epiſtolis nõ videtur reprehendere Philoſophiam. Quocirca ad Hebræos quoque ſcribens, qui à fide ad legem reflectebantur: *Antrurſus*, inquit, *opus habetis, vt vos doceam quænam ſint elementa initij eloquiorum Dei? Et facti eſtis lacte opus habentes, & non ſolido cibo?* Heb. 5.

Lib. Hypotypoſeon: Manifeſtè eſt Pauli hæc epiſtola, ſcripta quidem Hebræo ſermone tamquã Hebræis, ſed à Luca in Græcum interpretata.

Origenes. 230.

Apud Euſebium Eccleſ. hiſt. lib. 6. cap. 19. Ego conſtanter affirmabo (*de epiſtola ad Hebræos,*) ſenſus eſſe Apoſtoli: phraſin autem, & conſtructionem verborum alterius cuiuſdam conciones Apoſtoli in commentarios redigentis, & velut dictata ex præceptoris ore ſcribentis. Proinde ſi quæ Eccleſia iſtã habeat epiſtolam, eam ipſa approbet, vt Pauli, idq; hac ratione perſuaſa. Non enim temerè veteres eam Pauli eſſe tradiderunt. At quis ſcripſerit epiſtolam Deus verè nouit. Nos tamen à quibuſdam accepimus Clementem Rom. Eccleſiæ Epiſcopum eam epiſtolam ſcripſiſſe: ab alijs Lucã, qui Euãgelium & Acta Apoſtolorum literis mandarit, illam contexuiſſe.

Homil. 9. in Exodum: Præcipuè Apoſtolus Paulus de intelligentia tabernaculi quædam nobis prodit ſcientiæ excelſioris indicia, ſed neſcio quo pacto fragilitatem fortaſſis intuẽs auditorum claudit quodammodo ipſa quæ pandit. Dicit namque ad Hebræos ſcribens: *Tabernaculum enim factum eſt primum, in quo erat candelabrum, & propoſitio panum, quod dicebatur Sancta ſanctorum.* Heb. 9.

Homilia 2. in Leuiticum: Sed vide miſericordiam Dei, & plenius eam Paulo docente cognoſce. Ipſe enim ad Hebræos ſcribens dicit: *Omnis namq; pontifex ab hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur ad offerendum hoſtias Deo.* Heb. 5. 7.

Homil. 7. in Numeros: Non potuit populus ille ad perfectũ formari in lege, ſicut & Paulus pronuntiat, dicens: *Neminem enim ad perfectum adduxit lex.* Heb. 7.

Dionyſius Alexandrinus. 260.

Epiſtola ad Fabium Antiochenum: Fratres ergo deflectebant à via, & in loca ſeparata ac ſolitaria ſe ſubducebant, rapinam bonorum ſuorum ſimiliter cum illis, quibus Paulus illuſtre teſtimoniũ dat, cum gaudio ſuſceperunt. Heb. 10.

Euſebius Cæſarienſis. 320.

Lib. 3. c. 32. Clemens in ea epiſtola, quæ eſt omnium conſenſu approbata, quam ſub Romanæ Eccleſiæ perſona ad Corinthiorum Eccleſiam exarauit, quoniam multa nonnunquam eodem ſenſu ex epiſtola ad Hebræos ſumpta inſerit, & interdum ijſdem etiam verbis ex illa petitis vtitur, apertiſſimè quidem declarat, illud opus nõ recenti hominum memoria editum: vnde meritò quidem reliquis Apoſtoli ſcriptis videtur annumerata. Nam cùm Paulus epiſtolam ad Hebræos eruditos patrio ſermone literis mandauiſſet, eam alij quidem Lucam Euangeliſtam, alij iſtũ ipſum Clementem Græcis literis interpretatum eſſe affirmant. Quod planè veriſimilius eſt: præſertim cùm & Clementis epiſtola de ea, quæ eſt ad Hebræos à Paulo miſſa, eandem dictionis & loquendi formam accuratè integreq; ſeruet, atque ideò ſenſus in vtroque ſcripto expreſſi, non longè inter ſe diſcrepent.

Alexander Epiſc. Alexandrinus. 330.

Epiſtola ad Alexandrum Epiſcopum Conſtantinopolitanum: Conſona ſiquidẽ iſtis clamat & magniloquus Paulus, dicens: *Quem poſuit hæredem omnium, per quem & ſecula fecit.* Heb. 1.

Athanaſius. 340.

Epiſt. ad Epiſcopos Africæ: Hoc cùm Paulus ſentiret, ſcribit ad Hebræos: *Qui eſt ſplendor gloriæ, & forma hypoſtaſeos eius.* Heb. 1.

Dialogo 3. de Trinitate: Ex quo annuntiatum eſt Euangelium Chriſti, credita eſt epiſtola ad Hebræos eſſe Pauli Apoſtoli.

Didymus Alexandrinus. 360.

Lib. 1. de Spiritu ſancto: Poſſumus quidem teſtimonia de

nia de diuinis literis exhibere: quia idem Spiritus & in Apostolis, & in Prophetis fuerit. Paulus in epistola, quam ad Hebræos scripsit, de Psalmorum volumine testimonium proferens, à Spiritu sancto id dictum esse commemorat. Heb.3.

Cyrillus Hierosolymitanus. 370.

Catechesi 4. *quatuordecim Pauli epistolas numerat.*

Catechesi 15. Paulus Apostolus amplius ad Romanos scribens, ait: *Secundùm operationem potentiæ virtutis eius.* In epistola autem ad Hebræos dicit: *Purgationem peccatorum nostrorum faciens, sedet ad dextram magnificētiæ in excelsis.* Et rursus: *Ad quem Angelorum vnquam dixit: Sede ad dextram meam, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum?* Heb.1.

Ephræm Syrus. 370.

De recordatione mortis: Iusti quidē eam semper ob oculos habentes, (secundùm eum, qui dicit: *Statutum est hominibus semel mori, post hoc autem iudiciū,*) noctes atque dies orationes effundūt, vt liberentur à Gehenna ignis. Heb.9.

De Patientia: Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli, & Martyres, etiam inter angustias gauisi sunt, propter spem retributionis mercedis, quæ expectatur, sicut ait Scriptura: *Fili, accedens ad seruitutem Dei, dirige cor tuum, & sustine.* Rursusq; Apostolus dicit: *Quòd si extra disciplinam estis, cuius participes facti sunt omnes: ergo adulterini, & non filij estis.* Eccles.2. Heb.12.

Macarius AEgyptius. 370.

Homilia 9. Moses libentius amplectens *tribulationem & improperia Christi,* iuxta sermonem Apostolicum, *quàm temporalem habere functionem.* Heb.11. 2.Cor.11.

Homil. 49. *Despondi enim vos,* inquit Apostolus, *vni viro virginem castam exhibere Christo.* Et iterum: *Cuius domus sumus nos.* Heb.13.

Concilium Laodicense. 370.

Cap. 58. Epistolę Pauli quatuordecim, ad Romanos vna, ad Corinthios duæ, ad Galatas vna, &c. ad Hebræos vna.

Basilius Magnus. 370.

De Spiritu sancto cap. 6. Quid erit, quo excusent impietatem, qua tam impudenter repugnant aduersanturq; Scripturis? Quod genus est illud: *Sede à dextris meis.* Et: *consedit in dextra maiestatis Dei.* Beatus Stephanus Spiritu afflatus *vidit Iesum stantem à dextris Dei.* Et Paulus Spiritu afflatus, testificatus est de Christo, *quòd est in dextra Dei & Patris, qui dixit: Sede à dextris meis.* Psal.109. Act.7. Heb.1.

Epistola 43. ad Gregorium Nyssenum de differentia οὐσίας & ὑποστάσεως: Sed opinabitur forsitan quispiam, redditam istam rationem non conuenire cum intellectu ac mente Apostolicæ Scripturæ, quæ de Domino inquit: *Quoniam splendor est gloriæ ipsius, & figura substantiæ,* &c. Heb.1.

Ad Psal.109. Quid est secundùm ordinem Melchisedech, nisi propter mysteria, quòd & ille Abrahę panem & vinum attulit, & quòd sacerdotium illius fuerit à Lege liberum, & propterea, quòd *nec finem,* sicut Paulus dicit, *nec initium habuit.* Heb.7.

Amphilochius. 380.

Carmine Iambico de Canonicis Scripturæ libris:

Quæ verò ad Hebræos notha esse dicitur
Plerisq;, sed malè: nam germana gratia est.

Gregorius Nazianzenus. 380.

Carmine de Scripturæ libris 14. numerat epistolas Pauli:

Deinceps bis septem Pauli numerato libellos.

Oratione 21. quæ est in laudem Athanasij: Quid autem vobis hominem describere attinet, quē Paulus anteuertens depinxit, partim cùm *Pontificem illum magnum, qui cælos penetrauit,* deprædicat, partim cùm Timotheo in epistola, quam ad eū scribit, leges imponit, &c. Heb.4. 1.Tim.3.

Oratione 36. quæ est oratio 2. de Filio: Nono illud producent Eunomiani, *semper viuens ad interpellendum pro nobis:* optimè sanè, & per quàm mysticè & benignè. Intercessionis quippe nomen hic nō vltionis deprecationem habet, sed idem significat, quod pro nobis mediationis ratione supplicare. Heb.7.

Gregorius Nyssenus. 380.

Oratione 2. de Christi resurrectione: Quapropter etiam Paulus Hebræis scribens dicebat: *Non enim in manufacta sancta introiuit Christus ad similitudinem facta verorum, sed in ipsum cælum, vt appareat in conspectu Dei pro nobis.* Heb.8.

Libro de vita Mosis: Propitiatorium quid sit non opus est expositione vlla, vt intelligatur, cùm Apostolus id enodauerit, qui ait: *Quem animarum nostrarum propitiatorium posuit.* Heb.9.

Epiphanius. 380.

Hæresi 69. Si nondum regnat, quomodo reperitur semper adorari ab Angelis & Archangelis ante aduentum in carne, & in aduentu in carne, vel ut Scriptura de ipso dicit, nimirum dum ait: *Cùm induxerit primogenitum in orbem terrarum,* &c. Heb.1.

Omnia docet diuina Scriptura, cùm dicat: *Omnia ipsi subiecta sunt, nimirum excepto illo, qui ipsi omnia subiecit,* &c. Et propterea etiam per ipsum Apostolū hic rursus dixit: *Eum verò, qui paululum imminutus est infra Angelos, videmus Iesum Christum propter passionem mortis gloria & honore coronatum.* Heb.2.

Theophilus Alexandrinus. 390.

Epist. 3. Paschali: Hęc idcirco, fratres charissimi, replicauimus, vt Pauli Apostoli, de Sanctorum virtutibus prædicantis, verba noscentes, in quibus ait: *Quorum considerantes exitum conuersationis, imitamini fidem,* &c. Heb.13.

Marcus Eremita. 400.

De lege spirituali cap. 137. Ad eandē requiem & Paulus omni studio nos hortatur, sic inquiens: *Festinemus ingredi in illam requiem.* Heb.4.

Ioannes Chrysostomus. 400.

Ad cap. 13. Genes. Quid vult hæc obseruatio, *Rex Salem, & sacerdos Dei altissimi?* Illum enim nobis & beatus Paulus, scribēs ad eos, qui ex Hebræis crediderant, cùm in medium adduxisset, & nomen eius tractaret, ciuitatem simul interpretatur, cum significatiōe nominis eius, vsus etymologia quadam Melchisedech, Rex iustitiæ. Heb.7.

Oratione 4. aduersus Iudæos: Imperfectiora per seruos erant docenda, sublimiora verò & humanam superantia naturam per ipsum Legis auctorem. Ideò & Paulus dicebat: *Multifariè multisq; modis Deus locutus patribus nostris per Prophetas: extremis hisce diebus locutus est nobis per Filium.* Heb.1.

In Commentarijs in epistolam ad Hebræos: Hoc quidem certè hîc quoq; in procœmio tacitè significat Paulus, scribens ad Hebræos: *Qui cùm sit splendor gloriæ.)* Papè quanta est Apostolica sapientia? imò verò non Pauli, sed Spiritus est admirāda gratia. Heb.1.

Ioannes Cassianus. 430.

Lib. 5. de Incarnatione cap. 6. Vides quot modis sacramētum vnitæ cum Deo carnis expositum. Quod ipse quoq; alibi euidentissimè: *Iesus,* inquit, *Christus heri & hodie, ipse & in secula.* Heb.13.

Lib. 7. cap. 15. Et ideo bene Apostolus dicit: *Sine matre, sine patre, sine genealogia.* Vbi eum sine matre genitum esse posuit, ibi etiam sine genealogia esse memorauit. Ac per hoc in vtraq; Christi natiuitate &

te & Euangelica sibi & Apostolica scripta conueniunt.

Nilus. 420.

De fornicatione: Verùm cùm illud explōratum habeamus, *neminem,* vt Apostoli verbis vtar, *sine sanctificatione Deum visurum esse,* ne quæso nos cor nostrum sedulò conseruare pigeat. Heb.12.

Palladius Diaconus. 430.

Dialogo de vita Chrysostomi: Inuenimus nempe sacerdotium quoque in Scripturis sanctis neq; commune esse, neque separabile: sed illorum proprium, qui digni sunt, sicuti corripiēs Hebræos Paulus ait: *Non enim sibi quisquam honorem sumit, sed qui vocatur à Deo.* Heb.5.

Cyrillus Alexandrinus. 430.

De recta in Deum fide ad Theodosium: Igitur sapientissimus Apostolus Paulus, qui Christū in se loquentem habebat, ad hunc modum concionatur: *Quia ergo pueri cōmunicārunt carni & sanguini, & ipse similiter participauit ipsidem,* &c. Heb.2.

De recta in Deum fide ad Reginas: D. Paulus hæc rursum de omnium nostrum Saluatore commemorat: *Qui primogenitum inducit in orbem terra, dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei.* Heb.1.

Concilium Ephesinum. 430.

In declaratione primi Anathematismi Cyrilli: Cùm vnigenitum Dei Patris Verbum suapte natura Deus esset, *semen Abrahæ,* vt beatus Paulus docet, *apprehendit, perindeq; vt vnus ex nobis carni & sanguini communicauit.* Heb.2.

Theodotus Ancyranus Episc. 430.

Oratione de Natiuitate Saluatoris: Angeli ministri nostrę salutis sunt facti. Et attestatur magnus Paulus de Angelis: *quia omnes sunt ministri spiritus, ad ministerium destinati, propter eos, qui futuri sunt hæreditate possidere salutem.* Heb.1.

Isidorus Pelusiota. 440.

Lib. 1. epist. 7. At verò diuinorū dogmatum interpres magnus ille Apostolus Paulus veritatē perspicuè explanat, cùm Dominum ex Iuda ortum traxisse testatur. Heb.7.

Lib. 3. epist. 58. Hæc enim diuinus quoque Paulus animo complectens, ac veluti diuino numine instinctus, terrena omnia exempla superans, *splendorem gloriæ, ac figuram substantiæ Patris,* Filium esse statuit. Heb.1.

Esaias Abbas. 440.

Oratione 13. Iam quòd vestimenta eius inter se ductis sortibus diuiserint, admonemur, vt rerum caducarum iacturam paruipendamus, & crucem amplectamur, *rapinam bonorum nostrorum,* vt Paulus ait, *cum gaudio suscipientes: quandoquidem meliorem & manentem substantiam habemus in cælis.* Heb.10.

Basilius Seleucius. 450.

Oratione in Annuntiationem Deiparæ: Si enim Apostolus Paulus de alijs Sanctis verè asserit, *quibus dignus non erat mundus:* quid de Dei parente Virgine cogitare nos par est, quæ vniuersos Martyres excedit? Heb.11.

Theodoretus. 450.

Quæstione 63. in Genesin: Vnde Melchisedech genus traxit? cùm diuinus ille Paulus dicat, *sine Patre, sine genealogia,* quis veritatem huius rei nosse potest? Verisimile est autē illum esse ex illis gentibus, quæ Palæstinam colebant. Heb.7.

In argumento epistolæ ad Hebræos: Nihil faciunt admirandum, qui morbo Arianico laborant, si aduersum literas Apostolicas furiant, & epistolam ad Hebræos à reliquis separent, & eam adulterinam appellent: qui enim aduersus Deum & Saluatorem nostrum linguas mouent, quid non ausi fuerint aduersus eius benuolos & grandiloquos veritatis præcones? Oportebat autem ipsos, etsi nihil aliud, temporis quidē certè diuturnitatem reuereri, quo hanc epistolā in Ecclesijs perpetuò legerunt alumni veritatis. Ex quo enim literarū Apostolicarum Ecclesiæ fuerunt participes, ex illo etiam epistolæ ad Hebræos vtilitatem percipiunt. Quòd si nec hoc quidem eis ad persuadendū satis est, Eusebio quidem certè oportebit eos Palæstino credere, quem patronum suorum decretorum appellant. Nam is etiam diuinissimi Pauli hanc esse epistolā confessus est, & veteres omnes hanc de ea habuisse sententiam asseruit. Sed ij, omnibus iussis valere, aduersus eam imprudenter decertant, Apostolicæ Theologiæ splendorem nō ferentes.

Isaac Presbyter. 460.

De contemptu mundi: Et Paulus etiam admonet, tollentes crucem Christi exire de ciuitate, dicens: *Egrediamur cum eo, & assumamus opprobrium eius.* Heb.13.

Andreas Cæsarensis. 500.

Ad cap. 16. Apoc. Per altare designatur Christus, quòd in ipso, & per ipsum ratione præditæ Deo Patri offerantur hostiæ, sacrificiaq; & victimæ viuæ, quales ipsi offerri vult Apostolus. Nōnunquā verò Angelicę Virtutes, vt quæ nostras preces nostrasq; spirituales oblationes in sublime euehant, Deoq; offerant: siquidem hasce propter eos, qui hæreditatem salutis capiūt, in ministerium mitti, ex eodem Apostolo diserte discimus. Rom.12. Heb.2.

Olympiodorus. 500.

Ad Ecclesiastis cap. 4. Philosophus neque si iniustē quid patiatur, lachrymas fundit, quin lætatur potius, & exultat, sicut & Apostolus scribit: *Rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis.* Heb.10

Dorotheus. 520.

Doctrina 14. Primùm igitur iacienda sunt fundamenta, quæ fides est: *Sine fide enim,* ait Apostolus, *impossibile est placere Deo.* Heb.11.

Procopius Gazæus. 530.

In Leuiticum fol. 340. Ignis verò diuinus vires suas ostendit, ne quid imaginarium imaginetur esse diuinum ignem. Quapropter haud immeritò Paulus in epistola ad Hebręos inquit: *Deus est ignis consumens.* Heb.12.

Ad Esaiæ cap. 9. In eodē enim Christus intelligitur *Rex simul & Pontifex sanctus, innocens, & impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cælis factus,* vt Pauli verbis vtamur. Heb.7.

Concilium Quintum Constantinop. 537.

Actione 1. Illi persuasi ab eo, qui dicit: *Interroga patrem tuum, & annuntiabit tibi; seniores tuos, & dicent tibi.* Et Apostolo dicente: *Obedite ducibus vestris, & subditi estote. Ipsi enim vigilant pro animabus vestris tamquam rationem reddituri.* Deut.32. Heb.13.

Hesychius. 580.

Lib. 2. in Leuiticum fol. 135. Quomodo Dauid dicit: *Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra?* Et rursus Paulus: *Sed adhortamini vosmetipsos rursus per singulos dies, donec hodie cognominatur?* Psal.99. Heb.3.

Lib. 6. in Leuit. cap. 19. Si quis autem ad hanc accesserit aduena, videlicet volens cōuerti ad nostram fidē, & terræ illius ciuis conscribi, de qua Paulus ait: *Accessistis ad montem Sion, & ad ciuitatem Dei viuentis cælestem Hierusalem,* &c. Heb.12.

Anastasius Synaites. 580.

Libro 1. Hexameron: Quòd autem in ea quoq; sint Ecclesiæ exemplaria, ab hac dubitatione te rursus liberat diuinus Apostolus in epistola ad Hebræos dicens de tabernaculo testimonij, & de omnibus in eo constructis, quòd ea facta sint in figuram Ec-

clesiæ.

Hcb.9. cleſiæ, dicens: *Non in manufacta ingreſſus eſt Chriſtus.*
Lib.2. Quòd autem Angeli hæc narrârunt Moſi, audi Paulum dicentem in epiſtola ad Hebrǽos de Scriptura legis Moſaicæ: *Si enim, qui per Angelos dictus eſt ſermo, fuit firmus & ſtabilis.*

Heb.2.

Antiochus. 600.

Homil.82. Paulus Hebræis dicit per epiſtolam: *Fili noli negligere diſciplinam Dei, neque fatigeris dum ab eo argueris.*

Heb.12.

Georgius Presbyter. 620.

In vita Theodori Archimandritæ: Sic enim iubet Apoſtolus: *Mementote præpoſitorum veſtrorum, qui vobis locuti ſunt verbum Dei, quorum intuentes exitum, conuerſationis imitamini fidem,* &c. Illa Apoſtoli Pauli

Heb.13. verba in ſe expreſsit: *Sancti omnes per fidem vicerũt regna, operati ſunt iuſtitiam, adepti ſunt repromiſſiones.*

Heb.11.

Maximus. 640.

De virtute & vitio centuria 2. capite ſeptimo: Diuinus & ſummus Apoſtolus, definiens quid ſit fides,

Heb.11. ait: *Fides eſt ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium.*

Germanus Conſtantinopolitanus. 720.

In Theoria: Et teſtis eſt oculatus, & miniſter ſermonis Paulus clamat, prædicans regnum Dei, &

Heb.9. inquiens: *Chriſtus aſsiſtens pontifex futurorum bonorum,* &c.

Epiſt. ad Ioannem Epiſcopum Synadon: Chriſtus homo fieri dignatus eſt, non aliter ac nos, carnem ac ſanguinem aſſumẽs, &, vt inquit magnus Apoſtolus,

Heb.4. *per omnia nobis ſimilis factus, excepto peccato.*

Ioannes Damaſcenus. 730.

Oratione de Tranſfiguratione Domini: *Vmbrã enim,* vt ex Paulo audire licet, *futurorum lex habebat, non ipſam veritatem.*

Heb.10.

Orat. de Natiuitate: Verè enim etiam, vt diuino Paulo placet, *Abrahæ promittens Deus, quoniam neminẽ habebat, per quẽ iuraret, iurauit per ſemetipſum,* &c.

Heb.6.

Oratione 2. de imaginibus: Aduerte diligenter, non mea verba, ſed Spiritus ſancti, qui per S. Paulũ dixit: *Multifariam, multiſq; modis olim locutus eſt Deus*

Heb.1. *Patribus in Prophetis.*

Synodus Nicæna ſecunda. 780.

Actione 6. tomo 4. Creaturas illius fide dicimus ab illo factas, quemadmodum idem Apoſtolus per

Heb.11. magniloquentiam ſpiritus prædicat, dicens: *Fide percipimus ſecula verbo Dei abſoluta,* &c.

Action. 6. tom. 6. Abſconditorum ſpectator Paulus, diuinus Apoſtolus, volens conſubſtantialitatem Filij & Dei Verbi ad Deum & Patrem prædicare, nihil aliud appropriatum, & concinens inuenit, quàm vt exclamet, *characterẽ hypoſtaſeos Patris ipſum*

Heb.1. *Filium.*

Theoſtrictus. 830.

Oratione funebri in ſanctum Nicetam: Sed vnde incipiam? An patriam, genus, & eius altricem terrã prius dicam? Sed quærram erit vtilitas orationẽ in his rebus occupatã habere? *Ciuitas,* inquit Scri-

Heb.11. ptura, *Sanctorum, eſt ciuitas Dei, cuius artifex & creator Deus eſt.*

Theophylactus. 900.

In argumento Commentariorum in epiſtolam ad Hebræos: Etiãſi Paulus ad Gentes emandatus eſt præco, ad Hebræos tamen etiam ſcribit. Vt enim non erat ei demandatum vt baptizaret, baptizabat tamen: ſic & Hebræis, qui ex Circumciſione erant, ſcribit hanc epiſtolam. Nam magna eorum ſolicitudine tangebatur, pro quibus & anathema fieri optabat. Porrò ijs, qui in Palæſtina & Hieroſolymis erant, ſcribit. Illi enim ab infidelibus Hebræis bonis ſuis exuti fuerãt ac ſpoliati, innumeris{q;} afflictionibus ſubijciebantur: Vnde ſolicitus eſt in colligenda ad horum ſuppetias eleemoſyna, cùm Corinthios, tum Macedonas in hoc excitans.

Moſes Barcepha. 950.

De Paradiſo parte 1. cap. 10. Præterea D. Paulus ſcribit in hæc verba: *Vos autem acceſsiſtis ad montem Sion,* Heb.12. *& ad ciuitatem Dei viui, ad Hieruſalem, quæ eſt in cælo.*

Simeon Metaphraſtes. 970.

Vitæ S. Pachomij cap. 3. Nam cùm qui erant fideles ex gentibus vidiſſent Martyrum certamina, eorum{q;} in Chriſtum confeſsionem, cœperunt ipſi quoq; Domini gratia roborati ſequi vitam ſanctorum Prophetarum, de quibus dicit Apoſtolus vas electionis: *Circuierunt in melotis, in caprinis pellibus,* Heb.11. *egentes, & afflicti, vexati, in ſolitudinibus, errantes in montibus, & ſpeluncis, & foraminibus terræ, quibus dignus non erat mundus.*

Oecumenius. 1050.

In argumento epiſtolæ ad Hebræos: Teſtatur in ſequentibus epiſtola quoque quòd Pauli ſit ex eo, quod dicit: *Etiam afflictionum, quæ ex vinculis meis cõtigerunt, participes fuiſtis:* Et cùm dicit: *Magis precemini, quò celerius reſtituar vobis.* Præterea cùm ait: *Fratrem noſtrum Timotheum dimiſi, cum quo, ſi celerius venerit, videbo vos.* Nemo enim præter Paulum, vt opinor, dimiſerat Timotheum in miniſterĩ, atq; hunc celerius expectans, ſuum ac illius polli-

Heb.2. citetur illis aduentum, quemadmodum frequenter facere ſolet. Multa quoq; alia nobis oſtendũt, eſſe ipſius epiſtolam, quemadmodũ & lectio ipſa in progreſſu docet.

Euthymius. 1080.

Parte 2. Panopliæ titulo 21. Ad Hebræos ſcribens Paulus: *Multifariam,* inquit, *multiſq; modis olim lo-*Heb.1. *quens Deus Patribus,* &c.

Michael Glycas. 1110.

Parte 2. Annaliũ: Nam de Angelis Paulus inquit: *Nonne omnes ſunt adminiſtri ſpiritus, qui ad miniſterium ablegantur, propter eos, qui ſalutem adepturi ſunt?* Heb.1. Quamobrem Deus per hæc nobis clarè oſtendit omnia ſe per Angelicas poteſtates gubernare.

Nicetas Choniates. 1200.

Orthodoxæ fidei lib. 2. c. 27. Hęc & innumera alia teſtimonia inuenire eſt, quibus eum Chriſtum quoque & æternum Filium, & Patri coæternum vocant, quem idem quoque Doctor (*Paulus*) docens primo quidem loco ſeculorum factorẽ eſſe oſtendit. Inquit enim: *Nouiſſimè diebus iſtis locutus eſt no-*Heb.1. *bis in Filio, quem poſuit hæredem vniuerſorum, per quem fecit & ſecula.*

Lib. 4. cap. 4. Quare fames & ſitis, inſuper & labor & ſomnus Domini corpus humanum eſſe corpus arguunt: quod quidem confirmaturus D. ille Paulus ita exclamat: *Quia ergo pueri communicauerũt carni & ſanguini, & ipſe ſimiliter participauit eiuſdem, vt per mortem deſtrueret eum, qui habebat mortis*Heb.2. *imperium, & liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxij erant ſeruituti.* Quibus certè verbis naturam ab illo aſſumptã fuiſſe apertè oſtendit, quæ noſtræ perſimilis eſſet. Quòd ſi quis huiuſcemodi veſtimentum non probet, Iacobum Patriarcham ita vaticinantem audiat: *Lauabit in vino ſtolam ſuam, & in ſanguine vuæ pallium ſuum.* Audiat verò beatiſſi-Gen. 49. mum quoque Paulum ita exclamantem: *Habentes itaq; fratres, fiduciam in introitu Sanctorum, in ſanguine*Heb.10. *Ieſu, quam initiauit nobis viam nouam & viuentem per velamen, id eſt per carnem ſuam, & ſacerdotem magnum ſuper domũ Dei, accedamus cum vero corde in plenitudine fidei.*

Nicephorus Calliſtus. 1300.

Lib. 4. cap. 33. Clemens Alexandrinus in libris Diſpoſitionum librorum Canonicorũ Scripturæ compendiõſam inſtituit enumerationem: Epiſtolam ſanè ad Hebræos Pauli eſſe cenſet, Hebræis Hebraico ſermone ſcriptam, à Luca autem ambitioſa ſplendidè verſam lingua Græcis eſſe expoſitam. Ac rectè quidem illum dicit, qui mos ei in alijs fuerat, Pauli nomen epiſtolæ ei nõ præfixiſſe. Quòd enim Iudæi tum præſumptione quadam ſuſpectum eum haberent, ne ſtatim in ipſa præfatione illorũ à lectione abſterreret animos, prudenter feciſſe, qui nomen ſuum prætermiſerit. Quamobrem eundem eſſe, inquit, orationis ductum in epiſtola ad Hebræos, & in Apoſtolorũ actis.

Gennadius Scholarius. 1460.

Prœmio de proceſsione Spiritus S. Nos cum charitate & pace, Deo opitulante, oſtẽdemus, etiam à Filio Spiritum ſanctum procedere, quemadmodũ ſanè & à Patre, non in ira contumelioſi, ſed diſcipuli eius, qui dicit: *Pacem ſequimini, nec iraſcamini,* Heb.12. *cùm loquimini.*

De purgatorio ſect. 8. Ad Apoſtoli dictum, quòd Sancti omnes teſtimonio fidei probati non acceperunt repromiſſionem &c. Ea verba beatus Paulus profert ob vniuerſalem & generalem corporum reſurrectionẽ, quam velut omnes futuram eſſe credimus, &c. hæc promiſſio eſt, quam Paulus ad Hebræos dicit, quòd qui ante nos fuerũt, non adhuc receperunt. Heb.11.

Hieremias Conſtantinopolitanus. 1580.

Reſp. 1. cap. 7. Sed & Apoſtolus: *Honorabile connubium in omnibus, & thorum immaculatum,* eſſe do-Heb 13. cuit, magnum{q;} ſacramentum inter Chriſtum & Eccleſiam eſſe pronuntiauit. Eph.5.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Higinus. 136.

Epiſtola 1. Et Paulus: *Renouamini,* inquit, *ſpiritu*
Eph.4. *mentis veſtræ, & induite nouum hominem, qui ſecundùm Deum creatus eſt.* Et ad Hebræos: *In eo enim, quo paſſus eſt, & tentatus eſt, potens eſt & ijs, qui tentantur, auxiliari.*
Heb.2.

Soter. 163.

Epiſt. 1. Et cùm Filius loquitur, Patrem in illo eſſe loquentem, documentis cæleſtibus comprobatur, Paulo Apoſtolo atteſtante, qui ait: *Multifariè multiſq; modis olim Deus locutus eſt Patribus in Pro-*Heb.1. *phetis: nouiſſimè autem nobis locutus eſt in Filio.*

Lucifer Calaritanus. 350.

De non conueniendo cum hæreticis: Quorum reprobationis exemplum beatus oſtendens Paulus, dicit ad Hebræos: *Et Moſes quidem fidelis in tota domo*
Heb.3. *eius tamquam ſeruus in teſtimonio loquens: Chriſtus autẽ tamquam Filius in domo eius, quæ domus nos ſumus, ſi tamen liberalitatem, & exultationem ſpei tenuerimus; propter quod dicit Spiritus ſanctus: Hodie ſi vocem eius audieritis, nolite obdurare corda veſtra,* &c. Quis tam ſtultus, vt cùm hæc legerit, hæc acceperit à beato Apoſtolo, deſerens fidem Apoſtolicam, ſuſcipere tentet hæreſin?

Hilarius. 350.

Lib. 11. de Trinitate: Nam ſurgentem à mortuis ſedere à dextris Dei non ignorabile eſt etiam Apo-
Heb 12. ſtolo teſtante, cùm ait: *Secundùm operationem potentiæ fortitudinis eius.*

Ad Pſalm. 129. Hoc ideo commemoratum eſt, vt habeamus non improbabilis intelligentię auctoritatem, maximè cùm ſcriptum ſit: *Sunt enim* (Angeli) *efficientes ſpiritus, in miniſterium miſsi propter eos,*
Heb 1. *qui hæreditabunt ſalutem.*

Marius Victorinus Afer. 360.

Lib. 1. aduerſus Arium: Quoniam, vt dicitur, & dictũ eſt, quòd λόγος, hoc eſt Filius, ſubijcit omnia, ideo adijcit Paulus: *quouſque ponat inimicos eius ſub-*
Heb.1. *pedibus eius,* &c. Ipſum & ſubſtantiam dicit Paulus ad Hebræos: *Imago ſubſtantiæ eius.*

Ambroſius. 370.

Lib. 4. de Sacramentis cap. 1. In veteri Teſtamento ſacerdotes frequenter in primum tabernaculum intrare conſueuerant: in ſecundum tabernaculũ ſemel in anno ſummus intrabat Sacerdos. Quòd
Heb.9 euidenter ad Hebrǽos recolens, ſeriem veteris Teſtamenti explanat Apoſtolus Paulus.

De Fide cap. 7. Cùm autem ſubiecta illi fuerint omnia, tunc & ipſe Filius ſubiectus erit illi, qui ſibi ſubiecit omnia, vt ſit Deus omnia in omnibus. Quod etiam in epiſtola ad Hebræos Apoſtolus dixit: *Nunc autem nondum videmus omnia illi eſſe ſubiecta,* Heb.2. accipimus Apoſtolicæ ſeriem lectionis.

Georgius Baticus. 380.

Libro de Fide: Quid ais Deitas? Quomodo dicis: Patrem te eſſe maiorẽ, cùm vna tibi & Patris imago ſit, ſecundùm Moſen, eademq; forma ſecũdùm Apoſtolum Paulum, qui me etiam docuit, quòd ſis *ſplendor gloriæ & character ſubſtantiæ eius?* Heb.1.

Philaſtrius. 380.

Libro de hæreſibus hæreſi 41. de epiſtola Pauli ad Hebræos: Sunt alij quoque, qui epiſtolam Pauli ad Hebræos non aſſerunt eſſe ipſius, ſed dicunt aut Barnabæ eſſe Apoſtoli, aut Clementis de vrbe Roma Epiſcopi. Alij autem Lucæ Euangeliſtæ aiunt epiſtolam etiam ad Laodicẽſes ſcriptam. Et quia addiderunt in ea quędam non bene ſentientes, inde non legitur in Eccleſia, & ſi legitur à quibuſdã, non tamen in Eccleſia legitur populo, niſi tredecim epiſtolæ ipſius, & ad Hebræos interdum. Et in ea quia rhetoricè ſcripſit, ſermone plauſibili, inde non putant eſſe eiuſdem Apoſtoli. Et quia & factum Chriſtum dicit in ea, inde non legitur. De pœnitentia autẽ propter Nouatianos æquè. Cùm ergo factum dicit Chriſtum, corpore, non diuinitate dicit factum: cùm doceat ibidem, quòd diuinæ ſit & paternæ ſubſtantiæ Filius, *qui eſt ſplendor*Heb.1. *gloriæ,* inquit, *& imago ſubſtantiæ eius.* Pœnitudinem etiam non excludit docendo, ſed diuerſum gradum dignitatis oſtendit inter hũc, qui integrum cuſtodiuit, & illum, qui peccauit, &c.

Hieronymus. 390.

Epiſt. 126. Præterea plenius tractatum eſt in epiſtola ad Hebræos, quam omnes Græci recipiunt, & nonnulli Latinorum, quòd iſte Melchiſedech, id eſt, rex iuſtus, Rex fuerit Salem, id eſt, Rex pacis, ſine patre, ſine matre.

Epiſt. 129. ad Dardanum: Nec me fugit, quòd per fidia Iudæorum hæc teſtimonia nõ ſuſcipiat, quæ vtiq; veteris Teſtamenti auctoritate firmata ſunt. Illud noſtris dicendum eſt: hanc epiſtolam, quæ ad Hebræos inſcribitur, non ſolùm ab Eccleſijs Orientis, ſed ab omnibus retrò Eccleſijs, & Græci ſermonis ſcriptoribus, quaſi Pauli Apoſtoli ſuſcipi, licet plerique eam vel Barnabæ, vel Clementis arbitrentur, & nihil intereſſe, cuius ſit, cùm Ec-

clesiastici viri sit,& quotidie Ecclesiarum lectione celebretur. Quòd si eam Latinorum consuetudo non recipit inter Scripturas Canonicas: nec Græcorum quidem Ecclesiæ Apocalypsin Ioannis eadē libertate suscipiunt: & tamen nos vtraq; suscipimus, nequaquam huius temporis consuetudinem, sed veterum scriptorum auctoritatem sequentes, qui plerumque vtriusque abutuntur testimonijs, non vt interdum de apocryphis facere solent (quippe qui & gentilium literarum rarò vtantur exemplis) sed quasi Canonicis & Ecclesiasticis.

Ruffinus. 390.

In Symbolum Apost. Noui Testamenti libri sunt quatuor Euangelia, epistolæ Pauli quatuordecim, &c. Credo primum omnium ponitur, sicut & Paulus Apostolus ad Hebræos scribens dicit:
Heb.11. *Credere enim primò omnū ad Deum accedentē oportet.*

Faustinus. 390.

De Fide contra Arianos cap.3. Hoc de Filio Dei scriptum interpretatus est Paulus, scribens ad Hebræos.
Heb.1.

Concilium Carthaginense Tertium. 397.

Cap.47. Noui Testamenti sunt Euangeliorum libri quatuor, Pauli Apostoli epistolæ tredecim, eiusdem ad Hebræos vna.

Gaudentius. 400.

Tractatu 13. Per omnes diuini eloquij libros Filius Dei non solùm Deus, sed & Filius hominis prædicatur. In veteri quidem Testamento prænuntiatur, ac promittitur: in nouo autē demonstratur, ac creditur. *Quoniam vetus lex,* ait Apostolus, *vmbra erat futurorum.*
Heb. 10.

Chromatius. 400.

Ad cap.5.Matth. Nihil tam necessarium est seruis Dei, & tam salutare Ecclesiæ, quàm charitatem seruare, pacem diligere, sine qua Deum videri nō posse ad Hebræos Apostolus docet, dicendo: *Ante omnia diligite pacem, sine qua nullus Deum videre poterit.*
Heb.12.

Augustinus. 400.

De doctrina Christiana lib.2.cap.8. Noui Testamenti auctoritas terminatur quatuor Euangeliorum libris, quatuordecim epistolis Pauli Apostoli: Ad Romanos vna, ad Corinthios duabus, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebræos.

De rectitudine Catholicæ conuersationis: Maritus fidem seruet cōiugi, sicut eam sibi seruari vult, nec peccet cum alia, sicut nec suam cum alieno vult peccare, timens illud, quod idem Apostolus clamat: *Fornicatores & adulteros iudicabit Dominus.*
Heb.13.

In Enchiridio ad Laurentium cap.8. In epistola ad Hebræos, qua teste vsi sunt illustres Catholicę Ecclesiæ defensores, fides esse dicta est *cognitio rerum, quæ non videntur.*
Heb.11.

Expositione super Magnificat: Respectus Dei tribus modis accipi solet, videlicet secundùm cognitionem, secundùm gratiam, secundùm iudicium. De primo Apostolus: *Omnia nuda & aperta sunt oculis eius.*
Heb.4.

Innocentius Primus. 406.

Epistola ad Exuperium Tholosanum, recensens Canonicos Scripturæ libros: Item noui Testamēti libri: Euangeliorum libri quatuor, Pauli Apostoli Epistolæ quatuordecim, epistolæ Ioannis tres, &c.

Concilium Arausicanum. 440.

Cap.25. Illam præclaram fidem, quam in ipsorum laudem prædicat Apostolus Paulus, non per bonum naturæ, sed per gratiā Dei credimus fuisse collatam.
Heb.11.

Eucherius Lugdunensis. 440.

De quæstionibus noui Testamenti. Ad Hebræos: Quid in hoc sequitur, quod Apostolus dicit: *Fide Iacob moriens singulos filiorum Ioseph benedixit, & adorauit fastigium virgæ eius?* Resp. Sceptri significatio accipiēda est per virgam, & per hoc regni potestatis q; fastigium, in quo Christus intelligitur adoratus, qui videlicet futurus erat regni Hebræorū caput.
Heb.11.

Prosper. 450.

De promissionibus & prædictionibus Dei parte 2.cap.5. Pro votiuis verò & solennibus, quæ Christo Domino offerat populus, Paulus Apostolus ostēdit: *Offeramus,* inquit, *sacrificium laudis semper Deo, id est, fructum labiorum confitentium nomini eius: Beneficentiæ autem & communionis nolite obliuisci. Talibus enim sacrificijs placatur Deus.*
Heb.13.

Sedulius. 460.

Ad caput 1. epistolæ ad Hebræos: Quoniam Paulus apud Hebræos legis destructor quasi falsa opinione habebatur, voluit tacito nomine de figuris Legis, & veritate Christi reddere rationem, ne odio nominis fronte prælati, vtilitatem excluderet lectionis.

Eugenius Carthaginensis. 480.

In ratione fidei ad Hunericum Regem: Denique ne aliquis inter Patrem & Filium diuersitatem naturalis luminis introducat, ideo Apostolus de eodē Filio dicit: *Qui cùm sit splendor gloriæ, & figura substantiæ illius.* In quo euidentius & coæternus Patri, & vnius cum eo substantiæ esse perdocetur, dum luci splendor semper sit coæternus, dum splēdor à luce nunquam separatus est.
Heb.1.

Vigilius Tridentinus. 480.

Lib.5.contra Eutychen: Iam Paulus ad Romanos: *De Filio,* inquit, *suo, qui factus est de semine Dauid secūdùm carnem.* Item ad Hebræos: *Considerate Apostolum & pontificem confessionis nostræ Iesum, qui fidelis est ei, qui fecit illum.* Item: *Tanto melior est Angelis factus, quanto excellentius præ illis nomen accepit.*
Rom.1. Heb.3. Heb.2.

Saluianus Massiliensis. 480.

Ad Ecclesiam Catholicam lib.4. Nemini facilis sua causa sit, nullus difficilius euadit, quàm qui se euasurum esse præsumpserit. Dura hæc forsitan atque austera videbuntur. Quidni? *Omnis enim disciplina* (vt ait sermo diuinus) *non est gaudij, sed mœroris.*
Heb.12.

Gelasius. 490.

In ordine librorum noui Testamenti? Noui & æterni Testamēti Euangeliorum libri quatuor, Actuum Apostolorum liber vnus, Epistolæ Pauli numero quatuordecim: Ad Romanos vna, &c. ad Hebræos vna.

Fulgentius. 500.

Lib.1.ad Monimum c.9. Paulus quoque optat à nobis Dei fieri voluntatem, dicēs: *Deus aūt pacis, qui eduxit de mortuis pastorem magnum ouium in sanguine testamenti æterni, Dominum nostrum Iesum, aptet vos in omni bono, vt faciatis voluntatem eius.*
Heb.13.

Responsione contra Arianos: Iste Deus, qui per semetipsum iurat, vtrum maiorem se habeat, Paulus nobis beatus ostendit, qui ad Hebræos scribēs, ait: *Abrahæ namq; promitteus Deus, quoniam neminem habuit, per quem iuraret maiorem, per semetipsum iurauit dicens,* &c.
Heb.6.

Libro 2.ad Thrasimundum regem cap.8. De quo beatus Paulus euidentissimè protestatur, dicens: *Viuus est enim sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti.*
Heb.4.

Ennodius Diaconus. 510.

Præfatione in librum defensionis quartæ & quintæ Synodorum: Et Apostolus Paulus proclamat: *Obedite Præ-*
Heb.13.

te Præpositis vestris, quoniam ipsi exorabunt pro vobis.
Heb.5.

Vigilius Papa. 535.

Epistola ad Auxanium: Et iterum Doctor gentium Paulus Apostolus dicit: *Nec quisquā sibi sumit honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron.*

Primasius. 540.

Præfatione in epistolas Pauli: Si propterea epistola ad Hebræos Pauli non erit, quia eius non habet nomen, nec alicuius erit: quia nullius nomine titulatur. Quod si absurdum est, ipsius magis esse credenda est, quæ tanto doctrinæ suæ fulget eloquio: vel certè quia apud Hebræas Ecclesias quasi destructor Legis falsa suspitione habebatur, voluit tacito nomine scribere, ne odium nominis in fronte prolati vtilitatem excluderet lectionis.

Cassiodorus. 550.

Capite 7. in Cantica: Hic est ille artifex, de quo Paulus dicebat, quādo memoriam Abrahæ faciebat: *Expectabat enim manentem ciuitatem, cuius conditor est Deus.*
Heb.11 12.

Ad Psal.94. *Hodie* significat semper, quia iugiter audiendus est, qui salubriter monet, cuius sermonis vim Apostolus potenter expressit, scilicet: *Adhortamini vosmetipsos per singulos dies, donec hodie cognominatur,* &c. *Si introibunt in requiem meam.* Quem locum gentiū Doctor tali modo explanat, dicens: *Et requieuit Deus die septima ab omnibus operibus eius.*
Heb.3. Heb.4.

Gregorius Turonensis. 580.

De vita Patrum cap.7. Magna est corporis & cordis integritas, cuius caro non fuit corrupta ludibrio, de qua Paulus Apostolus ait: *Pacem sequimini, & sanctificationem, sine qua nemo videbit regnum Dei.*
Heb.12.

Gregorius Magnus. 590.

Libro 5. Moralium cap.5. Vnde bene Paulus quibusdam absconditum æternæ patriæ thesaurum quærentibus dicit: non deserentes collectionem nostram, sicut est consuetudinis quibusdam, sed consolantes, & tanto magis, quanto videritis appropinquantem diem.
Heb.10.

Lib.9.cap.10. Ipsi enim Angeli portant orbem, qui regendi mundi curas administrant, Paulo attestante, qui ait: *Nonne omnes sunt administratorij spiritus in ministerium missi,* &c.
Heb.1.

Isidorus Hispalensis. 620.

Lib.6. Etymol. cap.1. In nouo Testamento sunt: Paulus in epistolis quatuordecim &c.

Eucherius Episcopus Gallus. 630.

In Lib.3. Regum: Quæri potest, quomodo dicat hîc, quòd in arca non esset aliud, nisi duæ tabulæ testimonij, cùm Paulus Apostolus, magister gentium in fide & veritate, Hebræis, id est, filijs Israel scribit dicens: *Tabernaculum enim manufactum est primum, in quo erat vrna aurea habens manna,* &c.
Heb.9.

Eligius. 640.

Homilia 6. Quia, fratres mei, de his estis, sicut ait Apostolus, *quibus lacte opus est, non solido cibo.*
Heb 5.

Martinus Primus. 647.

Epist.4. Adolescentiam appellat misericordiæ vigorem, siue fidei radicem, sicut à sancto Paulo dictum est: *Credere enim primùm oportet accedentem ad Deum.*
Heb.11.

Concilium Lateranense. 650.

Consultatione 5. Propterea dicebat cum reuerentia salutari: *Pater, si fieri potest, transeat à me calix iste, & exauditus est pro sua reuerentia, dum & Filius esset,* sicut beatus Paulus Apostolus ait: *Mortis transitum fecit, destruens eam per se, & in se.*
Matt.26. Heb.5.

Hildephonsius Toletanus. 660.

De virginitate S.Mariæ cap.10. Hæc Paulus in epistola ad Hebræos copiosè proponit, assumit, confirmat, atque concludit.

Eudoenus. 670.

In vita S. Eligij: Qui legitimam ducere vxorem constituit, post nuptias nullam aliam præter vnā legitimam coniugem cognoscat, sicut & Paulus Apostolus præcepit, cui etiam fidem seruet, nec peccet cum alia, timens illud, quod idem Apostolus terribiliter clamat: *Fornicatores & adulteros iudicabit Deus.*
Heb.13.

Aldhelmus. 680.

De laudibus virginitatis cap.28. Melchisedech paterni geniminis prosapia & maternæ generationis propago ignota seculis gemini partus natura deliteſcit: Idipsum Apostolo attestante, *sine patre, sine matre, sine genealogia.*
Heb.7.

Beda. 700.

In argumento epistolæ ad Hebræos: Imprimis dicendum est, cur Apostolus Paulus in hac epistola scribendo, non seruauerit morem suum, vt vel vocabulū nominis sui, vel ordinis describeret dignitatem. Hæc causa est, quòd ad eos scribens, qui ex Circumcisione crediderant, quasi gentium Apostolus, non Hebræorum: sciens quoque eorum superbiam, suamq; humilitatē ipse demonstrans, meritum officij sui noluit anteferre. Nam simili modo etiam Ioannes Apostolus propter humilitatem in epistola sua nomen suum eadem ratione non prætulit. Hanc ergo epistolam ferunt Apostolus ad Hebræos Hebraica lingua misisse: cuius sensum & ordinem retinens Lucas Euangelista, post excessum Apostoli Pauli Græco sermone composuit.

Gregorius Tertius. 730.

Epistola ad Germanum Constantinopolitanum: Quorum Cherubim Apostolus mentionem facit, cùm ait: *Cherubim gloriæ inumbrantia propitiatorium.*
Heb.9.

Alcuinus. 750.

De sancta Trinitate lib.2.cap.17. Quòd omnia, quæ Patribus visa sunt, congruis temporibus vel locis, secundùm dispensationem Dei per Angelos essent administrata, apertissimè eximius mundi Doctor, qui in tertium raptus cælum, audire meruit quædam arcana mysteriorum Dei verba, ostendit, vbi ait: *Nonne omnes sunt administratorij spiritus?*
1 Cor.12. Heb.1.

Ambrosius Ansbertus. 760.

Lib.8.in Apocal. Hinc Paulus cùm per Abrahæ sacrificium Melchisedech tempore Leui sacerdotium diceret decimatum, vbi tunc in Abrahæ corpore Leui lateret, ostendens ait: *Adhuc enim in lumbis patris erat.*
Heb.7.

Adrianus Primus. 780.

Epistola ad Constantinum & Irenem AA. Rursus idē Iacob illa in sūmitate virgæ suæ adorauit, fide dilectionis id agēs, de qua beatus Paulus Apostolus in epistola ad Hebræos dicit.
Gen.49. Heb.11.

Carolus Magnus. 790.

Epistola ad Eliphandum Toletanum: Sicut & verissimus gentium prædicator, & fortissimus Ecclesiæ præliator præcipit, dicens: *In omnibus assumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissima ignita extinguere: & hoc seculum nequam libero ad cælestia olatu euadere. Sine fide enim impossibile est placere Deo. & per fidem,* sicut idem præfatus Doctor in epistola ad Hebræos testatur, *omnes Sancti placuerunt Deo.*
Ephes. 6. Heb.11.

Haymo. 820.

Præfatione in Epistolam ad Hebræos: Hanc epistolam

lam quidam dicunt esse Barnabæ Apostoli, quidam Lucæ, quidam Clementis, dicêtes, quoniam si Pauli esset, ipse vtiq; more solito, sicut in alijs, nomen suum in ista præponeret. Sed si Pauli non erit, quia eius nomine non est titulata, ergo nec Barnabæ, nec Lucæ, neque Clementis, aut alicuius erit, eò quòd nullius nomine titulatur. Cui ergo illorum ascribenda est? Vtiq; egregio prædicatori: quippe quæ ex lucido sensu, & genere locutionis comprobatur illius esse: quamquã subtiliori atque apertiori stylo cõprehensa sit omnibus eius epistolis. Nam fertur Apostolus hãc Hebræis missam Hebræo sermone scripsisse, in quo ipse peritissimus extitit, cùm reliquas Græco sermone scripserit.

Angelomus. 830.

In lib.3. Regum cap.6. Fuerunt alij, qui maiori perfectione relictis mundi negotijs, & assumpta cruce sua, sequebantur Dominum, quod Apostolus scribit: *Ludibria & verbera experti, insuper & vincula & carceres, lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladij mortui sunt.* Heb.11.

Rabanus Maurus. 850.

De institutione Cleri lib.2.cap.53. Noui Testamenti primùm quatuor Euangelia sunt: Matthæi, Marci, Lucæ, Ioannis. Hæc quatuordecim Pauli epistolæ sequuntur.

De Vniuerso lib.5.cap.3. Epistolas Paulus quatuordecim prædicationis suę perstrinxit stylo, &c. Ad vltimum Hebræos, qui in Christo crediderant, & postmodum persecutionibus Iudaicis territi, à fide recesserant, confortat, atque ad gratiam Euangelij reuocat.

Nicolaus Primus. 860.

Epist.9. Præsertim cùm beatissimus exclamat Apostolus Paulus: *Est*, inquiens, *fides sperandarum substantia rerum.* Heb.11.

Paschasius Ratbertus. 880.

De corpore & sanguine Domini cap.8. De Angelorum præsentia dubitare omninò non debes: quia ad hoc, secundùm Apostolum Paulum, *administratorij spiritus positi sunt in ministerio propter eos, qui hereditatem capient salutis.* Heb.1.

Smaragdus. 970.

In expositione 9. capitis Regulæ D. Benedicti, enumerans Scripturæ sacræ libros: Euangeliorum, *inquit*, libri quatuor, epistolæ Pauli quatuordecim: Ad Romanos vna, ad Hebræos vna, &c.

Leo Nonus. 1040.

Epistola ad Michaelem Constantinop.cap.1. Ad pacem magnus Paulus cõtestando sic discipulos adhortatur: *Pacẽ sequimini cum omnibus, & sanctimoniã, sine qua nemo videbit Deum.* Heb.12.

Petrus Damianus. 1050.

Epist.5. Quasi quosdam pannos veteres Paulus Apostolus subiungebat, cùm ad subleuandos discipulos præceptis suis spiritualibus exempla veterum cõmendaret, dicens: *Iusti ludibria & verbera experti, insuper vsque gladijs mortui sunt.* Heb. 11.

Anselmus. 1080.

Præfatione in epistolam ad Hebræos: Paulus in Italia positus Hebræo sermone scripsit hanc epistolam, & misit Iudæis, ad fidem Domini Iesu conuersis, & in Iudęa post veritatis cognitionem versantibus.

Iuo Carnotensis. 1100.

Epist.32. Scriptum est ab Apostolo Paulo: *Sine fide impossibile est placere Deo.* Fides ergo si euellatur, tota ædificatio spiritualis procul dubio destruitur. Heb. 11.

Sermone de Sacramentis dedicationis: Quid autem per alphabetum, nisi initia & rudimenta doctrinæ sacræ intelligi conuenit? Vnde Paulus ad Hebræos: *Cùm deberetis esse magistri propter tempus, rursum indigetis, vt instruamini, quæ sunt elementa sermonum Dei.* Heb.5.

Rupertus Tuitiensis. 1120.

De diuinis Officijs lib.5.c.15. Post esum typici agni, seipsum, qui verus est Agnus, Deo Patri suis offerens manibus. Atque hoc est quod Apostolus ait: *quia non per sanguinem hircorum, aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introiuit semel in sancta, æterna redemptione inuenta.* Heb.5.

Lib.9.cap.2. Nam quòd in cruce rogauerit, quòd in morte clamauerit, Paulus asserit, dicês de illo: *Qui in diebus carnis suæ preces supplicationesq; ad eum offerens, exauditus est.* Heb.5.

Hugo Victorinus. 1130.

In epistolam ad Hebræos: Paulus Doctor egregius, gentium Apostolus, ministerium suum volês honorificare, Ecclesijs Hebræorum hanc epistolam scribit, agens de eminentia Christi, secundùm vtramq; naturam. Imprimis quæritur, cur huic epistolæ, sicut cæteris, non præposuit suum nomẽ, quod est Paulus: cur etiam nomen dignitatis tacuit, quod est Apostolus? Solutio: quia Hebræis odiosus erat, quibus Legis destructor videbatur, nomen suum eis odiosum tacuit: ne præscripta nominis inuidia sequentis excluderet vtilitatem lectionis: sciens quoque eorum superbiam, suãq; humilitatem demonstrans, sui ordinis dignitatem noluit anteferre, nominando se Apostolum, sed meritum sui officij tacens, superbis ipse humilis, non se Apostolum nominauit, ne superbo indignarentur, &c. Quòd hęc epistola maiore fulget facundia, quàm alia, non est mirandum, cùm naturale sit vnicuiq; in sua lingua plus valere, quàm aliena. Cùm ergo hanc solam lingua Hebraica, alias verò Græca scripserit, quid mirum si maiore nitet facundia?

Bernardus. 1140.

In Psalm. Qui habitat, *Sermone 9.* Germanæ fidei speiq; cognatio est, vt quod illa futurum credit, hæc sibi incipiat sperare futurum. Meritò proinde Apostolus, *Fidem sperandarum rerum substantiam esse definit*, quòd videlicet non credita nemo sperare, non plus quàm super inane pingere possit. Heb.11.

In paruis Sermonibus Serm.57. Nisi enim pes ille, quem diximus, misericordię, ad hominẽ assumptum pertineret, Paulus de illo non diceret: *Tentatum autẽ per omnia pro similitudine absq; peccato*, &c. Heb.4.

Petrus Cluniacensis. 1150.

Epist.1. Quis literatus non à puero audiuit Apostolum clamantẽ: *Sine fide impossibile est placere Deo*, &c. Quis tonitrua Apostoli ad Hebræos obturata aure transire potuit, quibus fide testimonium cõsecutos fuisse copiosissimè narrat? Heb.11.

Guarricus Igniacensis. 1170.

In solennitate D. Benedicti: Sed meminerimus Doctor Gentium in fide & veritate qualem definierit fidem, qua Deo est placendum: *Fides*, inquiens, *est substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium.* Heb.11.

Innocentius Tertius. 1200.

Ad Psalm.6. Pœnitentialem: Vel potius apud Dominum Filium misericordia est, qui nostras dignatus est miserias experiri, iuxta quod dicit Apostolus: *Non habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum per omnia, pro similitudine absque peccato.* Heb.14.

Iacobus Vitriacus. 1220.

Dominica Sexagesimæ: De qua terra dicit Apostolus ad Hebræos: *Terra sæpe venientem super se bibens imbrem, & germinans herbam opportunam illis, à quibus colitur, accipit benedictionem à Deo.* Heb.6.

Hugo Cardinalis. 1240.

In Epistolam ad Hebræos: Hanc epistolam Paulus lingua, vt dicitur, scripsit Hebraica, sed post mortem à Luca fuit Græco sermone composita, vel translata.

Bonauentura. 1260.

In Luminarijs Ecclesiæ: Paulus etiam suadet volentibus gratiam virginem adire: *Adeamus cum fiducia thronũ gratiæ eius, vt misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno*, Heb.4.

Guibertus Tornacus. 1270.

De Officijs Episcopi cap.7. Sacerdotes non solùm pro suis, sed etiam pro subditorum criminibus subiacent pœnis æternis. Vnde scriptum est: *Obedite præpositis vestris: ipsi enim vigilant, rationem reddituri pro animabus vestris.* Heb.13.

Nicolaus Lyranus. 1320.

In epistolam ad Hebræos: Ista epistola inter epistolas Pauli prima in ordine doctrinæ, licet sit vltima scribendi tempore: quod ex duobus constat. Primò ex modo scribendi: quia hanc epistolam scripsit Apostolus Hebraicè. Secundò patet ex sententia, quia in hac epistola veritas legis Euangelicæ, & eius perfectio ostenditur: in alijs autem epistolis Paulus Apostolus ad obseruantiam fideles hortatur. Prius est autem legis veritatẽ agnoscere, quàm ipsam veritatem obseruare. Patet igitur quòd hæc epistola est prior ordine doctrinæ.

Thomas Valdensis. 1410.

De Sacramentalibus titulo 11.cap.105. Et Paulus applicat precem populi ad specialem interuentum, pro eius præpositis: *Mementote*, inquiens, *præpositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei.* Heb.13.

Laurentius Iustinianus. 1430.

De interiore conflictu cap.4. Vtramque porrò verbi lucem ad tertium cælum Apostolus raptus fuerat cõtemplatus. Vnde conuersis discipulis scribens, inquit: *Multifariè olim loquens Patribus in Prophetis, nouissimè locutus est nobis in Filio, qui cùm sit splẽdor gloriæ, & figura substantiæ eius, & portat omnia verbo virtutis suæ*, &c. Heb.1.

Dionysius Carthusianus. 1460.

Ad cap.1. Epist. ad Hebræos: Postquam Apostolus Ecclesiam Latinorum, puta Romanos: Ecclesias quoque Græcorum, videlicet Corinthios, Galatas, Thessalonicenses, &c. scripto edocuit: nouissimè Ecclesiam Hebræorum per epistolam instruit, ostendens q; Christi excellentiam, & noui Testamenti præ veteri dignitatem, ita exorsus est: *Multifariam*, &c.

ARTICVLVS VIGESIMVS TERTIVS.

EPISTOLAM D. IACOBI VT CANONICAM SCRIPTVRAM VALERE AD ECCLESIASTICA DOGMATA CONFIRMANDA.

DVBITANT, AVT NEGANT.

Anno post natum Christum

300. EVSEBIVS lib.3. cap.23. *Hactenus de Iacobo, cuius illa habetur epistola, quæ prima scribitur inter eas, quæ Catholicæ appellantur. Sciendum tamen est, quòd à nonnullis non recipitur, nec facilè quis antiquorum eius meminit.*

390. Hieronymus de Viris illustribus: *Iacobus frater Domini breuem scripsit epistolam, quæ de septem Canonicis est: quæ & ipsa ab alio quopiam sub eius nomine edita asseritur: licet paulatim tempore procedente obtinuerit auctoritatem.*

1520. Erasmus Roterodamus ad cap.5. epist. huius: *De hac epistola, tametsi salubribus præceptis referta, dubitatum est olim cuius esset. Nec enim referre videtur vsquequaque maiestatem illam & grauitatem Apostolicam: nec Hebraismi tantum, quantum à Iacobo, qui fuerit Hierosolymitanus, expectaretur.*

1520. Thomas Caietanus in Commentarijs in hanc epist. *Non est vsque adeò certum an epistola hæc sit Iacobi fratris Domini. Salutatio hic posita tam pura est, vt nulli salutationi cuiuscunque alterius Apostolicæ epistolæ conformis sit. Nam nihil Dei, nihil Iesu Christi, nihil gratiæ, nihil pacis sonat, sed prophano more salutem: nec ipse seipsum nominat Apostolum, sed tantùm seruum Iesu Christi. Ex quibus simul iunctis minus certus redditur auctor.*

1530. Martinus Lutherus Præfatione in nouum Testamentum, quę extat in Germanica versione editionis primæ: *D. Iacobi verè straminea est epistola, si ad alias* (Petri & Pauli) *comparetur. Non enim habet Euangelicum genium.*

In captiuitate Babylonica capite de extrema Vnctione: *Hanc epistolam non esse Iacobi Apostoli, nec Apostolico spiritu dignam, valde probabiliter asserunt.*

Ad cap.22.Geneſeos: *Abraham fuit iuſtus fide, antequam cognoſcitur à Deo talis. Igitur malè concludit Iacobus, quòd nunc demum iuſtificatus ſit, poſt iſtam obedientiam. Per opera enim, tamquam per fructus, cognoſcitur fides & iuſtitia. Non autem ſequitur, vt Iacobus delirat, igitur fructus iuſtificant. Faceſſant igitur è medio aduerſarij cum ſuo Iacobo, quem toties nobis obijciunt.*

In Colloquijs conuiualibus Latinis tomo 2. de libris noui Teſtamenti: *Plures ſudârunt in epiſtola Iacobi, vt cum Paulo concordarent: ſicut & Philippus in ſua Apologia ientat: ſed minus feliciter. Sunt enim contraria,* fides iuſtificat: fides non iuſtificat.

1540. Vitus Theodorus in Summarijs Bibliorum: *Epiſtolam Iacobi, & Reuelationes Ioannis data opera omiſimus: quia epiſtola Iacobi non tantùm in aliquot locis reprehenſibilis eſt, vbi aduerſus fidem opera nimium extollit: verùm etiam per omnia eſt doctrina conſuta de multis partibus, vbi nulla alteri cohæret.*

1540. *Ioannes Bugenhagius Pomeranus ad cap.4. epiſtolæ ad Romanos*: Reputata eſt Abrahæ fides ad iuſtitiam.) *Ex hoc loco potes deprehendere errorem epiſtolæ Iacobi, in qua impium vides argumentum, præterquã quòd ridiculè colligit, citat Scripturam contra Scripturam, quod Spiritus ferre nequit. Non poteſt ergo reliquis annumerari libris, qui iuſtitiam prædicant.*

Ad cap.3. Ionæ: *In epiſtola Iacobi quædam eſſe videntur Ebionitis ſimilia,* &c.

1550. VVolfgangus Muſculus in Locis Communibus, capite de iuſtificatione: *Obijciunt Papiſtæ epiſtolam Iacobi: at ille quiſquis fuit frater Chriſti, & inter Apoſtolos columna, magnuſq; ſupra modum Apoſtolus, veritati tamen fidei ſolus præiudicare non poteſt.*

1560. *Ioannes Brentius,* in Apologia confeſsionis VVirtembergenſis, *epiſtolam Iacobi inter Apocryphas Scripturas numerat.*

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Clemens Romanus. 80.

Conſtitutionum Apoſtolicarum lib.2. cap.8. Si cui igitur conuitium propter mendacium fiat, beatus
Iacobi 1. erit. Ait enim Scriptura: *Vir reprobus non tentatur à Deo.*

Ignatius. 100.

Iacobi 4. Epiſtola ad Epheſios: *Superbis,* inquit, *reſiſtit Deus: humilibus autem dat gratiam.*

Dionyſius Areopagita. 100.

Iacobi 1. Cæleſtis Hierarchiæ cap. 1. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum de ſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum.*

Maximus in Commentarijs in hunc locum: Signum eſt, quòd vſus eſt ſanctus Dionyſius epiſtola Catholica Beati Iacobi: illinc enim deſumptus eſt hic locus.

Clemens Alexandrinus. 200.

Caſſiodorus diuinarum lectionum libro primo capite octauo: Clemens Alexandrinus epiſtolam D. Iacobi Attico ſermone declarauit, quæ nos transferri fecimus in Latinum.

Hippolytus. 220.

Iacobi 4. De conſummatione mundi: *Iudicium enim fiet ſine miſericordia huic, qui non facit miſericordiam.*

Origenes 230.

In Exodum Homilia 3. Ita ergo & nos in virtute crucis Chriſti extollamus brachia, & eleuemus in oratione ſanctas manus in omni loco ſine ira & diſceptatione, vt Domini mereamur auxilium. Hoc idem namque & Iacobus Apoſtolus hortatur, dicens: *Reſiſtite autem diabolo, & fugiet à vobis.*
Iacobi 4.

Homilia 8. Ideo luget nos Propheta, quos videt huiuſmodi inconſtantia fluctuare, & dicit: *Væ duplices corde & animo.* Et Apoſtolus Iacobus ait: *Vir*
Eccl. 2. Iacobi 1. *duplex animo inconſtans eſt omnibus viis.*

In Leuiticum Homilia ſecunda: Quinta remiſſio peccatorum eſt, cùm conuerterit quis peccatorem ab errore viæ ſuæ. Ita enim dicit Scriptura diuina: *Quia qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſaluat animam eius à morte, & cooperit multitudinem peccatorum.*
Iacobi 5.

Ad caput quintum ad Romanos: Nec ſolus hæc Paulus in ſuis literis ſcribit, audi & Iacobum fratrem Domini ſimilia proteſtantem, cùm dicit: *Qui voluerit amicus eſſe ſeculi huius, inimicus Dei conſtituetur.* Iacobi 4.

Euſebius Cæſareenſis. 320.

In Fati aſſertores apud Damaſcenum in Paral. lib.1. cap.9. Tentationes illæ, quæ hominibus contingunt, à diabolo excitantur. Hæc quippe Apoſtoli verba ſunt: *Nemo cùm tentatur, dicat, quia à Deo tentatur: Deus enim intentator malorum eſt. Vnuſquiſq; autem tentatur à propria conſcientia.* Iacobi 1.

Apud eundem Damaſcenum lib.3. Paral. cap.45. Ac ſi quidem tibi dicto audiẽtem ſe præbuerit, ipſius animam lucratus eris, quemadmodũ dixit Scriptura: *Qui conuerti fecerit hominem ab errore viæ ſuæ, ſaluabit animam ipſius à morte, & operiet multitudinem peccatorum.* Iacobi 5.

Antonius Eremita. 340.

Epiſt.1. Vnde & Iacobus Apoſtolus ait: *Si quis videatur religioſus eſſe, non refrænans propriam linguam, ſemetipſum fallit, & huius religio vana eſt.* Iacobi 1.

Athanaſius. 350.

Epiſtola 39. Noui Teſtamenti libri ſunt quatuor Euangelia, epiſtolæ, quæ dicuntur Canonicæ, ſeptem, ſicut Iacobi vna, Petri duæ, &c.

Epiſtola de Nicæna Synodo: Quomodo non odio digni ſunt, qui nunc tandem contradicunt, eosq; quos prodiderunt, duces ſuæ hæreſeos habere volunt: homines nimirum tales, quales D. Iacobus *duplices corde, & inſtabiles in omnibus vijs* appellat. Iacobi 1.

Epiſtola ad Epiſcopos Africæ: Deus eſt ſimplex ſubſtantia, in qua non eſt vlla qualitas, *neque vlla,* vt teſtatur Iacobus, *mutatio, aut viciſſitudinis obumbratio.* Iacobi 1.

Didymus Alexandrinus. 360.

Ad cap.1. Iacobi: Iure beatus Iacobus Apoſtolus his, qui ex Circumciſione ſunt, ſcribit: ſicut & Petrus, cùm eorundem probetur Apoſtolus, Iudæis ſcribit in diſperſione conſtitutis.

Cyrillus Hieroſolymitanus. 360.

Catechеſi 4. Noui Teſtamenti ſeptem, Iacobi, Petri, Ioannis, & Iudæ epiſtolas ſuſcipe.

Concilium Laodicenſe. 360.

Cap.58. Catholicæ epiſtolæ ſunt ſeptem: Iacobi vna, Petri duæ, Ioannis tres, Iudæ vna.

Ephræm. 360.

De charitate, ſiue dilectione: De hac Apoſtolus ait:
Iacobi 4. *Qui ſe mundi putat amicum, Dei inimicus conſtituitur.*

De virtutibus & vitijs, cap. de Iracundia: Qui iracundia ſemper tenetur, Apoſtolum audiat ſic dicentem: *Ira viri iuſtitiam non operatur.*
Iacobi 1.

De vita ſpirituali cap.91. De fide differens, an opera fidei correſpondentia habeas vide. Nam ſi dicendi duntaxat & audiendi ſis cupidus, in te quadrabit quod ſcriptũ eſt: *Vis ſcire, ô homo inanis, quoniam fides ſine operibus mortua eſt?*
Iacobi 2.

Quod iudicris rebus ſit abſtinẽdum: Atque Iacobus frater Domini: *Lugete,* inquit, *& plorate, riſus veſter in luctum conuertatur, & gaudium in mœrorem.*
Iacobi 4.

De pœnitentia & conuerſione: Omnia prodibunt in lucem, ſiue boni quid egerit quis, ſiue mali. Ait enim ſacra Scriptura: *Quæ eſt vita noſtra? vapor eſt ad modicum parens, & deinceps exterminabitur.*
Iacobi 4.

Baſilius Magnus. 370.

In Aſceticis: Neque oportet fidem eſſe mortuam. *Quoniam,* inquit Apoſtolus, *ſicut corpus abſque ſpiritu eſt mortuum, ita etiam fides abſque operibus eſt mortua.* Et rurſus: *Tu credis, quòd ſit Deus? bene facis, & dæmones credunt, & contremiſcunt.*
Iacobi 2.

Gregorius Nazianzenus. 380.

Carmine de Canonicis Scripturæ libris:

Catholicæ ſeptem, inter quas eſt prima Iacobi,
Et geminæ Petri, ſubeunt tres deinde Ioannis,
Septima poſt illas ſuccedit epiſtola Iudæ.

Oratione 28. Vt enim actio, ſi à fide deſeratur, laudem non meretur: *ita fides ſine operibus mortua eſt.*
Iacobi 2.

Epiphanius 380.

Hæreſi 76. numerans Scripturæ libros ait: Catholicæ epiſtolæ Iacobi, Iudæ, Petri, Ioannis.

Marcus Eremita. 400.

De Pœnitentia: Atque horum ſimilia beatus quoque Iacobus Apoſtolus huiuſmodi diuitibus inquit: *Agite nunc diuites, plorate vlulantes ob miſerias veſtras, quæ aduenient vobis.*
Iacobi 5.

Ioannes Chryſoſtomus. 400.

Sermone admonitorio de Euchariſtia in Encæniis: Nõ ſatis fuerit ſimpliciter & vulgariter Chriſtianos dici nos. Eius rei, ſi placet, adhibeo fide dignum teſtem, fratrem Dei Iacobum, dicentem: *Fides ſine operibus mortua eſt.*
Iacobi 2.

Homilia 22. ad populum Antiochenum: Cani ſimilis eſt voluptas: ſi pellas, fugit; ſi nutrias, permanet. Propterea dicit Apoſtolus: *Reſiſtite diabolo, & fugiet à vobis.*
Iacobi 4.

Ioannes Caſsianus. 420.

Lib.12. Inſtitut. cap.6. *Non veniat mihi pes ſuperbiæ,* pauens ac metuens, ne in illud incidat, quod de ſuperbis dicitur: *Deus ſuperbis aduerſatur.* Et iterum: *Immundus eſt apud Deum omnis, qui exaltat cor ſuum.*
Iacobi 4.

Cyrillus Alexandrinus. 430.

Lib.4. in Ioannem cap.4. Plurimi noſtrum humilem in hoc mũdo virum, etſi virtutibus excellat, in ſolam tamen caducam diuitiarum gloriã iniquis oculis reſpicientes, non rectè iudicant: quos Chriſti diſcipulus non iniuria reprehẽdit, dicẽs: *Si introierit in conuentu veſtro vir aureum annulum habens in veſte candida: introierit autem & pauper in ſordido habitu: & intendatis in eum, qui eſt indutus veſte præclara,* &c.
Iacobi 2.

Libro 14. Theſauri cap.5. Nolite, fratres mei dilecti, errare. Iacobus inquit: *Omne datum optimũ, & omne donum perfectum de ſurſum eſt deſcendens.*
Iacobi 1.

Libro 6. de adoratione in ſpiritu & veritate: Commemorabo etiam diuinitus inſpiratam Scripturam, quæ ait: *Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, vngentes eum oleo.*
Iacobi 5.

Iſidorus Peluſiota. 440.

Lib.1. epiſt.93. *Nolite multi magiſtri fieri fratres,*
Iacobi 3. ſcribit Iacobus Iuſtus. Nolite multi magiſtri effici monachi, ſcribo ego minimus Iſidorus: etſi minimè probus monachus, at certè Iacobi auditor. Æquum itaque fuerit, vos etiamſi auditoris vilitatem reijcitis, at certè viri iuſti, ac ſapientis ſententiam vereri.

Lib.2. epiſt.158. Diuinum oraculum è contrario vitæ noſtræ tempus à lingua conturbari ait: *Tempus enim rotæ ſpeciem imitatur, vtpote quod in ſeſe torqueatur & conuoluatur.* Nihil autem commodius fuerit, quàm Scripturam ipſam audire. Quid igitur ait? *Lingua conſtitutur in membris noſtris, quæ inflãmat totum corpus, & maculat rotam vitæ noſtræ.*
Iacobi 3.

Victor Antiochenus. 460.

Ad caput 6. Marci: Quòd de myſtica vnctione, & olei vſu hîc ſubiungitur, hoc inter Euangeliſtas ſolus Marcus commemorat. Interim quę Apoſtolus Iacobus in ſua Canonica narrat, ab his non diſſentiunt. Scribit enim: *Infirmatur quis in vobis?*
Iacobi 5. *inducat presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, vngentes eum oleo in nomine Domini.*

Andreas Cæſareenſis. 500.

Ad Apocalyp. cap.36. Qui ad vexandum & affligendum proximum prompti & expediti fuêre, ij à diabolo captiui abducentur, eius iuxta magnum Iacobum mancipia effecti, cui per praua opera ſeruierunt, Satanæque gladio icti æternam mortem ſuſtinebunt.

Procopius Gazæus. 530.

Ad Eſaiæ cap.7. Eum verò, qui ad Dei laudes ſe accingat, purgatis eſſe labijs oportere, indicauit Apoſtolorum quidam, de lingua ſic locutus: *In*
Iacobi 3. *ipſa benedicimus Deum & Patrem, & in ipſa maledicimus homines, qui ad imaginem & ſimilitudinem Dei facti ſunt.*

Iſychius Hieroſolymitanus. 580.

Libro 6. in Leuiticum: Recordemur Iacobi dicentis: *Si introierit in conuentu veſtro vir aureum annulum*
Iacobi 2. *habens,* &c.

Ioannes Climachus. 580.

Gradu 31. Cùm verò noſtris meritis expellimur, eius rurſum meminerimus, qui ait: *Qui totam le-*
Iacobi 2. *gem ſpiritualem impleuerit, offenderit autem in vno, factus eſt omnium reus.*

Leontius. 620.

De Sectis actione 2. Epiſtolæ Catholicæ ſeptem: prima Iacobi, ſecunda & tertia Petri, &c.

In vita Ioannis Eleemoſynarij: Nam quomodo ait frater Domini Iacobus, quòd *quicunque obſeruauerit totam Domini legem, offendat autem in vno, factus eſt*
Iacobi 5. *omnium reus?*

Euſtathius Presbyter. 620.

In vita S. Eutychij: Didicerat enim, ſibiq́ue planè perſuaſerat, ſapientiam huius mundi, vt Diuus Apoſtolus ait, non ſurſum deſcendere, ſed eſſe terre-
Iacobi 3. nam, animalem & dæmoniacam.

Antiochus. 620.

Homilia 54. Nos igitur, qui prę cæteris, vel ipſo teſte habitu, ſpirituales videmur, audiamus Iacobum dicentem: *Nolite ingemiſcere in altum, fra-*
Iacob. 5. *tres mei, vt ne in iudicium decidatis.*

Maximus. 640.

De Incarnatione Verbi: Et hoc eſt, quod in Catholicis dixit Iacobus: *Subditi Deo, reſiſtite Diabolo,*
Iacob 4. *& fugiet à vobis.*

De virtutibus & vitys centuriæ 3.cap.92. Existimo magnum Iacobum, qui dicitur frater Domini, ad speciem tētationum coactarum se retulisse, dum docet certantes pro veritate non debere terreri, inquiens: *Omne gaudium existimate, fratres mei, cùm in tentationes varias incideritis*. nempe coactas, præter voluntatem, & tribulationum procreatrices. Quod manifestè declarat hic magnus Iacobus: *Scientes, quòd probatio fidei vestræ patientiam operatur.*

Iacobi 1.

Georgius Presbyter. 620.

In vita Theodori Archimandritæ: Puer ea Scripturę verba non ignorans: *Amicitia huius mundi inimica est apud Deum*: Et: *Qui vult huius mundi amicus esse, inimicus Dei constituitur*; mundi diuitias spreuit.

Iacobi 4

Ioannes Damascenus. 730.

Orthodoxæ fidei lib.4.cap.10. Ne nos ipsos rursus peccato in seruitutem addicamus: *Fides enim sine operibus mortua est*, operaq; item sine fide.

Iacobi 2.

Cap.18. Septem sunt Catholicæ epistolæ, vna Iacobi, Petri duæ, tres Ioannis, &c.

Leo Imperator. 880.

In Encomio Chrysostomi: Horum enim fidem faciunt flammæ desiderij, quas spes in altum sublata conciliat: quomodo etiam magnus Apostolus præcipit, scribens: *Multum valet iusti oratio operans*, hoc est, quę operationem consequitur ex eo, quod non dubitant qui accedunt.

Iacobi 5.

Theophylactus. 900.

Ad cap.6. Marci: Quòd vnxerint oleo Apostoli solus Marcus narrat: quod & frater Domini Iacobus in Catholica epistola dicit: *Infirmatur quis in vobis*, &c.

Iacobi 5.

Ad caput 5.epist.ad Galatas: Disce igitur, quòd fides operatur per charitatem, hoc est viuere demonstratur: sin charitatis expers sit, inefficax est. Simile est Iacobi loco: *Fides sine operibus mortua est.*

Iacobi 2.

Simeon Metaphrastes. 970.

In vita Ioannis Eleemosynarij: Ex necessitate etiam fieri legis translationem, hoc ab Apostolo dictum esse scimus de veteri lege. Quid enim tibi videtur, quod situm est apud fratrem Domini Iacobum? Sic autem habet: *Qui totam legem impleuerit, in vno autem lapsus sit, esse omnium reum.*

Iacobi 2.

Georgius Palamas Thessalonicensis. 1040.

In Prosopopœia: Delicijs irretita siue fœmina est, siue mas, viuens mortua est. *Quando*, vt Apostolus ait, *attrahor & mesior carnis cupiditate: cupiditas autem concipit & gignit peccatum, peccatum autem absolutum procreat mortem*, &c.

Iacobi 1.

OEcumenius. 1080.

In argumento Epistolæ Iacobi: Hanc scribit Iacobus his, qui à duodecim tribubus dispersi fuerāt, & crediderant in Dominum nostrū Iesum Christum. Scribit autem aptam ad docendum Epistolam, docens, &c.

Georgius Pachymerius. 1280.

In paraphrasi cap. 7. de Ecclesiastica Hierarchia Dionysij: Et hoc est, quod Scriptura dicit: *Multum valet oratio iusti.*

Iacobi 5.

Hieremias Constantinopolitanus. 1580.

Responso 1. cap.1. Vnde Iacobus Apostolus confidenter denuntiauit dicens, *Quicunque autem totam legem seruauerit, offenderit autē in vno, factus est omnium reus.*

Iacobi 2.

Cap.15. Hæc magnam vtilitatem animabus nostris adferre affirmamus. *Multum enim*, inquit Scriptura, *valet deprecatio iusti.*

Iacobi 5.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Knacletus. 95.

Epistola 1. Vnde & beatus Iacobus Apostolus ait: *Si diligitis proximos sicut vosmetipsos bene facitis: sin autem personas accipitis, peccatum operamini redarguti à Lege.*

Iacobi 2.

Alexander Primus. 109.

Epistola 2. *Multum enim valet*, vt ait beatus Iacobus Apostolus, *deprecatio iusti assidua.*

Iacobi 5.

Tertullianus. 200.

De oratione cap.8. *Ne nos inducas in tentationem*, id est, ne nos patiaris induci, ab eo vtique qui tentat. Cæterùm absit, *vt Dominus tentare videatur*, quasi aut ignoret fidem cuiusque, aut deijcere sit consentiens.

Iacobi 1.

Aduersus Iudæos cap.2. Ante legem Mosi scriptam in tabulis lapideis legem fuisse contendo nō scriptam, quæ naturaliter intelligebatur, & à Patribus custodiebatur. Nam vnde Noë inuentus est iustus, si non illum naturalis legis iustitia præcedebat? Vnde *Abraham amicus Dei deputatus*, si non de æquitate & iustitia legis naturalis?

Genes.6

Iacobi 2.

Vrbanus Primus. 223.

Epistola ad omnes Episcopos: Decet omnes Christianos, vt eum imitentur, cuius nomen sortiti sunt. *Quid prodest fratres mei*, (Iacobus Apostolus ait,) *si quis fidem dicat se habere, opera autem non habeat? nolite plures fieri magistri, fratres mei, scientes quoniam maius iudicium sumitis: in multis enim offendimus omnes.*

Iacobi 1.

Iacobi 3.

Cyprianus. 250.

Libro ad Nouatianum hæreticum, quòd lapsis venia non est deneganda: Non legisti: *Tu qui stas videas ne cadas?* Non legisti: *Quia Dominus superbis resistit, humilibus autem dat gratiā?* Non legisti: *Qui se exaltat, humiliabitur?*

1 Cor.10

Iacobi 4

Lucæ 18.

Hilarius. 350.

Libro 4.de S.Trinitate: Tūq; ò quòd hunc nouerint inconuertibilem & indemutabilē, quia per Prophetam dixerit: *Ego sum Dominus Deus vester, & non demutor*: Et Iacobus Apostolus dixerit: *Apud quem non est demutatio.*

Iacobi 1.

Ambrosius. 370.

Sermone 7. in Psal.118. *Superbi iniquè agebant nimis.*) Quid igitur hoc peccato potest esse deterius, quod à Dei incipit iniuria? Ideo Scriptura dicit: *Dominus superbis resistit.*

Iacobi 4.

Tractatu de quadraginta duabus mansionibus filiorum Israel super 33.Num. mansione 18. Tentationes huiusmodi laudabiles esse Iacobus Apostolus testatur, dicens: *Omne gaudium existimate fratres, cùm in varias tentationes incideritis.* Hæ namque velut custodia quædam homini adhibentur.

Iacobi 1.

Gaudentius. 390.

Ad Geminium de villico iniquitatis: Nam sicut caro sine anima, ita fides sine operibus mortua est, secundùm Iacobi sententiam.

Iacobi 2.

Philastrius. 390.

Libro de hæresibus, capite de Apocryphis: Propter quod statutum est ab Apostolis & eorum successoribus, non aliud in Ecclesia legi debere Catholica, nisi Legem, Prophetas, Euangelia, &c. Petri epistolas duas, Ioannis tres, Iacobi vnam, &c.

Hieronymus. 390.

Libro 1.contra Iouinianum cap.24. Transeamus ad Iacobum, qui frater Domini dicebatur, tantę sanctitatis, tantæque iustitiæ, & perpetuæ virginitatis, vt

tis, vt Iosephus quoque historicus Iudæorū propter huius necem Hierosolymam subuersam referat. Hic primus Episcopus ex Iudæis Hierosolymæ credentis Ecclesię, ad quem Paulus cum Tito Barnabaque pergebat, loquitur in epistola sua: *Nolite errare fratres mei dilecti: Omne datum bonum, & omnis perfecta donatio de sursum est, descendens à Patre luminum: apud quem non est differentia, aut conuersionis obumbraculum. Volens genuit nos in verbo veritatis, vt simus primitiæ creaturarum eius.*

Heb.13. Gal.2. Iacobi 1.

Epistola ad Paulinum: Iacobus, Petrus, Ioannes, Iudas, septem epistolas ediderunt, tam mysticas, quàm succinctas; & breues pariter, ac longas: breues in verbis, longas in sententijs, vt rarus sit, qui non in earum cæcutiat lectione.

De Viris illustribus in Iacobo: Iacobus qui appellatur frater Domini, cognomento Iustus, post passionem Domini statim ab Apostolis Hierosolymorum ordinatus Episcopus, vnam tantùm scripsit epistolam, quæ de septem Catholicis est: quæ & ipsa ab alio quopiam sub eius nomine edita asseritur, licet paulatim tempore procedente obtinuerit auctoritatem.

Ruffinus. 390.

In Symbol. Apostolorum: Noui Testamenti libri sunt quatuor Euangelia, Petri Apostoli epistolæ duæ, Iacobi fratris Domini & Apostoli vna.

Chromatius. 400.

Ad caput 5.Matthæi: Concupiscentia est adulterij origo, secundùm quod beatus Iacobus in epistola sua refert: *Concupiscentia*, inquit, *parit peccatum, peccato autem concupiscentia acquirit mortem.*

Iacobi 1.

Concilium Carthaginense Tertium. 397.

Cap.47. Placuit, vt præter Scripturas Canonicas nihil in Ecclesia legatur. Sunt autem Canonicę Scripturæ: Genesis, Exodus, &c. epistola Iacobi.

Augustinus. 400.

De doctrina Christiana lib.2. cap.8. Noui Testamenti auctoritas terminatur quatuor libris Euangelij, &c. Petri epistolis duabus, tribus Ioannis, vna Iacobi, &c.

Præfatione in Psalm.31. Iacobus epistola sua contra eos, qui nolebāt bene operari, de sola fide præsumentes, ipsius Abrahæ opera commendauit, cuius Paulus fidem.

De Fide & operibus cap.14. Iacobus vehementer infensus ijs, qui sapiunt fidem sine operibus valere ad salutem, vt illos etiam dæmonibus cōparet, dicens: *Tu credis quoniam vnus est Deus, bene facis, & dæmones credunt, & contremiscunt.*

Iacobi 2.

De gratia & libero arbitrio cap.7. Ipsa est fides, quę fideles Dei separat ab immundis dæmonibus. Nam & ipsi, sicut dicit Iacobus Apostolus, & *credunt & contremiscunt*, sed non bene operantur.

Iacobi 2

Epist.29.ad Hieronymum: Proinde quæro, & per Deum obsecro, vt exponas mihi, quod multis existimo profuturum, quomodo accipiendum sit, quod in epistola Iacobi Apostoli scriptum est: *Quicunque totam legem seruauerit, offendat autem in vno, factus est omnium reus.*

Innocentius Primus. 406.

Epistola ad Exuperium Tholosanum cap.7. Noui Testamenti libri sunt quatuor Euangelia, &c. Epistolæ Petri duæ, Epistola Iudæ, Epistola Iacobi, &c.

Ad Decentium Eugubinum cap.8. Sanè quoniam de hoc consulere voluit dilectio tua, quod in beati Iacobi Apostoli epistola scriptum est: *Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum oleo in nomine Domini*, &c. Quod non est dubium de fidelibus ęgrotantibus accipi, vel intelligi debere, qui sancto oleo Chrismatis perungi possunt.

Iacobi 5.

Concilium Mileuitanum. 420.

Cap.7. Sanctus enim & iustus erat Apostolus Iacobus, cùm dicebat: *In multis offendimus omnes.* Nam quare additum est, *omnes*, nisi vt ista sententia cōueniret & Psalmo, vbi legitur: *Non intres in iudicium cum seruo tuo.*

Iacobi 5.

Philippus Presbyter. 420.

Ad caput 22.Iob. Proinde Iacobus Apostolus ait: *Iudicium sine misericordia fiet ei, qui non facit misericordiam.*

Iacobi 2.

Sixtus Tertius. 433.

De malis Doctoribus, & operibus fidei: Ille etiam tertius Dominicę glorię testis electus, qui & secunda post Petrum fidei columna ab Apostolo designatur, cum huiusmodi voce profiliet: Ego his in vnius textu epistolę breuiter & apertè, quid eos obseruare cōueniret, explicui. Ego, ne ad iracundię animositatem prosilirent, ipsius iræ malum, quod iustitiam implere non posset, ostendi. Ego, ne cælestia tua, & diuina præcepta, ad hoc solum, vt legerentur, aut audirentur conscripta iudicarent, factores illos verbi tui, & non tantùm auditores esse præcepi, &c. Ego ne solam fidem sibi sufficere existimarent, nihil solius fidei prærogatiuam, absque iustitiæ operibus ijsdem profuturam esse testatus sum.

Iacobi 1.

Iacobi 3.

Iacobi 2.

Concilium Krausicanum Secundum. 444.

Cap.25. Gratiam etiam post aduentum Domini Christi nouimus & credimus largitate conferri, secundùm illud quod prædicat Paulus Apostolus: *Vobis donatum est pro Christo non solùm vt in eum credatis, sed etiam vt pro illo patiamini.* Et illud: *Omne datum bonum, & omne donum perfectum de sursum est, descendens à Patre luminum.* Innumerabilia sunt sanctarum Scripturarum testimonia, quę possint ad probandam gratiam afferri.

Phil.1.

Iacobi 1

Arnobius Romanus. 440.

Ad Psalm.32. Vnde & Iacobus Apostolus ait: *Omne gaudium existimate fratres, cùm in tentationes varias incideritis.*

Iacobi 1.

Leo Magnus. 450.

Sermone 11.de Quadragesima cap.4. Nec se quisquam per occasionem infirmitatis excuset, quia qui præstitit velle, donat & posse, dicente beato Apostolo Iacobo: *Si quis vestrum indiget sapientia, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei.*

Iacobi 1.

Prosper. 450.

De promissionibus & prædictionibus Dei part.1. c.22. Iacobus quoque Apostolus ad exemplum patientię credentium corda confirmans ait: *Patientiam Iob audistis, & finem Domini vidistis, quia misericors Dominus, & miserator est.*

Iacobi 5

De vocatione Gentium lib. 1.cap.24. Omnis boni Deum esse auctorem, cuius donanec incerta sunt, nec mutabilia, sed exæterna voluntate venientia, Iacobus Apostolus ita loquitur: *Nolite errare fratres mei dilecti: Omne donum optimum, & omne donum perfectum de sursum est, descendens à Patre luminum, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.* Cui Zacharias Propheta consonat, dicens, &c.

Iacobi 1

Cerealis. 460.

Contra Maximinum Arianum cap.2. Item Apostolus Iacobus dicit: *Tu dicis, quia vnus Deus, bene facis; & dæmones credunt, & contremiscunt.* Hanc fidem contremiscunt dæmones, quia veram esse nouerunt.

Iacobi 2.

Saluianus Massiliensis. 470.

Iacobi 2. *Lib.3 de prouidentia Dei:* Arguens Apostolus Dei populum sic ait: *Audite fratres mei dilectissimi: Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, diuites in fide, & hæredes regni, quod promisit Deus diligentibus se? Vos autem exhonorastis pauperem. Nonne diuites per potentiam opprimunt vos?* Grande hoc testimonium Apostoli est, nisi fortè immunes se ab eo nobiles putant, quia soli sunt diuites nominati.

Cæsarius Arelatensis. 470.

Iacobi 5. *Homilia 18.* Secundùm illud, quod beatus Apostolus terribiliter increpat, dicens: *Agite nunc diuites, plorate, vlulate in miserijs, quæ aduenient vobis: diuitiæ vestræ putrefactæ sunt, & vestimenta vestra à tineis confecta.*

Solonius. 480.

In Prouerbia Salomonis: Quare Salomon dicit: Iacobi 3. *Qui timet Dominum, nihil negligit* cùm Iacobus Apostolus dicat: *In multis offendimus omnes?* Nunquid Iacobus aut cæteri Apostoli non timebant Deum, qui se in multis offendere confitebantur? Timebant vtique, &c.

Gelasius. 490.

In ordine librorum vtriusque Testamenti: Ordo Scripturarum noui & æterni Testamenti Euangeliorum libri quatuor, Epistolæ Petri duæ, Epistola Iacobi, &c.

Aduersus Pelagianam hæresin: Tandem veniamus ad Apostolos, & dicat beatus ille Iacobus, cùm omnes vtique iusti essent Apostoli, propriè atque speciatim iusti viri prærogatiuam legitur assecutus: Iacobi 1. *Beatus vir, qui suffert tentationem,* &c.

Fulgentius. 500.

Lib. 1. ad Monimum cap. 15. Iacobus quoque Apo- Iacobi 1. stolus protestatur: *quia omne datum optimum, & omne donum perfectum de sursum est, descendens à Patre luminum.* Quod est autem magis donũ perfectum, quàm glorificatio futura Sanctorum?

Lib.3.cap.6. Et licet tot tantisq; testimonijs confutata hæreticorum sententia cognoscatur nulla veritate subnixa, quid de illo Apostoli Iacobi loco sentiunt: *Omne datum optimum,* &c. Iacobi 1.

Cassiodorus. 540.

Diuinarum institut. lib.1.cap.33. recensens Canonicos Scripturæ libros : Epistola, *inquit,* Pauli ad Hebræos vna, Petri duæ, Ioannis tres, Iudæ vna, Iacobi vna.

Primasius. 540.

Libro 5. in Apocalypsin: *Dubijs & infidelibus.)* Dubius hoc loco debet intelligi, de quo Iacobus Iacobi 1. Apostolus: *Vir,* inquit, *duplex animo, inconstans in omnibus vijs suis.*

Gregorius Turonensis. 580.

De gloria Martyrum lib.1.cap. 41. Magna est dignitas nominis Christiani, si illa, quæ confiteris fide, opere persequaris. Nam sicut ait Apostolus: *Fides* Iacobi 2. *sine operibus mortua est in semetipsa.*

Gregorius Magnus. 590.

Lib.29. Moralium cap.16.al. 29. Ecce per Iacobum de fide sine operibus superbientibus dicitur: *Sicut* Iacobi 2. *corpus sine spiritu mortuum est, ita fides sine operibus mortua est.*

Lib 32.cap.2. Quis verò inueniri potest, qui, quãlibet perfectus sit, de otioso tamen sermone non peccet? Iacobo attestante, qui ait: *Nolite plures fieri* Iacobi 2. *magistri, in multis offendimus omnes.*

Cap.7. Creator omnium eò summè immortalis est, quòd creaturæ more mutabilis non est. Hinc de illo per Iacobum dicitur: *Apud quem non est trãsmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.*

Isidorus Hispalensis. 620.

Lib.6. Originum cap. 1. In nouo Testamento sunt Paulus in quatuordecim epistolis, Petrus in duabus, Ioannes in tribus, Iacobus & Iudas in singulis.

De differentijs lib. 1 cap. 30. Fides sine operibus nequaquam prodest, quia non potest per fidem Deo placere, qui Deum contemnit in opere. Ob hoc & *fides sine operibus mortua est,* iuxta Iacobum, Iacobi 2. & *opus extra fidem vacuum est,* iuxta Paulum.

Eucherius Gallus. 640.

In lib.4. Regum: Fides & opera vinculo sibi quodam indissolubili connectuntur: Vbi enim vna defuerit, altera penitus non stabit. Quia vt Iacobus Apostolus ait: *Fides sine operibus mortua est.* Iacobi 2.

Eligius. 640.

Homilia 15. Precum vestrarum deuotionem expostulo, & quia inter vos plures iustos esse non ambigo, illud Iacobi Apostoli impleri non diffido: *Multum enim valet deprecatio iusti assidua.* Iacobi 5.

Concilium Toletanum Octauum. 654.

Cap.1. Paulus vas electionis ait: *Pietas ad omnia* Iacobi 2. *vtilis est.* Et Iacobus: *Iudicium sine misericordia illi fiet, qui non fecerit misericordiam.*

Audoenus. 660.

Vitæ S. Eligij lib.2.cap.17. Sciebat dictum à Iacobo Apostolo: *Qui conuerti fecerit peccatorem ab errore* Iacobi 5. *viæ suæ, saluabit animam eius à morte, & operiet multitudinem peccatorum.*

Aldhelmus. 670.

De laude virginitatis cap. 30. Vnde sacra materteræ Domini soboles primus Æliæ Pontifex, cùm Euangelij splendor auroresceret, & iubar lucis æternæ rutilaret· *Orate,* inquit, *pro inuicem, vt saluemini.* Et infra in exemplo subdidit: *Multum valet* Iacobi 5. *deprecatio iusti assidua.*

Aponius. 700.

Lib.7. in Cant. Nam de hoc non dubito Apostolum dicere: *Qui totam legem seruauerit, offenderit autem in vno, factus est omnium reus.* Iacobi 2.

Beda. 700.

In epistolam Iacobi: Dixit de hoc Iacobo Apostolus Paulus: *Iacobus, & Cephas, & Ioannes, qui videbantur columnæ esse, dextras dederunt mihi & Barnabæ societatis, vt nos in Gentibus, illi autem in Circumcisione prædicarent.* Quia ergo in Circumcisione ordinatus erat Apostolus, curauit eos, qui ex Circumcisione erãt, sicut præsentes colloquendo docere, sic & absentes per epistolam cõsolari, instruere, increpare, corrigere. Galat. 2.

Zacharias PP. 740.

Epistola ad Bonifacium: Elabora, sanctissime frater, in ijs, qui scriptum cognoscis: *Qui conuerti fecerit* Iacobi 5. *peccatorem ab errore viæ suæ, saluabit animam eius à morte, & suorum operiet multitudinem peccatorum.*

Alcuinus. 750.

De virtutibus & vitijs cap.2. Verè beatus est, qui rectè docendo bene viuit, & bene viuendo rectam fidem custodit. Igitur sicut otiosa est fides sine operibus: ita nihil proficiunt operà sine fide recta. Vnde beatus Iacobus ait: *Fides sine operibus mortua* Iacobi 2. *est.*

Concilium 2. Cabilonense. 813.

Cap.33. Secundùm institutionem Apostoli, *confiteamur alterutrum peccata nostra, & oremus pro inui-* Iacobi 5. *cem, vt saluemur.*

Haymo. 820.

Homilia de Ascensione Christi: Frustra sibi de sola fide blanditur, qui operari negligit: quia sicut Apostolus ait: *Fides sine operibus mortua est.* Iacobi 2.

Concilium

Concilium Parisiense. 829.

Cap.13. E contra Iacobus Apostolus diuites alloquitur: *Agite nunc diuites, plorate, vlulantes in miseri-* Iacobi 5. *js, quæ aduenient vobis,* &c.

Rabanus Maurus. 850.

De institutione Cleri lib.2.cap.7. In nouo Testamẽto duo sunt ordines, primus Euangelicus, secundus Apostolicus: in quo sunt epistolæ Apostolorum Petri, Iacobi, Ioannis, Iudę, & Pauli.

De Vniuerso lib.5.cap.3. Iacobus frater Domini vnam scripsit epistolam ad ædificationem Ecclesiæ pertinentem, cuius sententia immensam scientiæ claritatem legentibus videtur infundere.

Nicolaus Primus. 860.

Epistola 9. Verùm non ita iustificamus eum, vt nihil hunc reprehensione dignum admisisse dicamus, cùm scriptum in Apostolicis literis confiteamur: Iacobi 3. *In multis offendimus omnes.*

Ioannes Octauus. 870.

Epistola 38. Quod cùm egeris, saluabis animam tuam, & operies multitudinem peccatorum. Dicit enim beatus Iacobus: *Qui conuerti fecerit peccato-* Iacobi 5. *rem ab errore viæ, saluabit animam suam à morte, & operiet multitudinem peccatorum.*

Hucbaldus Elnonensis. 900.

Vita S. Lebuini cap. 1. Si quæratur, cuius vir iste extiterit amicus, nequaquam mundi istius, cui non solùm fuit inimicus, sed etiam crucifixus: sicut docet Apostolus: *Qui voluerit amicus esse huius se-* Iacobi 4 *culi, inimicus Dei constituetur.*

Luitprandus Ticinensis. 940.

Rerum in Europa gestarum lib. 4.cap.7. Rex protinus de equo descendit, seseque cum omni populo in orationem dedit, quãtumque iusti viri (secundùm iusti viri sententiam) tunc valeret oratio, res Iacobi 5. manifesta probauit.

Smaragdus. 970.

Ad cap.4. Regulæ D. Benedicti: *Plena est enim,* vt Iacobus Apostolus ait, *veneno mortifera lingua*: & Iacobi 3 ideo cautissimè debemus custodire illam.

Ad cap.9. Epistolæ Pauli quatuordecim, Iacobi vna, Petri duæ.

Petrus Damianus. 1050.

Epistola 1. Hinc est quòd alius dicit Apostolus: Iacobi 1. *Omne gaudium existimate fratres, cùm in tentationes varias incideritis.*

Sermone de Spiritu sancto: Quid autem vaniloquio potest esse deterius, quod non modò per semetipsum infelicem animam lethaliter grauat, sed & ipsam honestæ vitæ rationem, quæ hominem Deo iunxit, euacuat? Iacobo testante: *Si quis* Iacobi 1 *putat se religiosum esse, non refrænans linguam suam, sed seducens cor suum, huius vana est religio.* Quibus nimirum verbis luce clarius constat, quia in nihilum omnis lingua nostra redigetur, &c. Vt cætera testimonia sacrę Scripturæ prætereã, quem Apostolica illa verba non terreant, qui de hac pernicie terribiliter intonat, dicẽs: *Ecce,* inquit, *quantus ignis* Iacobi 3. *quàm magnam syluam incendit?*

Radulphus Ardens. 1060.

Homilia in epist. Dominicæ in Quinquagesima: Nihil hæc prosunt hypocritis, qui ob vanam gloriam Iacobi 2. hæc faciunt. Vnde Iacobus: *Qui offendit in vno, factus est omnium reus.*

Anselmus Cantuarienſis. 1080.

Ad caput 3. epist. ad Romanos: De illis, qui post acceptionem fidei nolunt operari testatur Iacobus: Iacobi 2. *Quia fides, si non habeat opera, mortua est in semetipsa.*

Berngosius. 1112.

De laude & inuentione S. Crucis lib.2.cap.10. Et ideo vt nos gaudium illud spirituale bonis semper meritis affectemus, de quo Iacobus: *Omne,* inquit, *gaudium existimate fratres, cùm in varias tentationes inciderit is.* Iacobi 1.

Rupertus Tuitiensis. 1120.

Libro in Deuteronom. cap.31. Tunc ille tibi proferet, quod habuerit, id est, sponte sua confitebitur quod fecit, & tu pro illo orabis, iuxta præceptum Apostoli, dicentis: *Confitemini alterutrum peccata ve-* Iacobi 5 *stra, & orate pro inuicem, vt saluemini.*

Bernardus. 1130.

Sermone 65. in Cantica: Homo de Ecclesia exercitatus, & doctus, si cum hæretico homine disputare aggreditur, illò intentionem suam dirigere debet, quatenus ita errantem conuincat, vt & conuertatur, cogitans illud Apostoli Iacobi: *Quia qui* Iacobi 5 *conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, saluabit animam eius à morte, & operiet multitudinem peccatorum.*

In Meditationibus cap.9. Dicis: Sufficit mihi soli Deo confiteri: quia sacerdos sine eo absoluere me à peccatis non potest. Audi quod non ego, sed beatus Iacobus respondet, dicẽs: *Confitemini alterutrum* Iacobi 5. *peccata vestra.*

Hugo Victorinus. 1130.

Institutionis Monasticæ præcipuè nouitiorum capite 6. Scriptura dicit: *In multiloquio peccatum non* Prou.10 *deerit, & in multiloquio peccatum non effugies.* Et Ia- Iacobi 3 cobus Apostolus omne genus bestiarum domari posse asserit, linguam pestem esse indomabilem, &c.

Richardus Victorinus. 1140.

In Annotationibus ad Psalm.8. Sed abiit, vt vel istos Christi milites posse prævalere quis credat, quibus eorum Rex iam agmine constituto, prælioq; conserto, per Iacobum vnum ex magnis eius ducibus de dubio belli euentu non dubiam sententiam mandat: *Resistite,* inquiens, *diabolo, & fugiet à* Iacobi 4 *vobis.*

Otto Frisingensis. 1150.

Chronicorum lib.3.cap.16. Iacobus frater Domini ciuitatem Dei non solùm factis informauit, sed & vnam de septem epistolis, quę Canonicę dicuntur, valde vtilem, & sale sapientię conditam scripsit epistolam.

Eckbertus Presbyter. 1160.

Aduersus Catharos Serm. 7. Sed quæso respondete mihi de simili litera, quę in sancta Scriptura inuenitur. Iacobus Apostolus in epistola Canonica scribit, dicens: *Qui non peccat in lingua, hic per-* Iacobi 5 *fectus est.*

Innocentius Tertius. 1200.

Ad Psal.2. Pœnitentialem. Hinc Iacobus Apostolus ait: *Omne gaudium existimate fratres mei, cùm in varias* Iacobi 1. *tentationes inciderit is.*

Dominica 2. post Pascha Sermone 1. Nam quod Iacobus Apostolus ait: *Quicunque in vno offenderit, fa-* Iacobi 2. *ctus est omnium reus,* sanè debet intelligi, sic videlicet, quòd quicunq; in vno offendit, vnũ, de mandatis diuinis transgreditur, factus est omnium reus, id est, amittit charitatem, sine qua cętera non implentur.

Iacobus Vitriacus. 1220.

Dominica in Sexagesima: Hi autem, sicut ait Iacobus Apostolus, *comparantur viro considerant i vultum* Iacobi 1 *natiuitatis suæ in speculo.*

Bonauentura. 1260.

Parte 3. Centiloquij cap. 52. de extrema Vnctione: Huius Sacramenti dispensatio sacerdotibus competit ex officio: & hoc confirmat auctoritas, & ratio. Auctoritas Iacobi vltimo: *Qui infirmatur inducat* Iacobi 1. *presbyteros.* Ratio etiam hoc confirmat.

Auersti-

Augustinus Triumphus. 1320.

De potestate Ecclesiastica quæstione 58. art. 3. In Sacramento extremę Vnctionis expectatur aliquid corporale futurum: puta alleuatio infirmitatis, Iacobi 5. dicente B. Iacobo: *Alleniabit eum Dominus*: ideo Ecclesia vtitur forma in oratione deprecatiua, quia Iacobus dixit: *Oratio fidei saluabit infirmum.*

Ludolphus Saxo Carthusianus. 1330.

Vitæ Christi parte 1. cap. 39. Et quia, vt ait Iacobus, Iacobi 2. *iudicium sine misericordia fiet ei, qui non fecerit misericordiam*, multum nobis insistendum est circa misericordiam in proximorum necessitatibus.

Guido Carmelita. 1340.

Errore nono Iudæorum: Apostolorum Iacobi, Petri, Ioannis, Iudæ Canonicæ epistolæ dicuntur, tum quia Scripturæ Canonicæ omninò concordant, tum quia viuendi regulas continent.

Thomas Malleolus. 1430.

In Valle liliorum cap. 33. Vide sanctum Iacobum fratrem Domini, epistolam Canonicam scribentem, formam Christianæ vitę, & religionis perfectionem continentem.

Ioannes Trithemius. 1490.

Homilia 3. Dicit enim Scriptura: *Resistite Diabolo, & fugiet à vobis.* Iacobi 4.

ARTICVLVS VIGESIMVS QVARTVS.

SECVNDAM B. PETRI EPISTOLAM, VT CANONICAM SCRIPTVRAM VALERE AD ECCLESIASTICA DOGMATA PROBANDA.

DVBITANT, AVT NEGANT.

Anno post natũ Christũ.

330. EVSEBIVS lib. 3. cap. 25 *Petrus Apostolus prædicationis suæ monumenta perpaucare-*
liquit. Vna etenim eius epistola est, de qua nullus omninò dubitauit; nam de secunda multis
incertum est.

390. Hieronymus de Viris illustribus in vita D. Petri: *Secunda Petri epistola à ple-*
risque eius esse negatur, propter styli eius cum priore dissonantiam.

1520. Erasmus Roterodamus ad caput 3. secundæ Petri: *De hac secunda Petri epistola, cuius esset, controuersia erat, &c. Styli discrimen tàm in verbis, tum in sensibus clarum est, quàm vt possit dissimulari. Proinde cùm hic testetur se fuisse spectatorem visionis in monte: deinde mentionem faciat superioris epistolæ, postremò Paulum appellet fratrem, mihi non displicet quod adfert Hieronymus de interprete: alioqui suspicari cogeremur, aliquem has notas studiosè insulsisse, quo Petro Apostolo asseveret.*

1520. *Thomas Caietanus*, in Commentarijs, *dubitat de auctore huius epistolæ.*

1530. *Martinus Lutherus*, in suis Germanicis Biblijs, *secundam B. Petri Epistolam asserit non esse eius, cuius nomine prænotatur, sed incerti cuiusdam auctoris, qui fœtus suos alieni nominis splendore illustrare voluerit.*

1560. *Ioannes Brentius*, in Apologia Confessionis VVirtembergensis cap. de Scripturis, *secundam B. Petri epistolam inter apocrypha recenset.*

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Iustinus. 150.

Genes. 3. *Dialogo cum Tryphone*: Vt Adæ dictum est, quo die de ligno ediset, eo die moriturum etiam esse; scimus illum mille annos non impleuisse: Nouimus quoque dictum illud, 2. Pet. 3. *quòd dies Domini sicut mille anni*, huc pertinere.

Hippolytus. 220.

2. Pet. 2. *Oratione de consummatione mundi*: Princeps Petrus fidei petra, quem beatum iudicauit Christus Deus noster, ille Doctor Ecclesię, docuit nos dicēs: *Hoc primùm scitote filij, quòd venient in extremis diebus illusores, secundùm suas ipsorum concupiscentias ambulantes, & erunt in vobis falsi doctores, qui inducent sectas perditionis.*

Origenes. 230.

Homilia 4. in Leuiticum: Et iterum Petrus dicit: 2. Pet. 1. *Consortes facti estis diuinæ naturæ, quod est, soty.*

Homil. 14. in Num. Beatior eris, si magis ex virtutibus, quæ in te sunt, inueniatur boni aliquid ex te vitę huius vniuersitas consequi: sicut illi, de quibus dicit Apostolus Petrus: *Vt sitis luminaria in* 2. Pet. 1. *hoc mundo verbum vitæ continentes.*

Homil. 7. in Iesum Naue: Petrus etiam duabus epistolarum suarum personat tubis.

Homil. 10. Puer est, qui facilitate animi in seruitutem decidit. Quale seruitium? Scriptura dicit: 2. Pet. 2. *Qui autem peccat, seruus est peccati.*

Athanasius. 340.

Epistola 39. de Canonicis Scripturæ libris: Epistolæ, quæ dicuntur Catholicæ, sicut Iacobi vna, Petri duæ, Ioannis tres, & Iudæ vna.

Oratione 2. contra Arianos: Atque inde clarum & euidens fuerit Filium nullius rei extraneæ diuersæque à Patre principatu imbui ac tingi, sed idipsum, quod ex Patris principatu existit, Filium esse: ac proinde ij, qui Filij participes fiunt, etiam Dei participes fieri dicuntur. Et hoc est, quod Petrus dixit: 2. Pet. 1. *Vt diuinæ naturæ efficiamini communicatores.*

Oratione 3. Cùm ex placito Patris Verbum homo factum erat, tum non iniuria de eo dictum Ioan. 1. fuit à Ioanne quidem: *Verbum caro factum est.* A Petro verò: 2. Pet. 3. *Dominum & Christum eum fecit.*

Macarius Ægyptius. 360.

Homil. 39. In hunc modum Rex Deus misit hominibus Scripturas diuinas, velut epistolas, quibus præcauit, vt inuocantes Deum, & credentes postulent, & accipiant donum cæleste ex hypostasi diuinitatis eius. Scriptum est enim: 2. Pet. 1. *Quò fiamus diuinæ consortes naturæ.*

Cyrillus Hierosolymitanus. 360.

Catechesi 4. Noui Testamenti Iacobi, Petri, Ioannis, & Iudæ epistolas suscipe.

Didymus Alexandrinus. 360.

Scripsit Commentaria in secundam epistolam D. Petri Parisijs impressa, quæ incipiunt: Vbi Angeli fortitudine & virtute cùm sint maiores, &c.

Synodus Laodicensis. 360.

Cap. 58. Epistolæ Catholicæ septem: nempe Iacobi vna, Petri duæ, Ioannis tres, Iudæ vna.

Ephræm. 370.

2. Pet. 2. *De ijs, qui animos ad impudicitiam pelliciunt, cùm dicant nihil mali esse*: Ait beatus Petrus Apostolus: *Nouit Dominus pios de tentatione eripere, iniquos verò in diem iudicij reseruare cruciandos*, &c.

2. Pet. 3. *De varijs tormentis inferni*: Clamat & Apostolorum vertex ac caput de illa die dicens: *Dies Domini sicut fur de nocte ita veniet, in qua cæli soluentur igne, & elementa calore liquescent.*

Gregorius Nazianzenus. 380.

De Scripturis sacris:

Septem sunt Catholicæ epistolæ, quarum vna est Iacobi, Petri duæ, Ioannis tres, Iudæ septima.

Ioannes Chrysostomus. 400.

In Acta Apostolorum Homilia 24. Timete, quoniam incerti sumus, quid postea futurum sit, si fuerimus negligentes: 2. Pet. 3. *Sicut fur in nocte, ita veniet mors.*

Oratione encomiastica in SS. Petrum & Paulum: 2. Pet. 1. Succlamas enim beate Petre, sic dicens: *Studebo post meum obitum memoriam vestri facere.*

Marcus Eremita. 420.

Responsione ad eos, qui de diuino Baptismate dubitabant: Verùm non audierunt mandata Christi post baptisma data, legę esse libertatis, vt ait Scriptura: Iacobi 1. *Sic loquimini, & sic facite, sicut per legem libertatis* 2. Pet. 1. *incipientes iudicari.* Et iterum sanctus Petrus: *Minstrate in fide vestra virtutem.*

Cyrillus Alexandrinus. 430.

Ad cap. 21. Esaiæ: Quo autem modo liberabitur creatura, ostendit Christi discipulus dicens: 2. Pet. 3. *Veniet enim dies Domini vt fur, in qua cæli procellæ in morem peribunt, & ardentia elementa dissoluentur, & terra, & omnia, quæ in eis sunt, conflagrabunt.*

Epistola ad Presbyteros, Diaconos, Monachos, cæterosq; solitariam vitam in solitudine agentes: Igitur, vt 1. Pet. 1. Christi Seruatoris nostri discipulus monet, *curan. omnem subinferentes minstrate in fide vestra virtutem, in virtute autem scientiam, in scientia autem abstinentiam*, &c.

Lib. 9. de adoratione in spiritu: Sed cùm hęc omnia soluantur, (vt Saluatoris nostri quoque discipulus affirmauit,) *quales inueniri nos oportet sanctos &* 2. Pet. 3. *immaculatos in conspectu eius?*

Isidorus Pelusiota. 440.

Lib. 1. epist. 92. Luctam autem & pugnam, quibus victoria comparatur, defugientes, vel potius certaminis causas in nobis ipsis accendentes, non animaduertimus nos canes esse, ad vomitum reuertentes, aut sues in veteris consuetudinis cœno 2. Pet. 2. sese volutantes.

Theodoretus. 450.

In tertiam orationem Danielis: Superbus iste Rex breui ad ingenium suum redijt, quemadmodum canis ad proprium vomitũ, vt dicit diuina Scriptura. 2. Pet. 2.

Andreas Cæsareensis. 500.

Ad Apocalyps. cap. 6. Aut de ea stella est hîc sermo, quam Apostolus Petrus in fidelium cordibus velut luciferum nasci in sua Canonica scribit. 2. Pet. 1.

Procopius Gazæus. 530.

Ad Esaiæ cap. 54. Superioribus enim ætatibus, vt Petrus ait, *gentes permisit Deus in vijs suis ambu-* 2 Pet. 2. *lare.*

Isychius. 580.

Libro 2. in Leuit. cap. 10. Propter quod prophetico sermone adiuuari ad perfectam scientiam, quia frater fratrem adiuuans, sicut ciuitas firma, Petrus præcepit: ait enim: *Habemus firmiorem prophe-* 2. Pet. 1. *ticum sermonem, cui bene facitis intendentes sicut lucernæ lucenti in obscuro loco.*

Antiochus. 600.

Homil. 1. Dicit & Petrus: *Ministrate in fide vestra* 2. Pet. 2. *virtutem, & charitatem.* Rursus: *Superædificantes nos-* 1. Pet. 5. *metipsos in fide.*

Leontius. 610.

De Sectis actione 2. Epistolæ Catholicæ numero septem: Prima Iacobi, secũda & tertia Petri, quarta, quinta, & sexta Ioannis, septima Iudæ.

Ioannes Damascenus. 730.

Orthodoxæ fidei lib. 4. cap. 18. Septem epistolæ Catholicæ: Vna Iacobi, Petri duæ, tres Ioannis, vna Iudæ.

In Parallelis lib. 1. cap. 6. De Angelis, quòd admisso peccato puniantur 2. Petri 2. *Deus Angelis peccantibus* 2. Pet. 1. *non pepercit, sed rudentibus inferni detractos, in tartarum tradidit cruciandos in iudicium reseruari.*

Cæsarius. 760.

Dialogo primo: Cum hoc consentiens Petrus diuini ministerij princeps: *Qui nunc cæli sunt*, ait, *& terra igni recondita seruantur, in diem iudicij & retributionis*, &c. In Catholicis epistolis Petrus inquit: 2. Pet. 3. *Elementa æstuantia soluentur.*

Ioannes Hierosolymitanus. 780.

De institutione Monachorum cap. 10. Sed an hic sensus intentioni Sapientis conueniat, satis patet. Ait enim Apostolus Petrus: *Non voluntate humana* 2. Pet. 1. *allata est aliquando prophetia, sed Spiritu sancto locuti sunt sancti Dei homines.*

Theophylactus. 900.

Ad caput 1. Habacuc: Ac magnus ille Petrus de prophetico sermone ait: *Cui benefacitis attentes tamquam lucernæ ardenti in squallido loco, vsque* 2. Pet. 2. *tum dies irradiet, & lucifer oriatur in cordibus vestris.*

Oecumenius. 1050.

In argumento huius epistolæ: Hanc rursus scribit Petrus iam credentibus. Est autem epistola priorum memoratiua. Cùm enim sciret breui futu-

futuram ſui corporis diſſolutionem, ſtudebat omnes admonere doctrinæ, qua inſtructi fuerant.

2.Pet.3. *Ad caput 2.epiſtolæ ad Galatas*: Petrus in ſua epiſtola collaudat Paulum, eiusqúe epiſtolas Dei ſapientia & gratia plenas eſſe teſtatur, & parum firmos latentem in illis non aſſequi ſenſum, ſed peruertere conclamat.

Michael Glycas. 1110.

2.Pet.2. *Parte 2. Annalium*: Significauit idem magnus etiam Petrus in epiſtolarum ſuarum Catholicarum altera, verbis hiſce differens: *Impiorum generi diluuium inuexit.* Cur hîc vocat impios, qui vnum Deum colendo religioſè venerabantur?

Nicetas Choniates. 1200.

Orthodoxæ fidei libro 4. cap. 31. Neque de illo igne loquitur Paulus, cuius apud Apoſtolorum columen Petrum his verbis mentio fit: *Veniet dies Domini vt fur in nocte*, &c. 2.Pet.3.

Nicephorus Calliſtus. 1300.

In Synopſi de libris noui Teſtamenti: Septem ſunt Catholicę epiſtolæ. Harum vnam quidem Iacobus ſcripſit, duas Petrus, &c.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Anacletus. 95.

2.Pet.3. Epiſt.3. *Propter quod chariſſimi expectantes, ſatagite immaculati ei inueniri in pace, & Domini noſtri Ieſu Chriſti longanimitatem ſalutem arbitremini.*

Cornelius Papa. 250.

2.Pet.3. *Epiſtola 2.* Vnum verò chariſſimi, vt ait B. Petrus Apoſtolus, non lateat vos, quia *Vnus dies apud Dominum ſicut mille anni, & mille anni ſicut dies vnus.*

Cyprianus. 250.

Libro 1. epiſt. 4. *Epiſtola 68.* Nec vos moueat fratres dilectiſſimi, ſi apud quoſdam in nouiſſimis temporibus aut lubrica fides nutat, aut Dei timor irreligioſus vacillat, aut pacifica concordia non perſeuerat. 1.Tim.4. Prenuntiata ſunt hæc futura in ſeculi fine & Domini voce, atque Apoſtolorum cōteſtatione 2.Pet.2. prædictum eſt, deficiente iam mundo, atque appropinquāte Antichriſto, bona queque deficere, mala verò, & aduerſa proficere.

Ambroſius. 370.

2.Pet.1. *Lib.1. de Fide cap.9.* Et Petrus vult nos (vt legimus) *diuinæ conſortes fieri naturæ.*

2.Pet.1. *Ad caput 1. epiſtolæ ad Philippenſes*: Primùm quidem Domino gratias agit, cuius nutu poſteriora omnia cedunt fidelibus, in omni oratione ſua memor illorum cum exultatione, quòd participes facti ſunt Euangelij, ſicut dicit Petrus Apoſtolus, inter cætera dicens: *Vt ſitis*, inquit, *conſortes diuinæ naturæ.*

Philaſtrius. 380.

De hæreſibus cap. de apocryphis Scripturis: Statutum eſt ab Apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus, non aliud in Eccleſia legi debere niſi Legem, Prophetas, Euangelia, epiſtolas, Petri duas, Ioannis tres, &c.

Hieronymus. 390.

Ad Paulinum de diuinæ hiſtoriæ libris: Iacobus, Petrus, Ioannes, Iudas epiſtolas ediderunt breues in verbis, longas in ſententijs.

Epiſtola 150. ad Hedibiam quæſt. 11. Beatus Paulus habebat Titum interpretem, ſicut & beatus Petrus Marcum, cuius Euangelium Petro narrāte, & illo ſcribente, compoſitum eſt. Denique & duæ epiſtolæ, quæ feruntur Petri, ſtylo & charactere inter ſe diſcrepant, ſtructuraq́ verborum. Ex quo intelligimus, pro neceſſitate rerum eum diuerſis interpretibus vſum.

2.Pet.3. *Aduerſus Iouinianum lib.1. cap. 25.* Nolui omnem locum ſecundæ Petri epiſtolæ ponere, ne longum facerem; ſed tantummodò oſtendi Spiritus ſancti vaticinio huius temporis & doctores, & hęreſin prænuntiatam. Deniq; manifeſtius eos denotat, dicens: *Venient in nouiſſimis diebus illuſores, ſeducentes, iuxta deſideria ambulantes*, &c. Deſcripſit ſermo Apoſtolicus Iouinianum loquentem buccis tumentibus, &c.

Ruffinus. 390.

In explicatione Symboli, enumerans nouæ Legis libros, ait: Petri epiſtolæ duæ, Ioannis tres, Iudæ vna.

Ad Pſalm.68. Eos dicit Apoſtolus Petrus inſtabiles eſſe, atque ad ſuum proprium interitū peruertere Scripturas. 2.Pet.3.

Auguſtinus. 400.

De fide & operibus cap.22. Ait de illis Petrus in ſecunda epiſtola ſua: *Hi ſunt fontes ſicci, & nebulæ à turbine agitatæ, quibus caligo tenebrarum reſeruata eſt.* 2.Pet.2.

De ciuitate Dei lib. 11. cap. 33. Peccaſſe quoſdam Angelos, & in huius mundi ima detruſos, qui eis velut carcer eſt, vſque ad futuram in die iudicij vltimam damnationem, Apoſtolus Petrus apertiſſimè oſtendit, dicens: *Quòd Deus Angelis peccantibus non pepercerit, ſed carceribus caliginis inferni detrudēs tradidit in iudicio puniendos reſeruari.* 2.Pet.2.

Lib.4. cap.3. De his vitijs cùm ageret Scriptura diuina: *A quo enim quis*, inquit, *deuictus eſt, huic & ſeruus addictus eſt.* 2.Pet.2.

Innocentius Primus. 410.

Epiſtola ad Exuperium: Epiſtolæ Canonicę numero ſeptem: Iacobi Apoſtoli vna, Petri Apoſtoli duæ, Ioannis tres, Iudę vna.

Idacius. 430.

Aduerſus Varimadum Arianum: Qui dona chariſmatum Apoſtolis & Prophetis propria contulit poteſtate, poteſtati non ſubijcietur alienæ, Petro Apoſtolo affirmante: *Nunquam humana voluntate*, inquit, *prophetia allata eſt aliquando, ſed à Spiritu ſancto repleti loquebantur homines.* 2 Pet.1.

Philippus Presbyter. 430.

Lib.2. in Iob cap.7. De his Petrus Apoſtolus ait: *Hi ſunt fontes ſine aqua, & nebulæ turbinibus exagitatæ.* 2.Pet.2.

Sixtus Tertius. 440.

Libro de diuitijs: Beatus quoque Petrus ad prædicta conſentit, cùm dicit: *Qui vocauit nos propria gloria & virtute, per quem maxima, & pretioſa nobis promiſſa donauit*, vt per hæc efficiamur *diuinæ conſortes naturæ.* 2.Pet.1.

Epiſtola de malis Doctoribus: De quo Propheta teſtatur, dicens: *Magnus eſt dies Domini*, &c. Et beatus Apoſtolus Petrus: *Adueniet autem dies Domini vt fur, in qua cœli magno impetu tranſibunt.* Ioel. 2. 2.Pet.3.

Leo Primus. 445.

Epiſtola 102. ad Presbyteros & Diaconos Eccleſiæ Alexandrinæ: Quia, ſicut ait B. Petrus Apoſtolus: *Non tardat Dominus promiſſum, ſed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam conuerti.* 2.Pet.3.

Proſper. 450. 2.Pet.1.

De promiſſionibus & prædictionibus Dei parte 3 c. 10.

2.Pet.1. Mirabantur omnes, qui erant in templo, dicentes, quomodo hic legit, qui literas non didicit? Teſtatur Apoſtolus Petrus: *Non enim*, ait, *voluntate humana allata eſt vnquam prophetia, ſed Spiritu ſancto acti locuti ſunt homines Dei.*

Cæſarius Arelatenſis. 470.

2.Pet.2. *Homil. 28.* Talibus conuenit B. Petri vera & multum timenda ſententia: *Melius*, inquit, *fuerat illis non cognoſcere viam iuſtitiæ, quàm poſt cognitionem retrorſum reuerti.*

2.Pet.2. *Homil.31.* De illis talibus horribiliter clamat Apoſtolus Petrus: *Si enim fugientes coinquinationes mundi, his rurſum impliciti ſuperantur, facta ſunt eorum poſteriora peiora prioribus.*

Saluianus Maſſilienſis. 470.

2.Pet.2. *De prouidentia Dei lib.4.* Quod quidē etiā B. Apoſtolus Petrus euidenter expoſuit, dicens de vitioſis ac tepidis, hoc eſt malè viuentibus Chriſtianis: *Melius erat illis non cognoſcere veritatem, quàm cognoſcentes retrorſum reflecti à tradito ſibi mandato: contingit illis res veri prouerbij: canis reuerſus ad ſuum vomitum.*

Fauſtus Rhegienſis. 480.

2.Pet.3. *De libero arbitrio cap.19.* Sed & per Apoſtoli Petri ſententiam voluntas benigniſſimi inſinuatur auctoris: *Non tardat*, inquit, *Dominus promiſſum ſuum, ſed patienter agit, propter vos nolens aliquos perire.*

Vigilius Tridentinus. 480.

2.Pet.2. *Lib. 5. contra Eutychen*: Et Petrus de ipſo: *Lapidem*, inquit, *ab hominibus reprobatum, à Deo autem electum, ac pretioſum.* Nunquid Dei Filius ex natura, qua Deus eſt, & non ex illa potius, qua homo eſt, factus electus poterit appellari, vt inde natura diuinitatis eligeretur, quæ vna eſt, & quæ in pluribus non poteſt deputari?

Gelaſius. 490.

In Catalogo ſacrarum Scripturarum: Canonicæ epiſtolæ numero ſeptem: Iacobi epiſtola vna, Petri Apoſtoli epiſtolæ duæ, Ioannis tres, Iudę vna.

Fulgentius. 500.

2.Pet.2. *Ad Thraſimundum Regem lib.2. cap.2.* Cùm verò quędam pars eius de cæleſti beatitudinis culmine in imam perpetuamqúe cernitur deuoluta miſeriam, B. Petro dicente: *Quia Deus Angelis peccantibus non pepercit, ſed carceribus caliginis inferni tradidit, in iudicio puniendos reſeruari*: profectò cognoſcitur, vniformi cunctos opprimi potuiſſe ruinæ conſortio.

2.Pet.3. *De remiſſione peccatorum lib.2. cap.2.* Sterilis pœnitentia remiſſionis fructu priuabitur, ſi diuinitus indulti temporis opportunitas omittatur. Propter quod B. Petrus dicit: *Non tardat Dominus promiſſum ſuum*, &c. Obſecro Euthymi chariſſime, ne te pigeat intenta conſideratione penſare, quantum ſit ponderis in hac apoſtolici virtute ſermonis. Neque enim debet tamquam leue contemni, quòd B. Petrus ob hoc dicit Deum patienter ferre, quia *non vult aliquem perire, ſed omnes in pœnitentiam conuerti.*

Iunilius Africanus. 540.

2.Pet.2. *In Geneſin*: Nam & ipſa præcipuam habet cognationem cum aquis, vtpote quę ſine harū ſucco & irrigatione non ſolùm fructificare, ſed & nec ipſa conſiſtere poſſit, Petro atteſtante, qui ait: *Quia cœli erant prius, & terra de aqua, & per aquam conſiſtens Dei verbo.*

Caſſiodorus. 540.

Prologo in Pſalterium: Eſt prophetiæ magnificū nimis, & veriloquum dicendi genus, non humana voluntate compoſitum, ſed diuina inſpiratione profuſū, ſicut ait Petrus Apoſtolus: *Non enim voluntate humana allata eſt aliquando prophetia, ſed ſancto Spiritu inſpirati locuti ſunt homines Dei.* 2 Pet.1.

Pelagius Secundus. 580.

Epiſtola 1. Audiamus quid primus omnium Apoſtolorum dicat: *Si quid patimini propter iuſtitiam, beati eritis.* 2.Pet.3.

Gregorius Magnus. 590.

Lib.8. Moralium cap.11. Cetus carcere conſtringitur: quia malignus eſt ſpiritus in inferioribus deiectus, ne ad cęleſtia euolare queat pœnæ ſuę pondere coarctatur, Petro atteſtante, qui ait: *Deus Angelis peccantibus non pepercit, ſed rudentibus inferni detractos, in tartarum tradidit, in iudicio cruciandos reſeruari.* 2.Pet.2.

Homil.10. ſuper Ezechielem: Sed videamus, ſi quis ex Apoſtolis eū, qui Paulo datus eſt, intellectum miratur: Ipſe nobis Apoſtolorum primus requirendus eſt, qui diſcipulos admonens, ait: *Sicut & chariſſimus frater noſter Paulus ſcripſit vobis*, &c. 2.Pet.3.

Iſidorus Hiſpalenſis. 620.

Lib.6. Originum cap.1. In nouo Teſtamento ſunt: Paulus in quatuordecim epiſtolis, Petrus in duabus, Ioannes in tribus, Iacobus & Iudas in ſingulis.

Eucherius Gallus. 640.

Lib. 3. Regum cap.22. Et Apoſtolus Petrus de Domino loquens ait: *Et habemus firmiorem propheticum ſermonem, cui benefacitis attendentes.* 2.Pet.1.

Eligius. 640.

Homil.8. Qui ſubſtantiam ſuam tribuit Deo, & animam ſuam offert inimico, impletur in eo, quod ſcriptum eſt: *Qui baptizatur à mortuo, & iterum tangit mortuum, quid proficit lauatio eius?* Quam rem Petrus Apoſtolus exprimit, aiens: *Canis reuerſus ad vomitum, & ſus lota in volutabro cœni.* Eccl.34. 2.Pet.3.

Iulianus Pomerius. 670.

Lib.3. contra Iudæos: Sic Petrus ipſe diſcipulorum omnium primus, nullis reuelationum obicibus prædicationem ſuam cernens obnoxiam, inquit: *Notam vobis facimus Domini noſtri Ieſu Chriſti virtutē, & præſentiam, ſpeculatores facti illius magni iudicij.* 2.Pet.1.

Beda. 700.

In ſecundam epiſtolam D. Petri: *Ecce hanc vobis ſecundam ſcribo epiſtolam.*) Vnde conſtat hanc iiſdem, quibus & priorem epiſtolam miſerat, electis proſelytis, &c. ſcriptam.

Alcuinus. 750.

De virtutibus & vitijs cap. de Pœnitentia: De his, qui poſt lachrymas ad delicta reuertuntur priora, B. Petrus terribiliter ait: *Canis reuertitur ad ſuum vomitum.* 2.Pet.2.

Synodus Francofordienſis. 794.

Epiſtola ad Præſules Hiſpaniæ: Vnde Adam fuit ſeruus factus, niſi ex peccato, Apoſtolo Petro atteſtante: *Qui enim peccatum facit, ſeruus eſt peccati?* 2 Pet.2. Ioan.8.

Haymo. 820.

Dominica 5. poſt Pentecoſten: Teſte enim Apoſtolo Petro: *Cuius opera facit quis, eius filius appellatur.* 2.Pet.2.

Concilium Pariſienſe. 829.

Lib.1. cap.9. Vt impleatur in illis, quod B. Petrus Apoſtolus ait: *Melius enim erat iis non cognoſcere viam iuſtitiæ, quàm poſt agnitionem retrorſum conuerti*, &c. 2.Pet.2.

Freculphus Lexouienſis. 840.

Tomo 2. lib.1. cap.20. Petrus duas ſcripſit epiſtolas, quæ Catholicæ nominantur.

Paſchaſius Ratbertus. 880.

Libro 2. in Lamentationes Hieremiæ, litera Nun:

Schismatici ac praui Doctores, qui à veritate rectæ fidei & statu bonorum operum subuertunt, teste Petro Apostolo: *Fuerunt*, ait, *Pseudoprophetæ in populo, sicut & in vobis erunt magistri mendaces, qui inducunt sectas perditionis.* 2.Pet.2.

Radulphus Flauiacensis. 930.

Præfatione in Leuiticum: Vnde B.Petrus, cùm ad insinuandam Domini nostri Iesu Christi diuinitatem vocis paternæ mentionem fecisset, quam ipse audierat de cælo allatam, cùm esset cum eo in monte sancto: quia tamen per malignos spiritus similia fieri possunt ad hominum deceptionem, ad Scripturas continuò nos reuocauit: *Sed habemus certiorem propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes, tamquam lucernæ lucenti in caliginoso loco.* 2.Pet.5.

Smaragdus Abbas. 970.

Ad cap.2.Regulæ D.Benedicti: Nã & Petrus Apostolus de hac ipsa re sic ait: *Non tardat Dominus promissionem, sed patienter agit propter vos, nolẽs aliquem perire, sed omnes ad pœnitentiam reuerti.* 2.Pet.3.

Ad caput 9 recensens Canonicos sacræ Scripturæ libros, ait: Epistolæ Pauli quatuordecim, Petri duæ, &c.

Leo Nonus. 1050.

Epistola ad Michaelem & Leonem Episcopos cap.12. Vt omnia membra Catholicę matris cognoscãt, nos esse illius Petri discipulos, qui sic in epistola sua ait de se: *Non enim indoctas fabulas secuti, notam vobis fecimus Domini nostri Iesu Christi virtutem, sed speculatores facti illius magnitudinis.* 2.Pet.1.

Petrus Damianus. 1050.

Epistola 2. Ille nempe dies, ad quem omnis præcedentium seculorum intentio ac summa colligitur, cui cuncta Scripturarum sacrarum volumina famulantur: de quo hæc Petrus, vt audientium corda digno terrore concuteret: *Aduenier*, inquit, *dies Domini, sicut fur, in quo cæli magno impetu trãsient, elementa verò calore soluentur.* 2.Pet.3.

Sermone in festiuitate S. Eleuchadij Episcopi: Veruntamen vtrique huic prudenter simplici beatus Petrus sapientię testimonium perhibet. Nam de Paulo ait: *Sicut charissimus frater noster Paulus, secundùm datam sibi sapientiam, scripsit vobis.* 2.Pet. 3.

Radulphus Ardens. 1060.

Sermone de Apostolis: Petrus in epistola Canonica ait: *Non enim voluntate humana allata est prophetia, sed Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti homines Dei.* 2.Pet.1.

Anselmus. 1080.

Ad caput 2. epistolæ ad Galatas: Petrus non solùm tunc patienter hanc reprehensionem pertulit, sed etiam post, dum secundam scriberet epistolam, laudauit epistolas Pauli, in quibus reprehensionem istam legerat. Certè nisi legisset Pauli epistolas, non laudasset. 2.Pet.3.

Rupertus Tuitiensis. 1120.

Lib.1. in Genesin cap.50. Aër aqua rectè potest dici, quippe qui ex aqua, vel per aquam consistit. Vnde dicitur in epistola Petri Apostoli: *Latet enim eos hoc volentes, quòd cæli erant prius, & terra de aqua, & per aquam consistens Dei Verbo.* 2.Pet.3.

Bernardus. 1130.

In paruis Sermonibus, Serm.66. Quis dubitet Apostolum Paulum esse sapientem, cùm & Petrus eius Coapostolus sententiam ei datam astruat, & eiusdem Apostoli tota verborum series nihil aliud quàm sapientiam redoleat? 2.Pet.3.

Otto Frisingensis. 1150.

Libro 8. Chronicorum cap. 8. His concordans ex nostris Petrus: *Cæli*, inquit, *erant prius, & terra de aqua*, &c. Et infra: *Aduenet autem dies Domini magnus, in quo cæli magno impetu transibunt.* 2.Pet.3.

Guarricus Igniacensis. 1170.

Sermone 4. in Epiphania Domini: Ego postquam baptismo lotus fui, non vnum mortuum, sed tot mortuos quot opera mortis tetigi, & iuxta Petrum Apostolum, contigit mihi illud veri prouerbij: *canu reuersus ad vomitum suum, & sus lota in volutabro luti.* 2.Pet.2.

Innocentius Tertius. 1200.

Ad Psalm.7. Pœnitentialem: *Notam fac mihi.*) Hoc vtique fecit Deus, cùm propheticum sermonem accendit, cui sicut Petrus ait, *debemus attendere, quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco, donec illucescat dies.* 2.Pet.1.

Iacobus Vitriacus. 1220.

Dominica 2. Aduentus: Beatus Petrus in epistola Canonica ait: *Habemus firmiorem propheticũ sermonẽ, cui benefacitis attendentes tamquam lucernæ lucenti in caliginoso loco, donec dies illucescat, & lucifer oriatur.* 2.Pet.1.

Bonauentura. 1260.

Ad caput 6. Lucæ: De primis sex gradibus, quibus ad charitatem peruenitur, dicitur 2.Petri 1. *Vos autem curam omnem subinferentes, ministrate in fide vestra virtutem, in virtute autem scientiam, in scientia autem abstinentiam*, &c. 2.Pet.1.

Augustinus Triumphus. 1320.

De potestate Ecclesiastica quæstione 17. artic. 4. Petrus dicit in secunda Canonica sua capite 1. *Scio quòd velox est depositio tabernaculi mei, secundùm quod Dominus reuelauit mihi.* 2.Pet.1.

Martinus Polonus. 1320.

In Petro: Hic scripsit duas epistolas, quæ Canonicæ nominantur.

Thomas VValdensis. 1414.

Doctrinalis fidei lib.2. art.2. cap.23. Hos corripiebat Petrus palam in secunda Canonica, in fine prænonendo fideles: *Satagite inueniri immaculati ei in pace, & Domini nostri longanimitatem salutem existimate: sicut & dilectissimus frater noster Paulus, secũdum datam sapientiam, scripsit vobis*, &c. 2.Pet.3.

Laurentius Iustinianus. 1430.

De triumphali Christi agone cap.23. Ipse Prophetarum ora compleuit, vt certa veritatis scientia tamquam præterita futura prædicerent. *Non enim*, (teste Apostolo) *voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu sancto locuti sunt sancti Dei homines.* 2.Pet.1.

ARTICVLVS VIGESIMVSQVINTVS.

I. IOANNIS V. VERBA ILLA:

TRES SVNT QVI TESTIMONIVM DANT IN CÆLO, PATER, VERBVM, ET SPIRITVS SANCTVS, ET HI TRES VNVM SVNT, NON EXPVNGENDA ESSE: SED VT CANONICAM SCRIPTVRAM VALERE AD ECCLESIASTICA dogmata confirmanda.

DVBITANT, AVT NEGANT.

Anno post natũ Christũ

360. ARIANI, *quia videbant manifestissimè hic Trinitatem asseri, primi hæc verba ex quibusdam Græcis & Latinis Bibliis expunxisse videntur.*

1050. 400. 445. 700. *Ex Græcis OEcumenius in hunc scribens locum: ex Latinis Patribus, Augustinus*, contra Maximinum lib.3.cap.22. *Leo*, Epist.10.cap.5. *& Beda*, in Commentarijs, *non videntur in suis Bibliis hæc verba legisse: nec Syriaci Codices habent.*

1516. *Erasmus Roterodamus*, in prima noui Testamenti translatione, *verba hæc omisit: in secunda editione ex Græco Britannico exemplari restituit.*

1520. *Martinus Lutherus*, in suis Germanicis Biblijs, *omninò omisit.*

1530. *Anabaptistæ contendunt, primam Ioannis Epistolam ascititijs additionibus falsatam, sumpto hinc argumento, quòd in quinto eius capite addita sit sententia*: Tres sunt, qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus. *Quam sententiam dicunt eo in loco insertam à fautoribus Trinitatis, reclamantibus omnibus vetustis Græcis exẽplaribus.* Sixtus Senẽsis lib.7. sacræ Bibliothecæ hæresi 9 obiect.7.

1540. Ioannes Bugenhagius ad cap.3. Ionæ, reprehendens Erasmum, quòd scribit se ex Britannico exemplari Græco addidisse hæc verba in posteriori editione: *Obsecro*, inquit, *Chalcographos & eruditos viros, qui Chalcographis adsunt, vt cùm rursus posthac nouum Testamentum Græcè excudendum est, illam additionem omittant, & ita reddant, vt restituant priori suæ integritati & puritati ad gloriam Dei; & vel hunc honorem habeant Erasmo defuncto, ne hanc deprauationem sub nomine eius in epistola Ioannis relinquant.*

1575. Ioannes Sommerus Trinitarius contrà Petrum Carolium lib. 2. cap. 10. fol. 155. *Quomodo irrepserint illa verba de tribus testibus viderit Carolius; nobis nihil obsint, etiamsi retineamus.*

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Athanasius. 340.

De vnita deitate Trinitatis lib.1. Quamuis in superioribus exemplis Scripturarum tacita sint nomina personarum, tamen vnitum nomen diuinitatis per omnia est in his demonstratum, sicut & in hoc exemplo veritatis, in quo nomina personarum euidenter sunt ostensa, & vnitum nomen naturale clausè est declaratum, dicente Ioanne Euangelista in epistola sua: *Tres sunt, qui testimonium dicunt in cælo, Pater, & Verbum, & Spiritus*: Et in Christo Iesu vnum sunt, non tamen vnus est, quia non est eorum vna persona. Nam vnum quod dixit de vtrisque, quid aliud intelligitur, quã quod Deus Pater natura idem ipse dicatur, & Dominus idem ipse sit, & Spiritus, & Filius Deus?

Cyrillus Alexandrinus. 430.

De recta in Deum fide ad Reginas: Ex prima epistola Ioannis: *Quoniam tres sunt qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, & hi tres vnum sunt.*

ASSERVNT PATRES LATINI.

Higinus. 138.

Epistola ad omnes Christi fideles: Et iterum ipse Ioannes ad Parthos scribens ait: *Tres sunt, qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus: & hi tres vnum sunt.*

Cyprianus. 250.

Ioan. 10. 1.Ioan.5 Ioan.1. *De vnitate Ecclesiæ*: Dicit Dominus: *Ego & Pater vnum sumus.* Et iterum de Patre, & Filio, & Spiritu sancto scriptum est: *Et hi tres vnum sunt.* Et quisquã credit hanc vnitatem de diuina firmitate venientem, Sacramentis cælestibus cohærentem scindi in Ecclesia posse, & voluntatum collidentium diuortio separari?

Idacius Clarus. 420.

Aduersus Varimadum Arianum: Ioannes Euangelista ait: *In principio erat Verbum, & Deus erat Verbum.* Item ipse ad Parthos: *Tres sunt*, inquit, *qui testimonium perhibent in terra, aqua, sanguis, & caro, & tres in nobis sunt. Et tres sunt, qui testimonium perhibent in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus, & ij tres vnum sunt.* 1.Ioan.5.

Eugenius Carthaginensis. 480.

In confessione fidei ad Hunericum Regem: Et vt luce clarius vnius diuinitatis esse cum Patre & Filio Spiritum sanctum doceamus, Ioannis Euangelistæ testimonio comprobatur. Ait namq; *Tres sunt qui testimonium perhibent in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, & hi tres vnum sunt.* Nunquid ait: Tres indifferẽti qualitate seiuncti, aut quibuslibet diuersitatum gradibus, lõgo separationis interuallo diuisi? Sed, *Tres*, inquit, *vnum sunt.*

Fulgentius. 500.

Responsione contra Arianos, paulò ante finem: Beatus

Ioannes Apostolus testatur dicens: *Tres sunt, qui testimonium perhibent in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus: & tres vnum sunt.* Quod etiam beatissimus Martyr Cyprianus, in epistola de vnitate Ecclesiæ, confitetur, dicens: Qui pacem Christi & concordiam rumpit, aduersum Christum facit: qui alibi præter Ecclesiam colligit, Christi Ecclesiam spargit. Atque vt vnam Ecclesiam vnius Dei esse monstraret, hæc confestim testimonia de Scripturis inseruit. Dicit Dominus: *Ego & Pater vnum sumus.* Et iterum de Patre, & Filio, & Spiritu sancto scriptum est: *Et tres vnum sunt.*

Ioannes Secundus P. 530.

Epistola ad Valerium Episcopum: Ioannes Euangelista ad Parthos: *Tres sunt,* inquit, *qui testimoniũ perhibent in terra, spiritus, aqua, & sanguis: & tres vnum sunt. Et tres sunt, qui testimonium perhibent in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus: & hi tres vnum sunt.*

Ambrosius Ansbertus. 760.

Ad caput 1. Apocalyp. *Qui est testis fidelis.* Ea locutionis regula, quam supra premisimus, solus hoc loco Filius testis vocatur fidelis, cùm & Pater, & Filius, & Spiritus sanctus simul testimoniũ perhibeant de ipsis, sicut scriptum est: *Tres sunt, qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbũ, & Spiritus sanctus: & hi tres vnum sunt.* Sciẽdum autẽ, quia sicut hi tres vnũ sunt, sic horũ testimoniũ vnũ esse cognoscitur, quamquam alterius testimonio alter insinuetur.

Radulphus Ardens. 1060.

Ad epistolam Dominicæ secundæ post Pascha: Non tantùm Spiritus hoc testificatur, imò etiam tres idem testificantur: *Quoniam tres sunt, qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus.* Hi enim tres testificãtur in Iordane, & in monte Thabor, quia Christus est verus Deus. *Et hi tres vnũ sunt,* non tantùm in testimonio, sed etiam in essentia.

Rupertus Tuitiensis. 1110.

De operibus Spiritus sancti lib. 3. de Sapientia lib. 2. c. 4. Ioannes autem: *Quia tres sunt, qui testimonium dant in terra, spiritus, aqua, & sanguis: & tres qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus,* sermonis auctoritas procul dubio diuina est: quia nimirum, qui hoc loquitur, non ab homine vel per hominem accepit, aut didicit, sed per reuelationem Iesu Christi.

Hugo Victorinus. 1130.

Lib. 1. de anima cap. 10. Et vt *tres sunt, qui testimonium nobis dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus,* addantur testes sacerdotes cordi nostro & ori, vt *in ore duorum vel trium stet omne verbum.*

Alexander Tertius. 1169.

Epistola ad Soldanum Iconij: Prænominatus Ioannes in epistola sua Canonica dicit: *Tres sunt, qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus: & hi tres vnum sunt.*

Innocentius Tertius. 1200.

Sermone 2. in Festo Pentecostes: Spiritus iste incunctanter est Patri ac Filio consubstantialis ac coæternus, sicut Ioannes Euangelista testatur: *Tres sunt,* inquit, *qui testimonium dant in cælo: Pater, Verbum, & Spiritus: & hi tres vnum sunt:* vnum in natura, vnum in nomine, vnum in potestate.

Concilium Lateranense. 1215.

Cap. 2. Quemadmodum in Canonica epistola Ioannis legitur: *Quia tres sunt, qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus: & hi tres vnum sunt.*

Iacobus Vitriacus. 1220.

In die Natalis Domini, ex Euangelio secundùm Ioannem: Et Ioannes in epistola Canonica: *Tres sunt, qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, & hi tres vnum sunt.*

Thomas Aquinas. 1250.

In explicatione huius epistolæ: *Tres sunt qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus: & hi tres vnum sunt* in essentia: quia vnus Deus. Genes. 23. Abraham tres vidit, & vnum adorauit.

Iacobus Genuensis. 1280.

Sermone 3. de sancta Trinitate: *Tres sunt qui testimonium dant in cælo Pater, Verbum, & Spiritus sanctus: & hi tres vnum sunt.* 1. Ioan. 5. Sanctus Ioannes Euangelista, recumbens supra pectus Domini, & fluenta sapientiæ inde hauriens, mysterium sanctæ Trinitatis & vnitatis nobis sub breuibus verbis tradidit, dicens: *Tres sunt,* &c.

Nicolaus Lyranus. 1320.

Ad caput 5. huius epistolæ: *Tres sunt, qui testimonium perhibent in cælo:* veritatem manifestando, *Pater* ingenitus, *Verbum* genitum, *& Spiritus sanctus* procedens à Patre & Verbo: *& hi tres vnum sunt* in essentia.

Guido Carmelita. 1330.

In Summa, de Iudæis, errore 9. Ioannis Canonicæ epistolæ nos regulant, vt diligamus nos inuicem, &c. Nam *tres* hi *in cælo testificantur,* scilicet *Pater, Verbum,* id est, Filius, *& Spiritus: & hi tres vnum sunt,* vt asserit Ioannes.

De VValdensibus cap. 21. Credere oportet in Spiritum sanctum, quòd est Deus, tertia in Trinitate persona, 1. Ioan. 5. *Tres sunt qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus: & hi tres vnum sunt.*

Bernardinus Senensis. 1430.

Dominica 1. Quadragesimæ Sermone 9. Debito æquali diuinus honor sacerqúe cultus omnibus illis debetur personis. Et de hoc 1. Ioan. 5. *Tres sunt, qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus: & hi tres vnum sunt.*

Laurentius Iustinianus. 1440.

De casto connubio Verbi & animæ cap. 19. Sed de Spiritu sancto quid? Nonne Pater & Filius Deus vnus? Nonne & Spiritus sanctus? *Tres sunt,* ait Ioannes, *qui testimonium dant in cælo, Pater, Filius, & Spiritus sanctus: & hi tres vnum sunt.* Vnus quidem Deus, vna virtus, vna essentia, vna diuinitas.

Ioannes de Turrecremata. 1460.

In Meditationibus: Ad notitiam S. Trinitatis manu ducimur in Scripturis diuinis, per expressionem propriorum nominum. Inquit enim Scriptura sacra: *Tres, qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus: & hi tres vnum sunt.*

ARTICVLVS VIGESIMVS SEXTVS.

IOANNIS APOSTOLI SECVNDAM ET TERTIAM EPISTOLAM, VT SACRAM SCRIPTVRAM, VALERE AD ECCLESIASTICA DOGMATA PROBANDA.

DVBITANT, AVT NEGANT.

Anno post natũ Christum. 390. HIERONYMVS in vita Ioannis: *Ioannis reliquæ duæ sunt epistolæ, quarum prima principium est:* Senior Electæ Dominæ: *sequentis:* Senior Gaio charissimo, quem ego diligo in veritate: *Ioannis Presbyteri asseruntur, cuius & hodie sepulchrum est apud Ephesum: & nonnulli putant, duas memorias eiusdem Ioannis Euangelistæ esse.*

1520. Thomas Caietanus in Commentarijs, referens hæc D. Hieronymi verba: *Ambæ,* inquit, *minoris auctoritatis sunt.*

1520. Erasmus Roterodamus in Commentarijs: *Constat inter auctores, primam Ioannis Epistolam eius esse Ioannis, quem Iesus dilexit plurimum. Cæterùm duas posteriores Ioannes Presbyter scripsit, non Ioannes Apostolus.*

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Dionysius Areopagita. 100.

De cælesti Hierarchia cap. 3. Est omnium diuinius, vt eloquia sacra aiunt, *Dei cooperatorem fieri, & ostendere diuinam in seipso actionem relucentem.* 3. Io. v. 8.

Clemens Alexandrinus. 200.

In secundam epistolam Ioannis: Secunda Ioannis epistola, quæ est ad virgines scriptã, simplicissima est: scripta verò est ad quandam Babyloniam Electam nomine: significat autem electionem sanctæ Ecclesiæ. Astruit in hac epistola persecutionẽ fidei extra charitatem non esse, &c.

Origenes. 230.

Homilia 7. in Iosuam, *enumerans nouæ Legis libros, addit & Ioannem tuba canere per epistolas suas, & Apocalypsin.*

Lib. 1. Commentariorum in Matth. (apud Eusebium libro 6. cap. 8.) *recensens nouæ Legis libros:* Scripsit, *inquit,* Ioannes tres epistolas, è quibus duæ perbreues, de quibus apud quosdam dubia est sententia.

Alexander Alexandrinus. 330.

Epistola ad Ecclesiæ ministros de Arianis: Par est, vt nos, qui sumus Christiani, omnes, qui cõtra Christum loquuntur, tamquam Dei hostes & corruptores animorum deuitemus: neque id genus hominibus, sicut præcipit beatus Ioannes, vel *Aue dicamus, nequando illorum peccatis communicemus.* 2. Io. v. 10

Athanasius. 340.

Epistola 39. recensens nouæ Legis libros: Epistolæ, quę dicuntur Canonicæ, septem Apostolorum, sicut Iacobi vna, Petri duæ, deinde Ioannis tres, &c.

In Synopsi, de secunda epistola Ioannis: Hanc senior factus Dominæ scribit, & liberis eius. Est autem argumentum eius tale, &c.

De tertia Ioannis: Ista quoque Ioannis est, vt habet inscriptio. Missa est autem ad Gaium. Et primùm quidem laudat eum, propter testimonium hospitalitatis.

Concilium Laodicense. 360.

Cap. 56. Epistolæ Catholicæ septem, nempe Iacobi vna, Petri duæ, Ioannis tres, Iudæ vna.

Ephræm Syrus. 360.

In interrogationibus & responsionibus: Hæreticos nõ oportet amare, neque cum ijs versari, aut cum ipsis orare, cibumue sumere, neq; in domum eos recipere, neq; Aue illis dicere, ne prauis illorum operibus communicemus. 2. Io. v. 10

Oratione: Quòd iudicris rebus abstinendum sit Christianis: Et ne durum vobis appareat, quod dixi: *Sine Deo:* Non enim meus est hic sermo, sed sancti Ioannis Theologi sic dicentis: *Omnis, qui recedit, & non permanet in doctrina Dei, Deum non habet.* 2. Io. v. 2.

Didymus Alexandrinus. 360.

Scripsit Enarrationes in secundam & tertiam epistolam Ioannis: Enarratio in secundam incipit: *Et hæc est Charitas, vt ambulemus secundùm mandata eius.* Præsens dictum concordat his, quæ in prima epistola relata sunt, &c. Enarratio in tertiam incipit: *Charissime noli imitari malum,* &c. Cùm nulla cõmunio sit luci ad tenebras, aut concordia Christo cum Belial, &c.

Gregorius Nazianzenus. 380.

Carmine de libris veteris ac noui Testamenti:

Catholicæ septem, inter quas prima Iacobi,
Et geminæ Petri subeunt, tres deinde Ioannis:
Septima post illas succedit epistola Iudæ.

Theophilus Alexandrinus. 390.

Epist. ad Hieronymum: Quamobrem cauete, & effugite eiusmodi homines, iuxta quod scriptũ est: *Si quis non adfert ad vos Ecclesiasticam fidẽ, huic nec aue dixeritis.* 2. Io. v. 10

Ioannes Chrysostomus. 400.

Homilia 19. ex 7. capite Matth. Si ergo videris hominem Christianum, statim considera, si confessio eius conueniat cum Scripturis, verus est Christianus: si autem non est, quemadmodum Christus mandauit, falsus est: Sic enim & Ioannes, cùm de hæreticis scripsisset epistolam, nõ dixit: *Si quis venit ad vos*, non habens nomen Christi, *nec aue ei dixeritis*: sed: *si quis non attulerit istam doctrinam*: iudicium Christianitatis nõ ad nomen retulit, sed ad confessionem. 2.Io.v.10

Palladius Diaconus. 420.

De vita Ioannis Chrysostomi: Sicut in epistolis Canonicis Caio contra Episcopum quendam scribit Ioannes, hospitalitem Caij maximè susciпiẽs, eumq; admonens, ne malos imitetur Episcopos. Est autem hic fermè textus epistolæ: *Caio dilectissimo, quem ego diligo in veritate. Dilectissime in omnibus te rectè incedere cupio*, &c. 3.Io. v. 1.

Cyrillus Alexandrinus. 430.

Lib. 8. de adoratione in spiritu & veritate: *Huiusmodi hominibus neque aue dixeritis*, inquit Saluatoris nostri discipulus. Non quòd inhumanis nos moribus esse doceat, sed quòd ad cõmercia cum lupo ineunda inepta sit ouis, & inter eos, qui animi sensibus differunt, nulla conuentio esse possit. 2.Io.v.10

Lib. 14. An non hoc planè illud est, quod nos docuit illud sanctorum hominum par Paulus & Ioannes? Hic enim dixit: *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non adfert, neque Salue ei dicatis.* Ille verò: *Hæreticum hominem post vnam aut alteram correptionẽ deuita.* 2.Io.v.10 Tit.3.2

Acacius Constantinopolitanus. 470.

Epistola ad Petrum Antiochenum: Ergo omninò de te hoc scriptum est: *Si quis non confitetur Dominum nostrum Iesum Christum in carne venisse, sit anathema.* 2.Io.v.10

Isychius Hierosolymitanus. 580.

In Leuiticum lib. 7. cap. 25. Qui autem illi sint aliàs ipse admonet: *Hæreticum hominem post primam & secundam admonitionẽ deuita.* Sed & Ioannes: *Si quis venit ad vos, & doctrinam hanc non adfert, non suscipiatis eum in domum, nec aue ei dicatis.* 2.Io.v.10

Leontius. 610.

De Sectis actione 2. Epistolæ Catholicæ numero septem: prima Iacobi, secũda & tertia Petri, quarta, quinta, & sexta Ioannis, septima Iudæ.

Ioannes Damascenus. 730.

Orthodoxæ fidei lib. 4. cap. 18. Catholicæ epistolæ vna Iacobi, Petri duæ, tres Ioannis, Iudæ vna.

Lib. 1. Parallelorum cap. 19. De veritate & testimonio certo: *Maiorem hanc latitiam non habeo, quàm vt audiam filios meos in veritate ambulare.* 3.Io. v.4.

Lib. 2. c. 93. De monachis & eorũ exercitatione: *Videte vosmetipsos ne perdatis, quæ operati estis, sed vt mercedem plenam accipiatis.* 2.Io.v.8.

OEcumenius. 1080.

In argumento secundæ epistolæ Ioannis: Hanc, tamquam Senior, Dominæ & filijs ipsius misit. Occasio verò epistolę hęc fuit: Cùm videret filios ipsius rectè in fide cõuersari, multosq; seductores circumire ac dicere, non esse aduentũ Christi in carne, scribit epistolam, ac primùm quidem cõmendat ipsius filios, quod rectè ambulent, &c.

In argumento epist. 3. Epistola est de hospitalitate. Et primùm quidem commendat Caium, pro quo ferebatur à multis testimonium de hospitalitate, & exhortatur vt in eodẽ maneat proposito, &c.

Nicephorus Callistus. 1300.

Lib. 2. cap. 45. Petrus duas Catholicas scripsit epistolas, Ioannes tres, vnam autem Iudas.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Tertullianus. 200.

De præscriptionibus aduersus hæreticos cap. 33. Ioannes verò in Apocalypsi idolothyta edentes, & stupra committentes iubetur castigare. Sunt & nunc alij Nicolaitæ, Caina hæresis dicitur. At in epistola eos maximè Antichristos vocat, qui Christum negarent in carne venisse, & qui non putarent Iesum esse filium Dauid. Apoc. 2. 2.Io.v.7.

De carne Christi cap. 24. Etiamsi Angelus de cælo aliter euangelizauerit vobis, quàm nos, anathema sit: ad energema Apelliacæ virginis Philumenes filum dirigit; *Certè qui negat Christum in carne venisse, hic Antichristus est.* 2.Io.v.7.

Aurelius Chullabius. 250.

Apud Cyprianum in Synodo Carthaginensi: Ioannes Apostolus in sua epistola posuit, dicens: *Si quis ad vos venit, & doctrinam Christi non habet, nolite eum admittere in domum vestram, & aue illi ne dixeritis. Qui enim dixerit ei aue, communicat factis eius malis.* 2.Io.v.10

Lucifer Calaritanus. 350.

De non conueniendo cum hæreticis ad Constantium Imperatorem: Item beatus cùm præcipiat Ioannes, vos fugiendos dicens: *Gauisus sum valdè, quòd inueni de filijs tuis ambulantes in veritate, sicuti mandatum accepimus à Patre. Oro te Domina, non sicut mandatũ scribẽs tibi, sed quod habuimus ab initio, vt diligamus nos alterutrum; & hæc charitas, vt ambulemus secundùm mandata eius*, &c. Idcirco etenim etiã Apostolus in hac dicit secunda epistola: *Omnis qui recedit, & non manet in doctrina Christi, Deum non habet: qui autem manet in doctrina eius, ille & Patrem, & Filium habet.* 2.Io.v.4.

Ambrosius. 370.

Ad Psalm. 36. Et Ioannes senex cœpit scribere Euangelium & epistolas, qui cùm refugeret Apostolum se scribere, *Seniorem* scripsit. Nec minor est æstimatus, cui cygnæa quædam suppeteret gratia senectutis. 2.Io. v.1.

Ad caput 16. ad Romanos: *Salutat vos Caius hospes meus*, &c. Hic est Caius, vt arbitror, ad quem scribit Ioannes Apostolus, exultans in charitate eius, quam exhibebat paternitati, præbens sumptus illis necessarios. 3.Io. v.1.

Hieronymus. 390.

Epistola 11. ad Ageruchiam de monogamia cap. 4. Legimus in carminum libro: *Vna est columba mea, vna perfecta mea, vna est matri suæ, electa genitrici suæ.* Ad quam scribit idem Ioannes epistolam: *Senior Electæ Dominæ, & filijs eius.* 2.Io. v.1.

Epist. 85. ad Euagrium: Clangat tuba Euangelica, filius tonitrui, quem Iesus amauit plurimũ, qui de pectore Saluatoris doctrinarum fluenta potauit: *Presbyter Electæ Dominæ, & filijs eius, quos ego diligo in veritate.* Et in alia epistola: *Presbyter Caio charissimo, quem ego diligo in veritate.* 2.Io. v.1. 3.Io. v.1.

Ruffinus. 390.

In explicatione Symboli, referens Scripturas noui Testamenti: Iacobi epistola vna, Iudæ vna, Ioannis tres, &c.

Augustinus. 400.

Libro expositionis inchoatæ in epistolam Pauli ad Romanos: Ioãnes in secunda epistola illis, quæ ad Timotheum sunt, consonat, dicens: *Sit vobiscum gratia, misericordia, pax à Deo Patre, & Iesu Christo Filio Patris.* In tertiæ principio de Trinitate tacetur, credo quòd sit omnino breuissima. Sic enim incipit: *Senior Gaio dilectissimo, quem ego diligo in veritate*: quam veritatẽ pro ipsa Trinitate positam puto. 2.Io. v.3. 3.Io.v.1.

De doctrina Christiana lib. 2. cap. 8. Noui Testamenti auctoritas terminatur quatuor libris Euangeliorum, Petri epistolis duabus, Ioannis tribus, &c.

Concilium Carthaginense Tertium. 395.

Cap. 47. Noui Testamenti Scripturæ sunt quatuor libri Euangeliorum, Petri Apostoli epistolæ duæ, Ioannis tres, Iudæ vna, &c.

Innocentius Primus. 410.

Epistola ad Exuperium Tholosanum cap. 7. Noui Testamenti Scripturæ sunt, libri quatuor Euangeliorum, Pauli epistolæ quatuordecim, Ioannis tres, Petri duæ, &c.

Vincentius Lyrinensis. 430.

Contra hæreses cap. 63. Quid est deuitare? Cum huiusmodi nec cibũ sumere. Quid est deuita? *Si quis, inquit, venit ad vos, & hanc doctrinam non adfert, nolite recipere eum in domum, nec aue ei dixeritis. Qui enim dixerit ei Aue, communicat operibus eius malignis.* 2.Io.v.10

Gelasius. 490.

In Decretis: Ordo Scripturarum noui & æterni Testamenti: Euangeliorum libri quatuor, &c. Petri Apostoli epistolę duę, Ioannis tres, Iudę vna, &c.

M. Aurelius Cassiodorus. 540.

Diuinarum institutionum lib. 1. cap. 13. In epistolis Apostolorum, Pauli ad Romanos vna, &c. Ioannis tres, &c.

Gregorius Magnus. 590.

Lib. 31. Moralium cap. 7. *Obliuiscitur quòd pes conculcet ea.*) Hunc pedem Ioannes Gaio formidabat, qui cùm multa Diotrephis mala præmisisset, adiunxit: *Charissime, noli imitari malum, sed quod bonum est.* 3.Io.v.11.

Homilia 9. in Ezechielem: Hinc est enim, quòd Ioannes obtrectatoris sui linguam redarguit, dicẽs: *Is qui amat primatum gerere in eis Diotrephes, non recipit nos: propter hoc si venero, commoneam eius opera, quæ facit, verbis malignis garriens in nos.* 3 Io.v.10

Isidorus Hispalensis. 620.

De officijs Ecclesiasticis lib. 1. cap. 12. Pauli quatuordecim epistolis subiunctæ sunt septem Catholicæ epistolæ, Iacobi, Petri, Ioannis, & Iudæ.

Beda. 700.

In secundam epistolam Ioannis: Quidam putant, hanc, & sequentem epistolam nõ esse Ioannis Apostoli, sed cuiusdam Presbyteri Ioannis, cuius sepulchrum vsque hodie monstratur in Epheso. Sed nũc generalis Ecclesiæ consensus habet, quòd has epistolas Ioannes Apostolus scripserit: quia reuera multam verborum & fidei similitudinem cum prima eius epistola ostẽdit, & simili zelo detestatur hæreticos.

Ambrosius Ansbertus. 760.

Ad cap. 1. Apocal. Et idem Ioannes in epistola sua: *Sit vobiscum*, ait, *gratia, misericordia à Deo Patre, & Iesu Christo Filio Patris.* 2.Io. v.3.

Theodulphus Aurelianensis Episc. 850.

De sacræ Scripturæ libris:

Scilicet vna pij Iacobi, Petriq; gemellæ,
Sunt tres Ioannis, vna, Iuda, tua est.

Rabanus Maurus. 850.

In Vniuerso lib. 5. c. 3. Ioannes Apostolus tres scripsit epistolas: quarum secunda, quæ Electæ scribitur, dilectionis hortatur studium; denotat etiam seductores, & ab hæreticis admonet esse declinandum. Tertiam autem Gaio scripsit, in qua collaudat eum in studio veritatis & opere misericordiæ: deinde denotat proteruiam cuiusdam Diotrephes, & Demetrio testimonium perhibet veritatis.

Ioannes Octauus. 870.

Epistola 234. De talibus cauendis dicit egregius Doctor: *Si quis non obedit verbo nostro per epistolam, hunc notate, vt non commisceamini cum eo.* Hinc etiam & Coapostolus eius Ioannes huiusmodi nec *aue* dicendum concedit. 2. Thes 3 2.Io.v.10

Smaragdus. 950.

Ad caput 9. Regulæ S. Benedicti, texens Catalogum veteris & noui Testamenti librorum: Epistola, *inquit*, Iacobi vna, Petri duæ, Ioanis tres, Iudæ vna.

Radulphus Flauiacensis. 950.

Lib. 10. in Leuit. c. 3. Ioannes quoque: *Rogo*, inquit, *te Domina, non tamquam mandatum nouum scribens tibi, sed quod habuimus ab initio, vt diligamus inuicem.* 2.Io.v.5.

Radulphus Ardens. 1050.

In Annuntiatione Mariæ: Quod nos imitantes, fratres mei, quando salutamus ad inuicẽ, salutemus ex vera pace, non ex prauitatis consensu, vt quidam faciunt, de cuiusmodi Ioannes dicit: *Ne Aue ei dixeritis. Qui enim dicit ei aue, communicat operibus eius.* 2.Io.v.10

Anselmus Cantuariensis. 1080.

Ad cap. 16. ad Romanos: Et Ioannes cuidam Gaio scribens, qui forsitan iste est, laudans eum, quia fratribus ministrabat. 3.Io. v.5.

Ad cap. 5 prioris ad Timotheum: Nam & Petrus atq; Ioannes in epistolis suis seipsos vocant *Seniores*, id est presbyteros, propter grauem maturitatem morum & sapientiæ, vel etiam propter ætatem. 1.Pet.5. 2.Io. v.1. 3.Io. v.1.

Rupertus Tuitiensis. 1120.

De operibus Spiritus sancti libro 5. de Consilio cap. 13. Dicit enim vnus ex illo conuentu notæ charitatis & mansuetudinis Apostolus: *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non adfert, nolite accipere eum in domum, nec aue ei dixeritis.* 2.Io.v.10

Hugo Victorinus. 1130.

Eruditionis didascalicæ cap. 9. Litera aliquando perfecta est, quando ad significandum id, quod dicitur, nihil præter ea, quæ posita sunt, vel addere, vel minuere oportet, vt: *Omnis sapientia à Domino Deo est*: aliquando imminuta, quando subaudiẽdum aliquid relinquitur, vt: *Senior Electæ Dominæ.* Eccles. 1. 2.Io. v.1

Bonauentura. 1260.

De cælesti Hierarchia, de sex alis Seraphim: Hic est quartus ordo gemmarum triplici circumspectione, quasi pretiosorum trium lapidum ornatu complendus. Ait enim Ioannes: *Videte vosmet ipsos, ne perdatis, quæ operati estis*, supple in alijs: *sed vt mercedem plenam suscipiatis.* 2.Io. v.8.

Nicolaus Lyranus. 1320.

In secundam Epist. Ioannis: *Senior Electæ Dominæ.*) Postquam beatus Ioannes in epistola prima instruxit fideles generaliter, hìc conuenienter in duabus epistolis instruit aliquas personas specialiter.

Ioannes Bromiardus. 1380.

In Summa Præd. tom.1. cap.9. art.4. Boni ambulãt primò per viam mandatorum: *quia hæc est charitas, vt ambulemus secundùm mandata eius.* 2.Ioannis capite vnico. Secundò per viam veritatis, fugiendo periuria, loquacitates, mendacia, detractiones, & huiusmodi: *quia maiorem horum non habeo gratiã, quàm vt audiam filios meos in veritate ambulare.* 3.Ioannis, cap.vnico.

2.Io.v.6.

Ioannes Capistranus. 1440.

In vita S. Bernardini: Viri contemplatiui & sancti pastores suos filios spirituales ad probationẽ susci pientes, bonos diligunt, malos autem reprobant, & temnunt, sicut Ioannes Euangelista in 3. Canonica cap.1. dicit: *Maiorem horum non habeo gratiam, quàm vt audiam filios meos in veritate ambulare.* E conuerso de malis & reprobis 2.Canonica cap.1. dicebat: *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite eum recipere in domum, nec aue ei dixeritis.*

3 Io. v.4.

2.Io.v.10

ARTICVLVS VIGESIMVSSEPTIMVS.

EPISTOLAM IVDAE VT CANONICAM SCRIPTVRAM VALERE AD ECCLESIASTICA DOGMATA CONFIRMANDA.

DVBITANT, AVT NEGANT.

Anno post natũ Christum 320.

EVSEBIVS lib.3. cap. 23. *A nonnullis non recipitur epistola, quæ dicitur Iudæ, nec facilè quis antiquorum meminit illius.*

390. Hieronymus de Viris illustribus: *Iudas frater Iacobi paruam quidem quæ de septẽ Catholicis est, reliquit epistolam: & quia de libro Enoch, qui Apocryphus est, in ea assumit testimonium, à plerisque reijcitur: tamen auctoritatem iam vetustate & vsu meruit.*

1520. Erasmus in Annotationibus: *Locus hic, quem citat Iudas, sumptus est ex apocryphis Hebræorum, & ex libro, qui illis inscribitur Enoch, vnde & ipsa epistola non caruit suspitione, quòd quibusdam videatur parum Apostolicum quicquam citare ex apocryphis.*

1520. Thomas Caietanus in Commentarijs in hanc epistolam, referens D. Hieronymi verba: *Ex quibus,* inquit, *apparet minoris esse auctoritatis hanc epistolam ijs, quæ sunt certæ Scripturæ sacræ.*

1530. Martinus Lutherus Præfatione in epistolam Iacobi: *Epistolam Iudæ nemo negare potest esse descriptam ex secunda epistola Petri: Loquitur tamquam Apostolorum discipulus, qui longè post illos vixit: Scripturas citat, quæ nusquam extant. Quod etiam antiquos mouit Patres, vt hanc epistolam reijcerent. Adhæc Iudas Apostolus in Persiam venit, vbi non potuit Græcè scribere. Quamobrem etsi hanc epistolam non improbo, non tamen opus est, vt in Canonem referatur, ex qua fidei Sacramenta probentur.*

Contra Ambrosium Catharinum: *Epistola Iudæ mihi quondam inutilis visa, nunc agnita est è Petri Epistola sumpta, propter solum Papam esse scripta.*

1560. Magdeburgenses Centuria 1. lib. 2. cap. 4. de Scriptura noui Testamenti: *Iudæ epistolam etiam hæc arguunt, non esse genuinam, quòd non Apostolum, sed seruum se appellat: quodq; ipse se post Apostolos vixisse prodit: quòd quædam de verbo ex posteriori Petri describit: quòd citat sententiam de certamine Michaelis Archangeli aduersus diabolum de corpore Mosi, & ex vaticinio Enoch, quæ in probatis veteris Scripturæ libris non habentur: & quòd Iudam non in Græciam, sed in Persiam venisse memoriæ proditum est: vbi Persicè potius, quàm Græcè scripsisset.*

1561. *Ioannes Brentius,* in Apologia confessionis VVirtembergensis, cap. de sacris Scripturis, *Epistolam Iudæ inter Apocryphos Scripturæ libros recenset.*

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Clemens Alexandrinus. 200.

Lib.3. Stromaton: De his & similibus hæresibus existimo Iudam propheticè dixisse in epistola: *Similiter quidem hi quoque somniantes.* Non enim reuera ad veritatem se applicant, vsque ad illud: *Et os eorum loquitur superba.*

Iud.v.16

Eusebius lib.6. cap.11. Clemens in suis scriptis vtitur testimonijs Iudæ.

Hippolytus. 220.

De consummatione mundi: Deindè & Iudas Iacobi frater his similia dicit: *In nouissimis temporibus erunt illusores secundùm sua desideria ambulantes in impietatibus: hi sunt, qui sine metu ipsos pascunt.*

Iud.v.18.

Origenes, 240.

Homilia 7. in Iosuam: Petrus duabus epistolarum suarum

suarum personat tubis: Iacobus quoq;, & Iudas: addit nihilominus quoque & Ioannes tuba canere per epistolas suas, & Apocalypsin.

Ad Matth. cap.13. Et Iudas scripsit epistolam, paucorum quidem versuum, sed plenam efficacibus verbis gratiæ cælestis: qui in principio dicit: *Iudas Iesu Christi seruus, frater autem Iacobi.*

1.Cor. 6. *In Matthæum tractatu 9.* An nescitis quoniam Angelos iudicabimus? Nunquid secularia? Sed & Iudas dicit: *Quoniam Angelos Dei, qui non custodierũt principatum suum, sed reliquerunt propriam habitationẽ, Deus in iudicio magnæ diei vinculis grauibus sub caligine conseruabit.*

Iudę v.6.

Ad cap.5. ad Romanos: Et quomodo ante legem Mosi vel serpens cõdemnatus est, vel inuidia diaboli mors intrauit in orbem terrarum? Quomodo etiam, quod Iudas Apostolus in epistola dicit,

Iudę v.6. poterit explicari? *Angelos quoq;, qui non seruauerunt principatum suum, sed dereliquerunt domicilium suum, in iudicium magni diei æternis vinculis constrictos sub caligine reseruauit?*

Athanasius. 340.

Epistola 39. enumerans Canonicos nouæ Legis libros: Epistolæ, *inquit,* quæ dicuntur Canonicæ, septem Apostolorum, sicut Iacobi vna, Petri duæ, & post eas Iudæ vna.

In Synopsi de Epistola Iudæ: Hanc Iudas epistolam, quemadmodum & inscripta est, illis scripsit, qui iam crediderant. Est autem eius argumentum tale, &c.

Didymus Alexandrinus. 360.

Scripsit Commentaria in epistolam Iudæ, quæ Parisijs impressa sunt in Bib. Pat. quorum initium est: Omninò quoniam Iesus, &c.

Concilium Laodicense. 360.

Cap.58. Epistolę Catholicæ septem, nempe Iacobi vna, Petri duæ, Ioannis tres, Iudæ vna.

Ephræm Syrus. 360.

De ijs, qui animas ad impudicitiam pelliciunt, cùm dicant nihil mali esse: Quos quidem & alius redarguit discipulus, dicens: *Iudas Iesu Christi seruus, frater autem Iacobi, ijs qui sunt in Deo Patre dilectis, & Christo Iesu conseruatis, & vocatis: misericordia vobis & pax in charitate adimpleatur. Charissimi,* &c. *Inserit ibi integram epistolam.*

Iudæ v.1.

Cyrillus Hierosolymitanus. 370.

Catechesi 4. Noui Testamenti septem, Iacobi, Petri, Ioannis, & Iudæ epistolas suscipe.

Gregorius Nazianzenus, 380.

De Scripturæ libris:

Septem sunt Catholicæ epistolæ, quarum vna Iacobi, Petri dua, Ioannis tres, Iudæ est septima.

Epiphanius. 380.

Contra Gnosticos hæresi 26. Quare de his arbitror commotus est & Spiritus sanctus in Apostolo Iuda, in Catholica, inquam, epistola ab ipso scripta. Iudas autem hic est, qui frater Iacobi & Domini dicitur. Ostendit enim ipsos Spiritus sanctus per vocem Iudæ, quòd ad brutorum similitudinem corrumpantur & corrumpant, qui dicit, quòd quæ quidem non sciunt, ignorantes carpunt: qui verò sciunt, in his velut bruta corrumpuntur. Instar canum enim & suum corruptionem à seipsis perficiunt. Canes enim & sues, itemq; alia animantia, sic corrumpuntur. At *Michael Archangelus disputans cum diabolo de corpore Mosis,* &c.

Oriesiesis. 380.

In institutis monasticis: Scito quoniã Deus omnium corda nouit. Et Iudas in epistola loquitur sua: *Et hos quid. m de ignerantes, & odio habentes carnis immaculatam tunicam.* Caueamus huiusmodi vestimentum, & induamus potius armaturam Dei.

Iud. v.22

Palladius Diaconus. 420.

Dialogo de vita D. Chrysostomi: Quibus iudicium otiosum non est, & eorum non dormitat perditio: qui terrena sapiunt, de quibus & Iudas frater Iacobi ait: *Hi sunt in epulis suis malè conuiuantes, sine timore seipsos pascentes, nubes sine aqua, quæ à ventis circumferuntur.*

Iud. v.12.

Cyrillus Alexandrinus. 430.

De recta in Deum fide ad Theodosium Imperatorem: Cæterùm, ne quis meritam nobis notam inurat, tamquam qui nihil rectum sapere instituamus, sed si id solùm, quod per diuinas Scripturas condemnatum est: age is vnum ex Christi discipulis audiat, loquitur autem hic ad hunc modum: *Vos charissimi memores estote verborum, quæ prædicta sunt ab Apostolis Domini Iesu Christi, qui dicebant vobis, quoniam in nouissimis temporibus* &c.

Iud. v.17

Commentario altero ad Reginas: Quòd si qui sunt, qui cõtra Scripturam studio quodam prauè sentientes, illum pro se vulgarem tantum hominem extitisse dicere audeant, &c. ij meritò quendam ex sanctis Apostolis hæc sibi obcinentem audient: *Hi sunt qui segregant semetipsos, animales spiritũ non habentes.*

Iud. v.19.

Ioannes Cassianus. 430.

Collat. 8. cap. 8. Vnus quoq; Apostolorum euidentius dixit: *Angelos, qui non seruauerunt suum principatum, sed dereliquerunt domicilium suum, in iudicium magni diei vinculis æternis seruari.*

Iudę v 6

Antiochus. 600.

Homil. 84. Sunt hæc nihil aliud quàm mentis implanatæ, ac deerrantis simulachra, imaginationes, & frustratoriæ ludificationes reproborũ dæmonum, nobis vt imponant & implanent, sic miserè seductos, vt inescent iltis delinimentis atque oblectent, vt deinceps nullo negotio hominem pertrahant ad captanda lenocinia illecebrosæ voluptatis, iuxta verbum Iudæ Apostoli, Iacobi fratris, de eiusmodi quibusdam dicentis: *Similiter & hi insomnia sua sectantes, carnem quidem maculant, dominationem autem spernunt, maiestatem verò blasphemant.*

Iudæ v.8.

Leontius. 610.

De Sectis actione 2. Epistolæ Catholicæ numero septẽ. Prima Iacobi, secunda & tertia Petri, quarta, quinta, & sexta Ioannis, septima Iudæ.

Ioannes Damascenus. 730.

Orthodoxæ fidei lib.4. c.18. Septem Catholicæ epistolæ, vna Iacobi, Petri duæ, tres Ioannis, Iudæ vna.

In Parallelis lib.1. c.6. De Angelis, quòd admisso peccato puniantur: *Angelos, qui non seruauerunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in iudicium magni diei vinculis æternis sub caligine reseruauit.*

Iudę v.6.

Cæsarius. 760.

Dialogo 1. Septem sunt ordines, vt scripsit Iudas eximius Apostolus, quem & sequũtur sacri ministri officij diuini.

Pantaleo Diaconus. 800.

Oratione de miraculis Michaëlis Archangeli: Quòd autem esset Michaël princeps Domini militiæ,

ostendit

ostendit Scriptura in corpore Mosis, vt diuinissimus Iudas Apostolus dixit in sua Catholica epistola: *Michael autem Archangelus, quando contendens cum diabolo disserebat de corpore Mosis, non ausus est essere iudicium blasphemiæ, sed dixit ei Angelus: Increpet te Dominus.* Iud.v.9.

Simeon Metaphrastes. 970.

De rebus gestis Iacobi Apostoli: Iudas, qui Catholicarum septimam scripsit epistolam, quanam ex re seipsum significat, & quomodo facit inscriptionem? *Iudas Iesu Christi seruus, frater autem Iacobi, iis, qui sunt dilecti in Deo Patre.* Non ex imperatorijs & inanibus dignitatibus sibi tantum claritatis tribuunt qui sunt in mundo splendidi, quantum ille sciebat gloriari ex eo, quòd esset & diceretur frater Iacobi. Si autem est Iudæ gloria, dici fratrē Iacobi, quanto est ipsi Iacobo maior, quòd Christi frater nominetur?

Oecumenius. 1080.

Scripsit Commentaria in epistolam Iudæ, quæ incipiūt: Hanc epistolam scripsit his, qui crediderant: fuit autem hæc occasio Cùm subingressi essent, &c.

Michael Glycas. 1120.

Parte 2. Annalium: Quamquam enim tum aduolauit diabolus, vt in epistola sua Catholica Iudas inquit, ipsum homicidam tamquam sibi vendicans, & quæ aduersatione deliquisset, tamen *princeps ille dux Michaelus ei restitit, ac verbis huiusmodi compellauit: Increpet te Dominus.* Iud. v. 9.

Nicetas Choniates. 1200.

Orthodoxæ fidei libro 2. cap. 5. Sed ne malorum quidem spirituum vires infirmare potuisset Angelus, præsertim cùm Scriptura nos moneat, Michaelem Archangelum cum diabolo quidem super Mosis corpore contendisse, eò tamen audaciæ nequaquam euasisse, vt illum tamquam blasphemū condemnaret, sed his duntaxat verbis vsum esse: *Increpet te Dominus.* Iud. v. 9.

Nicephorus Callistus. 1300.

In Synopsi, de noui Testamenti libris:

Septem rursus sunt Catholicæ epistolæ:
Harum vnam quidem Iacobus scripsit,
Duas Petrus, tres verò Ioannes,
Postrema harum est epistola Iudæ.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Tertullianus. 200.

De habitu muliebri cap. 3. Nec vtique mirum hoc, si aliquas Scripturas non receperūt de eo locutas, quem & ipsum coram loquentem non erant recepturi. Eò accedit, quòd Enoch apud Iudam Apostolum testimonium possidet. Iud.v.15.

Cornelius PP. 250.

Epistola 2. *Vos autem charissimi*, dixit Iudas Apostolus, *memores estote verborum, quæ prædicta sunt ab Apostolis Domini nostri Iesu Christi, qui dicebant vobis: quoniam in nouissimo tempore venient illusores.* Iud.v.17

Cyprianus. 250.

Libro ad Nouatianum, quòd lapsis spes veniæ non sit neganda: Hic erit igitur à nobis venerandus, qui habet potestatem animam & corpus mittendi in gehennam ignis, sicut scriptum est: *Ecce venit cum millibus nuntiorum suorum facere iudicium de omnibus, & perdere omnes impios, & arguere omnem carnem de omnibus factis impiorum, quæ fecerunt impiè, & de omnibus verbis impijs, quæ de Deo locuti sunt peccatores.* Iud.v.15.

Lucifer Calaritanus. 350.

De non conueniendo cum hæreticis: Vobis aduersarijs Dei religionis serui Christi potueramus esse coniuncti, cùm exhortetur Iudas gloriosus Apostolus, frater Iacobi Apostoli, vt te atq; similes tibi vitaremus, & in suscepta fide vsque ad mortis exitum maneremus. *Iudas Iesu Christi seruus, frater autem Iacobi, his, qui sunt in Deo Patre, dilectis, & Christo Iesu conseruatis, & vocatis. Misericordia, & pax, & charitas multiplicetur. Charissimi, omnem solicitudinem faciens scribendi vobis de communi nostra salute deprecor, vt perlaboretis semel traditæ societati*, &c. Iud.v.1.

Ambrosius. 370.

Ad cap. 8. Lucæ: Ventum cessare præcepit, non Aquilonem, non Africum: sed illum vtique ventū, cui dictum est ab Angelo Michaele, in epistola Iudæ: *Imperet tibi Dominus.* Iud.v.9.

Hieronymus. 390.

De viris illustribus: Iudas frater Iacobi paruam quidem, quæ de septem Catholicis est, reliquit epistolā. Et quia de libro Enoch, qui Apocryphus est, in ea assumit testimonium, à plerisque reijcitur: tamen auctoritatem vetustate & vsu meruit, & inter sanctas Scripturas computatur.

Epist. 17. sub nomine Paulæ & Eustochij cap. 5. In epistola Canonica Iudas Apostolus, frater Iacobi, scribit dicens: *Commonere autem vos volo, scientes semel omnia, quoniam Iesus populum de terra Ægypti saluans, secundò eos, qui non crediderunt, perdidit.* Iud.v.5.

Epistola 61. ad Pammachium aduersus errores Ioannis Hierosolymitani cap. 15. De Angelis credere, quòd immutabilis naturæ sint, non cōcedit nobis Scriptura, dicens: *Angelos quoque, qui non custodierunt suum principatum, sed dereliquerunt proprium domicilium, in iudicium magni Dei vinculis æternis in tenebris custodiuit: quia immutati sunt, & ex propria dignitate & gloria magis in damonum ordinem abijsse eos cognouimus.* Iud.v.6.

Rufinus. 390.

In explicatione Symboli: Noui Testamenti libri sunt quatuor Euangelia, &c. Petri Apostoli epistolæ duæ, Iudæ vna, Ioannis tres.

Philastrius. 390.

De hæresibus, capite de Apocryphis: Statutum est ab Apostolis, & eorum successoribus, non aliud in Ecclesia legi debere Catholica, nisi Legem, Prophetas, &c. Petri duas epistolas, Ioannis tres, Iudæ vnam, &c.

Concilium Carthaginense Tertium. 395.

Cap. 47. Noui Testamenti Scripturæ sunt Euangeliorum libri quatuor, Canonicæ epistolæ numero septem, Iacobi Apostoli vna, Petri duæ, Ioannis tres, Iudæ Zelotis epistola vna.

Augustinus. 400.

De fide & operibus cap. 25. De talibus quippe etiā Iudas Apostolus loquens: *Ii sunt*, inquit, *qui in dilectionibus vestris maculati coëpulātur.* Mixti sunt enim bonis in epulis Sacramentorum, & dilectionibus plebium. Iud.v.12.

Libro expositionis epistolæ ad Romanos inchoatæ: Iudas nominato Deo Patre & Domino Iesu Christo, ad intelligendum Spiritum sanctum, hoc est, donum Dei tria verba posuit, sic quippe incipit: *Iudas Iesu Christi seruus, frater autem Iacobi, in Deo Patre dilectis, & in Christo vocatis & conseruatis* &c.

Innocentius Primus. 406.

Epistola ad Exuperium Tholosanum cap. 7. Noui Testamenti libri sunt: Euangeliorum libri quatuor, epistolæ Ioannis tres, Petri duæ, Iudæ vna, &c.

Philippus Presbyter. 430.

Lib. 2. in Iob: De his Iudas ait: *Hi sunt nubes sine aqua, arbores autumnales, fluctus feri maris, sydera errantia.* Iud.v.12.

Petrus Chrysologus. 440.

Sermone 65. Nam quare Christus vincula inferni dirupit, mortis ligamenta dissoluit, nisi vt nobis monstraret inferni tremendam seruitutem? Nam si de Mosi corpore diabolus Angelo contradixit, quomodo non Tartarus Christo & vita & resurrectione Lazari contradicet? Iud.v.9.

Prosper. 460.

De vocatione gentium lib. 1. cap. 19. Et vt breuissimè pateat, qualis sit natura humana sine gratia, dicat Iudas Apostolus, quid agat ignorantia imperitorum, vel doctrina sapientum: *Hi autem*, inquit, *quæcumque quidem ignorant blasphemant: quæcumque autem naturaliter, vt muta animalia, nōrūt, in his corrumpuntur.* Iud.v.10.

Gelasius. 490.

In Decretis: Ordo Scripturarum noui Testamēti Euangeliorum libri quatuor: Canonicæ epistolæ numero septem: Iacobi Apostoli vna, Petri epistolæ duæ, Ioannis Apostoli tres, Iudæ Zelotis Apostoli epistola vna.

Alcimus Auitus. 500.

De consolatoria virginitatis laude, enumerans sacræ Scripturæ libros:

Bis septena pij quod spargit epistola Pauli,
Quod Petrus docet, & Iudas, Iacobus & ipse.

Fulgentius. 500.

Lib. 2. ad Monimum c. 11. Hunc Spiritum discedendo amittunt, si qui aut perfidia deprauati, aut superbia inflati ab vnitate corporis Ecclesiæ segregantur. Quos Iudas Apostolus euidenter ostēdit, dicens: *Hi sunt qui segregant semetipsos, animales, spiritum non habentes.* Iud.v.19.

Primasius. 540.

Lib. 3. in Apoc. De quibus & Iudas Apostolus ait: *Arbores autumnales, infructuosæ, eradicatæ, bis mortuæ.* Iud.v.12.

Cassiodorus. 540.

Diuinarum Institut. lib. 1. cap. 13. de nouæ Legis Scripturis: Petri duæ sunt epistolæ, Ioannis tres, Iudæ vna.

Gregorius Magnus. 590.

Lib. 18. Moralium cap. 13. Licet à quibusdam dici soleat illud, quod scriptum est: *Non iudicabit Deus bis in idipsum*: qui tamen hoc, quod per Prophetam de iniquis dicitur, non attendunt: *& duplici contritione contere eos.* Et quod aliàs scriptum est: *Iesus populos de terra Ægypti saluans, secundò eos, qui non crediderunt, perdidit.* Naum 1. Hier. 7. Iud.v.5.

Isidorus Hispalensis. 620.

De officijs Ecclesiasticis lib. 1. cap. 12. Quatuordecim epistolis Pauli subiunctæ sunt septem Catholicæ epistolæ, Iacobi, Petri, Ioannis, & Iudæ.

Lib. 6. Originū cap. 1. In nouo Testamēto sunt Petrus in duabus epistolis, Ioannes in tribus, Iacobus & Iudas in singulis.

Beda. 700.

In epistolam Iudæ: Hæc epistola, quia de Apocrypho libro testimonium habet, primis temporibus à plerisque reijciebatur, tamen auctoritatem iam & vetustate, & vsu meruit, vt inter sanctas Scripturas computetur: maximè quia tale testimonium de Apocrypho Iudas sumpsit, quod nō apocryphum ac dubium, sed veræ lucis lucida esset veritate conspicuum.

Alcuinus. 750.

Ad cap. 21. Ioannis: Iste est Iudas, cuius epistola legitur in Ecclesijs Christi, non ille traditor.

Ambrosius Ansbertus. 770.

Libro 2. in Apocalypsin: O quàm multi Cain impium non viderunt, & tamen quia hunc imitantur, ipsi Cain probantur? De quibus scriptùm est: *Væ illis, qui viam Cain abierunt.* Iud.v.11.

Haymo. 820.

Dominica 5. Paschæ: Redarguit ergo Spiritus sanctus eos de iudicio, quos exemplo damnati Angeli, ne contra Deum superbire audeant, terret, sicut Iudas Apostolus ait: *Angelos, qui non seruauerūt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in iudicio magni Dei iudicandos reseruauit.* Iud.v.6.

Angelomus. 830.

Ad caput 9. lib. 1. Regum: Paulus Apostolus in epistolis suis non solùm de Hebræorum libris apocryphis, verùm etiam ex Poëtarum ac Comicorum Gentilium, vbi opportunum vidit, exempla protulit. Non vt eorum commenta approbaret, sed opportuna, vbi necessarium vidit, inseruit. Hinc est, quòd Iudas Apostolus, in epistola sua ex ijsdem libris exemplū intulit, dicens: *Prophetauit autē de his septimus ab Adam Enoch dicens: Ecce venit Dominus in sanctis millibus suis facere iudicium contra omnes.* Quod ex prædictis libris sumptum est: sed quia verum est, non reijciendum est. Iud.v.14.

Hincmarus. 840.

De varijs capitulis Ecclesiasticis cap. 18. Multa ex apocryphis deprompta sancti Patres receperunt, sicut Iudas Apostolus in epistola sua testimonium de Propheta Enoch assumptum recepit, quam tamē prophetiam sancta Ecclesia quasi apocryphā repudiauit. Iud.v.14.

Rabanus Maurus. 850.

De Vniuerso lib. 5. ca. 3. Iudæ epistola increpat blasphemantes in Christo, & quosdam impudicos sub exemplo impiorum, qui propter superbiam, & luxuriam sempiternis ardoribus traditi sunt, pro quibus admonet Ecclesiam, vt eos arguat, & ad pœnitentiam cohortetur.

Remigius Antissiodorensis. 880.

Ad illa verba Canonis: *Per quem hæc omnia bona creas. In tribus æqualitas per omnia secula seculorum.* Hoc est quod B. Iudas Apostolus in fine epistolæ suæ, velut distinctè, designāter exponit dicens: *Soli Deo Saluatori nostro, per Dominum nostrum Iesum Christum gloria, magnificentia, imperium & potestas ante omne seculum, & nunc, & in omnia secula seculorum.* Iud.v.25.

Ado Viennensis. 880.

A Etate 1. Enoch translatus est à Deo, quicq etiam nonnulla scripsisse Iuda Apostolo idipsum attestante fertur. Iud.v.14.

Radulphus Flauiacensis. 950.

Libro 10. in Leuit. cap. 3. De quibus Iudas Apostolus in epistola sua loquitur, dicens: *Hi sunt, qui segregant semetipsos, animales, spiritum non habentes.* Iud.v 19

Smaragdus. 970.

Ad caput 9. Regulæ D. Benedicti: In Canone sacrarum literarum Ioannis epistolæ tres, Iudæ vna, & Apocalypsis.

Petrus Damianus. 1050.

Epist.3.cap.5. Cùm hæc omnia dissoluenda sint, quales oportet vos esse in sanctis conuersationibus & pietatibus, expectantes & properantes in aduentum Domini, per quem cæli ardentes soluentur, elementa verò ignis ardore tabescent? De
Iud. v.15. quo & Iudas dicit Apostolus: *Ecce veniet Dominus in sanctis millibus suis, facere iudicium contra omnes, redarguere omnes impios, de omnibus operibus impietatis eorum,* &c.

Rupertus Tuitiensis. 1120.

De operibus Spiritus sancti libro quarto, de Intellectu cap.16. Iudas Apostolus, frater Iacobi, quem in Euangelio Matthæus & Marcus Thaddæum appellant, scribit contra eosdem fidei corruptores, quos & Petrus, & Ioannes in suis damnant epistolis. Iste quoq; breui calamo, sed multam intellectus facultatem cõprehendit. Verbi gratia cùm dicit:
Iud. v. 11. *Væ illis, qui in via Cain ambulauerunt, & errore Balaam mercede effusi sunt, & in contradictione Chore perierunt.*

Hugo Victorinus. 1130.

Serm.26. *Sed væ illis* (vt ait Iudas Apostolus)
Iud.v.11. *qui in via Cain abierunt, & errore Balaam mercede effusi sunt, & in contradictione Chore perierunt.*

Bernardus. 1140.

Sermone 1. in Festo S. Michaelis: Nihil æquè offendit, & ad indignationem prouocat Angelos, quomodo dissensiones & scandala, si fortè inueniantur in nobis. Audiamus siquidem quid loquatur ad Corinthios Paulus: *Cum sit inter vos zelus & cõtentio, nonne carnales estis?* In epistola quoque Iu-
Iud.v.19. dæ Apostoli legimus sic: *Hi segregant semetipsos, animales, spiritum non habentes.*

Petrus Cluniacensis. 1150.

Epist.1. Hinc ad Apostoli Pauli, Iacobi, Petri, Ioannis, Iudæ, Apostolorum epistolas vel libros, in quibus Scriptura noui Testamenti finitur, sermo transitum faciat.

Hugo Etherianus. 1160.

De regressu animarum ab inferis cap.9. Post mortem languida est confessio, quando omniũ malignorum instantia spirituum vehementissima est, qui non solùm peccatorem, verùm etiam iustum eniIud.v.9. tuntur, vt præcipitent in inferni profundum. Quod Iudas testatur Apostolus: *Cùm Michael, inquit, Archangelus cum diabolo disputans, de Mosi corpore altercaretur: non est autem ausus iudicium inferre blasphemiæ, sed dixit: Increpet te Dominus.*

Innocentius Tertius. 1200.

Ad Psalmum quintum Pœnitentialem: Sunt vincula tormentorum. Vnde epistola Iudæ, *Angelos, qui*
Iud.v.6. *suum non seruauêre principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in iudicium Dei magni, sub caligine vinculis reseruauit.*

Iacobus Vitriacus. 1200.

Dominica post Epiphaniam: Vnde Iudas in epistola Canonica: *Sicut Sodoma, & Gomorrha, & finitimæ*
Iud.v.7. *ciuitates simili modo exfornicatæ, abeuntes post carnem alteram factæ sunt exemplum ignis æterni.*

Guilhelmus Peraldus. 1250.

In Summa tomo 2. de peccato maledictionis cap.8. Cùm diabolus sit creatura Dei, peccatum est malũ optare ei. Vnde in Canonica Iudæ, vbi legitur, quòd *cùm Michael Archangelus cum diabolo disputans*
Iud.v.9. *altercaretur de Mosis corpore, non est ausus inferre iudicium blasphemiæ, sed dixit: Imperet tibi Dominus.* Vnde dicit Glossa: Vbicunque, vel quandocunque hæc altercatio Angeli facta fuit cum diabolo sibi aduersanti blasphemiam dicere noluit, sed modestè eum sermone coërcuit, quãtò magis hominibus omnis blasphemia est cauenda?

Ioannes à Sancto Geminiano. 1300.

In Summa lib.1. cap.58. Mare est radiorum solis interemptiuum. Et hoc competit inuidiæ, quę radios, id est gratias datas à Deo impedire & intercipere conatur. Et ideo inuidi tandem ad æternas tenebras perducũtur. Vnde dicitur in epistola Iudæ: *Hi sunt fluctus feri maris, despumantes suas confusiones,* Iud.v.13. *sydera errantia, quibus procella tenebrarum conseruata est in æternum.*

Nicolaus Lyranus. 1320.

In epistolam Iudæ: *Iudas Iesu Christi seruus.*) Hic incipit epistola beati Iudæ Apostoli, quæ diuiditur in tres partes, &c.

Ioannes Bromiardus. 1380.

In Summa prædic. de Excommunicatione: De quibus Iudas: *Arbores autumnales infructuosæ, bis mor-*
Iud.v.12. *tuæ,* &c.

Laurentius Iustinianus. 1430.

In Solennitate omnium Sanctorum: Iudicabunt planè Sancti Angelos, de quibus per Iudam Apostolum dicitur: *Angelos verò, qui non seruauerunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in iudicium magni Dei, in vinculis æternis sub caligine seruauit.*

ARTICVLVS VIGESIMVS OCTAVVS.

IOANNIS EVANGELISTAE APOCALYPSIN VT CANONICAM SCRIPTVRAM VALERE AD ECCLESIASTICA DOGMATA CONFIRMANDA.

DVBITANT, AVT NEGANT.

Anno post natũ Christum.

160. *ERDON Apocalypsin quasi falsam reiecit.* Tertullianus de Præscriptionibus cap.51.

180. *Marcion spernit Ioannis Apocalypsin.* Tertullianus contra Marcionem lib.4. cap.5.

200. *Caius Apocalypsin Cerinthi hæretici esse affirmabat.* Eusebius lib.3.cap.28.

250. *Dionysius Alexandrinus etsi Apocalypsin pro diuino & Canonico libro agnoscit, tamen subdubitat an sit Ioannis Apostoli, vel alterius Ioannis.* Eusebius lib.7.cap.20.

300. *Alogi non admittunt Euangelium Ioannis, nec Apocalypsin.* Epiphanius, Ioannes Damascenus, & Nicetas de Alogis.

370. *Concilium Laodicenum, & Gregorius Nazianzenus,* in Catalogo sacrarum Scripturarum, *nullam mentionem faciunt Apocalypseos. Vnde Amphilochius,* in Iambis ad Seleucium de sacræ Scripturæ libris: *Apocalypsin,* inquit, *aliqui ijs inserunt: rursus longè plurimi adulterinam dicunt. Et D. Hieronymus,* epistola ad Dardanum, *testatur ita Græcos de Apocalypsi contra communem Latinorum consensum dubitare, vt id temporis Latinorum plerique de epistola ad Hebræos, contra cõmunem Græcorum sententiam dubitabant.*

1516. Erasmus Roterodamus, in fine Commentariorum in Apocal. *Testatur D. Hieronymus Apocalypsin ne sua quidem ætate fuisse receptam à Græcis. Adhæc quosdam eruditissimos viros totum hoc argumẽtum, ceu fictum, multis conuicijs infectatos fuisse, quasi nihil haberet Apostolicæ grauitatis, sed vulgatam tantùm rerum historiam figurarum inuolucris adumbratam. Verùm, vt de his interim nihil dicam, me mouerunt cùm aliæ coniecturæ: tum illa, quòd reuelationes scribens, tam solicitè nomen suum inculcat:* Ego Ioannes, ego Ioannes, *perinde ac si syngrapham scriberet, non librum.*

1520. Martinus Lutherus Præfatione in Apocalypsin prioris editionis: *Quæ ego in hoc libello desiderò non sunt vnius generis, vt nec Apostolicum, nec Propheticum esse putem. Initiò ac potissimum quidem, quòd Apostoli non occupentur circa visiones, sed claris atque apertis verbis vaticinentur: quemadmodum Petrus, & Paulus: Christus etiam in Euangelio facit. Nam Apostolici muneris est, clarè, & sine imaginibus, aut visionibus de Christo eiusq; rebus loqui. Neque vllus Propheta est in veteri Testamento, vt de nouo taceam, qui ita planè & per totum imaginibus & visionibus agat: vt hunc libellum apud me similem reputem quarto Esdræ. Neque vllo modo deprehendere possum, quòd à Spiritu sancto confectus sit. Sentiat de hoc libro quilibet quicquid ipsi spiritus suus ingerit: meus spiritus ad eum se accommodare nequit. Atque ea mihi causa sufficit, ne eum magni faciam, quòd in eo Christus neque docetur, neque agnoscitur.*

De abroganda Missa priuata: *Liber Apocalypsis veterum calculo non est plenæ auctoritatis in contentione.*

1530. *Zuinglius non ita multum Apocalypsi tribuit, & retulit non ad auctorem Apostolum, sed ad Ioannem, quem appellauit Theologum.* Bullingerus in Apocalypsin.

1540. Vitus Theodorus in Summarijs Bibliorum: *Epistolam Iacobi, & Reuelationes Ioannis dedita opera omisimus.*

1550. *Ioannes Caluinus de libro Apocalypseos sententiam rogatus, respondit se penitus ignorare quid velit tam obscurus scriptor, & quòd quis, qualisue fuerit non constet inter eruditos.* Ioannes Bodinus in Methodo hist.cap.7.

1560. Ioannes Brentius in Apologia confessionis VVirtembergensis capite de sacra Scriptura: *Dicturi de auctoritate sacræ Scripturæ, percurremus primùm omnium Apocryphos libros, qui habentur in vulgatâ Bibliorum editione, & quos Pontificij obtrudunt nobis pro verè Canonicis libris.* Postea inter eos recensens libros Iudith, Tobiæ, Sapientiæ, Sirach, Baruch, Machabæorũ, particulas Esther, particulas Danielis, Epistolam ad Hebræos, Iacobi, Iudæ, Petri secundam, & Apocalypsin, subiungit: *Habes veterum sententiam de libris Apocryphis, quorum nonnulli vocantur somnia, nonnulli fabulæ.*

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Dionysius Areopagita. 100.

Eccleſiaſt. Hierarchia cap.3. ponens vniuerſam ſanctæ Scripturæ partitionem, de Apocalypſi hæc fatur: Siue arcanam illam & myſticam viſionem dilecti diſcipuli, diuinâq; Domini Ieſu, & altiſſimâ Theologiam eis, qui Dij fieri merentur, exponit, eosq; per myſteria ſacra & diuina ſuſtollit, atque confirmat.

Apoc.1. De diuinis nominibus cap.2. *Hæc dicit qui eſt, qui erat, & qui venturus eſt omnipotens.*

Prochorus. 120.

In Hiſtoria Ioannis Apoſtoli cap.47. Priuſquam hæc facta fuerunt, Ioannes per ſeptẽ menſes circumiens ciuitates, vicos, & caſtella, euangelizãdo verbum, inſulam reliquit, in qua prius & Apocalypſim ſcripſerat ſuam, ſicut Deus illi reuelauerat.

Iuſtinus Martyr. 160.

Dialogo cum Tryphone: Quoniam apud nos vir quidam Ioannes, vnus ex duodecim Chriſti Apoſtolis, in reuelatione ſibi facta prophetauit, Chriſtianos mille annos peracturos eſſe.

Apoc.20 Iuſtinus Apocalypſin Ioannis Apoſtoli eſſe & credidit, & luculentiſſimè expoſuit. *Euſebius in Chronicis, & Hieronymus libro de Viris illuſtribus in Iuſtino.*

Melito Sardenſis. 170.

Melito Sardenſis ſcripſit de Apocalypſi Ioannis librum. *Euſebius Eccleſiaſt. hiſtoria lib.4.cap.25.*

Theophilus Antiochenus. 170.

Theophilus Antiochenus opuſculum edidit, cuius inſcriptio eſt: *Contra Hermogenis hæreſin*: in quo teſtimonijs ſumptis ex Apocalypſi Ioannis vtitur. *Euſebius lib.4.cap.23.*

Apollonius. 180.

Apollonius, *libro aduerſus hæreſin Cataphrygarum*, vtitur teſtimonijs ex Apocalypſi Ioannis deſumptis. *Euſebius lib.5.cap.17.*

Irenæus. 180.

Lib.1. cap.27. Nicolaitæ pleniſſimè per Apocalypſin Ioannis manifeſtãtur qui ſint, nullam differentiam eſſe docentes in mœchando, & idolothyton edere. Quapropter dixit de ijs ſermo: *Sed hoc habes, quòd odiſti opera Nicolaitarum, quæ & ego odi.*

Apoc. 2.

Lib.4.cap.37. Sed & Ioannes Domini diſcipulus in Apocalypſi ſalutarem & glorioſum regni eius videns aduentum: *Conuerſus ſum*, inquit, *videre vocem, quæ loquebatur mecum: & conuerſus, vidi ſeptem candelabra aurea*, &c.

Apoc.1.

Lib.4.cap.50. Si quis autem diligentius intendat his, quæ à Prophetis dicuntur de fine, & quæcumque Ioãnes diſcipulus Domini vidit in Apocalypſi, inueniet eaſdem plagas vniuerſaliter accipere gentes, quas tunc particulatim accepit AEgyptus.

Lib.5.cap.26. Manifeſtius adhuc etiam de nouiſſimo tempore, & de his, qui ſunt in eo decem regibus, in quos diuidetur, quod nunc regnat imperium, ſignificauit Ioannes Domini diſcipulus in Apocalypſi, ediſſerens quæ fuerint decem cornua, quæ à Daniele viſa ſunt, dicens ſic dictum ſibi eſſe: *Decem cornua, quæ vidiſti*, &c.

Apoc.19

Clemens Alexandrinus. 200.

Lib.6. Stromat. cap.5. Et licet hic in terris talis presbyter non fuerit prima ſede honoratus, ſedebit in quatuor & viginti thronis, vt dicit Ioannes in Apocalypſi.

Apoc. 4.

Lib.2. Pædagogi cap.12. Ex ſanctis lapidibus ſupernam Hieruſalem fuiſſe conſtructam accepimus: & duodecim portas cæleſtis ciuitatis lapidibus pretioſis aſſimulatas, ſuſcipiendam Apoſtolicæ Sedis gratiam ſignificare admittimus. Apoc.22

Origenes. 230.

Homilia 1. in Exodum: Mouet enim me in hac intentione, vt illud, quod Ioannes in Apocalypſi de populo hoc, qui Chriſto credidit, ſcribit. Dicit enim: *Quia ex tribu Ruben duodecim millia ſignati, ex tribu Simeon duodecim millia ſignati.* Apoc.7.

Homilia ſeptima in Exechielem: Scriptura docente didicimus, quia Sanctorum oratio ſit incenſum. Ait enim: *Incenſum orationes Sanctorum ſunt.* Apoc.3.

Libro 1. de Principijs: Vt autem vnam & eandem omnipotentiam Patris, & Filij eſſe cognoſcas, ſicut vnus atque idem eſt cum Patre Deus & Dominus, audi hoc modo Ioannem in Apocalypſi dicentem: *Hæc dicit Dominus Deus, qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt omnipotens.* Qui enim omnipotens, quis alius niſi Chriſtus? Apoc.1.

Dionyſius Alexandrinus. 260.

Aduerſus Nepotem de Apocalypſi Ioannis, apud Euſebium lib.7. cap.20. Ego librum ipſum nullo modo audeo abrogare, præſertim cùm adeò multi fratres eum tam magno æſtiment: ſed hanc mecum de eo opinionem concipio, longè abſtruſiorem eſſe in illo materiam, quàm mens mea facilè conſequi queat, & in ſingulis prope ſententijs ſenſum quendam myſterijs inuolutum, & valdè admirabilem delitеſcere planè exiſtimo. Et quamquam eum ipſe non intelligo, ſuſpicor tamen intellectum quendam reconditiorem verbis ipſis incluſum: atque iſtas res non propria ratione metior ac pondero: ſed fidei potius tribuo, & altiores diuinioresq; profectò arbitror, quàm quas ipſe vllo pacto cogitatione comprehendere valeam.

Pamphilus Martyr. 300.

Apologia pro Origene: Licet omnes reſurgant, & vnuſquiſque in ſuo ordine reſurgat, conſiderandum eſt tamen propter illum ſermonẽ Ioannis, quem in Reuelatione ſua dicit: *Beatus, qui habet partem in reſurrectione prima.* Apoc.20

Euſebius Cæſareenſis. 320.

In Chronicis de anno 96. Sub Domitiano Ioannes Euangeliſta & Theologus in Pathmos inſulam relegatus, Apocalypſin vidit, quam Irenæus interpretatur.

Eccleſiaſticæ hiſtoriæ libro tertio, capite decimonono, de confeſſis & manifeſtis Scripturæ libris: Inter iſta, ſi placet, Ioannis Apocalypſin conijciamus: de qua quid veteres ſtatuerint, aliud erit tempus exponendi. Atque hæc ſunt, quæ omnium aſſeueratione conſtanter approbantur.

Athanaſius. 340.

In Synopſi diuinæ Scripturæ: Hanc reuelationem ipſe Ioannes Euangeliſta & Theologus in Pathmo inſula dicta Dominica die vidit, iuſſuſq; conſcripſit.

Lib.5. de vnita ſubſtantia Trinitatis: Quem ignorando omnipotentem Deum teſtati eſtis, nos ipſum Patrem eſſe prædicamus: quia omnipotens Deus, qualis eſt ipſe in natura, talem genuit Filium, ſicut in Scripturis cautum inuenimus: *Qui eſt, & qui fuit,*

Apoc.1. *fuit, & qui venturus eſt omnipotens Deus.* Vides omnipotentem eſſe Dei Filium in natura, ſicut & Patrem?

Didymus Alexandrinus. 360.

In epiſtolam Iudæ: Iſti ſunt præſules hæreſeos Nicolaitarum, nullam ſpeciem impudentiæ derelinquentes: ſiue autem hæreſis ipſa eſt voluntate polluta, cuius ſit mentio in Apocalypſi per Iezabel, quæ ſuper fornicationem eſſe deſcribitur, ſeu altera contemplandum eſt.

Apoc. 2.

Ephræm Syrus. 360.

De apparitionibus crucis tempore iudicij: Tunc ſcindentur cæli, & reuelabitur Dominus dominantium, & Rex regum, & Princeps principum, & immaculatus, & terribilis atque glorioſus Deus noſter, veluti fulgur horribile, cum poteſtate & maieſtate multa, ſicut Ioannes prædicauit Theologus, dicens: *Ecce veniet cum nubibus cæli, & videbit eũ omnis oculus*, &c. Quo in ſtatu putas tunc anima inueniri optabit, vt ſuſtinere poſſit? Quando cælũ & terra in fugam vertentur, ſicut rurſus Theologus præſignauit, dicens: *Vidi ſolium candidum & magnum, & ſedentem ſuper illud, à cuius conſpectu fugit cælum & terra. Et locus non eſt inuentus illius.*

Apoc.1.

Apo.20.

Macarius AEgyptius. 370.

Homilia 30. Siquidem illic exprobrauit Dominus ei, qui non lauerat pedes illius. Et iterum alibi dicit: *Ecce ſto ad oſtium, & pulſo: ſi quis aperuerit mihi, intrabo ad illum.*

Apoc.3.

Gregorius Nazianzenus. 380.

Oratione 32. quæ eſt oratio in præſentia 150. Epiſcoporum habita: Nec enim mihi dubium eſt, quin alij Angeli aliarum Eccleſiarum præſides ac patroni ſint, quemadmodum in Apocalypſi Ioannes docet me.

Ap.2.&3

Oratione 35. quæ eſt oratio 1. de Filio, probans Filij diuinitatem ex ſacris literis: Chriſtus, *inquit*, Dei potentia, & ſapientia, ſplendor, character, imago, ſigillum: vt in his verbis: *Qui cùm ſit ſplendor gloriæ, & character ſubſtantiæ ipſius, & imago bonitatis.* Et alio loco: *Quem Pater ſignauit Deus, Dominus, Rex, Ens, omnipotens.* Et: *Qui erat, qui eſt, & qui venturus eſt, omnipotens ille.* Quæ perſpicuè de Filio dicuntur.

Heb.1.

Apoc.1.

Epiphanius. 380.

Hæreſi 51. Dicunt Alogi contra Apocalypſin hæc nugantes: Quid mihi prodeſt Apocalypſis Ioannis, quæ dicit mihi de Angelis & ſeptem tubis? Et non ſciunt, qui talia dicunt, quòd neceſſaria & vtilia huiuſmodi ſunt in prædicationis rectitudine. Quæ enim erant in Lege ac Prophetis obſcura, & in ænigmate dicta, ea Dominus diſpenſauit, vt per Spiritum ſanctum ad noſtram ſalutem ſeruo ipſius Ioanni reuelarentur: quæ illic obſcura erant, hic vt ſpiritualia ac manifeſta prædicans. Spiritualiter autem nobis eadem diſpenſauit, &c. Sermo in Apocalypſi propheticus eſt ex Spiritu ſancto ſecundùm veritatem, &c. Hæc dona verè & conſtanter in intelligentia & ſana mente Spiritus ſanctus recenſuit, ſanctiq; Prophetæ & Apoſtoli, inter quos etiam ſanctus Ioannes per Euangelium, epiſtolas, ac Apocalypſin ex eodem Spiritus ſancti dono impertiuit.

Ioannes Chryſoſtomus. 400.

Sermone de Natiuitate Ioannis Baptiſtæ: Hi ſunt, de quibus in Apocalypſi dictum eſt: *Qui veſtem ſuam non inquinauerunt*, id eſt, qui carnem ſuam inuiolatam cuſtodierunt. Et ideò cum Agno ambulant. Nam thus ſignificat orationes Sanctorum. Nam myrrha corporis conditura eſt, quæ ſunt operum bonorum geſta, quæ in poſtremò corpus & animam hominis cuſtodiunt. Dicitur enim in Apocalypſi: *Nam opera eorum comitabuntur eos.* Apoc.14

Nilus. 420.

De oratione cap.69. Angelus Dei præſto adeſt, qui ſolo verbo operationem aduerſarij ſiſtit, & mouet lumen mentis, vt ſine errore ac fallacia operetur, quod in Apocalypſi dicit B. Ioannes, *ferre Angelum thymiama, vt daret in oratione Sanctorum.* Exiſtimo eſſe gratiam Dei, quam ipſe per Angelum operatur.

Ioannes Caſſianus. 430.

Collat.4.cap.19. Ita inuenti in illo tepido ſtatu, qui deterrimus iudicatur, euomendos nos ex ore Domini, ſecundùm eius ſermonem nouerimus, ita dicentis: *Vtinam calidus eſſes, aut frigidus: nunc autem tepidus es, & incipiam te euomere.* Apoc.3.

Cyrillus Alexandrinus. 430.

De adoratione in ſpiritu & veritate libro 6. Atque Ioannes ille ſapiens, qui Apocalypſis libellum conſcripſit, qui Patrum iudicio comprobatus eſt, Sanctorum animas ſub Dei altari ſe conſpexiſſe apertè confirmat. Apoc. 6.

Libro 1. Theſauri cap.5. Quomodo non erit indoctus, qui tempus profuiſſe Filio audet dicere, per quem facta eſſe ſecula Paulus aſſerit? Et Euangelium: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum.* Et in Apocalypſi idem Ioannes: *Qui eſt, qui erat, & qui venturus eſt.* Venturus enim de Verbo dicitur, de quo etiam dicitur: *qui eſt, & qui erat.* Ioan. 1. Apoc.1.

Iſidorus Peluſiota. 440.

Lib.1. Epiſt.188. Si cælum inſtar libri conuoluitur, & aſtra cadunt, & Orion, & terra, & omnia, quæ ipſius complexu coërcentur, igne conflagrãt, cunctaq; nuda, & aperta magnæ illi Dominicæ præſentia diei præparantur, ecquid ipſe incuria laboras? Apoc. 6. 2 Pet. 3 Heb. 4.

Andreas Cæſareenſis. 500.

In Apocalypſin paulo poſt principiũ: De libri huius fide & auctoritate prolixè hoc loco differere ſuperuacaneum arbitramur. Conſtat namque beatos illos viros Patres noſtros, Gregorium Theologum, Cyrillum Alexandrinum, multoſq; his vetuſtiores, Papiam, & Irenæum, Methodium, & Hippolytum, diuinum, fideq; dignum eſſe, non vno in loco tradere. E quorum monumentis nos occaſione accepta, ad hoc conſilium venimus, ſicuti multas quoque ſententias ex eorundem ſcriptis mutuauimus, hisq́ue noſtris ſcriptis inſeruimus.

Procopius Gazæus. 530.

Ad caput 47. Eſaiæ: Nam quod primo antiquius eſt, illud etiam fine carere cõſequitur: cùm quod interitum non habuit, extremo priuari etiam neceſſe ſit, quod vt cæteri ſignificarent: *Ego primus, & ego vltimus*, interpretari maluerunt. Legitur verò de Vnigenito alicubi: *Ego ſum primus, & vltimus*: quod non obſcurè ſignificauit, cùm vixiſſe ſe, & fuiſſe mortuum adiecit. Apoc. 2.

Aretas Cæſareenſis. 560.

In Apocalypſin: Quidam veterum librum hunc alienum dicunt à dictione & lingua Ioannis dilecti, ipſum ad alium referentes. Sed non eſt ita. Siquidem Gregorius Theologus hunc inter germanos, & legitimos libros connumerauit: *Sicut me docet*, inquit, *Ioannis Apocalypſis.* Orat.32.

Leontius. 600.

De Sectis actione 2. Nouæ Scripturæ libri sunt sex: quorum duo quatuor Euangelistas cõtinent, &c. Quintus liber sunt epistolæ Pauli, sextus Ioannis Reuelatio.

Maximus. 640.

Ad caput 2. de diuinis nominibus Dionysij Areopagitæ, ad illa verba: *Hæc dicit, qui est, qui erat, & qui venturus est.*) Notandum est, quòd recipit Apocalypsin sancti Ioannis hic Dionysius. Illic enim habetur hic locus. Apoc.1.

Ioannes Damascenus. 730.

Orthodoxæ fidei libro quarto, capite 18. *Ioannis Euangelistæ Apocalypsin inter Canonicas Scripturas recenset.*

Synodus Nicæna Secunda. 790.

Act. 5. Benedictus Deus, qui per sanctum Apostolum dixit: *Ego sum α & ω.* Apoc.1. & 22.

Simeon Metaphrastes. 950.

In martyrio S. Antipæ: Tunc & Ecclesiæ fideiq; basis, & Christianæ veritatis fundamentum, atque æternæ diuinitatis pręco, Ioannes Apostolus præstantissimus, in Pathmum insulam relegatus est: vbi dum magnum Christi Martyrum cœtum ijs, quæ de septem Ecclesijs scripsit, confirmaret: *Antipas testis meus fidelis,* inquit, *qui occisus est apud vos, vbi satanas habitat.* Apoc. 2.

Suidas. 970.

In Lexico: Ioannes Apostolus & Euangelista cõposuit Euangelium centenarius. Ioannes Chrysostomus etiam eius epistolas tres, & Apocalypsin admittit.

Michael Glycas. 1100.

Parte 3. Annalium: Domitianus Ioannem Theologum cognomento in Pathmum insulam relegauit: vbi & Euangelicam historiam, & Reuelationem conscripsit.

Nicetas Choniates. 1200.

Libro 4. Orthodoxiæ, hæresi 23. Alogi Euangelium Ioannis non admittunt, imò ne Apocalypsin quidem: sed ea Cerinthi hæretici esse commenta aiunt.

Nicephorus Callistus. 1300.

Ecclesiasticæ historiæ lib. 2. c. 45. Ioannis Apocalypsin nouimus Ecclesiæ postremùm traditam. Alia præter hæc omnia illegitima sunt, & adulterina.

Ioannes Cantacuzenus. 1360.

Contra sectam Mahometicam, in argumento: Quapropter & Diuus Ioannes in Apocalypsi de lege & gente hac differẽs, vbi quasi per ænigmata perstringit, quæ vtriusque communia sunt, inquit: *Dicunt se Iudæos esse, & non sunt.* Apoc.2.

Gennadius Scholarius. 1450.

De fruitione Sanctorum sectione 7. Vt omne os contrarium dicens obstruatur, & obturetur, vnum, & solum testimonium addam, quod extremo loco reseruaui. Id autem est ex Ioannis Euangelistæ Apocalypsi, nec renuere potestis. Dicit enim: *Et cùm aperuisset sigillum quintum, vidi subtus altare animas interfectorum,* &c. Audistis tonitrui filium? Quis potiora, meliora, & veriora dicit? Hic, an Ephesius, & tota cohors eorum, qui ab œcumenica Synodo resilierunt, aut quicunque ex alijs velit contradicere? Vt ego sentio, Ioannes meliora dicit, quàm hic. Ille namque ex Domini pectore Theologiam accipiens, omnem creaturam eius viuificantibus aquis referfit: hi verò sua insciti & stupiditate permoti, tumultu, confusione, & hæresi orbem repleuerunt. Apoc. 6.

Zaga Zabo Abbas Aethiops. 1536.

In Confessione fidei Aethiopicæ: Quinque tantùm peccata mortalia annumeramus, id quidem ex vltimo Apocalypseos capite, vbi dicitur: *Foris autem canes, & venefici, & homicidæ, & idolis seruientes, & omnis qui amat & facit mendacium.* Apo. 22.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Fratres Galliæ. 170.

Epistola ad fratres Asiæ & Phrygiæ de Martyribus: Quamuis Martyrum constantia illæ gentes essent superatæ; tamen quia omnem humanam rationem exuissent, illorum amentia minimè fuit retardata repressa, sed acerba bilis, cùm Præsidis, tum populi, tamquam immanis belluæ, magis magisque incensa, sic vt Scriptura verè impleretur: *Impius adhuc impiè agat, & iustus iustificetur adhuc.* Extat apud Eusebium. Apo. 22.

Tertullianus. 200.

De corona militis cap. 15. Serua Deo rem suam inattaminatam. Ille eam, si volet, coronabit. Imò & vult. Denique inuitat: *Qui vicerit,* inquit, *dabo ei coronam vitæ. Esto & tu fidelis ad mortem.* Decerta & tu bonum agonem, cuius coronam & Apostolus repositam sibi meritò confidit. Accipit & Angelus victoriæ coronam, procedens in candido equo, vt vinceret. Apo.2.

De Præscriptionibus aduersus hæreticos cap. 33. Ioannes in Apocalypsi idolothyta edentes, & stupra committentes iubetur castigare: Sunt & nunc alij Nicolaitę, Caiana hæresis dicitur, &c. Apo.2.

Cap. 46. Satis est nobis, quòd totam istam hæresin Nicolaitarum Apocalypsis Domini grauissima sententiæ auctoritate damnauit, dicendo: *Quia hoc tenes, odisti doctrinam Nicolaitarum, quam & ego odi.* Apo.2.

Aduersus Marcionem lib. 3. cap. 13. Nam & Apostolus Ioannes in Apocalypsi, ensem describit ex ore Dei prodeuntem bis acutum, præacutũ, quem intelligi oportet sermonem diuinum, bis acutum duobus Testamentis, Legis & Euangelij, acutum sapientia, infestum diabolo, armantem nos aduersus hostes spirituales nequitiæ & concupiscentiæ omnis, amputantem etiam à charissimis ob Dei nomen. Ap.1.& 19.

Lib. 4. cap. 5. Habemus & Ioannis alumnas Ecclesias. Nam etsi Apocalypsin eius Marcion respuit: ordo tamen Episcoporum ad originem recensus, in Ioannem stabit auctorem. Ap.2.&3.

Cyprianus. 250.

Epist. 63. Aquas namque populos significare in Apocalypsi Scriptura diuina declarat, dicens: *Aquæ, quas vidisti, super quas sedet meretrix illa, populi, & turbæ, & gentes Ethnicorum sunt, & linguæ.* Li.2.ep.3. Apoc. 7.

De exhortatione Martyrum, cap. octauo: Et in Apocalypsi eadem loquitur diuinæ prædicationis hortatio dicens: *Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam.* Apoc.3.

De disciplina & habitu Virginum: Sic in Scripturis sanctis, quibus nos instrui Dominus voluit, & moneri, describitur ciuitas meretrix, compta pulchrius & ornata. *Et venit,* inquit, *vnus ex septem*

Angelis habentibus phialas septem, & aggressus est ante me dicens: Veni, ostendam tibi damnationem meretricis magnæ, &c.

Zeno Veronensis. 260.

Sermone de somnio Iacob: Hanc scalam in Apocalypsi Ioannes bis acutum gladium, cum vno capulo nuncupauit, quem ex ore Domini prodire describit. Apoc.1.

Victorinus Pictauiensis. 270.

Commentario in Apocalypsin: Oportet autem te iterum prophetare populis, & linguis, & nationibus: hoc est: quoniam quando hoc vidit Ioannes, erat in insula Pathmos, in metallum damnatus à Domitiano Cęsare. Ibi ergo vidit Apocalypsin: & cùm senior iam putaret se per passionem accepturum receptionem, interfecto Domitiano, omnia iudicia eius soluta sunt, & Ioannes de metallo demissus: sic postea tradidit hanc eandem, quam acceperat à Domino Apocalypsin. Apoc.21.

Iulius Firmicius Maternus. 350.

De errore profanarum religionum cap. 20. Secretiora pandantur arcana. In Apocalypsi, id est, reuelatione, quis sit spõsus inueniemus. Ita enim scriptum est: *Veni, ostendam tibi nouam nuptam, vxorem Agni. Et duxit me in spiritu in montem magnum, & ostendit mihi ciuitatem magnam Hierusalem, descendentem de cælo.*

Hilarius Pictauiensis. 350.

Prologo in Psalm. Nequaquam Psalmorum librum, nisi per fidem adiuentus eius posse intelligi, ita beati Ioannis Apocalypsi docemur: Et Angelo Philadelphiæ Ecclesię scribe: *Hæc dicit sanctus & verus, qui habet claues Dauid, qui aperit, & nemo claudit; qui claudit, & nemo aperit.* Apoc 3.

In Psalm. 2. Esse autem huius infernæ regionis, vastæque abyssi incolas plures beati Ioãnis Apocalypsi docemur, cùm *nullus neque in cælo, neque super terram, neque infra terram obsignatum librum dignus repertus est aperire.* Apoc.5.

Victorinus Afer. 360.

Libro 3. aduersus Arium: Sic per Spiritũ sanctum locutus est Paulus ad Romanos: *Deus autem pacis conteret Satanam sub pedibus vestris velociter.* Et in Apocalypsi ipse dixit: *Et habeo claues mortis & inferni.* Apoc.1.

Ambrosius. 370.

Ad Psalm. 41. Et ideò fortassis Ioanni Euangelistæ cælum apertum, & albus equus demonstratur, super quem sedebat, habens in capite diadema, & in fœmore suo scriptum nomen: *Rex Regum, & Dominus dominantium.* Apoc. 7. Apoc.19.

Libro 1. de Pœnitentia cap. 9. Quomodo Ioannes diceret non orandum pro peccato, quod esset ad mortẽ, qui in Apocalypsi scripsit, mãdatum Angelo in Ecclesia Pergami: *Habes illic tenentes doctrinam Balaam, & tenentes doctrinam Nicolaitarum, similiter age pœnitentiam?* Apoc. 2.

Pacianus. 370.

Epistola 1. contra Nouatianos: Deus dicit: *Malo pœnitentiam, quàm mortem peccatorum.* Quòd si adiecissem illud Esaiæ: *Cùm conuersus ingemueris, tunc saluaberis?* Quòd si id Apocalypseos: *Memento vnde excideris, & age pœnitentiam, & opera priora fac?* Apoc. 2.

Philastrius. 380.

De hæresibus cap. 13. Post hos sunt hæretici, qui Ioannis Euangelion & Apocalypsin reijciunt, & cùm non intelligant virtutem Scripturæ, nec desiderant discere, in hæresi permanent pereuntes, vt etiam Cerinthi hæretici esse audeant dicere. Et Apocalypsin itidem non beati Ioannis Euangelistæ & Apostoli, sed Cerinthi hæretici, qui tunc ab Apostolis beatis hæreticus manifestatus, abiectus est ab Ecclesia.

Prudentius. 380.

Hymno 6. ante somnum:

Euangelista sanctus Apoc.1.
Fidissimus magistri,
Signata quæ latebant
Nebulis videt remotis:
Ipsum Tonantis Agnum
De cæde purpurantem,
Qui conscium futuri
Librum resignat vnus:
Huius manum potentem
Gladius perarmat anceps,
Et fulgurans vtrinque
Duplicem minatur ictum.

Hieronymus. 390.

De illustribus Ecclesiæ Scriptoribus cap. 9. Quarto decimo anno secundam post Neronem persecutionem mouente Domitiano, in Pathmon insulam Ioannes Apostolus relegatus, scripsit Apocalypsin, quam interpretatur Iustinus Martyr, & Irenæus.

Lib. 1. aduersus Iouinianum cap. 14. Ioannes Apostolus vidit in Pathmos insula, in qua fuerat à Domitiano principe relegatus, Apocalypsin, infinita futurorum mysteria continentem.

Epist. 129. Nos Apocalypsin Ioannis suscipimus, nequaquam huius temporis cõsuetudinem, sed veterum scriptorum auctoritatem sequentes, qui plerunque huius vtuntur testimonijs, non vt interdum de Apocryphis facere solent: quippe qui & gentilium non rarò vtuntur exemplis, sed quasi Canonicis & Ecclesiasticis.

Quintus Iulius Hilarion. 390.

Libro de duratione mundi: Et plagæ illę descriptæ in Apocalypsi aduenient, & partibus subinde cędit hic mundus.

Ruffinus. 390.

In Symbolum Apostolorum: Sicut lux de luce, & veritas de veritate; ita de omnipotente omnipotens natus est, vt in Apocalypsi Ioannis de Seraphim scriptum est: *Et requiem non habent die ac nocte, dicentes: Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth, qui est, qui erat, & qui venturus est omnipotens.* Apoc 4.

Concilium Carthaginense Tertium. 395.

Cap 47. *recensens Canonicos Scripturæ libros, inter eos Ioannis Apocalypsin numerat.*

Augustinus. 400.

De sancta Virginitate cap. 27. Sic enim vos vidit in Apocalypsi quidam præ cęteris dilectus Agno, qui discumbere super pectus eius solitus erat, & biberat, & eructabat mirabilia supercælestia Dei Verbum. Ipse vos vidit duodecies centena millia sanctorum cytharædorum illibatæ virginitatis in corpore, inuiolatæ virginitatis in corde: & quia sequimini Agnum quocunque ierit, scripsit ille de vobis. Quò ire putamus hunc Agnum, quò eum nemo sequi vel audeat, vel valeat, nisi vos? Apoc.14.

Sermo. 181. de Tempore cap. 14. Miror quosdam sic obstinatos esse, vt dandam non putent lapsis pœnitentiam, aut lapsis existiment veniam denegandam, cùm scriptum sit: *Memento vnde exciderit, & age pœnitentiam, & fac priora opera.* Vtique ei dicitur, quem constat excidisse. Apoc. 2.

Tractatu 36. in Ioannem: Et apud Ezechielẽ Prophetam, & in Apocalypsi ipsius Ioannis, cuius est hoc Euangelium, commemoratur animal quadrupes, habens quatuor personas, hominis, vituli, leonis, aquilę. Ezech. 1. Apoc. 4

Innocentius Primus. 406.

Epistola ad Exuperium cap.7. *enumerans Scripturas Canonicas, inter eas Ioannis Apocalypsin recenset.*

Seuerus Sulpitius. 410.

Libro 2. sacræ historiæ: Domitianus Ioannem Euangelistam in Pathmon insulam relegauit: vbi ille arcanis sibi mysterijs reuelatis librum sacræ Apocalypsis (qui quidem à plerisque aut stultè aut impiè non recipitur) conscriptum edidit.

Idacius. 420.

Aduersus Varimadum Arianum: Si Trinitas non est, quare in Apocalypsi tertiò Spiritus sanctus Deus omnipotens, *qui est, qui erat, & qui venturus est,* dicitur? Apoc.1.

Philippus Presbyter. 430.

Lib.2. in Iob cap.19. Dicamus itaque de hoc numero, sicut in sacris literis inuenimus. Ex persona itaque Dei Ioannes in Apocalypsi ait: *Et ecce aliquem missurus est diabolus ex vobis in carcere, vt tentemini, & habeatis tentationem diebus decem.* Apoc. 2.

Maximus Taurinensis. 430.

In solennitate S. Pentecostes: Necesse est partem ouium primus Agnus obtineat, & secuturo immaculato gregi locum dux immaculatus anticipet, sicut ait Ioannes in Apocalypsi, dicens: *Hi sunt quicunque sequuntur Agnum quocunque vadit.* Apoc.14.

Sixtus Tertius. 440.

De Castitate: Hoc etiam beati Ioannis testimonio euidentissimè comprobatur, dicens: *Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati.* Nam si inquinatio immunditia caret, poterunt & hi immundi videri, Scriptura quos inquinatos esse commemorat. Apoc.13.

Leo Magnus. 450.

Epist.53. cap.5. A quibus volo te prorsus abstineas, memorq; sis eius sententiæ, quæ dicit: *Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam.* Apoc.3.

Prosper. 460.

De promissionibus parte 1. cap.38. Hos etiam Apocalypsis Ioannis Apostoli designat, dicens: *Vidi turbam multam, quam dinumerare nullus hominum poterat, ex omni tribu, populo, & lingua.* Apoc. 7.

Parte 2. cap.12. Admonetur Ioannes Apostolus in Apocalypsi scribere Angelo, id est, rectori Ecclesiæ Pergami, quòd in plebe eius essent tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balac mittere scandalum sub oculis filiorum Israel, edere de sacrificio, & fornicari. Apoc. 2.

Cæsarius Arelatensis. 470.

Homil.5. de Pascha: Per aquas enim populos significari sacris aperitur eloquijs, sicut legimus: *Aquæ istæ, quas vidisti, populus sunt, & gentes, & lingua.* Apoc.17.

Saluianus Massilienſis. 480.

De Prouidentia Dei lib.4. Vnde etiam Saluator in Apocalypsi ad tepidum Christianum ait: *Vtinam aut calidus esses, aut frigidus: nunc autem quia tepidus es, incipiam te euomere ex ore meo.* Omnem Christianum Dominus fide ac spiritu iubet esse feruentẽ. Apoc.3.

Gelasius. 490.

Epistola 5. Sicut de quibusdam in Apocalypsi legimus, veluti vna ranarum imprudenter immersus, inqúe illa fæce horribiliter volutatus.

In Decretis, texens Catalogum sacrarum literarum: Item Apocalypsis Ioannis liber vnus.

Fulgentius. 500.

Lib.1. ad Monimum cap.27. Non ergo iniqui prædestinati sunt ad mortem animæ primã, sed prædestinati sunt ad secundam, id est, ad stagnũ ignis & sulphuris: de quo B. Ioãnes dicit: *Et diabolus, qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis & sulphuris.* Et alio loco: *Et mors, & infernus missi sunt in stagnum ignis.* Hęc mors secunda est stagnum ignis. Rursus dicit: *Dubijs autem & infidelibus, contaminatis & homicidis, pars eorum in stagno ardenti & sulphure, quod est mors secunda.* Apoc.21.

Libro 2. ad Thrasimundum Regem cap.18. Hanc veritatem corporis Christi, de cælo venturi, Ioannes quoque confirmat, dicens: *Ecce veniet cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum compunxerunt.* Apoc.6.

Alcimus Auitus. 500.

De consolatoria castitatis laude ad sororem, recen sens sacrę Scripturæ libros:

Quod Petrus docet, & Iudas, Iacobus & ipse,
Et quæ diuini quondam secreta parentis
Vidit Ioannes, nobis incognita scripsit:
Hæc tu cuncta tenens animo sitiente bibisti.

Cassiodorus. 540.

Ad Psalm.96. Bonus Angelus adorat Dominum: quia recto corde suum agnoscit auctorem, nec ab hominibus adorari permittit: sicut in Apocalypsi Angelus Ioanni procidenti ad pedes suos dicit: *Vide ne feceris, conseruus tuus sum.*

Iustus Orgelitanus. 540.

Ad illa verba Canticorum: *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Dicit in Apocalypsi ipse Dominus: *Ego sto ad ostium, & pulso. Si quis aperuerit mihi, introibo cum ipso, & ipse mecum.* Apoc.3.

Primasius. 540.

Præfatione in Apocal. Tuis vir illustris & religiose Castor acquiescens, sic librum Apocalypsis beati Ioannis multis mysterijs opacatum, in adiutorio Domini nostri Iesu Christi suscepi exponendum.

Iornandes. 550.

Lib.1. Domitianus postquam Ioannem Apostolum & Euangelistam in feruenti oleo missum non potuisset extinguere, in Pathmos eum insulam relegauit, vbi Apocalypsin vidit.

Pelagius Secundus. 579.

Epistola 1. ad illegitimam synodum Constantinopolitanam: Et in Apocalypsi Dominus per Ioannem loquitur, dicens: *Nolite timere, ego sum primus & nouissimus, & viuus: & fui mortuus, & ecce sum viuens in secula seculorum.* Apoc.1.

Gregorius Magnus. 590.

Lib.1. Moralium cap.4. Aliter loquuntur Angeli ad Deũ, sicut & per Ioannis Apocalypsin dicunt: *Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem, & diuinitatem, & sapientiam,* &c. Aliter Deus ad Sanctorum animas, aliter Sanctorum animæ loquuntur ad Deum. Vnde & in Apocalypsi Ioannis rursum dicitur: *Vidi subter altare animas interfectorum propter verbum Dei, & propter testimonium, quod habebant,* &c. Apoc.5. Apoc.6.

Lib.4. Dialog. cap.42. Et Ioannis vox in æstimatione ista concordat, qui cùm signatum illum librum septem sigillis vidisse se diceret, *quia nemo inuentus est dignus, neque in cælo, neque in terra, neque subtus terram aperire librum, & soluere signacula eius, adiunxit, & ego flebam multum.* Apoc.5.

Isidorus Hispalensis. 620.

Lib.6. Etymolog. cap.2. Apocalypsin librum Ioannes scripsit eo tempore, quo ob Euangelij prædicationem in insula Pathmos traditur relegatus.

Concilium Toletanum Quartum. 640.

Cap.16. Apocalypsin librum multorum conciliorum auctoritas, & synodica sanctorum Præsulum Romanorum decreta Ioannis Euangelistę esse præscribunt, & inter diuinos libros recipiendum constituerũt. Et quia plurimi sunt, qui eius auctoritatem non recipiunt, eumqúe in Ecclesia Dei prædicare contemnũt, si quis eum deinceps non receperit, aut à Pascha vsque ad Pentecosten

Missarum tempore in Ecclesia non prædicauerit, excommunicationis sententiam habebit.

Eligius. 640.

Homil.8. Et in Apocalypsi Ioannes Apostolus: *Qui dilexit nos,* inquit, *& lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo.* Apoc.1.

Hildephonsus Toletanus. 660.

De virginitate S. Mariæ cap. 10. Hæc Ioannes astruit, cùm animalia cæli narrat requiem nõ habere, dicentia eundem ipsum cęlestis gloriæ hymnum. Hæc idem assignat, cùm dicit: *Vidi, & audiui vocem Angelorum multorum in circuitu Throni, & animalium, & seniorum: & erat numerus eorum millia millium, dicentium voce magna: Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem, & diuinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem.* Apoc. 4. Apoc. 5.

Aldhelmus. 680.

De laudibus Virginitatis cap.3. Ob hoc etiam reor, quòd sacer Dominici pectoris accubitor, & quartus paradisi gurges, qui potissimum septenas Ecclesias Asiæ inexhaustis dogmatum imbribus irrigauit, &c. in Pathmon relegatus, septies vicena & quaterna virginum dulcisonis melodię concentibus canticum rude canentia, raptus in ornate, extus eos auscultare, & castis obtutibus cõtemplari meruit, de quibus dictum: *Virgines enim sunt, & sequuntur Agnum quocunque ierit.* Apoc.14.

Beda. 700.

Prologo in Apocalypsin: Apocalypsis S. Ioannis, in qua bella & incendia intestina Ecclesiæ suæ Deus verbis figurisqúe reuelare dignatus est, septẽ mihi esse videtur diuisa periochis; in quarum prima, &c.

Epigrammate de beato Ioanne, & eius Apocalypsi:

Exul ab humano dum pellitur orbe Ioannes,
Et vetitus Coici est cernere regna soli,
Intrat ouans cæli Domino dilectus in aulam,
Regis & altithroni gaudet adesse choris.
Hic vbi subiectum sacra lumina vertit in orbem,
Currere fluctiuagas cernit vbique rates:
Et Babel, & Solymam mixtis confligere castris:
Hinc atque hinc vicibus tela, fugamq; capi:
Sed mitem sequitur miles qui candidus Agnum,
Cum duce præcipitat regna beata poli.
Squammeus est anguis, per tartara cæca maniplos
Submergit flammis peste fameq; suos.

Zacharias Papa. 740.

Epistola 11. Conforta eos, vt nobis sint adiutores contra aduersarios orthodoxæ fidei: quatenus & ipsi de fructu boni operis gaudere mereantur in cælestibus, sicut scriptum est: *Qui vicerit, faciam illum columbam in templo meo, & scribam super illum nomen meum.* Apoc.9.

Alcuinus. 750.

De diuinis Officijs cap.39. *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth.*) Istæ sunt voces Angelorum laudantium in cęlis. Hunc hymnum gloriæ Dei & Esaias audisse se testatur, & Ioannes in Apocalypsi. Ergo non humano arbitrio, sed vtriusque Scripturæ auctoritate coniuncta dicimus, ter *Sanctus*, & semel *Dominus.*

Ad caput 6. Ioannis: Quòd oculi Iesu dona Spiritus eius mysticè designent, testatur in Apocalypsi Ioannes, qui figuratè de illo loquens: *Et vidi,* inquit, *Agnum stantem,* &c. Apoc. 5

Ambrosius Ansbertus. 760.

In Apocalypsin Ioannis paulò ante finem: Quàm magnæ sunt auctoritatis, quæ in hac historia narrantur, hinc liquidò colligitur, quòd is, qui se cito venturum annuntiat, id est, Dominus Iesus Christus, testimonium perhibere probatur. Vnde mirandum valde est, cur apud Orientales, secundùm quorundam sententiam, de hoc libro dubitetur, ac nequaquam plenæ auctoritatis putetur: maximè cùm & fidelis historię scriptor Ioannes retineatur, & locus, in quo visa fuerit, à quo & per quẽ missa, à quo & per quẽ reuelata, cuiusq; testimonio roborata, apertissimè declaretur.

Concilium Foroiulienſe. 800.

In Præfatione: Nam in Apocalypsi Ioannes Apostolus sub vnius libri appellatione de tota vtriusque Testamenti serie contestatus est, dicens: *Si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus omnes plagas scriptas in libro hoc. Et si quis diminuerit de verbis libri prophetiæ huius, auferet Deus partem illius de libro vitæ, & de ciuitate sancta.* Veruntamen sanctos Prædicatores Ecclesiæ hæc non percellit vltionis vindicta, quos ipsum nimirum Apocalypsis librum, & vnumquodq; capitulum Scripturarum multiplici disputationum stylo per singula exponendo, salubri explicuisse promulgatione laudamus, quosqúe pro his sempiternam credimus recepturos mercedem. Apoc.vlt.

Haymo. 820.

In Apocalypsin in Præfatione: Ioannes in Pathmo meruit videre hanc prophetiam de statu præsentis & futurę Ecclesię, quæ inter reliquos noui Testamenti libros prophetia nominatur, sicut in sequentibus dicitur: *Beatus qui legit verba prophetiæ huius.* Sed tanta distantia inter hanc prophetiam, & eam, quæ reuelata est ante aduentum Domini, quanta distantia est inter seruum & dominum, inter Legem & Euangelium, inter Deum & hominem: quia quod illi cernebãt à longè venturum, hoc iste iam ex parte maxima factum, & in præsenti faciendum ostendit, &c. Apoc.1.

Angelomus. 830.

Lib.3. Regum cap.7. Septenario numero Spiritus sancti solet gratia designari, Ioanne attestante in Apocalypsi, qui cùm vidisse se diceret Agnum habentem cornua septem, & oculos septem, mox exponendo subiunxit: *qui sunt septem Spiritus Dei missi in vniuersam terram.* Apoc 5

Rabanus Maurus. 850.

Libro 2 de institutione Cleri cap.54. Apocalypsin Ioannes Euangelista scripsit eodem tempore, quo ob Euangelij prædicationem in insulã Pathmos traditur relegatus.

Nicolaus Primus. 860.

Epistola 8. ad Michaelem Imperatorem: Quomodò non egeat quælibet Synodus Romanę sedis, quãdo in Ephesino latrocinio cunctis Præsulibus, & ipsis quoque Patriarchis prolabentibus, nisi magnus Leo, imitator scilicet illius Leonis, de quo scriptũ est: *Vicit Leo de tribu Iuda,* diuinitus excitatus fuisset? Apoc.15.

Smaragdus. 970.

In Prologo expositionis Regulæ D. Benedicti: Ecclesia cùm vna sit vniuersalis, id est, Catholica, à Ioanne in Apocalypsi septem scribuntur Ecclesiæ, propter vniformem Spiritus plenitudinem.

Ad caput 9. Regulæ S. Benedicti, recensens sacræ Scripturæ libros: Ioannis epistolæ tres, Iudæ vna, Actus Apostolorum, & Apocalypsis.

Bridefertus Ramesius. 980.

Ad caput 45. Bedæ de temporum ratione: Sed & idem Ioannes in Apocalypsi sua capite 12. vbi dicit: *Et mulier fugit in solitudinem, vbi habebat locum paratum à Deo, vt ibi pascant eam diebus 1260.* Et paulò pòst: *Et datæ sunt mulieri duæ alæ aquilæ magnæ, vt vo-*

laret in solitudinem, &c. Si huius versiculi expositionem te audire delectat, ad tractatum Haymonis recurre.

Radulphus Ardens. 1050.

In commemoratione defunctorum Sermone de Apocalypsi: *Beati mortui qui in Domino moriuntur*, &c. Hoc scribit Ioannes Apostolus & Euangelista, qui virgo est electus à Domino, & virgo in æuum permansit, qui & recubuit in Cœna super pectus Domini Iesu. Cuius scriptis tantò magis fides adhibenda est, quantò ipse cœlestia secreta de ipsius Dominici pectoris fonte cæteris profundius accepit, & scripsit.

Petrus Damianus. 1050.

Sermone 5. de Ioanne Euangelista: Hinc est, quòd mentem eius omnipotens Deus ad tantum puritatis ac mysticę reuelationis culmen euexit, vt ei non modò statum præsentis Ecclesiæ ostenderet, sed etiam quid deinceps futurum esset, vsque in perpetuum reuelaret. Vnde & illam suam nobilem Apocalypsin scripsit, quæ nimirũ tantis creditur redundare mysterijs, vt tot videatur habere sacramenta, quot verba: imò in verbis singulis multiplices latent intellectus. Quę profectò cùm septem Asię Ecclesijs mittitur, omni vniuersali Ecclesiæ, quæ sub septiformi Spiritus sancti magisterio regitur, destinatur. Vnde consequens est, vt omnes Ecclesiæ, per orbem terrarum circumfusæ, non dubitent, beatum Ioannem cõmunem se habere Doctorem. Quibus videlicet tanquam egregius quidam regalis imperij nuntius, à Iesu Christo, qui est testis fidelis, primogenitus viuorum & mortuorum, & princeps Regum terrę, cœlitus destinatus, *gratiam simul & pacem ab eo, qui est, & qui erat, & qui venturus est*, attulit, ac multa secreti cœlestis mysteria patefecit.

Apoc.14 Apoc.1.

Anselmus. 1080.

Ad caput 15. epist. ad Romanos: Ipse Iesus Christus in Apocalypsi Ioannis dicit: *Ego sum radix, & genus Dauid.*

Apoc.22.

Hildebertus Cennomanensis. 1100.

Epist. 36. Virginitas Angelicam redolens cõuersationem, cantat *canticum nouum, canticum felix, canticum quod nemo potest dicere præter eos, qui cum mulieribus non sunt coinquinati*, &c. Cum Christo fortiũtur vnam quodammodo coronam virgines Christi, quę solæ iuxta Ioannem *sequuntur Agnum quocunque ierit.*

Apoc.14

Rupertus Tuitiensis. 1120.

Ad caput vltimum Apocal. Vt caput siue principium, ita & finem libri huius voluit esse galeatum, quatenus munitum sit totum corpus reuelationum istarum: ne quis audeat quasi contemptibilem refutare, vel abijcere quippiam eorum, quæ in hoc libro scripta sunt.

Ego Iesus misi Angelum meum testificari vobis.) Ac si dicatur: Si huius libri auctoritatem quęritis, ego sum Iesus auctor & dator huius Apocalypsis. Nõ est Scriptura hęc à Ioanne, non est ab homine: neque enim ab homine accepit illam, aut didicit, sed me reuelante, qui sum Iesus, & mittente per Angelum meum: vt sicut omnes Scripturę diuinę auctoritatis, ita & scripta hæc testificentur, & recitentur vobis in Ecclesijs, atque in Canonico apice sint.

Bernardus. 1130.

De Epiphania Domini: Necesse est, vt qui perfectè terrena concupiscimus, flagrãti desiderio cœlestia requiramus. Sic enim offerimus & thuris odoramentum: quo nimirum, vt in Apocalypsi B. Ioannis legimus, significantur orationes Sanctorum.

Apoc.5.

Hugo Victorinus. 1130.

De Sacramentis libro 2. parte 16. cap. 1. Scriptura dicit: *Beati mortui, qui in Domino moriuntur, qui in carne quidem morientes, in Domino tamen viuentes inueniuntur.*

Apoc.14

Eruditionis didascalicæ lib. 4. c. 6. de auctoribus noui Testamenti: Apocalypsin scripsit Ioannes Apostolus, in Pathmos insulam relegatus.

Richardus Victorinus. 1140.

Præfatione in librum Apocal. Prophetia beati Ioannis, quæ in hoc libro continetur, quam ei mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus, ad illuminandam sanctam Ecclesiam reuelauit, tantò glorioſior & lucidior enitescit, quantò sublimiora & lucidiora de Christo & Ecclesia oracula describit. In hoc etenim est excellentior prophetijs, quòd de Christo & Ecclesia magna ex parte sacramenta adimpleta denuntiat: & sicut Euangelium Legis obseruantiam, sic ista prophetia excellit veteres à longè respicientes prophetias, quę ferè tot habet sacramenta, quot verba.

Arnoldus Abbas Bonævallis. 1160.

Tractatu de vltimis septem verbis Domini: In fronte nomen Tetragrammaton Pontifex gerit, quod vtique est super omne nomen, cui omne genu flectitur: de quo in Apocalypsi legitur Ioannis, quòd *cum Agno stabant supra montem Sion centum quadraginta quatuor millia, habentes nomen eius, & nomen Patris eius scriptum in frontibus suis.*

Apoc.14.

Godfridus Viterbiensis. 1170.

Parte 13 Chronicorum de Ioanne:

Regna Ioannis erant ipso viuente superna:
Apocalypsis eum docuit cœlestia regna,
Et patefecit ei singula facta Dei.

Innocentius Tertius. 1200.

De vno Martyre Sermone 1. Ioannes quoque vidit Angelum ascendentem ab ortu solis, habentem signum Dei viui, & clamauit voce magna quatuor Angelis, quibus datũ fuit nocere terræ & mari, dicens: *Nolite nocere terræ & mari, neque arboribus: quoadusque signemus seruos Dei nostri in frontibus eorum.*

Apoc.17.

Dominica 2. Aduentus: Cùm venerit Filius hominis in sede maiestatis suæ, tunc Hierusalem, id est, Ecclesiam perfectè renouabit, sicut Ioannes in Apocalypsi testatur: *Vidi sanctam ciuitatem Hierusalem*, &c.

Apoc.21.

Iacobus Vitriacus. 1220.

In die Natalis Domini: Hęc est mulier illa, amicta sole, quam in Apocalypsi vidit Ioannes, architecta & protecta propitiatorio.

Apoc.12.

Antonius Paduanus. 1230.

Dominica 1. in Quadragesima Sermone 3. Hunc ducem vidit Ioannes in Apocalypsi: *Vidi, & ecce equus albus.*

Apoc. 6.

Albertus Magnus. 1240.

Prologo in Apocalypsin: Tota Ecclesia recipit hũc librum, vt Ioannis Apostoli: & ideo hoc tenendum est pro constanti.

Bonauentura. 1260.

Ad caput 4. Lucæ: Sic & Ioannes in Apocalypsi: *Accepi librum de manu Angeli, & deuorani illum.*

Apoc.10.

Prologo in vitam D. Francisci: Ideo alterius amici Apostoli & Euangelistæ Ioannis vaticinatione veridica, sub similitudine Angeli ascendentis ab ortu solis, signum Dei viui habentis astruitur non immeritò designatus: sub apertione namque sigilli: *Vidi*, (ait Ioannes in Apocalypsi,) *alterum Angelum ascendentem ab ortu solis, habentem signum Dei viui.*

Apoc. 7.

Ioannes à Sancto Geminiano. 1310.

In Summa lib. 7. cap. 9. Corpus Christi sub Sacramento assimulatur illi libro, quem vidit Ioannes: *Vidi*

Apoc.5. nes: *Vidi*, inquit, *librum, qui erat scriptus intus & foris, signatum sigillis septem.*

Nicolaus Lyranus. 1320.

Præfatione in Apocalypsin: Beatus Ioannes in hoc libro prophetico describit tribulationes Ecclesiæ futuras à suo tempore vsque ad finem mundi, secundùm Catholicos Doctores, vt contra ipsas patientiæ clypeo necessariò muniamur: & sic patet necessitas huius libri.

Petrus Aliacus. 1400.

Sermone 2. de Festo omnium Sanctorum: Sicut ex lectione libri Apocalypsis hodie audire potuimus, beatus Euangelista Ioannes, tamquam regis cœlestis Secretarius, & diuinorum conscius arcanorum, beatorum spirituum gloriam sibi diuinitus reuelatã nobis familiarissimè reserauit: *Vidi*, inquit, *& audiui vocem Angelorum multorum in circuitu Throni.*

Apoc.5.

Thomas Waldensis. 1410.

Doctrinalis fidei libro 2. articulo 2. Ioannes non sine causa toti Ecclesię Apocalypsin describens, septem scribit Ecclesijs: *Ioannes*, inquit, *septem Ecclesijs*, &c.

Laurentius Iustinianus. 1430.

In ligno vitæ de virtute perseuerantiæ cap. 2. Plurimum ad perseuerantiam accedit promissio, quæ perseuerantibus fit: de qua per Ioannem in Apocalypsi dicitur: *Esto fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.*

Apoc.2.

De triumphali Christi agone cap. 19. Aqua munda anima fidelis & sancta est, baptismi depurata lauacro in verbo: aquarum verò collectio, populorum est aggregatio, sacro testante eloquio: *Aquæ multæ populi multi sunt.*

Apoc.17.

Thomas Malleolus. 1430.

Libro 4. de disciplina clausralium cap. 12. O quàm felix ista mortificatio, quæ mihi aperit ianuam æternæ vitæ? Beatus Ioannes Euangelista audiuit vocem dicentem sibi: *Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Amodò enim dicit spiritus, vt requiescant à laboribus suis.*

Apoc.14

Bernardinus Senensis. 1430.

Tomo 1. Sermone 26. Impœnitentiam eorum Ioannes Apocalyps. 9. clarè demonstrat, dicens: *Neque pœnitentiam egerunt de operibus manuum suarum.*

Ioannes Capistranus. 1440.

De Papæ & Ecclesiæ auctoritate fol. 28 b. Probatur auctoritate Ioannis Euangelistæ dicentis Apoc. 21. *Ego Ioannes vidi ciuitatem sanctam Hierusalem nouam descendentem de cælo*, &c.

ARTICVLVS VIGESIMVS NONVS.

SYMBOLVM CHRISTIANAE FIDEI AB APOSTOLIS ESSE CONSCRIPTVM.

NEGANT.

Anno post natũ Christũ 1200.

WALDENSES contemnunt Symbolum Apostolorum. Antoninus parte 4. tit 11. cap. 7. §. 2.

1520.

Erasmus Roterodamus in Præfatione ad Lectorem Paraphrasis Matthæi: *Librum hunc concinnare cupio, non ex humanis lacunis, sed ex fontibus Euangelicis, ex Apostolicis literis, & ex Symbolo: quod an ab Apostolis proditum sit nescio.*

1550.

Ioannes Caluinus lib. 2. Institut. cap. 16. §. 18. *Hactenus Symboli Apostolici ordinem secutus sum, &c. Apostolicum autem nuncupo, de auctore minimè solicitus, Apostolis certè magno veterum consensu ascribitur, siue quòd ab illis in commune scriptum ac editum existimabant, siue quòd compendium istud ex doctrina per eorum manus tradita bona fide collectum, tali elogio confirmandum censuerunt. Neque verò mihi dubium est, quin à prima statim Ecclesiæ origine, adeoq; ab ipso Apostolorum seculo, instar publicæ & omnium calculis receptæ confessionis obtinuerit, vndecunque tandem initio fuerit profectum. Quo intellecto, de auctore vel anxiè laborare, vel cum aliquo digladiari nihil attinet.*

1560.

Seruetiani in Transyluania non admittunt Symbolum Apostolorum, nisi cum hac exceptione, quatenus Verbo Dei consentit. Petrus Canisius Præfatione in librum de corruptelis Verbi Dei.

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Clemens Primus. 80.

Epistola 1. Christo itaque resurgente & ascendente in cælum, misso sancto Spiritu, collata Apostolis scientia linguarum, adhuc in vno positi, Symbolum, quod fidelis nunc tenet Ecclesia, vnusquisque quod sensit dicendo, condiderunt, vt discedentes ab inuicem, hanc regulam per omnes Gentes prædicarent. Summam ergo totius fidei Catholicæ recensentes, in qua & integritas credulitatis ostenditur, & vnius Dei omnipotentis (id est sanctę Trinitatis) æqualitas declaratur: & mysterium incarnationis Filij Dei, qui pro salute humani generis à Patre de cęlo descendens, de Virgine nasci dignatus est, quoque ordine, vel quando mortem pertulerit, quomodo sepultus surrexerit, & in carne ipsa cælos ascenderit, ad

dextram-

dextramqúe Patris conſederit, & inde ſit venturus, ac qualiter remiſſionẽ peccatorum ſacro Baptiſmate renatis cõtulerit, & reſurrectionem humani generis in eadem carne in vitam æternam futuram ſic docuerunt. Symbolum enim Græcè, Latinè collatio dicitur. Et hoc prædicti ſancti Apoſtoli inter ſe per Spiritum ſanctum ſalubriter condiderunt. Dicitur & indicium, quòd per hoc, qui rectè crediderit, indicatur. Ergo cunctis credentibus quæ continentur in præfato Symbolo, ſalus animarum & vita perpetua bonis actibus præparatur. Et quod in primordio eiuſdẽ Symboli prẽponitur: *Credo in Deum Patrem omnipotentem*, præclarum fidei teſtimonium & fundamentum in prima fronte monſtratur, quia ſaluus eſſe poterit, qui rectè crediderit.

Ignatius. 100.

Epiſtola ad Magneſianos: Plenam cognitionem de Chriſto habeatis, qui ante omnia ſecula natus ex Deo Patre, pòſt verò natus eſt ex Maria Virgine, ſine viri cõmercio, quique ſanctè vixit, omnemque morbum & imbecillitatem curauit, in populo ſigna & prodigia patrauit, & vnum verum Deum Patrem ſuum annuntiauit, qui paſſus eſt, & à Chriſticidis Iudæis ſub Pontio Pilato præſide, & rege Herode crucẽ ſuſtinuit, mortuus eſt, & reſurrexit, aſcendit in cælos ad eum, à quo miſſus erat, ſedetque ad dextram ipſius, qui venturus & in fine ſeculorũ, vt iudicet viuos & mortuos, reddatque vnicuique ſecundùm opera ſua. Hæc qui plenè cognouerit, & crediderit, beatus eſt.

Irenæus. 180.

Lib. 1. cap. 2. Eccleſia per vniuerſum orbem vſque ad fines terræ ſeminata, & ab Apoſtolis & à diſcipulis eorum accepit eam fidem, quæ eſt in vnum Deum Patrem omnipotentem, qui fecit cælum & terram, mare, & omnia, quæ in eis ſunt: & in vnum Ieſum Chriſtum Filium Dei incarnatum pro noſtra ſalute: & in Spiritum ſanctum, qui per Prophetas prædicauit diſpoſitiones Dei & aduentum, & eam, quę eſt ex Virgine generationem, & paſſionem, & reſurrectionem à mortuis, & in carne ad cælos aſcenſionem dilecti Ieſu Chriſti Domini noſtri, & de cælis in gloria Patris aduentum eius.

Marcellus Ancyranus. 340.

Epiſtola ad Iulium Papam: Credo in Deũ omnipotentem, & in Ieſum Chriſtum Filium eius vnigenitum Dominum noſtrum, genitum ex Spiritu ſancto & Maria Virgine, crucifixum ſub Pontio Pilato, & ſepultum, & qui reſurrexit tertia die ex mortuis, & aſcendit ad cælos, & ſedet in dextera Patris, vnde veniet ad iudicandum viuos & mortuos: Et in Spiritum ſanctum, ſanctam Eccleſiam, remiſſionem peccatorũ, carnis reſurrectionem, & vitam æternam.

Fertur & apud Epiphanium hæreſi 72.

Ioannes Chryſoſtomus. 400.

Scripſit duas Homilias in Symbolum Apoſtolorum. Prima incipit: Vniuerſalis Eccleſia gaudet, & in vna regula charitatis Chriſti, & in fide nominis Chriſti exultat, &c. Ergo audite hanc, vt dixi, regulam veſtræ confeſſionis: *Credo in Deum Patrem omnipotentem.* Videte qui, cui, & quid loquamini. Dixiſtis: *Credo*, &c.

Secunda Homilia incipit: Super fabricam totius Eccleſiæ nihil aliud fundamenti ponunt ſapientes Architecti, niſi Ieſum Chriſtum, &c.

Ioannes Caſsianus. 430.

De Verbi Incarnatione libro 6. cap. 3. Symbolum, vt ſcis, ex collatione nomen accepit. Quod enim Græcè σύμβολον dicitur, Latinè collatio nominatur. Collatio autem ideò, quia in vnum collata ab Apoſtolis Domini totius Catholicæ legis fide, quicquid per diuerſum diuinorum voluminum corpus immenſa funditur copia, totum in Symboli colligitur breuitate perfecta.

Capite 4. Sicut immenſam illam Scripturarum ſacrarum copiam Deus per Patriarchas & Prophetas maximè ſuos condidit: ita Symbolum per Apoſtolos ſuos ſacerdotesque conſtituit. Et quicquid illic per ſuos larga ac redundanti copia dilatauit, idem hìc per ſuos pleniſſima breuitate concluſit.

Dauid Rex Æthiopiæ. 1554.

Epiſtola ad Pontificem Romanum: Vnam fidem rectam, & vnam Eccleſiam confiteor, credoq; ſyncerisſimè in ſanctam Trinitatem, & in vnum Deũ, & virginitatem Dominæ noſtræ Virginis Mariæ, & articulos fidei teneo & obſeruo, vti ab Apoſtolis ſcripti fuerunt.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Tertullianus. 200.

De velandis Virginibus cap. 1. Regula quidem fidei vna omninò eſt, ſola immobilis, & irreformabilis, credendi ſcilicet in vnum Deum omnipotentem, mundi conditorem: & Filium eius Ieſum Chriſtum, natum ex Virgine Maria, crucifixum ſub Pontio Pilato, tertio die reſuſcitatum à mortuis, receptum in cælis, ſedentem nunc ad dexteram Patris, venturum iudicare viuos & mortuos, per carnis etiam reſurrectionem. Hac lege fidei manente, cætera iam diſciplinæ & conuerſationis admittunt nouitatem correctionis, operante ſcilicet & proficiente vſque in finem gratia Dei.

Nouatianus. 250.

De Trinitate cap. 1. Regula exigit veritatis, vt primò omnium credamus in Deum Patrem & Dominum omnipotentem, &c.

Cap. 29. Eadem regula veritatis docet nos, credere poſt Patrem etiam in Filium Dei, Chriſtum Ieſum Dominum noſtrum, &c.

Cap. 29. Sed etiam ordo rationis & fidei auctoritas, digeſtis vocibus, & literis Domini admonet nos poſt hæc credere etiam in Spiritum ſanctum, olim Eccleſiæ repromiſſum, ſed ſtatutis temporum opportunitatibus redditum.

Ambroſius. 370.

Epiſt. 81. ad Syricium Papam: Credatur Symbolo Apoſtolorum, quod Eccleſia Romana intemerata ſemper cuſtodit & ſeruat.

Sermone 38. Arbitror Apoſtolicam fidem duodecim artificum operatione conflatam. Duodecim enim Apoſtolorum Symbolo fides ſancta cõcepta eſt, qui velut periti artifices in vnum conuenientes, clauẽ ſuo concilio conflauerunt. Clauem enim quandam ipſum Symbolum dixerim, per quod reſerãtur diaboli tenebræ, vt lux Chriſti aduenìat; aperiuntur conſcientię clauſa peccata, vt iuſtitiæ fulgeant opera manifeſta. Igitur hæc clauis oſtendenda eſt fratribus noſtris, vt & ipſi tamquam diſcipuli Petri inferna ſibi reſerare, cælos aperire confueſcant.

Lib. 3. de Virginibus: Symbolũ quoque ſpecialiter debemus, tanquam noſtri ſignaculum cordis, antelucanis horis quotidie recenſere. Quò etiã, cùm horremus aliquid, aſſiduè recurrendũ eſt. Quando enim ſine militię ſacramento miles in tentorio, bellator in prælio?

Hieronymus. 380.

Epiſtola 61. ad Pammachium, aduerſus errores Ioannis Hieroſolymitani cap. 9. In Symbolo fidei & ſpei noſtræ, quod ab Apoſtolis traditum non ſcribitur in charta & atramento, ſed in tabulis cordis carnalibus, poſt confeſſionem Trinitatis, & vnitatem Eccleſiæ, omne Chriſtiani dogmatis ſacramentum carnis reſurrectione concluditur.

Ruffinus. 390.

In expoſitione Symboli: Tradunt maiores noſtri, quòd poſt Aſcenſionem Domini, cùm per aduentum Spiritus ſancti ſuper ſingulos quoſque Apoſtolos igneæ linguæ ſedìſſent, vt loquelis diuerſis, varijsque loquerentur, per quod eis nulla gens extera, nulla linguæ barbaries inacceſſa videretur, & inuia; præceptum eis à Domino datum, ob prædicandum Dei verbum ad ſingulas quemque proficiſci nationes. Diſceſſuri itaque ab inuicem, normam prius futurę prædicationis in commune conſtituunt, ne fortè alius ab alio abducti, diuerſum aliquid his, qui ad fidem Chriſti inuitabantur, exponerent. Omnes ergo in vno poſiti, & Spiritu ſancto repleti, breue iſtud (vt diximus) futuræ ſibi prædicationis indicium, conferendo in vnum quod ſentiebat vnuſquiſque, componunt, atque hanc credentibus dandam eſſe regulam ſtatuunt. Symbolum autem hoc multis ac iuſtiſſimis ex cauſis appellare voluerunt: Symbolum enim Græcè indicium dici poteſt, & collatio, hoc eſt, quod plures in vnum conferunt. Id enim fecerunt Apoſtoli in his ſermonibus, in vnum conferendo, quod vnuſquiſque ſenſit. Indicium autem vel ſignum idcirco dicitur, quia illo tempore, ſicut & Paulus Apoſtolus dicit, & in Actis Apoſtolorum refertur, multi ex circumciſis Iudæis ſimulabant ſe eſſe Apoſtolos Chriſti, & lucri alicuius vel ventris gratia ad prædicandũ proficiſcebantur; nominantes quidem Chriſtum, ſed non integris traditionum lineis nuntiantes. Idcirco ergo iſtud indicium poſuêre, per quod agnoſceretur is, qui Chriſtum verè ſecundùm Apoſtolicas regulas prædicaret.

1. Cor. 11. Actor. 15.

Auguſtinus. 400.

Libro de Fide & Symbolo cap. 1. Eſt autem fides Catholica in Symbolo nota fidelibus, memoriæque mandata, quantum res paſſa eſt, breuitate ſermonis, vt incipientibus atque lactentibus eis, qui in Chriſto renati ſunt, & nondum Scripturarum diuinarum diligentiſſima & ſpiritali tractatione atque cognitione roboratis, paucis verbis credẽdum conſtitueretur, quod proficientibus, & ad diuinam doctrinam certa humilitatis & charitatis firmitate ſurgentibus, multis verbis exponendo eſſet perficiendum.

Sermone 119. de Tempore: Symbolum eſt breuiter complexa regula fidei, vt mentem inſtruat, nec oneret memoriam, paucis verbis dicatur, vnde multum acquiratur. *Credo in Deum Patrem omnipotentem.* Vide quàm citò dicitur, & quantum valet, &c.

Cæleſtinus. 425.

Epiſtola 5. ad Neſtorium: Inter multa, quæ à te impiè prædicata vniuerſalis recuſat Eccleſia, Symbolo ab Apoſtolis tradito plangimus hæc verba fuiſſe ſublata, &c.

Maximus Taurinenſis. 430.

Homilia de traditione Symboli, & expoſitione eiuſdẽ: Cùm apud Patres noſtros, ſicut liber Iudicum refert, quędam Iſraeliticæ tribus ciuili aduerſum ſe prælio decertarent, nec propter conſimilem vnius populi habitum inter bellantes poſſet eſſe diſcretio, tribus illa, cuius iuſtior erat cauſa pugnãdi, quia meritò per Dei auxilium victoriam prę-

Iudic. 20.

ſumebat, ſignum ſibi certo in ſermone conſtituit: vt quos vna armorum facies confundebat, ſecretioris verbi diſtingueret ſacramentum. Quod B. Apoſtoli (vt ego reor) exemplum ſequentes, Eccleſię Dei, quam aduerſus militiam diabolici furoris armabant, myſterium Symboli tradiderũt: vt quia ſub vno Chriſti nomine credentium erat futura diuerſitas, ſignaculum Symboli inter fideles perfidosque ſecerneret.

Sixtus Tertius. 432.

Epiſtola ad Cyrillum Alexandrinum: Iuuit animorum vota noſtrorum, qui videret Symbolo primo inter Apoſtolos tradito derogari.

Petrus Chryſologus. 440.

Sermone 61. in Symbolum Apoſtolorum: Audituri formam fidei, credulitatis normam, confeſſionis ordinem, parate ſimul corporis & cordis auditum. Sicut fons ore anguſto, magis magnis fluuiorum laticibus ampliatur; ſic fides Symboli breuiato ſermone credulitatis latiſſimos dat meatus.

Sermone 62. Suſcipite fidem, tenete ſpem, dicite Symbolum: vt ad rem, & ad illa bona, quæ prædiximus, valeatis peruenire.

Leo Primus. 450.

Sermone 11. de Paſſione Domini, Dominico die habito cap. 2. Hac fidei regula, quam in ipio exordio Symboli per auctoritatem Apoſtolicæ inſtitutionis accepimus, Dominum noſtrũ Ieſum Chriſtum, quem Filium Dei Patris omnipotentis vnicum dicimus; eundem quoq; de Spiritu ſancto natum ex Maria Virgine confitemur.

Sermone contra Eutychen cap. 1. Et ideo fraterna vos & paterna ſolicitudine commonemus, vt inimicos Catholicę fidei, hoſtes Eccleſię, Incarnationis Dominicæ negatores, & inſtituto à ſanctis Apoſtolis Symbolo repugnantes, in nullum recipiatis conſenſionis affectum.

Epiſtola 13. ad Pulcheriam Auguſtã: Ipſa Catholici Symboli breuis & perfecta confeſſio, quæ duodecim Apoſtolorum totidem eſt ſignata ſententijs, tam inſtructa ſit munitione cęleſti, vt omnes hæreticorum opiniones ſolo ipſius gladio poſſint detruncari. Cuius Symboli plenitudinem ſi Eutyches puro & ſimplici voluiſſet corde concipere, in nullo à decretis ſacratiſſimi Nicæni Concilij deuiaret, & hoc à ſanctis Patribus intelligeret conſtitutum, vt contra Apoſtolicam fidem, quæ non niſi vna eſt, nullum ſe ingenium, nullum eleuaret eloquium.

Vigilius Tridentinus. 480.

Lib. 4. contra Eutychen: Quidam peruerſæ mentis in Epiſtola Leonis hoc reprehendunt, quòd ait: Vniuerſitas profitetur ſe credere in Deum Patrem omnipotentem, & in Ieſum Chriſtum Filiũ eius, Dominum noſtrum. Huic capitulo ob id iſti calumniantur, cur non dixerit vnum Deũ Patrem, & in Ieſum Chriſtum Filium eius, iuxta Nicæni decretum concilij: ſed Romæ, & antequam Nicęna Synodus conueniret, à temporibus Apoſtolorum, vſque ad nunc, & ſub beatæ memoriæ Cęleſtino, cui iſte rectę fidei teſtimonium reddit, ita fidelibus Symbolum traditur, nec præiudicant verba, vbi ſenſus incolumis permanet.

Paſchaſius. 500.

De Spiritu ſancto, in Præfatione: Fides Catholica in vniuerſum mundum per Patriarchas, & Prophetas, & gratiæ diſpenſatores Spiritu ſancto inſinuante diffuſa eſt. Hanc Apoſtolica ſolicitudo atque perfectio, ſicut per ſanctas paginas dilatauerat, ita per Symboli ſalutare mira breuitate collegit, & tamquam per diuerſas remediorum ſpecies diſpoſuit in corpus vnum, ac velut ex innumeris aromatibus pretioſum confecit vnguentum: cuius

odor omnes fines terræ potentia fragrantiæ ſpiritualis impleuit, vt in ipſo vniuerſitatis aſſenſu virtus appareat vnitatis.

Fortunatus. 580.

Præfatione in Symbolum Apoſtolorum: Reſurgente Chriſto, & aſcendente in cælum, miſſo ſancto Spiritu, collata Apoſtolis ſcientia linguarum, adhuc in vno poſitis, inter ſe hoc Symbolum, vnuſquiſque quod ſenſit dicendo, condidêre, vt diſcedentes ab inuicem hanc regulam per omnes gentes æqualiter prædicarent. Denique Symbolum Græcè, Latinè collatio dicitur, quia hoc ipſi inter ſe per Spiritum ſanctum ſalubriter condiderunt.

Iſidorus Hiſpalenſis. 620.

Lib. 2. de Officijs cap. 23. Symbolum tali ratione inſtitutum maiores noſtri dixerunt: Tradunt enim his verbis, quòd poſt aſcenſionem Domini, cùm per aduentum Spiritus ſancti diſcipuli eius inflammati, linguis omnium gentium loquebantur, præceptum eſt eis à Domino datum ad prædicandum Dei verbum, ad ſingulas quaſque nationes adire. Diſceſſuri ab inuicem, normam prius ſibi futuræ prædicationis in commune conſtituunt, ne localiter ab inuicem diſcedentes, diuerſum aliquid vel diſſonum prædicarent his, qui ad fidem Chriſti inuitabantur. Omnes ergo in vno poſiti, & Spiritu ſancto repleti, breue ſibi prædicationis indicium, conferendo in vnum, quòd ſentiebant, componunt, atque hanc credentibus dandam eſſe regulam conſtituunt.

Manſuetus Mediolanenſis Epiſcopus. 680.

Epiſtola ad Conſtantinum Imperatorem: Quid enim breuius, quàm ſimplex fidei Symbolum ab Apoſtolis inſtitutũ, in quo myſticum Sacramẽti continetur arcanum?

Haymo. 820.

Lib. 2. in Eſaiam cap. 45. *Et conciliamini ſimul.)* De ſalute eorum hoc adimpletum, quando, antequam diuiderentur Apoſtoli per vniuerſum orbem, commune conſilium elegerunt, vt vnitatem annuntiarent, non diſſentientes ab inuicem. Tunc enim & Symbolum compoſuerunt de Trinitate & vnitate, de communione Eccleſiæ, & reſurrectione generali.

Amalarius Treuirenſis. 830.

De Eccleſiaſticis Officijs lib. 4. cap. 2. Poſt orationem Dominicam ſequitur credulitas, quam ſancti Apoſtoli conſtituerunt de fide ſanctæ Trinitatis, atque diſpẽſatione incarnationis Domini, ac ſtatu noſtræ Eccleſiæ.

Rabanus. 850.

Libro 2. de Inſtitutione Cleri cap. 56. Apoſtoli diſceſſuri ab inuicem, normam ſibi prius futuræ prædicationis in commune conſtituunt: ne localiter ab inuicem diſcedentes, diuerſum aliquid vel diſſonum prædicarent his, qui ad fidem Chriſti inuitabantur. Omnes ergo in vno poſiti, & Spiritu ſancto repleti, breue ſibi prædicationis indicium, conferendo in vnum quæ ſentiebant, componũt. Atque hanc credentibus dandam eſſe regulam ſtatuunt. Symbolum autem hoc multis & iuſtiſſimis de cauſis appellare voluerunt: σύμβολον enim Græcè & indicium dici poteſt, & collatio, hoc eſt, quod plures in vnum conferunt. Id enim fecerunt Apoſtoli in his ſermonibus, in vnum conferendo vnuſquiſque quod ſenſit. Indicium autem vel ſignum idcirco dicitur, quòd illo in tempore, ſicut Paulus Apoſtolus dicit, multi ſimulabant ſe eſſe Apoſtolos Chriſti, nominantes quidem Chriſtum, ſed non integris traditionum lineis nuntiantes. Idcirco ergo iſtud indicium poſuêre, per quod agnoſceretur is, qui Chriſtum verum ſecundùm Apoſtolicas literas prædicaret. Eſt autem Symbolum ſignum, per quod agnoſcitur Deus, quodque proinde credentes accipiunt, vt nouerint qualiter contra diabolum fidei certamina præparent: in quo quidem pauca ſunt verba, ſed omnia continentur ſacramenta. De totis enim Scripturis hæc breuiter collecta ſunt ab Apoſtolis, vt quoniam plures credentium literas neſciunt, vel qui ſciunt præ occupatione ſeculi Scripturas legere non poſſunt, hęc corde retinentes, habeant ſufficientem ſibi ſcientiam ſalutarem.

Smaragdus. 970.

Dominica poſt Pentecoſten: Poſt exorcizationem & exſufflationẽ Symboli ſequitur traditio: quod Græcè σύμβολον, Latinè indicium, vel ſignum, vel collatio interpretatur. Indicium, quia per illud indicatur fidei integritas: ſignum, quòd eo bene retento & intellecto, fideles ab infidelibus diſcernãtur: collatio, quia in eo Apoſtoli omnem fidei integritatem contulerunt. Quod autem omnes pari fidei ſynceritate corde retinebant, ore confeſſi ſunt, & ſinguli proprias ſententias conferentes, Symbolum, id eſt totius fidei collationem ediderunt.

Iuo Carnotenſis. 1100.

Sermone de Sacramentis Neophytorum: Traditur etiam nouæ vitæ auditoribus Symbolum fidei, quod per duodecim Apoſtolos ordinatum eſt, & totidem ſententijs comprehenſum.

Hugo Victorinus. 1130.

Eruditionũ Theologicæ tractatu 5. de Sacramento Baptiſmi cap. 13. Symbolum dicitur ſignum, vel collatio. Signum, quia eo fideles ab infidelibus diſtinguuntur: collatio, quia in eo Apoſtoli omnẽ fidei integritatem contulerunt. Diſceſſuri enim ab inuicem Symbolum, id eſt, totius fidei collationem ediderunt.

Innocentius Tertius. 1200.

Lib. 2. myſteriorum Miſſæ cap. 49. Symbolum Græcè, Latinè ſonat indicium vel collatio: cùm quia fidei plenam indicat regulam & perfectam rationem; tum quia ſimul in vnum continet articulos fidei. Traditur enim quòd poſtquam Apoſtoli ſanctum Paracletum acceperunt, cùm iam forent ad prædicandum Euangelium profecturi, conferentes in vnum ſuper articulis fidei, ſtatuerunt, vt ſicut omnes erant in vna fide concordes, ſic omnes vnam fidem concorditer prędicarent, & ideò Symbolum componentes, vnuſquiſque bolum, id eſt particulam vnam appoſuit.

Iacobus Vitriacus. 1220.

Dominica in Albis: Maiores non ſolùm fidem, ſed & fidei expoſitionem habere debent. Vnde Apoſtoli primò propter ſimplices Symbolum fidei ſimpliciter tradiderunt, quaſi rudes lapides in fundamento ponentes. Dicitur autem Symbolum Apoſtolorum, quia vnuſquiſque partem ſuam appoſuit. Petrus ait: *Credo in Deum Patrem omnipotentem,* &c.

Alexander Aleſius. 1230.

Parte 3. quæſt. 69. memb. 5. Tria ſunt Symbola. Primum Apoſtolorum, ſecundum Patrum Nicænorum, quod canitur in Miſſa: tertium Athanaſij.

Guilhelmus Peraldus. 1250.

In Summa Tomo 1. cap. 5. de articulis Fidei: Poſſumus diſtinguere Symbolum Apoſtolorum in duodecim articulos, ſicut duodecim fuerunt Apoſtoli, qui compoſuerunt.

Guibertus Tornacus. 1270.

De officio Epiſcopi cap. 25. Dicitur Symbolum collectio, quia Apoſtoli poſt miſſionem Spiritus ſancti ſimul conferẽtes duodecim articulos compoſuerunt, quos tenendos populo prædicauerunt.

Iacobus Genuenſis. 1280.

Sermone 2. de diuino Officio: Sũt duo Symbola: vnum Symbolum eſt, quod eſt ab ipſis Apoſtolis confectum. Cùm enim Apoſtoli eſſent per orbem diuiſi, prius in Hieruſalem conuenerunt, de articulis fidei differentes, Symbolum concorditer ediderunt, quolibet ipſorum Apoſtolorum Symbolum, id eſt, articulum ibidem ponente. Aliud eſt Symbolum Nicænum, &c.

Albertus Patauinus. 1300.

Sermone 131. Per duodecim cophinos duodecim regulas ſeu ſententias Catholicę fidei intelligimus, qui cophini cõtexuntur ex duodecim vel quatuordecim articulis fidei, qui continentur in Symbolo Apoſtolorum. Et primam quidem fidei regulam, quaſi primum cophinum contexuit Petrus.

Auguſtinus Triumphus. 1320.

De poteſtate Eccleſiaſtica q. 12. art. 2. Aliqui hæretici poſuerant Chriſtum non fuiſſe Dei Filium aliter, quàm alij ſancti viri, qui bene viuendo merentur Dei filij per adoptionem appellari. Contra hunc errorem poſitum eſt in Symbolo Apoſtolorum: *Credo & in Ieſum Chriſtum Filium Dei vnigenitum.*

Ludolphus Saxo Carthuſianus. 1330.

Vitæ Chriſti parte 2. cap. 83. Tria ſunt Symbola: primum Apoſtolorum, ſecundum Nicænum, tertium Athanaſij. Primum factum eſt ad fidei inſtructionem, ſecundum ad fidei explanationem, tertium ad fidei defenſionem. De primo ſciendum, quòd ſi reſpectus habetur ad eos, qui ediderunt hoc Symbolum, tunc articuli ſunt duodecim, ſecundùm numerum duodecim Apoſtolorum.

Thomas Argentinenſis. 1350.

Lib. 3. diſt. 24. & 25. q. 1. art. 3. Primum Eccleſiæ Symbolum dicitur Apoſtolorum, eò quòd ab Apoſtolis immediatè fuerit compoſitum, & dicitur de eo, quòd quilibet Apoſtolus ſuam aſſertionem, quaſi ſuum bolum in eo poſuerit. Aliud dicitur Nicænum: Tertium Athanaſij.

Matthæus VVeſtmonaſterienſis. 1370.

In Chronicis de anno 33. Apoſtoli ituri in orbem vniuerſum, vt prędicarent Euangeliũ omni creaturę, Symbolum fidei compoſuerunt, vt ad nationes profecturi, non diuerſum, ſed vnum omnes prædicarent.

ARTICVLVS TRIGESIMVS.

SACRAS SCRIPTVRAS, QVAS, VT OSTENDIMVS HACTENVS, VNIVERSA ECCLESIA CANONE DIGNAS IVDICAVIT, SVMMAE ESSE AVCTORITATIS, VTILITATIS, ET SVAVITATIS.

NEGANT.

Anno poſt natũ Chriſtũ.

60. SIMON *Magus dicebat, omnes, qui crederent veteri Teſtamento, mortem ſubire.* Epiphanius hæreſi 21.

70. *Ebionitæ Epiſtolas Pauli reijciebant, quòd ipſe à Lege apoſtatauerat.* Irenæus, Euſebius & Theodoretus de Ebionitis.

80. *Cerinthus Matthæi Euangelium partim recepit, partim reiecit: reliqua Euangelia, Actus Apoſtolorum, & Epiſtolas Pauli omninò reiecit.* Epiphanius hæreſi 28. Philaſtrius de Cerintho.

140. *Cerdon & Marcion Prophetas, Legem, Matthæi, Marci, & Ioannis Euangelia, Acta Apoſtolorum, & Apocalypſin reijciunt: Epiſtolas Pauli ad Titum & Philemonem recipiunt, recijſis tamen inde, quæ ipſorum doctrinæ aduerſantur.* Irenæus, Tertullianus, Philaſtrius, Epiphanius, Hieronymus, Auguſtinus, & Damaſcenus, vbi de illorum hæreſibus agunt.

170. *Apelles Legem & Prophetas repudiabat.* Tertullianus de Præſcriptionibus aduerſus hæreticos cap. 51 Euſebius lib. 5 cap. 12. Hiſtor.

180. *Gnoſtici vtuntur quidem nouo ac veteri Teſtamento, auerſantur autem eum, qui locutus eſt in veteri Teſtamento: & vbi verbum reperierint aliquod, quod contra ipſos ſententiam habere poteſt, dicunt hoc à ſpiritu mundano profectum eſſe.* Epiphanius hæreſi 26.

200. *Helcheſaitarum hæreſis ex ſacra Scriptura quædam reprobat, ac rurſus quædam, cùm ex veteri, tum ex nouo Teſtamento vſurpat: Apoſtolum Paulum prorſus reijcit.* Origenes in Pſalm 82. apud Euſeb. lib. 6. cap. 37.

270. *Manichæi vetus Teſtamentum maledictis vexant, vnà cum eius auctore Deo, qui in eo locutus eſt.* Auguſtinus de bono perſeuerantiæ cap. 10.

300. *Gentiles Philoſophi ſacram Scripturam vt barbaram traducebant, & aſpernabantur.* Theodoretus lib. 1. de Fide.

400. Faustus Manichęus: *Vetus*, ait, *Testamentum abijcio: quia circumcisis, & sacrificantibus, & alia iam antiquata obseruantibus repromittit miseram & temporalem hæreditatem: nihil est cur Prophetas recipiamus, nec enim de Christo pronuntiauerunt.* Augustinus contra hunc Faustum, libro 4. cap. 2 & libro 12. cap. 2.

450. *Manichæi adhuc perseuerantes, legem per Mosem datam, in qua Deus vniuersitatis conditor ostenditur, recipiendam esse non credunt: Prophetis, & S. Spiritui contradicunt: Psalmos Dauidicos, qui per vniuersam Ecclesiam cum omni pietate cantantur, damnabili impietate auersi sunt refutare.* Leo Primus Sermone 4. de Collectis.

600. *Gnosimachi illos frustra laborare asserunt, qui sacris Scripturis scientiam vllam & cognitionem inuestigant, cum præsertim à Christianis Deus præter bona opera nihil requirat: vt sit satius, si quis simplicius ambulet, nec curiosius quicquam perscrutetur.* Nicetas, & Damascenus de Gnosimachis.

820. *Michael Balbus Prophetarum scripta nullius volebat esse auctoritatis.* Ioannes Zonaras in hoc Michaële.

1080. *Bogomili veteris ac noui Testamenti libros repudiant, vnà cum exposito in ijs Deo: quasi per afflatum Satanæ fuerint conscripti, septem duntaxat exceptis, in quorum numero & Euangelium est.* Constantinus Harmenopolis de Sectis, Euthymius Panopliæ part 2. tit. 23. cap. 1.

1160. *Corerij damnant vetus Testamentum.* Guido de illorum hæresi.

1200. *Albigensium peruersitas adeò diuinam contempsit seueritatem, vt videntibus Episcopis & Presbyteris, libros Euangeliorum in sentinas proijceret.* Matthęus Parisius in historia Anglicana de anno 1213.

Iidem dicunt quòd vetus Testamentum non est à bono Deo, & quòd Moyses malus fuerit. Antoninus part. 4. Summę tit. 11. cap. 7. §. 5.

1250. *Ioannes à Parma docuit, quòd doctrina Abbatis Ioachim excellat doctrinam Christi, & consequenter nouum ac vetus Testamentum: quòd Euangelium Christi non est Euangelium regni, & ideo non est ædificatorium: quòd nouum Testamentum est euacuandum, sicut vetus est euacuatum: quòd nouum Testamentum non durabit in virtute sua nisi per sex annos proximè futuros, id est, vsque ad annum 1260.* Nicolaus Eymericus parte 2. quæst. 9.

1500. Hermannus Risvvich dixit: *Fides nostra fabulosa est, vt probat fatua nostra Scriptura, & ficta Biblia, & delirum Euangelium.* Bernardus Lutzenb. de illius hæresi.

1523. *Thomas Muncerus dixit Scripturam, externumq; verbum, non esse verum Dei verbum, sed solum testimonium veri verbi: hoc autem internum & cæleste esse, & immediatè ex ipso Dei ore prodire: & hoc interius docere oportere, non autem Scripturis & concionibus.* Bullingerus aduersus Anabaptistas libro 1. cap. 1.

1540. *Anabaptistarum quidam totum vetus Testamentum reijciunt, neque eius testimonia ad fidem confirmandam recipiunt.* Lindanus in Dubitantio, Caspar Vlenbergius Causa 18. Bullingerus contra Anabaptistas lib. 1. cap. 8.

1550. *Michael Seruetus vetus Testamentum reiecit.* Caluinus in actis Serueti.

1550. *Libertini sacras Scripturas derident, & profabulis habent: Literæ enim se negant obnoxios, qui iam spiritum sequantur.* Ioannes Calu nus de Libertinis cap. 9.

1550. *Dauid Georgius docuit omnem doctrinam hactenus à Deo per Mosen, Prophetas, ipsum Iesum Christum, eiusq; Apostolos & discipulos traditam, esse mancam, imperfectam, & inutilem ad perfectam consequendam felicitatem: suam autem doctrinam perfectam esse & efficacem ad hominem, qui eam susceperit, beandum.* Basileenses in vita Dauidis Georgij, Cochlæus de dictis & factis Lutheri, Lindanus in Dubitantio. Cælius Secundus in Supplemento Historiæ Sabellici cap. 29. ad finem.

1560. *Caspar Zuenck feldius*, de Verbo Dei pag. 24. *dicit Deum non agere nobiscum per Scripturam.*

Lib. de sacra Scriptura pag. 12. *Fides nostra*, inquit, *non debet dirigi iuxta sacram Scripturam, sed sacra Scriptura regatur iuxta fidem nostram. Scriptura est humana vox, sonitus, strepitus, & mortua litera.*

Libro de Euangelio scripto: *Doctrina Euangelij est humanum Euangelium: Scriptura est incerta & flexibilis doctrina, quæ patitur se in varios sensus trahi.*

ASSERVNT SACRÆ LITERÆ.

Iosue 1. *Vers.* 8. Non recedat volumē Legis huius ab ore tuo: sed meditaberis in eo diebus ac noctibus, vt custodias & facias omnia quæ scripta sunt in eo.

Psalm. 1. 2. In Lege Domini voluntas eius: & in lege eius meditabitur die ac nocte.

Psalm. 11. 7. Eloquia Domini, eloquia casta: argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplum.

Psalm. 18. 8. Lex Domini immaculata, conuertens animas: testimonium Domini fidele, sapientiam præstans paruulis. Iustitiæ Domini rectæ, lætificantes corda: præceptum Domini lucidum, illuminans oculos.

Psalm. 118. 72. Bonum mihi lex oris tui super millia auri & argenti. 105. Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis. 130. Declaratio sermonum tuorum illuminat: & intellectum dat paruulis. 140. Ignitum eloquium tuum vehementer: & seruus tuus dilexit illud.

Prouerb.

Prouerb. 8. 8. Iusti sunt omnes sermones mei, non est in eis prauum quid, neque peruersum. recti sunt intelligentibus, & æqui inuenientibus scientiam.

Prouerb. 30. 5. Omnis sermo Dei ignitus, clypeus est sperantibus in se.

Lucæ 24. 27. Et incipiens à Mose & omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis, quæ de ipso erant.

Ioannis 5. 39. Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere: & illæ sunt quæ testimonium perhibent de me.

Rom. 1. 1. Segregatus in Euangelium Dei, quod ante promiserat per Prophetas suos in Scripturis sanctis.

Rom. 15. 4. Quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt: vt per patientiam & consolationem Scripturarum spem habeamus.

2. *Timoth.* 3. 16. Omnis Scriptura diuinitùs inspirata, vtilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendū, ad erudiendum in iustitia: vt perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus.

2. *Pet.* 1. 21. Non voluntate humana allata est aliquando prophetia: sed Spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines.

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Clemens Romanus. 80.

Constitutionum Apostolicarum libro 1. cap. 4. Scripturas sanctas assidua memoria meditare. Scriptum est enim: *In lege eius meditabitur die ac nocte.* Psal. 1.

Cap. 5. Intus sedens lege Legem, libros de Regibus, Prophetas, cane Psalmos Dauid, percurre diligenter Euangelium, in quo sunt hæc consummata.

Cap. 6. Abstine ab omnibus libris Gentilium: Quid enim tibi cum alienis sermonibus, aut legibus, aut falsis Prophetis, quę quidem homines leues à fide recta detorquęt? Nam quid in Lege Dei desideras, vt ad illa Gentilium scripta animum velis appellere? Siue enim historias legere cupis, habes libros de Regibus; siue Sophistica, quæ argutè ad sapientiam referuntur, & Poëtica, habes Prophetas, Iob, Prouerbia, in quibus plus acuminis, quàm in omni poësi & sapientia Sophistarum reperies: quòd is, qui solus sapiens, illa effatus est; siue cātilenas expetis, habes Psalmos; siue vetustas rerum origines, habes Genesin; siue leges & præcepta, habes Legem Domini celebrem.

Dionysius Areopagita. 100.

Epistola ad Titum: Diuina & spiritualia eloquia & rori, & aquæ, & lacti, & vino, & melli meritò assimulantur: quòd & viuificandi, & fœcundandi, veluti in aqua: & ad incrementum perducendi, vt in lacte: & recreandi, vt in vino: & purgandi simul, atque conseruandi, veluti in melle, habeant vim. Hæc enim sapientia diuina accedentibus ipsis præstat affluentiam, indeficientium dapum inundantiam largiens, supermanans atque supereffundens.

Ignatius. 100.

Epistola ad Philadelphienses: Confugio ad Euangelium, tanquam ad carnem Christi: & ad Apostolos, velut ad Ecclesiæ presbyterorum collegium: & ad Prophetas, vt qui Christum annuntiarint, & eiusdem spiritus participes fuerint, cuius & Apostoli. Quemadmodum enim Pseudoprophetæ, & Pseudoapostoli, vnum & eundem spiritum malum, fallacem, & populi seductorem acceperunt: sic & Prophetæ, & Apostoli vnum & eundem Spiritum sanctum, bonum, eximium, verum, & doctorem, & rectum acceperunt à Deo per Iesum Christum.

Athenagoras. 180.

Legatione pro Christianis: Nos sententiæ fideiq; nostræ testes habemus Prophetas, qui spiritu diuino de Deo & rebus diuinis disseruerunt.

Irenæus. 180.

Lib. 2. cap. 47. Rectissimè scimus, quia Scripturę perfectę sunt; quippe à vero Deo, & eius spiritu dictæ.

Lib. 4. cap. 23. Bene igitur & Ioannes meminit dicentem Dominum Iudæis: *Scrutamini Scripturas, in quibus putatis vos vitam æternā habere: illæ sunt quæ testimonium perhibent de me, & non vultis venire ad me, vt vitā habeatis.* Quomodo igitur testabuntur de eo Scripturæ, nisi ab vno & eodē essent Patre, præinstruentes homines de aduentu Filij eius, & prænuntiantes salutem, quæ est ab eo? *Si enim crederetis Mosi, & mihi crederetis: de me enim ille scripsit*, scilicet quòd inseminatus est vbique in Scripturis eius Filius Dei, &c. Ioan. 5.

Clemens Alexandrinus. 200.

Apud Damasc. lib. 2. Paral. c. 49. Quemadmodū mare omnibus patet, atq; alius natat, alius negotiatur, alius piscatur: & rursus, quemadmodū terra cōmunis est omnibus, atq; alius iter facit, alius arat, alius ædificat: eodē modo dum sacra Scriptura legitur, alius in fide, alius in moribus iuuatur, alij per literarū agnitionē superstitio eximitur: pugil deniq; vbi Olympicum curriculum cognouerit, doctrinæ beneficio ad certamē se cōparat, & pugnat, & palmā adipiscitur, elusis nimirū & fractis aduersarijs, ijsq;, qui verę sciētię viā exagitāt.

Origenes. 240.

Hom. 2. in Hierem. Ex plenitudine eius accipientes Prophetæ, ea, quæ erāt de plenitudine sumpta, cecinerūt: & idcirco sacra volumina spiritus plenitudine spirant, nihilq; est siue in Prophetia, siue in Lege, siue in Euangelio, siue in Apostolo, quod nō à plenitudine diuinę Maiestatis descēdat. Quāobrē spirāt in Scripturis sacris hodieq; plenitudinis verba: spirant aūt his, qui habent & oculos ad videnda cælestia, & aures ad audienda diuina, & nares ad ea quę sunt plenitudinis sentienda.

Hom. 7. in Ezech. Nullū imitemur, & si volumus imitari quempiā, propositus est nobis ad imitandū Christus Iesus, descripti sunt actus Apostolorum, & Prophetarū gesta de sacris voluminibus agnoscimus: illud exemplar firmū est, illud propositum solidum, quod qui sequi cupit, securus ingreditur.

In Matth. tract. 25. Iuramentum ergo esse intelligēdum est omne testimonium Scripturarū, quod profertur ad confirmationem & colligationē nostri verbi, quod loquimur: vt fit quidē templum gloriæ Dei omnis Scriptura diuinitus inspirata; aurum autem positus sensus in ea. Debemus ergo ad testimonium omnium verborum, quæ profe-

rimus in doctrina, proferre sensum Scripturæ, quasi confirmantē quem exponimus sensum. Sicut enim omne aurum, quotquot fuerit extra templum, non est sanctificatum: sic omnis sensus, qui fuerit extra diuinam Scripturam, quamuis admirabilis videatur quibusdam, non est sanctus: quia non continetur à sensu Scripturæ, quæ solet eum solum sensum sanctificare, quem habet in se, sicut templum proprium aurum. Non ergo debemus ad confirmandam nostram doctrinam nostros proprios intellectus iurare, & quasi testimonia assumere, quos vnusquisque nostrum intelligit, & secundùm veritatem existimat esse, ni ostenderit eos sanctos esse, ex eo quòd in Scripturis continentur diuinis, quasi in templis quibusdam Dei. Stulti ergo & cęci omnes, qui non cognoscūt, quoniam templum, id est, lectio Scripturarum, magnum ac venerabilem facit sensum, sicut aurum sacratum.

Ad cap. 3. ad Roman. Post hæc verò, vt ei moris est, de Scripturis sanctis vult affirmare quod dixerat: simul & Doctoribus Ecclesiæ præbet exemplum, vt ea, quæ loquuntur ad populum, nō proprijs præsumpta sententijs, sed diuinis munita testimonijs proferant. Si enim ipse tantus ac talis Apostolus auctoritatem suorum dictorum sufficere posse non credit, nisi doceat in Lege & Prophetis scripta esse, quę dicit, quāto magis nos minimi hoc obseruare debemus, vt nō nostras, cùm docemus, sed sancti Spiritus sententias proferamus.

Eusebius Cæsariensis. 320.

De Præparatione Euangelica lib. 13. cap. 7. Sola diuina eloquia pura sanctaqúe sunt, longè ab omni mendacio remota, argentum purgatum, & probatum terræ.

Basilius Magnus. 370.

Epist. 1. Maxima porrò viarū ad veri inuestigationem feretium meditatio est Scripturarum diuinitus inspiratarum: quandoquidem in his cùm rerum agendarum præcepta reperiuntur, tum beatorum hominum vitæ memorię proditæ ac perscriptæ, tanquam simulachra quædam animata proposita sunt vitæ, ad normam diuinam iustitiæ, ijs quidem, qui bonorum operum exemplaria imitari cupiunt.

Præfat. in omnes Psal. Scriptura omnis diuinitus inspirata, & vtilis, hac vna ratiōe à Spiritu sancto conscripta astruitur: vt ex ea haud secus atque è communi quapiam curandarum animarum officina, medelam suo quisque morbo salutarem & accōmodam queat seligere. *Medicinæ* enim, iuxta Ecclesiasten, *sedabit magna delicta.* Alia proinde nos ipsi Prophetæ erudiunt: historici perdocent alia: alia item instruit Lex: rursus alia commonendæ Ecclesię species ex opere Prouerb. eruitur. At hic vnus Psalmorum liber quiduis ex omnibus in se complectitur, quod vsui sit omnibus: futura certissimis prędicit oraculis, historicā continet narrationem, leges sancit vitæ sanctiùs instituendæ, cuique agenda præscribit, & submonet; vtqúe semel omnia, liber hic bonæ omnis doctrinæ vberrimum quoddam est, & commune promptuarium, sua vnius prouida ac solerti cura veluti comminiscens & excogitans, quid cuiusque nostrūm saluti maximopere cōducat. Vulnera etenim animarum persanat, quantalibet vetustate occalluerint; vulneri recens inflicto celerem citamqúe adfert emendationem: diutino item morbo affectum pristinæ asserit sospitati: quod verò incolume est & integrum, tuętur interim ac seruat: denique omnem prorsus vitiosæ affectionis intemperiem, quoad eius fieri potest, ab animis nostris reuellit ac submouet.

Ephræm. 370.

De Patientia & consummatione seculi: Sobriū te prębe ac vigilantem solerter, operamq; da semper, vt lectioni diuinarum Scripturarum adhæreas, quę te doceant, quomodo effugere oporteat laqueos inimici, & vitam æternam assequi: nam sacrarum Scripturarum lectio mentem vagabundam contrahit ac colligit, donatq; in Deum cognitionē. Scriptum est enim: *Vacate, & videte, quoniam egó sum Deus.* Audis frater, quòd Dei scientiam accipiat, qui simplici veroq; corde diuinis vacat Scripturis? Psal. 45.

Cyrillus Hierosolymitanus. 370.

Catechesi 4. de sacra Scriptura: Si quando hæreticorum audieris aliquem blasphemantem Legem & Prophetias, respondе illi salutaria verba dicens: *Non venit Christus soluere Legem, sed adimplere.* Lege Scripturas, quę à Septuaginta duobus Interpretibus translatę sunt.

Gregorius Nazianzenus. 380.

De veris & germanis Scripturæ libris:

In libris sacris linguaq; & mente frequenter
Versare: aut etenim donat Deus ista laborum
Præmia, vt absconsa lucis mens sedula quiddam
Conspiciat: vel certè isthinc ea commoda carpit,
Vt per sancta Dei capiat præcepta dolorem:
Aut quod postremum est, animos hac lectio rebus
Abstrahat à fluxis, studia ad meliora vocatos.

Iambico 18. de Virtute:

Namque vsus in me tantus est, quantum decet
Hunc obtinere, qui labores plurimos
Hausit, diuq; voluit auctores bonos,
Sacrosq; triuit sedula libros manu,
(Qui dulcis est fons, mentibus castis patens,)
Ex queis profundi quippiam est haustum mihi.

Gregorius Nyssenus. 380.

Oratione 1. in ea Scripturę verba: *Faciamus hominem.*) Si idem esse dixerimus: *Faciamus hominem ad imaginem, & faciamus ad similitudinem,* scriptorem accusabimus: si enim sic habet, vox vacat, & bis idem ponitur: dicere autem verbum aliquod in Scriptura redundare, est graue nefas. Quòd si nihil redundat, nihil est inane, nihil superuacaneum: ergo necesse est hominem esse factum ad similitudinem Dei.

Epiphanius. 380.

Hæresi 34. Nos credimus Legi, ac Prophetis, & ab origine iuxta successionem Patriarchis, ipsiusqúe Saluatoris nostri doctrinæ.

Hæresi 65. Nos vniuscuiusque quæstionis inuentionem non ex proprijs ratiocinationibus dicere possumus, sed ex Scripturarum consequentia.

Hæresi 70. Quæcunque dicit diuina Scriptura, ea credere oportet quòd sunt: quomodo verò sunt, ipsi soli cognitum est.

In Ancorato: Scripturæ non errant, quæ sunt vita nostra.

Ioannes Chrysostomus. 400.

Homilia 3. in Genesin: Meritò thesauro cuipiam confertur diuinarum Scripturarum lectio. Nam sicut ex illo quisquis vel paruum frustum capere valet, multas sibi parat diuitias: ita & in sacra Scriptura, etiam in breui dictione variam sententiarum vim & indicibiles diuitias inuenire licet: & non solùm thesauro similia sunt diuina eloquia, sed fonti quoque largis perennibusq; scaturienti fluentis.

Homil. 21. *Iste est liber generationis hominum.* Dici nequit charissimi, quàm multiplex thesaurus in verbis modò lectis reconditus sit: & scio quidem, quòd opinantur aliqui, nihil amplius dici, quàm illorum nominum enumerationem & appellationem. Spectant enim tales ad solam superficiem. Ego autem omnes vos obsecro, ne simpliciter ea, quę Scripturis sacris contenta sunt, transeatis. Nihil enim hîc scriptum est, quod nō multas habeat sensuum diuitias: quandoquidem diuino Spiritu afflati Prophetæ locuti sunt, ideo vti à Spiritu sancto scripta ingentem in se continent thesaurū. Et ne mireris, quòd in hac nominum enumeratione multas latentesq; diuitias sententiarum vobis me ostensurum pollicear. Neq; enim vel syllaba, vel apiculus est in sacris literis, in cuius profundo non est grandis quispiam thesaurus: proinde nobis opus est, vt diuina gratia ducamur, & Spiritu sancto illustrati diuina eloquia adeamus. Neque opus habet diuina Scriptura hominum sapientia, vt intelligatur, sed reuelatione Spiritus, vt hausto inde vero sensu magnū nobis hinc lucrum accrescat.

Homilia habita, quo tempore extra Ecclesiam deprehensus est Eutropius, de paradiso, siue horto, & Scripturis: Suaue quidem est pratum & hortus: vtroque tamen suauius multò spirat diuinę Scripturę lectio. Illic siquidem flores inuenire est, sed qui tempore marcescunt: hîc autem occurrunt sententiæ in natiuo vigore permanentes. Illic aspirat Fauonius, hîc afflat aura Spiritus S. Illic spinæ pro muro obsepiunt hortū, hîc Dei prouidentia tutum reddit lectorem: illic cicadæ stridore suo obstrepētes, hîc Prophetæ suaui iubilo personantes: illic ex ipso aspectu quiddam oblectationis concipitur, hîc autem ex ipsa mox lectione plurimum decerpitur vtilitatis. Hortus vno quopiam circunscribitur loco, diuinæ autē Scripturę nullo non loco terræ habitabilis circunferuntur. Hortus vtiq; pro temporum qualitate seruit necessitatibus: Scripturæ autem tempore hyberno perinde atque æstiuo perennant comantibus vndique folijs, & fructuum pondere degrauantur. Attenti itaque simus lectioni Scripturarum. Ad hanc etenim attentus si fueris, anxietatem à te depellet, cordi tuo inferet incredibilem voluptatē, sublata malitia radices virtutis affiget animæ, interq; turbellas istas negotiorum, quę ritu vndarū sese agitantium fluctuant, non te finet vlla conflictari perturbatione. Insanis licet agitetur mare procellis, tu in tranquillo nauigas. Habes enim, quæ te moderetur ac gubernet, Scripturarum lectionem.

Ad caput 3. Ioannis Homilia 29. Diligenter sunt omnia inuestiganda: à Scripturis spiritualia arma accipimus. Si earum ordinem confundemus, ipsę quidem vim suam retinent, nobis autē nihil conferunt, &c. An nescitis, non superioris tantùm ætatis hominū gratia Scripturas editas, sed etiam nostri? Nonne auditis Paulum dicentem: *Hæc ad nostram doctrinam scripta sunt*, ad quos fines seculorum deuenerunt, *vt per patientiam & consolationem Scripturarum spem habeamus?* Rom. 15.

Prœmio in epistolam ad Romanos: Hinc infinita exorta sunt mala, ab ipsa videlicet sacrarum Scripturarum ignoratione: hinc multa hæreseon lues pullulauit, hinc ritus in multis neglectus, hinc inutiles & lucro carentes labores. Nam quēadmodum qui luminis huius vsura sunt priuati, nequaquam recta ingredi possunt: ita qui ad diuinarum Scripturarum radios oculos non intendunt, necessariò in multa errata incurrunt, perinde ac si in tenebris periculosissimis obambularent.

Cyrillus Alexandrinus. 430.

Commentario de recta in Deum fide ad Reginas: Quòd si tali animo præditis nihilominus concionari oportet, quomodo absurdum non fuerit apud vos filere, pijsq; vestris auribus sacrarum literarum notitiam, velut dulcem quendam viuificumq; laticē, nolle subinde instillare? Quos quidem Scripturarum latices Deus per Esaię Prophetæ vocem quondam locutus eiusmodi verba nobis promittit: *Haurietis,* inquit, *cum gaudio aquas de fontibus Saluatoris.* Salutares autem fontes appellamus sanctos Apostolos & Euangelistas. Hi enim salutari cælitusq; hausta doctrina mundum hunc irrigant, Spiritusq; sancto imbuti totum hunc orbem lætificant. In quorū proinde profunda sensamentis oculos conijcientes, abditam veritatis lucem inuenimus, inuentamq; in alios transfundimus. Quemadmodum igitur agricolæ fragrantissimos quosque flores opportuno tempore ex agris decerpunt, decerptosq; ac scitè in calathis compositos dominis suis offerunt, quos illi mox beneuolè gratoq; animo complectuntur: ita nos, qui docendi munus suscepimus, ex diuina Scriptura, veluti ex agro quopiam, non florum citò marcescentium decorem spectandū exhibemus, sed sermonum doctrinæq;, quæ per Spiritum sanctum pietatis in Christum immarcessibilem venustatem continet, magnaq; suauitate & vbertate illius mysterium redolet, fragrantiam: scriptū est enim: *Christi bonus odor sumus Deo.* Esa 12. 1. Cor. 2.

Lib. 2. contra Iulianum: Diuinus Moses, & Prophetarum sanctorum chorus, Apostoli quoq; & Euangelistæ vnum naturalem & verum Deum glorificant, & vt nos quoque fic faceremus persuaserunt: dum à nugis & omnigenis monstrositatibus, turpiq; sensu abstinent, ac ad mirandam vitæ conuersationem probè instituunt. Nihil apud eos fictum est, nullæ sententiæ minus persuasibiles: quippe quòd nostra Mosi Sanctorumq; Prophetarum prædicationibus conueniant, & Euangelicæ, Apostolicæq; doctrinæ veritas à priscorū sententijs non abludat, tempore suo sermo noster manifestè ostendet.

Ioannes Cassianus. 430.

Collat. 14. cap. 10. Deinde hoc tibi omnimodò est enitendum, vt expulsa omni solicitudine & cogitatione terrena, assiduum te, ac potius iugem sacræ præbeas lectioni, donec continua meditatio imbuat mentem tuam, & quasi in similitudinem sui formet, arcam quodammodo faciens ex ea testamenti, habentem in se scilicet duas tabulas lapideas, id est, duplicis instrumenti perpetuam firmitatem: vrnam quoque auream, hoc est memoriam puram atque synceram, quę reconditum in se manna perpetua tenacitate conseruet, spiritualiū scilicet sensuum, & Angelici illius panis perennem cælestemq; dulcedinem.

Isidorus Pelusiota. 440.

Lib. 1. epist. 24. Scitè & eruditè diuinam Scripturam euoluere debes, ipsiusq; vires & facultates prudenter inuestigare, nec mysteria ea, quæ attrectare nefas est, quæq; comprehendi nequeunt, temerè atque imprudenter aggredi, manibus indignis ea committens.

Epist. 369. Scriptura omnis, quæ pietatem velut ob oculos positam habet, pulcherrima est, laudibusq; & commendatione digna: sacrosancta autem volumina, quæ diuinarum Scripturarum testimonium habent, scalæ quædam sunt, quibus ad Deum ascenditur. Quamobrem ea omnia, quæ in Ecclesia proponuntur, tamquam probum aurum excipe: vt quæ diuino Spiritu veritatis, ve-

lut igne purgata sunt. Quæ autem extra hoc volumen circumferuntur, etiamsi quippiam habeant, quod ad grauitatem vitæq; honestatem allicere queat, ijs, qui à tuis certaminibus remoti sunt, inuestiganda & cõseruanda relinque: nimirum ijs, qui verborum pompæ potius studuerunt, aut etiam fabulas quasdam hæresum effinxerunt.

Socrates. 440.

Lib.3.cap.14. Scripturæ diuinitus inspiratæ admirabilia doctrinæ præcepta, vereq; diuina docent, eximiam pietatem, rectamq; viuendi rationem in auditorum animis inserũt, sacrosanctam fidem studiosis proponũt: artem autem differendi non tradunt, qua illis, qui veritatem oppugnare moliuntur, possimus resistere.

Theodoretus. 450.

2. Timoth.3. *Omnis Scriptura diuinitus inspirata vtilis est.*) Scripturam diuinitus inspiratam nominauit spiritalem. Gratia enim diuini Spiritus locuta est per Prophetas & Apostolos. Deus est igitur sanctus Spiritus: siquidem verè, vt vult diuinus Apostolus, à Deo inspirata est Scriptura spiritus.

Isaac Presbyter. 460.

De mundi contemptu cap.25. Oratio soluit & annihilat ab anima nebulas vitiorum, maximè cùm habuerit pabulum à pagina sacra, & vigilantia, quæ mentẽ illuminat & illustrat: continua enim lectio in Scripturis Sanctorum replet animam incomprehensibili admiratione ac lætificatione diuina.

Andreas Cæsariensis. 500.

In Apocal.cap.12. Formidabilis in illos desæuiet execratio, qui diuinam Scripturã adulterare non dubitant. Nam illorum hæc temeritas est nimis audax & temeraria: imò verò tanta est, vt vel sola arrogantes, & temerarios illos à futuri seculi bonis excludere valeat. Quod incommodum ne nobis, qui hæc audimus, vsu quandoque veniat, non absque comminatione contestatur & exhortatur, ne quid apponamus, aut adimamus: verùm Scripturarum phrases, & idiomata Attica, orationis structura, & compositione, syllogismisque Dialecticis potiora, certiora, & ad fidẽ maius momentum afferre sentiamus. Nam & in illis multa inuenire liceat, quæ regulæ & veritatis legi nõ satis cõsentanea sunt, & tamen propter scriptorum auctoritatem dissimulantur, mistaq; fiunt. Quantum autem interuallum inter eos, qui apud nos, & eos rursum, qui apud illos celebres extiterunt, intercedat, id mente complecti vix valemus. Arbitror autem plus intercedere, quantum inter lucem & tenebras.

Olympiodorus. 500.

Ad cap.1. Ecclesiastis: Scientia Dei & diuinus sermo est semper vtilis: quem tamen nõ poterit homo pro dignitate explicare, licet alioquin prudẽs sit, nisi qui accepit donum doctrinæ, sapientiæq; sermonem.

Ad cap.5. Diuina ipsa Scriptura est velut ager quidã ferax & odoratus, qualiq; paradisus optimis arboribus consitus, habensq; thesaurum occultum.

Procopius Gazæus. 530.

Præfatione in Genesin: Oportet eum, qui operam daturus est Scripturæ sacræ, non accipere illa, quę ibi traduntur, quasi prouenient ex hominibus: altius initium siue principium spectandum reor: firmiter credat necesse est, illa sacrosancta dogmata ex ipso originem sumere Deo, & inde per homines, quasi per canales seu instrumẽtum, ad nos promanare. Quemadmodum enim regius minister, siue tu eum præconem nuncupes, regis præceptum & vocem imitatur, dicens: iussi, sententiam tuã declaraui: sic Prophetæ sancti linguam quasi calamum præbent excellentissimo scribæ, quem nullus scriptor describere, & nullus pictor delineare potest.

Iustinianus. 530.

Constit.146. AEquum sanè erat, vt Hebræi, cùm sacris libris aures præbent, non leuiter, & rebus solummodò gestis delectarentur, sed reconditos in ipsis sensus spectarent; per quos magnum illi Deum & Saluatorẽ humani generis Iesum Christum annuntiant.

Isychius Hierosolymitanus. 580.

Præfatione in Leuiticum: Vnus idemq; esse legislator noui simul & veteris Testamenti demonstratur, dum ex auctoritate siue potestate quæ vult nunc præcipit, nunc autem prohibet.

Lib.1.cap.4.in Leuit. Doctrina & traditiones Apostolorum, sunt ostia tabernaculi testimonij, vtpote ad cælum introitum præbentia.

Lib.7. cap.27. Quæcunq; Prophetæ præcipiunt, manifestum est, quia Dei præcepta sunt.

Leontius. 600.

De Sectis act.2. cùm recensuisset veteris ac nouæ Scripturæ libros: Hi sunt, *inquit*, libri tam prisci, quàm recentes, qui in Ecclesia pro Canonicis habentur.

Thalassius. 640.

Hecatontade 4.cap.54. Scrutare Scripturas, & inuenies mandata: quòd si feceris, quæ dicunt, ab affectionibus liberabere.

Ioannes Damascenus. 730.

Orthodoxæ fidei lib.4.cap.18. Vnus & idem est Deus, quem tum vetus, tum nouum Testamentum prædicat; quiq; in Trinitate laudatur ac celebratur. Hæc quippe Domini vox est: *Non veni soluere Legem, sed adimplere.* Ipse etenim salutis nostræ, cuius causa omnis Scriptura, atque omne mysteriũ extitit, negotium egit. Ac rursus: *Scrutamini Scripturas: ipsæ enim testimonium perhibent de me.* Atque etiam Apostoli hæc verba sunt: *Multifariam, multisq; modis olim Deus locutus est Patribus nostris in Prophetis: nouissimis diebus locutus est nobis in Filio.* Quocirca per Spiritum sanctum & Lex, & Prophetæ, & Euangelistæ, & Apostoli, & Pastores, & Doctores verba fecerunt. Ex quo fit, vt tota diuinitus inspirata Scriptura proculdubio vtilis sit. Ac proinde nihil præclarius, nihil animarum saluti conducibilius est, quàm diuinas Scripturas perscrutari. Quemadmodum enim *lignum plantatum secus decursus aquarum*: ita etiam anima diuinæ Scripturæ fluentis irrigata saginatur, fructumq; tempestiuum, hoc est, rectam fidem profert, ac perpetuò virentibus folijs, id est, Deo gratis actionibus exornatur. Siquidem hoc afferunt Scripturę sanctę, vt & ad probas & honestas actiones, & ad puram contemplationem nos componant. Nam in eis & cohortationem ad virtutem, & ab omni vitio dehortationem inuenire est. Quamobrem si discendi studiosi fuerimus, profectò ingentem quoque eruditionem nobis comparabimus: quandoquidem diligentia & labore, & donantis Dei beneficio, quiduis ex animi sententia succedit. Etenim *qui petit, accipit; & qui quærit, inuenit; & pulsanti aperietur.* Pulsemus igitur ad pulcherrimum illum hortum Scripturarum: illum, inquam, mirè fragrantem & suauem, summaq; elegantia præditũ, ac spiritualium, & diuinitus afflatarum cuiusuis generis auium garritibus aures nostras circumsonantem, quiq; cor nostrũ attingit, illudq; mœrore affectum lenit ac mitigat, & ira percitum sedat, sempiternaq; lætitia diffundit, &c. Ex huius horti fonte perennes & purissimos latices in vi-

Matth. 5.

Ioan. 5.

Heb. 1.

Psal. 1.

tam

tam æternam salientes hauriamus. Hìc cum inexplebili quadam voluptate & amœnitate versemur. Eiusmodi est enim Scripturarum gratia, vt exhauriri atque consumi nequeat.

Basilius Imperator Constant. 860.

In exhortat.ad Leonem filium cap.17. O fili quemadmodũ teneræ plantę fontibus irrigatæ viresc unt, floresq; & fructus ferunt: ita mens tua sacrarum literarum studijs irrigata, magis ac magis augescet, ac pro fructibus egregias virtutes producet. Nam corpus quidem saginatur cibis, qui alius super alium infarciuntur; animus verò sanctis sermonibus alitur ac vegetatur. Sed hoc interest, quòd cibus ille corporis, palato solum ac linguæ suauis, & corruptionem auget, & à corruptione augetur, & in corruptionem tandem abit: animi verò alimentum sempiternam menti adfert lætitiam, & incorruptionem parit, & ad immortalitatem deducit. Meditare ergo per omnem vitam istos ita frugiferos sermones, vt tantis eorũ fructibus perfruaris, ac regnum tuum sapienter administres.

Theophylactus. 900.

Præfatione super Matthæum: Postquam homines deteriores sunt facti, concessit tandem misericors Deus Scripturas, vt vel per illas diuinæ voluntatis essent memores: ita Christus Apostolis etiam coram in sua persona est locutus, & Spiritus sancti doctoris misit gratiam. Verùm quia hæreses pullulaturæ erant, quæ mores nostros depascerentur, operæpretium visum est, vt scriberentur & Euangelia, quò discentes ex illis veritatem, nõ ab hęresium mendacijs deciperentur, moresq; nostri non prorsus pessundarentur.

Ad cap.16.Lucæ: Scripturæ sacræ sunt lucerna & lumen, quo lucente fur deprehenditur & manifestatur. Illis igitur credẽdum, & de mortuorum suscitatione non curandum.

Ad cap.10.Ioan. Sacræ Scripturæ ostium sunt, per quas allicimur ad Deum: illæ lupos non permittunt intrare: Prohibent enim hæreticos, vt nos securi simus, & de omnibus rationẽ dant, de quibus voluerimus.

Euthymius. 1080.

Ad Psal.18. Scriptam nobis legem Deus tradidit, per quam de diuina prouidentia ac sapientia etiã doceremur: varijs autem nominibus legem vocat. Nam & Legem appellat, veluti quæ conuersationem vitæ concinnat, & cõstituit: & testimonium, quia peccatores conteslatur: & iustificationem, quia quod iustum est docet: & mandatum, quia quæ agenda sunt præcipit: & timorem, veluti inexorabilem: & iudicium, quasi sententiam ferat & suffragium. Lex itaque Domini irreprehensibilis, & conuertens animas. Quid enim in ea est, quod accusari possit, cùm & ad animarum conuersionem sit posita, & ex paruis maiora doceat?

Georgius Cedrenus. 1100.

In Ptolomæo Philadelpho: Rex pulchritudinem sacrę Scripturę videns, stupefactus, proceribus præsentibus, vnaq; Menedemo Philosopho, & Demetrio Phaleræo, quæsiuit quidnã esset causæ, quòd sacrarum literarum, quarum tanta sit dignitas, nemo historicorum, aut poëtarum mentionem fecerit. Respõdit Demetrius, neminem fuisse ausum attingere: quando Theopompus eas aggressus mente captus, & per insomnium admonitus id sibi acidisse, quòd curiosè sacras res inquirere conatus fuisset: & Theodectes Tragœdiarum scriptor in quadam fabula sacrorum librorum facta mentione excæcatus fuerit; vterque autem ab incepto desistens, Deum placauerit, & sanitati restitutus sit.

Nicolaus Cabasilas. 1280.

In expositione Liturgiæ cap.1. Sacrarum Scripturarum lectiones Dei benignitatem, & humanitatem annuntiant, & rursus iustitiam, & iudicium, & eius metum in animas nostras immittunt, & dilectionem in eum accendunt, & ita ad eius seruanda mandata multam promptitudinem, & animi alacritatem adferunt.

Ioannes Cantacuzenus. 1360.

Apologia 4. Nos omnes indigemus Scripturarum auxilio, propter infirmitatem nostram: iustus verò Noẽ, & Abraham, & qui illorum tempore floruerunt, pura mente prædíti Scriptura non indigebant: sed hæc in ipsorum cordibus inscripta & adumbrata fuit.

Gabriel Pat. Alexandrinus. 1595.

In confessione fidei: Confiteor, teneo, & prædico vnum eũdemq; Deum veteris & noui Testamenti, id est, Legis, Prophetarum, atque Euangelij auctorem esse: quia eodem Spiritu sancto inspirante vtriusque Testamenti Sancti locuti sunt.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Tertullianus. 200.

In Apologetico aduersus gentes cap.19. loquens de Hebræorum Bibliis per 72. Interpretes in Græcum sermonem translatis: Primam instrumẽtis istis auctoritatem summa antiquitas vendicat. Apud vos quoque religionis est instar fidem de temporibus asserere.

Cap.20. Plus iam offerimus pro ista dilatione, maiestatem Scripturarum, si non vetustatem, diuinas probamus, si dubitatur antiquas; nec hoc tardius, aut aliunde discendum; coram sunt quæ docebunt, mundus, & seculum, & exitus.

Cyprianus. 250.

Epist.74. quæ est ad Pompeium: Ea facienda esse, quæ scripta sunt, Deus testatur, & proponit, ad Iesum Naue dicens: *Non recedet liber Legis huius de ore tuo, sed meditaberis in eo die ac nocte, vt obserues facere omnia quæ scripta sunt in eo.*

Iosue 1.

Lactantius. 320.

Lib.3.cap.26. Dei præcepta quia & simplicia & vera sunt, quãtum valeant in animis hominum, quotidiana experientia demonstrat. Da mihi virum, qui sit iracundus, maledicus, effrænatus, paucissimis Dei verbis tam placidũ quàm ouem reddam: da cupidum, auarum, tenacem, iam eum tibi liberalem dabo, & pecuniã suam plenis manibus largientẽ: da timidũ doloris ac mortis, iam cruces, & ignes, & taurũ Phalaridis contẽnet. Tãta enim diuinæ Scripturæ vis est, vt in hominis pectus infusa, matrem delictorum stultitiam vno simul impetu expellat. Ad quod efficiẽdum non mercede, non libris, non lucubrationibus opus est; gratis ista fiunt, facilè, citò, modò pateant aures, & pectus sapientiam sitiat, &c. Pauca Dei præcepta sic hominem totum immutant, & expolito vetere nouum reddunt, vt non cognoscas eundem esse.

Hilarius. 350.

De Trinitate lib.3. Bene habet, vt ijs tantùm, quæ scripta sunt, contentus sis.

Lib.12. Dei sermo, & veræ sapientiæ doctrina quæ loquitur & perfecta, & absoluta sunt.

Marius Victorinus. 360.

Lib. de Generatione diuina: An Scripturas, quas legimus, vanas opinaris? si vt nomine, ita & re Christianus est quispiam, necesse habet venerari Scripturas.

Ambrosius. 370.

De Paradiso cap.2. In Scripturis diuinis non facilè reprehendamus aliquid, quod intelligere nō possumus: sunt enim plurima, quæ non nostro ingenio metienda sunt, sed ex altitudine diuinæ dispositionis & verbi sunt æstimanda.

Lib.3. Hexameron cap.3. Ego quid facere potuerit Deus nunc prætermitto: id quod fecerit, quod apertè Scripturarum auctoritate non didici, quasi, secretum prætereo.

Ad Psal.1. Bibe Christum, vt bibas sermones eius: sermo eius Testamentum est vetus: sermo eius Testamentum est nouum. Bibitur Scriptura diuina, & deuoratur Scriptura diuina, cùm in venas mētis ac vires animi succus verbi descendit æterni.

Epist. 44. Mare est Scriptura diuina, habens in se sensus profundos, altitudinem propheticorum ænigmatum: in quod mare plurima introierunt flumina. Sunt ergo & fluuij dulces atque perspicui: sunt & fontes niuei, qui saliant in vitam æternam: sunt & sermones boni, sicut fauum mellis, & gratæ sententiæ, quæ animos audientium spirituali quodam potu irrigent, & præceptorum moralium suauitate mulceant.

Hieronymus. 390.

Epistola quarta, ad Rusticum Monachum cap.5. Ama scientiam Scripturarum, & carnis vitia non amabis.

Super illud Psalm.147. *Et adipe frumenti satiat te.*) Pinguissimus sermo diuinus est, omnes in se habet delitias: quicquid volueris ex sermone diuino nascitur, sicut tradunt Iudæi: quoniam manna quando comedebant, secundùm voluntatem vniuscuiusq; sic sapiebat in ore.

Ad cap.23. Matth. Quòd de Scripturis auctoritatem non habet, eadē facilitate contemnetur, qua probatur.

Præfatione in epistolam ad Ephes. Si quicquam est, quod in hac vita sapientem virum teneat, & inter pressuras & turbines mundi æquo animo manere persuadeat, id esse vel primum reor meditationem & scientiam Scripturarum. Cùm enim à cęteris animantibus hoc vel maximè differamus, quòd rationale animal sumus, & loqui possumus: ratio autem omnis & sermo diuinis libris contineatur, per quos & Deum discimus, & quare creati simus non ignoramus, miror quosdam exstitisse, qui aut ipsi se inertiæ, aut somno dātes, nolint quæ præclara sunt discere; aut cæteros, qui id studij habent, reprehendendos putent. Quibus cùm possim districtius respondere, & breuiter eos vel offensos dimittere, vel placatos: multo esse melius Scripturas legere, quàm augendis & cumulandis opibus inhiare. Illud dicam, quod vel apud iniquissimum iudicem obtineam, placere mihi otium meum, & solitudinem omni celebritate iucundiorem videri.

Faustinus. 390.

De Fide contra Arianos: Scripturæ diuinæ ob hoc editæ sunt, vt secundùm illarum sensum nostram fidem erigamus.

Augustinus. 400.

De doctrina Christiana lib.2. cap.42. Quantum minor est auri, argenti, vestisq; copia, quā de AEgypto secum abstulit ille populus, in comparatione diuitiarum, quas postea Hierosolymæ consecutus est, quæ maximè in Salomone rege ostenduntur: tanta sit cuncta scientia, quæ quidem est vtilis collecta de libris gentilium, si diuinarum Scripturarum scientiæ comparetur. Nam quicquid homo extra didicerit, si noxium est, ibi damnatur; si vtile est, ibi inuenitur. Et cùm ibi quisque inuenerit omnia, quæ vtiliter alibi didicit, multò abundantius ibi inueniet ea, quæ nusquam omnino alibi, sed in illarum tantummodò Scripturarum mirabili altitudine, & mirabili humilitate discuntur.

Epistola prima ad Volusianum: Hortor vt valeo, vt literarum verè certeq́ue sanctarum studio te curam non pigeat impendere: Syncera enim & solida res est, nec fucatis eloquijs ambit ad animum, nec vllo linguæ tectorio mane aliquid ac pendulum crepitat: multum mouet, non verborum, sed rerum auidum: & multum terret, factura securum. Præcipuè Apostolorum linguas exhortor vt legas. Ex his enim ad cognoscendos Prophetas excitaberis, quorum testimonijs vtuntur Apostoli.

Epistola 19. ad Hieronymum cap.1. Ego fateor charitati tuæ, solis eis Scripturarum libris, qui iam Canonici appellantur, didici hunc timorem honoremq; deferre, vt nullum eorum auctorem scribendo aliquid errasse firmissimè credam: ac si aliquid in eis offendero literis, quod videatur cōtrarium veritati, nihil aliud, quàm vel mendosum esse codicem, vel interpretem non assecutum esse quod dictum est: vel me minimè intellexisse, non ambigam. Alios autem ita lego, vt, quantalibet sanctitate doctrinaq́ue præpolleant, non ideo verum putem, quia ipsi ita senserunt; sed quia mihi vel per illos auctores Canonicos, vel probabili ratione, quod à vero non abhorreat, persuadere potuerunt. Nec te, mi frater, sentire aliud existimo: prorsus, inquam, non te arbitror sic legi libros tuos velle, tanquam Prophetarum, vel Apostolorum: de quorum scriptis, quòd omni erorre careant, dubitare nefarium est.

De Baptismo contra Donatistas lib.2. cap.3. Quis nesciat, sanctam Scripturam Canonicam, tam veteris quàm noui Testamenti certis suis terminis contineri, eamq; omnibus posterioribus Episcoporum literis ita præponi, vt de illa omninò dubitari & disceptari non possit, vtrum verum, vel vtrum rectum sit, quicquid in ea scriptū esse constiterit.

De Ciuitate Dei lib.11. cap.3. Hæc prius per Prophetas, deinde per seipsum, postea per Apostolos, quantum satis esse iudicauit, locutus, etiam Scripturam condidit, quæ Canonica nominatur, eminentissimæ auctoritatis: cui fidem habemus de his rebus, quas ignorare non expedit, nec per nosmetipsos nosse idonei sumus.

Paulinus Nolanus. 420.

Epist.42. ad Cytherium:

Sic iste noster in sacratis literis
Perambulet regnum Dei:
Scriptura namque sancto flata Spiritu,
Regni perennis mater est.

Eucherius Lugdunensis. 450.

Epistola Paræneticа: Scriptura diuina ad illustrationem & refectionem vtrique Dei populo condita est, quæ nos in prosperis & aduersis, in tristibus ac lætis euentibus reficere, ne deficiamus, & ne cæci remaneamus illustrare consueuit, &c. Scriptura dum intrinsecus radiat, velut pretiosissima

sima quæque gemma in profundum fulgorem considerantium demittit oculos. Hoc interno ac salubri cibo disce animæ famem pascere.

Sedulius. 460.

Ad cap. primum epistolæ ad Romanos: Sanctæ Scripturæ sunt, quia & vitia damnant, & sacramentum illic vnius Dei continetur, pro salute humana.

Sidonius Apollinaris. 480.

Lib.4. epist.9. Inter hæc sacrorum voluminum lectio frequens, per quam inter edendum sæpius sumit animæ cibum, Psalmos crebrò lectitat, crebrius cantat, nouoq; genere viuendi monachum complet.

Alcimus Auitus. 500.

Libro ad Sororem:

Præterea verò queis victo ex hoste rebelles,
Atq; resultantes victrici in corpore motus
Artibus allidas, Christoq; in cote retundas,
Diuino eloquio, Scripturaq; indice nosti.

Benedictus Abbas. 530.

In Reg. cap.73. Quæ pagina, aut quis sermo diuinæ auctoritatis, veteris ac noui Testamenti non est rectissima norma vitæ humanæ?

Iustus Orgelitanus. 540.

In Cantica: Notitia Scripturarum, quę frequenti meditatione acquiritur, velut turris eburnea in colle, &c.

Mille clypei pendent. Potest hæc turris Scriptura Canonica veteris ac noui Testamenti conuenienter intelligi, quę per Spiritum sanctum, velut turris excelsa constructa est. *Mille clypei pendent ex ea.* Hic numerus per plenitudinem potestatis accipitur, sicut in Psalmo: *Verbi, quod mandauit in mille generationes.* Itaque in hac sancta Scriptura omnis armatura fortium reperitur, ex qua vel contra diabolum, vel contra ministros eius fortiter repugnatur. Nam & ipse Dominus, cùm in deserto à diabolo tentaretur, ex hac turri arma produxit, cùm eum prolatis ex sacra Scriptura testimonijs vsquequaque deiicit. Matth.4.

Iunilius Africanus. 540.

Libro secundo de partibus diuinæ Legis c.29. D. Vnde probamus religionis nostræ libros diuina inspiratione esse conscriptos? M. Ex multis, quorū primum est, ipsius Scripturę veritas: deinde ordo rerum, consonantia præceptorum, modus locutionis sine ambitu, puritasq́ue verborum: additur conscribentium & prædicantium qualitas, quòd diuina homines, excelsa viles, infacundi subtilia, non nisi diuino Spiritu repleti tradidissent. Tum prædicationis virtus, quam dum (licet à paucis despectis) prædicaretur, obtinuit. Accedunt his rectificatio contrariorum, vt Sibyllarum, vel Philosophorum, expulsio aduersariorum, vtilitas consequentium, exitus eorum, quæ per acceptationes, & figuras, & prædictiones, quæ prædicta sunt: ad postremum, miracula iugiter facta, donec Scriptura susciperetur à Gentibus: de qua hoc nunc ad maximum miraculum sufficit, quòd ab omnibus susceptа cognoscitur.

Cassiodorus. 540.

Diuinarum institutionum lib.1. cap.16. Intuemini sodales egregij quàm mirabilis, quàm dulcis in diuinis Scripturis decurrit ordo dictorum, desiderium semper excrescens, satietas sine fine, esuries gloriosa beatorum, vbi nimietas non arguitur, sed magis importunitas crebra laudatur. Et meritò: quando & notitia rerum salutarium inde discitur, & credentibus, atque eadem operantibus æterna vita præstatur. Præterita sine falsitate describuntur, præsentia plus quàm quod videntur ostenduntur, futura quasi iam perfecta narrantur: vbique in ijs veritas regnat, vbique diuina virtus irradiat, vbique panduntur humano generi profutura.

Ad cap. 4. Cant. Diuina Scriptura fauus destillans vocatur: quia multipliciter intelligitur, & varijs sensibus exponitur; nunc iuxta literam, nunc iuxta allegoriam, nunc iuxta moralitatem, nunc iuxta anagogen, id est, superiorem sensum.

Fortunatus. 580.

In expositione orationis Dominicæ: Si quæritur quæ sit Dei voluntas, habes Dei præcepta, quę per Mosen Dei voluntate sunt vulgata: habes Dei Filiū, qui Patris voluntatem sciens, quæ erant abscondita referauit, & quæ obumbrabantur in lucem transfudit.

Gregorius Magnus. 590.

Epistola in expositione libri Iob c.sp.4. Diuinus sermo, sicut mysterijs prudentes exercet, sic plerumque superficie simplices refouet: habet in publico, vnde paruulos nutriat: seruat in secreto, vnde mentes sublimium admiratione suspendat: quasi quidam fluuius planus & altus, in quo & agnus ambulet, & elephas natet.

Prologo in libros Regum: Sacra Scriptura tam mirabiliter ab omnipotente Deo condita est, vt etsi multipliciter videatur exposita, non desunt tamen ei secreta, quibus seruet occulta. Quia ferè nunquam sic exponitur, vt ei non plura remaneant, quæ quotidie exponantur.

In Cantica Canticorum capite quarto: Sancta Scriptura sic aquam sapientiæ generat, vt & potantes semper reficiat, & tamen manare non desistat, &c. Scripturæ sanctæ scientia tanto fluit impetu, vt electos dum tangit, ab huius vitæ amore submoueat, & ad æterna gaudia, vi impetus sui, quosque adhærentes traijciat.

Lib. 4. epistola 40. Quid est Scriptura sacra, nisi quædam epistola omnipotentis Dei ad creaturam suam?

Isidorus Hispalensis. 620.

De Summo bono lib.1. cap.18. Sanctarum Scripturarū altitudo quasi montes pascuæ sunt, ad quos dum quisque iustorum conscendit, pascuæ indeficientis refectionem se inuenisse congaudet. In Scripturis sanctis, quasi in montibus excelsis, & viri perfecti habent sublimia intelligentiæ, quibus gressus contemplationis, quasi cerui erigant; & simplices, quasi parua animalia, inuenīūt modicos intellectus, ad quos ipsi humiles refugiunt. Scriptura sacra infirmis & sensu paruulis secundùm historiam humilis videtur in verbis, cum excellentioribus autem viris altius incedit, dum eis sua mysteria pandit; ac per hoc vtrisque manet communis, & paruulis, & perfectis.

Lib.3. cap.13. Quid prodest in mundanis doctrinis proficere, & inanescere in diuinis? caduca sequi figmenta, & cælestia fastidire mysteria? Cauendi igitur sunt tales libri, & propter amorem sanctarum Scripturarum vitandi. Gentilium dicta exterius verborum eloquentia nitent, interius vacua virtutis sapientia manent: Eloquia autem sacra exterius incompta verbis apparent, intrinsecus autem mysteriorum sapientia fulgent. Ideò libri sancti simplici sermone cōscripti sunt, vt non in sapientia verbi, sed in ostensione Spiritus homines ad fidē perducerentur. Nam si Dialectici acuminis versutia, aut Rhetoricæ artis eloquentia

quentia editi essent, nequaquam putaretur fides Christi in Dei virtute, sed in eloquentiæ humanæ argumentis consistere: nec quenquam crederemus ad fidem diuino inspiramine prouocari, sed potius verborum calliditate seduci.

Concilium Quartum Toletanum. 640.

Cap. 24. Ignorantia mater cunctorum errorū maximè in sacerdotibus Dei vitanda est, qui docendi officium in populis susceperunt. Sacerdotes enim legere sacras Scripturas frequenter admonet Paulus, dicens ad Timotheum: *Intende lectioni, & exhortationi, doctrinæ quoque, & semper permane in his.* Sciant igitur sacerdotes Scripturas sanctas, & Canones meditentur, vt omne opus eorū in prædicatione diuina & doctrina consistat, atq; ædificent cunctos, tam fidei scientia, quàm operū disciplina. 1. Tim. 4.

Iulianus Pomerius. 660.

Lib. 1. contra Iudæos: Ignorantia Scripturarum, est ignorantia Christi.

Beda. 700.

In Num. cap. 5. Aqua amara Scriptura diuina dicitur, quia peccantibus non parcit, & iustis dulcis, quibus æterna præmia repromittit: & ita alijs aqua benedicta est, alijs maledicta.

Libro 3. in Esdram cap. 18. Piscina grandi opere constructa non absurdè Scriptura diuina potest intelligi: quæ S. Spiritus opere confecta, lauacrū nobis ad expianda peccata, simul & poculum salutaris gustus ministrat. Quæ si à Domino nobis in vinum conuersa, hoc est in spiritualem sensum fuerit translata, gratiori nos suauitate veritatis inebriat. Vbi & domus est fortium: quia quicunque crebris diuinorum eloquiorum fluentis audiendo & operando refici censuerunt, contra omnes antiqui hostis insidias fortes redduntur & inuicti.

Aponius. 700.

Lib. 1. in Cant. Dominus Deus Pater dedit verbum ignitum huic mundo, quod in figura carbonis forcipe duorum testamentorum leuatur de altari, & labia purgat Esaiæ Prophetæ: qui per adunationem carnis solus inter mortuos liber, viuens; commixtus, simul; flante Spiritu sancto omnes animæ, quæ vt carbones mortui impietatum tenebris obscurato intellectu, non accendebantur, eius vicinitate accensæ sunt. Hoc autem quòd diligunt, quòd flamma amoris sponsi accenduntur, proprium donum gratiæ Verbi Dei est. Esa. 6.

Alcuinus. 750.

Ad cap. 3. Ecclesiastis: Lætari debemus in lectione sanctarum Scripturarum, vbi pascamur & potemus de ligno vitæ, *quod plantatum est secus decursus aquarum.* Psal. 1.

De Trinitat. lib. 1. cap. 1. Tota sanctarum Scripturarum series nos à terrenis ad cælestia erigi hortatur, vbi vera & sempiterna est beatitudo: ad quā nisi per fidem Catholicæ pacis, cooperante charitate Dei ac proximi, neminem peruenire posse certissimum est.

Libro 2. cap. 6. Sanctæ Scripturæ ad cognoscendum Deum nobis diuinitus per sanctos Doctores administratæ, à terreno & humano sensu, ad diuinum & cælestem nos erigentes, vsque ad ea verba descenderunt, quibus humana vtitur consuetudo.

Ambrosius Ansbertus. 760.

Lib. 9. in Apocal. Scriptura sacra diuinitus promulgata, quia diuersorum hominum varijs qualitatibus congruit, varijs vocabulis nuncupatur. Aliquando enim lactis nomine, aliquādo autem cibi, aliquando verò potus, aliquando quoque voluminis, aliquando etiam speculi designatur: & nunc quidem gladij vel sagittarum, nunc autem spiritus vitæ, nunc verò defluentium aquarum, nunc quoque pluuiæ descendentis in terram, nunc etiam tenebrosæ aquæ in nubibus aëris vocabulo figuratur: plerunque etiam abyssi profunditati comparatur. Quia enim rudes in fide sola superficies pascit historiæ, rectè lactis nomine designatur, &c. Quia autem succrescentis ætatis intellectu quidam ab inchoatione ad maiora percipienda perueniunt, iure tamquam perfectus ac solidus cibus eadem Scriptura occurrit. Vndè & per egregium prædicatorem dicitur: *Perfectorum est solidus cibus.* Heb. 5.

Haymo. 820.

Ad cap. 65. Esaiæ: Augustinus, Cyprianus, Philosophiq; Gentium relinquentes humanam philosophiam, quæ eloquentiæ vrbanitate polita erat, Scripturæ sacræ se contulerunt, quæ mediocri stylo est digesta, retinens intrinsecus ineffabilia mysteria.

Ad cap. 4. ad Gal. Sicut elementa initium & fundamentum sunt omnium corporalium: ita Lex, & Prophetæ initium & fundamētum sunt omnium diuinorum eloquiorum.

Angelomus. 830.

Ad cap. 7. lib. 3. Regum: Omnis Scripturæ prophetia sibi inuicem consentanea est; vtpote vno Dei spiritu condita.

Rabanus Maurus. 850.

De institutione Cleri lib. 2. cap. 4. Hi sunt scriptores sacrorum librorum diuina inspiratione loquentes, atque ad eruditionem nostram præcepta cælestia in Ecclesia dispensantes. Auctor enim earūdem Scripturarum Spiritus sanctus esse creditur. Ipse enim scripsit, qui per Prophetas suos scribēda dictauit.

Lib. 3. in Ecclesiasticum cap. 10. Sacra Scriptura dicitur domus sapientiæ, vbi ipsa latet, & velamento literarum tegitur: sed à piè quærentibus salubriter inuenitur. Parietes autem illius sunt duo Testamenta: in his qui figit palum, hoc est, scribendi adhibet studium, secundùm regulam vtiq; & sensum Catholicum, remunerationis suæ non perdet præmium.

Epistola ad Abbatem quendam: Sapientia diuina, quæ in sacra Scriptura elucet omnibus: tam potentibus, quàm infirmis; tam sapientibus, quàm insipientibus, si eam rectè intenderint, & ei ritè obedierint, medicina salubris est. Ipsa est illuminatio animæ, ipsa correctio vitæ, ipsa semita iustitiæ, in ipsa acquisitio sempiternæ gloriæ: ipsa mœrentes consolatur in labore, & exercet in virtute patientię, promittit coronam in præmij perceptione: & ideo magis maiores atque minores eius adminiculo indigent, eiusq; magisterio opus habēt. Huius enim assiduitas in lectione te amantissimè consoletur, exhortamentis foueat, atque exemplis confortet.

Theodulphus Aurelianensis. 860.

In Carminibus de sacræ Scripturæ libris:

Hic cibus æterno satiat præcordia pastu,
Iustitiæq; famem, quò magè habetur, alit.
Hic paradisigeno veniens de gurgite potus,
Quem quò plus quis alit, plus sitit omne bonum.
Hæc tuba terribilis mugit per compita mundi,
Mittit terrigenum ad calica regna decus.
Hæc lux horrendas errorum decutit vmbras,
Quæ retinent mentis te, via recta, pedes.

Sunt

Sunt hic iura Dei tenebris nudantia mundum,
Splendidiora astris, candidiora niue:
Iusta iubent, iniusta vetant, mala cuncta recedunt,
Virtutes gignunt, probra fugant vitia.
Lex pretiosa Dei est: quid enim pretiosius illa,
Quam dat fons vitæ, lux & origo boni?
Est doctrina potens, superansq; scientia cunctas,
Cui valet æquari nulla sub axe poli.

Remigius Antissiodorensis. 880.

Ad Psal. 36. Scriptura diuina omni morbo animæ dat medicamentum suum.

Altercatio Synagogæ & Ecclesiæ. 900.

Cap. 7. O puteus viuentis, & videntis, abyssus impenetrabilis, inexhaustæ profunditatis: ô sapientia latēs in verbis transitorijs immobili statu veritatis, cuius potu mundi corde satiantur: quia in his, quæ legunt, delectantur. Qui enim lectione diuina non delectatur, apices quidem ventilat, sed fructu interiore priuatur. Sicut haustus vinei liquoris corpus non solùm salubriter, suauiterq; perfundit, verùm etiam potantium animis iucunditatem non paruam adijcit: sic verba cælestis eloquij, sicut auditum audientis, vel legentis demulcent; sic ex spiritualis gratiæ dulcore gaudiorum æternorum spem operantur. Litera quidem simplex & suauis est legenti, sed gratior & suauior est ex literæ sensu vita promissa speranti. Itaq; in altero exercitij vsus est, in altero fructus meriti.

Smaragdus. 950.

Ad cap. 4. reg. D. Benedicti: Lectionis sacræ cognitio cultoribus suis sensus acumē ministrat, intellectum multiplicat, torporem excutit, otium amouet, vitam cōponit, mores corrigit, salubrem gemitum facit, & lachrymas compuncto corde producit, loquendi tribuit facundiam, æterna laborantibus promittit præmia, spiritales diuitias auget, vaniloquia vanitatesq; compescit, & desiderium Christi, patriæq; cælestis accendit.

In Præfatione explicationum Euangeliorum Dominicalium: Lectionis sacræ cognitio imbecillis baculum, neruosis arma ministrat, hostium subdolas fortiter premit insidias, & victoribus æternas promittit coronas.

Radulphus Flauiacensis. 950.

Præfatione in Leuiticum: Quamuis non parum ad credendum nos mouere debeat, quòd fidei primò contrarius, nunc subditur mundus fidei: quòd fides ipsa tot miraculis declarata, tot Martyrum cruore testificata est: singulare tamen fidei firmamētum in Scripturis habetur, dum hoc luce perspicua nostris temporibus videtur expletum, quod ante millia annorum præsignatum & prænuntiatum intelligimus, tum Patrum sacramentis, tum Prophetarum oraculis.

Lib. 17. cap. 15. Sacra Scriptura mensa nobis est, & spiritualis refectio, ad consolationem nobis data contra inimicos. Quæ purissima dicitur, quia *eloquia Domini eloquia casta sunt, argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplum.* Psal. 11.

Berno Augiensis. 1020.

Epist. ad Eberhardum Præsulem: Inter varios rerum euentus, qui humanæ solent fragilitati accidere, potentissimum ac speciale quoddam reor esse solatium, sanctarum meditationem Scripturarum: quod & Apostolica testari videtur auctoritas, dum dicit: *Quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt,* &c. Hæc est illa mensa, cælestium dapum ferculis referta, quæ lassis requiem, infirmis sanitatem, lapsis recuperationem, stantibus in fide confert fortitudinem, vt iuxta vocē Esaiæ, mutata fortitudine, ac assumptis pennis aquilæ, possint volare, & non deficere. De hac sacræ Scripturæ mensa dicit ad Dominum Psalmista: *Parasti in conspectu meo mensam aduersus eos, qui tribulant me.* Rom. 15.

Sermone 3. de S. Marci Euangelio: In sacris eloquijs pendent totius nostræ salutis munimina.

Radulphus Ardens. 1060.

Dominica 12. post Trinitat. Sacra Scriptura vocatur Testamentum triplici de causa: quia est quasi charta testificans fœdus inter Deum & hominē factū: quia testificatur nobis diuinam voluntatē, quam facere debeamus: quia est quasi testamentum hæreditatis à Deo nobis promissæ.

Anselmus Cantuariensis. 1080.

Ad cap. 8. epistolæ ad Hebræos: Nullus tam perfectus est, qui in nouo Testamento non inueniat, vnde semper proficere possit, quamdiu viuit.

De Processione Spiritus sancti contra Græcos: Nos nō tantùm suscipere cum certitudine debemus, quæ in sacra Scriptura leguntur: sed etiam ea, quæ ex his, nulla alia contradicente ratione, rationabili necessitate sequuntur.

Iuo Carnotensis. 1100.

Epist. 223. In hac ambiguitate finem ponit auctoritas Euangelica, contra quam nec personalis, nec epistolaris valere debet sententia. B. Augustinus scripturas suas & sibi similium inter Canonicas Scripturas testatur non esse computandas.

Sigebertus Gemblacensis. 1110.

Vitæ S. Maclouij cap. 2. Vt plenius haberet scientiam doctrinæ, & cognitionem Dei, arctius se addixit sanctarum Scripturarum eruditioni: in cuius rei intentione otiositas, quæ inimica est animæ, reprimitur; in cuius meditatione Deus agnoscitur; in cuius executione vita æterna acquiritur.

Rupertus Tuitiensis. 1120.

In Ioelem lib. 1. cap. 2. Licet multi de Ecclesia gentium prophetiæ spiritum habuerint, somnia memorabilia somniârint, & visiones memoria dignas viderint: soli tamen filij Sion, & filij filiorum, scilicet Prophetæ priores, & Apostoli succedentes, soli, inquam, hi sunt, quorum prophetiæ & somnia, seu visiones Canonicæ auctoritatis tenent apicem summum, tamq; probatæ veritatis atque certitudinis sunt, quàm Lex & Euangelium.

Hugo Victorinus. 1130.

In præuotionibus elucidatorijs de Scripturis, & Scriptoribus sacris cap. 13. Geminus est lectionis diuinæ fructus: quia mentem vel scientia erudit, vel moribus ornat. Docet quod scire delectat, & quod imitari expediat: quorum alterum, id est, scientia, magis ad historiam, & allegoriam: alterum, id est, instructio morum ad tropologiam magis respicit. Omnis diuina Scriptura refertur ad hunc finem.

Bernardus. 1130.

Sermone 1. super Cantica: Blanda est sacræ Scripturæ facies, facilè afficit & allicit ad legendum, ita vt quod in ea latet, delectet etiam cum labore inuestigare: nec fatiget inquirendi fortè difficultas, vbi eloquij suauitas mulcet.

Richardus Victorinus. 1140.

In Cant. cap. 11. Lectio Scripturæ, atque meditatio, psalmodiæ deuota decantatio mentem robo-

rant, hostem infirmum reddunt, & vires eius euacuant. Dum itaque hanc memoria tenent, & opere implent, & per hanc ad confligendum cum hoste doctissimi fiunt: quia per intelligentiam Scripturæ eruditur, & per operationem illuminantur: sicut Psalmista dicit: *In intellectibus manuum suarum* (id est per operationem) *reduxit eos.* Psal. 77.

Petrus Cluniacensis. 1150.

Lib. 1. Epist. Euangelium toti veteri Instrumento testimonium dat, & eius insuper auctoritatibus, ea ipsa quæ prædicat, confirmat. Nonne Christus in Euangelio auctoritatem veteris Testamenti sua auctoritate firmauit, quando post resurrectionem discipulis omnibus apparens, dixit: *Oportebat omnia impleri, quæ scripta sunt in Lege Mosi, & Prophetis, & Psalmis de me?* Nonne eandem indissolubili vinculo confirmauit, quando ijsdem discipulis aperuit sensum, vt intelligerent Scripturas? Nonne eandem confirmauit, quando discipulis in Emaus euntibus dixit: *O stulti & tardi corde ad credendum in omnibus, quæ locuti sunt Prophetæ?* Et quid vltra exigetis? an non sufficit vobis tanta, tamq; præclara auctoritas, qua Christus Legi Mosi, qua Prophetis, qua Psalmis non confusè, sed distinctè testimonium perhibuit: quãdo primò Legis, deinde Prophetiarum, ad vltimum Psalmorum de se, & in se impleri oportuisse docuit? Luc. vlt

Petrus Blesensis. 1160.

Epist. 60. Sacra lectio vobis necessaria est: ipsa enim est mensa tabernaculi, quæ ad Aquilonem, *vnde omne malum panditur*, posita est. Sacra lectio cibus est: per hũc cibum spiramus & viuimus. Certè solo eloquij sacri testimonio Christus contra omnes tentationes diaboli vsus est in deserto.

Epist. 116. Scriptura est vomer Samgar aratorius, quo terra nostri cordis excolitur, quo quingenti scinduntur Philistæi, & in fugam alij conuertuntur: hæc est maxilla asini, qua Samson sitiens reficitur, & mille Philistæi occiduntur. Sacra lectio vobis gladius est, medicina, requies, cibus, nec tantùm cibus, sed & vita, & spiritus.

Ioannes Saresberiensis. 1160.

Lib. 7. Polycratic. c. 12. Diuinæ paginæ libros, quorum singuli apices pleni sunt Sacramentis tanta grauitate, legendos fortè concesserim, eò quòd tamquam thesaurus Spiritus sancti, cuius digito scripti sunt, omnino nequeant exhauriri. Licet enim ad vnum tantummodò sensum accommodata sit superficies literæ, multiplicitas tamẽ mysteriorum intrinsecus latet: & ab eadem re sæpe allegoria fidem, tropologia mores varijs modis ædificat.

Petrus Cellensis. 1160.

In mystica & morali expositione Tabernaculi Mosaici lib. 2. Scriptura quasi matrona quædam grauis & grandęua, licet stibio purpura & cerussa recusęt ornare genas suas, rubentes satis naturali vigore & decore: tamen illis Philosophorum studijs & doctrinis, quæ tantummodò in facie verborum gloriantur, nequaquam inferior inuenitur. Sensu namq; maiestas eius venustior, numerosa sententiarũ compactio validior, intellectus vtilior, fructus vberior, lectio modestior. Hæc tam habitum, quàm vitium meretricum respuit; vt amplius placeat nucleus sub cortice, quàm mendax fucus in vertice. Inaurata itaq; est, quia & facie pulchra, & sensu est bona.

Innocentius Tertius. 1200.

Dominica 1. in Quadrag. Serm. 3. Quoties nobis graues tentationes emergũt, recurramus ad testimonia Scripturarũ, in quibus inuenimus quod miremur, & exemplum quod imitemur.

Adelredus. 1200.

Apud Godfridum Tilmanum in allegorijs super Genesin fol. 28. Dico vobis fratres, nil poterit aduersi contingere, nihil tam triste vel amarum emergere, qđ non mox vt pagina sacra nos exceperit, aut euanescat citius, aut facilius toleretur.

Concilium Lateranense. 1215.

Cap. 1. Hæc sancta Trinitas secundùm communem essentiam indiuidua, & secundùm personales proprietates discreta, per Mosen & sanctos Prophetas, aliosq; famulos suos, iuxta ordinatissimam dispositionem temporum, doctrinam humano generi tribuit salutarem.

Iacobus Vitriacus. 1220.

Dominica 5. post Epiphaniam in Euangelium: Legitur in Numeris, quòd puteus apparuit filijs Israel in deserto: ipsi autem gandentes cecinerunt Domino, dicentes: *Ascendat puteus, quem foderunt Principes, & parauerunt Duces.* Puteus iste, quo refrigeramur & refocillamur in deserto huius peregrinationis, est diuina Scriptura: cuius aquæ animam à sordibus abluunt, sicut ait Dominus in Euangelio: *Vos mundi estis, propter sermonẽ, quem locutus sum vobis.* Sitim auaritiæ & cupiditatis tollunt: *quia qui biberit ex hac aqua, non sitiet in æternum.* Vnde Isaias ad has aquas inuitat sitientes, dicens: *Omnes sitientes venite ad aquas.* Ignem luxuriæ & aliorum peccatorum extinguunt: verbum enim Domini intersecindit flammã ignis. Arida corda irrigat, & fructificare facit, sicut dicitur in Psal. *In stillicidijs eius lætabitur germinans.* Qui hunc puteum inuenit, cui Dominus scilicet hũc puteum ostendit ad imitationem filiorũ Israel, gaudeat, & Domino gratias agat. Multi enim in hoc deserto sitis ariditate deficiunt, &c. Hunc puteum foderũt Principes, scilicet sancti Prophetæ & Apostoli: Duces autem, id est Doctores, parauerunt illum, &c. Hic est puteus veri Iacob, iuxta quem sedens Dominus locutus est Samaritanæ: puteus scilicet profundus subtilitate & mysteriorum arcanis, cuius aquas haurire non potest, nisi qui se inclinauerit, habẽs hausteriũ humilitatis, &c. Hic est puteus à cuius ore sublato lapide Iacob oues Rachelis adaquauit. Lapis est Legis duritia, quæ tollitur ab ore putei, id est, Scripturæ, vt oues Ecclesiæ valeant bibere. Num. 21. Ioan. 15. Ioan. 4. Isa 55.

Guilhelmus Aluernus. 1230.

De Legibus c. 17. Attende diligenter istas duas radices, & videbis euidenter non humano sensu, nõ fortuito casu sacram Scripturam editam esse, & scriptam seu ordinatam: sed sapientiæ cælestis artificio admirando: videbis etiam ad magisterium diuinę pietatis pertinere, vt omnes libri eiusdem, propter omnem eruditionem & ædificationem, quę inde elici potest, scripti sint.

Thomas Aquinas. 1250.

Secunda 2. quæst. 110. art. 3. Nec in Euangelio, nec in aliqua authentica Scriptura fas est opinari aliquid falsum adferri, nec quòd scriptores earum mendaciũ dixerint: quia periret fidei certitudo, quæ auctoritati sacræ Scripturæ innititur.

Bonauentura. 1260.

In Prolegomenis in tertiam Dictam salutis de præceptis: Ortus sacræ Scripturæ nõ est per humanam inuestigationem, sed per diuinam reuelationem, quæ fluit *à Patre luminum, ex quo omnis paternitas in cælo & in terra nominatur.*

Cap. 17. Scriptura magis est authentica, & plus obseruanda, quãdo per manum publici tabellionis est confecta. Iste tabellio est Spiritus sanctus, scilicet qui ex nihilo fecit cælum & terram, & omnia elemẽta, & corpus Christi formauit in virginali

ginali vtero, & de puluere formauit corpora nostra.

Parte 2. de sublimitate Scripturæ: Nullus est qui falli nõ possit, & fallere nesciat, nisi Deus & Spiritus sanctus. Hinc est quòd ad hoc, quòd Scriptura sacra modo sibi debito esset perfectè authẽtica, quæ non per humanam inuestigationem est tradita, sed per reuelationem diuinam: ideò nihil in ipsa contemnendum, tanquam inutile; nihil respuendum, tanquam falsum; nihil repudiandum, tanquam irritũ, vel iniquum, pro eo quòd Spiritus sanctus eius auctor perfectissimus, nihil potuit dicere falsum, nihil superfluum, nihil diminutũ. Et propterea *cælum & terra transibunt, verba* Scripturæ sacræ *non peribunt*, quando impleantur: donec enim cælum & terra transeat tota, &c. Ipsa Scriptura sacra non solùm habet altissimam materiam, per quam delectat, per quam in altum leuet intelligentiam mentis: verùm etiam ipsa est venustissima, & miro quodam modo intellectũ nostrum delectat.

Nicolaus Lyranus. 1300.

Prologo in sacra Biblia: Nulla alia Scriptura, nisi ista, immediatè ducit ad vitam beatam, quę est sola vita simpliciter: quia mortem nescit. Ideò Saluator Ioan. 5. loquens de efficatia huius Scripturæ, dicebat Iudæis, in Lege peritis: *Scrutamini Scripturas, in quibus putatis vos vitam æternam habere.* Ioan. 5.

Præfatione in Tobiam: Libri sacræ Scripturæ, qui Canonici nuncupantur, tantæ sunt auctoritatis, quòd quicquid ibi continetur, verum tenetur firmiter & indiscussè, & per consequens illud, quod ex hoc concluditur, manifestè, &c.

Augustinus Triumphus. 1320.

De potestate Ecclesiastica quæst. 100. art. 1. In dubijs occurrentibus in Ecclesia primum locum auctoritatis tenet Scriptura veteris ac noui Testamẽti, quæ tota est de Christo, tanq; triũphali subiecto.

Durandus à S. Portiano. 1320.

Præfatione in libros Sententiarum: Sacra Scriptura excellit cæteras scientias, in celsitudine dignitatis, in plenitudine bonitatis, in certitudine veritatis, ac in voragine profunditatis. Dico primò quòd sacra Scriptura excellit omnes alias scientias celsitudine dignitatis, quã habet à principio originali: quia est immediatè inspirata à Deo. Ergo inter scięntias & scripturas, quæ ad spiritualem perfectionem animæ pertinent, sacra Scriptura, quæ immediatè à Deo est inspirata, quãdam prærogatiuam dignitatis obtinet: quia est emanatio quędã claritatis Dei omnipotentis syncera. Sap. 7.

Ludolphus Saxo Carthusianus. 1330.

Ad Psal. 64. Sacra Scriptura est cibus noster, ac panis vitæ & intellectus, quo quotidie reficimur, ne deficiamus in huius peregrinationis deserto. Vnde scriptum est: *Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit ex ore Dei.* Matth. 4.

Bernardinus Senensis. 1430.

Tom. 1. Sermon. 2. cap. 2. Sicut Deus, qui est sol illuminãs vniuersum, minimè à semetipso discordat: sic sacri Scriptores eodem concordi lumine illustrati, in omnibus extiterunt concordes. Vnde Psal. inquit, loquens de scriptoribus Scripturarum: *De medio petrarum dabunt voces*, id est, de medio sanctæ Trinitatis emittent consonantiam sensuum in Scripturis.

Ioannes de Turrecremata. 1450.

Tract. 41. in Reg. D. Benedicti: Lectio sacra plurimas habet vtilitates, & potissimè duodecim, quæ discipulum multum mouere debẽt ad libenter magna cordis concupiscentia lectiones sanctas audiendas. Primò quidem valet ad bonorum fructuũ productionem. Secundò valet ad cælestis desiderij inflammationem. Tertiò ad animandum & confirmandum debiles & infirmos contra tentationum bella, per hoc, quod in libris sacris narrantur gesta virorum fortium. Quartò valet ad cauendum dæmonum insidias: est enim sacra lectio sicut alueus, per quem fluit aqua, in qua solent resultare imagines auium rapacium; & ideò viri sancti legunt libenter in libris sanctis, vt intuentes in eis fallacias dæmonum, melius caueant. Quintò valet ad sui cognitionem: est enim sacra Scriptura quasi speculum, in quo cognoscit quis semetipsum; & ideò sicut dominæ magnæ quotidie se respiciunt in speculis, sic & Sancti in Scripturis. Sextò valet ad commorandum cum Deo: nam in lectione auditur Deus loquẽs. Septimò valet ad animæ refectionem: sunt enim diuini libri quasi loca pascualia vberrima. Octauò valet ad salutaria remedia: Diuina enim Scriptura est quasi apotheca specierum salutarium & odoriferarum, &c.

Ioannes Picus Mirandulanus. 1490.

Epist. ad Ioannem Franciscum ex fratre nepotem: Nihil Deo gratius, nihil tibi vtilius facere potes, quàm si non cessaueris literas sacras *nocturna versare manu, versare diurna:* latet enim in illis vis quædam viua & efficax, quæ legẽtis animum, (si modò illas purè ac humiliter tractauerit,) in diuinũ amorẽ mirabili quadam potestate transformat.

Ioannes Trithemius. 1500.

Homilia 4. In Scripturis diuinis quicquid salutaris requirit scientia, copiosissimè reperitur expressum; vt quod ibi non inueneris, minimè ad salutem sit necessarium: maiestas enim Scripturarum diuinarum omnem totius mundi scientiam atque doctrinam longè procul transcendit, quam Spiritus S. hominibus Dei, vt scriberetur, infudit, & vt intelligatur à studiosis lectoribus illustrationis suæ gratiam impendit. Hinc fratres mei Scripturam cum puritate mentis, & feruore geminæ charitatis reuoluite: quoniam quisquis Deum veraciter diligit, omne tempus, quod inuenire potest ad otiũ, in sacris lectionibus cõsumit.

Baptista Mantuanus. 1510.

De Patientia lib. 3. c. 32. Magnum & mirabile contra corporis dolores & animi tristitiam inuenies ex sacræ Scripturæ lectione remedium, & certè iudicio meo nullus sermo, (quanquam sit accuratissimè cultus, & summa eloquentia ornatus ac splendidus,) qui mentes ægras magis consolari, & curas æquè possit demoliri.

Cap. 33. Inest Scripturis sacris nescio quid, imò scio quid natura sublimius, id est inspiratio facta diuinitus, & diuinæ irradiationis influxus certus.

ARTICVLVS TRIGESIMVS PRIMVS.

SACRAS SCRIPTVRAS IN PLERISQVE LOCIS ESSE OBSCVRAS ET DIFFICILES INTELLECTV.

NEGANT.

Anno post natũ Christum. 1520. MARTINVS Lutherus Præfatione in Assertiones articulorum à Leone Decimo damnatorum: *Oportet Scriptura iudice hîc sententiam ferre. Quod fieri non potest, nisi Scripturæ dederimus principem locum in omnibus, quæ tribuuntur Patribus, hoc est, vt sit ipsa per se certissima, facilima, apertissima, sui ipsius interpres omnium, omnia probans, iudicans, ac illuminans.*

De seruo arbitrio. *Esse in Scriptura quædam abstrusa, & non omnia exposita, inuulgatum est quidem per impios sophistas, quorum ore & tu loqueris Erasme: sed nunquam vnum articulum produxerunt, nec producere possunt, quo suam hanc insaniam probarent. Talibus laruis Sathan nos absterruit à sacris literis, & reddidit Scripturam sanctam contemptibilem, vt suas pestes in Ecclesia faceret regnare. Hoc sanè fateor, esse multa loca in Scripturis obscura & abstrusa, non ob maiestatem rerum, sed ob ignorantiam vocabulorum, & Grammaticæ, sed quæ nihil impediant scientiam omnium rerum in Scripturis. Res in Scripturis contentæ sunt omnes proditæ: licet quædam loca adhuc verbis incognitis obscura sunt. Stultum verò & impium est, scire res Scripturæ omnes in luce positas clarissima, & propter verba obscuriora res obscuras dictare. Si vno in loco obscura sunt verba, at in alio loco clara. Igitur tu, & omnes sophistæ, agite, & producite vnum aliquod mysterium, quod sit in Scripturis adhuc abstrusum. Quod verò multis multa manent obscura, non hoc fit Scripturæ obscuritate, sed illorum cæcitate vel socordia, qui non agunt, vt clarissimam lucem videant.*

1550. Bernardinus Ochinus Dialogo 2. *Sacræ literæ per se sunt perspicuæ, præsertim in rebus ad salutem necessarijs.*

1560. Ioannes Brentius, in Prolegomenis contra Petrum à Soto: *Dicamus de perspicuitate sacræ Scripturæ. Negantur enim Scripturam esse obscuram, ideoq; indigere interpretatione. Negari quidem nequit, quòd impijs & incredulis Scriptura sit maxima ex parte obscura: sed pijs & credentibus in Christum, atque Spiritu Christi donatis, præcipua capita doctrinæ ita nota & manifesta sunt, vt audeant etiam de his cum Sathana ipso certamen inire.*

ASSERVNT SACRÆ LITERÆ.

Psal. 17. v. 12. Tenebrosa aqua in nubibus aeris.

Psal. 118. 18. Reuela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua.

Psal. 118. 34. Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam.

Psal. 118. 135. Faciem tuam illumina super seruum tuum, & doce me iustificationes tuas.

Isaiæ 29. 11. Et erit vobis visio omnium sicut verba libri signati: quem cùm dederint scienti literas, dicent: Lege istum: & respondebit: Non possum, signatus est enim.

Daniel. 12. 4. Tu Daniel claude sermones, & signa librum vsque ad tempus statutum: plurimi pertransibunt, & multiplex erit scientia.

Lucæ 24. 27. Et incipiens Iesus à Mose & omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis, quæ de ipso erant. 32. Et dixerunt ad inuicem: Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret nobis Scripturas?

Act. 8. 30. Accurrens Philippus, audiuit Eunuchum legentem Isaiam Prophetam, & dixit: Putásne intelligis quæ legis? Qui ait: Et quomodo possum, si non aliquis ostenderit mihi? Rogauitque Philippum vt ascenderet, & sederet secum. Locus autem Scripturæ quam legebat, erat hic: Tanquam ouis ad occisionem ductus

est, &c. Respondens Eunuchus Philippo, dixit: Obsecro te, de quo Propheta dicit hoc? de se, an de alio aliquo, &c.

2. *Corinth.* 3. 14. Vsque in hodiernum diem, idipsum velamen in lectione veteris Testamenti manet non reuelatum (quoniam in Christo euacuatur) sed vsque in hodiernum diem, cùm legitur Moyses, velamen positum est super cor eorum.

2. *Pet.* 3. 15. Sicut & charissimus frater noster Paulus secundùm datam sibi sapientiam scripsit vobis: sicut & in omnibus epistolis, loquens in eis de his: in quibus sunt quædam difficilia intellectu, quę indocti & instabiles deprauant, sicut & cæteras Scripturas, ad suam ipsorum perditionem.

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Clemens Romanus. 80.

Lib. primo Recognit. Secundùm traditionem veri Prophetæ, qui solus scit, quæ facta sunt, vt facta sint; & quæ fiunt, vt fiant; quæq; erunt, vt erunt: quæ tamen manifestè quidem dicta, non tamen manifestè scripta sunt, in tantum, vt cùm leguntur, intelligi sine expositore non possint, propter peccatum, quod coadoleuit hominibus.

Dionysius Areopagita. 100.

De Mystica Theologia cap. 2. Ad hanc nos perlucidam, liquidissimamq; caliginē admitti oramus, & per visus scientiæq; priuationem videre ac scire eum, qui aspectum omnium, scientiamq; transcendit. Et hoc ipsum non videre, & non scire est veraciter videre & scire, & eum etiam, qui substantia superior est supersubstātialiter, ex omnium quæ sunt ablatione celebrare, veluti qui natiuam effigiem ex quauis materia faciunt, omnia tollentes, quæ impedire possint, liquidum latentis decoris intuitum, ipsamq; in se ipsa pulchritudinem occultam sola sublatione pandentes.

Irenæus. 180.

Lib. 2. cap. 47. Credere autem hæc talia debemus Deo, qui & nos fecit, rectissimè scientes, quia Scripturæ quidem perfectæ sunt, quippe à Verbo Dei & Spiritu eius dictæ: nos autem, secundùm quod minores sumus, & nouissimi à Verbo Dei & eius Spiritu, secundùm hoc & scientia mysteriorum eius indigemus. Et non est mirum, si in spiritualibus ac cælestibus, & in his quæ habent reuelari, hoc patimur nos: quandoquidem etiam eorum, quę ante pedes sunt (dico autem quæ sunt in hac creatura, quæ & conteruntur à nobis, & videntur, & sunt nobiscum) multa fugerunt nostram scientiam, & Deo hæc ipsa committimus, &c. Si ergo & in rebus creaturæ quædam quidem eorum adiacent Deo, quædam autem & in nostram venerunt scientiam, quid mali est, si & eorum, quæ in scripturis requiruntur, vniuersis Scripturis spiritualibus existentibus, quædam quidem absoluamus secundùm gratiam Dei, quędam autem commendemus Deo, & non solùm in hoc seculo, sed & in futuro: vt semper quidem Deus doceat, homo autem semper discat quę sunt à Deo?

Clemens Alexandrinus. 200.

Lib. 2. Stromaton cap. 6. Neque prophetia, neque ipse Saluator adeò crassè & generaliter locutus est diuina mysteria, vt ea facilè capi possent à quibuslibet, sed differuit in parabolis, &c. Cæterùm recta sunt omnia, inquit Scriptura, coram ijs, qui intelligunt: hoc est ijs, qui ab ipso declaratam Scripturarum expositionem ex Ecclesiastica regula accipientes cōseruant. Regula autem Ecclesiastica est concentus & consensus Legis & Prophetarum conuenienter Testamento, quod traditur per Domini aduentum.

Cap. 7. Propter multas ergo causas occultant Scripturæ sententiam: primùm quidem, vt diligenter inquiramus, & semper vigilemus in inueniendis salutaribus orationibus: præterea nec omnibus quidem conueniebat hominibus intelligere, ne læderentur, aliter accipientes ea, quæ à Spiritu sancto dicta sunt salutariter. Quamobrem ijs, qui sunt electi ex hominibus; & ijs, qui ex fide coaptati sunt ad cognitionem quæ seruantur, sancta mysteria Prophetarum teguntur parabolis. Scripturarum enim stylus est parabolicus.

Origenes. 230.

Homilia 12. in Exodum: Diebus ac noctibus obseruandus est, vt veniat Agnus de tribu Iuda, & ipse Librum signatum dignetur aperire.

Lib. septimo contra Celsum: Alij quoque cordati viri scrutando Scripturam, intellectum eius inuenire potuerunt; licet reuera multis locis sit obscura.

Homil. 13. in Numeros: AEnigma dicitur sermo figuratus. AEnigmatistæ ergo dicuntur, qui figuratè loquuntur. Et quis est alius, qui in figura locutus sit, nisi Lex & Prophetæ? Audi enim quomodo Dauid dicit: *Aperiam in parabolis os meum, loquar propositiones ab initio seculi.* Sed & Esaias, quia ænigmata sunt quæ scripsit, hoc modò declarat: *Et erunt vobis*, inquit, *verba libri huius, sicut verba libri signati.* Signatus autem dicitur liber, pro eo quòd figuris perplexus est, & ænigmatibus inuolutus. Psal. 77. Isa. 28.

Homilia 27. in Numeros: Verba Dei, in quibus pro captu animarum diuersus est cibus, vnusquisq; prout sanum se & validū sentit, assumat. Quamuis enim si diligentius requiramus, in Euangelij lectione, vel Apostolica doctrina, in quibus delectari videris, quanta sunt, quæ te latent, si discutias & perscuteris mandata Domini? Quòd si ea, quæ obscura videntur & difficilia, refugienda sunt protinus & vitanda, inuenies etiam in illis, in quibus valde confidis, tam multa obscura & difficilia, vt si hanc sententiam teneas, sit tibi etiam inde recedendum. Sunt etiam plurima in illis, quæ apertius & simplicius dicta sunt, quàm vt parui sensus ædificent auditorem. Hæc præmisimus, vt suscitemus animos vestros, quoniam quidem huiusmodi lectio habetur in manibus, quæ difficilis ad intelligendum, & superflua videatur ad legendum. Sed non possumus hoc dicere de sancti Spiritus literis, quod aliquid in eis otiosum sit, aut superfluum, etiamsi aliquibus videntur obscura: sed hoc potius facere debemus, vt oculos mentis nostræ conuertamus ad eum, qui hæc scribi iussit, & ab ipso horum intelligentiam postulemus.

Dionysius Alexandrinus. 260.

De Apoc. Ioannis cõtra Nepotem: De Apocalypsi hãc mecum concipio opinionem, longè abstrusiorem esse in illa materiam, quàm mens mea facilè cõsequi queat, & singulis propè sententijs sensum quendam mysterijs inuolutum & valde admirabilem delitescere planè existimo. Et quanquam eum ipse non intelligo, suspicor tamen intellectum quendam reconditiorem verbis ipsis inclusum: atque istas res non propria ratione metior ac pondero, sed fidei potius tribuo, & altiores diuinioresqúe profectò arbitror, quàm quas ipse vllo pacto cogitatione comprehendere valeam. Atque non eas improbo, quas non intelligo: sed ideò potius admiror, quòd mentis acie lustrare non queo.

Athanasius. 340.

De Verbi incarnatione circa finem: Ad Scripturarum indaginem verumq; intellectum opus est vita proba, animo puro, & virtute, quæ secundùm Christum est, vt mens per eius tramitem decurrens, ea quæ expetit adipisci possit, quatenus fas est humanam naturam diuina intelligere. Nã sine pura mente, & Sanctorum imitatione, nemo comprehendit Sanctorum verba.

Basilius Magnus. 370.

Proœmio in Isaiam: Ad eum modum citra offensam in Scripturis versabimur, dum & ex ijs, quæ facilè percipi possunt, adiuuabimur, & ab ijs, quæ sunt intellectu difficiliora, non offendemur. Quòd si quis illud diuinæ Scripturæ vitio vertat, quòd non doceat, neque impertiat ea, quæ prodesse possint, is perpẽdat vniuersam rerum mortalium ordinationem, non solùm in spiritualibus, verùm etiam in inferioribus, atque in communis vitæ negotijs, consideretq; eam vim, quæ gubernat vniuersa, mutis animantibus facilem ad vitam tuendam occasionem tribuisse, alimentum vltrò præsens, operimentum sponte agnatum, è pilis aut testis indumenta; hominem autem solum nudum producens, rationem omnium illorum vice dedit, per quam artes repertæ sunt, quibus illa sibi suppeditet, puta architectura, textoria, agricultura, æraria, fabrica, animo rationis copia supplente, quod deerat corporibus. Quemadmodum in his opifex noster haudquaquam inuidens nobis, vitæ commoditates non passus est eodem modo nasci quo bruta, sed rerum necessariarum inopiam, data opera addidit nobis, velut ingenij exercitamentum: itidem & in Scripturis studio voluit esse obscuritatẽ, ad vtilitatem mentis humanæ, suam ipsius indicans virtutem atque efficaciam. Primùm quidem, vt his occupata à deterioribus auocetur: deinde, quòd quæ labore parata sunt, ea nescio quo pacto magis amantur, quæq; longo tempore contingunt, constantius permanent. Porrò quæ facilè parantur, his non perinde auidè fruimur: negligitur enim rerum obuiarum copia, neque vlla custodia dignas ducit qui possidet. Quapropter & somniorum obscura & inuoluta ratio est, ita vt non mediocrem desideret animi intentionem, habentqúe insomniorum ænigmata plurimum affinitatis cum ijs, quæ in Scriptura sub inuolucro significantur. Denique accedit huc, quòd vitæ quoque puritas requiritur, vt ad moralis virtutis exercitationem pertineat, quod in sacris Scripturis obuolutum est, diiudicare. Requiritur autem præter vitæ puritatem, assidua in Scripturis exercitatio, vt maiestas, atque arcanũ diuinorum verborum perpetua meditatione animo imprimatur.

Epist. 75. ad Neocæsareenses: An cùm de agriculturæ operibus iudicare non poterit, qui non ipse est agricola: & qui Musices scientiam non tenet, nec consonantiam, nec dissonantiam in Musicis rythmis cognoscet, sermonum iudex erit quicũquè volet, qui neque præceptorem suum, neque tempus in quo didicerit, assignare valet, nec prorsus quicquam eorum, quæ ad sermones iudicandos attinent, siue multum, siue parum intelligit? Ego verò noui, quòd quæ in oraculis Spiritus dicuntur, haud cuiuis liceat proprio subijcere examini, sed ei, qui spiritum habet discretionis.

Epiphanius. 380.

Hæresi 55. Diuinæ Scripturæ profunditas & claritudo, mentem humanæ naturæ excedens, decipit quàm plurimos.

Gregorius Nazianzenus. 380.

In Apologetico, seu oratione 1. Hebræorum sapientes hanc olim Hebræis legem fuisse narrãt, in primis rectam & laude dignam, qua non cuiuis ætati quiuis Scripturæ liber concedebatur: (nam ne hoc quidem vtilius esse: quandoquidem nec tota statim à quolibet percipi possit, ac quod in ea reconditius est, ob externam speciem imperitioribus plurimum detrimenti afferre possit:) verùm alij libri ab initio cunctis patebant, & cõmunes erant, hoc est, quorum ne id quidem, quod corporeum est, laudo caret: alij autem his duntaxat, qui vicesimum quintum annum ætatis excessissent, committebantur, hoc est, qui sub vili indumento mysticam pulchritudinem obtegunt (laboris, & industriæ, ac luculentæ vitæ præmium) solis ijs, qui mente purgati sint, fulgentem, & conspicuam, quòd scilicet sola hæc ætas supra corpus assurgere, atque à litera ad spiritum rectè ascendere queat.

Ad Nemesium: Est in Scripturis nostris duplex sensus, alter internus, ac spiritualis; alter externus, nec literæ corticem excedens: ille paucis perspicitur, hic à plerisque intelligi potest. Quod ea ratione factũ puto, vt sapientes meliori quàm cæteri conditione sint, aut quod non sine labore ac negotio acceperunt, studiosè quoque conseruent ac retineant. Quod enim aliquis celeriter facileq; adeptus est, id ne retinere quidem magnopere curat.

Ioannes Chrysostomus. 400.

In Psal. 48. Quid sibi vult hîc, parabola? Mihi videtur dicere narrationem: si autem orationem facit obscuram, & ænigmaticam, & quæ multum habet difficultatis, ne sic quidem conturberis. Hoc enim facit, vt auditorẽ excitet. Et alioquin, quoniam facilitas ad socordiam & negligentiam adducit, propterea loquitur in parabola. Nam Christus quoque loquebatur in parabolis: separatim autem eas soluebat discipulis. Parabola enim dignum ab indigno distinguit: dignus enim quærit inuenire ea, quæ dicuntur: indignus autẽ prætercurrit. Quod etiam tunc vsu venit: Iudæi enim, ne difficultate quidem excitati, impellebantur ad interrogandum: ita non attendebant omninò quæ dicebantur. Ad incitandum autem ad exquisitionem sufficit, quando fuerit aliquid adumbratum & obscurum.

Homilia 44. in caput 23. Matthæi operis imperfecti: Ergo non sunt Scripturæ clausæ, sed obscuræ quidem, vt cum labore inueniantur; non autem clausæ, vt nullo modo inueniantur. Propterea dicit Petrus in epistola sua de Scripturarum obscuritate: *quia non sicut voluit homo, locutus est Spiritus: sed sicut voluit Spiritus, ita locutus est homo.* Ratio autem obscuritatis multiplex est, tamen satisfactionis causas duas dicimus. Primùm, quia Deus voluit alios esse Doctores, alios discipulos: si autẽ omnes omnia scirent, Doctor necessarius non erat, & ideò esset rerum ordo confusus, &c. Deinde obscurata est notitia veritatis, ne non tam vtilis inueniatur, quàm contemptibilis: contemptibilis est enim, si ab illis intelligatur, à quibus nec amatur, nec custoditur. Nõ ergo abscondita est in Scripturis veritas, sed obscura: non vt non inueniant eam, qui quærunt eam; sed vt non inueniant eam, qui quærere nolunt. 2. Pet. 1.

Homilia 40. in Ioannem, in illud: *Scrutamini Scripturas.*) Christus Iudæos ad Scripturarum non simplicem & nudam lectionem, sed ad inuestigationem perquàm diligenter relegauit: non enim dixit: Legite Scripturas, sed: *Scrutamini.* Diuina enim summa indigent diligentia. In vmbra enim maioribus illis non abs re locutus est. Idcirco effodere profundius iubet, vt quę altè delitescunt, inuenire possimus. Non enim rem in superficie, & in promptu positam effodimus, sed quę tanquam thesaurus profundè reconditur. Qui enim huiusmodi quęrit, nisi summam adhibeat diligentiam & laborem, nusquam quæsita inueniet.

Ioannes Cassianus. 430.

Collat. 8. cap. 3. Diuinarum Scripturarum quædam clarę sunt, quædam ita contectę, & quibusdam obscuratę mysterijs sunt, vt in eorum discussione & intellectu immensum nobis exercitij campum, ac solicitudinis reseruarent. Quam rem multas ob causas Deum dispensasse manifestum est. Primùm, ne sacramenta diuina, nullum habentia spiritalis intellectus velamen obductum, cunctis hominibus, id est, tam fidelibus, quàm profanis, ęquali scientia & notitia panderentur, & per hoc inter inertes & studiosos nulla esset virtutis prudentięqúe distantia: tum vt etiam inter ipsos domesticos fidei, dũ intellectuum spatia coram eis immensa tenduntur, in eis desidiosorum argueretur ignauia, & studiosorum alacritas & industria probaretur.

Theodoretus. 450.

In lib. 1. Reg. quæst. 1. Quęnam est causa obscuritatis in Scriptura? Fecit obscuritatem mutatio ex alia lingua in aliam; & quòd studuerint interpretes, pressis insistentes vestigijs, de verbo in verbum interpretari. Hoc ipsum accidit ijs, qui è lingua Italica transferunt in linguam Græcam: sunt illa quoque plena magna obscuritate.

Titus Bostrensis. 460.

Ad Lucæ cap. 24. Christus Dominus à tanta illa cęcitate discipulos modis omnibus liberos esse volens, veterum oracula, & vaticinia in memoriam reuocat, Mosęqúe & alijs vatibus in testimonium ascitis, ea edisserit & explanat, quę in illorum dictis abstrusa iacebant, hoc est, dignis ea reddit clara ac liquida, quę apud indignos sunt manentqúe semper obscura.

Procopius Gazæus. 530.

Præfatione in Genesin: Si quis locus se offert obscurior, quàm vt hunc ingenij tui vires assequi valeant, aut Patres tibi consulendi sunt, aut scientiarum Deus precibus fatigandus est.

Præfatione in Esaiam: Eò spectat ista Scripturarum difficultas, vt dum illis opera nauatur, à deterioribus auocemur. Præterea diligimus magis, & in pretio habemus, quę nobis ipsi labore comparauimus.

Maximus Monachus. 640.

De variis capitulis, centuria 2. cap. 29. Puteus Iacob est Scriptura: aqua verò est scientia Scripturæ: profunditas autem obscurè dictorum Scripturæ interpretatu difficilis positio: at situla est, quę per literas diuini Verbi habetur disciplina.

Ioannes Damascenus. 730.

Orthodoxæ fidei lib. 4. cap. 18. Pulsemus igitur ad pulcherrimum illum Scripturarum hortum: sed illud caueamus, ne negligenter ac defunctoriè pulsemus, sed alacri potius ac constanti ánimo: ne pulsando defatigemur, animisqúe frangamur: sic demum nobis aperietur. Si quædam semel atque iterum legerimus, nec quę à nobis lecta fuerint intellexerimus, ne animis cadamus, verùm perstemus, ac meditemur, & interrogemus: *Interroga enim,* inquit, *patrem, & annuntiabit tibi: maiores tuos, & dicent tibi.* Non enim omnium est eruditio. Deut. 32.

Euthymius. 1080.

Præfatione in Psalterium: Quòd tam multa in veteri Scriptura obscura inueniantur, in causa sunt figuræ, quæcunque Christum, illiusqúe actiones, & nouam gratiam præsignabant. Omnia quippe hæc, quę ad Gentium vocationem pertinere videbantur, Prophetę de industria obscurè admodum pertractârunt: ne si inuidentissima illa Iudæorum gens futuram primogeniti Israelis ruinam, & gentium adoptionem cognouisset, sacros libros, vbi hæc prædicta sunt, omnes igni tradere, atque eorum memoriam obliterare studeret, &c. Prętera obscuritatis alia est ratio, idioma scilicet Hebraicæ linguæ, diuersum à Græca: Varijs enim & multiplicibus loquendi modis Prophetæ sæpenumerò vsi sunt, (quanquam non sic semper,) adumbratè etiam multa dixerunt, ob incredulitatem & duritiam auditorum, quæ tamen paucioribus & sanctis viris reuelata sunt, quæqúe à solo rerum exitu ac fine rectè iudicantur. Postremò illa etiam addatur ratio, quòd de prima propria Hebraica lingua in aliam antiqua omnia legimus translata: omnis autem lingua, in aliam conuersa, vt plurimum difficultatem & obscuritatem generat.

Ad caput 5. Ioannis: Cùm ea, quę de eo sunt, obscurè scripta sint, vtiliter & dispensatoriè, propter imbecillitatem progenitorum ipsorum, ne excideręt ad Deorum multitudinem, iubet nunc eos fodere, vt ea, quæ altè in modum thesauri recondita sunt, possint inuenire.

Nicetas Choniates. 1200.

Lib. 14. Orthodox. hæres. 39. Quonam modo quis Scripturarum sacrarum, earum præsertim, quæ obscuritatis caligine inuoluuntur, sensum explicare poterit, nisi aliqui præstò sint interpretes, quos Spiritus profunditas non lateat?

Nicephorus Gregoras. 1330.

Lib. 10. Annalium: Sæpe in sacra Scriptura verbis nonnulla inuoluũtur. Vt enim Regum thalami, aliaqúe, quæ sancta & magno in pretio habentur, alijs atque alijs velis occultantur, ne à rudi vulgo profanentur, aut quia omnibus absque labore pateant, contemnantur: sic etiam plurimi sacræ Scripturę loci, & præsertim in quibus arcana quæpiam doctrina continetur, tamquam velis quibusdam, ita verbis talibus absconduntur, quæ multam caliginem secum trahunt, & tenebras lectoris oculis offundunt.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Tertullianus. 200.

Lib. de Pallio cap. 3. Dehinc Adamum de originis loco exterminat, quippe deliquerat, pellitus orbi. vt metello datur: sed arcana ista, nec omnium nosse.

Hilarius. 350.

Prologo in Psalm. Sunt omnes prophetiæ ad mũdialem sensum & prudentiam seculi clausæ & obsignatæ, secundùm illud Esaię: *Et erunt vobis omnia verba hæc tamquam eloquia libri huius signati.* Esaię 29.

Ad Psalm. 118. *Beati immaculati,* &c. Arduum ac difficilimum est hominem per seipsum, per seculique Doctores rationem præceptorum cælestium consequi: nec naturę nostrę recipit infirmitas diuinis institutis, nisi per eius gratiã, quæ hæc ipsi dederit, erudiri.

Ambrosius. 370.

Serm. 8. in Psal. 118. *Iustificationes tuas doce me.*) Multa est obscuritas in Scripturis propheticis: sed manu quadam mentis tuę Scripturarum ianuam pulses, & ea, quæ sunt occulta, diligenter examines, paulatim incipies rationem colligere dictorum, & aperietur tibi non ab alio, sed à Dei Verbo, de quo legisti in Apocalypsi, quod *Agnus librum signatum aperuit, quem nullus ante aperire poterat.* Apoc. 5.

Serm. 10. in Psalm. 118. *Da mihi intellectum, vt discam mandata tua.*) Si Propheta intellectum dari sibi postulat, quis tam arrogans, qui profiteatur in sua potestate esse intelligentiam? Intellectum petit, vt ipse se nouerit, & naturę suæ possit scire rationem. At illi, qui de rerum natura disputant, cæli scrutantur plagas, qui seipsos scire non possunt, putant intelligentiam sine Dei dono posse concedi. Vnde & nos humilitatem debemus assumere, ne extollamur, si fortè vnam aliquam de Scripturis parabolam cognouerimus: aut quia interdum secundùm literam planè legimus, si fortè secundùm literam aliquid intellexerimus, doctrinæ nobis assumamus scientiam. Propheta ille, qui accepit Spiritum sanctum, postquam vnctus est in Regem, vnctus est in Prophetam, centesimum decimum octauum Psalmum scribens, intellectum dari sibi poscit, vt mandata Dei intelligat; & scit, nisi à Domino acceperit gratiam, intelligere eius se mandata non posse.

Epistola 44. ad Constantium: Mare est Scriptura diuina, habens in se sensus profundos, altitudinem Propheticorum ænigmatum.

Hieronymus. 390.

Epist. 13. ad Paulinum, de institutione Monachi cap. 4. Totum, quod legimus in diuinis libris, nitet quidem, & fulget etiam in cortice, sed dulcius in medulla est: qui edere vult nucleum, frangat nucem. *Reuela,* inquit Dauid, *oculos meos, & considerabo mirabilia de Lege tua.* Si tantus Propheta tenebras ignorantiæ confitetur, qua nos putas paruulos, & pene lactentes insciti nocte circumdari? Hoc autem velamen non solum in facie Mosi, sed & in Euangelistis & Apostolis positum est. Turbis Saluator in parabolis loquebatur, & contestans mysticum esse quod dicebatur, aiebat: *Qui habet aures audiendi audiat.* Nisi aperta fuerint vniuersa, quæ scripta sunt ab eo, qui habet clauem Dauid, *qui aperit, & nemo claudit: claudit, & nemo aperit,* nullo alio referante pandentur. Psal. 118. 2. Cor. 3. Matth. 13. Apoc. 3.

Epistola 52. ad Pammachium pro libris suis aduersus Iouinianum: Miseram quædam τῶν ὑπομνημάτων in Prophetas duodecim sancto patri Domnioni: Samuelem quoque, & Melachim, id est, quatuor Regum libros: quæ, si legere volueris, probabis, quantæ difficultatis sit, diuinam Scripturam, & maximè Prophetas intelligere, & interpretum vitio, quæ apud suos purissimo orationis cursu labuntur, apud nos scatere vitijs.

Epistola 150. ad Hedibiam, quæst. 10. Omnis quidem ad Romanos epistola interpretatione indiget, & tantis obscuritatibus inuoluta est, vt ad intelligendam eam Spiritus sancti indigeamus auxilio, qui per Apostolum hæc ipsa dictauit.

Epist. 103. ad Paulinum Presbyterum, de omnibus Scripturæ diuinæ libris cap. 7. Esaiam, Hieremiam, Ezechielem, & Danielem, quis potest vel intelligere, vel exponere? Ezechiel principium & finem habet tantis obscuritatibus inuoluta, vt apud Hebręos istę partes cum exordio Geneseos ante annos triginta non legantur, &c. Iacobus, Petrus, Ioannes, Iudas, septem epistolas ediderunt tam mysticas, quàm succinctas, & breues pariter, & longas: breues in verbis, longas in sententijs: vt rarus sit, qui non in earum cæcutiat lectione. Apocalypsis Ioannis tot habet sacramenta, quot verba.

Proœmio in Ezechielem: Aggrediar Ezechielem Prophetam, cuius difficultatem Hebræorũ probat traditio. Nam nisi quis apud eos ætatem sacerdotalis ministerij, id est, trigesimum annum impleuerit, nec principium Geneseos, nec Canticum Canticorum, nec huius voluminis exordium & finem legere permittitur: vt ad perfectam scientiam, & mysticos intellectus plenum humanę naturæ tempus accedat.

Præfatione in Oseam: Si in explanationibus omnium Prophetarum sancti Spiritus indigemus aduentum, vt cuius instinctu scripti sunt, illius reuelatione pandantur: & in Esaia *signatum librum* legimus, quem Scribæ & Pharisæi, qui Legis literas se nosse iactant, non possunt legere, quia signatus est: nullusque inueniri potuit, nisi Leo de tribu Iuda, quem signauit Deus Pater, qui eius posset reserare mysteria: quanto magis in explanatione Oseæ Prophetæ orandus est Dominus, & cum Petro dicendum: *Edissere nobis parabolam istam,* præsertim cùm obscuritatẽ voluminis in fine testetur ipse qui scripsit: *Quis sapiẽs, & intelliget ista, intelligens, & cognoscet ea?* Quod non pro impossibili, sed pro difficili debemus accipere. Esaię 29. Apoc. 5. Matth. 13. Oseæ 14.

Augustinus. 400.

De vera religione capite 17. Si in Scriptura sacra tantùm essent, quæ facilimè intelliguntur, nec studiosè quęreretur, nec suauiter inueniretur veritas.

De Doctrina Christiana lib. 2. cap. 6. Ita obscurè quędam dicta sunt, vt denssissimam caliginem obducant. Quod totum diuinitus ptouisum esse non dubito, ad edomandam labore superbiam, & intellectum à fastidio reuocandum, cui facilè inuestigata plerumque vilescunt.

Præfat. in Psalm. 140. Sunt in Scripturis sanctis profunda mysteria, quę ad hoc absconduntur, ne vilescant; ad hoc quæruntur, vt exerceant; ad hoc aperiuntur, vt pascant.

De vtilitate credendi cap. 7. Cùm legerem, (*inquit Honoratus,*) per me ipse cognoui. Itane est? (*inquit Augustinus,*) Nulla imbutus Poëtica disciplina Terentianum Maurum sine magistro attingere non auderes. Asper, Cornutus, Donatus, & alij innumerabiles requiruntur, vt quilibet Poëta possit intelligi, cuius carmina & theatri plausus videntur captare: tu in eos libros, qui quoquo modo se habeant, sancti tamen diuinarumqúe rerum pleni, prope totius generis humani confessione diffamantur, sine duce irruis, & de his sine præceptore audes ferre sententiam: nec

si tibi aliqua occurrunt, quæ videantur absurda, tarditatem tuam, & putrefactum tabe huius mũdi animum, qualis omnium stultorum est, accusas potius, quàm eos, qui fortasse à talibus intelligi nequeunt.

In sententijs Prosperi sent. 67. Bonæ sunt in Scripturis sacris mysteriorum profunditates, quę ob hoc teguntur, ne vilescant: ob hoc quæruntur, vt exerceant: ob hoc aperiuntur, vt pascant.

Epist. 119. ad Ianuarium cap. 21. Tantum absum ab eo, quod putasti nihil me latere, vt nihil in epistola tua legerim tristius, quia & apertissimè falsum est: & miror quia hoc te latet, quòd non solùm in alijs innumerabilibus rebus multa me lateant, sed etiam in ipsis S. Scripturis multò nesciam plura, quàm sciam.

Epist. 3. ad Volusianum: Tanta est Christianarum profunditas literarũ, vt in eis quotidie proficerẽ, si eas solas ab ineunte pueritia vsq; ad decrepitam senectutẽ maximò otio, summo studio, meliore ingenio conarer addiscere: non quòd ad ea, quæ necessaria sunt saluti, tanta in eis perueniatur difficultate, sed cùm quisque ibi fidem tenuerit, sine qua piè rectequé non viuitur, tam multa, tamqúe multiplicibus mysteriorum vmbraculis opaca intelligenda proficientibus restant, tantaqúe non solùm in verbis, quibus ista dicta sunt, verùm etiam in rebus, quę intelligendæ sunt, latet altitudo sapientiæ, vt annotissimis, acutissimis, flagrantissimis cupiditate discendi hoc contingat, quòd eadem Scriptura quodam loco habet: *Cùm consummauerit homo, tunc incipit,* &c. Modus ipse dicendi, quo sancta Scriptura contexitur, quàm omnibus accessibilis, quamuis pauciss imis penetrabilis, ea quæ aperta continet, quasi amicus familiaris, sine fuco, ad cor loquitur indoctorum atque doctorum. Ea verò, quæ in mysterijs occultat, nec ipsa eloquio superbo erigit, quò non audeat accedere mens tardiuscula, & inerudita, quasi pauper ad diuitem, sed inuitat omnes humili sermone, quos non solùm manifesta pascat, sed etiam secreta exerceat veritate, hoc in promptis, quod in reconditis habens. Sed ne aperta fastidirentur, eadem rursus operta desiderantur, desiderata quodammodo renouãtur, renouata suauiter intimantur. Eccle. 18.

Philippus Presbyter. 430.

Expositionis in Iob lib. 2. cap. 4. Scripturæ diuinæ, sicut vel maximè liber iste, hinc obscuræ sunt, quia solent aliquoties superioris intellectus consequentiam non tenere: & ideo meminisse debemus, quid in huius libri prologo legerimus: quia apud Hebręos totus iste liber obliquus fertur & lubricus, eò quòd nunc personas mutet in eadem oratione, nunc sensus.

Petrus Chrysologus. 440.

Sermone 96. Si dicta vel facta Christi passim carnalibus sensibus subijcerentur, torpesceret animus, mens vacaret, dormiret ingenium, cor tabesceret, extingueretur quicquid humani vigoris est & caloris. *Proposuit,* inquit, *illis parabolam.* Sicut in lapide friget ignis, latet ignis in ferro; ipse tamen ignis ferri ac lapidis collisione flammatur: sic obscurum verbum verbi ac sensus collatione resplendet. Matth. 13

Prosper. 450.

Sententia 67.

Quamuis in sacris libris, quos nosse laboras,
Plurima sint lector clausa, & opaca tibi:
Inuigilare tamen studio ne desine sancto:
Exercent animum dona morata tuum.
Gratior est fructus, quem spes productior edit:
Vltro chectorum vilius est pretium.
Oblectant adoperta etiam mysteria mentem,
Qui dedit, vt quæras; addet vt inuenias.

Sedulius. 460.

Ad cap. 1. epist. ad Ephes. Inter omnes Pauli epistolas hæc vel maximè & verbis & sensu inuoluta est.

Gregorius Magnus. 590.

Præfatione in libros Moralium ad Leandrum cap. 4. Diuinus sermo sicut mysterijs prudentes exercet, sic plerunque superficie simplices refouet. Habet in publico, vnde paruulos nutriat: seruat in secreto, vnde mentes sublimium in admiratione suspendat. Quasi quidam quippe fluuius (vt ita dixerim) planus & altus, in quo & agnus ambulet, & elephas natet.

Libro 20. Moral. cap. 1. Omnem scientiam & doctrinam sacra Scriptura sine aliqua comparatione transcendit; vt taceam, quòd vera prædicat, quòd ad cælestem patriam vocat, quòd à terrenis desiderijs ad superna amplectenda cor legentis inuitat, quòd dictis obscurioribus exercet fortes, & paruulis humili sermone blanditur: quòd nec sic clausa est, vt pauesci debeat: nec sic patet, vt vilescat: quòd vsu fastidium tollit, ac tantò amplius diligitur, quantò amplius meditatur.

Homil. 6. in Ezechiel. *Tenebrosa est aqua in nubibus aëris*: quia obscura est scientia in Prophetis. Sed Salomonis voce attestante didicimus: *Gloria Regum cælare verbum, & gloria Dei est inuestigare sermonem*: quia & honor est hominum eorum secreta abscondere, & gloria Dei est, mysteria sermonis eius aperire. Ipsa autem per se Veritas dicit discipulis: *Quæ dico vobis in tenebris, dicite in lumine,* id est apertè exponite quæ in allegoriarum obscuritatibus auditis. Magnæ verò vtilitatis est ipsa obscuritas eloquiorum Dei: quia exercet sensum, vt fatigatione dilatetur, vt exercitatus capiat quod capere non potest otiosus. Habet quoque adhuc aliud maius, quia Scripturæ sacræ intelligentia, si in cunctis esset aperta, vilesceret. In quibusdam locis obscurioribus tantò maiore dulcedine inuenta reficit, quantò maiore labore fatigat animum quæsita. Psalm. 17. Prou. 15. Matth. 15

Isidorus Hispalensis. 620.

De summo bono lib. 1. cap. 18. Scriptura sacra pro vniuscuiusque lectoris intelligentia variatur, sicut manna, quod populo veteri pro singulorum delectatione varium dabat saporem. Iuxta sensuũ capacitatem singulis sermo Domini congruit. Et dum sit pro vniuscuiusque intellectu diuersus, in se tamen permanet vnus. Ideo in libris sanctis quædam obscura, quædam aperta reperiuntur, vt intellectus lectoris, & studium augeatur. Nam si cuncta paterent, statim intellecta vilescerent: rursus si cuncta clausa existerent, confestim diffidentiam gignerent. Ne ergo de obscuris desperatio fiat, ea quæ manifesta sunt satiant: & ne de intellectis fastidium existat, ea quæ clausa sunt desiderium excitant: nam pleraque quantò magis latent, tantò magis desiderium præbent.

Beda. 700.

Ad Psalmum 10. Qui filij hominum quibusdam obscuris locis Scripturarum, quasi clausis oculis Dei exercentur, vt quęrant: quibusdam verò manifestis Scripturarum locis illuminantur, vt videant. Hęc autẽ crebra apertio & opertio in Scripturis sunt quasi palpebræ Dei, claudentis & aperientis Scripturas, sicut palpebrę claudunt & aperiunt oculos; de quibus Scripturis alibi dicitur: Ob hoc teguntur, ne vilescant; ad hoc aperiũtur, vt nutriant. Quæ palpebræ, id est, obscuritates & apertiones Scripturarum interrogant, id est, probant illos filios hominum, in hoc scilicet, quia

illi nec fatigantur obscuritatibus Scripturarũ, vt reijciantur: sed exercentur, vt quærant: nec cognitione Scripturarum inflantur, sed confirmantur. Sicut è contra mali reijciuntur obscuritatibus, & non exercentur: inflantur cognitione, & non confirmantur.

Ad caput 8. Actor. Philippus interpretatur os lampadis: pulcherq; est sensus, quòd os lampadis suum aperiret os, dum obscura prophetię in scientię lucem proferret.

Alcuinus. 750.

Ad caput 6. Ioannis: *Impleuerunt cophinos duodecim.)* Per duodecim cophinos fragmentorũ plenos, omnis Doctorum spiritualium chorus exprimitur, qui obscura Scripturarum, quę turbæ intelligere nequeunt, & meditando colligere, & mandata literis, suo pariter ac turbarũ vsui conseruare iubentur.

Ambrosius Ansbertus. 760.

In Apocal. lib. 8. cap. 17. Prædicatores sancti obscura quęque in diuinis Scripturis intelligere possunt: in quibus ante sensu nutabant, subitò per internam aspirationem à Christo instruuntur.

Lib. 9. cap. 19. Quia eloquia Prophetarum sub obscuris ęnigmatum sententijs tegebantur, ac per hoc à vulgi multitudine non intelligebantur, rectè tenebrosa aqua in nubibus esse pronuntiatur. Pſal.17. Vnde & per Psalmistam dicitur: *Tenebrosa aqua in nubibus aëris.*

Haymo. 820.

In Apocal. lib. 3. cap. 10. Sacra Scriptura in quibusdam locis potus est, in quibusdam cibus. In rebus obscurioribus, quę intelligi sine expositione non possunt, cibus est: quia velut mandendo, legendo & ruminando sumitur: in apertioribus verò, quę intelligi sine expositione possunt, ibi potus est. Potum enim non mandendo glutimus.

Rabanus Maurus. 850.

De instit. Cleri lib. 3. cap. 3. Multiplicibus obscuritatibus & ambiguitatibus decipiuntur, qui temerè sacras Scripturas legunt, aliud pro alio sentientes. Quibusdam autẽ locis quid vel falsò suspicentur nõ inueniunt, ita obscurè dicta quędam densissimam caliginem obducunt. Quod totum prouisum esse diuinitus non dubito, ad edomandam labore superbiam, & intellectum à fastidio reuocandum, cui facilè inuestigata plerunque vilescunt. Sunt enim in diuinis libris plurima loca tropicis locutionibus difficilia: sunt quoq; multa rerum magnitudine eximia: atque ideò necesse est, vt & sensus ingenij sagacitate inuestigentur, & secundùm suam significantiam inuestigata intelligantur, & pro sui dignitate intellecta venerentur. Nemo enim ambigit, per similitudines libentius quæque cognosci, & cum aliqua difficultate quæsita, gratius inueniri. Qui enim prorsus non inueniunt quod quærunt, fame laborant: qui autem non quęrũt, quia in promptu habent, fastidiosè permarcescunt. In vtroque autem languor cauendus est. Magnificè ergo & salubriter Spiritus sanctus ita Scripturas sanctas modificauit, vt locis apertioribus fami occurreret, obscurioribus autem fastidia detergeret. Nihil autem ferè de illis obscuritatibus eruitur, quod non plenissimè dictum alibi reperiatur.

Radulphus Flauiacensis. 950.

Præfatione in Leuiticum: Ipsis suis auctoribus conuincuntur Iudæi: quia cùm signa pro rebus accipiunt, legislatoris intentionem ignorãt: nec quid per eadem signa docere velit, intelligunt. Ad hæc autem signa discutienda dedimus animum, atque ad Leuiticum contulimus nos, qui in Mosi libris obscurior habetur, quique legentibus fastidium potius, quàm ædificationem solet offerre, quòd eorum à se acumen crassiore quadam vmbra repellere videatur.

Radulphus Ardens. 1060.

In Communi Apostolorum: In hoc, quòd liber dicitur esse signatus sigillis septem, designatur, quoniam sancta Scriptura clausa est, & septem, id est, vniuersitate omnimodarum obscuritatum generaliter obuoluta. Sed & specialiter septem in se occultat mysteria, quæ idem Ioannes subsequẽter ita exponit, quòd nihilominus ea relinquat figillata. Hinc & Danieli per Angelum dicitur: *Et tu Daniel claude sermones, & signa librũ vsque ad statutum tempus.* Dan. 12. Hinc & Esaias Iudæis dicit: *Et erit vobis visio omnium Prophetarum sicut verba libri signati, quem cum dederint scienti literas dicent: lege. & respondebit: non possum. signatus est enim liber.* Esa.29. Quod apertè est cõtra quosdam seculares Philosophos, qui putant Scripturam planam esse & apertam, eò quòd exterius simplicia habeat verba & plana, non attendentes quoniam in sacra Scriptura sub simplicitate verborum magna vtilisque lateat profunditas. Sanè tribus de causis Dominus in Scripturis sua mysteria figillauit. Prima, quia ea voluit inimicis suis abscondi, & solis amicis, eiusque familiaribus reserari. Secunda est, quòd in Scripturarum profunditate voluit nos exerceri & mereri. Tertia, vt sicut editionem, ita quoque reuelationem sacræ Scripturæ suo nomini reseruaret, ne quis de humano ingenio in ea se iactaret, sed ad eam intelligendam diuinam opem flagitaret.

Rupertus Tuitiensis. 1120.

Ad cap. 5. Amos: Hæc idcirco dicimus, ne vobis mirum videatur, quòd hic Amos & Prophetæ cęteri tam obscurè locuti sunt, iuxta illud Psalmi: *Tenebrosa aqua in nubibus aëris,* Pſal.17. id est, occulta scientia in Prophetis. Nam hoc ipsum, quòd quasi tenebrosè locuti sunt, oculo fecerunt simplici, & nullam habente partem tenebrarum, id est, non propter inuidentiam, sed propter cautelam; non inuidendo legentibus intelligentiam, sed præcauẽdo legentium malitiam, quibus non omnia credenda sunt, sicut margaritæ ante porcum mittendæ non sunt. Matth.8.

Lib. 7. in Matthæum cap. 7. Talem Scripturam condidit, quæ non facilè posset intelligi, quò tenderet, vel quale contineret mysterium regni Dei: & sicut ipse tunc fecit, ita docet cùm dicit: *Nolite sanctum dare canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos.*

Hugo Victorinus. 1130.

In Prænotionibus elucidatorijs de Scripturis & Scriptoribus sacris c. 18. Multa in sacra Scriptura occurrunt, quæ rerum gestarum seriem ignorantibus difficultatem pariunt intelligendi, quemadmodum hoc, quod in libro Iudith legitur, &c.

Richardus Victorinus. 1140.

In Apocal. lib. 7. cap. 8. Quamuis sacræ Scripturæ mysteria obscuritatibus figurarum signentur, vt bonos exerceant, malos lateant: nequaquam tamen ipsi mali de ignorantia sua habent excusationem: quia & manifestiora sacræ paginæ verba possunt intelligere, & si velint, vitia deserere, & virtutes exercere, possunt ad occultiora quoque cognoscenda adiuuante gratia Dei peruenire.

Petrus Cluniacensis. 1150.

Lib. 5. epist. 1. Videsne quàm cautè incedendum sit per tot angustas semitas eloquiorum Dei? Similia quippe huic obscuritati sępè contingunt, quæ nisi lector diligenter cauerit, offenso ad lapidem pede, sæpe procumbet.

Ioannes

Ioannes Saresberiensis. 1160.

Lib. 7. Polycraticon cap. 5. Magnus pater Augustinus auctor est, quòd in libris Platonicorum inuentum sit, quòd B. Ioannes altius cęlo intonuerit, id est, vltra quã humana mens percipere queat, licet auris vtrumque possit audire.

Innocentius Tertius. 1200.

Tit. de hæreticis capite: Cùm ex iniuncto: Tanta est Scripturę profunditas, vt non solùm simplices & illiterati, sed etiam prudentes & docti non plenè sufficiant ad illius intelligentiam indagandam. Propter quod dicit Scriptura: *Quàm multi defecerũt scrutantes scrutinio?* Vnde rectè fuit in Lege diuina statutum, vt bestia, quę montem tetigerit, lapidetur, ne videlicet simplex aliquis & indoctus præsumat ad subtilitatem sacræ Scripturę.

Guilhelmus Peraldus. 1250.

In Summa Tomo 1. de Prudentia cap. 12. Facta quædam familiaritate cum ipsa lingua diuinarum Scripturarum, in ea, quæ obscura sunt, aperiẽda, & discutienda pergendum est; vt ad obscuriores locutiones illustrandas de manifestioribus sumantur exempla, & quædam cæterarum sententiarum testimonia dubitationem in cæteris auferant, in qua re memoria valet plurimum.

Thomas Aquinas. 1250.

Ad cap. 1. Apoc. Quęritur quare Scriptura est sub tanta obscuritate, quæ vtilior videretur, si apertè intelligeretur? *Resp.* Ad hæc prędicta intelligendum, quòd sapientissimè condita est Scriptura, ita quòd in quibusdam locis est aperta, ne omnino clausa videatur, & inde diffidentia intelligendi generetur, & vt simplices aliquid inde capiant, & vt per ea, quæ sunt plana, sit via ad explanationem clausorum. In quibusdam verò locis est occulta & velata, & hoc triplici ratione: scilicet propter indignos, ne sit eis locus peruertendi; item propter fastidiosos, quia multa fastidirent & contemnerent: nunc autem gratius, & pretiosius, & sapidius est, cùm inuestigatur, & hoc exigit reuerentia diuinæ virtutis; item propter diuersos exponendi modos.

Angela de Fulgineo. 1280.

Cap. 27. Scriptura diuina ita est alta, quòd non est homo ita sapiens in toto mundo, etiamsi habeat sapientiam, quantã potest in illo statu, quòd possit eam planè intelligere, quin superetur intellectus eius ab ea.

Nicolaus Lyranus. 1300.

Ad cap. vltimum Ioannis: Facta & verba Christi non hominis sunt tantùm, sed Dei: quia illa humanitas erat organum diuinitatis; & ideò non potest ad plenum ab hominibus explicari, aut etiam compræhendi. Quod patet ex hoc, quòd à principio Ecclesiæ cœperunt Sancti & Doctores libros scribere, ad explanationem verborum & factorum Christi; & adhuc ad plenum non sunt elucidata: imò, si mundus duraret per mille millia annorum, & semper scriberentur libri, non elucidarentur ad plenum: quia facta sunt & dicta Dei, quæ sunt nobis incomprehensibilia, propter eorum excellentiam, respectu intellectus nostri. Et ideo debemus subiugare & captiuare intellectum nostrum in obsequium Christi, vt ei assentientes per fidem, quæ est in ænigmate, tandẽ perueniamus ad contemplandum facie ad faciem.

Franciscus Petrarcha. 1360.

Lib. 3. Inuectiuarum contra medicum: Sermõ diuinus in multis obscurus & perplexus est, cùm prolatus sit ab eo Spiritu, qui homines ipsos, mundũque creauerat, &c. Certè Augustinus ingenio illo suo, quo se & multarum artium notitiam, & quęcunque de decem Categorijs Philosophi tradunt, sine magistro percepisse gloriatur, Esaiæ principium fatetur intelligere nequiuisse.

Thomas Malleolus. 1430.

De fideli dispensatione lib. 1. cap. 20. Nisi Deus voluerit nobis reuelare, nonne tenebræ videntur esse Scripturæ? Ideò secundùm consuetudinem Sanctorum Patrum quærendum est humiliter à fratre aliquo, vt exponat & declaret nobis intellectum obscurioris literæ. Sic enim discipuli interrogabant Dominum, dicentes: *Edissere nobis parabolam zizaniorum.* Matt.13.

Petrus Galatinus. 1510.

De arcanis Catholicæ veritatis lib. 1. cap. 9. Imprimis scire oportet, quòd sacra vetus Scriptura omnes fidei Catholicæ articulos, varijs figuris & ænigmatibus obuolutos, & quasi velaminibus circumtectos, ac figillis quibusdã obsignatos, continebat.

ARTICVLVS TRIGESIMVS SECVNDVS.

IN SACRIS SCRIPTVRIS NON OMNIA SCRIPTA INVENIRI: IN TALI CASV SANCTORVM PATRVM SENSVM ET CONSENSVM SEQVENDVM, ET PRO LEGE TENENDVM ESSE.

NEGANT.

Anno postnati Christũ 30. 250.

ADDVCÆ I nihil præter Legem à Mose scriptam recipiebant, Patrum Traditiones reiciebant, & volebant illa solùm, quæ scripta essent, valere; non scripta autem nullius esse auctoritatis. Iosephus lib. 13. Antiquitatũ cap. 18. interprete Ruffino, Aben Esra in Tzaboch & in Genesin, Elias Leuita in Thesbe, in verbo Tzadoc.

Paulus Samosatenus in verbi Dei interpretes, qui vita excessissent, dum in hominum frequentia palam prædicaret, petulanter & importunè debacchatus est: & non tam-

quam

quam Episcopus, sed tamquam præstigiator & sophista, de seipso magnifica verba iactauit. Eusebius Histor. lib.7.cap.24.

340. *Ariani, posthabitis Patrum sententijs, negant Filium Dei Patri esse ὁμοούσιον, id est, consubstantialem: quòd illud nomen in sacris literis nusquã extet.* Athanasius, Hieronymus, Augustinus, & Theodoretus, vbi agunt de Arianis.

360. *Macedoniani, & Eunomiani nihil multitudini & antiquitati Christianorum deferentes, negant Spiritum sanctum esse cum Patre & Filio glorificandum; quòd illud Scriptura nusquam expressè dicat.* Basilius de Spiritu sancto cap.25. & lib.1. contra Eunomium, Athanasius lib.3. de Trinitate, Nazianzenus lib.5. de Theologia.

360. Semiariani, *Reijcimus, aiunt, vocem coessentialem, velut alienam à diuina Scriptura.* Epiphanius hæresi 73.

400. Maximinus Arianus dicebat: *Hæ voces, quæ extra Scripturam sunt, nullo casu à nobis suscipiantur, cùm Dominus moneat & dicat:* Sine causa me colunt, docentes doctrinas & mandata hominum. *Augustinus lib.1. contra Maximinum Arianum.*

400. *Pascentius Arianus contra Homousion, quia scriptum non esset, excepit.* Augustinus epist.174.

400. Pelagiani, *Credamus,* inquiunt, *quod legimus; & quod non legimus, nefas credamus astruere.* Augustinus de natura & gratia cap.39.

430. *Nestoriani veterum scripta Patrum perdiscere dedignantur, negant Mariam dicẽdam esse* Θεοτόκον, *seu Deiparã, quòd hæc vox nusquam in Scripturis extet.* Cyrillus, Acta Ephesina, Socrates, & cæteri, vbi de Nestorianis scribunt.

460. Eutychetis vox erat: *In qua Scriptura iacent duæ naturæ?* Cui respondit Mameas presbyter: *Et quæ Scriptura dicit ὁμοούσιον?* Concilium Chalcedonense actione 1.

620. *Iacobitæ omnes veteres Patres reijciunt.* Nicephorus lib.18.cap.25.

730. *Clemens quidam contra Catholicam contendit Ecclesiam, abnegans scilicet & refutans Canones sacros, tractatus & expositiones sanctorum Patrum Hieronymi, Augustini, & cæterorum.* VVilibaldus in vita S. Bonifacij.

1150. *Henricus Tholosanus omnes Ecclesiasticas traditiones spernebat.* Bernar. epist.241. VVilhelmus Abbas vitæ S. Bernardi lib.3.cap.5.

1150. *Petrus Abailardus ab omnium Patrum fide discedere non curabat.* Bernardus epist.190.

1310. *Lollardi refutant expositiones sanctorum Doctorum.* Thomas VValdensis tomo 1. doct.3. *Dicũt, Nihil præter sacras Scripturas recipimus: quicquid istis apponitur vel subtrahitur, est blasphemum.* Bernardus Lutzenburg.

1390. Ioannes VVicleuus in Supplemento Trialogi cap.9. *Quicquid Papa vel Cardinales sciunt ex Scriptura sacra deducere, id tantùm est credendum, vel ad eorum monita faciendum est: & quicquid vltra præsumpserint, contemnendum est tanquam hæreticum.*

1400 *VVicleuistæ ac Pickardi præter Scripturam nihil recipientes, Veterum ac Neotericorum scripta contemnunt.* Thomas VValdensis parte 3.cap.1. Ioannes Schechta epistola ad Erasmum.

1500. *Hermannus Risvvich asseruit Angelos non esse à Deo creatos, quòd hoc nusquam Scriptura testetur.* Bernardus Lutzemburg.

1520. Martinus Lutherus aduersus Regem Angliæ: *Ego aduersus dicta Patrum, hominum, Angelorum, dæmonum, pono non antiquum consensum, non multitudinem hominum, sed vnius maiestatis æternæ Verbum, Euangelium, quod ipsimet coguntur probare: hîc sto, hîc sedeo, hîc maneo, hîc glorior, hîc triumpho, hîc insulto Papistis, Thomistis, Henricistis, & omnibus portis inferi, ne dum dictis hominum quantumlibet sanctorum, aut consuetudini fallaci: Dei Verbum est super omnia, diuina maiestas mecum facit, vt nihil curem, si mille Augustini, mille Tertulliani, mille Ecclesiæ Henricianæ contra me starent.: Deus errare & fallere non potest: Augustinus, & Cyprianus, sicut omnes electi, errare potuerunt, & errârunt: dogmata mea stabunt, & Papa cadet.*

In Commentarijs in epist. ad Galat. *Neque alia doctrina in Ecclesia tradi aut audiri debet, quàm purum verbum Dei, hoc est, sancta Scriptura: Doctores, vel auditores aly cum sua doctrina anathema sunto.*

1530. Huldaricus Zvvinglius, Responsione ad Valentinum Comparem: *Multa laborando exempla Patrum recensés. Cogita quæso, quinam isti Doctores fuerint, sacerdotes nimirum, vel Papistæ. Doctores ergo non multum moror: nec enim mihi otium est, vt illos reuoluam.*

In Explanatione articuli 64. *Mox incipis clamare: Patres, Patres, nempe Patres sic tradiderunt: sed ego non Patres tibi refero, non matres; sed verbum Dei requiro.*

1540. Ioannes Pomeranus ad caput 3. Ionæ: *Non debetis Patribus credere, qui ex eodem ore calidum & frigidum efflant.*

1550. VVolfgangus Musculus in Locis communibus, capite de Scripturis sacris: *Vbi ex scriptis Patrum aliquid cõtra nos adferunt, palã dico, nolle me ad illorũ auctoritatẽ astringi, planeq; stultissimus est, vel studiosè malignus in Ecclesiam Dei, quisquis illorũ calculis conscientias fidelium obstringendas esse putauerit.*

1550. Petrus Martyr libro de votis: *Quum volumus instaurare Ecclesiam, nihil consultius est, quàm omnia reuocare ad prima Ecclesiæ principia, & religionis primordia: quandiu enim consistimus in Concilijs & Patribus, versabimur semper in ijsdem erroribus.*

1560. Laurentius Humfredus in vita Iuelli: *Quid rei nobis cum Patribus, cum carne & sanguine? aut quid ad nos attinet quod Episcoporum pseudosynodi constituunt?*

1570. Ioannes Sommerus contra Petrum Carolium lib.1.cap.1. *Antiquitas, in qua nos damnari obiectant, nihil habet ponderis. Nam si de rectè sentiente antiquitate loquuntur, qua appellatione Christum & Apostolos*

Apostolos intelligimus, res ipsa clamat, eam à nobis stare: sin de Patrum auctoritate id accipi volunt, id non ægrè ferimus, damnari ab illis verbum Dei.

ASSERVNT SACRÆ LITERÆ.

Deuteronomij 32. Vers.7. Interroga patrem tuum, & annuntiabit tibi: maiores tuos, & dicent tibi.

Psalm.43.1. Deus auribus nostris audiuimus: patres nostri annuntiauerunt nobis opus, quod operatus es in diebus eorum, in diebus antiquis.

Prouerb.1.8. Audi fili mi disciplinam patris tui, & ne demittas legem matris tuæ.

Isaiæ 38.19. Pater filijs notam faciet veritatem tuam.

Ierem.6.16. State super vias, & videte, & interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, & ambulate in ea: & inuenietis refrigerium animabus vestris.

Ecclesiastici 8.11. Non te prætereat narratio seniorum: ipsi enim didicerunt à patribus suis: quoniam ab ipsis disces intellectum, & in tempore necessitatis dabis responsum.

4.*Esdræ 14.3.* Reuelans reuelatus sum super rubum, & locutus sum Moysi, quando populus meus seruiebat in Aegypto: & misi eum, & eduxi populum meum de Aegypto, & adduxi eum super montem Sina, & detinebam eum apud me diebus multis: & enarraui ei mirabilia multa, & ostendi ei temporum secreta, & finem, & præcepi ei, dicens: Hæc in palam facies verba, & hęc abscondes, &c. 45. Priora quæ scripsisti, in palam pone, & legent digni & indigni: nouissimos autem septuaginta conseruabis, vt tradas eos sapientibus de populo tuo. In his enim est vena intellectus, & sapientię fons, & scientiæ flumen.

2.*Thessal.2.15.* State, & tenete traditiones, quas didicistis siue per sermonem, siue per epistolam nostram.

1.*Timoth.6.20.* O Timothee, depositum custodi.

2.*Timoth.2.1.* Tu ergo fili mi, confortare in gratia, quæ est in Christo Iesu: & quæ audisti à me per multos testes. Hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere.

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Dionysius Areopagita. 100.

De Ecclesiastica Hierarchia cap.1. Necessariò itaque primi illi nostri sacerdotalis muneris duces, cùm ex summa supersubstantialiq; Deitate ipsi sancti muneris plenitudinem percepissent, & idipsum deinceps proferre & propagare à diuina bonitate missi essent, ipsiq́ue posteros ad diuina prouehere affatim cuperent, visibilibus signis cælestia sacramenta texerunt; atque in ijs, quę nobis sunt familiaria, summa illa & supersubstantialia, partim scriptis, partim non scriptis institutionibus suis (iuxta quod sacræ definiunt leges) nobis tradiderunt.

Papias. 150.

Libro 4. operis sui: Non ijs, qui multa dicunt, sed qui vera docent oblector: neque ex illis, qui aliena, & noua mandata commemorant; sed ex his, qui recordatione renouant ea, quę sunt à Domino per fidem tradita, & ab ipsa veritate profecta, voluptatem capio. Si quis Presbyter mihi fortè occurrebat, qui cum Apostolis conuersatus fuisset, dicta Apostolorum ab eo diligenter scisciabar: nempe quid Andreas dixisset, quidnã Petrus, quid Philippus, quid Thomas, quid Iacobus, quid Ioannes, aut Matthęus, aut quis alius Domini discipulus: quid denique Aristion, & Ioannes Presbyter, qui in numero discipulorum Domini habebantur, locuti fuissent. Neque enim ea, quæ ex libris petebantur, tantum mihi subsidij allaturum existimaui, quantum ea, quę acceperam ex hominum voce & sermone, qui adhuc in vita manebant.

Irenæus. 180.

Lib.3.cap.4. Tantæ igitur ostensionis cùm sint hæc, non oportet adhuc apud alios quærere veritatem, quam facilè est ab Ecclesia sumere: cùm Apostoli, quasi in depositorium dives, plenissimè in eam contulerint omnia, quæ sint veritatis; vti omnis, quicunque velit, sumat ex ea potum vitæ: hęc est enim vitæ introitus, omnes autem reliqui fures sunt & latrones. Propter quod oportet deuitare quidem illos: quæ autem sunt Ecclesię, cum summa diligentia diligere, & apprehendere veritatis Traditionem. Quid enim? Etsi quibus de aliqua modica quæstione disceptatio esset, nõne oporteret in antiquissimas recurrere Ecclesias, in quibus Apostoli conuersati sunt, & ab eis de præsenti quæstione sumere, quod certum & re liquidum est? Quid autem si neque Apostoli quidem Scripturas reliquissent nobis, nonne oportebat ordinem sequi Traditionis, quam tradiderunt ijs, quibus committebant Ecclesias? Cui ordinationi assentiunt multæ gẽtes barbarorum, eorum qui in Christum credunt, sine charta & atramento, scriptam habentes per Spiritũ in cordibus suis salutem, & veterem Traditionem diligenter custodientes.

Clemens Alexandrinus. 200.

Lib.5. Stromatum cap.2. Cognitionis ædificium in epistola quoque ad Romanos tacitè significans inquit: *Desidero enim videre vos, vt aliquod vobis donum impertiam spirituale, vt vos confirmemini.* Non poterant apertè literis scribi eiusmodi dona, &c. Rom.1

Cap.4. *Scio quòd veniens ad vos,* inquit Apostolus, *veniam*

lus, *venium in plenitudine dilectionis Christi, χαὶ γνωστιχὴν παράδοσιν, ἣν μεταδοῦναι τοῖς παροῦσι ἠθέλησεν, οὐ διὰ ἐπιστολῆς*, & traditionem, quam ex cognitione eis præsentibus presens cupit impertire (neque enim ea poterat indicare per epistolam) plenitudinem Christi vocans, per reuelationem mysterij, quod æternis temporibus fuerat tacitum, nunc autem fuit manifestatũ per Scripturas propheticas, &c. Cognitio ipsa est, quæ per successionem ad paucos ab Apostolis absque scripto tradita peruenit.

Lib. 7. Stromaton cap. 9. Necesse est enim labi in maximis eos, qui res maximas aggrediuntur, nisi regulam veritatis ab ipsa veritate acceptam tenuerint. Quomodo ergo si quis ex homine fiat bestia similiter atque illi, qui Cyrces venenis fuerant infecti: ita homo Dei esse & Domino fidelis esse perdidit, qui aduersus Ecclesiasticam recalcitrauit Traditionem, & in humanarum hæreseon desiluit opiniones.

Origenes. 240.

Homilia 5. super Numeros: In Ecclesiasticis obseruationibus sunt nonnulla huiusmodi, quę omnibus quidem facere necesse est, nec tamen ratio eorum omnibus patet. Nam quòd (verbi gratia) genua flectimus orantes, & quòd ex omnibus cæli plagis ad solam Orientis partem conuersi orationem fundimus, non facilè cuiquam puto ratione compertum: sed & Eucharistiæ, siue percipiendę, siue eo ritu, quo geritur, explicãdę, vel eorum quę geruntur in baptismo verborum, gestorumq; & ordinum, atque interrogationum, & responsionum, quis facilè explicet rationem? & tamen omnia hæc operta, & velata portamus super humeros nostros, cùm ita implemus ea, & exequimur, vt à magno Pontifice atque eius filijs tradita & commendata susceperimus.

Tractatu 29. in Matthæum: Nos illis credere non debemus, nec exire à prima & Ecclesiastica traditione, nec aliter credere, nisi quemadmodum per successionem Ecclesiæ Dei tradiderunt nobis.

Ad caput 6. epistolæ ad Romanos: Ecclesia ab Apostolis traditionem accepit, etiam paruulis Baptismum dare.

Proœmio in lib. 1. de Principijs: Cùm multi sint, qui se putent sentire quæ Christi sunt, & nonnulli eorum diuersa à prioribus sentiant: seruetur verò Ecclesiastica prędicatio, per successionis ordinem ab Apostolis tradita, & vsque ad præsens in Ecclesijs permanens. Illa sola credenda est veritas, quæ in nullo ab Ecclesiastica discordat traditione.

Eusebius Cæsariensis. 320.

Lib. 1. Demonstrat. Euang. c. 8. Moses in tabulis inanimatis, Christus autem in mentibus vita præditis, perfecta noui Testamenti documenta descripsit: eius verò discipuli ad magistri sui nutum, auribus multorum doctrinam suam commodãtes, quæcunque quidem veluti vltra habitum progressis, à perfecto ipsorum magistro præcepta fuerant, ea ijs qui capere poterant tradiderunt: quęcunque verò ijs conuenire arbitrabantur, qui animas adhuc affectibus obnoxias gererent, curationisque indigentes, ea ipsi, ad imbecillitatem multorum se dimittentes, partim literis, partim sine literis quasi iure quodam nõ scripto seruanda commendarunt.

Contra Marcellum Episcopum Ancyranum: Ecclesia à finibus terræ vsque ad fines ex diuinis Scripturis testimonia ex non scripta traditione confirmat.

Athanasius. 340.

Epistola ad Epictetum: Hoc solummodò respondere ad ea sufficit, quòd ista non sint Catholicæ Ecclesię, neque ista Patres nostri senserunt.

Epistola ad omnes Orthodoxos, cùm per Arianos persecutio fieret: Non nouitia, non nupera res est Canonum Ecclesiasticorum institutio, sed à primis vsque Patribus per manus tradita est, & fundata in Ecclesijs: neque nunc tandem fides suum initium sumpsit, sed ab ipso Domino opera Discipulorum in nostram vsque ætatem propagata est. Ne igitur ea, quę hactenus vsque ad nostra secula in Ecclesijs obseruata sunt, his temporibus pereant, & quæ nobis concredita sunt, à nobis requirantur, agite fratres.

In decretis Synodi Nicenæ contra Eusebium: Ecce nos quidem ex Patribus ad Patres per manus traditam fuisse hanc sententiam demonstrauimus. Vos autem, ô noui Iudęi & Caiphæ filij, quos tandem nominum vestrorum potestis ostẽdere progenitores?

Basilius Magnus. 370.

De Spiritu sancto cap. 27. Dogmata, quæ in Ecclesia prędicantur, quædã habemus è doctrina scripto prodita, quędam rursus ex Apostolorũ traditione in mysterio, id est, in occulto tradita recepimus. Quorum vtraque parem vim habent ad pietatem, nec his quisquam contradicit, quisquis sanè vel tenuiter expertus est, quæ sint iura Ecclesiastica. Nam si consuetudines, quæ scripto proditæ non sunt, tamquam haud multum habentes momenti conemur reijcere, imprudentes & ea damnabimus, quæ in Euangelio necessaria ad salutem habentur; imò potius ipsam fidei prędicationem ad nudum nomen contrahemus. Quod genus est, vt eius quod primum est, & vulgatissimum primo loco commemorem, vt signo crucis eos, qui spem collocârunt in Christum, signemus, quis scripto docuit? vt ad Orientem versi precemur, quæ docuit Scriptura?

Libro 1. contra Eunomium: Quid tu narras? Non dabimus plus antiquitati? nõ reuerebimur Christianorum multitudinem, tam eorum, qui sunt, quàm eorum qui fuerunt, ex quo Euangelium prædicatum est? Nullam rationem dignitatis eorum faciemus, qui omni spirituali gratia claruerunt?

Homilia 28. contra Sabellium, Arium, & Anomæos: At ne Spiritum sanctum à Patre & Filio separes, absterreat te Dominica traditio: Dominus ita docuit, Apostoli prędicarunt, Patres obseruarũt, Martyres cõfirmarunt: satis tibi sit vt dicas, quemadmodum edoctus es.

Epistola 60. Fidem autem nos neque recentiorem ab alijs conscriptam acceptamus, neque ipsi mentis nostræ fœtus alijs obtrudere audemus; ne humana putentur pietatis verba, sed quę à sanctis Patribus edocti sumus, ea rogantibus nos annuntiamus.

Epistola 61. Dogmata Patrum contemnuntur, Apostolicæ traditiones annihilantur, recentiorum hominum inuenta Ecclesiis inferuntur.

Cyrillus Hierosolymitanus. 370.

Catechesi 5. Videte itaque fratres, vt seruetis traditiones, quas nunc accepistis, & in latitudine cordis eas describite, vt cum pietate eas custodiatis.

Gregorius Nazianzenus. 380.

In carminibus de Spiritu sancto:

Quòd si quis sacris testatum fortè libellis
Hoc reperire cupit, quòd sit Deus ille ducentos,
Prospiciet calles, quæ congrediantur in vnum,
Si volet, atque aliquid si flatus pectore traxit
Aetherei, viget atque animis, & cernit acutum.
Sin cupit, & vocem poscit Deitatis apertam,
Haud satis est prudens. Nam Christi numine nondum
Humano generi patefacto, imponere pondus

Infirmis

Infirmis humeris aliud, quod ferre nequirent,
Quisnam æquum, nisi mentis inops, hoc diceret esse?
Nam neque doctrinam pueris proponere plenam
Conuenit, vt nec adhuc teneris ostendere totum
Solem oculis, nimiaq; illos perfundere luce.
Flammiuomos etenim radios inducere sensim
Præstiterit, quàm, dum plus æquo cernere gestis,
Perpetuam læsis oculis offundere noctem.
Nam velut antè Patris totum dominum apertè
Numen pandebat Sermo, contraq; micabat
Gloria perpaucis Christi, qui mente valerent:
Sic etiam post Vnigenæ dum clarius orbi
Exereret numen, tamen almi parcius idem
Pneumatis, & tecta prodebat imagine numen.

Epiphanius. 380.

Hæresi 55. Termini nobis positi sunt & fundamenta, & ædificatio fidei, & Apostolorum traditiones, & Scripturæ sanctæ, & successiones doctrinæ, & vndequaque veritas Dei munita est. Nemo igitur decipiatur nouis fabulis.

Hæresi 61. Oportet autem & traditione vti. Non enim omnia à diuina Scriptura possunt accipi: Quapropter aliqua in Scripturis, aliqua in traditione sancti Apostoli tradiderunt. Quemadmodum dicit S. Apostolus: *Sicut tradidi vobis.* Et alibi: *Sic doceo, & sic tradidi in Ecclesijs.*

Hæresi 69. Respondete nobis Arij discipuli: Ingenitum dicimus omnes simul Patrem & increatum: & admirabilis est dictio scilicet. Vbi itaque est dictio hæc scripta ostendite? Neque enim Lex dicit, neque Prophetę, neque Apostoli. Si itaque piè dicimus dictionem non scriptam, estque recepta, dum pro gloria Dei dicitur, quis nos reprehenderit, etiamsi non esset vox coëssentialis scripta?

Hæresi 75. Ecclesia necessariò hoc (*quòd pro defunctis orat*) perficit traditione à Patribus accepta. Quis autem poterit statutum matris dissoluere, aut legem patris? Velut Salomon dicit: *Audi fili sermonem patris tui, & ne repudias statuta matris tuæ*: ostendens per hoc, quod in Scripturis, & sine scripto docuit Pater, hoc est Deus, & Vnigenitus, & Spiritus sanctus. Mater autem nostra Ecclesia habet statuta in se posita indissolubilia, quæ dissolui non possunt. Cùm itaque ordinata sint in Ecclesia statuta, & bene se habeant, & omnia mirabiliter fiant, confutatus est rursus etiam hic seductor.

Ioannes Chrysostomus. 400.

In 2. Thessal. oratione 4. *State & tenete traditiones.*) Hinc est perspicuum, quòd non omnia per epistolam tradiderunt, sed multa etiam sine scriptis: & ea quoque sunt fide digna. Quamobrem Ecclesiæ quoque traditionem censeamus esse fide dignam. Est traditio, nihil quæras amplius.

Honorius & Theodosius AA. 400.

In L. 2. Cod. Theodos. eod. tit. Ea quæ circa Catholicam fidem vel ordinauit antiquitas, vel parentum nostrorum auctoritas religiosa constituit, nouella superstitione remota, integra & inuiolata custodiri pręcipimus.

Proclus Constantinopolitanus. 430.

Epistola ad Armenios: State igitur in vno spiritu vnanimes, collaborantes fidei Euangelij, & in nullo terreamini ab aduersarijs, custodientes traditiones, quas accepistis, siue à sanctis & beatissimis Patribus, qui apud Niceam fidem promulgasse noscuntur; seu à sanctis & venerandis Basilio, Gregorioque, ac reliquis eadem sentientibus.

Ioannes Cassianus. 430.

Collat. 21. cap. 12. Oportet nos auctoritati Patrum, consuetudinique maiorum, vsque ad nostrum tempus per tantam annorum seriem protelatæ, etiam non perecepta ratione cedere, eamque, vt antiquitus tradita est, iugi obseruantia ac reuerentia custodire.

Cyrillus Alexandrinus. 430.

Ad Theodosium de recta in Deum fide: Cedò, quid nos ad hæc respondebimus? Apprimè indignum esse, nos antiquissimam fidei traditionem (vt quæ ab ipsis sanctis Apostolis profecta, ad nos vsque peruenit) propter curiosas quasdam ac superuacaneas rationes & disceptationes deserere.

Libro Apologetico, qui extat Tomo 1. Conciliorum folio 1164. Mens humana, licet nonnunquam propter amorem sui, si à recta via egrediatur, & à veris dogmatibus abducentem habeat motionem, fermè semper grauatur & formidat suarum cogitationum absurditatem definire, cùm se correxerit, & obiter labores scrutata fuerit sanctorum Patrum, qui præ omnibus in rectitudine & certitudine dogmatum celebrantur, suam rectè fidem explorabit. Omnes enim, quibus integrum cor est, illorum sententias sequi non detrectant: quia & ipsi Apostolica & Euangelica traditione suam mentem cùm impleuerint, & ex sacris Scripturis sermonem in fide rectum, ac inculpatum prænuntiarint, mũdi fuêre luminaria sermonem vitæ continentia.

Homilia 8. Heortastica: Traditionem Ecclesiæ tanquam thesaurum quendam in penetrali cordis recondens, amplectere occupationes Deo gratas, vt non solùm fide splendeas, sed & pietate luceas.

Epistola ad Nestorium: Ad hoc autem præstandum plurimum contulerit, si in sanctorum Patrum scripta fortè incidentes, quàm maximi illas facere studeamus: iterumque atque iterum ad præscriptam ab illis fidei formam vitam explorantes: omnesque nostras cogitationes rectis illorũ inculpatisq; sententijs scitè conformare satagentes.

Idem Cyrillus, & Synodus Alexandrina ad Nestorium: Sanctorum Patrum confessiones, quas sancto in ipsis loquente Spiritu ediderunt, sectantes, scopumque, ac sensum, quem illi tenuerunt, studiosè vbique obseruantes, & regia quasi via incedentes, ipsum vnigenitum Dei Verbum ex Patris substantia natum, &c. dicimus.

Ioannes Episcopus Antiochenus. 430.

Epistola ad Nestorium: Nulli nos periculo exponimus, si ea sentimus & loquimur, quę Doctores in Ecclesia Dei celeberrimos sensisse & docuisse certò nouimus.

Clerus Constantinopolitanus. 430.

Epistola ad Synodum Ephesinam: Iam inde ab ineunte ętate in orthodoxia educati, orthodoxoque dogmate probè spectati, toti in hoc sumus, vt sanctorum Patrum traditionem inconcussam seruemus.

Sozomenus. 440.

Lib. 4. cap. 16. de gestis in Ariminensi Synodo: Significabant autem obscurè, imò verò apertè arguebant verbum Consubstantialitatis, vtpote nec in sacris literis repertum, & multis obscurum & ignotum: volebantque, vt pro eo diceretur, Filium Patri rebus in omnibus similem secundùm Scripturas. Vbi verò formulam ista complectentem, quam ipsi secum eò ante attulerant, perlegerunt, complures nihil opus esse noua fidei formula

mula constáter affirmabant: sed acquiescendum decretis, quæ ante suam ætatem erant de fide sancita.

Flauianus Episcopus Constantinopolitanus. 450.

Epistola ad Leonem Papam: Omnia facienda à nobis sunt, & laborandum pro fide & expositionibus dogmatibusqúe sanctorum Patrum, quatenus per omnia, & inter omnes concussiones rerũ, integra hæc & inuiolata seruentur & custodiantur.

Petrus Diaconus. 480.

Libro de Incarnatione & gratia Domini nostri Iesu Christi c. 1. Vnde supplicitèr petimus beatitudinẽ vestram, vt si Deo præstante Catholicę fidei conueniens & Apostolicis traditionibus nostra apud vos fuerit expositio cõprobata, & facilè tantorũ virorum, probatissimorumqúe sacerdotum auctoritate muniti, iniqua loquentium ora obstruere valebimus, & in fide sanctorum Patrum perseuerantes, Deo, qui nos in sanctimonij sui confessione glorificauit, gratias referamus.

Cap. 2. Igitur iuxta sanctorum Patrum traditionem Dominum nostrum Iesum Christum in duabus naturis vnitis, & incõfusis, id est diuinitatis & humanitatis in vna persona siue substantia confitemur.

Ioannes Maxentius. 510.

In Præfatione suæ fidei confessionis: Aequè ergo de nostra paruitate conuenit iudicare, qui non in ipso termino venerabilis Concilij Chalcedonensis inserimus Patrum sententias, sed eas extrinsecus contra inimicos pro ipsius defensione proferimus. Sic denique B. Papa Leo etiam post defensionem eiusdem concilij coactus diuersorum Patrum sententijs, per illa, quæ dicuntur Encyclia, contradicentium ora obstruere, & prauorum nouas adinuentiones atque calumnias dissipare. Quorum etiam nos exempla sequentes, his, qui errorem propriæ impietatis ex auctoritate Synodi confirmare nituntur, & verba simpliciter atque integrè à sanctis Patribus edita, ad suam prauitatem conantur retorquere, compulsi sumus sanctorum virorum probatissimorumqúe Doctorum sententijs armati occurrere, & impias eorum assertiones per Dei gratiam refutare, &c.

In Catholicæ fidei professione de Christo: Duas naturas Dei Verbi Domini nostri secundùm traditionem sanctorum Patrum credimus & confitemur.

Iustinianus Imperator. 530.

C. de Summa Trinitate l. 5. editionis postremæ: Cùm recta & irreprehẽsibilis fides, quam prædicat sancta Dei Catholica & Apostolica Ecclesia, nullo modo innouationem recipiat: nos sequentes sanctorum Apostolorum, & eorum, qui post eos in sanctis Dei Ecclesijs conuersati sunt, dogmata, iustum fore existimauimus, cunctis manifestum facere, qualiter de fide, quę in nobis est, sentiamus: insistentes & adhærentes traditioni & confessioni sanctæ Dei Ecclesiæ Catholicæ.

L. 6. Necessarium esse putauimus, tam hęreticorum vaniloqua mendacia dissipare, quàm omnibus insinuare, quomodo aut sentiat sancta Dei Catholica & Apostolica Ecclesia, aut prædicent sanctissimi eius sacerdotes, quos & nos secuti, manifestè cõstituimus ea, quę fidei nostræ sunt, non quidem innouantes fidem, (quod absit,) sed coarguentes eorum insaniam, qui eadem cum impijs hæreticis sentiunt.

In Authenticis de appellationibus, §. illud autem, col. 4. Veneranda est vetustatis auctoritas.

Edicto, quod misit ad Ioannem PP. Nos autem sequentes diuinas Scripturas, & sanctos Patres, confitemur, &c. His ita demonstratis per sanctorum Patrum doctrinam, cessent qui numerũ naturarum, quæ in Christo sunt, occasionem sui erroris faciunt, &c. Nos sanctorum Patrum doctrinam per omnia sequentes credimus, &c.

Anastasius Antiochenus. 580.

Lib. 1. de rectis dogmatibus verissimæ fidei nostræ: Veram autem descriptionem fidei hanc pronuntio, non quia à me perscripta est, sed quòd doctrina hæc à viris profecta sit Theologica sapientia prędditis, eiusqúe exacta traditio ad nos vsque peruenit, quasi sors quædam hæreditatis paternæ, legitimo iure quasi per manus accepta, vt quæ à parentibus spirituali doctrina locupletatis ad ingenuos liberos peruenerit.

Antiochus. 610.

Homilia 114. Quin & hoc nos edocent diuinæ Scripturę omnes, non mandata Dei solùm à nobis perpetuò obseruari debere; sed & Patrum nostrorum, Doctorum, & Prępositorum præcepta cum omni cautione inuiolabiliter tenemur custodire.

Homilia 130. Sic nos, siue Catholica Ecclesia credimus, quemadmodum & magna illa Ecclesię luminaria & Doctores veritatis Athanasius, & Basilius, Gregorius, Ioannes, Cyrillus magnæ ciuitatis Alexandrinorum Episcopus: quare illos, qui præter horum dogmata senserunt, auersamur, repudiamus, & execramur.

Maximus Monachus. 640.

In Commentarijs in Dionysium Areopagitam de diuinis nominibus cap. 1. Vno ordine ponendæ sunt & sacrę Scripturæ, & Episcoporum Traditiones.

Sexta Synodus Vniuersalis. 680.

Actione 12. Omninò necesse est, non solùm secundùm sensum sequi sanctorũ Patrum dogmata; sed & ijsdem vocibus vti cum illis, nihilqúe penitus innouari.

Canone 19. Si ad Scripturam pertinens controuersia aliqua excitata fuerit, ne eam aliter interpretentur Episcopi, quàm quomodo Ecclesię luminaria, & Doctores suis scriptis exposuerunt.

Synodus Trullensis. 710.

Can. 8. Ea, quę à sanctis Patribus nobis decreta sunt, nos quoque rata & firma esse volumus.

Can. 19. Quòd oportet eos, qui præsunt Ecclesijs, in omnibus quidem diebus, sed præcipuè Dominicis omnem clerum & populum docere pietatis & rectæ religionis eloquia, ex diuina Scriptura colligentes intelligentias, & iudicia veritatis, & non transgredientes iam positos terminos, vel diuinorum Patrum traditionem: sed & si ad Scripturam pertinens controuersia aliqua excitata fuerit, ne eam aliter interpretẽtur, quàm quomodo Ecclesiæ luminaria & Doctores suis scriptis exposuerunt.

Ioannes Damascenus. 730.

Orthodoxæ fidei libro 4. cap. 13. de adoratione ad Orientem: Quocirca eius aduentum operientes, ad Orientem adoramus. Est autem Apostolorum hoc institutum, literis sacris haudquaquam proditum. Complura etenim illi nulla Scripturæ auctoritate nixa nobis tradiderunt.

Cap. 17. de imaginibus Sanctorum: Est autem hæc traditio ex earum numero, quæ Scripturæ verbis minimè expressę sunt, quemadmodum & ea, qua ad Orientem conuersi adoramus, & ea, qua crucem adoramus, aliæqúe complures his similes, &c.

2. Thes. 2 — 1. Cor. 11 — Prou. 22 — 2. Thes. 2

les, &c. Quòd autem Apostoli quàm plurima nullo sacrę Scripturæ loco prodita nobis tradiderint, his verbis testatur ille gentium Apostolus Paulus: *State igitur fratres, & tenete traditiones nostras, quas didicistis, siue per sermonem, siue per epistolam nostram.* Et ad Corinthios scribens: *Laudo vos fratres, quòd per omnia mei memores estis, & sicut trádidi vobis traditiones tenetis.*

Epistola de Trisagio: Quòd si quis dicat se multos sciscitantes audijsse, quid sit causæ, quamobrem cùm dicimus: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto*, persæpe hæc subiungimus: *Crucifixo voluntariè, atque à morte ad vitam excitato*, aut aliquid aliud eiusmodi: cùm autem ter sanctum hymnum dicimus, non item hæc verba subnectimus: *qui nostra causa in crucem actus est*: is hoc responsum à nobis habeat, nempe ritus ac Traditiones Ecclesiæ vigorem obtinere debere. *Ne transgrediaris enim*, inquit ille, *terminos antiquos, quos posuerunt patres tui.* Atque vt à Magno Basilio pronuntiatum est: Quicquid antiquitate excellit, venerationem meretur.

De Imaginibus oratione 3. Vbinam in veteri Testamento, aut in Euangelio Trinitatis nomen, aut homousion, hoc est, eiusdẽ essentiæ, siue consubstantialem, aut vnam diuinitatis naturam perspicuè, aut tres personas apertè verbis expressas, aut vnam Christi personam, duasqúe naturas dilucidè verbis item explicatas inuenisti? Nusquã omnino. Attamen quoniam ex verbis eandem vim obtinentibus, quę Scriptura continet, à sanctis Patribus hęc præfinita sunt: ea susципimus, & qui secus faciunt, eos à communione societateqúe nostra repellimus.

Oratione de defunctis: Nihil quod vtilitate careat Christianorum religio, quæ ab omni errore aliena est, susципit, fixumqúe semper ac stabile retinuit: sed frugifera omnia, Deoqúe grata atque accepta, maioremqúe in modum vtilia, atque ita comparata, vt maxima ex ijs salus oriatur.

Nicæna Synodus Secunda. 790.

Actione 7. Fatemur vnanimiter nos Ecclesiasticas Traditiones, siue scripto, siue consuetudine valentes & decretas retinere velle, quarum de numero est imaginum effiguratio, &c. His sic se habentibus, regiam viam incedentes, & sanctorum Patrum doctrinæ insistentes, & Catholicæ Ecclesię, in qua sanctus Spiritus habitat, Traditionem obseruantes, definimus, &c. Qui ausi fuerint aliud sentire, aut docere, aut more impiorum hęreticorum Ecclesiasticas Traditiones contaminare, aut nouam quandam vaniloquentiam inducere, aut contra ista vafrè & impiè aliquid excogitare, quod sit contra constitutionem Ecclesiasticam, si fuerint Episcopi, aut clerici, deponantor: si Monachi, aut laici, communione priuantor. Si quis traditionem Ecclesiæ siue scripto, siue consuetudine valentem non curauerit, Anathema.

Nicephorus Constantinopolitanus Patriarcha. 820.

Dialogo de Imaginibus: Etsi nusquam scriptum est verbis, Christum esse suæ imaginis prototypon: multa tamen alia similiter non sunt scripta verba, quæ idem valent, atque illa quæ scripta sunt, vt ὁμοούσιος, θεοτόκος, χριστοτόκος: quæ vocabula necessitas aduersus hæreticos inuenit. Ad hunc modum hæresis Iconomachorum fecit, vt diceremus prototypon imaginis Christi, quod eandem vim habet, vt illud quod scriptum est.

Synodus Octaua generalis. 860.

Canone 1. Regulas, quæ sanctæ Catholicæ atque Apostolicæ, tam à sanctis famosissimis Apostolis, quàm ab Orthodoxorum vniuersalibus, nec non & localibus Concilijs, vel etiam à quolibet Deiloquo Patre & magistro Ecclesiæ traditæ sunt, seruare atque custodire profitemur. His & propriam vitam & mores regentes, & omnem sacerdotij catalogum, atque omnes, qui Christiano censentur vocabulo, pœnis & damnationibus, & è diuerso receptionibus & iustificationibus, quæ per illas prolatæ sunt atque definitæ canonicæ subijci decernentes. *Tenere* quippe *traditiones, quas accepimus, siue per sermonem, siue per epistolam*, Sanctorum, qui ante fulserunt, Paulus apertè admonet.

Photius Constantinopolitanus Patriarcha. 870.

In nono Canone titulo 1. de fide cap. 3. *Quòd Ecclesiastica non scripta consuetudo tanquam lex seruanda sit, & quòd necesse habemus seruare legem Mosaicam*: Synodi sextæ can. 82. Basilius ex epistola ad Diodorum ex 27. & 28. cap. Epistola ad Amphilochium de Spiritu sancto. In iure etiam ciuili consuetudo, tanquam lex non scripta vim obtinet, quando & in iudicio confirmata fuerit, & quando legi scriptę non aduersatur.

Theophylactus. 900.

Ad caput 11. prioris ad Corinth. Ex eo quod ait: *Quemadmodum tradidi vobis traditiones continetis*, perspicuum fit, quòd haud pauca sine scriptis tradiderint & ipse, & reliqui Apostoli.

Ad 2. Thessal. 2. *State, & tenete traditiones.*) Vel hinc perspicuum est, quòd pleraque etiam sine scriptis per sermonem, hoc est viua voce tradiderunt, non solùm per epistolam: similiter autem & hæc & illa fide digna sunt. Itaque & Ecclesiæ Traditionem fide dignam existimemus. Traditio est: nihil amplius quæras.

Simeon Metaphrastes. 950.

In vita Theodosij Cœnobiarchæ: Multa ex ijs, quæ olim quidem facta sunt, sita autem non sunt in diuina Scriptura, sola scriptis non mandata Traditio efficit, vt in hodiernum vsque diẽ pro certis habeantur.

Oecumenius. 1080.

2. Thessalon. 2. *State, & tenete traditiones.*) Et sine scripto, & scriptis tradiderunt Apostoli: & vtraque digna sunt, quæ seruentur. Itaque non scripta Ecclesiæ Traditio obseruanda est.

Theodorus Balsamon. 1080.

In epistolam Gregorij Thaumaturgi: Sanctos appellat Episcopos: illud autem ante ipsos sancto Spiritu subiunxit, ostendens, quòd quæcunque in communi consideratione ab Episcopis dispensantur, Spiritus sanctus ea suggerit.

Georgius Codinus. 1400.

De officialibus Palatij Constantinopolitani fol. 178. Insuper etiã etiam sanctio & colo quæcunque dogmata posuerunt, & statuerũt per loca sua sanctissimi Patres nostri rectè secundùm Canonem, inculpateqúe.

Gennadius Scholarius. 1450.

De sacrificio in azymo cap. 1. Diuinorum & sanctorum Patrum traditiones firmiter amplectimur, & integrè tenemus, simul & capessimus, eorumqúe dogmata, & pia scripta prædicamus.

Hieremias Constantinopolitanus Patriarcha. 1576.

Epistola 1. ad Iacobum Andreæ, & Martinum Crusium: Persuasum habemus vos qua sapientia, eru-

ditione,& prudentia eſtis,aliud nihil prælaturos: ſcilicet nec ſanctionem vllam nouam, & apertè Euangelicæ Domini noſtri Ieſu Chriſti Philoſophiæ repugnantem: nec tempus, quo aliter in alijs abuſi eſtis dogmatibus: nec conſuetudinem abſurdam antelaturos veritati,vel ipſi veritati & ipſi ſapientię Domino noſtro Ieſu Chriſto: cum quo & diuini ipſius diſcipuli Apoſtoliqúe,& canonica ipſorum ſalutariaqúe ſctipta, & vniuerſales atque particulares ſanctorum Patrum Synodi,& ſummi Eccleſiæ Theologi,ac prędones manifeſtè conſentiunt.

Reſponſ.1.cap.13. Noſtra Eccleſia gloriatur ſplendore Apoſtolicarum & patriarum Traditionum.

Reſponſ.3.ad finem: Rogamus itaque vos,ne poſthac labores nobis exhibeatis: neque de ijſdem ſcribatis,& ſcripta mittatis. Nam Theologos,qui Eccleſiæ lumina fuerunt,aliàs aliter tractatis: & verbis quidem honoratis eos, extollitisq́,factis verò reijcitis: armaqúe noſtra inutilia nobis efficere vultis: excutere ſcilicet de manibus noſtris verba illorum ſancta & diuina, quibus nos ad ſcribendum & contradicendum vobis vti potuiſſemus.

Theodoſius Zygomala. 1580.

Epiſtola ad M.Cruſium de Conſtantinopoleos obſidionibus,rebusq́, hodiernæ Græciæ: Hoc autem ſcito, dogmata Eccleſię noſtræ partim teſtimonijs ſacræ Scripturę conſtare,partim Apoſtolorum traditione: quas Traditiones tanquam myſteria accepimus,& maiores noſtri citra curioſam inquiſitionem ſilentio in his acquieuerunt. *Laudo vos,* inquit, *quòd omnia meminiſtis,& quas tradidi vobis Traditiones retinetis.* Et: *Tenete Traditiones,quas accepiſtis,ſiue per ſermonem, ſiue per epiſtolam.* Vos autem iſthic omnia ad amuſſim ſacrę Scripturæ exigętes, difficulter aſſenſuros puto. 2.Cor.11. 2.Theſ.2

Gabriel Philadelphienſis Epiſcopus. 1580.

Epiſtola ad Martinum Cruſium: Quòd ſi de noſtris rebus ſcire cupis, ſcito nos veram doctrinam & ſanctorum Apoſtolorum Traditiones ſequi:non autem illis aſſentiri, quorum otium & ſtudium in argutijs dictionum,verbisq́ in aërem abeuntibus conſumitur, qui quotidie aliquid diuinę doctrinæ addunt aut detrahunt.

Hypathius Ruthenorum Legatus. 1595.

In ſuæ fidei profeſſione: Apoſtolicas & Eccleſiaſticas Traditiones,reliquasqúe eiuſdem Eccleſiæ obſeruationes & conſtitutiones firmiſſimè admitto & amplector. Sacram Scripturam iuxta eũ ſenſum, quem tenuit ac tenet ſancta mater Eccleſia,cuius eſt iudicare de vero ſenſu,ac interpretatione ſacrarum Scripturarum,admitto:nec eam, niſi iuxta vnanimem conſenſum Patrum accipiam & interpretabor.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Tertullianus. 200.

De corona Militis capite 2. Et ideò non ad eos erit iſte tractatus, quibus non competit quęſtio: ſed ad illos, qui ſtudio diſcendi, non quęſtionem deferunt,ſed conſultationem. Nam & ſemper quæritur de iſto, & laudo fidem, quę ante credit obſeruandum eſſe, quàm didicit: Et facilè eſt ſtatim exigere,vbi ſcriptum ſit, ne coronemur. At enim vbi ſcriptum eſt, vt coronemur? Expoſtulantes enim Scripturę patrocinium in parte diuerſa,præiudicant ſuę quoque parti Scripturæ patrocinium adeſſe debere. Nam ſi ideo dicetur coronari licere, quia non prohibeat Scriptura, ęquè retorquebitur, ideò coronari non licere, quia Scriptura non iubeat. Quid faciet diſciplina? Vtrumque recipiet, quaſi neutrum prohibitum ſit? an vtrumque reijciet, quaſi neutrum prœceptum ſit? ſed quod non prohibetur, vltrò permiſſum eſt. Imò prohibetur, quod non vltrò permiſſum eſt.

Capite 3. Et quamdiu per hanc lineam ferram reciprocabimus, habentes obſeruationem inueteratam, quæ præueniendo ſtatum fecit? Hanc ſi nulla Scriptura determinauit, certè conſuetudo corroborauit, quę ſine dubio de traditione manauit. Quomodo enim vſurpari quid poteſt, ſi traditum prius non eſt? Etiam in traditionis obtentu exigenda eſt, inquis, auctoritas ſcripta. Ergo quęramus,an & traditio nõ ſcripta nõ debeat recipi? Planè negabimus recipiendam, ſi nulla exempla prœiudicent aliarum obſeruationum, quas ſine vllius Scripturę inſtrumento, ſolius traditionis titulo,exinde conſuetudinis patrocinio vindicamus. Denique vt à Baptiſmate ingrediar,aquã adituri, ibidem,ſed & aliquanto priùs in Eccleſia ſub Antiſtitis manu conteſtamur nos renuntiare diabolo,& pompę,& Angelis eius: de hinc ter mergitamur, amplius aliquid reſpondentes,quàm Dominus in Euangelio determinauit. Oblationes pro defunctis,pro natalitijs annua die facimus, &c. Frontem crucis ſignaculo terimus.

Cap.4. Harũ & aliarum eiuſmodi diſciplinarum ſi legem expoſtules Scripturarũ, nullam inuenies: Traditio tibi prętendetur auctrix, conſuetudo confirmatrix,& fides obſeruatrix. Rationem traditioni, conſuetudini, fidei patrocinaturam aut ip ſe perſpicies, aut ab aliquo, qui perſpexerit,diſces,&c. His exemplis renuntiatum erit, poſſe etiam non ſcriptam traditionem in obſeruatione defendi,confirmatam conſuetudine, idonea teſte probatę tunc traditionis ex perſeuerantia obſeruationis. Conſuetudo autem etiam in ciuilibus rebus pro lege ſuſcipitur, cùm deficit lex: nec differt Scriptura an ratione conſiſtat,quando & legem ratio commendet.

Cyprianus. 250.

Epiſtola 69. Nec hæc iacto, ſed dolens profero, cùm te iudicem Dei conſtituas & Chriſti, qui dicit ad Apoſtolos, ac per hoc ad omnes Præpoſitos,qui Apoſtolis vicaria ordinatione ſuccedunt: *Qui vos audit,me audit; & qui me audit,audit eum, qui me miſit.* Libro 4. epiſt.10. Luc.11.

Hilarius. 350.

Ad Pſalm.2. Erat iam à Moſe antea inſtitutum in omni Synagoga ſeptuaginta eſſe Doctores. Nam idem Moſes, quamuis veteris Teſtamenti verba in literis condidiſſet:tamẽ ſeparatim quędam ex occultis Legis ſecretiora myſteria ſeptuaginta ſenioribus,qui Doctores deinceps manerẽt, intimauerat: cuius doctrinæ etiam Dominus in Euangelijs meminit, dicens: *Super cathedram Moſi,* inquit, *ſederunt Scribæ & Phariſæi: omnia ergo quæcunque dixerint vobis, ſeruate & facite: ſecundùm verò facta eorum nolite facere.* Doctrina ergo horum in poſterum,quæ ab ipſo ſcriptore legis accepta, in hoc ſeniorum & numero & officio conſeruata eſt. Matt.23.

Liberius Papa. 350.

Epiſtola ad Conſtantium Auguſtum: Illam fidem ſeruans, quę per ſucceſſionem tantorum Epiſcoporum cucurrit,ex quibus plures Martyres extiterunt,illibatam cuſtodiri ſemper exopto.

Ambroſius. 370.

De fide lib.3.cap.7. Seruemus præcepta maiorum, nec hæreditaria ſignacula auſi rudis temeritate violemus.

Serm.34.de Quadrageſima: Nonnulli Chriſtianorum, fratres, exiſtimãtes ſe diuinitatis præcepta religioſius obſeruare, prætermiſſa deuotiõe Quadrageſimæ, Quinquageſimam ſe facere mentiuntur: cùm id neque diuinis literis iubeatur, neque traditum ſit auctoritate maiorum.

Epiſt.83. Non mediocris eſſe ſapientiæ,diem celebritatis definire Paſchalis, & Scriptura diuina nos inſtruit, & Traditio maiorum: qui conuenientes ad Synodum Nicęnam, etiam ſuper ea celebritate collegère rationem,&c.

Damaſus. 380.

Epiſtola ad Epiſcopos Illyriæ: Cauendũ ſanè, ne per eos, qui varias doctrinas comminiſcuntur,in lubricum ſeducamur: ac potius quotieſcunque illi variantibus conſilijs circumferuntur, Patrum noſtrorum à nobis ſententiæ ſunt retinendæ. Apud Niceph.li.11. cap.31.

Pacianus. 380.

Epiſtola ad Sympronianum Nouatianum: Quid? parua nobis de Apoſtolicis viris, parua de primis ſacerdotibus, parua de beatiſſimo Cypriano Martyre & Doctore currit auctoritas? An volumus docere Doctorem? An ſapientiores illo ſumus,& ſpiritu carnis inflãmamur aduerſus eum, quem æterni Dei teſtẽ nobilis cruor, & clariſſimæ paſſionis corona produxit? Quid tot earum partium ſacerdotes, quos per totum orbem cum eodem Cypriano pax vna ſolidauit? Quid tot annoſi Epiſcopi,tot Martyres, tot Confeſſores? Age, ſi illi vſurpando nomini huic auctores non fuerũt;nos idonei erimus negando?

Hieronymus. 390.

Dialogo aduerſus Luciferianos cap.4. Etiãſi Scripturæ auctoritas non ſubeſſet, totius orbis in hanc partem conſenſus inſtar præcepti obtineret. Nam & multa alia, quæ per Traditionem in Eccleſijs obſeruantur, auctoritatem ſibi ſcriptæ legis vſurpauerunt: velut lauacro ter caput mergitare, deinde egreſſos lactis & mellis præguſtare concordiam,ad infantiæ ſignificationem: die Dominico,& per omnem Pentecoſten,nec de geniculis adorare,& ieiunium ſoluere:multaq́; alia,quę ſcripta non ſunt, rationabilis ſibi obſeruatio vindicauit: ex quo animaduertis,nos Eccleſiæ conſuetudinem ſequi, licet ante aduocationem Spiritus conſtet aliquem baptizatum.

Epiſtola 28.ad Lucinium: Traditiones Eccleſiaſticæ, quæ fidei non officiunt, ita obſeruandæ, vt à Maioribus traditæ ſunt,&c. Vnaquæque prouincia abundet in ſuo ſenſu, & præcepta maiorum leges Apoſtolicas arbitretur.

Ruffinus. 390.

Eccleſiaſtica hiſtor. lib.2.c.9. Baſilius & Nazianzenus ſolis diuinæ Scripturæ libris operam dabant, earumq́ intelligentiam non ex propria præſumptione, ſed ex maiorum ſcriptis & auctoritate ſequebantur:quos & ipſos ex Apoſtolica ſucceſſione intelligẽdi regulam ſuſcepiſſe cõſtabat: quorum præcipuè in Prophetas cõmentarios diſcutientes,theſauros ſapientiæ reconditos in vaſis fictilibus perquirebant.

Gaudentius. 400.

Reſponſione ad Geminium de villico iniquitatis: Venio nunc ad illud, quod tantopere à me exegiſti, & quid ſuper eo ſentiam qua potero breuitate narrabo; nulli prœiudicaturus, qualiter interpretari voluerit, modò vt explanatio eius Traditionem fidei Apoſtolicæ non infringat.

Auguſtinus. 400.

Lib. contra Creſconium Grammaticum cap.33. loquens de Baptiſmo hæreticorum: Quamuis huius rei certũ de Scripturis Canonicis non proferatur exemplum, earundem tamen Scripturarum etiam in hac re à nobis tenetur veritas, cùm hoc facimus, quod vniuerſæ iam placuit Eccleſiæ, quam ipſarũ Scripturarum commendat auctoritas: vt quoniam ſancta Scriptura fallere non poteſt, quiſquis fálli metuit huius obſcuritate quæſtionis,eandem Eccleſiam de illà conſulat, quam ſine vlla ambiguitate Scriptura demonſtrat.

Lib.2. cap.32. Nunc verò quoniam Canonicum non eſt, quod recitas,ea libertate, ad quam nos vocauit Dominus, eius viri, cuius laudem conſequi non valeo, cuius multis literis mea ſcripta non comparo, cuius ingenium diligo, cuius ore delector, cuius martyrium veneror, hoc quod aliter ſapuit non accipio: non accipio, inquam,quod de baptizandis hæreticis & ſchiſmaticis B. Cyprianus ſenſit: quia hoc Eccleſia non accepit,pro qua B.Cyprianus ſanguinem fudit.

De Baptiſmo contra Donatiſtas lib.4.cap.24. Quod vniuerſa tenet Eccleſia,nec Concilijs inſtitutũ, ſed ſemper retentum eſt; non niſi auctoritate Apoſtolica traditum rectiſſimè creditur.

Contra Donatiſtas lib.7.cap.53. Sed nobis tutum eſt in ea non progredi aliqua temeritate ſententiæ, quæ nullo in Catholico regionali Cõcilio cœpta, nullo plenario Concilio terminata ſunt: id autẽ fiducia ſecuræ vocis aſſerere, quod in gubernatione Domini Dei noſtri, & Saluatoris Ieſu Chriſti vniuerſalis Eccleſiæ conſenſione roboratum eſt.

Contra Fauſtum Manichæum lib.11. cap.2. Si hoc facere conatus fueris, & nihil valebis: & vides in hac re quid Eccleſiæ Catholicæ valeat auctoritas, quæ ab ipſis fundatiſſimis Apoſtolorum ſedibus vſque ad hodiernum diem ſuccedentium ſibimet Epiſcoporum ſerie, & tot populorum conſenſione firmatur.

Contra epiſtolam Manichæi, quam vocant Fundamenti cap.5. Quæro ergo quis ſit ille Manichæus? Reſpõdebitis: Apoſtolus Chriſti. Non credo. Iam quid dicas, aut facias non habebis. Promittebas enim ſcientiam veritatis, & nunc quod neſcio, cogis vt credam. Euangelium fortè mihi lecturus es, & inde Manichæi perſonã tentabis aſſerere. Si ergo inuenires aliquem,qui Euãgelio nondum credit,qd faceres dicenti tibi: Non credo? Ego verò Euangelio non crederem, niſi me Catholicæ Eccleſiæ commoueret auctoritas. Quibus ego obtemperaui dicentibus: Credite Euangelio,cur eis non obtemperem dicentibus mihi: Noli credere Manichæo? Elige quod velis. Si dixeris: Crede Catholicis, ipſi me monẽt, vt nullam fidem accommodem vobis. Quapropter non poſſum illis credẽs; niſi tibi non credere. Si dixeris: Noli Catholicis credere, non rectè facies, per Euangelium me cogere ad Manichæi fidem, quia ipſi Euangelio Catholicis prædicantibus credidi.

Contra Iulianum Pelagium lib.2.c.1. Oportet, vt populi Chriſtiani eloquia Sanctorum veſtris profanis nouitatibus anteponant,eisq́ potius eligant adhærere, quàm vobis.

Ad Inquiſitiones Ianuarij lib.1. cap.1. Illa, quæ non ſcripta, ſed tradita cuſtodimus, quæ quidem toto terrarum orbe obſeruantur, datur intelligi, vel ab ipſis Apoſtolis, vel à plenarijs Concilijs, quorum eſt in Eccleſia ſaluberrima auctoritas, commendata atque ſtatuta retineri.

Epiſtola 86.ad Caſulanum: In his rebus,de quibus nihil certi ſtatuit Scriptura, mos populi Dei, vel inſtituta maiorum pro lege tenenda ſunt.

Epist.108. ad Seleucianam: Non omnia quæ facta sunt, etiam scripta inueniuntur: veruntamen facta esse ex certis documentis probantur.

Innocentius Primus. 406.

Epistola 1. ad Decentium Eugubinum: Si institutа Ecclesiastica, vt sunt à beatis Apostolis tradita, integra vellent seruare Domini sacerdotes, nulla varietas in ipsis Ordinibus, & consecrationibus haberetur.

Paulinus Nolanus. 410.

Carmine Eucharistico:

Sed tua magna manus, diuina & prouida virtus
Consilio Sanctorum cuncta operanda peregit
Suadentum mihi tum morem seruare vetustum,
Quem semel inuectum maiorum Traditione,
Nunc etiam seruans Ecclesia nostra teneret.

Cælestinus. 428.

Epistola ad Gallie sacerdotes: Meritò causa nos respuit, si silentio faueamus errori. Ergo corripiantur eiusmodi: non sit ijs liberum habere pro voluntate sermonem. Desinat, si ita res sunt, incessere nouitas vetustatem.

Sixtus Tertius. 430.

Citatur à Vincentio Lyrinensi cap.43.

Epistola ad Antiochenum Episcopum: Ergo quia, sicut ait Apostolus, fides vna est, quæ euidenter obtinuit dicenda credamus, & tenenda credamus. Nihil vltra liceat nouitati, quia nihil addi cõuenit vetustati. Perspicua Maiorum fides & credulitas nulla cœni permixtione turbetur.

Capræolus Episc. Africanus. 430.

Extat in actu Conci. Ephesini.

Epistola ad Synodum Ephesinam: Quod si quid fortè nouarum controuersiarum inciderit, id tempestiuæ discussioni subijciatur oportet, vt vel rectè dictum comprobetur, vel condemnatione dignum explodatur. At verò si quis in ea, quæ iam olim diiudicata sunt, denuò inquirere tentauerit, is sanè aliud nihil facere censebitur, quàm de fide, quæ hactenus valuit, apertè dubitare. Vnde ad posteritatis exemplũ tum ea quoque, quæ iam olim pro Catholica fide definita & cõstituta sunt, perpetuam firmitatem obtinere valeant, oportet ea omnia inconcussa, immotaq; conseruare, quæ superioribus temporibus à sanctis Patribus constituta sunt. Porrò qui illam perpetuam stabilitatem retinere noluerit, quæ de Catholicæ fidei ratione statuerit, is non propria auctoritate, sed antiquorum Patrum iudicio sententiam suam corroborare debet: ita vt partim veterum, partim recentiorum sanctionibus & sententijs placita sua comprobans, vnam eandemq; Ecclesiæ veritatem iam inde ab initio ad præsentem vsque temporis articulum, simplici puritate, inuictaq; constantia & auctoritate decurrentem, se docere & tenere ostendat.

Vincentius Lyrinensis. 435.

Aduersus hæreses cap.3. In ipsa Catholica Ecclesia magnopere curandum est, vt id teneamus, quod ab omnibus creditum est. Hoc est etenim propriè verèq; Catholicũ (quod ipsa vis nominis ratioq; declarat, quæ omnia verè vniuersaliter comprehendit) sed hoc ita demum fit, si sequamur vniuersitatem, antiquitatem, & cõsensionem. Sequemur autem vniuersitatem hoc modo, si hanc vnã fidem veram esse fateamur, quam tota per terrarum orbem confitetur Ecclesia: Antiquitatem verò, si ab his nullatenus sensibus recedamus, quos sanctos Maiores ac Patres nostros celebrasse manifestum est: Consensionem quoq; itidem, si in ipsa vetustate omnium sacerdotum pariter & magistrorum definitiones sententiasq; sectemur.

Cap.32. Christi Ecclesia sedula & cauta depositorum apud se dogmatum custos, nihil in ijs vnquam permutat, nihil minuit, nihil addit, non amputat necessaria, non apponit superflua, non amittit sua, non vsurpat aliena: sed omni industria hoc vnum studet, vt vetera fideliter sapienterq; tractando, si qua sunt illa antiquitus informata, & inchoata, accuret & poliat: si qua iam expressa, & enucleata, consolidet & firmet: si qua iam confirmata & definita, custodiat. Deniq; quid vnquam aliud Conciliorum decretis enisa est, nisi vt quod anteà simpliciter credebatur, hoc idem postea diligentius crederetur?

Petrus Chrysologus. 440.

Sermone 85. Christianus animus quæ sunt Traditione Patrum, & ipsis roborata tẽporibus, nescit in disputationem deducere, sed venerari ea toto desiderat venerationis eloquio.

Leo Primus. 450.

Sermone 2. de ieiunio Pentecostes cap.1. Dubitandũ non est, omnem obseruantiã Christianam Traditionis esse diuinæ. Et quicquid ab vna Ecclesia in consuetudinem est deuotionis receptum, de Traditione Apostolica, & de Spiritus sancti prodire doctrina; qui nunc quoque cordibus fuorũ fidelium præsidet suis institutis, vt ea omnes & obedienter custodiant, & sapienter intelligant.

Sermone 9. de ieiunio septimi mensis cap.1. Quod dudum & Traditio decreuit, & cõsuetudo firmauit, nec eruditio ignorat, nec pietas prætermittit.

Epistola 8. ad Flauianum: In corde nostro ea obseruantia Deo inspirante permaneat, ne constitutiones venerabilium Patrum diuinitus roboratæ, & ad soliditatem fidei pertinẽtes, praua cuiuspiam interpretatione violentur.

Salonius. 480.

In Prouerbia Salomonis: Terminos antiquos dicit, terminos veritatis & fidei, quos statuerunt ab initio Catholici Doctores. Hoc ergo præcipit, vt eloquia sanctarum Scripturarum nemo aliter interpretetur, nisi iuxta vniuscuiusque scribentis intentionem.

Vigilius Tridentinus. 490.

Lib.1. contra Eutychen: Magnum & graue fidei periculum, quod nec facilè sentiri, nec facilè à plerisque valeat euitari, quoniam est pietatis specie obumbratum, per multas Orientis Ecclesias domestica contentione grassari comperimus, & eousque pertinaci animorum obstinatione defendi, vt nec antiquorum Patrum Traditionibus, nec religiosorũ Principum seueris sanctionibus possit, vel potuerit amputari: præuentus enim falsæ opinionis errore humanus auditus, ad veri rationem percipiendam durus ac perdifficilis inuenitur, quantiscunque testibus vrgeatur.

Lib.4. Vides in quæ vos impietatis abrupta præcipitet nouitas ista doctrinæ? Quia enim sic vultis videre Deum incarnatum, vt nihil habeat humanæ naturæ, sed totum quod est, deitatis natura sit: Dei enim naturam, quæ immortalis est, scientes mori non posse, nec ei penitus mortis nomen congruere, elegistis à fide Apostolica prorsus exorbitare, dicendo, Deum inter mortuos deputatum, &c.

Ferrandus Diaconus. 500.

In Paræneticoad Reginum Comitem, Regula 5. Nec tibi vnquam placeat in prouincijs, vbi ducatum geris, Canonum decreta rescindere. Si enim publicas Leges transgredi metuis, quas homo constituit, quomodo Spiritus sancti definitionibus obuiare tentabis? An ignoras, quia Spiritu sancto

locuti

Rom.10. locuti sunt Patres? Quorum iussa si rescindimus, loquenti per eos ingerimus contumeliam, poteritq; forsitan Apostoli nobis increpatio conuenienter aptari: *Zelum Dei habent, sed non secundùm scientiam.* Tene rectum ordinem, caue peruersum. Rectus ordo est, vt sacerdotes doceant, laici doceantur. Et omnis, qui se ad Ecclesiam pertinere gloriatur, legibus viuat Ecclesiæ, maximè his, quas antiquitas roborauit. Vnde etiam consuetudo sine lege, quam tamen Ecclesiæ sanctæ traditio custodiendam iugiter posteris tradidit, eadem reuerentia videtur custodiẽda, & nullatenus amouenda, si non est veræ fidei contraria. Nec offendat animum tuum Ecclesiarum consuetudo diuersa, dum fides est vna, &c.

Hormisda. 514.

Epist.67. ad Possessorem: Nunquam apud hæreticos charitas nouo commendata præcepto, nunquam pax Dominico relicta discessu, vna pertinacis cura propositi, rationi velle imperare, non credere: contemptores auctoritatum veterum, nouarum cupidi quæstionum, solam putantes scientiæ rectam viam, qualibet cõceptam facilitate sententiam: eousque tumoris elati, vt ad arbitrium suum vtriusque orbis putent inclinandum esse iudicium: nec in numero fidelium deputantes sequaces Traditionis paternæ, si suæ viderint cedere nolle sententiæ, &c. Neq; Faustum Gallum, neque quemquam, quos in auctoritate Patrum non recipit examen Catholicæ fidei, aut Ecclesiasticæ disciplinæ, ambiguitatem posse gignere, aut religiosis præiudicium comparare. Fixa sunt à Patribus, quæ fideles sectari debeant instituta, siue interpretatio, seu prædicatio, seu verbum pro populi ædificatione compositũm, si cum fide recta, & doctrina sana concordat, admittitur: si discordat, aboletur. Vnum est fundamentum, extra quod quælibet fabrica si consurgit, infirma est: super illud quisquis superædificat, seu vilia, seu pretiosa, consideret. Errat autem is, qui à via, quam Patrum electio monstrauit, exorbitat.

Cassiodorus. 540.

Diuinarum institutionum lib.1. in Præfatione: Quapropter indubitanter ascendamus ad diuinam Scripturam per expositiones probabiles Patrũ, velut per quandam scalam visionis Iacob: vt eorum sensibus prouecti, ad contemplationem Domini efficaciter peruenire mereamur.

Cap.11. Nam sanctissimi Patres iniuriam rectæ fidei non ferentes, regulas quoque Ecclesiasticas in concilio Chalcedonensi statuere maluerunt, & inuentores nouarum hæresum pertinaces diuino gladio perculerunt: decernentes nullum vlterius debere nouas incutere quæstiones; sed probatorum veterum auctoritate contentos, sine dolo & perfidia, decretis salubribus obedire. Sunt enim nonnulli, qui putant esse laudabile, si quid cõtra antiquos sapiant, & aliquid noui, vnde periti videantur, inueniant.

Gregorius Magnus. 590.

Lib.2. epist.37. Quod dicitis, nostris temporibus debere seruari, quæ à meis quoque prædecessoribus tradita atque custodita sunt: absit hoc à me, vt statuta maiorum consacerdotibus meis in qualibet Ecclesia infringam: quia mihi iniuriã facio, si fratrum meorum iura perturbo.

Lib.7. epist.61. Nostrum his accommodamus assensum, atque omnia, sicuti inter vos gesta sunt, per huius tuitionis paginam confirmamus, nec quidquam eorum à nobis, successoribusq; nostris deduci in irritum profitemur: quia valde Ecclesiasticæ est moderationi conueniens, vt quę ordinata fuerint vel decisa, nulla in posterum debeãt refragatione turbari.

Lib.9. epist.61. Ab antiqua Patrum institutione didicimus, vt quilibet, qui apud hæresin in Trinitatis nomine baptizantur, cùm ad sanctam Ecclesiam redeũt, aut vnctione Chrismatis, aut impositione manus, aut sola professione fidei, ad sinum matris Ecclesiæ reuocentur.

Synodus Lateranensis Prima. 650.

Secretario, seu consultatione 5. post lecta sanctorum Patrum testimonia de duabus in Christo naturis: Et hæc quidem ipse Sanctorum Deus Dominus noster Iesus Christus multifariè multisq; modis per sanctos Patres de seipso locutus, illuminauit nobis fidem Orthodoxam, sic & intransgressibiliter tenere eam, sicuti Patres prædicauerunt. Huius autem Orthodoxę fidei extraneos esse & alienos, vtpote denegantes eam in scripto, memoratos authores nouitatis, & impia eorum conscripta. Propterea & hos, atque ea, quæ ab ijs confecta sunt dogmata, reprobantes, secundùm statuta venerabilium Patrum siue præcepta, qui hoc facere nobis per omnia præcipiunt, dogmata & sermones sanctorum Patrum vno corde & ore, vnanimiter ac consonanter omnes firmamus, nihil addentes, nihil subtrahentes ex his, quæ ab ipsis tradita sunt nobis, ficq; credimus, sicuti Patres crediderunt: ita prædicamus, quomodo docuerunt.

Agatho. 680.

Epist. ad Constant 1mp. Heracl. & Tiberiũ AA. Hęc est perfecta nostra scientia, vt terminos Catholicæ atque Apostolicę fidei, quos vsque hactenus Apostolica sedes nobiscum & tenet & tradit, tota mẽtis custodia conseruemus, &c. Hæc nos Apostolica atque Euangelica Traditio, sanctorumq; Patrum magisterium, quæ sancta Apostolica atque Catholica Ecclesia, & venerabiles Synodi suscipiunt, instituisse monstrantur. Ex quorum doctrinis hęc recolligentes ea breuitate perstrinximus. Hoc enim credimus, quod per Traditionẽ Apostolicam accepimus, cuius auctoritatem in omnibus sequimur: à qua & institutos hoc ipsum nostræ humilitatis prædecessores cognouimus, quã & vsq; ad finem seruari nobis siue per vitam, siue per mortem optamus.

Leo Secundus. 682.

Epistola ad Constantinum Augustum: Hanc rectæ & Apostolicæ Traditionis normã prædecessor meus Agatho, Apostolicæ memoriæ Papa, cum sua Synodo prędicauit: hanc scriptis percurrentibus in suæ suggestionis pagina vestræ pietati per suos legatos emisit, approbans & confirmans testimonijs sanctorum ac probabilium Ecclesiæ Doctorum, quam sancta nunc & magna Synodus, Domini & vestro fauore celebrata, susćepit.

Concilium Toletanum Duodecimum. 685.

Cap.4. Maiorum institutionibus contraire, & sanctorum Patrum decreta conuellere, quid aliud est quàm vinculum societatis Christi abrumpere, & vsurpatæ præsumptionis licentia statum totius Ecclesiæ dissipare?

Beda. 700.

Ad cap.6. Marci: Patet ab ipsis Apostolis hũc sanctum Ecclesiæ morem esse traditum, vt energumeni, vel alij quilibet ægroti, vngãtur oleo pontificali benedictione consecrato.

Bonifacius Moguntinus. 730.

Epistola ad Chuthbertum: Moriamur, si Dominus voluerit, pro sanctis legibus Patrum nostrorum, vt hæreditatem cum illis paternam consequi mereamur.

Paulinus

Paulinus Aquileienſis. 780.

Epiſtola aduerſus Felicem Vrgelitanum : Doctrinis varijs & peregrinis non abducamur, ſed confiteamur cum ſanctis Patribus noſtris, Catholicis Orthodoxisq; viris, qui rectam fidem & corde præceperunt, & inuiolabili ore Eccleſiæ filios ſalubriter docuerunt, duas in Chriſto naturas, &c. Nos ſequentes præcedentium Patrum ſanam fidei doctrinam, reſpuentes per omnia deliramẽta nugacium hominum, credamus, &c.

Carolus Magnus. 780.

Epiſt. ad Hiſpaniæ Epiſcopos : Hãc pernicioſam deuitantes elationem, ſanctorum Patrum & Catholicorum Doctorum ſacris inhæreamus ſenſibus: diſcamus quæ ſcripſerunt, credamus quæ docuerunt, &c. Apoſtolicę ſedi, & antiquis ab initio naſcentis Eccleſiæ & Catholicis Traditionibus tota mentis intentione, tota cordis alacritate coniungor: quicquid in illorũ libris legitur, qui diuino Spiritu afflati, totì orbi à Deo Chriſto dati ſunt Doctores, indubitanter teneo: hoc ad ſalutẽ animæ meæ ſufficere credens, quod ſanctiſſimæ Euangelicæ veritatis pandit hiſtoria, quòd Apoſtolica in ſuis epiſtolis confirmat auctoritas, quod eximij ſacræ Scripturæ tractatores, & præcipui Chriſtianæ fidei Doctores poſteris ad perpetuam memoriam ſcriptis reliquerunt: cum his quoq; Doctoribus & ſanctæ Eccleſiæ Paſtoribus veram prædico fidem, quos in præſenti tempore ille nobis dedit luminaria, qui dixit: *Ecce ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſeculi.* Matt.28.

Amularius Fortunatus. 830.

De rebus Eccleſiaſticis lib.1.c.12. De oleo ſuper Neophytos tenemus Apoſtolicam conſuetudinem, & auctoritatem ſuam accepimus à Romana Eccleſia, quam pro lege tenere oportet, dicente Auguſtino ad Caſulanum: In his rebus, de quibus nihil certi ſtatuit Scriptura diuina, mos populi Dei, vel inſtituta maiorum pro lege tenenda ſunt.

Ionas Aurelianenſis. 860.

Lib.1.de cultu imaginum : Debueras ſiquidem cauere, ne ſectatores Chriſti tam infauſtè reprehenderes, eiſq́ue ſacrilegij notam inureres, traditionesq́ue, quas ſibi à ſanctis Patribus traditas, ſancta ſimpliciter tenet Eccleſia, etſi non voto tuo, ſaltem ſilentio, grauitate magiſtra comprobare. Oportet namque vt vnuſquiſq; fidelis iniuriam ſibi illatam æquanimiter ob Dei amorem ferat: Eccleſiaſticæ verò auctoritatis vituperationem ac reprehẽſionem, Sanctorumq; Dei contemptũ, patienter quis ferre poteſt? &c. Quomodo autem hic ſermo propheticus nobis fidem Catholicam atque Apoſtolicam inconcuſsè tenentibus, traditionesq; Eccleſiaſticas, quas à ſanctis Patribus accepimus, incorruptè ſeruantibus conueniat, cùm nullis indicijs, nullisq; documentis appobare valeas, reſtat profectò, vt non nos, ſed te potius preuaricatorem, qui Eccleſiaſtica auſu temerario cõuellere conaris, intelligas: & ad cor, id eſt ad ſenſum Eccleſiaſticæ traditioni congruentem, quantocyus feſtines redire.

Lib.3. Audi quæſo conſuetudinem & antiquum ſanctæ Eccleſiæ morem, & noli transgredi terminos, quos poſuerunt Patres tui; ne forſan, qui humilia eorum deſpiciens, ad alta tibi volare videris, quò altius apud teipſum ſubleuaris, eò profundius à damnatore ſuperbientium ad ima tartara demergaris.

Nicolaus Primus. 860.

Epiſtola ad Carolum Regem : Hoc ſpecie tenus cognoſcẽtes, quoniam tunc credemus vos noſtrum Apoſtolatum diligere, ſi Deum & Dominum noſtrum timere pariter & amare vos euidenter cognouerimus: nec nõ & priuilegia ſanctæ ſedis Apoſtolicæ, & ſtatuta Patrum illibata ſeruantes, ea vileſcere vel deſtrui à nemine patiamini.

Radulphus Flauiacenſis. 950.

In Leuiticum lib.5.cap.4. Cùm in tanta ignorantiæ caligine ſimus conſtituti, vt viam ciuitatis ſupernæ vix queat aliquis inuenire: *Pauci enim ſunt*, ait Dominus, *qui inueniunt illam*: nullus de ſimplicioribus & minus eruditis aut credẽdi formam, aut normam viuendi debet à ſemetipſo ſuſcipere, ſed reſpicienda eſt Maiorum auctoritas, & quod illi credendum, ſiue agendum docuerint, hoc ſemper tenendum. Matth.7.

Fulpertus Carnotenſis. 1000.

Epiſt.2. Nos verò trita & peruulgata Patrum via incedentes, Patrum memoriam in rationale pectoris noſtri, id eſt, præcedentium Patrum exẽpla præ oculis habeamus, & quæ rationabiliter egiſſe cognouimus, teneamus: ea verò, quæ ſpirituali conſilio ab eis ordinata ſunt, etiamſi infirmitatis noſtræ ignorantia ad plenum videre non poſſimus, temerariæ cauillationis dente nõ rodamus, dum hæc à fide nequaquã exorbitare ſentiamus. Dicit Scriptura: *Audi fili diſciplinam patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ.* Prou.1.

Berno Augienſis. 1020.

De ijs, quæ ad Miſſam ſpectant cap.7. Terminos rectæ fidei, ſanctæq; doctrinæ poſuerunt ab initio Patres Catholici, quos omninò nefas eſt tranſgredi. Sed & multæ conſuetudines Eccleſiaſticæ inueniuntur à ſanctis Patribus intra Canonicæ regulæ terminos conſtitutæ, ſicut Aduentus Domini, Septuageſima, Sexageſima, Quinquageſima, Quadrageſima, Litania maior, dies Rogationum ante Aſcenſionẽ Domini, Vigiliæ quorundam Sanctorum, nec non & hæc ipſa Quatuor temporum ieiunia, quæ præ manibus habentur, aliaq; perplura, quæ omnia iure perpetuò abſque vlla trãſgreſſione nobis ſunt obſeruanda, ac pro lege tenenda, dicente B. Auguſtino ad Caſulanum Presbyterũ de ieiunio Sabbati: In his rebus, de quibus nihil certi ſtatuit Scriptura diuina, mos populi Dei, vel inſtituta Maiorum pro lege tenenda ſunt.

Guitmundus Auerſanus. 1060.

Lib.3. de Sacramento : Hactenus oratio ea, quibus aduerſarius & ſecundùm rationes, & ſecundùm Scripturas contra Eccleſiam nitebatur, argumenta diſſoluit. Quocirca hoſtium machinis Deo auxiliante copioſè fruſtratis, etiamſi nihil amplius adderemus, ſola tibi Catholicæ fidei ſufficere generalis conſuetudo deberet. Illa enim ſola firmiſſimè tenenda eſt fides, etiamſi valde impugnetur, quæ Catholica eſt. *Quicunque enim vult ſaluus eſſe*, ſicut ſancti Patres ſanxerunt, & totus concinit mũdus, *neceſſe eſt vt teneat Catholicam fidem.*

Anſelmus. 1080.

Ad cap.11. prioris ad Corinth. Cætera, quæ ad ædificationem Eccleſiæ pertinent, præſentia ſua ordinaturum ſe promiſit: quia multum erat, vt in epiſtola ſua totum illis agendi ordinem inſinuaret, quem vniuerſa per orbem ſeruat Eccleſia.

Bernardus. 1130.

Epiſtola 174. Nullo modo placebit contra Eccleſiæ ritum præſumpta nouitas, mater temeritatis, ſoror ſuperſtitionis, filia leuitatis. Ego quod ab Eccleſia accepi, ſecurus trado.

Epiſtola 190. de Petro Abaylardo, qui ab omnium Patrũ fide diſcedere nihil curabat : Quid ſecretius tibi reuelatum iactas, quod tot præterierit Sanctos, effugerit ſapientes? Tu verò de tuo nobis tradis, & quod

à nemine accepiſti. *Qui loquitur mendatium, de ſuo loquitur.* Ioan.8.

Richardus Victorinus. 1140.

Lib.6. de Trinitate cap.22. Multi temporibus noſtris ſurrexẽre, qui non audent hoc dicere: quin potius, quod multò periculoſius eſt, contra ſanctorum Patrum auctoritatem, & tot atteſtationes paternarum traditionum, audent negare, & modis omnibus conantur refellere. Nullo modo concedunt, quòd ſubſtantia gignat ſubſtantiam, vel ſapiẽtia ſapientiam. Pertinaciter negãt quod omnes Sancti confirmant: ad id, quod ipſi dicũt, auctoritatem inuenire non poſſunt.

Petrus Cluniacenſis. 1150.

Lib.1. contra Petrobruſianos epiſt.1. Si doctrina vel Traditio Eccleſiæ ab Apoſtolis ſuſcepta eſt, ſi eadem à Chriſto in Apoſtolos deriuata eſt: conſtat quia verax, & à veritatis filijs ſuſcipienda eſt. Sed quòd hanc Apoſtoli à Chriſto ſuſceperint, nulli dubium eſt: quòd autem Eccleſia ab Apoſtolis, auctoritate pariter & ratione probatum eſt. Sequitur ergo, quia doctrina vel Traditio Eccleſiæ ab omnibus ſuſcipienda eſt.

Hugo Etherianus. 1100.

De Regreſſu animarum ab inferis cap.14. Planum eſt ergo, vt opinor, quàm multa ſint in Eccleſia plena vigoris, exuberantia ſanctitate, fidem corroborantia, & hominum actus dirigentia in melius, quæ chartis à primo Paſtore commendata non ſunt: ſed occulto ſuo iudicio habenda ipſe tradidit, & per vicarios ſuos Apoſtolos paginis & atramento amiciri non permiſit. Apoſtolicis ſanè mandatis, & non ſcriptis inſiſtendum eſt. Audi Paulum dicentem: *Laudo vos per omnia, quoniam memores mei eſtis, & ſicut tradidi vobis, traditiones tenetis, ſiue per ſermonem, ſiue per epiſtolam*, id eſt ſiue verbo, ſiue ſcripto. Earum traditionum, quas ſine ſcripto fecit Apoſtolus, vna eſt pro defunctis exorare. Huiuſmodi traditionem non ſolùm Paulus, ſed omnis chorus Apoſtolorum à primordio conſtituit. 2.Theſ.2

Innocentius Tertius. 1200.

Diſtinct.4. Non eſt dubitandum, quin Eccleſia hæc ab Apoſtolis ſuſcepit: nec obſtat, quòd in Euangelio non habeatur. Nã multa ſunt in Euangelio omiſſa, quæ per Apoſtolos ſunt ſuppleta ſcripto & verbo.

Antonius Paduanus. 1230.

Feria quarta hebdomadæ tertiæ in Quadrageſima, ad illa verba: *Propter traditionem veſtram.* Vbi notandũ Chriſtum nõ improbaſſe Traditiones hominum abſolutè & ſimpliciter, ſed quas faciebant Legi diuinæ contrarias: quia ſequitur: *Et irritum feciſtis mandatum Dei*: ſcilicet, de honore parentum falsè illud interpretantes contra præceptum Dei in Deuteronomio: quoniam humana conſtitutio Conciliorum & Pontificum eſt ſeruanda, atteſtante Chriſto: *Qui vos audit, me audit; & qui vos ſpernit, me ſpernit.* Vnde Hieronymus ad Lucinũ: Traditiones Eccleſiaſticæ obſeruandæ ſunt, vt à maioribus traditæ ſunt: vnaquæque prouincia ſenſu ſuo abundat, vt præcepta maiorum leges Apoſtolicas arbitretur. Et certè conſtitutiones Eccleſiæ augent cultum diuinum, concupiſcentiam carnis coẽrcent, & ad ſeruanda diuina præcepta expeditiorem hominem faciunt, ac fraternam charitatem augent. Improbantur autem ea, quæ Phariſæi contra præceptum Dei inducebant, vt ſunt ea, de quibus D. Bernardus ad Eugenium: Traditiones humanæ hodie regnant in Eccleſia, quæ non tantum ſunt leges, quantum lites, & cauillationes ad animas hominum ſubuertendas. Deut.4. Luc.10.

Tu igitur paſtor paſtorum animarum qua mente ſuſtines coram te illas? &c.

Thomas Aquinas. 1250.

Tertia Summæ quæſt.25. art.3. Apoſtoli ſimiliari inſtinctu Spiritus ſancti quædam Eccleſiis tradiderunt ſeruanda, quæ non reliquerũt in ſcriptis, ſed in obſeruatione Eccleſiæ per ſucceſſionem fidelium. Vnde ipſe dicit 2.Theſſal.2. *State, & tenete traditiones, quas accepiſtis, ſiue per ſermonem, ſiue per epiſtolam*, ſcilicet ſcripto tranſmiſſam.

Nicolaus Lyranus. 1320.

Ad caput 11. prioris ad Corinthios: *Cætera cum venero diſponam.*) Ex quo patet, quòd Eccleſia multa tenet ex ordinatione Apoſtolorum: quæ tamẽ in ſacra Scriptura non habẽtur expreſsè, propter quod ſequenda eſt conſuetudo Eccleſiæ.

Thomas Waldenſis. 1410.

Doctrinalis fidei lib.2. articul.2. cap.19. Quæritur à quibuſdam: Quæ eſt illa Eccleſia, quam docemus in materia fidei definire? Numquid Clerus, aut Prælati Eccleſiæ, vel ipſorum Eccleſiæ in cõgregatis Concilijs? Sed hos omnes frequenter erraſſe cognoſcimus. Quæ eſt ergo Eccleſia, quę non poteſt deficere? Quòd ſi ſit hæc vniuerſalis Eccleſia, quis ipſam totam ſimul adire poteſt, vt interroget, quam à baptiſmo Chriſti, vſque ad hæc tẽpora noſtra duraſſe prędiximus, & per totam terram ad omnes gentes eſſe diffuſam? Ad hoc dubium iterum videamus praxin Apoſtolorum in determinando ſuum articulum. Scriptura enim dixit: *Quoniam cùm magna conquiſitio fieret, ſurgens Petrus dixit: Vos ſcitis, quia ab antiquis diebus*, &c. Poſt eum Iacobus ſimiliter: *Simon* (inquit) *narrauit, quẽadmodũ Deus primùm viſitauit ſumere ex gentibus populũ nomini ſuo: & huic concordant verba Prophetarum*, &c. Et ſuper his definierunt ſententiam. Vterque Apoſtolus recenſuit Prophetarum oracula, & antiquitatis hiſtorias, quæ valebant ad dubij ſolutionem: & qualiter videbãt illos ſenſiſſe ab olim: *ita*, inquiunt, *viſum eſt Spiritui ſancto, & nobis*, id eſt, Eccleſiæ: ita nempe in dubijs fidei debemus inquirere quid ſenſerunt Apoſtoli, quid ſucceſſores Apoſtolorum, & deinceps viri probati, & vſque ad hæc noſtra tempora Catholici Doctores reliquerunt in Scripturis: & ſecundùm quod ipſorũ verba concordant, ſic elicere veritatem. Prophetæ, Patres Eccleſiæ, horum ſententias exquiſierunt Apoſtoli. Apoſtoli etiam Patres Eccleſiæ. Sic enim dicimur *ſuperædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum.* Qualiter ergo Apoſtoli conſuluerunt Prophetas; ita iuſtum eſt vt conſulamus Apoſtolos, & deinceps Apoſtolorum hæredes, & temporum ſucceſſores. Sic procul dubio refert Auguſtinus, ſatisfactum eſſe inquiſitioni & ſtudijs ſuis de fide Catholica, cùm iam fluctuaret Manichęorum hæreſi delinitus. Act.15.

Cap.23. Neceſſe habent ſcrutatores dubiorum fidei vltra literam ſcriptæ Legis aliquid accipere ab inſtructione maiorum ſuorum: quo ſenſu Scripturam ipſam Patres ſciunt Eccleſiæ Spiritũ ſanctum infudiſſe ſcriptoribus. Hac ratione ſermones Apoſtolorum non ſcriptos, & Traditiones eorum non ſcriptas commendat, & ſeruat Eccleſia: Horum credo maiorem partem per Traditiones & ſucceſſiua documenta Patrum adhuc Eccleſia Catholica theſaurizat.

Ioannes Capiſtranus. 1440.

In ſpeculo conſcientiæ part.1. num.73. Quod auctoritas Eccleſię roborat & declarat, id inconcuſsè ab omnibus Catholicis eſt ſeruandum.

Ioannes de Turrecremata. 1450.

In Summa de Eccleſia lib.4.par.2.c.9. Sextum genus varietatum Catholicarum videtur eſſe earũ, quæ

de tenenda fide, & confutatione hæreticorum à Doctoribus ab vniuerſali Eccleſia approbatis aſſertiuè traditæ ſunt, licet in Canone ſacræ Scripturæ expreſsè non contineantur. Patet hoc, quoniam [illegible]cleſia vniuerſalis, quæ regitur Spiritu ſa[illegible]ctores aliquos approbauit, eorum doctrinam tamquam veram recipiés, neceſſe eſt, vt talium doctrina aſſertiuè poſita, & nunquam aliàs retractata, vna ſit, & ab omnibus fidelibus firma credulitate tenenda, in ea parte, in qua ab vniuerſali Eccleſia recepta eſt: aliàs vniuerſalis Eccleſia videretur erraſſe approbando, & acceptando eorum doctrinam tamquam veram, quæ tamen vera non eſſet.

ASSERVNT IVDÆI VETERES.

In Capitulis Patrum: Moſes accepit Legem de Synai, & tradidit eam Ioſuæ: Ioſua verò ſenioribus: ſeniores Prophetis: Prophetæ tradiderunt eam viris Synagogæ magnæ.

Rabbi Iudas in hunc locum: Tractatus hic explicat ordinem traditionis, ore tenus edoctæ.

Paulus Fagius in hunc locum: Per legem hîc Hebræi non ſcriptam Legem, ſed ſpiritualem illam, ſiue myſticam, hoc eſt ſenſum ſeu explanationem Legis intelligunt. Tenet enim Iudæorum opinio, Moſen duplicem legem à Domino in mõte Synai accepiſſe: alteram, quam Legem in ſcripto, ſiue ſcripto traditam vocant: alteram, quam Legem, quæ in ore eſt, ſiue ore traditam nominãt. Atque hanc poſtremam ſuccedaneo quodam ordine per Moſen ad poſteros deriuatam affirmant: ſic vt eam primus omnium Ioſua à Moſe acceperit, quã poſtea ſenioribus, illi deinceps Prophetis prioribus, Prophetæ priores poſtremis; inter quos omnium nouiſſimi fuêre Haggæus, Zacharias, & Malachias: hi tradiderunt viris Synagogæ magnæ, qui ſcilicet fuerunt Eſdras cum ſuo ſodalitio, qui reſtituerunt Legem priſtino nitori: ab illis acceperunt ſubſequentes ſapientes ſuccedẽtibus generationibus: atque iſtam legis geminam expoſitionem, quam hodie adhuc apud ſapientes ſuos inueniri gloriantur, Iudæi & alio nomine Cabalam nominant.

Petrus Galatinus de arcanis Catholicæ veritatis lib. 1. c. 1. Iudæi dogmatum genus duplex habẽt: Alterum, quod vocant Legem ſcriptam: alterum ore traditam, quam nihil aliud eſſe aiunt, quàm Legis ſcriptę explicationem, à Moſe primùm diuinitus acceptam, deinde per manus traditam, vſque ad Eſdram. Nomina Doctorũ, quorum prior quiſque poſteriorem docuit (teſte R. Moſe AEgyptio) initio Deuteronomij ſunt hæc: Moſes, Ioſue, Phinees, Heli, Samuel, Dauid, Ahias, Elias, Eliſæus, Ioiada, Zacharias, Oſeas, Amos, Eſaias, Micheas, Ioel, Nahum, Abacuc, Sophonias, Ieremias, Baruch, Eſra. Et hactenus nihil Scripturæ præter Bibliam apud Iudæos extitiſſe certum eſt. Poſt captiuitatem verò Babylonicam, ipſo Eſdra Legem (quæ in Vrbis Hieroſolymæ euerſione combuſta fuerat) reſcribente, cæteri ſapientes Legis expoſitionem ſcribere cœperunt, ne ſi aliud vrbis excidium contingeret, in quo ſapientes omnes perituri eſſent, vnà cum eis & ipſa Legis explanatio periret. Hinc factũ eſt, vt omnes illi ſapientes, quos à Babylonica tranſmigratione, vſq; ad primam Thalmudici codicis ſcriptionem, eſſe contingit, (quiin Capitulis Patrum viri magnæ Synagogæ appellantur,) Legemq; docuiſſe conſtat, verbo pariter, & ſcriptis Legis expoſitionem auditoribus tradiderint.

Hillel.

In Capitulis Patrum: Hillel dicit: Ne ſegreges te ab Eccleſia, neque credas tibi ipſi, vſque ad diem mortis tuæ. Neque iudices proximum tuum, donec acceſſeris ad locum eius. *Fol. 21.*

Ribbe Ioſe filius Iehuda, ex pago Babylonico.

In Capitulis Patrum: Qui diſcit à iunioribus, cui ſimilis eſt? ei, qui edit vuas immaturas, & bibit vinum de torculari ſuo. Qui verò diſcit à ſenioribus, cui ſimilis eſt? ei nimirum, qui edit vuas maturas, & bibit vinum vetus. *Fol. 87.*

Ioſeph Albo.

In libro Fundamentorum tractatu. cap. 3. Traditio Patrum eſt fundamentum omnium legum diuinarum: quia non poteſt expendi ſubſtantia earũ ſine illa.

ASSERVNT ADVERSARIOR. QVIDAM.

Martinus Lutherus.

In Diſputatione Lipſica: Submitto me iudicio, & determinationi ſanctæ Eccleſiæ, & omnibus melius ſentientibus.

Epiſtola ad Marchionem Brandeburgenſem, quæ extat tom. 2. Germanico fol. 243. Periculoſum & horrendũ eſt, quicquam audire vel credere, quod aduerſetur vnanimi teſtimonio fidei, & doctrinæ ſanctæ & Catholicæ Eccleſiæ: quã illa inde ab initio, per annos plus mille quingẽtos vnanimiter ſeruauit.

Ioannes Caluinus.

Contra Piggium de libero arbitrio: Non difficulter inter me & Piggium in hac de Traditionibus cõtentione conuenire poſſet, ſi modò Eccleſiæ traditionem ex certo & perpetuo Sanctorum & Orthodoxorum conſenſu demonſtraret: deinde ſi ijs ſimpliciter, & candidè vteretur, ad veram & germanam Eccleſię doctrinam comprobandam: non ad pingendas horum temporum impias doctrinas abuteretur. Nunc ſi ex priuato paucorum ſenſu comunem Eccleſiæ conſenſum facere velit Piggius, eumq; ex Apoſtolorum traditione natum eſſe aſſerat, non recipiam.

Philippus Melanthon.

Epiſtola ad Fridericum Myconium de locis veterũ Theologorum, de Cœna Domini: Vt viuos libenter conſulimus, quos iudicamus vſum aliquem habere ſpiritualium rerum: ita & veteres, quorum ſcripta probantur, cenſeo cõſulendos eſſe. Exiſtimo hoc communiter ſenſiſſe Eccleſiam, quod iſti ſcripſerunt. Neque verò tutum eſt, à communi ſententia veteris Eccleſiæ diſcedere.

Epiſtola ad Ioannem Cratonem Medicum Vratiſlauienſem: Scio carnificinam non ſolùm ſæuam, ſed etiam pernitioſam dubitationem. Exiſtimo autem ad cõfirmandas mentes cõſenſum vetuſtatis plurimum valere, &c. Optimi magiſtri, atque duces nobis eſſe poſſunt, Irenæus, Tertullianus, Auguſtinus, qui plurima huius generis poſteritati reliquerunt. Ex his monumentis quiuis cognoſcere poterit, ipſos imprimis adhibuiſſe, fidei quam vocabant regulam; huic iungebant piorum atq; eruditorum ſuffragia, conſenſumq; Apoſtolicarũ Eccleſiarum: hoc eſt earum, quas vel ab ipſis Apoſtolis, vel ab Apoſtolicis, vt vocabant, viris originem duxiſſe conſtabat.

FINIS LIBRI SEXTI.

LIBER

LIBER SEPTIMVS: DE HIERARCHIA ECCLESIÆ, ET SVMMO PONTIFICE.

ARTICVLVS PRIMVS.

OMNEM POTESTATEM A DEO ESSE: VICE DEI GLADIVM VEL SPIRITVALEM, VEL CORPORALEM GESTARE: QVEMLIBET SVO MAGISTRATVI, CVM ECCLESIASTICO, TVM CIVILI PARERE, HONOREM AC tributum reddere debere.

NEGANT.

Anno post natũ Christum

30. *VI à Iuda Galilæo ſunt, conſtantiſſimo libertatis amore flagrant: credunt ſolum Deum Dominum ac principem habendum, facilius vel exquiſitiſſima pœnarum genera laturi vnà cum cognatis & chariſſimis, quàm mortalem aliquem appellaturi dominum.* Ioſephus lib. 18. Antiquit. cap. 2.

Creſconius dixit: *Dedit Deus homini liberum arbitrium. Magiſtratus igitur non eſt in impios animaduertere.* Auguſtinus contra Creſconiũ Grammaticum lib. 3. cap. 51.

400.

1180. *VValdenſes nullum omninò iudicium ſanguinis, aut cuiuſcunque corporalis ſupplicij ferunt: quia ſcripſit, nolite iudicare.* Guido de VValdenſibus, Antoninus parte 4. titulo 11. cap. 7. §. 2.

1300. *Begardi dicunt eos, qui ſunt in gradu perfectionis, & ſpiritu libertatis, non eſſe ſubiectos humanæ obedientiæ, nec ad aliqua præcepta Eccleſiæ obligari: quia dicunt, vbi eſt ſpiritus, ibi libertas.* Clemens 5. Extra de hæreticis cap. 4. Aluarus Pelagius de planctu Eccleſiæ lib. 2. art. 52. Antoninus 4. part. Summæ tit. 11. cap. 7. §. 4. Bernardus Lutzenb. de hæreſibus.

1390. *Ioannes VVicleuus*, in articulis Conſtantiæ damnatis, *nullum vult eſſe dominum ciuilem, dum eſt in mortali peccato.*

1440. *Ioannes Galecus, præter memoratum VVicleui errorem, hunc de ſuo adiecit, tempore nouæ Legis nullum in iudicio occidendum eſſe, quia nouum Teſtamentum id non dicit.* Bernardus Lutzenb.

1450. *Ioannes Behaim tympaniſta, & pecorum paſtor, telonia, vectigalia, & tributa negabat perſoluenda: aquas verò & nemora omnibus libera eſſe volebat.* Munſterus lib. 3. Coſmographiæ de Germania.

1520. Martinus Lutherus libro de ſeculari poteſtate: *Inter Chriſtianos nulla poteſt eſſe ſuperioritas. Princeps eſt caro ferina in cælo, id eſt, rara auis. Sunt enim Principes apparitores, lictores, & carnifices Dei.*

Epiſtola contra duo Cæſaris mandata: *Mendaces & obſtinati ſunt Principes noſtri, nec homines ratione præditi, ſed Germanicæ beſtiæ. Oro cunctos pios Chriſtianos, dignentur ſimul rogare Deum pro huiuſmodi miſeris excæcatis Principibus, quibus nos Deus procul dubio magno ira ſuæ furore corripuit, ne vllo pacto obſequamur vel in militiam ire, vel dare aliquid contra Turcas. Turca decies probior eſt prudentiorq;, quam noſtri Principes. Quid talibus fatuis contra Turcas proſperi eueniet?*

De captiuitate Babylonica: *Nulla eſt alia remedij ſpes, niſi reuocato libertatis Euangelio, ſecundùm ipſum ſemel extinctis omnium hominum omnibus legibus, omnia iudicemus & regamus: Amen.*

1525. Thomas Monetarius epiſtola ad ruſticos contra magiſtratũ tumultuantes: *Super incudem Nimbrod deijcite turrim: Non eſt poſſibile, vt liberi ſitis à timore hominum, quamdiu viuunt iſti. Non poteſt vobis aliquid dici de Deo, dum illi vobis dominantur.*

1530. Philippus Melanthon ad cap. 13. epiſtolæ ad Romanos: *Si quid magiſtratus præcipit contra ius diuinum, ne obtemperes, ſed pertinaciter repugnes: vt quandò præcipit bellum ſuſcipi aduerſum Turcas.*

1536. *Anabaptiſtæ docent Chriſtianum non poſſe fungi magiſtratu: Iudicijs opus non eſſe, & licere populo abrogare magiſtratum.* Henricus Bullingerus de Anabaptiſtis lib. 1. cap. 8. Sleidanus in hiſtoria.

1550. *Libertini libertatem docent ab obedientia Principum, à decimis, à cenſibus atque redditibus.* Lindanus in Dubitantio.

1560. *Petrus Kelsicensis, Pickardicæ nunc secta dux, docet, Christianis nullos magistratus esse gerendos in Republ. non esse ad profanos magistratus ob sui defensionem confugiendum, nec fures, nec latrones in vincula conyciendos aut plectendos esse. A Christianis nec pendenda tributa, neque operas dominis esse præstandas: damnat omnes leges humanas, Imperatorum, Regum, prouinciarum & ciuitatum.* Antonius Posseuinus in examine sectæ Pickardicæ.

ASSERVNT SACRÆ LITERÆ.

Exod. 22. *v.* 28. Dijs non detrahes, & principi populi tui non maledices.

3. *Reg.* 10. 9. Constituit te Deus Regem, vt faceres iudicium & iustitiam.

Prouerb. 8. 15. Per me Reges regnant, & legum conditores iusta decernunt.

Prouerb. 29. 4. Rex iustus erigit terram, vir auarus destruet eam. 14. Rex qui iudicat in veritate pauperes, thronus eius in æternum firmabitur.

Sapient. 6. 2. Audite Reges, & intelligite, discite iudices finium terræ. Præbete aures vos, qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum: quoniam data est à Domino potestas vobis, & virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra, & cogitationes scrutabitur. 26. Multitudo sapientium, sanitas est orbis terrarum: & Rex sapiens stabilimentum populi est.

Matth. 17. 27. Liberi sunt filij: vt autem non scandalizemus eos, vade ad mare, & mitte hamum: & eum piscem, qui primus ascenderit, tolle: & aperto ore eius, inuenies statêrem: illum sumens, da eis pro me & te.

Matth. 22. 21. Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & quæ sunt Dei, Deo.

Lucæ 2. 4. Maria & Ioseph paruerunt edicto Imperatoris Augusti, vt irent in ciuitatem suam Bethlehem.

Ioannis 19. 11. Non haberes potestatem aduersum me vllam, nisi tibi datum esset desuper.

Rom. 13. 1. Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Non est enim potestas nisi à Deo. quæ autem sunt, à Deo ordinata sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. 7. Reddite omnibus debita: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui honorem, honorem.

1. *Timoth.* 2. 1. Obsecro igitur primùm omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, pro regibus, & omnibus, qui in sublimitate sunt, vt quietam & tranquillam vitam agamus.

Ad Titum 3. 1. Admone illos principibus & potestatibus subditos esse, dicto obedire, ad omne opus bonum paratos esse, neminem blasphemare.

Heb. 13. 17. Obedite præpositis vestris, & subiacete eis.

1. *Pet.* 2. 13. Subiecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum: siue Regi, quasi præcellenti: siue Ducibus, tamquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum. 18. Regem honorificate. Serui subditi estote in omni timore dominis, non tantùm bonis & modestis, sed etiam dyscolis.

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Clemens Romanus. 80.

Const. Apost. lib. 4. cap. 12. Estote subiecti omni Regi & potestati in ijs, quæ Deo placent, tamquam ministris Dei, & impiorum vindicibus, & vltoribus: exhibete ijs omnem metum debitum, omne vectigal, omne tributum, omnem honorem, dationem, censum. Hæc enim est Dei lex, *nemini quicquam debere,* præter amicitiæ fœdus, quod Deus per Christum sanxit.

Rom. 13.

Lib. 7. cap. 17. Timebis Regem: scis enim Domini esse electionem: magistratus eius honorabis, vt Dei ministros. Sunt enim vindices omnis iniuriæ: & soluite eis animo non ingrato vectigal, & tributum, omnemq; pensionem.

Canone Apost. 84. Quisquis Imperatorē aut magistratum contumelia affecerit, supplicium luito: si clericus sit, deponitor; si laicus, à communione remouetor.

Dionysius Areopagita. 100.

De diuinis nominibus cap. 12. Porrò regnum est omnis termini, & ornatus, legis q;, & iuris, ordinisqúe distributio: Dominatio verò non modò inter deteriores eminentia, verùm omnis quoque honestorum & bonorum perfecta possessio, veraqúe indemutabilis firmitas. Vnde & à libera potestate dominandi facienda, & dominatio, & dominus, & dominans dicitur.

Ignatius. 100.

Epistola ad Smyrnenses: Honorare oportet & Regem. Nec enim Rege quisquam præstantior, aut quisquam similis ei in rebus omnibus creatis. Nec Episcopo quicquam maius in Ecclesia, qui Deo consecratus est pro totius mundi salute. Nec inter principes quisquam similis Regi, qui in pace & optimis legibus subditos moderatur.

Epistola ad Antiochenos: Cæsari subiecti estote in ijs, in quibus subdi nullum animæ periculum est. Principes nolite irritare, vt exacerbentur: ne ansam detis ijs, qui illam contra nos quærunt.

Iustinus

Iustinus. 150.

Oratione ad Antoninum Pium: Vectigalia sanè & collationes ijs, qui à vobis ordinati sunt, exactoribus, præ omnibus vbique inferre contendimus: quemadmodum ab eo sumus instituti. Illo namque tempore accedentes quidam, percunctati sunt ex illo, an Cæsari vectigalia pendere oporteat? Qui responsum hoc ab eo retulerunt: *Dicite,* inquit, *mihi, cuius imaginem nummus habet?* Qui vbi dixissent, *Cæsaris: Reddite ergo,* ait, *quæ sunt Cæsaris, Cæsari; & quæ Dei, Deo.* Proinde nos solum Deum adoramus, & vobis in rebus alijs læti inseruimus, Imperatores ac principes hominum esse profitentes: & simul precantes, vt cum imperiali potestate sanam quoque mentem obtinere comperiamini.

Theophilus Antiochenus. 170.

Libro primo ad Autolycum: Quæ cùm ita sint, magis honorabo Regem siue Cæsarem, non tamen eum adorabo, verùm pro eo orabo: Deum, qui verè verus Deus est, adorabo, sciens Cæsarem ab ipso esse ordinatum. Dicis ergo: Quare Regem siue Cæsarem adorare recusas? Quia non ad id institutus est, vt adoretur, sed vt legitimo, qui ipsi congruit, honoretur honore: Rex enim, siue Cæsar, Deus non est: sed meminerit se esse hominem à Deo in hanc dignitatem promotum, nō vt adoretur, sed vt iustè, quemadmodum iustitia exigit, iudicet, &c. Regem siue Cæsarem honora: honora, inquam, magna cum beneuolentia subiectus ei existens, & orans pro eo; hoc faciens, Dei voluntatem exequeris. Nam diuinæ legis hic tenor est: *Honora fili mi Deum & Regem, nec vnquam eorum inobediens sis.*

Libro 3. Etiam magistratibus & potestatibus vt pareamus diuina Scriptura monet: præcipit quoque, vt pro his preces fundamus ad Dominum, *vt quietam & tranquillam transigamus vitam.* Iubet omnibus diuina sapientia reddere omnia: *cui honorem, honorem; cui timorem, timorem; cui tributum, tributum.*

Rom. 13.

Irenæus. 180.

Lib. 5. cap. 24. Sicut ergo in principio mentitus est, ita & in fine mentiebatur, dicens: *Hæc omnia mihi tradita sunt, & cui volo do ea.* Nō enim ipse determinauit seculi huius regna, sed Deus. *Regis enim cor in manu Dei.* Et per Salomonem Verbum ait: *Per me Reges regnant, & potestates tenent iustitiam: per me Principes exaltantur, & Tyranni terrā.* Et Paulus Apostolus hoc ipsum ait: *Omnibus potestatibus sublimioribus subiecti estote. Non est enim potestas, nisi à Deo. Quæ autem sunt, à Deo dispositæ sunt.* Et iterum de ipsis ait: *Non enim sine causa gladium portat. Dei enim minister est, vindex in iram ei, qui malè operatur.* Quoniā hęc non de Angelicis potestatibus, nec de inuisibilibus principibus dixit, quomodo quidam audent exponere; sed de his, quæ sunt secundùm homines potestates, ait: *Propter hæc enim & tributa præstatis. Ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum seruientes.* Hoc autem & Dominus confirmauit, non faciens quidem quod à Diabolo suadebatur: tributorum autem exactoribus iubens *pro se & pro Petro dare tributum:* Quoniam ministri Dei sunt, in hoc ipsum deseruientes. Quoniam enim absistens à Deo homo, in tantum efferauit, vt etiam consanguineum hostem sibi putaret, & in omni inquietudine, & homicidio, & auaritia, sine timore versaretur: imposuit illi Deus humanum timorem, (non enim cognoscebant timorem Domini,) vt potestati hominum subiecti, & lege eorum astricti, aliquid assequantur iustitiæ, & moderentur ad inuicem, in manifesto positum gladium timentes, sicut Apostolus ait: *Non enim sine causa gladium portat. Dei enim minister est, vindex in iram ei, qui malè operatur.* Et propter hoc & ipsi magistratus indumentum iustitiæ leges habentes, quæcunque iustè & legitimè fecerint, de his non interrogabuntur, neque pœnas dabunt. Quæcunque autē ad euersionem iusti iniquè & impiè contra legem & more tyrannico exercuerint, in his & peribunt iusto iudicio Dei, ad omnes æquāliter peruenientes, & in nullo deficiente. Ad vtilitatem ergo gentilium terrenum regnum positum est à Deo: sed nō à Diabolo, qui nunquam omninò quietus est, imò qui nec ipsas quidem gentes vult in tranquillo agere, vt timentes regnum humanum, non se alterutrum homines vice piscium consumant, sed per legum positiones repercutiant multiplicem gentilium iniustitiam. Et secundùm hoc ministri Dei sunt, qui tributa exigunt à nobis, in hoc ipsum seruientes, quę sunt *potestates, à Deo ordinatæ sunt.* Manifestum est quoniam mentitur Diabolus, dicens: *Mihi tradita sunt, & cui volo do ea.* Cuius enim iussu homines nascuntur, huius iussu & reges constituuntur, apti his, qui in illo tempore ab ipsis regantur. Quidam enim illorum ad correctionem & vtilitatem subiectorum dantur, & conseruationem iustitiæ: quidam autem ad timorem, & pœnam, & increpationem: quidam autem ad illusionem, & contumeliam, & superbiam, quemadmodum & digni sunt, Dei iusto iudicio in omnibus æqualiter superueniente.

Rom. 13.

Matth. 4. Luc. 4. Prou. 21. Prou 8. Rom. 13. Matt. 17

Rom. 13. Matth. 4.

Origenes. 230.

Lib. 9. in epistolam ad Romanos: *Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit.*) Non hic de illis potestatibus dicit, quæ persecutiones inferunt fidei. Ibi enim dicendum est: *Oportet Deo obedire magis, quàm hominibus:* sed de istis communibus dicit, quę non sunt timori boni operis, sed mali. Quibus vtique qui resistit, ipse sibi damnationem pro gestorum suorum qualitate conquirit.

Act 5.

Eusebius Cæsariensis. 320.

Hist. lib. 4. c. 14. Docemur, *inquit Polycarpus,* magistratibus & potestatibus à Deo constitutis eum honorem, qui nostrorum animorum saluti nostræq; religioni nihil afferat detrimenti, pro dignitate tribuere.

Basilius Magnus. 370.

In Moralibus cap. 79. Quòd debent, qui principes aliorum sunt, vindices esse iustificationum Dei, Rom. 13. *Nam principes non sunt terror bonorum operum, sed malorum. Vis autem non timere potestatem? bonum fac, & laudem habebis ex illa: Dei enim minister est tibi in bonum,* &c. Quòd maioribus potestatibus subiecti esse debemus, in ijs rebus, quæ modò non sunt impedimento mandatis Dei, Romanorum decimo tertio: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit,* &c.

Rom. 13.

Didymus Alexandrinus. 370.

Enarratione in primam epistolam Petri: Manifestat Paulus in quibus oporteat principibus & potestatibus humanis subdi, id est, vt tributum soluatur & vectigal: vt libertatis pudor apud eos decenti iure seruetur. Sic enim redditur honor, cui congruit; & timor, cui debetur. Hoc enim præ omnibus docuit Saluator, dicens: *Oportet reddi quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo,* &c. Scribit Petrus omni ordinationi humanæ subijciendos, regibus quidem tanquam egregium culmen habentibus, ducibus autem tanquam missis ab eo, ad comprobationem bonorum, & malorum scilicet vltionem.

Rom. 13. Matt. 22.

Gregorius Nazianzenus. 380.

Oratione 17. ad ciues Nazianzenos graui timore perculsos, &c. Iam verò inter cæteras nostræ doctrinę leges, hanc quoque habemus cum primis laudandam, & à Spiritu, qui id quod præstare possumus, cum eo quod pulchrum & honestum est, explorauit, legeq; sanxit, præclarè constitutam, qua vt
Eph.6. Col.3. ſerui heris suis, & vxores viris, & Ecclesia Christo, & discipuli magistris ac Pastoribus dicto audientes esse, atque obtemperare iubentur: ita nobis etiam præscribitur, vt sublimioribus potestatibus pareamus, non solùm propter iram, sed
Rom. 13. etiam propter conscientiam, vt qui pendendo tributo simus obnoxij; nec committamus, vt ob scelera & flagitia nostra legem odio habeamus, ac vindicem gladium expectemus: quin potius id agamus, vt per timorem purgati, laudem à potestate consequamur.

Epiphanius. 380.

Hæresi 40. contra Archonticos: Nam & in terra in singulis regnis multi sunt principatus, sed sub vno Rege. *Quæ enim sunt potestates à Deo ordinatæ sunt*, Apostolus dicit: *Quare qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit.* Principes enim non sunt cõtra bonum, sed pro bono, & non sunt contra veritatem.
Rom. 13. *Vis autem*, inquit, *potestatem non timere, bonum facito, & habebis laudem ex ipsa. Non enim frustra gladium gestat: Minister enim est, ad hoc ipsum à Deo ordinatus, ei qui malum facit.* Et vides quòd potestas hæc mundana ex Deo ordinata est, & gladij potestatem accepit: non autem aliundè, sed ex Deo ad vltionem. In terra principatus non sunt contrarij Regi, sed subditi in administrationem totius regni, & ad bonam ordinationem terræ, vbi cædes & pugnæ, ignorantiaq; & doctrinæ, bonæ item leges ac iniquitates; & hac de causa sunt potestates, vt ad bonum ordinem gubernationis vniuersi mundi omnia ex Deo bene disponantur ac administrentur.

Gregorius Nyssenus. 380.

Oratione aduersus eos, qui ægrè ferunt reprehensiones: Et grauis quidem est, vt in genere dicam, princeps ac magistratus ijs, qui eius regũtur imperio: sceleratis autem & iniquis etiam habetur odio: eis enim est molestus, vt qui peccatum prohibeat. Hoc mecum rebus externis satis etiam docet historia Ecclesiastica. Quis Mose melior fuit pastor? Quis princeps & rector æquè moderatus & mitis? vt qui omnia fiat populo, educator, imperator, sacerdos, ipse denique pater: in bello conseruãs, tanquam iniuriam faciens, seditionibus fuit agitatus; probris & contumelijs affectus est tanquam lædens, &c.

Ioannes Chrysostomus. 400.

Homilia in Psalm. 148. *Principes & omnes iudices terræ*: Hic rursus loquitur de alio genere prouidẽtiæ, nempe de Principibus, quod Paulus quoque in epistola ad Romanos ponit, sapientissimè ostendens, hoc fuisse opus Dei prouidentiæ, in eos, qui magistratus gerunt, & in eos, qui illis parent, vniuersum diuisisse: *Dei enim minister est tibi in bonũ.*
Rom. 13. Si autem hoc sustuleris, vniuersum interit: si enim cùm nũc sunt Principes & magistratus, multiq́ue sunt in eis corrupti ac deprauati, tantus tamen rei est vsus, vt etiam cùm mali sint, magna ex ijs capiatur vtilitas: cogita apud te, si ij, quibus sunt crediti magistratus, eos rectè gererent, quàm bene cũ genere humano ageretur: sed magistratus quidem constituere fuit Dei opus: quòd autem improbi ad eos prouehantur, & eis non vt decet vtantur, est hominum improbitatis. Dicit ergo oportere magnas Deo gratias agere, quòd sint & reges & iudices. Certo enim ordine & modo constitutę hominum administrationis curam gerens, & ne plus quàm ferino ritu multi viuerent prouidens, veluti quandam currus regendi artem, & nauis gubernandæ scientiam, magistratus & regna largitus est. Si ergo sis Princeps, aut magistratus geras, benigno & clementi Deo gratias age, quòd tuæ ostendendæ curæ & diligentiæ tanta tibi data sit occasio. Si priuatus, rursus age gratias, quòd habes qui tui curam gerat, nec permittat, vt te improbi insidijs circumuentum opprimant.
Prou.8. Dan.2.

Ad caput. 13. ad Rom. Homil. 23. Quid est, quod inquit, *non solum propter iram?* Non solùm, inquit, quòd Deo non subditus aduersaris, neque quòd maxima tibi ipsi mala, & à Deo, & ab hominibus concitas; sed & quòd in maximis tibi benefacit magistratus, dum & pacem & administrationem politicam procurat. Nam innumera bona ciuitatibus per magistratus proueniunt, quos si sustuleris, omnia simul pessum ibunt: ita vt neque vrbes, neque agri, neque domus, neque forum, aut aliquid aliud cõsistere queant, sed omnia simul subuertantur, potentioribus imbecilliores impunè deuorantibus. Itaq; etiam si in inobedientem nulla ira consequeretur; sic quoque tamen te subijci oportebat, ne conscientia carere videreris, atque erga beneficum ingratus. *Et paulò pòst*: Propterea ab antiquis temporibus communi omnium sententia, Principes à nobis deberi sustentari visum est, ob id, quòd sua ipsorum negligentes, communes res curant, vniuersumq; suum otium ad ea impendunt, quibus non solùm ipsi, sed & quę nostra sunt, saluantur.

Cyrillus Alexandrinus. 430.

De recta in Deum fide ad Theodosium Imperatorem: Vos omni terreno fastigio superiores, amplissimarum dignitatum fontes estis: vos humanæ felicitatis principia & origines: clementissimis Maiestatis vestræ nutibus nemo non ad iustam honestamq; viuendi rationem promouetur. Tandem quicquid vsquam est gentium, hoc totum regni vestri solijs substratũ est. Quod si qui sunt, qui iugum detrectant, illi vestra potentia nullo pene negotio superati succumbunt. Imò verò si regium scutum vel semel cõcussum micuerit, vana illorum consilia atque studia in ventos mox abeunt, &c. Supremum autem pijssimi clarissimiq; imperij vestri firmamentum est Dominus Iesus Christus. *Per hunc enim*, vt scriptum est, *reges regnant, & legum conditores iusta decernunt*: cuius voluntas est potentissima, omnisq; boni, si solùm annuat, copia.
Prou.8.

Isidorus Peluſiota. 440.

Lib. 2. Epist. 216. Quoniam ex me per literas scisciRom.13. tatus es, quidnam illud sibi velit: *Non enim est potestas nisi à Deo*, ac dixisti: Quid igitur? Omnisne, qui imperium gerit, à Deo institutus est? hoc dixerim, te mihi videri (ac velim ne mihi succenseas: nihil enim futile dicam:) aut Apostolicas voces minimè legisse, aut certè non animaduertisse atque intellexisse. Neque enim dixit Paulus: Non est Præfectus, nisi à Deo: verùm de re ipsa disserit, his verbis vtens: *Non enim est potestas nisi à Deo.* Nam quòd inter homines imperia, & magistratus sint, atque alij imperent, alij pareant, ac non temerario ac cæco impetu omnia ferantur, populis videlicet, fluctuum instar, huc atque illuc se agitantibus, hoc à diuina sapientia proficisci ait: Quoniam enim qui dignitate pares sunt, bellum plerumque excitare solent: idcirco populare imperium minimè esse permisit, sed regnum:

gnum: ac post illud multa alia imperia effecit. Quænam tandem, inquis? Præfecti & subditi, viri & vxoris, patris & filij, senis & iuuenis, heri & serui, magistri & discipuli. Quin in brutis etiam animantibus idem perspicere liceat. Atque hoc apes comprobant, quæ regis imperio subsunt, & grues, & sylуestrium pecudum greges. Quòd si mare quoque consideres, ne id quidem huiusce disciplinæ expers esse comperietur. Multa illic piscium genera sub vnius piscis principatu, ac velut imperio militari censentur. Vnde etiam longas peregrinationes suscipit. Siquidem vbique molestissima res est sublatio principatus, confusionisq́ue ac perturbationis causa. Quò etiam fit, vt ne in corpore quidem, quod vnum est, pari dignitate omnia sint, verùm ex membris alia præsint, alia subsint. Quocirca rem ipsam, potestatem, inquam, hoc est, imperium & regnum à Deo formatum atque institutum esse profitendum est, vt ne ornatus in statum inornatum degeneret. Quòd si quis impius ac sacrilegus in illud irruperit, haudquaquam scilicet hũc à Deo creatum ac designatum esse dicimus, verùm permissum esse: quò nimirum aut Pharaonis in modum improbitatem omnem suam euomat, atq; ita extremo supplicio excrucietur: aut eos, qui crudelitate opus habent, ad meliorem mentem reuocet, quemadmodum Rex Babylonis Iudæos.

Theodoretus. 450.

Ad caput 13. ad Romanos: Siue sit sacerdos aliquis, siue Antistes, siue monasticam vitam professus, ijs cedat, quibus sunt mandati magistratus: clarum est autẽ si cum pietate. Non enim si Dei præceptis repugnet, magistratibus parere permittitur. *Non est potestas nisi à Deo.* Ipse communis ordinis curam gerens effecit, vt hi quidem imperarent, illi verò parerent, veluti quoddam frænum ijs, qui se iniustè gerunt, magistratuum terrorem incutiens. Porrò autem sciendum est, quòd & magistratum gerere, eiq; parere, à diuina prouidentia pendere statuit Apostolus: non autem vt hic, vel ille sit magistratus. Neque enim iniquorum hominum potestas à Dei procedit electione, sed ipsa principatus dispensatio.

Epiphanius Constantinopolitanus. 520.

Epistola ad Hormisdam Papam: Oret Sanctitas tua pro sereniſſimo Principe nostro, & pro Christianissima Augusta: quia eorum salus communis sanctarum vbiq; est Ecclesiarum futurum firmamentum.

Procopius Gazæus. 530.

Ad Exodi 12. cap. *Dijs non maledices.*) Non maledictis incesses iudices, vt apparet ex sequentibus, cùm dicit: *Principibus populi tui non maledices.* Reuerentia siquidem deferenda est magistratibus, & solicitè cauẽdum, ne clam in illorum incidamus furorem. Omne autem conuitium, quod in verũ iactatur principem, falsum est: propterea qui detrahit iudicibus, spernit Legem, ipsumq;, qui nobis Legem dedit.

Maximus. 640.

Sermone 9. De Magistratu Rom. 13. *Subiecti estote cuiuis humanæ creaturæ propter Dominum, siue Regi, tãquam præcellenti; siue præsidibus, tanquam ab eo missis, ad improbos supplicio, bonos autem laude afficiendos.*

Ioannes Damascenus. 730.

De Imaginibus oratione 2. *Reddite omnibus debita*, Paulus clamabat Apostolus: *cui tributũ, tributũ; cui vectigal, vectigal; cui timorẽ, timorẽ; cui honorem, honorem.* Regum est ciuilis administratio: Ecclesiastica verò constitutio Pastorum atq; Doctorum.

Photius. 850.

Ad cap. 13. ad Rom. Hinc etiam lucrum facis, ait, quòd subderis, non solùm quia præceptum comples, verùm quia Deum honoras, potestatem ab ipso ordinatam ac traditam honorãs. Beatus qui hoc modo & propter ista potestatẽ honorat, eiq; subditur: quemadmodum miser est, qui propter hæc non subditur. Siquidem duplex reportat iudiciũ. Primùm à Deo, quòd ordinatam ac definitam ab eo potestatem contemnit: secundò à despectis Principibus. Vide autem & lucrũ à Principibus exceptum, prohibent malos, exhortantur probos, cùm ipsos honorent & admoneant ad virtutem. Oportet ergo ipsos suscipere etiam ob id, quia Dei ministri sunt, voluntati Dei obsequẽtes, & tertiò quòd proprijs relictis, communium curam habeant, proximorum vtilitati incumbentes, & propria requie postposita, laborem pro illis suscipiant. Quis hos, si nullus etiam subesset timor, ex ipsa iudicij conscientia non veneraretur, & patrum ac præceptorum loco haberet?
Apud Oecumen.

Theophylactus. 900.

Ad caput 13. ad Romanos: *Non est potestas nisi à Deo.* Quid ais? Omnisne princeps vel magistratus à Deo electus est? Non hoc dico, inquit Paulus, neque de omnibus & singulis principibus vel magistratibus mihi nunc sermo est, sed de re ipsa. Nam principatus esse, & alios quidem magistratu fungi, alios verò magistratibus subdi, neque sursum, neque deorsum omnia misceri, Dei sapientiæ dico opus esse. Non dixit, non esse Principem: sed non esse potestatem, nisi à Deo. Quare de ipso magistratus officio hic disserit, &c. Potestates à Deo ordinatæ sunt: cuiusmodi & patris erga filium, & mariti erga coniugem contemplaberis, aliasq; vniuersas, vt in animalibus, veluti apum, gruum, & piscium, &c. Deo etiam placet, vt ipsius ministris tributa pendatis: Vult enim Deus pacem in Repub. versari, nec non virtutem; vitium autem profligari. Atque in hoc Principes ministrant voluntati Dei, pro communi constitutione, & salute laborantes, inq; idipsum per seueranter incumbentes, vt nos in pace, ac trãquillitate ætatem suam quisq; tranſigamus. Sin quisquam malè magistratu suo, & publica functione abutatur, id nihil aduersus rei ipsius pulcherrimæ elegantiam facit. Irrefragabiliter igitur debes impositam tibi erga magistratum gratitudinem ac beneuolẽtiam. Redde quod debes ijs, quibus varij magistratus sunt commissi: cui tributũ debetur, siue exactio, capitumue census, ei tributũ da; cui vectigal, vectigal, vel pro terra censum. Nec solùm pecunias reddite, sed timorem etiam, hoc est reuerentiam & verecundiam, atque eximium honorem, &c. Necessum est subdi & obedire, non solùm vt nõ experiaris iram Dei & magistratus tanquam immorigerus, & crucieris, puniarisve intolerabiliter; verùm etiam vt ne videaris expers esse conscientiæ, mente & ratione vacare, ingratus nimirum erga benefactorem. Plurimum enim prosunt Rebus publicis magistratus. Per ipsos enim vita nostra & victus consistit, qui nisi diuinitus suo fungerentur officio, iam olim omnia perijssent, potẽtioribus imbecilliores deuorantibus. Conscientia igitur tua persuadeat tibi, vt suo honore tanta tibi bona donantes nunquam non digneris. Ideo enim & tributa præstas.

In Matth. cap. 22. In corporalibus & in externis obediẽdum est regi: in internis autem & spiritualibus, soli Deo.

Simeon Metaphrastes. 970.

De S. Melana: De obedientia autẽ, & quòd oporteat magistratibus parere, hæc quoque adiecit: Etiam in ijs, quę ad vitam mundanam pertinent,

hoc est quod omnia maximè continet; & quod imperare quidem facit Imperatorem, parere autem eum, qui est ei subiectus. Et si hoc sustuleris, ordinem quoque sustulisti, & cum nominibus res quoque confudisti.

OEcumenius. 1050.

Ad cap.13.ad Rom. Omnem animam instruit, siue sacerdos sit quispiam, siue monachus, siue Apostolus, vt magistratibus subdantur. Nam hęc subiectio non euertit pietatem. *Non est enim potestas.*) Non hęc de quocunque dicit principe, sed de ipso principatu. Quoniam enim honoris ac conditionis æqualitas in omnibus seditiosa res erat, Deus potestates adiunxit.

Euthymius. 1080.

Ad Psalm.148. Est diuinæ sapientię opus, vniuersum orbem in principes atque subditos distinxisse. Reges autem, & principes, & iudices appellat, eò quòd dominantur, regunt, & iudicant. *Laudate* enim, inquit, *Dominum*: vos autem, quia præpositi & præfecti estis: populi verò, quia studio & curæ atq; solicitudini superiorum à Deo donati sunt. Vnà autem omnes id facite: quoniam ex hac ordinum varietate ordinem quendam Deus in humano genere constituit. Verùm quòd principes imperent & dominentur, diuinum quidem opus est, hoc est, à Deo datũ: quòd verò malè imperent, hoc ad ipsorum Principum pertinet peruersitatem. Simili modo, quòd praui homines ad imperium assumantur, maligni ac praui ipsi homines in causa sunt.

Præfatione in Panopliam: Quod imperio caret, cõfusum est; & quod multorum regitur imperio, seditiosum: & idcirco etiam imperio vacans, atq; ideo confusum.

Theodulus. 1200.

Ad cap.13.ad Rom. Ne se deteriores viliores q; reddi Christi serui arbitrentur, si potestatibus subijciantur, ostendit, quòd necessarium sit obtemperare, & non reluctari, neque inobedientem esse quempiam magistratui. Qui enim istud attentauerit, Deo resistit, qui condidit instituitq; magistratus. Eam autem ob rem dixit, Dei eam esse ministram ad bonum: quandoquidem ministret, ac inseruiat Dei voluntati, cùm bonos laudibus euehens, tum malos puniens: hinc te ad bonum etiam impellit. Non igitur Princeps, aut magistratus, metus tibi causa est, sed scelerata tua vita.

Demetrius Cydonius. 1280.

De contemnenda morte: Non reperies Respub. leonum, aut elephantorum, aut aliorum animaliũ: sed ciuitates solorum hominum sunt opera, in quibus sapientiæ suæ inuenta, & mutua beneficia deponunt: atque his alij leges præscribunt, alij dicto sunt audientes. Ac à subditis honores & tributa principibus penduntur, quæ virtutis & inferiorum curæ præmia sunt: principes autem assiduam eorum solicitudinem, qui ipsis parent, perpetuamq; prouidentiam conferunt: quam tãtam præ se ferunt, vt bonus & iustus princeps suopte periculo salutem alijs præstet, & multi pro patrię defensione occubuerint.

Hieremias Constantinopolitanus. 1580.

Respons.1.cap.16. Quantum ad decimum sextum caput attinet, in quo dicitur non esse prohibitum Christianis imperare alijs, iudicia exercere legitima, & cætera ciuilia munera administrare: dicimus nos oportere obedire omni magistratui, & potestati, non modò bonis, sed etiam prauis, & ipsorum decreta mandataq; obseruare diligenter.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Martialis. 100.

Epistola ad Tholosanos cap.8. Principi Stephano etiam obedire debetis in omnibus; quia Princeps vobis à Deo constitutus est, à quo omnis potestas & paternitas in cælo & in terra originem & fortitudinem sumpsit.

Tertullianus. 200.

Ad Scapulam cap.2. Christianus nullius est hostis, ne dum Imperatoris, quem sciens à Deo suo constitui, necesse est, vt & ipsum diligat, & reuereatur, & honoret, & saluũ velit, cum toto Romano imperio, quousque seculum stabit: tam diu enim stabit. Colimus ergo & Imperatorem sic, quomodo & nobis licet, & ipsi expedit, vt hominẽ à Deo secundum, & quicquid est, à Deo consecutum, & solo Deo minorem. Hoc & ipse volet: sic enim omnibus maior est, dũ solo vero Deo minor est. Sic & ipsis Dijs maior est, dum & ipsi in potestate sunt eius. Itaq; & sacrificamus pro salute Imperatoris, sed Deo nostro & ipsius; sed quomodo præcepit Deus, pura prece. 2.Thes.2

In Apologetico cap.30. Nos pro salute Imperatoris Deum inuocamus æternum, Deum verum, Deum viuum, quem & ipsi Imperatores propitium sibi præter cæteros malunt.

Cap.31. Sed etiam nominatim atque manifestè: *Orate*, inquit, *pro regibus, pro principibus & potestatibus, vt omnia tranquilla sint.* Vobiscum enim concutitur imperium, concussis etiam cæteris membris eius, vtique & nos (licet extranei à turbis æstimemur) in aliquo loco casus inuenimur. 1.Tim.2.

De Idololatria cap.15. Igitur quod attineat ad honores Regum vel Imperatorum, satis præscriptũ habemus in omni obsequio esse nos oportere, secundùm Apostoli præceptum, subditos magistratibus & principibus & potestatibus, sed intra limites disciplinæ, quousque ab idololatria separamur. Propterea enim & illud exemplũ trium fratrum præcurrit, qui aliàs obsequentes erga Regem Nabuchodonosor, honorem imaginis eius constantissimè respuerint. Rom. 13 Dan.3.

Cyprianus. 250.

De Baptismo Christi, & manifestatione Trinitatis: Scribæ & Pharisæi, in cathedra Mosi sedentes, dum agunt quę ad cathedram pertinent, per omnia plenitudine potestatis vtuntur, & officium, non vita tantùm affectibus honoratur.

Lib.3.testimoniorum ad Quirinum c.38. Seruum Dei innocentem esse debere, ne incidat in pœnam secularem, epistola Pauli ad Romanos monet: *Vis non timere potestatem? bonum fac, & habebis laudem ex illa.* Rom.13.

Ambrosius. 370.

Ad cap.5. Luca: Magnum quidem est & spiritale documẽtum, quo Christiani viri sublimioribus potestatibus docentur debere esse subiecti, ne quis constitutionem regis terreni putet esse soluẽdam. Si enim cẽsum Filius Dei soluit, quis tu tantus es, qui non putes esse soluendum? Et ille censum soluit, qui nihil possidebat: tu autem, qui seculi sequeris lucrum, cur seculi obsequiũ non recognoscas? Rom.13. Matt.17

Optatus Mileuitanus. 370.

Lib.3. Meritò Paulus docet orandũ esse pro Regibus ac potestatibus, etiamsi talis esset Imperator, qui gentiliter viueret.

Hieronymus. 390.

Ad cap.3.ad Titum: Paulus docet credentes principatibus & potestatibus debere esse subiectos: sed quia dixerat, *Admone illos principatibus ac potestatibus subditos esse*: poterat his, qui tormenta formidãt, occasio ad negandum dari, dum iuxta Apostoli dictum, se assererent principatibus ac potestatibus esse subiectos, & facere quod iuberent, propterea subiecit: *Obedire ad omne opus bonum.* Si bonũ est, quod præcipit Imperator ac præses, iubentis obsequere voluntati: si verò malum, & contra Deum sapit, responde ei illud de actibus Apostolorum; *Obedire oportet Deo magis quàm hominibus.* Act 5.

Augustinus. 400.

Epist. 48. ad Valentinum: *Non est potestas nisi à Deo*, &c. Siue enim potestas veritati fauens aliquẽ corrigat, laudem habet ex illa, qui fuerit emendatus: siue inimica veritati in aliquẽ sęuiat, laudem habet ex illa, qui victor fuerit coronatus.

Epist.54.ad Macedonium: Nec ideò sanè frustra instituta sunt, potestates regis, ius gladij cognitoris, vngulę carnificis, arma militis, disciplina dominantis, feueritas etiam boni patris. Habent ista omnia modos suos, causas, rationes, vtilitates. Hæc cùm timentur & coërcentur mali, & quietius inter malos viuunt boni: non quia boni pronuntiandi sunt, qui talia metuendo non peccãt: veruntamen nõ inutiliter etiam metu legum humana coërcetur audacia.

De Ciuitate Dei lib.5.cap.21. Nõ tribuamus dandi regni & imperij potestatem nisi Deo vero, qui dat felicitatem in regno cælorum solis pijs: regnum verò terrenum & pijs, & impijs, sicut ei placet, cui nihil iniustè placet. Qui Mario, ipse Caio Cæsari: qui Augusto, ipse & Neroni: qui Vespasianis, vel patri, vel filio, suauissimis Impp. ipse & Domitiano crudelissimo. Et ne per singulos ire necesse sit, qui Constantino Christiano, ipse & Apostatę Iuliano. Hæc planè vnus Deus, & verus regit, & gubernat, vt placet. Etsi occultis causis, nunquid iniustis?

In expositione quarundam propositionum ex epistola ad Romanos, proposit.72. Quòd autem Apostolus ait: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: non est enim potestas nisi à Deo*, rectissimè admonet, ne quis ex eo, quòd à Domino suo in libertatem vocatus est, factus Christianus, extollatur in superbiam, & non arbitretur in huius vitæ itinere seruandum esse ordinem suum, vt potestatibus sublimioribus, quibus pro tempore rerum temporalium gubernatio tradita est, existimet non se esse subdendum. Cùm enim constemus ex anima & corpore, quamdiu in hac vita temporali sumus, etiam rebus temporalibus ad subsidium huius vitæ degendæ vtamur: oportet nos ex ea parte, quę ad hanc vitam pertinet, subditos esse Potestatibus, id est hominibus res humanas cum aliquo honore administrantibus. Ex illa verò parte, qua credimus Deo, & in regnum eius vocamur, non nos oportet esse subditos cuiquam homini, idipsum in nobis euertere cupienti, quod Deus ad vitam æternam donare dignatus est. Si quis ergo putat, quoniam Christianus est, non sibi esse vectigal reddendum, aut tributum, aut non esse exhibendum honorem debitum eis, qui hæc curant, potestatibus, in magno errore versatur. Item si quis putat se esse subdendũ, vt etiam in sua fide habere potestatẽ arbitretur eum, qui tẽporalibus administrãdis aliqua sublimitate præcellit, in maiorẽ errorẽ labitur. Sed modus iste seruãdus est, quẽ Dominus ipse pscribit, vt reddamus *Cæsari, quæ Cæsaris sunt; & Deo, quæ Dei sunt.* Quamq; enim ad illud regnum vocemur, vbi nulla erit potestas eiusmodi: in hoc tamen itinere dum agimus, donec perueniamus ad illud seculum, vbi sit euacuatio omnis principatus, & potestatis, conditionem nostram pro ipso rerum humanarum ordine toleremus, nihil simulatè facientes, & in eo ipso non tam hominibus, quàm Deo, qui hęc iubet, obtemperantes. Rom.11.

Propositione 74. Quod autem ait: *Ideoq; necessitati subditi estote*: ad hoc valet, vt intelligamus, quia necesse est propter hanc vitam subditos nos esse oportere, non resistentes, si quid illi auferre voluerint, in quo sibi potestas data est de temporalibus rebus, quæ quoniam transeunt, ideo & ista subiectio non in bonis quasi permansuris, sed in necessarijs huic tempori constituenda est: tamen quoniam dixit: *Necessitati subditi estote*, ne quis non integro animo, & pura dilectione subditus fieret huiusmodi potestatibus, addidit, dicẽs: *Non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam*: id est, non solùm ad iram euadendam, quod potest etiam simulatè fieri: sed vt in tua conscientia certus sis, illius dilectione te facere, cui subditus fueris iussu Domini tui, qui *omnes vult saluos fieri, & in agnitionem veritatis venire.* 1.Tim.2.

Lib.3 Confessionum cap.8. Generale pactum societatis humanæ est obedire regibus suis.

Innocentius Primus. 406.

Epistola 2.ad Exuperium cap.3. Quæsitum etiam est super his, qui post baptismum administrauerunt, & aut tormenta sola exercuerunt, aut etiam capitalem protulerunt sententiam. De his nihil legimus à maioribus definitũ. Meminerant enim à Deo potestates has fuisse concessas, & propter vindictam noxiorum gladium fuisse permissum, & Dei esse ministrum, vindicem in huiusmodi datum. Quomodo ergo reprehenderent factum, quod auctore Deo viderent esse concessum? Rom. 13.

Leo Primus. 450.

Epist.82.ad Iulianum Coënsem Episcopum: Ad imperialẽ pertinet potestatem, vt perturbatores Ecclesię, pacis, & Reipub. quæ Christianis principibus meritò gloriatur, inimici solicitius cõprimãtur, &c. Vt autem Imperialis est potestatis tumultus publicos, ac seditiones sacrilegas seuerius coërcere: ita auctoritatis est sacerdotalis monachis prædicandi aliquam contra fidem licentiam non prębere, &c.

Sedulius. 460.

Ad cap.13 ad Romanos: Quia pro tua solicitus est quiete, quoniam futurum iudicium Deus statuit; & nullum perire vult in hoc seculo, rectores ordinauit, vt terrore interposito hominibus velut pędagogi sint, erudientes illos quos seruent, ne in pœnam futuri iudicij incidant.

Prosper. 460.

Epigrammate 34.

Reddendum est quicquid mundi bene postulat ordo,
Propositumq; pia non violat fide.
Mitibus, & sanctis nulla est spernenda potestas:
Æquum seruire est Regibus, & dominis:
Vt Christi famulis ad verum prosit honorem
Dilexisse bonos, & tolerasse malos.

Salonius. 480.

Explicatione in Parabolas Salomonis: Nunquid Christus omnibus tyrannis impijs & principibus dat regnum & imperium? Non vtique. Veruntamen ipso permittente impij reges & principes suscipiunt regna vel imperia, iuxta illud Iob: *Permittit regnare hypocritam propter peccata populi.* Iob 34

Symmachus Papa. 500.

Apologetico aduersus Anastasium Imperatorem: Ve-

rùm tu,ſi Romanus Imperator es,etiam gentium Barbarorum legationes debes clementer admittere.Si Chriſtianorum princeps es,qualiſcunque Præſulis Apoſtolici debes vocem patienter audire. Nos quidē poteſtates humanas ſuo loco ſuſcipimus, donec contra Deum ſuas non erigunt voluntates. Cæterùm ſi omnis poteſtas à Deo eſt, magis ergo quę rebus eſt pręſtituta diuinis.Defer Deo in nobis,& nos deferemus Deo in te. Cæterùm ſi non deferas,non potes eius vti priuilegio, cuius iura contemnis, &c.

Hormiſda. 516.

*Epiſtola 22.ad Iuſtinum Auguſt.*Significaſtis nolentibus & recuſantibus vobis imperij pondus impoſitum : qua ratione electos ſuos cæleſti conſtat eſſe iudicio,ſecundùm Apoſtolū dicentem:*Nō eſt poteſtas,niſi à Deo: quæ autem ſunt, à Deo ordinatæ ſunt.* Superest,vt à Deo electi,ſicut & credimus, Eccleſiæ,quam laborare cernitis, manus veſtrę ſolatia porrigatis.

Primaſius. 540.

Ad caput 13.ad Romanos : *Omnis anima poteſtatibus,*&c.)Hæc cauſa aduerſum illos, qui ſe putabāt ita debere libertate Chriſtiana vti, vt nulli aut honorem deferrent, aut tributa redderent: quibus ita dicit,vt eos humiliet.

Gregorius Magnus. 590.

In lib.1.Regum cap.10. A regibus quidem defendendi ſunt ſubditi,non bonis proprijs ſpoliandi: auxilium præſtare ſubiectis debent ; agros,vineas,& oliueta auferre non debent.

Lib.4.epiſt.52. Ad hoc diuinæ diſpēſationis prouiſio gradus diuerſos & ordines conſtituit eſſe diſtinctos, vt dum reuerēter iam minores potioribus exhiberent, & potiores minoribus dilectionem impenderent,vera concordię fieret ex diuerſitate contextio, & rectè officiorum gereretur adminiſtratio ſingulorum. Neque enim vniuerſitas alia poterat ratione ſubſiſtere, niſi huiuſmodi magnus eam differentiæ ordo ſeruaret. Quia verò quæque creatura in vna eademque qualitate gubernari vel viuere nōn poteſt, cæleſtium militiarum exemplar nos inſtruit,quia dum ſunt Angeli,& ſunt Archangeli,liquet quòd non æquales ſunt, ſed in poteſtate & ordine, ſicuti nōſtis, differt alter ab altero.

Lib.7.epiſt.120. Summum in regibus bonum eſt iuſtitiam colere,ac ſua cuique iura ſeruare,& ſubiectis non ſinere quod poteſtatis eſt fieri,ſed quod æquum eſt cuſtodire.

Iſidorus Hiſpalenſis. 620.

*De Summo bono lib.3.cap.49.*Dedit Deus principibus præſulatum pro regimine populorum, & illis eos præeſſe voluit,cum quibus vna eſt eis naſcendi moriendiq; conditio. Prodeſſe ergo debet populis principatus,non nocere: nec dominando premere, ſed condeſcendendo conſulere, vt verè ſit vtile hoc poteſtatis inſigne, & dono Dei pro tuitione vtantur membrorum Chriſti.Membra quippe Chriſti fideles ſunt populi,quos dum ea poteſtate,quam accipiunt,optimè regunt, bonam vtique viciſſitudinem Deo largitori rependunt.

Concilium Toletanum Sextum. 638.

*Cap.13.*Qui primatu dignitatis atque reuerentiæ vel gratiæ ob meritum in palatio honorabiles habentur,his à iunioribus modeſtus honor per omnia deferatur.Quin etiam minores à ſenioribus & dilectionis amplectantur affectu,& vtilitatis imbuantur exemplo.

Concilium Toletanum Duodecimum. 685.

Cap.1. Vnde his cognitis atque præſcitis ſeruiendum eſt Deo cæli, & prędicto principi noſtro Eringio Regi,eiqúe pia deuotione obſequēdum, & promptiſſima voluntate agendum, & enitendum,quicquid eius ſaluti proficiat,quicquid gētis ſuæ vtilitatibus, & patrię conſuluerit. Vnde non erit iam deinceps aut ab anathematis ſententia alienus,aut à diuinæ animaduerſionis vltione ſecurus, quiſquis contra ſalutem eius deinceps aut erexerit vocem, aut commouerit cædem,aut quamcunque quęſierit lædendi vltionem.

Beda. 700.

*Ad cap.12.Marci:*Quòd ait:*Reddite Cæſari quæ ſunt Cæſaris,*nummum,tributum, & pecuniam, *& quæ ſunt Dei Deo,*decimas,primitias, oblationes ac victimas ſentiamus: Quomodo & ipſe reddidit tributa pro ſe,& Petro, & Deo quæ Dei ſunt reddidit,Patris faciens voluntatem.

Alcuinus. 750.

Præfatione in libros de S. Trinitate ad Carolum Magnum : Dum dignitas imperialis à Deo ordinata, ad nil aliud exaltata eſſe videtur,niſi populo prę-eſſe & prodeſſe proinde datur à Deo electis poteſtas & ſapientia. Poteſtas, vt ſuperbos opprimat, & defendat ab improbis humiles : ſapientia, vt regat & doceat pia ſolicitudine ſubiectos, &c. Principem populi Chriſtiani cuncta ſcire & prędicare,quæ Deo placent, neceſſe eſſe, notiſſimum eſt. Neque enim quemquam magis decet vel meliora noſſe, vel plura, quàm Imperatorem, cuius doctrina omnibus prodeſſe debet ſubiectis.

Haymo. 820.

*Ad cap.13.ad Rom.*Omnis poteſtas,ſiue maior,ſiue minor,quæ hominibus pręſtatur,aut ex volūtate Dei, aut ex permiſſione conſtituta eſt, ſicut dicitur per Salomonem : *Per me Reges regnant, & principes docuerunt iuſtitiam.* Si autem quærimus, quare hæ poteſtates ordinatæ ſint,id dicendum, quòd genus humanum beſtiale effectum, belluino more contra ſe cœpit ſæuire,in tantum,vt primi parentis filius in fratrem conſurgens interfecerit eum. Beſtiarum enim eſt & homines diſcerpere,& ſe inuicem lacerare,atque deuorare. Hac de cauſa omnipotens Deus beſtialibus hominibus principes præpoſuit ; vt eorum terrore acerbitas animorum illorum reprimeretur. Prou. 8.

Qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit. Siue bona ſit illa poteſtas,ſiue mala,quicunque ei reſiſtit, ſubtrahendo ſeruitium ab ea, denegando tributum,& honorem non præbendo, quem ei debet præbere, Dei ordinationi reſiſtit & diſpoſitioni, cuius ordinatione illi principantur.

Concilium Pariſienſe. 829.

*Libro 2.cap.3.*Conſtat poteſtatem regalem omnibus ſibi ſubiectis, ſecundùm æquitatis ordinem, conſultum ferre debere,& idcirco oportet,vt omnes ſubiecti fideliter,& vtiliter,atque obedienter eidem pareant poteſtati : quoniam *qui Poteſtati à Deo reſiſtit, ordinatæ Dei vtique ordinationi,* iuxta Apoſtoli documentum,*reſiſtit.* Sicut enim ſubiecti à Rege ſibi volunt piè & iuſtè opitulari; ita ſpecialiter ei primùm ad ſalutem animæ ſuæ procurandam,deinde generaliter ad honeſtatem & vtilitatem regni,ſecundùm Dei voluntatem diſponendam, atque miniſtrandam, indiſſimulanter atque irretractabiliter ſolatium oportunum debent exhibere. Quod cùm faciunt, & diuinum præceptum adimplere,& fidem regi debitam euidenter probantur conſeruare. Huiuſmodi ergo obſequium à ſubiectis regię poteſtati impendi debere, & legalia præcepta apertè teſtantur, & Dominus in Euangelio admonet,dicens : *Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari,* &c. Rom. 13. Matt. 22.

Concilium Meldenſe. 843.

*Cap.15.*Si quis poteſtati regię,quæ non eſt,iuxta Apoſtolum,niſi à Deo,contumaci & inflato ſpiritu contra auctoritatem & rationem pertinaciter contradicere pręſumpſerit,& eius iuſtis,& rationabilibus imperijs ſecundùm Deum & auctoritatem Eccleſiaſticam,ac ius ciuile, obtemperare irrefragabiliter noluerit,anathematizetur. Rom. 13.

Remigius Antiſiodorenſis. 880.

Ad Pſalm.88. Principes maiori potentia ſubdi debent Deo,quàm ſubditi:quia maior vis Domini apparuit in conuerſione regum, quàm in conuerſione pauperum.

Altercatio Synagogæ & Eccleſiæ. 880.

Cap.13. Quòd Dux Moſes & Aaron ſacerdos populo prelati ſunt, ſignificat quòd in præſenti Eccleſia ſemper Regum, Ducum, & Conſulū defenſione indigeat ſacerdotalis ſanctitas : & cùm ſibi conueniunt ſacerdotes & reges, nihil tutius : cùm diſſentiunt,nihil perniciōſius.

Radulphus Flauiacenſis. 950.

Lib.3.in Leuit.cap.4. Deo peccatorē punire præcipiente,humana clementia inobedientia potius & contumacia dicenda eſt. Hinc eſt quòd Abraham, qui Deo iubentenec dilecto filio pepercit,tantam apud ipſum gratiā adeptus eſt. Econtra verò Saul,qui contra imperium Domini pepercit peccatoribus Amalech, ad quos delendos miſſus fuerat,de regno deiectus eſt. Genes.22. 1.Reg.15.

Petrus Damianus. 1050.

Epiſtola ad Carolum: Rex præcingitur gladio, vt hoſtibus Eccleſię munitus occurrat:item ſub lance iuſtitiæ negotia debet terrena dirimere, &c. Conſtitutus eſt vt nocentes atque ſceleſtos legalium ſanctionum cenſura coerceat.

Epiſtola ad Henricum Regem : Ad hoc puto te vniuerſalis orat Eccleſia, vt & labor tuus ei quietem pariat,& orationibus illius gloria tibi vniuerſalis atque triumphalis accreſcat.

Radulphus Ardens. 1060.

Dominica 23.poſt Trinitatem: *Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo.*) Ita reſponſum temperat, vt nec contra Legem, nec contra ſecularem poteſtatem dicat. In quo præcipit, quòd tributa poteſtatibus reddi debent, ſicut decimæ, & oblationes Deo.Ipſe quippe ordinauit poteſtates,& iura regnorum. Vnde & præcipit Samueli, vt diceret Iſraelitis ius regni.Quin ipſe etiam cum Petro reddidit tributum Cæſari,cùm propter vitandum ſcandalum, tum propter exemplum, oſtendens bene reddere eos, qui debent, cùm ipſe reddidit,qui non debebat.Et Apoſtolus : *Qui poteſtati reſiſtit,Dei ordinationi reſiſtit.*Et alibi : *Reddite cui honorem,honorem; cui tributum,tributum ; cui vectigal, vectigal.*Eſt enim officium iuſtitiæ vnicuiq; quod ſuum reddere. Rom. 13.

Anſelmus Cantuarienſis. 1080.

*Ad caput 13.ad Romanos:*Rectè admonet, ne quis ex eo, quòd in libertatem vocatus eſt, factusqúe Chriſtianus, extollatur in ſuperbiam, & non arbitretur in huius vitæ itinere ſeruandum eſſe ordinem ſuum,& poteſtatibus,quibus pro tempore rerum temporalium gubernatio tradita eſt, non ſe putet eſſe ſubdendum.Cùm enim conſtemus ex anima & corpore, & quamdiu in hac vita temporali ſumus,etiam rebus temporalibus ad ſubſidium eiuſdem vitę vtamur,oportet nos ex ea parte, quę ad hanc vitam pertinet,ſubditos eſſe poteſtatibus,id eſt,res humanas cum aliquo honore adminiſtrantibus. Ex illa verò parte, qua Deo credimus,& in regnum eius vocamur,non debemus ſubditi eſſe cuiquam homini,idipſum in nobis euertere cupienti, quod Deus ad vitam æternam donare dignatus eſt.Si quis ergo putat, quoniam Chriſtianus eſt,non ſibi eſſe vectigal reddendum, ſiue tributum, aut non eſſe exhibendum honorem debitum ijs,quæ hæc curant, poteſtatibus, in magno errore verſatur.Item ſi quis ſic ſe putat eſſe ſubdendum,vt etiam in ſuam fidem habere poteſtatem arbitretur eum,qui temporalibus adminiſtrandis aliqua ſublimitate præcellit,in maiorem errorem labitur. Sed modus iſte ſeruandus eſt,quem Dominus ipſe præcepit, vt *reddamus Cæſari,quæ ſunt Cæſaris: & Deo,quæ Dei ſunt.* Quamuis enim ad illud regnum vocati ſimus, vbi nulla erit poteſtas eiuſmodi ; in hoc tamen itinere conditionem noſtram pro ipſo rerum humanarum ordine debemus tolerare, nihil ſimulatè facientes; & in hoc non tàm hominibus,quàm Deo,qui hoc iubet,obtemperantes. Matt.22 Lucę 20.

Bruno Carthuſianus. 1080.

Ad caput 13.ad Romanos : Verè omnis homo debet ſubdi principibus : Nam non eſt aliqua poteſtas,ſeu bona,ſeu mala, niſi à Deo ; nec ſic à Deo, vt hoc nolens permittat :*Quia quæcunque ſunt,ſunt à Deo ordinata.*

Iuo Carnotenſis. 1100.

*Epiſt.241. ad Lodoicum Francorum Regem:*His documentis inſtructi,quotidianis precibus pro honeſtate veſtra & ſalute Dei clementiam imploramus,vt in manu veſtra Francorum regnum dirigat,& in electorum numero vos aſcribat.

*Epiſt.250.*Interim reſpondeo,vt quæcunq; pactio inter te fuerit & Comitem,ſemper honorem ei deferas,& notam ei infamiæ non opponas. Sic enim dicit Apoſtolus : *Cui, honorem, honorem :cui timorem,timorem.*Et alibi:*Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit.* Sic Dauid, quamuis Rex futurus, Saul perfido Regi honorem detulit. Et cùm aliquando eſſet ei opportunitas eum occidendi, oram tantummodò chlamydis eius incidit,& de hoc tantillo pœnitentia ductus, cor ſuū percuſſit.Et quamuis eum perſequeretur,ſemper honorauit viuum,& planxit defunctum. A talibus ergo exemplum accipe,& ea quæ ſunt pacis ac fidelitatis erga dominum imitare. Si quam verò ab eis iniuriam expoſtulas, rationibus vtere, verba probroſa & contumelioſa dimitte, ne verba ſuperba interminabile odium generent,cùm ſuperbia humiliet,humilitas exaltet. Rom. 13. 1.Reg.24.

Hugo Victorinus. 1130.

De Sacramentis fidei lib.2.parte 2.cap.8. Secularis poteſtas iuſtitiam exercere debet,legum inſtituta ſequens,& nihil præter iuſtitiā, & veritatem approbans in iudicando : ſecularis autem poteſtas caput habet regem, ſiue Imperatorem,ab illo per ſubiectas poteſtates, Duces,& Comites, & præfectos,& magiſtratus alios deſcendens : qui tamen omnes à prima poteſtate auctoritatem ſumunt in eo,quod ſubiectis prælati exiſtunt.

Cap.9. Habet autem poteſtas ſecularis ornamenta quædam dignitatis ſuæ, quibus & excellentia ordinis oſtenditur,& ſacramentum miniſterij figuratur. Annulus fidem, armilla bonam operationem,ſceptrum iuſtitiam, gladius vindictam, purpura reuerentiam, diadema gloriam deſignat.

Bernardus Abbas. 1130.

Epiſt.170. Si totus orbis aduerſum me coniuraret,vt quippiam moliar aduerſum regiam maieſtatem,ego tamen Deum timerem, & ordinatum ab eo regem offendere temerè non auderem. Nec enim ignoro vbi legerim : *Qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit.* Rom. 13.

Petrus Bleſenſis. 1160.

*Epiſt.80.*Mihi videtur non abſurdum,ſi domino

1.Pet.2. Regi, iuxta Apostolum, *tanquam præcellenti honorem & obsequium exhibetis.* Regibus enim nō solùm bonis & honestis, sed etiam discolis, in omni humilitate, & reuerentia censeo seruiendum.

Ioannes Salisberiensis. 1160.

Libro 4. Polycrat. de curialibus nugis cap. 2. Publicæ vtilitatis minister, & æquitatis seruus est princeps, & in eo personam publicam gerit, quòd omnium iniurias & damna, sed & crimina omnia æquitate media punit. Virga quoque eius & baculus, adhibita moderatione sapientiæ contractus omnium & errores ad viam reducit æquitatis: vt meritò potestati Spiritus cōgratuletur, dicens: *Virga tua, & baculus tuus, ipsa me consolata sunt.* Sed & clypeus eius fortis quidē, sed infirmorum clypeus est, vt qui malignantium iacula pro innocentibus potenter excipiat. Officium quoque eius illis, qui minimum possunt, plurimum prodest, & illis, qui nocere desiderant, plurimum aduersatur. *Non ergo sine causa gladium portat*, quo innocenter sanguinem fundit, vt tamen vir sanguinum non sit, & homines frequenter occidat, & non incurrat nomen homicidij vel reatus.

Lib. 6. Polyc. cap. 24. Etsi in officio virtutum sit remissior principatus, colendus est tamen; & sicut apes in humeris regem suum attollunt, ita subiecti, quos pedes & membra esse prædiximus, dūmodò vitijs pernicioſus nō sit, omnimodum exhibeant famulatum. Nam etsi laboret vitijs, ferendus est, tanquam in quo salutis auspicia prouincialibus extant:

——*Rege incolumi mens omnibus vna:*
Amisso rupêre fidem.

Guilhelmus Parisiensis. 1230.

Lib. 1. de Sacramentis: Si amouerimus ab hominibus doctrinam, & disciplinā, & flagella, & correctiones, atq; iustitias, & vindictas, quæ irrogātur per principes & potētes, & eos absq; iugo, & reprehensione viuere sustinuerimus, nō homines vita & moribus, sed sylues tres belluæ apparebunt.

Alexander Alesius. 1230.

Par. 3. quæst. 137. memb. 3. Per potestatē homo Dei vicem gerit, & sine potestate ordinaria nō regitur vniuersitas, & ideo ei per se debetur reuerentia.

Iacobus Vitriacus. 1230.

Dominica in Sexagesima: Iudex secularis, qui nō sine causa gladium portat, aliquādo potest & debet gladio materiali putrida membra resecare, exercendo iustitiam in malefactores.

Albertus Magnus. 1240.

In lib. 2. Sententiarum, dist. 44. Duplex est potestas, scilicet ordinata secundùm gradus potestatis Ecclesiæ, vel ciuilis iuris; & huic potestati nō est resistendum quoad obedientiam. Est enim potestas vsurpata, quæ est potestas ministri, quo credit nos Dominus, & huic non est resistendū, quoad hoc, quòd non sustineamus, si Dominus velit: sed bene possumus resistere, quoad obedientiam, si possumus. Taliū enim potestas iniqua est, & iniquitati semper est resistēdum: si tamen Dominus velit, flagellum sustinendum est.

Thomas Aquinas. 1250.

De regimine Principum lib. 1. cap. 8. Rex populum gubernando minister Dei est, dicente Apostolo Rom. 13. *Quòd omnis potestas à Domino Deo est, & quòd est minister Dei, vindex in iram ei, qui malè agit.*

Lib. 2. cap. 15. Reges & principes vices Dei gerūt in terris, per quos Deus mundum gubernat, sicut per causas secundas. Vnde & Samuel Propheta, spretus in dominio, cùm querelam proponeret coram Deo, responsum habuit, *quòd non ipsum Israeliticus populus spreuerat, sed Deum,* cuius vices gerebat. Et in Prouerbijs dicitur: *Per me Reges regnant.*

1.Reg.8.

Prou.8.

Bonauentura. 1260.

Libro de Ecclesiastica Hierarchia parte 2. In omnibus debent reges & principes seculares sanctas & cæleſtes intueri potestates: scilicet vt sapienter regant, ordinatè viuant, & potenter malum reprimant, & vindicent, innocentibus parcant, & iniuriam fieri personis miseris non permittāt; vt etiam de susceptā potestate non superbiant, sed potius humilibus condescendant. Istæ conditiones in habentibus potestatem requiruntur: quia huiusmodi reges & principes à Deo recepisse potestatem huiusmodi dignoscuntur, &c. Potestas Regum & principum inter homines à Domino est ordinata, vt ipsorum metu malorum audacia refrenetur: quæ quidem tantum inualesceret, vt si non resisteret potestas publica, etiam humana societas penitus dissiparetur.

Iacobus Genuensis. 1280.

Dom. 23. post Trinitatem Serm. 3. Cæsari debemus reddere tributum & vectigal: Deo autem timorem & honorem. Principi igitur terreno debemus reddere tributum, maximè quādo videmus ipsum Rempub. strenuè gubernare. Est enim ad instar capitis, & cæteri ad instar membrorum.

Durandus à Sancto Portiano. 1310.

Lib. 2. dist. 44. quæst. 3. Si Christianus legitimè subest potestati seculari, certè tenetur obedire in his, ad quæ se extendit potestas, non solùm propter iram, id est timorem pœnæ, sed propter conscientiam: quia non obediendo *resistit Dei ordinationi,* vt dicitur Rom. 13.

Petrus Bertrandus. 1310.

Tractatu de origine & vsu Iurisdictionū: Inter Christianos duplex est potestas, temporalis scilicet, & spiritualis; siue secularis, & Ecclesiastica; & vtraque est à Deo: & ideo vtrique potestati subsunt Christiani, sed indifferenter.

Thomas Argentinensis. 1360.

Lib. 2. dist. 44. quæst. 1. art. 4. Omnis principatus à Deo: quia omne bonum à Deo est. Sed principatus secundùm se consideratus, cùm sit quidam ordo, seu motus ordinatè viuendi, est nō modicum bonum vniuersi. Ergo est ab ipso Deo.

Ioannes Gerson. 1420.

In Compendio Theologiæ, in expositione quinti Præcepti: Personę priuatę, quæ nullam habet iurisdictionem, & auctoritatem, Deus prohibet occidere: Legi autem, vel ministro iustitiæ præcipit occidere. Exodi 22. *Maleficos ne patiaris viuere.*

In Regulis moralibus, de auaritia: Retinere tributa & subsidia rationabiliter introducta peius est furto simplici in subditis. Exigere violenter aut fraudulēter subsidia indebita à subditis per principem rapina damnata est, &c. Omnia sunt principis, non quidem proprietario iure, nec per se, sed pro necessitate Reipublicæ.

Laurentius Iustinianus. 1430.

De Triumphali Christi agone cap. 12. Quòd Dominus prohibuerit censum dari Cæsari, falsissimum est, vnde mentita est Iudæorum iniquitas sibi aduersus veritatem testificantium iniquè. Quum enim interrogasset Petrum: *Quid tibi videtur? Reges terræ à quibus accipiunt tributum vel censum, à filijs suis, an ab alienis? illeq; dixisset: ab alienis, respondit Dominus: Ergo liberi sunt filij. Vt autem non scandalizemus eos, vade ad mare, & mitte hamum, & eum piscem, qui primus ascenderit, tolle, & aperto ore eius inuenies stateram, illum sumens da eis pro me & te.* Alio etiā tempore, cùm illum tentarent Pharisæi, si liceret censum dari Cęsari, an non, audierunt: *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari; & quæ sunt Dei, Deo.* Minimè igitur prohibuisset quasi illicitum, quod per se & Petrum exolui mandauit, atque ab alijs definiuit esse soluēdum.

Matth.17

Matt.22

dum. Quis autem dicere audeat, tributa regia ac vectigalia ciuilia fore prohibita? Non sunt illa deneganda tributa, quæ ad potestatem onera ferenda honestè & non tyrannicè ordinata sunt: quæ si deessent, prorsus dignitates redigerentur ad nihilum. Potestatibus non existentibus, vbi iustitia? vbi ordo? vbi regimen? vbi legum decreta? vbi obedientia subiectorum? Nempe vniuersa præ confusione deficerent. Ad coërcendos ergo malos, timoremqúe incutiendum, indisciplinatis dispositę sunt leges; prælati, principes, atque iudices ordinati. Audi quid Paulus dicat:

Rom. 13 *Omnis,* inquit, *anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Non enim est potestas, nisi à Deo: quæ autem sunt, à Deo ordinata sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit: qui aūt resistūt, ipsi sibi dānationē acquirunt,* &c.

Æneas Syluius. 1450.

Libello de aulicorum miseriis: Absit à me, vt dicam regibus non esse parendum, cùm & Veritas in Euangelio *reddi quæ sunt Cæsaris Cæsari iusserit, & quæ*

Matt.22. *sunt Dei Deo:* cumqúe ad Romanos Paulus Doctor

Rom. 13. gentium dicat: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Non est enim potestas nisi à Deo.* Clamo igitur & ego: Obedite principibus vestris omnes populi: subijcite vos sublimioribus potestatibus, omnes gentes.

Dionysius Carthusianus. 1460.

Ad caput 22. Matthęi: *Reddite quæ sunt Cæsarū, Cæsari:* vtpote censum, tributum, subiectionem: *& quæ sunt Dei, Deo:* videlicet oblationes, & cætera, quę in Lege iubentur. Hęc subiectio Iudęorum in temporalibus sub Romanis, non derogauit spirituali libertati, & subiectioni eorum sub Deo.

Ad caput 13. ad Romanos: Omnis homo existens sub alio, subditus sit per obedientiam promptam ac humilem constitutis à Deo principibus secularibus spiritualibusqúe prelatis. Ideo enim & tributa præstatis, quod est signū subiectionis, &c. *Si malè feceris, time potestatem. Non enim sine causa gladium portat.* Potestas secularis portat gladium materialem, Ecclesiastica spiritualem: vtraque verò habet iudiciariam potestatem, quę per gladium designatur.

ARTICVLVS SECVNDVS.

IN OMNI MAGISTRATV MONARCHICVM REGIMEN ESSE OPTIMVM,

NEGANT.

Anno post natū Christū 1530. HVLDARICVS Zvvinglius Contemplationis Isaiæ Prophetæ fœtura prima: *Quis non dicturus est Aristocratiam, atque Democratiā longè præstantiorem esse Monarchia?*

1540. Martinus Bucerus ad caput 5. Matthæi: *Profectò qui in vnum hominem transferre conantur potestatem, quam quidem Deus, vt rebus humanis maximè conducebat, dispartitus est in plurimos, is* ordinationi Dei resistit, *vt D. Paulus scripsit.*

1550. Ioannes Caluinus lib 4. Institut. cap. 6 §. 9. *Verùm sit sanè, vt volunt, bonum atque vtile, orbem totum Monarchia contineri, quod est tamen absurdissimum, sed ita sit: nunquam tamen concedam, id ipsum in Ecclesiæ gubernatione valere.*

Cap. 20. §. 8. *Equidem si in se considerentur tres illæ, quas ponunt Philosophi, regiminis formæ, minimè negauerim, vel Aristocratiam, vel temperatum ex ipsa & politia statum, alijs omnibus longè excellere.*

1560. *Hieronymus Vvolfius,* in Annotationibus in Nicoclem Isocratis, *ex professo Monarchiam improbat.*

ASSERVNT SACRÆ LITERÆ.

Ieremiæ 12. Vers. 10. Pastores multi demoliti sunt vineam meam, conculcauerunt partem meam: dederunt portionem meam desiderabilem in desertum solitudinis.

Ezechielis 37. 21. Ecce, ego assumam filios Israel de medio nationum, ad quas abierunt: & congregabo eos vndique, & adducam eos ad humum suam. Et faciam eos in gentem vnam in terra in montibus Israel: & rex vnus erit omnibus imperans: & non erunt vltra duæ gentes, nec diuidentur amplius in duo regna. 24. Seruus meus Dauid rex super eos, & pastor vnus erit omnium eorum.

Oseæ 1. 11. Congregabuntur filij Iuda, & filij Israel pariter: & ponent sibimet caput vnum, & ascendent de terra: quia magnus dies Iezrahel.

Ioannis 10. 16. Et fiet vnum ouile, & vnus pastor.

ASSE-

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Iustinus. 150.

Ad Gentiles oratione cohortatoria: Homerus sub persona Vlyssis Græcorum exercitum alloquens, ait:

Non bene regnabunt multi, Rex vnicus esto.

Atque equidem ille non bonum esse regimẽ multorum, sed è diuerso malum, reipsa ostẽdere constitutum habens, eam ob causam bella illorum propter multitudinem, & prælia, & factiones, & mutuas insidias, passim commemorat. Nam Monarchia, siue vnius imperium pacatum esse consueuit.

Eusebius Cæsareensis. 320.

De Demonstratione Euangelica lib. 3. cap 9. Quis non obstupescat, secum cogitans atq; animo versans, non humanum hoc fuisse opus, vel ex eo, quòd nunquam aliàs sub vno Romanorum imperio plurimæ orbis Gentes esse potuerunt, nisi secundùm Iesu tempora? Nam simulac ille admirabiliter ad homines venit, atque inter homines versatus est, etiam res Romanas ad summum peruenisse contigit: quo primùm tempore videlicet Augustus plurimarum gentium dominus euasit. Id verò fuit cùm & Cleopatra capta est, & Ptolemæorum successio in Ægypto dissoluta: atque ex illo in hunc vsque diem, quod ab initio orbis, & ab ipsa, vt ita dicam, hominum origine, steterat Ægypti regnum euersum est. Ex illo quoque Iudęorum natio à Romanis in seruitutem redacta, Syrorum item & Cappadocum, & Macedonum, & Bithyniorum, & Græcorum, ac denique reliquorum omnium, qui Romano imperio cesserũt. Hoc autem non sine Deo, vnà cum doctrina, quæ de Saluatore nostro ferretur, introijsse in orbem, quis non fateatur? reputans non facilem Iesu discipulis externarum regionum peregrinationem futuram fuisse, si gentes inter se diuisæ discordesqúe fuissent, neque vllum prorsus ob multiplices principatus inter illas commercium: quibus sanè sublatis principatibus, intrepidi iam atq; impunè negotium propositum compleuerunt, cùm supremus Deus & iter illis expeditum, ac facile compararet, & superstitiosorum in ciuitatibus animos, terrore maioris imperij cohiberet. Reputa enim tecum parumper, si nulla res impedimẽto fuisset ijs, qui errore colendi multos Deos tenebantur, ne doctrinam Christi oppugnarent, quàm multos ante hac ciuiles seditiones, & in vrbibus, & in agris vidisses, quot vexationes, quot bella, non mediocria illa quidem, si superstitiosi illi suæ ipsorum potestatis fuissent, ac penes se ius imperij habuissent? Nunc autem hoc quoque supremi Dei fuit opus, maiori quodam terrore supremæ alicuius potentię, proprij verbi inimicos habere iam domitos: Id enim proficere in dies, & apud cunctos homines crescere volebat.

Oratione de laudibus Constantini: Monarchia certè omnes alias Rerumpub. species, & administrationis modos longè superat. Nam multiplex imperium, quod ex hominibus honore & sensu paribus constat, quodqúe cum Monarchia ex aduerso pugnat, confusionis ac seditionis potiùs, quàm imperij nomen meretur. Quamobrem vt vnus Deus est, non duo, non tres, neque præterea plures: (nam Deorum introducere multitudinem, est reuera Deum tollere:) sic vnus omnium Rex & Imperator, vnum illius verbum, & regia lex vna.

Athanasius. 340.

Oratione contra Idola: Vniuersitatis istius ordine & harmonia necesse est vt animaduertamus, omnium istorum principem esse Deum, eumqúe vnum, & non plures. Nam ille dispositionis ordo, & rerum omnium cõsentiens harmonia, non multos, sed vnum sibi ducem principemqúe esse declarat, nimirum Verbum Dei. Nõ enim si plures essent rerum naturæ principes, seruaretur eiusmodi vniuersitatis ordo, sed omnia confusa, & inordinata forent, propter multos istos: cũ vnusquisque omnia ad suum arbitrium traheret, & cum alieno depugnaret. Vt enim diximus multitudinem numinum nullitatem esse numinũ: ita quoque necessum est, multitudinem principum id efficere, vt nullus esse Princeps videatur. Cùm enim quisque alterius regnum tollebat, nullus reliquus cõspiciebatur princeps, sed interregnum potius sine capite erat. Vbi autem Princeps non est, ibi prorsus disturbatio nascitur.

Ioannes Chrysostomus. 400.

Homilia 34. in 1. Corinth. Nam & nobis Deus vnũ dedit caput, nempe Adamum. Cur enim non nascimur omnes ex terra? cur non perfectè, sicut ille? vt & partus, & filiorum educationes, & alium ex alio inter nos nasci, nos inter nos colligarẽt. Propterea neque mulierem fecit è terra. Nam quoniam non sufficisset ad nos incitandos ad concordiam, quòd similiter essemus eiusdem essentię, nisi etiam eũdem haberemus primum parentem, hoc quoque effecit. Nam si nunc solis disiuncti locis, nos à nobis inter nos existimamus alienos: si nostrum genus duo haberet principia, multo magis hoc fieret. Propterea tanquam ab vno quodam capite ligauit totum corpus humani generis. Et quoniam ab initio videbãtur esse duo quidam, vide quomodo rursus eos conglutinat, & in vnum cogit per matrimonium: *Propter hoc,* inquit, *relinquet homo patrẽ & matrẽ, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna,* &c. Deinde vt alterum quidem esset subiectum, alterum verò imperaret (nam quod par est honore solet pugnam inducere) non fuit vt esset populare imperium, sed regnum: & sicut in castris, eundem videris ordinem in vnaquaque domo. Est ergo loco quidem Regis maritus: præfecti autem & legati vxor: tertium autem imperandi locum sortiti sunt filij: deinde postea quartum imperium est seruorum. Nam ipsi quoque imperant minoribus, & vnus sæpe ex ijs præest omnibus locum tenens domini: sed tamquam seruus. Et cum eo rursus aliud imperium, alterum mulierum, alterum puerorum. Et in ipsis pueris rursus aliud ex ętate, & ex sexu. Nõ enim in infantibus similiter dominatum obtinet fœmina. Et vbique ferè Deus frequentia fecit imperia, vt omnia maneant in concordia & pulchro ordine. Propterea etiam priusquam genus hominum eductũ esset in multitudinem, cùm duo soli essent, qui erant primi, alteri quidem iussit imperare, alteri verò parêre. Genes. 2.

Homil. 34. in epist. ad Hebræos: Magistratum ducem & rectorem non habere malum est, & est argumẽtum multarum calamitatum, & principium defectus ordinis, & perturbationis, ac confusionis. Nam sicut si chori coryphæum & ducem sustuleris, non erit amplius chorus modò congruus & ordinatus; & si à phalange exercitus amoueris Imperatorem, non erit amplius numerosa & ordinata acies; & si nauigio ademeris gubernatorem, nauem demerges: ita etiam si à grege pastorem abstuleris, omnia euertisti, & deleuisti. Atque malum quidem est magistratus & rectoris defectus.

Theodoretus. 450.

Libro 3. de Angelis: Defectum principatus, & multitudinem

titudinem, vt rem maximè noxiam accusamus: Monarchiam verò, hoc est vnius principis potestatem, velut rem optimam laudamus. Eò fit, vt Homericam illam sententiam magnis laudibus efferamus, quæ huiusmodi legem nobis instituit:

Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη· εἷς κοίρανος ἔστω,
Εἷς βασιλεύς.
Haud bona res multi domini: Rex vnicus esto,
Et dominus.

Euthymius. 1080.

In Panoplia titulo 1. Quod imperio caret, confusum est; & quod multorum regitur imperio, seditiosum: & idcirco etiam imperio vacans, atque ideo confusum, &c. Nobis illa sententia comprobatur, qua verius asseritur, imperio ac principatu cuncta regi atque administrari.

Nicephorus Callistus. 1300.

Ecclesiast. histor. libro 1. cap. 10. Exijt edictum census ac descriptionis, inuitosqúe etiam in serena illa tranquillitate pacis, quæ vnius imperio obuenerat, patriam suam quemque petere, ibiqúe censeri ac describi coegit.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Cyprianus. 250.

De idolorum vanitate: Vnus omnium Dominus est Deus. Neque enim illa sublimitas potest habere consortem, cùm sola omnem teneat potestatem. Ad diuinum imperium etiam de terris mutuemur exemplum. Quando vnquam regni societas aut cum fide cœpit, aut sine cruore desijt? Sic Thebanorum germanitas rupta, & permanens rogis dissidentibus etiam in morte discordia: & Romanos geminos vnum non capit regnũ, quos vnum vteri cepit hospitium: Pompeius & Cęsar affines fuerunt, nec tamen necessitudinis fœdus in æmula potestate tenuerunt. Nec hoc tãtùm de homine mireris, cùm in hoc omnis natura consentiat. Rex vnus est apibus, & dux vnus in gregibus, & in armentis rector vnus: multò magis mũdi vnus est rector, qui vniuersa, quęcunque sunt, verbo iubet, ratione dispensat, virtute consummat.

Hieronymus. 390.

Epistola 4. cap. 6. Muta animalia, & ferarum greges ductores sequuntur suos: in apibus principes sunt: grues vnam sequuntur ordine literato: Imperator vnus: iudex vnus prouinciæ. Roma vt condita est, & duos simul fratres reges habere non potuit, & parricidio dedicatur. In Rebeccæ vtero Esau & Iacob bella gesserunt. Singuli Ecclesiarum Episcopi, singuli Archipresbyteri, singuli Archidiaconi, & omnis ordo Ecclesiasticus suis rectoribus nititur. In naui vnus gubernator: in domo vnus dominus: in quamuis grandi exercitu vnius signum expectatur. Et ne plura replicando fastidium legenti faciam, per hęc omnia ad illud tendit oratio, vt doceam te non tuo arbitrio dimittendum, sed viuere debere in monasterio sub vnius disciplina Patris, consortioqúe multorum. Genes. 15

Leo Primus. 445.

Sermone 1. in Natalem Apostolorum Petri & Pauli cap. 2. Verbum caro factum, ita diuinam naturam naturæ vniuit hnmanæ, vt illius ad infima inclinatio nostra fieret ad summa prouectio. Vt autem huius inenarrabilis gratię per totum mundum diffunderetur effectus, Romanum regnum diuina prouidentia præparauit: cuius ad eos limites incrementa perducta sunt, quibus cunctarum vndique gentium vicina & contigua esset vniuersitas. Dispositio namque diuinitus operi maximè congruebat, vt multa regna vno cõfœderarentur imperio, & citò peruios haberet populos prędicatio generalis, quos vnius teneret regimen ciuitatis.

Eucherius Lugdunensis. 450.

Epistola ad Valerianum: Illa externa omnia, id est nationes & regna, putasne ob aliud in ditionem ac ius cessisse Romanũ, & ob aliud magnam partem generis humani in vnum transisse populum, nisi vt facilius, tamquam medicamentũ per corpus vnum, ita per vnam gentem fidem infusa penetraret, & vt capiti ingesta velociter se per membra diffunderet? Alioqui non ita cucurrisset inter crebras & discrepantes ritibus linguisqúe gentes, nec tam longè per nouorum semper graduum obiecta transisset. Denique beatus Paulus per hunc eundem populum disterminans fidem scribit, se ab Hierosolymis vsque ad Illyricum Euangelio Christi cuncta replesse. Quando autem istud inter nationes aut multitudine innumeras, aut immanitate barbaras extitisset? Inde est quòd nunc terra à solis Ortu, & Occasu, ab Aquilone, & mari Christum resonat: quòd ad vitam omnia mundi latera concurrunt, dum fidem Thrax, fidem Libys, fidem Syrus, fidem receptat Hispanus. Magnum ergo ex hoc diuinæ pietatis argumentum est, quòd sub Cæsare Octauio, cùm vtique Romana possessio verticem tenuit, tunc se Deus terris dedit. Itaque, vt tua apud te proferam, cùm ab ortu regni huius centesimus & octagesimus quintus ferè supra millesimum vertatur annus, quicquid vel sub illa dominatione regum vetusta, vel sub illa deinde gemina administratione consulum Romano accessit imperio, omnia Christi aduentui præparata, & diffundendæ fidei prouisa, potest, si quis est idoneus assertor, ostendere. Rom 15.

Thomas Aquinas. 1250.

Parte 1. quæst. 103. art. 3. Optima est gubernatio, quæ fit per vnum. Cuius ratio est: quia gubernatio nihil aliud est, quàm directio gubernatorum ad finem, qui est aliquod bonum. Vnitas autem pertinet ad rationẽ bonitatis. Probatur per hoc, quòd sicut omnia desiderant bonum, ita desiderant vnitatem, sine qua esse non possunt. Nam vnumquodque in tantum est, in quantũ vnum est. Vnde videmus, quòd res repugnant suę diuisioni quantum possunt, & quòd dissolutio vniuscuiusque rei prouenit ex defectu illius rei. Et ideo id, ad quod tendit intentio multitudinem gubernantis, est vnitas, siue pax. Vnitatis autem causa est per vnum. Manifestũ est enim, quòd plures multa vnire & concordare non possunt, nisi ipsi aliquo modo vniantur. Illud autem quod est per se vnum, potest esse causa vnitatis conuenientius, quàm multi vniti. Vnde multitudo melius gubernatur per vnum, quàm per plures. Relinquitur ergo, quòd gubernatio mundi, quæ est optima, sit ab vno gubernante. Et hoc est quod Philosophus dicit in 12. Metaph. *Entia nolunt dispõni malè, nec bonum pluralitas principatuum: vnus ergo princeps.*

Engelbertus Admontensis. 1300.

Libro de ortu & fine imperij Romani cap. 15. Iustius & melius est omnia regna & omnes reges subesse vni Monarchę: quia prima inuentio & constitutio regnorum & Regum emanauit à natura, sicut patet in feris: in quarum genere leo est rex omni

um ferarũ,& in auibus aquila est rex cæterarum volucrum omnium. Ars verò & ratio imitatur naturam.

Cap.18. Melius & iustius est, semperqúe erit, quamdiu secundùm prouisum à Deo cursum rerum mundi ipsi Deo placuerit, omnia regna, & omnes reges subesse vni imperio & Imperatori Christiano, quantum de iure cõsuetudine rationabili & perscripta competit & conuenit vnicuique regno subesse & obedire imperio, quàm si singula regna & reges per se starent, sine omni subiectione & obedientia imperij, tamquam multa capita in vno corpore Christianę Reipub. quæ est vna, & vnius populi Christiani, & pro tanto habens vnum caput omnium: nisi de illa Repub. & vno populo Christiano quis velit facere multorum capitum vnum monstrum.

Durandus à Sancto Portiano. 1310.

Lib.4.Sentent. dist. 24. quæst.5. Optimum regimen vnius multitudinis est, quando regitur per vnum supremum, à quo descendit auctoritas regendi in medios, & vsque ad infimos.

Ioannes Gerson. 1420.

De potestate Ecclesiastica consideratione 9. Christus Ecclesiam suam regi principaliter voluit sub vno, & ab vno monarchicè; sicut est vna fides, vnum baptisma, & vna Ecclesia, vnitate capitis, tam primarij, quàm vicarij: quoniam iste est optimus principatus, præsertim in spiritualibus, ad conseruationem vnitatis fidei, ad quam obligantur omnes.

Alphonsus Tostatus Abulensis. 1430.

Libro de optima Politia: Natura habet principem vnum: ergo in œconomia erit vnus princeps. Sic enim dicit Aristoteles 12. Metaph. Mala est pluralitas principum: bonus est ergo vnus princeps.

ASSERVNT GENTILES POETÆ & Philosophi.

Homerus ante Christum Anno 900.

Iliad.2.

οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη· εἷς κοίρανος ἔστω,
εἷς βασιλεὺς ᾧ ἔδωκε κρόνου παῖς ἀγκυλο μήτεω
σκῆπτρόν τ' ἠδὲ θέμιστας, ἵνα σφίσιν βασιλεύῃ.

Non multos regnare bonum: rex vnicus esto.
Vnius imperium, cui Iuppiter aurea magnus
Sceptra dedit, iussitq; suis dare iura tuendis.

Herodotus ante Christum anno 450.

Lib.3. Propositis tribus statibus, & his omnibus optimis, vt optimè imperet populus, optimè pauci, optimè vnus: inter hęc multum antecellere vnius imperium sentio. Nam vnius viri, qui optimus sit, nihil melius esse constat: qui enim huiusmodi fuerit ingenio, plebem poterit sine omni reprehensione moderari, vt taceam sic præcipuè consilia in aduersarios trahi solere.

Euripides ante Christum anno 430.

In Andromache Act.2.

Nunquam gemina laudauero mortalium cubilia:
Neque enim in ciuitatibus gemina dominia
Leuius & commodius vno ferri solent.
Quippe onus oneri additum,
Seditionumq; ciuibus foret materia.
Quin & fabris duobus hymnorum artifices
Litem miscere Musa amant.
Quando item flatus nautas ferunt celeres,
Gemina mentium sententia super gubernaculo,
Multitudoq; frequens sapientium imbecillior est
Vna mente, cui summa rei constituendæ potestas est,
Licet sit tenuior. Vnius potentia valet
Et publicè, & domi, cùm rerum expetitur tranquillitas.

Isocrates ante Christum anno 400.

In Nicocle: Monarchię principẽ locũ præstantissimi quiq; deferũt, &c. Quæ etsi nõ vbiq; recepta in mores sunt: ea tamẽ est huius imperij ratio & volũtas. Quòd si & ingenia hominum, & rationes spectemus, vniuersi Monarchias præstare cæteris fatebuntur. Quis verò sanę mentis est, qui se nõ optet eius potius ciuẽ esse Reipub. in qua sua virtus non ignoretur, quàm nulla re vulgo potiorem delitescere? Quin etiam hanc tanto & mitiorem & æquiorem iudicemus, quanto facilius est vnius viri iudicio & voluntati satisfacere, quàm id dare operam, vt multis & variis ingenijs placeas. Monarchiam igitur & iucundiorem esse, & leuiorem, & equiorem pluribus ostendi potest, &c.

Plato ante Christum anno 390.

In Politico vltra medium: Vnius dominatio bonis instructa legibus lex illarum omnium optima est: gubernationem verò eam, in qua non multi imperant, mediam censere debemus: cæterùm multorum administrationem omnibus in rebus debilem atque infirmam.

Demosthenes ante Christum anno 350.

Olynthiaca 1. de Philippo: Quod is vnus omnia & arcana moderatur, ac simul & dux est, ac dominus, & quęstor, & ipse vbique adest exercitui, ad res bellicas celeriter & tempestiuè conficiendas multum valet.

Aristoteles ante Christum anno 350.

Libro 12. Philosophiæ: Natura rem malè administrare non vult, & multorum principatus ac dominatus non est vtilis. Vnus ergo sit princeps.

Serinus.

Apud Stobæum sermone de Monarchia: Cùm Lydis Cræsus imperaret, fratrem in consortium imperij assumpsit. Tum quidam ex Lydis accedens dixit: Omnium in terra bonorum, ô rex, auctor est sol, neque quicquam extaret in terra sole non illustrante. At si gemini soles fierent, periculum immineret, ne omnia conflagrantia in pessum irent: ita & regem vnum quidem accipiunt Lydi, & seruatorem esse credunt: duos verò simul tolerare non possunt.

Liuius post Christum anno 20.

Decadis 1. libro 4. Complurium imperium bello inutile est.

Seneca post Christum anno 50.

Libro 2. de Beneficijs cap.20. Disputari de Marco Bruto solet, an debuerit accipere à D. Iulio vitam, cùm occidendum eum iudicaret. Quam rationem in occidendo secutus sit, aliàs tractabimus. Mihi enim cùm permagnus fuerit in alijs, in hac re videtur vehementer erraſſe, nec ex institutione Stoica se egisse, qui aut regis nomen extimuit, cùm optimus ciuitatis status sub rege iusto

fit; aut

sit; aut ibi sperauit libertatem futuram, vbi tam magnũ prẽmiũ erat & imperandi, & seruiendi; aut existimauit ciuitatem in priorem formam posse reuocari, amissis pristinis moribus, &c.

Lucanus post Christum anno 70.

Libro 1.

O malè concordes, nimiaq; cupidine cæci,
Quid miscere iuuat vires, orbemq; tenere
In medio? dum terra fretum, terramq; leuabit
Aër, & longi voluent Titana labores,
Noxq; diem calo totidem per signa sequetur,
Nulla fides regni sociis, omnisq; potestas
Impatiens consortis erit: nec gentibus vllis
Credite, nec longè fatorum exempla petantur,
Fraterno primi maduerunt sanguine muri.

Plutarchus post Christum anno 90.

De tribus Reipub. generibus: Monarchia, Democratia, & Oligarchia: Quòd si optio eligendi illi fuerit concessa, vt ex instrumentis, ita ex Reipub. generibus non aliud sibi Platonem auscultans deligat, quàm vnius potestatem, quæ reuera sola perfectam illam, & rectam virtutis æquabilem rationem retinet, neque ad vim, neque ad gratiam, si vtilitas non poscat, accommodari potest, &c.

De fortuna Romanorum: Apud Cleopatram veluti ad marinum quendam scopulum submersus ac contritus est tantus Imperator (*Antonius,*) vt vnus superesset Cęsar.

Plinius post Christum anno 100.

Naturalis historiæ lib.11.cap.5. Inter omnia insecta principatus apibus, & iure præcipua admiratio, &c. Rempub. habent, consilia priuatim, ac duces gregatim.

Pomponius post Christum anno 200.

In Pandectis de origine iuris: Romæ euenit, vt necesse esset Reipub. per vnum consuli. Nam Senatus non perinde omnes prouincias regere potest.

Dion Cassius Nicæus post Christum anno 230.

Romanæ hist. lib.44. Democratia, id est populi in Repub. principatus, nomen speciosum habet, videturq; ex legum æqualitate non plus vni, quàm alteri tribuere. Verùm ipsa re comprobatur, nihil ei cum sua appellatione conuenire. Cęterùm Monarchiæ nomen auditu difficile, tamẽ penes vnũ hominẽ summam esse Reipub. cõducibile omnium maximè est. Facilius enim vnus quispiam vir bonus, quàm multi reperiuntur. At si hunc inuenire difficulter quidam existimant, omninò fateri illi coguntur impossibile esse, vt multi boni inueniantur, quando virtuosos esse consentaneum non est. Quò fit, vt si quis summæ rerum vitiosus præest, tamen satius id sit quàm à sui similium multitudine Rempub. administrari.

ARTICVLVS TERTIVS.

AB ORBE CONDITO, VSQVE AD ANNVM PRÆSENTEM PERPETVA SVCCESSIONE SEMPER FVISSE VNVM ECCLESIÆ PRÆSIDEM, ET MONARCHAM.

I. MONARCHIA.

1. *Adam* 930. *annis.*

QVEMADMODVM non nisi vnus est Deus, qui solus cęlum, & terram, & cuncta, quę in eis sunt, solo verbo creauit, regit ac moderatur, nec in tali dignitate consortem imperij ferre potest: sic idem ille inde ab initio orbis conditi pluribus hominibus vnum potius, quàm plures præesse voluit. Cùm in terris duo tantùm adhuc agerent homines, Adam & Eua, hunc præesse, illam parere debere dixit. Vnde Genesis 3. *Sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui.* Hinc Theophilus Antiochenus lib.2. ad Autolycum: Euam ex costa compegit, & duos fecit ambos: simul per hęc quasi in mysterio suam monarchiam siue vnitatem demonstrare voluit, dum simul vtrumque creat. Ioannes Chrysostomus in priorem ad Corinth. Hom.34. Deus ab initio innumerabilia est machinatus, vt charitatem nobis insereret: nam vt vnum nobis dedit caput, nempe Adamum, propterea tamquam ab vno capite ligauit totum corpus humani generis, &c. Deinde vt alterum quidem esset subiectum, alterum verò imperaret: nam quod est par honore, solet pugnam inducere: non fuit vt esset democratia, seu populare imperium, sed regnum.

Natis deinde Adamo duobus filijs Cain & Abel, vt pius pater præfuit, & de modo, quo Deum colerent, præcepta dedit: illi subijciebantur. Sed cùm Cain, excusso parentis imperio, Abel fratrem occidisset, *& egressus à facie Domini, habitaret profugus in terra ad orientalem plagam Eden, cognouit Adam vxorem suam, & peperit filium, vocauitq; nomen eius Seth, dicens: Posuit mihi Deus semen aliud pro Abel, quem occidit Cain.* Vidit deinceps filios filiorum in multas generationes, ita vt vixerit cum Seth 800. cum Enos 695. cum Cainan 605. cum Malaleel 535. cum Iared 470. cum Enoch 308. cum Mathusalem 249. cum Lamech 56. annis. Genes.4

Quamdiu cum illis vixit, ipse pœnitentiam egit, solum Deum agnouit, inuocauit, coluit, illi sacrificia obtulit, venturum semen promissum expectauit, suis præfuit, quid facere, quid fugere deberent, dixit: sancta progenies illi tamquam parenti primas concessit, & dictis paruit. Hoc

enim vel à natura humano generi est insitum, vt sic parentibus obediant, & honorem exhibeant. Vnde Cicero de Aruspicum respõsis: Parentibus nos primùm ipsa natura conciliat, quos non alere nefarium est. Ad legem naturæ accedit Lex diuina. Exodi 20. *Honora patrem tuum, & matrem tuam vt sis longæuus super terram.* Leuit. 19. *Vnusquisque patrem suum, & matrem suam timeat.* Rectè ergo Martialis Epistola ad Burdegalenses cap. 1. Nam & in illo seculo, ex quo primus homo cœpit à Deo formatus de limo, congregatio filiorum Dei, quæ iam congregatur, proclamabatur, &c. Et Epiphanius: Sancta & Catholica Ecclesia principium omnium est: Adam nouit Deum Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum. Propheta enim erat, neque Circumcisionem habens, neque simulachra colens, sed Christianismi formam ostendens.

De sacerdotio Adami sic refert Moses Barcepha de Paradiso parte 1. cap. 28. Auxit Adamum Deus sacerdotij munere. Nam fuisse sacerdotem, ex Dauidis Psalmistæ verbis cognoscitur, quòd veluti loquentem Adamum cum Deo inducens, ait: *Finxisti me, & posuisti super me manum tuam.* Sacerdotium enim manuum impositione confertur. Itaque Adamus quoad vixit, hoc est annis 930 Monarcha Ecclesiæ fuit.

Psal. 139

2. *Seth* 120. *annis.*

Defuncto Adamo Seth superfuit annis 120. His temporibus nemo in populo Dei illo fuit maior, omnes ab eius semine prognati illum tamquam parentem sequebantur, & sic tot annis eodem, quo Adamus, iure Ecclesiasticam monarchiam obtinuit. De hoc Iosephus lib. 1. Antiquit. cap. 2. Seth vbi eò ætatis venit, vt iam quod rectum est discernere valeret, virtutis studio se totum dedidit, & cùm vir optimus euasisset, etiam nepotes sui similes post se reliquit. Qui quoniam erant omnes bona indole prediti, & patriam absque seditione incolebant, in perpetua felicitate vitam exegerunt.

3. *Enos* 98. *annis.*

Defuncto Seth, superuixit Enos annis 98. Hoc currente tempore in populo Dei nemo illo maior fuit, nec ætate, nec dignitate. Itaque vt omnium parens natis natorum imperabat. Illi pij progenitoris monita proculdubio sequebantur, & eis parebant. De hoc scribitur Genes. 4. *Iste cœpit inuocare nomen Domini*: non quòd hoc ante ipsum nemo fecisset, sed quòd magis aucto humano genere, ille magis in dilatando diuino cultu laborauerit. Ab hoc progeniti deinceps filij Deorum, vt à Cain orti filij hominum dicuntur, Genes. 6. & alijs Scripturæ locis.

4. *Cainan* 105. *annis.*

Defuncto Enos Cainan superuixit 105. annis. Hoc currente tempore inter primogenitos filiorum Dei nullus erat illo maior natu. Itaque tam diu eodem quo priores iure primatum in populo Dei obtinuit.

5. *Malaleel* 45. *annis.*

Malaleel quintus populi Dei Monarcha vixit annos 895. obijt anno 366. ante Diluuium, anno vitæ Noë 234. Cainan patri defuncto 45. superstes fuit.

6. *Iared* 152. *annis.*

Defuncto Malaleële Iared 152. annis in viuis mansit, populi Dei sextus Monarcha. Obijt anno Mundi 1422. vixit cum Noë 366. annos.

7. *Mathusalem* 234. *annis.*

Mortuo Iared vixit adhuc Mathusalem annis 234. vsq; ad ipsum annum Diluuij. Quo temporis spatio septimus populi Dei Monarcha, multa summa cum pietate administrauit, quæ si scriptis tradita fuerunt, Diluuio perierunt.

8. *Noe* 350. *annis.*

Enoch, quia ante maiorum suorum mortem transferebatur: & quia Lamech, pater Noë, quinquennio ante Mathusalem patrem suum obijt, huiusmodi primatu fungi non potuerunt. Itaque in tali Monarchia Noe octauum locum obtinuit, qui post obitum aui Mathusalem vixit, & solus præfuit Ecclesiæ 350. annis. Vnde 2. Petri 2. *Originali mundo non pepercit, sed octauum Noe iustitiæ præconem custodiuit.* Torquent hîc se interpretes, qua ratione Noe octauus iustitiæ præco vocetur, cùm ab Adamo generatione non sit octauus, sed decimus. Ambrosius Catharinus ad hunc locum: Nisi, inquit, aliqua sit historia, quam non habemus, declarans quomodo Noe octauus fuerit iustitiæ præco, & qui fuerint alij septem superiores, vt videtur ipsa literæ vera significatio exposcere, oportebit dicere, illum vocatum esse non respectu præconij, sed quia cum illo septem animæ in arca salutem submersis alijs omnibus adeptæ sunt. Si ita Scriptura hæc esset intelligenda, qua ratione dicitur octauus, & non primus? Primus enim Noë arcam ingreditur, primus eãdem egreditur, primus erat ætate, primus dignitate: inter octo illas animas Cham erat impius: quatuor vxoribus tale encomium tribui nequit. *Mulieri*, inquit Paulus, *docere in Ecclesia non permitto.* Ergo hic locus aut nequit intelligi, aut dicendum, Adamũ 1. fuisse iustitiæ præconem, Seth 2. Enos 3. Cainan 4. Malaleel 5. Iared 6. Mathusalem 7. Noë 8.

9. *Sem* 120. *annis.*

Defuncto Noë Sem superuixit 120. annis: quãdiu parens superfuit, illi primas detulit: quo defuncto apud suos nemo erat eo maior, ille solus suis posteris, qui pietatem coluerunt, præfuit, nonus iustitiæ præco, & Dei altissimi sacerdos fuit, sedem regni habens in Salem: propterea & Melchisedech, id est, Rex iustitiæ dictus. De quo Genesis 14. *At verò Melchisedech rex Salem, proferens panem & vinum (erat enim sacerdos Dei altissimi) benedixit Abrahæ, & ait: Benedictus Abraham Deo excelso, qui creauit cælum & terram: & benedictus Deus excelsus, quo protegente hostes in manibus tuis sunt: & dedit ei decimas ex omnibus.* Hinc Paulus Hebræor. 7. *Hic enim Melchisedech Rex Salem, sacerdos Dei summi, qui obuiauit Abrahæ egresso à cæde Regum, & benedixit ei, &c.* Sine vlla autem contradictione, quod minus est, à meliore benedicitur. Theophilus Antiochenus lib. 2. ad Autolycum de Melchisedech: ὗτος ἱερεὺς ἐγένετο πρῶτος πάντων ἱερέων τοῦ θεοῦ τοῦ ὑψίστου. Hic sacerdos fuit primus omnium sacerdotum Dei summi. Primus hic non ordinis, sed dignitatis nomen est. Nam ante ipsum multos alios sacrificia obtulisse constat. Hieronymus in quæstionibus seu Traditionibus Hebraicis in Genesin: Aiunt Hebræi, Melchisedech esse Sem filium Noe, & supputantes annos vitæ ipsius, ostendunt eum ad Isaac vsque veniisse: omnesque primogenitos Noe, donec sacerdotio fungeretur Aaron, fuisse Pontifices. Alcuinus in quæstionibus in Genesin eadem referens, addit, Hebræos præterea sentire, hæc esse primogenita, quæ vendidit Esau fratri suo Iacob: qui etiam Melchisedech iure de triumphis abnepotis sui decimas accepit.

Prima hęc Monarchia Ecclesiæ durauit vsque ad obitum Sem, annis 2158. Sed quia deinceps illis, qui post Diluuium nascebantur, in tam

multos

multos annos vita non amplius prorogabatur, & ante Sem omnes eiusdem filij, nepotes, abnepotes, trinepotes decesserant, & ipse Abraham anno 36. ante mortem Sem obijt, prima talis Ecclesiæ Monarchia in Sem nono Monarcha desijt.

II. MONARCHIA.

Cùm post Sem nulli amplius tam longæui reperirentur, & paulatim idololatria inualesceret, Sem adhuc viuente, Deus ABRAHAMVM à suis alió secedere, & pietatem colere iussit: propterea & Circumcisionis Sacramentum instituit, & quibus sacrificijs se colere deberet, eundem edocuit. Ille diuinis monitis parens, & seipsum, & omnes in sua familia masculos circumcidit, abiectis idolis, vnum solum verum Deum coluit, atque in sua familia, quæ satis erat ampla, primus Monarcha extitit, solum Melchisedechum vt superiorem agnouit: & ab eo benedictionem accepit. *Sine vlla enim contradictione, quod minus est à meliore benedicitur.* Heb. 7.

Defuncto Abrahamo ISAAC accepta omni hæreditate & benedictione paterna, simili modo suis præfuit, & ab ijs pro principe quoad vixit habitus est.

Erant illi duo filij: Esau, & IACOB. Esau parui faciens ius primogenituræ, quo ille in sacerdotio patri debebat succedere, eiusmodi prærogatiuam Iacobo fratri vili edulio vendidit. Ille præreptâ deinde paterna benedictione, in huiusmodi sacerdotio defuncto patri tertius Monarcha successit.

Iacobo duodecim erant filij Patriarchæ, omnes veræ religionis cultores. Inter eos LEVI in sacerdotio patri successit: post hunc CAATH; post Caath AMRAM pater MOYSIS, & AARONIS perpetua successione principes Ecclesiasticæ Hierarchiæ extiterunt.

Durauit secunda hæc Monarchia in terra peregrinationis annis 430. à tempore promissionis factæ Abrahamo vsque ad exitum Israelitarum ex Aegypto.

III. MONARCHIA.

Tertia Ecclesiæ Monarchia cœpit ab exitu ex Aegypto, & durauit vsque ad Christum Saluatorem. Catalogum summorum Sacerdotum, eo ordine, quo ab Aarone vsque ad postremum Hierosolymitanum excidium alijs alij successerunt, referunt Iosephus, & plures alij: nos de ijsdem infra lib. 3. articulo 2. agemus.

IV. MONARCHIA.

Adueniente Christo Saluatore, tertia Monarchia cessabat: quarta & vltima instituebatur: quæ cœpit in Petro principe Apostolorum, durauit in eius successoribus ad hæc vsque tempora, & vel inuitis inferorum portis durabit vsque ad mundi consummationem. Catalogum huius vltimæ Monarchiæ Pontificum multi referunt: nos de ijsdem infra lib. 8. articulo 2.

Neque verò solùm in Ecclesiastico regimine Deus huiusmodi Monarchias instituit, sed etiam in ciuili administratione apud exteros magis Monarchicum, quàm Polycraticum, vel Democraticum imperium elegit. Nisi enim à Deo eiusmodi potestates fuissent, non potuissent tot seculis consistere.

Prima talis Monarchia fuit Assyriorum, quæ cœpit à Nino Beli filio, & perpetua successione durauit vsque ad Sardanapalum annis 1240. vt vult Eusebius; vel 1300. vt colligit Iustinus libro 1. vel 1400. vt vult Diodorus libro 2. capite 7.

Secunda Monarchia fuit Medorum & Persarum annis 522. circiter.

Tertia fuit Græcorum.

Quarta Romanorum, in qua Augusto Cæsare, cùm totus orbis describeretur, Christus nasci voluit. Horum Monarcharum Chronologiam & successionem infra suo loco subijciemus.

De his Monarchijs sic Daniel ait ad Nabuchodonosor: *Tu Rex regum es, & Deus cæli regnum, fortitudinem, & imperium, & gloriam dedit tibi, & omnia, in quibus habitant filij hominum, & bestia agri, volucres quoque cæli dedit in manu tua, & sub ditione tua vniuersa constituit. Tu es ergo caput aureum: & post te consurget Regnum aliud minus te: & regnum tertium aliud æreum, quod imperabit vniuersæ terræ: & regnum quartum erit velut ferrum: quomodo ferrum comminuit & domat omnia: sic comminuet & conteret omnia hæc,* &c. *In diebus autem regnorum illorum suscitabit Deus cæli regnum, quod in æternum non dissipabitur, & regnũ eius alteri populo non tradetur. Comminuet aũt & consumet vniuersa regna hæc, & ipsum stabit in æternum. Secũdum quod vidisti, quòd de monte abscissus est lapis sine manibus, & comminuit testam, & ferrum, & æs, & argentum, & aurum, Deus magnus ostendit Regi, quæ ventura sunt postea. & verum est somnium, & fidelis interpretatio eius.* Dan. 2.

ARTICVLVS QVARTVS.

D. PETRVM ECCLESIAE VNIVERSÆ PRINCIPEM ET PASTOREM AB IPSO CHRISTO SALVATORE CONSTITVTVM ESSE.

NEGANT.

Anno post natũ Christũ. 1324. *MARSILIVS Patauinus*, Apologia ad Ludouicum Bauarum, *asserit D. Petrum immediatè à Deo nullam habuisse super reliquos Apostolos aut Christi discipulos iurisdictionem, aut potestatem, qua eos vel in sacerdotali officio ordinaret, vel ab eo segregaret, vel aliquò mitteret ad suum officium exercendum.*

1390. Ioannes VVicleuus libro de Antichristo cap. 6. *Erubescant hæretici dicentes, quòd Petrus cæteris Apostolis excellentiorem potestatem habet, quia est Episcopus Romanorum. Tres principales Apostoli non contulerunt sensum vel notitiam Euangelij sancto Paulo: sed Iacobus, qui erat Episcopus Hierosolymis, vbi Christus fuit Episcopus, à Deo in hoc Euangelio Simoni antefertur.*

1414. Ioannes Hussus Articulo 7. à Martino Quinto damnato: *Petrus non est, nec fuit caput Ecclesiæ Catholicæ.*

1520. Martinus Lutherus in Assertionibus, articulo 25. *Omnes Apostoli æquales fuerunt Petro, & nullum eorum ipse elegit, fecit, confirmauit, misit, aut aliquid illi mandauit.*

1550. *Ioannes Caluinus*, lib. 4. Instit. cap. 6. §. 7. *asserit Petrum fuisse vnum ex duodecim, parem reliquis, socium, non dominum, neque aliud posse colligi ex Scripturis.*

1560. *Magdeburgenses*, Centurię 1. lib. 2. cap. 7. fol. 524. *vndecim adferunt argumenta, quibus Petri primatum destruere conantur.*

ASSERVNT SACRÆ LITERÆ.

Matthæi 10. *Vers.* 2. Duodecim Apostolorum nomina sunt hæc: Primus Simon, qui dicitur Petrus, & Andreas frater eius.

Matthæi 16. 15. Dicit illis Iesus: Vos autem quem me esse dicitis? Respondens Simon Petrus dixit: Tu es Christus, Filius Dei viui. Respondens autem Iesus, dixit ei: Beatus es Simon Bariona: quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus, qui in cælis est. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portę inferi non præualebunt aduersus eam. Et tibi dabo claues regni cęlorum. Et quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis: & quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cælis.

Marci 16. 7. Dicit Angelus ad mulieres: Ite, dicite discipulis eius, & Petro, quia præcedet vos in Galilęam.

Lucæ 22. 31. Simon, Simon, ecce Satanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum: ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos.

Ioannis 1. 42. Intuitus Iesus Simonem, dixit: Tu es Simon filius Iona: tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus.

Ioannis 13. 5. Cœpit Iesus lauare pedes discipulorum, & extergere linteo, quo erat præcinctus. Venit ergo ad Simonem Petrum. Et dicit ei Petrus: Domine, tu mihi lauas pedes?

Ioannis 20. 4. Currebant aũt duo simul: & ille alius discipulus præcucurrit citius Petro, & venit primus ad monumentum. Et cùm se inclinasset, vidit posita linteamina: non tamen introiuit. Venit ergo Simon Petrus sequens eum, & introiuit in monumentum, &c. 8. Tunc ergo introiuit & ille discipulus, qui venerat primus ad monumentum.

Ioannis 21. 15. Cùm prandissent, dicit Simoni Petro Iesus: Simon Ioannis diligis me plus

me plus his? Dicit ei: Etiam Domine: tu scis quia amo te. Dicit ei: pasce agnos meos. Dicit ei iterum: Simon Ioannis diligis me? Ait illi: Etiam Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei: pasce agnos meos. Dicit ei tertiò: Simon Ioannis amas me? Contristatus est Petrus, quia dixit ei tertiò: Amas me? & dixit ei: Domine, tu omnia scis: tu scis quia amo te. Dicit ei: pasce oues meas.

Act. 2. 14. Stans Petrus cum vndecim, leuauit vocem suam, & locutus est eis: Viri Iudæi, & qui habitatis Ierusalem vniuersi, &c. 37. His auditis compuncti sunt corde, & dixerunt ad Petrum, & ad reliquos Apostolos: Quid faciemus viri fratres? Petrus verò ad illos: Pœnitentiam, inquit, agite, &c.

Act. 3. 1. Petrus & Ioannes ascendebant in templum, ad horam orationis nonam. Et quidam vir, qui erat claudus ex vtero matris suæ, baiulabatur, &c. 3. Is cùm vidisset Petrum & Ioannem incipientes introire in templum, rogabat vt eleemosynam acciperet. Intuens autem in eum Petrus cum Ioanne, dixit: Respice in nos. At ille intendebat in eos, sperans se aliquid accepturum ab eis. Petrus autem dixit: Argentum & aurum non est mihi: quod autem habeo, hoc tibi do: In nomine Iesu Christi Nazareni surge, & ambula. Et apprehensa manu eius dextera, alleuauit eum, & protinus consolidatæ sunt bases eius & plantæ. Et exiliens stetit, & ambulabat.

Act. 5. 4. Dixit Petrus ad Ananiam: Quare posuisti in corde tuo hanc rem? Non es mentitus hominibus, sed Deo. Audiens Ananias hæc verba, cecidit, & expirauit, &c. 14. Magis augebatur credentium in Domino multitudo virorum ac mulierum: ita vt in plateas eijcerent infirmos, & ponerent in lectulis ac grabatis, vt veniente Petro, saltem vmbra illius obumbraret quemquam illorum, & liberarentur omnes ab infirmitatibus suis.

Act. 15. 7. In primo concilio Hierosolymitano Petrus, tanquam primarius, primus sententiam dicit.

Gal. 1. 18. Paulus Hierosolymam profectus est, vt Petrum videret.

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Clemens Romanus. 80.

Epist. 1. ad Iacobum: Simon Petrus veræ fidei merito, & integræ prædicationis obtentu fundamẽtum Ecclesiæ esse definitus est. Qua de causa etiam Domini ore & cognominatus est Petrus, qui fuit primitiæ electionis Domini, Apostolorum primus, cui & primò Deus Pater Filium reuelauit, cui & competenter beatitudinem contulit; qui & vocatus est, & electus est, & conuiua Domini, & comes effectus, tanquam bonus & probatissimus discipulus, qui obscuriorem mundi plagam Occidentis, (velut omnium potentior,) illuminare præceptus est, quia & integrè potuit implere præceptum.

Dionysius Areopagita. 100.

De diuinis nominibus cap. 3. Aderat Petrus, supremum decus, & antiquissimum Theologorum columen.

Theophilus Antiochenus. 170.

Lib. 2. Allegoriarum in Euangelium secundum Marcum: Socrus Petri Synagoga est, filiaque eius Ecclesia, quã Petrus regendam accepit.

Hippolytus. 220.

Oratione de consummatione mundi: Princeps Petrus fidei petra, quem beatum iudicauit Christus Deus noster, ille Doctor Ecclesiæ, ille primus discipulorum, qui regni claues habuit, docuit me, dicens, &c.

Origenes. 230.

Homilia 5. in Exodum: Vide magno illi Ecclesiæ fundamento & petræ solidissimæ, super quam Christus fundauit Ecclesiam, quid dicatur à Domino: *Modicæ fidei*, inquit, *quare dubitasti?*

Ad Psalm. 1. Petrus, super quem Christi Ecclesia, contra quam inferorum portæ non præualebũt, ædificata est.

Apud Eusebium li. 6. cap. 19.

Homil. 17. in Lucam: Ergo scandalizati sunt vniuersi in tantum, vt Petrus quoque Apostolorum princeps tertiò denegârit.

Ad cap. 6. ad Romanos: Et Petro cùm summa rerũ de pascendis ouibus traderetur, & super ipsum, velut super terram, fundaretur Ecclesia, nullius confessio virtutis alterius ab eo, nisi charitas exigitur. Ioan. 20

Eusebius Alexandrinus. 260.

Homilia de Resurrectione, explanans illud: *Dicite discipulis eius, & Petro*: Veni, inquit, ne timeas, nihil tibi de gloria Apostolici chori minui; non te à dignitate remoui, non feci te secundum infra alterum, non dedi alteri claues, ne timeas, quod promisi impleo, super tuam fidem, quæ sit petra, ædificabo Ecclesiam meam: ἐπὶ τὴν πίστιν σου τοίνυν οἰκοδομήσω τὴν ἐκκλησίαν μου.

Petrus Alexandrinus. 280.

Sermone de Pœnitentia: Petrus quoque Apostolorum princeps in mentem reuocetur, qui iam in custodiam erat reiectus.

Constantinus Imperator. 320.

In Donatione: Sanctus Petrus est Dei in terra Vicarius.

Eusebius Cæsariensis. 320.

Eccles. Hist. lib. 2. cap. 13. Nam è vestigio sub ipso Claudij imperio, benigna & propitia Dei, totius huius vniuersitatis rectoris, erga humanum genus prouidentia fortem ac præpotentem, & reliquorum Apostolorũ omnium propter virtutis amplitudinem facilè principem Petrum Romam versus, ad eiusmodi pestiferam vitæ humanę corruptelam delendam quasi manu deduxit.

Cap. 14. Cùm Petrus Apostolus, diuina Spiritus sancti reuelatione suggerente, intelligeret Euangelium Marci editum esse, ferunt eum propenso, & acri illorum hominum studio magnopere fu-

isse delectatum, hanc{q} Scripturam auctoritate sua ratam feciſſe, quæ in Eccleſijs paſſim prælegeretur.

In Chronicis: Petrus Romanorum Pontifex primus, cùm primùm Antiochiæ Eccleſiam fundaſſet, Romam proficiſcitur.

Concilium Nicænum primum. 325.

Canone 39. Arabico: Ille, qui tenet ſedem Romæ, caput eſt, & princeps omnium Patriarcharum: quandoquidem ipſe eſt primus, ſicut Petrus, cui data eſt poteſtas in omnes principes Chriſtianos, & omnes populos eorũ, vt qui ſit Vicarius Chriſti Domini noſtri ſuper cunctos populos, & vniuerſam Eccleſiam Chriſtianam, & quicumq; contradixerit à Synodo excommunicatur.

Athanaſius. 340.

Epiſtola ad Felicem: Tu es Petrus, ſicut veraciter dicit diuinum eloquium, & ſuper fundamentum tuum Eccleſiæ columnæ ſunt confirmatæ.

Dorotheus Tyrius. 350.

In Synopſi. Petrus Apoſtolorum coryphæus tandem Romæ prædicauit: Linus poſt Petrum coryphæum Apoſtolorum Romæ fuit Epiſcopus.

Baſilius Magnus. 370.

Ad cap. 2. Eſaiæ: Vnus ex his montibus fuit Petrus, quem petram appellauit propter firmitatẽ maximam fidei, propter infractum robur animi, ad non cedendum inflictis plagis tentationum, ſuper quam petram promiſit ædificare Eccleſiam ſuam.

In Proœmio de iudicio Dei: B. Petrus, qui & cæteris antelatus fuit diſcipulis, cuiꝰ magnificentius, quàm reliquis omnibus datum teſtimonium eſt, magisꝰ quàm reliqui omnes beatus appellatus, cui claues regni cælestis commiſſæ.

Oratione 3. de peccato: Adminiſter talis ac tantæ ſententiæ eſt beatus Petrus, qui omnibus alijs diſcipulis antepoſitus fuit, & qui teſtimonium maius, & qui beatitudinem longè ampliorem cæteris omnibus adeptus erat, cui denique claues regni cælorum erãt concreditæ, &c.

Lib. 2. contra Eunomium: Statim ex hac voce petra intelligimus Petrũ Ionæ filium, qui fuit ex Bethſaidâ, Andreæ fratrem, qui ex piſcatore ad Apoſtolatus miniſterium vocatus eſt: qui quoniam fide præſtabat, Eccleſiæ commiſſam ſibi ædificationem ſuſcepit.

In proœmio Præceptionum latius diſputatarum: Ad hęc ſcirum fuerit, ſi illud principis Apoſtolorum recordemur, meminerimusꝰ, quia poſt tot præclarè ſibi acta, & beatitudinis à Chriſto delatam gloriam, vnius duntaxat errati gratia audiuit: *Niſi lauero te, non habebis partem mecum.* Ioan. 13.

Cyrillus Hieroſolymitanus. 370.

Catecheſi 2. Nemo deſperet de ſua ſalute. Petrus princeps Apoſtolorum excellentiſſimus, coram ancilla ter negauit Dominum: ſed ad ſe rediens, fleuit amarè. Fletus enim veram ex corde pœnitentiam deſignat. Atque ideo non ſolùm negationis illius accepit condonationem, verùm etiam dignitatem Apoſtolicam non ablatam retinuit.

Catech. 11. Omnibus Apoſtolis reticentibus, (ſupra vires enim hæc erat doctrina,) Petrus princeps Apoſtolorũ, & ſupremus Eccleſiæ præco, nõ comminiſcẽs ſibi, neque ratione humana perſuaſus, ſed à Patre Deo in mẽte illuminatus, dicit ad ipſum: *Tu es Chriſtus Filius Dei viui.* Matt. 17

Catech. 17. In eadem Spiritus ſancti virtute & princeps Apoſtolorum, & regni cælorum clauiger Petrus Liddę in Chriſti nomine paralyticum ÆEneam curauit.

Ephræm Syrus. 370.

In Panoplia, ſiue armatura ſpirituali: Ea fretus princeps Apoſtolici ordinis Petrus, cùm Filium Dei viui Chriſtum Ieſum confeſſus eſſet, claues regni cæleſtis accepit, poteſtatemq; cæleſtium ac terrenorum omnium obtinuit.

De variis tormentis inferni: Clamat Petrus, vertex, ac caput, de die illâ dicens: *Dies Domini ſicut fur de nocte, ita veniet.*

Sermone de Transfiguratione Domini: Sicut Moſes ſocietatis illius, & coniunctionis Hebręorum iuſſis Dei princeps fuit: ita Petrus Eccleſiæ Chriſtianorum. Atque vt ille veteris, ſic hic noui Teſtamenti princeps.

Gregorius Nazianzenus. 380.

Oratione 7. ſeu Apologetico ad patrem Gregorium, cùm Epiſcopus Saſimorum creatus eſt: Occurrunt hinc antiquus ille iudex Manue, hinc deinde Petrus Eccleſiæ columen: quorum alter cùm præſtantiorem, quàm natura ipſius viresq; ferrent, viſionem ſenſiſſet: *perijmus*, inquit, *mulier, Deum vidimus*: Alter Saluatoris preſentiam vimq; illam & facultatem, cuius ſpecimen illis, qui ſimul nauigabant, in piſcatione præbuerat, ferre non poterat. Iud. 13.

Oratione 26. quæ eſt de moderatione in diſputationibus ſeruanda: Vides quemadmodum ex Chriſti diſcipulis, magnis vtique omnibus, & excelſis, atque electione dignis, hic ſcilicet Petrus petra vocetur, atque Eccleſię fundamenta in fidem ſuam accipiat, Ioannes ille impenſius ametur, & ſupra pectus Ieſu requieſcat, ac reliqui diſcipuli eum ſibi præferri æquo animo ferant.

Epiphanius. 380.

Hæreſi 51. Neq; verò de hoc quiſquã ambigens curioſius perſcrutetur, cùm videat q. Andreas primus obuiã venit Ieſu, deinde Petrus, & per ipſum vocatus eſt, neq; hoc ægrè ferre incipiat. Occurſus enim Andreæ primus cõtigit, cùm minor eſſet Petrus tempore ætatis. Poſtea enim rurſus, quando perfecta renũtiatio facta eſt, à Petro facta eſt: ipſe enim fratrem ſuum præceſſit. Inſuper autem & in hoc Deus eſt, qui nouit vocationes cordiũ, & ſcit qui dignus ſit primo loco locari: & elegit Petrum, vt eſſet dux ſuorum diſcipulorum, velut omninò clarè indicatum eſt.

In Ancorato: Ipſe Dominus conſtituit Petrum primum Apoſtolorũ petram firmam, ſuper quã Eccleſia Dei ædificata eſt, & portæ inferorũ non valebũt aduerſus illam. Portæ autem inferorum ſunt hæreſes, & hæreſiarchæ. Iuxta omnem enim modum in ipſo firmata eſt fides, quæ accepit claues cælorum, & ſoluit in terra, & ligat in cælo.

Ioannes Chryſoſtomus. 400.

Oratione 5. in Iudæos: Petrus itaque, qui poſt nefariam illam abiurationem, quoniam celeriter ſuum ipſius peccatum recordatus eſt, nullo{q} accuſante dixit peccatum, fleuitq; amarè: ideò abluit illam abnegationem, vt etiam primus Apoſtolorum fuerit factus, ac terrarum orbem totũ ſubiecerit.

Oratione encomiaſtica in Petrum & Paulum: Petrus orthodoxæ fidei principium, magnus atque illuſtris Dei ſacerdos, neceſſarius Chriſtianorum cõſiliarius, ſupernarum poteſtatum theſaurus, honoratus à Domino Apoſtolus, &c. Dulce ſpectaculum eſt Eccleſiæ, ſplendor totius mũdi, columba caſtiſſima, Apoſtolorum Doctor: Apoſtolus ardens, ſpiritu feruens, Angelus & homo, gratia plenus, firma fidei petra, ſenilis Eccleſiæ ſapientia, qui ob puritatem beatus & filius columbæ ex Dominico ore audiuit: qui claues regni cælorum ab ipſo Domino accepit.

Homilia in Petrum Apoſtolum, & Heliam Prophetam:

Petro

Petro Apoſtolo orbis terrarum Eccleſię, & populorum multitudines eius fidei committendæ erant, vel potius creditæ ſunt illi claues regni cælorum. Quid enim ait illi Dominus? *Quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cælis.* Sed vide cuiuſmodi peccato permiſit ſubijci Petrum, illũ talem ac tantum virum, Apoſtolorum verticem, fundamentum immobile, & petram ſtabilem, & quæ non poſſet concuti. Petrus, inquam, ille Eccleſię columna, & propugnaculum, puellæ vnius, non minas, ſed vnicum verbum non ſuſtinuit: verbum puellæ proceſſit, & columna concutiebatur: illa locuta eſt, & propugnaculum fluctuauit. Permiſſus eſt peccare is, cui Eccleſia credenda erat: illa videlicet Eccleſiarum columna, & portus fidei: Petrus orbis terrarum magiſter peccare permiſſus fuit, ob eã maximè cauſam, quòd populorum multitudo illi credenda erat, ne ſeuerus & innocens à venia proprijs fratribus impartienda eſſet alienus.

Homilia 33. in Matth. Indicat nobis Marcus Petrum eſſe omnibus prælatum.

Homil. 83. in Matth. Qui ſuper Petri cõfeſſionem Eccleſiam ita fundauit atque muniuit, vt nullum periculum, neque mors ipſa poſſet eum ſuperare: qui claues regni cælorum ei conceſſit, & tantam poteſtatem ei commiſit, nec vnquam pro illis omnibus oratione indiguerit, quanto minus hac in re indiguiſſet? Maxima quippe auctoritate illâ dixit: *ÆEdificabo ſuper te Eccleſiam meam, & dabo tibi claues regni cælorum.*

Homilia 87. in Ioannem: *Simon Ioannis diligis me plus his?*) Quid tandem alijs omiſſis, de his Petrum affatur? os erat Apoſtolorum, & princeps, & vertex ipſius cœtus: propterea eum Paulus præter alios viſurus aſcendit Hieroſolymam, ſimul vt ei oſtẽderet iam ſibi fiduciam habendam, &c. Cùm magna Chriſtus Petro communicaſſet, orbis terrarum curam demandaſſet, martyrium prædixiſſet, & maiorem erga eum dilectionem teſtatus eſſet, &c.

Homil. 80. ad populum Antiochenum: Poſt illum grauem caſum rurſus Petrum ad priorem reduxit honorem pœnitentia, & ei per totum terrarum orbem Eccleſiæ præſidentiam tradidit: & quod omnibus maius eſt, illum nobis maiorem omnibus Apoſtolis in Dominum habere charitatem oſtendit.

Homil. 9. de Pœnitentia: Petrus ille Apoſtolorum princeps, in Eccleſia prior amicus Chriſti, qui reuelationem ab hominibus non accepit, ſed à Patre, ſicut ſibi Dominus teſtimonium reddit: *Beatus es Simon Bar Iona, quia caro & ſanguis non reuelauit tibi: ſed Pater meus, qui in cælis eſt.* Hic idem Petrus. Petrum cùm dico, petram nomino indebilem, non ſe: crepidinem immobilem, Apoſtolũ magnum, primum diſcipulorum, primum vocatũ, & primum obedientem.

Ad Pſalmum 50. Atque vt intelligas, iuſtos miſericordiæ præſidio muniri, audi quid Chriſtus dicat Petro, columnę inquam illi, & baſi, ac propterea Petro appellato: quia ſaxea fide præditus erat: *Simon, Simon, ſæpe expetiuit te Satanas, vt cribraret te velut triticum: ego autem orani pro te*, &c. Columna illa Eccleſiæ, illa fidei baſis, illud Apoſtolici chori caput Petrus an non ſemel, & iterum, ac tertiò Dominum abiurauit?

Philo Carpathius. 420.

In Cantica: *Caput eius aurum Cephas.*) Quòd aurũ ipſum Cephas dicitur, quod Petrus vel firmitas interpretatur, ſtabilitatem eorum fidei aptiſſimè declarat, ſiue quod Petrus, qui & Cephas caput Eccleſiæ ipſius ſponſæ aliquando futurus erat: vt cumque per aurum ſapientia deſignatur, quæ Filius eſt Patris coæternus & conſubſtantialis.

Nilus. 420.

Epiſtola ad Euſebium: Sacerdotium ſuſceperunt homines ſimiles nobis carne & ſanguine compoſiti, vt cùm aliquem in crimine deprehenderent, de proprijs peccatis admoniti, humanitatem erga homines ſui generis oſtenderent, vt cerni poteſt in Petro primo lapide Eccleſię, qui poſitus eſt poſt pœnitentiam vertex, caput, & faſtigiũ chori Apoſtolorum.

Epiſtola ad Magnam: Petrus ὁ πρόκριτος τῶν ἀποστόλων, præcipuus Apoſtolorum.

Ioannes Caſſianus. 430.

De Incarnatione Domini li. 3. c. 12. Interrogemus nõ incipientem aliquem puerulum, cuius inſtitutio rudis: ſed ſummum illum, & inter diſcipulos diſcipulum, & inter magiſtros magiſtrum, qui Romanæ Eccleſiæ gubernaculum regens, ſicut fidei habuit, ita & ſacerdotij principatum. Dic nobis ergo, dic nobis princeps Apoſtolorum Petre, dic quemadmodum Eccleſiæ credere Deum debeant. ÆEquum eſt enim, vt doceas nos doctus à Domino, & aperias nobis ianuam, cuius clauem accepiſti. Interroganti ergo Domino, quem eum crederent diſcipuli, reſpondit primus Apoſtolorum Petrus. Vnus vtiq; pro omnibus. Idé enim vnius habuit reſponſio, quod habebat omnium fides: ſed primum decuit reſpõdere, vt idem eſſet ordo reſponſionis, qui erat honoris, & ipſe antecederet confeſſione, qui antecedebat ætate.

Cyrillus Alexandrinus. 430.

Lib. 2. in Ioan. cap. 12. Chriſtus hac re Petrum inſtruit, eum ſe eſſe, qui cuncta antequam fiant nouit: nec Simon fore iam ſibi nomen, ſed Petrus prædicit: vocabulo ipſo commodè ſignificans, quòd in eo, tanquam in petra, lapideq; firmiſſimo, ſuam eſſet ædificaturus Eccleſiam.

Lib. 4. cap. 18. ad illud Ioannis: *Domine ad quem ibimus?* Per vnum, qui præerat, omnes reſpondẽt, ſanctam profectò, ſanctiſq; congruentem diſciplinam optimè conſeruantes: & poſterioribus prudentiæ, & modeſtiæ laudabilia præbentes exempla. Decet enim non omnes confusè, nec profilientes impudenter, quaſi rapta vti ratione, ſed cedere ijs, qui & cõſilio, & ordine præpoſiti ſunt. Opus erat igitur diuinitus comprobatæ prudentiæ ſoli reſponſionem committere illi, qui ordine maior erat.

Lib. 10. cap. 41. Beatus Petrus, diſcipulorum omnium princeps, narranti quæ paſſurus erat Saluatori reſiſtebat clamans: *Propitius tibi eſto Domine, ne fiat hoc.*

Lib. 12. cap. 64. Cùm Saluator à diſcipulis quæreret: *Vos autem quem me eſſe dicitis?* Petrus, vt princeps caputq; cæterorum, primus exclamauit: *Tu es Chriſtus Filius Dei viui.*

Libro 14. Theſauri capite 2. Petrus Apoſtolorum apex.

Maximus Conſtant. Patr. 430.

Epiſtola ad Orientales: Decebat tantæ dignitatis & ſapientiæ virum non ab alio cæleſtis myſterij arcana requirere, niſi ab eo potiſſimum, quem nõ potuit caro & ſanguis inſtruere, ſed cui Dominus ipſe ſua ſecreta dignatus eſt aperire. *Beatus es* (inquit) *Simon Bariona, quia caro & ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus, qui in cælis eſt.* Hunc enim ex cæteris mortalibus de toto orbe conditor orbis elegit, cui cathedram magiſterij principaliter poſſidendam tenere perpetuo priuilegij iure conceſſit, vt quiſquis diuinum aliquod aut profundum noſſe deſiderat, ad huius præceptionis oraculum doctrinamq; recurrat, nec illi humiliter offerre, Matt. 16

quod

quod soluendum esterubescat, etiamsi ipse quod quæritur non ignoret. Nunquid Angelus de cælo veniens erat nescius docere Cornelium, quem videlicet, vt id quod sibi agendũ esset ediscereț, destinauit ad Petrum? Poterat planè sanctus Angelus docere hominem gentilem quid sibi opus esset ad salutem, sed eius nolebat vsurpare officiũ, cui docendi magisterium fuerat commissum.

Paulus Emissenus. 430.

Homilia habita Alexandriæ de Christi Natiuitate, deq; beati Cyrilli, qui ibi præsto erat, præstãtia & fide: Vbi autẽ: *Quem me esse dicitis?* inquit Christus, nonne Petrus Apostolorum coryphæus, eorundemq; os respondit: *Tu es Filius Dei viui?*

Basilius Diaconus & Archimandrita. 430.

Epistola ad Theodosium, & Valentinianum AA. Haufimus hanc fidei notitiam primò quidem ab Apostolorum principe Petro, secundùm cognitionẽ, quam diuinitus acceperat.

Isidorus Pelusiota. 440.

Lib.1.epist.142. Fecit hoc Christus, cùm Petrum Apostolici sodalitij coryphæum non solùm corporeis, sed etiam spiritualibus peccatis ac morbis liberauit.

Epist.235. Non ea de causa Christus, qui pectus ipsum penetrat, ex discipulis suis percontabatur: *Quem me dicunt esse homines?* quòd variam hominũ de se opinionem ignoraret, sed vt hac ratione certam omnibus confessionem traderet, quam ab eo inspiratus Petrus tanquam basin ac fundamentũ iecit, super quod Dominus Ecclesiam suam extruxit.

Lib.2.epist.58. Id etiam Apostolorum antesignanus Petrus his verbis confirmat: *Hanc promissionem impleuit Deus ipsorum filijs,* hoc est nobis, suscitato Iesu. Act.2.

Epist.99. Ac quidem Apostoli ea, quæ fecerunt, literis cõplexi sunt, velut Petrus Apostolici chori Præsul, in eo libro, quo res suas gestas narrat, apertè pronuntiauit.

Sozomenus. 440.

Lib.7.cap.4. Eo autem declarabat (*Imperator Theodosius*) se velle, vt vniuersi subditi eam religionem amplecterẽtur, quam Petrus Apostolorum princeps Romanis ab initio tradidisset.

Theodoretus. 450.

Ad caput 1. ad Galatas: *Veni Hierosolymam, vt Petrum viderem.*) Et hoc rursus ostendit eius animæ virtutem. Etenim cùm humana doctrina non indigeret, vt qui ab vniuersorum Deo eam accepisset, Apostolorũ Principi quem par est honorem tribuit. Ea autem de causa ad eum venit, non vt ab eo aliquid disceret, sed vt solum videret.

Basilius Seleucius. 450.

Sermone 1. in Dauidem: His concurrens Petrus, Apostolorum coryphæus, clamat: *Iurauit Dauidi Deus,* &c.

Serm.4. in Dauidem: Petrus Apostolorum coryphæus, Christi discipulorum præses, eorum quæ à Patre reuelantur interpres diligentissimus, in maris fluctibus ambulans.

Synodus Chalcedonensis. 453.

Actione 3. Ter beatissimus & omni laude dignus B. Petrus Apostolus, qui est petra & crepido Catholicæ Ecclesiæ, & rectæ fidei fundamentum.

Galla Placidia. 453.

Epistola ad Theodosium Imperatorem: Dum in ipso ingressu ciuitatis antiquæ hanc curam habuissemus, vt cultum B. Petro Apostolo redderemus, in ipso adorando altari Martyris reuerendissimus Leo Episcopus, paululum se post orationem retinens, propter Catholicam fidem apud nos defleuit, ipsum similiter summum Apostolorum, (*scilicet Petrum*) quem nuper adieramus, testem obijciens, Episcoporum multitudine circumseptus, quos ex innumerabilibus ciuitatibus Italiæ pro principatu proprij loci, seu dignitate collegit, & verbis permiscens lachrymas, ad communionem sui fletus nostros quoque gemitus prouocauit.

Victor Antiochenus. 460.

Ad Marci cap.3. Ne quis casu, aut temerè Apostolos electos putet, Euangelista singulorum nomina ordine recensет. Dicit autẽ Simoni imposuisse nomen Petri, quo nimirũ nomen rem ipsam anticipet: quia enim Christus Dominus supra petram, hoc est, supra infractam, sanamq; Petri doctrinã, inconcussamq; eius fidem Ecclesiam ædificaturus erat, ob id prophetico spiritu Petrum illum appellat.

Ad Marc. cap.8. *Vos verò quem me esse dicitis?* Quid ad hoc quæsitum Apostolorum os Petrus, qui nusquam non feruidum se declarat? omnibus interrogatis solus ipse: *Tu es Filius Dei viui,* respõdit, &c.

Iuuenalis Episc. Hierosolymitanus. 470.

Epistola ad presbyteros Palæstinos: Cùm summus & princeps Apostolorum beatus Petrus dixisset: *Tu es Christus Filius Dei viui,* &c.

Episcopi Orientales. 500.

Epist. ad Symmachum PP. Sicut docuit glorioſus Apostolorum princeps Petrus, cuius cathedram beatitudini tuæ credidit Christus.

Andreas Cæsareensis. 500.

Ad Apoc.cap.13. Simon Magus in beati Petri Apostolorum coryphæi, multorumq; Romanorum præsentia mortuum per impostura excitauit.

Ad cap.21. Per iaspidem probabile fit Dnum Petrum coryphæum significari, vt qui Christi mortificationem in corpore suo portârit, vegetamq; & vernantem charitatẽ erga illum semper ostenderit: qui etiam per feruentem fidem ad loca pascua dux nobis extitit.

Anastasius Imperator. 516.

Epistola ad Hormisdam: Deus ac Saluator noster sanctos Apostolos diuino sermone docuit, ac maximè B. Petrum, in quo fortitudinem Ecclesiæ suæ constituit.

Procopius Gazæus. 530.

Ad caput 62. Esaiæ: Atque inde est quòd Saluator Petro cæli claues tradidit, adiuncta ligandi soluendiq; potestate, cùm pulchram fidei confessionem edidisset.

Andreas Cretensis. 560.

Oratione de Transfiguratione Domini: Petrus supra petram, id est Christum, stabiliter fundatus est, & fidei fundamentum, & quæ fit per virtutes Ecclesiæ dispensationem in se suscepit.

Euagrius. 600.

Lib.2.cap.4. Beatissimus & omni laude celebrãdus Apostolus Petrus, qui est petra & basis, Catholicæ & Orthodoxę fidei fundamentum.

Sophronius Hierosolymitanus. 630.

De laboribus, certaminibus, & peregrinationibus SS. Petri & Pauli: Petro mundi procuratio cõmittitur, & traduntur cælestium thesaurorum claues: super cœtum Apostolorum constitutus est.

Maximus Monachus. 640.

Dialogo de Incarnatione Verbi: Ad hanc luctam summus quoq; Apostolorum Petrus discipulos excitans: *Sobrij,* inquit, *estote,* &c. 1.Pet.5.

Stephanus Dorensis. 650.

Epistola ad Martinum Papam: Magnus secundùm veritatem, & princeps Apostolorum Petrus pascere primus oues iussus est Catholicæ Ecclesiæ.

Constantinus Quartus Imp. 680.

In edicto pro sexta Vniuersali Synodo: Hæc Petrus, qui & petra fidei est, & princeps Apostolorum.

Germanus Constantinopolitanus. 720.

In Theoria rerũ Ecclesiasticarũ: Vertex enim ornatus, & corona duodecim lapillorũ Apostoli sunt: petra verò sanctissimus Apostolus, primus hierarcharum Christi.

Ioannes Damascenus. 730.

Oratione de Transfiguratione Domini: Hoc, inquam, Petre à Christo supplex contende, ab eo, inquam, qui Ecclesiæ immaculatus sponsus est, qui te cælestis regni clauicularium instituit, qui tibi vinciendorum ac soluendorum peccatorũ potestatẽ concessit, quem tu diuino ore Dei viuẽtis Filium prædicasti, &c. Assumpsit Dominus Petrum vt Antistitem, qui totius Ecclesię gubernacula susciperet.

Historiæ Barlaam cap.11. Princeps discipulorum Petrus, fidei petra, salutiferæ passionis tempore, certo quodam consilio, aliquantisper à Deo desertus eò peccati prolapsus est, vt Dominum abiuraret, non tamen salutis spem abiecit: sed acerbissimas ex oppresso pectore lachrymas profudit, principem locum rursus tenuit: quemadmodum totius orbis magister institutus fuerat, ita etiam pœnitentiæ exemplar effectus. Luc.22.

Elias Cretensis. 780.

In orationem primam Nazianzeni: Quòd si etiam principem illum Petrum à sancto hoc viro legislatorem dictum fuisse existimemus, ne sic quidẽ malè accipiemus. Nam cùm ipse pastoralem curam & præfecturam primus à vero pastore acceperit, haudquaquá absurdè ipse & omnis pastoralis disciplinæ legislator, (duntaxat post primũ & verum pastorem,) & lex ipsius constitutiones dici queunt.

Constantinus & Irenes AA. 780.

Epistola ad Episcopos in Synodo secunda Nicæna: Petrus Apostolicæ Sedis primus dux seruilem & temerariam insaniam verberans, Iudaici auditus instrumentum gladio amputauit.

Synodus Nicæna secunda. 780.

Can.4. Præcepit enim & Petrus Apostolus summus: *Pascite gregem Domini, Episcopatum gerentes nõ per vim, sed sponte ac voluntate secundum Deum.* 1.Pet.5.

Theophanes Cerameus. 820.

Sermone de Sanctis Apostolis: *Ego verò dico tibi, quòd tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Tu, inquit, Petrus es, petra fies fidei, verbi & Ecclesiæ firmatæ fundamentum, ac spiritualis ædificationis primus aditus. Super hanc enim confessionem fundamentum Ecclesiæ stabit. Tali namque petra & rupe collocata reliqua dogmata firmè ac tutè ædificabuntur.

Theodorus Studites. 820.

Epistola ad Paschalem PP. Audi Apostolicum caput, à Deo electe clauiger regni cælorum, petra fidei, super quam ædificata est Ecclesia Catholica.

Epistola de imaginibus: Proinde intelligo asseruari Romę claues Petri Apostolici senatus principis honoris gratia, etiamsi claues nullas sensibiles Dominus Petro dederit, sed ore tenus in hoc, vt penes illum esset potestas ligandi atque soluendi.

Methodius Constantinopolitanus. 830.

In Martyrio Dionysii Areopagitæ: Petrus Apostolus Romæ prædicauit, vt tamquam coryphæus sanctorum Apostolorum, in ordine Apostolatus fastus primus, in vrbe Roma fieret particeps passionum Christi.

Michael Syngelus. 830.

In Dionysio Areopagita: Hic magno illi & omniũ summo Petro comparandus est, cui æternam Filij generationem Pater reuelauit: super quem, tamquam petram, & inconcussum fidei fundamentum, Christus, veræ vitæ petra, qui omnia fecit & continet, propriam Ecclesiam fabricauit: quemq; cęlestis habitationis ac hæreditatis clauigerum ac hæredem declarauit, ac potestatem illi diuinam ligandi atque soluendi funes peccatorũ præbuit.

Ignatius Constantinopolitanus. 860.

Epistola ad Adrianum Secundum: Omnium Magister dicit Petro magno & summo Apostolorum: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam:* tales beatas voces non secundùm quãdam vtique sortem Apostolorũ principi Petro solùm circũscripsit, & definiuit, sed ad successores quoque deriuari voluit.

Leo Sextus Imp. 880.

In Sermone de Petro: Post resurrectionem ter Petrum Dominus percontatus, an ab eo diligeretur, principem pastorem constituit, deditq; ei pascendi potestatem, petens ab eo pascendi curam, tamquam vicem redamandi. Idcirco enim aiebat: *Amas me? pasce agnos meos.* Petrus verò cùm intelligeret principatum eum magnum esse, & magnis indigentem viribus, videretq; Ioannem sequentem, illum dico *quem Iesus* vehemẽter *amabat: Hic,* inquit, *quid?* Quod perinde erat, quasi diceret: Mene præfici vis caput discipulis? hunc verò à te dilectum, qui voluit sedere ad dexteram, hunc, inquam, quid facere iubes? Ne igitur occasionem erroris aliqui conciperent, quòd omnibus discipulis cõmuniter dixisset: *Quecunque solueritis in terra,* &c. respõdit Dominus, quasi increpans Petrũ: *Sic eum volo manère donec veniam, quid ad te? Tu me sequere,* id est, sequere me hoc baculo pastorali: & sicut ego, cùm eram vobiscum, seruabam vos, vt pater, & caput, ac magister, vigilans pro vobis: sic tu esto meo loco, & sequere me principatu ac potestate tua, fratres tuos confirmans. Te enim volo esse meo loco. Vnde manet in hodiernum vsq; diem Petrus sequens Christum in successore suo.

Theophylactus. 900.

Ad caput 16. Matthæi: Remunerat Petrum Dominus, mercedem ei dans magnam, quòd super eum ædificauit Ecclesiam.

Ad caput 22. Lucæ: *Tu conuersus.*) Planus huius intellectus est: quia te habeo vt principem discipulorum, postquam me negato fleueris, & ad pœnitentiam veneris, confirma cæteros. Hoc enim te decet, qui post me Ecclesiæ petra es & firmamẽtum.

Ad cap.21. Ioannis: Totius orbis ouium præfecturam Petro committit: non autem alij, sed huic tradit, primùm quidem, quia omnes præcellebat, & totius cœtus os erat, &c.

Ad cap.1. epist. ad Gal. Et hoc insignis humilitatis animi signum, si qui tanta transegerat, ad Petrum abijt, non vtilitatis gratia, sed solo visendi studio, honorans eum ceu maiorem se. Propterea neque dixit ἰδεῖν, id est, vt cernerem Petrum: sed ἱστορῆσαι, id est, vt viderem, & cum obseruatione intuerer: quod magnas & præclaras vrbes addiscentes dicunt, perinde ac nos abimus ad sanctos viros: sed nos potius vtilitatis causa, ille verò solius honoris gratia.

Simeon Metaphrastes. 950.

In vita Iacobi Apostoli: Cùm verò quæ Hierosolymis

mis erat Ecclesia, ad hoc esset congregata, vt Petrus primus Apostolorum præesset fidei,& deijceret semina impietatis: *Viri fratres,* inquit Iacobus, &c.

In encomio Ioannis: Petrus non audebat Dominum interrogare, quamuis inter Apostolos primatum teneret.

Psellus. 1050.

In Cantica: ad illud: *Crura eius sunt columnæ marmoreæ.* Per crura Petrum intellige Apostolorum
Matt. 16. principem, super quem Dominus in Euangelio Ecclesiam se ædificaturum promisit.

OEcumenius. 1060.

Ad cap. 1. Act. Surgit Petrus, non Iacobus, tamquam feruentior, & velut is, cui discipulorum præsidentia commissa erat.

Ad caput 1. epistolæ ad Galatas: *Redij Hierosolymam, vt Petrum viderem.* Confidera animi modestiam. Post tot tantaq; certamina abijt, vt videret Petrum tamquam maiorem. Vt autē etiam maneret, causa honoris, quem Petro deferebat, actum est.

Euthymius. 1080.

Ad caput 16. Matthæi: *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam.*) Tu es Petrus, vt qui post abnegationem fidei petra futurus es, vel tanquam iam prudentia firmus. Itaque super hanc firmitatem ædificabo Ecclesiam meam, siue te ponam fundamentum credentium. *Et dabo tibi claues regni cælorum.*) Cumq; confessus esset ipsum esse Dei Filium legitimum, iam ei demonstrat suæ diuinitatis dignitatem, dicens: *AEdificabo super te Ecclesiam meam, & dabo tibi claues regni cælorū*, videlicet, vt ad illud introducas: siquidem clauigeri est introducere.

Ad caput 21. Ioannis: Petro pascendi curam & gubernationem committit, vt qui & prius amaris illis lachrymis negationis maculam abluerit, & nunc rursum pro trina negatione trinam offerat confessionem. Et post: *Et cùm hæc dixisset, dicit illi: Sequere me.*) Hinc rursum ostendit, quòd præ cæteris sibi eum familiarem faciat, ac ampliori dignetur honore, vt etiam promptior fiat. Quòd si quis dicat: Quomodo ergo Iacobus Hierosolymitanam accepit sedem? Dicemus quòd Petrus orbis constitutus est præceptor.

Ad cap. 16. Marci: Primùm apparuit Christus Magdalenæ, & alteri Mariæ; deinde his duobus; postmodum Petro; demū verò illis duobus. Sanè his non habita est fides: Petro verò tamquā summo, & cæterorum principi creditū est: & ita duo, qui apud Lucam ab Emaus reuersi sunt, inuenerunt Apostolos dicentes: *Surrexit Dominus verè, & visus est à Simone.*

Georgius Cedrenus. 1100.

In compendio historiarum fol. 375. Gregorius Apostolicus vir, & Petri Apostolorum coryphæi confessor.

Nilus Thessalonicensis. 1150.

De primatu Papæ: Petrus quidem & Apostolus, & Apostolorum princeps, &c. Et Petrus quidem præceptor vniuersi orbis.

Theodorus Balsamon. 1180.

Ad Canonem 16. Synodi Carthaginensis: Portæ inferi aduersus Ecclesiam non præualebunt, quæ à Domino supra Dei præconem Petrum ædificata est.

Nicephorus Callistus. 1300.

Lib. 2. Historiæ cap. 14. Sub Claudij imperio, quæ omnia sapienter propter summum in genus humanum amorem dirigit prouidentia, quasi antesignanum & insuperabilem atque inuictum fidei propugnatorē, qui virtutis ardorisq; gratia primas inter Apostolos diuinitus est consecutus, Petrum, perinde atque contra feram agrestem ac pernitiosam, excitauit.

Cap. 44. Coryphæus & princeps eius chori est Petrus.

Gennadius Scholarius. 1450.

De primatu Papæ sect. 2. Si mundanæ potestates, quando disiunctæ sunt, intereunt ac dilabuntur, quomodo debuit Christus Ecclesiam suam omittere sine capite? vt confusio sequeretur, & ex confusione destrueretur: sed vti supra omnem ordinem positus, & vti existens is, qui ordinem constituit, voluit & ordine suam societatem, videlicet Ecclesiasticam, contineri: & vt ipse in terris erat caput, Dominus, ac magister discipulorum, & pater, & pastor: sic cùm decreuisset ad paternū thronum ascendere, Petrum præfectum ipsis constituit, patrem & magistrum, &, vt vno verbo dicā, suum Vicarium & successorem.

Gregorius Trapezuntius. 1460.

Ad illud Ioannis: *Si eum volo manere.*) Petrus etiam antea, quando ipsi claues regni cælorū commendatæ fuerunt, totius Ecclesiæ princeps constitutus, apertius tunc vel restituitur, vel confirmatur.

Zaga Zabo Episcop. AEthiops. 1540.

In confessione fidei AEthiopica: Credo sanctum Petrum petram esse Legis, quæ Lex ædificata est super sanctos Prophetas, fundamentum & caput Ecclesiæ Catholicæ, & Apostolicæ, Orientalis, & Occidentalis, vbi est nomen Domini nostri Iesu Christi: cuius Ecclesiæ potestatem Petrus Apostolus habet, ac claues regni cælorū, quibus claudere, & aperire; soluere, & ligare potest.

Hieremias Patr. Constantinopolitanus. 1580.

Responso 2. capite de iustitia fidei & bonis operibus: Age igitur tu venerandorum Apostolorum coryphæe Petre, dic testimonium, &c.

Responso 3. Ex Apostolis autem Coryphæus inquit: *Accipietis donum Spiritus sancti.* Act. 2.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Tertullianus. 200.

De præscriptionibus hæreticorum c. 22. Latuit aliquid Petrum ædificandæ Ecclesiæ petram dictum, claues regni cælorum consecutum, & soluendi, & alligandi in cælis & in terris potestatem?

De Monogamia cap. 8. Petrum solum inuenio maritum per socrum: monogamum præsumo per Ecclesiam, quæ super illum ædificata, omnē gradum ordinis sui de monogamis erat collatura.

De Pudicitia cap. 21. *Super te*, inquit, *ædificabo Ecclesiam meam*: &: *Dabo tibi claues*, non Ecclesiæ: & *quæcumque solueris*, vel alligaueris; non quæ soluerint, vel alligauerint. Sic enim & exitus docet: In ipso Ecclesia extructa est, id est, per ipsum: ipse clauem imbuit: vides quam.

Cyprianus. 250.

Epistola 40. Deus vnus est, & Christus vnus, & vna Ecclesia, & Cathedra vna super Petrum Domini voce fundata. Aliud altare constitui, aut sacerdotium nouum fieri, præter vnum altare, & vnum sacerdotium non potest. *Li. 1. ep. 8.*

Epist. 55. Petrus tamen, super quem ædificata à *Li. 1. ep. 3.*

Domino

Domino fuerat Ecclesia, vnus pro omnibus loquens, & Ecclesiæ voce respondens, ait: *Domine, ad quem ibimus?*
Ioan. 6.

Lib. 4. epist. 10. Ioan. 6. Epist. 69. *Conuersus Dominus ad duodecim dixit: Nunquid & vos vultis ire? Respondet ei Petrus, dicens: Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes: & nos credimus, & cognouimus, quoniam tu es Filius Dei viui.* Loquitur illic Petrus, super quem ædificata fuerat Ecclesia.

Li. 1. ep. 12 *Epist. 70.* Vna est Ecclesia, à Christo Domino super Petrum origine vnitatis & ratione fundata.

Epist. 71. ad Quintum fratrem: Nam nec Petrus, quē primum Dominus elegit, & super quem ædificauit Ecclesiam suam, cùm secum Paulus de circūcisione postmodum disceptaret, vindicauit sibi aliquid insolenter.

Epist. 73. ad Iubaianum: Petro primùm Dominus, super quem ædificauit Ecclesiam, & vnde vnitatis originem instituit, & ostendit, potestatē istam dedit, vt id solueretur in cælis, quod ille soluisset in terris.

De vnitate Ecclesiæ Catholicæ: Loquitur Dominus
Matt. 16. ad Petrum: *Ego tibi dico*, inquit, *quia tu es Petrus, & super illam petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferorum non vincent eam: Et tibi dabo claues regni cælorum, & quæ ligaueris super terram, erunt ligata & in cælis*, &c. Et iterum eidem post resurrectionem suam
Ioan. 21. dicit: *Pasce oues meas.* Super illum vnum ædificat Ecclesiam suam, & illi pascendas mandat oues suas. Et quamuis Apostolis omnibus post resurrectionem suam parem potestatem tribuat, & di-
Ioan. 20. cat: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos: accipite Spiritum sanctum, si cui remiseritis peccata, remittentur illi: si cui tenueritis, tenebuntur*: tamen vt vnitatem manifestaret, vnam Cathedram constituit, & vnitatis eiusdem originem, ab vno incipientem sua auctoritate disposuit. Hoc erant vtique & cæteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio præditi & honoris, & potestatis: sed exordium ab vnitate proficiscitur. Primatus Petro datur, vt vna Christi Ecclesia, & cathedra vna monstretur. Et pastores sunt omnes, sed grex vnus ostenditur, qui ab Apostolis omnibus vnanimi consensione pascatur.

Exhortatione ad martyrium cap. 11. Cum septem liberis planè copulatur & mater, origo, & radix, quæ Ecclesias septem postmodum peperit, ipsa prima & vna super Petrum Domini voce fundata.

Zeno Veronensis. 260.

Sermone de Circumcisione: Non sine ratione Simoni, super quem ædificauit Ecclesiam Christus, Petrus nomen imposuit.

Marcellus Primus. 304.

Epistola 1. Ipse est caput totius Ecclesiæ, cui ait Dominus: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.*

Melchiades. 310.

Epistola ad Episcopos Campaniæ: Licet cunctorum Apostolorum par esset electio: beato tamen Petro concessum est, vt alijs præemineret.

Iulius Primus. 340.

Epistola prima ad Episcopos Orientales: Sicut in vno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent: ita multi vnum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra. Connexio totius corporis vnam sanitatem, vnam pulchritudinem facit: & hæc quidem connexio totius operis vnanimitatem requirit, sed præcipuè exigit concordiam sacerdotum: quibus etsi dignitas communis non est, tamen ordo generalis est. Quoniā & inter beatissimos Apostolos in similitudine honoris fuit quędam discretio potestatis: & cùm omnium par esset electio, vni tamen datum est, vt cæteris præemineret. De qua forma orta est Episcoporum quædam distinctio, & magna ordinatione prouisum, ne omnia sibi omnes vendicarent.

Hilarius. 350.

Ad Psal. 131. Cùm Iesus quædam de passione suâ locutus ad discipulos fuisset, & Petrus tamquam indignum hoc Dei Filio detestatus esset: Petrum, cui superius claues regni cælorum dederat, super quē Ecclesiam ædificaturus erat, aduersus quam portæ inferi nihil valerent, qui quæ in terris vel soluisset, vel ligasset, ea in cælis vel soluta persisterent, vel ligata. Hunc itaque tali conuitio detestantem hoc sacramentum passionis excepit: *Vade post me Satana, scandalum mihi es.* Tanta enim ei religio fuit pro humani generis salute patiendi, vt Petrum primum Filij Dei confessorem, Ecclesiæ fundamentum, cęlestis regni ianitorem, & in terreno iudicio iudicem cæli Satanæ conuitio nuncuparet.

In Matthæum Canone 16. Petrus respondit: *Tu es Christus Filius Dei viui*, &c. Et dignum planè confessio Petri præmium consecuta est, quia Dei Filium in homine vidisset. Beatus hic est, qui vltra humanum modum oculos intendisse, & vidisse laudatus est: non id quod ex carne & sanguine erat contuens, sed Dei Filium cælestis Patris reuelatione cōspiciens, dignusq; iudicatus, qui quod in Christo Dei esset primus agnosceret. O in nuncupatione noui nominis felix Ecclesiæ fundamētū, dignaq; ædificatione illius petra, quæ infernas leges, & Tartari portas, & omnia mortis claustra dissolueret. O beatus cæli ianitor, cuius arbitrio claues æterni aditus traduntur, cuius terrestre iudicium præiudicata auctoritas sit in cælo: vt quæ in terris aut ligata sint, aut soluta, statuti eiusdem conditionem obtineant & in cælo.

Ambrosius. 370.

Sermone 11. de mirabilibus: Hanc solam Ecclesiæ nauem ascendit Dominus, in qua Petrus magister
Matt. 16. est constitutus, dicente Domino: *Super hanc petrā ædificabo Ecclesiam meam*: Quæ nauis in altum seculi istius ita natat, vt pereunte mundo omnes, quos susceperit, seruet illæsos. Cuius figuram iam in veteri videmus Testamento. Sicut enim Noë arca naufragante mundo cunctos, quos susceperat, incolumes seruauit: ita & Petri Ecclesia, cōflagrante seculo, omnes, quos amplectitur, repræsentabit illæsos. Et sicut tunc transacto diluuio, ad arcam Noë columba signū pacis detulit: ita & transacto iudicio ad Ecclesiam Petri Christus gaudium pacis referet, quia ipse columba vel pax est.

Serm. 47. Petrus fidelior factus est, postquam fidem se perdidisse defleuit, atque ideò maiorem gratiam reperit, quàm amisit. Tamquam bonus enim pastor tuendum gregem accepit, vt qui sibi ante infirmus fuerat, fieret omnibus firmamentum: & qui ipse interrogationis tentatione nutauerat, cæteros fidei stabilitate fundaret. Denique pro soliditate deuotionis Ecclesiarum petra dicitur, sicut ait Dominus: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiā meam.* Petra dicitur, eò quòd primus in nationibus fidei fundamenta posuerit, & tamquam saxū immobile totius operis Christiani compagem molemq; contineat.

Serm. 68. Primum signum mirabilium suorum Petrus fecit, claudo pedum restituendo vestigia. Diximus frequenter ipsum Petrum à Domino nuncupatum, sicut ait: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Si ergo Petrus petra est, super quā ædificatur Ecclesia, rectè prius pedes sanat: vt sicut in Ecclesia fidei fundamentum cō-

tinet, ita & in homine membrorum fundamentū confirmet.

Ad caput 24. Lucæ: Vnde & contristatur Petrus, quia tertiò interrogatur: *Amas me?* Is enim interrogatur, de quo dubitatur: sed Dominus non dubitat, qui interrogabat, non vt disceret, sed vt doceret, quem eleuandus in cælum sui amoris nobis velut Vicarium relinquebat. Sic enim habes: *Simon Ioannis diligis me? Vtique tu scis Domine quia amo te. Dicit ei Iesus: Pasce agnos meos.* Bene conscius sui, non ad tempus assumptum, sed iam dudum Deo cognitum Petrus testificatur affectū. Quis est alius, qui de se hoc profiteri possit? Et ideò, quia solus profitetur ex omnibus, omnibus antefertur. Ioan. 20

Ad cap. 1. ad Galatas: Dignum fuit, vt cuperet videre Petrum, quia primus erat inter Apostolos, cui delegauerat Saluator curam Ecclesiarum: nō vtiq; vt aliquid ab eo disceret, qui iam ab auctore didicerat, à quo & ipse Petrus fuerat instructus: sed propter affectum Apostolatus, & vt sciret Petrus hanc ipsi datam licentiam, quam & ipse acceperat.

Ad cap. 2. Petrum *(Paulus)* solum nominat, & sibi comparat: quia primatum ipse acceperat ad fundandam Ecclesiam, &c. Soli Petro gratia primatus inter Apostolos est concessa.

Ad cap. 12. posterioris ad Corinth. Prior secutus est Andreas Saluatorem quàm Petrus: & tamen primatum non accepit Andreas, sed Petrus.

In Hymno, qui incipit: *AEterne rerum conditor:*

Hoc (scilicet gallo) nauta vires colligit,
Pontiq; nitescunt freta:
Hoc ipso petra Ecclesia
Canendo culpam diluit.

Prudentius. 380.

Hymno de S. Laurentio:

Et iam tenemus obsides
Fidissimos huius spei:
Hic nempe iam regnant duo
Apostolorum principes:
Alter vocator gentium,
Alter cathedram possidens
Primam, recludit creditas
AEternitatis ianuas.

Optatus Mileuitanus. 380.

Contra Donatistas lib. 2. In vrbe Roma Petro primò cathedra Episcopalis est collata: in qua sedit omnium Apostolorum caput Petrus, vnde & Cephas appellatus est: in qua vna cathedra vnitas ab omnibus seruaretur, ne cæteri Apostoli singulas sibi quisque defenderent: vt iam schismaticus, & peccator esset, qui contra singularem cathedrā alteram collocaret. Ergo cathedra vnica est, quæ est prima de dotibus. Sedit prior Petrus, &c.

Lib. 7. Potuit vbique caput Apostolorum Petrus ita se gubernare, vt nihil incurreret quòd doleret, sed ideò in vno titulo eius multa videntur errata, vt possit ostendi bono vnitatis omnia debere Deo seruari.

Pacianus. 380.

Epist. 3. ad Sympronianū: Ad Petrū locutus est Dominus: ad vnum ideò, vt vnitatem fundaret ex vno: mox idipsum in commune præcipiēs, qualiter tamen ad Petrū incipit: *Et ego tibi dico,* inquit, *quia tu es Petrus, & super istam petram ædificabo Ecclesiam meam,* &c.

Damasus. 380.

Epist. 2. Princeps Apostolorum Petrus solus & præ omnibus creditus est, atq; percipere meruit à Rege Regum Christo Deo claues regni cælorum, ad aperiendum fidelibus & beneuolis hominibus in eundem Dominum nostrum, & claudendū infidelibus & maleuolis.

Syricius. 390.

Epistola 4. quæ inseritur concilio Tolensi, appellaturq; epistola tractatoria ad Episcopos Asios: Cùm in vnum plurimi fratres conuenissemus ad sancti Apostoli Petri Reliquias, per quem & Apostolatus, & Episcopatus in Christo cœpit exordium, placuit nobis, &c.

Hieronymus. 390.

Ad Psal. 13. Nullus de discipulis, neq; Petrus, qui caput est Ecclesiæ, quia & ipse negauit: nullus de hominibus, quia totus mundus ad inferiorē partem declinauerat, præter vnum hominem, qui est Christus.

Ad cap. 16. Matth. Sicut ipse lumen Apostolis donauit, vt lumen mundi appellarentur, cęteraq; ex Domino sortiti sunt vocabula: ita & Simoni, qui credebat in petram Christū, Petri largitus est nomen. Ac secundùm metaphoram petræ rectè dicitur ei: *ædificabo Ecclesiam meam super te,* &c. Prudēs lector inquirat, quomodo post tantam beatitudinem: *Beatus es Simon Bariona,* &c. nunc audiat: *Vade retro me Satana, scandalum mihi es:* aut quæ sit tam repentina conuersio, vt post tanta præmia Satanas appelletur. Sed si consideret, qui hoc quærit, Petro illam benedictionem, ac beatitudinem, ac potestatem, & ædificationem super eum Ecclesiæ in futuro promissam, non in præsenti datā, intelliget: *AEdificabo,* inquit, *super te Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam, & dabo tibi claues regni cælorum:* omnia de futuro. Quæ si statim dedisset ei, nunquam in eo prauæ confessionis error inuenisset locum.

Ad cap. 2. epist. ad Gal. Et quomodo cùm etiam de minimis fratribus hoc faciendum iusserit, ausus est Apostolorum maximum (*Petrū*) in publica facie tam procaciter, tam constanter arguere, nisi & Petro sic placuisset argui, & Paulus non ei faceret iniuriam, de quo ante dixerat: *Veni Hierosolymam videre Petrum.*

Lib. 1. aduersus Iouinianū cap. 14. At dicis: Super Petrum fundatur Ecclesia: licet id ipsum alio in loco super omnes Apostolos fiat, & cuncti claues regni cælorum accipiant, & ex æquo super eos Ecclesiæ fortitudo solidetur: tamen propterea inter duodecim vnus eligitur, vt capite cōstituto schismatis tollatur occasio. Matt. 16. 18.

Lib. 1. Dial. aduersus Pelagianos cap. 4. Vt Plato princeps Philosophorum, sic Petrus Apostolorū fuit, super quem Ecclesia Domini stabili mole fundata est, quę nec impetu fluminis, nec vlla tempestate concutitur.

Epist. 54. ad Marcellam: Si Apostolus Petrus, super quem Dominus fundauit Ecclesiam, & prophetiam, & promissionem Domini illo tempore cōpletam memorauit, quomodo possumus nobis aliud tempus vindicare?

Epist. 89. ad Augustinum cap. 2. Tantæ auctoritatis Petrus fuit, vt Paulus in epistola sua scripserit: *Deinde post annos tres veni Hierosolymam videre Petrum, & mansi apud eum diebus quindecim.*

Augustinus. 400.

Quæstionum veteris & noui Testamenti quæst. 75. Dicunt exactores didrachmę ad Petrum Apostolū: *Magister vester nō soluit didrachma?* &c. Quo dicto, magistrum vt pro omnibus discipulis solueret conuenerunt. Saluator autem cùm pro se & Petro dare iubet, pro omnibus exoluisse videtur: quia sicut in Saluatore erant omnes causę magisterij, ita & post Saluatorem in Petro omnes continentur. Ipsum enim cōstituit caput eorum, vt pastor esset gregis Dominici. Nam inter cætera dicit discipulis: *Vigilate, & orate, ne intretis in tentationem.* Et Petro di- Matt. 17. Matt. 26.

tro dicit: *Ecce Satanas expostulauit, vt vos ventilet sicut triticum: ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, & tu tandem conuersus, confirma fratres tuos.* Quid ambigitur? Pro Petro rogabat, & pro Iacobo, & pro Ioanne non rogabat, vt cęteros taceam? Manifestum est in Petro omnes contineri: Rogās enim pro Petro, pro omnibus rogasse dignoscitur. Semper enim in Præpósito populus aut corripitur, aut laudatur. Luc. 22.

Tractat. 56. in Ioannem: Quis nescit primum omnium Apostolorum esse beatissimum Petrum?

Tractat. 124. in Ioannem: Hoc agit Ecclesia spe beata in hac vita ærumnosa, cuius Ecclesię beatus Petrus Apostolus, propter Apostolatus sui primatū, gerebat figurata generalitate personā. Quod enim ad ipsum propriè pertinet, natura vnus homo erat, gratia vnus Christianus, abundātiore gratia vnus idemqúe primus Apostolus: sed quando ei dictum est: *Tibi dabo claues regni cælorum, & quodcunq; solueris super terram, erit solutum & in cælis: & quodcunque ligaueris super terram, erit ligatū & in cælis:* vniuersam significabat Ecclesiam, quæ in hoc seculo diuersis tēntationibus, velut imbribus, fluminibus, tempestatibusq; quatitur, & non cadit.

De baptismo contra Donatistas lib. 2. cap. 1. Puto quòd sine vlla sui cōtumelia Cyprianus Episcopus Petro Apostolo comparatur, quantū attinet ad martyrij coronam: cæterùm magis vereri debeo, ne in Petrum contumeliosus existam. Quis enim nescit illum Apostolatus principatum cuilibet Episcopatui præferendum? Sed etsi distat cathedrarum gratia, vna est tamen Martyrum gloria, &c. In Apostolo Petro primatus Apostolorum excellenti gratia præeminet.

Sermone 5. in festo Petri & Pauli: Solus inter Apostolos meruit audire: *Amen dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Dignus certè qui ædificandis in domo Dei populis lapis esset ad fundamentum, columna ad sustentaculū, clauis ad regnum.

Lib. 1. Retract. cap. 21. In libro contra Epistolam Donati dixi in quodam loco de Apostolo Petro, quòd in illo tamquam in petra fundata sit Ecclesia: qui sensus etiam cantatur ore multorum in versibus beatissimi Ambrosij, vbi de gallo gallinaceo ait:

Hoc ipsa petra Ecclesia
Canente culpam diluit.

Sed scio me postea sępissimè sic exposuisse, quod à Domino dictum est: *Tu es Petrus, & super hanc petrā ædificabo Ecclesiam meā:* vt super hunc intelligeretur, quem confessus est Petrus dicens: *Tu es Christus Filius Dei viui,* ac si Petrus ab hac petra appellatus personam Ecclesiæ figuraret, quæ super hanc petram ædificatur, & accepit claues regni cælorū. Non enim dictum est illi: Tu es petra, sed: *Tu es Petrus: petra autem erat Christus,* quem confessus Simon, sicut eum tota Ecclesia confitetur, dictus est Petrus. Harum autem duarum sententiarum, quę probabilior sit, eligat lector. Matt. 16. 1. Cor. 10.

Innocentius Primus. 406.

Epistola ad Victricium: Incipiamus ergo adiuuante Deo, & sancto Dei Apostolo Petro, per quem & Apostolatus & Episcopatus in Christo cœpit exordium.

Paulinus Nolanus. 410.

Natali 4. S. Felicis:

Bisseno princeps super agmine discipulorum
Petrus.

Maximus Taurinensis. 430.

Homilia 1. in Natali Petri & Pauli Apostolorum: Hic est Petrus, cui Christus Dominus communionem sui nominis libenter indulsit. Vt enim (sicut Paulus Apostolus edocuit) petra erat Christus, ita per Christum Petrus factus est petra, dicēte ei Domino: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Nam sicut in deserto iussu Dominico sitienti populo aqua fluxit è petra: ita vniuerso mūdo perfidiæ ariditate lassato, de ore Petri fons salutiferæ confessionis emersit. Hic est Petrus, cui Christus ascensurus ad Patrem pascendas ouiculas suas, agnosq; commendat, vt quos ille pietate miserationeq; redemerat, hic fidei suæ virtute seruaret. Et rectè sanè ei arbiter occultorum Dei Filius pascendas oues suas tuendasq; commisit, cui nouerat in nutriendo grege Dominico nec studium deesse, nec fidem. Matt. 16

Homilia 3. de ijsdem: Quāti ergo meriti apud Deum suum Petrus erat, vt ei post nauiculæ paruæ remigiū totius Ecclesiæ gubernacula traderētur?

Philippus Presbyter. 430.

In Concilio Ephesino tom. 2. cap. 16. Nulli dubium, imò seculis omnibus notum est, sanctum beatissimumq; Petrum Apostolorum principem, & caput, fideiq; columnam, Ecclesiæ Catholicæ fundamentum, à Domino Iesu Christo Saluatore nostro, humanię; generis Redēptore cælestis regni claues accepisse, soluendiq; atq; ligandi potestate, quam acceperat, vsum fuisse, nec non per successores suos huc vsque semper viuere.

Sixtus Tertius. 433.

De malis Doctoribus, & operibus fidei: Sed si hæc dicere voluerimus, illicò ille Apostolorū princeps Petrus, supra cuius firmitatem fidei spiritalis fabricæ ædificata cōstructio est, & Ecclesiasticæ domus collocata fundamina: quiq; cęlestis regni ianitor dignus inuentus est, & cuius super terram gesta iudicia confirmantur in cælis, è contrario respondebit, & dicet, &c.

Petrus Chrysologus. 440.

Serm. 78. Petrus misit se in mare, vt esset primus in reditu, qui acceperat in ordine principatum.

Serm. 107. Petrus est custos fidei, petra Ecclesiæ, ianitorq; cælorum: ipse est Apostolus piscator electus, qui ad se turbas errorum fluctibus mersas hamo sanctitatis inuitat.

Serm. 154. Petrus Apostolici chori vetustum teneat principatum, aperiat intrantibus regnū cælorum, reos potestate vinciat, pœnitētes clementer absoluat.

Arnobius Romanus. 440.

Ad Psalm. 138. Ecce Apostolo (*Petro*) pœnitenti succurritur, qui est Episcopus Episcoporum, & maior gradus redditur ploranti, quàm sublatus est deneganti. Quod vt doceā illud ostendo, quòd nullus Apostolorum nomen pastoris accepit. Solus enim Dominus Iesus Christus dicebat: *Ego sum pastor bonus: me,* inquit, *sequuntur oues meæ.* Hoc ergo nomen sanctum, & ipsius nominis potestatem, post resurrectionem suam Petro pœnitenti concessit, & ter negatus, negatori suo, hanc, quam solus habuit, tribuit potestatem, vt non solùm recuperasse quod amiserat probaretur: verùm etiam & multò amplius pœnitendo, quàm negādo perdiderat acquisisse. Ioan. 10.

Eucherius Lugdunensis. 450.

In Vigilia S. Petri. Dicit ei: *Pasce oues meas.* Prius agnos, deinde oues commisit ei: quia non solùm pastorem, sed pastorum pastorem eum constituit. Pascit igitur Petrus agnos, pascit & oues: pascit filios, pascit & matres: regit & subditos, & prælatos. Omnium igitur pastor est: quia præter agnos & oues in Ecclesia nihil est.

Leo Magnus. 450.

Sermone 2. in anniuersario die assumptionis suæ ad Pontificatum: Manet ergo dispositio veritatis, & B. Petrus

trus in accepta fortitudine petræ perseuerans, susceptæ Ecclesiæ gubernacula nō reliquit. Sic enim præ cæteris est ordinatus, vt dum petra dicitur, dum fundamentum pronuntiatur, dum regni cælorum ianitor cōstituitur, dum ligandorum soluendorumq; arbiter, mansura etiam in cælis iudiciorum suorum definitione, præficitur, qualis ipsi cum Christo esset societas, per ipsa appellationum eius mysteria nosceremus.

Serm. 3. de anniuersario die assumptionis suæ ad Pontificatum: Vnus de toto mundo Petrus eligitur, qui & vniuersarum gentium vocationi, & omnibus Apostolis, cunctisq; Ecclesiæ Patribus præponatur: vt quamuis in populo Dei multi sacerdotes sint, multiq; pastores, omnes tamen propriè regat Petrus, quos principaliter regit & Christus. Magnum & mirabile huic viro consortium suæ potentiæ tribuit diuina dignatio: & si quid cum eo cōmune cæteris voluit esse principibus, nunquam nisi per ipsum dedit, quicquid alijs non negauit. Omnes denique Apostolos Dominus quid de se opinentur homines interrogat: & tamdiu sermo respondentium communis est, quamdiu humanæ intelligentiæ ambiguitas explicatur. At vbi quid habeat sensus discipulorum exigitur, primus est in Domini confessione, qui primus est in Apostolica dignitate. Qui cùm dixisset: *Tu es Christus Filius Dei viui*: respondit ei Iesus: *Beatus es Simon Bariona: quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus, qui in cælis est.* Id est, ideo beatus es, quia Pater meus te docuit, nec terrena opinio te fefellit, sed inspiratio cælestis instruxit: & non caro & sanguis, sed ille me tibi (cuius sum vnigenitus Filius) indicauit. *Et ego*, inquit, *dico tibi*: hoc est, sicut meus Pater tibi manifestauit diuinitatem meam: ita & ego tibi notam facio excellentiam tuā, *quia tu es Petrus*, id est, cùm ego sim inuiolabilis petra, ego lapis angularis, qui facio vtraq; vnum, ego fundamentum, præter quod nemo potest aliud poneré: tamen tu quoque petra es, quia meā virtute solidaris, vt quæ mihi potestate sunt propria, sint tibi mecum participatione communia. *Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & porta inferi non præualebunt aduersus eam.* Super hanc, inquit, fortitudinem æternum extruam templum: & Ecclesiæ meæ cælo inferenda sublimitas in huius fidei firmitate consurget. Hanc confessionem portæ inferi non tenebunt, mortis vincula non ligabunt. Propter quod dicit beatissimo Petro: *Tibi dabo claues*, &c. Transiuit quidem etiam in alios Apostolos vis potestatis illius, & ad omnes Ecclesiæ principes decreti huius constitutio comeauit: sed non frustra vni cōmendatur, quod omnibus intimetur. Petro enim ideo hoc singulariter creditur, quia cunctis Ecclesiæ rectoribus Petri forma præponitur. Manet ergo Petri priuilegiū, vbicumque ex ipsius fertur æquitate iudicium. Nec minima est vel seueritas, vel remissio, vbi nihil erit ligatū, nihil solutum, nisi quod B. Petrus aut soluerit, aut ligauerit.

Matt. 16

Eph. 2. 1. Cor. 3.

Homilia de Transfiguratione Domini cap. 1. Interrogauerat Dominus discipulos suos, inter diuersas aliorū opiniones, quid ipsi de eo crederent, quidve sentirent: vbi Petrus Apostolus, per reuelationem summi Patris corporea superans, & humana transcendens, vidit mentis oculis Filium Dei viui, & confessus est gloriam deitatis: quia non ad solam respexit carnis substantiam, & sanguinis, tantumq; in hac fidei sublimitate complacuit, vt beatitudinis felicitate donatus, sacram inuiolabilis petræ acciperet firmitatem, super quam fundata Ecclesia portis inferi & mortis legibus præualeret: nec in soluendis aut ligandis quorūcunque causis, aliud ratum esset in cælis, quàm quod Petri sedisset arbitrio.

Epist. 81. ad Dioscorum Alexandrinum: Beatissimus Petrus Apostolicum à Domino accepit principatum, & Romana Ecclesia in eius permanet institutis.

Epist. 89. cap. 1. Sed huius muneris sacramentum ita Dominus ad omnium Apostolorum officium pertinere voluit, vt in beatissimo Petro Apostolorum omniū summo principaliter collocaret: vt ab ipso quasi quodam capite dona sua velut in corpus omne diffunderet, vt exortem se mysterij diuini intelligeret esse, qui ausus fuisset à Petri soliditate recedere. Hunc enim in consortium indiuiduæ vnitatis assumptum, id quod ipse erat voluit nominari, dicendo: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, vt æterni ædificatio templi mirabili munere gratiæ Dei in Petri soliditate cōsisteret, hac Ecclesiam sua firmitate corroborans, vt illam nec humana temeritas posset appetere, nec portæ contra illā inferi præualerēt.

Matt. 16.

Prosper Aquitanicus. 460.

De vocatione Gentium lib. 2. cap. 28. Quis ergo ambigat, quis ignoret, hanc fortissimam petram, quæ ab illa principali petra communionem & virtutis sumpsit & nominis, hoc desideriū semper habuisse, vt ei moriendi pro Christo constantia donaretur?

Felix Tertius. 473.

Epistola 1. ad Petrum Episcopum Antiochenum: Nunc igitur sum exorsus aduersus te proferre sententiam: magis autem summus princeps Apostolorū Petrus, qui inter sanctorum Apostolorum præconia veridicus est.

Gelasius. 490.

Epistola 11. ad Episcopos Dardaniæ: Nullus veraciter Christianus ignorat? vniuscuiusque Synodi constitutum, quod vniuersalis Ecclesiæ probauit assensus, nullam magis exequi sedem quàm primam, quæ & vnamquamque Synodum sua auctoritate confirmat, & continuata moderatione custodit, pro suo scilicet principatu, quem B. Petrus Apostolus Domini voce perceptum Ecclesia nihilominus subsequente, & tenuit semper, & retinet.

Possessor Episcopus. 520.

Epistola ad Hormisdam P. Quis maiorem circa subditos solicitudinem gerit, aut à quo magis est nutantis fidei stabilitas expetenda, quàm ab eius sedis præside, cuius primus à Christo rector audiuit: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam?*

Aurelius Cassiodorus. 530.

Libro de amicitia, capite: *Quali discretione beneficiendi sunt amici*: Sanè Dominus Ioanni prætulit Petrum, nec affectum subtraxit discipulo, quem diligebat, Petro conferens principatum. Claues regni cælorum Petro contulit, vt cælum aperiret, & clauderet: Ioanni verò nobis aperiendi sua arcana pectoris facilitatem reserauit. Petro commisit curam & regimen Ecclesiæ suæ: Ioanni verò curam & custodiam matris suæ. Petrus ergo sublimior: sed Ioannes certior. Non audet Petrus inquirere à Domino, quis eum traderet: Ioannes autem innuente Petro (quod princeps Apostolorum inquirere verebatur) confidēter interrogat.

Arator. 540.

Historiæ Apost. lib. 1.

Primus Apostolico parua de puppe vocatus
Agmine Petrus erat, quo piscatore solebat
Squammea turba capi, subitò de littore visus
Dum trahit, ipse trahi meruit: piscatio Christi
Discipulum dignata rapit, quia retia laxet
Humanum capturа genus: quæ gesserat hamum

Ad clauum translata manus, quiq; æquoris imi
Ardebat madidas ad littora vertere prædas,
Et spolijs implere ratem, melioribus vndis
Nunc alia de parte leuat, nec deserit artem
Per latices sua lucra sequens, cui tradidit Agnus
Quas passus saluauit oues, totumq; per orbem
Hoc auget pastore gregem, quo munere summus
Surgit, & insinuans diuina negotia, coram
Sic venerandus ait, &c.
Ferrea quid mirum si cedunt ostia Petro,
Quem Deus æthereæ custodem deputat aulæ?
Ecclesiaq; suæ faciens retinere cacumen,
Infernum superare iubet?

Libro 2.

Sic claudus vterque
Cùm properat, genus omne leuat, gentiq; salutem
Personæ signauit iter, quæ gloria rerum
Contulit, vt Petro Paulum gerat ordo secundum,
Qui fundamentis manet architectus in illis.

Pelagius. 555.

Epistola 1. ad Vigilium Episcopum: Memor sum, me sub illius nomine Ecclesiæ præfidere, cuius à Domino nostro Iesu Christo est glorificata cōfessio, & cuius fides omnes quidem hæreses destruit, sed maximè impietatem præsentis erroris expugnat.

Ioannes Tertius. 560.

Epist. ad Episcopos Germaniæ, & Gallia: Sic Petrus princeps Apostolorum adiutores sibi asciuit Linum & Cletum, nō tamen potestatem pontificij, aut ligandi aut soluendi eis normam tradidit, sed successori suo sancto Clementi, qui sedem Apostolicam post eum, & potestatem pontificalē tradente sibi B. Petro tenere promeruit. Linus verò & Cletus ministrabant exteriora: princeps autem Apostolorum Petrus verbo & orationi insistebat.

Gildas Sapiens. 560.

Correptione in Ecclesiasticum ordinem: Audiamus ergo quid princeps Apostolorum beatus Petrus de tali negotio signauerat: *Benedictus*, inquit, *Deus.*

Fortunatus. 570.

Lib. 3. Carminū in honorem Petri & Pauli Apostolorum:

Celorum portæ, lati duo lumina mundi,
Ore tonat Paulus, fulgurat arce Petrus.
Inter Apostolicas radianti luce coronas
Doctior hic monitis, celsior ille gradu.
Hunc per corda hominum referantur, & astra per illū:
Quos docet iste stylo, suscipit iste polo.
Pandit iter cæli hic dogmate, claubus alter,
Est via cui Paulus ianua fida Petrus.

Lib. 11. ad Chilpericum Regem:

Princeps claue Petrus, primus quoque dogmate Paulus,
Quamuis celsa anima, corpora terra tegit.

Gregorius Magnus. 590.

Libr. epist. 24. Petrus auctore Deo Ecclesiæ sanctæ principatum tenens, à bene agente Cornelio, & sese humiliter si prosternente immoderatius venerari recusauit, sese illi similem recognouit, dicens: *Surge, ne feceris, & ego homo sum.* Sed cùm Ananiæ & Sapphiræ culpam reperit, mox quanta potentia super cæteros excreuisset, ostendit. Verbo namque eorum vitam perculit, quam spiritu perscrutante deprehendit, & summum se intra Ecclesiam contra peccata recoluit, quod honore sibi vehementer impenso coram bene agentibus fratribus non agnouit. Hîc cōmunionem æqualitatis meruit sanctitas actionis: illic zelus vltionis vim aperuit potestatis.

Act. 10. Act. 5.

Lib. 3. epist. 33. ad Theodelindam Reginam: Cùm itaque integritatem nostram ex aperta mea traditione, seu professione cognoscitis, dignum est vt de Ecclesia B. Petri Apostolorum principis nullum vlterius scrupulum dubietatis habeatis: sed in vera fide persistite, & vitam vestram in petra Ecclesiæ, hoc est in confessione B. Petri Apostolorū principis solidate.

Lib. 4. epist. 32. ad Mauritium Augustum: Cunctis Euangelium scientibus liquet, quòd voce Dominica sancto & omnium Apostolorum principi Petro Apostolo totius Ecclesiæ cura commissa est. Ipsi quippe dicitur: *Petre amas me? Pasce oues meas*, &c. Ecce claues regni cælestis accipit, potestas ei ligandi & soluendi tribuitur, cura ei totius Ecclesię & principatus committitur.

Ioan. 21.

Lib. 6. epist. 37. Quis enim nesciat sanctam Ecclesiam in Apostolorum principis soliditate firmatam, quia firmitatem mentis traxit in nomine, vt Petrus à petra vocaretur? Cui veritatis voce dicitur: *Tibi dabo claues regni cælorum.*

Matt. 16.

Homilia 21. super 16. cap. Marci: Qua in re considerandum nobis est, cur omnipotēs Deus eum, quē cunctæ Ecclesiæ præferre disposuerat, ancillæ vocē pertimescere, & seipsum negare permisit. Quod nimirum magnæ esse actum pietatis dispensatione cognoscimus, vt is, qui futurus erat pastor Ecclesiæ, in sua culpa disceret, qualiter alijs misereri debuisset. Prius itaq; eum ostendit sibi: & tunc præposuit cæteris, vt ex sua infirmitate cognosceret, quàm misericorditer aliena infirma toleraret.

Isidorus Hispalensis. 620.

De vita & morte Sanctorum cap. 69. Simon Petrus filius Ioannis, frater Andreæ, Apostolorum princeps est, & confessor primus Filij Dei, & discipulus, pastor humani gregis, petra Ecclesiæ, clauicularius regni, amator Domini atque negator: confitendo laudatus, negando lapsus, lachrymando purificatus, confessione probatus, passione coronatus: cuius nomini ex opere datur titulus, ex merito potestas imponitur.

De officijs Ecclesiasticis lib. 2. cap. 5. In nouo Testamento post Christum sacerdotalis ordo à Petro Apostolo cœpit. Ipsi enim primus Pontificatus datus est in Ecclesia Christi. Sic enim loquitur ad eum Dominus: *Tu es Petrus, & super hanc petrā ædificabo Ecclesiā meā*, &c. Hic ergo ligandi soluēdiq; potestatem primus accepit, primusq; ad fidem populum virtute suę prędicationis adduxit. Siquidem & cęteri Apostoli cum Petro par consortium honoris, & potestatis acceperunt, qui etiam in toto orbe dispersi Euangeliū prædicauerunt, quibusq; decedentibus successerunt Episcopi, qui sunt constituti per totum mundum in sedibus Apostolorum.

Matt. 16.

Hildephonsus Toletanus. 660.

Sermone 5. de Assumptione Mariæ: Beatissimo etenim Petro Apostolorum principi cæterisque Apostolis non incognita fuit eius purissima vita & actio.

Aldhelmus. 680.

De laudibus Virginitatis ad sacras virgines cap. 28. Pastor gregis Dominici, & ianitor cælestis aulæ, de quo Poëta:

Clauiger æthereus, portam qui pandit ad æthra:

ita auctoritate principali, & authentico pontificatu promulgat.

Epistola ad Gerunthium: Si ergo Petro claues cælestis regni à Christo collatæ sunt, de quo Poëta ait:

Clauiger æthereus, portam qui pandit ad æthra:

quis Ecclesiæ eius statuta principalia spernens, & doctrinæ mandata contemnens, per cælestis paradisi portam gratulantibus ingreditur? & si ipse potestatem ligandi atque monarchiam in cælo & terra felici sorte, & peculiari priuilegio accipere promeruit, quis paschalis festi regulam, & tonsuræ Romanæ ritum refutans, non potius se strictis nexibus inextricabiliter obligandum, quàm clementer absoluendum vllatenus arbitretur? &c. Fundamẽtum Ecclesiæ, & firmamentum fidei principaliter in Christo, & sequenter in Petro collocatum, nequaquam ingruentibus tempestatum turbinibus nutabundum vacillabit, ita Apostolo promulgante: *Fundamentum aliud nemo potest ponere*, &c. Petro autem veritas ita priuilegium Ecclesiæ sanxit: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.*

Agatho. 680.

Epistola ad Constantinum Imp. Heraclium, & Tiberium AA. Quod & beatus Petrus Apostolorũ princeps commonet: *Pascite, qui in vobis est, gregem Christi,* 1.Pet.5.
&c. Hanc doctrinam beatus Petrus tradidit: quia eius vera confessio à Patre de cælis est reuelata, pro qua à Domino omnium beatus esse pronuntiatus est Petrus: qui & spiritales oues Ecclesiæ ab ipso Redemptore omnium terna commendatione pascendas suscepit: cuius adnitente præsidio hæc Apostolica eius Ecclesia nunquam à via veritatis in qualibet erroris parte deflexa est: cuius auctoritatẽ, vtpote Apostolorum principis, semper omnis Catholica Christi Ecclesia secuta est.

Iulianus Pomerius. 680.

Contra Iudæos lib.3. Sic Petrus ipse, discipulorũ omnium primus, nullis calculationum obicibus prædicationem suam obnoxiam cernens, inquit, &c.

Aponius. 700.

Lib.2.in Cantica: Manifestata est autem omni terræ, vbi pascua sanæ doctrinæ Apostolorum principi reuelata est Petro, dum interrogante Christo Matth.16
respondet: *Tu es Christus Filius Dei viui, qui in hunc mundum venisti*, &c. Ista pascua non videt Iudæus, neque gentilis, neque omninò hæreticus, qui non sequuntur pastorem, quem princeps pastorum Christus mundo Vicarium dereliquit, dicendo: Ioan. 21.
Si amas me, pasce oues meas.

Beda. 700.

Ad cap.22.Lucæ: Sicut ipse tuam fidem, ne Satana tentante deficiat, orando protexi: ita & tu infirmiores quosque fratres exemplo tuę pœnitentię, ne de venia fortè desperent, erigere & confortare memento.

Ad cap.13. Ioannis: *Venit quoque ad Simonem Petrum.*) Quasi aliquibus iam lauisset, & post eos venisset ad primum. Quis enim nesciat primum Apostolorum esse beatissimum Petrum? Sed non ita intelligendum est, quòd post aliquos ad illum venerit, sed quòd ab illo cœperit.

Homilia in Vigilia Apostolorum Petri & Pauli: Quòd Petro dictum est: *pasce oues meas*, omnibus vtique dictum est. Hoc namque erant cæteri Apostoli, quod fuit Petrus: sed primatus Petro datur, vt vnitas Ecclesiæ commendetur.

Homilia in die Apostolorum Petri & Pauli: Ideo Beatus Petrus, qui Christum vera fide confessus, vero est amore secutus, specialiter claues regni cælorum & principatum iudiciariæ potestatis accepit, vt omnes per orbẽ credentes intelligant, quia quicunque ab vnitate fidei vel societatis illius quolibet modo semetipsos segregãt, tales nec vinculis peccatorum absolui, nec ianuam possint regni cælestis ingredi.

Zacharias Papa. 730.

Epist. ad Vittam: Pro quo & nos ardenti animo, & diuino iuuamine, ac auctoritate B. Petri Apostolorum principis, cui data est à Deo ac Saluatore nostro Iesu Christo ligandi soluendiq; potestas peccata hominum in cælo & in terra, &c.

Alcuinus. 750.

Ad cap. 21. Ioan. Trinæ negationi redditur trina confessio, ne minus amori lingua seruiat, quàm timori: & sicut fuit iudicium timoris negare pastorem, sic officium amoris pascere Domini gregem, &c. Pascere oues est credentes, ne deficiant, confortare: terrena subsidia, si necesse est, subditis prouidere: exempla virtutum præbere, aduersarijs obsistere, peccantes corrigere.

Stephanus Tertius. 768.

Epistola ad Carolum & Carolomannum Reges Francorum: Quapropter & beatus Petrus princeps Apostolorum, cui regni cælorum claues à Domino traditæ sunt, ac in cælo & in terra ligandi soluendiq; concessa est potestas, firmiter excellentiam vestram, per nostram infelicitatem obtestatur, &c.

Adrianus Primus. 790.

Epistola 3. Euangelium scientibus liquet, quòd voce Dominica sancto & omnium Apostolorum principi Petro claues regni cælorum, & totius Ecclesię cura commissa est. Ipsi quoque dicitur: *Petre, amas me? pasce oues meas.* Ipsi dicitur: *Ecce Satanas expetiuit, vt cribraret vos, sicut triticum: sed ego rogaui pro te.* Ipsi dicitur: *Tu es Petrus*, &c. Ecce cura ei totius Ecclesiæ & principatus committitur. Ioan. 21. Luc.22. Matt. 16.

Haymo. 820.

Dominica 2.post Pascha: Vnde primus pastor Ecclesiæ reliquos pastores admonet, dicens: *Seniores, qui in vobis sunt, obsecro.*

Walafridus Strabo. 830.

De rebus Ecclesiasticis cap.22. Et Romani quidem vsum obseruationum à beato Petro Apostolorũ principe accipientes, suis quiq; temporibus, quæ congrua iudicata sunt, addiderunt. Quorum morem ideò in sacris rebus tam multæ gentes imitantur, quia & tanti magisterij ex apice Apostolico primordijs clarent, & nulla per orbẽ Ecclesia æquè vt Romana ab omni fæce hæresium cunctis retro temporibus pura permansit.

Rabanus Maurus. 850.

Ad Matth.cap.16. Habent quidem eandem iudiciariam potestatem Apostoli, quibus post resurrectionem ait: *Accipite Spiritum sanctum*, &c. Habet & omnis Ecclesia in Episcopis, & presbyteris: sed ideo specialiter Petrus accepit, vt omnes intelligant, quòd quicumque ab vnitate fidei, & societate eius se separauerit, nec à peccatis solui, nec cælum potest ingredi.

Ad cap.vlt.Ioannis: Simon, id est obediẽs, qui propter primatũ Apostolici ordinis vocatur Petrus, id est firmus.

Lupus Ferrariensis. 850.

Epist.84. In eo læsisti Apostolos, quorum princeps est Petrus: læsisti Episcopos, qui iam cũ Deo regnant in cælis.

Nicolaus Primus. 860.

Epist.6. Postquam B. Petro principi Apostolorũ Dominus ac Redemptor noster Iesus Christus ligandi atque soluendi in cælo & in terra potestatẽ tribuit, & ianuas regni cælestis referandas concessit, supra soliditatẽ fidei suam sanctã dignatus est stabilire Ecclesiã, secundùm illius veridicã vocẽ: *Tu es Petrus*, &c. Ad quã promissionẽ S. Apostolicæ Matt. 16.
institutionis cemento cœperũt huius fundamẽta ex pretiosis succrescere lapidibus, & annuente diuina clementia, per studiũ structorum, & Apostolicæ auctoritatis solicitudinem, vsque ad culmen

insolubiliter perducta perpetualiter mansura, fine finistræ auræ impulsu consistere: cuius primatum beatus Petrus princeps regni cælorum, & ianitor regni cælestis meritò promeruit.

Epistola ad Mediolanenses: Ecclesiam Romanam solus ipse fundauit, & super petram fidei mox nascentis erexit, qui beato Petro æternę vitæ clauigero terreni simul & cęlestis imperij iura cõmisit. Non ergo quælibet terrena sententia, sed illud verbum, quo constructum est cælum & terra, per quod denique omnia condita sunt elementa, Romanam fundauit Ecclesiam. Illius certè priuilegio fungitur, cuius auctoritate fulcitur.

Ioannes Octauus. 870.

Epist.75. Conuertimini igitur ad beatũ Petrum Apostolorum principẽ, qui primus cognouit & cõfessus est Filiũ Dei: qui oues Dominicas regendas accepit, & vt has ad æternę pascua vitæ introducere posset, & hîc ligandi soluendiq; potestatem, & illic referandi eis claues cęlestis regni promeruit.

Eulogius Toletanus. 880.

In memoriali Sanctorum: Nam & beatus Petrus Princeps Apostolorum, firmissimũ Ecclesiæ Catholicæ fundamentum, vtpote cui ab ipso Redẽptore dictum est: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, ita in suis epistolis ait, &c.

Annales Caroli Magni scripti anno 890.

Libro 5.

Prodq; locis sanctis alijs specialiter eius
Menti Romanæ sedis inhæsit amor.
Nam sanctum venerans Petrum, qui clauiger extat
Cæli, quiq; chori primus Apostoluc:
Eius ad Ecclesiam donaria maxima sæpe
Mittens, thesauros contulit innumeros.

Altercatio Synagogæ & Ecclesiæ. 900.

Cap.19. Romanæ sedis nunquam intermorituram esse fidem Christus pronuntiasse videtur, quando concreditis atque collatis Petro cælestis regni clauibus, id est, totius Ecclesiæ suprema potestate commissa: *Ego*, inquit, *rogaui pro te, vt non deficiat fides tua.* Et alibi: *Tu es Petrus*, &c. Petrũ quippe Romanæ Ecclesiæ Præsulem fore, ibique martyrio consummandum præuidit, cuius fidẽ non defecturam promittit. Quid quęso nobis insinuisse censendus est, quàm quòd ea potissimum Ecclesia, cuius Petrus velut è vicino (cùm esset aliàs omnium post Christum Ecclesiarũ caput, & summus Antistes) Præsul erat futurus, in vnius ac veræ fidei confessione perpeti consensu semper esset permansura?

Luitprandus Ticinensis. 950.

Lib.6.cap.8. Princeps Apostolorum beatus Petrus verbo cælum indignis claudit, iustis aperit.

Smaragdus. 960.

Ad caput vltimum Marci: Omnipotens Deus, quẽ cunctis præferre disposuerat, ancillę vocem pertimescere, & seipsum negare permisit.

Leo Nonus. 1049.

Ad Michaëlem Imp. & Leonem Acridanum capite 7. Taliter sancta Ecclesia super petram, id est, Christum, & super Petrum, vel Cepham filium Ioannis, qui prius Simon dicebatur, ædificata, quia inferi portis, disputationibus scilicet hæreticorũ, quę vanos ad interitum introducunt, nullatenus foret superanda, sic pollicetur ipsa veritas, per quam sunt vera quæcunque vera sunt: *Portæ inferi non præualebunt aduersus eam:* cuius promissionis Matt. 16.
effectum se precibus impetrasse à Patre idem Filius protestatur, dicendo ad Petrum: *Simon ecce Sa-* Luc.22.
tanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum: ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando cõuersus confirma fratres tuos. Erit ergo quisquam tantæ dementię, qui orationem illius, cuius velle est posse, audeat in aliquo vacuam putare?

Epistola ad Petrum Episcopum Antiochenũ, cùm multa dixisset de dignitate Petri & Romanæ sedis prærogatiua, subiungit: Nimirum solus est ille, pro quo, ne deficeret fides eius, Dominus & Saluator asseruit se rogasse, dicens: *Simon ecce Satanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum: ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos:* quæ venerabilis & efficax oratio obtinuit, quòd hactenus fides Petri non defecit, nec defectura creditur in throno illius vsque in seculum seculi, sed confirmabit corda fratrum varijs concutienda fidei periclitationibus, sicut vsque nunc confirmare non cessauit.

Petrus Damianus. 1060.

Sermone 1.de B.Andrea Apostolo: Et vt magis stupeas, non molestè tulit Andreas, quòd in fide primus, factus est ordinis dignitate secundus: nec zelo ductus est, quòd Petrus, qui eius ducatu posterior credidit, cuiusqũe ad fidem ipse præuius fuit, prioratus tamen inter Apostolos iura suscepit.

Alexander Secundus. 1061.

In Concilio Romæ celebrato: Cùm omnibus discipulis parem ligandi atque soluendi potestatem Dominus daret, Petro præ omnibus claues regni cælestis se daturum promisit. Quicunque ergo ab vnitate Ecclesię, quæ per Petrum intelligitur, fuerit alienus, execrare potest, consecrare non potest.

Gregorius Septimus. 1076.

Lib.8.epist.21. Quis ignorat vocem Domini nostri Iesu Christi dicentis in Euangelio: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: & portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Et tibi dabo claues regni cælorum*, &c. Nunquid hîc reges excepti? aut non sunt de ouibus, quas Filius Dei Petro commisit? Quis rogo in hac vniuersali concessione ligandi atque soluẽdi à potestate Petri se exclusum esse existimet? Nisi fortè infelix ille, qui iugũ Domini portare nolens, diaboli se subijcit oneri, & in numero ouium Christi esse recusat? Cui tamen hoc ad miseram libertatẽ minimè proficit, quòd potestatem Petri diuinitus sibi cõcessam à superba ceruice excutit. Quoniam quantò eam quisque per elationem ferre abnegat, tantò durius ad dãnationem suam in iudicio portat. Hanc itaq; diuinæ voluntatis institutionem, hoc firmamẽtum dispensationis Ecclesiæ, hoc priuilegium B. Petro Apostolorum principi cęlesti decreto principaliter traditum atque firmatum, sancti Patres cum magna veneratione suscipientes, sanctam Romanam Ecclesiam vniuersalem matrem appellãrunt.

Anselmus. 1080.

Ad caput 16. Matthæi: *Quorum remiseritis peccata.* Eam potestatem ideò quasi vni Petro concessit specialiter, vt ad vnitatẽ nos inuitaret. Ideò enim eum principem Apostolorum instituit, vt Ecclesia quasi vnum principalem Vicarium Christi haberet, ad quem diuersa Ecclesię membra recurrerent, si fortè inter se dissentirent: quoniam si diuersa essent capita in Ecclesia, vnitatis vinculum rumperetur per diuersa schismata.

Iuo Carnotensis. 1100.

Epistola 54. Petrus postquam Christum cũ periurio negauit, culpam lachrymis diluens, non solùm Apostolus, sed etiam Apostolorum princeps mansit.

Honorius Augustodunensis. 1120.

Sermone de Petro & Paulo: Petrum Dominus pisces insequentem de naui vocauit, claues ei regni cælorum donauit, principem Ecclesiæ exaltauit.

Sermone de decollatione Ioannis Baptistæ: Petrus, qui à Deo princeps Ecclesię ianitorqúe cæli constituitur, versis pedibus vt canis suspenditur.

Rupertus Tuitiensis. 1120.

De Trinitate & operibus eius, in volumen quatuor Euangeliorum lib. 1. cap. 25. Potestas quidem communis est omnium Apostolorum, sed vnum & singulare vnius est Petri priuilegium, cui prius & singulariter dictum est: *Tibi dabo claues regni cælorum.*

De processione Spiritus sancti lib. 9. cap. 18. Rectè Petrus hic intelligitur vnus de Seraphim. Ipse enim est Apostolorum primus, & ipsi præ cæteris dictum est: *Quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum in cælis.*

Hugo Victorinus. 1130.

Sermone 64. de Apostolis Petro & Paulo: Petrus cæteris eminet excellentia potestatis: Paulus excellentia prædicationis. Petrus sol, Paulus luna: Petrus sol per collatam sibi diuinitus potentiam, Paulus luna per collatam sibi cęlitus sapientiam. Luminare maius fecit Deus, dùm dixit Petro: *Caro & sanguis* fidei sacramentum *tibi non reuelauit, sed Pater meus, qui est in cælis*: & illum tunc lucere in cęlo præcepit, dum illi claues regni cęlorum contradidit. Luminare minus fecit, dum Saulũ strauit, & Paulum erexit, &c. Petrum Soli comparo, cùm Petro soli dictum esse constet: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, &c. Petroqúe soli inter cæteros, & præ cæteris à Domino cura pastoralis principaliter & specialiter iniuncta est, vbi dicit: *Pasce agnos meos.*

Bernardus. 1130.

Sermone 3. de septem misericordiarum fragmentis: Testis est Paulus gentium Doctor, qui plus omnibus diuina gratia laborauit: Testis est Matthæus de telonio in Apostolum electus, cui etiam noui Testamenti primum scriptorem esse donatũ est: Testis & Petrus, cui post trinam negationem totius Ecclesię cura pastoralis commissa est.

De consideratione ad Eugenium lib. 2. cap. 9. Cui enim non dico Episcoporum, sed etiam Apostolorum, sic absolutè & indiscretè totæ commissæ sunt oues? *Si me amas Petre, pasce oues meas.* Quas? illius, vel illius populos ciuitatis, aut regionis, aut certè regni? *Oues meas* (inquit.) Cui non planum, non designasse aliquas, sed assignasse omnes. Nihil excipit, vbi distinguitur nihil. Et fortè præsentes cęteri condiscipuli erant, cùm committens vni, vnitatem omnibus commendaret, in vno grege, & vno pastore, secundùm illud: *Vna est columba mea, formosa mea, perfecta mea.* Vbi vnitas, ibi perfectio: Reliqui numeri perfectionem nõ habent, sed diuisionem, recedẽtes ab vnitate. Inde est, quòd alij singuli singulas sortiti sunt plebes, scientes Sacramẽtum. Denię Iacobus, qui videbatur columna Ecclesię, vna contentus est Hierosolyma, Petro vniuersitatem cedens. Pulchrè verò ibi positus est, suscitare semen defuncti fratris, vbi occisus est ille: nam ille dictus est frater Domini. Porrò cedente Domini fratre, quis se alter ingeret Petri prærogatiuæ? &c. Discipuli nauigabant, & Dominus apparebat in littore: quodqúe iucundius erat, in corpore rediuiuo: *sciens Petrus, quia Dominus est, in mare se misit*, & sic venit ad ipsum, alijs nauigio perueniẽtibus. Quid istud? Nempe signum singularis pontificij Petri, per quod non nauem vnam, vt cæteri quique suam, sed seculum ipsum susceperit gubernandum: mare enim seculum est: naues Ecclesiæ. Inde est quòd altera vice, instar Domini gradiens super aquas, vnicum se Christi Vicarium designauit, qui nõ vni populo, sed cunctis præesse deberet. Siquidé *aquæ multæ, populi multi.* Ita cùm quisque cæterorum habeat suam, tibi vni cõmissa est grandissima nauis, facta ex omnibus; ipsa vniuersalis Ecclesia, toto orbe diffusa.

Cant. 6.

Galat. 2.

Galat. 1.

Ioan. 21.

Sermone 1. in die Petri & Pauli: Quid Petro potentius, cui & terra obediuit, cùm mortuos reddidit, & mare sub pedibus eius se calcabile præbuit, qui Simonem Magum spiritu oris sui in aëre attigit: qui claues regni cęlorum tam singulariter accepit, vt præcedat sententia Petri sententiam cęli?

Epist. 237. ad Eugenium Pap. *Locus, in quo stas, terra sancta est*: locus Petri, locus principis Apostolorum, vbi steterũt pedes eius: locus illius est, quem constituit Christus dominum domus suæ, & principem omnis possessionis suæ. Meritò tali pastori, tali nutritio commissa est Ecclesia, quum adhuc tenera, adhuc in incunabulis esset, cuius docta magisterio, & exemplo educata omnia terrena calcaret.

Otto Frisingensis. 1150.

Libro 3. Chronicorũ cap. 15. Petrus aliorum princeps, totius orbis dominam sortitur Romam.

Potho Prumiensis. 1150.

De statu domus Dei lib. 1. In hac tota domo beatus Petrus cum suis successoribus plenitudinem potestatis accepit. Vnde quicunque in partem solicitudinis vocati sunt, vt ea, quę in partem regenda susceperũt, prouida dispensatione gubernent, eius auctoritate roborandi, eius exemplis informandi sunt, qui in plenitudine potestatis toti Ecclesiæ præesse dinoscitur.

Hugo Etherianus. 1160.

De processione Spiritus sancti lib. 3. cap. 17. Quibus ex rebus liquidò claret, quòd Petrum, eiusqúe successorem Christus principem & caput, non modò Latinorum, & Græcorum, Occidentis, & Septentrionis vniuersi: verùm etiam Armenorum, Arabum, Iudæorum, Madianitarum, & totius Orientis, & Meridiani climatis in perpetuũ constituit.

Guarricus Igniacensis. 1170.

De Assumptione Mariæ Serm. 4. Sic inter Petrum, qui plus diligebat: & Ioannem, qui plus diligebatur, hereditatem suam Christus diuisit, vt Petrus sortiretur Ecclesiam, Ioannes Mariam.

Sermone ad excitandam deuotionem in Psalmodiam: Propterea non ego, sed magis Ecclesię princeps, & pastor, vos admonet: *Quasi modò geniti infantes, rationabile & sine dolo lac concupiscite.* 1. Pet. 2.

Godfridus Viterbiensis. 1180.

Parte 14. Chronicorum de Simone Petro: Petrus firmamentum petræ in Ecclesia est: Cephas caput Ecclesiæ est: Petrus Apostolorum princeps est: primus confessor Dei, & discipulus est: Pastor humani generis, clauiger æthereus.

Adam Victorinus. 1180.

Prosa de Petro & Paulo:

Petrus præit principatu,
Paulus pollet magistratu
Totius Ecclesiæ.
Principatus vni datur,
Vnitasq́ commendatur
Fidei Catholicæ.
Vnus cortex est granorum,
Sed & vna vis multorum
Sub eodem cortice.

Prosa de S. Petro:

Petro sunt oues creditæ,

Claues q̃ cæli traditæ:
Petri præit sententia,
Ligans ac soluens omnia.

Innocentius Tertius. 1200.

Sermone 1. in Festo Gregorij Papæ: Licet communiter omnes Apostoli claues regni cælorum acceperunt, ac per hoc omnes Episcopi, vt quicquid adhibitis clauibus ligauerint super terram, sit ligatum & in cælis; & quicquid soluerint super terram, sit solutum & in cælis: principaliter tamen beatus Petrus claues regni cęlorum accepit, & per hoc successor eius, vt ipse possit ligare cæteros, sed ligari non possit à cęteris. Ei namque singulariter dictum est: *Tu vocaberis Cephas*, id est, caput. Sicut enim in humano corpore solum caput habet plenitudinem sensuum, cætera verò membra partem recipiunt plenitudinis: sic & in Ecclesiastico corpore cęteri Episcopi vocati sunt in partem solicitudinis, sed supremus Pontifex assumptus est in plenitudinem potestatis.

Matt. 16.

Ioan. 20.

Lib. 1. mysteriorum Missæ cap. 8. Omnibus Apostolis Christus vnum præposuit, videlicet Petrum, cui totius Ecclesię principatũ, & ante passionem, & circa passionem, & post passionem commisit. Ante passionem, cùm dixit: *Tu es Petrus, & super hãc petram ædificabo Ecclesiam meam*, &c. Licet enim vniuersis Apostolis communiter dixerit: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur ijs*: principaliter tamen Petro concessit, cùm dixit: *Quodcunque ligaueris super terram*, &c. Circa passionem autem, cùm pluraliter dixisset de omnibus: *Simon, ecce Satanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum*, singulariter tamen pro Petro subiunxit: *Ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua*: statimq́ subiunxit: *& tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos.* Ad Petrum igitur, tamquam ad magistrum, pertinet cæteros confirmare, cuius fides in nulla tentatione defecit, &c. Post passionem autem, cùm tertiò quæsisset à Petro, *Simon Ioannis, diligis me plus his?* & ille tertiò respondisset: *Domine tu scis, quia amo te*: tertioq́ præcepit: *Pasce oues meas*: statimq́ subiunxit: *Sequere me.* Petrus enim secutus est Christum nõ solùm genere martyrij, sed & in ordine magisterij.

Ioan. 21.

Iacobus Vitriacus. 1220.

Historiæ Orientalis cap. 75. Cephas, qui simpliciter caput interpretatur, id est, Petrus totius mundi caput à Domino est constitutus, dicente Domino absque aliquorum exceptione: *Quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis.* Et iterum: *Pasce oues meas.* Non dixit tantùm Latinos, vel Occidentales, sed simpliciter oues meas, vt esset vnum ouile, & vnus pastor.

Matth. 16

Ioan. 21.

Albertus Magnus. 1240.

Ad caput 10. Matth. Petrus primus dignitate, non vocatione: propter quod vertex dicitur Apostolorum, &c. Attende, quòd licet Petrus vertex dicatur primus, non tamen Andreas secundus dicitur, nec Philippus tertius, & sic deinceps: sed omnes secundi sunt à Petro, ad iurisdictionem: quia non vnus sub alio, sed omnes sub Petro.

Ad cap. 16. Matthęi: *Dico autem tibi.*) Singulariter: non quòd singulariter acceperit claues Petrus, sed quia in vnitate ordinis Ecclesiæ vnus est, qui accipit plenitudine potestatis, qui est successor Petri, & Petrus in potestate.

Thomas Aquinas. 1250.

Libro 1. contra errores Græcorum cap. 32. Habetur ex Græcorum Doctorum auctoritatibus, quòd Romanus Pontifex habeat in Ecclesia plenitudinem potestatis. Dicit Cyrillus Patriarcha Alexandrinus, in libro Thesaurorum: Sicut Christus accepit à Patre sceptrum Ecclesię Gentium, ex Israël egrediens, super omnem principatum & potestatem, super omne quodcunque est, vt ei cũcta curuentur: sic & Petro, & eius successoribus, plenissimam potestatem pleniſſimè cõmisit, vt etiam nulli alij quàm Petro Christus quod suũ est plenum ipsi soli dedit, &c. Hoc etiam traditur auctoritate Scripturę. Nam Dominus Matth. 16. vniuersaliter Petro dixit: *Quodcunque solueris super terram*, &c. Ostenditur etiam, quòd Petrus sit Christi Vicarius, & Romanus Pontifex Petri successor in eadem potestate ei à Christo collata.

Guibertus Tornacus. 1260.

De officijs Ecclesiasticis cap. 35. Cæteris Apostolis singulæ nauiculæ, singulæ scilicet Ecclesiæ commissę sunt: Petro verò maris vniuersitas est commissa. Iacobus, qui columna esse videbatur Ecclesiæ, sola Hierosolyma contentus est, & singuli singulis: Petro verò vniuersalis Ecclesia in toto orbe diffusa, in quo terminatur omnis perfectio hierarchica.

Iacobus Genuensis. 1280.

Sermone vltimo de Petro & Paulo: Petrus fuit cæteris Apostolis sublimior in prælatione: Christus enim eum summum Pontificem fecit, & suum Vicarium constituit, & dereliquit, quando ei dixit: *Petre pasce oues meas.*

Augustinus Triumphus. 1320.

De potestate Ecclesiastica quæst. 7. art. 2. Paulus fuit minor Petro, & maior, & æqualis. Minor quidem fuit potestate prælationis: quia solus Petrus fuit Cephas, id est, caput totius Ecclesię. Maior autem prærogatiua electionis; quia electus fuit à Christo post resurrectionem, & post glorificationem: vnde in bulla Papæ Paulus ponitur à dextris, Petrus verò à sinistris: sed æqualis fuit officio prædicationis.

Quæst. 8. art. 3. Christus instituit Petrum suum Vicariũ, cui totum, quod suum erat, plenè commisit, vt loco eius regeret totam Ecclesiam.

Nicolaus Lyranus. 1320.

Ad cap. 10. Matth. *Primus Simon.*) Non propter primitatem temporis, sed dignitatis: quia tamquam principali Apostolo Christus commisit sibi Ecclesiam regendam, vt patet Ioannis vltimo; Andreas autem frater eius fuit primus Christi discipulus ordine temporis, vt patet Ioannis 1.

Ad cap. 16. Matth. Potestas clauium data Petro intelligitur dari alijs, licet Petro principalius, in quantum erat aliorum capitaneus.

Ludolphus Saxo Carthusianus. 1330.

Vitæ Christi par. 2. cap. 1. Respondit Petrus pro omnibus, scilicet pro se, & pro alijs: quia omnes vnum sciebant, & idem sentiebant. Licet alij Apostoli etiam scirent, iste tamen tamquam senior, & princeps, & caput aliorum, fit os totius collegij, ac pro omnibus respondit, qui omnibus præesse ac prodesse debuit, &c. Hic Petrus eligitur Ecclesię Prælatus, sed post cum alijs Apostolis hãc promissam potestatem accepit, vbi Apostoli Episcopi sunt ordinati, quando post resurrectionẽ Dominus insufflans in eos dixit: *Accipite Spiritum sanctum*, &c. Sed pastorem omnium fidelium, & Apostolorum principem, ac suum Vicarium in tota Ecclesia præfecit, cùm ei dixit: *Pasce oues meas.* Ioan. 20.

Petrus Bertrandus. 1330.

Tractatu de origine & vsu iurisdictionum, quæst. 4. Etsi Andreas prius venit ad fidem quàm Petrus: prælatus est tamen Petrus Andreæ, cùm in Apostolorum catalogo semper Petrus quasi præcipuus præmittatur: non quòd Petrus sit prior, siue potior tempore, sed potior dignitate.

Guido Carmelita. 1330.

Contra VValdenses errore primo: Constat quòd Dominus Petrum, & in Petro Petri successores posuit omnium fidelium caput.

Ioannes Bocatius. 1360.

De casibus virorum illustrium lib. 9. Christus ascensurus Petro Simoni postquam vices suas commiserat, eumque pio gregi præfecerat, claues cõcessit, asserens aduersus eum nec Ditis ianuas prevalere.

Catharina Senensis. 1370.

Tract. 3. cap. 119. Petrus princeps cęterorum Apostolorum claues ab vnigenito Filio Dei regni cælorum accepit.

Petrus Aliacus. 1400.

Sermone in Synodo: Sic docuit nos Apostolorum,
1. Pet. 5. Prælatorumq; omnium princeps, dicens: *Obsecro, pascite, qui in vobis est, gregem Dei.*

Thomas VValdensis. 1410.

Doctrinalis fidei lib. 2. artic. 1. cap. 1. Iam audisti de primatu Petri, vt cognominatus à petra. Petrus eo ipso claruit principatu Apostolatus, & ipso in ordine Apostolorum primus, non quidẽ tempore, quem Andreas frater eius præcessit vocatione. Non ergo primus, nisi auctoritatis prælatione. Quod etiam manifestauit, quando appellatur princeps: sic enim sancti Patres Ecclesiæ singulos Apostolos Ecclesiarum principes, solùm autem Petrum principem Apostolorum, vel prælatum appellant.

Laurentius Iustinianus. 1430.

De obedientia cap. 12. Huius siquidem Apostolicæ sedis arcem, huiusq; Catholicæ Ecclesiæ monarchiam Apostolus Petrus primus accepit, quãdo Dei Filium esse Dominum nostrũ Iesum Christum confessus est, dicens: *Tu es Christus Filius Dei viui.* Quamobrem ab eodem Domino audire promeruit: *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.*

Ioannes Capistranus. 1440.

De Papæ & Conciliorum auctoritate fol. 114. Nec obstat, quod dicunt nonnulli schismatici, quòd potestas data fuit à Christo omnibus Apostolis: quia licet omnibus data fuerit potestas clauiũ, tamen cum suo ordine, vt à Christo principaliter in Petrum, & à Petro in cęteros condescendat: *sicut vnguentum in capite,* scilicet Christo: *quod descendit in barbam Aaron,* scilicet summi Pontificis: *quod descendit in oram vestimenti eius,* scilicet in alios Episcopos, & ab Episcopis in alios sacerdotes. Hinc etiam dixit Dominus Petro: *Confirma fratres tuos.* Lucæ 22.

Pius Secundus. 1460.

In Bulla retractationum suarum: Non duos, aut plures instituit Dominus, qui suum locum tamquam capita tenerent, sed vnum cõstituit, & verticem & pastorem vniuersi gregis, Simonem Petrum, dicens: *Tu es Petrus,* &c.

Libro de Aulicorum miseriis: Petrus Apostolorum princeps, & caput Ecclesiæ dicit: *Subiecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum.*

Gabriel Bielius. 1480.

Lectione 32. in Canonẽ: Petrus fuit summus ac caput Apostolorum, cui claues regni cęlorum collatæ sunt, qui & cęterorũ confirmator fuit, postquam à negatione Domini conuersus surrexit: cuius adhuc successor totius Ecclesiæ obtinet principatum.

Albertus Crantzius. 1500.

In Metropoli lib. 2. cap. 1. Petrus, ante Simon Ioannis vocatus, à petra Christo, super quem fundata est Ecclesia, princeps Apostolorum, cui tradidit excellenter Christus claues regni cęlorũ. Omnibus quidem Apostolis generaliter contribuit, sed ordo deposcebat Hierarchicus, vt esset in vno super omnes plenitudo potestatis. Primus in terris Christi Vicarius Cephas inde dictus sedit Antiochiæ annis 7. Sed quoniam caput Ecclesię cõgruenter ad caput imperij erat transferendum, venit Romam secundo Claudij anno.

Baptista Mantuanus. 1510.

Libro 6. Fastorum in martyrio Petri & Pauli:

Nomen erat Petro Simon ab origine: sed cùm
Vellet eum Deus esse basin templo ædificando,
Fecit ei solidæ nomen de nomine petræ:
Posteritas, quia rector erat, clauumq; tenebat,
Appellare Cephan voluit, quæ nomina Graio
A sermone trahunt, sicut sonus indicat, ortum.

Vdalricus

ARTICVLVS QVINTVS.

D. PETRVM APOSTOLVM ROMANAM ECCLESIAM FVNDASSE, GVBERNASSE, SVO SANGVINE CONSECRASSE.

NEGANT.

Anno post natũ Christũ. 1350. *GVILHELMVS quidam, Ioannis VVicleui præceptor, dixit, Petrum Apostolum neque Episcopum Romæ fuisse, neque ibi prædicasse: sed Paulum potius ibi fuisse Episcopum.* Thomas VValdensis doctrinalis fidei lib. 2. art. 1. cap. 7.

1530. Martinus Lutherus in Colloquijs ad mensam habitis, capite de Antichristo: *Omnes historiæ testantur Petrum primum Romæ fuisse Episcopum: sed meræ sunt fabulæ.*

1540. *Vdalricus Velenus edito libro nouendecim argumentis persuadere conatur, Petrum nunquam fuisse Romæ: & tam Petrum, quàm Paulum non Romæ, sed Hierosolymis esse occisos.*

1550. Ioannes Calvinus, *lib. 4. Institut. cap. 6. §. 15.* postquam rem totam dubiam ostendit, ita concludit: *Propter Scriptorum consensum non impugno, quin illic mortuus sit: sed Episcopum fuisse, præsertim longo tempore, persuaderi nequeo.*

Ad caput 5. prioris epistolæ D. Petri: *Multi ex veteribus Romam enigmaticè Babylonem dici putarunt. Hoc commentum Papistæ libenter arripiunt, vt videatur Petrus Romanæ Ecclesiæ præfuisse. Atqui vetus illud commentum nihil habet coloris: nec video cur Eusebio, & alijs placuerit, nisi quod errore iam occupati erant, Petrum Romæ fuisse.*

Ad caput 22. Hieremiæ. *Roma nunquam vidit Petrum, vt arbitror.*

1560 Magdeburgenses Cent. 1. lib. 2. cap. 6. fol. 561. *Si Romæ fuit Petrus, cur Lucas non facit eius mentionem?*

1560. *Ioannes Baleus,* Centuria 1. Scriptorum Britanniæ, *& Matthæus Dresserus,* in suæ Historiæ millenario quinto, *dicunt Hieronymum & Lyranum asserere, Petrum Hierosolymis esse crucifixum. Sed quam falsò hoc asserant, eorundem Patrum contraria testimonia infra ponenda testantur.*

1580. Henricus Buntingus in Itinerario de itineribus D. Petri: *Credibile est,* inquit, *Petrum nunquam Romæ fuisse: sed aut Babylone in Ægypto, vbi primam scripsit Epistolam: aut Hierosolymis interfectum esse ab Agrippâ Rege, quod Linus vult.* Sed mox videbis Linum à nobis stare.

PRÆDIXIT SIBYLLA.

In prophetia sua, quæ ex Chaldæo sermone in Græcũ, & ex Græco in Latinum translata extat: Elegit sibi ex piscatoribus & delectis numerum duodenarium, vnumque diabolum (*Iudam scilicet.*) Non in gladio belloue Aeneadem vrbem (*Romam*) regesque subijciet: sed in hamo piscantis (*scilicet Petri*).

Citatur hæc prophetia à Francisco Petrarcha, de otio religiosorum lib. 1. & subiungit: Quæ Erythrææ procul dubio Sibyllæ sunt, vt quæ ex illius libro ad contextum elicui. *Citantur eadem à Bernardino Senense 6. parte Sermone 1. de festiuitate Mariæ, & ab Antonino in Chronicis parte 1. tit. 3. cap. 9. §. 14.*

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Linus. 70.

De Passione Petri: Vt Petrus portam ciuitatis Romæ voluit egredi, vidit sibi Christum occurrere, & adorans eum ait: *Domine, quò vadis?* Respondit Christus: *Romam venio iterum crucifigi,* &c.

Clemens. 80.

Epistola 1 ad Iacobum: Petrus pro immensa charitate, quam erga omnes gerebat, palam cum omni fiducia, aduersante etiã tyranno totius mundi bonum prędicare non destitit: & regem omnium sęculorum per orbem terræ, vsque ad ipsius Romanę vrbis notitiam, vt etiam ipsa saluaretur, inuexit.

Papias. 120.

In explanationibus sermonum Domini: Petrus in epistola sua, quam ex vrbe Roma scripsit, meminit Marci, cùm dicit: *Salutat vos Ecclesia, quæ est in Babylone electa, & Marcus filius meus.* Citant Eusebius lib. 2. cap. 14. Niceph. lib. 2. cap. 15. & Beda in prologo super Marcum.

Egesippus. 150.

De excidio Hierosolymitano lib. 3. cap. 2. Erant tunc temporis Petrus & Paulus Doctores Christianorum, sublimes operibus, clari magisterio, qui virtute suorum operum Neronem aduersum fecerant, captum Magi Simonis deliramẽtis, &c. Dato, vt Petrus & Paulus comprehenderentur, præcepto, rogatur Petrus, vt aliò se conferret: prima nocte, salutatis fratribus, & celebrata oratione, proficisci solus cœpit: vbi ventum est ad portam, vidit sibi Christum occurrentem, & adorans eum dixit: *Domine, quò vadis?* Dicit ei Christus: *Iterum venio crucifigi.* Intellexit Petrus de sua dictum passione, quòd in ea Christus passurus videretur, qui patitur in singulis: non vtique corporis dolore, sed quadam misericordiæ compassione, aut gloriæ celebritate: & conuersus in vrbem redijt, captusque à persecutoribus cruci adiudicatus, poposcit, vt inuersis vestigijs cruci affigeretur, quòd indignus esset, qui simili modo cruci affigeretur, vt passus est Dei Filius. Quo impetrato, vel quia ita debebatur, vt Christus prædixerat, vel quia persecutor nõ inuitus indulget pœnarum incrementa, & ipse, & Paulus; alter cruce, alter gladio necati sunt.

Dionysius Corinthiacus. 160.

Epistola ad Romanos: Petrum & Paulum, qui Romanos & Corinthios primùm in Ecclesiã Christi inseruerunt, prudẽti quadam admonitione impulsi, in vnum locum conclusistis. Nam ambo cùm & nostram Corinthi, & vestram Romæ Ecclesiam fundassent, & eiusdem doctrinæ præceptis tum nostros animos, tũ vestros imbuissent, eodem tempore pariter mortem subierunt.

Irenæus. 180.

Lib. 3. cap. 1. Matthæus in Hebræis ipsorum lingua scripturam edidit Euangelij, cùm Petrus & Paulus Romæ euangelizarent, & fundarent Ecclesiam.

Cap. 3. Maxima, & antiquissima, & omnibus cognita, à gloriosissimis duobus Apostolis Petro & Paulo Romæ fundata est, & constituta Ecclesia.

Clemens Alexandrinus. 200.

Libro Hypotyposeon: Cùm Petrus Romæ publicè verbum Dei prædicaret, & Spiritus sancti instinctu Euangelium Christi exponeret, multos, qui præstò aderant, Marcum magnopere obsecrasse ferũt, vt ea, quę fuissent ab illo prędicata, scripris mandaret. *Citat Eusebius lib. 6. cap. 11.*

Origenes. 240.

Lib. 3. in Genesim: Petrus circa finem vitæ Romæ constitutus capite demisso cruci est affixus: eò quòd ipse hunc passionis modum expetisset.

Petrus Alexandrinus. 300.

De pœnitentia Canone 9. Petrus Apostolorum primus sæpe comprehensus, & custodiæ traditus,

ignomi-

ignominiaque affectus, postremò Romæ crucifixus est.

Eusebius Cæsareensis. 320.

In Chronicis: Petrus natione Galilæus, Christianorum Pontifex primus, cùm primùm Antiochenam fundasset Ecclesiam, Romam proficiscitur, vbi Euangelium prædicans viginti quinque annis eiusdem vrbis Episcopus perseuerat.

Ecclesiasticæ historiæ lib. 2. c. 13. Sub ipso Claudij imperio benigna ac propitia Dei erga humanum genus prouidentia fortem, ac præpotentem, & reliquorum omnium Apostolorum propter virtutis amplitudinem facilè principem, Romam versus ad eiusmodi pestiferam vitæ humanæ corruptelam (*Simonem Magum*) delendum quasi manu deduxit.

Cap. 24. Paulum Romę regnante Nerone securi percussum, & Petrum etiam suffixum cruci historiarum monumentis proditum est: quin etiam insignis ac testata Petri & Pauli inscriptio, quæ in cæmiterijs Romę ad id vsque tempus manet, huius rei gestę fidem facit.

Lib. 3. cap. 1. Petrus ad extremum cùm Romæ versaretur, capite deorsum statuto (sic enim perpeti cupiebat) cruci est suffixus.

Athanasius. 340.

In Apologia de fuga sua: Petrus & Paulus cùm audissent, oportere se Romæ martyriũ subire, cum gaudio abierunt.

Dorotheus Tyrius. 350.

In Synopsi: Petrus Apostolorum coryphæus tandem Romæ prædicauit, ibiq; crucifixus est.

Cyrillus Hierosolymitanus. 360.

Catechesi 6. Simon Magus ita seduxerat ciuitatem Romanam, vt Claudius illi statuam erexerit, cum ea inscriptione in lingua Romana: *Simoni Deo sancto.* Dilatato autem errore, paramicorum bonorum illam calamitatem correxit, Petrus & Paulus, cùm essent præsides Ecclesiæ, & ostentantem se istum Simonẽ statim extinxit. Cùm enim prædicaret Simon in cælos se ascensurum, & vehiculo dęmonum in aërem sublatus esset: flexis genibus serui Dei, & concordiam ostendentes, de qua dixit Iesus: *Quòd si duo ex vobis concordauerint, de quacunque re, quam petierint, fiet ipsis*: concordię hoc telum per orationem emittentes in Magum, deiecerunt illum in terram. Nec mirum est: Petrus enim erat, qui claues regni cælorum portabat. Non est mirandum: Paulus enim erat, qui in tertium cælum raptus fuerat. Ex aëre in terram depresserunt eum, qui se Deum appellabat, deinceps ad inferos detrudendum.

Epiphanius. 370.

Hæres. 27. In Roma fuerunt primi, Petrus & Paulus Apostoli ijdem ac Episcopi, deinde Linus, deinde Cletus, deinde Clemens, qui contemporaneus fuit Petri & Pauli, &c. Et nemo miretur, quòd ante ipsum alij Episcopatum assumpserũt, cùm sub Apostolis hic fuerit contemporaneus Petri ac Pauli: nam & illi contemporanei Apostolorum fuerunt. Siue igitur adhuc ipsis superstitibus à Petro accepit impositionem manuum Episcopatus, & eo recusato remoratus est: (dicit enim in vna epistola sua: Secedo, abeo, erigatur populus Dei: hoc enim in quibusdam commentarijs reperimus) siue post Apostolorum successionem à Cleto Episcopo hic constituitur, non ita clarè scimus. Verũtamen etiam hic potuit, superstitibus adhuc Apostolis, Petro videlicet ac Paulo, alios Episcopos constituere: propterea quòd Apostoli sæpe ad alias terras ablegabantur, propter Christi prædicationem: non potuit autem vrbs Roma sine Episcopo esse. Paulus enim in Hispaniam profectus est. Petrus verò sæpe Pontum & Bithyniam visitauit. Possibile est autem, post quam discessit, & recusauit Clemens, postea post obitum Lini & Cleti, quorum vterque ad duodecim annos Episcopatum tenuit, post sancti Petri ac Pauli obitum, qui contigit duodecimo anno Neronis, hunc rursus coactum esse ad suscipiendum Episcopatum. Attamẽ Episcoporum in Roma successio hanc consequentiam habuit: Petrus & Paulus, Linus, Cletus, Clemens, Euaristus, &c.

Valentinianus, Gratianus, & Theodosius AAA. 370.

Codice de Summa Trinitate & fide Catholica: Cunctos populos, quos clementię nostræ regit imperium, in tali volumus religione versari, quam D. Petrum Apostolum tradidisse Romanis religio adhuc ab ipso insinuata declarat, quamque Pontificem Damasum sequi claret.

Gregorius Nazianzenus. 380.

Iambico 1.

Paulus Petrusq; lanceam Romæ ferunt:
Præambulonem dat neci vox libera.

Ioannes Chrysostomus. 400.

Homilia 32. in epistolam ad Romanos, in morali: Non ita cælum splendescit, quando radios suos sol ex sese dimittit, quẽ admodum Romanorum vrbs duas illas lampades vbique terrarum effundens. Hinc rapietur Paulus, hinc Petrus. Considerate & horrete, quale spectaculũ visura sit Roma, Paulum repente ex theca illa cum Petro resurgẽtem, in occursum Domini sursum ferri. Qualem rosam Christo mittet Roma? Qualibus coronis duabus ornatur vrbs ista? Qualibus catenis aureis cincta est? Quales habet fontes? Propterea celebro hanc vrbem, non propter copiam auri, non propter columnas, neque propter aliam phantasiam: sed propter columnas illas Ecclesiæ, &c.

In encomio duodecim Apostolorum: Hinc Petrus Romam accipit in disciplinam, Paulus illinc mundo accipit Euangelium: Andreas corrigit Græciæ sapientes, Simon Barbaros docet.

In encomio Petri & Pauli: Obdormierunt in magna vrbe Roma mense Iunio die 29. à Nerone iniquissimo sublati, & ad præceptorẽ ac Dominum omnium profecti.

Ioannes Cassianus. 430.

De Incarnatione Verbi lib. 3. cap. 12. Interrogemus summum illum & inter discipulos discipulum, & inter magistros magistrum, qui Romanæ Ecclesię gubernaculum regens, sicut fidei habuit, ita & sacerdotij principatum. Dic nobis quæsumus Apostolorum princeps Petre, &c.

Sozomenus. 440.

Lib. 4. cap. 14. Haud ita diu post moritur Felix, solusque deinceps Liberius Ecclesiæ præest. Quod quidem non sine diuina prouidentia factum est, ne sedes Petri à duobus Præsulibus gubernata, & à sacrosanctis Ecclesię legibus aliena, vlla infamiæ macula aspergeretur.

Lib. 9. cap. 9. Alaricus Romam obsidione cinctam proditione cepit, ac militibus suis vniuersis ac singulis permisit Romanorum opes diripere: nisi quòd asylum esse voluerit ob reuerentiam Apostoli Diui Petri templum illud amplissimũ, quod supra illius tumbam constructum est, & loci plúrimum ambit.

Theodoretus. 450.

Ad Psalm. 116. Magnus Petrus ab Hierosolyma vsque ad Romanorum vrbem percurrit, omnibus veritatis radios afferens.

Ad caput 1. ad Romanos: *Desidero*, inquit, *venire ad vos,*

ad vos, vt cõmunicem id, quod ego accepi Et quia Petrus primus Euãgelij doctrinam illis tradiderat, subiungit, *ad confirmandos vos*: quod perinde est, ac si diceret: non aliam doctrinam vobis trado, sed traditam confirmare volo.

Epistola ad Leonem Papam: Roma habet omnium patrum & veritatis Doctorum Petri & Pauli sepulchra, quæ fidelium animas illuminant.

Lib. 1. hæreticarũ fabularũ. Simon Magus Romanos suis præstigijs tanta admiratione affecit, vt etiam ænea colũna honoraretur: sed rursus veniens diuinus Petrus, fraudis eum pennis nudauit, qui cùm eum tandẽ in miraculorũ certamẽ prouocasset, & diuinæ gratiæ, & præstigiarum discrimen ostendisset, omnibus Romanis videntibus, eum ex magna altitudine deturbauit, cùm orasset, & qui miraculum viderant, eos cepit ad salutem.

Galla Placidia Imperatrix. 450.

Epistola ad Pulcheriam Augustam: Omnibus integris permanentibus, ad Apostolicæ sedis, in qua primus Apostolorum B. Petrus, qui etiam claues regni cælestis suscipiens, sacerdotij principatum tenuit, Episcopatus causa mittatur.

Victor Antiochenus. 460.

In Euangelium D. Marci paulò post principium: Vbi Romam Marcus aduenisset, secutus est Petrum. Quare is in priori sua Canonica ad hunc modum de illo scribit: *Salutat vos Ecclesia, quæ est in Babylone collecta, & Marcus filius meus.*

Andreas Cæsareensis. 500.

Ad caput 37. Apocalypsis: Narrat Apollonius, & alij confirmant, dæmones incantationum & præstigiarum vi per imagines & statuas, per arbores rursum & aquas, perque alia eiusmodi sæpenumerò locutos. Arbitror & per mortuorum cadauera loqui quoque posse. Nam & Simon Magus in B. Petri Apostolorum coryphæi multorumq; Romanorum præsentia, mortuum hactenus exuscitauit, quatenus sese mouere palam videretur: etsi interim Apostolus impostura, hoc est, virtutem, qua falsò eum excitauerat, aperuerit, & vim, qua mortui verè resurgunt, publicè declarauerit.

Epiphanius Archiepiscopus Constantinopolitanus. 516.

Epistola ad Hormisdam Pontificem Romanum: Est mihi oratio magnoperè, Beatissime, vniri me vobis, & diuina amplecti dogmata, quæ ex beatis & sanctis discipulis & Apostolis Dei præcipuè summi Petri Apostolorum sedi sanctę vestrę sunt tradita, & nihil eis pretiosius existimare.

Iustinianus. 530.

In Authentica, vt Ecclesia Romana centum annorum priuilegio gaudeat: Quod igitur nostra æternitas ad omnipotentis Dei honorem venerãdę sedi summi Apostoli Petri dedicauit, hęc habeant omnes terræ, omnes insulæ totius Occidentis, quæ vsque ad ipsos Oceani recessus extenduntur, &c.

Marianus Archimandrita & cæteri. 530.

Supplicatione ad Iustinianum Imperatorem: Misit Deus huic ciuitati Agapetum, qui verè ἀγάπητος, Pontificem antiquę Romæ, in depositione Anthimi, tanquam olim Petrum magnum Apostolum Romanis, in depositione Simonis Zoëtici.

Procopius Chartophylax. 600.

In Encomio D. Marci: His armis vnà cum Petro ipso tu Petri filius Italorum gentem subiecisti, ab Oriente sole motus ad Occidentem aduolans.

Maximus Monachus. 640.

Ad caput 4. de diuinis nominibus: Post Petrum Ignatius fuit Episcopus Antiochiæ, translato Petro in vrbem Romam.

Ioannes Damascenus. 730.

Epistola de Trisagio: Petrus ex vico Bethsaidà originem duxit, patrem Ioannem habuit, ac Romæ sub Nerone martyrio functus est.

Tarasius Constantinopolitanus. 780.

Epistola ad Adrianum Papam de non faciendis pecuniæ ordinationibus: Mundi sumus à sanguine eorum, qui transgrediuntur Canonicas constitutiones, & multò magis eorum, qui pecunijs ordinauerunt vel ordinati sunt, cùm diuinus Petrus Apostolus, cuius cathedram sortita est vestra Sanctitas, vt Simonem Magum eum deposuerit.

Elias Cretensis. 780.

In orationem tertiam Nazianzeni: Petrus & Paulus Romę à Nerone morte afficiuntur.

Nicephorus Constantinopol. 815.

In Chronologia: Expositio nominum Episcoporum Romanorum: Petrus Apostolus 25. annis: Linus 12. annis: Clemens nouem annis, &c.

Methodius Constantinopol. 830.

In Martyrio Dionysij Areopagitæ: Beatus Apostolus Petrus post aliquot annos prædicationis sublimem Romam assecutus est, & vt illic prædicaret cælitus ei concreditum est, vt tanquam coryphęus sanctorum Apostolorum in ordine Apostolatus factus Romæ in certamine fieret cõsors Christi passionum. Vt enim illa vrbs maximis ducebatur erroribus, maiore opus habebat correctione: vt cuius error erat grauissimus, illic & gratia summa contingeret. Postea, quemadmodum dicitur, impius tyrannus Nero, sperans se terras & mare suæ tyrannidi subditurum, ira crudelitatis suę, & vi furoris sui insaniens, aduersus seruos Christi inflammatus est, & decimoquarto anno imperij sui beatos Petrum & Paulũ iniustę morti adiudicauit.

Michael Syngelus. 870.

In martyrio Dionysij Areopagitæ: Petrus regiã Romam miraculis editis, quæ à Christo vberrimè etiam manauerunt, illustrauit, & occiduã obscuritatem in splendorem clarissimum commutauit.

Theophylactus. 900.

Ad caput 1. epistolæ ad Romanos: Cùm Petrus Romæ Euangelium prædicasset, quæ illius erant sua reputans, pro fide Petri discipulorum Paulus gratias agit.

Simeon Metaphrastes. 950.

In Commentario de certaminibus, laboribus, & peregrinationibus Petri & Pauli: Quo in loco cùm Petrus quidem Maximum instituisset, & baptizasset, & Episcopum ordinasset, Romam appellit: in qua cùm quotidie Synaxes celebraret, attraxit multos ad fidem Christi. Hæc videns Simon, non satis duxit tacere, & suam celare improbitatẽ: sed gloria & existimatione se superatum esse arbitratus, si fineret Apostolum totis viribus ijs, qui Romæ essent, veritatem annuntiare, audacter simul & indoctè cepit liberè loqui in media ciuitate.

Vitæ S. Syluestri cap. 6. Cùm sic fuisset dignatus Archiepiscopatu, & præfectus esset pascendis ouibus Domini, sicut Petrus summus Apostolus, cuius etiam sedis, vel potius zeli ac ardoris fuit successor, eas ad salutaria adducebat pascua, Dei, inquam, & Saluatoris nostri mandata.

Suidas. 970.

In Nerone: Tunc Simon quoque Magus florebat,& cùm Petrus & Simon præsente Nerone inter se disputarent,eductus est è carcere Pilatus.Hi tres cùm astarent, Nero Simonem interrogat, &c.

Oecumenius. 1050.

De *duodecim Apostolis*:Primus Simon Petrus, Apostolorum coryphęus in Pŏto, Galatia,Cappadocia,Bithynia, & Italia prędicans Euangelium, Romæ tandem sub Nerone crucifigitur, capite inuerso,ipso sic pati volente: sepelitur autem in ipsa Roma ad tertium Kalendas Iulij.

Euthymius. 1080.

Proœmio in Marcum:Marcus cum Petro Romę cŏuersatus est, quemadmodum prior eius epistola demonstrat.

Ioannes Zonaras. 1100.

*Tom.2.*Petrus sub Claudio Romæ salutaris prędicationis semina sparsit,cui multi ex Romanis fidem habuerunt.

Georgius Cedrenus. 1110.

In Nerone: Imperante Nerone Romam profectus Simon Magus,cùm artibus magicis multa edidisset prodigiosa,sibi Dei nomẽ arrogauit.Quo tempore magnus ille Apostolus Petrus Romam cùm venisset,statuit Simonem adire,&c.

Michael Glycas. 1120.

Parte 3. Annalium: Nero impurissimus princeps persequi Christianos cœpit,& duos summos viros Petrum & Paulũ interfecit.Vterque,vt Chrysostomus testatur,obdormiuit in vrbe Roma.

Nilus Thessalonicensis. 1150.

De primatu Papæ: Romæ Petrus diem suum obijt.

Theodorus Balsamon. 1180.

In Commentarijs ad Synodum Carthaginensem:Apostolicam sedem Romanam nominârunt, vtpote cùm Petrus Apostolorum princeps in ea claruerit, & Linum primum Pontificem in ea constituerit.

Nicetas Choniates. 1200.

Orthodoxæ fidei lib.4.cap.1. Tandem cùm Romam omnium ciuitatum decus (*Petrus & Simon Magus*) appulissent, ibi cŏtrouersis dogmatibus concertârunt. Iam autẽ apud Romanos Simon tantam nominis celebritatem cŏsecutus erat, vt ærea statua donatus esset à Claudio Cæsare, cuius ea fuisse fertur inscriptio: *Simoni Deo sancto.* Cùm itaque Simon Petro refragaretur,atque partim Spiritus sancti verbis,partim miraculis præstigiæ illius,& impostură patuisset,ille graui se affici ratus ignominia,in cælos ad proprium patrem ascensurum se, pœnasq; de incredulis repetiturum, comminatus est.Et cùm à dęmonibus in cælos ferebatur, Petrus orando effecit, vt in caput ex alto Magus corruerit,pedibusq; in aëra protensis,miseram animam exhalans, effuso viam cerebro dispersit.

Nicephorus Callistus. 1300.

*Lib.2.cap.15.*Meminit Petrus Marci in priori epistola,quam Romæ agens composuisse fertur,in qua etiam figuratè Romam Babylonem nominat.

*Cap.35.*Non minus etenim Petrus orbe peragrato,& ijs,qui ex Circumcisione erant,omnibus in Palęstina,& Syria, & vbique ferè terrarum prædicatione promulgata,cùm sub Neronis imperio Romam propter detestandum illum Simonem, qui publicis inscriptionibus Deũ se vocare, prædicationemq; Christi euertere est ausus, venisset, factisq; illum simul & sermonum vi coarguisset, atque Romanorum Ecclesiæ primùm quidẽ Lino, deinde Anacleto, & post hos tertiò ad mortem vadens,sapientissimo Clementi claues commisisset,ad Deum migrauit.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Anacletus. 84.

*Epist.3.*Paulus vno die,vno quoq; tempore cum Petro gloriosa morte sub principe Nerone agonizans coronatus est, & ambo sanctam Romanam Ecclesiam consecrârunt,&c. Prima sedes est cęlesti beneficio Romanæ Ecclesiæ, quam beatissimi Petrus & Paulus suo martyrio consecrârunt. Sic Roma, quæ prius erat cacodæmonis artificio omnium errorum mater & altrix, excussis tenebris,& vanis superstitionibus abiectis, filiorum Dei,exorto sole iustitiæ, facta est copiosa propagatrix.

Pius Primus. 140.

Epistola ad Iustum Episcopum: Festina palmam perseuerabilem cum sanctis Apostolis tenere, quam per multas passiones Paulus susceptt,& Petrus,cui crux charitatem Christi tollere non potuit.

Tertullianus. 200.

De præscriptionibus aduersus hæreticos cap. 36. Age iam qui voles curiositatem melius exercere in negotio salutis tuæ, percurre Ecclesias Apostolicas,apud quas ipsę adhuc cathedræ Apostolorum suis locis præsidentur.Si Italiæ adiaces,habes Romam,vnde nobis quoque auctoritas præsto est: vbi Petrus passioni Dominicæ adæquatur: vbi Paulus Ioannis exitu coronatur: vbi Apostolus Ioannes, postquam in oleum igneum demersus nihil passus est,in insulam relegatur.

Contra Gnosticos ad Scorpiacum cap.15. Vitas Cæsarum legimus, orientem fidem Romæ primus Nero cruentauit:tunc Petrus ab altero cingitur, cùm cruci astringitur: tunc Paulus ciuitatis Romanę consequitur natiuitatem, cùm illic martyrij renascitur generositate.

*De Baptismo cap.4.*Ideoque nulla est distinctio, mari quis, an stagno; flumine,an fonte; lacu, an alueo diluatur. Nec quicquam refert inter eos, quos Ioannes in Iordane, & quos Petrus in Tyberi tinxit.

*Contra Marcionem lib.4.cap.5.*Romanis Euangelium Petrus & Paulus sanguine quoque suo signatum reliquerunt.

In Carminibus contra Marcionem libro 3.capite 9.

Ex quibus electum magnum,plebiq; probatum
Hac cathedra,Petrus qua sederat ipse,locatum
Maxima Roma Linum primùm considere iussit.

Calixtus. 218.

Epistola ad Proclum Cataphrygam:Ego habeo trophæa Apostolorum,quæ ostendã: si enim procedas via regali,quę ad Vaticanũ ducit,aut via Ostiensi,inuenies trophæa defixa, quibus ex vtraque parte constitutis Romana custoditur Ecclesia.

Cyprianus. 250.

*Epist.55.*Post ista adhuc insuper pseudoepiscopo sibi ab hęreticis constituto,nauigare audent,& ad Petri cathedram, atq; ad Ecclesiam principalem,vnde vnitas sacerdotalis exorta est,à schismaticis & profanis literas ferre, nec cogitare eos esse Romanos (quorum fides Apostolo prædicante laudata est) ad quos perfidia non possit habere accessum. *Lib.1. epist.3.* *Rom.1.*

*Epist.52.*Factus est autem Cornelius Episcopus de Dei *Lib.4. epist.2.*

de Dei & Christi eius iudicio,de clericorum penè omnium testimonio,de plebis,quæ tunc adfuit, suffragio, de sacerdotum antiquorum & bonorum collegio,cùm nemo ante se factus esset, cùm Fabiani locus,id est, cùm locus Petri, & gradus cathedræ sacerdotalis vacaret.

Libro de vnitate Ecclesiæ Catholicæ, de Romana Ecclesia loquens:Qui cathedram Petri,super quã fundata est Ecclesia,deserit,in Ecclesia se esse nõ confidat.

Arnobius. 300.

Lib.2.aduersus Gentes: Enumerari possunt,atque in vsum computationis venire ea, quæ in India gesta sunt apud Seras,Persas,& Medos:in Arabia, Ægypto, Asia, & Syria: apud Galatas, Parthos, Phrygas: in Achaia, Macedonia, Epiro: in insulis ac prouincijs omnibus,quas sol oriens atque occidens lustrat: ipsam denique dominam Romam,in qua cùm homines sint Numæ regis artibus atque antiquis superstitionibus occupati, non distulerunt tamen res patrias linquere, & veritati coalescere Christianæ. Viderant enim cursum Simonis Magi,& quadrigas igneas Petri ore difflatas,& nominato Christo euanuisse. Viderant,inquam,fidentem Dijs falsis,& ab ijsdem metuentibus proditum, pondere pręcipitatum suo,cruribus iacuisse præfractis.Post deinde perlatum Brũdam,cruciatibus & pudore defessum, ex altissimi culminis se rursum præcipitasse fastigio.

Marcellus Primus. 304.

Epistola ad Antiochenos: Petri sedes primitus apud vos fuit,quę iubente Domino Romã translata est,cui adiuuante gratia diuina hodierna die præsidemus.

Eusebius Papa. 309.

*Epistola 3.*Benedictus Dominus Deus noster,qui per misericordiam suam Romanam Ecclesiam Beati Petri Apostolorum principis sacerdotio ditauit.

Lactantius. 320.

Diuinarum Institutionum lib. 4. cap. 21. Discipuli per prouincias dispersi, fundamenta Ecclesiæ vbique posuerunt,faciẽtes & ipsi in nomine Magistri Dei magna & penè incredibilia miracula: quia discedens instruxerat eos virtute ac potestate,qua posset nouę annuntiationis ratio fundari & confirmari: sed & futura aperuit illis omnia, quę Petrus & Paulus Romæ prędicauerunt: & ea prędicatio in memoriam scripta permansit.

Ambrosius. 370.

Lib.3.de Sacramentis cap.1. Ad hoc Ecclesia Romana quid respondet? Vtique ipse auctor est nobis huius assertionis Petrus Apostolus, qui sacerdos fuit Ecclesiæ Romanæ.

*Lib.5.epist.32.*Idem Petrus postea victo Simone, cùm prędicta Dei populo seminaret, & doceret castimoniã, excitauit animos gentilium: quibus eum quærentibus, Christianę animę deprecatæ sunt,vt paulisper cederet. Et quamuis esset cupidus passionis,tamen contemplatione populi precãtis inflexus est.Rogabatur enim vt ad instituendum & confirmandum populum se reseruaret. Quid multa? Nocte muro egredi cœpit, & videns sibi in porta Christum occurrere, vrbemque ingredi, ait: *Domine, quò venis?* Respondit Christus: *Venio Romam iterum crucifigi.* Intellexit Petrus ad suam crucem diuinum pertinere responsum:(Christus enim non poterat iterum crucifigi,qui carnem passione susceptæ mortis exuerat.) Intellexit ergo Petrus,quòd iterum Christus crucifigendus erat in seruulo. Itaque sponte remeauit.Interrogantibus Christianis, responsum reddidit,statimq; correptus,per crucem suam honorificauit Dominum Iesum.

Optatus Mileuitanus. 370.

Libro 2.contra Donatistas:Negare non potes,scire te in vrbe Roma Petro primo cathedram Episcopalem esse collatam,in qua sederit omnium Apostolorum caput Petrus, vnde & Cephas appellatus est.

Philastrius. 380.

De Simone Mago: Simon cùm fugeret beatum Petrum Apostolum de Hierosolymitana ciuitate,Romamque veniret, ibique pugnaret cum B. Petro Apostolo apud Neronem regem, deiectus vndique oratione B.Petri Apostoli,atque percussus ab Angelo,sic meruit interire, vt eius magiæ mendacium cunctis patefieret.

Damasus. 380.

In vita D.Petri:Beatus Petrus Apostolus & princeps Apostolorum,filius Ioannis, prouincię Galileę,ex vico Bethsaida,frater Andreæ, primò sedit in cathedra Episcopatus Antiochię annis septem.Hinc B.Petrus ingressus est vrbem Romam sub Claudio Cęsare,ibique sedit in cathedra Episcopatus annis viginti quinque.

Prudentius. 380.

Hymno 12.de passione Petri & Pauli:

Plus solito coeunt ad gaudia,dic amice quid sit,
Romam per omnem cursitant,ouantq;.
Festus Apostolici nobis redit hic dies triumphi,
Pauli atque Petri nobilis cruore.
Vnus vtrumque dies,pleno tamen innouatus anno
Vidit superba morte laureatum.
Scit Tyberina palus,quæ flumine labitur propinquo,
Binis dicatum cęspitem trophæis:
Et crucis,& gladij testis,quibus irrigans easdem
Bis fluxit imber sanguinis per herbas.
Prima Petrum rapuit sententia legibus Neronis
Pendere iussum præminente ligno.
Ille tamen veritus celsa decus æmulando mortis
Ambire tanti gloriam Magistri,
Exigit vt pedibus versum caput imprimant supinis,
Quo spectet imum stipitem cerebro.
Figitur ergo manus subter,sola versus in cacumen,
Hoc mente maior,quo minor figura.

Hymno secundo, qui est de S.Laurentio:

Hic Romæ iam regnant duo
Apostolorum Principes:
Alter vocator gentium,
Alter cathedram possidens
Primam,recludit creditas
Aeternitatis ianuas.
Discede adulter Iuppiter,
Stupro sororis oblite,
Relinque Romam liberam.
Plebemq; iam Christi fuge.
Te Paulus hinc exterminat,
Te sanguis exturbat Petri,
Tibi id,quod ipse armaueras,
Factum Neronis officit.

Hieronymus. 390.

Ad caput 52.Esaiæ: Christus credentibus dixit: *Discite à me,quia mitis sum,& humilis corde:* de quo & Clemens vir Apostolicus,qui post Petrum Romanam rexit Ecclesiam, scribit ad Corinthios, &c.

Ad caput 2.ad Galatas: *Cùm venisset Petrus Antiochiam.)* Primum Episcopum Antiochenæ Ecclesiæ Petrum fuisse accepimus,& Romam deinde translatum, quod Lucas penitus omisit.

Libro de viris illustribus cap. 1. Simon Petrus prouinciæ Galilææ, vico Bethsaida, frater Andreæ Apostoli, & princeps Apostolorum, post Episcopatum Antiochensis Ecclesiæ, & prædicationem dispersionis eorum, qui de Circũcisione crediderant, in Põto, Galatia, Cappadocia, Asia, & Bithynia, secundo Claudij anno ad expugnandum Simonem Magũ Romam pergit, ibiq; viginti quinque annis cathedram sacerdotalem tenuit, vsque ad vltimum Neronis annum, id est decimũ quartum. A quo & cruci affixus, martyrio est coronatus, capite ad terram verso, & in sublime pedibus eleuatis: asserens se indignum, qui sic crucifigeretur vt Dominus suus.

Ruffinus. 390.

Inuectiua secunda in Hieronymum: Petrus per viginti quatuor annos Romanę Ecclesię præfuit: dubitandum non est, quin sicut cętera, quę ad institutionem pertinent, etiam librorum instrumenta Ecclesię ipse tradiderit.

Augustinus. 400.

Contra literas Petiliani lib. 2. c. 51. Cathedra tibi quid fecit Ecclesiæ Romanæ, in qua Petrus sedit, & in qua hodie Anastasius sedet: vel Ecclesię Hierosolymitanæ, in qua Iacobus sedit, & in qua hodie Ioãnes sedet, quibus nos in Catholica vnitate connectimur, & à quibus vos nefario furore separastis?

Contra Iulianum Pelagianum lib. 1. c. 4. Puto tibi eã partem orbis sufficere debere, in qua primũ Apostolorum suorum voluit Dominus glorioſissimo martyrio coronari. Cui Ecclesiæ præsidentem B. Innocentium si audire voluisses, iam tunc periculosam iuuẽtutem tuã Pelagianis laqueis exuisses.

Ad Quodvult Deum hæresi 1. Iouem se credi volebat Simon Magus, Mineruam verò meretricem quandam Selenem, quam sibi sociam scelerum fecerat, imaginesq́ue & suam, & meretricis discipulis suis præbebat adorandas, quas & Romę, tanquam Deorum simulachra, auctoritate publica constituerat. In qua vrbe eum B. Petrus vera omnipotentis Dei virtute extinxit.

Epist. 165. Si ordo Episcoporum sibi succedentium considerandus est, quanto certius & verè salubriter ab ipso Petro numeramus? Petro enim successit Linus, Lino Clemens, Clementi Anacletus, Anacleto Euaristus, &c.

Innocentius Primus. 406.

Epistola prima ad Decentium Engubinũ: Quis enim nesciat, id quod à Principe Apostolorum Petro Romanę Ecclesię traditum est, ac nunc vsque custoditur, ab omnibus debere seruari?

Epistola 14. ad Bonifacium Presbyterum: Ecclesia Antiochena, quam priusquam ad vrbem peruenirent Romam, B. Apostolus Petrus sua præsentia illustrauit, velut germana Ecclesiæ Romanę, diu ab eadem alienam esse non passa est.

Paulinus Nolanus. 410.

Natali 3. de S. Felice:

Ipsaq; caloſtum sacris procerum monumentis
Roma Petro, Pauloq; potens, rarescere gaudet.

Seuerus Sulpitius. 410.

Sacra historiæ libro 2. Namque eo tempore diuina apud vrbem religio inualuerat, Petro ibi Episcopatum gerente, & Paulo, postquam ab iniusto prælulis iudicio Cęsarem appellauerat, Romam deducto, &c. Etenim tunc illustris illa aduersus Simonem Petri & Pauli congressio fuit: qui cùm magicis artibus, vt se Deum probaret, duobus suffultus dęmonijs euolasset, orationibus Apostolorum fugatis dęmonibus delapsus in terram, populo inspectante disruptus est, &c. Post etiam datis legibus religio vetabatur, palamq́ue edictis propositis, Christianum esse non licebat. Tum Paulus & Petrus capitis damnati: quorum vni ceruix gladio deiecta: Petrus in crucem sublatus est. Dum hæc Romæ geruntur, Iudæi, Præsidis sui Festi iniurias non ferentes, rebellare cœperunt.

Paulus Orosius. 420.

Libro 7. cap. 6 Claudius ab Augusto quartus regnum adeptus est, mansitq́ue in eo annis quatuordecim. Exordio regni eius Petrus Apostolus Domini nostri Iesu Christi Romam venit, & salutarem cunctis credentibus fidem fideli verbo docuit, potentissimisq́ue virtutibus approbauit. Atque exinde Christiani Romę esse cœperunt Sensit hoc collatum fidei suæ Roma beneficium.

Cap. 7. Nero primus Romę Christianos supplicijs ac mortibus affecit, ac per omnes prouincias pari persecutione excruciari imperauit, ipsumq́ue nomen extirpare conatus, beatissimos Christi Apostolos, Petrum cruce, Paulum gladio occidit. Mox aceruatim miseram ciuitatem vndique clades oppressêre.

Maximus Taurinensis. 430.

In natali Petri & Pauli: Hi sunt ergo beatissimi Petrus & Paulus, qui sacramentum cęlestis regni vno spiritu prędicantes, sub vnius passione diei doctrinam suam pio sanguine & morte fortissima consecrârunt: qui etiam, tanquam Ecclesiarum omnium principes facti, dispensatione cęlesti Romam petentes, sacratissima sua corpora in illius vrbis arce reconderent, quæ totius orbis obtinuerat ptincipatum: quatenus potentiam virtutis suæ Christus ostendens, vbi mundus caput habebat imperij, ibi regni sui principes collocaret.

Arnobius Romanus. 430.

Ad Psalmum 106. Lætatus est Petrus, *quia siluerunt, & deduxit* eum *in portum voluntatis suæ*: in Ecclesia sine dubio, vbi *exaltant eum in Ecclesia populi, & in cathedra seniorum laudant eum*, quia *posuit flumina in deserto*, id est, huius seculi, perambulans quousque peruenirent ad Romam. Prędicauit baptismum Iesu Christi, in quo vniuersa flumina benedicuntur vsque hodie à Petro. Ipse posuit *exitus aquarum in sitim*, ita vt qui exierit foras ab Ecclesia Petri, siti pereat. *Posuit terram fructiferam in salsuginem.* Sicut salsugo terram à fructu reuocat: ita litera mundi à fructu spiritali reuocat mentes, sed per Petrum in salsugine literarum positam Romam, fecit eam fructum afferre.

Philippus Presbyter. 430.

In Concilio Ephesino Tomo 2. cap. 16. Nulli dubium est Petrum per successores suos huc vsque semper viuere, causasq́ue decernere, semperq; victurum esse. Huius itaque ordinarius successor & Vicarius sanctus beatissimus Papa & Episcopus noster Cælestinus nos suos pro se quasi Vicarios ad hãc sanctam Synodum misit.

Petrus Chrysologus. 440.

Epistola ad Eutychen: Hortamur te frater honorabilis, vt his, quæ à beatissimo Papa Romanæ ciuitatis scripta sunt, obedienter attendas: quoniam Beatus Petrus, qui in propria sede & venit, & præsidet, quærentibus fidei veritatem præstat.

Leo Primus. 445.

Sermone 1. in Natali Petri & Pauli Apostolorum capite 1. Isti sunt viri, per quos tibi Euangelium Christi Roma resplenduit, & quæ eras magistra erroris, facta es discipula veritatis. Isti sunt patres tui, veriq́ue pastores, qui te regnis cælestibus inferendam, multo melius, multoq́ue felicius condiderunt, quàm illi, quorum studio prima tuorum mœnium fundamenta locata sunt: ex quibus is, qui tibi nomen dedit, fraterna te cęde fœdauit. Isti sunt, qui te ad hanc gloriam prouexerunt, vt gens sancta, populus electus, ciuitas sacerdotalis, & regia, per sacram beati Petri sedem caput orbis effecta, latius præsideres religione diuina, quàm dominatione terrena, &c.

1. Pet. 2.

Cap. 3. Cùm duodecim Apostoli, accepta per Spiritum sanctum omnium locutione linguarum, imbuendum Euangelio mundum, distributis sibi terrarũ partibus, suscepissent, beatissimus Petrus, princeps Apostolici ordinis, ad arcẽ Romani destinatur imperij, vt lux veritatis, quæ in omnium gentium reuelabatur salutem, efficacius se ab ipso capite per totum mundi corpus effunderet. Cuius autem nationis homines in hac tunc Vrbe non essent? aut quæ vsquam gentes ignorarent quid Roma didicisset? Hîc conculcandæ Philosophiæ opiniones, hîc dissoluendæ erant terrenæ sapientiæ vanitates, hic confutandi dæmonum cultus, hîc omnium sacrilegiorum impietas destruenda, vbi diligentissima superstitione habebatur collectum, quicquid vsquã fuerat varijs erroribus institutum.

Actor. 2.

Cap. 4. Ad hanc ergo vrbem tu beatissime Apostole Petre venire non metuis, & (consorte gloriæ tuę Apostolo Paulo aliarum adhuc Ecclesiarum ordinationibus occupato) syluã istam frementium bestiarum, & turbulentissimæ profunditatis Oceanum, constantior quàm cùm supra mare gradereris, ingrederis: nec mundi Dominam times Romam, qui in Caiphæ domo expaueras sacerdotis ancillam.

Matt. 14.

Matt. 26.

Epistola 62. ad Maximum Antiochenum Episcopum capite 2. Et ideo, frater charissime, oportet dilectionem tuam toto corde perspicere, cuius Ecclesiæ gubernaculis voluerit te Dominus præsidere, & eius meminisse doctrinæ, quam præcipuus Apostolorum omnium beatissimus Petrus per totum mundum quidem vniformi prędicatione, sed speciali magisterio in Antiochena & Romana vrbe fundauit.

Prosper. 460.

De promissionibus & prædictionibus dimidij temporis cap. 5. In ipsa Hierusalem Iacobus & Stephanus primus Martyr, Ioannes apud Ephesum, Andreas & cæteri per totam Asiam, Petrus & Paulus Apostoli in vrbe Roma gentium Ecclesiam pacatam vnamq́ue posteris tradẽtes, sanguine memorijsq; suis ex Dominica passione sacrârunt.

De ingratis cap. 2.

Sedes Roma Petri, quæ pastoralis honoris
Facta caput mundo, quicquid non possidet armis
Religione tenet.

Cap. 8.

Ergo Petri solium Romam & Carthaginis altæ
Concilium repetant humiles.

Gelasius. 490.

In Decreto de Apocryphis Scripturæ locis: Petro etiam data est societas beatissimi Pauli Apostoli, vasis electionis, qui non diuerso, sicut hæretici garriũt, sed vno tempore, vno eodemq; die gloriosa morte cum Petro in vrbe Roma, sub Cęsare Nerone agonizans, coronatus est, & pariter supradictam sanctam Romanam Ecclesiam Christo Domino consecrârunt, talemq; omnibus vrbibus in vniuerso mundo sua præsentia atque venerando triumpho prætulerunt. Ergo prima Petri Apostoli sedes est Romana Ecclesia.

Fulgentius. 500.

De Incarnatione & gratia Iesu Christi c. 11. Quod duorum magnorũ luminarium, Petri scilicet Pauliq; verbis, tamquam splendentibus radijs illustrata, eorumq́ue decorata corporibus Romana (quę mundi cacumen est) tenet & docet Ecclesia.

Elpis vxor Boethij. 500.

Hymno de Apostolis Petro & Paulo:

O felix Roma, quæ tantorum principum
Es purpurata pretioso sanguine:
Non laude tua, sed ipsorum meritis,
Excellis omnem mundi pulchritudinem.

Symmachus. 500.

Apologetico ad Anastasium Imperatorem: Roma mihi testis est, & scrinia testimonium perhibent, vtrum à fide Catholica, quam in sede beati Petri Apostoli veniens ex paganitate suscepi, aliqua ex parte deuiauerim.

Synodus Romana III. sub Symmacho. 501.

Memorati Pontifices suggesserunt, ipsum, qui dicebatur Imperitus, debuisse Synodum conuocare: scientes, quia eius sedi primum Petri Apostoli meritum, vel principatus singularem in Ecclesijs tradidit potestatem.

Possessor Africanus. 515.

Epistola ad Hormisdam Papam: A quo magis est nutantis fidei stabilitas expetenda, quàm ab eius sedis præside, cuius primus à Christo rector audiuit: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam?*

Iornandes. 530.

Libro de regnorum & temporum successione: Nero ipsos Doctores fidei Petrum & Paulum in Vrbe interemit, alterum cruci affigens, alterum capite plectens.

Marcellinus Comes. 530.

In Chronico: Leone Pontifice sedem B. Petri regente 630. Patrum sancta & vniuersalis Synodus contra Eutychen firmata est.

Arator. 540.

In Acta Apostolorum ad finem:

Venit ad excelsæ sublimia culmina Romæ, &c.
Petrus, in Ecclesiæ sacrato corpore princeps.

Aurelius Cassiodorus. 540.

In Chronicis, in Claudio: Secundo, & Venusto consulibus Petrus Apostolus Romam mittitur: vbi Euangelium prædicans viginti quinque annis eiusdem vrbis Episcopus perseuerat.

Idem in Nerone: His Consulibus Romæ sanctus Petrus & Paulus Apostoli trucidati sunt à Nerone.

Fortunatus. 570.

Vitę S. Martini libro 3.

Principibus geminis fidei sub Principe Roma
Carnis Apostolicæ, quo sunt duo celsa sepulchra,
Prima tenent terris, & vtrique priora supernis
Dogmatis ore pares, & sedis honore curules.
Ambo triumphantes spargunt nouæ dona per orbem:
Vna nempe die quos passio sancta beauit, &c.

Lib. 8. carminum de senatu curiæ cælestis:

Iurisconsulti Pauli comitante volatu
Princeps Romana currit ab arce Petrus.

Gregorius Turonensis. 580.

Historiæ Francorum lib. 1. cap. 25. Beatus Petrus Apostolus sub Imperatore Claudio, quarto ab Augusto, Romam aggreditur, ibiq; prędicans in multis virtutibus manifestissimè Christum esse Dei Filium comprobauit. Ab illis enim diebus Christiani apud ciuitatem Romanam esse cœperunt, &c. Nero Petrum cruce, Paulum gladio iubet interfici.

Gregorius Magnus. 590.

Actor. 8. *Ad Psalm. 1. pœnitentialem:* Saulo persecutori dixit: *Saule, Saule quid me persequeris?* Et Petro ait: *Venio Romam iterum crucifigi.* Qui enim in seipso iam pridem crucifixus fuerat, in Petro (Roma discessuro) se iterum crucifigendum dicebat.

Lib. 6 epist. 37. Petrus sublimauit sedem, in qua etiam quiescere, & præsentem vitam finire dignatus est.

Isidorus Hispalensis. 620.

De vita & morte Sanctorum cap. 69. Petrus postquam Antiochenam fundauit Ecclesiã, sub Claudio Cæsare, contra Simonem Magum Romam pergit, ibiq́ue prædicans Euangeliũ, viginti quinque annis eiusdem tenuit Pontificatum: septimo autem atque trigesimo anno post passionem Domini à Nerone Cæsare in vrbe Roma, deorsum verso capite, vt ipse voluit, crucifixus est. Sepultus est Romæ in Vaticano, secus viam triumphalem, tertio lapide ab Vrbe, ad Orientalem plagã.

Beda. 700.

De sex ætatibus mundi: Petrus Apostolus, cùm prius Antiochenam fundasset Ecclesiam, Romam pergit, ibiq́; 25. annis Cathedram tenet Episcopalem, id est, vsque ad vltimum Neronis annũ, &c. Nero primus super omnia scelera sua etiã Christianos persequitur, quorum eximios Romæ Petrum cruce, Paulum occidit gladio.

Prologo super Marcum: Clemens in 6. dispositionũ libro hæc ita esse describit, cui simile dat testimonium etiam Hierapoleos Episcopus nomine Papias, qui & hoc dicit, quòd Petrus in prima epistola sua, quam de vrbe Roma scripsit, meminit Marci, in qua tropicè Romã Babylonem nominat, cùm dicit: *Salutat vos Ecclesia, quæ est in Babylone electa, & Marcus filius meus.*

Ad c. 5. prioris epist. Petri: *Salutat vos Ecclesia, quæ est in Babylone.*) Babylonem typicè Romam dicit, videlicet propter confusionem multiplicis idolatriæ: in cuius medio sancta Ecclesia fulgebat.

Ad caput 15. Actorum: Scimus enim Petrum & Paulum Apostolos anno post resurrectionẽ Domini trigesimo octauo, id est, vltimo Neronis anno passos fuisse martyrium, & B. Petrum Romæ 25. annis Episcopalem sedisse cathedram. Viginti quinque autem & quatuordecim, non triginta octo, sed triginta nouem faciunt. Sequitur ergo, vt B. Petrum eodem quarto decimo post Domini passionem anno, quo eum Hierosolymis alloquitur Paulus, quarto Claudij Cæsaris anno Romam venisse credamus.

Paulus Diaconus. 760.

Actor. 11. *De Vita SS. Syri & Iuuentij:* Quo tempore beatissimus Petrus Christi Apostolus fundata Antiochena Ecclesia, in qua primũ nouellæ gentis Christianum nomen exortum est, ędificaturus Romanam Ecclesiam, ad Romanam vrbem transiuit, ibi prędicans Christum crucifixum, omnesq; virtutes faciens & miracula, quæ coram conspectibus Iudæorum fecerat, multos ad credulitatem sui conuertit oraculi.

De gestis Longobardorum lib. 6. cap. 4.

Vt Petrum, sedemq́; Petri Rex cerneret hospes,
Cuius fonte sacras sumeret albus aquas, &c.

Paulinus Aquilegiensis. 780.

Libro 8. Histor. Nero primùm Romæ Christianos supplicijs affecit: ipsum quoque nomen extirpare conatus, beatissimos Apostolos Petrum cruci affixit, Paulum capite gladio secuit.

Haymo. 820.

Homilia Dominicæ 3. in Quadragesima: Dominus discipulis suis partes mundi ad prædicandum distribuit, Petro & Paulo Romam, Andreæ Achaiam, Iacobo Iudęam, Ioanni Asiam, &c.

Freculphus Lexouiensis. 840.

Tomo 2. lib. 1. cap. 12. In Claudij Tiberij regni exordio Petrus Apostolus Domini nostri Iesu Christi Romam venit, ibiq́; viginti quinque annis Cathedram tenuit Episcopalem, & salutarem cunctis credentibus fidem Christi fideli verbo docuit, potentissimisq́; virtutibus approbauit, atque ex hinc Christianorum plurimi Romę esse cœperunt: sensit hoc fidei suæ Roma beneficium.

Drepanius Florus. 850.

Hymno ad Michaelem Archangelum:

Clarent Angelici sublimia festa dei,
Allatura piè dona beata animæ:
Hunc etenim Michael, aulæ cælestis alumnus,
Conspicuo nobis consecrat ore diem:
Dignatus Petri Pauliq́; inuisere sedem,
Imperiumq́; fouens inclyta Roma tuum.

Rabanus Maurus. 850.

Ad caput 12. Iudith: Claudius Imperator licet Iudęos diuersis calamitatibus affligeret, Christianos nõ lędit. Vnde factum est, quòd ipso regnante Petrus Apostolus in vrbe Romana prædicando, plurimos ad fidem Christi conuerteret.

Hincmarus. 850.

Epistola de Dionysio Areopagita: Procedente tempore Dionysius magistri desiderio, & B. Petri amore Romam venit, quos nequissimi Neronis crudelitate iam martyrio coronatos inuenit.

Nicolaus Primus. 860.

Epistola 7. Tunc conuocato multorum sanctissimorum Episcoporum cœtu, & collecta sancta Synodo in Ecclesia Dei, vbi B. Petrus Apostolorum princeps corpore floret, & virtutibus emicat, &c.

Epistola 32. Petri & Pauli glorioso agone sancta hæc Romana Ecclesia, cui diuina dispensatione præsumus, est Domino consecrata.

Ad consulta Bulgarorum cap. 92. Romanam Ecclesiam sanctorum Apostolorum principes Petrus & Paulus & prędicatione sua instituerunt, & pro Christi amore fuso proprio sanguine sacrauerunt.

Adrianus Secundus. 867.

Epist. 3. Hæc capitula synodicè in Ecclesia Dei, vbi sanctum corpus Apostolorum principis Petri quiescit, promulgauimus.

Ioannes Octauus. 870.

Epist. 76. Pro hac purissima fide Beatus Petrus Romæ moratus, in hoc stabiliuit Ecclesiam, & sede Apostolica diutius gubernata, pro hac fide decus mortis assumpsit: sicq; in hac fide sanctam Romanam Ecclesiam fundatam proprio sanguine cum Paulo Deo consecrauit.

Ado Viennensis. 880.

Ætate 6. de anno 45. Claudius regnauit annis 14. Exordio regni eius Petrus ad superandum Simonem Magum, cùm prius Antiochenam fundasset Ecclesiam, Romam venit, & salutarem cunctis credentibus fidem fideli verbo docuit, ibiq́ue 25. annis Cathedram tenuit Episcopalem.

Regino Prumiensis. 920.

Lib. 1. Annalium: Scimus Petrum & Paulum anno post passionem Domini 38. id est vltimo Neronis anno passos fuisse, & B. Petrum Romæ 25. annis Episcopalem sedisse cathedram. Sequitur ergo, vt B. Petrum eodem decimo quarto post passionem Dñi anno, quo eũ Hierosolymis alloquitur Paulus, id est, quarto Claudij anno Romam venisse credamus. Anno incarnationis Dominicæ 72. Romæ Petrus crucifigitur, Paulus decollatur.

Luitpran-

Luitprandus Ticinensis. 960.

Lib. 1. cap. 8. Romæ B. Petri Apostolorum principis beatum pretiosumq́; corpus quiescit.

Lib. 4. cap. 3 Petrus Antiochena dimissa Ecclesia, ad Romanam Vrbem, quæ potentiæ magnitudine cunctis tunc nationibus imperabat, postmodũ transuolauit: vbi cùm disponente Deo sanctam toto orbe venerandam fundaret Ecclesiam, discipulo suo Marco pristinam Antiochenam simul commendauit, &c. Venit Petrus Romam, non ambitione inflammatus, sed martyrio animatus: non quærens aurum, sed animarum lucrum.

Hugo Floriacensis. 1050.

In Chronicis ætate 6. Petrus Romæ sedit annis 25. menses duos, dies 7. Qui ante finem vitę fratribus conuocatis post se Clementem Romanæ Ecclesiæ præfecit, qui à persecutoribus captus cruci adiudicatus est.

Petrus Damianus. 1050.

Sermone de S. Marco: Illud etiã dilectissimi ignorare vos non patiar, quoniam octauo Neroniani imperij anno triumphalem martyrij palmam B. Marcus obtinuit, cui mox & Anianus in Alexandrinæ dignitatis sede successit, & B. Petrus Romæ septennio superuixit.

Hermannus Contractus. 1050.

In Chronicis de Nerone: Primus Nero super omnia scelera sua etiam Christianos persequitur, quorum eximios Romæ Petrum cruce, Paulum gladio occidit.

Marianus Scotus. 1070.

Ætate 6. de anno 72. Beatissimus Petrus Apostolus anno dominicæ incarnationis 47. regni autẽ Claudij Cęsaris anno quarto, superna visione ordinante, Romam ingressus, salutarem cunctis credentibus fidem constantissima assertione prædicauit, & eiusdem vrbis Pontificatũ annis 25. strenuissimè rexit.

Florentius VVigornensis. 1100.

Lib. 2. Chronicorum: Clemens Papa primus post Petrum Romanam Ecclesiam tenuit, vel cum Lino, & Cleto, sicut cum Petro fuit. Post Petrũ, imò etiam cum Petro primus Papa S. Clemens Romanam rexit Ecclesiam, &c. Sanctus Clemens non solùm successor B. Petri fuit, sed etiam viuẽte Iacobo, nouem annis ante passionem Petri Romanam cathedram tenuit, deinde post Petrum, &c. Petro in vrbe Romana interfecto, & Christianis pœnarum diuersitate laniatis, de Hispania illicò Galba surrexit.

Honorius Augustodunensis. 1120.

Sermone de Petro & Paulo: Petrus in circuitu verbum Dei disseminans, Romam peruenit; ibiq́ue Pontificatus regimen totius Ecclesiæ à Christo sibi collatum suscepit.

Rupertus Tuitiensis. 1120.

Ad cap. 3. Ionæ: Huius sacramenti, & omnis Ecclesiæ religionis lex, & ordo multimodis Romæ munitur, ac roboratur decretis: eò quòd beati principis Apostolorum Petri sedes facta sit, eiusdem & consortis eius Pauli sicut prædicatione illustrata, ita & martyrio coronata, cunctis Ecclesijs caput altius extulerit, latiusq́; dominetur per omnes gentes sacra Pontificum eius lingua, quàm dominata fuerit Cæsarum siue Augustorũ purpura.

Bernardus. 1130.

Epistola 237. ad Eugenium Papam: Locus, in quo stas, terra sancta est, locus Petri est, locus Principis Apostolorum, locus illius, quem constituit Christus dominum domus suæ, & principem omnis possessionis eius.

Hugo Victorinus. 1140.

Institutionis monasticæ, de vanitate mundi lib. 4. Petrus Romæ throno veritatis constituto, crucem triumphans ascenderat, & Clemens successor Cathedræ insulam Pontificalem acceperat.

Institut. monast. excerptorum priorum lib. 6. cap. 6. Circa hos dies Simon Magus populum Romanũ ita dementare cœpit, vt antemissis imaginibus suis adoraretur vt Deus. Sed cùm Petrus adolescentem propinquum Cæsaris, quem Simon magicis artibus suscitare nõ valebat, in nomine Iesu Christi suscitasset, confusus Simon offensum se dixit à Galilæis, relicturumq́; se Vrbẽ minatur, & diem, quo supernis sedibus inueheretur, pollicetur. Cùm volaret, orante Petro, corruit, & confractus mortuus est. Sed Nero Cæsar super hoc indignatus, iussit comprehendi Petrum, &c.

Petrus Cluniacensis. 1150.

Epist. 1. Quid enim nunquid per 25. annos, quibus Romæ Petrus Apostolus sedit, absque templo, vel Ecclesia, id est orationis domo, vel paruo saltem oratorio fuit? Nonne vt gestorum veracium series narrat, primus ipse princeps Apostolorum Petrus in vrbe orbis capite templũ Christo inter innumera gentilium templa construxit? Nonne & nos ipsi Romæ positi frequenter vidimus, in cryptis antiquissimis oratoria, & altaria, qualia eo tempore fieri poterant, quæ ab eodem Apostolo constructa, ficut per successionem fama consentiens ac celeberrima protestatur, in monumentum tantæ sanctitatis fidelibus ostenduntur, ac deuotissimè exosculantur?

Otto Frisingensis. 1150.

Lib. 3. Chronicorum cap. 15. Petrus Romam veniẽs, Simonem Hæresiarcham omnium, in magica arte peritissimum, vrbem subuertentem inuenit.

Egbertus Presbyter. 1160.

Aduersus Catharos Serm. 3. Petrus Antiochæa Romam profectus, in ea fidem Christianam docuit, ac maximam partem ciuitatis ad Christum conuertit, ac per 25. annos Ecclesiam Christi ibi gubernauit.

Petrus Comestor. 1160.

In Historia Scholastica lib. act. Apost. cap. 127. Petrus crucifixus est in Vaticano, in vico scilicet, qui est extra ciuitatem, vbi fiebant dolia.

Petrus de Riga. 1170.

Ad finem Actuum Apostolorum:

Vltimus annus erat regni vitaq́; Neronis,
Cùm Petrus & Paulus geminis nituêre coronis,
Qui fudêre suum sub eadem luce cruorem:
Anno non alio fidei seruando vigorem
Ense sacrat Paulum par lux, Vrbs, dux cruce Petrum.

Godfridus Viterbiensis. 1170.

Parte 14. Chronicorum:

Roma prius mundum totum viciſſe videtur:
Solus eam verbo potuit deuincere Petrus.

Guntherus. 1180.

Libro 4. Ligurini:

Iamq́; aderat veneranda dies, quæ clara triumpho
Fulget Apostolico, totum festiua per orbem
Illa quidem, sed Romuleæ specialiter vrbi,
*Cuius sacra suo lustrârunt mœnia * Patres*
Martyrio, sæui dum spernunt sceptra Neronis.

* Scilicet Petrus & Paulus.

Adam Victorinus. 1180.

Prosa de sanctis Apostolis Petro & Paulo:

Roma Petro glorietur,
Roma Paulum veneretur
Pari reuerentia.
Hi sunt eius fundamenta,
Fundatores, fulcimenta,
Bases, epistylia, &c.
Romam conuenerant salutis nuntij,
Vbi plus nouerant inesse vitij,
Nihil disciplinæ.

Innocentius Tertius. 1200.

Sermone 2. de festo SS. Petri & Pauli: Dignum prouidit Deus, & congruum: sed & congruum prouidit, & dignum, vt ille, qui erat princeps Ecclesiæ, sedem constitueret apud vrbem, quæ tenebat seculi principatum. Et ideo Dominus inquit ad Petrum: *Duc in altum*, quasi diceret: Vade Romam, te cum tuis transfer ad Vrbem, & laxate ibi retia in capturam. Ecce liquidò patet, quantum Deus istam vrbem dilexerit, vt eadem esset sacerdotalis & regia, imperialis & Apostolica, obtinēs & exercēs non solùm dominium super corpora, verùm etiam magisterium super animas.

Conradus Abbas Vrspergensis. 1220.

In Chronicis de anno 43. Petrum quarto Claudij anno Romam venisse ferè omnes sanctorū temporum scriptores testantur: quidam autem Pontificatum in vrbe Romana hoc anno illum suscepisse opinantur. Et hoc exinde verum conijciūt, quia Petrus sedem Romanam 25. annis tenuisse dicitur, & vltimus Neronis annus, quo Petrus passus esse narratur, vigesimus quintus à quarto Claudij numeratur. Vnde satis apparet, quòd eodem anno, quo Romam venit, etiam sedem Pontificatus accepit.

Iacobus Vitriacus. 1220.

In historia Orientali cap. 78. Spiritus promptus est, secundùm voluntatem rationis: caro autem infirma, secundùm sensualem voluntatem, secundùm quam alius cinxit Petrum, & duxit quò non voluit, qui tamen sponte reuersus Romā, voluit crucifigi voluntate rationis.

Albertus Stadensis. 1250.

In Chronicis: Petrus Apostolorum princeps primùm sedit Antiochiæ annos 7. post ingressus Romam, pugnaturus contra Simonem Magum, in Episcopali Cathedra sedit annos 25.

Thomas Cantipratanus. 1260.

Lib. 2. miraculorum cap. 53. Fuit Romana Ecclesia sanguine tincta, præcipuè Apostolorum Petri & Pauli.

Guilhelmus Durandus. 1270.

In Rationali diuinorum lib. 7. cap. 43. Tres Apostoli leguntur tantùm viui fuisse Romę, scilicet Petrus, & Paulus, & Ioannes: & tres Euangelistæ, scilicet Ioannes, Marcus, & Lucas.

Nicolaus Tertius. 1280.

De Electione, & electi potestate cap. 17. Petrus & Paulus illi sunt, per quos Euangelium Romę resplenduit. Isti sunt eius Patres, veriq; pastores: isti sunt, qui vna die pro merito, vno loco pro gloria, sub vno persecutore pro parili virtute compassi, vrbem ipsam glorioso cruore martyrij Christo Domino consecrârunt. Isti sunt, qui illam in hanc gloriam prouexerunt, vt sit gens sancta, populus electus, ciuitas sacerdotalis & regia, per sacram beati Petri sedem caput totius orbis effecta.

Nicolaus Lyranus. 1300.

Ad cap. 1. posterioris Petri: Hanc epistolam scripsit Romæ, sicut & præcedentem. Nam sicut dicitur hìc, propinquus erat passioni suæ, quam sustinuit Romæ.

Martinus Polonus. 1320.

In Chronicis in Petro: Cùm diuiderentur Apostoli, Petrus Romam venit: prius tamen Pontum, Galatiam, Bithyniam circuit, &c.

In Nerone: Nero etiā omnibus flagitijs suis hoc addidit, vt sanctos Dei Apostolos Petrum & Paulum trucidaret.

Kluarus Pelagius. 1330.

De planctu Ecclesiæ lib. 1. articulo 68. Petrus post Ascensionem Christi primus rexit Antiochenam Ecclesiam, & tum erat illa caput: postmodum translata est eius sedes Romam, iubente Domino.

Matthæus Westmonasterienſis. 1370.

In Chronicis de anno 41. Claudij regni exordio Petrus, cùm prius Antiochenam rexisset Ecclesiam, Romam veniens, salutarem cunctis credentibus fidē fideli verbo docuit, ibiq; Cathedram Episcopalem 25. annis tenuit, vsque ad vltimum Neronis annum.

Thomas Waldensis. 1410.

Doctrinalis fidei lib. 2. art. 2. cap. 7. Ex Scripturæ locis habes testimonium, quòd Petrus Romæ fuerit, quando in epistola sua ipse se commemorat epistolam suam Romæ scripsisse. Ibi: *Salutat vos quæ in Babylone est Ecclesia,* id est Romæ, secundùm Papiam & Bedam.

Martinus Quintus. 1420.

Constitut. 4. Vrbem nostram Romam princeps Apostolorum Petrus, & in similem sortem vocatus Paulus, fidei Orthodoxæ cardines, alijq; victorioſi innumeri Martyres sui sanguinis aspersione inundârunt.

AEneas Syluius. 1460.

Epist. 130. Quis locus electus à Domino nisi Roma? quam beatorum Petri & Pauli martyrium consecrauit, &c.

Wernerus Roleuingius. 1470.

In Fasciculo temporum: Audiens Petrus Simonem Magum Romanos deludere, zelo fidei Romam adijt, anno quarto Claudij, &c.

Petrus Apollonius Collatius. 1480.

In Fastis, in Natalitijs Petri & Pauli Apostolorum:

Quos docuit Paulus, firmant miracula Petri:
Vita duos habuit, mors quoque iuncta duos.
Hi tibi Cæsareos auxerunt Roma triumphos:
His ducibus semper tu caput orbis eris.
Hostibus hi nullis tibi discutienda dederunt
Mœnia, quæ nunquam deserat alma fides.

M. Antonius Sabellicus. 1490.

Enneadis 7. lib. 2. Altero Claudij anno Petrus Bariona Christi Apostolus ex Antiochia Italiam petijt, pluribus in Asia Ecclesijs constitutis, &c. Petrus Romam reuersus Clementem Episcopum cōsecrauit, traditóq; illi sacram sedem obtinendam: haud multò pòst, cum Paulo, qui tum Romę erat, Neronis iussu interfectus est, nec eodem supplicio: Petrus pedibus in sublime elatis crucifigitur, quod supplicij genus sibi optasse ferunt. Est & Paulus eodem die securi subiectus. Hic Hostiensi via est sepultus, Petrus in Vaticano, via Aurelia secus hortos Neronis: quibus locis nobilissima est eius nomine procedente tempore Basilica constituta: præfuit Romanæ Ecclesiæ annos quinque & viginti.

Albertus Crantzius. 1500.

In Metropoli lib. 2. cap. 1. Petrus Primus in terris Christi Vicarius, Cephas dictus inde, sedit Antiochiæ annis 7. sed quoniam caput Ecclesiæ cōgruenter ad caput imperij erat transferendum, venit Romam anno 2. Claudij, & ibi consedit 25. annis, ad penultimum Neronis, qui Claudio successit sine medio, post magistrum cruce finiuit, vt & testimonio sanguinis fidem firmaret, & merito passionis thesaurum Ecclesiæ cum cæteris augeret.

Baptista Mantuanus. 1500.

Lib. 6. Fastorum in Martyrio Petri & Pauli:

Multa mari & terris discrimina passus ad Vrbem
Romuleam mundi dominam, rerumq; potentem
Venit, vbi æterni sacret primordia regni.
Tum Magus AEneadas Simon, ipsumq; Neronem
Præstigijs ludens sese iactabat iturum
Aërium per iter, volucresq; æquare volatu.
Petrus vt è terris sublatum in nubila vidit,
Submißis genibus multa prece numina flexit,
Vt rueret præceps. Igitur quasi plumbea moles
Cum stridore ruit, fusisq; attrita medullis,
Ossa solo hæserunt, animam Vulcanus ad Vmbras
Traxit, & in tetri foricis sepeliuit Auerni.

ARTICVLVS SEXTVS.

ROMANVM PONTIFICEM LEGITIME ELECTVM VERVM ESSE B. PETRI SVCCESSOREM, EANDEM CVM ILLO IN OMNIBVS VBIQVE ECCLESIIS LIGANDI ET SOLVENDI POTESTATEM OBTINERE.

NEGANT.

Anno post natū Christum

200. TERTVLLIANVS, libro de Pudicitia, *negat Romanum Pontificem habere potestatem absoluendi mœchos, & adulteros, etiamsi pœnitentiam agant.*

450. *Anatolius Patriarcha Constantinopolitanus, fretus vrbis suæ magnitudine & potentia, Romanæ Ecclesiæ detraxit, cæterarum sedium priuilegia, & Episcoporum confirmationem ad se vnum reuocare, & sibi subdere conatus est,* vt colligitur ex Leonis Papæ epistolis ad Marcianum Imp.

453. *Græci in Chalcedonensi concilio act. 16. absentibus legatis Romanis definiunt Constantinopolitanum Episcopum ita secundum à Romano esse debere, vt tamen habeat æqualia priuilegia.*

480. *Zeno Imp. Arianis in gratiam Acacij Patriarchæ Constantinopolitanæ similiter Ariani, decreuit Constantinopolitanæ vrbis sedem, priuilegia & honores omnes super Episcoporum creationibus, & iure ante alios residendi, & cætera omnia habere.* Codice de Sacrosanctis Ecclesijs, Decernimus.

500. *Ioannes Nesteuta Patriarcha Constantinopolitanus aduersus sedem Romanam insurrexit, & sibi œcumenici, hoc est orbis terræ seu vniuersalis Episcopi nomen assumpsit. Post illum Cyriacus, in eadem sede successor, idem fecit.* Gregorius Magnus lib. 4. epist. 76. 78. 80. lib. 6. epist. 168. 169. 170.

860. *Photius Patriarcha Constant. se Romano Pontifici prætulit, contra illum & contra Latinos Synodos celebrauit: eos odio & publicis scriptis prosecutus est.* Liber Romanorum Pontificum, Concilium Romanum 2 & 3. contra hunc Photium celebrata Synodus Octaua Canone 21. Regino Prumiensis lib. 2. Platina in Nicolao Primo.

1050. *Græci apertè pronuntiant, Romanum Pontificem propter additionem in Symbolo Nicæno,* Filioque, *de suo gradu excidisse, & iam summum ac primum omnium Episcoporum esse Constantinopolitanum Patriarchā.* Leo Nonus Epistola ad Leonem Aeridanum, Sigebertus in Chronicis.

1070. *Henricus Quartus Imp. vsque ad mortem persequebatur omnes, qui obedientiam Christi Vicario exhibebant.* Trithemius in Chronico Hirsaug.

1070. *Berngarius videns à Romana Ecclesia suam doctrinam damnari, vocauit illam Ecclesiā malignantium, concilium vanitatis, sedem satanæ: Romanum Pontificem pompificem atque pulpificem per probrum appellauit.* Lanfrancus, & cæteri, qui scripserunt contra Berengarium.

1117. *Anna Comnena Græcorum Imperatrix,* lib. 1. historiæ, *dicit frustra gloriari Latinos, præsidere Papam totiterrarum orbi. Cùm enim sceptrum, totaq; imperij administratio inde Constantinopolim translata sit, eodē quoque Ecclesiasticam prærogatiuam translatam esse.*

1150. *Nilus Thessalonicensis Episcopus, de primatu Papæ Romani duos libros (qui Græcè & Latinè editi extant) scripsit, in quibus de potestate Papæ, & eius primatu quæstiones mouet.*

1180. *Valdenses cùm obtinere non possent, vt Romanus Pontifex suam sectam probaret, dixerunt, quòd Romano Pontifici non teneamur obedire: eius decreta nullius esse momenti: totum Romanæ Ecclesiæ statum in*

capite & membris damnârunt: Romanam Ecclesiam purpuratam meretricem appellârunt. Conradus Vrspergensis de anno 1180. Nicolaus Eymericus part.2.quæst.14. Guido de Valdensibus.

1300. *Gerardus Sagarellus, & Dulcinus Nouariensis dixerunt, quòd tota auctoritas à Domino nostro Iesu Christo tradita & collata Ecclesiæ Romanæ, est omninò euacuata, & iam dudum cessauit, propter malitiam Prælatorum: & quòd Ecclesia Romana, quam tenent Papa, Cardinales, clerici, & religiosi, non est Ecclesia Dei, sed reprobata Ecclesia. Dicunt quòd nullus Papa Romanæ Ecclesiæ potest aliquem absoluere à peccatis, nisi esset ita sanctus, sicut fuit B. Petrus Apostolus, viuendo in omnimoda paupertate sine proprio. Dicunt quòd Romana Ecclesia sit illa meretrix, quæ à fide Christi apostatauit, de qua scribit Ioannes in Apocalypsi.* Nicolaus Eymericus parte 2.quæst.11. Guido Carmel. de secta Pseudo Apostolorum cap.1.

1300. *Hermannus quidam Italus cum suis Fratricellis seu Beguinis, dicit Romanam Ecclesiam esse meretricem: Pontifices omnes post Syluestrum fuisse impios, quòd in paupertate non degissent: ideoq; ipsis denegandas esse decimas.* Palmerius in Chronicis, Ioannes de Turrecremata de Ecclesia libro quarto, parte 2. cap.37.

1320. *Marsilius Paduanus, & Ioannes de Ianduno dicebant, Christum, quando in cælum ascendit, non dimisisse Vicarium, & ideo Papam non esse Vicarium Christi, nec esse aliis sacerdotibus superiorem: iudicari illum posse ab Imperatore, sicut Christus à Pilato & Cæsare iudicatus est.* Ioannes de Turrecremata lib.4. de Ecclesia part.2.cap.37. Bernardus Lutzenburgus de Sectis.

1390. *Ioannes Vvicleuus cap.37. super illud Euangely:* Cùm videritis abominationem desolationis: *Romanus Pontifex radix est totius malitiæ: quoniam mendacijs à sequela Christi degenerat. Ipse est abominatio desolationis in abstracto.*

1400. *Ioannes Hussus dixit, Papæ non imitantis vitam Christi potestas non est timenda, nec concedi potest, quòd sit caput vel Cardinalis alicuius Ecclesiæ particularis vel vniuersalis, nisi in vita Christo & Apostolis conformetur. His non conformis, non Christi, sed potius Antichristi est Vicarius, & bestia illa, de qua in Apocalypsi.* Cochlæus lib.3. Historiæ Hussiticæ.

1430. *Thaboritæ Romanam Ecclesiam nolunt in alias habere primatum.* Æneas Syluius Epistola 130.

1520. Martinus Lutherus in Resolutionibus: *Potestas Papæ est Ierna, tartarus, simonia libidinum, pomparum, cædium, reliquarumq; abominationum in Ecclesia.*

In Captiuitate Babylonica: *Quo iure Papa super nos constituit leges? Quis dedit ei potestatem captiuandæ huius nostræ libertatis per baptismum nobis donatæ? Dico itaque, neque Papa, neque Episcopus, neque vllus hominum habet ius vnius syllabæ constituendæ super Christianum hominem, nisi id fiat eiusdem consensu: quicquid aliter fit, tyrannico spiritu fit. Papatus aliud reuera nihil est, quàm regnum Babylonis, & veri Antichristi.*

1530. *Philippus Melanchthon*, libro de potestate Papæ, seu de regno Christi, *Romani Pontificis dignitatem & primatum ex professo oppugnat.*

1550. *Ioannes Caluinus*, lib.4. Instit.cap.6. *scribit, non esse ex Christi instituto primatum Romanæ sedis, neque vtile esse, neque fieri posse, vt vnus homo vniuersæ Ecclesiæ præsit: Papam potius Antichristum, quam Christi Vicarium esse.*

1560. *Magdeburgenses in singulis Centurijs ad finem capitis septimi contra Romani Pontificis primatum disputant.*

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Ignatius. 100.

In inscriptione epistolæ ad Romanos: Ignatius Ecclesiæ sanctificatæ, ἥτις προκάθηται ἐν τόπῳ χωρίου ῥωμαίων, id est, quæ præsidet in loco regionis Romanorum.

Polycarpus. 150.

Hieronymus de Viris illustribus in Polycarpo: Hic propter quasdam super die Paschæ quæstiones, sub Imperatore Antonino Pio, Ecclesiam in vrbe regente Aniceto, Romam venit.

Dionysius Corinthiacus. 160.

Epistola ad Soterem Papam Romanum: In hoc sacro die Dominico vestram epistolam legimus, sicut etiam priorem nobis à Clemente missam, ad nostram institutionem legere solemus.

Irenæus. 180.

Lib.3. cap.3. Sed quoniam valdè longum est, in hoc tali volumine omnium Ecclesiarum enumerare successiones, maximæ, & antiquissimæ, & omnibus cognitæ, à gloriosissimis duobus Apostolis Petro & Paulo Romæ fundatæ, & constitutæ Ecclesiæ, eam, quam habet ab Apostolis traditionem, & annuntiatam hominibus fidem, per successiones Episcoporum peruenientem vsque ad nos indicantes, cõfundimus omnes eos, qui quoquo modo, vel per sui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem & malam sententiam, præterquam oportet, colligunt. Ad hanc enim Ecclesiam, propter potentiorem principalitatem, necesse est omnem conuenire Ecclesiam, hoc est eos, qui sunt vndique fideles, in qua semper ab his, qui sunt vndique, cõseruata est ea, quæ est ab Apostolis traditio.

Origenes. 230.

Eusebius lib.6. cap.12. Origenes Adamantius, Zephyrino ijsdem temporibus Romanam Ecclesiã gubernante, scribit se propterea Romam iter suscepisse, quòd sibi admodum erat in optatis Ecclesiam Romanam planè antiquissimam visere.

Cùm Origenes in varios errores incidisset, ob eamq; rem sciret se debere Romano Pontifici suæ fidei rationem reddere, ad Fabianum Romanæ vrbis Episcopum scribit, inq; ea epistola (teste Hieronymo ad Pammachium & Oceanum de erroribus Origenis) pœnitentiam agit, cur talia scripserit, & causam temeritatis in Ambrosium (non Mediolanensem illum) refert, quòd secretò edita in publicum protulerit. Hinc perspicitur quanta olim ratio tam Romanæ Ecclesiæ, quàm Pontificis etiam in Græcia habita fuerit; vtpote apud quem etiam doctissimi viri pœnitentiã per epistolam agebant.

Eusebius Cæsariensis. 320.

Ecclesiastica hist.lib.7. cap.24. Cùm Paulus Samosatenus in cõcilio Antiocheno de Episcopatu dejectus, ex Episcopi domo, quæ illius Ecclesiæ propria erat, exire nollet, Imperator Aurelianus rogatus sententiam, sanctissimè quid esset agendum decreuit. Præcepit enim vt domus Ecclesiæ illis tribueretur, quibus Christiani Italię, & vrbis Romę Episcopi per literas tribuendam præscriberẽt.

Concilium Nicænum primum. 325.

In Canonibus collectis ex Epistola Iulij Papæ, Canone 1. Non debent præter sententiam Romani Pontificis Concilia celebrari.

Can.2. Vt omnes Episcopi, qui in quibusdam grauioribus pulsantur, vel criminantur causis, quoties necesse fuerit liberè Apostolicam appellent sedem, atque ad eam quasi ad matrem confugiant: vt ab ea (sicut semper fuit) piè fulciantur, defendantur, & liberentur: cuius dispositioni omnes maiores Ecclesiasticas causas & Episcoporum iudicia antiqua Apostolorum, eorumq́ue successorum & Canonum auctoritas reseruauit: quoniam culpantur Episcopi, qui aliter erga fratres egerint, quàm eiusdẽ sedis Papæ fieri placuit.

In Canonibus ex Arabico translatis, Canone 39. Consideret Patriarcha ea, quæ Archiepiscopi & Episcopi in prouincijs suis faciunt: & si quid reperiat secus quàm oporteat factum, mutet, & disponat, provt sibi videbitur. Siquidẽ ipse est Pater omnium, & illi filij eius. Et quamuis sit Archiepiscopus inter Episcopos tamquã frater maior, qui curam habet fratrum suorum, & ei debent obedientiam, quia præest: est tamen Patriarcha ijs omnibus, qui sub potestate eius sunt, sicut ille, qui tenet sedẽ Romæ caput & princeps est omnium Patriacharum. Quãdoquidem ipse est primus, sicut Petrus, cui data est potestas in omnes principes Christianos, & omnes populos eorum, vt qui sit Vicarius Christi Domini nostri super cunctos populos & vniuersam Ecclesiam Christianam. Et quicunq; contradixerit, à Synodo excommunicatur.

Athanasius. 340.

Apologia 2. contra Arianos: Vt olim Pharisæi summoti reiectiq; à iudicanda causa D. Pauli, & suam, & cæterorum Iudæorum contra ipsum coniurationem perfecerunt; vtq; beatum Dauidem præter meritum persecutionibus agitari voce ipsius persecutoris innotuit, ita peccatũ suum confitentis: *Peccaui,* inquiens, *fili mi Dauid:* ita quoque nũc Ariani victi à veritate, veniam scriptis literis à Iulio Romano Pontifice poposcerunt, & ad nos pro pace epistolas misẽre. 3.Reg.26

Epistola ad Marcum Papam: Domino sancto & Apostolici culminis venerando Marco sanctæ Romanæ & Apostolicę sedis atque vniuersalis Ecclesiæ Papæ Athanasius, & vniuersi AEgyptiorum Episcopi salutem, &c. Optamus, vt à vestrę sanctę sedis Ecclesiæ auctoritate, quæ est mater & caput omnium Ecclesiarum, ea ad correptionem & recreationem fidelium Orthodoxorum percipere per præsentes legatos mereamur. Verè nouimus Apostolatus vestri cor gratia sancti Spiritus in tãtum esse accensum, vt omnibus oppressis succurratis, quantò magis nobis, qui licet exigui ordinis, tamen vestri sumus, vobisq; obedientes cum omnibus nobis cõmissis, esse semper volumus.

Extat Tomo 1. Concil. *Athanasius, & vniuersi AEgyptiorum, Thebaidorum, & Libyorum Episcopi epistola ad Felicem 2. Papam:* Ideò Pater beatissime, quia semper antecessores nostri, & nos à vestra Apostolica sancta sede auxilium hausimus, & nostri vos curã habere agnouimus, præfatam Apostolicam & summam expetimus, iuxta Canonum decreta, sedem, vt inde auxilium capiamus, vnde prædecessores nostri ordinationes, & dogmata, atque subleuationes ceperunt: ad eam quoq; quasi ad matrẽ recurrimus, vt eius vberibus nutriamur: quoniam non potest mater obliuisci infantem suum, sic & vos nolite obliuisci nos vobis commissos: Quoniam non leuibus nos inimici nostri implicauerunt afflictionibus, & quotidie facere moliuntur, & apprehẽdere, aut ferro nos constringi minantur, nisi eorum consentiamus erroribus: quod nequaquam, vobis inconsultis, agere præsumimus, Canonibus quippe iubentibus, absque Romano nos de maioribus causis nihil debere decernere Pontifice. Ideoq; ad propositum recurrentes, & ad brauiũ properantes, vestrę Apostolicę sedis imploramus auxiliũ.

Constantinus Cæsar. 350.

Epistola ad solitariam vitam agentes: Episcopus Romanus Iulius Synodum iussit fieri vbicumq; vellemus, vt tutò & crimina obijcerent aduersarij, & inuicem sibi obiecta refutarẽt. Id enim eorum legati cùm scilicet vinci animaduerterent, postulârunt. Athanasius ea re cognita, priusquam ista fierent Romam profectus est, non ignarus hæretici furoris: Iulius verò presbyteros suos Elpidium & Philoxenem cum literis ad Eusebianos misit, certum diem definiens, vt aut præsentes se sisterent, aut cognoscerẽt se omnibus modis suspectos haberi. Cæterùm Eusebiani, vbi semel audissent Ecclesiasticum cõsessum fore, vbi nec Comes affuturus esset, neque satellites pro foribus excubarent, nec ex Cæsaris præscriptis omnia fierent, quibus rationibus, & non alijs Episcopos viterãt, imò qui sine hoc præsidio ne loqui quidem auderent: ita inhorruerunt, & metu contracti sunt, vt presbyteros detinerent vltra diem cõdictam, causificationem interim turpem fingentes, se ob bella Persarum venire non posse. Sed ea in re nihil veri. Quid enim negotij Episcopis cum bello? aut quid obstaculi illis à Persis oriebatur, quò minus Romam, quamuis longinquam & transmarinam vrbem proficiscerentur? &c. Vrsacius & Valens Romã vltrò profecti sunt, & in Ecclesia, vbi nullius nisi Dei metus, & vbi liberam quisque sententiam proferebat, sponte pœnitentiam suam professi sunt, & scripto ediderunt, &c. Ne Liberio quidem Romano Episcopo pepercerunt, nulla reuerentia ducti, vel quòd sedes illa Apostolica esset, vel quòd Roma Metropolis esset Romanæ ditionis, vel quòd eos Apostolicos viros in suis literis appellassent: sed omnia simul miscentes, æquè omnium obliuiscebantur, neq; quicquam illis curæ, nisi sola impietas fuit. Nam cùm Liberium vidissent Orthodoxum, & osorem quidem Arianicæ sectæ, studiosum verò in hoc, vt cunctos ab ea hæresi retraheret, ista secum impij cogitârunt: si Liberium in nostram sententiam traxerimus, omnes breui superabimus.

Episcopi AEgyptij. 350.

Epist.ad Felicem Secundum PP. Scimus in Nicæna magna Synodo 318. Episcoporũ ab omnibus concorditer esse roboratum, non debere absq; Romani Pontificis sententia Cõcilia celebrari, nec Episcopos damnari, licet hæc & alia quamplura necessaria ab hæreticis, qui nos quotidiè infestant, & perdere nitũtur, vt facilius nos capere possint, sint Synodica Capitula incensa, nobisq; sublata, &c. Similiter & à prædictis Patribus (*Nicænis*) est definitum consonanter, vt si quisquam Episcoporum, aut Metropolitanorũ comprouinciales vel iudices suspectos habuerit, vestram sanctam Romanam interpellet sedem, cui ab ipso Domino potestas ligandi & soluendi speciali est priuilegio super alios concessa.

Concilium Sardicense. 353.

Cap.4. Osius Episcopus dixit: Quòd si aliquis

Episcopus adiudicatus fuerit in aliqua causa, & putat se bonam causam habere, vt iterum iudiciũ renouetur, si vobis placet, S. Petri Apostoli memoriam honoremus, vt scribatur vel ab his, qui examinauerunt, vel etiam ab alijs Episcopis, qui in propinquo morantur, Romano Episcopo. Et si iudicauerit, renouandum esse iudicium, renouetur, & det iudices. Si autem probauerit talem causam, vt ea nõ refricentur, quæ acta sunt: quæ decreuerit Romanus Episcopus, confirmata erũt. Si ergo omnibus placet, statuatur. Synodus respondit: Placet.

Cap.7. Osius Episcopus dixit: Placuit autem, vt si Episcopus accusatus fuerit, & iudicauerint cõgregati Episcopi regionis ipsius, & de gradu suo eum deiecerint, si appellauerit, qui deiectus est, & confugerit ad Episcopum Romanæ Ecclesiæ, & voluerit se audiri, si iustum putauerit, vt renouetur iudicium, vel discussionis examen, scribere his Episcopis dignetur, qui in finitima & propinqua prouincia sunt, vt ipsi diligenter omninò requirant, & iuxta fidem veritatis definiant. Quòd si is, qui rogat causam suam iterũ audiri, deprecatione sua mouerit Episcopum Romanum, vt è latere suo presbyterum mittat, erit in potestate Episcopi, quid velit & quid æstimet. Et si decreuerit mittendos esse, qui præsentes cum Episcopis iudicẽt, habẽtes eius auctoritatẽ. à quo destinati sunt, erit in suo arbitrio. Si verò crediderit Episcopos sufficere, vt negotio terminum imponant, faciet quod sapientissimo consilio suo iudicauerit.

Basilius Magnus. 370.

Epistola 52. ad Athanasium: Visum autem est mihi consentaneum, vt scribatur Episcopo Romæ, vt quæ hîc geruntur consideret, detq; consilium: & quoniam difficile est, vt cõmuni ac synodico decreto aliqui illinc mittantur, ipse sua auctoritate in ista causa vsus viros eligat, ad ferendas quidem itineris molestias idoneos: verùm iuxta ad hoc quoque accommodos, vt mansuetudine ac facilitate ingenij eos, qui distorti & obliqui apud nos sunt, corrigant, aptè ac dispensatoriè sermonem attemperantes, omniaq; secum habentes, quæ in Arimino ad necessariam solutionem gestorum illic facta sunt. Et hoc nemine sciente absque strepitu tacitè per mare ad eos, qui hîc sunt, vadant, ne qui pacis sunt inimici aduentum ipsorum præsentiscant.

Epistola data Sabino Diacono ad Pontificem Romanum: Reuera dignum est illa excellentissima voce, qua te beatum prædicauit, quod pietati tuæ donatum à Domino est, scilicet, vt quod adulterinum est à legitimo ac puro discernas, ac fidem Patrum sine subtractione vlla prædices.

Gregorius Nazianzenus. 380.

Oratione 23. quæ est oratio in laudem Heronis Alexandrini in exilium missi: Nam * pro cadaueribus cruentas vestes Ecclesiæ Romanæ protulit (*Petrus Alexandrinus Episcopus,*) ac per tacitam accusationem omnibus lachrymis mouit, vt calamitatis magnitudinem in oculis & aspectu defigeret, atq; auxilium nanciscereturr: quemadmodũ etiam nactum esse scimus. Fit enim ferè, vt qui opibus ac potentia præcellit, ad infirmi afflictiq; miseriam subleuandam maximè inflectatur, ac spontaneo beneuolentiæ affectu ad eum, qui dignitate imminutus est, se adiungat.

* Pro cadaueribus.) *Petrus enim ex Arianorum manibus elapsus, ad Damasum Romanum Pontificem fugit, vt est apud Socratem lib.4. c.22. & Niceph. lib.11. c.26.*

Oratione 52. quæ est epist.2. ad Cledonium: Quod etiã in causa fuisse reor, cur ipse quoque Damasus Papa, cùm postea rectius edoctus fuisset, simulq; in pristinis eos expositionibus perstare audijsset, eos ab Ecclesiæ cœtu abdicârit, fideiq; libellum cum anathematismo deleuerit: tum etiam quòd fraudem eam, in quam per simplicitatem inciderat, permolestè ferret.

Gratianus, Valentinianus, & Theodos. AAA. 380.

Edicto ad populum vrbis Constantinopolitanæ: Cunctos populos, quos clementiæ nostræ regit imperium, in tali volumus religione versari, quam D. Petrũ Apostolum tradidisse Romanis religio vsq; adhuc ab ipso insinuata declarat, quamq; Pontificẽ Damasum sequi claret, & Petrum Alexandriæ Episcopum, virum Apostolicæ sanctitatis. *Extat Codice de summa Trinitate & fide Catholica, & apud Sozomenum lib.7. cap.4.*

Concil. Constantinopolitanum Primum. 381.

Canone 3. Constantinopolitanus Episcopus habeat priores honoris partes post Romanum Episcopum, eò quòd sit ipsa noua Roma.

Ioannes Chrysostomus. 400.

Epist. ad Innocentium Papam: Obsecro vt scribas, quòd hæc tam iniquè facta, & absentibus nobis, & non declinantibus iudicium, non habeant robur: sicut neq; sua natura habẽt: illi autem, qui iniquè egerunt, pœnæ Ecclesiasticarum legum subiaceãt. Nos autem insontes, neque conuictos, neq; deprehẽsos, neq; vllius criminis reos comprobatos Ecclesijs nostris iubete restitui, vt charitate frui, ac pace cum fratribus nostris consueta possimus.

Palladius Helinopolitanus. 420.

In vita Diui Chrysostomi: Primus omnium profectus est ad nos Alexandrinæ Ecclesiæ Lector cum Papæ Theophili literis, quibus indicabat Ioannẽ à se fuisse depositum. Eas literas cùm legisset beatissimus Innocentius Romanæ sedis Antistes, exhorruit temeritatem, fastumq; Theophili, egrè ferens, & quòd solus scripserat, & quòd rei totius seriẽ referre omiserat, cuius scilicet rei gratia, quibusve adiunctis sibi socijs illum deponere ausus fuisset. Inter hæc mansit admirans, nihilq; rescribere voluit, rei indignitate commotus. Dum Eusebius quidam Diaconus Constantinopolitanæ Ecclesiæ, qui tunc Romæ erat, Ecclesiasticæ vtilitatis gratia Innocentium adijt, libellisq; traditis adiurauit, sustinerent vt modicum temporis: fore enim breui, vt sibi totius scenæ facies patesceret. Post triduum aduenerũt Episcopi quatuor à Ioanne missi, reuerẽdissimi profectò viri, Pansophus Pisidiæ, Pappus Syriæ, Demetrius Galatiæ secundæ, Eugenius Phrygiæ, tres Innocentio epistolas deferentes, vnam quidem Ioannis Episcopi, secundam verò Episcoporum quadraginta de communione Ioannis, reliquam scripserat Ioannis clerus, omnes indisciplinatum tumultum, & seditionem pariter significantes. Erat autem epistola Ioãnis eiusmodi, &c. *vt supra in Chrysostomo.* Ad hæc rescripsit beatissimus Papa Innocentius, cõmunioq; vtriusq; patris admissa, Theophili iudicium cassum, atque irritum esse decreuit, dicẽs, oportere conflari aliam irreprehensibilem Synodum Occidentalium, & Orientalium sacerdotũ.

Synodus Ephesina. 430.

Epistola ad Cælestinum Papam: Quia verò necessitas exigebat, vt omnia, quæ in hac sacra Synodo acciderunt, Sanctitati tuæ declararentur, non potuimus hisce literis nostris ad Sanctitatem tuam non perscribere, secundùm Seruatoris nostri omnium voluntatem, pijssimorumq; ac Christi amantium Imperatorum nostrorum sanctionem, ex multis varijsq; prouincijs Episcopos supra ducentos in Ephesiorum ciuitate conuenisse, &c. Fuerunt in consessu nostro & illi quoque, qui à Sanctitate tua missi fuerant, videlicet pientissimi Episcopi Arcadius & Proiectus, vnaq; cũ illis religiosis-

simus presbyter Philippus, qui sua præsentia tuam nobis præsentiam exhibuerunt, Apostolicæq; sedis locum tenuerũt. Iustam proinde Sanctitas tua propter isthæc indignationem concipiat. Nam si quibuscumq; volentibus potestas fiat maioribus sedibus contumeliam inferre, & in illos, in quos nihil potestatis habent, sententias, vel contumelias verius, vsq; adeò iniquas & iniustas pronuntiare: maximè verò in eos, qui tanta pro pietate certamina sustinuerunt, per quos quoque pietas, accedentibus Sanctitatis tuæ precibus, plurimum splendoris accepit, in extremam cõfusionem res Ecclesiasticæ mox dilabentur. Vt autem omnia, quæ hîc gesta sunt, cognoscas, integros actorum commentarios misimus & Synodi subscriptiones.

Cyrillus Alexandrinus. 430.

Epistola ad Cælestinũ Papam: Quoniam verò Deus hisce in rebus prudentiam à nobis exigit, longaq; Ecclesiarũ consuetudo suadet, vt istiusmodi Sanctitati tuæ communicentur, nõ possum equidem id, quod apertum est, ad pietatem tuam non perscribere, &c. Quamuis hęc ita se habeant, non prius tamen Nestorij communionem cõfidenter deserere ausi fuimus, quàm hæc ipsa pietati tuæ indicaremus. Digneris proinde quid hîc sentias declarare: quò liquidò nobis constet, communicarene nos cum Nestorio oporteat, an verò liberè eidem denuntiare, neminem cum eo communicare, qui eiusmodi erroneam doctrinam fouet ac prædicat. Porrò tuæ integritatis mens, ac super hac re sententia, non modò pijssimis Deoq; deuotissimis Macedoniæ Episcopis, sed totius quoque Orientis Antistitibus perspicuè per literas exponi debet.

Maximianus Constantinop. Episc. 430.

Epistola ad Orientales: Omnes fines terræ, quę Dominum syncerè receperunt, & vbique terrarum Catholici veram fidem cõfitentes, in potestatem Romanorum Pontificum, tamquam in solem respiciunt, & ex ipsa lumen Catholicæ, & Apostolicæ fidei recipiunt. Nec immeritò, quia Petrus legitur primò perfectam fidem esse confessus, Domino reuelante, cùm dixit: *Tu es Christus Filius Dei viui,* &c. Decebat tantæ dignitatis & sapientiæ virum non ab alio cælestis mysterij arcana requirere, nisi ab eo potissimum, quem non potuit caro & sanguis instruere, sed cui Dominus ipse sua secreta dignatus est aperire: *Beatus es,* inquit, *Simon Bariona,* &c. Hunc enim de cæteris mortalibus ex toto terrarum orbe conditor orbis elegit, cui cathedram magisterij principaliter possidendam tenere perpetuo priuilegij iure concessit, vt quisquis diuinum aliquid aut profundum nosse desiderat, ad huius præceptionis oraculum, doctrinamq; recurrat: nec illi humiliter referre, quod soluendum est, erubescat, etiamsi ipse quod quæritur non ignoret.

Socrates. 440.

Eccles. Hist. lib.2. cap.5. Nec Iulius Romæ Episcopus in concilio adfuit, neq; quemquam, qui eius locum suppleret, eò misit, cùm vtique Ecclesiasticus Canon iubeat, non oportere absq; Pontificis Romani sententia decreta Ecclesijs sancire.

Cap.11. Iulius, quoniam Ecclesia Romana priuilegium præter cæteras obtinebat, literis suis ad Episcopos Orientis liberius perscriptis, illorũ partes tueri studet: in Orientem literas mittit, quò & suus cuiq; locus restitueretur, & eos, qui illos temerè abdicauerant, grauiter reprehendit.

Lib.4. cap.30. Per idem tempus, simulatq; Valens Imperator Antiochia decesserat, omnes, qui vbique persecutionis tempestate iactabantur, & Alexandrię potissimum, magno perè recreati fuerũt, propterea quòd Petrus Roma cum literis Damasi Episcopi Romani eò reuersus erat: quæ quidem & Mosis fidem confirmabãt, & Petri creationem. Populus igitur illis confisus, expellit Lucium, Petrum autem in eius locum introducit.

Lib.5. cap.8. Tunc etiam in Concilio Constantinopolitano decernunt Patres, Constantinopolitanum honoris prærogatiuas post Romanum Episcopum habere debere, eò quòd Constantinopolis noua esset Roma.

Sozomenus. 440.

Lib.3. cap.7. Athanasius fugiens Alexandria Romam aduentauit. Eodem etiam tempore Paulus Cõstantinopolitanus Episcopus fortè illò accessit, &c. Quorum criminationes cùm Episcopus Romanus intellexisset, & omnes fidei cõcilij Nicæni consentientes reperisset, in communionem recepit. Ac cùm propter sedis dignitatem cura omnium ad ipsum spectaret, singulis suam Ecclesiam restituit: scripsitq; ad Episcopos Orientis, eosq; incusauit, quòd inconsultò de hisce viris iudicassent, Ecclesiasq; perturbassent.

Cap.9. Iulius ab Episcopis AEgypti certior factus, nõ tutum esse Athanasio in AEgypto vitam agere, eum ad se accersiuit. Ad illos autem, qui Antiochiæ in vnum cõuenerant, (nam fortè fortuna id temporis eorũ acceperat epistolam,) scripsit, atque adeò incusauit, quòd clam contra fidẽ concilij Nicæni nouas res moliti fuerant, quodq; contra leges Ecclesiæ ipsum ad concilium nõ vocarant. Nam legem esse ad sacerdotij dignitatem spectantem, quæ pronuntiat acta illa irrita esse, quæ præter sententiam Episcopi Romani constituuntur: ea autem quę Tyri & in Mareote aduersus Athanasium decernebantur, iniqua esse.

Libro 6. cap. 22. Quæ controuersia contendendi studio cùm indies magis magisq; crescereet, Episcopus Romanus certior factus, scripsit ad Ecclesias Orientis literas, vt vnà cum sacerdotibus & Episcopis Trinitatem & consubstantialem esse, & gloria æqualem existimarent. Quo facto singuli rebus ab Ecclesia Romana semel iudicatis acquieuerunt, hęcq; controuersia finem habere visa est.

Theodoretus. 450.

Epistola ad Leonem Papam: Si Paulus, prædicator veritatis, & Spiritus sancti buccina, ad Petrum accurrit, vt ijs, qui Antiochiæ de viuendo secũdùm legem Mosis disceptabãt, quæstionem expeditam ac solutam ab eo ferret; multò magis nos, qui pusilli sumus, ad solium Apostolicum accurremus, vt à vobis medicinam vlceribus nostris feramus. Siquidem vobis conuenit in omnibus rebus primas tenere. Vestra enim sedes multis prærogatiuis ornata est. Nam cæteras ciuitates vel amplitudo, vel pulchritudo, vel ciuium frequentia decorat: aliquæ verò, quæ his carent, ex quibusdam gratijs spiritualibus splendorem ac dignitatem habent: vestræ verò ciuitati vberrimam copiam bonorum ipse dator largitus est. Est enim ipsa omnium ampliſſima, splendidissima, & orbi præsidet. Præterea ipsa principatum Imperatorium profudit, ac nomen suum, id est Romanum, cum ijs, qui in ditione eius sunt, communicauit. Fides verò præcipuè eam ornat: Testis est Paulus, qui clarissima voce ait: *Fides vestra annuntiatur in vniuerso mundo,* &c. Ego verò suffragium sedis Apostolicæ expecto, & supplex oro atque obsecro Sanctitatem vestram, vt ea me, tribunal vestrum iustum ac rectum appellantem, defendat ac protegat, iubeatq;, vt ad vos accurram, & doctrinam meam vestigijs Apostolicis insistentem ostẽdam, &c. Vestram sententiam expecto: quòd si senten- Rom.1.

tiæ eorum, qui condemnârunt, acquiescere iusseritis, acquiescam, nulli deinceps futurus molestus. Quin potius expectabo incorruptum Dei & Saluatoris nostri tribunal.

Epistola ad Renatum Presbyterum: Nudârunt me sacerdotio, eijciuntq; ex ciuitatibus, nec senectutem reueriti, neque caniciem in religione & pietate nutritam. Quamobrem deprecor te, vt sanctissimo Archiepiscopo (*Leoni Papæ*) suadeas, vt Apostolica auctoritate vtatur, iubeatque ad vestrum concilium adire. Tenet enim sancta ista sedes gubernacula regendarum cuncti orbis Ecclesiarum, cùm propter alia, tum quia semper hæretici fœtoris expers manfit, nec vllus vnquam, qui contrarium sentiret, in ea sedit: quin potius Apostolicam gratiam puram custodiuit. Quare quæ ab isto vestro tribunali proficiscentur, qualiacumq; erunt, iudicij vestri integritate confisi, amplectemur: oramusq; vt ex ijs, quæ hactenus scripsimus, iudicemur. Scripsi enim libros amplius triginta.

Ecclesiasticæ historiæ lib. 2. cap. 22. Numerus Episcoporum, qui erant Arimini congregati, præiudicij vim habere non debet: præsertim cùm formula composita sit, neque Episcopo Romano, cuius sententia præ cæteris omnibus expectanda erat, neque Vincentio, qui tot annis Episcopatum integrè gesserat, neque alijs eidem consentientibus placuerit.

Lib. quinto capite 10. Damasus Papa, vir omni genere laudis florentissimus, simul vt hanc sectam exortam accepit, non Apollinarem solùm, verùm etiam Timotheum eius discipulum abdicauit.

Concilium Chalcedonense. 453.

Actione 1. Et post hæc residentibus magnificentissimis & gloriosissimis iudicibus, & amplissimo senatu in medio, ante cancellos sanctissimi altaris, & ex læua quidem parte sedentibus sanctissimis & reuerendissimis Episcopis & vicarijs Deo amicissimis sanctissimi & reuerendissimi Leonis Antistitis priscæ vrbis Romæ, & Anatolio religiosissimo Archiepiscopo Constantinopolitano, & Maximo Episcopo Antiochię, & Thalassio Episcopo Cæsareensi, & Stephano Episcopo Ephesi, &c. Paschasinus verò Vicarius sedis Apostolicæ, cùm in medio vnà cum his viris reuerendissimis collegis suis stetisset, dixit: Beatissimi atque Apostolici viri Papæ vrbis Romæ, quæ est caput omnium Ecclesiarum, præcepta habemus præ manibus, quibus præcipere dignatus est eius Apostolatus, vt Dioscorus Alexandrinorum Episcopus non sedeat in concilio, sed audiendus intromittatur. Hæc nos obseruare necesse est. Si ergo præcipit vestra magnificentia, aut ille egrediatur, aut nos eximus, &c. Lucentius collega ipsius dixit: Iudicij sui necesse est eum dare rationem, quia cùm personam iudicandi non haberet, præsumpsit, & Synodum ausus est facere, sine auctoritate sedis Apostolicæ, quod nunquam licuit, nunquam factum est.

Actione 3. *Legati Romani Pontificis primi subscribunt*: Paschasinus Episcopus Ecclesiæ Lilybitanæ vice beatissimi atq; Apostolici vniuersalis Papæ Vrbis Romæ Leonis in Dioscori damnatione consensu vniuersalis concilij subscripsi: Anatolius Episcopus Constantinopolis nouæ Romæ, definiens pariter cum sancta Synodo subscripsi, &c. Maximus Antiochenus Episcopus similiter.

Actione 16. Relatione ad B. Papam Leonem de omnibus gestis generaliter: Et post hæc omnia, insuper & cõtra ipsum, cui vineæ custodia à Saluatore commissa est, Dioscorus extendit insaniam, id est cõtra tuam Apostolicam Sanctitatem, & excommunicationem meditatus est contra te, qui corpus Ecclesiæ vnire festinas, &c. Indicamus verò, quia & alia quædam pro rerum ipsarum ordinata quiete, & propter Ecclesiasticorum statutorum definiuimus firmitatem, scientes quia & vestra Sanctitas addisscns, & probatura, & confirmatura est eadem, &c. Rogamus igitur, & tuis decretis nostrum honora iudicium, & sicut nos capiti in bonis adiecimus consonantiam, sic & summitas tua filijs quod decet adimpleat.

Canone 28. Sanctorum Patrum decreta vbique sequentes, & Canonem, qui nuper lectus est, centum & quinquaginta Dei amantissimorum Episcoporum agnoscentes, eadem quoque & nos decernimus ac statuimus de priuilegijs sanctissimæ Ecclesiæ Constantinopolis nouæ Romæ. Etenim antiquæ Romæ throno, quòd vrbs illa imperaret, iure Patres priuilegia tribuêre: & eadem consideratione moti 150. Dei amantissimi Episcopi sanctissimo nouæ Romæ thono æqualia priuilegia tribuêre, rectè iudicantes, vrbem, quæ & imperio & senatu honorata sit, & æqualibus cum antiquissima regina Roma priuilegijs fruatur, etiam in rebus Ecclesiasticis, non secus ac illam, extolli & magni fieri, secundam post illam existentem, δευτέραν μετ' ἐκείνην ὑπάρχουσαν.

Canon hic à Leone PP. vt ex multis eius literis constat, reiectus est, & Anatolius ipse Constantinopolis Antistes, qui eum callidè à Patribus Chalcedonensis Synodi, reclamantibus Leonis Papæ legatis & Vicarijs, impetrârat, coactus est intra pristinos se limites tenere, & ab infaustis ambitionis consilijs animum reuocare.

Anastasius Hierosolymitanus Patriarcha. 470.

Epistola ad Felicem Papam: Fuit semper Apostolicæ sedis vestræ licentia, iniustè damnatos vel excommunicatos potestatis suę auctoritate restituere, & sua omnia ijs reddere, & eos, qui eos condemnarunt, aut excommunicarunt, Apostolico punire priuilegio: sicut etiam nostris, & anterioribus nouimus factum temporibus, &c. Antiquis regulis sancitum est, vt quicquid, quamuis in remotis prouincijs, super eorum querelis, aut accusationibus ageretur, non prius tractãdum vel accipiendum esset, quàm ad notitiam almæ sedis vestræ esset deductum, vt huius auctoritate, iuxta quod fuisset faciendum, infirmaretur, aut firmaretur.

Acacius Constantinopolitanus. 470.

Epistola ad Simplicium P. Solicitudinem omnium Ecclesiarum secundùm Apostolum circumferentes, nos indesinenter hortamini, quamuis sponte vigilantes ac præcurrentes: sed vos diuinum zelum solitò demonstratis, statum Alexandrinæ Ecclesiæ certius requirentes, vt pro paternis canonibus suscipiatis laborem pijssimo stillantes sudore pro his, sicut semper est approbatum.

Ioannes Constantinop. Patriarcha. 510.

Epistola ad Hormisdam Papam: Redditis literis vestræ Sanctitatis, in Christo charissime frater, per Gratum charissimum Comitem, lætatus sum de spirituali charitate vestræ Sanctitatis, quòd vnitatem sanctissimarum Dei Ecclesiarũ secundùm veterum Patrum requiris traditionem, & laceratores rationabilis gregis Christi amore propulsare festinas. Certus igitur scito per omnia Sanctissime, quia secundùm quod vobis scripsi, vnà tecum cum veritate sentiens, omnes à te repudiatos hæreticos renuo, & ego pacem diligẽs sanctissimas Dei Ecclesias, id est superioris vestræ & nouellæ istius Romæ vnam esse accipio illam sedem

Apostoli

Apostoli Petri, & istius augustæ ciuitatis vnam esse definio, &c. Tuis verbis euidenter vtens per præsentia scripta hæc dico: Quia prima salus est rectæ fidei regulam custodire, & à Patrum traditione nullatenus deuiare: quia non potest Domini nostri prætermitti sententia, dicentis: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Hęc, quæ dicta sunt, rerum probantur effectibus: quia in sede Apostolica inuiolabilis semper Catholica custoditur religio.

Matt. 16

Archimandritæ & monachi secundæ Syriæ. 514.

Extat inter epistolas Hormisdæ.

Epistola ad Hormisdam: Sanctissimo & beatissimo vniuersi orbis terræ Patriarchæ Hormisdæ, continenti sedem principis Apostolorum Petri, &c. Deprecamur ergo beatissime, supplicantes & rogantes, vt exurgatis cum feruore & zelo, & cõdoleatis iustè pro corpore laniato: nam caput estis omnium: & vindicetis fidem cõtemptam, Canones conculcatos, Patres blasphematos, & talem Synodum anathemate impetitam. Vobis à Deo data est potestas & auctoritas ligare & soluere.

Theodorus Lector. 520.

Lib. 1. coll. Martianus & Pulcheria Leoni Papæ Romano scripserunt, eiq; cunctam auctoritatem tribuerunt. Constituta autem sunt ea de re mandata, scripsitq; Imperator singulorum locorum Episcopis: Leo verò Episcopus Nicænę Synodo, quæ futura sperabatur, præclaram epistolam scripsit, quæ etiam in actis Chalcedonensis Synodi habetur, & ab illius historico scriptore inserta est.

Lib. 2. Imperator Anastasius Macedonium Patriarcham Constantinop. veheméter vi sit, vt Synodum Chalcedonensem damnaret anathemate: ille verò sine vniuersali Synodo, cui magnæ Romæ Episcopus præsideret, nihil se facturũ dixit.

Martianus Monachus, & cæteri Archimandritæ Orientales. 534.

Extat in Synodo 2. Constant. act. 1.

Supplicatione ad Iustinianum Imp. Quia Catholicæ Ecclesiæ omnes alumni, & de Anthimi iniquitate, & violenta promotione aliorum iniquorum virorum, qui Deo & nobis molesti esse non cessauerunt, vos pijssimi valentes ipsos extra ponere, tamen canonicum iudicium à Romano Pontifice in ipsum Anthimum, & in prædictos hæreticos benefaciendo audire voluistis, illo persuasi, qui dicit: *Interroga patrem tuum, & annuntiabit tibi: seniores tuos, & dicent tibi.* Et Apostolo dicente: *Obedite ducibus vestris, & subditi estote.* Misit itaque Deus huic ciuitati Agapetum, qui verè ἀγαπητὸς, id est, dilectus à Deo & hominibus, Pontificem antiquę Romæ in depositione Anthimi, & prædictorum hæreticorum, tamquam olim Petrum magnum Apostolum Romanis in depositione Simonis Cretciani. Iste ergo venerabilis vir sciens per libellos plurimorum nostrorum ea, quæ iniquè contra Ecclesiam præsumpta fuêre, eo ipso visu semel accipiendo, neq; ad visum susc ipere voluit Anthimum furentem aduersus Canones, sed nunc iustè eiecit de sacerdotali sede ciuitatis suę, & coopitulante, & coadunato Catholicę fidei, & diuinis Canonibus, vestro imperio præfecit ipsi Ecclesiæ sanctissimum Mennam, rectę fidei, & vitæ pudicę, ac honestæ conuersationis.

Deut. 32 Heb 13.

Epistola ad Agapetum: Domino nostro sanctissimo ac beatissimo Archiepiscopo antiquæ Romæ, & œcumenico Patriarchæ Agapeto Martianus, &c. Hæc quidem duntaxat portamus, licet incredibilia, & à diris doloribus incuruati, spem habentes ad clementissimum Deum, qui in tempore opportuno vestrum aduentum nobis ostẽdit, quod sicut Petrum magnum Apostolorum principem his qui Romę erant in depositionem Simonis misit, sic & vos misit in depositione & expulsione Sueri, Petri, & Zoarę, & eorum qui similia ijs sapiunt, dabit vobis potestatem, coopitulante vobis pijssimo, & à Deo custodito Imperatore nostro istos expellere de omni Ecclesia, tamquam insidiatores, & violatores non solùm sanctissimarũ Ecclesiarum, sed & politiæ ipsius, &c.

Mennas Patr. Constantinopolitanus. 540.

De quatuor conciliis Oecumenicis: In quibus iuxta tempora sua prædecessores Sanctitatis vestræ beatissimi Papæ senioris Romæ ipsis Synodis præsederunt.

Procopius Cæsareensis. 540.

Libro 1. de bello Gothorum cap. 2. Hæc Theodoto animo volutante, ex Bizantio ad Romanum Antistitem legati venerunt, Christianorum altercationis sedandæ causa, sententium varia inter se, & disceptantiũ, &c. Christianæ fidei disciplinam, si alij vnquam, Romani præcipuè sunt venerati.

Iustinianus Imp. 540.

C. de summa Trinitate & fide Catholica, epistola ad Ioannem Papam: Reddentes honorem Apostolicæ sedi, & vestræ Sanctitati, (quod semper nobis in voto fuit, & est,) & vt decet Patrem honorantes vestram Beatitudinem, omnia, quæ ad Ecclesiarum statum pertinent, festinauimus ad notitiam vestræ deferre Sanctitatis.

Eutychius Patr. Constantinopolitanus. 545.

Epistola ad Vigilium PP. Scientes quantorum bonorum causa est pax Dei, ideo festinantes vnitatem conseruare, ad Apostolicam sedem vestræ Beatitudinis manifestũ facimus, quòd seruamus fidem à Christo Apostolis traditam, & ab illis in toto mũdo prædicatam, & à sanctis Patribus, maximè in sanctis quatuor Synodis, explicatam: suscipimus & epistolas Præsulum Romanę sedis Apostolicæ. Et ideo petimus, præsidente nobis vestra Beatitudine, sub tranquillitate & sacerdotali mansuetudine propositis sanctis Euangelijs communi tractatu eadem capitula in medio proponenda quæri & conferri, & finem quæstioni imponi Deo placitum, & conuenientem his, quæ à sanctis quatuor concilijs definita sunt.

Synodus Mopsuestana. 545.

Epistola ad Vigilium Papam: Decebat, cùm primam sacerdotis dignitatem sortiti estis, ea, quæ ad sanctarum Ecclesiarum statum respiciunt, manifesta vestræ diutius honoratæ Beatitudini fieri.

Eustathius. 600.

In vita S. Eutychij: Cùm multa diuersis locis atque temporibus sancta concilia sunt celebrata, ex quo religio Christiana constituta est, nemo vnquam, nisi magni huius atque diuini viri tempore, quatuor simul Patriarchas conuenisse meminit. Quatuor autem Patriarchæ sunt hi: Vigilius veteris Romæ, Eutychius hic nouæ Romæ, Apollinarius magnæ Alexãdriæ, Domnus Antiochiæ: qui tamquam vnum in corpus ex quatuor elementis cõflati, vnanimes manus inter se coniunxerunt.

Maximus Monachus. 630.

Disputatione cum Theodosio Cæsareensi Episcopo: Non audeo hac de re à vobis capere assensionem, cùm sim simplex monachus: sed quoniam pupugit vos Deus, vt exciperetis sanctorum Patrum voces, vt Canon docet, Romam hac de re scribite, vel Imperator, vel Patriarcha, vel Synodus, quæ ibi est, &c. Neque vitabit Imperator vel Patriarcha imitari Dei humilitatem, inter sese q; concor-

diter constituere, synodali petitione ad Romanum Pontificem transmissa: & omninò si reperiatur ratio Ecclesiastica, quæ id concedat, ob rectam fidei confessionem, conuenire super hoc inter vos.

Anastasius discipulus S. Maximi. 630.

Apud Gennadium Scholarium de primatu Papæ sect. 8. Cùm fides concordissimè ab omnibus exagitaretur, nisi speciali gratia opem tulerit, qui semper succurrit, semine religionis apud veterem Romam nobis relicto, ad confirmandam promissionem mentiri nesciam, quæ facta est principi Apostolorum, &c.

Sophronius Hierosolymitanus. 630.

Epistola ad Stephanum Episcopum: De finibus terræ vsque ad terminos eius ambula, donec ad Apostolicam sedem, vbi orthodoxorum dogmatũ fundamenta existunt, peruenias.

Stephanus Dorensis. 650.

Libello ad Martinum Papam: Annuntiamus hæc omnia omnium præpositæ sedi: dico autem summæ vestræ & principali, ad medicinale cõsultum emersi vulneris: quippe quoniam hoc potestatiuè olim & ab antiquitus facere per Apostolicam siue Canonicam consueuit auctoritatem, dum aperta lucubratione, non solùm claues regni cælorum sunt ei creditæ, atque ipse tantummodò ad aperiendum eas fidelibus quidem dignè, minimè autem Euangelio gratiæ credentibus iustè claudere magnus secundùm veritatem, & princeps Apostolorum meruit Petrus: sed etiam & pascere primus iussus est oues totius Catholicæ Ecclesiæ, cùm Dominus dicit: *Petre amas me? Pasce oues meas.* Et iterum ipse præcipuè ac specialiter firmam præ omnibus habens in Dominum Deum nostrum fidem, conuertere aliquando, & confirmare exagitatos consortes suos & spirituales meruit fratres, vtpote dispensatiuè super omnes ab ipso, qui propter nos incarnatus est Deus, potestatem accipiens, & sacerdotalem auctoritatem, quod sciens Patriarcha Sophronius me ad hanc Apostolicam magnamqúe direxit sedem.

Ioan. 21.

Luc. 22.

Sergius Cyprius. 650.

Epistola ad Theodorum Papam: Sanctissimo & beatissimo, à Deo honorabili Domino meo, Patri Patrum, Archiepiscopo & vniuersali Papę Domino Theodoro Sergius humilis in Domino salutem. Firmamentum à Deo fixum, firmum, & immobile, atque tituli formam lucidissimam fidei vestram Apostolicam sedem constituit, ô sacer Vertex, Christus Deus noster. *Tu es* enim, sicut diuinum veraciter pronuntiat Verbum, *Petrus*, & super fundamentum tuum Ecclesiæ columnæ confirmatæ sunt: tibi & claues regni cælorum commisit, atque ligare & soluere potestatiuè quæ in terra, & quæ in cælis sunt promulgauit: tu prophanarum hęreseon depositor existis, vt princeps & doctor orthodoxæ & immaculatæ fidei. Igitur non despicias Patrum tuorum Pater fidem æstuantem, & ab aliquibus hæreticis ventis violentatam, nec non periclitantem: resolue nebulã insipientium lumine tuę sapiętiæ diuinæ, ô Sanctissime, &c.

Synodus Sexta Constantinopolitana. 680.

Actione 17. Subscriptiones: Theodorus humilis presbyter sanctæ Romanæ Ecclesię, locum gerens Agathonis ter beatissimi vniuersalis Papę Vrbis Romę subscripsi. Georgius misericordia Dei Episcopus Constantinopoleos nouę Romæ definiens subscripsi.

Actione 18. Proinde inspiratione S Spiritus conspirantes, & ad inuicem omnes consonantes atq; consentientes, & Agathonis sanctissimi Patris nostri & summi Papæ dogmaticis literis ad vestram fortitudinem missis, consentientes, vnum de sancta Trinitate Dominum nostrum Iesum Christũ etiam incarnatum, prædicamus in duabus perfectis naturis indiuisè, &c. Sũmus autem nobiscum concertabat Apostolorum princeps: illius enim imitatorem, & sedis successorem habuimus fautorem, & diuini sacramenti mysterium illustrantem per literas: confessionem tibi à Deo inscriptã illa Romana antiqua ciuitas obtulit, & dogmatũ diem à vespertinis partibus extulit: charta & atramentum videbatur, & per Agathonem Petrus loquebatur.

Constantinus Imp. 680.

Epistola ad Synodum Apostolicæ sedis antiquæ Romæ: Idcirco & omnes consonanter mente & lingua concredimus, & similiter confessi sumus, & tamquam ipsius diuini Petri vocem Agathonis relationem supermirati sumus.

Ioannes Patr. Constantinopolitanus. 710.

Epistola ad Constantinum PP. Cum his vestrum Apostolicum presidendi munus possumus comparare, & qui vos caput sacerdotij secundùm Christum reputamus, meritò damus operam, vt à vobis corpori Ecclesiæ nostræ alleuationem offensionis, quam ex pestifera animarum tyrannide accepit, feramus. Sanè quidé vos, vt capitis proprium est, non despicietis nos, qui præter voluntatem nostram in morbum incidimus, nec à vestra coniunctione alienabitis: quin potius tristitia de nostris vulneribus affecti (*Si quid enim vnum membrum patitur, cætera compatiuntur*, vt Apostolus ait) recuperata valetudine, ac restituta sanitate, meritissimè congaudebitis.

Tarasius Par. Constantinopolitanus. 790.

In Synodo Nicana secunda actione 2. Adrianus veteris Romæ Primas, & testatorum principum successor clarè & verè cùm ad Imperatores nostros, tum ad nostram mediocritatem scripsisse mihi videtur, constabiliuitq;, & rectam esse declarauit Catholicæ Ecclesię antiquam traditionem.

Epistola ad Adrianum PP. Itaque prærogatiua quadam literas Sanctitatis tuæ primo loco legi iussimus, & eramus quidem tunc omnes veluti in regio conuiuio epulis spiritus intenti, quòd & tali conuiuio animi nostri recrearentur. Post illas literas legimus quoque eas, quæ ex Orientalibus diœcesibus nobis missæ fuerant.

Concilium Secundum Nicænum. 790.

Actione 2. Ecclesia Romana est caput omnium Ecclesiarum.

Actione 6. Execrabilis est, & profana, & adulterina (*Septima Synodus Constantinopolitana*). Non enim habuit cooperarium, vt hęc, quæ nũc celebratur, Romanum Pontificem: neque illius sacerdotes, neque per vicarios, neque per prouinciales literas, quemadmodum fieri in Synodis debet, &c.

Actione 7. *Legati Romani Pontificis primi subscribũt*: Petrus miseratione diuina protopresbyter sanctissimæ Ecclesiæ Romanæ beati Petri, & locum retinens Adriani Papæ veteris Romæ definiens subscripsi.

Petrus indignus Presbyter & præses S. Patris nostri Sabæ, & vices agens Adriani Papæ veteris Romæ definiens subscripsi.

Tarasius miseratione diuina Episcopus Constantinopolitanus nouæ Romæ definiendo subscripsi, &c.

Nicephorus Patr. Constantinopolitanus. 815.

Epistola ad Leonem Tertium P. Si qua autem à nobis

sunt

sunt prætermissa, ea amico paternoq; affectu per vosmetipsos explete, quò nimirum vestra abundantia nostram suppleat inopiam. Quodcunque inquam, vel in verbis, vel in rebus nobis deest, id venerabili sacerdotecq; digna auctoritate vitę nostræ adijcite, & superædificate. Vestra diuina virtute nos veluti infirmiores fulcite, pedesqúe nostros ad currendam Euangelij semitam perficite, neque vlla omninò, quæ salutaria, aut vtilia videbuntur, suggerere prætermittite, &c. Quod iusto ferius per ea, quæ hactenus exposuimus, occurrerimus, id nemo miretur, neque nostram ob id existimationẽ in accusationem adducat: quin potius Deo dilecta vestra fraternitas certò sibi persuasum habeat, sacerdotalem consuetudinem nequaquam hìc exoleuisse, aut per contemptum, vel per ignauiam quippam eorum, quæ Ecclesiasticis viris conueniũt, neglectui habuisse: verùm durã implacabilemq; præpotentis potestatis sententiam, quò minus decretis vteremur, obstitisse. Ignoscat proinde beata vestra anima, si quam noxã cunctatione mea promerui, cogitetq; haud quaquam facile esse potentibus propria voluntate elatis, & quodcumque animo libitum fuerit adimplere satagentibus, sese opponere.

Theodorus Studites. 820.

Epistola ad Paschalem PP. Audi Apostolicum caput, pastor ouium Christi à Deo electe, clauiger regni cælorum, petra fidei, super quam ædificata est Ecclesia Catholica, &c. Huc ades, ab Occidente *exurge, & ne repellas in finem.* Tibi namque dixit Christus Deus noster: *Tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.*

Epistola ad Michaëlem Imp. Cùm nos in vnum cõueniſſemus venerabilis imperij vestri iussu minimi Episcopi & præpositi, &c. nos diluimus omnes dubitationes vestras: si verò aliquid dubitare vel nõ credere videtur vestra diuina magnificentia, eius rei explicatio à Pontifice piè est postulanda: magna & à Deo firmata manus vestra, vt publicę cupida vtilitatis, iubeat à veteri Roma capere declarationem, vt à principio à Patribus nostris est traditum. Ea, ô Christi imitator Imperator, inter omnes Ecclesias Dei summum & supremum obtinet locum: cuius Petrus tenuit primam sedem: ad quem dicit Dominus: *Tu es Petrus, & super hanc petram adificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam.*

Epistola ad Naucratium: Testor nunc coram Deo & hominibus, diuisi sunt à corpore Christi, & à suprema sede, apud quam Christus deposuit claues fidei, aduersus quam portæ inferi à seculo non præualuerunt, nec præualebunt vsque ad cõsummationem eius, hæreticorum videlicet effrenata ora, secundùm promissionem veracis Domini.

Methodius Patriarcha Constantinopolitanus. 840.

In Martyrio Dionysij Areopagitæ: Dionysius ingressus Romam inuenit sanctum Clementem, Apostolicæ habentem Cathedrę potestatem, cum consequente honore, &c.

Photius Patriarcha Constantinopolitanus. 860.

Epistola ad Nicolaum Papam: Qui locum Sanctitatis vestrę tenebant sermonem nobiscum habuerunt de ijs, qui ordinationes à seipsis iam pridem accipiunt, oportere eos reuertere, & ad matricem recurrere. Verùm si penes nos esset in hac re potestas voluntatis, & non esset factus huius operis particeps Imperator, licet excusatione vti necesse esset, ostenderemus tamen præstare facere, quod petitur, quàm excusare. Sed quia Ecclesiastica, & præsertim iura de territorij simul cum ciuili dominatu, & gubernatione mutari solent, sapiens æquitas Sanctitatis vestræ amplectens voluntatem meam, ad consentiendum & tribuendum quod petit propensam, quòd non accipiat ordinationes, potestatis ciuilis crimen esse reputet, non meum. Ego enim quæ præteritis temporibus iustè, & amicè, & pacificè sub aliorum potestate erant, non habeo in animo reuocare: quin potius si quis posset, & vellet procurare, quæ à principio ad hanc sedem pertinent, prompte cederem ei, qui magis posset plura retinere, pluribusq; implicari. Siquidem, qui mihi aliquid ex ijs, quæ non habebam, addidisset, maius ille quidem onus imposuisset: qui verò aliquid ex ijs, quæ habebam prius, vt cum charitate accipiat, operam dat, magis mihi danti gratiam & beneficium tribuit, quàm sibi accipienti lucrum acquirit: onus enim præfecturæ mihi leuius efficit. Si igitur, qui mea accipit amicè & beneuolè, hunc fateor bene de me mereri: ei qui ea, quę ad se pertinent, quærit, quis nõ libens dabit, si nullus impediat? Tanto præsertim Patri, & qui per tales, tam Deo charos & studiosos viros petit.

Ignatius Constantinopolitanus. 860.

Epistola ad Nicolaum Papam, actione 3. octauæ Synodi: Eorum vulnerum atque liuorum, qui in membris humanis consistunt, multos medicos protulit ars. Hanc quidem passionem alio accipiente, & alteram altero, & per experientiam amputante, & medente: eorum verò, quæ in membris sunt Christi & Dei Saluatoris, omnium nostrum capitis, & sponsę Catholicę & Apostolicę Ecclesiæ, vnum & singularem præcellentem, atque catholicissimũ medicum, ipse princeps summus, & fortissimus Sermo, & ordinator, & curator, & solus ex toto magister Deus omnium produxit: videlicet tuam fraternam Sanctitatem, & paternam almitatem, propter quæ dixit Petro magno & summo Apostolorum: *Tu es Petrus, & super hanc petram*, &c. Tales enim beatas voces non secundùm quandam vtique sortem Apostolorum principi solùm circumscripsit, & definiuit: sed per eum ad omnes, qui post illum, secundùm ipsum efficiendi erant summi pastores, & diuinissimi sacriq; Pontifices senioris Romæ transmisit. Et ideò ab olim, & à prisco tempore in exortis hæresibus & præuaricationibus eradicatores & interemptores malorum zizaniorum, & tabefactorum, & penitus insatiabiliter ęgrotantium membrorũ, multi multoties facti sunt eorum, qui Sanctitatem & summam paternitatem tuam illic præcesserunt, successores videlicet principis Apostolorum, & illius zelum in fide, quę secundùm Christum est, imitantes, & nunc nostris temporibus Beatitudo tua dignè tractauit datam sibi à Christo potestatem, &c.

Matth. 16

Constantinopolitana octaua generalis Synodus. 867.

Canone 21. Definimus neminem prorsus mundi potentium quemquam eorum, qui Patriarchalibus sedibus præsunt, inhonorare, aut mouere à proprio throno tentare: sed omni reuerentia & honore dignos iudicare. Præcipuè quidem sanctissimum Papam senioris Romæ: deinceps etiam Constantinopoleos Patriarcham: deinde verò Alexandrię, & Antiochię, atque Hierosolymorum. Sed nec alium quemquam conscriptiones contra sanctissimum Papam senioris Romę, ac verba complicare, vel componere liceat, sub occasione quasi diffamator quorundam criminum. Quod & nuper Photius fecit, & multò ante

Dioscorus. Quisquis autem tale facinus contra sedem Petri principis Apostolorum ausus fuerit intentare, æqualẽ & eandem, quam ille, condemnationem recipiat.

Præsederunt in hac Synodo Donatus ac Stephanus Episcopi Adriani Pontificis Romani, & subscripserunt hac forma: Ego Donatus Episcopus Ostiẽsis Ecclesiæ, locum tenens Domini mei Adriani Pontificis & vniuersalis Papæ, omnia quæ superius leguntur, huic sanctæ & vniuersali Synodo præsidens, ad voluntatem eximij Præsulis promulgaui, & manu propria subscripsi. *Quæ forma subscribendi & eius duo collegæ vsi sunt.*

Post illos Ignatius Constantinopolitanus Patriarcha subscripsit hac forma: Ignatius Episcopus Constantinopolitanus sanctam hanc & vniuersalem Synodũ suscipiens, & omnibus, quæ ab ea iudicata & scripta sunt, concordans, & definiens subscripsi.

Leo Imp. cognomento Sapiens. 880.

In quodam Sermone: Vnde manens vsque in hodiernum diem Petrus sequens Christum in successore suo.

Simeon Metaphrastes. 950.

Vitæ Gregorij Agrigentini Episcopi cap. 27. Theodoro Episcopo Agrigenti vita functo, alij alium in sede collocare studebant, cumq; vnusquisq; vellet designatum à se auctoritate Pontificis firmari, ratumq; fieri vellet, Romam ire perrexerunt, rem (vt moris est) Pontificis Maximi arbitrio permissuri. Pontifex verò ex diuina reuelatione Gregorium, qui fuerat à nullo nominatus, Agrigentinis præfecit, eundemq; apud eos falsi criminis accusatum absoluit.

Vitæ Pauli Constantinopolitani Patriarchæ cap. 4. Sanctus Iulius Papa cùm intellexisset, esse calumniam, quæ facta fuerat aduersus Pontifices, eos literis munitos mittit ad Orientem, suam vnicuique reddens sedem, & eos simul reprehendens, qui ipsos deposuerant. Atque suas quidem Ecclesias ij rursum accipiunt, & mittunt literas ad eos, ad quos scriptæ fuerãt. Cùm Eusebius itaque interijsset, Paulus in sedem suam restituitur.

Vitæ S. Stephani Iunioris cap. 30. Quonam pacto, qui sancta proscripsistis, sanctum cõcilium coẽgistis? O singularem absurditatem. Iam quî Oecumenicum concilium istud vocari queat, quod nec Romanus Antistes (citra cuius auctoritatem nullo modo fieri potest, vt res Ecclesiasticæ ad normam dirigantur) gratum habuit, nec Alexandrinus comprobauit, nec Antiochenus, nec deniq; Hierosolymitanus? Vbi nam eorum libelli sunt? aut quinam per diuersa loca missi sunt, in quibus falsum vestrum concilium confirmaretur, vt hac ratione Oecumenicum censeri possit?

Ioannes Zonaras. 1100.

In Constantino: Multis igitur alijs ornamentis vrbem decorauit Magnus Constantinus, & cùm prius Episcopatus esset Byzantiũ Heracleæ Thraciæ, quippe à Seuero subiectum Perinthijs, posteaquam ab eo captum esset, quemadmodum in historia Seueri scriptum est, ad Patriarchatus honorem eam extulit, seruato vetustæ Romæ primatu: tum propter antiquitatem, tum ob eam causam, quòd illinc imperium huc esset translatum.

Prælati Græciæ. 1270.

Epistola ad Gregoriũ Decimum: Sanctissimo, reuerendissimo, & beatissimo Papæ antiquæ Romæ, Gregorio magno Pontifici excellentissimæ Apostolicæ sedis, & venerabilissimo Domino & Patri nostrę humanitatis. Nos qui Ecclesiasticam compleuimus ordinationem, vestræ Romanæ sanctissimæ Ecclesiæ salutem & spiritualis subiectionis affectionem vbique &c. Scitote quòd nos volumus, quòd pontificalis sedis tota plenitudo cum toto venerabili clero, & omnibus officiarijs, Sacerdotibus, Diaconis, & Lectoribus sanctissimæ Ecclesiæ Dei conuenit in vnum, vt attribuat promptæ vestrę Sanctitati, & Apostolicæ sedi, quod ad honorem pertinet, nec alium primum & summum Pontificem nominaturi.

Georgius Pachymerius. 1290.

Libro 5. Historiarum hæc recensẽt capita pacis Græcorum & Latinorum: Principatus sit Romanæ sedis: ad eam appellare liceat Græcis: & memoria Romani Pontificis, vnà cum Patriarchis celebretur.

Nicephorus Callistus. 1300.

Lib. 6. cap. 29. Cùm Paulus contra niteretur, Ecclesiæq; Samosatenæ administrationem retinere conaretur, & in Synodi decreto acquiescere nollet, audacia eius ad Aurelianum Imper. est delata. Is sanctissimè ea de re constituit, eis scilicet Episcopatum mandari iubens, quos Italici & Romani Episcopi literis suis comprobassent. Etiam si enim dæmonum cultui deditus esset, tum tamẽ quod iustum esset iudicauit.

Lib. 9. cap. 8. Athanasius Romæ agebat, venit eò Constantinopolitanus quoque Paulus, & Marcellus Ancyranus, Lucius quoque Adrianopolitanus Romam confugit. Horum caussa Iulius Antistes Romanus cognita, pro amplitudine Sedis suæ, ex veteri priuilegio & prærogatiua persuasum habens, omnium vbique Episcoporum curam & iudicium ad se pertinere, datis cuique liberrimè scriptis literis, suas eis Ecclesias reddidit, eosq; in Orientem remisit, eos, qui temerè illos exauctorassent, perstringens.

Lib. 17. cap. 9. Ioannes Papa ad parem inuitatus sessionem, vt scilicet Constantinopolitano Antistiti assideret, non prius Apostolicæ sedis prærogatiuam deferre sustinuit, quàm supra Epiphanium Episcopum Cõstantinopolitanum in throno collocaretur.

Nicephorus Gregoras. 1330.

Lib. 5. Hist. cap. 1. Proinde difficultatibus circumuentus Imp. (*Michaël Palæologus*) ac pene ad desperationem compulsus, legatos ad Papam mittit, de ineunda veteris ac nouæ Romæ Ecclesiarum concordia, modò Caroli expeditionem auerteret. Ea legatio à Pontifice benignè audita est: ea se facilè, quæ Imperator petiuisset, confecturum esse pollicito, statimq; suos legatos illis adiungit, qui concordiam conciliarent, atque amplecterẽtur: cuius hæc tria fuerunt capita: primò vt in sacrorum voluminum hymnodijs Papę cum quatuor Patriarchis mentio fieret: alterum vt liceret cuiuis Romam veterem, quæ curia maior, & perfectior esset, appellare: tertium vt illi principatus in omnibus deferretur.

Ioseph Patriarcha Constantinopolitanus. 1439.

In Concilio Florentino sessione vltima: Quoniam ad extremum vitæ meæ perueni, idcirco pro meo munere dilectis filijs benignitate Dei meam sententiam his literis palam facio. Nam quę Domini Iesu Christi Catholica & Apostolica Ecclesia Romæ vẽteris sentiat ac celebret, omnia me quoque sentire, credereq; profiteor, ac ipsis plurimũ acquiesco. Beatissimum autem patrum Patrem, ac summum Pontificem, Romęq; veteris Papam, Domini nostri Iesu Christi Vicarium esse concedere non inficior.

Armeniorum Oratores. 1439.

In Concilio Florentino in decreto Eugenij Quarti: Armeniorum Oratores nomine suo, & sui Patriarchæ, & omnium Armeniorũ hoc saluberrimum synodale decretum, cum omnibus suis capitulis, declarationibus, definitionibus, traditionibus, præceptis & statutis, omnemq; doctrinã in ipsa descriptam, nec nõ quicquid tenet, ac docet sancta sedes Apostolica, & Romana Ecclesia, cum omni deuotione & obedientia acceptant, suscipiunt, & amplectuntur. Illos quoque Doctores & sanctos Patres, quos Ecclesia Romana approbat, ipsi reuerenter suscipiunt: quascunque verò personas, & quicquid ipsa Romana Ecclesia damnat & reprobat, ipsi pro reprobatis & damnatis habent: professentes tamquam veræ obedientię filij, nomine quo supra, ipsius sedis Apostolicæ ordinationibus, & iussionibus fideliter obtemperare.

Esaias Archiepiscopus Hierosolymitanus. 1434.

Epistola ad Eugenium Quartum: Sanctissimo & beatissimo Domino nostro Eugenio Papæ, Beatitudinis vestrę filius Esaias Episcopus Hierosolymitanus: Beatissime in Christo Pater, & sanctissime Domine, post debitam deuotam ac humilem recommendationem, ad deuota pedum oscula beatorum, &c.

Ioannes Patriarcha Alexandrinus. 1440.

Iacobus Nauarchus in epistola Asiatica: Cùm Eugenius ad Orientis & Aethiopum Patriarchas scripsisset, illi in suis epistolis de Latina Ecclesia, & Pontificis auctoritate honorificè, Catholicè, & diserte scripserunt. Ioannes Alexandrinus Patriarcha Pontificem Romanum sacerdotij perfectionem, & omnium Ecclesiarum Apostolicum pastorem vocat, sacerdotum principem, peregrinãtium, qui cęteris viam ostendat, ducem, & languẽtium medicum: ipsius verò vicarius Hierosolymitanus Andreas Abbas Syrus, caput & vniuersalis Ecclesię Doctorem eum appellat.

Nicodemus Abbas Æthiops. 1441.

Epistola ad Eugenium missa: Palam est (*inquit*) eos, qui à Romana Ecclesia defecêre, corruisse: & dum quisque suam fidem veriorem prædicat, relicta Apostolorum sententia, in vias sui sensus abijsse omnes: Aethiopicam tamen integram & liberam perduraſſe, quia nequaquam perfidia, & voluntaria defectione (vt aliæ Ecclesiæ) peccasset, ac propterea in seruitutem & exterminium non incidisse, sed locorum distantia & itinerum periculis seiunctam fuisse, nec non Pontificum negligentia accidisse, vt nulla visitationis memoria aut literarum ratio à quingentis annis apud eos extaret. Nihilominus Aethiopes tanta veneratione sedem Romanam colere, vt pedes eorum osculentur, qui Roma veniunt in Aethiopiam, vestimumq́e eorum partes rapere, & reliquiarum loco seruare. Nec mirum. Si enim Regina Saba abijt Hierosolymam, vt audiret sapientiam Salomonis: plus quàm Salomon (*inquit*) summus Pontifex est. Regem item Aethiopum tanti facere Romanum nomen, & Latinorum fidem, vt nihil æquè in votis habeat, atque vt cum Romanis iungantur Aethiopes, & se Pontificis subdat pedibus, auidissimeq́e amplexurum esse, quæ de concordia ineunda statuentur in Synodo: Pontificem autem omnium Ecclesiarum caput fatetur, suoq; splendore orbem illustrare, cui omnes Patriarchæ, Episcopi, Imperatores, & Reges inclinantur. Nec se legatos disputandi gratia mittere, sed vt summi Pontificis sententiam de fidei rebus sequãtur. Quis enim Soli lumen inferat? Ingens est (*inquit*) & vetusta Latinorum scientia, & orbi nota, nec oportet discipulum esse supra magistrum.

Gennadius Scholarius. 1450.

De primatu Papæ cap. 9. Quomodo Athanasius ad Iulium, Chrysostomus ad Innocentium, Ignatius Tertius ad Nicolaum, Theodoretus ad Leonem, Maximus ad Martinum, & cæteri Orientis sacerdotes electi, ac suis sedibus pulsi, vel ipsi venientes confugerunt, vel literas dantes significauerunt, vnde literis acceptis suas sedes receperunt, nisi ij Summum Pontificem ac Petri successorem agnouissent, vt qui poterat ijs esse præsidio? Quomodo Reges ac principes inspectis Papæ litteris tacuissent, ac illis permisissent suas recipere sedes, si Petri tantùm potestas fuisset, ac non eius successorum?

Cap. 16. Pontifex Romanus est Petri successor, & Vicarius Saluatoris nostri Iesu Christi, isque solus obtinet omnem potestatem ligandi, atque soluendi, vel arguendi, benedicendi, maledicendi, corrigendi, & medendi: solus habet facultatem de fide & sacerdotio exquirendi.

Georgius Trapezuntius. 1460.

Epistola ad Cretenses: Est vna Ecclesia Catholica, vnius Ecclesiæ Romanæ coniunctione, quæ ipsa cum Pontifice vno vnitur: ita fit vt omnes Ecclesię Catholicę cum Romana vniantur, & Romana cum Põtifice, ac proinde omnes cum Pontifice.

Opusculo de dicto Christi: Sic eum volo manere, &c. *ad Nicolaum Quintum Pap.* Ad Sanctitatem tuam & quæ nunc hac in re perfacili quęstione, auxilio eius, cuius tu in terris Vicarius es, & postea quæ dictabimus, meritò mittẽda putauimus: ne, dum volumus & nobis & alijs prodesse, in laqueum dilabamur. Id enim & fuit, & est, ac diuina præsente gratia erit semper mihi insitum & propositum, mortem optare potius, & exitum huius vitę, quàm aliquid non dico scribere, aut dicere, sed ne cogitare quidem, quod Apostolicæ doctrinæ, ac Ecclesię Dei, cuius tu Princeps es, repugnare videatur, &c. Commendatio militantis Ecclesiæ Petro tunc (quando ter interrogatus est an Christum amaret) facta, successoribus etiam suis facta cognoscitur. Oportet enim sicut oues agniq́e (veteres videlicet in fide atque nouelli) ad diem vsque aduentus in gloria Domini per successionem duraturi sunt, eodem vtique modo illum permanere, cui commendatio facta est.

Leonardus Chiensis Mithylinæus Episcopus. 1460.

De vrbis Constantinopoleos iactura, ad Nicolaũ Quintum Pap. Hęc præcogita, Pater beatissime, qui vices Christi geris in terris, cuius interest tantas Christi iniurias & fidelium vlcisci. Igitur moueat te diuina pietas, & miserere Christianitatis tuę, qui scis & potes, cui ad nutũ omnes Christiani Principes, vindicaturi Christianorum iniurias, facilè obtemperabunt: moueat te, Pater beatissime, fides Petri: moueat te Christi inconsutilis amictus, spongia & mucro perditi, dilaceratę Sanctorum Reliquiæ, ædes sacræ euersæ, & profanata sterquilinijs Dei templa.

Petrus Patriarcha Maronitarum. 1515.

Epistola ad Leonem Decimum: Gratias Deo reuerenter agimus, sub mundissimis pedibus Patris nostri sanctissimi Christi Vicarij, & Domini nostri Leonis Decimi, qui vices B. Petri veritatis petræ gerit in terris, sedetq́e super sedem Apostolicam ipsius sanctissimę benedictionis super nos, Amen.

Zaga Zabo Episcop. AEthiops. 1540.

In confessione fidei Aethiopica: Nostri certè ab ex-

ordio primitiuæ Ecclesiæ Romanum Pontificem vt primum Episcopum agnouerunt, cui etiam hodierno die, vt Christi Vicario, paremus: in cuius curia frequentissimè essemus, nisi obstarent magna itinerum interualla, ac multorum Mahumetanorum regna interiecta, quæ transitum impediunt, ita vt susceptis maximis peticulis, nihil tamen efficias.

Petrus Abbas Æthiops. 1548.

Epistola ad Paulum Tertium P.M. Hoc munus hilari fronte susci pe, sciens nos, etsi Aethiopes simus, tuas tamen oues esse, teque vt summum venerari Pastorem. Quapropter nos ab Imperatorum calumnijs vindicatos, vt Ecclesiæ filios recipe, sciantque per te omnes nos ab Ecclesia Romana non abhorrere: quinimò illam vt matrem omnium Ecclesiarũ amplecti ac venerari: quod facilè ex multis epistolis, quę ad hanc sanctam sedem à Regibus nostris missæ sunt, videri potest.

Moses Mardenus Antiochenus. 1552.

In fidei professione: Ego Moses Mardenus recipio pastores veros, qui instituerunt sanctam Ecclesiam Romanam, ac Patres omnes, qui in ea habentur, ab initio Christianæ religionis vsque in hunc diem. Obtestor Patrem patrum, & Pastorem pastorum, benedictionem vniuersæ Reipub. Christianæ, portantem claues regni, fontem ex quo profluit suauitas, Pontificem Iulium Tertium, qui accepit signaculum nominis Trinitatis, vt dignetur acceptare meam hanc professionem, meo nomine, atque etiam nomine Patriarchæ nostri, &c.

Nestoriani in Seleucia Parthorum. 1552.

Epistola ad Pontificem Romanum pro Patriarcha initiando: Patri Patrum, & Pastori maximo, concinnanti mitras, vngentique sacerdotes, & cingenti zonis, Petro temporis nostri, & Paulo dierum nostrorum, & cingulo comprehendenti vniuersum cœtum Christianorum, qui es loco Christi Domini nostri: tu sedes in sede alta, & sublimi Principis Apostolorum, tenentis claues regni cœlestis, cui ore suo salutari Dominus dixit: *Quicquid ligaueris in terra, erit ligatum in cœlis; & quicquid solueris in terra, erit solutum in cœlis. Et super eam fundauit Ecclesiam suam, aduersus quam portæ inferni nihil valebunt* in generationem generationum. Nunc porrò tibi eam dedit Christus Deus noster & Seruator noster, vt sedeas super eam. Tu item es fons, cuius aquæ non deficiunt, & quisquis sitiuerit, æquum est vt ex te bibat aquas vitales, vt sedet sitim suam. Tu es lucerna, quę non extinguitur, sed illustrat omnes creaturas, vt candela, quæ est super candelabrum.

Siud, siue Sulaka Patriarcha Nestorianorum. 1553.

In professione fidei: Synodus scripsit de Ecclesia S. Romana, quę est sedes Petri, quòd sit caput omnium Ecclesiarum, quod donum dedit illi Christus per illa verba, quæ dixit ad Petrum plantatorem illius, nimirum: *Tu es Petra, & super istam petram ædificabo ipsam Ecclesiam meam.* Habetur apud nos illa fides, &c. Recipimus omnia illa Concilia, quæ recipit Ecclesia Romana, excommunicamus quos excommunicat Ecclesia Romana. Veneramur quoque, exaltamus, atque laudamus Ecclesiam Romanam, & caput eius Papam sanctum, atque omnes proles ipsius benedictas.

Abdysus Patriarcha Assyriorum. 1562.

In sua fidei professione: Ego Abdysus iuro, quòd ita credo & ore confiteor, sanctæque Romanæ Ecclesiæ fidem, approbatis omnibus & singulis illis, quę ipsa approbat, & damnatis similiter omnibus, quæ ipsa damnat, amplector, & perpetuò me amplexurum, & retenturum esse profiteor & promitto, & omnes fratres meos Metropolitas siue Episcopos ac diœcesanos quouis modo meæ iurisdictioni subiectos ita credẽdum & tenẽdum esse docebo, & modis omnibus, quibus potero, persuadere conabor, ita me Deus adiuuet, & hęc sancta Dei Euangelia.

Gabriel Patriarcha Alexandrinus. 1595.

Epist. ad Clementem Octauũ Pontific. Max. Humilis Gabriel Dei gratia famulus sedis S. Marci in vrbe Alexãdrina Aegyptia, &c. salutem impartitur, atque osculum offert spirituale Patri Domino, Patrum Patri, Patriarcharum principi, tertiodecimo Apostolorum, glorioso Domini nostri Iesu Christi, & quinto SS. Euangelistarum, & S. Petri Apostoli successori, Petræ fidei, super eius cathedra in magna Roma sedenti, cui data est à Deo potestas ligandi atque soluendi, cuius mentio fit in sacro Euangelio, cùm dicit: *Tibi, ô Petre, dedi claues regni cælorum,* & c. Tu enim loco eius constitutus, & successor es super terram, Pater noster, & Dominus noster, atque corona capitis nostri Dominus Papa Clemens Octauus. Gratias agimus Deo altissimo, eumque sanctificamus & magnificamus, quòd te constituit Christus Catholicæ fidei habenas tenentem, & sanctæ Catholicę & Apostolicæ Romanæ Dei Ecclesiæ fundamenta seruantem, misericordem & pium super vniuersum populum Christianum, ac diligentem omnes in Christum credentes, instar beatissimi Petri, qui te fecit succedere in eius cathedram. Tu qui effectus es caput, & maximus Patriarcharum, & magister & prædicator totius populi Dei.

In confessione fidei: Teneo & confiteor sanctam Apostolicam sedem, & Romanum Pontificem in vniuersum orbem tenere primatum, & ipsum Romanum Pontificem successorem esse B. Petri principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesię esse caput, & omniũ Christianorum Patrem, ac Doctorem existere, & ipsi in B. Petro pascendi, regendi, & gubernandi vniuersalem Ecclesiam à Domino nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse. Itaque promitto me tamquam obedientię filium, ordinationibus, præceptis, censuris, & iussionibus sanctissimi Domini nostri D. Clementis diuina prouidẽtia Papæ Octaui, & successorum suorum Romanorum Pontificum canonicè intrantium, & sedi Apostolicæ semper & fideliter obtemperaturum.

Michael Metropolita Kiouiensis, Ipation Episcopus Vulodimirensis, Cyrillus Episcopus Luceorensis, & cæteri Russorum Episcopi. 1595.

Epist. ad Clementem Octauũ: Sanctissime Pater, Dñe ac Pastor supremæ Ecclesię Christi, Dñe clementissime. Reperentes memoria cõsensum in omnibus, atque vnionem Orientalis & Occidentalis Ecclesiæ, quam maiores nostri sub obedientia & regimine sanctę sedis Apostolicæ Romanæ coluerunt: ex altera verò parte perpendentes animis dissensiones & schismata, quę hodie inualuerunt, non potuimus propterea non maximo dolore affici: deprecabamurque assiduè Dominum, vt nos aliquando in vnitatem fidei aggregaret: expectantes si fortè superiores & Pastores nostri Orientalis Ecclesię, sub quorũ obedientia huc vsque fuimus, de ineunda vnitate & concordia, quam in Liturgijs à Deo quotidie efflagitant, cogitare seriò atque diligenter in eam rem & curam in-

cumbere

cumbere vellent. Sed cùm videremus frustra tale quippiam sperari ab illis, non tam maleuolentia & temeritate fortasse eorum, quàm quòd sub grauissimo seruitutis iugo crudelissimi tyranni, & à religione Christiana alieni gemant, tentare id quod maximè vellent, nullo modo possunt: nos nihilominus, qui in his partibus sub dominio Serenissimi Poloniæ & Suetiæ Regis, & Magni Ducis Lituaniæ constituti sumus, liberisque nobis propterea esse licet, attendentes officium nostrũ, neque nobis ipsis & ouibus Christi, quarum cura ad nos spectat gregis obesse, conscientiasq; in hac parte nostras tot animarũ interitu, qui ex dissẽsionibus his prouenit, grauare volentes, adiuuante Domino, ad vnionẽ, quæ antea inter Orientalem & Occidentalem Ecclesiam viguit, inq; Florentina Synodo ab antecessoribus nostris constituta est, accedere decreuimus: vt vinculo huius vnionis adstricti, sub obedientia atque regimine Sanctitatis vestræ, vno ore ac corde glorificemus & laudemus omnes diuinissimum & sanctissimum nomen Patris, & Filij, & Spiritus sancti.

Ac proinde, sciente volenteque Domino nostro Sigismũdo tertio Dei gratia Poloniæ ac Suecię Rege, magnoque Duce Lituaniæ, mittimus ad Sanctitatem vestram charissimos fratres nostros reuerendos in Christo Hypatium Pociei Protothronium atque Episcopum, &c. quibus mandauimus, vt Sanctitatem vestram adeant, ac (si quidem Sanctitas vestra administrationem Sacramẽtorum, ritusque & cęremonias Orientalis Ecclesię integrè inuiolabiliterque, atque eo modo, quo tempore vnionis illis vtebamur, nobis cõseruare confirmareque pro se & successoribus suis, nihil in hac parte innouaturis vnquam, dignetur) suo & omnium nostrum Archiepiscopi & Episcoporum, totiusque Ecclesiastici nostri status, & ouium commissarum nobis diuinitus nomine sedi S. Petri & Sanctitati vestrę, vti summo Pastori Ecclesiæ Christi debitam obedientiam deferant. Quæ omnia petita à nobis, si obtinuerimus, Sanctitati vestrę, cum omnibus successoribus suis, nos & successores nostri dicto audientes, subque regimine Sanctitatis vestrę semper esse volumus. In quorum maiorem fidem literas præsentes manibus nostris subscripsimus, atque muniuimus sigillis.

Hypatius Protothronius Vulodimirensis Episcopus. 1595.

In fidei Professione: Sanctissime ac beatissime Pater. Ego humilis Hypatius Pociei Dei gratia Protothronius Vulodimirensis, & Brestensis Episcopus in Russia, nationis Russorũ, vnus ex Procuratoribus Prælatorum eiusdem nationis vnà cum Domino Cyrillo Episcopo Luceorensi collega meo specialiter constitutus ad ineundam & suscipiendam vnionẽ Sanctitatis vestræ, & sanctę Romanæ Ecclesiæ, atque ad deferendam debitam obedientiam ipsorum omnium, & totius Ecclesiastici eorum status, & ouium eis commissarum nomine, huic sanctę sedi B. Petri & Sanctitati vestrę vti summo Pastori vniuersalis Ecclesię, ad pedes eiusdem Sanctitatis vestræ positus, & sanctæ orthodoxę fidei professionem facturus & emissurus polliceor & promitto, &c. Credo sanctam Apostolicam sedem, & Romanum Pontificem in vniuersum orbem tenere primatum: & ipsum Romanum Pontificem successorem esse beati Petri Principis Apostolorum, & verũ Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ caput & omnium Christianorum Patrem & Doctorem existere, & ipsi in B. Petro pascendi, regendi, & gubernandi vniuersalem Ecclesiam à Domino nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse.

Sanctam Catholicam & Apostolicam Romanam Ecclesiam, omnium Ecclesiarum matrem & magistram agnosco, Romanoq; Pontifici beati Petri Apostolorum principis successori, ac Iesu Christi Vicario, veram obedientiam spondeo ac iurò.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Tertullianus. 200.

De Præscriptionibus aduersus hæreticos cap. 36. Si Italię adiaces, habes Romam, vnde nobis quoque auctoritas præsto est: Statu felix Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt: vbi Petrus passioni Dominicę adęquatur: vbi Paulus Ioannis exitu coronatur: vbi Apostolus Ioannes, posteaquam in igneum oleum demersus, nihil mali passus est, in insulam relegatur.

Libro de pudicitia, quem edidit iam hæreticus, scribens aduersus Romanum Pontificem, qui mœchos & adulteros post pœnitentiam absoluebat, cap. 1. Audio esse edictum propositum, & quidem peremptorium: Pontifex scilicet maximus, Episcopus Episcoporum dicit: Ego & mœchię, & fornicationis delicta pœnitentia functis dimitto.

Cyprianus. 250.

Libro 4. epist. 2. *Epistola 52.* Nam quòd Cornelium (*Papã*) charissimum nostrum Deo, & Christo, & Ecclesiæ eius, item consacerdotibus cunctis laudabili prędicatione commendat; non iste ad Episcopatum subitò peruenit, sed per omnia Ecclesiastica officia promotus, & in diuinis administrationibus Dominum sæpe promeritus, ad sacerdotij sublime fastigium cunctis religionis gradibus ascendit. Tum deinde Episcopatum ipsum nec postulauit, nec voluit, nec vt cæteri, quos arrogantiæ & superbię suę tumor inflat, inuasit: sed quietus & modestus, & quales esse consueuerunt, qui ad hũc locum diuinitus eliguntur, pro pudore virginalis conscientiæ suæ, & pro humilitate ingenitæ sibi, & custoditæ verecundiæ, non vt quidam, vim fecit, vt Episcopus fieret: sed ipse vim passus est, vt Episcopatum coactus exciperet. Et factus est Episcopus à plurimis collegis nostris, qui tunc in vrbe Roma aderant, qui ad nos literas honorificas, & laudabiles, & testimonio suæ prædicationis illustres, de eius ordinatione miserunt. Factus est autem Cornelius Episcopus de Dei & Christi eius iudicio, de clericorum penè omnium testimonio, de plebis, quę tunc adfuit, suffragio, & de sacerdotum antiquorum & bonorum virorum collegio: cùm nemo ante se factus esset, cùm Fabiani locus, id est, cùm locus Petri, & gradus cathedræ sacerdotalis vacaret, quo occupato de Dei voluntate, atque omnium nostrum consensione firmato, quisquis iam Episcopus fieri voluerit, foris fiat necesse est, nec habeat Ecclesiasticam ordinationem, qui Ecclesiæ non tenet vnitatem, &c. Et cùm post primum secundus esse non possit, quisquis post vnum, qui solus esse debeat, factus est, non iam secundus ille, sed nullus est. Tum deinde post Episcopatum non exambitum, nec extortum, sed de Dei, qui sacerdotes facit, voluntate susceptum, quanta in ipso suscepto Episcopatu suo virtus? quantum robur animi? qualis firmitas fidei? quod nos simplici corde & perspicere penitus, & laudare debemus: sedisse intrepidum Romæ in sacerdotali cathedra eo tempore, cùm

tyrannus

tyrannus infestus sacerdotibus Dei fanda atque infanda comminaretur, cùm multo patientius & tolerabilius audiret leuari aduersus se æmulum principem, quàm constitui Romę æmulum sacerdotem.

Libro 1. epist. 3. *Epist. 55.* Post ista adhuc insuper pseudoepiscopo sibi ab hæreticis constituto nauigare audent, & ad Petri Cathedram, atque ad Ecclesiam principalem, vnde vnitas sacerdotalis exorta est, à schismaticis & profanis literas ferre, nec cogitare eos esse Romanos, (quorũ fides, Apostolo prædicante, laudata est,) ad quos perfidia nõ possit habere accessum.

Rom. 1.

Libro 4. epist. 8. *Epistola 45.* Nos singulis nauigantibus ne cum scandalo vllo nauigarent rationem reddentes, scimus nos hortatos esse, vt Ecclesię Catholicę radicem & matricem agnoscerent, & tenerent.

Libro 3. epist. 1. *Epistola 67. ad Stephanum Papam:* Martianus Arelate consistens Nouatiano se coniũnxit, & à Catholicę Ecclesię vnitate, atque à corporis nostri, & sacerdotij consensione discessit, tenens hæreticæ præsumptionis durissimam prauitatem, vt seruis Dei pœnitentibus, & dolentibus, & ad Ecclesiam lachrymis, & gemitu, & dolore pulsantibus, diuinæ pietatis, & lenitatis paternę solatia & subsidia claudantur, &c. Quapropter facere te oportet plenissimas literas ad coêpiscopos nostros in Gallijs constitutos, ne vltra Martianum peruicacem, & superbum, & diuinæ pietatis ac fraternæ salutis inimicum, collegio nostro insultare patiantur, quod necdum videatur à nobis abstentus, qui iam pridem iactat & prędicat, quòd Nouatiano studens, & eius peruicaciam sequens, à communicatione se nostra segregauerit, &c. Dirigantur in prouinciam, & ad plebem Arelate consistentem à te literę, quibus abstento Martiano, alius in locum eius substituatur, & grex Christi, qui in hodiernum ab illo dissipatus & vulneratus cõtemnitur, colligatur, &c. Martianus sententiam non dicat, sed accipiat, nec sic agat quasi ipse iudicauerit de collegio sacerdotum, quando ipse sit ab vniuersis sacerdotibus iudicatus. Seruandus est enim anteцessorum nostrorum beatorũ Martyrum Cornelij & Lucij honor gloriosus, quorum memoriã cùm nos honoremus, multò magis tu frater charissime honorificare & seruare grauitate & auctoritate tua debes, qui Vicarius & successor eorum factus es.

haud dubiè comprobauerit, læti huiusmodi fructum examinis adipiscamur.

Epistola 81. ad Syricium: Recognouimus literis Sanctitatis tuæ boni pastoris excubias, qui fideliter commissam tibi ianuam serues, & pia solicitudine Christi ouile custodias, dignus quem oues Domini audiant, & sequantur. Et ideò quia nosti ouiculas Christi, lupos facilè deprehendes, & occurres quasi prouidus pastor, ne isti morsibus perfidię suæ feraliqúe vlulatu Dominicum ouile dispergant.

Optatus Mileuitanus. 370.

Lib. 2. aduersus Parmenianum: Negare non potes, scire te in vrbe Roma Petro primo cathedram Episcopalem esse collatam, in qua sederit omnium Apostolorum caput Petrus, vnde & Cephas appellatus est: in qua vna cathedra vnitas ab omnibus seruaretur, ne cęteri Apostoli singulas sibi quisq; defenderent, vt iam schismaticus & peccator esset, qui contra singularem cathedram alteram collocaret. Ergo cathedra vnica, quæ est prima de dotibus, sedit prior Petrus, cui successit Linus, &c. Iulio successit Liberius, Liberio Damasus, Damaso Syricius hodie, qui noster est socius: cum quo nobis totus orbis commercio formatarum in vna communionis societate concordat.

Prudentius. 380.

De S. Hippolyto:

Respondit: fugite ô miseri execranda Nouati
Schismata, Catholicis reddite vos populis.
Vna sedes viget at, prisco quæ condita sęclo est,
Quam Paulus retinet, quamq; Cathedra Petri.

Stephanus Mauritaniæ in Africa Episcopus. 380.

Epistola ad Damasum: Beatissimo Domino & Apostolico culmine sublimato, sancto Patri Patrũ Damaso Papę, & summo omnium Prędulũ Pontifici. Notum vestræ facimus Beatitudini, quòd quidam fratres in confinio nobis positi, quosdam fratres nostros venerabiles, videlicet Episcopos, vobis inconsultis, à proprio deijciunt gradu, vel deijcere moliũtur, cùm vestræ sedi Episcoporum iudicia, & summorum finem Ecclesiasticorum negotiorum, in honore beatissimi Petri, Patrum decreta omnium cunctam referuanêre sententiam, inquirendi reuerentia de Dei rebus, quas omni cura, & solicitudine obseruare debemus. Maximè verò iustè debent ab ipso Præsulum examinari vertice Apostolico, cuius vetusta solicitudo est, tam mala damnare, quàm releuare laudanda. Antiquis enim regulis sancitum est, vt quicquid horum quamuis in remotis, vel in lõginquo positis ageretur prouincijs, non prius tractandum, vel accipiendum sit, nisi ad notitiam almę sedis vestrę fuerit deductum, vt eius auctoritate, iuxta quod fuisset pronũtiatum firmaretur, & reliqua multories talia, & his similia, quæ super his constituta sunt: quibus si illicitè factum est, vt semper vestræ sedis consuetudo fuit, festinanter occurrite, & pro his viriliter, vt pater pro filijs certantes, state.

Hieronymus. 380.

Epist. 57. ad Damasum Papam: Quoniam vetusto Oriens inter se populorum furore collisus indiscussam Domini tunicam, & desuper textam, minutatim per frusta discerpit: & Christi vineam exterminant vulpes: vt inter lacus contritos, qui aquam non habent, difficile, vbi fons signatus, & hortus ille conclusus sit, possit intelligi: ideo mihi Cathedram Petri, & fidem Apostolico ore laudatam censui consulendam, inde nunc meæ animę postu-

Ioan. 19. Cant. 2. Hier. 2. Cant. 4. Rom. 1.

mæ postulans cibum, vnde olim Christi vestimẽta fuscepi. Neque verò tanta vastitas elementi liquentis, & interiacens longitudo terrarum me a pretiosæ margaritę potuit inquisitione prohibere. *Vbicunque fuerit corpus, illuc congręgabuntur & aquilæ.* Profligato à sobole mala patrimonio, apud vos solos incorrupta Patrum seruatur hæreditas. Ibi cespite terra fœcundo, Dominici seminis puritatẽ centeno fructu refert: hîc obruta sulcis frumenta in lolium auenasqúe degenerant. Nunc in Occidente sol iustitiæ oritur: in Oriente autem Lucifer ille, qui ceciderat, supra sydera posuit thronum suum. *Vos estis lux mundi, vos sal terræ,* vos aurea vasa & argẽtea: hîc testacea vasa, vel lignea, virgam ferream, & æternum operiuntur incendium. Quamquã igitur tui mẽ terreat magnitudo, inuitat tamen humanitas. A sacerdote victimam salutis, à pastore præsidium ouis flagito. Facessat inuidia: Romani culminis recedat ambitio: cum successore Piscatoris, & discipulo crucis loquor. Ego nullum primum, nisi Christum sequens, Beatitudini tuæ, id est, Cathedræ Petri communione consocior: super illam petram ædificatam Ecclesiam scio. Quicunq; extra hanc domũ agnum comederit, profanus est. Si quis in arca Noë non fuerit, peribit regnante diluuio. Et quia, pro meis facinoribus, ad eam solitudinem commigraui, quæ Syriam iuncto Barbariæ fine disterminat; nec possum sanctum Domini, tot interiacentibus spatijs à sanctimonia tua semper expetere: ideo hîc collegas tuos Ægyptios confessores sequor, & sub onerarijs nauibus parua nauicula delitesco. Nõ noui Vitalem, Meletium respuo, ignoro Paulinum. Quicunque tecum non colligit, spargit: hoc est, qui Christi non est, Antichristi est.

Luc. 17. Esa. 14. Matth. 5. Matt. 16. Exod. 12.

Epistola 8. ad Demetriadem cap. 9. Dum esses parvula, & sanctę ac beatę memorię Anastasius Episcopus Romanam Ecclesiam regeret, de Orientis partibus hæreticorum sęua tempestas simplicitatem fidei, quæ Apostoli voce laudata est, polluere, & labefactare conata est. Sed vir ditissimę paupertatis, & Apostolicæ solicitudinis, statim noxium perculit caput, & sibilantia hydræ ora compescuit. Et quia vereor, immò rumore cognoui, in quibusdam adhuc viuere, & pullulare venenata plantaria, illud te pio charitatis affectu prędmonendam puto, vt sancti Innocentij, qui Apostolicæ Cathedræ, & supradicti viri successor & filius est, teneas fidem: nec peregrinam, quamuis tibi prudens callidaqúe videaris, doctrinam recipias.

Epistola 16 ad Principiam, cap. 3. Denique cùm me Romam, cum sanctis Pontificibus Paulino & Epiphanio, Ecclesiastica traxisset necessitas, quorũ alter Antiochenam Syriæ, alter Salaminiã Cypri rexit Ecclesiam, &c.

Aduersus Ruffinum lib. 3. cap. 5. Confessionem tuam ab omnibus Italiæ Episcopis asseris esse susceptam. Crederẽ dicẽti, nisi me dubitare de te iste liber, non Pamphili faceret. Et tamen miror quo modo probauerit Italia, quod Roma cõtempsit: Episcopi susceperint, quod sedes Apostolica condemnauit. Si Papæ Theophili sententijs delectaris, & nefas putas Pontificum decreta conuelli, quid de cæteris dicis, quos ipse damnauit? Quid de Papa Anastasio, de quo nulli, vt ais, verum videtur, vt tantæ vrbis (*Romæ*) sacerdos vel innocenti tibi iniuriam facere potuerit, vel absenti?

Capite 6. Non leue est, quod tibi impingit tantæ vrbis (*Romæ*) Pontifex, vel ab alio obiectum temerè susceperit. Syricij, iam in Domino dormiẽtis, profers epistolam, & viuentis Anastasij dicta contemnis. Quid enim tibi, vt ais, officere potest, quod te ignorante, aut scripsit, aut fortè non scripsit? Et si scripsit, sufficit tibi totius orbis testimonium: quod nulli verum videtur, vt tantæ vrbis (*Romæ*) sacerdos, vel innocenti iniuriam facere potuerit, vel absenti. Innocentem te vocas, ad cuius interpretationem Roma contremuit: absentem, qui accusatus respondere non audes, & tantum Romanæ vrbis iudicium fugis, vt magis obsidionem barbaricam, quàm pacatę vrbis velis sententiam sustinere.

Ruffinus. 390.

In explicatione Symboli: Nulla hæresis in Ecclesia vrbis Romæ sumpsit exordium.

Apud Hieronymum in Symboli explanatione ad Damasum: Si quid parùm cautè positum est, emendari cupimus à te, qui Petri & fidem tenes, & sedem.

Augustinus. 400.

Contra Iulianum Pelagianum lib. 1. cap. 4. Puto eam orbis partem sufficere debere, in qua primum Apostolorum suorum voluit Dominus gloriosissimo martyrio coronari. Cui Ecclesię præsidentem si beatum Innocẽtium audire voluisses, iam tum periculosam iuuentutem tuam Pelagianis laqueis exuisses. Quid enim potuit vir ille sanctus Africanis respondere concilijs, nisi quod antiquitus Apostolica sedes & Romana cum cæteris tenet perseueranter Ecclesia? &c.

Libro 2. contra Pelagium & Cælestium cap. 7. Cælestius beati Papæ Innocentij literis non est ausus obsistere, imò se omnia, quę sedes illa damnaret, damnaturum esse promisit.

Epistola 157. Iuncta nobis à venerabili Papa Zozimo Apostolicæ sedis Episcopo Ecclesiastica necessitas, ad Cæsariam in Mauritania nos traxerat, &c. Pelagius & Cælestius conciliorum Episcopalium vigilantia, etiam à duobus venerabilibus Antistitibus, Apostolicæ sedis Papa Innocentio & Papa Zozimo, nisi correcti etiam egerint pœnitentiam, toto Christiano orbe damnati sunt, &c. Vt iam verbis vtar beatissimi Antistitis Zozimi: *Illud propagatione contractum chirographum rumpitur, in quo nullus omnino natorum antequam per baptismum liberetur, non tenetur obnoxius.* In his etiam verbis Apostolicę sedis tam antiqua, atque fundata, certa, & clara est Catholica fides, vt nefas sit de illa dubitare Christiano.

Epist. 162. Erat transmarinis vicina regionibus & fama celeberrima nobilis Carthago, vnde non mediocris auctoritatis habebat Episcopum Cęcilianum, qui posset non curare conspirantem inimicorum multitudinem, cùm se videret & Romanę Ecclesię, in qua semper Apostolicæ Cathedrę viguit principatus, & cæteris terris, vnde Euangelium ad ipsam Africam venit, per communicatorias literas esse coniunctum, vbi paratus esset causam suam dicere, si aduersarij eius ab eo illas Ecclesias alienare conarentur.

Epist. 106. Missæ sunt de hac re à duobus Concilijs, Carthaginensi & Mileuitano relationes ad Apostolicam sedem &c. Ad omnia nobis Innocentius Papa rescripsit eodem modo, quo fas erat atque oportebat Apostolicæ sedis Antistitem.

Epistola 165. Si ordo Episcoporum sibi succedentium considerandus est, quantò certius & verè salubriter ab ipso Petro numeramus, cui totius Ecclesiæ figuram gerenti Dominus ait: *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam:* Petro enim successit Linus &c. Liberio Damasus, Damaso Syricius, Syricio Anastasius. In hoc ordine successionis nullus Donatista inuenitur. Matt. 16

Concilium Toletanum Primum. 400.

Sub finem assertionis fidei: Si quis in errore Pri-

scilliani sectam sequitur, vel profitetur, vt aliud in salubri baptismo contra sedem sancti Petri faciat, anathema sit.

Concilium Africanum. 400.

Capite 35. Placuit vt literæ mittantur ad fratres & Coëpiscopos nostros, & maximè ad sedem Apostolicam, in qua præsidet venerabilis frater & collega noster Anastasius, quò nouerit habere Africam magnam necessitatem, propter Ecclesiæ pacem, & vtilitatem, vt ex ipsis Donatistis, quicunque clerici correcto consilio ad Catholicam vnitatem transire voluerint, secundùm vniuscuiusque Episcopi Catholici voluntatem atque consilium, qui in eodem loco gubernat Ecclesiam, in suis honoribus suscipiantur.

Concilium Mileuitanum. 402.

Epistola ad Innocentium Papam: Quia te Dominus gratiæ suæ præcipuo munere in sede Apostolica collocauit, talemque nostris temporibus præstitit, vt nobis potius ad culpam negligentiæ valeat, si apud tuam venerationem, quæ pro Ecclesia sunt suggerenda tacuerimus, quàm ea tu possis vel fastidiosè vel negligenter accipere magnis periculis infirmorum membrorum Christi, pastoralem diligentiam adhibere quæsumus digneris, &c. Multo plures, qui Pelagij sensus diligentius indagare potuerunt, aduersus eum pro Christi gratia, & Catholicæ fidei veritate confligunt, præcipuè sanctus filius tuus frater & compresbyter noster Hieronymus. Sed arbitramur (adiuuante misericordia Domini nostri Iesu Christi, qui te regere consulentem & orantem exaudire dignatur) auctoritati Sanctitatis tuæ, de sanctarum Scripturarum auctoritate deprompte, facilius eos (qui tàm peruersa & pernitiosa sentiunt) esse cessuros.

Est apud Augustinum epist. 92.

Concilium Carthaginense. 410.

Epistola ad Innocentium Papam: Hoc itaque gestum, Domine frater sancte, charitati tuæ intimàdum duximus, vt statutis nostræ mediocritatis etiam Apostolicæ sedis adhibeatur auctoritas, pro tuenda salute multorum, & quorundam etiam peruersitate corrigenda.

Est inter epist. Augustini 90

Seuerus Sulpitius. 410.

Sacræ historiæ libro 2. Instantius, Saluianus, & Priscillianus, in Synodo apud Cæsaraugustam damnati, Romam profecti sunt, vt apud Damasum, vrbis ea tempestate Episcopum, obiecta purgarent. Hi vbi Romam peruenêre, Damaso se purgare cupientes, ne in conspectum quidem eius admissi sunt.

Possidius. 430.

Vitæ S. Augustini capite 14. Literæ sedis Apostolicæ compulerunt Augustinum ad Cæsareensem Mauritaniæ ciuitatem venire, vnà cum alijs Episcopis, ob terminandas videlicet aliquas Ecclesiæ necessitates.

Capite 18. Innocentius & Zozimus Apostolicæ sedis Antistites suis diuersis temporibus Pelagianistas notantes, atque à membris Ecclesiæ præcidentes, datis literis ad Africanas, Orientis, & Occidentis Ecclesias, eos anathematizandos & deuitandos ab omnibus Catholicis censuerunt. Et hoc tale de illis Ecclesiæ Catholicæ prolatum iudicium, etiam pijssimus Imperator Honorius audiens ac sequens, suis eos legibus damnatos, inter hæreticos haberi debere constituit.

Philippus Presbyter. 430.

In Concilio Ephesino Tom. 2. cap. 16. Diui Petri ordinarius successor & vicarius sanctus beatissimusque Papa & Episcopus noster Cœlestinus, nos suos pro se quasi vicarios ad hanc Synodum misit.

Maximus Taurinensis. 430.

Homilia 2. de Natali S. Laurentij: Sixtum (*Papam*) ante omnes summum Domini sacerdotem furor gentilis aggreditur, vt Ecclesiastica membra, tam valido truncato capite, velut munimine præsidij cœlestis amoto, cruentus persecutor inuaderet.

Vincentius Lyrinensis. 435.

Contra hæreses cap. 42. Lectę sunt quoque in Cōcilio Ephesino epistolæ S. Felicis Martyris, & S. Iulij vrbis Romæ Episcoporum. Et vt non solùm caput orbis, verùm etiam latera illi iudicio testimonium perhiberēt, adhibitus est à meridie beatissimus Cyprianus, à Septentrione S. Ambrosius, &c.

Petrus Chrysologus. 440.

Epistola ad Eutychem: In omnibus hortamur te, frater honorabilis, vt his, quę à beatissimo Papa Romanę ciuitatis præscripta sunt, obedienter attendas: quoniam B. Petrus, qui in propria sede & viuit, & præsidet, præstat quærentibus fidei veritatem. Nos enim pro studio pacis & fidei extra consensum Romanę ciuitatis Episcopi causas audire non possumus.

Sermone 175. Edicto Cæsaris & pagani Dominus obtēperaturus occurrit, & decreto beati Petri principis Christiani seruus adhuc aliquis irreuerenter obsistit?

Geretius, Salonius, & Verannius Episcopi Galliæ. 450.

Extat inter epistolas Leonis, Coloniæ impressas.

Epistola ad Leonem Papam: Domine sancte Pater, Apostolica sede dignissime Papa, magna tui gratulatione succrescimus, quòd illa specialis doctrinæ vestræ pagina ita per omnium Ecclesiarum conuenticula celebratur, vt verè consona omnium sententia declaretur, meritò illic principatum sedis Apostolicæ constitutum, vnde adhuc Apostolici spiritus oracula referentur.

Episcopi Metropolis Arelatensis. 450.

Epistola ad Leonem Papam: Memores, quantum honoris & reuerentiæ beatissimæ sedi Apostolicę, cui vos Dominus noster Iesus Christus pro meritis sanctitatis voluit præsidere, semper debitum fuerit, semperque debeatur: ordinationem, qua sanctus frater & Coëpiscopus noster Rauennius in ciuitate Arelate, post transitum beatę recordationis Hilarij Episcopi, concordantibus omnium votis, ad summum Pontificium, Domino fauente, prouectus est, missis continuò literis Apostolatui vestro indicare curauimus, &c. Sicut per beatissimum Petrum Apostolorum principem sacrosancta Ecclesia Romana tenet supra omnes totius mundi Ecclesias principatum: ita etiam intra Gallias Arelatensis Ecclesia, quæ sanctum Trophimum ab Apostolis missum sacerdotem habere meruit, ordinandi pontificiū vendicat. *Extat apud Baronium Tom. 7 fol. 713.*

Prosper. 460.

De ingratis cap. 2.

——*Pestem subeuntem prima recidit*
Sedes Roma Petri, quæ pastoralis honoris
Facta caput mundo, quicquid non possidet armis
Religione tenet.

Contra Collatorem cap. 41. Africanorum Conciliorum decretis beatæ recordationis Papa Zozimus sententiæ suæ robur adnexuit, & ad impiorum detruncationem gladio Petri dextras omnium armauit Antistitum, quando sanctæ memoriæ Papa Bonifacius pijssimorum Imperatorum Catho-

Catholica deuotione gaudebat, & contra inimicos gratiæ Dei, non solùm Apostolicis, sed etiam regijs vtebatur edictis. Venerabilis memoriæ Pontifex Cœlestinus, cui ad Catholicę Ecclesię præsidium multa Dominus gratię suæ dona largitus est, sciens damnatis non examen iudicij, sed solùm pœnitentiæ remedium esse præstandum, Cælestium, quasi non discusso negotio audientiam postulantem, totius Italię finibus iussit extrudi: adeò & prædecessorum suorū statuta, & decreta Synodalia inuiolabiliter seruanda censebat: vt quod semel meruerat abscindi, nequaquam admitteret retractari. Nec verò segniore cura ab hoc eodem morbo Britannias liberauit, quando quosdam inimicos gratiæ, solum suę originis occupantes, etiam ab illo secreto exclusit Oceani, & ordinato Scotis Episcopo, dum Romanam insulam studet seruare Catholicam, fecit etiam barbaram Christianam.

De vocatione Gentium libro 2. capite 16. Ad cuius rei effectum credimus prouidentia Dei Romani regni latitudinem præparatam, vt nationes vocandę ad vnitatem corporis Christi, prius iure vnius consociarentur imperij, quamuis gratia Christiana non contenta sit eosdem limites habere, quos Roma, multosque iam populorum sceptro crucis Christi illa subdiderit, quos armis suis ista non domuit. Quę tamen per Apostolici sacerdotij principatum amplior facta est arce religionis, quàm solio potestatis.

In Chronicis: Concilio apud Carthaginem habito 217. Episcoporum ad Pontificem Zozimum synodalia decreta perlata, quibus probatis, per totum mundum hæresis Pelagiana damnata est.

Ascanius & cæteri Episcopi Tarraconenses. 460.

Extat inter epist. Pontif. Rom. 1.

Epistola ad Hilarium Papam: Ad fidem recurrimus Apostolico ore laudatam, inde responsa quærentes, vnde nihil errore, nihil præsumptione, sed Pontificali totum deliberatione præcipitur.

Victor Vticensis. 480.

De persecutione Vandalica libro 2. Quòd rationem non habet, inquit Eugenius, dici non debuit. Sicut hoc, quomodo dicatur homini, vt per aëra feratur & volitet, quod moris non est humanę naturæ. Dixi enim, si nostram fidem, quæ vna & vera est, potestas regis cognoscere desiderat, mittat ad amicos suos: scribam & ego fratribus meis, vt veniant Coëpiscopi mei, qui vobis nobiscum communem fidem nostram valeant demōstrare, & præcipuè Ecclesia Romana, quę caput est omnium Ecclesiarum.

Episcopi Dardaniæ. 492.

Epistola ad Gelasium Papam: (*extat inter epistolas Gelasij:*) Domino sancto Apostolico & beatissimo Patri patrum Gelasio Papæ vrbis Romæ. Saluberrima Apostolatus vestri præcepta Tryphone deferente, qua oportet deuotione suscepimus, & maximas Deo omnipotenti & Beatitudini vestræ referimus gratias, quòd nos pastorali admonitione & Euangelica doctrina visitare dignatus es, Domine sancte Apostolice & beatissime Pater Patrum. Desiderij enim & voti nostri est, iussionibus vestris in omnibus obedire, & quemadmodum à patribus nostris accepimus, sedi Apostolicę, quæ vitæ & meritis vestris delata est, intemerata seruare, atque religionem Orthodoxam, cuius estis prędicatores, fideli & inculpata deuotione, prout rusticitatis sensus patitur custodire, &c. Si qui fortè praua intentione (quod neque arbitramur, neque optamus) à sede Apostolica se crediderint segregandos, ab eorum nos alienos esse consortio profitemur: quoniam, vt dictum est, Patrum in omnibus custodientes præcepta, & inuiolabilia sanctorum Canonum instituta sectantes, Apostolicæ & singulari illi Sedi vestræ communi fide & deuotione parere contendimus.

Fulgentius. 500.

De Incarnatione & gratia Iesu Christi capite 11. Quod duorum magnorum luminarium, Petri scilicet Pauliqúe verbis, tamquam splendentibus radijs illustrata, eorumqúe decorata corporibus Romana (quę mundi cacumen est) tenet & docet Ecclesia, totusqúe cum ea Christianus orbis & ad iustitiam nihil hæsitans credit, & ad salutem non dubitat confiteri.

Synodus Romana Tertia sub Symmacho. 501.

Memorati Pontifices suggesserunt, ipsum, qui dicebatur Imperitus, debuisse synodum conuocare: sciētes, quia eius sedi primùm Petri Apostoli meritum vel principatus, deinde secuta iussione Domini Conciliorum venerandorum auctoritas, singularem in Ecclesijs tradidit potestatem, nec antedictæ sedis Antistitem minorum subiacuisse iudicio, in propositione simili, facilè forma aliqua testaretur.

Synodus Romana Quarta sub Symmacho. 502.

Cap. 3. Laurentius Episcopus Mediolanensis Ecclesiæ dixit: Ista Scriptura nullum Romanæ ciuitatis potuit obligare Pontificem: quia non licuit laico statuendi in Ecclesia, præter Papam Romanum, habere aliquam potestatem, cui obsequendi manet necessitas, non auctoritas imperandi, maximè, cùm nec Papa Romanus subscripserit, nec alicuius secundùm Canones Metropolitani legatur assensus, &c. Eulalius Episcopus Syracusanę Ecclesię dixit: Scriptura, quæ recitata est, euidentissimis documentis constat inualida, quia nullius Præsulis Apostolicæ sedis subscriptione firmata docetur. Quòd si cuiuslibet prouincię sacerdotes intra terminos suos Concilio habito, quicquam fine Metropolitani, suíue Antistitis auctoritate tentauerint, irritum esse debere Patres sancti sanxerunt: quanto magis, quod in Apostolica sede non existente Præsule, qui prærogatiua beati Petri Apostoli meritis per vniuersum orbem primatum obtinens sacerdotij, statutis synodalibus consueuit tribuere firmitatem: à laicis, licet consentientibus aliquātis Episcopis, (qui tamen Pontifici, à quo consecrari probantur, præiudicium inferre non potuerunt,) præsumptum fuisse cognoscitur, viribus carere non dubium est, nec posse inter Ecclesiastica vllo modo statuta censeri?

Ennodius Diaconus. 510.

Libro de Synodis sub Symmacho habitis: Sanctorum voce patet Pontificum dignitatem sedis Apostolicę factam toto orbe venerabilem, dum illi quicquid fidelium est vbique submittitur, dum totius corporis caput esse designatur, de qua mihi videtur dictum per Prophetam: *Si hæc humiliatur, ad cuius confugietis auxilium, & vbi relinquetis gloriam vestram?* Esaiæ 10.

Possessor Episcopus. 520.

Epistola ad Hormisdam Papam: Decet & expedit ad capitis recurrere medicamentum, quoties agitur de sanitate membrorum. Quis enim maiorem circa subiectos solicitudinem gerit, aut à quo magis est nutantis fidei stabilitas expetenda,

quàm ab eius sedis præside, cuius primus à Christo rector audiuit: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam?*

Matt. 16

Extat apud Baronium.

Concilium habitum in Epiro. 520.

Epistola ad Hormisdam Papam: Domino nostro per cuncta sanctissimo & beatissimo Patri Patrũ, comministro & principi Episcoporum Hormisdę Papę: Si dignis præmijs, &c.

Eulalius Carthaginensis. 530.

Epistola ad Bonifacium Secundum: In sede Apostolica extra maculam semper est Catholica seruata religio: de qua spe & fide minimè separari cupientes, & Patrũ sequentes constituta, anathematizamus omnes, qui contra sanctam Romanã & Apostolicam Ecclesiã superbiendo suas erigunt ceruices: sequentes in omnibus Apostolicam sedem, & prædicantes eius omnia constituta, & per omnia spero, vt in vna communione vobiscum, quam sedes Apostolica prædicat, esse merear, in qua est integra & vera Christianæ religionis & perfecta soliditas.

Cassiodorus. 532.

Libro 11. epistol. 2. ad Ioannem Papam: Nolite in me tantam reijcere ciuitatis illius curam, quæ potius vestra laude secura est. Vos enim speculatores Christiano populo præsidetis: vos patris nomine vniuersa dirigitis. Securitas ergo plebis ad vestram respicit famam, cui diuinitus est commissa custodia. Quapropter nos decet custodire aliqua, sed vos omnia. Pascitis quidem spiritualiter commissum vobis gregem: tamen nec ista potestis negligere, quæ corporis videntur substantiam cõtinere. Nam sicut homo constat ex dualitate: ita boni patris est, vtraque refouere. Primùm penuriam temporis, quam delicta promerentur, orationibus sanctis amouete: monete me, quę sunt gerenda solicitè: bene agere, vel correptus exopto. Quia difficilius errat ouis, quæ voces desiderat audire pastoris: nec facilè efficitur vitiosus, cui admonitor adsistit assiduus. Sum quidem iudex Palatinus, sed vester nõ desinam esse discipulus. Nam tum ista rectè gerimus, si à vestris regulis minimè discedamus. Sed cùm me à vobis desiderem & moneri consilijs, & orationibus adiuuari, iam vobis est applicandum, si quid in me fuit aliter, quàm optabatur, inuentum. Sedes illa toto orbe mirabilis proprios tegat affectione cultores: quę licet generalis mundo sit præstita, vobis etiam cognoscitur & localiter attributa.

Amator Episcopus. 535.

Epistola ad Siluerium Papam: Beatissimo Siluerio Amator Episcopus. A quibusdam, Pater dilectissime, illis à partibus aduentantibus audiuimus, vos à sede S. Petri iniustè pulsum, exilio destinatum. Quod nimis graue ferentes, misimus argenti libras triginta, ad vestram vestrorumque sustentationem. Quid putas de nobis fieri, Pater summe, cùm de summo Pastore, & Vicario sancti Petri talia fiunt?

Arator. 540.

Cùm acta Apostolorum heroico carmine celebrasset, opus suum Vigilio Papæ his verbis dedicauit: Domino S. beatissimo, Apostolico, & in toto orbe primo omnium sacerdotum Papæ Vigilio.

Liberatus Archidiaconus Carthaginensis. 540.

In Breuiario capite 20. Dum hæc Alexandriæ aguntur, defuncto Bonifacio Papa Romano Ioannes cognomento Mercurius sedis Apostolicæ susceпit præsulatum. Ad quem missi sunt ab Imperatore Iustiniano Hypatius Ephesiorum Episcopus, & Demetrius à Philippis, consulere sedem Apostolicam contra legatos Acumicorum Cyrum & Eulogium, negantes esse confitendum beatam Mariam verè & propriè Dei Genitricem, & vnum de Trinitate incarnatum, & carne passum. Sed Papa Ioannes nobis ibi positis, hoc confitendum epistola sua firmauit, & Imperatori direxit.

Capite 21. Mortuo Ioanne Mercurio, Agapetus Archidiaconus Romanæ Ecclesię Papa ordinatur, in regulis Ecclesiasticis apprimè eruditus. Cùm esset Constantinopoli petentibus principibus, vt Anthimum (qui abhorrebat à Synodo Chalcedonensi) Papa in salutatione, & communicatione susciperet, ille fieri inquit posse, si libello se probaret orthodoxum, & ad cathedram suam reuerteretur. Impossibile esse aiebat, translatitium hominem in illa sede permanere. Augusta verò clam promittente munera multa, & rursus Papæ minas intentante, in hoc Papa perstitit, ne eius audiret petitionem. Anthimus verò videns se sede pulsum, pallium quod habuit Imperatoribus reddidit, & discessit, vbi eum Augusta suo patrocinio tueretur. Tunc Papa principis fauore Menam pro eo ordinauit Antistitem, consecrans eum manu sua in Basilica S. Mariæ.

Capite 22. Siluerius Papa in exilium missus est, in ciuitatem prouinciæ Lycię, quæ Patara dicitur. Siluerio veniẽte Pataram, venerabilis Episcopus ciuitatis illius venit ad Imperatorem, & iudicium Dei contestatus est, de tantæ sedis Episcopi expulsione, multos esse dicens in hoc mundo reges, & non esse vnum, sicut ille Papa est super Ecclesiam mundi totius, à sua sede expulsus. Quem audiens Imperator, reuocari Romam Siluerium iussit.

Gildas Badonicus. 550.

Correptione in Ecclesiasticum ordinem: Britannia habet sacerdotes, sed nonnullos insipientes, præcepta Christi spernentes, suas libidines votis omnibus implere curantes, sedem Petri Apostoli immundis pedibus aliquos vsurpantes, sed merito cupiditatis in Iudæ traditoris pestilentem cathedram desidentes.

Concilium Quartum Aurelianense. 550.

Capite 1. Quoties aliquid de solennitate Paschatis dubitatur, inquisita vel agnita per Metropolitanos à sede Apostolica sacra constitutio teneatur.

Concilium Secundum Turonense. 570.

Capite 21. post decretum Innocentij Papæ recitatum: Quis, *inquit*, sacerdotum contra decreta talia, quæ à sede Apostolica processerunt, agere præsumat? Et quorum auctorum valere possit prædicatio, nisi quos sedes Apostolica semper intromisit? Et Patres nostri hoc semper custodierunt, quod eorum præcepit auctoritas.

Concilium Primum Bracharense. 572.

Capite 22. Placuit vt eodem ordine Missæ celebrentur ab omnibus, quo modo profuturus quondam huius Metropolitanæ Ecclesiæ Episcopus ab ipsa Apostolicæ sedis auctoritate susceпit scriptum.

Capite 23. Nullus ordinem baptizandi prætermittat, quem pro amputanda aliquorum dubietate prædictus profuturus Episcopus sibi directum à sede beatissimi Petri Apostoli susceпit.

Ioannes Episcopus Rauennatensis. 600.

Est inter Epistolas Gregorij libro 2. Indictiõ 11. epist. 5.

Epistola ad Gregorium Magnum: Recolo me in sinu & gremio sacrosanctę Ecclesiæ vestrę Romanæ enutritum, & Deo auxiliante prouectum. Et quibus ausibus ego sanctissimæ illi Sedi, quæ vniuersali Ecclesiæ iura sua transmittit, præsumpserim obuiare, propter cuius conseruandam auctoritatem, sicut Deo manifestum est, multorum contra me grauiter excitaui inuidiam?

Isidorus Hispalensis. 620.

Præfatione in opus Conciliorum: Subiecimus reliqua Præsulum Romanorum decreta vsque ad S. Gregorium, & quasdam ipsius epistolas, in quibus pro culmine sedis Apostolicæ non impar Conciliorum extat auctoritas, &c. Nullam Synodum ratam esse legimus, quæ non fuerit Apostolicę sedis auctoritate congregata, vel fulta.

Extat in Concilio Lateran.

Victor Carthaginensis. 640.

Epistola ad Theodorum Papam: Vestrum est, frater charissime, canonica discretione solicitè contrarijs Catholicæ fidei obuiare, nec permittere nouiter dici, quod Patrum venerabilium auctoritas omnino non censuit. Nos enim vno vinculo charitatis vobiscum sumus constricti.

Columbus & cæteri Primates & Episcopi prouinciarum Africæ, Numidiæ, Byzaceni, & Mauritaniæ. 640.

Extat in Concilio Later. consultatione 2.

Epistola ad Theodorum Papam: *Eum salutant Patrem Patrum, & summum omnium Præsulum Pontificem, & addunt*: Magnum & indeficientẽ, omnibus Christianis fluenta redundantem, apud Apostolicam sedem consistere fontem, nullus ambigere possit, de quo riuuli prodeunt affluenter vniuersum largissimè irrigantes orbem Christianorum, cui etiam in honorem beatissimi Petri, Patrum decreta peculiarem omnem decreuêre reuerentiam in requirendis Dei rebus, quæ omninò & solicitè debent, maximè verò iusteqúe ab ipso Præsulum examinari vertice Apostolico, cuius vetusta solicitudo est, tam mala damnare, quàm probare laudanda. Antiquis enim regulis sanctum est, vt quicquid quamuis in remotis, vel in longinquo positis ageretur prouincijs, non prius tractandum vel accipiendum sit, nisi ad notitiam almæ sedis vestræ fuisset deductum, vt huius auctoritate, iuxta quę fuisset pronuntiatio firmaretur, indeqúe sumerent cæteræ Ecclesiæ (velut de natali suo fonte) prædicationis exordium, & per diuersas totius mundi regiones puritatis incorruptæ maneant fidei sacramenta salutis.

Maurus Episcopus Rauennatensis. 650.

Extat in Synodo Later. sub Martino Papa.

Epistola ad Martinum Papam: Domino sancto, & meritis beatissimo, totoqúe orbe Apostolico, & vniuersali Pontifici Martino Papæ Maurus seruus seruorum Dei Episcopus. *Et subscriptio*: Ora pro me Domine sancte, & meritis beatissime, totoqúe orbe Apostolice Papa.

Ionas Monachus. 650.

Vitâ S. Eustachij cap. 5. Aquileienses tum desciuerant à communione sedis Apostolicæ, de qua Dominus in Euangelio ad B. Petrum Apostolorum principem loquitur: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: & portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* Desciuerant autem obtrium capitulorum dissensionem, vnde discordię incrementa diuturna manârunt, quod præsenti operi non est necesse inserere.

Matt. 16

Aldhelmus. 670.

Epistola ad Geruntium: Si ergo Petro claues regni cęlestis à Christo collatæ sunt, de quo ait Poëta:

Clauiger æthereus, portam qui pandit in æthra:

quis Ecclesię eius statuta principalia spernens, & doctrinæ mandata contemnens, per cælestis paradisi portam gratulantibus ingreditur? Et si ipse potestatem ligandi, atque monarchiam soluendi, in cælo & in terra felici sorte & peculiari priuilegio accipere promeruit, quis Paschalis festi regulam, & tonsuræ Romanæ ritum refutans, non potius se strictis nexibus inextricabiliter obligandum, quàm clementer absoluendum vllatenus arbitretur?

Beda. 700.

Historiæ Anglicanæ libro 2. capite 1. B. Papa Gregorius, cùm primùm in toto orbe gereret pontificatum, & conuersis iam dudum ad fidem veritatis esset prælatus Ecclesijs, Anglorum gentem eatenus idolis mancipatam Christi fecit Ecclesiam.

Libro 3. capite 25. Contendentibus de Obseruatione Paschę hinc Colmanno cum clericis suis de Scotia, inde VVilfrido & Agathone presbyteris: illo traditionem Ioannis, hoc autem beati Petri & Pauli doctrinam vrgente, tandem VVilfridus dixit: Si tu Colmanne, & socij tui audita decreta sedis Apostolicæ, immò vniuersalis Ecclesiæ, & hæc sacris literis confirmata sequi contemnitis, absque vlla dubietate peccatis. Et si sanctus erat Columba vester, imò & noster, & Christi erat, num præferri potuit beatissimo Apostolorum principi, cui Dominus ait: *Tu es Petrus*, &c. Hæc perorante VVilfrido, dixit Osvvi Rex Saxonum: An vtrique vestrum in hoc consentiunt, quòd hęc principaliter Petro dicta, & ei claues regni cælorum sint datæ à Domino? responderunt, etiam, vtrique. At ille ità conclusit: Et ego vobis dico, quia hic est ostiarius ille, cui ego contradicere nolo, sed in quantum noui vel valeo, huius cupio in omnibus obedire statutis, ne fortè me adueniente ad fores regni cælorum, non sit qui referat, auerso illo, qui claues tenere probatur.

Capite 29. Osvvi, quamuis educatus à Scotis, intellexerat veraciter, quia Romana esset Catholica & Apostolica Ecclesia, vnde tam ipse, quàm Egbertus Cantuariorum Rex VVigardum Romam miserunt, vt accepto gradu Archiepiscopatus Catholicis Anglorum Ecclesijs ordinare posset Antistites.

Homilia in natali Benedicti: Roma per summos Christi Apostolos totius Ecclesię caput eminet eximium.

De ratione temporum: Instinianus II. Imperator de peccatis suis pœnitentiam agens, Constantinum Romanum Pontificem in Nicomediam ad se vocans, honorificè susceпit, ac remisit: quem prostratus humi pro suis peccatis intercedere rogans, absolutionem & communionem consecutus est.

Bonifacius Moguntinus Episcopus. 740.

Epistola ad Zachariam Papam: Deo gratias agimus, quòd clementem Paternitatem vestram altissimus arbiter canonica cura regere, & Apostolicæ sedis gubernacula gubernare concessit. Ergo non aliter quàm vt ante vestigia vestra geniculantes, intimis subnixè flagitamus precibus, vt sicut prædecessorum vestrorum pro auctoritate S. Petri pietatis serui deuoti, & subditi discipuli fuimus, sic & vestrę pietati serui obedientes, subditi sub

iure Canonico fieri mereamur, optantes Catholicam fidem & vnitatem Romanę Ecclesię seruãdo dilatare, & quantoscunque audientes, vel discipulos in ista legatione mihi donauerit Dominus, ad obedientiam Apostolicæ sedis inuitare, & inclinare non cesso. Necesse quoque habemus indicare Paternitati vestrę, quia per Dei gratiam Germaniæ populis tres ordinauimus Episcopos, & prouinciam in tres parochias discreuimus, & illa tria oppida siue vrbes, in quibus & ordinati sunt, scriptis auctoritatis vestrę confirmari & stabiliri precantes desideramus.

Extat apud Naucleri Generatione 26.

Epistola ad Stephanum Secundum: Domino excellentissimo Stephano Papę Bonifacius exiguus Episcopus, discipulus Romanę Ecclesiæ in Christo charitatis salutem. Sanctitatis vestrę clementiam intimis obnixè flagito precibus, vt familiaritatem & vnitatem sanctæ sedis Apostolicæ à vestra clementia habere merear, & in disciplinatu pietatis vestrę sedi Apostolicæ seruiendo, seruus vester fidelis ac deuotus permanere possim, &c. Si minus peritè aliquid aut iniustè à me factum vel dictũ reperitur, iudicio Romanæ Ecclesię prompta voluntate & humilitate emendaturum me spondeo.

Alcuinus. 750.

Lib. de diuinis officijs cap. 19. Religionis cultum sic Dominus instituit, vt in beatissimo Petro Apostolorum summo principaliter collocaret, atque ab ipso quasi quodam capite dona sua vellet in corpus omne manare. Vnde constat ab vniuersi orbis communione separatos esse, sicut docet beatus Pelagius, qui qualibet dissensione inter sacra mysteria Apostolici Pontificis memoriam secundùm consuetudinem non frequentant.

Paulus Diaconus. 770.

De gestis Longobardorum lib. 6. cap. 4. al. 15. Cedoaldus Rex Anglorum ad Christum conuersus, Romam properauit, vbi à Papa Sergio baptizatus, ad cęlum transijt, hoc epitaphio tumulo inscripto:

Culmen, opes, sobolem, pollentia regna, triumphos,
Armipotens Cedoal liquit amore Dei,
Vt Petrum, sedemq́, Petri, rex cerneret hospes,
Cuius fonte sacras sumeret albus aquas.

Lib. 6. cap. 10. al. 28. Aribertus Rex Longobardorum donationem patrimonij Alpium Cottiarum, quę quondam ad ius pertinuerant Apostolicæ sedis, sed à Longobardis multo tempore fuerant ablatæ, restituit, & hanc donationem aureis literis exaratam Romam direxit. Tunc quoque venit Benedictus Archiepiscopus Mediolanensis Romam, & causam egit pro Ecclesia Ticinensi, sed victus est, eò quòd à priscis temporibus Ticinenses Episcopi à Romana Ecclesia fuerant consecrati.

Paulinus Aquileiensis. 780.

Aduersus Felicem Vrgelitanum: Eos etiam, qui post hãc tam saluberrimam definitionem, quam plenaria Synodus sancto afflata Spiritu concorditer subtili synceritate terminauit, falsissimis eorum assertionibus, siue clam, siue in publica voce prohibuerint assensum, simili eos sententiæ vindicta sancimus esse plectẽdos, referuato per omnia iuris priuilegio summi Pontificis Domini & Patris nostri Adriani primę sedis beatissimi Papæ.

Ambrosius Ansbertus. 780.

Epistola ad Stephanum Papam, præfixa commentarijs in Apocalypsin: Sanctorum Ecclesia, quæ corpus Redemptoris sui est, cuius tu quoque Pontificalis ordinis primatum sortitus es.

In fine commentariorum: Temporibus Pauli Pontificis Romani, & Desiderij regis Longobardorũ hoc opus confeci, atque compleui.

Concilium Caroli Imperatoris. 800.

Apud Gratianum dist. 19. In memoriam beati Petri Apostoli honoremus sanctã Romanã Ecclesiam & Apost. sedem, vt quæ nobis sacerdotalis mater est dignitatis, Ecclesiasticę esse debeat magistra rationis: quare seruanda est cum mansuetudine humilitas. Et licet vix ferendum ab illa sancta sede imponatur iugum, tamen feramus, & pia deuotione toleremus.

Æmoinus. 825.

Historiæ Francorum lib. 2. cap. 1. Sanctissimus Papa Ioannes, qui Hormisdæ successerat, Constantinopolim ad Iustinum Imperatorem profectus est: occurrit autẽ ei Augustus, & omnis ciuitatis clerus, gaudente principe suscepisse se in regia ciuitate Pontificem sedis Apostolicæ. Peroratis igitur, pro quibus ierat, ipsi Iustino Augusto vt Vicarius B. Petri Imperialem imposuit coronam.

Walafridus Strabo. 830.

De rebus Ecclesiasticis cap. 22. Romanorũ morem ideo in rebus sacris tam multæ gentes imitantur, quia & tanti magisterij ex apice Apostolico primordijs clarent, & nulla per orbẽ Ecclesia æquè vt Romana ab omni fęce hæreseos cunctis retro temporibus pura permansit.

Cap. 31. Sicut gẽs Romanorum totius orbis monarchiam tenuisse fertur: ita summus Pontifex in sede Romana, vicem B. Petri gerens, totius Ecclesię apice sublimatur: de quo Sardicẽsi concilio statuitur, cunctorum statuta ad eum referri debere, idq; obseruandum quod ipse statueret.

Ionas Aurelianensis. 840.

Lib. 1. de cultu Imaginum: Iussu Caroli Magni in vnum coacti milites Christi, adhibita etiam sanctę Romanæ Ecclesię auctoritate Felicem damnauerunt.

Lib. 3. Quid enim si, vt supradictum est, claues regni cælorum, quasi eminentissimo sanctæ Ecclesiæ mẽbro intelligo traditas, beato videlicet Petro, vt per illud ad cæteros hęc dignitas transeat: num idcirco mens mea ab eius amore tepescet, quem pluris videam à Domino honorari? Potior namque in eius deuotione amoris coalescet ignis, vt quod omnium est commune, ipse quodammodo accepisse videatur singularis.

Strabus Fuldensis. 840.

In Glossa ordinaria 2. Paral. 17. *Spiritualis iudicat omnia, & ipse à nemine iudicatur.* Et hoc Papæ conuenit in vniuersali Ecclesia, Archiepiscopis autem in suis prouincijs, & Episcopis in diœcesibus suis.

Rabanus Maurus. 840.

Ad Matthæi cap. 17. Hęc ligandi atque soluendi potestas quamuis soli Petro data videatur à Domino: tamen & cæteris Apostolis datur, necnon etiam nunc Episcopis & presbyteris Ecclesiæ. Sed ideò Petrus specialiter claues regni cælorum, & principatum iudiciariæ potestatis accepit, vt omnes per orbem credentes intelligant, quòd quicunque ab vnitate fidei, vel societatis illius quolibet modo seipsos segregant, tales nec vinculis peccatorum absolui: nec ianuam posse ingredi regni cęlestis.

De laude S. Crucis ad Gregorium Quartum P.

Sedis Apostolicæ princeps, lux aurea Roma,
Et decus, & Doctor plebis, & almus amor:
Tu caput Ecclesia es, primus Patriarcha per orbem,
Præclarus meritis, & pietate potens.
Sal terræ, mundi lux, atque vrbs inclyta Christi,
Perpetuæ præbens lucis iter populo:
Vestra valet cælum reserare, ac claudere lingua,
In terra positus clauiger æthereus.
Tu reuocator ades patriæ, spes, rector, honorq́,
Dulcis amor cunctis, dignus amore Dei.

Hincmarus

Hincmarus. 850.

In Synodo apud S. Medardum: Ego Hincmarus eligo mihi iudices in hac duntaxat causa, quæ ventilatur, VVenilonem Senonẽsem Archiepiscopũ, Amalricũ Turonensem Archiepiscopũ, &c. salua etiam reuerentia Apostolicæ sedis, cui in omnibus causis debet reuerentia exhiberi, sicut Innocẽtius Papa ad Victoricium Rothomagẽsem scribit Episcopum, & sancti etiam Canones præfigere dignoscuntur, &c. *Porrexit etiam idem Hincmarus epistolam totius Galliæ Episcoporum manibus subscriptam, ad Apostolicam sedem pro confirmatione ipsius ordinationis: quoniam sedes Apostolica per Sergium Papam Ebbonem Episcopum damnauit, adeò vt inter laicos tantùm communionẽ habere mereretur. Ostendit etiam ipsi Christianissimo Principi diploma sacrum, ipsius venerandi principis manibus insignitum, & sigillo subter signatum, ex approbatione suæ ordinationis, ad eandem sanctam & Apostolicam, omnium scilicet Ecclesiarum matrem, Romanam Ecclesiam.*

Epistola ad Adrianum Secundum scribens, vocat eum Patrem patrum, primariæ sedis Apostolicæ, & vniuersalis Ecclesiæ Papam, & subdit: Hanc meę subiectionis humilimam suggestionem in benignitate suscipite, qua primus Apostolorum, non solùm minoris sui redargutionem pro simulatione susceptam, verùm & minorum suorum quæstionem, cur ad præputiatos intrauerit, lenire curauit.

Hildoinus. 850.

In Areopagiticis: Extant apud nos epistolæ Innocentij, & post eum Gelasij, necnon & moderni B. Papæ Gregorij, aliorumq́ue Pontificum ad Episcopos vrbium Galliarum, & Antistitum nostrorum ad ipsos, de more Romano in cunctis Ecclesiasticę auctoritatis munijs imitando.

Landramus Turonensis, &c. 850.

Epistola ad Nomenium Priorem Gentis Britannicæ: Hæc ad tuam perditionem sufficiebant, sed ad cumulum malorum auxisti temeritatem, & omnem lęsisti Christianitatem, dum Vicarium beati Petri Leonem Apostolicum, cui dedit Deus primatum in orbe terrarum, spreuisti, &c. Maximum reatum te contraxisse scimus, quòd epistolam sedis Apostolicæ respuisti, existimans aliqua in ea tibi noxia cõtineri, sed quòd exemplar eius venerabilis Papa nobis dignatus est dirigere, notum tibi facimus, nihil in ea contineri, quod ad tuam pertineat lęsionem. *Est apud Lupum Ferrariensem epist. 84.*

Anastasius Bibliothecarius. 860.

Præfatione ad P.M. in vitam Ioannis Eleemosynarij à se versam: Non fas est vt absque Vicario Dei, absque clauigero cæli, absque curru & auriga spiritualis Israẽlis, absque vniuersali Pontifice, absque vnico Papa, absque singulari Pastore, absque speciali Patre, absque te omnium arbitro aliquid consummetur aut diuulgetur. Tu enim tenes claues Dauid, tu accepisti claues scientiæ. In arca quippe pectoris tui tabula Testamenti, & manna cælestis saporis requiescunt. Tu enim quod ligas, nemo soluit: quod aperis, nemo claudit: quod claudis, nemo aperit. Vicem namque in terris possides Dei, &c.

Salue Præsul amate Deo per secula, salue:
Totius atque orbis Papa beate vale.

Rothaldus Suessionensis. 868.

Appellatione ad Nicolaum Papam: Dum ad synodum conuocatam Episcopi conuenissemus, & ipse Hincmarus, quasi omnium Dominus, præsidens & prœualens, sententiam in me damnationis violenter ac precipitanter iaculari acceleraret, hanc ego Apostolicam sedem, atque Apostolicum Præsulem, vniuersalis Ecclesiæ summum prouisorem appellare maturaui. Tunc tres Hincmarus ad me Episcopos misit, mandans ad Synodum ipsam vt sine mora venirem. Quibus ego respondi, quòd non mihi ita liceret, neque ego hoc vllatenus auderem, vt in prœiudicio sanctę Romanæ Ecclesiæ, omnium Ecclesiarum matris, eiusq́ue excellentissimi Rectoris circa positũ, cuicunque prębeam aliquo modo assensum. Ad illam summam auctoritatem sine intermissione appello, cui nullus potest contradicere, quę à Domino Iesu Christo per beatum Petrum Apostolum tantum meruit principatum.

Synodus Triburiensis. 895.

Cap. 30. In memoriã beati Petri Apostoli honoremus sanctam Romanam & Apostolicam sedẽ, vt quæ nobis sacerdotalis mater est dignitatis, esse debeat magistra Ecclesiasticę rationis.

Regino Prumiensis. 910.

In Chronicis de anno 842. Romana vrbs ab omni sancta Ecclesia propter præsentiam Apostolorum Petri & Pauli speciali quodam priuilegio veneratur.

De anno 865. Stultitiæ quodam elogio notandi sunt, qui illam Petri sedem aliquo prauo dogmate fallere posse arbitrati sunt, quæ nec se fefellit, nec ab aliqua hæresi falli vnquam potuit.

De anno 866. Arsenius Episcopus Aprocrisarius, & consiliarius Nicolai Papæ, vice ipsius directus est in Franciam, quò perueniens tanta auctoritate & potestate vsus est, ac si idem summus Præsul aduenisset. Conuocato denique Episcoporum conuentu, Lotharium Regem alloquitur, vt vnum è duobus eligat, aut propriæ reconcilietur vxori, abdicato VValdradæ pellicis consortio, aut protinus anathematis gladio feriretur ipse, omnesq́ue ei in hoc scelere fauorem præstantes. Hac necessitate compulsus, vel constrictus, vellet, nollet, Tithbergam reginam in matrimonium recepit.

Luitprandus Ticinensis. 950.

Libro 1. cap. 8. Formosus Papa religiosissimus à Romanis vehementer afflictabatur, cuius & hortatu Rex Arnulphus Romam aduenerat, in cuius ingressu, vlciscendo Papæ iniuriam, multos Romanorum principes obuiam sibi properantes decollari præcepit.

Lib. 2. cap. 13. Ioanne Rauennate Apostolorum Vicario constituto, Pœni Romanas vrbes miserè laniabant.

Lib. 6. cap. 6. Ioannes summus Pontifex, & vniuersalis Papa, &c. Otto à summo Pontifice & vniuersali Papa Ioanne vnctionem suscepit imperij: cui non solùm propria restituit, verùm etiam ingentibus gemmarum auri & argenti muneribus ipsum honorauit.

Notgerus Leodiensis. 950.

In vita S. Landoaldi: Beatus Amandus Romam deliberauit iteratò adire: Romanũ vniuersalem Pontificatum Martinus Papa tum administrabat: cui beatus Amandus vnum, cuius obtentu veneraret, exprompsit.

Burchardus VVormatiensis. 1020.

Lib. 1. cap. 42. Auctoritas congregandarum Synodorũ sedi Apostolicæ priuata auctoritate commissa est.

Berno Augiensis. 1020.

Libello de quibusdam ad Missã spectantibus cap. 2. Cùm Romanorum presbyteri ab Henrico Imperatore interrogarẽtur, cur post Euangeliũ, vt in alijs Ecclesijs fiebat, Symbolum nõ caneret, me coram assistente, audiui eos huiusmodi responsum reddere, videlicet quòd Romana Ecclesia non fuisset

aliquando vlla hæreſeos fæce infecta, ſed ſecundùm ſancti Petri doctrinam in ſoliditate Catholicæ fidei permaneret inconcuſſa: & ideo magis his neceſſarium eſſe illud Symbolum fæpiùs cantando frequentare, qui aliquando vlla hæreſi potuerunt maculari.

Petrus Damianus. 1050.

In vita S. Barbatiani: Roma abſque dubio caput eſt, & principalis ſedes totius Eccleſiæ.

In vita S. Vitalis: Roma per ſummos Apoſtolos Petrum & Paulum totius orbis ſibi vendicat principatum.

Epiſtola 11. ad Nicolaum Papam c. 5. Tu autem dileciſſime venerabilis Papa, qui Chriſti vice fungeris, qui ſummo Paſtorum in Apoſtolica dignitate ſuccedis, noli peſtem hãc per ignauiam ad incrementa perducere, noli conniuẽdo & diſſimulando graſſanti luxuriæ fræna laxare.

Lanfrancus Cantuarienſis. 1060.

De Euchariſtia contra Berengarium: Quotquot à primordio Chriſtianæ religionis Chriſtiani nominis dignitate gloriati ſunt, etſi aliqui relicto veritatis tramite per deuia erroris incedere maluerunt, ſedem tamen ſancti Petri Apoſtoli magnificè honorauerunt, nullamqúe aduerſus eam huiuſmodi blaſphemiam vel dicere, vel ſcribere præſumpſerunt, &c. Beati Doctores ſi non ijſdem verbis, tamen ſententijs multis in locis concorditer aſtruxerunt, hæreticum eſſe omnẽ hominem, qui à Romana & vniuerſali Eccleſia in fidei doctrina diſcordat.

Guitmundus Auerſanus. 1060.

De Sacramento altaris: Berengarius defunctum S. Leonem Papam maledicis verbis & ſcriptis laceſſebat, ſanctiſſimum illud & reuerendiſſimum Eccleſiæ ſpeculum, non Pontificem, ſed pompificem vocans, eumqúe infatuatione Lanfranci infatuatum cõcilium vanitatis adiuuaſſe blaſphemans, &c.

Anſelmus Cantuarienſis. 1080.

De Incarnatione Verbi cap. 1. Domino & Patri vniuerſæ Eccleſiæ in terra peregrinantis ſummo Pontifici Vrbano: Quoniam diuina prouidentia veſtram elegit Sanctitatem, cui vitam & fidem Chriſtianam cuſtodiendam, & Eccleſiam ſuam regendam committeret: ad nullum alium rectius refertur, ſi quid contra Catholicam fidem oritur in Eccleſia, vt eius auctoritate corrigatur; nec vlli alij tutius, ſi quid contra errorem reſpondetur, oſtenditur, vt eius prudentia examinetur.

Ad caput 1. ad Romanos: Ago gratias pro omnibus fidelibus, & primùm quidem pro omnibus vobis, ſcilicet quia vos primi eſtis: quoniam Romana Eccleſia primatum habet inter oẽs Eccleſias.

Præfatione in epiſtolam ad Romanos: Magis credendum eſt, quòd illi, qui membra epiſtolarum in vno corpore collegerunt, hanc epiſtolam iudicauerunt ſedere in capite, quæ ad vrbem directa eſt, quæ illo tempore caput totius extitit orbis, & quia vſque hodie Romana Eccleſia omnium Eccleſiarum obtinet principatum.

Hildebertus Cenomanenſis. 1100.

Epiſt. 19. Magnum arbitramur remedium, ſi Romanus Pontifex & conſilio ſubuenerit nobis, & auxilio.

Edinerus Anglus. 1100.

Vitæ S. Anſelmi libro 2. Cùm veniret Romam, nuntiatur Pontifici eius aduentus: adducitur cum reuerentia in medium, & in qua coram Papa decenter ſedeat ſella profertur. Ingreſſus humiliat ſe pro more ad pedes ſummi Pontificis, ſed ſtatim ab ipſo erigitur ad oſculum eius. Sedet, ac pro aduẽtu illius lętari ſe Apoſtolicus cum Romana curia dicit.

Iuo Carnotenſis. 1100.

Epiſt. 48. ad Paſchalem ſummum Pontificem: Sicut Romana Eccleſia omnium Eccleſiarũ mater eſt, & magiſtra: ſic eam decet filiorum iniurias propulſare, & contemptorum inobedientiam vindicare: vt & filius fuiſſe ſe ſubditum gaudeat, & contemptores inobedientes ſe fuiſſe pœniteat.

Epiſt. 71. Domino & Patri ſuo Paſchali ſummo Pontifici Iuo humilis Eccleſiæ Carnotenſis miniſter, quicquid obedientiæ, quicquid famulatus ferre poteſt eius humilitas. Nouerit veſtra Paternitas, me Guidonem Puteacenſem refugã, & clericalis militiæ deſertorem, propter ſacrilegia ſua, propter lamentationem & oppreſſionem pupillorum & viduarum, tamquam putridũ membrum à corpore Eccleſię præcidiſſe, & Satanæ, cui penè per omnia famulatur, cum ſuis ſequentibus tradidiſſe. Vnde flexis genibus cordis Paternitati veſtræ ſupplico, vt ſententiam anathematis, iuſtè in eum factã, Apoſtolica auctoritate confirmetis, & Archiepiſcopo Senonenſi, Epiſcopo Aurelianenſi, Epiſcopo etiam Pariſienſi, vt idem anathema in eum faciant, veſtra auctoritate Apoſtolica iniungatis. Niſi enim rebellium filiorum prauitatem paterna ſeueritate feriatis, niſi tribulatos materna conſolatione foueatis, niſi auxiliatricem manum laborantibus & penè labentibus porrigatis, meritò conquerendo clamabit Eccleſia: *Caput meum plenum eſt rore, & cincinni mei pleni guttis noctium.*

Epiſt. 183. Quoniam iudicia Romanæ Eccleſiæ à nemine foris retractari poſſe, eadem Romana Eccleſia docente didicimus: ſi qui aliquando ſe prægrauatos ipſius Eccleſiæ auctoritate conqueruntur, hoc eis conſilium damus, vt non deſcendant in Ægyptum propter auxilium, ſed ab ipſa ad ipſam confugiant, & inde expetant leuamen, vnde ſe conqueruntur accepiſſe grauamen: quia quæ aliquãdo corripit paterna ſeueritate, eadem frequenter colligit materna pietate.

Leodienſes Clerici. 1100.

Epiſtola ad Paſchalem Papam: Romanus Prælul Pater omnium Eccleſiarum, &c. Non infirmamus, aut reprehendimus verbum Epiſcoporum Epiſcopi, non inuehimur in Chriſtum Domini, ad quem pertinet ſolicitudo omnium Eccleſiarum.

Otto Bambergenſis Epiſcopus. 1100.

Epiſtola ad Paſchalem Papam: Domino & Patri ſuo Paſchali ſanctę & Apoſtolicæ ſedis vniuerſali Epiſcopo Otto Bambergenſis Eccleſiæ id quod eſt, tam deuotę, quàm debitæ ſubiectionis orationes, & ſeruitium. Quia totius Eccleſiaſticę dignitatis & religionis firmamentum in Chriſto petra eſt, & in Petro eius diſcipulo, & eius ſucceſſoribus, idcirco ab hac linea directionis virga regnorum, Pontificatuum, & omnium poteſtatum in Eccleſia, inſanum duxi aberrare. Vobis igitur, Pater ſanctiſſime, & matri meæ Romanæ Eccleſię collum ſubmitto, & deuotæ ſublimitatis auxilium, & cõſilium de rebus meis flagito. In obſequio enim Domini mei Imperatoris per annos aliquos degens, & gratiam in oculis meis inueniens, ſuſpectam habens de manu Principis inueſtituram, ſemel & iterum cùm dare vellet renui Epiſcopatum. Nunc verò iam tertiò in Bambergenſem Epiſcopum me ordinauit: in quo tamen minimè permanebo, niſi veſtrę complaceat Sanctitati per vos me inueſtire & conſecrare. Quicquid ergo placeat diſcretioni veſtrę de me, per nuntios meos ſignificate mihi de ſeruo veſtro, ne fortè in vacuum curram, ſi ad vos currere incipiam.

Rupertus

Rupertus Tuitienſis. 1120.

In Ioñam lib. 2. cap. 3. Roma, eò quòd beati principis Apoſtolorũ Petri ſedes facta ſit, cunctis Eccleſijs caput altius extulit, latiusq; dominatur per omnes gentes ſacra Pontificum eius lingua, quã dominata fuerit Cęſarum ſiue Auguſtorum eius purpura.

De diuinis officijs lib. 1. cap. 27. Poſtquam duodecim Apoſtoli, per vniuerſum mundum diſperſi, ſingulis ciuitatibus præſiderunt, tam ipſi, quàm ſucceſſores eorum, misêre per contiguas ſuis ſedibus prouincias prędicatores, quos & Epiſcopos ordinauerunt, vt vbi recepti fuiſſent, omnia Chriſtianitatis ſacramenta, velut ipſi Apoſtoli peragerẽt, vt per vrbes comprouinciales Epiſcopos ordinarent. Et aliorum quidem Apoſtolorum ſucceſſores Patriarchæ ſunt dicti: Petri autem ſucceſſor pro excellentia principis Apoſtolorum, Apoſtolicus nominatur.

Lib. 2. cap. 22. Tantis hæreſibus fermentata eſt Græcia, vt mirum videri non debeat hoc, quòd de fermento immolat. Tantæ è contrario ſyncęritatis ſemper fuit Romana Eccleſia, vt cui deeſt Scripturarũ notitia, vel argumẽtãdi facultas, ſola illi de azymo cõtra Græcos ſufficere debeat eius auctoritas. Nam Conſtantinopolitana nõ ſolùm hæreticos, ſed & hæreſiarchas protulit multos: Romana verò Eccleſia, ſuper Apoſtolicæ fidei petram altius fundata, firmiter ſtetit: & tam Græciæ, quàm totius orbis hæreticos ſemper confutauit, & de excelſo fidei tribunali data ſententia iudicauit.

Hugo Victorinus. 1120.

Lib. 1. Eruditionis Theologicæ de Sacramentis Eccleſiæ cap. 43. Papa dicitur quia Pater Patrum. Hinc vniuerſalis dicitur, quia vniuerſæ Eccleſiæ prędeſt: hic quoque Apoſtolicus vocatur, quia principis Apoſtolorum vice fungitur: hic etiam ſummus Pontifex nuncupatur, quia caput eſt omnium Epiſcoporum.

Bernardus. 1130.

De conſideratione ad Eugenium PP. lib. 3. cap. 8. Age indagemus adhuc diligentius qui ſis, quam geras videlicet pro tempore perſonam in Eccleſia Dei. Quis es? Sacerdos magnus, ſummus Pontifex. Tu princeps Epiſcoporum, tu hæres Apoſtolorum, tu primatu Abel, gubernatu Noë, patriarchatu Abraham, ordine Melchiſedech, dignitate Aaron, auctoritate Moyſes, iudicatu Samuel, poteſtate Petrus, vnctione Chriſtus. Tu es, cui claues traditæ, cui oues creditæ ſunt. Sunt quidem & alij cæli ianitores, & gregum paſtores, ſed tu tanto glorioſius, quanto & differentius vtrumque prę cęteris nomen hęreditaſti. Habent illi ſibi aſſignatos greges, ſinguli ſingulos, tibi vniuerſi crediti, vni vnus. Nec modò ouium, ſed & paſtorum tu vnus omnium paſtor. Vnde id probem quęris? Ex verbo Domini. Cui enim non dico Epiſcoporum, ſed etiam Apoſtolorum ſic abſolutè & indiſcretè totę commiſſę ſunt oues? *Si me amas Petre, paſce oues meas.* Quas? Illius, vel illius populos ciuitatis, aut regionis, aut certi regni? *oues*, inquit, *meas*. Cui non planum non deſignaſſe aliquas, ſed aſſignaſſe omnes? Nihil excipitur vbi diſtinguitur nihil. Et fortè præſentes cæteri condiſcipuli erant, cùm committens vni vnitatem omnibus commendaret, in vno grege & vno paſtore, ſecundùm illud: *Vna eſt columba mea, formoſa mea, perfecta mea.* Vbi vnitas, ibi perfectio. Reliqui numeri perfectionem non habent, ſed diuiſionem, recędentes ab vnitate: inde eſt quòd alij ſinguli ſingulas ſortiti ſunt plebes, ſcientes ſacramentum. Denię Iacobus, qui videbatur columna Eccleſiæ, vna contentus eſt Hieroſolyma, Petro vniuerſitatem cedens. Cedẽte Domini fratre, quis ſe alter ingerat Petri prærogatiuæ? Ergo iuxta canones tuos alij in partem ſolicitudinis, tu in plenitudinem poteſtatis vocatus es. Aliorum poteſtas certis arctatur limitibus: tua extenditur & in ipſos, qui poteſtatem ſuper alios acceperunt. Nonne ſi cauſa extiterit, tu Epiſcopo cęlum claudere, tu ipſum ab Epiſcopatu deponere, etiam & tradere Satanæ potes? Stat ergo inconcuſſum priuilegium tuum tibi tam in datis clauibus, quàm in ouibus commendatis.

Epiſt. 125. Nec infructuoſè Alemaniæ, Francię, Angliæ, Scotiæ, Hiſpaniarum, & Hieroſolymorũ reges, cum vniuerſo clero & populis fauent & adhærent Domino Innocentio, (*Papæ,*) tamquam filij patri, tamquam capiti membra, ſoliciti ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis. Meritò autem illũ recipit Eccleſia, cuius & opinio clarior, & electio ſanior inuenta eſt, nimirum eligentium & numero vincens, & merito.

Epiſt. 131. Plenitudo poteſtatis ſuper vniuerſas orbis Eccleſias ſingulari prærogatiua Apoſtolicæ ſedi donata eſt. Qui igitur huic *poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit.* Poteſt, ſi vtile iudicauerit, nouos ordinare Epiſcopatus, vbi hactenus non fuerunt: poteſt eos, qui ſunt, alios deprimere, alios ſublimare, pro vt ratio ſibi dictauerit, ita vt de Epiſcopis creare Archiepiſcopos liceat, & è conuerſo, ſi neceſſe viſum fuerit. Poteſt à finibus terræ ſublimes quaſcumq; perſonas Eccleſiaſticas euocare, & cogere ad ſuam prędentiam, non ſemel, aut bis, ſed quoties expedire videbit.

Epiſt. 183. ad Conradum Regem Romanorum: Regis dedecus, regni diminutionem nunquam volui: violẽtos odit anima mea. Legi quippe: *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit: & qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit.* Quam tamen ſententiam cupio vos, & omnimodis moneo cuſtodire in exhibenda reuerentia ſummę & Apoſtolicę Sedi, & beati Petri Vicario, ſicut ipſam vobis vultis ab vniuerſo ſeruari imperio. Rom. 13

Epiſt. 190. ad Innocentium PP. Oportet ad veſtrum referri Apoſtolatum pericula quęque & ſcandala emergentia in regno Dei, ea præſertim, quæ de fide contingunt. Dignum namque arbitror ibi potiſſimum reſarciri damna fidei, vbi non poſſit fides ſentire defectum. Hæc quippe huius prærogatiua ſedis. Cui enim alteri aliquando dictum eſt: *Ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua.* Ergo quod ſequitur, à Petri ſucceſſore exigitur: *Et tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos.* Id quidem modò neceſſarium. Tempus eſt, vt veſtrum agnoſcatis, Pater amantiſſime, principatum, probetis zelum, miniſterium honoretis. In eo planè Petri impletis vicem, cuius tenetis & ſedem, ſi veſtra admonitione corda in fide fluctuantia confirmatis, ſi veſtra auctoritate conteritis fidei corruptores. Luc. 22.

Epiſtola 237. ad Eugenium PP. Altiorem locum ſortitus es, ſed non tutiorem: ſublimiorem, non ſecuriorem. Terribilis prorſus, *terribilis eſt locus iſte. Locus*, inquam, *in quo ſtas, terra ſancta eſt*, locus Petri eſt, locus principis Apoſtolorum, vbi ſteterũt pedes eius. Locus illius eſt, quem conſtituit Dominus dominum domus ſuæ, & principem omnis poſſeſſionis ſuæ. Ioan. 21.

Sermone de priuilegijs B. Ioannis Baptiſtæ. Hinc enim mater & magiſtra omnium Eccleſiarum Eccleſia Romana, cui dictum eſt: *Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua*, in honorem Ioannis Baptiſtæ poſt Saluatoris nomen conſecrata eſt & ſignata. Dignũ namque erat, vt ſententiam ſponſi ſponſæ ſequeretur auctoritas, & ſingularem amicum eius illuc proueheret, vbi principatum ipſa conſcendit. Electio procul dubio hęc ſingularis eſt, in illa ipſa Luc. 22. Cant. 6. Gal. 2.

vrbe Ioannem vendicare primatum Eccleſię, quâ duo cæli luminaria morte clariſſima conſecrârunt. Crucifigitur Petrus, gladiatur Paulus, & dignitas remanet præcurſori. Purpuratur Roma multitudine Martyrum, totaq; ſublimitas beato refunditur Patriarchæ.

Guigo Carthuſianus. 1130.

Prologo in vitam S. Hugonis Epiſcopi ad Innocent. 2. Domino & Patri chariſſimo, ac reuerendiſſimo ſedis Apoſtolicæ Pontifici Innocentio, Carthuſienſium pauperum ſeruus inutilis Guigo perpetuam ſalutem & pacem in Domino. Non pepercit noſtræ vel verecundiæ, vel imperitiæ Apoſtolatus veſtri imperioſa dignatio. Sicut enim huic opuſculo præfixæ veſtræ ſerenitatis indicant literæ, beati Petri auctoritate & veſtra mandaſtis, vt vitam B. Hugonis Gratianopolitani Epiſcopi noſcendam poſteris ſcripto cõmendaremus, &c. Ad tantæ pondus auctoritatis ne mutire quidem præſumpſimus, ne dum ei non obedimus, cui totus commiſſus eſt mundus; eum offenderemus, à quo factus eſt mundus.

Petrus Lombardus. 1140.

Lib. 4. diſt. 24. Ordo Epiſcoporum quadripartitus eſt, ſcilicet in Patriarchis, Archiepiſcopis, Metropolitanis, & Epiſcopis. Patriarcha Græcè ſummus Patrum interpretatur: quia primum, id eſt, Apoſtolicum tenet locum, vt Romanus, Antiochenus, & Alexandrinus: ſed omnium ſummus eſt Romanus Archiepiſcopus, princeps Epiſcoporum.

Ioannes Gratianus. 1150.

Diſt. 93. Obedientiam inferiores ex ordine ſuperioribus debent. Summo enim Pontifici ea debetur ab omnibus obedientia, vt nulli liceat ei cõmunicare, cui pro actibus ſuis inimicus ipſe extiterit, nec in Eccleſia eſſe poterit, qui eius Cathedram deſerit.

Petrus Cluniacenſis. 1150.

Lib. 6. epiſt. 14. ad Eugenium Papam: Veſtrum eſt totius Eccleſię Dei in hac valle lachrymarum peregrinantis cauſas audire, auditas diſcutere, diſcuſſas iudicio Apoſtolico definire. Et licet perſona veſtra conſtituta ſit ſuper gentes & regna, vt euellat, & deſtruat, & diſperdat, & diſſipet, & ędificet, & plantet: tamen quia nec Deus, nec Hieremias Propheta, cui hoc dictum eſt, eſtis, poteſtis falli, poteſtis ab his, qui ea, quæ non Ieſu Chriſti, ſed quæ ſua ſunt quęrunt, decipi.

Epiſt. 44. Videat hæc omnia, & diſcutiat Pater vniuerſalis, & qui curam paternam vniuerſalis Eccleſiæ filijs debet, animæ nec de inferioribus, nec de vilioribus ſibi commiſſę prouideat.

Hildegardis. 1150.

Epiſtola ad Eugenium P. Tu qui es vice Chriſti ſedens in cura Eccleſiaſticæ cathedræ, meliorem partem tibi elige, &c. De ſummo iudice dirigitur ad te, vt graues & impios tyrannos eradices, & à te éijcias, ne ſtent in magna irriſione in tua ſocietate.

Epiſt. ad Alexandrum Tertium P. O ſumma & gloriosa perſona, quę primùm conſtituta es per Verbum Dei, per quod omnis creatura rationalis, & irrationalis in genere ſuo facta eſt: tibi ſpecialiter idem Verbum claues regni cæleſtis per indumentum humanitatis ſuæ, ſcilicet ligandi & ſoluendi poteſtatem conceſſit. Tu quoque excellentiſſime Pater, materia omnium ſpiritualium perſonarum exiſtis, quæ tuba iuſtitiæ Dei ſonant in Eccleſia.

Otto Friſingenſis. 1150.

In Chronicis lib. 7. cap. 32. Ea tempeſtate legati Armeniorum Epiſcoporum, eorumq; Metropolitani, quem ipſi Catholicon vocant, legati ab vltimo pene Oriente ſummum Pontificem Viterbij, laborioſum iter per annum & ſex menſes complentes, adeunt, eiq; ex parte illius Eccleſiæ ſubiectionem omnimodam, eum conſalutando offerentes, cauſas viæ, nobis cum alijs multis præſentibus, apud veterem aulam aperiunt, &c. Pro his & alijs, dum inter ſe diſſentirent, Romanam Eccleſiam iudicem eligentes, conſultum veniũt, formamq; ſacrificij iuxta conſuetudinem eius ſibi tradi depoſcunt.

Pocho Prumienſis. 1160.

De ſtatu domus Dei lib. 3. Nonne Romani Pontifices, qui in plenitudine poteſtatis Eccleſiæ præfuerunt, quorum videlicet auctoritate vniuerſalia Canonum decreta conſcripta ſunt & corroborata, illis præferendi ſunt, qui in partem ſolicitudinis vocati, particularia quædam quibuſdam inſtituta in ſuis regulis ediderunt? &c. Hoc namque priuilegium, beato Petro Apoſtolorum principi cæleſti decreto principaliter traditum atque firmatum, ſancti Patres cum magna veneratione ſuſcipientes, atque ſanctam Romanam Eccleſiam ſeruantes, tam in generalibus conciliis, quàm in cæteris Scripturis, & geſtis ſuis, vniuerſalem matrem appellauerunt, & ſicut eius documenta in confirmatione fidei, & eruditione ſacrę religionis, ita etiam iudicia ſuſceperunt, in hoc conſentientes, & quaſi vno ſpiritu, & vna voce concordantes omnes maiores res, & præcipua negotia, nec non omnium Eccleſiarum iudicia, ad eam quaſi ad matrem, & caput debere referri, ab ea nuſquam appellari, iudicia eius à nemine retractari aut refelli debere vel poſſe.

Lib. 4. Ab ipſa Apoſtolica ſede, quę eſt omnium Pontificaliũ ſedium prima, mittitur legatus aliquis, cui poteſtas datur, auctoritate ſedis Apoſtolicæ per omnia vti in eos, ad quos miſſus eſt.

Petrus Bleſenſis. 1160.

Epiſtola 45. ad Pontificem Romanum: Domus Dei, quę in lapide adiutorij ſuper fundamẽtum Apoſtolorum & Prophetarum ſtabilita eſt, à Petro & ſucceſſoribus ſuis formã eruditionis & ſtatũ ſublimitatis accepit. Quod enim ſtipiti rami, quod capiti membra, quod ſoli radij, quod fonti riuuli, hoc Apoſtolicæ ſedis eminentiæ debent omnes Eccleſię, quas vbiq; terrarum religio Chriſtiana fundauit.

Arnulphus Lexouienſis. 1160.

Epiſtola ad Alexandrum P. de promotione ſua: Interim ego minor licet omnibus, nõ minore tamen gaudio quàm cęteri, gloriam veſtrę promotionis amplector, & vos Apoſtolum Chriſti, Petri Vicariũ, Paſtorem & Epiſcopum omnium, qui Chriſtiano nomine cenſentur, agnoſco, & vobiſcum Catholicam profiteor vnitatem.

Hugo Etherianus. 1160.

De Spiritus ſancti proceſſione lib. 3. cap. 17. AEquum eſt ratum habere, quod tanta Eccleſia decernit, quod tantus Pontifex enuntiat: ſine quo vigor calami omnis Eccleſiaſticę traditionis areſcit, vt memorandus inter ſanctos B. Iunior Stephanus aſſerit, &c. Chriſtus Petrum, eiusq; ſucceſſorem Principẽ, & caput, non modò Latinorum, Græcorum, Occidentis ac Septentrionis vniuerſi: verùm Armeniorum, Arabum, Indorum, Madianitarum, Amalechitarum, & totius Orientis, & meridiani climatis in perpetuum conſtituit. Ob quam rem occidui ſolis limites vniuerſi Petri ſucceſſorem

ex tunc

ex tunc ſibi dominum recognoſcunt, & ſub illo Præſule diriguntur, quod omnem ab vtero matris errantem facere opportunum eſt.

Ioannes Saliſberienſis. 1160.

Polycratic. libro 8. cap. 17. Eccleſiam Romanam, quæ parẽs (auctore Deo) & nutricula fidei, & morum eſt, & non poteſt ab homine iudicari, & argui, cęleſti priuilegio munita, relinquo intactam.

Cap. 23. Quis præſumet ſummũ iudicare Pontificem, cuius cauſſa Dei ſolius reſeruatur examini? Vtique quiſquis hoc attentauerit, laborare quidem, ſed proficere nequaquã poteſt, &c. Quid ponderoſius eſt ſolicitudine omnium Eccleſiarum? Apoſtolicum priuilegium tranſit ad ſucceſſores. Et planè pars priuilegij eſt, quod Apoſtolus Corinthijs loquitur: *Quis, inquit, infirmatur, & ego non infirmor? Quis ſcandalizatur, & ego non vror?* Si totum non vultis reuoluere, vel iſtud vendicet, qui de primatu contendit, & vt puto citò faciet locum. Præterea qui Romanus Pontifex eſt, eundem pro conditione Eccleſiæ, quæ nunc eſt, eſſe ſeruum ſeruorum neceſſe eſt.

Godfridus Viterbienſis. 1170.

In proœmio hiſtoriæ vniuerſalis ad Vrbanum Tertium: Summo & vniuerſali Papæ Vrbano Tertio, Domino & Patri ſuo reuerendiſſimo Godfridus Viterbienſis ſacerdos indignus, ſeipſum in omni obſequio & obedientia ſubiectiſſimum: Dum ſacroſanctæ matris noſtræ Romanæ Eccleſiæ culmen inſpicio, & eius eminentiæ cõſidero maieſtatem, illud ante omnia neceſſariũ eſſe intueor, vt ſicut ipſa omnibus noſcitur præeſſe principibus: ita omnes reges, & principes, & vniuerſæ orbis Eccleſi, edoctrina eius & regimine adornentur, & ab ea, tamquam à fonte iuſtitiæ, totius ſapientiæ regulis inſtruantur. Quia nullum Scripturarum elogium noſcitur eſſe authenticum, niſi ab eius ſapientiæ fluminibus ſitientibus propinetur. Quare, ſi quod hiſtoriarum opus, noua per aliquem inſtitutione conficitur, ratio ſuggerit, vt antequam in publicum deueniat, Apoſtolico examini præſentetur: quatenus, ſi acceptione dignum eſſe perpenditur, eius mandato, & iudicio approbetur; & ab eo vires auctoritatemq; recipiat, cui terrena & cæleſtia diuinitus ſunt commiſſa.

Guilhelmus Tyrius. 1180.

Belli ſacri lib. 11. cap. 28. Baldeuinus Rex Hieroſolymorum ſecundus miſſis nuntijs ad Romanam Eccleſiam petijt, vt quaſcumque prouincias ſua ſolicitudine de poteſtate hoſtiũ eriperet, omnes regimini Romanæ Eccleſiæ ſubiacerent.

Lib. 15. cap. 15. Legatus Eccleſiæ Romanæ Petrus nomine, miſſus à D. Innocentio Papa, venit in Syriam, vt Patriarchæ Antiocheni cauſſæ debitum finem imponeret. Qui Dominum Patriarcham & vniuerſos regni Pontifices apud Antiochiam pridie Kalend. Decemb. ad Synodum conuocans, illuc cum omni celeritate contendit.

Guntherus. 1180.

Lib. 1.

Sedis Apoſtolicæ Præſul, ſummusq; ſacerdos
Tunc Adrianus erat.

Dodochinus. 1190.

De anno 1099. Paſchalis Pontifex in ſpecula totius Eccleſiæ conſtitutus, iuxta tenorem anteceſſorum ſuorum, Alexandri, Gregorij, Vrbani, cõtra inuaſores ſpiritualium chariſmatum decretũ promulgauit, ac demum Henricum regem cum omnibus fautoribus ſuis excommunicatum pronuntiauit.

Ioachim Abbas Florenſis. 1190.

Prologo primo in Apocalypſin: Rogo ex parte omnipotentis Dei Coabbates meos, & Priores, & cæteros fratres metuentes Dominum, & ea qua poſſe videor auctoritate præcipio, quatenus præſens ſcriptum & exemplar habentes ſecum, ac ſi pro teſtamento opuſcula, quæ hactenus confeciſſe videor: & ſi quid me de nouo vſque ad diem obitus mei contigerit ſcriptitare, quàm citius poterint, collecta omnia, relictis in ſalua cuſtodia exemplaribus, Apoſtolico examini repræſentent, recipientes ab eadem ſede vice mea correptionem, & exponentes ei meam circa ipſam deuotionem & fidem, & quòd eã ſemper tenere paratus ſim, quæ ipſa ſtatuit, vel ſtatuerit, nullamq́ue meam opinionem contra eius defendere ſanctam fidem, credens ad integrum quæ ipſa credit, & tam in moribus, quàm in doctrina eius ſuſcipiẽs correptionem, abijciens quos ipſa abijcit, ſuſcipiens quos ſuſcipit ipſa, credensq; firmiter non poſſe portas inferi prævalere aduerſus eam: & ſi eam ad horam turbari, & procellis agitari contingat, non deficere fidem eius, vſque ad conſummationem ſeculi.

Ioannes Belethus. 1200.

De diuinis officijs cap. 13. Eccleſiaſticarum perſonarum aliæ ſunt dignitatis, aliæ ordinis: Dignitatis ſunt vt Papa, Patriarcha, Cardinalis, Primas.

Cap. 14. Dominus Papa, id eſt Pater patrum, ſummi Pontificis, qui in Lege fuit, perſonam gerit.

Saxo Grammaticus. 1200.

Hiſtoriæ Danicæ lib. 13. Quo cognito Romanus Antiſtes acerbiſſima aduerſus Olaum execratione vſus, cæteris per Europam Pontificibus ſimiliter in ipſum pronuntiandi detulit poteſtatem.

Concilium Lateranenſe. 1215.

Cap. 5. Antiqua Patriarchalium ſedium priuilegia renouantes, ſancta vniuerſali Synodo approbante, ſancimus, vt poſt Romanam Eccleſiã, quæ diſponente Deo, ſuper omnes alias ordinariæ poteſtatis obtinet principatum, vtpote mater vniuerſorum Chriſti fidelium & magiſtra, Conſtantinopolitana primum, Alexandrina ſecundum, Antiochena tertiũ, Hieroſolymitana quartum locum obtineant: ſeruata cuilibet propria dignitate, iuxta quod, poſtquam eorum Antiſtites à Romano Põtifice receperint pallium, quod eſt plenitudinis officij Pontificalis inſigne, præſtito ſibi fidelitatis & obedientiæ iuramento.

Conradus Abbas Vrſpergenſis. 1225.

In Chronicis de anno 1107. Paſchalis Papa inde ſecedens, ab vniuerſis finium illorum Eccleſijs, vt verè Chriſti diſcipulus, & Apoſtolorum Vicarius ingenti honore ſuſcipitur, digna reuerentia tractatur, non aliter, quàm legifer de cælo miſſus auditur. Sic itaque per menſes aliquot, vt fidelis diſpenſator & prudẽs, quotidianam ſolicitudinem omnium Eccleſiarum gerens, tandem circa Aſcẽſionem Domini concilium non modicum apud Trecas habuit, vbi inter multa, quæ pro tempore & neceſſitate corrigenda correxit, ſententiam de libera paſtorum electione, & de coërcenda laicorum in Eccleſiaſticas dignitates præſumptione, iuxta prædeceſſorum ſuorum decreta promulgauit.

Iacobus Vitriacus. 1220.

Hiſtoriæ Orientalis cap. 75. Græci in multis ſanctæ, & ſummæ Romanæ Eccleſiæ, à qua propria auctoritate receſſerunt, ipſi ſchiſmatici contradicunt, contra Dei diſpoſitionem, qui Romanam

ciuita-

ciuitatem, totius mundi metropolim, & capitaneam, sicut in temporalibus omnibus prærat, ita in spiritualibus vniuersis voluit præesse, &c. Patet ergo cùm super hanc petram, pro qua Dominus rogauit, vt non deficeret fides eius, post Christũ ædificata sit, & fundata Christi Ecclesia, quòd omnes, qui ab Ecclesia Romana recedunt, absque fundamento ædificant, in vanum laborantes, & ab eo, qui à Domino Cephas appellatus est, separati, acephali & monstrosi homines meritò sunt reputandi.

Alexander Alesius. 1230.

Part. 3. q. 40. mem. 2. In ordine potestatum secularium nullus est maior Rege, vel Imperatore, quemadmodum in ordine potestatum spiritualium nullus est maior Papa: tamen collatione facta potestatis spiritualis ad secularem, potestas spiritualis est super secularem, sicut spiritus est supra corpus. Vnde Hieremiæ 1. dicitur: *Ecce constituite super gentes & regna.*

Rodericus Toletanus. 1240.

Rerum Hispanicarum lib. 6. cap. 26. Gregorius Septimus PP. ad petitionẽ Regis Aldefonsi, misit quendam Richardum Abbatem S. Victoris Marsilien-sis, vt Ecclesias Hispanię, tot persecutionibus perturbatas, Ecclesiastico moderamine ordinaret. Qui minus religiosè officium peragens, cœpit irregularius se habere. Quod attendens Toletanus electus, per maris & terræ pericula se Romani Pontificis conspectui præsentauit, & Gregorio Septimo viam vniuersæ carnis ingresso, inuenit Vrbanum secundum in sede Apostolica substitutum, à quo gratanter & benignè susceptus, consecrationem, pallium, & priuilegium obtinuit, & Primas institutus Hispaniarum Apostolicæ sedis benedictionem suscepit.

Vincentius Burgundus. 1240.

Prologo in quatuor speculа Doctrinal. cap. 13. Sancta Romana Ecclesia nullis synodicis institutis cæteris Ecclesijs prælata, sed Euangelica voce Domini & Saluatoris nostri primatum obtinens, dicentis: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Matt. 16.

Lib. 30. cap. 65. Cùm B. Dominicus Papam Innocentium ob sui Ordinis confirmationem adijsset, Papa difficilem se non nisi nutu diuino exhibuit: vt nimirum ex reuelatione diuina Vicarius Iesu Christi cognosceret, quàm necessarium esset vniuersali, cui præsidebat, Ecclesiæ, id ad quod vir Dei Dominicus inspiratus diuinitus aspirabat.

Hugo Cardinalis. 1240.

Ad cap. 17. Deuteronomij: *Si difficile iudicium esse perspexeris, ascende ad locum, quem elegerit Dominus.)* Ex hoc loco inoleuit consuetudo appellandi ad summum Pontificem.

Henricus Ostiensis Cardinalis. 1240.

In Summa §. vnde, in fine proœmij: Sed nunquid Papa est maior Imperatore? Quicquid autem dicatur, hæc veritas est, quòd distinctæ sunt iurisdictiones, quamuis vna maior sit reliqua: & quilibet secundùm legem suam iudicabit, sed vtraque tamen Ecclesiasticos Canones sequi debet.

De auctoritate & vsu pallij §. Et quo loco: Speciale est in Papa, quòd semper & vbique pallio vti potest: item quia vniuersa Christianitas prouincia sua intelligitur: item & respectu ipsius vnus est Episcopatus, ne dum quo ad hoc, vt intelligatur sponsus vnus Ecclesiæ (quia hoc commune est sibi & omnibus Episcopis) quinimò etiam quo ad administrationem: item & respectu huius generalis administrationis potest dici, quòd alas habet latas & liberas, qui nulli subest, & vbique dominatur: sed alij habent ipsas alligatas nexibus præceptorum.

Albertus Magnus. 1250.

Ad cap. 16. Matthæi: *Dico autem tibi.*) Singulariter: non quòd Petrus singulariter acceperit claues, sed quia in vnitate ordinis Ecclesiæ vnus est, qui accipit in plenitudine potestatis, qui est successor Petri, & Petrus in potestate: alij autem in eadem vnitate accipiunt in parte potestatis, eò quòd vocantur in partem solicitudinis.

Ad cap. 22. Lucæ: *Ego rogaui pro te.*) Hoc argumẽtum efficax est pro sede Petri, & successore ipsius, quòd fides eius non finaliter deficiet.

Thomas Aquinas. 1250.

De regimine Principum cap. 14. Quia finem fruitionis diuinæ non consequitur homo per virtutem humanam, sed virtute diuina, (iuxta illud Apostoli Rom. 6. *Gratia Dei vita æterna,*) perducere ad illum finem non humani erit, sed diuini regiminis. Ad illum igitur Regem huiusmodi regimen pertinet, qui non est solùm homo, sed & Deus, scilicet ad Dominum Iesum Christum, qui homines filios Dei faciens, in cælestem gloriam introduxit, &c. Vnde omnes Christi fideles, in quantum sunt membra eius, reges & sacerdotes dicuntur. Huius ergo regni ministerium, vt à terrenis essent spiritualia distincta, non terrenis Regibus, sed sacerdotibus est commissum, & præcipuè summo sacerdoti, successori Petri, Christi Vicario, Romano Pontifici, cui omnes Reges populi Christiani oportet esse subditos, sicut ipso Domino Iesu Christo, &c. Et quia in veteri Lege promittebantur bona terrena non à dæmonibus, sed à Deo vero, religioso populo exhibenda, inde & in Lege veteri sacerdotes Regibus leguntur fuisse subiecti: sed in noua Lege est sacerdotium altius, per quod homines traducuntur ad bona cælestia. Vnde in Lege Christi reges debent sacerdotibus esse subiecti. Propter quod mirabiliter ex diuina prouidentia factum est, vt in Romana vrbe, quam Deus prouiderat Christiani populi principalem sedem futuram, hic mos paulatim inolesceret, vt ciuitatum rectores sacerdotibus subiacerent.

Secunda 2. quæst. 39. art. 1. Caput Ecclesiæ est ipse Christus, cuius vicem in Ecclesia gerit summus Pontifex: & ideò Schismatici dicuntur, qui subesse renuunt summo Põtifici, & qui membris Ecclesiæ ei subiectis communicare recusant.

Contra impugnantes religionem cap. 3. Hoc priuilegium Christus Romanæ Ecclesiæ contulit, vt omnia ei sicut Christo obediant.

Albertus Stadensis. 1260.

In Chronicis, vbi agit de Petro: Romana Ecclesia prima sedes est, quia Petrus & Paulus Apostolorum principes eam suo martyrio cæteris omnibus prætulerunt.

Bonauentura. 1260.

Parte 6. Breuiloquij cap. 12. Quia excellentia quantò magis descẽdit, tantò magis dilatatur; & quãtò magis ascendit, tantò magis vnitur: hinc est, quòd plures sunt Episcopi, pauciores Archiepiscopi, paucissimi Patriarchæ, & vnus Pater Patrum, qui Papa meritò appellatur, tamquam vnus primus & summus Pater spiritualis omniũ Patrum, imò omnium fidelium, & Hierarcha præcipuus, spõsus vnicus, caput indiuisum, Pontifex summus, Christi Vicarius, fons & origo, regula cunctorum principatuum Ecclesiasticorum, à quo tamquã à summo deriuatur ordinata potestas, vsque ad infima Ecclesiæ membra, secundùm quod exigit præcellens dignitas Ecclesiæ in Ecclesiastica hierarchia.

Guilhelmus Tornacus. 1270.

De officio Episcopi cap. 35. Sola Romana Ecclesia, cuius fides in nulla tentatione deficit, vtpote supra petram stabilem solidata, nullis hæresibus, nullis erroribus potest, vel potuit, vel poterit inquinari. Licet enim prora vacillet in mari, licet carina elidatur fluctibus: puppis tamen permanebit immobilis, &c. Papa typum tenet individualiter Domini nostri Iesu Christi, de cuius potestate magis est reuerẽtialiter subticendũ, quàm temerè discutiendum.

Richardus de Mediauilla. 1280.

Ad lib. 4. Sent. dist. 24. art. 5. q. 3. Cùm Ecclesia sit vnum corpus Christi mysticum, ex diuersis statibus & membris constitutum, ad obseruationem huius veritatis oportet esse vnum caput omnium statuum Ecclesiæ, & membrorum vniuersali regimine regitiuum, sub quo diuersi status Ecclesię, & membra diuersa conueniant, secundùm debitam proportionem in vnum: vt sic conformetur Ecclesia militans suo exemplari in cælo. Ille autem Episcopus, qui præest toti Ecclesię, est Episcopus Romanus.

Guilhelmus Durantius. 1280.

In Rationali diuinorum lib. 6. cap. 53. Huius floris baiulus est Romanus Pontifex, successor vtique Petri, & Vicarius Iesu Christi.

Henricus Gandauus. 1290.

Quodlibet. 6. q. 23. In Ecclesia militante sub Deo Christus (secundùm quod homo) caput est & monarcha. Hierarcha primus post Christum Petrus erat, cui ambas claues tradidit, & duos gladios commisit. Vnde Papa habet vtrumque gladium, spiritualem & temporalem, in auctoritate quadam prima & superiore.

Robertus Dominicanus. 1290.

In suavisione: Ego, Domine, fidem sanctam Catholicam, quam docet, credit, ac prædicat sancta mater Ecclesia Catholica Romana, credo firmiter, confiteor simpliciter: pro qua sustinenda paratus sum semper cum tuo adiutorio ponere vitam, anathematizans omnem hæresin, aduersum sanctam Ecclesiam Romanam se extollentem. Abnego, & reprobo omnes schismaticos, & diuisos ab vnitate sanctæ matris Ecclesiæ Romanæ Catholicæ.

Engelbertus Abbas Admontensis. 1297.

De ortu & fine Romani imperij cap. 18. Appropinquante tempore aduentus Antichristi, veniet discessio primùm regnorum omnium ab imperio, deinde Ecclesiarum ab obedientia sedis Apostolicæ, & vltimò fidelium à fide.

Cap. 21. Stante adhuc capite Ecclesiæ in spiritualibus, scilicet Apostolica sede: & capite in temporalibus, scilicet imperio Romano: & stantibus adhuc fidelibus in fide, locum & commoditatem non habebit deceptio & dominatio Antichristi, capitibus prædictis, & membris ipsorum ei resistentibus. Cùm verò corpus Ecclesiæ factum fuerit acephalum, & per consequens membra singula sine motu & sensu, quantum ad vnitatem & firmitatem fidei, tunc locum, & effectum habebit aduentus Antichristi.

Reinerus Pisanus. 1300.

In Pantheologia de ordine cap. 31. Supra potestatem Episcopalem debet esse in Ecclesia potestas Papalis. Primò, quia optimum regimen multitudinis est, vt regatur per vnum. Quod patet ex parte finis regentis, qui est pax: nam pax & vnitas subditorum est finis regentis, &c. Ergo cùm regimen Ecclesiæ sit optimum, vtpote per eum dispositũ, & ordinatum, *per quem reges regnant, & legum conditores iusta decernunt,* oportet quòd vnus toti Ecclesiæ præsit, scilicet Papa. Secundò, quia in triumphante Ecclesia vnus præsidet in toto vniuerso, scilicet Deus: ergo etiam in Ecclesia militante vnus est, qui præsidet vniuersis. Hinc est quod dicitur Oseæ 1. *Congregabuntur filij Iuda & filij Israel pariter, & ponent sibimet caput vnum,* scilicet Papam, &c. Sic igitur patet, quòd Papa est super omnes Episcopos, vel Archiepiscopos, & super omnes gradus aliarum dignitatum.

Durandus à S. Portiano. 1320.

In lib. 4. Sent. dist. 24. q. 5. Potestas, quæ tota data est vni in suo fonte, non est in alijs, nisi deriuata, & limitata pro illius voluntate: sed potestas iurisdictionis, quæ est ad regendum populum, tota in suo fonte data fuit Petro, & successoribus eius, quando cura Ecclesiæ ipsi fuit commissa, dicente Domino Ioannis vltimo: *Pasce oues meas.* Hoc enim nulli aliorum Apostolorum dictum est, nec tunc, nec ante, nec post. Ergo talem potestatem plenam & perfectam habet solus successor Petri, qui ob hoc Papa dicitur, quasi Pater patrum, &c. Supra simplices sacerdotes sunt Episcopi, qui habent iurisdictionem ordinariam super totã diœcesin: super hos sunt Archiepiscopi: super omnes denique Papa collocatur, penes quem residet plenitudo huius potestatis, & primitas huius potestatis. Et hoc est rationabile. Quia optimum regimen vnius multitudinis est, quando regitur per vnum supremum, à quo descendit auctoritas regendi in medios, & vsque ad infimos. Sed regimen sanctæ Ecclesiæ est optimè à Christo institutum: Ergo in tota Ecclesia debet esse vnus vniuersalis rector, à quo descendat auctoritas regendi in medios, vsque ad rectores infimos: & hic est Papa, & propter hoc stat vnitas Ecclesiæ, quod omnia membra sunt sub vno capite: qua de causa illi, qui hanc potestatem negant, schismatici dicuntur, quasi vnitatis Ecclesiæ diuisores.

Augustinus Triumphus Anconitanus. 1320.

In Proœmio libri de potestate Ecclesiastica: Error est pertinaci mente non credere Romanum Pontificem vniuersalis Ecclesiæ Pastorem, Petri successorem, & Christi legitimũ Vicarium supra spiritualia & temporalia vniuersalem non habere primatum.

Quæst. 6. artic. 1. Solus Papa dicitur esse Vicarius Dei, quia solum quod ligatur, vel soluitur per eũ, habetur solutum & ligatum per ipsum Deum. Sententia igitur Papæ, & sententia Dei vna sententia est: sicut vna sententia est Papæ, & auditoris eius. Cùm igitur appellatio semper fiat à minori iudice ad superiorem, sicut nullus est maior seipso: ita nulla appellatio tenet facta à Papa ad Deum, &c. Nullus potest appellare à Papa ad Deum: sicut nullus potest intrare ad consistorium Dei, nisi mediante Papa, qui est æternæ vitæ consistorij clauiger, & ostiarius. Et sicut nullus potest appellare ad seipsum: ita nullus potest appellare à Papa ad Deum: quia vna sententia est, & vna curia Dei & Papæ.

Petrus Paludanus. 1320.

In lib. 4. Sent. dist. 24. q. 6. Potestas iurisdictionis, quæ ad regendum populum tota in suo fonte data fuit soli Petro, & in eo successoribus eius, quando cura Ecclesiæ sibi soli commissa fuit, dicente Domino Ioannis 21. *Pasce oues meas.* Hoc nulli aliorum dictum fuit, nec nunc, nec ante, nec post. Ergo talem potestatem plenam ac perfectam habet solus successor Petri, qui ob hoc Papa dicitur, quasi Pater patrum.

Ludolphus Saxo Carthusianus. 1330.

Vitæ Christi parte 2.cap.1. Ex quo patet, quòd præcipuè ad Petri successorem pertinet certificatio dubitationum de fide, & pertinentibus ad eandem.

Guido Rocherius. 1330.

In manipulo curatorum parte 3.cap.1. Errant Græci & omnes schismatici, qui negant sacrosanctam Romanam Ecclesiam esse caput & magistram omnium Ecclesiarum.

Aluarus Pelagius. 1330.

De planctu Ecclesiæ lib.1.art.58. Sciendum est quòd potentia summi Pontificis, & Christi Vicarij plena dicitur. Primò, quòd ab hac potentia nullus ad Ecclesiam militantem qualitercumq; pertinens excipitur, sed omnis homo in præsenti Ecclesia existens ei subijcitur. Secundò, quia omnis potestas ad gubernationem fidelium à Deo ordinata, & hominibus data, siue spiritualis, siue temporalis, in hac parte comprehenditur. Tertiò, quia omnis potestas in Ecclesia ab hac potestate deriuatur. Quartò, quia à nulla potestate humana exceditur.

Guido Carmelita. 1330.

De VValdensibus errore primo: Constat quòd Dominus Petrum, & in Petro Petri successores, posuit omnium fidelium caput, cui ait Dominus Lucæ 22. *Rogaui pro te, vt non deficiat fides tua: tu autè aliquando conuersus, confirma fratres tuos:* ita quòd in directione & confirmatione fidei Petro & Petri successoribus est standum & obediẽdum, &c. Manifestum est, quòd in Petro omnes continentur, vt in capite post Christum, & ouium Christi pastore. Sic quòd Petri fides non deficiet à sede Apostolica, nec à Romana Ecclesia Christi sponsa, quę tota pulchra est, & labes hæresis seu mæcula non est in ea, &c. Item nolẽtes obedire Romano Pontifici pastori ouium Christi, cui in Petro Dominus ait: *Pasce oues meas,* definunt esse oues Christi: *quia oues Christi vocem eius audiunt,* Ioan.10. Et Christus cum Petri successoribus adest, per suam gratiam eos dirigens, & confirmans in fide, vt eorum doctrina & regimine perseueret sedes Apostolica, & Romana Ecclesia, sine ruga aut macula hæreticæ prauitatis.

In Harmonia quatuor Euangelistarum, præfatione ad Ioannem 22. Sanctissimo ac beatissimo Patri in Christo ac Domino, Domino Ioanni diuina prouidẽtia Papę 22. ac totius vniuersalis Ecclesię summo Pontifici suus humilimus filius Guido cum debita reuerentia & pedum osculo beatorum.

Lupoldus Babenburgius. 1340.

De veterum Principum zelo cap.4. Cùm sacrosanctę Romanæ Ecclesiæ Pontifex sit in terris Vicarius Christi Iesu, vt ipsa quoq; Romana Ecclesia, mater & magistra omnium fidelium, cunctarumqúe Ecclesiarum caput existat: tanto maiorem quis zelum Christianę religionis habere perpenditur, quanto eandem Ecclesiam ac Romanum Pontificem potioribus attollit beneficijs, & maioribus honoribus veneratur. Veteres igitur Germani Principes moti consideratione prædicta, Ecclesiam Romanam, eiusq; rectores Summos Pontifices, grandibus & varijs beneficijs & honoribus extulerunt.

Nicolaus Gorranus. 1340.

Ad cap.16. Matthæi: Petrus & successores eius soli vocantur in plenitudine potestatis, cæteri in partem solicitudinis.

Thomas Argentinensis. 1350.

Lib.4.Sentent. distinct.24.art.4, Ratione officij super presbyteralem dignitatem inueniuntur in Ecclesia quinque gradus singularis dignitatis: quorum primum tenent Episcopi, secundum Archiepiscopi, tertium Primates, quartum Patriarchæ, quintum Papa, siue Romanus Pontifex, à quo tota monarchia fidelium, tamquam ab vno principe, vniuersalem, & cum hoc immediatam habente potestatem super omnes & singulos fideles, cuiuscumque conditionis existant, conuenientissimè gubernatur.

Ioannes Hildeshemensis Carmelita. 1350.

Epistola ad Notarium Solotiensis oppidi: Ego fidenter astruo, quòd superuacuè nominis Christiani culmen sibi vendicat, qui à Christi Vicarij præceptis & monitis deuiando declinat.

Catharina Senensis. 1360.

Tractatu 3.cap.115. Clauem huius pretiosi sanguinis Apostolo Petro reliquit, cæterisq; successoribus eius præteritis, & qui succedent in futurum, vsque in vltimum iudicij diem, habent, & habebunt eandem auctoritatem, quæ Petro data fuit. Nec ex aliquo defectu commisso per eos hæc auctoritas vllo modo minuitur.

Matthæus VVestmonasterienſis. 1370.

In Chronicis: Anno gratiæ 1096. concessa est à Papa, cui concessa est potestas à Domino vice beati Petri ligandi atque soluendi super terram generalis, indulgentia peccatorum se cruce iam signaturis & signatis.

Baldus de Vbaldis. 1380.

In prooemio Decretalium num.6. Papa est seruus seruorum Dei, quantũ ad humilitatem. Nam quantum ad potestatem, est dominus dominorum, & quæcumque potestas est sub cælo, est in summo Pontifice.

Ioannes Bromiardus. 1380.

In Summa Prædicantium cap.17.de Cruce: Cùm Domini sit terra, & plenitudo eius, in qua vniuersaliter constituit Vicarium suum proprium, non solùm supra Christianos, sed vt corrigat Saracenos, si contra legem faciant naturæ: & Iudæos, si contra legem faciant Mosi: mandare potest Papa, quòd admittant prædicatores salutis suæ in terris suis: si verò prædictis non obediant, sunt cõpellendi bello, & brachio seculari.

Thomas VValdensis. 1410.

Doctrinalis fidei lib.2.art.3.cap.22. Cur contra Romanum primatum insurgis? Cur sic irasceris, audiens, quod Episcopus Romanę Ecclesię præemineat capitaliter super omnes alios Episcopos? sanctissimi Christi Pontifices hũc primatum in vniuersa Ecclesia confessi sunt. Beatus Augustinus Episcopus fuit, & huic primatui non inuidit, sed eum humillimè recognouit.

Petrus Aliacus. 1410.

In Speculo cõsiderationis, sermone habito in cõcilio Constantiensi: Episcopali auctoritati nimis detrahunt, qui definire præsumunt Episcopos non posse in suis diœcesibus errores in fide & moribus notoriè scandalosos cum peritorum consilio condemnare. Sicut enim hoc potest generaliter in vniuersali Ecclesia summus ille Episcopus, qui habere dicitur plenitudinem potestatis: sic inferior Episcopus, vocatus ab eo in partem solicitudinis, hoc vtique poterit particulariter in sua diœcesi, seu particulari Ecclesia.

Laurentius Iustinianus. 1430.

Lib. de obedientia cap.12. Hanc Petro datam potestatem quotquot post illũ electi canonicè in ipsa residerunt, sortiti sunt, qui respectu cæterorum summi

summi sunt nuncupati Pontifices. Istis vtiq; tamquam Christi Vicarijs, totius Ecclesię est attributa facultas, conferendi videlicet beneficia, peccata soluendi, præstandi gratias, Ecclesiæ spirituales thesauros diuidendi, instituendi per ciuitates Episcopos, & per prouincias Metropolitas ordinandi, congregandi Concilia, decreta faciendi, infringendi atque modificandi. Ipsis profectò summis Pontificibus omnis deferẽdus est honor, singularis reuerentia, obedientia summa. Quicquid indixerint peragendum, quicquid prohibuerint cauendum, pro lege suscipiendũ est. Cæteri Præsules certis deputati sunt præesse in locis, istis verò vniuersalis Ecclesię incumbit regimen. Magnus procul dubio honor est iste, præcelsa dignitas, auctoritas veneranda, priuilegium præcipuum, vni tantùm ex omni hominum numerositate prærogatum, sed onus quàm maximum, officium laboriosum, ministerium vigiliarum plenum, & sarcina pene intolerabilis.

Epistola ad Eugenium Quartum: Sanctissime ac beatissime Pater, ouium Christi Domini nostri vniuersalis pastor, quãto mœrore sit oppressum cor meum ex hoc, quòd vilitatem meam Ecclesię Castellanensi præficere intendunt Sanctitas vestra, nouit ille testis & iudex, cui notissima sunt omnia. Ad quod quidem onus portãdum cùm me prorsus sciam impotentẽ, & indignũ, coram Sanctitatis vestræ prostratus pedibus, tamq; filius, licet immeritus, à clementissimo Patre postulo, &c.

Ioannes Capistranus. 1440.

De auctoritate Papæ & Conciliorum fol.38. Papa vocatus est in plenitudinem potestatis, cæteri autem Episcopi in solicitudinis partem.

Folio 93. Auctoritas Papæ protenditur ad omne bonum, & ad nullum malum: est etenim quasi Deus in terris, maior homine, & minor Deo, plenitudinem obtinens potestatis. *2. q.6. Decreto nostro.* Ipse enim totius orbis obtinet principatum: ipse est successor Petri, cui beato æternæ vitæ claui gero terreni simul & cælestis imperij iura commisit Christus Dominus: ipse est vigilantissimus Vicarius Christi: ipse summus Pontifex, princeps sacerdotum est, quasi pons & via sequentiũ: ipse summus sacerdos, ipse & Pontifex Maximus nuncupatur. Ipse enim efficit Sacerdotes, & Leuitas: ipse omnes Ordines Ecclesiasticos disponit: ipse quid vnusquisq; facere debeat ostendit. Vnde & summus Princeps, scilicet Imperator, cæteriq; reges seculi eidem Romano Põtifici, quò approbationem personæ ad imperialis celsitudinis apicem assumendæ, nec non vnctionem, consecrationem, & imperij coronam accipiunt, sua submittere capita non reputârunt indignum. Ipse tamquam columna & saxum immobile totius Christianitatis compagem molemq; continet vniuersi.

Æneas Syluius. 1450.

Epist. 288. Cùm necesse sit ad perfectum regimen vnum præesse, quo cæteri dependeant, minimè dubitandum est, quin ex ordinatione Christi vnus Ecclesiæ præsit. Dixit enim Petro: *Pasce oues meas:* nec fas est dicere, hanc dignitatem Petro datam ad successores eius nõ deriuari, Matth. 28. *Ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi.* Itaq; post Christũ Petrus fuit Pontifex vnus, qui Ecclesiæ præfuit: Petro autem vita functo successores eius vsque ad Calixtum tertium Christi vicariatum tenuêre. Nam Christus cùm Vicarium suum Petrum elegit, ei loco hanc dignitatem concessit, quem Petrus ipse suo sanguine consecraret. Romana igitur Ecclesia, vt sacri Canones dicunt, caput omnium est.

Antoninus Florentinus. 1450.

Part.3. Summæ titul.22. cap.10. §.4. Eugenius IV. cõcilium Basileæ congregatum auctoritate Apostolica dissoluebat. Illi tamen obturauerunt aures suas, & cœperunt Eugenium citare, solicitati ad hoc à Duce Mediolani ægrè eius pontificatum ferente. Sigismundus verò Imp. & Veneti dissuadebant ijs, qui Basileæ erant congregati, ne pergerent. At illi depositio Eugenio, ducem Subaudiæ Amidæum in idolum sibi erigentes, Felicem Quintum nuncupârunt, cui tantùm intra territorium suum obeditum fuit.

Franciscus Philelphus. 1450.

Epistola ad Poggium & Laurentium Vallam: Quid insanius queat excogitari, quàm viros doctos ac ienes maledicendi intemperantia gloriari? Et id quidem Romana in curia, in oculis summi sanctissimiq; Pontificis Nicolai quinti, qui non minus mirabili virtute & sapientia, quàm suprema dignitatis præstantia vices Christi in terris gerit?

Ioannes de Turrecremata. 1460.

In Summa de Ecclesia lib.2.cap.93. Romanus Pontifex, verus & indubitatus extra casum hæresis, p̃ sublimitate principatus sui, iudicem non habet superiorem in terris. Nam ille, qui est omnibus superior in terris, non habet iudicem superiorem in terris: quoniam idem non potest respectu eiusdem, vel eorundem, esse superior & inferior. Sed Papa est omnibus Catholicis superior, cùm sit princeps & caput eorum. Ergo Romanus Pontifex non habet iudicem superiorem in terris.

Lib.3.cap.28. Sicut in superioribus ostensum est, Romano Pontifici cura totius Ecclesiæ commissa est, & non alteri personæ, aut congregationi, cùm dictum sit soli B. Petro, pro se & suis successoribus: *Petre pasce oues meas,* Ioan.21. Super quo dicit Theophilus: Finito prandio commissionem ouium mundi Petro commendat. Igitur ad solius Romani Pontificis auctoritatem spectat, prouidere & dare pabulum toti Ecclesiæ, quod fit in vniuersalibus concilijs, disponendo, ordinando, constituendo, corrigendo, diffiniendo, interpretando, &c. Ergo tota potestas vniuersalis concilij pendet à Romano Pontifice, sicut à capite & pastore totius Ecclesiæ.

Platina. 1460.

In Bonifacio Tertio: Petrus Apostolus princeps Apostolorum successoribus suis Pontificibus Romanis regni cælorum claues, potestatemq; sibi à Deo concessam reliquit, non Constantinopoli, sed Romæ.

Ioannes Annius Viterbiensis. 1460.

Ad cap.1. Apocalyp. In medio Ecclesiæ est posita sedes sancta Romana Ecclesia, caput omnium Ecclesiarum, in qua residet Agnus, & eius Vicarius Pontifex maximus.

Nicolaus Cusanus. 1460.

Epistola 2. ad Bohemos de vsu Communionis: Si scire velis, an in Ecclesia existas, hac vestiges ratione: si cathedræ Romani Pontificis adhæreas, quæ per continuas successiones bonorum malorumq; in Petrum principem continuatur. Credendum est, hanc sedem sacratissimam, quo ad locum, etiam inexterminabilem. Et tamen si casu Roma deficeret, ibi veritas Ecclesiæ remanebit, vbi erit principatus, & Petri sedes modo prædicto. Cùm enim Episcopi succedant Apostolis, primo Apostolo rectè primus succedit Episcopus, ad quemcumq; particularem locum alium à Romana vrbe fuerit sedes contracta.

Hieronymus Sauonarola. 1470.

De veritate fidei lib.4.cap.6. Vnum militantis Ecclesiæ præsidem esse oportet. Videmus vbicumq; in naturalibus regimen apparet, ad vnum redigi:

quemadmodum omnes motus ad vnũ primum motorem, apes ad vnum regem, omnia animalis membra ad cor diriguntur. Ergo in Ecclesia Dei tanto magis necessarium est caput vnum ad totius populi Christiani gubernationem, quanto omnia regimina sua dignitate excellit, &c. Singulariter Christus Petro iniunxit: *Pasce oues meas.* Et iterum: *Petre rogaui pro te, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos.* Quapropter Petrum Vicarium suum ostendebat. Quod etiam apertius expressit, cùm dixit: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, &c. Non autem dicendum est, hanc dignitatem vni Petro, & non eius posteris esse cõcessam, cùm Ecclesiam pari ordine vsq; in finem seculi duraturam Christus instituerit, &c. Sequitur ergo vt ministerium hoc perpetua successione, vsque ad consummationem seculi, tamquam ipsi Ecclesiæ perutile, omninoq; necessarium sit confirmatum. Cùm itaq; Petrus fuerit à Christo Vicarius, totiusq; Ecclesiæ pastor subrogatus, consequens est, vt omnes Petri successores eandem habeant potestatem. Cumq́ue Episcopi Romanæ sedis locum Petri teneant, manifestum est Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum esse ducem atque magistram, omniumq́ue fidelium congregationem Romano esse Pontifici vniendam. Qui ergo ab vnitate Romanæ Ecclesiæ in doctrina dissentit, procul dubio per deuia oberrans, à Christo recedit.

Ioannes Nauclerus. 1500.

Generatione 21. Petrus Apostolorũ princeps successoribus suis Romanis regni cælorum claues à Deo sibi concessas reliquit.

Ioannes Franciscus Picus Mirandula. 1500.

Theoremate 3. Ad Romanam Ecclesiam, caput & magistram Ecclesiarum, mentis acies dirigenda est: atq; huic ipsi Ecclesiæ, hoc est Apostolicæ sedi Petri Christi Vicarij, sanctissimi viri adhæserunt semper, & dictis scriptisq; fauerunt.

Petrus Galatinus. 1510.

De arcanis Catholicæ veritatis lib. 12. cap. 8. Quæcumque in hoc opere dixi, omnia sedis Apostolicæ ac sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ iudicio corrigenda ac determinanda relinquo, ac subijcio.

Baptista Mantuanus. 1510.

In Martyrio Dionysij Areopagitæ lib. 1.

Roma caput rerum est, Romam Deus esse suorum
Pontificum sedem, statuit, quibus omnia cedant
Regna, quibus Reges ipsi quoq; sceptra Latini
Submittant, quorum accliues vestigia adorent.

Exhortatione ad capienda arma contra infideles, ad Pontificem Maximum:

Surge age, tu imprimis animum, Romane sacerdos
Pontificum princeps, Christi omnipotentis imago
Viua, Dei sortita vices, terra, æquore, & orco,
Huc appelle tuum, populos in bella ciere.
Quicquid habent armorum & opum nostræ omnia regna
In fidei communem hostem te cogere oportet.
Incipe, & exemplo veniant in fœdera Reges
Sancta tuo. Tu nam q; Pater, tu prima potestas,
Tu magneta tenes, tu clauum in puppe gubernas.

Ioannes Reuchlin, seu Capnion. 1517.

De arte Cabalistica ad Leonem Decimum, ad finem libri: Totum hunc librum tuæ subijcio auctoritati, cuius in arbitrium collata est totius mũdi censura, vt quæ displiceant reijcias, & tunc lætabor cætera placuisse.

Erasmus Roterodamus. 1530.

De ratione concionandi libro 1. Quemadmodum expedit ad arcenda schismata vnum esse Pontificem Romanum, qui præsideat Ecclesijs omnibus: ita eadem ratione expedit, vt multę ciuitates vni pareant Episcopo.

In Spongia aduersus Huttenum: Non indixi bellum Romano Pontifici, non professus sum me protectorem Lutheranæ factionis. Constat Græciam in Romani Pontificis potestatem concessisse. Etsi principatus Pontificis non esset à Christo, tamen expediret vnum esse, qui cæteris auctoritate præmineret: Christum agnosco, Lutherum non agnosco, Ecclesiam Romanam agnosco.

In commentarijs in epistolam Hieronymi ad Damasum, quæ incipit: Quoniam vetusto oriens, &c. *Cum successore Piscatoris.)* Ostendit Romanum Pontificem oportere ab omni fastu alienissimum esse, qui piscatori successerit, & qui Crucifixi vices gerat, id est, humilimi.

Extra hanc domum: Hîc Hieronymus omninò videtur sentire omnes Ecclesias debere subesse Romanæ Sedi, aut certè ab hac non alienas, quæ peculiariter Apostolo gloriatur, qui inter Apostolos primas tenuit, & sic est Orthodoxa, vt sit Orthodoxarum prima dignitate.

Responsione ad exhortationem Alberti Pij Carporum principis: Tot scripsi tribuo Romano Pontifici totius Ecclesiæ primatum, frementibus cunctis, qui Romano Pontifici malè volunt. Ego apud Lutherum non alio nomine peius audio, quàm quòd vbique sartam tectam volo Pontificis auctoritatem, &c. Nos toto pectore agnoscimus Episcopi Romani primatum, præsertim in spiritualibus.

Præfatione ad Arnobij Commentarios in Psalterium, ad Adrianum Sextum: Orbi Christiano gratulabor, si, quod fore confidimus, ita tractaris munus istud Apostolicum, vt mundus intelligat, tandem Romæ contigisse Pontificem, qui Christi Vicarium sic gerat, vt orbis sentiat Christi spiritum in illo versantem. Neque grauatim agnoscet populus Apostolicam potestatem, si senserit Apostolicam pietatem.

Stanislaus Hosius. 1550.

In confessione Catholicæ fidei cap. 28. Sola Romana Ecclesia, quam ab exordio fidei Christianæ normam accepit, in ea semper illibata permansit. Defecit Hierosolymitana Ecclesia, cui præsedit Iacobus: defecit Achaia, vbi Andreas: defecit Asia, vbi Ioannes: defecit India, vbi Thomas: defecit Persis, vbi Iudas: defecit AEthiopia, vbi Matthæus: defecit Phrygia, vbi Philippus: defecit Græcia, vbi Paulus. Sola fuit, & est Romana Ecclesia, ad quam, sicut præclarè scribit Cyprianus, nunquam accessum habere potuit perfidia: quæ mille iam quingentis & amplius annis ita est Catholica semper & Apostolica habita, nunquam vt vlla fuerit hæreseos labe maculata. In qua videre etiamnum licet viros & vitæ sanctimonia, & doctrina præstantissimos. Neq; enim existimandum est, si quando ad Petri cathedram de causis maioribus refertur, solum esse Paulum, aut Iulium Pontificem, qui de illis iudicet. Habet ille lateri suo assidentes totius orbis viros doctissimos, quibus ipse minimè doctrina secundus præsidet, de quorum consilio de rebus grauioribus pronuntiat. Quamobrem ferendi non sunt, qui Pontifici se dicto audientes fore profitentur, non autem Paulo, aut Iulio, sibiq; hoc arrogant, suum vt esse velint iudicium, quando vt Pontifex, quando vt Iulius decernat. Quæ si semel admissæ fuerint captiones, omnis erit è terris obedientia sublata.

ASSERVNT ETIAM ADuersariorum quidam.

Est apud Foxũ libro 1. Cõment.

Ioannes Vvicleuus. 1390.

Epistola ad Vrbanum Sextum: Gaudeo planè detegere cuicumq; fidem meam, & specialiter Romano Pontifici: quia suppono, quòd si sit orthodoxa, ipse fidem meam humiliter confirmabit; & si sit erronea, emendabit, &c. Suppono iterũ, quòd Romanus Pontifex, cùm summus Christi Vicarius in terris sit, ad illam legem Euangelij inter viantes maximè obligatur, &c. Si in istis errauero, volo humiliter etiam post mortem, si oporteat, emendari: & si in persona propria ad vorum potero laborare, vellem præsentiam Romani Pontificis humiliter visitare.

Ioannes de Pexibram Hussita. 1450.

In professione fidei: Profiteor fideli corde & ore, quia omni voluntate & desiderio sum in spe, esse cupio in re, ex integro, inuiolabiliter, & inseparabiliter membrum sanctæ matris Ecclesiæ Catholicæ, vniuersalis, & Romanæ, per totum orbem diffusæ, in Apostolicis sedibus à beato Petro Apostolorum principe fundatæ, & vsque modo continuatæ, & supra firmam petram tam firmiter roboratæ, quòd *portæ inferi non possint aduersus eam* quomodolibet *præualere.*

Martinus Lutherus. 1519.

In Resolutionibus priorum disputationum ad Leonem Decimum: Quare, Beatissime Pater, prostratum me pedibus Beatitudinis tuæ offero cum omnibus, quæ sum, & habeo: viuifica, occide: voca, reuoca: approba, reproba: vocem tuam, vocem Christi in te præsidentis & loquentis agnoscam.

In Resolutionibus aliarum propositionum: Primum, quod me mouet Romanum Pontificem esse alijs omnibus (quos saltem nouerimus se Pontifices gerere) superiorem, est ipsa voluntas Dei, quam in ipso facto videmus. Neque enim sine voluntate Dei in hanc monarchiam venire vnquam potuisset Romanus Pontifex. At voluntas Dei quoquo modo fuerit nota, cum reuerentia suscipienda est: ideoq; non licet temerè Romano Pontifici in suo primatu resistere. Hæc autem ratio tanta est, vt, etiamsi nulla alia causa esset, hæc tamen satis esset, ad compescendam temeritatem resistentium.

In declaratione quorundam articulorum: Quòd Romana Ecclesia à Deo sit præ alijs omnibus honorata, non est dubium. Ibi enim SS. Petrus & Paulus, quadraginta sex Romani Pontifices, & tot cẽtena millia Martyrum sanguinem suum fuderũt, infernum & mortem vicerũt, vt vel palpari queat, quàm singularem habent ad illam Ecclesiam respectum. Quòd si nunc, proh dolor, res habeat Romæ, vt expediret habere melius, attamen neq; hæc, neq; vlla alia causa tam grandis est, nec esse potest, vt ab ea Ecclesia separatio aut discessio vlla fieri debeat. Imò quo peius ibi res habet, tanto magis accurrendum, & adhærendum est. Per separationem enim & contemptum non fit melius.

Idem Lutherus Augustam citatus, coram legato Caietano suam protestationem in hæc verba scriptam reliquit: Ego frater Martinus Lutherus Augustinianus protestor me colere & sequi sanctam Romanam Ecclesiam in omnibus meis dictis, & factis, præsentibus, præteritis, & futuris. Quod si quid contra, vel aliter dictum fuit, vel fuerit, pro nõ dicto habere & haberi volo.

Martinus Bucerus. 1530.

In præparatorijs ad Concilium: Ingenuè confitemur apud veteres Ecclesiæ Patres Romanam Ecclesiã præ cæteris primatum obtinuisse, vt quæ cathedram D. Petri habeat, cuiusq; Episcopi successores Petri ferè semper habiti sunt.

ARTICVLVS SEPTIMVS.

ROMANOS PONTIFICES INDE VSQVE AB INITIO SEMPER HVNC PRIMATVM AGNOVISSE, DEFENDISSE, ET IN ALIIS ECCLESIIS EXERCVISSE.

ASSERVNT EORVM EPISTOLÆ & Decreta.

Anacletus. 84.

EPISTOLA 1. Quòd si difficiliores ortæ fuerint quæstiones, aut Episcoporum, vel maiorũ iudicia, aut maiores causæ fuerint, ad sedem Apostolicam (si appellatum fuerit) referantur: quoniam Apostoli hoc statuerunt iussione Saluatoris, vt maiores, & difficiliores quæstiones, semper ad sedem deferantur Apostolicam, super quã Christus vniuersam construxit Ecclesiam, dicente ipso ad beatum Apostolorum principem Petrum: *Tu es*, inquit, *Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Matt. 16.

Epist. 2. Quoniam Apostolicæ sedis debitam reuerentiam erga me charitas vestra distribuit, & quia plurimum venerationis charissimi filij præbuistis: nam licet Ecclesiæ, in qua sanctus Apostolus residens docuit, quodammodo nos gubernacula teneamus, tamen profitemur nos honore & sanctitate minores esse, &c.

Epist.3.cap.3. Hæc sacrosancta Romana & Apostolica Ecclesia non ab Apostolis, sed ab ipso Domino Saluatore nostro primatum obtinuit, & eminentiam potestatis super vniuersas Ecclesias, ac totum Christiani populi gregem assecuta est, sic vt ipse B. Petro Apostolo dixit: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam,* &c. Prima ergo sedes est cælesti beneficio Romanæ Ecclesiæ, quam beatissimi Petrus & Paulus suo martyrio consecrârunt: sic Roma, quæ prius erat cacodæmonis artificio omnium errorũ mater, & altrix, excussis tenebris, & vanis superstitionum ritibus abiectis, filiorum Dei, exorto sole iustitiæ, facta est copiosa propagatrix.

Euaristus. 96.

Epistola 1. Consulentibus vobis, fratres charissimi, quid super his, quæ in vestris continebantur scriptis, visum nobis esset, vel quid docilis ratio persuaderet, aut quid à beatis Apostolis nobis traditum aut custoditum remaneret, optantes (vt retulistis) nostris institui documentis, hæc verò rescribimus: Siquidem dilectio vestra normam secuta prudentium, ad sedem Apostolicam referre maluit, quasi ad caput, quid deberet de rebus dubijs custodire potius, quàm vsurpatione præsumere.

Alexander Primus. 109.

Epist.1. Relatum est ad huius sanctæ & Apostolicæ sedis apicem, cui summarũ dispositiones causarum, & omnium negotia Ecclesiarũ ab ipso Domino tradita sunt, quasi ad caput, ipso dicente principi Apostolorum Petro: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam,* &c.

Sixtus Primus. 120.

Epist.2. Si quis verò vestrum pulsatus fuerit in aliqua aduersitate, licenter hanc sanctam & Apostolicam sedem appellet, & ad eam, quasi ad caput suffugium habeat, ne innocens damnetur, aut Ecclesia sua detrimentum patiatur.

Pius Primus. 150.

Epist.1. Christus hanc sanctam sedem Apostolicam omnium Ecclesiarũ caput esse præcepit, ipso dicente principi Apostolorum: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.*

Anicetus. 154.

Ad Episcopos Galliæ capite tertio: Si aliquis Metropolitanorum inflatus fuerit, & sine omnium comprouincialium præsentia vel consilio Episcoporum, aut eorum, aut alias causas, nisi eas tantùm, quæ ad propriam suam parochiam pertinent, agere, aut eos grauare voluerit, ab omnibus districtè corrigatur, ne talia deinceps præsumere audeat. Si verò incorrigibilis, eisq; inobediens apparuerit, ad hanc Apostolicam sedem (cui omnia Episcoporum iudicia terminare præcepta sunt) eius contumacia referatur, vt vindicta de eo fiat, & cæteri timorem habeant. Si autem propter nimiam longinquitatem, aut temporis incommoditatem, vel itineris asperitatem graue ad hanc sedem causam eius deferre fuerit, tunc ad eius Primatem causa deferatur, & penes ipsum huius sanctæ Sedis auctoritate iudicetur.

Eleutherus. 182.

Ad Galliæ prouincias cap.2. De accusationibus clericoru, super quibus consulti sumus, quia omnes eorum accusationes difficile est ad sedem Apostolicam deferre, finitiua Episcoporum tantùm iudicia huc deferantur, vt huius sanctæ Sedis auctoritate finiãtur, sicut ab Apostolis, eorumq; successoribus multorum consensu Episcoporum, iam definitum est. Nec in eorum Ecclesijs alij aut præponantur, aut ordinentur, antequam hîc eorum iustè terminentur negotia. Quoniam quamuis liceat apud ꝓuinciales & Metropolitanos atq; Primates eorum ventilare accusationes, vel criminationes, non tamen licet definire secus, quàm prædictum est.

Victor. 186.

Ad Theophilum Alexandrinum, Aegyptiorũq; Episcopos: Placuit, vt accusatus vel iudicatus à comprouincialibus in aliqua causa Episcopus licèter appellet, & adeat Apostolicæ sedis Pontificem, qui aut per se, aut per Vicarios suos, eius retractari negotium procuret. Et dum iterato iudicio Pontifex causam suam agit, nullus alius in loco eius ponatur, aut ordinetur Episcopus: quoniam quamquam à comprouincialibus Episcopis accusati causam Pontificis scrutari liceat: non tamen diffiniri inconsulto Romano Pontifice permissum est, cùm B. Petro Apostolo non ab alio, quàm ab ipso dictum sit Domino: *Quæcumque ligaueris super terram, erunt ligata & in cælis: & quæcumque solueris super terram, erunt soluta & in cælis.* Nihil aliud est fratres talis ꝓsumptio, nisi Apostolorum successorumq; ipsorum terminos transgredi, eorumq; decreta violare. Matt. 16.

Zephyrinus. 198.

Ad Episcopos Siciliæ: Finis causæ eius ad sedem Apostolicam deferatur, vt ibidem terminetur: nec antea finiatur, sicut ab Apostolis vel successoribus eorum olim statutum est, quàm eius auctoritate fulciatur. Ad eam quoque ab omnibus, maximè tamen ab oppressis, appellandum est, & concurrendum quasi ad matrem, vt eius vberibus nutriantur, auctoritate defendantur, & à suis oppressionibus releuentur: quia non potest, nec debet mater obliuisci filium suum. Iudicia enim Episcoporum, maiorestq; Ecclesiæ causæ à Sede Apostolica, & non ab alia, sicut Apostoli & sancti successores eorum statuerũt, cum alijs Episcopis sunt terminandæ: quia licet in alios transferantur Episcopos, beato tamen Apostolo Petro dictum est: *Quæcumque ligaueris super terram, erunt ligata & in cælis: & quæcumque solueris super terram, erunt soluta & in cælis*: & reliqua priuilegia, quæ soli huic sanctæ Sedi concessa sunt, & in constitutis Apostolorum, eorumq; successorum, alijsq; quàm plurimis cum eis concinentibus habentur inserta. Matt. 16.

Callistus. 218.

Epist.1. Non decet à capite membra dissidere, sed iuxta sacræ Scripturę testimonium, omnia membra caput sequãtur. Nulli verò dubium est, quòd Apostolica Ecclesia mater sit omnium Ecclesiarum, à cuius vos regulis nullatenus conuenit deuiare. Et sicut Dei Filius venit facere voluntatem Patris: sic & vos voluntatem vestræ impleatis matris, quæ est in Ecclesia, cuius caput Romana existit Ecclesia. Quicquid ergo sine discretione iustitiæ contra huius disciplinam actum fuerit, ratum haberi ratio nulla permittit. 1.Cor.12.

Antherus. 236.

Ad Episcopos Bæticæ & Toletanæ prouinciæ: De mutatione Episcoporum, vnde sanctam sedem Apostolicam consulere voluistis, scitote, eam communi vtilitate atq; necessitate fieri licere, sed non libitu cuiusquã, aut dominatione. Petrus sanctus magister noster & princeps Apostolorũ de Antiochia vtilitatis causa translatus est Romam: Eusebius quoq; de quadam parua ciuitate auctoritate Apostolica translatus est Alexandriam.

Fabianus. 237.

Epistola 2. ad omnes Orientales Episcopos: Exigit dilectio vestra sedis Apostolicę consulta, quæ vobis denegare non possumus. Hæc autem & prædecessores nostros multarum regionũ Episcopis egisse liquet, & nos, qui in eadem sede Domino largiente collocati sumus, agere debere fraterna charitas, & obedientiæ debitum compellit.

Epist.3.cap.2. ad Hilarium Episcopum: Peregrina iudicia, salua in omnibus auctoritate Apostolica, generali sanctione prohibemus: quia indignum est ab externis vt iudicetur, qui prouinciales, & à se electos debet habere iudices, nisi fuerit appellatum.

Lucius. 252.

Ad Galliæ & Hispaniarum Episcopos: Literas dilectionis vestræ, quas ad beati Petri Apostoli sedem pro vestri causa negotij misistis, libenter suscepimus: sed de vestris afflictionibus non modicè cõtristati sumus.

Sixtus Secundus. 257.

Epistola 1. Omnes Episcopi, qui in quibusdam grauioribus pulsantur vel criminantur causis, quoties necesse fuerit, liberè Apostolicam appellent sedem, atque ad eam quasi ad matrem confugiant, vt ab ea (sicut semper fuit) piè fulciantur, defendantur, & liberentur: cuius dispositioni omnes maiores Ecclesiasticas causas & Episcoporum iudicia, antiqua Apostolorum, eorumq; successorum atque Canonum auctoritas referuauit: quoniam culpantur Episcopi, qui aliter erga fratres egerint, quàm eiusdem sedis Papæ fieri placuerit.

Dionysius. 260.

Epist. 2. Olim & ab initio tantam percepimus à B. Petro Apostolorum principe fiduciam, vt habeamus auctoritatem vniuersali Ecclesiæ, auxiliante Domino, subuenire: & quicquid nociuũ est, auctoritate Apostolica corrigere & emẽdare, &c. De parochianis ergo Ecclesijs, vnde Apostolicam sedem consulere voluisti, qualiter sint custodiendæ per Cordubensem prouinciam, ac diuidendæ sacerdotibus, nihil tuæ charitati melius nobis videtur intimare, quàm vt sequaris, quod nos in Romana Ecclesia nosse egisse cognoscitur. Ecclesias verò singulas singulis presbyteris dedimus, parochias & cœmiteria eius diuisimus, & vnicuiq; ius proprium habere statuimus: ita videlicet, vt nullus alterius parochiæ terras, terminos, aut ius inuadat, sed vnusquisque suis terminis sit contentus. Hanc quoq; normam, charissime, te & omnes Episcopos sequi conuenit: & quod tibi scribitur, omnibus quibuscumq; potueris notum facias, vt non specialis, sed generalis fiat ista præceptio.

Felix Primus. 270.

Epist.3. Suscipientes fraternitatis tuæ Epistolas, quibus me requisisti super fidei documentis, quæ ab alijs habebantur aliter, quàm rectę fidei contineant sacramẽta, prout Dominus dedit, pro fraternitatis amore respondere non resultauimus. Semper enim dubia & maiora negotia, terminum ab hac sancta Sede, à tempore Apostolorum, qui eam suis documentis instruxerunt, accipere consueuerunt. Et ideo tu rectè fecisti, quòd huius sanctæ Sedis consultis te, cæterosq; firmari & instrui voluisti.

Marcellus Primus. 304.

Epist. 1. ad Episcopos Antiochenæ prouinciæ: Petri sedes primitus apud vos fuit, quæ postea (iubente Domino) Romam translata est, cui, adminiculante gratia diuina, hodierna præsidemus die: nec ab eius dispositione deuiare vos oportet, ad quã cuncta maiora Ecclesiastica negotia (diuina disponente gratia) iussa sunt referri: vt ab ea regulariter disponantur, à qua sumpsêre principia. Si vestra verò Antiochena, quę olim prima erat, Romanæ cessit sedi, nulla est, quæ eius non subiecta sit ditioni: ad quam omnes, quasi ad caput, iuxta Apostolorum eorumq; successorum sanctiones, Episcopi, qui voluerint, vel quibus necesse fuerit, suffugere, eamq; appellare debent: vt inde accipiant tuitionem & liberationem, vnde acceperunt informationem atq; consecrationẽ. Quod omnibus minimè cõuenit denegare Episcopis, sed absq; vlla custodia, aut excõmunicatione, vel damnatione, vel expoliatione, liberè ire concedatur. Simulq; ijdem (inspirante Domino) constituerũt, vt nulla Synodus fieret, præter eiusdem Sedis auctoritatem, nec vllus Episcopus, nisi in legitima Synodo suo tempore Apostolica auctoritate conuocata, super quibuslibet criminibus pulsatus audiatur, vel iudicetur: quia Episcoporum iudicia & summarum causarũ negotia, siue cũcta dubia, Apostolicæ sedis auctoritate sunt agẽda & finienda. Et omnia comprouincialia negotia huius sanctæ, vniuersalis, & Apostolicæ Ecclesiæ sunt retractanda iudicio, si huius Ecclesiæ Pontifex præceperit. Nec cui liceat sine præiudicio Romanæ Ecclesiæ (cui in omnibus causis debet reuerẽtia custodiri) relictis his sacerdotibus, qui in eadẽ prouincia Dei Ecclesias nutu diuino gubernãt, ad alias conuolare prouincias, vel aliarũ prouinciarũ Episcoporum iudicium experiri, vel pati: sed omnibus eiusdem prouinciæ Episcopis congregatis, iudicium auctoritate huius sedis terminetur.

Eusebius. 309.

Epist.3. Benedictus Dominus Deus noster, qui per misericordiam suam Romanã Ecclesiã B. Petri Apostolorum principis sacerdotio ditauit, nobisq; viã monstrandã circa nos (propter vniuersalem curam, quæ nobis est propter priuilegium eiusdem Ecclesiæ) inuicem charitatis indulsit, vt qui cohæremus firmitate fidei, iungamur quoq; votiui iucunditate colloquij.

Melchiades. 311.

Ad Hispaniæ Episcopos: Episcopos nolite iudicare, nolite condemnare absq; huius sedis auctoritate. Quod si feceritis, irrita erũt vestra iudicia, & vos condemnabimini. Hoc enim priuilegiũ huic sanctæ Sedi à tem poribus Apostolorum statutum est seruare, quod illæsum manet vsq; in hodiernũ diem. Episcopos ergo, quos sibi Dominus tamquam oculos elegit, & columnas Ecclesię esse voluit, quibus etiam ligandi & soluendi dedit potestatẽ, suo iudicio reseruauit, hocq; priuilegium beato clauigero Petro sua vice solummodò cõmisit. Quod eius iustè prærogatiuum succrescit sedi, futuris hæreditandum atq; tenendũ temporibus: quoniam & inter beatos Apostolos fuit quędã discretio potestatis. Et licet cunctorũ par electio foret, beato tamen Petro cõcessum est, vt alijs præemineret, eorumq; quæ ad querelam venirent, causas & interrogationes prudenter disponeret. Quod Dei ordinatione taliter ordinatum esse credimus, ne omnes posterorum cuncta sibi vindicarent, sed semper maiores causę, sicut sunt Episcoporum & potiorum curæ negotiorum, ad vnam beati principis Apostolorum Petri sedem confluerent, vt inde suscipiant finem iudiciorum, vnde acceperũt initium institutionum, ne quandoq; à suo discreparent capite. Si verò se viderit quisq; vestrũ prægrauari, hãc sedem appellet, huc recurrat, vt semper instituta fuit consuetudo: quia & voluntariè ijs compatiemur, & libenter, prout Dominus dederit, adminiculum feremus. Matt. 16.

Syluester. 320.

In Concilio Romano cap.20. Nemo iudicabit primã sedem: quoniam omnes sedes à prima sede desiderant temperari. Neque ab Augusto, neque ab omni clero, neque à regibus, neque à populo iudex iudicabitur.

Marcus. 336.

Epistola ad Athanasium, & cæteros Aegypti Episcopos:

Sancta Romana Ecclesia semper immaculata mansit, & Domino prouidente, & beato Petro opem ferente, in futuro manebit, sine vlla hæreticorũ insultatione firma & immobilis omni tempore persistet, &c. Hæc sancta & Apostolica mater omnium Ecclesiarum Christi Ecclesia, per omnipotentis Dei gratiam à tramite Apostolicæ traditionis numquam errasse probatur, &c.

Iulius Primus. 337.

Epist. 1. ad Episcopos Orientales: Audite iam factam in Nicæna ciuitate Synodum, cui & ego ipse conscientiæ meæ cultum decenter exhibui, nihil aliud volens, quàm concordiam omnibus fabricare, & præ cunctis arguere & remouere hanc insidiantium altercationem, quas præuidentes sancti Patres insidias & illicitas altercationes, vnanimiter in prædicta Nicæna Synodo statuerũt, vt nullus Episcopus, nisi in legitima Synodo, & suo tempore Apostolica auctoritate conuocata, super quibusdam criminationibus pulsatus audiatur, id est, iudicetur, vel damnetur. Sin aliter præsumptum à quibusdam fuerit, in vanum deducatur quod egerint, nec inter Ecclesiastica vllo modo reputabitur. Ipsi verò primæ sedis Ecclesiæ conuocandarum generalium Synodorum iura & iudicia Episcoporum, singulari priuilegio, Euangelicis & Apostolicis atque Canonicis concessa sunt institutis: quia semper maiores causæ ad Sedem Apostolicam multis auctoritatibus referri præceptæ sunt. Nec vllo modo potest maior à minore iudicari. Ipsa namque omnibus maior & prælata est Ecclesijs, quæ non solummodò Canonum & sanctorum Patrum decretis, sed Domini Saluatoris nostri voce singularem obtinuit principatum. *Tu es,* inquit, *Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam,* &c. Porrò dudum à sanctis Apostolis, successoribusq; eorum, in præfatis antiquis decretum fuerat statutis, quę hactenus sancta & vniuersalis Apostolica tenet Ecclesia, non oportere præter sententiam Romani Pontificis Concilia celebrari, nec Episcopum damnari; quoniam sanctam Romanam Ecclesiam primatem omnium Ecclesiarum esse voluerunt. Et sicut beatus Petrus Apostolus primus fuit omniũ Apostolorum: ita & hæc Ecclesia ipsius nomine consecrata, Domino instituente, prima & caput sit cæterorum, & ad eam, quasi ad matrem, atq; apicem, oẽs maiores Ecclesię causę, & iudicia Episcoporũ recurrant, eiusq; iusta sententia terminum sumant, nec extra Romanum quicquam ex his debere decerni Pontificem.

Matth. 16. *In decretis Eleutherij, Victoris, &c.*

Epist. 2. ad Eusebium, Theognium, Theodorum, & cæteros Orietales Episcop. Decuerat vos, aduersus sanctã Romanam Ecclesiam & Apostolicam limatè, & non ironicè loqui: quoniã & ipse Dominus noster Iesus Christus eam decenter allocutus, ait: *Tu es,* inquit, *Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt aduersus eam: & tibi dabo claues regni cælorum.* Habet enim potestatem, singulari priuilegio sibi concessam, aperire & claudere ianuas regni cęlestis, quibus voluerit, &c. Cur nobis inconsultis Episcopos in eam Synodum conuocastis, ad quam nec Maximus Hierosolymitanus venit, nec nostra interfuit legatio: Canonibus quippe in Nicæna Synodo iubẽtibus, non debere prȩter sententiam Romani Pontificis vllo modo Concilia celebrari, nec Episcopos damnari: aut cur in prædictorum loco fratrum alios adulteros posuistis, antequam penes nos, aut apocrisarios nostros, eorum causa canonicè esset examinata, finemq; perciperet rectũ, &c. Quibus ita gestis scripsi vobis, & omnibus, qui in Antiochiã contra Apostolicam Canonicamq; regulam, nobis inconsultis, fueratis congregati, arguẽs vos primùm de iniurijs literarũ, deinde cur Athanasium, suosq; consectatores, ad vestrum concilium conuocassetis, canonibus scilicet præcipientibus, nihil extra Romanum decerni Pontificẽ, cui hæc & maiora Ecclesiarum negotia, tam ab ipso Domino, quàm ab omnibus vniuersorũ Conciliorũ fratribus speciali priuilegio contradita sunt, &c.

Matth. 16. *Matt. 16.*

Liberius. 351.

Epistola ad Athanasium: Olim & ab initio tantam percepimus à B. Petro Apostolorũ principe fiduciam, vt habeamus auctoritatem pro vniuersali Ecclesia, ad rectam defendendam fidem: quatenus nulli liceat statum sanctæ Ecclesiæ commouere, ad læsionem rectè credentium, absq; sui periculo honoris.

Ad Constantium Augustum: Ad illud officium (testis est mihi Deus) inuitus accessi, in quo cupio quidẽ sine offensa Dei, quamdiu in seculo fuero, permanere, & nunquam mea statuta, sed Apostolica, vt essent firmata & custodita, perfeci, secutus morem ordinemq; maiorũ, nihil addidi Episcopatui vrbis Romæ, nihil minui passus sum. Et illam fidem seruans, quæ per successionem tantorũ Episcoporum cucurrit, ex quibus plures Martyres extiterunt, illibatã custodiri semper exopto.

Felix Secundus. 366.

Epist. 1. ad Athanasium, & cæteros Aegypti Episcopos Alexandriæ congregatos: Incipiamus ergo, adiuuante Deo, & sancto Petro Apostolo, per quem Apostolatus & Episcopatus in Christo cœpit exordium, quoniam plures sæpe emerserunt causæ, quæ in quibusdam non erant causæ, sed crimina: quia magis, vt comperimus, iniquitate, quàm charitate fratribus sunt impositæ, & vt de cætero solicitudo sit, ne talia eueniant, capitula quædam à sanctis Patribus tam in Nicæna Synodo, quàm & in hac sede constituta ponamus, &c.

Cap. 18. Quamquam comprouincialibus Episcopis vnà cum eorum Metropolitano suæ prouincię causas Episcoporum liceat charitatiuè & concorditer agitare, non tamen licet definire absque Romani Pontificis auctoritate. Quòd si secus à quibusdam præsumptum fuerit, ipsi, qui hoc egerint, suæ præsumptionis suscipiant damnum: & illi, qui ab eis perperam excommunicati, aut damnati fuerint, auctoritate huius sanctæ sedis, & beati præceptoris nostri clauigeri Petri potestate soluantur, atque restituantur. Ipse enim ait Dominus: *Quæcumque solueris super terram, erunt soluta & in cælis.* Matt. 16

Cap. 19. Quoties Episcopi se à suis cõprouincialibus, vel à Metropolitano putauerint prægrauari, aut eos suspectos habuerint, mox Romanã appellent sedem, ad quam eos absque vlla detentione, aut suarum rerum ablatione liberè ire liceat. Et dum prædictam Romanam matrem appellauerint Ecclesiam, aut ab ea se audiri exposcerint, nullus eos aut excõmunicare, aut eorum sedes subripere, aut eorum res auferre, aut aliquã eis vim inferre prȩsumat, antequam eorum causa Romani Pontificis auctoritate finiatur. Quòd si aliter à quoquam præsumptum fuerit, nihil erit, sed viribus carebit. Nam nec hoc perperam præsumimus, sed & ipsum in Nicæna Synodo constitutũ, & antecessores nostros egisse, bene Athanasi nosti: quoniam quando tu, & Paulus Constantinopolitanus, Asclepius Gazę, & Lucianus Andrianopolites, ab Orientalibus Episcopis, inconsulto sanctæ memoriæ Iulio prædecessore nostro, damnati estis, & ad eum, quasi ad totius orbis caput (vt semper huic sanctæ Sedi licitum fuit) confugistis, cognita eorum nequitia, & vestra iustitia, vos in cõmunionem suscepit, & omniũ vestrum

curam

curam gerẽs, propter Sedis propriæ dignitatem, suas singulis reddens Ecclesias, Orientalibus scripsit, culpans eos, quòd non rectè tractassent, viros inculpabiles de suis Ecclesijs expellentes, & constituta Niceni Concilij minimè conseruantes. Et quibus ad certum diem nonnullos sibimet adesse præcepit, vt de talibus præsumptionibus certam redderent rationem, & coram eis ostenderet, iustum se super eis protulisse decretum. Interminatus est etiam non talia deinceps fratres esse passuros, & nisi ab huiusmodi præsumptionibus cessarent, à proprijs esse gradibus eos recessuros. Tali enim huius sanctæ Sedis priuilegio tu & fratres tui propriaș recepistis Ecclesias, cum omnibus sibi pertinentibus. His enim & alijs quàm plurimis documentis manifestum est, nullum damnari, aut suis expoliari rebus debere Episcopum, qui hanc sanctam Sedem interpellauerit, aut sibi defensatricẽ adsciuerit, donec iudicium de eo nostræ Apostolicę auctoritatis, hoc est, principis Apostolorum Petri, agnoscat: quia solummodò Christus Iesus huic sanctę Sedi, id est, Apostolicæ hoc facere commisit: vtpote quoniam solus atque præ omnibus præfatus princeps Apostolorum creditus est, atque percipere meruit à Rege regum Christo Deo claues regni cęlorum.

Damasus. 380.

Epistola 2. ad Stephanum, & ad concilia Africæ: Oportet nos, qui supra domum Domini, hoc est vniuersalem Ecclesiã Catholicã Episcopale susscepimus ministeriũ, solicitè vigilare, ne quid de sacris eius muneribus, id est, Apostolicis viris, Apostolorumque successoribus, atque ministris quisquam, nobis dormitantibus, valeat supprimi, atque iniustè, nobisque inconsultis damnari. Scitis, fratres charissimi, firmamentum à Deo fixum & immobile, atque titulum lucidissimum suorum sacerdotum, id est, omnium Episcoporum, Apostolicam sedem esse constituram, & verticem Ecclesiarum: *Tu es enim* (sicut diuinũ pronuntiat Verbum veraciter) *Petrus, & super firmamentum tuum Ecclesiæ columnæ,* qui Episcopi intelliguntur, *confirmatæ sunt: & tibi claues regni cælorum commisi, atque ligare & soluere potestatem quæ in cælis sunt, & quæ in terris promulgaui.* Tu profanatorum hominum, & membrorum meorum, maximeque discipulorum meorum exsistis, vt princeps & doctor Orthodoxæ & immaculatæ fidei, cuius vice hodie, gratia Dei, legatione pro Christo fungimur, & omnes huius sanctæ sedis Præsules eius vicem gesserunt, gerunt, & gerent. Discutere namque Episcopos, & summas Ecclesiasticorum negotiorum causas Metropolitano, vnà cum omnibus suis comprouincialibus, ita vt nemo ex eis desit, & omnes in singulorum concordent negotijs, licet: sed definire eorum, atque Ecclesiasticarum summas querelas causarum, vel damnare Episcopos, absque huius sanctæ Sedis auctoritate minimè licet, quam omnes appellare, si necesse fuerit, & eius fulciri auxilio oportet. Nam (vt nostis) Synodum sine eius auctoritate fieri non est Catholicum: nec Episcopus, nisi in legitima Synodo, & suo tempore Apostolica vocatione congregata, definitè damnari potest: neque vlla vnquam Concilia rata leguntur, quæ non sunt fulta Apostolica auctoritate.

Epistola ad Episcopos Illyriæ: (*apud Theodoretum lib. 2. cap. 22.*) Numerus Episcoporum, qui erant Arimini in vnum cõgregati, præiudicij vim habere non debet, præsertim cùm formula illa composita sit, neque Episcopo Romano, cuius sententia præ cæteris omnibus expectanda erat, neque Vincẽtio, qui tot annis Episcopatũ integrè gesserat, neque alijs eidem consentientibus.

Epistola ad Episcopos Orientales: (*apud Theodoretum lib. 5. cap. 10. & Nicephorum lib. 12. cap. 17.* Quòd vestra charitas debitam Apostolicæ sedi reuerentiam tribuit, filij honoratissimi, vobis ipsis quoque maximo sanè honori est. Nam tametsi in sancta Ecclesia (in qua sanctus Apostolus sedens nos docuit, quo pacto illius gubernacula, quæ susscepimus, tractanda sint) nobis primę partes deferuntur: tamen confitemur nos illo dignitatis gradu longè inferiores esse.

Siricius. 385.

Epistola 1. ad Himerium Tarraconensem Episcopum: Pro officij nostri consideratione non est nobis dissimulare, non est tacere libertas: quia maior cunctis Christianę religionis zelus incumbit. Portamus onera omnium qui grauantur: quinimò hæc portat in nobis beatus Apostolus Petrus, qui nos in omnibus, vt confidimus, administrationis suæ protegit, & tuetur hæredes, &c. Explicuimus, vt arbitror, frater charissime, vniuersa, quæ digesta sunt in querelã, & ad singulas causas, de quibus per filium nostrum Bassianum ad Romanam Ecclesiam, vtpote ad caput tui corporis, retulisti, sufficientia, quãtum opinor, responsa reddidimus.

Epistola 3. ad Orthodoxos per diuersas prouincias: Cogitantibus nobis metum diuini iudicij, tacere non licuit, sed nobis loqui necessitas imperauit, dicente Propheta: *Exalta vt tuba vocem tuam.* Et cui omnium Ecclesiarum cura est, si dissimulem, audiam Domino dicente: *Reijcitis mandatum Dei, vt traditiones vestras statuatis.* Esa. 58. Matt. 15. Marc. 7.

Anastasius. 388.

Ad omnes Germaniæ & Burgundiæ Episcopos: Exigit dilectio vestra, vt ex auctoritate Sedis Apostolicæ vestris deberemus respondere consultis. Et quãuis non prolixè, sed succinctè hęc agere propter quasdam alias occupationes festinaremus: denuò tamen, si necesse fuerit, ob has, vel alias necessitates, quasi ad caput mittere charitatiuè non dubitetis. Significastis enim quosdam sacerdotes in Ecclesia quando leguntur Euangelia sedere, & Domini Saluatoris verba non stantes, sed sedentes audire, & hoc ex maiorum traditione se accepisse narrant, quod vt nullatenus deinceps fieri sinatis, Apostolica auctoritate mandamus.

Innocentius Primus. 406.

Epistola 2. ad Victricium Episcopum Rothomagensem: Si quæ causę vel contentiones inter clericos fuerint exortæ, vt secundùm Synodum Nicænam congregatis eiusdem prouincię Episcopis iurgium terminetur, nec alicui liceat, (sine præiudicio tamen Romanę Ecclesiæ, cuius in omnibus causis debet reuerentia custodiri) relictis his sacerdotibus, qui in eadem prouincia Dei Ecclesiam gubernant, ad alias conuolare prouincias. Si autem maiores causæ in medium fuerint deuolutæ, ad sedem Apostolicam, sicut Synodus statuit, & beata consuetudo exigit, post iudicium Episcopale referantur.

Epistola 3. ad Exuperium Tholosanum: Et quidem dilectio tua institutum sequuta prudentium, ad sedem Apostolicam referre maluit, quid de rebus dubijs custodire deberet, potius quàm vsurpatione præsumpta, quæ sibi viderentur, de singulis obtinere.

Epist. 17. ad Arcadium Imper. qui Ioan. Chrysostomũ expulerat: Itaq; ego minimus, & peccator, cui thronus magni Apostoli Petri creditus est, segrego & reijcio te, & vxorẽ à perceptione immaculatorũ mysteriorum Christi Dei nostri: Episcopum etiam omnem, aut clericum ordinis sanctæ Dei Ecclesiæ, qui administrare aut exhibere ea vobis

ausus fuerit, ab ea hora, qua præsentes vinculi mei legeritis literas, dignitate sua excidisse decerno.

Epistola 29. ad Decentium Eugubinum: Quis enim nesciat, id, quod à Principe Apostolorum Petro Romanæ Ecclesię traditum est, ac nunc vsque custoditur, ab omnibus debere seruari, nec superinduci, aut introduci aliquid, quod aut auctoritatem non habeat, aut aliunde accipere videatur exemplum? Præsertim cùm sit manifestum, in omnem Italiam, Gallias, Hispanias, Africam, atque Siciliam, insulasque interiacentes, nullum instituisse Ecclesias, nisi eos, quos venerabilis Apostolus Petrus, aut eius successores constituerint sacerdotes? Aut legant, si in his prouincijs alius Apostolorũ inuenitur aut legitur docuisse. Quod si non legunt, quia nusquam inueniunt, oportet eos hoc sequi, quod Romana Ecclesia custodit: à qua eos principium accepisse non dubium est, ne dum peregrinis assertionibus studentes, caput institutionum videantur omittere.

Epistola 32. ad Episcopos in Synodo Mileuitana: Diligenter & congruè Apostolico consulitis honori: honori, inquam, illius, quem præter illa, quæ sunt extrinsecus, solicitudo manet omnium Ecclesiarum, super anxijs rebus quę sit tenenda sententia: antiquę scilicet regulæ formam secuti, quã toto semper ab orbe mecum nostis esse seruatam. Verùm hæc missa facio. Neque enim hoc vestram credo latere prudentiam, qui id etiam actione firmastis, scientes quòd per omnes prouincias de Apostolico fonte petentibus responsa semper emanent. Præsertim quoties fidei ratio ventilatur, arbitror omnes fratres, & coëpiscopos nostros, non nisi ad Petrum, id est, sui nominis & honoris auctorem referre debere.

Zosimus. 418.

Epistola ad Hesychium Episcopum Salonitanum: Sciet (quisquis hoc, postposita Patrum & Apostolicę sedis auctoritate, neglexerit) à nobis districtius vindicandum, vt loci sui minimè dubitet sibi non constare rationem, si hoc putat, post tot prohibitiones, impunè posse tentari.

Epistola ad vniuersos Episcopos per Gallias & septem prouincias constitutos: Placuit Apostolicæ sedi, vt si quis ex qualibet Galliarum parte, sub quolibet Ecclesiastico gradu, ad nos Romam venire contendit, vel aliò terrarum ire disponit, non aliter proficiscatur, nisi Metropolitani Arelatensis Episcopi Formatas acceperit, quibus sacerdotium suum, vel locum Ecclesiasticum, quem habet, scriptorũ eius astipulatione perdoceat, &c. Iussimus autem præcipuam, sicuti semper habuit, Metropolitanus Episcopus Arelatensis ciuitatis in ordinandis sacerdotibus teneat auctoritatem: Viennensem, Narbonensem primam, & Narbonẽsem secundam prouincias ad Pontificium suum reuocet. Quisquis verò posthac contra Apostolicæ sedis statuta, & præcepta maiorum, omisso Metropolitano Episcopo, in prouincijs supradictis quęquam ordinare præsumpserit, vel is, qui ordinari se illicitè fuerit, vterque sacerdotio se carere cognoscat. Quomodo enim potest auctoritatem summi Põtificis obtinere, qui quæ erant Pontificis seruare contemnit?

Bonifacius Primus. 420.

Epistola ad Episcopos Gallia: Nos per omnes prouincias literas dirigemus, ne excusationem sibi ignorationis obtendat, & ad prouinciam venire cogatur, & illic se constituto præsentare iudicio. Quicquid autem vestra charitas de hac causa duxerit decernendum, cùm ad nos relatum fuerit, nostra, vt condecet, ne cesse est auctoritate firmetur.

Cælestinus. 426.

Epistola 6. ad Ioannem Antiochenum: Sciat Sanctitas tua, eiusmodi à nobis, vel ab ipso verius Christo Domino ac Deo nostro per nos sententiam in Nestorium latam esse; videlicet, quòd nisi intra decem dies post acceptam admonitionis nostræ syngraphum enumerandos, sacrilegam de Christi ortu doctrinam scripta confessione damnauerit, certò fore, vt ab Episcoporum Synodo exauctoretur.

Epistola ad Cyrillum Alexandrinum: Quam ob rem nostræ sedis auctoritate ascita, nostraque vice, & loco cum potestate vsus, eiusmodi non absque exquisita seueritate sententiam exequeris: nempe, vt nisi decem dierum interuallo ab huius nostræ admonitionis die numerandorum, nefariam doctrinam suam Nestorius conceptis verbis anathematizet, eamque de Christi Dei nostri generatione fidem in posterum confessurum se spondeat, quam & Romana, & tuæ Sanctitatis Ecclesia, & vniuersa denique religio Christiana prædicat, illicò Sanctitas tua Ecclesiæ illi prospiciat. Is verò modis omnibus se à nostro corpore segregatum esse intelligat, vt qui omnem medentium curam aspernatus, nec non instar pestiferi morbi per vniuersum Ecclesię corpus insano modo grassatus, tam seipsum, quàm cæteros omnes sibi commissos in extremum exitium præcipitare studuerit.

Leo Primus. 450.

Epistola 5. ad Episcopos Siciliæ: Diuinis præceptis & Apostolicis monitis incitamur, vt pro omnium Ecclesiarum statu impigro vigilemus affectu: ac, si quid vsquam reprehensione inueniatur obnoxium, celeri solicitudine, aut ab ignorantiæ imperitia, aut à præsumptionis vsurpatione reuocemus. Monente enim Dominicę vocis imperio, quo beatissimus Apostolus Petrus trina repetitione mysticæ sanctionis imbuitur, vt Christi oues, qui Christum diligit, pascat, ipsius Sedis, cui per abundantiam diuinæ gratiæ præsumus, reuerentia cohortamur: vt periculum desidiæ, quantum possumus, declinemus: ne professio summi Apostoli, qua se amatorem Domini esse testatus est, vana inueniatur in nobis: quia negligenter pascens toties commendatum Dominicum gregem, conuincitur summum non amare pastorem. Ioan. 21.

Epist. 49. ad Synodum Chalcedonensem cap. 1. Amplectendum est clementissimi principis plenum religione consilium, quo sanctam fraternitatem vestram ad destruendas insidias diaboli, & ad reformandam Ecclesiasticam pacem voluit conuenire, beatissimi Petri iure atque honore seruato, adeò vt nos quoque suis ad hoc literis inuitaret, vt venerabili Synodo nostram præsentiam præberemus: quod quidem nec necessitas temporis, nec vlla consuetudo poterat permittere: tamen in his fratribus Paschasino & Lucentio Episcopis, Bonifacio & Basilio presbyteris, qui ab Apostolica Sede directi sunt, me Synodo vestra fraternitas existimet præsidere, nec seiunctam à vobis præsentiam meam confidat, qui nunc in vicarijs meis adsum, & iamdudum fidei Catholicæ prædicatione non desum: vt qui non potestis ignorare, quid ex antiqua traditione credamus, non possitis dubitare, quid cupiamus.

Epistola 58. ad Pulcheriam Augustam cap. 3. Hæc autem obseruantia eum quoque illi animum spondet copulandum, & Apostolicæ Sedis dilectionem, quam Constantinopolitanę Ecclesiæ semper impendimus, nulla mobilitate violandam: quia si interdum immoderati Præsules aliquas incidunt culpas, Ecclesiarum tamen Christi

integra gratia perseuerat: consensiones verò Episcoporum, sanctorum Canonum apud Niceam conditorum regulis repugnantes, vnita nobiscum vestræ fidei pietate in irritum mittimus, & per auctoritatem B. Petri Apostoli generali prorsus definitione cassamus.

Epist. 88. ad Anastasium Thessalonicensem capite 1. Quoniam sicut præcessores mei præcessoribus tuis, ita etiam ego dilectioni tuæ, priorum secutus exemplum, vices mei moderaminis delegaui; vt curam, quam vniuersis Ecclesijs principaliter ex diuina institutione debemus, imitator nostræ mansuetudinis effectus, adiuuares, & longinquis ab Apostolica Sede prouincijs, presentiam quodammodo nostrę visitationis impenderes: quia de continente opportunoque prospectu promptum tibi esset agnoscere, quid in quibusque rebus, vel tuo studio componeres, vel nostro iudicio reseruares. Nam cùm maiora negotia, & difficiliores causarum exitus, liberum tibi esset sub nostrę sententiæ expectatione suspendere, nec ratio tibi, nec necessitas fuit, in id, quod mensuram tuam excederet, deuiandi.

Epistola 93. ad Episcopos per Viennam prouinciã constitutos cap. 2. Nobiscum itaque vestra fraternitas recognoscat, Apostolicam sedem pro sui reuerentia, à vestrę etiam prouinciæ sacerdotibus innumeris relationibus esse consultam, & pro diuersarum (quemadmodum vetus consuetudo poscebat) appellatione causarum, aut retractata, aut confirmata fuisse iudicia: adeò vt seruata vnitate spiritus in vinculo pacis, commeantibus hinc inde literis, quod sanctè agebatur, perpetuæ proficeret charitati, &c. Sed hunc tramitem semper inter maiores nostros & bene tentum, & salubriter constitutum, Hilarius Ecclesiarum statum & concordiam sacerdotum nouis presumptionibus turbaturus excessit, ita sue vos cupiens subdere potestati, vt se beato Apostolo Petro non patiatur esse subiectum, ordinationes sibi omnium Ecclesiarum per Gallias vendicans, & debitam Metropolitanis sacerdotibus in suum ius transferens dignitatem: ipsius quoque beatissimi Petri reuerentiam verbis arrogantioribus minuendo: cui cùm prę cæteris soluendi & ligandi tradita sit potestas, pascendarum tamen ouium cura specialius mandata est: cui quisquis principatum æstimat denegandum, illius quidem nullo modo minuere potest dignitatem; sed inflatus spiritu superbiæ suæ, semetipsum in inferna demergit. Matt. 16. Ioan. 21.

Hilarius Papa. 461.

Epistola 3. ad Ascanium Episcopũ: Diuinæ circa nos gratiæ memores esse debemus, qui nos per dignationis suę misericordiam ob hoc ad fastigium sacerdotale prouexit, vt mandatis ipsius inhærentes, & in quadam sacerdotij eius specula constituti, prohibeamus illicita, & sequenda doceamus.

Epistola ad Leontium Episcopum: Quantum reuerentię in spiritu Dei, qui subditos sibi inhabitat, sacerdotes beato Petro Apostolo, & sedi ipsius deferatur, omnibus arbitror esse compertum, quibus paternarum traditionum incorrupta custodia est.

In Concilio Romano: Nulli fas sit, sine status sui periculo vel diuinas constitutiones, vel Apostolicę sedis decreta temerare. Acclamatum est ab Episcopis: Hilario vita. Ista per sanctum Petrum, vt in perpetuum seruentur, optamus.

Simplicius. 470.

Epist. 3. ad Zenonem Augustum: Cuperem quidem quantum ad meæ spectat deuotionis arbitrium, qua principes Christianos iugi veneratione suspicio, debita pietati nostrę continuis officia deferre colloquijs: sed cùm ad huius intentionis augmentum, etiam sacræ cura religionis accedat, ratio mihi negotij potioris incumbit, vt simul honorificentiam vobis prona mente persoluam, & causas fidei fideliter in finem: quia me ad vtramque vel dicata trahit clementiæ vestræ semper affectio, vel respectus ordinis mei, & Apostolici moderaminis solicitudo compellit. Functus igitur, clementissime ac gloriosissime fili Imperator Auguste, munere salutandi, quę in Ecclesijs Orientis per hæreticorum latrocinia recidiua rursus dicuntur scandala concitari, nec debeo silere, nec possum. *Pontifex ante annos 1120 Imperatorem filiũ vocauit.*

Epistola 5. ad Acatium Constantinopolitanum: Vnde quia sanctæ memorię prædecessorum nostrorum extante doctrina, contra quam nefas est disputare, quisquis rectè sapere videtur, nouis assertionibus non indiget edoceri, sed plana atque perfecta sunt omnia, quibus potest vel deceptus ab hæreticis erudiri, vel in vinea Domini plantandus institui.

Epist. 9. ad Zenonem Augustum: Inter vniuersos Catholicæ fidei sacerdotes opera Domini nostri vel solus nõ potui tacere, vel primus: quia secundùm beatum Paulum Apostolum, Ecclesiarum omnium curam sustinẽs, mihi summam gaudij, de reddita pro clementia vestra earum quiete specialiter vindicaui.

Epistola 17. ad Acatium Constantinopolitanũ: Nuper ab Ægyptia Synodo, & clero Alexandrinæ sedis ad nos ex more relatio missa patefecit, sanctę memorię obijsse Timotheum, inque eius vicem consona fidelium voluntate Ioannem subrogatum, vt nihil omninò restare videbatur, nisi vt Deo nostro gratias agentibus nobis, atque gaudentibus, vt sine strepitu, quod Catholicus in defuncti ministerium successisset Antistes, Apostolicæ quoque moderationis assensu votiuam sumeret firmitatem: cùm ecce secundùm consuetudinem mihi talia disponenti, tranquillissimi principis scripta sunt reddita, quibus memoratum tamquam periurij reum, sacerdotio perhiberet indignum. Illicò retraxi pedem, & meam reuocaui super eius confirmatione sententiam, ne quid contra tantum ac tale testimonium præproperè feciſſe iudicarer. Sed, &c. *Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopum Rom. Põt. cõfirmat.*

Gelasius. 492.

Epistola 2. ad Episcopos Dardaniæ: Nec planè tacemus, quod cuncta per mundum nouit Ecclesia, quoniam quorumlibet sententijs ligata Pontificum sedes Beati Petri Apostoli ius habeat resoluendi, vtpote quę de omni Ecclesia fas habeat iudicandi, neque, inquam, de eius liceat iudicare iudicio. Siquidem ad illam de qualibet mundi parte Canones appellari voluerũt, ab illa autem nemo sit appellare permissus.

Epistola 6. ad Episcopos per Lucaniam, Brutios, & Siciliam constitutos, cap. 11. Cùm sedes Apostolica superior his omnibus fauente Domino, quæ paternis Canonibus sunt præfixa, pio deuotoque studeat tenere proposito: satis indignum est, quemquam vel Pontificum, vel ordinum subsequentiũ, hanc obseruantiam refutare, quam B. Petri sedem & sequi videat, & docere, satisque conueniens sit, vt totum corpus Ecclesię in hac sibimet obseruatione concordet, quam illic vigere conspiciat, vbi Dominus totius Ecclesiæ posuit principatum.

Cap. 27. De locorum consecratione sanctorum nobis quoque patefactum est, quòd absque præcepto sedis Apostolicę nonnulli factas Ecclesias vel oratoria sacrare præsumant, &c.

Commonitorio ad Faustum Magistrum fungentem legatione Constantinopoli: Nobis opponunt Canones, dum nesciunt quid loquantur: contra quos hoc ipso venire se produnt, quòd primę Sedi, sana re-

staque suadenti parêre fugiunt. Ipsi sunt Canones, qui appellationes totius Ecclesię ad huius Sedis examen voluere deferri. Ab ipsa verò nusquâ prorsus appellari debere sanxerunt: ac per hoc illam de tota Ecclesia iudicare, ipsam ad nullius commeare iudicium, nec de eius vnquam præceperunt iudicio iudicari, sententiâq; illius cõstituerunt non oportere dissolui, cuius potius decreta sequenda mandârunt. In hac ipsa causa Timotheus Alexandrinus, & Petrus Antiochenus, Petrus, Paulus, Ioannes, & cæteri, non solùm vnus, sed plures vtique nomen sacerdotij præferentes, sola sedis Apostolicæ sunt auctoritate deiecti, cuius rei testis etiam ipse docetur Acatius, qui præceptionis huius extitit executor. Quod vtique sicut Apostolicam sedem iuxta formam synodicam feciſſe manifestum est: sic neminem resultare potuisse certissimum, &c. Si quantum ad religionem pertinet, non nisi Apostolicę sedi, iuxta Canones debetur summa iudicij totius: si quantum ad seculi potestatem, illa à Pontificibus, & præcipuè à beati Petri Vicario, debet cognoscere, quæ diuina sunt, non ipsa eadem iudicare: nec sibi hoc quisquam potentissimus seculi (qui tamen Christianus est,) vindicare præsumit, nisi religionem forsitan persequens. Quid tamen dicerent, si non cartis suis in omnibus vincerentur? Ineptias itaque suas sibi seruent, nisi resipiscant potius, cogitantes Christi vocem non esse superfluam, quæ confessioni B. Petri Apostoli, inferni portas nunquam præualituras asseruit. Quapropter non veremur, ne Apostolica sententia resoluatur, quam & vox Christi, & maiorum traditio, & Canonum fulsit auctoritas, vt totam potius Ecclesiam semper ipsa dijudicet.

Matt. 16.

Epistola 10. ad Anastasium Augustum: Duo sunt, Imperator Auguste, quibus principaliter mundus hic regitur, auctoritas sacra Pontificum, & regalis potestas. In quibus tanto grauius est pondus sacerdotum, quanto etiam pro ipsius regibus hominum in diuino reddituri suat examine rationem. Nosti etenim, fili clementissime, quòd licet prę fideas humano generi dignitate, rerum tamen Prę sulibus diuinarum deuotus colla submittis, atque ab eis causas tuæ salutis expetis, inqúe sumendis cæleſtibus Sacramentis, eisqúe (vt competit) disponendis, subdi te debere cognoscis, religionis ordine potius, quàm præsse, &c. Et si cunctis generaliter sacerdotibus, rectè diuina tractãtibus, fidelium conuenit corda submitti: quanto potius Sedis illius Præsuli consensus est adhibendus, quem cunctis sacerdotibus & diuinitas summa voluit præeminere, & subsequens Ecclesiæ generalis iugiter pietas celebrauit? Vbi pietas tua euidenter aduertit, nunquam quolibet penitus humano consilio eleuare se quemquam posse illius priuilegio, vel confessioni, quem Christi vox prętulit vniuersis, quem Ecclesia veneranda confessa est semper, & habet deuota Primatem.

Pontifex ante annos 1200. Imperatorem filiũ vocauit.

Epist. 11. ad Episcopos Dardaniæ: Nullus iam veraciter Christianus ignoret, vniuscuiusque Synodi constitutum, quod vniuersalis Ecclesiæ probauit assensus, non aliquam magis exequi sedem prę ceteris oportere, quàm primam, quæ & vnamquamque Synodum sua auctoritate confirmat, & continuata moderatione custodit, pro suo scilicet principatu, quem B. Petrus Apostolus Domini voce perceptum, Ecclesia nihilominus subsequente, & tenuit semper, & retinet.

In Decreto de Apocryphis Scripturæ libris: Sancta Romana Catholica & Apostolica Ecclesia, nullis synodicis constitutis cæteris Ecclesijs prælata est, sed Euangelica voce Domini & Saluatoris nostri primatum obtinuit: *Tues Petrus*, inquientis, *& super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo claues regni cælorum: & quæcunque solueris super terram, erunt soluta & in cælis.*

Matt. 16

Anastasius Papa Secundus. 496.

Imperatorem filiũ vocat.

Glorioſſimo & clementiſſimo filio Anaſtaſio Auguſto: Sedes beati Petri in vniuersali Ecclesia assignatũ sibi à Domino tenet principatum.

Symmachus. 500.

Apologetico aduersus Anastasium Imper. Roma mihi testis est, & scrinia testimonium perhibent, vtrum à fide Catholica, quam in sede B. Petri Apostoli veniens ex paganitate suscepi, aliqua ex parte deuiauerim. An quia Imperator es, diuinum putas contemnendum esse iudicium? An quia Imperator es, contra Petri niteris potestatem? Et qui Petrum Alexandrinum recipis, B. Petrum Apostolum in suo qualicunque Vicario calcare contendis? An bene factus essem, si Eutychianis fauerem? Si Acatij nomini communicarem? Latêre non potest, cur ista prætendas. Conferamus autem honorem Imperatoris cum honore Pontificis, inter quos tantum distat, quantum ille rerum humanarum curam gerit, iste diuinarum. Tu Imperator à Pontifice baptismum accipis, Sacramenta sumis, orationem poscis, benedictionem speras, pœnitentiam rogas: postremò tu humana administras, ille tibi diuina dispensat. Itaque, vt non dicam superior, certè æqualis est honor, &c. Omnes Catholici Principes, siue cùm imperij gubernacula susceperunt, siue cùm Apostolicæ Sedi nouos agnouerunt Præsules institutos, ad eam protinus sua scripta miserunt, vt se docerent eius esse consortes. Itaque qui hoc non fecerunt, ab eadem seipsos profitentur alienos, quod cartis quoque tuis etiam possumus astruere, nisi te æmulum, & reum, & inimicum vitaremus, & iudicem.

Hormisda. 514.

Imperatorem filiũ vocat.

Epistola 22. ad Iustinum Imperat. Venerabilis regni vestri primitijs, fili gloriosissime, loco muneris gratulationem suam Catholica transmittit Ecclesia, per quas se post tantam discordię fatigationem, requiem pacis inuenire confidit. Nec dubium est, ideo ad rerum summam cęlesti vos prouidentia peruenisse, vt vestris temporibus impacta religioni in Orientis partibus aboleatur iniuria. Debitas beato Petro Apostolo imperij vestri primitias reddidistis, quas hac ratione deuotè susceptimus: quia Ecclesiarum per vos proximè futuram credimus sine dubitatione concordiam.

Epistola ad Remigium: Quoties vniuersale poscit religionis causa Concilium, te cuncti fratres conuocante conueniant: & si quos eorum specialis negotij pulsat intentio, iurgia inter eos oborta compesce, discussa sacra lege determinando certamina. Quicquid autem illic pro fide & veritate constitutum, vel prouida dispensatione præceptum, vel personæ nostrę auctoritate fuerit confirmatum, totum ad scientiam nostram, instructa relationis attestatione perueniat.

Bonifacius Secundus. 530.

Epistola ad Eulalium Alexandrinum Episcopum: Olim & ab initio tantam percepimus à beato Petro Apostolorum principe fiduciam, vt habeamus auctoritatem vniuersali Ecclesię (auxiliante Domino) subuenire, & quicquid nociuum auctoritate Apostolica corrigere, & emendare.

Ioannes Secundus. 532.

Epistola 2. ad Iustinianum Imperat. Inter claras sapientię ac mansuetudinis vestræ laudes, Christianissime Principum, puriore luce tamquam aliquod sydus irradiat, quòd amore fidei, quòd charitatis studio, edocti Ecclesiasticis disciplinis, Romanæ

manæ sedis reuerentiam conseruatis, & ei cuncta subijcitis, & ad eius deducitis vnitatem, ad cuius auctorem, hoc est, Apostolorum primum, Domino loquente præceptum est: *Pasce meas oues*, quam esse omnium Ecclesiarum caput, & Patrum regulæ, & Principum statuta declarant, & pietatis vestræ reuerendissimi testantur affatus.

Vigilius. 540.

Epistola 1. ad Eutherium Episcopum: Nulli vel tenuiter sentienti, vel pleniter sapienti dubium est, quòd Romana Ecclesia forma ac fundamentum sit Ecclesiarum, à quo omnes Ecclesias principium sumpsisse nemo rectè credentium ignorat. Quoniam licet omnium Apostolorum par esset electio, beato tamen Petro concessum est, vt cæteris præmineret: vnde & Cephas vocatur, quia caput est, & primus omnium Apostolorum: & quod in capite præcessit, in membris sequi necesse est. Quamobrem sancta Romana Ecclesia eius merito Domini voce consecrata, & sanctorum Patrum auctoritate roborata, primatum tenet omnium Ecclesiarum: ad quam tam summa Episcoporũ negotia, & iudicia, atque querelæ, quàm & maiores Ecclesiarum quæstiones, quasi ad caput, semper referenda sunt. Nam & qui se scit alijs esse præpositum, non molestè ferat aliquem sibi esse præferendum. Ipsa namque Ecclesia, quæ prima est, ita reliquis Ecclesijs vices suas credidit largiendas, vt in partem sint vocatę solicitudinis, non in plenitudinem potestatis. Vnde omnium appellãtium Apostolicam Sedem Episcoporum iudicia, & cunctarum maiorum negotia causarum eidem sanctæ Sedi reseruata esse liquet: præsertim cùm in his omnibus semper sit eius expectãdum consultum, cuius tramiti si quis obuiare tentauerit sacerdotum, causas se non sine honoris sui periculo apud eandem sanctam Sedem nouerit redditurum.

Ad Episcopos Galliæ: Quantum nos diuina potentia Apostolorum primi sedem, non pro nostris meritis, sed pro ineffabili suæ misericordiæ pietate habere constituit, tantum nos de vniuersarũ Ecclesiarũ dispositione, & pace, & statu curã habere etiã conuenit. Quapropter Auxanio fratri & Coepiscopo nostro Arelatensis ciuitatis Antistiti vices nostras charitas vestra nos dedisse cognoscat: vt si qua (quod absit) fortassis emerserit cõtentio, congregatis sibi fratribus & Coëpiscopis nostris, causas Canonica & Apostolica auctoritate discutiens, Deo placita æquitate difiniat. Contentiones verò si quæ (quas Dominus auferat) in fidei causa contigerint, aut tale emerserit fortè negotium, quod pro magnitudine sui Apostolicę sedis magis iudicio debeat terminari, ad nostram discussa veritate perferat sine dilatione notitiam. Et quia necesse est, vt aptis, Deo propitiante, temporibus Arelatẽsis Episcopus nostris vicibus fungatur, quoties iudicauerit expedire, pro facienda consolatione communi, Episcoporum debeant congregari personæ, nullus inobediens eius sit mandatis: quòd si fuerit, à congregatione suspendatur; nisi aut corporalis infirmitas, aut iustitiæ causa eum excusatio venire prohibeat. Illud pari auctoritate mandamus, ne quisquã Episcoporum, sine prędicti fratris & Coëpiscopi nostri Formata ad longinquiora loca audeat proficisci: quippe, quia & decessorum nostrorum decessoribus eius, quibus vices suas libentissimè cõtulerunt, sanctę sic definiunt iussiones: vt his omnibus obedientia Deo placita custoditis, pax, quæ à Christo Deo Domino ac Saluatore nostro Apostolis tamquam hæreditario est nomine derelicta in Ecclesia Dei, quę vna est toto orbe diffusa, firma stabilitate seruetur.

Epistola ad Aurelianum Episcopum Arelatensem: Administrationem vicium nostrarum fraternitati vestrę animo libenti committimus, & credimus charitatis vestræ officio, actibus Deo placitis diligenter vniuersa compleri, quando & summi sacerdotij consortio vos dignos esse diuina gratia iudicauit. Quapropter vices nostras vestræ charitati hac auctoritate committimus, vt vniuersa, quæ decessorum nostrorum vel Canonum statuta sanxerunt, Deo congruis operibus faciendo atque seruando, nostrum, & glorioſi Regis iudicium circa charitatem tuam rectum fuisse possis ostendere, &c. Et vt vniuersa fraternitas vestra diligenti possit ratione complere, Episcopis, quibus pro vice nostra te præesse volumus, nos præcepta destinasse signamus, vt & illi vobis obedientiam exhibere debeant competentem, & fraternitas tua eos in Christi charitate complectens, exemplis bonorum potius operum, ad quę sunt Deo placita facienda semper inuitet.

Epistola secunda ad Episcopos Galliæ: Admonet nos loci nostri ministerium, diuina misericordia Domini collatum, Domini gratia protegente, nec legentis euitando periculum, bonis potius palmam retributionis promissæ vt studeamus & mereamur accipere. Vnde quantùm nobis Christus primi Apostolorum locum pro ineffabili pietatis suę gratia concessit, tantùm nos de vniuersarum pace Ecclesiarum, quæ licet in multis vna tamen est toto orbe diffusa, incessanti studio cõuenit esse solicitos. Vnde quia dudum Auxanio quondam Arelatensis ciuitatis Antistiti vicium nostrarum solicitudinem dederamus, sed cursum vitę præsentis implendo de hac luce migrauit: in cuius loco Aurelianus frater noster noscitur successisse: necessarium valde credimus, solicitudinem hanc à nobis antefato debere committi, confidentes illum & pro loci sui qualitate bonis actibus vniuersa, quæ Deo placeant, posse complere, & maximè cũ gloriosus filius noster Childebertus Rex testimonium bonæ conscientiæ perhibuit.

Pelagius Primus. 555.

Epistola 1. ad Vigilium: Memor sum, me sub illius nomine Ecclesię prędere, cuius est à Domino Iesu Christo glorificata confessio, & cuius fides omnes quidem hæreses destruit, sed maximè impietatem prędentis erroris expugnat. Et intelligo aliter mihi non licere, quàm vt omnes conatus meos ei causę, in qua vniuersalis Ecclesię salus infestatur, impendam.

Epistola ad Sepaudum Arelatensem Episcopum: Maiorum nostrorum, operante Dei misericordia, cupientes inhærere vestigijs, & eorum actus diuino iuuamine in omnibus imitari, charitati tuæ per vniuersam Galliam sanctæ Sedis Apostolicæ, cui diuina gratia præsidemus, vices iniungimus. Hoc enim antiquitatis memoria docet, hoc Ecclesię Romanę testantur scrinia, à sanctis Parribus & decessoribus nostris tuis decessoribus esse concessum, vt illius stabilis petræ sempiterna soliditas, supra quam Dominus Saluator noster propriam fundauit Ecclesiam, à solis ortu vsque ad occasum primatus sui apicem successorum suorum auctoritate tam per se, quàm per vicarios suos firmiter obtineret. Hinc est, quòd & nos fraternitati tuę huiusmodi curas iniungimus, vt Sedis nostrę vicarius institutus, ad instar nostrum, in Galliarum partibus primi sacerdotis locum obtineas, & quicquid ad gubernationem vel dispensationem Ecclesiastici status gerẽdum est, seruatis Patrum regulis, & sedis Apostolicę constitutis, diuini iudicij consideratione dispenses, talemqúe te in custodiendis Canonibus sancta conuersatio-

ne demon-

ne demonstres, qualem tanti loci decet esse vicarium.

Ioannes Tertius. 560.

Epist. ad Germaniæ & Galliæ Episcopos: Congruum nobis visum est literis Sedis Apostolicæ (vt antecessorum quoque nostrorum vestigia imitemur) vos monere præcepta diuina, & Apostolicæ Sedis instituta viriliter peragere, & prohibita non tangere, sed cauere.

Pelagius Secundus. 579.

Epist. ad illegitimam Synodum Constantinopolitanam: Relatum est ad Apostolicam Sedem Ioannē Constantinopolitanum Episcopum vniuersalem se scribere, vosq; ex hac sua præsumptione ad Synodum conuocare generalem, cùm generaliū Synodorum conuocandi auctoritas Apostolicæ Sedi B. Petri singulari priuilegio sit tradita, & nulla vnquā Synodus rata legatur, quę Apostolica auctoritate non fuerit fulta. Quapropter quicquid in prædicto vestro conuenticulo (quia Synodus taliter præsumpta esse nō potuit) statuistis, ex auctoritate S. Petri Apostolorū principis, & Domini Saluatoris voce, qua B. Petro potestatē ligandi atque soluendi ipse Saluator dedit: quæ etiam potestas in successoribus eius indubitāter transiuit, præcipio omnia, quę ibi statuistis, & vana & cassata esse, ita vt deinceps nunquam appareant, nec ventilentur. Multis denuò Apostolicis & Canonicis atque Ecclesiasticis instruimur regulis, nō debere absque sententia Romani Pontificis Concilia celebrari. Vos quoq; deinceps vt nullius hortatu talia præsumatis, si Apostolicæ Sedis communione carere non vultis, &c. Orate fratres, vt honor Ecclesiasticus nostris diebus non euacuetur: nec vnquam Romana Sedes, quæ (instituente Domino) caput est omnium Ecclesiarum, priuilegijs suis vsquam careat, aut expoliatur.

Gregorius Magnus. 590.

Lib. 4. epist. 7. vniuersis Episcopis per Illyricum: Iusta postulationis vestræ desiderium prædictum fratrem & Coēpiscopum nostrum in eo, in quo est sacerdotij ordine constitutus, nostri assensus auctoritate firmamus, ratamq; nos eius consecrationem habere dirigentes palliū iudicamus. Cui quoniam, iuxta morem, nostras vices cōmisimus peragendas, ideò fraternitatem vestram necessariò prouidimus adhortandam, quatenus ei in his, quę ad ordinem Ecclesiasticum rectitudinēq; disciplinę pertinent, parêre nullo modo differatis, vt charitatem vestrā syncero eum iudicio elegisse exhibita valeat obedientia declarare.

Lib. 6. epist. 37. ad Eulogium Alexandrinum: Cùm multi sint Apostoli, pro ipso tamen principatu sola Apostolorum principis sedes in auctoritate conualuit, quę in tribus locis vnius est. Ipse enim sublimauit sedem, in qua etiam quiescere, & præsentem vitam finire dignatus est. Ipse decorauit sedem, in qua Euangelistam discipulū misit. Ipse firmauit sedem, in qua septem annis, quamuis discessurus, sedit.

Libro 7. epist. 64. De Constantinopolitana Ecclesia quod dicunt, quis eam dubitet Sedi Apostolicæ esse subiectam? Quod & pijssimus Dominus Imperator, & frater noster Eusebius eiusdem ciuitatis Episcopus assiduè profitentur.

Libro 11. epist. 44. Illud autem admonemus, vt Apostolicę Sedis reuerentia nullius præsumptione turbetur. Tunc enim status membrorum integer manet, si caput fidei nulla pulset iniuria, & Canonum manet incolumis atque intemerata semper auctoritas.

Libro 7. epist. 117. Gloriosæ memoriæ Childebertus Francorū Rex Catholicæ religionis amore succensus, intra muros Arelatēsis ciuitatis monasterium virorū, vt scripto reperimus, pro sua mercede constituens, quędam ibidem pro habitantium sustentatione concessit. Cuius ne voluntas vnquam duceretur in irritum, & ea, quæ pro quiete monachorum disposita fuerant, turbarentur, quæqúe contulit, in iure eiusdem monasterij, epistolis suis Apostolica petijt auctoritate firmari: hoc quoque suæ petitioni subiungens, vt eidem monasterio tam in dispositione rerū, quàm in ordinatione Abbatis, quędam pariter priuilegia largirentur. Sciens quippe eam Apostolicæ Sedi reuerentiam à fidelibus exhiberi, vt quæ eius fuissent decreto disposita, nullius deinceps illicitæ vsurpationis molestia quaterentur, &c.

Ad Psalm. 4. Pœnitentialem: Rex in tantum suæ temeritatem extendit vesanię, vt caput omnium Ecclesiarum Romanam Ecclesiam sibi vendicet, & in domina gentium terrenæ ius potestatis vsurpet. Quem omninò ille fieri prohibuit, qui hęc beato Petro Apostolo specialiter commisit, dicens: *Tibi dabo claues regni cælorum.* Matt. 16.

Matt. 16.

Deusdedit. 610.

Ad Gordianum Hispalensem Episcopum: Peruenit ad nos Diaconus vester, vestræ Sanctitatis epistolam ferens, quòd quidam viri etiam & mulieres præterito Sabbato Paschali die, pro magno populorum incursu nescientes proprios suos filios susceperint ex lauacro sancto. Cupis ergo scire, si pro tali accidente ratione debeant viri & mulieres ad suum proprium redire vsum, an non. Nos enim ex hoc tristitia mœsti, inquisiuimus priorum Patrum nostrorum dicta. Inuenimus autem in archiuis huius Apostolicę Sedis iam talia contigisse Ecclesiæ Isaurię & Ephesiorum, simulqúe Hierosolymæ, & etiam aliarum ciuitatum. Episcopis etiam earum ciuitatum ab hac Apostolica sede scire volentibus, si viri & mulieres redirent ad proprium thorum, beatæ memoriæ sanctissimi Patres, Iulius, Innocentius, & Cęlestinus, cum Episcoporum plurimorum & sacerdotum conuentu in Ecclesia beati Apostolorum principis, prohibentes talia perscripserunt, & cōfirmauerunt, vt nullo modo iam in coniugio se reciperent mulieres, aut viri, qui quacunque ratione suos susceperunt natos: sed separent se, ne suadente diabolo tale vitiū peccati inolescat per mūdum.

Bonifacius Quintus. 614.

Epistola prima ad Iustum: Susceptis apicibus filij nostri Adelvaldi regis, reperimus quanta sacri eloquij eruditione eius animum ad verę conuersionis, & indubitatę fidei credulitatem fraternitas vestra perduxerit, &c. Pallium per latorem præsentium fraternitati tuæ benignitatis studijs inuitati direximus: quod videlicet tantum in sacrosanctis mysterijs celebrandis licentiam vtendi imperauimus: concedentes etiam tibi ordinationes Episcoporum, exigente oportunitate, celebrare. Studeat ergo tua fraternitas hoc, quod Sedis Apostolicæ humanitate percepit, intemerata mentis synceritate seruare intendens.

Honorius Primus. 622.

Epistola 1. Excellentissimo & præcellentissimo filio Eduino regi Anglorum Honorius seruus seruorum Dei salutem. Et ideo, excellentissime fili, paterna vos charitate, qua conuenit, exhortamur, vt hoc, quod vos diuina misericordia ad suam gratiam vocare dignata est, solicita intentione, & assiduis orationibus seruare omnimodo festinetis. Duo pallia Honorio & Paulino Metropolitanis direximus, vt dum quis eorum de hoc seculo ad auctorem suum fuerit accersitus, in

tus, in loco ipsius alterum Episcopum ex hac nostra auctoritate debeat subrogare: quod quidem tam pro vestræ charitatis affectu, quàm pro tantarum prouinciarum spatio, quæ inter nos & vos esse noscuntur, sumus inuitati concedere.

Epistola 2. ad Honorium Episcopum: Et nos equidē, fratres charissimi, hæc vobis pro paterna charitate exhortationis verba præmittentes, quę rursus pro Ecclesiarum vestrarum priuilegijs congruere posse conspicimus, nō desistimus impartire. Et tam iuxta vestram petitionem, quàm filiorum nostrorum regum vobis præsenti nostra præceptione, vice beati Petri Apostolorum Principis auctoritatem tribuimus, vt quando vnum ex vobis diuina ad se iusserit gratia vocari, is, qui superstes fuerit, alterum in loco defuncti debeat Episcopum ordinare. Pro qua re singula vestrę dilectioni pallia, pro eadem ordinatione celebranda, direximus, vt per nostræ præceptionis auctoritatem possitis Deo placitam ordinationem efficere.

Martinus Primus. 650.

Epistola 1. Hoc autem consultissimè ipsi non solùm effeciſſe noscuntur, sed & alij plures diuersas prouincias habitantes reuerendissimi Episcopi, & quod maius est dicere, generalitates Synodorum per sua scripta non solùm inuitantes emendare propriam hæresin, sed & nos ipsos, id est Apostolicam nostram sedem coniurantes, & protestantes, erigere se secundùm regularem auctoritatem, & non vsque ad finem per tot tempora permittere contrariorum nouitatem sanctas Dei Catholicas depasci Ecclesias.

Epistola 2. ad Amandum: Idcirco studeat fraternitas tua omnibus eadem innotescere, vt tam abominandam hæresin nobiscum execrentur, quamqúe suæ salutis sacramenta indiscere valeant, atque synodali conuentione omnium fratrum & Coēpiscoporum nostrorum partium illarum effecta, secūdùm tenorem Encyclię à nobis directę, scripta vnà cum subscriptionibus vestris nobismet destinanda concelebrēt, confirmantes atque consentientes ijs, quę pro orthodoxa fide & destructione hæreticorum vesaniæ nuper exortę à nobis statuta sunt, & Sigebertum præcellentissimū filium nostrū, regem Francorū pro suę Christianitatis remedio consultissimè admonere, atque precari, dirigere nobis ex corpore fratrum nostrorum dilectissimos Episcopos, qui Sedis Apostolicę legatione, diuina concedente propitiatione, fungi debeant.

Epist. 10. Hortamur vt intentiore studio vires tuas conferas Dei amantissimo Episcopo Philadelphensiū ciuitatis: quoniā eū vice nostra Deo iuuāte fungi canonicè iussimus, vt Catholicas in illis partibus Ecclesias decēter ordinet, in ijs omnibus Episcopos, Presbyteros, & Diaconos creans, permissa ei à Domino per nos minimos, siue per auctoritatem sancti & principis Apostolorū Petri spirituali potestate: ne viduati in tam multis temporibus, taliqúe afflictionis pressura, populi in terram squallidam & infrugiferam vertantur.

Epist. 11. ad fratres, qui Hierosolymitanæ Sedi subsunt: Nos Ecclesiam ędificare properantes in Spiritu sancto, ad maiorem eius stabilitatem conuenienter studuimus in præsenti præcipere, secundùm potestatem nobis à Domino in gratia datam, per sanctum Petrum Apostolorum principem, Ioanni dilecto fratri nostro, Episcopo Philadelphensium ciuitatis, vt locum nostrum in omnibus Ecclesiasticis articulis in partibus Orientis suppleat, & creet in omnibus ciuitatibus, quæ Antiochenæ sedi, quæqúe Hierosolymitanæ sacerdotaliter subsunt, Episcopos, Presbyteros, & Diaconos.

Vitalianus. 657.

Epist. 1. ad Paulum Cretensem Archiepiscopū: Sed hęc magis per ignorantiā opinamur gesta esse, quàm per calliditatem. Propterea quæ præcipimus tibi secundùm Deum, & propter Dominum, quæqúe Synodo, studeillicò peragere, ne cogamur nō misericorditer, sed secundùm virtutem sacratissimorum Canonum conuersari. Scriptum namq; est: Dominus inquit: *Petre rogaui pro te, vt nō deficeret fides tua: & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.* Et rursùm: *Quodcunque ligaueris Petre in terra, erit ligatum & in cælo.* Lucæ 22. Matt. 16.

Agatho. 680.

Epist. ad Constantinum Imp. Heraclium & Tiberium Augustos: Pro ea confessione à Domino omnium beatus esse pronuntiatus est Petrus: qui & spiritales oues Ecclesiæ ab ipso Redemptore omniū terna commendatione pascendas susceperit: cuius adnitente præsidio hæc Apostolica eius Ecclesia nūquam à via veritatis in qualibet erroris parte deflexa est: cuius auctoritatē, vtpote Apostolorū omniū principis, semper omnis Catholica Christi Ecclesia, & vniuersales Synodi fideliter amplectentes, in cunctis secutæ sunt, omnesqúe venerabiles Patres Apostolicam eius doctrinam amplexi, per quam & probatissima Ecclesiæ Christi luminaria claruerunt, & sancti quidem Doctores Orthodoxi venerati atque secuti sunt: hæretici autem falsis criminationibus aut derogationum odijs insecuti. Matt. 16. Ioan. 21.

Apud Gratianum dist. 19. epistola ad omnes Episcopos: Sic omnes sanctiones Apostolicę Sedis accipiendæ sunt, tamquam ipsius diuina voce Petri firmatæ.

Leo Secundus. 682.

Epist. 1. Pijssimo & tranquillissimo Domino victori & triumphatori, filio dilecto Dei & Saluatoris nostri Constantino Imperatori, &c. Sancta Synodus quia definitionem rectę fidei plenissimè prędicauit, quam & Apostolica Sedes beati Petri Apostoli (cuius licet impares ministerio fungimur) veneranter susćipit: idcirco & nos, & per nostrum officium hæc veneranda Sedes Apostolica concorditer, ac vnanimiter his, quæ definita sunt ab ea, cōsentit, & beati Petri auctoritate confirmat, sicut supra solidatā petram, qui Christus est, ab ipso Domino adepta firmitatem. Propterea sicut susćepimus, atque firmiter prędicamus sancta quinque vniuersalia Concilia, Nicęnum, Constātinopolitanum, Ephesinum primū, Chalcedonense, & Constantinopolitanum, quæ & omnis Christi Ecclesia approbat & sequitur: ita & quod nuper in regia vrbe celebratū est, sanctum sextum Concilium pari veneratione, atque censura susćipimus, & hoc cum eis dignè connumerari, tāquam vna & æquali Dei gratia congregatum, decernimus: & qui in eo fideliter conuenerunt Christi Ecclesię sacerdotes, inter sanctos Ecclesię Patres atque Doctores ascribendos æquè censemus.

Epist. 2. ad Præsules Hispaniæ: Scientes igitur, quia est in vobis Christianæ religionis flagrans studiū, vlnisq; spiritualibus amplectimini semina cælestis doctrinæ, & Euangelicæ atq; Apostolicæ Traditiōis in vobis fructificat feruor & puritas: pro qua hęc sancta Ecclesiarū omniū mater Apostolica Sedes vsq; ad victimam desudauit semper, & desudat, & prius (si hoc diuina Maiestas censuit) animam à corpore tēporaliter deligit sequestrari, quàm proditione sacrilega se à confessione veridica pro temporali delectatione, vel afflictione seiungi.

Gregorius Secundus. 716.

Epistola 1. ad Bonifacium Presbyterum: Idcirco qui

præmissi conatus pium affectum vsque ad Apostolicæ Sedis modesta præuisione perduxisti cõsultum, vt membrum ex membro proprij corporis caput requirens, motum mentis probares, capitisqúe arbitrio humiliter se submittens, eius directioni iusto tramite properans, soliditati compaginis plenitudo existas. Ideò in nomine indiuisibilis Trinitatis, per inconcussam auctoritatem beati Petri Apostolorum principis, cuius doctrinæ magisterijs dispersatione fungimur, & locum sacræ Sedis administramus, modestiam tunc religionis instituimus, atque præcipimus, vt &c.

Epistola 4. ad Asuleum, & cæteros Thuringos: Cuius gratia comitante vos ad meliora & potiora optamus proficere, & ad confirmandum fidei vestræ propositum sanctæ Sedi Apostolicæ religiosis mentibus adhærere, & prout opus poposcerit sacræ religionis, à memorata sancta Sede Apostolica, spiritali omnium fidelium matre, solatium quærere, sicut decet filios cohæredes regni à regali parente.

Gregorius Tertius. 731.

Epistola 4. ad Bonifacium: In ijsdem literis quibusdam subnexuisti capitulis, sciscitando qualiter teneat, vel doceat hæc sancta Apostolica Romana Ecclesia. Bene nosti satis, quia B. Apostolus Petrus & Episcopatus principium extitit, & consulenti tibi de statu Ecclesię, non ex nobis, quasi ex nobis, sed eius gratia, *qui aperit os mutorum, & linguas infantium facit disertas*, qualiter tenere debeas Apostolici vigoris doctrinam dicimus. Sap. 10.

Epistola ad Vrsum Ducem Venetorum: Quia peccato fauente Rauennatum ciuitas, quæ multarum caput extat Ecclesiarum, à nefanda gente Longobardorum capta est, & filius noster eximius D. Exarchus apud Venetias, vt cognouimus, moratur, debeat nobilitas tua ei adhærere, & cum eo, nostra vice, pariter decertare, vt ad pristinum statum sanctę Reipub. in Imperiali seruitio dominorum, filiorumqúe nostrorum Leonis & Constantini magnorum Imperatorum ipsa reuocetur Rauennatum ciuitas, zelo & amore sanctæ fidei nostræ. Deus te incolumem custodiat dilectissime fili.

Zacharias Primus. 740.

Epistola 2. ad VVittam: Flagitauit à nobis Bonifacius per Apostolicam auctoritatem vestras confirmari sedes. Pro quo & nos ardenti animo, & diuino iuuamine, & auctoritate B. Petri Apostolorum principis, cui data est à Deo & Saluatore nostro Iesu Christo ligandi soluendiqúe potestas peccata hominum in cælo & in terra, confirmamus, atq; solidas permanere sedes vestras Episcopales sancimus, intercedente ipsius Petri Apostolorum principis auctoritate, à præsente omnibus & in futuras generationes, vt nullus audeat contra eandem vestram venire ordinationem, quæ (dignante Deo) ex nostra præceptione in vobis facta est: & hoc interdicentes, vt nullus audeat, iuxta sanctorum Canonum traditionem, ex alio Episcopatu ibidem translatari, aut ordinare Episcopum, post vestram de hoc seculo euocationem, nisi is, qui Apostolicæ nostræ Sedis in illis partibus præsentauerit vicem. Sed nec vnus alterius Parochias inuadere, aut Ecclesias subtrahere præsumatis. Nam (quod non credimus) si quis ille fuerit, qui contra hanc nostram præceptionem temerario ausu venire tentauerit, sciat se æterno Dei iudicio anathematis vinculo esse innodatum.

Epistola 13. ad Bonifacium: Vbi Deus tuam prædicationem auxit, obtinere voluisti, vt tibi cathedralem Ecclesiam, vel successoribus tuis confirmare debeamus, iuxta eorundem filiorum Francorum petitionem. Et ideo B. Petri Apostoli auctoritate sancimus, vt supradictam Ecclesiam Moguntinam, atque etiam perpetuis temporibus tibi & successoribus tuis in Metropolim sit confirmata, habens etiam sub se has quinque ciuitates, id est Tungris, Coloniam, VVormatiam, Spiratiam, & Trectis, & omnes Germaniæ gentes, quas tua fraternitas per suam prædicationem Christi lumen cognoscere fecit. His à nobis definitis, per huius confirmationis paginam in tua Ecclesia perpetuis temporibus pro sui confirmatione conseruandam esse mandamus.

Adrianus Primus. 780.

Epistola ad Constantinum & Irenem AA. Vos autem partem habebitis cum eo, qui nunc in diuina requie quiescit, Constantino Imperatore & Helena eius matre, qui orthodoxam fidem illustrârunt, & confirmârunt, adeoqúe sanctam matrem vestram Catholicam & spiritualem Romanam Ecclesiam exaltârunt, vt planè spes sit, eorum piam appellationem in vestra cognomenta pijssima, & à Deo data transituram, vt per omnem terrarum orbem nouus Constantinus, & noua Helena prædicetur, per quos sancta Catholica & Apostolica Ecclesia renouabitur. Vos autem maximè in traditione orthodoxæ fidei Ecclesiæ B. Petri & Pauli principum Apostolorum acquiescitis, eamqúe amplectimini, quemadmodum à superioribus Imperatoribus factum est, qui Vicarium eius ex toto corde dilexerunt. Quapropter vestra quoque à Deo data maiestas sanctissimam Romanam Ecclesiam principum Apostolorum, quibus à Deo ipso data est potestas soluendi & ligandi peccata, cùm in cælo, tum in terra, honorabit. Ipsi scilicet regni vestri propugnatores erunt. Hi principes Apostolorum sunt, qui Catholicam orthodoxam fidem auspicati, per scripta quidem veluti legibus fidem suam seruandam præceperunt: omnibus scilicet, qui in sedes illorum successuri erant, & in fide eorum vsq; ad consummationem seculi permansuri.

Epistola ad Tarasium Patriar. Constantinopolitanũ: Petri sedes in omnem terrarum orbem primatum tenens refulget, & caput omnium Ecclesiarum Dei consistit. Vnde idem B. Petrus Apostolus Domini præcepto pascens Ecclesiam, nihil dissolutum dimisit: sed tenuit semper & retinet principatum. Cui si adhærere cupit vestra Sanctitas, & nostrę Apostolicæ Sedis, quæ est caput omnium Ecclesiarum Dei, sacram & orthodoxam formam incorruptè & incontaminatè ex profundo cordis & synceritate mentis custodire studet, vt re vera orthodoxa & Dei cultrix consistens: hoc primum Deo offerat, &c.

Leo Tertius. 800.

Epistola ad Sabionensem, Brixiensem, Frisingensem, &c. Episcopos: Dilectionis vestrę, quas nobis petitorias emisistis syllabas, libenti suscepimus animo, in quibus ferebatur, vt in prouincia vestra Baioariorum Archiepiscopum ordinaremus, quò prouincia ipsa mirificè à filio nostro D. Carolo excellentissimo Rege Francorũ, & Longobardorum, & Patricio Romanorum penitus ex omni parte, sicut decuit, ordinata est. Idcirco conuenit nos ipsos, nempe Ecclesiastico moderamine, in sacro Ordine fideliter atque spiritualiter, secundùm censuram canonicam ipsam

ipsam ordinare Baioariorum prouinciam.

Epistola ad Ceimulphum Regem: Ecce, fili dilectissime, & amantissime, ac prestantissime, Rex bone, in his tuis assertionibus collaudamus Dominum omnipotentem, qui talem nobis demonstrauit Antistitem, &c. Et quia multum nobis prænominatus Archiepiscopus in omni sanctitate sua, & vitæ conuersatione vltrò citroqúe placuit, & valdè nimis ei credentes ex auctoritate B. Petri Apostolorũ principis, cuius vel immeriti vices gerimus, talem prębuimus Pręsulatum, vt si quispiam ex subiectis suis tam regibus & principibus, quàm vniuerso populo transgressus fuerit Dominica mandata, excommunicet eum vsque dum pœniteat.

Eugenius Secundus. 824.

Epistola ad Radfredum Fauianiensem, Methodium Speculunensem, &c. Episcopos: Vrolphum reuerendissimum S. Laureacensis Ecclesiæ Archiepiscopum, sanctissimum fratrem nostrum, ab hac sancta Romana Ecclesia vobis Rectorem transmisimus, atque in præfatis regionibus Hunnię scilicet & Morauiæ, prouinciarumqúe Pannoniæ & Mœsiæ Apostolicam vicem nostram, atque ius Ecclesiasticum exercendi auctoritatem committimus: cuius dilectioni ad honorem suum nostram Apostolicam vicem, & auctoritatem nostram insuper accumulamus, quod nunquam suis permissum est prioribus: quatenus & vos confratres & Coëpiscopi deinceps reuerentiam ei ampliorem exhibere sciatis, atque vos laici primates, & vulgus saluberrimis præceptis suis, non velut homini, sed tamquam Deo humiliter obtemperetis, &c.

Gregorius Quartus. 830.

Epistola ad Episcopos per Galliam, Europam, & Germaniam constitutos: Expectandi sunt magis, atque corrigendi rectores Ecclesiæ, quàm statim, & absque nostro consulto iudicandi: cùm maiora negotia, & difficiliores causarum exitus, sanctorum Patrum Canones, Spiritu Dei conditi, & totius mundi reuerentia conseruati, iubeant sub nostræ sententię expectatione suspendi, nostroqúe moderamine finiri, &c. Conterendus est ergo venantis laqueus, vt fugatis lamentationibus tã in iusta moderatione, quàm compũctione pietatis, Apostolica auctoritate sol iustitiæ in oculis splendeat corruentium. Nec pigeat forsitan, aut pudeat nostris obedire mandatis, aut Apostolicæ Sedis obseruare præcepta: quia *humilibus dat gratiam*, non superbis. Nam nulli fas est, vel velle, vel posse transgredi Apostolicæ Sedis præcepta, nec nostræ dispositionis ministerium, quod vestram sequi oportet caritatem. Sit ergo ruinæ suæ dolore prostratus, quisquis Apostolicis voluerit contraire decretis, nec locum deinceps intér sacerdotes habeat, sed extorris à sancto fiat ministerio, nec de eius iudicio postea quisquam curam habeat: quoniam iam damnatus à sancta Apostolica Ecclesia, ac auctoritate sua de inobedientia atque presumptione, à quoquã esse non dubitatur: quia maioris excommunicationis deiectione est exigendus, cui sanctæ Ecclesiæ commissa fuerit disciplina, qui non solùm prælatæ sanctæ Ecclesiæ iussionibus parêre debuit, sed etiam alijs, ne pręterirent insinuare: sitqúe alienus à diuinis & Pontificalibus officijs, qui noluit præceptis obtemperare Apostolicis.

Leo Quartus. 850.

Epistola ad Carolum Regem: (*extat apud Iuonem parte 5. cap. 21.*) Si fortasse (quod non credimus) apud vos inutiles iudicamur, Ecclesia tamen, cui permittente Domino præsidemus, non inutilis, sed caput principiumqúe omnium meritò simul ab omnibus vocatur.

Nicolaus Primus. 858.

Epistola 6. ad Photium: Postquam beato Petro principi Apostolorum Christus ligandi atque soluendi in cælo & in terra potestatem tribuit, & ianuas regni cęlestis reserandas concessit, supra soliditatem fidei suam sanctam dignatus est stabilire Ecclesiam, secũdùm illius veridicam vocem dicentis: *Tu es Petrus*, &c. Ad quam promissionem sanctæ Apostolicæ institutionis cemento cœperunt huius fundamenta ex preciosis succrescere lapidibus, & annuente diuina clementia, per studium structorum, & Apostolicæ auctoritatis solicitudinem vsque ad culmen insolubiliter perducta, perpetualiter mansura fine sinistræ auræ impulsu consistere: cuius primatum beatus Petrus princeps Apostolorum, & ianitor regni cælestis meritò promeruit. Post quem & huius Vicarij synceriſsimè Deo famulantes, carentes nebularum densitatibus, quæ recto ab itinere impedire assolent, dignius perceperunt: & in cura regiminis, quam pro Dominicis ouibus susceperant, solicitè permanserũt. Inter quos & nostram paruitatem omnipotentis Dei misericordia connumerare dignata est: pro quibus tantum cõsistimus pauidi, quantum consideramus in æterno examine pro omnibus, & præ omnibus, qui Christi censentur nomine, rationem reddituri. Et quia vniuersitas credentium ab hac sancta Romana Ecclesia, quæ caput omnium est Ecclesiarum, doctrinam exquirit, integritatem fidei deposcit, criminum solutionem, qui digni sunt, & gratia Dei redempti exorant: oportet nos, quibus commissa est, solicitos esse, & ad speculationem Dominici gregis tantùm feruentius anhelare, quantum hunc auidi lupi ad dilaniandum hinc inde patentia ora exquirunt. Constat enim sanctam Romanam Ecclesiam, per beatum Petrum principem Apostolorum, qui Dominico ore primatum Ecclesiarum suscipere promeruit, omnium Ecclesiarum caput esse, & ab ea rectitudinem, atque ordinem in cunctis vtilitatibus, & Ecclesiasticis institutionibus exquirere ac sectari. Et ideo consequens est, vt quod ab huius Sedis rectoribus plena auctoritate sancitur, nullius consuetudinis prępediẽte occasione, proprias tantummodò sequendo voluntates, remoueatur, sed firmius atque inconcussè teneatur.

Epistola 8. ad Michaelem Imp. Cùm secundùm Canones, vbi est maior auctoritas, iudicium inferiorum sit deferendum, ad dissoluendum scilicet, vel ad roborandum: patet profectò Sedis Apostolicę, cuius auctoritate maior non est, iudicium à nemine fore retractandum, neque cuiquam de eius liceat iudicare iudicio. Siquidem ad illam de qualibet mundi parte Canones appellari voluerunt, ab illa autem nemo sit appellare permissus, &c. Si cunctis generaliter sacerdotibus diuina tractantibus fidelium conuenit corda submitti: quantò potius Sedis illius Pontifici consensus est adhibendus, quem cunctæ Ecclesiæ generalis iugiter pietas celebrauit? Vbi clementia vestra euidenter aduertit, nunquam quouis penitus humano cõsilio eleuare se quemquam posse contra illius priuilegium, vel confessionem, quem Christi vox prætulit vniuersis, quem Ecclesia veneranda confessa semper est, & habet deuota Primatem.

Epistola 10. ad Metropolitanos & Episcopos Constantinopolitanæ Sedi subiectos: Quapropter quia (sicut diuinitus inspirata sapientia vestra nouit) cunctarum Christi ouium cura constringimur, cùm vices illius per abundãtiam cęlestis gratię geramus,

cui specialiter à Deo dicitur: *Pasce oues meas*, &c.

Epistola 18. ad Carolum Regem: Sedes hæc sancta atque præcipua, cui Dominici gregis & solicitudo curaq; commissa est, in omnibus mundi partibus rectitudinis suæ dispositione salubri cuncta ordinare, perficereq; diuino freta procurat auxilio, & quod singulari etiam auctoritate perficere valet, multorum sæpe sacerdotũ decernit definire consensu, & iustitiæ censura, ea scilicet emendando deliberare, quæ perperam atque enormiter fuerint alicubi commissa.

Epistola 20. ad Carolum Regem: Quoniam ad hanc sanctam Romanam, cui Deo auctore deseruimus, Ecclesiam, quæ ob sui priuilegij principatũ, quo cæteras Dei Ecclesias orbe vniuerso diffusas excellit diuinitus, de diuersis mundi partibus, quotidie multis sceleribus oppressi confugiunt, remissionem scilicet & venialem sibi gratiam tribui supplici, & ingenti cordis mœrore poscentes: à qua verò ob insigne dilectionis meritum, & debitę compassionis gratiam recti libraminis auxilium cunctis fida petentibus intentione tribuitur, atque largitur.

Epist. 30. ad Carolum Regem: Romanæ Sedis priuilegia vsq; ad mortem, ope freti diuina, prędecessorum meorum vestigia sequendo, cassari taliter minimè patiemur, &c. Priuilegia namq; Romanę Ecclesię totius sunt Christi (vt ita dicamus) remedia Ecclesiæ Catholicæ. Priuilegia, inquam, Petri arma sunt contra omnes impetus prauitatum, & munimẽta atq; documenta Domini sacerdotum, & omnium prorsus, qui in sublimitate consistunt, imò cunctorum, qui ab ijsdem potestatibus diuersis afficiuntur incommodis.

Epist. 32. ad Episcopos Concilij Siluanectensis: Quoniam ex amore, secũdùm constitutionem maiorũ, non solùm de omnibus, quæ possunt aliquando recipere dubitationem, vel quamcunq; incurrere quæstionem: verùm de cęteris atq; maioribus negotijs Ecclesiasticis ex equẽdis, ad apicem Episcopatus, id est, ad magni Petri Sedem debere vos referre cognoscitis: horum auctori ac omnium bonorum largitori Deo & Domino nostro gratiarũ multimodas retulimus actiones.

Epist. 36. ad Hermintrudam Reginam: Literas dilectionis vestræ, filia charissima, vt gloriosum Regem Carolum virum vestrum, nostrum autẽ dilectum filium, in causa Rothaldi Episcopi exaudiamus, nos hortantes, ecce nunc secundò suscepimus, &c. Quòd autem scripsistis, quia si exaudiamus filium nostrum, non detrimentum, sed augmentum Ecclesię nostrę priuilegijs generetur: nos certissimè credimus, quia priuilegia sanctæ Romanę Ecclesię nullum possunt sustinere detrimẽtum, nec plantatio, quam cęlestis Pater plantauit, eradicari, nec fundamẽta, quę summus posuit architectus, queant quibuslibet, & quantislibet fluctuationibus amoueri.

Adrianus Secundus. 867.

Epistola 3. Deo amabili ac pijssimo Imperatori Basilio Augusto Christianissimo & desiderabilissimo filio: O quàm est illa laudabilis, & ab omnibus veneranda Sedes Apostolica, & meritò à cunctis mortalibus efferenda, quæ semper Catholicis subuenire consueuit, quæ semper gaudere cum gaudentibus, & flere cum flentibus non cessauit, &c. Hæc curare cupiens, Apostolicæ Sedis decreti remedium sanissimè requisisti: quius nimirum medicamentis Ecclesia Constantinopolitana, sępe Præsulibus eius languentibus infirmata, pristinam sospitatem vigoremq́e resumpsit. Nam quibusdam ipsorum nonnũquam errantibus, quibusdam verò imminẽtis persecutionis iniuriam sustinentibus, hæc semper subuenire non destitit, illis scilicet tramitem directionis ostendens, istis pietatis manum semper extendens. Itaque, fili charissime, noueris quicquid erga sanctissimum fratrem & Coëpiscopum nostrum Ignatium, vel circa schismaticum Photium, diuinitus inspiratum, & iustitiæ zelo succensum, te literis intimas peregisse, nobis & vniuersæ Occidentalium Ecclesiæ per omnia placuisse: præsertim cùm nihil egeris præter quod Apostolica Sedes cum totius Hesperiæ Præsulibus iamdudum agenda decreuit, & nulla mora interueniente perficienda mandauit.

Ioannes Octauus. 872.

Epistola 18. ad Felicem, & Petrum Episcopos Mandauaucensem, & Equilensem: Petrus Ecclesiæ Gradensis Antistes ad limina Apostolorum profectus Sedem adijt, vbi semper Catholicis subuenitur, & vbi plurimi Sanctorum iniuriam passi, petram, à qua Petrus nomen sortitus est, refugium inuenerunt.

Epistola 73. ad Lambertum Comitem: Sedem Apostolicam, quam Deus omnipotens supra petram sui nominis fundare dignatus est, non solùm Reges & Principes terræ, verùmetiam Imperatores Augusti, & totius orbis Domini suis apicibus, vtpote caput omnium Ecclesiarum Dei, honorauerunt, dignisq́e pręconijs eius Pontifices, Vicarios scilicet beati Petri Apostolorum principis, laudauerunt, votisq́e supplicibus deprecari studuerunt, & vsque in finem seculi, Petri manente nomine ac memoria, supplicare non desinent.

Epistola 87. ad Ludoicum Francorum Regem: Te quoque, charissime fili, auctoritate sancti Spiritus Dei nostri, ad vicem genitoris vestri Domini Caroli Imperatoris Augusti à secretis constituo meum consiliarium, qui, vt dici assolet, pars animæ meæ fuit: & quæq; agenda sunt, coge, adunaq; consilium: quia in fonte tui cordis primùm intingendus calamus, deinde manus nostra formabit characteris apices.

Epistola ad Aldefonsum regem Galleciarum: Quia igitur in cura nos totius Christianitatis beati Petri Apostolorum principis sempiterna prouidentia successores ea Domini nostri Iesu Christi constringimur adhortatione, qua beatum Petrum Apostolum monuit, dicens: *Tues Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: & tibi dabo claues regni cælorum*, &c. Ideoq; quia vestræ notitię fama per hos fratres limina Apostolorũ lustrantes, per Seuerum & Desiderium presbyteros nobis miro odore bonitatis est reuelata, paterna vos adhortatione commoneo, in cœptis bonis operibus, gratia duce perseuerare, quatenus copiosa vos beati Petri protectoris vestri & nostra protegat benedictio: & quotiescunque fili, charissime, ad nos venire quilibet vestrum, aut transmittere voluerit, tota cordis exultatiõe & animi gaudio, de vltimis Galleciæ finibus, cui vos præter me Dominus rectores constituit, tamquam iure filios nostros vos colligimus, & Ecclesiæ Ouetensi, quã vestro consensu & assidua petitione Metropolitanam constituimus, omnes vos subditos esse mandamus.

Formosus. 891.

Epistola ad Adalgarium Episcopum Hamburgensem: Arbitrabamur sanctimoniam tuam, prout iam sanctum fuerat, ad Apostolicam te Sedẽ festinare, quatenus disceptatio, quę inter te, & Hermannũ Colonien sem Archiepiscopũ ventilatur de Bremensi Ecclesia, finem perciperet. Sed quia eo per vicarios insistente, & querimonias multiplicante, cur tuam non exhibueris præsentiam, saltem per defensorem vicarium, miramur, &c.

Qua-

Quapropter arctati hinc, ne Coloniensis Ecclesia iustitiam perderet: inde, ne Hamburgensis Ecclesia, quæ ad Gentium vocationem instituta fuerat, subsidio destituta deficeret, dispensatiuè censuimus, quatenus quoadusque diuina suffragante gratia præfata Hamburgensis Ecclesia intantum dilatetur, vt Episcopia instituere valeat, iam memoratam Bremensem Ecclesiam ad subsidium habeat, & quoties in magnis & prænecessarijs Canonicis negotijs oportuerit, non subiectione aliqua, sed affectu fraternæ charitatis Hãburgensis Archiepiscopus, qui eiusdem Bremensis Ecclesiæ regimen obtinet, per se aut vicarium suam vicem gerentem, in adiutorium Coloniensis Archiepiscopi inuitatus accedat, &c.

Leo Nonus. 1049.

Epistola ad Petrum Patriarcham Antiochenum: Promotionem tuam ad Episcopale fastigium, electione cleri & populi factam, atque fidem tuam secundũ antiquæ consuetudinis religiosum & valde necessarium studium, Apostolicæ & primæ Sedi, cui Deo auctore, quãuis indigni, præsidemus, annuntiare & exponere curasti, &c. Cunctis in toto orbe terrarum Ecclesijs sancta Romana & Apostolica Sedes caput præponitur, ad quam maiores & difficiliores causæ omnium Ecclesiarum definiendæ referantur.

Epistola ad Constantinũ Monomachum Imp. Quãtas gratias iugiter referre debeamus creatrici & gubernatrici omnium sanctæ Trinitati, gloriosissime fili, atque sereniss ime Imp. perpendere possumus, &c. Hoc sanè gloriosissimus filius noster Hẽricus Imp. perficere molitur.

Epistola ad Michaëlem Constantinopolitanum, & Leonem Acridanum cap. 10. Illi Sedi facitis præiudicium, de qua nec vobis, nec cuilibet mortalium licet facere iudicium, beatissimo & Apostolico Põtifice Syluestro diuinitus decernente, spiritualiq́e eius filio Constantino religiosissimo Augusto cum vniuersa Synodo Nicæna approbante & subscribẽte, vt summa Sedes à nemine iudicetur, inuiolabiliter & inconcussè sibi conseruato illo priuilegio, quod idem Princeps quarto baptismatis sui die deuotus contulit Pontifici Romano, scilicet vt in toto orbe sacerdotes ita hũc caput habeant, sicut omnes iudices Regem.

Nicolaus Secundus. 1050.

Epistola ad Eduardum Regem Angliæ: Nicolaus Episcopus seruus seruorum Dei gloriosissimo & pijssimo, speciali quoque filio nostro Eduardo Anglorum regi, visitationem omnimodam, salutem mellifluam, & benedictionem Apostolicam, &c. Præterea illi loco, quẽ sub nomine sanctę pœnitentię construendum & meliorandum suscepistis, quoniam, vt fertur, primam antiquitus consecrationem à beato Petro accepit, cuius, licet indigni, Vicarij sumus, & quia regia antiquitus Sedes est, ex auctoritate Dei & sanctorum Apostolorum, atque huius Romanæ Sedis, & nostra concedimus, permittimus, & solidissimè confirmamus, vt amplius in perpetuum regię constitutionis locus sit, atq; repositorium regalium insignium, & habitatio perpetua monachorum, qui nulli omninò personæ, nisi regi subdantur. Absoluimus etiam eum locum ab omni seruitio, & dominatione Episcopali, vt nullus Episcopus illuc introeat, ordinaturus, aut præcepturus aliquid, nisi ex petitione & consensu Abbatis & monachorum, &c.

Alexander Secundus. 1060.

Epistola ad Haraldum Nordmannorum Regem: Quia adhuc rudes in fide existitis, & in Ecclesiastica disciplina quodammodo claudicatis, oportet nos, cui totius Ecclesię commissum est regimen, diuinis admonitionibus vos frequentius visitare Sed quia ob longarum difficultatem viarum per nos hoc agere minimè valemus, sciatis nos Alberto Archiepiscopo Bremensi Vicario nostro hæc omnia firmiter commisisse. Prædictus itaque venerabilis Archiepiscopus, Legatus noster, suis nobis est conquestus epistolis, quòd Episcopi vestrę prouinciæ aut non sunt consecrati, aut data pecunia, contra Romana priuilegia, quæ suæ Ecclesię sibiq́e data sunt, in Anglia, vel in Gallia, pessimè sunt ordinati. Vnde ex auctoritate Apostolorum Petri & Pauli vos admonemus, vt sicuti Apostolicæ Sedi reuerentiam subiectionis debetis exhibere, ita præfato venerabili Archiepiscopo, Vicario nostro, & vice nostra fungenti, vos vestriq́e Episcopi impendatis.

Gregorius Septimus. 1080.

Libro 1. epistola 60. ad Archiepiscopum Moguntinum: Quamquã officij tui incuria illinc susceptа aduersus Apostolicam Sedem (accusante te arrogantia) meritò in te commoueri deberemus: vtentes tamen Apostolica mansuetudine, placido te admonemus affectu, ne vlterius tam inordinata, tam inconsulta præsumas: Apostolica iudicia non dico tibi, sed nec vlli Patriarcharum, aut Primatum retractandi licentiam fore existimes, ne contra sanctam Romanam Ecclesiam quicquam tibi attribuere, vel moliri cogites, sine cuius abundanti clementia nec in loco quidem tuo subsistere potes.

Lib. 3. epistol. 10. ad Henricum Regem: In D. Petri Sede, & Apostolica administratione dum nos qualescunque peccatores, & indigni, diuina dispositione vicem suæ potestatis gerimus, profectò quicquid ad nos, vel per scripta, aut nudis verbis miseris, ipse recipit: & dum nos, aut elementa percurrimus, aut loquẽtium voces auscultamus, ipse ex quo corde mandata prodierint, subtili inspectione discernit. Quapropter prouidendum esset tuæ Celsitudini, ne erga Sedem Apostolicam in verbis & legationibus tuis aliqua inueniretur discrepantia voluntatis, & in his, per quæ Christiana fides, & status Ecclesię ad æternam salutem maximè proficit, non nobis, sed Deo omnipotenti debitam non denegares reuerentiam: quãquam Apostolis, eorumq́e successoribus Dominus dicere dignatus sit: *Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit*. Lucæ 10.

Libro 4. epist. 28. ad Reges, Comites, cæteroſq; Principes Hispaniæ: Non ignorare credimus prudentiam vestram, quin sancta & Apostolica Sedes princeps & vniuersalis mater sit omnium Ecclesiarũ, & gentium, quas diuina clementia ad agnitionem sui nominis in fide Domini ac Saluatoris nostri Iesu Christi per Euangelicam & Apostolicam doctrinam venire prędordinauit: quibus hanc curam, & perpetuam debet exhibere solicitudinem, vt sicut ad conseruandã Catholicæ fidei veritatẽ, ita quoq; ad cognoscendã, & tenendam iustitiam, documenta & salutifera administret monita. Ad cuius dispensationis officium, quando secundùm voluntatem Dei, quamquam inuiti & indigni, constituti sumus, creditum nobis ministerium valde pertimescimus, scientes quoniam & his, qui propè: & his, qui longè sunt, debitores sumus, &c.

Libro 8. epist. 21. ad Metensem Episcopum: Quod postulasti, te quasi nostris scriptis iuuari ac prędmuniri contra illorum insaniam, qui nefando ore garriunt auctoritatem sanctæ & Apostolicæ Sedis non potuisse Regem Henricum, hominem Christianæ legis contemptorem, Ecclesiarum vidclicet, & Imperij destructorem, atque hæretico-

rum auctorem,& consentaneum excommunicare,nec quemquam à sacramento fidelitatis eius absoluere: non adeò necessarium nobis videtur, cùm huius rei tam multa, ac certissima documenta in sacrarum Scripturarum paginis reperiantur. Neque enim credimus eos,qui ad cumulum suę damnationis veritati impudenter detrahunt,& contradicunt,hæc ad suę defensionis audaciam,tam ignorantia,quàm miseræ desperationis vecordia coaptasse. Nec mirum. Mos enim reproborum est, ob suæ nequitię protectionem niti consimiles sibi defendere, quia pro nihilo habent mendacij perditionem incurrere. Nam, vt de multis pauca dicamus,quis ignorat vocem Domini nostri Iesu Christi dicentis in Euangelio:
Matt. 16. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: & portæ inferi non prævalebunt aduersus eam. Et tibi dabo claues regni cælorum,& quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cælis; & quicquid ligaueris super terram, erit ligatum in cælis.* Nunquid sunt hic Reges excepti? aut non sunt de ouibus,quas Filius Dei beato Petro commisit? Quis rogo in hac vniuersali concessione ligandi atque soluendi à potestate Petri se excluſum esse existimat? nisi fortè infelix ille, qui iugum Domini portare nolens, diaboli se subijci oneri, & in numero ouiũ Christi esse recusat? cui tamen hoc ad miseram libertatem minimè proficit, quòd potestatem Petri, diuinitus sibi concessam,à superba cervice excutit: quoniam quantò eam quisque per elationem ferre abnegat, tantò durius ad damnationem suam in iudicio portat. Hanc itaque diuinæ voluntatis institutionem, hoc firmamentum dispensationis Ecclesiæ, hoc priuilegium B. Petro Apostolorum principi cęlesti decreto principaliter traditum,atque firmatum,sancti Patres cum magna veneratione suscipientes,atque seruantes, sanctam Romanam Ecclesiam, tam in generalibus Concilijs, quàm etiam in ceteris scriptis & gestis suis, vniuersalem matrem appellauerunt: & sicut eius documenta in confirmatione fidei,& eruditione sacræ religionis; ita etiam iudicia susceperunt: in hoc consentientes, & quasi vno spiritu,& vna voce concordantes, omnes maiores res, & præcipua negotia, nec non omnium Ecclesiarum iudicia, ad eam, quasi ad matrem & caput debere referri,ab ea nusquam appellari, iudicia eius à nemine retractari, aut refelli debere, vel posse.

Libro 9.epistola 6.ad Abbatem Massilienſem: Licet Apostolici nos apicis cura pro cunctis generaliter Ecclesijs vigilare,ac pro omnium statu,vel reparatione solicitos esse admoneat: illis tamen præcipuè locis nostram curam specialius exhibendam perpendimus, quæ sub Romanę tutela Sedis constituta, scimus status sui confirmationem,augmentum,vel restitutionem ab hac potissimum Ecclesia,cuius iuris sunt,expectare.

Epistola 7. Omnibus Deo, & beato Petro fidelibus salutem & Apostolicam benedictionem, &c. Quapropter Apostolica auctoritate præcipimus, vt nemo præfatum locum,Apostolica tuitione munitum, deinceps infestare præsumat: sed sub defensione B. Petri, cuius iuris est, quietus & securus ab omni perturbatione permaneat. Si quis ergo contra hæc nostra mãdata memoratũm locum vexauerit, sciat se à beati Petri gratia separatum, & nisi satisfecerit, anathematis vinculis innodandum.

Vrbanus Secundus. 1088.

Epistola ad clerum populumqúe Carnotensem: Bonam vestri animi voluntatem præuenientes ac subsequentes, venerabilem virum Iuonem Presbyterum,quem Gaufrido per nos deposito, Catholicè atque Canonicè, secundùm nostra monita,elegistis, sine morę longioris obstaculo consecrauimus. Nunc eum ad vos remittentes, tamquam beati Petri manibus consecratum, beati Petri vice vos rogamus & obsecramus,quatenus eum benignè susscipientes,debita obedientia honoretis.

Gelasius Secundus. 1118.

Epistola ad Toletanum Episcopum: Non latere credimus fraternitatem vestram, qualiter frater noster Mauritius Bracarensis Episcopus se iam diu habuerit,& quomodo Ecclesiam suam dimiserit,& quomodo Regi excommunicato adhæserit. Illud etiam, vt opinamur, nostis, quòd à prędecessore nostro sanctæ memorię Paschali Papa in Concilio excommunicatus sit, & quòd Bracarensi Ecclesię sit mandatum, vt pastorem sibi alium prouideret. Nunc tandem per Regis tyrannidem,post longum electionis meæ spatium, in cubile sanctę matris Ecclesię se ingessit: ideoqúe fraternitati vestræ mandamus,vt ad electionem in Bracarensi Ecclesia faciendam solicitudine charitatis debitę operam præbeatis. Ipsum verò Mauritium excommunicatum, periurum, & matris Ecclesiæ constupratorem cæteris Ecclesiæ filijs publicetis.

Innocentius Secundus. 1130.

Epistola ad Henricum Senonensem, & cæteros Episcopos: Nos igitur,qui in cathedra S. Petri, cui à Domino dictum est: *Et tu aliquando conuersus confirma* Lucæ 22. *fratres tuos*, licet indignè residere conspicimur, communicato fratrum nostrorum Episcoporum Cardinalium consilio, destinata nobis à vestra discretione capitula, & vniuersa ipsius Petri dogmata,sanctorum Canonum auctoritate,cum suo auctore damnauimus, eiqúe tamquam hęretico perpetuum silentium imposuimus. Vniuersos quoque erroris sui sectatores à fidelium consortio sequestrandos, excommunicationis vinculo innodandos esse censemus.

Epistola ad VVilhelmum Hierosolymitanum Patriar. Fraternitati tuę mandamus, quatenus venerabilem fratrem nostrum VVilhelmum Tyrensem Archiepiscopum, qui ex mandato sanctę Romanæ Ecclesię tibi obedit, fraterni amoris intuitu diligas & honores: solicitè prouidens, ne sibi grauamen aliquot inferas, vel sub obtentu huiusmodi subiectionis, quę vtique ex beneficentia Apostolicę sedis tibi & Ecclesiæ Hierosolymitanę impenditur, Tyrensis Ecclesia nobilis & famosa suæ iustitię aut dignitatis aliquod patiatur detrimentum.

Eugenius Tertius. 1145.

Epistola ad Ludouicum Francorum Regem: Vniuersitatem vestram in Domino commonemus, rogamus, atque præcipimus, & in peccatorum remissionem iniungimus, vt qui Dei sunt, & maximè potentiores & nobiles viriliter accingantur: & infidelium multitudini sic occurrere, & Ecclesiam Orientalem, tanta Patrum vestrorum sanguinis effusione ab eorum tyrannide liberatam, ita defendere studeatis, vt Christiani nominis dignitas vestro tempore augeatur.

Alexander Tertius. 1160.

Epistola ad Vigilienſem Episcopum: Cùm Romana Ecclesia, cui licet immeriti prędemus, sit mater Ecclesiarum omnium, & magistra regionum,cogimur ex debito susceptę honoris,& regiminis, pro vt Dominus nobis dederit, respondere consultationibus singulorum, vt dubiæ quæstiones Sedis Apostolicæ prouidentia enodentur, &c.

Innocentius Tertius. 1200.

Lib.1. epistolarum decretalium epistola ad Patriarcham Antiochenũ: Cùm ex illo generali priuilegio,quod beato Petro, & per eum Ecclesię Romanæ Dominus noster indulsit, Canonica postmodum manârint instituta,cõtinentia maiores Ecclesiæ causas esse ad sedem Apostolicam perferendas,ac per hoc translationes Episcoporum ad Apostolicæ sedis Antistitem de iure pertineant,&c.

R. Archipresbytero,R. Magistro Scholarum,& P. de Vico Canonico Bituricensi: Cùm Apostolica sedes, cui (licet immeriti) prędemus, vniuersis per orbem Ecclesijs, non humana, sed diuina sit institutione prælata, iustum est & conueniens,vt ad eam,tamquam ad magistram,super diuersis iuris articulis referantur dubiæ quæstiones,ne quæ diuersa cernuntur,videantur aduersa.

Caro Archiepiscopo Montis Regalis: Licet Dominus noster Iesus Christus Ecclesiam suam instituens discipulis suis eandem super credentes ligandi & soluendi potestatem dederit: vnum tamen in ea, beatum scilicet Petrum Apostolum voluit præminere, dicens: *Tu es Petrus, & super hanc petram*, &c. Intelligendum ex hoc tribuens fidelibus vniuersis, quòd sicut vnus mediator erat Dei & hominum, homo Iesus Christus, pacificans quæ in cælis erant,& quæ super terram,& dissoluens maceriarum parietem, ac faciens vtraque vnum: sic & in Ecclesia sua vnũ ex ipso, & per ipsum omnium caput esset; nec in membris fieret vlla diuersitas, quæ non per vnius auctoritatem ac prouidentiam capitis,ad vnam fidei veritatem,eandęq; religionis regulam reducerẽtur, & cultum. Quod
Luc. 22. etiam in eo loco monstratur, in quo & de confir-
Ioan. 21. mandis fratribus,& pascendis Dominicis ouibus præceptũ à Domino nostro legitur ei datum. Ex hac itaque potestate,quæ ad B. Petrum mox Dominica traditione peruenit,sacrosancta Romana Ecclesia, quæ per Dominum Iesum Christum ab eodem B. Petro instituta est, & fundata super vniuersas Ecclesias, auctoritatem obtinuit: vt vbiq; ratum esset ac solidum, quod ipsius prouidentia statuisset. Quod etiam ab vniuersis Ecclesijs, per orbem terrarum vsquequaque diffusis,& receptũ est,& seruatum,ita vt per eam & distributio facta sit dignitatum, & indictum Christi fidelibus,& diligentius ordinatum quod ad cultum pertinere visum est pietatis. Ex hac siquidem data beato Petro à Domino potestate ipse ac successores ipsius per diuersa mundi loca constituerunt Episcopos,& dignitates per prouincias diuiserunt.

Ad Patriarcham Constantinop. quòd Romana Ecclesia mater sit omnium Ecclesiarum, à qua Græci nullo iure discedere possunt: Ecclesiam Dominus Iesus Christus in seipso lapide angulari fundauit, & eius magisterium Apostolorum principi B. Petro, cui (licet insufficientes) in Apostolatus successimus dignitate, concessit: *Tu es* (inquiens) *Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Et pòst subdidit: *Tibi dabo claues regni cælorum.* Et etiam curam ouium suarum, eodem verbo tertiò repetito commisit, dicens: *Pasce oues meas*: & quòd eius fides nunquã deficeret, se oraſſe fatetur. Præterea licet vniuersis Apostolis dixerit in communi: *Accipite Spiritum sanctum*: &: *Quorum remiseritis peccata, remittentur eis*: ad eum tamen verbo vtitur speciali dicens: *Quodcumque ligaueris super terram,erit ligatum & in cælis*,&c. Hoc autem Græcorum populus non attendens, aliam sibi cõfinxit Ecclesiam (si tamen,quæ præter vnam est,Ecclesia sit dicenda,) & ab Apostolicæ Sedis vnitate recessit: nec constitutionem Domini, nec Petri magisterium imitatus, & inconsutilem vestem Domini, cui crucifixorum manus in aliarum vestium diuisione pepercit, scindere vsque hodie conatur: non attendens, quòd vna tantùm extitit arca, intra quam sub vno rectore quicumque fuerunt, leguntur in cataclismo saluati: qui autem extra ipsam inuenti sunt, omnes in diluuio perierunt.

Lib.2.epist. Decretalium ep.ad Patriarcham Constantinopolitanum: Apostolicæ Sedis primatus, quem nõ homo,sed Deus, imò verius Deus homo constituit, multis quidem & Euangelicis & Apostolicis testimonijs comprobatur: à quibus postmodum institutiones Canonicæ processerũt,concorditer asserentes sacrosanctam Romanam Ecclesiam,in B. Petro Apostolorum principe consecratã, quasi magistram & matrem præminere,&c.

Honorius Tertius. 1220.

Ad finem Constitutionum Henrici 2.Imp. Nos verò Honorius Episcopus seruus seruorum Dei has leges à Friderico Romanorum Imp. filio nostro chariſſimo pro vtilitate omniũ Christianorum editas laudamus, approbamus, & confirmamus, tamquam in æternum valituras: & si quis ausu temerario,inimico humani generis suadẽte,quocumq; modo has infringere tentauerit, indignationem Dei omnipotentis, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum nouerit se incursurum.

Gregorius Nonus. 1236.

Epistola ad Episcopum VVerdensem, & cæteros: De vestra circumspectione plenam in Domino fiduciã obtinentes, fraternitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus de modo postulationis studijs postulantium, & postulati meritis veritate solicitè inquisita, si postulationẽ ipsam aliàs inueneritis de persona idonea canonicè celebratam, cum eo semper huiusmodi defectu Apostolica auctoritate dispẽsantes, præficiatis eum eidem Ecclesię Episcopum & Pastorem.

Innocentius Quartus. 1240.

In sexto Decretalium lib.2. tit.14. cap.2. de sententia & re iudicata: Nos super præmissis & quàm pluribus alijs Friderici Imperatoris nefandis excessibus cum fratribus nostris, & sancto Concilio deliberatione prehabita diligenti, cùm Iesu Christi vices, licet immeriti, teneamus in terris, nobisq; in beati Petri persona sit dictum: *Quodcumque* Matt. 16. *ligaueris super terram,ligatum erit & in cælis*, memoratum Principem, qui se Imperio,& regnis,omniq; honore & dignitate reddidit tam indignũ, quiq; propter suas iniquitates adeo ne regnet, vel imperet est abiectus, suis ligatum peccatis,& abiectũ, omniq; honore ac dignitate priuatum à Domino ostendimus, denuntiamus,& nihilominus sententiando priuamus: omnes, qui ei iuramento fidelitatis tenentur astricti, à iuramento huiusmodi perpetuò absoluentes: auctoritate Apostolica firmiter inhibẽdo,ne quisquam de cætero sibi, tamquam Imperatori vel Regi pareat & intendat. Decernendo quoslibet, qui ei deinceps velut Imperatori, vel Regi consilium, vel auxilium præstiterint, seu fauorem, ipso facto excommunicationis sententiæ subiacere: illi autem,ad quos in eodem Imperio Imperatoris spectat electio, eligant liberè successorem.

Nicolaus Tertius. 1280.

De electione & electi potestate cap.17. Huius muneris sacramẽtum ita Dominus voluit ad omnium Apostolorum officium pertinere, vt in beato Petro Apostolorum omnium summo principaliter collocaret: vt ab ipso quasi quodam capite,dona sua velut in corpus omne diffunderet. Hũc enim in consortium indiuiduæ vnitatis assumptum,id qđ ipse erat Dominus voluit nominari, dicendo: *Tu es Petrus,& super hanc petrã ædificabo Ecclesiã meam.* Matt. 16.

Bonifacius Octauus. 1300.

Constitutione 2. In supremæ præeminentia dignitatis diuini dispositione consilij constituti, ad vniuersas fidelium regiones nostræ vigilantiæ creditas, tamquam Pastor Dominici gregis, aciem Apostolicæ considerationis extendimus, ad earũ profectum, quantum nobis ex alto permittitur, intendentes: sed ad vrbium vrbem, Romanam videlicet ciuitatem, quam diuina clementia statuit caput orbis, eò attétioris meditationis intuitum retorquemus, quò principalius in eadẽ nostri sedem Apostolatus cælestis dispositio stabiliuit & firmauit Ecclesiæ fundamenta.

Clemens Quintus. 1305.

Lib. 5. Clementinarum tit. 1. cap. 1. de magistris: Ideò illius, cuius vicem in terris (licet immeriti) gerimus, imitantes exemplum, qui ituros per vniuersum mundum ad Euangelizandum Apostolos, in omni linguarum genere fore voluit eruditos, viris Catholicis notitiam linguarum habentibus, quibus vtuntur infideles, præcipuè abundare sanctam affectamus Ecclesiam.

Ioannes Vigesimus secundus. 1314.

Extra: Ne sede vacante, &c. tit. 5. cap. Si fratrum: Sanè in nostram & fratrum nostrorum deductum (fama diuulgante) notitiam, quòd, licet de iure sit liquidum, & ab olim fuerit inconcussè seruatum, quòd vacante Imperio, sicut & nũc per obitum quondam Henrici Romanorum Imperatoris vacasse dignoscitur, cùm in illo ad secularem iudicẽ nequeat haberi recursus, ad summũ Pontificem, cui in persona beati Petri terreni simul & terrestris Imperij iura Deus ipse commisit, Imperij prædicti iurisdictio regimen & dispositio deuoluuntur, & ea ipse (durante ipsius vacatione Imperij) per se, vel per alium exercuisse noscitur in Imperio memorato, &c.

Epist. 5. ad Eduardum Angliæ Regem: Charissimo in Christo filio Eduardo Regi Angliæ. Paternum amorem ad tuę Celsitudinis incrementa, fili charissime, gerimus, dum te ad ea, quæ iusto placent iudici, tui regni & subditorum tuorum sint opportuna quieti, & famæ tuæ pariter & honori prospicient, solicitis hortationibus inuitamus. Propter quod in ijs psuasiones nostras deuota debes mente suscipere, & ad executionem illarum te paratum & flexibilem exhibere.

Benedictus Vndecimus. 1334.

Extra de Electione, lib. 1. tit. 3. cap. 3. Sancta Romana Ecclesia, quæ disponẽte Domino super omnes alias ordinariæ potestatis obtinet principatum à Deo, vtpote mater vniuersorum Christi fideliũ, & magistra, quatuor Patriarchales sedes instituit, inter quas post ipsam Romanam Ecclesiam, Constantinopolitanam primum, Alexandrinam secundum, Antiochenam tertium, Hierosolymitanam quartum locum voluit obtinere, ipsasqúe multis prærogatiuis & honoribus decorauit.

Clemens Sextus. 1342.

Constitut. 1. Nos per præmissa vel quæcunque alia inhibitioni, mandato, pœnis, & sententijs, per ipsum prędecessorem factis & promulgatis, vt superius est expressum, alijsq; contentis in literis supradictis, nõ intendimus in aliquo derogare: inhibitionem, mandatum, pœnas, & sententias, & alia supra dicta, per præsentem constitutionem nostram roboramus, & in sui vigoris efficacia volumus & decernimus permanere. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ priuationis, reuocationis, roborationis, voluntatum, & constitutionum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri ac Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

Gregorius Vndecimus. 1371.

Constitut. 1. Super vniuersas orbis Ecclesias Rom. Pontifex à Domino constitutus, circa ea, de quibus dubitari dicitur, vt euitari possint quæcunq; dispendia, declarationis, vbi expedit, suæ prouisionem adijcit, prout fore conspicit opportunũ, &c. Nos igitur volentes huic dubio finem imponere, auctoritate Apostolica, tenore præsentium declaramus, decernimus, ac definimus, sacrosanctam Lateranensem Ecclesiam, præcipuam Sedem nostram, inter omnes alias vrbis & orbis Ecclesias & Basilicas, etiam super Ecclesiam & Basilicam principis Apostolorum de vrbe supremum locũ tenere, &c.

Vrbanus Sextus. 1378.

Constitut. 1. Decernentes ex nunc irritum & inane, quicquid contra declarationem nostram huiusmodi à quoquam quauis auctoritate, scienter vel ignoranter, attentatum forsitan est hactenus, vel contigerit in posterum attentari.

Bonifacius Nonus. 1400.

Constitut. 1. Volentes, & auctoritate Apostolica decernentes, quòd eiusmodi cõstitutio sortiatur effectũ, vniuersos monemus & hortamur in Domino, per Apostolica eis scripta, in virtute sanctæ obedientiæ districtè præcipiendo, mandantes, & in remissionem peccaminum iniungentes, quatenus tam gloriosum festum Mariæ annis singulis sexto nonas Iulij deuotè & solenniter celebrent. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc nostræ voluntatis, constitutionis, monitionis, hortationis, & mandati paginam infringere.

Martinus Quintus. 1420.

Epistola ad Angelum Diaconum Cardinalem: Dum onus vniuersalis gregis Dominici, superna dispensatione nobis iniunctum, diligenter attendimus, & quòd singulis Christianæ Reip. occurrentibus per nos ipsos debitum Apostolicæ seruitutis exequi non possumus, animo nostro reuoluimus: nonnunquam viros fide feruentes, dignitate & scientia præditos, & rerum agendarum experientia conspicuos, in partem nostrorum, & Ecclesiæ Romanæ negotiorum assumimus, vt dum tempus postulat, eorum operationibus vices nostras supplentes, ministerium nobis commissum, diuina assistente gratia, iuxta vires nobis ex alto concessas exequi valeamus.

Eugenius Quartus. 1430.

Inuectiua ad Concilium Basileense: Ipse omnipotens Deus per operam nostram Armeniorum oratores ex longissimis Septentrionis partibus ad nos, & Apostolicam Sedem, & sacrum hoc Concilium his diebus cum pleno mandato peruenire cõcessit: qui nos non aliter quàm B. Petrum intuentes & venerantes, ipsam q; sanctam Sedem, veluti matrem omnium fidelium recognouerunt.

Calixtus Tertius. 1455.

Epistola ad Fridericum Imp. quæ apud Aeneam Syluium est 371. Nota est omnibus Apostolicæ Sedis auctoritas, manifesta cuiq; primæ Sedis dignitas, vulgata per orbem Vicarij Dei potestas, cui dictum est à Domino: *Pasce oues meas:* nec huius, aut illius prouinciæ, sed vniuersi orbis Præsulatum in Apostolicæ Sedis specula consecuti sumus.

Pius Secundus. 1460.

De Bulla retractationum omnium, per eum in minoribus adhuc agentem pro concilio Basileensi ad summum Pontificem

ficem scriptorum: In minoribus agentes, nondum sacris Ordinibus initiati, cùm Basileæ inter eos versaremur, qui se generale Concilium facere, & vniuersalem Ecclesiam repræsentare aiebãt, dialogorum quendam libellum ad vos scripsimus, in quo de auctoritate Concilij generalis, ac de gestis Basileensium, & Eugenij Papæ contradictione ea probauimus & damnauimus, quæ probanda vel damnanda censuimus. Sed quis nõ errat mortalis? Erauimus & nos, nec nobis tantùm erauimus, alios quoque in præcipitium traximus, & cæcis ducatum præbentes, cæci cum illis in foueam cecidimus, &c. Seducti peccauimus vt Paulus, & ignoranter persecuti sumus Ecclesiam Dei, & Romanam primam q; Sedem: propter quod prostrati ante oculos diuinæ pietatis supplices oramus: *Delicta iuuentutis meæ & ignorantias ne memineris.* Pudet erroris, pudet malè feciſſe, & malè dictorum scriptorum q; vehementer pœnitet: plus scripto, quàm facto nocuimus. Hortamur dilectiones vestras, & in Domino commonemus, ne prioribus illis scriptis inhæreatis, aut fidem vllã præstetis, quæ supremam Apostolicæ Sedis auctoritatem quouis pacto elidunt, aut aliquid astruũt, quod sacrosancta Romana non amplectitur Ecclesia. Suadete omnibus, vt id solium præ cæteris omnibus venerentur, in quo Saluator Dominus suos Vicarios collocauit, & quod beati Apostoli Petrus & Paulus suo sanguine dedicauerunt. Nec putetis diuinam prouidentiam, quæ cuncta gubernat, & nihil negligit eorum, quæ creauit, inordinatam reliquisse militantem Ecclesiam: quæ cùm sit sponsa Christi, profectò à Deo est, & ordinem habet, dicẽte Apostolo, *quæ sunt, à Deo ordinata esse.* Requirit autem ordo, vt inferiora à superioribus gubernentur, & ad vnum tandem perueniatur, tamquam principem & moderatorem cunctorum, q; infra se sunt. Sicut grues vnam sequuntur, & in apibus vnus est rex: ita & in Ecclesia militante vnus est omnium moderator & arbiter, Iesu Christi Vicarius: à quo, tamquam capite, omnis in subiecta membra potestas, & auctoritas deriuatur, quæ à Christo Domino Deo nostro, fine medio in ipsum influit. Nec profectò in alium, tamquam sui exercitus ducem, supremam auctoritatem Christus principaliter deriuasset, qui in suum Vicarium, qui primus fuit Petrus, cui cõmissam nouimus Dominici gregis curam: nec duos pluresve Petros Euangelistæ cõmemorant, nec duos aut plures instituit Dominus, qui suum locum, tamquam capita tenerent æqualia: sed vnum constituit, vt verticem, ac ducem, & pastorem vniuersi gregis Simonem Petrum, dicens: *Tu es Petrus,* &c. Petrus igitur, & successores eius Romani Pontifices, primatum in Ecclesia tenuerunt, & nos hodie, quamuis indigni, sola Domini voluntate digni tenemus. Et quicumque Romanæ secundùm Canonicas sanctiones præficitur Ecclesiæ, quàm primùm electus est in sacro collegio, supremam à Deo potestatem sine medio consequitur, & per ordinem in omnem diffundit Ecclesiam, cuius peccata diuino iudicio punienda relinquuntur. Si quid aduersus hanc doctrinam inueneritis aut in dialogis, aut in epistolis, aut in alijs opusculis nostris (multa enim scripsimus adhuc iuuenes) resipuite, atque contemnite: sequimini quę nunc dicimus, & seni magis, quàm iuueni credite, nec priuatum hominem pluris facite, quàm Pontificem: AEneam reijcite, Pium recipite. Illud gentile nomen parentes indidêre nascenti: hoc Christianum in Apostolatu suscepimus.

Psal. 24.

Rom. 13.

Epist. 375. ad Regem Franciæ: Dicis te obsequentissimum, & obedientem sanctæ Romanæ sedis filium. Si filius obedientiæ es, cur pragmaticam sanctionem tenes atq; defendis? Eugenius tè hortatus est, vt illam dimitteres, quæ non est secundùm Deum. Idem petijt Nicolaus, idem rogauit Calixtus: tres Romani Pontifices, sancti & venerandi Patres, modò nuntijs & legatis, nunc literis te rogauêre, vt pragmaticam relinqueres, magni in Ecclesia dissidij ac mali: tamen nunquam audiuisti in hac parte vocem Ecclesiæ Romanæ. Vbi ergo tua obedientia? vbi religio? Plus regni tui aliquibus Prælatis, quàm Ecclesiæ Romanæ fidei auscultasti. Loquitur cum fiducia, sine felle, sine arrogantia: amor in te noster vrget loqui. Deus in terris per Filium suum Iesum Christum crucifixum Apostolicam Sedem erexit, & primum ac summum tribunal esse voluit: nulla potestas est, quę huic æquari possit: hæc de omnibus hominibus ac dignitatibus iudicat, eam solus iudicat Deus. Non est de grege Dominico, qui Romanum Pontificem suum esse pastorem negat. Audi quid dicat Dominus: *Qui non colligit mecum, dispergit.* Certè cum Christo non colligit, qui cum Vicario eius non seminat.

Sixtus Quartus. 1480.

Constit. 11. Etsi de cunctarum ciuitatum temporali dominio Romanæ Ecclesiæ subiectarum decore & venustate cogitare nos deceat: ad nostram tamen almam vrbem, Apostolorum Petri & Pauli glorioso martyrij cruore Domino nostro Iesu Christo consecratam, ciuitatem sacerdotalem & regiam, eius q; decorem tanto accuratius aciem nostræ considerationis extendere nos conuenit, quanto illa caput est orbis, & Altissimus in ea sacerdotij principatum, & Christianæ religionis caput instituit, & sui Vicarij sedem, ad quam de vniuersis mundi partibus Christi fideles confluũt in numero copioso, voluit collocari.

Innocentius Octauus. 1484.

Constitut. 16. Decet Romanum Pontificem, Iesu Christi in terris Vicarium, qui militanti Ecclesiæ præest, illius iura tueri & conseruare illæsa.

Iulius Secundus. 1503.

Constitut. 14. Romanus Pontifex, in Apostolicæ sublimitatis specula constitutus, ex debito pastoralis officij, diuina dispositione sibi commissi, assidua meditatione cordis vigilare, & solicitè intendere debet, vt cuncta, quæ Christianæ Reip. commoditatem & vtilitatem respiciunt, salubriter dirigantur.

Leo Decimus. 1516.

In Concilio Lateranensi sess. 11. Solum Romanum Pontificem, pro tempore existentem, tamquam auctoritatem super omnia Concilia habentem, Conciliorum indicendorum, transferendorum, ac dissoluendorum plenum ius ac potestatem habere, ne dum ex sacræ Scripturæ testimonio, dictis sanctorum Patrum, & Conciliorum, ac aliorum Romanorum Pontificum, etiam prædecessorum nostrorum, sacrorum q; Canonum decretis, sed etiam propria eorundem Conciliorum confessione manifestè constat, &c.

Adrianus Sextus. 1522.

Ad Fridericum Saxoniæ Ducem: Lutherus non modò sacerdotes Dei, sed & principem sacerdotum, Petri successorem, Iesu Christi in terris Vicariũ, tam nefandis infamibus q; nominibus, tam inauditis contumelijs, conuicijs, ac blasphemijs, nusquam non lacerat, discerpit, & insectatur, vt ea commemorare pudica refugiat lingua, & audire horreant aures castæ: qui Apostolicam cathedrã, in qua præsidet caput Apostolorum Petrus, cui præfuerunt tot sancti Pontifices, quam Ecclesiam principalem, vnde sit exorta vnitas sacerdotalis,

sanctus ille & glorioſus Martyr Cyprianus non dubitat aſſerere, impio ac peſtilenti ore cathedrã peſtilentiæ, Antichriſtianam, diabolicam, & ſi qua potuit excogitare nefandiora, toties appellare non ceſſat.

Paulus Tertius. 1540.

Ad Carolum Quintum Imp. Chariſſime fili ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Ex edicto Maieſtatis tuæ acta conuentus tui Spirenſis cognouimus, de quibus cùm noſtram ſententiam diſſimulare paternus noſter erga te amor nõ patitur, tum verò officij & muneris, à Deo nobis per Chriſtũ commendati, ratio, in cura vniuerſalis Eccleſiæ, vt apertis verbis te admoneamus, cõpellit. Omnia verò, fili, in eo ſunt, ſi ab vnitate Eccleſiæ te abduci non ſinas, à conſuetudine maiorum tuorum religioſiſſimorum Principum non recedas, ſed eundem, vt debes, morem in omnibus, quæ ad Eccleſiæ diſciplinam, ordinem & inſtituta pertinent, obſerues, quem multos annos ſumma cum pietatis animi tui ſignificatione edidiſti. Is verò eſt eiuſmodi, vt quoties de his, quæ ad religionem pertinent, diſceptatur, ad Sedem Apoſtolicam omne iudicium ſemper referatur, nihil illa inconſulta ſtatuatur, &c. Qui verò huius Sedis auctoritati reſtitêre, à Deo ſic caſtigatos conſtat, vt manifeſtè appareat, quàm grata ſit ac ſemper fuerit Deo huius Sedis obedientia. Imprimis eum ex Imperatoribus, qui in apertam defectionem & contemptum huius ſanctæ Sedis erupit, legimus fuiſſe Anaſtaſium primum, quem à Gelaſio primo Romano Pontifice admonitum, ne Acatij Epiſcopi Conſtantinopolitani, à Sede Apoſtolica damnati, partes foueret: cùm nec monitis eius pariuiſſet, & Hormiſdæ eiuſdem ſucceſſoris legatos, ad eum ea de cauſa miſſos, vt à communione cum hæreticis deſiſteret, contemptim primùm auditos contumelioſius dimiſiſſet, diuina tandem ira fulmine è vita ſuſtulit.

Pius Quartus. 1563.

In Bulla confirmationis concilij Tridentini: Cùm ipſa ſacroſancta Synodus, pro ſua erga ſanctã Sedem Apoſtolicam reuerentia, antiquorum etiam Cõciliorum veſtigijs inhærens, decretorum ſuorum omnium, quæ noſtro, & prædeceſſorum noſtrorum tempore facta ſunt, confirmationem à nobis petierit, decreto ea de re in publica ſeſſione facto, nos illa omnia & ſingula auctoritate Apoſtolica hodie confirmauimus, & omnibus Chriſti fidelibus ſuſcipienda, & ſeruanda eſſe decreuimus, ſicut harum quoque literarum tenore ad clariorem omnium notitiam confirmamus, & ſuſcipi, obſeruariq; decernimus. Mandamus præterea vniuerſis & ſingulis in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœnis à ſacris Canonibus conſtitutis, alijſq; grauioribus pro arbitrio noſtro infligendis, vt eadem decreta & ſtatuta obſeruent, &c.

Pius Quintus. 1570.

Sententia declaratoria contra Eliſabeth prætenſam Angliæ Reginam, & eã adhærentes hæreticos: Regnans in excelſis, cui data eſt omnis in cælo & in terra poteſtas, vnam, ſanctam, Catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam, extra quam nulli eſt ſalus, vni ſoli in terris, videlicet Apoſtolorum principi Petro, Petrique ſucceſſori Romano Pontifici, in poteſtatis plenitudine tradidit gubernandam. Hunc vnum ſuper omnes gentes, & omnia regna principem conſtituit, qui euellat, deſtruat, diſſipet, diſperdat, plantet, & ædificet: vt fidelem populum, mutuæ charitatis nexu, in vnitate Spiritus contineat, ſaluumq; & incolumem ſuo exhibeat Saluatori. Quo quidem in munere obeundo, nos ad prædictæ Eccleſiæ gubernacula Dei benignitate vocati, nullum laborem intermittimus, omni opera contendentes, vt ipſa vnitas & Catholica religio integra conſeruetur.

Gregorius Decimustertius. 1575.

In indictione ſancti Iubilæi, quæ eſt conſtitutio 22. Chriſtus beato Petro Apoſtolorum principi, eiusq; deinceps ſucceſſoribus, ſuis in terris Vicarijs, ſanctæ Catholicæ Romanæ Eccleſiæ (quæ cæterarum omnium caput, mater, & magiſtra eſt) poteſtatem dimittendi peccata pleniſſimam reliquit, ac theſauro præterea imméſo eiuſdem paſſionis idcirco ditauit Eccleſiam ſponſam ſuam, eumq; prædictis B. Petro & ſucceſſoribus diſpenſandum commiſit, vt eo cæteri fideles pro temporalibus pœnis ex remiſſis culpis ſæpius remanentibus, ad ſatisfaciendum adiuti, ad percipiẽdos cæleſtis gratiæ fructus expeditiores redderentur, &c.

Sixtus Quintus. 1587.

Conſtitutione 54. Paſtoralis Romani Pontificis vigilantia, & ſolicitudo cùm in omni Reip. Chriſtianæ pace, & tranquillitate procuranda pro ſui muneris officio aſſiduè verſatur, tum potiſſimũ in Catholicæ fidei, ſine qua impoſſibile eſt placere Deo, vnitate atque integritate retinenda, & cõſeruanda, maximè elucet, nimirum, vt fideles Chriſti non ſint *paruuli fluctuantes, neque circumferantur omni vento doctrinæ, in nequitia hominum ad circumuentionem erroris: ſed omnes occurrant in vnitatem fidei, & agnitionis Filij Dei in virum perfectum,* neque ſe in huius vitæ ſocietate, & communione lædant, ſed potius in vinculo charitatis coniuncti, tamquam vnius corporis membra ſuo Chriſto capite, eiusq; in terris Vicario Romano Pontifice beatiſſimi Petri ſucceſſore, à quo totius Eccleſiæ vnitas dimanat, augeantur in ædificationem: atque ita diuina gratia adiutrice, ſic præſentis vitæ quiete gaudeãt, vt futura quoq; beatitudine perfruãtur. Ob quas cauſas Romani Pontifices prædeceſſores noſtri hodierna die, quę anniuerſarię Dominicæ Cœnæ commemoratione ſolennis eſt, ſpiritualem Eccleſiaſticæ diſciplinæ gladium, & ſalutaria iuſtitiæ arma per miniſterium ſummi Apoſtolatus, ad Dei gloriam, & animarum ſalutem ſolenniter exercere conſueuerunt, &c. Eph. 4.

ARTICVLVS OCTAVVS.

CHRISTIANOS IMPERATORES, REGES, PRINCIPES, ET MAGISTRATVS SECVLARES SEMPER ROMANAE ECCLESIAE PRIMATVM AGNOVISSE, SEQVE EIVS PONTIFICI TAMQVAM PATRI FILIOS subiecisse.

ASSERVNT.

Philippus Primus Chriſtianus Imp. 248.

PHILIPPVS Imperator cùm in die poſtremæ Vigiliæ Paſchatis, vnà cum multitudine in Eccleſia precationum particeps fieri vellet, non prius ab Epiſcopo Fabiano, qui tum Romanæ Eccleſiæ præerat, permiſſus eſt intrare, quàm ſe confeſſus fuiſſet, & inter eos, qui peccatorum vinculis adhuc tenebantur aſtricti, locumq; pœnitentiam agentibus præſtitutum occupabant, ſe ſua ſponte collocauiſſet: Epiſcopusq; dixit, eũ non alia conditione, niſi iſtud faceret, propter multa delicta, quæ ab illo ferebantur admiſſa, aliquando ab ipſo in Eccleſiam receptum fore. Imperator alacri animo & lubẽti Epiſcopo morã geſſit, & religioſam piamq; affectionem Dei timore incitatam reipſa declarauit. *Euſebius Cæſarienſis lib. 6. cap. 27. Nicephorus Calliſtus lib. 5. cap. 25.*

Conſtantinus Primus. 320.

Ad Sylueſtrum Papam: Imperator Cæſar Flauius Conſtantinus in Chriſto Ieſu vno ex ſancta Trinitate Saluatore Domino noſtro, victor ac triumphator, ſemper Auguſtus, ſanctiſſimo ac beatiſſimo Patri patrum Sylueſtro vrbis Romanæ Epiſcopo & Papæ, atque omnibus eius ſucceſſoribus, qui in ſede B. Petri vſque in finem ſeculi ſeſſuri ſunt, Pontificibus, nec non & omnibus reuerendiſſimis, & Deo amabilibus Catholicis Epiſcopis, eidem ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ per hanc noſtram Imperialem conſtitutionem ſubiectis in vniuerſo orbe terrarum, nunc & in poſterum cunctis retrò temporibus conſtitutis, gratia, & pax à Deo, &c. Ea, quæ Saluator & Redemptor noſter Dominus Ieſus Chriſtus per ſuos ſanctos Apoſtolos Petrum & Paulum, interueniente Patre noſtro Sylueſtro, ſummo Pontifice & vniuerſali Papa, mirabiliter dignatus eſt operari, liquida enarratione ſtuduit propalare noſtra Sœnitas. Primùm quidem noſtram fidem, quam à prælibato beatiſſimo Patre, & oratore noſtro Sylueſtro vniuerſali Põtifice edocti ſumus, intima cordis confeſſione proferentes, &c. Et dum hæc, prædicante B. Sylueſtro, agnoſcerẽ, & beneficijs ipſius beati Petri integerrimè ſanitati comperi me reſtitutum, vtile iudicauimus, vnà cum omnibus noſtris Satrapis, & vniuerſo Senatu, Optimatibusq; meis, & cuncto populo Romanæ gloriæ Imperij ſubiacenti, vt ſicut in terris S. Petrus Vicarius Filij Dei videtur eſſe conſtitutus, etiam & Pontifices, qui ſucceſſores ſunt ipſius principis Apoſtolorum, principatus poteſtatem, amplius quàm terrena Imperialis noſtræ Serenitatis manſuetudo habere videtur, conceſſam à nobis, noſtroque Imperio, obtineant, eligentes nobis ipſum principem Apoſtolorum, & eius ſucceſſores firmos apud Deum eſſe patronos, &c.

Gratianus, Valentinianus, & Theodoſius Imppp. 380.

L. 1. C. de ſumma Trinitate, & fide Catholicâ: Cunctos populos, quos clementiæ noſtræ regit imperium, in tali volumus religione verſari, quam D. Petrum Apoſtolum tradidiſſe Romanis religio vſque adhuc ab ipſo inſinuata declarat, quamq; Pontificem Damaſum ſequi claret.

Honorius Auguſtus. 410.

Ad Bonifacium Papam: Victor Honorius, inclytus triumphator, ſemper Auguſtus, ſancto & venerabili Bonifacio Papæ vrbis æternæ. Scripta Beatitudinis tuæ debita reuerentiæ gratulatione ſuſcepimus, quibus recenſitis egimus omnipotenti Deo maximas gratias, quòd Sanctimoniam tuam, poſt longum incommodum, optatæ redditã didicimus ſanitati: & ideo reuertentibus venerabilibus viris, gaudium noſtrum ſacrorum apicum atteſtatione ſignamus, ac petimus, vti quotidianis orationibus Apoſtolatus tuus ſtudium ac votum ſuum circa ſalutem ac imperium noſtrũ dignetur impendere. Illud autem pietati noſtræ ſatis placitum eſſe cognoſce, quòd Sanctimonia tua de Eccleſiarum ac populi perturbatione ſolicita eſt: quæ vt ne aliqua ratione poſſit euenire ſatis clementia noſtra credidit eſſe prouiſum. Deniq; Beatitudine tua prędicante, id ad cunctorum clericorum notitiam volumus peruenire, vt ſi quid fortè religioni tuæ (quod non optamus) humana ſorte contigerit, ſciant omnes ab ambitionibus eſſe ceſſandum. Ac ſi duo contra fas temeritate certantes fuerint ordinati, nullum ex his futurum penitus ſacerdotem: ſed illum ſolum in ſede Apoſtolica permanſurum, quem ex numero clericorum noua ordinatione diuinum iudicium, & vniuerſitatis conſenſus elegerit.

Valentinianus Tertius. 450.

Epiſt. ad Theodoſium Imp. quæ extat in Concilio Chalcedonenſi: Cùm veniſſem ad Vrbẽ Romam, rogatus ſum à Romano Epiſc. & alijs ſcribere veſtræ manſuetudini de fide, quæ cùm ſit conſeruatrix omnium fideliũ animarum, dicitur perturbata, quam nos à noſtris maioribus traditam debemus cum omni competenti deuotione defendere, & dignitatem propriæ venerationis beato Petro Apoſtolo

postolo intemeratam & in nostris temporibus conseruare, quatenus beatissimus Romanæ ciuitatis Episcopus, cui principatum sacerdotij super omnes antiquitas contulit, locum habeat & facultatem de fide & sacerdotibus iudicare, Domine sanctissime Pater, & venerabilis Imperator. Hac enim gratia secundùm solennitatem Conciliorum & Constantinopolitanus Episcopus eum per libellos appellauit, propter contentionem, quæ orta est de fide. Huic itaque postulanti, & cõiuranti salutem nostram communem, annuere non negaui, quatenus ad tuam mansuetudinem meam petitionem ingererem, vt prædictus sacerdos, congregatis ex omni orbe etiam reliquis sacerdotibus, intra Italiam, omni præiudicio submoto, à principio omnem causam, quæ vertitur, solicita probatione cognoscens, sententiam ferat, quam fides & ratio veræ diuinitatis expostulat.

Valentinianus & Martianus AA. 450.

Epist. ad Leonem P. Ad hoc maximum Imperiũ venimus Dei prouidẽtia, & electione Senatus excellentissimi, cunctæq; militiæ. Vnde pro reuerẽda, & Catholica religione Christianæ fidei, cuius auxilijs virtutem nostræ potentiæ confidimus gubernari, tuam Sanctitatem, principatum in Episcopatu diuinæ fidei possidentem, sacris literis in principio iustum credimus alloquendam: inuitantes atque rogantes, vt pro firmitate & statu nostri Imperij æternam diuinitatem tua Sanctitas deprecetur, vt & tale propositum atque desiderium habeamus, quatenus omni impio errore sublato, per celebrandam Synodum te auctore maxima pax circa omnes Episcopos fidei Catholicæ fiat.

Marcianus Imp. 450.

Ad Leonem Papam: Superest, vt si placuerit tuæ Beatitudini in has partes aduenire, & Synodum celebrare, hoc facere religionis affectu dignetur, nostris vtique desiderijs Sanctitas vestra satisfaciet, & sacræ religioni quæ vtilia sunt decernet: si verò hoc onerosum est, vt tu ad has partes aduenias, hoc ipsum nobis proprijs literis tua Sanctitas manifestet, quatenus in omnem Orientem, & in ipsam Thraciam, & Illyricũ sacræ nostræ literæ dirigantur, vt ad quendam definitum locum, vbi nobis placuerit, omnes sanctissimi Episcopi debeant conuenire, & quæ Christianorum religioni, atque Catholicæ fidei profint, sicut Sanctitas tua secundùm Ecclesiasticas regulas definiuerit, sua dispositione declarent.

Galla Placidia Imperatrix. 450.

Epistola ad Pulcheriam Augustam: Igitur tua Clementia secundùm Catholicam fidem, quod semper nobiscum fecit, & nunc similiter conspirare dignetur, vt quicquid in illo tumultuoso apud Ephesum Concilio constitutum est, omni virtute remoueatur: vt omnibus integris permanentibus, ad Apostolicæ Sedis, in qua primus Apostolorum beatus Petrus, qui etiam claues regni cælestis accipiens, sacerdotij principatum tenuit, Episcopatus causa mittatur. Debemus enim primatum in omnibus immortali cõuersationi tribuere, quæ totum mundum propriæ virtutis dominatione compleuit, & nostro Imperio orbem gubernandum seruandumq; commisit.

Pulcheria Augusta. 450.

Epistola ad Leonem P. Propterea tua Reuerentia quocumque modo prospexerit, significare dignetur, vt omnes etiã totius Orientis Episcopi, Thraciæ, & Illyrici, in vnam ciuitatem velociter valeant conuenire, & illic facto Concilio, & de Catholica confessione, & de his Episcopis, qui ante hoc segregati sunt, sicut fides & Christiana pietas exigit, te auctore decernant.

Anastasius Imp. 510.

Epistola ad Hormisdam Papam: His igitur præfatis initijs hortamur, vt ad ea, quæ de Schytiæ partibus mota, vnde & Concilium fieri conuenire perspeximus, mediatorem se Apostolatus vester faciat, vt contentionibus amputatis, vnitas sanctæ restituatur Ecclesiæ. Nobis autem omnia optata præstantur, si orationibus vestris, & frequenti paganorũ allocutione nostri memores fueritis.

Iustinus Imp. 516.

Epistola ad Hormisdam P. Scias Pater religiosissime, &c. Oret vestræ religionis Sanctitas, vt quod peruigili studio pro concordia Ecclesiarum Catholicæ fidei procuratur, diuini muneris opitulatio iugi perpetuitate seruari annuet.

Athalaricus Rex. 520.

Epistola ad clerum Ecclesiæ Romanæ: Si quispiam ad Romanum clerum aliquem pertinentem in qualibet causa probabili crediderit actione pulsandum, ad beatissimi Papæ iudicium prius conueniat audiendus, vt aut ipse inter vtroſq; more suo Sanctitatis agnoscat, aut causam deleget æquitatis studio terminandam Et si fortè, quod credi nefas est, competẽs desiderium fuerit petitoris elusum, tunc ad secularia fora iurgaturus accurrat, quando suas petitiones probauerit à supradictæ Sedis Præsule fuisse contemptas. Quod si quis extiterit tam improbus litigator, atq; omnium fuerit iudicio sacrilega mente damnatus, quireuerentiam tantæ Sedi exhibere contemnat, & aliquid de nostris affatibus crediderit promerendum, ante alicuius conuentionis effectum, decem librarum auri dispendio feriatur, quæ pauperibus erogentur, carensq; impetratis, negotij quoque sui amissione mulctetur. Dignus enim est duplici pœna percelli, qui & diuinam reuerentiam, & nostra iussa temerarit.

Iustinianus Imp. 530.

Epistola ad Ioannem Papam, Cod. de summa Trinitate & fide Catholica: Reddentes honorem Apostolicæ Sedi & vestræ Sanctitati, (quod semper nobis in voto & fuit, & est,) & vt decet patrem honorantes vestram Beatitudinem, omnia, quæ ad Ecclesiarum statum pertinent, festinauimus ad notitiam deferre vestræ Sanctitatis: quoniam semper nobis fuit magnum studium vnitatem vestræ Apostolicæ Sedis, & statum sanctarum Dei Ecclesiarum custodire, qui hactenus obtinet & incommotè permanet, nulla intercedente contrarietate. Ideoq; omnes sacerdotes vniuersi Orientalis tractus & subijcere, & vnire Sedi vestræ Sanctitatis properauimus. In præsenti ergo quæ commota sunt, (quamuis manifesta & indubitata sunt, & secundùm Apostolicæ vestræ Sedis doctrinam ab omnibus semper sacerdotibus firmè custodita & prædicata,) necessarium duximus ad notitiam vestræ Sanctitatis peruenianț. Nec enim patimur quicquam, quod ad Ecclesiarum statum pertinet, quamuis manifestum & indubitatum sit, quod mouetur, vt non etiam vestræ innotescat Sanctitati, quæ caput est omnium sanctarum Ecclesiarum. Per omnia enim, (vt dictum est,) properamus honorem & auctoritatem crescere vestræ Sedis.

Ad Ioannem P. in principio Authentica: vt Ecclesia Romana centum annorum gaudeat præscriptione: Vt legũ originẽ anterior Roma sortita est: ita & summi Pontificatus apicem apud eam esse nemo est qui dubitet. Vnde & nos necessarium duximus, patriam legum, fontem sacerdotij speciali nostri

numinis lege illustrare, vt ex hoc in vniuersas Ecclesias Catholicas, quæ vsque ad Oceanum positæ sunt, saluberrimæ legis vigor extendatur: & si totius Occidentis, nec non & Orientis, vbi possessiones sitæ inueniuntur, ad Ecclesias nostras siue nunc pertinentes, seu postea eis acquirendæ, lex propria ad honorem Dei consecrata. Sanctitas itaque tua præsentem nostræ mansuetudinis legem pijssimam, siue sacrosanctam oblationem, quam Deo dedicamus, accipiens, intra apud sacratissima vasa reponat, & à nobis seruandam, & in omnes Ecclesiasticas possessiones seruituram.

In Authent. de Ecclesiasticis titulis & priuilegijs cap. 2. Ideoq; sancimus secundùm sanctarum Synodorum definitiones, sanctissimum senioris Romæ Papam primum esse omnium sacerdotum: beatissimum autem Archiepiscopum Cõstantinopolitanum nouæ Romæ secundum habere locum post sanctam Apostolicam senioris Romę sedem: alijs autem omnibus sedibus præponatur.

Extat in Decretis Bonifacij Papæ. Matt. 16.

Ad Bonifacium Papam: Prima salus est rectæ fidei regulam custodire, & à constitutis Patrum nullatenus deuiare. Et quia non potest Domini nostri Iesu Christi prætermitti sententia, dicentis: *Tues Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam:* & hæc, quæ dicta sunt, rerum probantur effectibus: quia in Sede Apostolica extra maculam semper est Catholica religio seruata. De qua spe & fide minimè separari cupientes, & Patrum sequentes constituta, anathematizamus omnes, qui contra sanctam Romanam & Apostolicam Ecclesiã superbiendo suas erigunt ceruices: sequentes in omnibus Apostolicam Sedem, & prędicantes eius omnia constituta, & per omnia spero, vt in vna communione vobiscum, quam Sedes Apostolica prædicat, esse merear, in qua est integra, & vera Christianæ religionis & perfecta soliditas, promittens sequestratos à communione Ecclesię Catholicæ, id est non consentientes Sedi Apostolicę, eorum nomina inter sacra non esse recitãda mysteria. Hanc autem professionem mea manu subscripsi, & Bonifacio sancto & venerabili Papę vrbis Romæ direxi, damnans & antecessores & successores meos, & omnes, qui sanctæ Romanæ & Apostolicæ Ecclesiæ priuilegia cassare nituntur.

Constantinus Quartus Imp. 678.

Epistola ad Domnum Papam: Constantinus Imp. sanctissimo ac beatissimo Archiepiscopo antiquæ nostræ Romæ, & vniuersali Papæ, &c. Postquam tempus recipit perfectam congregationem fieri, adhortamur vestram paternam Beatitudinem, per præsentem nostram piam Sacram, dirigere viros vtiles, modestos, notitiam habentes totius à Deo inspiratæ doctrinæ, & peritiam irreprehensibilem habentes dogmatum, indutos personam vestræ Apostolicæ Sedis, eiusq; Concilij, deferentes & libros, quos oportet proferri, & omnem auctoritatem habentes, quatenus cõuenientes cum hîc posito sanctissimo Patriarcha, & Macario sanctiss. Patriarcha Theopolitanæ ciuitatis, perscrutentur cum omni mansuetudine & modestia, & per gratiam sancti Spiritus veritati insistere & consentire, munitionem habentibus ijs, qui huc aduenerunt ex parte Sedis vestræ per præsentem nostram piam Sacram. Per Deum enim omnipotentem non est apud nos partis cuiuslibet fauor, sed æqualitatem vtrisque partibus conseruabimus, nullatenus necessitatem facientes in quocumque capitulo eis, qui à vobis dirigunt[illegible] quoquo modo: sed in omni honore, cum competenti munificẽtia, & susceptiõe dignos eos habebimus.

Iustinianus Secundus Imp. 687.

Beda de sex ætatibus mundi de anno 4665. Iustinianus Secundus in Imperium restitutus Constantinum Papam ad se venire iubens, honorificè susceptum, ac remisit, vt eum die Dominica Missas sibi facere iubens, communionem de eius manu acceperit: quẽ prostratus in terra pro suis peccatis intercedere rogans, cuncta Ecclesiæ priuilegia renouauit.

Luitprandus Rex Longobardorum. 735.

In legibus Longobardorum titulo 23. §. 5. Papa vrbis Romę in omni mundo caput est Ecclesiarum Dei & sacerdotum.

Carolus Magnus. 780.

Epistola ad Eliphandum Toletanum: Nec vestræ me paucitati in consensione huius nouæ assertionis socium admitto: sed Apostolicæ Sedi, & antiquis ab initio nascentis Ecclesiæ, & Catholicis traditionibus tota mentis intentione, tota cordis alacritate coniungo.

In priuilegio Ecclesiæ Bremensis apud Crantzium in Metrop. lib. 1. capite 7. Summi Pontificis & vniuersalis Papæ Hadriani precepto, nec non & Moguntinensis Episcopi, omniumq; qui adfuêre Pontificum cõsilio, eandem Bremensem Ecclesiam, cum omnibus suis appẽdicijs V Villehado cõmisimus.

Lib. 5. Legum Francic. cap. 167. Principaliter totius sanctæ Dei Ecclesiæ corpus in duas eximias personas, in sacerdotalem videlicet & regalem, diuisum esse nouimus. De qua re Gelasius Romanæ Sedis venerabilis Episcopus ad Anastasium Imp. ita scribit: Duæ sunt Imperatrices Augustæ, quibus principaliter mundus hic regitur, auctoritas sacrata Pontificum, & Regalis potestas. In quibus tantò grauius pondus est sacerdotum, quantò etiam pro ipsis Regibus hominibusq; in diuino reddituri sunt examine rationẽ. Fulgẽtius quoq; in libro de veritate prædestinationis ita scribit: Quantum pertinet, inquit, ad huius temporis vitam, in Ecclesia nemo Põtifice potior, & in seculo Christiano Imperatore nemo celsior inuenitur.

Lib. 7. cap. 235. Placuit, vt si Episcopus accusatus appellauerit ad Romanum Pontificem, id statuendum quod ipse censuerit.

Kenulphus Rex Merciorum apud Anglos. 800.

Epist. ad Leonem Tertium PP. Vnde meritò omnis per orbem exultat Ecclesia: quia cùm omniũ verus remunerator bonorũ, gloriosissimum gregis sui Pastorem Adrianũ perpetuò remunerandum super ęthera duxisset, suis tamen ouibus pia erexit prouidentia prouium, qui scit ouile Dominicum ad caulas nõ inferius vitæ agitare. Hos quoq; meritò, quos extremitas orbis tenet, eodẽ modo præ cæteris gloriamur: quia illius sublimitas nostra salus est, illius proceritas nobis perennis exultatio: quia vnde tibi Apostolica dignitas, inde nobis fidei veritas innotuit. Quapropter opportunũ arbitror tuis sanctis iussionibus aurẽ obedientiæ nostræ humiliter inclinari, & quę tuæ pietati ritè nobis sequẽda videantur, toto nisu implẽda: quę verò rationi contraria deprehensa fuerint, citius declinãda, ac interim nobis omnimodis reſecanda. Sed modò ego Kenulphus gratia Dei Rex excellentiam tuam humilis exoro, vt te fine offensione animi vestri de profectu nostro, vt optamus, liceat alloqui, quatenus in gremium me pietatis tuæ tranquilla pace percipias, & quem meritorũ nulla facultas erigit, larga benedictionis tuæ vbertas, ad plebem suam regendam locupletet, &c. Hanc benedictionem omnes, qui ante me sceptro præfuerunt Merciorum, meruerunt ab antecessoribus tuis adipisci. Hãc ipse humilis peto, & à vobis, ô Sanctissime, impetrare cupio, quatenus imprimis adoptionis sorte me tibi filium suscipias, sicuti te mihi patris persona diligo, & totis obedientiæ viribus semper amplector.

Ludoicus Imp. 820.

Apud Gratianũ dist. 63. cap. 30. Ego Ludoicus Imp.

Romanus Augustus statuo & concedo, per hoc pactum confirmationis nostræ, tibi B. Petro principi Apostolorum, & per te Vicario tuo D. Paschali summo Pontifici & vniuersali Papæ & successoribus eius in perpetuum, sicut à prædecessoribus nostris vsq; nunc in vestra potestate & ditione tenuistis, & disposuistis Romanam ciuitatem, cum ducatu suo, & suburbanis, atq; villiculis omnibus, & territorijs eius montanis, & maritimis, litoribus, & portubus, seu cunctis ciuitatibus, castellis, oppidis, ac villis in Thusciæ partibus, &c. Quãdo diuina vocatione huius sacratissimæ sedis Pontifex de hoc mundo migrauerit, nullus ex regno nostro aut Francus, aut Longobardus, aut de qualibet gente homo, sub nostra potestate constitutus, licentiam habeat, cõtra Romanos aut publicè, aut priuatim veniẽdi, aut electionem faciendi, nullusq; in ciuitatibus, aut in territorijs ad Ecclesiæ B. Petri Apostoli potestatẽ pertinentibus, aliquod malum propter hoc facere præsumat: sed liceat Romanis cum omni veneratione, & sine qualibet perturbatione honorificam suo Pontifici exhibere sepulturam, & eum, quem diuina inspiratione, & beati Petri intercessione, omnes Romæ in vno consilio atq; concordia sine qualibet promissione elegerint, sine aliqua ambiguitate vel contradictione more Canonico consecrare, & dum consecratus fuerit, legati ad nos vel ad nostros successores Reges Francorũ dirigantur, qui inter nos & illum amicitiam & charitatem ac pacem socient.

Ludoicus & Lotharius Impp. 826.

Epistola ad Eugenium P. Sanctissimo & reuerendissimo Domino & in Christo Patri Eugenio, summo Pontifici & vniuersali Papæ Hludoicus & Hlotarius Impp. & Augusti spirituales filij vestri sempiternam in Domino nostro Iesu Christo salutem. Quia veraciter nos debitores esse cognouimus, vt his, quibus regimen Ecclesiarũ, & ouium Dominicarum cura cõmissa, in omnibus causis ad diuinum cultum pertinentibus opem atque auxilium, pro qualitate virium nostrarum & intellectus nostri capacitate, feramus, &c. Idcirco rogamus, vt Almitas vestra curam & diligentiam adhibere dignetur, quomodo per vestrã saluberrimã doctrinam & admonitionem magis ad concordiam & vnitatem reuocetur, quàm propter hoc ad maiorem discordiam impellatur. Optamus sanctam & venerabilem & piam Paternitatẽ vestram semper in Christo bene valere, & nostri, ac nostrorum omnium in sacrosanctis orationibus meminisse sanctissime ac beatissime Pater.

Lotharius Rex. 868.

Epistola ad Adrianum Secũdum P. Quia Deus omnipotens princeps pastorum in illa sancta Sede vestri Pontificatus apicem sublimauit, vestrũ multipliciter desideramus conspectum.

Basilius Imp. Constantinop. 870.

In Concilio octauo generali actione 6. Neque enim vt sanctissimus Patriarcha ad proprium regrederetur thronum, impetrij mei opus vel excogitatio facta est: sed multum ante sanctissimus ac beatissimus Papa Nicolaus, quæ circa illum erant certissimè discẽs, synodicè decreuit, reddi ei ius proprij throni, & anathema cum tota sancta Romanorum Ecclesia pronuntiauit contra resistentes huiusmodi decreto atq; sententię. Hoc autem nos olim scientes, & pauentes iudicium anathematis promulgari, obsecundari synodico iudicio Romanæ Ecclesię necessarium duximus. Et huius rei gratia reddidimus ei proprium thronum.

Carolus Rex Franciæ. 870.

Epistola ad Adrianum Secundum: Sanctissimo ac reuerendissimo Patri Adriano summo Pontifici & vniuersali, Carolus Dei gratia Rex & spiritualis filius vester. Quia literis exnomine sanctæ paternitatis vestræ ab Arctardo venerabili Archiepiscopo nobis delatis necessitate cogente prolixius respondere compulsi sumus, contra morem nostrum in quaterniunculo annulo nostro signato responsionem nostram scribere necessarium duximus, quatenus legi planius valeat, & quæ nobis ratio respondere coẽgit, legenti planius innotescant. Quam responsionem sancta Paternitas vestra non aspernanter, sed benignè suscipiat, quæ à nobis non est contumaciter, sed mente pacifica contexta. Deus omnipotens ad honorem, & salutationem, atq; exaltationem sanctæ suæ Ecclesiæ vos per annorum curricula conseruare dignetur Domine sanctissime atq; reuerendissime Pater in Domino.

Leo Imp. Constantinop. 890.

Sermone de S. Petro: *Tu me sequere*: hoc est, *sequere me* baculo pastorali, & sicut ego, cùm eram vobiscũ, seruabam vos, vt pater vester, & caput, ac magister, vigilans pro vobis: sic & tu esto meo loco, & sequere me principatu, ac potestate ista fratres tuos cõfirmans. Te enim volo esse meo loco. Vnde manet vsq; in hodiernum diem Petrus sequens Christum in successore suo.

Otto Primus Imp. 950.

Apud Gratianum dist. 63. cap. 33. Tibi Domino Papę Ioanni ego Rex Otto promittere & iurare facio per Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, & per lignum hoc viuificæ Crucis, & per has Reliquias Sanctorũ, quòd, si, permittente Domino, Romam venero, sanctam Romanam Ecclesiam, & te rectorem ipsius exaltabo secundùm posse meũ: & nunquam vitam, aut membra, & ipsum honorem, quem habes, mea voluntate, aut meo consilio, aut meo consensu, aut mea exhortatione perdes: & in Romana vrbe nullum placitum, aut ordinationẽ faciã de omnibus, quę ad te, aut ad Romanos pertinent sine tuo consilio: & quicquid de terra S. Petri ad nostram potestatem peruenerit, tibi reddam: & cuicumq; Italicum regnum commisero, iurare faciam illum, vt adiutor tui sit, ad defendendum terram S. Petri secũdùm suum posse. Sic me Deus adiuuet, & hæc sancta Dei Euangelia.

Hugo Rex Franciæ. 990.

Epistola ad Ioannem Papam: Beatitudini vestræ ego & Episcopi mei per Ioannem Archidiaconũ Rhemensis Ecclesiæ scripta direximus, in quibus Arnulphi rationes vobis explanauimus: sed nũc obsecrando superaddimus, vt mihi meisq; iuxta decernatis, nec dubia pro certis recipiatis. Nihil nos contra Apostolatum vestrum egisse scimus. Quòd si absentibus non satis creditis, præsentes de præsentibus vera cognoscite. Gratianopolis ciuitas in confinio Italiæ & Galliæ sita est, ad quã Romani Pontifices Francorũ regibus occurrere soliti fuerunt. Hoc si vobis placet, iterare possibile est. At si nos & nostra inuisere libet, summo cum honore descendentẽ de Alpibus excipiemus, morantem ac redeuntem debitis obsequijs prosequemur. Hoc ex integro affectu dicimus, vt intelligatis & cognoscatis, nos & nostros vestra nolle declinare iudicia. Petimus itaq; vt Ioannis Archidiaconi legationem benignè suscipiatis, vt dum quod petit obtinuerit, nos in suo aduentu efficiat lætos, & in vestro obsequio feruentissimos.

Eduardus Rex Angliæ. 1060.

Epistola ad Nicolaum Secundum P. Summo vniuersalis Ecclesiæ Patri Nicolao Eduardus gratia Dei Anglorum Rex debitam & subiectionem & obedientiam. Glorificamus Deum, quia curam habet suæ electæ Ecclesiæ, quoniam in loco boni prædecessoris vos optimum successorem cõstituit. Quapropter

propter iustum iudicamus apud vos, velut ad solidam petram, acuere, & probare omnes bonas actiones nostras, & vestram notitiam, & societatẽ in bono habere, quatenus eas donationes, & priuilegia, quæ obtinuimus apud prædecessorẽ vestrum, renouetis, atq; augeatis nobis, videlicet, vt quod ille iniunxerat nobis sub nomine obedientiæ, & pœnitentiæ, propter votũ, quod voueram ire Romam, & in remissionem omniũ peccatorũ meorum cõstruere cœnobium monachorum in honore Apostoli Petri, ratum faciatis, & priuilegia possessionum, & dignitatum eiusdem loci cõfirmetis, renouetis, & decernatis. Ego quoq; pro modulo meo augeo & confirmo donationes & consuetudines pecuniarum, quas habet Sanctus Petrus in Anglia, & ipsas pecunias collectas cum regalibus donis mitto vobis, vt oretis pro me, & pro pace regni mei, & continuam & solennẽ memoriam instituatis totius gentis Angliæ coram corporibus Sanctorum Apostolorum.

Fridericus Primus Imp. 1150.

Epistola ad Emanuelem Imp. Græcorũ: Sicut ille Rex regum, à quo omnis potestas, Romanum Imperiũ caput totius orbis constituit: ita etiam Romanam Ecclesiam, omnium Ecclesiarum vnicã matrem, dominam & magistram ordinauit: quod vtique duorum gladiorum numero figurauit, quos etiã sufficere perhibuit auctor fidei nostræ. Quapropter tuam prudẽtiam cõmonemus, quatenus nobis & Romano imperio, honorem debitum impendas, & summo Pontifici, quem nomine tenus sanctum appellas, debitam obedientiam exhibeas & honorem.

Ludoicus Rex Francorum. 1160.

Epistola ad Alexandrum Pontificem: Domino suo & Patri sanctissimo Alexandro Ludoicus Francorũ Rex salutẽ, & debitam reuerentiam. Ab humanæ pietatis lege recedit filius, qui matrem deturpat, neque Creatoris beneficij reminiscitur, qui de sanctæ Sedi Apostolicę illata turpitudine non cõtristatur: verùm specialius est condolendum, & nouitatem doloris excitat inauditæ nouitas crudelitatis: quoniam in sanctum Dei insurgẽs malignitas, in pupillum Christi gladium infixit, & lucernam Cantuariensis Ecclesiæ non tam crudeliter, quàm turpiter iugulauit. Exciteur ergo exquisitæ genus iustitiæ, denudetur gladius Petri in vltionem Cantuariensis Martyris: quia sanguis eius clamat pro vniuersali Ecclesia, &c.

Regina Angliæ. 1190.

Est inter epistolas Petri Blesensis epistola 144.

Epistola ad Cælestinum P. Gentes diuulsæ, populi lacerati, prouinciæ desolatæ, & generaliter tota Occidentalis Ecclesia confecta lamentis, in spiritu contrito & humiliato supplicant vobis, quem constituit Deus super gentes & regna in omni plenitudine potestatis. Afflictorum quæso clamor introeat in aures vestras: calamitates enim nostrę multiplicatæ sunt super numerum, nec ista dissimulare potestis citra criminis & infamię notam, cũm sitis Vicarius crucifixi, successor Petri, sacerdos Christi, Christus Domini, Deus etiam Pharaonis, &c. Vbi est zelus Helię in Achab? zelus Ioannis in Herodem? zelus Ambrosij in Valentẽ? zelus Alexãdri Tertij, qui, sicut audiuimus & vidimus, patrem istius principis Fridericũ plena auctoritate Apostolicæ Sedis à fidelium cõmunione præcidit? Porrò tyrannus Apostolicas claues habet ludibrio, nec nisi verba reputat legem Dei. Scriptum est enim: *Qui vos spernit, me spernit.* Ideo si vestram non vultis, aut Ecclesiæ Romanæ iniuriam persequi, vobis tamen dissimulare non licet Petri opprobrium, & iniuriam Christi.

Alexius Imperator Græcorum. 1200.

Epistola ad Innocentium Tertium P. Innocẽtio sanctissimo Papæ Romano honorem condecentem, vt patri spirituali, & votum orationum eius. Per prudentissimos legatos tuæ Sanctitatis Albertum Subdiaconum, & Notarium Albertinum meo directum imperio tuæ Sanctitatis scriptum ei oblatum fuit, atq; perlectum &c. Tuæ igitur Sanctitatis est, secundùm præcedẽtes synodales operationes, pro requisitis dogmatibus synodalẽ conuentionem fieri dispensare, & tua sic Sanctitate faciente, sanctissima, quæ apud nos est, Ecclesia non ad conuentum tardabit.

Leo Rex Armeniorum. 1200.

Epistola ad Innocentiũ 3. Reuerendissimo in Christo Patri & Domino Innocentio Dei gratia summo Pontifici, & vniuersali Papæ tanto & tali honore dignissimo, Leo per eandem & Romani Imperij gratiam Rex omnium Armeniorum, cum salutatione seipsum, & quicquid potest. Gloria, laus, & honor omnipotenti Deo, qui vos tantum & talem pastorem Ecclesiæ suę præesse voluit, vestris bonis meritis exigentibus, & tam fructuosam & firmam fabricam super fundamentum Apostolorum componere, & tantum lumen, super candelabrum positum, toti orbi terrarum ad salutem totius Christianitatis effundere dignatus est. In vestri verò luminis gratia salutaribus monitis reuerendissimi Patris nostri Archiepiscopi Moguntini instructi, & informati, omne regnum nobis à Deo commissum, amplissimum & spatiosum, & omnes Armenos huc illuc in remotis partibus diffusos, ad vnitatem sanctæ Romanæ Ecclesiæ diuina inspirante clemẽtia reuocare cupimus & optamus.

Reginaldus Rex Insularum. 1220.

Epistola ad Honorium Tertium: Beatissimo Patri Honorio Dei gratia summo Põtifici Reginaldus Rex Insularum commendationem cum osculo pedum, &c.

Fridericus Secundus Imp. 1230.

In constitutionibus de statutis & consuetudinibus, &c. In die, qua de manu sacratissimi Patris nostri Honorij Tertij Pontificis recepimus Imperij diadema, &c.

Carolus Rex Siciliæ. 1266.

Epist. ad Clementem Quartũ: Sanctissimo in Christo Patri ac Domino suo, D. Clementi diuina prouidentia sacrosanctæ & vniuersalis Ecclesiæ summo Pontifici, Carolus Dei gratia Rex Siciliæ, cum omni reuerentia & honore, post pedum oscula beatorum.

S. Ludoicus Rex Franciæ. 1270.

In documentis ante mortem suam filio Philippo scriptis: (*extant apud Guilhelmum Nangium de gestis huius S. Ludoici.*) Sis deuotus & obediens matri nostræ Romanæ Ecclesiæ, & summo Pontifici tãquam Patri spirituali.

Michael Palæologus. 1274.

Epist. ad Gregorium Decimum: Sanctissimo & beatissimo Patri, & summo Pontifici, Apostolicæ Sedis vniuersali Papæ, & communi principi Christianorũ omnium, venerabili Patri Imperij nostri Domino Gregorio, Michael à Christo Deo fideliter Rex & Imperator & moderator Græcorum, Ducas Angelus Comnenus Palæologus, & spiritualis filius magnæ Sanctitatis vestræ, decentem honorem & reuerentiam, cum syncera & pura affectione, & omni postulatione.

Eduardus Rex Angliæ. 1300.

Epist. ad Bonifacium Octauum: Sanctissimo in Christo Patri Domino Bonifacio, diuina prouidentia Eduardus, &c. Conseruetur Paternitas vestra ad regimen Ecclesiæ suæ sanctæ per tempora prospera & longæua.

Comites & Barones Angliæ. 1300.

Epist. ad Bonifacium Octauum: Sanctissimo in Christo Patri D. Bonifacio, diuina prouidentia sanctę Romanæ ac vniuersalis Ecclesiæ summo Pontifici, sui deuoti filij Ioannes Comes VVarran, Thomas Comes Gloceſtriæ & Hertfordiæ deuota pedum oscula beatorũ. S. Romana mater Ecclesia, per cuius ministeriũ fides Catholica in suis actibus, cum ea, vt firmiter credimus & tenemus, maturitate procedit, quòd nulli præiudicare, sed singulorum iura seruari velit illæsa, &c. Sanctitati vestræ reuerẽter, & humiliter supplicamus, quatenus dominum nostrum Regem, qui inter alios Principes orbis terræ Catholicum se exhibet, & Romanæ Ecclesiæ deuotum, iura sua, & libertates, & consuetudines, & leges absq; diminutione, & inquietudine pacificè possidere, & illibata persistere benignius permittatis.

Andronicus Imp. Græcorum. 1320.

Epistola, quæ extat Græcè in Bibliotheca Palatina: Hæc similiter sacrosancta Romana Ecclesia, supremũ absolutumq; principatum potestatemq; super vniuersam Catholicam Ecclesiam habet. Quã quidem potestatem in seipsa iure & humiliter agnoscit esse, atque accepisse cum plena auctoritate ab ipso Domino in beato Petro Apostolorum principe ac vertice, cuius Romanus Pontifex est successor. Et quemadmodum præter alias Ecclesias habet potestatem de fide iudicandi; sic & quæ de fide suborte fuerint quęstiones, huius iudicio dissoluendæ sunt. Ad hanc vnusquisq; vexatus prouocare potest, & in omnibus causis, quæ ad examen Ecclesiasticum spectant, ad huius iudicium potest quisque recurrere. Et huic omnes Ecclesiæ sunt subiectæ.

Henricus Dux Heluiæ. 1324.

Epistola ad Ioannem 22. Sanctissimo in Christo Patri ac Domino suo reuerendo Ioanni Dei prouidentia summo Pontifici Henricus Dux Heluiæ, hæres regni Poloniæ, dux Glogentiæ, cũ recommendatis ipsius pedum oscula beatorum.

Vladislaus Rex Poloniæ. 1327.

Epist. ad Ioan. 22. Sanctissimo Domino Ioãni Vladislaus Rex deuotus filius, ad pedum oscula beatorum.

Eduardus Rex Franciæ & Angliæ. 1343.

Epistola ad Clementem Sextum: Sanctissimo Patri ac Domino D. Clementi diuina Dei prouidentia Romanæ ac vniuersalis Ecclesię summo Pontifici Eduardus Dei gratia Rex Franciæ & Angliæ, Dominus Hiberniæ, deuota pedũ oscula beatorum.

Sigismundus Imp. 1420.

Extat in appendice cucilij Basileensis.

Epist. ad Pontificem Romanum: Beatissime Pater ac Domine reuerẽdissime, hodie recepimus bullam vestræ Sanctitatis, notificantem nobis dissolutionem sacri Basileensis concilij.

Ladislaus Rex Hungariæ & Bohemiæ. 1452.

Extat apud Cochlæũ historiæ Husitarum lib. 11.

Oratione Romæ habita ad Nicolaum Quintum P. Cùm animaduerto, beatissime Maxime Pontifex, me apud inclytos pedes Sanctitatis tuæ constitutum, quæ inter mortales Dei omnipotentis vicem gerit, coram hoc sacratissimo Senatu, ad quem illustrissima totius mundi sydera, atq; homines doctrina & sanctitate lectissimi conuenerunt: non iniuria equidem, in tanta rei magnitudine subsistens, vnde initium sumam orationis, quibus verbis te vnicum Christianorum Principem, te Regum regem, atq; in terris Deum adorem, nõ facilè constituere possum. Te namque, beatissime Pater, non sine ratione beatissimum appellamus, quem admiranda probitatis omniumq; virtutũ merita, incorrupta vitæ integritas, ad hanc eminentissimam Sedem iure optimo extulerunt.

Ludoicus Francorum Rex. 1464.

Epistola ad Pium Secundum: Beatissimo Patri nostro Pio Papæ secundo obedientiam filialem. Te Vicarium Dei viuentis ea veneratione prosequimur, vt sacra, præsertim in Ecclesiasticis rebus, tua monita velut vocé pastoris audire, illisq; parêre prompta mente velimus. Te principem totius Ecclesiæ Antistitem sacrorũ, te Dominici gregis pastorem profitemur, & scimus, teq; iubentem sequimur, tibi & beatissimi Petri cathedræ consentimus. Itaq; sicut mandasti, pragmaticam sanctionem (tuæ Sedi infensam, vtpote quæ schismatis tempore, atq; per seditionem mota sit) à regno nostro, nostroq; Viennensi Delphinatu, & omni ditione nostra per præsentes pellimus, deijcimus, stirpitusq; abrogamus.

Sigismundus Rex Poloniæ. 1513.

Epistola ad Concilium Lateranense: Posteaquam accepimus Iulium secundum, diuina prouidentia sanctæ Romanæ vniuersalis Ecclesię summũ Pontificem, pro defendenda sanctæ Romanæ Ecclesię vnitate, & sanctissima contra Catholicæ fidei, & crucis Iesu Christi hostes expeditione suscipienda Concilium generale in Laterano indixisse, memores officij ac debiti nostri, quo eidem sanctæ Romanæ Ecclesiæ matri nostræ sumus adstricti, pro cuius honore & tranquillo statu omnes vires nostras effundere semper parati sumus, Ioannẽ Ecclesiæ Metropolitanæ Gnesnensis Archiepiscopum, & Stanislaum de Osterog Equitẽ auratum designauimus, & designamus oratores nostros, dantes illis potestatẽ coram Sanctitate Leonis Decimi Papæ comparendi, ibidemq; obediẽtiam iuxta maiorum meorum consuetudinem præstandi, & recognoscendi eundem esse verum vnicum & indubitatum Pontificem, & Dominici gregis pastorem.

Henricus Octauus Rex Angliæ. 1520.

In assertione 7. Sacramentorum aduersus Lutherum articulo 2. Negare Lutherus non potest, quin omnis Ecclesia fidelium sacrosanctam Sedẽ Romanam, velut matrem primatemq;, recognoscat ac veneretur, quęcumque saltem neq; locorum distantia, neq; periculis interiacentibus prohibetur accessu. Quamquã, si vera dicunt, qui ex India quoque veniunt huc, Indi etiam ipsi tot terrarum, tot marium, tot solitudinum plagis diſiũcti, Romano tamen Pontifici se submittunt. Ergo si tantam, & tã latè fusam potestatem neq; Dei iussu Pontifex, neque hominum voluntate cõsecutus est, sed sua sibi vi vindicauit: dicat velim Lutherus, quando in tantę ditionis erupit possessionem. Non potest obscurum initium esse tam immensæ potentiæ, præsertim si intra hominum memoriam nata sit. Quòd si rem dixerit vnam fortasse, aut duas ætates superare, in memoriam nobis rem redigat ex historijs: alioqui si tam vetusta sit, vt rei etiam tantæ obliterata sit origo, legibus omninò cautũ esse cognoscit, vt cuius ius omnem hominũ memoriam ita supergreditur, vt scire non possit cuiusmodi habuerit initium, censeatur habuisse legitimum: vetitumq; esse constat omnium consensu gentium, ne quæ diu manserunt immota moueantur. Certè si quis rerum gestarum monumenta euoluat, inueniet iam olim protinus post pacatum orbem plerasq; omnes Christiani orbis Ecclesias obtẽperasse Romanæ. Quin Græciã ipsam, quamquã ad ipsam commigrasset Imperium, reperiemus tamen, quod ad Romanæ Ecclesiæ primatum pertinebat, præterquã dum schismate laborabat, Romanæ Ecclesię cessisse.

Dauid Rex Æthiopiæ. 1524.

Epist. ad Ioannem Regem Portugallię: Mitto ad Papã Romanum Franciscum Aluarez, qui meo nomine præ-

ne præstet obedientiam, sicut iustum est.

Epist. 1. ad Pontificẽ Romanũ: Pax tibi sit, iuste Domine, Pater sancte, potens, pure, sacrate, qui es caput Pontificum omnium, & neminẽ metuis, cùm nemo tibi possit maledicere, qui es vigilãtissimus super animas curator, & amicus peregrinantium, consecrate magister, & prædicator fidei, & earum rerum hostis, quæ conscientiam offendunt, amator optimorũ morum, vir sanctus, quem omnes laudant & benedicunt. O felix sancte Pater, ego tibi reuerenter obedio, cùm sis pax omnium, & cuncta bona merearis, & ita æquum est, vt omnes tibi obedientiam præstent, sicuti sancti Apostoli præcipiunt apud Deum.

Epist. 2. ad eundem: Felix sancte Pater, qui à Deo effectus es gentium consecrator, & S. Petri sedem obtines, tibi datæ sunt claues regni cælorum, &c. Mitto ad deosculandos pedes Sanctitatis vestræ, more cæterorum Christianæ fidei Regum fratrũ meorum, &c. Cupio ingenti desiderio consequi sacrosanctam benedictionem à Vicario Domini nostri Iesu Christi: nam procul dubio Sanctitas vestra Dei est Vicarius. Exosculor autem pedes sanctos, & supplex oro, vt benedictionẽ mittat.

Damianus à Goëz epist. ad Paulũ Pontificem: AEthiopum Imp. cum omnibus suis regnis sub tua disciplina viuere cupit, nec quicquam magis optat.

Carolus Quintus. 1530.

In edicto VVormacien.: Ad honorem Dei omnipotentis, Romanique Pontificis, & sanctæ Sedis Apostolicæ debitam reuerentiam, pro Imperialis dignitatis officio debito, nec non zelo & studio, quo nostrorũ maiorum more, & ingenita etiam nobis vi, ad defensionem Catholicæ fidei, sanctęq; Romanæ & vniuersalis Ecclesiæ honorem, tutelam, & protectionẽ omnes nostras vires & facultates, Imperium, Regna, Dominium, vitam deniq; & animam ipsam exponere sumus parati.

Claudius Imp. Aethiopum. 1549.

Epistola ad Paulum 3. Pontificem Max. Nuntius missus à Rege Aznaf Sagad Claudio directus ad principem Patrum Romæ, honoratæ Sedis Petri, qui nũc es tu, ô Paule, Pater noster. Pax tibi, pax Trinitatis sit tecum. Amen. Audi Pater noster: quem nobis in Patrem dedisti Ioannem consecratum posuimus in Sede Pontificia. Benedicam etiã tibi Pater duplici benedictione paterna in filium, secundùm benedictionẽ Abraham, Isaac, & Iacob. Audi nos Pater noster Paule Princeps Patrũ Romæ, cui subijciuntur septem reges Christianorũ, obliuiscturne consanguineus sanguinis sui?

Franciscus Rex Bungi in Iaponia. 1582.

Epistola ad Gregorium Decimumtertium PP. Summi Dei auxilio suppliciter implorato, magna cum humilitate ad Sanctitatem vestram scribere aggredior. Dominus rector cęli terræq;, cuius imperium super solem, lunam, & stellas, ignorãti mihi, & profundis immerso tenebris, claritatis suæ lumen iussit splẽdescere, ac nostratibus præcipuè populis reserans arcam suæ misericordiæ atque gemmarũ, dignatus est ante annos amplius quatuor & triginta destinare in hæc Iaponis regna Patres è societate Iesu: quorum è salutari & diuina semente nonnihil in meum quoque Dei benignitate cecidit pectus. Quod tam insigne beneficiũ, aliaq; multa, ô sanctissime totius Christiani populi parens, vestræ potissimũ precationi meritisq; accepta equidem refero. Ac proinde, nisi me bella, senium, & affecta valetudo impedirent, cõferem me ipse ad visenda ac veneranda sacratissima isthæc loca, ac simul obedientiam exhibens, pedes vestrę Sanctitatis, post pia ipsorum oscula, capiti meo superimponerem, & sanctissima vestra manu pectus meum signo crucis muniendum curarem. Sed quoniam ijs, quas dixi, causis impedior, sororis meæ filium D. Hieronymum regis Fiungæ filium cogitabam legare pro me: verùm quando is in præsenti longè abest, & Patris Visitatoris instat profectio, D. Manciũ, eius cõsobrinũ, eodem nomine mittere visum est: à vestra Sanctitate magni beneficij accipiam loco, si pro ea, qua fungitur in terris Dei vice, me & Christianũ hunc gregem, vti facit, fouere & adiuuare perrexerit.

Protasius Rex Arimanorum. 1582.

Epistola ad Gregorium 13. Cum Dei gratia demissè & humiliter hasce literas offero Sãctitati vestræ. Ante hoc biennium, qui fuit annus ab aduentu Domini 1580. per Quadragesimam, quibus maximè diebus pretiosa passio Domini nostri Iesu Christi recolitur, in magnis belli tumultibus, denique in profundo gẽtilium tenebrarum iacenti mihi dignatus est Pater misericordiarum lucem veritatis, & rectum iter ostendere per venerabilem Visitatorem, aliosq; verbi Dei prædicatores è societate Iesu. Cumq; Sanctitas vestra Christianũ gregem vniuersum moderetur & pascat, valdè mihi fuit optatum, isthuc venire, coramq; humi stratus magna cum submissione exhibere illi obedientiam, & post pedum oscula beatorum eosmet meo capiti superimponere. Sed quoniam rebus varijs impedito id mihi non licet, mitto cum eodem Patre Visitatore patruelẽ meum D. Michaëlem, vti pro me hoc munere pietatis officijq; fungatur. Ex eo ipso mea vota, & alia cognoscet vestra Sanctitas, ac proinde non ero fusior: quam ego ex animo syncero & humili venerabundus adoro.

Bartolomæus Omuranorum Princeps. 1582.

Epistola ad Gregorium 13. Vereor ne crimen audaciæ subeam, attamen cum Regis cælorum gratia rudem hanc epistolam offero Sanctitati vestræ, quę cùm in terris locum obtineat Dei, ac simul ex ipsius doctrina & magisterio Christianus populus pendeat vniuersus, ęquum sanè fuerat, meimet maria transmittere, ipsumq; ad vestram Sanctitatem inuisendam venire, sacrosq; eius pedes post pia illorum oscula super meum caput imponere: sed quò minus hoc fungar officio, multæ me hoc tempore prohibent causæ, &c.

Sigismundus Tertius Poloniæ Rex. 1590.

Extat apud Seuerinũ Cracouiẽsem de canonizatione S. Hyacynthi.

Epist. ad Sixtum Quintum P. M. Sanctissimo ac beatissimo Patri ac Domino Sixto diuina prouidentia Papæ Quinto sacrosanctæ Romanæ & vniuersalis Ecclesiæ Pontifici Maximo, Domino clemẽtissimo: Sanctissime ac beatissime in Christo Pater & Domine clementissime, post oscula pedum beatorum, mei, regnię & dominiorum meorum diligentem commendationem. Quod serenissimos Poloniæ Reges prædecessores meos iam inde à multo tẽpore à Dominis S. V. prædecessoribus Pontificibus maximis summo studio petijsse intellexi, idem ego peto, &c.

ARTICVLVS NONVS.

CONSTANTINVM MAGNVM IMP. NON IN EXTREMA SENECTVTE AB ARIANO QVODAM EPISCOPO: SED AETATE ADHVC VEGETIORE A SYLVESTRO ROMANO PONTIFICE ROMÆ BAPTIZATVM, ET A LEPRA miraculosè curatum esse.

NEGANT.

Anno post natũ Christum.

340. EVSEBIVS, vitæ Constantini lib. 4. cap. 61. & 62. *refert Constantinum in extrema senectute paulò ante mortem Nicomediæ ab Arianis baptizatum esse, nulla facta mentione leprę.*

370. Ambrosius oratione de obitu Imperatoris Theodosij: *Cõstantino licet baptismatis gratia in vltimis constituto omnia peccata dimiserit, tamen quòd primus Imperatorum credidit, magni meriti locum reperit.*

390. Hieronymus in Chronico Eusebij: *Constantinus extremo vitæ suæ tempore ab Eusebio Nicomediensi Episcopo baptizatus, in Arianum dogma declinat.*

440. Socrates Ecclesiasticæ historiæ lib. 1. cap. 26. *Constantinus Nicomediæ lauacro baptismatis tingitur, quo vehementer exhilaratus testamentum fecit, &c.*

450. Theodoretus lib. 1. cap. 32. *Constantinus cùm esset Nicomediæ, grauiter ægrotare cœpit, cumq; secum cõsideraret, quàm incertus sit humanæ vitæ exitus, donum sacrosancti baptismatis accepit.*

590. *Euagrius*, lib. 3. cap. 41. *Theodoreti hanc sententiam citat, nec improbat.*

1540. *Lutherani & Calviniani horum testimonijs vsi, negant Constantinum à Sylvestro Romano Pontifice Romæ baptizatum, & à lepra curatum, & inde inferunt falsam esse Constantini donationem.*

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Theophanes Cerameus. 830.

In Chronographia: Hoc anno, vt nonnulli ferũt, Magnus Constantinus, cum Crispo filio Romæ à Sylvestro baptizatus est: quemadmodum hi, qui Romæ habitant, vsque ad hanc diem in testimonium ostendunt locum baptismi, siue baptisterium, quòd Romæ à Sylvestro sit baptizatus post sublatos tyrannos. At Orientales ferunt eum ab Eusebio Nicomediensi Ariano, sub extremum vitæ tempus baptizatum, vbi etiam fato functus sit. Ferunt enim eum distulisse baptismum, quòd speraret in Iordane flumine baptizari. Sed mihi verius videtur, eum à Sylvestro Romę baptizatum, & constitutiones, quę nomine eius circumferuntur ad Melchiadem, fictas esse ab Arianis, qui sibi hinc gloriam aucupari studerent, aut pium Imperatorem maculare niterẽtur, ipsum sine baptismo fuisse asserentes: quod planè absurdum est ac falsum. Si enim non erat baptizatus in concilio Nicæno, superest, vt neq; diuinorum mysteriorũ fuerit particeps, nec orationes cum diuinis Patribus habuerit: quod dicere ac cogitare absurdissimum est. Cæteri verò Ariani & pagani calumniantur vti spurium Magnum Constantinum: quin & ipsi mentiuntur, &c.

Simeon Metaphrastes. 960.

Vitæ S. Sylvestri cap. 14. Hæc cùm audisset Imperator Constantinus, & lętus vltimam exuisset tunicam, & probrum carnis subiecisset oculis, & vnctus fuisset sancto chrismate, ingressus est piscinã. Cùm autem Sylvester eius caput tetigisset, & eum in aquam immersisset, & sanctam simulq; venerãdam inuocasset Trinitatẽ, lux repente totam domum circũfulsit, & lucis splendor plusquàm sol enituit. Exijt itaq; Imperator ex diuino lauacro, habens carnẽ puram & sanam, neq; plaga, necvlla apparente cicatrice. Aqua autẽ piscinæ erat plena ijs, quæ ex vlceribus exciderant, membranis ac pelliculis, nõ secus ac squammis piscium. Ille aũt cùm vidisset se tam repentè sanatũ, nesciebat quẽadmodum satis ostenderet gaudij sui magnitudinem. Cùm autem vestem candidam induisset ac luminosam, dixit ijs, qui aderant, se sensisse manum desuper extensam, quæ eum tetigit immersum in piscina.

Ioannes Zonaras. 1100.

In Constantino: His peractis nocte astare ei visi sunt duo viri, qui se Petrum & Paulum esse Christi Apostolos profitentes dicerent, si & corporis & animæ sanitatem consequi vellet, Sylvestrũ Episcopũ esse accersendum, qui & luem corporis depulsurus esset, & vitam interitus expertem cõmunicaturus. Experrectus Imperator, Episcopũ reuerenter accersi iubet, atq; ad Sylvestrum: Dic mihi, inquit, Episcope, an Deos colatis, qui Petrus & Paulus nominantur? Respõdit ille: Vnus à nobis Deus agnoscitur, Petrus & Paulus sunt eius famuli & ministri. Tũc Imperator narrato ei somnio, arcanis nostrę religiõis instruitur, baptizatur, & è sanctissimo illo balneo sanus & integer ascendit.

Georgius Cedrenus. 1110.

In Cõstantino: Septimo Imperij sui anno Magnus Constantinus Roma potitus, nihil antiquius habuit, quàm Reliquias sanctorum Martyrum honestè sepelire, & exules reuocare. Tunc etiam à Sylvestro sanctissimo Romæ Papa baptizatus, leprą; hoc pacto liberatus est.

Michael Glycas. 1120.

Parte 4. Annalium: Plus meretur fidei, quod alij tradunt, Constantinum apud Romam veterem à S. Sylvestro baptizatum esse. Quamquam enim Ariani quidam constanter asserunt, eum ab Episcopo Nicomediæ Antistite baptizatum esse, non tamen dubium est, quin magni Imperatoris huius baptisterium, quod adhuc Romę conspicitur, illustri ratione veritatem commonstret: imò fieri non potuit, vt Niceno in Concilio baptismi expers foret. Quo pacto enim vel preces vnà cõcipere, vel sacris adesse rebus poterat, nondum baptismi particeps?

Nicephorus Callistus. 1300.

Eccles. hist. lib. 7. cap. 35. Quòd Romæ à Sylvestro sacratus & Diuus Constantinus baptizatus fi post Maxentij oppressionem, qui fortissimè sub signo crucis est deiectus, satis ostendit baptisterium, quod ad hoc vsque tempus eius rei gratia in testimonium certissimum Romæ asseruatur, sicut hoc de viris natu grandioribus, qui veritatem maximi faciunt, auditur.

Menologion Græcorum.

Kalendis Ianuarij: Eodem die S. Sylvestri Romani Pontificis, qui propter summum virtutis gradum defuncto Melchiade, antiquioris Romæ creatus est Episcopus. Hic multorum patrator miraculorum, Constantinum Magnum ad fidem conuertit, cùm animæ & corporis morbos diuino baptismate ab eo expulisset.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Concilium Romanum sub Sylvestro. 329.

Cap. 1. Eodem tempore cùm multi nobiles gauderent, quòd Constantinus à Sylvestro vrbis Romæ Episcopo baptizatus, & mundatus fuisset à lepra, per hoc beneficium, quod accepit à Domino Iesu per Sylvestrum Episcopum, cœpit integrè prædicare Dominum Iesum, & confiteri eius beneficia.

Auctor Actuum S. Sylvestri. 350.

Apud Vincentium Burgundum lib. 13. cap. 47. Constantinus, cùm iuxta consilium Pontificum ad Capitolium pergeret, vt ibi sanguine puerorum lauaretur, occurrit multitudo mulierum, quę resolutis crinibus, & nudatis pectoribus vlulantes, coram eo se in plateis strauerunt, lachrymas fundentes. Qui percunctatus, quare hoc facerent, didicit has esse matres puerorum, quorum fundendus esset sanguis, vt ipse in eo lotus sanaretur. Tunc Imperator exhorruit facinus, & prorumpens in lachrymas, ait: Cur hoc scelerato lauacro vtar? &c. Cùm orasset pro Cõstantino Sylvester, & omnes respondissent Amen, subitò quasi fulgor lux intolerabilis emicuit, quæ & omnium mentes exterruit, & aspectus obtexit. Constantinus quoque exurgens, Christum se vidisse confessus est, & indutus candidis vestibus, septem diebus dedit singulas leges in honore Christi, & priuilegium Christianorum. Octaua autem die, veniens ad confessionem Apostoli Petri, & ablato diademate capitis, totum se planum in faciẽ proijciens, tantam illic lachrymarum effudit multitudinem, vt omnia illa insignia vestimenta purpurea infunderentur.

Damasus. 370.

In Sylvestro: Sylvester in exilio fuit in monte Saractensi, & postmodum rediens cum gloria baptizauit Constantinum Augustum, quem curauit Dominus à lepra, cuius persecutionem primò fugiens, in exilio fuisse cognoscitur, &c. Fontem sanctum, vbi baptizatus est, ex lapide porphyretico, & ex omni parte coopertum, intrinsecus, & foris, & desuper, & quantum aqua continet, ex argẽto purissimo libras 30000. &c. In medio fontis columna porphyretica, quæ portat phialam ex auro purissimo, pensantem libras 50.

Auctor epistolæ ad Eustochium. 400.

Apud Hieronymum tomo 9. numero 35. Constantinus Magnus, postquam dignatione superna per sanctos Apostolos Petrum & Paulum visitatus, & per Sylvestrum baptizatus est, ex persecutore fidei defensor, & mandatorum Christi custoditor assiduus factus est.

Etsi hæc Epistola non est D. Hieronymi: tamen constat eam hoc tempore sub nomine D. Hieronymi editam esse.

Gelasius. 490.

In Decreto de Apocryphis Scripturis: Probamus, & cum omni honore suscipimus actus B. Sylvestri, Apostolicę sedis Præsulis, licet eius, qui conscripsit, nomen ignoretur: à multis tamen in vrbe Roma Catholicis legi cognouimus.

In historia S. Sylvestri, incerto auctore scripta, refertur Constantinum per Baptismum à Sylvestro & baptizatum, & lepra curatum. Gelasius probat hanc historiam. Ergo sentit Constantinum à Sylvestro baptizatum.

Gregorius Turonensis. 580.

Historiæ Francorum lib. 2. cap. 31. Clodoueus Rex prior poposcit se à Pontifice baptizari: procedit nouus Constantinus ad lauacrum, veteris lepræ morbum, sordentesqúe maculas gestorum antiquorum recenti latice deleturus.

Aldhelmus. 680.

De Virginitate cap. 12. Illud etiam non omittendum reor, in quo præcipuum conseruatæ castitatis documentum declaratur: videlicet, quòd Imperatoris Constantini diuturna valetudo & elephantiosa corporis incommoditas, accepto baptismatis sacramento, statim ab eodem Sylvestro salubriter dicto citius curata est, & tam interioris hominis, quàm exterioris gestus per cæleste cataplasma, duplici medicamine, sine tricarũ obstáculo est sanatus.

Beda. 700.

De sex ætatibus mundi, in Constantino: Constantinus fecit Romæ, vbi baptizatus est, basilicã B. Ioannis Baptistę, quæ appellata est Constantiniana.

Sermone de inuentione S. Crucis: Tunc S. Sylvester iussit aquam afferri, in qua baptizauit Constantinum, & sanus factus est.

Adrianus Primus. 780.

Epistola ad Constantinum & Irenem AA. In hodiernum vsque diem adornantur & illustrantur Ecclesię Apostolorum imaginibus, quemadmodum beatissimus Papa Sylvester testatur in principio orthodoxæ nostræ fidei, cùm Constantinus, diuino instinctu electus Imperator, ad fidem conuersus est. Nam cùm die abacta nox obumbrasset, ipseqúe somno premeretur, ecce astiterunt ei sancti Apostoli Petrus & Paulus dicentes: Quoniam execratus es, ô Imperator, puerorum sanguinem effundere ob ægritudinem tuam, ecce missi sumus à Christo, vt tibi restituamus sanitatem. Audi illud præceptum nostrum: accerse Sylvestrum Episcopum, ipse tibi parabit piscinam pietatis, in qua baptizabit te, erisqúe sanus à lepra omnibusq; morbis. Experrectus Imperator, statim Sylvestrum vocauit, nec dubius ait: Fiat piscina salutis meæ, eaq; facta baptizatus est, statimqúe sanatus.

VVandelbertus Diaconus. 830.

In Martyrologio 31. Decemb.

Syluester pridiè Romanam Papa per vrbem
Lætantes populos votis sibi subdit amicis:
Pontificum primus tranquillam cernere pacem
Qui meruit, dominosq; vrbis purgare lauacro.

Hincmarus. 850.

In vita S. Remigij: Procedit nouus Constantinus ad lauacrum salutiferum, in quo delendę erant lepręveteris morbi, sordentesqúe antiquæ peccatorum maculę diluendę, diuino munere obsequente B. Remigio, in quo Apostolica doctrina & virtutum gratia alter repræsentari videbatur Syluester.

Nicolaus Primus. 860.

Epistola 8. ad Michaelem Imper. Consonat huic necessarię sententię sanctus Syluester Magni Constantini baptizator dicens: *Neque ab Augusto, neque ab omni clero, neque à populo iudex iudicabitur.*

Anastasius Bibliothecarius. 870.

In Chronicis: Constantinus anno 18. Imperij sui est baptizatus.

Ado Viennensis. 890.

In Chronicis at ate 6. Constantinus in fide eruditus à B. Sylueſtro Papa, fecit miro opere baptisterium Romę, vbi baptizatus est, iuxta Basilicam, quę appellatur Constantiniana.

Hugo Floriacensis. 1040.

In Chronicis de Constantino: Tunc Syluester Papa catechizans eum intra palatium Lateranense, pœnitentiam indixit, & die septima, in qua claudendum erat ieiunium, vespertino tempore benedicto fonte illum purificauit.

Leo Nonus. 1050.

Epistola aduersus præsumptiones Michaëlis Constant. & Leonis Acridani Episcoporum cap. 10. Illi facitis prę iudiciũ Sedi, de qua nec vobis, nec cuilibet mortalium licet facere iudicium, beatissimo Syluestro diuinitus decernente, spiritualiqúe eius filio Constantino religiosissimo Augusto, cum vniuersa Synodo Nicęna approbante ac scribente, vt summa Sedes à nemine iudicetur, inuiolabiliter & inconcussè sibi cõseruato illo priuilegio, quod idem Princeps quarto baptismatis sui die deuotus contulit Pontifici Romano, scilicet, vt in toto orbe sacerdotes ita hunc caput habeant, sicut omnes iudices Regem.

Marianus Scotus. 1080.

In Chronicis de anno 321. Constantino à Papa Syluestro baptizato, scripsit de Britannia sibi sua mater Helena, vt negando Christum Iudæos sequeretur.

Berngosius Abbas. 1112.

De inuentione & laude S. Crucis lib. 2. cap. 4. Constantinus ad placandum totius operis opificem continuò ad se accersiri fecit Romanum Pontificem, à quo confirmatus & baptizatus, in nomine Dei discere cœpit, quid vel Deo deberet aut homini. Nouum quippe habitum, & nouum assumens animum in fonte Saluatoris, duo genera cœpit medicaminum, dum pro eo quod effundere noluit sanguinem innocentem, lepra deseruit corpus, & vitia mentem.

Honorius Augustodunensis. 1120.

In speculo Ecclesiæ de inuentione S. Crucis: Constantinus, Ecclesię impugnator acerrimus, illo tempore monarchiam tenuit, quem diuina pietas *in chamo & freno constringens,* sibi appropinquare cõpulit. Nam dum anima eum saluari voluit, in toto corpore lepra perfudit. Hic à Syluestro Papa ad fidem conuersus baptizatur, mox à lepra mũdatur, pax & gaudium per eum vniuersæ terræ roboratur.

Hugo Victorinus. 1130.

Excerptionum priorum lib. 8. cap. 1. Aduocatus Papa Syluester fidem Christi Constantino exponit, & credentem baptizauit. Et egrediẽs de fonte Constantinus, lepra corporis & animæ pariter curatus est.

Otto Frisingensis. 1150.

Lib. 4. Chronicorum cap. 1. Mortuo Melchiade Syluester successerat. Ab hoc, iuxta traditionem Romanorũ, in Ecclesia, quę S. Ioannis dicitur, Constantinus baptizatur.

Godfridus Viterbiensis. 1170.

Parte 16. Chronicorum: Melchiade Papa mortuo successit Syluester, à quo in Basilica Lateranensi baptizatus est Constantinus.

Helinandus. 1190.

De S. Gerione, & alijs Martyribus: Constantinus confortatus in imperio, dum regni Romani Monarchiam per bella maxima obtinuisset, legibus Christianæ religionis per beatum Syluestrum Papam initiatus est.

Innocentius Tertius. 1200.

Sermone 1. Sancti Syluestri: Constantinus egregius Imperator ex reuelatione diuina per beatum Syluestrum fuit à lepra in baptismo mundatus, vrbem pariter & senatum cum hominibus & dignitatibus suis, & omne regnum Occidẽtis ei tradidit, & dimisit, secedens & ipse Bizantium, & regnum sibi retinens Orientis.

Conradus Abbas Vrspergensis. 1220.

In Constantino: Constantinus cùm multis alijs flagitijs grassaretur, cùm tamen in eo multæ virtutes haberentur, diuinitus lepra percussus, per S. Sylueſtrum Papam, vnà cum matre, alijsq; multis, ad fidem conuersus est, & baptizatus, moxqúe omne studium ad Ecclesiæ transtulit profectum.

Guilhelmus Aluernus. 1230.

De Sacramentis in genere cap. 2. Sacramentorum virtus stabilitur primò attestatione diuinorum miraculorum. De his exemplum est famosa illa curatio à morbo elephantię Imperatoris Constantini: nec non & apparitio Saluatoris, quam ipsemet Imperator sibi factam in ipso salutari & viuifico lauacro testatus est. Ipse enim motus aquæ, qui ibi visus est, ac si aqua ipsa virtute benedictionis, & sanctificationis viuificata esset, & vitalem motum exinde suscepisset.

Thomas Aquinas. 1250.

Parte 3. Summæ Theol. quæst. 69. artic. 8. de effectibus Baptismi: Quidam in baptismo consequuntur non solùm spiritualem, sed etiam corporalem salutem, sicut patet de Constantino, qui in baptismo mundatus est à lepra.

Albertus Stadensis. 1260.

In Chronicis de anno 314. Constantinus à Syluestro baptizatus, omne studium ad Ecclesias conuertit.

Iacobus Genuensis. 1280.

Sermone de S. Syluestro: Constantinus Imperator, cùm lepra esset perfusus, à Syluestro est curatus, & curanti non fuit ingratus.

Nicolaus Tertius. 1280.

De electione & electi potestate cap. 17. Non absque miraculo factum esse concipitur, vt occasionaliter Constantini Monarchę à Deo prouisa, sed curata baptismatibus fomentis infirmitas, quandam

dam quasi adijceret ipsi Ecclesię firmitatem, qui quarto die baptismatis, vnà cum suis satrapis, in persona B. Sylueſtri, sibi Romanam concedendo vrbem, &c.

Nicolaus Lyranus. 1320.

Ad cap. 7. Apoc. Constantinus à beato Sylueſtro baptizatus, &c.

Martinus Polonus. 1320.

In Sylueſtro: Hic baptizauit Constantinum Imperatorem, valida squaloris lepra perfusum, qui statim à lepra mundatus est.

In Constantino: Iste deuictis Maxentio, Licinio, & Seuero Imppp. à Sylueſtro Papa, causa mũdandi à lepra, baptizatus est. Vnde omnes imperiales dignitates Papæ contulit, & ipse Constantinopolim transijt. Constantinum autem in extremo vitę suæ ab Eusebio Nicomediensi Episcopo rebaptizatum, & in Arianum dogma conuersum esse, quidam retulerunt. Sed hoc de Constantino mendosè dictum est: quoniam Beatus Gregorius in Registro, cùm loquitur Mauritio, eum bonæ memoriæ appellat: & in Tripartita Historia eius exitus atque acta bona inueniuntur: & super Psalm. 14. dicit ipsum beatus Ambrosius magni meriti apud Deum. Isidorus etiam in Chronicis suis reprobans hoc, omnino dicit eum feliciter terminasse. Vnde & Græci Constantinum in Catalogo Sanctorum annumerant, & festum de ipso cum solennitate agunt 21. die Maij. Sed ea, quæ mendosè de prædicto Constantino dicta sunt, de Constantino filio ipsius omnia vera esse inueniuntur. Non enim verisimile est, tantæ deuotionis Principem in tantum desipuisse, vt baptismum, quem à beato Sylueſtro acceperat, & à quo se corporaliter à lepra, & spiritualiter à peccato mundatum cognouerat, ac ipsum Christum se vidisse in baptismo testificatus fuerat, sic viliter, vt rebaptizaretur, contempsisset. Vnde propter eximiam, quam habuit ad Christi cultum religionem, & propter nimiam, quam habuit ad clerum reuerentiam, creditur hoc ab aduersarijs fidei fictum esse.

Albertus Patauinus. 1320.

Sermone 142. Legitur etiam, quòd Constantinus dixit, se vidisse Dominum Iesum Christum, cùm beatus Sylueſter eum baptizauit.

Matthæus VVestmonasterienſis. 1370.

In Chronicis de anno 310. Constantinus Augustus, cùm plurimam de Christianis stragem fecisset, elephantię morbo grauiter est percussus: cumqúe consilium haberet, vt balneum sibi faceret de sanguine innocentum puerorum, adducti sunt tria millia ad eum. Imperator tale facinus abhorrens, iussit filios matribus reddi, &c. Sylueſter eum in fide roboratum baptizauit. Qui consurgens à fonte Christum se vidisse confessus est, & à lepra perfectè mundatus est, &c. Constantinus fecit baptisterium Romæ miro opere, iuxtà Basilicam B. Ioannis Baptistæ, quæ appellatur Constantiniana, vbi prius baptizatus fuerat.

Gregorius Vndecimus. 1371.

Constitutione 1. Sanè dudum, dum minori fungebamur officio, percepimus, quòd Ecclesia Lateranensis, quam claræ memoriæ Constantinus fidelissimus Imperator in Lateranensi palatio suo, miraculosè mundatus à lepra, & sacri Baptismatis fonte renatus construxit sub vocabulo Saluatoris, statuens quod ex tunc libera esset vnicuique potestas per vrbem & orbem Ecclesias construendi, &c.

Bernardinus Senensis. 1430.

Tomo 1. Serm. 1. art. 2. cap. 4. de Christianæ fidei firmitate: Quædam miracula tanta euidentia sunt patrata, quòd nisi omninò à proteruis mentibus negari nequaquam possunt: sicuti sunt miracula facta à B. Sylueſtro coram Constantino Imperatore, tam in curatione eius lepræ, quàm disputatione contra Iudęos: quæ vtique facta tamquam celeberrima mundum minimè latuerunt.

Platina. 1460.

In Marco: Scribunt quidam Constantinum ab Eusebio Nicomedię Episcopo, Ariani dogmatis imitatore, baptizatum esse. Quod quidem falsum esse & religio Principis ostendit, & baptisterium huius rei causa Romæ ab eo magnificentissimi operis ędificatum. A Sylueſtro enim vnà cum Crispo fuit baptizatus, pulsis vrbe tyrannis, fidemqúe edocetur.

Carolus Sigonius. 1570.

Historiarum de Occidentali Imperio lib. 3. de baptismo Constantini: Quod edictum Ecclesia Romana, atque adeò etiam Orientalis in hunc vsque diem constantissimè tenuit, Theodoro Balsamone, Emmanuele Caleca, & Gennadio Patriarcha, Græcis scriptoribus testibus, quorum illustrissimus Cardinalis Sirletus opportunè iam inde Roma vsque admonuit. Quin etiam idem egregij operis Baptisterium, quod adhuc visitur, condidit, cuius cum Vaticana & Lateranensi Basilica Prudentius meminit, inquiens contra Symmachum, Iouis aram ab omni populo respui, qui

Aut Vaticano tumulum sub monte frequentat,
Quo cinis ille latet genitoris amabilis obsęs,
Cœtibus aut magnis Lateranas currit ad ędes,
Vnde sacrum referat regali Chrismate signum.

SCRIPTORES ETHNICI (LICET OBscurius) testantur Constantinum Romæ baptizatum.

Ammianus Marcellinus. 360.

Libro 27. cap. 2. Lampadius prefectus exagitatus est motibus crebris: vno omnium maximo, cùm collecta plebs infima domum eius propè Constantininianum lauacrum iniectis facibus incenderat.

Zosimus. 380.

Lib. 2. de Constantino: Horum ipse sibi conscius, & præterea contemptæ sacramentorum religionis, ad flamines accedens, admissorum lustrationes poscebat. Illis respondentibus, non esse traditum lustrationis modum, qui tam fœda piacula posset eluere, quidam Hispanus genere, cui nomen esset Ægyptius, Romã delatus, Palatinisq; mulierculis familiaris factus, & ad Constantini colloquium admissus, sententiam doctrinæ Christianorum habere vim abolendi quodcunq; peccatum confirmauit, & idipsum adeò polliceri, nimirum acceptantes eam homines impios, mox omni delicto liberari. Eam orationem cùm non grauatè Constantinus accepisset, ac patrita missa faceret, perceptis ijs, quæ hic Ægyptius offerebat, principium impietatis hoc dedit, vt diuinationem suspectam haberet: Nam quòd ei multæ res prosperę per hãc prædictę fuissent, euentumqúe

reipsa

reipsæ sortita verebatur, ne itidem aliis aduersus ipsum hanc consulentibus, id quod futurum esset prædiceretur, atque hoc consilio impulsus, ad huiusmodi abolenda se conuertit.

ARTICVLVS DECIMVS.

CONSTANTINVM IMP. SYLVESTRVM ROMANVM PONTIFICEM VT PATREM HONORASSE, EIQVE ET SVCCESSORIBVS EIVS ROMAM CVM MVLTIS ALIIS DONASSE.

NEGANT.

Anno post natũ Christũ.

1440. LAVRENTIVS *Valla scripsit orationem contra donationem Constantini, qua asserit illam recenter propè sua ætate à furcifero quodam & nebulone confictam esse.*

1520. *Martinus Lutherus,* aduersus Ambrosium Catharinum, *dicit donationem Constantini mendaci & stolidissimo diplomate confictam.*

1540. Philippus Melanchthon disputatione de iure Imperiorum: *Simili vanitate dicitur Constantinus donasse partem Imperij Romano Pontifici. Non potuit transferre Constantinus Imperium in Romanum Pontificem: nec gerenti munus Episcopi licuit recipere Imperium. Non est facta donatio Constantini: & si facta esset, debuisset ac potuisset reuocari à successoribus.*

1560. Magdeburgenses cent. 4. cap. 7. *Constantinum Magnum Romanis Episcopis ea, quæ referuntur, donasse, neque formulam illam priuilegij hoc seculo, neque aliquot sequentibus esse scriptam multis argumentis doceri potest. Nam de ea nulla apud probatos auctores expressè fit mentio per aliquot secula.*

ASSERVNT.

Constantinus Imp. 520.

In priuilegio Romanæ Ecclesiæ: Dum hæc, prædicante B. Syluestro, agnoscerem, & beneficijs ipsius B. Petri integerrimè sanitati comperi me restitutum, vtile iudicauimus, vnà cum omnibus nostris satrapis, & vniuerso senatu, optimatibusque meis, & cuncto populo Romanę gloriæ imperij subiacenti, vt sicut in terris S. Petrus Vicarius Filij Dei esse videtur constitutus, etiam & Pontifices, qui successores sunt ipsius principis Apostolorum, principatus potestatem amplius quàm terrena Imperialis nostræ Serenitatis mansuetudo habere videtur, concessam à nobis, nostroque Imperio, obtineant, eligentes nobis ipsum principem Apostolorum, & eius successores firmos apud Deum esse patronos. Et sicut nostram terrenam imperialem potentiam, sic eius sacrosanctam Romanam Ecclesiam decreuimus veneranter honorari, & amplius quàm nostrum imperium & terrenum thronum sedem sacratissimam B. Petri gloriosè exaltari, tribuentes ei potestatẽ & glorię dignitatem, atque vigorem & honorificentiam imperialem, atque decernentes sancimus, vt principatũ teneat tã super quatuor præcipuas sedes, Antiochenam, Alexandrinam, Hierosolymitanam, & Constantinopolitanam, quamq; etiam super oẽs in vniuerso orbe terrarum Ecclesias. Et Pontifex, qui pro tempore ipsius sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ extiterit, celsior & princeps totius mundi Ecclesijs existat, &c. Concedimus ipsis sanctis Apostolis Dominis meis beatissimis Petro & Paulo, & per eos etiam beato Syluestro patri nostro, summo Pontifici, & vniuersalis vrbis Romæ Papę, & omnibus eius successoribus Pontificibus, qui vsque ad finem mundi in sede B. Petri erunt sessuri: atque de præsenti contradimus palatium Imperij nostri Lateranense, quod omnibus in toto orbe terrarum præfertur, atque præcellit palatijs: deinde diadema, videlicet coronam capitis nostri, simulque phrygium, id est, mithram, nec non & superhumerale, videlicet lorum, quod imperiale circumdare assolet collum: verùm etiam & chlamydem purpuream, atque tunicam coccineam, & omnia imperialia indumenta, sed & dignitatem imperialium præsidentium equitum, conferentes etiam & imperialia sceptra, simulque & cuncta signa, atque banta, vel banda etiam, & diuersa ornamenta imperialia, & omnem processionem imperialis culminis, & gloriam potestatis nostræ, &c. Vnde vt Pontificalis apex non vilescat: sed amplius etiam quàm terreni Imperij dignitas & glorię potentia decoretur, ecce tam palatium nostrum, quàm vrbem Romam, & omnes totius Italiæ & Occidentalium Regionum prouincias & ciuitates Syluestro vniuersali Papæ concedimus, atque relinquimus, & successorum ipsorum Põtificum potestati & ditioni, firma imperiali censura, per hanc diualem nostram, & pragmaticum constitutum decernimus disponendum, atque iuri sanctæ Romanæ Ecclesiæ concedimus permansurum.

Isidorus Hispalensis. 620.

In Historia: Constantinus vrbe Roma Pontifici cessit, ornamentisque omnibus imperialibus, diademate videlicet, habituq;, & albo equo, quo vectetur: basilicas item dicitur in vrbe condidisse. *Citatur à Nauclero generatione 13.*

Isidorus Iunior. 730.

In collectione Canonum & Conciliorum integrum hoc priuilegium ad longum refert, quemadmodum ex eo excusum extat Coloniæ & Venetijs Tomo 1. Conciliorum.

Adrianus Primus. 780.

Epistola ad Constantinum & Irenem Augustos ex hoc priuilegio citat historiam de baptismo Constantini, & lepræ curatione.

Ado Viennensis. 880.

In Chronicis ætate 6. Constantinus in fide eruditus à beato Syluestro Papa, fecit miro opere baptisterium Romæ, vbi baptizatus est. Idem vrbem nominis sui statuens in Thracia, Sedem Romani Imperij, & caput totius Orientis esse voluit: caput verò totius Imperij ante Romam beatis Apostolis Petro & Paulo sub testamento tradidit, nobiliores Romanorum, consulares quoque viros, ac pene totum senatorum ordinem, cum vxoribus & liberis in secundam vel nouam Romam Constantinopolim translatum habitare constituens.

Hugo Floriacensis. 1040.

In Chronicis de Constantino: Tunc ædificauit sibi Byzantium maritimam ciuitatem, & vocauit illam Constantinopolim de nomine suo: ornauitque illam diuersis fabricis, & constituit in ea plures Ecclesias: vrbem verò Romam cum palatio suo, quod Lateranense dicitur, concessit Apostolis Christi Petro & Paulo, & S. Papæ Syluestro. Sanxit etiam, & instituit, vt omnia, quę ad Ecclesiasticum ordinem pertinent, Romani Episcopi iudicio dispositionem accipiant.

Leo Nonus. 1050.

Epistola aduersus præsumptiones Michaelis Constantinopolitani, & Leonis Acridani Episcoporum, cap. 12. Tantum apicem dignitatis in B. Petro, & in eius Vicarijs prudentissimus terrenę monarchiæ Princeps Constantinus intima consideratione reueritus, cunctos vsque ad finem seculi successuros eidem Apostolo in Romana Sede Pontifices, per B. Syluestrum non solùm imperiali potestate & dignitate, verùm etiam infulis & ministris adornauit imperialibus: valdè indignum fore arbitratus, terreno imperio subdi, quos diuina Maiestas præfecit cælesti.

Cap. 13. Sed ne fortè adhuc de terrena ipsius dominatione aliquis vobis dubietatis superfit scrupulus, pauca ex priuilegio eiusdem Constantini manu cum cruce aurea super cęlestis clauigeri venerabile corpus posito ad medium proferemus, quibus fundetur veritas, & confundatur vanitas, vt omnia membra Catholicæ matris cognoscant, nos illius Petri disciplinę esse, &c. Et nos vobis inculcare non tam relatu quolibet, quàm ipso visu & tactu comperta vel admoniti recognoscite: quia idem gloriosus princeps in iam dicto priuilegio post Christianæ fidei claram perfectamque confessionem, atque baptismatis sui enucleatam commẽdationem, specialem sanctæ Romanę Ecclesię dignitatem sic promulgauit dicens: Vtile iudicauimus vnà cum omnibus nostris satrapis, &c. *vt paulo ante ipsius Constantini verbis recitaui.*

Petrus Damianus. 1060.

In disputatione Synodali inter Regium aduocatum, & Romanæ Ecclesiæ defensorem: Lege Constantini Imperatoris edictum, vbi Sedis Apostolicæ constituit super omnes in orbe terrarum Ecclesias principatum. Nam postquam supra corpus B. Petri basilicam fundator erexit, postquam Patriarchium Lateranense in Beati Saluatoris honore construxit, mox per imperialis rescripti seriem Romanæ Ecclesię constituit dignitatem, vbi nimirũ in B. Petro Syluestro, suisq; successoribus obtulit, vt regali more, & aurea corona plecterentur in capite, & ceteras regij cultus insulas vsurparent. Verùm B. Syluester ornamenta, quæ sacerdotali congruere iudicabat officio, in proprios vsus assumpsit: coronam verò vel cætera, quæ magis ambitiosa, quàm mystica videbantur, omisit. Cui etiam Constantinus Lateranense palatium, quod eatenus aula regalis extiterat, perpetuo iure concessit. Nam & ipsius Regis hęc verba sunt: Vnde congruum, inquit, perspeximus, nostrum Imperium, & regni potestatem Orientalibus transferri ac mutari regionibus, & in Byzantina prouincia, in optimo loco, nomini nostro ciuitatem ędificari, & nostrum illic constitui imperium, &c.

Anselmus. 1100.

Libro 4. pro Rubrica capitis 32. hæc habentur: Quòd Constantinus Imperator Papæ concesserit coronam & omnem regiam dignitatem in vrbe Romana, & Italia, & in partibus Occidentalibus. *In principio eiusdem capitis hæc leguntur:* In gestis beati Syluestri, &c. *vsque ad finem huius Donationis.*

Polycarpus, seu Gregorius Presbyter, & Deusdedit Cardinalis, qui circa, aut paulo ante hæc tempora vixerunt, in suis Canonum collectionibus, quæ M. S. Romæ seruantur, eadem habent.

Iuo Carnotensis. 1100.

Parte 5. Decretorum cap. 49. *Exemplum constituti Constantini Imperatoris, de insignibus Imperialibus Ecclesiæ concessis:* Ex testamento constitũti nostri concedimus ipsis sanctis Apostolis Dominis meis beatissimis Petro & Paulo, & per eos etiam B. Syluestro Patri nostro summo Pontifici, & vniuersali Romę Papæ, & omnibus eius successoribus Pontificibus, qui vsque ad finem mundi in sede B. Petri erunt sessuri, atque de præsenti contradimus Palatium imperij nostri Lateranense, quod omnibus in toto orbe terrarum præfertur atque præcellit palatijs, &c.

Rupertus Tuitiensis. 1120.

Ad caput 3. Ionæ: Vsque adeò profecit auditus verbi, & paulatim inualuit, vt de altitudine gloriæ secularis demitteret, & subtus se curuaret genu, verticemque inclinaret tanti Imperij, baptizato Imperatore Constantino per Beatum Syluestrum Pontificem Apostolicę Sedis. Nam in illo quantum Euangelio Christi terrena potestas assurrexerit, licet satis notum sit, paulisper tamen commemorandum est ex priuilegio sanctæ Romanæ Ecclesię, quod idem Imperator Constantinus constituit, in quo inter cætera sic dicit: Decreuimus quidem & hoc, vt idem venerabilis Pater noster Syluester, summus Pontifex, vel eius successores omnes Pontifices diademate, videlicet corona quam ex capite nostro illi concessimus, ex auro purissimo & gemmis pretiosis vti debeant, &c.

Hugo Victorinus. 1130.

Excerptionum priorum lib. 8. cap. 1. Aduocatus Papa Syluester fidem Christi Constantino exponit, & credentem baptizauit, & egrediens de fonte Constantinus lepra corporis & animæ pariter curatus est. Posthæc ædificauit Constantinus Byzantium

zantium maritimam vrbem, vocauitqúe Conſtantinopolim de nomine ſuo: Vrbem verò Romam cum palatio ſuo, quod Lateranenſe dicitur, conceſſit Apoſtolis Petro & Paulo, & ſancto Papæ Syluestro.

Lib.9.cap.23. Poſt Conſtantinum Magnum ſedes Imperij apud Conſtantinopolim erat, pro eo quòd ipſe pijſſimus Imperator priuilegium Romanæ Sedis beato Petro principi Apoſtolorum, eiusqúe vicem tenentibus, in perpetuum relinquens, apud eandem ſibi vrbem ſedem Imperialem ſtatuerat.

Ioannes Gratianus. 1150.

Diſt.96. Conſtantinus Imper. coronam & omnem regiam dignitatem in vrbe Romana, & in Italia, & in partibus Occidentalibus Apoſtolico commiſit. Nam in geſtis B.Syluestri (quæ B.Papa Gelaſius in concilio ſeptuaginta Epiſcoporum à Catholicis legi commemorat, & pro antiquo vſu multas hoc imitari dicit Eccleſias) ita legitur: Conſtantinus Imperator quarta die ſui baptiſmi priuilegiũ Romanæ Eccleſiæ Pontifici cõtulit, vt in toto orbe Romani Põtifices vel ſacerdotes ita hũc caput habeant, ſicut iudices regẽ. In eo Priuilegio ita legitur: Vtile iudicamus vnà cum omnibus ſatrapis noſtris, & vniuerſo ſenatu, optimatibus, & cuncto populo imperio Romanæ Eccleſię ſubiacenti, &c. vt ſupra.

Ioannes Salisberienſis. 1160.

Lib.4.Polycraticon cap.6. Et quidem Conſtantinus Romana Eccleſia fundata & dotata, vt cætera eius taceantur egregia, perpetua benedictione inſignis eſt.

Eckbertus Presbyter. 1160.

Aduerſus Catharos Serm. 3. Conſtantinus regale palatium Romæ conſtruxit Syluestro, & omnem regium honorem & poteſtatem, quam habebat Romæ in partibus Occidentis, ipſi ac ſucceſſoribus eius conceſſit, & totius ſenatus honorem clero, qui cum ipſo erat, tradidit, & ipſe cum Senatoribus omnibus de vrbe egrediens Byzantium tranſmigrauit.

Theodorus Balſamon. 1160.

In Nomocanonem Photij tit. 9. Cuiuſmodi ſint priuilegia ſanctæ veteris Romæ Eccleſiæ oſtendit decretum, quod ab Apoſtolis æquali ſancto Magno Conſtantino ad S.Syluestrum, qui tunc erat Papa Romæ, factum eſt. *Decretum Conſtantini:* Æquum eſſe iudicauimus cum ſatrapis & vniuerſo ſenatu, vt ſicut S.Petrus eſt Dei Vicarius, ita etiam Epiſcopi, ſucceſſores principis Apoſtolorũ, principalem in terra habeant poteſtatem, amplius quàm noſtræ gloriæ Imperatoriæ Maieſtas, *& cætera, quæ ſequuntur, vt in priuilegio: ſubiungit Balſamon:* Nota, quòd ex præſenti edicto, ſeu regia iuſſione ſancti & Magni Conſtantini, ius habet Papa Romanus Imperatoris priuilegijs fruendi, præter ſolam coronam: & ideò in omnibus, quæ vbique fiunt, proceſſionibus, & diuinis eorum myſterijs, regio loro caput eius tegitur: induitur autem etiàm veris veſtimentis, & cum vero Imperatoris more equitat, eosqúe, qui ei ſubſunt, Imperatorijs dignitatibus honorat: quia autem ſancta Synodus dedit Archiepiſcopo Conſtantinopolitano omnia Papæ Romani priuilegia, conati ſunt nõnulli Patriarchæ eadem ſibi priuilegia arrogare, ſed eis non rectè ceſſit.

Innocentius Tertius. 1200.

Sermone 1.de S.Syluestro: Conſtantinus egregius Imperator ex reuelatione diuina per beatũ Syluestrum fuit à lepra in baptiſmo mundatus, vrbem pariter & ſenatum cum hominibus & dignitatibus ſuis, & omne regnum Occidentis ei tradidit & dimiſit, ſecedens & ipſe Byzantium, & regnum ſibi retinens Orientis.

Vincentius Burgundus. 1250.

In ſpeculo hiſtoriali lib.13.cap.52. Extat epiſtola Conſtantini generalis ad omnes Epiſcopos, quam inter decreta Patrum Iſidorus collocauit: in qua idem Conſtantinus modum ſuæ conuerſionis exponit, & Eccleſiam Romanam omnibus Eccleſijs præeſſe decreuit, in hunc modum: *In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Imperat. Cæſar Flauius Conſtantinus ſanctiſſimo Patri Patrum Syluestro,* &c.

Iacobus Genuenſis. 1280.

In Chronica inſerta hiſtoriæ Lombardicæ: Poſt Conſtantinum Magnum Imperialis ſedes apud Conſtantinopolim habebatur, pro eo, quòd prædictus Conſtantinus Romanam Sedem Vicarijs Beati Petri reliquit, & apud prædictam vrbem ſedem ſibi ordinauit.

Sermone de S.Syluestro: Conſtantinus Imperator Romę duodecim Eccleſias in honore duodecim Apoſtolorum fecit. Secundò fundatam Eccleſiam dotauit, quia totam Italiam in dotem donauit. Tertiò dotatam priuilegijs communiuit: Dedit enim legem, quicunque fugeret in Eccleſiam ſaluus eſſet.

Nicolaus Tertius. 1280.

De electione & electi poteſtate cap.17. Non abſque miraculo factum eſſe concipitur, vt occaſionaliter Conſtantini Monarchæ à Deo prouiſa, ſed curata baptiſmalibus fomentis infirmitas, quandam quaſi adijceret ipſi Eccleſiæ firmitatem, qui quarto die ſui baptiſmatis, vnà cum omnibus ſatrapis in perſona beati Syluestri ſibi Romanam concedendo, vrbem relinquens, ab eo, & ſucceſſoribus eius, per pragmaticum conſtitutum diſponendum eſſe (decernentes in ipſa vrbe vtriuſque poteſtatis monarchiam Romanis Pontificibus) declararet, non iuſtum arbitrans, vt vbi ſacerdotij principatum & Chriſtianæ religionis caput Imperator cæleſtis inſtituit, illic Imperator terrenus habeat poteſtatem: quin magis ipſa Petri Sedes in Romano iam proprio ſolio collocata, libertate plena, ſuis agendis per omnia potiretur, nec vlli ſubeſſet homini, quæ ore diuino cunctis dignoſcitur eſſe prælata.

Nicephorus Calliſtus. 1300.

Lib.7.cap.29. Conſtantinus Lateranenſe palatium Chriſto conſecrauit, & dedit.

Nicolaus Lyranus. 1320.

Ad caput 7. Apocalyps. Conſtantinus à B.Syluestro baptizatus, honorauit & exaltauit Eccleſiam, & potiſſimè ſacerdotes & alios Eccleſiæ miniſtros, & multa priuilegia Chriſtianis dedit, & ſic exemplo & verbo multos ad baptiſma induxit.

Martinus Polonus. 1320.

In Conſtantino: Iſte deuictis Maxentio, Licinio & Seuero Imppp. à Syluestro Papa cauſa mũdandi à lepra baptizatus eſt. Vnde omnes Imperiales dignitates Papæ contulit, & ipſe Conſtantinopolim tranſijt.

Auguſtinus Triumphus. 1320.

De poteſtate Eccleſiaſtica quæſt. 43.art.1. Illo iure Conſtantinus potuit concedere partem bonorum temporalium Imperij Eccleſiæ, & partem ſibi reſeruare, quo iure homo in lege naturæ, & in lege ſcripta partem bonorum temporalium dabat Deo, & partem ſibi reſeruabat.

Articulo 2. Conſtantinus Imperator dedit Papæ & ſuis ſucceſſoribus Imperij temporalium adminiſtrationem

niſtrationem, in honoris venerationem, & dominij recognitionem: & Papa hanc eandem immediatam adminiſtrationem concedit Imperatori, quem eligit in vſum, & in ſui officij ſtipendaionem pro defenſione & pacifica gubernatione Eccleſiæ.

Aluarus Pelagius. 1330.

De planctu Eccleſiæ lib.1.cap.44. Conſtantinus hac conſideratione permotus, à Chriſto inſpiratus, quem viderat in baptiſmate ſuo, vt ipſemet teſtificatus eſt, ceſſit Syluestro Vicario Chriſti imperium in Occidente, & ab eo recipit Imperium Orientis. Quod obijcitur de illa donatione Conſtantini, quòd non valuit facta ſine aſſenſu Principum, & quia immenſa: Reſpondetur dupliciter. Vna eſt reſponſio: Dedit quod erat Eccleſiæ: dedit enim Epiſcopo, quod Chriſti erat legitimi Domini noſtri. Alia reſponſio breuis eſt, quia Conſtantinus expreſsè ſe dicit hoc feciſſe & donaſſe vnà cum omnibus Satrapis, vniuerſo Senatu, & optimatibus.

Lupoldus Bebenburgius. 1340.

Libro de veterum Principum Germanorum zelo: Conſtat quòd donationes his ſimiles, poſt tempora Conſtantini Magni Sanctę Helenæ filij, qui donationem magnam Eccleſiæ Romanæ fecit, (de qua in Tractatu de iuribus regni & Imperij cap. 13. varias opiniones ſcripſi,) ab alijs Imperatoribus, ſeu etiam à cæteris mundi Chriſtiani Principibus ipſi Eccleſiæ Romanæ non legimus eſſe factas.

Matthæus VVeſtmonaſterienſis. 1370.

In Chronicis de anno 335. Imperator Conſtantinus vrbem ſui nominis titulo inſignitam in Thracia ſtatuens, ſedem Romani Imperij & caput Orientis eſſe voluit, & caput mundi Romam Beatis Petro & Paulo ſub teſtamento tradidit.

Ioannes Capiſtranus. 1430.

De Papæ & Conciliorum auctoritate folio 65. Ex quibus patet Imperatorem, & omnes Reges, cunctosqúe Chriſti fideles Papæ ſubijci oportere, donationemqúe Conſtantini, etſi facta non eſſet, de nouo faciendam, tamquam debitam, & vtilem facienti, de rebus meritò relaxandis ſub dominio ſummi regis Ieſu Chriſti, qui ſanguine ſuo Pontifices Reges fecit.

Folio 79. Vir religioſiſſimus Conſtantinus primus fidem veritatis ad licentiam dedit, per vniuerſum orbem ſuo degentibus Imperio non ſolùm fieri Chriſtianos, ſed etiam fabricandi Eccleſias, & prędia conſtituit, & fabricam templi primę Sedis B. Petri inſtituit, adeò vt Sedem Imperialem relinqueret, & beato Petro, ſuisqúe ſucceſſoribus profuturam concederet.

Æneas Syluius. 1450.

Apologia ad Martinum Maier: Quòd ſi non deberent Eccleſiæ bonis abundare, malè feciſſet Conſtantinus Imperator, qui Romanam tantopere ditauit Eccleſiam, qui, vt Damaſus ait ad Hieronymum, multà illi bona conceſſit: malè ſanctus Syluester dona Imperij accepiſſet: malè Damaſus, Stephanus, Adrianus, &, quem ſine cõtrouerſia deuotiſſimum omnes fatentur, Gregorius in poſſeſſione tot bonorum perſeueraſſent.

Gennadius Scholarius Patriarcha Conſtantinop. 1450.

De primatu Romani Pontificis ſectione 3. Magnus Conſtantinus Imperator inuictus Syluestro ſanctiſſimo ſummoqúe Pontifici opes, & ea quæ poſſidet largitus eſt, quemadmodum in edicto continetur, & in ſacris Canonum libris inuenitur. At nos id ad verbũ apponemus, ne aliud videamur adferre, quàm eius verba ſonant: *Aequum eſſe iudicauimus cum omnibus Satrapis noſtris, & vniuerſo Senatu,* &c. vt ſuprà.

Laonicus Chalcocondylas. 1480.

De geſtis Turcarum libro 1. Romani cùm eſſent nacti Imperium longè lateq; maximum, commiſerunt Romam Pontifici Maximo: ipſi verò tranſierunt in Thraciam Byzantium (quę nunc Conſtantinopolis eſt) Thraciæ Metropolim conſtituentes.

Baptiſta Mantuanus. 1500.

Lib. 12. Faſtorum in Syluestro de Conſtantino Cæſare:

Romam ipſam (quid multa moror?) donauit, ad agros
Threicios abiens, aliam ſibi condere Romam
Inſtituit, qua ſe angustis duo faucibus ampla
Aequora coniungunt contra Chalcedonis arua.

ASSERVNT IVDÆI VETERES.

Abraham Leuita.

In Chronico Iudaico, ſeu traditionibus memorabilium, de traditionibus ſecũdæ domus, de Conſtantino: Ipſe exijt Roma, & dedit eam ſacrificis Idumęorum (*ſic Chriſtianos per contemptum appellat*) ad hanc diem ædificata Conſtantinopoli.

R. Abraham Aben Eſra.

Ad cap.11. Danielis, ad illa verba: *Et ſuper vllum Deum nõ intelliget.* Senſus eſt, decorauit locũ Romę, quæ erat ſedes eius, & reliquit eam iniquitati, quę vocatur Petrus. *Sic impiè de ſanctis Apoſtolis loquitur.*

DIVERSORVM VETERVM TESTIMONIA de diuitijs Romanæ Eccleſiæ faciunt ad confirmandam Conſtantini Magni donationem: cùm ante illa tempora Eccleſia illa pauperrima fuerit.

Ammianus Marcellinus Ethnicus. 380.

Rerum à Conſtantio, Iuliano, & Valentiniano geſtarũ lib.27.de partium Vrſicini & Damaſi contentione agens: Neque ego, *inquit,* abnuo, oſtentationem conſiderans rerum vrbanarum, huius rei cupidos, obimpetrandum quod appetunt, omni contentione laterum iurgari debere, cùm id adepti futuri ſint ita ſecuri, vt ditentur oblationibus matronarum, procedantqúe vehiculis inſidentes, circumſpectè veſtiti, epulas curantes profuſas, adeò vt eorum conuiuia regales ſuperent menſas: qui eſſe poterant beati reuera, ſi magnitudine vrbis deſpecta, quam vitijs opponunt, ad imitationem Antiſtitum quorundam prouincialium viuerent, quos tenuitas edendi potandiqúe parciſſimè, vilitas etiam indumentorum, & ſupercilia humum ſpe-

ctantia, perpetuo numini, verisque eius cultoribus, vt puros commendat ac verecundos.

Etsi non probo talem quorundam Pontificum luxum, qi his etiam Ethnicos offendit: testatur tamen, magnas Romanæ Ecclesiæ id temporis fuisse diuitias. Et quia ante quam ad Christianos Principes Romana Ecclesia venisset, erat pauperrima, omnino probabile est Constantinum hunc, qui vsque adeò ex erario suo dotauit omnes orbis Ecclesias & Episcopatus pro ratione & dignitate cuiusque, (vt testatur Nicephorus lib.7.cap.46) huic quoque Ecclesiæ, & quidem plus quàm alijs concessisse.

Iustinianus Imp. 540.

In Authenticis col.2. tit.4. vt Ecclesia Romana centum annorum gaudeat præscriptione: Quod igitur nostra æternitas ad omnipotentis Dei honorem venerandę Sedi summi Apostoli Petri dedicauit, hoc habeãt omnes terræ, omnes insulæ totius Occidẽtis, quæ vsque ad ipsos Oceani recessus extenduntur, nostri Imperij prouidentiam vsque in æternum. Reminiscentes huius legis prærogatiuam, non solùm in Occidentalibus partibus Romanæ Ecclesiæ condonamus, sed etiam in Orientalibus partibus, in quibus Ecclesiasticæ vrbis Romæ possessiones sunt, vel postea fuerint, hanc nostram constitutionem seruantibus.

Gregorius Magnus. 600.

In epistolis passim patrimonium Romanæ Ecclesiæ amplissimum, & per Occidentem latè patens, quo ipse tum frueretur, demonstrat:

Patrimonium Petri in Africa, *lib.1.epist.73.*
Patrimonium in Neapoli, *lib.5.epist.11.*
Patrimonium in Campania, *lib.2.epist.40.*
Patrimonium in Dalmatia, *lib.2.epist.41.44.61.*
Patrimonium in Gallijs, *lib.5.epist.5.10.52.55. lib.1.epist.72.*
Patrimonium Siciliæ, *lib.1.epist.2.68.70.*

Per Italiam Ecclesię Romanæ multi prouentus, è quibus vult aliquid deputari Nolanarum mulierum sumptibus, *lib.1.epist.23.*

Romam Pontificij iuris fuisse, *lib.5.epist.12.* declarat: quando Montanum & Thomam, *inquit*, liberos ex hac die & ciues Romanos efficimus.

Sardinia de iure Ecclesię, *lib.1.epist.60.* Hinc causas Catellę in Sardinia cognosci vetat, quod repetit *epist.62.*

De alijs bonis Papæ lege lib.6.epist.23.

Beda. 700.

De sex ætatibus mundi in Tiberio secundo: Herebrechtus Rex Longobardorum multas curtas & patrimonia Alpium Cottiarũ, quę quondam ad ius pertinebant Apostolicæ Sedis, sed à Longobardis multo tempore fuerant ablata, restituit iuri eiusdem Sedis, & hanc donationem aureis scriptam literis Romam direxit.

In Anastasio: Luidprandus Rex Longobardorum donationem patrimonij Alpium Cottiarum, quam Herebrechtus Rex fecerat, & ille repetierat, admonitione venerabilis Papæ Gregorij confirmauit.

Paulus Diaconus. 770.

De gestis Longobardorum libro 6.cap.10.al.28. Aribertus Rex Longobardorum donationem patrimonij Alpium Cottiarum, quę quondam pertinuerant ad Apostolicam Sedem, sed à Longobardis multo tempore fuerant ablatę, restituit: & hanc donationem aureis exornatam literis Romam misit.

Cap.13.al.43. Eo tempore Luitprandus Rex donationem patrimonij Alpium Cottiarum Romanę Ecclesiæ confirmauit.

Adrianus Primus. 790.

Epistola ad Constantinum Imperatorem: Carolus dux Francorum, & Longobardorum patrimonia, quæ à perfida Longobardorum gente detinebantur, brachio forti Apostolicæ Ecclesiæ restituit, cuius esse dignoscebantur.

Nicolaus Primus. 860.

Epist.2. ad Michaëlem Imperatorem: Præterea Calabritanum patrimonium, & Siculum, quæque nostræ Ecclesiæ concessa fuerunt, & ea possidenda obtinuit, & disponcodo per suos familiares regere studuit, vestris concessionibus reddantur: quoniam irrationabile est, vt Ecclesiastica possessio, vnde luminaria Ecclesiæ Dei fieri debent, terrena quauis potestate subtrahantur: sed domui Dei restituta, meritum redditoris multiplicent, & suscipientis votum spiritalis desiderij lucris exerceatur.

Luitprandus Ticinensis. 950.

Lib.6.cap.6. Otto promisit omnia bona S. Petri se Romano Pontifici redditurum.

Gregorius Septimus. 1080.

Libro 1. epist.7. omnibus Principibus in terram Hispaniæ proficisci volentibus: Non latêre vos credimus, regnum Hispanię ab antiquo proprij iuris sancti Petri fuisse, & adhuc, (licet diu à Paganis sit occupatum,) lege tamen iustitiæ non euacuata, nulli mortalium; sed soli Apostolicę Sedi ex equo pertinere. Quod enim auctore Deo semel in proprietates Ecclesiarum iustè peruenerit, manente eo ab vsu quidem, sed ab earum iure, occasione transeuntis temporis, sine legitima concessione diuelli non poterit.

Georgius Cedrenus. 1100.

In Leone Iconomacho: Patrimonia quoque templorum Romæ principibus Apostolis consecratorum, quę pecunia quotannis antiquitus pendebantur talentorum trium semis, in ęrarium publicum conferri iussit.

Ivo Carnotensis. 1100.

In Chronicis Regum Francorum, in Pipino: Auxilium Zacharię Papæ contra Aistulphum Longobardorum regem, qui facultates Romanę Ecclesiæ, quę in regno eius erant, abstulerat, porrexit, eumque quod abstulerat reddere coëgit.

Nicolaus Sanderus. 1571.

De visibili Monarchia Ecclesiæ lib.7. num.90. Sed omnium testimoniorum auctoritates illud superat, quod oculis intuemur. Cernimus enim domum Constantinianam, quę Lateranensis etiam dicebatur, in templum Saluatoris conuersam esse: itemque ibi aliquando sedisse Pontificem Romanum, vbi Constantinus Magnus habitauerat. Legimus autem eiusmodi rerum suarum largitiones à Christianis potissimùm sub ipso baptismi sui tempore fieri solitas, vt inprimis ex cap.2. Actorum Apostolicorum constat. Scimus verò Constantinum relicta Roma quæsisse nouas sedes. Constat posteros illius nunquam ferè ad vrbem figendę illic sedis caussa reuertisse. Ac sanè si nihil omninò scriptum extaret, tamen quis non miretur Dei prouidentiam & consilium hac in re? Ex tot Imperatoribus Augustis, qui Romani Imperij nomine ac titulo tam in Oriente, quàm in Occidente tantoperè gloriantur, videmus ab illo die nec vnum ferè in vrbe Roma, velut in stabili sede Imperij sui substitisse: verùm aut Constantinopoli, aut Mediolani, aut Rauennæ, aut in aliqua Galliarum vrbe habitasse: Romam verò veluti penè peregrinos, honoris causa interdum inuisisse. Zonaras in vita Constantis nepotis Heraclij refert, eum cogitasse de imperio

perio in veterem Romam transferendo, quòd *plus honoris matri, quàm filiæ deberi diceret*: sed id non successit. Christus enim videtur, vt omnia marmora, & alia ornamenta, quę Romam ex toto mundo portabantur, suis ac Martyrum suorum templis, ita & ipsam vrbem, Principis Apostolorum cathedræ in æternum destinasse, &c.

ARTICVLVS VNDECIMVS.

LIBERIVM PAPAM FVISSE VIRVM SANCTVM, ET ORTHODOXVM: NON ARIANVM.

NEGANT.

Anno post natũ Christũ. 530.

MARCELLINVS, in Chronicis, *Liberium non numerat inter Romanos Pontifices: sine dubio ea de causa, quòd illum Arianum fuisse putauerit.*

1060. Petrus Damianus epistola 15. cap.16. *Liberius perfidia deceptus errore, Arianæ hæresi subscripsisse dignoscitur, & per eius transgressionem nefandissima scelera commissa. Multi quoque sacerdotes & clerici per eius malitiam sunt perempti. Liberius itaque Apostata sex annorum spatia superuixit.*

1460. Platina in Liberio: *Liberius Pontifex, tametsi cum Arianis sentiebat, Ecclesias Dei quàm diligenter exornauit.*

1560. *Tilmannus Heshusius*, lib.1. de Ecclesia cap.9. *audacter affirmat, Liberium Ariana hæresi infectum fuisse.*

ASSERVNT.

Liberius ipse. 354.

Epistola 1. ad Athanasium: Fidem Niceni Concilij ineadem epistola re ctam reperimus, super qua & Deo gratias vberrimas retulimus, pro qua non solummodò persecutiones, & passiones sustinere vobiscum parati sumus, sed etiam, si necesse fuerit, mori pro Christi nomine, in quantum nostra finit fragilitas, non respuimus. Igitur prædictum sanctum Nicænum concilium definit aliam fidem licere nulli proferre, aut conscribere, vel componere, aut sapere, vel docere aliter, necquicquam in fide sentire, aut proferre, quod his patrum regulis possit obuiare. Qui autem præsumpserit componere aliam fidem, aut proferre, docere, vel tradere aliud Symbolum, hi, si Episcopi fuerint aut clerici, alienari quidem Episcopos ab Episcopatu, clericos à clero: si verò monachi, aut laici fuerint, anathemate feriri.

Epistola alia ad Athanasium: Est igitur, optatissime Athanasi, nostra confessio, Verbum Dei Filium, secundùm diuinam naturam, ex Deo eodemque Patre suo genitum esse, non creatum, semper in imperio collegam Deo & Patri, & indesinenter regnum obtinere in infinita secula, Amen. Spiritum quoque sanctum verè ex Deo naturaliter Deum, indiuisibilem à Deo, secundùm diuinas Scripturas: vt sit verè Pater, verè Filius, & verè Spiritus sanctus: neque transferri debere vnumquodque nomen à suo significato, cui assignatum est, quò vera sit Trinitas sub vna Deitate, sub vna potestate, & vna substantia. Non enim dispertitur Filius aut Spiritus sanctus à Patria substantia, quæ implet cælum & terram. Est igitur, vt dixi, Trinitas in vna subsistẽtia, nõ diuisa, sed per essentiam vna, Deitate vna, potentia vna, & regno vna, vna quoque gloria, vna item imagine, vna denique Spiritu. Spiritus enim non diuiditur. Anathema igitur dices Sabellij & Arij dogmata, & supra annotatas hæreses, ad æternam pœnam, secundùm Saluatoris vocem.

Epistola ad Constantium Augustum: Secutus morem ordinemque maiorum, nihil addi Episcopatui vrbis Romę, nihil minui passus sum: & illam fidem seruans, quæ per successionem tantorum Episcoporum cucurrit, ex quibus plures Martyres extiterunt, illibatam custodiri semper exopto. Significant Orientales paci & nostræ velle coniungi. Quæ est pax, clementissime Imperator, cùm sint ex partibus ipsis quatuor Episcopi, Demophilus, Macedonius, Eudoxius, Martyrius, qui ante annos octo, cùm apud Mediolanum Arij hæreticam sententiam noluissent damnare, de Concilio iratis animis exierunt? Horum, si fas est, sententijs, quale sit, aut quid habeat, commodare consensum, æquitas, & clementia vestra poterit æstimare.

Athanasius. 357.

Apologia 2. Si quales sunt Eusebianorum sycophantiæ scire velint, legant scripta nostræ defensionis, sumantque testes tantam Episcoporum multitudinem, & inter eos Liberium & Hosium cum suis. Hi cùm viderent ea, quæ inter nos agerentur, omnia pati maluerunt, quàm aut veritatem, aut causam nostram prodere: idque bono & sancto consilio fecerunt. Præterea vis illa, quam tanti viri passi sunt, indicio est quid alij tolerauerint.

Epistola ad solitariam vitam agentes: Ne Liberio

quidem Romano Episcopo pepercerunt, nulla reuerentia ducti, vel quòd Sedes illa Apostolica esset, vel quòd Roma Metropolis esset Romanæ ditionis. Nam cùm Liberium vidissent orthodoxum, & osorem quidem Arianæ sectæ, studiosum verò in hoc, vt cunctos ab ea hæresi retraheret, ista secum impij cogitârunt: Si Liberium in nostram sententiam traxerimus, omnes breui superabimus, &c. Trahitur Liberius ad Imperatorem, quò cùm peruenisset, magna quoque & ibi dicendi libertate vsus est: Desine, inquiens, persequi Christianos, ne tenta me per hæreticam impietatem in Ecclesiam introducere. Ad omnia potius sustinenda parati sumus, quàm nos Christiani eò deueniamus, vt Ariani appellemur: ne coge nos fieri perduelles. Hoc tibi suademus, ne pugnes contra eum, qui tibi hoc imperium dedit, &c. Liberius post exactum in exilio biennium inflexus est, minisque mortis ad subscriptionem inductus est. Verùm illud ipsum quoque & eorum violentiam, & Liberij in hæresin odium, & suum pro Athanasio suffragium, cùm liberos affectus habebat, satis coarguit: quę enim per tormenta contra priorem sententiam extorta sunt, eę iam non metuentium, sed ita cogentium voluntates habendæ sunt.

Ammianus Marcellinus Ethnicus. 360.

Libro 15. cap. 6. Athanasium Episcopum apud Alexandriam Synodus remouit à Sacramẽto quod obtinebat. Hunc per subscriptionem abijcere sedem sacerdotali paria sentiens cæteris, iubẽte Principe, Liberius monitus perseuerâter renitebatur, nec visum hominem, nec auditum damnare, nefas vltimum sæpe exclamans, apertè scilicet recalcitrans Imperatoris arbitrio. Id enim Cõstantius Athanasio semper infestus licet sciret impletum, tamen auctoritate, qua potiores æternę vrbis Episcopi, firmari desiderio nitebatur ardenti. Quo non impetrato, Liberius ægrè populi metu, qui eius amore flagrabat, cum magna difficultate, noctis medio Roma potuit asportari. Et hæc quidem Romæ agebantur.

Basilius Magnus. 370.

Epist. 74. Quę verò sint Eustathio Ariano à beatissimo Episcopo Liberio proposita, & ad quę cõsenserit, nobis clam est: nisi quòd epistolam attulit, per quam restitueretur: eam vbi Tyanæ Synodo exhibuit, in suum locum restitutus est.

Ambrosius. 370.

Lib. 3. de Virginibus: Quoniam quæ habuimus digessimus superioribus libris duobus, tempus est, Soror sancta, beatæ memoriæ Liberij præcepta reuoluere, vt quò vir sanctior, eò sermo accedat gratior. Namque is, cùm in Saluatoris Natali ad Apostolum Petrum virginitatis professionem vestis quoque mutatione signares: *Bonas*, inquit, *filia nuptias desideraſti.*

Est in ea oratione de Filij Dei diuinitate excellens assertio occasione celebritatis Natalis Domini, quo idem Liberius ad populum habuit Homiliam, qua ad verbum integrè recitata. subijcit Ambrosius: Hæc tecum sanctę memorię Liberius, quæ apud alios maiora verbis, apud te minora exemplis.

Damasus. 370.

In Pontificali: Liberius natione Romanus, ex patre Augusto, sedit annis sex, mensibus tribus: fuit temporibus Constantij. Hic à Constantio deportatur in exilium, eò quòd noluisset hæresi Arianæ consentire. Et fuit in exilio per tres annos.

Epiphanius. 380.

Hæresi 75. Eustathius ad Liberium beatum Romæ Episcopum, vnà cum multis Episcopis, legatum agebat.

Siricius Papa. 390

Epistola ad Himerium cap. 1. Hoc fieri & Apostolus vetat, & Canones contradicunt, & post cassatum Ariminense concilium missa ad prouincias à venerandę memorię prædecessore meo Liberio generalia decreta prohibent.

Seuerus Sulpitius. 410.

Sacræ histor. lib. 2. Liberius vrbis Romę, & Hilarius Pictauorum Episcopus dantur exilio. Sed Liberius paulò post vrbi redditur, ob seditiones Romanas.

Socrates. 440.

Lib. 4. cap. 11. Macedoniani metu, imò potius vi in angustias adducti, de ciuitatibus suis alter ad alterum legatos mittebat ad Liberium Episcopum Romanum. Liberius eorum literas recipere noluit. Nam eos sectę Arianę fautores esse dixit, & propterea ab Ecclesia non posse recipi, vtpote qui fidem concilij Nicęni abrogassent. Cui illi respondent, se pœnitẽtia inductos veritatem agnouisse: fidem eorum, qui Filium Patri dissimilem esse docent, iampridem reiecisse: Filium in omnibus Patri similem confiteri, nihil à voce consubstantiali discrepare, &c. Liberius datis ad eos literis scribit: Hanc Catholicam & Apostolicam fidem agnoscimus, quæ vsque à concilio Nicæno hactenus integra stabilisque permansit, &c. Quę quidem fides vi & nomine Consubstantialis comprehensa, tamquam propugnaculum firmum & inexpugnabile, omnes impetus & nefarias pestiferę opinionis Arij machinas retundit, reprimitque. Et quamquam scelerati Ariani effecêre, vt omnes Episcopi Occidentis Arimini in vnum congregarentur, quò ibi vel persuasione, vel Imperatoris auctoritate illud, quod erat ad summam cautionem in fidei formula positum, aut tollerent, aut peruersè inficiarentur, nihil hac fraudulenta molitione omninò profecerunt. Nam omnes illi ferè Episcopi, qui Arimini conuenerant, quique vel fallacibus inescati illecebris, vel vi compulsi à fide tum quidem desciuerant; nunc tamen ad sanam mentem reuersi, fidei formulę, ab Episcopis Arimini conuocatis editę, anathema denuntiârunt, & fidei Catholicæ & Apostolicæ Nicææ confirmatæ subscripserunt, & nobiscum iam vnà communicant.

Lib. 2. cap. 29. Imperator Vrsacio potestatem permisit liberè contra Ecclesias omnia pro arbitratu admittendi: præcepitque, vt fidei formula, quę in concilio Ariminensi perlegebatur, ad Ecclesias Italiæ mitteretur: & illi, qui ei subscribere nollent, expellerentur ab Ecclesijs, alijque in eorum loca sufficerentur. Principio igitur Liberius Episcopus Romanus, simulac se illi fidei assentire denegauerat, ab Vrsacio in exilium ejectus est, & Felix Ecclesię Romanæ Diaconus, Arianæque sectæ addictus, per vim & violentiam ab eodem Vrsacio ad eum dignitatis gradum delectus, &c. Liberius autem non multò post ab exilio reuocatur, Sedem Episcopatus propterea recuperauit, quòd populus Romanus seditione cõflata, Felicem Ecclesia illa ejecerat, Imperatorque ipse etiam illis inuito animo consenserat.

Sozomenus. 440.

Lib. 4. cap. 10. Constantius Imperator Liberio Episcopo Romano ad se accersito persuadere conatur, vt sententiæ Episcoporum, quos circa se habebat, assentiretur. Quem ipsi refragantem, constan-

constanterque affirmantem, se nunquam illud facturum: iussit Berœam vsque, quod est oppidum Thraciæ, relegari. Dicitur autem, præter hanc, aliam quoque fuisse causam, cur Liberius exularit: nempe quòd cum Athanasio communicare non recusauit, sed audacter & liberè in eius defensione contradixit. Imperatori, &c. Imperator, cùm Liberius eius imperatis hoc modo restitisset, dedit mandatum, vt in Thraciam, nisi intra biduum sententiam mutaret, relegaretur. Cui Liberius: Mihi, inquit, ô Imperator, dies ad deliberandum non est opus. Iam olim enim ista & deliberata sunt à me, & decreta. Itaque iam ad hinc discedendum paratus sum. Fertur item, Imperatorem ei iam, cùm in Thraciam abduceretur, quingentos aureos misisse: illum autem eos minimè recepisse: sed dixisse ei qui attulerat: Abi, & nuntia illi, qui hoc aurum misit, vt ipsum det suis assentatoribus & histrionibus, quos continua egestas præ insatiabili cupiditate in dies singulos grauiter premit. Itaque hac de causa Liberius Ecclesiæ Romanæ Episcopatu priuatus est, cui præficitur Felix illius cleri Diaconus: quem aiunt fidei Nicæni Concilij semper consensisse, & omninò, quantum pertinebat ad religionem, reprehensione caruisse: atque ob id solum in crimen vocatum esse, quòd non modò Arianos ministros Ecclesię ordinaret, verùm etiam quòd eorum communione vteretur.

Cap. 14. Haud longo tempore post, Imperator Roma Sirmium reuersus, rogatu legatorum, quos Episcopi Occidentis ad ipsum miserant, Liberium Berœa reuocauit. Atque præsentibus legatis Episcoporum Orientis, & quibusdam sacerdotibus, qui erant fortè in exercitu, in vnum coactis, compellere tentauit eum fateri Filium Patri non esse consubstantialem, &c. Vicissim autem confessionis fidei formulam à Liberio adduxerunt, quæ illis, qui Filium Patri non substantia, & cæteris rebus omnibus similem asseuerarent, interdixit Ecclesia. Nam cùm Eudoxius & cæteri cum eo Antiochię hæresis Aëtianæ fautores epistolam Osij nacti fuissent, rumorem dissipârunt, Liberium quoque verbum Consubstantiale reiecisse, asseruisseq; Filium Patri dissimilẽ esse. Vbi verò hæc res legatis Episcoporum Occidentis hoc pacto succesisse, Imperator dat Liberio potestatem Romam reuertendi. Atque Episcopi Sirmij congregati, scribunt literas Felici, tum Romanæ Ecclesię Antistiti, & clero eiusdem Ecclesiæ, vti Liberium recipiant, & ambo pariter Sedem Apostolicam administrent, communique consensu & concordia sacerdotio illo fungantur: atque tum casum acerbum, qui in electione Felicis obtigisset, tum exilium Liberij obliuione deleant. Nam populus Romanus Liberium, tum quòd in alijs rebus vir excellens & spectatus erat, tum quòd Imperatori animo adeò excelso & constanti in fide defendenda contradixerat, tam eximiè charum habuit, vt seditionem planè maximam eius exilij causa conflaret, resque ad cædem prorumperet. Haud ita diu post moritur Felix, solusque deinceps Liberius illi Ecclesię præest. Quod quidem non sine diuina prouidentia factum est, ne Sedes Petri à duobus Præsulibus gubernata (quæ est planè nota diffidij) & à sacrosanctis Ecclesiæ legibus aliena, vlla infamiæ macula aspergeretur.

Theodoretus. 450.

Ecclesiasticæ historiæ lib. 2. cap. 15. Liberij Episcopi longè excellentissimi liberam pro veritate disputationem, & sermonem planè admirabilem, quem habuit cum Constantio Imp. hoc in loco ponere consilium est. Nam hæc à pijs viris, qui id temporis vixerunt, sunt propterea scriptis prodita, quòd ad acuendum excitandumque rerum diuinarum studiosos plurimum momenti habere putabantur. Iste Liberius Julio Syluestri successore mortuo Romanam gubernauit Ecclesiam.

Cap. 17. Iste strenuus veritatis propugnator, & victor illustris Liberius Thraciam, sicut ei erat imperatum, rectà contendit. Constantius proficiscitur Romam: Magistratuum autem & nobilium coniuges orant maritos, vt à Constantio supplices petant, vt Pastor Liberius suo gregi reddatur, seque, nisi eum exorarent, deserturas eos, & ad egregium illum Pastorem conuolaturas, &c.

Freculphus Lexouiensis. 840.

Tomo 2. lib. 4. cap. 4. Hinc iam Liberius Romanæ sedis Episcopus exilio damnatur, qui noluit hæreticis communicare, & in damnationem Athanasij subscribere.

Simeon Metaphrastes. 950.

In vita S. Athanasij: Quo tempore celeber in Sanctis & magnus Liberius, qui post Iulium, magni Syluestri successorem, Sedem Romanam est adeptus, condemnatur exilio.

Ado Treuirensis. 1080.

In Martyrologio: IX. Cal. Octobris Romæ depositio S. Liberij Papę.

Nicephorus Callistus. 1300.

Lib. 9. cap. 37. Cùm Roma in Sirmium Constantius redijsset, Occidentalibus Episcopis precantibus, Liberius ex Berrhœa reductus est. Atque ibi Imperator suadere Liberio, vt Filium Patri non esse consubstantialem opinaretur, tentauit, &c. Liberius autem scripsit fidei professionem, quæ omnes ab Ecclesiæ communione arcebat, qui Filium Patri non secundùm substantiam & per omnia æqualem dicerent. Id propterea fecit, quòd Eudoxius, & qui factionis eius fuêre, non ita pridem Antiochiæ propter Aëtij hęresin congregati, cùm Hosij epistolâ in manibus haberent, plurimum verborum fecerant, perinde atque τὸ ὁμοούσιον consubstantiale repudiasset, & Patri Filium omninò inæqualem dixisset. Occidentales legati, rebus ita bene gestis, assumpto secum Liberio Romam reuerterunt, literas ab Episcopis Sirmij congregatis ad Felicem Romanę Ecclesię tunc præfectum, & ad clerum populumque Ecclesiæ eiusdem afferentes: quibus, vt Pastorem suum libenter susciperent, admonebantur. Ambobus porrò & Felici & Liberio permissum est, communiter sacra curare, & munus Apostolicum administrare. Qui quidem concordes fuêre, & quicquid medio tempore acciderat rerum aduersarum & tristium, per obliuionem aboleuêre. Quòd namque admodum bonus vir esset Liberius, quodque pro recta Ecclesiæ doctrina Imperatori constanter restitisset, multa pietate & benignitate populus Romanus in eum fuit: vsque adeò certè, vt in eius ejectione per seditionem eius causa motam res ad cædem processerit. Sed paulo post Felix mortuus est, & solus Liberius Episcopatum administrauit.

ADVERSARIORVM OBIECTIO.

Liberium cum Arianis communicasse, & damnationi Diui Athanasij subscripsisse testantur.

Athanasius. 350.

Epistola ad solitariam vitam agentes : Liberius post exactum in exilio biennium inflexus est, minisque mortis ad subscriptionem inductus est.

Liberius ipse. 354.

Extat Tomo 3. Baronij.

Epistola 1. ad Orientales Episcopos : Pro deifico timore sancta fides vestra Deo, cognita est hominibus bonæ voluntatis ; sicut lex loquitur : Iustè iudicate, filij hominum. Ego Athanasium non defendo : sed quia susceperat illum bonæ memoriæ Iulius Episcopus decessor meus, verebar ne fortè ab aliquo prævaricator iudicarer. At vbi cognoui, quando Deo placuit, iustè vos illum condemnasse ; mox consensum meum commodaui sententijs vestris : literas ad hæcque super nomine eius, id est, de damnatione ipsius, per fratrem nostrum Fortunatianum dedi perferendas ad Imperatorem nostrum Constantium. Itaque amoto Athanasio, super quo statuta omnium vestrum à me cum Sede Apostolica suscipienda sunt ; dico, me cum omnibus vobis, & cum vniuersis Episcopis Orientalibus, seu per vniuersas prouincias pacem & vnitatem habere. Nam vt verius sciatis, me veram fidem per hanc epistolam meam proloqui : dominus meus & frater communis Demophilus, qui dignatus est pro sua beneuolentia fidem veram & Catholicam exponere, quæ Sirmij à pluribus fratribus & Coëpiscopis nostris tractata & expositа & suscepta est ; hanc ego libenti animo suscepi, in nullo contradicens. Sanè petendam credidi sanctitatem vestram, quia semper videtis in omnibus me vobis consentaneum esse : dignamini communi consilio ac studio elaborare, quatenus de exilio iam dimittar, & ad sedem, quæ mihi diuinitus credita est, reuertar.

Epistola 2. ad Vrsacium, Valentem, & Germinium : Cognoscat prudentia vestra, Athanasium, qui Alexandrinę Ecclesię Episcopus fuit, priusquàm ad Comitatum sancti Imperatoris peruenissem, secundùm literas Orientalium Episcoporum, ab Ecclesię Romanę communione separatum esse, sicut testis est omne presbyterium Ecclesiæ Romanæ : sola hęc causa fuit, vt tardiùs viderer de nomine ipsius literas ad fratres & Coëpiscopos nostros Oriętales dare, vt Legati mei, quos ab vrbe Roma ad Comitatum direxeram, seu Episcopi, qui fuerant deportati, & ipsi vnà cum his (si fieri posset) de exilio reuocarentur. Et hoc etiam scire vos volo, quòd fratrem Fortunatianum petij, vt literas meas ad clementissimum Imperatorem perferat, quas ad Orientales Episcopos feci, vt scirent & ipsi vnà secum Athanasij communione me esse separatum : quas credo quòd pietas ipsius pro bono pacis gratulanter accepit. Quapropter his literis meis conuenio vos, & adiuro per Dominum omnipotentem, & Christum Iesum Filium eius, & Dominum nostrum, & Spiritum sanctum, vt dignemini ad clementissimum Imperatorem Constantium Augustum pergere, & petere, vt bono pacis & concordiæ, in qua pietas eius semper exultat, me ad Ecclesiam mihi diuinitus traditam iubeat reuerti ; vt, temporibus ipsius, Ecclesia Romana nullam sustineat tribulationem. Me autem cum omnibus vobis Episcopis Ecclesię Catholicæ pacem habere, his literis meis æquo & simplici animo scire debetis, fratres charissimi, &c.

Epistola 3. ad Vincentium Episcopum Capuæ : Dilectissimus filius noster Vrbicus Diaconus, quem videbar habere solatium, à me per Venerium Agentem in rebus sublatus est. Et ideo sanctitati tuæ significandum credidi, me de contentione illa nominis Athanasij recessisse, & ad fratres & Coëpiscopos nostros Orientales literas dedisse desuper eius nomine. Pax nobis vbique est. Dignaberis conuenire omnes Episcopos Campaniæ, & hæc illis insinuare, & ex eorum numero vnà cum epistola vestra de vnanimitate nostra & pace ad clementissimum Imperatorem nostrum scribere ; quò possim & ego de tristitia magna liberari.

Hieronymus. 390.

De Viris illustribus cap. 97. Fortunatianus in hoc habetur detestabilis, quòd Liberium, Romanæ vrbis Episcopum, pro fide ad exilium pergentem, primus solicitauit, ac fregit, & ad subscriptionem hæreseos compulit.

Ruffinus. 400.

Ecclesiast. hist. libro 1. cap. 27. Liberius Romæ Episcopus Constantio viuente regressus est. Sed hoc vtrum quòd acquieuerit voluntati suæ ad subscribendum, an ad populi Romani gratiam, à quo proficiscens fuerat exoratus, indulserit, pro certo compertum non habeo.

RESPONSIO.

Concedimus hæc ita se habere : Liberium excusari non posse, quin tandem victus tædio exilij cum Arianis communionem inierit, & in Athanasium latam ab ijsdem sententiam ratam habuerit : non tamen aut hæresin docuit, aut hæreticus fuit. Tres fidei formulæ in Sirmiensi conuenticulo sunt editæ. Prima scripta est à Marco Arethusio ad confutandas omnes Photini blasphemias : secunda, quam recitat S. Hilarius nomine Osij atque Potamij : tertia, qua secunda est emendata. In prima egregiè expressum atque testatum est nomen substantiæ Filio cum Patre communis : in secunda sublatū est nomen substantiæ, ac similitudinis pariter abrogatum : in tertia verò asserta est omnimoda Filij cum Patre similitudo. Primam, eam interpretando, Catholicam probat Hilarius : tertiam existere consentientem pariter Catholicæ professioni ex S. Epiphanio demonstratur : secunda autem confestim ab ijsdem, qui conscripserant, explosa est, & eius exemplaria perquisita, ne vulgarentur sublata, atque Constantij edicto fuerunt vetita. Quamobrem Liberius Beræa è Thracia ab Imperatore Sirmium accersitus, non potuit impietati subscribere, quam ijdem, qui scripserant & ediderant, fuerant detestati.

Præterea Sozomeni testimonio cum primis apparet, quamnam fidei regulam Liberius ratam habuerit : ait enim libro 4. cap. 14. Vicissim autem confessionis fidei formulam à Liberio abduxerunt, quæ illis, qui Filium Patri non substantia & cæteris omnibus similem asseuerarent, interdixit Ecclesia. *Vides quàm perspicuè declarat Liberium primæ fidei Sirmianæ aduersus Photinum editæ assensum præbuisse, in qua inter alia piè aduersus Photinum statuta, hæc habet primus ordine positus Anathematismus:* Eos autem qui dicunt, de nullis extantibus est Filius, vel de alia substantia, & non ex Deo, & quòd erat tempus, vel seculum, quando non erat, alienos scit sancta & Catholica Ecclesia. *Quamuis itaque Liberius nomen diuinæ substantiæ fugisset professus in Filio : tamen quòd Nicænam vocem illam Consubstantialitatis (vt tradit Sozomenus lib. 4. c. 14.) reticuisset, quidā calumniati sunt. At aliud est dicere Liberium reiecisse ac damnasse in Filio nomen Consubstantialitatis cum Patre, aliud vocem illā silentio suppressisse : illud quidem ipsum fecisset hæreticum, istud autem æquaquam : nam dicere Filium esse eiusdem cum Patre substantiæ, idem est, Filium esse Patri consubstantialem. Cum autem hæretici in alium sensum substantiæ vocem inflecterēt, maioris ponderis esse Patribus visum est, dicere consubstantialem Filium, quàm eiusdem substantiæ : etsi ob id nequaquam hæreticum esset dicere, Filium eiusdem esse substantiæ, sed maximè Catholicum : quantumlibet eo quoq; nomine subdolè vsi fuissent hæretici, quorū malitia nequaquā inuertere potest legitimū atq; germanum sensum, qui natura atque vsu ipso in vocibus inest : sicut nec ob eam causam, quòd ijdem hæretici abutuntur diuina Scriptura, & ex ipsa hæreses suas efformant, Catholici eadem vti vetantur. Licet igitur Liberius perseuerauit in fide semper Catholicus, duo tamen mala commisit : vnum, quòd subscripsit in damnationem Athanasij : alterum, quòd cum hæreticis communicauit : in neutro autem fide expressè violauit. Nam etsi hæretici persequebantur Athanasium causa fidei, tamen non causam fidei, sed crimina circa mores præexebant : & Liberius consensit in damnationem Athanasij, propter crimina illi obiecta, non propter fidem. Pari ratione cum hæreticis cōmunicauit, quia Catholicos se fingebant : nam in epistolis suis Liberius ait, se communicasse cum Episcopis Orientalibus ; quia inuenit eorum fidem congruere cum Catholica, & alienam esse ab Ariana perfidia. Concedimus igitur (vt diximus) Liberium tædio exilij victum humani aliquid passum, & si non expressè, tamen interpretatiuè in hæresim consensisse : Athanasium enim damnari permisit, quę sciebat causa fidei persequutionem pati : & cum Valente & Vrsacio communicauit ; quos non ignorabat hæreticos esse, etiamsi illi aliud se esse simularent.*

ARTICVLVS DVODECIMVS.

FELICEM SECVNDVM, QVI LIBERIO IN EXILIVM EXACTO CATHEDRAM DIVI PETRI OBTINVIT, FVISSE VIRVM SANCTVM ET ORTHODOXVM.

Anno post natū Christum 530.

NEGANT.

MARCELLINVS *Comes*, in Chronicis, *Felicem tamquam hæresis suspectum inter Romanos Pontifices non numerandum censet.*

1560. *Tilmannus Heshusius*, libro 1. de Ecclesia cap. 9. *Felicem Arianum fuisse asserit.*

ASSERVNT.

Damasus. 370.

In Pontificali : Felix natione Romanus ex patre Athanasio sedit annum vnum, menses tres, dies tres. Hic declarauit Constantium filium Cōstantini hæreticum, & secundò rebaptizatum ab Eusebio Nicomedienſi iuxta Nicomediam in Aquilone villa, & pro hoc declaratu ab eodem Constātio martyrio coronatur, & capite truncatur.

Ruffinus. 390.

Lib. 1. cap. 22. In Liberij locum Felix Diaconus suus ab hæreticis subrogatur, & non tam sectæ diuersitate, quàm cōmunionis & ordinationis conuenientia maculatur.

Theodoretus. 450.

Lib. 2. cap. 17. Hist. Successum est Liberio à fideli quodā illius Diacono, nomine Felice, qui tametsi fidem in concilio Nicæno expositam ipse seruauit integram : tamen cum illis, qui eandem labefactare studebant, liberè communicauit. Ac propterea nemo ex Romæ habitatoribus in Ecclesiā, dum ille intus erat, ingredi voluit.

Gregorius Magnus. 590.

In Antiphonario & Sacramentario ponit integrum Officium Ecclesiasticum legendum ad Missam in die S. Felicis Pontificis & Martyris 4. Kalend. Augusti.

Beda. 700.

In Martyrologio : 4 Kalend. Augusti, Romæ S. Felicis Pontificis. Hic declarauit Constantium filium Constantini esse hæreticum, cùm secundò rebaptizaretur ab Eusebio Nicomedienſi Episcopo, & iuxta præceptum eiusdem Constantij Augusti capite detruncatur.

Vsuardus. 780.

In Martyrologio : Romæ via Aurelia natalis S. Felicis Papæ, qui à Constantio Augusto ob Catholicæ fidei defensionem à Sede sua deiectus, & gladio necatus, gloriosè occubuit.

Wandelbertus Diaconus. 830.

In Martyrologio 4. Kal. Aug.

Felix, Simplicius, Faustinus, & alma Beatrix,
Trecasij q; Lupus quartam communiter aurant : id est illustrant.

Ado Treuirensis. 1080.

In Martyrologio : Romæ via Aurelia beati Felicis Pontificis, sub Constantio filio Constantini. Idem Constantius Augustus concilium hæreticorum ac Valentis & Vrsacij Arianorum approbās, quia & ipse Arianus erat, eiecit S. Felicem Vrbis Episcopum de Sede Episcopatus sui : & facta est persecutio magna in clero, ita vt Presbyteri & clerici plures necarentur, & martyrio coronarē-

tur. Depositus sanctus ac beatissimus Papa Felix, habitauit in prædiolo suo, quod est via Portuensi. Et agentibus postmodum hæreticis, exinde leuatus, ductus est ad ciuitatem, & capite truncato, martyrio coronatur.

Ioannes Micrologus. 1080.

De Ecclesiasticis obseruationibus cap. 43. De Martyribus Romanis Pontificibus: S. Gregorius Papa primus in Graduali libro de his Martyribus, sicut de Confessoribus, Pontificalia instituit officia, vt de S. Marcello Antiph. *Statuit*, & de S. Felice Antiph. *Sacerdotes*, & hoc vtique satis congruè propter excellentiam dignitatis Apostolicæ.

Nicolaus Maniacutius. 1180.

In carminibus de Romanis Pontificibus:

Exule Liberio Felix in sede locatur,
Martyriumq; subit, cùm Liberius reuocatur.

Platina. 1460.

In Felice 2. Felicem profectò Catholicum fuisse constat, & Arianos semper damnasse: qui postremò, cùm nulla in re Orthodoxæ fidei deesset, ab aduersarijs captus, vnà cum multis secum bene sentientibus interficitur.

Nicephorus Callistus. 1300.

Lib. 9. c. 35. Felix Romanæ Ecclesiæ Diaconus administrationem Liberij sortitus est: qui Nicænam quidem fidei professionem retinebat, & in religione reprehensione carebat: vnum tamen illud vitio ei vertebatur, quòd, priusquam Episcopus creatus esset, cùm diuersæ opinionis studiosis cõmunicare sustinuerit.

Cæsar Baronius. 1586.

In Martyrologio: Cùm Romæ anno 1582. de corrigendo Martyrologio Gregorij 13. iussu ageretur, & de Felice 2. ambigeretur, an de Martyrologio amouendus esset, ecce tibi pridie, aut summum biduo, antequam eius memoria celebratur, qui dies est 29. Augusti, cùm in æde SS. Cosmæ & Damiani aram peruetustam, vt sacellum illud instauarent, fabri demolirentur, subter basim, quæ aram sustinebat, effossi sunt duo loculi, quorum alter habebat hanc inscriptionem: *Hic requiescit S. Felix Papa Martyr, qui damnauit Constantium hæreticum.* Ex qua inscriptione, quæ miraculi loco habita est, & ex rationibus, & auctoritatibus ab illis, qui eum in Martyrologio retinendum censebant, allatis, censuit Pontifex Maximus nullo modo remouendum.

OBIECTIO.

Tilmannus Heshusius lib. 1. de Ecclesia cap. 9. Felicem hunc Arianũ fuisse probat ex Hieronymo de Viris Illustribus cap. 98. in Acatio: Acatius in tantum sub Cõstantio Imperatore claruit, vt in Liberij locum Romæ Felicem ARIANVM Episcopum constitueret.

RESPONSIO.

ARIANVM non habetur in Sophronio, qui hunc librum adhuc viuẽte Hieronymo in Græcam linguam transtulit. Sic enim vertit: εἰς τοσοῦτον ἦλθεν ἡ Κωνσταντίου Βασιλέως διέπρεψεν, ὥστε εἰς τόπον Λιβερίου Φήλικα ἐπίσκοπον χειροτονῆσαι.

Annotat Marius Victorinus: Græca, & multa exemplaria manuscripta non habent ARIANVM.

Annotat Suffridus Petri: FELICEM ARIANVM: Lipsius adnotauit in M.S. Cod. suis, vt nec in Sophronio Græco haberi ARIANVM: cui consentit ex nostris Codex Gemblacensis & Viridis Vallis.

Confirmat hanc lectionem Freculphus Lexouiensis, qui Tomo 2. lib. 4. cap. 8. referens hac Hieronymi verba, hanc vocem non habet: Acatius, *inquit*, in tantum sub Constantio Imperatore claruit, vt in Liberij locum Romæ Felicem Episcopum constituerit. *Item Ado Viennensis ætate 6.* Acatius Cæsareæ Episcopus in tantum sub Constantio claruit, vt Felicem Romæ pro Liberio Episcopum consecraret.

ARTICVLVS DECIMVSTERTIVS.

HONORIVM PRIMVM FVISSE VIRVM ORTHODOXVM, NVLLA HÆRESI INFECTVM.

NEGANT.

Anno post natũ Christum.

680. *SEXTA Synodus Constantinopolitana*, actione 13. *damnat Honorium tamquam hæreticum, & comburit eius epistolas ad Sergium scriptas, & in sequentibus repetit eius damnationem.*

780. *Septima Synodus*, actione 7. *anathema dicit Honorio, Sergio, Cyro, & cæteris Monothelitis.*

868. *Octaua Synodus*, actione 7. *legit & probat epistolam Concilij Romani, sub Adriano 2. Pontifice scriptam, vbi asseritur, fuisse Honorium iudicatũ post mortem à Concilio 6. quia de hæresi accusatus fuerat.*

1150. *Nilus Thessalonicensis*, lib. 2. de Primatu Papæ Romani, *ex professo asserit Honoriũ fuisse hæreticum.*

1560. Magdeburgenses Centur. 7. cap. 11. de hæreticis fol. 553. *Honorius Pontifex Romanus arguitur in sexta Constantinopolitana Synodo, quòd à Monothelitarum partibus non fuerit omnino alienus. Damnatur ergo ipse, & epistola eius à Synodo, consentientibus legatis Romani Pontificis, vt constat ex actis. Quare frustra excusatur ab alijs Scriptoribus.*

ASSE-

ASSERVNT.

Maximus. 630.

Maximus, qui tempore Honorij vixit, scripsit dialogum contra Pyrrhum Sergij successorem, qui adhuc extat in Bibliotheca Vaticana. In eo introducit Pyrrhum hæreticum proferentem pro se testimonium Honorij, deinde respondet ipse, Honorium semper fuisse Catholicum, & probat cùm aliunde, tum ex testimonio Secretarij ipsius Honorij, qui epistolas illas scripserat ab Honorio dictatas, quẽ Secretarium tunc adhuc superstitem fuisse dicit. Testabatur autem Secretarius mentem Honorij non fuisse vnquã, negandi duas in Christo voluntates: & si quando videtur duas negare, id esse intelligendum de duabus contrarijs & pugnantibus in eadem natura humana, quæ in nobis ex peccato inueniuntur, quod in Christo non fuit. Sed ipsa verba S. Maximi ascribamus.

Pyrrhus: Quid tu habes, quod respõdeas de Honorio, qui literis suis, quas ad Sergium superioribus temporibus scripsit, vnicam planè voluntatẽ Domini nostri Iesu Christi professus est? *Maximus*: Vtra harum literarum verior, certiorq; interpretatio habẽda est, eiusne Scribæ, qui nomine Honorij illas scripsit, præsertim cùm idem adhuc superstes sit, omnisq; virtutis splendore, & religionis disciplina totius Occidentis partes ornârit: an Constantinopolitanorum ciuium, qui nihil aliud, nisi quod ipsis libet, loquũtur. *Pyrrhus*: Verior eius qui scripsit. *Maximus*: At is ad Imperatorem Constantinum sic de illa Epistola, iussu Ioannis Pontificis, scripsit: Sanè quòd vnam Domini nostri voluntatem diximus, non est accipiendum, quasi de duabus diuinæ & humanæ naturæ dictum voluntatibus, sed humanæ tantùm: cùm enim Sergius scripsisset, prædicare quosdam duas esse Christi voluntates contrarias, nos rescripsimus, Christum duas voluntates contrarias non habere.

Ionas Monacõus Scotus. 630.

Vitæ S. Bertulphi Abbatis cap. 5. Erat venerabilis Præsul Honorius sagax animo, vigens consilio, doctrina clarus, comitate & humilitate pollens: lætabatur è gentibus socium se inuenisse, qui suauis esset eloquio: nec prorsus ferre sustinuit, vt citò ab eius consortio segregaretur. Cùm autem vehemens æstus quiescendi longum præberet spacium, impertijt optatũ munus sanctus Papa Patri memorato Bertulpho, priuilegia scilicet sanctæ Sedis Apostolicæ, quatenus nullus Episcoporum in præfato cœnobio quolibet iure dominari conaretur. Percepto ergo munere optato, ad patriam reuersi sumus.

Concilium Lateranense sub Martino Papa. 650.

Consultatione 1. 2. & 4. vbi de hac ipsa causa Monothelitarum damnantur nominatim Sergius, Cyrus, Pyrrhus, & Paulus, Honorij nulla fit mentio.

Beda. 700.

Hist. Ang. lib. 2. cap 17. Quo tempore præsulatum Sedis Apostolicæ Honorius Bonifacij successor habebat, qui vbi gentem Nordhumbrorum cum suo rege ad fidem confessionemq; Christi Paulino euangelizante conuersam esse didicit, misit eidem Paulino pallium, misit & Regi Eduino literas exhortatorias, paterna illum charitate accendens, vt in fide veritatis, quam acceperant, perstitere semper ac proficere curarent.

Theophanes Cerameus. 830.

In Historia: Cùm Maximus Romam peruenisset, Papamq; Martinum ad æmulationem accendisset, Synodo 110. Episcoporum collecta, Sergiũ, & Pyrrhum, & Cyrum, & Paulum anathematizârunt, duasq; voluntates & operationes Christi Dei nostri expressius prædicârunt. *Nullam hic facit mentionem Honorij, quòd fuerit in hac Synodo cum Sergio, Pyrrho, Cyro, & Paulo damnatus. Ergo probabile non est, illum in sexta Synodo condemnatum esse.*

Photius Patriarcha Constant. 860.

Libro de septem Oecumenicis Synodis, enumerans hæreticos in sexta Oecumenica Synodo damnatos, nullam Honorij primi mentionem facit: Hi simul, *inquit*, cùm alijs sacris sanctisq; Patribus Sergium, Pyrrhum, Paulum Constantinopolitanos, Cyrumq; Alexandrinum, & Theodorum Pharensem, qui mutuam mendacij catenam conficiebant, nec non & Macarium Antiochenum, simul cum Stephano hæresis discipulo, & misero quodam sene, qui Polychronius vocabatur, cum superioribus cõsentiente, & illorum impietatem defendente, meritò condemnârunt. *Quia verò Photius hic insignis fuit Romanæ Sedis æmulus, & ex professo conabatur Constantinopolitanam ei præferre, si in illa fede Honorius tali hæresi fascinatus fodisset, vtique & eundem his annumerasset.*

Ioannes Zonaras. 1100.

In Constantino 4. referens in sexta Oecumenica Synodo damnatorum nomina, nullam mẽtionem Honorij facit: qui, quia fuit Græcus, Romanæ Sedi, vt scripta testantur, insignis hostis, si Honorius inter eos numerandus fuisset, nequaquam eum omisisset.

Emanuel Calleca. 1274.

Insignem librum Græcus contra Græcos pro Latinis scripsit, quo asserit Honoriũ Papam Catholicum fuisse. *Onuphrius Panuinius in Platinam de Honorio.*

Martinus Polonus. 1322.

In Honorio primo: Hic clerum salubriter erudiuit: ac super eleemosynas, quas quotidie pauperibus distribuebat larga manu, multas Ecclesias auro argentoq; decorauit. Hic sepultus est apud S. Petrum.

Platina. 1460.

In Honorio: Honorius à rebus externis aliquantulum quietis adeptus, doctrina & moribus sanctissimis omnem propè clerum renouauit. Moritur vir sanctissimus anno Pontificatus sui duodecimo.

Denique Latini omnes historici, (vt præter eos, quos dixi, sunt Regino Prumiensis, Hugo Floriacensis, Marianus Scotus, Otto Frisingensis, Godfridus Viterbiensis, Cõradus Vrspergensis, & cæteri) vbi de Honorio, vel de Monothelitis agunt, nihil tale de Honorio memorant. Solus Beda de sex ætatibus mundi in Constantino 4. Macarius, *inquit*, cum suis sequacibus, simul & prædecessoribus, Cyro, Sergio, Honorio, Pyrrho, Paulo, & Petro anathematizatus est. *Sed quia idem Beda aliàs tam honorificè, vt iam ostendi, de eodem loquitur, probabile est, hoc loco nomen Honorij à scriolo quodam adiectũ esse.*

Quod ad sextam, septimam, & octauam Synodos attinet, quas ex Græco in Latinum sermonem translatas habemus, probabile est illas à Græculis Romanæ Sedi infensis corruptas esse. Non enim fit verisimile, Latinos huiusmodi Honorij condemnationi consensisse. Erat enim hoc apud Græcos in more positum, vt vel in odium Romanæ Sedis, vel ad errores suos probandos hoc modo libros corrumperent.

In sexta Synodo act. 12. & 14. deprehenderunt plurimas corruptiones ab hæreticis factas in quinto Concilio.

Leo epistola 83. ad Palæstinos, conqueritur de Græcis, quòd epistolam suam ad Flauium se adhuc viuente corruperint.

Gregorius lib. 5. epistola 14. ad Narsem asserit Constanti-

ſtantinopolitanos corrupiſſe Synodum Chalcedonenſem, & idem ſe ſuſpicari de Epheſina. Et addit codices Romanos longè eſſe veraciores, quàm Græcorum: Quoniam, *inquit*, Romani ſicut non acumina, ita nec impoſturas habent.

Nicolaus Primus epiſtola ad Michaelem, remittens Imperatorem ad Epiſtolam Adriani primi: Si tamen, *inquit*, non falſata more Græcorum, ſed ſicut à Sede Apoſtolica miſſa eſt, penes Eccleſiam Conſtantinopolitanam hactenus conſeruatur.

Ioannes Diaconus vitæ S. Gregorij Papæ lib. 4. cap. 75. Dialogos Gregorij Zacharias, ſanctę Eccleſiæ Romanæ Epiſcopus, poſt annos fermè centũ ſeptuaginta quinque in Græcam linguam conuertens, Orientalibus Eccleſijs diuulgauit: quamuis aſtuta Græcorum peruerſitas, in commemoratione Spiritus ſancti à Patre procedentis, nomen Filij ſuaptim radens, abſtulerit.

Vbi Gregorius lib. 2. Dial. cap. 38. habet: Cùm conſtet quia paracletus Spiritus à Patre ſemper procedat & Filio, &c. & Zacharias Papa rectè: Πνεῦμα ὁ ἐκ τοῦ πατρὸς καὶ ἐκ τοῦ υἱοῦ προέρχεται. Illi, vt iam habent exemplaria, corruperũt: Πνεῦμα ὁ ἐκ τοῦ πατρὸς προέρχεται, καὶ ἐν τῷ υἱῷ διαμένει: Spiritus, qui ex Patre procedit, & in Filio manet.

Si Græcorum peruerſitas tot Synodos, & tot Latinorũ Patrum ſcripta hoc modo corrupit, quid mirum ſi idem fecerunt eadem de cauſa in odium Latinorum in ſexta, ſeptima, & octaua ſynodo? Præſertim cùm cõſtet, paulo pòſt ſextam Synodum concluſam, iterum Conſtantinopoli in Trullo multos Græcos Epiſcopos conueniſſe, nouoſq; Canones, in quorum pleriſque Romana Eccleſia apertè taxatur, & reprehenditur, condidiſſe.

Denique quomodo erit probabile, quòd in eadem ſexta Synodo Actione 4. in Epiſtola Agathonis Papæ anathematizatur Honorius tamquam Monothelita, cùm idem Agatho epiſtola 1. ad Imperatorem, quæ extat ibidem, aſſerit, nullum ſuorum prædeceſſorum vnquam erraſſe, & cùm Eccleſia cætera erroribus ſuorum Præſulum maculatæ fuerint, ſolam Romanam permanſiſſe illibatam. Sic enim ſcribit: Hæc eſt veræ fidei regula, quam & in proſperis, & in aduerſis viuaciter tenuit, atque defendit hæc ſpiritualis mater veſtri tranquilliſſimi Imperij, Apoſtolica Chriſti Eccleſia, quæ per Dei omnipotentis gratiam à tramite Apoſtolicæ traditionis nunquam erraſſe probabitur, nec hæreticis nouitatibus deprauata ſuccubuit: ſed, vt ab exordio fidei Chriſtianæ percepit ab auctoribus ſuis Apoſtolorum Chriſti principibus, illibata fine tenus permanet, ſecundùm ipſius Domini Saluatoris diuinam pollicitationem, quam ſuorum diſcipulorum principi in ſacris Euãgelijs fatus eſt: *Petre, Petre*, inquiens, *ecce Satanas expetiuit vos, vt cribraret ſicut triticum: ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos.* Conſideret itaq; veſtra tranquilla clementia, quoniam Dominus & Saluator omnium, cuius fides eſt, qui fidem Petri non defecturam promiſit, confirmare eum fratres ſuos admonuit, quod Apoſtolicos Pontifices meæ exiguitatis prædeceſſores feciſſe ſemper cunctis eſt agniũ. *Et infra, poſtquam idem Agatho enumerauerat hæreticos Monothelitas, Cyrum, Sergium, Pyrrhum, Paulum, Petrum, & Theodorũ, ait*: Eximenda proinde, ac ſummis conatibus liberanda eſt ſancta Dei Eccleſia de talium doctorum erroribus, vt Euangelicam, atq; Apoſtolicam Orthodoxæ fidei rectitudinem, quæ fundata eſt ſuper firmam petram huius B. Petri principis Apoſtolorum Eccleſiæ, quæ eius gratia atque præſidio ab omni errore illibata permanet, omnis Præſulum numerus, Cleri, ac populorum nobiſcum confiteatur ac prædicet.

Hæc epiſtola à toto Concilio probata eſt Act. 8. & 18. vbi dicunt Patres, non tam Agathonem, quàm D. Petrum per Agathonem locutum.

Nec obſtat, quòd in Epiſtola Leonis 2. ad Conſtantinum legitur: Anathematizamus & Honorium, qui hãc Apoſtolicam Eccleſiam non Apoſtolicæ traditionis doctrina luſtrauit, ſed profana proditione immaculatam fidem ſubuertere conatus eſt. *Nam Græculus ille, qui ſextam, ſeptimam, & octauam Synodum corrupit, idem & hanc epiſtolam corrumpere potuit. Siquidem illa epiſtola pars quædam Cõcilij cenſetur, & cum ipſo Concilio circumfertur.*

Quod ad epiſtolas Honorij attinet, conſtat ex Maximo iam ante citato, Honorium ad Sergium epiſtolas ſcripſiſſe: ſed num eæ, quæ ſextæ huic Synodo inſeruntur, incorruptæ permanſerint, dubitari poteſt. Si tamen cum iudicio legantur, nequaquam Monothelitarum errorem confirmãt. Honorius enim in his epiſtolis confitetur, quod ad rem attinet, duas in Chriſto voluntates & operationes, & ſolùm prohibet nomina vnius vel duarum voluntatum, quæ tunc erant noua & inaudita, idq; prudentiſſimo conſilio. Quòd rem ipſam confiteatur, patet ex illis verbis ſecundæ epiſtolæ: Vtraſq; naturas in vero Chriſto vnitate naturali copulatas, cum alterius cõmunione operantes atque operatrices confiteri debemus. Et diuinam quidem quæ Dei ſunt operantem, & humanam quę carnis ſunt exequentem, non diuisè, neque confusè, aut conuertibiliter, Dei naturam in hominem, nec humanam in Deum conuerſam eſſe edocentes: ſed naturarum differentias integras confitentes.

Sed Paulo infra apertè prædicat vnam tantùm voluntatem his verbis: Vnde & vnam voluntatem fatemur Domini noſtri Ieſu Chriſti.

Reſpondetur, eo loco Honorium locutum eſſe ſolùm de humana natura, ac dicere voluiſſe, non fuiſſe in homine Chriſto duas pugnantes voluntates, vnam carnis, alteram ſpiritus; ſed vnam tantùm, nimirum ſpiritus: caro enim Chriſti nihil abſolutè appetebat contra rationem. Hanc eſſe mentem Honorij, probant ea, quæ addit: Vnde & vnam voluntatem fatemur Domini noſtri Ieſu Chriſti, quia profectò à diuinitate aſſumpta eſt noſtri natura, non culpa: illa profectò, quæ ante peccatum creata eſt, non quæ poſt præuaricationem vitiata.

ARTICV-

ARTICVLVS DECIMVS QVARTVS.

ANNO 855. LEONI QVARTO IOANNAM FOEMINAM SVCCESSISSE, ET PVERPERIO PERIISSE.

ASSERVNT.

Anno poſt natũ Chriſtum.

1320. MARTINVS Polonus in Chronicis de anno 855. *Poſt Leonem Ioannes Anglus, natione Moguntinus, ſedit annis duobus, menſibus quinque, diebus quatuor: & ceſſauit Pontificatus menſe vno. Hic, vt aſſeritur, fœmina fuit: & cùm in puellari ætate à quodam ſuo amaſio in habitu virili Athenis ducta fuit, in diuerſis ſcientijs ita profecit, vt nullus ſibi par inueniretur, adeò vt poſt Romæ trium legens, magnos magiſtros diſcipulos & auditores haberet. Et cùm in Vrbe vita & ſcientia magnæ opinionis eſſet, in Papam concorditer eligitur. Sed in Papatu per ſuum familiarem impregnatur: verùm tempus partus ignorans, cùm de ſancto Petro in Lateranum tenderet, anguſtiata inter Coloſſæum, & ſancti Clementis Eccleſiam peperit. Et poſtea mortua ibidem (vt dicitur) ſepulta fuit. Et propterea, quòd Dominus Papa eandem viam ſemper obliquat, creditur omninò à quibuſdam, quòd ob deteſtationem facti hoc faciat. Nec ideò ponitur in Catalogo ſanctorum Pontificum, tam propter muliebrem ſexum, quàm propter deformitatem facti.*

1440. Matthæus Palmerius in Chronicis de anno 854. *Ioannes 106. Anglicus an. 2. menſ. 3. Fama eſt hunc Ioannem fœminam fuiſſe, & vni ſoli familiari tantum cognitam: qui eam complexus eſt, & grauis ætu peperit Papa exiſtens: quare eam inter Pontifices non numerant quidam. Ideò nomini numerum non facit.*

1460. B. Platina in Ioanne Octauo: *Ioannes Anglicus ex Moguntia oriundus, malis artibus (vt aiunt) Pontificatum adeptus eſt. Mentitus enim ſexum, cùm fœmina eſſet, adoleſcens admodum Athenas cum amatore viro dicto proficiſcitur, atque ibi præceptores bonarum artium audiendo tantum profecit, vt Romam veniens paucos admodum etiam in ſacris literis pares haberet, nedum ſuperiores. Legendo autem & diſputando doctè & acutè tantum auctoritatis & benevolentiæ ſibi conciliauit, vt mortuo Leone in eius locũ (vt Martinus ait) omnium conſenſu Pontifex crearetur. Verùm poſtea à ſeruo compreſſa, cùm aliquãdiu occultè ventrem tuliſſet, tandem peperit, &c. Hæc, quæ dixi, vulgo feruntur, incertis tamen & obſcuris auctoribus.*

1480. Marcus Antonius Sabellicus Enneadis 9. lib. 1. *Ioannes Anglicus huius nominis ſeptimus poſt obitum Leonis fit Pontifex: fuit is Moguntiaco oriundus, eſtq; malis artibus dignitatem adeptus. Siquidem mulier virilem mentita ſexum, virum quendam impensè doctum, cuius conſuetudine tenebatur, Athenas ſecuta eſt, &c. Platina, qui parum ſyncera fide hæc, quæ de Ioanne Pontifice traduntur, eſſe ad poſteros prodita, quoniam à ſcriptorum auctoritate laborent, quod ad marmoream ſellam attinet, negat rem in eius vſum, qui vulgo traditur, initio quæſitam, &c.*

1500. Ioannes Nauclerus Generatione 29. *Anno 856. Leo Papa migrauit ad Dominum, cui, ſecundùm Martinum, ſucceſſit Ioannes Anglicus ex Moguntiaco oriundus. Hic, vt aſſeritur, fœmina fuit, &c. Sunt qui ſcribunt, quòd eiuſdem vitandi erroris cauſa, dum primùm quis electus in ſede collocatur, ad eam rem perforata, genitalia ab vltimo Diacono attrectantur.*

Hos noſtro ſeculo ſecuti Ioannes Carion, Sebaſtianus Francus, Centuriatores Magdeburgenſes, Martinus Cruſius, & plures alij, non tam veritatis, quàm nouitatis auidi, idem aſſerunt.

NEGANT, ET IGNORANT.

Lupus Ferrarienſis. 855.

Epiſtola 103. ad Benedictum Tertium: Tempore deceſſoris veſtri beatæ memoriæ Leonis functus legatione Romæ, cui auctore Deo præſidetis, & ab eodem Antiſtite exceptus, benignè atque tractatus, poſtquam vos non eſſe inferiores religione fama declarauit, auſus ſum ego tantillus cognitioni veſtræ ſublimitatis me ſcriptis ingerere.

Anaſtaſius Romanæ Eccleſiæ Bibliothecarius. 860.

In hiſtoria Romanorum Pontificum: Sanctiſſimus Leo Papa Quartus obdormiuit in Domino 16. Kal. Auguſti, ſepultus ad S. Petrum, & ceſſauit Epiſcopatus dies quindecim. Quo mortuo, mox omnis clerus Romanæ Sedis, vniuerſi proceres, cunctuſque populus ac ſenatus, congregati ſunt, Domini clementiam exorantes, vt beatificũ illis in omnibus demonſtrare dignaretur Paſtorem, qui Apoſtolatus culmen regere valuiſſet tranquillè. Qui diuinitus ęthereoq; lumine inflammati, vno conſenſu, vno conamine Benedictum pro tantis, quibus pollebat, ſacris operibus Põtificem promulgarunt erigere. Miro verò vniuerſa & alacri ſtudio plebs, & populi cœtus, ad Calliſti titulũ properantes, eum hymnis & canticis ſpiritualibus ad Patriarchium Lateranenſe perduxerunt, &, vt

moris

moris est, in Pontificali folio collocârunt.

Nicolaus primus patria Romanus. 860.

Epist. 47. ad Hincmarum Rhemensem Archiepiscopum: Interea te voti effectu frustrato, Apostolicæ Sedis & beatæ recordationis Pontifex Leo, qui fraternitatis tuæ propositum nouerat, ab hac luce subtractus est: cumq; sanctæ memoriæ Benedictus, vir Apostolicus, ei succesisset in ordine Pontificatus, rursus Reuerentia tua arma præparat, & eidem summo Præsuli, tamquam suarum inexperto versutiarum, latenter subrepit, & in ipso consecrationis eius principio suadet, vt concilium quidem, ad vnius hominis votum congregatum, confirmaret, &c. Nam quid est, quod apud decessores meos, Leonem scilicet, & Benedictum beatæ recordationis Pontifices, te cupere & quærere significas, nisi vt eorum quidem eiectio firmetur, nunquam verò restitutio speretur?

Ado Viennensis. 890.

In Chronicis ætate 6. Pontifex Romanus Gregorius moritur, atque in eius loco Sergius ordinatur: illo defuncto Leo succedit. Quo obeunte Benedictus in Sede Apostolica substituitur, iam tamen defuncto Lothario Imperatore.

Hugo Floriacensis. 1050.

Lib. 6. Chronicorum: In Romana Ecclesia Papæ Gregorio Sergius succesit, & Sergio Leo quartus, & Leoni Benedictus, & Benedicto Nicolaus.

Hermannus Contractus. 1050.

In Chronicis de anno 856. Romæ Leone Papa defuncto Benedictus Papa tertius sedit annis duobus, mensibus sex. Romæ post Benedictum Nicolaus Papa sedit annis nouem.

Sigebertus Gemblacensis. 1100.

In Chronicis (vt adhuc extat in M. S. autographo Gemblacensi) de anno 847. Leo Quartus Romanæ Ecclesiæ centesimus primus præsidet, &c. Benedictus Romanę Ecclesiæ centesimus secundus præsidet, &c. Nicolaus Romanæ Ecclesiæ 103. præsidet.

Henricus Stephanus senior, qui primus Sigebertum excudit Parisijs anno 1515. quem alij deinceps typographi secuti sunt, ex Matthæo Palmerio Florentino, qui vixit anno 1449 interposuit: Ioannes Anglicus. Fama est hũc Ioannem fœminam fuisse, & vni soli familiari tantùm cognitam, qui eam complexus est, & grauida facta peperit (*Palmerius habet, quæ grauis acta peperit*) Papa existens. Quare eam inter Pontifices non numerant quidam, ideo nomini numerum non facit. *Sed hanc parenthesin, ex Palmerio interpositã, nusquam habet manuscriptus & incorruptus Sigebertus. Et Vincentius Burgundus lib. 25. cap. 36. Speculi, & Guilhelmus Nangiacus in Chronicis, vbi cùm totũ Sigebertum in huius temporis historia de linea ad lineam, de verbo ad verbum bona fide descripserunt, hanc solam parenthesin, suo seculo nondum additam, omnino non habent.*

Florentius Wigornensis. 1100.

In Chronicis: 843. Gregorius Papa obijt. 844. Sergius 101. Papa. 853. Leo Papa 102. post Petrum. Benedictus 103. Papa post Petrum. Sanctus Nicolaus Papa 104. Adrianus Papa 105.

Honorius Augustodunensis. 1120.

In Chronico de sex ætatibus mundi: In serie Romanorum Pontificum:

Leo annos 8. menses 9. dies 6.
Benedictus annos duos, menses sex, dies sex.
Nicolaus annos 9. menses 6. dies 30.

Nicolaus Maniacutius. 1150.

In Catalogo Romanorum Pontificum:

Gregorius Quartus, & Sergius, & Leo Quartus: Pontificem dictum post quos legimus Benedictum: Hinc Nicolae tuo tua gaudet Roma decore.

Conradus Abbas Vrspergensis. 1220.

In Chronicis de anno 857. Leo Papa migrauit, cui Benedictus Papa 104. succesit, & ipse eodem anno decessit. Anno 858. Nicolaus Papa 105. ordinatur, regnauit annis 9.

Albertus Stadensis. 1240.

In Chronicis fol. 34. enumerans Romanos Pontifices: Leo Quintus natione Romanus, sedit annis 8. mẽsibus sex, diebus tribus. Obijt 16. Kalendas Augusti. Papatus cessauit mensibus duobus, diebus 12. Benedictus tertius natione Romanus, patre Petro, sedit annis duobus, mensibus sex, diebus decem.

Fol. 92. Anno 855. Leo Papa discessit, cui Benedictus Papa 104. succedens, & ipse eodem anno vitã finiuit. Anno Domini 858. Nicolaus Papa 105. sedit annis vndecim.

Vincentius Burgundus. 1245.

Speculi naturalis lib. 32. cap. 84. Eo tempore Gregorio succesit Sergius: Sergio succesit Leo: Leoni Papæ Benedictus succesit.

Guilhelmus Nangiacus. 1300.

In Chronographia eadem habet ad verbum, quæ Sigebertus M. S. nec vllum alium, quàm Benedictum tertium Leonis succesorem refert.

Matthæus VVestmonasterienses. 1370.

In Chronicis: Anno 847. Leo Papa sedit in cathedra Romana annis 8. mensibus tribus, diebus sex, & cessauit sedes mensibus duobus. Anno 855. Leone Papa defuncto succesit ei Benedictus annis duobus, mensibus sex, diebus decem. Anno 858. defuncto Papa Benedicto Nicolaus sedit in cathedra Romana annis nouem, mensibus duobus, diebus 20.

Æneas Syluius. 1450.

Epistola 130. seu Dialogo contra Bohemos: GAL. At fuit in Agnete manifestus error. *AEneas:* Quam tu mihi Agnetam commemoras? *Gal.* Quam Romana sedes fœminam pro mare coluit, & in Apostolatus apice collocauit. *AEneas:* Isthic neque fidei, neque iuris error, sed ignorantia facti fuit: neq; certa est historia.

Ioannes Nauclerus. 1529.

Lib. 4. Annalium: Albertus locupletissimus Hetruriæ Princeps Rauennam, Bononiam, Romam in potestate habuit. Eius socius Theodora scortum nobile, atque imperiosum Romæ dominabatur: Ioannemq; Nonum amatorem suum Bononiensibus primò, deinde Rauennatibus, postremò Romanis imposuit, primariumq; sacerdotem creauit. Vnde fabellam ortam crediderim, quæ temerè vulgarit hisce temporibus fuisse sacerdotem maximam fœminam, quæ appellata sit Ioannes.

Leo Papa nonus ad annum 1050. scribens aduersus inauditas præsumptiones Michaelis Constantinopolitani & Leonis Acridani cap. 23. reprehendit Constantinopolitanam Ecclesiam, quòd fœminam & Eunuchos in Patriarchatu suo collocasset. Hoc nequaquam feciset, si tum temporis ante annos ducentos fœmina etiam Romæ summum sacerdotium obtinuisset: Absit, *inquit*, vt velimus credere, quod publica fama non dubitat asserere Constantinopolitanæ Ecclesiæ contigisse, vt Eunuchos contra primum sancti concilij Niceni capitulum passim promouendo, fœminam in sede Pontificum suorum sublimasset aliquando. Hoc

tam abominabile scelus, detestabile q; facinus, etsi enormitas ipsius vel horror fraternaq; beneuolentia non permittit nos credere: considerata tamen iniuria vestra erga sanctorum censuram Canonum, quia Eunuchos, & aliqua ex parte corporis imminutos, non solùm ad clericatum, sed ad Pontificatum etiam, indifferenter ac solenniter promouetis, fieri potuisse pensamus.

Regino Prumiensis, Luitprandus Ticinensis, Hermannus Contractus, Lambertus Schaffnaburgensis, Aemoini Continuator, Leo Ostiensis, Zonaras, Cedrenus, Glycas. Hugo Victorinus, Otto Frisingensis, & cæteri quotquot ab anno 855. vsq; ad Martinum Polonum ex professo historias Ecclesiasticas literis tradiderunt, vbi de hoc anno scribunt, & sæpe res minoris momenti inculcant, ne verbo quidem huius fabulæ mentionem fecerunt. Itaque, qui id fecit, primus omnium est hic Martinus, qui vixit & scripsit hæc anno 1322. annis 470. ab eo tempore, quo hanc rem gestam refert. Nec quemquam testem citat, sed solùm ait: vt asseritur, & dicitur. *Quotquot etiam post hunc Martinum eandem cantilenam recantant, nullum antiquiorem testem citant, sed aiunt:* secundùm Martinum, sicut Martinus ait, vt fertur, vt dicitur.

Scribunt Ioannem hanc Anglam fuisse, natione Moguntinam. At Moguntiam non in Anglia, sed in Germania cis Rhenum sitam esse omnes nouimus.

Nec probabile est, Romanos eo tempore, quo adhuc legitima illis concedebatur Pontificum electio, tam inconsideratè aliquem ignotũ, aliundè venientem, non per omnes Ordines Ecclesiasticos probatum, neophytum, imberbem iuuenem, (vt quæ adhuc ad partum esset idonea) in Pontificem elegisse.

Omninò etiam à veritate alienum est, quod aiunt, puellam hanc cum suo amasio Athenas profectam, in ijs delicijs tantum in studijs potuisse proficere, vt omnes alios eruditione vinceret.

Athenis olim adeò omnium disciplinarum studia floruisse, vt plurimi ex longinquis regionibus eò discendi gratia proficiscerentur, non negamus: sed anno post natũ Christum 395. cùm Huni seu Gothi Athenas, & totam Græciam vastarent, magnam illic eiusmodi studia iacturam fecerunt. De hac vastatione D. Hieronymus epist. 3. cap. 9. ad Heliodorum: Quid putas, *inquit*, nunc animi habere Corinthios, Athenienses, Lacedæmonios, Arcadas, cunctamq; Græciam, quibus imperant Barbari? Et certè paucas vrbes nominaui, in quibus olim fuêre regna non modica. *Et Claudianus*, in Ruffinum lib. 2.

Si tunc his animis acies collata fuisset,
Prodita non tantas vidisset Græcia clades:
Oppida semoto Pelopeia Marte vigerent:
Starent Arcadiæ, starent Lacedæmonis arces:
Non mare fumasset geminum, flagrante Corintho,
Nec fera Cecropias traxissent vincula matres.

Cecropias, id est Athenienses, à Cecrope primo eorum rege.

De studijs tunc temporis Athenis extinctis Synesius, qui vixit anno 400. epistola 136. locuples testis est: Athenæ, *inquit*, nunc temporis nihil habent venerandum, præterquam inclyta locorum nomina: & sicut victimæ confectę pelles relinquuntur, ad indicium viuentis quondam animalis, ita hinc expulsa Philosophia relinquitur, vt obambulãs admiretur quis Academiam, & Lycæum, & per Ioannem variam porticum cognominem Chrysippi Philosophiæ, quæ nunc varia non est. Athenæ olim quidem ciuitas sapientum erat habitaculum: in præsenti verò eam ornant mellis opifices.

Anno 450. Plutarchus quidam Athenis studia Philosophica resuscitare cœpit: cui anno 480. Syrianus Alexandrinus succesit: Syrianum sequitur Proclus ad annum 520. post Proclũ Marinus: Marino Damascius: Damascio Simplicius in regimine scholæ Athenienses successerunt. Docti illi quidem, sed Ethnici; nec tam celebrem scholam habuerunt, qualem priores illi Philosophi. Vnde Æneas Gazæus, qui anno 530. inter Proclum & Marinũ vixit, sic scribit in Theophrasto: Philosophia præclara & rara quædam res est, quippe quæ Athenis (qua in vrbe quondã illustris fuit) iam prorsus est obscurata, & in nihilum redacta: *Axith.* Igitur frustra Athenas ferebar, si nemo, quemadmodum ipse aperis, isthic supereset, qui ad propositam quæstionem respondere possit.

Post Simplicium, qui vixit anno 550. miserabile quoddam Philosophiæ silentium in Græcia consecutum est. Nec ab eo tempore vsq; ad Michaëlem Theophili filium, qui vixit anno 850. vllum præter Ioannem Damascenum inuenio in Græcia nominatum Philosophum.

Causa huius cum primis fuit Mahometus, qui anno 630. eiusmodi studia delere cœpit. Post eum circa annum 660. Saraceni Mahometi dogmata amplexi, littorales omnes Græciæ ciuitates atq; insulas classibus inuadere ac populari cœperunt. Inde desolatio Græciæ studiorum subsecuta est, & Philosophia ad Saracenos & Arabes migrauit.

Anno 718. Leo Isauricus Imperator Constantinopolitanus Iconomachus quicquid erat reliquum studiorum destruxit & combussit: de quo sic Zonaras Tomo 3. Annalium in hoc Leone: Cæterùm præter cætera, quæ Leo in pios ausus est, illud etiam designauit. Domus erat in Basilica proximè forum ærarium regia, in qua multi codices & humanæ, & generosioris, ac diuinæ sapientiæ asseruabantur, ab antiquis temporibus ei ad habitandum attributa, qui eruditione excelleret, quem Oecumenicum Doctorem appellabant. Is duodecim contubernales habebat excellenter eruditos. His publicus victus præbebatur: hos eruditionis & cognitionis auidi accedebant: hos Imperatores ad rerum gerendarum consilia adhibebant. Eos Leo si cepisset, & in suam sententiam pertraxisset, omnia sibi confecta fore putabat. Accersit igitur viros, improbamq; suam de venerandis imaginibus opinionem cum eis communicat. Qui adeò non sunt assensi, vt & ipsum ab ea opinione prorsus abducere conarentur, partim demulcendo feram illam, & salutaribus carminibus incantando; partim confidentius aduersando, & eius impietatem coarguendo. Sed ille instar aspidis obturabat aures, & vocem incantantis non admittebat, neque medicinam accipiebat à sapientibus. Quum igitur sæpè cum eis egisset, persuadendi spe abiecta, eos domum dimisit in ædes illas regias, multamq; materiam aridam circum eos collocatam noctu incẽdi iussit, atque ita ædes cum libris, & doctos illos ac venerabiles viros combussit. Qua de causa Gregorius, qui tum Romæ veteris Ecclesiam gubernabat, repudiata societate præsidis nouæ Romæ, nec nõ eorum, qui illum sequerentur, illos vnà cum Imperatore synodico anathemate obstrinxit, & vectigalia, quæ ad id vsque tempus Imperio inde pendebantur, inhibuit, icto cum Francis fœdere.

De hac id temporis studiorum in Græcia desolatione ad Carolum Caluum Imperatorem sic scribit Erricus Altisiodorensis, Præfatione ad libros suos de vita Germani: Multa sunt tuæ monumenta clementiæ, multa symbola pietatis. Illud vel maximè tibi æternam parat memoriam, quòd famatissimi aui tui Caroli studium erga immortales disciplinas, non modò ex æquo repræsentas, verùm etiam incom-

parabili feruore transcēdis: dum quod ille sopitis eduxit cineribus, tu fométo multiplici, tū beneficiorū, tū auctoritatis vsquequaq; puehis. Ne enim nostra inertia, quę sua sponte amplectitur cæcitatē, velū sibi excusationis de ignorātia obduceret, neue de præceptorum inopia meritò causaretur: id tibi singulare studium effecisti, vt sicubi terrarum magistri florerent artium, quarum principalem operam Philosophia pollicetur, hos ad publicam eruditionem vndecunq; tua celsitudo conduceret, comitas attraheret, dapsilitas prouocaret. Luget hoc Græcia, nouis inuidiæ aculeis lacessita, quam sui quondam incolæ cum Asianis opibus aspernantur, tua potius magnanimitate delectati, studijs allecti, liberalitate confisi. Dolet, inquam, se olim singulariter mirabilem, ac mirabiliter singularem à suis destitui. Dolet certè sua illa priuilegia, quod nunquam hactenus verita est, ad climata nostra transferri.

Itaque studia & Gymnasia Philosophiæ in vniuersa Græcia deinceps iacuerunt, nec vllum Philosophum eruditione celebrem Græci deinceps habuerunt, donec Bardas Imperator ad annum 850. extincta Philosophiæ studia, opera Leonis Philosophi post Imperatoris, resuscitaret.

De qua studiorum restitutione sic ait Zonaras Tom. 3. in imperio Theophili: Bardas versabat omnia, eoq; pertrahebat, quò erat & ad Cæsaris fastigium euectus, Imperij inuadendi opportunitatem quę ritabat. Nihil autem fecit boni, nisi quòd eruditionis prouehendæ magnum studiū habuit. Nam Philosophia neglecta iacebat, ac prope omninò extincta erat, vt ne scintilla quidem eius superesset. In causa fuerat Imperatorum insciti: sed hic cuique disciplinæ scholas constituit, Doctores designauit, singulis publica stipendia decreuit, & omnibus magnum & communem Doctorem præfecit Leonem Philosophum, cuius doctrinæ inclyta fama erat, etiam ab Imperatore Theophilo honoratum, &c.

Si huius fabulæ auctores Ioannam hanc non Athenis, sed Constantinopoli studuisse finxissent, facilius alicui credulo imponere potuissent: sed Athenis illo tempore simul studia fuisse resuscitata historiographi non addunt: nec vllum virum eruditione celebrem post annum sexcentesimum illic floruisse facilè demonstrabūt. Nec si eam hac fama excitatam, Constantinopolim profectam vsque adeò eruditione profeciſſe scriberent, audiendi essent. Accidit hæc studiorum resuscitatio anno 850. Ioannam hanc anno 855. in Pontificem electam scribunt in puellari ætate cum suo amasio Athenas ex Anglia deductam, illic studuisse: non potuit vno aut altero, sed non nisi pluribus annis ita proficere, vt alios omnes superaret: inde Romam profecta non potuit tam citò fama nominis innotescere, nisi & illic prius aliquot annis moraretur.

Valeant ergo cum hac fabella.

ARTICVLVS DECIMVSQVINTVS.

SYLVESTRVM SECVNDVM VIRVM SANCTITATE ET ERVDITIONE CONSPICVVM, NEC VLLO VITIO MAGIAE INFAMEM FVISSE.

NEGANT.

Anno post natū Christum. 1320.

MARTINVS Polonus in Chronicis: *Sylvester Secundus primùm monachus Floriacensis, sed dimisso monasterio homagium fecit, vt sibi omnia ad votum succederent: id quod demon promisit adimplere. Iste obsequijs diaboli insistens, frequenter super desideriis suis cum eo loquebatur, &c.*

1460. Platina in Sylvestro 2. *Sylvester Secundus, antea Gerebertus vocatus, natione Gallus, malis artibus, vt aiunt, Pontificatum adeptus est.*

1560. *Tilmannus Heshusius,* lib. 1. de Ecclesia cap. 9. *Magdeburgenses,* Cent. 10. cap. 10. *& cæteri Lutherani & Caluinistæ contendunt Sylvestrum Secundum necromanticum fuisse.*

ASSERVNT.

Sergius Papa, tertius à Sylvestro secundo. 1009.

In Epitaphio, quod posuit huic Sylvestro:

Iste locus mundi Sylvestri membra sepulti
Venturo Domino continet ad sonitum:
Quem dederat mundo celebrem doctissima Virgo,
Atque caput mundi culmina Romulea.
Primum Gerbertus meruit Francigena sede
Remensis populi Metropolim patriæ:
Inde Rauennatis meruit conscendere summum
Ecclesiæ regimen, nobilitate potens.
Post annum Romam mutato nomine sumpsit,
Vt toto fieret pastor in orbe nouus:
Cui nimium placuit sociali mente fidelis,
Obtulit hac Cæsar tertius Ottho sibi.
Tempus vterque comit clara virtute Sophiæ,
Seclum omne & gaudet, frangitur omne reum.
Clauigeri instar erat calorum sede potitus,
Terna suffectus cui vice pastor erat.

Hodie adhuc legitur ad eius sepulchrum in Ecclesia Lateranensi.

Iste

Iste vicem Petri postquam suscepit, abegit
Lustri non spacium, cum placidè moritur.
Obriguit mundus, discussa pace triumphus
Ecclesiæ nutans dedudicit requiem.
Sergius hunc loculum miti pietate sacerdos,
Successorq; suus compsit amore sui.
Quisquis ad hunc tumulum deuexa lumina vertis,
Tu Domine omnipotens dic miserere sui.

OBIIT ANNO DOMINICAE INCARNATIONIS M. III. Indictione 1. mensis Maij die 12.

Helgaudus Floriacensis. 1040.

In vita Roberti Pij, de Gerberto seu Sylvestro secundo: Vir beatus pro maximo suæ sapiētiæ merito, quo toto radiabat in mundo, donatiuo regis Hugonis munere Pontificium adeptus Remense, non multis annis illud adornauit splendidè in his, quæ forent necessaria Ecclesiæ sanctæ. Eo namque derelicto Rauennatum factus est rector ab Othone tertio, de quo ad Apostolatum Petri Apostoli sanctissimi festinus conscendens, multa in eo virtutum operatus est insignia, & præcipuè in eleemosyna sancta, quam fortiter tenuit, dum fideliter vixit. Inter cætera de se lætus & hilaris ita in R. litera lusit:

Scandit ab R. Gerbertus ad R. post Papa viget R.

Hoc apertè demonstrat, quòd hi tres Episcopatus honores, quos professione regularis vitæ Patris Benedicti monachus factus suscepit, rexit, ac tenuit, huius R. literæ signo in capite sunt declarati.

Hermannus Contractus. 1049.

In Chronicis de anno 1000. Romæ defuncto Gregorio Papa Sylvester 2. qui & Gerbertus, primò Remorum, post Rauennatum Archiepiscopus, seculari literaturę nimium deditus, & ob hoc curioso Imperatori admodum amatus, Papa 143. sedit annis quinque.

Sigebertus Gemblacensis. 1100.

De anno 992. Gerbertus depositus ab Episcopatu Rhemensi ad Othonem Imp. se contulit, quem Imperator receptū, primò eum Rauennæ Archiepiscopum, & postea constituit Papam Romanum. Vnde est illud eius monostichon:

Transit ab R. Gerbertus ad R. fit Papa vigens R.

De anno 998. Post Ioannem Gerbertus, qui & Sylvester, præsidet, qui & ipse inter claros sapientia egregiè claruit.

Ea, quæ sequūtur de Magia eiusdem, non sunt in M. S. Sigeberti, sed addita sunt multò post à Galfrido quodam, qui vixit circa annum 1400.

Continuator Æmoini. 1140.

Lib. 5. cap. 45. Post hęc Gerbertus electus est Pontifex in vrbe Rauenna ab Othone Imp. & à populo eiusdem vrbis: residentęq; in eadem vrbe Pontifice quàm plurimos annos, defunctus est Papa vrbis Romæ, statimq; omnis populus Romanus sibi dari acclamat D. Gerbertum. Assumptus itaque de vrbe Rauenna, ordinatus est Pontifex in vrbe Romana.

Blondus Flauius. 1430.

Decadis 2. lib. 3. Nullus scriptorum affirmare dubitat Sylvestrum secūdum literis moribusq; ornatissimum fuisse.

ARTICVLVS DECIMVSSEXTVS.

GREGORIVM SEPTIMVM, QVIANTE HILDEBRANDVS DICEBATVR, CVI QVIDAM MAGIÆ ET SIMONIÆ NOTAM INVRVNT, LEGITIME ELECTVM PONTIFICEM, SANCTITATE ET ERVDITIONE INSIGNEM FVISSE, ET AB EO HENRICVM Imperatorem propter certa flagitia iure excommunicatum esse.

NEGANT.

Anno post natū Christum. 1072.

HENRICVS *Rex Romanorum à Gregorio Septimo excommunicatus Romam obsedit: videns Papam aufugisse, congregatis triginta Episcopis fautoribus suis, in ipsa vrbis obsidione iussit haberi Synodum, in qua Gregorius Papa falsis criminibus insimulatus, a fautoribus Henrici filij compositis absens accusatur: Dicebant eum profanum, scelestum, amatorem discordiæ, virum sanguinum, Sedem Apostolicam vsurpasse per necromantiam.* Marianus Scotus de anno 1074.

1080. *Benno Cardinalis,* libro de vita & gestis Hildebrandi seu Gregorij Septimi, *vocat eum crudelem, impium, proditorem, periurum, mendacem, immanem, necromantum, hypocritam, perfidum, superbum, iniustum, &c.*

1100. *Sigebertus Gemblacensis,* in Chronico, *asserit Gregorium Septimum scnsisse, Presbyterum concubinarium, si fortè sacrum facere vellet, non posse reuera consecrare, & idcirco interdixisse Christianis, ne concubi-*

nariorum Presbyterorum sacris interessent: nec hac calumnia contentus, sed scripsit etiam contra Papam Gregorium lib.1. Apologiam ad Imperatorem lib.1. pro Imperatore contra Gregorium epistolas aliquot. Trithemius de Viris illustribus.

1540. Ioannes Caluinus in Scholijs, quæ scripsit in Epistolam Pauli: *Tertij Henrici vitia, quibus laborauit, hic excusare nihil attinet. Quæ autem fuerint contentionum inter ipsum & Hildebrandum semina, si quis quærat, & qualiter depugnata fuerint, reperiet profectò Hildebrandum hominem vafri & malitiosi ingenij, adhæc inexplebili ambitione ardentem, instructum verò & gladiatoria confidentia, & extrema crudelitate: cùm Henricum videret luxuria defluere, libidinibus deditum, præterea insolenter ferocire, statim quasi oblata occasione, ad dissipandum imperium animum applicuisse.*

Ioannes Carion, Sebastianus Francus, Centuriatores Magdeburgenses, & cæteri Historiographi Lutherani, mirum in modum in hunc Gregorium septimum debacchantur, nec dignum censent, qui summus Pontifex appelletur.

ASSERVNT.

Romanæ Ecclesiæ Cardinales. 1072.

Apud Sabellicum Ennead. 9. lib. 3. Nos sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, Cleri, Acolythi, Subdiaconi, Presbyteri, præsentibus Episcopis, Abbatibus, multisq; tum Ecclesiastici, tum laici ordinis, eligimus hodie 10. Kal. Martij in Basilica sancti Petri ad Vincula anno salutis 1072. in verum Christi Vicarium Ildebrandum Archidiaconum, virum multæ doctrinæ, magnæ pietatis, prudentiæ, iustitiæ, constantiæ, religionis, modestum, sobrium, continentem, domum suam rectè gubernantem, pauperibus hospitalem, in gremio sanctæ matris Ecclesiæ liberè à teneris annis, vsque ad hanc ætatem educatum: quem quidem ea potestate Ecclesiæ Dei præesse volumus, qua Petrus Dei mandato quondam præfuit.

Anselmus Lucensis. 1074.

Epistola ad VVigbertum Antipapam: Vt ergo de Beato Gregorio Papa nostro dicam, quod de Cornelio scripsit B. Cyprianus, factus est Episcopus de Dei & Christi eius iudicio, de clericorum pene omnium, &, vt verius dicam, omninò omnium testimonio, de plebis, quæ tunc aderat, suffragio, de sacerdotum antiquorum, & bonorum virorum collegio, cùm nemo ante se factus esset, cùm Alexandri locus, hoc est, cùm Petri locus, & gradus sacerdotalis cathedræ vacaret. Quo occupato, & de Dei voluntate, atq; omnium nostrum consensu ordinato, quisquis iam Episcopus voluerit fieri, foras fiat necesse est, nec habet Ecclesiasticam ordinationem, qui Ecclesiæ non tenet vnitatem. Quisquis ille fuerit, licet multum de se iactans, sibi plurimum vendicans, profanus est, alienus est, foris est. Et cùm post primum secundus esse non possit, quisquis post vnum, qui solus debet esse, iam factus est, non secundus ille, sed nullus est, &c.

Hugo Monachus Cluniacensis. 1074.

In Vita S. Hugonis Abbatis Cluniacensis: Hildebrandus Romanæ Ecclesiæ Diaconus, Apostolicæ Sedis Pontifex Gregorius septimus mox futurus, Galliarum legatione suscepta Cluniacum venerat. Hic quadam die sedens in Capitulo cum beato Hugone, fratrum negligentias pietatis gladio corrigente, aspexit Dominum Iesum præsentem, prædicto Patri assidentem, eiq; de singulis, quid agere deberet, suggerentem. Itaque Hildebrandus sancti viri merita prædicans, in famulo Dominum collaudabat.

Petrus Damianus. 1074.

Epistola 2. ad Hildebrandum Papam, qui & Gregorius septimus, Apologetica epistola, quare Episcopatus curam dimiserit: Dilectissimo Sedis Apostolicæ electo, & virgæ Assur, Hildebrando, Petrus peccator monachus seruitutem, &c. Et quia vos Apostolica Sedes, vos Romana estis Ecclesia, ad deponendum, quod baiulare nequiueram, integrum mihi visum est, non adire fabricam lapidum, sed eos potius, in quibus viget ipsius Ecclesiæ sacramentum. Sub persecutione quippe Iudaica, vbicunque erant Apostoli, illic primitiua Ecclesia dicebatur. Nunc etiam cùm Simon ille veternosus videlicet Trapezita malleos & incudem reparauerat, cùm Romanam vrbem velut officinam sibi per monetarios pestiferæ negotiationis vsurpat, & quos vos Petrus fugiens nobiscum attrahit, illic esse Romanam Ecclesiam omnibus indubitanter ostendit. Vnde cùm ego Ecclesiasticum nobis regimen renuntiare proposui, non erraui, quia Romanæ (quæ vos estis) Ecclesiæ quod suum erat dignè restitui. Et vobis me confessum esse confitebor, pro hac refutatione cètum annorum pœnitentia mihi est consequenter iniuncta, per illa nimirū remedia, quæ monasticis regulis sunt instituta. Quod si parum videtur, vos etiam superaddite, vltro etiam, si placet, sub carcerali custodia mancipate.

Epist. 5. cap. 7. Interea illud etiam, quod Hildebrando Romanæ Ecclesiæ Archidiacono referente didicimus, hîc inserere operæpretium iudicamus. Nam cùm adhuc Subdiaconatus fungeretur officio, à Victore Papa Apocrisarius ad Gallias destinatus, Synodum congregauit, in quo videlicet sex Episcopos diuersis criminibus inuolutos, ex Apostolicæ Sedis auctoritate deposuit. Inter quos quidam erat Episcopus, qui quoniam per simoniacam hæresin ad Episcopatus culmen irrepserat, Spiritum sanctum verbis exprimere, quibuscunque tentaret nisibus, non valebat. Et quidem Patrem & Filium expeditè satis proferebat: ad Spiritum verò sanctum cùm peruenisset, mox lingua balbutiens, tandem rigida manebat.

Vitæ Dominici Loricati capite decimo nono: Somniauit tunc quidam frater de me, quòd oculorum lumen amiseram. Quod dum ego Hildebrando venerabili Romanæ Ecclesiæ Archidiacono in Lateranensi palatio retulissem: Nequaquam, inquit, vt times, hoc tibi propinquæ est mortis indicium: sed familiaris tibi aliquis extinguetur, qui tibi & charus sit sicut oculus, & lumen tuum ac splendor in bonis operibus videatur. O verum, sed amarius omni felle præsagium. Tertio die, postquam Romanis mœnibus sum egressus, ecce mihi relatio crudelis occurrit, quæ mihi nil minus opinanti, cæcatum me remansisse perhibuit, dominum scilicet & illuminatorem meum Dominicum ex hoc seculo nuper egressum. Illicò mihi liquidò patuit, dum ille petijt lucis auctorem, in tenebrarum me remansisse caligine.

Marianus Scotus. 1074.

Lib. 3. ætate 6. Anno Christi 1074. Hildebrandus, qui & Gregorius Papa, sedit annis 12. Papa Gregorius decreuit præceptò Petri Apostoli & sancti Clementis, vt suprà, & Canonibus Patrum per bannum Dei, Petri & Pauli, & suum, Synodali iudicio multorum Episcoporum, & contradicens interdixit Presbyteris, Diaconibus, omnibusque clericis vxores habere, & omninò cum fœminis habitare: nisi cum eis, quas regula, vel Nicæna Synodus concessit. Decreuit quoque, vt sub sententia S. Petri cum Simone damnaretur, non solùm emptor, sed & venditor cuiusque consecrationis officij Ecclesiastici, id est Episcopatus, presbyteratus, diaconatus, præposituræ Ecclesiæ, vel decimationis, sed & socius transgressoris. Dominus enim dixit: *Gratis accepistis, gratis date.* Vnde & de prædicta Synodo legati Papæ missi ad Henricum Regem Romanorum, communi omnium Episcoporum interdicto, vt fœminas separarent à clericis, & maximè à Presbyteris. Plures clerici sub sententia interdicti Apostolici libentius esse voluerunt, quàm fœminis & vxoribus carere, sed vt vel per alios castigarentur. Decreuit Papa Synodica legatione etiam hoc anno, vt nullus Christianus audiret Missam coniugati presbyteri, &c. Henricus Rex Ecclesiam, quantum in ipso fuit, per concubinarios, id est hæreticos, polluere & offuscare veritus non est, dum spiritualia Ecclesiæ officia, gratificà videlicet Spiritus sancti munera, per iniqua contrariaq; fidei Catholicæ commercia more Simonis efficeret venalia. Hæc & his similia nefanda & inaudita Regis Henrici flagitia videntes & audientes fieri Catholici viri, per id temporis in Ecclesia constituti, cum Propheta Helia Domini zelo zelantes pro domo Israel, directis Romam nuntijs ad Alexandrum Apostolicæ Sedis Antistitem, hæc ei, & alia quàm plurima, quæ in regno Theutonico, insanientibus Simoniacis hæreticis rege Henrico auctore & patrono, dicta & gesta sunt, tam literis, quàm viua voce gemendo ac dolendo conquesti sunt. Interea Domino Alexandro Apostolico de medio sublato, suscepit sedem Apostolicam Gregorius septimus, qui & Hildebrandus, professione monachus. Iste querimonijs & clamoribus Catholicorum iustis aduersus Henricum, & scelerum eius immanitatem auditis, zelo Dei accensus, iam dictum regem excommunicatum pronuntiauit, maximè propter Simoniam. Quod factum Catholicis quidem viris bene placuit: Simoniacis verò ac fautoribus Regis nimium displicuit, qui dicebant: nunquam esse auditum, Regem aliquando excommunicationi subditum. Facta est ergo maxima diuisio in Ecclesia Dei, Catholicis Domino Apostolico studiosè fauentibus, ac præceptis eius. Inter quos erant Principes Anno Colonienſis Episcopus, cum Reuerendissimis Ecclesiarū Rectoribus Sigefrido Moguntino, Vetzelino Magdeburgi, Rucherio Halberstadensi, alijsq; Episcopis, & Abbatibus, monachis, & clericis, assentientibus quoque principibus totius Saxoniæ, Ottone magno Duce, Vdone Marchione, Ludoico Comite, cum alijs innumerabilibus, tam nobilium, quàm infimorum militaribus viris. Quorum fidei deuotionem & feruorem iustitiæ venerabilis Papa Gregorius audiens, & contra eos sæuitiam Henrici fautorumque eius, ne deficerent in tribulationibus, missis ad eos literis, hæreticorum audaciam, garrulitatem, & superbiam, auctore Henrico, ac defensore, ad iniuriam Apostolicæ Sedis perstrinxit elatam. Quamobrem Regem anathematis vinculo alligauerit, literis insinuauit: quibus Catholici ad resistendum iniquis hæreticis constantiores effecti sunt.

Henricus Rex cum magno exercitu profectus Romam, eam obsedit. Papa audiens multos Romanos fauere Schismaticis aufugit. Videns Henricus Rex Papam aufugisse, congregatis triginta Episcopis fautoribus suis, in ipsa Romanæ vrbis obsidione, iussit haberi Synodum, in qua Gregorius Papa, falsis & inauditis criminationibus, à fautoribus Henrici fictè compositis, absens accusatur: Dicebant eum profanum, scelestum, amatorem discordiæ, virum sanguinū, Sedem Apostolicam vsurpasse per necromantiam. Conspirantes ergo, qui conuenerant, in vnum, aduersus Dominum, & aduersus Vicarium eius Papam Gregorium, damnauerunt eum, & inebriati diabolici furoris insania VVigbertum Rauennatensem Episcopum rapuerunt, ac Papam consecrârunt, quem Clementem nominauerunt.

Ioannes Micrologus. 1080.

De Ecclesiasticis obseruationibus cap. 14. Nam & Apostolicæ Sedi nostro tempore talem Deus gubernatorem, reuerendæ, inquam, memoriæ Gregorium Papam imposuit, qui sub decem suis antecessoribus à puero Romæ nutritus & eruditus, omnes Apostolicas traditiones diligentissimè inuestigauit, inuestigatas studiosissimè in actum referre curauit. Hunc ergo Doctorem religione & auctoritate præcipuum, imò Apostolicam traditionem per ipsum, in consecrandis mysterijs potissimum imitari decreuimus.

Anselmus. 1080.

Epistola 8. ad Guilhelmum Abbatem Hirsaugiensem, de quodam Comite excommunicato à Gregorio 7. qui diuina celebrantibus se immiscuerat: Comes quidem vester, qui excommunicatus vobis diuina celebrantibus se miscet, mihi videtur humiliter admonendus: ne contemnendo sententiam eorū, quibus Deus affirmat se audiri, cùm audiuntur; & sperni, cùm spernuntur: se ligare, cùm ligant; & soluere, cùm soluunt, aggrauet super se Dei iudicium, à quo fugere nusquam homo potest. Quare illi melius esse, vt per salubrem humilitatem abstineat ab his, à quibus eum Apostolica segregat sententia, quàm per præsumptionis contemptum se ingerat in illa, quę nunquam, nisi per humilitatem quæsita, profunt; at semper inordinatè præsumpta obsunt: nec debere cum vllo suo commodo, & grauissimo suo malo cogere vos, vt cùm eum offendere nolitis, Deum & Apostolici auctoritatem grauiter irritetis, ad quos pacandos illum adiutorem habere non possitis. Facilius quoque ac benignius Apostolicum (*Sic vocat hunc Gregorium Septimum*) eius rationes susceпturum, si suam illum sententiam cognouerit reueritum. Quòd si Comes idem hanc admonitionem respuerit, scitis, quia Deus plus est timendus, quàm homo. Quapropter aut secundùm iam prolatam Apostolicam sententiam erga illum agendum; aut ipsum Apostolicum, seu aliquem vices eius gerentem, de hoc ipso denuò consulendum existimo. De Presbyteris verò, qui se apertè reproba libidinis cōuersatione Deo reprobabiles exhibent, omninò tenendum est, quod Apostolica prouidentia Ecclesiastico iustoq; rigore constituit.

Stephanus Halberstadensis Episcopus. 1090.

Epistola ad VValramum Episcopum Naumburgensem, defensorem Henrici Quarti Regis à Gregorio septimo excommunicati: Audi igitur vera, non fucata: audi fortia, non faceta. Omnis, qui dignitates spirituales diuendit, hæreticus est. Dominus autem Henricus, quem Regē dicunt, Episcopatus & Abbatias vendit: Etenim Constantiensem, Bambergēsem, Moguntinēsem, & plures alios pecunia: Ratisbonensem, Augustensem, & Strasburgensem pro gladio: Abbatiam Fuldensem pro adulterio: Monasteriensem verò Episcopatum, quod dicere & audire nefas est, pro Sodomitica immunditia vendidit, &c. Pro quibus nefandis malis ab Apostolica Sede excommunicatus, nec regnum, nec potestatem aliquam super nos, quia Catholici sumus, poterit obtinere.

Lambertus Schaffnaburgensis. 1090.

De Anno 1073. Alexander Papa decessit, cui Romani protinus inconsulto Rege successorem elegerunt Hildebrandum, virum sacris literis eruditissimum, & in tota Ecclesia, tempore quoque priorum Pontificum omni virtutum genere celeberrimum. Is quomodo zelo Dei feruentissimus erat, Episcopi Galliarum protinus grandi scrupulo permoueri cœperunt, ne vir vehementis ingenij, & acris erga Deum fidei, districtius eos pro negligentijs suis quandoque discuteret. Atq; ideò communibus omnes consilijs regem adorti, orabant vt eius electionem, quæ eius iniussu facta fuerat, irritam fore decerneret, &c. Hildebrandus Papa cum Episcopis Italiæ conueniens, iam frequentibus Synodis decreuerat, vt secundùm instituta antiquorum Canonum, Presbyteri vxores non habeant: habentes autem dimittant, aut deponantur; nec quisquam omninò ad sacerdotium admittatur, qui non in perpetuum continentiam, vitamq; cælibem profiteatur, &c. VVilhelmus Traiectensis Episcopus causam Regis contra bonum & æquum obstinatè tuebatur, & studio partium regis multa in iniuriam Romani Pontificis, omnibus penè diebus solennibus, inter Missarum solennia rabido ore declamabat, periurum eum, adulterum, & pseudo-Apostolum appellans, & tam à se, quàm à cæteris Episcopis sæpenumerò excommunicatum pronuntians. Is breui, postquam Rex exactis Paschalibus ferijs Traiecto discesserat, repente grauissima ægritudine correptus est. Cumq; per acerrimos cruciatus animæ & corporis vrgeretur, miserabili eiulatu, coram omnibus, qui aderant, vociferabatur, iusto Dei iudicio se & præsentem amisisse vitam & æternam, quòd ad omnia, quæ perperam intendisset, operam suam in summo annisu præbuisset, atque in spem gratiæ eius Romano Pontifici sanctissimo, & Apostolicarum virtutum viro, graues contumelias sciens & prudens innocenti irrogasset. In hanc vocem, vt asserunt, sine communione, sine vlla satisfactione expirauit, &c. Papa Gregorius tam eximiè, tamq; Apostolicè vitam instituebat; vt nec minimam sinistri rumoris maculam conuersationis eius sublimitas admitteret. Et in illa vrbe celeberrima, atque in tanta obsequentium frequentia, obscœnum aliquid perpetrans latere nequaquam potuisset: signa etiam & prodigia, quæ per orationes Papæ frequentius fiebant, & zelus eius feruentissimus pro Deo, & pro Ecclesiasticis legibus, satis eum contra venenatas linguas communiebant, &c.

Iuo Carnotensis. 1100.

Epistola 239. Quòd si Reges aut Imperatores à Pontificali iudicio eximere tentaueris, recurre ad Magnum Imperatorem Constantinum, qui in Nicæno Concilio, præsente Papa Sylueſtro, huiusmodi verba legitur habuisse: *Vos*, inquit, *Episcopi à solo Domino iudicandi estis*, &c. Nunquid culpas factum clarissimi Doctoris Ambrosij, qui Theodosium Imperatorem ob suam culpam excommunicauit? Nunquid incusas Gregorium septimum, qui Regem Henricum ob sua scelera damnauit?

Bertoldus Constantiensis. 1100.

In Appendice ad Hermannum Contractum de anno 1068. Henricus Rex adolescentiæ suæ errore seductus, legitimæ coniugis adeò obliuiscitur, & tam nefandis criminibus inuolutus esse diffamatur, vt etiam Principes eius eum regno priuare molirentur.

De Anno 1073. Romæ Alexander Papa decessit: pro quo venerabilis Hildebrandus Romanæ Ecclesiæ Archidiaconus communi omnium consilio expetitur Papa constituendus. Quo audito, ipse Archidiaconus se viribus esse imparem tanto honori, imò oneri reputans, inducias respondendi petijt, & sic fuga elapsus, aliquot dies ad Vincula sancti Petri occultatus latuit: sed tandem vix inuentus, & ad Apostolicam Sedem vi perductus Papa 159. septimo Kalendas Maij ordinatur, & Gregorius septimus appellatur. Cuius prudentia non solùm in Italia, sed etiam in Theutonicis partibus refrænata est sacerdotum incontinentia: scilicet quod prædecessor eius in Italia prohibuit, hoc ipse in tota Ecclesia Catholica prohibere studuit.

Sigebertus Gemblacensis. 1100.

In Chronicis de anno 1086. Anselmus Lucensis Episcopus Hildebrandi Papæ cooperator indefessus, apud Mantuam exulans moritur, qui in Hieremiam, & in psalmos tractatus edidit, & doctrinam Hildebrandi libro luculento confirmauit, cuius sanctitas miraculis declarata est.

Guilhelmus Bibliothecarius. 1120.

Historia Anglorum lib. 3. cap. 17. Sæuientem retinuit nuntius Hildebrandi Apostoli. Imperator enim Alemannorum Henricus filius Henrici, iratus contra Papam, quòd excōmunicationem in eum propter inuestituras Ecclesiarum promulgârat, cum exercitu veniens, Romam obsedit, Hildebrandum expulit, Guibertum Rauennatem introduxit: quo per literas expulsi Guiscardus audito, contracta velociter Apulorum & Normannorum manu, Romam tendebat. Nec sustinuit nuntium aduenientis Henricus, quin cum falso Papa sola fama territus, terga daret. Vacua ab obsessoribus Roma legitimum Præsulem accepit, sed non multò post eadem violentia, qua prius amisit.

Ioannes Gratianus. 1140.

Causa 15. q. 6. Item Gregorius septimus Romanæ Ecclesiæ præsidens dixit: Nos sanctorum prædecessorum nostrorum statuta tenentes, eos, qui excommunicatis fidelitate aut sacramēto obstricti sunt, Apostolica auctoritate à iuramento absoluimus, & ne sibi fidelitatem obseruent, omnibus modis prohibemus, quousque ipsi ad satisfactionem veniant.

Otto Frisingensis. 1150.

Lib. 6. Chron. cap. 32. Hildebrandus semper in Ecclesiastico rigore constantissimus fuit.

Cap. 34. Anno sequenti Alexander vita & sacerdotio perfunctus decessit, sedemque Hildebrando Archidiacono suo, qui Gregorius Septimus dictus est, reliquit. Ex hinc schisma grauissimum, eò quòd absque consensu Regis per electionem constitutus fuerat, oritur. Ipse autem, qui per multum temporis ad libertatem Ecclesiæ ob-

siæ obtinendam priuatus laborauerat, iam ad sacerdotalem dignitatem prouectus, à cœpto desistere indignum ducens, tam ob hoc, quàm pro simonia extirpanda, ac incontinentia clericorum reprimenda, plurimum desudabat. Denique non solùm Regem pro eiusmodi ad Synodalia responsa crebrò vocauit, sed & datis decretis clericorum à Subdiaconatu, & supra, connubia in toto Romano orbe cohibuit, formaqúe gregis factus, quod verbo docuit, exemplo demonstrauit: ac fortis per omnia athleta, murum se pro domo Domini ponere non timuit.

Cap. 36. Prædictus Pontifex Gregorius à Rege vrbe pellitur, Gibertusqúe Rauennatēsis Episcopus in locum eius subtruditur. Porrò Gregorius Salerni manens, appropinquante vocationis suę tempore, dixisse fertur: Dilexi iustitiam, & odi iniquitatē, propterea morior in exilio. Quia ergo in principe suo regnum ab Ecclesia pręcisum grauiter percussum fuit, Ecclesia quoque tanto pastore, qui inter omnes sacerdotes & Romanos Pontifices præcipui zeli & auctoritatis erat, orbata, dolorem non modicum habuit.

Guillerinus Historicus. 1150.

Apud Vincentium in Speculo historiali lib. 25. cap. 44. Hic Hildebrandus, vt audiui à quodam, qui hoc audierat referre Abbatem Cluniacensem Hugonem, cogitationes aliorum prophetico mētis intuitu nuntiabat: quem ideò Papa Alexāder Cancellarium Apostolicorum prefecerat: pro cuius officij intuitu Hildebrandus tanquam Cancellarius circuibat prouincias, vt perperam acta corrigeret. Hugonis Abbatis Cluniacensis intimas cogitationes vidit, pestem futuram prædixit. Adhuc Archidiaconus in Gallia in Concilio confederat vice Papæ, vbi plures Episcopi per simoniam facti: quorum vnus, huius criminis insimulatus, nullis testibus argui, nullis argumentis poterat cōfutari, ita dicendi arte callebat. Tunc Archidiaconus: Cesset humanum eloquium, producatur diuinum oraculum. Certum est, quòd Episcopalis gratia donum Spiritus sancti est. Coram nobis ergo, qui iudicio Spiritus sancti congregati sumus, dicat iste: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto.* Quòd si expresè, & sine titubantia dixerit, constabit apud me, non esse illum simoniacum. Accepit libens hanc conditionem: *Gloria Patri, & Filio*, sic integrè protulit: sed in hoc, *& Spiritui sancto*, hæsit. Susciatato cunctorum strepitu, nullo conatu, vel tunc, vel deinceps in vita sua Spiritum sanctum nominare potuit.

Godfridus Viterbiensis. 1160.

Parte 17. Chronicorum: Anno secundo Alexander Papa decedit, & Hildebrando Archidiacono suo, qui Gregorius septimus fuit, Apostolatum reliquit. Quod quia sine Imperatoris consensione actum est, schisma grauissimum narratur exortum. Itaque ipse Gregorius Papa ad simoniam extirpandam, & clericorum incontinentiam reprimendam intendens, Imperatorem ipsum ad Synodalia pro huiusmodi frequenter vocauit. Connubia clericorum à Subdiaconatu, & supra, per totum orbem Romanum edicto decretali in æternum prohibuit, ac seipsum athletam Dei, & pro domo Domini murum constituit.

Helmoldus Presbyter. 1170.

In Chronico Sclauorum lib. 1. cap. 27. Statim vt Henricus Rex factus est vir, & sublato pędagogo suimet compos effectus est, omnem gētem Saxonum atrociter persequi cœpit. Denique Ottoni Ducatum Bauariæ, quia Saxo erat, abstulit, & VVelponi dedit. Post hæc ad depressionē totius Saxonię, in Hartico cliuo castrum firmissimum, quod dicitur Hartesberg, collocauit, &c.

Cap. 28. Missa relatione Saxonum Principes ad Apostolicam Sedem conquesti sunt Reuerendissimo Papæ Gregorio VII. qualiter Rex diuinæ legis contemptor, Ecclesijs Dei in statuendis Episcopis omnem Canonicæ electionis libertatem adimeret, ponens per violētiam Episcopos, quos voluisset. Insuper quòd more Nicolaitarum de vxore sua publicum fecisset prostibulum, subijciens eam per vim aliorum libidini, aliaqúe perplurima, quæ inconuenientia visa sunt, & auditu difficilia. Quamobrem Dominus Apostolicus, zelo iustitiæ permotus, missis legatis, vocauit Regem ad Apostolicę Sedis audientiam. Qui secundam & tertiam vocationem dissimulans, ad vltimum familiarium consilijs astrictus, timentium ne regno iustè deponeretur, iuit Romam, vbi super his, vnde iustè pulsabatur, sese Pastoris permisit arbitrio.

Cap. 30. Rex Henricus prosperis elatus successibus Gregorium Papam velut Regni traditorem, & Ecclesiasticę pacis perturbatorem damnari fecit, occupansqúe matrem Imperij Romam, multisqúe ciuium ibidem interfectis, fugauit inde Gregorium, potitusqúe ad votum vrbe & senatu, Guibertum Rauennę Sedis Episcopum ordinari fecit in Papam. Et ij quidem, qui videbantur perfectiores, & columnæ in domo Dei, adhęserunt Gregorio: cæteri, quos aut timor, aut fauor Cęsareus agebat, secuti sunt VVibertum, qui & Clemens, durauitqúe hoc schisma 25. annis. Defuncto enim Gregorio successit Desiderius, post quem Vrbanus, deinde Paschalis, qui omnes Imperatorem cum Papa suo excommunicationis sententia damnauerunt, continentes se apud Reges Franciæ, Siciliæ, & Hispaniæ, qui Catholicam partem tueri videbantur.

Guilhelmus Tyrius. 1180.

Libro 1. belli sacri cap. 13. Henricus Theutonicus Rex & idem Romanorum Imperator, à D. Gregorio Papa septimo passus fuerat quęstionem & controuersiam non modicam, super annulo Episcoporum defunctorum & baculo. Inoleuerat enim consuetudo (præsertim in Imperio) quòd defungentibus Ecclesiarum Prælatis, annulus & virga pastoralis ad Dominum Imperatorem dirigebantur: vnde postmodum vnumquemlibet de familiaribus & Capellanis suis inuestiens, ad Ecclesiam vacantem dirigebat, vt ibi Pastoris fungeretur officio, non expectata cleri electione. Quod Dominus Papa contra omnem fieri honestatem considerans, & iura in eo facto conculcari Ecclesiastica perpendens, semel, secundò, ac tertiò eundem Imperatorem commonuit, vt à tam detestabili desisteret præsumptione. Quem præceptis salutaribus commonitum, cùm reuocare non posset, vinculo anathematis innodauit. Quod factum nimis indignè ferens Imperator, cœpit Ecclesiam Romanam persequi, & Domino Papæ Guibertum Rauennatensem Archiepiscopum, virum literatum & locupletem nimis suscitauit aduersarium. Qui de viribus Imperatoris præsumens, & de multitudine diuitiarum confisus, excluso violenter prædicto venerabili viro, Sedem inuasit Apostolicam: ita delirus & ab intellectus synceritate deficiens, vt id se esse crederet, quod falsò dicebatur.

Dodechinus. 1200.

In Appendice Chronicorū Mariani Scoti de anno 1085. Gregorius Papa, qui & Hildebrandus, obijt. Huic successit Desiderius, quem Victorem nominārūt: Victori successit Vrbanus. Ipse venerabilis Papæ

Gregorij scripta & dicta contra Schismaticos habita confirmauit, Henricum & VVigbertum Romanæ Ecclesiæ inuasorem, cum omnibus fautoribus suis, ab Ecclesia Dei excommunicauit.

Conradus Abbas Vrspergensis. 1220.

In Chronicis, postquam ostendisset quid nouendecim ab Henrico Imperatore contra Papam Gregorium in vnum conuocati facti tassent, itemq; quòd Antipapam VVigbertum constituissent, subiungit: Scripsit post hæc Anselmus Lucensis Episcopus epistolam ad eundem VVigbertum, in qua illum præuaricatorem ac superbum cognominat, inter alia subinferens: Vt ergo de B. Gregorio nostro patre dicam, &c. *vt supra in hoc Anselmo.* Hęc priori Episcoporum sententiæ valde contraria scripsit Anselmus Lucensis Episcopus, vir literis apprimè eruditus, ingenio acutissimus, facundia præcipuus, &, quod omnibus maius est, in Dei timore & sancta conuersatione nominatissimus, adeò vt tam in vita, quàm post mortem referatur miraculis clarus.

De anno 1068. Henricus Rex adolescentiæ vsus libertate Saxoniam solam ex omni Romano imperio cœpit incolere, Principes despicere, nobiles opprimere, inferiores sustollere, venatui, lusibus, cæterisqúe huiusmodi exercitijs, plusquam iustitijs faciendis (vt incusatus est) operam dare, filias illustrium quibuslibet obscurè natis coniugare, priuata præsidia (nimirum potentibus regni non satis fidens) instituere. His discordiæ seminarijs contigit regi quàm plurimas insidiatores tam vitæ, quàm regni sui crescere.

De anno 1106. Fœtet, & respuitur, & condemnatur, & anathematizatur hæresis VVigbertina vel Henriciana: abdicatis siue fugatis hæresibus, Catholici cathedris Pontificalibus destinantur, è quibus etiam aliqui inter ipsa festa conscrantur. Denique in tantum diuinæ legis subitò zelus efferbuit, vt etiam cadauera Pseudoepiscoporum ab Ecclesijs eliminarentur: quotquot autem erãt ab ipsis ordinati, vsque ad generalem audientiam, ab officijs suspenderentur. Iam enim exaltatis sibi diuinitus Ecclesia Romana cornibus, ad incutiendum timorem cunctis vsquequaque schismatum membris, etiam capitis ipsius ossa, VVigberti scilicet dicti Papæ, de sepulchro suo, quod per quinque iam annos in Ecclesia Rauennensi possederat, proijci fecerat, vniuersaqúe eius instituta, vt verè non Apostolici sacerdotis, sed Apostatici inuasoris, annullari decreuerat.

Rodericus Toletanus. 1240.

Rerum Hispanicarum lib. 6. cap. 26. Gregorius septimus ad petitionem regis Aldefonsi misit quendam Richardum Abbatem S. Victoris Marsilienſis, vt Ecclesias Hispanię, tot persecutionibus perturbatas, Ecclesiastico moderamine ordinaret. Qui minus religiosè officium peragens, cœpit irregularius se habere. Quod attendens Toletanus electus, per maris & terræ pericula se Romani Pontificis conspectui præsentauit, & Gregorio septimo viam vniuersæ carnis ingresso, inuenit Vrbanum secundum illi in sede Apostolica substitutum: à quo gratanter & benignè susceptus, consecrationem, pallium, & priuilegia obtinuit, & Primas institutus Hispaniarum, Apostolicæ Sedis benedictione susceptа.

Albertus Stadensis. 1250.

In Chronicis de anno 1074. Alexander Papa decessit, cui Hildebrandus, qui & Gregorius septimus, successit. Huic Saxonum Principes missa relatione ad Apostolicam Sedem conquesti sunt, qualiter Rex Henricus diuinæ legis contemptor, Ecclesię Dei in statuendis Episcopis omnem Canonicę electionis libertatem adimeret, ponens per violentiam Episcopos, quos voluisset. Insuper quòd more Nicolaitarum de vore sua publicum fecisset prostibulum, subijciens eam per vim aliorum libidini, aliaq; multa auditu difficilia. Quamobrẽ Apostolicus zelo iustitię permotus, crebris nuntijs & epistolis Regẽ ad Synodalia responsa, & Sedis Apostolicæ audientiã vocauit.

Martinus Polonus. 1320.

In Henrico tertio: Huius tempore Hildebrandus Cardinalis, qui postea Gregorius septimus Papa factus est, & cùm Legatus esset in Gallia, & in Concilio contra multos Simoniacos processisset, & contra vnum Episcopum valde infamatum procedere voluisset, & ille testes, qui ipsum accusauerant, pretio corrupisset, dixit Legatus Concilio: Cesset humanum iudicium, & producatur in medium diuinitatis oraculũ. Si tu contra Spiritum sanctum non fecisti, dic: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto:* tunc ille intrepidus incipiens, cùm *Gloria Patri, & Filio* dixisset, nullatenus *& Spiritui sancto* dicere potuit, frequentius repetendo, & sic eiectus est ab Episcopatu.

In Gregorio septimo: Hic propter laudabilẽ vitam in Papam electus est ex Cardinalibus, & Salerni mortuus est, miraculis coruscando.

Blondus Forliuiensis. 1440.

In Etruria: Supra Pisciam torrentem est Soana oppidum, septimo Gregorio Pontifice Romano certè præstantissimo ornatum.

Antonius Bonfinius. 1450.

Rerum Vngaricarum Decad. 2. lib. 4. Henricus Imperator contra ęquum & fas Simoniæ vitio percitus, Ecclesiastica & diuina munera venundabat, nec Põtificia (*Gregorij septimi*) admonitione correptus, hac, pfana auaritię labe se abstinere poterat.

Antoninus Florentinus. 1450.

Titulo 16. cap. 5. §. 2. Moritur Alexander secũdus, creatus est Papa Gregorius septimus, sanctus vir: qui facto concilio Romæ secundo anno Pontificatus sui ad reformationem morum, excommunicauit quosdam nobiles de familia Henrici 4. quia eorum consilio Ecclesiæ vendebantur, & iura Ecclesiæ vsurpabantur.

Platina. 1460.

In Vita Gregorij VII. Salerni sanctè & piè moritur, vir certè Deo gratus, prudens, iustus, clemens, pauperum, pupillorum, viduarum patronus, atque vnicus Ecclesiæ Romanę fortissimus & acerrimus defensor contra hęreticorum improbitatem, & malorum Principum.

Marcus Antonius Sabellicus. 1490.

Ennead. 9. lib. 3. Post Alexandri obitum Hildebrandus Archidiaconus magno omnium bonorum consensu fit Pontifex, &c. Pontifex declaratus Gregorium se dixit, qui septimus à primo nũcuparetur: initaqúe Apostolica dignitate Henricum Cæsarem admonet, ne deinceps largitione corruptus, Ecclesias, sacerdotiaúe cuiquam tribueret: quibus nisi abstineat, dicit futurum, vt in eum Pontificię censuræ telo vteretur. Cęterùm tantum abfuit, vt Henricus Gregorio cesserit, vt matrem etiam meliora monentem domo exegerit, &c. Nullus Romanorum Pontificum tam vastis fortunæ fluctibus est vnquam iactatus, nullus tam constans fuit in aduersis, quod prouidentia factum videri possit, vt memorabili spectaculo fortuna & virtus in vno componerentur.

Ioannes Trithemius. 1490.

In Chronico Hirsaugiensi de anno 1073. Gregorius septimus vir multæ doctrinæ, magnæqúe pietatis, prudentię, iustitiæ, pietatis, constantię, & religionis: qui multa pro defensione libertatis Ecclesiasticæ & fecit bona, & sustinuit aduersa.

Raphael Volaterranus. 1500.

Libro 22. Anthropologiæ: Gregorius septimus Hildebrandus nomine Henrico III. imperante sedit annos 11. mensem 1. dies 3. Hic præter omnes, quòd vir pius, & Christianæ religionis acerrimus defensor fuerit, labores pertulit magnos.

Ioannes Nauclerus. 1500.

Generatione 37. Vir fuit Gregorius religiosus, timens Deum, iustitię & æquitatis amator, in aduersis constans, qui propter Deum in his, quæ ad iustitiam pertinebant, nil timuisset perficere.

Albertus Crantzius. 1510.

In Metropoli lib. 5. cap. 20. Interim Henrici quarti tempora per omnes Ecclesias fuêre turbulenta, propter superbam eius dominationem: qui non contentus rebus Imperij, Ecclesiarum etiam iura inuasit: Episcopos pro suo arbitrio instituens, destituensqúe, Summum Pontificem Gregorium septimum, virum sanctum, insectatus est, & contumaciter illi se obiecit, quòd non illius voluntate ad summum Pontificatum peruenisset.

Ioannes Cuentinus. 1530.

Libro 5. Annalium: Henricum stupris, amoribus, impudicitię, & adulterij flagrasse infamia; nec amici quidem negant.

ARTICVLVS DECIMVSSEPTIMVS.

ROMANVM PONTIFICEM ESSE ANTICHRISTVM.

ASSERVNT.

Anno post natũ Christũ.

1180. *ALDENSES Romanam Ecclesiam purpuratam meretricem appellârunt.* Nicolaus Eymericus parte 2. q. 14.

1200. *VVilhelmus Aurifex Albigensium Propheta dicebat Papam esse Antichristum, Romam Babylonem.* Cæsarius Heisterbacchius lib. 5. cap. 22.

1220. *Petrus Ioannis discipulus Abbatis Ioachim dixit in Apocalypsi Ioannis per Babylonem meretricem magnam Romanam Ecclesiam significari.* Guido de erroribus Abbatis Ioachim & Petri Ioannis.

1390. Ioannes VVicleuus articulo 30. in Constantiensi concilio sessione octaua damnato: *Excommunicatio Papæ, vel cuiuscunque Prælati non est timenda: quia est censura Antichristi.*

1400. Ioannes Hussus dixit: *Papa non conformis Christo & Apostolis, non Christi, sed potius Antichristi est Vicarius, & bestia illa, de qua in Apocalypsi.* Ioannes Cochlæus lib. 3. Historiæ Hussiticæ.

1500. *Pickardi de Romana Ecclesia non aliud sentiunt, quàm de manifesto Antichristo, ipsam nunc bestiam, nunc meretricem illam Apocalypticam appellantes.* Ioannes Schechta epistola ad Erasmum.

1530. Martinus Lutherus ad cap. 49. Genes. *Vulgata opinio est apud omnes auctores Ecclesiasticos, quòd ex tribu Dan venturus sit Antichristus, quem per colubrum intelligunt. Sed alienissima est ab hoc loco, & falsissima opinio: ac puto diabolum huius fabulæ fictorem fuisse, & finxisse hanc glossam, vt nostras cogitationes à vero & præsente Antichristo abduceret. Nam ex omnibus scholis Papistis nemo est qui sentiat Papam esse Antichristum.*

1550. Ioannes Caluinus ad caput 2. posterioris ad Thessalonicenses: *Quisquis è Scriptura eductus erit, quænam Deo maximè sint propria, & ex aduerso intuebitur, quid sibi Papa vsurpet, etiamsi puer sit decennis, non multum laborabit in noscendo Antichristo.*

Lib. 4. Instit. cap. 7. §. 24. *Fuerit Roma omnium Ecclesiarum mater: verùm ex quo Antichristi sedes esse cœpit, desiit esse id, quod erat.*

1550. *Henricus Bullingerus,* Præfatione in Apocalypsin, *dicit peruulgatam esse doctrinam, Papam esse Antichristum, atque id secum iam dudum plures docuisse.*

1550. *Rodolphus Gualterus,* in Homilijs de Antichristo, *Pontificem Romanum esse Antichristum asserens, irridet eos, qui ponunt certum quendam hominem fore Antichristum.*

1556. *Matthias Flaccius Illyricus,* libro aduersus Primatum Papæ, in Catalago testium veritatis, & in Centurijs Magdeburgensium, *passim asserit Papam esse ipsissimum Antichristum.*

1560. Tilmannus Heshusius libro de sexcentis erroribus Pontificiorum: *Dubitari,* inquit, *non debet, quin Romanus ille tyrannus pessimus sit Antichristus.*

NEGANT.

Hanc in summum Pontificem blasphemiam plurimi ex nostris sanè luculenter refutârunt, inter quos Sanderus, libro vltimo de visibili Monarchia Ecclesiæ; & Bellarminus Tom. 1. Controuer. cõt. general. 3. lib. 3. hanc quæstionem

in nouem capita distinguens, probat: I. Antichristi nomen (quod significat hostem & æmulum Christi) Romano Pontifici, qui se Christi famulum, & Christo subiectum in omnibus fatetur, non conuenire. II. Antichristum certum quendam hominem futurum: summos Pontifices plurimos fuisse. III. Antichristum nondum venisse. IV. Antichristi nomen proprium adhuc ignorari, qui si esset summus Pontifex de nomine eius certò constaret. V. Antichristum Iudæum ex tribu Dan nasciturum: nullum Pontificem (ab anno sexcentesimo sexto, quo aduersarij dicunt Antichristum venisse) nec gente, nec religione, nec vllo modo Iudæum fuisse; nec hactenus à Iudæis pro Messia susceptum, sed è contrario pro hoste & persecutore præcipuo haberi. VI. Antichristum sessurum in templo Salomonis Hierosolymæ: nullum verò Romanum Pontificem ab anno 600. vnquam Hierosolymis fuisse credibile esse. VII. Antichristi doctrinæ capita quatuor futura: (Primò negabit Iesum esse Christum: secundò se esse verum Christum, in Lege & Prophetis promissum asseret: tertiò, pro Deo coli volet: quartò se solum Deum, oppugnans alios Deos, esse dicet:) quæ nullus vnquam summorum Pontificum docuit. VIII. Antichristum miracula mendacia facturum, (scilicet quòd ignem de cælo descendere faciet, quòd dabit imagini bestiæ vim loquendi, quòd finget se mori & resurgere) quæ nullus vnquam Pontifex fecit. IX. Antichristum ex humillimo loco prodeuntem per fraudes & dolos regnum Iudæorum adepturum: pugnaturum cum tribus regibus, nimirum Aegypti, Lybiæ, atque Aethiopiæ, & eorum regna, illis deuictis, occupaturum: subacturum sibi alios septem reges, & eo modo Monarcham totius mundi euasurum: cum innumerabili exercitu Christianos toto orbe persequuturum. Quorũ omnium cùm nihil in Romanum Pontificem conueniat, sequi manifestè eum Antichristum nullo modo vocari posse. Hæc Bellarminus, ad quem lectorem remitto, acturus de Antichristo Tomi 2. huius operis libro decimo.

ARTICVLVS, DECIMVSOCTAVVS.

EPISCOPOS SINGVLOS SINGVLIS PROVINCIIS PRÆESSE, A PRESBYTERIS CERTIS OFFICIIS ET DIGNITATE DIFFERRE: PLVRIBVS EPISCOPIS VNVM PRÆFERRI ARCHIEPISCOPVM.

NEGANT.

Anno post natũ Christũ.

350. *AERIVS Presbyter, cùm in ambitu Episcopatus repulsam tulisset, ab Orthodoxis ad Arianos defecit, & Arianissimo propria dogmata adyciens, docuit Presbyterum ab Episcopo nulla ratione debere discerni.* Epiphanius, Augustinus, & Damascenus de Aërianis.

1000. *Tandem sacri Ordinis ministros, Episcopalem ac sacerdotalem dignitatem nihil esse dicebat.* Continuator Sigeberti.

1340. *Marsilius Patauinus asserebat nec Presbyterum ab Episcopo, nec Episcopum à Presbytero, nec Episcopum à Papa differre.* Bernardus Lutzenb. de illius hæresi.

1390. Ioannes VVicleuus Trialogo 4. *Dico, quòd tempore Apostolorum fuit idem Presbyter atque Episcopus.* Articulo 28. Constantiæ damnato: *Confirmatio iuuenum, clericorum ordinatio, reseruantur Papæ & Episcopis, propter cupiditatem lucri temporalis & honoris.*

1520. Martinus Lutherus in captiuitate Babylonica, capite de Ordinis Sacramento: *An Episcopum faciat ordinare Sacerdotes battologos? an Ecclesias & campanas baptizare? an pueros confirmare? Nonne hæc vel Diaconus, vel laicus quilibet faceret?*

Aduersus falsò nominatum Ordinem Episcoporum: *Non sunt Episcopi, sed planè idola, & mutæ statuæ, inertes puppæ, larvæ, trunci, vmbra, personæ comicæ, qui ne vocabulum quidem, quod Episcopus significat, norint, nedum quod munus, aut officium sit Episcopi. Vis vt vno verbo dicam quid sint? lupi, tyranni, proditores, homicidæ, monstra orbis, terræ pondera.*

1525. Philippus Melanchthon in secunda editione Locorum communium fol. 91. *Episcopi seu Presbyteri dicebantur olim, qui docebant, lauabant, benedicebant mensæ: Diaconi, qui eleemosynas partiebantur inter inopes. Neque sic discreta horum functiones erant, vt Diacono peculiare esset baptizare, aut benedicere mensæ: imò hæc omnibus Christianis licent: nam omnium sunt claues.* Matth. 18.

1550. Ioannes Caluinus lib. 4. Instit. cap. 4. §. 2. *Quibus docendi munus iniunctum erat, eos omnes nominabant Presbyteros: illi ex suo numero in singulis ciuitatibus vnum eligebant, cui specialiter dabant titulum Episcopi: ne ex æqualitate, vt fieri solet, dissidia nascerentur: neque tamen sic honore & dignitate superior erat Episcopus, vt dominium in collegas haberet: sed quas partes habet consul in senatu, vt referat de negotijs consulendo, monendo, hortando, alijs præsit auctoritate sua, totam actionem regat, & quod decretum communi consilio fuerit exequatur: id muneris sustinebat Episcopus in Presbyterorum cœtu: atque id ipsum pro temporum necessitate fuisse humano consensu inductum fatentur ipsi veteres.*

ASSE-

ASSERVNT SACRÆ LITERÆ.

Actor. 8. Vers. 14. Cùm audissent Apostoli, qui erant Ierosolymis, quòd recepisset Samaria verbum Dei: miserunt ad eos Petrum & Ioannem. Qui cùm venissent, orauerunt pro ipsis, vt acciperent Spiritum sanctum. Nondum enim in quenquam illorum venerat, sed baptizati tantùm erant, *(scilicet à Philippo Diacono, non Apostolo)* in nomine Domini Iesu. Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum.

Ad Titum 1. 5. Huius rei gratia reliqui te Cretæ, vt ea quæ desunt corrigas, & constituas per ciuitates presbyteros, sicut & ego disposui tibi. Oportet Episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem, &c.

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Clemens Romanus. 80.

Canone 1. Apost. Episcopus à duobus vel tribus ordinetur Episcopis.

Can. 2. Presbyter ab vno Episcopo ordinetur, & Diaconus, & reliqui clerici.

Can. 36. Episcopus non audeat extra fines suos ordinationes facere in vrbibus & pagis ei non subiectis: si autem hoc fecisse conuictus fuerit, præter eorum sententiam, qui tenent pagos illos, vel ciuitatem, deponatur & ipse, & ij, quos ordinauit.

Constitut. Apost. lib. 2. cap. 26. Qui Episcopus est, hic est minister verbi, scientiæ custos, mediator Dei & vestrum in ijs, quæ ad Deum colendum pertinent: hic est magister pietatis & religionis: hic est secundùm Deum pater vester, qui vos per aquam & Spiritum sanctum in adoptionem regenerauit: hic princeps & dux vester: hic vester rex & præfectus: hic post Deum terrenus Deus, qui honore vestro frui debet. Episcopus igitur vobis præsideat, vt dignitate Dei cohonestatus, qua clerum sub potestate sua tenet, & toti populo præest.

Lib. 3. cap. 20. Iubemus, vt à tribus Episcopis Episcopus ordinetur, & vt minimum à duobus, ita vt ab vno constitui nõ possit. Testimonium enim duorum & trium firmius est ac certum. Item iubemus, vt Presbyter, Diaconus, & reliqui clerici ab vno Episcopo ordinentur: & vt neque Presbyter, neque Diaconus reliquos clericos ex laicis ordinent.

Libro 3. Recognit. Hæc cùm dixisset Petrus, manibus superpositis Zacheo orauit, vt inculpabiliter Episcopatus sui seruaret officium, & posthæc duodecim Presbyteros ordinauit, & Diaconos quatuor.

Dionysius Areopagita. 100.

Ecclesiastica Hierar. cap. 5. Pontificalis Ordinis virtus in sacris omnibus distinctionibus capitur, & per omnes sacros Ordines operatur propriæ hierarchiæ mysteria. Præcipuè verò illi, præter ordines cæteros, in sui ministerium diuina lex officia sacratiora distribuit. Istæ quidem sunt perficientes diuinæ virtutis imagines, quibus & sacratissima signa omnia, & sanctæ omnes distinctiones consummantur. Etsi enim à sacerdotibus quædam perficiuntur venerabilia signa, nunquam tamẽ diuinam regenerationem sine sacratissimo consummabit vnguento: neque sacrosanctæ communionis sacramenta perficiet, nisi signis tanti mysterij altaribus venerandis impositis. Ne ipse quidem sacerdos erit, nisi Pontificalibus officijs ad hoc fuerit promotus. Quocirca diuina lex Pontificalium ordinationum sanctimoniam, & diuini confectionem vnguenti, sacramqúe altaris cõsecrationem, reuerendissimorum Pontificum officijs atque virtutibus æterna sorte distribuit. Est igitur Pontificalis ordo, qui consummanti virtute suffultus, perficientia quæque hierarchiæ præcipuo ac proprio peragit munere, Sacramentorumqúe disciplinas exponendo tradit, edocetqúe pro ratione constantes, & sacros ipsorum Ordines, atque virtutes. Sacerdotum verò illuminans ordo, ad contuenda sacra mysteria eos, qui initiantur, adducit: sub sanctorum tamen Pontificum ordine, cum quibus propria officia peragit in ijs, quæ ipse operatur diuina mysteria per sacratissima signa subindicans, & eos, qui accedũt, speculatiuus efficiens, mysteriorumqúe participes. Cæterùm ad Pontifices eos mittit, qui inspectorum Sacramentorum scientiam atque intelligentiam cupiunt, &c. Ostensum est igitur Antistitum ordinem perficientem esse, & perfectionis auctorem: sacerdotum verò illuminantem, atque ad lucem promouentem: porrò ministrorum purgantem atque discernentem: videlicet Pontificalis ordo non perficere solùm, verùm & illuminare & purgare nouit: sacerdotum verò virtus in se cum illuminante habet purgantem quoque scientiam.

Ignatius. 100.

Epistola ad Smyrnenses: Sine Episcopo nemo quicquam faciat eorum, quæ ad Ecclesiam spectant: rata Eucharistia habeatur illa, quæ sub Episcopo fuerit, vel cui ipse concesserit. Vbi comparuerit Episcopus, ibi multitudo sit: quemadmodum vbi Christus est, ibi omnis astat exercitus cælestis. Non licet sine Episcopo baptizare, neque offerre, neque sacrificium immolare, neque Dochen celebrare: sed quodcunque illi visum fuerit, secundùm beneplacitum Dei, vt tutum & ratum sit quodcunque feceritis, &c. Honora Deum, vt omnium auctorem: Episcopum verò, vt principem sacerdotum, imaginem Dei referentem. Episcopo nihil maius est in Ecclesia; qui Deo consecratus est pro totius mundi salute. Qui honorat Episcopum, à Deo honorabitur: sicut qui ignominia afficit illum, à Deo punietur. Si enim is iure censebitur pœna dignus, qui aduersus regem insurgit, vt qui violet bonas legum constitutiones, quanto putatis grauiori subiacebit supplicio, qui sine Episcopo quid volet agere, concordiam rumpens, & decentem rerum ordinem confundens?

Ad Heronem Diaconum: Nihil sine Episcopis facito: sacerdotes enim sunt. Tu verò sacerdotum minister. Baptizant, sacrificant, eligunt, manus imponunt. Tu verò illis ministras, vt sanctus ille Stephanus Iacobo, & Presbyteris, qui erant Hierosolymis.

Epist. ad Trallianos: Reuereminì Episcopum sicut Christũ, quẽadmodũ nobis præceperũt Apostoli.

Qui

Qui intra altare est, mundus est: quare & obtẽperat Episcopo, & sacerdotibus. Qui verò foris est, hic is est, qui sine Episcopo, Sacerdote, & Diacono quippiam agit: & eiusmodi inquinatam habet conscientiam, & infideli deterior est. Quid enim aliud est Episcopus, quã is, qui omni principatu, & potestate superior est, &, quoad homini licet, pro viribus imitator Christi Dei factus?

Clemens Alexandrinus. 200.

Libro 6. Stromaton: Nam hic quoque in Ecclesia progressiones Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum sunt, imitationes, vt arbitror, gloriæ Angelicæ, &c.

Hippolytus. 220.

Oratione de Antichristo: Venite Pontifices, qui purè mihi sacrificium die noctequé obtulistis, & pretiosum corpus & sanguinẽ meum immolastis quotidie.

Origenes. 230.

Homilia 6. in Esaiam: De eo, quod scriptum est: *Quem mittam, & quis ibit*, &c. Qui vocatur ad Episcopatum, non ad principatum vocatur, sed ad ministerium Ecclesiæ totius.

Homil. 7. in Hieremiam: Plus à me (*presbytero*) exigitur, quàm à Diacono: plus à Diacono, quàm à laico: qui verò totius Ecclesiæ arcem obtinet (*scilicet Episcopus*) pro omni Ecclesia reddet rationem.

Concilium Ancyranum. 316.

Can. 13. Chorepiscopis non licet Presbyteros, vel Diaconos ordinare; sed nec Presbyteris ciuitatis nisi cum literis ab Episcopo permissum fuerit in aliena parochia aliquid agere.

Eusebius Cæsareensis. 320.

Eccles. hist. lib. 6. cap. 35. Istum igitur lepidum Euangelij patronum Nouatum omninò præterijt, scilicet vnum solum Episcopum oportere esse in hac Ecclesia Catholica (*scilicet Romana*) in qua tamen non ignorabat, Presbyteros esse quadraginta sex, Diaconos septem, &c.

Concilium Nicænum Primum. 325.

Canone 4. Oportet Episcopum maximè quidem ab omnibus, si fieri potest, qui sunt in prouincia, constitui: si autẽ hoc fit difficile, vel propter vrgẽtem necessitatem, vel vię lõgitudinem, tres omnino eúndem in locum congregatos, absentibus quoque suffragium ferentibus, scriptisqúe assentientibus, tunc electionem fieri, eorum autem quę fiunt, confirmationem in vnaquaque prouincia à Metropolitano fieri.

Athanasius. 340.

Epistola ad vbique Orthodoxos, cùm per Arianos persecutio fieret: Sed vt demus querelam aliquam aduersum me susceptam esse, meumqúe nomen inter reos receptum esse, non tamẽ oportuit in mei locum Arianum surrogari: sed secundùm Ecclesiasticos Canones, prout Apostolus præcepit, congregatis populis, vnà cum Spiritu sancto, qui Episcopum constituant, publicè & in præsentia clericorum, Episcopum postulãtium, inquisitionem fieri, atque ita omnia Canonicè peragi: non autem ad præsentiam, postulationemqúe Arianorũ, qui ab Ecclesia alieni sunt, quiqúe Episcopale nomen non vereantur emere, successorem mihi dari, nundinatoremqúe Episcopalis tituli, præter consensum eorum, qui Episcopum postulare debebant.

Concilium Antiochenum. 347.

Can. 9. Episcopos, qui sunt in vnaquaque prouincia, scire oportet, Episcopum, qui præest Metropoli, etiam curam suscipere totius prouinciæ, eò quòd in Metropolim vndequaque, concurrũt omnes, qui habent negotia. Vnde visum est eum quoque honore præcedere; reliquos autem Episcopos nihil magni momenti aggredi sine ipso, vt vult, qui ab initio obtinuit, Patrum Canon: vel sola, quæ ad vniuscuiusque parochiam conferunt, & regiones, quæ ei subsunt. Vnumquemque enim Episcopum habere suæ parochię potestatem, & administrare pro vnicuique conueniente religione, & totius regionis curã gerere, quæ suę vrbi subest. Vt etiam ordinent Presbyteros, & Diaconos, & vnaquæque cum iudicio tractent, & nihil vltra facere aggrediantur sine Metropolis Episcopo.

Concilium Sardicense. 350.

Can. 6. Oportet ex vicina quoque prouincia accersiri Episcopos ad Metropolitani Episcopi constitutionem: non licere autem simpliciter Episcopum constituere in aliquo pago vel parua vrbe, cui vel vnus Presbyter sufficit. Non necesse est enim illic Episcopum constitui, ne Episcopi nomen & auctoritas vilipendatur.

Basilius Magnus. 370.

Epistola 30. Nam corporis quidem lychnus est oculus, quemadmodum audiuimus, non is tantum, qui corporaliter videt, & videtur, sed & qui spiritualiter considerat, & consideratur: Ecclesię verò lychnus est Episcopus.

Amphilochius. 370.

In vita Basilij Magni: Conuenientes ergo Episcopi, sancto Spiritu id agente, Basilium elegerunt Episcopum: qui accepta consecratione regebat Ecclesiam, diuina fretus prouidentia: elapso autem aliquanto tempore, rogauit sibi diuinitus dari gratiam, sapientiam, & intellectum, vt proprijs sermonibus posset illi incruentum offerre sacrificium, & adueniret in ipsum Spiritus sanctus.

Gregorius Nazianzenus. 380.

Oratione 20. quæ est in laudem Basilij Magni: Cùm prius sacros libros populo lectitasset, qui eos postea enarrauit, nec hunc sacerdotij gradum indignum se duxisset, ita demum in Presbyterorũ, ac deinde in Episcoporum cathedra Dominum laudat, non hanc potestatem furatus, nec ea per vim potitus, nec honorem persecutus, sed ab honore quęsitus: nec humano fauore, sed diuinitus ac Dei gratia sacerdotium consecutus, &c. Cùm Eusebius ex hac vita migrasset, Basilius ad excelsum Episcopatus thronum euehitur. Ad eum vngendum viros pietate claros, ac zelo flagrantes, Spiritus sanctus ab exteris regionibus excitauit.

Epiphanius. 380.

Hæresi 75. contra Aërianos: Episcoporum ordo Patrum generator est. Patres enim generat Ecclesiæ. Presbyterorum verò non potens generare Patres, per lauacri regenerationem generat filios Ecclesię: non tamen Patres aut Doctores. Decepit autem Aërium ipsius nugacitas & æmulatio. Profert autem ad errorem suum, quòd Apostolus scribit Presbyteris, & Diaconis, & non scribit Episcopis. Et ad Episcopum dicit; *Ne neglexeris donũ quod in te est, quod accepisti per manus presbyterij.* 1. Tim. 4. Et rursus in alio loco Episcopis & Diaconis scribit. Est ergo (inquit Aërius) idem Episcopus, qui & Presbyter: & non nouit ille, qui consequentiæ veritatis ignarus est, & historias profundissimas non legit, quòd cùm recens esset prædicatio, sanctus Apostolus pro re nata velut habebat scripsit. Vbi enim erant Episcopi constituti, scripsit Episcopis & Diaconis. Per hos enim duos Ecclesiastica compleri possunt. Vbi verò non est aliquis dignus inuentus Episcopatu, permansit locus sine Epi-

Episcopo. Vbi autẽ opus fuit, & erant digni Episcopatu, constituti sunt Episcopi. Cùm autẽ multitudo non esset, non sunt inuenti inter ipsos, qui presbyteri constituerentur, & fuerunt contenti solo Episcopo in loco constituto. Verùm sine Diacono impossibile est esse Episcopum, & idcirco curam adhibuit sanctus Apostolus, vt Diaconi adessent Episcopo propter ministerium: sic Ecclesia accepit complementa dispensationis. Nam singulæ res non ab initio omnia habuerunt, sed progressu temporis ea, quæ ad necessariorũ perfectionem requiruntur, parabantur.

Theodosius Imp. 390.

C. lib. 1. T. 3. l. 7. Nec honore, nec legibus Episcopus ad testimonium dicendum flagitetur. Nam & persona oneratur, & dignitas sacerdotis exempta confunditur.

Theophilus Alexandrinus. 390.

Canone 6. De ijs, qui ordinandi sunt, hæc erit forma, vt quicquid est sacerdotalis ordinis, consentiat, & eligat, & tunc Episcopus examinet: vel ei etiam assentiente sacerdotali ordine in media Ecclesia ordinet, præsente populo, & Episcopo alloquente, an etiam possit populus ferre ei testimonium.

Ioannes Chrysostomus. 400.

Libro 6. de Sacerdotio: Eorum hominum, qui Episcopo subditi sunt, bona pars vitę humanę curis vinctis distringuntur: id quod pigriores ignauioresqúe illos reddit ad spiritus opera peragenda. Vnde & Episcopũ necesse est in singulos, vt sic dicam, dies sermonem facere, vt ipsa saltem assuetudine doctrinæ sermonem auditorum animi retinere possint, &c. Difficultates eas omnes recensere velle, quas Episcopum tolerare oportet, prorsus nihil aliud fuerit, quàm maris altitudinem emetiri. Nam vt etiam ille ab omni animi perturbatione vacet, (id quod assequi certè nemo potest,) tamen emendandis corrigendisqꝫ aliorũ delictis, labores ærumnasqꝫ infinitas ferre necessariò cogitur. Quibus quidem si domesticos peculiaresqúe morbos addideris, hîc tu contemplare laborum pelagus, curarumqúe abyssum, & quę Episcopo toleranda erunt, volenti & domestica & aliena mala edomare.

Synesius. 410.

Epist. 66. Alexander Cyrensis dignus habitus est Ecclesiastica Diaconia, vt fieret Presbyter. Cùm autem ob necessitatem quandam ad castra venisset, sub manibus Ioannis Chrysostomi creatus est Episcopus Basini ciuitatis Bithyniæ.

Synodus Ephesina. 430.

Epistola ad sacram in Pamphilia Synodum: Theodorus Episcopatus nomen habeat, & honorem, & communionem: ita tamen, vt neque ipse ordinet, neqꝫ Ecclesias occupans propria auctoritate sacra obeat.

Isidorus Pelusiota. 440.

Lib. 1. epist. 149. Episcopus ex ipso nomine, quid ipsius muneris atque officij sit, perspectum habere debet. Eum enim inuisibilium & occultarum ferarum impetus, Ecclesię ignauias, monachorũ negligentias, iniquorũ hominum improbitates, viduarum calamitates, pupillorum egestates, altaris suspitiones, Diaconorum morbos, senũ mala consilia speculari oportet, atque ex omni parte oculum esse omnia perspicientem, nec quicquam negligentem. Quorum si quid per incuriã prętermittatur, non ipse solus plectitur, sed etiam cum eo vniuersa persæpe Ecclesia. Ipse quidem, quòd, cùm huiusmodi moribus esset, diuini sacerdotis munus obire minimè dubitauit, tantumqꝫ negotium aut sponte suscepit, aut furore atque amentia percitus emit: hæc autem, quòd eiusmodi viro sacerdotium indignè mandauit.

Lib. 2. epist. 125. Episcopatus quidem & nomẽ & res ipsa, cùm diuinum quiddam sit, atque omni alio munere & dignitate præstantius, paucis quibusdam cõuenit: hoc est ijs, qui paternam curam, non autem tyrannicam vitę licentiam hanc dignitatem esse existimãt. Quocirca ne tibi mirum videatur, quòd Hierax Presbyter, vir mente prędituς, hoc munus tamquam grauem quendam ac difficilem morbum defugerit.

Sozomenus. 440.

Libro 2. c. 32. Imperatores Christiani post mortem Constantinopoli sepeliuntur, atque Episcopi etiam: quippe cùm dignitas sacerdotalis Imperij dignitati par sit, imò verò in locis sacris primas partes obtineat.

Lib. 6. c. 7. Vbi decessit Constantinopoli Valentinianus, perqꝫ Thraciam Romam versus iter fecit, Episcopi Hellesponti & Bithyniæ mittunt ad eũ pro se legatum Hypatianum Heracleæ Episcopum, oratũ, vt sibi de doctrina fidei rnè constituenda in vnum conueniendi potestas permitteretur. Qui cùm venisset ad Valentinianum, & Episcoporum postulata ei exposuisset: respõdit ille, sibi, qui vnus è laicorum numero erat, non licere se eiusmodi negotijs interponere: Et ideò sacerdotes & Episcopi, inquit, quibus hæc curæ sunt, seorsim per se, vbicunque ipsis lubitum fuerit, in vnum conueniant.

Socrates. 440.

Lib. 7. c. 39. Dũ adhuc Maximiani Episcopi corpus insepultũ iaceret, ne cõtrouersia & tumultus in Ecclesia denuò cieretur, Theodosius Imp. per Episcopos, qui aderãt, Proclum in sede Episcopali collocandũ curauit. Huic etiã negotio suffragabantur epistolę Cęlestini Episcopi Romani, quas ad Cyrillũ Episcopũ Alexandrię, & ad Ioannem Episcopũ Antiochiæ, & Rufum Thessalonicę Episcopũ misit: quo eos doceret, nihil obstare, quò minus, qui vnius ciuitatis vel nominatus fuisset Episcopus, vel iam esset Episcopus, ad alteram ciuitatem transferretur. Proclus igitur in sede Episcopali locatus, corpus Maximiani effert ad sepulchrum, funusqúe celebrat.

Cap. 40. Proclus ab ineunte adolescentia lector fuit: qui cùm ad virilem peruenisset ætatem, Atticus eum ad gradum Diaconatus euexit. Ac cùm presbyterij honore dignus putaretur, à Sisinnio ad Episcopatum Cyzici designatus est.

Theodoretus. 450.

Eccles. hist. lib. 4. c. 5. Cùm Auxẽtius, Ecclesiæ Mediolanensis Episcopus, labe Ariana infectus, & in multis Conciliis abdicatus, è vita exiuisset, Imperator Valentinianus, accersitis ad se Episcopis, sic apud eos verba facit: Est vobis, vtpote sacris & diuinis literis institutis, exploratè cognitũ, qualis debeat esse is, qui sit ad Episcopatum gerendũ delectus: & quòd necesse sit gregẽ suum non doctrina solùm, verùm etiam prędara viuendi ratione moderari, & se cuiusqꝫ virtutis exẽplar ei præbere, suæqꝫ disciplinæ rectã vitæ, & morum institutionem testem habere. Quare hominẽ ita instructum in sede & gradu Episcopali iã collocate, vti & nos, à quibus hoc gubernatur imperium, ei verè & ex animo capita inclinemus, & illius reprehensionem (nam cùm simus homines, errore labi necesse est) velut medicinam animorum cupidè amplexemur.

Cap. 6. Hac oratione ab Imp. habita, Concilium Episcoporum cõtendit ab eo, vti ipse (*Imperator,*) vtpote sapiętię & pietatis insignibus prędarè exornatus, Episcopum deligat. At ille: Maior est, inquit, hæc prouincia, quàm quæ viribus nostris

ſuſtineri poſſit. Proinde vos, diuina repleti gratia, multo melius hoc Epiſcopi deligendi negotium tranſigetis, &c.

Lib. 5. c. 27. Conſtantinopoli mortuo Nectario, qui illam gubernârat Eccleſiam, Arcadius, cui illa Imperij pars obuenerat, cùm Ioannem, eximium orbis terrarum luminare Antiochiæ in cętum presbyterorum aſcitum intellexiſſet, accerſit ad ſe, & ab Epiſcopis in vnum conuocatis contendit, vt eum conſecrent Epiſcopum, & præclaræ illius vrbis Paſtorem conſtituant.

Leo & Anthemius Impp. 468.

L. Si quemquã, C. de Epiſcopis & clericis: Si quemquã vel in hac regia vrbe, vel in cęteris prouincijs, quę toto orbe diffuſæ ſunt, ad Epiſcopatus gradum prouehi Deo auctore contigerit, puris hominum mentibus, nuda electionis conſcientia, ſyncero omnium iudicio proferatur. Nemo gradum ſacerdotij pretij venalitate mercetur: quantum quiſque mereatur, non quantum dare ſufficiat æſtimetur, &c. Itaque caſtus & humilis noſtris temporibus eligatur Epiſcopus: vt, quocunque locorum peruenerit, omnia vitæ propriæ integritate purificet: nec pretio, ſed precibus ordinetur Antiſtes. Tantum ab ambitu debet eſſe ſepoſitus, vt quæratur cogendus, rogatus recedat, inuitatus effugiat: ſola illi ſuffragetur neceſſitas excuſandi.

Procopius Gazæus. 530.

In Numeros: Et tuebantur cuſtodias eius, (*Aaronis ſcilicet.*) Sacrorum eius cooperarij Apoſtolorum ordo eſt. Innuit autem ſanctæ Eccleſię Ordines, Epiſcoporum puta, & Presbyterorum, qui ſacra myſteria obeunt.

Ad cap. 1. Eſaiæ: Meminerint igitur Epiſcopi, ſe non tamquam Principes aut Imperatores, ſed vt conſiliarios (quales Prophetæ ipſi & Moſes extiterunt, quibus per omnia ſimiles eſſe debent) populo concedi.

Iuſtinianus Imper. 530.

In Authent. Quomodo oporteat Epiſcopos & reliquos clericos ad ordinationem adduci. *cap. 1.* Sancimus, ſacras per omnia ſequentes regulas, dum quiſpiam ſequenti omni tempore ad ordinationẽ Epiſcopatus adducitur, conſiderari prius in vitam, ſecundùm ſanctum Apoſtolum, ſi honeſta, & inculpabilis, & vndique irreprehenſibilis ſit, & in bonis teſtimonium habeat, & ſacerdotem decens. Et neque ex officiali, aut curiali veniat fortuna: niſi tamen ex nouella ætate in monaſterio conſtitutus fortuna liberetur: quartã tamẽ prius ſubſtantiæ reddens curię. Neque enim idiota, ex ijs, qui vocãtur laici, exiſtẽs, ita mox ad Epiſcopatum aſcendat, nec imaginariam ſuſcipiat ordinationem, tanquam modò quidem idiota, mox autem clericus, deinde paruum aliquod tempus præteriens mox Epiſcopus appareat. Et neque vxori alij copulatus: ſed aut in virginitate degens à principio, aut vxorem quidem habens, in virginitate autem ad eum venientem, & non viduam, neque ſeiunctam à viro, neque concubinam.

Cap. 2. His igitur, quæ ſacris Canonibus definita ſunt, inſiſtentes, preſentem ſancimus legem, per quam ſancimus, vt, quoties vſuenerit Epiſcopum ordinari, conueniant clerici & primores ciuitatis, cui ordinandus eſt Epiſcopus, & propoſitis ſanctis Euangelijs, ſuper tribus perſonis pſephiſmata fieri, & quemque ipſorum iurare ſe ſecundùm diuina eloquia, & ipſis pſephiſmatibus inſcribi, quòd neque per dationem, neque promiſſionem, vel amicitiam, vel gratiam, vel aliam qualemcunque affectionem: ſed quòd ſcientes ipſos rectæ & Catholicæ fidei, & honeſtæ vitę, & excedere trigeſimum ętatis annum ipſos elegerint, & quòd neque vxorem, neque liberos ſciunt aliquem ex ipſis habere.

Cyrillus Eremita. 540.

Vitæ Ioannis Silentiarij cap. 3. Cùm autem intraſſet trigeſimum octauum ætatis annum, Sebaſtiæ Metropolitanus, à bona eius fama commotus, & à ciuitatis, quæ dicitur Colonia, habitatoribus rogatus, cùm eum tamquam ad rem aliam accerſiuiſſet, vt qui Eccleſiaſticorum graduum iam omnem peruaſiſſet conſequentiam, ordinat Epiſcopum dictæ ciuitatis mortuo Epiſcopo. Cumque ſic Pontificatum ſuſcepiſſet inuitus, monaſticæ vitæ non mutauit regulam, ſed decertabat in Epiſcopatu tamquam in monaſterio.

Euagrius. 590.

Lib. 2. cap. 8. Timotheum Æ lurum, qui iam pridem monaſticum vitæ genus excoluiſſet, poſtea autem eſſet in numerum Presbyterorum Alexandrinorum aſcriptus, ad Epiſcopatus gradum capeſſendum ſuffragijs deligunt: ac ſimul atque in magnam Eccleſiam, quæ Cęſaris nomine nuncupatur, deduxerant, illum ſuum declarant Epiſcopum, dum Proterio adhuc ſuppeditabat vita, ſacerdotisqúe muneribus fungebatur.

Antiochus. 600.

Homilia 122. de dignitate & functione Pontificis: Pontificia dignitas, iuxta veterem traditionem, prærogatiua Ordinis ambit & complectitur ſacrarum rerum functionem omnem, cùm pręeminentia Ordinis, qua omnibus præpollet, habeat cęteros, qui ad Dei cultum intermedij ſunt, conſecrare, & primarias illas, quæ ab ipſo Deo cęlitus inſpirantur, viſiones interpretari.

Homilia 123. de ordinatione Cleri: Rationi prorſus conſentaneum eſt, vt ſacerdotes per omnia imitentur Pontificem, quemadmodum Chriſti imitator Pontifex eſt.

Maximus Monachus. 640.

Ad caput 5. Eccleſiaſticæ Hierarchiæ Dionyſij: Sanctificare & perficere vnguentum, item altare conſecrare, & ordinare non eſt Presbyterorum. Hæc enim ſolus Pontifex perficit, ſine quo Presbyter nec baptizat, nec offert, &c. Conſignans ipſum is, qui ordinat, Pontifex ex nomine dicit: Conſignetur ille ex Presbytero in Epiſcopum, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.

Concilium Trullenſe. 710.

Canone 20. Non liceat Epiſcopo in alia, quę ad ſe non pertinet, ciuitate publicè docere. Si quis autem hoc facere deprehenſus fuerit, ab Epiſcopatu deſiſtat, Presbyteri autem munere fungatur.

Synodus Nicæna Secunda. 790.

Can. 3. *Omnem electionem, quæ fit à magiſtratibus, Epiſcopi, vel Presbyteri, vel Diaconi irritam manere ex Canone dicente:* Si quis Epiſcopus ſecularibus magiſtratibus vſus, per eos Eccleſiam obtinuerit, deponatur & ſegregetur. Oportet enim eum, qui eſt promouẽdus ad Epiſcopatũ, ab Epiſcopis eligi.

Ignatius Monachus. 830.

In vita S. Tarasij: Tunc de cætero inſpiratione principalis, & diuini Spiritus, conſpirante etiam conſilio Imperat. limi mundani mutata dignitate, & tõſa coma ritu Clerici, honeſtoq; & venerãdo alio ſumpto amictu, diuinis & ſpiritalibus inuocationibus, ſicut Aaron & Phinees, ſuſcipit vnctionem honoris ſacerdotalis, & aſcendit ad altitudinem cathedrę paſtoralis, luci lucem adiungens, & virtutem augens virtutibus, & modum ſuperantibus profectibus datum, ſacratiſſimum talentum multiplicans.

Methodius Conſtantinopolitanus. 840.

In Fragmen-

In Fragmento quodam: Quemadmodũ ſibi imperium, vel principatum nemo vnquam accipiet, etiamſi bellicoſus & pugnaciſſimus eſſe videatur: & ſi velle deprehenſus fuerit, abducetur in cuſtodia, vt maximus Dionyſius literis mandauit: ita nec ſacerdotalia quis ſibi munera pmiſerit. Quãdoquidem magnus quoq; dicit Apoſtolus, quòd non quis honorem ſibi aſſumit, ſed *qui à Deo vocatur:* & ſubiungit: *ſicut & Aaron:* ita & *Chriſtus non ſemetipſum glorificauit, vt fieret Pontifex; ſed is, qui dixit ei: Tu es ſacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech.* Quòd autem Epiſcopi, & Hierarchæ, Apoſtolorumq; ſucceſſores Patriarchæ, eos iure ſegregauerint, ſecundùm diuinum Dionyſium, Canonum quoque inſcriptio manifeſtiſſimè declarauit. Ordines enim inferiores à ſuperioribus iure ſegregantur, ſeu excommunicantur.

Baſilius Imper. 860.

Oratione habitâ in octaua Synodo: Vobis laicis, tam qui in dignitatibus, quàm qui abſq; dignitatibus verſamini, nullo modo licet de Eccleſiaſticis cauſis ſermonẽ mouere, neq; penitus reſiſtere integritati Eccleſiæ, & vniuerſali Synodo aduerſari. Hoc enim inueſtigare & quęrere Pontificum & ſacerdotum eſt, qui regiminis officiũ ſortiti ſunt, qui ſanctificandi, qui ligandi & ſoluendi poteſtatem habent, qui Eccleſiaſticas & cæleſtes adepti ſunt claues.

Synodus Conſtantinop. ſub Photio. 870.

Can. 17. In omnibus boni Eccleſiaſtici Ordinis curã gerentes, hoc quoq; definire neceſſariũ duximus, vt nullus deinceps laicus, vel monachus repẽtè ad Epiſcopalẽ altitudinẽ euehatur, ſed in Eccleſiaſticis gradibus primũ examinatus, ſic Epiſcopalis dignitatis ordinationẽ ſuſciperet. Etſi enim huc vſq; quidã ex monachis & laicis exigẽte neceſſitate Epiſcopali honore ſtatim digni facti ſunt, qui & virtute excelléti fuêre, & ſuam Eccleſiam in altum extulêre: id tamen, quod rarò euenit, Eccleſię legem nequaquã ſtatuentes, decernimus, vt deinceps minimè fiat, niſi is, qui ritè ordinatus, per gradus ſacerdotales proceſſerit, in vnoquoque ordine præſtitutum adimplens.

Theophylactus. 900.

Ad cap. 19. Lucæ: Ordo in Eccleſia perfectã præſidentium diſpoſitionẽ habet, & neq; plures oportebat eſſe, neq; pauciores, vt exẽpli gratia: Tria videmus eſſe in Eccleſia, purgationẽ, illuminationẽ, & perfectionẽ. Operationes enim illas tres ſortiti ſunt Ordines: Diaconi purgãt, per inſtructionẽ & doctrinam; Presbyteri illuminant, per Baptiſmum; Epiſcopi ſacerdotales ordines conſtituunt & perficiunt, hoc eſt ordinant, &c.

Ad prioris ad Timoth. c. 4. *Cum impoſitione manuum presbyterij,* hoc eſt Epiſcoporũ. Non enim Presbyteri Epiſcopum ordinant. Vide aũt horrendũ, quantum poſſit impoſitio ſacerdotaliũ manuũ.

Simeon Metaphraſtes. 960.

In vita Ignatij: Ignatius ſacerdos eligitur communi ſententia omnium ſimul Apoſtolorum, & Antiochenus creatur Epiſcopus.

In encomio Chryſoſtomi: Licebat autem conijcere, quòd, cùm ſimul lætaretur chorus Sanctorum, ne Angeli quidem abeſſent ab hoc diuino feſto: qui erat in terra Angelus, ſacro Chriſmate cõſecratus, & in excelſo loco Eccleſiæ collocatus.

In vita S. Eleutherij: Anicetus, qui Romanę Eccleſiæ præerat, videns morum eius moderationem, & alias virtutes, primùm Diaconũ, deinde Presbyterum, poſtremò Epiſcopum ordinat Illyrici.

Oecumenius. 1060.

Ad cap. 4. prioris ad Timoth. *Ne neglexeris quod eſt in te donum:* hoc eſt, doctrinam, aut Epiſcopi munus. Nam gratiæ Dei erat, quòd iuuenis meruiſſet paſtor fieri. *Quod datum eſt tibi per Prophetiam.)* Iuſſu namque Spiritus facti ſunt Epiſcopi, & non paſſim. Eſt autẽ prophetiæ genus preſentia quoque dicere, vt cùm dicitur: *Segregate mihi Barnabam & Saulum. Cum impoſitione manuum auctoritate Presbyterij.*) Presbyteros dicit Epiſcopos. Neque enim Presbyteri Epiſcopum ordinabant. Actor. 13.

Ioannes Zonaras. 1100.

Ad Canonem 1. Apoſt. Nunc quidem Chirotonia vocatur abſolutio precum, ſanctiq; Spiritus inuocatio, dum ſacerdotio quis initiatur, & conſecrationem ſortitur: ex eo dicta, quòd Pontifex extendat manus, benedicens homini ad ſacra deligendo, &c. Hic autem Canon à duobus Epiſcopis Epiſcopũ iubet initiari. Sed quartus primæ Synodi Canon Epiſcopum creari definit ab omnibus Epiſcopis prouinciæ, vel tribus, interea dum reliqui ſubſcriptioni conſentiant.

Theodorus Balſamon. 1180.

Ad Canonem 18. Synodi Nicænæ: Quòd magna ſit ſacerdotum dignitas, ſed multò maior Epiſcoporum, & quòd debent Diaconis præponi, ex ipſis factis oſtenditur. Illis ſeruitur, hi verò ſeruiunt. Quidni ergo præferri debent ij, quibus miniſtratur, ijs qui miniſtrant?

Simeon Theſſalonicenſis. 1200.

De myſterijs Eccleſiæ libro 4. Sine Epiſcopo nec altare, nec ordinatio, nec Chriſma, denique nec Chriſtianus conſiſtit. Per eum enim vera eſt Chriſtianitas, & omnia Chriſti myſteria per ipſum. Meritò itaque vnguntur, qui ordinantur, viſibiliter: quia nihil materiale operantur, ſed omnia ſpiritualia: & quia vero Chriſmati appropinquârunt, quod eſt Chriſtus Ieſus, cuius nomen vnguentum effuſum eſt. Ex illis igitur diuinis manibus & ore accepta benedictione, & aſpiratione, & ordinatione, & gratia, per ea, quæ ab ipſo ſanctificata ſunt, ſecundùm ſucceſſionem, gratiam, qui conſecrati ſumus, accipimus, atque fons gratię noſtræ Chriſtus eſt, qui operatur omnia in omnibus.

Nicolaus Cabaſilas. 1280.

De Liturgia cap. 29. Sacerdotis & Pontificis ordinatio ſimili modo per orationem peragitur. Oremus enim, inquit, pro ipſo, vt veniat in ipſũ gratia ſanctiſſimi Spiritus: poſt impoſitionem manus, is, qui ordinat, ad clerum clamat, & in ea, quæ fit in Latinorum Eccleſia, Pontificis ordinatione, poſtquam infudit vnguentum in caput eius, qui ordinatur, qui ordinat optat locupletem Spiritus ſancti gratiam in eum deſcendere.

Nicephorus Calliſtus. 1300.

Libro 9. cap. 43. Si illorum fides reproba eſt, nec electio ſiue ordinatio eorum prorſus non poteſt in dubium vocari. Namque, ſi ante iſtos illi Spiritum ſanctum non habuêre, qui per impoſitionem manuum maximè venit, neque iſti omninò inter Epiſcopos & ſacerdotes cenſendi. Quomodo enim dignitatem talem ab eis accipere potuerunt, qui illam nunquam habuerint?

Libro 11. cap. 46. Quam ob cauſam Romani duces, Lucio Epiſcopo reiecto, Moſen monachum ad Epiſcopos, qui in exilio agebant, duxêre, à quibus ille Epiſcopali vnctione accepta, ad Saracenos tranſijt, & pacificatione rebus inter eos & Romanos compoſitis, piè ſanctęque Epiſcopatum adminiſtrauit.

Zaga Zabo Æthiops. 1530.

In confessione fidei Aethiopicæ: Præcipuum Patriarchæ officium est, sacros Ordines dare, quos nemo, ipso excepto, aut dare, aut auferre potest.

Manuelus Malaxus Constantinopolitanus. 1580.

Historiæ Ecclesiasticæ cap.17. Patriarcha verò pro Patriarchica eminentia, vt Pater patrum sit, & vt pastor pastorum, Metropolitarum, Archiepiscoporum, Episcoporum, & omnium sacratorum, & laicorum per totum orbem. Hic ergo ordinat Metropolitas, & Metropolita Metropolitam ordinat Patriarchę permissu, pro potestate & auctoritate, quam à Patriarcha accepit. Et Episcopus Episcopum ordinat Metropolita permittente. Tum itaque thronum Monembasiæ Arsenius, eo, quo diximus, modo adeptus, contra Canones, sacris operando, cum sacro consessu pro Metropolita se gerebat, Ordinationes faciebat, Lectores, Hypodiaconos, Diaconos, Sacerdotes, & omnia Pontificia munera exequebatur. Hęc cùm resciuisset magna & Catholica Ecclesiarum mater, missum est ad eum venerabile Patriarchicum scriptum, quo interdicebatur ei Pontificali administratione; vt qui violatis legibus ordinatus esset, & spiritale faceret adulterium, cùm ipse nec ordinationem, nec sancti Spiritus gratiam accepisset: Episcopum habere gratiam sancti Spiritus, eamque dare quando faciat sacerdotes ex Episcopali auctoritate: talem designationem esse sanctam & ratam beneficio & gratia sancti viuificique Spiritus.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Martialis. 90.

Epist. ad Tholosanos c.8. Stephano Episcopo obedire debetis in omnibus: quia princeps à Deo vobis in omnibus constitutus est, à quo omnis potestas & paternitas in cęlis & in terra originem sumpsit.

Anacletus. 96.

Epist.2. Hierosolymis primus Episcopus Iacobus, qui Iustus dicebatur, & secundùm carnem Domini nuncupatus est frater, à Petro, Iacobo, & Ioanne est ordinatus: sueceſſoribus videlicet dantibus formam eorum, vt non minus quàm à tribus Episcopis, reliquisque omnibus assensum præbentibus, vllatenus Episcopus ordinetur, & communi voto ordinatio celebretur.

Epistola 3. Episcoporum ordo vnus est, licet sint Primates illi, qui primas ciuitatis tenent, qui & in quibusdam locis Patriarchę à nonnullis vocantur. Illi autem, qui in Metropoli à beato Petro Apostolo, ordinante Domino, & à prædecessore nostro S. Clemente, seu à nobis constituti sunt, nõ omnes Primates vel Patriarchæ esse possunt, sed illæ vrbes, quæ præfatis & priscis temporibus primatum tenuêre.

Euaristus. 97.

Epist.2. Sacerdotes vice Christi legatione funguntur in Ecclesia. Et sicut ei sua coniuncta est sponsa, id est, Ecclesia: sic Episcopi iunguntur Ecclesiæ vnicuique proportione sua, &c. Et Ecclesia Episcopo in omnibus obedire debet. Vnde si qui sunt vituperatores, aut accusatores Episcoporum, vel reliquorum sacerdotum, non oportet eos à iudicibus Ecclesię audiri, antequam eorum æstimationis suspicio discutiatur, qua occasione ista prę sumpserint, necne.

Tertullianus. 200.

De Præscriptionibus aduersus hæreticos cap.2. Quid ergo, si Episcopus, si Diaconus, si vidua, si virgo, si Doctor, si etiam Martyr lapsus à regula fuerit, ideò hæreses veritatem videbuntur obtinere?

Cap.41. Nusquam facilius proficitur, quàm in castris rebellium, vbi ipsum esse, illic promereri est. Itaque alius hodie Episcopus, cras alius; hodie Diaconus, qui cras lector; hodie Presbyter, qui cras laicus.

De Baptisc.17. Dandi quidē Baptismi ius habet summus Sacerdos, qui est Episcopus. Dehinc Presbyteri, & Diaconi, non tamen sine Episcopi auctoritate, propter Ecclesiæ honorem. Quo saluo, salua pax est. Alioquin etiam laicis ius est. Quod enim ex æquo accipitur, ex æquo dari potest, nisi Episcopi iam, aut Presbyteri, aut Diaconi vocantur, dicentes, Domini sermo non debet abscondi ab vllo. Proinde & Baptismus equè Dei census ab omnibus exerceri potest: sed quanto magis laicis disciplina verecundiæ, & modestiæ incumbit, cùm ea maioribus competat, ne sibi assumãt dicatum Episcopi officium Episcopatus.

Aduersus Psychicos cap.13. Bene autem quòd & Episcopi vniuersæ plebi mandare ieiunia assolent, non dico de industria stipium conferendarum, vt vestræ capturæ est, sed interdum ex aliqua solicitudinis Ecclesiasticæ causa.

Vrbanus Primus. 224.

Epist.1.cap.4. Quòd sedes in Episcoporũ Ecclesijs excelsè constitutæ, & præparatę inueniuntur vt thronus, speculationem & potestatem iudicandi, & soluendi, atque ligandi à Domino sibi datam materiam docent. Vnde ipse Saluator in Euangelio ait: *Quæcunque ligaueritis super terram, erunt ligata & in cælo; & quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cælo.* Et alibi: *Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt.* Ideo ista prætulimus, fratres charissimi, vt intelligatis potestatem Episcoporum vestrorum, in ijsque Deum veneremini, & eos vt animas vestras diligatis: & quibus illi non communicant, non communicetis; & quos eiecerint, non recipiatis. Valde enim timenda est sententia Episcopi, licet iniustè liget aliquem, quod tamen summoperè præuidere debet. Matth.18 Ioan.20.

Anterus. 236.

Epistola de mutatione Episcoporum: De mutatione ergo Episcoporum, vnde sanctam sedem Apostolicã consulere voluistis, scitote, eã cõmuni vtilitate atq; necessitate fieri licere; sed non libitu cuiusquam aut dominatione. Petrus, sanctus magister noster, & princeps Apostolorum, de Antiochia vtilitatis causa translatus est Romam, vt ibidem potius proficere posset. Eusebius quoque de quadam parua ciuitate Apostolica auctoritate mutatus est Alexandriam. Similiter Felix de ciuitate, qua ordinatus erat electione ciuium, propter doctrinam & bonam vitam, quam habebat, cõmuni Episcoporum, & reliquorum sacerdotum, ac populorum consilio, translatus est Ephesum. Sicut Episcopi habent potestatem ordinare regulariter Episcopos & reliquos sacerdotes: sic quoties vtilitas aut necessitas coëgerit, supradicto modo & mutare, & inthronizare potestatem habent.

Lucius Primus. 254.

Epistola ad Galliæ Episcopos: Quoniam in hac sancta

sancta Sede constitutum habemus, vt duo Presbyteri, vel tres Diaconi in omni loco Episcopum non deserant, propter testimonium Ecclesiasticum. Episcopi ergo non sunt leuiter accusandi, vel detrahendi: quia iniuria eorum ad Christum pertinet, cuius vice & legatione funguntur in Ecclesia.

Cyprianus. 254.

Libro 5. epist.6. *Epistola 27.* Dominus noster, cuius præcepta metuere & obseruare debemus, Episcopi honorem, & Ecclesiæ suę rationem disponens, in Euangelio loquitur, & dicit Petro: *Ego tibi dico, quia tu es Petrus, & super istam petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferorum non vincent eam: & tibi dabo claues regni cælorum,* &c. Inde per temporum & successionum vices Episcoporum ordinatio, & Ecclesiæ ratio decurrit, vt Ecclesia super Episcopos constituatur, & omnis actus Ecclesię per eosdem præpositos gubernetur. Cùm hoc itaque diuina lege fundatum sit, miror quosdam audaci temeritate sic mihi scribere voluisse, quando Ecclesia in Episcopo, & clero, & in omnibus stantibus sit constituta.

Libro 1. epist 2. *Epistola 54.* Episcopatus nostri honor grandis & gloria est, pacem dedisse Martyribus, vt sacerdotes, qui sacrificia Dei quotidie celebramus, hostias Deo & victimas præparemus.

De vnitate Ecclesiæ Catholicæ: Hi sunt, qui se vltrò apud temerarios conuenas sine diuina dispositione præficiunt, qui se Præpositos sine vlla ordinationis lege constituunt, qui nemine Episcopatum dante, Episcopi sibi nomen assumunt: quos designat in Psalmis Spiritus sanctus, sedentes in pestilentiæ cathedra, pestes & lues fidei, serpentis ore fallentes.

Sixtus Secundus. 257.

Epistola 2.cap. 3. Nullus Episcopus alterius parochianum prę sumat retinere, aut ordinare, vel iudicare, absque eius voluntate: quia sicut irrita erit eius ordinatio, ita & diiudicatio.

Eusebius Papa. 309.

Epistola 3. Manus impositionis Sacramentum magna veneratione tenendum est, quod ab alijs perfici non potest, nisi à summis sacerdotibus: nec tempore Apostolorum ab alijs, quàm ab ipsis Apostolis legitur aut scitur peractum esse, neque ab alijs, quàm ab illis, qui eorum locum tenent, vnquam perfici potest, aut fieri debet.

Concilium Illibertinum. 320.

Cap.32. Si quis graui lapsu in ruinam mortis inciderit, placuit, agere pœnitentiam non debere sine Episcopi consultu, sed potius apud Episcopum agat, cogente tamen infirmitate. Non est Presbyterorum, aut Diaconorum, communionem talibus prę stare debere, nisi eis iusserit Episcopus.

Iulius Primus. 340.

Epistola ad Orientales Episcopos: Connexio totius corporis vnam sanitatem, vnam pulchritudinem facit: & hæc quidem connexio totius corporis vnanimitatem requirit, sed præcipuè exigit concordiam sacerdotum: quibus etsi dignitas communis non est, tamen ordo generalis est. Quoniam & inter beatissimos Apostolos, in similitudine honoris, fuit quædam discretio potestatis: & cùm omnium par esset electio, vni tamen datum est, vt cæteris præmineret. De qua forma Episcoporum quædam orta est distinctio, & magna ordinatione prouisum, ne omnes sibi omnia vindicarent, sed essent in singulis prouincijs singuli, quorum interfratres haberetur prima sententia: & rursum quidam in maioribus vrbibus constituti, solicitudinem eius susciperent ampliorem: per quos ad vnam beati Petri Sedem vniuersalis Ecclesiæ cura confluaret, & nihil vsquam à suo capite Christo dissideret.

Ambrosius. 370.

De sacerdotali dignitate capite 5. Quis dat frater Episcopalem gratiam Deus, an homo? Respondes sine dubio, Deus; sed tamen per hominem dat Deus: homo imponit manus, Deus largitur gratiam: sacerdos imponit supplicem dextram, & Deus benedicit potenti dextera: Episcopus initiat Ordinem, & Deus tribuit dignitatem, &c.

Ad caput 1.prioris ad Corinthios: In Episcopo omnium ordinantium dignitas est: caput enim est cęterorum membrorum.

Ad caput 4.ad Ephesios: In Episcopo omnes Ordines sunt: quia primus sacerdos est, hoc est princeps sacerdotum, & Propheta, & Euangelista, & cętera adimplenda officia in Ecclesia, in ministerio fidelium.

Ad caput 2.prioris ad Timoth. Omnis Episcopus Presbyter est, non tamen omnis Presbyter Episcopus. Hic enim Episcopus est, qui inter Presbyteros primus est.

Damasus. 380.

Epistola 4.de Chorepiscopis: Quidam (vt nobis relatum est) Episcoporum propter suam quietem Chorepiscopis plebes suas committere non formidant, & vt illicita atque prohibita agant, ijdem ea, quę solis Pontificibus debentur, sibi vsurpant, & ipsi in sua quiete torpent, & curam sibi à Deo commissam negligunt, &c. Non amplius quàm duos ordines inter discipulos Domini esse cognouimus, id est, duodecim Apostolorum, & septuaginta discipulorum: vnde iste tertius processerit, funditus ignoramus, & quod ratione caret extirpare necesse est. Quòd enim Episcopi non sint, qui minus quàm à tribus sunt ordinati Episcopis, omnibus patet. Quoniam (vt bene nostis) prohibitum est à sanctis Patribus, vt qui ab vno, vel à duobus sunt ordinati Episcopis, nec nominentur Episcopi. Si nomen non habent, qualiter officium habebunt?

Hieronymus. 390.

Ad Oceanum epistola 83.cap.1. Miror te vnum protraxisse in medium, cùm omnis mundus his ordinationibus plenus sit: non dico de Presbyteris, non de inferiori gradu: ad Episcopos venio, quos si figillatim volucro nominare, tantus numerus congregabitur, vt Ariminensis Synodi multitudo superetur.

Epistola 128. ad Fabiolam: Ego si fecero, si dixero quippiam, quod reprehensione dignum est, de Sanctis egredior, & polluo vocabulum Christi, in quo mihi blandior: quanto magis Pontifex & Episcopus, quem oportet esse sine crimine, tantarumqúe virtutum, vt semper moretur in Sanctis, & paratus sit victimas offerre pro populo, sequester Dei & hominum, & carnes Agni sacro ore conficiens: quia sanctum oleum Dei super eum est.

Epist. 85. ad Euagrium: Quid facit excepta ordinatione Episcopus, quod Presbyter non faciat?

Epistola 48. ad Sabinianum Diaconum cap. 5. Quid de te futurum putas, qui stantem arcam Domini præcipitare conatus es? Quanto magis Episco-

pus,qui te ordinauit,probabilis est: tanto tu amplius detestandus,qui talem hominem fefellisti, &c. Recordare à quo Episcopo Diaconus ordinatus fis.

Concilium Secundum Carthaginense. 390.

Cap. 12. Placet omnibus, vt inconsulto Primate cuiuslibet prouinciæ,tam facilè nemo præsumat,licèt cum multis Episcopis, in quocunque loco,sine eius præcepto,Episcopũ ordinare.Si aũt necessitas fuerit,tres Episcopi,in quocunq; loco sint, cum Primatis præcepto ordinare debeant Episcopum.

Concilium Tertium Carthaginense. 397.

*Cap. 39.*Forma antiqua seruabitur,vt non minus quàm tres Episcopi sufficiant,qui fuerint destinati ad Episcopum ordinandum.

Concilium Carthaginense Quartum. 398.

Cap.2. Episcopus cùm ordinatur,duo Episcopi ponant & teneant Euangeliorum codicem super caput & † ceruicem eius, & vno super eum fundente benedictionem, reliqui omnes Episcopi,qui adsunt,manibus suis caput eius tangant. † verticē

Augustinus. 400.

*De Hæresibus cap. 53.*Aërius cùm esset Presbyter, doluisse fertur,quòd non potuit Episcopus ordinari: & in Arianorum hæresin lapsus, propria quoque dogmata addidit nonnulla,dicens: Presbyterum ab Episcopo nulla debere differentia discerni,&c.

Ad Psalm. 44. Quid est: *Pro patribus tuis nati sunt tibi filij?* Patres missi sunt Apostoli: pro Apostolis filij nati sunt tibi,constituti sunt Episcopi.Hodie enim Episcopi,qui sunt per totum mundum, vnde nati sunt? Ipsa Ecclesia Patres illos appellat,ipsa illos genuit,& ipsa illos constituit in sedibus Patrum.Non ergo te putes desertam, quia non vides Petrum, quia non vides Paulum, quia non vides illos, per quos nata es: de prole tua tibi creuit paternitas: *Pro patribus nati sunt tibi filij.*

Concilium Toletanum Primum. 400.

Cap.20. Quamuis pene vbique custodiatur, vt absque Episcopo Chrisma nemo conficiat; tamen quia in aliquibus locis vel prouincijs Presbyteri dicuntur Chrisma conficere, placuit ex hac die nullum alium nisi Episcopum Chrisma conficere,& per diœcesin destinare, ita vt de singulis Ecclesijs ad Episcopum ante diem Paschæ Diaconi destinentur, aut Subdiaconi, qui confectum Chrisma ab Episcopo petant. Episcopo sanè certum est,quòd omni tempore licet Chrisma conficere: sine conscientia autem Episcopi nihil penitus Presbyteri agere præsumant.

Innocentius Primus. 408.

Ad Decentium Eugubinum cap. 3. De consignandis infantibus manifestum est, non ab alio, quàm ab Episcopo fieri licere. Nam Presbyteri, licet sint sacerdotes, Pontificatus tamen apicem non habent. Hęc autem Pontificibus solis deberi, vt vel consignent, vel paracletum Spiritum tradant, non solùm consuetudo Ecclesiastica demonstrat, verùm & illa lectio Actuum Apostolorum, quæ asserit,Petrum & Ioannem esse directos, qui iam baptizatis traderent Spiritum sanctum. Nam Presbyteris, seu præsente, seu extra Episcopum baptizare, & Chrismate baptizatos vngere licet, sed quod ab Episcopo fuerit consecratum; non tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solis debetur Episcopis, cùm tradunt Spiritum paracletum. Actor. 8.

Zosimus. 416.

Epistola 1. Hoc specialiter & sub prædecessoribus nostris, & nuper à nobis interdictum constat, litteris ad Gallias, Hispaniasqúe transmissis, ne quis penitus contra Patrum præcepta, qui Ecclesiasticis disciplinis imbutus per ordinem non fuisset, & temporis approbatione diuinis stipendijs eruditus, nequaquam ad summum Ecclesiæ sacerdotiũ aspirare præsumeret.

Cælestinus. 425.

*Epistola 1. cap. 3.*Ordinatos quosdam Episcopos, qui nullis Ecclesiasticis ordinibus ad tantæ dignitatis fastigium fuerint instituti, contra Patrum decreta,huius vsurpatione,qui se hoc recognoscit feciſſe, didicimus, cùm ad Episcopatum his gradibus,quibus frequentissimè cautum est, debeat peruenire, vt minoribus initiati officijs, ad maiora firmentur.Debet enim ante esse discipulus,quisquis Doctor esse desiderat, vt possit docere quod didicit.

Leo Primus. 450.

Epistola 84.ad Anastasium Thessalonicensem cap. 11. Inter beatissimos Apostolos in similitudine honoris fuit quædam discretio potestatis: & cùm omnium par esset electio, vni tamen datum est, vt cæteris præemineret. De qua forma Episcoporum quoque orta est distinctio,& magna dispositione prouisum est, ne omnes sibi omnia vendicarent.

Gelasius. 490.

Epistola ad Episcopos per Lucaniam, Brutios, & Siciliam constitutos cap.8. Nec minus etiam Presbyteris vltra modum suum tendere prohibemus, nec Episcopali fastigio debita sibimet audacter assumere: non conficiendi Chrismatis,non consignationis Pontificalis adhibendę sibimet arripere facultatem, &c. Nec prorsus addubitent, si quicquam ad Episcopale ministerium specialiter pertinens suo motu putauerint exequendum, continuò se presbyterij dignitate, & sacra communione priuari.

Ennodius Ticinensis. 500.

In vita Epiphanij Ticinensis Episcopi: Rapitur à lamentatione funebri in gaudium populi consecrandus Antistes. Tantum magis surgebat in eo dilectio cunctorum, quantum in multitudine magna solus erat,qui se vocaret indignum.Exultat mundus de tam sanctę ordinationis insignibus:extranearum habitatores vrbium tanto se tripudio iactabant, quasi ipsis propriè profuturum, infula sacerdotalis exciperet. Exacto ergo dedicationis suæ tempore,conuocatisq; vniuersis Presbyteris,ac ministris, talibus eos instruxit ac confortauit eloquijs,&c.

Hormisda. 510.

C.Nullus Presbyter: de consecratione dist. 1. Nullus Presbyter in Ecclesia consecrata aliud altare erigat,nisi quod ab Episcopo loci fuerit sanctificatum vel permissum; vt sit discretio inter sacrum, & non sacrum.

Concilium Aruernense. 535.

Cap.2. Placuit vt sacrum quis Pontificij honorem non votis quęrat, sed meritis; nec diuinum videatur comparare munus rebus, sed moribus: atque eminentissimę dignitatis apicem omnium conscendat electione, non paucorum fauore. Episcopatum ergo desiderans,electione clericorũ, vel ciuium,consensu etiam Metropolitani eiusdem prouincię Pontifex ordinetur.

Concilium Aurelianense Tertium. 537.

Cap.15. Episcopus in Diœceses alienas ad alienos clericos ordinãdos, vel consecrãda altaria irruere nõ debet. Quod si fecerit,remotis his,quos ordinauerit,altaris tamen consecratione manente, transgressor Canonum anno à Missarum celebritate cessabit.

Gregorius Magnus. 590.

Lib.3. epist.9. Presbyteri baptizatos infantes signare sacro in frontibus Chrismate non præsumant: sed Presbyteri baptizatos vngant in pectore, vt Episcopi postmodum debeant vngere in fronte.

*Lib.12.epist.32.*Cęterùm super vexatione Episcoporum, de quo nos consulere voluistis, scimus, quia à nullis vita Præsulum perturbari debet excessibus: quia valde indignũ est, vt hi, qui Throni Dei vocantur, aliqua motione à regibus vel subditis turbentur. Quoniam si Dauid regum iustissimus in Saul, quem constabat iam à Domino reprobatum & abiectum esse, manum mittere nõ præsumpsit; quanto magis cauendum est,ne manum detractionis, aut vituperationis, siue indiscretionis, aut dehonorationis quidam mittant in vnctum Domini, vel in prædicatores sanctæ Ecclesiæ? quia eorum vexatio, siue detractio ad Christum pertinet,cuius vice in Ecclesia legatione funguntur. Vnde summoperè cauendum est omnibus fidelibus, ne clanculo, aut publicè Episcopum suum, id est, vnctum Domini detractionibus, aut vituperationibus dilanient, perpendentes illud exemplum Mariæ:quia pro eo,quòd Moysi famulo Dei ,ppter Aethiopissam detraxit, immũditia lepræ mulctata fit.Vnde valde præuidendum est subditis, tam clericis,quàm laicis,ne Episcoporum, ne Præpositorum suorum vitam temerè reprehendere audeant: si quid eos fortasse agere reprehensibiliter vident, ne vnde mala redarguunt, inde per elationis impulsum in profundiora mergantur. Num.12.

Isidorus Hispalensis. 620.

De Ecclesiasticis officijs lib.2.cap.5. Apostolis decedentibus succesſerunt Episcopi, qui sunt constituti per totum mundum in sedibus Apostolorũ, qui iam non ex genere carnis, aut sanguinis eliguntur,sicut prius secundùm ordinem Aaron,sed pro vniuscuiusq; vita meritoq;.

Lib.7. Originum cap.12. Ordo Episcoporum quadripartitus est, id est,in Patriarchis,Archiepiscopis,Metropolitis,atq; Episcopis. Patriarcha Græca lingua summus pater interpretatur: quia primum, id est, Apostolicum tenet locum: & ideo quia summo honore fungitur,tali nomine censetur: sicut Romanus, Antiochenus, & Alexandrinus. Archiepiscopus Græcè dicitur summus Episcoporum: tenet enim vicem Apostolicam, & præsidet tam Metropolitanis,quàm Episcopis cęteris. Metropolitani autem à mensura ciuitatum vocantur: singulis enim prouincijs præeminent, quorum auctoritati, & doctrinæ, & potestati cæteri sacerdotes subiecti sunt: sine quibus nihil reliquos Episcopos agere licet. Solicitudo enim totius prouinciæ ipsis Episcopis cõmissa est.Omnes enim superius designati ordines,vno eodemq; vocabulo Episcopi nominantur: sed ideo priuato nomine quidam vtuntur, propter distinctionem potestatum,quam singulariter acceperunt.

Concilium Hispalense. 620.

Cap. 5. Quinto iudicio ad agnitionem nostri examinis Agabrensis Diaconi relatu deductum est de quibusdam ipsius Ecclesiæ clericis: quorum dum vnus ad Presbyterium, duo ad Leuitarum ministerium sacrarentur,Episcopus eorum,oculorum dolore detentus, fertur manum suam super eos tantùm posuisse, & presbyter quidam illis, contra Ecclesiasticum Ordinem, benedictionem dedisse. Qui licet propter tantam præsumptionis audaciã poterat accusatus iudicio præsenti damnari,si,adhuc in corpore positus,non fuisset mortis vocatione præuętus: sed quia iam ille examini diuino relictus, humano iudicio accusari non potest, hi, qui supersunt, & ab eo non consecrationis titulum, sed ignominiæ potius elogium perceperunt, ne sibi licentiam talis vsurpatio faciat, decreuimus, vt à gradu Sacerdotalis; vel Leuitici ordinis, quem peruersè adepti sunt, depositi, æquo iudicio abijciantur. Tales enim meritò iudicati sunt remouendi, quia prauè inuenti sunt constituti.

Cap.6. Episcopus sacerdotibus & ministris solus honorem dare potest, auferre solus non potest.

Cap.7. Relatum est nobis Agapium, Cordubensis vrbis Episcopum, frequenter Chorepiscopos vel Presbyteros destinâsse,(qui iuxta Canones vnum sunt,) qui absente Pontifice altaria erigerẽt, Basilicas consecrarent: quod quidem non est mirũ, id præcepisse virum Ecclesiasticæ disciplinæ ignarum, & statim à seculari militia in sacerdotale ministerium delegatum. Ergo ne vltra à nobis talis licentia vsurpetur, communi sententia statuendum oportuit: scientes, quia sicut presbytero vel chorepiscopo illicita est consecratio altaris,ita & constitutio. In diuinis enim literis,pręcipiente Domino, solus Moses in tabernaculo Dei erexit altare, solus ipse vnxit: quia summus vtique sacerdos Dei erat, sicut scriptum est de eo: *Moses & Aaron in sacerdotibus eius.* Ideoq; id,quod tãtùm principibus sacerdotum facere iussum est, quorum typum Moses & Aaron tenuerunt, presbyteri, qui filiorum Aaron gestant figuram, arripere non præsumant.Nam quamuis cum Episcopis plurima illis mysteriorum communis sit dispensatio; quædam tamen auctoritate veteris legis, quædam nouellis & Ecclesiasticis regulis sibi prohibita nouerint, sicut Presbyterorum, Diaconorum, & virginum consecratio, sicut costitutio altaris,benedictio, & vnctio.Siquidem nec licere ijs Ecclesiam, vel altaria consecrare, nec per impositionem manus fidelibus baptizandis, vel conuersis ex hæresi paracletum Spiritum tradere, nec Chrisma conficere, nec Chrismate baptizatorum frontem signare. Hæc omnia illicita esse Presbyteris, vel Chorepiscopis: quia Pontificatus apicem non habent, quod solis deberi Episcopis auctoritate Canonum præcipitur, vt per hoc discretio graduum, & dignitatis fastigium summi Pontificis demonstretur. Exo. 40. Psal.98.

Concilium Toletanum Octauum. 655.

Cap.4. Dum secundùm carnis assumptæ mysterium Ecclesiæ suæ fuerit dignatus caput exsistere Christus, meritò in membris eius intẽtio Episcoporum officia peragere cernitur oculorum. Ipsi enim de sublimiori celsitudine Ordinum regunt, & disponũt subiectas multitudines plebium. Vnde quantò ipsi sequentium fiunt ductores, tantò meritorum lumine debent præfulgere. Quamobrem omnes Episcopi, inter cætera virtutum ornamenta, nitore carnis debent propensius enitere, vt ex hoc audientes munditiam appetant, ex quo doctores immunditia non deturpat.

Cap.7. Qua de re nosse nos conuenit, quòd Episcopalis eminentiæ diuina auctoritas non immeritò sacris omnibus esse summa percensuit, quæ cæteris sacerdotibus exercenda prohibuit: scilicet templorum Dei sacrationem, Chrismatis benedictionem,sacrorumq; Ordinum institutionẽ, quæ tam diuinaliter ordinata perstitũt, quàm excellentissimè conferuntur: quia & tantò ab eis singulariter impendũtur, quantò eidem summo culmini peragenda seruantur. Quomodo ergo, quod in se recipit, à se reijcere poterit, cùm hæc à nullo altero conferri, quàm à solis Pontificibus nouit,à quibus nec ligata solui,nec soluta poterũt ab aliquo religari?

Concilium Cabilonense. 608.

Cap.4. Vt duo in vna ciuitate penitus vno tempore nec ordinentur, nec habeantur Episcopi, ne res Ecclesię sæua diuisione debeant partiri.

Cap.10. Si quis Episcopus de quacumque ciuitate fuerit defunctus, non ab alio, nisi à comprouincialibus, clero, & ciuibus suis, alterius habeatur electio: sin aliter, huiusmodi ordinatio irrita habeatur.

Beda. 700.

Historiæ Anglicanæ lib.4. cap.2. Itaque Theodorus Archiepiscopus perlustrans vniuersa, ordinabat locis oportunis Episcopos, & ea, quæ minus perfecta reperit, his quoque iuuantibus corrigebat. In quibus & Ceadda Episcopum cùm argueret, non fuisse ritè consecratum; respondens ipse voce humilima: Si me, inquit, nosti Episcopatum non ritè suscepisse, libenter ab officio discedo: quippe qui neque me vnquam hoc esse dignum arbitrabar; sed obediętiæ causa iussus subire hoc, quamuis indignús, consensi. At ille audiens humilitatem responsionis eius, dixit: Non eum Episcopatum dimittere debere, sed ipse ordinationē eius denuò Catholica ratione consummauit. Eo autem tempore, quo defuncto Deusdedit, Doruernensis Ecclesię Episcopus quærebatur, ordinabatur, mittebatur: VVilfridus quoque de Britannia in Galliam ordinandus est missus. Et quoniam ante Theodorum redijt, ipse etiam in Cantia Presbyteros, & Diaconos, vsque dum Archiepiscopus ad sedem suam peruenire, ordinabat.

Gregorius Secundus. 716.

Epist.3. ad vniuersum clerum & plebem Thuringiæ: Probabilibus desiderijs nihil attulimus tarditatis, fratrem iam & Coepiscopum nostrum Bonifacium vobis ordinauimus sacerdotem, cui dedimus in mandatis, ne vnquam ordinationes præsumat illicitas, ne bigamum, aut qui virginem nō est sortitus vxorem, neque illiteratū, vel in qualibet corporis parte vitiatum, aut expœnitente, vel curiæ, aut cuilibet conditioni obnoxium ad sacros Ordines permittat accedere; sed si quos fortè huiusmodi repererit, non audeat promouere.

Gregorius Tertius. 731.

Epistola ad populum prouinciarum Germaniæ, Thuringiæ, &c. Quoniam prædecessor noster sanctæ recordationis Gregorius Præsul nutu diuino motus, ad faciendam Deo plebem perfectam, præsentium portitorem literarum Bonifacium reuerendissimum fratrem nostrum ac Coēpiscopum ordinans, ad vos vsque destinauit, eumq; regulam & normā Apostolicæ & Catholicę fidei Romanæ Ecclesiæ edocens, direxit, & post temporū spatia orationis causa ad limina BB. principū Apostolorū sese præsentauit, & quæ ad salutē animarū pertineant, à nobis exposcit imbui: nos Deo fauente eum edocentes, ad vos charissimi remeaturum absoluimus, hortantes vos in Domino, vt dignè susciptatis ab eo verbū exhortationis, & Episcopos, vel Presbyteros, quos ipse ordinauerit, per Apostolicam sibi datam auctoritatem, in Ecclesię ministerio recipiatis.

Epistola 5. ad Bonifacium: Presbyteros eos, quos bidē reperisti, si incogniti fuerint illi, à quibus fuerint ordinati, & dubium est eos Episcopos fuisse, an non, qui eos ordinauerint, si bonæ actionis & Catholici viri sunt ipsi Presbyteri, & in ministerio Christi, omniq; lege sancta edocti, apti, ab Episcopo suo benedictionem presbyteratus suscipiant, & consecrentur, & sic ministerio sacro fungantur.

Bonifacius Episcopus Mogunt. 740.

Epistola ad Zachariam Papam: Necesse quoque habemus indicare Paternitati vestræ, quia per Dei gratiam Germaniæ populis, aliquantulum percussis, vel correctis, tres ordinauimus Episcopos, & prouinciam in tres parochias discreuimus, & illa tria oppida, siue vrbes, in quibus constituti & ordinati sunt, scriptis auctoritatis vestræ confirmari ac stabiliri precantes desideramus. Vnam esse sedem Episcopatus decreuimus in castello, quod dicitur VVirtzburg; & alteram in oppido, quod Bamburg; tertiam in loco, qui dicitur Erphord. Hæc tria loca auctoritate Apostolatus vestri roborari & confirmari diligenter postulamus.

Alcuinus. 750.

De diuinis officijs capite 35. de tonsura Clericorum: Super Presbyteros sunt Episcopi, sicut loco & dignitate, sic sanctitatis & eruditionis singularitate cōspicui; quibus solis est potestas sacrum Chrisma conficere, & baptizatorum frontes signare, & per impositionem manus Spiritum sanctum illis tribuere.

Aribo Frisingensis. 770.

Vitæ S. Corbiniani cap.5. Beatissimus Papa Gregorius cogitauit, vt auctoritate B. Petri Apostoli sacerdotalem honorem Corbiniano cōferret. Itaq; in viro Dei, quæ consultando tractauerat, opere perficiens, per singulos gradus, ad summum vsq; Pontificalem eum prouexit honorem, &c. Coactus ergo sacerdotalem accepit benedictionem, accepto etiam pallio cum benedictione & adiutorio beati Petri Apostoli, vt vbique prædicationis officium exercere in toto orbe posset, & tanti Patris consensu potestatem haberet.

Carolus Magnus. 790.

Lib.7. cap.74. legum Ecclesiasticarum: Si necessitas fuerit, tres Episcopi, in quocūq; loco sint, Archiepiscopi præcepto ordinare possunt Episcopum.

Concilium Arelatense Quartum. 813.

Cap. 24. Vnusquisq; Episcopus in sua parochia Presbyteros, vel Diaconos diligenter inquirat, & fugitiuos omnes clericos ad loca sua redire iubeat, & proprijs Episcopis, aut rectoribus quęrentibus reddat.

Haymo. 820.

Ad cap.4. prioris ad Timotheum: Gratiam hîc appellat fidem, & sapientiam, atque remissionem peccatorū, & gratiam Episcopatus, quæ per prophetiam data est illi: quia prophetiæ spiritu reuelante cognouit beatus Paulus Timotheum dignum esse Episcopali honore.

VValafridus Strabo. 830.

De rebus Ecclesiasticis cap.31. Comparetur ergo Papa Romanus Augustis & Cæsaribus, Patriarchæ verò patricijs, qui primi post Cæsares in imperijs fuisse videntur. ita & isti, qui satis pauci sunt, primi post trium sedium Præsules habentur. Deinde Archiepiscopos, qui ipsis Metropolitanis præeminent, regibus conferamus: Metropolitanos autem Ducibus comparemus: quia sicut Duces singularum sunt prouinciarum; ita illi in singulis prouincijs singuli ponūtur. Quod Comites vel præfecti in seculo, hoc Episcopi cæteri in Ecclesia explent, &c.

Hincmarus Rhemensis Episcopus. 850.

Epistola ad Tornacenses: Episcopus ordinationes Presbyterorum, Diaconorum, & sacrosancti Baptismatis Sacramentorum, secundùm traditionem Ecclesiasticam, studeat agere.

Ad Hincmarū Laudunens. Iuxta sacros Canones solus Episcopus potest Presbyteros ordinare, sed nō confes-

confessos, neque conuictos de crimine, solus non potest ab officio remouere.

Nicolaus Primus. 860.

Epistola 42. Episcopi primi sunt in Ecclesiâ: ipsi arundinem tenentes, metantur sanctam ciuitatē Hierusalem: ipsi fabricę Dei præsunt: ipsi speculatores ciuitatis Dei sunt, ipsi arietes, ipsi pastores gregis Dominici, ipsi columnæ domus summi regis existunt.

Concilium VVormacience. 868.

Cap.2. Chrisma conficere nullus prēter Episcopum præsumat. Nam illi soli hæc dignitas concessa est.

Cap.3. Placuit, vt quoties ab aliquo fidelium ad consecrandas Ecclesias Episcopus inuitatur, non quasi ex debito munus aliquod à fundatore requirat, sed si ipse quidem aliquid ex suo voto obtulerit, non respuat. Attamen vnusquisque Episcopus meminerit, vt nō prius dedicet Ecclesiam, nisi antea dotem Basilicæ, & obsequium ipsius per donationem chartulæ confirmatū accipiat.

Berno Augiensis. 1020.

De officio Missæ cap.2. Et mirū valde videtur, cùm certa sit ratione discretum, quid soli liceat Episcopo, non autem Presbytero: videlicet vt ad Episcopum pertineant ordinationes clericorum, dedicationes Ecclesiarum, sacri Chrismatis confectio, ad dandum Spiritum paracletum sacra impositio manuum: quid aliud esse possit in Sacramentis diuinis, quod non sit Presbyteris commune cum Episcopis? Præcipuè cùm id, quod excellentissimum est in omnibus Sacramentis, sanctum videlicet corpus & sanguinem Christi quotidie sicut Episcopi, ita & consecrent Presbyteri: nec sanctius sit illorum, quàm istorum.

Petrus Damianus. 1050.

Epist.15. cap.15. Enimuerò ad instar septem donorum Spiritus sancti septem nihilo minus sunt Ordines Ecclesiasticæ dignitatis. Quia autem ijs gradibus adhuc alij præferuntur, videlicet vt sunt Patriarchæ, Archiepiscopi, vel Episcopi: ab ijs non tam nouus ordo suscipi, quàm in eodē Christi sacerdotio excellentius videntur sublimari. Nam cùm sacerdos ideo dicatur, quia sacrū det: hoc est, quia Deo sacrificium offerat, quid in Ecclesia sublimius, quid excellentius sacerdotio poterit inueniri? per quod videlicet mysteriū Dominici corporis & sanguinis probatur inueniri. Licet igitur in quibusdā priuilegijs, pro suo quisque ministerio, specialiter potiantur, quia tamen id quod omnibus maius est, commune cum reliquis Sacerdotibus habent, cum ijs etiam & ipsi nō immeritò sacerdotij nomen tenent.

Sermone 1. in dedicatione Ecclesiæ: Cōsecratio Pontificis quanto sublimior est, tanto dignior approbatur. Cùm enim Canonicis sanctionibus eligitur persona, quæ tātæ dignitatis debeat subire fastigium, clarior Pontifex cum cæteris Pontificibus euocatur. Præparatur Ecclesia patrem susceptura de filio: vngitur illius caput oleo lætitiæ, præ consortibus suis, in illius figuram, qui thalamo virginali, spirituali balsamo profusius irroratus, oleum benedictionis super filios hominū distillauit. Liniuntur & manus, vt quicquid benedixerint benedicatur, & acceptū sit diuinę maiestatis aspectui. Ponitur & Euangelica pagina super caput ipsius recumbentis, vt & verba vitæ suam sentiat excedere rationem, & oculi eius deficiant in eloquium Domini. Imponitur cidaris capiti consecrato, & aurea lamina frontis gloria præfigitur, in qua contexitur nomen diuinitatis. Traditur annulus secretorum in manu eius, vt dicat cum Propheta: *In corde meo abscondi eloquia tua, vt non peccem tibi.* Calceantur & pedes in præparatione Euangelij pacis, vt sit, de quibus dicitur: *Quàm speciosi pedes Euangelizantium pacem?* Accipit & baculum pastoralem, vt ex ipsa virgæ qualitate signetur, qualiter mansuetos colligat, corripiat inquietos. Sic fit solenni vestimentorū glorificatione præfulgidus, & ad altare Dei familiarius intrans, & exiens, iram iudicis in misericordiam patris felici commutatione deuoluit.

Psal.118.

Esa.52.

Gregorius Septimus. 1070.

Epistola ad Cyriacum Episcopum: Peruenit ad aures nostras, quòd Africa, quæ pars mundi esse dicitur, ad tantum periculum deuenit, vt in ordinando Episcopo tres non habeat Episcopos: qua in re maximum Christianæ religionis periculum considerantes, consulimus vobis, videlicet, tibi, & illi, cui nuper manus imposuimus, vt aliquam personam secundùm constitutionem Sanctorum Patrum eligatis, & nobis eam vestris literis fultā mittatis: quatenus, ipso Deo cooperante, à nobis ordinato, vobisq; remisso, necessitati Ecclesiarū, vt sancti Canones præcipiunt, Episcoporum ordinationibus succurrere valeatis; & ita Christiana gens quotidie gaudeat, atque proficiat pastorali regimine, & labor, qui supra vires vos opprimit, leuior ex sociorum necessaria administratione fiat.

Extat apud Gratianum.

Iuo Carnotensis. 1100.

Epist.9. Sicut est Regię potestatis ciuilia iura seruare, & eorum transgressores debita pœna mulctare: sic Episcopalis officij est Ecclesiasticas institutiones subditis seruandas imponere, & transgressores earum paterna fœueritate ad debitum ordinem reuocare.

Rupertus Tuitiensis. 1120.

De diuinis officijs lib.1. cap.27. Postquam duodecim Apostoli per vniuersum mundum dispersi singulis ciuitatibus prefederunt, tam ipsi, quàm successores eorum misēre per cōtiguas suis sedibus prouincias prædicatores, quos & Episcopos ordinārūt, vt vbi recepti fuissent, omnia Christianitatis sacramenta, velut ipsi Apostoli, peragerent, vt per vrbes comprouinciales Episcopos ordinarent. Et aliorum quidem Apostolorum successores Patriarchæ dicti sunt: Petri autem successor pro excellentia principis Apostolorū, Apostolicus nominatur. Qui autem ab ijs per prouincias missi sunt, tam ipsi, quàm successores eorum Archiepiscopi vocantur. Et qui ab his per vrbes comprouinciales ordinati sunt, & qui illis succedunt, vsque hodie Episcopi nominantur.

Hugo Victorinus. 1130.

De Sacramentis fidei libro 2. parte 3. cap.13. Ad Episcopum specialiter pertinet Basilicarum consecratio, vnctio altaris, confectio Chrismatis, manus impositio, & communis super populum benedictio. Ipse prædicta officia, & Ordines Ecclesiasticos distribuit; ipse sacras virgines benedicit: dum enim præcesserit vnusquisque in singulis, iste præordinator est in cunctis. Nullus Episcopus alium Episcopum sine Metropolitani consensu consecrare debet, nec Metropolitanus ordinare Episcopū, nisi tribus ad minimū Episcopis præsentibus; alijs omnibus, qui in eadem prouincia sunt, Episcopis assensum prębentibus.

Petrus Cluniacensis. 1160.

Lib.6. epist.1. Cur non iteratur & illa vnctio, qua sacerdoti cælestia sacrificia tractaturo manus inungitur; illaq;, qua Pontificis caput, dum ordinatur, largiori Chrismatis imundatione perfunditur?

ditur? Sed nulla est causa hoc rursum agendi: nulla ratio Sacerdoti vel Pontifici iterum manus vel caput vngendi. Sacramentum enim, quod semel à Spiritu Dei accipiunt, etiam iudicio Ecclesiæ ab officio suspensi, vel depositi, nullo pacto perdere, nulla ratione amittere possunt. Indicat hoc ipse communis & publicus Ecclesiæ vsus, qui nec Presbyteros, post quantumlibet prolixum degradationis tempus, officio restituens, iterum consecrat: nec in Episcopis, de primis sedibus ad alias quandoque translatis, vnctionis sacramenta iterat.

Stephanus Eduensis. 1180.

De Sacramento altaris cap. 9. Ordinantur Presbyteri, vt sint Episcoporum coadiutores, ad regendum & instruendum Dominicum gregem: baptizando, rudes populos instituendo, communicando, & cætera Sacramenta dispensando, Episcoporum vices supplere debent. Excipiuntur illa, quibus quadam prærogatiua fulget & præeminet Episcopalis dignitas, quæ sunt quinque: Basilicarum dedicatio, Chrismatis vnctio, manuum impositio, clericorum ordinatio, super populum benedictio. Hæc potestas solis Episcopis attribuitur, ne ab omnibus vendicata, soluto obedientię vinculo, insolentiam generaret. Vtrique vicarij sunt summi Pontificis.

Innocentius Tertius. 1200.

Mysteriorum Missæ lib. 1. cap. 6. Apostolorum vices maiores obtinent sacerdotes, id est Episcopi; discipulorum verò minores, id est Presbyteri.

Cap. 9. Differt inter Episcopos & Presbyteros, quia ad omnes sacerdotes communiter pertinet catechizare, baptizare, prædicare, conficere, soluere, & ligare: sed specialiter ad Pontifices spectat clericos ordinare, virgines benedicere, Pontifices consecrare, manus imponere, Basilicas dedicare, degradandos deponere, Synodos celebrare, Chrisma conficere, vestes & vasa consecrare.

Guilhelmus Parisiensis. 1230.

De Sacramento Ordinis cap. 13. Officium interpellandi maximè incumbit Episcopis: quia ipsi sunt mediatores inter omnes alios & Deum. Propter hæc omnia Episcopi summi sacerdotes vocantur. Et in Euangelio Matth. 26. *Quærebant summi sacerdotes quomodo Iesum perderent, & occiderent.* Et in ipsa Præfatione consecrationis Episcoporum: *quem ad summi sacerdotij ministerium elegisti.* Idem etiam est Apostolicum officium, siue Apostolatus. Quicquid enim Apostolis commissum fuit, totũ commissum est & Episcopis. Vnde & in sedibus, in quibus sederunt Apostoli, sedent, tamquam pleni iuris successores, tamquam loco Apostolicæ potestatis, eorum licet meritis longissimè distantes. Si quis autem dixerit, cùm Episcopatus Ordo non sit, ad quid ergo consecrantur Episcopi? Respondemus ad complendum, & perficiendum, atque ad summum perducendum ipsos, non solùm officij plenitudine, & amplitudine potestatis; sed etiam ad cumulandum gratia, & pinguedine sanctitatis.

Thomas Aquinas. 1250.

Secunda Secundæ q. 84. art. 6. Dicere Presbyteros non differre ab Episcopis inter dogmata hæretica numerat Augustinus in lib. de hęresibus.

Bonauentura. 1250.

In librum 4. Sent. dist. 25. q. 1. Sicut sacri Canones dicunt, secundùm ius commune nõ potest aliquis Ordines dispensare, præsertim Ordines sacros, nisi solus Episcopus. Hoc statutum ortum habet ex sacra Scriptura: quia cùm Dominus duo genera discipulorum habuit, quosdam in numero duodeno, quosdam de numero septuagesimo, primos Apostolos nominauit, super quos fundauit Ecclesiam, ipsos primùm fundando in se, alios simplices discipulos appellauit. Et Apostolis primò fuit collata potestas imponendi manus & cõsecrandi: non autem simplicibus discipulis, sicut patet ex textu & glossa Actorum 8. Et quoniam Apostolis successerunt Episcopi, discipulis verò sacerdotes simplices, sicut habetur dist. 21. cap. In nouo testamento. Et ita patet, quòd auctoritas ordinandi, & manus imponendi, secundùm formã Ecclesię primitiuę, Episcopis appropriatur. Vnde Apostolus scribens Timotheo dicit: *Manus citò nemini imposueris.*

Guibertus Tornacus. 1254.

De officio Episcopi cap. 21. Sedet Episcopus in loco eminentiore: quia tamquam speculator, secundùm interpretationem sui nominis, videre debet desuper, & super alios intendere. Quemadmodũ vinitori locus sit altior, ad custodiendam vineam: sic Episcopis ad custodiendam Ecclesiam, sicut scriptum est: *Fili hominis speculatorem dedi te domui Israel.* Ezech. 3.

Cap. 36. Quædam potestas est perfecta, quæ ad sacerdotes pertinet, qui habent ex officio baptizare, confiteri, soluere, & ligare: alia verò perfectior, quæ ad Episcopos pertinet, qui soli possunt clericos ordinare, virgines benedicere, Pontifices consecrare, manus imponere, Basilicas dedicare, degradandos deponere, Synodos celebrare, Chrisma conficere, vestes & vasa sacrare.

Augustinus Triumphus Anconitanus. 1320.

De potestate Ecclesiastica quæstione 93. art. 1. Ex veteris Legis figuratione, & ex Christi institutione, & ex Apostolorum ordinatione Presbyteri, & Diaconi semper ab Episcopis distincti fuerunt. Ex veteris quidem Legis figuratione, quia planum est, quòd sacerdotium Leuiticum figurabat sacerdotium Christi, vt ostendit Apostolus Heb. 7. Sed ibi dicitur, quòd summi Pontifices, & minores sacerdotes à Deo sunt instituti per Mosem, qui ex præcepto Domini Aaron in summum Pontificẽ, & filios eius vnxit in minores sacerdotes. Ex Christi verò institutione maiorum & minorum sacerdotum discretio facta est, quãdo Apostolos, tamquam maiores sacerdotes; & septuaginta duos discipulos, tamquam minores sacerdotes instituit. Ex Apostolorum autem ordinatione, quia hanc formam Apostoli secuti, in singulis ciuitatibus Presbyteros & Episcopos ordinârunt.

Ludolphus Carthusianus. 1330.

Vitæ Christi parte 1. cap. 32. Per hoc autem, quòd Apostolos instituit in monte, significauit, quòd Episcopi successores Apostolorũ in superiori gradu sunt Ecclesiæ. Vnde dicuntur Episcopi ἀπὸ ἐπὶ, quod est super, & σκόπος intentio, qui supra gregem Dominicum debent intendere, vt eum ad superna valeant erigere.

Thomas Argentinensis. 1350.

In lib. 4. Sent. dist. 25. art. 1. Solus Episcopus de iure potest ordinare, seu Ordinis Sacramentũ conferre: quia non requirit minorem potestatem duces disponere vel ordinare, quàm milites ascribere. Sed in collatione Sacramenti Confirmationis ascribuntur milites Ecclesiæ militantis; & in collatione Sacramenti Ordinis disponuntur duces ipsorum fidelium. Cùm igitur solus Episcopus de iure communi sufficit ad conferendum Sacramentum Ordinis: Ergo sola potestas Episcopalis, de iure communi, sufficit ad conferendum Sacramentum Ordinis. Præterea consecratio vasorum ad diuinum cultum spectantiũ non requirit maiorem potestatem, quàm consecratio ministrorum,

rum, talibus consecratis vasis vtentium: sed vasa, puta calices, de iure communi non possunt consecrari, nisi ab Episcopo. Ergo nec clerici, & sacerdotes, huiusmodi vasis vtentes, possunt ordinari nisi ab Episcopo.

Petrus Aliacus. 1400.

Homilia facta in Synodo super illa verba: *De signauit Dominus & alios 72. discipulos*: Olim, quantũ ad nomen, non distinguebantur Episcopi & Presbyteri. Nam Episcopi dicuntur, eò quòd superintendent: Presbyteri autem Græcè dicuntur, quasi seniores. Sed semper secundùm rem inter Episcopos & Presbyteros fuit distinctio, vt patet per Dionysium Ecclesiasticæ Hierarchiæ cap. 5. Vnde postea ad vitandum schisma, necesse fuit, vt etiam nomina distinguerentur, vt scilicet maiores dicerentur Episcopi, minores autẽ vocarentur Presbyteri. Ideo dicere Presbyteros ab Episcopis non differre, Augustinus de hæresibus inter hæretica dogmata connumerat.

Ioannes Gerson. 1420.

De potestate Ecclesiastica conf. 3. Potestas Ecclesiastica Ordinis alio modo consecrata, prout respicit ministrationem corporis Christi fidelibus, & ministrationẽ Sacramentorũ Ordinis, & Confirmationis, cõsecrationem insuper virginum, Abbatum, & Ecclesiarum, & institutionem Ecclesiæ, non est æqualiter in quolibet sacerdote. Cuius ratio est, quoniã simplex sacerdos, iuxta cõmunem Doctorum sententiam, non potest Ordines conferre, neq; Sacramentũ Confirmationis dare, neq; consecrare virgines: etiam de facto sic, quòd si tale aliquid tentet agere, nihil tamen efficitur: quia neque confirmat, neque ordinat: Episcopus autẽ si volentem confirmari, si volentem præterea ad Ordines promoueri, qui sit eorum susceptibilis, (quod dicitur propter sexum muliebrem,) tentauerit vel confirmare vel ordinare, vel ordinat vtiq;, vel confirmat de facto, licet excõmunicatus, licet irregularis, licet degradatus extiterit. Et in hoc par in omnibus Episcopis ab infimo vsq; ad supremum, qui Papa dictus, potestas ordinis. Nõ autem in sacerdotibus minoribus est hęc potestas (vt dictum est) saltem in tali plenitudine, seu perfectione, quòd hoc possint. Licet concedatur cum maiori parte Doctorum, quòd supra sacerdotium simplex nulla est altera potestas Ordinis, neque in Episcopis, neque in Papa: sed aliter est in Episcopis, & Papa; aliter in simplicibus Presbyteris: sicut exemplificant, quòd eadem est humanitas in homine, dum est puer; & eadem, dum factus est vir: vir nihilominus generare potest sibi simile, puer nequaquam. Cùm igitur fuerit inter Apostolos & discipulos talis distinctio, sicut inter Episcopos & simplices curatos sacerdotes, sicut notat Isidorus, & Magister lib. 4. dist. 24. cap. 7. allegans eum, perspicua est veritas huius considerationis. Satis sit interim aperuisse, qualiter sit, vel non sit æqualis potestas Ordinis in omnibus Presbyteris: quia quæ ad consecrationem corporis Christi pertinent, eandem habent omnes sacerdotes potestatem. Quantum verò ad Sacramentorum ministrationem, dispar est in Episcopis & simplicibus Presbyteris potestas, seu facultas, tam de iure, quàm de facto. Similiter in ministrorum Ecclesiasticorum institutione: quæ est potestas competens primis hierarchijs, de primo ordine & secundo: non autem inferioribus, quẽadmodum sunt curati, qui licet purgare, illuminare, & perficere possunt plebem suam, prout inferior Angelorũ Hierarchia purgat, illuminat, & perficit subcælestem, vel humanam hierarchiam: nihilominus hæc potestas curatorum non extenditur ad hierarchiarum specialem institutionem de instituto communi, &c.

Dionysius Carthusianus. 1460.

Ad cap. 13. Matth. art. 26. Debent maiores Prælati in vtraq; Lege esse periti, imò secundùm deiformem Theologorum ducem sacratissimum Dionysium ad Episcopos pertinet, vt sint adeò docti, quòd difficillima quæq;, & omnes subditorũ dubitationes soluere possint.

Tomo 1. operum minorum, de regimine Præsulum: Si tanta est dignitas sacerdotum, quis eloqui queat quanta sit Pontificum dignitas, cùm Pontifex sit spiritualis princeps, & pater, magister, iudex, & ductor omnium sacerdotum, totiusq; cleri suæ diœceseos de iure communi, ita quòd ad eius auctoritatem & officium pertinet, omnes illos purgare, illuminare, perficere, iudicare, & gubernare, quemadmodũ ex doctrina diuini Dionysij quinto cap. Ecclesiasticæ Hierarchiæ ostenditur. Itaq; quantum sol est clarior luna, & quantum anima est præstantior corpore, tantum spiritalis & Pontificalis potestas omni seculari & regia potestate ac dignitate extat sublimior. Hinc in gestis Nicæni concilij legitur, quòd Magnus ille Constantinus Imp. dixit Episcopos esse Deos, quia diuinam excellentiam fortiuntur, & omnipotẽtis Dei existunt vicarij.

Hieronymus Sauonarola. 1480.

De veritate fidei lib. 3. cap. 16. Et quoniam Ecclesiasticorum ordinum collatio quodam Sacramento perficitur, Sacramenta autem ab idoneis Ecclesiæ ministris dispensari debent, necesse est supremæ alicuius dignitatis potestatem talibus dispensandis præesse: eaq; est Episcopalis auctoritas, quę quidem sacerdotalem metam, quoad corporis Christi consecrationem, non excedit: licet quoad ea, quæ totum Ecclesiæ corpus spectãt, supereminet. Nam quicquid ardui cœtui fidelium occurrit, Episcopis reseruatur.

Concilium Tridentinum. 1560.

Sess. 23. cap. 4. Quòd si quis omnes Christianos promiscuè noui Testamenti sacerdotes esse, aut omnes pari inter se potestate spirituali præditos affirmet, nihil aliud facere videtur, quàm Ecclesiasticam hierarchiam, quæ est vt castrorum acies ordinata, confundere: perinde ac si contra B. Pauli doctrinam omnes Apostoli, omnes Euangelistę, omnes Pastores, omnes sint Doctores. Proinde sancta Synodus declarat, præter cæteros Ecclesiasticos gradus, Episcopos, qui in Apostolorũ locum successerunt, ad hunc hierarchicum ordinem præcipuè pertinere, & positos, sicut idem ait Apostolus, à Spiritu sancto regere Ecclesiam Dei, eosq; Presbyteris superiores esse, ac Sacramentum Confirmationis conferre, ministros Ecclesiæ ordinare, & alia pleraq; peragere ipsos posse, quarũ functionum potestatem reliqui inferiores nullã habent. Act. 20.

Canone 7. Si quis dixerit Episcopos non esse Presbyteris superiores: vel non habere potestatẽ confirmandi & ordinandi: vel eam, quam habẽt, esse illis cum Presbyteris communem: vel Ordines ab ipsis collatos, sine populi, aut potestatis secularis consensu, aut vocatione irritos esse: aut eos, qui nec ab Ecclesiastica, & Canonica potestate ritè ordinati, nec missi sunt, sed aliunde veniunt, legitimos esse verbi, & Sacramentorum ministros, anathema sit.

ARTICVLVS DECIMVSNONVS.

PALLII ARCHIEPISCOPALIS VSVM IN ECCLESIA ANTIQVISSIMVM, ET MAGNIFACIENDVM ESSE.

Anno post natũ Christum. 1520.

NEGANT.

MARTINVS Lutherus libro aduersus Papatũ Romæ à Satana fundatum: *Romanæ Ecclesiæ subueniri non potest, nisi Papatus è medio tollatur, & rursus verus Episcopus Romæ præficiatur, qui alijs Episcopis par sit, non iuramenti is sibi subijciat, aut pallijs, annatibus, aut mensibus Papalibus opprimat. Sanè sine pallijs Episcopi esse possunt, nec opus est Romano illo furacissimo prædone.*

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Isidorus Pelusiota. 440.

Lib.1. epist.136. Id amiculum, quod Episcopus in humeris gestat, atque ex lana, non ex lino contextum est, ouis illius, quam Dominus oberrantem quæsiuit, inuentamq; humeris suis sustulit, pellẽ designat. Episcopus enim, qui typum Christi gerit, ipsius munere fungitur, atque ideo etiam habitu illud omnibus ostendit, se boni illius & magni pastoris imitatorem esse, qui gregis infirmitates sibi ferendas proposuit.

Germanus Constantinopolitanus. 720.

In Theoria: Humerali, quo Episcopus circumdatur, significat ouis pellem, quam errãtem cùm Dominus inuenisset, super suis humeris assumpsit, & cùm ijs, qui non errauerunt, recensuit.

Synodus Octaua Constantinopol. 800.

Canone 27. Hic Canon decernit, qualiter oporteat vti pallio, scilicet Episcopi non vltra statа tempora & loca eo vtantur, ne signum sit superbiæ aut arrogantiæ. Præterea monachi, qui vita & doctrina, vt Episcopi creentur, meruerunt, non mutent habitus vestisq; rationem, ob nouam dignitatem. Non minus enim hoc arrogans esset, quàm pallio ineptè vti. Quisquis ergo Episcopus, præter definita sibi tẽpora, se pallio induerit, aut monasticam vestem deposuerit, aut corrigatur, aut à Patriarcha suo deponatur.

Simeon Metaphrastes. 970.

In vita Metrophanis Episcopi: Metrophanes Episcopus moriturus pallium deponit in sacra mensa, id iubens seruari successori.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Symmachus. 502.

Epistola ad Cæsarium Arelatensem: Charitati tuæ per omnes Gallicanas regiones vtendi pallij concessimus facultatem.

Epistola ad Theodorum Laureacensem Episcopum: Diebus vitæ tuæ pallij vsum, quem ad sacerdotalis officij decorẽ, & ad ostendendũ vnanimitatem, quam cum beato Petro Apostolo vniuersus grex Dominicarum ouium, quæ ei commissæ sunt, habere non est dubium, ab Apostolica Sede, sicut decuit, popposcisti. Quod vtique ab ijsdem Apostolis fundatæ Ecclesiæ maiorum more libenter indulsimus, ad ostendendum te magistrum & Archiepiscopum, tuamq; sanctam Laureacensem Ecclesiam prouinciæ Pannoniorum sedem facere Metropolitanam. Idcirco pallium, quod ex Apostolica charitate tibi destinamus, quo vti debeas secundùm morem Ecclesiæ tuæ solerter, admonemus, pariterq; volumus intelligas: quia ipse vestitus (quo ad Missarum solennia ornaris) signum prætendit crucis, per quod scito te & fratribus tuis debere compati, & mundialibus illecebris in affectu crucifigi. Vnde rogo, vt cùm deforis huiusmodi insigni indueris, intus in anima consideres, quòd hoc sit magis oneris, quàm honoris, atq; cor tuũ Deo regente ab appetitu seculi sic tempera, vt & commissam exequi gubernationem sic studeas, vt adeptæ dignitati (cuius sublimaris officio) & probitate morum, & viuacitate solicitudinis, & custodia integerrimæ fidei congruas.

Vigilius. 544.

Epistola ad Auxanium Arelatensem Episcopum: De his verò, quæ charitas vestra, tam de vsu pallij, quàm de alijs, sibi à nobis petijt debere concedi, libenti hoc animo etiam in præsenti facere sine dilatione potuimus. Nisi enim Christianissimi filij nostri domini Imperatoris hoc (sicut ratio postulat) voluissemus perficere notitia, Deo auctore, vt & vobis gratior præstitorum causa reddatur, dũ quæ postulastis cum consensu Christianissimi Principis conferuntur, & nos honorem fidei eius seruasse cum competenti reuerentia docemur.

Cyprianus Arelatensis. 550.

Vitæ S. Cæsarij cap.20. Pontifex Symmachus, præclara eius meritorum dignitate permotus, non solùm eum veriſsimè Metropolitani honore præditum voluit, sed etiam speciali quodam priuilegio, pallij vsum ei permisit, & Diaconos eius perinde, vt Romanæ Ecclesiæ Diaconos dalmaticis vti voluit.

Pelagius. 555.

Apud Gratianum dist.100. Quoniam quidam Metropolitanorum fidem suam secundùm priscam consuetudinem sanctę Sedi Apostolicæ exponere detrectantes, vsum pallij neque expetunt, neque percipiunt, ac per hoc Episcoporum cõsecratio, viduatis Ecclesijs, non sine periculo protelatur; placuit, vt quicunque Metropolitanus vltra tres menses consecrationis suæ, ad fidem suam exponendam, palliumq; suscipiendum, ad Apostolicam Sedem non miserit, commissa sibi careat dignitate.

Epist. ad Sepaudum Arelatensem Episcop. Vsum quoque pallij tibi alacriter affectioseq; concedimus, pariter etiã pallium dirigentes, vt in tanti loci fastigio constitutus, præclaro quoque habitu decoreris, &c.

Fortunatus. 570.

Lib.1. Epigram. de S. Cruce.

Denique sancta Cruci hæc templa Gregorius offert,
Pallia dum coperit signa gerenda crucis:
Dona repente dedit diuina potentia Christi,
Mox fuit & voti causa secuta pij:
Pallia nam meruit, sunt quæ cruce textile pulchra,
Obsequijsq; suis crux habet alma cruces:
Serica cui niueis agnata est bractea telis,
Et textis crucibus magnificatur opus.
Sic citò Pontifici dedit hæc deuota voluntas,
Atque dicata cruci condita vela placent.

Concilium Matisconense. 576.

Cap. 6. Vt Archiepiscopus sine pallio Missas dicere non præsumat.

Gregorius Magnus. 590.

Lib.2. epist.54. Mota nimis est vestra fraternitas, atque cum tumore cordis, quasi satisfaciens, scripsit nobis de pallio, te nõ nisi post dimissos de secretorio filios Ecclesiæ, & Missarum tempore, atque in Litanijs, vti solennibus verbis aliquid te vsurpasse, contra generalis Ecclesiæ consuetudinem apertissima veritate professus. Quomodo enim fieri potest, vt illud cineris atq; cilicij tempore per plateas inter populorum strepitus agas licitè, quòd te agere in conuentu pauperum nobilium, & in secretario Ecclesiæ velut illicitum excusasti? Illud tamen, frater Chariſsime, tibi nõ putauimus ignotum, quod pene de nullo Metropolitano, in quibuslibet mundi partibus sit auditum, extra Missarum tempus vsum sibi pallij vẽdicasse. Et quod bene hanc consuetudinem generalis Ecclesiæ noueritis, vestris nobis manifestissimè significastis epistolis; quibus præceptũ beatę memoriæ decessoris nostri Ioãnis Papæ nobis in subditis transmisistis annexum, &c.

Lib.7. epist.15. Quia Anglorum Ecclesia ad omnipotentis Dei gratiam perducta est, vsum pallij ad sola missarum solennia agenda concedimus, ita vt per loca singula duodecim Episcopos ordines, qui tuæ ditioni subiaceant: quatenus Lundoniensis Episcopus ciuitatis semper in posterũ à Synodo propria debeat consecrari, atque honoris pallium ab hac sancta & Apostolica, cui auctore Deo deseruio, Sede percipiat. Ad Eboracam verò ciuitatem te volumus Episcopum mittere, quem ipse iudicaueris ordinandum: ita vt si eadem ciuitas cum finitimis locis verbum Dei receperit, ipse quoq; duodecim Episcopos ordinet, & Metropolitani honore perfruatur: quia ei quoq;, si vita comes fuerit, pallium tribuere Domino fauente proponimus; quẽ tamen fraternitatis tuæ volumus dispositioni subiacere.

Lib.7. epist.114. Secundùm postulationis tuæ desiderium pallij te vsu, quod intra Ecclesiam tuam habere debeas, ad sacra tantùm Missarum solennia celebranda, Deo auctore, præuidimus honorandum. Quod tamen ita tibi dandum esse decreuimus, si prius per Synodi definitionem emendari promiseris, quæ corrigenda mandauimus; quia dignũ profectò esse credimus, vt cum mẽtis grauitate, qua Deo propitio te pollere didicimus, habitus quoq; exterioris, clarior in te cultus accresceret, præsertim cùm te hunc, non ad superfluæ elationis pompam, sed pro genio & honore tuæ arbitramur Ecclesiæ petiuisse.

Epist.129. Pallium ad sacra Missarum solennia vtendum ex more transmisimus, cuius volumus per omnia genium vendicare. Huius enim indumenti honor humilitas atque iustitia est.

Bonifacius Quintus. 619.

Epistola ad Iustum Episcopum: Pallium præterea per latorẽ præsentium fraternitati tuæ benignitatis studio inuitati direximus, quo videlicet tantum in sacris mysterijs celebrandis licentiam vtẽdi imperauimus. Studeat ergo tua fraternitas hoc, quod Sedis Apostolicę humanitate percepit, intemerata mentis securitate seruare, intendens, cuius rei similitudine, tam pręcipuum indumentum humeris tuis baiulandum susceperis, talemq; te Domini clementia implorata exhibendum stude, vt indulti muneris præmia, non cum reatitudine, sed cum commodis animarum ante tribunal summi & venturi iudicis repræsentes.

Honorius Primus. 622.

Epistola ad Eduinum Regem Anglorum: Duo pallia vtrorũq; Metropolitanorum, id est, Honorio & Paulino direximus; vt dum quis eorum de hoc seculo ad auctorem suum fuerit accersitus, in loco ipsius alterum Episcopũ ex hac nostra auctoritate debeat subrogare.

Epist. ad Honorium Episcop. Iuxta vestram petitionem vobis, vice beati Petri Apostolorum principis auctoritatem tribuimus, vt quando vnum ex vobis diuina ad se iusserit gratia vocari, is, qui superstes fuerit, alterum in locum defuncti, debeat Episcopum ordinare. Pro qua etiam re singula dilectioni vestræ pallia, pro eadem ordinatione celebranda direximus, vt per nostræ præceptionis auctoritatem, possitis Deo placitam ordinationem efficere.

Beda. 700.

Historiæ Angl. libro 2. cap.17. Quo tempore Præsulatum Sedis Apostolicę Honorius habebat, qui vbi gentem Nordhumbrorum cum suo rege ad fidem, cõfessionemq; Christi Paulino euangelizante conuersam esse didicit, misit eidem Paulino pallium.

Cap.18. Honorio Episcopo præfatus Papa Honorius misit pallium & literas.

Gregorius Secundus. 730.

Epistola 8. ad Bonifacium: Hinc iure tibi sacri pallij direximus munus, quod beati Petri Apostoli auctoritate susciens induaris, atq; inter Archiepiscopos vnus, Deo auctore, præcipimus, vt censearis. Qualiter enim eo vtaris ex mandato Apostolico informatus cognosces: ita vt dum Missarum solennia geris, vel Episcopum te contigerit consecrare, illo tantummodò tempore eo vtaris.

Bonifacius Moguntinus Episc. 740.

Epistola ad Zachariam Papam: De eo autem, quod iam præterito tempore de Archiepiscopis & pallijs, à Romana Ecclesia petendis, iuxta promissa Francorum, Sanctitati vestræ notum feci, indulgentiam à vobis flagito: quia quòd promiserunt tardantes, non impleuerunt, & adhuc differunt, & quid inde perficere voluerint ignoratur.

Zacharias P. 740.

Epist. 8. Valde mirati sumus, eò quòd antea nobis pro tribus pallijs suggessisti,& postea pro solo Grimone: sed volumus, vt nobis indicet tua fraternitas, cur nobis ita direxisti anteà pro tribus, & postmodum pro vno, vt & nos certi redditi,ex hoc nulla in nobis sit ambiguitas. Reperimus etiam in memoratis tuis literis, quæ nimis nostros animos cõturbant, quòd talia à te nobis referantur,quasi nos corruptores simus Canonum,& Patrũ rescindere traditiones quæramus, ac per hoc, quod absit, cum nostris clericis in Simoniacam hæresin incidamus, accipientes,& compellentes, vt hi,quibus pallia tribuimus, nobis præmia largiantur, expetentes ab illis pecunias,&c. Absit enim à nobis,& à nostris clericis, vt donum, quod per Spiritus sancti gratiam suscepimus,pretio venundemus, dum & illa tria pallia, quæ te suggerente sumus flagitati,nullum ab eis quispiam cõmodum expetijt,&c.

Epist.9. Qualiter mos pallij sit,vel quomodo fidem suam exponere debeant hi,quibus pallio vti licentia conceditur, eis direximus, informantes eos,vt sciant, quòd sit pallij vsus,& subiectis prædicare viam salutis, & vt Ecclesiastica disciplina in Ecclesijs eorum in vtilitate seruetur, & maneat inconcussa, & sacerdotium, quod in ijs fuerit, non pollutum,vt antea fuit,sed mundum & acceptum Deo esse possit, quantum humana conditio valet.

Alcuinus. 750.

De diuinis Officijs cap. 38. de vestimentis: Pallium Archiepiscoporum super omnia indumenta est, vt lamina in fronte Pontificis. Palliũ nihil aliud est, nisi discretio inter Archiepiscopũ,& eius Suffraganeos. Palliũ significat torquem, quem solebant legitimè certantes accipere. Hoc etiam erat lamina illa, vt dixi,quam summus Pontifex circa tempora ferebat, in qua scriptum erat nomen Dei Tetragrammaton, id est, quatuor literarum.

Aribo Frisingensis. 770.

Invita S. Corbiniani cap. 6. Coactus à beatissimo Papa Gregorio, sacerdotalem accepit benedictionem, accepto etiã pallio cum benedictione & adiutorio B. Petri Apostoli: vt vbiq; prædicationis officium exercere in toto orbe posset, & tanti Patris consensu potestatem haberet.

Amalarius Fortunatus. 820.

De Ecclesiasticis officijs lib.2.cap.23. Pallium Archiepiscoporum super omnia indumenta est, vt lamina in fronte solius Pontificis. Illo discernitur Archiepiscopus à cæterisEpiscopis.Pallium significat torquem, quem solebant legitimè certantes accipere, quo dono admonentur cæteri ad legitimum certamen,quod habet duas lineas à summo vsq; deorsum ante & retro. Significat enim summæ doctrinę decorem per disciplinam mandatorum Domini acceptabilem,&c.

Rabanus Maurus. 850.

De institutione Cleri lib.1. cap.23. Super hæc autem omnia summo Pontifici(qui Archiepiscopus vocatur) propter Apostolicam vicem pallij honor decernitur. Quod genus indumenti crucis signaculum purpureo colore exprimit,vt ipso indutus Pontifex à tergo & pectore crucem habeat, suaq; mente piè & dignè de passione Redemptoris cogitet, ac populo, pro quo Dominum deprecatur, redemptionis suæ signaculum demonstret.

Nicolaus Primus. 860.

Epist.47. Postremò scire te volumus, nostris auribus intimatum esse, fraternitatem tuam non certis temporibus, & iuxta morem alijs Metropolitanis Antistitibus definitum, pallio à Sede Apostolica concesso vti: quod valde displicet, si ita à Sanctitate tua fuerit elatè commissum,vt humilitatis oblita, cæteris fratribus suis studeat videri sublimior: quamuis hoc non ad inanem gloriam vtendum sit, sed ad ornatum cunctarum virtutum gestandum. Quod bene tempore,quo ipsius pallij vsum à Sede Apostolica percepisti, scripto paginæ,more solito tibi ostensum atq; præceptum est,cuius vsus si fraternitati tuæ à Sede Apostolica omni tempore concessus est, licet sit præter Ecclesiæ consuetudinem perceptus,ac per hoc rationabiliter amittendus.

In priuilegio Hamburgensis Ecclesiæ, apud Crantzium lib.1. Metropol.cap.39. Et quia te,charissime fili Ansgari, diuina clementia noua in sede primũ disposuit esse Archiepiscopum, nostq; tibi pallium ad Missarum solennia celebranda tribuimus, quod tibi in diebus tuis,& Ecclesiæ tuæ, perpetuo statu manentibus priuilegijs,vti largimur. Idcirco huius indumenti honor morum à te viuacitate seruandus est,&c. Porrò pallio te vti, non nisi more Sedis concedimus Apostolicę,scilicet,vt successores tui per semetipsos vel per legatos suos, & scriptam fidem nobiscum tenere,ac sanctas sex Synodos recipere, atq; decreta omnium Romanæ Sedis Præsulũ,& epistolas, quæ sibi delatæ fuerint, venerabiliter obseruare atque perficere,omnibus diebus suis, scripto se & iuramento profiteantur.

Ioannes Octauus. 870.

Epist. ad VVilibertum Colonienſem Episcopum: Optatum tibi pallium nũc conferre nequiuimus: quia fidei tuæ paginam minus quàm oporteat continere reperimus: cùm videlicet nullam in ea sanctarum vniuersalium Synodorum, in quibus fidei nostræ Symbolum continetur, nec decretalium Pontificum Romanorum constitutorum, secundùm morem, feceris mentionem; sed nec illam propria subscriptione munieras; nec aliquẽ, qui hæc iureiurando firmaret, miseras. *Extat apud Gratianũ distinct.100*

Leo Septimus. 935.

Epistola ad Gerhardum Laureacensem Episcopum: Pallium fraternitati tuæ ad Missarum solennia celebranda concedimus: quod tibi non aliter,Ecclesiæ tuæ priuilegijs in statu suo manentibus, vti largimur, nisi solùm in die consecrationis Chrismatis,ac sanctæ ac venerandę Resurrectionis Domini nostri Iesu Christi, seu in natalitijs sanctorum Apostolorum atque B.Ioannis Baptistæ: nec non in festiuitatibus S. Dei Genitricis Mariæ,simulq; in Dominico Domini nostri Natiuitatis die, pariterq; in solennitatis Ecclesiæ tuæ die,& Natali tuo die: verùm etiam in consecratione Episcoporũ & Presbyterorum,& quando à te Synodus celebratur.

Frodoardus. 960.

De anno 923. Seulfo Archiepiscopo Archiepiscopalis infula, quæ pallium nominatur, ab Ioanne Papa transmittitur.

Osbertus Cantuarienſis. 1020.

In vita S. Elphegi Episcopi: Restitutis Episcopo rebus, acceptoq; à Papa pallio, domũ prosperè regreditur.

Rogerius Benedictinus. 1040.

Vitæ S. Brunonis Episcopi Colonienſis cap. 23. Legatus Roma rediens, bonum nuntium Coloniam ferre accelerauit, portans sacrum habitum ab vniuersali Pontifice missum, prætendentem iugum Domini suaue,& onus eius leue,& ipsum, quod sub eo dispensatur, humile ministerium,quod verba Domini testantur,dicentis: *Qui maior est vestrũ, erit minister vester.*

Gregorius Septimus. 1076.

Lib.9.epist.1. ad Rothomagẽsem Episcopum: Nisi nos Apostolica mansuetudo detineret, profectò seuerius in te iam animaduersum sensisses, quòd huc vsque præclarius tuæ dignitatis insigne,videlicet pallium ab Apostolica Sede pro more acquirere postposuisti. Teipsum namque non ignorare putamus, quàm districtè sanctorum Patrum censura in eos iudicandum statuerit,qui post consecrationem suam per tres continuos menses pallium, quod sui sit officij,obtinere tepuerint.Proinde Apostolica tibi præcipimus auctoritate,vt quia sanctorum Patrum statuta paruipendisti, nullũ deinceps Episcopum, vel sacerdotem ordinare, seu Ecclesias præsumas cõsecrare, donec honoris tui supplementum, pallij scilicet vsum ab hac Sede impetraueris.

Edinerus Anglus. 1100.

In vita S. Anselmi: Regem de transmarinis locis regressum Anselmus adijt,& vt sibi Romã ad Papam Vrbanũ pro stola sui Archiepiscopatus eundi licentiam daret,humiliter petijt.

Iuo Carnotensis. 1100.

Epist. 118. Vnde mando vobis ex parte Domni Papę,vt si Parisiensis Ecclesia eum sibi consecrari postulauerit, ante festum S. Remigij, secundùm auctoritatem & consuetudinem Ecclesiæ vestræ, ei manum imponatis,& honore pallij ad tempus vobis interdicto, in eius ordinatione & consecratione vti nullatenus formidetis.

Rupertus Tuitiensis. 1120.

De diuinis officijs lib.1.cap.27. Est octauum Archiepiscopis indumentum pro aurea lamina, quod dicitur pallium, ab Apostolica Sede datum: quod à collo circa pectus dependens,situ suo illam(quę valde condecet Episcoporum Patrem, & eorum concilij principem) patenter designat humilitatis vel sapientiæ torquem,&c. Aliorum quidem Apostolorum successores Patriarchæ dicti sunt: Petri autem successor pro excellentia principis Apostolorũ, Apostolicus nominatur. Qui autem ab ijs per prouincias missi sunt, tam ipsi, quàm successores eorum,Archiepiscopi nominantur: & qui ab his per vrbes comprouinciales ordinati sunt, & qui illis succedunt, vsq; hodie simpliciter Episcopi nominantur. Initium ergo fidei habentes ab Apostolica Sede, regulam hanc Metropolitanæ obseruant Ecclesiæ, vt neminem habeant Pontificem,nisi ab eadem Sede missum,à qua primus illis fidei prædicator missus est. Illa autem missio supradicti pallij est largitio, quod, vt dictum est, à collo dependens, humilitatem significat Domini dicentis: *Sicut misit me Pater,& ego mitto vos.* Ioan.20.

Honorius Secundus. 1122.

Epistola ad Suffraganeos & Episcopos Tyri: Archiepiscopum vestrum debita charitate suscepimus, & quem Canonicè electum,& ab Hierosolymitano Patriarcha consecratum accepimus, pallij dignitate,plenitudine videlicet Pontificalis officij, decorauimus. *Extat apud Guil. Tyriũ lib. 13. cap.23*

Bernardus. 1130.

Vitæ Malachiæ cap.19. Visum tamen est sibi, non tutè satis actitari ista absq; Sedis Apostolicæ auctoritate, & Romam proficisci deliberat: maximeq; quòd Metropoliticę sedi deerat adhuc,& defuerat ab initio pallij vsus, quod est plenitudo honoris. Et visum est bonum in oculis eius,si Ecclesia, pro qua tantum laborarat, quem hactenus non habuerat, suo acquireret studio & labore. Erat & altera Metropolitica Sedes, quam de nouo constituerat Celsus; primæ tamen sedi, & illius Archiepiscopo subdita, tamquã Primati: & huic quoq; optabat nihilominus pallium Malachias, confirmariq; auctoritate Sedis Apostolicę præro-

Hugo Victorinus. 1130.

De Sacramentis lib.1.cap.57. His omnibus insignibus fulget Archiepiscopus, insuper & pallio, quo à cæteris discernitur Episcopis. Hoc duas lineas habet à summo vsq; deorsum ante & retrò dependentes, & purpureum sanctæ crucis signaculum proferentes. Hoc est duorum Testamẽtorum doctrina, passioni Christi testimonium perhibens. Circulus circa collum Pontificis torques est aurea, quæ legitimè certantibus promittitur. Spinulæ,quibus pallium affigitur,stimuli charitatis sunt,quibus circa curam subditorum stimulatur Archiepiscopus.

Guilhelmus Tyrius. 1180.

Lib.13.cap.23. D.VVilhelmus Tyri Archiepiscopus accepto consecrationis suæ munere à D. Hierosolymitano Patriarcha, vt pallium reciperet Romam profectus est, vbi à D.Papa Honorio secundo benignè susceptus, quod petebat obtinuit cum multa honorificentia.

Innocentius Tertius. 1200.

Mysteriorum Missælib.1.cap.63. Pallium,quo maiores vtuntur Episcopi, significat disciplinam, qua seipsos & subditos Archiepiscopi debent regere. Per hãc acquiritur torques aurea,quam legitimè certantes accipiunt. Fit pallium de candida lana contextum, habens desuper circulum humeros constringentem,& duas lineas ab vtraq; parte dependentes,quatuor autem cruces purpureas ante & retro,à dextris & sinistris; sed à sinistris est duplex,& simplex à dextris. Hæc omnia moralibus sunt imbuta mysterijs, & diuinis grauida sacramentis. Nam,vt Scriptura testatur: *In thesauris sapientiæ significatio disciplinæ.* In lana quippe notatur asperitas: in candore benignitas designatur. Nam Ecclesiastica disciplina contra rebelles & obstinatos seueritatem exercet: sed erga pœnitentes & humiles exhibet pietatem,&c.Dicitur autem pallium plenitudo Pontificalis officij: quoniam in ipso,& cum ipso confertur Pontificalis officij plenitudo. Nam antequam Metropolitanus pallio decoretur, non debet clericos ordinare, Pontifices consecrare,vel Ecclesias dedicare,nec Archiepiscopus appellari. Eccles.1

Concilium Lateranense. 1215.

Cap.5. Antiqua Patriarchalium sedium priuilegia renouantes,sacra vniuersali Synodo approbante sancimus,vt post Romanam Ecclesiam Cõstantinopolitana primum, Alexandrina secundum,Antiochena tertiũ, Hierosolymitana quartum locum obtineant, seruata cuilibet propria dignitate, ita quòd, postquam eorum Antistites à Romano Pontifice receperint pallium, quod est plenitudinis officij Pontificalis insigne, præstito sibi fidelitatis & obedientiæ iuramento, licenter & ipsi suis Suffraganeis pallium largiantur, recipientes pro se professionem Canonicam, & pro Romana Ecclesia sponsionẽ obedientiæ ab ipsis.

Iacobus Vitriacus. 1220.

Historiæ Occidentalis cap.35. Archiepiscopi super omnia vestimenta vtuntur pallio laneo & candido,circulo quodam super humeros constringente. In lana correctionis asperitas contra rebelles notatur: in candore benignitas erga humiles & pœnitentes designatur,vt habeat Prælatus faciem leonis,& faciẽ hominis.Circulus,quo humeri cõstringũtur, timor Domini est, quo opera coercẽtur, vt stringatur fasciculus, ne paulatim defluat.

Alexander Alesius. 1240.

Parte 4.q.10.m.5.art.2.§.6. Vtuntur Archiepiscopi pallio,quod significat torquem auream,quam solebant legitimè certantes accipere. Istud orna-

mentum omnibus conceditur Archiepiſcopis,& aliquibus Epiſcopis ex gratia ſpeciali. Quãdo datur pallium, datur plenitudo poteſtatis Paſtoralis officij. Nam antequam Metropolitanus pallio decoretur, non debet clericos ordinare, Pontifices conſecrare, Eccleſias dedicare.

Matthæus Pariſius. 1250.

In Hiſt. Angl. de Anno 1154. Anaſtaſius Papa Henricum Eboracenſem Archiepiſcopum reſtituit in ſedem ſuam cathedralem, donans ei pallium Romæ.

De anno 1173. Eodem anno Archiepiſcopus Cantuarienſis Roma rediens pallium, & Primatum Angliæ reportauit.

Guilhelmus Durandus. 1270.

In Rationali diuinorum lib. 3. cap. 17. Pallium Patriarcharum, Primatum, & Metropolitanorum eſt proprium, vt per illud à cæteris Epiſcopis diſcernantur, quòd priuilegiatam obtinent dignitatem. Pallium, quo maiores vtuntur, ſignificat diſciplinam, qua ſe ipſos ad exemplum ſubditorum & etiam ipſos ſubditos regere,& conſtringere debent,&c.

Suffridus Presbyter. 1300.

Lib. 1. Epitomes de anno 1049. Leo Papa dedit pallium Babembergenſi Epiſcopo.

Rainerus Piſanus. 1300.

In Pantheologia de Lege cap. 78. Datur modò pallium Archiepiſcopo pro Rationali, in ſignum amplioris dignitatis,& perfectionis, quã habuit Pontifex veteris legis. Vbi nota, quòd Archiepiſcopus debet habere pallium,& non Epiſcopus. Cuius ratio eſt: quia, quamuis Archiepiſcopus non habeat poteſtatem gerere à poteſtate Epiſcopi. Quod patet: quia quantum ad ea, quæ ſunt Epiſcopalis ordinis, omnes Epiſcopi ſunt æquales, tamen Archiepiſcopus eandem poteſtatem habet, & ampliorem, quàm Epiſcopus. Et ideo ad hanc perfectionem deſignandam pallium ſibi datur.

Ioannes Vigeſimus ſecundus. 1320.

Extra de auctoritate & vſu pallij: Malitijs hominũ, quæ ſæpe circa impediendam pallij dationem cõmittuntur, volentes ſalubriter obuiare, hac in perpetuum valitura conſtitutione ſancimus, vt deinceps per obiectum cuiuſuis criminis, ſeu defectus traditio pallij facienda ijs, qui ad Metropolitanarum Eccleſiarum, ſeu aliarum regimen aſſumuntur, non impediatur in aliquo, nec retardetur, niſi obijcientes firment, corporali præſtito iuramento, ſe id malitiosè non agere, ſed obiecta vera eſſe ſe credere, ac de obiectis, offerant facere promptam fidem,& nihilominus ad pœnam talionis, ſeu extraordinariam ſe obligẽt arbitrio præſidentis. Promptam verò fidem intelligimus in hoc caſu, ſi infra bimeſtris temporis ſpatium numerandum, à die collationis, ni antea probauerint legitimè quod opponunt. Quod ſi non fecerint, ad ipſius traditionẽ pallij procedatur. Per traditionem autem huiuſmodi, vię accuſationis, denuntiationis, vel inquiſitionis, nullum volumus præiudicium generari.

Matthæus VVeſtmonaſterienſis. 1370.

In Chron. Anno gratiæ 740. Chutbertus Doroberneníis Archiepiſcopus conſecratus, accepto pallio Dumi ad Roffenſem EccleſiãEpiſcopũ ordinauit.

Anno gratiæ 765. Offę Rex Merciorum miſit ad Papam Adrianum nuntios, exigẽs ab eo, vt pallio Ealdulphũ Lichefeldenſem Epiſcopũ inſigniret, atq; omnes regni ſui Epiſcopos ei ſubiugaret.

Ioannes de Turrecremata. 1460.

Super Decret. part. 1. diſt. 100. n. 2. Conuenienter inſtitutum eſt, vt Primates & Archiepiſcopi ſuſcipiant palliũ ab Apoſtolica Sede. Probatur ſic: Primates & Archiepiſcopi ſuſceperunt vltra alios Prælatos, ſcilicet Epiſcopos aliquam excellentiam honoris ab Apoſtolica Sede. Ergo conueniens fuit, vt etiam ab ea accipiant ornamẽta, deſignantia dignitatem illam: Pallium enim ſpiritualem dignitatem & honorem deſignat. Secundò conueniens fuit,& eſt, vt Archiepiſcopi ſuſcipiant pallium, quò intelligant, vt ſicut augmento bonorum alios excellunt, ita alios ornamento actionis excellere debent. Tertiò, ſicut Archiepiſcopi honore diſtinguuntur ab Epiſcopis: ita etiam diſtinguantur ornamẽto aliquo honoris, & hoc eſt pallium.

ARTICVLVS VIGESIMVS.

SOLOS PONTIFICES, EPISCOPOS, ET SACERDOTES VICE CHRISTI PECCATA LIGARE ET SOLVERE: ERGO FACTAM AB ILLIS EXCOMMVNICATIONEM VERE EFFICACEM, ET METVENDAM ESSE.

NEGANT.

Anno poſt natũ Chriſtum. 600. *ARMENII dicunt, quòd aliqua peccata ſunt irremiſſibilia, quæ non poſſunt per Epiſcopos aut Sacerdotes remitti: quia Chriſtus non dedit eis poteſtatem remittendi tale peccatum.* Guido de Armeniorum hæreſi cap. 19.

1150. *Petrobruſiani & Henriciani ridebant Excõmunicationes ſacerdotum.* Petrus Cluniacenſis epiſtola de eorum hæreſi.

1180. *VValdenſes dicunt, quòd ſacerdotes peccatis ſordidi & immundi, ac peccatorum vinculis ligati, non poſſunt alios mundare, nec à peccatis abſoluere.* Guido de VValdenſibus cap. 23.

Albigen-

1200. *Albigenſes dicunt, quòd Eccleſia non poteſt excommunicare, nec malos perſequi.* Antoninus part. 4. Summæ tit. 11. cap. 7. §. 5.

1260. *Gerhardus Sagarellus de Parma aſſeruit, quòd Pontifex Romanus neminem poſſit abſoluere, niſi fortè ſit ita ſanctus, ſicut B. Petrus, & in tanta paupertate, & in tanta humilitate.* Guido de Pſeudoapoſtolis hær. 2.

1390. Ioannes VVicleuus artic. 11. Conſtantiæ damnato: *Nullus Prælatus debet aliquem excommunicare, niſi prius ſciat à Deo ipſum excommunicatum.*

Artic. 30. *Excommunicatio Papæ, vel alterius Prælati non eſt curanda: quia eſt cenſura Antichriſti.*

1520. Martinus Lutherus epiſtola ad Senatum Pragenſem: *Sacerdotes nullo iure, ſed abuſu damnabili, vtuntur in confeſſionibus & excommunicationibus ligandi & ſoluendi officio: nam omnes, qui Chriſtiani ſumus, habemus commune officium clauium.*

Aduerſus execrabilem Bullam Papæ: *Parati ſumus pro hac noſtra ſententia ſtultas veſtras cenſuras non modò cum gaudio ferre, ſed etiam rogare, vt nunquam nos abſoluatis.*

In aſſertionibus artic. 23. *Excommunicationes ſunt tantùm pœnæ externæ, nec priuant hominem communibus ſpiritualibus Eccleſiæ orationibus.*

Art. 24. *Docendi ſunt Chriſtiani, Excommunicationem plus diligere, quàm timere.*

ASSERVNT SACRÆ LITERÆ.

Deut. 13. v. 5. Auferes malum de medio tui.

Eccleſ. 13. 1. Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea: & qui communicauerit ſuperbo, induet ſuperbiam.

Matth. 16. 19. Tibi dabo claues regni cælorum. Et quodcumq; ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cælis: & quodcumque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis.

Matth. 18. 18. Quæcumq; alligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo: & quæcumque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælo.

Ioannis 20. 22. Hæc cùm dixiſſet, inſufflauit, & dicit eis: Accipite Spiritum ſanctũ: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta ſunt.

1. *Cor.* 5. 1. Omninò auditur inter vos fornicatio,& talis fornicatio, qualis nec inter gentes, ita vt vxorem patris aliquis habeat. Et vos inflati eſtis: & non magis luctum habuiſtis, vt tollatur de medio veſtrum, qui hoc opus fecit. Ego quidem abſens corpore, præſens autem ſpiritu, iam iudicaui vt præſens, eum, qui ſic operatus eſt, in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, congregatis vobis & meo ſpiritu, cum virtute Domini noſtri Ieſu Chriſti, tradere huiuſmodi Satanæ in interitum carnis, vt ſpiritus ſaluus ſit in die Domini noſtri Ieſu Chriſti. Non eſt bona gloriatio veſtra. Neſcitis quia modicum fermẽtum totam maſſam corrumpit? Expurgate vetus fermentum. 9. Scripſi vobis in epiſtola, Ne commiſceamini fornicarijs. 11. Si is, qui frater nominatur, eſt fornicator, aut auarus, aut idôlis ſeruiens, aut maledicus, aut ebrioſus, aut rapax: cũ eiuſmodi nec cibum ſumere. 13. Auferte malum ex vobis ipſis.

1. *Tim.* 1. 19. Fidem & bonam conſcientiam quidam repellentes, circa fidem naufragauerunt: ex quibus eſt Hymenæus & Alexander, quos tradidi Satanæ, vt diſcant non blaſphemare.

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Clemens Romanus. 80.

Canone Apoſt. 10. Si quis cum excommunicato vel in domo vnà precatus fuerit, ſegregetur.

Can. 11. Si quis, cùm ſit clericus, vnà cum eo, qui eſt depoſitus, orauerit, deponatur & ipſe.

Can. 12. Si quis clericus, vel laicus ſegregatus, ſiue non recipiendus diſcedens, in altera vrbe receptus fuerit, abſque literis cõmendatitijs, ſegregetur,& qui excepit,& qui exceptus eſt. Si autem eſt ſegregatus, eius intendatur ſegregatio.

Can. 29. Si quis Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, iuſtè propter crimina manifeſta depoſitus, auſus fuerit tractare miniſterium dudum ſibi commiſſum, penitus ab Eccleſia abſcindatur.

Can. 31. Si quis Presbyter, vel Diaconus ab Epiſcopo ſit ſegregatus, non licet alij eum ſuſcipere, quàm qui ipſum ſegregauit: poſt eius, qui ſegregauit, mortem, ſoluere eſt permiſſum.

Conſtitutionum Apoſtolicarum lib. 2. cap. 21. Cõtinuò vt aliquis ex Eccleſia eiectus eſt, accedunt ad eum truculenti lupi, ac perinde ac ſi agnus eſſet, ita illũ prædam eſſe putant ad vorandum, illius interitũ quæſtui habentes.

Cap. 41. Vt peritus medicus condolens adhibe curationem ijs, qui deliquerũt, vtens ſalutaribus ad opitulandum modis, non ſolùm ſecans, aut vrens, aut ſicca medicamenta adhibens; ſed etiam vulnus alligans, & linimentum in illud inijciẽs, leneq; medicamentum, quod vim habeat obducẽdi cicatricem, imponens, ac verbis conſolatorijs recreans. Si vulnus cauum fuerit, appone ſuaue emplaſtrum ad accretionem carnis, vt carne repletum vulnus æquale efficiatur parti ſanæ. Si autem vulnus ſordeſcit, tunc repurga nouacula, id eſt, ſermone increpatorio: ſi turgeſcit, complana, & deprime acri collyrio, hoc eſt, minis iudicij: ſi ſerpit cancer, vre,& extrahe ſaniem, comprimẽs ieiunijs. Quod ſi hęc feceris, ac demũ intellexeris, quòd à pedibus vſq; ad caput nõ eſt malagma imponere, neq; oleũ, neq; alligationẽ, imò magis ſerpit cancer,& omnem curationem anticipat, vniuerſas partes corporis, tamquam gangręna tabe-

faciens, hîc tu multa conſideratione, alijs item medicis peritis in cõſilium adhibitis, ſeca membrum tabidum, ne vniuerſum corpus Eccleſię intereat. Ne igitur facilis ſis & pręproperus ad ſecãdum, neq; celeriter ad ſerram dentatam profilias, quin potius vtere ſcalpello ad ſecandũ apoſtema, vt cauſa morbi, quæ intus reſidet, educta, corpus ſeruetur à dolore incolume. At verò quem à pœnitentia alienum videris, & obduruiſſe, hunc tu mœrore, vt inſanabilem, ejice ex Eccleſia: *Tolletis*, inquit, *improbum ex vobis ipſis*.

Cap.47. Qui iuſtè à vobis punitus eſt, & excommunicatus, idem à vita immortali, & gloria reiectus eſt, & apud iuſtos, & pios homines inhonoratus & inglorius, & apud eundẽ Deũ damnatus.

Origenes. 230.

Homil.7.in Ioſuam: Sed & illud non otioſè tranſcurrendum eſt, quòd vno peccante ira ſuper oẽm populum venit. Hoc modo accidit, quando ſacerdotes, qui populo præſunt, erga delinquentes benigni videri volunt, & verentes peccantium linguas, ne fortè malè de ijs loquantur, ſacerdotalis ſeueritatis immemores, nolũt implere quod ſcriptum eſt: *Peccantem coram omnibus argue, vt cæteri timorem habeant.* Et iterum: *Auferte malum ex vobis ipſis.* 1. Tim.5. Nec zelo Dei ſuccincti imitantur Apoſtolum dicentem: *Tradidi huiuſmodi Satanæ in interitum carnis, vt ſpiritus ſaluus fiat.* 1.Cor.5. Neq; illud Euãgelicum implere ſtudent, vt ſi viderint peccantem, primò ſecretè conueniant, poſt etiam duobus vel tribus arbitris. Quod ſi contempſerit, & poſt hæc Eccleſiæ correptione non fuerit emendatus, de Eccleſiæ correptione nõ fuerit emendatus, de Eccleſia pulſum velut gentilem habeant, & publicanum. Et dum vni parcunt, vniuerſæ Eccleſiæ moliuntur interitum. Quæ iſta bonitas? quæ iſta miſericordia eſt, vni parcere, & omnes in diſcrimen adducere? Polluitur enim ex vno peccatore populus, ſicut ex vna oue morbida grex vniuerſus inficitur: ſic etiam vno vel fornicante, vel aliud quodcumq; ſceleris cõmittente, plebs vniuerſa polluitur. Et ideo obſeruemus nos inuicẽ, & vniuſcuiuſq; cõuerſatio nota ſit, maximè ſacerdotibus, &c. Hęc nõ ideo dicimus, vt pro leui culpa aliquis abſcindatur: ſed ſi fortè cõmonitus quis, & correptus ſemel, & iterum, & tertiò, nihil emendationis oſtenderit, vtamur medici diſciplina. Si oleo perunximus, ſi emplaſtris mitigauimus, ſi malagmate molliuimus, nec tamen cedit medicamentis tumoris duritia, ſolum ſupereſt remediũ deſecandi. Sic enim Dominus dicit: *Si dextera manus ſcandalizat te, abſcinde eam, & proijce abs te.* Matt.5.

Homilia 21. Non eſt poſſibile ad liquidum purgari Eccleſiam, dum in terris eſt, ita vt neq; impius in ea quiſquam, neq; peccator reſidere videatur; ſed ſint in ea omnes ſancti & beati, & in quibus nulla prorſus peccati macula deprehendatur. Sed ſicut dicitur de zizanijs: *Ne fortè eradicantes zizania, eradicetis ſimul & triticum:* ita etiam ſuper ijs dici poteſt, in quibus vel occulta, vel dubia peccata ſunt. Neq; enim dicimus de ijs, qui manifeſtè & euidenter criminoſi ſunt, vt non de Eccleſia expellantur, &c. Vbi peccatum non eſt euidẽs, ejicere de Eccleſia neminem poſſumus, ne fortè eradicantes zizania, eradicemus & triticum.

Homilia 11. in Hieremiam: Si quis vult imitari vitas Prophetarum, increpet, arguatq; peccatores, ſtatim odiũ merebitur, ſtatim ei detrahetur, ſtatim patietur inſidias. Quod etiã nũc in Eccleſijs ſępè videmus accidere. Peccauerit quodlibet quiſpiam, is, qui præfidet populo, & regit Eccleſiaſticam diſciplinam, ejicit eum de cõgregatione Sanctorum illicò. Ille circuit ciuitatem, lacerat eum, qui quantum in ſe fuit Eccleſiam vindicauit. Verùm nos non præbeamus his aurem, qui propter excommunicationem ſui tam Præpoſitos, quàm omnẽ Eccleſiæ conuentũ væſano ore dilacerant. Homilia 3. in Ezechielem: *Ne auferas nos Domine de medio populi tui.* Iuſtè enim projcitur, qui digna facit abiectione, vt auferatur à populo Dei, & eradicetur ab eo, & tradatur Satanæ.

Tractatu 35. in Matth. In Eccleſijs Chriſti conſuetudo tenuit talis, vt qui manifeſti ſint in magnis delictis, ejciantur ab oratione, ne modicum fermenti, non ex corde mundo orantium, totam vnitatis conſperſionem & conſenſum corrumpat.

Petrus Alexandrinus. 300.

Canone 4. Ijs, qui omninò ſunt deſperati, & pœnitentiam non agunt, & pellem AEthiopis poſſident immutabilem, & pardi varietates, dicetur, quod alij ſicui dictum eſt: *Nequaquam ex te fructus ſit in æternum,* & ideo ſtatim quoque exarefcit.

Can.5. Ij autem, qui ſimulârunt, ſicut & Dauid, qui ſe epilepticum fingebat ne moreretur, cùm epilepticus non eſſet, & non nudè negationem inſcripſerunt, ſed in multis anguſtijs inimicorũ inſidias ludificati ſunt, eis ſemeſtre imponetur in pœnitentia conuerſionis. Sic enim ipſi quoq; magis iuuabuntur.

Can.7. Liberi tribus annis in pœnitentia examinabuntur, tum quòd diſſimulauerint, tum quòd effecerint, vt ſerui ſacrificarent.

Euſebius Cæſareenſis. 320.

Eccleſ.hiſt.lib.6.cap.27. De Philippo Imp. fama eſt (Chriſtianus namq; erat) cùm precationum in die poſtremæ Vigiliæ Paſchatis, vnà cum multitudine in Eccleſia particeps fieri vellet, non prius ab Epiſcopo, qui tum Eccleſiæ præerat, permiſſum eſſe intrare, quàm ſe confeſſus fuiſſet, & inter eos, qui peccatorum vinculis adhuc tenebantur aſtricti, locumq; pœnitentiam agentibus præſtitutum occupabant, ſe ſua ſponte collocauiſſet, Epiſcopumq; dixiſſe, eum non alia conditione, niſi iſtud faceret, propter multa delicta, quæ ab illo ferebantur admiſſa, aliquando ab ipſo in Eccleſiam receptum fore: Imperatorem autẽ alacri animo & lubenti Epiſcopo morem geſſiſſe, ac religioſam piamq; affectionem, Dei timore incitatam, reipſa declaraſſe memorant.

Concilium Nicænum. 325.

Can.5. De his, qui à communione ſegregati ſunt, ſiue clericorum, ſiue laicorum ſint ordinis, ab Epiſcopis, qui ſunt in vnaquaque prouincia, valeat ſententia ſecundùm Canonem, qui pronuntiat eos, qui ab alijs electi ſunt, non eſſe ab alijs admittendos. Examinetur autem nunquid vel puſillanimitate, vel contentione, vel aliqua eiuſmodi Epiſcopi acerbitate, congregatione pulſi ſint. Vt hoc ergo conuenientem examinationem accipiat, rectè habere viſum eſt, vt ſingulis annis in vnaquaq; prouincia, bis in anno Synodi fiant: vt cùm omnes prouinciæ Epiſcopi in eundem locũ communiter conueniant, eiuſmodi quæſtiones examinentur: & ſic quos Epiſcopum offendiſſe conſtiterit, iuſtè eſſe à congregatione ſeparati apud omnes videantur, donec Epiſcoporum congregationi videatur pro ijs humaniorem proferre ſententiam.

Concilium Antiochenum. 340.

Can.6. Si quis à proprio Epiſcopo fuit excõmunicatus, ne prius ab alijs ſuſcipiatur, quàm fuerit à proprio Epiſcopo ſuſceptus, vel facta Synodo accedens ſe defenderit, & perſuaſa Synodo aliam ſententiam retulerit.

Concilium Sardicenſe. 346.

Can.13. Hoc quoq; omnibus placeat, vt ſi Diaconus, vel Presbyter, vel etiam aliquis ex clericis ſit excõmunicatus, & ad aliũ Epiſcopũ, qui eũ nouit, confugerit, ſcientem eum à proprio Epiſcopo eſſe communione motum, non oportere Epiſcopo, & fratri ſuo iniuriam facientem, ei communionem præbere. Sin autem hoc facere auſus fuerit, ſciat, cùm conuenerint Epiſcopi, ſeipſum cauſam eſſe dicturum.

Can.14. Si quis inueniatur Epiſcopus ad iram propenſus, quod quidem ab huiuſmodi homine abeſſe debet, & aduerſus Presbyterum, vel Diaconum citò commotus, eum ex Eccleſia ejicere voluerit, prouidendum eſt, ne is repente condemnetur, & communione priuetur.

Baſilius Magnus. 370.

Epiſtola 47. ad Athanaſium. Incidi in Sanctitatis tuæ literas, in quibus aduerſus Libyę Prefectum, virum infamẽ ingemuiſti. Deploramus quidem patriam noſtram, quòd talium malorum & mater eſt, & nutrix: deploramus verò & Libyam noſtræ vicinam, quòd malorum noſtrorum particeps facta, ferinisq́ue viri huius moribus tradita eſt, qui à pueris crudelitati pariter, & laſciuiæ aſſueuit. Itaque illum quidem flagella manent apud iuſtum iudicem, ad eandem menſuram commenſurata, iuxta quam ipſa iam antea Sanctos ipſius affligere præſumpſit. Innotuit autem & Eccleſiæ noſtræ ex literis pietatis tuę, atque auerſandum & execrabilem illum arbitrabũtur omnes, ita vt nec ignis, nec aquę, nec tecti communionem cum illo ſint habituri. Siquidem prodeſt, vt violenti iſti tyranni communi & vnanimi iudicio condemnentur. Sufficiet autem ipſi damnationis titulus, & ipſæ ſententię, quibus vndique cõdemnabitur. Neque enim omittemus, quo minus condemnationem iſtam omnibus ipſius & familiaribus, & amicis, atque aduenis oſtendamus. Quòd ſi verò non ſtatim illum iſtæ reprehenſiones, quemadmodum & Pharaonem permouebũt, attamen poſtremum aliquando, & grauem illi ac triſtem retributionem adferent.

Gregorius Nyſſenus. 380.

Oratione aduerſus eos, qui ægrè ferunt reprehenſiones: Matt.18. Non ſic Chriſtianus, qui audiuit: *Niſi conuerſi fueritis, & ſitis ſicut pueri, non intrabitis in regnum cælorum:* ſed quando viderit ſacerdotem auſterius, & geſtu, & voce delictum corrigentem, apertè contradicit, & murmurat intra dentes, forumq́ue & compita obiens, maledictis inſectatur, & ſi ab Eccleſia fuerit excluſus, contemnit, cùm palam abſcindatur à precibus populi, & à myſterijs; aut fortè ne huic quidem ſubiectus ſupplicio, ſe aufert ab Eccleſia, propter iram, quam concepit in Epiſcopum, Deum ac Dominum aduerſans. Ei autem dicendum eſt, quod dictum eſt Paulo, cùm Actor.9. adhuc eſſet Saulus: *Durum eſt tibi, ô homo, aduerſus ſtimulum calcitrare.* Siue ex te ipſo Deum dimiſiſti, conſidera, quòd qui ſeparatur à ſole, vitam degit in tenebris, & caligine: ſiue tamquam indignus ejectus es à precibus, priorem ſtatum reuoca pœnitentia. Nihil falſi ſcriptum eſt in Euangelijs, neque Chriſti prædictio aberrantem, & incertum habet euentum. Per Petrum dedit Epiſcopis claues honorum cæleſtium. Agnoſce quòd ſi ſolutus fueris, es ſolutus: & ligatus, conſtringeris vinculis, quæ non cadunt ſub aſpectum. Si haberes oculos apud animæ eſſentiam, oſtendiſſem tibi ſegregato figuram & habitum condemnati, cuius collum premitur grauiſſimis vinculis, & nullum habet membrum liberum, ac ſolutum. Et vtinam intra huius vitæ terminos circũſcriberetur ſupplicium. Nunc autem ſi quid humanitus contigerit, & mors repentè, tamquam fur nocte, aduenerit, ſcias tibi eſſe clauſa, quæ illic ſunt. Sunt diligentes, & non ludentes ianitores regni. Vident animam ferentem ſigna ſegregationis, non ſecus atque quempiam, qui ſordida & impexa coma arguit carcerem. Eam itaque ejiciunt à via, quæ tendit ad ea, quæ ſunt bona & pulchra: nec concedent, vt videat ordines iuſtorum, & Angelicam lætitiam. Miſera autem tunc ſæpe conquerens de ſuo malo conſilio, ſtensq́ue, lugens & eiulans, perpetuò erit in tetro aliquo, & mœſto loco abiecta, tamquam in angulo, qui nũquam deſinet, & nullam admittet conſolationem, luctum extendens in æternum. Quando ſuſceperis reprehenſionem, pio & reuerenti animo dic illud Dauidicum: *Bonum mihi quòd me humiliaſti, vt diſcam iuſtificationes tuas.* Pſal.118. Ne Epiſcopalis arrogantiæ exiſtimes eſſe ſegregationem: Lex eſt patria, vetus eſt regula Eccleſię, quæ cœpit à lege, & fuit confirmata in gratia. Cõſidera ſanctum Paulum per epiſtolas in reos emittentem ſententias ſegregationis, & iuuenem Corinthium curantem eo medicamento, qui Satanicè nouercæ inſano captus erat amore. *Quem* 1.Cor.5. *enim diligit Dominus, caſtigat; flagellat autem filium,* Prou.1. *quem recipit.* Diſciplinæ enim radices nõ ſunt dul- Heb.12. ces, ſed amarę, ſed poſtea ferunt fructũ ſauis mellis dulciorem.

Ioannes Chryſoſtomus. 400.

Contra Gentiles de Babyla Martyre: Babylas per eos dies Chriſti Eccleſiam hanc, à Spiritus gratia ſibi concreditam, cùm haberet, Eliam, atque huius æmulum Ioannem, non dico præterijt, ne inuidioſo admodum vtar verbo, ſed vſque adeò eſt aſſecutus, vt ne tantillum quidem illorum generoſorum pectorum libertati conceſſerit. Neq; enim paucarum ciuitatum Tetrarcham, neque gentis vnius regem, ſed eum, qui imperio ſuo plurimã totius orbis partem contineret, ipſum, ipſum hunc inquam homicidam, de quo nobis ſermo eſt, eundem multarum gentium, multarum ciuitatum, immenſi item exercitus dominum, eundem quoquò te vertas, tum ab Imperij amplitudine, tum à morum ferocitate terribilem, quaſi vile quoddam, ac nullius pretij mancipium, ſic à Dei templo exegit: tanta adeò cum conſtantia & animi præſentia, cum quanta paſtor ſcabioſam ac morbidam ouem ab ouili excludit: dum prohibet, ne laborantis ouis morbus ad reliquum quoque gregem contagione ſerpat.

Lib.3 de Sacerdotio: Habent quidem & terreſtres Principes vinculi poteſtatem, verùm corporum ſolùm. Id autem quod dico ſacerdotum vinculũ, ipſam etiam animam contingit, atque ad cælos vſque peruadit: vſque adeò, vt quæcùnque infernè ſacerdotes conſecerint, illa eadem Deus ſupernè rata habeat, ac ſeruorum ſententiam Dominus confirmet.

In prioris ad Corinth. epiſt. Oratione 15. Rurſus ſeipſum eis fecit aſſiſtere: vt quando iudicauerint tamquam ipſo præſente, ita eum abſcindant, neque quiſquam audeat ipſum cenſere dignum venia, ſciens fore, vt Paulus ſciat quæ facta fuerint. Deinde id ipſum faciens terribilius, dicit: *Cum virtute Domini noſtri Ieſu Chriſti.* Hoc eſt, quòd vel poteſt Chriſtus vobis talem dare gratiam, vt poſſitis tradere diabolo, vel quòd ipſe quoque vobiſcum contra eum fert ſententiam. Non dixit autem, ipſum dedere Satanæ, ſed tradere, ei aperiens portas pœnitentiæ, & tamquam pædagogo eum tradens. Et rurſus talem, nec vſquam ſinit meminiſſe eius nominis. *Vt ſpiritus ſaluus fiat in die Domini noſtri Ieſu Chriſti.*) Hoc eſt, anima. Non quòd ea ſola ſalua ſit, ſed quòd hoc conſtet, quòd ſi illa ſit ſalua, abſque vlla contradictione corpus quoque ſit futurum particeps ſalutis. Aliqui ſpiritum dicunt eſſe chariſma ſeu donum gratuitum, quod extinguitur nobis peccantibus. Ne hoc ergo fiat, inquit, puniatur, vt ea ratione melior effectus attrahat gratiã, & inueniatur illam

saluam exhibens in die illo. Quamobrem est magis curam gerentis & medentis, quàm solùm secantis,& temerè & inconsideratè punientis. Est enim lucrum pœna maius. Nam pœna quidem est temporalis, lucrum autem perpetuum.

Palladius. 400.

Historiæ sanctorum Patrum cap.40. Presbyter eas virgines,quę pacem non agebant,septennium segregauit,eas excommunicans.

Synesius. 420.

Epist.12. Vade ad matrem Ecclesiam,frater Cyrille,à qua non abscissus es, sed ad tempus separatus,quod delictorum meritis præfinitum est: videor enim mihi clarè scire, quòd hoc iam pridè & communis noster pater sanctæ memoriæ fecisset,si non fatũ anteuertisset. Nam statuere pœnam certa mensura,animi fuit statim veniã pollicentis.Illum ipsum igitur sanctum sacerdotem existimato tibi reditum dedisse, & accede ad Deum purgata affectibus anima,obliuionemqúe habente malorum.

Epist.58.ad Episcopos: Andronico & suis, Thoanti & suis, nullum Dei fanum aperiatur, omne illis templum occlusum sit, & adytum atq; porticus. Non est diabolo pars in paradiso: qui etsi latenter subingressus sit,expellitur.Admoneo igitur omnem priuatum ac magistratum ne tectum cum illo, neque mensam communem habeant: sacerdotes autem vehementius,qui neque viuentes eos alloquentur, neque mortuos vnà deducẽt. Si quis autem Ecclesiam vt paruæ ciuitatis reiecerit,susceperitqúe ab ea abdicatos, quasi necesse non sit pauperi obtemperare, sciat se Ecclesiam dissecuisse,quam Christus vult vnam esse. Porrò talis siue Leuita est,siue Presbyter,siue Episcopus, apud nos in Andronici sortem constituetur: & neque dextram illi dabimus,neque in eadẽ mensa cibum cum illo capiemus. Multum autem aberit,vt in communionem arcani sacrificij recipiamus eos,qui partem habere voluerint cum Andronico & Thoante.

Ioannes Cassianus. 430.

Libro 2.Instit.cap. 16. Sanè si quis pro admisso quolibet delicto fuerit ab oratione suspensus, nullus cum eo orandi habet prorsus licentiam, antequam submissa in terram pœnitentia, reconciliatio eius, & admissi venia coram fratribus cunctis publicè fuerit ab Abbate concessa.Ob hoc namque tali obseruantia semetipsos ab orationis eius consortio segregant,atque secernunt, quòd credunt eum, qui ab oratione suspenditur, secundùm Apostoli sententiam, tradi Satanæ; & si quis orationi eius,antequàm recipiatur à Seniore, inconsiderata pietate permotus, communicare præsumpserit, complicem se damnationis eius efficiat,tradens scilicet semetipsum voluntariè Satanę,cui ille pro sui reatus emendatione fuerat deputatus,in eo vel maximè grauius crimen incurrens,quòd cum illo se vel confabulationis, vel orationis communione miscendo, maiorem illi generet insolentiæ fomitem, & contumaciam delinquentis in peius enutriat. Pernitiosum namque solatium tribuens,cor eius magis ac magis faciat indurari, nec humiliari eum sinet, ob quod fuerat segregatus,& per hoc vel increpationem senioris non magni pendere,vel dissimulanter de satisfactione & venia cogitare.

1.Cor.15.

Cyrillus Alexandrinus,& Ægypti Synodus. 430.

Epistola ad Nestorium: Ecce igitur vnà cum sacra Synodo,quæ in magna Romanorum ciuitate Cælestino præsidente conuenit, iam tertiò his literis contestamur,& obtestamur,vt consiliũ nostrum secutus,stolidis illis & absurdis dogmatibus,quæ foues,& publicè doces, quàm primùm nuntium mittas.Quod sanè,nisi iuxta tempus,in literis Cęlestini sacratissimi Romanorũ Episcopi expressum, præfinitumqúe, præstiteris, certò scias, nullam tibi deinceps cum Episcopis & sacerdotibus Dei consuetudinem, nullum sermonem, nullum denique inter eos locum futurum esse.Illud quoque te latere nolumus, nempe nos promisciuè cum omnibus cùm clericis, tum laicis,quos tu propter fidem excommunicasti, vel ordine mouisti,communicare.Haud enim par erat eos, qui rectam fidem tenere comperti sunt, ob iniquam tuam sententiam detrimentum aliquod pati, ob id nimirum, quòd rectè sentientes tuæ doctrinæ assentiri noluerunt.

Sozomenus. 440.

Lib.6.c.25. Qua re cognita, Theodotus Episcopus iniquo animo &grauiter tulit:& vt laicis aliquantum obiurgatis veniam tribuit, sic ambos Apollinarios palam delicti criminatus,ab Ecclesia segregauit.Erat enim vterque ex clero : pater quidem Presbyter,filius autem etiamnum literarum sanctarum lector. Quodam autem temporis spatio intermisso, Theodotus eos, cùm lachrymis & ieiunijs debitam pro peccatis pœnitentiam egissent,in Ecclesiam denuò recepit. At Georgius, vbi eum est consecutus Episcopatum, & Apollinarius in consuetudinem & familiaritatem Athanasij venerat,eum à communione excludit,& ab Ecclesia alienum pronuntiat.

Theodoretus. 450.

Ecclesiasticæ historiæ lib.5.cap.17. Thessalonicæ cũ fortè seditio concitata esset, magistratus aliquot obruti lapidibus fuêre, & grauibus contumelijs vexati. Quibus rebus nuntiatis, Imperator bile accensus, flammam neutiquam repressit iracundiæ,neque freno rationis eius impetum cohibuit,sed illius arbitrio permisit pronuntiandę sententiæ de supplicio Thessalonicensibus irrogando potestatem. Iracundia igitur hanc auctoritatem nacta,velut tyrannus omnia suo nutu gubernans, ruptis habenis, & iugo rationis excusso,gladios iniquè contra omnes distrinxit, & insontes pariter cum sontibus trucidauit. Nam septem hominum millia,vti ferunt, interfecta fuêre: in qua occisione non iudicium antecesserat, neque auctores tam horrendi facinoris iusta & legitima sententia condemnati,sed omnes simul, veluti spicæ in messe defectæ,concisi fuerunt.Hac miseranda ac lugubri calamitate cognita, Ambrosius Imperatori Mediolanum aduentanti,& in sacrum templum ingredi oupienti,extra sacra vestibula obuiam procedit,vetatqúe in templum intrare,& his ferè verbis eum affatur: Est verisimile,ô Imperator, te ignorare cædis abs te perpetratæ magnitudinem,neque post sedatam iracundiam, ratione admissum facinus peruidere. Nam Imperatorius fortasse principatus peccatum agnoscere non finit,sed potestas offundit rationi caliginem,&c. Quibus igitur oculis intuebere templum illius,qui est omnium Dominus? quibus pedibus sanctũ illud solum calcabis? Quî, quęso, manus iniusta cæde & sanguine respersas, extendere audes, & eisdem sacrosanctum corpus Domini accipere? aut quomodo venerandũ eius sanguinem ori admouebis,qui furore irę iubente tantum sanguinis tam iniquè effudisti? Recede igitur, & ne conare nouo scelere scelus ante editum augere,sed capesse vinculum, quo vt ligeris Dominus omnium cęlitus sententiam dat: quod quidem vinculum vim habet & morbum animi depellendi, & te ad sanitatem restituendi. Huic orationi obsecutus Imperator (nam diuinis educatus

catus eloquijs,accuratè nôrat,tum quæ essent officia sacerdotum,tum quæ regum propria) cum gemitu & lachrymis ad palatium reuertitur. Atque longo temporis spacio dilapso, (octo enim menses iam præterierant) Seruatoris Natalitia fuêre celebrata.Imperator autem considet in palatio,lamentis se dedẽs, & magnam vim profundens lachrymarum. Quod cùm animaduertisset Ruffinus, qui tum magister aulæ fuit, ad illum accedit,rogat causam fletus.Tum Imperator lugẽs acerbius,& maiorem in modum flens: Tu,inquit,Ruffine ludis? Nã quantis ipse in malis versor,non sentis.Ego verò gemo,& meam ipsius deploro calamitatem,dum mente cõplector, quàm facilis aditus ad sacrum templum feruis & mendicis pateat,liberqúe illis ad Dominum suum deprecandum detur introitus: mihi autem nõ modò ad illum locũ, verùm etiam ad cęlum ipsum accessus præclusus sit. Nam venit mihi in mentem sententiæ à Domino prolatæ, quæ palam dicit: *Quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum in cælis.* Matt. 16. Cui Ruffinus: Curram, inquit, si placet, ad Episcopũ,ei supplicabo,persuadebo q̃, vt tua soluat vincula.At nõ est,inquit Imperator, tibi morem gesturus.Noui enim adeò iustam ęquamqúe Ambrosij sententiam esse: vt non metu potestatis Imperatorię sit legem diuinam violaturus. Verùm cùm instaret Ruffinus, pollicereturqúe se Ambrosio persuasurum, Imperator iubet properè abire: ipsęq; falsa spe inductus,& Ruffini cõfisus promissis, paulò post sequitur. Vt primùm autem Ruffinum Diuus vidit Ambrosius: Videris mihi, inquit, Ruffine, canum impudentiam imitari. Nam tametsi tuo suasu tam crudelis facta est cædes, tu tamen ita perfricuisti os, vt nec pudeat, nec pigeat tanta rabie contra imaginem Dei insaniuisse.Vbi verò Ruffinus obnixè eũ orauerat, dixeratqúe Imperatorem breui eò venturum, Sanctus Ambrosius diuino zelo accensus: Ego, inquit, Ruffine prædico me illum ab introitu sacri vestibuli prohibiturum. Quòd si imperium mutârit in tyrannidem, cædem lubens equidem excipiam.Quibus auditis Ruffinus Imperatori per internuntium significat, hortaturqúe vt maneat in Palatio.Quæ cùm Imperator in medio foro accepisset:eo,inquit,illuc nihilominus, quò iustas debitasqúe contumelias subeam. Vbi verò ad sacras templi parietes aduenit, non ingreditur in templum ille quidem: sed ad Episcopum,qui in ædicula salutatoria sedebat,accedens obsecrat,vt vincula sibi soluat. At Ambrosius eius aduentum dixit esse tyrannicum,eumqúe ipsum contra Deum insanire, & illius leges proterere. Tum Imperator non obstinato animo, inquit, leges sancitas impugno,neque sacra vestibula per nefas introire cupio; sed oro,vt mihi soluas vincula,& proponas tibi ante oculos clementiam illius,qui est Dominus omnium: & ne mihi occludas ianuam, quam ille omnibus, quos peccatorum suorum pœniteat,patefecit.Cui Ambrosius: Quam tu, inquit, pœnitentiam post tam graue scelus admissum ostendis? quæ medicamenta ad vulnera tam difficilia curatu sananda adhibuisti? Tuum est, inquit Imperator, medicamenta ostendere, eaqúe temperare, & vulnera, quæ ægrius curantur,obligare: meum autem, quę adhibita sunt,accipere. Tum D. Ambrosius: Quoniam,inquit,iracundię permisisti iudicium,& non rectæ rationi,sed animo irato obsecutus sententiam pronuntiasti,conscribe legem, qua deinceps sententiæ per iracundiam pronuntiatæ irritæ sint,& nullius momenti : cognitionesqúe causarum de cæde,& publicatione bonorum ad triginta dies scriptis proditę maneant, vti recta ratione de illis iudicium des. Atque diebus illis confectis,qui decreta illa scripserint, mandata tua tibi ostendant. Actum quidem compressa iracundia, ratione sola causam expendens, inquires in decreta,& ita perspicies,iniquane sint, an æquà?&c. Istud consilium Imperator quoniam prudentissimum esse censebat, libenter amplexatus, iubet extemplò legem conscribi, suaqúe subscriptione confirmat.Qua re confecta D.Ambrosius vincula eius soluit.

In cap.5.prioris ad Corinth. *Tradere huiusmodi hominem Satanæ.*) Ex hoc loco docemur, quòd eos, qui segregantur,& ab Ecclesiastico corpore separantur,inuadat diabolus,eos gratia destitutos inueniens.

Concilium Chalcedonense. 453.

Action.3. *Epistola ad Valentinianum & Marcianum Impp.* Quia Eutyches quosdam,à diuersis Concilijs ritè damnatos, in communionem propria auctoritate suscepit, sanctis regulis præcipientibus,excommunicatos ab alijs in communionem alios non debere suscipere, &c. decenter ab vniuersali Concilio sacerdotio est nudatus, & ab Episcopali dignitate pronuntiatus est alienus, vt his similia perpetrare tentantibus,disciplinæ fieret & sobrietatis exemplum. Quoniam quidem & diuinę præcipiunt leges, apertè dicentes: *Expellite malum à vobismetipsis.* Deut.13 1.Cor.5

Olympiodorus. 500.

In cap.3.Ecclesiastæ: Qui mortaliter peccauit sine proposito emendationis, & pœnitentiæ, eijcitur è spirituali domo: qui verò ita peccat,vt curari velit, colligitur per pœnitentiam in ædificationem Apostolorum & Prophetarum.

Episcopi Orientales. 500.

Epistola ad Symmachum Pap. Non in ligando tãtùm potestas est tibi data,sed in soluendo quoque diu vinctos: neque in eradicando,aut diruendo; sed in plantando,atque ædificando: neque in tradendo tantùm Satanæ ad interitum carnis; sed in charitate formando longa aduersione deiectos, ne maiori tristitia absorptis nobis à Satana videamini pertulisse dispendium.

Iustinianus Imp. 530.

In Authent.de sanctissimis Episcopis, &c.§. Omnibus col.9. Omnibus Episcopis & Presbyteris interdicimus segregare aliquem à sacra communione, antequàm causa monstretur, propter quam sanctę regulæ hoc fieri iubent. Si quis autem præter hęc à sancta communione quenquam segregauerit, ille quidem,qui iustè à communione segregatus est,solutus excommunicatione à maiore sacerdote,sanctam mereatur communionem. Qui verò aliquem à sancta communione segregare præsumpserit: modis omnibus à sacerdote, sub quo constitutus est, separabitur à communione, quanto tempore ille perspexerit,vt quòd iniustè fecit, iustè sustineat.

In Authent. de Monachis & Abbeterijs: Certè si quis *Col.10.* Si delictum (*transgressoris*) atrocius sit,quàm quod medela reparari possit, tunc à bonorum cohabitatiõe prorsus expellatur,vt cùm seipsum à melioribus ad deteriora contulerit, ipse solus improbitatis suæ fructum capiat, neq; vitiorum suorum aliquid cęteris contagione adfricet. Quę admodum peste laborãtia, & incurabiliter ęgrotantia solent pecora.

In Authent. Quomodo oportet Episcop. & cler.§. Si quis autem,*col.1.* Qui sine probatione imponit ordinationem,& ipse quidem cadet de sede sacerdotali:reus autem erit Deo,&c. Si is, qui ordinationi contradicit,aut examinatione facta probetur calumniator,segregetur in perpetuum à sacra communione, ne falsitas impunita sit.

Constantinus Scholasticus. 540.

In Proœmio suarum collectionum: Discipuli Christi, ijdemqúe Apostoli, quique ijs successerunt, & Ecclesiæ sanctæ Episcopi & Doctores fuerunt, quibus multitudinem gentium, & doctorum fallacia ac tyrannide diaboli liberatam, & ad Regem ac Dominum gloriæ recto animo & fide conuersam, Spiritus sanctus regendam commisit, nõ sunt arbitrati decere, vt qui peccarent verberibus afficerentur, vt ciuiles leges faciunt: hoc enim valde stultum videbatur, ac nimis indecorũ: imò potius studebant, vt quàm promptissimè periculis se pro ijs obijcerent, retro regressos reuocarẽt, errantes adhuc & à recta fide deflexos sine mora corrigerent, in profundum præcipitatos omnibus modis extrahere curarent: qui verò & putrescerent, ac valde ægrotarent, sapienter gladio Spiritus abscinderent, confractos, & viribus defectos, quibusdam blandis pharmacis & vinculis rationabilibus alligarent, & eis pristinã valetudinem diuina gratia & Spiritu sancto adiuuante restituerent.

Isychius. 580.

Lib. 2. in Leuit. cap. 10. Vtrumque ignem Ecclesia habet: hunc quidem ad illuminationem iustorum, & oblatorum perfectionem; illum autem ad pœnam impiorum, quam his, qui blasphemant, sacerdotes indicunt ex subministratione Spiritus, quæ in eis requiescit, eum succendentes. Propter quod & Paulus Hymenæum & Alexandrum, vt alia scilicet docentes, punit. Hi coram Domino moriuntur vidente ipso, & in hac eos morte condemnante, ne imitatione sui alijs causam præbeant mortis. In quo & nimis admiratur legislator, cur ex eo, quo debuerant vita frui, id est, coram Domino, sustinent mortem, quam malè interpretantes diuinas Scripturas patiuntur: in ea re, ex qua oportebat eos benedictionem promereri, maledictioni se subijcientes.

1. Tim. 1.

Antiochus. 610.

Homilia 122. Dominus ait Petro: *Quæcunque ligaueris super terram, erunt ligata & in cælis.* Vis verbi istius quàm operatoria sit, quàm efficax expende. Non dixit: *Quæcunque ligaueris super terram, erunt ligata & in* terra. Sed quid? *Quæcunque ligaueris super terram, erunt ligata & in cælis.* Vide, inquam, solerter, vt dum quemquam censura excommunicationis cogeris ferire, dum arces templi aditu, dum gradu deijcis, habeas rem hanc horrori: quippe qui Deum ipsum inuoces sententiæ tali tuæ suffraganeum, quasi qui, dum hęc facis, conteſtere, eadem sancita esse & in cælis. At interim inhorrescit totus, qui eliminatur templi aditu, aut gradu deturbatur, vt qui intelligat, excludi se regno cælorum. Vide rursus, dixerim, ô sacerdos, quid agas: quę enim deorsum vinculo innectis oris tui, certò tibi persuade, eadem sanciri sursum, & cõprobari. Non enim vinculum eiusmodi impune it, si quidem iniustè quempiam ligaueris: in consistorio enim illo Angelorum exactissimè rationem repositurus es. Ne quem vinculo implicueris, ira aut vitiosa vlla affectione incandescens. Non item quasi teipsum vlciscens, quin potius quasi pro tuenda virtute decertans. Vlciscitur enim Deus ac defendit iniusta censura ligatum, si quidem is comperietur non contempsisse vinculum.

Matt. 16.

Ioannes Damascenus. 730.

Oratione de Transfiguratione Domini: Hoc Petre à Christo supplex contende, ab eo, inquam, qui Ecclesiæ immaculatus est sponsus, qui te cęlestis regni clauicularium instituit, qui tibi vinciendorum & soluendorum peccatorum potestatem

Reuera, inquit, ô Pater, ad hesternum vsque diem carcere quodam clausus fui, verùm hodie solutus ac liber factus sum. Hoc modo cunctis innotuit, eadem hora, qua Diaconus precationem illam supra sepulchrum legerat, noua & admirabili ratione, fratrem istum à sacro vinculo fuisse liberatum. De hoc quoque satis existimari potest, quanta vis sit eius vinculi, quo mortales à sacerdotibus ligantur. In historia Ecclesiastica Philonis Philosophi reperitur, quodam persecutionum priscarum tempore, seniori Ecclesiastico ab Antistite sacris interdictum fuisse. Cùm autem senior ille quandam ob causam necessariam aliquò profectus esset, accidit vt ab Ethnicis comprehensus, martyrio suo veritatem obsignaret. Hinc templum eo loco conditur, & renoualia peraguntur: cumq; Antistes hæc verba pronuntiaret: Pax vniuersis, sandapila templo excessit, idqúe non semel, sed bis, terue factum. Hinc per quietem Antistiti senior oblatus: Abito, inquit, & Episcopo meo fis auctor, vt huc veniat, meq; vinculis exoluat. Nam officio me sacro excusit, ideoqúe sacris vobiscum interesse nequeo. Testimonij quidem coronam consecutus sum, sed Dei faciem necdum conspexi. Quod si me ipse profectus huc non exoluerit, alius exoluere nemo poterit. Cùm igitur his obtemperatum esset, sandapila templo excedere desijt. Atque hanc ob causam Deo cuncti gloriam tribuebant, qui seruis suis eiusmodi potestatem concessisset.

Nicephorus Callistus. 1300.

Libro 6. cap. 33. Cùm Cari filius Numerianus Antiochiam, quæ est ad Orientem, venisset, in Ecclesiam Christianorum ingressus esse dicitur. Et cùm ibi liberè, quasi per transennam, inspicere arcana eorum mysteria vellet, Babylas Episcopus magno animo in faciem ei consistens, id prohibuit: non licere dicens, eum cruore ex idolorum sacrificijs pollutum, in domum Dei tam præcipitanter ingredi, & diuina mysteria contaminatis oculis spectare. Quare Numerianus offensus, excruciatum illum necauit.

Lib. 13. cap. 33. Hisce de causis Innocentius Romanus Episcopus plurimum indignatus, epistolam compositam ad Arcadium, Atticum, & Theophilum dedit, qua illos excommunicationi & exauctorationi subiecit.

Libro 14. cap. 3. Vir quidam asperiorem durioremqúe virtutis vitam consectans, prefracto Theodosium adijt animo, vt ab eo quippiam peteret. Atque vbi id sæpius expertus non impetrauit, vinculis Ecclesiasticis Imperatorem à communione arcens subdidit. Postquam autem Imperator in regiam suam venit, & epulæ appositæ sunt, non ille prius cibum sumendum esse, quàm vinculis sibi iniectis solutus esset, cẽsuit. Quapropter ad Antistitem Constantinopolitanum famulum quendam misit, petens, vt eum ipsum soluere se, qui ligasset, iuberet. Cùm id Episcopus recusaret, & pro vinculo habendum non esse, quod à quocunque ligatum esset, significaret, solutumqúe adeò iam esse diceret, nondum calculo eius acquiescendum esse duxit. Multo verò labore is, qui eum ligauerat, inquisitus, eum absoluit. Ac sic tandem Imperator cibum sumpsit.

Emanuelus Malaxius Peloponesius.

1577.

In historia de Patriarchis Constantinopolitanis cap. 9. de Maximo: Inter cętera etiam hoc dixerunt, quoscunque Christiani Pontifices & sacerdotes legitimè ob peccatum aliquod admissum sacro cœtu eijciant, nec omittant eos, dum in viuis sint, emendare: vt expientur ab illo lapsu, propter quem electi fuerunt: eorum cadauera ita in exilio spiritali mortuorum non dissolui à terra, sed remanere, tympanorum instar inflata: nec si mille etiam transierint anni, omninò à terra consumi, sed restare integra sicut humata fuerint, &c. Tempore Patriarchę Gennadij Scholarij vidua quædam à sacerdote relicta, pulchritudine conspicua quæstum corpore haud obscurè vulgato fecit. Patriarcha re cognita increpauit ipsam, diligentissimè monendo, finem faceret peccandi, quò pœnitentia acta veniam consequeretur: sed id frustra fuit, muliere laxioribus habenis se ad libidines incitante. Patriarcha interim non cessat à redarguendo, & obiurgando, nec id seorsim solùm, sed etiam apertè coram proceribus sacris & clericis. At illa misera diaboli instinctu Patriarcham accusat, eum quando ipsam ad secretam collocutionẽ accersierit conatum esse ad nefariũ facinus vi pertrahere. Ipse atrocioris criminis accusatione audita, totus obstupuit. Patriarcha quid faceret? Aliud nihil remedij erat, nisi hoc: Quodam Dominico festo accersitis Pontificibus & clero Liturgiam facit: eaqúe finita clarissima voce dicit: Si illa verba, quę sacerdotis vidua in ipsum dixit, vera sunt, se ei ignosci à Deo, & felicitatem dari, eiusqúe mortuæ dissolui corpus precari. Sin autem confecto crimine indignissimè ipsum calumniata sit, se tenere ipsam è sacro piorum grege eliminatam, venięq exortem, & indissolubilem voluntate & iudicio Dei omnipotentis. Hæc ille. Nec diu gladius diuinę vltionis emansit: sed (ô rem miram) die deinde quadragesimo dissenteria ipsam abscidit: ac pessimè mortuam & humatam, terra corpus eius non dissoluit, verùm tam inconsumpta integraqúe remansit, quàm erat quando sepeliebatur. Sed ne crines quidem capitis eius vllatenus defluxerant, verùm perinde ipsa se habebat, ac mulier aliqua viua, nisi quòd non loquebatur; & tamen multi anni à condemnatione excommunicationis eius abierant.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Tertullianus. 200.

In Apologetico cap. 39. Certè fidem sanctis vocibus pascimus, spem erigimus, fiduciam figimus, disciplinam præceptorum nihilominus inculcationibus densamus: ibidem etiam exhortationes, castigationes, & censura diuina. Nam & iudicatur magno cum pondere, vt apud certos de Dei conspectu, summumqúe futuri iudicij pręiudicium est, si quis ita deliquerit, vt à communicatione orationis, & conuentus, & omnis sancti commercij relegetur.

Libro 2. ad vxorem, de matrimonio cum gentilibus cap. 3. Hæc cùm ita sint, fideles gentilium matrimonia subeuntes stupri reos esse constat, & arcendos ab omni communicatione fraternitatis ex litteris Apostoli dicentis: *Cum eiusmodi nec cibum sumendum.* 1. Cor. 5.

Aduersus Marcionem lib. 4. cap. 24. Quomodo, si cõminatio non potest sine executione, habes Deum executorem in cõminatore, & iudicem in vtroque. Sic & puluerem iubet excuti in illos, in testificationem, & ad horrentiam terræ eorum, nedum communicationis reliquæ. Si enim inhumanitas & inhospitalitas nullam ab eo relaturæ sunt vltionem: cui rei præmittit testificationem, minas vtique portendentem? Porrò cùm

etiam

Deut.23. etiam Creator in Deuteronomio Ammonitas, & Moabitas prohibeat recipi in Ecclesiam, quod populum Ægypto profectum, inhumanè & inhospitaliter copijs defraudassent: Ergo in Christum inde manasse constabit, communicationis interdictum, vbi habet formam: *Qui vos spernit, me spernit.* Hoc & Mosi Creator: *Non te contempserunt, sed me.* Tam enim Apostolus Moses, quàm & Apostoli Prophetę. Æquanda erit auctoritas vtriusque officij, ab vno eodemqúc Domino Apostolorum & Prophetarum.

Lucæ 10. 1.Reg.8.

Calixtus. 218.

Epistola 2. Excommunicatos à sacerdotibus nullus recipiat ante vtriusque partis iustam examinationem, nec cum eis in oratione, aut cibo, aut potu, aut osculo communicet; nec aue eis dicat: quia quicunque in his vel in alijs prohibitis, scienter excommunicatis communicauerit, iuxta Apostolorum institutionem, & ipse simili excommunicationi subiacebit.

Fabianus. 236.

Epistola 1. Omnes, quos sanctorum Patrum statuta, tam præteritis, quàm futuris temporibus, anathematizant, submouemus, & ab omni accusatione fidelium alienamus. Discreti ergo semper debent esse fideles ab infidelibus, & iusti ab iniustis, &c. Non debent, nec possunt illi in accusatione fidelium suscipi, sed etiam ab eorum consortio, vsque ad iam dictam satisfactionem, repelli, ne similes eis efficiantur, aut eorum excommunicationi subiaceant: quoniam sic Apostoli statuerunt, dicentes: Cum excommunicatis non est communicandum: & si quis cum excommunicatis auertendo regulas scienter psallat in domo, aut simul locutus fuerit, aut orauerit, ille communione priuetur.

Cyprianus. 250.

Libro 5. epist 3. *Epist.28.* Integrè & cum disciplina feciſtis, fratres chariſſimi, quòd consilio collegarum meorum, qui presentes erant, Gaio Diddensi Presbytero, & Diacono eius censuistis non communicandum: qui communicando cum lapsis, & offerendo oblationes eorum, in prauis erroribus suis frequenter deprehensi, & semel atque iterũ, secundùm quod mihi scripsistis, à collegis meis moniti, ne hoc facerent in presumptione & audacia sua pertinaciter perstiterũt, decipientes quosdam fratres ex plebe nostra. &c.

Libro 1. epist. 3. *Epist. 55.* Legi literas tuas, frater chariſſime, quas per Saturum fratrem nostrum Acoluthum misisti, & dilectionis fraternæ, & Ecclesiasticæ disciplinæ, & sacerdotalis censurę satis plenas: quibus significasti Felicissimum hostem Christi, non nouum, sed iam pridem ob crimina sua plurima & grauissima abstentum, & non tantũ mea, sed plurimorum Coëpiscoporum sententia condemnatum, reiectum à te illic esse; & cùm venisset stipatus caterua, & factione desperatorum, vigore pleno, quo Episcopos agere oportet, pulsum de Ecclesia esse: de qua iam pridem cum suis similibus, Dei maiestate, & Christi Domini & iudicis nostri seueritate, depulsus est, ne schismatis & diſſidij auctor, ne pecunię commisse sibi fraudator, ne stuprator virginum, ne matrimoniorum multorum depopulator atque corruptor, vltra adhuc sponsam Christi incorruptam, sanctam, pudicam, presentię suæ dedecore, & impudica atque incesta contagione violaret, &c, Sed nec idcirco frater chariſſime, relinquenda est Ecclesiastica disciplina, aut sacerdotalis soluenda censura, quoniam conuicijs infestamur, aut terroribus quatimur, quando occurrat & moneat Scriptura diuina dicens: *Ille verò, qui præsumit & cõtumax est, vir sui iactans, nihil omninò perficiet, qui dilatauit tanquam infernus animam suam,* &c. Cùm hæc tanta & talia, & multa alia exempla pręcedant, quibus sacerdotalis auctoritas & potestas, de diuina dignatione firmatur: quales putas esse eos, qui sacerdotum hostes, & contra Ecclesiam Catholicam rebelles, nec præmonentis Domini cõminatione, nec futuri iudicij vltione terrentur? Neque enim aliunde hæreses obortę sunt, aut natа sunt schismata, quàm inde, quòd sacerdoti Dei non obtemperatur, nec vnus in Ecclesia ad tempus sacerdos, & ad tempus iudex vice Christi cogitatur. Cui si secundùm magisteria diuina obtẽperaret fraternitas vniuersa, nemo aduersum sacerdotum collegium quicquam moueret: nemo post diuinum iudiciũ, post populi suffragium, post Coëpiscoporum consensum iudicem se iam non Episcopi, sed Dei faceret.

Libro 1. epist.11. *Epist,62.* Interfici Deus iussit sacerdotibus suis non obtemperantes, iudicibus à se ad tẽpus constitutis non obedientes: & tunc quidem gladio occidebãtur, quando adhuc & Circũcisio carnalis manebat: nũc aũt quia Circũcisio spiritalis esse ad fideles seruos Dei cœpit, spiritali gladio superbi & contumaces necãtur, de Ecclesia eiiciuntur. Nec enim viuere foris possunt, cũ domus Dei vna sit, & nemini salus esse, nisi in Ecclesia possit.

Sixtus Secundus. 356.

Epist.2. Quod si aliter egerit, communione priuetur. Nemo Pontificem deinceps aliquem Episcopum, suis expoliatum rebus, aut à sede pulsum excommunicare, aut iudicare præsumat: quia non est priuilegium, quo expoliari possit iam nudatus.

Eutychianus. 275.

Apud Gratianum 23.q.8. Si quis membrorũ truncationes, & domorum incendia fecerit, siue fieri iusserit, aut facienti consenserit, quousque de his vnicuique legaliter, & amicabiliter coram Episcopo ciuitatis, alijsque ciuibus non emendauerit, ab Ecclesia se priuatum cognoscat: si verò post secundam & tertiam communionem cuncta, in quibus arguitur, non emendauerit, tamquã Ethnicus & publicanus ab omni Christianorũ collegio seperetur.

Concilium Elibertinum. 320.

Cap.8. Fœminæ, quę nulla præcedente causa reliquerunt viros suos, & alteris se copulauerũt, nec in fine accipiant communionem.

Concilium Arelatense Primum. 325.

Cap.16. De his, qui pro delicto suo à communione seperantur, ita placuit, vt quibuscunque locis fuerant excluſi, eodem loco communionem consequantur.

Concilium Arelatense Secundum. 328.

Cap.8. Si quis excommunicatum alterius, siue clericum, siue secularem recipere post interdictũ præsumpserit, nouerit se reum fraternitatis factum, causam in Concilio redditurum.

Concilium Carthaginense Primum. 340.

Cap.14. Si quis statuta supergressus corruperit, vel pro nihilo habenda putauerit, si laicus est, communione; si clericus, honore priuetur.

Ambrosius. 370.

Lib.1.de Pœnitentia cap.14. Venit Apostolus in virga, quia à communione sacra conuictum remouit. Et bene dicitur, tradi Satanæ, qui separatur à Christi corpore, venit etiam in charitate, spirituqúe mansuetudinis; vel quia sic tradidit, vt spiritum eus saluum faceret; vel quia eum, quem antea sequestrauerat, postea sacramentis reddidit. Nam & sequestrari oportet grauiter lapsum, ne modicum fermentum totam massam corrumpat. 1.Cor. 5

Abac.2.

De Ieunio cap.22. Apostolus docet, vt leparemus nos ab omni fratre inquietè agente, percutiamus eum gladio spiritali, qui est verbum Dei. Non fratris, nõ propinqui accipiamus personam; sed omnem immundum à Christi secernamus altaribus, vt emendet, & corrigat lapsus, quò ad Sacramenta Christi redire mereatur.

Lib.2.Officiorum capite 27. Hæc est humilitas, si nihil sibi quis arroget, sed inferiorem se esse existimet: Episcopus vt membris suis vtatur clericis, & maximè ministris, qui sunt verè filij: quemcunque viderit aptum muneri, ei deputet. Cum dolore amputatur etiam quę putruit pars corporis, & diu tractatur, si potest sanari medicamentis: si non potest, tunc à medico bono abscindetur. Sic Episcopi affectus boni est, vt optet sanare infirmos, serpentia auferre vlcera, adurere aliqua, non abscindere: postremò quod sanari non potest, cum dolore abscindere.

Syricius. 386.

Epist.1.cap.3. Adiectum est etiam, quoſdã Christianos ad Apostasiam, quod dici nefas est, transeuntes, & idolorum cultu, & sacrificiorum contaminatione prophanatos, quos à Christi corpore & sanguine, quo dudum redempti fuerant renascendo, iubemus abscindi. Et si resipiscentes fortè aliquando fuerint ad lamenta conuersi, his, quãdiu viuunt, agenda pœnitentia est, & in vltimo fine suo reconciliationis gratia tribuenda.

Hieronymus. 390.

Epistola 1.ad Heliodorum cap.7. Mihi ante Presbyterum sedere non licet: illi, si peccauero, licet tradere me *Satanæ, in interitum carnis, vt spiritus saluus sit in die Domini Iesu.* Et in veteri quidem Lege quicunque sacerdotibus non obtemperasset, aut extra castra positus lapidabatur à populo, aut gladio ceruice subiecta, contemptum expiabat cruore: nunc verò inobediens spirituali mucrone truncatur, aut eiectus de Ecclesia, rabido dæmonum ore discerpitur. 1. Cor. 5

Epistola nona ad Demetriadem cap.10. Non hoc de omnibus dicimus, sed de his, quos Ecclesia ipsa reprehendit, quos interdum abijcit, in quos nonnunquam Episcoporum & Presbyterorum censura desæuit, vt propè periculosius sit lasciuis puellis ad loca religionis, quàm ad publicum procedere.

Epist. 53.ad Riparium: Miror sanctum Episcopum, in cuius parochia esse Presbyter dicitur, acquiescere furori eius (*Vigilantij,*) & non virga Apostolica, virgaqúe ferrea confringere vas inutile, & tradere *in interitum carnis, vt spiritus saluus fiat.* 1. Cor. 5.

Ad caput 18.Matthæi: Quia dixerat: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus:* & poterat contemptoris fratris hæc occulta esse responſio, vel tacita cogitatio: si me despicis, & ego te despicio: si tu me condemnas, & mea sententia condemnaberis: potestatem tribuit Apostolis vt sciant, qui à talibus condemnantur, humanam sententiam diuina sententia roborari, & quodcunque ligatum fuerit in terra, ligari pariter & in cælo.

Concilium Carthaginense Quartum. 398.

Cap. 73. Qui communicauerit vel orauerit cum excommunicato, siue clericus, siue laicus, excommunicetur.

Augustinus. 400.

De fide & operibus cap.5. Cùm eis, per quos Ecclesia regitur, adest salua pace potestas disciplinæ aduersus improbos, aut nefarios exercendæ, tunc rursus, ne socordia segnitiaqúe dormiamus, alijs aculeis præceptorum, quæ ad seueritatem coërtionis pertinent, excitandi sumus, vt gressus nostros in via Domini ex vtrisque testimonijs illo duce atque adiutore dirigentes, nec patientię nomine torpescamus, nec obtẽtu diligentiæ segniamus.

Contra aduersarium Legis & Prophetarum libro 1. cap.17. Claues regni cælorum sic dedit Christus Ecclesiæ, vt non solùm diceret: *Quæ solueritis super terram, erunt soluta & in cælis:* vbi apertissimè bonum, non malum pro malo reddit Ecclesia; verùm & adiungeret: *Quæ ligaueritis in terra, erunt ligata & in cælo:* quia bona est & vindicandi iustitia. Illud enim quod ait: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi velut ethnicus & publicanus,* grauius est, quàm si gladio feriretur, si flammis absumeretur, si feris subigeretur. Nam ibi quoque subiunxit: *Quæ ligaueritis super terram, erunt ligata & in cælis,* vt intelligeretur quanto grauius sit punitus, qui velut relictus est impunitus, &c. Matt. 19. Matt. 17.

Tractatu 50. in Ioannem: Cùm excommunicat Ecclesia, in cælo ligatur excommunicatus: cùm reconciliatur ab Ecclesia, in cælo soluitur reconciliatus. Si hoc ergo in Ecclesia fit, Petrus, quando claues accipit, Ecclesiam sanctam significauit.

Ad Psalm. 54. Diligamus inimicos, corripiamus, castigemus, & excommunicemus, cum dilectione etiam à nobis separemus. Videte enim quid dicat Apostolus: *Si quis autẽ non obaudit verbo vestro, per epistolam hunc notate, & nolite commisceri cum eo.* Sed ne subrepat tibi ex hoc iracundia, & turbet oculum: *Non,* inquit, *vt inimicum eum existimetis, sed corripite vt fratrem, vt erubescat.* A quo indixit separationem, non præcidit dilectionem. 2.Thes.3.

Concilium Toletanum Primum. 400.

Cap.15. Si quis laicus abstinetur, ad hunc vel ad domum eius, vel clericorum vel religiosorum nullus accedat. Similiter & clericus, si abstinetur, à Clericis deuitetur. Si quis cum illo colloqui, aut conuiuari fuerit deprehensus, etiam ipse abstineatur. Sed hoc pertineat ad eos clericos, qui eius sunt Episcopi: & ad omnes, qui commoniti fuerint de eo, qui abstinetur, siue laico quolibet, siue clerico.

Cap. 16. Deuotam peccantem non recipiendam in Ecclesiam, nisi peccare desierit, & si desinens egerit aptam pœnitentiam decem annis, recipiat communionem. Priusquam autem in Ecclesiam admittatur ad orationem, ad nullius conuiuium Christianæ mulieris accedat. Quòd si admissa fuerit, etiam hæc, quæ eam receperit, habeatur abstenta: corruptorem etiam par pœna constringat.

Innocentius Primus. 406.

Epistola 31.quæ est ad Arcadium Imperatorem: Itaque ego minimus & peccator, cui thronus magni Apostoli Petri creditus est, segrego te & Eudoxiam à perceptione immaculatorum mysteriorum Christi Dei nostri: Episcopũ etiam omnem, aut clericum ordinis sanctæ Dei Ecclesiæ, qui administrare, aut exhibere ea vobis ausus fuerit, ab ea hora, qua præsentes vinculi mei legeritis litteras, dignitate sua excidisse decerno.

Paulinus Presbyter Mediolanensis. 400.

Vita Ambrosij: Ambrosius ipsum Maximum à communionis consortio segregauit, admonẽs, vt effusi sanguinis domini sui, & quod grauius

est, innocentis ageret pœnitentiam, si sibi apud Deum vellet esse consultum, &c. Per idem tempus causa Thessalonicensis ciuitatis non minima successit tribulatio sacerdoti, cùm penè comperisset ciuitatem deletam. Promiserat enim illi Imperator, se veniam daturum ciuibus supradictæ ciuitatis, sed agentibus comitibus occultè cum Imperatore, ignorante sacerdote, vsque in horam tertiam gladio ciuitas est donata, atque plurimi interempti innocentes. Quod vbi factum comperisset sacerdos, copiam Imperatori ingrediendi Ecclesiam denegauit, nec prius dignum iudicauit cœtui Ecclesiæ vel Sacramentorũ communioni, quàm publicam ageret pœnitentiam.

Cælestinus Primus. 430.

Epistola 6. ad Ioannem Episcopum Antiochenum: Cùm in tali negotio longa deliberatio, morosaque procrastinatio minimè tuta videatur, tam Episcopum Nestorium, quàm cæteros omnes illius factionis assecl as, qui eiusmodi errores proseminant, tantisper à nostra communione reijcimus, donec peruersitatem, quam docere exorsus est, conceptis verbis publicè condemnârit. Quòd si quis verò vel ab ipso Nestorio, vel ab alijs Nestorianę doctrinę sequacibus, ex quo talia effutire veritus non est, aut excommunicatus, aut sacerdotij, aut clerici dignitate exutus est, hunc ipsum in nostra communione constanter semper mansisse, & deinceps, quod ad eam rem attinet, manere certum est.

Concilium Krausicanum. 440.

Cap. 11. Placuit in reatum venire Episcopum, qui admonitus de excommunicatione cuiusque, sine reconciliatione eius, qui eum excommunicauit, ei communicare præsumpserit, vt integra omnia, si reconciliatio intercesserit, de iustitia vel iniquitate excommunicationis, proximę Synodo referuentur.

Apud Gratianum 11.q.3. Canonica instituta & sanctorum Patrum exempla sequentes, Ecclesiarum Dei violatores, auctoritate Dei & iudicio sancti Spiritus, à gremio sanctæ matris Ecclesię, & à consortio totius Christianitatis eliminamus, quousque resipiscant, & Ecclesiæ Dei satisfaciant.

Ibidem, & apud Burchardum: Cùm aliquis excommunicatus, vel anathematizatus, pœnitentia ductus, veniam postulat, & emendationem promittit, Episcopus, qui eum excommunicauit, ante ianuas Ecclesiæ venire debet, & duodecim Presbyteri cum eo, qui eum hinc & inde circumstare debent: vbi etiam esse debent illi, quibus iniuria vel damnum immissum debet emendari; aut si iam emendatum est, eorum testimonio comprobari. Deinde interroget Episcopus, si pœnitêtiam, iuxta quod Canones præcipiunt, pro perpetratis sceleribus susc ipere velit; & si ille terræ prostratus veniam postulat, culpam confitetur, pœnitentiam implorat, & de futuris cautelam spondet, tũc Episcopus apprehensa manu eius dextera in Ecclesiam illum introducat, & ei communionem & societatem Christianam reddat.

Leo Primus. 450.

Epist. 89. ad Episcopos Viennensis prouinciæ c. 6. Nulli Christianorum facilè communio denegetur, nec ad indignantis fiat hoc arbitrium sacerdotis, quod in magni reatus vltionem inuitus ac dolens quodammodo debet inferre animus vindicãtis. Cognouimus enim pro cõmissis & leuibus verbis quosdam à gratia communionis exclusos, & animam, pro qua Christi sanguis effusus est, irrogatione tam sęui supplicij sauciatam, & inermem quodammodo, exutam q omni munimine, diabolicis incursibus, vt facilè caperetur, obiectam. Certè si quando causa talis emerserit, vt pro commissi criminis qualitate aliquem iustè faciat cõmunione priuari, is tantùm pœnę subdendus est, quę reatus inuoluit, nec particeps debet esse supplicij, qui consors non docetur fuisse commissi.

Prosper. 450.

De vita contemplatiua lib. 2. c. 7. Ea crimina quorũlibet, si ipsis criminosis confiteri nolentibus vndecunq; claruerint, quæcunque non fuerint patientię leni medicamento sanata, velut igni quodam piæ increpationis vrenda sunt, & curanda. Quòd si nec sic quidem æquanimiter sustinentis, ac piè increpãtis medela profecerit in ijs, qui diu portati, & salubriter obiurgati corrigi noluerint, tamquam putres corporis partes debẽt ferro excommunicationis abscindi: ne sicut caro morbis emortua, si abscissa non fuerit, salutẽ reliquæ carnis putredinis suę contagione corrumpit: ita isti, qui emendari despiciunt, & in suo morbo persistunt, si moribus deprauatis in sanctorum societate permanserint, eos exemplo suæ perditionis inficiant.

Eucherius Lugdunensis. 460.

Feria 3. post tertiam Dominicam Quadragesimæ. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi velut ethnicus & publicanus*, vt excommunicatus, & ab Ecclesia separatus, nullus Ecclesiæ filius ei communicet, qui Ecclesiæ credere noluit, eiusq; consilijs obedire contempsit, & cæteri hoc audientes timeant, atque vnius exemplo corrigantur multi. *Quæcunque ligaueritis*, &c. Hoc Episcopi audiant, & hunc ligandi & soluendi ordinem teneant. Prius singulariter aut per se, aut per alium peccantes conueniant: deinde cum paucis, postmodum verò cum tota Ecclesia: quam si audire cõtempserint, iam tunc eos ligare non dubitent. Qui enim sic ligantur, & in cælo & in terra ligati sunt.

Faustus Regiensis. 480.

Sermone ad monachos: Illis ipsis, qui grauiter apud nos delinquunt, nullam tristiorem, nullam acerbiorem possumus inuenire sentẽtiam, quàm vt à corpore congregationis abscissi, sine pace discedant. Et nunquid non amentiæ genus est, vt hoc quisquam pro remedio expetat, quod etiam à Prępposito, nisi pro summo crimine non possit inferri?

Gelasius. 490.

Epist. 8. ad Episcopos per Dardaniam & Illyricum constitutos: Nec quisquam omninò vobis persuadeat Acatio crimen præuaricationis suæ fuisse laxatum: quia qui, postquam in collegium recidens prauitatis iure meruit ab Apostolica communione secludi, in hac eadem persistens damnatione defunctus est, absolutionem, quam superstes non quæsiuit omninò, nec meruit, mortuus iam non potest impetrare. Siquidem ipsis Apostolis Christi voce delegatum est: *Quę ligaueritis super terram*, &c. Cæterùm de eo, qui in diuino iudicio est constitutus, nobis fas non est aliud decernere, præter id, in quo eum dies supremus inuenit. Atq; ideò nisi eius nomine refutato, cæterisqúe consortibus huius erroris, cum nullo prorsus eorum participare debetis mensæ Dominicæ puritatem, quam maiores nostri semper ab hæretica magnoperè seruauerũt pollutione discretã.

Symmachus. 500.

Apologetico ad Anastasium Imp. Nos non te excommunicauimus Imperator, sed Acatium: tu recede ab Acatio, & ab illius excommunicatione recedis. Tu te noli miscere excommunicationi eius, & non es excommunicatus à nobis. Si te misces, non à nobis, sed à teipso excommunicatus es.

Concilium Agathense. 506.

Cap. 3. Episcopi si sacerdotali moderatione posposita,

posita, innocentes, aut minimis causis culpabiles excommunicare præsumpserint, aut ad gratiã festinantes recipere fortasse noluerint, à vicinis Episcopis cuiuslibet prouinciæ literis moneantur: & si parere Episcopis noluerint, communio illis vsque ad tempus Synodi à reliquis Episcopis nõ denegetur: ne fortè propter excommunicatoris peccatum, excommunicati longo tempore morte præueniantur.

Eucherius Gallus. 540.

Lib. 3. Reg. c. 17. Ingressus oraculi & ostiola Apostolorum, atq; virorum Apostolicorum figuram tenent, quibus claues regni cælorũ sunt datæ, qui accepta à Domino potestate ligandi atq; soluendi, & dignos intra regni ianuam admittunt, & cõtumaces impuros, & superbos excommunicando, vel anathematizãdo ab ingressu vitæ perennis eliminant.

Primasius. 540.

Lib. 3. in Apocal. In Ecclesia factam nouimus victoria Christi salutem, per quam cognitam accepit etiam potestatem ligandi soluta, cùm in vno Petro generali significatione omnis audiuit: *Quæ ligaueris super terram, ligata erunt & in cælis*, &c.

Benedictus Abbas. 540.

Cap. 24. Regulæ: Secundùm modum culpæ & excõmunicationis vel disciplinę debet extendi mẽsura: qui culparũ modus in Abbatis pendeat iudicio. Si quis tamẽ frater in leuioribus culpis inuenitur, à mensæ participatione priuetur.

Cap. 26. Si quis frater præsumpserit sine iussione Abbatis fratri excommunicato quolibet modo se iungere, aut loqui cum eo, vel mandatũ ei dirigere, simile fortiatur excõmunicationis vindictã.

Iustus Orgelitanus. 540.

In Cantica: An non terribilis, quę gentium ritus idolorumq; cultus subuertit, & ipsa in fide Christi perdurans, à gentibus superari non potuit? Est & in eo terribilis multũ, cùm ei in Petro datur illa potestas, vbi dicitur: *Quæcunque ligaueris super terram, erunt ligata & in cælis: & quæcunque solueris super terram, erunt soluta & in cælis.*

Concilium Turonense Secundum. 570.

Cap. 21. Nos, quos lex perimi iubet, (si cupiunt audire præconẽ) volumus vt cõuertantur ad vitã. Nam perimendi sunt oris gladio, & à cõmunione priuandi, si relicta sibi decreta seniorũ obseruare noluerint, & pastorem suum audire despexerint, & esse separati noluerint. Qui ergo in hac pertinacia perdurare voluerint, & plus in volutabro malæ conuersationis permanere, quàm se de vetito coniugio separare, perenni excommunicatione damnentur. Et quicunque Episcoporũ, aut Presbyterorũ, aut Diaconorum, aut Subdiaconorum eos cõmunicare præsumpserit, vsq; ad Synodum ab omnibus Episcopis excõmunicatus habeatur.

Concilium Lugdunense. 570.

Cap. 4. Illud etiã, quod sancti Patres salubriter ordinârunt, placuit iterari, vt si quicunque Episcopus pro reatu aliquo quenquã à communione suspenderit, apud omnes sacerdotes eatenus à cõmunione habeatur alienus, vsquequò eius iudicio debeat recipi, à quo meruerat pro reatu suo à charitate Ecclesiastica sequestrari.

Concilium Bracarense Primum. 570.

Cap. 33. Placuit, vt qui pro hęresi, aut pro crimine aliquo excommunicantur, nullus eis communicare præsumat: sicut & antiqua Canonũ continent statuta, quæ si quis spernit voluntariè, seipsum alienum à communione facit.

Martinus Bracarensis. 572.

In capitulis Græcarum Synodorum c. 36. Si quis Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus in alicuius hæresis opinionem offenderit, & ob hanc causam fuerit excommunicatus, nullus Episcopus eum in communionem recipiat, nisi prius in communi Concilio, porrecto fidei suæ libello, satisfaciat omnibus, & ita liberam suã teneat purgationem.

Gregorius Magnus. 590.

Hom. 26. in Euang. Libet intueri, illi discipuli ad tanta onera humilitatis vocati, ad quantum culmen gloriæ sint perducti. Ecce non solùm de semetipsis securi fiunt, sed etiam alienæ obligationis potestatem relaxationis accipiũt, principatumq; superni iudicij sortiuntur, vt vice Dei quibusdam peccata retineant, quibusdã relaxent, &c. Ecce qui districtũ Dei iudiciũ metuunt, animarũ iudices fiunt, & alios damnant, vel liberant, qui semetipsos damnari metuebant. Horum profectò nunc in Ecclesia Episcopi locum tenent, ligandi atq; soluendi auctoritatem suscipiũt, qui gradum regiminis sortiuntur. Grandis honor, sed graue pondus istius est honoris. Durũ quippe est, vt qui nescit tenere moderamina vitæ suę, iudex vitę fiat alienę, &c. Sub magno moderamine pastores Ecclesię vel soluere studeãt, vel ligare: sed vtrum iustè, an iniustè obliget pastor, pastoris tamẽ sententia gregi timenda est: ne is, qui subest, & cùm iniustè forsitan ligatur, ipsam obligationis suæ sententiã ex alia culpa mereatur. Pastor ergo vel absoluere indiscretè timeat, vel ligare. Hic autem qui sub manu pastoris est, ligari timeat, vel iniustè: nec pastoris sui iudicium temerè reprehẽdat, ne etsi iniustè ligatus sit, ex ipsa tumidæ reprehẽsionis superbia, culpa, quæ non erat, fiat.

Lib. 3. epist. 24. Eis, qui ab Ecclesiastica cõmunione suspensi sunt, nullus religiosus secundùm Canonum præcepta iungatur.

Concilium Antisiodorense. 614.

Cap. 39. Si quis Presbyter, aut quilibet de clero, aut de populo excommunicatũ absque voluntate ipsius, qui eum excõmunicauit, sciẽs receperit, aut cum illo panẽ mãducauerit, vel colloquium habere decreuerit, simili sententiæ subiacebit.

Audoënus. 660.

Vitæ S. Eligij lib. 2. c. 19. de quodã, qui vi conabatur syluam Ecclesiæ beati Eligij ad se transferre: Cùm minitabundus diceret ad Eligium: Si mihi non vltrò dederis, ego vi tollam. Eligius cõmotus seuero vultu dixit ei: Nouit Creator meus, nisi citò mutaueris sentẽtiam, dignam meritis tuis excommunicationẽ in te prolatũ iri. Ille id audiens, mirè cachinnari cœpit, multaq; in virũ Dei probra conuiciaq; iactare. Cernens ergo Eligius eum nulla posse ratione compesci, dextera manu extẽsa, excommunicationis fulmen in eum terribiliter vibrauit. Mox præpotentis Dei ira eius sententiam prosequens, ita perculit virũ, vt viribus omnino destitutus, mortuo similis videretur, & simulatq; Eligius ore protulit verba, humi collaberetur, cunctiq; eum animam expirasse putarent.

Concilium Toletanum Vndecimum. 672.

Cap. 6. Qui Ecclesiasticis personis iniuriã facit, excommunicatus sit, donec legitimè satisfaciat.

Beda. 700.

Homilia in die Petri & Pauli: *Et quodcunque ligaueris super terram*, &c.) Quæ soluẽdi atque ligandi potestas quamuis soli Petro data videatur à Domino, absque vlla tamen dubietate noscendum est, quia & cæteris Apostolis datur, ipso teste, qui post passionis resurrectionisqúe suæ triumphum apparens eis, *insufflauit, & dixit eis: Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt.* Nec non etiam nunc in Episcopis ac Presbyteris omni Ecclesię officium idem committitur, vt videlicet agnitis peccanti- Ioan. 20.

um cauſis, quoſcunque humiles & verè pœnitentes adſpexerit, hos iam à timore perpetuę mortis miſerans abſoluat: quos verò in peccatis, quę egerint, perſiſtere cognouerit, illos perennibus ſupplicijs obligandos inſinuet. Vnde aliàs Dominus de correpto ſemel & iterum ac tertiò, ſed non pœnitente fratre præcipit, dicens: *Si autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi velut ethnicus & publicanus.* Et ne leue quiſquam putaret, Eccleſię iudicio condemnari, mox terribiliter adiunxit: *Amen dico vobis, quæcunque ligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo.* Omni igitur electorum Eccleſiæ iuxta modum culparum vel pœnitentiæ ligandi ac ſoluendi datur auctoritas.

Matth. 18

Hiſtoriæ Anglicanæ lib. 3. cap. 22. Habuerat vnus ex illis Comitibus illicitum coniugium: quod cùm Epiſcopus prohibere & corrigere non poſſet, excommunicauit eum, atque omnibus, qui ſe audire vellent, præcepit, ne domum eius intrarent, neque de cibis illius acciperent. Contempſit autem hoc Rex præceptum, & rogatus à Comite intrauit epulaturus domum eius. Qui cùm abijſſet, obuiauit ei Antiſtes. At rex intuens eum, mox tremefactus deſiluit de equo, ceciditque ante pedes eius, veniam reatus poſtulans. Iratus autem tetigit regem iacentem virga quam tenebat manu, & Pontificali auctoritate proteſtans: Dicò tibi, inquit, quia noluiſti te continere à domo perditi, & damnati illius, tu in ipſa domo mori habes, &c.

Zacharias Papa. 740.

Epiſtola ad Bonifacium: Et hoc inquiſiſti, quid faciendum ſit de excommunicato Epiſcopo & Apoſtolicam auctoritatem negligente. Hic deteſtabilis eſt coram Deo & hominibus: cui condemnato incondemnatus non communicabit.

Concilium apud Palatium Vernis. 755.

Cap. 9. Si quis Presbyter ab Epiſcopo ſuo degradatus fuerit, & ipſe per contemptum poſtea aliquid de ſuo officio ſine commeatu facere præſumpſerit, & poſtea ab Epiſcopo ſuo correptus, & excommunicatus fuerit, qui cum ipſo cõmunicauerit ſcienter, ſciat ſe eſſe excommunicatum: ſimiliter quicunque clericus, aut laicus, vel fœmina inceſtum commiſerit, & ab Epiſcopo ſuo correptus, ſi ſe emendare noluerit, & ab Epiſcopo ſuo excõmunicatus fuerit, ſi quis cum ipſo communicauerit ſtienter, ſciat ſe eſſe excommunicatum. Et vt ſciatis qualis ſit modus iſtius excommunicationis: in Eccleſiam non debet intrare, nec cum vllo Chriſtiano cibum vel potum ſumere, nec eius munera accipere, vel oſculum porrigere, nec in oratione ſe iungere, nec ſalutare, antequam ab Epiſcopo ſuo fuerit reconciliatus. Quòd ſi aliquis reclamauerit, quòd iniuſtè ſit excommunicatus, licentiam habet ad Metropolitanum Epiſcopum venire, & ibidem ſecundùm Canonicam inſtitutionem dijudicetur, interim ſuam excommunicationẽ cuſtodiat. Quòd ſi aliquis iſta omnia contempſerit, & Epiſcopus emendare minimè potuerit, regis iudicio exilio condemnetur.

Ambroſius Ansbertus. 760.

In Apocalypſin libro 5. cap. 11. Eccleſia contraria Chriſto ſentientes, atque in malo perſeuerantes, anathematum fulmine percutit.

Carolus Magnus. 780.

Libro 1. Legum cap. 36. Qui excommunicato præſumptuosè communicauerit, excommunicetur & ipſe.

Lib. 5. cap. 23. Cum excommunicatis non licet communicare: nec cum his, qui per domos conueniunt, deuitantes orationes Eccleſiæ, ſimul orandum eſt.

Lib. 6. cap. 140. Si quis à communione ſacerdotali fuerit auctoritate ſuſpenſus, hunc non ſolùm à clericorum, ſed etiam à totius populi colloquio atque conuiuio placuit excludi, donec reſipiſcẽs ad ſanitatem redire feſtinet.

Concilium Cabilonenſe Secundum. 813.

Cap. 25. Pœnitentiam agere, iuxta antiquam Canonum conſtitutionem, in pleriſque locis ab vſu receſſit, & neque excommunicandi, neque reconciliandi antiqui moris ordo ſeruatur: vt à Domino Imperatore impetretur adiutorium, qualiter, ſi quis publicè peccat, publica mulctetur pœnitentia: & ſecundùm ordinem Canonum, pro merito ſuo excommunicetur, & reconcilietur.

Eugenius Secundus. 824.

Decreto primo: Qui excommunicato, donec ab eo, qui eum excommunicauerat, vel ab alio auctoritate Sedis Apoſtolicæ abſoluatur, ſcienter communicare præſumpſerit, excommunicationis ſententia ipſum teneri cenſemus.

Walafridus Strabo. 830.

De rebus Eccleſiaſticis cap. 17. A ſanctis Patribus ob hoc vel maximè conſtitutum eſt, vt mortaliter peccantes à Sacramẽtis Dominicis arceantur, ne indignè ea percipientes, maiori reatu inuoluantur, & vt à communione ſuſpenſi, terrore eius excluſionis, & quodam condemnationis anathemate compellantur ſtudioſius medicamentum appetere, & auidius recuperandæ ſalutis deſiderijs inhiare.

Rabanus Maurus. 850.

Ad caput 13. Hieremiæ: Peccauit quiſpiam, & poſt peccatum poſtulat Communionem: ſi ei conceditur quod rogat, in incommodum omnium venia procedit, & laxatis frenis ſceleribus panditur via: ſin verò cum rationabili deliberatione non vt immiſericors, nec rurſum vt crudelis iudex; ſed quaſi & vni prouidens, & de omnium ſalute pertractans, conſiderauit populi damnum in vnius venia, haud dubium eſt quid faciat. Eijcit vnum de Eccleſia, vt multos ſeruet incolumes.

Concilium Wormatienſe. 868.

Cap. 13. Vt nullus ſacerdotum quemquam rectę fidei hominẽ pro paruis & leuibus cauſis à communione ſuſpendat, præter eas culpas, pro quibus antiqui Patres arceri iuſſerunt aliquid committentes.

Concilium Metenſe. 894.

Cap. 7. Pro his omnibus ad Synodum vocati venire noluerunt, & idcirco vſque ad ſatisfactionem excommunicati ſunt.

Cap. 8. Quęſitum eſt à ſancta Synodo, quid de ijs ſacra fieri auctoritas iuberet, qui cũ prædictis excommunicatis communionem habeant. Nã non tantùm laici, verùm etiam Presbyteri in celebratione Miſſæ excommunicatos recipiunt, & quid de his, qui in eadem excommunicatione mortui fuerint. Verùm ad hæc tãta auctoritas prolata eſt. Sanctus Petrus Apoſtolus in ordinatione ſancti Clementis ita plebes alloquitur: Si inimicus eſt alicui pro actibus ſuis, vos cum illo nolite amici eſſe, & prudenter obſeruare debetis, auertere vos ab eo, cui ipſum ſentitis aduerſum: ſed nec loqui his, quibus ipſe nõ loquitur. Iſtius tranſgreſſores ſanctus Petrus & omnis auctoritas excõmunicat.

Arnulphus Imperator. 895.

In Synodo Triburienſi c. 3, Non potentiam oſtendentes, ſed iuſtitiam exhibentes, præcipimus, & auctoritate noſtra iniũgimus omnibus regni noſtri Comitibus, poſtquam ab Epiſcopis anathemate excommunicationis percelluntur, & tamen ad pœnitendum non inclinãtur, vt ab ipſis com-

prehen-

prehendantur, & ante nos perferantur; vt qui diuina iudicia non verentur, humana ſententia feriantur.

Regino Prumienſis. 910.

Lib. 2. Annalium de anno 866. Accenſus itaque ſanctiſſimus Pontifex zelo Dei, quo fuerat ſacerdos quondam inflammatus, VValdradam ipſo die Purificationis Marię in Baſilica excommunicauit, & ab omni Chriſtianorum conſortio ſeparauit: deſtinauitq; epiſtolam omnibus Epiſcopis, per Germaniam & Gallias conſtitutis, cauſas & modum excommunicationis continentem.

Radulphus Flauiacenſis. 950.

In Leuiticum lib. 18. cap. 4. Venditores huius poſſeſſionis hi ſunt, qui claues regni cælorum à Domino ſuſceperunt, quibus commiſſa eſt poteſtas vt ligent, & excludant peccantes; ſoluant, & introducant pœnitentes.

Smaragdus. 970.

Ad cap. 28. Regulæ Benedicti: Excommunicationis ſeuera diſtrictio, quæ peccatori iniungitur pro peccato, conuenienter vſtio vocatur: ſicut enim ignis vſtulat, atque concremat corpus; ita diſtrictio excommunicationis animam affligit pariter atque concremat corpus: ſed vſtio iſta à peccati rubigine purgat animam humilem, ſuperbam verò in plumbi conuertit naturam.

Synodus Remenſis. 992.

Extat Cent 10. Magd. fol. 466.

Cap. 12. Auctoritate Omnipotentis Dei Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, interueniẽte & adiuuante beata Maria ſemper Virgine, auctoritate quoque & poteſtate Apoſtolis tradita, nobisq; relicta, anathematizamus, maledicimus, damnamus, & à liminibus ſanctæ matris Eccleſiæ ſeparamus vos Remenſium prędonum auctores, factores, cooperatores, fautores, & à proprijs dominis rerũ ſuarũ ſub nomine emptionis abalienatores. Obtenebreſcant oculi veſtri, qui concupiuerunt: areſcant manus, quę rapuerũt: debilitentur omnia membra, quæ adiuuerunt: ſemper laboretis, nec requiem inueniatis, fructuque laboris veri priuemini: formidetis & paueatis à facie perſequentis, & non perſequentis hoſtis, vt tabeſcendo deficiatis, &c. Amen, fiat, fiat.

Osbertus Anglus. 1020.

Vitæ S. Dunſtani c. 31. Comes quidam prępotens cognatam ſuam illicito ſibi matrimonio copulauerat, & à Dunſtano ſemel, ſecundò, & tertiò redargutus, inceſtum ſuum diuortio expiare nolebat. Quapropter gladio Spiritus ſancti à viro Dei percuſſus, à liminibus eſt ſanctæ Eccleſiæ ſeparatus, &c.

Radulphus Ardens. 1050.

Dominica 1. poſt Paſcha: Qualiter debent abſoluere vel ligare? Non præcipitanter, ſed morosè, diſcretè, & iuſtè. Morosè quippe proferenda eſt ſententia excommunicationis à ſacerdote, & per ſe, & per alios tertiò commonendus eſt peccator, & prius omnia remedia ſunt tentanda, antequam ad ſententiam excommunicationis veniatur. Et hoc contra illos, qui præcipitanter mox excommunicant peccatores, non attendentes, quoniam quod citò nimis fit, malè fit. Diſcretè enim proferenda eſt ſententia vel abſolutionis, vel excommunicationis. Non enim aliquem debet excommunicare ſacerdos propter veniale peccatum, nec propter ignotum vitium, vt ſi quis iracundus, vel garrulus, nec propter occultum; ſed propter crimen manifeſtum. De cæteris quippe vitijs monere poteſt, non excommunicare. Iuſtè quoque ſententia abſolutionis vel excommunicationis proferenda eſt, vt videlicet non ob odium, vel gratiam; ſed tantùm ob meriti iuſtitiam proferatur.

Petrus Damianus. 1060.

Epiſtola 2. ad Gregorium Septimum: Quidam degener moribus, ſed maiorum titulis inſignitus, ſuam conſanguineam nuptiali ſibi fœdere copulauit. Quid plura? Prohibitus perſtitit, excommunicatus adhęſit, totumque Eccleſiaſticę cenſuræ vigorem nugarum puerilium fabulas deputauit. Cui hoc certè ad diuinæ indignationis iudicium contigit, vt panes de nuptialibus menſis in plateas ante canum ora proiecti minimè tangerentur. Inſuper (ô diuinę animaduerſionis pauenda ſeueritas) dum rigidus ſtat, dum præceptis ſacerdotalibus ſe non humiliat, qui vigilare ſibi ad ſalutem noluit, in cubiculo dormientem repente de cæleſtibus irruens fulgur extinxit. Sic diuini furoris expertus eſt moriendo ſententiam, qui vulneri ſuo, dum viueret, adhibere contempſerat medicinam.

Gregorius Septimus. 1076.

Libro 4. epiſt. 2. Eis, qui dicunt Regem non oportet excommunicari; licet pro magna fatuitate, nec etiam eis reſpondere debeamus: tamen ne impatienter illorum inſipientiam prąterire videamur, ad ſanctorum Patrum dicta vel facta illos mittimus, vt eos ad ſanam doctrinam reuocemus. Legant itaque quid B. Petrus in ordinatione ſancti Clementis populo Chriſtiano præcepit de eo, quem ſcirent non habere gratiam Pontificis. Addiſcant cur Apoſtolus dicat: *Habentes in promptu vlciſci omnem inobedientiam:* & de quibus dicit: *Cum huiuſmodi nec cibum ſumere.* Conſiderent, cur Zacharias Papa Regem Francorum depoſuerit, & omnes Francigenas à vinculo iuramenti, quod ſibi fecerant, abſoluerit. In regiſtro beati Gregorij addiſcant, quia in priuilegijs, quæ quibuſdam Eccleſijs fecit, Reges, & Duces contra ſua dicta venientes, non ſolùm excommunicauit, ſed etiam vt dignitate careant iudicauit. Nec prætermittant, quòd beatus Ambroſius non ſolùm Regem, ſed etiam reuera Imperatorem Theodoſium moribus & poteſtate, non tantùm excommunicauit, ſed etiam ne præſumeret in loco ſacerdotum in Eccleſia manere, interdixit.

2. Cor. 10.

1. Cor. 5.

Anſelmus. 1080.

Ad cap. 18. Matthæi: Si autem nec ſic corrigi voluerit, dic toti Eccleſiæ, vt maiorem erubeſcentiam patiatur. Poſt hęc omnia ſequitur excommunicatio, quæ tantùm fieri debet per os Eccleſię, id eſt, per ſacerdotem. Sacerdote enim excommunicante, totum corpus Eccleſiæ operatur. *Amen dico vobis,* &c. Ne aliquis ſuperbus excommunicationem contemneret, dicens: ſi me contemnis, & ego te contemno: ſi me condemnas, & ego te condemno, propterea confirmat ſententiam excommunicationis, dicens: *Quæcunque alligaueritis,* &c. Et non ſolùm de excommunicatione, ſed etiam de omni petitione, quę fiet à conſentientibus in vnitate Eccleſiæ, dat confirmationem.

Lucæ 10.

Epiſtola 8. quæ eſt ad Guilhelmum Abbatem: Comes quidem veſter, qui excommunicatus vobis diuina celebrantibus ſe miſcet, mihi videtur humiliter admonendus, ne contemnendo ſententiam eorum, quibus Deus affirmat ſe audiri, cùm audiuntur; & ſperni, cùm ſpernuntur: ſe ligare, cùm ligant; & ſoluere, cùm ſoluunt, aggrauet ſuper ſe Dei iudicium, à quo fugere nuſquam homo poteſt. Quare illi melius eſſe, vt per ſalubrem humilitatem abſtineat ab his, à quibus

eum Apostolica segregat sententia, quàm per præsumptionis contemptum se ingerat in illa, quæ nunquam nisi per humilitatem quæsita prosunt: at semper inordinatè præsumpta obsunt.

Iuo Carnotensis. 1100.

Epistola 98. Quòd Simonem de Melsa adhuc in adulterio suo perdurantē sub velamine Apostolicę auctoritatis ab anathematis vinculo relaxare disponitis, quantum in vobis est maiestatem Apostolicam multum minuistis, & famæ vestræ non bene consulitis. Si enim iusto anathematis vinculo est ligatus, cùm iusta vincula non dissoluat, nisi vera cordis conuersio, eo adhuc permanente in crimine, ad persuasionem quamlibet personæ splendidę, quid est hoc anathema destruere, nisi seipsum præuaricatorem constituere?

Hugo Victorinus. 1130.

De Sacramentis lib. 1. cap. 26. De iniustè excommunicato quæritur, vtrum apud Deum ligatus sit. Si enim non est, quid est, quod in typo Ecclesiæ dictum est Petro: *Quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis?* Sed fortè solutionem mendicans dices: *Quodcunque ligaueris* iustè *super terram, erit ligatum & in cælis.* At quomodo dicetur iniustè dedisse sententiam, qui rei veritatem scire non prævalens, secundùm audita rectè iudicauit? Item beatus Gregorius ait: Sententia pastoris, siue iusta, siue iniusta, timenda est. Ad quid ergo timenda est, si non tenet?

Bernardus. 1130.

Epistola 303. ad Ludoicum Regem Francorum: Non est consilium humilis fidelis vestri, concedi vllatenus aut terram extraneo, aut vestri fauorem dominij excommunicato & incestuoso: ne (quod Deus auertat) quandoque & vos audiatis: *Si videbas furem, currebas cum eo; & cum adulteris portionem tuam ponebas.* Psal. 46.

Petrus Lombardus. 1140.

Libro 4. distinct. 18. Est & alius modus ligandi & soluendi, qui per excommunicationem geritur: dum aliquis secundùm Canonicam disciplinam tertiò vocatus ad emendationem manifesti delicti, & satisfacere vilipendens, sententia Ecclesiæ à loco orationis, & Sacramentorum communione, & fidelium consortio præscinditur: vt erubescat, & pudore sceleris conuersus pœniteat, vt sic spiritus eius saluus sit. Quòd si pœnitentiam profitens resipuerit, negatæ communioni admittitur, & Ecclesię reconciliatur. Hæc est autem Ecclesiæ anathematizatio: hanc pœnam illis, qui dignè percelluntur, infligit: quia gratia Dei & protectio illis amplius subtrahitur, ac sibi ipsis relinquuntur, vt sit eis liberum ruere in interitum peccati, in quos etiam maior diabolo sæuiendi datur potestas, orationes quoque Ecclesię, & benedictionum ac meritorum suffragia eis nequaquam suffragari putantur. 1. Cor 5.

Richardus Victorinus. 1140.

De ligandi & soluendi potestate cap. 11. Ille vtique verè ligatur, qui iuxta confessionis suæ tenorem iusto satisfactionis debito obligatur. Ille sacerdotali officio veraciter absoluitur, cuius peccatum ad condignam satisfactionem iustè remittitur. Ligat itaque & absoluit sacerdotis sententia iusta, neutrum verò sacerdotis sententia iniusta.

Fridericus Primus Imp. 1152.

In Authent. Item quæcunque, *C. de Episcopis & clericis:* Quæcunque communitas vel persona, quę annum in excommunicatione propter libertatem Ecclesię fractam & violatam perseuerauerit, ipso iure imperiali banno subiaceat, à quo nullatenus extrahatur, nisi prius ab Ecclesia beneficio absolutionis obtento.

Alexander Tertius. 1160.

Epistola ad Bononienses: Nouerit discretio vestra, quòd nos supra nominatum Octauianum Apostaticum & schismaticum in octauo die à consecratione nostra (hunc etenim terminum ei respiscendi, & ad vnitatem matris Ecclesiæ redeundi præfiximus) tamquam inobedientem, & contumacem, & illos, qui ei manus præsumerent non dicimus consecrationis, sed execrationis imponere, & de communi fratrum nostrorum Episcoporum & Cardinalium voluntate atque consilio, accensis candelis & cœtu clericorum in Ecclesia cōgregato, vinculo anathematis & excommunicationis astrinximus, & eos cum suo auctore diabolo condemnauimus.

Hildegardis. 1160.

Libro 2. visione 6. Cùm homines in lege Deo se pertinaciter opponunt, timorem iudicij Dei eis incutere debent ministri, & si culpam suam non correxerint, ligaturam suam in eos extendere.

Concilium Lateranense sub Alexandro. 1180.

Parte 1. cap. 24. Sunt, qui pro sua cupiditate in galeis & piraticis Saracenorum nauibus regimen & curam gubernationis exercent. Tales à communione Ecclesiæ præcisos, & excommunicationi pro sua iniquitate subiectos, & rerum suarum per seculi Principes Catholicos, & Consules ciuitatum priuatione mulctari, & capientium seruos, si capti fuerint, fore censemus. Præcipimus etiam, vt per Ecclesias maritimarum vrbium crebra & solennis excommunicatio proferatur in eos.

Innocentius Tertius. 1200.

Nidrosiensi Archiepiscopo: Sacris est Canonibus cōstitutum, vt quibus nō communicauimus viuis, non communicemus defunctis: & vt careant Ecclesiastica sepultura, qui prius erant ab Ecclesiastica vnitate præcisi, nec in articulo mortis Ecclesiæ reconciliati fuerint. Vnde si contingat interdum, quòd vel excommunicatorum corpora per violentiam aliquorum, vel alio casu in cœmiterio Ecclesiastico tumulentur, si ab aliorum corporibus discerni poterunt, exhumari debent, & procul ab Ecclesiastica sepultura iactari. Quòd si discerni non poterunt, expedire non credimus, vt cum excommunicatorum ossibus corpora extumulentur fidelium: cùm licet iustis non obsit sepultura vlla vel vilis, impijs tamen celebris, vel spetiosa non prosit.

Concilium Lateranense sub Innocentio. 1215.

Cap. 47. Sacro approbante Concilio prohibemus, ne quis in aliquem excōmunicationis sententiam, nisi competenti commonitione præmissa, & præsentibus idoneis personis, per quas (si necesse fuerit) possit probari monitio, promulgare præsumat. Quòd si contra præsumpserit, etiā si iusta fuerit excommunicationis sentētia, ingressum Ecclesiæ per mensem vnum sibi nouerit interdictum, alia nihilominus pœna mulctandus, si visum fuerit expedire.

Caueat etiam diligenter, ne ad excommunicationem cuiusquam absq; manifesta & rationabili causa procedat: ad quam si fortè taliter processerit, & requisitus humiliter processum huiusmodi non curauerit absq; grauamine reuocare, grauatus apud superiorem deponat de iniusta excommunicatione querelam: quòd si absque periculo moræ potest, ad excommunicatorem illum cum suo mādato remittat, infra competentē terminū absoluendū: alioquin ipse per se, vel per aliū, prout viderit expedire, sufficienti cautione recepta, munus ei absolutionis impendat.

Cumque

Cumq; aduersus excommunicatorem de iniusta excommunicatione constiterit, excommunicator cōdemnetur excommunicato ad interesse. Aliàs nihilominus, si culpę qualitas postulauerit superioris arbitrio puniendus, cùm non leuis si culpa, tantam infligere pœnam insonti, nisi forsitan errauerit ex causa probabili, maximè si laudabilis opinionis existat.

Saxo Grammaticus. 1220.

Historiæ Danicæ lib. 11. Rex sacro Circumcisionis pernigilio solenni magnatum cōuiuio feriatus, cùm quorundam principum clandestina obtrectatione parum honoratè de se habitum comperisset sermonē, occultam eorum perfidiam temulentiæ lasciuijs detectam existimans, iræ aculeis actus, misit qui ipsos matutino tēpore intra Trinitatis ædem oraturos confoderent, tamquam in sacris penetralibus aptissimus humanarum cladium locus existeret. Qua in re Antistes tēpli (vt par erat) violatione permotus, imprimis dissimulanter excepit, neq; indignationem suam vlla ex parte stipatoribus patefecit, opportuno vindictam tempore præbiturus. Nam cùm rem diuinam Pontificali more peragere debuisset, non solùm aduentantem Regem occurrendi veneratione excipere supersedit, sed etiam sacrarium subire connisum, à primis eius limitibus absq; respectu familiaritatis sacerdotij insignibus ornatus, baculo, quo vtebatur, exclusit, sacrorum penatium aditu indignum iudicans, quorum religionem non sine graui pacis rubore ciuili sanguine maculasset. Cumq; abundè foret repulsam egisse, etiam execrationem adiecit, nec dubitauit in præsentem damnationis quoq; proferre sentētiam, &c. Cuius Rex inhibita nece, cùm eum non temeraria offensa, sed publicæ seueritatis fiducia concitatum animaduerteret, conscientiæ rubore perfusus, sceleriscq;, quàm repulsæ pudore ægrior, continuò regiam repetit, quietamq; frontē contumeliosè correptus exhibuit, nec ipsa quidē generosæ indignationis verba inuitus audiuit. Deinde regia veste deposita, obsoletam accepit, mœroréq; deformitate cultus, quàm splendore contumaciam testari maluit. Neque enim tam tristi Pontificis sententia perculsus, regalis magnificentiæ cultum gestare sustinuit. Sed abiectis regię maiestatis insignibus, insigne pœnitentiæ sagulum sumpsit. Quin etiam simul cum veste potentiam exuit, atq; ex sacrilego tyranno fidus sacrorum venerator euasit. Siquidem nudatis pedibus ad atrium regressus, in eius se aditu prostrauit, terramq; suppliciter osculatus, dolorem, qui ex contumelia acerrimus infligi solet, verecundia ac moderatione compressit, &c.

Concilium Alemaniæ. 1225.

Cap. 6. Cùm scriptum sit in Lege veteri, quòd quicumq; non obtemperâsset sacerdotibus, aut extra positus lapidaretur à populo, aut gladio ceruice suppositā expiaret cruore contemptum: & in primitiua Ecclesia inobedientes cuncti de Ecclesia rabido ore dæmonum traherentur: multi nomine sacerdotes, cēsuram Ecclesiasticam contemnentes, excommunicati, vel suspensi à Prælatis ipsorum, exigentibus culpis suis, & immemores quæ Episcopis & Prælatis clauium regni cælestis collata sit potestas, attrectare sibi interdicta mysteria non verentur, contra quos rigorem Ecclesiasticum volumus exerceri. Statuimus igitur, vt tales fine spe restitutionis ab officijs & beneficijs deponantur, & infames & intestabiles sint.

Guilhelmus Aluernus Parisiensis. 1230.

De Sacramento Ordinis cap. 11. Si fortè in eo, in quē lata est sententia, aliqua non sit ex causis, quas dixímus, timenda etiam sententia est pastoris, non solùm quia plena ruboris est, vel confusionis magnæ extra castrum fidelium quasi infidelem proniberi; sed quia pœna damni inæstimabilis est. Quis enim non æstimet beneficia remissionum ac gratiarum, quæ dantur virtute Sacramenti, & orationis essentiæ specialis, quæ ad Deum pro circumstantibus in Missa funditur? Quæ omnia bona procul dubio amittunt excommunicati.

Alexander Alesius. 1240.

Part. 4. q. 22. art. 2. Communio triplex est, quædam spiritualis omninò, & hoc est, quantum ad dilectionem interiorem: quædam corporalis, quantum ad exteriorem conuersationem: quædam medio modo, & hoc est quantum ad sacrorū susceptionem, & præcipuè quantum ad Sacramentum altaris. Dico ergo, quòd à primo nullus potest nec debet excludi, quamdiu est viator: nec excommunicatio dicit priuationem illius communionis. Quantum ad Sacramentalem, excluditur quilibet, qui dicitur excommunicatus, siue maiori, siue minori. Quantum ad conuersationem exteriorem, attenditur excommunicatio maior, in qua negatur communicatio secundùm actus legitimos, qui attenduntur in osculo, in salutatione, in conuiuio, in oratorio. Vnde versus:

Si pro delictis anathema quis efficiatur,
Os, orare, vale, communio, mensa negatur.

Quòd autem nullus communicet cum excōmunicato, neque in oratione, neque in cibo vel potu, vel osculo, vel dicat illi Aue, habetur 11. qu. 3. Excommunicatis.

Thomas Aquinas. 1250.

In supplemento 3. partis q. 22. art. 1. Quia homo per excommunicationem à communione fidelium separatur, ideo excommunicatio ad forum exterius pertinet: & ideo illi soli possunt excommunicare, qui habēt iurisdictionem in foro iudiciali. Et propter hoc soli Episcopi propria auctoritate, & maiores Prælati, secundùm communiorem opinionem, possunt excommunicare. Sed Presbyteri parochiales, non nisi ex commissione eis facta, vel in certis casibus: sicut in furto, & rapina, & huiusmodi, in quibus est eis à iure concessum, quòd excommunicare possint.

Ad caput 11. Apocalyp. Triplex est excommunicatio, siue eiectio de Ecclesia: vna est, per quodlibet mortale, quod tollit primam communionem. Alia est excōmunicatio, siue eiectio, quæ dicitur minor, & hæc tollit secundam communionem, scilicet Sacramentorum. Tertia est, quæ dicitur maior, quæ priuat Sacramentis, & suffragijs Ecclesiæ, & societate fidelium in loquela, & alijs huiusmodi, nisi in casibus à iure exceptis. Et hanc eiectionem facit Ecclesia propter peruersitatē malorum, vt corrigantur, propter confusionem, & damni considerationem; vel vt alij, ne attentent similia, terreantur.

Bonauentura. 1260.

Parte 1. Centiloquij cap. 27. Pœna sustinentis excōmunicationem est multiplex, quæ hisce versibus continetur:

Gratia subtrahitur magis ac magis obice rupto:
De vitio cadit in vitium, suffragia perdit
Ecclesiæ, Satanæ vexandus traditur ille,
Quem ligat ex propriis anathematis vltio culpis.

Circumstantia verò præseruans personam participantem cum excommunicato, ne excommunicationis vinculo inuoluatur, est multiplex, vt hisce versibus continetur:

Vile, lex, humile, res ignorata, necesse:
Hæc anathema quidem faciunt ne posit obesse.

Nicolaus Lyranus. 1300.

Ad cap.18. Matth. *Sit tibi velut Ethnicus & publicanus*: hoc est, separetur ab alijs fidelibus per excõmunicationem & censuram Ecclesiasticam. Et quòd talia possunt Prælati Ecclesiæ inferre, subditur: *Amen dico vobis, quæcumque ligaueritis*, &c. quia Deus talem punitionem approbat.

Ludolphus Carthusianus. 1330.

Vitæ Christi part. 2. cap.1. Claues regni cælorum ipsam discretionem & potentiam nominat: discretionem, quâ dignos vel indignos discernat: potentiam, qua liget vel soluat. Clauis quippe est potestas quædam spiritualis, supernaturaliter à Deo data & infusa, non innata & acquisita. Et dicit hîc Glossa, quòd duæ sunt claues, scilicet scientia discernendi, & potestas ligandi & soluẽdi. Vnde sciendum, quòd sicut in sole potentia liquefaciendi & indurandi vna est in radice, sed duæ in effectibus: sic tantùm vna est clauis in radice, sed duæ in effectibus. Clauis enim dicitur potestas iudicandi in foro animarum, non corporum: potestas autem iudicandi ex duobus integratur; ex potestate discernendi in causæ examinatione & potestate definiendi, in causæ determinatione per sententiam condemnatoriam vel absolutoriam.

Thomas Argentinensis. 1350.

Lib.4. dist.18. q.1. art.1. Ecclesiam habere claues ligandi & soluendi negare non possumus, cùm hoc pateat tam ex textu, quàm ex glossa Matth.16. vbi capiti Ecclesiæ, beato scilicet Petro Apostolo Christus huiusmodi claues legitur commisisse: & hæc commissio, mediante B. Petro descendit in alios sacerdotes, quod figuraliter tangit Psalmus, sub metaphora vnguenti, dicens: *Sicut vnguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron*, id est, in quemlibet Episcopum seu maiorem Prælatum: & vltimò in oram vestimenti, id est, in quẽlibet sacerdotem simplicem; vnde huiusmodi clauigera potestate quilibet sacerdos Christianum sibi subditum potest soluere à peccatis, & ligare congruis emendationibus, & aperire portam cæli dignis, & claudere indignis.

Thomas VValdensis. 1410.

Tomo 2. de Sacramento Pœnitentiæ cap.145. Hæ sunt claues datę Petro & Apostolis, de donatione & dimissione criminum: & cuius iuris sunt, vel auctoritatis, Paulus ipse manifestat, non solùm prædicando, vel dicẽdo ad populum Christum dimittere, sed ipse in persona sua exequens, & donationem factam per alios ipse confirmans in persona Christi. Et in hoc ius sibi sui Domini vendicauit (inquit Ambrosius): quia Dominus hoc dedit discipulis facere, quod suum erat: quia & maiora facere, quàm ipse fecit. Est ergo potestas clauium vera peccatorum dimissio, aut obduratorum detentio: & ius illud, vel auctoritas eadem in eis, & in Christo: quia quicquid fit, fit vtique in persona Christi. Has claues, hanc auctoritatem qui negat, aut negligit, dari sibi in Ecclesia, exors est à venia.

Laurentius Iustinianus. 1430.

Sermone in Dominica de ramis palmarum: Magna peritia vtitur, dum putridum abscindit membrum, ne exemplo suo corrumpantur & cætera. Ouem quoque morbidam ab ouili reijcit, ne totius congregationis commaculet gregem. Pertimesce igitur, quisquis per excommunicationis censuram ab Ecclesiæ vnitate alienus efficeris, ne in eadem sententia corporis & animæ patiaris interitum. Paue fœuientium bestiarum incursus, quæ foris errantes diripere consueuerunt. Scito te toties alienum esse à Christo, quoties per religionis tuæ statuta excommunicaris à Præsule. Noli (quæso) pro paruis magna, & pro terrenis commutare cælestia. Noli, inquam, pro peritura substantia participatione carere fidelium. Omnium bonorum, quæ in Ecclesia fiunt, communicatione te priuas, si excommunicatus in cordis obduratione persistat. Nam quemadmodum abscissum membrum nullo modo vegetatur in corpore: ita inhærens viuificans spiritus nutrire non definit. Hoc Propheta insinuans, inquit: *Particeps ego sum omnium timentium te, & custodientium mandata tua.* Redi ergo, ô excommunicate ad gremium, proprium fatere delictum, expone propria, ostende communia, libros, pecuniam, & omne quod habes in cella abijce, & ante pedes te statue præsidentis, humique prostratus veniam pete, & impositum pœnitentiæ onus amplectere. Psal.118.

Dionysius Carthusianus. 1460.

Ad cap.18. Matth. Quod Apostolorum & successorum eorum, videlicet Prælatorum, excommunicatio & sentẽtia vim habeat, & diuino iudicio approbentur, atq; à Deo efficientiam fortiantur, ostendit Saluator subdendo: *Amen dico vobis quæcumque solueritis*, &c.

Gabriel Bielius. 1480.

Lectione 26. in Canonem: Non leuiter extrahi debet gladius excommunicationis, sed pro inobedientia tantùm & criminibus grauibus & manifestis: nec furor illum extrahat, sed discretio rationis. Restringẽda est enim sub ratione potestas. Debet igitur Prælatus hoc gladio ferire in spirituale salutem Ecclesiæ, propter quam conseruandam membrum putridum morbosumq; excommunicationis gladio præscinditur, & in correctionem & in emendationem eius, qui excommunicatur: vt sic excommunicatio habeat rationem medicinæ curatiuæ, respectu eius cui infligitur; & præseruatiuæ, respectu aliorum.

Albertus Crantzius. 1500.

In Metropoli lib.3. cap.10. Erat Bernardo Halberstadensi Episcopo cum Ottone Imperatore non leuis controuersia. Rex primũ placidè cum Bernardo Episcopo egit, vt cederet partem ditionis suæ nouo Episcopatui (*Magdeburgensi.*) Ille renititur, Ecclesiam suam multiplicare, non attenuare, sibi esse præceptum impositum. Quid multa? vbi non suasionibus, non precibus profecit, vi pro more regum agere contendit: iussit captum Episcopum incarcerari. Ille patienter omnia suffert, priusquam iura suæ attenuari patiatur Ecclesiæ. Rex moram interponit, vt mansuescat ex tẽpore: sed in eo nihil mutatur. Aderat sacra Iouis Dominicæ Cœnæ: quasi Chrisma consecraturus, iussit in carcere dari pontificalia ornamenta, quibus indutus regem iubet acciri. Credens iam emollitum, & malis perdomitum, venit. Vbi astitit, Episcopus inchoat: In nomine, inquit, supremę Trinitatis anathematizo te, ô Rex, cum omnibus, qui te non deferendum putant, quòd manum inieceris, & detines Christũ Domini. Rex cachinno excipiens digreditur: altiùs tamen deinde descendit in pectus eius pontificalis imprecatio. Et intra se reuersus, misit, qui Episcopum laxarent impetrata venia. Ita obtinuit Episcopalis seueritas, ne se viuo aliquid Ecclesiæ detraheretur.

ARTICVLVS VIGESIMVS PRIMVS.

EPISCOPORVM CONCILIA A SVMMO PONTIFICE APPROBATA SVMMÆ ESSE AVCTORITATIS.

NEGANT.

Anno post natũ Christum.

310. *ARIOMANITÆ Synodum Nicænam vituperãt, & trecentorum Episcoporum calculos pro nihilo habent.* Iulius primus apud Athanasium epistola ad Flaccillum, Narcissum, &c.

440. *Nestoriani & Eutychiani gestn Concily Ephesini pro nihilo habuerunt.* Flauianus Constantinopolitanus epistola ad Leonem.

490. *Anastasius Imp. Macedonium vehementer vrsit, vt Synodum Chalcedonensem anathemate damnaret.* Theodorus Lector lib.2.

500. *Seuerianι Chalcedonense Concilium suscipiendum negant.* Leontius apud Euthymium in Panoplia parte 2. tit.15.

1390. Ioannes VVicleuus secunda parte Sermonum Ser.45. *Conformiter dici debet de Concilijs suis generalibus, quæ adeò solemnizant. Non enim accipi debet, vel credi Concilium Apostolorum, nisi de quanto creditur, quòd Spiritus sanctus confirmauit eorum sententiam. Sed cùm multi concurrentes ad modernum Concilium, sunt vt plurimum apostatæ stolidi & ignari, blasphemia foret lex vel regula, qua dictaret, quòd generaliter standum est & credendum iudicio maioris partis.*

1440. *Ioannes de VVesalia dixit Ecclesiam errare posse, nec tantam esse in definiendo certitudinem, vt errare non possit.* Alphonsus contra hæreses.

1520. Martinus Lutherus in Assertionibus omnium articulorum per Leonem Decimũ damnatorum artic.29. *Via nobis facta est enervandi auctoritatem omnium Conciliorum, & liberè contradicendi eorum gestis, & iudicandi eorum decreta, & confidenter confitendi quicquid verum videtur, siue probatum, siue reprobatum fuerit à quocumq; Concilio.*

Ad cap.15. Act. Apost. *Hoc ipsum Apostolorum Concilium, quamquam omnium est primum & purissimum, tamen aliquid vnà immiscetur &c. Spiritus sanctus non Concilijs, sed solùm Christianorum, quos nouit, cordibus se adesse velle promisit, &c. Incerta sunt Concilia, neque fidendum est illis. Nullum enim purum vnquam fuit, quin fidei aliquid addiderit vel detraxerit.*

Libro de Concilijs, loquens de Canonibus Concilij Nicæni: *Hi omnes articuli fœnum, stramen, ligna, stipulæ fuerunt, &c. De illis ligneis articulis reliquiæ manserunt, quasi aliqui titiones, nempe articulus de festo Paschatis, &c. Hic prorsus non intelligo Spiritum sanctum in hoc Concilio. Si illi pro idoneis non sunt reputandi in ministerio Ecclesiastico, qui seipsos castrant ad vitanda libidinum incendia, & rursus illi etiam non sunt idonei, qui ad euincendos carnis stimulos habent, aut ducunt vxores, quò res tandem cadet? Etiamsi omnium Synodorum decreta per infundibulum demitti in tuum corpus possent, tamen nondum esses Christianus: quia nimis parum conferunt.*

1530. Sebastianus Francus paradoxo 233. *Spiritus non patitur Concilia & decreta hominum.*

1538. Antonius Coruinus ad Euangelium Dom.4. post Pascha: *Cùm Spiritus sanctus in omnem ducat veritatem, & non in mendacium, perpendat Christianus quilibet, an Patres & Concilia, quorum statuta proponuntur Ecclesiæ loco Euangelij, Spiritum sanctum habuerint. Si Dei Spiritum habuissent, planè nihil concluissent contra verbum Dei.*

1540. Vrbanus Regius prima parte operum de Ecclesia fol.51. *Quòd non vnum aut alterum, sed pene omnia Concilia perniciosè lapsa sint, luce clarius est.*

1550. Ioannes Caluinus lib.4. Instit. cap.9. §.8. *Quoties Concilij alicuius decretum profertur, expendi primùm diligenter velim, quo tempore habitum sit, qua de causa habitum, quo consilio, quales homines interfuerint: deinde illud ipsum, de quo agitur, ad Scripturæ amussim examinari, idq; in eum modum, vt Concilij definitio pondus suum habeat, sitq; instar præiudicij, neque tamen examen, quod dixi, impediat.*

1572. Ioannes Sommerus aduersus Petrum Carolium lib.2. cap.3. *Nos Symboli Nicæni auctoritate stare non possumus, quod præter verbum Dei Ethnica somnia inuexit.*

ASSERVNT SACRÆ LITERÆ.

Num.11. vers.16. Dixit Dominus ad Moysen: Congrega mihi septuaginta viros de senibus Israël, quos tu nosti quòd seniores populi sint, ac magistri: & duces eos ad ostiũ taberna-

tabernaculi fœderis, faciesq; ibi ſtare tecum, vt deſcendam & loquar tibi: & auferam de ſpiritu tuo, tradamque eis, vt ſuſtentent tecum onus populi, & non tu ſolus graueris.

Deut. 17. 8. Si difficile & ambiguũ apud te iudicium eſſe proſpexeris inter ſanguinem & ſanguinem, cauſam & cauſam, lepram & non lepram, & iudicum inter portas tuas videris verba variari: ſurge, & aſcende ad locum, quẽ elegerit Dominus Deus tuus: veniesq; ad ſacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem, qui fuerit illo tempore: quæresque ab eis, qui indicabunt tibi iudicij veritatem. Et facies quodcunque dixerint, qui præſunt loco quem elegerit Dominus, & docuerint te iuxta legem eius, ſequerisque ſententiam eorum: nec declinabis ad dexteram neque ad ſiniſtram. Qui autem ſuperbierit, nolens obedire ſacerdotis imperio, qui eo tẽpore miniſtrat Domino Deo tuo: ex decreto iudicis morietur homo ille, & auferes malum de Iſraël: cunctusq; populus audiens timebit, vt nullus deinceps intumeſcat ſuperbia.

Malachiæ 2. 7. Labia ſacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore eius.

Matth. 18. 17. Quòd ſi non audierit eos, dic Eccleſiæ: ſi autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus. Amen dico vobis, quæcumque alligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo: & quæcumque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælo. Iterum dico vobis, quia ſi duo ex vobis conſenſerint ſuper terram, de omni re, quamcumq; petierint, fiet illis à Patre meo, qui in cælis eſt. Vbi enim ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum.

Matth. 23. 2. Super cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi. Omnia ergo quæcunque dixerint vobis, ſeruate & facite: ſecundùm opera verò eorum nolite facere.

Matth. 28. 20. Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, vſque ad conſummationem ſeculi.

Luc. 21. 14. Ponite in cordibus veſtris non præmeditari quemadmodũ reſpondeatis: ego enim dabo vobis os & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere & contradicere omnes aduerſarij veſtri.

Ioan. 14. 16. Ego rogabo Patrem, & alium paraclẽtum dabit vobis, vt maneat vobiſcum in æternum, Spiritum veritatis, quem mundus non poteſt accipere: quia non videt eum, nec ſcit eum: vos autem cognoſcetis eum: quia apud vos manebit, & in vobis erit. 26. Paraclẽtus Spiritus ſanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis.

Ioan. 16. 13. Cùm venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.

Ioan. 17. 11. Pater ſancte, ſerua eos in nomine tuo, quos dediſti mihi: vt ſint vnum, ſicut & nos. 17. Sanctifica eos in veritate. 20. Non pro eis rogo tantùm, ſed & pro eis, qui crediturí ſunt per verbum eorum in me.

Actor. 15. 5. Surrexerunt quidam de hæreſi Phariſæorum, qui crediderunt, dicentes: quia oportet circumcîdi eos, præcipere quoque ſeruare legem Moyſi. Conueneruntq; Apoſtoli & ſeniores videre de verbo hoc. Cùm autem magna conquiſitio fieret, ſurgens Petrus dixit ad eos, &c.

Act. 16. 4. Cùm autem pertranſirent ciuitates, tradebant eis cuſtodire dogmata, quæ erant decreta ab Apoſtolis, & ſenioribus, qui erant Ieroſolymis.

Epheſ. 5. 25. Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea, vt illam ſanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo, vt exhiberet ipſe ſibi gloriоſam Eccleſiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiuſmodi: ſed vt ſit ſancta & immaculata.

1. *Timoth.* 3. 15. Eccleſia Dei viui eſt columna & firmamentum veritatis.

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Clemens Romanus. 80.

Canone Apoſt. 38. Bis in anno Epiſcoporum Cõcilia celebrentur, vt inter ſe inuicem dogmata pietatis explorent, & emergentes Eccleſiaſticas cõtentiones amoueant.

Euſebius Cæſarienſis. 320.

Eccleſiaſticæ hiſtoriæ lib. 5. cap. 22. Concilia & conuentus Epiſcoporum in vnum cogebantur, & omnes vna ſententia decretum Eccleſiaſticũ, nempe vt non alio die aliquando quàm Dominico myſterium Domini reſurrectionis à mortuis celebraretur, & vt in hoc ſolo ieiuniorum, quæ circiter Paſcha fieri ſolent, finem faceremus, per literas ad omnes Eccleſias ſcriptas ratum faciebãt. Decretum autem Epiſcoporum, qui tum erant in Palæſtina conuocati, vſque ad hanc ætatem ſcriptis cuſtoditum eſt: in quorum Synodo Theophilus Cæſarienſis Epiſcopus, & Narciſſus Hieroſolymorum Epiſcopus præſides fuerunt, &c.

Atque

Atque iſtorum omnium vna hæc, quam docuimus, conſentiens erat deciſio.

Concilium Nicænum Primum. 325.

Canone 5. Viſum eſt per ſingulos ànnos in ſingulis quibuſque prouincijs bis in anno Epiſcoporũ Concilia fieri, vt ſimul in vnum conuenientes ex communi prouincia, huiuſmodi examinent quæſtiones, vt ita demum hi, qui ob culpas ſuas Epiſcoporum ſuorum offenſam meritò contraxerunt, dignè etiam à cæteris excommunicati, ſimiliter habeantur: quouſq; in communi vel ipſi Epiſcopo ſuo viſum fuerit, humaniorem circa eos ferre ſententiam. Fiant autem Concilia ſemel quidem ante dies Quadrageſimæ, vt omnibus, ſi quæ ſunt, ſimultatibus amputatis, mundum & ſolenne Deo munus poſſit offerri: ſecundum verò agatur circa tempus Autumni.

Conſtantinus Imp. 325.

Epiſtola ad Eccleſias de habita Nicæa Synodo: Quæ cùm ita ſe habeant, libentibus animis hoc decretum, tamquam donum Dei, & mandatum reuera cælitus demiſſum amplexamini. Nam quicquid in ſanctorum Concilijs decernitur, id vniuerſum diuinæ voluntati debet attribui.

Athanaſius. 340.

Epiſtola ad Epictetum: Ego arbitrabar omnium (quotquot vnquam fuêre) hæreticorum inanem garrulitatem Nicæno Cõcilio ſedatam eſſe. Nam fides, quæ inibi à Patribus ſecundùm ſacras Scripturas tradita, & confeſſionibus confirmata eſt, ſatis mihi idonea efficaxq; videbatur ad omnem impietatem euertendam, & pietatem eius, quæ in Chriſto eſt, fidei conſtituendam. Atque ideo diuerſis Concilijs, per Galliam, & Hiſpanias, & Romæ celebratis, omnes, qui in eo conuentu fuêre, iſtos lucifugas, qui ſeſe etiamnum occultant, & quæ Arij ſunt ſapiunt, communi calculo, vnius ſpiritus incitatu, anathemate percuſſerunt, eò quòd iſti ſibi nomina vindicauerint Synodorum, cùm nulla ſit in Eccleſia Catholica Synodus exiſtimanda, præter vnicam Nicænam, quæ omniũ hæreſeon profligatarum, ac imprimis Arianæ trophæum habenda eſt. Neque id mirum, cùm hæreſeos refutandæ gratia illa Synodus potiſſimũ coacta fuerit. Qua igitur audacia fit, vt poſt tanti Concilij auctoritatem, diſceptationes, aut quæſtiones inſtituant?

Valens, Gratianus, & Valentinianus AAA. 370.

Cod. Theodoſ. de Epiſcopis & clericis: Qui mos eſt cauſarum ciuilium, idem in negotijs Eccleſiaſticis eſt, vt ſi qua ſunt ex quibuſdam diſſenſionibus, leuibusq; delictis, ad religionis obſeruantiam pertinentia, locis & à ſuæ diœceſeos Synodis audiantur.

Gratianus, Valentinianus, & Theodoſius AAA. 378.

Cod. Iuſtiniani tit. de ſumma Trinitate & fide Catholica L. 2. Nicenæ fidei dudum à maioribus traditę, & diuinæ religionis teſtimõio atq; aſſertione firmatæ obſeruantia ſemper manſura teneat. Is autem Nicænæ aſſertor fidei, & Catholicæ religionis verus cultor accipiendus eſt, qui omnipotentem Deum & Chriſtum Filium Dei vno nomine confitetur, &c. Qui verò non ijſdem inſeruiunt, deſinant affectatis dolis alienum veræ religionis nomen aſſumere, & ſuis apertis criminibus denotentur, atque ab omni Eccleſiarum limine penitus arceantur: cùm omnes hæreticos illicitas agere intra oppida congregationes vetemus. At ſi quid eruptio factioſa tentauerit, ab ipſis etiã vrbium mœnibus exterminato furore propelli iubemus; vt cunctis Orthodoxis Epiſcopis, qui Nicænam fidem tenent, Catholicæ Eccleſiæ toto orbe reddantur.

Gregorius Nazianzenus. 380.

Oratione 21. quæ eſt oratio in laudem Athanaſij: Atq; idcirco primùm in ſancto Concilio Nicææ habito, atq; illo trecentorum, atque duo de viginti lectiſſimorum virorũ numero, quos Spiritus ſanctus in vnum coëgerat, quãtum in ipſo fuit morbum compreſſit.

Honorius & Theodoſius. 400.

Codicis Theodoſ. l. 2. de Epiſc. & clericis: Ea, quæ circa Catholicam fidem vel ordinauit antiquitas, vel parentum noſtrorum auctoritas religioſa cõſtituit, nouella ſuperſtitione remota, integra & inuiolata cuſtodiri præcipimus.

Theodoſius, & Valentinianus AA. 430.

Epiſtola ad Cyrillum: Iam inde à primis vſq; temporibus non imperantis cuiuſpiam, aut certè imperium vſurpantis interminationes, aut proteruiæ, ſed ſanctorum Patrum, ſacrarumq; Synodorum decreta eam nobis conſtituerunt doctrinam.

Epiſtola alia ad eundem: De indicta ſanctiſſima Synodo Epheſina noſtra Serenitas ad omnes omninò Deo dilectos Epiſcopos Metropolitanos literas ſcripſit, quò nimirum hac tandem ratione turbæ, quæ ex multis diſſidijs, & concertationibus hinc inde enatæ ſunt, ritè ſecundùm Eccleſiaſticos Canones cõſopiantur: & illa præterea, quæ parum decenter hactenus admiſſa ſunt, corrigantur: & pietatis denique, quæ in Deum eſt, publicæq; vtilitatis firmitati conſulatur. Cæterùm ante ſanctiſſimam coactam Synodum, cõmunemq; eiuſdem, quæ de omnibus dabitur, ſententiam, nihil quicquam in vlla prorſus re à quoquam innouetur.

Cyrillus Alexandrinus. 430.

Dial. 1. cum Hermia: Age igitur allatis in medium his, quæ accuratè & exquiſitè in ſancta & celeberrima Synodo, quæ olim in Nicæa ciuitate cõgregata fuit, definita ſunt, conſideremus, quid reprehẽſibile ſit in ijs, qui diuerſa aſſerunt. Nam ſi quis fidem illam, à ſancta & magna Synodo optimè & diuino afflatu definitam ac expoſitam, dicere voluerit balin animarum noſtrarum, fundamentumq; inconcuſſum, & munitum, is vtique probatiſſimè loquitur, & ab ipſo Chriſto laudem habiturus eſt, fidelis quoque & verus adorator relucebit.

Epiſtola ad Anaſtaſium, Alexandrum, &c. Apoſtolorum veſtigia ſequi ſtatuerunt celeberrimi Patres, qui venerabile & vniuerſale fidei decreuerunt Symbolum in Nicæa olim congregati. Quibus ſanè & ipſe Chriſtus aſſedit, qui dixit: *Vbi fuerint duo vel tres in nomine meo congregati, illic ſum in medio eorum.* Nam quòd præſederit inuiſibiliter ſanctæ & magnę illi Synodo quomodo ambigeretur? Baſis enim quædam, & fundamentum immotum, & inconcuſſum per vniuerſum orbem iactum eſt, ſynceræ irreprehenſibilisq; fidei confeſſio. Adhæc quo pacto abfuiſſet Chriſtus, quandoquidem *ipſe eſt*, iuxta ſapientiſſimi Pauli vocem, *fundamentum?* Ea propter expoſitam ab illis & determinatam fidem ſeruârunt inculpati etiam hi, qui eos ſecuti ſunt, ſancti Patres. Matt. 18. 1. Cor. 3.

Valentinianus, & Marcianus AA. 459.

Palladio Præfecto Prætorio: Quicumque in hac ſacra vrbe, vel Alexandrina, vel in omni AEgyptiaca diœceſi, diuerſiſq; alijs prouincijs, Eutychetis profanam peruerſitatem ſequuntur, & ita nõ credunt, vt trecenti decem & octo ſancti Patres tradiderunt, Catholicam fidem in Nicæna ciuitate fundantes, centum quoque & quinquaginta alij

venera-

venerabiles Episcopi, qui in alma vrbe Constantinopolitana posteà conuenerunt: & sicut Athanasius, Theophilus, & Cyrillus sanctæ recordationis Episcopi Alexandrinæ ciuitatis credebant, quos etiam Ephesina Synodus (cui beatæ memoriæ Cyrillus præfuit, in qua Nestorij error depulsus est) in vniuersis secuta est, quos & nuper venerabilis Chalcedonensis Synodus est secuta, prioribus Concilijs sacerdotum ex omni prorsus parte consentiens, nihilq; adimens sacrosancto Symbolo, neque adijciens, sed Eutychetis dogmata funesta condemnans: sciant se esse hæreticos, &c. Nulli contra venerabilem Synodum Chalcedonensem liceat aliquid vel dictare, vel scribere, vel edere, atque emittere, aut aliorum dicta vel scripta super eadem re proferre.

Edicto, quo interdicuntur, prohibenturq; disputationes de fide: (*Extat actione 3. Synodi Chalcedonensis:*) Cesset iam profana contentio. Nam verè impius & sacrilegus est, qui post tot sacerdotum sententiam opinioni suæ aliquid tractandū relinquit. Extremæ quippe dementiæ est in medio & perspicuo die commētitium lumen inquirere. Quisquis enim post veritatem repertam aliquid vlterius discutit, mendacium quærit. Nemo itaq; vel clericus, vel militaris ordinis, vel alterius cuiuslibet conditionis de fide Christiana publicè turbis adunatis & audientibus tractare conetur in posterum, ex hoc tumultus & perfidiæ occasionem requirens. Nam iniuriam facit iudicio religiosissimæ Synodi, si quis semel iudicata, & rectè disposita reuoluere, & publicè disputare contendit: cùm ea, quæ nunc de Christiana fide statuta sunt, iuxta Apostolicas expositiones & statuta sanctorum Patrum trecentorum decem & octo, & centum quinquaginta definita esse noscuntur.

L. Nemo C. de sum. Trin. & fide Cath.

Ioannes Patriarcha Constant. 510.

Epistola ad Hormisdam: Omnibus actis à sanctissimis quatuor Synodis, id est, Nicæna, Constantinopolitana, Ephesina, & Chalcedonensi de confirmatione fidei institutis Ecclesiæ assentio, & nihil titubare, de bene iudicatis patior: sed conantes, aut nisos vsque ad vnum apicem placitorum perturbare, lapsos esse à sancta Dei generali & Apostolica Ecclesia scio.

Theodorus Lector. 520.

Libro 2. Anastasius Imp. Macedonium veheméter vrsit, vt Synodum Chalcedonensem anathemate damnaret: ille verò sine vniuersali Synodo, cui magnæ Romæ Episcopus præliderat, nihil se facturum dixit. Qua re Imperatorem contra se incitauit, qui ob id ad magnam Ecclesiam confugientes, inde auelli curauit, & leges libertatis hæreticorum Ecclesijs præbuit.

Epiphanius Patr. Constantinopol. 520.

Epistola ad Hormisdam, loquens de quatuor primis vniuersalibus Synodis: In his quatuor Synodis sanctis & sacris magnum pietatis prædicatum mysterium, & omnium hominum est reposita salus. Eos enim qui fuerunt, vel sunt eiusdem sententiæ, & suscipio, & amplector, & vniri me eis diligo. E contra autem eos, qui præter istas quid sentiunt, aut prædicāt, vel præterito tempore aliquid conati sunt, à cœtu Orthodoxorum extorres esse existimo.

Iustinianus Imper. 540.

C. de summa Trinitate & fide Catholica: Suscipimus sancta quatuor Concilia, id est, trecentorum decem & octo sanctorum Patrum, qui in Nicæna vrbe congregati sunt; & centum quinquaginta sanctorum Patrum, qui in hac regia vrbe conuenerunt; & sanctorum Patrum, qui in Epheso primò congregati sunt; & sanctorum Patrum, qui in Chalcedone conuenerunt, sicut vestra Apostolica Sedes docet atque prædicat.

Authenticarum collat. 9. de Ecclesiasticis titulis cap. 1. Sancimus vicem legum obtinere sanctas Ecclesiasticas Regulas, quæ à sanctis quatuor Concilijs expositæ sunt aut firmatæ. Prædictarum quatuor Synodorum dogmata sicut sanctas Scripturas accipimus, & regulas sicut leges obseruamus.

Authentica: Quomodo oporteat Episcopos & clericos, &c. A præcedentibus Imperatoribus, & à nobis rectè dictum est: *Oportet sacras Regulas pro legibus valere.*

De ordinationibus Episcoporum & clericorum Constitutione 137. Si ciuiles leges, quarum potestatem nobis Deus pro sua in homines benignitate credidit, firmas ab omnibus custodiri ad obedientium securitatem studemus, quantò plus studij adhibere debemus circa sacrorum Canonum & diuinarum legum custodiam, quæ super salute animarum nostrarum definitę sunt? Qui enim sacros Canones custodiunt, Domini Dei adiutorio digni sunt: qui autem eos transgrediuntur, ipsi semetipsos iudicio reddunt obnoxios, &c. Si illa, quæ à laicis peccantur, generales leges non concedunt extra inquisitionem & vindictam manere, quomodo à sanctis Apostolis & Patribus super omnium hominum salute Canonicè statuta despici patiemur? Sanè multos ex eo maximè deprehendimus in peccata fuisse prolapsos, quòd non sunt factæ Synodi sanctissimorum sacerdotū iuxta ea, quæ à sanctis Apostolis & Patribus definita sunt. Si enim hoc fuisset obseruatum, quilibet metuens grauem in Concilio definitionem, studuisset vtique & sacras ediscere Liturgias, & temperanter viuere, ne condemnationi diuinorum Canonum subiaceret, &c. Quando autem, quod in Canonibus cautum est de Synodis sanctissimorum Episcoporum, per singulas prouincias congregandis, huc vsq; minimè obseruatum est: illud imprimis corrigere est necessarium. Sancti igitur Apostoli & Patres definierūt bis in vnoquoque anno fieri debere Synodos sanctissimorū sacerdotum in vnaquaq; prouincia, & emergentes causas excuti, & competentem accipere correctionem. Nos inuenientes, quòd ex huiusmodi negligētia multi diuersis peccatis impliciti sunt, iubemus omnibus modis vnam Synodum fieri, singulis annis in singulis prouincijs mense Iulio, vel Septembri, &c.

Cyrillus Eremita. 540.

De historia S. Euthymij: Vt per totam vitam abstineas ab hac à ratione aliena cōtentione, oportet te præter tres sanctas, & Oecumenicas Synodos, nēpe Nicænam, quæ conuenit aduersus Arium; & Constantinopolitanam, quæ & ipsa quoque congregata fuit aduersus Macedonium; & Ephesinam primā aduersus Nestoriū, accipere etiam decretum, quod fuit editum ab ea, quæ nunc fuit congregata Chalcedone.

Rusticus Diaconus. 560.

Contra Acephalos paulò ante finem: Licet sufficeret tibi vnica Synodi vniuersalis auctoritas, quæ numero superat vniuersas, quæ toties cunctarum consona Ecclesiarum sententia cōfirmata est, tam per encyclias epistolas, regnāte Leone, quàm per libellos sacerdotū forsan duo millium quingentorum, imperante Iustino, nō te perturbet ea, quæ nuper exorta est perturbatio vniuersalis Ecclesię, sed potius confirmet ad fidem.

Sophronius Hierosolymitanus. 630.

Epistola ad Sergium Constantinopolitanum: Quatuor in diuinis Ecclesiæ dogmatibus magna, sacraq; & vniuer-

vniuersalia Concilia suscipimus, Euangelicis illustrata fulgoribus, & splēdificata Euangelicorū cōfigurationum speciminū quantitate. His principare dicimus Nicænum trecentorum decem & octo Deum gerentium Patrum conuentum, qui ex diuino nutu concitus, Arianæ rabiei deiecit contagia. Post illum verò tempore, non gloria siue gratia secundus congregatur conuentus, qui in regiam conuocatus est ciuitatem. Quinquaginta verò & centum à Deo instituti Patres extiterunt, qui & hoc implere Concilium diuinitus ducti sunt, quod trifulgorem Macedonij, Apollinarisq; & Magni impietatem extinxit, & de tam magna, atq; difficili inflammatione cōuenticula piorum eripuit. Tertium post hoc tempore solo Concilium glorifico, quod in Epheso prius ex diuina voluntate consedit, (nam secundum, quod Dioscori illius reprobæ intelligentiæ Eutychetis cōprehenditur consonum,) quod primum Cōcilium, ducentorum quidem sanctorum Patrum plenitudo noscebatur, deiecit hominicolam Nestorium, & omnem eius Christo rebellium impietatem. Quartus quoq; posthæc tria tempora à Deo instructus congregatur conuentus sexcentorum simul & triginta laudabilium Patrum, & illustratorum fide: qui in Chalcedona quidem diuinum diuinitus fecit conuentum, & concertantem habuit Euphemiā Martyrem, quæ & vsq; hactenus super fidei eorum definitione propugnat, & pro opinatissimo eorum maximoq; conuentu verbum plurimum & incessabile facit. Perimit verò prophanam dualitatē, Eutychen, inquam, & Dioscorum, &c. Super his autem magnis & vniuersalibus, venerandis quoque & sacratissimis sanctorum beatorumq; Patrum honore coæquādis quatuor conuentibus, etiam quintum sanctū, præter istos, & post istos, aliud Concilium vniuersaliter constitutum suscipio, quod in regia vrbe etiam celebratum est, Iustiniano tunc sceptra Romani imperij dispensante, omnesq; eius præclaras definitiones, quod ad cōfirmationem quidem nominatissimi Chalcedonensis Concilij cōgregatum est. Perimit autem, & in interitum projicit Origenis, Euagrij, & Didymi dogmata fabulosa: post quos & Mopsuestęum auellit Theodorum: scripta quoque Theodoreti, quæ aduersus Cyrillum efficta sunt. Illa igitur sacra & magna vniuersaliaq; sancta quatuor amplector Concilia, & vno sensu confoueo. Super his verò & hanc quintam honoro, veneror, & cuncta eorum laudanter recipio, tam in dogmatibus & diuersis doctrinis, quàm hæreticorum anathematibus & definitionibus.

Synodus Trullensis. 700.

Can. 1. Præterea & statuimus seruandam fidem trecentorum decem & octo sanctorum Patrum diuinitus inspiratorum, qui Nicææ conuenerunt sub Constantino aduersus Arium, &c. Similiter & eam, quæ sub Theodosio à 150. sanctis Patribus in hac vrbe prædicata est, confirmamus. Iam verò & quæ in Ephesiorum ciuitate à ducentis diuinis Patribus sub Theodosio Arcadij filio expositę sunt, doctrinas tamquam infractum pietatis robur obsignamus, &c. Quin etiam eam, quæ Chalcedone à 630. descripta est Patribus, fidem orthodoxè confirmamus. Sed & cētum sexaginta quinque diuinorum Patrum, in hac ciuitate congregatorum, Imperatore Iustiniano pias voces, vt à Spiritu editas cognoscimus. Porrò sextæ quoque Synodi, quæ in hac ciuitate imperiali Constantino imperante congregata fuerat, fidem nos seruare profitemur.

Ioannes Damascenus. 730.

Oratione 1. de imaginibus: His de rebus statuere & decernere non ad reges pertinet, sed ad Concilia. Nam *vbi duo vel tres* (inquit Dominus) *congregati fuerint in nomine meo, ibi sum in medio ipsorum.* Ligandi soluendiq; potestatem non regibus, sed Apostolis, & eorum successoribus, & pastoribus, & Doctoribus Christus dedit.

Theodorus Hierosolymitanus Patr. 730.

Actione 3. Synodi Nicænæ secundæ: Suscipimus & ex animo amplectimur & amamus sex sacras & vniuersales Synodos, quæ ex Spiritus sancti instinctu contra omnes hæreses, quæ in diuersis locis & temporibus fuerunt, congregatæ sunt: quas sanè omnes excellenter vniuersæ quę sunt sub sole Ecclesiæ prædicant, earumq; rectis & à Deo inspiratis dogmatibus seipsos confirmant, reijcientes quos ipsæ reijciunt, recipientes quos illæ recipiunt. Et prima quidem in Nicæa congregatis 318. Patribus, &c. Locales autem Synodos non auersamur, sed magis amamus, amplectimur, & recipimus, earum etiam diuinitus inspiratas Canonicas constitutiones, correctiones, & vtiles earum legislationes summa obseruantia colimus.

Nicephorus Patr. Constantinopolitanus. 815.

Epist. ad Leonem 3. Salubriter præterea reuerenterq; veneror & amplector septem sacras & œcumenicas Synodos, omniaq; diuina supernaturalia & salutaria dogmata & decreta, quæ à sanctis & diuinis Patribus nostris, quos olim Spiritus sanctus ad Ecclesiam suam regendam pascendāq; instituit, in illis extant sancita & determinata. Imprimis quidem sacram trecentorum, ac duodeuiginti celeberrimorum Patrū Synodum, qui quondam apud Nicæam ciuitatem contra impium Arium conuenerunt. Deinde verò 150. sanctorum diuinissimorumq; Patrum Synodum, quæ post Niceam in regia hac ciuitate coacta Macedonium exauctorauit. Post hanc autem suscipio sacram 200. Patrum doctorumq; hominum Synodum, quæ contra vesanum Nestorium blasphemasq; ipsius voces Ephesi coijt. Cōplector quartò sacram 630. diuinorum Deoq; afflatorum Patrū Chalcedone coactorum Synodum, quæ impijssimos Eutychen & Dioscorum, obscuramq; ac tenebrosam eorundem confusionem cōdemnauit. Tum quintam rursus sacram 165. sanctorum Patrum Synodum, quæ in hac iterum diuina Deoq; addicta ciuitate coacta, impia Theodori, Nestorij, Origenis, Didymi, Euagrij, reliquorumq; hęreticorum prædictos sectantium dogmata iustè excidit. Post hanc & sextam quoque sanctam & œcumenicam 100. sanctorum virorum Synodum iterum in regia hac vrbe congregatam veneror, quæ pro naturarum Christi ratione eiusdē quoq; proprietates naturalesq; operationes & voluntates distinxit. Recipio tandem septimam sacram 150. sanctorum Patrum Synodum nostro hoc quo in ciuitate Nicæa denuò celebratam, quæ omnes præcedentes sacras Synodos, earumq; dogmata & decreta, confirmauit. Has prædictas sacras & œcumenicas Synodos suscipio.

Ignatius Nicænus. 820.

In vita S. Tharasij: Respirent sacrarum Synodorum pura decreta, quæ Euāgelicis seruantur Traditionibus, nec sustinent in æternum vllo modo posse surripi. Aperiantur vestibula paternorum dogmatum, & Christi pecudum in ijs greges transeant, & tamquam ex diuino paradiso confiteantur doctrinam rectæ confessionis. Per Caiaphicū enim Concilium facta est abortio fœtus hæresis: per œcumenicam Synodum nascantur filij Ecclesiæ, & ad mensuram ætatis Christi incrementum accipiant.

Theophanes Presbyter. 840.

Oratione in exilium S. Nicephori: Tunc Nicææ secundũ diuinitus electum, ſanctum, Oecumenicũ Conciliũ, quod Irenæ Imperatricis, verũ ab ipſa pace nomen habentis,& Tarafij maximi beatiſſimiq; Patriarchæ ſtudio celebratum eſt, meritò firmam obtinuit auctoritatem ac robur, cùm omnes, quę, Deo aſpirante, in ipſo decreta fuerant, comprobarent.

Photius Pat. Conſtantinopolitanus. 860.

Epiſtola ad Michaëlem Bulgariæ Principem, de ſeptem Concilijs œcumenicis: Primum & œcumenicum ſanctumq; Concilium in Nicæa Bithyniæ celebratũ eſt: in quo trecenti decem & octo diuini Epiſcopi veritatis iudicium ſuſceperunt. Secundum ſanctũ & œcumenicum Concilium 150. Epiſcoporum ſacrum ſibi locum ad diſputandum & decernendũ in regia ciuitate delegit, &c. Epheſi ſanctum & œcumenicum tertium celebratum eſt Concilium ducentorum Epiſcoporum, &c. Quartum œcumenicum Concilium præſentem atq; fauentem habuit Marcianum pijſſimum Imperatorem, delegitq; ſibi Chalcedonem inſignem Bithyniæ ciuitatem: 630. Epiſcopi interfuerunt. Oecumenicum quintum Concilium 165. Epiſcoporum præſentia & concurſu Conſtantinopoli celebratũ eſt. Oecumenicum ſextum Concilium ſacrum in vrbium regina arcanorum Eccleſiæ ſpectaculorum theatrum elegit: centum autem & ſeptuaginta diuinis viris fultum in certamen ingrediens, pietatem & religionem ſplendidè victricem demonſtrauit. Septimum œcumenicum Concilium Nicæam quoque Bithyniæ ciuitatem ſibi delegit, in qua & antea rectorum dogmatum iudicium fuerat: 367. interfuerunt Epiſcopi. Hoc ſacrum magnumq; Concilium recens patefactam & barbarã hæreſin, quæ ab impijs & execrandis hominibus parta erat, diuina cõmunisq; ſententia ſimul cum ipſius auctoribus condemnauit.

Synodus Octaua Generalis. 868.

Can. 1. Regulas, quæ ſanctæ Catholicæ atque Apoſtolicæ Eccleſiæ tam à ſanctiſſimis Apoſtolis, quàm ab Orthodoxorũ vniuerſalibus, nec non & localibus Concilijs ſunt traditæ, ſeruare & cuſtodire profitemur, &c.

Baſilius Imp. 868.

Oratione ad octauam Synodum, cùm iam eſſet ad finem perducta: Expreſſè dicimus, quiſquis habet aliquid aduerſus hanc ſanctã & vniuerſalẽ Synodum dicẽdum, aut contra huius Canones, aut terminum, ſtet in medio, & quæ ſibi videntur edicat, ſiue Epiſcopus ſit, ſiue quiſquã de Eccleſiaſtico clero, ſiue laicus, aut ex ijs, q ciuilibus officijs mancipantur, exiſtat. Quamquam non ſit datum iſtis ſecũdùm Canonem dicendi quicquã penitus de Eccleſiaſticis cauſis, (opus enim hoc Pontificum & ſacerdotum eſt,) ſed ex abundãti omne os iniquũ obſtruere volentes, licentiam præſtamus omnibus, vt qui mente habet quid ambiguum de ijs, quæ decreta ſunt ab hac ſancta Synodo, hoc in medium exhibeat & ſuſcipiat ſatisfactionis ſalubre remedium. Qui ergo habet aliquid dicendũ, dum hæc celebratur dicat. Nam ſoluta ſancta & vniuerſali Synodo qui apparuerit Eccleſię Dei contradicẽs, aut non communicans ei, ſiue Epiſcopus ſit, ſiue abſolutè ſacerdos, ſiue dignitate aliqua præditus, vel aliter cõuerſatus, veniam ab Imperio noſtro minimè conſequetur, ſed inſtè condemnabitur, & à ciuitate noſtra pelletur, vt corruptor, & peſtilens, & membrum putridum & inutile, & cõmune corpus Eccleſiæ violans, &c. De vobis autem laicis tam qui in dignitatibus, quàm qui abſolutè conuerſamini, quid amplius dicam non habeo, quàm quod nullo modo vobis licet de Eccleſiaſticis cauſis ſermonẽ mouere, neque penitus reſtere integritati Eccleſię, & vniuerſali Synodo aduerſari. Hæc enim inueſtigare & quærere Patriarcharum, Pontificum & ſacerdotum eſt, qui regiminis officium ſortiti ſunt, qui ſanctificandi, qui ſoluendi & ligandi poteſtatem habent.

Simeon Metaphraſtes. 950.

De vita Theodoſij Cœnobiarchæ: Nos nequaquam admittemus aliquid ſentire quod diſcrepet à ſanctis & OEcumenicis Concilijs. Ex quibus primũ quidem ornatur trecẽtis decem & octo Patribus, qui cùm aduerſus Arium in ſancto Spiritu Nicæę conueniſſent, anathemati miſerum ſubijciunt, & à corpore abſcindunt Eccleſiaſtico, alienantem à Patris eſſentia eum, qui eſt natura Filius, & introducentem dogmata aliena à recta fide. Secundum autem impulſu diuino congregatum aduerſus Macedonium, qui ipſe quoque ſceleratè loquebatur aduerſus bonum Spiritum, eum abdicat. Tertium autem aduerſus profanam & execrandam linguam Neſtorij, qui ipſe quoq; abſurda erat locutus aduerſus Chriſti carnis ſuſceptæ conſilium, pulchrè Epheſi conuenit. Poſt hæc quod fuit etiã Chalcedone ſexcentorum & triginta diuinorum Patrum: qui cùm etiam ea dixiſſent, quæ conueniebant prioribus, & quæ illi dixerant, adhuc accuratiùs expoſuiſſent, infelicem & execrandum Eutychen vnà cum Neſtorio abſcindũt à corpore Eccleſię, & fidem confirmant Apoſtolicam. Aduerſus hæc & ignis accendatur, & enſis acuatur, & mors quoq; nobis acerba adferatur, imò verò, ſi fieri poſſet, pro vna innumerabiles, nos verò nunquam prodemus veram religionem, neq; ea, quæ rectè placuerũt Patribus, ea abrogando probro afficiemus, &c. Si quis quatuor ſanctas Synodos non tanti eſſe exiſtimat, quanti quatuor Euangelia, ſit anathema.

Pſellus. 1050.

De ſeptem Synodis Græcorum:

Cognoſce numerum ſacrarum Synodorum:
Quotquot contra impios valuerunt, ô Rex,
Septem omnes extitêre. Prima in Nicæa:
Hæc furioſi Arij linguam diſſecuit, &c.
Secunda autem ſacrarum Synodorum facta eſt,
Vt tradunt omnes, in Conſtantinopoli:
Iſta radicitus euulſit Macedonium,
Qui Spiritum ter ſanctum fruſtra alienabat
A ſumma Deitate, & creaturam eſſe blaſphemabat.
At tertia Synodus facta eſt in Epheſo,
Contra vaniloquum & improbum Neſtorium.
Quarta verò Synodus in Chalcedone fuit,
Roma tenente ſceptra Martiano Principe,
Contra Eutychen infelicem, & contra Dioſcorũ, &c.
Sexta rurſus Synodus in Conſtantinopoli
Conſtitit, & diſſipauit dogma impiorum.
Poſtremò ſeptima rurſus facta eſt in Nicæa:
Quinquaginta conuenerunt ſupra trecentos
In iſta piorum Patrum diuinorumq; ſermones:
Decreuerunt autem picturas honore afficiendas.

Ioannes Zonaras. 1110.

In Iuſtino Seniore: Hic Iuſtinus, quia de religione rectiſſimè ſentiebat, Chalcedonenſe Concilium coli ab omnibus, & ſexcentos triginta ſanctos Patres, qui id celebrârant, in ſacros omnium Eccleſiarum commentarios referri edicto iuſſit.

Michael Glycas. 1120.

Parte 4. Annalium fol. 377. Anno Conſtantini Magni vigeſimo prima Nicæa Synodus coiuit, ad quam 318. ſancti Patres conuenerunt. Anno ſecundo Imperij Theodoſij Magni Synodus altera Cõſtantinopoli à 150. Patribus eſt celebrata contra Macedonium ſancti Spiritus oppugnatorem. Anno Imperij Theodoſij Minoris decimotertio Cõcilium tertium Epheſi habitum eſt aduerſus Neſtorium. Deinceps imperante Marciano quarta Synodus 620. Patrum Chalcedone coiuit aduerſus Eutychen & Dioſcorum. Secundùm hęc anno regni Iuſtiniani Magni 14. Conſtantinopoli quinta Synodus celebrata eſt. Dehinc Pogonato Conſtantino imperante ſexta Synodus extitit Conſtantinopoli Patrum 285. Confirmârunt iſti hoc in Concilio quinque celebratarum hactenus ſacrarum Synodorum decreta, ſectamq; Monothelitarum execrati ſunt. Tandem ſub Conſtantino Conſtantini Copronymi nepote, & matre ipſius Irena, collecta fuit altera Nicææ Synodus, in qua Patres comparuerunt 318. vt ſacras imagines erigerent.

Nilus Theſſalonicenſis. 1150.

De primatu Papæ lib. 1. Quis neſcit, quòd etiã hoc, Filium eſſe coëſſentialem Patri, & Spiritum Patri & Filio, & alia quæcumq; OEcumenicis actis ſtabilita ſunt, vetera erant & Apoſtolicæ traditiones, imò potius Spiritus ſancti oracula? Quæ quidem cùm talia eſſent, nihilominus tamen Concilia Eccleſiæ habenda fuerunt, vt veritas inueſtigaretur, inuenta ſtabiliretur, omnisq; contradicentibus occaſio præriperetur.

Theodorus Balſamon. 1180.

Ad epiſtolã Canonicam Gregorij Neocæſareenſis Can. 7. Sanctos appellat Epiſcopos. Illud autẽ *(ante ipſos)* ſancto Spiritui ſubiunxit, oſtendens quòd quæcumque in communi conſideratione ab Epiſcopis diſpenſantur & ſtatuuntur, Spiritus ſanctus ea ſuggerit.

Nicephorus Calliſtus. 1300.

Lib. 7. cap. 46. Conſtantinus firma quoque & immutabilia eſſe voluit, quæ in Synodis conſtituta eſſent: & quæ ab Epiſcopis iudicata forent, vt ea à magiſtratibus Reſpub. adminiſtrantibus, militariq;, quæ ſub eis eſſet, manu executioni mandarentur, atque ad rem collata perficerentur, cõſtituit.

Lib. 16. cap. 33. Quidam Sabbam & Theodoſium vi adorti ſunt, ſi eos in partibus ſuis haberent, omnia ſe confecturos rati Atq; vbi animos eorum tentârunt, præclarus ille virtute Theodoſius ſuggeſtum cõſcendit, ac veluti dux quidam & imperator pro concione monaſtica phalange aduocata, poſtquam multitudini ſilentium manu deſignauit, voce maiore ſublata, hoc ſic tonitrus in morem detonuit: *Si quis quatuor Synodos quatuor Euangelijs non exæquat, anathema.*

Georgius Codinus. 1400.

De officialibus Palatij Conſtantinopolitani fol. 178. *Iuramentum Imperatoris:* Confiteor ſancioq; Apoſtolicas & diuinas traditiones, etiamq; conſtitutiones & præſcriptiones ſeptem Synodorum Oecumenicarum, & earum quæ ſuis temporibus fuerunt certis locis habitæ.

Manuel Palæologus. 1400.

In præceptis educationis regiæ cap. 12. Repugnare dogmatibus Eccleſiæ perinde eſt, ac ſi qs velit ſtimulis calces impingere. Quapropter hoc facientibus longum valere iuſſis, ſi corrigi nequeant, eorum mihi furorem aſpicito, in quale malum præcipites ipſos agat. Quippe dum calcibus Eccleſiã Dei ferire volunt, quam ipſe ſuo ſanguine acquiſiuit, nihil aliud agunt, quàm quòd audacia quadam inſanire cupientes, ſuoſmet ipſi pedes cruentant. At ego volo ſcias, illa dogmata quaſi portũ quendam eſſe, ac propugnaculũ, ac ſcutum quoddam defenſioni aptiſſimum.

Gennadius Scholarius. 1450.

De proceſſione Spiritus ſancti ſectione 11. Hæc ſancta OEcumenica & magna Synodus diuino nutu, & cura beatiſſimi Eugenij Papæ, & pij Romanorum Imp. Ioannis Palæologi Florentiæ congregata, magnisq; luminaribus & illuſtribus Theologis referta, antiquorum Patrum dictis perpenſis, &, vt par erat, comprobatis, decretum religionis plenum tulit, & quinque articulos, quos ſanciuit, nobis tradidit: non aliquid noui, & ex aliorum ſententia introduxit, neque ex ſe ea in medium protulit: ſed ex ſacræ Scripturæ teſtimonijs deprompſit, atque plurimorum ſanctorum Doctorum Eccleſiæ Orientalium ſimul & Occidentaliũ perlectis Theologicis expoſitionibus tradidit: nosq; cuſtodiuimus, & cuſtodimus, & ſeruabimus vſque ad ſanguinem & mortem, pro his tamquam Orthodoxis, & Patrum vocibus excultis depugnando.

Hieremias Patr. Conſtantinop. 1580.

Reſponſ. 1. cap. 21. Quæ Synodicè conſtituta ſunt, omnes Chriſti fideles, tamquam diuinitus inſpiratæ Scripturæ conſentanea recipiuntur atq; amplectuntur ſemper, &c. Cùm igitur tot & tanti ſacræ doctrinæ interpretes nos aliud ſequi, præter ea quæ accepimus, prohibeant, vna & ſola rerum recuperãdarum ratio ſupereſt, idem ſemper cum ſanctis Concilijs ſentire, Canonibusq; Apoſtolicis per omnia inhærere, & ſic in omnibus Chriſtum Dominum & magiſtrum ſequi.

Gabriel Patr. Alexandrinus. 1595.

In confeſſione fidei: Recipio, amplector, & approbo ſacroſanctas Synodos Nicænam primam, Cõſtantinopolitanam primam, Epheſinam primã, Chalcedonenſem, Conſtantinopolitanam ſecundam, Conſtantinopolitanam tertiam, Nicænam ſecundam, Florentinam, & Tridentinam, &c.

Hypatius Rhutenorum legatus. 1595.

In confeſſione fidei: Profiteor & recipio alia omnia, quæ ex decretis ſacræ Oecumenicæ Generalis Synodi Tridentinæ ſacroſancta Romana & Apoſtolica Eccleſia etiam & vltra contenta in fidei Symbolo profitenda & recipienda propoſuit atque præſcripſit.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Tertullianus. 200.

Aduerſus Pſychicos cap. 13. Aguntur præcepta per Græcias illas certis in locis Concilia ex vniuerſis Eccleſijs, per quæ & altiora quæq; in cõmuni tractãtur, & ipſa repræſentatio totius nominis Chriſtiani magna veneratione celebratur.

Cyprianus. 250.

Epiſt. 66. Grauiter commoti ſumus ego & collegæ mei, qui præſentes aderant, & compresbyteri noſtri, qui nobis aſſidebant, cùm cognouiſſemus, quòd Geminius Victor frater noſter de ſeculo excedens, Geminium Fauſtinum Presbyterum tutorem teſtamẽto ſuo nominauerit, cùm iam pridem in Concilio Epiſcoporum ſtatutũ ſit, ne quis de clericis, & Dei miniſtris tutorem vel curatorẽ teſtamento conſtituat: quando ſinguli diuino ſacerdotio honorati, & in clerico miniſterio conſtituti, non niſi altari & ſacrificijs deſeruire, & precibus atque orationibus vacare debeant.

Li. 1. ep. 9

Marcellus Primus. 304.

Epiſtola 1. Simulq; ijdem inſpirante Domino cõſtituerunt, vt nulla Synodus fieret, præter Roma-

næ Sedis auctoritatem; nec vllus Episcopus, nisi in legitima Synodo, suo tempore Apostolica auctoritate cõuocata, super quibuslibet criminibus pulsatus audiatur, vel iudicetur: quia Episcoporum iudicia, & summarum causarum negotia, siue cuncta dubia Apostolicę Sedis auctoritate sunt agenda & finienda.

Iulius Primus. 340.

Apud Athanasium epistola ad Diaconum Faccillũ, Narcissum, &c. Si enim, vt scribitis, inconcussam habet auctoritatem quælibet Synodus, & contumeliosè agitur cum iudice, cuius iudicium ab alijs examinatur, considerate quæso dilectissimi, quinam sint, qui Synodum improbant, & qui aliorum iudicata rescindunt, ne singula excutiendo certos homines grauem, &c. Quinam igitur sunt, qui Synodum vituperant, & trecẽtorum Episcoporum calculos pro nihilo habent, & impietatem pietati anteponunt, nisi Ariomanitæ ab omnibus vbique Episcopis condemnati & abdicati?

Hilarius. 350.

Libro ad Constantium Augustum: Inter hæc fidei naufragia cælestis patrimonij iam penè profligata hæreditate, tutissimum nobis est, primam & solam Euangelicam fidem cõfessam in Baptismate, intellectamq; retinere, nec demutare quod solum acceptum atque auditum habeo bene credere: non vt ea, quæ Synodo Patrum nostrorum continentur, tamquam irreligiosè & impiè scripta damnanda sint; sed quia per temeritatem humanam vsurpantur ad contradictionem, quod ob hoc sub nomine nouitatis Euangelium negaretur impericulosè, tamquam sub emendatione innouetur.

Ambrosius. 370.

In Proœmio lib. 1. de fide ad Gratianum: De Concilijs id potissimum sequar, quod trecenti decem & octo sacerdotes, tamquam Abrahæ electi iudicio, consona fidei virtute victores, velut trophæum toto orbe subactis perfidis extulerunt: vt mihi videatur hoc esse diuinum, quòd eodem numero in Concilijs fidei habemus oraculum, quo in historia pietatis exemplum.

Lib. 1. de fide ad Grat. cap. 9. Accepisti sancte Imperator eos, qui talia asserunt, iure damnatos, non humana industria, nõ compositione aliqua: sed trecẽti decem & octo Episcopi ad Concilium conuenerunt. Sed vt in numero eorum per signũ suæ passionis & nominis Dominus Iesus suo probaret se adesse Cõcilio, crux in trecentis, Iesu nomen in decem & octo est sacerdotibus.

Lib. 5. epist. 32. Hoc scriptum est (*Christum creaturam esse*) in Ariminensi Synodo, meritoq; Concilium illud exhorreo, sequens tractatum Concilij Nicæni, à quo me nec mors, nec gladius poterit separare.

Lib. 10. epist. 78. Quoniam proprijs texuisti literis, posse typum reperiri aliquem, quo possit auferri fratrum discordia, cùm sancta Synodus Capuensis cognitionis ius vnanimitati tuæ, cęterisq; ex Aegypto consacerdotibus nostris commiserit, iterum oportet fratrem nostrum Flauianum cõuenias, vt si in eo perseuerauerit, quo veniendum non putet, saluis non solùm Concilij Nicæni, sed etiam Synodi Capuensis statutis, illibata pace vniuersorum ita consulas, vt non videamur destruere quod ædificatum est.

Epist. 83. Non mediocris esse sapientiæ diem celebritatis definire Paschalis, & Scriptura diuina nos instruit, & traditio maiorum; qui conuenientes ad Synodum Nicęnam, inter illa fidei, vt vera, ita admiranda decreta, etiam super celebritate memorata, cõgregatis peritissimis calculandi, decẽ & nouem annorũ collegêre rationem, & quasi quendam constituêre circulũ, ex quo exemplum in reliquos annos gigneretur.

Damasus. 376.

Epistola ad Stephanum, & ad Concilia Africa: Synodum sine Apostolicæ Sedis auctoritate fieri posse, non est Catholicum: nec Episcopus, nisi in legitima Synodo, & suo tempore Apostolica vocatione congregata, definitè damnari potest: neque vlla vnquam Concilia rata leguntur, quæ non sunt fulta Apostolica auctoritate.

Hieronymus. 390.

Epistola 65. ad Pammachium & Oceanum: Quidam Constantius, quo modo, inquit, damnabimus quos Synodus Nicæna non tetigit? Quæ enim damnauit Arium, damnasset vtiq; & Origenem, si illius dogmata reprobrasset, scilicet vno medicamine omnes simul morbos debere curari. Et idcirco Spiritus sancti neganda maiestas est, quia in illa Synodo super substantia eius silentium fuit. De Ario tunc, non de Origene quæstio fuit; de Filio, nõ de Spiritu sancto. Confessi quod quærebatur, tacuerunt quod nemo quærebat: quamquam latenter Origenem fontem Arij percusserunt. Damnantes enim eos, qui Filium de Patris negant esse substantia, illum pariter Ariumq; damnauerunt. Alioqui hoc argumento nec Valẽtinus, nec Marcion, nec Cataphryges, nec Manichæus damnari debent, quia Synodus Nicæna non eos nominat, quos certè ante Synodum fuisse non dubium est.

Lib. 2. aduersus Ruffinum cap. 6. Ergo beati Episcopi Anastasius, & Theophilus, & Venerius, & Chromatius, & omnis tam Orientis quàm Occidentis Catholicorum Synodus, qui pari sententia, quia pari & spiritu illum hæreticum denuntiant populis, fures librorum illius iudicandi sunt, & quando in Ecclesijs prędicant, non Scripturarum mysteria, sed Origenis furta commemorant?

Epistola 57. ad Damasum: Nunc pro dolor post Nicænam fidem, post Alexandrinum iuncto pariter Occidente decretum, trium Hypostaseon ab Arianorum Præsule & Campensibus, nouellum à me homine Romano nomen exigitur. Quî quæso ista Apostoli prodidêre? quis nouus magister gentium Paulus hæc docuit?

Epistola 61. ad Pammachium cap. 15. Tu qui regulas quæris Ecclesiasticas, & Nicæni Concilij Canonibus veteris, & alienos clericos, & cum suis Episcopis commorantes tibi niteris vsurpare: respondе mihi ad Alexandrinum Episcopum Palæstina quid pertinet? &c.

Epist. 71. ad Theophilum: Simul obsecro, vt si qua Synodica habes, ad me dirigas, quo possim, tanti Pontificis auctoritate firmatus liberius & confidentius pro Christo ora referare.

Ruffinus. 390.

Ecclesiastica historia lib. 1. cap. 5. Defertur ad Constantinum sacerdotalis Concilij sententia. Ille tamquam à Deo prolatam veneratur: cui si quis tentasset obniti, velut contra diuina statuta venientem in exilium se protestatur acturum.

Concilium Carthaginense Tertium. 397.

Cap. 2. Similiter placuit, vt propter causas Ecclesiasticas, quæ ad pernicié plebium sæpe veterascunt, singulis quibusque annis concilium cõuocetur: ad quod omnes prouinciæ, quæ primas sedes habent, de Concilijs suis ternos legatos mittant, vt & minus inuidiosi, minusq; hospitibus sumptuosi conuentus, plena possit esse auctoritas.

Augustinus. 400.

Epist. 118. ad Ianuarium cap. 1. Illa, quæ non scripta, sed tradita custodimus, quæ quidem toto terrarũ orbe obseruantur, dantur intelligi, vel ab ipsis Apostolis,

postolis, vel à plenarijs Conciliis, quorum est in Ecclesia saluberrima auctoritas, cõmendata atq; statuta retineri.

Lib. 1. contra Donatistas cap. 7. Quęstionis huius obscuritas (*de non rebaptizandis hæreticis*) prioribus Ecclesiæ temporibus, ante schisma Donati, magnos viros, & magna charitate præditos Patres, Episcopos ita inter se compulit, salua pace, disceptare atque fluctuare, vt diu Conciliorum in suis quibusque regionibus diuersa statuta nutauerint, donec plenario totius orbis Concilio, quod saluberrimè sentiebatur, etiam remotis dubitationibus firmarẽtur.

Cap. 18. Illis tẽporibus, antequam plenarij Concilij sententia, quid in hac re sentiendum esset, totius Ecclesię consensio confirmasset, visum est Cypriano, &c.

Lib. 2. cap. 1. Quod per vniuersæ Ecclesiæ statuta firmatum est, vel vnius Episcopi auctoritati, vel vnius prouinciæ Concilio præferendum est.

Cap. 3. Ipsa Concilia, quæ per singulas regiones, vel prouincias fiunt, plenariorum Conciliorum auctoritati, quæ fiunt ex vniuerso orbe Christiano, sine vllis ambagibus cedunt, ipsaq; plenaria sæpe priora posterioribus emendantur, cùm aliquo experimento rerum aperitur, quod clausum erat; & cognoscitur, qđ latebat, sine vllo typo sacrilegæ superbiæ, sine vlla contentione inuidiæ, cum sancta humilitate, cum charitate Christiana.

NOTA: Plenaria Concilia vocantur ab Augustino, non solùm quæ nos generalia dicimus, sed etiam quædam alia, quæ per plures in aliqua regione fiunt, alijs prouincialibus frequentiora. Nam lib. 1. Retractationum cap. 7. Hipponẽsis Synodus vocatur plenaria, & Patres in Concilio Carthaginensi 3. c. 38. inter quos Augustinus fuit, Capuensem Synodum etiam nominant plenariam.

Lib. 7. cap. 53. Nobis tutum est in ea non progredi aliqua temeritate sententiæ, quæ nullo in Catholico regionali Concilio cœpta, nullo plenario Concilio terminata sunt: id autem fiducia securę vocis asserere, quod in gubernatione Domini Dei nostri & Saluatoris Iesu Christi vniuersalis Ecclesiæ consensione roboratum est.

Cælestinus. 430.

Epist. 7. ad Synodum Ephesinam: Spiritus sancti testatur præsentiam congregatio sacerdotum. Certum est enim quod legimus, quia nec potest veritas nostra mentiri, cuius ista sententia est: *Vbi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi ego sum in medio eorum.* Quod cùm ita sit, si nec huic tam breui numero Spiritus sanctus deest, quanto magis eum nunc interesse credamus, quando in vnum conuenit tanta turba Sanctorum: sanctum namq; est pro debita veneratione Concilium, &c.

Capræolus Carthaginensis. 430.

Epistola ad Synodum Ephesinam: Quòd si quid fortè nouarum cõtrouersiarum inciderit, id tempestiuè discussioni subijciatur oportet, vt vel rectè dictum comprobetur, vel condemnatione dignum explodatur. At verò si quis in ea, quæ iam olim dijudicata sunt, denuò inquirere tentauerit, is sanè aliud nihil facere cẽsebitur, quàm de fide, quæ hactenus valuit, apertè dubitare. Vnde ad posteritatis exemplum, tum vt ea quoq; quæ iam olim pro Catholica fide definita & constituta sunt, perpetuam firmitatem obtinere valeant, oportet ea omnia inconcussa immotaq; conseruare, quæ superioribus temporibus à sanctis Patribus constituta sunt.

Vincentius Lyrinensis. 435.

Aduersus hæreses cap. 32. Christi Ecclesia, sedula & cauta depositorum apud se dogmatum custos, nihil in ijs vnquam permutat, nihil minuit, nihil addit: sed omni industria hoc vnum studet, vt vetera fideliter sapienterq; tractando, si qua sunt illa antiquitus informata, & inchoata, accuret, & poliat; si qua expressa, & enucleata, consolidet, & firmet; si qua iam confirmata, & definita, custodiat. Denique quid vnquam aliud Conciliorum decretis enisa est, nisi vt quod antea simpliciter credebatur, hoc idem postea diligentius crederetur? quod antea lentius prædicabatur, hoc idem postea instantius prædicaretur? Hoc, inquã, semper, neq; quicquam præterea, hæreticorum nouitatibus excitata, Conciliorum suorũ decretis Catholica perfecit Ecclesia, nisi vt quod prius à maioribus sola traditione susceperat, hoc deinde posteris etiam per Scripturæ chirographum consignaret: magnam rerum summam paucis literis comprehendendo, & plerumq; propter intelligẽtiæ lucem non nouum fidei sensum, nouæ appellationis proprietate signando.

Cap. 42. Quod ne præsumptione magis nostra, quàm auctoritate Ecclesiastica promere videremur, exemplũ adhibuimus sancti Concilij, quod ante triennium fermè in Asia apud Ephesum celebratum est: vbi cùm de sanciendis fidei regulis disceptaretur, ne qua illic forsitan profana nouitas in modũ perfidei Ariminensis obreperet, vniuersis sacerdotibus, qui illò ducenti ferè numero conuenerant, hoc Catholicissimum, felicissimũ, atque optimum factum visum est, vt in medium sanctorum Patrum sententiæ proferrentur.

Leo Magnus. 450.

Epistola 43. ad Martianum Augustum cap. 2. Obtestor & obsecro clementiam vestram, vt in præsenti Synodo fidem, quam beati Patres nostri ab Apostolis sibi traditam prædicârũt, non patiamini quasi dubiam retractari: & quæ olim Maiorum sunt auctoritate damnata, rediuiuis non permittatis conatibus excitari: illudq; potius iubeatis, vt antiquæ Nicænæ Synodi constituta, remota hæreticorum interpretatione, permaneant.

Epistola 50. ad eundem: Compressa vel remota inquietudine ac prauitate paucorum, facilè firmabitur probanda concordia, si in eam fidem, quam Euangelicis & Apostolicis prædicationibus declaratam, per antiquos Patres nostros accepimus & tenemus, omnium corda concurrant, nulla penitus disputatione cuiusquam retractationis admissa, ne per vanam fallacemq; versutiam, aut infirma videantur, aut dubia, quæ in ipso angulari lapide Christo fundata sunt, & sine fine mansura.

Epist. 78. ad Leonem Augustum c. 3. De rebus & apud Nicæam, & apud Chalcedonã (sicut Deo placuit) definitis, nullum audemus inire tractatum; tamquam dubia vel infirma sint, quæ tanta per Spiritum sanctum fixit auctoritas.

Epist. 71. ad Anatholium Episcopum: Super omnia autem fraterna charitate hortor & moneo, vt ea, quæ ad gloriam, vel ad munimen pertinent sacerdotalis officij, Nicænorum Canonum, vniuersalis Ecclesię pacẽ seruantia, decreta custodias.

Vigilius Tridentinus. 480.

Lib. 5. cõtra Eutych. Quæ cùm ita sint, nulli erit, pfectò ambiguũ istos hæreticos esse, qui sancti ac venerabilis cõcilij Chalcedonẽsis decreta respuunt, atq; cõtemnunt, tantorumq; Patrum religiosis constitutionibus audaci temeritate resistunt, à fide eos Catholica declinasse, ore sacrilego criminantes: & primò quidem eos de personis, nunc de Concilio electis, iterumq; post temporum interualla receptis accusant: quasi verò non sit Christianum & Apostolicum, cum, qui fortassis ob cõtentionis vitium de Concilio fuerat electus, debere iterum ob pacis & concordiæ gratiam recipi. Hac enim ratione potuerunt & Paulum Apostolũ accusare, quòd dum Ioannem, qui cognominatus

cſt Marcus, de ſuo comitatu abiecisſet, ita vt nec roganti Barnabæ acquiescceret, pari eum societate in ministerio verbi adscisscere. Quamobrem inter tantos, & tam egregios viros talis contentio orta est, vt discederent ab inuicem. Rursus autem Paulus eundem Marcum, quem dudum abiecerat,
2.Tim.2 recepit, scribens Timotheo: *Marcum adsume, & adduc tecum. Est enim mihi vtilis in ministerium.* Ita ergo & illi Patres, quos dudum fortassis de Cōcilio ob aliquam noxam eiecerant, iterum eos emendatiores factos in pacis gratia receperunt. Si tamen ita est, vt isti petulanti supercilio intendunt. Deinde alia noua, quàm quę Concilio Nicæno statuta fuerant, Chalcedonensem Synodum decreuisse criminantur. Nescientes regulam & cōsuetudinem Conciliorum Catholicorum, sic noua posterioribus Concilijs, prout necessitas emergentium hæreticorum exegerit, sancire decreta, vt tamen inuicta maneant, quę dudum antiquioribus Concilijs contra veteres hęreticos fuerant promulgata. Nam si post Nicæni Concilij statuta nihil amplius licet recipere, qua auctoritate Spiritum sanctū vnius cum Patre substantiæ audeamus asserere, quod ibi constat omninò tacitum fuisse? Et quāquam de Conciliorum diuersis sanctionibus, & nominum religiosè additis nouitatibus, plenissimè in eis libris, quos aduersus Sabellium, Fotinū, & Arium, sub nomine Athanasij, tamquam si prę-sentes cum præsentibus agerent, vbi etiam cognitoris persona videtur inducta, conscripsimus, à nobis fuerit expressum, tamen & nunc perpauca studio breuitatis inserimus. Ex quibus clareat, istos nimium imperitos & temerarios esse, qui nesciant multas fidei constitutiones post Nicænam Synodum, contra nouorum hæreticorū insanas eruptiones, diuersis in locis congregatos Episcopos edidisse. Et primò quidem apud Alexandriā Athanasius, Eusebius, Lucifer per legatum, & aliquanti, qui nuper de exilio fuerant reducti, conuenientes, quamquam essent numero pauci, sed meritis magni, plenissimam contra Macedonium de sancti Spiritus deitate confessionis regulā conscripserunt.

Gelasius. 490.

Epistola 11. ad Episcopos Dardaniæ: Quapropter stultitiam respuentes inaniùm querelarum, percurrere vos oportet ab ipsis beatis Apostolis, & considerare prudenter: quoniam Patres nostri, Catholici videlicet, doctiq; Pontifices, in vnaquaque hæresi, quolibet tempore suscitata, quicquid pro fide, pro veritate, pro communione Catholica atq; Apostolica, secundùm Scripturarum tramitem prædicationemq; Maiorum, facta semel congregatione sanxerunt, inconuulsum voluerunt deinceps firmumq; constare; nec in eadē causa denuò, quæ præfixa fuerant, retractari qualibet recenti præsumptione permiserint, sapientissimè præuidentes, quoniam si decreta salubriter cuiquā liceret iterare, nullum contra singulos quoſque prorsus errores stabile persisteret Ecclesiæ constitutum, ac semper ijsdem furoribus recidiuis, omnis integra definitio turbaretur. Nam si limitibus etiam præfixis positarum semel Synodalium regularum, nō cessant elisæ pestes, resumptis certaminibus contra fundamentum sese veritatis attollere, & simplicia quæque corda percutere; qd fieret, si subinde fas esset perfidis inire Conciliū, cùm quālibet illa manifesta sit veritas, nunquam desit quod pernitiosa depromat falsitas, tametsi ratione, vel auctoritate deficiens, sola tamen contentione non cedens? Quæ Maiores nostri diuina inspiratione cernentes, necessariè præcauerunt, vt quod contra vnamquamq; hæresin coacta semel Synodus, p fide, cōmunione, & veritate Catholica atq; Apostolica promulgasset, non sineret nouis post hæc retractationibus mutilari, ne prauis occasio præberetur, quæ medicinaliter fuerant statuta, pulsandi: sed auctore cuiuslibet insanię, ac pariter errore damnato, sufficere iudicārunt, vt quisquis aliquando huius erroris communicator existeret, principali sententia damnationis eius esset obstrictus, quoniam manifestè quilibet, vel professione sua, vel cōmunione posset agnosci.

Fulgentius. 500.

De gratia & Incarnatione Iesu Christi cap. 5. Accipimus & quatuor Concilia, secundùm hunc expositionis nostræ sensum, Nicænū trecentorum & octo Episcoporum; Constantinopolitanū centū & quinquaginta, qui damnauerunt impios Pneumatomachos; nec non etiam Ephesinū primum, cui præfuerūt beatissimi Cælestinus Romanus, & Cyrillus Alexandrinus Antistites; & sanctum ac venerabile, quod apud Chalcedonam celebratum est.

Hormisda. 514.

Epistola ad Remigium: Paternas regulas & decreta sanctissimis Concilijs definita ab omnibus seruanda mandamus. In his vigilātiam tuam, in his curam & fraternę monita exhortationis ostendimus. His ea, quanta dignum est reuerentia, custoditis, nullum reliquit culpæ locum sanctæ obseruationis obstaculum. Ibi fas nefasq; præscriptum est: ibi prohibitum, ad quod nullus audeat aspirare; ibi concessum, quod debeat mens Deo placitura præsumere. Quoties vniuersale poscit religionis causa Concilium, te cuncti fratres euocante conueniant; & si quos eorum specialis negotij pulsat intentio, iurgia inter eos oborta compesce, discussa sacra lege determinando certamina. Quicquid autem illic pro fide & veritate constitutum, vel prouida dispensatione præceptum, vel personæ nostræ auctoritate fuerit confirmatum, totum ad scientiam nostram instructa relationis attestatione perueniat.

Ioannes Secundus. 530.

Epistola ad Liberium, Seuerinum, Syluerium, &c. Tomum Papæ Leonis, omnesq; epistolas, nec non quatuor Synodos, Nicęnam, Constantinopolitanam, Ephesinam primam, & Chalcedonensem, sicut Romana hactenus suscepit & veneratur Ecclesia, sequimur, amplectimur, atque seruamus. Hoc enim est nostræ fidei firmamentum, hæc fidei nostræ petra firmissima.

Cassiodorus. 540.

Institut. diuinarum lib. 1. cap. 11. Dicamus nunc, quemadmodum vniuersalia sanctaqúe Concilia fidei nostræ salutaria Sacramenta solidauerunt; vt ibi cognoscentes veræ religionis arcanum, pestiferos vitemus errores. Primo loco Nicæna Synodus legitur constituta: deinde Constantinopolitana: tertia Ephesina prior: quarta Chalcedonensis: quas meritò probat Ecclesia, quæ tanta fidei nostræ lumina præstiterunt, vt nullum peruersitatis scopulum, si tamen Domino protegente custodimur, cæcatis mentibus incidere debeamus. Nam sanctissimi Patres, iniuriam rectæ fidei non ferentes, regulas quoque Ecclesiasticas ibidem statuere maluerunt, & inuentores nouarum hæresum pertinaces diuino gladio perculerunt, decernentes nullum vlterius debere nouas incutere quæstiones, sed probatorum veterum auctoritate contentos, sine dolo & perfidia decretis salubribus obedire.

Cap. 23. Et vt vobis in regulis fidei nulla possit nocere subreptio, legite, quas habetis in prōptu,

Synodum Ephesinam & Chalcedonensem, necnon & Encyclia, id est epistolas confirmationis supradicti Concilij. Quæ si diligenter excurritis, versutiæ improborum nulla vobis occasione prævalebunt.

Concilium Toletanum Tertium. 589.

In confessione fidei: Qui Concilia omnium Orthodoxorum Episcoporum consona Concilijs Nicæno, Constantinopolitano primo, Ephesino, & Chalcedonensi non recipit, anathema sit.

Capitulo 1. At nunc pace Ecclesię Christi misericordia reparata, omne, quod priscorum Canonum auctoritas prohibet, sit resurgente disciplina inhibitum, & agatur omne, quod præcepit fieri. Permaneant in suo vigore Conciliorum omnium constituta, simul & Synodicæ sanctorum Præsulum Romanorum epistolæ. Nullus deinceps ad promerēdos honores Ecclesiasticos contra Canonum statuta aspiret indignus. Nihil ex hoc fiat, quod sancti Patres, Spiritu Dei pleni, sanxerunt debere non fieri.

Gregorius Magnus. 590.

Libro 1. epistola 24. ad Patriarchas, Constantinopolitanum, Alexandrinum, Antiochenum, & Hierosolymitanum: Sicut sancti Euāgelij quatuor libros, sic quatuor Concilia susćipere & venerari me fateor. Nicęnum scilicet, in quo peruersum Arij dogma destruitur: Constantinopolitanum quoque, in quo Eunomij & Macedonij error conuincitur: Ephesinum etiam primum, in quo Nestorij impietas iudicatur: Chalcedonense verò, in quo Eutychetis Dioscoriq́ue prauitas reprobatur, tota deuotione complector, integerrima approbatione custodio: quia in his, velut in quadrato lapide, sanctæ fidei structura consurgit, & cuiuslibet vitę atque actionis norma consistit. Quisquis eorum soliditatem non tenet, etiamsi lapis esse cernitur, tamen extra ædificium iacet. Quintū quoque Concilium pariter veneror, in quo Epistola, quę Ibę dicitur, erroris plena, reprobatur: Theodorus personam Mediatoris Dei & hominum in duabus substantijs separans, ad impietatis perfidiam cecidisse conuincitur: scripta quoque Theodoriti, per quæ beati Cyrilli fides reprehenditur, ausu dementiæ prolata refutantur. Cunctas verò, quas præfata veneranda Concilia personas respuunt, respuo; quas venerantur, amplector: quia dum vniuersali sunt consensu constituta, se, & non illa destruit, quisquis præsumit aut soluere, quos ligant; aut religare, quos soluunt. Quisquis ergo aliud sapit anathema sit.

Libro 2. Indictione 11. epistola 10. ad Sauinum Subdiaconum: Sic quatuor Synodos sanctæ vniuersalis Ecclesię, sicut quatuor libros sancti Euangelij recipimus. De personis verò, de quibus post terminum Synodi aliquid actum fuerat, eiusdem piæ memoriæ Iustiniani temporibus est ventilatum: ita tamen, vt nec fides in aliquo violaretur, nec de eisdem personis aliquid aliud ageretur, quàm apud eādem sanctā Chalcedonensem Synodū fuerat cōstitutum. Anathematizamus autem si quis ex definitione fidei, quæ in eadem Synodo prolata est, aliquid imminuere præsumit, vel quāsi corrigendo eius sensum mutare: sed sicut illic prolata est, per omnia custodimus.

Isidorus Hispalensis. 620.

Præfatione in suam Canonum collectionem: Nosse etiam oportet (licet cætera non infirmentur) quatuor esse principalia Concilia. Canones Conciliorum generalium à temporibus Constantini cœperunt. In præcedentibus namque annis, persecutione sæuiente, docendarum plebium minimè dabatur facultas. Deinde Christianitas in diuersas hæreses scissa est, quia non erat licentia Episcopis in vnum conuenire, nisi tempore dicti Imper. Sub hoc etiam sancti Patres in Concilio de omni orbe terrarum conuenientes, iuxta fidem Euangelicam & Apostolicam, secundū post Apostolos Symbolum tradiderunt. Quatuor autem principalia sunt Concilia, ex quibus plenissimam fidei doctrinam tenent Ecclesiæ, tam de Patris, & Filij, & Spiritus sancti diuinitate, quàm prędicti Saluatoris nostri incarnatione. Prima harum Nicęna Synodus est 318. Episcoporum: secunda Synodus est 150. Patrum sub Theodosio seniore Constantinopoli congregata contra Macedonium: tertia Synodus est Ephesina prima 200. Episcoporum sub iuniore Theodosio edita, quæ Nestorium iusto anathemate damnauit: quarta Synodus est Chalcedonensis 630. sacerdotum sub Marciano principe habita, in qua Eutychen, Dioscorum, Nestorium, &c. vna Patrum sententia prędamnauit. Hę sunt, vt diximus, quatuor principales & venerabiles Synodi, fidem Catholicam complectētes. Sed & si quæ sint Concilia, quæ sancti Patres, Spiritu Dei pleni sanxerunt, post illorum quatuor auctoritatem omni manent stabilita vigore: quorum etiam gesta in hoc corpore condita continentur.

Synodus Lateranensis Prima. 650.

Consultatione 5. Quæ sanctæ & vniuersales quinque Synodi tradiderunt, intransgressibiliter rētinemus, definitiones earum seruamus, decreta earum integrè confitemur: ita definimus, quomodo illæ proprios sermones promulgauerunt. Qui easdem sanctas Synodos & venerabiles Patres minimè susćipit, condemnatus est: qui omnia ab ijs prædicata & definita minimè susćipit, & specialiter confitetur, condemnatus est.

Concilium Toletanum Octauum. 652.

Cap. 11. Decreta præcedentium Patrum, ad contentionis iurgiū radicitus euellendum, ritè Synodalem fieri censuêre conuentum, vt illic de diuersitate iudiciorum præteritę lites habeant terminum, vbi sanctus Spiritus vniuersalem coadunauerit cœtum. Ab hoc ergo Spiritu sancto succensi, ne quælibet in posterum aut impunè valeant committi, aut generalia statuta conuelli, plena decernimus vnanimitate connexi, vt quæcunque pro fidei causis, Ecclesiasticisq; negotijs, aut in præteritis gestis, aut in præsentibus constitutis, aut in futuris etiam decretis, vel sint, vel fuerint definitiones conscriptę vniuersali auctoritate, nullus deinceps contradicere audeat, nullus euertere præsumat, nullus non implere contendat. Nam si quis ex religione contra hæc inobediens, aut susurrans, aut certè lacerator, aut inuidus, ac non potius eorundem fautor extiterit, gratia, & honoris sui, & communionis sacræ lugeat amissione mulctatus. Cùm verò aut quælibet sancta Synodus agitur, aut pacificè inter Pontifices quippiam definitur, si pauciores per nescientiam, vel contentionem fortè dissentiant, aut commoniti plurimorum sententiæ cedant, aut ab eorum cœtu cum dedecore confusionis abscedant, aut excommunicationis annuæ sententiam luant.

Concilium Cabilonense Primum. 658.

Cap. 1. Omnes vna conspiratione & conniuente animo definimus, vt fidei norma, sicut in Nicęno Concilio pia est professione firmata, vel à sanctis Patribus tradita, atque ab ipsis exposita, vel postmodum etiam à sancto Chalcedonensi Con-

cilio firmata, in omnibus, & ab omnibus conſeruetur.

Cap. 2. Canonum verò ſtatuta ab omnibus intemerata ſeruentur.

Agatho. 680.

Epiſtola ad Conſtantinum Imp. Heraclium, & Tiberium A.A. Quomodo ad plenum poterit inueniri Scripturarum ſcientia, niſi quæ regulariter à ſanctis atque Apoſtolicis prędeceſſoribus & venerabilibus quinque Concilijs definita ſunt, cum ſimplicitate cordis, & ſine ambiguitate à Patribus traditæ fidei conſeruamus, vnum ac præcipuum bonum habere ſemper optantes atque ſtudentes, vt nihil de ijs, quæ regulariter definita ſunt, minuatur, nihil mutetur, vel augeatur; ſed eadem & verbis & ſenſibus illibata à nobis cuſtodiantur?

Manſuetus Epiſcopus Mediolanenſis. 680.

Epiſtola ad Conſtantinum Imperatorem: Conſtantinus ampliſſimus Princeps, zelo orthodoxæ fidei animatus, congregauit ſanctum Concilium trecentorum decem & octo Patrum in Nicæa vrbe Bithyniæ, in qua ſancta Synodo nefandæ ſectæ ſerpentinam malitiam vnà cum auctore ſuo Ario perpetuò fecit damnari. Poſt cuius damnationem ſancti Patres regulę formulam de fidei orthodoxæ vnitate ſtatuerunt, & capitula Canonum promulgauerunt: quę nos cum omni veneratione ſuſcipimus. Poſt hæc verò Theodoſius Imp. Macedonium quendam, artis diabolicę verſutia deceptum, qui Spiritum ſanctum non conſubſtantialem Deo Patri, ſed magis creaturam auſus eſt prædicare: tunc verò à Theodoſio in regia vrbe Conſtantinopole 150. Patrum Concilio congregato perditæ audaciæ auctorem vnà cum venenatis ſuis præſumptionibus anathematis vinculo ſubdiderunt. His ſopitis contra Neſtorium congregata eſt ſancta Synodus in Epheſina ciuitate 200. Patrum, &c. Dehinc verò duo vaſa iniquitatis bellantia Dioſcorus & Eutyches aſſerebant in Domino noſtro Ieſu Chriſto ante adunationem duas naturas, poſt verò adunationem vnam. Tunc à Marciano Imperatore collecta eſt ſancta Synodus in ciuitate Chalcedona 630. Patrum veneranda cohors: qui ſancti Patres in Cõcilio conſtituti, omni cauillatione hæreticæ prauitatis abraſa, fidei fundamina ſtatuentes, ſplendidiſſimo ſermone Symbolum orthodoxę fidei confecerunt, retrò Patrum veſtigia ſequentes, tam ſancti Nicæni Concilij, quàm Conſtantinopolitani, ſeu Epheſini primi, quorum ſanctionibus Dei Eccleſia toto in orbe decoratur.

Leo Secundus. 682.

Epiſtola ad Conſtantinum Auguſtum: Per quę reuera probauimus, hanc ſanctam, & laudabilem, atque prædicabilem ſextam Synodum, per miſericordiam Dei, qui Chriſtianæ fidei veritatem ſuis fidelibus reſerat, Apoſtolicam prędicationem inoffenſo pede fuiſſe ſecutam, ſanctorumq[illegible] & vniuerſalium quinque Conciliorum definitionibus in omnibus conſentientem, & horum regulas complectentem, nihil ſupra ſtatuta orthodoxæ fidei augentem, aut minuentem; ſed regiam & Euangelicam ſemitam rectiſſimè gradientem, & in his, atque per eos ſacrorum dogmatum lima, & probabilium Eccleſiæ Patrum doctrina ſeruata eſt, & regulari lima ad omnium ædificationem prolata, &c. Sicut ſuſcepimus, & firmiter prædicamus, ſancta quinque vniuerſalia Concilia, Nicęnum, Conſtantinopolitanum, Epheſinum primum, Chalcedonenſe, & Conſtantinopolitanum, quæ & omnis Chriſti Eccleſia approbat, & ſequitur: ita quoque in Regia vrbe pio veſtræ Serenitatis adniſſu, celebratum eſt ſanctum ſextum Concilium, &c.

Beda. 700.

De ſex ætatibus Mundi, de anno Mundi 4639. Prima vniuerſalis Synodus in Nicęa congregata eſt contra Arium 318. Patrum, temporibus Iulij Papæ, ſub Conſtantino principe: ſecunda Conſtantinopoli 150. Patrum, contra Macedonium, & Eudoxium temporibus Damaſi Papę: tertia Epheſi, contra Neſtorium: quarta Chalcedone 630. Patrum, contra Eutychen: quinta item Conſtantinopoli, temporibus Vigilij Papæ, ſub Iuſtiniano principe, contra Theodorum, & omnes hæreticos: ſexta Synodus hęc, de qua diximus.

Libro Retractationum in Actis Apoſtolorum: Contulit cum illis Euangelium, quod prędicabat, ſolerter in Concilio Apoſtolorum: diſquirens, an rectè faceret prædicãdo, quòd gentes per Baptiſma fidei ſine Circumciſione poſſent ad ſalutem peruenire. Non quòd ipſe de hac re aliquid dubitaret, ſed vt mentes dubitantium in Apoſtolicę Synodi auctoritate firmarentur.

Carolomannus. 740.

In Synodo Francica: Statuimus per annos ſingulos Synodum congregari, vt nobis pręſentibus Canonum decreta & Eccleſiæ iura reſtaurentur, & religio Chriſtiana emendetur.

Carolus Magnus. 780.

Præfatione in librum 1. Legum: Quapropter placuit nobis veſtram rogare ſolertiam, ô paſtores Eccleſiarum Chriſti, vt vigili cura, & ſedula admonitione populum Dei per paſcua vitæ ęternæ ducere ſtudeatis, & errantes oues bonorum exemplo operum ſeu adhortatione humeris intra Eccleſiaſticę firmitatis muros reportare ſatagetis; ne lupus inſidians aliquem Canonicas ſanctiones tranſgredientem, vel paternas Traditiones vniuerſalium Conciliorum excedentẽ, quod abſit, inueniens deuoret. Ideo magnæ deuotionis ſtudio admonendi ſunt, vt firma fide, & infatigabili perſeuerantia intra paternas ſanctiones ſe contineant.

Ludoicus & Lotharius Impp. 829.

Ad Eccleſias de Moguntino, Pariſienſi, Lugdunenſi, & Tholoſano Concilijs celebrandis: Statuimus atque decreuimus cum conſulto ſacerdotum, cęterorumque fidelium noſtrorum, huius rei gratia, ob placandum ſcilicet contra nos, nobiſque ſubiectos Domini furorem, conuentus eorundem Epiſcoporum in quatuor Imperij noſtri locis congruentiſſimè fieri: primò in Moguntinenſi vrbe, ſecundò in Pariſiorum vrbe, tertiò apud Lugdunum, quartò apud Tholoſanam vrbem. In quibus conuentibus tractare, quærere, & cum adiutorio Dei inuenire debent de cauſis ad religionem Chriſtianam, & eorum curam pertinentibus, quid à principibus, & reliquo populo, vel ita, vt diuina auctoritas docet, aut aliter teneatur, vel quid inde ex parte, vel ex toto dimiſſum ſit, vt non teneatur, &c. Et quicquid de his cauſis inuentum fuerit, tam ſolerti cura cuſtodiatur, vt nullatenus ad aliorum notitiam peruenire permittant ante tempus conſtitutum.

Paſchaſius Ratbertus. 880.

De corpore & ſanguine Domini ad finem: Alioquin præfata ſancta Synodus Epheſina, cui contradicere nulli fas eſt plùs quã Euangelio, quicquid in ea ſancitum eſt, nunquam auderet abnegare quod abnegat, niſi ex Euangelio, & affirmare verè viuificatricem carnem Chriſti in hoc Sacramento, & ipſius verbi propriam factam.

Leo Nonus. 1050.

Epiſtola ad Petrum Epiſcopum: Quatuor Concilia omnimodè recipio, & velut quatuor Euangelia veneror: quia per quatuor partes mundi vniuerſalis Eccleſia in his tamquam in quadro lapide fundata conſiſtit. Primum Nicęnum, ſecundum Conſtantinopolitanum, tertium Epheſinũ, quartum Chalcedonenſe. Pari modo recipio & veneror reliqua tria Concilia, id eſt, ſecundum Conſtantinopolitanum, tertium Conſtantinopolitanum, vltimum ſecundum Nicænum. Quicquid ſupradicta ſeptem ſancta & vniuerſalia ſenſerunt & collaudauerunt, ſentio & collaudo; & quoſcunque anathematizauerunt, anathematizo.

Hugo Victorinus. 1130.

Eruditionis didaſcalicæ lib. 4. cap. 12. Inter cætera Concilia quatuor ſunt venerabiles Synodi, quę totam principaliter fidem complectuntur quaſi Euangelia, vel totidem Paradiſi flumina. Harum prima eſt Nicæna Synodus, ſecunda Conſtantinopolitana, tertia Epheſina, quarta Chalcedonẽſis. Hę ſunt quatuor principales Synodi, fidei doctrinam pleniſſimè prædicantes. Sed & ſi quę ſunt Concilia, quæ ſancti Patres Spiritu Dei pleni ſanxerunt, poſt illarum quatuor auctoritatem, omni manent ſtabilita vigore, quorum geſta in hoc opere continentur condita.

Bernardus. 1130.

Sermone 3. de Reſurrectione: Lepra proprii conſilij eò pernicioſior eſt, quò magis occulta: & quanto plus abundat, tanto ſibi quiſque ſanior eſſe videtur. Hęc illorum eſt, qui *zelum Dei habent, ſed non ſecundùm ſcientiam*, ſequentes errorem ſuum, & obſtinati in eo, ita vt nullis velint conſilijs acquieſcere. Hi ſunt vnitatis diuiſores, inimici pacis, charitatis expertes, vanitate tumentes, placentes ſibi, & magni in oculis ſuis, ignorantes Dei iuſtitiam, & ſuam volentes conſtituere. Et quæ maior ſuperbia, quàm vt vnus homo toti congregationi iudicium ſuum præferat, tamquã ipſe ſolus habeat Spiritum Dei? *Idololatriæ ſcelus eſt non acquieſcere, & quaſi peccatum ariolandi repugnare.* (1.Reg. 15) Eant nũc, qui ſe faciunt religioſiores alijs, qui non ſunt, ſicut cæteri hominum, ecce arioli, & idololatrę facti ſunt, ſi tamen vel ei, qui dixit hoc, plus quàm ſibi iudicant eſſe credendum. Neque huic diſſonat veritatis ſermo, quem dixit: *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus.* (Matth. 18.)

Thomas Aquinas. 1250.

2. 2. quæſt. 1. art. 10. Prohibitio & ſententia Synodi ſe extendit ad priuatas perſonas, quarum non eſt determinare de fide. Non enim per huiuſmodi ſententiam Synodi generalis eſt ablata poteſtas ſequenti Synodo nouam editionem Symboli facere, non quidem aliam fidem continentem, ſed eandem magis expoſitam. Sic enim quælibet Synodus obſeruauit, vt ſequens Synodus aliquid exponeret, ſupra id, quod præcedens Synodus expoſuerat, propter neceſſitatem alicuius hæreſis inſurgentis. Vnde pertinet ad ſummum Pontificem, cuius auctoritate Synodus congregatur, & eius ſententia confirmatur.

Bonauentura. 1260.

Ad primum Sententiarum diſt. 11. Fuerunt quatuor Concilia Apoſtolorum in Eccleſia primitiua. Primum fuit ad electionem Matthiæ Apoſtoli: ſecundum ad electionem ſeptem Diaconorum Act. 7. tertium ad[illegible] imponendum legalia gentibus, Act. 15. quar[illegible] ad tolerandum legalia ad tempus, Act. 22. Concilia verò Patrum principalia apud Gręcos ſimiliter fuerunt quatuor, ſcilicet Nicænum, Epheſinum, Chalcedonenſe, & Conſtantinopolitanum. Nec in Concilijs illis ſunt omnia inſtituta, quæ ſpectant ad mores; nec omnia dicta, quę ad fidem pertinent, &c.

Guilhelmus Tornacus. 1270.

De officio Epiſcopi cap. 6. Synodus, vt Iſidorus teſtatur, ex Græco cœtus interpretatur, eò quòd in vnum ſacerdotem & ad nutum Epiſcopi congregantur; vt eorum exceſſus fideliter corrigantur, & per eos ſalubria monita populo tribuantur. Vnde ſcribitur. *Cõgrega mihi ſeptuaginta viros de ſenioribus Iſrael, quos tu noſti quòd ſenes populi ſint, ac magiſtri, & duces eos ad oſtium tabernaculi fœderis.* (Num. 11.) Et ſequitur: *Tradamq; eis de ſpiritu tuo, vt ſuſtentent tecum onus populi,* &c. Tribulationibus inualeſcentibus non fuit per multa tempora licitum Epiſcopis in aperto congregare clerum: poſtmodum verò à temporibus Conſtantini liberè eſt conceſſum, vt facerent congregationes ſuas Epiſcopi, & ſalubribus, & neceſſarijs ordinatis informarent populum. Tunc celebrata eſt ſancta Synodus Nicæna. Succeſſerunt alię, de quibus originem ſumunt Epiſcopalia Concilia, quę etiam exinde ſunt vſque ad ſacerdotales Synodos propagata.

Auguſtinus Triumphus. 1320.

De poteſtate Eccleſiaſtica q. 6 art. 6. Fit Concilium ex multis perſonis, vt per illas præponantur diuerſæ viæ, ex quibus ille, qui præeſt Concilio, poſſit vnam prę alijs eligere. Nam ſecundùm Damaſcenum electio eſt multis præexiſtentibus vnum prę altero eligere. Sine Papa ergo, vel eius auctoritate, in Cõcilio nulla poteſt fieri electio de his quæ pręponuntur. Ideo dicitur 15. diſtinctione, quòd auctoritas congregandorum vniuerſalium Conciliorum penes Apoſtolicam Sedem reſidet: quia abſque Romani Pontificis auctoritate Concilium nec firmitatem, nec auctoritatem habet. Eſt ſimiliter ratio, quare à Papa ad Concilium appellari non poteſt: quia ordinem rerum naturalium in regimine naturali nullus poteſt immutare, niſi Deus. Et in regimine morali ordinem iudiciarium nemo poteſt immutare niſi Papa, qui vicem Dei gerit in terra. Sed ordo iudiciarius, qui vertitur inter homines, præſupponit auctoritatem Papæ ad Concilium conuocando, & auctoritatem tribuendo, & modum appellationis vnius ad alterum ordinando. Ridiculoſa eſt ergo appellatio à Papa ad Concilium, cùm ordinem iudiciarium in regimine Eccleſiæ Concilium immutare non poſſit abſque auctoritate Papæ.

Thomas VValdenſis. 1410.

Doctrinalis fidei lib. 2. art. 2. cap. 27. Non dubitat Eccleſia ſancta Dei toties aſſiſtere ſibi Spiritum ſanctum, quoties congregati fuerint auctoritate plenaria in nomine Chriſti, ad fidei dubium reſoluendum. Et quo Spiritu, niſi diuino, dictarent, inter quos, ſine Deo, locum nullum habet humana induſtria? Pius Ambroſius ita dixit: Hæreſin Arianam in Concilio Nicæno non humana ſententia, ſed diuina damnatam, lib. 1. de Patre & Filio cap. 8. &c. Ita ergo plenarijs Concilijs Eccleſiæ, ſi tamen maneant incorrupta, Spiritus ſanctus adeſt, & definit de fide. Et cur non etiam debet conuocari Concilium ad cauſas Eccleſiæ pertractandas, vt vna ſit Eccleſiæ politia, ſicut eſt vna fides & vnum Baptiſma?

Ioannes Gerſon. 1420.

De examinatione doctrinarum conſideratione 1. Chriſtus fuit ſupremus & optimus inſtitutor Eccleſię, non deficiens in neceſſarijs, qui dixit: *Ecce ego vobiſcum ſum,* &c. (Matt. 28) Oportuit ergo in Eccleſia relinquere regulam infallibilem pro fide ſeruanda, & dubijs emergentibus terminandis: non autem reperitur in terris altera talis infallibilis regula, niſi generale Concilium legitimè congregatum.

Sermone super proceſs. faciendis pro Viagio Regis: Concilium generale eſt congregatio legitima auctoritate facta ad aliquem locum ex omni ſtatu hierarchico totius Eccleſiæ Catholicæ, nulla fideli perſona, quæ audiri requirat, excluſa, ad ſalubriter tractandum, & ordinandum ea, quę debitum regimen eiuſdem Eccleſiæ in fide & moribus reſpiciunt.

Antoninus Florentinus. 1450.

Parte 4. titulo 11. cap. 7. §. 5. Maior eſt auctoritas Eccleſiæ in determinationibus eorum, quę ſunt fidei, omni ratione, & omni auctoritate Doctorum. Et ait Beatus Auguſtinus: Euangelio non crederem, niſi illud Eccleſia approbaſſet.

Ioannes de Turrecremata. 1460.

In Summa de Eccleſia lib. 4. cap. 2. Quartum genus Catholicarum veritatum eſt earum, quæ ab Eccleſia, vel in Concilijs plenarijs, tamquam ad fidem Chriſtianæ religionis pertinentia definita ſunt, licet expreſsè in Canone Scripturæ ſacræ non inueniantur.

ARTICVLVS VIGESIMVSSECVNDVS.

NON SECVLAREM, SED ECCLESIASTICVM MAGISTRATVM; PONTIFICES, EPISCOPOS, ET PRESBYTEROS ESSE IVDICES IN CAVSIS RELIGIONIS ET CLERICORVM.

NEGANT.

Anno poſt natũ Chriſtũ.

360. *VLIANVS Apoſtata clericos denuò curijs addidit, & leges eorum cauſa latas abrogauit.* Sozomenus lib. 5. cap. 5.

1520. Martinus Lutherus Concione de Sacramento altaris: *Ius interpretandi Scripturas aquè laicis conceſſum eſt, atque doctis.*

1530. *Henricus Octauus Rex Angliæ ſeipſum appellauit totius Anglicanæ, & Hybernicæ Eccleſiæ ſummum caput immediatè ſub Chriſto.* Nicolaus Sanderus de viſibili Monarchia Eccleſiæ lib. 2. cap. 2.

1540. *Ioannes Brentius,* in Prolegomenis, *Philippus,* in Locis Communibus, *& alij Lutherani contendunt, reges, & principes ſeculares, non ſolùm defenſores, ſed etiam iudices eſſe religionis: ad eos, vt ad præcipua membra, pertinere iudicare controuerſias fidei, præſidere Concilijs generalibus, conſtituere miniſtros, paſtores, & ſimilia: & clericos ciuili tribunali ſubijciunt.*

1550. Petrus Martyr, ad caput 13. epiſt. ad Romanos: *Principes non potuiſſe,* ait, *concedere clericis priuilegium, ne ſubijcerentur magiſtratibus politicis: cùm id ſit contra ius diuinum. Et ideo non obſtante conſtitutione Principum, debere clericos ſubiectos eſſe magiſtratibus ſecularibus.*

1550. *Ioannes Caluinus,* lib. 4. Inſtit. cap. 11. §. 15. *docet clericos omnes, præterquàm in cauſis Eccleſiaſticis, ſubiectos eſſe debere legibus, & tribunalibus ſecularium magiſtratuum.*

1580. *Elizabetha Angliæ Regina ſeipſam ſcribit Eccleſiæ gubernatricem in omnibus rebus & cauſis tam Eccleſiaſticis, quàm ſecularibus.* Nicolaus Sanderus de Monarchia Eccleſiæ lib. 2. cap. 2.

ASSERVNT SACRÆ LITERÆ.

Deut. 17. Verſ. 8. Si difficile & ambiguum apud te iudicium eſſe proſpexeris inter ſanguinem & ſanguinem, cauſam & cauſam, lepram & non lepram, & iudicum inter portas tuas videris verba variari: ſurge, & aſcende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus: veniesque ad ſacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem, qui fuerit illo tempore, quæresque ab eis, qui iudicabunt tibi iudicij veritatem, & facies quodcunque dixerint. 12. Qui autem ſuperbierit, nolens obedire ſacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo, ex decreto iudicis morietur homo ille.

2. *Paral. 19. 11.* Amarias ſacerdos & Põtifex veſter (*inquit Rex Ioſaphat*) in his, quæ ad Deum pertinent, præſidebit: porrò Zabadias filius Iſmahel, qui eſt [illegible] in domo Iuda, ſuper ea opera erit, quæ ad regis officium pertinent: habetisque magiſtros Leuitas coram vobis: confortamini, & agite diligenter.

2. *Paral. 26. 16.* Cùm roboratus eſſet Rex Ozias, eleuatum eſt cor eius in interitum ſuum, & neglexit Dominum Deum ſuum: ingreſſusque templum Domini, adolere voluit incenſum ſuper altare thymiamatis. Statimque ingreſſus poſt eum Azarias ſacerdos, & cum eo ſacerdotes Domini octoginta viri fortiſſimi, reſtiterunt regi, atque dixerunt: Non eſt tui officij Ozia, vt adoleas incenſum Domino: ſed ſacerdotum, hoc eſt, filiorum Aaron, qui conſecrati ſunt ad huiuſcemodi miniſterium: egredere de ſanctuario, ne contempſeris: quia non reputabitur tibi in gloriam hoc à Domino Deo. Iratusque Ozias, & tenens in manu thuribulum, vt adoleret incẽſum, minabatur ſacerdotibus. Statimque orta eſt lepra in fronte eius, *&c.*

Epheſ. 4. 11. Ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Euangeliſtas, alios autem Paſtores & Doctores ad conſummationem ſanctorum in opus miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti: 14. Vt iam non ſimus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ.

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Clemens Romanus. 80.

Epiſtola 1. Si qui ex fratribus negotia habent inter ſe, apud cognitores ſeculi non iudicentur; ſed apud Presbyteros Eccleſię, quicquid illud eſt, dirimatur.

Origenes. 230.

Homilia 5. in Leuiticum: Atria ſecreta & recondita nullus accedit, nulli hæc niſi ſacerdotibus patent: ſi tamen pateant, ſi ſcientia ſua & intellectu myſtico potuerint eorum ſecreta penetrare. Scio autem & eſſe alia quędam in Eccleſia dogmata ſecretiora, quæ adire nec ipſis ſacerdotibus liceat. Illa dico, vbi arca reconditur, vbi vrna, vbi mãna, & tabulæ Teſtamenti. Illuc ne ipſis quidem ſacerdotibus datur acceſſus, ſed vni tantùm Pontifici, & huic ſemel in anno certis quibuſdam & myſticis purificationibus conceditur iſtud intrare ſecretum. Sunt & alia Eccleſiæ dogmata, ad quę poſſunt peruenire etiam Leuitæ, ſed inferiora ſunt ab his, quæ ſacerdotibus adire conceſſum eſt. Scio & alia eſſe, ad quę poſſunt accedere etiam filij Iſrael, hoc eſt laici: non tamen alienigenę, niſi adſcripti iam fuerint in Eccleſia Domini.

Conſtantinus Imp. 325.

Apud Ruffinum lib. 1. hiſt. cap. 2. & apud Sozomenum lib. 1. cap. 16. Cùm in Concilio Nicæno ex omnibus penè locis Epiſcopi conueniſſent, & (vt fieri ſolet) diuerſis ex cauſis inter ſe iurgia quædam detuliſſent, interpellabatur frequenter à ſingulis, offerebantur libelli, culpæ proferebantur, & magis ad hęc, quàm ad id, pro quo ventum fuerat, animos dabant. At ille videns, quòd per huiuſmodi iurgia cauſa ſummi negotij fruſtraretur, diem certum ſtatuit, quo vnuſquiſque Epiſcoporum ſi quid querimoniæ habere videretur deferret. Et cùm reſediſſet, ſuſcepit à ſingulis libellos, quos ſimul omnes ſinu ſuo continens, nec in eis quid cõtineretur aperiens, ait ad Epiſcopos: Deus vos conſtituit ſacerdotes, & poteſtatem vobis dedit de nobis quoque iudicandi, & ideo nos à vobis rectè iudicamur: vos autem non poteſtis ab omnibus iudicari: propter quod Dei ſolius inter vos expectate iudicium, & veſtra iurgia, quęcunque ſunt, ad illud diuinum reſeruentur examen: vos etenim à Deo nobis dati eſtis Dij, & conueniens non eſt, vt homo iudicet Deos; ſed ille ſolus, de quo ſcriptum eſt: *Deus ſtetit in ſynagoga Deorum, in medio autem Deos diſcernit.* Et ideo his omiſſis illa, quæ ad fidem Dei pertinent, abſque vlla animorum contentione diſtinguite. Cumque hæc dixiſſet, omnes ſimul querimoniarum libellos iuſſit exuri, ne innoteſceret vlli hominum ſimulatio ſacerdotum.

Concilium Antiochenum. 340.

Cap. 11. Si quis Epiſcopus, vel Presbyter, vel quicunque clericus, & omnis omninò, qui eſt ſub Eccleſiaſtica regula conſtitutus, præter conſilium, vel literas eorum Epiſcoporum, qui ſunt intra prouinciam, & maximè Metropolitani, ad Imperatorem perrexerit, hunc abdicari, & ejici non ſolùm de communione debere, ſed etiam propria dignitate priuari, tamquam moleſtum & importunum Imperialibus auribus, contra Eccleſiaſtica conſtituta. Si autem neceſſitas cogat ad Imperatorem excurrere, propter aliquam actionem, cum deliberatione & cõſilio Metropolitani ipſius prouinciæ Epiſcopi, & cæterorum conſcientia Epiſcoporum, qui in eadẽ prouincia ſunt, atque cum literis eorum ire debebit.

Cap. 12. Si quis à proprio Epiſcopo depoſitus, vel Presbyter, vel Diaconus, aut etiam ſi à Synodo quilibet Epiſcopus fuerit exauctoratus, moleſtiam Imperialibus auribus inferre non præſumat: ſed ad maiorem Epiſcoporum Synodum ſeſe conuertat: & quæ ſe putat habere iuſta, in eorum Concilio alleget, atque ab his de ſe expectet, quę fuerit deprompta ſententia. Quòd ſi deficiens puſillanimitate, hoc noluerit facere, ſed Imperatori fuerit importunus, huiuſmodi nullam veniam habeat, neque locum vllius aſſertionis ſuę, nec ſpem recipiendi gradus habeat in futurum.

Athanaſius. 340.

Epiſtola ad ſolitariam vitam agentes, loquens de Imperatore Conſtantio Ariano, qui aliquod iudicium ſibi in Eccleſijs vſurpabat: Nam ſi iſtud eſt iudicium Epiſcoporum, quid cum eo cõmune habet Imperator? ſin contra iſta minis Cęſaris conflantur, quid opus eſt hominibus titulo Epiſcopis? Quando à condito æuo auditum eſt? quando iudicium Eccleſię auctoritatem ſuam ab Imperatore accepit? aut quando vnquam hoc pro iudicio agnitũ eſt? Plurimæ antehac Synodi fuêre, multa iudicia Eccleſiæ habita ſunt: ſed neque Patres huiuſmodi res principi perſuadere conati ſunt, nec princeps ſe in rebus Eccleſiaſticis curioſum præbuit. Paulus habebat amicos in Cæſaris familia, & per eos in literis ſalutabat Philippenſes, non tamen eos in iudicio ſocios aſſumpſit. Nunc autem nouum ſpectaculum ab Ariana hæreſi editur. Conuenerunt enim in vnum hæretici, & Imperator Conſtantius, vt ille quidem ſub prętextu Epiſcoporum ſua poteſtate aduerſus eos, quos velit, vtatur, & tamen in perſecutione mouenda perſecutor non appelletur: illi verò ſuccincti principis poteſtate, inſidias faciunt quibus volunt, &c. Quis videns eum in decernendo principem ſe facere Epiſcoporum & præſidere iudicijs Eccleſiaſticis, non meritò dicat, illum eam ipſam abominationem deſolationis eſſe, quæ à Daniele prædicta eſt?

Apologia 2. contra Arianos: Eusebiani quò veritatem, scriptaque sua obliterent, nomẽ Synodi suis actis prætexunt: cùm res ipsa negotium Imperatorium, non Synodale haberi debeat, quippe vbi Comes præsideat, & milites Episcopos sub satellitio cingant, & Imperatoria edicta quos ipsi volunt coire compellant.

Extat apud Athanasium ad solitariam vitã agentes.

Hosius Episcopus. 350.

Epistola ad Constantium Imp. Quid tale à Constante actum est? aut quis ibi Episcopus relegatus? aut quando iudicijs Ecclesiasticis interfuit? aut quis ipsius Palatinus vim adhibuit, vt contra aliquem subscriptio fieret? vt idem Valens cum suis aliquid colligat, habeatque quod obijciat? Define, quæso, & memineris te mortalem esse, reformida diem iudicij, serua te in illam diem purum, ne te misceas Ecclesiasticis, neque nobis in hoc genere præcipe; sed potius ea à nobis disce. Tibi Deus Imperium commisit; nobis quæ sunt Ecclesiæ concredidit. Et quemadmodum qui tuum Imperium malignis oculis carpit, contradicit ordinationi diuinę; ita & tu caue, ne quę sunt Ecclesiæ ad te trahens, magno crimini obnoxius fias. *Date*, scriptum est, *quæ sunt Cæsaris, Cæsari; & quæ Dei, Deo*: neque fas est nobis in terris Imperium tenere, neque tu thymiamatum & sacrorum potestatem habes ô Imp.

Cyrillus Hierosolymitanus. 370.

Catechesi 17. Ad hodiernum vsque diem cernimus, mũdanos principes regi & instrui ab Ecclesiasticis.

Gregorius Nazianzenus. 380.

Oratione secunda, quæ est ad eos, qui ipsum primùm acciuerant, nec venerant postquam Presbyter factus fuisset: At verò pietatem, non in multum & sæpe de Deo loquendo, sed vt plurimum tacendo positam esse iudicetis; semperque minus periculosum esse audire, quàm loqui existimetis, ac proinde lubentius de Deo quippiam discatis, quàm doceatis; vosque ita comparetis, vt exactiore harum rerum examinatione dispensatoribus verbi relicta, sermone minimum, operibus maiori ex parte Deum colatis.

Oratione 17. quæ est ad ciues Nazianzenos, & Præfectum irascentem: Quid igitur dicitis? aut quid inter nos conuenit? an me liberè loquentem æquo animo feretis? nam vos quoq; imperio meo ac throno lex Christi subiecit. Imperium enim nos quoque gerimus, addo etiam præstantius, ac perfectius; nisi verò æquum est spiritum carni fasces submittere, & cęlestia terrenis cedere. Sed non dubito, quin hanc dicendi libertatem *(alloquitur Præfectum)* in optimam partem accepturus sis, vtpote sacri mei gregis ouis sacra, magniquę pastoris alumna, rectęque iam olim à spiritu ducta, & instituta.

Valentinianus, Theodosius, & Arcadius Imppp. 387.

Apud Gratianum Causa 11. q. 1. Continua lege sancimus, vt nullus Episcoporum, vel eorum, qui in Ecclesiæ necessitatibus seruiunt, ad iudicia siue ordinariorum, siue extraordinariorum iudicum protrahatur. Habent enim illi suos iudices, nec quicquam his publicis est commune cum legibus.

Ioannes Chrysostomus. 400.

De verbis Esaiæ Homilia 4. Alij sunt termini regni, alij termini sacerdotij. Hoc regnum *(sacerdotij)* illo maius est. Neque enim ex his, quæ videntur, hîc declaratur Rex, neque è gemmis illi affixis, neque ex auro, quo amictus est, debet æstimari Rex. Ille quidem ea, quæ sunt in terris, sortitus erat administranda; cæterùm sacerdotij ius è supernis descendit: *Quæcunque ligaueritis super terram, erunt ligata & in cælo.* Regi ea, quæ hîc sunt, commissa sunt; mihi cælestia: mihi cùm dico, sacerdotem intelligo. Itaque cùm videris sacerdotem indignum, ne traducas sacerdotium: non enim oportet damnare res, sed eum, qui re bona malè vtitur. Quandoquidem & Iudas proditor fuit, verùm non ob id accusatur ordo Apostolicus, sed illius animus; nec crimen est sacerdotij, sed malum animi. Et tu igitur ne sacerdotium vituperes, sed sacerdotem malè re bona vtentem. Etenim si quis tecum disputet, dicatque: Vidisti illum Christianum? respondeto: At ego non de personis, sed de rebus tibi loquor. Alioqui quot medici facti sunt carnifices, ac venena pro pharmacis dederunt? Non tamen artem vitupero, sed malè vtentem arte. Quot nautę malè rexerunt nauigia? verùm non ars nauigandi mala est, sed illorum animus. Si Christianus fuerit improbus, ne incuses professionem ac sacerdotium, sed re bona vtentem malè. Regi corpora commissa sunt, sacerdoti animæ. Rex maculas corporum remittit: Sacerdos autem maculas peccatorum. Ille cogit, hic exhortatur. Ille necessitate, hic consilio. Ille habet arma sensibilia, hic arma spiritualia. Ille bellum gerit cum barbaris, mihi bellum est aduersus dæmones. Maior hic Principatus: propterea Rex caput submittit manui sacerdotis, & vbique in veteri Scriptura Sacerdotes inungebant Reges.

Libro 3. de Sacerdotio: Habent & terrestres principes vinculi potestatem, sed corporum solùm. Id autẽ quod dico sacerdotum vinculum ipsam etiam animam continet, atque ad cælos vsque peruadit; vsque adeò, vt quęcunque infernè sacerdotes confecerint, illa eadem Deus supernè rata habeat, ac seruorum sententiam Dominus confirmet. Etenim quidnam hoc aliud esse dicas, nisi omnium rerum cælestium potestatem illis esse concessam?

Homil. 83. in Matth. alloquens Diaconum: Si Dux quispiam, si Consul ipse, si is qui diademate ornatur indignè adeat, cohibe & coërce: maiorem tu illo habes potestatem.

Theodosius & Valentinianus AA. 428.

Extat in actis Concilij Ephesini Tomo 3. cap. 32.

Epistola ad Synodum Ephesinam: Igitur Candidianum præclarissimum religiosorum domesticorum Comitem ad sacram vestram Synodum abire iussimus: sed ea lege & conditione, vt cum quęstionibus & controuersijs, quæ circa fidei dogmata incidunt, nihil quicquam commune habeat: (nefas enim est, qui sanctissimorum Episcoporũ catalogo ascriptus nõ est, illum Ecclesiasticis negotijs & cõsultationibus sese immiscere:) verùm vt monachos, & seculares, ac cæteros denique omnes, qui huius spectaculi causa, vel eò nũc confluxerunt, vel in posterum fortè confluent, ab eadem illa ciuitate modis omnibus submoueat: (quandoquidem non licet illis, qui omnino necessarij non sunt, sacrorum dogmatum examen aliquo tumultu impedire, & ijs, quæ cum tranquillitate à vestra Sanctitate constitui definiriqúe debent, obstaculum aliquod adferre:) tum rursum vt diligenter prospiciat, ne qua grauior dissensio, ex mutuo repugnandi studio coorta, & sæuæ tempestatis instar debacchata sanctissimę Synodi vestræ consultationem, exactioremque veritatis indagationem quouis modo obturbet.

Extat in iisdem actis Tomo eodẽ c. 7

Epistola ad Cyrillum: Quam quidem pietatis doctrinam, in sacra Synodo in vtra vque partem ventilatam, eatenus obtinere volumus, quatenus æquitati & rationi consentaneum esse iudicabitur. At verò, siue illi veniam impetraturi sunt, qui à Patribus victi fuerint, siue non: nos sanè ciuitates simul & Ecclesias conturbari nequaquam sinemus: sed nec eam quoque doctrinam indiscussam manere patiemur, cui dijudicandæ eos præsici oportet, qui sacerdotijs vbiuis gentium præsident: per quos & nos quoque in veritatis sententia stabilimur, magis magisque identidem stabiliemur.

Extat in actis Synodi Ephesinæ Tomo 3. cap. 9.

Cyrillus Alexandrinus. 430.

Epistola ad Synodum Antiochenam: Esset multò melius, multoque iustius, si Ecclesiasticę quæstiones in Ecclesia agitarentur, ac iudicarentur, quàm apud alios externos, quibus sanè huiusmodi causarum tractatio non conuenit.

Sozomenus. 440.

Libro 6. cap. 7. Petentibus Episcopis, vt sibi de doctrina fidei rectè constituenda in vnum conuenire permitteretur, Valentinianus Imperator respondit, sibi, qui vnus è laicorum numero esset, non licere eiusmodi negotijs se interponere. Et ideo, inquit, sacerdotes & Episcopi, quibus hæc curæ sunt, per se, vbicunque ipsis libitum fuerit, in vnum conueniant. Quo responso ad legationem Hypatiani dato, Lampsaci Concilium cogunt: atque vbi ad bimestre spatium de rebus fidei deliberatum est, tandem decernũt acta Constantinopoli opera & studio Eudoxij & Acatij cum suis sancita abroganda esse.

Libro 1. cap. 8. Imperator Constantinus scripsit tum ad Episcopos, tum ad Præsides cuiusq; prouinciæ: ad illos quidem, vt quę vellent imperarent: ad hos autem, vt morem gererent Episcopis, eorumque imperata studiosè facerent. Itaque vnà cum prospero Imperij statu magnopere creuit religio.

Theodoretus. 450.

Ecclesiasticæ historiæ lib. 4. cap. 16. Ad quem Eulogius dissimulanter quidem, sed valde facetè respondet: Nunquid Valens cum Imperio est etiam sacerdotij dignitatem consecutus? Præfectus igitur intellecta ironia, cœpit grauiter succensere, conuicia in Presbyterum iacere, & hęc quoque verba addere: Non istud dixit, ô stupide, sed vos, vti quibuscum communicet Imperator, cum ijsdem communicetis, adhortatus sum. Atque simul vt senex dixerat, se habere pastorem, cuius nutum sequerentur, prępfectus octoginta pariter comprehensos in Thraciam amandauit.

Pulcheria Augusta. 453.

Epistola ad Consularem Bithyniæ Strategum: Quia secundùm nostram sanctionem reuerendissimi quidem Episcopi vniuersi conuenerunt, sustinentes potestatis nostræ præsentiam, quæ non post multum Deo cooperante aderit: quidam autem, sicut agnouimus, cùm sint soliti conturbare, & confundere Deo placitã disciplinam, superuenientes in Nicæa Clerici, & monachi, atque laici, tumultus facere tentant, contendentes absque his, quæ nobis placuerunt: necessariò has pias literas ad tuam direximus claritatem, quatenus cum omni virtute eos, si præter nostram euocationem, aut permissionem suorum Episcoporum ibidem commorantur, clericos, siue intra hunc ordinem constitutos, siue alicui eorum à proprijs Episcopis sunt remoti, vel monachos, atque laicos, quos nulla ratio ad Concilium vocat, omnimodò debeas de ciuitate, & ipsis locis expellere, vt cum omni disciplina confidente sancta Synodo, sine aliqua commotione atque contentione, quæ à Domino Christo reuelata fuerint, communiter ab omnibus confirmentur.

Martianus Imp. 453.

Oratione ad Synodum Chalcedonensem, actione 1. Concilij: Nos ad confirmandam fidem, non ad ostendendam virtutem, exemplo Imperatoris Constantini adesse Synodo excogitauimus, ne in posterum multitudo populi, institutionibus prauis attracta, inueniatur dissentiens, &c. Nobis omne studium adhibendum est, populum propter veram sanctamque doctrinam idipsum sentientem, vni rectæ applicare Ecclesiæ: & ideo veram fidem Catholicamque etiam exponere, secundùm Patrum doctrinam, concordantibus animis vestris, vestra properet reuerentia, vt qualiter in Nicæna Synodo vsque in hoc tempus abscisso errore vera fides est hominibus cognita, sic & nunc per hanc sanctam Synodum depositа nebula semper seruentur quę statuta sunt.

Codice de Episcopali audientia: Decernimus, vt quicunque Catholicarum Ecclesiarum, quæ sub viro religioso Archiepiscopo huius almæ vrbis sunt, reuerendissimũ œconomum (siue de Ecclesiasticis, siue de proprijs, & ad ipsum solum pertinentibus causis) vel quemcunque alterum earundem Ecclesiarum clericum, aliqua voluerit lite pulsare, apud memoratum beatissimum Archiepiscopum causam dicat, in negotijs audiendis fidem ac synceritatem geminam prębiturum, & sacerdotis & iudicis: volentibus tamen actoribus pateat Episcopale iudicium: ac nullus, qui huiuscemodi intendit in sacrosanctas Ecclesias, vel in prędictos clericos actionem, ad religiosissimum Antistitem ducatur inuitus.

Concilium Chalcedonense. 453.

Can. 9. Si quis clericus habet cum clerico litem, aut negotium, proprium Episcopum ne relinquat, & ad secularia iudicia ne excurrat: sed causam prius ad proprium Episcopum agat, vel de Episcopi sententia apud eos, quos vtraque pars elegerit, iudicium agitetur. Si quis autem prętер hæc fecerit, Canonicis pœnis subijciatur. Si clericus autem cum proprio, vel etiam alio Episcopo negotium aut litem habeat, à prouinciæ Synodo iudicetur. Si autem cum ipsius prouincię Metropolitano Episcopus, vel clericus controuersiam habeat, diœcesis exarchum adeat, vel imperialis vrbis Constantinopolis thronũ, & apud eum litiget.

Leo & Anthemius Impp. 466.

L. omnes, C. de Episcopis & clericis: Orthodoxæ fidei sacerdotes & clerici, cuiuscunque gradus sint, monachi quoque in causis ciuilibus ad extranea iudicia protrahi non debent: nec quisquam eorum Ecclesias, vel monasteria propria (quæ religionis intuitu inhabitant) relinquere miserabili necessitate iubeatur; sed apud suos iudices ordinarios Ecclesiarum ministerijs obsecundet.

Iustinianus. 530.

In Authent. constitut. 79. Quidam volentes eorum pere orthodoxæ fidei honestatem, si quidem litem habuerint, quasi cum monachis, aut ascętrijs ciuiles iudices interpellant: at illi mittunt executores, præsumentes accedere intra loca sancta, & monachos trahere, atque monasterias, vel ascetrias inquietare, forsan etiam eas, quæ non viden-

videntur: & hinc iniuriam & confusionem non paruam adorabilibus fieri locis. Propterea igitur sancimus, si quis quamcunque habuerit causam cum aliquibus venerabilibus sanctimonialibus, aut sacris virginibus, aut mulieribus omninò in monasterijs consistentibus, Deo amabilem ciuitatis illius Episcopum interpellet: ille verò mittat, & cum omni honestate, quę sunt de personarum præsentia disponat, siue oportet per Abbates, siue per responsales, siue per alios quoslibet hoc fieri. Ipsi verò cum omni veneratione sacerdotali causam examinēt, & iudicēt, & ciuiles non sint penitus eis iudices, neque confundant eorum honestatem, cùm idonei sint Deo amabiles singularum ciuitatum Episcopi, & quæ de lite sunt, & de cautela iudiciorum disponere, & iudicare honestè atque sacerdotaliter, & secundùm leges nostras, & sacratissimas regulas.

Constitut. 83. Reuerendissimis clericis hoc damus priuilegium, vt si quis habet aduersus eos quamlibet pecuniariam causam, prius ad Deo amabilem Archiepiscopum pergat, sub quo constitutus est, & interpellet eum, & ex non scripto iudicium mereatur: & si hoc fiat, ne eum inquietet, nec trahat ad auditoria ciuilia, neque à sacro eum vacare faciat ministerio, sed ex non scripto examinetur negotium sine damnis, & accipiat formam, forsitan etiam scriptam, si hoc quoque partes voluerint, & popposcerint, & liberentur alterutro certamine. Si verò aut propter causæ naturam, aut propter quandam fortè difficultatem non fuerit possibile Deo amabili Episcopo decidere negotium, tunc licentia sit & ad ciuiles iudices pergere, & priuilegijs omnibus custoditis, quæ reuerendissimis clericis sacræ præstant constitutiones, & litigare, & examinationem fieri, & terminum imponi liti, & ita liberam fieri causam.

Constitut. 123. Si Ecclesiasticum negotium sit, nullam communionem habento ciuiles magistratus cum ea disceptatione, sed religiosissimi Episcopi, secundùm sacros Canones, negotio finem imponunto. Præterea si qui eiusdem Synodi religiosissimi Episcopi aliquam inter se controuersiam habeant, siue de iure Ecclesiastico, siue de quibusdam alijs rebus, prius Metropolitanus ipsorum cum alijs duobus de sancta Synodo Episcopis rem dijudicato. Et nisi vtraque pars iudicatis insistat, tunc beatissimus Patriarcha illius diœceseos audientiam ipsis accommodato, & illa definito, quæ Ecclesiasticis Canonibus, & legibus concinunt, neutra parte sententię eius contradicere queunte. Sed & si à clerico, aut quocunq; alio contra Episcopum quacunque de causa fiat interpellatio, primùm religiosissimus Metropolitanus secundùm sacros Canones, & nostras leges negotium dijudicato. Si quis iudicatis reclamet, causa ad beatissimum illius diœceseos Archiepiscopum, & Patriarcham defertor, & ille secundùm Canones & leges huic finem adhibeto.

Ioannes Damascenus. 730.

Oratione 2. de Imaginibus: Regum partes non sunt, vt Ecclesiæ leges præscribant. Considera enim quid D. Apostolus dicat, & quos quidem in Ecclesia posuit, primùm Apostolos, deinde Prophetas, tum Pastores & Doctores. Ad Ecclesiæ constitutionem non adhibuit Reges. Et rursum: *Obedite*, inquit, *Præpositis vestris*, &c. Regum est ciuilis administratio, Ecclesiastica verò constitutio Pastorum & Doctorum, &c. Paremus tibi Rex in ijs, quæ ad vitę ciuilis negotia pertinent, vt in tributis, vectigalibus, congiaribusqúe soluendis, quorum tibi, quātum ad nos spectat, munus est creditum ac demandatum. At in Ecclesiasticis rebus statuendis ac decernendis habemus Pastores, qui nobis locuti sunt verbum, & leges, atque instituta Ecclesiastica tradiderunt. Non transferimus terminos sempiternos, quos nobis patres nostri constituerūt. sed quæ nobis prescripta sunt, vt accepimus, tuemur.

Basilius Imp. 868.

Oratione, quam habuit in 8. Synodo: Vobis laici, tam qui in dignitatibus, quàm qui absolutè (hoc est absque dignitatibus) versamini, nullo modo licet de Ecclesiasticis causis sermonem mouere, neque penitus resistere integritati Ecclesię, & vniuersali Synodo aduersari. Hæc enim inuestigare & quærere Patriarcharum, Pontificum, & sacerdotum est, qui regiminis officiū sortiti sunt, qui sanctificandi; qui soluendi & ligandi potestatem habent; qui Ecclesiasticas & cælestes adepti sunt claues: non nostrum, qui pasci debemus, qui sanctificari, qui ligari, vel à ligamento solui egemus. Quantæcunq; enim religionis ac sapientię laicus existat, vel etiamsi vniuersa virtute interius polleat, donec laicus est, ouis vocari nō desinet. Rursus Episcopus quantacunq; sit irreuerētia plenus, & nudus omni virtute, donec Antistes est, & veritatis verbum rectè prædicauerit, Pastoris vocationis & dignitatis damna non patietur. Quæ ergo nobis ratio est in ordine ouium constitutis? Pastores verborum subtilitatem discutiendi, & ea, quæ super nos sunt, quærendi & ambiendi habēt. Oportet nos ergo cum timore & fide syncera hos audire, & facies eorum vereri, (cùm sint ministri Domini omnipotentis, & huius formam possideant,) & nihil amplius, quàm ea, quę ordinis nostri sunt, requirere.

Suidas. 970.

In Leontio Tripolis Episcopo: Constantio inter Episcopos præsidente, & Ecclesijs præscribere volente, plerique quicquid ille dixisset cum plausu & admiratione accipiebant, rectissimè id esse dictum asserentes: hic verò tacebat. Quem cùm rogaret Imperator: Quid tu solus omnium taces? Miror, inquit, quî fiat, vt alijs curādis destinatus, alia tractes; qui cùm rei militari & Reipub. præsis, Episcopis ea præscribas, quę ad solos pertinent Episcopos? Imperator itaque verecundatus, eiusmodi edictis in posterum abstinuisse fertur.

Georgius Cedrenus. 1100.

In Leone Iconomacho: Gregorius Papa missa decretali epistola ad Leonem Imp. monuit non esse Imperatoris de fide statuere, aut veteris Ecclesiæ decreta, à sanctis Patribus facta, conuellere. μὴ δεῖν βασιλέα λόγον περὶ πίστεως ποιεῖσθαι, καὶ καινοτομεῖν τὰ ἀρχαῖα δόγματα τῆς ἐκκλησίας τὰ ὑπὸ τῶν ἁγίων πατέρων δογματισθέντα.

Simeon Thessalonicensis.

Lib. 8. de mysterijs & cæremonijs Ecclesiæ: Verùm hęc non tam ab Imperatoribus facta sunt, quàm ab assentatoribus, qui verbis hominum illis persuaserunt maiora, quàm pro facultate facere, ita vt Episcopos promouerent, & translationes eorum facerent. Proh Deum, ordinatum à Spiritu sancto huius Ecclesiæ pastorem, alterius Ecclesię pastorem ab ijs constitui, qui sacerdotij facultatem & operationem non habent, & pręter voluntatem Spiritus sancti? Si opus est ad ędificationem constituere eum in maiore Ecclesia, à Spiritu sancto, à quo ordinatus est, est hoc faciendum: non autem à seculari potestate. Imò Abbates monachorum, qui Deo dedicati sunt, & qui animarum curę per Dei gratiam sunt præpositi, plerique sic sunt præter voluntatem Spiritus S. & soluunt, & ligant, hoc ab ijs obtinentes, qui facultatem charismatis

rismatis non acceperunt, & ordinantur, & multis præsunt, nihil penitus curantes eos, qui habēt charismata. Hinc multę ruinæ nostrę: hinc imminuti, & ad pauciores, quàm omnes gentes, redacti: & propter eorum violentiam, qui potestatem in ijs habere, & ea tractare studeant, quæ eis non congruunt, alieni nobis imperant; & quia faciunt, quę Deo displicent, nostri & Dei inimici nobis, vt par est, insultant: & dum sacra vindicamus, communicamus qúe ea nobiscum, putantes lucrum facere ex consecratis Deo, factum est, vt propria amiserimus, & depascunt nostra, in nostroqúe conspectu aduersarij nostra comedūt. Sed vtinam remedium aliquod hæc calamitas tandem accipiat, & cedant *Cæsari, quæ Cæsaris sunt*; *& quæ Dei, Deo*: vt omnia sint digna gratia Dei, res sacra constituta, ac secularis aucta: ac non potius contra alterum ab altero intereat, &c. *Paulo post in eos, qui aiebant fieri ab Imperatore Patriarcham sic scribit*: Nugantur, qui hoc dicunt, nouatores, & inuidia iactati. Non enim Imperator, sed Synodus eum facit, solo Imperatore pio ministrante: idqúe non solùm, quia est vindex, ac defensor, & ex Ecclesia vnctus, sed etiam vt adiuuet, & subseruiat, atque amplectatur, firmaqúe conseruet, quę fiant in Ecclesia: quippe cùm opus sit ad pacem Ecclesiæ tuendam, vt ipse quoque Imperator in fide recta conseruetur, &c. Non facit Patriarcham Imperator, quin potius consentit & subsequitur, quod efficitur, &c.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Cyprianus. 250.

Libro 1. epist. 3.

Epistola 55. Neque enim aliunde hæreses obortæ sunt, aut nata sunt schismata, quàm inde, quòd sacerdoti Dei non obtemperatur, nec vnus in Ecclesia ad tempus sacerdos, & ad tempus iudex vice Christi cogitatur: cui si secundùm magisteria diuina obtēperaret fraternitas vniuersa, nemo aduersum sacerdotum collegium quidquam moueret, nemo post diuinum iudicium, post populi suffragiū, post Coēpiscoporum consensum, iudicem se iam non Episcopi, sed Dei faceret.

Caius Papa. 283.

Epistola ad Felicem: Primò scias paganos & hæreticos non posse Christianos accusare, aut vocem eis infamationis inferre. Deinde nemo vnquam Episcopum apud iudices seculares, aut alios clericos accusare præsumat.

Marcellinus. 296.

Epistola 2. Clericum cuiuslibet ordinis, absque Pontificis sui permissu, nullus presumat ad seculare iudicium attrahere, nec laico quemlibet clericum liceat accusare.

Concilium Romanum Primum. 320.

Cap. 4. Syluester Episcopus dixit: Nulli omninò clerico licere causam quamlibet in publico examinare, nec vllum clericum ante iudicem laicum stare. Et dixerunt omnes Episcopi: placet.

Concilium Romanum Secundum sub Syluestro. 325.

Cap. 16. Nemo clericus, vel Diaconus, aut Presbyter, propter causam suam quamlibet intret in curiam: quoniam omnis curia à cruore dicitur, & immolatio simulachrorum est. Quoniam si quis clericus in curiam introierit, anathema susciptat, nunquam rediens ad matrem Ecclesiam.

Hilarius. 350.

Aduersus Constantium Augustum: Prouideat & decernat Clemētia tua, vt omnes se vbique iudices, quibus prouinciarum administrationes sunt creditæ, ad quos sola cura, & solicitudo publicorum negotiorum pertinere debet, à religiosa se obseruantia abstineant.

Lucifer Calaritanus. 360.

Libro 1. ad Constantium August. pro S. Athanasio: Proba te super nos factum iudicem, proba te ad hoc constitutum Imperatorem, vt nos armis tuis ad omnem implendam voluntatem amici tui diaboli perduceres, cùm probare non possis; quia præceptum sit tibi, non solùm non dominari Episcopis, sed & ita eorum obedire statutis, vt si subuertere eorum decreta tentaueris, si fueris in superbia comprehensus, morte mori iussus sis.

Ambrosius. 370.

Epistola 32. ad Valentinianum Imperatorem: Dalmatius me tribunus & notarius mandato, vt allegauit, clementię conuenit tuæ, postulans vt & ipse iudices eligerem, sicut elegisset Auxentius: nec tamen expressit eorum nomina, qui fuerant postulati, sed id addidit, quòd in consistorio esset futura certatio arbitro pietatis iudicio tuæ. Cui rei respondeo, vt arbitror, competenter, nec quisquam contumacem iudicare me debet, cùm hoc asseram, quod Augustæ memoriæ pater tuus non solùm sermone respondit, sed etiam legibus suis sanxit, in causa fidei, vel Ecclesiastici alicuius ordinis, eum iudicare debere, qui nec munere impar sit, nec iure dissimilis. Hæc enim verba rescripti sunt: hoc est, sacerdotes de sacerdotibus voluit iudicare. Quin etiam si alias quoque argueretur Episcopus, & morum esset examinanda causa, etiam hanc voluit ad Episcopale iudicium pertinere. Quis igitur contumaciter respondit clementiæ tuæ? Ille, qui te patri similem esse desiderat, an qui vult esse dissimilem? Nisi fortè vilis quibusdam tanti Imperatoris existimatur sententia, cuius & fides confessionis constantia comprobata est, & sapientia melioratæ Reipub. profectibus prędicatur. Quando audisti, clementissime Imperator, in causa fidei laicos de Episcopo iudicasse? Ita ergo quadam adulatione curuamur, vt sacerdotalis iuris simus immemores, & quod Deus donauit mihi, hoc ipse alijs putem esse credendum? Si docendus est Episcopus à laico, quid sequatur: laicus ergo disputet, & Episcopus audiat, Episcopus discat à laico. At certè si vel Scripturarum seriem diuinarum, vel veterem tempora rētractemus, quis est, qui abnuat in causa fidei, in causa, inquam, fidei Episcopos solere de Imperatoribus Christianis, non Imperatores de Episcopis iudicare? Eris Deo fauente etiam senectutis maturitate prouectior, & tunc de hoc censebis, qualis ille Episcopus sit, qui laicis ius sacerdotale substernit. Pater tuus Deo fauente vir maturioris æui dicebat: Non est meum iudicare inter Episcopos: tua nunc dicit Clementia, ego debeo iudicare? Et ille baptizatus in Christo, inhabilem se ponderi tanti putabat esse iudicij: Clementia tua, cui adhuc emerenda baptismatis sacramenta seruantur, arrogat de fide iudicium, cùm fidei ipsius sacramenta non nouerit? &c. Si tractandum est, tractare in Ecclesia didici: quod maiores fecerunt mei. Si conferendum de fide, sacerdotum debet esse ista collatio, sicut factum est sub Constantino Augustæ memoriæ principe, qui

nullas leges ante præmisit, sed liberum dedit iudicium sacerdotibus.

Epistola 33. Noli te grauare Imperator, vt putes te in ea, quæ diuina sunt, imperiale aliquod ius habere : noli te extollere, sed si vis diutius
Matt.22. imperare, esto Deo subditus. Scriptum est : *Quæ Dei, Deo ; quæ Cæsaris, Cæsari.* Ad Imperatorem palatia pertinent, ad sacerdotem Ecclesiæ : publicorum tibi mœnium ius concessum est, non sacrorum.

Hieronymus. 390.

Epistola 142. Ozias Rex quamdiu vixit Zacharias sacerdos cognomento intelligens placuit Deo, & cum omni veneratione delubrum eius ingressus est. Postquam verò Zacharias obijt, volens per se offerre donaria, sacerdotalem ordinem non tam piè, quàm audacter inuasit, & reclamantibus Leuitis & sacerdotibus cæteris : Nonne tu es Ozias Rex, & non sacerdos? audire noluit, statimque lepra perfusus est in frõte, iuxta prophetiæ vocem dicentis : *Imple Domine facies*
Psal.28. *eorum ignominia.*

Concilium Carthaginense Tertium.
397.

Cap.9. Placuit, vt quisquis Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, seu clericorum, cùm in Ecclesia fuerit ei crimen intentatum, vel ciuilis causa fuerit commota, si relicto Ecclesiastico iudicio, publicis iudicijs purgari voluerit, etiamsi pro ipso fuerit prolata sententia, locum suum amittat, & hoc in criminali iudicio : in ciuili verò perdat quod euicit, si locum suum obtinere voluerit. Cui enim ad eligendos iudices vndique patet auctoritas, ipse se indignum fraterno consortio iudicat, qui de vniuersa Ec-
1.Cor 6. clesia malè sentiendo, de iudicio seculari poscit auxilium : cùm priuatorum Christianorum causas Apostolus ad Ecclesiam deferri, atque ibi determinari præcipiat.

Augustinus. 400.

Epistola 166. Primi maiores vestri causam Cæciliani ad Imperatorem Constantinum detulerunt. Exigite hoc à nobis, probemus vobis, & si non probauerimus, facite de nobis quicquid potueritis. Sed quia Constantinus non est ausus de causa Episcopi iudicare, eam discutiendam atque finiendam Episcopis delegauit. Quod & factum est in vrbe Roma, præsidente Melchiade illius Ecclesiæ Episcopo cum multis collegis suis.

Concilium Mileuitanum. 410.

Cap.19. Placuit, vt quicunque ab Imperatore cognitionem iudiciorum publicorum petierit, honore proprio priuetur. Si autem Episcopale iudicium ab Imperatore postulauerit, nihil ei obsit.

Seuerus Sulpitius. 410.

Libro 2. sacræ historiæ : Martinus vir planè Apostolis conferendus satis superque sufficere dicebat, vt Episcopali sententia hæretici Priscillianistæ iudicati Ecclesijs pellerentur, nouum esse & inauditum nefas, vt causam Ecclesiæ iudex seculi iudicaret.

Honorius Imperator. 410.

Epistola ad Arcadium Orientis Principem : Est nuper proditum apud Constantinopolim sacratissimo Paschæ venerabilis die trusos in custodiam sacerdotes, tantamque circa altaria vim sæuisse, vt & venerabiles Episcopi in exilium truderentur. His repente compertis, turbatos nos esse fateor. Quis enim in facinore tam cruento Dei omnipotentis non timeret offensam? aut quo pacto nõ extra sinum Romani orbis, omniumque mortalium putaret esse discrimen? cùm ipse auctor nostri Imperij & Reipub. quam nobis credidit gubernator omnipotens Deus, funestis admodum execrabilibusque commissis crederetur irasci, cùm, si quid de causa religionis inter Antistites ageretur, Episcopale oportuerit esse iudicium? Ad illos enim diuinarum rerum interpretatio, ad nos religionis spectat obsequium.

Bonifacius Primus. 418.

Epistola ad Honorium Augustum : Ecclesiæ meæ, cui Deus noster meum sacerdotium vobis res humanas regentibus deputauit, cura constringit, ne causis eius, quamuis adhuc corporis incommoditate detinear, propter conuentus, qui à sacerdotibus vniuersis, & clericis, & Christianę plebis perturbationibus agitantur, apud aures Christianissimi Principis desim.

Leo Primus. 450.

Epist.96. ad Episcopos Thraciæ : Tanta seculi potestates circa sacerdotalem ordinem reuerẽtia præualuêre, etiam hi, quos sub Imperiali nomine terris diuina potentia præesse præcepit, vt ius distinguendorum negotiorum Episcopis sanctis iuxta diualia constituta permiserint. Quod cùm & iuris antiqui formulis, & illibatis frequentius sit legibus confirmatum; præsenti tamen tempore à plerisque inuenimus fuisse calcatum. Nam prætermisso sacerdotali iudicio, passim ad examen seculare transiêre. Quocirca nobis visum est, vt hanc & sacræ legis, & nostri ordinis contumeliam, & ad præsens vlciscereturplena districtio, & obseruandam formulam constitueret in futurum. Censemus itaque, vt quicunque, prætermisso Sacerdote Ecclesiæ suę, ad disceptationem venerit secularium, sacris liminibus expulsus, à cælesti arceatur altario : neque vllus post hanc definitionem, qui communi sedit arbitrio, quicquam sibi vltra præscriptum vindicare nitatur : & ita fiet, vt hi, qui ante errauêre, congrua emendatione se corrigant, & qui sub obseruatione clericali cælesti probatur seruire officio, ex clero abijciendum, si prætermisso sacerdotum iudicio, secularem adierit potestatem.

Concilium Veneticum. 460.

Cap.9. Clerico, nisi ex permissu Episcopi sui, seruorum suorum secularia iudicia adire non liceat ; sed si fortasse Episcopi sui iudicium cœperit habere suspectum, aut ipsi de proprietate aliqua aduersus ipsum Episcopum fuerit nata contentio, aliorum Episcoporum audientiam, non secularium potestatum debebit ambire : aliter à communione habeatur alienus.

Gelasius Primus. 490.

Epistola ad Anastasium Imperatorem : Nosti, fili clementissime, quòd licet præsideas humano generi dignitate rerum terrenarum, tamen Præsulibus diuinarum rerum deuotus colla submittis, atque ab ijs causas tuæ salutis expetis, inque sumendis cælestibus Sacramentis, eisque (vt competit) disponendis, subdi te debere cognoscis religionis ordine potius, quàm præesse. Itaque inter hæc ex illorum te pendere iudicio, non illos ad tuam velle redigi voluntatem.

Romana Synodus Tertia sub Symmacho.
501.

Theodoricus Rex sibi iudicium in Episcopos arrogabat, sed postquam ab Episcopis plurimis audiuit ob prærogatiuam suæ sedis non posse compelli, vt minorum iudicio se subijceret, sereniſſimus Rex taliter (Deo aspirante) respondit : in Synodali esse arbitrio in tanto negotio sequenda præscribere, nec aliquid ad se, præter reuerentiam de Ecclesiasticis negotijs pertinere : committens etiam potestati Pontificum, vt siue propositum vellent audire negotium, siue nollent, quod magis putarent vtile deliberarent, dummodò venerandi prouisione Concilij pax in ciuitate Romana Christiana omnibus redderetur.

Romana Synodus Quarta sub Symmacho.
502.

Cap.3. Laicis quamuis religiosis nulla de Ecclesiasticis facultatibus legitur vnquam disponendi aliquid attributa facultas.

Concilium Agathense. 506.

Cap.32. Clericum nec quisquam præsumat apud iudicem secularem, Episcopo non permittente, pulsare : sed si pulsatus fuerit, non respondeat, nec proponat, nec audeat criminale negotium in iudicio seculari præponere. Si quis verò secularium per calumniam Ecclesiam aut clerum fatigare tentauerit, & conuictus fuerit, ab Ecclesiæ liminibus, & à Catholicorum communione (nisi dignè pœnituerit) coërceatur.

Hormisda. 510.

Epistola 10. ad Auitum Viennensem Episcopum : Nam vnde est, quòd cùm per Ennodium fratrem & Coëpiscopum nostrum sacerdotales viros, ad confirmanda ea, quę Sedes Apostolica poposcerat, directuros se esse promisissent? Multa quoque, quæ ad correctionem prauitatis suæ à nobis quęsita fuerant, pollicentes, non solùm non religiosos viros, penes quos causæ ipsius plena esse posset instructio, secundùm constituta propria non miserunt ; verùm etiam, quasi res parua gereretur, laicos & alienos ab Ecclesiastico corpore destinantes, non se studuerunt de cœno, quo immersi tenentur, euoluere, verùm etiã Catholicę fidei claritate fulgente, sua (quod absit) se posse crediderunt obscuritate fuscare.

Concilium Epaunense. 517.

Cap.11. Clerici sine ordinatione Episcopi sui adire, vel interpellare publicum iudicium non præsumant : sed, etsi pulsati fuerint, sequi ad seculare iudicium non præsumant.

Athalaricus Rex. 520.

Epistola ad Clerum Ecclesiæ Romanæ : Flebili additione causamini hoc fuisse longæ consuetudinis institutum, vt si quis sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ seruientem aliqua crederet actione pulsandum, ad supradictæ ciuitatis Antistitem negotium suum dicturus accurreret : ne clerus vester forensibus litibus profanatus, negotijs potius secularibus occupetur : addentes Diaconum quoque vestrum, ad contumeliam religionis, tanta executionis acerbitate compulsum, vt Saius eum proprię custodiæ crederet mancipandum : Presbyterum quin etiam Romanæ Ecclesiæ leuibus de causis asseritis criminaliter impetitum. Quod nobis, pro ingenita reuerentia, quam nostro debemus auctori, displicuisse profitemur, vt qui pridem sacris meruerant inseruire ministerijs, conuentionibus irreuerenter nefarijs expositi iniurijs subiacerent. Ideo considerantes Apostolicæ Sedis honorem, & consulentes desiderijs supplicantium, præsenti auctoritate moderato ordine definimus, vt si quispiam ad Romanum clerum aliquem pertinentem in qualibet causa probabili crediderit actione pulsandum, ad beatissimi Papæ iudicium prius conueniat audiendus : vt & ipse inter vtrosque de suæ Sanctitatis agnoscat, aut causam deleget equitatis studio terminandam. Et si forte, quod credi nefas est, competens desiderium fuerit petitoris elusum, tunc ad secularia fora iurgaturus accurrat, quando suas petitiones probauerit à supradictę Sedis Præsule fuisse contemptas.

Concilium Aurelianense Tertium.
537.

Cap.31. Clericus cuiuslibet gradus, sine Pontificis permissu, nullum ad seculare iudicium præsumat attrahere : neque laico, inconsulto sacerdote, clericum in seculare iudicium liceat exhibere.

Martinus Bracarensis. 570.

Græcarum Synodorum cap.35. Si quis Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus excommunicatus in Concilio iniustè se queritur condemnatum, ad maiorum Episcoporum Concilium reuertatur, & eorum inquisitionem & iudicium expectans, si quas se iustas causas habere putat, exponat. Si autem contempserit, & importans se palatio, aures principum inquietare voluerit, hic ad nullam veniam poterit peruenire, neque spem futuræ reconciliationis habebit.

Concilium Matisconense. 576.

Cap.7. Vt nullus clericus de qualibet causa extra discussionem Episcopi sui, à seculari iudice iniuriam patiatur, aut custodiæ deputetur. Quòd si quicunque iudex cuiuscunque clericum, absque causa criminali, id est, homicidio, furto, aut maleficio, hoc facere fortasse præsumpserit, quamdiu Episcopo loci illius visum fuerit, ab Ecclesiæ liminibus arceatur.

Cap.8. Vt nullus clericus ad iudicem secularem quemcunque alium fratrem de clericis accusare, aut ad causam dicendam trahere, quocunque loco præsumat : sed omne negotium clericorum, aut in Episcopi sui, aut in Presbyteri, aut Archidiaconi presentia finiatur. Quòd si quicunque clericus hoc implere distulerit, si iunior fuerit, vno minus de quadraginta ictus accipiat ; si certè honoratior, triginta dierum inclusione mulctetur.

Pelagius Primus. 579.

Ad Benegastum Defensorem 11. quæstione 1. Experientiæ tuæ præsenti auctoritate mandamus, vt in causis, in quibus quelibet Ecclesiastici officij persona loco petitoris existit, quemquã laicum pulsatura apud suæ prouinciæ iudicem suas proponere actiones non desinat. In ijs verò negotijs, in quibus Ecclesiastici officij persona pulsatur, (totius submoto pulsationis obstaculo) ad Episcopi vel Presbyterorum in loco, vbi quæstio vertitur, constitutorum accurrat indifferenter examen.

Ad Sergium Cancellarium : Si quis laicus clericum cuiuscunque gradus duxerit esse pulsandum, ad Episcoporum iudicium in eadem ciuitate, vel territorio constitutorum proponat eas, quas se habere existimat actiones. Quem ordinem legibus per omnia conuenientem, atque consentaneum demonstrari illa regula manifestat, quæ præcepit actorem forum semper sequi pulsati. Clericis verò pulsatis, in Episco-

pali iudicio forum competere principaliũ quoque ſanctionum deſignat auctoritas.

Concilium Toletanum Tertium.

589.

Cap. 13. Diuturna indiſciplinatio, & licentię inolita præſumptio, vſque adeò illicitis auſibus aditum patefecit, vt clerici conclericos ſuos, relicto Pontifice ſuo, ad iudicia publica pertrahant. Proinde ſtatuimus, hoc de cætero non præſumi. Si quis hoc præſumpſerit facere, & cauſam perdat, & à communione efficiatur extraneus.

Gregorius Magnus. 590.

Libro 3. epiſt. 26. ad Ianuarium Epiſcopum Caralitanum: Fratris & Coëpiſcopi noſtri Felicis, & Cyriaci Abbatis relatione cognouimus, quòd in inſula Sardinia ſacerdotes à laicis iudicibus opprimantur, & fraternitatem tuam miniſtri ſui deſpiciant: dumq́ue ſolùm ſimplicitati à vobis ſtudetur, quantum videmus, diſciplina negligitur. Vnde hortor, vt omni excuſatione poſtpoſita, Eccleſiam, quam ſuſcepiſti, auctore Deo regas, diſciplinam clericos tenere cogas, nullius verba metuere ſtudeas.

Libro 5. epiſtol. 25. Et nobis, & omnibus notum eſt, pijſſimos dominos (*Mauritium Auguſtum, & Conſtantium*) diſciplinam dirigere, ordines ſeruare, Canones venerari, & ſe in cauſis ſacerdotalibus non miſcere: inſtanter exequimur, quod & illorum iuuat animam atque Rempub. & ad quod nos terribilis tremendiq́ue iudicis reſpectus impellit.

Lib. 9. epiſt. 32. Romano Defenſori Siciliæ: Peruenit ad nos, quòd ſi quis contra clericos quoslibet cauſam habeat, deſpectis eorum Epiſcopis, eoſdem clericos in tuo facias iudicio exhiberi. Quod ſi ita eſt, quia valde conſtat eſſe incongruum, hac tibi auctoritate præcipimus, vt hoc denuò facere non præſumas. Sed ſi quis contra quemlibet clericum cauſam habuerit, Epiſcopum ipſius adeat, vt aut ipſe cognoſcat, aut certè ab eo iudices deputentur: aut ſi fortè ad arbitros eundum eſt, partes ad eligendum iudicem ab ipſo executio deputata compellat, &c.

Libro 11. epiſt. 54. De perſona Presbyteri hoc attendendum eſt, quia ſi quam cauſam habuit, non ab alio teneri, ſed Epiſcopus ipſius adiri debuit, ſicut Nouella Conſtitutio manifeſtat, quæ loquitur de ſanctiſſimis, & Deo amabilibus, & reuerendiſſimis Epiſcópis, clericis, & monachis, &c.

Libro 4. epiſtol. 75. Eccleſiaſtica teſtatur hiſtoria, quòd cùm piæ memoriæ Conſtantino Principi in ſcripto oblatæ accuſationes contra Epiſcopos fuiſſent, libellos quidem accuſationis accepit, & eoſdem, qui accuſati fuerant, Epiſcopos conuocans, in eorum conſpectu libellos, quos acceperat, incendit, dicens: Vos Dij eſtis, à vero Deo conſtituti: ite, & inter vos cauſas veſtras diſcutite, quia dignum non eſt, vt iudicemus Deos.

Concilium Antiſiodorenſe. 614.

Cap. 35. Non licet Presbytero, aut Diacono, vel cuiquam clericorum de qualibet cauſa conclericum ſuum ad iudicem ſecularem trahere.

Concilium apud Palatium Vernis.

755.

Cap. 18. Vt nullus clericus ad iudicia laicorum publica conueniat, ſine iuſſione Epiſcopi ſui, vel Abbatis, iuxta Canonis Carthaginenſis cap. 8. vbi ſcriptum eſt: Qui relicto Eccleſiaſtico iudicio, publicis iudicijs ſe purgare voluerit, etiamſi pro illo prolata fuerit ſententia, locum ſuum amittat.

Adrianus Primus. 780.

Apud Gratianum 11. quæſtione 1. Clericus, ſiue laicus, ſi crimine aut lite pulſatus fuerit, non alibi quàm in ſuo foro prouocatus audiatur, &c. In clericorum cauſa huiuſmodi forma ſeruetur, vt nequaquam eorum ſententia à non ſuo iudice dicta conſtringat: res verò in litigio poſita ante legitimum cognitionis euentum, in nullam debet omninò transferri perſonam.

Carolus Magnus. 800.

Libro 6. cap. 105. Nullus ex ordine clericorum inconſulto proprio Epiſcopo ad iudicem ſecularem pergat, neque apud eum, ſuo Epiſcopo non permittente, quemquam pulſare, aut cuiquam ante eum reſpondere, aut quicquam proponere præſumat, neque criminale negotium in iudicio ſeculari proponere audeat.

Cap. 109. Cleri etiam non ſecularibus iudicibus, ſed Epiſcopali audientiæ reſeruentur. Fas enim non eſt, vt diuini muneris miniſtri temporalium poteſtatum ſubdantur arbitrio.

Concilium Moguntinum. 813.

Cap. 24. De clericis adeuntibus Imper. hæc placet omnibus modis obſeruari, quod de eis in ſacris Canonibus inſtitutum eſt.

Eugenius Secundus. 824.

Cap. 4. Decreuimus, vt laici determinare Eccleſiaſtica negotia non præſumant.

Nicolaus Primus. 860.

Ad conſulta Bulgarorum cap. 70. De Presbyteris, qualeſcunque ſint vobis, qui laici eſtis, nec iudicandum eſt, nec de vita ipſorum quippiam inueſtigandum; ſed Epiſcoporum iudicio quicquid eſt per omnia reſeruandum.

Epiſtola 8. ad Michaelẽ Imperatorem: Dicite, quæſumus, vbinam legiſtis Imperatores anteceſſores veſtros Synodalibus conuentibus interfuiſſe, niſi forſitan in quibus de fide tractatum eſt, quæ vniuerſalis eſt, quæ omnium communis eſt, quæ non ſolùm ad clericos, verùm etiam ad laicos, & ad omnes omninò pertinet Chriſtianos? Vos autem non ſolùm Synodo in cauſa ſacerdotis collectæ interfuiſtis, verùm etiam numeroſa ſecularium millia, fortè ad videndum eius opprobrium, aggregaſtis, cùm magis debueratis in hoc imitari Conſtantinum Pium Auguſtum, de quo ſcriptum eſt, quòd dixerit: quia ſi vidiſſem aliquem eorum, qui religioſo circumamicti ſunt habitu, turpitudinem aliquam operantem, chlamydem meam explicaſſem, & cooperuiſſem eum, ne videretur à quoquam, &c. Nolite quæ ſua ſunt vſurpare: nolite quæ ipſi ſoli commiſſa ſunt velle ſurripere: ſcientes quia tanto nimirum à ſacris debet omnis mundanarum rerum adminiſtrator eſſe remotus, quãto quemlibet ex catalogo clericorum, & militantium Deo nullis conuenit negotijs ſecularibus implicari. Denique hi, quibus tantùm humanis rebus, & non diuinis, præeſſe permiſſum eſt, quomodo de his, per quos diuina miniſtrantur, iudicare præſumant, penitus ignoramus, &c. Quibus omnibus ritè collectis, ſatis euidenter oſtenditur, à ſeculari poteſtate nec ligari prorſus, nec ſolui poſſe Pontificem.

Nicolaus Secundus. 1060.

Epiſtola decretali: Cuiuslibet ordinis clericos laici non iudicent, nec de Eccleſijs eijciant.

Gregorius Septimus. 1076.

Lib. 7. epiſt. 21. Quis dubitet ſacerdotes Chriſti regum & principum omniumq; fidelium patres & magiſtros cenſeri? Nonne miſerabilis inſaniæ eſſe cognoſcitur, ſi filius patrem, diſcipulus magiſtrum ſibi conetur ſubiugare, & iniquis obligationibus illum poteſtati ſuæ ſubijcere, à quo credit non in terra ſolùm, ſed etiam in cælis ſe poſſe ligari & ſolui? Hæc (ſicut beatus Gregorius in epiſtola ad Mauritium Imperatorem directa cõmemorat) Conſtantinus Magnus Imperator, omnium regum, & principum ferè totius orbis Dominus, euidenter intelligens, in ſancta Synodo Nicæna poſt omnes Epiſcopos vltimus reſidens, nullam iudicij ſententiã ſuper eos dare præſumpſit, ſed illos etiam Deos vocans, non ſuo debere ſubeſſe iudicio, verùm ſe ad illorum pendere arbitrium iudicauit.

Iuo Carnotenſis. 1100.

Epiſt. 162. Sciat fraternitas veſtra, quia in tribulationibus veſtris contribulor, & paſſionibus veſtris compatior; ſed quia res veſtra in anguſto poſita eſt, prout oporteret, certum vobis conſilium dare non poſſumus: quia in hoc negotio veſtro, niſi Deus miſericorditer conſulat, oportet, vt aut legem offendatis, aut regem. Si enim concanonicum veſtrum criminaliter impetitum alibi, quàm in Eccleſia examinari conceditis, Canonicam legem offenditis: ſi audientiam regalis curiæ reſpuitis, regẽ offenditis. In qua diſceptatione cùm ipſi & ratione & auctoritate ſciatis quid ſit verius, quid honeſtius: tamen pro temporum oportunitate ſequi vos oportebit, quod infirmitati veſtræ erit tolerabilius. Si autẽ ſciremus vos eſſe paratos, vt cum gaudio tolerare poſſetis ruinas domorum, exterminationes corporum, poſſemus vos exhortari, vt ſequeremini conſilium Suſannæ, quæ magis elegit in manus hominum incidere, quàm Dei legem derelinquere. Sed quia in donis ſpiritualibus conſilium & fortitudo cõiuncta ſunt, conſiliũ aliud, niſi quod patientia veſtra tolerare poſſit, dare nõ audemus: quia qualis veſtra fortitudo ſit, ignoramus. De curia autem in cauſis clericorum vitanda, de accuſatione vel teſtimonio clericorum aduerſus laicos, vel laicorum aduerſus clericos, quid decreta, quid Canones, quid & mundanæ leges clament, & apud vos habetur, & nos ex parte ſcripſiſſemus vobis, niſi quia gerulus literarum veſtrarum ad reditum feſtinauit.

Hugo Victorinus. 1130.

De ſacramentis fidei lib. 2. parte 2. cap. 8. Negotia ſecularia, terrena: ſpiritualia verò & Eccleſiaſtica, à ſpirituali poteſtate examinentur. Secũdùm perſonam ergo iuſtitia violaretur, ſi iudex ſecularis in Eccleſiaſticam perſonam manum mitteret: ſecundùm cauſam, ſi Eccleſiaſtica negotia examinanda ſuſciperet.

Arnulphus Lexouienſis. 1160.

Sermone habito in Concilio Lugdunenſi: Vtinam Fridericus Imp. humilietur ſub potenti manu Dei, & principatum Eccleſiæ ſuo præeſſe principatui recognoſcat. Vtinam intelligat, quia ſi Chriſtum, ſponſum ſcilicet Eccleſiæ Dominum confitetur, neceſſe habet & Eccleſiam, quæ ſponſa eſt, nihilo minus Dominam confiteri.

Alexander Tertius. 1160.

In Concilio Lateranenſi part. 10. de appellationibus c. 26. Ad audientiam noſtram peruenit, quòd R. Preſbyter de Curket & Vu, clericus de Ciceſtre, decimas de Beinoſa, quas idem Vu multorum virorũ teſtimonio probare dicitur, ad ſe & ad Capellã ſuam rationabiliter pertinere, violenter auferre conatur. Vnde cùm Vu propter hoc ad audientiam noſtram appellâſſet, prædictus R. auctoritate Sedis Apoſtolicæ contempta, ad audientiam D. Regis appellauit. Verùm quoniam nemini licet ſuper rebus ſpiritualibus ad ſecularem iudicem appellare, ſi verum eſt, quòd prædictus R. enormiter & immoderatè deliquit, nec delictum huiuſmodi debet inultum, aut impunitum relinqui: diſcretioni veſtræ, &c. quatenus vtramque partem ante præſentiam veſtram conuocantes, rem ſolicitè & diligenter inquiratis, & ſi ita eſſe inueneritis, præfatum R. ab omni Eccleſiaſtico beneficio (appellatione remota) & officio ſuſpendatis, & ad præſentiam noſtram cum literis veſtris, rei veritatem continentibus, ſuſpenſum mittatis, & prædictas decimas prædicto Vu præcipiatis ſine moleſtia & contradictione reſtitui.

Thomas Cantuarienſis. 1170.

Epiſtola ad Regem Angliæ: Eccleſia in duobus cõſiſtit ordinibus, in clero & populo. In Clero ſunt Apoſtoli, & Apoſtolici viri, Epiſcopi, & cæteri rectores Eccleſiæ, quibus commiſſa eſt cura & regimen ipſius Eccleſiæ, qui tractare habent negotia Eccleſiaſtica, vt totum reducant ad ſalutem animarum. In populo ſunt Reges, Duces, & Comites, & aliæ poteſtates, quæ ſecularia habent tractare negotia, vt totum reducant ad pacem & vnitatem Eccleſiæ. Et quia certum eſt, Reges poteſtatem ſuam ab Eccleſia accipere, non ipſam ab illis, ſed à Chriſto: vt ſalua pace veſtra loquar, nõ habetis Epiſcopis præcipere, abſoluere aliquem, vel excommunicare, trahere clericos ad ſecularia iudicia, iudicare de decimis, de Eccleſijs, interdicere Epiſcopis, ne tractent de tranſgreſſione fidei, vel iuramenti, &c.

Ioannes Saresberius Carnotenſis. 1170.

Lib. 4. Polyc. cap. 3. Hunc ergo gladium de manu Eccleſiæ accipit princeps, cùm tamen ipſa gladiũ ſanguinis omninò non habeat: habet tamen & iſtum, ſed eo vtitur per principis manũ, cui coërcendorum corporum contulit poteſtatem, ſpiritualium ſibi in Pontificibus auctoritate reſeruata. Eſt ergo Princeps ſacerdotij quidem miniſter, & qui ſacrorum officiorum illam partẽ exercet, quę ſacerdotij quidem manibus videtur indigna. Sacrarum namque legum *omne officium* religioſum & pium eſt. Illud tamen inferius, quod pœnis criminum exercetur, & quãdam carnificij repræſentare videtur imaginem. Vnde & Conſtantinus Romanorum fideliſſimus Imp. cùm ſacerdotum Concilium Nicæam conuocaſſet, nec primum locum tenere auſus eſt, nec ſe Presbyterorũ immiſcere confeſſibus, ſed ſedem nouiſſimam occupauit: ſententias verò, quas ab ijs approbatas audiuit, ita veneratus eſt, ac ſi eas de diuinæ Maieſtatis ſenſiſſet emanaſſe iudicio. Sed & libellos inſcriptionum, quos ad inuicem conceptos ſacerdotum crimina cõtinentes Imperatori porrexerant, ſuſcepit quidem, clauſoſq; repoſuit in ſinu ſuo. Cùm autem eoſdem ad charitatem & concordiam reuocaſſet, dixit ſibi, tamquam homini, & qui iudicio ſubiacet ſacerdotum, illicitũ eſſe Deorum examinare cauſas, qui non poſſent niſi à ſolo Deo iudicari: Libelloſq;, quos acceperat, non inſpectos dedit incendio, Patrum veritus crimina vel conuitia publicare, & Cham reprobi filij maledictionem incurrere, qui patris verenda non texit.

Innocentius Tertius. 1200.

Extra.lib 2.tit.2. de foro competent. c.si diligenti: Asserunt isti te vsque ad hæc tempora tenuisse, quòd licitum sit clerico renuntiare, saltem in temporalibus causis, iuri suo, & sibi laicum iudicem constituere, præsertim vbi aduersarij voluntas accedit, ac tenere iuramentum super hoc interpositũ respondisti, immemor constitutionis, qua cauetur, pacto priuatorum iuri publico minimè derogari. Cùm ergo ius hoc in Mileuitano, & Carthaginensi Concilijs sit specialiter promulgatum, ne clerici clericos, relicto suo Pontifice, ad iudicia publica pertrahant, alioquin causam perdãt, & à communione habeantur extranei: & tam Episcopi, quàm Diaconi, seu quilibet clerici, in criminali, seu in ciuili negotio, si derelicto Ecclesiastico iudicio, publicis iudicijs se purgare voluerint, etiamsi pro eis sit lata sententia, locum suum amittant, & hoc in criminali actione: in ciuili verò perdant quod euicerint, si suum locum maluerint obtinere. Manifestè patet, quòd non solùm inuiti, sed etiam voluntarij, paciscí non possunt vt secularia iudicia subeant, cùm non sit beneficium hoc personale, cui renuntiari valeat, sed potius toti collegio Ecclesiastico sit publicè indultum, cui priuatorum pacto derogari non potest: nec iuramentum licitè seruari potuit, quod contra Canonica statuta illicitis pactionibus informatur.

Matthæus Parisius. 1250.

In historia Anglicana de anno 1190. Circa dies istos Ecclesia Dei in Normannia de longo seruitutis iugo liberata est, glorioso rege Richardo annuente, & omnia disponente. Imprimis terminatum est, & à rege confirmatum de clericis, quòd nulla occasione à secularibus capientur potestatibus, sicut fieri consueuerat, nisi pro homicidio, furto, incendio, & huiusmodi enormi flagitio. Qui continuò, cùm requisiti fuerint à iudicibus Ecclesiasticis, quietè & sine mora reddentur in curia Ecclesiastica iudicandi.

Nicolaus Lyranus. 1320.

Ad cap.26.lib.2.Paralip. Ozias in tantum superbia elatus est, quòd non suffecit sibi honor regius, sed etiam voluit sibi vsurpare sacerdotis officiũ, super altare thymiamatis offerendo incensum. *Non est tui officij* Ozia: quia sunt distincta regis & sacerdotis officia.

Ioannes de Turrecremata. 1460.

Super Decret. part.2. causæ 12.q.1.n.3 Hic clarè patet, quòd Clerici non subsunt seculari iudicio: quia filij Regis Regum sunt. Matth.17.

ARTICVLVS VIGESIMVS TERTIVS.

HAERETICOS, VT ANIMARVM OCCISORES, IN ECCLESIA NON ESSE FERENDOS: SED AB ECCLESIASTICO COMMVNIONE, A CIVILI MAGISTRATV AVT VITA PRIVANDOS, AVT EXILIO MVLTANDOS esse.

NEGANT.

Anno post natũ Christum.

400. PARMENIANVS, *Petilianus, & Gaudentius Donatistæ negabant hæreticos esse puniendos.* August. lib.2. contra epist. Parmeniani cap.7. lib.2. contra literas Petiliani cap.10. lib.2 contra epist. Gaudentij cap.17. & 26. & epist.50. ad Bonifacium.

1280. *Raimundus Lullius docuit iniuriam eos facere, qui punirent hæreticos.* Nicolaus Eymericus parte 2. quæst.9. Bernardus Lutzemb. in Catalogo.

1414. *Ioannes Hussius,* art.14. Constantiæ damnato, *asseruit, non licere hæreticum tradere seculari potestati, & permittere vt comburatur.*

1520. Lutherus in Assertionibus art.33. *Hæreticos comburi est contra voluntatem Spiritus.*

Dominica 5. ab Epiphania in editione Basileensi: *Hæreticos & falsos doctores non extinguere, nec excindere oportet. Solo verbo Dei contra eos agendum est.*

1540. *Hermannus Bodius,* in Comment. suis tit. de hæreticis, *asserit hæreticos, quamuis in errore pertinaces fuerint, non esse pœna mortis puniendos.*

1550. *Martinus Bellius,* in farragine, *asserit hæreticos non esse à ciuili magistratu puniendos.*

ASSERVNT SACRÆ LITERÆ.

Exod. 22. *vers.*18. Maleficos non patieris viuere. 20. Qui immolat Dijs, occidetur, præterquam Domino soli.

*Deut.*13. 1. Si surrexerit in medio tui prophetes, aut qui somnium vidisse se dicat, & prædixerit signum atque portentum, & euenerit quod locutus est, & dixerit tibi: Eamus, & sequamur Deos alienos quos ignoras, & seruiamus eis, &c. 5. Propheta ille, aut fictor somniorum interficietur, &c. auferes malum (τὸν πονηρὸν) de medio tui. Si tibi voluerit persuadere frater tuus, &c. aut amicus clam dicens: Eamus, & seruiamus Dijs alienis, &c. 8. non acquiescas ei, nec audias, neque parcat ei oculus tuus, vt miserearis & occultes eum, sed statim interficies: sit primùm manus tua super eum, & post te omnis populus mittat manum, Lapidibus obrutus necabitur: quia voluit te abstrahere à Domino Deo tuo.

*Deut.*17.12. Qui superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, ex decreto iudicis morietur homo ille, & auferes malum de Israel.

3. *Reg.*18.40. Sacerdotes Baal ad iussum Eliæ propter falsam religionem interficiuntur.

4. *Reg.*10.11. Familia Achab propter idololatriam deletur.

1. *Esd.*6.10. Offerant Iudæi, *inquit Darius,* oblationes Deo cæli, orentq; pro vita regis, & filiorum eius. A me positum est decretum, vt omnis homo, qui hanc mutauerit iussionem, tollatur lignum de domo ipsius, & erigatur, & configatur in eo: domus autem eius publicetur.

1. *Esdr.* 7.26. *Ex epist. Artaxerxis ad Esdram:* Omnis, qui non fecerit legem Dei tui, & legem regis diligenter, iudicium erit de eo, siue in mortem, siue in exilium, siue in condemnationem substantiæ eius, vel certè in carcerem.

*Psal.*105. 34. Et distinxit in labijs suis, non disperdiderunt gentes, quas dixit Dominus illis. Et commisti sunt inter gentes, & didicerunt opera eorum: & seruierunt sculptilibus eorum, & factum est illis in scandalum.

*Dan.*3.96. *ait Nabuchodonosor Rex:* A me positum est hoc decretum, vt omnis populus, tribus, & lingua, quæcunque locuta fuerit blasphemiam contra Deũ Sidrach, Misach, & Abdenago, dispereat, & domus eius vastetur.

*Act.*5. Ananias & Saphira agro diuendito pretium sibi seruârunt, quod cùm se feciſſe negarent, subita morte percussi perierunt.

*Act.*13.11. Elymas Magus cupiens auertere Proconsulem à fide, ad Pauli verbum excœcatur.

1. *Cor.*5. 6. Nescitis, quia modicum fermentum totam massam corrumpit? 13. Auferte malum ex vobisipsis.

Tit. 3.10. Hæreticum hominem post vnam & secundam correptionem deuita: sciens quia subuersus est, qui eiusmodi est.

2. *Ioan.* v.10. Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eũ in domum, nec AVE ei dixeritis. Qui enim dicit illi AVE, communicat operibus eius malignis.

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Clemens Romanus. 80.

Constit. Apostol. lib.6.cap.18. Impios hæreticos non pœnitentes discludite & semouete à fidelibus, & eis Ecclesiam Dei interdicite, vt omnibus modis ab eis declinent, neque vlla sit cum eis sermonis aut precationis communitas. Hi enim sunt aduersarij, & insidiatores Ecclesiæ, qui corrumpunt gregem, & fœdant hæreditatem, sapientiæ simulatores, toti improbi, de quibus aiebat Salomon: *Qui impij sunt, simulant se pios esse. Est enim,* inquit, *via, quæ quibusdam videtur recta, extrema verò eius spectant ad profundum inferni.* Hi sunt, de quibus Dominus acerbè & rigidè pronuntiauit esse Pseudochristos, & falsos magistros, qui in Spiritum gratiæ blasphemi fuerunt, & donum eius post gratiam contumeliosè aspernati sunt: quibus neque in hoc seculo, neque in futuro remittetur: qui magis impij sunt, quàm Iudæi, & magis sine Deo, quàm gẽtiles, qui summũ Deum vniuersi præfidem blasphemijs infectantur, & Filium eius conculcant, ac in doctrinam Spiritus S. despuunt, qui sermones Dei negant, aut approbare se simulant in contumeliam Dei, & ad decipiendum eos, qui ipsos adeunt; quiqúe Scripturis sanctis contumeliam inferunt, & quidnam sit iustitia ignorant: qui Ecclesiã deuastant, vt paruæ vulpes vineam, quos vt deuitetis hortamur, ne animis vestris laqueos injiciatis.

Prou. 14.

Ignatius. 100.

Epist. ad Philadelphienses: Si quis eum sectatur, qui se abscíderit à veritate, regnum Dei non hæreditabit; & qui non abscedit à mendaci concionatore, in Gehennam condemnabitur. Nec enim à pijs discedendum, nec cum impijs commercia habenda. Si quis graditur iuxta alieni præscripta, hic non est Christi, sed est vulpes, & corruptor vineæ Christi: cum eiusmodi non commisceamini, ne cum illo pereatis, quamuis pater sit, quamuis filius, quamuis frater, quamuis domesticus: *non parcat,* inquit, *oculus vester super eum.* Deut. 13.

Epist. ad Ephes. Si illi, qui humanas domos corrumpunt, morte plectuntur, quantò grauiores pœnas dabunt, qui moliuntur Christi doctrinam adulterare, pro qua crucem & mortem sustinuit D. Iesus Dei vnicus Filius? cuius doctrinam si quis impinguatus & dilatatus spreuerit, in gehẽnam ibit. Similiter omnis homo, qui discernendi

vim

vim à Deo accepit, ſupplicio ſubijcietur, ſi imperitum ſequatur paſtorem, & falſam opinionem amplectatur pro vera. *Quæ communio luci cum tenebris? Chriſto cum Belial? aut quæ pars fideli cum infideli? aut templo Dei cum idolis?* Ego verò etiam dico: Quæ communio veritatis cum mendacio? aut iuſtitiæ cum iniuſtitia? aut veræ opinioni cum falſa?

Irenæus. 180.

Lib.3.cap.3. Ioannes Domini diſcipulus in Epheſo iens lauari, cùm vidiſſet intus Cerinthum, exilijt de balneo non lotus, dicens, quòd timeat ne balneum concidat, cùm intus eſſet Cerinthus inimicus veritatis. Et ipſe autem Polycarpus Marcioni aliquando occurrenti ſibi, & dicenti: Cognoſce nos, reſpondit: Cognoſco te primogenitũ Satanæ. Tantum Apoſtoli, & horum diſcipuli habuerunt timorem, ne verbotenus communicarẽt alicui eorum, qui adulterauerant veritatem, quẽadmodum & Paulus ait: *Hæreticum autem hominem poſt vnam correptionem deuita, ſciens quoniam peruerſus eſt, qui eſt talis, & à ſemetipſo damnatus.* Tit.3.

Conſtantinus Imp. 330.

Apud Nicephorum lib.8. cap.25. Cùm malignos & impios Arius ſibi imitandos duxerit, par eſt, vt eandẽ cum illis ferat ignominiam. Quemadmodum igitur Porphyrius diuinæ pietatis hoſtis, iniquis de religione compoſitis libris, cõdignam reperit mercedem, per quam omnium futuris ſeculis probris obnoxius erit, plurimaq; obruetur infamia, atque inſuper impia eius abolita ſunt ſcripta: ita & nunc placitum nobis eſt, Arium & Arij ſuffragatores, Porphyrianos quidem nominari, vt quorum imitati ſunt mores, eorum quoque obtineant appellationes. Si quod autem ſcriptum reperiatur ab Ario compoſitum, vt igni tradatur volumus, vt non modò improba eius doctrina abrogetur, verùm etiam ne monumentum quidem eius aliquod relinquatur. Illud equidem prædictum volo, ſi quis libellum aliquem ab Ario conſcriptum celare, nec continuò igni comburere, deprehenſus fuerit, ſupplicium ei mortis eſſe conſtitutum. Illicò namque in crimine tali comprehenſus, pœnam ſuſtinebit capitalem.

Edicto contra hæreticos: (*apud Euſebium vitæ Cõſtantini lib.3.cap.62.*) Cognoſcite iam per legẽ hanc, quæ à me ſancita eſt, ô Nouatiani, Valentiniani, Marcioniſtæ, Pauliniani, quiq; Cataphrygũ nomen vſurpatis, & omnes omninò, qui per conſpirationes à vobis conflatas hæreſes & ſectas etiã atque etiam augere conamini: cognoſcite, inquã, quibus mendacijs veſtræ doctrinę vanitas implicata teneatur, & quatenus peſtiferis quibuſdam venenis veſtra vſque eò inficiatur diſciplina, vt per eam integri & valentes ad morbum, viui autem ad ſempiternum interitum abſtrahantur. O veritatis inimici, hoſtes vitæ, internecionis auctores & conſiliarij, omnia apud vos veritati cõtraria, turpibus conſentientia maleficijs, ineptijs & commentitijs fabulis exultantia. Quibus certè mendacia ſtruitis, premitis inſontes, fidelibus veritatis lucem denegatis. Nam falſa viſione & ſpecie pietatis ſemper delinquentes, omnia contagione veſtra contaminatis, conſcientias integras, & labe vacuas, lethalibus plagis vulneratis: ipſum diem, penè dixerim, hominum oculis adimitis. At quid attinet ſingula perſequi, cùm de veſtris flagitijs, ſicut eorum natura poſtulat, dicere temporis anguſtia non ſinat. Nam ſcelera veſtra adeò grandia, adeò immenſa ſunt, adeò etiam turpia, & omni crudelitate redundantia, vt dies integer ad ea explicanda non ſufficeret. Imò verò ab huiuſmodi rebus aures abducere, oculoſq́ue auertere conuenit, ne ſingulorum explanatione, ſyncera & incorrupta fidei noſtræ profeſſio commaculetur. Quid ergo? patiemurne eiuſmodi malorum contagionem longius ſerpere, præſertim cùm longa dilatio faciat, vt ſani ac valentes ea tamquam peſtifero morbo inficiantur? Cur igitur non cum maxima celeritate eiuſmodi prauitatis, vt ita dicam, radices animaduerſione & pœna publica amputamus?

Cap.63. Atque quò iſta veſtræ peſtis pernicies longius graſſari impediatur per hãc legem mandamus, ne quis veſtrũm poſthac conuentus cogere audeat. Et propterea etiam iubemus, vt vniuerſæ ædes veſtræ, in quibus congreſſus illos celebrare conſueuiſtis, penitus euertantur, & hæc cautio eò vim ſuam porrigat, vt non modò non in publicis, ſed ne in priuatis quidem ædificijs, aut in locis vllis ſeparatis, huius veſtræ ſuperſtitioſę amẽtię factiones coẽant. At verò, quod multò præſtabilius eſt, ſi qui veſtrũm veræ & ſynceræ religionis curam habeant, ad Catholicam Eccleſiam reuertantur, & eius ſanctitatis ſint participes, per quam poterũt ad veritatem peruenire: fraudulenta veſtræ peruerſæ mentis aſtutia, hoc eſt, ſcelerata & perdita hereticorum & ſchiſmaticorum ſeditio, omninò ab hac proſpera temporum noſtrorum conditione ſeiungatur. Noſtræ enim proſperæ ac beatæ vitæ rationi, qua Dei beneficio fruimur, eſt admodum conſentaneum, vt qui ętatem bona ſpe ſuſtentatam degant, ab omni vago & cæco errore ad rectam viam, à tenebris ad lucem, ab inſcitia ad veritatem, à morte deniq; ad ſalutem traducantur. Ac quò prouiſio hæc in curandis erroribus robur & firmitatem ſibi neceſſariam aſſequatur, mandauimus, vt omnia ſuperſtitionis veſtræ loca, in quibus conuenire ſoleatis, omnia dico hæreticorum templa (ſi modò templa appellare conuenit) ſine recuſatione, aut controuerſia diruantur, & diruta abſque mora Catholicæ tradantur Eccleſiæ, reliqua loca publico Reip. vſui addicantur, ne vlla in poſterum vobis conuentus celebrandi relinquatur facultas. Sit igitur hoc ratum ſtatutumq́ue, vt poſt hũc diem in nullo loco, vel publico, vel priuato, nefarij veſtri conuentus in vnum coire audeant.

Euſebius Cæſarienſis. 330.

Vitæ Conſtantini lib.3.cap.64. Ad hunc modum occultæ quaſi latebræ, & receſſus eorum, qui alienã ab Eccleſia Catholica doctrinam & opinionem tenebant, Imperatorio edicto euoluti patuerunt: beſtiæ etiam immanes, quæ huius erant impietatis auctores, exactæ. Ex illis verò, qui eſſent iſtorũ impulſu in fraudem & errorem inducti, alij Imperatoris minis perterriti, fallaci & fucata ſpecie in Eccleſiam obrepere cœperunt, temporum cõditioni callidè, & diſſimulanter cedentes. Ac quoniam lex hominum libros perſcrutari iuſſerat, tandem manifeſtò deprehenſi fuerunt hi, qui vetitas & interdictas illas artes, ad hominum perniciem comparatas conſectati fuiſſent: qua de re omnibus, vt dicitur, opibus viribusq; elaborabãt, vt ſimulatione ſibi ſalutem adipiſcerentur. Alij fortè ad ſpem, quæ in Deo optimo maximo poni debet, verè & ex animo ſe transferre. Quos cùm Eccleſiarum Præſides accuratè internoſcere ſtuderent, alteros ouium pellibus obtectos, adumbrata ſpecie ſe inſinuare conantes, procul amandârunt: alteros verò, qui idem integra & incorrupta mente inſtituerent, vbi temporis longinquitate explorãdo, de illis ſatis exquiſitè periculum feciſſent, in multitudinem aſcititiorũ aſcripſerunt. Hoc modo cum illis, qui alienam ab Eccleſia opinionem, & doctrinam ſequebãtur, actũ eſt. Alios autem, qui, dum in eorum dogmatum diſciplina verſabantur, nihil cõcepiſſent impietatis, ſed ſchiſmaticorum culpa ſe temerè à communi

muni Eccleſiæ congregatione, & frequentia ſe ſunxiſſent, abiecta omni cunctatione in Eccleſiam receperunt.

Athanaſius. 340.

Epiſt. ad Orthodoxos de Synodis Arimini, & Seleuciæ: Acatius, Eudoxius, & Patrophilus, cùm talia ſcribant, quî quæſo nõ omni ſupplicio digni fuerint? Qui cùm ipſi voces in Scripturis non ſolennes vſurpent, & ſæpe nomen ſubſtantiæ, vt bonum, receperint, idq; maximè ob epiſtolam Euſebij, nũc tandem culpant maiores ſuos, quòd his vocabulis vſi ſint; & cùm ipſi dicant, Filium Deum ex Deo, & Verbum viuum ſubſtantiæ Patris, & indemutabilem imaginem eſſe, reprehendunt Nicæenſes, quòd dicant eum ex ſubſtantia eſſe genitum, genitori ſuo conſubſtantialem eſſe.

Concilium Antiochenum. 340.

Can.5. Si quis Presbyter, vel Diaconus, contempto ſuo Epiſcopo, ſeipſum ab Eccleſia ſegregauerit, & priuatim apud ſe collectis populis altare erigere auſus fuerit, & nihilominus Epiſcopo ſe exhortante, ſemel & iterum reuocante, inobediẽs extiterit, hunc modis omnibus deponendum, nec aliquando conſequi curationem, aut proprium honorem recipere ſperet. Quòd ſi etiam perſeuerauerit, conturbans & concitans Eccleſiam, per eam, quæ foris eſt, poteſtatem, hunc tanquam ſeditioſum corripi oportet.

Gregorius Nazianzenus. 340.

Epiſt.77. ad Olympium: Ego cùm omnium maximè Apollinariſtarum cogitationem & impietatẽ perſpectam haberem, nec ferendam eorum audaciam cernerem, exiſtimabam tamen fore vt lenitate mea manſuetos ac placidos eos redderem, ac paulatim emollirem. Atque hoc mihi ſpe fingebam, verùm, vt apparet, illud minimè animaduerti, me peiores eos effeciſſe, ac per intempeſtiuam hanc Philoſophiam Eccleſiæ detrimentum: nec enim prauos homines lenitas inflectit, &c. Quæ ſi leuia & ferenda ſunt, ferat tua firmitas, feremus ipſi quoque, vt & ſæpe tulimus; ſi verò grauia, & ne ipſis quidem pietatis laude præſtantiſſimis Impp. ferenda, ea, quæ admiſſa ſunt, mitius tamen quàm tanta audacia meretur, vlciſci dignare.

Oratione 46. quæ eſt ad Nectarium: Quòd ex omnibus Eccleſiaſticis calamitatibus acerbiſſimum Apollinariſtarum licentia eſt, quos haud ſcio quonam modo Pietas tua conuentuum æquè ac nos habendorum auctoritatem ſibi arrogaſſe, atque vſurpaſſe paſſa fuerit, &c. Nam ſi illis, vt piè ſentientibus, ea quæ ſentiunt docere, liberęq; promulgare permittitur: quis non videt Eccleſiæ doctrinam condemnari, perinde ac veritate ab illorum partibus ſtante? Neque enim rerum natura fert duas de eadem re contrarias doctrinas veras eſſe. Quomodo igitur excelſus & præſtãs animus tuus ad tanti mali correctionem conſueta libertate non vti ſuſtinuit? Verùm etiamſi nondũ hoc factum eſt, nunc ſaltem inimitabilis tua, numeriſq; omnibus abſoluta virtus excitetur, ac pientiſſimum Imper. doceat, nihil ex reliquo erga Eccleſias ipſius ſtudio rediturum eſſe vtilitatis, ſi tale malum ad fidei ſanæ euerſionẽ per eorũ libertatem, licentiamq; præualeat.

Orat.31. Non tantas vires ſermo meus habiturus eſt pro S. Trinitate bellum gerẽs, quantas edictum tuum, ſi peruerſis dogmatibus imbutos cõpreſſeris.

Conſtantinus, Conſtans, Conſtantius Imppp. 345.

Lib.1.Cod. de hæreticis & Manichæis: Priuilegia, quæ contemplatione religionis indulta ſunt, Catholicæ tantùm legis obſeruatoribus prodeſſe oportet: hæreticos non ſolùm ab his priuilegijs alienos eſſe volumus, ſed diuerſis muneribus conſtringi & ſubijci.

Ephræm Syrus. 370.

De virtute cap.8. Deuita conſuetudinem hominũ hæreticorum, & libidinoſorum, nihil fidele loquentium: nam inſtar ſagittarum ſermones ipſorum corda vulnerant. Noui quoſdam, ſermonibus animas peruertentes: cuiuſmodi quidem homines fortaſſe per Symbola quædam ſeminis fluxu laborantes Scripturę ſermo, & leproſos appellat. Quemadmodum enim menſtruatus immundum reddit ſecundùm Legem vbicunque conſederit, vel quodcunque conſputauerit; ſic & illorum impurorum fluxus animæ malè affectæ, ſermonumq; cõſputatio execrabiles reddit ſuſcipientes, & fortaſſe illorum deprauata animi affectio cum eo, qui lepra laborat, cõparanda eſt, ſicut iam dictum eſt.

Ioannes Cyprius. 400.

Vitæ S. Epiphanij cap.59. Erant aliæ plurimæ hæreſes in inſula Cypriorum, hæ ſcilicet, Ophitarũ, Sabellianorum, Nicolaitarum, Simonianorum, & Carpocratianorum. De his ſcripſit Epiphanius epiſtolam ad Theodoſium Imper. vt conſtitutione regia eos expelleret ex inſula. Erãt enim inter eos viri diuites, quibus mandata fuerat cura rerum publicarum, & deprimebãt orthodoxos: Cùm autem accepiſſet Imperator literas eas, ſcripſit in hanc formam: Si quis Patri Epiphanio Epiſcopo regionis Cypriorum non paret per verba diuina, exeat ex inſula, & habitet vbi velit. Si qui autem ſint amici, & filij Pœnitentiæ, & confitentur communi Patri, quòd, cùm ſint decepti, velint venire ad veritatem, maneant, vt doceantur à communi patre. Quod edictum cùm eſſet à militibus allatum & publicatum, multi ex ijs crediderunt Epiphanio. Qui verò non crediderunt, ſtatim electi ſunt ex inſula.

Arcadius, Honorius, & Theodoſius
AAA. 400.

C. de Hæreticis & Manichæis: Manicheos & Donatiſtas meritiſſima ſeueritate perſequimur. Huic itaque hominum generi nihil ex moribus, nihil ex legibus commune ſit cum cæteris. Ac primùm quidem volumus eſſe publicum crimen: quia quod in religionem diuinam committitur, in omnium fertur iniuriam. Quos bonorum etiam omnium publicatione perſequimur. Ipſos quoq; volumus amoueri ab omni liberalitate & ſucceſſione quolibet titulo veniente. Præterea non donandi, non emendi, non vendendi, nõ poſtremò contrahendi cuiquam conuicto relinquimus facultatem. In mortem quoque inquiſitio extendatur: nam ſi in criminibus Maieſtatis licet memoriam accuſare defuncti, non immeritò & hic debet ſubire tale iudicium. Ergo & ſuprema illius ſcriptura irrita ſit; ſiue teſtamento, ſiue codicillo, ſiue epiſtola, ſiue quolibet alio genere reliquerit voluntatem, qui Manichæus fuiſſe conuincitur. Sed nec filios hæredes eis exiſtere, aut adiré permittimus, niſi à paterna prauitate diſceſſerint: delicti enim veniam pœnitentibus damus. In eos etiam auctoritatis noſtræ aculei dirigantur, qui eos domibus ſuis damnanda prouiſione defendunt. Seruos inſuper extra noxam eſſe volumus, ſi dominum ſacrilegum euitantes, ad Eccleſiam Catholicam ſeruitio fideliori tranſierint.

Philo Carpathius. 420.

In Cantica, ad illa verba: *Capite nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas.*) Hæreticos, inquit, capite, qui vulpium vice nocte latentes paruas Eccleſias

clesias fidelium sua prauitate corrumpunt, vastant, ac delent. Tales aquam turbidam semper epotant, vinum bonum nunquam ad satietatem; ijdemq; fideles Ecclesiæ & orthodoxæ palmites teneros adhuc & nouellos frangunt, ob idq; paruulos esse in fide ostendit, nec firmos, quos hæretici demoliuntur à fundamento fidei: propterea comprehendi hæreticos ipsos imperat, & longè à vinea depelli.

Theodosius, & Valentinianus. 430.

L. Eum, qui. C. de Apostatis: Qui seruum vel ingenuum inuitum, seu suasione flectendo ex cultu Christianæ religionis in nefandam sectam ritumúe transduxerit, eum dispendio fortunarum capite puniendum esse censemus.

L. Ariani C. de hæreticis & Manichæis: Omnes hæretici, & qui ad imam vsque scelerum nequitiam peruenerunt Manichæi, nusquam in Romanum locũ conueniendi, morandiq; habeant facultatẽ: sed de ciuitatibus pellantur, & vltimo supplicio tradantur: quoniam his nihil relinquendum loci est, in quo ipsis etiam elementis fiat iniuria. Cunctis quoq; legibus, quæ contra eos, cæterosq; qui nostræ fidei refragantur, olim diuersisq; temporibus latæ sunt, semper viridi obseruantia valituris; siue de donationibus in hæreticorũ conuenticula (quæ ipsi audacter Ecclesias nuncupare conantur) factis, siue ex vltima voluntate rebus qualitercunque relictis, siue de priuatis ædificijs, in quæ, domino permittente, vel conniuente, conuenerint, venerandæ nobis Catholicæ Ecclesiæ vindicandis: siue de procuratore, qui hoc nescient domino fecerit, decem librarũ auri mulctam, vel exilium, si sit ingenuus, subituro: metallum verò post verbera, si seruilis conditionis sit: ita vt nec in publicum conuenire locum, nec ædificari sibi quasi Ecclesias, nec ad circumscriptionem legum quicquam meditari valeant; omni ciuili & militari, curiarum etiam, & defensorum, & iudicum, sub viginti librarum auri interminatione, prohibendi auxilio. Illis etiam omnibus in sua manentibus firmitate, quæ de militia pœnisq; varijs, deq; diuersis sunt hæreticis promulgata, vt nec speciale quidem beneficium aduersus leges valeat impetratum.

L. Inter cæteras de Iudæis, Samaritanis, Hæret. T. 2. in l. Nouel. Theodosij II. §. Quid sensibus: Præterea præcipimus, vt quicunque seruum seu ingenuum inuitum, vel suasione flectendo ex cultu Christianæ religionis in nefandam sectam ritumúe traduxerit, eum dispendio fortunarum, capite puniendum. Vt quisquis igitur vel insulas ceperit, acquisitis dignitatibus non potiatur: vel Synagogã extruxerit, compendio Ecclesiæ Catholicæ se nouerit laborasse: imò qui ad honores irrepserit, habeatur vt ante conditionis extremæ, etiamsi honorariam promeruerit dignitatem. Et qui Synagogæ fabricam cœpit, non studio reparandi cũ damno quinquaginta librarũ fraudetur ausibus suis. Cernet præterea bona sua proscripta, pœnæ mox sanguinis destinandus, qui fidem alterius expugnauit peruersa doctrina, &c. Superest, vt quæ in Manichæos, Deo semper offensos; quæ in Eunomianos, hæreticæ fatuitatis auctores; quæ in Montanistas, Phrygas, Photinos, Priscillianistas, hydroparastatas, Borboritas, Ophitas, innumerabilibus constitutionibus lata sunt, cessante desidia celeri executioni mandentur.

In Nouel. Valent. tit. de Manichæis: Superstitio paganis quoque damnata temporibus, inimica publicæ disciplinæ, & hostis fidei Christianæ, ad excidium sui clementiam nostram non immeritè prouocauit. Manichæos loquimur, quos execrabiles ex toto orbe pellendos omnium retrò principum statuta iudicârunt. Nec dissimulationem crimina nuper tecta patiuntur: quę enim, & quàm dictu, auditu qúe obscœna, in iudicio B. Papæ Leonis coram senatu amplissimo ipsorum confessione patefacta sunt? adeò vt eorum quoque qui diceretur Episcopus & voce propria proderet, & omnia scelerum suorum perscriberet. Quod notitiam nostram latere non potuit, quibus tutum non est negligere tum detestandam diuinitatis iniuriam, & impunitum relinquere scelus, quo non solùm corpora deceptorũ, sed etiam animæ inexpiabiliter polluuntur. Vnde Albine Præfecte Augustorũ, illustris & magnifica auctoritas tua hæc nos in æternum victura lege statuisse cognoscat, quam in omnium prouinciarum faciet notitiam edictis propositis peruenire, vt vbicunque terrarum quisquam Manichæorum deprehensus, pœnas, quas in sacrilegos iura sanxerunt, auctoritate publicæ seueritatis excipiat: sitq; publicum crimen, & omni volẽti sine accusationis periculo tales arguere sit facultas. Nec cuiquam licitum tutumq; fit aut celare tales, aut talibus cõniuere, cùm omnia de his à nobis confirmata sint retro Principũ statuta, vt nouerint vniuersi hac edictali lege proposita, Manichæos dignitate militiæ, & vrbium habitatione priuandos, ne quis innocens talium conuersatione, aut societate capiatur. Successiones non capiant, non relinquãt, sed fisci nostri viribus adgregentur. Nec eis quod palam interdicimus vlla fraude quæratur. Iniuriarum careant actione, cõtractus liberos omnino non habeant: primates vniuscuiusque militiæ, vel officij mox exigenda, per apparitionem nostram decem libras auri mulcta percellat, si quem hac superstitione pollutum sciuerint militare: neque enim aliquid nimium in eos videtur posse decerni, quorũ incæsta peruersitas religionis nomine Lupanaribus quoque ignota vel pudenda committit.

Theodosius Imp. 430.

Epistola ad Isidorum Præfectum Prætorij: Cùm Nestorius, Catholicæ quondam Ecclesiæ sacerdos, nunc verò fidei proditor, tantorum scelerũ mole oppressus teneatur, operæpretium est, vt Serenitatis nostræ sententiæ subijciatur, calamitateq́ue moribus illius digna opprimatur: vt qui venerandis Ecclesiæ legibus abiectis, traditionibusq; contemptis, nefandæ hæreseos auctor extiterit: quiq;, dum illorum, quos proditionis suæ socios sibi adiunxit, fidem corrupit, alienæ corruptionis crimen suo capiti acciuit. Tua proinde celebris auctoritas prædictum Nestorium, curiæ huius potestate nixa, in perpetuum exilium Petras abire cõpellat, omniaq; illius bona Ecclesiæ Constãtinop. fisco addicat, &c. Veneratio cultusq;, quã sanctissimæ religioni debemus, postulat, vt illos, qui impiè erga diuinum numen affecti sunt, meritis pœnis afficiamus; & nomine, quod prauitati illorum conueniat, eiusmodi appellemus; quò hac infamia notati, æternam errorum suorum ignominiam sustineant; atque vt viui supplicij debitum nõ euaserunt, sic mortui dedecore nunquam careãt. Quamobrem immutabili lege sancimus, quotquot vsquam gentium execrandæ opinionis Nestorij sequaces extiterint, compertiq; fuerint, eos omnes Simonianorum nomine censendos esse. Decernimus præterea, ne quis impios nefarij sacrilegiq; Nestorij libros in posterũ teneat, aut legat, aut transcribat: quos etiã omni studio & diligentia vndecumque conquisitos publicè incendi volumus. Mandauimus denique, nullam perditorum illorum hominum in sacris concionibus, nisi sub Simonianorum nomine, mentionem fieri, nullamq; domum, aut agrum, aut

aut suburbanum, aut quemcumq; alium locum, conuentus causa, occultè, aut manifestè eisdem concedi. Volumus etiam eiusmodi homines ab omni sacro congressu penitus seclusos esse. Quapropter neminem omninò lateat, quòd quicumque aut Nestorium imitatus, aut nostram hanc legem transgressus fuerit, eum omnium bonorũ amissione è vestigio mulctandum esse.

Cyrillus Alexandrinus. 430.

Lib. 8. de Spiritu Sancto: Qui multiplicibus commẽtorũ suorum deceptionibus eos, qui rectè sentiunt, & vitæ genus excolunt liberis hominibus dignum, ad suam stultissimam sententiam abducunt, de furto, & latrocinio humanarum animarum rei meritò fient, pœnasq; extremo supplicio luent. *Huiusmodi hominibus neque aue dixeritis*, inquit
2. Ioan. Saluatoris nostri discipulus: non quòd inhumanis nos moribus esse doceat, sed quòd ad cõmercia cum lupo ineunda inepta sit ouis, & inter eos,
2. Cor. 6. qui animi sensibus differunt, nulla conuentio esse possit. *Quæ enim pars fideli cum infideli?* Præterea
1. Cor. 5. cum fornicatoribus huius mundi non commisceri scribit B. Paulus. Ne qui igitur tanquam è patrijs focis ex Ecclesia Dei rapiantur, & in Ecclesias malignantium deferantur, dum ad vitiosos
1. Cor. 15. mores diuertendo, suum animum quodammodo vendunt: (*Corrumpunt* enim *bonos mores colloquia praua*:) mortis pœnam lex constituit in eos, qui id facere nefariè ausi fuerint.

Epist. 20. Expectauimus quidem Nestorij aduentum, vt ab ijs, quæ blasphemauit ab eo tempore, quo primùm electus est, resipiisceret, & veniam à S. Synodo peteret: licet etiam sic maximè periculosum sit veniam illi dare. Non enim vsu venit vnquam, vt viro, qui talia prædicaret (vniuersum enim peruertit orbem, & religiosè seruatam Ecclesiarũ fidem luxauit) venia data sit. Si enim qui vel vnam contra religiosissimos & Christi amantissimos Reges nostros blasphemam ausus fuisset emittere vocem, meritò quam leges præscribunt patitur indignationem: non magis impius illam patietur, qui sacrum nostrum mysterium subuertit, & dispensationem è medio tollit, quam S. & benignus Dei Patris Vnigenitus Filius homo fieri dignatus nostri gratia adimpleuit?

Concilium Ephesinum. 430.

Epist. ad Clerum populumq; Constantinopolitanum: Cõfortamini, & refocillamini, scutoq; fidei sumpto sceleratę profanæq; nouitatis auctores Nestorianos confestim expellite. Neque enim minor merces vobis obtinget, si id feceritis, quàm illis, qui hîc desudant.

Reginus Cyprius. 430.

Homilia Ephesi habita post exauctorationem Nestorij: Enimuerò ad manifestam impietatis tuæ redargutionem ante, cùm parua adhuc erant quæ ausus es, igni terræq; hiatu teq;, tuosq; conatus compescere debebamus, quò vel hac saltem ratione simplicioribus pœnas dependisse viderere: nam nobis iam dependisti, & denuò dabis.

Sozomenus. 440.

Lib. 2. cap. 30. Contra Nouatianos, Cataphrygas, Valentinianos, Marcionistas, Paulianos, & si q alij alias iam inuentas hæreses confectantur, legem tulit Imp. Constantinus, mandauitq;, vt templa ipsis adimerentur, Ecclesijsq; adiungerentur; & neque in ædibus priuatorum, neque in loco publico conuentus haberent, &c. Hac lege promulgata, istarum sectarum memoria magna ex parte deleta est. Nam dum superiores regnarent Impp. omnes, qui Christum colebant, tametsi opinionibus dissentirent, tamen eodem in loco & numero habebantur à gentilibus, & pari ratione torquebantur, nec poterant præ communibus calamitatibus curiosè in se ipsi inquirere.

Lib. 5. cap. 5. Iulianus Apostata Aëtium hæresis Eunomianæ auctorem exilio à Constantio condemnatum, & suspectum præterea ob consuetudinem, quam cum Gallo habuerat, literis perhumanitùs scriptis ad se accersiuit.

Theodoretus. 450.

Ecclesiasticæ Historiæ lib. 4. cap. 10. de Messalianorum hæresi: Itaque erroris morbo retecto, Syria exacti erant quidem Messaliani, sed in Pamphiliã profecti, eam eadem pernicie referserunt.

Lib. 5. cap. 16. Cuius institutum cùm hoc pacto intellexisset Imperator, facta eius dictaq; simul admiratus, legem protinus conscripsit, quæ vetabat conuentus ab hæreticis agi.

Valentinianus & Martianus AA. 454.

Ad Palladium Præfectum Prætorij: Quoniam principalis prouidentiæ est, omne malum inter initia opprimere, & serpentem morbum legum medicina resecare; hac lege decernimus, eos, qui Eutychetis decipiuntur errore, ad exemplum Apollinariorum, quos Eutyches secutus est, quosq; venerabiles parentum regulæ, id est, Ecclesiastici Canones, & principum diuorum sacratissima scita condemnant, nullum Episcopum, nullum habere Presbyterum, nullos habere vel appellare Clericos, ipsumq; Eutychen nomine presbyteri (quo & indignus, & spoliatus est) in totum carere. Si qui tamen contra definita nostra Episcopos, Presbyteros, cæterosq; Clericos ausi fuerint creare, tam factos, quàm facientes, vel præsumentes sibi Clericorum gradum, bonorum amissione perculsos, exilio perpetuo præcipimus contineri: coëundi, vel colligendi, vel congregandi monachos, aut ædificandi monasteria, nullam eos iubemus habere licentiam, locaq́ue ipsa (in quæ fortè cõuenire aliquando tentauerint) cõfiscari, si tamen domino loci sciente conuenerint. Quòd si ignaro actore conductorem loci fustibus cæsum, deportationem subire censemus. Ipsos præterea nihil ex testamento cuiusquã capere, nihil eis, qui eiusdem erroris sunt, relinquere testamẽto, ad nullam eos patimur aspirare militiam, &c. Nemini cõtra venerabilem Chalcedonensem Synodum liceat aliquid vel dictare, vel scribere, vel edere, aut committere, aut aliorum dicta & scripta super eadem re proferre. Nemo huiusmodi libros habere, & sacrilega scriptorum audeat monumẽta seruare: quòd si qui in his criminibus fuerint deprehensi, perpetua deportatione damnẽtur. Eos verò, qui discendi studio adierint de infausta hæresi disputantes, decem librarum auri, quæ fisco nostro inferendæ sunt, iubemus subire dispendium, vltimo etiam supplicio coërceantur, qui illicita docere tentauerint.

Extat act. 3. Syn Chalced. & C. de Manich. l. quicunq;.

Ioannes Maxentius. 510.

Responsione ad Epistolam Hormisdæ: Nisi Christum Filium Dei, qui pro nobis passus est in carne, vnũ esse ex S. & indiuidua Trinitate fuerit confessus Dioscorus, pelago submergetur.

Procopius Gazæus. 530.

In Exodum, in illa verba: *Si quis furatus fuerit alliquem de filijs Israel*:) Allegoricè sub plagiarijs intellige hæreticos, qui rectum religionis & libertatis callem ingressos subruunt, & ad pestiferas suas pelliciunt opiniones: mors autem his pœna statuitur. Scriptura monet, vt ne quidem salue dixerimus illis hominibus, nec nos immanes & crudeles efficere studet, sed talia imperat, ne oues incidant in feritatem luporum talium. *Quænamque pars fidelis cum perfido?*

In Deut. in illa verba: *Si deprehensus fuerit homo,*

qui furatur animam ex fratribus eius: Eodē sanè modo hæretici, qui animis rectè sentire cupientibus vim faciunt, & mentes liberas ad seruiles opiniones rapiunt, condignam à iudice sustinent mortem. Vnde ne salutem quidem eiusmodi hominibus Paulus dicit, nō quò eos irritet, verùm quòd oui cum lupo nunquam conuenire posse nouit.

Iustinianus Imp. 540.

Cod. de Summa Trinitate, & fide Catholica: Hæc igitur cùm ita se habeāt, anathematizamus omnem hæresin, præsertim verò Nestorium Anthropolatram, diuidentem vnum Dominum Iesum Christum Filium Dei & Dominum nostrum, nec diserte, & secundùm veritatem cōfitentem sanctam gloriosam semper Virginem Mariam Theotocon esse, hoc est, Deiparam: sed alium dicentem Deū ex Deo Patre; alium, qui ex sancta Maria natus est, &c. Si aliqui post hanc nostram præmonitionem, certò & liquidò id cognoscentibus, & comperientibus locorū Episcopis Deo amantissimis, inuenti fuerint posthæc in contraria his opinione esse, hi nullius indulgentiæ expectent veniam: iubemus enim tales tanquam cōfessos hæreticos competenti animaduersioni subiugare.

C. de hæreticis, & Manichæis: Manichæi vndique expelluntor, & capite puniuntor: reliqui autem hæretici, (hæreticus est omnis non Orthodoxus) Græci, seu pagani, & Iudæi, & Samaritæ prohibētur magistratum gerere, & dignitatem habere, aut ius dicere, aut defensores, aut patres ciuitatum fieri.

In Authent. de depositione Anthimi & Seueri, &c. Scripta hæreticorum non maneant penes aliquem Christianum, sed sint profana & aliena ab Ecclesia Catholica, ignique comburantur à possidentibus, nisi, qui habent ipsa, vellent periculum pati. A nemine ergo scribantur, neque ad pulchritudinem, neque ad velocitatem scribentium, scituris omnibus, quia amputatio manus his, qui scripta hæreticorum scripserit, pœna erit: neque enim volumus in futuro tēpore ex illis blasphemiam protrahi.

Apud Constantium Harmenopulum lib. 6. tit. 11. de Gentilibus; Qui Orthodoxorum fide deserta hæretici effecti sunt, nec testari, nec donare; sed nec ex testamento, nec ab intestato quicquam possunt capere.

Theodorus Lector. 520.

Lib. 2. Theodericus Afer Diaconum quendam Orthodoxum habuit, quem vehementer dilexit ac fouit. Hic Diaconus hoc se pacto Theoderico gratificaturum ratus, relicta homousiana fide cum Arianis consensit: cognito hoc Theodericus, quem tantopere dilexerat, confestim capite truncauit, dicens: Si Deo fidem non seruasti, quomodo homini synceram conscientiam seruabis?

Euagrius. 600.

Lib. 5. cap. 18. Anatolius hostias simulachris immolasse deprehensus ad vrbem Constantinopolim deductus fuit, & ibi verberibus supra modū cæsus nihil contra Episcopum potuit dicere. Ipse cum suis maioris tumultus & seditionis popularis planè ciuitati auctor fuit, & causa. Nam cùm quidam illorum sententiam haberent de se pronuntiatam, vt non morte, sed exilio duntaxat mulctarentur; populus diuino quodam zelo incensus, omnia turbare, bile & iracundia exardescere, exilioq; damnatos rapere cœpit: qui in nauim piscatoriam impositi, populi totius suffragijs viui ignis tradebantur incendio.

Ioannes Damascenus. 730.

Dialogo aduersus Manichæos: Quid ais Manichæe? Deusne bello lacessitur? Deusne abscinditur? O me miserum! non eos morte afficiemus? non flammis absumemus? cum his consuetudinem habebimus? hos ad communionem recipiemus? Quisquis cum eis communicat, eorum est similis, partisq; eorum tum in hoc æuo, tum in futuro erit. Fratres, communio dicitur: at mortem prius optamus, quàm vt Manichæos ad communionē admittamus.

Simeon Metaphrastes. 950.

In vita Ioannis Chrysostomi: Sanctum virum eo tempore res quædam afficiebat molestia, & igne zeli implebat eius animam. Etenim permissum erat Arianis intra ciuitatem habere conciliabulum: quod quidē fuerat multis causa, vt eodem, quo ipsi, laborarent, morbo malæ opinionis. Opportunum itaque tempus nactus, quando Imperator venit ad sacrum, festo eum ad id vocante: (erat enim dies Epiphaniorum:) Dic mihi, inquit, ô Imperator, si quis huic pulchræ ac pretiosæ, (ostendens coronam, quam habebat in capite) quosdam abiectos & obscuros lapides inseruisset, videreturne tibi hoc esse tolerandum, & nō tanquam vniuersa per illos afficeretur contumelia, ægrè tulisses? Cùm is autem veritati sermonis annuisset: Quid verò, inquit, non existimas vniuersorum Regem irasci, si in pia ciuitate, & quæ omnino rectè se habet, pars quædam malè sentit, sinatur habitare, cùm oporteat vel ab ipsis exigere, vt conuertantur: vel si perseuerant, protinus expellere? Hæc cùm audisset Imperator, non distulit, nec est cunctatus; sed primos eorum statim accersiuit, & ex ijs scire voluit, an in animum inducerent à fugienda desistere opinione, minatus exilium & bonorum suorum priuationem ijs, qui non parerent. Cùm autem vidisset eos esse immedicabiles, minas deduxit ad effectum, & iussit eos expelli ex ciuitate. Hoc effecit, vt multi errorem dediscentes, se rectæ adiungerent opinioni: quòd nollēt corporis sustinere afflictionem, animæ vitium eijcientes, & quòd laboriosum fugerent exilium, se improbi potius dogmatis laudabili exilio condemnantes, & vtraque rectè fugientes. Quicunque autem fuerunt omnino incurabiles, ij perpetuò damnati exilio, versabantur extra regiam ciuitatem, suæ animæ morbo se oblectantes, & eum deponere, non autem habere miserabiliter erubescentes.

Georgius Cedrenus. 1110.

De Iustiniano: Iustinianus Imp. Imperij sui initio persecutionē Græcę religionis instituit, cumque multos procerum à labe Ariana vitiatos deprehenderet, bonis eorum publicandis & supplicijs irrogandis magnum alijs terrorem incussit: lege etiam lata, vt nemo, nisi Orthodoxus, Remp. gereret.

Constantinus Harmenopulus. 1180.

In Promptuario Iuris, tit. 11. de Gentibus, & hæreticis Manichæis: Qui ad Christianismum reuersi, eadem postea fecerint, quæ Manichæi, aut cum his conuersati fuerint, nec eos in manus magistratuum trādiderint, extremo supplicio tradentur.

Ioannes Zonaras. 1200.

In Alexio Comneno: His temporibus secta nefaria Bogomilorum extitit, cuius doctor primarius fuit quidā Basilius medicus, habitu monachus, sed ipso potius Satana indutus, qui cùm annis duodecim erroris illius pernitiosa dogmata didicisset, 53. docuisset, totum ferè orbem sua peste impleuit. Tandem in vrbem imperatricem ingressus, in manifesto crimine est veritatis inimicus

micus deprehensus. Nam Imperator eius impietate cognita, simulauit se fidem habere homini infelici, & magistrum appellauit, ac seruatorem errantium animorum. His & pluribus alijs effecit tandem, vt homo pestilens euomeret virus suæ improbitatis, & fera cassibus irretita, doctrinam eius vulgauit, & dogmata contempsit, cōmuniq; suffragio in equestri theatro impostorem comburi iussit.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Tertullianus. 200.

In Scorpiaco aduersus Gnosticos cap. 2. Ad officium hæreticos compelli, non illici dignum est: duritia vincenda est, non suadenda.

Cyprianus. 250.

De exhortatione Martyrij c. 5. Quòd sic idololatriæ indignetur Deus, vt præceperit etiam eos interfici, qui sacrificare & seruire idolis suaserint; In Deuteronomio: *Quòd si rogauerit te frater tuus, aut filius tuus, aut filia tua,* &c. *latenter dicens: Eamus, & seruiamus Dijs gentium, non consenties ei, & non exaudies eum, & non parcet oculus tuus super eum, & non celabis eū, annuntians annuntiabis de illo: manus tua erit super eum imprimis interficere eum, & manus omnis populi: postremò & lapidabunt eum, & morietur: quoniam quæsiuit auertere te à Domino Deo tuo,* &c. Cuius præcepti & vigoris memor Mathathias, interfecit eum, qui ad aram sacrificaturus accesserat. Quòd si ante aduentum Christi, circa Deū colendum, & idola spernenda, hæc præcepta seruata sunt, quanto magis post aduentum Christi seruandasunt; quādo ille veniens non verbis tantùm nos hortatus sit, sed & factis?

Deut. 13.

1. Mac. 2.

Optatus Mileuitanus. 350.

Lib. 3. respondens calumniæ hæreticorum, qui aegerrimè ferebant duos ex suis à Macario præfecto interfectos esse: Videtis, *inquit,* à Mose, & Phines, & Helia, & Macario similia esse facta, quia ab omnibus vnius Dei præcepta sunt vindicata.

Liberius Papa. 350.

Epistola ad Athanasium, & reliquos AEgypti Episcopos de Arianis: Cùm ope diuina vniuscuiusque personæ conscripta eorum, qui pro nouitatis commento accusati sunt, de venerabili nostro scrinio obsecundātibus, & nobis rationabiliter offerentibus, solertius intendamus, ita vt qui hæc præsumpserint præuaricari, primùm quidē subiaceant iudicio terribili omnipotentis Dei: deinde autem qualemcunque regalem indignationem reuereantur, per quam quidem, si Episcopi aut Clerici sunt, à sui sacerdotij, siue à Cleri sui ordine modis omnibus excidant: si autem monachi sunt, segregentur, & alieni sint de suis locis. Si autem dignitatem, aut cingulum, aut militiam habeant, nudentur eis: si autem sunt priuati, si quidem nobiles existunt, suarum substantiarum proscriptionem patiantur: sin autem ignobiles existunt, non solùm in corpore verberentur, sed etiam exilio perpetuo castigentur: vt omnes timore Dei compressi, & comminata eis digna supplicia reuerentes, immobilem & sine turbatione pacem sanctarum Dei Ecclesiarum custodiant.

Lucifer Calaritanus. 360.

De non conueniendo cum hæreticis: Quid igitur oportuerat nos facere, nisi secundùm Beati Petri præceptum recederemus à vobis sacrilegis? Vnde enim vobiscum potueramus cōuenire, cùm dixerit Dominus in Euangelio: *Attendite vobis à fermento Pharisæorum, quæ est hypocrisis?* quomodo potueramus in vno esse, cùm Corinthijs scribens dixerit Beatus Paulus Apostolus: *Omnino auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes; ita vt vxorem patris aliquis habeat, & vos inflati estis, & non potius luctum habuistis, vt tolleretur è medio vestrum, qui hoc opus fecit?* Si igitur Apostolus huiusmodi opus operantem iusserit tolli è medio, ne videlicet per illius societatem omnis corrumperetur Ecclesia, quanto magis dignum fuerat, vt vos fugeremus blasphemos? Si illum se tradidisse Satanæ narrat, quanto magis tunc vos iam traditos esse scire debetis, quando Dei cœperitis negare Filium?

Ambrosius. 370.

Lib. 1. de Spiritu sancto in Prologo: Nam & Constantinopolis iam Dei verbum recepit, & euidentia iam meruit tui documēta iudicij. Etenim quamdiu venena Arianorum suis fouebat inclusa visceribus, bellis finitimis inquieta, murus armis circumsonabat hostilibus: posteaquam verò fidei exules abdicauit, hostem ipsum iudicem Regum, quem semper tremere consueuerat, deditū vidit, supplicem recepit, morientem obruit, sepultum possidet.

Epistola 81. ad Syricium P. Impietatem Manichæorū & clementissimus execratus est Imp. & omnes, qui illos viderunt, quasi quædam contagia refugerunt, sicut testes sunt fratres & compresbyteri mei, Crescens, Leopardus, Alexander, sancto feruentes Spiritu, qui eos omnium execratione damnatos ex vrbe quasi profugos repulerunt.

Hieronymus. 390.

Aduersus Pelagium ad Ctesiphonem cap. 2. Quid loquar de Priscilliano, qui & seculi gladio, & totius orbis auctoritate damnatus est?

Ad Fabiolam de 42. mansionibus, mansione 29. Haud aliter possumus magistri discipulorum atque credentium eos facere filios necessitatis, nisi præceptores eorum interfecerimus. Crudeles simus in occisione eorum, non parcat manus nostra armum aut extremum auriculæ de ore leonis extrahere.

Ad cap. 5. epistola ad Galatas: Doctrina peruersa ab vno incipiens, vix duos aut tres primùm in exordio reperit auditores, sed paulatim vt cancer serpit in corpore, & iuxta vulgare prouerbium, vnius pecudis scabies, totum commaculat gregem. Igitur & scintilla, statim vt apparuerit, extinguenda est, & fermentum à massæ vicinia semouendum, secandæ putridæ carnes, & scabiosum animal à caulis ouium repellendum, ne tota domus, massa, corpus, & pecora ardeat, corrumpatur, putrescat, intereant. Arius in Alexandria vna scintilla fuit, sed quia non statim oppressa est, totum orbem eius flamma populata est.

1. Tim. 3.

Augustinus. 400.

Epistola 48. ad Vincentium: Non inuenitur exemplum in Euangelicis & Apostolicis literis aliquid petitum à Regibus terræ pro Ecclesia, contra inimicos Ecclesiæ. Quis negat non inueniri? sed nondum implebatur illa prophetia: *Et nunc reges intelligite, & erudimini qui iudicatis terram. Seruite Domino in timore.* Adhuc enim implebatur, quod in eo-

Psal. 2.

dem Psalmo paulo superius dicitur: *Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania? Astiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum, aduersus Dominum, & aduersus Christum eius.* Veruntamen si facta præterita in Propheticis libris figuræ fuerunt futurorum: in rege illo, qui appellabatur Nabuchodonosor, vtrumque tempus figuratum est, & quod sub Apostolis habuit, & quod nunc habet Ecclesia. Temporibus itaque Apostolorum & Martyrum illud implebatur, quod figuratum est, quando rex memoratus pios & iustos cogebat adorare simulachra, & recusantes in flammas mittebat: nunc autem illud impletur, quod paulo post in eodem rege figuratum est, cùm conuersus ad honorandum Deum verum, decreuit in regno suo, vt quicunque blasphemaret Deum Sidrach, Misach, & Abdenago, pœnis debitis subiaceret. Prius ergo tempus illius regis significabat priora tempora regum infidelium, quos passi sunt Christiani pro impijs: posterius verò tempus illius regis significauit tempora posteriorum regum iam fidelium, quos patiuntur impij pro Christianis. Dan.3.

Epistola eadem prope initium: Donatistæ nimium inquieti sunt, quos per ordinatas à Deo potestates cohiberi atque corrigi mihi nõ videtur inutile. Nam de multorũ correctione iam gaudemus, qui tam veraciter veritatem Catholicam tenent atque defendunt, & à pristino errore se liberatos esse lætantur, vt eos cum magna gratulatione miremur. Qui tamen nescio qua vi consuetudinis nullo modo mutari in melius cogitarent, nisi hoc terrore perculsi, solicitam mentem ad considerationem veritatis intenderent, ne fortè, si non pro iustitia, sed pro peruersitate, & præsumptione hominum ipsas temporales molestias infructuosa & vana tolerantia paterentur, apud Deum postea non inuenirent nisi debitas pœnas impiorum, qui eius tam lenem admonitionem, & paterna flagella contempserint.

Epist.50. ad Bonifacium: Quapropter si potestate, quam per religionem ac fidem regum, tempore quo debuit, diuino munere accepit Ecclesia, hi, qui inueniuntur in vijs ac sepibus, id est, schismatibus & hæresibus, coguntur intrare, non quia coguntur reprehendant, sed quò cogantur attendant. Conuiuium Domini vnitas est corporis Christi, non solùm in Sacramento altaris, sed etiam in vinculo pacis. De ipsis sanè possumus verissimè dicere, quòd neminem cogant ad bonum: quoscumque enim cogunt, non cogunt nisi ad malum. Veruntamen antequam istæ leges, quibus ad conuiuium sanctum coguntur intrare, in Africam mitterentur, nonnullis fratribus videbatur, in quibus & ego eram, quamuis Donatistarum rabies vsquequaque sæuiret, non esse petendum ab Imperatoribus, vt ipsam hæresin iuberent omnino non esse, pœnam constituendo ijs, qui in illa esse voluissent: sed hoc potius constituerent, vt eorum furiosas violentias non paterentur, qui veritatem Catholicam vel prædicarent loquendo, vel legerent cõstituendo. Quod eo modo fieri aliquatenus posse arbitrabamur, si legem pijssimæ memoriæ Theodosij, quam generaliter in omnes hæreticos promulgauit, vt quisquis eorum Episcopus vel clericus, vbilibet esset inuentus, decem libris auri mulctaretur, expressius in Donatistas, qui se negabant hæreticos, ita confirmarent, vt non omnes ea mulcta ferirentur, sed in quorum regionibus aliquas violentias à Clericis, vel à circumcellionibus, vel populis eorum Ecclesia Catholica pateretur: vt scilicet post protestationem Catholicorũ, qui fuissent ista perpessi, iam cura ordinum ad persoluendam mulctam Episcopi siue ministri cæteri tenerentur. Ita enim existimabamus eis territis & nihil tale facere audentibus, posse liberè doceri, & teneri Catholicam veritatem, vt ad eam cogeretur nemo, sed eam, qui sine formidine vellet, sequeretur, ne falsos & simulatores Catholicos haberemus. Et quamuis alijs fratribus aliud videretur, iam ætate grauioribus, vel multarum ciuitatum & locorum exempla percurrentibus, vbi firmam & veram Catholicam videbamus, quæ tamen ibi talibus beneficijs Dei constituta esset, atque firmata, dum per priorum Imperatorum leges adcõmunionem homines Catholicam cogerentur: obtinuimus tamen, vt illud potius, quod dixi, ab Imperatoribus peteretur: decretum est in Concilio nostro, legati ad comitatum missi sunt. Sed Dei maior misericordia, qui sciret harum legum terror, & quædam medicinalis molestia, quàm multorum esset prauis, vel frigidis animis necessaria, & illi duritiæ, quæ verbis emendari non potest, sed tamen aliquantula sæueritate disciplinæ potest, id egit, vt legati nostri, quod susceperant, obtinere non possent. Iam enim nos præuenerant ex alijs locis quædam Episcoporum querelæ grauissimæ, qui mala fuerant ab ipsis multa perpessi, & à suis sedibus exturbati, præcipuè horrenda & incredibilis cædes Maximiani Episcopi Catholici Ecclesiæ Vagiẽsis effecit, vt nostra legatio iam quid ageret non haberet. Iam enim lex fuerat promulgata, vt tantæ immanitatis hæresis Donatistarum, cui crudelius parci videbatur, quàm ipsa sæuiebat, non tantùm violenta esse, sed omnino esse non sineretur impunè: non tamen supplicio capitali propter seruandam etiam circa indignos mansuetudinem Christianam, sed pecuniarijs damnis propositis, & in Episcopos vel ministros eorum exilio constituto.

Lib.1. contra epist. Parmeniani cap.10. Sed hæc omitto, illud quæro, quod manifestè enumerat Apostolus dicens: *Opera carnis, quæ sunt*, inquit, *fornicationes, immunditiæ, contentiones, æmulationes, animositates, dissensiones, hæreses, inuidiæ, ebrietates, commessationes, & his similia.* Quid istis videtur, vt crimen idololatriæ putent iustè ab Imperatoribus vindicari? aut si nec hoc volunt, cur in veneficos vigorem legum exerceri iustè fatentur, in hæreticos autem & Schismaticos impia dissensione nolunt fateri, cùm in ijsdem iniquitatis fructibus auctoritate Apostolica numerentur? An fortè nec talia potestates istæ humanæ constitutionis permittuntur curare? *Propter quid* ergo *gladium portat, qui dictus est minister Dei, vindex in iram eis, qui malè agunt*, nisi fortè, quemadmodum nonnulli eorum sanè imperitissimi hoc intelligere solent de honoribus Ecclesiasticis dictum esse, vt gladius intelligatur vindicta spiritalis, qui excommunicationem operatur, cùm prouidentissimus Apostolus consequenti contextione lectionis satis aperiat quid loquatur? Ille quippe addidit: *Propter hoc enim & tributa præstatis*, &c. Gal.5. Rom.13. Rom.13.

Epistola 166. ad Donatistas: Nabuchodonosor miraculo salutis trium puerorum commotus atque mutatus, pro veritate contra errorem edictum proposuit, vt quicunque blasphemarent Deum Sidrach, Misach, & Abdenago, in interitum irent, & domus eorum in dispersionem; & non vultis, vt tale quid contra vos iubeant Imperatores Christiani, cùm sciant à vobis in eis, quos rebaptizatis, Christum exufflari? Si iussiones regum non pertinent ad prædicandam religionem, & sacrilegia prohibenda, quare ad edictum regis talia iubentis etiam ipsi vos signatis? &c. Tunc Constantinus prior contra partem Donati seuerissimam Dan.3.

rissimam legem dedit. Hunc imitati filij eius talia præceperunt, &c.

In Euangelium Ioannis tractatu vndecimo: Si Nabuchodonosor Rex laudauit, & prædicauit, & gloriam dedit Deo, quia liberauit de igne tres pueros, & tantam gloriam dedit, vt decretum mitteret per regnum suum: *Quicunque dixerint blasphemiam in Deum Sidrach, Misach, & Abdenago, in interitum erunt, & domus eorum in perditionem*: quomodo isti reges non moueantur, qui non tres pueros attendunt liberatos de flamma, sed seipsos liberatos de gehenna, quando vident Christum, à quo liberati sunt, exufflari in Christianis, quando audiunt dici Christiano, dic te non esse Christianum? Talia facere volunt, & saltem talia pati nolunt. Nam videte qualiæ faciunt, & qualia patiuntur: occidunt animas, affliguntur in corpore; sempiternas mortes faciunt, & temporales se perpeti conqueruntur, &c. Si passa es, ô pars Donati, corporalem afflictionem ab Ecclesia Catholica, à Sara passa es Agar, redi ad dominam tuam. Dan 3.

Libro 2. Retractationum cap. 5. Sunt duo libri mei, quorum titulus est: *Contra partem Donati.* In quorum primo libro dixi, non mihi placere vllius secularis potestatis impetu schismaticos ad communionem violenter arctare. Et verè tunc mihi non placebat, quia nondum expertus eram, vel quantum mali eorum auderet impunitas, vel quantum eis in melius mutandis conferre posset diligentia disciplinæ. Hoc opus sic incipit: *Quoniam Donatistæ nobis.*

Innocentius Primus. 406.

Epistola 12. ad Laurentium Episcopum Senensem de Bonosiacis: Diu mirati sumus dilectionis tuæ literis lectis, hæreticos Photini venena sectantes in territorio dilectionis tuæ non solùm esse, sed & publicè sibi conuenticula in aliquorum possessionibus præparare, cùm de toto penè orbe nusquam tam multi, quàm apud vos, delegerint habitare. Quorum doctrinæ nefariæ auctor Marcus, dudũ de Vrbe pulsus, temeritatis tantæ ductus est audacia, vt primum sibi inter eos vendicet locum. Sed ne vlterius debacchandi habeant facultatem, & animas simplicium ac rusticorum secum in gehennam, cui destinati sunt, trahant, actum est aduersus eos à defensoribus Ecclesiæ nostræ, quòd eos possint expellere, vt qui Christum Deum ex Patris substantia ante secula negant genitum, hi cum Iudæis, qui eius deitatem negauerunt, & nũc vsque negant, participium habeant damnationis. Tuum est, frater charissime, quæ præcepta sunt non segnius agere, ne plebem tibi creditam dissimulatione deperdas, & incipias Deo de perditis reddere rationem.

Epistola 31. ad Concilium Carthaginense: Sanandum est celerius, ne longius execrandus animis morbus inserpat. Vt si medicus (cùm viderit huius terreni corporis aliquem esse languorem) magnum suæ artis æstimat documentum esse, si citò quis illius interuentu desperatus euadat: vel cùm putre vulnus aspexerit, adhibet fomenta, vel cætera, quibus illud possit, quod natum fuerat, vulnus obduci. Ac si id manens sanari non poterit, ne corpus reliquum sua tabe corrumpat, ferro amputet quod nocebat, quò reliquum integrum seruet, & intactum. Præcidendum ergo id est, quod velut puro sanoq; nimium corpori vulnus obrepsit, ne cùm tardius abstergitur, in ipsis penè visceribus huius mali non exhaurienda post sentina confidat, &c. Auellendi sunt longius, & ab Ecclesiæ procul remouendi visceribus, ne diutius multa occupans, insanabilis post error increscat. Si enim diu fuerint in hac impunitate versati, necesse est, multos in hanc suæ prauitatẽ mentis inducant, decipiantqúe innocentes, vel potius imprudentes, qui fidem Catholicam non sequuntur. Putabunt enim eos rectè sentire, quos adhuc vident in Ecclesia perdurare. Separetur ergo à sano corpore vulnus insanum, remotoqúe morbi sæuientis afflatu, cautius, quæ sunt syncera, perdurent, & grex purior ab hac mali pecoris contagione purgetur.

Leo Magnus. 450.

Sermone 5. de ieiunio decimi mensis: Illud quoque obsecrans moneo, vt si cui vestrum innotuerit, vbi habitent Manichæi, vbi doceant, quos frequentent, nostræ solicitudini fideliter indicetis. Contra communes hostes pro salute communi vna communis debet esse vigilantia, ne de alicuius membri vulnere etiam alia possint membra corrumpi: & qui tales non prodendos putant, in iudicio Christi inueniantur rei de silentio, etiamsi non contaminentur assensu. Assumite igitur religiosæ solicitudinis pium zelum, & contra sæuissimos hostes animarum, omnium fidelium cura consurgat. Ideoqúe enim misericors Deus quandam nobis partem prodidit hominum noxiorum, vt manifestato periculo excitaretur diligentia cautionis. Non sufficiat quod actum est, sed eadem inquisitio perseueret.

Epistola 45. cap. 3. ad Pulcheriam Augustam: De Eutyche autem, totius scandali & prauitatis auctore, hoc Clementia vestra præcipiat, vt ab eo loco, qui Constantinopolitanæ vrbi nimis vicinus est, longius transferatur: ne frequentioribus solatijs eorum, quos ad impietatem suam traxit, vtatur.

Epistola 93. ad Turibium: Meritò Patres nostri, sub quorum temporibus hæresis hæc nefanda (*Prisscillianistarum*) prorupit, per totum mundum instanter egêre, vt impius furor ab vniuersa Ecclesia pelleretur: quando etiam principes mundi ita hanc sacrilegam amentiam detestati sunt, vt auctorem eius, ac plerosque discipulos legum publicarum ense profternerent. Videbant enim omnem curam honestatis auferri, omnem coniugiorum copulam solui, simulq; diuinum ius humanumqúe subuerti, si huiusmodi hominibus vsquam viuere cum tali professione licuisset. Et profuit diu ista districtio Ecclesiasticæ lenitati: quæ etsi sacerdotali contenta iudicio, cruentas refugit vltiones, seueris tamen principum Christianorum cõstitutionibus adiuuatur, dum ad spiritale nonnunquam recurrunt remedium, qui timent corporale supplicium.

Prosper Aquitanicus. 460.

Contra Collatorem cap. 41. Venerabilis memoriæ Pontifex Cælestinus sciens damnatis non examen iudicij, sed solùm Pœnitentiæ remedium esse præstandum, Cælestium quasi non discusso negotio audientiam postulantem, totius Italiæ finibus iussit extrudi; adeò prædecessorum suorum statuta, & decreta Synodalia inuiolabiliter seruanda censebat, vt quod semel meruerat abscindi, nequaquam admitteret retractari.

Gelasius Primus. 492.

In Commonitorio ad Faustum Magistrum: Nobis nullum fas est inire certamen cum hominibus communionis alienæ, diuina Scriptura prædicante: *Hæreticum hominem post primam & secundam correptionem deuita*, &c. Tit.3.

Pelagius Primus. 555.

Epistola 3. ad Narsen Patritium & Ducem in Italia: Thra-

Thracius & Maximilianus, nomina tantùm Episcoporum habentes, & Ecclesiasticam ibi vnitatem perturbare dicuntur, & omnes Ecclesiasticas res suis vsibus applicare, &c. Ideo gloriam vestram salutantes petimus, vt non putetis alicuius esse peccati, si eiusmodi homines comprimuntur. Hoc enim diuinæ & humanæ leges statuerunt, vt ab Ecclesiæ vnitate diuisi, & eius pacem iniquissimè perturbantes, à secularibus etiam potestatibus comprimantur. Nec quicquam maius est, vnde Deo sacrificium possitis offerre, quàm si id ordinetis, vt hi, qui in suam, & aliorũ pernitiem debacchantur, competenti debeant vigore compesci.

Epistola 3. ad eundem: De Liguribus, Veneticis, & Histrijs Episcopis quid dicam? quos idonea est excellentia vestra & ratione, & potestate comprimere, & dimittitis eos in contemptum Apostolicarum Sedium de sua rusticitate gloriari: cùm, si quid eos de iudicio vniuersalis Synodi, quod Constantinopoli per primam nuper indictionem actum est, fortè monebat, ad Sedem Apostolicam, electis aliquibus de suis, qui dare & accipere rationem possent, dirigere debuerũt; & non clausis oculis corpus Christi Dei nostri, hoc est, Sanctam Ecclesiam lacerare. Nolite ergo dubitare huiusmodi homines principali, vel iudiciali auctoritate comprimere: quia regulæ Patrum specialiter hoc constituerunt, vt, si qua Ecclesiastici officij persona, cui subiectus est, restiterit, vel seorsum collegerit, aut aliud altare erexerit, seu schisma fecerit: iste excommunicaretur, atque damnaretur. Quòd si fortè & hoc contempserit, & permanserit diuisiones & schismata faciendo; per potestates publicas opprimatur. Ecce Domine, quod vester animus fortè timidus est, ne persequi videaris, de Patrum vobis auctoritate hæc breuiter dirigenda curaui, cùm mille alia exempla, & constitutiones sint, quibus euidenter agnoscitur, vt facientes scissuras in S. Ecclesia, non solùm exilijs, sed etiam proscriptione rerum, & dura custodia per publicas potestates debeant coerceri.

Gregorius Magnus. 590.

Lib. 1. epist. 72. ad Gennadium, Patricium & Exarchum Africæ: Notum est hæreticæ religionis viros, si ijs, quod absit, suppetit licentia nocendi, contra Catholicam fidem vehementer insurgere, quatenus hæreseos suæ venena ad tabefacienda, si valuerint, Christiani corporis membra transfundant: cognouimus enim eos contra Ecclesiam Catholicam, Domino ijs aduersante, colla subrigere, & fidem velle Christiani nominis inclinare. Sed eminentia vestra conatus eorum comprimat, & superbas eorum ceruices iugo rectitudinis premat.

Lib. 3. epistola 32. ad Pantaleonem Episcopum Africæ: Hæreticorum nefandissimam prauitatem qualiter lex persequatur instantius, excellentiæ vestræ non habetur incognitum. Hi igitur, quos & fidei nostræ integritas, & legum damnat districtio mundanarum, non leue peccatum est, si vestris inueniant temporibus licentiam reserpendi. In illis igitur partibus, quantum didicimus, ita Donatistarum creuit audacia, vt non solùm de suis Ecclesijs auctoritate pestifera eijciant Catholicæ fidei sacerdotes; sed & quos vera confessione aqua regenerationis abluerat, rebaptizare nõ metuunt, valdeq; miramur, si tamen ita est, vt vobis illic positis huiusce modi liceat hominibus in prauis excedere. Primùm siquidẽ quale de vobis iudicium hominibus relinquatis, attendite: si hi, qui aliorum temporibus iusta ratione compressi sunt, vobis administrantibus viam sui excessus inueniant. Deinde perditorum animas Deum nostrum de manu vestra scitote requirere, si tantum nefas, in quantum possibilitas exigit, emendare negligitis.

Lib. 4. epist. 3. Ita studuit V. Fraternitas Africanã inconcussam seruare prouinciam, vt nullatenus deuias hæreticorum sectas cum feruore sacerdotali coërcere negligeret. De quibus etiam omnibus sopiendis, & antequam Charitatis vestræ cõsuleremus apicibus, in tantum nos subtilius definisse meminimus, vt nihil rursus de his vobis responderi necessarium credamus. Quanquam ergo hæc ita se habeant, & desideremus omnes hæreticos à Catholicis sacerdotibus vigore semper, ratione; compesci; tamen subtiliter intuentes, omninò nos tetigit; ne per ea, quæ apud vos gesta sunt, aliorum consiliorum Primatibus, quod auertat Dominus, generetur scandalum. Sententia namque à vobis prolata est in conclusione gestorum, in qua dum pro inuestigandis illis hæreticis admonetis, subintuliſtis eos, qui negligunt, substantiarum, dignitatumque priuatione plectendos. Optimum est igitur, frater charissime, vt in his, quæ foris corrigenda sunt, prius charitas interna seruetur, vt simus mente subiecti: quod maximè vestræ grauitatis proprium iudicamus, etiam personis dignitate minoribus: tunc enim totis coadunatis viribus, hæreticorum commodius obuiatis erroribus, cùm secundùm morem sacerdotij vestri studueritis Ecclesiasticam interius custodire concordiam.

Beda. 700.

Lib. 3. in Cant. Vulpes, quæ demoliuntur vineas, hæretici sunt & schismatici, qui prauæ dente doctrinæ vineas Christi florentes, id est rudes fidelium mentes, quantum lacerare soleant vtinam nescimus. Præcepit ergo sponsæ suæ Christus, vt cum pedissequis suis, quas filias Hierusalem appellare solet, id est, cum prædicatoribus sancta humilitate sublimibus pio labori insistẽs, capiat vulpes pusillas, id est, mox incipiẽtes fraudulentorum versutias deprehendere, ac debellare contendat; ne maiores effectæ per tempus, tantò difficilius à læsione vinearum eius spiritualiũ depellantur, quantò has diutius iam depascere consueuerunt. Et bene, vbi capiendas vulpes admonuit, ibi mox vineam singulari appellatione signauit: vt ob id maximè insequendos ac proterendos doceret hæreticos, ne fidem Ecclesiæ, quam vnam esse oportet, eorum infestatio scinderet, atque in partes distraheret. Nec prætereundum, quòd non ait, capite vobis, cùm Ecclesiæ filijs loqueretur, vel vinea vestra floruit, sed, *capite nobis pusillas vulpes: nam vinea nostra floruit*, vt hinc magis omnes, qui possunt, ad debellãdam siue corrigendam hæreticorum vel malorum Catholicorum nequitiam accenderet, quò eos sibi in hoc agendo deseruire monstraret, suamq; esse vineam, quam defenderet ipse, laborum piorum remunerator ostenderet.

Rabanus Maurus. 850.

Ad cap. 11. Iudith: Omnis hæreticus, siue Schismaticus, siue etiam Iudæus, vel paganus, qui Ecclesiam Christi prauo dogmate, seu peruerso exemplo corrumpere voluerit, proprio superbiæ suæ gladio caput voluntatis iniquę per sententiam iusti iudicis amputetur, & inferni cruciatibus subigendus, pœnas dolorum sentiet in æternum.

Anastasius Bibliothecarius. 870.

Variarum historiarum lib. 16. Anthimum quoque eiusdem regię ciuitatis Episcopum, prefatæ hereseos defensorem, conuictum publicè, communione

nione priuauit, ac persuaso principe in exilium coëgit.

Lib. 24. Multo sanè diuino zelo Imperator pissimus motus contra Manichæos, qui nunc Pauliciani dicuntur, & Athingarios in Phrygia & Lycaonia degentes, capitalem animaduersionem Nicephori sanctissimi Patriarchæ, ac aliorum piorum prędicamentis promulgauit. Aduersus est autem per alios nequam morum consiliarios obtentu pœnitentiæ, cùm esset impossibile illos pœnitentiam agere, qui eorum errore decepti fuissent: dogmatizabat autem indoctè, non licere sacerdotibus promulgare contra impios mortem, per omnia diuinis super hoc aduersans Scripturis: Si enim Petrus vertex Apostolorum Ananiam & Saphiram ab vno mendacio tantùm mortificauit, & Paulus clamat: *Qui talia agunt digni sunt morte*: & hęc de solo corporali peccato, quomodo non horum contrarij erunt, qui omni spirituali ac corporali spurcitia dæmonibus seruiunt.

Glaber Rodolphus. 1030.

Lib. 3. Historiæ suæ cap. 8. Cùm hæretici illi veram & vniuersalem fidem recipere nollent, dictum est eis, quoniam nisi celeriter ad sanam fidei mentem redeant, Regis iussu, & vniuersæ plebis consensu, igne essent protinus crematuri. At illi malè in sua confisi vesania, nil pertimescere se iactabant, seqúe euasuros ab igne promittebant, & ad meliora sibi suadentibus illudebant. Cernens Rex, & vniuersi, qui ibi aderant, minus posse illos reuocari ab insania, iussit accendere non longè à ciuitate ignem permaximum, vt vel eo fortè territi, à sua malignitate desinerent. Ad quẽ cùm ducerentur, rabida adacti dementia, se omni modis hoc velle proclamabant, ac sese vltrò ad ignem trahentibus inferebant. Quibus ad vltimum numero tredecim igni traditis, cùm iam cœpissent acrius aduri, cœperunt voce qua poterant ex eodem igne clamare, se pessimè deceptos arte diabolica, nuper de vniuersorum Deo ac Domino malè sensisse, & ob hanc ab ijsdem illatam ei blasphemiam, illos temporali & ęterna vltione torqueri. His verò plures è circumstantibus auditis, pietatis humanitate permoti, accedentes, vt vel semiuiuos ab igne eriperent, minimè valuerunt, quoniam vindice flamma consumente illos, cõtinuò in puluerem redacti sunt. Si qui verò postmodum huius peruersitatis sectatores fuerunt reperti, simili vltionis vindicta vbique fuerunt perditi. Præterea venerabilis Catholicæ fidei cultus, extirpata insanientium pessimorum vesania, vbique terrarum clarior emicuit.

Hermannus Contractus. 1056.

De anno 1052. Imperator natalem in Goslare egit, ibique quosdã hęreticos Manichæos, omnis esum animalis execrantes, consensu omnium, ne hæretica scabies serperet in plures, in patibulis suspendi fecit.

Bernardus. 1130.

Hom. 66. super Cantica: Melius proculdubio hæretici gladio coërcerentur, illius videlicet, qui *non sine causa gladium portat*, quàm in suum errorem multos traijcere permittantur. *Dei enim minister* ille *est, vindex in iram ei, qui malè agit.* Mirabantur aliqui, quòd non modò patienter; sed & læti, vt videbatur, ducerentur ad mortem: sed qui minus aduertunt, quanta sit potestas diaboli, non modò in corpora hominum, sed etiam in corda, quę semel permissus possederit. Nonne plus est hominem sibi inijcere manus, quàm id libẽter ab alio sustinere? hoc autem in multis potuisse dia- Rom. 13.

bolum frequenter experti sumus, qui seipsos aut submerserunt, aut suspenderunt: denique Iudas suspendit seipsum, diabolo sine dubio immittente. Ego tamen maius existimo, magisque admiror, quòd potuit immisisse in cor eius vt traderet Dominum, quàm vt semetipsum suspenderet. Nihil ergo simile habent constantia Martyrum, & pertinacia horum: quia mortis contemptum in illis pietas, in istis duritia cordis operatur. Matth. 27

Epistola 195. de Arnoldo Brixiensi hæretico: Hoc scientes, nescio an melius salubriusue in tanto discrimine rerum agere valeatis, quàm, (iuxta Apostoli monitum,) *auferre malum ex vobis*: quanquam amicus sponsi ligare potius, quàm fugare curabit, ne iam discurrere, & eò nocere plus possit. Hoc enim & Dominus Papa, dum adhuc esset apud nos, ob mala, quæ de illo audiebat fieri, scribendo mandauit, sed non fuit qui faceret bonum. Denique si capi vulpes pusillas demolientes vineam Scripturæ salubriter monet, num multò magis lupus magnus & ferus religandus est, ne Christi irrumpat ouilia, oues mactet, & perdat? 1. Cor. 5. Cant. 2.

Petrus Cluniacensis. 1150.

Libro 1. epist. 1. Sed post rogum Petri de Bruis (quo apud S. Ægidium zelus fidelium flammas Dominicæ crucis ab eo succensas eum concremando vltus est) postquam planè impius ille de igne ad ignem, de transeunte ad æternum transitum fecit, hæres nequitię eius Henricus cum alijs diabolicam doctrinam, non quidem emendauit, sed immutauit.

Fredericus Primus. 1152.

Cod. de hæret. & Manichæis: Receptores, defensores, & fautores hæreticorum damnamus, firmiter statuentes, vt si postquam quilibet talium fuerit excommunicatione notatus, satisfacere contempserit intra annum; ex tunc ipso iure sit infamis, nec ad publica officia seu consilia, vel ad eligendum aliquos adhibeatur; neque ad testimonium admittatur. Sit etiam intestabilis, vt nec testandi liberam habeat facultatem, nec ad hęreditatis successionem accedat.

Codice eodem: Si Dominus temporalis requisitus, & admonitus ab Ecclesia, terram suam purgare neglexerit ab hęretica prauitate, post annum à tempore monitionis elapsum terram ipsius exponimus Catholicis occupandam, qui eam exterminatis hæreticis absque vlla contradictione possideant, & in fidei puritate conseruent.

Otto Frisingensis. 1156.

Libro 2. de rebus Frederici primi Imperatoris cap. 20. de Arnoldo Brixiensi hæretico: Hæc & his similia cùm multis diebus ab eo incessanter & irreuerẽter agerentur, cumque sententia Pastorum iustè in eum & Canonicè prolata, eius indicio, tanquã omnino auctoritatis vacua, contemneretur; tandem in manus quorundam incidens, in Thusciæ finibus captus, principis examini reseruatus est, & ad vltimum à Prefecto vrbis ligno adactus, ac rogo in puluerem redacto funere, ne à stolida plebe corpus eius veneration haberetur, in Tiberim sparsus.

Ecbertus Presbyter. 1160.

Aduersus Cataros Serm. 8. Struite ignem copiosum in medio Synagogę vestræ, & tollite illum vestrum nouitium, quem vultis catharizare, & in medio ignis eum locate, & tu Archicathare pone super verticem eius manum tuam, vt soles, & sic benedicito illum: & tunc si non adusseris tu vngulas tuas, & ille illæsus euaserit, fateor certè quia bene baptizatus est Catharus tuus: Si verò

non euadit, nonne mox calens ad cælum vadit? Nonne sic nuper baptizauit Colonia Archicatharum vestrum Arnoldum, & complices eius, & similiter Bonna Theodoricum, & socios eius, & continuò, vt dicitis, auolauerunt in cælum? imò, vt verius dicatur, descenderunt in profundum inferni, ab igne temporali, ad ardorem ignis æterni.

Lucius Tertius. 1180.

Extra. de Hæreticis lib. 5. tit. 7. cap. 9. Præsenti ordinatione sancimus, vt quicunque manifestè fuerit in hæresi deprehensus, si clericus est, vel cuiuslibet religionis obumbratione fuscatus, totius Ecclesiastici Ordinis prærogatiua nudetur, & sic omni officio & beneficio spoliatus Ecclesiastico, secularis relinquatur arbitrio potestatis, animaduersione debita puniendus: nisi continuò post deprehensionem erroris, ad fidei Catholicæ vnitatem sponte recurrere, & errorem suum ad arbitrium Episcopi religionis publicè consenserit abiurare, & satisfactionem congruam exhibere: laicus autem, nisi (prout dictum est) abiurata hæresi, & satisfactione exhibita confestim ad fidem confugerit orthodoxam, secularis iudicis arbitrio relinquatur, debitam recepturus pro qualitate facinoris vltionem, &c. Qui verò inuenti fuerint sola suspicione notabiles, nisi ad arbitrium Episcopi, iuxta considerationem suspicionis, qualitatemqúe personæ, propriam innocentiam congrua purgatione monstrauerint, simili sententiæ subiacebunt. Illos quoque, qui post abiurationem præfati erroris, vel postquam se (vt diximus) proprij Antistitis examinatione purgauerint, deprehensi fuerint in abiuratam hæresin recidisse, seculari iudicio sine vlla penitus audientia decernimus relinquendos.

Guntherus. 1180.

De gestis Frederici Imper. lib. 3. agens de Gilberto Porretano hæretico:

Iudicio Cleri nostro sub Principe victus,
Appensuq́; cruci, flammaq́; cremante solutus
In cineres, Tiberine tuas est sparsus in vndas,
Ne stolidæ plebis, quam fecerat improbus, error
Martyris ossa nouo cineresúe foueret honore.

Innocentius Tertius. 1200.

Extra. libro 5. tit. 7. de Hæreticis, &c. In terris temporali nostræ iurisdictioni subiectis bona hæreticorum statuimus publicari: & in alijs idem fieri præcipimus per Potestates & Principes seculares, quos ad id exequendum (si fortè negligentes extiterint) per censuram Ecclesiasticam appellatione remota compelli volumus, & mandamus, vt nec ad eos bona eorum vlterius reuertantur, nisi eis ad cor reuertentibus, & abnegantibus hæreticorum consortium, misereri aliquis voluerit, vt temporalis saltem pœna corripiat, quem spiritualis non corrigit disciplina. Cùm enim secundùm legitimas sanctiones reis læsæ maiestatis punitis capite, bona confiscentur eorum, filijs suis vita solummodò ex misericordia conseruata: quanto magis, qui aberrantes in fide Domini Dei Filium Iesum offendunt, à capite nostro, quod est Christus, Ecclesiastica debent districtione præcidi, & bonis temporalibus spoliari, cùm longè sit grauius æternam, quàm temporalem lædere maiestatem?

Guilhelmus Neubrigensis. 1200.

Rerum Anglic. lib. 2. cap. 13. Eisdem diebus erronei quidam venerunt in Angliam, ex eorum genere, quos vulgo Publicanos vocant. Cùm à Præsulibus Ecclesiarum, & Principibus prouinciarum in reos remissius agitur, egrediuntur de caueis suis vulpes nequissimę, & prætenta specie pietatis seducendo simplices, vineam Domini tanto grauius, quanto liberius demoliuntur, &c. Moniti vt pœnitentiam agerent, & corpori Ecclesiæ vnirentur, omnem consilij salubritatem spreuerunt: minas quoque, vt vel metu resipiscerent, deriserunt, verbo illo Dominico abutentes: *Beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam.* Tunc Episcopi, ne virus hæreticum latius serperet, prȩcauentes, eosdem publicè pronuntiatos hæreticos, corporali disciplinę subdendos Catholico Principi tradiderunt: qui prȩcepit hæreticæ infamiæ characterem frontibus eorum inuri, & spectante populo virgis coercitos vrbe expelli, districtè prohibens, ne quis eos vel hospitio recipere, vel aliquo solatio confouere præsumeret. Dicta sententia ad pœnam iustissimam ducebantur gaudentes, non lentis passibus, præeunte magistro eorum, & cantante: *Beati eritis cùm vos oderint homines.* In tantum deceptis à se mentibus seductorius abutebatur spiritus. Detestãdum illud collegium, cauteriatis frontibus, iustæ seueritati subiacuit: eo, qui primatum gerebat in eis, ob insigne magisterij inustionis geminæ, id est, in fronte & circa mentum dedecus sustinente: scissisque cingulo tenus vestibus publicè cæsi, & flagris resonantibus vrbe eiecti, algoris intolerantia (hyems quippe erat) nemine vel exiguum misericordiæ impendente, miserè interierunt. Huius seueritatis pius rigor non peste illa, quæ iam irrepserat, Anglię regnum purgauit, verùm etiam ne vlterius irreperet, incusso hæreticis terrore præcauit.

Fridericus Secundus Imp. 1212.

In Constitut. Statuimus, *de Episc. aud.* Statuimus hoc edicto in perpetuum valituro, vt Potestates, Consules, siue Rectores, quibuscunque fungantur officijs pro defensione fidei præstent publicè iuramentum, quòd de terris suæ iurisdictioni subiectis, vniuersos hæreticos ab Ecclesia denotatos, bona fide pro viribus suis exterminare studebunt: ita vt amodò, quandocumque quis fuerit in potestatem, seu perpetuam, seu temporalem assumptus, hoc teneatur capitulum firmare iuramento: alioqui neq; pro Potestatibus, neque pro Consulibus, neque pro Rectoribus habeantur, eorumqúe sententias ex tunc irritas iudicamus, & inanes.

Cod. de hæreticis & Manichæis: Gazaros, Patarenos, Leonistas, Speronistas, Arnoldistas, Circumcisos, & omnes hæreticos vtriusque sexus, quocunque nomine censeãtur, perpetua damnamus infamia, diffidamus, atque bannimus: censentes, vt omnia bona talium confiscentur, nec ad eos vlterius reuertantur: id quòd filij eorum ad successionem peruenire non possint, cùm longè grauius sit æternam, quàm temporalem offendere maiestatem. Qui autem inuenti fuerint sola suspitione notabiles, nisi ad mandatum Ecclesiæ iuxta considerationem suspicionis, qualitatemq; personæ, propriam innocentiam congrua purgatione monstrauerint: tanquam infames & banniti ab omnibus habeantur; ita quòd si fic per annum permanserint, ex tunc omnes tanquam hæreticos condemnamus.

Concilium Lateranense. 1215.

Cap. 3. Excommunicamus, & anathematizamus omnem hæresin, extollentem se aduersus hãc sanctam, orthodoxam, Catholicam fidem, condemnantes vniuersos hæreticos, quibuscunque nominibus censeantur: facies quidem habentes diuersas, sed caudas ad inuicem colligatas: quia de vanitate conueniunt in idipsum. Damnati verò

verò secularibus potestatibus præsentibus, aut eorum baliuis relinquãtur animaduersione debita puniendi, clericis prius à suis Ordinibus degradatis, ita quòd bona huiusmodi damnatorum, si laici fuerint, confiscentur; si verò Clerici, applicentur Ecclesijs, à quibus stipendia perceperunt. Qui autem inuenti fuerint sola suspicione notabiles, nisi iuxta considerationes suspicionis, qualitatemqúe personę, propriam innocentiam congrua purgatione mõstrauerint, anathematis gladio feriantur, & vsque ad satisfactionem condignam ab omnibus euitentur, ita quòd si per annum in excommunicatione perstiterint, ex tunc veluti hæretici condemnentur. Moneantur autem, & inducantur, & si necesse fuerit, per Ecclesiasticam censuram compellantur seculares potestates, quibuscunque fungantur officijs, vt sicut reputari cupiũt, & haberi fideles, ita & pro defensione fidei præstent publicè iuramentum, quòd de terris suę iurisdictionis subiectis vniuersos hæreticos ab Ecclesia denotatos, bona fide pro viribus exterminare studebunt, ita quòd amodò, quandocunque quis fuerit in potestatem, siue spiritualem, siue temporalem assumptus, hoc teneatur capitulum iuramento firmare.

Cæsarius Heisterbachius. 1220.

Lib. 5. cap. 19. Circa illa tempora sub Archiepiscopo Arnoldo Colonię plures sunt hæretici cõprehensi, qui à literatis viris examinati, & victi, per iudicium seculare damnati sunt, & data sententia ducti ad ignem.

Gregorius Nonus. 1222.

Extra. de hæreticis cap. 15. Excommunicamus & anathematizamus vniuersos hæreticos, Catharos, Patarenos, Pauperes de Lugduno, Passaginos, Tossepinos, Arnaldistas, Speronistas, & alios, quibuscunque nominibus censeantur; facies quidem habentes diuersas, sed caudas ad inuicem colligatas, quia de vanitate conueniunt in idipsum. Damnati verò per Ecclesiam seculari iudicio relinquantur, animaduersione debita puniendi; clericis prius à suis ordinibus degradatis. Si qui autem de prædictis, postquam fuerint deprehensi, redire noluerint ad agendam condignam pœnitentiam, in perpetuo carcere detrudantur.

Thomas Aquinas. 1250.

Secunda secundæ quæst. 11. artic. 3. *Post primam & secundam correptionem.* Ecclesia de pertinacis hæretici conuersione non sperans, aliorum saluti prouidet, eum ab Ecclesia separando per excommunicationis sententiam, & vlterius relinquit eum iudicio seculari, à mundo exterminandum per mortem.

Alexander Quartus. 1254.

Sexto Decretal. de hæreticis cap. 2. Hæretici autem, credentes, receptatores, defensores, & fautores eorum, ipsorumqúe filij, vsque ad secundam generationem, ad nullum Ecclesiasticum beneficium, seu officium publicum admittantur. Quod si secus actum fuerit, decernimus irritum & inane.

Cap. 4. super eo, quod scriptum legitur: *Ecclesia nulli claudit gremium redeunti; quodq́; ij, qui post abiurationem erroris, vel postquam se proprij Antistitis examinatione purgauerint, si deprehensi fuerint in abiuratam hæresin recidisse, seculari decernuntur iudicio sine vlla penitus audientia relinquendi:* Cùm Scripturę huiusmodi videantur sibi inuicem aduersari, quid tenendum sit per Sedem edoceri Apostolicam postulastis. Nos itaque inquisitioni vestræ de fratrum nostrorum consilio respondemus, quòd taliter deprehensis, etiamsi sine vlla penitus audientia relinquendi sint iudicio seculari, si tamen postmodum pœniteant, & pœnitentię signa in ijs apparuerint manifesta, nequaquam sunt (humiliter petita) Sacramenta Pœnitentiæ & Eucharistiæ deneganda.

Hugo Pratensis. 1300.

Sermone 24. Sunt quidam hæretici notorij, qui alios volunt corrumpere, & ad malum trahere: & isti tanquam membra putrida, ne alia membra corrumpant, sunt ab Ecclesia prȩcidendi. In quorum præcisione non eradicatur triticum: sed potius in eorum diuisione triticum confunditur, & eradicatur, vel suffocatur. Alij sunt hæretici occulti, qui alios non inducunt ad malum, & ideò debent ab Ecclesia, vt hîc dicitur, tolerari.

Raynerus Pisanus. 1300.

In Pantheologia de hæresi cap. 4. Punitur hæreticus excommunicatione, depositione, rerum ablatione, militari persecutione. Primò punitur excommunicatione: quia hodie omnis hæreticus, siue occultus, siue manifestus, est ipso iure excõmunicatus. Secundò depositione, quia indistinctè, siue clericus, siue laicus, Papa, vel Imperator, vel quilibet alius inferior, debet deponi ab omni dignitate. Tertiò rerum ablatione: quia bona eorum omnia ipso iure sunt confiscata; sed tamen executio ipsius confiscationis, vel bonorum confiscatio, non debet fieri per principes seculares, antequam per iudicium Ecclesiæ super eodem crimine sententia sit promulgata. Quartò militari persecutione: quia si aliter fieri non potest, manu armata sunt ab ijs omnia bona auferenda.

Cap. 5. Hæretici ex peccato eorum merentur à consortio fidelium separari, expelli, & incarcerari, & iudicio temporali, siue seculari occidi. Cuius ratio est: quia cùm hæresis sit vinum infectiuum, & maximè simplicium, vt dicit Apost. 2. Timoth. 2. *Sermo eorum serpit vt cancer,* &c. ideo Ecclesia hæreticos, qui alios corrumpunt, & prȩcipuè simplices, qui de facili corrumpi possunt, de consortio eorum excludit, & expellit, & etiam incarcerat.

Clemens Quintus. 1301.

Extra. de hæret. cap. 3. Nos sacro approbante Cõcilio sectam Beguardorum damnamus, & reprobamus omninò, inhibentes districtius, ne quis ipsos de cętero teneat, approbet, vel defendat. Eos autem, qui secus egerint, animaduersione Canonica decernimus puniendos.

Durandus à S. Portiano. 1310.

Lib. 4. dist. 13. quæst. 5. In crimine hæresis est considerare grauitatem criminis eius, & nocumentum. Est enim infectiuum aliorum, vt habetur 2. Timoth. 2. vbi dicitur de hæreticis: *Multum enim proficiunt ad impietatem, & sermo eorum vt cancer serpit.* Ex grauitate criminis merentur hæretici occidi, & bona eorum confiscari, quia grauius est offendere Maiestatem æternam Dei, quàm temporalem cuiuscunque hominis; sed illi, qui sunt rei læsę Maiestatis humanę, secundùm rigorem iuris ciuilis, merentur mori, & bona eorum confiscari. Ergo à fortiori ratione hæretici, qui sunt rei lęsæ Maiestatis diuinę, & cùm hoc blasphemi in Deum, merentur mori, & bona eorum confiscari. Dato tamen quòd pœniteant, hunc rigorem ciuilis iuris Ecclesia non exercet in eos. Attendẽdo autem ad aliam conditionem hæresis, videlicet quòd est crimen infectiuum aliorum, hæretici non sunt in consortio fidelium, & maximè simplicium tolerandi: quia illi, qui sunt subuersores totius fundamenti bonę vitæ & salutis, non sunt tolerandi cum illis, qui possunt ab ijs subuerti.

uerti. Sed hęretici ſunt ſubuerſores fidei, quæ eſt fundamentum bonæ vitę & ſalutis. Ergo nō ſunt tolerandi cum illis, qui poſſunt ab ijs ſubuerti.

Auguſtinus Triumphus. 1320.

De poteſtate Eccleſ. quæſt. 10. art. 5. Eccleſia condemnat hæreticos duplici condemnatione. Primò condemnatione mortis ſpiritualis, vt per Excommunicationem: ſecundò condemnatione mortis corporalis, per quam ſeparatur anima à corpore naturali. Primam condemnationem facit Eccleſia immediatè per ſeipſam: ſecundā non facit immediatè per ſeipſam, ſed poſt abiuratam hæreſin relinquit eos iudicio ſeculari: non tamen ſine mandato eius iſta ſecunda condemnatio fieri debet, &c.

Nicolaus Gorranus. 1360.

Ad cap. 13. Matthæi: Hæretici notorij, qui alios nituntur ad malum trahere, debent ab Eccleſia præcidi vtroque gladio, vt membrum putridum alia non corrumpat: qui verò occulti ſunt, tolerari debent, tum quia fortè conuertentur, tum quia non bene diſcernuntur; ſicut lolium & triticum, quàm diu herba eſt, parum diſtant.

Matthæus VVeſtmonaſterienſis. 1370.

De anno 1243. Tunc temporis in partibus vltromontanis multiplicati ſunt hæretici, præcipuè illi, quos Paterinos appellamus, qui temporibus retroactis latuerunt, & deprehenſi graui morte puniebantur.

Antoninus Florentinus. 1450.

Par. 2. Summæ tit. 12. cap. 4. §. 2. Hæretici morte puniuntur: continuò enim poſt deprehēſionem erroris, niſi ad fidem conuerti voluerint, & hæreſin ſuam abiurare, & ſatisfactionem exhibere, ſi laicus eſt, ſubitò debet comburi: Clericus autem poſt ſolennem degradationem relinquitur curiæ ſeculari occidendus: ſi autem reuertatur ad fidem, detrudi debet in perpetuum carcerem.

Rupertus Lycius. 1480.

Sermon. 19. Quadrageſimali: Quarta pœna, qua puniuntur hæretici, eſt pœna occiſionis: continuò enim poſt depoſitionem erroris, niſi hæreticus ad fidem reuerti velit, & hæreſin ſuam abiurare, & ſatisfactionem exhibere, ſi laicus eſt, ſubitò debet comburi: Clericus autem poſt ſolennem degradationem relinquitur curię ſeculari occidendus.

ASSERVNT ADVERSARIO-rum quidam.

Martinus Lutherus.

In Poſtilla minori Dominica 5. ab Epiphania: Cuſtodit Magiſtratus non ſolùm ſecundam, verùm omnium maximè primam tabulam; idololatrias, blaſphemias, execrationes, periuria vlciſcitur; oblatos hæreticos, vt in verum numen contumelioſos, atque alios eas blaſphemias docentes coërcet: præfractiores, atque in errore pertexendo contumaciores, vt cum certiſſimo plurium exitio, pro maleficis puniendis ſuſcipit. Neq; cùm hoc facit, zizania euellere intelligitur: quia cum ſuo officio in eo regno non verſatur, vbi de euellendis zizanijs interdictum poſitum eſt, &c. Non igitur Magiſtratus, & huius generis vitæ corporalis officiales, cùm ſcandalis perturbantibus tranquillitatem ſeuera vindicatione obuiam eunt, zizania contra mandatum Chriſti euellunt, ſed id præſtāt pro parte ſua, vt verum triticum in Eccleſia à zizanijs non prorſus opprimatur, & regnum Dei in terris non prorſus exoleſcat.

Martinus Bucerus.

Ad c. 22. Matthæi: Hinc capitalia fecit non ſolùm adulteria, homicidia, & id genus atrociora ſcelera, ſed etiam ſi quis à cultu Dei docendo abduceret: ſi quis ſibi ipſi tantùm idola, aut aliam ſuperſtitionem ſtatueret, ſi ariolos conſuleret, ſi Deo conuicium diceretur, & eiuſmodi, quæ propriè ad curam attinent religionis. Iam Deus non mutatur: quare in hęc eadem hodie quoq; magiſtratum animaduertere decet: nec enim minus apud priſcos vera religio cordi fuit, atque hodie; & æquè tum, atque modò opus Spiritus ſancti illa extitit.

Theodorus Beza.

Lib. de hæreticis à ciuili magiſtratu puniendis: Sed qua pœna ſit ſcelus hoc (*hæreſeos*) vindicādum, quorſum attinet obſecro humanis coniecturis probare, cùm plura & aperta teſtimonia in verbo ipſius legantur? Sic enim ait: *Qui ſacrificat Dijs alienis, præterquam ſoli Deo, moriatur, &c.* Deut. 13.

Philippus Melanchthon.

In Locis communibus Manlij cap. de Eccleſia: Senatus Geneuenſis rectè fecit, quòd blaſphemum hominem Seruetum interfecit. Eſt enim vnum ex præcipuis officijs magiſtratus, facere executionem corporalibus pœnis contra deprauatores primæ & ſecundę tabulę: quando aliquis colit idola, & diabolicum venenum in homines infundit, tunc magiſtratus iuſtè facit, ſi eum tollit: quia mandatum Dei eſt, vt textus ſeuerè præcipit: *Neparcas ei.* Debet eſſe Nemeſis, & ſæua diligentia.

Diſputatione de deliriis & furoribus Anabaptiſtarum: Cùm Anabaptiſtę palam ſint ſeditioſi, magiſtratus publicè eos coërcere ac punire tanquam latrones debent.

LIBER

LIBER OCTAVVS: DE SIGNIS ECCLESIÆ.

ARTICVLVS PRIMVS.

ORTHODOXAM ECCLESIAM NVLLO VNQVAM TEMPORE POSSE DEFICERE, ET PENITVS INTERIRE, SIC VT NVSQVAM APPAREAT: PROINDE PERPETVAM SVCCESSIONEM CERTVM ET INFALLIBILE ESSE VERÆ Eccleſiæ ſignum.

NEGANT.

Anno poſtnatū Chriſtū.

340. DONATISTÆ *contendebant Catholicam Eccleſiam apud ſe eſſe: eam antea toto terrarum orbe periiſſe, in ſola parte Donati remanſiſſe: nec vllam rationem Epiſcoporum, aut Galliæ, aut Italiæ, aut vrbis Romæ habebant.* Optatus lib. 1. Auguſtinus hæreſi 96. Syluanus, & cæteri Epiſcopi epiſtola ad Marcellinum.

370. *Lucifer aſſerebat ſuos ſectatores tantùm eſſe Eccleſiam: antiquam Eccleſiam factam eſſe de Eccleſia lupanar.* Hieronymus contra Luciferianos capite 1.

1180. *Pauperes de Lugduno dicebant, quòd Eccleſia defecerit tempore Sylueſtri.* Antoninus 4. parte Summæ, tit. 11. cap. 7. §. 2.

1520. Martinus Lutherus de abroganda Miſſa priuata: *Quis nobis Eccleſiam monſtrabit, cùm ſit occulta in Spiritu, & tantùm credatur, ſicut dicitur:* Credo ſanctam Eccleſiam?

In Colloquijs Latinis Tomo 2. capite de Patribus: *Tertulliani & Cypriani ætate degenerauit Eccleſia: imò ipſis Apoſtolis adhuc viuentibus.*

1530. Philippus Melanchthon ad cap. 3. prioris ad Corinth. *Statim ab initio Eccleſiæ Scriptores veteres obſcurārunt doctrinam de iuſtitia fidei, auxerunt cæremonias, & finxerunt peculiares cultus.*

156. *Anabaptiſtæ Monaſterienſes dicebant à Chriſti & Apoſtolorum temporibus verbum Dei purè non fuiſſe traditum: nunc veros Dei Prophetas exortos eſſe, per quos veritas Dei mundo reſtituatur, Ioannem Leidenſem regem nouæ Hieruſalem, & Georgium Danidem Delphenſem: totidem impios & falſos Prophetas eſſe, Romanum Pontificem, & Martinum Lutherum; qui Romano Pontifice multis partibus ſit peſtilentior.* Henricus Bullingerus de Anabaptiſtis lib. 2. cap. 10.

1540. Sebaſtianus Francus epiſtola de abrogandis in vniuerſum omnibus ſtatutis Eccleſiaſticis: *Statim poſt Apoſtolos omnia inuerſa ſunt: verus Baptiſmus in puerorum Baptiſmum abiit, Cœna Domini in ſacrificium transformata eſt: vnde pro certo habeo, externam Eccleſiam vnà cum fide & Sacramentis operā Antichriſti ſtatim poſt Apoſtolorum diſceſſum euanuiſſe, & hiſce mille quadringentis annis nuſquam externam & viſibilem Eccleſiam fuiſſe.*

1545. Georgius Dauid dixit: *Si Chriſti & Apoſtolorum doctrina vera & perfecta fuiſſet, Eccleſia, quam illi plantârunt, ſuaq; doctrina formârunt, debuiſſet neceſſariò perſiſtere, nec vnquam perire: dicente Ieſu,* quòd portæ inferi non pręualebunt aduerſus eam. *Nunc verò manifeſtum eſt, quòd Antichriſtus doctrinam Apoſtolorum, & extructam ab illis Eccleſiam penitus ſubuertit, ſicut patet in Papatu. Fuit ergo Apoſtolorum doctrina falſa, & imperfecta.* Hiſtoria Georgij Dauidis impreſſa Antuerpiæ 1568. in 8.

1550. Ioannes Caluinus lib. 4. Inſtit. cap. 2. §. 1. *Simulac in arcem religionis mendacium irrupit, ſumma neceſſariæ doctrinæ inuerſa eſt, Sacramentorum vſus corruit: certè Eccleſiæ interitus conſequitur, perinde atque de vita hominis actum eſt iugulo tranſfixo, vel præcordijs lethaliter ſauciatis.*

Reſponſione ad Sadoletum: *Palam eſt, conſpicuumq; eruditis ſimul ac indoctis, proſtratum fuiſſe Chriſti regnum, cùm erectus eſt Pontificis Romani principatus, &c. Sublata fidei iuſtificantis cognitione, & Chriſti gloria extincta eſt, & abolita religio, & Eccleſia deſtructa, & ſpes ſalutis penitus euerſa.*

1560. Bernardinus Ochinus in Præfatione ſuorum Dialogorum: *Conſiderans quemadmodum Chriſtus Eccleſiam ſuam potentia, ſapientia, bonitate ſua fundârit, extruxerit, ſtabiliuerit, ſuoq; ſanguine lauerit, & Spiritu ditauerit, eandemq; rurſus funditus euerſam videns, non potui ſanè non mirari, ac tantæ ruinæ cauſam

ſam ſcire cupiens, comperi fuiſſe Papas.

1578. Theodoſius Schimbergius Præfatione in ſcripta Ioannis Sommeri: *Apoſtolus manifeſtè oſtendit fore poſt diſceſſum generalem defectionem, qualis circa tempora Athanaſij accidit, &c. Hæc eſt vera via, quæ diu ante hæc tempora latuit: quia eam nemo animaduertit, excepto Paulo Riccio Iudæo baptizato, qui noſtros maiores hanc doctrinam docere voluit, ſed amarunt magis tenebras, quam lucem.*

ASSERVNT SACRÆ LITERÆ.

2. *Reg.* 7. *Verſ.* 13. *Ip*ſe ædificabit domum nomini meo, & ſtabiliam thronum regni eius vſque in ſempiternum.

1. *Paral.* 22. 10. Ipſe ædificabit domum nomini meo, *&c.* firmaboque ſolium regni eius ſuper Iſrael in æternum.

Pſal. 44. 17. Pro patribus tuis nati ſunt tibi filij: conſtitues eos principes ſuper omnem terram. Memores erunt nominis tui in omni generatione & generationem. Propterea populi confitebuntur tibi in æternum, & in ſeculum ſeculi.

Pſalm. 45. 5. Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei: ſanctificauit tabernaculum ſuum Altiſſimus: Deus in medio eius non commouebitur: adiuuabit eam Deus manè diluculo.

Pſalm. 47. 9. Sicut audiuimus, ſic vidimus in ciuitate Domini virtutum, in ciuitate Dei noſtri: Deus fundauit eam in æternum.

Pſalm. 86. 1. Fundamenta eius in montibus ſanctis: diligit Dominus portas Sion ſuper omnia tabernacula Iacob. 5. Ipſe fundauit eam Altiſſimus.

Pſalm. 88. 29. In æternum ſeruabo illi miſericordiam meam, & teſtamentum meum fidele ipſi. Et ponam in ſeculum ſeculi ſemen eius, & thronum eius ſicut dies cæli. 36. Semel iuraui in ſancto meo, ſi Dauid mentiar: ſemen eius in æternum manebit. Et thronus eius ſicut ſol in conſpectu meo, & ſicut luna perfecta in æternum, & teſtis in cælo fidelis.

Pſalm. 101. 17. Quia ædificauit Dominus Sion, & videbitur in gloria ſua.

Pſalm. 128. 1. Sæpe expugnauerunt meà iuuentute mea, dicat nunc Iſrael: ſæpe expugnauerunt meà iuuentute mea: etenim non potuerunt mihi.

Pſalm. 131. 14. Hæc requies mea in ſeculum ſeculi: hîc habitabo, quoniam elegi eam.

Cantic. 3. 4. Tenui eum, nec dimittam.

Iſaiæ 9. 7. Multiplicabitur eius imperium, & pacis non erit finis: ſuper ſolium Dauid, & ſuper regnum eius ſedebit: vt confirmet illud, & corroboret in iudicio & iuſtitia amodò & vſque in ſempiternum: zelus Domini exercituum faciet hoc.

Iſaiæ 33. 20. Reſpice Sion ciuitatem ſolennitatis noſtræ: oculi tui videbunt Ieruſalem habitationem opulentam, tabernaculum quod nequaquam transferri poterit: nec auferentur claui eius in ſempiternum, & omnes funiculi eius non rumpentur.

Iſaiæ 40. 8. Verbum Domini noſtri manet in æternum.

Iſaiæ 59. 21. Spiritus meus, qui eſt in te; & verba mea, quæ poſui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore ſeminis tui, & de ore ſeminis ſeminis tui, dicit Dominus, amodò & vſque in ſempiternum.

Iſaiæ 60. 19. Erit tibi Dominus in lucem ſempiternam, & Deus tuus in gloriam tuam. Non occidet vltra ſol tuus, & luna tua non minuetur, 21. Populus tuus omnes iuſti, in perpetuum hæreditabunt terram.

Ieremiæ 6. 16. State ſuper vias, & videte, & interrogate de ſemitis antiquis, quæ ſit via bona, & ambulate in ea: & inuenietis refrigerium animabus veſtris.

Danielis 2. 44. In diebus regnorum illorum ſuſcitabit Deus cæli regnum, quod in æternum non diſſipabitur.

Oſee 2. 19. Et ſponſabo te mihi in ſempiternum: & ſponſabo te mihi in iuſtitia & iudicio, & in miſericordia, & in miſerationibus. Et ſponſabo te mihi in fide: & ſcies quia ego Dominus.

Michææ 4. 1. Et erit, in nouiſſimo dierum erit mons domus Domini præparatus in vertice montium, & ſublimis ſuper colles: & fluent ad eum populi. Et properabunt gentes multæ, & dicent: Venite, aſcendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob: & docebit nos de vijs ſuis, & ibimus in ſemitis eius: quia de Sion egredietur lex, & verbum Domini de Ieruſalem. 5. Omnes populi ambulabunt vnuſquiſque in nomine Dei ſui: nos autem ambulabimus in nomine Domini Dei noſtri in æternum, & vltra. In die illa dicit Dominus, congregabo claudicantem, & eam, quam eieceram,

ceram, colligam, *&c.* 7. & regnabit Dominus ſuper eos in monte Sion, ex hoc nunc & vſque in æternum.

Matth. 5. 15. Non poteſt ciuitas abſcondi ſupra montem poſita: neque accendũt lucernam, & ponunt eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum, vt luceat omnibus, qui in domo ſunt.

Matthæi 16. 18. Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prevalebunt aduerſus eam.

Matth. 28. 20. Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, vſque ad conſummationem ſeculi.

Lucæ 1. 32. Dabit illi Dominus Deus ſedem Dauid Patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis.

Lucæ 21. 32. Non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant. Cælum & terra tranſibunt: verba autem mea non tranſibunt.

Lucæ 22. 31. Simon, Simon, ecce Satanas expetiuit vos, vt cribraret ſicut triticũ: ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua.

Ioan. 14. 16. Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, vt maneat vobiſcum in æternum, Spiritum veritatis.

Ioan. 17. 11. Pater ſancte, ſerua eos in nomine tuo, quos dediſti mihi. 20. Non pro eis rogo tantùm, ſed & pro eis, qui credituri ſunt per verbum eorum in me: vt omnes vnum ſint.

Actor. 5. 38. Si eſt ex hominibus conſilium hoc, aut opus, diſſoluetur: ſi verò ex Deo eſt, non poteritis diſſoluere eos.

Epheſ. 4. 11. Chriſtus dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Euangeliſtas, alios autem Paſtores & Doctores, ad conſummationem Sanctorum, in opus miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti: donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionis Filij Dei.

Symbolum Apoſtolorum: Credo Eccleſiam Catholicam.

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Irenæus. 180.

Lib. 3. cap. 3. Traditionem itaque Apoſtolorum in toto mundo manifeſtatam, in omni Eccleſia adeſt perſpicere omnibus, qui vera velint audire, & habemus annumerare eos, qui ab Apoſtolis inſtituti ſunt Epiſcopi in Eccleſijs, & ſucceſſores eorum vſque ad nos, qui nihil tale docuerunt. Sed quoniam valde longum eſt, omnium Eccleſiarum enumerare ſucceſſiones, maximæ, & antiquiſſimæ, & omnibus cognitę, à glorioſiſſimis duobus Apoſtolis Petro & Paulo Romæ fundatæ & conſtitutæ Eccleſiæ, eam, quam habet ab Apoſtolis Traditionem, & annũtiatam hominibus fidem, per ſucceſſiones Epiſcoporum peruenientem vſque ad nos, indicantes, confundimus omnes eos, qui quoquo modo prętерquam oportet colligunt.

Libro 4. cap. 43. Quapropter eis, qui ſunt in Eccleſia, Presbyteris obaudire oportet his, qui ſucceſſionem habent ab Apoſtolis, ſicut oſtendimus, qui cum Epiſcopatus ſucceſſione chariſma veritatis certum, ſecundùm placitum Patris acceperunt: reliquos verò, qui abſiſtunt à principali ſucceſſione, & quocunque loco colliguntur, ſuſpectos habere, vel quaſi hæreticos, & malę ſententiæ; vel quaſi ſcindentes, & elatos, & ſibi placentes.

Euſebius Cæſareenſis. 320.

De demonſtratione Euangelica libro 4. cap. 19. Hic ſolus & vnus Dominicus Saluatoris noſtri dies, non in omni loco lucere, ſed in ſolis atrijs Domini dictus eſt. Hæc verò atria erunt per totum orbem terrarum Chriſti Eccleſiæ, quæ vnius domus Dei locum obtinent: in quibus optat & eligit ſe potius abiectum eſſe, qui talia nouit, longeque meliorem in ijs habitationem enuntiat, quàm in peccatorum tabernaculis.

De præparatione Euangelica lib. 1. cap. 3. Certum eſt igitur Saluatorem noſtrum prędixiſſe doctrinam ſuam, in teſtimonium omnium gentium, per vniuerſum terrarum orbem prædicatum iri, & Eccleſiam, quæ poſtea virtute ſua conſtituta eſt, inuictam atque inexpugnabilem fore; nec vnquã futurum, vt à morte ſuperaretur: ſed firmã fore ſemper & immobilem, tanquam in lapide ſtabilitam atque fundaram: cuius diuinationis effectus omnem impudentiſſimam linguam vana contradicentem profectò arcere poteſt. Quis enim non fatebitur, cùm ſic apertè rerum euentus diuinationi congruat, Dei virtutem non naturam illam humanam fuiſſe, quæ & futura hæc præuiderat, & re ipſa perfecit, quæ verbis prędixerat? Iam enim ſui Euangelij fama totum ab Ortu ad Occaſum orbem impleuit, omnesque gentes adijt, creſcitque indies prædicatio ſui. Eccleſia etiam hoc nomine ab ipſo donata, radices egit, ac vſque ad aſtra ſanctorum virorum orationibus glorificata, luce ac fulgore Orthodoxæ fidei ſplẽdet, neque hoſtibus terga dat, neque ipſis ianuis mortis cedit; propter pauca verba, quæ ille protulit: *Super lapidem ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt aduerſus ipſam.* Matt. 16

Alexander Alexandrinus Epiſcopus. 330.

Epiſtola ad Alexandrum Epiſcopum Conſtantinopolitanum: Eccleſiam vnam ſolam Catholicam & Apoſtolicam agnoſcimus, quæ ſicut nunquam expugnari poteſt, etiamſi totus mundus eam oppugnare inſtituat; ſic omnem impiam hęreticorum incurſionem euincit, ac profligat; quandoquidẽ eius Dominus nos efficit ſatis animoſos, dum clamat: *Confidite, ego vici mundum.*

Athanaſius. 340.

Orationę, qua docet vnum eſſe Chriſtum: *Tu es Petrus,*

es Petrus, inquit Christus, *& super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt aduersus eam*: fidelis sermo, & non vacillans promissio, & Ecclesia inuicta res est, etiamsi infernus ipse commoueatur, etsi, qui in inferno sunt, mundi principes & tenebrarum tumultum faciant.

Basilius Magnus. 370.

Ad Esaiæ caput 8. Nobis admodum conducibile fuerit, & commodum, si tempore persecutionis animo præsenti & intrepido dixerimus illud gentibus: *Si iterum prævalueritis, iterum vincemini.* Gentiles enim subinde dum Christi Ecclesiam oppugnârunt, pessum ierunt. Quemadmodum enim accessione incensæ ac flagrantis materiæ flamma in maius attollitur: sic semper contingit, vt qui toto annisu studuêre demoliri Ecclesiam, violenta impressione tentationum eam ad augustiorem, & ampliorem gloriam ac potestatem extulerunt.

Cyrillus Hierosolymitanus. 370.

Catechesi 18. Catholica vocatur Ecclesia, quia per vniuersum sit orbem terrarum diffusa, à finibus terræ vsque ad extrema: & quia docet catholicè, hoc est vniuersaliter, & sine vllo defectu, vel differentia omnia dogmata, quæ deberent venire in cognitionem de rebus visibilibus & inuisibilibus, cælestibus & terrestribus: & quòd omne genus hominum piè subiugat, principes & priuatos.

Gregorius Nazianzenus. 380.

Oratione 23 quæ est in laudem Heronis: Nec verò quicquam aliud Ecclesiæ molestiam exhibebat. Nam persecutiones illustriorem quoque ipsam & splendidiorem per supplicia reddebant.

Carmine ad Episcopos:

Quin potius fidei igniculis, sublatáq; in altum
Fax verbi totum celebris percurrerat orbem.
Namque etiam hostilis furor atque immania quæque
Supplicia addiderant animis noua robora nostris,
Tormentisq; fides grauibus magè fulta vigebat.

Theophilus Alexandrinus. 390.

Epistola ad Epiphanium (est apud Hieronymum epistola 67.) Dominus, qui locutus est ad Prophetam: *Ecce constitui te hodie super gentes, & regna, eradicare, & suffodere, & dispergere, ac rursum ædificare, & plantare*: singulis temporibus eandem Ecclesiæ suę largitur gratiam, vt integrum corpus conseruetur, & in nullo hæreticorum dogmatum venena prævaleant: quod quidem nunc videmus expletum. Nam Ecclesia Christi, *quæ non habet maculam, neque rugam, aut aliquid eiusmodi*, egredientes de cauernis suis Origenis colubros Euangelico ense truncauit, & secundum Nitriæ monachorum agmen contagione pestifera liberauit.

Hier. 1.

Ephes 5.

Ioannes Chrysostomus. 400.

Sermone de Pentecoste: Propter Ecclesiam Prophetæ, propter Ecclesiam Apostoli: & quid plura dicam? propter Ecclesiam Vnigenitus Dei Filius homo factus est, sicut dicit S. Paulus: *Qui proprio Filio non pepercit*, vt Ecclesiæ mederetur: sanguinem Filij effudit propter Ecclesiam. Hic sanguis irrigat Ecclesiam: & ideò plantaria eius marcescere non possunt, nec amittunt folia arbusta eius, non subiacet necessitati temporis, nec est conditioni obnoxia, vt per æstatem coma foliorum tegatur, hyeme amittatur. Non tenetur temporum qualitate, sed Spiritus eam sancti gratia gubernat: & ideò non senescit, nec contrahitur, & multis impugnantibus non opprimitur.

Rom. 8.

Homilia 4. de eo, quod scripsit Esaias: *Factum est anno, quo mortuus est Ozias*: Iactatur quidem nauis, sed non mergitur. Poterat quidem & in tranquillo nauigare, verùm non passus est gubernator, quò simul & nauigantium perspicias tolerantiam, & gubernatoris prudentiam plenius cognoscas. A quàm multis oppugnata est Ecclesia, nec vnquam tamen victa? Quot Tyranni, quot Duces, quot Imperatores? Augustus, Tiberius, Caius, Claudius, Nero, homines literis ornati, potentes, tot modis oppugnârunt recentem ac teneram, at non deiecerunt. Quin potius ij, qui oppugnârunt, silentur obliuioni traditi, illa verò oppugnata cælum transcendit. Neque enim illud mihi spectato, quòd in terris sita est Ecclesia; sed quòd in cælo versatur. Vnde hoc dilucidum est? nimirum ipsę res demonstrant. Oppugnati sunt vndecim discipuli, totus orbis oppugnabat; verùm qui oppugnabantur vicerunt, qui oppugnabant sublati sunt: oues deuicêre lupos. Vidisti pastorem oues in medio luporum emittentem, vt ne fuga quidem salutem consequerentur? Quis pastor hoc fecit? Christus hoc fecit, quò tibi demonstraret, quæ rectè geruntur, non accidere iuxta nostrarum actionum tenorem, sed præter naturam, præterquę rerum tenorem. Nam Ecclesia radices in cælo potius fixas habet, quàm in terra.

Ad caput 2. Esaiæ: Vocat nomine montis Ecclesiam simul & inexpugnabilem dogmatum eius traditionem. Quemadmodum enim montibus licet quis obuallet, & objiciat militum millia decem, & hi quidem intorqueant arcus, isti euibrent hastas & eiaculentur, nihil noxæ aut detrimenti inuehent soliditati montium: Illinc potius secedere cogentur, consumpta inaniter sua fortitudine. Sanè idipsum contigit ad vnum omnibus, qui oppugnârunt Ecclesiam: hæc quidem inconcussa perstitit, illi è diuerso deperdita propria virtute, indecoris infamiæ notam incurrerunt: dum eam feriunt, euanescunt; dum iaculantur in eam, imbelles redduntur: dum cædunt flagris, ab his vincuntur, qui malè affecti sunt. Ita enim modus hic victoriæ sanè quàm admirabilis est: nec hominibus, sed soli Deo (qui potest) asscribendus. Nec admodum est mirabile Ecclesiam vicisse, sed quia sic vicit. Infectationes persecutionesqúe perpessa est, innumeris modis contusa est, & minutim discerpta: nec tamen inferior euasit, imò emersit effusior: & eos, qui aduersùs eam talia moliebantur, redigebat in nihilum: tantum erat vt illi patienter tolerarent, quod & adamas ferro admotus facit, ab ipso dum feritur tantùm, solidam illam vim ferri ipsum percutientis dissoluit.

Ad Psalm. 147. Ecclesiam Deus munit validius, quàm Hierusalem, non vectibus & portis, sed eruce circumseptam, & renuntiatione propriæ voluntatis, per quam vbique eius excitauit ambitum, cùm dixit: *Portæ inferorum non prævalebunt aduersùs eam.* In principio itaque Imperatores, & Reges omnes, & populi, & ciuitates, & dæmonum phalanges, & ipsa diaboli tyrannis, & alia innumerabilia inuaserunt Ecclesiam: illa tamen omnia fracta & dissoluta sunt, & interierunt: ipsa autem creuit, & in tantam prouecta est altitudinem, vt ipsos etiam cælos superauerit.

Matt. 16.

Homilia, cùm de expulsione ipsius ageretur: Christi Ecclesia nihil fortius: si quis eam impugnare proponit, vires atterat necesse est. Tale enim est,

velut

velut si cælo bellum meditetur inferre. Homini si bellum inferas, fortasse vinces, aut fortè vinceris: Ecclesiam vincere nulla vis poterit. Deus est Ecclesia, qui est omnibus fortior, &c. Non vidisti trementem ciuitatem tuam quoties stare fecit? Multo magis Ecclesiam suam trementem poterit confirmare: fortior enim Ecclesia multo quàm terra, imò & fortior cælo. *Cælum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt*, &c. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt in eam.* Quòd si non credis verbo, & rebus ipsis, operibus crede. Quanti tyranni aggressi sunt impugnare Ecclesiam Dei, quanta tormenta, quantas cruces adhibuerunt, ignes, fornaces, feras, bestias, gladios intendentes, & nihil agere potuerunt? Vbi nunc sunt ij, qui hæc fecerunt? vbi & illi, qui hæc fortiter pertulerunt? Nunc ij æternis pœnis premuntur, & isti æternis gaudijs eriguntur, &c. Intuemini quomodo commota est terra, & contremuit; & tamen non corruit ciuitas. Quomodo impurissime Diabole Ecclesiam te putas posse deijcere, qui trementes parietes deijcere minimè valuisti?

Demonstratione aduersus gentes, quòd Christus sit Deus: Nam à die, qua dictum est, constat Ecclesia solida, & stabilis, ac inuicta, florens, ac fulgens, & indies magis ac magis vigens, crescens, & plus roboris sumens, & omnibus, qui ab illo die vsque ad Domini aduentum futuri sunt, præstans, vt summos inde fructus, & ineffabilem vtilitatem capere queant. Nam & qui ante nos, & qui ante illos, & qui multo superius fuêre, cognouerunt eius virtutem, videntes eam vexari bellis, periculis, tumultibus, turbis, fluctibus, & tempestatibus; & neque sic submergi, vinci, superari, extingui; sed florere, crescere, & extolli, &c.

Philo Carpathius. 420.

In Cantica: *Pulchra vt luna.*) Lunæ comparatur Ecclesia, propterea quòd quicquid habet diuini luminis, id à iustitiæ Sole illo immobili atque diuino, quamdiu illi sese rectè offert, accipit: & veluti luna modò tentationibus & pressuris decrescere videtur, ac minui; modò victis malignis hostibus innouari, ac surgere, &c. Hanc lunam purissimam Ecclesiam, & immaculatam Christi sponsam diuinissimo suo sanguine fundatam & ablutam obscurare conantur hæretici, & omnes malè viuentes: sed Sol ipse ineffabilis bonitatis suæ radijs nunquam hanc humilem & fidelem lunam illuminare cessat, suoq; ardore fouere, ad plurimos quotidie vitales partus edendos; vt his omnibus armata sponsa atque munita, terrorem malignis hostibus incutiat, stuporem, & mortem.

Cyrillus Alexandrinus. 430.

Libro 4. Dialogorum de Trinitate: Petram opinor per agnominationem nihil aliud quàm inconcussam, & firmissimam discipuli fidem vocauit, in qua Ecclesia Christi ita firmata & fundata esset, vt non laberetur, & esset inexpugnabilis inferorum portis, in perpetuum manens.

In Esaiam libro 1. cap. 2. Sion intelligibilis, Ecclesia scilicet, supra omnem creaturam aspectabilem & inaspectabilem euolat, & ad ipsam adeò vniuersitatis naturam pertingit, (luce enim diuina plena est,) illamqúe agnoscit opificem artificemqúe vniuersorum, illi, atque adeò soli, potentiam in omnia tribuit, eaqúe ipsa gloria tanta Deum optimum maximum Regem coronat. Hinc igitur mons intelligibilis, & domus Dei iure dici possit. Est & illustris, vtpote supra colles eleuata, de qua meritò illud dici poterit, quod illustris exempli causa à Saluatore dictum: *Non potest ciuitas abscondi supra montem posita.* Matth. 5.

Libro 5. cap. 54. Qui verè à Deo docti sunt, eos nemo potest lædere eorum, qui inanitate verborum vti solent: sed pacem habent apud Deum, amore cum ipso colligati, & iustitiam colentes. Hoc ędificat Ecclesiam, & eam sartam, tectam conseruat, ne nutet, Christo protegente & concedente, vt inconcussa sit & immota. *Aduersus hanc enim*, inquit, *portæ inferorum non prævalebunt.* De ea namque scriptum est etiam in libro Psalmorum: *Et ædificabit velut vnicornis sanctuarium suum in terra, fundauit illud in æternitatem.* Sanctuarium eius Ecclesiam esse dicimus, quæ hostibus horribile cornu erigit, quemadmodum videlicet vnicornis cæteris etiam animantibus. Fundata est enim in ętternitatem à Christo.

Matt. 17.

Psal. 77.

Isidorus Peluſiota. 440.

Libro 1. epistol. 238. Per inferi portas diuinus sermo impiorum hominum cœtus, atque hæresum blasphemias intelligit; quibus omnibus obsistens Dei Ecclesia, eas quidem frangit & expugnat, ab ijs autem vinci non potest.

Epistola 311. Ecclesia firmo loco defixa est, eamqúe causam habet, vt ipsi ne inferi quidem portæ dominentur; quemadmodum is, qui eam constabiliuit, pollicitus est.

Libro 3. epist. 5. Non tanquam nemo Ecclesiæ bellum indicturus, atque extinguere adnixurus esset, verùm quòd multi quidem aduersus eam pugnaturi, sed tamen vincendi & profligandi essent, dictum est: *Et portæ inferi non prævalebunt aduersus eam*, subaudi Ecclesiam: sic quippe contigit: oppugnata enim est, sed non oppressa: verùm ijs ipsis, qui eam extinguere tentauerunt, splendidior emicuit. Quid igitur miraris, si sancti etiam viri bello exagitantur? Ex bellis enim præclariora trophæa, atque ornatiora spolia esse videntur.

Theodoretus. 450.

Ad Psalm. 47. *Bene fundata in exultatione vniuersa terra.* Hanc autem, *inquit*, in lætitia vniuersæ terrę bene, & optimè, ac solidè ędificauit. *Ædificauit namque ipsam* (ait diuinus Apostolus) *supra fundamentum Apostolorum & Prophetarum*, cùm sit petra angularis eius Christus Iesus. Et ipse Dominus B. Petro inquit: *Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt aduersus eam.* Hoc igitur, *bene fundata*, pro solidis fundamentis posuit, vt ipsa intrepida, & inconcussa permaneat.

Heb. 2.

Matt. 16.

Andreas Cæsareensis. 500.

Ad caput 12. Apocalypsis: Et hinc quoque demonstratur per Iesum Christum Dominum nostrum, qui diuulsa coniunxit, maceriæqúe interstitium dissoluit, vnum ex omnibus hominibus ouile, & vnam rursus ex hominibus & Angelis Ecclesiam factam esse.

Procopius Gazæus. 530.

In Exodum folio 300. Cæterùm illud vide, vt Ecclesia nunc angustior & arctior demonstretur, sub typo tabernaculi: nunc verò iterum amplietur & dilatetur sub typo atrij, secundùm Esaiæ proloquium: *Dilata locum tabernaculi tui, & aulæorum tuorum fige, nec pepercèris*: præterea in dextras & sinistras partes expande. Nam Ecclesia initio quasi in vnam orbis partem coniecta, tempore

succedente in vniuersum diffusa est orbem.

Ad cap.33. Esaiæ: Veteris Hierusalem, quæ toties olim expugnata fit, tabernacula ceciderunt: at noua ciuitas, quia super petram stat, ipsis persecutionum temporibus immobilis permanet.
Matt. 16. Neque enim *portæ inferi aduersus eam prævalebunt.* quæ nullo imbrium impetu, nullo fluuiorum,
Matth. 7. nullo ventorum denique, cùm supra firmam petram fundata fit, ceciderit.

Isychius Hierosolymitanus. 580.

Libro 4. in Leuiticum cap. 14. Parietes domus rectè dicuntur hi, qui eam continent, id est ordines diuina dicentium atque docentium. Ex his quippe verè consistit Ecclesia, & non, sicut quidam putant, ex lignis atque lapidibus. Vnde & Moses, quando colligere iubebatur Ecclesiam, non ligna, & lapides, cæteraqúe similia; sed plebem, seniores, Leuitasqúe conuocabat. Secundùm quam etiam rationem Iacobus, & Cephas, & Ioannes, columnæ Ecclesiæ dicebantur. Ergo parietes rectè ministri sacrorum, Doctoresqúe: vtpote ipsi stabilitatem Ecclesiæ fulcientes, & plebem quodammodo intra semetipsos colligentes.

Germanus Constantinopolitanus. 725.

1. Ioan. 5. *Epistola ad Thomam Episcopum Claudiopoleos:* Dicat nobiscum B. Euangelista Ioannes: *Hæc est victoria, quæ vicit mundum, fides nostra:* hæc proponatur nobis, de hac nobis dicatur, ipsa est petra, supra
Matt. 16. quam Christus suam ædificauit Ecclesiam, in portas inferni, hoc est impressionum & insultationum contrariæ potentiæ, inconcussum & incommutabile præsidium.

Ioannes Damascenus. 730.

Oratione de Transfiguratione Domini: Hæc est firma illa & immota fides, super quam, tanquam super petram, Ecclesia fundata est, cuius
Psal. 63. tu meritò cognomentum geris. Aduersus hanc inferorum portæ, hæreticorum ora, dæmonum organa impetum quidem facient, sed non prævalebunt; arma quidem induent, sed non expugnabunt: sagittæ paruulorum plagæ eorum fuerunt, & erunt. In suam enim perniciem mala fabricatur, qui veritati obsistit. Hanc precibus tuis (Petre) ita conserua, vt ab omni perturbatione ac fluctibus immunis sit. Nam quod nunquam futurum sit, vt euertatur, aut labefactetur, aut expugnetur, planè confidimus.

Theophylactus. 900.

Ad Matth. cap. 16. Portę inferi temporales sunt persecutores, qui ad infernum mittere conantur Christianos: & hæretici quoque portæ sunt ad infernum ducentes. Multis igitur persecutoribus, & multis hæreticis prævaluit Ecclesia.

Euthymius. 1080.

Ad Psalm. 45. *Deus in medio eius non commouebitur. Ecce ego,* inquit, *vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi.* Item *vbi sunt duo aut tres congregati in nomine meo, illic sum ego in medio eorum.* Non commouebitur autem vi aliqua visibilium, seu inuisibilium inimicorum, conantium eam euertere. *Portæ enim,* inquit, *inferi non prævalebunt aduersus eam.*

Ad Psalm. 47. *Deus fundauit eam in seculum.*) Hæc verba soli conueniunt Ecclesiæ fidelium. *Portæ enim,* inquit, *inferni non prævalebunt aduersus eam.* Ipsa etenim Hierusalem à fundamentis euersa, ac solo æquata est. Quid igitur ad hæc dicere possunt Iudæi?

Manuel Palæologus. 1400.

De præceptis educationis Regiæ cap. 11. Anteferenda tibi in cunctis est Ecclesia, quæ te quoque in cunctis anteponit, & instar omnium est tibi secundùm Deum. Ea tibi mater, nutrix, magistra, aliptota, viæ dux, adiutrix, incitatrix ad pulcherrima quęuis, & maximè durabilia perpetuaqúe. Nihil enim eorum, quæ in hac continentur, vel fluxum, vel obnoxium est interitui: sed æternum, corruptionis & interitus expers, æternis & corruptionis expertibus conueniens. Omnia namque spiritualia sunt, ea propter & æterna, & bona, & immota.

Gennadius Scholarius. 1450.

De sacrificijs in azymo, sectione 9. Christus dicit nunquam suam errare Ecclesiam: quia se semper cum ea mansurum pollicitus est. Si ergo verus est Christus, & promissionem suam veram esse oportet: ita enim dixit: *Ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi:* nosqúe ita credimus, eum cum Ecclesia sua semper esse permansurum, nec eam derelicturum vnquam. Si verò secundùm vos cum ea se semper mansurum pollicitus est, sed dereliquit illam, & errare permisit, ex necessitate mendax est: si verò mendax, Deus non est. Videte, in quam, absurditatem incidistis, Christum vocando mendacem: nam hoc omnem iniquitatem, & blasphemiam superat. Sed cum ea fuit, & est, & erit, & manebit in secula, quamuis disrumpantur, qui contra, quàm Ecclesia sentit, sentiunt, & faciunt: nos verò eam sequimur, & obseruamus, perinde ac impossibile sit, vt ea errorem prædicet, sed magis veritatem, & rectam fidem, cùm ea secum habeat sponsum suum Christum.
Matt. 28.

Hieremias Constantinopolitanus. 1580.

Respon. 1. epistola ad Martinum Crusium: Ecclesia Christi (vt cum Paulo loquamur) *columna & firmamentum veritatis, cui ne portæ quidem inferorum* (vt diuina Domini promissio habet) *prævalebunt.* Etiamsi enim aliqui monstrosa imaginatione aliquid peruertant; nihilominus tamen ea manet stabilis & inconcussa: fundata firmiter in petra, & ijs, quibus innititur veritas.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Martialis. 100.

Ad Burdegalenses cap. 11. Sed firma Ecclesia Dei & Christi, nec cadere, nec dirumpi poterit vnquam.

Tertullianus. 200.

De Præscriptionibus aduersus hæreticos cap. 32. Si quę audent se interserere ætati Apostolicæ, vt ideò videantur ab Apostolis traditæ, quia sub Apostolis fuerunt: possumus dicere: edant ergo origines suarum Ecclesiarum, euoluant ordinem suorum Episcoporum, ita per successiones ab initio decurrentem, vt primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis, vel Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseuerauerint, habuerit auctorem & antecessorem. Hoc enim modo Ecclesiæ Apostolicæ census suos deferunt: sicut Smyrnęorum Ecclesia habens Polycarpum ab Ioanne collocatum refert: sicut Romanorum Clementem à Petro ordinatum edit: proinde vtique & cęteræ exhibent, quos ab Apostolis in Episcopatum constitutos, Apostolici seminis traduces habeant. Confingant aliquid tale hæretici. Quid enim illis post blasphemiam illicitum est? &c.

Cap. 37. Ad eos meritò dicendum est: Qui estis? quando,

quando, & vnde venistis? quid in meo agitis non mei? quo denique Marcion iure syluam meam cædis? qua licentia Valentine fontes meos trãsuertis? qua potestate Apelles limites meos commoues? Mea est possessio, olim possideo, prior possideo, habeo origines firmas, ab ipsis auctoribus, quorum fuit res: ego sum hæres Apostolorum: sicut cauerũt testamẽto suo, sicut fidei commiserunt, sicut adiurauerunt, ita teneo: vos certè exhęredauerunt semper, & abdicauerunt, vt extraneos, vt inimicos.

Libro 4. contra Marcionem cap. 33. Transeat cęlum & terra citius, sicut & Lex & Prophetæ, quàm vnus apex verborum Domini: *Verbum enim,* inquit Esaias, *Dei nostri manet in æuum.*
Esaiç 40.

Cyprianus. 250.

De vnitate Ecclesiæ: Quam vnitatem firmiter tenere & vindicare debemus, maximè Episcopi, qui in Ecclesia præsidemus, vt Episcopatum quoque ipsum vnum & indiuisum probemus. Nemo fraternitatem mendacio fallat, nemo fidei veritatem perfida præuaricatione corrumpat: Episcopatus vnus est, cuius à singulis in solidum pars tenetur: Ecclesia vna est, quę in multitudinem latius, incremento fœcunditatis extenditur. Quomodo solis multi radij, sed lumen vnum: & rami arboris multi, sed robur vnum tenaci radice fundatum: & cùm de fonte vno plurimi riui defluunt, numerositas licet diffusa videatur exundantis copiæ largitate, vnitas tamen seruatur in origine. Auelle radium solis à corpore, diuisionem lucis vnitas non capit: ab arbore frange ramum, fractus germinare non poterit: à fonte præcide riuum, præcisus arescet. Sic & Ecclesia, Domini luce perfusa, per orbem totum radios suos porrigit; vnum tamen lumen est, quod vbique diffunditur, nec vnitas corporis separatur; ramos suos in vniuersam terram copia vbertatis extendit, profluentes largiter riuos latius expandit; vnum tamen caput est, & origo vna, & vna mater, fœcunditatis successibus copiosa. Illius fœtu nascimur, illius lacte nutrimur, spiritu eius animamur. Adulterari non potest sponsa Christi, incorrupta est, & pudica: vnam domum nouit, vnius cubiculi sanctitatem casto pudore custodit.

Epistola ad Cornelium: Ecclesia, quę in Christum credit, & quæ semel id quod cognouit tenet, nunquam ab eo omninò discedit, & ij sunt Ecclesia, qui in domo Dei permanent.

Felix Primus. 270.

Epistola 1. Præstabit vires omnipotens Redemptor noster charitati atque iustitiæ: præstabit nobis longè à se positis vnitatem Spiritus sui ipse, cuius artificio, quasi in arcæ modum, quatuor mundi constructa lateribus, atque imputribilium lignorum compage & bitumine charitatis astricta est Ecclesia, vt nullius aduersitate spiritus, nullius venientis extrinsecus tumore fluctus perturbetur.

Lactantius. 300.

Libro 4. cap. 30. Cùm enim Phryges, aut Nouatiani, aut Valentiniani, aut Marcionitæ, aut Anthropiani, seu quilibet alij nominantur, Christiani esse desierunt, qui Christi nomine amisso, humana & externa vocabula induerunt. Sola igitur Catholica Ecclesia est, quæ verum cultum retinet. Hic est fons veritatis: hoc est domicilium fidei: hoc templum Dei: quod si quis non intrauerit, vel à quo si quis exierit, à spe vitæ & salutis æternæ alienus est, &c. Sed tamen, quia singuli quique cœtus hereticorum se potissimũ Christianos, ac suam esse Catholicam Ecclesiã putant, sciendũ est illam esse veram Ecclesiam, in qua est confessio & pœnitentia, quę peccata & vulnera, quibus subiecta est imbecillitas carnis, salubriter curat.

Hilarius. 350.

De Trinitate lib. 6. Super hanc confessionis petram Ecclesiæ ædificatio est, scilicet: *Tu es Christus Filius Dei viui.* Hęc fides Ecclesię est fundamentum, per hanc fidem infirmæ aduersus eam sunt portæ inferorum.

Lib. 7. Magna est vis veritatis, quæ cùm per se intelligi non possit, per ea tamen ipsa, quæ ei aduersantur, elucet; vt in natura sua immobilis manẽs, firmitatem naturę suę, dum attentatur, acquirat. Hoc enim Ecclesiæ proprium est, vt tum vincat, cùm læditur; tum intelligatur, cùm arguitur; tum obtineat, cùm deseritur.

Liberius. 351.

Epistola ad Constantium Augustum: Nihil addidi Episcopatui vrbis Romę, nihil minui passus sum, & illã fidem seruans, quę per successionẽ tantorũ Episcoporũ cucurrit, ex quibus plures Martyres extiterunt, illibatam custodiri semper exopto.

Ambrosius. 370.

Lib. 4. Hexameron cap. 2. Ecclesia tempora sua habet persecutionis, & pacis. Nam videtur sicut luna deficere, sed nõ deficit; obũbrari potest, deficere non potest. Quia aliquorũ quidem persecutionibus discessione minuitur, vt Martyrum cõfessionibus impleatur: & effusi pro Christo sanguinis clarificata victorijs, maius deuotionis suæ, ac fidei toto orbe lumen effundat.

Ad cap. 3. Lucæ: Mater viuentiũm Ecclesia est, quam ędificauit Deus *in ipso summo angulari lapide Iesu Christo, in quo omnis structura compaginata crescit in templum Dei.*

Ad caput 11. Fides Iudaicæ plebis se impugnat, & impugnando diuiditur, diuidendo dissoluitur. Et ideo regnum Ecclesię manebit in æternum, quia indiuidua fides corpus est vnum.

Lib. de Salomone cap. 4. Adhuc quid subiungat audite: *Et semitas,* inquit, *nauigantis.*) Nauem adæquè Ecclesiam debemus accipere, in salo mundi istius constitutam, quæ crebris ventorum fluctibus, id est tentationum plagis & verberibus fatigatur: quam turbidi fluctus, id est, huius seculi potestas conatur ad saxa perducere. Quę etsi vndarum fluctibus aut procellis sæpe vexatur, tamen nunquam potest sustinere naufragium: quia in arbore eius, id est, in cruce Christus erigitur, in puppi Pater residet gubernator, proram Paracletus seruat Spiritus. Hanc per angusta huius mundi freta duodeni in portum remiges ducunt, id est duodecim Apostoli, & similis numerus Prophetarum, &c. Hęc ergo nauis Ecclesia est, quę etsi quotidie seculum istud, tanquam aliquod pelagus, fortitur infestum, numquã eliditur adsaxum, nec mergitur ad profundum.

Pacianus. 370.

Epistola 1. Sub Apostolis, inquies, nemo Catholicus vocabatur. Esto, sic fuerit, vel illud indulge: cùm post Apostolos hæreses extitissent, diuersisqúe nominibus columbam Dei, atque reginam lacerare per partes, & scindere niterentur, nonne cognomen suum plebs Apostolica postulabat, quod incorrupti populi distingueret vnitatem, ne intemeratam Dei virginem error aliquorum per membra laceraret? Nonne appellatione propria decuit caput principale signari? Ergo fortè ingressus populosam vrbem hodie, cùm Marcionitas, cùm Apollinaritas, Cataphrygas, Nouatianos, & cæteros huiusmodi comperissem, qui se se Christianos vocarent, quo cognomine congregationem meæ plebis agnoscerem, nisi Catholica diceretur?

Epistola 3. Ecclesia est virgo sancta, castissimis sensibus sponsa Christi. Virgo, verum est; sed & mater: sponsa, manifestum est; sed etiam vxor & coniunx de viro sumpta. Ideoque *os de ossibus eius, & caro de carne.* Nam & de hoc Dauid dicit: *Vxor tua sicut vitis fœcunda, in lateribus domus tuæ; filij tui sicut nouellæ oliuarum, in circuitu mensæ tuæ.* Multus igitur huic virgini partus, & proles innumera, qua totus impletur orbis, qua circumfluis semper aluearibus populosum feruet examen: magna in filios cura matris istius, & mollis affectus: honorantur boni, castigantur superbi, curantur ægroti, nullus perit, nemo despicitur, securi fœtus sub indulgentia matris retinentur. *Ecclesia est non habens maculam, neque rugam,* hoc est, hæreses non habens, non Cataphrygas, non Nouatianos. In his enim sunt quidam sinus maculosi atque rugosi, pretiosarum vestium ornatibus inuidentes. Cæterùm peccator & pœnitens non est Ecclesiæ macula: quia quandiu peccat, & non pœnitet, extra Ecclesiam constitutus est: vbi desinit peccare, iam sanus est. Hæreticus verò vestem Domini Ecclesiam Christi scindit, intercipit, vitiat, irrugat.

Gen 2. Psal. 127.

Hieronymus. 390.

Ad caput 4. Esaiæ: Super petram fundata Ecclesia nulla tempestate concutitur, nullo turbine ventisque subuertitur.

Ad Esaiæ c. 60. Ecclesiæ dicitur: *Surge, illuminare,* vt quæ cecidit in incredulis, surgat in fidelibus: quæ cecidit in Synagogis, surgat in Ecclesijs: & postquã surrexerit, illuminetur; vt nequaquam habeat erroris tenebras.

Ad caput 48. Ezechielis: Nomen ipsius ciuitatis nequaquam erit, vt prius, Hierosolyma, quæ interpretatur visio pacis; sed Iehoua hascham, quod in Latinum sermonem vertitur, Dominus ibidem: qui recedat nunquam ab ea, vt à priori populo ante discessit, dicens ad discipulos: *Surgite, abeamus hinc*: & ad Iudæos: *Relinquetur domus vestra deserta:* sed æternam habeat possessionem, & sit ei possessio, ijsdem discipulis repromittens: *Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi.*

Ioan. 14. Matt. 23. Matt. 28.

Ad caput 9. Amos: Postquam autem plantârit eos, & firma in altum radice solidârit, non euellet vltra de terra, quam dederat ijs. Ex quo intelligimus, Ecclesiam vsque ad finem mundi concuti quidem persecutionibus, sed nequaquam posse subuerti: tentari, non superari. Et hoc fiet, quia Dominus Deus omnipotens, siue Dominus Deus eius, id est Ecclesiæ, se facturum pollicitus est, cuius promissio lex naturę est.

Ad Matthæi cap. 28. Qui vsque ad consummationem seculi cum discipulis se futurum esse promittit, & illos ostendit semper esse victuros, & se nunquam à credentibus esse recessurum. Qui autem vsque ad consummationem mundi sui præsentiam pollicetur, non ignorat eam diem, in qua se scit futurum cum Apostolis.

Dialogo contra Luciferianos cap. 9. In illa Ecclesia permanendum est, quę ab Apostolis fundata, vsque ad hanc diem durat. Sicubi audietis eos, qui dicuntur Christi, non à Domino Iesu Christo, sed à quoquam alio nuncupari, vtpote Marcionitas, Valentinianos, Montenses, siue Campitas, scito non esse Ecclesiam Christi, sed Antichristi esse Synagogam. Ex hoc enim ipso, quòd postea instituti sunt, eos se esse indicant, quos futuros Apostolus prænuntiauit.

1. Tim. 4

Chromatius. 400.

Ad caput 5. Matthæi: Ciuitatem supra montem positam Ecclesiam ostendit, supra fidem Domini & Saluatoris nostri in cęlesti gloria constitutam; quæ iam non per annuntiationem Legis obumbretur, sed per Euangelicam doctrinam aperta prædicatione conspicitur.

Augustinus. 400.

Lib. 15. contra Faustum cap. 3. alloquens Catholicam Ecclesiam: Noli, *inquit,* decipi nomine veritatis, hanc sola tu habes, & in lacte tuo, & in pane tuo. In hac autem (*in Manichæorum Ecclesia*) tantùm nomen eius est, ipsa non est. Et in tuis quidem grandibus secura es: sed appello interim paruulos tuos, fratres, filios, dominos meos, quos vel tanquam oua solicitis alis foues, vel tanquam infantes lacte nutris, sine corruptione fœcunda virgo mater. Hos in te appello teneros tuos fœtus, ne garrula curiositate seducantur abs te: sed potius anathematizent, si quis eis euangelizauerit præter id, quod acceperunt in te.

Colos. 1.

Ad Psal. 47. De hoc alibi dicitur: *Quis ascendet in montem Domini? Innocens manibus, & mundo corde. In his magnus Dominus, & laudabilis valde;* hoc est, *in ciuitate Dei nostri, in monte sancto eius.* Hæc est ciuitas in monte posita, quæ abscondi non potest. Hæc est lucerna, quæ sub modio nõ occultatur, omnibus nota, omnibus diffamata: non autẽ vniuersi cives eius sunt; sed illi, in quibus *magnus Dominus & laudabilis valdè.* Quę est ergo ista ciuitas, videamus; ne fortè quia dictũ est: *In ciuitate Dei nostri, in mõte sancto eius,* debeamus quærere istum montem, vbi etiam exaudiri possimus, &c. Sed fortè ista ciuitas, quę mundum tenuit, aliquando euertetur. Absit: *Deus fundauit eam in æternum.* Si ergo Deus eam fundauit in æternum, quid times ne cadat firmamentum?

Psal. 23 Matth. 5

De vnitate Ecclesiæ cap. 15. Dicunt Donatistæ, de Apostasia orbis terrarum dictum esse, quod ait Dominus: *Filius hominis veniens putas inueniet fidem in terra?* Quod nos intelligimus dictum, vel propter ipsam fidei perfectionem, quę ita difficilis est in hominibus, vt in ipsis quoque admirabilibus sanctis, sicut in ipso Mose, inueniatur aliquid, vbi trepidauerint, vel trepidare potuerint; vel propter illam iniquorum abundantiam, & paucitatem bonorum, de qua satis diximus: Propterea enim tamquam dubitãs hoc Dominus dixit. Neque enim ait: Veniens filius hominis, non inueniet fidem in terra: sed, *putas inueniet fidem in terra?*

Luc. 18. Exod. 20.

Cap. 16. Non est Ecclesia operta, quia non est sub modio, sed super candelabrum, vt luceat omnibus, qui in domo sunt. Et de illa dictum est: *Non potest ciuitas abscondi super montem constituta.* Sed Donatistis velut operta est, qui audiunt tam lucida, & tam manifesta testimonia, quæ illam toto orbe demonstrant; & malunt clausis oculis offendere in montem, quàm in eum ascẽdere: qui cùm esset lapis præcisus de monte sine manibus, creuit & factus est mons ingens, & impleuit vniuersam terram.

Matth. 5. Dan. 2.

Cap. 25. Habetis Ecclesiam vbique diffundi & crescere vsque ad messem. Habetis ciuitatem, de qua ipse, qui condidit eam, ait: *Non potest ciuitas abscondi supra montem constituta.* Ipsa ergo est, quæ non in aliqua parte terrarum, sed vbique notissima est.

Matth. 5.

Contra epistolam Fundamẽti cap. 4. Multa sunt, quæ me iustissimè tenent in Ecclesiæ Catholicæ gremio: tenet consensio populorum, & gentium; tenet auctoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata; tenet ab ipsa Sede Petri Apostoli, vsque ad præsentem Episcopatũ, succcssio sacerdotum; tenet postremò ipsum Catholicæ nomen, quod non sine causa inter tam multas hæreses sic ista Ecclesia sola obtinuit, vt

cùm

cùm omnes hæretici se Catholicos dici velint, quærenti tamen peregrino alicui, vbi ad Catholicam conueniatur, nullus hæreticorum vel Basilicam suam, vel domum audeat ostendere.

Aurelius Carthaginensis Episcopus. 400.

Epistola ad Marcellinum: Sicut non audimus contra Christum eos, qui dicunt, corpus eius à discipulis furatum: sic non debemus audire contra eius Ecclesiam eos, qui dicunt, non eam esse, nisi in solis Afris, & Afrorum paucissimis socijs. Sicut ergo non credimus furto cuiusquam perijsse carnem Christi mortuam de sepulchro: sic credere nõ debemus peccato cuiusquam viua eius membra perijsse de mundo, &c. Non inuenerunt aliquod testimonium diuinorum eloquiorum, vbi dictum est Ecclesiam perituram de cæteris partibus mundi, & in sola Africa Donati parte mansuram: & viderunt quàm sit absurdũ, pro illa, quæ fuerat peritura, nulla testimonia diuina recitari: pro ea verò, quæ, sicut putant, fuerat Domino placitura, nullum eius testimonium reperiri.

Paulus Orosius. 420.

Lib. 6. cap. 1. Si Christiana fides per multa retrò tempora, sæuientibus vndique aduersum se gentibus, regibus, legibus, cœdibus, crucibus, ac mortibus, reprimi nullo modo potuit; imò inter hęc, & per hæc creuit: cultus autem idolorum iam quodammodo ex se deficiens, ac sibi erubescens, ad vnam clemẽtissimam iussionem, sine vllo pœnali terrore cessauit: cui dubium est, hoc per istius intelligentiæ demonstrationem de Creatore suo tandem innotuisse creaturæ, quod illa eatenus per varias ratiocinationes mentis intentæ, quamlibet alijs offuscatæ quęrerit, ac per hoc statim amori eius, quem etiam ignorans dilexerat, inhæsisse?

Lib. 7. cap. 33. Vnus Deus vnam fidem tradidit, vnam Ecclesiam toto orbe diffudit, hanc aspicit, hanc diligit, hanc defendit. Quolibet se quisquis nomine tegat, si huic non sociatur, alienus est: si hanc impugnat, inimicus est.

Petrus Chrysologus. 440.

Sermone 61. *Credo sanctam Ecclesiam Catholicam.*) Vt confitearis Ecclesiam Christi sponsam, in perpetua Christi societate esse mansuram.

Leo Magnus. 450.

Sermone 1. in Natali Apostolorum Petri & Pauli cap. 6. Nullo crudelitatis genere destrui potest sacramẽto crucis Christi fundata religio. Non minuitur persecutionibus Ecclesia, sed augetur, & semper Dominicus ager fegete ditiore vestitur, dum grana, quæ singula cadunt, multiplicata nascuntur.

Sermone 2. cap. 2. *Supra hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferorum non præualebunt aduersus eam.* Super hanc, inquit, fortitudinem æternũ extruam templum, & Ecclesiæ meæ cælo inferenda sublimitas in huius fidei firmitate consurget. Hanc confessionem portæ inferi non tenebunt, mortis vincula non ligabunt.

Prosper. 450.

Ad Psal. 106. Ecclesia Catholica in electis suis, prænoscitis à Deo, filijs promissionis, membris corporis Christi nõ minuitur, nec ad paucitatem redigitur.

Ad Psal. 126. *Nisi Dominus ædificauerit domũ.* Quod vtique de tota Ecclesia intelligendum est, quæ est Hierusalem, in omnium compage Sanctorum vna domus, & vnum templum, & vna ciuitas: cuius extructio ab initio vsque in finem Domino ædificante consurget, sine cuius gratia nihil est solidum, nihil firmum.

Sedulius. 460.

Libro 4. Paschali:

Victima quæ dabitur, cùm victima pastor habetur?
Discedat Synagoga suo fuscata colore,
Ecclesiam pulchro sibi Christus iunxit amore.

Salonius. 480.

In Prouerbia Salomonis: Mulier fortis appellatur sancta Ecclesia Catholica, quæ ideo mulier dicitur, quia Deo spirituales generat filios ex aqua & Spiritu sancto. Fortis autem ideo dicitur, quia cũcta seculi huius aduersa simul & prospera propter fidem & amorem sui conditoris ac Redemptoris contemnit ac despicit.

Alcimus Auitus. 500.

Lib. 4. cap. 14. de Arca Noë:

Hæc inter miseri feruentia funera mundi
Prægrauis insanis pulsatur motibus arca,
Compagesq; tremunt, stridens iunctura laborat:
Nec tamen obstructam penetrat vis improba, quãquã
Verberet, & solidam fluctu feriente fatiget:
Non aliter crebras Ecclesia vera procellas
Sustinet, & sæuis nunc diuexatur ab vndis:
Hinc gentilis agit diros sine more furores:
Hinc Iudæa fremit, rabidoq; hanc impetit ore:
Hæreseon vesana furens exinde charybdis
Concutit, & Graium sapientia stulta Sophorum.
Quæ quamquam inter se vario certamine pugnant,
Debellanda tamen si quando Ecclesia, gaudent
Consensu vnanimi Christi consurgere contra
Nauiculam, & vanis mendacia fingere verbis:
Sed clausam vacuo pulsant impune latratu.

Hormisda. 510.

Epistola ad Possessorem: Non est ignota Ecclesijs Dei de huiusmodi procellis, aut insueta tẽpestas, quamuis rectoris sui gubernaculo incõcussa persistat, varijs tamen insurgentium fluctuum laborat vexata turbinibus. Nam vnde est Psalmidici vox Prophetæ, qui ipsius Ecclesiæ personam, spiritu quo implebatur, assumens: *Sæpe,* inquit, *expugnauerunt me à iuuentute mea: etenim non potuerunt mihi.* Concutiunt, sed in nihilo præualebunt.

Iustus Orgelitanus. 540.

In Cantica num. 136. Quanti tyranni & persecutores vnà cum auctore suo diabolo conati sunt Ecclesiæ virtutem dirumpere, & præualere nullo modo potuerunt? Habet enim sancta Ecclesia castrorum aciem ordinatam, quando imminente Christo nec Martyres persecutio, nec Virgines carnalis delectatio, nec misericordes cupiditas, nec humiles temporalis gloriæ deuicit ambitio.

Fortunatus. 580.

Lib. 3. vitæ S. Martini:

Ac super hac petra fundata Ecclesia regnat,
Quam nec flabra mouent, neq; vertit turbo procellæ,
Nec trahit vndiuagam pluuiatilis imber arenam.
Hæc quia viua tenet petra fundamenta salutis,
Contra quam portæ inferni nunquam arma valebunt.

Gregorius Magnus. 590.

Lib. 9. in Iob cap. 6. Arcturus semper versatur, & nunquam mergitur: & sancta Ecclesia persecutiones iniquorum sine cessatione tolerat, sed tamen vsque ad mundi terminum sine defectu perdurat. Sæpè namque eam reprobi, quia vsque ad internecionem persecuti sunt, quasi hanc se funditus extinxisse crediderunt; sed eò multiplicius ad statum sui profectus redijt, quò inter manus persequentium moriendo laborauit. Arcturus igitur dum versatur, erigitur: quia tunc sancta Ecclesia valentius in veritate reficitur, cùm ardẽtius pro veritate fatigatur.

Ad Psalm. 5. Pœnitentialem: Ipse Dei & hominum Mediator ad Apostolorum principem ait: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Ipse enim est petra, à qua Petrus nomen accepit, & super quam se ædificaturum Ecclesiam dixit. Terra autem dicta est Ecclesia, tum quia in messi fidelium populorum spiritali fœcunditate exuberat; tum quia in soliditate fidei perpetua firmitate immobiliter perseuerat. Vnde per Salomonem dicitur: *Terra in æternum stat.* Terra quippe in æternum stare dicitur, quia sancta Ecclesia in hoc seculo à Catholica fide nequaquam deficiet, & in futuro cum Deo æterna stabilitate permanebit. Nam quòd in hac vita nullis aduersitatibus frangenda sit, nullis persecutionibus superanda, ipse, super quem ædificata est, euidenter ostendit, cùm ait: *Portæ inferi non prævalebunt aduersus eam.* Portę inferi hęreses sunt, quæ dum multos in fide infirmos fucata verborum calliditate decipiunt, quasi infernorum eis aditum pandunt. Sunt etiam portæ inferi quædam potestates huius mundi. Quid enim Nero, quid Diocletianus, quid denique iste, qui hoc tempore Ecclesiam persequitur? Nunquid non omnes portæ inferi? Quis cogitare sufficiat, quãti promissionibus eorum deuorati sunt? Quanti eorũ metu perterriti? Quanti afflictionibus eorũ superati? Quos omnes perpetuæ mortis profundum absorbuit, & ad cruciatum damnationis æternæ infernus admisit? Sed Ecclesia in illius, de qua dictum est, petræ soliditate fundata, nec minarum ventis concutitur, nec persecutionum fluminibus mouetur, nec corporalium pœnãrũ incommodis titubat, nec mortis ipsius timore vacillat.

Matt. 16.

Eccles. 1

Matt. 16

Eucherius Gallus. 640.

In Genesin lib. 3. cap. 49. Habitaculum fortitudinis significat Ecclesiam fortissimam ad omnem tolerantiam passionis. Hæc in littore maris inhabitat, vt videat aliorũ naufragia: ipsa immunis periculi, expectat alios fluctuantes in freto istius mũdi, qui *circumferuntur omni vento doctrinæ*: ipsa fidei radice immobilis perseuerat, expectãs hæreticorum procellas, & naufragia Iudæorum: quoniam gubernatorem, quem habuerunt, abnegãrunt.

In librum 3. Regum: Altitudo parietis, quæ ex ordinibus lapidum super inuicem positis constat, præsentis statum signat Ecclesiæ, vbi electi super fundamentum Christi omnes sunt ædificati, sibi inuicem per temporum curricula succedunt, seseq; inuicem portãtes, legem Christi, quæ est charitas, adimplent.

Leo Secundus. 680.

Epistola 1. ad Constantinum Augustum: Exulta nunc securа sancta mater Ecclesia, de libertate tua sępius impugnata, sed non derelicta. Suscitauit Rex tuus inuictissimus Christianorum principẽ propugnatorem tuum, benefactorem tuum, atque opulentissimum largitorem: cuius studio orthodoxa fides recollecto splendore toto orbe irradiat, fideles omnes gratiam referentes exultant: infideles mœror & deiectio comprimit: Ecclesiæ Christi de cunctis oppressionibus liberatæ respirant, donis imperialibus confouentur, principali præsidio muniuntur: quibus & domesticis verbis augusta vestra benignitas Christum imitãdo pollicetur: *Ego vobiscum sum vsque ad consummationẽ seculi*, vt Domini nostri Iesu Christi, cuius exemplis vtitur, æterni eius regni gloria potiatur, & in orbem terrarum generaliter atq; perenniter eius imperium dilatetur.

Matt. 28.

Beda. 700.

Allegoricæ expositionis in Samuelem lib. 3. cap. 5. Nunquam exterminari potest Ecclesia Christi de medio, nunquam eius perire potest memoria, qui est ante secula, & manet in æternum.

In Esdram lib. 1. cap. 5. Ciuitas Domini, quæ est Ecclesia, si ædificata post captiuitatem fuerit, & muri illius ciuitatis de lapidibus viuis, hoc est animabus sanctis, contra mundi huius superbiam erecti, tributum nefandæ seruitutis ciues illius, hoc est electorum populi, vltra malignis spiritibus peccando non dabunt. Quinimò principibus potestatis aëris huius ædificatio pietatis nocebit, dum quotidie per lauacrũ regenerationis regno diaboli auferũtur plures ex his, qui in seruitium regni illius ob reatum primæ transgressionis fuerant generati.

In Prouerbia Salomonis lib. 2. cap. 15. Domus Christi, id est Ecclesia, plurimam habet fortitudinem, ita vt pluuia, ventis, fluminibus tentationum frequentiorum nequaquam possit dirui. Et in operibus diaboli conturbatio feruet assidua: quia eandem Christi domum per falsos fratres, vel apertos aduersarios deijcere tentat.

Libro 4. in Marcum cap. 13. Christus ad Patrem post resurrectionem victor ascendens, Ecclesiam corporaliter reliquit, quam tamen nunquam diuinæ præsidio præsentię destituit, manens in illa omnibus diebus vsque ad consummationem seculi.

Homilia de Feria 3. Palmarum: Soliditas sanctæ vniuersalis Ecclesiæ, quæ vestis sui Redemptoris solet appellari, nunquam valet disrumpi: quin potius, si Iudæi, si gentiles, si hęretici, si mali Catholici humilitatem Domini Saluatoris contemnant, eius tamen vsque ad consummationem seculi in illis, quos sors electionis inuenerit, inuiolata fit permansura castitas.

Alcuinus. 750.

Ad Psalm. 118. Ecclesia ab initio generis humani exorta, nullis generationibus defuit.

In Genesin paulo ante finem: Ecclesia in littore maris habitat, & credentibus refugium, & periclitantibus demonstrat fidei portum. Hæc contra omnes turbines seculi inconcussa firmitate solida expectat naufragium Iudæorum, & hæreticorum procellas, qui *circumferuntur omni vento doctrinæ*: quorum etsi tunditur fluctibus, non tamen frangitur.

Paulinus Aquileiensis. 780.

Aduersus Felicem Orgelitanum: Sancta & vniuersalis Ecclesia super firmam immobiliter fundata est petram, & portæ inferi nequeunt prævalere aduersus eam. Veruntamen, quia in mari huius seculi constituta persistit, aduersis hæreticorum flatibus, violentis perfidorum procellis, spumantibusq; maledicorum vndis illisa cõcutitur, licet quassari possit, & mergi nequeat, Christi firmata dextera, & Apostolico gubernaculo moderata.

Haymo. 820.

Ad Psal. 82. Mali persequendo Ecclesiam, faciũt eam impingueſcere interius, & fructiferam.

Dominica 4. post Epiphaniam: Quamuis mare fluctuaret, & procella excresceret, non est mersa nauis, in qua Dominus dormiebat: quia etsi Ecclesia potuit aduersis persecutionibus perturbari, nõ tamen à fide rectitudinis Domino gubernante recedere. Fundata enim erat super firmam petram, de qua Apostolus ait: *Petra autem erat Christus.*

Homilia in die SS. Petri & Pauli: Portæ inferi contra Ecclesiam, quæ super Christum fundata est, non prævalent: quia licet frequenter pulsata sit persecutionibus hæreticorum, tamen à fide Catholica euelli non potuit.

Angelomus. 830.

Lib. 3. Reg. cap. 6. In Ecclesia electi, super fundamentum Christum omnes ædificati, sibi inuicem in ordine per temporum curricula succedunt, seque inuicẽ portantes, legem Christi, quæ est charitas, adimplent. Dum enim qui nunc à præcedentibus eruditiuntur magistris, rursum ipsi alios erudiunt, quasi super inuicem positis ordinibus, quiq; lapidum viuorum in domo Dei sic ab alijs fixa constantia portantur, vt ad portandos alios & ipsi sufficiant, vsq; ad vltimos, qui in fine mundi nascituri sunt, iustos: qui quasi in summo domus Dei locati cacumine, docentur quidẽ & portantur ab alijs.

Rabanus Maurus. 850.

In Ecclesiast. lib. 9. cap. 7. Sicut luna à sole, sic Ecclesia à Christo illuminatur, & stabilitur.

De Vniuerso lib. 4. cap. 3. Ecclesia Catholica vniuersalis. Non enim sicut conuenticula hæreticorum aliquibus regionum partibus coarctatur, sed per totum terrarum orbẽ dilatata diffunditur. Quod & Apostolus ad Romanos approbat, dicens: *Gratias ago Deo meo pro omnibus vobis, quia fides vestra annuntiatur in vniuerso mundo.* Hinc & vniuersitas ab vno cognominata est, propter quod in vnitate colligitur. Vnde Dominus in Euangelio ait: *Qui mecum non colligit, spargit.*

Rom. 1.

Remigius Antissiodorensis. 880.

Ad cap. 2. Zachariæ: Hæc Hierusalem est sancta Ecclesia, mater Sanctorum, quæ ædificari cœpit in passione Domini, & resurrectione, & quotidie ædificatur, vt crescat in augmentum Dei, &c. Ecclesia absque muro habitatur, non indigens mortali præsidio: quia Dominus murus ignis est in circuitu eius, & ipse in medio eius est in gloria.

Altercatio Synagogæ & Ecclesiæ. 900.

Cap. 3. Emicuit quidem in hac ætate quasi scintillula quædam lucis in sanctis viris pauciſſimis: quia vinea sanctæ Ecclesiæ ab Abel vsque ad seculi terminum ab agricola summo plantata, nunquam tantis spinis inhorruit, quin etiam flores, etsi raros, haberet, quorum pulchritudine cultoris industria patesceret.

Berno Augiensis. 1020.

Sermone de Natiuitate Domini: Ne in decrepitã constituta ætate senescendo deficeres, ille, qui quondam de primi dormientis hominis latere costam produxit, & in mulierem ædificauit, ipse in cruce mortis acerbitate sopitus de sacratissimo sanguinem & aquam produxit, vt te (*Ecclesiam*) præmortuam tanti mysterij dono viuificaret, æternoq; coniunctionis fœdere mundando sibi sociaret. Hinc & Apostolus, *vt exhiberet*, inquit, *sibi Ecclesiam non habentem maculam aut rugam*, id est duplicitatem in fide, nec maculam in operatione.

Lanfrancus. 1050.

De Sacramẽto Eucharistiæ: Religio nominis Christiani permanebit cum sole, quamdiu sol oritur & occidit, hoc est, quamdiu tempora ista voluuntur, non deerit Ecclesia, hoc est Christi corpus in terra.

Anselmus Cantuariensis. 1080.

Matthæi 28. *Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi.*) Ex quo intelligitur, quòd vsque in finem seculi non sunt defuturi in mundo, qui diuina mansione, & inhabitatione sint digni.

In explanationibus in aliquot Euangelia. Lectio Euangelij Matthæi cap. 14. Dum Christus orat in excelso, nauicula turbatur fluctibus in profundo. Nam quia insurgunt fluctus, potest illa nauicula turbari: sed quia Christus orat, non potest mergi.

Franco Affligenienſis. 1100.

De gratia Dei Tomo 4. Domino in medio Ecclesiæ consistente, quocumque igne persecutionis inflammetur non comburitur: sed in similitudinem auri camino tribulationis decocta auro purior redditur.

Rupertus Tuitiensis. 1120.

Libro 7. in Genesin cap. 11. Non in angulo vno terræ, vel in parte cuiusquam hæresiarchæ concluſa vel coangustata, sed in omnes gentes diffusa credi debet Ecclesia, iuxta quod Filio promisit loquẽs in Propheta: *Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.*

Psal. 2.

Bernardus. 1130.

Serm. 79. super Cantica: Ex tunc, & deinceps non deficit genus Christianum, nec fides de terra, nec charitas de Ecclesia: *Venerũt flumina, flauerunt venti, & impegerunt in eam, & non cecidit; eò quòd fundata esset supra petram: petra autem erat Christus.*

Matt. 7.

1. Cor. 10.

Petrus Cluniacensis. 1140.

Lib. 1. epist. 2. Ecclesia est illa, quæ innumerabili multitudine per totum orbem Christi Domini sui præcepto diffusa, vsque ad nos peruenit, nec minus quàm olim totum mundum replet. Huic verè vt ipsis Apostolis credere debetis, cui Christus ipse (quantum ad hoc spectat) non minorem contulit auctoritatem. Nec dico, vt Apostolico labore satam, & auctam Ecclesiam Apostolis æquem; sed dico, quòd eius testimonijs, sicut Apostolicis, absque vlla contradictione acquiescendum est. Quòd si & hinc Euangelicam auctoritatem vultis audire, audite Christum dicentem: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi.* Sed vsq; ad consummationem seculi Apostoli in seculo non remanserunt. De Ecclesia ergo intelligendum est, quæ vsque ad consummationem seculi in seculo futura est.

Matt. 28.

Potho Prumiensis. 1160.

De statu domus Dei lib. 1. Hæc nimirum domus Ecclesia est, columna & firmamentum veritatis, quę in vnitate indiuisa firmatur, quæ vna columba, vna perfecta, Deo vnicè dilecta Scriptura teste declaratur.

Libro 3. Sacrosancta Ecclesia supra petram ædificata, & à Christo fundata, in cunctis aduersitatibus inconcussa firmitate perdurat, sicut ei vox Spiritus sancti in Psalmo promittit, dicens: *Non timebis à timore nocturno, nec à sagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris, ab incursu & dæmonio meridiano.*

Psal. 90.

Arnulphus Lexouiensis. 1160.

Sermone in Concilio Tullensi habito: Licet principes tenebrarum aduersus Ecclesiam Dei vehementer insurgant, portæ tamen inferi aduersus eam prævalere non possunt. Habemus assistentem nobis Christum: neque enim Ecclesiam ea nobis conditione tradidit, vt relinqueret: semper assistit: *Non relinquam*, inquit, *vos orphanos, vado, & venio ad vos, vobiscum vsque ad consummationem seculi* permansurus: adiutor & protector nobis est in salutem.

Hildegardis. 1160.

Secundæ partis visione 4. cap. 4. Spiritus sanctus in maxima fortitudine incarnationis illius, qui verus sponsus Ecclesiæ existit, mirabilia sua mirabiliter operatus est; & Ecclesiam suam tam fortem in defensione munitionis suæ ostendit, vt illa ob eam fortitudinem, qua ab igneo dono eius munita est, nunquam in errore vllius peruersitatis decidere possit. Quoniam per supernam pro-

tectionem in amore sponsi sui sine macula, & sine ruga semper gaudebit.

Abbas Ioachim. 1180.

Ad cap.13.Esaiæ: Christus in Apostolis transit ad gentes, quasi ad Romanum Imperium conuertendum, in quo & abscondet populum Christianum in foramine petræ,id est, Roma,in qua fides Christi vsque modò inuiolata & illæsa permansit,& permanebit vsque in finem.

Innocentius Tertius. 1200.

Sermone 2. in consecratione Pontificis Maximi: Cùm idem ipse sit fundator,& fundamentum Ecclesię, profectò portæ inferi prævalere non possunt aduersus eam: quia fundamentum immobile perseuerat, de quo dicit Apostolus: *Fundamentum positum est, præter quod aliud poni non potest,quod est Christus Iesus.* Licet ergo nauicula Petri magnis fluctibus in medio mari sæpè iactetur, præsertim cùm in ea dormit Iesus, nunquam tamè submergitur: quia *Iesus imperat ventis & mari,& tranquillitas magna fit, ita vt homines inde mirentur,& dicant: Qualis est hic, quia venti & mare obediunt ei?* Hæc est enim domus illa sublimis & stabilis, de qua Veritas dicit: *Descendit pluuia, venerunt flumina, flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit: fundata enim erat supra petram*: super illam videlicet, de qua dicit Apostolus: *Petra autem erat Christus.*Patet ergo quòd Apostolica Sedes non deficit in tribulatione, sed proficit de Dei promissione,vt dicere valeat cum Propheta: *In tribulatione dilatasti me.* De illius promissione proficit confisa, qui dixit Apostolis: *Vobiscum ero omnibus diebus vsque ad consummationem seculi.* Porrò *si Deus nobiscum, quis contra nos?* Quia igitur constitutio hæc non est ab homine, sed à Deo; imò verius, quia hæc constitutio est ab homine Deo, frustra laborat hæreticus vel schismaticus, frustra laborat perfidus lupus, vt demoliatur vineam,vt tunicam scindat, vt euertat candelabrum, vt lucernam extinguat.

1. Cor. 3.
Matth. 8.
1. Cor. 10.
Psal. 4.
Matt. 28
Rom. 8.
Act. 5.

Alexander Alesius. 1230.

*Tomo 4. quæst.2.mem.4.art.3.*Quòd autem Ecclesia perseuerat in bonis vsque ad finem mundi, accipitur ex hoc, quod dicitur Matthæi vltimo: *Ero vobiscum vsque ad consummationem seculi.* Sed Deum esse nobiscum, est semper aliquem esse iustũ: (cum iustis enim dicitur esse:) sed existente aliquo, vel aliquibus iustis, semper vsque ad finem mundi est ipsa Ecclesia. Ergo vsque ad finem mundi durabit Ecclesia. Arcturus dum versatur, erigitur; sic Ecclesia dum versatur per tribulationem, erigitur: *Diligentibus enim Deum omnia cooperantur in bonum.* Item Ecclesia signatur per nauiculam Petri: sed nauicula Petri legitur quòd penè mergebatur, nunquam autem mersa est, imò adest Domini consolatio. Ergo Ecclesia nunquam desinit esse. Item Ecclesiastici 40. *Fides in seculum stabit:* sed fidem in seculum stare quid aliud est, quàm quamdiu durabit seculum permanere? Ergo semper durabit Ecclesia durante seculo. Item Matth.6. *Adueniat regnum tuum,* id est regnum militantis Ecclesię veniat ad regnum triumphantis: quod erit, cùm tradiderit regnum Deo & Patri. Sed regnum militantis Ecclesiæ venire ad regnũ triumphantis, quid est aliud, quàm regnum militans permanere vsquequo sit triumphans? Ergo erit vsq; ad finem seculi. Præterea dicitur Oseæ 2. *Sponsabo te mihi in fide,& sponsabo te mihi in sempiternũ.* Ergo matrimonium Christi & Ecclesiæ durabit in sempiternum. Ergo & Ecclesia.Sicut ergo cùm est copula carnalis subsecuta, inseparabilis est coniunctio viri & mulieris: ita inseparabilis est coniunctio Christi & Ecclesiæ.Semper ergo durabit Ecclesia.

Innocentius Quartus. 1245.

Ad Fridericum Imperatorem:

Niteris incassum nauem submergere Petri:
Fluctuat, at nunquam mergitur illa ratis.

Thomas Aquinas. 1250.

*In expositione Symboli cap.12.*Ecclesia Catholica est vniuersalis. Primò quantum ad locum: quia est per totum mundum, contra Donatistas. Rom. 1. *Fides vestra annuntiatur in toto mundo.* Secundò est vniuersalis, quantum ad conditionem hominum: quia nullus abijcitur, nec dominus, nec seruus, nec masculus, nec fœmina. Tertiò est vniuersalis, quantum ad tempus: nam aliqui dixerunt, quòd Ecclesia deberet durare vsque ad certum tempus. Sed hoc falsum est: quia hæc Ecclesia incœpit à tempore Abel, & durabit vsque ad finem seculi. Matth.vltimo: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus.*

Engelbertus Admontensis. 1300.

De ortu & fine Romani Imperij cap.21. *In errorem inducentur, si fieri potest, etiam electi.* Dicit: *Si fieri potest*: quia fieri non potest in totum, cùm Ecclesia & fides possit periclitari, sed nunquã submergi. Iuxta illud: *Ego pro te rogaui, vt non deficiat fides tua.*

Nicolaus Lyranus. 1310.

Ad caput 28. Matthæi: Fides Catholica non deficiet vsque ad finem mundi, quantumcunque tribulationibus agitetur.

Augustinus Triumphus. 1320.

De potestate Ecclesiastica, in Præfatione ad Ioannem Papam: His omnibus modis impugnatur quãdoque Christi sponsa, sed vinci non potest: tempestates susçipit, sed non demergitur: iacula mittuntur in eam, sed non perforatur: machinamẽta præparantur, sed turris Dauidica non eliditur.

Ludolphus Saxo Carthusianus. 1330.

Vitæ Christi parte 1.cap.46. *Vt operiretur fluctibus.*) Bene dicitur,*operiretur*, non submergeretur: quia nauicula Petri concuti potest, submergi non potest, cuius figura in arca Noë fuit, &c. Nauicula intelligitur Ecclesia fidelium, quæ ad modum nauis in principio fuit arcta; quia paucos habuit credentes: in fine etiam,tempore Antichristi,erit angusta; quia tunc pauci erunt fideles: in medio autẽ est lata; quia modò fides est multũ dilatata. In hac naui continentur fideles,cui cum Christo per mare seculi ad regnum cælorum perueniunt. Hanc itaque nauem ascendit Christus per regimen & gubernationem: quia ipse est rector Ecclesiæ,& gubernator, in qua discipuli continentur. Sed contra Ecclesiam fiant venti varij & validi malorum, & eleuantur fluctus contra eam, vt sic nauicula quasi operiatur fluctibus, submergi tamen non potest. Et inter hęc omnia Christus dormire videtur,& non attendere: quia secundùm Origenem patientiam bonorum, & pœnitentiã impiorum expectat: Christi enim dormitio, est diuina in tribulationibus permissio; qui excitatur, quando bonorum precibus pulsatur.

Thomas Waldensis. 1410.

Doctrinalis fidei lib.2.articulo 2.cap.17. De vniuersalitate Ecclesiæ notari oportet, non eam tantùm esse extensionem loci, sed & temporis; vt Ecclesia Christi sciatur extensa esse per totum mundum, & à baptismo Christi, initio prædicationis eius durasse & duraturam esse vsque ad finem mundi& vltra, &c.Ecce plana sententia, Ecclesia Christi non est noua: à baptismo Christi

huc vsque vna perseuerat, & integra. Si ergo aliqua secta consurgat, cuius fides noua est, & antiquis Patribus inaccepta, non est illa Christi Ecclesia: sed meretrix,& Synagoga hæretica.

Ioannes Gerson. 1420.

*In examine doctrinarum cons.1.*Christus fuit supremus & optimus institutor Ecclesiæ, non deficiẽs in necessarijs, qui & dixit: *Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi.* Oportuit igitur in Ecclesia relinquere regulam infallibilem pro fide seruanda, & dubijs emergentibus terminandis. Non autem reperitur in terris altera talis infallibilis regula, nisi generale Concilium legitimè congregatum: nam persona quælibet singularis de Ecclesia, cuiuscumque dignitatis, etiam Papalis, circumdata est infirmitate, & deuiabilis est, vt fallere possit & falli: propterea non imparem posuit Augustinus auctoritatem in Ecclesia & Euangelio,dicẽs: Non crederem Euangelio, nisi me Ecclesiæ auctoritas commouisset.

Bernardinus Senensis. 1430.

Tomo 1. Sermone 1. de Christiana fidei firmitate art.3. cap.2. Secunda Christianæ fidei firmitas est Ecclesiæ permanentia. Non enim potest deficere fides Ecclesiæ Dei, quæ supra firmam petram Christũ fundata est.Vnde Matthæi 16. ait Dominus ad Petrum: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & porta inferi non prævalebunt aduersus eam.* Nec etiam deficere potest fides, pro qua conseruanda Filius Dei ad Patrem orauit. Vnde Lucæ 22. ait Dominus ad Petrum: *Ego pro te rogaui, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus,confirma fratres tuos.*

Ioannes Capistranus. 1440.

De Papæ & Ecclesiæ auctoritate fol.67. Habemus ex prædictis verbis Christi anchoram firmissimam securam, quòd durante mundo Christi fides in Ecclesia permanebit: quia Christi verba fallere nunquam possunt, sicut ipse dixit Matth.24. *Cælum & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt.*

Nicolaus de Nyse. 1470.

In Quæstionibus proœmialibus in primum Sententiarũ de vtilitate Scripturæ: Ecclesiæ stabilitas nec tyrannorum persecutionibus, nec hæreticorum peruersis dogmatibus euelli potest.

ADVERSARIORVM OBIECTIO, ECCLESIAM defeciſſe.

Primò *defecit Ecclesia initio mundi, cùm Adam & Eua de fructu vetito comedissent.*

Secundò *tempore Noë. Gen.6.* Videns Deus quòd multa malitia esset hominum super terram,& cũcta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore, pœnituit eum, quòd fecisset hominem in terra,*&c.*

Tertiò *tempore Mosis, cùm Aaron summus sacerdos proposuit vitulum adorandum, & omnis populus clamauit:* Hi sunt Dij tui Israel, qui eduxerunt te è terra AEgypti. *Exodi 32.*

Quartò *temporibus Iudicum, post obitum seniorum qui Iosuam viderant.* Surrexerunt alij, (*scribitur Iudicum 2.*) qui non nouerant Dominum, & opera quæ fecerat cum Israel. Fecerunt; filij Israël malum in conspectu Domini, & seruierunt Baalim, ac dimiserunt Deum Patrum suorum.

Quintò *tempore Heliæ 3.Reg.19.* Sermo Domini dixit ad Heliam: Quid hîc agis Helia? Respondit ille: Zelo Zelatus sum pro Domino Deo exercituum, quia dereliquerunt pactum Domini filij Israel: altaria tua destruxerunt, Prophetas tuos occiderunt gladio, & ego relictus sum solus, & quærunt animam meam,vt auferant eam.

Sextò *tempore Esaiæ. Vnde ipse Dominus Esaiæ:* Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui: Israel autem me non cognouit, & populus meus non intellexit. A planta pedis vsq; ad verticem non est in eo sanitas. *Esaiæ 1.*

Septimò *tempore Manasis regis Iuda, qui Domini Prophetas, & ipsum Esaiam occidit, donec repleret Hierusalem vsque ad os: peccatis suis peccare fecit Iudam, vt faceret malum coram Domino.* 4.Reg.21.

Octauò *tempore Hieremiæ:* Quomodo confunditur fur, quando deprehenditur, sic confusi sunt domus Israel, ipsi & reges eorum,principes,& sacerdotes,& Prophetæ eorum, dicentes ligno: Pater meus es tu: & lapidi: Tu me genuisti. Verterunt ad me tergum,& non faciem,&c.Omnes dereliquistis me dicit Dominus. *Hier.2.*

Nonò *eo tempore,de quo Azarias prophetat 2. Paralip.15.* Transibunt multi dies in Israel absque Deo vero, & absque sacerdote doctore,& absq; lege.

Decimò *tempore natiuitatis Christi, quando tantùm Maria,& Ioseph, Zacharias, & Elisabeth, Pastores, Simeon, Anna, & pauci alij credebant.*

Denique *prædictum est Ecclesiam istam visibilem cessaturam. Daniel.9.* Deficiet hostia & sacrificium. *Lucæ 18.* Filius hominis cùm venerit, putas inueniet fidem in terra? *2.Thess.2.*Nisi venerit discessio primùm,& reuelatus fuerit homo peccati.

RESPONSIO.

Ad primum dico: *Primò: Si primos parentes peccasse, est Ecclesiam defeciſſe, tunc non solùm visibilem, sed etiam inuisibilem Ecclesiam defeciſſe, quod est contra aduersarios. Secundò: Tunc non fuisse Ecclesiam: nec enim duo homines sunt Ecclesia,sed tantùm fuisse initium Ecclesiæ: & initium tam materiale, quàm formale. Nam Adam fuit principium Ecclesiæ materiale: quia primus omnium fuit de Ecclesia. Fuit etiam formale principium: quia fuit caput, siue Doctor, & Rector populi Dei dum vixit. Porrò caput Ecclesiæ non potest quidem errare docendo falsam doctrinam,tamen potest errare malè viuendo, & malè etiam sentiendo, vt priuatus homo: atque hoc tantum videmus accidisse Adamo. Malè enim aliquando vixit, & fortè etiam malè de Deo sensit: tamen non malè docuit.*

Ad secundum: *Tempore Noë, etsi ferè,nõ tamen ad vnum omnes à Deo defecerunt: quinquennio ante diluuiũ obijt pater: ipso anno diluuij Mathusalem, & procul dubio non pauci alij pij mortui sunt: Sem & Iaphet egregij pietatis cultores erant: de eorundem vxoribus nullum est dubium. Hi omnes visibilem constituebant Ecclesiam, licet non fuerit adeò magna: fuit tamen aliqua.*

Ad tertium: *Tempore Mosis etsi grauiter peccârunt Aaron vitulum conflando, & populus eum adorando: non tamen ad vnum omnes in eo consenserunt. Moses enim, qui omnium erat caput, & omnes Leuitæ à tali peccato immunes fuerunt. Vnde Exod.32.* Si quis est Domini, iungatur mihi: congregatiq; sunt ad eum omnes filij Leui.

Ad quartum: *Quòd tempore Iudicum, post discessum Iosue, Israelitæ aliquãdo à vero Deo ad idola defecisse leguntur, eadem synecdoche pro aliquibus accipiendum est, qua similia Scripturæ loca. Exod.9.* Mortua sunt omnia animantia AEgyptiorum. *Esaiæ 2.* Et fluẽt ad eum omnes gentes. *Ad Philippenses 2.* Omnes quæ sua sunt quærunt. *Ioannis 3.* Et testimonium eius nemo accipit.

Ad quintum: *Tempore Heliæ populus Dei in duo erat regna diuisus: vnum Iudæorum, alterum erat Israelitarum. Israelitis præerat impius Achab: apud Iudæos pius*

Iosaphat regnum administrabat. Ille altaria destruebat, Prophetas occidebat: hic veræ religionis insignis cultor erat, Prophetas audiebat, altaria ædificabat. Et quamuis putaret Helias se solum in Israele esse relictum, tamen dicit ei Dominus: Derelinquam mihi in Israel septẽ millia virorum, quorum genua non sunt incuruata ante Baal. *Ergo id temporis nequaquam defecit Ecclesia.*

Ad Sextum: *Loquitur Hieremias eadem figura, qua Iudicum 2. scribitur, Israelitas post mortem Iosue à vero Deo defeciſſe.*

Ad septimum: *Eadem figura tempore Manasse Israelitæ errasse dicuntur. Nam & ipse Manasses resipuit, & multos reduxit: multi etiam non fuêre seducti, sed in vera religione ad extremum vsq; spiritum perseuerârunt.*

Ad Octauum: *Eadem figura sic scribitur.*

Ad Nonum: *Prophetia Azariæ de regno Israelitico, non de regno Iudaico accipienda est. Illic vera religio tandem in vniuersum extincta: hîc mansit vsq; ad Christum.*

Ad Decimum: *Tempore, quo Christus nascebatur, exigua erat Ecclesia orthodoxa, quæ Christum puerum recens natum agnoscebat & colebat: erat tamen aliqua in Maria, & Iosepho, Zacharia, & Elisabeth, Anna Prophetissa, Simeone Iusto, pastoribus, & pluribus alijs, qui expectabant redemptionem Israel: horum cœtus erat visibilis: visibilis ergo tunc erat Ecclesia.*

Ad vltimum: *Quòd Daniel dicit*: Deficiet hostia & sacrificium, *intelligitur de euersione Hierusalem & cessatione sacrificij Iudæorum. Quòd dicitur Lucæ 18.* Putas inueniet fidem in terra? *dico Dominum non loqui de fide simpliciter; sed de eximia quadam fide, quæ in paucis reperitur, & in paucissimis reperietur in vltimis diebus. Ad illud Pauli dico, discessionis nomine vel intelligi ipsum Antichristum, vel discessionem ab Ecclesia non generalem, sed particularem, id est non omnium, sed multorum, vel omnium quidem, sed occultorum hæreticorum.*

ARTICVLVS SECVNDVS.

CHRONOLOGIA ET SVCCESSIO ORTHODOXÆ ECCLESIÆ AB ORIGINE MVNDI VSQVE AD HÆC TEMPORA.

Anno mundi	Ante Christũ					Scriptores.	Novorum dogmatum auctores.
0	3968	Adam conditur è limo terræ.				Adam primus artium & literarum inuentor. *Suidas in voce Adam.*	
30	3938	Abel nascitur.					*Cain.*
100	3868	Abel iustus ab impio Cain occiditur.				Scripsit Psal. 92. *Hebræi in Thalmud.*	
130	3838	Seth					
235	3733	Enos					
325	3643	Cainan					
395	3573	Malaleel					
460	3508	Iared					
622	3346	Enoch					
687	3281	Mathusalem					
874	3094	Lamech	nascuntur.			Enoch liber Propheticus citatur in epistola Iudę, in testamẽto 12. Patriarcharum, à Tertulliano, Origene, Augustino, & cæteris. Seruatur adhuc apud Aethiopes lingua Abyssina.	*Lamech primus auctor polygamiæ.*
930	3038	Adam primus iustitiæ prẽco & gubernator populi Dei obijt anno ætatis 930. Vixit cum	Abel 70, Seth 800, Enos 695, Cainan 605, Malaleel 535, Iared 470, Enoch 308, Mathusalẽ 243, Lamech 56	annis.			
987	2981	Enoch viuẽs in cælũ transfertur, post mortem Adæ anno 55. ante mortẽ Seth anno 60. ante mortẽ Enos 153. ante Cainan 238. ante Malaleel 293. ante Iared 435. ante Mathusalem 669.					
1040	2928	Seth post Adamũ secundus iustitiæ præco & gubernator populi Dei annis 112. obijt anno ætatis 912. Vixit cum	Adam 800, Enos 807, Cainan 717, Malaleel 645, Iared 582, Enoch 365, Mathusalẽ 355, Lamech 168	annis.		Filij Seth scientiam syderalem & cælestium rerum cognitionẽ duabus colũnis inscribunt. *Iosephus lib. 1. Ant. cap. 3. Suidas in voce Seth, Cedrenus in comp. Hist. &c.*	*Iabel.* *Iubal.*
1056	2912	Noë nascitur.					
1140	2828	Enos defuncto Seth tertius iustitiæ præco & gubernator populi Dei annis 98. obijt anno ætatis 905. Vixit cum	Adam 695, Seth 807, Cainan 815, Malaleel 745, Iared 680, Enoch 365, Mathusalẽ 453, Lamech 266, Noë 84	annis.			

Anno mundi	Ante Christũ					Scriptores.	Novorum dogmatum auctores.
1235	2733	Cainan post obitum patris Enos quartus iustitiæ præco & princeps populi Dei annis 105. moritur anno ætatis 910. Vixit cum	Adam 605, Seth 717, Enos 815, Malaleel 840, Iared 775, Enoch 365, Mathusalẽ 548, Lamech 361, Noë 179	annis.		Singulis hisce seculis plurima literis esse tradita non dubito: sed Diluuio perierunt.	*Tubalcain.*
1290	2678	Malaleel post obitum patris Cainan quintus iustitiæ præco ac princeps populi Dei annis 45. moritur anno ætatis 895. Vixit cum	Adam 535, Seth 647, Enos 745, Cainan 840, Iared 830, Enoch 365, Mathusalẽ 663, Lamech 416, Noë 234	annis.			
1422	2546	Iared post obitum patris Malaleel sextus iustitiæ præco ac princeps populi Dei annis 152. moritur anno ætatis 962. Vixit cum	Adam 470, Seth 580, Enos 680, Cainan 775, Malaleel 830, Enoch 365, Mathusalẽ 735, Lamech 548, Noe 366	annis.			
1558	2410	Sem nascitur.					
1651	2317	Lamech moritur quinquennio ante patris Mathusalem obitum.					
1656	2312	Mathusalem post obitum patris Iared septimus iustitiæ præco ac princeps populi Dei annis 234. moritur anno ætatis 969. Vixit cum	Adam 243, Seth 353, Enos 453, Cainan 548, Malaleel 603, Iared 735, Enoch 300, Lamech 777, Noe 600, Sem 98	annis.			
1556	2312	Diluuium vniuersi orbis terrarum, quo tota posteritas Cain, & omnes à Seth prognati delentur, excepto Noe cum tribus filijs & vxoribus.					
1658	2310	Arphaxad					
1692	2276	Sale				Noe.	
1723	2245	Heber				Aretia.	
1757	2211	Phaleg					
1787	2181	Reu	nascuntur.			Cham, qui & Zoroaster.	*Cham, qui & Zoroaster.*
1820	2148	Sarug				Sambetha Sibylla.	
1849	2119	Nachor					
1878	2090	Thare					
1948	2020	Abraham					
1996	1972	Phaleg	moriuntur.			Tuyscon.	*Nemrod, qui & Ninus.*
1997	1971	Nachor				Tubal.	
2001	1967	Abraham cum patre Thare egreditur ex Vr Chaldæorũ.				Samothes.	
2006	1962	Noë post auum Mathusalem octauus iustitiæ prẽco ac princeps populi Dei annis 350. moritur anno ætatis 950. Vixit cum	Enos 84, Cainan 129, Malaleel 234, Iared 366, Mathusalẽ 600, Lamech 595, Sem 448, Arphaxad 348, Sale 314, Heber 283, Phaleg 239, Reu 219, Sarug 186, Nachor 148, Thare 128, Abraham 58, Loth 50	annis.		Abraham.	*Amraphel, qui & Ninias.*
2023	1945	Abraham accepta promissione, egressus de Haram Mesopotamiæ migrat in Aegyptũ: ab hac peregrinatione vsque ad exitum filiorum Israel ex Aegypto numerantur anni 430. *Exodi 12. Gal. 3.*				Ingeuon.	*Thare.* *Chaldæi.*
2030	1938	Abraham profligatis regibus liberat Lothũ, benedicitur q; à Melchisedecho sacerdote Dei altissimi.					*Osiris.*
2047	1921	Circumcisio instituitur. Sodomitis pereuntibus Loth cum filiabus seruatur.					*Druidæ.*
2048	1920	Isaac nascitur.					*Sodomitæ.*
2083	1885	Thare moritur.					
2085	1883	Sara moritur.					
2088	1880	Isaac ducit vxorẽ Rebeccam.					

Anno mũdi	Ante Christũ			Scriptores.	Novorvm dogmatvm avctores.
2108	1860	Iacob & Esau nascũtur ex Rebecca.			
2123	1845	Abraham moritur.			
2126	1842	Sale moritur.			
2158	1810	Sem post patrem Noe nonus iustitiæ præco ac princeps populi, dictus Melchisedech, id est, Rex iustitiæ ac sacerdos Dei altissimi, præfuit annis 120. moritur anno ætatis 600. Post eius obitũ apud Abrahæ posteros Ecclesia orthodoxa manet. Vixit cum———	Mathusalẽ 98 Lamech 93 Noe 410 Arphaxad 500 Sale 434 Heber 435 Phaleg 239 Reu 371 Sarug 338 Nachor 148 Thare 205 Abraham 122 Loth 140 Isaac 110 Iacob 50	annis.	*Esau.*
2187	1781	Heber obijt, anno ætatis 464.			*Athlas.*
2192	1776	Iacob ducit Rachel & Liam vxores.			*Laban.*
2195	1773	Leui nascitur anno ætatis Iacob 87.			*Mercurius Maior.*
2196	1772	Iuda nascitur.			
2199	1769	Ioseph nascitur.			
2216	1752	Ioseph venditur à fratribus.		Duodecim Patriarcharum liber.	
2222	1746	Caath filius Leui nascitur.			
2228	1740	Isaac moritur.			
2229	1739	Ioseph liberatur è carcere.			
2238	1730	Iacob cum familia descendit in Aegyptum.			
2240	1728	Iob tentatur.		Iob, *vt Origenes refert*, suam historiam primus lingua Arabica conscripsit.	
2255	1713	Iacob moritur.			
2332	1636	Leui moritur.			
2363	1605	Caath moritur.			
2374	1594	Moyses nascitur.			
2380	1588	Iob moritur anno post tentationem 140.		Hermes Trismegistus.	*Mercurius Minor, seu Hermes Trismegistus.*
2439	1529	Amram pater Moysis moritur.			
2453	1515	Israelitæ Aegyptiaca seruitute liberantur.			*Magi AEgyptij.*

Anno mũdi	Ante Christũ	Svmmi Sacerdotes.	Dvces, et ivdices.	Sancti.	Scriptores sacri.	Scriptores Profani.	Novorvm dogmatvm avctores.
2470	1498	Aaron.	*Moyses.*	Moyses.	Moyses.	Cadmus. Thamyras.	*Iannes & Mambres.*
2493	1475	Eleazar.	*Iosue.*	Aaron.		Phemonoe.	*Balaam.*
2511	1457		*Othoniel.*	Maria.			*Balac. Core.*
2551	1417	Phinees.	*Ehud.*	Iosue. Caleb.	Iosue.	Thamyras Thrax.	*Dathã. Abiron.*
2631	1337	Abisue.	*Debora.*	Phinees.		Orpheus. Musæus. Linus.	*Cadmus.*
2671	1297	Bocchi.	*Barac.*	Ehud.		Pherecides Athenienſis.	*Orpheus.*
2712	1256		*Gedeon.*	Debora.		Cadmus Milesius.	*Musæus.*
2715	1253	Ozi.	*Abimelech.*	Barac.		Dictys Cretensis.	*Philisthæi.*
2737	1231		*Thola. Iair.*	Gedeon.		Dares Phrygius.	*Ieroboam.*
2759	1209		*Iephte.*	Booz. Ruth.		Eumolpus.	*Achab.*
2765	1203		*Abesan.*	Obed.			*Homerus.*
2772	1196	Zaraias, qui & Heli.	*Elon. Abdon.*	Iephte.			
2782	1186		*Samson.*	Manue.			
2790	1178		*Heli.*	Helcana.			
2810	1158			Anna.			
2850	1118		*Samuel.*	Samuel.	Samuel.		
2870	1098	Achitob.	Reges.				
2886	1082	Achimelech.	*Saul.*	Nathan.	Nathan.	Thales Cretensis.	
		Abiathar.	*Dauid.*	Dauid.	Dauid.		
2931	1037	Sadoc.			Heman.	Homerus.	
2970	998	Achimaas.			Ethan.		
			Salomon.	Gad. Addo.	Gad.	Aquila Septonius.	
2987	981	Azarias.	*Roboam.*	Ahias Silonites.	Salomon.	Arctinus Milesius.	*Hesiodus.*
3032	936	Abimelech.	*Abias. Asa.*	Semeas.	Ahias Silonites.	Cynethõ Lacedæmonius.	*Numa Põpilius.*
3061	907	Ioarib.	*Iosaphat.*	Anani. Iehu.	Semeas.	Archimus.	*Epimenides.*
						Hesiodus. Lycurgus.	*Solon. Bias.*
3068	900	Iosaphat.	*Ioram.*	Elias. Abdias.	Elias.	Simmias Rhodius.	*Thales Milesius*
						Simonides Crineus.	*Periander.*
3108	860	Ioiada.	*Ochozias.*	Elisæus.		Archilochus.	*Pittacus.*
3122	846			Ionadab.	Ionas.	Numa Pompilius.	*Pherecides.*
3143	825		*Ioas. Amazias.*	Iehiel.		Phalaris. Alcman.	*Anacharsis.*
			Azarias, qui & Ozias.	Eleazar.		Sappho. Mimnermus.	*Magi Persarũ.*
3158	810			Ionas.	Oseas.	Epimenides. Solon.	*Xenophanes.*
				Oseas.		Zaleucus. Periander.	*Anaximander.*
3190	778	Pedaia.				Tyrthæus. Alcæus.	*Aristeas Democharidis F.*
3192	776		*Ioathan.*	Amos.	Amos.	Stesichorus. Anacharsis.	
						Epicharmus.	*Parmenides.*

Anno mũdi	Ante Christũ	Svmmi Sacerdotes.	Reges.	Sancti.	Scriptores sacri.	Scriptores Profani.	Novorvm dogmatvm avctores.
3203	765	Zedechias.	*Achas.*	Micheas.	Micheas.	Xenophanes. Theognis.	
3221	747	Ioel.				Phocyllides.	*Anaximenes.*
3227	741	Ioathan.	*Ezechias.*	Esaias.	Esaias.	Ctesias Cnidius.	*Pythagoras, à quo Pythagorei*
		Vrias.		Nahum.	Nahum.	Anacreon. Ibycus.	*Democritus.*
3250	718	Nereas.	*Manasses.*	Ioel. Iudith.	Ioel.	Bacchylides.	*Heraclitus.*
3260	708	Eliachim, q & Sellum.		Abdias.	Abdias.	Timocreon. Pythagoras.	*Zeno Eleates.*
			Amon.	Abacuc.	Abacuc.	Simonides Ceus.	*Diagoras Milesius.*
3307	661	Helchias.		Tobias.	Tobias.	Heraclitꝰ. Menalippides.	
3316	652	Iosias.	*Iosias.*	Olda.	Hozai.	Parmenides. Pindarus.	*Leucippus.*
3349	628	Azarias.		Sophonias.	Sophonias.	Timæus Locrensis.	*Anaxagoras.*
3341	627	Zaraias.	*Ioachas.*	Hieremias.	Hieremias.	Aeschylus. Paniasides.	*Diogenes Apolloniates.*
3352	616	Iosedech.				Sophocles. Hermippus.	*Archelaus.*
			Eliachim.	Baruch.	Baruch.	Aristarchus Samius.	*Empedocles.*
3380	588			Ezechiel.	Ezechiel.	Empedocles. Herodotus.	*Theodorus Cyrenaicus.*
			Iechonias.	Susanna.	Daniel.	Euripides. Aristophanes.	*Socrates.*
				Daniel.		Hippocrates. Eupolides.	*Archytas.*
3400	568	Iesus filius Iosedech.		Ananias. Azarias.	Aggæus.	Plato Comicus.	*Protagoras.*
3425	543			Mizaël.	Zacharias.	Phrynichus. Thucidides.	*Cebes Thebanus*
3450	518			Aggæus.		Democritus. Isocrates.	*Xenophon.*
			Dvces.	Zacharias. Mardochęus.	Ioachim.	Cebes Thebanus.	*Euclides.*
			Zorobabel.	Hester.		Antimachus. Critias.	*Parmenides.*
3458	510			Malachias.	Malachias.	Plato Philosophus.	*Plato, à quo*
3468	500	Ioachim.				Xenophon. Pherecrates.	*Platonici, & Academici.*
3478	490					Amphides. Chion.	*AEschines.*
3498	470		*Ioanna Ben Resa.*	Esdras.	Esdras.	Architas Tarentinus.	*Aristippus Cirenæus, à quo*
3508	460					Palęphatus. Chæremon.	*Cyrenaici.*
3530	438					Diogenes Cynicus.	*Antisthenes.*
			Iudas Hircan⁹.	Nehemias ad Iaddũ vsq; peruenit.	Nehemias.	Eubulus. Demosthenes.	*Diogenes Cynicus.*
					Ben Syrus.	AEschines. Aristoteles.	*Aristoteles, à quo Peripatetici.*
						Lysias. Speusippus.	*Hegesias, à quo*
						Antiphanes. Hipparch⁹.	*Hegesiaci.*
						Heraclides. Dicæarchus.	*Manasses, à quo*
						Philemon. Theophrast⁹.	*Samaritæ.*
						Xenocrates. Sotades.	*Bion Borysthenites.*
3540	428	Eliasibus.	*Iosephus primus.*			Strato. Crates.	*Zeno Citticus, à quo Stoici.*
3550	418					Anaxandrides. Euclides.	*Epicurus, à quo Epicurei.*
3568	400	Ioiada.				Demades. Menander.	*Chrysippus Stoicus.*
						Diphilus. Alexis.	*Aristochius Stoicus.*
3588	380					Berosus. Epicurus.	*Clitomachus vltimus Peripateticæ sectæ defensor.*
3608	360			Simon Iust⁹.		Demetrius Phaleræus.	*Sadoc & Baiethos, à quibus Saducæi.*
3612	356	Iaddus.		Aristobulus.	Aristobulus.	Aristonymus. Timon.	*Dositheus Samarita.*
				Septuaginta duo Bibliorum interpretes.	Iesus Sirac auus.	Callimachus.	*Pharisæi.*
						Lycophron.	*Essent.*
3638	330		*Abner.*			Theocritus. Moschus.	*Nazarei.*
3648	320			Onias.		Bion. Aratus.	*Hemerobaptistæ.*
3668	300	Simon Iust⁹.		Eleazarus.	Iesus Sirac nepos.	Aristeas. Cleanthes.	*Herodiani.*
3680	288	Eleazarus.	*Semei.*			Q. Fabius Pictor.	
3698	270			Mathathias.		Polybius. Eratosthenes.	
3700	268	Manasses.	*Haggai.*	Machabæi fratres.	Aristobulus iunior.	Archimedes. Rhianus.	
3722	246			Septẽ fratres Martyres cum matre.		Ennius. Næuius.	
		Onias.	*Eli.*		Hillel.	Plautus. Cato Censorin⁹.	
		Simon.		Hillel.		Terentius Afer.	
3738	230	Onias.			Rabenus Haccados.	Lucilius. Apollodorus.	
3768	200			Rabenus Haccados.		Clitomachus.	
3780	188				Moses Hadarsan.	Appollonius Rhodius.	
3800	168	Iudas Machabæus.	*Matathias.*	Simeon Iust⁹.		Nicander.	
3810	158	Ionathas.			Cahana.	Alexander Polyhistor.	
3827	141	Simon.	*Siloa.*	Anna Prophetissa.		Titus Lucretius.	
3836	132	Ioannes Hyrcanus.	*Iosephus iunior.*			Publius Syrus.	
3865	103	Aristobulus.		Zacharias & Elisabeth.	Ionathas Vzielis filius.	Varro. Cæsar.	
3898	70	Alexander Iamneus.				Cicero. Salustius.	
3908	60	Hyrcanus.		Anna.		Cornelius Nepos.	
3936	32	Iesus Iosai.				Diodorus Siculus.	
3960	8	Ananus.				Catullus. Tibullus.	
3968	0					Propertius. Macer.	
						Vitruuius. Virgilius.	
						Manilius. Horatius.	
						Dionysius Halycarnassæus.	
						Messala Coruinus.	
						Ouidius.	

Anno Mundi	Anno Christi	SVMMI PONTIFICES.	IMPERATORES.	CONCILIA.	SANCTI.
3998	30	IESVS CHRISTVS.	*Augustus.*		Maria Deipara. Ioannes Baptista.
4002	34	Petrus.	*Tiberius I.*	Hierosolymitanum.	Petrus. Paulus.
4024	56	Linus Cletus.	*Caligula.* *Claudius.*		Matthæus. Marcus. Lucas. Ioannes. Stephanus. Andreas.
4036	68	Clemens.	*Nero.* *Galba.* *Otho.*		Iacobus. Simon. Cleophas. Agabus. Titus. Timotheus.
4052	84	Anacletus.	*Vitellius.* *Vespasianus.*		Barnabas. Crescens.
4064	96	Euaristus.	*Titus.* *Domitianus.* *Nerua.* *Traianus.*		Martialis, & plures alij Christi & Apostolorum discipuli. Dionysius Areopagita cum socijs.
4068	100				Ignatius.
4077	109	Alexander I.	*Adrianus.*		Eustachius.
4085	117	Sixtus I.			Hermas. Getulius.
4095	127	Telesphorus.			Sophia. Fides.
4106	138	Higinus.			Spes. Charitas.
4110	142	Pius I.	*Antoninus Pius.*		Polycarpus.
4121	153	Anicetus.			Felicitas cum septem filijs.
4131	163	Soter.	*Antoninus Verus cum fratre L. Aurelio Commodo.*		Concordius. Iustinus. Eusebius.
4139	171	Eleutherius.			Vincentius. Pantenus.
4154	186	Victor I.	*Commodus.* *AElius Pertinax.*		Irenæus. Peregrinus. Potentianus.
4166	198	Zephyrinus.	*Severus.*		Andochius. Narcissus. Potamiæna. Agrippinus.
4168	200				Simplicius. Abdon.
4186	218	Calixtus I.	*Antoninus Caracalla.* *Macrinus.*		Sennas. Calepodius.
4191	223	Vrbanus I.	*M. Antoninus Heliogabal.* *Alexander.*		Pamachius. Tiberius. Valerianus. Verianus. Marcellin⁹. Dorothea.
4199	231	Pontianus.	*Maximinus.* *Balbinus & Pupienus.*		Gordianus. Polyeuct⁹. Potentiana. Tryphon.
4204	236	Anterus.	*Gordianus.* *Philippus.*		Blasius. Maximianus. Clemens Ancyranus.
4205	237	Fabianus.	*Decius.* *Gallus & Volusianus.*		Barbara. Agatha. Hippolyt⁹. Apollonia.
4218	250	Cornelius.	*Valerianus & Galienus.*		Septem dormientes. Laurentius Diaconus.
4221	253	Lucius.	*Claudius II.*		Thyrsus. Cæcilia. Polychroni⁹. Nemesi⁹.
4223	255	Stephanus I.	*Aurelianus.*		Olympius. Crispinus. Crispinianus. Adrian⁹.
4225	257	Sixtus II.	*Tacitus.* *Florianus.* *Probus.*		Eubulus. Agapetus. Irene. Chionia.
4238	260	Dionysius I.	*Carus cum Carino & Numeriano.*		Georgius. Pantaleon. Iulitta. Agnes. Gordi⁹.
4239	271	Felix I.	*Diocletianus cum Maximiano.*		Barlaam. Quirinus. Gereon cum socijs.
4243	275	Eutychianus.			Cosmas. Damianus.
4251	283	Caius.			Mauritius cũ legione
4264	296	Marcellinus.			Thebæorum.
4268	300			Ancyranum 1.	Domnus cũ *20000.* Mar.
4272	304	Marcellus I.	*Constantius & Galerius.*	Eliberinum.	Lucianus. Theodorus.
4278	310	Eusebius.		Neocæsarienſe 1.	Milles. Paul⁹ Eremita.
4279	311	Melchiades.	CONSTANTINVS MAGNVS.	1. NICENVM.	Iacobus Nisibetanus.
4282	314	Sylvester I.		Romanum.	Spiridion. Macarius.
4304	336	Marcus. Iulius I.		Arelatense 1. & 2.	Helena.
4321	353	Liberius ante & iterũ post Felicẽ anno 356.		Gangrense. Carthaginense 1. Romanum.	Nicolaus Myrensis. Marcus Arethusius. Antonius Eremita.

SCRIPTORES GRAECI ET HEBRAEI.	SCRIPTORES LATINI.	HAERETICI.	SCRIPTORES ETHNICI.
Matthæus. Marcus. Lucas. Ioannes. Petrus. Paulus. Iacobus. Iudas. Barnabas. Clemens. Linus.	Martialis Lemouicensis Episcopus.	*Simon Magus.* *Elymas Magus.* *Alexander.* *Hymenæus.* *Philetus.* *Nicolaus.* *Cerinthus.*	C. Iulius Higinus. Quintus Curtius. Strabo. T. Liuius. Põponius Mela. Valerius Maximus. Velleius Paterculus. Columella. Seneca. Iulius Obsequens. Persius. Phurnutus. Euax. Asconius Pedianus. Lucanus. Musonius Capito. Iulius Solinus. Valerius Flaccus. Iuuenalis Silius Italicus. Epictetus. C. Plinius Secundus Veronensis. Sulpitia Romana. Quinctilianus. Martialis. Statius Papinius. Sextus Iulius Frontinus. Apollonius Tyanæus.
	Anacletus.	*Ebion.*	
Dionysius Areopagita.	Euaristus.	*Diotrephes.* *Menander.*	
Ignatius. Prochorus. Papias. Hermes. Polycarpus. Iustinus. Egesippus. Melito Sardensis. Dionysius Corinth. Theophilus Antiochenus. Athenagoras. Irenæus. Polycrates.	Alexander. Sixtus. Telesphorus. Higinus. Pius. Anicetus. Soter. Eleutherius. Victor. Zephyrinus.	*Saturninus.* *Basilides.* *Carpocrates, à quo Gnostici.* *Cerdon. Archontici.* *Marcion. Hydroparastatæ.* *Caiani. Valentinus.* *Tatianus, à quo Encratitæ.* *Apelles. Montanus.* *Bardesanes. Seueriani.* *Blastus. Prodicus.* *Valesij. Beryllus.* *Florinus. Ascodrogitæ.*	Plinius Iunior. Cornelius Tacitus. Plutarchus. Suetonius. Dion Prusæus. Lucianus. Numenius. Phlegon. Palladius Rutilius. Arianus Nicomediensis. Cl. Ptolomæus. Pausanias. Aelianus Sophista. Appianus Alexandrinus. Maximus Tyrius. Galenus. Iustinus Historicus. Polyænus. Athenæus. C. Sulpitius Apollinaris. Hermogenes. Aristides. Iulius Pollux. Diogenes Laertius.
Clemens Alexandrinus. Ammonius. Hippolytus. Alexander Hierosoly. Origenes Alexandrinus. Theon. Iulius Africanus. Gregorius Neocęsarienſis. Dionysius Alexandrinus. Proclus. Eusebius Alexandrinus. Methodius Tyrius. Pamphilus. Petrus Alexandrinus.	Tertullianus. Calixtus. Caius. Vrbanus. Minutius Felix. Pontianus. Anterus. Fabianus. Nouatianus. Cyprianus. Cornelius. Lucius. Pontius Diaconus. Stephanus. Sixtus 2. Dionysius. Zeno Veronensis. Victorinus Pictauiensis. Felix. Marcellinus. Arnobius Rhetor.	*Hermogenes. Praxeas.* *Helchesaitæ, siue Elcesai.* *Nouatus. Origenistæ.* *Noëtus. Sabellius.* *Paulus Samosatenus.* *Nepos Chiliastæ.* *Hierarchas, à quo Hierarchitæ.* *Manes, à quo Manichæi.*	L. Iulius Florus. Alexander Aphrodisæus. Oppianus. Lucius Apuleius. Dion Cassius. Domitius Vlpianus. Herodianus. Philostratus. Quintus Serenus. Plotinus. Aulus Gellius. Hierocles. Amelius. Porphyrius. Modestus. Volcatius Gallicanus. Aelius Lampridius. Aelius Spartianus. Iulius Capitolinus. Iamblichus. Alphius Auitus. Terentianus Maurus.
Eusebius Cæsareensis. Alexander Alexandrinus. Constantinus Imp. Dorotheus. Eustathius Antiochenus. Antonius Eremita. Athanasius Alexandrinus. Magnes.	Lactantius. Reticius. Iuuencus. Publius Optatianus. Victor Afer. Hilarius Pictauiensis. Iulius Firmicius Maternus.	*Meletius, à quo Meletiani.* *Donatus, vnde Donatistæ.* *Arius, à quo Ariani.* *Eusebius Nicomediensis.* *Eustachius. Milesius.*	Trebellius Pollio. T. Calphurnius. Aurelius Olympius. Septimius Afer. Petronius Arbiter. Nazarius. Eunomius Rhet. Flauius Vopiscus. Aelius Donatus. Seruius Maurus.

Anno Mundi	Anno Christi	SVMMI PONTIFICES.	IMPERATORES.	CONCILIA.	SANCTI.
4323	355	Felix II.	*Constantinus II.*	Colonienſe.	Theodorus.
			Conſtans I. & Cõſtantius fratres.	Syrmienſe.	Arthemius.
				Antiochenum.	Paulus Conſtantinop.
				Sardicenſe.	Martyrius.
				Laodicenum.	Martianus.
				Valentinum.	Hilarion.
4334	366	Damaſus.		Aquileienſe.	Ephræm.
			Iulianus Apoſtata.		Baſilius.
			Iouinianus.	2. CONSTANTINO-POLITANVM.	Pachomius.
4352	384	Siricius.	*Valentinianus I. cum Valente.*		Macarius vterque.
					Nicetius. Mucius.
			Gratianus cum Valentiniano II. &	Romanum.	Martinus Tur.
			Theodoſio I.		Brictius.
4366	398	Anaſtaſius.	*Arcadius & Honorius.*	Carthaginenſe 2.3.4.5.	Euphraſia.
				Taurinatenſe.	Bleſilla.
4368	400			Toletanum 1.	Seuerinus Coloniẽſis.
4369	401	Innocentius I.		Mileuitanum.	Tigrius.
4384	416	Sozimus.	*Theodoſius II.*	Telenſe.	Exuperius.
4387	419	Bonifacius I.		Carthaginenſe 6. & 7.	Eutropius.
4391	423	Cæleſtinus I.		Africanum.	Maurilius.
4400	432	Sixtus III.	*Valentinianus III.*	3. EPHESINVM.	Siſinnius.
				Regienſe.	Iacobus Perſa.
				Arauſicanum.	Alexius.
				Vaſenſe.	Honoratus Arelatẽſis.
4408	440	LEO I. MAGNVS.		Carpenctoratenſe.	Germanus Antiſiod.
			Marcianus.	4. CHALCEDONENSE.	Vrſula cum 1100. virginum.
			Leo I.		
4429	461	Hilarius.		Arelatenſe 3.	Bonifacius Diaconus.
				Veneticum.	Ruſticus Subdiaconus
4435	467	Simplicius.		Turonenſe 1.	Patricius.
4451	483	Felix III.		Romanum 4.	Euthymius.
					Simeon Stylites.
					Geminianus.
4460	492	Gelaſius I.			Albinus And.
					Seuerinus Noricus.
4464	496	Anaſtaſius II.			Eugenius.
			Zeno.		Euthymius.
					Theodoſius Cœnobiarcha.
4466	498	Symmachus.	*Anaſtaſius.*	Romana Concilia ſex.	Epiphanius Ticinẽſis.
					4979. Martyres & Confeſſores Africani.
4468	500			Agathenſe.	Gerardus.
4482	514	Hormiſda.		Aurelianenſe 1.	Remigius.
			Iuſtinus I.	Epaunenſe.	Genouefa.
4491	523	Ioannes I.		Gerundenſe.	Opportuna.
				Cæſarauguſtanum.	Germanus Pariſius.
4494	526	Felix IV.		Ilerdenſe.	Maria Aegyptiaca.
			Iuſtinianus I.	Valentinum.	Simeon Salus.
4498	530	Bonifacius II.		Toletanum 2.	Benedictus.
					Brigitta.
4500	532	Ioannes II.			Arnulphus.
				Conſtantinopolitanũ.	Vedaſtus.
4502	534	Agapetus.		Aurelianenſe 2. & 3.	Launomarus.
4503	535	Syluerius.		Aruernenſe.	Maurus.
4505	537	Vigilius.		5. CONSTANTINO-POLITANVM.	Radegundis.
4524	556	Pelagius I.		Aurelianenſe 4. & 5.	Placidus.
4529	561	Ioannes III.	*Iuſtinus II.*	Pariſienſe 1. & 2.	Hoſpitius.
4543	575	Benedictus I.		Turonenſe 2.	Leonardus.
4547	579	Pelagius II.	*Tiberius II.*	Braccarenſe.	Gallus.
				Matiſconenſe.	Columbanus.
				Lugdunenſe.	Goar.
			Mauritius.	Valentinum 2.	Iſaac.
4558	590	GREGORIVS MAGNVS.		Toletanum 3.	Hermingildus.
				Romanum.	Mellitus.
				Lateranenſe.	Auguſtinus.
				Hiſpalenſe 1.	

SCRIPTORES GRAECI.	SCRIPTORES LATINI.	HAERETICI.	SCRIPTORES ETHNICI.
Petrus Diaconus.	C. Marius Victorinus.	*Aceſius. Aſterius Cappadox.*	Macrobius.
Eathalius Sulcenſis.	Pacianus.	*Audæus, à quo Anthropomorphitæ. Metangiſmonitæ.*	Aurelius Symmachus.
Didymus Alexandrinus.	Euſebius Vercellenſis.	*Arbicus Potẽtinus. Macedonius.*	Ammianus Marcellinus.
Cyrillus Hieroſolymit.	Ambroſius. Optatus.	*Marcellus & Photinus.*	Iulianus Apoſtata.
Macarius Ægyptius.	Phœbadius. Damaſus.	*Colluthiani. Luciferiani.*	Libanius Sophiſta.
Theodorus Antiochenus	Lucifer Calaritanus.	*Hypſiſtarij. Bonoſiæ. Barbariãi.*	Oribaſius.
Ephræm. Baſilius.	Q. Iulius Hilarion.	*Acatiani. Eunomiani.*	Palladas.
Apollinaris. Amphilochio	Gregorius Bœticus.	*Theophroniani. Paterniani.*	Eutropius.
Epiphanius. Pachomius.	Prudentius. Fauſtinus.	*Collyridiani. Apollinariſtæ.*	Vegetius.
Gregorius Nazianzenus.	Hieronymus.	*Seleuciani. Priſcillianiſtæ.*	Himerius.
Gregorius Nyſſenus.	Chromatius.	*Meſſaliani. Vigilantius.*	Eunapius.
Timotheus Alexandrinus	Philaſtrius. Siricius.	*Iouinianus. Abeliani. Sabbatius.*	Chalcidius.
Orieſieſis. Nectarius.	Ruffinus.	*Hilarius Laicus.*	Claudianus.
Theophilus Alexãdrinus.	Tichonius.		Feſtus Ruffus.
Euagrius. Helladius.	Merobaudis.		Sextus Aurelius Victor.
Ioannes Chryſoſtomus.	Auguſtinus. Gaudentius.	*Pelagius. Cæleſtius.*	Rutilius Numantinus.
Ioãnes Hieroſolymitanus.	Paulinus vterque.	*Parmenianus. Petilianus.*	
Seuerianus. Polychronius	Bacchiarius. Vigilius Trid.	*Felicianus.*	Zoſimus Comes.
Theodorus Antiochenus.	Innocentius. Oroſius.	*Prædeſtinati.*	Auſonius Burdegalenſis.
Palladius. Marcus Eremit.	Sulpitius Seuerus.	*Sozimus Presbyter.*	
Syneſius. Philo Carpathius	Licentius. Seuerus Mileuit.	*Anaſtaſius.*	
Nilus. Flauianus Antioch.	Euodius.	*Neſtorius.*	
Lucianus Atticus.	Arnobius iunior.		
Ioannes Caſſianus.	Philippus Presbyter.		
Cyrillus Alexandrinus.	Maximus Taurinenſis.		
Maximianus. Proclus.	Vincentius Lyrinenſis.		
Paulus Emiſſenus.	Capræolus. Vranius.		
Socrates.	Poſſidius. Chryſologus.	*Eutyches.*	
Iſidorus Peluſiota.	Hilarius Arelatenſis.	*Anatolius.*	
Sozomenus. Antipater.	Leo Magnus.	*Dioſcorus.*	
Iſchyrion. Theodoretus.	Eucherius Lugdunenſis.	*Seuerus, à quo Acephali.*	
Baſilius Seleucius.	Claudius Marius Victor.	*Petrus Cnaphæus, à quo Theopaſchitæ.*	
Victor Antiochenus.	Proſper. Sedulius.	*Theodorus Mopſueſtanus.*	
Titus Boſtrenſis.	Eugenius Carthaginenſis.	*Zeno Imperator.*	
Iſaac Syrus.	Claudianus Mamertus.		
Gennadius Conſtantinop.	Fauſtus Regienſis.		
Olympiodorus Diaconus.	Cæſarius Arelatenſis.		
Nemeſius.	Vigilius Tridentinus alius à ſuperiore. Salonius.		
Gelaſius.	Sidonius. Victor Vticenſis.		
Diadochus.	Saluianus. Gelaſius.	*Xenaias, à quo Iconomachi.*	Coluthus Thebanus.
Chryſippus Presb.	Lucidus. Ferrandus Diac.		
Nonnus Panopolit.	Gennadius Maſſilienſis.		
	Fulgentius.		
	Alcimus Auitus.		
Andreas Cęſareenſis.	Ruſticus Elpidius.	*Seuerus, à quo Seueriani.*	Proclus Lycius.
Timotheus Alexandrinus.	Paſchaſius Diaconus.		Diadochus.
Olympiodorus Monach.	Eugippius. Ennodius.		
Ioannes Maxentius.	Agnellus. Boethius.		
Epiphanius Conſtãtinop.	Laurentius Nouar.		
Heſychius Illuſtrius.	Cyprianus Arelatenſis.		
Dorotheus.	Iornandes.	*Anthimus.*	
Cyrillus Eremita.	Adelinus Sagienſis.	*Monothelitæ.*	
Procopius Gazęus.	Benedictus.	*Chryſtolytæ.*	
Æneas Gazæus.	Primaſius.	*Agnoitæ.*	
Zacharias Mithylenæus.	Dacius Mediolanenſis.		Marinus.
Theodorus Lector.	Caſſiodorus.		Paulus Silentiarius.
Agapetus Diaconus.	Iunilius Africanus.		Ammonius Hermeas.
Conſtãtinus Scholaſticus.	Iuſtus Orgelitanus.		Priſcianus Lydus.
Mennas Conſtantinop.	Liberatus. Arator.		Simplicius.
Aretas Cæſareenſis.	Amator.	*Petrus Apameus.*	Damaſcius Stoicus.
Procopius Cæſareenſis.	Martinus Dumienſis.	*Chilpericus Rex Franciæ.*	
Agathias.	Gildas Badonicus.	*Monophyſitæ.*	
Ruſticus Diaconus.	Columbanus.		
Iacobus Diaconus.	Gordianus Siculus.		
Hermias Philoſophus.	Martinus Bracarenſis.		
Eutychius Conſtantinop.	Dinamius.		
Andreas Cretenſis.	Patricius.		
Anaſtaſius Synaita.	Fortunatus.	*Ioannes Philoponus.*	
Ioannes Neſteuta.	Gregorius Turonenſis.		
Ioannes Climacus.			
Euagrius.	Gregorius Magnus.		

Anno Mundi	Anno Christi	SVMMI PONTIFICES.	IMPERATORES	CONCILIA.	SANCTI.
4568	600				VValburga. Attala.
4572	604	Sabinianus.	*Phocas.*		Anastasius Pursa. Eustasius.
4573	605	Bonifacius III.		Lucense.	Claudius Bizunt.
4574	606	Bonifacius IV.			Ioannes Eleemosyn.
4581	613	Deusdedit.			Theodorus Archim.
4585	617	Bonifacius V.	*Heraclius.*	Antisiodorense.	Aldegundis.
4590	622	Honorius I.			Arnulphus Metensis.
4605	637	Seuerinus.			Seuerus Barcinonēsis.
4606	638	Ioannes IV.		Toletanum 4. 5. 6.	Eligius.
4608	640	Theodorus I.		Hispalense 2.	Bauo.
4615	647	Martinus I.	*Constantinus III.*	Toletanum 7.	Trudo.
4622	654	Eugenius I.	*Heracleonas.*	Lateranense.	Osvvaldus.
4625	657	Vitalianus.	*Constans II.*	Toletanum 8.	Audoënus.
4640	672	Adeodatus.	*Constantinus IV.*	Cabilonense.	Lambertus.
4644	676	Domnus I.		Toletanum 9. 10. 11.	Gaugericus.
4647	679	Agatho.		6 CONSTANTINOPOLITANVM.	Bertulphus.
4650	682	Leo II.			Berta. Cunibertus.
4652	684	Benedictus II.		Toletanum 12.	Aidanus.
4653	685	Ioannes V.		Toletanum 13.	Chutbertus.
4654	686	Conon.		Toletanum 14.	Marinus. Bercharius.
4655	687	Sergius I.	*Iustinianus II.* *Leo II.* *Tiberius III.*	Toletanum 15. 16. 17.	Eugenius Toletanus. Evvaldi duo. Damianus Ticinensis. Ioannes Bergomensis.
4668	700				VVilibrordus.
4669	701	Ioannes VI.		Constantinopolitanū in Trullo.	Svvibertus.
4673	705	Ioannes VII.	*Iustinianus II. iterum.*		Bonitus.
4675	707	Sisinnius.			Grimoaldus.
4676	708	Constantinus.	*Philippicus Bardanes.*		Guthlacus.
4684	716	Gregorius II.		Romanum.	Vuinocus.
4699	731	Gregorius III.	*Anastasius II.*		Hermingildis.
4709	741	Zacharias I.	*Theodosius III.*	Francicum.	Plectrudis.
4720	752	Stephanus II.	*Leo III.*	Suessionense.	VVandergislus.
4721	753	Stephanus III.	*Constantinus V.*	Vernense.	Bonifacius. Lioba. Iodocus.
4725	757	Paulus I.			Pirminus. Othilia.
4736	768	Stephanus IV.			Gertrudis. Hupertus.
4740	772	Adrianus I.	*Leo IV.*		Agilolphus.
4764	796	Leo III.	*Constantinus VI. cū matre Irene.*	7. NICENVM 2. Francofordiense. Foroiuliense.	Burchardus. Lullus. Rigobertus. Gangulphus. Gudila.
4768	800		CAROLVS I. MAGNVS.	Turonense 3.	
4784	816	Stephanus V.		Cabilonense 2. Concilium apud Theodonis villam.	Sabinus. Ludgerus.
4785	817	Paschalis I.	*Ludouicus I.*	Moguntinense.	Gerfridus.
4792	821	Eugenius II.		Remense.	Geroldus.
4795	827	Valentinus.		Arelatense. Aquisgranense 1.	Ida.
4796	828	Gregorius IV.	*Lotharius I.*	Parisiense. Moguntinense.	Nicetas. Menolphus.
4812	841	Sergius II.		Aquisgranense 2.	
4815	847	Leo IV.		Meldense.	Adelradus.
4823	855	Benedictus III.	*Ludouicus II.*	Valentinum.	Meruardus.
4826	858	Nicolaus I.		Ticinense.	Rumoldus.
4835	867	Adrianus II.		VVormatiense.	
4840	872	Ioannes VIII.	*Carolus II. Caluus.*	8. CONSTANTINOPOLITANVM.	Ansgarus.
4850	882	Martinus II.			Rembertus.
4852	884	Adrianus III.		Pistense.	
4853	885	Stephanus VI.	*Ludouicus III. Balbus.*	Colonience.	Suuithunus.
4859	891	Formosus.	*Carolus III. Crassus.*	Moguntinense.	
4863	895	Bonifacius VI.		Metense.	Ataulphus.
4864	896	Stephanus VII.	*Arnulphus.*	Triburiense.	
4865	897	Romanus. Theodorus II. Ioannes IX.		Nannetense.	Sefinandus.
4866	898	Benedictus IV.	*Ludouicus IV.*		
4868	900				Odo Cluniacensis.
4871	903	Leo V. Christophorus I.			

SCRIPTORES GRAECI.	SCRIPTORES LATINI.	HAERETICI.
Eustathius Presbyter.	Faustus Benedictinus.	*Iulianus Halicarnassæus, vt de Aphtardocitæ.*
Leontius Neapolitanus.	Paterius.	
Leontius Byzantinus.	Leander.	
Isychius Hierosolymitanus.	Isidorus Hispalensis.	*Iacobus Syrus, à quo Iacobitæ.*
Eutychianus.	Braulius.	
Antiochus.	Ionas Scotus.	
Georgius Presbyter.	Eucherius Gallus.	*Armenij. Heicetæ.*
Ioannes Moscus.	Eligius.	
Sophronius Hierosolymitanus.	Maurus Rauennas.	*Gnosimachi.*
Georgius Alexandrinus.	Theodorus Cantuarienſis.	
Thalassius.	Audoënus.	*Chazinzari.*
Maximus Eremita.	Hildephonsus.	
Georgius Pisides.	Aldhelmus.	*Sergius Mahometi præceptor.*
Sergius Cyprius.		
Ioannes Stobæus.	Iulianus Toletanus.	*Tnethopsychitæ.*
Eulalius.		
Petrus Nicomedienſis.	Adamannus.	*Theocatagnostæ.*
Seuerus Alexandrinus.	Manſuetus Mediolanenſis.	*Mahometus.*
Constantinus 4. Imp.	Ceolfridus.	*Ethnophrones.*
Afterius Amasæus.	Aponius.	*Patermeneutæ.*
		Lampetiani.
Germanus Constantinopolitanus.	Beda.	*Agonychitæ.*
	Ionas Monachus.	
	Isidorus Mercator.	*Iconomachi.*
Ioannes Damascenus.	Bonifacius.	*Felix Vrgelitanus.*
Cosmas Hierosolymitanus.		
Samonas Gazæus.	Alcuinus.	*Eliphandus Toletanus.*
Marcus Hydruntinus.	Aribo Frisingenſis.	
Cæsarius.	Claudius Clemens.	*Pauliciani.*
Metrophanes.	Ambrosius Ansbertus.	
Athanasius Syrus.	VVilibaldus.	
Tarasius.	Paulinus Aquileienſis.	*Albanenſes.*
Elias Cretenſis.	Carolus Magnus.	
Ioannes Hierosolymitanus.	Paulus Diaconus.	*Baiolenſes, ſeu Bagnolenſes.*
	Vsuardus.	
	Idiota.	*Concordenſes, ſeu Cozocenſes.*
Nicephorus Constantinopolitanus.	Ludgerus. Ioannes Turpinus. Haymo. Æmoinus.	
Theodorus Studites.	Amalarius Treuirenſis. Angelomus. Grimoldus.	
Ignatius Nicenus.	VValafridus Strabo. Freculphus Lexouienſis.	*Bertramus.*
Michael Syngelus.	Christianus Druthmarus.	
Theosterictus.	VVandelbertus Diaconus. Theganus. Hincmarus.	*Claudius Taurinenſis.*
Nicephorus Philosophus.	Lupus Ferrarienſis. Drepanius Florus.	
Nicephorus Chartophylax.	Hildoinus. Rabanus. Theodulphus Aurelianenſis.	*Godeschalcus Presbyter.*
Theophanes Ceramæus.	Ionas Aurelianenſis. Nithardus. Ioannes Diaconus.	
Anastasius Nicenus.	Ioannes Scotus. Anastasius Bibl.	*Photius.*
Constantinus Tyus.	Eulogius Cordubenſis. Florus Magister.	
Photius.	Remigius Antisiodorenſis.	
Basilius Imperator.	Carolus Caluus. Ericus.	
Pantaleo Diaconus.	Paschasius Ratbertus. Hucbaldus Elnonenſis.	
Leo Philosophus Imperator.	Ado Viennenſis. Altercatio Synagogę & Eccleſiæ.	
Theophylactus.	Regino Prumienſis. Odo Cluniacenſis.	

Mundi	Christi	Summi Pontifices.	Imperatores.	Concilia.	Sancti.
4872	904	Sergius III.			
4879	911	Anastasius III.			
4881	913	Lando.	*Conradus I.*		VVenceslaus.
4882	914	Ioannes X.		Altenhaimense.	
4896	928	Leo VI. Stephanus VIII.	*Henricus I. Auceps.*		
4898	930	Ioannes XI.			
4903	935	Leo VII.		Erfordiense.	Vdalricus Augustanus.
4907	939	Stephanus IX.	Otto I. Magnvs.		
4910	942	Martinus III.			
4914	946	Agapetus II.			Bruno Colonienſis Epiſcopus.
4924	956	Ioannes XII.			
4931	963	Leo VIII.			Dunſtanus Anglus.
4933	965	Ioannes XIII.			
4940	972	Domnus II. Benedictus V.			Guibertus.
4942	974	Bonifacius VII.	*Otto II.*		Maiolus.
4943	975	Benedictus VI.		Remense.	Romoaldus.
4952	984	Ioannes XIV.			Elphegus.
4953	985	Ioannes XV.	*Otto III.*		Adelheidis.
4962	994	Ioannes XVI.			VVolfgangus.
4963	995	Gregorius V.			Poppo.
4966	998	Sylvester II.			Bervvaldus.
4968	1000	Ioannes XVII.	*Henricus II. Claudius.*		Odilo Cluniacenſis.
4971	1003	Ioannes XVIII.			Henricus II. Imper.
4977	1009	Sergius IV.			Kunegundis.
4980	1012	Benedictus VII.			Colomannus.
4992	1024	Ioannes XIX.	*Conradus II.*	Salegunſtadienſe.	Oddar Aldenburg.
5000	1032	Benedictus VIII.			Simeon Eremita.
5013	1045	Gregorius VI.	*Henricus III. Niger.*		Dominicus Loricatus.
5015	1047	Clemens II.			Bardo Moguntinus.
5016	1048	Damasus II.			Gothardus. Eduardus.
5017	1049	Leo IX.		Romanum.	VVigbertus.
5023	1055	Victor II.		Vercellense.	Gerardus Gandauiēſ.
5025	1057	Stephanus X.	*Henricus IV.*	Turonense.	Stanislaus.
5027	1059	Nicolaus II.		Romanum.	Aſvverus Raceburgēſ.
5029	1061	Alexander II.		Romanum.	Godfridus Ambianēſ.
5041	1073	Gregorius VII.			Arnulphus Sueſsion.
5054	1086	Victor III.			Bruno Carthuſianus.
5056	1088	Vrbanus II.			Hugo Cluniacenſis.
5067	1099	Paſchalis II.			Hugo Grationopolit.
5068	1100		*Henricus V.*	Lateranense.	Agnes Romana.
5086	1118	Gelasius II.		Florentinum.	Norbertus Lotharin.
5087	1119	Calixtus II.	*Lotharius II.*	Trecense.	Malachias Hybernus.
5092	1124	Honorius II.		Northuſense.	Bernardus Clarevallenſis Abbas.
5098	1130	Innocentius II.		Londinense.	
5111	1143	Cælestinus II.	*Conradus III.*	Remense.	Guilhelmus Dux & Eremita.
5112	1144	Lucius II.		Lateranense.	
5113	1145	Eugenius III.	*Fridericus I. Barbaroſſa.*	Claromontense.	Gerardus Monachus.
5121	1153	Anastasius IV.		Stampense.	Hildegardis.
5123	1155	Adrianus IV.		Remense. Piſanum.	Thomas Cantuarienſ.
5127	1159	Alexander III.	*Henricus VI.*	Moguntinense.	Hugo Lincolnienſis.
5149	1181	Lucius III.		Lateranense.	
5153	1185	Vrbanus III.	*Philippus Henrici frater.*	Sueſſonense.	
5155	1187	Gregorius VIII.		Senonense.	
5156	1188	Clemens III.	*Otto IV.*	Remense.	
5159	1191	Cælestinus III.		Turonense.	
5166	1198	Innocentius III.		Lateranense.	
5168	1200				Dñicus. Franciſcus.
5185	1217	Honorius III.	*Fridericus II.*	Lateranense.	Maria de Oegne.
5190	1222	Gregorius IX.		Alemanicum.	Chriſtina Mirabilis.
5209	1241	Cœlestinus IV.	*Henricus VII. Guilhelmus.*	Oxonienſe.	Engelbertus Coloniē.
5210	1242	Innocentius IV.			Petrus Mediolanenſis.
5222	1254	Alexander IV.	*Conradus IV.*	Londinense.	Luitgardis.
5229	1261	Vrbanus IV.	*Richardus & Alphonſus.*		Elisabeth Landgrauia.
5233	1265	Clemens IV.			Antonius Paduanus.
5239	1271	Gregorius X.	*Rodolphus I.*	Lugdunense.	Guilhelmus Bononiē.
					Hiacynthus.
					Thomas Aquinas.
					Bonauentura.
					Nicolaus Noueſienſis.
					Heduigis.

Scriptores Graeci.	Scriptores Latini.	Haeretici.
	Stephanus Leodienſis.	
	Gualterus Senonenſis.	
Theodorus Abucara.	Ratbodus Traiectenſis.	
	Radulphus Flauiacenſis.	
	Ratherius Veronenſis.	
	Leo Septimus.	
Moſes Barcepha.	VVitichindus Corbeienſis.	
	Flotildis.	
	Luitprandus Ticinenſis.	
	Roſuida Sanctimonialis.	
Simeon Metaphraſtes.	Frodoardus.	
	Notgerus Leodienſis.	
	Fridegodus.	
Suidas.	Smaragdus.	
	Abbo Floriacenſis.	
	Bridefortus Rameſienſis.	
Conſtantinus Porphyrogennetes.	Pelegrinus Laureacenſis.	
	Stephanus Colonienſis.	
	Fulpertus Carnotenſis.	
	Burchardus VVormatienſis.	
	Berno Augienſis.	
	Osbernus. Odoramus.	
	Bruno Herbipolenſis. Rogerius Benedictinus.	
Gregorius Palamas.	Glaber Rodolphus. Hugo Floriacenſis.	
	Helgaudus Floriacenſis. Leo Nonus.	*Berengarius.*
Michaël Pſellus.	Hermannus Contractus.	
	Alphanus Salernitanus.	
	Adelmannus Brixienſis. Durandus Leodienſis.	
	Humbertus Tullenſis.	*Baſilius Bogomilorum dux.*
Oecumenius.	Radulphus Ardens.	
	Lanfrancus. Petrus Damianus.	
Ioannes Xyphilinus.	Odilo Cluniacenſis. Algerus.	
	Guitmundus. Gregorius VII.	
Euthymius.	Micrologus. Bruno Carthuſianus.	
Alexius Comnenus.	Lambertus Schafnaburgenſis. Anſelmus vterque.	*Benno Cardinalis.*
	Adamus Canon. Ado Treuirenſis.	
Anna Comnena.	Stephanus Halberſtadenſis.	
Georgius Cedrenus.	Iuo Carnotenſis. Drogo Hoſtienſis. Hildebertus Cennomanenſis. Petrus Alphõſus. Edinerus. Guilhelmus Malmesberienſis. Zacharias Chryſopolitanus. Leo Oſtienſis. Meginardus. Liſiardus. Sigebertus. Florentius VVigornienſ. Hugo	*Tandemus.*
Ioannes Zonaras.	Folietus. Odo Cameracenſ. Berẽgoſius. Theofrid9. Fucherig.	*Durandus de VValdach.*
Michael Glycas.	Frãco. Rupertus Tuitienſ. Honorius Auguſtodunenſ. Guido	
Theodorus Ducas.	& Guigo Carthuſ. Bernardus Abbas. Hugo Victorinus. Ri-	*Petrus de Bruis.*
Conſtantinus Manaſſes.	chardus Victorinus. Guilhelmus Abb. Petrus Lombardus.	*Henriciani.*
Manuel Conſtantinopolitanus.	Ioannes Gratianus. Petrus Cluniac. Galfridus Monumetēſ.	*Petrus Abailardus.*
Nicolaus Methonēſ.	Otto Friſing. Arnoldus Carnot. Potho Prumienſis. Ioannes	*Arnoldus Brixianus.*
Emanuel Cõnenus.	Salisberiēſ. Petrus Cellēſ. Hildegardis. Eckbertus. Radeuicus	*Pſeudoapoſtolici.*
Nilus Theſſalonicēſ.	Friſing. Gyraldus Cambrenſ. Petrus Bleſenſis. Petrus Trecēſ.	*Gilbertus Porretanus.*
Conſtantinus Harmenopulus.	Hugo Etherianus. Petrus de Riga. Helmoldus. Guarricus	*Cathari, ſeu Patareni.*
Theodorus Balſamõ	Igniacenſis. Sylueſter Gyraldus. Arnulphus Lexouienſis.	*VValdo Lugdunenſis, à quo Pauperes de Lugduno.*
Theorianus.	Godfridus Viterbienſis. Ealredus Anglus. Stephanus	*Eudo.*
Ioannes Tzetzes.	Eduenſis. Guilhelmus Tyrius. Guntherus. Adã Victorinus.	*Correrij ſiue Coterelli.*
Michael Chindiſi.	Helinandus. Ioachim Abbas. Innocentius Tertius.	*Agennenſes.*
Nicetas Choniates.	Ioannes Belethus. Theobaldus. S. Dominicus. Eduardus	*Almaricus.*
Cyrus Theodorus Prodromus.	Cantuarienſis. Dodechinus. Robertus de Monte.	*Albigenſes.*
	Theodoricus Benedictinus. Guilhelmus Neobrigenſis.	
	Saxo Grammaticus. Otto de S. Blaſio.	*Dauid Dinantius.*
	Rigordus Gothus. Iacobus Vitriacus.	
	Cæſarius Heiſterbachius. Edmundus.	*Petrus Ioannis.*
	Conradus à Lechtenavv.	
	Antonius Paduanus. Guilhelmus Aluernus.	
	Raymundus de Penna forti.	
	Alexander Aleſius. Guilhelmus Britō.	
	Rodericus Toletanus.	*Guilhelmus de S. Amore.*
	Vincentius Burgundus. Albertus Magnus.	
	Hugo Carenſis. Thomas Aquinas.	*Flagellantes.*
	Humbertus Domin.	

Anno Mundi	Anno Christi	SVMMI PONTIFICES.	IMPERATORES.	CONCILIA.	SANCTI.
5244	1276	Innocentius V. Adrianus V. Ioannes XX.			Nicolaus Tolentinus. Irmgardis.
5245	1277	Nicolaus III.		Aschaffenburgense.	Mechtildis.
5249	1281	Martinus IV.	*Adolphus.*		Gertrudis.
5253	1285	Honorius IV.			Cęlestinus.
5256	1288	Nicolaus IV.			
5262	1294	Cælestinus V.	*Albertus I.*		Angela de Fulgineo.
5263	1295	Bonifacius VIII.		Lugdunense.	
5271	1363	Benedictus IX.		Viennense.	Iuo Iurisconsultus.
5273	1305	Clemens V.	*Henricus VIII. Lutzenburgensis.*		Christina Sumlensis.
5284	1316	Ioannes XXI.	*Ludouicus IV. Bauarus.*	Moguntinense.	Rochus. Benedictus P.
5302	1334	Benedictus X.	*Carolus IV.*		Venturinus Bergomensis.
5310	1342	Clemens VI.			Gertrudis ab Oesten. Godfridus Presbyter
5320	1352	Innocentius VI.			Eptingensis. Henricus Suso.
5330	1362	Vrbanus V.			Albertus Allobrogus' Catharina Senensis.
5339	1371	Gregorius XI.	*Venceslaus.*		Andreas Fesulanus.
5346	1378	Vrbanus VI.			Gerardus Groet.
5357	1389	Bonifacius IX.			
5372	1404	Innocentius VII.	*Robertus Bauarus.*		Coleta.
5374	1406	Gregorius XII.		CONSTANTIENSE.	Vincętius Valentinus.
5377	1409	Alexander V.			Liduina.
5378	1410	Ioannes XXII.		Basileense.	Bernardinus Senensis.
5385	1417	Martinus V.	*Sigismundus.*		Ioannes Capistranus.
5398	1430	Eugenius IV.	*Albertus II.*	FLORENTINVM.	Laurentius Iustinianus.
5415	1447	Nicolaus V.	*Fridericus III.*		Antoninus Florętinus
5423	1455	Calixtus III.			Didacus ab Alcala.
5426	1458	Pius II.			Andreas Chius.
5432	1464	Paulus II.			Dominicus Piscienſis.
5439	1471	Sixtus IV.			Maria Toletana.
5452	1484	Innocentius VIII.			Margarita Rauennatensis.
5460	1492	Alexander VI.	*Maximilianus I.*		Nicolaus Eremita. Iacobus Picenus. Iacobus Alemannus.
					Columba Reatina. Maria Toletana. Ioanna Roderiguesia. Osanna Mantuana. Margarita Rauennatensis.
5471	1503	Pius III. Iulius II.			Catharina Genuensis. Franciscus Paulanus.
5481	1513	Leo X.	CAROLVS V.	Lateranense.	Frāciscus Ximenius.
5490	1522	Adrianus VI.			Gentilis Rauennatēs.
5491	1523	Clemens VII.			Andreas ex Olmo.
5502	1534	Paulus III.			Martinus Valentinus.
5518	1550	Iulius III.	*Ferdinandus.*	Senonense.	Stephana Soncinas.
5523	1555	Marcellus II. Paulus IV.		Ratisbonense.	Franciscus Xauerius.
5528	1560	Pius IV.	*Maximilianus II.*	Colonienſia duo.	Felix Capuccinus.
5534	1566	Pius V.		Treuirenſia duo.	Ioannes à S. Frāciſco.
5540	1572	Gregorius XIII.	*Rodolphus II.*	Augustanum.	Carolus Borromæus.
5553	1585	Sixtus V.		Moguntinense.	Antonius Pestana.
5558	1590	Vrbanus VII. Gregorius XIV.		TRIDENTINVM.	Alexander Capocchius.
5559	1591	Innocentius IX.		Mediolanense 1. 2. 3 4. 5.	Nicolaus Factor.
5560	1592	CLEMENS VIII.			Aloysius Bertrandus. Antonia Romana.

SCRIPTORES GRAECI.	SCRIPTORES LATINI.	HAERETICI.
Nicolaus Cabasilas. Demetrius Cydonių. Michael Palæolog. Georgius Pachymerius. Nicephorus Callistus.	Albertus Stadens. Guilhelmus Peraldus. Bonauentura. Robertus de Sorbona. Matthæus Parisius. Thomas Cantipratens. Guibertus Tornacus. Thomas Lentinus. Mechtildis. Richardus de Media villa. Ioannes Pechanus. Ioannes Galensis. Ægidius Romanus. Dauid Augustanus. Guilhelmus Durantius. Iacobus Genuensis. Aitonus Armenius. Theodoricus Apollius. Robertus Dominicanus. Henricus Gandauus. Richardus Florentinus. Amandus de Bellouiso. Angela de Fulgineo.	*Desiderius Longobard. Gerardus Sagarellus.* *Raymundus Lullius.* *Durād. de VValdachia.*
Athanasius Constāt. Maximus Planudes. Nicephorus Gregoras. Philotheus Constātinopolitanus. Ioannes Cantacuzenus.	Ioannes Scotus. Rainerus Pisanus. Alanus de Insulis. Richardus Pampolitanus. Guilhelmus Naugiacus. Engelbertus Admōtensis. Petrus Aureolus. Albertus Patauinus. Nicolaus Lyranus. Hugo Pratensis. Suffridus Misnensis. Iacobus Diaconus. Ioannes à S. Geminiano. Petrus de Dacia. Conradus VVecerius. Guilhelmus Occam. Herueus Brito. Antonius Andreas. Franciscus Maronius. Augustinus Triumphus. Malachias Hybernicus. Durandus à S. Portiano. Petrus Aureolus. Ludolphus Saxo. Aluarus Pelagius. Petrus Bertrandus. Hēricus Costesay. Guido Perpinianus. Guido Rocherius. Ludolphus Bebenburgius. Simon de Cassia. Rupertus Holcotius. Albertus Brixianus. Gregorius Ariminensis. Ioānes Bacontorpius. Iludolphus de Suchem. Thomas Argētinen. Ioānes Thaulerus. Franciscus Petrarcha. Henricus ab Heruordia. Petrus Herental. Albertus Argentinensis. Ioannes Rusbrochius. Henricus Suso. Petrus Berchorius. Nicolaus Eymericus. Bartholomęus Anglicus. Brigitta vidua. Matthæus VVestmonaster. Ioannes Bocatius. Henricus Constantiensis. Catharina Senensis. Ioannes Bromiardus. Raimundus Capuanus. Henricus de Hassia. Radulphus de Riuo. Gerardus Zutphanienſis.	*Begardi. Fratricelli. Lollardi. Beguini.* *Dulciniſtæ.* *Guilhelmus Occam.* *Michael de Cesena.* *Ioannes Poliacus.* *Marsilius Patauinus.* *Bertholdus de Borba ch.* *Ioannes de Mercuria Turelupini.* *Guilhelmus VVicleui præceptor.* *Ioannes VVicleuus.*
Georgius Codinus. Manuel Palęologus. Georgius Gemistus Pleto. Marcus Ephesius. Gēnadius Scholarius. Georgius Trapezuntius. Bessarion Nicænus. Leonardus Chius. Laonicus Chalcocōdylas.	Paulus Venetus. Ioannes Capreolus. Petrus Aliacus. Stephanus Aliacus. Ioannes Frossardus. Nicolaus Clemengius. Hieronymus à Sancta Fide. Antonius de Rāpigolis. Thomas VValdēsis. Petrus Paulus Vergerius. Vincētius Ferrarius. Ioannes Gerson. Alphōsus Tostatus. Bernardinus Senensis. Blondus Flauius. Raimundus Sebundius. Laurentius Iustinianus. Thomas Malleolus. Nicolaus Plonius. Ambrosius Camaldulensis. Paulus Burgensis. Nicolaus Iaquerius. Ioannes Capistranus. Bartholomæus de Mutina. Leonardus de Vtino. Ioannes Niderus. Antonius Bōfinius. Alphōsus à Carthagena. Bartholomęus Fatius. Antoninus Florētinus. Nicolaus Cusanus. Petrus de la Cauellaria. Æneas Syluius. Petrus Ransanus. Dionysius Carthusianus. Felix Malleolus. Henricus Herphius. Bernardus Iustinianus. Ioannes de Turrecremata. Rodolphus Langius. Godfridus Langius. Iacobus de Valentia. Guilhelmus de Velde. Franciscus Squiliacensis. Alexander de Arioſtis. Gabriel Bielius. Bernardinus de Busto. Iacobus Gruytrodius. Gabriel Barleta. Ioannes Aquitanus. Marius Aequiuolus. Nicolaus de Nise. Petrus de Aquila. Michael Mediolanensis. Macarius Mutius. Dominicus Maurinus. VVernerus Roleuingius. Iacobus Philippus Bergomensis. Iacobus Meierus. Baptista Fulgosius. Alexander ab Alexandro. Angelus Politianus. Rupertus Lycius. Bartholomæus Sibylla. Antonius de Giscandis. Angelus de Clauasio. Iacobus Sprengerus. Marsilius Ficinus. Ioannes Iouianus Pontanus. Philippus Cominæus. Sabellicus. Schedelius. Trithemius. Gaguinus. Pelbartus de Themesvvar. Thomas Murnerus. Raphael Volaterranus. Ioannes Gailerus.	*Ioannes Hussus.* *Hieronymus Pragensis.* *Barbara Imperatrix.* *Guilhelmus Sartorius.* *Petrus Dresdensis.* *Piccardi.* *Thaboritæ. Orebitæ.* *Matthæus Palmerius.* *Nicolaus Galecus.* *Ioannes Rochezana.* *Ioannes Przibrauus.* *Ioannes de VVesalia.* *Guilhelmus Linanus.* *Ioannes Behaim Tympanista.* *Hermannus Risvvich.*
Zaga Zabo. Moses Mardenus. Siud Sulaka. Emanuel Malaxus. Theodosius Zygomala. Emanuel Philadelphiensis. Hieremias Constāt. Maximus Margunių. Francisc. Rex Būgi. Gabriel Alexandrin. Protasius Rex Arimanorum. Barptolemęus Princeps Omuranorū.	Baptista Mantuanus. Petrus Burrus. Conradus Celtes. Ioānes Nauclerus. Bonifacius Symoneta. Paulus VVan. Bernardus Lutzenburgus. Petrus Crinitus. Petrus Tartaretus. Marcus Marulus. Guilhelmus Pepinus. Albertus Crātzius. Sylvester Prierias. Petrus Galatinus. Franciscus Lychetus. Petrus Rosetus. Hieronymus Emserus. Eduardus Leus. Iodocus Clichthouæus. Ioannes Eckius. Thomas de Vio. Iacobus Latomus. Ioannes Faber. Ioannes Roffensis. Franciscus Titelman. Ioannes Cochlæus. Ruardus Tapperus. Adamus Sasbout. Franciscus Orantius. Alanus Copus. Michael Medina. Petrus Canisius. Gregorius à Valentia. Robertus Bellarminus. Cæsar Baronius, & plures alij.	*Martinus Lutherus. Andreas Carlst. Balthasar Pacimontanus. Ioannes Oecolamp. Henricus Corn. Agrippa. Huldaricus Zvvinglius. Philippus Melanchthon, à quo Synergista. Andreas Hosiander. Franciscus Stanckarus. Sebastianus Castalio. Georgius Dauid. Ioannes Cāpanus. Libertini. Ioānes Caluinus. Michael Seruetus. Valentinus Gentilis. Caspar Zvvēckfeldius. Bernardinus Ochinus. Ioannes Brentzius. Theodorus Beza. Illyricus. Petrus Statorius. Petrus Kelsicens. Petrus Gonezius. Christianus Francus, & plures alij.*

ARTICVLVS TERTIVS.

LVTHERVM, CALVINVM, ANABAPTISTAS, ET TRINITARIOS, NON ORTHODOXIS ECCLESIAE DOCTORIBVS: SED DIVERSIS OLIM DAMNATIS HÆRETICIS SVCCESSISSE: ILLORVM QVÆDAM DOGMATA MORDICVS DEFENdere, quædam rursus omninò improbare.

Simon Magus. 60.

1. SIMON Magus nihil libero hominis arbitrio: sed omnia fato fieri voluit. *Clemens lib. 3. Recognitionum.*

Lutherus in Assertionibus articulo 36. De seruo arbitrio contra Erasmũ, Caluinus in Instit. &c. idem docent.

2. *Simon Magus dixit*: Liberum esse hominibus, vt agerent quęcunque vellent: secundùm ipsius gratiam saluari homines, non secundùm operas iustas: iustam esse seruitutem, quòd homines debeant bonis & honestis operibus vacare. *Irenæus lib. 1. cap. 20. Theodoretus de hæret. fabulis.*

Idem asserunt Lutherus de captiuit. Babylon. & Sermone de piscatione Petri: Nicolaus Amsdorffius libro: *Quòd bona opera sint pernicioſa ad salutem*: Lutherani in colloquio Altenburgensi.

NON PROBANT, quòd idem Simon, (*vt referunt Clemens Romanus, Irenæus, Philastrius, Epiphanius, Theodoretus, & Nicetas, vbi de illius secta agunt*) dixit, se esse Deum, seu, vt loquebatur, sublimissimam seu infinitam potentiam: se inter Iudæos apparuisse quasi Filium, in Samaria quasi Patrem descendisse, apud reliquas gentes quasi Spiritum sanctum aduentasse: se esse Christum, & hominis figuram assumpsisse duntaxat, nec verè passum esse: Legem nõ esse à Deo, sed ab aliqua sinistra Virtute: Angelos mundum creasse: corpora penitus interire: solas animas immortales esse, &c.

Elymas Magus. 60.

Elymas Magus dixit: Si est omnipotẽs Deus, quomodo dicitur à Paulo seipsum negare non posse? *Dionysius de diuinis nominibus cap. 8.*

Omnipotentiam Dei in dubium vocant Ioan. Caluinus lib. 2. Inst. cap. 7. §. 5. lib. 3. cap. 23. §. 2. Beza lib. 2. contra Heshusium, Petrus Martyr de Eucharistia contra Stephanum Gardinerum, Bartholomæus Causæus in Scuto fidei, &c.

NON PROBANT, quòd idem Elymas magicas artes secutus, illarum præstigijs multos dementabat, plurimosq; à fide Christiana auertebat, *Act. 13.*

Cerinthus. 70.

Cerintho impossibile visum est Iesum ex Virgine nasci: ideo Christum dicebat esse nudum hominem ex Ioseph natum. *Irenæus lib. 1. cap. 25.*

In Polonia & Hungaria non desunt, qui Mariam reprehendunt, perinde ac si illa Iosephi cõmercium admiserit, & operi coniugali vacarit. *Canisius in opere Mariali libro 2. cap. 8.*

Franciscus Dauidis, Georgius Blandrata, &c. quomodo Christum nudum hominem asserant, supra ostendimus articulo de diuinitate Filij Dei.

NON PROBANT, quòd idem (*vt de illo referunt Irenæus, Tertullianus, Epiphanius, Eusebius, Philastrius, & Theodoretus*) docuit, obseruationem legis Mosaicæ necessariam esse: dies festos, victimas, & sacrificia Iudæorum retinenda: Christum nondum ex mortuis resurrexisse: eius regnum post resurrectionem terrenum fore: in quo Hierosolymis cibo, potu, reliquisque corporalibus voluptatibus fruituri simus: Apostolum Paulum repudiauit: Matthæi tantùm Euangelium approbauit: Iudam traditorem honorauit.

Gnostici. 160.

Gnostici Christum ignorantem, & quasi sub cuiusdam pædagogi ferula alphabetum discentem fingebant. *Irenæus lib. 1. cap. 17.*

Lutherus Concione de Natali Domini, Ioannes Caluinus ad caput 24. Matthæi, Rodolphus Gualterus Homilia 112. in Marcũ, &c. Christum ignorantiæ subijciunt.

NON PROBANT, quòd ijdem, (*vt referunt Irenæus, Clemens Alexandrinus, Tertullianus, & Epiphanius*) docuerunt duos esse Deos: animam esse Dei substantiam: vxores communes habuerunt, generationem auersantes: dixerunt bruta esse rationis capacia: creaturas factas à Deo malo: quasdam earum in se esse malas: animarum, non corporum resurrectionem fore.

Prodicus. 180.

Prodicus dicebat, non esse orandum. *Clemens Alexand. lib. 5. Stromat.*

Lutherus libro de pijs Ecclesiæ cæremonijs: Non existimemus, *inquit*, placari Deum multo murmure, aut recitatione precum, vt hactenus obseruatione cæremoniarum factum est.

Ioannes Monhemius dialogo 6. Non nostras exigit preces Deus.

NON PROBANT, quòd idem Prodicus Gnosticorum errores, iam à nobis memoratos, mordicus sectatus est: *vt testantur Clemens libro 7. Strom. & sexta Synodus act. 11.*

Cerdon, & Marcion. 180.

Cerdon & Marcion Apocalypsin Ioannis reijciebant. *Tertullianus de Præscriptione aduersus hæreticos cap. 51.*

Lutherus in suis Biblijs Apocalypsin non eodem, quo cæteros Scripturę libros loco ponit, & de eius auctoritate dubitat.

NON PROBAT, quòd ijdem, *vt est apud Irenæum, Tertullianum, & alios*, duos posuerunt Deos: vnum sæuum & ignotum, qui mundum, & vetus Testamẽtum fecit: alterum bonum & cognitum, qui fuerit pater Christi: Christum dixerunt in phantasmate natum & passum esse: Prophetias, Legem, & Euangelia, præterquam Lucæ, & Acta Apostolorum reiecerunt: animæ, non carnis resurrectionem asseruerunt.

Florinus. 180.

Florinus Deum dixit auctorem esse mali. *Eusebius lib. 5. cap. 19.*

Lutherus in Assertionibus artic. 36. & de seruo arbitrio, Caluinus in Institutionibus, Philippus Melanchthon in epist. ad Romanos idem asserũt.

NON PROBANT, quòd idem Valentinianæ hæreseos sectator fuit.

Montanistæ. 190.

Montanistæ Pœnitentiæ virtutem velut nimium rigidi sustulerunt, erubescentes confiteri peccata quasi iusti. *Hieronymus ad Marcellam.*

Lutherus in captiuitate Babylonica, & in Assert. Caluinus in Institutionibus, &c. eadem sentiunt.

NON PROBANT, quòd ijdem tres inducũt Quadragesimas, quasi tres passi sint Saluatores: quòd asserunt Spiritum sanctum in Apostolis fuisse, Paracletum verò plura in Montano dixisse, quàm Christus in Euãgelio protulit: Trinitatem in vnius personæ angustias cogebant: secundas nuptias pro fornicationibus habebant: Prophetas fuisse arreptitios putabãt, nec intellexisse quæ dicerent: baptizabant mortuos: appellabant eos animales, qui nouam suam non attenderent prophetiam: infantis sanguinem in suis sacrificijs miscebant. *Clemens Alexandrinus, Hieronymus, Augustinus &c. de illorum hæresi.*

Tertullianus. 200.

1. Tertullianus voluit animam ex traduce esse *Pamelius in Paradoxis Tertulliani.*

Idem sentit Lutherus disputatione secunda, habita VVittembergæ anno 1545.

2. Tertullianus libro de pudicitia negat Romanum Pontificem habere potestatẽ absoluendi mœchos & adulteros, etiamsi pœnitentiã agant.

Lutherus quoque Pontificis Romani indulgentias parui facit.

NON PROBAT, quòd idem Tertullianus animas docuit esse corporeas, sexu discerni: si pessimæ sint, post mortem in dęmones verti: quòd damnauit secundas nuptias: quòd Montanũ hæreticum toties Paracletum vocat, *de quibus vide Pamelium in Paradoxis Tertulliani.*

Nouatiani. 250.

1. Nouatiani ijs, qui baptizabantur ab ipsis, sacrum Chrisma non præbebant. *Theodoretus lib. 3. hæret. fab.*

Nec apud Lutheranos, nec apud Caluinistas Chrisma adhibetur.

2. Nouatiani oris Confessionem, & sacerdotis sacramentalem absolutionem penitus abstulerunt. *Cyprianus lib. 4. epist. 2.*

Lutheranos & Caluinistas idẽ probare omnibus constat.

NON PROBANT, quòd ijdem eos, qui pœnitentiam agerent, nolebant absoluere, & ad Cõmunionem admittere.

Paulus Samosatenus. 260.

Paulus Samosatenus in verbi Dei interpretes, qui vita excessissent, palã debacchatus est: Psalmos & cantus in honorẽ Christi, tanquam à viris recentioris memoriæ editos, explosit. *Eusebius lib. 7. cap. 24.*

Lutherus, Caluinus, Beza, & cæteri passim idem faciunt.

NON PROBANT, quòd idem (*vt referunt Eusebius lib. 7. cap. 22. & 24. Epiphanius hæresi 65.*) præter Sabellianam hæresin docuit Christum communi solum hominum natura præditum, nihil aliud quàm hominem fuisse.

Manichæi. 280.

1. Manichæi damnant naturam hominum, liberum arbitrium negant, fatum asserunt. *Hieronymus Dialogo aduersus Pelagianos, Augustinus contra Faustum Manichæum, Chrysostomus in Ioannem Homilia 45.*

Eadem Lutherus in Assertionibus, & libro de seruo arbitrio, Caluinus in Institutionibus, &c. passim docent.

2. Manichæi docuerunt baptismum aquæ nihil salutis adferre.

Idem sentiũt Lutherus in sua Babylone, Caluinus in Institutionibus.

NON PROBANT, quòd ijdem fecerunt duos Deos: vnum bonum, & alterum malum: quòd docuerunt Filium esse partem vnius substantiæ Patris, & id Filium intelligi voluerunt, quod ex Dei substantia parte aliqua deductum apparuerit in carne: quòd Christus veram non habuerit carnem: nuptias damnârunt: carnium esum, vt immundum, improbârunt. *De quibus vide Hilarium lib. 6. de Trinitate, Cyrillum Hierosol. Catechesi 6. Epiphanium hæresi 66.*

Alogi. 300.

Alogi non recipiebant Euangelium Ioannis, nec Apocalypsin. *Epiphanius hæresi 51.*

Lutherus hoc probat: illud improbat.

Ariani. 325.

Ariani posthabitis Patrum Concilijs & sententijs, negant Filium Patri esse consubstantialem, quòd illud nomen in sacris Biblijs nusquam extet: in monachos, & totum Ecclesiasticum Ordinem arma mouent: Romanam Ecclesiam odio prosequuntur. *De quibus plura apud Athanasium, Hieronymum, Augustinum, Russinum, &c.*

Eadem Lutheri, Caluini, & cęterorum passim est sententia.

NON PROBANT, quòd ijdem dicunt Filium Dei tantùm esse creaturam: solum ante alias creaturas factum: Spiritum sanctum à Filio esse creatum: Baptismum in nomine Filij sufficere.

Donatistæ. 330.

Donatistę dixerunt, Catholicam Ecclesiam apud se esse, antea toto terrarum orbe perijsse, in sola parte Donati remansisse: nullam rationem Episcoporum aut Gallię, aut Italiæ, aut vrbis Romæ habendam esse: Eucharistiam iubebant canibus fundi: amphullam Chrismatis per fenestram, vt frangerent, iactabant: altaria euertebant: calices frangebant: pallas abijciebant: capita sacerdotum, vt sacram vnctionem auferrent, radebant: virginum velata capita nudabant. *Optatus Mileuitanus lib. 1. 2. & 6. Augustinus hæresi 69.*

Lutheranos & Caluinianos idem docere & facere, lippis & tonsoribus notum est.

NON PROBANT, quòd ijdem docuerunt (*vt testantur Augustinus, & Theodoretus de Donatistis*) Sacramenta solùm sancta esse, quando per sanctos homines dantur: virtutem Baptismi pendere à ministro, qui baptizat: ita sine peccato videri volunt, vt etiam se iustificatores hominum asserant: & violentam mortem, quam sponte sibi inferunt, vel iubent alios oblato suo corpore sibi inferre, martyrium nominant.

Eustachius. 340.

Eustachius loca sanctorum Martyrum & Basilicas contemnebat, & ieiunia præscripta auersabatur. *Socrates lib.2.cap.33.*

Lutheri & Caluini eadem est sententia.

NON PROBANT, quòd (*vt ibidem asserit Socrates*) nuptias damnabat: carnibus vesci detestabatur: benedictionem & Cõmunionem Presbyteri habentis vxorem, quam legitimè, cùm laicus esset, duxisset, declinandam esse præcipiebat: die Dominico ieiunandum docebat: suos peregrino vestitus genere vti volebat.

Constantius Imperator. 350.

Constantius Imperator Arianus Synodum in Seleucia congregans, præcepit, vt Episcopi nihil, præter diuinas Scripturas, Ecclesiasticæ fidei adderent. Vnde Synodus ibi definiuit hęc verba: Coëssentialis vocem reijcimus, velut à Scripturis alienam. *Epiphanius hæresi 73.* Fides ab Arianis Ariminis edita, iubebat vocabulum substantiæ de medio tolli, eò quòd sacræ Scripturæ non meminissent substantiæ Patris, & Filij. *Athanasius de Synodis Arimini & Seleuciæ.*

Sic Lutherus in Euangelio de Dominica Trinitatis: *Nomen Trinitatis nusquam in diuinis literis extat; sed homines illud à seipsis excogitárunt, & inuenerunt.* Sępe aliàs idem Lutherus asserit, sępe quoque Caluinus, & Beza suis scriptis inculcant: *Nihil præter Scripturas recipimus.*

NON PROBANT, quòd Constantius cum suis Episcopis in illa Synodo Arianismũ ex professo promulgârunt.

Eunomius. 360.

Eunomius negauit multitudinis antiquitati, & dignitati Christianorum quicquam deferendum esse. *Basilius lib.1. contra Eunomium.* Vsque adeò bonis operibus fuit inimicus, vt asseueraret, quòd nihil cuiquam obesset quorumlibet perpetratio, ac perseuerantia peccatorum, si huius, quę ab illo docebatur, fidei particeps esset. *Augustinus hæresi 54.*

Lutherus & Caluinus similia passim dogmatizant.

NON PROBANT, quòd idem Eunomius asserebat Filium per omnia dissimilem Patri, & Spiritum sanctum inter creaturas numerabat. *Ruffinus libro 2. cap. 25. Basilius libro contra Eunomium.*

Audæani. 360.

Audæani, seu Vadiani à Catholicorum communione abstinebant propter Episcopos diuites, & alia huiusmodi. *Epiphanius hæresi 70.*

Lutherus & Caluinus passim in Episcoporum & cleri diuitias inuehuntur, & vitia propalant.

NON PROBANT, quòd ijdem (*vt referunt Epiphanius & Theodoretus*) Deo partes & humani corporis formam tribuebant: tenebras, aquam, & ignem dicebãt ingenita: Pascha cum Iudęis celebrabant.

Aërius. 360.

Aërius Presbyter in ambitu Episcopatus repulsam passus, ab Ecclesia defecit, ac docuit viuentium sacrificia, orationes, eleëmosynas, & ieiunia defunctis nihil prodesse: ieiunium quartæ, & sextæ Feriæ, & Sabbati, & Quadragesimæ prohibuit: dixit ieiunandum esse cùm quis voluerit, ne videamur esse sub Lege: voluit Presbyterum ab Episcopo nulla debere differentia discerni. *Epiphanius, Augustinus, Isidorus, & Damascenus de Aërianis.*

Lutherus, Caluinus, &c. eadem passim docent.

NON PROBANT, quòd idem, *ijsdem testibus*, præter hæc dogmata, etiam Arianam hæresin ex professo defendit.

Lucifer Calaritanus. 360.

Lucifer Calaritanus volebat suos tantùm sectatores esse Ecclesiam orthodoxam: antiquam verò Ecclesiam de Ecclesia factam esse lupanar. *Hieronymus cap.1.contra Luciferianos.*

Lutherus, Caluinus, &c. de suis contra nostros idem persuasum habent.

NON PROBANT, quòd idem negauit Episcopos ab hæreticis creatos, aut in hęresin lapsos, etiam post satisfactionem, cum Episcopatus honore in Ecclesiam recipiendos esse.

Iulianus Apostata. 366.

Iulianus Apostata reprehendit Christianos, quòd signum crucis Christi honorant: Christi imaginem destruxit, suam substituit. *Cyrillus Alexandrinus libro 6. contra Iulianum. Sozomenus libro 5. cap.20.*

Lutherani, & Caluinistæ eodem morbo laborant.

NON PROBANT, quòd idem Iulianus à Christo ad diabolum defecit: magicas artes coluit: omni malorum genere se contaminauit: & bello Christianos persecutus est. *De quibus plura apud Socratem, Sozomenum, & alios.*

Seleuciani. 370.

1. Seleuciani dicebant malum à Deo esse. *Augustinus hæresi 59.*

Idem Lutherum, Caluinum, Philippum, &c. docere suo loco pluribus demonstraui.

2. Dicunt Christum in carne ad dextram Patris nõ sedere: sed eam exuisse. *Augustinus hæresi 59.*

Idem docet Ioannes Brentius in Recognitione doctrinæ suæ, de maiestate Christi fol.167.

NON PROBANT, quòd ijdem Seleuciani, (*vt Augustinus ibidem refert*) asserebant, materiam elemẽtorum Deo coęternam esse: Angelos de igne & spiritu creare animas: non baptizant aqua: resurrectionem non putant futuram, sed quotidie in generatione fieri.

Messaliani. 370.

Messaliani negabant Baptismum, & Eucharistiam aliquid prodesse ad animæ sordes expiandum: in clericorũ ordinationibus Spiritum sanctum suscipi: Ecclesias & altaria despiciebant. *Theodoretus hæreticarum fab. lib. 4. Damascenus hæresi 88.*

Lutheri & Caluini eadem est opinio.

NON PROBANT, quòd ijdem (*vt ibidem Damascenus refert*) nuptias dissoluebant: Spiritum sanctum sic dicebant accedere, vt sentiretur; vnde & Enthusiastæ dicti sunt: detestabãtur operationem, quæ manibus fit, vt Christianis indignam: parentibus suadebant, vt liberorum educationem negligerent: pauperum curam habendam negabant.

Iouinianus. 380.

1. Iouinianus dicebat omnia peccata esse paria. *Augustinus hæresi 82.*

Sic Lutherus in Resolutionibus: Nullum est peccatum natura sua veniale, sed omnia damnabilia.

2. Iouinianus docuit ieiunia, vel à cibis quibusdam abstinentiam non prodesse. *Augustinus ibidem.*

Idem docet Lutherus aduersus Ambrosium Catharinũ, & Sermone de simulachris, & de delectu ciborum.

3. Iouinianus virginitatem sanctimonialium, & continentiam sexus virilis in Sanctis, exigentibus vi-

bus vitam cælibem, coniugiorum atque fidelium meritis adæquabat. *Augustinus ibidem.*

Idem docet Lutherus libro de vita coniugali, & aduersus Ambrosium Catharinum.

4. Iouinianus docebat in regno cælorum parfore omnium præmium. *Hieronymus libro 2.aduersus Iouinianum.*

Idem docẽt Erasmus Sarcerius ad cap.12. Lucæ, Georgius Maior Dominica Septuagesimæ, Ioannes Spangenbergius ad Euangelium Dominicæ 3. Quadragesimæ.

NON PROBANT, quòd Iouinianus (*vt refert ibidẽ Augustinus*) Mariam pariendo fuisse corruptam: & hominem post baptismum non posse peccare, asseruit.

Heluidius. 390.

Heluidius volebat virgines & maritatas eiusdem esse gloriæ. *Hieronymus aduersus Heluidium capite 10.*

Idem docet Lutherus de vita coniugali, &c.

NON PROBAT, quòd idem Heluidius (*vt testantur Hieronymus & Augustinus*) docuit, Mariam postquam genuit Christum, Iosepho viro suo fuisse copulatam, & ex eo filios genuisse, qui fratres Domini dicantur.

Faustus Manichæus. 400.

1. Faustus Manichæus: (*apud Augustinum libro 30.cap.4.contra ipsum scripto,*) Si Quadragesima, *inquit*, sine vino & carnibus non superstitiosè à vobis, sed diuina lege seruatur: videte, quæso, videte, ne summæ dementiæ hoc sit, à Paulo dictum putare, quòd dęmoniorum doctrina sit omnis abstinentia ciborum, & prohibentes nubere, &c. Certatim ad virginitatis professionem virgines incitatis, vt penè iam maior in Ecclesijs omnibus virginum apud vos, quàm mulierum numerositas habeatur.

Lutherus, Caluinus, &c. idem nobis obijciunt.

2. Faustus, *apud Augustinum lib. 22.* Mosen reprehendit, quòd spoliauit Ægyptios, & bella gessit: Mosaica scripta reijcit, quòd à malo Hebræorum Deo dictata sint.

Sic Lutherus ad Psal.45.Tom.3.German.fol.295.ait: Moses instar diaboli horribilem speciem præ se fert, & ita loquitur, vt præ timore eius dictorum facilè alicuius cor contabescęret: labia ipsius omnem bilem exuperant: magis amarulenta sunt, quàm granum Gnidiũ, ac Draconis venenum: imò verò quasi tartareo igne sunt illita. Quamobrem apage cum Mose ad homines pertinaces, feroces, ac superbos Sanctos, quos terreat, & humiliet.

NON PROBAT Lutherus, quòd idem Faustus, *eodem Augustino teste,* Manichæus fuit: matrimonium improbauit: carnibus abstinuit.

Pelagiani. 400.

1. Pelagiani nullum in pueris peccatum agnoscunt. *Augustinus de peccatorum meritis & remissione lib.1.cap.9.*

Zvvinglius lib. de Baptismo, & Oecolampadius respõsione ad confessionem Lutheri, Originale peccatum negant.

2. Pelagiani quia dicebãt paruulos peccato Originali carere, eos sine Baptismo decedentes saluari dicebant. *Augustinus ibidem.*

Caluinus, Beza, & Lutheranorum multi idem docent.

3. *Pelagiani dicunt:* Credamus quod legimus, & quod non legimus nefas credamus astruere. *Augustinus de natura & gratia cap.39.*

Sic Lutherus in epistolam ad Galatas: Non alia doctrina in Ecclesia tradi aut audiri debet, quàm purum verbum Dei.

NON PROBANT, quòd ijdem Pelagiani (*vt est apud Augustinum hæresi 88. & lib.1.de peccatorum meritis & remissione cap.8.* &c.) asseruerunt: Hominem sine gratia Dei, per liberum arbitrium posse facere (licet non tam facilè) omnia diuina mandata, si velit: vitam iustorum in hoc seculo nullum omninò habere peccatum: gratiam Dei, qua liberamur ab impietate, secundùm merita nostra dari.

Nestorius. 430.

1. Nestorius veterum interpretum scripta perdiscere dedignatus est, seipsum antecellere omnibus existimans. *Socrates lib.7.cap.32.*

Similia passim Lutherus, Caluinus, &c. blaterant.

2. Nestorius cũ suis duas in Christo personas asseruit. *Synodus Quinta Constantinopolitana, Confessione seu Collatione 6.*

Sic Caluinus lib.1.Inst. cap 13.§.9.23.24. duas in Christo distinguit personas, vnam Filij Dei, alteram Mediatoris. Huic errori fauent Brentius libro de Maiestate hominis Christi, vbi sępissimè repetit, Filium Dei esse in Filio Mariæ, & Schmidelinus in Thesibus.

NON PROBANT, quòd idem Nestorius docuit B. Virginem purum hominem peperisse, qui postea prouectus sit in Deum: ideo dixit, se bimestrem, aut trimestrem factum Deum, nequaquam nominare. *De quibus Augustinus hæresi 89. Synodus Ephesina, Liberatus in Breuiario, Vincentius Lyrinensis,* &c.

Eutyches. 450.

1. Eutyches Gesta Ephesi confecta pro nihilo habuit. *Flauianus Constantinop. epistola ad Leonem Papam.*

Lutherus, Caluinus, &c. Concilijs Ecclesię nihil auctoritatis tribuunt.

2. Eutyches asserebat diuinitatẽ Verbi natam, passam, mortuam, & sepultam fuisse. *Leo epist. 97.*

Idem asserunt Lutherus de Concilijs libro 2. Libro proprio edito & approbato ab Andrea Musculo, Caspar Suenckfeldius parte 2. Confessionis pag.59.72 73.92.128.145. & Tomo 1. epist. epist.46.47. 49.52. & libro de Totitate Christi.

NON PROBANT, quòd idem Eutyches (*vt referunt Flauianus, Leo, Theodoretus,* &c.) docuit, ante inhumanationem Christi duas naturas esse, diuinitatis, & humanitatis; post humanitatem verò vnam naturam factam: corpus Domini, quod ex Maria factum est, non esse nostræ substantiæ.

Petrus Cnaphæus. 480.

Petrus Cnaphęus illud nouo more in Ecclesiam introduxit, vt in Trisagio: *Sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus & immortalis,* adderetur: *qui crucifixus est pro nobis,* quasi Deus passus sit. Vnde hæresis Theopaschitarum orta est. *Nicephorus libro 15. cap.28.*

Lutherus, Musculus, & Schuenckfeldius, vt iam dixi, Deum passum esse asserunt.

NON PROBANT, quòd idem Cnaphæus Eutychianam hæresin promulgauit.

Xenaias Persa. 490.

Xenaias Persa primus Sanctorũ imagines venerandas esse negat. *Cedrenus in Compendio hist. Nicephorus libro 16.cap.27.*

Eadem Lutheri, Caluini, &c. est doctrina.

NON PROBANT, quòd idem damnata Synodo Chalcedonensi Eutychianismum propagauit. *Nicephorus lib.16.cap.27.& 32.*

Iacobitæ. 590.

Iacobitæ confessiones peccatorum suorum non sacerdoti, sed soli Deo latenter faciunt, po-

nentes thus iuxta se in igne, tamquam cum fumo peccata sua ascendant coram Domino. *Iacobus Vitriacus historiæ Orientalis cap.76. Buchingerus in Ecclesiastica historia, Guido de hæres.*

Lutherus, Caluinus, &c. negant peccatorum coram sacerdote confessionem esse necessariam.

NON PROBANT, quòd (*vt testantur Vitriacus, Guido, & Lutzenburg.*) ijdem præter Eutychianam hæresin paruulos suos in vtroque sexu more Saracenorum circumcidant, & ferro candenti baptizatorum frontibus signum crucis inurunt.

Armenij. 600.

Armenij non miscent aquam vino: non credunt peccatum Originale: à Sacramentis vim cõferendi gratiam tollunt: negant Purgatorium, & beatorum animas in cælo viuere inficiantur. *Iacobus Vitriacus historiæ Orientalis cap.79. & Guido de hæresibus.*

Eadem Lutherus dogmatizat: Caluinus illis partim consentit, partim non consentit.

NON PROBANT, quòd ijdem (*Vitriaco & Guidone testibus*) in Quadragesima non solùm à carnibus, caseo, ouis & lacte abstinent: sed etiam pisces non manducant, oleo non vtuntur, vinum non bibunt: dicunt omnes homines ante passionem Christi damnatos fuisse; cultu Iudaico boues & agnos sacrificant: in Paschate non corpus Dominicum, sed agnum assumunt: crucem non prius venerantur, quàm eam baptizauerint, in medio eius clauum fixerint, & sacrificij sanguine ipsam inunxerint: putant omnes homines in virili, nullum in fœmineo sexu resurrecturum.

Mahometani. 640.

Mahometani crucem abominantur, Christiani eam adorantes appellant idololatras: Deum omnis mali auctorem dicunt: latrones, venefi-cos, aliosque vetiti facinoris conuictos, à Deo ad hoc dicunt certo consilio fuisse destinatos, vt sic morerentur. *Alcoranus Mahometicus, Cedrenus in Heraclio, Ioannes Cantacuzenus contra Mahometem.*

Lutherum, Philippum, Caluinum, Bezam eadem scripsisse suo loco ostendi.

NON PROBANT, quòd ijdem in Alcorano docent, Deum esse, qui neque genuit, neque genitus sit: Christum creaturam esse, & seruũ, cuius loco tamen alius in crucem sit actus: pro defunctis orant: Purgatorium credunt, &c.

Iconomachi. 750.

Iconomachi Sanctorum imagines deijciunt, & comburunt. *Zonaras, Cedrenus, Nicephorus de Iconomachis.*

Idem passim faciunt Lutherani, Caluinistæ, Trinitarij.

NON PROBANT, *quòd ijdem in sua Synodo definiunt*: Si quis non confitetur Sanctos venerandos esse coram Deo & anima & corpore, & horum intercessiones non petierit, vtpote qui libertatem apud Deum habeant pro mundo, secundùm Ecclesiasticam traditionem, interuenire, anathema sit.

Pauliciani. 800.

Pauliciani signum crucis non adorabant. *Euthymius in Panoplia.*

Nec Lutherani, nec Caluinistę illud faciunt.

NON PROBANT, quòd ijdem (*teste ibidem Euthymio*) præter Manichæorum & Valentinianorum hæreses, docuerunt, Baptismum esse hęc verba, *Ego sum aqua viua*: Corpus & sanguinem Domini esse illa verba, *Accipite, & comedite.*

Claudius Taurinensis. 830.

Claudius Taurinensis Christi & Sanctorum imagines, picturas, Reliquias, monumenta, peregrinationes improbauit. *Ionas Aurelianensis lib. de cultu imaginum.*

Idem faciunt Lutherani, & Caluinistę.

NON PROBANT in eodem Claudio, quòd (*vt idem Ionas refert*) se Arij sectatorem mõstrauit, in vita quidem docendo & prædicando, in morte quoque nefandis codicibus suis eũdem errorem à se scriptum relinquendo.

Græci. 900.

Græci à Photio seducti, & à Romana Ecclesia separati, impugnant Primatum Romanæ Ecclesiæ, admittunt sacerdotes coniuges, communicãt laicos sub vtraque specie, vtuntur in sacrificio pane fermentato, negant Purgatorium, excommunicant Latinos.

Lutheranis & Caluinistis eadem mirum in modum placent.

NON PROBANT, quòd ijdem (*vt ex eorundem scriptis satis superq; demonstraui*) docẽt Spiritum sanctum à solo Patre, & non à Filio procedere: non solùm fidem, sed etiam opera ad iustificationem requirunt: liberum arbitrium agnoscunt: tẽpore Quadragesimæ non solũ carnibus, sed & piscibus, & vino abstinent: Sanctos inuocant: imagines venerantur: pro defunctis orant: septem Sacramenta recipiunt: signo crucis, Chrismate, & pluribus quàm Romani cæremonijs vtuntur: Transubstantiationem in Eucharistia fieri credunt, illam qúe adorant: infirmos sub vna specie domi priuatim communicant: sacerdotes eorum cum ea solùm vxore viuunt, quam laici duxerũt, & eam virginem, non viduam; monogami, non bigami: post susceptos sacros Ordines nulli vxorem ducere apud eos licet: defuncta primailla vxore, aut cœlibes manent, aut sacerdotio cedunt: Monasticam vitam laudant: veterum Grẹcorum ac Latinorum Patrum scripta magnificiunt.

Bogomili. 1050.

Bogomili Basilium, Nazianzenum, Chrysostomum, & Patres omnes, qui Sanctorum imagines probârũt, reprobos & idololatras fuisse aiũt: crucem despiciunt: dæmones aiunt fictè crucem fugere, vt eam homines, velut dæmonum expultricem, magis honorent: sacrificium Missæ contemnunt. *Euthymius in Panoplia.*

Lutheranorum & Caluinistarum eadem est doctrina.

NON PROBANT, quòd ijdem (*vt ibidem testatur Euthymius*) Trinitatẽ negant: Mosen reijciunt: Deum humana forma prẽditũ putant: Angelos, vel potius dẹmones mundum creasse, & Michaẽlem Archangelum fuisse incarnatum dicunt: nullam aliam præter pœnitentiam, & vitã Euangelicam resurrectionem credunt: vt se à morte liberent, putant licere fidem simulare.

Tandemus. 1124.

Tandemus sacri Ordinis ministros, Episcopalem & sacerdotalem dignitatẽ nihil esse dicebat: corporis & sanguinis Christi perceptionem ad salutem prodesse negabat. *Robertus Mõtensis in supplemento ad Chronicon Sigeberti.*

Lutherani & Caluinistæ idem passim docent.

NON PROBANT, quòd idem (*vt memoratus Robertus ibidem testatur*) filias in matrũ præsentia, & sponsas maritis intuentibus corrumpere spirituale opus esse asserebat.

Petrobrusiani & Pseudoapostolici. 1140.

Petrobrusiani & Pseudoapostolici cruces & crucifixos exurebant, templa destruebant, basilicarũ constructiones irridebant, Eucharistiæ consecrationem & veritatem negabant: dies festos, Chrismatis & olei consecrationes, ignem purgatorium, orationes pro defunctis improbabant. *Petrus Cluniacensis lib. 2. Bernardus Hom. 66. in Cantica. Bernardus Bonæuallensis vitæ S. Bernardi lib. 2. cap. 5.*

Lutherani & Caluinistæ eadem prædicant.

NON PROBANT, quòd ijdem (*vt ibidem scribitur*) nolebant paruulis vsu rationis carentibus, eo quòd fidem non habeant, baptisma conferendum: quòd (*teste Guidone de hæresibus*) nuptias damnabant: à lacticinijs, & ab omni, quod ex coitu procreatur, abstinebant: omne iuramentum prorsus illicitum dicebant.

Petrus Abailardus. 1140.

Petrus Abailardus ab omnium Sanctorum fide discedere non curabat. *Bernardus epist. 190.*

Lutheri & Caluini eadem est sententia.

NON PROBANT, quòd idem (*vt Bernardus ibidem, & Prateolus de hæresibus referunt*) constituebat Deum Patrem plenam esse potentiam, tam in gerendo, quàm discernendo: Filium quandam potentiam in discernendo per sapientiam: Spiritum sanctum nullam esse potentiam, sed benignitatem: post consecrationem panis & calicis priora accidentia, quæ remanẽt, pendere in aẽre: dæmonum in nobis suggestiones cõtactu lapidũ fieri: Filium Dei non assumpsisse carnem, vt hominem liberaret; sed vt instituere t: Deum omnium bonorum auctorem non esse: in Deo aliquid compositionis inesse: Angelos aliquid creare.

VValdenses. 1180.

VValdenses dicunt, quòd Romano Pontifici obedire non tenemur, imò totum Romanæ Ecclesiæ statũ in capite & membris damnant: summorum Pontificum Canones & decreta pro nihilo habent: potestatem audiendi confessiones, & absoluendi laicis à Deo datam esse dicunt: Indulgentias per Prælatos Ecclesiæ datas irridẽt: vera miracula in Ecclesia fieri negant: Purgatorium irridẽt: dies festos contemnunt: Angelicam salutationem nihili faciunt: Sanctos inuocare nolunt. *Guido & Antoninus de VValdensibus.*

Lutherani & Caluinistæ consentiunt.

NON PROBANT, quòd illi (*ijdem testibus*) Symbolum Apostolorum contemnunt: omne iuramentum illicitum esse dicunt: vrente carnis libidine omnem carnalem cõmixtionem concedunt: nullum omninò iudicium sanguinis, aut cuiuscunque corporalis supplicij ferunt.

Albigenses. 1200.

Albigenses dicunt quicquid beneficij mortuis à viuis impenditur, nihil prodesse: ire ad Ecclesias, & in ijs orare, nihil conferre: quòd Ecclesia non potest facere cõstitutiones, nec potest quemquam excommunicare: quòd extremæ Vnctionis Sacramentum nihil est: quòd peccatum non est à libero arbitrio: non esse confitendum: Purgatorium nullum esse. *Cæsarius Heisterbachius lib. 5. cap. 21. Antoninus 4. part. tit. 11. cap. 7.*

Lutherani & Caluinistæ eadem docent.

NON PROBANT, quòd illi (*ijdem testibus*) docent duo principia, & duos Deos, vnum bonũ, & alterum malum: Baptismum abijciunt: Sacramentum corporis & sanguinis Christi blasphemant: transmigrationem animarum de corpore ad corpus fingunt: Christum nec verum Deum, nec verum hominem fuisse asserunt: ante aduentum Christi nullos fuisse bonos: Ecclesiam non posse alliquid possidere, nisi in communi: corpora non esse resurrectura: infernum nihil esse: mũdum semper extitisse, nec vnquam interiturum: matrimonium malum esse dicunt.

Almaricus. 1200.

Almaricus dicebat corpus Christi non aliter esse in pane altaris, quàm in alio pane: thurificationem, qua in Ecclesijs vtuntur, idololatriam vocabat: volebat quemlibet fidelem teneri, vt credat se esse membrum Christi, & hoc esse de articulis fidei. *Vincentius in Speculo historiali, Bernardus Lutzemb. de hæresibus.*

Lutherani & Caluinistæ à tali doctrina nõ dissentiunt.

NON PROBANT, quòd ille (*ijdem testibus*) negabat aut generationem filiorum, aut distinctionem sexuum in Paradiso futuram fuisse, nisi Adam peccasset: non credebat resurrectionem corporum, infernum, & idearum in mente diuina æternitatem.

Raymundus Lullius. 1260.

Raymundus Lullius docuit iniuriam eos facere, qui punirent hæreticos. *Nicolaus Eymericus part. 2. quæst. 9. Lutzemb. in Catalogo.*

Idẽ Lutherus, & Lutherani, non tamen omnes asserunt.

NON PROBANT, quòd idem (*ijdem testibus*) scripsit libellum de inuocatione dæmonum magiæ plenum, quod; oppugnauit sanctæ Trinitatis vnitam essentiam, & personarum æqualitatem.

Fratricelli. 1300.

Fratricelli dicebant, visionem sanctarum animarum differri vsque ad nouissimum mundi diem. *Bernardus Lutzemb.*

Lutheri eadem est doctrina.

NON PROBAT, quòd, *eodem teste*, illi asserunt, promiscuos concubitus in locis occultis exercere licere.

Begardi. 1305.

Begardi dicebant hominem perfectum non oportere ieiunare, vel orare: eos, qui essent in spiritu libertatis, non esse humanæ subiectos obedientiæ, nec ad præcepta Ecclesiæ obligari: Eucharistiæ Sacramentum non venerabantur. *Clemens Quintus in Concilio Viennensi.*

Lutherani & Caluinistæ idem docent.

NON PROBANT, quòd illi, *eodem teste*, docebant hominem non minus in hac, quàm in futura vita perfectam beatitudinem posse cõsequi: animam hîc non indigere lumine gloriæ, ipsam eleuante ad videndum Deum: exercere se in actibus virtutum esse hominis imperfecti: animam perfectam licentiare à se virtutes: actum carnalem, cùm ad hoc natura inclinet, non esse peccatum, maximè cùm tentatur exercens: hominem in hac vita posse fieri tam perfectum, vt omninò non peccet.

Lollardi. 1315.

Lollardi Missam improbant: Sacramentum Pœnitentiæ negant: laicis peccata confitentur: hostiam consecratam Deum fictitium appellant: Extremam Vnctionem irridẽt: creaturarum omnem consecrationem nihili faciũt: Romanam Ecclesiam, & omnia eius decreta contemnunt: ieiunia irridẽt: quouis tempore carnibus vescuntur: dies festos negligunt: Sanctorum inuocationem & merita contemnunt. *Ioannes Trithemius in Chronico Hirsaugiensi de anno 1315.*

Lutherani & Caluinistæ eadem ex professo docent.

NON PROBANT, quòd illi, *eodem teste*, dicebant Luciferum cum dæmonibus suis cælo injuria pulsum, tãdem; beatitudini cum omnibus suis restituendum: Michaelem & Angelos omnes æternis cruciatibus deputandos, homines ab eorum secta alienos similiter esse damnandos: Mariæ virginitatem negabant: Baptismi Sacramentum irridebant: Matrimonium iuratum meretricium nuncupabant: dicebant Deum nec scire, nec punire mala, quæ sub terra fierent, & sic virgines sub terra nõ posse defloran, etiamsi à mille

viris cognoscerentur, neque tale stuprum peccatum esse.

Flagellantes. 1320.

Flagellantes dicebant aquam benedictam nullius esse efficaciæ: Sacramentum Confirmationis nihil esse: Sacramentum altaris corpus Christi realiter non continere: sacerdoti mortalia crimina confiteri inutile esse: Extremæ Vnctionis nullum esse Sacramentum; negabant purgatorium, & orationes pro defunctis: improbabant indicta ab Ecclesia ieiunia. *Bernardus Lutzemb.*

Lutherani & Caluinistæ in his consentiunt.

NON PROBANT, quòd illi, *eodem teste*, cùm se ipsos virgis conciderent, interim prædicabant neminem saluari posse, nisi in sanguine de proprio suo corpore excusso baptizaretur; nam Baptismum aquæ mutatum esse in baptismum sanguinis: postquam secta ipsorum aduenisset, Euãgelium Christi & sacerdotium Ecclesiæ cessare: quẽdam Begardum de Heruordia fuisse Heliam: Enoch verò fuisse quendam Conradum Smeth, qui has hæreses primus in Thuringia seminauit; quem etiam in vltimo iudicio Christi loco sessurum dicebant: omnium hominum animas simul in paradiso creatas esse: licere fidem dissimulare, &c.

Marsilius Patauinus. 1360.

Marsilius Patauinus dicebat nec Episcopum à Presbytero, nec Presbyterum à Papa differre in potestate: Christum, quando in cælum ascendit, non dimisisse Vicarium, & ideo Papam non esse Vicarium Christi: Papam iudicari posse ab Imperatore, sicut Christus à Pilato, & à Cæsare iudicatus est. *Bernardus Lutzemb. de hæres.*

Lutherum & Caluinum eadem docere constat.

NON PROBANT, quòd ille, *vt idem Lutzemburgus testatur*, dixit Ecclesiam non posse obtinere bona temporalia.

Ioannes VVicleuus. 1390.

Ioannes VVicleuus, vt constat ex eius articulis postea Constantiæ damnatis, docuit substantiam panis & vini remanere in Sacramento altaris: Confessionem peccati esse superfluam & inutilem: vitam monasticam improbauit: Pontificum, & Episcoporũ decreta & Indulgentias pro nihilo habuit: eos, qui Ecclesias ditárunt, reprehendit: omnia fieri necessitate absoluta voluit.

Eadem Lutherus & Caluinus recipiunt.

NON PROBANT, quòd idem scripsit: Deus debet obedire diabolo: contra Scripturam est, quòd viri Ecclesiastici habeant possessiones: nullus est Dominus ciuilis, nullus Prælatus, nullus Episcopus, dum est in peccato mortali: iuramenta sunt illicita, quæ fiunt ad corroborandos humanos contractus, & commercia ciuilia: Augustinus, Benedictus, Bernardus, damnati sunt, nisi pœnituerint, quòd habuerunt possessiones.

Ioannes Hussius. 1400.

Ioannes Hussus scripsit, & docuit: Petrus non est, nec fuit caput sanctæ Ecclesiæ Catholicæ: Romanus Pontifex non est caput Ecclesiæ: Papalis dignitas à Cæsare inoleuit: obedientia Ecclesiastica nulla esse debet: Ioannis VVicleui articuli perperam damnati sunt.

Idem sentiunt Lutherus & Caluinus.

Quę verò NON PROBANT, & in quibus Lutherani & Caluinistæ (cùm præcipuè ad VVicleuistas & Hussitas originem suam referant) ab ijsdem dissentiunt, sequenti Articulo docebimus.

ARTICVLVS QVARTVS.

CERTA DOGMATA, IN QVIBVS LVTHERANI ET CALVINIANI AB HVSSITIS, VVICLEVISTIS, ET VVALDENSIBVS DISSENTIVNT: ET SIC AD ILLOS SVAM ORIGINEM REFERRE NON POSSVNT.

1. *SS. Trinitatis nomen*

ASSERIT HVSSVS.

AD caput 5. prioris Ioannis: Quicumque volunt cognitionem habere Trinitatis, debent prius credere in ipsam, scilicet quòd sit Deus vnus in essentia, & trinus in personis.

In elucidatione fidei suæ: Credo singulos articulos ad illum intellectum, ad quem benedicta Trinitas præcepit illos credere.

NEGAT LVTHERVS.

In Postilla, de festo S. Trinitatis: Vocula hæc *Trinitas* nusquam in Scripturis reperitur, humanitus tantummodò inuenta est. Vnde omninò etiam frigidè sonat, & multò præstabilius foret, si Deus potius, quàm Trinitas diceretur.

2. *Christum carne, non Deitate passum esse*

ASSERIT HVSSVS.

Ad cap. 3. prioris Petri: Passo Christo in carne, nõ in diuinitate, quod signatum fuit in ariete immolato pro Isaac, Gen. 22.

NEGAT LVTHERVS.

Ad cap. 3. Exod. Tomo 1. Islebiensi fol. 305. Non tantùm Marię Filius iuxta humanam naturam, quẽadmodum Papistæ, & aliqui Sacramentarij fabulantur, nos redemit, pro nobis crucifixus & mortuus est; sed totus Christus, Deus & homo, nos redemit, crucifixus, mortuus est, & resurrexit in carne. Vulnera, quæ Christi manibus & pedibus inflixerunt, non solùm Marię, sed etiã Dei Filio, aut Deo inflixerunt. Nec solùm carnẽ Filij hominis crucifixerũt: sed hoc modo Dei Filius, imò Deus ipse trucidatus est. Nã Deus & homo vna persona est. Quamobrem Deus crucifixus & mortuus est.

3. Dei-

3. *Deiparam Virginem Mariam omni peccato caruisse, alijs sanctiorem fuisse, in cælo nobis patrocinari, & rectè inuocari*

ASSERIT HVSSVS.

In fidei suæ elucidatione: Rogo etiam pro meis ijsdem accusatoribus Virginem castissimam Genitricem Saluatoris, reparatricem humani generis, Reginam cæli, quę ex titulo gratiæ naturæ superadditæ Angelicam naturam superat: quæ intra omnes beatos, citra suum Filium, est beatior, singulari priuilegio glorioſior, gratia & dotibus gloriæ fœcundior. De cuius plenitudine, ait Bernardus, accipiunt vniuersi: ægri curationem, tristes consolationem, Angeli lætitiam, Filius Dei humanæ carnis substantiam, tota Trinitas gloriam.

Quæstione de Credere: Credendum est, quòd beata Virgo Maria post Christum hominem sit sanctissima, & super omnes excellentissima, quæ, virgo existens & mater, genuit Christum.

De corpore Christi in Sacramento altaris: Virgo mater Christi incomparabiliter dignior est me sacerdote, & sic quolibet sacerdote, non Iesu Christo, eò quòd genuit verum Deum, cùm sit Genitrix Dei. Ex eo, quòd ipsa Christum genuit, constituit se dignam exaltatione super omnes choros Angelorum, & hominum infra Christum.

Ad cap. 1. prioris Ioannis: Excepta beata Virgine, quæ post annuntiationem sui benedicti Filij ab omni peccato immunis fuit, alij sub ista sentẽtia B. Ioannis sunt inclusi.

Ad cap. 2. Aduocatum habemus in causis scilicet animarum, non possessionum. Nec solum aduocatum, sed etiam aduocatam. Vnde & canimus: *Eia ergo aduocata.*

In Replica contra Prædicatorẽ Plznensem: Et miror, quare sacerdotes, cùm sint Virgine matre Christi digniores, inuocant eius auxilium, dicentes: *Concede nos famulos tuos*, &c. *& gloriosæ B. Mariæ Virginis intercessione à præsenti liberari tristitia, & futura perfrui lætitia*: similiter dicentes: *Maria mater gratiæ, mater misericordiæ, tu nos ab hoste protege, & hora mortis suscipe.* Ha ha neq̃ & superbe sacerdos, audes intercessionẽ, protectionẽ, & susceptionẽ à matre Redemptoris dignissima petere, & temetipsum super Regina mũdi, Angelorũ Dña, & porta cęlesti ex corde auaro & tumido exaltare? &c. Discе à muliere, quæ extollens vocem, Sacerdotũ, Scribarum, & Pharisæorum confudit superbiam, dicens ad Iesum: *Beatus venter, qui te portauit; & vbera, quæ suxisti*: nã hęc mulier dignior Pharisæis, hac voce magis dignam Matrem Domini ostendit esse Christi Apostolis. Ipsa namq; humilis deuotius ac feruentius suscipiens Verbum vitæ annuntiãte Angelo concepit, &c. Vnde facta est post suum Filium primũ medium humano generi ad saluandum. Ipsa siquidem reparatrix humani generis, & porta cęli: quia Genitrix Dei facta est, & Angelorum Domina, sine cuius suffragio impossibile est saluari aliquem peccatorem, &c. Sancta Virgo est Regina mundi, Angelorum Domina, porta cælestis, mater gratiæ, mater misericordiæ, &c. Petrus non vult, nec audet se extollere super Virginem gloriosam.

ASSERIT VVICLEVVS.

Sermone de Assumptione Mariæ: Hîc videtur mihi, quòd impossibile est nos prẽmiari sine Mariæ suffragio: veruntamen sunt gradus in eius auxilio, vt quosdam etiam præscitos iuuat ad cauendum peccata, vel eorum grauedinem, & per consequẽs ad pœnæ mitigationem.

NEGAT LVTHERVS.

Sermone de Natiuitate Mariæ: Sumus pares Matri Christi, & æquè sancti sicut illa. Si credis æquè in te ac in Maria Deum habitare, non minus tibi, quàm illi procliue est, vt me adiuues.

In Postilla Dominicæ primæ ab Epiphania: En Maria Deipara eousque errauit, vt nesciret vbi Christus quærendus esset. Et quis inter homines maior fuit peccator, quàm hîc est ipsa Mater Dei?

Ad VValdenses: Non possum vos habere pro hæreticis, quòd Dei Matrem non inuocatis.

Tomo 4. Germanico, fol. 132. ad 14. cap. Ioannis: Si venerit vspiam vel monachus, vel diabolus, vel sectarius quispiam spiritus, qui terrere te volens dicat: Deus seuerus est, & iracundus iudex; inuocanda tibi est Maria, & dicendum: *Maria mater gratiæ, mater misericordiæ*, &c. hinc fies certior, huiusmodi doctrinam non nisi diabolicum mendacium, & lethale venenum esse.

4. *Angelorum hierarchiam, & ordines*

ASSERIT HVSSVS.

Ad cap. 3. prioris epistolæ D. Petri: Dicit *Angelis*, per quod intelligitur primus ordo: *Potestatibus*, intelligitur secundus ordo: *Virtutibus*, intelligitur tertius ordo, secundùm illud Dionysij: Hierarchia est ordo diuinus: per Angelos namque hîc intelligitur hierarchia infima, per Potestates media, per Virtutes suprema.

NEGAT LVTHERVS.

In captuitate Babyl. cap. de Ordine: Ea, quæ Dionysius in cælesti Hierarchia de Angelis comminiscitur, (in quo libro sic sudárunt curiosa & superstitiosa ingenia,) qua rogo auctoritate & ratione probat? Nonne omnia illius sunt meditata, ac prope somnijs similima, si liberè legas ac iudices?

5. *Sanctos esse in cælo*

ASSERIT HVSSVS.

Sermone habito Pragæ in Synodo ad clerum: Sanctorum Martyrum & Confessorum animę sic accenduntur pro articulo mortis in amore Christi, quòd statim ponuntur in patria, non relicta macula expurganda.

Epistola 22. Iam Petrus & Paulus regnant cum Rege superno, iam interſunt cl[illegible] Angelorum, iam vident Regem summum in decore, iam nullo afficiuntur tædio, sed pleni sunt incredibili gaudio.

De Ecclesia cap. 8. Sancti in patria clarè vident articulos, quos nos obscurè cognoscimus, nec dicũtur ipsos credere, sed videre.

NEGAT LVTHERVS.

Ad cap. 25. Geneseos: Hîc Papistarum stultitia taxanda est, qui post mortem fecerunt quinque loca: primum infernum damnatorum, secundum infantium non baptizatorum, tertium purgatorium, quartum Limbum Patrum, quintum cælum apertum, &c. Magnum discrimen est inter Sanctos dormientes, & Christum regnantem. Illi dormiunt, & nesciunt quid agatur, & tamen quiescunt.

6. *Sanctorum merita, patrocinia, intercessiones, & inuocationes*

ASSERIT HVSSVS.

Epistola 22. Petrus, & Paulus, glorioſi Martyres sic iuncti Regi gloriæ, dignentur pro nobis intercedere, vt ipsorum auxilio fortes facti, simus eorum gloriæ consortes humiliter patiendo.

Epist. 30. Scriptum in carcere in vinculis, in Vigilia S. Ioannis Baptistæ, qui dignetur orare pro nobis Dominum Iesum Christum, Amen.

Epist. 35. Ego adhuc spem habeo, quòd Deus omnipotens poterit me eripere Sanctorum meritis de manibus eorum.

NEGAT

NEGAT LVTHERVS.

Sermone de Mammona: Pro meritis Petri ne vnũ quidem obulũ darem, vt me adiuuaret. Seipsum enim iuuare non potest.

Ad VValdenses de adoratione Sacramenti: Non possum vos pro hæreticis habere, quod neq; Dei Matrem, neque quemquam Sanctorum inuocatis. Nam de Sanctorum mortuorum intercessione & inuocatione nihil in Scripturis extat.

7. *Sanctorum Reliquias venerandas*

ASSERIT HVSSVS.

Ad Psalm. 115. Ex isto patet, quòd corpora sanctorum Martyrum sunt honoranda, cùm sint ex morte, quę est pretiosa in conspectu Domini, sanctificata.

ASSERIT VVICLEVVS.

Tractatu de Eucharistia cap. 9. Conceditur ergo, quòd Reliquias, imagines, & Sacramenta sunt cum prudentia adoranda.

ASSERIT IOAN. PRZIBRAVVS.

Cap. 33. Item profiteor de veris Reliquijs sanctorum Martyrum, quòd sint venerandæ & honestè conseruandæ. Considerare ergo debemus, quanta gloria, & quanto honore honorabuntur à Deo in æternum illæ Sanctorum particulæ, & quanto amore amabuntur huiusmodi corpora à Deo, & Sanctis eius.

NEGAT LVTHERVS.

In Postilla de exaltatione S. Crucis: Omnes Sanctorum Reliquiæ nihil aliud sunt, quàm fraudes & seductiones fidelium. Quare omnino infra terrã defodiantur.

8. *Sanctorum imagines venerandas*

ASSERIT VVICLEVVS.

Lib. 18. epist. 45. Patet, quòd imagines tam bene, quàm malè possunt fieri. Bene, ad excitandum, facilitandum, & accendendum mentes fidelium, vt colant deuotius Deum suum.

De Eucharistia cap. 9. Sed ideo adoramus imagines nudè vt signa: Deum autem quantum sufficimus debemus adorare. Conceditur ergo, quòd Reliquię, imagines, & Sacramenta sunt cum prudentia adoranda.

In Decalogo super primo mandato cap. 15. Licet introductæ sunt imagines in Ecclesiam post firmitatem fidei primitiuæ, vt sint libri laicorum, & signa recordatiua singulis Christianis, vt adorent debitè Sanctos Dei: tamen in veteri Testamento hoc nõ licuit.

ASSERIT HVSSVS.

Contra imaginum adorationem: Quia propter imaginem Christi excitamur ad adorandum Christum, & coram imagine adorationẽ nostram facimus, dicitur largè sumendo, quòd imaginẽ adoramus. Vnde videtur mihi, q̃ nec adoro imaginẽ Christi, quia signum, nec quia imago Christi; sed adoro Christum coram imagine Christi, quia est imago Christi, & excitat me ad adorãdum Christum, &c. Sicut adorauerunt Christum in signo Patres veteris Testamẽti: sic nos adoramus Christum in signo, & non signum. Vnde dicens Ecclesia hæc verba: *Aue Rex noster*, non adorat ipsam imaginem his verbis, cùm non dirigit illa verba ad imaginem, & specialiter nec intentionem, sed ad suum signatum. Similiter cùm dicit: *Tuam Crucem adoramus Domine*, dirigit verba ad Christum, signans, quia ipsum Christum crucifixum adorat per Crucem. Ex quo patet, quòd quamuis coram imagine Christi, vel alia cuiuscunque Sancti licitè possint homines genu flectere, orare, offerre, candelas ponere, & sic faciunt: non tamen in nomine imaginis, sed in nomine illius, cuius imago est, illa debent facere: sicut & imago, non propter se, sed propter imaginatũ, est coram hominibus sculpta, posita, vel depicta.

ASSERIT IOAN. PRZIBRAVVS.

Cap. 34. Profiteor quòd imagines Christi & Sãctorum, excluſa ab eis indecentia seculari in cultu indecenti, possunt licitè in Ecclesijs Christianorum haberi, & vtiliter retineri.

NEGAT CALVINVS.

Lib. 1. Institut. cap. 11. §. 3. Insanire eos minimè obscurum est, qui simulachra Dei & Sanctorum exemplo Cherubim defendere conantur.

9. *Epistolam D. Iacobi Canonicam*

ASSERIT HVSSVS.

In Commentarijs in epistolam Iacobi: Iacobi prima ponitur, propter triplicem dignitatem. Primò, propter dignitatem horum, quibus mittitur: scribit enim epistolam suam his, qui conuersi erant ex Iudæis, qui alijs digniores erant. Secundò, propter dignitatem scribentis: quia licet B. Petrus fuerit primus Apostolorum, Iacobus tamen fuit origo Euangelicæ prædicationis. Tertiò, propter dignitatem loci, cui præsidet, scilicet Ecclesiæ Hierosolymitanæ, vnde fons prædicationis processit.

NEGAT LVTHERVS.

Præfatione in nouum Testamentum, editionis primæ: D. Iacobi verè straminea est epistola, si ad alias comparetur. Non enim habet Euangelicum spiritum.

10. *Sententiam* 1. *Ioan.* 5. Pater, Verbum, Spiritus, & hi tres vnũ sunt, *&c. Canonicam*

ASSERIT HVSSVS.

In Commentarijs: *Et hi tres vnum sunt.* Istum textum multi textus non habent; sed melius est quòd ponatur, vt habet litera Augustini.

NEGAT LVTHERVS.

In sua translatione Germanica omisit.

11. *Secundam & Tertiam epistolam Ioannis Canonicam*

ASSERIT HVSSVS.

In Commentarijs in secundam & tertiam Ioannis: Per hoc, quod sunt similes primæ in verbis, & in simili assertione fidei & charitatis aduersus hæreticos, probantur esse Apostoli, non Ioannis Presbyteri.

DVBITAT LVTHERVS.

In Prologis harum epistolarum.

12. *Epistolam Iudæ Canonicam*

ASSERIT HVSSVS.

In epistolam Iudæ: Ista est quarta pars & vltima Canonicarum, in qua ponitur epistola B. Iudæ Apostoli. Hic dicitur Iudas Thaddæus, qui & frater Iacobi minoris. Scribit autem hanc epistolam generaliter omnibus fidelibus, cuius materia est de fide & charitate.

NEGAT LVTHERVS.

Contra Ambrosium Catharinum: Epistola Iudę mihi quondam inutilis visa, nũc agnita est è Petri epistola propter solum Papam scripta.

13. *D. Hieronymum*

LAVDAT HVSSVS.

Lib. de Decimis: Ad idem gloriosus Doctor beatus Hieronymus in epistola ad Paulinũ dicit, &c.

VITVPERAT LVTHERVS.

De seruo arbitrio: Hieronymus mihi obijcitur, homo nullius neque iudicij, neque diligentiæ.

In colloquijs conuiualibus: Hieronymus non est dignus, qui inter Ecclesiasticos scriptores numeretur.

14. *D. Augustinum*

LAVDAT HVSSVS.

Lib. de Decimis: Quòd si quæritur sanctorũ Doctorũ testimonium, ecce magni S. Augustini sententia epistola 37. ad Macedonium, &c.

VITVPERAT LVTHERVS.

Contra Regem Angliæ: Quis est Augustinus? Quis nos cogat illi credere? Qua auctoritate eius verbum est articulus fidei?

15. *D. Chrysostomum*

LAVDAT HVSSVS.

Lib. de Decimis: Ad idem magnus Patriarcha Chrysostomus, bis ab Episcopis condemnatus, sic loquitur, &c.

VITVPERAT LVTHERVS.

In Colloquijs conuiualibus cap. de Patribus: Chrysostomum nullo loco habeo, nihil est nisi loquaculus.

16. *Patrum scripta, & Concilia recipienda*

ASSERIT HVSSVS.

Sermone de fidei suæ elucidatione: Admitto omnes sanctorum Doctorum sententias, ipsam legem fideliter declarantes: veneror etiam omnia Concilia generalia & specialia, Decreta, & Decretales, & omnes leges, Canones, & constitutiones.

NEGAT LVTHERVS.

De seruo arbitrio: Deponite quicquid armaturæ suppeditat auctoritas Conciliorum, & Pontificũ: nos nihil recipimus, præter Scripturas. Patrum auctoritas susq; deq; ferenda est.

17. *Primatum D. Petri*

ASSERIT HVSSVS.

De Ecclesia cap. 9. Dictum B. Dionysij est verum, quòd Petrus fuit capitaneus inter Apostolos, & fuit fundamentum Ecclesiarum. Et dictum Augustini etiam est verum, quòd fuit primus inter Apostolos secundùm aliquam prærogatiuam. Et dictum Marcelli verum est, quòd Petrus fuit caput totius Ecclesiæ, quam regebat doctrina & exemplo. Non autem fuit persona dignior matre Christi, nec æqualis Christo, nec rector Angelorum. Quare autem Christus Petrum post se capitaneum & pastorem constituit, fuit præeminentia virtutum ad regẽdam Ecclesiam: Aliter enim prouidentia Patris improuidè eum constituisset Ecclesiæ suæ Episcopum. Et cùm omnes virtutes morales in genere sint connexæ, patet quòd Petrus habuit quandam præeminentiam in omni genere virtutum. Tres autem erant virtutes, in quibus Petrus præcellebat: fides, humilitas, & charitas. Fides, quam oportebat fundamentum esse Ecclesiæ, præcellebat primùm in Petro, & ex ista fide accepit Petrus onus præfecturæ Ecclesiæ: *Et ego dico tibi*, inquit Petra, *quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Vnde propter hæc Petri Vicarij, & Ecclesiæ præpositi, tenentur fidẽ prædicare Ecclesiæ, &c. Petrus primus Christi Vicarius ab ipso electus, & Ecclesiæ spiritualiter deputatus.

ASSERIT IOAN. PRZIBRAVVS.

In professione fidei cap. 38. Confiteor, quòd claues soluendi & ligandi, peccata remittẽdi & retinendi datæ sint à Christo Ecclesiæ sanctæ in beato Petro principaliter, & in alijs Apostolis.

NEGAT LVTHERVS.

In Assertionibus artic. 25. Omnes Apostoli æquales fuerunt Petro, & nullum eorum ipse elegit, fecit, confirmauit, misit, aut aliquid eis mandauit. Quid enim facerent, si semel missum aliquem à Petro possent ostendere, sicut nos ostendimus ab alijs missum? *Act. 8.*

Libro de potestate Papæ, ex professo negat Petrũ maiorem esse cæteris Apostolis.

18. *D. Petrum fuisse Romæ*

ASSERIT HVSSVS.

De Ecclesia cap. 7. Petrus Christi Apostolus Romanus Episcopus vocat Ecclesiam, primæ Petri vltimo, dicens Christi fidelibus Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Asię, & Bithyniæ: *Salutat vos Ecclesia, quæ in Babylone collecta est.* Ecce ibi Ecclesia sumitur pro Christi fidelibus, qui erant Romæ cum B. Petro. Viguit sancta Ecclesia Christi primò in Hierusalem, tempore viationis Apostolorum cum Christo habitantium, & postea in Antiochia tempore cathedrationis S. Petri, & postea in Roma tempore prędicationis & passionis Petri & Pauli.

NEGAT LVTHERVS.

In Colloquijs conuiualibus fol. 306. Omnes historiæ testantur Petrum Romæ fuisse Episcopum: sed meræ sunt fabulæ.

19. *Primatum Romani Pontificis*

ASSERIT HVSSVS.

Quæstione de Credere fol. 170. Non credendum est in Papam, vel in auctoritatem Papæ; sed credendum est, quòd Papa sit immediatus Vicarius Iesu Christi, & supremus sacerdos hîc in terris ratione officij, si & in quantum immediatus imitatur Dominum Iesum Christum, habẽs auctoritatem absoluendi, & excommunicandi, Indulgentias dandi, & alia, quæ ad claues pertinent, extremè faciendi.

De Ecclesia cap. 7. Quamuis Ecclesia Christiana cœpit à Iudæa, & caput Ecclesiæ Christus fuit, martyrizatus in Hierusalem, tamen rationabiliter vocata est Ecclesia Christi secundùm quandam præeminentiam Romana Ecclesia, propter tria. Primò, quia Christus sciuit Gentes sub Romano Imperio loco Iudæorum infideliter discedentiũ inferendas, sicut dicit Apostolus Rom. 11. Secunda causa est, quia maior multitudo Martyrum ibi triumphauit, quàm in alia ciuitate. Ergo concedi debet, quòd Romana Ecclesia est sancta mater, Ecclesia Catholica, sponsa Christi, &c.

ASSERIT IOAN. PRZIBRAVVS.

Cap. 3. Profiteor fideli corde & ore, quia omni voluntate & desiderio sum in spe, & esse cupio in re, ex integro, inuiolabiliter, & inseparabiliter membrum sanctæ matris Ecclesiæ Catholicæ, vniuersalis, & Romanæ, per totum orbem diffusæ, in Apostolicis sedibus à B. Petro Apostolorum principe fundatæ, & vsque modò continuatæ, & supra firmã petram tam firmiter roboratæ, quòd portæ inferi non possunt aduersus eam quomodolibet præualere.

Cap. 27. Profiteor humiliter, quòd volo vsque ad mortem meam humiliter esse subiectus & obediens Ecclesiæ Romanæ, & eius summo Pontifici, &c.

NEGAT LVTHERVS.

Aduersus Regem Angliæ: Papatus est principis Satanæ pestilentissima abominatio, quæ vnquam sub cælo fuit, aut futura est, &c. Viuus Papæ hostis ero, exustus bis hostis ero.

In Resolutionibus: Potestas Papæ est larua, tartarus, seminarium libidinum, pomparum, cædium, reliquarumq; abominationum in Ecclesia.

In Assertionibus, articulo 30. Non repugnare videtur Hussus, quòd minus sit monarchia Papæ. Hoc tantùm agit, impium Pontificem non esse membrum Ecclesiæ, ferendum tamen, sicut alium, quamuis tyrannum. Ego verò tametsi Sanctus Petrus præsideret hodie Romæ, negabo Romanum Episcopum esse Papam. Papa enim est res ficta in mundo, neque fuit, neque est, neque erit,

sed fingitur esse. Quare ipsam sedem bestiæ nego, nihil moratus, sitne bonus, an malus, qui in ea sedet.

20. *Indulgentias*

PROBAT HVSSVS.

Tomo 1. fol. 9. b. Falsè sum delatus, quòd docuerim, quòd indulgentiæ nihil sunt.

Quæstione de Credere fol. 170. Papa, qui est immediatus Vicarius Christi, habet auctoritatem indulgentias dandi, & alia, quę ad claues pertinent, supremè faciendi.

Fol. 175. Omnis recipiens indulgentias, de tanto eas recipit, quanto habilior fuerit quoad Deũ.

IMPROBAT LVTHERVS.

In Assertionibus, artic. 18. Indulgentiæ sunt meræ fraudes fidelium, & remissiones bonorum operum, & sunt de numero eorum, quæ licet; & non sunt de numero eorum, quæ expediunt, &c. Dico eas esse de numero eorum quę fallunt & perdunt, cùm sint nihil nisi fraudes sceleratorum sangui sugarum populi Dei.

21. *Episcopos certis officijs, & dignitate à Presbyteris differre*

ASSERIT HVSSVS.

Sermone habito Pragæ in Synodo ad Clerum: Episcopalis humilitas est gratuita virtus, & potestas Põtificis ordinatè deprimendi se, & subditos post se infra gradum dignificationis eis licitum modis, quibus dictum est in exemplis superius. Et pro efficacia illius venerandæ potestatis gloriosè exercenda, ordinauit Deus in Episcopis varias potestates cognoscendi & definiendi in causa Ecclesiastica, ligandi & soluendi, Sacramenta Ecclesiastica conficiendi, & administrandi, clericos ordinandi, & baptizatos confirmandi.

ASSERIT IOAN. PRZIBRAVVS.

Cap. 11. Sacramentum Ordinis duntaxat ab Episcopo est conferendum. Exemplum huius est in tota Lege noua & veteri, vbi nunquam aliter inuenitur, nisi quòd vel à Deo immediatè, vel ab Episcopis sunt sacerdotes & Episcopi consecrati: contra cuius cursum velle agere, est cum Lucifero præsumere. Vnde hæretici sunt hodie omnes tenentes omnem sacerdotem esse Episcopum, & sic posse ordinare. Tales enim ordinati sunt magis latrones, quàm sacerdotes. Ordinatio & consecratio Episcopi ad solos Episcopos spectat, non ad simplices sacerdotes.

NEGAT LVTHERVS.

In Resolutionibus super Propositionibus suis Lipsiæ disputatis, conclusione 5. Cùm Episcopi & Presbyteri sint iure diuino ijdem, & olim ijdem fuerint, dũ populorum curam haberent prædicando & ministrando, non video quo iure Episcopi relicto officio Presbyteris, ius tamen Presbyterorum secum ascendentes sustulerunt.

22. *Sacerdotium nouæ Legis*

ASSERIT HVSSVS.

Ad caput 2. prioris Petri: Sacerdotes dicuntur propter tria. Primò, quia sunt sacra recipientes: recipiunt enim Spiritum sanctum per impositionẽ manus Episcopi, cùm eis dicitur: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata*, &c. Secundò dicuntur sacerdotes, quia sunt sacra conficientes. Vnde in eorum consecratione dicitur: *Vnctione consecrentur Domine manus istæ, & benedicantur, vt quæcumque benedixerint benedicta sint, & quæcumque consecrauerint consecrata sint.* Tertiò dicuntur sacerdotes, quia sunt sacra dantes: ipsi enim sunt ministri Sacramentorum Ecclesiæ.

De corpore Christi in Sacramento Altaris: Corpus Christi non fit ex nihilo in effectu, sed de pane, quod est contra rationem creationis. Et hinc dicit B. Bernardus in Sermone de corpore Christi: Audite modò, & obstupescentes admiramini: nulli Angelorum, nulli Archangelorum, nullis supernis Spiritibus, sed hominibus, nõ omnibus, sed tantùm ordini nostro commissam esse celebrationem tanti Sacramenti, vt cõsecratus in sacerdotem, id ipsum cõficias in altari, quod Christus confecit in Cœna Paschali. In altari quippe sacerdotum ore corpus Christi conficitur, non creatur, non nascitur. Ecce quod in forma dicit: non creatur.

De Sacramento corporis & sanguinis Domini: Ex potestate & institutione Christi, veri Dei, & veri hominis, per ministerium sacerdotum est in Sacramento venerabili verum corpus & verus sanguis Christi. Item tam bonus, quàm malus sacerdos, habens fidem rectam circa Sacramentum venerabile, & habens intentionem sic facere, vt præcepit Christus, & dicens verba in Missa secundùm institutionem Ecclesiæ, conficit.

NEGAT LVTHERVS.

Ad Pragenses: Videtis itaque quales sint per Ordines Papisticos sacerdotes: non vtique sacerdotes Dei, sed sacerdotes Satanæ, tantùm vt Christũ conculcent.

De abroganda Missa priuata: Certus esto, nec vlla persuasione falli te sinas, quisquis esse voles purè Christianus, nullum in nouo Testamento esse sacerdotium visibile.

23. *Horas Canonicas legendas*

ASSERIT HVSSVS.

Ad Psal. 118. Nocte surgendum est, primò propter significationis mysterium: nam media nocte facta est filiorum Israel liberatio, AEgyptiorum submersio, agni Paschalis immolatio, Christi incarnatio, Christi resurrectio, inferni destructio, Sanctorum è limbo eductio. *Septies in die laudem dixi tibi.* Nota, dicit *septies*. Primò ad literam: in Matutinis, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vespera, & Completorio. Secundò *septies*, id est, perfectè.

NEGAT LVTHERVS.

In confutatione rationis Latomianæ: Magis credo peccare eos, qui legunt frigidas Horas, quàm qui omittunt.

Aduersus Ambrosium Catharinum: Hîc murmurantur & boantur Horę Canonicæ ingenti labore, sic tamen vt nunquam orentur.

24. *Sacerdotum continentiam*

ASSERIT HVSSVS.

Epistola 1. Hortor te in Domino, vt mulierum fugias consortia, & cautus sis dum confessiones mulierum audis, quòd per mulierum hypocrisim Satanas te non decipiat. Quòd si Plebanus factus fueris, caue ne iuuenem coquam habeas, ne plus casam ædifices, quàm animam.

Epistola 28. Caueas confabulationem mulierũ, & specialiter cautus esto in auditione confessionum, ne laqueo luxuriæ capiaris, quia te spero esse virginem castum Deo consecratum.

Sermone de pace: Castitatem maximè tenentur seruare vltra communem populum clerici, tum ratione diuini præcepti, tum ratione voti proprij, tum ratione sanctissimi ministerij, tum ratione vtilis exempli.

Sermone habito in Synodo ad Clerum Pragensem: Omnes gulosi & fornicatores sunt idololatræ: & fornicatores clerici sunt idololatræ & sacrilegi, voti & iuramenti prestiti transgressores, & sic filij Belial, nescientes Dominum Iesum, neque officium sacerdotum.

Ad caput 7. prioris ad Corinthios: Septimum Matrimonij impedimentum est Ordo: quia clericus in maioribus Ordinibus non debet Matrimonium contrahere; quia votum fecit.

NEGAT LVTHERVS.

In captiuitate Babylonica, capite de Matrimonio: Impedimẽtum Ordinis merum est hominum commentum, præsertim cùm garriant, eo dirimi etiam contractum, semper suas traditiones super Dei mandata exaltantes. Pereant istæ maledictæ hominum traditiones. Est inter sacerdotem & vxorem verum & inseparabile Matrimoniũ, mandatis diuinis probatum.

25. *Monachorum & Monialium vota seruanda*

ASSERIT HVSSVS.

Ad cap. 7. prioris ad Corinth. Nota secundùm Hieronymum, quòd virginitatem vouentibus, non solùm nubere, sed etiam velle nubere peccatum est, &c. Tertium impedimentum Matrimonij est votum Deo factum ad continentiam seruandam.

NEGAT LVTHERVS.

Epist. ad VVolfgangum Reisenbusch: Deus ex æquo iubet vxorem ducere, ac sumere cibum & potum. Castè & integrè viuere tam est in nostra potestate, quàm omnia Dei miracula. Et ideo votum continentiæ impossibile est, & minimè seruandum.

26. *Virginitatem Matrimonio præferendam*

ASSERIT HVSSVS.

Ad cap. 7. prioris ad Corinthios: Bonum est homini esse sine vxore: honestum, propter puritatem; delectabile, propter libertatem; vtile, propter mercedem: quia ei debetur aureola & fructus cẽtesimus, de quo Lucæ 8. Augustinus: Supergreditur virginitas conditionem humanæ naturæ, per quam homines Angelis assimulantur. Maior est enim victoria virginum, quàm Angelorum: Angeli enim sine carne viuunt, virgines verò in carne triumphant. Magis expedit continentiæ seruare propositum, quàm nubere, & hoc ratione maioris sanctitatis. Et est argumentum tale: Studens sanctitati & amori Dei, præferenda est cogitanti quæ sunt mundi. Mulier innupta est huiusmodi. Ergo, &c. Ostendit Paulus, quòd licet vtrumque sit bonum, tamen Virginitas est melior Matrimonio. Nota, quòd status coniugalis honestus est, sed minus quàm continentiæ. Augustinus in Glossa: Non Matrimonium turpe esse monstrauit, sed quod honestius erat generalis honesti nomine commendauit, &c. Ex quo colligitur, quòd est consilium Spiritus sancti, & per consequens totius sanctæ ciuitatis, statum continentiæ obseruare. Et patet, quòd fraternitates laicales, quæ prohibent artificem suum exercere artificiũ nisi nupserit, sunt contra consilium Spiritus sancti, prohibentes statum summum, scilicet virginitatis, in suo artificio permanere: nec est paruum peccatum, tale consilium Spiritus sancti excludere.

NEGAT LVTHERVS.

De vita coniugali: *Crescite & multiplicamini*, non est præceptum, sed plus quàm præceptum, quod nos non possumus impedire, vel prætermittere; & perinde est necessarium vt edere, bibere.

In Sermonibus conuiualibus fol. 329. Castitatem vouere, nihil aliud est, quàm sanctum coniugium damnare, & diris deuouere.

27. *Sacerdotum vestes, tonsuram, &c.*

PROBAT VVICLEVVS.

Tractatu de gradationibus Scholasticis, cap. 3. Hîc redarguunt superbi, improbantes istam rationem. Non, inquiunt, legitur, quòd Apostoli habuerũ caput & barbas rasas, sicut nos vtimur: nec dixerunt Horas Canonicas, vt nos facimus: nec seruauerũt ieiunium, vestimẽta, vel ritus in celebrando, sicut nos facimus: ergo omnia talia sunt illicita. Quis stultus nescit, quoniam istud non sequitur? Sed oportet fidelem nominare humiliter, non captiosè, quomodo aliqua sunt docta implicitè in sua specie, vel suo principio, & aliqua explicitè in suo indiuiduo. Tunc dicitur, quòd suppositа quacumque tali cæremonia, virtuosa vel licita, fuit docta per appositiones in suo principio.

PROBAT IOAN. PRZIBRAVVS.

Cap. 29. *Cùm recitasset hoc VVicleui testimonium, subiungit*: Ex quibus patet, quòd teste VVicleuo huiusmodi sunt superbi & captiosi, quibus opponendum est, quòd vatiantes in his, sine euicta necessitate virtuosa, possent dici Schismatici. Addo de his plattis sacerdotum & approbatione eorum Hieronymum 12. q 1. Duo sunt, Augustinum libro de contemptu mundi valde latè.

PROBAT HVSSVS.

In Anatomia membrorum Antichristi: Oportet nos clericos clericatus honore non abuti, sed diligenti mandatorum custodia hoc esse quod videmur. Omnia signa clericorum virtutes in nobis esse reputant, & virtutes reclamãt: clamat corona paupertatem, clamat vestis animæ honestatem, clamat status puritatem, clamat cultus castitatem: & ideo nisi istis virtutibus polleamus, mẽcimur. Mentitur corona, mentitur habitus, mentitur status, mentitur cultus, mentitur professio.

IMPROBAT LVTHERVS.

Lib. de votis Monasticis, de Missa angulari, & sæpe alibi Clericorum ac Monachorum habitum, ac tonsuram miris sannis & ludibrio prosequitur.

28. *Episcoporum, & sacerdotum Excommunicationem timendam*

ASSERIT HVSSVS.

Tomo 1. de sex erroribus: Timenda est Pastoris sententia, siue sit iusta, siue iniusta. Ideo pensare debet subditus, quod habeat timorem.

Tom 2. fol. 345. & 346. *iam moriturus negat se contempsisse Pontificis Excommunicationem.*

Tom. 1. fol. 18. *Coram Concilio Constantiensi fatetur etiam iniustam Excommunicationem esse timendam, & octo, vel etiam plures causas esse ait, quare Excommunicatio timeri debeat.*

NEGAT LVTHERVS.

In Assertionibus articulo 24. Docendi sunt Christiani Excommunicationem plus diligere, quàm timere.

Aduersus execrabilem Bullam Papæ: Parati sumus pro hac nostra sententia stultas vestras censuras non modò cum gaudio ferre, sed etiam rogare vt nunquam nos absoluatis.

29. *Hominem esse liberi arbitrij*

ASSERIT HVSSVS.

Ad cap. 1. prioris ad Corinthios: Gratia gratum faciens quamuis habeatur ex Dei dono, efficienter tamen habetur ex libero arbitrio consentiente: quia dicit Augustinus: Qui creauit te sine te, non iustificabit te sine te. Ista autem gratia est à tribus. A Deo, vt principaliter efficiente: à gratia gratis data, liberum arbitrium excitante: & à libero arbitrio, vt consentiente. Istam ergo gratiam optat Apostolus Corinthijs, vt grati Deo existentes, bene incipiant, melius proficiant, & optimè terminent vitam sanctam.

Ad cap. 4. prioris epist. D. Petri: Deus in saluatione hominis præsupponit aliquid: quia liberum arbitrium, quod quidem licet Deus posset in melius immutare, nõ tamen potest ipsum cogere per-

manente libertate, eò quòd coactio libertati repugnat. Oportet ergo hominem velle saluari, aliter ipsum Deus non saluat: quia secundùm B. Augustinum dicitur: Qui te fecit sine te, non iustificabit te sine te.

NEGAT LVTHERVS.

In Assertionibus, artic. 36. Liberum arbitrium post peccatum res est de solo titulo. Liberum arbitriũ figmentum est in rebus, seu titulus sine re.

30. *Bona opera ad salutem necessaria: solam fidem non sufficere.*

ASSERIT HVSSVS.

Ad cap. 2. epistolæ Iacobi: Fides, quæ per dilectionẽ non operatur, inefficax ad salutẽ, & mortua est: quia sensu caret & motu, non sentiens delectationem, quæ est in charitate, nec motum boni operis. Et sicut non reficitur pauper solo verbo misericordiæ: sic nec ille saluabitur sola fide. Vnde dicitur: *Nunquid fides poterit saluare eum sine operibus?* quasi dicat, minimè. Fides enim informis non valet ad emptionem beatitudinis, quamuis valere possit ad euitationem grauioris damnationis, sed viuificatur per charitatẽ operantem. Sed contra Marci vltimo: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit:* Ergo sola fides sine opere sufficit ad salutem. Solutio. Illa auctoritas intelligitur de fide perfecta per dilectionem operante, & sic soluit Glossa. Vel potest dici, quòd verba illa intelligũtur de pueris baptizatis, nondum habentibus facultatem operandi. Vel potest dici, quòd intelligatur de fide formata: litera verò de fide informi. Similiter illud Rom. 3. *Arbitramur hominem per fidẽ iustificari, sine operibus legis,* id est cæremonijs legalibus. *Sicut corpus sine spiritu,* q. d. Ita omnes per opera fidei iustificati sunt, non iustificãte sola fide: quia sicut corpus sine spiritu, qui dat vitam corpori, mortuum est, id est, penitus mortuum; ita & fides sine operibus, id est, fine dilectione operante, quæ est vita animæ, mortua est, quia nihil prodest. Vnde Anselmus in Prosologio: Non absurdè dicitur fides viuere operosa, quia habet vitam dilectionis, sine qua non operatur.

De Ecclesia cap. 8. Duplex est fides, vna informis, cùm credunt dæmones, & contremiscunt: alia est fides charitate formata. Ista cùm perseueraueris saluat, sed non prima. Vnde quoad secundam dicitur Ioannis 3. *Qui credit in Filium Dei habet vitam æternam.* Et Petro habenti & cõfitenti illam fidem, dixit Saluator: *Beatus es Simon Bariona:* Et illa fides est fundamentum virtutum, in quibus Christi Ecclesia conuersatur.

In epist. Iudæ: Sicut primùm per fidem & bona opera merentur saluari: sic secundò per murmurationem & immunditiam merentur damnari.

NEGAT LVTHERVS.

Ad cap. 2. epist. ad Galatas: Sola fides Christi necessaria est, vt iusti simus: cætera omnia liberrima, neque præcepta amplius, neq; prohibita. Quando sic docetur: Fides iustificat quidem, sed simul seruare oportet mandata Dei, quia scriptum: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata,* ibi statim Christus negatus est, & fides abolita: quia mandatis Dei, siue legi tribuitur, quod est solius Dei.

31. *Mandata Dei per gratiam diuinam seruari posse*

ASSERIT HVSSVS.

Tractatu Constantiæ in carcere conscripto, de mandatis Domini: Cùm quilibet Christianus, vsum rationis retinens, teneatur Deum super omnia diligere; sed non eum verè charitatiuè diligit, si mandata eius non custodit, mendax est: ideo necesse est Christiano cuilibet, vt mandata Dei custodiat; sed non ritè custodiet, nisi ea cognoscat: ideo necesse est sibi ad salutem, vt mandata Dei primùm sciat, & hinc custodiat.

Ad Psal. 118. *Cùm perspexero,* id est perfectè aspexero, scrutando præcepta, amãdo præmia, timẽdo supplicia, adiutus per tuam gratiam, & directus in omnibus mandatis tuis. Non ait in vno, alijs omissis, sed in omnibus: quia dicitur Iacobi 2. *Si quis totam legem seruauerit, offendat autem in vno, factus est omnium reus.*

NEGAT LVTHERVS.

In confutatione rationis Latomianæ: Tot Scripturæ testimonia probant, mandatum Dei esse impossibile nobis, vt nihil sit manifestius.

32. *Quadragesimam, & indicta ab Ecclesia ieunia seruanda*

ASSERIT HVSSVS.

De Pœnitentia: Per luxuriam homo offendit seipsum, contra quam est discretum ieiunium. Qui impugnatur peccato luxuriæ, debet deuotè orando Dei implorare auxilium, & corpus ieiunio castigare: quia

Luxuriat ratò non bene pasta caro.

Vnde Alanus dicit:

Subtrahe ligna foco, si vis extinguere flammam:
Sic carnis motus, otia, vina, dapes.

quia sicut ligna apposita igni, sic cibi & potus additi augent inflammationẽ corpori ad luxuriam. Tu ergo appropinquante Quadragesima, quæ est speciale tẽpus pœnitentiæ, vt verè pœniteas, dole cordialiter de peccato, noli amplius peccare.

NEGAT LVTHERVS.

Responsione ad Ambrosium Catharinum: Hodie sic ieiunatur, vt non caro mortificetur, sed vt bonum opus sit hoc die ieiunasse. Quid autem hoc aliud est, quàm impia facies Antichristi?

De doctrina hominum vitandis: Erroneum est & plenum mendacijs, quòd certis temporibus anni, item in Vigilijs Apostolorum & aliorum Sanctorum ieiunijs necessitatem imponunt, sub graui peccato, tamquam Ecclesiæ decreto & mandato. Nam ieiunia, quod ad dies & cibos attinet, libera & adiaphora in perpetuum esse debent.

33. *Consilia Euangelica, & opera supererogationis*

PROBAT HVSSVS.

De Ecclesia cap. 17. Præceptum est doctrina Dei generalis, omnem hominem semper obligãs sub pœna peccati mortalis, eo ipso, quo vnquã ab eo lapsus fuerit. Consilium est doctrina Dei specialis, solùm obligans sub pœna venialis, pro tempore huius vitæ. Ideo dicunt Doctores, quòd præceptum est imperfectorum, obligans eos sub ratione, qua serui sunt: Consilium autem est perfectorum, quod etiam supra obligat, subintellige generaliter, & semper sub pœna peccati mortalis. Sed ad declinandam peccati occasionem, consulit eis vt amicis. Vnde si sanctus ex magnitudine diuini occasione cõsilij inciderit in mortale. Hoc est ex præuaricatione primi mandati, & non ex nõ obseruantia diuini consilij. In patria verò, vbi non est periculum vel occasio peccandi, non est consilium ita dictum. Nam in patria non est voluntaria paupertas, nec sapit egentiam, quã Christus consulit Matth. 19. *Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia quæ habes.* Secunda est obedientia præposito coactiuo, de qua Lucæ 9. *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum,* tamquã discipulus charissimus. Nec reluctatio castitatis, de qua Matth. 19. *Sunt Eunuchi, qui se castrauerunt propter regnum cælorum.* Nec effectualis retributio aduersantibus, de qua Matth. 5. *Benefacite his, qui oderunt vos.* Nec concutientium violenter humilis patientia, de qua Matth. 5. *Si quis te percusserit in dextram maxillam, præbe ei & alteram.* Nec supererogatio operũ misericordiæ

de qua Lucæ 6. *Omni petenti te tribue,* &c. Omnia ista duodecim consilia in forma sua primaria nõ habebũt esse in effectu necessario, sed in sensu & forma secundaria obseruabunt sicut mãdata æterna, & in via sunt ad vitã saluberrima.

Tomo 2. fol. 243. b. Vnus dicitur alio perfectior, in quantum non solùm seruat mandata, quæ sunt necessitatis; sed etiam cõsilia, quæ sunt supererogationis: & sic dicit Christus Matth. 19. *Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veniens sequere me.*

IMPROBAT LVTHERVS.

In Assertionibus art. 30. Fortassis etiam in hoc peccauit Ioannes Hus, quòd duodecim consilia Euangelica fecit, cùm non sit nisi vnicum virginitatis, siue cœlibatus. In qua re deceptus est per impiam Thomæ & Thomistarum Theologiam.

In Colloquijs Latinis Tom. 2. cap. de Sanctis: Ioannes Hussus contra Papatum exiguum tentauit, morte minus dignum, asserens duodecim consilia Euangelica, multosq; Papæ errores cõfirmans. Horrendus certè error Scripturam sacram in præcepta & consilia impia distribuere, & deinde docere, omnes homines posse & debere præcepta Dei seruare, sed consilia esse libera, illa non obligare. Ex isto fonte orta est securitas, & hypocrisis operum supererogationis, & non debitorum.

34. *Neminem esse certum de salute*

ASSERIT HVSSVS.

Ad cap. 1. posterioris epist. D. Petri: Hìc dubitatur, vtrum aliquis viator possit esse certus de sua prædestinatione? Et videtur quòd non, per illud Ecclesiastis 9. *Nemo scit an amore, vel odio dignus sit.* In oppositum videtur hìc esse Petrus, dicens: *Facitis vestram certam vocationem & electionem,* & sic certam prædestinationem. Hìc est notandum, quòd nullus viator scit certitudinaliter, sine reuelatione sibi de hoc facta, se esse prædestinatum, & sic nec se esse in gratia, nec opus suũ esse virtuosum. Hoc autem tripliciter contingit. Primò ex parte Dei, à quo electio gratiæ, & opus virtuosum dependent principaliter. Nam gratia est donum à Deo immediatè infusum, & non nostris meritis acquisitum; & cùm illam dat secundùm quod ex sua beneuolentia homo acceptat, quæ homini, respectu ipsius, sine reuelatione est occulta, sequitur, quòd ex parte Dei homini sua prædestinatio & gratia sunt incerta, &c. Nec sequitur: nullum peccatum mortale scio in me, ergo scio me esse in gratia, &c. cùm dicat Apostolus: *Nihil mihi conscius sum, sed in hoc non iustificatus sum,* &c.

NEGAT LVTHERVS.

In epist. ad Galatas: Fabula est Scholasticorum asserere, incertum esse, num sit homo in statu salutis, nec ne.

35. *Aliquos mortali peccato carere*

ASSERIT HVSSVS.

Ad cap. 1. prioris ad Corinthios: Sanctificatio specialis, quæ fit per gratiam Spiritus sancti, remouet culpam, & pronitatem peccandi mortaliter: & talis fuit sanctificatio Ioannis Baptistæ, & Hieremiæ. Sed sanctificatio specialissima, quæ fit per gratiã singularem, remouet culpam originalem, & pronitatem ad peccandum tam venialiter, quàm mortaliter: & talis fuit in beata Virgine.

NEGAT LVTHERVS.

In Assertionibus artic. 33. Nemo est certus se non peccare mortaliter, propter occultissimũ superbiæ vitium.

36. *Peccatorum differentiam*

ASSERIT HVSSVS.

Ad Psal. 118. Ioãnes Euangelista aliquando loquitur de peccato graui, siue mortali, vt 1. Ioannis 3. *Scitis quoniam ille apparuit, vt peccata tolleret, & peccatũ in eo non est. Omnis qui manet in eo, non peccat: & omnis qui peccat, non videt eum.* Ecce hìc loquitur de peccato graui mortali, siue de crimine. Sed ibi 1. Ioan. 1. *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est:* loquitur de peccato leui, quod vocatur à nobis veniale. Et sic videtur, quòd omnis iniquitas est peccatum; sed non contra.

NEGAT LVTHERVS.

In Assertionibus, art. 32. Omne opus iusti damnabile est, & peccatum mortale, si iudicio Dei iudicetur.

In Resolutionibus super propositiones suas: Nam ideo nullum est peccatũ natura sua veniale, sed omnia damnabilia: quòd autem venialia sunt, gratiæ Dei tribuendum est.

37. *Septem Sacramenta*

ASSERIT VVICLEVVS.

In Postilla super 15. cap. Marci: Sacramenta Ecclesiæ sunt velut castrũ & munitio tutissima, quã velut fluuius immensus primò circuit aqua Baptismatis, quæ primò coërcet accessus hostiles. In interioribus ripis fluminis sunt Confirmatio & Pœnitentia, velut vallus & murus exterior. In medio velut turris fortissima Sacramentum Eucharistiæ collocatur, ad quam ascenditur per gradus Ordinis: & citra hos gradus Matrimonium quasi murus interior, defendens legitimè forum seculare & Ecclesiasticum. Ostiolum autem, per quod ingreditur vitam futuram, est Extrema Vnctio. Sed & totam istam seriem castrorum fundauit Christus, dans vicarijs potestatem vbiq; erigendi.

In eadem Postilla, super 1. Cor. 1. Quædam Sacramenta difficiliora ad credendum, & magis necessaria ad salutem, per se promulgauit, vt Baptismum, Eucharistiam, Ordinem, & Pœnitentiam: quædam autem per Apostolos, vt Confirmationem, & Extremam Vnctionem. De Confirmatione patet in Actibus Apostolorum: & de Extrema Vnctione Iacobi 5. imò Marci 6. fit mentio de olei vnctione.

ASSERIT HVSSVS.

Ad cap. 5. epist. Iacobi, agens de Extrema Vnctione: In hoc Sacramento non imprimitur character. Aut enim est distinctionis, & hìc imprimitur in Baptismo: aut strenuitatis, & hìc imprimitur in Confirmatione: aut excellentiæ & dignitatis, & hìc imprimitur in Sacramẽto Ordinis. Vnde hoc Sacramentum iterari potest: illa autem non iterantur, quæ relinquunt in suscipiente characterem, vt Baptismus, Confirmatio, & Ordo: cætera verò quatuor non relinquunt. Dupliciter autem ratio Sacramenti dicitur: primò idem est, quod iterata benedictio; sic nullum iteratur: secundò idem est, quod iterata susceptio; sic iteratur Eucharistia, Pœnitentia, Matrimonium, & Vnctio.

ASSERIT IOAN. ROKIZANA.

De Sacramẽtis in genere cap. 1. Constanter dico, quòd Sacramenta nouæ Legis sunt numero septẽ: Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Vnctio extrema, Ordo, Coniugium.

ASSERIT IOAN. PRZIBRAVVS.

Cap. 8. Confiteor septem sanctæ Ecclesiæ Sacramenta, auctore Deo tradita, & suorum Apostolorum auctoritate instituta, esse ab omnibus fideliter & inuiolabiliter credenda, tenenda, & veneranda: quæ sunt sacrum Baptisma, Confirmatio, Ordo, sacrosancta Eucharistia, Pœnitentia, Matrimonium, & Vnctio extrema: quæ singula sunt ex fide Catholica, tamquam Ecclesiæ necessaria

& salubria antidota, à cunctis approbanda & tenenda.

ASSERVNT VVALDENSES.

In confessione ad Vngariæ Regem missa anno 1508. Sacramenta septenario inclusa numero Christi vtilia pandimus, quibus populo incredulo promissa Dei impleta esse significatur.

NEGAT LVTHERVS.

In captiuitate Babylonica: Principio neganda mihi sunt septem Sacramenta, & tantùm tria pro tempore ponenda: Baptismus, Pœnitentia, Panis. Quamquam, si vsu Scripturæ loqui velim, non nisi vnum habeam Sacramentum, & tria signa sacramentalia.

38. *Sacramenta veteris & nouæ Legis differre*

ASSERIT HVSSVS.

In Psal.117. Sacramenta veteris Legis non iustificabant, secundùm quod dicitur Rom.3. *Ex operibus legis non iustificatur omnis caro.* Et subditur: *Iustitia autem Dei per fidem Iesu Christi.* Sed Sacramenta nouæ Legis iustificant, & ideo dicuntur portæ iustitiæ.

NEGAT LVTHERVS.

In captiuitate Babylonica: Error est Sacramenta nouæ Legis differre à Sacramentis veteris Legis.

39. *In aliquibus Sacramentis imprimi Characterem*

ASSERIT HVSSVS.

Ad cap.5. epist.Iacobi: Baptismus, Confirmatio, & Ordo, relinquunt in suscipiente characterem.

NEGAT LVTHERVS.

In captiuitate Babylonica, capite de Ordine: Huic tam debili fundamento nixi, characteres effinxerũt, quos huic Sacramento tribuerunt, qui imprimerentur ordinatis indelebiles. Vnde quæso tales cogitationes? qua auctoritate, qua ratione stabiliuntur?

40. *Baptismum conferre gratiam*

ASSERIT HVSSVS.

Ad cap.1. prioris ad Corinth. Triplex est sanctificatio: quædam est communis, quę fit per Sacramenta; & ita Corinthij fuerunt sanctificati, quia per Baptismi susceptionem sancti facti: quædam est specialis, quæ fit per gratiam Spiritus S. quædam specialissima, quę fit per gratiam singularem. Prima remouet culpam, confert gratiam; non tamen remouet fomitem, qui est pronitas ad peccandum.

Ad cap.2. prioris epistolæ Ioannis: Baptismus non solùm credentes purificat, sed interdum etiam nõ credentes emundat, vt paruulos: cùm enim illi solùm teneantur originali peccato, sine omni cõsensu possunt per vim Baptismatis ab illo peccato mundari.

NEGAT LVTHERVS.

Sermone de recumbentibus: Baptismus non est plus quàm externum signum.

41. *Pueros aliena offerentium fide baptizari*

ASSERIT HVSSVS.

Ad cap.2. prioris Ioannis: Baptismus non solùm credentes purificat, sed interdum nondum credentes emundat, vt paruulos. Sed huic obstatur per illud Marci vltimo: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit,* &c. Hîc est notandùm, quòd aliquod est peccatum Originale, aliud actuale. Primum sine consensu contrahitur, reliquum nunquam sine actuali consensu committitur. Illud igitur quod sine consensu contrahitur, paruulis sine consensu remittitur. Illud autem, quod non potest sine consensu committi, neque potest sine consensu remitti. Cùm igitur paruuli solùm teneantur originali peccato, sine omni consensu possunt per vim Baptismatis ab illo mundari.

NEGAT LVTHERVS.

Ad VValdenses, reprehendens eos, quòd pueros ad alienam offerentium fidem baptizant: Præstat, *inquit,* prorsus omittere Baptismum, quàm baptizare sine fide.

42. *Aquam benedictam, & aquæ Baptismatis consecrationem*

PROBAT VVICLEVVS.

De Blasphemia cap.17. Audiui quendam sacerdotem conqueri de seductione Hostiarij, dum diebus Dominicis deferendo aquã benedictam immiscet sæpe aquam non benedictam, & sic nouissima Parochiæ non habent aspersionem aquæ totaliter benedictæ, & per consequens in spiritualibus differenter fraudatur Parochia. Non enim fas est dicere, quòd aquæ talis aspersio nihil valet. Nec valet dicere, quòd in liquidis quantumcumque per vnum Sacramentũ sanctificat quantumlibet copulatum: tum quia non coëxtenduntur, sed occupant loca propria. Et nota secũdùm Philosophos, sanctitas aquæ, cùm sit accidens, non migrat de subiecto vno in aliud: tum etiam, quia Hostiarius, proijciendo guttam aquæ benedictæ in mare, sanctificaret totum mare: imò cùm omnes aquæ mediterraneæ, paludales, vel fontales continuantur cum mari per cataractas absconditas, Hostiarius posset faciliter sanctificare omnes aquas mundi. Et cùm aqua non debeat iterum consecrari, olim cessassent aquarum consecrationes ministerio sacerdotis. Nec valet dicere, quòd spiritualiter generatur noua sanctitas, vt contigit de luce: tum quia idem sic foret de sanctificandis constantibus pane, palmis, igne, cera, thure, pera, fructibus, & alijs sanctificatis communiter: tum etiam, quòd liceret Exorcistæ, Hostiario, vel laico cuicumque benedicere vel sacrare cuncta huiusmodi, & deferre ipsa ad loca, in quibus multiplicarent sibi similia in subiecto capaci. In quo casu sic deferẽs candelam ad locum tenebrosum, ipsum illuminat: sic videtur, quòd applicans facit nouam aquam, si consecrat ipsam aquam, ipsa sui initio consecrata, quia aliter solus Deus consecraret, & non Presbyter vel minister. Relictis igitur obiectionibus contra responsiones fictas, videtur quòd sicut in primitiua Ecclesia habuerunt Christi discipuli potestatem faciendi miracula, sic habuerunt potestatem corpora tam rationabilia, quàm irrationabilia consecrandi. Nam Marci vltimo dicitur: *Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur: in nomine meo dæmonia eijcient.* Cùm igitur in corporibus tam animatis, quàm inanimatis latent dæmonia, vt patet de legione missa in porcos: & in aëre, & in alijs corporibus, vbi magis nocent homini, est notorium hos latere. Euangelium igitur promittens nedum sacerdotibus, sed generaliter in Christum credentibus, potestatem & effectum eijciendi dæmonia, dat fidem, quòd sic possunt in exemplum credentes, cùm potestas Domini inextinguibilis perpetuò sit parata.

ASSERIT IOAN. ROKIZANA.

Cap.5. de consecratione fontis: Primò videamus, an licitum sit, consecratam aquam pro baptizandis in vase sensibili habere. Et pro isto dicit Dionysius de Ecclesiastica Hierarchia: Et tunc aquam sanctis inuocationibus cum sanctificauerit, &c. Vbi patet, quòd in primitiua Ecclesia aqua pro sanctificandis sanctificabatur, cum infusione Chrismatis, & signo crucis.

ASSERIT IOAN. PRZIBRAVVS.

Capite 9. Sacramentum Baptismatis in fonte consecrato cum solitis cæremonijs est exercendum.

Cap.30. Item profiteor religiosè & Catholicè, quòd aquæ cõsecratio est licita in religione Christiana.

NEGAT LVTHERVS.

Libro de visione Danielis contra Catharinum *omnes creaturarum consecrationes damnat.*

43. *Sacri Chrismatis vsum*

ASSERIT HVSSVS.

Ad caput 5. Iacobi: Quare non additur hîc oleo balsami, sicut in Baptismo, & Confirmatione? Solutio: Baptismus est intrantium, Confirmatio pugnantium, à quibus exigitur bona vita pro se, & fama pro alijs: ideo vnguntur Chrismate consecrato ex balsamo propter odorem bonæ famæ, & oleo propter nitorem conscientiæ: his autem, qui consortio hominum subtrahuntur, sufficit bona conscientia.

Sermone habito Pragæ in Synodo ad clerum: Hæc simoniacæ hæreseos detestata est sancta Synodus, & anathematizauit: vt de cætero nec pro Ordinatione, nec pro Chrismate, Baptismo, vel Balsamo quicquam exigatur statuit. Sed quia contra iam dicta, & à Spiritu sancto Ecclesiæ tradita subrepunt Antichristi glossulæ, nunc labore, nunc pastu, nunc consuetudine palliatæ: ideò illis Innocentius Papa respondit: Si quis, inquit, quodlibet Sacramentum Ecclesiasticum, vtpote Chrisma, vel oleum sanctum, &c. per pecuniam acquisiuit, honore malè quæsito careat: emptor, & venditor, & interuentor nota infamiæ percellantur.

ASSERIT IOAN. ROKIZANA.

Cap.9. de Chrismate: Concorditer datur intelligi, quòd hæc obseruantia ritus circa Baptismum emanauit ab Apostolis, & quòd hæc vbique per Ecclesias Christianorum debent obseruari incõcussè, & firmiter sine hæsitatione, &c. Patet igitur quàm malè faciunt, qui ex incurabilitate, contemptu, aut sui spiritus elatione ipsam sacri olei, & Chrismatis in Baptismate omittunt vnctionem.

NEGAT LVTHERVS.

Libro de Missa angulari: Deus Purgatorium extinxit, an etiam tantum medullæ adhuc in manibus suis habeat, vt rancidum Chrisma, præter suam vtilitatem, per mera figmenta humana introductum, possit efflare?

44. *Confirmationis Sacramentum*

ASSERIT HVSSVS.

Ad cap.5. Iacobi: Solus Baptismus est intrantium, Confirmatio pugnantium, &c. Character imprimitur in Baptismo, Confirmatione, & Ordine. Vnde Sacramentum Extremæ Vnctionis iterari potest: illa autem Sacramenta non iterantur, quę relinquunt in suscipiente characterem.

ASSERIT VVICLEVVS.

In Postilla ad cap.1. prioris ad Corinth. Quædam Sacramenta per se Dominus promulgauit, vt Baptismum, Eucharistiam, Ordinem, & Pœnitentiam: quædam autem per Apostolos, vt Confirmationem, & Extremam Vnctionem. De Confirmatione patet in Actibus Apostolorum, &c.

ASSERIT IOAN. ROKIZANA.

De Sacramentis cap.1. Secundò recipit homo perfectam virtutem, quasi quoddam augmentum spirituale, & hoc fit per Sacramentum Confirmationis.

Cap.11. Nullus potest ambigere, quin Apostoli illud Sacramentum ex magistri sui institutione didicerunt, ex quo post ipsius ascensionem illud exercuerunt. Ergo patet, quòd hoc Sacramentum à Christo processit.

ASSERIT IOAN. PRZIBRAVVS.

Cap.10. Item profiteor credendum, quòd baptizati à proprio Episcopo, iuxta formam & statuta Ecclesiæ, cum Chrismate ab Episcopo consecrato sunt confirmandi.

ASSERVNT VVALDENSES.

In confessione fidei ad Vngariæ Regem anno 1508. Fide ex Scripturis sumpta profitemur, temporibus Apostolorum illud obseruatum fuisse, quicumque in pubescentiæ annis promissa donorum Spiritus sancti non acceperũt, huiusmodi per orationem manusq; impositionem in fidei confirmationem suscipiebant.

NEGAT LVTHERVS.

Contra Louanienſium articulos thesi 55. Confirmationem esse Sacramentum sine verbo asseritur, & sentina Louanienſium mentitur à Christo esse institutum.

45. *Transubstantiationem in Eucharistiæ Sacramento*

ASSERIT HVSSVS.

Lib. de Cœna Domini cap.2. Quicquid Christus Iesus per se Apostolis, & per ipsos, & per alios sanctos Doctores tradidit, & quicquid tenet sancta sua Romana Ecclesia de hoc Sacramento venerabili, hoc firmiter est credendum, &c. Ex potestate & institutione Christi veri Dei & veri hominis per ministerium sacerdotum est in Sacramento venerabili verum corpus suum, quod cõceptum est, & natum ex Maria Virgine castissima potestate Spiritus sancti, quod passum est in cruce, quod iacuit in sepulchro per triduum, quod ascẽdit in cælum, & sedet ad dextram Dei Patris. Illud, & non aliud, sine noua sui substantiali inceptione, est in ipso Sacramento venerabili. Similiter sanguis, qui effusus est in cruce in remissionem peccatorum de eodem corpore. Item credendum est, quòd tam bonus, quàm malus sacerdos habens fidem rectam circa Sacramẽtum venerabile, & habens intentionem sic facere, vt præcepit Christus, & dicẽs verba in Missa secundùm institutionem Ecclesiæ, conficit, id est virtute verborum sacramentaliter facit ministerialiter esse sub specie panis verum corpus Christi: similiter sub specie vini ministerialiter esse verum sanguinem Christi. Et dico facit ministerialiter, quia tamquam minister Christi, qui potestate & verbis Christi facit, quod facit Christus potestate propria, & verbis proprijs, transubstantians panem in corpus Christi, & vinum in sanguinem suum. Vnde canit Ecclesia: *Dogma datur Christianis, quòd in carnem transiit panis, & vinum in sanguinem.* Et iterum: *Verbum caro panem verum verbo carnem efficit, fitq; sanguis Christi merum, etsi sensus deficit, ad firmandum cor syncerum sola fides sufficit.*

Cap.3. Verbum caro, id est, Filius Dei existens homo, efficit verbo suo per Transubstantiationẽ verum panem carnem, & merum, id est vinum, fit scilicet per Transubstantiationem sanguis. Patet ista materia de consecratione dist.2. per Sanctos Ambrosium, Eusebium, & alios: vnde cantum supradictum approbatum ab Ecclesia ab anno, quo cœpi cantum discere, cantaui in scholis & Ecclesijs: post legi in Officio, & in Missis, & prædicaui in sermonibus, & nunquam prædicaui, quòd in Sacramento altaris manet substantia panis materialis, de quo me veritatis inimici mẽdaciter accusârunt, &c. Post verba consecrationis in ipso Sacramento tam diu est corpus & sanguis Domini, quàm diu manet species panis & vini, & non seorsum corpus, & seorsum sanguis, sed

sub vtraque specie manet Christus totus, vt canit Ecclesia. Vnde corpus Christi est sub specie panis per Transubstantiationem panis in ipsum corpus, & sanguis est concomitanter: & sanguis est sub specie vini per Transubstantiationem vini in sanguinem, & corpus sub eodem concomitanter. Vnde stultissima & turpissima vesania foret dicere, quòd solùm quando sacerdos eleuat Sacramentum venerabile, tunc est corpus Christi, & quando deponit non est.

In carmine de Cœna Domini:

Non est panis, sed est Deus
Homo liberator meus,
Qui in cruce pependisti,
Et in carne defecisti.
Non augetur consecratus,
Nec consumptus fit mutatus,
Nec diuisus in fractura,
Plenus Deus in statura.
Caro panis, sanguis vinum
Est mysterium diuinum,
Huic laus & gloria
In seculorum secula.

ASSERIT IOAN. PRZIBRAVVS.

Cap.13. Profiteor tenendum & credendum ab omnibus firmiter, quòd Christus verus Deus, & verus homo est, & viuit in Sacramento Christi visibili secundùm suam propriam naturam & substantiam corpoream, & secundùm naturalem eius existentiam, eandem penitus in numero, quâ sumpsit de Virgine Maria, & secundùm quam resedit in cælo in dextra Patris.

Cap.14. Credo quòd non minus, nec secundùm minus, aut maius corpus Christi, & totus Christus est in Sacramento sensibili, quàm est in cælo.

Cap 20. In Sacramento Eucharistiæ post consecrationem non manet panis materialis.

Cap.21. Item profiteor veraciter, quia ante annos viginti M. Ioannes Huss cum Magistris & Doctoribus nationis Bohemicę ex pleno consilio suo & consensu vnanimi, nullo, vt dicebant, contradicente, reprobauerunt, & confutauerunt, & prohibuerunt publicè istos articulos VVicleui, quòd scilicet panis materialis remanet in hostia post consecrationem: item quòd in Sacramento accidentia non stant sine subiecto: item quòd Christus non est in eodem Sacramento identicè & realiter.

ASSERIT HIERONYMVS PRAGENSIS.

Cùm rogaretur, quid sentiret de Sacramento? *inquit:* Ante consecrationem panem, in consecratione & postea verum Christi corpus. *Tum quidã*: Aiunt te dixisse post consecrationem remanere panem. *Tum ille*: Apud pistorem, *inquit*, panis remanet. *Poggius Florentinus epistola ad Leonarduun Aretinum.*

NEGAT LVTHERVS.

Aduersus 32. articulos Theologorum Louanienſium: Transubstantiatio panis & vini in Sacramento à magistrollis Louanienſibus sine omni fundamento, sine vllo verbo, ex mera insciti a traditur.

46. *S. Missæ Sacrificium*

ASSERIT HVSSVS.

Sermone in exequijs habito Pragæ ad populum: Si vult sacerdos Missam magnificare, sit magnus in sancto opere, & non ascribens beato Gregorio mendacium: dicat ipse cum B. Gregorio illud in 4. Dialogorum capitulo de virtute & mysterio hostiæ salutaris: Pensemus quale sit pro nobis sacrificium hoc, quod pro absolutione nostra passionem vnigeniti Filij Dei semper imitatur. Quis enim fidelium dubiũ habere possit, in ipsa immolationis hora ad vocem sacerdotis cœlos aperiri, in illo Iesu Christi Domini mysterio Angelorum choros adesse, summis ima sociari, terrena cælestibus iungi?

Tractatu de corpore Christi: Super his fundans se vniuersalis Ecclesia, dicit in Canone Missæ: *Offerimus panem sanctum vitæ æternæ, & calicem salutis perpetuæ.* Et iterum: *Panem cælestem accipiam, & nomen Domini inuocabo.*

De Cœna Domini: Canticum Ecclesiæ: *Verbum caro panem verum verbo carnem efficit*, legi in Officijs & Missis, & prædicaui in sermonibus.

ASSERIT VVICLEVVS.

De Apostasia cap. 18. *vbi approbat totum ritum Missæ à principio ferè vsque ad finem, dicens eum egregium & egregiè declaratum, concludens de omni ritu illo, & dicens:* Certum quidem est, quòd omnia talia de tanto sunt laudabilia, de quanto excitant vt Christus plus ametur.

ASSERIT IOAN. PRZIBRAVVS.

Capite vigesimo septimo: Item profiteor, quòd in officijs Ecclesiasticis omnes pro posse obligantur, & debent se Ecclesię matri & Metropolitanę conformare, in psallendo Matutinas, Missas, Vesperas, & cætera officia publica.

Cap.28. Totus ritus & ordo communiter sacrificãdi seu Missandi ex Sanctorum Traditionibus, tamquam ex aureis massis & pretiosissimis gemmis, decentissimè elaboratus, & comportatus, & cultui diuinissimæ Eucharistiæ, & eius honori & magnificentiæ saluberrimè & sapientissimè adaptatus in suis singulis ritibus & moribus, videlicet in gestu, signis, & habitu seu vestimentis consuetus à cunctis sacrificantibus est obseruandus, & absque ineuitabili necessitate à Christi sacerdotibus non est prætermittendus, sed opere tenus exequendus, &c. Ioannes VVicleuus, libro de potestate Papæ, approbat omnia ornamenta supradicta, declarãs maximam vtilitatem morum & virtutum per eadem designari. Item de Apostasia cap. 18. approbat totum ritum Missæ, à principio ferè vsque ad finem, dicens eum egregium, & egregiè declaratum, concludens de omni ritu illo, & dicens: Certum quidem est, quòd omnia talia de tanto sunt laudabilia, de quanto excitant, vt Christus plus ametur. Hæc ille. Erubescat ergo discipulus à magistro suo, & in hoc sit sicut magister eius. VVicleuus celebrauit Missas suas ritu & forma Ecclesiæ: faciant idem Thaboritæ, vel confundantur dici VVicleuistæ.

NEGAT LVTHERVS.

In Colloquijs conuiualibus fol. 168. *negat ab Hussitis accipiendam esse Eucharistiam, propterea quòd priuatas Missas celebrant.*

Fol. 274. A tẽpore Gregorij Magni Missa priuata multos etiam sanctitate insignes viros fefellit. Ioannes Hussus eodem errore imbutus fuit: mirum quòd Deus ab hac vnica idololatria me seruauit.

Libro de abominatione Missæ: Meum facturus officium omnes moneo, vt hanc profanationẽ Missę non secus ac ipsum diabolum fugiant & detestentur. Magistratum hortor, vt eam funditus ab Ecclesia pellant, & aboleant, &c.

47. *Eleuationem Eucharistiæ in sacrificio Missæ*

PROBAT HVSSVS.

Tractatu de Cœna Domini: Istas tres eleuationes debet habere in memoria Presbyter dum eleuat, & offert in Sacramento venerabili Deo Patri corpus Christi.

IMPROBAT LVTHERVS.

De abroganda Missa priuata: Minister nullo verbo meminit sacrificij inter eleuandum, quod tamen oportuit quàm maximè. Quamquam quid referret si nihil eleuaretur? Ex hominibus enim est ea eleuatio, non ex instituto Christi.

48. *Melchisedech panem & vinum offerens, sacrificium Missæ præfigurâsse*

ASSERIT HVSSVS.

Ad Psalm.109. Hoc ergo iurat, quòd Christus est sacerdos secundùm ordinem Melchisedech, qui primus panem & vinum obtulit: & Christus panem & vinum in corpus & sanguinem suum consecrauit, cuius sacrificij similitudinem præmisit Melchisedech, &c. Melchisedech panem & vinum obtulit, Genes.14. & Christus panem & vinum in corpus & sanguinem suum consecrauit, Deo Patri obtulit, & discipulis offerri commisit, Matth.26.

NEGAT LVTHERVS.

De abominatione Missa priuatæ: In eo mentiuntur, quòd asserunt Melchisedech sacrificasse panem & vinum.

49. *Eucharistiam post consecrationem extra vsum esse Sacramentum*

ASSERIT HVSSVS.

In Protestatione Tomo 1. fol. 95. Falsò dicunt, quòd quando hostia eleuatur, tunc est corpus Christi, & quando ponitur, tunc non est.

De Cœna Domini: Post verba consecrationis in ipso Sacramento tamdiu est corpus Christi, quãdiu manet species panis & vini.

NEGAT LVTHERVS.

Paulus Crellius in articulis Torgensibus: Cùm Philippus assereret: Nihil habet rationem veri Sacramenti extra vsum diuinitus institutum: Lutherus hac sententia mirum in modum gauisus: Macte, inquit, virtute ac pietate, mi Philippe, tibi datur gratia, qui potuisti Pontificijs Sacramentum adimere, quod ego nunquam tentare vel aggredi ausus fui.

50. *Eucharistiam adorandam*

ASSERIT HVSSVS.

Tractatu de omni sanguine Christi glorificato: Nos adoramus corpus Christi & sanguinem in dextra Dei Patris existentem, & in venerabili Sacramento, quod sacerdotes conficiunt, absconsum, & sic scimus quid adoramus.

Contra Bullam Papæ de electione crucis: Secundum genus Reliquiarum est Eucharistia, in memoriam passionis, resurrectionis, & ascensionis Christi, credentibus in remissionem peccatorum derelicta. Vnde ipsa Eucharistia magis à fidelibus veneranda, quàm aliorum Sanctorum Reliquiæ.

NEGAT LVTHERVS.

Ad VValdenses: Non damnandi, nec hæreseos accusandi sunt, qui Sacramentum non adorant: cùm nõ sit præceptum, nec Christus in hoc adsit.

51. *Vbiquitatem corporis Christi*

ASSERIT LVTHERVS.

Ad cap.9. Ecclesiastis: Sic Christus quoque extra locum est contra illos, qui captiuant Christum loco, cùm tamen vbique sit. Neque enim Verbum Dei segregatur à carne. Vbi Deus est, & caro Christi est: Deus est vbique: Ergo & Christus quoque est vbique.

NEGAT HVSSVS.

Tractatu de sanguine Christi: Corpus Christi cum omnibus partibus suis solùm in cælo est localiter & dimensiuè, licet in Sacramento altaris sit dimensiuè & verè.

52. *Eucharistiam pro infirmis seruandam*

ASSERIT HVSSVS.

Tractatu de sanguine Domini: Si seruant Presbyteri in Ecclesijs Sacramentum, tunc semper finaliter fit propter manducare, vt infirmi in casu nõ valentes ad altare accedere, manducent salubriter conseruatum.

NEGAT LVTHERVS.

De adoratione Sacramenti: Aediculæ, quibus Eucharistia promiscuè seruatur, deijciendę sunt.

53. *Communionem sub vtraque specie*

ASSERIT HVSSVS.

Epist.48. De Sacramento calicis habetis scriptum, quod scripsi Constantię: Si potest fieri, attentetis, vt saltem permittatur per Bullam illis dari, qui ex deuotione postulauerint, circũstantijs adhibitis.

NEGAT LVTHERVS.

De formula Missæ: Si quo casu Concilium statueret, tum minimè omnium nos vellemus vtraque specie potiri: imò tũc primùm in despectum tam Cõcilij, quàm statuti sui, nos velle aut alterutra tantùm, aut neutra, & nequaquam vtraque potiri: & planè anathema habere, quicunque auctoritate talis Concilij, vel statuti vtraque potirentur.

54. *Pœnitentiam Sacramentum esse*

ASSERIT VVICLEVVS.

Ad caput 1. prioris ad Corinthios: Baptismus, Eucharistia, Ordo, & Pœnitentia, Sacramenta difficiliora sunt ad credendum, & magis necessaria ad salutem.

Ad caput 5. Iacobi: Oportet Sacramentum recipere Pœnitentię pro mortalibus abluendis, confitendo non solùm Deo, sed & homini in casu.

ASSERIT HVSSVS.

Disputatione aduersus Indulgentias Papales: Licet sufficiat apud Christum vbique præsentem contritio: tamen Sacramentum Pœnitentiæ est valde necessarium, licet non proderit sine contritione præsupposita.

NEGAT LVTHERVS.

Disputatione contra Antinomos cap.12. Cauenda est doctrina Papistarum de Pœnitentia, sicut ipse infernus & diabolus.

In Captiuitate Babylonica: Duo tantùm Ecclesiæ sunt Sacramenta, Baptismus, & Panis. Nam Pœnitentiæ Sacramentum, quod ego his accensui, signo visibili, & diuinitus instituto caret.

55. *Pœnitentiæ partes tres*

ASSERIT HVSSVS.

Tractatu de Pœnitentia: Sunt autem Pœnitentiæ perfectę tres partes, scilicet Contritio, Confessio, & Satisfactio.

NEGAT LVTHERVS.

In captiuitate Babylonica, capite de Baptismo: Contritio, & peccatorum Confessio, & deinde Satisfactio, & omnia alia hominum excogitata studia, subitò te deserent, & infeliciorem reddent.

56. *Contritionem in vera Pœnitentia requiri*

ASSERIT HVSSVS.

Tractatu de Pœnitentia: Contritio est dolor intimus cordis, quem homo habet pro peccatis, quo plus dolet, quàm si amisisset diuitias seculi, famam, vel amicos.

Disputatione aduersus Indulgentias: Sacramentum Pœnitentiæ non prodest sine Contritione præsuppositа.

ASSERIT IOAN. ROKIZANA.

De Sacramentis cap.16. Contritio est dolor cordis pro peccatis commissis, & pro amissione gra-

tiæ Dei, quam oportet esse maiorem, quàm pro amissione cuiuscunque commodi temporalis.

NEGAT LVTHERVS.

Concione de Pœnitentia: Contritio facit hypocritam, imò magis peccatorem.

57. *Peccata sacerdoti confitenda esse*

ASSERIT VVICLEVVS.

Ad caput 5. Iacobi: Oportet recipere Sacramentum Pœnitentiæ pro mortalibus abluendis, confitendo non solùm Deo, sed & homini in casu. Et cùm specialiter confitendum sit Vicario Christi, qui mediat inter Deum & hominem, posteri ordinârunt confessionem auricularem.

ASSERIT HVSSVS.

Tractatu de Pœnitentia: Secunda pars Pœnitentiæ est Confessio, quæ est coram Deo, & sacerdote peccatorum recognitio, quæ debet esse plana & integra. Plana, vt sacerdos intelligat: integra, ne confitens aliquod peccatum scienter abscondat. *Qui enim abscondit scelera sua, non dirigetur*, &c. Tu ergo appropinquante Quadragesima, quæ est speciale tempus Pœnitentiæ, vt verè pœniteas, dole cordialiter de peccato. Noli amplius peccare: cõfide de Dei misericordia: confitere peccata tua sacerdoti, non tardans: ora deuotè & humiliter: ieiuna patienter: da eleemosynam, si potes, abundanter.

ASSERIT IOAN. ROKIZANA.

De Sacramentis cap. 17. Secunda pars Pœnitentiæ est ipsa Confessio, quæ fit sacerdotibus, ac nisi hęc confessio haberet efficaciam, videretur quòd Christus superfluè dedisset Apostolis & succedentibus sacerdotibus clauium potestatem. Ad quid rogo concessit Apostolis Christus potestatem ligandi peccata, nisi ostensio eorum sacerdoti soluenti ac liganti faceret ipsa crimina esse nota?

ASSERIT IOAN. PRZIBRAVVS.

In professione fidei cap. 16. Confessio auricularis facienda est idoneo sacerdoti.

ASSERVNT VVALDENSES.

In confessione fidei exhibita anno 1508. Peccator si animo, intentione, opere à retroactis vitijs resipuerit, talis in veritate constitutus, si Presbyterum scientem discernere malum à bono, cuius labia scientiam diuinæ legis custodierint, inuenerit, huiusmodi sacerdoti recta intentione scelera confessione reuelare debet, quo veluti iudice, loco Dei præsidente, & Ecclesiæ, iure legis Domini culpę eius grauitas rectè dijudicetur, & correctus consilium pœnitentiæ ad reformationem sui habeat, Christi clauibus aut solutus, aut ligatus humiliter obsequatur.

NEGAT LVTHERVS.

Dominica Reminiscere: Nolo confiteri ob id solum, quia Papa præcepit, ac fieri vult. Qui habet fortem ac firmam fidem, quòd dimissa sunt sibi peccata, is potest confessionem hanc omittere, & soli Deo confiteri.

58. *Satisfactionem pro pœna temporali necessariam*

ASSERIT HVSSVS.

De Pœnitentia: Tertia pars Pœnitentiæ completiua est Satisfactio, per quam peccator debet satisfacere Deo, sibi, & proximo. Deo, humiliãdo se: sibi, affligendo se: proximo, reddendo sibi quę sua sunt. Vnde iuxta hoc ponuntur tres partes Satisfactionis, scilicet oratio, ieiunium, eleëmosyna. Per orationem se homo Deo humiliat, per ieiunium se affligit, per eleëmosynam proximo satisfacit.

Aduersus Indulgentias Papales: Requiritur vltra Contritionem & Confessionem, secundùm qualitatem & quantitatem culpæ qualitas & quantitas pœnæ, & dispar fructus boni operis. Imò fit quantumcunque contritus, & ore confessus, dum rem alienam retinet, quam restituere potest, non absoluitur à peccato.

De Ecclesia: Ille verè ligatur, qui iuxta confessionis suæ tenorem iusto Satisfactionis debito obligatur: ille sacerdotali officio absoluitur, cuius peccatum ad condignam Satisfactionem iustè remittitur.

ASSERIT IOAN. PRZIBRAVVS.

In professione fidei cap. 15. Sacerdotes, qui ex contemptu Satisfactionis opera non iniungunt, nec confitentes absoluunt, nec absoluere se credunt, &c.

ASSERVNT VVALDENSES.

In confessione exhibita anno 1508. Si cor contritum defuerit, simulquę confessio cum relaxatione culpæ, atque satisfactio simulata ad hæc accesserit, vanum signum, vacua gratia Christi esse pronuntiamus.

NEGAT LVTHERVS.

In Assertionibus artic. 5. Vehementer odi, ac sublatum vellem hoc vocabulum *Satisfactio*: quod non modò in Scripturis non inuenitur, sed & periculosum habet sensum.

59. *Extremam Vnctionem esse Sacramentum*

ASSERIT VVICLEVVS.

Ad caput primum prioris ad Corinthios: Quòd Vnctio extrema est medicina ad sanandũ peccatum, ad intitulandũ in officio nouo, vt patet Iacobi 5. Est enim Extrema Vnctio signum efficax & finalis & vniuersalis remissionis peccatorum, per vnctionem infirmi pœnitentis in determinatis partibus cum oleo oliuæ, ab Episcopo consecrato, ministrato à sacerdote, verba cum intentione debita proferente.

ASSERIT HVSSVS.

Ad caput 5. Iacobi: *Inducat*. Non dicitur, inducatur, per quod innuit, quòd hoc Sacramentum conferendum est solis petẽtibus verbo, vel signo aperto. *Vngentes eum*, scilicet infirmatum. Ex quo patet, quòd oleum & vnctio est efficacia huius Sacramenti: *oleo*, scilicet consecrato in nomine Domini. Et alia Glossa formam consecrationis ostẽdit. Sed quare non additur hîc oleo balsami, sicut in Baptismo & Confirmatione? Solutio. Baptismus est intrantium, Confirmatio pugnantium, à quibus exigitur bona vita pro se, & fama pro alijs. Ideo vnguntur Chrismate consecrato ex balsamo, propter odorem bonæ famæ: & oleo, propter nitorem conscientiæ. His autem, qui ex consortio hominum subtrahuntur, sufficit bona conscientia, &c. Videtur quòd non refert, à quocunque Presbytero hoc Sacramentum detur? Solutio. Quantum ad vnctionem non refert, sicut & in alijs Sacramentis: sed huic annexa est oratio, quæ maiorem habet efficaciam in quibusdam. Fuit autem hoc Sacramentum institutum ad alleuiationem infirmi, & remissionem peccati. Vnde & vnctio ibi est, & oratio: oratio autem non semper impetrat, quia non semper expedit infirmo quod petitur. Ideo non semper alleuiatur: sed si in peccatis est, indignè suscipit Sacramentum, quod semper impetrat remissionem peccati, quãtum est de se: quia est Sacramentum nouę Legis, idcirco efficit quod figurat: Vnctio autem facta de oleo, quod est sanatiuum, signat remissionem. Sic patet, quòd alleuiatio non est res huius Sacramenti, sicut remissio peccati: quia oleum mitigatiuum est, per quod signat alleuiationem, & sanationem, per quod signat remissionem. Et si obijcitur, quòd est Sacramentum nouæ Legis: ergo semper efficit quod figurat: igitur semper alleuiat.

Solutio.

Solutio. Quòd cùm dicitur: Sacramentum nouæ Legis efficit, quod figurat litera, quod sumitur particulariter, quia non omne quod figuratur efficit, sed aliquod. Sed quare hoc Sacramentũ non datur nisi à sacerdotibus? Solutio. Quia est supplementum pœnitentiæ, quæ à solis sacerdotibus imponitur. Eadem ratio est, quare non datur, nisi infirmis, & in statu vbi desperatur de ipsis, vt vbi deest auxilium naturæ, quæratur auxilium gratiæ, quę datur in Sacramẽto, quod non datur pueris, sed adultis, sicut & pœnitentia. In hoc Sacramento non imprimitur character, &c.

ASSERIT IOAN. ROKIZANA.

De Sacramentis cap. 18. Ad Sacramentum Extremæ Vnctionis, quod nunc plerique derident, & blâsphemant, iam accedendo dico, quòd illud Sacramentum habetur primò ex Euangelio Marci 6. secundò habetur ex Canonica B. Iacobi.

ASSERVNT VVALDENSES.

In Confessione exhibita anno 1508. Aegrotantium vnctio duo in se continet. Primum causam facilioris accessus ad languentes. Hac re Sacramentum non est. Alterum est res ipsa signata tali vnctione, quæ tribuitur à Deo in Christo, pro qua re in recta fide, vt languenti fideli id condonetur, præcipuè orandum est, B. Iacobi præcepto: *Infirmatur quis in vobis*, &c. Fide ægrotantis signum vnctionis certificat scelerum remissam.

NEGAT LVTHERVS.

In captiuitate Babylonica: Non est Sacramentum ista, id est ficta vnctio, sed consilium Iacobi, quo possit qui velit vti.

60. *Ordinem esse Sacramentum*

ASSERIT VVICLEVVS.

Ad caput 1. prioris ad Corinth. Quædam Sacramenta difficiliora ad credendum, & magis necessaria ad salutem per se Christus promulgauit, vt Baptismum, Eucharistiã, Ordinem, & Pœnitentiam.

ASSERIT HVSSVS.

Ad cap. 5. Iacobi: Character excellentiæ & dignitatis imprimitur in Sacramento Ordinis, &c. Non iterantur Sacramenta, quæ relinquunt in suscipiente characterem, vt Baptismus, Confirmatio, & Ordo.

ASSERIT IOAN. ROKIZANA.

De Sacramentis cap. 1. de septem Sacramentis in genere: Quãtum ad communem vtilitatem alia duo ordinantur Sacramenta, sextum & septimum. Per Ordinem namque Ecclesia ordinatur, & gubernatur, & in filios Ecclesiæ gignitur: per Matrimonium corporaliter multiplicatur.

ASSERIT IOAN. PRZIBRAVVS.

In professione fidei cap. 11. Sacramentum Ordinis duntaxat ab Episcopis est conferendum. Exemplũ huius est in tota Lege noua & vetere, vbi nũquam aliter inuenitur, nisi quòd à Deo immediatè, vel ab Episcopis sint sacerdotes & Episcopi consecrati. In noua Lege exemplum est in Christo, qui existens Episcopus summus, Apostolos in Episcopos ordinauit, & illi vlterius Episcopos & Presbyteros.

ASSERVNT VVALDENSES.

In confessione exhibita anno 1508. Credimus Ordinationem sacerdotum à summo Episcopo, sacerdoteque magno in veritate prodire, vt in loco Legationis Christi ministerium, euangelizatio, doctrina, iudicium, oblatio orationum ab hominibus, gratiarum actiones, laudes Dei ab eis peragantur. Denique hoc etiam fide fatemur, quòd ij, qui alios ordinare intendunt, Christum æmulari tenentur. Eadem fide proponimus, quòd ordinandi, maioribus aut minoribus promouendi, vita virtuosa in Christo alios debent antecellere. Quicunque clericus tali ordinatione prouehitur in sacerdotium, talem ordinationem Sacramentum esse profitemur: quoniam quidẽ signum sunt veritatis sacerdotij summi Christi Iesu, eiusque ordinationis à Patre Deo.

NEGAT LVTHERVS.

In captiuitate Babylonica, de Ordine: Hoc Sacramentum Ecclesia Christi ignorat, inuentumque est ab Ecclesia Papæ.

61. *Matrimonium esse Sacramentum*

ASSERIT HVSSVS.

Tractatu de Matrimonio: Sacramentum est ipsum Matrimonium, quia est sacræ rei signum: significat enim coniunctionem Christi cum Ecclesia. Hæc pensa charissime, & da operam, vt matrimonium tuum, quod est signum, correspondeat signato sancto, siue sacræ rei, quæ est coniunctio Christi sponsi cum Ecclesia sua sponsa.

Ad cap. 7. prioris ad Corinth. Est bona res coniugium: est enim vnum de Sacramentis Ecclesiæ, tenens imaginem coniunctionis Christi & Ecclesię.

NEGAT LVTHERVS.

In captiuitate Babylonica: Sit Matrimonium figura Christi & Ecclesiæ, Sacramẽtum autem non diuinitus institutum, sed ab hominibus in Ecclesia Dei inuentum, ignorantia tam rei, quàm verbi abductis.

62. *Facto diuortio licere innocenti personæ altera viuente ad alias nuptias transire*

NEGAT HVSSVS.

De Matrimonio cap. 1. Licet per Ecclesiæ iudicium dimittere vxorem, puta quoad thori habitationem: sed non ex eo licet aliam ducere, vel commisceri alteri, quamdiu illa viuit. Patet etiam illud per Apostolum 1. Cor. 7.

ASSERIT LVTHERVS.

In captiuitate Babylonica: Hoc admiror, cur cœlibem esse cogant hominem, qui diuortio separatus est à coniuge sua, nec aliam ducere permittãt. Si enim Christus diuortium concedit in causa fornicationis, & neminem cogit esse cœlibem, & Paulus magis velit nos nubere, quàm vri: videtur omninò admittere, vt in locum repudiatæ aliam ducat.

63. *Impedimenta Matrimonij*

ASSERIT HVSSVS.

Ad cap. 7. prioris ad Corinth. Personæ legitimæ, ait Glossa Ordinaria Ambrosij, ad matrimonium sunt iuxta institutionem Ecclesiæ. Aliæ namque fuerunt legitimę in exordio nostræ originis, & ante legẽ Mosi, aliæ sub legẽ, alię in tempore gratiæ. Item in primitiua Ecclesia quędam erant legitimę, quę modò non sunt, vel illegitimæ: quædam sunt plenæ legitimę, quędam omninò illegitimæ, quædam neutræ. Plenè legitimæ sunt, quas non impedit votum continentiæ, vel ordo, vel cognatio, vel dispar cultus, vel naturæ frigiditas. Pro isto nota istos versus: quia illi ostendunt, quę sunt personæ omninò illegitimæ. Nam duodecim ponuntur impedimenta in eis:

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas:
Si sis affinis, si fortè coire nequibis,
Hæc socianda vetant, connubia iuncta retractant.

Primò *error*, scilicet personæ, si alia, quàm fuit vocata, supponitur. Secundò *conditio*, si seruus, vel serua pro libera datur. Ista mihi non videtur in toto impediens. Tertiò *votum* Deo factum ad continentiam seruandam. Quartò *cognatio* consanguini-

guinitatis vsque ad quintum gradum inclusiuè, secundùm B Gregorium. Quintò *cultus disparitas:* quia fidelis Iudęam vel paganam non potest retinere matrimonialiter. Sextò *vis*, id est, violentia: nam virgo, vel mulier violenter desponsata, potest licitè abire. Septimò *Ordo*: quia clericus in maioribus Ordinibus non debet matrimonium cõtrahere, quia votum fecit. Octauò *ligamen:* alligatus vni per votum vtrinque facto consensu non potest cum alia contrahere. Nonò *honestas*, quæ est propinquitas ex sponsalibus proueniens, etiam prohibet matrimonium, vt amicus sponsam amici non possit ducere. Decimò *affinis*, vt compater, vel commater, vel fila adoptiua, vel filius, & reliqui in affinitate concurrentes, non possunt contrahere. Vndecimò *coire*, impotentia coëundi: ista omninò prohibent matrimonium. Duodecimò, crimen duplex impedit matrimonium contrahendum, & dirimit contractum. Primum est machinatio in mortem mulieris, vel viri alterius, vt ipse istam, vel ipsa illum ducat, si in effectu sequitur mors. Tales sunt penitus separandi, &c.

NEGAT LVTHERVS.

In captiuitate Babylonica capite de Matrimonio: Decem & octo Matrimonij impedimenta numerantur, quæ si æquo & libero fidei oculo inspexeris, videbis esse de numero eorum, de quibus Apostolus prędixit: *Erunt attendentes spiritibus damoniorũ, in hypocrisi loquentium mendacium, proohibentium nubere.* Quid est prohibere nuptias, si non hoc est prohibere, tot impedimenta fingere, & laqueos ponere ne coëant, aut si coierint, dissoluere matrimonia?

64. *Spiritualem propinquitatem, quæ in Baptismo contrahitur, impedire matrimonium*

ASSERIT HVSSVS.

Sermone habito Pragæ in Synodo ad clerum: Omnis corruptor sacrilegus, id est, personæ per votum Deo dicatę ad continentiam, vel spiritualis filiæ violator enormis, patet quòd potest hæreticus appellari.

Ad cap. 7. prioris ad Corinthios: Cõpater, vel commater non possunt contrahere.

NEGAT LVTHERVS.

De captiuitate Babylonica, capite de Matrimonio: Debent istę nugę compaternitatum, commaternitatum, confraternitatum, consororietatum, & confilietatum prorsus extingui contracto matrimonio. Quis enim cognationem istam spiritalem inuenit, nisi superstitio humana?

65. *Purgatorium esse, & pro animabus in Purgatorio orandum*

ASSERIT HVSSVS.

In fidei suæ elucidatione: Vniuersalis Ecclesia tripartitur in Ecclesiam militantem, triumphantem, & dormientem. Ecclesia triumphans est beati quiescentes in patria: militans est numerus prædestinatorum, dum hîc viant ad patriã: dormiens est numerus prędestinatorum in purgatorio patiens. Dicitur dormiẽs, quia inibi existens, iam beatitudinem expectat, quam debet ingredi ex Dei gratia & auxilio militantis Ecclesiæ, &c. Beati viantes iuuant suis orationibus, ieiunijs, atque eleëmosynis, & alijs sanctis operibus sanctos dormientes Ecclesiæ, vt à pœnis purgatorij exeant, & in patria citius collocentur.

Sermone de exequijs & suffragijs defunctorum: Animæ defunctorum habent post exitum è corpore triplicem mansionem: aliquę quidem, vt Sanctorum, statim ponuntur in patria, non relicta macula expurganda: secundæ verò animæ habentes amorem dispersum ad temporalia, licet amor Christi in eis præponderat, habent venialia expurganda: tertiæ verò animæ, quæ finaliter diligunt temporalia plus quàm Christum, statim perpetuam damnationem recipiunt. Exiam dictis habetur, quibus defunctis prosunt suffragia ad celeriorem liberationem à pœnis: quia illis, qui non sunt valde boni, vel valde mali, sed medij, qui nec sunt æternaliter damnati, nec actualiter in patria beatificati, sed militantis Ecclesiæ suffragio expurgandi. Nam aliqui saluandi decedunt sic in peccatis, quòd non satisfecerunt pro commissis. Vnde illi, secundùm Apostolum 1. Corinth. 3. sicut lignum, fœnum, & stipula sunt triplati, per quę aliqui intelligunt maiora peccata, venialia, media, & minora: aliqui verò intelligunt amorem temporalium, amorem carnis, & amorem vanę gloriæ. Primus ardet diutissimè tamquam lignum, quod maximè de terrestribus comparatur: secundum, scilicet fœnum carnis, ardet medio modo: sed tertium stipula, fama mũdi transibilis, ardet citissimè. Et quia valdè mali non sunt purgandi, cùm qui actu remanet in finali impœnitentia, à purgatorio non purgabitur post hanc vitam: quia aliter non diceret Saluator Matth. 12. quòd peccatũ in Spiritum sanctum non remittetur, neque in hoc seculo, neque in futuro: ideo ipsis non prosunt suffragia ad purgandum.

Ad caput 3. primæ Ioannis: Ter (*in Missa*) dicitur *Agnus Dei*, propter tres partes corporis Christi mystici. Quidam enim sunt in miseria vitæ præsentis in hoc mundo, alij in purgatorio, alij in cęlo. Bis ergo dicitur, *miserere*, propter illos, qui sunt in mundo, & in purgatorio: sed: *Dona nobis pacem*, semel dicitur, propter illos, qui sunt in cælo. Ideo etiam Missa triplex terminatur. Nam in diebus laboris dicitur: *Benedicamus Domino*, propter eos, qui in hoc mundo laborant, qui semper in suis laboribus debent Deum benedicere. Secundò dicitur: *Requiescant in pace*, propter eos, qui sunt in Purgatorio. Tertiò dicitur: *Ite Missa est*, in diebus solennibus, propter eos, qui sunt in cælo.

ASSERIT VNIVERSITAS PRAGENSIS.

Tomo 1. operum Hussi fol. 82. b. Etiam credendo fatemur tria receptacula animarum solutarum à carne, videlicet, Cælum, Purgatorium, atque Infernum.

ASSERIT IOAN. PRZIBRAVVS.

In professione fidei cap. 23. Profiteor & firmiter credo, quòd locus ignis Purgatorij post hanc vitam animarum à corpore exutarum & saluandarum, non ad plenum hîc in via per satisfactionis remedium purgatarum, est ponendus: quodque fideles hîc in via talibus, propter vinculum charitatis & spiritus, possunt & debent ieiunijs, & orationibus, & eleemosynis, & alijs sanctis oblationibus piè suffragari. Hanc sententiam fundunt penè omnes Doctores in dictis Christi, dicentis: *Aliquod peccatum non remitti neque in hoc seculo, neque in futuro.*

NEGAT LVTHERVS.

Ad VValdenses: Quòd negatis Purgatorium, damnatis Vigilias & Missas, per omnia probo.

De abroganda Missa priuata: Missa pro defunctis nihil valet: tutius est, totum Purgatorium negare, quàm Gregorio in Dialogis credere.

LVTHERVS DOCTRINAM Hussitarum, VVicleuistarum, VValdensium, & Pickardorum improbat: ergo ad eos suam originem referre nequit.

In Asser-

In Assertionibus, art. 30. Non rectè faciunt, qui me Hussitam vocant. Non enim mecum ille sentit. Sed si ille fuit hæreticus, ego plus decies sum hæreticus: cùm ille longè minora & pauciora dixerit, velut inchoans lucem veritatis aperire. Non repugnare videtur Hussus, quò minus sit monarchia Papæ: hoc tantùm agit, impium Pontificem non esse membrum Ecclesiæ, ferendum tamen sicut alium quemuis tyrannum. Ego verò etiamsi S. Petrus hodie præsideret Romę, negabo Romanum Episcopum esse Papam. Papa enim res ficta est in mundo, neque fuit, neque est, neque erit, sed fingitur esse. Quare ipsam sedem bestiæ nego, nihil moratus, sitne bonus, an malus, qui in ea sedet. Deinde Decretales Papæ non dico apocryphas, sicut VVicleuus & Hussus dicere iactantur, sed impias. Fortassis etiam in hoc peccauit Ioannes Huss, quòd duodecim consilia Euangelica fecit, cùm non sit nisi vnicum virginitatis, siue cœlibatus. In qua tamẽ re deceptus est per impiam Thomæ ac Thomistarum Theologiam. Ita boni isti viri ea, quæ in Husso optima sunt, damnârunt; quæ verò non bona, probârunt. Verùm ego omnia Ioannis Hussi ab illis probata non admitto.

In Disputatione Lipsica: Nunquam mihi placuit, nec in æternum placebit, quodcunque schisma iniquè faciunt Bohemi, quòd se auctoritate propria separant à nostra vnitate, etiam si ius diuinum pro ijs staret; cùm supremum ius diuinum sit charitas & vnitas spiritus.

In Commentarijs in epistolæ ad Galatas cap. 6. (editis anno 1523.) Cõsequens est, quòd Bohemorum dissidium à Romana Ecclesia nulla possit ratione defendi, quin sit impium, & Christi omnibus legibus contrarium: quia contra charitatem, in qua omnes leges consummantur, perstat. Nam hoc, quod vnicè allegant, sese timore Dei & conscientię defecisse, & quòd inter malos sacerdotes & Pontifices viuerent, hoc eos maximè omnium accusat.

In Resolutionibus, Conclusione 15. Quòd si etiam tempore Apostolorum non fuisset Purgatorium, vt superbit fastidiosus Pickardus, nunquid ideò credendum est hæretico, vix quinquaginta annos nuper nato, & fidem tot seculorum falsam fuisse contendenti? maximè cùm ipse nihil aliud faciat, quàm quòd dicit: Non credo, & sic probauit omnia sua, & improbauit omnia nostra.

Solutione 80. Hęc ideo commemoro, ne Pighardi, nostri vicini hæretici, infelix populus, qui fœtore Romano gaudet, sicut Pharisæus super publicanum, non autem compatitur: ne, inquam, illi nos crederent nescire vitia, & labes nostras, & immensũ aduersus nostrã miseriã superbirent, si nos ista tacere, & approbare videremur. Scimus heu nostrũ casum, & dolemus: non autẽ, sicut hęretici, fugimus, & semiuiuum transimus, tamquam alienis peccatis pollui timeremus: quo furioso timore illi sic timent, vt non pudeant gloriari, sese ideo fugere, ne polluãtur: tanta est charitas. Nos verò, quò miserius laborat Ecclesia, eò fidelius assistimus, & accurrimus, flendo, orando, obsecrando, monendo. Sic enim charitas iubet alterum alterius onera portare: non sicut hęreticorum charitas facit, quæ solùm commoda quærit alterius, vt potius portetur, & nihil molesti sustineat à peccatis aliorum.

De decem Præceptis: Verùm ne Pickardi, infelices hæretici, suas partes à me adiutas confidant, qui præ nimia ruditate nobis Theutonicis superbissimo fastidio indignati imponunt, quòd Sanctos Dei colamus, & ex ijs idola faciamus, & ideo contra nos aceruum versuum Scripturæ congregant, in quibus prohibetur, ne quis adoret nisi vnum Deum. Et vt nobis apud suos iustissimam inuidiã conflare videantur, insidiosissimè omittunt, quòd scribitur Rex Dauid, & Salomon, & multi alij adorati: simul impij peruersores Scripturæ, & subdoli calumniatores pietatis nostræ. Ita enim rustici illi nos tandem docent, quòd solus Deus sit adorandus, & gloriantur, ac si nos idipsum negauerimus vnquam.

In Colloquijs Germanicis, capite de Sacramento Altaris: Quæsiuit quidam an venerabile Sacramentum corporis ac sanguinis Christi in Bohemia possit quis salua conscięntia ab Hussitis & Pickardis accipere, cùm Hussitę, iuxta mandatum Christi, verba consecrationis: *Hoc est corpus meum: hic est sanguis meus*, non apertè, vt VVitembergæ, sed tacitè pronuntient: Pickardi autem num iuxta mandatum Christi omnia peragant minus constet: non enim publicè, vt Hussitę, in Ecclesia; sed in priuatis ędibus, in quibus conueniunt, consecrãt. Respondit M. Lutherus: Quia non satis constat, quidnam agant, satius est, vt abstineamus ab eorum Sacramentis: & cùm Hussitæ ad Pontificis partes inclinent, nec amplius Hussum sectentur, communio ipsorum omninò vitanda est: & quia priuatas celebrant Missas, & verba consecrationis tacitè legunt, nemini constare potest, an rectè omnia fiant.

Secundò quæsiuit idem, an rectè facerent Bohemi, quòd venerabile Sacramentum pueris exhibent, dicentes promissionem & gratiam Dei ad omnes pertinere homines, propterea pueros non minus, quàm adultos hoc Sacramentum debere accipere. Respondit Lutherus: Non rectè docent, quando pueris huiusmodi communionem necessariam esse dicunt.

Capite de Sacramentis: VValdensium mirabiles sunt opiniones de Sacramento Altaris, quas ipsi non intelligunt: dicunt in pane & vino esse verum corpus, & verum sanguinem Christi verè, essentialiter, naturaliter, sed tantùm sacramentaliter. Principio erant homines austeri, macerabant se lege & operibus, Euangelij promissionem non purè tractabant, nec fruebantur læta conscientia: etsi Papistica opera spernebant, nihilominus tamen ipsi sancti operarij apparebant, nec tranquillo erant animo. Errant in eo, quòd non credunt solam fidem absque operibus iustificare, sed eam oportere esse charitate reformatam: de imputata iustitia nihil nôrunt: nil sciunt de virtute verbi diuini, quòd Deus nobis etiam antequam boni quicquam operemur sit propitius. Rectius & purius loquuntur de fide, quàm Papistę; sed non possunt fidem ab operibus distinguere, & cuique suum locum tribuere, quod singularis est artis. Verbum, *formata*, in descriptione fidei non caret veneno, nec aliud est, ac si quis dicat, quòd opera vnà cum fide iustificent, & quòd fides tantùm sit operculum operum, & fundamentum iustificationis. In quo errore multi Patres fuerunt: Ioannem Hussum idem error decepit.

Capite de Antichristo: Ioannes Hussus non satis intellexit quidnam esset Papatus: quosdam duntaxat abusus animaduertit, & ex mala quorundam vita solùm disputauit: nos autem à persona & vita progredimur ad doctrinam: illam accusamus, ac dicimus: Etsi Papa sanctus Petrus esset, tamen impius nequam & diabolus esset. Ioannem Hussum præter omne meritum trucidârunt, & combusserunt, cùm tamen à Papatu ne latũ quidem digitum recesserit. Nam idem quod illi docuit: solùm illorum vitia & malam vitam insectatus est: nihil contra Pontificem commisit.

Capite de Missa: Missa priuata multos Sanctos decepit, & in errorem abduxit à tempore Gregorij per annos octingentos: Ioannes Hussus eodem

reti captus fuit. Mirari satis nequeo, qua via & ratione ab hac vnica idololatria me Deus liberauerit.

PHILIPPI MELANCHTHONIS iudicium de Ioanne VVicleuo.

Epistola ad Fridericum Myconium, quæ præfixa est veterum sententijs de Cœna Domini à se collectis: Inspexi VVicleuũ, qui valde tumultuatur in hac de Cœna Domini controuersia: sed deprehendo in eo multa alia errata, ex quibus iudicium de spiritu eius fieri potest. Prorsus nec intellexit, nec tenuit fidei iustitiam: ineptè confundit Euangelium & politica, nec videt Euangelium nobis concedere, vt legitimis omnium gentium politijs vtamur: contendit Presbyteris non licere vt possideant quicquam proprij: decimas nullas vult solui, nisi docentibus, quasi verò Euangelium vetet vti politicis ordinationibus: de dominio ciuili sophisticè & planè seditiosè rixatur: ad eundẽ modum de Cœna Domini sophisticè cauillatur publicè receptam sententiam.

In Apologia, capite de humanis Traditionibus: Planè furebat VVicleuus, qui negabat licere sacerdotibus tenere proprium.

In Locis Cõmunibus, capite de potestate Ecclesiastica: Sunt alij errores VViclef: cõtendit ministris Ecclesiarum non licere proprium & diuitias tenere. Hic non discernit officia, seu potestates, sed discernit opes: nos docemus officia discernenda esse. Illa VVicleuica superstitio pernicios & seditiosa est, quæ adigit ministros Ecclesiarum ad mendicitatem, & negat eis licere proprium tenere.

Disputatione de iure magistratuum: Insanijt VVicleuus, qui sensit impios nullum dominium habere.

In Commentarijs ad Politica Aristotelis: Miras tragœdias excitauit VVicleuus, qui contendit eos, qui non habent Spiritum sanctum, amittere dominium, & colligit multas sophisticas rationes, ad confirmandum hoc dogma, &c. Ad exercenda ingenia recitabimus quædam argumenta VVicleui, quæ ostendunt auctorem nequaquam simplici, aut suo genio fuisse, &c.

ARTICVLVS QVINTVS.

PERPETVVM IN DOCTRINA FIDEI CONSENSVM, CERTVM ESSE ORTHODOXAE ECCLESIAE SIGNVM.

NEGANT.

Anno post natũ Christũ. 1570.

THeodorus Beza epist. 1. *Cuiusmodi tandem in Papatu veræ Ecclesiæ notam inuenies? Habent, inquis, perpetui consensus speciem, nec tam multis dissidijs scinduntur. Age: ponamus nullis etiam prorsus dissidijs scindi, quid tum postea? Nec enim consentire satis est, nisi in veritate consentias, alioquin ad Iudæos potius transeundum, qui multò pluribus, quàm Papistæ seculis consenserunt, & consentiunt. Nec etiam vbicunque dissidium est, ibi exulat veritas.*

ASSERVNT SACRÆ LITERÆ.

Genes. 11. *Vers.* 1. Erat autem terra labij vnius, & sermonum eorundem. 6. Dixit Dominus: Ecce, vnus est populus, & vnum est labium omnibus: cœperuntque hoc facere, nec desistent à cogitationibus suis, donec eas opere compleant. Venite igitur, descendamus, & confundamus ibi linguam eorum, vt non audiat vnusquisque vocem proximi sui. Atque ita diuisit eos Dominus ex illo loco in vniuersas terras, & cessauerunt ædificare ciuitatem. Et idcirco vocatum est nomen eius Babel; quia ibi confusum est labium vniuersæ terræ.

Psalm. 54. 10. Præcipita Domine, & diuide linguas eorum: quoniam vidi iniquitatem & contradictionem in ciuitate.

Canticorum 6. 8. Vna est columba mea, perfecta mea: vna est matri suæ, electa genitrici suæ.

Daniel. 13. 52. Ad duorum secum discordantia testimonia Susanna absoluitur, senes damnantur.

Oseæ 10. 2. Diuisum est cor eorum, nunc interibunt.

Lucæ 11. 17. Omne regnum in seipsum diuisum, desolabitur.

Ioan. 17. 11. Pater sancte, serua eos in nomine tuo, quos dedisti mihi: vt sint vnũ, sicut & nos.

Actor. 4. 32. Multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna.

1. *Cor.* 1. 10. Obsecro vos fratres, per nomen Domini nostri Iesu Christi, idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata: sitis autem perfecti in eodem sensu, & in eadem scientia.

1 *Cor.* 43. 33. Non est dissensionis Deus, sed pacis.

Gal. 3. 28. Omnes vos vnum estis in Christo Iesu.

Ephes. 4. 3. Solliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis. Vnum corpus, & vnus spiritus: sicut vocati estis in vna spe vocationis vestræ. Vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma, vnus Deus & Pater omnium.

Philip. 2. 2. Implete gaudium meum, vt idem sapiatis, eandem charitatem habentes, vnanimes, idipsum sentientes: nihil per contentionem, neque per inanem gloriam.

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Iustinus. 150.

Quæst. 4. ad Orthodox. Nunc cùm damnent hæretici alij alios, ob opinionum dissensiones, perspicuum est, omnes horum hæreses occasionem habuisse ex ambitione, & mutua inuidia hæresiarcharum: propter quã causam lupi graues ab Apostolo nominati sunt: imò fidem nostram, dum sibi aduersantur, affirmant.

Irenæus. 180.

Lib 1. cap. 5. Videamus nunc & eorum inconstantem sententiam, cùm sint duo vel tres, quemadmodum de ijsdem nõ eadem dicunt; sed & nominibus, & rebus contraria respondent, &c.

Cap. 18. Cùm autem discrepant (*hæretici*) ad inuicem & doctrina, & traditione, & qui recentiores eorum agnoscuntur, affectant per singulos dies nouum aliquid adinuenire, & fructificare, quod nunquam quisquam excogitauit, durum est omnium describere sententias.

Lib. 4. cap. 69. de Gnosticis: Quæ autem sint hæc, non iam vnum sentiunt, sed alij alia de his ipsis respondent. Si quis enim experimentum eorum volens accipere, separatim interroget de aliquo sermone eos, qui excellentes sint apud eos, inueniet alium quidem dicentem de Propatore, id est, de Bytho esse id, quod interrogetur. Alium verò de initio omnium, id est, de Vnigenito. Alterum verò de Patre omnium, hoc est, de Verbo. Alter rursus dicet, de vno Aeone eorum, qui sunt in Pleromate, Aeones dici. Alij autem de Christo, & alius de Saluatore. Qui autem illorum peritior est, posteaquam multum tacens protraxerit, de Horo, ait, dictum esse. Alius verò eam, quæ est intra plenitudinem, Sophiam significari. Alius verò illam, quæ extra plenitudinem est, Matrem annuntiari. Et alius mundi fabricatorem Deum dicet. Tantę sunt de vno inter eos diuersitates, de ijsdem Scripturis varias habentes sententias, &c. Nos autem vnum & solum verum Deum doctorem sequentes, & regulam veritatis habentes eius sermones, de ijsdem semper eadem dicimus, omnes vnum Deum scientes, factorem huius vniuersitatis.

Athanasius. 340.

Epistola ad solitariam vitam agentes: Quis igitur ista, & tantam Ecclesiæ pacem non admiratus est? quis non gauisus de tanta & tot Episcoporum inter se concordia? quis Deum non glorificauit, conspecta in synaxibus tanta populi lętitia? &c. Deinde cùm viderent tantum cum Athanasio animorum consensum, & pacem agitari: erant enim plures in hoc numero quàm quadringenti, tum è magna Roma, atque vniuersa Italia, Calabria, Apulia, Campania, Brutia, Sicilia, Sardinia, Cosicra: tum ex vniuersa Africa, Gallijs, Britannia, Hispanijs, vnà cum magno illo Confessore Hosio: è Pannonijs item, & Norico, Siscia, Dalmatia, Sardinia, Dacia, Misia, Macedonia, Thessalia, & vniuersa Achaia, Creta item & Lycia, plurimique item ex Palæstina, Isauria, Ægypto, Thebaide, & vniuersa Lybia, & Pentapole. Hæc, inquam, cùm viderent, metu inuidiaque anxij fuêre, & quòd tot Episcopi cum Athanasio communionem fouerent: & quòd formidarent, ne quos ipsi deceperant, à se deficerent, & huic vnanimitati, communionique sese adiungerent, néve, quod futurũ videbatur, de eorum hæresi iam vbique famosa triumphus ageretur, & trophæa excitarentur.

In decretis Synodi Nicenæ, contra hæresin Arianam: Homines sunt tales, quales D. Iacobus duplices corde, & instabiles in omnibus suis vijs appellat, nunquam vnam eandemque sententiam, sed aliâs aliam fouentes, dictaque sua nunc laude, nunc vituperio prosequuntur, vt quod iam probârint, euestigio damnent. Hi sunt, vt Pastor dixit, progenies diaboli, quique specimen potius cauponum, quàm magistrorum præ se ferant. Est enim ibi, vt Patres tradiderunt, veræ disciplinę ac magisterij argumentum, vbi eadem confitentur, nec à se inuicem, nec à maioribus dissentiunt. Qui igitur hoc animo non sunt, mali potius, quàm veri præceptores appellari debent. Certè ethnici cùm nec eadem profiteantur, sed inter se discrepent, veram disciplinam non habent. Sancti contra synceræ sunt veritatis prædones, eò quòd inter se sententijs conueniunt, & nullo dissidio laborant. Iacob. 4. & 1.

Oratione 1. contra Arianos: Illud quoque prorsus admirabile, omnes, quotquot sunt hæreses, in fingendo diuersa pugnantiaque inter se adferre, nec alibi, nisi in falsitate, sibi inuicem consentire & copulari. Neque id mirum, cùm vnum habeant auctorem, qui ipsis vbilibet mendacia assemînat. Fidelis tamen Euangelij discipulus, cui gratia data est, vt discernat spiritualia, & qui super petram ędificauit fidei suæ domicilium, citra vacillationem firmus consistit.

Oratione in dictum illud: *Omnia sunt mihi tradita à Patre*: Hæc est vera doctrina: hoc est verum signum, argumentumque, quòd ita ista inter se consentiunt, neque dissident vel inter se, vel inter Patres. Qui enim ita affecti non sunt, scelerati potius, & non veri præceptores appellari debuerũt. Ideo Ethnici, qui non confitentur ista, sed inter sese disceptant, nihil veri habẽt in suis doctrinis: quippe qui discordes verbis, non diuina se tradere, sed humana declarant. Sancti contra inter se consonant, nec dissident vnquam. Neque enim controuersias habent in ijs, quæ vel prophetant, vel erudiunt. Nam etsi temporibus distent, in id tamen omnes contendunt, neque immerito vni-

us enim Dei Prophetæ sunt, vnumque & idem verbum concorditer prædicant.

Basilius Magnus. 370.

Epistola 82. Parem circa fidem inconstantiam, quam in illis video, haud scio an in alijs ipse viderim hactenus, aut ex alijs audiuerim. Arium primùm secuti, postea ad Hermogenem sunt mutata sententia conuersi, qui ex diametro erat hostis Arij improbatæ opinionis, quemadmodum manifestum est ex fide, quæ primùm ab illo viro Nicææ pronuntiata est. Post dormitionem Hermogenis iterum immutati, ad Eusebium defecerunt, virum, qui omnium eorum, qui Arium sectantur, antesignanus est, sicut asserunt, qui experti sunt. Inde elapsi, incertum quibus de causis, iterum ad patriam reuersi, denuò Arianam sententiam celârunt. Vbi Episcopatum nacti sunt (vt quæ interea temporis gesta sunt ab illis omittam) quoties fidem exponendo nouârunt? Ancyræ dederunt aliam, Seleuciæ aliam, aliam Constantinopoli, diuulgatam illam, & aliam in Lampsaco, postea & quam dederunt in Nicæa Thracię, & iam aliam in Cyzico, de qua etsi reliqua ignoro, hoc tamen audio, quòd silentio omissa ὁμοουσίς confessione, similitudinem quandam essentiæ, τὸ κατ' οὐσίαν ὅμοιον, iam circumferant. Et præterea blasphemias contra Spiritum sanctum cum Eunomio conscribunt. Istæ autem fidei formulæ, quas recensui, etiam si non omnes sibi ipsis inter se contrarię sunt, nihilominus sententiæ produnt inconstantiam: propterea quòd nunquam ijsdem verbis contenti, stabiles persistunt.

Ioannes Chrysostomus. 400.

Operis imperfecti Hom. 20. in Matthæum: Sicut Sancti domus facti sunt Christi, ita & impij domus sunt inimici. Ædificati autem fuerunt super arenam, id est super inconstantiam infidelitatis. Si enim constantia fidei dicitur petra, rectè & inconstantia infidelitatis arena vocatur, id est idolatria, quæ per varias idolorum culturas semper dispersa est: aut certè super arenam, id est, super carnales homines, ac infideles. Ideo tales homines arena dicuntur, non terra: quoniam terra quidē fructū facit, arena aūt sterilis manet. Deinde, quia terra quidem vnita est, & in seipsam constricta: arenæ autem grana non conueniunt sibi, nec adhærent ad inuicem. Sic sunt & omnes infideles, qui sub diabolo sunt, non sunt vniti, nec vnum sapiunt: sed sunt per diuersas opiniones dispersi, & alius quidem sic dicit, & alius sic. Sic & dogmata Philosophorum nos docent quę sunt contraria sibi semper. Eo modo perfidia hæreticorum, qui nunquam sapiunt vnum, sed quot sunt, tot sententias habent. Propter quod arenæ assimulatur omnis diaboli populus: populus autem Dei non solùm vnitus est, quasi terra, quę quamuis compacta sit, tamen solubilis est: sed est sicut lapis constrictus & indissolubilis.

Ioannes Cassianus. 430.

De Incarnatione Domini libro 1. cap. 6. Sufficere ergo solus nunc ad confutandam hęresin deberet consensus omnium, quia indubitatæ veritatis manifestatio est auctoritas vniuersorum, & perfecta ratio facta est, vbi nemo dissentit, ita vt qui contra hoc sentire nitatur, huius prima statim fronte non tam sit audienda assertio, quàm damnanda peruersitas: quia præiudicium secum damnationis exhibuit, qui iudicium vniuersitatis impugnat; & audientiæ locum non habet, qui à cunctis statuta conuellit. Confirmata enim semel ab omnibus veritate, quicquid contra id venit, hoc ipso statim falsitas esse noscendum est, quòd à veritate dissentit.

Libro 6. cap. 5. Si Arianę aut Sabellianæ hæreseos assertor esses, conuincerem te, probata per vniuersum mundum Symboli veritate: dicerem te, etiam si expers intelligentiæ ac sensus esses, oportere tamen sequi saltem consensum generis humani, nec pluris facere debere paucorum improborum peruersitatem, quàm Ecclesiarum omnium fidem.

Socrates. 440.

Ecclesiasticæ historiæ libro 5. cap. 10. Singuli in singulas propè distrahebantur sententias, dum alij Imperatoris institutum præclarè se habere, alij illud suo ipsorum proposito, susceptoque concilio aduersari dicebant. Nam diuersa erat cuiusque de veterum libris sententia, & mens inter ipsos discrepans. Ac non solùm variarum sectarum varia fuit opinio: sed qui vnam eandemque sectam sequebantur, hi inter ipsos dissenserunt. Quocirca consentiens illorum malitia, velut lingua veterum gigantum, diuisa fuit, & turris perditæ molitionis penitus euersa. Imperator verò cùm intelligeret multiplicem eorum dissensionem, & quòd non veterum de fide expositione, sed sola differendi subtilitate confidebant, ad aliud consilium confugit, imperatque, vt singulæ sectæ fidei, quam quęque tenebat, declarationem literis proderent, &c. Aliarum sectarum Episcopi, propter mutuam inter ipsos dissensionem, à populo suæ administrationi concredito, despicatui ducebantur.

Cap. 22. Quin etiam Ariani inter ipsos diuisi sunt ob hanc causam. Quæstiones controuersæ captioseque inter eos quotidie agitatæ, illorum disputationes ad absurdas quasdam sententias & opiniones prouexerunt. Nam quoniam in Ecclesia creditur Deum esse Patrem Filij Verbi, quęstio inter eos oborta est, vtrum Deus, antequam Filius existeret, Pater dici posset. Et quia Dei Verbum non ex Patre generatum, sed ex non essentijs extitisse opinabantur; in primo & summo quæstionis capite lapsi, non sine causa in absurdam contentionem inciderunt. Dorotheus igitur ab illis Antiochia accersitus, dixit: non posse Patrem aut esse, aut vocari, si non existat Filius. Marinus tempus oportunum nactus, contrariæ sententiæ patrocinium suscepit. Qua de causa ipsi inter se diuisi fuêre: ac cùm propter inanem illam voculam, quę erat ante prolata, essent seiuncti, separatim alter ab altero conuentus fecerunt: & qui parebant Dorotheo, in proprijs ac suis locis manserunt: qui aūt Marini sententiam sequebantur, extruxerunt sibi Ecclesias, conuentus seorsim egerunt: denique docuerunt Patrem semper Patrem fuisse, etiam cùm Filius non existeret. Appellabantur isti Psathyriani, propterea quòd Theoctistus quidam placentarum venditor ardenti studio huic opinioni patrocinatus est. Hęc secta haud diu post etiam diuisa fuit: quippe Marinus cum Agapio cœpit contendere. Ariani igitur ad triginta quinque annos inter ipsos diuisi, post quorundam hortatu inducti, finem contendendi fecerunt.

Nicetas Heracleensis. 580.

Ad caput 28. Iob: Nec enim quid vnum est penes diabolum. Neque enim eorum, qui dogmatum impiorum sunt principes, congruentes sunt voces coniunctæue sententiæ, licet similia dicere videantur: nempe affectuum & perturbationum glutine copulantur. Eius Ecclesia haudquaquam est vna: secū enim ipsa pugnat. Quippe tale est vitium, quod non solùm virtuti, sed sibi quoque est ipsum contrarium.

Nicephorus Constantinopolitanus. 800.

Epistola ad Leonem: Quemadmodum in fide & confessione vnitatem concordiamque conseruamus; ita charitatis quoque vinculo apti colligatique, indiuulsum pacis donum, quod Ecclesiarum concordiam vnitatemque conciliat, conseruatque, in concredito nobis ministerio inter nos vsque retineamus.

Theophylactus. 900.

Ad caput 17. Ioannis: Dicit postea iterum de concordia, & à quo cœpit principio (charitatis dico) in eo nunc fermè concludit, ac inquit: *vt omnes vnum sint*, vt pacem & concordiam habeant, & in nobis, hoc est, vt indiuisam erga nos seruent fidem. Nihil enim ita offendit discipulos, vt diuelli, & non idem sentire Doctores. Quomodo enim persuadebunt, qui non idem sapiunt? Propterea ipse dicit: *Vt & ipsi vnum sint* in fide erga nos, *sicut tu Pater in me, & ego in te.*

Euthymius. 1080.

Ad caput 17. Ioannis: Vt & ipsi in nobis vnum sint.) Sicut tu in mei, & ego in tui dilectione, vt & ipsi in nobis, siue in fide, quæ est in nos, vnum sint. Nam qui in fide, quę est in nos, vnum sunt, erunt quoque in mutua inter se dilectione vnum. *Vt mundus credat, quòd tu me miseris.*) Vt credens Apostolis, credat, quòd tu me miseris. Nam hoc prędicaturi sunt: & nihil erit adeò impedimento prædicationi, sicut diuisos esse prædicatores fidei diuersitate, ac mutua inter se inimicitia: si enim inter se pugnauerint, dicent eos non esse pacifici magistri discipulos: quòd si non pacifici, nec à te missi. Si verò concordes fuerint, & præcepta mea custodierint, omnes cognoscent, quòd mei sunt discipuli, & quòd tu me miseris.

Nicephorus Callistus. 1300.

Libro 13. cap. 1. Qui Arij & Eunomij hæresim complectebantur, propter eas, quas diximus, causas inter se dissidebant, eaque gratia minuebantur. Plurimi namque non rectè eos de Deo sentire ex eo opinati, quòd inter se vehementer contenderent, atque pugnarent, eis se statim aggregârunt, qui eandem cum Imperatoribus sententiam obtinebant.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Tertullianus. 200.

De Præscriptionibus aduersus hæreticos cap. 37. Vnde autem extranei & inimici Apostolis hæretici, nisi ex diuersitate doctrinæ, quam vnusquisque de suo arbitrio, aduersus Apostolos aut protulit, aut recepit? Illic igitur & Scripturarum, & expositionum adulteratio deputanda est, vbi diuersitas inuenitur doctrinæ.

Cap. 42. Mentior, si non etiam à regulis suis variant inter se, dum vnusquisque proinde suo arbitrio modulatur quę accepit, quemadmodum de suo arbitrio ea composuit ille, qui tradidit. Agnoscit naturam suam, & originis suæ morem, profectus rei. Idem licuit Valentinianis, quod Valentino: idem Marcionitis, quod Marcioni, de arbitrio suo fidem innouare. Denique penitus inspectę hæreses omnes, in multis cum auctoribus suis dissentientes deprehenduntur.

Cyprianus. 250.

De Vnitate Ecclesiæ: Ecclesia Domini luce perfusa, per orbem totum radios suos porrigit, vnum tamen lumen est, quod vbique diffunditur, nec vnitas corporis separatur; ramos suos in vniuersam terram copia vbertatis extendit, profluentes largiter riuos latius expandit; vnum tamen caput est, & origo vna, & vna mater, fœcunditatis successibus copiosa: illius fœtu nascimur, illius lacte nutrimur, spiritu eius animamur. Adulterari non potest sponsa Christi, incorrupta est & pudica: vnam domum nouit, vnius cubiculi sanctitatem casto pudore custodit, &c. Dominus cùm discipulis suis vnanimitatem suaderet, & pacem: *Dico*, inquit, *vobis, quoniam si duobus ex vobis conuenerit in terra; de omni re, quamcumque petierit is, continget vobis à Patre meo, qui in cœlis est. Vbicunque enim fuerint duo, aut tres collecti in nomine meo, ego cum eis sum:* ostendens non multitudini, sed vnanimitati deprecantium plurimum tribui. *Si duobus*, inquit, *ex vobis conuenerit in terra*; vnanimitatem prius posuit, concordiam pacis ante præmisit, vt conueniat nobis, fideliter & firmiter docuit. Quo modo autem potest ei cum aliquo conuenire, cui cum corpore ipsius Ecclesiæ, & cum vniuersa fraternitate non conuenit? Quomodo possunt duo, aut tres in nomine Christi colligi, quos constat à Christo, & ab eius Euangelio separari? Non enim nos ab illis, sed illi à nobis recesserunt. Et cùm hæreses & schismata postmodum nata sint, dum conuenticula sibi diuersa constituunt, veritatis caput atque originem reliquerunt. Dominus autem de Ecclesia sua loquitur, & ad hos, qui sunt in Ecclesia loquitur, vt si ipsi concordes fuerint, si secundùm quod mandauit & monuit, duo aut tres licet, collecti vnanimiter orauerint, duo aut tres licet sint, impetrare possint de Dei maiestate, quod postulant.

Arnobius. 300.

Libro 2. contra Gentes: Nec mihi cum his sermo est, qui per varia sectarum diuerticula dissipati, has atque illas partes opinionum diuersitate fecerunt.

Hilarius. 350.

Libro 7. de Trinitate: Cùm à Domino Ecclesia instituta, & ab Apostolis confirmata, vna omnium sit, ex qua se diuersarum impietatum furens error absciderit: nec negari possit ex vitio malę intelligentię fidei extitisse dissidium, dum quod legitur sensui potius coaptatur, quàm lectioni sensus obtemperat: tamen dum sibi partes singulæ aduersantur, non solùm suis, sed etiam aduersantium est intelligenda doctrinis, vt dum aduersus vnam eam omnes sunt, impijssimum tamen errorem omnium per id, quod sola est, atque vna confutet. Hæretici igitur omnes contra Ecclesiam veniunt: sed dum hæretici omnes se inuicē vincunt, nihil tamen sibi vincūt. Victoria enim eorū Ecclesiæ triumphus ex omnibus est, dum in eo hæresis contra alteram pugnat, quod in hæresi altera Ecclesiæ fides damnat. Nihil enim est quod hæreticis commune est: & inter hæc fidem nostram, dum sibi aduersantur, affirmant.

Ambrosius. 370.

Libro 1. de Fide ad Gratianum cap. 4. Da veniam, sancte Imperator, si ad ipsos hęreticos paulisper

verba conuerto. Sed quem potissimum legam, Eudoxium, Eunomiumúe, an Arium, vel Aëtium eius magistros? Plura enim nomina, sed vna perfidia, impietate non dissonans, communione discordans, non dissimilis fraude, sed cogitatione discreta. Cur enim secum nolint conuenire non intelligo. Eunomij personam diffugiunt Ariani; sed eius perfidiam asserunt, impietatem exequuntur. Aiunt enim prodidisse effusius, quę Arius scripserat. Magna cæcitatis effusio. Auctorem probant, executorem refutant. Itaque nunc in plures se diuisêre formas. Alij Eudoxium, alij Eunomium, vel Aëtium, alij Palladium, vel Demophilum, atque Auxentium, vel perfidiæ eius hæredes sequuntur, alij diuersos. Nunquid diuisus est Christus? sed qui eum à Patre diuidunt, ipsi se scindunt, & ideo quoniam communiter aduersus Ecclesiam Dei, quibus inter seipsos non conuenit, conspirârunt, communi nomine hæreticos, quibus respondendum est, nominabo. 1.Cor.1.

De Pœnitentia libro 1. cap. 2. Aiunt (*discipuli Nouati*) se exceptis grauioribus criminibus relaxare veniam leuioribus. Non hoc quidem auctor vestri erroris Nouatianus ait, qui nemini pœnitentiam dandam putauit.

Hieronymus. 390.

Ad caput 7. Esaiæ: Hęreticos atque gentiles contra domum Dauid argumentorum, & dialecticæ artis gladijs dimicare nulli dubium est: vt qui inter se discrepant, in Ecclesiæ oppugnatione cõsentiant: iuxta illud, quòd Herodes & Pilatus, inter se discordantes, in Domini passione amicitia fœderantur. Lucæ 23.

Ad cap. 16. Ezechielis: Semper errantium fluctuant pedes, nec sunt solida vestigia, quę contra veritatem sunt, sed huc illucqúe discurrunt, & circumferuntur omni vento doctrinæ, dum de falsitate transeunt ad aliam falsitatem. Et cùm in primis fruſtra se sudasse cognouerint, ad secunda tertiaqúe transcendunt.

Ad cap. 24. Matthæi: Hęretici contra se inuicem dimicantes, Ecclesiæ victoriam faciunt.

Ad Psalm. 143. *Eripe me de aquis multis.*) Quoniam descendisti, quoniam inclinasti cęlos, & misisti manum tuam de alto, & humanam carnem dignatus es assumere, & multi crediderunt in te, pro vna aqua plures esse cœperunt: videas dispersas in toto orbe esse hæreses diuersas. *Eripe me, & libera me de aquis multis,* & præsta mihi fontem viuentem. Vnus est enim Deus, vna fides, vnum Baptisma. *Libera me de aquis multis:* illæ enim aquæ multę non generant filios tuos, sed filios alienos.

Augustinus. 400.

Contra epistolam Manichæi, quam vocant Fundamenti cap. 4. Multa sunt, quæ me in gremio Catholicę Ecclesię tenent iustissimè: tenet consensio populorum atque gentium, tenet auctoritas miraculis inchoata, spe nutrita, &c.

Vincentius Lyrinensis. 430.

Aduersus hæreses cap. 3. In ipsa Catholica Ecclesia magnopere curandum est, vt id tencamus, quod ab omnibus creditum est: hoc est etenim verè proprieqúe Catholicum: (quod ipsa vis nominis ratioqúe declarat, quæ omnia verè vniuersaliter comprehendit:) sed hoc ita demum fit, si sequamur vniuersitatem, antiquitatem, consensionem. Sequemur autem vniuersitatem hoc modo, si hanc vnam fidem veram esse fateamur, quam tota per orbem terrarum confitetur Ecclesia: Antiquitatem verò ita, si ab his nullatenus sensibus recedamus, quos sanctos maiores ac Patres nostros celebrasse manifestum est: Consensionem quoque itidem, si in ipsa vetustate omnium sacerdotum pariter & magistrorum definitiones sententiasqúe sectemur.

Cap. 40. Beatorum Patrum sanctum Catholicumqúe consensum ne quis sibi temerè fortè contemnendum arbitretur, ait in prima ad Corinth. Apostolus: *Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia,* primùm *Apostolos,* quorum ipse vnus erat; secundò *Prophetas,* qualem in Actibus Apostolorum legimus Agabum; tertiò *Doctores,* &c. Hos ergo in Ecclesia Dei diuinitus per tempora & loca dispensatos, quisquis in sensu Catholici dogmatis vnum aliquid in Christo sentientes contempserit, non hominem contemnit, sed Deum: à quorum veridica vnitate ne quis discrepet, impensius obtestatur idem Apostolus dicens: *Obsecro autem vos fratres, vt idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata: sitis autem perfecti in eodem sensu, & in eadem sententia.* Quòd si quis ab eorum sententiæ communione desciuerit, audiet illud eiusdem Apostoli: *Non est dissensionis Deus, sed pacis,* id est, non eius, qui à consentienti vnitate defecerit, sed eorum, qui in consentiendi pace permanserint: *sicut in omnibus,* inquit, *Ecclesijs Sanctorum doceo,* id est, Catholicorum: quæ ideo sanctæ sunt, quia in fidei communione persistunt. 1. Cor 4. Actor. 11 1.Cor.1. 1.Cor.14

Hormisda. 514.

Epistola ad Possessorem: Nunquam apud eos (*hæreticos*) charitas nouo commendata præcepto, nunquam pax Dominico relicta discessu, vna pertinacis cura propositi, rationi velle imperare, non credere: contemptores auctoritatum veterum, nouarum cupidi quæstionum, solam putantes scientiæ rectam viam, qualibet conceptam facilitate sententiam: eousqúe tumoris elati, vt ad arbitrium suum vtriusque orbis putent inclinandum esse iudicium.

Gregorius Magnus. 590.

Libro 19. in Iob cap. 11. *Principes cessabant loqui,* &c.) Qui hoc loco alij Duces intelligi vel Principes possunt, nisi hæreticæ prauitatis auctores? De quibus per Psalmistam dicitur: *Effusa est contentio super principes eorum, & seduxerunt eos in inuio, & non in via.* Ipsi etenim dum dispensationem Dei peruersè interpretari non metuunt, profectò plebes subditas, non in eam viam, quæ Christus est, sed in inuium trahunt, super quos rectè quoque effusa contentio dicitur: quia suis sibi vicissim allegationibus cõtradicunt. Arius quippe tres personas in diuinitate suscipiens, tres etiam Deos credidit. Quem contra Sabellicus, vnum Deum suscipiens, vnam credidit esse personam. Inter quos sancta Ecclesia, rectum prædicationis suæ tramitem indeclinabiliter tenens, & vnum Deum prædicans, tres personas contra Sabellium asserit, & tres personas asserens, vnum Deum contra Arium confitetur. Quia autem in sacro eloquio Manichæus virginitatem laudari comperit, coniugia damnauit. At contra Iouinianus, quia concedi coniugia cognouit, virginitatis munditiam despexit. Vnde fit, vt semper hæreticis peruersa intelligentia confusis, vicissim sibi eorum nequitia & in culpa concordet, & in sententia discrepet. At contra sancta Ecclesia, per medias vtrarumque partium lites ordinata pace graditur: & sic scit superiora bona suscipere, vt nouerit etiam inferiora venerari, quatenus nec summa æquet infimis, nec rursum ima despiciat, cùm summa veneratur. Psal.106.

Beda. 700.

Ad caput 21. Lucæ: *Surget gens contra gentem.*) Potest regnum contra regnum, & pestilentia eorum, quorum sermo serpit vt cancer, & fames audiendi verbum Dei, & commotio vniuersæ terræ, & à vera fide separatio, etiam in hæreticis intelligi, qui contra se inuicem dimicantes Ecclesiæ victoriam faciunt.

Homilia in Feria 3. Palmarum: Quadripartita vestis Domini quadripartitam eius figurauit Ecclesiam, toto scilicet orbe, qui quatuor partibus constat, terrarum diffusam, & omnibus ijsdem partibus æqualiter, id est, concorditer distributam: Tunica verò illa sortita omnium partium significat vnitatem, quæ charitatis vinculo continetur.

Rabanus Maurus. 850.

De Vniuerso libro 4. cap. 3. Vniuersitas ab vno cognominata est, propter quod in vnitate colligitur. Vnde Dominus in Euangelio ait: *Qui mecum non colligit, spargit.* Cur autem Ecclesia cùm vna sit, à Ioanne septem scribuntur, nisi vt vna Catholica septiformi plena spiritu designetur, sicut & de Domino nouimus dixisse Salomonem: *Sapientia ædificauit sibi domum, excidit columnas septem:* quę tamen septem vna esse non ambigitur, dicente Apostolo: *Ecclesia Dei viui, quæ est columna & firmamentum veritatis.*

Petrus Damianus. 1050.

Epist. 13. cap. 6. Sancta Ecclesia, licet personarum sit multiplicitate diuersa, in vnum tamen est sancti Spiritus igne conflata. Atque ideò, si per corporalem situm partibus videatur diuidi, vnitatis tamen intimæ sacramentum nullatenus à sua valet integritate corrumpi: *charitas enim Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Itaq; iste Spiritus, qui procul dubio est vnus, & multiplex: vnus in maiestatis essentia, multiplex per diuersa charismatum dona, dat Ecclesię sanctæ, quam replet, vt & in vniuersitate sit vna, & in suis partibus sit tota.

Arnulphus Lexouiensis. 1160.

Sermone habito in Concilio Lugdunensi: Ad tentandum vobiscum de vnitate & libertate Ecclesiæ Dei nos & vrgens necessitas impellit, & euidens inuitat vtilitas. Sine his enim duabus non potest Ecclesia salua consistere, sed nec consistere quidem. Quia nisi Ecclesia habuerit vnitatem, non erit vna: si vna non fuerit, non erit. Omne enim quod est, ideo est, quia vnum est: quod autem vnum non est, amittit pariter cum vnitate substantiam, &c.

Bernardinus Senensis. 1440.

Tomo 1. Serm. 1. cap. 2. Pensanda est concordia, non solùm dictorum, sed etiam operum & gestorum Sanctorum omniũ, & verè Catholicorum, qui in Dei Ecclesia extiterunt ab ipso Christo vsque ad nostra tempora. Nam in his, quæ Legis & fidei nostræ sunt, nec in puncto quidem discordant; licet in his, quæ per opinionem probabilem currunt, aliquando aliter vnus quàm alter reperiatur sentire. Vnde per hæc clarescere potest, quòd & posteriores, & priores in vnum eundemqúe Spiritum congregati, vnam constituunt Ecclesiam, sponsam vnicam Iesu Saluatoris, in vnam & eandem fidem, atque in eandem charitatem spiritualiter ordinatam.

ASSERVNT ETIAM ADuersariorum quidam.

Martinus Lutherus.

Ad Psalm. 5. Verbum *expelle* dissensionem in Hebræo significat, quomodo auctores turris Babylonicæ diuisi & dispersi sunt in omnem terram, & cessauerunt ædificare ciuitatem. Genes. 11. Quod & B. Virgo dicit: *Dispersit superbos mente cordis sui.* Cui rei cum suis vulpibus præluſit Samson Iudicum 15. Sic enim regnum in seipsum diuisum desolatur. Neque enim vlli vnquam hęretici victi sunt vi aut astu, sed mutua dissensione, nec aliter cum eis pugnat Christus, quàm mixto inter eos spiritu vertiginis & dissensionis, sicut inter Sichemitas Iudicum 9. inter Babylonicæ turris operarios, & in nouo Testamento inter Arianos, Donatistas, Pelagianos. Sed & Iudęi nouissima vastitate perierunt dissensione, ita vt Hilarius sanctus vir glorietur in libro de Trinitate, bellum hæreticorum esse pacem Ecclesiæ. Ad dissensionem enim animorum sequitur & corporalis eorum dissensio.

Ad caput 5. epist. ad Galatas Tom. 5. fol. 416. Semel violata Ecclesiæ concordia, non est modus neque finis dissensionum. Nostro tempore primùm defecerunt à nobis Sacramentarij, post Anabaptistę. Horũ neutri inter se concordes sunt: ita semper secta parit sectas, & vna damnat aliam. Cessante vnitate secundùm Mathematicos, progreditur numerus in infinitum: sic læsa & ablata vnitate spiritus, neque in doctrina, neque in moribus possibile est manere concordiam; sed subinde noui errores nascuntur vsque in infinitum.

Theologi Mansfeldenses.

In Confessione Mansfeldica Latina fol. 120. Suspectam meritò habemus Sacramẽtariorum doctrinam: primò, propter nouitatem: secundò, quòd Sacramentarij non definitè in eadem sententia cõcordes, sed inter seipsos diuisi sunt, vt alij sunt Carlstadiani, Zuingliani, Oecolãpadiani, Sueckfeldiani, Caluinistæ, & similes.

Theologi Heidelbergenses.

In Protocollo Francfortalensi, in Præfatione ad Anabaptistas: Si vobis Ecclesiæ titulum ac nomen concedere vellemus, quænam inter vos secta pro Ecclesia Dei habenda esset, cùm in tam multas sectas diuisi sitis? Nam vos Ecclesiam dici non ferent Hutitæ, qui vos tamquam minimè Christianos à communione sua per excommunicationem excludunt. Multò minus id ferent Mennonistæ, quorum nonnulli (nam & ij variè diuisi sunt) etiam eos rebaptizant, qui à vobis baptizati sunt. Quòd si Hutitas Ecclesiam appellare placeat, id neque vos, neque Mennonistæ ferendum putabunt. Similiter neque vos tolerabitis, neque Hutitæ, vt Mennonistis Ecclesiæ nomen concedatur.

ARTICVLVS SEXTVS.

APVD CATHOLICOS MIRABILEM ESSE DOCTRINÆ CONSENSVM.

APVD Catholicos mirabilem esse doctrinæ consensum toto hoc opere meridiana luce clarius demonstro. Etsi enim illi, quorum hic testimonia refero, diuersis temporibus & locis vixerint; etsi alij alios nunquam viderint; etsi magna inter se locorum intercapedine dissiti, de quæstione dubia conferre nõ potuerint; etsi alij Syri, alij Græci, alij Latini fuerint, alij aliorum loquelam non intellexerint: tamen de quæstionibus nostro seculo controuersis vnum idemque loquuntur. Qui consensus magno argumento est, illos eiusmodi doctrinam non ex priuato cerebro: sed ex sancto illustrante illos Spiritu deprompsisse.

ARTICVLVS SEPTIMVS.

LVTHERVM A LVTHERO, PHILIPPVM MELANCHT. A PHILIPPO, CALVINVM A CALVINO, LVTHERANOS A LVTHERANIS, SACRAMENTARIOS A SACRAMENTARIIS, ANABAPTISTAS AB ANABAPTISTIS, TRINITARIOS A TRINITARIIS dissentire.

I. LVTHERVM A SEIPSO dissentire.

1. *Deum esse auctorem peccati*

AIT.

IN *Assertionibus art. 36.* Et mala opera in impijs †operatur Deus: vt Prouer. 16. dicitur: *Omnia propter semetipsum operatus est Dominus, etiam impium ad diem malum.* Quis audet negare, se etiam in malis operibus sæpe coactum aliud facere, quàm cogitauit?

†Operatur *Lutherus ipse scripsit, vt VVittembergæ & Basileæ A. C. 1521. excusa habent exemplaria. In Tomo 2. Latino VVittembergæ excuso A. C. 1551. pro* operatur *posuerunt* regit.

De seruo Arbitrio: Si præsciuit Deus Iudam fore proditorem, necessariò Iudas fiebat proditor: nec erat in manu Iudæ, aut vllius creaturæ, aliter facere, aut voluntatẽ mutare, licet id fecerit volendo nõ coactus; sed velle erat opus illius, quod omnipotentia sua mouebat Deus, sicut & omnia alia.

NEGAT.

Ad c. 9. Exodi: Æstimes quomodocũq; velis, attamen iustũ est quicquid Deus agit: nõ vult quicquã iniustũ, vel mali; non habet modũ vel præceptũ, quare vel hunc illuminet, vel illum excæcet.

Ad c. 16. Ioan. Omne periculũ à quolibet ipso pẽdet, & propria vniuscuiusq; culpa est, quòd damnatur: non quòd propter Adam & priorem suam incredulitatem peccator fit condemnatione dignus; sed quòd Saluatorem Christum, qui tollit peccata mundi, suscipere detrectat.

2. *Duas in Christo naturas distinguendas*

AIT.

In Postilla impressa anno 1526. de Festo Natiuitatis Christi: Hîc tandem Christũ reuera agnoscere, & quis sit discere debemus, quæ nimirũ vtriusq; in illo naturæ, diuinæ & humanę sit ratio, qua in re plurimi errant, & ferè ex ipsius verbis fabulas cõminiscuntur, & deblaterant: cùm nimirum diuinæ naturæ tribuũt, quæ solius humanitatis sunt, & Scripturas tractãdo seipsos excæcãt. Hęc enim in Christi verbis præcipua cura, hoc primariũ est studium, vt quænam diuinę, quę rursus humanæ naturę conueniãt, inspiciamus; sic fiet, vt omnia in nobis clara & aperta sint.

NEGAT.

In Confess. sua: Tu verò, frater charissime, alleosis loco illud notabis: Quandoquidem Christus Iesus in vna & eadem persona verus Deus & homo est; nusquam in Scripturis altera in eo natura pro altera sumi solet. Hoc enim Zuinglius allæosin vocat: si quid de diuina Christi natura dicitur, quod humanæ duntaxat competit, vel contra, vt Lucę vlt. cap. *Nonne oportebat Christum pati, & sic intrare gloriam suam?* Hoc enim loco miris præstigijs vtens, Christum in humana natura duntaxat pati demonstrare conatur, &c. Si credam, quòd sola humana natura pro me passa sit, Christus vilis, nec magni pretij Saluator est: imò ille ipse Saluatore opus habet.

3. *Christi matrem Mariam omni peccato caruisse*

AIT.

In Euangelium de Conceptione Mariæ: Dignum & iustum erat Mariæ personam ab Originali peccato præseruari, de qua Christus sumpturus erat carnem, qua omnia peccata superaret.

In Euangelium de Festo Deiparæ: Nulla mulier tam sancta est, nec fuit, nec erit in posterum, quàm Maria, quæ fructum ventris sui benedictum parit, quando nulla citra voluptatem & peccatum concepit.

NEGAT.

In Euangelium Dominica I. ab Epiphania: En Maria Deipara eousque errauit, vt nesciret vbi Christus quærendus esset. Et quis inter homines maior fuit peccator, quàm hîc est ipsa Mater Dei?

Sermone de Natiuitate Mariæ: Non minus sancti nos sumus atque Maria, & alij Diui, quantumuis magni, si modò in Christum credimus.

4. *Sanctorum intercessiones & patrocinia*

ASSERIT.

Sermone de decem præceptis cap. 5. Omnes Sancti omnia possunt, & tantum tibi per eos à Deo datur, quantum te credis accepturum, &c. Quid enim aliud sunt Sancti, nisi velut guttulæ roris, siue guttæ noctium in cincinnis & capite sponsi?

Concione de morte: Neque de hoc dubitare quemquã conuenit, se, cùm in mortis periculo est, non solum esse: sed sui curam omnes Angelos agere, ac omnium Sanctorum oculos in se defixos esse, &c. Angelorum ac omnium Sanctorum oculi sine dubio te respiciunt. Illi enim omnes, ceu integrum corpus, laboranti membro subueniũt, teq; in illa lucta mortis, peccati, & inferni adiuuant, vt superior euadas & vincas. Hoc est illud opus charitatis, hæc est illa communio Sanctorum, de qua dicit Symbolum Apostolorum, quam credere nos conuenit.

Responsione ad Louanienses: Non negaui vnquam meritis ac precibus Sanctorum, quãtumlibet imperfectis, iuuari: quod subdolè mihi inurere conantur miseri homines.

NEGAT.

Ad VValdenses de adoratione Sacramenti: De Sanctorum mortuorum inuocatione & intercessione nihil in Scripturis extat.

5. *Sanctorum merita & suffragia*

ASSERIT.

De primo præcepto: Ad Sanctorum suffragia recurrendum omni modo, sicut in Iob dicitur: *Et ad aliquem Sanctorum conuertere.*

NEGAT.

Sermone de Mammona: Pro meritis Petri ne vnũ quidem obulum darem, vt me iuuaret. Seipsum enim adiuuare non potest.

6. *Sanctos esse inuocandos*

AIT.

De primo præcepto: Non prohibeo Sanctos inuocari pro temporalibus: sed quòd solùm pro temporalibus id faciunt, damno, neglectis eorum virtutibus, &c. Ecclesia non dicit: S. Paule cura mea vulnera, sed: Ora pro me. Quare omnia tua commendes ei, in quem magis es affectus: primùm peccata tua, & necessitatem animæ; sicut S. Cæcilia fecit in nuptijs suis, omnes Sanctos per ordinem inuocans, pro sua castitate seruanda apud Deum.

In purgatione quorundam articulorum: De Intercessione Sanctorũ cum tota Ecclesia Christiana sentio & iudico, Sanctos à nobis honorandos esse, atque inuocandos.

Super Magnificat Tom. 6. Germ. fol. 21. Dixi Mariam nolle Deam esse. Illa nihil facit: Deus omnia operatur. Inuocari debet, vt Deus per eam det & operetur, quod petimus: quomodo & cæteri omnes Sancti sunt inuocandi, vt omnia solius Dei maneant.

De præparatione ad mortem: In mortis articulo beatam Virginem, Angelos, proprium Apostolum, & Sanctos reliquos, quibus in vita seruiuit, inuocare non cesset, vt pro se intercedant ad Dominum.

NEGAT.

Ad VValdenses de adoratione Sacramenti: Non possum vos pro hæreticis habere, vt Sophistæ nostri faciunt, quòd neque Dei Matrem, neque quemquam Sanctorum inuocatis; sed in solo & vnico Mediatore Christo acquiescitis.

In articulis ad Concilium Mantuanum missis: Inuocatio Sanctorum est etiam de numero Antichristianorum abusuum, quæ pugnat cum præcipuis articulis, & delet Christi agnitionem.

Ad cap. 14. Ioannis Tomo 4. Germanico fol. 132. Si venerit vspiam monachus, diabolus, aut sectarius aliquis spiritus, qui te terrere volens, dicat: Deus seuerus est, & iracundus iudex, teq; aliò ducat, vt Mariæ patrocinium inuoces, & dicas: *Maria mater gratiæ, mater misericordiæ*, &c. (quomodo illi ad vnum omnes non erubuerũt canere) hinc fies certior, huiusmodi doctrinam & cogitationem, non nisi diabolicum mendacium, & lethale venenum esse.

7. *Sanctos esse colendos*

AIT.

De primo præcepto: Verum ne Pigardi hæretici infelices suas partes à me adiutas confidant, qui præ nimia ruditate nobis Teutonicis superbissimo fastidio indignati, imponunt, quòd Sanctos Dei colamus, & idola faciamus: & ideo cõtra nos acerruum versuum Scripturæ congregant, in quibus prohibetur, ne adoret quis nisi vnum Deum: & vt nobis apud suos iustissimam inuidiam conflare videantur, infidiosissimè omittunt, quòd scribitur Rex Dauid, & Salomon, & multi alij adorati, simulq; impij peruersores Scripturæ, & subdoli calumniatores nostræ pietatis. Ita enim rustici illi nos tandem docent, quòd solus Deus sit adorandus, & gloriantur, ac si nos idipsum negauerimus vnquam, cùm tamen negare non possint, frequenter aulicos regios honorari, ac velut adorari, vt faciliùs ad regem perueniatur.

NEGAT.

Ad VValdenses de adoratione Sacramenti: Non possum vos pro hæreticis habere, quòd neq; Dei Matrem, neque quenquam Sanctorum inuocatis, & honoratis.

8. *Sanctorum dies festos celebrandos esse*

AIT.

Consolatione pro laborantibus cap. 6. Ex his intelligimus, Sanctorum festa & memorias ideo celebrari, vt eorum exemplo animemur ad eadem mala, quæ ipsi tulerunt, perferenda.

Concione, quomodo sit animus parandus ad mortem: Rectè dixerunt, qui piorum mortem regenerationem quandam esse dicunt: & festa quoque in piorum memoriam instituta rectè Natales appellantur.

In visitatione Saxonica: Tertium præceptum docet, dies festos celebrare, ideo festa Apostolorum, & beatæ Virginis celebrari debent.

NEGAT.

De pijs cæremonijs in Ecclesia seruandis: Festa Sanctorum in vniuersum aboleantur.

Contra Ambrosium Catharinum: Nonam scelera-

tam Antichristi faciem facio Festorum dierum multiplicationem,& iniquitatem. Sic enim hodie Sanctissimus docet homines per otium Deo seruire,id est, vt ipse exponit, intermissione operum seruilium, cùm omnes dies liberi sint & ad laborandum,& ad feriandum. In hac autem insigni facie insignius lucent magni illi Festi dies, Visitationis, Corporis Christi, Apostolorũ, Conceptionis, & similium.

Ad Nobilitatem Germaniæ: Consulo vt omnia Festa, præter diem Dominicam,aboleantur.

9. *Sanctorum templa, memorias, altaria, & imagines*

PROBAT.

Consolatione pro laborantibus cap.6. Ex his intelligimus Sanctorum memorias,templa,altaria,nomina, imagines ideo celebrari,& multiplicari,vt eorum exemplo animemur, ad perferenda eadem mala, quæ ipsi tulerunt.Qua ratione nisi colantur, omnis eorum cultus superstitione non vacat.

IMPROBAT.

Ad Euangelium in die Natiuitatis Mariæ: Hinc tot templa & altaria exstructa sunt: hinc Petro & Paulo ædes erectæ, vt omnes ferè anguli Diuorum fanis abundent. At cui vsui ipsis illa? His sumptibus non dotatis virginibus rectius subueniri poterat,& alia maioris momenti opera fieri. Sed interim pestiuè irrepente nimio Diuorum cultu, hæc pietatis officia turpiter neglecta sunt.

10. *Sanctorum Reliquias*

PROBAT.

In declaratione quorundam articulorum: Quis repugnare potest, quòd in hodiernum vsque diem visibiliter ad Sanctorum corpora & monumenta Deus Sanctorum suorum gratia miracula operatur?

IMPROBAT.

In Postilla,in die Exaltationis S.Crucis:Quicquid de S. Cruce dixi, intelligi debet de omnibus Sanctorum Reliquijs: Reliquiæ enim nihil aliud sunt, quàm fraudes & seductiones fidelium. Quare omnino infra terram defodiantur.

11. *Ecclesiam non posse errare*

AIT.

De decem Præceptis: Ecclesia non potest errare, quilibet autẽ potest in deuotione sua errare, &c. Ecclesia regitur à Spiritu sancto.

In Resolutionibus: An nondum videmus, quàm vigil sit Christus in Ecclesia sua,vt iam errare volentes non permittat errare?

De antiqua Ecclesia Tomo 7. fol. 562. Germ. Ecclesia nec debet, nec potest mentiri, nec errores docere, ne in minimis quidem, cùm Deus sit os Ecclesiæ: & Deus mentiri non possit, sic etiam Ecclesia nequit,&c.

Responsione ad Dialogum Syluestri Prieratis: Vniuersalis Ecclesia non potest errare, vt doctissimè etiam probat Cardinalis Cameracensis in primum Sententiarum.

NEGAT.

In Postilla Ecclesiastica, explicans Euangelium Dominicæ primæ post Epiphaniam: Dicis prætereà, Ecclesia & sancti Patres Spiritum sanctum habuerũt, quo duce errare non potuerunt. Facilis est responsio. Ecclesia aut Concilia polleant qua velint sanctitate, non tamen plus pollẽt Spiritu sancto,quàm Maria Christi mater, quæ & ipsa est membrum, atque adeò tum temporis præcipua portio Ecclesiæ extitit: quæ quamuis Spiritu sancto sanctificata fuerit, tamen ille eam aliquando, etiam in summis fidei articulis,errare siuit.

De abroganda Missa: Ludificatio Satanæ est affirmare, quòd Ecclesia,si quandoq; erret,aut peccet, quòd ideò non sit Ecclesia.

De captiuitate Babylonica: Quid mihi arbitrium Ecclesiæ,& potestas Papæ iactatur?

12. *Præceptis Ecclesiæ parendum esse*

AIT.

De virtute Excommunicationis: Id super omnia, & in his omnibus cõsiderandum est, quòd potestas Ecclesiæ, licet pro nostris peccatis plerumq; tradatur Pilatis, Herodibus, Annis,& Cayphis,violentisq; alijs tyrannis, nostrum tamen est, eam summis semper studijs reuereri & colere, exemplo Christi, qui sic Annam, Caypham, Pilatum honorauit.

In Concione de digna præparatione ad Sacramentum: Non dubium est, quin Deus eam, quæ Ecclesiæ exhibetur, obedientiam, vt sibi exhibitam, recipit.

In declaratione quorundam articulorum: Vtraq; præcepta, & Dei,& Ecclesiæ seruanda sunt.

NEGAT.

De captiuitate Babylonica cap.de Baptismo: Christianis nihil vllo iure imponi potest legum, siue ab hominibus, siue ab Angelis, nisi quantum volũt: liberi enim sunt ab omnibus.

De falso statu Ecclesiastico: Nulla est potestas Ecclesiastica.

In Confessione: Ab humanis constitutionibus & præceptis, tanquam à maximo infortunio, cauẽdum & fugiendum est nobis.

13. *Sanctos Patres de fide rectè docuisse*

AIT.

Ad cap. 5. epist.ad Gal. edit.primæ: Mundus magnificit sanctitatem S.Benedicti,Gregorij,Bernardi, Francisci, & similium, quòd, vt fertur, quædam singularia miracula, quę magnam sanctitatis speciem præ se tulerunt,operati sunt. At vero verius est, quòd Hilarius, Cyrillus, Ambrosius, Augustinus, & multi plures etiam sanctitate polluerunt, non tam austeram, qualem illi, vitam duxerũt,sed cum hominibus versati sunt, cibum ac potum sumpserunt, vestibus honestis vsi sunt, & quod ad externam conuersationem attinet, inter eos & laicos parũ discriminis extitit: qui tamen alijs,qui in Cœnobijs degerunt,præferendi sunt. Enimuerò Euangelium & fidem in Christum absque vlla hypocrisi purè & simpliciter tradiderũt, hæreticis restiterunt, & Ecclesiam ab innumeris erroribus expurgârunt.

NEGAT.

Ad cap.1. epistolæ ad Timotheum: Omnia hactenus iuxta opera direximus, fidei nullam rationem habuimus,atque omninò defecimus,quilibet errore ductus, omnia magnificit, adeò vt neminẽ sciam, qui de his rectè iudicare possit, exceptis Apostolis, qui ad hoc electi erant, vt hæc purè docerent, & veræ doctrinæ fundamenta locarent. Si quid præterea est librorum, nihil in eis reperitur.

14. *Traditiones Patrum & Ecclesiæ recipiendas esse*

AIT.

In Protestatione: Primùm protestor,me prorsus nihil dicere, aut tenere velle, nisi quod in & ex sacris litteris primò, deinde ex Ecclesiasticis Patribus, ab Ecclesia Romana receptis, hucusq; seruatis,& ex Canonibus ac decretalibus Pontificijs habetur,& haberi potest. Quod si quid ex eis probari vel improbari non potest, id gratia disputationis duntaxat,pro iudicio rationis & experientia tenebo.

Epistola ad Marchionem Brandeburgensem Tom. 2. Germ.

Germ.fol.243. Periculosum & horrẽdum est,quicquam vel audire, vel credere,quod aduersatur vnanimi testimonio fidei,& doctrinæ sanctę & Catholicæ Ecclesiæ, quam inde vsque ab initio per annos mille quingentos vnanimiter seruauit.

NEGAT.

In Assertione articulorum ad Leonem Decimum: Primùm scire contestatosq; esse eos volo,me prorsus nullius, quantumlibet sancti Patris, auctoritate cogi velle, &c. Quanti errores in omniũ Patrum scriptis inuenti sunt? Quoties sibi ipsis pugnant? Quoties inuicem dissentiunt?

De seruo arbitrio: Patrum auctoritas susq; deq; faciẽda est, & statuta perperam facta, qualia sunt omnia præter verbum Dei definita, dirumpenda ac proijcienda sunt.

15. *Ecclesiæ Concilijs acquiescendum esse*

AIT.

In disputatione Lipsica: Concilijs nihil derogo,sed omnium sacratissimum fuit Nicænum.

In Assertionibus articulo 16. Consultum videtur, quòd Ecclesia in communi Cõcilio statueret, laicos sub vtraque specie communicandos.

Contra Zuinglium & Oecolampadium: Si diutius steterit mundus, iterum erit necessarium, propter diuersas Scripturæ interpretationes, quæ nunc sunt, ad conseruandam fidei vnitatem,vt Conciliorum decreta recipiamus, atque ad ea confugiamus.

In declaratione Eucharistiæ: Non dixi, neque consului,neque est intentio mea,vt vnus, aut aliquot Episcopi propria auctoritate incipiant alicui vtramque speciem porrigere, nisi ita cõstitueretur, aut mandaretur in Concilio generali.

NEGAT.

Contra Regem Angliæ: Habemus absq; omni controuersia ius de doctrinis cognoscendi, & iudicãdi, seu probandi esse penes nos,non penes Concilia, Pontifices,& Doctores.

Ad cap.15.Actorum: Spiritus sanctus nihil promisit se in Concilijs futurum,sed potius in Christianorum, quos nouit, cordibus.

Tomo 7. Germ.fol. 262. An Papa possit indicere confessionem? *Propria laus sordet*, inquit Salomon. Hoc dico,quòd ex maximis infortunijs vnum fit, pessima & condemnabilis opinio, quòd Concilia magni fiunt, ac si Spiritum sanctum habeant.

De formula Missæ: Nos Christum habemus: Concilia nec morari,nec audire volumus.

16. *Diui Petri primatum*

ASSERIT.

In Resolutionibus: Quòd Petrus primus in ordine sit, nemo negat,&c. Petrum fatemur principẽ Apostolorum, primum Ecclesiæ membrum, caput collegij Apostolici,& alia, quæ de eo sancti Patres dixerunt.

NEGAT.

In Assertionibus, art. 25. Omnes Apostoli æquales fuerunt Petro.

17. *Dignitatem, & Primatum Romani Pontificis*

AGNOSCIT.

Epistola ad Leonem Decimum:Quare Beatissime Pater, prostratum me pedibus tuæ Beatitudinis offero, cum omnibus quæ sum & habeo. Viuifica, occide; voca, reuoca; approba, reproba vt placuerit: vocem tuam, vocem Christi in te præsidentis & loquentis agnoscam: si mortem mierui, mori non recusabo.

Epistola ad Thomam Caietanum: Reuerendissime in Christo Pater, fateor, sicut & aliâs fassus sum, me fuisse nimis indiscretum,acrem,& irreuerentem in nomen summi Pontificis. Et licet acerrimè fuerim in hanc irreuerentiam prouocatus,tamen meum fuisse intelligo, humilius ac reuerentius hanc materiam tractare.

Appellatione prima ad Leonem Decimum: Adhuc fateor, solummodò me disputasse,& omnia sub pedibus Sanctissimi Domini nostri Leonis Decimi subiecisse, vt occidat, viuificet; reprobet, approbet, sicut placuerit,& vocem eius vocem Christi in ipso præsidentis agnoscam.

In commemoratione rerum, quæ Augustæ Anno 1518. in Comitijs cum Luthero acta sunt: *Protestatio Lutheri*: Inprimis ego frater Martinus Lutherus Augustinianus protestor me colere, & sequi sanctam Romanam Ecclesiam in omnibus meis dictis & factis,præsentibus,præteritis,& futuris. Quòd si quid contra, vel aliter dictum fuit, vel fuerit, pro non dicto haberi,& habere volo.

In Resolutionibus aliarũ propositionum editis anno 1519. Primum, quod me mouet Romanum Põtificem esse alijs omnibus (quos saltem nouerimus se Põtifices gerere) superiorem, est ipsa voluntas Dei, quam in ipso facto videmus. Neque enim sine voluntate Dei in hãc monarchiam venire vnquam potuisset Romanus Pontifex. At voluntas Dei, quoquo modo nota fuerit, cum reuerentia suscipienda est. Ideoq; non licet temerè Romano Pontifici in suo primatu resistere. Hæc autem ratio tanta est, vt etiamsi nulla alia causa esset, hæc tamen satis esset, ad compescendam temeritatem resistentium.

In Resolutionibus de Indulgentijs, conclusione 69. Quia auctoritati Papali in omnibus cum reuerẽtia cedendum, (*qui enim potestati resistit, Dei ordinationi resistit,*) igitur licet in exiguis, nihilo tamen minus quàm in magnis auctoritati cedendum. Hinc etiã illud venit, quòd etsi Papa ferret iniustas sententias, timendæ tamen sunt.

NEGAT.

In captiuitate Babylonica:Scio nunc,& certus sum, Papatum esse regnum Babylonis, & potentiam Nimbrod robusti venatoris, &c. Postquam Romanus Pontifex Episcopus esse desijt,& tyrannus factus est, non formido eius vniuersa decreta,cuius scio non esse potestatem articulos nouos fidei condendi, nec Concilij quidem generalis.

In Assertione articulorum per Bullam Leonis Decimi damnatorum: Dico hæreticos & schismaticos esse Papam, & omnes, qui idolum hoc adorant, nisi fortè laicos & rudes excuset ignorantia, simplex fides, & violenta huius Assur captiuitas.

In actis exustionis Antichristianorum Decretalium: Parum est hoc deflagrationis negotium: ex re foret, vt Papa quoque, hoc est, Sedes Papalis concremaretur. Nisi toto corde dissentiatis à regno Papali, nõ potestis assequi vestrarum animarum salutem: adeoq; diuersum est regnum Papæ à regno Christi, & vita Christiana, vt tutiùs foret in eremo agẽdo nullum omninò videre hominem, quàm versari in regno isto Antichristiano. Caueat ergo sibi quisquis animæ suæ consultum velit, ne assentiendo Papastris,Christum neget.

Responsione ad librũ Ambrosij Catharini: Papa peccatum & iustitiam in solo rerum vsu ponit: ideò est homo peccati, & filius perditionis, mundum replens stultis,& vanis peccatis.

Aduersus Regem Angliæ: Papatus est Principis Satanæ pestilentissima abominatio, quæ vnquam sub cælo fuit,aut futura est. Viuens Papatus hostis ero: exustus bis hostis ero. Facite porci Thomistæ quod potestis, Lutherum habebitis vrsum in via, & leænam in semita; vndique vobis occurret, & pacem habere non sinet, donec ferreas vestras ceruices, & æreas frontes contriuerit.

18. *Romanam Ecclesiam honore dignam, & alijs præferendam esse*

AIT.

In declaratione quorundam articulorum: Quòd Romana Ecclesia à Deo sit præ alijs omnibus honorata, non est dubium. Ibi enim SS. Petrus, & Paulus, quadraginta sex Romani Pontifices, & tot centena millia Martyrum sanguinem suum fuderunt, infernum & mortem vicerunt, vt vel palpari queat, quàm singularem habeat Deus ad illam Ecclesiam respectum. Quòd si nunc, proh dolor, res habeat Romę vt expediret habere melius: attamen neque hæc, neq; vlla caussa est tam grandis, neque esse potest, vt ab Ecclesia illa separatio aut discessio vlla fieri debeat. Imò quò peius ibi res habet, tantò magis occurrendum, & adhærendum est: per separationem enim & contemptum non fit melius.

Epist. ad Leonem Decimum: Beatissime Pater testor coram Deo & omnibus creaturis, quòd nunquam in ea fuerim sententia, necdum hodie sim, quòd seriò in animum induxerim, Romanæ Ecclesiæ, & vestræ Beatitudinis potestatę vllo modo labefactare, aut vllo aliquo astu quicquam subtrahere: imò ingenuè fateor, quòd Ecclesiæ potestas omnia excedat, nec quicquam ei vel in cælo, vel in terra præferri queat, præter vnum Christum, qui omnium Dominus est. Quamobrem Beatitudo vestra improbis & falsis calumniatoribus non adhibeat fidem, si quid aliud de Lutheро spargere voluerint.

NEGAT.

In explicatione epistolæ primæ D. Petri: S. Gregorius Papa reuera sanctitatę polluit: conciones illius ne obulum quidem valent, sic vt appareat, quòd Sedes Romana cum primis sit à Deo maledicta.

Contra Sylvestrum Prieratem: Si fures reste, latrones gladio, hæreticos igne damnamus, cur non multo magis in tam pernitiosos & sceleratos Doctores, in Pontifices, Cardinales, Episcopos, & totā cateruam Romanæ Sodomæ inuehimur? cur non omnibus omniū gentiū armis eos oppugnamus, & in eorum sanguine manus nostras lauamus?

19. *In Romana Ecclesia multa semper bene tradita fuisse*

AIT.

Epist. de Anabaptismo ad duos Parochos Tom. 2. Germ. fol. 229. Nos ingenuè fatemur, quòd in Papatu multa bona sint, Christiano nomine digna, quæ & inde ad nos vsque promanārunt. Fatemur nimirum, quòd in Papatu vera sit sacra Scriptura, verus Baptismus, verum altaris Sacramentum, veræ claues ad peccatorum remissionem, verum concionandi munus, verus Catechismus, vt sunt Oratio Dominica, decem præcepta, & fidei articuli, &c. Audio & video, quòd Anabaptismum quidam in hunc solum finem suscipiunt, vt sic Romanum Pontificem vexent, vt qui nihil velint ab Antichristo retinere: non secus ac Sacramentarij propterea in Sacramento non nisi panem & vinum agnoscūt, solum in odium Romani Pontificis, & putant se hoc modo Papatum debellaturos. Debili, me herculè, nituntur fundamento. Hoc modo negare illos oporteret vniuersam Scripturam, & concionandi munus. Hæc enim omnia habemus à Papa, alias nobis noua Scriptura condenda esset.

NEGAT.

In Ecclesiastica Postilla, explicans epistolam Dominica 2. Aduentus: Non nisi diabolica impostura est, quicquid in Papatu exstitit, à summo vertice vsq ad imum pedis.

In admonitione ad suos Germanos Tom. 7. Germ. fol. 375. Accedit ad hanc abominationem, quòd verba huius Sacramenti & fidei obliterarunt, & tacuerunt, vt nec litera, nec punctus de eis superfuerit in toto Papatu, in omnibus Missis, & libris.

Tom. 7. Ger. pag. 268. *An Papa possit confessione indicere*: Proh dolor, nihil aliud quàm fallere & mētiri est in Papa, & Papatu, à summo vertice ad imum vsque.

Ad cap. 15. Ioannis: Nostri Papistæ de fide nihil nec docuerunt, nec intellexerunt.

20. *Episcopos honorandos esse.*

AIT.

De decem præceptis: Maximè sunt honorandi Episcopi, qui sunt loco Apostolorum.

NEGAT.

Aduersus falsò nominatum ordinem Episcoporum: Nō sunt Episcopi, sed planè idola, & mutæ statuæ, inertes puppæ, laruæ, trunci, vmbræ, personæ Comicæ, qui ne vocabulum quidem, quid Episcopus significet, nôrint, nedum quid munus aut officium sit Episcopi. Vis vno verbo dicam quid sint? lupi, tyranni, proditores, homicidæ, monstra, terræ pondera, Apostoli Antichristi sunt, ad perdendum orbem, & extinguendum Euangeliū sculpti & facti: &, vt semel effundam, quod sentio, en præconem hîc agam. Notū ergo sit omnibus, Episcopos, qui iam super multas vrbes in amplissima ditione exercent tyrannidem, non esse Episcopos ex ordinatione Dei, sed ex errore & seductione Satanæ, & traditionibus hominum. Quare & procul dubio sunt nuntij & vicarij Satanæ.

21. *Sacerdotes, & cæteros Ecclesiæ ministros ab Episcopis ordinandos esse*

AIT.

Ad cap. 1. epist. ad Gal. Tom. 1. Germ. fol. 8. Vocatio ministrorum, quę diuina & vera est, duobus modis accidit: primùm per media, deinde sine medijs. Hoc tempore vocat nos Deus ad concionandi munus per media, vtpote per homines. Apostoli immediatè à Christo ipso vocati sunt, quēadmodum etiam veteris Testamenti Prophetę sine medio à Deo vocabantur: Postea Apostoli discipulos suos, vt Titum, Timotheum, &c. vocarunt: hi deinceps Episcopos vocarunt: Episcopi alij alios vsque ad nostra tempora vocarunt: sic fiet & seruabitur vsque ad consummationem seculi. Et hæc est vocatio, quæ per media fit, quæ nihilo minus diuina vocatio est.

NEGAT.

De Missa angulari: Vt semel ad interrogata respondeam, nempe quid agendum sit cum sacerdotibus in Papatu, cùm ad vnum omnes non nisi ab angularibus Episcopis ad angulares Missas sint ordinati. Hîc ita ages; Chrisma, & angularem eius ordinationem nihili facies, quemadmodum reuera nihil est, quæ nec tibi, nec Ecclesiæ quoque proderit: sed considera illum concionatoris officio fungi, quòd non suum, sed Christi officium est. Nec quicquam te moueat, an ordinariè vocatus sit, an pecunijs sibi hanc dignitatem compararit, an vi sit intrusus, aut quomodo intrauerit, per caput, an per pedes, an sit Iudas, vel S. Petrus, nihil huiusmodi te moueant.

22. *Sacerdotes non nisi vocatos & admissos concionari debere.*

AIT.

Ad Psal. 82. Omnes Parochi & magistratus diligenter attendere debent, & de hoc suos diligenter monebunt, vt concionatores, qui seipsos intrudunt, tamquam nebulones, & certos Diaboli nūtios deuitent, nisi fide dignum testimonium suæ à

Deo vocationis attulerint. Alioquin eos non audient, nec admittent, etiamsi purum putum Euangelium docere velint, nec si Angeli, aut meri Gabrieles è cælis fuerint. Nihil enim recipit Deus, quod fit ex propria electione & deuotione; sed omnia ex mandato & vocatione fieri vult. Propterea etiam Christus diabolos noluit prædicare, etiamsi ipsum Filium Dei faterentur, & veritatem dicerent. Noluit enim permittere, vt quisquā sine vocatione prædicaret. Ergo sic quisque faciat, qui prædicare & docere voluerit, demonstret se vocatum, ostendat mandatum, quo cogatur. Si noluerit, tradat magistratus huiusmodi nebulones lictori, &c.

NEGAT.

Epistola ad Consules & Senatum Pragensem Tomo 7. fol. 388. Germ. Si huius rei exemplum nosse cupimus, ecce hic Apollo, Actorum 18. sine vlla vocatione & ordinatione Ephesum venit, vbi non nisi ardenti quodam amore concionatus est, & Iudæos egregiè conuicit. Dic mihi quo iure suscepit hic verbi diuini officium, si non eo, quod cuilibet Christiano commune & licitum est? Sic enim & quilibet Christianus facere tenetur, si viderit in doctrina verbi defectum, & ipse ad eum exequēdum sit idoneus, etiamsi ad id ab Ecclesia non vocetur.

Tomo 2. Germ. fol. 256. Christianus homo tantam potestatem habet, vt non vocatus in medio Christianorū possit & debeat prodire, & docere, cùm Doctorem ibidem errare videt.

23. *Sacris literis nihil addendum, nihil auferendum esse*

AIT.

Ad cap. 5. epist. ad Galatas: Pluris facimus vnam literam, & vnum iota sacræ Scripturæ, quàm cælum & terram. Quamobrem ferre non possumus, vt vel minimum ab illis tollatur.

In declaratione ad amicum quendam Tom. 4. Germ. fol. 393. Si quis vnum iota aut literam vel abstulerit, vel mutauerit, diabolo mancipetur.

NEGAT.

Epistola ad amicum, de voce (sola) *quam Rom. 3. de suo adiecit*: Si tuus Papista morosum & difficilem se præbere volet de voce (*sola*,) statim dic: Papista & asinus eadem res est.

Sic volo, sic iubeo, sit pro ratione voluntas. Nolumus enim Papistarum esse discipuli, sed potius Præceptores. Semel etiā superbiendo gloriabimur aduersus huiusmodi asinos, &c. Rogo te, ne quid aliud huiusmodi asellis respondeas de voce (*sola*,) sed tantùm dicas: Lutherus sic vult, ille Doctor est omnium Doctorum in toto Papatu: in hoc acquiescam, posthac illos omninò pro nihilo habebo, &c. Iam dudum noui, quòd hoc loco nec in Græco, nec in Latino textu vox (*sola*) legeretur, nec opus erat, vt de eo Papistæ me admonerent, &c. Pœnitet me, quòd non addiderim *omnes*, & *omnibus*, vt scilicet esset absque omni opere omnium legum, & sic bene & rotundè locutus fuissem. Quamobrem manebit hęc vox in meo Testamento, etsi ad vnum omnes Pontifices ad insaniam redigerentur, & in asinos transformarentur, non tamen inde mihi abradent.

24. *Omnia sacris literis tradita esse, & præter eas nihil recipiendum*

AIT.

De abusu Missæ Tom. 7. Germ. fol. 290. Ego verò hoc loco fundamentum meum, quo nitor, quod irrefragibiliter seruari debet, repetam: quòd omnia, quę præter Scripturam, maximè in eis, quę Deum spectant, fiunt, à diabolo proueniunt.

De seruo arbitrio: Nihil recipimus præter sacras Scripturas.

NEGAT.

In confessione de Cœna Domini: Ex corde concedo, Cœnam Sacramentum esse, etiamsi in sacris literis non ita vocetur.

Epistola de Anabaptismo ad duos Parochos: Quòd pueri credant nullo expresso sacræ Scripturæ testimonio probare possumus, quę expresse his aut similibus verbis loquatur: Infantes baptizabitis, quia credunt. Si quis huiusmodi sententiam ad literam nos proferre cogeret, cedendū nobis erit, & victos esse fatebimur. Nusquā enim legimus.

Aduersus cælestes Prophetas: Anne mihi liceret Dominum meum Christum nomine aliquo appellare, quod nō extaret in sacris literis? Quid? quòd si eum vocarem coronam cordis mei, cordis mei iubilum, meum rubinum, si non contra conscientiam agerem, ac si oporteret me illum hoc & non alio nomine vocare? Vbinam verò huiusmodi nomina in sacris literis reperiuntur? Item quòd si de Baptismo ac Cœna Domini sermonem deberemus instituere, quomodo ageremus? Nullum in sacris literis nomen est, quod vnū omnia Sacramenta & signa cōplectatur. Hic nobis tacendum esset, aut non iocosè loquendum, alioquin hi Prophetæ pro Apostatis nos reputarent. Item plures sunt articuli fidei, multæ partes doctrinæ Christianæ, multa capita in Biblijs, qd ageremus? Huiusmodi nomina, articuli, partes, capita, non habentur in Biblijs. Hic non amplius nobis liceret loqui de articulis fidei, de partibus doctrinæ, de capitibus Bibliæ: imò quid agerent ipsi cælestes Prophetæ? profectò ipsa capitula nominatim ex Biblijs abducerent. Nonne tales Christi sunt occisores vel proprio iudicio, quòd diuinis rebus nomina imponunt, quæ nusquam in sacris Bibliorum scriptis extant?

25. *Sacras Scripturas esse difficiles intellectu*

AIT.

Præfatione in Psal. Nolim ab vllo id de me præsumi, quod nullus adhuc præstare potuit sanctissimorum & doctissimorum: id est Psalterium in omnibus legitimo suo sensu intelligere & docere. Sat est aliquos Psalmos, & eosdem ex parte intellexisse. Multa sibi reseruauit Spiritus, quò nos semper discipulos habeat: multa solùm ostendit, vt alliciat; multa tradit, vt afficiat. Scio esse impudentissimæ temeritatis eum, qui audeat profiteri vnum Scripturæ librum à se in omnibus partibus intellectum.

Libro de Concilijs: Ante viginti annos coactus sum contemnere Patrum commentaria, cùm Scripturæ legendæ essent in scholis, & magno sudore veram ac germanam sententiam quærerem.

In Colloquijs continualibus, titulo de Verbo Dei: Cùm D. Iustus Ionas aliquando ad mēsam Lutheri referret, quòd in sacris literis tanta sapientia abdita delitesceret, vt nemo eam perfectè vnquam addiscere & ediscere posset, respondit Martinus Lutherus: Nos oportet manere discipulos: nam ne vnum quidem verbum Scripturæ satis superquę perscrutari valemus: nos duntaxat primitias habemus, & retinemus: & vbi multa nos putamus percipere, vix alphabetum, & id quidem non satis rectè intelligimus.

Quòd sacras literas intelligere res sit grauis & difficilis, de eo D. Martinus Lutherus anno 1546. Islebij biduo ante obitum hæc verba in mensa scripsit: Virgilium in Bucolicis nemo potest intelligere, nisi fuerit quinque annis pastor. Virgilium in Georgicis nemo potest intelligere, nisi fuerit quinque annis agricola. Ciceronem in epistolis (sic præcipio) nemo integrè intelligit, nisi viginti annis sit versatus in Rep. aliqua insigni. Scripturas sanctas sciat se nemo degustasse satis, nisi centum annis cum Prophetis, vt Elia, & Eliseo,

Ioanne Baptista, Christo, & Apostolis Ecclesias gubernârit.

NEGAT.

Ad Psa'm 37. Tom.3 fol.10. Si quis vos de illorum (*Catholicorum*) numero prouocauerit, ac dixerit opus esse Patrum interpretatione, Scripturas obscuras esse: Respondebis, falsum hoc esse. Nullus liber in vniuersa terra dilucidius scriptus extat, quàm sacra Scriptura; quæ cum alijs omnibus libris collata, est velut sol, coram omni alia luce.

Præfatione in Assert. articulorũ à Leone X. damnatorum: Oportet Scriptura iudice hîc sententiã ferre. Quod fieri non potest, nisi Scripturæ dederimus principem locum in omnibus, quæ tribuuntur Patribus, hoc est, vt sit ipsa per se certissima, facilima, apertissima sui ipsius interpres, omnia probans, iudicans, & illuminans.

26. *Quemlibet Christianum priuatim auctoritatẽ habere iudicandi causas fidei, & mendacia à veritate discernendi.*

AIT.

Tomo 2. Germ. fol. 255. Auditores non modò ius & potestatem habent iudicandi omnia quæ docentur, verùm ex officio iudicare debent, nisi diuinæ maiestatis offensam incurrere velint.

Tomo 2. Germ. fol. 404. Imprimis necessarium est, vt hoc bene apprehendamus, ne nobis hoc, quod omnes habẽt Christiani, puta ius & auctoritatem iudicandi de omni doctrina, eripi patiamur: ne res eò nimirum redeat, vt exspectandum nobis sit, donec Concilia definiant quid credere atque sequi debeamus, &c. Debent igitur necessariò oẽs Doctores cum sua doctrina iudicio auditorum subiecti esse.

NEGAT.

Tomo 2. Germ. fol. 119. Ego doctrinæ meæ caussas & fundamenta coram toto mundo demonstrabo, eamq; à nullo hominum, imò ne ab omnibus quidem Angelis patiar iudicari.

27. *Mosen omnibus alijs Prophetis esse præferendum*

AIT.

Præfatione in Psal. 19. Moses est fons viuus, & scaturigo omnis diuinæ sapientiæ & notitiæ: in quo sancti Prophetæ & Apostoli, per sanctum Spiritũ illuminati, diligenter cum feruore & lætitia scrutati sunt & studuerunt, inde suam doctrinam, & scripta deprompserunt, ac nobis legenda reliquerunt.

NEGAT.

Ad Psal. 45. Tomo 3. Latino fol. 421. b. Sic Moses non potuit canere, qui est minister carceris, Doctor pistrini, auctor seruitutis, & sicut Paulus eum solet appellare, minister mortis, peccati, & tristitiæ. Contra istum nos cantabimus de regno ineundo libero & pleno gaudij.

Ad Psal. 45. Tomo 3. Germ. fol. 295. Moses instar diaboli horribilem speciem præ se fert, & ita loquitur, vt præ eius dictis facilè cor alicui contabescere t: labia ipsius omnem bilem exuperant, magis amarulenta sunt quàm granũ Gnidium, ac draconis fel; imò verò sunt mixta tartareo igne. Quamobrem apage cum Mose ad pertinaces ferocesq́ue homines, ad superbos sanctos, quos terrefaciat & humiliet.

28. *Lutheri doctrinam veram esse*

AIT.

Ad cap. 1. epist. ad Gal. Vero verius est meam doctrinam esse veram, puram, certam, & diuinam; nec fieri potest, vt vlla alia doctrina, eodẽ modo, quo hæc mea, sit vera & diuina, vt taceam q; sit melior.

Aduersus falsò nominatum Ecclesiasticum statũ: Scire vos volo, quòd in posterũ non amplius vos hoc honore dignabor, vt sinã vel vos, vel ipsos Angelos de cælo de mea iudicare doctrina. Stultæ huic humilitati iam tertiùm satisfactum est VVormatiæ, nec quicquam profuit: sed faciam vt audiat, quomodo S. Petrus docet, doctrinę meæ caussas, & fundamentum, & apologiam vniuersus mundus: nec volo meam doctrinam à quoquam iudicari, atque adeò ne ab Angelis quidem. Cùm enim certus de ea sim, per eam quoq; & vester, & Angelorũ iudex esse volo: vt qui ei fidem non adhibuerit, saluari nequeat. Nam Dei doctrina est, non mea. Quamobrem iudiciũ meum, Dei est, & non meũ.

NEGAT.

Responsione ad hircum Lipsiensem Tomo 7. Ger. fol. 116. Cor meum ita affectum est, vt sperem me in Dei nomine hoc opus aggressum esse: non tamen eius sum audaciæ, quòd de eo iudicium feram, prædicemq; publicè, pro certo aliter non esse. Nollem libenter diuinum iudiciũ super hac re sustinere.

Aduersus cælestes Prophetas: Sæpius dixi: Si ex Deo est quod cœpi, nemo prohibebit: si nõ est ex Deo, alius retineat, ego non amplectar. Ego nullam hîc possum ferre iacturam, qui nihil expendi.

In Propositionibus de viribus & voluntate hominis sine gratia: Ferre possum, vt disputationes aut propositiones meæ, quas ab initio aduersus Papatum & Sophistas tractaui, & effudi, reijciantur, &c.

29. *Magistratum ciuilem*

PROBAT.

Libro contra Rusticos: Subiecti sumus cùm corpore, tum omni substantia nostra Cæsari, iurisq; seculari: etiam aliquando malis Principibus obediendum est.

De quarto Præcepto: Nouissimè huc pertinẽt Episcopi & Principes, Parochi & Senatus, vtrumque scilicet dominium, qui sunt quàm maximè timẽdi, quia gladium Domini portant, quibus cauendum ne obloquatur vllus: quia Lex dicit: *Principi populi tui ne maledicas.* Et iterum: *Dijs non detrahes.* Exo.22.

IMPROBAT.

Contra duo Cæsaris mandata Anno 1524. Oro cunctos pios Christianos, dignẽtur simul rogare Deum, pro huiusmodi miseris & excæcatis Principibus, quibus nos Deus procul dubio magno iræ suæ furore corripit, ne vllo pacto obsequamur, vel in militiam ire, vel dare aliquid contra Turcam: quandoquidẽ Turca decies probior atque prudentior est, quàm sunt nostri Principes. Quid talibus fatuis contra Turcas pugnando prosperi eueniet?

Lib. de seculari potestate: Inter Christianos nulla debet esse superioritas, &c. Princeps est caro ferina in cælo, id est auis rara. Sunt enim Principes apparitores, lictores, & carnifices Dei, &c.

30. *Secularem magistratum non esse iudicem Ecclesiasticorum*

AIT.

Lib. de bello aduersus Turcas: Salutet Deus vos infideles Principes vestrorum subditorũ: quis diabolorum vobis in mandatis dedit, tam vehementer non commissa Ecclesiastica negotia peragere, quæ Deum & conscientiam spectant?

Ad Psal. 102. Semper seculares principes nomine ipsius diaboli Christum docere & instituere gestiunt, qua ratione suã Ecclesiã gubernare debeat.

De seculari potestate: Si quãdo secularis tuus Princeps tibi mandat, Pontificem sequi, aut hoc vel illo modo credere; aut iubet libros abijcere, sic dices: Non decet Luciferum sedem suam iuxta Altissimum ponere, beneuole Princeps, omnem corporis & fortunæ obedientiam tibi debeo. Manda mihi pro ea, quam in terris obtines, potestate, & sequar te. Si quid autem præceperis de fide, aut libris ablegandis, non tibi dicto audiens ero. In his

Tyrannum te præbes, modum excedis, atque ea præcipis, in quibus nullam potestatem obtines.

NEGAT.

Ad Christianam nobilitatem Germaniæ: Ego tibi dico, quia potestas secularis à Deo ordinata est, vt sontes plectat, & insontes protegat: finendum est, vt suo officio liberè absque impedimento fungatur in vniuerso corpore fidei Christianæ: idq; absque personarum respectu, non obstante, etiamsi Pontifices, Episcopos, Clericos, Monachos, moniales, aut qualescunque concernat.

31. *Hæreticos esse puniendos à magistratu ciuili*

AIT.

In Postilla maiori Dominica 5. post Epiphaniam: Custodit Magistratus non solùm secundam, verùm etiam omnium maximè primam tabulam: idololatrias, blasphemias, execrationes, periuria vlciscitur; oblatos hæreticos, vt in verum numen contumelioſos, atque alios eas blasphemias docentes coërcet; prefractiores, atque in errore pertexendo contumaciores, vt cum certissimo plurium exitio pro maleficijs puniẽdos suscipit. Neque, cùm hoc facit, zizania euellere intelligitur: quia cum suo officio in eo regno non versatur, vbi de euellendis zizanijs interdictum positum est, &c. Non igitur Magistratus & huius generis vitæ corporalis officiales, cùm scandalis perturbantibus tranquillitatẽ seuera vindicatione obuiam eunt, zizania contra mandatũ Christi euellunt, sed id præstant pro parte sua, vt verum triticum in Ecclesia à zizanijs nõ prorsus opprimatur, & regnum Dei in terris nõ penitus exolescat.

NEGAT.

In Assertionibus, artic. 33. Hæreticos comburi est contra voluntatem Spiritus.

Tomo 4. Germ. fol. 319. de Anabaptistis: Non est æquum, & profectò doleo, quòd deplorati isti homines tam miserè occiduntur, cremantur, & horribiliter è medio tolluntur. Debebat cuilibet hoc permitti, vt crederet quicquid vult. Si non credit, quod credendum est, eam ob rem satis punietur in inferno æterno igni. Quorsum attinet temporalibus etiam pœnis eos mactare?

Ad Principes de rusticana seditione Tomo 3. Germ. Ien. fol. 115. Senatus impedire non debet quò minus quilibet doceat & credat quicquid lubet, siue Euangelium sit, siue mendacium.

32. *Bohemos, & Hussitas hæreticos esse*

AIT.

In disputatione Lipsica: Quòd me insimulat Bohemicæ factionis studiosum, & planè patronum, parcat ei Dominus. Nunquam mihi placuit, nec in æternum placebit quodcunq; Schisma. Iniquè faciunt Bohemi, quòd se auctoritate propria separant à nostra vnitate, etiamsi ius diuinum pro eis staret, cùm supremũ ius diuinum sit charitas & vnitas Spiritus, &c. Dico me non posse, nec velle defendere Bohemorum Schisma.

Ad cap. 6. epist. ad Galatas, prioris editionis: Bohemorum dissidium à Romana Ecclesia nulla excusatione defendi potest, quin sit impium & Christi legibus contrarium: quia contra charitatem, in qua omnes leges summantur, perstat. Nam hoc, quod vnicè allegant, sese timore Dei & conscientiæ defecisse, ne inter malos sacerdotes & Pontifices viuerent, hoc eos maximè omnium accusat.

NEGAT.

In Assertione articulorum à Leone X. damnatorum, artic. 16. Bohemi & Græci in hac parte nec hæretici, nec schismatici sunt; sed Christianissimi & Euangelicissimi, quos & his verbis oro & obtestor, vt in ea sententia firmiter permaneant.

33. *Turcas laudat.*

Ad Nobilitatem Germaniæ: Nullum est regimen secularе pulchrius, quàm apud Turcam; & nullũ est turpius, quàm apud Christianos.

In sermone castrensi: Turcarum sacerdotes & religioſi tam seueram, grauem, strenuamq; vitã ducunt, vt Angeli, non homines videri queant, adeò vt omnes nostri clerici & monachi in Papatu iocus præ illis sint.

De ritu Turcarum in Præfatione: Vmbræ sunt nostri religioſi ad Turcarum religioſos collati, & vulgus nostrum planè profanum ad illarũ vulgus comparatum.

Lib. Teutonico, quem Xenij loco pro nouo anno retribuit Sedi Apostolicæ: Ad quid conducit corporaliter pro hibere Turcam? quid mali facit Turca? occupat prouincias, & gubernat tẽporaliter: At hoc ipsum à Papa quoque nos ferre oportet, qui & corpus, & vitam nobis excoriat, quod Turca non facit. Adhęc permittit Turca vnumquemq; in fide sua permanere, quod Papa non facit: sed cogit vniuersum mundum à fide Christi ad sua diabolica mẽdacia; vt regimen Papæ in corporis bonis, & anima, decuplo peius sit, quàm Turcæ: & si Turcam expugnare vellemus, à Papa incipiendum nobis esset.

Turcas vituperat.

Sermone contra Turcas: Turpissima est Mahometi lex.

In visitatione Saxonica: Apud Turcas nulla honestas, nulla disciplina est.

34. *Contra Turcas pugnandum esse*

AIT.

In visitatione Saxonica: Clamant aliqui Prædicatores temerè de Turcis, non esse eis resistendum: quia vindicta Christianis prohibita sit. Hic sermo seditioſus est, qui neque tolerari, neque permitti debet. Tenentur potestates resistere Turcis: quia non solùm cupiunt prouincias vastare, vxores violare, liberos interficere; verùm etiam iura prouinciæ, cultum Dei, omnemq; ordinem abrogare & tollere.

Sermone contra Turcas: Turcis resistere tenemur ob multas caussas, &c.

NEGAT.

In Assertionibus art. 34. Præliari aduersus Turcas est repugnare Deo, visitanti iniquitates nostras per illos, &c. *Qui habet aures audiendi audiat,* & à bello Turcico abstineat, donec Papæ nomen sub cælo valet.

35. *Hominem esse liberi arbitrij*

AIT.

In explicatione Orationis Dominicæ: Contulit reuera tibi Deus liberam voluntatem. Sed cur tu illam proprij iuris esse facis, & in seruitutem asseris, nec liberam permanere permittis? Cùm enim tu illa ad tuum abuteris libitum, non est libera; sed potius seruitutem apud te seruit.

NEGAT.

De seruo arbitrio contra Erasmum: Hîc humana voluntas in medio posita est, ceu iumentum: si insederit Deus, vult, & vadit quò vult Deus, vt in Psal. dicit: *Factus sum sicut iumentum, & ego semper tecũ.* Si insederit Satan, vult, & vadit quò vult Satan; nec est in eius arbitrio ad vtrum velit sessorem currere, aut cum quærere; sed ipsi sessores certant ob ipsum obtinendum & possidendum, &c. Deus nihil præscit contingenter, sed omnia immutabili & æterna infallibilię voluntate & præuidet, & proponit, & facit. Hoc fulmine sternitur & conteritur penitus liberum arbitrium. Ideo qui liberum arbitrium volunt assertum, debent hoc fulmen vel negare, vel dissimulare, aut alia ratione à se abigere. Psal.37.

36. *Liberum arbitrium ex propria virtute bona opera præstare posse*

AIT.

In visitatione Saxonica, artic. de libero arbitrio: Multi de libero arbitrio indiscretè loquuntur. Idcirco hanc breuem informationẽ asscripsimus. Homo habet ex propria virtute liberum arbitrium ad faciendum vel omittendum opera externa, per legem & pœnas adactus. Quapropter potest & secularem iustitiam, & bona opera facere ex propria virtute, à Deo ad hoc data & obtenta: Paulus enim eam vocat iustitiam carnis, hoc est, quam caro, aut homo propria virtute facit. Si ergo operatur homo ex propria virtute vllam iustitiam, vtiq; habet electionem & libertatem, & fugiendi malum, & faciendi bonum.

NEGAT.

In Assertionibus articulorum ad Leonem X. art. 36. Liberum arbitrium est figmentum in rebus, seu titulus sine re. Quia nulli est in manu sua quippiam cogitare boni aut mali, sed omnia (vt VVicleui articulus Constantiæ damnatus rectè docet) de necessitate absoluta eueniunt. Quod & Poëta voluit, quando dixit: *Certa stant omnia lege.*

37. *Neminem esse certum de salute*

AIT.

Thesi 10. VVitembergæ anno 1517. proposita: Nullus securus est de veritate suæ cõtritionis, multò minus de consecutione plenariæ remissionis.

De decem præceptis: Incertum est homini, num sit in statu salutis, nec ne.

Epistola ad Episcopum Moguntinum: Non fit homo per vllum munus Episcopi securus de salute, cùm nec per gratiã Dei infusam fiat securus de salute: sed semper in timore ac tremore iubet nos salutem nostram operari Apostolus. Cur ergo per illas falsas veniarum fabulas, & promissiones prædicatores eorum faciunt populum securum & sine timore?

NEGAT.

Ad epist. ad Gal. cap. 1. Fabulæ sunt opinatorũ Scholasticorum, hominem esse incertum, in statu salutis sit, nec ne. Caue tu, ne aliquando sis incertus, sed certus, quod in te ipso perditus: laborandum autem, vt certus & solidus sis in fide Christi pro peccatis tuis traditi.

Ad cap. 5. Omniũ pessimè docent Theologi, quãdo dicunt: nos nescire, quando simus in charitate.

38. *Bona opera ad salutem necessaria esse*

AIT.

In visitatione Saxonica: Multi clamant bona opera nihil promereri: sed multò magis conduceret, si homines ad bona opera facienda compellerẽtur. Multi dum audiunt fide hominem iustificari, fingunt omnia sibi peccata remitti per fidem, putant omninò se esse mundos, & sic temerarij & securi fiunt: huiusmodi securitas cum maiore est coniuncta errore, quàm quicquam aliud antea fuit.

NEGAT.

De captiuitate Babylonica capite de Baptismo: Ita vides quàm diues sit homo Christianus, siue baptizatus, qui etiam volens non potest perdere salutẽ suam quãtiscunq; peccatis, nisi nolit credere. Nulla enim peccata eũ possunt damnare, nisi sola incredulitas. Cætera omnia, si redeat, vel stet fides in promissionẽ diuinam, in momento absorbentur per eandem fidem.

De votis: Opus bonũ non potest doceri, nisi lædas fidem, cùm fides & opera in re iustificationis extremè aduersentur, ita fit vt doctrina operum necessariò sit doctrina dæmoniorũ, & discessio à fide.

39. *Decalogi præcepta seruanda esse*

AIT.

In visitatione Saxonica: Christianæ vitæ est bona opera facere. Idcirco decẽ præcepta Dei diligenter prædicari debent, vt per ea mereamur. In eis enim bona opera omnia continentur.

Sermone de Indulgentijs: Ideo data sunt nobis à Deo præcepta, vt per ea mereamur: & vbi non est præceptum, ibi non est obedientia.

Aduersus Antinomos: Nõ possum satis mirari, qua ratione mihi imputent, quasi Legem seu Decalogũ Dei reijciã, cùm tam multæ adhuc extent enarratiões & cõciones decẽ ꝓceptorũ Dei à me editę.

NEGAT.

Sermone de Mose: Ex textu clarè patet, quòd etiã decem præcepta ad nos nõ pertineant. Non enim nos, sed solùm Iudæos Dominus ex AEgypto eduxit. In nouo Testamento Moses non tenetur: si eũ in vno articulo obseruarem, debitor fierem vniuersæ Legis obseruandæ.

In Epist. ad Galat. cap. 4. Thomas Aquinas & cæteri Scholastici Theologi, cùm loquuntur de abrogatione Legis, asserũt Legem Mosi cæremonialem & iudicialem abrogatam esse: moralem autẽ, quę Decalogum cõtinet, non abrogatam. Hi quid loquantur ipsi non intelligunt. At verò tu, cùm de lege agis, vide vt de ea lege loquaris, quæ vera lex est, nempe spiritualis lex, & sic vniuersam legem complectere, nec vllam differentiam admitte inter cęremonialem, iudicialem, & moralem legem seu Decalogum. Nam cùm D. Paulus testatur, nos per Christum à maledicto Legis redemptos esse, reuera loquitur de vniuersa Lege, & præcipuè de decem præceptis, cùm illa duntaxat sint, quę conscientiam coram Deo accusent, & terreant, quod leges cęremoniales, & iudiciales eo modo non faciunt. Quæ cùm ita sint, affirmamus, quòd etiam Decalogus in eis conscientijs, quas Christus per suam gratiam gubernat, nihil iuris obtineat, quo eas accusare aut terrere possit: quoniam Christus huius Legis aduersum nos ius abrogauit, cuius gratia maledictum factus est.

Ad cap. 20. Exod. Nihil ad nos Gentiles & Christianos, sed solùm ad Iudæos Lex pertinet. Testatur ac conuincit hoc ipse textus, vbi dicit: *Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra AEgypti.* Hoc certè meridiana luce clarius est, quòd nos gẽtiles non simus educti ex AEgypto, sed Iudęis hoc contigit. Quamobrem Moses Decalogum solum ad populum Iudaicum ex AEgypto eductũ dirigit. Hoc autem propterea refero, vt certos illos spiritus arceam, qui per vim Legẽ Mosis humeris nostris imponere conantur cum omnibus suis præceptis. Nihil minus, quàm tale quicquam faciemus, ne in minimis quidem Mosen suscipiemus, nisi eatenus, quatenus cum lege naturæ conuenit. Legimus quidem Mosen vt alium Doctorem liberè, sed pro nostro Legislatore eum nõ recipimus. Nam satis præceptorum habemus in noua Lege: quamobrem illum in nostram conscientiam nõ admittemus, sed eam Christo immaculatam reseruabimus. Constat ergo Decalogum solis Iudęis traditum, non nobis, dicant quicquid velint omnes sectarij spiritus, cũ veritate nihil aliud docebunt.

40. *Mandata Dei per Dei gratiam seruari posse*

AIT.

Defensione contra Eckium: Mandata Dei, etiam leuissima & minima, sunt homini impossibilia per semetipsum, sed cum gratia Dei sunt facillima, vt Apostolus: *Possum omnia in eo, qui me confortat.* Rectè ergo Hieronymus dicit: Anathema esse, qui dixerit impossibilia esse mandata Dei, sed non negauit nobis esse impossibilia.

NEGAT.

Responsione ad Dialogum Syluestri Prieratis: Pessimè facis, quòd negas Saluatorem impossibilia iussisse. Plus quàm pessimè facis, quòd hoc falsitatem audes

audes appellare. Non possumus in hac vita mandata Dei implere.

41. *Orationem ad Deum esse vtilem & necessariam ad salutem impetrandam*

AIT.

De visitatione Saxonica: Sicut grande peccatum est homicidium: ita quoque ingens peccatum est à Deo nihil petere.

De bonis operibus: Accepta est oratio coram Deo. Sic enim Iacobus: *Qui postulat aliquid à Deo, in fide nõ hæsitet.* Sacerdotes & Ecclesiastici Missam quotidie celebrant, omni hora orant, seq; in verbo Dei exercent studendo, legendo, audiẽdo. Ideo & priuilegium præ alijs habent.

NEGAT.

Sermone de Ascensione Domini: Cõstanter dicimus etiam orando peccare iustum.

De pijs cæremonijs in cœtu Ecclesiæ seruandis: Non existimemus Deum placari multo murmure aut recitatione precationum, vt hactenus obseruatione cęremoniarum factum est.

42. *Orationes, Psalmodias, & Horas Canonicas Clericorum*

PROBAT.

In explicatione Orationis Dominicæ: Quando Sacerdotes & Cœnobitæ ex mera obedientia cantant & orãt, etiamsi non attendunt ad hoc, illorum oratio est frugifera & diaboli cruciatrix, &c. Orationem Sacerdotum vocalem nemo reijcere debet, etiamsi precaria verba sint, sed magna gratitudine recipere, sicut grande munus Dei.

IMPROBAT.

De abroganda Missa priuata: Non est peccatum hodie in sacerdotio Papistico, quod æquari possit neglectui Horarum, cùm reuera vix sit maius peccatum, hoc laboriosõ, & tamen simulato cultu Dei, qui per Horas istas boando & murmurando peragitur, vt quale est sacerdotium, tale est & peccatum.

Contra Ambrosium Catharinum: Hic boantur, aut murmurantur Horæ Canonicæ, sic tamen vt nũquam orentur.

43. *Monasticam vitam*

PROBAT.

In declaratione, quòd virginibus sua monasteria relinquere liceat, Tomo 6. German. fol. 239. Quæ spiritu intelligentiæ sunt præditæ, & monastica conuersatione rectè vti sciunt, & non illibenter in ea ætatẽ transigunt, finantur illic manere.

IMPROBAT.

In confessione de Cœna Domini: Quamobrem reijcio & condemno etiam vt diaboli sectas & errores, omnes ordines, regulas, cœnobia, fundationes, & quicquid ab hominibus præter & contra Scripturam inuentum & institutum est, votis & promissionibus coniunctum. Nec obstat, quòd multi magni & sancti viri in ea vixerint, &c.

44. *Vota seruanda esse*

AIT.

De Ecclesiasticis & monasticis votis: Nemo negare potest à Deo præceptum esse, vt vota seruentur, quemadmodum Scriptura dicit: *Vouete, & reddite,* ita vt nemini liceat disputare an vota seruanda sint, &c. Est mandati diuini: *Vouete, & reddite.* Hoc neminem fallet, nisi eum solùm, qui non credit esse mandatum & veritati consentaneum. *Tomo 6. Germ. pag. 181. 216.*

NEGAT.

De captiuitate Babylonica capite de Baptismo: Vnum hoc addo, quod vtinam cunctis queam persuadere, id est, vt vota omnia prorsus tollerentur, aut vitarentur, siue sint religionum, siue peregrinationum, siue quorumcunque operum: manere

mus in libertate religiosissima & operosissima Baptismi.

45. *Obedientiam*

PROBAT.

In Resolutionibus de Indulgentijs, conclusione 50. Religiosi suam debent obedientiam seruare, etiamsi possent alibi martyrio coronari: nec Papa vnquam intendit contrarium.

IMPROBAT.

Libro de votis: Peccant hic in obedientia eadem infania monastici, qua in paupertate: primò, ꝙ consilium eam faciunt, deinde solis sibi arrogãt. Ideo dum eam vouent, impiè negant mandatum Dei, & sacrilegè damnant mandatum Baptismi sui. Vt ipsi votum obedientiæ fermè maximum & summum in religionibus faciunt: ita nos è cõtrario videmus esse infimum.

46. *Cœlibatum monachorum, & clericorum*

PROBAT.

De decem Præceptis, in sexto præcepto: Sacrilegium est, cùm religiosus, sacerdos, monialis, & omnes alij, qui Deo continentiam vouerunt, fornicantur, &c. In veteri Lege virginitas summi erat opprobrij, nunc autem summæ glorię tunc damnabile dedecus, nunc incomparabile decus, eis saltem, qui non proposuerunt nubere, &c. Sacrilegium est vbi iam non tantùm castitas polluitur, sed etiam quæ soli Deo fuit oblata tollitur, & sanctum profanatur. Verùm hoc ex institutione Ecclesiæ magis, quàm ex Deo est in sacerdotibus: sed in religiosis grauissimum est; quia sponte se consecrauerunt Domino, & se subtrahunt rursum.

IMPROBAT.

De votis monasticis: Quid vouet cœlebs vouendo castitatem, nisi rem, quæ prorsus nec est, nec potest esse in manibus suis, cùm sit solius Dei donũ, quod accipere, non offerre potest homo?

Contra Ambrosiũ Catharinum: Decima facies Antichristi est insignis ille cœlibatus, & castitatis monasticæ multitudo, planè Angelica facies, sed diabolica res.

47. *Septem Sacramenta*

ASSERIT.

De potestate Papæ: Omnium Ecclesiasticorum idem est Baptismus, eadem Ecclesia, eadem Confirmatio, idem verbum Dei, idem Sacerdotium, eadem Pœnitentiæ, Vnctionis, Matrimonij, & omnia Sacramenta.

NEGAT.

De captiuitate Babylonica: Principiò neganda mihi sunt septem Sacramenta, & tantùm tria pro tẽpore ponenda: Baptismus, Pœnitentia, Panis: & hæc omnia esse per Romanam curiam nobis in miserabilem captiuitatem ducta, Ecclesiamq; sua tota libertate spoliatam. Quanquam, si vsu Scripturæ loqui velim, non nisi vnum Sacramentum habeam, & tria signa Sacramentalia, de quo latius suo tempore, &c. Propriè ea Sacramenta vocari visum est, quæ annexis signis promissa sunt. Quo fit, vt si rigidè loqui volumus, tantùm duo sint in Ecclesia Dei Sacramenta, Baptismus, & Panis. Nã Pœnitentiæ Sacramentum, quod ego his duobus accẽsui, signo visibili & diuinitus instituto caret.

48. *Sacramenta veteris & nouæ Legis differre*

AIT.

In Sermonibus conuiualibus, titulo de Sacramento Altaris: Sacramẽta veteris Legis non iustificabant per se, & propria virtute; sed nuda duntaxat erant signa, significationes, & indicia coram hominibus: Baptismus autem est aqua in & cum verbo Dei conglutinata, & alligata, in qua gratia promitti-

tur. Nam Sacramenta nouæ Legis non sunt tantùm nuda signa, qualia erant in veteri Testamento; sed operantur remissionem peccatorum, iustitiam, & salutem in illis, qui vera fide eis vtuntur.

NEGAT.

De captiuitate Babylonica, capite de Baptismo: Error est Sacramenta nouæ Legis differre à Sacramentis veteris Legis penes efficaciam significationis. Vtraque æqualiter significabant. Idem enim Deus, qui nos nũc per Baptismum & Panem saluat, saluauit Abel per sacrificium, Noë per arcam, Abraham per Circuncisionem, & alios omnes per sua signa.

49. *Sacramenta conferre gratiam*

AIT.

De præparatione ad mortem: Moriturus magnificiat Sacramẽta, & veneretur, eis securè hilariterqúe confidat, ac contra peccatum, mortem, & infernum sic libret, ac si longè præponderent, & multo plus de Sacramentis, & eorum virtutibus cogitet, quàm de peccatis.

Epistola aduersus Regem Anglia: Detestandi sunt Svvermeri Sacramentarij, qui Sacramenta pro signis externis habent, quibus Christiani signantur, sicut oues creta rubea.

NEGAT.

In Assertionibus art. 1. Hæretica est sententia, sed vsitata, Sacramenta nouæ Legis gratiam dare illis, qui non ponunt obicem.

Concione de Pœnitentia: Non Sacramentum, sed fides Sacramenti iustificat.

In captiuitate Babylonica cap. de Baptismo: Nec verum esse potest Sacramentis inesse vim efficacem iustificationis, seu ea esse signa efficacia gratiæ. Hæc enim omnia dicuntur in iacturam fidei ex ignorantia promissionis diuinæ.

50. *Sacramenta suam vim & efficaciam à fide obtinere*

AIT.

Sermone de Pœnitentia Tom. 2. Germ. fol. 3. In fide omnia sita sunt, quæ sola facit vt Sacramenta operentur ea, quæ significant.

In causis & rationibus omnium articulorum in Bulla condemnatorum Tomo 7. Germ. fol. 115. Attende tibi ab Antichristo Romano Pontifice, & pro certo tibi persuadeas, Sacramentorum vim nec à sanctitate, nec à summitate, nec à potentia, nec à diuitijs, nec à pileis, nec à manibus, nec à calceis, nec à Pontifice, nec ab Episcopis, nec à clericis, nec à monachis, sed à propria fide pendere.

NEGAT.

Epist. de Anabaptismo ad duos Parochos: Si quis Baptismum fundare velit in fide baptizandorum, eum nunquam hominem aliquem baptizare oportet. Nam etsi hominem aliquem centies vno die baptizes, tamen ne semel quidem pro certo agnoscis, num credat, nec ne. Quid tractas ergo cum tuo Anabaptismo: quandoquidem contra te ipsum agis & baptizas, vbi nihil tibi de fide cõstat, & tamen doces oportere fidem adesse? &c. Nec qui baptizat, nec qui baptizatur, Baptismũ verè in fide fundare potest.

51. *Baptisma conferre gratiam*

AIT.

De captiuitate Babylonica: Quocunque modo tradatur Baptismus, modò non in nomine hominis, sed in nomine Domini tradatur, verè saluum facit, &c. Baptismus omnia peccata remittit.

Ad Psal. 122. Tomo 8. Germ. fol. 27. Impius planè sermo est, si quis de sacro Baptismate dicat, quòd aqua aqua fit, & maneat: cùm huic aquæ Dei verbum mandatum, & promissio adsit, quæ candenti ferro assimulatur. Hoc vt verè ferrum est, sic verè & ignis existit, & quicquid ignis operatur efficit. Verbum autem in Baptismo vident soli fideles: impij verò non secus ac vacca aut canis nihil vident in aqua.

In Postilla Ecclesiastica super Euangelium in die Trinitatis: Huiusmodi officium Christus hoc modo ita prædicat, quod sit Spiritus sancti opus, quo homo de nouo nascitur: quòd non sit purus & simplex aquæ Baptismus, sed etiam Spiritus sanctus adsit: & qui sic baptizatur, hic non solùm aqua, sed etiam sancto Spiritu baptizatus sit; quod de alijs baptismis, quales Iudæorum fuêre, cum omnibus ipsorum cæremonijs, dici nequit.

NEGAT.

Sermone de recumbentibus: Baptismus nihil aliud est, quàm externum signum. *Parte 1. de Schembamphoras Tom. 5. Germ. fol. 514.* Nos Christiani asserimus, quòd aqua reuerâ nihil aliud quàm aqua sit, verbum nihil aliud sit, quàm inanes literæ, quæ faciunt & operantur præter suam naturam nihil, multo minus diuina in nobis opera efficiunt.

De captiuitate Babylonica: Arbitrati sunt quàm plurimi esse aliquam virtutem occultam spiritualem in verbo & aqua, quæ operatur in anima recipientis gratiam Dei. His alij cõtradicentes statuunt, nihil esse virtutis in Sacramentis, sed gratiam à solo Deo dari, qui assistit ex pacto Sacramentis à se institutis. Omnes tamen in hoc concedunt Sacramenta esse efficacia signa gratiæ. Nõ videri alioqui, qua ratione nouæ Legis Sacraméta præstarent vetustis, si solùm significarent, &c. Hæc autem quia sunt impia & infidelia, contra fidem & naturam Sacramentorum pugnantia, diligenter sunt cauenda & fugienda.

52. *Pueros aliena offerentium fide baptizari*

AIT.

De præparatione cordis pro suscipiendo Sacramento Eucharistiæ: Non potest fieri, vt Ecclesiæ fides permittat te perire: non magis certè, quàm paruulum, qui alienæ fidei merito baptizatur & saluatur.

De captiuitate Babylonica cap. de Baptismo: Opponetur forsitan eis, quæ dicta sunt, Baptismus paruulorum, qui promissionem Dei non capiant, nec fidem Baptismi habere possint: ideoq; aut non requiri fidem, aut paruulos frustra baptizari. Hic dico quod omnes dicũt, fide aliena paruulis succurri, illorum qui offerunt eos.

NEGAT.

Ad VValdenses: Præstat potius omittere Baptismũ in paruulis, quàm baptizare sine fide: quia Sacramenta neque debent, neque possunt sine fide accipi.

Aduersus armatum virum Cochlæum: Non tamen negamus paruulos, nec asserimus eos Baptismum accipere sine fide; sed dicimus ad Baptismum eos accedere per vim verbi, quo exorcizantur, & per fidem Ecclesiæ eos offerentis, & eis fidem orationibus suis impetrantis: alioquin mera & intolerabilia essent mendacia, quando baptizans à paruulo quærit, an credat? non baptizaturus, nisi vice eius respondeatur: credo. Vt quid interrogat an credat, si certum est eos non credere? Quin asserimus paruulos prorsus non esse baptizandos, si verum est eos in Baptismo non credere, ne illudatur maiestatis Sacramentum & verbum. Debemus autem hunc negatæ fidei errorem Sophistis, qui hominum dicta sicut animalia munda vorant sine iudicio, & simul contraria docent, dum negant paruulo esse fidem, & tamen vt baptizari possit, exigunt ab eo fidem.

53. *In Baptismo deleri peccatum originale*

AIT.

Ad caput 6. Genes. Tom. 5. fol. 53. Cùm puer Baptismo mergitur, idem est ac si dicerem: submergo, & extinguo, quicquid in te carnis & sanguinis est. Nam quando inde educitur, omni peccato & infortunio caret, ita vt in Baptismo submergatur quicquid mundanum & carneum est, & solus spiritus maneat.

NEGAT.

Ad Psalmum 51. Tomo 3. Germ. fol. 347. Discimus hîc, quòd verbum hoc (*Deus sit mihi propitius*) solùm latè dilatamus: & non solùm de peccatis, sed etiam de originali peccato, quod nobis ad sepulturam vsque adhæret, interpretamur.

De bonis operibus Tomo 7. Germ. fol. 96. Peccatum originale nobis à natura insitum, opprimitur quidem, non tamen penitus eradicatur, nisi per naturalem mortem.

In Sermonibus coniugialibus Germ. titulo de peccatis: Manet in nobis originale peccatum, & vires suas in nobis exerit quàm diu viuimus.

54. *Aquam benedictam*

PROBAT.

In captiuitate Babylonica, cap. de extrema Vnctione: Numerabimus extremam Vnctionem inter Sacramenta, quæ nos constituimus, vt sunt salis & aquæ consecratio & aspersio. Neque enim negare possumus, creaturam quamlibet per verbum & orationem sanctificari, quod Apostolus Paulus nos docet: ita non negamus per extremam Vnctionem dari remissionem & pacem.

IMPROBAT.

Contra Ambrosium damnat omnes creaturarum benedictiones.

55. *Nullum sine Baptismo saluari*

AIT.

In domestica Postilla, impressa VVittemb. anno 1549 Sermone 2. in die Trinitatis, super Euangelium Ioannis 3. Dictum hoc: *Nisi quis renatus fuerit ex sancto Spiritu, non intrabit regnum cælorum*, diligenter notabimus, maximè aduersus cæcos Anabaptistas, qui puerorum Baptismum vt inutilem & minus fructuosum æstimant. Sed qua ratione potest huiusmodi Baptismus minus esse fructuosus, cùm hîc audias, quòd Christus aquam in hunc finem ordinârit, vt operãte Spiritu ad regenerationem operetur? Quòd si iam pueris vt regenerentur necessarium est, & aliâs Dei regnum videre nequeunt, quare illis Baptismum denegaremus?

NEGAT.

In Colloquijs conuiualibus, titulo de Baptismo: Deus non ita se suis Sacramentis alligauit, quòd alias sine Sacramentis nihil possit præterea. Vt sub Lege multos reges & principes sine lege, veluti Iob, Naaman Assyrium, Assur Babylonium saluauit, nec tamen ob id Legem pro nihilo haberi, sed seriò sub certa pœna & maledictione seruari voluit: ita spero, quòd si eiusmodi pueri, absq; propria culpa, Baptismo aliquando priuentur, & ex professo mandatum Dei non contemnitur, bonus & misericors Deus boni aliquid de illis cogitabit: sed propter malitiam hominum nolo vt hæc publicè vel dicantur, vel credantur; ne in vniuersum omnia, quę Deus ordinauit ac mandauit, contẽmnantur.

56. *Confirmationis Sacramentum*

ASSERIT.

Libro de potestate Papæ: Omnium Ecclesiarũ idem est Baptismus, eadem Ecclesia, eadem Confirmatio, idem Sacerdotium, eadem Pœnitentia.

Sermone de nouo Testamento Tom. 7. Germ. fol. 34. Si quæras, quid relinquitur ergo in Missa vnde sacrificiũ dici possit, cùm tam multa verba in hoc officio de sacrificio recitentur? Respondeo: Dico quòd nihil relinquatur. Nam nobis omnino fatendum est, Missam esse Sacramentum & testamẽtum, quod non potest sacrificium, vt nec cætera Sacramenta, Baptismus, Confirmatio, Pœnitentia, Vnctio.

NEGAT.

De captiuitate Babylonica, capite de Confirmatione: Mirum est, quid in mentem illis venerit, vt Sacramentum Confirmationis facerent ex impositione manuum, qua legimus Christum paruulos tetigisse.

Contra Louanienſium articulos Thesi 33. Confirmationem esse Sacramentum sine verbo asseritur, & sentina Louanienſium mentitur esse à Christo institutam.

De vita coniugali: Deuita simiarũ lusum, Confirmationẽ, quæ est mera impostura. Cõcedo Confirmationem, sed ea lege, vt sciatur, quòd Deus nihil de ea præceperit, nec quicquam inde sciat; quòd merum mendacium sit, quod Episcopi de ea asserunt. Dicunt diuinum esse Sacramentum, cùm nihil sit, nisi humanum inuentum.

57. *In Eucharistiæ Sacramento Transubstantiationem fieri*

AIT.

Sermone de Eucharistia: In Sacramento altaris nõ est panis & vinum, sed species panis & vini: nempe panis in verum & naturale corpus Christi, & vinum in verum ac naturalem sanguinem Christi transmutatur.

In visitatione Saxonica: Docendi sunt Christi fideles, vt credãt in pane verum corpus Christi, & in vino verum sanguinem Christi.

Sermone de venerabili Sacramento, & fraternitatibus Tomo 7. Germ. fol. 20. Quemadmodum panis ille in verum ac naturale ipsius corpus, & vinum in naturalem ipsius sanguinem verè transmutatur: sic quoq; nos verè in spirituale corpus, hoc est in cõmunionem Christi, & omnium Sanctorum attrahimur, & transmutamur, &c. Quidam arte sua & subtilitate freti, quærunt, vbi panis maneat, cùm in carnem Christi transmutatur; & vinum, vbi in sanguinem vertitur? Item quo modo in tam parua portione panis & vini totus Christus carne & sanguine includi possit? Hoc nihil refert, etiamsi tu non videas.

NEGAT.

De captiuitate Babylonica: Permitto, qui volet, vtramq; opinionem tenere: hoc solum nunc ago, vt scrupulos conscientiarum de medio tollam, ne quis se reum hæreseos metuat, si in altari verum panem, verumq; vinum esse crediderit. Sed liberũ esse sibi sciat, citra periculum salutis, alterutrum imaginari, opinari, & credere, cùm sit hîc nulla necessitas fidei. Transubstantiationem potestate diuina factam cùm nõ sit necesse poni, pro figmẽto humanæ opinionis haberi debet: quia nulla Scriptura, nulla ratione nititur.

Contra Regem Anglia: Impius est & blasphemus, si quis dicat panem transubstantiari: Catholicus autem & pius est, qui contrarium docuerit.

Aduersus 32. articulos Theologorum Louanienſium: Transubstantiatio panis & vini in Sacramento, à Magistrollis Louaniẽsibus sine omni fundamento, sine vllo verbo, ex mera insciti a traditur.

58. *Eucharistiam esse Sacramentum venerabile & adorabile*

AIT.

Contra Louanienſes Theologaſtros: In Euchariſtiæ Sacramento venerabili & adorabili exhibetur, & ſumitur verè, & reipſa corpus & ſanguis Chriſti, tam à dignis, quàm ab indignis.

In viſitatione Saxonica: Parochi primùm doceãt populum, quàm grande ſit peccatum, hoc Sacramentum inhonorare, ac eo non rectè vti.

Sermone de præparatione ad mortem: Omni ſtudio ac vigilantia magnifacienda ſunt & honoranda Sacramenta, maximè Sacramentum altaris.

De adoratione Sacramenti Tomo 7. Germ. fol. 370. Qui non credit, eſſe illic Chriſti corpus & ſanguinem, rectè facit, quòd nec ſpiritualiter, nec carnaliter adorat: qui verò credit, quemadmodum credi oportere ſatis demonſtratum eſt, hic profectò corpori & ſanguini Chriſti ſuam reuerẽtiam ſine peccato denegare nequit. Nam omnino fateri cogor, Chriſtum illic eſſe præſentem, cùm ipſius corpus & ſanguis adſunt.

GEORGIVS *Princeps Anhaldinus Concione 4. de venerabili Sacramento*: Reuera teſtari poſſum, quòd cùm anno 1541. cum Reuerendo & doctiſſimo D. Martino pię memorię de hac quęſtione VVittembergæ coram agerem, reſpondit: Si Spiritum S. in ſpecie columbæ, eodem quo S. Baptiſta Ioannes modo, de cælo deſcendentem viderem, genibus prouolutus manus ad cælum leuarem, ac dicerẽ: S. Spiritus ſis mihi popitius: cur non illud ipſum facerem coram venerabili Sacramento, vbi Chriſtus reuera præſens adeſt? Quamobrem illo tempore hæc verba propria manu mihi ſcripſit: Adoratio in ſumendo per ſe accidit, dum genibus flexis verum corpus, & verus ſanguis ſumitur, ſine diſputatione.

NEGAT.

Ad VValdenſes: Non damnandi, nec hæreſeos accuſandi ſunt, qui Sacramentum non adorant, cùm non ſit præceptum, nec Chriſtus in hoc adſit.

59. *Euchariſtiam pro infirmis ſeruandam eſſe*

AIT.

De vtraq; ſpecie Sacramenti To. 7. fol. 361. Ger. Concedo, vt Sacramentum Euchariſtiæ in Monſtrantijs ſeruetur.

NEGAT.

De adoratione Sacramenti: AEdiculæ, quibus Euchariſtia pro infirmis ſeruatur, & Proceſſiones in Feſto Corporis Chriſti reijciendæ ſunt.

60. *Quemlibet poſſe conficere Sacramentum Euchariſtiæ*

AIT.

De Miſſa angulari: Non dicam quod Papiſtæ aſſerunt, quòd nullus Angelus, nec Maria conſecrare poſſit, &c. ſed dico, quòd ſi Diabolus ipſe veniret, (ſi modò eius eſſet bonitatis, vt aut vellet, aut poſſet,) ſed pono, quòd ſi poſtea cognoſcerẽ, quòd Diabolus in huiuſmodi officium irrepſiſſet, aut ſub habitu viri alicuius vocaretur ad officiũ Parochi, publicè in Eccleſia Euangelium doceret, baptizaret, Miſſam celebraret, abſolueret, & huiuſmodi officia non ſecus ac Parochus aliquis adminiſtraret, iuxta mandatum & ordinationem Chriſti, fateri cogeremur, vera eſſe Sacramenta, verum Baptiſmum acciperemus, verum Euangelium audiremus, verè abſolueremur, verum Sacramentum corporis & ſanguinis Chriſti ſumeremus. Nam fides noſtra & Sacramenta non nituntur perſonis, ſiue ſint boni, vel mali; ordinati, vel non ordinati; vocati, an ſubintroducti; diabolus, an ipſius mater.

NEGAT.

In Catechiſmo de Sacramento altaris Tom. 6. fol. 87. G. Vt nullus Sanctorum in terra, imò nullus Angelorum in cælis ex pane & vino corpus Chriſti efficere poteſt: ſic etiam nemo mutabit aut tranſmutabit, etiamſi abuſus accedat. Non enim propter perſonam aut incredulitatẽ falſificatur verbum, cuius virtute Sacramentum efficitur.

61. *Laicos vna Sacramẽti ſpecie debere eſſe cõtẽtos*

AIT.

Sermone de Euchariſtia: Quamuis populo nunc non datur vtraq; ſpecies, ſicut olim, neque neceſſe eſt: tamen ſacerdotes vtramq; ſumunt quotidie coram populo, & ſatis eſt populum quotidie deſiderare, & ſuo tempore alteram ſpeciem, quantum ordinat, & dat Eccleſia Catholica, ſumere.

In declaratione Euchariſtiæ: Non dixi, neque conſului, neque eſt intentio mea, vt vnus, aut aliquot Epiſcopi propria auctoritate incipiant alicubi vtramque ſpeciem porrigere, niſi ita cõſtitueretur, ac mandaretur in Concilio generali.

Epiſtola ad Bohemos: Quamuis pulchrum quidẽ eſſet, vtraq; ſpecie in Euchariſtia vti, & Chriſtus hac in re nihil tamquam neceſſarium præcepit, præſtaret tamen pacem & vnitatem, quam vtique Chriſtus præcepit, ſectari, quàm de ſpeciebus contendere.

Ad Chriſtianam nobilitatem: Non ſum auctor vt Bohemi ad vtramque ſpeciem cogantur, ſed vt quo volunt modo relinquantur: Epiſcopus duntaxat curet, ne diſcordia ex diuerſo hoc communicandi modo oriatur, ſed familiariter eos inſtruat, neutrum eſſe cum errore coniunctum; quemadmodum omni errore vacat, quòd ſacerdotes alio quàm laici habitu vtuntur.

De vtraque ſpecie Sacramenti Tom. 7. fol. 360. G. Si veneris ad locum, vbi tantùm vna ſpecies miniſtratur, cum alijs vna tantùm ſpecie vtere: ſi duæ ſpecies porriguntur, vtramque accipe: nec ſingulare quicquam tentes, nec te multitudini opponas.

NEGAT.

In Aſſertionibus artic. 16. Cõſultum videtur, quòd Eccleſia in cõmuni Concilio ſtatueret, laicos ſub vtraque ſpecie communicandos eſſe: nec Bohemi ſub vtraq; ſpecie communicantes ſunt hæretici & ſchiſmatici, &c. Conſultum videtur, vt non modò per Concilium, ſed per quamcumq; diœceſin quilibet Epiſcopus, etiam inuito Papa, Chriſtum ſecutus in Euãgelio, vtramq; ſpeciem laicis daret.

De formula Miſſæ: Simpliciter vtraq; ſpecies, iuxta inſtitutum Chriſti, & petatur, & miniſtretur: Concilia nec morari, nec audire volumus. Quin amplius dicimus: Si quo caſu Cõcilium propria auctoritate ſtatueret, aut permitteret, tunc minimè omnium nos velle vtraque ſpecie potiri: imò tunc primùm in deſpectum tam Concilij, quàm ſtatuti ſui nos velle aut alterutra tantùm, aut neutra: & nequaquam vtraq; potiri, ac planè eos anathema habere, quicumque auctoritate talis Concilij, vel ſtatuti, vtraque potirentur.

De captiuitate Babylonica: Negare vtramq; ſpeciẽ laicis eſt impium & tyrannicum, nec in manu vllius Angeli, nedum Papæ, & Concilij cuiuſcumq;. Prima ergo captiuitas huius Sacramẽti eſt, quoad eius ſubſtantiam, ſeu integritatem, quam nobis abſtulit Romana tyrannis: non quòd peccent in Chriſtum, qui vna ſpecie vtuntur, cùm Chriſtus nõ præceperit vlla vti, ſed arbitrio cuiuslibet reliquit, dicens: *Quotieſcumq; hoc feceritis, in mei memoriam facietis*: ſed quòd illi peccãt, qui hoc arbitrio volentibus vti, prohibent vtramq; dari: culpa nõ eſt in laicis, ſed in ſacerdotibus: Sacramentũ non eſt ſacerdotũ, ſed omniũ: nec domini ſunt ſacerdotes, ſed miniſtri, debentes reddere vtramq; ſpeciem petentibus, quotieſcumque petierint, &c.

In Apoc. Ioan. T. 7. Ger. f. 233. Melius eſſet neutra potiri ſpecie, quàm vna tantùm, quo tanto turius curaremus, ne mandatum violaremus, quod Chriſtus inſtituit.

62. *In conſecratione Euchariſtiæ vinum aqua miſcendum eſſe*

DVBITAT.

De formula Miſſæ: Sub Symbolo, vel poſt Concionẽ apparetur panis & vinũ ad benedictionẽ ritu ſolito, niſi quod nondum mecum conſtitui, miſcẽdane ſit aqua vino: quamquam huc inclino, vt merum potius vinum paretur abſque mixtura.

NEGAT.

Contra Henricum Regem Angliæ: Nos Papiſtis libenter fauemus in magnificis illis ſuę fidei articulis, quibus credunt aquam vino eſſe miſcendam. Nos autem tales merè fatuos, ac ſtolidos affirmamus. Et meo ſenſu melius ac tutius foret, aquam non miſcere vino, cùm ſit merum figmentum humanum, & ſiniſtram, imò peſſimam habeat ſignificationem.

63. *Euchariſtiæ panem & calicem eleuandum eſſe*

AIT.

De captiuitate Babylonica: Idem facit, quòd ſacerdos mox conſecrato pane, & calice eleuat eundem: quo non ſeſe offerre aliquid Deo oſtendit, cùm nullo verbo meminerit hoſtiæ ſeu oblationis: ſed eſt & id ipſum vel reliquum ritus Hebraici, quo leuabantur, quę cum gratiarum actione accepta Deo referebantur.

In formula Miſſæ: Sub cantu *Benedictus* eleuetur panis & calix, ritu hactenus ſeruato, vel propter infirmos, qui hac repentina huius inſignioris in Miſſa ritus mutatione fortè offendentur: præſertim vbi per cõciones vernaculas edocti fuerint, quid ea petatur eleuatione.

In breui confeſſione de Sacramento Tomo 2. fol. 226. Cùm huiuſmodi ſpiritum furere viderem aduerſum nos ſine cauſa, quòd nobis illud pro maximo peccato imputare volebat, vbi nullum erat peccatum, accedens ego retinebam eleuationem in contemptum & deſpectum huiuſmodi dæmonis, quam tamen ſtatueram relinquere.

NEGAT.

De abroganda Miſſa priuata: Hoc vult miniſter, dum eleuat hoſtiam & calicem. Nullo enim verbo meminit ſacrificij inter eleuandum; quod tamen oportuit quàm maximè. Quamquam quid refert, ſi nihil eleuaretur? Ex hominibus eſt ea eleuatio, non ex inſtituto Chriſti.

In Sermonibus conuiualibus, Titulo de Sacramento altaris: Quid neceſſe eſt, dicebat D. Martinus Luther, multum diſputare & altercari de abominabili illa idololatria Eleuationis, qua Sacramentum in altum eleuatur, & populo monſtratur, vbi nullo Patrum teſtimonio nititur, & ſine vlla vtilitate introductum eſt, ſolum in hunc finem, vt confirmaretur eo error adorationis & Tranſubſtantiationis?

In breui Confeſſione de Sacramento Tom. 2. Ger. fol. 227. Eleuationem omittimus: cùm enim maior pars Eccleſiarum antehac iam dudum ea non eſt vſa, nos & in hac parte eis aſſentiemur, nec ſingulare quicquam in hoc negotio exercebimus.

64. *Miſſam eſſe bonum opus*

AIT.

De tertio præcepto: Sunt quinque facienda pro ſanctificatione Feſti, vt colligitur ex Decreto, ſcilicet audire Miſſam, audire verbum Dei, orare, offerre, & conteri de peccatis. Primum, audire Miſſam. Hic nimium ſtultè quidam interpretantur Canonem, volentes ideo Miſſam legendam altiore voce, quòd non videri, ſed audiri ſit præcepta; quaſi non magis præceptum ſit, Canonem Miſſæ, qui ſolus propriè eſt Miſſa, preſſa voce legi, ne audiatur: cætera autem ſunt orationes, vel paramenta ad Canonem Miſſæ. Quòd ſi propter Euangelium volunt eam altius legendam eſſe, cur non cogitant, quòd aliud eſt præceptum de verbo Dei, & aliud de Miſſa? Sed ceſſent iſta vana ſomnia, cùm per omnem Eccleſiam nullus, niſi ſacerdos ſolus, Miſſam audiat totã, magno ſcilicet eo Sacramento, quod Chriſtus verus ſacerdos, quamquam multa operatur in Eccleſia per externa Sacramenta, & viſibiles cæremonias, in quibus ei fideles concinunt & cooperantur.

Sermone de Indulgentijs: Mihi dubium non eſt Miſſam pro defunctis celebratam efficaciorem & meliorem eſſe ad redimendas animas, quàm ſunt Indulgentiæ per Miſſam quæſitæ.

In Reſolutionibus de Indulgentijs, concluſione 26. Primò reipſa & officio præſente, ſicuti fit cùm ſacerdos cum populo orat, ieiunat, ſacrificat, alia aqúe facit nominata opera pro memoratis animabus: de quo ſuffragio nullum dubium eſt, quin vehementer proſit, & redimat animas ſecundùm quod Deo viſum fuerit, & illę meruerint.

NEGAT.

De captiuitate Babylonica: Tutius eſt omnia negare, quàm Miſſam concedere opus aut ſacrificium eſſe: ne verbum Chriſti negemus, fidem ſimul cum Miſſa peſſundantes.

Contra Regem Angliæ: Manifeſtum eſt ſacerdotes in Miſſa id omittere, quod Chriſtus in Cœna fecit; & id facere, quod Iudæi fecerunt in cruce Chriſto.

Contra Zvvinglium & Oecolampadium: Maxima mea peccata ſunt, quòd tam ſanctus fui monachus, ac tot Miſſis per annos quindecim Dominũ meum tam grauiter offendi.

De abroganda Miſſa priuata: Quare concludamus conſtanti fiducia Miſſarum vſum, ſacrificiorum nomine, & ſacerdotum titulo tenere idem eſſe, quod negare Chriſtum, & transferre eius ſacerdotium, cum vniuerſa lege eius.

65. *Melchiſedech panem & vinum obtuliſſe, & Chriſti ſacrificium præfiguraſſe*

AIT.

Ad Pſalm. 110. Tom. 8 fol. 579. Melchiſedech Rex erat & ſacerdos, obtulit panem & vinum, etiam pro Patriarcha Abraham & eius familia. Qua figura ſignificatur, nullum eſſe tam ſanctum, qui non dãnaretur, ſi Chriſtus pro eo non offerretur. Nam hic ſacerdos eſt loco omnium, &c. Quid eſt verò oblatio panis & vini pro Abrahamo? Hoc exprimit ſacerdotium Chriſti ab hoc tempore vſque ad finem mundi, quo myſticum altaris Sacramentum pretioſi corporis & ſanguinis ſui offert Eccleſia.

NEGAT.

Ad Pſalm. 110. Tomo 3. fol. 515. German. Differentia nobis adhibenda eſt inter Aaronis & Chriſti ſacerdotium, quod etiam verba deſignant: *Iuxta ordinem Melchiſedech*, hoc eſt, ita vt de Melchiſedech ſcriptum eſt Geneſ. 14. *Cùm Abraham ex pugna rediret, qua quinque Reges deuicerat, protulit Melchiſedech panem & vinum: Et cùm eſſet ſacerdos Dei, benedixit Abraham celebri benedictione.* Hic noſtri Papiſtæ in textum irrepſerunt, nec quicquam in eo reſpexerunt, præter ea, quæ referuntur de pane & vino. Quæ cùm viderunt, mox ijs ad ſacrificium Miſſæ ſtabiliendum abuſi ſunt, textui magnam vim adhibuerunt, vbi Latina translatio habet *proferens*, legerunt, *offerens*. Textus non loquitur quòd ſacrificauerit, ſed quòd cùm Abrahamus & trecẽti & octodecim viri, vnà cum captiuis, quos reducebat, laſſitudine & fame premerentur, penuario ſuo reſerato panẽ & vinum attulerit, eos cibauerit & refocillauerit. Hic audis, quòd nihil obtulerit ſacrificij pro ſua perſona, ſed quòd populum

pulum cibo ac potu recreauerit.

66. *Pœnitentiam Sacramentum esse*

AIT.

In visitatione Saxonica: Pœnitentia inter Sacramenta connumeratur, ideo sanè quòd omnia Sacramenta Pœnitentiam significent.

Contra articulos Louanienſium cap.35. Pœnitentiam cum virtute clauium absoluentium Sacramentum libenter confitemur: habet enim promissionem, & fidem remissionis peccatorum propter Christum.

In Resolutionibus de Indulgentijs, conclusione 2. Pœnitentia Sacramentalis est temporalis, nec potest omni momento agi, alioquin assiduè cum sacerdote loquendum, nec quicquam aliud agendum esset, quàm confiteri peccata.

Sermone de Pœnitentia Tom.7.Ger.fol.3. Vera via, extra quam nulla alia inueniri potest, est venerabile, plenum gratia, & sanctum Sacramentũ Pœnitentię, quod Deus in summam consolationem omnibus peccatoribus largitus est.

NEGAT.

De captiuitate Babylonica: Duo tantùm in Ecclesia sunt Sacramenta, Baptismus, & Panis. Nam Pœnitentiæ Sacramentum, quod ego his accensui, signo visibili ac diuinitus instituto caret.

Disputatione contra Antinomos: Cauenda est doctrina Papistarum de Pœnitentia, sicut ipse infernus ac diabolus.

67. *Contritionem in vera Pœnitentia requiri*

AIT.

In visitatione Saxonica: Vera fides non potest esse sine vera ac veraci contritione, atque terrore coram Deo.

In Thesibus VVittembergæ anno 1517. ad disputandum propositis, Thes. 40. Contritionis veritas pœnas quærit, & amat. Veniarum autem largitas relaxat, & odisse facit, saltem occasione.

NEGAT.

Concione prima de Indulgentijs cap.2.de Pœnitentia: Contritio duplici via paratur. Primò per discussionem, collectionem, detestationem peccatorum, qua quis (vt dicunt) recogitat *annos suos in amaritudine animæ suæ*, ponderando peccatorũ grauitatem, damnum, fœditatem, multitudinem; deinde amissionem æternæ beatitudinis, ac æternæ damnationis acquisitionem, & alia, quę possunt dolorem & tristitiam excitare, spe satisfaciendi per bona opera. Hæc contritio facit hypocritam, imò magis peccatorem: quia solùm timore præcepti, & dolore damni id facit. Et tales omnes indignè absoluuntur, & communicantur.

In Resolutionibus de Indulgentijs, conclusione 30. Hęc dico eorum sententia, qui volunt Contritionem esse necessariam ad remissionem pœnarũ, & non vident quàm vehementer incerta omnia reddãt, &c. Non Contritio, nedum certitudo Contritionis, requiritur ad pœnarum remissionem.

68. *Peccata sacerdoti confitenda esse*

AIT.

Concione de Pœnitentia: Duplici fic confitendi modo instructus: vno, quo sacerdoti omnia manifestè mortalia confitearis: alio, quo Deo confitearis reliqua omnia.

Concione de Confessione: Non est contemnenda confessio auricularis, propter absolutionem & Euangelij verbum, quod ex sacerdote audis.

De præparatione ad mortem: In mortis articulo constitutus ad se sacerdotem vocet, vbi sua peccata confiteatur omnia. Si absoluit me Presbyter, acquiesco eius absolutioni, tamquam verbis Dei, & super hoc morior. Tam firmiter enim credere debes absolutioni Presbyteri, ac si Deus speciem Angelum, aut Apostolum ad te mitteret, imò tamquam Christus ipse absoluerit.

De captiuitate Babylonica: Occulta Confessio, quę modò celebratur, etsi probari ex Scriptura non possit, miro tamen modo placet & vtilis, imò necessaria est: nec vellem eam non esse, imò gaudeo eam esse in Ecclesia Christi, cùm ipsa sit afflictis conscientijs vnicum remedium.

Concione de præparatione ad Sacramentum Tomo 7. Germ.fol.11. Principio necessarium est, vt homo omnia mortalia peccata confiteatur, & Contritione afficiatur. Nam occulta peccata nemo scire potest. Vnde Dauid Psalm.19. *Delicta quis intelligit?*

NEGAT.

In Postilla Dominica Reminiscere: Nolo confiteri ob id solùm, quia Papa præcepit, & fieri vult. Qui fortiter & firmiter credit, quòd sibi dimissa sint peccata, is potest Confessionem hanc omittere, & sibi soli confiteri.

In Assertionibus artic.8. Nullo modo præsumas confiteri venialia, sed nec omnia mortalia: quia impossibile est, vt omnia mortalia cognoscas. Vnde in primitiua Ecclesia solùm manifestè mortalia confitebantur. Dic mihi, vbi est præceptum de venialibus confitendis sacerdoti?

Artic.9. Dum volumus omnia purè confiteri, nihil aliud facimus, quã quòd misericordię Dei nihil volumus relinquere ignoscendum.

Concione de Confessione: Confessionem auricularem, quæ fit coram sacerdote, Deus non præcepit, sed Papa ad eam coëgit homines. Sunt autem in ea varia peccatorum genera, & discrimina cõficta, quibus miserè vrgẽtur & excruciantur conscientię. Qui propter mandatum Papæ confitentur, illi peccare se sciant.

69. *Satisfactionem boni operis pro pœna temporali requiri*

AIT.

In Assertionib.art.5. Hoc libens cõcesserim, quòd Ecclesia mater pio affectu, præuentura manum Dei, castigat filios suos satisfactionibus quibusdam, ne incurrant flagella Dei, sicut Niniuitæ operibus suis spontaneis præuenerunt iudicium Dei. Hęc pœna quidem est arbitraria, non in totum, vt illi volunt; sed tamen est necessaria. At nostri Indulgentiarij, etiam contra Ecclesiam, asserunt, remitti penitus omnem satisfactionem, etiam à iustitia diuina requisitam, quod est erroneum & impium. Nam aut nos, aut homines, aut Deus punit peccata, quod illi per Indulgentias tollunt omninò.

NEGAT.

Sermone de Pœnitentia: Post peccata etiam grauissima Satisfactio nulla facienda est à nobis, ne satisfactioni Christi derogemus.

70. *Extremam Vnctionem Sacramentum esse*

AIT.

Libro de potestate Papæ: Omnium Ecclesiasticorum idem est Baptismus, & eadem Pœnitentiæ, Vnctionis, Matrimonij, & omnia Sacramenta.

De præparatione ad mortem: In articulo mortis constitutus vngatur oleo sancto, iuxta Beati Iacobi sententiam: *Si quis infirmatur in vobis*, &c.

NEGAT.

De captiuitate Babylonica cap.de extrema Vnctione: Si vspiam deliratum est, hoc loco præcipuè deliratum est. Non est Sacramentum ista, id est ficta vnctio, sed consilium Iacobi, quo possit, qui velit, vti.

71. *Ordinem esse Sacramentum*

AIT.

Libro de potestate Papæ: Omnium Ecclesiasticorum idem est Baptismus, eadem Confirmatio,

idem verbum Dei, idem Sacerdotiũ, eadem Pœnitentiæ, Vnctionis, Matrimonij, & omnia Sacramenta.

NEGAT.

De captiuitate Babylonica: Ordinis Sacramentum Ecclesia Christi ignorat, inuentumque est ab Ecclesia Papæ, &c. Sacramentum Ordinis pulcherrima machina fuit, & est ad stabilienda vniuersa portẽta, quę hactenus facta sunt, & fiunt in Ecclesia.

72. *Sacerdotium nouæ Legis*

PROBAT.

De visitatione Saxonica: Sacerdotes Christi honorandi sunt, iuxta illud Apostoli: *Presbyteri, qui bene præsunt, duplici honore digni sunt.*

De decem Præceptis, de tertio præcepto: Per omnem Ecclesiam nullus, nisi sacerdos solus, Missam audit totam, magno scilicet eo Sacramento, quod Christus verus Sacerdos, quanquam multa operatur in Ecclesia per externa Sacramenta, & visibiles cæremonias, in quibus ei fideles concinunt & cooperantur, sicut clerus nunc facit sacerdoti in cantu, oratione, & responsione, tamen plurima agit inuisibiliter pro nobis apud Deũ, quę populus & Ecclesia eius non videt, neque percipit.

Concione de Pœnitentia: Duplici fis modo confitendi instructus: vno, quo sacerdoti omnia manifestè mortalia confitearis; alio, quo Deo confitearis reliqua omnia.

IMPROBAT.

De captiuitate Babylonica: Esto certus, nec vlla persuasione falli te sinas, quisquis esse voles purè Christianus, nullum in nouo Testamento esse sacerdotium visibile & externum, nisi quod humanis mendacijs per Satanam est erectum, &c. Esto certus, & sese cognoscat, quicunque se Christianum esse cognouerit, omnes nos æqualiter esse sacerdotes, hoc est in verbo & Sacramento eandem habere potestatem.

De instituendis ministris Ecclesiæ: Sacerdos in nouo Testamento non fit, sed nascitur; non ordinatur, sed creatur. Nascitur non carnis, sed spiritus natiuitate, nempe ex aqua & Spiritu, in lauacro regenerationis, suntque prorsus omnes Christiani sacerdotes, & omnes sacerdotes sunt Christiani, anathemaque sit sacerdotem alium asserere, quàm eum, qui sit Christianus.

73. *Summorum Pontificum, Episcoporum, & sacerdotum absolutionem & Indulgentias*

PROBAT.

In Resolutionibus de Indulgentijs: Indulgentiæ tollunt pœnas à Pontificibus & sanctis Patribus impositas, &c. Tenentur Episcopi & curati veniarum Apostolicarum Commissarios cum omni reuerentia admittere.

IMPROBAT.

In Assertione articulorum per Bullam Leonis X. damnatorum, art.18. Dico Indulgentias esse impijssimas sceleratissimorum Pontificum fraudes & impostoras, quibus & res, & animas fidelium fallunt & perdunt.

De captiuitate Babylonica: Neque Pontifex, neque Episcopi in hominem quicquam statuere possunt. Indulgentiæ nihil sunt, nisi Romanorum Pontificum impostoræ, & adulatorum Romanorum nequitia.

In Propositionibus de Indulgentijs, propositione 5. Papa nec potest, nec vult, vllam pœnam indulgere, vel relaxare; præter eam, quam ipse pro suo arbitrio, aut pro vigore Canonum imposuit.

In Confessione Tom.2.Germ.fol.206. Indulgentiæ, quas Papistica Ecclesia habet, aut donat, sunt execrabiles fallaciæ.

Aduersus Papatum Romæ fundatum Tom.7. Ger.fol. 578. Indulgentię sunt merę præstigiæ.

74. *Clericorum immunitatem*

PROBAT.

De bonis operibus: Sacerdotes Ecclesiastici Missam quotidie celebrant, omni hora orant, sequę in verbo Dei exercent studendo, legendo, audiendo: ideo priuilegium prę alijs habent.

IMPROBAT.

Contra Ambrosium Catharinum: Peccata minora maximis remunerantur. Quæris quomodo? dicam, Barrabam latronem dimittunt, nõ contenti Iesum ligasse & perdidisse: hoc est, vulgus hoc clericale priuilegijs se eximit ab omnibus oneribus, & laboribus hominum, vt in otio, securitate, opulentiaque securissimam Sodomam viuant.

75. *Matrimonium esse Sacramentum*

AIT.

Sermone de Matrimonio: Matrimonium Sacramentum dicitur. Est namque typus rei nobilissimæ, & sanctissimæ, hoc est, vnionis diuinæ & humanæ naturæ in Christo. Hinc inquit Paulus: *Quemadmodum vir & mulier duo quædam vnum sunt in carne vna: ita Deus & homo vnus Christus: ita Christus & Ecclesia vnum corpus: quod profectò magnum est Sacramentum.* Omnino itaque res sancta est & sacra Matrimonium, si ritè fuerit obseruatũ. Quapropter coniuges dignitatem huius Sacramenti perpendant ac venerentur. Ephes. 5

Ad cap.24.Genes.Tom.5.fol.127. Matrimonium Sacramentum est & spiritualis significatio Christi & Ecclesiæ.

NEGAT.

De captiuitate Babylonica: Matrimonium non solùm sine vlla Scriptura pro Sacramento censetur, verùm eisdem Traditionibus, quibus Sacramentum esse iactatur, merum ludibrium factum est, &c. Sit Matrimonium figura Christi & Ecclesiæ: Sacramentum autem non diuinitus institutum, sed ab hominibus in Ecclesia Dei inuentum, ignorantia tam rei, quàm verbi abductis.

In confessione de Cœna Domini: Non opus est ex Matrimonio & Ordine Sacramenta constituere, per seipsa hęc satis sancta sunt.

76. *Diuersas religiones & sectas ferendas esse*

AIT.

Epistola de Anabaptismo ad duos Parochos: Defendi nequit, & doleo, quòd tam miseri homines tam miserè & inhumaniter trucidantur, & comburuntur, cuilibet sua credendi quicquid vellet libertas concedenda esset: si malè credit, satis pœnarum in perpetuo igne inferni patietur.

De seculari magistratu Tom.6.fol.176. Quilibet cũ suo periculo credit, cuilibet cauendum ne non credat. Vt nemo meo loco vel cælum, vel infernum petere potest; sic nemo meo nomine vel credet, vel non credet. Quamobrem cùm in cuiuslibet sit positum propria conscientia, quo modo vel credat, vel non credat, ne secularis magistratus detrimenti quid capiat, acquiescat etiam hic, & sua negotia peragat, sinat quemlibet credere hoc, vel illo modo, vt potest, & vult, nec quenquam vi cogat. Nam fides libera res est, ad quam nemo cogi potest.

NEGAT.

Ad Psalm.82.Tom.3.fol.414. Si qui docere quicquam vellent aduersus expressos fidei articulos, qui expresè in Scripturis fundati extant, & in vniuerso mundo apud omnes Christianos pro indubitatis habentur, vt sunt, quòd Christus non sit Deus, sed nudus homo, & similis alijs Prophetis, quod Turcis & Anabaptistis persuasum est:

huiusmodi non sunt ferendi, sed vt manifestè blasphemi puniendi. Non enim simpliciter sunt hęretici, sed blasphemi ex professo. Nunc magistratus ex officio tenetur manifestè blasphemos punire: quemadmodum & illi plectuntur, qui execrantur, iurant, iniurijs, calumnijs, probris alios lędūt, &c. Moses in sua Lege pręcipit, vt omnes eiusmòdi blasphemi, atque adeò omnes falsi Doctores lapidentur. Ad eundem modum hîc non multum disputandum, sed statim etiam indicta causa tales blasphemi condemnandi sunt.

77. *Infernum esse*

AIT.

In Sermonibus conuiualibus, titulo de condemnation. & inferno: Quid sit infernus nescimus, solū nouimus, quòd certus locus sit, de quo Lucæ 16. vbi Abraham ad diuitem: *Inter nos & vos magnum chaos interiectum est.*

NEGAT.

Ad cap. 2. Ionæ: Quid ante nouissimum mundi diem sit infernus, nondum pro certo scio. Nam quòd certus sit locus, quo damnatorum animæ modò agant, vt pictores exprimunt, & qui ventri inseruiunt concionantur, pro nihilo æstimo. Diaboli enim non amplius sunt in inferno, sed, vt Petrus ait, *rudentibus ad infernum ligati sunt.* Sic & Paulus aërias potestates vocat. Christus quoque Diabolum principem mundi vocat. Et si in inferno essent, fieri non posset, vt mundum gubernarent, tot nequitias & miserias cierent, pœnæ infernales satis superqúe hęc omnia prohiberent.

Ad cap. 5. Geneseos: Papistę primum inferni locum dicunt esse damnatorum, qui est cruciatus ignis æterni. Verùm an animæ impiorū torqueantur statim post obitum, non possum affirmare: apparet illos dormire, & quiescere, sed nihil affirmo.

78. *Purgatorium ignem*

ASSERIT.

Disputatione Lipsica, capite de Purgatorio: Ego credo fortiter, imò ausim dicere, scio esse Purgatorium: facilè persuadeor in Scripturis de eo fieri mentionem, &c. Ego beatissimos Patres de numero Theologistarum nō facio, quia Purgatorium cum ipsis confiteor.

In Resolutionibus de Indulgentijs, conclus. 16. Cùm in cęlo credamus regnare pacem, gaudium, & securitatem in luce Dei: in inferno verò contra fæuire desperationem, dolorē, & horribilem fugam in tenebris exterioribus: Purgatorium verò sit medium inter vtrumque, vt potius sit in inferno, quàm in cælo, satis patet, quòd in ipso sit desperatio, fuga, horror, & dolor.

Aduersus Eullam Tomo 7. fol. 132. Purgatoriū nunquam negaui, & adhuc credo, vt sæpè scripsi, & confessus sum.

NEGAT.

In articulis ad Concilium Mantuanum: Purgatorium cum omni decore, cultu, & cæremonijs, pro mera diabolica fascinatione reputādum est. Nam aduersatur præcipuis fidei articulis, quòd solus Christus ille sit, qui animabus auxilio venire possit.

Ad VValdenses de Eucharistia: Quòd negatis Purgatorium, damnatis Vigilias & Missas per omnia probo, nec quisquam astringitur ad credendum Purgatorium.

79. *Pro animabus in Purgatorio orandum esse*

AIT.

Concione de Indulgentijs: Quòd animæ per Indulgentias ex Purgatorio liberentur, nondum exploratum habeo, neque credo; tametsi recentiores id asseuerant, sed probandi facultatem non habent, neque ab Ecclesia sancitum est. Quare securius est, vt pro animabus ipse preceris, & exerceas opera pietatis: id quidem remedij receptius & certius habetur.

Disputatione Lipsica cap. de Purgatorio: Ego nihil de Purgatorio noui, nisi animas ibi pati iuuandas orationibus, & operibus nostris. Sufficit quòd scimus eas pati, & nos debere eis succurrere, cætera soli Deo relinquenda sunt.

NEGAT.

De abroganda Missa priuata: Missa pro defunctis nihil valet: tutius fuerit totum Purgatorium negare, quàm Gregorio in Dialogis credere.

80. *Hieronymum Purgatorium agnoscere*

AIT.

Ad caput 9. Ecclesiastis: *Mortui nihil sciunt amplius, & non est ijs merces.*) Ineptè torsit hunc locum Hieronymus ad mercedem mortuorum in Purgatorio.

NEGAT.

In colloquijs Latinis cap. de damnatione & inferno: De Purgatorio sacra Scriptura nihil nouit: neque Ambrosius, neque Augustinus, neque Hieronymus quicquam de eo sentiunt.

II. PHILIPPVM MELANCHTHONEM à seipso dissentire.

1. *Christi diuinitatem*

ASSERIT.

In secunda editione Locorum communium, capite de humanis Legibus: De diuinitate Filij credo Nicæno Concilio, quia Scripturæ credo, quæ Christi diuinitatem tam clarè nobis probat, vt ne Iudæi quidem tergiuersari possint, quantumuis cæci, quòd minus Messię diuinitatem tribuant. Locus est apertus, præter alios, apud Hieremiam 23. cap. *Et hoc est nomen, quod vocabunt eum: Deus iustus noster.*

NEGAT.

Editione tertia anno 1539. edita capite de tribus personis: Necesse est in Filio aliquid esse diuinæ naturæ, &c. Necesse est in Christo aliquam esse diuinam naturam, &c. Hę sententiæ clarè testantur in Christo esse & manere quandam diuinam naturam.

ASSERIT.

Editione quarta anno 1543. impressa, capite eodem: Necesse est fateri Christum esse natura Dei Filium. Porrò cùm haud dubiè sit natura Filius, necesse est in eo naturam diuinam esse substantialiter. Fatendum est in Christo esse diuinam naturam.

2. *Spiritum sanctum eiusdem esse cum Patre & Filio essentiæ & diuinitatis*

NEGAT.

Editione vltima locorum Theologicorum, tractatu de Spiritu sancto: Cùm ait Deus: *Effundam de Spiritu meo super omnem carnem:* quia inquit *meo*, testatur non mitti creatam agitationem; sed aliquid essentiæ Dei. Necesse est autem personam esse distinctam, quę est aliquid Dei, & tamen non est Patri.

ASSERIT.

In definitionibus Theologicis: Spiritus sanctus est tertia persona diuinitatis, procedens à Patre & Filio, & ὁμοούσιος eis.

3. *Deum mala in hominibus operari*

AIT.

Ad caput 8. epist. ad Romanos, editione prima: Nos dicimus, non solùm permittere Deum creaturis, vt operentur, sed ipsum propriè omnia agere: vt sicut fatemur proprium Dei opus fuisse Pauli vocationem; ita fatemur opera Dei propriè esse, siue quæ media vocantur, vt comedere, bibere, communia cum brutis; siue quæ mala sunt, vt Dauidis adulterium, Manlij seueritatem animaduertentis in filium. Iam constat, Deum omnia facere, non permissiuè, sed potenter, hoc est, vt sit eius proprium opus Iudæ proditio, sicut Pauli vocatio.

NEGAT.

Editione vltima Locorum communium, capite de causa peccati: Præuidet Deus delicta Saulis, sed non vult ea, nec impellit voluntatem eius, sed permittit, vt voluntas Saulis ita grassetur, & non impellit, vt secus agat.

4. *Omnia fieri necessariò, nec vllam hominis arbitrij esse libertatem*

ASSERIT.

Editione secunda Locorū communium, capite de libero Arbitrio: Nullam libertatem esse voluntati humanæ in sumendis, vel ponendis spiritualibus affectibus, amore, metu Dei, fide, spe, &c. perspicuum est Libertatem homini adimit diuina prædestinatio: Eueniunt enim omnia iuxta diuinam prædestinationem, cùm externa opera, tum internæ cogitationes in omnibus creaturis.

NEGAT.

Editione vltima: Cùm in natura hominis reliquum sit iudicium, & delectus quidam rerum, quæ sunt subiectæ rationi ac sensui, reliquus est etiam delectus externorum operum ciuiliū, &c. Tres concurrunt causæ bonæ actionis verbum Dei, Spiritus sanctus, & humana voluntas assentiens nec repugnans verbo Dei. Posset enim excutere, vt excussit Saul suâ sponte. Sed cùm mens audiens, ac se sustentans, non repugnat, nō indulget diffidentiæ, sed adiuuante Spiritu sancto conatur assentiri, in hoc certamine voluntas non est otiosa. Veteres dixerunt: Precedente gratia, comitante volūtate bona opera fieri. Deus anteuertit nos, vocat, mouet, adiuuat: sed nos viderimus ne repugnemus. Non admittendi sunt Manichæorum furores. Non fit conuersio in Dauide, vt si lapis in ficum verteretur: sed agit aliquid liberum arbitrium in Dauide, cùm audiuit obiurgationem & promissionem, volens iam & liberè fatetur delictum, & agit aliquid eius voluntas.

5. *Futurum contingens*

NEGAT.

Ad caput 8. epistolæ ad Romanos, editione prima: Sit hæc certa sententia à Deo fieri tam bona, quàm mala. Quòd si obstrepit sensus, multa indigna tanta maiestate committi, videri esse contingentiam; memineris sacram doctrinam scripturam esse proditam ad mortificandum sensum carnis.

Editione 2. Locorum communium, capite de libero arbitrio: Quid igitur, inquies, nullane est in rebus humanis contingentia, nihil casus, nihil fortuna? Omnia necessariò euenire Scripturę docent. Esto videatur tibi in rebus humanis contingentia, iudicio rationis hîc imperandum est.

ASSERIT.

Editione postrema Locorum communiū, capite de causa peccati: Constituta hac sententia, quòd Deus non sit causa peccati, nec velit peccatum, sequitur cō tingentiam esse: hoc est, non omnia, quæ fiunt, necessariò fieri. Quia enim peccatum ortum est à voluntate diaboli & hominis, nec factum est Deo volente, sic erant conditę voluntates, vt possent non peccare. Est autem causa contingentiæ nostrarum actionum libertas voluntatis.

6. *Nihil nostris viribus tribuit.*

Ad caput 4. epistolæ ad Romanos editionis prima: Cùm mandat Lex diligi, perinde impossibilia iubet, atque si præcipiat nobis transuolare Caucasum.

Ad caput 8. Voluntas nostra adeò non est libera, vt eò tantùm feratur, quorsum à Deo impellitur.

Nimium nostris viribus tribuit.

Editione vltima Locorum Communium, capite de libero arbitrio: Voluntas humana potest suis viribus, sine renouatione aliquo modo externa Legis opera facere. Hęc est libertas volūtatis, quam Philosophi rectè tribuunt homini. Nam & Paulus, discernens iustitiam carnis à spirituali, fatetur non renatos habere delectum aliquem, & facere aliqua externa legis opera, manus à cæde, à furto, à raptu continere; & hanc vocat iustitiam carnis.

In visitatione Saxonica: Voluntas hominis vis est libera, vt facere possit iustitiam carnis, seu iustitiam ciuilem, vbi lege & vi cogitur, vt non furari, non occidere. Quia Paulus docet esse quandam iustitiæ partem, quam caro coacta suis viribus faciat. Rom. 2. *Gentes natura faciunt quæ Legis sunt.* Quid autem faciunt, nisi ciuilem iustitiam? Exigit autem Deus iustitiam hanc. 1. Timoth. 2. *Lex iustis non est posita.*

7. *Bona opera*

IMPROBAT.

Editione prima Locorum communium: Omnia hominum quantumuis laudabilia opera, planè vitiosa sunt, & morte digna peccata.

PROBAT.

Ad Euang. Dominicæ 4. post Trinitatis: Scimus oportere in saluandis existere inchoatam obedientiam, nec fine ea posse homines saluari.

Ad cap. 6. epist. ad Romanos editionis vltimæ: Noua obedientia est necessaria, vt effectus necessariò consequens imputationem: quia cum imputatione fit renouatio, quæ est inchoatio nouæ & ęternę vitæ. Inchoatio verò nouæ & ęternę vitæ, est noua & spiritualis obedientia. Ergo noua & spiritualis obedientia est necessaria.

8. *Sacramentinomen*

REIICIT.

In prima editione Locorum Communium, cap. de Signis: Quę alij Sacramenta, nos signa appellamus. Quòd si signi nomen displicet, σφραγίδας appelles.

RECIPIT.

In postrema editione Locorum communium capite de Sacramentis: Cùm vocabulum Sacramenti de cæremonijs intelligitur institutis prædicatione Christi, numerentur hęc Sacramenta, Baptismus, Cœna Domini, Absolutio, &c.

9. *Duo esse Sacramenta*

AIT.

Editione 2. Locorum Communium: Duo sunt signa à Christo instituta in Euangelio: Baptismus, & participatio Mensæ.

NEGAT.

In Apologia Confessionis Augustanæ: Verè sunt Sacramenta Baptismus, Cœna Domini, Absolutio, quę est Sacramentum Pœnitentiæ. Nam hi ritus habent mandatum Dei, & promissionem gratiæ.

In Catechismo: Quot sunt Sacramenta? Tria rectè numerantur: Baptismus, Absolutio, Cœna Domini.

Editione vltima Locorum communium, capite de Sacra-

mentis: Numerentur hæc Sacramenta: Baptismus, Cœna Domini, Absolutio. Mihi maximè placet etiam addi Ordinationem, vt vocant.

10. *Veritatem Eucharistiæ, Sacramentarios carpens,*

ASSERIT.

Epistola ad Fridericum Myconium, præfixa veterum sententijs de Cœna Domini, editis anno 1530. & postea aliquoties recusis: Mitto tibi locos veterum scriptorum de Cœna Domini, vt promisi, qui testantur illos idem sensisse, quod nos sentimus, videlicet corpus & sanguinem Domini verè adesse in Cœna Dominica. Non tutum est à communi sententia veteris Ecclesiæ discedere. Quibusdam valde hebetes videmur, quòd in verbis Euangelij: *Hoc est corpus meum*, non videamus metaphoram, nec intelligamus nos ab infinitis quæstionibus vnius beneficio metaphoræ liberari. Ego has sententias auctorum sine glossematis nudas proposui, vt iudicium candido lectori relinquerem, vtrum de corporali præsentia loquantur, an de sola efficacia. Ego quidem statuo eas ῥητῶς asseuerare, quòd corpus Domini verè adsit in Cœna Dominica, &c. Ego sequor veteris Ecclesiæ sententiam, quę affirmat adesse corpus in Cœna, ac iudico hãc habere Scripturæ testimonium. Non enim inuenio rationem, cur nomine corporis in verbis Cęnę oporteat tantum absentis corporis signum intelligi, &c. Carlstadius primus excitauit hunc tumultum, homo ferus, sine doctrina, sine sensu cõmuni, quem nullum vnquam humanitatis officium aut negligere, aut facere animaduertimus, tantum abest vt in eo significatio aliqua Spiritus sancti animaduersa sit. Imò extant manifesta signa impietatis. In tota doctrina solebat Iudaizare, & factionibus contendere. Controuersiam de Cœna Domini tantùm odio Lutheri, non aliqua pietatis opinione mouit. Etenim cùm Iconomachia ipsius à Luthero improbata esset, cœpit iste, inflammatus immani cupiditate vindictæ, quærere causam vendibilem, qua Lutheri existimationem prorsus obrueret. Inspexi & VVicleuum, qui valde tumultuatur in hac controuersia, sed deprehendi in eo multa errata. De Cœna Domini sophisticè cauillatur publicè receptam sententiam.

Ibidem c. 3. b. Neque verò mihi quisquam persuaserit, Augustinum sic alligare corpus Christi ad vnum locum, vt nusquam alibi esse posse confirmet: præsertim cùm Scriptura nusquam affirmet, Christum ita vno loco esse voluisse, vt alibi esse non possit. Quid enim afferri potest, præter humanę rationis iudicium, cur hoc loco includamus Christum in vnum locum? Quod si satis esse putassent veteres, nunquam extitissent vllæ controuersiæ de præsentia corporis Domini in Cœna. Quis enim non videt absurda, quę consequebantur? Sed omnes ita senserunt, iudicium rationis debere Scripturę cedere.

Ibidem c. 4. a. Neque ego inuenio vllam rationem satis firmam cur ab hac sententia, quę affirmat corpus Christi adesse in Cœna, discedamus. Fieri potest, vt alia sententia blandiatur otioso animo, quę est magis consentanea humano iudicio, præsertim sic instructa, & ornata argumentis eruditè cogitatis. Sed quid fiet in tentatione, cùm disputabit conscientia, quam habuerint causam dissentiendi à recepta sententia in Ecclesia? Tunc ista verba: *Hoc est corpus meum*, fulmina erunt. Ego itaque sequor veteris Ecclesię sententiam, quę asserit, adesse corpus Christi in Cœna, ac iudico hãc habere Scripturæ testimonium: Non enim inuenio firmam rationem, cur nomine corporis in verbis Cœnæ oporteat tantum absentis corporis signum intelligi.

Epistola ad Ioannem Oecolampadium, scripta anno 1529. Ego nolim alicuius noui dogmatis in Ecclesia vel auctor, vel defensor existere. Cùm omnia, quæ in vtraque parte firmissima videntur, expendi, (dicam pace tua,) non tamen eo in sententiam tuam. Nullam enim firmam rationem inuenio, quæ conscientię discedenti à proprietate verborum Christi satisfaciat, &c. Itaque si mihi vestra sententia de Cœna Domini placeret, simpliciter profiterer. Vos absentis Christi corpus tamquam in Tragœdia repræsentari contenditis: Ego de Christo video extare promissiones: *Ero vobiscum vsque ad consummationem sęculi*, & similes, vbi nihil opus est diuellere ab humanitate diuinitatẽ. Proinde sentio, hoc Sacramentum verę præsentię testimonium esse. Quod cùm ita sit, sentio in illa Cœna præsentis corporis κοινωνίαν esse: cùm proprietas verborum cum nullo fidei articulo pugnet, nulla satis magna causa est, cur eam deseramus. Et hęc sententia de præsentia corporis conuenit cum alijs Scripturis, quæ de vera præsentia Christi apud nos loquuntur. Nam est indigna Christianis opinio, quòd Christus ita quandam cæli partem occupârit, vt in ea tamquam inclusus carceri sedeat.

Non placent hæc Caluino epist. 32.

In confessione sua de Sacramento corporis & sanguinis Christi Electori Palatino Friderico, & D. Granuellano exhibita Ratisbonæ Anno 1541. Claris verbis confessi sumus, nos retinere & defendere communem doctrinam Ecclesiæ, quòd in Cœna Domini, consecrato pane & vino, verè, substantialiter, & realiter adsint & sumantur corpus & sanguis Christi: confitemur præterea, nos improbare eos, qui negant verum corpus & sanguinem Christi ibi adesse & sumi, & summopere abhorremus à tali opinione, quę ex sola humana ratione venit, sine verbo Dei.

Ibidem F. 3. Eucharistię Sacramentum Verbum habet, quod est omnipotens Verbum, cuius virtute hoc Sacramentum conficitur, & quo fit, vt post consecrationem verum corpus, & verus sanguis Domini, verè & substantialiter adsint, & fidelibus sub specie panis & vini, illis nimirum: *Hoc est*, pane & vino in corpus & sanguinem Domini transmutatis & transubstantiatis, distribuatur, qui habet in hunc modum: *Accipite, & manducate ex hoc omnes: Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur.* Et ad calicem: *Bibite ex hoc omnes: hic enim est sanguis noui Testamenti, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum.* Elementum verò est panis & vinum, ad quę cùm accedit verbum, fit Sacramentum. Duobus enim hoc Sacramentum conficitur, visibili elementorum specie, & inuisibili corpore & sanguine Christi, quę hoc Sacramento verè & realiter participamus. Vis huius Sacramẽti est, vt per viuificatricem carnem Saluatoris nostri Iesu Christi, ei nedum spiritualiter, sed & corporaliter iungamur.

Epistola ad Martinum Gerolitium: Ego mori malim, quàm hoc affirmare, quod Zuingliani affirmant: Christi corpus non posse nisi in vno loco esse. Ideo constanter arguas eos, publicè & priuatim, cùm erit occasio.

NEGAT.

In posterioribus scriptis ab anno 1542. vsque ad obitum à se editis, nusquam Sacramentarios carpit, nec vllam Cœnæ Dominicæ definitionem recensет: sed potius mutata sententia ad Sacramentarios defecit: quod tamen metu exilij non ausus fuit confiteri, vt liquet ex sequentibus.

MELANCHTHON *epist. ad Caluinum, quæ est inter epistol. Caluini 48. scripta anno 1543.* Ex nundinis Francofordiensibus epistola ad me tua transmissa est: exempla verò editi scripti non sunt allata. Postea Bonnę apud D. Bucerum nactus exemplũ vidi τὴν προφώνησιν ad me, & subitò bonam partem disputationis euolui. Quòd autem honorifico testimonio ornaris, & de tota re non solùm piè, sed etiam eloquenter differueris, &c. prolixè tecum colloqui optarem.

Epistola alia, quæ est inter Caluini epistolas 137. scripta A.C. 1552. Reuerende vir, & charissime frater, sæpe ad te scriberẽ, si tabellarios certos haberem. Colloqui etiam mallem tecum de rebus grauissimis multis: quia & iudicium tuũ magni facio, & scio integritatem animi, & candorem in te summum esse. Nunc ita vitio + ὥσπερ ὄνος ἐν σφηκιαῖς. Mihi, si viuam, noua exilia expectanda sunt. Quare si cedendum est ex hisce locis, colloqui tecum decreui. Si voles mihi sępius scribere, poteris literas Francisco Dryandro mittere.

†*Velut a jinus in vespetis.*

Epistola alia scripta anno 1554. & est inter epist. Caluini 187. Reuerende vir, & charissime frater, legi scriptum tuum, in quo refutasti luculenter horrendas Serueti blasphemias, ac Filio Dei gratias ago, qui fuit † βραβευτὴς huius tui agonis. Tibi quoque Ecclesia & nunc, & ad posteros gratitudinem debet, & debebit. Tuo iudicio prorsus assentior. Affirmo etiam vestros magistratus iustè fecisse, quòd hominem blasphemum, re ordine iudicata, interfecerũt. Quòd verò in proximis literis me hortaris, vt reprimã ineruditos clamores illorũ, qui renouant certamen † περὶ ἀρτολατρείας, scio quosdam præcipuè odio mei eã quęstionem mouere, vt habeant plausibilem causam ad me opprimendum. Cum doctis & bonis viris multa locutus sum de multis disputationibus, quas hæc vna controuersia complectitur. De his tantis rebus maximè tecum loqui cuperem, quem scio amantem esse veritatis, & non habere animum occupatum odijs, aut alijs stultis affectibus, &c. Hęc nihil πρὸς τὴν ἀρτολατρείαν. Nõ despero nos collocuturos esse, antequam ex hoc mortali carcere mens discedat. Etsi enim propter senectam à meta huius curriculi non procul absum, tamen quotidie noua exilia expecto.

†*guberuator*

†*De panis cultu, sic Eucharistiam vocat.*

Epist. ad Bullingerum: est inter epistolas Caluini 214. Reuerende vir, & charissime frater, &c. Mitto ad te de ea quæstione breues pagellas, sed tamen sententiæ nostræ testes. Quidã veteres amici mei minitantur mihi se ὑπὲρ ἀρτολατρείας contra me scripturos esse. Si quid edent nominatim contra me, decreui Deo iuuante respondere, etiamsi hoc certamen omitti malim.

CALVINVS *epist. 12. ad Farellũ scripta anno 1539.* Cum Philippo fuit mihi multis diebus colloquium: de causa concordiæ ad eum prius scripseram, vt bonis viris de ipsorũ sententia certò possemus testari. Miserã ergo paucos articulos, quibus summã rei breuiter perstrinxeram. Ijs sine cõtrouersia ipse quidem assentitur, &c. De ipso nihil dubita, quin penitus nobiscum sentiat.

Epist. 13. ad Farellum scripta eodem anno: Angli petitio fuit, vt legatio ad se noua mitteretur, cui adiungeretur Philippus: vt haberet cuius consilio vti posset ad Ecclesiam melius constituendã. Non erat dubium, quin legationẽ missuri essent Principes. Melanchthonem mittere non placebat, quòd mollitiem animi eius suspectam haberent. Neque verò qua in opinione sit, aut nescit, aut dissimulat: tametsi mihi sanctissimè deierauit, vanum esse hunc timorem. Et sanè, vt mihi videor eius animum perspicere, non minus illi fidere ausim, quàm Bucero, dum negotium est cum ijs, qui sibi indulgeri aliquid volunt.

Epist. 32. ad Farellum scripta anno 1541. Philippus & Bucerus formulas de Transsubstantiatione cõposuerunt ambiguas, & fucosas, vt tentarent, an aduersarijs possent satisfacere nonnihil dando. Consilium hoc mihi non placet: tametsi rationem habent, quam sequuntur. Sperant enim fore, vt breui hęc sponte eluescant, si patefactus erit aditus doctrinę. Itaque transilire malunt, nec flexiloquentiam istam reformidant, qua nihil alioquin esse nocentius potest.

Epistola 63. ad Philippum: Verissimum quidem fateor esse quod doces: & quòd placido genere docendi hactenus studuisti animos à contentione reuocare, prudentiam moderationemqúe tuam laudo. Sed dum locum hunc (de Cœna Domini) tamquam scopulum aliquem refugis, ne in quorundam offensionem incurras, plurimos, qui aliquid certius, in quo acquiescant, abs te requirunt, suspensos perplexosqúe relinquis. Est autem, vt me aliquando tibi dicere memini, non satis nobis honestum, eam doctrinam, quam plerique Sancti proprio sanguine testatam relinquere non dubitant, ne atramento quidem consignare. Ad hanc ergo plenam, & solidam mentis tuæ explicationem fortè viam tibi patefacere nunc vult Deus, ne perpetuò hæreant dubij, qui ab auctoritate tua pendent, quos scis esse quamplurimos. Neque hoc tam incitandi, quàm consolandi tui causa dico. Nisi enim ex hac turbulenta concussione aliquid hinc exoriturum sperarem, multo acerbiore luctu conficerer.

Admonitione vltima ad VVestphalum: Solum quod dixi, & quidem centies, si opus sit, confirmo, non magis à me Philippum, quàm à proprijs visceribus in hac causa posse diuelli.

Ad Heshusium de vera participatione Christi in Cœna: O Philippe Melanchthon. Te enim appello, qui apud Deum cum Christo viuis, nosqúe illic expectas, donec tecum in beatam quietem colligamur: Dixisti centies, cùm fessus laboribus, & molestijs oppressus, caput familiariter in sinum meum deponeres: Vtinam, vtinam moriar in hoc sinu. Ego verò millies postea optaui nobis contingere, vt simul essemus. Certè animosior fuisses ad obeunda certamina, & ad spernendam inuidiam, falsasqúe criminationes pro nihilo ducendas fortior. Hoc quoque modo cohibita fuisset multorum improbitas, quibus ex tua mollitie, quam vocabant, creuit insultandi audacia.

Epistola apud Caluinũ 261.

BLAVRERVS *Caluino:* Meliora mihi de Philippo promiseram, & valde miror, magnum hũc virum non perinde magno animo esse, verùm semper vbi ad rem ventum est, veterem recipere imbecillitatem. Dominus illi excelsos vereqúe heroicos, hoc est se dignos animos addat: quippe cuius auctoritas in pacificationis negotio tantum afferret momenti, quantum vix cuiusquam. Et profectò, vt vt dissimulet, seipsum negare haudquaquam poterit. Ad multos multa modestissimè scripsit, quibus non obscurè testatur, quantum absit ab illorum sententia, qui de Christi Cœna superstitiosius sentiunt, & loquuntur: quantumqúe sibi displiceant temerariæ istæ Saxonum quorundam aduersum nostros condemnationes, & inauspicata præiudicia.

THOMAS NAOGEORGVS *super Psal. 26. folio 167.* Philippus non ausus est viuo Luthero palam fateri, quid sentiret de Cœna Domini: quam rem nominat Philippus in epistola ad Carlovvitzium seruitutem. Quas turbas, tragœdiasqúe non mouisset ferox Lutherus? quæ conuitia contra eum haud rotasset? haud concedere qui solebat vlli, nec contraria parcere asserenti? At post clarius Philippus ausus est fateri ad Septemuirum epistola rogantem de Cœna Domi-

ni, quid orthodoxè ipſe diceret eſſe ſentiendum: Commentario item docet diſertè, in cœlo modò corpus eſſe Chriſti, non ſuper terram vbique. Quod ſi diuerſum afferrent loci Scripturarũ ſacrarum aliqui, hoc ob vnionem diuinę capiendũ & explicandum naturæ, atque ad eam attinere ſolam, vt Patres quoque nos docent vetuſti.

BEZA *in vita Caluini, & contra VVeſtphalum ait:* Philippum Caluini opinionem de Cœna Domini toto pectore comprobaſſe.

Contra Pappum pagina 143. & 144. affirmat, Philippum cum Sacramentarijs in præſenti controuerſia de Cœna Domini feciſſe: quòd autem non apertè Caluiniſtarum hæreſin publicè alijs expoſuerit, id ſtudioſè & prudenter Philippum diſtuliſſe, quia nondum ſatis ad hęc inſtillãda Principum aures Philippo patuerint.

In Creophagia fol. 80. Philippum vocat Phœnicem, qui ad Dominum euolans, omnem concordię ſpem ſecum abſtulerit, qui etiam cum Caluiniſtis familiaritatem alendo, eorum confeſſionem de Cœna Domini contra Lutherum & Saxonicarum Eccleſiarum miniſtros approbârit, & ipſorum cauſam ſuis literis Caluiniſtis miſſis commendârit, & promouerit.

KLEINVVITZIVS *contra Heshuſium fol. 6. 4.* ſcribit Philippum Melancht. phraſin, ſub ſpecie panis, expunxiſſe ex Auguſtana Cõfeſſione, quia fuerit à Pontificijs, affirmantibus Transſubſtantiationem, iſta locutione à noſtris ſtabiliri, approbata. Ibidem ait Philippum argumentum de indignorum manducatione ex Apologia expunxiſſe.

IOANNES PINCIERVS *in Antidoto ſuo fol. 169.* ſubijcit multas epiſtolas Philippi Melanchthonis, quibus euincit & obtinet eum Lutheri ſententia in articulo de Cœna Domini deſerta, in caſtra Caluiniſtarum abijſſe.

IOSIAS SIMLERVS *in vita Bullingeri* recitat ex epiſtola Philippi ad Bullingerum Lutherum, fruſtra obſiſtente & repugnante Melanchthone, edidiſſe breuem iſtam confeſſionem de Cœna Domini, in qua Zuinglium, Oecolampadium, eorumqúe diſcipulos Tiguri, & alijs in locis apertè hæreticos, Sacramentorum hoſtes, æternumqúe damnatos eſſe dicat, & nil niſi conuicia, damnationes, diabolosqúe toto libro crepet.

EBERVS *epiſtola ad Hardenbergium Sacramentarium:* Quid noſter Philippus Melanchthon de illa quæſtione, videlicet de communicatione idiomatum reali ſentiat, ex ſcripto eius cognoſces. De altera controuerſia, quæ eſt de præſentia ſubſtantiali veri corporis Chriſti in Cœna, adhuc continet ſe, ne quid palam pronuntiet, cùm obſeruetur inſidioſè à tam multis, cupientibus ſibi aliam occaſionem dari ipſum palam traducendi, ſpecie alia erroris plauſibili, quam cùm nondum habeant, quærunt interea alias minutilas. Sed omninò ſpero adhuc breui fore congreſſum eruditorum, vbi declaraturus eſt ſuam ſententiam. Video ſanè multas cauſas grauiſſimas eſſe, quòd prodeſſet ſine diſſimulatione longiori dicere, quid quiſque ſentiat: ſed iudico ipſum ſui hactenus vſurpati ſilentij non leues cauſas habuiſſe, quas aliquando intelligemus. Ioannem à Lasko libentiſſimè vidi, eiusqúe pijs & bonis ſermonibus valdè delectatus ſum.

LAMBERTVS DANAEVS *contra Selneccerum pag. 82.* De Philippo nullo modo dubitari poteſt, quin poſtremis cogitationibus ſuis nobiſcũ de Cœna Domini ſenſerit, quũ apertè in noſtram ſententiam & in epiſtola ad illuſtriſſimum Principem Fridericum Tertium Comitem Palatinum, & in Commentarijs in epiſt. Pauli ad Coloſſenſ. ſcripſerit. Itaque à bonis iſtis diſcipulis, in noue doctrinę corpore, à ſe nuper Bergæ conſcripto, Philippi ſcripta damnata fuerunt, tamquam iſti corporali carnis preſentiæ in ſacra Cœna aduerſa.

STVRMIVS *in Antipappis fol. 234.* Aio Philippo Melanchthoni nunquam in mentem veniſſe, poſt primum colloquium VVormatienſe, & poſt conſtitutam in eo colloquio cum Caluino notitiam, condemnare aut Caluinum, aut exteras Eccleſias.

II. *In Euchariſtia ſolam panis viniqúe ſpeciem*

AGNOSCIT.

In prima editione Confeſſionis, editionis Auguſtanæ, capite de Cœna Domini: Docent, quòd verum corpus & ſanguis veraciter ſub ſpeciebus panis & vini in Cœna præſens ſit.

NEGAT.

Editione ſequenti: Docent, quòd cum pane & vino verè exhibentur corpus & ſanguis Chriſti veſcentibus in Cœna Domini.

Editione alia: De Cœna Domini docent, quòd corpus & ſanguis Chriſti verè adſint, & diſtribuantur veſcentibus in Cœna Domini.

Editione alia: De Cœna Domini docent, quòd cũ pane & vino verè exhibeatur corpus & ſanguis Chriſti veſcentibus in Cœna Domini.

12. *Communionem ſub altera ſpecie*

PROBAT.

Editione 2. Locorum communium, capite de abrogatione Legis: Errat, qui putat impium edere ſuillam carnem: errat item, qui putat impium abſtinere à ſuilla. Media ſunt hæc, & in arbitrio noſtro poſita. Sic & de Euchariſtia iudico, non peccare, qui ſciẽtes huius libertatis, & credentes, alterutra Signi parte vtuntur.

IMPROBAT.

In Apologia, capite de vſu integri Sacramenti corporis & ſanguinis Chriſti: Cùm hominis teſtamentum nemo mutare debeat, multo minus teſtamentum Dei mutandum eſt. Ergo nemini licuit hanc ordinationem mutare, aut partem abolere.

13. *Pœnitentiam eſſe Sacramentum*

NEGAT.

In Locis communibus editionis ſecundæ: Pœnitentiam non eſſe Signum, nihil obſcurum eſt. Eſt enim Pœnitentia vetuſtatis noſtræ mortificatio, & renouatio ſpiritus. Sacramentum eius vel ſignum, non aliud niſi Baptiſmus eſt, atque hic omnium rectiſſimè vocetur Sacramentum Pœnitentiæ.

ASSERIT.

In poſtrema editione Locorum Communium, capite de numero Sacramentorum: Numerentur hæc Sacramenta: Baptiſmus, Cœna Domini, Abſolutio.

In Apologia, capite de numero & vſu Sacramentorum: Verè ſunt Sacramenta, Baptiſmus, Cœna Domini, Abſolutio, quæ eſt Sacramentum Pœnitentiæ.

Ad caput 18. Matthæi: *Amen dico vobis.)* Hic locus, ſicut ſuperior, Sacramentum Pœnitentię ſanxit. Eſt enim pollicitatio quædam, qua promittitur peccatum remitti, abſoluente claue.

14. *Sacramentum Ordinis*

NEGAT.

In prima editione Locorum Communium, capite de participatione mensæ Domini: Quid in mentem venit ijs, qui inter Signa gratiæ Ordinem numerârunt? cùm non ſit aliud Ordo, quàm deligi ex Eccleſia eos, qui doceant, baptizent, benedicant, & eleëmoſynas partiantur egenis?

ASSERIT.

In poſtrema editione Locorum Communium, capite de numero Sacramentorum: Mihi maximè placet, etiam addi Ordinationem vt vocant, id eſt, vocationem ad miniſterium Euangelij, & publicam eius vocationis approbationem.

PHILIPPVS MELANCHTHON ſuam hanc inconſtantiam ipſe fatetur.

Epiſtola 2. ad Martinum Lutherum : In Apologia quotidie multa mutamus. Subinde enim mutanda ſunt, & ad occaſiones accommodanda.

PHILIPPI ANTILOGIAS IPSI Lutherani fatentur, & reprehendunt.

Saxonici Theologi in Colloquio Altemburgenſi.

Fol. 377. Affirmamus Philippum in hac præſenti controuerſia non ſentire cum Luthero, & verbo Dei. Illud ſaltè de Locis Philippi paucis & modeſtè addimus: Primùm, conſtare Philippum toties ferè eos mutaſſe & rebus & verbis, vt quibus ſit adhibenda fides in dubio ſit. Secundò, Lutherum iſtam crebram mutationem improbaſſe ex fide dignis accepimus. Tertiò, veteres Locos eſſe puriores poſterioribus, vt pij paſſim iudicant. Malè igitur factum, quòd non ſint in Tomos Philippi inſerti. Quartò, poſteriores Locos Lutherum propter tam variam, & perpetuam eorum mutationem, non potuiſſe ſemper inſpicere, certum eſt: nam alijs laboribus Eccleſiæ Dei fuit obrutus. Quintò, Luthero iam ſenęſcente, & omnium maximè poſt ipſius obitum ſunt immutati. Sextò, pios plurimos in Eccleſia Dei non pauca, neque exigua mouere, quæ in Locis illis à verbo Dei & Lutheri ſcriptis diſcrepent.

Folio 402. Non poſſunt multi pij faſciculum illum librorum Philippi, quem Corpus doctrinę appellant, ſine diſcrimine pro norma doctrinæ accipere.

Primò, quia priora exemplaria non habent veram ac germanam Confeſſionem Auguſtanam. Subſtituta enim eſt alia quędam, quæ neque ſcripta, neque exhibita eſt Auguſtę, neque à Statibus Auguſtanæ Confeſſionis vnquam approbata. Poſteriora verò exemplaria confundunt ipſa collatione prępoſtera veram cum falſa. Non enim habuit auctor poteſtatem corrigendi, quod alij ſuum fecerant ſubſcriptione & exhibitione. Præterea Philippus adeo ſubinde eam mutare auſus eſt confeſſionem, vt tandem Sacramentarijs feneſtram aperuerit, qua in eam irrepſerunt.

Secundò, quia cæteri libri habent quædam non parui momenti cum verbo Dei, & Auguſtana Confeſſione non concordantia, vt ſunt: Primò, doctrina de libero arbitrio in Locis Communibus & alijs deprauatur: vbi dicitur liberum arbitrium eſſe facultatem ſe applicandi ad gratiam: item de tribus cauſis agentibus in conuerſione: item in nobis eſſe cauſam receptionis, & ſimilia. Secundò, locus de Euangelio commiſcet Legem & Euangelium. Tertiò, locus de Iuſtificatione in definitionibus non meminit ſatis expreſsè imputatæ iuſtitiæ Chriſti. Quartò, locus de Cœna Domini nec definitionem propriam habet, nec refutationem vllam Sacramentariorum. Quintò, locus de magiſtratu habet iuſtitiam noſtram eſſe lucem in corde. Sextò, reuelationem Antichriſti Papiſtici non ita vrget, vt Lutherus. Sunt & aliæ quædam opiniones in eo libro verbo Dei non vſquequaque conſentaneæ, &c.

Philippum multoties humani aliquid paſſum non eſt obſcurum, & mallemus id tacere, ſi non Domini Collocutores perpetuò neceſſitatem ea recitandi afferrent. Non enim ignorant quomodo nutârit, quando Caroloſtadius, alijqúe nonnulli agricolizârunt, abſente nimirum curru & auriga Iſrael Luthero. In ipſo tempore ſcriptionis Auguſtanæ Confeſſionis quantopere vacillârit, & quàm animosè eum Lutherus erexerit, & confirmârit, ex epiſtolis editis de hiſce ipſis rebus videre eſt. Quomodo primatum Papę, qui eſt neruus Antichriſti Romani, reſpectârit, ex Smalcaldica etiam lectione conſtat. Quoties eum quoque aliàs volentem extra metas currere Lutherus retraxerit, vel ſaltem diſputatio illa teſtatur, qua Lutherus Paradoxon Papiſticum: *Bona opera ad ſalutem eſſe neceſſaria,* deſtruxit. Quomodo Sacramentarios confirmârit ſcriptis publicis Philippus, Caluinus, alijqúe in ſuis libris publicis teſtari poſſunt. Quomodo denique actionibus Interimiſticis ceſſerit, non tantùm epiſtola ad Carlovvitzium data, ipſiq; Imperatori oblata, imò per totam ferè Europam ſparſa; ſed ipſa quoque in actis Synodicis vulgata conſilia & ſcriptiones loquuntur. Poſtremò quàm ſæpe libros ſuos immutârit, & variârit, nimis verè Pontificij nobis obijciunt, idqúe omnium maximè factum eſt ſeneſcente Luthero.

Fol. 520. Multi noſtrûm à Magiſtro Rorario, qui libros Lutheri edebat, audiuimus, aliquoties Lutherum conqueſtum de illa crebra refuſione Confeſſionis, atque ad ipſum Philippum dixiſſe: Philippe liber iſte non tuus eſt, ſed Eccleſiæ confitentis. Ideo non eſt tibi integrum toties immutare.

Folio 524. Quàm probè ſibi conſentiant Philippi nouus Locus de libero arbitrio, & liber optimus Lutheri de ſeruo arbitrio, res ipſa docet, & nos paulò pòſt plenius demonſtrabimus. Scimus enim falſitatem cum veritate confundi nequaquam debere. Improbat ac reijcit Lutherus veterem definitionem: hic probat. Lutherus inquit hominem in conuerſione nihil poſſe: hic dicit aliquo modo. Negat Lutherus in nobis eſſe cauſam apprehenſionis ſalutis, niſi Deus prius fidem dederit: hic affirmat. Viuo Luthero, & in antiquis Locis rectius ſentit, quàm in poſterioribus.

Folio 148. b. Philippus ad Carlovvitziũ illud electum Dei organum Lutherum tam inclementer traduxit, quòd fuiſſet φιλόνεικος, magis vtilitatis proprię, q̃ cõmunis ſtudioſus, & deformem penè ab ipſo ſeruitutẽ paſſus eſſet, vt eã epiſtolam Manlius edidit, totiqúe mundo innotuit. Tales ſarcaſmos, & talia ſophiſmata dolemus à tanto viro in tantis rebus effuſa eſſe; ſed ad infirmitatem humanam hęc, aliaqúe non pauca referremus, ſi non aliqui nimis prępoſtera eius viri veneratione, & cultu, ea quę mala ſunt immodicè prædicarent, & ornarent. Dicit ipſe alicubi, ſe non eſſe ἀναμάρτητον: cur igitur peccata ipſius tanto feruore palliantur, & ornantur? Laudemus quæ bona ſunt: mala verò, quibus neque Deus, neque Philippus ornatur, nequaquam laudemus.

Folio 463. 425. 424. *Locos communes Philippi propter crebram innouationem cothurnum, non locos Theologicos, ſed iocos potius Theologicos vocandum cenſent. Inter cuius & Martini Lutheri doctrinam aſſerunt tantum fuiſſe diſſenſum, & diſcrepantiam tantam, quanta eſt inter æſtatem & hyemem diſſimilitudo.*

Conradus Schlusselburgius.

Theol. Caluinist. lib. 2. artic. 10. Sæpe M. IOANNES CALOANDER, Brũsuigẽsis Ecclesiæ fidelis Doctor, commemorauit, se aliquando cum D. Philippo Præceptore de certamine præsenti, quod nobis est cum Caluinistis, collocutum esse, atque eum diligenter orâsse, vt vna saltem pagella publicè suam sententiam de Cœna Domini emitteret in lucem, sese aperiens & explicans, an vel cum D. Luthero, de qua re multi ambigerent; an verò cum Caluino, id quod plerique crederent, in hoc articulo faceret; idque eam potissimũ ob causam, quòd Sacramentarij publicis libris impressis, nomine, patientia, & silentio Philippi ad errorem suum alijs instillandum abuterentur, non sine insigni Ecclesiæ iactura & scandalo. Ibi Philippum irato animo respondisse dicebat, se satis scripsisse: Sin autem excitaretur, & impelleretur rursus ad scriptionem de hac controuersia, tum se ea publicaturum esse, vnde totus mundus esset euigilaturus. Tum se Philippum petijsse, ne istam interpellationem ægrè ferret: se enim propterea hoc ita vrgere iam, vt possit excusare Philippum apud eos, qui negarent eum credere, Panem Cœnæ esse verum & naturale corpus Christi. Tum Philippum particula papyri è terra sublata, atque statim è manu proiecta, cũ summa indignatione respondisse: Si verum & naturale corpus Christi est in pane consecrato Cœnæ Dominicæ, vt vos creditis, cur non etiam in hac charta corpus Christi est? Quo verbo blasphemo ex Philippi ore audito, Caloander dicebat se tristem & admirabundum à Philippo discessisse.

D. IOACHIMVS MORLINVS Brunsuigæ in publica lectione aliquando dixit: Wenn ich an den Herren Philippum gedencke/ so blutet mir mein hertz zu tausent malen in meinem leibe: wir köndte nicht einen Syllogismum machen/ weñ vns Philippus solches nicht gelehret hette: tam bene meritus est de Ecclesia, & omnibus doctis: vnd wenn er hette die gantze Welt können auff seiner achseln allein tragen/ so hette ers gethan: denn er war ipsissima probitas. Er ist vnser Præceptor, vñ wir müssen Jhn einen Præceptorem nennen: weñs aber kompt ad locũ de Cœna Domini, de Libero arbitrio, de iustificatione hominis peccatoris coram Deo, de Interimisticis actionibus, da lobe dich der Teuffel Philippe, ich nimmermehr. Si possem ego redimere salutem Philippi nostri Præceptoris, so wolte ichs thun/ etiam cum periculo corporis & vitæ meæ, sed ereptus est ex hac vita ad iudicium, & horrendum tribunal Filij Dei viuentis, vbi iam suam causam dicit: dabey müssen wirs bleiben lassen. Was Philippus in causa Bremensi gethan/ da er den Sacramentschender Hardenbergium geschützet/ vnd jhme lange zeit den rücken gehalten/ daß vergebe jhm Gott/ so es jhm anders zu vergeben ist/ vnd auch für jhn zu bitten stehet.

III. CALVINVM A SEIPSO dissentire.

1. *Deum esse omnipotentem*

AIT.

Ad cap. 1. Lucæ: Verbo Dei nulla est impossibilitas obiicienda.

NEGAT.

Ad cap. 23. Esaiæ: Istud somnium de potestate absoluta in Deo, quam Scholastici introduxerunt, execranda blasphemia est.

De æterna Dei prædestinatione: Ego detestor hanc doctrinam, qua Papistici Theologi sibi placent, fingentes in Deo potestatem quandam absolutam.

2. *Dei decreto & voluntate hominem peccare, & sic Deum esse causam peccati*

AIT.

Libro contra Pighium: Decreto Dei constitutũ est, hominem per peccatũ labi debere. Et nihil contingit ei, quod Deus non decreuerit.

Lib. 3. Instit. cap. 23. §. 7. Vnde factum est, vt tot gentes vnà cum liberis eorum infantibus æternæ morti inuolueret lapsus Adæ absque remedio, nisi quia ita Deo visum est? Decretum quidem horribile fateor: inficiari tamen nemo poterit, quin præsciuerit Deus quẽ exitum esset habiturus homo, antequam ipsum conderet, & ideo præsciuerit, quia decreto suo sic ordinârat. Nec absurdum videri debet, quòd dico Deum non modò primi hominis casum, & in eo posterorum ruinam prouidisse; sed arbitrio quoque suo dispensasse.

§. 8. Lapsus est primus homo, quia Dominus ita expedire censuerat. Cadit homo Dei prouidentia sic ordinante.

Lib. 1. Instit. cap. 18. §. 1. Absurdum videtur, volẽte ac iubente Deo excæcari hominem, qui mox cæcitatis suæ pœnas daturus est. Tergiuersando itaque effugiunt, Dei permissu, non etiam voluntate hæc fieri. Ipse verò se palam facere pronuntians, effugium repudiat. Quicquid agitent homines, vel Satan ipse, Deus tamen clauum tenet, vt ad exequenda sua iudicia conuertat eorum conatus. Vult Deus perfidum Regem Achab decipi, operam suam offert diabolus ad eam rem, mittitur cum certo mandato, vt sit spiritus mendax in ore omnium Prophetarum. Si Dei iudiciũ est excæcatio & amentia Achab, nudæ permissionis figmentum euanescit. Iudæis propositum est Christum extinguere, Pilatus & milites rabiosæ eorum libidini morem gerunt, fatentur tamen in solenni precatione discipuli, nihil fecisse omnes impios, nisi quod manus & consilium Dei decreuerat. Absalon incesto coitu patris thorum polluens, detestabile scelus perpetrat; Deus tamẽ hoc opus suum esse pronuntiat. *Tu fecisti occultè, ego palam coram sole hoc.* Sæpius in sacra historia occurrit, quicquid accidit proficisci à Domino.

§. 2. Nihil clarius potest desiderari, quàm vbi toties pronuntiat se excæcare hominũ mentes, ac vertigine percutere, spiritu soporis inebriare, incutere amentiã, obdurare corda. Fateor quidẽ interposita Satanæ opera sæpe Deũ agere in reprobis: sed vt eius impulsu Satan ipse suas partes agat, & proficiat quatenus datum est, summa Dei voluntas rerum omnium causa est.

Ad c. 9. epist. ad Romanos, v. 17. Friuolum est illud effugium, quod de præscientia Scholastici habẽt. Neq; enim præuideri ruinã impiorũ à Dño Paulus tradit; sed eius consilio & voluntate ordinari. Nõ modò præcognita fuit impiorũ perditio; sed impij fuerunt destinatò creati vt perderentur.

NEGAT.

Ad caput 4. Matthæi, v. 1. Adamo datum fuerat posse non peccare.

Ad c. 15. Matth. v. 13. Non Deus innoxios, & omni culpa vacuos perdit; sed quia ipsi propria malitia quicquid oblatũ est, quãlibet sit salutare, in exitium suum conuertunt, ita fit, vt spõte pereuntibus, Euangelium odor sit mortis in mortem.

Ad cap.

Ad cap. 23. Fateor quidem reprobos nõ ideo sibi mortem accersere, quia Deus ita futurũ præuiderit, ideoque eius præscientiæ non posse ascribi quòd pereunt: sed hoc cauillo Dei iustitiam negoriè defendi, quia mox obijcere licebit, per Deum stare, quò minus resipiscant, quia in eius manu est fidei ac pœnitentiæ donum.

Ad cap. 5. Marci v. 36. Multò liberalius ageret nobiscum Deus, nisi tam restricti essemus: sed impediunt nostræ angustiæ, ne vberius in nos sua dona effundat.

Ad cap. 16. Lucæ, v. 25. Pronomen *Tua* emphaticũ est, ac si dixisset Abraham: cùm ad immortalem vitam creatus fores, & lex Dei sursum te ad meditandum cælestem vitam attolleret, tu sortis tuæ præclaræ oblitus, porco vel cani similis esse maluisti.

Ad cap. 3. Ioannis, v. 19. Ne quis suam damnationẽ Christo ascribat, propriæ cuiusque culpæ imputandũ esse docet. Vnde constat obstare suã incredulitatem incredulis, ne ad Christum accedant.

Ad cap. 23. Ioan. v. 27. *Quod facis, fac citius.*) Non ita Iudam hortatur Christus, vt censeri possit impulsor: potius vox est detestantis. Non imponit Christus Iudæ pereundi necessitatem, sed talem esse pronuntiat, qualis prius erat.

Contra Libertinos dicit, eos, qui dicunt Deum esse causam peccati, malè admodum de ipso mereri, eò quòd grauius sit, quàm si eius potentiam negarent, vel iustitiam: cùm eum sua etiam bonitate exuant, quæ præter cætera ei tamen propria est. Nec vllus, *ait*, vnquam poterit ostendere, Deum in latrone furari, in grassatore diripere, in homicida necare, & proinde execrãda est blasphemia, sic de Deo sentire, aut dicere.

3. *Nomen Trinitatis retinendum esse*

AIT.

Epistola 350. Quoniam voces istas *Trinitatis, & Personarum* plurimum Ecclesiæ Christi commodare intelligimus, ita vt verè Patris, Filij, & Spiritus sancti distinctio clarius exprimatur, ab his vsque adeò non abhorremus, vt libenter eas amplexemur, siue ex alijs audiẽdæ, siue à nobis vsurpandæ sint.

NEGAT.

Epistola ad Polonos scripta anno 1563. & extat editione postrema operum Theologicorum Caluini: Precatio vulgo trita est: *Sancta Trinitas vnus Deus miserere nostri*: mihi non placet, & omnino barbariem sapit, &c. Quòd ab ijs dicitur: *Vnus Deus, & vnus Mediator*, id est, Trinitas: item: *Vt cognoscamus te vnum Deum*, id est, Trinitatem: *Quicquid petieritis à Patre*, id est, Trinitate, non modò tamquam insipidum, sed profanum quoque repudiamus.

4. *Christum verum esse Deum*

AIT.

Ad caput 1. Ioannis, v. 1. Hoc exordio æternam Christi diuinitatem prædicat, vt sciamus æternum esse Deum, qui manifestatus est in carne. *Et Sermo erat Deus.*) Ne quis de diuina Christi essentia scrupulus maneat, clarè asserit esse Deum. Iam cùm vnicus sit Deus, Christum eiusdem cum Patre esse essentiæ, & tamen aliquo differre sequitur. Quod ad essentiæ vnitatem spectat, nimia fuit Arij improbitas, qui ne æternam Christi diuinitatem fateri cogeretur, fictitium nescio quem Deum esse garriebat. Nos autem cùm audimus Sermonem fuisse Deum, quid est, quòd de æterna illius essentia amplius moueamus controuersiam?

Ad caput 14. Ioannis, v. 10. Pater in Christo esse dicitur, quia in eo habitat plena diuinitas, & virtutem suam exerit: Christus vicissim dicitur esse in Patre, quia diuina virtute se vnum cum illo esse ostendit.

NEGAT.

Vide supra lib. 1. art. 5. pag. 61.

5. *Christum à Patre, non à seipso essentiam habere*

AIT.

In Actis Serueti: Cogeris fateri Christum suam à Patre naturam habere, propter quam Filius Dei est.

Libro 1. Institut. cap. 13. §. 25. Pater, quia ordine primus est, atque ex se genuit suam Sapientiam, meritò censetur principium & fons totius diuinitatis.

NEGAT.

Libro 1. Institut. cap. 13. §. 19. Cùm de Filio sine Patris respectu simpliciter loquimur, bene & propriè à seipso esse asserimus, & ideo vnicum vocamus principium. §. 23. Cùm vbique ponatur nomen Iehouæ, sequitur deitatis respectu ex seipso esse. Quomodo autem Creator, qui omnibus esse dat, non erit ex seipso, sed essentiam aliundè mutuabitur?

Ad caput 1. Ioannis v. 9. Christus lux æterna fulgorem sibi ingenitum habet, non aliundè accitum.

6. *In Christo vnam tantùm esse personam, & duas naturas*

AIT.

Ad caput 1. Ioannis: Non obstat personæ vnitas, quin distinctæ naturę maneant, ita vt diuinitas quicquid sibi proprium est retineat, humanitas etiam seorsim habeat, quod in eam competit, &c. Non Christus ita carne fuit vestitus, vt quasi duplex esset, duasque haberet diuisas personas, &c. Cùm Euangelista Sermonem dicit carnem esse factum, clarè hinc personę vnitas colligitur.

NEGAT.

Libro 1. Institut. cap. 13. §. 9. Etsi Mediatoris personam nondum attingo, sed differo vsque in eum locum, vbi de redẽptione agitur. §. 23. Sermo est ante secula genitus (nondum enim de Mediatoris persona nobis sermo est) & tamen explicandi causa habenda est ratio personę, vt nomen Dei non simpliciter sumatur.

§. 24. Ex quo manifestatus in carne Christus Filius Dei vocatur, non tantùm quatenus ante secula genitus ex Patre fuit æternus Sermo, sed quia Mediatoris susceptt personam & munus, vt Deo nos coniungeret.

7. *Christum ab initio omni gratia abundasse*

AIT.

Ad caput 3. Matthæi v. 16. Quamuis singulari Spiritus gratia vsque ad miraculum Christus excelleret, tamen se quasi priuatus homo continuit, vsque dum producendus esset à Patre.

Ad cap. 4. Lucæ v. 16. Christus Spiritus plenitudine solus donatus est, vt testis ac legatus esset nostræ cum Deo reconciliationis.

NEGAT.

Ad caput 3. Matthæi v. 16. Quamquam non repugno, quin Christus etiam, quatenus homo erat, redditus sit suę vocationis certior. Etsi enim suas preces semper in aliorum vsum destinauit: opus tamen habuit secundùm hominẽ, cùm tam arduum militiæ genus aggressus est, singulari Spiritus virtute armari.

Ad cap. 2. Lucæ v. 40. Primùm creuisse dicit, & roboratum Spiritu: quibus verbis significat, vnà cum ętate creuisse etiam animi dotes. Sicut adolescere corpore: ita etiam secundùm animam nostri causa proficere voluit. Et cùm docet Apostolus, per omnia fuisse nostri similem,

excepto peccato, procul dubio hoc quoque comprehendit, quòd eius anima subiecta fuerit ignorantiæ. Ergo pro ætatis modo & ratione Christus secundùm humanitatis naturam gratuitis Spiritus donis auctus est.

Ad caput 4. Lucæ v.1. Dicit Lucas, quòd *Iesus plenus Spiritu sancto regressus sit à Iordane:* quibus significat, tunc vberiore Spiritus gratia, & virtute fuisse instructum, vt fortior ad pugnas obeundas foret.

8. *Christum semper inde vsque ab origine mundi functum fuisse aduocati, & patroni nostri officio*

AIT.

Ad cap.3.Matth.v.23. Functus est quidem Mediatoris officio ab initio mundi, &c. Cùm familiaris illa populi cum Deo coniunctio à Mediatore penderet, quod reipsa nondum plenè extabat, symbolis adumbratum fuit.

NEGAT.

Ad caput 16. Ioannis: Si hæc noua est ac insolita Christi gratia, colligi posse videtur, quamdiu in terris versatus est, nondum egisse aduocati partes, vt per ipsum gratę essent Deo preces fidelium: quod etiam mox clarius exprimit: *Hactenus*, inquit, *non petijstis quicquam in nomine meo.*

9. *Sperandum esse in Christi angustijs, doloribus, precibus, cruce, & morte*

AIT.

Ad caput 13.Ioannis v.31. Nos hodie sola crucis memoria ad trepidationem impellit, nisi mox occurrat consolatio, ipsius Satanæ, peccati, & mortis victorem in cruce triumphasse: vtcumque in cruce appareat ignominia, quę per se confundere fideles posset; testatur tamen Christus, eandem crucem sibi esse gloriosam, &c. Nam in Christi cruce, quasi in splendidissimo theatro, incomparabilis Dei bonitas toti mundo spectata fuit. Sursum quidem & deorsum in omnibus creaturis relucet Dei gloria: sed nunquam illustrior alibi fuit, quàm in cruce; in qua admirabilis facta est rerum conuersio, ostensa omnium hominum damnatio, abolitum peccatum, reddita hominibus salus; toto denique mundo reparato, omnia in ordinem restituta.

Ad caput 19.Ioan.v. 30. In Christi morte totum salutis nostræ complementum, & singulas partes docemur contineri, &c. Omnes Euangelistę diligenter mortem Christi exprimunt. Nec immeritò. Nam hinc nobis vitæ fiducia, hinc etiam secura aduersus mortem gloriatio, quòd eam vice nostra obijt Dei Filius, & cum ea luctando superior euasit.

NEGAT.

Ad caput 16.Matth.v.21. Et certè cùm in Christi cruce omnis appareat carnis infirmitas, donec ad resurrectionem vētum fuerit, in qua relucet virtus spiritus, non reperiet fides nostra, quò se erigat, vel sustentet.

Ad cap.27.Matth.v.57. In Christi morte spectaculum desperationis plenum occurrit, quod etiam viriles animos frangere posset.

Ad caput 14. Ioannis v.1. Neque enim ista mediocris erat tentatio, quòd paulo post ipsum visuri erant in cruce pendentem, in quo spectaculo nihil quàm extremæ desperationis materia erat.

10. *Christi affectus omni vitio caruisse*

AIT.

Ad caput 4.Matthæi v.8. Christus omnem habuit nobiscum sensum, non autem appetitus incompositos.

Ad caput 26.Matthæi v.37. Christus tristitia & metu sic turbatus fuit, vt tamen aduersus Deum non insurgeret; sed maneret compositus ad veram temperantiæ regulam. Nec enim mirum est, cùm integer esset, purusqúe ab omni labe, puros & liquidos ab eo fluxisse affectus, quamuis humanæ infirmitatis testes forent.

Ad caput 6.Lucæ v.8. In Christo non solùm viguit naturę integritas, sed absolutum iustitiæ exemplar enituit.

Ad caput 11.Ioan.v.33. In Christo quia compositi fuerūt in Dei obsequium, & moderati affectus, omni vitio carebāt. Nulla eius passio vltra suum modum vnquam erupit, nulla nisi iusta, & ex ratione, rectoqúe iudicio suscepta, &c. Christus humanos affectus suscepit, sed citra ἀταξίαν: quia fit, vt qui passionibus carnis obsequitur, Deo non obtemperet. Turbauit quidem seipsum Christus, & vehementer commotus fuit; sed ita vt se continuerit sub Patris voluntate.

NEGAT.

Ad caput 12.Ioannis v.27. *Nunc anima mea.*) Videtur initio sententia hęc multum discrepare à proximo sermone. Illud plus quàm heroici pectoris signum erat, hortari suos nō modò ab subeundam mortem, sed libenter & cupidè oppetendam, vbi ita res postulat: nunc mortem refugiendo mollitiem suam fateur, &c. Neque obstat, quin mortem naturaliter horreat Christus, & tamen cupiat parere Deo: nempe secundùm diuersos respectus. Hinc illa correctio, cùm dicit: *Propterea veni in horam hanc.* Vtcumq; enim mortem per se timeret, quia tamē reputat quorsum missus sit, & quid exigat redēptoris officiū, conceptum ex naturę sensu horrorē Patri domandum offert.

Ad cap. 5. prioris ad Corinth. Quomodo iusti sumus coram Deo? certè vt Christus peccator fuit.

Ad cap.3.ad Galatas: Christus in assumpta hominis natura verè peccator fuit, & reus maledictionis diuinæ.

11. *Christi orationes in monte Oliuarum fuisse sanctissimas & prudentissimas*

AIT.

Ad cap.14.Matth.v.23. Scimus quàm facilē minimis quibusque auocamentis concidat precandi ardor, vel remissius langueſcat: tametsi hoc vitio non laborauit Christus.

Ad cap.26.Matth.v.37. Christus tristitia & metu sic turbatus fuit, vt tamen aduersus Deum non insurgeret, sed maneret compositus ad verā temperantię regulam. Nec enim mirum est, cùm integer esset, purusqúe ab omni labe, puros & liquidos ab eo fluxisse affectus, quamuis humanæ infirmitatis testes forent.

NEGAT.

Ibidem v.39. *Pater mi, si possibile est.*) Fruſtra laborant quidam, vt ostendant non hìc precationem describi, sed querimoniam duntaxat. Ego verò tametsi abruptum votum fateor, non tamen dubito, quin precationem Christus conceperit. Nec obstat, quòd rem impossibilem sibi concedi poscit. Non fuerunt turbulenti Christi affectus, qui more nostro eius animo puram moderationem excuterent, sed quantum ferre potuit sana & integra natura hominis, metu perculsus, & anxietate constrictus fuit, vt necesse foret inter violentos tentationum fluctus alternis votis quasi vacillare. Hæc ratio est, cur mortem deprecatus, mox sibi frēnum inijciat, Patrisqúe imperio se subijciens, votum illud subitò elapsum castiget, ac reuocet, &c. Certè in primo Christi voto non apparet illa moderatio, quam dixi: quia Mediatoris officio defungi, quantum in se est, renuit ac detrectat.

12. *Christum de salute sua non desperasse, nec dubitasse*

AIT.

Ad cap.26.Matth.v.37. Christus tristitia & metu sic turbatus fuit, vt tamen aduersus Deum non insurgeret, sed maneret compositus ad veram temperantiæ regulam.

Ad cap.27.Matth.v.46. Quamquam sensu carnis exitium apprehenderet, fixa tamen stetit eius fides in corde, qua Deum præsentem intuitus est, de cuius absentia cōqueritur, &c. Nec obstat, quo minus Dei alienationem mente conceperit Christus, prout sensus communis dictabat, & simul fide retinuerit sibi Deum esse propitium. In hoc diro cruciatu illæsa fuit eius fides.

NEGAT.

Lib.2. Instit.cap.16.§.10. Diros in animo cruciatus damnati & perditi hominis pertulit: omnia irati & punientis Dei signa expertus, cum mortis, & inferorum doloribus certamen subijt, quasi Deo irato in labyrinthum malorum proiectus fuerit.

§.12. Hìc nebulones quidam, licet indocti, malitia tamen magis, quàm iustitia impulsi, clamitant me atrocem facere Christo iniuriam: quia minimè consentaneum fuerit, eum de salute timere.

Ad cap. 26. Matth.v.39. Vnde sequitur grauioris mali timore ad deprecandum mortem fuisse adactum, nempe cùm iram Dei sibi propositam videret, quatenus ad Dei tribunal, totius mūdi peccatis oneratus se sistebat, necesse illi fuit profundam mortis abyssum exhorrescere. Quamquam ergo mortem sustinuit: quia tamen solutis eius doloribus superior euasit in lucta, meritò dicit Apostolus exauditum fuisse à suo metu. Hìc indocti homines insurgunt, remq; indignam esse clamitant, quòd veritus sit Christus absorberi à morte.

Ad cap. 27. Matth. v.46. Cùm species tentationis Christo obiecta est, quasi Deo aduerso iam esset exitio deuotus, horrore correptus est.

13. *Christum pro omnibus omnium hominum peccatis passum, & mortuum esse*

AIT.

Ad cap.5.epist.ad Romanos: Etsi Christus passus est pro peccatis totius mundi, atque omnibus indifferenter Dei bonitate: non tamen omnes apprehendunt.

Ad cap. 2. prioris Ioannis: Hæc communis scholarum sententia vera est: Christus pro toto mundo sufficienter passus est, efficaciter autem pro solis electis.

NEGAT.

Ad cap.17.Ioannis v.9. Apertè se pro mundo orare negat: quia solicitus non sit, nisi de proprio grege, quē ex manu Patris accepit, &c. Christus pro solis electis orat.

BARPTOLOMAEVS CAVSAEVS *in clypeo fidei*: Christus adimpleuit legem. Mortuus est indifferenter pro omnibus? Non ædepol, sed tantùm pro his, qui eum recipiunt in tali iustitia, id est, vt perfectum legis pro seipsis obseruatorem, & qui pro his perfectè satisfecerit.

14. *Christum pro nobis orando, patiendo, moriendo plus sibi meruisse*

AIT.

Ad cap.27. Matth. v.50. Hac prece ius seruandi omnes animas sibi Christus peperit.

Ad cap.9. epistolæ ad Hebr. Christus nostram assumendo carnem, & in ea perpetiendo, sibi hoc priuilegium acquisiuit, vt iam mediator Deo assistat.

Ad cap.14. epistolæ ad Roman.v.9. Ostendit Paulus quàm meritò Christus hāc sibi in nos potestatem vindicet, cùm eam tanto pretio ipse acquisierit. Nam mortem pro salute nostra obeundo, dominium sibi acquisiuit, quod nec morte solueretur: resurgendo autem totam vitam nostram in peculium accepit. Morte igitur & resurrectione sua promeritus est, vt tam in morte, quàm in vita gloriæ nominis sui seruiamus.

NEGAT.

Lib.2. Instit.cap.16.§.6. Quærere an sibi ipsi meruerit (quod faciunt Lombardus & Scholastici) non minus stulta est curiositas, quàm temeraria definitio, vbi hoc asserunt. Quid enim opus fuit descendere vnicum Dei Filium, vt sibi acquireret quicquam noui?

Ad cap.2. ad Hebræos v.9. Non quòd sibi priuatim quicquā acquisierit Christus, sicut Sophistæ fingunt.

15. *Christo nunquam excidisse, se esse Saluatorem mundi*

AIT.

Ad cap.23. Lucæ: Christus licet manu Dei percussus, speciem hominis ferè deplorati præbuerit: quia tamen non destitit esse mundi Seruator, cælesti potentia semper fuit præditus ad munus suum implendum, &c. Porrò fieri non potest, vt eorum obliuiscatur, qui suam ei salutem commendant.

NEGAT.

Ad cap.26.Matth.v.39. Eadem vehementia præsentem cęlestis decreti memoriam illi abstulit, vt non reputaret in ipso momento, se hac lege missum esse humani generis redemptorem, sicut grauis anxietas sæpe caliginem oculis obducit, ne simul in mentem veniant omnia.

16. *Christum sponte Mediatoris officio functum esse*

AIT.

Ad cap.10.Ioannis v.18. Christus non moritur coactus, sed sponte se pro salute gregis offert. Porrò non tantùm homines necis potestatem in se habere negat, nisi quatenus permiserit: sed à qualibet vi necessitatis se eximit, &c. Ideo mors Christi piaculum est pro peccatis nostris, quia voluntarium fuit sacrificium, iuxta illud Pauli: *Obedientia vnius iusti facti sunt multi.* Hæc verba, *Pono eam à meipso*, bifariam exponi possunt, vel quòd se vita exuat Christus, manens ipse integer, ac si quis vestem de corpore suo deponeret; vel quòd suo arbitrio moriatur. Rom.5.

Ad cap.12. Ioannis v.1. Venit Christus primò Bethaniam, vt inde Hierosolymam triduò post se conferat. Interea opportunum tempus & locum ad se prodendum dare Iudæ voluit, vt ipse ad statam horam esset parata victima. Neq; enim quid futurum sit ignorat, sed voluntarius ad immolationem occurrit.

NEGAT.

Ad cap.28. Matth.v.39. Certè in primo voto non apparet placida illa moderatio: quia Mediatoris officio defungi, quantum in se est, renuit atq; detrectat.

17. *Corpoream Christi mortem plurimum nobis profuisse*

AIT.

In argumento Harmoniæ Euangelicæ: Reconciliatio mundi cum Deo, semel morte Christi peracta, quotidie ad homines defertur.

Ad cap.22. Lucæ v.19. Quisquis nutritiam sibi esse cupit Christi carnem, eam in cruce oblatam consideret, vt nostræ cum Deo reconciliationis esset pretium.

NEGAT.

Lib.2.Institut.cap.16.§.10. Nihil actum erat, si tantùm corporea morte defunctus erat Christus.

18. *Christi in cælis potestatem summam & diuinam esse*

AIT.

Ad cap.28.Matth.v.18. Matthæus antequam discipulis narret iniunctum munus, Christum de sua potestate præfatum esse dicit, nec abs re. Nõ enim hic sufficeret mediocris auctoritas, sed summo vereq; diuino imperio pollere oportet, qui suo nomine vitam æternam promitti mandat, &c. Nunquam tam arduum munus aggredi Apostolis persuasum foret, nisi scirent in cælo sedere suum vindicem, cui summum imperium datum esset, &c. Meminerimus verò, quod Christus iure suo semper apud Patrem habuit, hoc illi in carne nostra datum esse: vel, vt clarius loquar, in persona Mediatoris. Non enim æternam potentiam iactat, qua præditus fuit ante creatum mundum, sed quam nunc accepit, dum ordinatus fuit mundi iudex. Quò etiam pertinet illud Pauli: *Exinaniuit seipsum, propterea exaltauit illum Deus, & dedit illi nomen super omne nomen.* Philip.2.

NEGAT.

Ad cap.22. Matth. v.44. Sessio ad dextram metaphoricè accipitur, pro secundo vel proximo gradu, quem Dei vicarius occupat.

Ad cap.26. Matth.v.64. Dicitur Christus sedere ad dextram Patris, quia summus Rex constitutus, quasi secundam ab eo honoris & imperij sedem obtinet. Sedet ergo Christus ad dextram Patris, quia eius est vicarius.

Ad cap.16. Marci v.19 Consedit à dextra Dei, per inde est, ac si vocetur Dei vicarius, qui eius personam sustinet. Quare locum aliquem imaginari non conuenit, cùm metaphoricè dextra secundam à Deo potestatem significet.

19. *Nomen Iesu venerandum esse*

AIT.

Ad cap.1.Lucæ v.31. Quòd Rabini scribunt vbique *Iesu*, constat malignè ab ijs fieri, ne Christum honorificè appellent. Negant venerandum esse ac tremendum nomen Iesu, coram quo omne genu flecti oporteat, nisi vnicè competat in Filiũ Dei.

Ad cap.1.Matth.v.23. Ita reputãda nobis est in hoc nomine diuina Christi maiestas, vt reuerentiam apud nos obtineat, quæ vnico debetur & æterno Deo.

NEGAT.

Ad cap.2. epist. ad Philipp. Plusquam ridiculi sunt Sorbonici Sophistæ, qui ex præsenti loco: *vt in nomine Iesu omne genu flectatur*, &c. genu flectendum esse colligũt, quoties nomen Iesu pronuntiatur, quasi vox esset magica, quæ totam in sono vim haberet inclusam.

20. *Christum è Limbo inferorum Sanctorum animas liberasse*

AIT.

Ad cap.3 prioris Petri, dicit animas fidelium corporibus egressas in carcere detentas fuisse, vbi erant constrictæ ardenti studio aduentus Christi, quòd libertatis spiritu nondum plenè essent donatæ.

Ad cap.4. scribit manifestationem gratiæ Christi ad animas fidelium peruenisse, gratiamq; viuificantis spiritus super eas effusam, virtutemq; liberatoris & redemptoris vsq; ad mortuos extensam fuisse.

NEGAT.

Lib.2.Institut.cap.16.§.9. Nescio quî factum sit, vt posteritas locum putaret esse subterraneum, cui affinxit nomen Limbi. Sed hæc fabula, tametsi magnos auctores habet, & hodie quoque à multis seriò pro veritate defenditur, nihil tamen quàm fabula est.

21. *Sine Christi Baptismo neminem saluari*

AIT.

Ad cap.3. Ioan. v.3. Exules & prorsus alieni à regno Dei nascimur, ac perpetuum nobis cum ipso dissidium est, donec alios secunda genitura nos faciat. Generalis enim est sententia, quæ complectitur totum genus humanum. Si vni hoc dixisset Christus, vel paucis, non posse eos peruenire in regnum cælorum, nisi prius renati essent, possemus conijcere certas duntaxat personas notari. Sed de omnibus sine exceptione loquitur.

NEGAT.

Libro 4. Instit. cap.16.§.26. Explodendum est eorum commentum, qui omnes non baptizatos æternæ morti adiudicant.

22. *In sacra Cœna miraculum agnoscendum esse*

AIT.

In optima ratione ineundæ concordiæ: Non negamus, quin modus hic humanæ menti sit incomprehẽsibilis: quia neque naturaliter caro esset vita animæ; neque è cælis vim suam erga nos exereret; neque frustra communicatio, quæ nos facit carnem à carne Christi, & ossa ex ossibus eius, vocatur à Paulo magnum mysterium. Ergo in sacra Cœna miraculum agnoscimus, quod & naturæ fines, & sensus nostri modum exuperat, dum Christi vita nobis fit communis, & eius caro nobis in alimentum datur.

NEGAT.

Lib.4. Instit.cap.17.§.24. Isti (*Lutherani*) boni eius zelotæ, miraculum sibi fabricant, quo sublato euanescit Deus cum sua potentia.

§.25. Illi auditis Christi verbis: *Hoc est corpus meum*, miraculum ab eius mente remotissimum imaginantur. Vbi autem ex hoc cõmento emergunt fœdæ absurditates, quia iam præcipiti festinatione laqueos induerunt, demergunt se in abyssum omnipotentiæ Dei, vt hoc modo veritatis lucem extinguant.

23. *D. Petrum Romæ mortuum esse*

AIT.

Lib.4.Instit.cap.6.§.15. Propter scriptorum consensum, non impugno quin Romæ mortuus sit Petrus.

NEGAT.

In Commentarijs in epist.D.Petri: Nisi maria & terras in momento transuolauerit Petrus, procul ab Italia mortuum esse constat.

24. *AEgrotos communicandos esse*

AIT.

Epist. 361. Cur Cœnam ægrotis negandam esse non arbitror, multæ & graues causæ me impellũt. Video interea quàm procliuis in multos abusus sit lapsus, quibus prudenter sedulòq; occurrendũ esset. Nisi enim sit communicatio, perperam deflectitur à sacra institutione Christi.

NEGAT.

Lib.4. Instit. cap.17. §.39. Repositio Sacramenti, quam nonnulli vrgent, vt ægrotis extra ordinem distribuatur, inutilis est.

Defensione 2. contra VVestphalum: Obijcit Cœnam Domini nõ dari ægrotis. Cùm nihil minus cælestis Magistri doctrinæ cõsentaneum sit, quàm panem in pompam, non secus ac fercula in Theatro, circumferri: deinde hominem vnum priuatim ac seorsim pasci, communicationis lege posthabita. Hinc factum est, vt à priuatis Cœnis pij & docti homines ab initio abhorruerint.

IV. LVTHERANOS A LVTHERANIS dissentire.

Philippus Melanchthon.

In Præfatione præfixa Corpori doctrinæ Christianæ: Cũ isto mirabili hominum genere (*loquitur de Illyrico & Nicolao Gallo*) agi nihil potest, qui suo arbitrio damnant quodlibet, neque personis auditis, neq; rebus dijudicatis: cogunt Concilia quando & vbi ipsis placet, & vendicant sibi maiorem, magisq; intolerabilem, ac minus excusabilem auctoritatem & potestatem, quàm Papa Romanus vnquã. Quæ quò tandem euasura videantur, cogitetur.

Georgius Maior.

Oratione de confusionibus dogmatum veteribus ac recentibus in Ecclesia excitatis ab hominibus fanaticis: Objiciunt nobis Papistæ scandala & dissensiones. Ingenuè fateor, eiusmodi talia esse, vt satis deferi nequeant. Fateor quoque simplicia corda & pectora propterea ita moueri, tentari, & molestari, vt omninò dubitent, vbinam locorum in profundo demersa veritas inuenienda sit: an etiam vera Dei Ecclesia vspiam adhuc supersit, quæ ab alijs infidelibus populis distincta sit.

Ioannes Petræus.

Admonitione, qua docet vitandos esse Flaccianos: Quãquam à nostris facta est sæpenumerò declaratio, quomodo huiusmodi sententia intelligenda sit, cum tali protestatione, quòd ea in posterum nollemus vti: nihil tamen illud profuit, sed quò plus nostri responderunt, suamq; sententiam interpretati sunt, eò plus aduersæ partis assectæ pugnârũt, & institerunt, & quemadmodum in religionis negotio fieri consueuit, zelati sunt, etiamsi persæpe sine iudicio. Idem in hoc negotio accidit. Dixerũt etenim nos religionis quandam immutationem, & falsa dogmata introducturos esse. Propterea se multi illis adiunxerunt, non solùm ex imperita plebe, sed etiam ex simplicibus sacerdotibus plurimi: sicq; in Ecclesia nostra schismata & dissensiones non exiguæ ortæ sunt, adeò vt etiam Saxoniæ Elector tali negotio se immiscuerit, & colloquium Aldenburgense instituerit: vt scilicet huiusmodi medio cum tali odio, scandalo, & detrimento coniunctum dissidium consopiretur. Sed nihil omninò profuit. Nam vniuersum hoc colloquium non solùm fine fructu dissolutum est, sed peiorem etiam inde omnis causa statum sortita est. Enimuerò, vt negari nequit, inde in hisce regionibus Ecclesiæ miserandum in modum turbatæ sunt, Doctores diuisi, auditores in dubium adducti, & discordia in dies singulos magis magisq; increbuit, &c. Vero verius est, quòd eadem de causa turbatæ, & in mutuas contentiones excitatæ sunt ferè omnes Ecclesiæ in Saxonia, Misnia, & Thuringia, quę ad vnum omnes ab initio summa charitate inter se vnitæ erant.

In Colloquio Altemburgensi, de articulo Iustificationis inter Electoris, & Ducis Saxoniæ Theologos, à 20. Nouemb. Anno 1568. vsque ad nonum Maij Anno 1569. habito, & postea Ienæ Anno 1569. in 4. impresso.

THEOLOGI ELECTORALES, vt Paulus Eberus, Henricus Salmuth, Andreas Freidhub, Caspar Cruciger Iunior, *fol.9.* Dicunt bona opera esse necessaria ad salutem.

MAIOR *in libro contra Amsdorfium Anno 1552.ca.1. coniungit istas tres propositiones:* Bona opera sunt necessaria ad salutem. Nemo vnquam sine operibus saluatus est. Impossibile est absque bonis operibus saluari.

Hanc doctrinam, *ait Maior*, se per omnem vitam suam professum esse, & deinceps per omnẽ vitam traditurum, & accensus ingenti zelo ait, anathema esse, qui sic non doceat.

PHILIPPVS MELANCHTHON, *Dominica 4. post Trinitatis:* Sciamus, *inquit*, oportere in saluãdis existere inchoatam obedientiam, nec sine ea posse homines saluari.

ALESIVS *in Disputatione de necessitate & merito bonorum, Lipsiæ excusa, & approbata Anno 1560. B.8.* Manifestum est, si simpliciter, & sine Sophistica loqui volumus, vt Christus & Apostoli locuti sunt, omninò fateri oportet, bona opera ad salutem esse necessaria.

CONTRA DVCIS SAXONIAE THEOLOGI, Ioannes VVigandus, Ioannes Fridericus Cælestinus, Christophorus Irenæus, &c. *Hæc corruptela expressè pugnat cum verbo Dei. Nam Paulus asserit:* Abraham nõ iustificatur operibus suis coram Deo. *Item:* Ei, qui non operatur, fidem reputari ad iustitiam. *Est q; illa etiam hîc Antithesis obseruanda. Maior inquit:* Impossibile est absque bonis operibus saluari. *Sed Paulus contra asseuerat:* Impossibile esse operibus saluari. *Rom.8. Maior inquit:* Nemo vnquã sine operibus saluatus est. *Sed Paulus inquit:* Ex operibus Legis non iustificatur omnis homo. *Rom.3. Vter igitur isto modo veritatem professus?*

Pugnat cum Augustana confessionis artic.6.

Pugnat cum scriptis & disputationibus Lutheri. Nam is expressè ait Pseudoapostolos sic docuisse: Bona opera necessaria esse ad salutem, *ad Gal.1.cap.fol.20.*

DICVNT bona opera salutem & iustitiam retinere. *Hæc corruptela disertè extat in libro de cõuersione Pauli B.3.* Bona opera sunt tibi ad saluté non cõsequendam, sed retinendam necessaria. *Item Sermone super:* Ecce Agnus, *E.8.* Opera bona sunt tibi, non quidem ad consequendam salutem, sed ad eandem retinendam, & non iterum amittendam summopere necessaria.

SELNECKERVS *in Pædagogia pag.423.* De hominibus renatis rectè in Ecclesia dici solet, ipsorũ bona opera esse necessaria ad salutem, non solùm ad testificandam, sed etiam ad retinendam.

Hæc corruptela pugnat cum verbo Dei: quia Petrus disertè inquit: Qui potentia Dei custodimini per fidem ad salutem. *Vnicum enim est organum tum apprehendendi, tum retinendi salutem & iustitiam.*

Pugnat cum Augustana confessione, quæ tantùm affirmat, nos fide iustificari, & fide placere Deo.

Pugnat cum libris Lutheri: nam is non vtitur tali phrasi, & constantissimè docet, vt initio, sic etiam in progressu, fide in Christum nos iustificari.

DICVNT *non pugnandum esse de particula* sola, *in hac Propositione:* sola fide iustificamur. *Hæc corruptela extat in actis Synodicis:* Non pugnamus de particula SOLA, *inquiunt.*

Sed pugnat hæc corruptela cum verbo Dei, quod inquit: tantùm per fidem, *Gal.2. Item:* Gratis, sine operibus.

DICVNT iustitiam Christianorum, qua coram Deo iusti sunt, in hac vita imperfectam esse.

Hanc corruptelam Maior ponit Hom. part. 2. fol.56. Iustitia igitur & salus, quæ in hac vita ex sola fide est, exclusis omnium operum meritis, est iustitia & salus imputata, inchoata, absc̃dita, reuelanda, imperfecta, nondum apprehensa.

Hæc corruptela pugnat cum verbo Dei. Roman.10.

Christus est perfectio legis, ad iustificationem omni credenti. *Rom.5.* In Christo omnes consummati sumus.

Pugnat cum scriptis Lutheri, Galat.5. fol.155. Tu non debes iudicare secundùm sensum peccati, quod conturbat te; sed secundùm promissionem & doctrinam fidei, qua promittitur tibi Christus, qui est perfecta iustitia. *Et fol.170.* Nos certò statuere debemus, nostram capitalem, rotundam, & perfectam iustitiam esse Christum.

DICVNT pro bonis operibus dari vitam æternam. *Hæc corruptela extat in Sermone de conuersione Pauli cap.1.* Hinc manifestum est, bona opera non solùm hîc in terris, sed etiam in cælo coram Deo esse necessaria, vt pro ijs gloriosum præmium & compensationem æternæ vitæ & salutis accipiamus, & temporales & æternas pœnas euitemus.

Hæc corruptela pugnat cum verbo Dei: nam Christus: Ego do vitam æternam. *Pugnat cum Augustana Cõfessione. Pugnat cum perpetua sententia Lutheri.*

Fol.109. ELECTORALES THEOLOGI *dicunt*: Martinus Lutherus, & Philippus Melanchthon magno studio & seriò Antinomorum furores, & totum abusum salutaris concionis Euangelicę de gratuita remissione peccatorum oppugnârunt. Philippo plurimũ negotij ea de re in visitatione fuit, adeò vt etiam non paruo in periculo tum versaretur: quia aduersus Islebium, & alia illi addicta Antinomorum agmina, acerrimè cõtenderat, & Scripturæ euidentibus testimonijs euicerat, nouam obedientiam, seu bona opera, in conuersis necessaria esse; & impossibile esse, vt in vna mente simul sint vera fides, & malum propositum ruendi contra aliquod mandatum Dei: Islebio contra, cùm in aula potens esset, acerrimè de suggestu pro libertate Antinomica dimicante, & falso epiphonemate vocem *Necessitatis* irridente, atque explodente: Das Muß iſt verſaltzen. Sed hi clamores hominum furiosorum, cùm & auctoritate Lutheri repressi, & voce Philippi, sedulò atq; assiduè inculcantis ac declarantis vim particularum exclusiuarum, ita refutati ac oppressi essent, vt paulatim illi consilescerent, & passim à doctis exploderentur. Post mortem autẽ Lutheri cùm Flaccius Illyricus, & multi alij illius complices factiosi, sordes illas Antinomicas, vix dum ex scholis & Ecclesijs explosas, & eiectas, resumeret, ac denuò tamquam camerinam fœtidam moueret, & cum non paruo applausu multitudinis latè spargeret, iterum Philippus se acerrimè conatibus illis rabiosis opposuit.

Ibidem in notationibus Electoralium contra Saxonicos Theologos: Iudicamus falsum esse, quòd collocutores, & Flaccij complices de iustitia passiua hãc in eam sententiam detorqueant ac declarent; quòd nimirum Deus nos sine operibus nostris iustos efficiat, & saluet, eò quòd ipse in nobis operetur contritionem, & dolorem ob peccatum; ipse excitet in nobis fidem & nouam obedientiam, vt hic sit verus intellectus Paulinæ propositionis: *Deus iustificat impium non operantem:* quia quicquid in iustificatione nostri in nobis fit, sit opus Dei. Hanc sophisticam, & magna ex parte Enthusiasticam corruptelam idem VVigandus posuit in libello, cui titulum fecit: *Argumenta de necessitate bonorum operum,* pag. B. fol.2. item D.8. in eodem libello.

Fol.136. Planè improbamus nocentissimam disputationem Nicolai Galli, Antonij Ottonis, & multorum aliorum huius sectæ hominum, qui Propositionem: *Bona opera sunt necessaria,* his verbis palam, & satis falsè, tamquam falsam & impropriam reijciunt, ac negant rectè dici: *Christiani debent bona opera facere, & oportet illos bene operari.*

Fol.139. Reijcimus & hanc insulsam & detestandam Propositionẽ Amsdorffij, quam & Flaccius approbat: *Quòd bona opera non solùm non sunt necessaria; sed etiam perniciosa ad salutem.*

SAXONICI THEOLOGI fol.149. *Nostrum argumentum tale fuit. Quicumque docent:* Bona opera ad salutem esse necessaria: impossibile est sine operibus iustificari, & saluari: neminem absq; operibus saluatum esse vnquam, *à verbo Dei, Augustana Confessione & Lutheri scriptis deuiârunt. Sed Maior, & alij sic docuerunt. Ergo, &c.*

Iam nos sperabamus, cùm illæ Papisticæ, scandalosæ, periculosæ, & impiæ Propositiones sanctis Scripturis, Lutheri testimonijs, aliarumq; Ecclesiarum publicis iudicijs sint accusatæ, & damnatæ, Collocutores omnium animũ palliationum, & fucationum hac in parte quæsituros, & exemplo Lutheri, tertij Eliæ, exterminaturos fuisse: sed longè bona fefellit spes nostra. Nam cum dolore non exiguo audimus, magna cum vehementia & mordacitate omnes illas Antichristi sorores comi, ornari, in forum Ecclesiæ institui, & cõmendari, tamquam Propheticis & Apostolicis scriptis consentaneas.

THEOLOGI ELECTORALES, *fol.529.b.* In causa discessus Saxonici Theologi non solùm toto colloquij tempore alieni à nobis fuerunt, & quasi excommunicatos atque condemnatos vitârunt, neminemq; nostrum in suggestum admiserunt; sed etiam in communi suo consilio decreuerunt, se neque ad absolutionem vsumq; Cœnæ Dominicæ, neque ad Baptismi assistentiam, iuxta alios Christianos nos admissuros esse, familiariter nobis iunctos, & durante colloquio amanter nos accedentes, iniquè tractârunt, & odio prosecuti sunt.

Cyriacus Spangenbergius.

Libro, quem inscribit: *Verax narratio beneficiorũ per Doctorem Martinum Lutherum piæ memoriæ Germaniæ præsertim diuinitus præstitorum, & detestandæ ingratitudinis erga eiusmodi ingentia beneficia & munera:* In eo recenset, quemadmodum VVittembergenses, & Lipsenses à Lutheri doctrina defecerũt in decem, aut vndecim doctrinæ capitibus: & quàm de præceptore suo, vt ait ille, peruersè improbèq; sentiant. Vocant enim Lutherum PHILAVTHON, hoc est, eiusmodi hominem, qui non nisi de se vno præclarè senserit, sibi vni plurimũ tribuerit, cuiq; nihil arriserit, præterquam quod ipse dixisset, aut feciſſet. PHILONICVM, & ERISTICVM, id est, hominem vsque adeò rixosum, vt semper suam tueatur sententiam, tamquam æquam: nemini quicquam concedere, nulli credere velit: suam duntaxat aucupetur gloriam, nec quemquam præter se ferre sustineat. DOCTOREM HYPERBOLICVM, hoc est, qui ex culice possit efficere camelum: qui mille iactiter, & vix quinq; cogitet: effutiat quicquid in buccam venerit, floccipendens num verum vel falsum sit, quod dicit: denique qui duplo plus asserat, quàm ipsa habeat rei veritas. POLYPRAGMONICON, hoc est, qui se procaciter & petulanter negotijs omnibus immisceat: qui plura sibi expedienda sumat, quàm ipsius poscat prouincia, rebusq; omnibus, quæ tamen nihil ad eum pertineant, sese ingerat. INGENII OSTENTATOREM, quòd non nisi ingenij acumen, præter necessitatẽ, ostentare, seq; venditare voluerit. STOICVM DVRVM, CAPITOSVM, ein Storckſopff/ qui non nisi suo vixerit cerebro, atque alios tyrannicè continuerit & compresserit seruitute. SOMNIATOREM, quòd nocturnas visiones in ebrio capite natas pro puro puto verbo Dei venditaret.

Ioannes

Ioannes Mencelius Lipsiensis.

Lib. de Pastoribus Islebij impresso, in Præfatione: Postquam per sanctum Euangelium à Papæ tyrannide & potestate liberati sunt, & affueuerunt omnes illius constitutiones reijcere, progrediuntur vlterius, & volunt prorsus eandem consuetudinem in alijs quoque rebus omnibus, siue sint bonæ, siue malæ, retinere: volunt esse liberi, nec à quoquam prohiberi, quò minus arbitratu suo viuãt, haud aliter, quàm si Euangelium esset talis doctrina, quæ vnicuique concedat potestatem faciendi, quod illi placet: quæ nullum ordinem, nec vllam disciplinã ferre possit. Quòd si quis eis fuerit ausus resistere, eò veniunt audaciæ, vt non solùm odia suscipiant erga suos prædicatores, eosq; contumelijs afficiant; verùm etiam pro virili sua tyrannicè persequuntur: ac si quem volunt ordinẽ prædicatores constituere, statim vim esse dicunt minimè Christianam, & nouationem quandam, & introductionẽ veteris Papatus, per quem prædicatores propriam suam potestatem & dominationem in cõmissum sibi gregem stabilire velint. Qui, si pergunt vrgere executionem eorum, quæ constituerant, non solùm conuicijs afficiuntur, verùm etiam ad extremum expelluntur.

Ioannes VVigandus.

Libro de erroribus Georgij Maioris: Tu Georgi es vir, qui turbas Israel; non nos, qui te monemus de fœdis erroribus pugnantibus cum verbo Dei. Nã tu ista zizania, & tetros errores in Ecclesia Dei libris editis longè lateq; disseminas, ac plantas. Nos verò Ecclesiam Dei hortamur, vt in vera, & semel agnita, atque accepta puritate doctrinę, à Deo per salutare organum Lutherũ restitutæ, perstet, &c. Non sunt lana, neque linum, de quibus hîc disceptatur, sed de grauissimis doctrinę Christianæ capitibus, quæ à Maiore, & alijs fœdè deprauantur, &c. Maior ingenti audacia gloriatur, se ne pilum quidem de doctrina Lutheri discessisse, &c. Totã doctrinam Lutheri de seruo arbitrio reprobæ menti & diabolo in cathedra Lutheri sedenti attribuit.

In declaratione de Ministris Ecclesiarum in Missnia c.1. Fieri omninò non potest, vt Missnenses Theologi in suis confessionibus scribant, consulant, aut ordinent Philippi postrema scripta ad D. Lutheri doctrinam intelligenda & explicanda esse. Nam hoc omninò est contra mẽtem & textum Philippi. Philippus reijcit dictum: *Panis est corpus Christi:* Lutherus defendit huiusmodi dictum ex Christi verbis. Quomodo ergo Philippi dictum ad Lutheri dictum potest intelligi? Philippus ait: Hæc verba, *Hoc est corpus meum,* idem esse, ac si dicat: Hoc est signum, seu figura corporis mei: Lutherus condemnat huiusmodi interpretationẽ. Philippus vult, quòd verba: *Hic est calix noui Testamẽti,* sit talis oratio, qualis: Hoc sceptrum est Romanum Imperium: huiusmodi glossam refutat D. Lutherus, & Sacramentarijs nihil minus, quàm tale aliquid concedit. Quomodo Lutherus cum Philippo hîc cõsentire poterit, qui talia post eius obitum primò posuit? Philippus posuit: Christus totus est in terra, hoc est, cũ humana sua natura, quemadmodum omnes Sacramentarij dictum hoc allegant: Lutherus contrarium docet. Philippus posuit, Christum esse in Cœna per cõmunicationem idiomatum: Lutherus vehementissimè hoc refutauit.

Nicolaus Gallus.

In Thesibus, & Hypothesibus fol.vlt. Sunt inter nos non de leuibus rebus dissensiones; sed de Lege & Euangelio, de Iustificatione & bonis operibus, de Sacramentis & vsu cæremoniarum: quæ quidem coire, simulq; stare haud possunt, vt sunt: Lex in templis docenda est; & non est. Iustitia nostra, aut ipsa est Dei essentia; aut ipsius Dei in nobis opus; aut imputatio obedientiæ eius extra nos. Sanguis Christi neminem iustificat: & aduersus hãc Pauli sententiam: *Per ipsius sanguinem iustificati sumus.* Nemo sine operibus salutem adeptus est: huic contraria: Bona opera non sunt necessaria ad salutem. Denique, Christus corporaliter in Cœna adest, & promiscuè à bonis malisq; sumitur: & Christus spiritualiter à bonis tantùm percipitur.

In Præfatione Apolog. de maiestate hominis: Perit iusto Dei iudicio non armis hostium, non inuictis hæreticorum armis vera à nobis religio & Ecclesia, sed nostrorum inter nos perfidia, infidelitate, & incuria.

Dauid Chytræus.

Thema. deprauat. August. Confes. Euangelici Doctores immanius ferè ac truculentius, quàm barbari milites, inter se digladiantur.

Matthias Flacius Illyricus.

In declaratione quorundam articulorum Christianæ doctrinæ: Philippus Melanchthon, & eius procuratores, huiusmodi negotium, seu disputationem acuunt, ac prohibent: cùm tamen inter seipsos non consentiant. Alius enim hoc, alius alio modo interpretatur, quemadmodum in malis causis accidere solet. Primus ait: Vocabulum Pœnitẽtiæ nihil aliud, quàm Contritionem significat. Alter ait: quòd Euangelium solùm resipiscentiam à peccatis, scilicet incredulitatis prædicet, alius cõtendit ab omnibus. Quidam querit Glossam eiusmodi, quòd Euãgelium impropriè, & solùm per accidens Pœnitentiam concionetur: alius inquit ex consequenti: tertius per Antithesin: quartus, quòd aliquo modo Pœnitentiam concionetur: quintus quòd incredulitatem corripiat: sextus quòd modicam fidem reijciat: septimus infert, quòd minus principaliter Pœnitentiam concionetur: & sic inter seipsos dissident, quemadmodum Sacramẽtarij, & Babylonij, nec secus, ac idolorum effectores apud Esaiam.

Theologi VVittembergenses.

Libro de Persona fol.149. Quamquam postea omnis generis scripta dispersa sunt, quibus de nouis cõciliationibus gloriantur, quasi nobiscum iam cũ talibus & similibus collationibus conueniant, & priori nostræ doctrinæ de duarum in Christo naturarũ distinctione, quam semper secuti fuimus, nuntium miserimus, quemadmodum nobis inscijs Selneckeri Exegema, & Iacobi Schmidelini liber Concordiæ gloriantur: hæc omnia tamen præter decorem, & veritatem nobis attribuuntur, & suo tempore, cùm necessum erit, luculenter demonstrabimus: & protestamur, quòd huiusmodi bene fundatæ, & certæ doctrinæ renunciare non possimus: sed eam per Dei gratiam, donec vitalis spiritus nostros reget artus, fideliter retinebimus.

Sebastianus Castalio.

In Præfatione Bibliorum: Profectò si verum fateri volumus, est adhuc seculum nostrum in profundis ignorantiæ tenebris demersum: cuius rei certissimum testimonium sunt tam graues, tam pertinaces, tam pernicioſæ dissensiones, tam multi, & ijdem irretiti conuentus de hisce controuersijs: tantusq; numerus quotidiè nascẽtium librorum, & eorum inter se toto cælo dissidentium.

Iacobus Andreæ.

De Maiestate hominis Christi, in Præfatione: Non amplius, aut certè parum de verbis Cœnæ litigatur; sed de his ipsis fidei articulis, qui sunt de Incarna-

tione

tione Verbi, & sessione Christi hominis ad dextram Dei.

Tilmannus Heshusius.

In Antidoto contra impium dogma Illyrici: Primò nihil est in Illyrico & assẽclis ipsius firmum: secundò audaciam peruertendi habet: tertiò Scripturas nimis licẽter vsurpat: quartò opera bona hominum viam latronum vocat: quintò horrendas blasphemias sine pudore euomit: sextò portentosum dogma vocat: septimò ipsissimum Epicurismum secum trahit, & vniuersam religionem à fundamentis euertit: octauò spiritu vertiginis agitatur, ita vt ex plurimis antilogijs constet: nonò immanem audaciam & impudentiam in mentiendo tribuit: decimò subinde cumulat errores.

Epistola de Exorcismo: Quoquò vertimus oculos, intuendo Christi cœtum, nihil propemodum occurrit, quàm noua docentium dissidia, incrementa errorum insignium, Doctorum defectiones à veritate, Ministrorũ piorum oppressiones, Scholarum vel euersiones, vel corruptiones, & Ecclesiarum, quæ laudabiliter erant constitutæ, in quibus sana doctrina Christi fulgebat, quæ domicilium erant veritatis, & sancta Spiritus sancti officina, tristissimæ vastationes.

Ioannes Oecolampadius.

Libro Germanico, qui inscribitur: *Aequa responsio ad Lutheri Præfationem*: Si ad vestras dissensiones respiciendum est, certè inter vos septuaginta septem mutationes, non tantùm in explicatione Scripturæ, sed etiam in quibusdã phantasijs propemodum inueniuntur.

Nicolaus Selneckerus.

Ad Psalm. 131. De publica discordia in Ecclesia (*Lutherana*) non est quod interroges. Loquor autem non de ea discordia, quæ nobis necessariò de fidei doctrina cum Papistis atque alijs hæreticis intercedit; sed de ea, quæ inter nos ipsos est, qui puram nos Euangelij doctrinam habere gloriamur. Mota etenim sunt certamina atque rixæ de rebus adiaphoris, de bonis operibus, de iustitia coram Deo, de libero arbitrio, de præsentia & participatione corporis & sanguinis Christi in Cœna, de humanitate Christi, de eius ascensione, de sessione ad dextram Dei, de vbiquitate, deq; rebus alijs. Ibi rixandi, atq; contendendi neq; finis est, neq; vllus modus. Quilibet in hoc laborat, vt iustam causam habere videatur, & alius alium opprimere nititur: & quicumq; nomen aliquod proferre potest, vnde nomen venetur, id liberè facit.

Andreas Poachius.

Extat apud Schlusselburgium cõtra Antinomos.

In defensione pro impossibilitate bonorum operum, ad responsionem Ioachimi Morlini statuentis necessitatem bonorum operum ad salutem in doctrina legis: Etsi D. Ioachimus Morlinus propositionem istam: *Bona opera sunt necessaria ad salutem in doctrina Legis*, acerrimè defendit, & omnes, qui suæ sententiæ non suffragantur, tetris conuitijs, dirisq; fulminibus damnat: tamen ego, si vnquam fui ab ipsius sententia alienus, nunc longè sum alieniissimus. Prima causa est, quòd huius propositionis propugnatores inter se deformiter dissentiunt, multipliciterq; diuisi, bellum sociale gerunt, dum quisque in vnica propositione: *Bona opera sunt necessaria ad salutem*, suum fingit sibi textum, &c. Spiritus iste in Operistis istis in septem sectas sese diuisit, super vnico articulo de salute hominis: quæ omnes etsi inter se dissentiunt animo, & dissident verbis; tamen in eo concurrunt, dum omnes pariter necessitatem operum ad salutem asserunt. Deus autem non est dissensionis Deus. 1. Cor. 14. Et omnes Christiani sunt ὁμόφρονες, idem sentiunt omnes, idem dicunt omnes. 1. Cor. 1. Ephes. 4. 1 Pet. 3. Cùm igitur propugnatores huius sententiæ: *Bona opera sunt necessaria ad salutem*, inter se diuisi sint, sequitur diabolum, omnis dissensionis patrem, esse eorum magistrum. Et si D. Ioachimus Morlinus vult, vt in suam sententiam pedibus descendam, oportet vt scandala ista dissensionum prius è medio tollat, & in ea cum alijs collegis & socijs certus & vnanimis sit. Absterret enim me dissensio, vt cum illis sentire non possim, cùm dissensio in sententia & in verbis sit diabolus ipse. Ac, vt ingenuè fatear, si alterutrũ mihi faciendum esset, aut cum Papa, aut cum istis Papæ filijs inter se dissidentibus sentiendum; malim sentire cum Papa, qui vniformis est, quod ad hanc doctrinam attinet, nec ita ludit varijs interpretationum præstigijs in vna & eadem propositione. Secunda causa est, quòd non solùm spiritus iste Operistarum dissentit cùm sententia, tum verbis; sed vnus ille propugnator D. Morlinus etiam secum ipse dissentit, & modò ait, modò negat in vna & eadem propositione. Nam contra Menium scribit: *Falsissimum est, opera nostra ad salutem nobis sunt necessaria.* Ad Pontanum contra me scribit: Ego sic sentio, quòd sicut Satanæ doctrina est, si quis dicat, vel sentiat homini peccatori, qualis nunc est post lapsum, quocumque modo ad salutem opera esse necessaria. Ita statuo, Satanæ quoq; doctrinam esse, si quis dicat vel sentiat Legem non docere, quòd opera sint necessaria ad salutem. Hoc dissidium plusquàm domesticum, & bellũ plusquàm intestinum est, quòd non tantùm Operistæ inter se mutuò discordes sunt, sed etiam D. Morlinus sibi ipsi contrarius est, dum affirmat & negat in vna eademq; causa. Cùm autem nemo sanus sentire possit cum eo, qui secum non sentit, (vt Cato ait:)

Conueniet nulli, qui secum dissidet ipse: oportet, vt D. Morlinus prius secum ipse concordet, quàm me sententiæ suæ astipulatorem inueniat. Conciliet propositiones suas pugnantes, videlicet falsissimas, contra Legem & Euangelium: *Opera nostra sunt necessaria ad salutem.* Et: *Satanæ doctrina est, Legem non docere, quòd opera sint necessaria ad salutem.*

LVTHERANORVM PRÆcipuæ Sectæ.

1. ANTINOMI, duce Ioanne Agricola Islebiensi, Legem Dei planè reijciunt, docentes Christũ Seruatorem eam impleuisse, & abrogasse. Itaque neminem amplius ad eam seruãdam obligari, quòd indigna sit, quæ Dei verbum appelletur. Illis quicquid libet licet, modò tantùm credant in Christum.
2. OSIANDRINI docent homines tantùm essentiali Dei Iustitia, eaq; in nobis habitãte, iustos & beatos effici; adeò vt nulla res alia iustitia nostra esse possit, præter ipsum solum Deum, aut tres in diuinitate personas, Patrem, Filium, & Spiritũ sanctum. Christum Mediatorem esse, & iustificare homines, secundùm diuinam naturam tantùm.
3. STANCARIANI, à Francisco Stancaro, duas in Christo naturas, Nestorij more, diuidunt, & Christum nõ nisi secundùm humanam naturam humani generis Mediatorem esse docent.
4. MAIORISTAE, à Georgio Maiore, docent bona opera adeò necessaria esse ad salutem, vt sine ijs nemo saluari possit.
5. AMSDORFIANI, à Nicolao Amsdorfio, dicunt opera esse pernicioſa ad salutem.
6. SYNERGISTAE, à Philippo Melanchthone, &c. homininis voluntatem liberè cum Dei gratia operari asserunt, & multum viribus humanis tribuunt.
7. FLACCIANI, duce Matthia Flaccio Illyrico, oppugnãt Maioristas, Synergistas, & Adiaphoristas: retinent mordicus Lutheri dogma de seruo arbitrio, & ineuitabili Stoica necessitate.
8. ADIAPHORISTAE in suis Ecclesijs retinent sacras vestes, Albas, Casulas, luminaria, altaria, imagines, & alios ritus Ecclesiasticos, & hæc inter ἀδιάφορα numerant.
9. SVBSTANTIARII, ducibus Illyrico, Spãgenbergio, &c. peccatũ Originis ipsam naturam & substantiam hominis esse docent.
10. ACCIDENTARII, ducibus Nicolao Selneccero, Heshusio, &c. peccatum Originis accidens esse tradunt.
11. PFEFFINGERI, à Ioanne Pfeffingero, Pastore Lipsiensi, Pelagij renouato errore, docẽt hominem suis naturalibus viribus verbo Dei assentiri, promissionem apprehendere, & Spiritui sancto parere posse.
12. MVSCVLANI, ab Andrea Musculo, in Osiandrinos & Stancarianos inuecti, docent Christum secũdùm vtramq; naturam in cruce passum & mortuum esse.
13. VBIQVITISTAE, à Ioanne Brentio, duas in Christo naturas ita confundunt, vt damnatam Eutychetis hæresin reuocare videantur. Docent enim humanam in Christo naturam non minus vbique esse, quàm sit diuina.

Propter has Sectas quomodo inter se dissentiant, quomodo alij alios persequantur, & ex alia vrbe in aliam eijciant, docent historiæ Osiandri, Illyrici, Heshusij, Stanckari, Spangenbergij, Maiorii, Zuenckfeldij, &c.

LVTHERANI LVTHERANOS mutuis scriptis damnant.

MATTHIAE FLACCII ILLYRICI Responsio ad epistolam Philippi, & ad maledicta Maioris, ad Pomeranum.

Declaratio turpitudinis & peccati eorum, qui per cõciliationes Interim à Christo ad Antichristum deficiunt, VVittembergæ 1549.

Liber contra Interimistas, Adiaphoristas, & alios Christi persecutores, Magdeburgi 1550.

Responsio ad epistolas Misnensium concionatorum, de quæstione, an potius cedere, quàm vestem lineam induere debeant, 1550.

De originali peccato, & libero arbitrio, contra Pfeffingerum, Ienæ 1558.

Pia & necessaria admonitio contra errores Maioris, Ratisbonæ.

De loco Rom. 3. describente iustitiam fidei, cõtra Osiandrum.

De nomine Iesu & Iehoua, contra Osiandrum.

Refutatio erroris Osiandrici, Ienæ 1558.

Disputatio Vinariẽsis contra Victorinum, Basileæ 1564.

Epistola Ducis Megapolensis ad Illyricum de Osiandrica controuersia, cum appendice Illyrici.

Probatio, quòd persecutores aduersariorum Interim sint ipsius Filij Dei persecutores, Ienæ 1558.

Contra quædam Adiaphorica scripta, quæ à multis Casparo Huberino tribuuntur.

Defensio sanæ doctrinæ de originali iustitia, aut iniustitia, aut peccato, Basileæ 1570.

Defensio doctrinæ de essentia originalis peccati, Germanicè in 4.

Apologia suorum scriptorum contra quorundam calumnias, Germ. in 4.

Responsio Germanica ad omnia sophismata Pelagiani accidentis, Vrsellis 1572.

Refutatio sententiæ Musæi de originali peccato, ibidem.

Absurda Manichæo-Pelagiani Accidentis, non coacta, sed ineuitabili necessitate consequentia, opposita recentiũ Sorboniſtarum monstris, 1572.

Spiritus vertiginis Accidentariorum Theologorum.

Responsio ad Islebiensium cõcionatorum falsam Institutionem, 1573. Germ.

Responsio ad quædam scripta Christophori Lasij de peccato originali, libero arbitrio, cõuersione & regeneratione, Germ. Vrsellis 1568. in 4.

GEORGII MAIORIS Repetitio, & finalis declaratio doctrinę de Iustificatione coram Deo, & de bonis operibus, VVittembergæ 1568. Germ.

Præfatio in Anonymi cuiusdam librum, quo ex Catechismo deciditur quæstio: an peccatum Originis sit substantia, Germanicè.

De peccato Originis, & quibusdam alijs cõtrouersijs nostri temporis, Germanicè 1571.

ANDREAS HOSIANDER scripsit librum contra Interimistas, de illusoribus, de cælis cælorum, de Mediatore vnico Iesu Christo, de Iustificatione fidei, aduersus Philippum Refutationẽ eius responsi aduersus suam confessionem, aduersus lucifugam Nycticoraca, Demonstrationem solidæ suæ doctrinæ per triginta annos.

ALBERTVS Borussiæ Princeps edi curauit acta controuersiæ Hosiandri. *Scripserunt contra illius dogma de Iustificatione Philippus, Illyricus, Amsdorfius, &c.*

TILMANNI HESHVSII epistola ad Matthiam Flaccium Illyricum de cotrouersia, an peccatum Originis sit substantia?

Item Analysis argumentorum, quibus Illyricus nititur, Ienæ 1571. in 4.

Ad iudiciũ Philippi Melanchthonis de Cœna Domini responsio in 4.

Testimonia ex libris Lutheri collecta, quæ ostendunt peccatum Originis non esse substantiam hominis, Ienæ 1572. in 4. Germ.

Propositiones de peccato Originis contra furores Manichæorum, & Pelagianorum, Ienæ 1572. in 4.

Antidoton cõtra impium dogma Illyrici, quo asserit, quòd peccatum Originis sit substantia, Ienæ 1572. in 4.

Defensio veræ & piæ sententię Aurelij Augustini, quòd peccatum Originis nõ sit substantia, sed accidens, contra Matthiam Flaccium Illyricum, Ienæ 1572. in 4.

CYRIACI SPANGENBERGII ad institutionem Iacobi Andreæ de peccato Originali responsio.

Responsio ad iudicium Theologorum VVittembergensium & Lipsensium, Islebij 1570.

De colloquio Lindauico inter Iacobum Andreæ, & Tobiam Ruppium, Anno 1575. in 4.

IOANNIS PETRAEI Admonitio, ne fides habeatur clamoribus Flaccianorũ, damnantium Misnicas Ecclesias, sed vt ipsorum contentiones & rixæ caueantur, VVittembergæ 1571. in 4. Ger.

IOACHIMI MORLINI epistolæ ad Andream Osiandrum, & eius responsiones, excusæ sunt in 8. chartis 3.

De peccato Originis contra Manichæorum deliria 1571. in 8. Ienæ.

IOANNIS VVIGANDI positiones de operibus, contra quasdam præstigias & argumenta Ioachimi VVestphali, 1568. in 8.

Commonefactio de monstris nouis, & fœcundis in doctrina de peccato, 1571. in 4.

Scripta quædam VVigandi, & aliorum de pec-

cato Originis cõtra Manichæorum deliria, quòd peccatum Originis sit substantia, Ienæ 1571. in 8.

Disputatio de bonis operibus, Ienæ 1571. in 4.

Commonefactiò, qui sint perturbatores omnium maximi in mundo, Ienæ 1571. in 8.

Disputatio de peccato Originis contra Manichæos, iussu Ducis Saxoniæ instituta, Ienæ 1572. in 4.

Septem spectrorum Manichæorum discussio, Ienæ 1572. in 8.

Rationes, cur hæc propositio: *Peccatum Originis est corrupta natura*, in controuersia cum Manichæis nequeat consistere, Ienæ 1573. in 4.

De Stancarismo dogmata & argumenta studiosè ac fideliter collecta, Ienæ 1585. in 4.

De Suenckfeldianismo dogmata & argumenta, cum succinctis solutionibus, & indice locorum Scripturæ ac rerum, Lipsiæ 1586. in 4.

De homine integro, corrupto, renato, glorificato, & de vicinis rebus, 1573. in 8.

De erroribus Georgij Maioris. Admonitio de noua pœnitentia Georgij Maioris, aduersus eius repetitionem, & finalem declarationem conscripta, Germ. 1568. in 4.

Liber, quo ad oculum demonstrauit, Lutheri & Philippi libros in præcipuis doctrinę Christianę locis discrepare, vtpote in articulo de Cœna Domini, de libero Arbitrio, de Lege, de Euangelio, de Iustificatione, de adiaphoris, 1575.

VVOLFGANGI AMLINGI Victoria de triumphata Communicatione Idiomatum reali cõtra Ioannem Matthæum Smalcaldensem, Seruestæ 1585. in 8.

IOANNIS MATTHAEI SMALCALDENSIS Tractatus de vnione personali & Communicatione Idiomatum, VVittembergæ 1583. in 8.

Responsio aduersus VVolfgangum Amlingum Ecclesiæ Seruestanæ ministrum, VVittembergæ 1584. in 8.

Responsum ad falsum & vanum errorem nouo libello ab Amlingo sparsum de victoria sua, quam se de Ioannis Matthæi Smalcaldensis tractatu, quem de vnione personali & Communicatione Idiomatum reali scripserat, reportasse gloriatus est, VVittembergæ 1586. in 8.

Colloquium Altenburgense inter Electoris Augusti & Ducis Saxoniæ Theologos de Iustificationis articulo, Ienæ 1570. in 4.

Colloquium de peccato Originis inter Iacobũ Andreę, & Matthiam Flaccium Illyricum, Argentorati anno 1571. institutum. Adiuncta sunt & alia scripta, Tubingæ 1575. in 4.

DANIELIS HOFFMANNI Quæstionum & Responsionum in grauissima controuersia de sacrosancta Cœna pars prima, Helmstadij 1583. in 8.

Disputatio de peccato Originis, quòd sit accidens vitium, 1586. in 4.

Dogmatum Iacobi Andreę de persona Christi, & Cœna Domini, è principijs suis repetitorum, cum Saxonica confessione Orthodoxa comparatio 1589. in 8.

Errores septendecim Iacobi Andreæ crassiores collecti & detecti, 1589. in 8.

Quinq; disputatiões de peccato Originis, quòd non sit substantia, in Academia Iulia habitę, 1589. in 8.

Doctrina de Exorcismo in administratione Baptismi à quibusdam Augustanam Confessionem amplectentibus retento, 1590. in 4.

IOANNIS OLEARII criminationũ pagellæ Cerbestanæ, quæ Strena inscribitur, depulsio necessaria, cum disputatione de Exorcismo, & refutatione viginti obiectionum, quibus Amlingus piam hanc cæremoniam impudenter infamat, Halæ Saxonum 1591. in 8.

CONRADI SCHLVSSELBVRGII liber contra Synergistas & Osiandristas, Francofurti 1598. in 8.

V. SACRAMENTARIOS A SACRAmentarijs dissentire.

1. ANDREAS CAROLOSTADIVS cùm nimis absurdũ crederet, vt Eucharistia ex pane triticeo & vera Christi carne simul constaret, dixit: panem quidem manducandum à Christo proponi, verba autem illa: *Hoc est corpus meum*, nõ ad panẽ Eucharistiæ, sed ad corpus Domini, quod mensæ assidebat, pertinere.

2. HVLDERICVS ZVINGLIVS, *libro de vera & falsa religione*, asserit corpus Domini non esse in Sacramento, nisi vt in signo. *In Exegesi ad Martinum Lutherũ*, hoc est corpus *interpretatur*, hoc significat corpus meum.

3. IOANNES OECOLAMPADIVS, libro quem scripsit de genuina expositione verborum: *Hoc est corpus meum*, nomen corporis Christi positũ esse vult pro figura, & pro signo corporis Christi: atq; ita figuram dictionis constituit in prædicato & attributo; non autem in verbo *est*.

4. IOANNES A LASKO pronomen *Hoc* non quidem præcipuè ad panem, sed ad totius Cœnæ actionem retulit, velut dictum fuisset: Panem accipere, benedicere, frangere, distribuere, & manducare, hoc totum est corpus meum.

5. HENRICVS BVLLINGERVS in Apologia pro Zuinglio contra Lutheranos, *Hoc est corpus meum*, interpretatur, *hoc est obsignatio corporis mei*.

6. VVOLFGANGVS MVSCVLVS, *in Locis Cõmunibus*, etsi fatetur singula sacræ benedictionis verba propriè esse accipienda, tamen modum, inquit, prædicati non possunt statuere propriũ, (nisi confusionem intolerabilem in hãc causam inducere velint,) sed sacramentalem, & Sacramento conuenientem, vtpote panis, quatenus est Sacramentum corporis Domini: hactenus est corpus Domini pro nobis traditum ratione & modo Sacramento conuenienti, quemadmodum ratione ac modo naturæ ipsius naturaliter est panis.

7. PETRVS VIRETVS, Metonymiam, *inquit*, quam eorum aures in verbo *est* respuũt, collocemus in nomine corporis, vt corpus accipiatur pro corporis figura & significatione.

8. VALENTINVS CROTOALDVS, vt refert, & probat Ioannes Langius in Apologiam Iustini Martyris, *dixit*: Propositionem istam: *Hoc est corpus meum*, ita ordinandam: *Corpus meum est hoc*, videlicet panis, (nam hunc demonstrat,) & cibus; sed panis & cibus spiritualis & viuus, qui de cælo descendit, sicut Ioannis 6. dicitur: *Caro mea verè est cibus*. Et ibi Langius rationem suæ opinionis hanc reddit, quia in Græca lingua articulus efficit, vt ea vox, cui is adiectus sit subiecti, & altera prædicati locum obtineat, articulum verò τὸ adiectum esse corporis nomini.

9. IOANNES CAMPANVS Iuliacensis ait: *Accipite, comedite, hoc est corpus meum*, hoc est: hic panis est corporalis creatura à me creata, propterea meum corpus appello.

10. GASPAR SVENCKFELDIVS *libro de duplici statu Christi artic. 17. & 18.* docet Christi corpus in cælum assumptum planè Deum esse factum: & ita in

ita in Cœna quidem adesse corpus Domini; sed quod iam sit diuina essentia.

11. IOANNES CALVINVS *de Cœna Domini*: Cùm Lutherus docere cœpit, sic materiam Cœnæ tractabat, vt, quod ad corporalẽ Christi præsentiam attinet, talẽ ipsam relinquere videretur, qualem tunc oẽs cõcipiebant. Nam Transsubstantiationẽ damnãs, panem corpus Christi esse dicebat, quòd vnà cum ipso coniunctum esset: adiungebat præterea similitudines, duras quidem illas & rudes; sed eis vti cogebatur, quòd aliter suam mentem explicare non poterat. Dehinc suborti sunt Zuinglius & OEcolampadius, qui cùm imposturam & deceptionem à diabolo inuectam considerarẽt in stabilienda illa præsentia carnali, quę ab annis sexcentis tradita, & pro certo habita fuerat, rẽ tãti momenti dissimulare nefas esse existimârũt: maximè cùm huic errori execrabilis idololatria annexa esset, quòd Christus quasi sub pane inclusus adoraretur. Quia verò difficillimum erat hanc opinionem, quæ diu iam & altius radices egerat in animis hominum, reuellere, omnem ingenij vim ad eam impugnandam applicârunt, admonentes absurdissimi & crassissimi erroris esse non agnoscere ea, quæ de ascensione Christi tota Scriptura testificatur: ipsum in cælo in hominis natura receptũ esse, ibiq; mansurum, quoad descendat ad iudicandum orbem. Sed huic proposito nimiũ intenti, quam præsentiam Christi in Cœna credere debeamus, qualis illic communicatio corporis & sanguinis ipsius recipiatur, dicere omittebant: adeò vt Lutherus eos nihil præter signa nuda, & spiritualis substantiæ vacua relinquere velle existimaret. Ideo cœpit palam obsistere, ita vt pro hæreticis habendos denuntiaret. Ex quo semel efferbuit contentio, sic temporis progressu adaucta & inflammata est, vt acerbius æquo exagitata sit per annos plus minus quindecim, quibus interim neutri alteros æquo animo & placidò audire sustinebant. Nam etsi semel cõtulerunt inter se: tanta tamen animorum alienatio erat, vt re infecta discesserint. Cùm etiam ad concordiam aliquam accedere debuissent, magis ac magis regressi sunt: nihil aliud spectantes, quàm vt opinionem suam tuerentur, & cõtrariam refutarẽt. Habemus itaq; in qua re impegerit Lutherus: in qua etiã OEcolampadius & Zuinglius. Lutheri partes erant, ab initio admonere, non esse propositi sui, præsentiam localem talem statuere, qualem Papistæ somniant. Item testari, se non hoc quærere, vt Sacramentum Dei loco adoraretur. Tertiò abstinere à similitudinibus illis rudibus, & perceptu difficillimis, aut moderatè eis vti, atque ita interpretari, vt nullam offensionem parere possent. Denique ex quo mota est contentio, ipse modum excessit, tum in declaranda opinione sua, tum in alijs nimia verborum acerbitate vituperandis. Cùm enim ita se debuisset explicare, vt sententia eius recipi posset: pro solita vehementia sua, vt contraria asserentes impugnaret, hyperbolicis loquendi formis vtebatur: quas haud facilè erat tolerari ab ijs, quorum alioqui animi ad fidem ipsi adhibẽdam malè dispositi erant. Alij etiã offenderunt in eo, q; ita tenaciter inhæserunt in oppugnanda superstitiosa illa & phanatica opinione Papistarum, de præsentia locali & adoratione, quæ inde sequebatur, vt ad vitium diruendum conatus suos potius conuerterint, quàm ad id quod cognitu erat vtile, stabiliendum. Nam etsi veritatem non negarunt, eam tamen non ita apertè, vt decebat, docuerunt. Hoc intelligo, dum nimis studiosè ac diligenter in hoc toti incumbebant, vt assererẽt panem & vinum corpus & sanguinem Christi vocari, quòd ipsorũ signa sint: non cogitârunt sibi hoc interea simul agendũ, vt adiungerent ita signa esse, vt nihilominus veritas cum eis coniuncta sit, nec testati sunt, sese non eò tendere, vt veram cõmunionem obscurarent, quam nobis hoc Sacramento Dominus in corpore ac sanguine suo exhibet. Vtrique profectò in culpa fuerunt, dum sese mutuò audire non sustinuerunt, vt posita omni affectione veritatem, vndecunque patefieret, sequerentur.

Idem CALVINVS *cùm hoc libro, tum in Institutionibus, & libro de consensu cum Tigurinis dicit*: Symbola Cœnæ tantùm esse in terris; corpus autem Christi tantùm esse in cælo. Proinde tanto interuallo abesse à pane & vino in Cœna, quantum abest terra ab altissimo cælo.

Asserit itaque panem & vinum esse efficacia signa corporis & sanguinis Domini, & ita efficacia, vt non solùm per fidem; sed reipsa corporis Christi substantia manducetur, & sanguis bibatur à spiritu nostro, quoties cum fide panem illum edimus, & vinum bibimus: adeò vt etiam indignè manducantibus efficaciter corpus Christi vnà cum pane & vino offeratur, licet ab illis nõ manducetur. Itaque hæc Domini verba: *Hoc est corpus meum*, sic interpretatur: *Hic panis est signum efficax corporis mei*.

12. LVDOICVS ALEMANNVS ITALVS, *in Positionibus apud Lugdunenses editis anno 1566.* 1. in hoc Sacramento Cœnæ nulla nobis ad edendum & bibendum datur substantia corporis & sanguinis Christi. 2. Neq; etiam per fidem, seu incomprehensibili modo, vt vocant. 3. Quia hoc totum imaginarium, & repugnat apertissimo Dei verbo. 4. Hanc autem manducationem corporis & sanguinis Cristi spiritualem tantùm esse cõtendimus. 5. Christus licet à suis fidelibus non sit absens, tamen constanter affirmamus, illius substantiale corpus non esse præsens in hac Cœna.

ZVINGLIVS *libro de vera & falsa religione, pagina 284.* docet rẽ Sacramenti nihil aliud esse, quàm fidem.

BEZA Apologia 3. contra Selneccerum pag. 47. *scribit rem Sacramenti nihil aliud esse, quàm corpus Christi pro nobis traditum in mortem.*

BEZA aliquoties negat tropum in prædicatis ponendum esse.

PETRVS VVAREMBVRGIVS *ait, totum prædicatum tropicè intelligi debere.*

ZVINGLIVS *fol. 288.* ait Sacramentaliter edere corpus Christi, nihil aliud esse, quàm signum aut symbolum corporis Christi edere.

KLEINVVITZIVS & BOQVINVS *vocem sacramentaliter in hac controuersia reiciunt.*

OECOLAMPADIVS *libro de verbis Domini* asseuerat absurdum esse dogma, ex quo sequatur multos esse Christos, si dicamus Christi corpus adesse realiter in Cœna.

CALVINVS ad caput 11. prioris ad Corinth. hanc opinionem refutans, *Audio*, inquit, *quid verba sonent: neque enim mortis tantùm, ac resurrectionis suæ beneficium nobis offert Christus, sed corpus ipsum, in quo passus est ac resurrexit. Concludo realiter, vt vulgo loquuntur, hoc est verè nobis in Cœna dari corpus Christi, vt sit animis nostris in cibum salutarem. Loquor vulgari more, sed intelligo substantia corporis pasci animas nostras, vt verè vnum efficiamur cum eo.*

OECOLAMPADIVS *libro de verbis Domini* scribit totum sextum caput Ioannis de spirituali mãducatione intelligendum esse, non de sacramentali manducatione.

BEZA aduersus Heshusium, & PETRVS MARTYR, Tractatu de Cœna Domini, *asserunt Christum Ioannis 6. de Cœna loqui.*

PETRVS MARTYR *ibidem* vult verba Ioannis 6. Metaphoricè esse exponenda.

BEZA contra Heshusium *dicit concionem Christi Ioannis 6. propriè esse intelligendam.*

OECOLAMPADIVS *ibidem* affirmat nos magnum bonum ex communicatione corporis & sanguinis Christi per fidem habere; nempe benedictionem, vitam, incorruptionem, & satietatē. Miram enim virtutem corporis Christi esse, & verè viuificare.

Negant passim BVCERVS, *Beza, Zuinglius, Musculus, &c.*

VVOLFGANGVS MVSCVLVS, *in Locis communibus, capite de Cœna Domini*, multis rationibus probare nititur, etiam infantibus Cœnam Domini dandam esse.

Negant hoc CALVINVS in formula administrandorum Sacramentorum fol. 12. *Beza* in confessione fol. 25. 32. 82. *Bullingerus* de Cœna Domini decade 5.

MVSCVLVS *ibidem* affirmat eos pueriliter desipere, qui ad communicationem Cœnæ exemplo Christi mensæ accumbunt.

MAIOR SACRAMENTARIORVM PARS *accubitū mensæ de essentia Sacramenti esse autumant. Vnde mensæ assidere solent.*

LAMBERTVS DANAEVS *contra Selneccerum pag. 9.* ait corpus Christi tam esse remotum à nobis, quantum cælum ipsum sit à terra.

BEZA contra Brentium fol. 620. *Meræ sunt calumniæ, cùm nobis Brentius impingit, quòd sentiamus Christi corpus à Cœna abesse, & quidem quantum abest cælum à terra.*

CALVINVS *in optima ratione ineundæ concordiæ*: In sacra Cœna miraculū agnoscimus, quod & naturæ fines, & sensus nostri modum exuperat, dum Christi vita nobis fit communis, & caro eius nobis in alimentum datur.

Contra BEZA in Creophagia fol. 154. *ait in Cœnæ Dominicæ administratione nullum miraculum incidisse, cuius discipuli mentionem faciant.*

OECOLAMPADIVS *Libro de verbis Domini*: Hoc est corpus meum, *dicit non esse in hoc Sacramento, quod vel miraculum sit, vel hominis captum excedat.*

LAVATHERVS in historia Sacramētaria pag. 4. *prædicans OEcolampadij hunc librum, asserit in eo illū demonstrasse nullum miraculum esse in Cœna Dominica supra captum hominis.*

ARETIVS, Sermone 3. de Cœna, *concludit negotium Cœnæ esse simplicissimum, & sine miraculo institutū, celebratum, & Ecclesiæ commendatum.*

GERMANVS BAVARVS cōtra Selneccerum B. 3. *nullum ait miraculum fieri in vsu Cœnæ Dominicæ per omnipotentiam Dei.*

ZVINGLIVS *libro de vera & falsa religione, fol. 278.* negat humanitatem Christi adorandam esse.

LAMBERTVS DANAEVS, *Apologia de adoratione carnis Christi*: Quoniam caro Christi etiam in vnione vera caro est, vt verè creatura: ideo nunquam religioso cultu adoranda est.

In examine libri Chemnitij: Qui ad ipsam Christi carnem suam adorationem, aut inuocationem dirigit, is ex ipsius Dei ore maledictus est.

Contra OECOLAMPADIVS, libro de verbis Domini G. 8 H. 5. I. 8. *asserit Christi carnem esse adorabilem, viuificatricem, & diuinam: & addit, se contra Nestorium etiam ad mortem vsque id velle asseuerare.*

Christum clauso sepulchro resurrexisse, & clausis ianuis ad discipulos venisse asserit CALVINVS, *admonitione vltima ad VVestphalum*: Quod quærunt rursus, quomodo intacto sigillo monumentum suum pertransierit Christus, & foribus clausis pertranfierit ad discipulos, noua solutione non indiget. Quid enim impediēt clausuræ omnes hominum artificio factæ, quò minus sibi transitum Deus patefaciat? Nam qui de nihilo creauit omnia, potest ad tempus in nihilum redigere, quæ videntur impedire operum progressum eius. Et sanè quorsum redacta corpora esse dicemus, quibus & Angelos suos, & seipsum induit Deus, postquam executus est quod volebat?

Item MVSCVLVS *ad cap. 28. Matth.* Non ob id deuolutus est lapis ab ostio monumenti per ministerium Angeli, vt aperto monumento liceret Christo iam rediuiuo in lucem progredi, & resurgere, (absit vt tantū infirmitatis demus Christo) sed vt ostendi vacuum, non deuoluto demum saxo per Christi resurrectionem vacuaretur, cùm excitato iam antea vacuum fuerit.

Negāt RODOLPHVS GVALTHERVS, BEZA, *& cæteri, de quibus supra lib. 2. art. 5. pag. 178.*

Herculem, Theseum, Numam, Camillum, Catones, Scipiones, Socratem, & similes Ethnicos saluatos esse scribunt ZVINGLIVS *in expositione fidei Christianæ*, RODOLPHVS GVALTHERVS *in Præfatione operum Zuinglij*, TIGVRINI *in Germanica sua confessione cōtra Lutherum anno 1545.* IOSIAS SIMLERVS *in vita Bullingeri pag. 20.* DANIEL TOSSANVS *contra Marpachium, &c.*

Negat OECOLAMPADIVS in Exegem. super Iob cap. 10. pag. 58. *Non video qua fiducia quidam Ethnicis, quibus nec Deus locutus est, nec ab illis Christus receptus est, cùm multis peccatis onerati sint, spem quandam salutis faciant. Dicunt, quòd illis Deum bonum prædicarint. At certi sumus, quòd contra dixit illis cor suum, nisi & ipsi diuinitus edocti fuerint. Finge enim illos iustos fuisse, vt fuerunt in speciem sapientes: quid autem in conscientijs suis inuenient, mox cognosces ex sequentibus.*

Item BEZA de pœnis hæreticorum pag. 103. *Quis vobis vitam innocenter degere dicitur? Is nimirum, qui cùm vnum Deum credat, & Christum mundi Dominum ac iudicem, omnibus prodesse studeat, nemini nocere. Ex his principijs consequitur, si Socrates, si Aristides, Phocion, Fabricius, Cato, Atticus id credidissent, quod credunt diaboli; aut diaboli ita vt illi viuerent, vitam vtriusque æternam deberi. At nos neque in his, neque in illis, aut fidē, aut vitam beatam reperire possumus. Nam quod ad salutem attinet, cùm ea non sit nuda ac simplex cognitio Dei, sed firmus assensus, per quem fideles Christum sibi à Patre oblatum amplectuntur, fidem istam neque diabolis, (quibus promissiones non offeruntur,) neque Socrati, & cæteris, (quibus incognitus fuit Christus,) neque scelerata vita hominibus, (in quibus spiritus Dei non habitat,) neque falsis fratribus, (quorum fides est fictitia & temporaria) tribuere possumus.*

SACRAMENTARII SACRAmentarios mutuis scriptis damnant.

Petrus Martyr.

Contra Vintonienſem in epistola operi præfixa: Teneor multos iam annos asserendæ veritatis mirifico studio, vel quòd causa ipsa per se inter religionis nostræ capita maximi sit momenti, vel quòd in eo hallucinari, ad omnem superstitionem ac idololatriam sit feneſtram latissimam facere.

Bernardinus Ochinus.

Dialogo contra sectam terrenorum Deorum, siue Paparum, (Geneuenses, & Tigurinos intelligens:) Non ita nunc fit, sicut Paulus de iudicanda prophetica doctrina monet. Nam quòd Minister vester, ô Tigurini, iudicat docetq́, id censetis alijs omnibus credendum esse, tamquam caput fidei. Quòd si quis citra vllam conditionem fidem non adhibet, is hæreticus est: denique quod noctu somniarunt, id chartis mandant, excudiq́ curant, suaq́ scripta & verba pro oraculis haberi volunt: nec est quòd putes eos vnquam recantaturos, aut se Ecclesiæ subiecturos. Volunt vt Ecclesia ipsorū, non ipsi Ecclesiæ arbitrio cedant: id quod nil aliud est, quàm quòd se quosdam Papas terrenosq́ Deos esse volunt, & in hominum conscientias tyrannidem exercere.

Theodorus Beza.

Theodori Bezæ ad Sebastiani Castalionis cālumnias, quibus vnicum salutis nostræ fundamentum, id est, æternam Dei prædestinationem euertere nititur, responsio.

Eiusdem responsio ad defensiones & respōsiones Sebastiani Castalionis, quibus suam noui Testamenti interpretationem defendere aduersus Bezam, & eius versionem vicissim reprehendere conatus est. *Extant in operibus Theologicis Bezæ coniunctim impressis.*

Sebastianus Castalio.

Scripsit defensionem suæ translationis contra Theodorū Bezam, & reprehensionem translationis ipsius.

VI. ANABAPTISTAS AB ANABAptistis dissentire.

ANABAPTISTARVM Sectæ.

1. MVNCERIANI, à Thoma Muncero, qui totum orbem gladio Gedeonis sibi diuinitus tradito compellendum, ad nouum Christi regnum instituēdum, iactabat sibi spiritum reuelasse. Vnde & cælestes Prophetas appellabat eos Lutherus. Docebant bonorum cōmunionem: thorum infidelium, id est non suæ factionis, esse pollutum, & diaboli prostibulum: Baptisma infantum non esse ex Deo: infideles omnes cum principibus ac magistratibus esse occidendos: libertatē per principes extinctam armis esse vindicandam.

APOSTOLICI omnia relinquebant, vxores, liberos, agros, opificia, quæ exercere consueuerant: passim vagabundi oberrabant sine baculo, sine calceis, sine pera & pecunia, atque omnia volebant cum fratribus habere communia, quos sæpe grauabāt ignaui homines, atque eorum facultates absumebant: donec ipsos tandem Anabaptistas, indignitate rei perspecta, id genus, fucos atq́ ignauos ventres, diutius alere pertæsum est. Inter hos & Muncerianos fratres hoc discriminis est, quòd Apostolici, neglecto vero Spiritus diuini sensu, nimis pueriliter literæ sanctarum Scripturarum adhærent: Munceriani verò ipsam Scripturæ litteram planè reijciunt.

3. SEPARATI valde compositam & separatam à communi viuendi ritu vitam ducūt. Quod ad mores externos attinet, omninò spirituales, & valde sancti esse videntur: abhorrent à mundanorum hominum consortio, neque cum hoc seculo quicquam commune habere volunt: austerum semper vultum præ se ferunt: crebros ducūt gemitus, gaudia auersantur, neque conuiuijs lætioribus interesse volunt, verùm tristes, atque soli esse cupiunt: vestibus vtuntur ad simplicitatem omninò comparatis, nec gladios, nec vllū armorum genus portant: demū Regulas suas habent, ad quarum præscriptum edunt, bibunt, dormiunt, vigilant, incedunt, & separatam omninò à vulgi consuetudine, atque seueram vitam transigunt.

4. CATHARI puram atque omninò mundam Ecclesiam habere volūt, in qua neque rugam vllam, neque maculam inuenire liceat: eiusmodi suam esse non obscurè præ se ferunt. Negant peccatum originale, & pueros sine peccato, immunesq́ ab omni labe nasci, ideoq́ Baptismo non indigere putant. Quin seipsos quoque peccatorum exortes, mundos, atque puros esse credunt. Quòd fit, vt nec aliorum preces expetant, nec se cuiusquam orationibus indigere persuasum habeant. Sunt inter eos, qui particulam Orationis Dominicæ: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris,* penitus omittunt: sanctiores homines, imò non homines, sed Angeli, qui neque Dei gratia, neque remissione peccatorum opus habent. Vt in pauca rem conferamus, est hoc sanctum, mundum, & incontaminatum hominum genus, veri Cathari, qui dicere audent: Mundum est cor nostrum, puri sumus à peccato.

5. TACENTES putant non esse docēdum amplius: indignum esse mundum, qui Dei verbum audiat: si quis verò doceat, eum perinde facere, ac si quis sanctum det canibus, & margaritas porcis proijciat. Atque ita tacentes incedunt, quasi attoniti, inq́ suis phantasijs obstupescunt: neque responsum dare volūt, si de religione interrogentur. Alij peccant loquacitate nimia, neque vllum venenatis linguis garriendi finem faciunt. Hi verò loqui omninò nolunt, etiā interrogati, vt sub Pythagoræ cuiusdam disciplina esse videantur.

6. ENTHVSIASTAE, seu Ecstatici spiritum imprimis iactant, & se diuinis frui visionibus, atque apparitiones è cælo habere gloriantur. Nonnunquam in terram prostrati, diu quasi rapti extra se iacent, instar mortuorum. Cùm verò deinde redeunt ad seipsos, mira se iactant ostenta vidisse. Ibi colloquium cum illis habuit cælestis Pater, & multa valde secreta illis manifestauit: quin mandatum interdum dedit, vt hoc, aut illud exequerentur.

7. LIBERI FRATRES Christianam libertatē in effrænem quandam carnalem, atque omnibus vinculis solutam licentiam conuertunt. Hi ab omnibus legum repagulis liberi esse volunt: tributum etiam atque decimas dare renuunt, & alia quædam indigna Christianis moribus, sub huius libertatis nomine, committunt. Quoniam verò communia habent omnia, mulieribus etiam vtuntur communiter, & in vagam sese libidinem effundunt: quæ res eam morum gignit fœditatē, quam vel nominari coram castis auribus piaculum fit. Vt vno verbo dicamus, quicquid libet, licere sibi putant: idq́ sub hoc prætextu, quòd baptizatos iterum, atque regeneratos non posse deinceps peccare existimant: quicquid ij faciunt, id bene factum esse nihil dubitant.

8. ADAMITAE vestibus abiectis nudi sine pudore incedebant, vt Adamū & Euam ante lapsum vixisse legimus. Cuius rei anno salutis 1535. Amsterodami in Hollandia exemplum videre fuit, vbi penitus nudi, quemadmodū homines ex vtero materno prodimus, publicè per plateas discurrentes, quædam non infamiæ modò, sed etiā truculentiæ vestigia impressa reliquerunt.

9. HVTITAE, à Ioanne Huto, profitētur se verum Israëlem esse: futurū etiam, vt impios Chananæos aliquando penitus exterminent: expectandum verò tempus esse, vt Patris ea de re mandatum accipiant. Et hi quoq́ circa visiones, atque somnia

somnia multum occupantur : persuasum enim habent, multas res admodum mirabiles à Deo sibi manifestari, quæ propediem euenturæ sint in mundo. Fuerunt aliquando huius sectæ complures, qui consumptis omnibus nihil sibi bonorum reliquum fecerũt, quòd diem Domini, tempore ipsis constituto, certò venturum persuasum habebant.

10. AVGVSTINIANI, ab Augustino Bohemo nomen sortiti, cælum adhuc clausum esse putant, neque apertum iri ante diem extremum : nullum adhuc Sanctorum in cęlo, neq; damnatorum quẽquam in inferno esse ; sed omnes, aiunt, loco constituto, vsq; ad iudicium detineri : tum futurum, vt & cælum, & infernus primùm aperiantur.

11. IOANNES BOCOLDIVS LEIDENSIS, sarcinator, Monasterij in VVestphalia nouam Sion erigere cœpit, cuius ipse primus & nouissimus Rex fuit : Gedeonis gladium, quem ante nouẽ annos Muncerus, capite truncatus, abiecerat, iterum arripuit, eoq; omnes in vniuersum impios, qui regno ipsius fasces non submitterẽt, obtruncare, & nouum omninò regnũ, in quo iustitia vigeret, constituere voluit : quamquã omnes ipsius conatus fœdè delusi sunt. Inter reliquos errores, quibus dementatus fuit, polygamiã ex professo probauit, & ipse duodecim vxores simul habuit : Christi Seruatoris verba : *Hoc est corpus meum*, adeò ferre non potuit, vt ijs, cùm suo ritu Cœnam celebraret, planè non vteretur : solebat enim dicere, vt Alberus scribit contra Carolostadianos a. 4. a. *Accipite, comedite, & Domini memores estote.*

12. MELCHIORITAE, Melchioré Hoffmannum magnum Prophetam atque Apostolum esse credunt, qui ante magnum diem Domini ad Belgas mittendus fuerit. Huius tanta fuit confidentia, vt anno 1532. Argentinenses Concionatores ad publicam disputationem prouocârit super his articulis : Christum non assumpsisse ex Virgine carnem, quã immani affecit blasphemia ; sed Deum carnem esse ex se factum, ita vt vna esset in Christo natura : item qui accepta gratia voluntariè peccaret, nunquam in gratiam recipi : & salutem esse in nostris viribus collocatam. Sunt qui istis tribuũt corporale regnum Christi per annos mille cum Chiliastis.

13. DAVID GEORGIVS dicebat se Messiam, ac dilectissimum Dei Filium esse, non ex carne, sed ex Spiritu sancto, & Christi spiritu natum : Christum asserebat propterea in mundum venisse, vt homines sub illius doctrina, & Sacramentis, instar puerorum, sub disciplina quadam essent, donec exurgeret Dauid Georgius, & veram, perfectamq; salutis consequendæ viã aperiret, eamq; doctrinam proferret, per quam homines plena Dei, ipsiusq; filij Dauidis Georgij cognitione implerentur. Virum se esse dicebat illum, qui in extremo die totum mundum iudicaturus esset.

14. MENNONISTAE, à Mennone Simonio Frisio, cum Melchioritis veram Christi humanitatẽ negant. Quod ad externum vitæ cultum attinet, magnam pietatem, atque modestiam præ se ferunt : verùm si intimos eorum recessus penetrare liceat, non ea sanctitas inuenitur, quam externa morum compositio promittit. Cõiugia propter infidelitatem, & Excommunicationem facilè dirimunt : vnde ingens Matrimonij dissipatio, scortationes crebræ, atque adulteria inter eos oriuntur : quia nimirum innocenti parti pro suo libitu cum alio cõtrahendi potestatem faciunt. Anabaptistas, qui ad eos ex alijs Anabaptistarum sectis transeunt, tertiò baptizant.

VII. TRINITARIOS A TRINITARIIS dissentire.

MICHAEL SERVETVS, *lib. 1. contra Trinitatẽ scripto*, omnes, qui Trinitatem statuunt in essentia Dei, Tritheitas & Atheos vocat, qui nec Deum quidem nisi tripartitum & aggregatum habeant.

VALENTINVS GENTILIS, *in Prothesibus*, Dei Patris proprium esse statuit, vt vnus & solus appelletur Deus, eumq; solum esse & altissimum Deum, quem nobis passim sacræ literæ prædicãt : atque hunc eundem solum Patrem esse ipsam veram essentiam & naturam diuinitatis : Filium autem & Spiritum sanctum, non esse essentiam diuinam ; sed essentiæ proles, & proles ipsa essentia longè inferiores, atque, vt ipse loquitur, pro modulo generationis vel propagationis definitas atque circumscriptas.

GEORGIVS BLANDRATA & FRANCISCVS DAVIDIS docent esse quidem Patrem, esse Filium, esse Spiritum sanctum : nõ tamen tres debere dici personas, quòd sic Scriptura non loquatur ; multoq́ue minus debere dici Deum trinum & vnum, aut vnum ex tribus personis.

CHRISTIANVS FRANCVS, *libro de Trinitate*, Trinitatem vocat idolum horrendum : Deum vnum, aut potius nullum credendum esse.

GEORGIVS PAVLVS & FAVSTVS SOCINVS tres esse Deos statuunt, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum.

PETRVS GONIEZIVS Patrem & Filium duos esse Deos asserit : de Spiritu autem nondum dicit esse reuelatum.

IOANNES SOMMERVS *libro 2. contra Petrum Carolium cap. 7.* Quæ Serueti de λόγῳ opinio fuerit, non obscurum esse potest ex ijs libris, qui extant. Hæsit ille ἐν ἐπαυγάσματι, vel idea, relucentia verbi externa, sicut & Arius antiquioré primo mundo Christum opinabatur, modò concederetur principium aliquod temporis. Nostri instituti non est tueri, quæ ille scripsit. Luctetur Carolius cum laruis, quandoquidem illi busta videre voluptati est.

BVDNAEVS EBIONITA *in Annotationibus suis in versionem noui Testamenti Polonicam super 1. caput Actuum Apostolorum* ad illa verba : *Primum sermonem feci.* Cùm ista meus aduersarius (*Czechouius Samosatenta*) non intelligat, fit vt nesciat quid loquatur : cuius hoc loco mentionem non facerem, (nihil enim interest,) nisi & me, & omnes alios interpretes laceraret, & apud magnos viros traduceret, apud hos præsertim, qui præter Sclauonicam & Rusticam linguam alias ignorant : & quia ipse plures non nouit, alios quoque deterret, à Latina præsertim, dicens, omnes errores à Latina proficisci, quam solam, nisi illi discipuli ostendissent, fortassis adhuc idolis sacrificaret. Illud certè ridiculum, quòd iste tam doctus Doctor Gregorium Theologum & Ioannem Chrysostomum pro Sclauis habet : Platonem autem & Aristotelem Græcos Philosophos, scribens ad quendam Senatorem, pro Latinis reputat. Ita miser in minimis errat, neq; tamen

primas cuique concedit : cùm tamen cõsultè faceret, si Iacobi consilium audiret. Nunc iste vix Alphabetum Græcum est assecutus, & iam vult haberi Demosthenes.

ALFONSVS PISANVS Societatis Iesu *Præfatione in Acta Concilij Nicæni* : Vt olim veteres Ariani, ita nunc noui Trinitarij protinus in varias sectas dissecti sunt : ita vt alij, qui negant ὁμοούσιον, in partes scissi sint ; & alij, dicti Trideitæ, qui tres Deos statuunt, dum nõ solùm personis, sed etiam essentijs Patrem, Filium, & Spiritum sanctum diuersos faciunt ; alij Duitæ vocati sunt, quia duos Deos admittunt, Patrem videlicet, & à Patre, secundùm eos, minorem Filium : de Spiritu sancto autem aiunt nõdum esse reuelatum quid sit. Trideitarum dux est Georgius Paulus Bressinensis : Duitarum Petrus Goniezius, cui iam defuncto Earnonius successisse videtur.

THEODORVS BEZA *Epistola 28.* Venio ad ista tristissima, quæ nuntias de blasphemis Christi diu initatis hostibus, quorum alij, præter Anabaptismum, etiam Samosateni blasphemiam aduersus æternam Verbi hypostasin tuentur : alij fateri recusant, quòd tres personæ sint vnus Deus ; sed censent, quòd sit duntaxat vnum ; & ὁμοούσιον, aliaque vocabula repudiant, quos & ipsos rectè iudicatis tres essentias constituere : alij denique essentiæ propagationem siue essentiationem Gentilismum, id est, Tritheismum tuentur. Hæc verò quis sine horrore sustineat? Neque hîc, mihi crede, confistet eorum excęcatio ; sed tandem nullum erit Christianæ religionis caput, quod non oppugnent. Quoniam verò sunt in reprobum sensum traditi, & necesse est eos in peius proficere, donec omnibus patefiat ipsorum stultitia, vt nemo deinceps ab istis, nisi volens, decipiatur.

ARTICVLVS OCTAVVS.

SACRAMENTARIOS A LVTHERANIS IN GRAVISSIMIS FIDEI DOGMATIBVS DISSENTIRE·

NEGANT.

THEOLOGI Genuenses Præfatione in Harmoniam Confessionum : *Visum est vt hanc Confessionum Harmoniam proponeremus, ex qua intelligi satis possit, quam falsò accusemur, quasi inter nos minimè conueniat, qui Pontificios errores reijcimus. Nam hæc Confessionum collatio laruam illis omnem detrahet, postquam patebit, omnia in his Confessionibus fidei dogmata aliis atque aliis verbis ita fuisse exposita, vt semper tamen maneat eadem fidei veritas, & nulla, aut perexigua sit de rebus ipsis dissensio.*

Theologi Tigurini in Præfatione Apologetica ad reformatas Ecclesias orthodoxas : *Quod ad recepta dogmata Ecclesiæ attinet, nulla inter nos & Augustanæ Confessionis socios lis est, quàm quæ renascentis Euangelij tempore inter præcipuos & primos illius præcones, non absque certo Dei iudicio, de Cœna Domini orta fuit.*

Theologi Anglicani in Apologia sua : *Illi, quos isti contumeliæ causa Zuinglianos & Lutheranos appellant, reuera autem sunt vtique Christiani, & inter se amici & fratres, non de principijs aut fundamentis religionis nostræ, non de Deo, non de Christo, non de Spiritu sancto, non de ratione Iustificationis, non de æterna vita, tantùm de vna re, nec ea ita graui, aut magna quæstione inter se dissentiunt.*

Theologi Poloni Caluinisticæ religionis libro, quem in Polonia sine nomine Typographi & auctoris anno 1592. ediderunt, ac inscripserunt : *Consensum Sendomirienſem* : in Præfatione : *Publicatione huius libelli palam facere, & protestari voluimus omnibus pijs, nos non simulatam, sed sacrosanctam, mandato ac spiritu Christi factam concordiam coniunctos esse, & fratres in vnum habitare, ac proinde ab aduersarijs nostris calumniosè ac iniquissimè nobis obijci discordiam, & ataxiam. Siquidem hoc scripto res ipsa clamat, nos in regno Poloniæ omnes Euangelicos esse sancta pace copulatos : non dissidere, sed conuenire in doctrina fundamentoq; fidei & salutis nostræ ac religionis Christianæ, &c. Confessiones Augustanam, Bohemicam, & Helueticam examinatas deprehendimus in præcipuis articulis fidei Christianæ cum Scriptura sacra & secum inuicem concordes esse.*

Andreas Volanus de suorum concordia contra Iurgieuicium : *Si omnes omnium Ecclesiarum ad puritatem Euangelicam reformatarum Confessiones legisset, & quæ à diuersis Scriptoribus nomine singularum Ecclesiarum perscriptæ sunt diligenter expendisset, adeò concordem & vniformem omnium consensum deprehenderet, vt ab vno eodemq; spiritu diuino dicta cuncta animaduerteret. Ita nimirum Anglica, Gallica, Belgica, Heluetica, Scotica, fratrum VValdensium, & plurimarum Germaniæ prouinciarum fidei Confessio concors deprehenditur, vt nullam, vel exiguam fidei dissimilitudinem, in omnibus fidei capitibus quisquam notare possit.*

ASSERVNT.

Tigurini Theologi.

In Præfatione Apologetica ad reformatas Ecclesias, præfixa Orthodoxo consensui Anno 1578. impresso: Quàm graue ac diuturnũ sit de sacra Domini Cœna inter Ecclesias, quę relictis superstitionibus Papisticis puram Euangelij doctrinam profitentur, dissidium, nemo est qui ignoret, nemo qui non deploret, propter scandala, quę inde grauia ac multa exorta sunt, &c. Nec de sola Cœna Domini; sed etiam de Christi persona; de diuinæ & humanæ naturæ vnione, & distinctione; de corporis eius omni-præsentia; de corporali, quæ ore fit & dentibus, & tam pijs, quàm impijs communis sit, mãducatione; de ascensione eius in cęlos, & sessione ad dextram Patris tanto disputationis feruore contenditur, vt non paucę veterum hæreses, quæ olim damnatę & extinctæ fuerant, quasi ex inferis reuocatæ, caput rursus attollant, &c. Cùm Augustanæ Confessionis Theologi hactenus in multis liberè & apertè à Luthero dissiderent, (id quod acerrimę ipsorum de præcipuis fidei dogmatibus concertationes testantur,) nos soli inexpiabile scelus committere videamur, quòd in vno tantùm capite à Lutheri auctoritate, qua sola illi nos opprimere volunt, recedimus? Tulerũt huc vsque inter se, discrepantes de Iustificatione, de libero Arbitrio, de Euangelio, de Lege & eius vsu, de Christi ad inferos descensu, de ipsius persona, de cæremonijs, de filiorum Dei electione ad vitam æternam, & multis alijs non leuis momẽti articulis, de quibus facile transigunt, eò quòd isti omnes sese Lutheri nomine tuentur.

Ioannes Scurmius.

De ratione ineundæ concordiæ, pagina 2. Inter Ecclesias Euangelicas præcipuæ controuersiæ hæ sunt: De Cœna Domini: de Prædestinatione, seu prouidentia Dei: de persona Christi, &c. Certum est causam Eucharisticam fontẽ esse & originem multarum aliarum pernicioſarum rixarum, videlicet de persona Christi, de eius ascensione ad cælos, deque ipsius ad dextram Patris sessione, deque quibusdam alijs, quibus præcipui fidei nostræ articuli labefactantur, &c. Si reges & principes Euangelij suam pro dirimendis his contentionibus non interponant auctoritatem, dubium non est, quin Ecclesię Christi multis hęresibus inficiantur, & tandem maxima eius vastitas subsequatur, vt in Asia, Africa, & Græcia propter similes causas euenisse vidimus, &c. His paradoxis opinionibus fundamenta religionis nostrę conuelluntur, præcipui articuli in dubium vocantur, multæ hæreses in Ecclesias Christi inuehuntur, & plana ad Mahometismum & atheismum paratur via.

Pagina 24. Lutherani libris publicè editis Ecclesias Anglicanas, Gallicas, Belgicas, Scoticas, Helueticas tamquam hæreticas condemnant: eorum Martyres, Martyres diaboli vocant, minusque Turcis & Scythis ferendos esse statuunt.

Ioannes Ietzlerus Schaphusianus.

De diuturnitate belli Eucharistici, in quo notat causas, per quas hactenus stetisse videtur, quò minus partes litem sustinentes inter se sint reconciliatæ, pag. 1. Bella multa multis de articulis gesta sunt inde ab initio repurgatæ per Germaniam Ecclesię ad hæc vsq; tempora, & sanè non à gregarijs, & leuis armaturæ militibus, sed ab antesignanis & ducibus vtrinque præstantissimis.

Pagina 25. Primum bellum gestum fuit à Luthero & Carlstadio, anno 1525. secundum à Luthero & Tigurinis, anno 1544. tertium à VVestphalo & Caluino, anno 1553. quartum ab Heshusio & Clebitio, anno 1554. quintum à Brentio & Bullingero anno 1561. His durantibus bellis irrisiones, sarcasmi, odia, contemptus, obtrectatio, calumnię, pasquilli, omnis generis iniurię, exilia cibus erant quotidianus.

Pagina 50. Aliqui dicunt: Panis est corpus meum verum & naturale: aliqui, sub figura panis est corpus: aliqui, cum pane exhibetur corpus: aliqui, in pane est corpus: aliqui, circa panem est corpus.

Pag. 77. Lutheranos taxans: Nulla, *inquit*, habetur concio, in qua non exagitantur Caluinistę: Clamant illos nolle credere verbis Christi, negare Christi omnipotentiam, peruertere Christi testamentum, Christi cum Arianis impugnare deitatem, Christum cum Nestorio diuidere, accedere ad Mahometismũ, non esse dignos hac luce, Turcis atque Iudęis longè esse deteriores, imò deterrimos omnium hominum, quos vnquam terra sustinuit.

Pag. 78. Quantum in ipsis est, Caluinistas totos Satanæ tradunt Lutherani, & cruciatibus sempiternis. Hinc arcentur non tantùm ab Eucharistiæ communicatione, sed etiam ab officijs publicis: veluti infames, nullo digni honore aut munere publico.

Pag. 79. Zvvinglianis ex Anglia Anno 1553. profugientibus, hyeme durissima & asperrima, negata sunt hospitia in ciuitatibus maritimis Saxonię. Anno 1555. Daniæ Rex, & Hamburgenses, & maritimæ ciuitates graui instituta pœna vetuerunt, ne quis suorum hospitium præberet Sacramentarijs Zvvinglianis. Circa illa tempora complures ex Germaniæ Dynastis, non solùm Zvvinglianos nominatim damnârunt, velut hæreticos: sed etiam edictis publicis cauerunt, ne libri Zvvinglianorum & Caluinistarum vendantur, emantur, legantur, habeantur.

Pag. 80. Litigandi, scribendi, declamandi, disputandi, condemnandi, excommunicandi, inter Lutheranos & Caluinistas nullus est finis.

Pag. 93. Cùm hęc ad aures Lutheranorum peruenirent, lõgè duriora in aduersarios emiserunt verba: afferendo quòd sint mendaces, quòd falsarij, quòd Sacramentiperdæ, quòd Sacramentorum hostes, quòd corruptores testamenti Christi, quòd ruant in tartara, quòd suo iudicio damnati. Zvvingliani durius appellati, duriora & ipsi cœperunt proferre: vnde vocârunt Lutheranos Anthropophagos, hæmatopetas, Thyestas, carnifices, Christicidas, artolatras, impanati Dei cultores, abnegatores redemptionis per Christum factæ, Eutychianos, Schvvenckfeldianos, euersores complurium articulorum fidei. His excitati Lutherani vocârunt Zvvinglianos conuictos hęreticos, dæmoniacos, diabolis omni ex parte, ante, pone, supra, infra, intus, & extra obsessos: diaboli Martyres, gladio potius magistratus ciuilis, quàm verbis refellendos, abarcendos à sacris, ex Ecclesia extirpandos funditus, fugiendos ab omnibus bonis, indignos pro quibus oretur, ex fœderibus regum ac principum excludendos, annumerandos cum Anabaptistis, Nestorianis, Arianis, Turcis; omnium mortalium, quos vnquam terra sustinuit, deterrimos, necnon in sempiternum damnandos.

Pag. 100. Ob Cœnam aliqui ex nobis patria caremus sede, vitę priuamur necessarijs, in odio versamur populi, hinc inde oberramus cum voribus & liberis, omnium mortalium dicimur nocentissimi.

Marcus Beumlerus.

In Analysi disputationis Iacobi Andreæ: Hæ controuersiæ inter Lutherum & Zvvinglium agitari cœperunt, nec vnquam, quamuis multi magni nominis viri id vnicè agerent, omninò componi potuerunt.

CATALOGVS ALIQVOT LIBRORVM, in quibus plura de hac dissensione testimonia extant.

THEODORI BEZAE Responsio pro corporis Christi veritate, aduersus Vbiquitatis commentum, & Guilhelmi Holderi conuitia: addita est responsio aduersus Iacobi Andreæ calumnias, Geneuæ 1581. in 8.

Responsio altera ad Iacobi Andreæ calumnias, Geneuæ 1581. in 8.

Responsio ad quæstionem & responsionem Danielis Hoffmanni in grauissima de Cœna Domini controuersia, Geneuæ 1584. in 8.

Conspicillum ad Danielis Hoffmanni demõstrationes ad oculum, Geneuæ 1586. in 8.

Ad Ioannis Brentij argumenta, & Iacobi Andreæ theses, quibus carnis Christi omnipræsentiam nituntur confirmare, id est, aduersum renouatos Nestorij & Eutychetis errores Responsum, Geneuæ 1570. cum cæteris Bezæ opusculis Theologicis.

De Sacramẽtali corporis & sanguinis Christi cum sacris symbolis coniũctione, aduersus Mathiæ Flacij Illyrici falsissimas demonstrationes, Geneuæ 1565. in 8.

Ad Nicolai Selnecceri, & Theologorum Ienensium calumnias Responsio, Geneuæ 1571. in 8.

MARCI BEVMLERI Apologia breuis & necessaria, in qua primò exponuntur causæ, cur D. Iacobi Andreæ manus & lingua instar Ismaelis sit contra omnes: deinde diluuntur criminationes aduersus Ioannem Iacobum Grynæum, Tiguri 1585. in 8.

Elenchus sophismatum Iacobi Andreæ, quæ disputationi de S. Eucharistia Heidelbergę habitę opposuit, Tiguri 1585. in 8.

Falco emissus ad capiendum, deplumandum, & dilacerandum cuculum Vbiquitarium, qui nuper ab Huldero exclusus, impetũ in philomelas innocentes facere cœperat, Neapoli 1586. in 4.

Triplex scriptum ad Iacobum Andreę: 1. Falconis supplementum, de Metonymia sacramentali, & de manducatione infidelium. 2. Prodromi Vbiquitarij confutatio: 3. index aliquot grauissimorum certaminum & errorum D. Iacobi Andreę, Neapoli 1586. in 4.

Calumniarum & sophismatũ, quibus Iacobus Andreæ postremum scriptum Asinum auem compleuit, elenchus, coronidis vice cõcinnatus, Lugduni Batauorum 1588. in 4.

IOANNIS STVRMII Antipappi tres, contra Ioannis Pappi charitatem & condemnationem Christianam 1579. in 4.

Tres partes prioris Antipappi, 1. Commonitio, 2. Antiprocœmium, 3. Antosiander pro exteris Ecclesijs, & pro Synodo, Neapoli 1580. in 4.

Epistola Apologetica contra Iacobũ Andreæ, Neostadij 1581. in 4.

De Eucharistica ambrosia contra Ioannem Pappum, ibidem 1581. in 4.

ANDREAE POVCHERII Theses oppositæ blasphemę disputationi tertiæ Clebitij, Geneuæ 1583.

LAMBERTI DANAEI Antosiander, siue Apologia Christiana simul, & necessaria, in qua tum Helueticæ Ecclesiæ, & quæ cum ijs in confessione consentiunt, tum etiam eorum de Cœna Domini sententia defenditur, aduersus iniustam Lucę Osiandri condemnationem, Geneuæ 1588. in 8.

Necessaria responsio ad scriptum, quod inscribitur: *Pia & fidelis ad Gallicas & Belgicas Ecclesias admonitio*, Geneuę 1580. in 8.

Responsio triplex ad fratres Tubingenses, & triplex eorum scriptum de tribus grauissimis quæstionibus: de Cœna Domini, de maiestate hominis Christi, & de non damnandis Ecclesijs Dei nec auditis, nec vocatis, Geneuæ 1581. in 8.

Examen libri de duabus in Christo naturis, de vnione hypostatica & idiomatum, quæ illa sequuntur, communicatione, à Martino Chemnitio conscripti, Geneuæ 1581. in 8.

LVDOVICI LAVATHERI historia de origine & progressu controuersiæ Sacramentarię de Cœna Domini ab anno 1524. vsque ad annũ 1563. deducta, Tiguri 1563. in 4.

IOANNIS A LASKO Responsio ad virulentam, calumnijs ac mendacijs conspersam Ioachimi VVestphali Epistolam quandam, qua purgationem Ecclesiarum peregrinarum Francofurti conuellere conatur, Basileæ 1557.

GVILHELMI ZEPPERI Dillenbergensis Ecclesiæ Pastoris Institutio de tribus religionis summis capitibus, quæ inter Euangelicos in controuersiam vocantur, Hannouiæ 1596. in 8.

HERMANNI REINECCHERI scriptum didascalicum & apologeticum, quo æternæ electionis veritas demonstratur: eiusdem assertio solida veritatis carnis Christi, cum mendacijs Vbiquitatis refutatione, Hannouiæ 1597. in 8.

HIERONYMI ZANCHI Miscellanea Theologica. 1. Theses aliquot varijs de rebus. 2. Prælectiones quædam. 3. Responsio ad calumnias. 4. Prælectionis cuiusque summa certis thesibus comprehensa. 5. Supplicatio ad senatum Argentinensem, in qua loci quidam Augustanæ Cõfessionis, & articuli Concordiæ Argentinensis factæ anno 1563. explicantur: Epistola ad Landgrauium, in qua continetur historia de dissidij Argentinensis initio, progressu, exitu, compositione, deque ijs, quæ compositionem consecuta sunt, Argentorati 1566. in 4.

AMBROSII VVOLFII Fundamenta Lutheranę doctrinæ de Vbiquitate, atque adeò de corporali præsentia corporis Christi in Eucharistia, ad Orthodoxæ fidei normam expensa, & sub veritatis censuram reuocata, ex orthodoxo consensu contra partes Bergenses, Geneuæ 1579. in 4.

De confessione Augustana, quo sensu iam pridem à socijs eius intellecta, accepta, & approbata fuerit: & de concordia Lutheri cum Martino Bucero & Helueticis Ecclesijs, Geneuę 1579. in 4.

ANHALTINORVM THEOLOGORVM Repetitio breuis, simplex, & perspicua orthodoxæ confessionis, de aliquot articulis controuersis: item de mysterio incarnationis Verbi & vnionis hypostaticæ contra Vbiquitatem, & realem communicationẽ idiomatum assertio, Neapoli 1581. in 4.

Defensio modesta & perspicua sex argumentorum, quibus inter alia Ecclesiarum Anhaltinarum ministri realem seu idiomatum communicationem falsitatis conuicerunt, oppositа inani & friuolæ eorum D. Ioannis Matthæi Professoris VVittembergẽsis refutationi, cum auctuario absurditatum & antilogiarum eiusdem, Seruestæ 1583. in 8.

ANTONII ARIMATHAEENSIS Isagoge breuis & perspicua, monstrans vsum salutaris & immutatę doctrinæ de inuocatione Dei, & Filij Dei D. N. I. C. scripta ad analysin Thesium Ægidij

Hunnij, de inuocatione Dei vera, & Sanctorum idololatria, vt sit προδρομος censuræ confessionis suo & aliorum nomine scriptę. Refutantur simul Theses confessionis exhibitæ illustriss. Hassiæ Principibus ab eodem Hunnio, Neapoli 1586. in 4.

Apologia ad omnes Germaniæ Ecclesias reformatas, quæ sub Zuingliani & Caluiniani nominis inuidia vim & iniuriam patiuntur, Tiguri 1578. in 8.

BREMENSIS ECCLESIAE MINISTRORVM Elenchi Paradoxorum, quibus Ecclesias Germanicas ab obitu Philippi Melanchthonis perturbârunt Vbiquitarij, mutato genere doctrinæ & phrasibus de persona Christi, pars prima, ad refutandam audaciam Tubingensium Theologorum, Bremę 1585. in 4.

CHRISTIANI VVALDENSIS refutatio noui dogmatis de Vbiquitate corporis Christi, Basileæ 1586. in 8.

CHRISTOPHORI PEZELII Apologia verę doctrinę de definitione Euangelij, opposita Thrasonicis præstigijs Ioannis VVigandi, VVittembergæ 1572. in 4.

Argumentorum & obiectionum de prȩcipuis articulis doctrinę Christianę cum responsionibus, quę sunt collectę ex scriptis Philippi Melâchthonis, additis scholijs illustrantibus vsum singularum responsionum, Partes 7. Neapoli ab anno 1578. vsque ad annum 1589. in 8.

Demonstratio impostrarum & fraudum, quibus Ægidius Hunnius in libro recens edito de Sacramentis veteris & noui Testamenti pro defensione dogmatis Vbiquitarij contra veritatem orthodoxam pugnat, Bremæ 1591. in 8.

Demonstratio altera impostrarum ac fraudum, quibus Ægidius Hunnius Ecclesię orthodoxę doctrinam petulanter corrumpere pergit, Bremę 1592. in 8.

COLLOQVII MONTISBELGARTENSIS inter Iacobum Andreæ, & Theodorum Bezam acta, Tubingæ 1587. in 4.

HENRICI BVLLINGERI Repetitio doctrinæ de inconfusis proprietatibus duarum naturarum in Christo, vna persona, adeoqúe de veritate carnis Christi ad dextram Dei Patris in cælo sedentis, & non vbique præsentis, contra Ioannem Brentium, 1564. in 8.

PETRI VVARENBVRGI Responsio ad scriptum Hermanni Hamelmanni, quo conatur probare, Ambrosium VVolfium & alios Sacramentarios falsò pro se allegare B. Theodoreti testimonia: item ad iudicium ab eodem Hamelmanno editum, de libro consensus orthodoxi in causa Eucharistica, Neostadij 1581. in 4.

Hamelmannia, siue aries Theologizans, Dialogus oppositus duabus narrationibus Historicis Hermanni Hamelmanni, Neostadij 1582. in 4.

GVILHELMI CLEBITII Responsio ad Themata Morlini, Stosselij, Heshusij, &c. de sacra Synaxi, Bremæ 1560. in 8.

Demonstratio Theologica, in qua ostenditur, 1. non omnem quȩstionem formatam per aduerbium *quomodo*, incredulitatis esse argumentum. 2. modum ineffabilẽ, quo Heshusius soluit omnem nodum, multorum hæreticorum esse antiquum effugium, Losannæ 1563. in 8.

Demonstratio erroris Heshusiani de præsentia Iudę in Cœna Domini, ibidem 1563.

Eiusdem Victoria veritatis, & ruina Papatus Saxonici.

ARTICVLVS NONVS.

CERTA DOGMATA, IN QVIBVS LVTHERANI A CALVINISTIS SEV SACRAMENTARIIS DISSENTIVNT.

1. *Deum esse omnipotentem*

NEGANT

VINGLIANI & CALVINIANI, *vt ostendi libro 1. art. 3. pag. 23. & 24.*

ASSERVNT

LVTHERANI *in Confessione VVittembergensi fol. 144.* Credimus omnipotentiam Dei esse tantam, vt possitin Eucharistia substantiam panis & vini annihilare, vel in corpus & sanguinem suum mutare.

CONRADVS SCHLVSSELBVRGIVS *Theologiæ Caluinisticæ lib. 1. capite de omnipotentia Dei:* Verbum Dei testatur, soli Deo attribuendam esse omnipotentiam, quæ nihil aliud est, quàm facultas seu potestas Dei, omnia fine vllo impedimento liberrima voluntate faciendi, gubernandi, & largiendi quęcunque vult.

2. *Deum esse causam peccati, aliquos ad malum prædestinando*

ASSERVNT

IOANNES CALVINVS *libro 3. Institut. cap. 23. §. 4. 7. 8.* Ad eam, quæ nunc damnationis causa obtenditur, corruptionem, Dei ordinatione prædestinati fuerant, &c. Vnde factum est, vt tot gentes, vnà cum liberis & eorum infantibus, æternæ morti involueret lapsus Adę absque remedio, nisi quia Deo ita visum est? &c. Nec absurdũ videri debet, quod dico, Deum non modò primi hominis, & in eo posterorum ruinam præuidisse, sed arbitrio suo quoque dispensasse. Sed cur permittere dicemus, nisi quia ita vult? Quamquam nec ipsum quidem per se probabile est, sola Dei permissione, nulla ordinatione hominem sibi accersisse interitum, &c. Cecidit homo, Dei prouidentia sic ordinante.

THEODORVS BEZA *in Colloquio Montisbelgartensis*

gartensi docet: Deum in æterno & occulto suo consilio immutabile decretum fecisse, quòd maiorem partem hominum non velit saluari, neque in Christũ credere, & ad agnitionem eius venire, neque etiam pretiũ sanguinis illius illis prodesse, quòd ad ęternam damnationem eos prædestinauerit, ordinauerit, creauerit.

In Summa Christianismi pag. 171. 177. 178. 286. docet omnia ita necessariò ex Dei immutabili decreto euenire, vt secũdùm illud Iudas necessariò Christum prodiderit, Herodes & Pilatus Christum necessariò condemnârint, reprobi peccent necessariò, & pereant, Adamus necessariò lapsus sit, quamquam creatus quidem fuerit bonus ad tempus, sed ita, vt ineuitabili decreto Dei, Deo sciente & ordinante laberetur, qui non potuerit ita labi, nisi ex Dei decreto, voluntate, & ordinatione.

NEGANT

LVTHERANI *in Colloquio Montisbelgartensi* detestantur hanc doctrinam, vt blasphemã in Christum, eiusqúe passionem, & contra verbum Dei, Ioan. 1. *Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi.*

CONRADVS SCHLVSSELBVRGIVS *Theologiæ Caluinisticæ lib. 1. c. de Prædestinatione:* Deus non est causa peccati vlla ratione, nec vult peccatum, nec approbat peccatum. Quod ad phrases Scripturę attinet: *Indurabo cor Pharaonis: tradidit illos in reprobam mentem*, &c. constat ex verbo Dei de permissione diuina illa dicta accipienda esse, qua finat hominem furere in peccato, de iusto Dei iudicio, quo puniat peccata peccatis, nec tamen efficiat, aut approbet ea.

3. *Christum duabus constare personis, vnam esse carnis cum anima, alteram humanitatis cum diuinitate*

ASSERVNT

CALVINVS *lib. 1. Instit. cap. 13. §. 9. 23. & 24.* & BEZA *aduersus Brentiũ*, vt ostendi supra lib. 2. art. 2. pag. 118.

NEGANT

LVTHERANI *in Colloquio Montisbelgartensi* vnicam tantùm in Christo personam agnoscunt, & Bezam propterea hęreticum Nestorianum appellant.

4. *Christum hominem ante Mariam extitisse*

ASSERIT BEZA.

In Colloquio Montisbelgartensi fol. 77. Corpus Christi etiam tempore Abrahæ extitit.

Contra Heshusium pagina 284. ait, Christum in veteri Testamento non tantùm efficacia tenus, sed etiam essentia se pijs communicasse.

NEGAT SCHLVSSELBVRGIVS.

Theologiæ Caluinisticæ lib. 1. cap. 17. Ergo fuit Christus verus homo etiam ante incarnationem? Ita nimirum magis abripi oportet in prȩcipitia, quibus regia via incedere non placet, seu qui semel à recto tramite deflexerunt.

Lib. 2. cap. 7. Ergo falsò dixit Angelus: *Natus est vobis hodie Saluator*, cùm iuxta doctrinam Bezæ & Geneuensium natus fuerit tempore Abrahę, & multò ante.

5. *Christi diuinam naturam passam, & mortuam esse*

ASSERVNT

LVTHERVS, MVSCVLVS, IACOBVS ANDREAE, STEPHANVS GERLACHIVS, NICOLAVS SELNECCERVS *supra lib. 1. art. 1. pag. 2. & lib. 2. art. 2. pag. 118.*

NEGAT BEZA.

Epist. 61. Quanquam non potest à nobis bene disputari de sententia Islebij & Musculi Andreæ, contendentium Christum in vtraque natura passum esse, quòd istorum nulla ascripta sunt argumenta, tamen quid sentiremus de hac re, breuiter literis comprehensum ad vos mittemus, ne istorum sententiam, quę Prophetarum, & Apostolorum, & omnium Orthodoxorum sanæ doctrinę aduersari videtur, nostro silentio comprobare videremur. Negamus omnino in deitatem cadere posse mutationem vllam: affirmamus vnigenitum Filium Dei Iesum Christum secundùm deitatem esse immutabilem, & nulli perpessioni obnoxium esse posse, &c.

6. *Christum non pro omnibus hominibus, sed tantùm pro electis passum & mortuum esse*

ASSERIT BEZA.

In colloquio Montisbelgartensi, pag. 546. Si Dominus vellet omnibus prodesse passionem & mortem suam, vna gutta sanguinis satis esset pro peccatis totius mundi, etiam damnatorum. Non pro impijs & damnatis effudit sanguinem in remissionem peccatorum.

NEGANT

IACOBVS ANDREAE & TVBINGENSES cæteri, *in eodem Colloquio*, exclamant hæc auribus piorum esse horrenda auditu.

SCHLVSSELBVRGIVS *Theologiæ Caluinisticæ lib. 1. capite 6. de redemptione Christi:* Theologia Caluinistarum docet, Christum tantùm pro electis mortuum esse, imò asserit Christi meritum non posse opponi iudicio Dei, &c. An nõ hę sunt Apocalypses in Apocalypsin, vt D. Lutherus de nouis & obscuris phanaticorum gryllis & nugis dicere solitus est? Verba Ioannis Apostoli satis sunt clara, quia inquit Christum mortuum esse, non tantùm pro Apostolorum & electorum peccatis, sed addit, satisfeciſſe pro peccatis totius mundi. 1. Ioan. 2.

7. *Christum secundùm humanitatem vbique esse*

ASSERVNT

LVTHERVS *in confessione maiore:* Deus multos habet modos, quibus est in loco, & non solùm eum & hunc vnicum, de quo fanatici suis præstigijs ludunt, quem Philosophi localem vocant. Vbicunque autem Christus est, totus est, cùm duę naturæ in Christo inseparabiles sint, & indiuisibiles, adeò vt vbicunque dicere potès, hîc est Deus, dicere quoque necesse sit: Ergo homo quoque Christus adest. Et si alicubi monstrares vbi Deus esset, & non vnà homo, persona iam esset diuisa: siquidem verè dicere possum: Hic est Deus, qui non est homo. Hunc ego Deum nolo. Hîc enim sequeretur, quod spacium & locus naturas separarent, & personam diuiderent.

Sermone de Sacramento corporis & sanguinis Christi: Non solùm iuxta diuinam, sed etiam iuxta humanam naturam omnium est Dominus, omnia in manu sua tenet, omnino vbique præsens est. Non audiendi sunt spiritus, qui dicunt, hoc non conuenire, tum Christus mihi negandus erit, &c. Quia in vniuersum in omnibus creaturis est, possem illum in lapide, in igne, in aqua, atque etiam in laqueo inuenire, quemadmodum reuelta illic est, non tamen vult, vt illum ibi quęram, absque hoc verbo.

MICHAEL NEANDER *in Christiana Theologia cap. de Cœna Domini:* Quis litigabit cum Paulo, qui carni Christi nimis magna tribuit, capitibusqúe & cogitatibus sapientulorum planè contraria? omnipræsentiam videlicet & omnipotentiam, vt cum illo totum Christum secundùm vtramque naturam omnia implere, Ecclesiæ perpetuò adesse, credere constanter, atque affirmare audacter queamus.

NEGANT

NEGANT

ZVINGLIVS *contra confessionem Lutheri*: Nũquã illud dicere poterimus, vbi Deus est, ibi etiam homo est.

In Exegesi. Corpus Christi non vbique est, vbi diuinitas est.

Responsione de Sacramentis: Christi humanitas nequaquam omni loco est, vbicunque dextra Dei fuerit.

CALVINVS *lib. 4. Instit. cap 17. §. 10.* Non loquor de Papistis, quorum tolerabilior, vel certè magis verecunda est doctrina: sed quosdam ita abripit contentio, vt dicant, propter vnitas in Christo naturas, vbicũque est diuinitas Christi, illic quoque esse carnem, quæ ab ea separari nequeat: quasi verò vnio illa conflauerit ex duabus naturis medium nescio quid, quod neque Deus esset, neque homo. Sic quidem Eutyches, & post eum Seruetus.

8. *Christi descensum ad inferos*

ASSERVNT

LVTHERVS *parte 2. Islebiensi ad Psal. 16.* Huiusmodi res humanis sensibus & cogitationibus assequi non possumus, attamen placent mihi picturæ & cantica de descensu Christi ad inferos, & Patrum redemptione, quasi hæc corporaliter cõtigerint. Nam tales res nullo modo commodius, quàm talibus figuris imaginari & percipi possũt. Quæstiones verò, an Christus corporaliter, an per operationem solùm ad inferos descenderit, nihil sunt. Nam huiusmodi cogitationes ad alium orbem se referunt.

CONRADVS SCHLVSSELBVRGIVS *libro 1. Theologiæ Caluinisticæ cap. 27* Catholica & Orthodoxa Christi Ecclesia ab initio vsque ad hæc tempora descensum Christi semper credidit, & inter articulos fidei semper numerauit, eumqúe Scripturę testimonijs semper probauit. Ideo non est ferendum, vt articulus ille, tamquam additus, cum alijs cõfundatur, vel prorsus ab obstinatis Zuinglianis, inferno dignis, tollatur.

NEGANT

ZVINGLIVS, BVCERVS, CALVINVS, BEZA, &c. *vt supra lib. 2. art. 4. pag. 160. & 161 ostendi.*

9. *Christum aperto sepulchro resurrexisse, & apertis ianuis ad Apostolos intrasse*

ASSERVNT

OECOLAMPADIVS, MVSCVLVS, BVLLINGERVS, CALVINVS, PETRVS MARTYR, BEZA, &c. *vt supra lib. 2. artic. 5. pag. 178. docui.*

NEGANT

CONRADVS SCHLVSSELBVRGIVS *Theol. Calu. cap. 31.* Sanè veteris Ecclesiæ de penetratione Christi per ianuas clausas manifestus & perspicuus est cõsensus, &c. Vel hoc vno Caluinistarũ figmento meridiana luce manifestius est eos, qui credere nolunt, Christum potuisse exire è sepulchro, nisi lapide ab Angelo remoto, non etiam credere posse, Christum mortem vicisse.

10. *Cælum non esse certum locum, quò Christus corporaliter ascenderit*

ASSERVNT

BRENTIVS, & cæteri VBIQVITISTAE, *supra lib. 2. art. 6. pag. 186.*

NEGANT

IOANNES CALVINVS *ad caput 4. ad Ephesios*: Super omnes cælos perinde est, ac si diceret, extra mundum hunc creatum. Nam cùm dicitur Christus in cælo esse, non sic accipere debemus, quasi resideat inter sphęras, vt stellas numeret, sed illic cęlum significat locũ, sphæris omnibus superiorem, qui post resurrectionem Filio Dei est destinatus. Non quòd propriè locus sit extra mundum, sed quia de regno Dei loqui, nisi more nostro non possumus.

Admonitione 2. contra Vestphalum: Pugnare cum Physica nostra dicit Pauli sententiam, vbi tradit Christum supra omnes cælos ascendisse. Quid? an nos inter sphæras Christum locamus? vel tugurium ei extruimus inter planetas? cælum nobis est magnificum Dei palatium, toto mundi opificio superius.

THEODORVS BEZA *libro ad Ioannis Brentij Argumenta, & Iacobi Andreæ Theses, quibus nituntur carnis Christi omnipræsentiam confirmare, id est, aduersum renouatos Nestorij & Eutycheis errores responsio, ex professo improbat Brentij doctrinam de ascensione Domini nostri Iesu Christi, & sessione ad dextram Patris.*

11. *Quemlibet proprium habere Angelum*

ASSERIT LVTHERVS.

Ad caput 1. Zachariæ: Quilibet Cæsar, Rex, Princeps, imò quilibet homo suum habet Angelum.

Ad caput 18. Matthæi: Scriptura testatur quemlibet Christianum suum habere Angelum.

NEGAT CALVINVS.

Vide supra lib. 4. art. 3. pag. 351.

12. *Sanctorum animas nondum cælesti gloria frui*

ASSERIT LVTHERVS.

Ad caput 9. Ecclesiastis: Salomon sentit omnino dormire animas, & nihil sentire.

In Ionam: Ego puto mortuos sic ineffabili & miro somno consopitos, vt minus sentiant & videant, quàm hi, qui alijs dormiunt.

Ad cap. 5. Genes. Vbi iam est ille locus, quò venit Enoch? dicunt esse Paradisum, & est credibile. Quid autem sit paradisus, nescio: satis est credere esse locum, quo Deus forsitan etiam Angelos detinet: & eò res spectat, quòd Enoch & Helias ipsi etiamnum nesciant, vbi sint.

NEGANT

ZVINGLIVS *in expositione fidei Christianæ*: Credimus animas fidelium protinus vt è corporibus euaserint subuolare cælo, numini coniungi, æternoqúe gaudere.

In opere Articulorum art. 57. Audio quosdam esse, qui nos à morte anima & corpore ad extremum vsque diem dormituros affirmant, tunc resuscitandos, & ingressuros esse in gaudium & gloriam Dei, aut in ęternam miseriam. Cum quibus ego haudquaquam sentio. Nam quòd Scriptura de dormitione memorat, non ad animam, sed ad corpus referri debet.

IOANNES CALVINVS *in Psychopannychia, qua ex professo refellit eorum errorem, qui animas post mortem vsque ad vltimum iudicij diem dormire putant*: Spiritus (*inquit*) imago Dei est, instar cuius viget, intelligit, æternus est: quamdiu in corpore est, virtutes suas exerit: cùm ex illo ergastulo egreditur, ad Deum migrat, cuius sensu interim fruitur, dum in spe beatæ resurrectionis requiescit.

BVLLINGERVS *Concione 32. in Apocalypsin*: Manifestè testatur hic locus, animas hominum nõ modò immortales esse, sed & viuas, & vigiles, non dormientes, supereſſe & viuere in cęlo. Sunt enim qui fingũt animas à corpore separatas dormire: id quod vanissimum est.

Concione 87. Pudeat quosdam, qui hodie in tanta Euangelij luce audent ineptissimum errorem reparare, asserendo animas separatas à corporibus nescio in quo dormitorio stertere, neque aliquid sentire, vsque dum in die iudicij rursus coniungantur cum corporibus, & resurgant.

13. *Sanctos pro nobis orare*

ASSERIT LVTHERVS.

In responsione ad Louanienses: Non negaui vnquam meritis ac precibus Sanctorum, quantumlibet imperfectis iuuari, quod subdolè mihi inurere conantur miseri homines.

In Postilla maiori, in die Natiuitatis Mariæ: Intercessionem Mariæ amplectimur, vt reliquorum Sanctorum.

NEGAT ZVINGLIVS.

Responsione ad Lutheri librum de Sacramento: Interim luce clarius demonstrabo, te præclarum illum longè lateqúe fulgentem Euangelij splendorem nunquam adhuc plenè cognouisse, nisi fortè eiusdem denuò oblitus fis. Sanctorum intercessioni, qui iam beatorum sedes incolunt, nonnihil tribuere non es veritus, citra omnem Scripturæ auctoritatem.

In opere Articulorum art. 20. Scio quorundam in me odium, quod propter hanc rem in me natum est, quòd minus cęteris Diuorum intercessioni tribuam, imò primus hanc exploserim.

14. *Sanctorum imagines retinendas esse*

ASSERVNT

LVTHERVS *contra cælestes Prophetas*: Boni Domini, non est hic diaboli scopus, vt oppugnentur imagines, sed vult sibi foramen fieri, per quod sanguinem profundat, & cædes in orbe terrarum committat. Spiritus Iconomachorum non est bonus: spirat cędes & seditiones: licet cęlet & dissimulet ad tempus, quamdiu nondum videt opportunitatem, &c. Imagines Crucifixi & Sanctorum ex Mose probatum est esse tolerandas.

De Communione sub vtraque specie: Imagines retinere licet, quia ipse Deus in veteri Testamento æreum serpentem erigi iussit, & Cherubim ad auream arcam: sed adorare imagines vetuit.

NEANDER *in Theologia Christiana, cap. de inuocatione*: Atque illa de causa neque imagines Sanctorum de templis exturbat Ecclesia, sed relinquit vt vtiles idiotis, quibus idem præstãt, quod legentibus solet Scriptura.

NEGANT

IOANNES CALVINVS *lib. 1. Instit. cap. 11. §. 3.* Insanire eos minimè obscurum est, qui simulachra Dei & Sanctorum exemplo Cherub defendere conantur.

THEODORVS BEZA *in Colloquio Montisbelgartensi fol. 418.* Fateor me ex animo Christi imaginem detestari, quę est imago crudelitatis Judæorum in Christum: ideo eam non possum ferre.

15. *In administratione Sacramentorum, & aliàs signum crucis adhibendum esse*

ASSERIT LVTHERVS.

In Catechismo: Manè cùm surgis, primò omnium signabis te signo sanctę crucis, dicens: *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Amen.*

NEGAT BEZA.

Epist. 8. Crucis consignatio, etsi vetustissima est, tamen quid vtilitatis afferat sanè non video: & quamuis mirificè, & prorsus hyperbolicè à Chrysostomo commendatur, multò minùs velim illam inter adiaphora numerari, quàm æneum illum serpentem Ezechias: cuius quidem sanctissimi Regis in euertendis crucis & crucifixorum idolis exẽplum imitari Christianos omnes Principes oportuit.

16. *D. Iacobi epistolam non esse Canonicam*

ASSERIT LVTHERVS.

Præfatione in nouum Testamentum, editionis primæ: D. Iacobi verè straminea est epistola, si ad alias comparetur. Nõ enim habet Euangelicum spiritum.

NEGANT

IOANNES CALVINVS *in argumento epistolæ Iacobi*: Sunt hodie nonnulli, qui hanc epistolam auctoritate dignam non sentiant. Ego tamẽ, quia ius repudiandæ satis iustam causam non video, libenter eam sine controuersia amplector.

GVILHELMVS VVITAKERVS *de sacris Scripturis controuersiæ 1. quæst. 1. cap. 6.* Nulla est inter nos & Papistas de libris noui Testamenti controuersia. Nam quos illi Canonicos esse statuũt, eosdem nos quoq; sine vlla exceptione agnoscimus. Quos Tridentina Synodus noui Testamẽti libros recẽsuit, hos Ecclesia nostra omnes & solos recipit. Si Lutherus, aut, qui Lutherũ secuti sunt, nõnulli aliter senserint, aut scripserint, de quibusdã libris noui Testamenti, vt de epistola Iacobi, aut Iudę, aut de alijs quibusdam partibus, ij pro se respondeant, nihil ista res ad nos pertinet, qui hac in re Lutherum nec sequimur, nec defendimus, quiqúe meliore ratione ducimur.

17. *Apocalypsin Ioannis Euangelistæ esse*

NEGANT

LVTHERVS, BRENTIVS, VITVS THEODORVS, &c. vt ostendi supra lib. 6. art. 28. pag. 735.

ASSERVNT

OECOLAMPADIVS *lib. 2. ad cap. 12. Danielis*: Sed Paraphrastes Prophetarum Ioannes, quem miror quare quidam tam temerario iudicio abijciãt vt somniatorem, & maniacum, & inutilem Ecclesię scriptorem: cùm tamen, sicut auctor epistolę ad Hebræos, plurima veteris Testamenti, & eorũ, quæ in Prophetis abstrusissima, proponat. Sed magni illi viri quantum sentiant produnt: quorũ equidem censuras profanas facilius contempserim, quàm tantum thesaurum abiecerim.

HENRICVS BVLLINGERVS *in Apocalypsi*: Non ignoro Martinum Lutherum in prima editione noui Testamenti Germanici. Præfatione acri præmissa, librum hunc veluti obelo iugulasse. At inuiderunt hanc censuram ipsi boni viri & docti, qui in ipso desiderant & prudentiam, & modestiam.

18. *Eos solùm libros esse Canonicos, de quibus in Ecclesia nunquam dubitatum est*

ASSERVNT LVTHERANI.

In confessione Virtembergensi: Scripturã sacram vocamus, eos Canonicos libros veteris ac noui Testamenti, de quorum auctoritate nunquam in Ecclesia dubitatum est.

NEGANT.

GENEVENSES *apposuerunt ad illa verba*: Quamquam in Catalogo noui Testamenti nonnulli reperiantur, de quibus aliquando apud quosdam Ecclesię Doctores antiquos dubitatum est; tamen tandem totius Ecclesiæ Catholicę consensu illi quoque pro Canonicis sunt habiti & recepti. Itaque immeritò podice rejiciuntur, propter quorundam dubitationes.

19. *Certas Euangeliorum & Epistolarum partes prorationę temporum explicandas esse*

ASSERVNT

VVESTPHALVS contra Bezam, & cæteri LVTHERANI omnes hîc consentiunt.

NEGAT BEZA.

Contra Vvestphalum: Quod ad Postillas attinet, istam verbi diuini dissectionem puriori Ecclesię incognitam fuisse, imò vix vnquam in Oriente & Africa obtinuisse constat.

20. *Peccatum Originale morbum solùm esse*

ASSERVNT

HVLDARICVS ZVINGLIVS *de Baptismo, tractatu 3.* Peccatum Originale nihil aliud esse dici-

mus, quàm morbum.

In confessione maiori: Damno veteres ac nouos Pelagianos, qui peccatum originale negant, sed illud morbum tantùm esse volo.

IOANNES OECOLAMPADIVS *Responsione ad confessionem Lutheri*: Originalis ista contagio, non tale peccatum est, quod culpam sibi coniunctam habeat, sed morbus potius, qui propter peccatum ab Adamo commissum nobis adhærere solet.

NEGANT

LVTHERVS *Tomo 2. in Genesin fol. 24.* Peccatum Originale qui excusatione dignum statuit, nihil sacrarum rerum tenet.

CONRADVS SCHLVSSELBVRGIVS *Theologiæ Caluinisticæ lib. 1. c. de hominis lapsu*: Peccatum originis esse reuera peccatũ, ex definitione peccati originalis patet: Peccatum originis est carentia iustitiæ originalis, quam omnes homines, iuxta primam creationem hominum, habere debebãt: & est reatus propter lapsum primorum parentũ, & est deprauatio & malitia ingens ac horribilis totius substantiæ & omnium viriũ hominis, quæ mala à primis parentibus post lapsum in omnes ipsorum posteros, qui naturali modo à mare & fœmina propagantur, deriuantur, propter quæ mala omnes sunt natura filij iræ.

21. *Infideles Ethnicos saluari*

ASSERVNT

ZVINGLIVS *in expositione fidei Christianæ art. 12.* Credimus animas fidelium, protinus vt corporibus euaserint, subuolare cælo, numini coniungi, æternoq; gaudere. Hîc Adamum, Abelũ, Enochũ, Petrum, Paulum: hîc Herculem, Theseum, Socratem, Numam, Camillum, Catones, Scipiones: hîc antecessores tuos, & quotquot in fide hinc migrârunt, videbis. Quo spectaculo quid lætius cogitari potest?

RODOLPHVS GVALTHERVS in Apologia pro Zvvinglij libris *idem sentit.*

NEGANT

LVTHERVS *ad caput 47. Genes.* Zuinglius nuper scripsit, Numam Pompilium, Hectorem, Scipionem, Herculem frui æterna beatitudine in Paradiso cum Petro & Paulo, & alijs Sanctis; quod nihil aliud est, quàm apertè fateri, quòd sentiat nullam esse fidem, nullum Christianismum. Si enim Scipio & Numa Pompilius, qui fuerunt idololatræ, seruati sunt, cur oportuit Christum pati & mori, aut quorsum opus est baptizari Christianos, aut doceri Christum? Adeò horribiliter ruunt, neglecto & omisso verbo, neque quicquam sciunt de fide, sed illud ipsum statuunt ac docent: homo faciens quod in se est, saluatur. Itaque valde pernicios̃us est error, quem nos neutiquam probare ac tenere possumus.

22. *Sacramenti nomen*

IMPROBANT

ANDREAS CARLSTADIVS *de imaginibus & Sacramentis, Sacramenti nomen palam oppugnans*: Non placet, *inquit*, vox ista: neque enim Deus in sacris literis vsquam imperauit, vt eiusmodi voce vteremur; nec licet in rebus diuinis vsurpare nomina, quę Deus non insserit vsurpari.

HVLDARICVS ZVINGLIVS *libro de vera & falsa religione*: Vocem istam Sacramenti magnopere cuperem à Germanis nunquã fuisse receptam.

PROBANT

LVTHERVS *contra Carlstadium*: Imò verò placet ista vox: nec enim Deus in sacris literis vsquã prohibuit, ne eiusmodi voce vteremur. Et quis tandem es Carlstadi, vt te ponas loco Dei, & nobis prohibeas, quod ille non prohibuit?

PHILIPPVS *in post. editione Locorum Communium, cap. de Sacramentis*: Verè sunt Sacramenta Baptismus, Cœna Domini, & Absolutio, quæ est Sacramentum Pœnitentiæ.

23. *Infantes sine Baptismo sanctificari & saluari*

ASSERVNT

IOANNES CALVINVS *lib. 4. Inst. cap. 16 § 26.* Explodendum est eorum commentũ, qui omnes non baptizatos æternę morti adiudicant.

THEODORVS BEZA *in abstersione calumniarum aduersus Heshusium*: Infantes ex fidelibus parentibus natos pro sanctis, id est in fœdere diuino cõprehensis habemus, & cum Paulo dicimus: Si radix sancta, sanctos etiam esse ramos.

In Creophagia: Ab vtero coram Deo sancti sunt fidelium pueri.

NEGANT

LVTHERVS *in confutatione rationis Latomianæ*: Quid excusat paruulos non baptizatos, quòd damnantur in æternum?

CONRADVS SCHLVSSELBVRGIVS *Theologiæ Caluinist. lib. 1. c. de Bapt.* Infantes constituti extra regnum Christi, non sunt sancti priusquam baptizati communioni Sanctorum inseruntur. Christus mundat Ecclesiam suam per lauacrum aquæ in verbo. Immundi ergo & contaminati peccatõ sunt infantes priusquã mundẽtur Baptismo. Porrò quod sanctum est, idẽ & purum atq; mundũ est. Pueri ergo nondum abluti & mundati regenerationis lauacro, vt mundi non sunt, ita nec sancti.

24. *Baptismum in casu necessitatis à laicis & mulieribus administratum valere*

ASSERVNT

LVTHERVS *Tomo 4. in Genesin, fol. 243.* An non hoc ingens donum & gloria, quòd etiam mulier in necessitate potest baptizare & dicere: Libero te à morte, diabolo, à peccato, & omnibus malis, dono te vita æterna, facio te ex filio diaboli filiũ Dei?

MICHAEL NEANDER *in Theol. Christ. c. de Bapt.* Adeo nulla hîc est personarũ respectio, vt in necessitate quælibet muliercula baptizare possit.

CONRADVS SCHLVSSELBVRGIVS *Theologiæ Caluinist. lib. 1. c. 18.* Nemo ambigat plenũ & perfectum esse Baptismũ, exhibitum paruulis domi à muliere, nõ minus quàm si in Ecclesia à Presbyteris Baptismũ accepissent. Ac nequaquam debẽt ritè baptizati à mulieribus rebaptizari, sed collatus ab illis Baptismus, pro vero & efficaci approbari debet.

NEGANT

IOANNES CALVINVS *epist. 51.* Baptismum obstetricibus permittere, impia & sacrilega est Baptismi profanatio.

Defens. 2. cont. VVestphalũ: Satius esse dicit Baptismũ in huiusmodi casu omitti, quàm illicita hac mulierum vsurpatione profanare.

THEODORVS BEZA *in abstersione calumniarũ Tilmãni Heshusij*: Tanti mox fieri cœpit hęc necessitas, vt domesticę ac priuatæ baptizationes ipsis etiã laicis permissæ fuerint, quadã videlicet eorũ cõmiseratione, qui ante obitum requirebant Baptismi solatiũ. Inde factum est, vt ipsæ etiam mulieres in summo necessitatis gradu infantes auderent baptizare: quod deinde conniuentibus Episcopis in consuetudinem transijt. Hunc errorem nimium multi iam pridem asseruerunt, quorum nominibus parco libenter.

De Cœna cont. VVestphal. Baptismos in priuatis ędibus nullos administramus. Quòd si administraremus, non nisi ministros adhiberemus, ac præsertim reijceremus mulieres. Certum est enim has corruptelas non aliunde natas, quàm ex opinione illa, quã prorsus falsam arbitramur, de absoluta Baptismi necessitate ad salutem.

25. *Ioannis Baptisma aliud esse à Christo Baptismate*

ASSERIT LVTHERVS.

Disputatione de Baptismo Legis: Lex baptismà carnis, Ioannes baptisma pœnitentiæ, Christus Baptisma gratiæ habet. Solius Christi Baptisma Sacramentum est, propter verbum, quod in illo, non in alijs operatur: baptisma Legis vmbra, vestes & vasa lauabat, figurante spiritu exteriorum operum sanctitatem & legis velamen: baptisma Ioannis, reuelata facie Legis, omnes peccato immergit, & gratiæ auidos facit: Baptisma Christi peccato mersos, & auidos gratiæ reducit iustificatos, & nouas creaturas facit. Vt baptisma Legis pœnitentiam non præstabat, sed magis præsumptionem, donec in baptisma Ioannis desinebat: ita Ioannis baptisma gratiam non præstabat, sed magis desperationem, donec ad Baptisma Christi pertingebat. Nihil repugnat Christi Baptismati pertinacius, quã baptisma Ioannis. Videtur Christus baptisma Ioannis non obseruasse, sed addito verbo vitę seu promissionis perfecisse. Ob quam causam baptizati à Ioanne, denuò baptizati fuerunt Baptismate Christi.

NEGAT CALVINVS.

Lib. 4. Instit. cap. 15. §. 17. Neminem perturbet, quòd alterum baptisma ab altero veteres discernere contendunt, quorum non tanti nobis debet esse calculus, vt Scripturæ certitudinem quatefaciant.

26. *Pueros in Baptismo propriam habere fidem*

ASSERVNT

LVTHERVS *aduersus Cochlæum libro edito anno 1523.* Dicimus ad Baptismum infantes credere per vim verbi, quo exorcizantur.

De adoratione Sacramenti ad VValdenses: Displicet in vobis, quòd paruulos in futuram fidem baptizatis.

MICHAEL NEANDER *in Theologia Christiana, capite de Baptismo*: Quia infantes Christo pronuntiante credunt: ergo baptizati saluantur. Quomodo verò credant infantes, scire non possumus, etiam si certum sit fidem infantes habere.

NEGANT

IOANNES CALVINVS *lib. 4. Institut cap. 16. §. 24.* Si fidelium liberi citra intelligentiæ administiculum fœderis sunt participes, non est cur ob id à Signo arceantur, quia in fœderis stipulationem iurare nequeunt.

ARETIVS *in 1. parte Problem. ait* infantes dici fideles, & esse sanctos, quia habeant fideles parentes, licet infantes ipsi fide careant.

27. *Exorcizandos esse eos, qui baptizantur*

ASSERVNT

MARTINVS LVTHERVS *libro de Baptismo*: Audis his orationibus, quãto cum gemitu, quàm seriò Ecclesia puerum adducat, quàm expresè fateatur illum à dæmone obsideri, filium iræ & peccati esse.

In Catechismo, de Baptismo: *Exi immunde spiritus*, &c.

CONRADVS SCHLVSSELBVRGIVS *Theologiæ Caluinisticæ lib. 1. c. 17.* Exorcismus circa Baptismum in multis locis rectè & magno cum fructu, iuxta consuetudinem veteris Ecclesiæ, vsurpatur.

NEGANT

IOANNES CALVINVS *lib. 4. Instit. cap. 15. §. 19.* Exufflatio ianuam ad Baptismum aperire visa est, etsi me non latet, quàm vetusta sit huius farraginis origo, respuere tamen mihi, & pijs omnibus fas est quicquid ad Christi institutionem addere ausi sunt homines.

28. *Christum in Eucharistia verè præsentem esse*

ASSERIT LVTHERVS.

Epistola ad Argentinenses: Hoc diffiteri nec possum, nec volo, quòd si Carlstadius, aut alius quispiam antè quinquẽnium mihi persuadere potuisset, in Sacramento præter panem & vinum esse nihil, ille magno beneficio me sibi deinctum reddidisset: grauibus enim curis ãnxius, in hac excutienda materia multum desudabã, omnibus neruis extẽsis, me extricare & expedire conatus sum, cùm probè perspiciebã, hac re Papatui cum primis me valde incommodare posse. Verùm ego me captum video, nulla elabendi via relicta. Textus enim Euangelij nimis apertus est, qui facilè conuelli non potest, multo minus verbis, aut glossis è vertiginoso capite confectis subuerti.

Contra Carlstadium: Quicunque credere nolunt panem Domini in Cœna illius esse verum ac naturale corpus, quod Iudas & impius nõ minus percipiat ore, quàm Diuus percipiat Petrus, & Sancti omnes; hoc, inquam, quisquis credere non vult, is nullam mecum speret inire communionem.

NEGANT

CARLSTADIVS, ZVINGLIVS, OECOLAMPADIVS, CALVINVS, &c. Sacramentarij, *de quibus Tom. 2. lib. 6. de Eucharistia.*

29. *Non solùm pios, sed etiam impios, Christi corpus accipere*

ASSERVNT

LVTHERVS *contra Articulos Louanienses*: In Eucharistię Sacramento venerabili & adorabili exhibetur & sumitur verè & reipsa corpus & sanguis Christi, tam à dignis, quàm ab indignis.

In articulis Smalcaldicis: De Sacramento altaris censemus, quòd panis & vinum in Cœna Domini sit verum corpus & sanguis Christi, accipiturq́ue non solùm à bonis, sed etiam à malis Christianis.

MICHAEL NEANDER *in Theologia Christiana, capite de Cœna Domini*: Sacramentarij dignos tantùm, hoc est, credentes: nos autem cum Paulo dignos & indignos, id est, credentes & incredulos corpus & sanguinem Christi verum sumere profitemur: hos corporaliter ad iudicium, illos corporaliter & spiritualiter ad salutem.

NEGANT

CARLSTADIVS *de verbis Cœnæ*: Impij, qui absunt à timore Dei, corpus Christi neque accipere, neque comedere possunt: Panem autem Domini possunt ad iudicium accipere.

OECOLAMPADIVS *contra Confessionem Lutheri*: Corpus nemo mortalium indignè potest manducare: signum verò & Sacramentum corporis multi, proh dolor, indignè manducare consueuerunt.

CALVINVS *contra Heshusium*: Christus generaliter omnibus corpus & sanguinem suum offert: sed quia infideles ianuam suam claudũt eius liberalitati, non recipiunt quod offertur.

30. *Eucharistiam venerabilem & adorandam*

ASSERVNT

MARTINVS LVTHERVS *ad caput 47. Genes.* Etsi in Cœna Dominica nihil porrigeretur præter panem & vinum, sicut Sacramentarij blasphemant, tamen quia est ibi promissio, vox diuina, & Spiritus sanctus per verbum in Cœna: ideoque decebat nos cum reuerentia accedere. Quanto verò magis id fieri par est, quando credimus adesse verum corpus & verum sanguinem cum verbo?

Ad VValdenses: Cùm hoc verbum rectè consideratur ac creditur, tum adoratio ipsius Sacramenti meridiana luce clarius elucescit.

Contra Articulos Louanienses: Eucharistiæ Sa-

cramentum venerabile & adorabile.

IOANNES BRENTIVS *in Apologia confessionis VVirtembergensis*: Confitemur Christum Filium Dei semper & vbique, siue in cælo, siue in terra, siue in Eucharistia, siue extra Eucharistiam adorandum esse.

NEGANT

IOANNES CALVINVS, THEODORVS BEZA, &c. *vt Tomi 2. libro 6. articulo de adoratione Eucharistiæ ostendam.*

31. *Eucharistiam sumentibus esse salutarem*

ASSERVNT

LVTHERVS *de indigna sumptione Sacramenti*: Duos fructus percipimus ex hoc sanctissimo Sacramento: primùm nos efficit fratres & cohæredes Christi, ita vt ex illo & nobis vna fiat placenta, &c. Si nouum Testamentum est in Cœna, etiam in ea est peccatorum remissio, gratia, & vita, &c. Verba ipsa primùm panem & vinum accipiunt in Sacramentum: panis & calix accipiunt corpus & sanguinem Christi: Corpus & sanguis Christi accipiunt nouum Testamentum: nouum Testamentum accipit remissionem peccatorum: remissio peccatorum accipit salutem & vitam æternam. Ecce hæc omnia nobis largiuntur verba Cœnæ Domini, & nos fide accipimus.

CONRADVS SCHLVSSELBVRGIVS *Theologiæ Caluinisticæ lib. 1. cap. 24.* Verbum Dei docet, quòd Christus seipsum & omnia sua beneficia largiatur ijs, qui vera Pœnitentia & fide corpus & sanguinem Domini in Cœnæ Dominicæ vsu accipiunt. Patres etiam testantur, quòd participatione corporis & sanguinis Christi cum Christo coniuncti, corpus & membra eius simus, & quòd cibus corporis & sanguinis Christi remissionem peccatorum, salutem & vitam rectè vtentibus conferant.

NEGANT

HVLDARICVS ZVINGLIVS *ad Matthæum Albertum Rutlingensem*: Eucharistiæ vsus non tollit peccata, sed symbolum eorum est, qui firmiter Christi morte exhaustum & deletum esse peccatum credunt.

In Exegesi: Corpus Dominicum etiamsi corporaliter ederetur, nunquam tamen hoc secum adferet, quòd mentem confirmet, ac Euangelion præsens tribuat, peccatorumque veniam. Nobis cõtra videtur, carnem Christi in Cœna corporaliter edi adserere, veram pestem esse, qua propediem repullulante ac grassante, iri vastatum Euangelium. Nam si fidem confirmet, ac peccata remittat, quis non conuertetur ad operum vomitum, &c. Caro Christi nihil prodest ad viuificandum scilicet, si comedatur.

CARLSTADIVS *in Dialogo de Cœna Domini*: Sacramentum non est panis vitæ. Impossibile est enim panem sacrę Cœnæ esse panem vitæ.

32. *Infirmos priuatim communicandos esse*

ASSERVNT

IOACHIMVS VVESTPHALVS *contra Bezã, & alij* LVTHERANI *passim obseruant.*

NEGANT

IOANNES CALVINVS *libro 4. Instit. cap. 17. §. 39.* Hinc clarè patet repositionem Sacramenti, quam nonnulli vrgent, vt ægrotis extra ordinem distribuatur, inutilem esse.

Defensione 2. contra VVestphalum: Obijcit Cœnam Domini non dari ægrotis. Cùm nihil minus cælestis magistri doctrinæ consentaneum sit, quàm panem in pompam, non secus ac fercula in theatro circumferri, deinde hominem vnum priuatim & seorsim pasci, communionis lege posthabita: hinc factum est, vt à priuatis Cœnis pij & docti homines ab initio abstinuerint.

THEODORVS BEZA *de Cœna Domini contra VVestphalum*: Cœnam priuatim non administramus nostris ægrotis, quam etiam ipsi non flagitant. Sunt enim ita instituti, vt sciant salutem suam absolutè à Sacramentis non pendere.

33. *Eleuationem Eucharistiæ*

PROBANT

MARTINVS LVTHERVS in captiuitate Babylonica, & in formula Missæ, IOACHIMVS VVESTPHALVS contra Bezam, &c.

NEGAT BEZA.

De Cœna Domini contra VVestphalum: Eleuationi quis iam locus esse potest, vbi nulla est collectorum oblatio? iam verò cereorum accensionem quid necesse fuit hyemis prætextu defendere?

34. *Confessionem Augustanam*

PROBANT

Omnes vbique LVTHERANI.

IMPROBANT

IOANNES CALVINVS *Epist. 313.* Augustana Confessio, vt scis, fax est vestræ furiæ ad excitandum incendium, quo conflagrat tota Gallia. Sed quærendum est, quorsum obtrudatur, cùm semper eius mollities cordatis displicuerit, auctorem eius pœnituerit, & in plerisque locis accommodata sit ad peculiarem vsum Germaniæ. Omitto, quòd eius breuitas & obscura, & præteritis quibusdam maximi momenti capitibus mutila est. Cæterùm absurdum esset, neglecta confessione Gallorum, illam accipere.

THEODORVS BEZA *epist. 1.* De Confessione Augustana fateor illam nobis in quibusdam non satisfacere, atque adeò in nonnullis, ac præsertim in capite de Cœna Domini, non probari, nisi commoda interpretatione leniatur; quod etiam eruditissimos quosque videmus facere.

AVCTOR ANONYMVS libro, qui inscribitur: *Animaduersiones in nouum doctrinæ corpus*: Confessio Augustana neque fuit primò conscripta generali omnium Principum, Ordinumque Germaniæ nomine & consensu, sed septem duntaxat Principum, & duarum ciuitatum: neque postea, nisi paulatim, modò ab his, modò ab illis approbata est. Itaque sine Ecclesiastica disquisitione & examine admitti non debet: nec vnquam fuit recepta ab Ecclesijs Heluetiorum, vel eorum, qui ijs fœdere iunguntur. Ergo non potest esse Symbolum Ecclesiarum reformatarum. Et si esset, subiaceret adhuc Ecclesiæ vniuersalis examini & iudicio per verbum Dei.

35. *Infernum cælo comprehendi*

ASSERIT BRENTIVS.

De Maiestate Christi: Vbi est Satan, ibi sunt inferi. Itaque cælum, siue regnum cæleste omnia comprehendit, & in hoc etiam cælo sunt inferi cum Satana & Angelis suis.

NEGAT BEZA.

Illud: *Vbicunque sit Satan esse inferos*, id est, locum illum æternis pœnis dæmonum & impiorum destinatum, quis Brentio concedet? Nam si ita esset, multo magis fuissent inferi in miseri illius corpore, quod dæmonum legio occupauerat, qui tamen precantur Christum, ne in abyssum procul dubio ad inferos mittantur.

ARTICVLVS DECIMVS.

SACRAMENTARIOS A LVTHERANIS, LVTHERANOS A SACRAMENTARIIS: ANABAPTISTAS A LVTHERANIS ET SACRAMENTARIIS, LVTHERANOS ET SACRAMENTARIOS AB ANABAPTISTIS: TRINITARIOS A LVTHERANIS, &c. LVTHERANOS &c. A Trinitarijs damnari.

I. LVTHERANI DAMNANT Sacramentarios.

Martinus Lutherus.

CONTRA *Articulos Louanienses Thes. 27.* Hæreticos serò censemus & alienos ab Ecclesia Dei Zvinglianos & Sacramẽtarios omnes, qui negant Christi corpus & sanguinem ore carnali sumi in venerabili Eucharistia.

Epistola ad Iacobum Presbyterum, Ecclesiæ Eremensis Doctorem: Mihi satis est omnium infelicissimo vna ista beatitudo: *Beatus vir qui non abijt in consilio* Sacramentariorum, *nec stetit in via* Zuinglianorũ, *nec sedit in cathedra* Tigurinorũ. Habes quid sentiam.

Epistola ad Argentinenses: Quòd me criminatur D. Carlstadius, quòd expulerim eũ, ferre possem rem ita se habere: vellem & bene volente Deo excusare. Gaudeo aũt eum abijsse ex terra nostra: opto quoque quòd apud nos non esset, eique consulẽdum fuisset, vt ab eiusmodi querela abstinuisset: vereor enim ne excusatio mea eũ per quàm duriter sit accusatura. Caueat à fallaci illo spiritu quisquis potest, hoc suadeo: hic nihil subest boni. Mihi ipsi sanè propemodũ persuasisset Ienę, propter quandam Scripturam, vt eius spiritum non commiscerem cum spiritu Alstetensi illo seditioso ac cędium auido. At vbi veni Orlamundam ad Christianos eius, Principum iussu, bene comperi, quid seminis ipse sibi seminauerit: vt gauderem ibi me non lapidibus & stercoribus eiectum fuisse, vbi nonnulli ex ijs talem mihi dabant benedictionem: Abscede in mille diabolorum nomine, vt collũ frangas priusquã oppidũ exieris.

De Cœna Domini Tom. 2. Ger. fol. 182. Vno tempore non possum ad vnum omnes huius spiritus errores apprehendere. Hoc solum dico, quicunq; sibi bene consulere volet, caueat sibi à Zuinglio: non secus ac tartarei dæmonis venenum eius libros fugiat. Homo omninò retrouersus est, totũ Christum amisit. Cæteri Sacramentarij vno solùm errore aguntur, hic nullum librum edit, quo non plures & grauiores euomat.

Fol. 190. Ingenuè fateor, me Zuinglium non amplius in Christianorum numerum referre posse. Nullum Christianę fidei articulum sine corruptela docet, & sępties peior euasit, quàm cùm adhuc Papisticam religionem tueretur. Huius modò confessionem propterea edo, quò coram Deo & hominibus me excusem, quòd cum Zuingliano dogmate non communicem, nec in æternum communicare velim.

Fol. 174. Ego tamquam alterum iam pedem in sepulchro habens hoc testimonium, & hanc gloriam ad tribunal Domini adferam, quòd hostes Sacramenti Carlstadium, Zuinglium, Oecolampadium, eorumque discipulos, toto pectore damnârim ac vitârim, nec habeo cum quoquam eorum familiaritatem, neque literis, neq; scriptis, neque verbis, neque factis, sicut Dñs præcepit.

Tom. 3. Ger. fol. 264. Cogor eos relinquere & fugere vt ἀυτοκατακρίτους, qui prudentes & scientes cõdemnati sunt. Nulla mihi cum illis amplius intercedet necessitudo, nec literis, nec scriptis, nec verbis, nec operibus, licet vel Suenckfeldius, vel Zuinglius, vel alio quouis nomine vocetur. Nam omnes eos eiusdem farinæ ęstimo, quicũque credere nolunt, quòd panis Domini in Cœna sit verum ac naturale ipsius corpus; quòd impius, atque adeò Iudas ipse, non minus ore accipit quàm Petrus, & omnes Sancti. Dico ego: quicunque hoc credere non vult, ne quæso me molester, literis, scriptis, verbis, aut vllam mecum familiaritatem contrahere cupiat.

In Colloquijs Latinis Tomo 1. cap. de damnatis, & Inferno: Optarem Zuinglium saluatum esse, sed vereor diuersum accidisse. Nam Christus mandauit, vt iudicemus, negantes eum esse damnatos. *Qui me coram hominibus negauerit*, &c. *Qui non crediderit, condemnabitur.*

Tom. 2. cap. de aduersarijs: Zuinglius tamquam latro mortuus est: quia voluit alios adigere ad suum errorem, & propter hanc causam in bellum profectus & interfectus est. Deus est iustus iudex, eiusque iudicium rectũ, qui blasphemos & contemptores verbi sui non sinit impunitos, sed miserè pereunt.

Philippus Melanchthon.

Epist. ad Fridericum Myconium: Carlstadius primus excitauit hunc tumultum, homo ferus, sine ingenio, sine doctrina, sine sensu, quem nullũ vnquam humanitatis officiũ aut intelligere, aut facere animaduertimus; tantũ abest, vt in eo manifestatio aliqua Spiritus sancti animaduersa sit.

Ioachimus VVestphalus.

Lib. cont. Caluinũ: Nulla falsa doctrina tã latè dispergitur, nulla tãto conatu & hypocrisi defenditur, nulla tã multos homines abripit in errorẽ, q̃ falsa doctrina de Eucharistia Sacramẽtariorum.

Nicolaus Amsdorffius.

In publica confutatione puræ doctrinæ: Nos Zuinglianam & Osiandrinam hęresin & errores trãquilla conscientia amplecti nõ possumus: nec illorũ, qui se à Luthero segregãrunt, secessioni, aut nouationi subscribere, & astipulari.

Matthias Illyricus.

In defensione Confessionis Martinistarum: Caluinistarum Liturgia non vno sacrilegio vitiata est, contaminataque, eaque, proh dolor, innumeras animas æterno exitio inuoluit.

Franciscus Stanckarus.

Epistola ad Regem Poloniæ: Verùm quoniam Tigurini & Geneuenses, cùm sint publici & manifesti hæretici, & non semel scriptis & epistolis suis seduxerunt Polonos tuos, & admoniti resipiscere noluerunt, sed magis atque magis indurati & obstinati, conati sunt eos in hæresibus confirmare, & suadere illis, vt me cum reliquis sectarijs & hæreticis è cœtu tuo eijcerent, cùm puram & veram fidem habeam, facere non potui quin arguerem & increparem eos.

Libro de Trinitate aduersus Henricum Bullingerum, Petrum Martyrem, Ioannem Caluinum, & reliquos Tigurinæ ac Geneuensis Ecclesiæ perturbatores: Omninò mihi nunc ita negotium est cum Tigurinis, Arianis, & Eutychianis, sicut olim erat Augustino cum Manichæis hæreticis. Nam eodem modo, licet stylo diuerso, vt illi tunc, ita isti nunc, diuinam naturam in conditionem seruilem conijciunt, & è throno maiestatis suæ deijciunt, &c. Videat Senatus Geneuensis qualem Theologum habeat, & quàm accuratè Scripturam interpretetur iste (si Dijs placet) magnus Theologus.

Libro 2. Hoc tuum (*Caluine*) ad Pinzouianos scriptum quibusdam doctis affirmabam non esse tuum, sed Petri Galli & Blandratæ. Dicebã enim Caluinum virum doctum tot blasphemias, tot errores, tot contradictiones, tot consequentias falsas, & demum Arianam & Eutychianam hæreses scribere non potuisse, præsertim cùm in suis Institutionibus has hæreses damnet. Et cùm rogatus essem, vt illud scriptum iudicarem, admonitionem præmisi, illud non esse Ioannis Caluini. Tanti nimirum apud me erat auctoritas tua. Et nisi secundum hoc tuum scriptum, per nuntium nostrum ad Polonos missum, de illo priore admonuisset, nun quam ego credere potuissem tam fatuum, impium, & indoctum scriptum à Ioanne Caluino profectum fuisse, ex quo iam clarè ostendam, doctrinam tuam esse planè Arianam, & te quoque Arianum, nisi resipueris.

Contra Caluinum N. 4. Quis diabolus, ô Caluine, te seduxit contra Filium Dei cum Ario obloqui, vt ostenderes eum priuatum fuisse gloria sua: nunc autem petere eam sibi dari, quasi non semper eam habuerit? Antichristus ille Septentrionis, quẽ tu adoras, imprudenter Melãchthon Grammaticus hoc fecit. Caue Christiane lector, & maximè vos Ministri omnes à libris Caluini cauete, & præsertim in Articulo de Trinitate, Incarnatione, Mediatore, de Sacramento Baptismatis, & Prædestinatione: continẽt enim doctrinam impiam, & blasphemias Arianas, vt in Caluinum spiritus Serueti combusti secundùm Platonicos remigrasse videatur.

Theologi Mansfeldenses.

In confessione Mansfeldica Latina, pagina 120. Suspectam meritò habemus Sacramentariorum doctrinam. Primò propter nouitatem: extitit enim recens nostro tempore, & ignota fuit vetustæ Ecclesiæ. Secundò, quia Sacramentarij non definitè in eadem sententia sunt concordes, seò in seipsos diuisi sunt, vt alij sint Carlstadiani, Zwingliani, Oecolampadiani, Zwenckfeldiani, Campanistæ, Caluiniani, & similes.

Conradus Schlusselburgius.

Scripsit Theologiæ Caluinistarum libros tres, in quibus ceu in tabella quadam, quasi ad oculum plus quàm 223. errores Sacramentariorum publicis scriptis, pagellis, versu proprijs, & auctorum nominibus indicatis, demonstrat, eos de nullo ferè doctrinæ Christianæ articulo rectè sentire: addita simul veræ sententiæ assertione, & contrariæ opinionis refutatione, Francofurti Imp. 1592. in 4.

Proœmium libr. 1. sic incipit: Mirabitur absque dubio pia posteritas, si quę futura est, quid causę sit, quòd illæ Ecclesiæ, quę initio vnanimi consensu secessionem fecerunt ab idolomania & superstitionibus Pontificijs; mox quasi communis hostis oblitæ, à se inuicem dissidere cœperunt, & aliæ quidem Lutheri, aliæ verò Zvvinglij, & Caluini partes tutatæ sint, atque iam annos sexaginta & plures tanta animorum contentione se inuicem oppugnârint, vt nisi magnus Domini dies interuenerit, litemq; hãc diremerit, mutuis vulneribus potius, quàm Papistarũ oppressione succubituræ videantur. Et sanè illi, qui Caluini sententiam sequuntur, licet synceros & innocentes nostrarum Ecclesiarum Doctores virulentissimè in scriptis suis instar scorpionum mordeant, tam suaui tamen verborum lenocinio, & tanta modestiæ simulatione virus suum tegere nôrunt, vt plerisque persuadeant, non per se stare, quò minus animi partium dissidentiũ rursus coëant.

Lib. 1. artic. 28. R. Gvaetherus (in Præfat. epist. ad Rom.) asserit Caluinistas cum Lutheranis in articulo Iustificationis, & omnibus alijs pulchrè conuenire, sola Sacramentaria velitatione excepta. Hoc falsissimum esse, scripta nostrarum Ecclesiarum Doctorum testatum faciũt. Nos enim Caluinistas incredulos de multorum articulorum in S. Theologia deprauatione accusamus, vt ex his verbis Ioannis Pappi contra Sturmium Sacramentariorum rabulam videre licet. Etsi enim, inquit, initio de vno tantùm articulo controuersia fuit: tamen malè disputando, & errorem suum pertinaciter propugnando, eò progressi sunt Caluinistæ, vt non paucos, neque postremos doctrinę Christianæ articulos in dubiũ vocârint. Agitur enim nunc inter nos de omnipotẽtia Dei, de vnione personali duarũ naturarũ in Christo, de cõmunicatione idiomatũ, de corpore Christi glorioso, de Ascẽsione eius in cęlum, de discrimine Sacramentorũ veteris, ac noui Testamenti, de vi & efficacia Baptismi, de prærogatiua infantum natorum ex fidelibus parentibus, de Cœna Domini, de prædestinatione, &c. De quibus omnibus articulis nemo pius, & doctrinæ Christianæ peritus negare potest, magnas inter nos controuersias esse; & sanè liberè profiteor, me illorum dogmata de ijs omnibus capitibus improbare & damnare.

Lib. 2. art. 1. Theodorus Beza in suo Sacramentario Basilisco contra Heshusium anno 61. edito, quem χρεωφαγίαν καὶ ὄνου συλλογιζόμενον inscribit, non tantùm in ipsa tractatione omni pietati & verecundiæ laxatis omnibus maledicentiæ frẽnis nuntium remisit: sed in ipso etiam titulo, suam blasphemiam & diabolicos sarcasmos euomuit. Veram enim, & realem corporis & sanguinis Christi in Cœna Domini præsentiam ἄθεος iste Theodorus appellat χρεωφαγίαν, & somnia in isto scripto ὄνος hic συλλογιζόμενος emisit, vt ipsosmet testamenti Filij Dei hostes modestiores huius inuectiuæ venenatæ iam dudum puduerit, & Bezam ipsum adhortati fuerint, vt ab huiusmodi scriptione in hoc argumẽto sibi temperaret: sicut Lauatherus in sua historia Sacramentaria pagina 48 attestatur, &c. In prioribus sex pagellis cum dimidia, tam horrenda, tamque obscœna & fœdissima scommata Beza effudit, vt in volumine tractationum Theologicarum primo septem ferè integra folia omiserit, increpatus & admonitus à suis Manipularibus: optans cum Caluinistis, vt pagellæ istæ cum amatorijs poëmatis, in quibus Candidæ suæ decantatissimæ laudes obscœnis & impudicissimis versibus celebrauit, perpetua obliuione sepeliantur. Filius ipse Dei, cuius testamentum sanctissimum Beza in duobus istis dialogis maledico, spurco, & blasphemo rictu impetuit, harum blasphemiarum & conuiciorum aliquando, nisi seriam pœnitentiam egerit, seueriſſimus vltor existet. Heshusium impuro rictu vocat Polyphemũ, simiam, cothurnatum, vægrandem, & pileatum asinum, canem in balneo, asinissimum Sophistam, impudentem & petulantissimum nebulonem, impurũ sycophantam, belluam, laruam hominis, asinum bipedem, & impurum, histrionicum & monstrosum, mixtum ex simiarum & onagrorum specie, animal carniuorum, Cyclopem, asinariam simiam, asinum sesquipedalem, & furentẽ, dignissimum conuiciatorem, dignum vt ex tilia penderet, vt verè esset, quod dicitur.

Ministri Tigvrinae & Genevensis Ecclesiæ, in capitibus consensionis anno 54. appellant assertores D. Lutheri sententiæ de præsentia corporis & sanguinis Christi in S. Cœna, homines indoctos, turbulentos, omni virtute destitutos, in quibus sit confusa & insipida garrulitas: itẽ homines nullius pretij, qui falso prætextu decipiant multos rudes & imperitos: item homines friuolos & petulantes, faces, per quas excitet Satan incendium, homines temulentos, bellum Sacramentarium instaurantes. Tigvrini contra Testamentum Brentij impudenter nugantur, nostram doctrinam de Cœna Domini esse nouam & mendacia: ipsorum verò hæresin Sacramentariam clamant esse sanam & ipsam veritatẽ. Calvinvs in vltima admonitione cõtra VVestphalum maledictis nullum modum facit: omnes illos proclamat hæreticos, qui recusent damnata Lvtheri sententia, Caluino parere. In eodem libro satis venenato esum corporis Christi in Cœna Domini crassum delirium, lanienam, crassam ingluuiem, ingurgitationẽ carnis Christi in ventrem, substantialem ingurgitationem, commentum Lutheranis à Diabolo suggestum appellat.

Ibidem Calvinvs fol. 896. vocat nos sanæ doctrinæ aduersarios, adulterini dogmatis patronos, crassos comestores, qui monstro in cerebris nostris fabricato euertamus totum naturæ ordinem, eò quòd doceamus, Christi corpus inuisibile dispensari in pane Cœnæ Dominicæ.

Beza in obscœna sua Creophagia, quam haud dubiè dictante diabolo contra Filij Dei testamentum concinnauit fol 17. audacter pronuntiat, nos nihil amplius in Cœna Domini ponere posse, quàm Caluinistæ ponant: imò ait Caluinistas Christo longè maiorem tribuere gloriam, quàm nos faciamus. Fol. 18. hæc scommata in Heshusium effundit: Ignosces nobis D. Doctor asine, cũ reliquis tuæ speciei indiuiduis, si vestra somnia non habeamus pro Dei oraculis. folio 23. scribit Lutheranos veram & substantialem corporis & sanguinis Christi præsentiam in Cœna sacra asserẽtes, cælum terræ miscere, Euangelij progressum impedire, & à Satanæ spiritu, non Christi moueri. Ibidem Cœnam Domini (horrendum auditu) appellat cœnum. Id quod in Colloquio Possiaci habito A. 61. Cardinalis Lotharingus Bezæ obiecit, accusans eum, quòd docuerit, Christum sic esse in Cœna, ficut sit in cœno. Ibidem conuiciator asserit pag. 40. nos in sacra Cœna habere Christum fictitium, qui non magis nos exaudiat, quàm Baal suos audiuerit sacerdotes. Fol. 141. hanc blasphemiam eructat: Ante vestram monstrosam opinionem, quæ vobis est cum Papistis cõmunis, nullus vnquam inuentus est, qui corpus Christi diceret realiter alibi nunc esse, aut futurum, ad diem vsque nouissimum, quàm in cælis, aut supra omnes cælos. Ibidem impudenter garrit Beza pagina 228. nos docere, in Cœna Domini corpus & sanguinem Christi frustillatim seu particulatim deglutiri. Addit fol. 226. esse belluinum quiddam, hominem Christum ab homine inuisibiliter comedi. Contra Heshusium pag. 259. manducationem oralẽ corporis Christi in Cœna Dominica χρεωφαγίαν, & Christianos, Cœna sacra iuxta Christi mandatum vtentes, Cyclopes vocat. Simili impietate & blasphemia maledicus iste poëtaster Maior Euchariſtiã Domini impuriſſimo ore in Satyris suis confarcinatis Cœnam Thyestis nominat.

Simlervs in vita P. Martyris pag. B. nostram doctrinam de Cœna Domini, & maiestate hominis Christi, appellat dogma absurdum, portentosum, & planè nouum, & quod Papistæ ipsi hæreseos damnent. Ibidem Simlerus addit Martyrem in hæresi Sacramentaria mortuum esse, atque dixisse ad Bullingerum, & alios paulo ante mortem: Se non velle esse in cælo Brentij, quod nusquam sit. Ergo manendum tibi erit Martyr in cælo Zuinglij cum Hercule & Socrate, id est, in inferno, vbi tu Martyr perpetuus diaboli martyr eris.

Beza epistola 70. diserte contra eos disputat, qui carnis Christi manducationem, quæ ore fit, statuunt, & docent corpus Christi realiter in pane, & sanguinem in vino Cœnæ Domini adesse & distribui. Ibidem hanc blasphemiam eructat his verbis: Hoc dogma de orali, siue reali carnis Christi manducatione in Cœna, tam absurdum est, ineptum, ἀσύσατον, vt verè possim illud vocare Saranæ excrementum, &c. Beza non tantùm contra Pontificios, sed in genere cõtra omnes Lutheranos, oralem manducationem substantialis Christi corporis asserẽtes, has Satanicas blasphemias, velut incarnatus diabolus euomuit, (horrescо referens) Candidæ suæ quondam concubinæ, siue meretriculæ, pudẽdis à se olim epigrammatis decantatæ, culum, imò partem diuersam adhuc magis pudendam, mundiorem esse, quàm illorum hominum ora, qui simpliciter verbis Christi inhærentes credãt, se præsens Christi corpus ore suo accipere, &c.

Cinglivs habet nomẽ cum re, ἀπὸ τοῦ κιγκλίζειν, quod Græcis sonat crebrò agitare & mouere: quia Cinglius magnos motus & turbas suæ hæresi in Ecclesia Dei agitauit. Vel dicitur Zuinglius à vertigine, von dem Schwindel: fuit enim percussus spiritu vertiginis & cœcitatis, more omnium hæreticorum, audens Filij Dei testamentum deprauare, verbum *significat* pro *Est* reponendo.

Ita Bvllingervs rectissimè nomen gerit à Bullis, qui contra Lutherum, Brentium, &c. nil nisi ampullas, & sesquipedalia verba proiecit, & tamquam bulla Creatoris sui testamentum bullato calamo oppugnauit.

Beza conuenienter dicitur à Boza, quod vulnerare significat Hebræis: Nam ille suis calumnijs diabolicis multorum piorum corda vulnerauit. Beza à Germanico Beist, significat bestiam furentem. Beza alias sese appellat Nesekium, & rectè quidem, à morsu serpentis, quòd instar viperæ venenatissimæ suũ virus contra veritatem cælestem efflauerit.

Lib. 2. artic. 13. Nos negamus inter nos & Caluinistas in doctrinę fundamento esse consensum: id quod etiam Beza ipse pagina sequente haud obscurè faretur. Nam appellat nos Nestorianos &

Eutychianos, & noſtram doctrinam de Cœna Domini vocat Eutychianum errorem. Et tamen ſtatim addit: Quæſtionẽ illam de Cœna Domini, & communicatione idiomatum, non eſſe ex earũ genere, quæ ſubſtantiam religionis reſpiciunt. Et pagina ſequẽte vocat doctrinam noſtram excrementum Satanæ. An hæc non reſpiciunt ſubſtantiam religionis Chriſtianæ? An Chriſtiana religio & excrementum Satanæ conueniunt?

Articulo 12. Vbi ſunt conciliatores affirmantes Lutheranos & Zuinglianos nõ rebus ipſis, ſed affectibus inter ſe pugnare, & de modo tantùm controuertere? &c.

Et ibidem fol. 15. Si non de rebus ipſis, ſed de verbis tantùm eſt contentio, vt tu affirmas Danæe, (quod tamen in æternum tibi nunquam concedemus) cur ob diſſenſionem in verbis tot conuiciorũ nimbos in teſtamenti Chriſti propugnatores effundis?

Et fol. 11. Hac diabolica & ſophiſtica calumnia SIMLERVS nos accuſat, quaſi modum præſentiæ inquiramus, & non de ipſa veri corporis, & ſanguinis Chriſti in Cœna præſentia, cõtra Sacramentarios incredulos dimicemus. Nos enim (vt commune Saxonicarum Eccleſiarum reſponſum habet) vocabulis illis ſubſtãtialiter, realiter, corporaliter, nõ modum præſentiæ, ſed præſentiam veri corporis Chriſti exprimimus.

Art. 13. Quænam quæſo, per Deum immortalẽ, poteſt iniri concordia cum Caluiniſtis, qui ipſum Filium Dei mendacij arguunt: qui Deum ſua omnipotentia ſpoliant: qui ſunt abiurati hoſtes, & profligatiſſimi falſatores teſtamenti Filij Dei? Dicimus hîc cum D. Luthero, maledicta ſit concordia & charitas, propter quam conſeruandã verbum Dei periclitatur.

Ioannes Brentius.

In Recognitione doctrinæ contra Bullingerum: Sed nec illud debet Bullingerus impunè ferre, quòd impotenti iactantia commemorat, ad quam multa regna Zuinglij dogma peruenerit. Nunquam, inquit, efficiet Brentius, vt multa illa hominũ millia per Germaniam, Galliam, Angliam, Italiam, Poloniam, Lituaniam, Hungariam, perq; alia regna, quæ per gratiam Dei ex prædicatione & ſcriptis Zuinglij veram Chriſti cognitionem hauſerunt, non ſint honore debito, digna gratitudine virum tantum proſecuturi, &c. Cedo igitur Cingliane, totne ſunt regna, quę Cinglius ſuo dogmate (quod Bullingerus pro ſua ſententia veram Chriſti cognitionem vocat,) inuaſit & expugnauit? Quid ergo faciemus? Quid? niſi vt veterem Cinglij triumphum renouemus. Spero autẽ vos, Cingliani, mihi propitios fore, quòd hactenus ignorauerim veſtri Patriarchæ maieſtatem. Putabam eum eſſe aliquem gregarium bellatorem, iuxta vulgatum verſiculum:

Occubuit patrio bellator Cinglius enſe,
Et preſſa eſt armis gens populoſa ſuis.

Nunc autẽ intelligo eum eſſe inuictum Imperatorem ac triumphatorem. Immane, quantus eſt hic heros? Quid ceſſant viri, mulieres, maiores, minores, ſenes etiam & infantes, quin ad Bullingeri buccinam conclament: Cinglius triumphator Germanicus, Gallicus, Anglicus, Italicus, Polonicus, Lituanicus, Hungaricus, & plus vltra, etiam Calicuticus. Sciamus igitur quæ ſunt heroica illa ſtratagemata, quæ in tot regnis peregit. Nõ enim fruſtra tanti honoris titulos reportat. Ecce igitur tibi, docuit in Euchariſtia panem eſſe panem, vinum eſſe vinum. An non hoc eſt inſigne ſtratagema? Pergamus. Docuit imagines & ſtatuas Sanctorum non eſſe niſi fictitios colores: non niſi lapides & ligna, ideoq; luto conſpergendas, & è medio tollendas. O quantum hoc eſt beneficium. Quid amplius? Docuit Herculem, Theſeum, Socratem, Numam Pompilium, & alios Ethnicorum heroes commorari in cælo cum Abraham, Iſaac, & Iacob, & alijs Sanctis. Plaudite igitur omnes gentes manibus, & ἀρχιστρατηγὸν veſtrum dignis proſequimini laudibus, &c. Ego Bullingere ſim rixator, ſpiritus inflatus, calumniator, ſcurrilis luſor, Momus, peruerſor, mendax, impurus, impudens, garrulus, logodædalus, iactator, ejector Chriſti è cæleſti ſuo throno, furens, leuis, leptologus, conuiciator, contumelioſus, Eutychianus, ſophiſta, debacchator, & peior Suenckfeldio ipſo. Doctrinam autem, quam profiteor; & librũ, quem de maieſtate ſcripſi, vocat Brentianas nebulas, figmenta, nugas, vanas & futiles, ſcurriles, ineptas, doctrinam diſſoluentem ſpem de certa fidelium ſalute in cælo, inſaniam, philautiam, artem ſophiſticam, ambages ſubdolas, commenta falſiſſima, elumbe ſcriptum, ſophiſmatum verſutias, librum maieſtuoſum, librum perplexorum, Chimæram Vbiquitariam, ſophiſticam AEgyptum, nugas putidas, Vbiquitatem prodigioſam, verba furioſa, & ſi quid eſt his amarulentius, &c. Zuinglianorum dogmata ſunt diabolica & impietatis plena, redundant illorum omnia deprauationibus, ſtrophis & calumnijs: illorũ de Cœna Domini error alios magis ſacrilegos ſecum trahit.

Ioannes Schutz.

In ſerpente antiquo, cap. 33 Sacramentarij duplices ſunt latrones: non enim ſufficit illis, quòd falſis dogmatibus animas hominũ occiderunt, verùm vbicumque poſſunt pacem turbant, & ad hoc omnes conatus adhibent, vt etiam corpora occidant.

In quinquaginta Cauſis, in Præfatione A. 6. Sacramẽtariorum doctrina ſentina quædam eſt, in quam multæ hæreſes confluunt: vltima Satanæ ira, quã is furijs exagitatus, cõtra Chriſtum, eiusq; Eccleſiam exercet.

Litera Q 3. Qui Sacramentariorum partes ſequitur, is manifeſtus & iuratus eſt Dei aduerſarius, & fidei ſuæ, quam Chriſto in Baptiſmo promiſit, nuntium miſit.

Tilmannus Heshuſius.

In defenſione contra Caluinum: Deo & Eccleſiæ teſtatum facio, me non colluſiſſe cum blaſphema & ſacrilega Caluiniſtarum ſecta; ſed in acie ſteriſſe contra eam, & teſtamento Filij Dei ſtrenuam nauaſſe operam.

AEgidius Hunnius.

In Caluino Iudaizante fol. 181. Detectum ſatis ſuperq; iudico Angelum illum tenebrarum Ioannẽ Caluinum, qui ex abyſſi puteo emergens, partim deteſtabili hac & inſana libidine torquendi Scripturas, & propugnacula Chriſtianæ religionis aduerſus infideles Iudæos & Arianos diruendi; partim impio in ſacroſanctam maieſtatem exaltati Ieſu Nazareni calamo; partim etiam peruerſo dogmate de re tota Sacramentaria, denique horribilibus ſuis de abſoluta prædeſtinatiõe portentis & paradoxis, non minimam ſolis partem, vt Apocalypſis loquitur, his nouiſſimis temporibus obſcurauit, trahens magnum ſtellarum numerum, & vnà ſecum in abyſſum præcipitem agens.

CATALOGVS LIBRORVM Aliquot à Lutheranis contra Sacramentarios editorum, quibus illos damnant.

IOACHIMI VVESTPHALI Farrago confuſanea-

ſuſanearum & inter ſe diſſidentium opinionum de Cœna Domini, ex Sacramentariorum libris congeſta, Anno 1552.

Aduerſus cuiuſdam Sacramentarij falſam criminationem iuſta defenſio, in qua de Euchariſtię cauſa agitur, 1555.

Epiſtola, qua reſpondetur conuitijs Caluini: Breuis item reſponſio ad ſcriptũ Ioannis à Laſco, in quo Auguſtanam confeſſionem in Caluiniſmũ transformat, 1557.

Iuſta defenſio contra Ioannem à Laſco: Confutatio mendaciorum Caluini: Apologia ad vltimam admonitionem Caluini 1558.

DANIELIS HOFFMANNI Apologia, miſſa ad Theodorum Bezam, qua τὸ ῥητὸν in verbis Cœnæ Dominicæ immotum, Bezæ autem demonſtrationes falſiſſimæ demonſtrantur, Helmſtadij 1585. in 8.

Libellus Apologeticus reſpondens chartis miniſtrorum Eccleſiæ Bremenſis, & horum Sacramentarios errores detegẽs, atque refutans, Helmſtadij 1585.

TILMANNI HESHVSII Aſſertio ſacroſancti Teſtamẽti Chriſti, contra blaſphemam Caluiniſtarum Exegeſin ſine nomine auctoris editã, Erphordiæ 1582. in 4.

Pia defenſio aduerſus Ioannis Caluini, Petri Boquini, Theodori Bezæ, VVilhelmi Clebitij, & ſimilium calumnias. Item Refutatio Pelagiani ſeu Anabaptiſtici Caluiniſtarum erroris de Baptiſmo & peccato Originis, Erphordiæ 1583. in 8. Adduntur collectanea plurimorum Caluini, cõtra Deum, eius prouidentiam & prædeſtinationem.

IACOBI ANDREAE breuis admonitio de crimine Stellionatus Caluinianorum, quo Ieſuitas in ſuam ſocietatem rapere, & doctrinam Lutheri de perſona Chriſti & ſacra Cœna illorum auctoritate perfidè opprimere conantur, Tubingæ 1582. in 4.

De adoratione carnis Chriſti contra blaſphemam Apologiam Lamberti Danæi, Tubingæ 1583. in 4.

De vnitate perſonali & ſupernaturali duarum naturarum in Chriſto, contra blaſphemam diſputationem Euſebij Cleberi, Paſtoris Sangallenſis in Heluetia, Tubingæ 1586. in 4.

Oratio de Incarnatione Filij Dei, contra impios & blaſphemos errores Zuinglianorum & Caluiniſtarum, Tubingæ 1586. in 4.

NICOLAI SELNECCERI aduerſus Catechiſmum Heidelbergenſem: Aduerſus Bezæ interpretationem huius loci: *Oportet Chriſtum cælo capi*, Lipſiæ.

Ad Theodori Bezæ calumnias reſponſio *1571.* in 8.

Caluinus rediuiuus, hoc eſt Zuinglij, Caluini, Bezę, Amelingi, Peucerі, Pezelij. &c. proprię opiniones, de quibuſdam articulis controuerſis, Frãcofurti *1589.* in 4.

Confutatio accuſationum, quibus Sacramentarij Eccleſias puriores, quæ Auguſtanæ Cõfeſſioni ſubſcribunt, onerare ſolent, continens veram doctrinam de Cœna Domini, & duabus in Chriſto naturis: Item refutatio exegeſis Sacramentariæ, Lipſiæ *1579.*

GVILHELMI HOLDERI Caluinianus cãdor, hoc eſt, de eximia pietate, fide, doctrina, & modeſtia Theodori Bezæ admonitio altera, Tubingæ *1582.* in 4.

Cuculus Caluiniſticus, ſiue de gratitudine & modeſtia Caluinianorum aduerſus blaſphemam Iacobi Grynæi Apologiam commonefactio, Tubingæ *1585.* in 4.

Prodromus Labyrinthi Sacramẽtariæ, ad Marcum quendam Beumlerum nouitium Sacramentarium ſcriptus, Tubingiæ *1587.* in 4.

Reſponſio ad Hieronymi Zanchij Sacramentarij virulenta conuitia, quibus, vt ait, diſceſſum ex hoc mundo meditatur, Tubingæ *1587.* in 4.

Aſinus auis ad Sacramentarios Heidelbergenſes ſcripta, hoc eſt, Metamorphoſis noua, qua Marcus Beumlerus, dum temerè in auem Falconem tranſire voluit, ridiculo errore in aſinum commutatus eſt, Tubingæ *1587.* in 4.

LVCAE OSIANDRI Antiſturmius vnus, Tubingæ *1579.* in 4.

Antiſturmius alter, ibidem 1581. in 4.

Epiſtola Euchariſtica ad Ioannem Sturmium veſpertilionem, gratitudinis ergò ſcripta pro palinodia ironica, Tubingæ 1581. in 4.

MARTINI CHEMNICII liber contra Catechiſmum Heidelbergenſem: Fundamenta ſanę doctrinæ de vera & ſubſtãtiali præſentia, exhibitione & ſumptione corporis & ſanguinis Domini in Cœna, Ienæ *1570.* in 8.

PHILIPPI NICOLAI, apud Herdecanos Eccleſię miniſtri, Fundamentorũ Caluinianæ ſectæ cum veteribus Arianis & Neſtorianis conuenientium detectio, qua demonſtratur, neminem Chriſtianorum Caluinianis adhærere poſſe, quin vnà Arianiſmi & Neſtorianiſmi ſuſcipiat defenſionem, Tubingæ 1586. in 4.

IOANNIS MODESTI demonſtratio ex ſacris literis, quòd Sacramentarij non ſint Chriſtiani, ſed baptizati Iudæi & Mahometani, Germanicè Tubingæ 1587. in 4.

ZACHARIAE RIVANDRI lupus excoriatus, quo Caluiniſtarum, qui vel manifeſtè, vel occultè ſua dogmata ſpargunt, pellis lupina declaratur & explicatur, ſuper verba Chriſti Matthæi 7. *Attendite à falſis Prophetis*, Germ. VVittembergæ *1591.* in 4.

SAMVELIS HVBERINI Antitheſis Lutheranæ & Caluiniſticæ doctrinæ in præcipuis fidei articulis, Germanicè Laugingæ *1591.* in 4.

Demonſtratio fallaciarum Ioannis Caluini in doctrina de Cœna Domini, quibus vſus eſt in libro Inſtitutionis Chriſtianæ, VVittẽbergæ *1593.* in 4.

IACOBI HAILBRVNNERI Synopſis doctrinæ Caluinianæ, hoc eſt, ſummaria narratio & refutatio Zuinglianorum & Caluiniſtarũ doctrinæ de aliquibus fidei Chriſtianæ articulis, Germ. Laugingæ *1591.* in 4.

HIEREMIAE VICTORIS vera & dilucida demõſtratio, quòd Zuingliani & Caluiniſtæ nũquam ſe ſubiecerunt Confeſſioni Auguſtanæ Carolo Quinto anno *1530.* exhibitæ, Germ. Francofurti *1591.* in 4.

CHRISTIANI KITTELMANNI decẽ graues & pernicioſi errores Zuinglianorũ in doctrina de peccatis & Baptiſmo, ex proprijs ipſorum libris collecti & refutati, German. Magdeburgi *1592.* in 4.

IOANNIS MOSELLANI Præſeruatiua contra venenum Zuinglianorum, Tubingæ *1586.* in quarto.

CONRADI SCHLVSSELBVRGII Theologiæ Caluiniſticæ libri tres, in qbus, ceu in tabella quadã, quaſi ad oculũ, pluſquàm ex ducentis viginti tribus Sacramentariorum publicis ſcriptis, pagellis, verbis proprijs, & auctorũ nominibus indicatis, demonſtratur, eos de nullo fere Chriſtianæ fidei articulo rectè ſentire: addita ſimul veræ ſententiæ aſſertione, & contrariæ opinionis refutatione, Francofurti *1594.* in 4.

AEGIDII HVNNII Caluinus Iudaizãs, hoc eſt, Iudaicæ gloſſæ & corruptelæ, quibus Ioannes Caluinus illuſtriſſima Scripturæ ſacræ loca, & teſtimonia

ſtimonia de glorioſa Trinitate, Deitate Chriſti, & Spiritus ſancti; cum primis autem vaticinia Prophetarum de aduentu Meſſiæ, natiuitate eius, paſſione, reſurrectione, aſcenſione ad cælos, & ſeſſione ad dextram Dei, deteſtandum in modum corrumpere non abhorruit, VVittembergæ 1593 in 8.

Eiuſdem Papiſmi Caluinianorum 25. dogmatici, & 20. practici, ſiue diſputationes duæ, de reliquijs, trabibus, & plumulis ſanctę matris Eccleſię Romanæ, quas Caluiniani ſupra annos iam ſeptuaginta retinent, & adhuc venerantur, à Salomone Geſſnero publicè in Academia VVittebergenſi habitæ, nec non Theſes Huberianiſmo oppoſitæ ab AEgidio Hunnio, Frācofurti *1598*. in 4.

Antipareus, hoc eſt, refutatio venenati ſcripti à Dauide Pareo editi in defēſionē ſtropharū & corruptelarum, quibus Ioannes Caluinus illuſtriſſima Scripturæ teſtimonia de myſterio Trinitatis, nec non oracula Prophetarum de Chriſto deteſtandum in modū corrupit, Francofurti 1598. in 8.

THEOLOGORVM VVIRTEMBERGENSIVM ſolida refutatio compilationis Zuinglianæ, & Caluinianæ, quam illi Cōſenſum orthodoxum ſacræ Scripturæ & veteris Eccleſiæ de controuerſia Sacramentaria appellarūt, in lucē ediderunt, & aliquoties recoxerunt, Tubingæ 1584. in folio.

ABELIS VINARII Synopſis Theſeon Iacobi Kimedontij Caluiniſtę de redemptione & prędeſtinatione, quam aduerſus Samuelem Huberinum inſtituit, Tubingæ *1594*. in 8.

FRIDERICI PETRI Reſponſio pro libello Martini Chemnicij de vnione hypoſtatica naturarum in Chriſto, & de communicatione idiomatum, ad eius examen à Lamberto Danæo conſcriptum: Addita eſt admonitio, num fides poſſit euolare ſupra cęlos, & illic ipſam carnem Chriſti apprehendere, Lipſię 1585. in 4.

Reſponſio ad ſcriptū, quod Theologi Bremenſes aduerſus collectores Apologiæ formulæ Concordiæ publicârunt, Lipſiæ 1585. in 8.

IOANNIS MATTHAEI liber de cauēdo Caluiniſtarum fermento, VVittembergæ.

HENRICI BERNDES Eccleſiaſtæ VViſmarienſis doctrina de reali communicatione idiomaton in perſona Ieſu Chriſti, planis & perſpicuis theſibus orthodoxè expoſita, & verbali ſeu fictitia Caluiniſtarum communicationi oppoſita, VVittembergæ *1596*. in 4.

ANDREAE SCHAFFMANNI Eccleſiaſtæ Tremoniani Prodromus reſponſionis ſuæ pro diſputatione Tremoniana, contra refutationem Ioannis Piſcatoris de diſtinctione Decalogi, de propriorum communione: de Caluini profana de Chriſti merito ſententia, deq; Lutheranorum & Caluinianorum appellatione: libri tres controuerſiarum de prædeſtinatione, in quibus deſinito controuerſiæ ſtatu, argumenta ex Scriptura, ſana ratione, Patribus Scholaſticis, ipſiſq; aduerſarijs ſubſtituuntur & defenduntur, eodemq; ordine aduerſariorum argumenta refutantur, Tremoniæ *1596*. in 8.

IACOBI HAILBRVNNERI Eccleſiaſtæ aulæ Neopyrgicæ Suencfeldio-caluiniſmus, hoc eſt ſpiritus Suencfeldiani & Caluiniani conſenſus in doctrina de miniſterio verbi, Baptiſmo, & Cœna Dominica, eiuſdemq; ſolida confutatio, certis capitibus diſtincta, Laugingæ 1597. in 8.

ALBERTI GRAVVERI Bellum Ioannis Caluini, & Ieſu Chriſti, hoc eſt, antitheſis doctrinæ Caluinianorum in quatuor articulis de perſona Chriſti, Cœna Domini, Baptiſmo, & Prædeſtinatione ad oculum monſtrantur, Braptæ 1598. in 4.

BALTHASARIS MENZERI ALLENDORPHENSIS Elenchus errorum Antonij Sadeelis in libello de Sacramentali manducatione carnis Chriſti, VVittembergæ 1594. in 8.

HEIZONIS BVSCHERI Exercitationum Theologicarum & Logicarum, Reſponſioni Ioannis Piſcatoris oppoſitarum pars prima, de doctrina troporum vſitata: de verbis Cœnæ propriè, non tropicè intelligendis: de præſentia corporis Chriſti in Cœna ex verbis illis demōſtranda. Pars altera de prædicationibus inuſitatis, & pœdobaptiſmo, Lemgouiæ 1594. in 8.

HERMANNI HAMELMANNI Reſponſio ad dicta Patrū, quę pro ſua aſſertione, quòd Chriſtus homo ſit in loco, Zuingliani afferunt. Item, quomodo Caluiniſtarum Liturgia non ſit conformis Liturgijs, quæ fuerūt vſitatæ in primitiua Eccleſia, 1568. in 8.

De gaudijs æternæ vitæ, & quomodo Sacramētarij nobis illa gaudia imminuant, Erphordiæ 1585. in 8.

De impoſtura Chriſtophori Pezelij in citatis Orthodoxorum Catholicæ Eccleſiæ Patrum teſtimonijs commiſſa, Tubingæ 1592. in 8.

IACOBI SCHEGKII reſponſum ad Simonis Simonij libellum, quo conatus eſt librum de vna perſona & duabus naturis in Chriſto refellere. Reſpondetur etiam Eraſto, & explicatur Schegkium non conſentire cum Eraſto, Tubingæ 1568.

STEPHANI GERLACHII Antidanæus, ſiue reſponſio, qua Lamberti Danæi figmenta & calumniæ, quas contra Antiſturmium Oſiandri in cauſa S. Cœnæ Dominicæ & maieſtatis Chriſti hominis impotenter euomuit, deteguntur, & cōfutantur, Tubingæ 1580. in 4.

Hyperaſpiſtes Antidanæi de condemnatione errorum de S. Cœna, de maieſtate Chriſti hominis aduerſus L. Danæum, Tubingæ 1581. in 4.

Decertatio cum L. Danæi profano milite, quē clibanarium vocat, Tubingæ 1583. in 4.

II. SACRAMENTARII DAMNANT Lutheranos.

Huldaricus Zuinglius.

Reſponſione ad Lutheri librum de Sacramento: Hīc Dei verbum, nō veſana illa conuitia, quibus nos Suermeros, dęmones, fanaticos, nequam, hæreticos, latrones, ſeditioſos, ſimulatores, hypocritas, troß/ boß/ ploß/ Donder/ po/ pu/ pa/ plump/ ꝛc. & quid non eſſe clamitas, victoriam obtinebit. Tu leges fingis, iuxta quarum præſcriptum Scripturæ ſanctæ intelligi debeant, quas alioquin in tuo ſenſu minus aſſerere & tueri potes. Inſignem quandam laudem tibi vendicas, & multum de te gloriaris, vtpote qui tuis laboribus ac induſtria Scripturam ſub ſcamnis, & ſubſellijs in tenebrarum caligine latitantem, in lucem produxeris. Te iræ affectu correptum furere & inſanire nō equidem negare poteris, ſi modò librum tuum, quem tute ſcripſiſti, probè perlegeris. Tanta enim conuiciorum copia, & peruerſarum opinionū multitudo, ex charitatis fonte, ex diligenti animi cōſideratione, ex præmeditato ſtudio proficiſci nō poteſt. Interim luce clarius demonſtrabo, te præclarum illum longè lateq; fulgentem Euangelij ſplendorem nunquam adhuc plenè cognouiſſe, niſi

niſi fortè eiuſdem denuò oblitus ſis. Purgatorio igni ſemper nonnihil tribuiſti hactenus, cùm tamen Euangelica veritas illum nullo modo admittere, aut ferre poſſit Sanctorum interceſſióni, qui iam beatorum ædes incolunt, nonnihil tribuere non es veritus, citra omnem ſacræ Scripturæ auctoritatem. Tuo nomine inſignis epiſtola quędam ad principem aliquem circumfertur, in qua inter alia quædam ſic ſcriptum eſt: jetz geldt es ſchlagens: Verberibus, aut pugnis iam vtēdum eſt. Quid aliud quæſo hoc dictum tuum nos docere poteſt, quàm quòd hoc verbo cauſam tuam tueri inſtituiſti, hoc nimirum, vt principes armis & pugnis hanc aſſerant. Dei verbum corrumpis & adulteras, cùm ſcilicet articulum ✠ à carnis vocabulo aufers, Marcionitas nimirum, & Arianos imitatus.

Reſponſione ad confeſſionem Lutheri: Lutherum in ijs locis ea, quæ nec ipſe nouit, nec intelligit, temerè eloqui luce clarius conſtat. Interim verò non ſine ira, turgidis & minacibus verbis, magnaq́ue arrogantia, illud à nobis petit, vt ipſum vel vnius ſaltem mendacij arguamus, cùm tamen totus ille liber, non aliud quàm mendaciſſima ſit multorum ſeductio. Licet enim nonnunquam quædam bene & aptè dicat, mox tamen omnia ita denuò inuertit, ac vitiat adeò, vt non poſſim non mirari, num aliquid hominis, aut rationis humanæ habeant, qui iſto Lutheri ſcripto ſe duci ac doceri patiuntur, &c. Ex his luce clarius omninò videre licet, Lutherum omnino in hoc eſſe, vt tenebris omnia inuoluens, ipſe in cæca illa rerum caligine ſe ſubducere poſſit, id eſt, talibus verbis vti, quæ ſimplex quorundam turba aliter accipiat, quàm ipſe accipi vellet, ſi quando dictorū ratio ab illo exigeretur. An verò hoc integritatis & ſynceritatis nomē meretur? Cùm ergo Lutherus nunc hoc, nūc illud, de eadem re pronuntiet, nec vſquam ſibi conſtet, haud dubiè ea inconſtantia & leuitate in Dei verbo vtendum eſſe exiſtimat, qua effrictæ frontis ſcurræ inter aleam vti conſueuerunt, &c. En vt totum iſtum hominem Satan occupare conetur. Cùm Lutherus in verborū ſenſu miſerè fallitur & errat, Dei eſt vt ipſum excuſet, & pro illo ſatisfaciat: & cùm arroganti verborum faſtu, minis quoq; plus quàm turgidis, ſimplicium mentes miſerè perſtringit, & erroribus inuoluit grauiſſimis (quod ipſum propria illius conſcientia ipſi probè teſtari poteſt) clandeſtinum quoddam effugium, per quod tādem elabi poſſit, ſibi hoc modo præparare conatur, hoc videlicet, ſi ſeductus aut falſus ſum, Deus me ſeduxit & fefellit. Nàm huius verbo me totum cōmiſeram, &c. Lutherus obſtinato & deuoto animo conceptam ſemel opinionem perſequi, & obtinere conatur, nec multum curare ſolet, quodcumque tandem de re quauis pronuntiet, etiam ſi vel ſibi ipſi, vel diuini verbi oraculis contradicere videatur.

Epiſtola ad Lutherum: Illud facilè videmus, te vel imperitum, vel nimis rudem eſſe Theologū, cùm de vtraque in Chriſto natura diſputans, inter has iuxta verbum Dei diſtinguere nondum nouiſti: vel ſi illud non ignoras, interim verò hac confuſa vtriuſque permixtione ſimplices fallis ac decipis, te ſeductorem, impoſtorem, & Chriſti negatorem, ipſo Marcione deteriorem eſſe iudicamus. Sed ignorantiam tuam in te potius agnoſco, quàm vt nequitiam & impietatē eſſe exiſtimem.

De vera & falſa religione, in Præfatione: Diabolus nos tentat per homines, qui cùm videant veritatē de Cœna Dominica non per ſe, ſed per alios in lucem proferri, more furioſorum criminari alios, & in eos bacchari incipiunt.

Ioannes Oecolampadius.

Reſponſione ad Lutheri confeſſionem: Lutheri argumenta & rationes, quibus innititur, etiā hoc loco inſpeximus; & quò diligētius illa conſideramus, eò infirmiora & magis putrida eſſe animaduertere nobis licet. Interim verò ne vno quidē in loco nos mendacij arguere poteſt. Qualem verò hīc ſe gerat, quiſquis ſanioris iudicij & mentis eſt, facilè deprehendet. Tropū enim reijcere vult, interim tamen Tropum admittit, &c. Concludit hunc librum Lutherus: Quòd ſi quid aliud, & diuerſum ab his dicturus ſim aliquando, iam nunc palàm proteſtor illud falſum eſſe, & ex dæmone profectum. Priorem illum librum à dæmone auſpicatur nuper, hunc verò eiuſdem auſpicijs abſoluit. Atque hoc æquum iuſtumq; eſt Dei iudicium, vt qui citra ipſius oracula ſapere volunt, ſtulti reddantur penitus. Hactenus ergo nos in Lutheri fide & confeſſione duodecim articulos comprehendimus, quorum aliqui vaniores, quàm par ſit; aliqui minus fideliter, nimisq; inſidiosè expoſiti; aliqui rurſus falſi, & reprobi ſunt; aliqui verò cū Dei verbo, & Chriſtianæ fidei articulis, palam pugnant, & ab illis diſſentiunt, &c. Fortem illum & virilem Lutheri conatum & facinus, quòd cōtra Papam, quem nemo non horrebat, progreſſus dimicauit, libenter agnoſcimus. Interim verò illud quoque agnoſcimus, quòd doctrina & ſcientia ipſius mediocris ſit. Caret ergo, & attento animo caueat, ne fortè arrogantiæ & ſuperbiæ affectu inflatus, per Satanam ſeducatur, &c.

Henricus Bullingerus.

In Repetitione contra Brentium: Prouocamus, *inquit*, ab irato & furioſo Luthero.

Reſponſione ad Tenenſes: Synodos & collationes equas & Chriſtianas non refugimus, ſed cùm Dominus nos liberauerit à iugo Papæ, nō patiemur, adiuuante Domino, nos premi noua tyrannide eorum, qui ſub prętextu Euangelij ad primatum & dictaturam aſpirant. Nolumus ergo excludi à cœtibus Sanctorum pro Ienēſiura libidine ac arbitrio. Nolumus agnoſcere ipſos in Eccleſia Chriſti libera Dominos, Pontifices, Cenſores, Dictatores, qui omnibus præſcribant, dictent, & præcipiant, quod libet. Si ideo ſe tantopere efferūt, quòd ſe Eccleſiam Chriſti ſentiunt, nos quoq; Eccleſia Chriſti ſumus. Si exiſtimant ſe habere ſingulares Eccleſias, & dona excellentia: habemus eadē (abſit iactantia) & nos. Nos quoque miniſtri Chriſti ſumus per Dei gratiam, figillaq; noſtri miniſterij dubitantibus oſtendere poſſumus.

Bernardinus Ochinus.

Libro 2. Dial. Hortor & obteſtor vos per nomen Dei, & eius Filij Domini noſtri Ieſu Chriſti, deſpicite diligentius ea, quæ Dominus nobis aperuit. Non dederat omnia Luthero, plura dedit etiam poſtea Zuinglio, & poſt etiam alijs, & nunc cui vult dare.

Caſpar Zuenckfeldius.

In Præfatione ſuper præcipuos fidei articulos: Etſi Martinus Lutherus noſtro tempore præclarè ſcripſit, quæ mirum in modum ad eradicandas ſuperſtitiones valent: tamen multa quoq; malè ſcripſit, quemadmodum meridiana luce clarius inde elucęſcit, quòd ipſius & ſectatorum illius doctrina, & Theologia, nequaquam more Apoſtolorum ſit pura & perfecta, nec per ſe ad iuſtificationem & ſalutem ſufficiat, quod iam dudum ex ipſius ſcriptis potuit deprehendi. Multa quoque eiuſdem ſcriptis inſeruntur, quæ Chriſti gloriæ tenebras offundunt, quæ ſacris literis aduerſantur, & veritati minus conſentiunt.

Conradus Geſnerus.

Inuni-

In vniuersali Bibliotheca, de Martino Lutthero: Illud non est dissimulandum, virum esse vehemētis ingenij, impatientem, & qui nisi per omnia sibi cōsentientes ferre nesciat, Ecclesiam nostrā damnare non veretur quantum in ipso situm est. Dominus faxit, ne quid contentione & impudentia oris obsit Ecclesiæ suæ, cuius olim crepundia tam feliciter promouit.

Ioannes Caluinus.

In Instit. fol. 113. Audio Lutherum tandem cum atroci inuectiua, non tam in vos, quàm in nos omnes prorupisse. Nunc vix audeo à vobis petere, vt taceatis, quia neque æquum est sic vexari immerentes, & illis negari sui purgandi locum: & statuere difficile est, num id expediat. Sed hæc cupio vobis in mentem venire. Primùm quantus sit vir Lutherus, & quantis dotibus excellat, quanta animi fortitudine, & constantia, quanta dexteritate, quāta doctrinæ efficacia hactenus ad profligandum Antichristi regnum, & simul propagandam salutis doctrinam incubuerit. Sæpe dicere solitus sum: Etiamsi me diabolum vocaret, me tamen hoc illi honoris habiturum, vt insignem Dei seruū agnoscam: qui tamen vt pollet eximijs virtutibus, ita magnis virijs laborat. Hāc intemperiem, quam vbiq; ebullit, vtinam magis frenare studuisset. Vehementiam autem, quæ illi est ingenita, vtinā in hostes veritatis semper cōtulisset, nō etiam vibrasset in seruos Domini. Vtinam recognoscēdis suis vitijs plus operæ dedisset. Plurimum illi obfuerunt adulatores, cùm ipse quoque natura ad sibi indulgendum nimis propensus esset. Nostrum tamen est, sic reprehendere quod in eo est malorum, vt præclaris illis donis aliquid concedamus. Hoc igitur primùm reputes obsecro, cum tuis collegis, cum primario Christi seruo, cui multum debemus omnes, vobis esse negotium.

Admonitione tertia ad Ioachimum VVestphalum: Lutherani homines sunt vertiginosi, Cyclopes, superba factio Gygantum, phrænetici, bestiæ, prodigiosè cæci, desperatè impudentes, nihil aliud quàm falsarij & improbi calumniatores, proterui, plus satis bardi, fastuosi, & simul ita ignari, vt quod pueris in Catechismo traditur, id eorū veterani Theologi ignorēt: bruti homines, qui quid valeat, quorsum spectet Cœna, nunquam gustârunt: qui nec guttam ingenui pudoris habentes, perinde ac si toto vitæ cursu, nihil præter anathemata didicissent, singulis prope scriptorum suorum versibus in nos fulminando omnes Papæ scribas & datarios superant, atque ita debacchando optimam Euangelij causam se obruere posse sperant.

Admonitione vltima: Si quid vitij permixtum fuit summis Lutheri virtutibus, sepultū esse velim. Certè quæcumque fuerunt, ne ea exagitem, donorum, quibus præditus fuit, reuerētia & amor me retinet: vitia autem pro virtutibus exosculari, stultæ & præposteræ affectationis est: minus etiā excusabilis inconsiderati zeli feruor, quòd Scripturam turpiter & pudendum in modū corrumpunt, vt Ioannis Baptistę spolijs Lutherum exornent. Quamuis enim non negem, etiam in Ioanne Baptista factum esse, quod de venturo Elia prædixerat Malachias, volunt tamen de Luthero intelligi hoc vaticinium, quia sit Helias ille, per quem restituēda fuerant omnia: & quod in Ioanne Baptista semel factum est, non obscurè tam Prophetę, quàm Christi testimonio in Luthero fuisse iterandum. Qua falsitate non minus fœdârunt Lutheri nomen, quàm AEgyptij Hieremiæ corpus sepulchrumq; adorando. Atque vt Eliæ nomen Luthero concedatur, sacrilegæ tamen temeritatis est, asserere vltimū Heliam, ac si præcisa esset Deo manus, ne quem vel præstantiorem, vel parē postea emittat.

Ibidem, respondens VVestphalo, à quo accusabatur, quòd clarissimam veritatem contra conscientiam oppugnaret: Hæc, *inquit*, durior est calumnia, eius vt iniquitas toti mundo nota sit. Te Christe Fili Dei appello, vt nunc & in extremo die palam facias, tantusne vsquam furor animo meo obrepserit, vt doctrinam tuam vllo mendacio, vel corruptela inficerem. Quod si me ab hoc crimine purum & remotissimum esse vides, imò mihi fidus es testis, me syncerè & ex animo proficeri, quam ex sacrosancto Euangelio tuo didici fidem, tum diabolicam istorum hominum (*Lutheranorum*) maledicētiam compescas.

Georgius Hansfeldius.

Libro Germanico, qui inscribitur Wegweiser: Nullus impostor, aut circulator tam audax, proteruus, astutus, pestilens est, atq; sunt Lutherani. Eutyches, & nostri seculi Svvenckfeldius probitate & integritate eos superant.

Daniel Tossanus.

In suo consolatorio libello cap. 127. scribit: Lutherum hanc controuersiam Sacramentariam, instinctu maligni spiritus, sine vlla causa, contra Carlstadium mouisse.

Tigurini Theologi.

In Confessione Germanica, impressa Tiguri anno 1544. in 8. fol. 3. Superioribus diebus edidit Martinus Lutherus librum, quem inscripsit, *Breuis confessio de Sacramento*, in quo non obscurè pro hæreticis, Sacramentarijs, & sceleratissimis hominibus habet & condemnat Oecolampadium, Zuinglium, & omnes Tigurinos: liber plenus est dæmonijs, plenus impudicis dicterijs, scatet iracundia & furore, adeò vt omnes, qui tantùm non cum ipso insaniunt, satis admirari nequeant, hominem tam senem, tam exercitatum, tantæ existimationis, non potuisse suos sensus aliter cohibere, quò minus tam turpiter excandesceret: quia enim multum apud multos auctoritate valet, ea nos deterrere, in fugam vertere, & opprimere conatur.

Part. 3. fol. 123. Quia Lutherus monstrosum dogma inducere conatur de dextra Dei, non est mirum quod ait, nostros nescire, nec intelligere, quidnam sit Christi ad cælos ascensio. Nam proprij cerebri figmenta vsque adeò illi placent, vt quotquot illa haud secus ac Dei oracula ac reuelationes non recipiunt, pro asinis habeat, & nihil intelligere putet. Sed habeat nos quo velit loco, nos non possumus illius doctrinam de Christi ascensione, & sessione ad dextram Patris probare. Nam ad cælos ascendere illi nihil aliud est, quàm inuisibilem fieri.

Fol. 134. Lutherus Dei & diuini honoris oblitus, nos damnatā sectam vocat. Sed videat, ne huiusmodi iracundis & impijs dicterijs seipsum hæresiarcham declaret, dum cum ijs, qui Christū confitentur ac docent, cōmunicare non vult, nec potest. Sed quàm mirabilis est hic Lutherus, vnà cū suis diabolis, quàm impuris vtitur verbis, quot dæmonibus crepat. Pessimus, inquit, Satan Zuinglianos obsedit: idq; de die in diem magis magisq; habent dæmonium super se, per se, in corde & ore. Quis vnquam toto terrarum orbe talia audiuit ex ore hominum ratione præditorum, qui non essent furore ac dæmonio arrepti?

Ioannes Campanus.

In Colloquijs Latinis Lutheri Tom. 2 ca. de aduersarijs, fol. 354. Quàm certum est Deum esse Deum, tam certus & diabolicus mendax est Lutherus.

Ioannes à Lasko.

Teste Erasmo Alberolib. 3. contra Zuinglium, Lutherum passim crassum rusticum *vocat*.

Iosias Simlerus.

In vita Bullingeri fol. 55. Manifestum est ex scriptis Brentij, Illyrici, & Andreæ Musculi, eos ex Ascēsione euanescentiam seu disparitionem facere, & nunc non pudet alios publicè hoc idem magna contentione asserere. Quid autem hoc aliud est, quàm Mahometo viam sternere? Eadem ferè historia describunt Euangelistæ Christi Seruatoris nostri Incarnationem, Passionem, Resurrectionem, Ascēnsionem in cælum. Noui isti Theologi ex Ascensione faciunt euanescentiam seu disparitionem, & illis non videtur conuenire maiestati Christi, vt illi tribuatur corporalis motus & locatio. Quid igitur obstat, quò minus cum Mahometo negent eum verè passum esse, sed disparuisse, & Simonem Cyrenæum pro ipso crucifixum? Nonne passio & mors magis pugnant cum maiestate Christi, quàm Ascensio in cælum? Si enim articulum fidei licet illis impunè ex simplici sensu in allegoricum detorquere, qua facie se opponent alijs, idem tentantibus?

Martinus Bucerus.

Dialogo contra Melanchthonem: Accusatur (*Lutherus*) passim ab omnibus imperiosæ & acerbæ dicacitatis, eò quòd non patiatur sibi ab aliquo contradici: sed si exigit Lutherus, ne quis à se vlla in re dissentiat, probet se esse Deum. In vertēdis certè & explanandis Scripturis manifesti sunt, neq; pauci eius lapsus.

Heidelbergenses Theologi.

In Ordinatione Ecclesiastica: Lutheri & Brentij Catechismi extra Ecclesiam eijciantur, & eorū scripta nullam habeant auctoritatem.

Ioannes Sturmius.

Libro, quem edidit Neostadij Anno 1581. & inscripsit, Confessio Augustana Argentinensis, *fol. 15.* Iam de re agam deinceps, de horribili hæresi Vbiquitaria, de crassa ista māducatione, & plus quàm Capernaitica, & ostendam his quinque (Iacobo Andreæ, Pappo, Osiandro, Laonico, & Byzantino) me legisse iam tandē formulam Concordiæ, quæ primo aspectu virgo Ephesina, & Chalcedonensis Cōcilij doctrina esse videtur, sed non diu: statim enim post principia apparet collocata Diana Ephesina, mammosa ista Lestrica, illa latrocinatrix, illa hostis & profligatrix optimorum & doctissimorum hominum, quorum vxores & liberi in sordibus, & ærumnis durè, & auidè, & acerbè ætatem degunt.

In Palmodia ad Lucam Osiandrum: Nequaquam putaui ex Osiandrorū tam vetusta & Græca stirpe talem posse nepotem procreari, tam formæ speciei pulchrum, tam multarum linguarū, tam omnium horarum aulicum, hominem tam disertum: vt qua in re ego tres menses amplius cōsumpsi, tu eam quatriduo absoluas, idq; tam copiosè, tam prudenter. Peto à te, vt hanc mihi veniam des vnam, quòd te Hosiandrum, non Osiandrū salutarim: non enim te Græcum origine, sed Sueuum putabam, nomenq; te habere, vt re & nomine sis Caligula, à caliga, quam Germani Hosen vocant, non à religione & sanctitate, quam in te non ita magnam esse existimāram. Nunc calculos reduco, teq; non tantùm Osiandrum Græco nomine, sed etiam Græca stirpe; non fabri nepotem, sed ab Vlysse progenitū esse facilè assentior, maximè quòd fama sit vetus, teste Tacito, Vlyssem Græcum & sapientissimum hominem ex longo per Oceanum errore, etiam in Sueuiam vsque penetrasse. A quo si Althamero licuit Ilsingos deducere, cur tibi & mihi non liceat Hosiandros (Osiandros dicere volui: sæpe enim aut linguæ, aut calami, aut etiam oculorum, quos & tu, vt minus acutos, vno verbo in Antisturmio ferè extremo acutissimè notasti, vitio laboro) cur nobis, inquā, non liceat tuam stirpem Græcam dicere, ab eodē Heroë, aut certè eius comite Græco profectam? Vnde enim alioqui Græcum hoc nomen Osiander, etiam inter fabros & agricolas vsitatum, idq; iam pridem ante Græcam linguam in Germaniā à Capnione & Erasmo restitutam?

Conradus Regius.

Lib. Germanico contra Ioannem Hessum de Cœna Dōmini: Deus propter peccatum superbiæ, qua sese Lutherus extulit, quemadmodum pleraque ipsius scripta testificantur, verum illi spiritum abstulit, vti Prophetis illis 3 Reg. 22. atque in eius loco iracundum, fastuosum, atque mendacem spiritū dedit. Neque id mirum est, cùm eum à Carlstadio floreno aureo emerit, cuius rei nōdum pœnitentia ducitur. Atque hic mendax spiritus in omnibus ijs quoque manebit, qui partes ipsius sequuntur, nisi ad saniorem mentem reuertantur.

Theologi Casimiriani.

In Admonitione sua de libro Concordiæ Bergensis cap. 6. Hic verò nobis Theologi postremam suam machinam admouent, in qua ipsi victoriæ collocant, cùm alia ipsorū tela omnia iam ab aliquot annis sint excepta, confracta, repulsa, & in ipsos retorta, vt etiam in puerorum fabellas abierint. Quicquid alij Confessionis Augustanæ socij senserint, Doctorem Lutherum tamen aiunt aliter eam intellexisse, qui sit habendus præcipuus auctor Confessionis, & omni exceptione maior interpres. Ab huius ergo sententia de corpore Christi & Cœna Domini cùm discedamus, etiā à Scriptura, & à Confessione Augustana, & Ecclesia Catholica nos dissentire, ac proinde hæreseos iustè condemnari concludunt: suumq; librum, quia cum Luthero faciat, Augustanæ Confessioni congruere; nos autem à Luthero dissentientes, cum ea pugnare inculcant: atq; idcirco, cùm libri Bergensis dogmata, sine valido aliquo ferrumine, cū Augustana Confessione & Apologia connecti & cohærere non posse animaduerterent, excitis è corpore Doctrinæ libris à Philippo scriptis, Catechismos & articulos Smalcaldicos Lutheri in locum eorum reposuerunt, vt per alios libro suo aditum in Confessionem & nouum doctrinæ corpus pararent. Antequam igitur Theologi ostendant, nos à Deo dissentire & condemnari, nihil agunt, opponentes nobis opinionem & condemnationem Lutheri: sed propter illos, quibus fucum faciunt de auctoritate scriptorum Lutheri de Cœna Domini, cogūt nos admonere, qua cautione opus sit in lectione librorum Lutheri, &c. Cum Lutherus non fuerit Propheta, vel Apostolus, non sunt ad dogmata & verba ipsius alligandæ Ecclesiæ & cōscientiæ, mentes & linguæ omnium, quasi ab illis discedi non possit, sine discessione à Deo, à veritate, & Ecclesia, &c. Scimus istos Theologos, qui malunt subsistere in Catechismo Lutheri, quàm scrutari Scripturas, magnis clamoribus regerere, Lutherū esse Prophetam, quia & ipse immediatè, & extra ordinem à Deo excitatus ad officium propheticum, videlicet repurgationem Ecclesiæ: quia miracula fuerint res ipsius gestæ, & successus, & multa futura prædixerit: ideoq; sine exceptione tamquā Prophetam audiendum, qui errare non potuerit: nec desunt, qui Lutheri vaticinia collecta ediderint. Ne illudant nobis ambiguitate vocabuli Prophetæ, in veteri Testamento fuerunt Doctores immediatè & extra ordinariam vocationem missi à Deo ad declarandam & repurgandam doctrinam Legis, & il-

lustrandam nouis miraculis promissionem de Messia, habentes testimonia diuina, quòd non erraret in doctrina. Sed etiam in nouo Testamento nominantur Prophetæ, qui habebant donum prædicendi res futuras: aut qui habent donum explicandi, & ad vsus Ecclesiæ accommodandi doctrinam. Prophetarum, non autem accipiunt à Deo noua oracula. Si hoc tertio sensu nominant Prophetam, loquuntur quidē cum Scriptura Sed hoc genus Prophetæ habuerunt, & habent & nostræ, & ipsorum Ecclesiæ, vt ad solum Lutherum non sit restringendum, neque hoc donum eximit Doctores censuræ & periculo erroris. Sed hîc est quæstio, de prima vocis significatione, quæ sola facit doctrinam irreprehensibilem. Hāc prophetiam qui Luthero arrogant, se & alios fallunt. Testantur libri ipsius, testatur historia vitę ipsius, in scholis institutum fuisse, didicisse linguas & bonas artes, & qualis tunc erat Theologiam. Fuit vocatus ad docendum ordinariè à Principe suo & Academia VVittembergensi. Miraculum, quod ediderit, nullum audiuimus: nam fortunatio & defensio curriculi ipsius fuit beneficium Dei ordinarium, secundùm promissiones datas ipsum timentibus, ipsi fidentibus, ipsum inuocantibus. Quæ autem prędixit de pœnis ingratitudinis prolucę Euangelij donata, vel similia, non sunt noua oracula, sed veterum oraculorum Scripturæ ad nostra tēpora accommodatio, quam facere possunt & debent etiam alij fideles & prudentes Ecclesiæ Doctores & ministri. Hinc tertium quoque patet, quòd ipsius doctrina examini nō est exempta. Nunquam enim Lutherus sibi arrogauit priuilegium hoc propheticum, & officium aliquid addendi Scripturæ. Neque verò æquum est, anteponi & opponi Lutherum solum omnibus scriptoribus antiquis & recentioribus, & ex ipsius scriptis de omnibus ferre sententiam, nedum hæreseos damnari omnes, qui cum illo non consentiunt. Veteres enim tot seculis ante, quot vixerāt, orthodoxos agnouit Ecclesia vniuersa: nec recētium veteribus, sed potius veterum consensus recentibus auctoritatem conciliat: ideoq; veteres etiam aduersarijs opponi possunt, nō autem Lutherus, vel alij. Neoterici habuerunt, & habent alij quoque sua dona, alij alia, quæ variè Deus distribuit, nec Luthero, nec cuiquam alteri dedit omnia. Manifestum est igitur, illos pessimè de tota Christi Ecclesia mereri, & se suasq; Ecclesias aduersarijs iugulandas & deridendas propinare, qui Lutherum in catalogum Prophetarum referunt, tertium Eliam faciunt, examini & censuræ Ecclesiarum eximunt, & libros ipsius regulam iudicandi de veritate dogmatum Ecclesiasticorum constituunt. Quid existimabimus, ô Domini & fratres, nunc dicturū Lutherum, si reuiuisceret, his, qui illum tertium Eliam facientes, nec monachum, nec hominem esse meminerunt? Non difficile esset ex libris Lutheri proferre non pauca, in quibus hallucinatio eam manifesta est, vt & ipse Lutherus ea deinde retractauerit, & isti immodici ipsius laudatores non possint defendere. En exemplum Tomo septimo VVittembergensi folio 402. sic scribit: *Nos in Deum fiduciam nostram ponimus, qui à Maria corporaliter & spiritualiter in lucem hanc est editus, nec tamen corporaliter, nec spiritualiter ab ea manducari, & bibi voluit.* Quis vnquam dixit Christum spiritualiter esse in lucem editum à Maria? Quis potest asseuerare, Mariam nunquā in congressibus Ecclesiæ post ascēsionem Filij sui in cælum vsam esse Eucharistia, eiq; pro suis in se singularibus beneficijs egisse gratias? At secūdùm hanc Lutheri sententiam, aut nunquam communicauit cum Ecclesia, aut hoc faciens, nō manducauit Christum corporaliter. Cur igitur tota Ecclesia manducat carnem eius corporaliter, quæ causa discriminis? Cur soli Matri nō vera fuissent verba: *Hoc est corpus meum?* Sed verum est, quòd eū non manducauerit corporaliter, cùm sic eū manducet nemo. Quòd autem non sit manducatus à Maria spiritualiter, quomodo excusari poterit, Domino dicente: *Amen dico vobis, nisi ederitis carnem Filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis?* En aliud Tomo 3. Ienensi, in prima parte contra cælestes Prophetas: *Primùm dico secūdum legem Mosis nullam aliam imaginem prohibitam esse præter imaginem Dei: Crucifixi autem, vel alterius Sancti imaginem habere, non prohibitum est. Sicut Gallia non curat ius Saxonicum; sic ne ingeratur nobis Moses: nos in nouo Testamento Mosen nec videre, nec audire volumus. Item mandatū de statutis & Sabbato sunt caremoniæ, quæ suo modo sunt sublatæ.* At quomodo conueniunt hæc cū toties repetitis seueriſſimis Dei præceptis Exo. 23.34. Num.33. Deut.2. & 12. *Altaria eorum destruite, statuas confringite, lucos succidite?* Plura eius generis possunt ex Luthero colligi, sed non delectat nos collectio, mallemus ista sepeliri silentio, nisi aduersariorum improbitas cogeret nos quædā pijs hominibus, quos suis clamoribus fascinant, mōstrare; ex quibus constaret, non omnia sua Lutherū scripsisse spiritu prophetico, sed fuisse hominem, qui & errare potuerit, & errauerit: & super fundamentum Apostolicum non semper aurum & argentum, sed aliquando etiam stipulam & fœnū superstruxerit, cuius alias partes citius, alias serius, alias in fine demum vitæ deposuerit. Cùm itaque Lutherus non fuerit Propheta, non fuerit Helias, non fuerit Euangelista, cùm in multis errauerit, cùm in controuersia Cœnę pro norma habuerit non Verbum Dei, vt ipse gloriatur, sed inueteratam opinionem Papatus, & figmenta Scholasticorum: cùm multa in libris eius Eristicis nimis inconsideratè effusa sophismata, calumniæ, conuicia, hyperbolicè præter pietatē multa, & modestiam, confidenter & arroganter dicta, scurriles in rebus serijs lusus, mimorum sanne, & infacetæ facetiæ, cùm multa acerbè & iniuriosè scripta, non tantùm in Christi Ecclesias, in viros doctissimos, sanctissimos, innocentissimos, sed etiā in magnos Principes cōtumelioſa, & omnino Theologi Christiani, & tanti viri psona indignissima reperiantur: non debent, non debent inquā, Lutheri libri, Lutheri sententiæ esse norma Confessionis Augustanæ, aut doctrinæ de Cœna Domini.

Capite 1. Condemnantur in illo libro hæreseos, quos illi vocant Sacramentarios, hoc est, qui de Cœna, & persona Christi ab ipsis dissentiunt. Quodnam verò ob crimen? ob quem errorem? ob quam blasphemiam? Quia carneam & osseam verè humani corporis Domini nostri Iesu Christi substantiam in omnibus locis, & creaturis existere: in pane autem Cœnæ Dominicæ carnem, & in vino sanguinem eius, piorum & impiorum ore comedi & bibi non credūt. Hoc est illud grāde nefas & morte piandum, quod si non committeremus, iam exempti essemus anathemati.

Cap. 4. Postquam à nobis solidissimè & clarissimè ostensum est, in vtraque controuersia, de persona & de Cœna Christi, sacram Scripturā, Symbola, & antiquitatem Ecclesiæ, stare à nostris partibus; neque ab ipsis hoc refutari potest, vt semel se à disputatione liberent, & expeditiorem ad nos condemnandos viam ingrediantur, huc tandem redeunt, vt nos pertinaces & spinosos sophistas esse dicant, qui doctrinam Scripturæ & Ecclesiæ orthodoxæ versutis interpretationibus depraauemus: cum quibus non sit amplius disputandum: ad quorum dicta & scripta non tantùm aures & oculos, sed etiam regiones & vrbes claudi oportet:

teat: partim, ne cui subtile nostrum venenum adhæresçat & obrepat: partim, quia sumus iam dudum condemnati hæretici, qui veræ Christi Ecclesiæ nunquam fuerimus membra & socij.

Theodorus Beza.

In Creophagia Hesiusium *vocat* Doctorem asinum, Polyphemum, simiam, cothurnatum, vægrandem, pileatum asinum, canem in balneo, asinissimum sophistam, belluam, laruam, asinum mixtum ex simiarum & onagrorū specie, animal carniuorum, cyclopem, asinum sesquipedalem & furentem, dignum qui ex tilia penderet.

Epist. 55. Edidit Ismaël ille Illyricus libellum de peccato Originis, non modò ineptum & ridiculum, verùm etiam execrandum, vt qui doctrinæ de animarum mortalitate fundamenta manifestè iaceat. Nam si corrumpi potest animæ essentia, certè & interire. Et quis istum asinum ferre possit, simplices essentias, quas actus vocant, corruptioni subijcientem? Nempe qui similes amāt labris lactucas. Miseram Germaniam, quæ hæc monstra non tantùm tolerat, verùm etiam fouet, & quidem, vt audio, satis carè.

Epist. 59. Phanatici & impurissimi illius Ecclesiarum turbatoris liber de essentiali Christi iustitia.

Epist. 64. Helueticæ Ecclesiæ perstant in pace & veritate: Germanicas pergūt Vbiquitarij & Flacciani perturbare: quibus sanè nihil impudentius, nihil furiosius, nihil immanius denique fingi potest.

Thomas Naogeorgus.

In Satyris, fol. 169.

Vitemus noua dogmata improborum,
Qui se discipulos ferunt Lutheri,
Christi corporis ac Vbiquitatem
Aduersus sacra prædicare scripta,
Aduersusque fidem nihil verentur.

Pag. 170. ad Gallum:

Quid tu iudicium improbas Philippi?
Prauasq; euomis annotationes?
Nec cessas nihili sonare nugas?
Non cælestis eo indicas Magistri
Temet discipulum esse, sed Lutheri.
Qui cùm plurima scripserit per iram,
Carnalem per & æmulationem,
Ne succumbere cerneretur vlli:
Tum de corporis in sacra Synaxi
Tam præsentia inaniter reali,
Quàm crassa physicaq; sumptione
Doctorum veterum orbitam reliquit,
Indulgens stomacho suo, ac honori
Consultum cupiens. Nec ille dogma
Defendit magis absonum, minusq;
Auditum prius inter Orthodoxos:
Præsertim vetus abnegans Paparum
Commentum, subita super Lyæi
Panis propositiq; versione,
Prolatis modò verbulis quibusdam.
Vt rectè negat hoc, ita haud quit vnquam
Concors illius vllus æmulator,
Dirumpat licet ilia atque ventrem,
Scripturis, ratione nec probare,
Panem ac corpus idem esse vel fuisse
Christi: aut veram aliam esse sumptionem
Vllam corporis, aut sacri cruoris,
Quàm quæ fit modò spiritu, fideq;.
Signum percipiunt boni maliq;,
Sed diuersimodè: boni ad salutem.
Contra ad perniciem mali. Sed ipsum
Signatum capiunt, habentq; soli,
Qui Christum sibi traditum esse credunt,
A culpis per eumq; se redemptos.
Si solùm tibi cura veritatis,
Et pacis studium flagrans inesset,
Nec soli malè deditus Luthero
Nullo examine quæ edidit probares,
Non illum ex animo ferocienti
Scribentem temerè atque litigantem
Præferres animi viro quieti
Sedatiq; Melanchthoni Philippo,
Permultisq; alijs pijs bonisq;:
Qui nullo stomacho aut ferocitate,
Vulgaris neque quæstione laudis,
Magni nominis aut redemptione
Sanctis dogmata tradidēre sacra.

III. LVTHERANI ET SACRAMENTARIJ damnant Anabaptistas.

Martinus Lutherus.

Sermone contra Anabaptistas: Quòd dicunt Anabaptistæ, nusquam in Scripturis haberi, quòd aut habeant fidem, aut baptizari debeant infantes, fatemur nos id nulla Scriptura probare posse, quę clarè & manifestè talibus verbis dicat: Debetis pueros baptizare, nam & ipsi credunt. Si quis nos vrgeat ad demonstrādam eiusmodi literam, huic nos tamquam victori cedamus oportet: nusquā enim scriptum inuenimus. Boni autem, & ratione præditi Christiani, nihil à nobis tale exigunt: faciunt id contentiosi tantùm & præfracti homines, vt esse prudentes videantur. Cōtra verò nullam Scripturam proferunt, quæ dicat: Debetis adultos baptizare, non autem pueros. Mos ex Apostolorum traditione semper obseruatus docet, paruulos esse baptizandos, etiamsi nulla Scriptura id esse faciendum præcipiat.

NOTA. *Sicut nuper in Eucharistiæ Sacramento, ita nunc in paruulorum Baptismo defendendo, potissimum nititur Ecclesiæ auctoritate, quam tamen opponi sibi non vult, quoties ipse quacunque tandem de re, quamuis diuturna multorum seculorum consuetudine recepta, Scripturam à nobis exigit.*

In Colloquijs Germ. fol. 153. Muntzerus, Carlstadius, Campanus, & similes alij eorum sectarij, sunt meri corporei dæmones. Qui Muntzerum vidit, dicere potest, se vidisse diabolum corporeum in summo suo furore.

Nicolaus Amsdorfius.

Libro contra Sacramentarios: Anabaptistæ & Sacramentarij iam imponunt Germanis sua sanctimonia, quemadmodum imposuerunt monachi vniuerso mundo.

Conradus Schlusselburgius.

Catal. Hæret. lib. 12. (in quo Anabaptistarū errores repetit, & refutat) *in epist. dedicat.* Anabaptistica hęresis nostræ ætatis multiplex & monstrosa chimæra est, ex multis hæresibus nata, &c. Impius & blasphemus Anabaptistarum error, &c.

Ioannes Caluinus.

Institutione aduersus Anabaptistas: Si aduersus omnes errores & falsas opiniones Anabaptistarum scribere vellem, ingrederer abyssum, vnde mihi exitus non patēret. Nam ista colluuies ab alijs hę-

reticorum sectis in eo differt, quòd non tantùm certis in rebus errauerit, verùm sit immensum quoddam stupendorum deliriorum mare: adeò vt vix vnius Anabaptistæ caput reperiri possit, quod non sit imbutum aliqua opinione diuersa à reliquis. Itaque nullus esset operi finis, si impias omnes huius sectæ doctrinas excutere, aut etiam recitare vellem.

IV. ANABAPTISTÆ DAMNANT Lutheranos, &c.

Menno Simonis.

Libro, qui inscribitur Fundamentum, *cap. de doctrina Concionatorum*: Scio verè, quòd sint extra spiritũ, missionem, & verbum, & quòd in doctrina sua, & actionibus hominum fauorem, honorem, superbiam, reditus, splendidas domos, iucundam & voluptatibus affluentem vitam, non minus quærant, quàm Papistæ, &c. Vos ipsi ij estis, qui dissolutam carnalemq; vitam ducitis, qui Christum iterum crucifigitis, qui blasphematis Spiritum eius, & gratiam eius contemptui habetis, &c.

Libro de Christiana fide, tit. de fide Lutheranorum: Cùm ad Concionatores eius peruenitur, qui se gloriantur habere Dei verbum, quosdam manifestè & apertè mendaces, quosdam ebriosos, quosdam vsurarios, quosdam superbos ac fastuosos, quosdam calumniatores ac maledicos, conuiciatores, & proditores innocentium esse deprehendas. Quomodo autem illorum quidam se gerant, & qua ratione vxores suas consecuti sint, quales etiam vxores habeant, id ego Domino atq; ipsis etiam committo. Vitam quietam, otiosam, desidem, & iucundam ducunt, seductionibus & adulationibus se alunt de rapinis Antichristi, & tantum concionantur quantum terrenus, & carnalis magistratus ferre & audire vult, &c. Dissoluta sua carnaliq; doctrina dissolutum & carnalẽ populum ad eam morum turpitudinem vitæq; licẽtiam induxerunt, vt nec inter Turcas & Tartaros tam impij & abominandi inueniantur.

Libro de cruce Christi: Principio quidem, cùm (*Lutherani*) scribere ordirentur, de fide bene docuerunt, scilicet quòd fides Dei donum sit, quodq; eam non vllo ferreo gladio, sed tantùm verbo in hominum corda adigi oporteat, cùm assensus quidã sit cordis ac voluntatis. Verùm hanc ipsam doctrinam Doctores ante aliquot annos iterum deglutiuerunt, & (vt mihi videtur) in libris suis expunxerunt. Nam ex quo tempore Duces, Principes, ciuitates, & regiones, ad liberam suam carnalemq; doctrinam attraxerunt, contrarium longè latequé docuerunt, quemadmodum planum est ex eorum scriptis: atque ita multas pias mentes, quæ Deum timent, seditiosis suis scriptis & concionibus in carnificis manum detrudunt.

V. LVTHERANI, &c. DAMNANT Trinitarios.

Iosias Simlerus.

In Præfatione de æterno Dei Filio: Tritheitæ & Samosatheniani in Polonia non tantùm in doctrina de Deo, quod fundamentum est religionis, ab omnibus dissentiunt, sed semel à vero tramite digressi, prorsus nouum & portentosum doctrinæ genus excogitârunt, & c. Hinc facilè colligere possumus, quo in discrimine versantur Ecclesiæ Polonicæ, cùm illis præsunt Georgius Blandrata, & Franciscus Dauides, in quo Serueti spiritum quasi reuixisse eius scripta testantur. Quò autem regnum hoc vicinius est & coniunctius Mahometano imperio, eò plus soliciti sunt omnes, ne Samosatheniana doctrina aditus Mahometanæ paretur, cùm tanta sit vtriusque affinitas.

Conradus Schlusselburgius.

Catal. Hæreticorum libr. 1. (in quo Antitrinitariorum errores repetit, & refutat:) Antitrinitarij dicuntur hostes impij & blasphemi sacrosanctæ & adorandæ Trinitatis. Noui Ariani etiam appellantur à vetustissimo hæresiarcha Ario. Alij eos Anomeos seu Tritheitas appellant, quoniam dissimilitudinem, & inæqualitatem, & gradus quosdam Personarum Diuinitatis confingunt, & suis hypothesibus, quamuis id negare videantur, tres Deos faciunt. Noui isti Ariani recens exorti sunt in Polonia, Lithuania, & Transsyluania, ac eorum caput ac ducem se profitetur quidam *Gregorius Pauli*, minister Ecclesiæ Cracouiensis, homo impius, ambitiosus, & in blasphemijs effutiẽdis planè effrons, & ita quidem iactabundus, vt adscribere sibi cum alijs Arianis nõ vereatur excisionem Antichristi, & eiusdem extirpationem ab imis vsq; fundamentis: Lutherum enim vix minimã partem reuelationis & destructionis Antichristi reliquisse. Hic ille *Gregorius Pauli*, vnà cum alijs quibusdam Apostatis, quales fuerunt *Valentinus Gentilis* Consentinus, *Franciscus Dauidis*, *Georgius Blandrata* Salucienſis, *Matthæus Gribaldus* Iureconsultus, *Lelius Zozinus*, *Petrus Statorius*, *Ioannes Syluanus*, *Erasmus Ioannis*, *Adamus Neuserus*.

Catal. Hæret. lib. 11. de Seruetianis: Seruetiani nomen habent à Michaele Serueto Hispano, qui Samosateni, Arij, & multorum aliorum hæreticorum furores cœpit resuscitare, & spargere circa Annum Domini 1530. Nominantur etiam Antitrinitarij, quia doctrinam de sacrosancta Trinitate conuellere & næuis dedecorare conantur. Seruetus diu commoratus est Lutetiæ Parisiorum, in Gallia: inde in Africam se contulit, vt ibi Saracenicam linguam addisceret, & Alcoranum lingua ista conscriptum eo melius legere & intelligere posset. Hic igitur ex Alcoranõ Turcico sua illa dogmata didicit. Reuersus in Galliam sua venena cœpit disseminare. Edidit etiam publicis typis aliquot libros, quibus suas blasphemias propugnare & palliare conatus est. Tituli librorum sunt: *Libri de Trinitate 6. Dialogi de Regeneratione, Epistolæ quædam, Apologia,* & alia nonnulla. Biblia Lugduni impressa, cùm ibi correctorem ageret, glossis quibusdam impijs, suis erroribus accommodatis, scelerate & fraudulenter, veluti falsarius corrupit. Sectatores postea accepit plurimos, inter quos præcipuè fuerũt, *Valentinus Gentilis* Campanus, *Georgius Complatus* Medicus, *Gribaldus* Iurisconsultus celebris, *Ioannes Alciatus* Mediolanenſis, *Gregorius Pauli* Concionator Cracouiẽsis in Polonia, *Petrus Statorius*, *Gregorius Blandrata* Medicus, *Bernardus Ochinus*. Hi socij & stelliones in Polonia, Lithuania, Boruſſia istas hæreses sparserunt, postea etiã profecti sunt in Transsyluaniam,

vbi

vbi *Franciscus Dauidis* idem dogma defendere cœpit, cum quodam impio Ariano, qui dicitur *Leo Abbas*, &c. *Gregorius Pauli* edidit librum de controuersijs huius temporis, qui innumeris blasphemijs scatet. *D. Alesius* Theologus Lipsensis, *Caluinus*, & *Beza* Seruetianos refutârunt. Item *Iosias Simlerus*, *Georgius Maior*, *D. Ioannes VVigandus*, *Petrus Carolinus* Pannonius, & multi alij, &c. *Michael Seruetus* passim vagatus in Gallijs, vt sua impia zizania disseminaret, deinde Venetijs in Prouincia Lugdunensi propter blasphemias captus, euasit, quia professus est se hostem esse Lutheranorum, postea iudicio Dei mirabili deprehensus Geneuę, carceri mancipatus, atque ad dicendam causam postulatus est. Et quidem ipsemet *Caluinus*, coram Politico Magistratu, Geneuæ, eum de impijs & blasphemis dogmatibus accusauit, sicut ipse Caluinus in sua defensione recẽset. In carcere autem valde petulãtem se gerebat, ita vt à tetris blasphemijs in Deum, & horrendis conuitijs in Ministros Christi non abstineret. Audacissimus fuit in citãdis Autoribus, quos ille nunquam legit, nec potuit vlla ratione à sua sententia abduci. Tandem igitur Senatus Geneuensis, consultis de hisce doctrinis Serueti aliquot Helueticæ Ecclesiæ Ministris, publicè pronuntiauit eum capitis supplicio afficiendum esse. Hac sententia publicè pronuntiata, licet nonnihil consternaretur Seruetus, tamen in suis erroribus immotus perstitit, & vix potuit persuaderi, vt populus iuberetur pro se preces ad Deum fundere. Tandem igni traditur, idq; factum est Anno 1555. vt ex actis patet. Paucis postea annis elapsis, Geneuæ, tanquam ex fauillis Serueti, flammæ quædam iterum emicare atque exsurgere cœperunt: conuenerant enim eò ex Italia *Georgius Blandrata* Medicus, *Matthæus Gryhaldus* Iureconsultus, & *Paulus Alciatus*, ac *Valentinus Gentilis*, qui peragrata Italia eò quoque accesserant. Hi, vt erant omnes inquieto & turbulẽto ingenio prędi ti, de vsitatis in Ecclesia vocibus, *Trinitas*, *Hypostasis*, *οὐσία*, *ὁμοούσιος*, inter se clam disputare incipiunt, & Valentinus quidem ambitione erumpens, incipit clarius asseuerare, Ecclesias de Trinitate cum Pontificijs in graui errore versari. Proposita est autem à Geneuensibus Ministris Italicæ Ecclesiæ in ea vrbe confessio fidei de Deo, cui & inter alios se Gentilis subscripsit, verùm mox mutata sententia redit ad vomitum, suumq; contagium in angulis alijs affricare incipit. Vocatus, ait se stimulis conscięntię adactum, id feciſſe. Traditus carceri à Senatu, manifestè oppugnat doctrinam de Trinitate. Tandem conspiciens se elabi non posse, palinodiam ipsemet sua voce & manu canit. Verùm iudices politici ei pœnitentiam decernunt, propter blasphemias publicatas, vt Valentinus Gentilis omnibus vestibus exutis vsq; ad amiſiam, nudis pedibus ambulans se coram iudicibus prosternat, veniam expetat, proprijsq; manibus, in conspectu omnium, libros suos blasphemos & vestes exurat: denique vt tali modo, ad sonitum tubæ per omnes plateas ciuitatis circumducatur, in publicum & solemne testimonium actæ pœnitentiæ: postea verò iuramento præstito promisit ne absque venia Magistratus ciuitate exiret. Verùm Gentilis, violato iuramento, clam inscio Magistratu discessit, & ad *Grybaldum* suæ factionis hominem se Bagiarum recepit, vbi iterum suorum deliramentorum fundamenta colligit. Inde Lugdunum aduolat, ibiqúe Testimonia ex vetustissimis Patribus colligit, imò etiam ex Alcorano testimonia profert. Postea reuersus Bagiarum, Præfectum Bagiensem in ditione Bernensium accedit, vbi dimittitur tali quidem conditione, vt tranquillè viuat. Dimissus confessionem Præfecto antea traditam typis publicis curat inuulgari, & addit criminationes Diabolicas in Athanasium, quem Sathanasium appellabat: iterum autem Lugdunum reuersus, ibi carceri mandatur, propter disseminatas blasphemias: verùm ibi quoque simulans se bellum gerere Theologicum contra Lutheranos, elabitur. Postea in Poloniam venit accersitus à *Blandrata* Medico, & *Alciato*, vbi amplius biennio commoratus est. Cùm autem isti Seruetiani inter sese ipsos dissentire inciperent, & maximas turbas darent: nam *Blandrata* factus est Arianus, *Alciatus* Mahometista, sicut ipsemet Gentilis refert: Sigismundus Augustus Rex Poloniæ edictum publicum promulgauit, quo omnes peregrinos noui dogmatis alicuius auctores ac defensores, iubet regno cedere. Hac occasione & Valentinus Gentilis eiectus, in Morauiam transcurrit, vbi cum Anabaptistis consusurrat, inde Viennam Austriæ sese confert. Sed cùm nusquam stabilem locum reperisset, in Sabaudiam redijt, & quidem mirabili Dei iudicio Præfectum Bagiensem iterum accedit, expetens cum Bernatibus Theologis disputationem publicam: Præfectus commonefactus de hominis blasphemia & turbis, Valentinum carceri includit. Bernam igitur, iussu Magistratus, est deductus A.C. 1566 Ibi verò primùm postulauit Valentinus vt non haberetur reus, sed actoris partes sustineret, quia sua sponte eò venisset, nec sciret, quosnam habiturus esset aduersarios: prætendit etiam, se non esse conuictum de vlla hæresi. Tandem igitur de horrendissimis in Deum blasphemijs, de disseminatis manifestis ac pernitiosis erroribus, de seditiosis turbis, & de periurio iudicũ sententia pronuntiatur, vt ad præcauenda dissidia, & eliminandos tam tetros errores, capite plecteretur. Ductus igitur ad supplicium, pertinax in errore perseuerauit, & subinde gloriatus est, more omnium Hæresiarcharum & falsorum Doctorum, se pro gloria altissimi Dei pati, donec capite plexus & viuere, & blasphemias in Deũ euomere maledico ore desineret. Hæc patent ex actis, editis à Benedicto Aretio, Pastore Bernensis Ecclesiæ. Hisce igitur de medio sublatis, manserunt in Transsyluania maximè, istarum blasphemiarum acerrimi propugnatores, Ariani isti noui: neque verò in Polonia prorsus cõticuerunt. In Palatinatu denique, circa Rhenũ, Heidelbergæ potissimum, quidam Caluinistæ, inter quos *Adamus Neuserus* Pastor Ecclesię ad Spiritum sanctum primarius, & *Ioannes Sylvanus* fuerunt, semina huius hæreseos spargere cœperũt: verùm à summo istius loci Magistratu in carcerem coniecti sunt: vnus, nimirum *Adamus Neuserus*, è vinculis aufugiens, Constantinopolin profectus est, vbi Christiana Religione abnegata & abiurata, Circumcisione Turcica accepta, Mahometista factus est, & secundùm iustum Dei iudicium, in summa desperatione, malignam animam exhalauit. *Ioannes Sylvanus* verò capitali supplicio affectus est.

Ioannes Caluinus.

Refutat. errorum Michaelis Serueti: Quanquam inter alia errorum portenta, quibus Satan renascentis Euangelij lucem hac ętate obruere conatus est, apprimè detestabilis est impietatum congeries, quam Michael Seruetus libris editis euomuit: antehac tamen hominem non putaui ex professo refutandum, quia tanta suberat eius delirijs ab surditas, vt nullo contra pugnante, vltrò in fumũ abitura sperarem, &c.

Admonition. ad fratres Polonos: Crassum Stancari delirium meritò à fratribus Polonicis repudiatum est. Sed dum sibi ab vna Diaboli astutia cauẽt, obrepsit alter impostor Blandrata Stancaro deterior, &c.

VI. TRINITARII DAMNANT Lutheranos, &c.

Gregorius Paulus Brzezimensis.

Hosius in iudicio cēsura de adorand. Trinitate

Citante ex ἀυτογράφῳ Hosio: Hortor & obtestor vos per nomen Dei, & eius Filij Domini nostri Iesu Christi, dispicite diligentius ea, quæ vobis Dominus nondum aperuit. Non dederat omnia Luthero, plura dedit postea Zuinglio, & post eum alijs, dat & nunc cui vult, &c. Cauete vobis à Gabaonitis, qui imponebant populo Dei laceris vestibus, mucido pane, &c. Sub nomine Dei nostri se venire dicebant, & impositum esse ab illis populo Dei Scriptura dicit, quòd non consuleret os Iehouæ. Non imponant nobis Patres, Vetustas, Cōcilia: vetusti enim sunt isti panni, quos vos primi laceraſtis in alijs articulis fidei. Vnus sit magister noster Christus: Os Iehouæ consulendum, nō hominū. Sunt etiam plerique hic Gabaonitæ, qui vobis imponunt: amicos se profitentur, & nihil interea optant, quàm vt populum ad AEgyptum reducant varijs modis, & Cōfessione Augustana, quod vobis Dominus postea patefacier, &c. Cùm Lutherum Deus excitasset, Ecclesiam Antichristi per eum ita dirutam esse voluit, vt non à fundamentis inciperet: alioqui tam putrida domus eum prius oppressisset sua ruina: sed eam à tecto aggressus (vt fit in diruendis veteribus ædificijs) vastare cœpit primùm indulgentias Antichristi, quibus negatur satisfactio Christi, & gratuita remissio peccatorum: postea purgatorium aggressus, ignem illum culinarum Papisticarum frigida verbi Dei penitus extinxit: hinc inuocationē mortuorum, qui pro Mediatore vnico funditus abolito regnabant, pessum dedit: deinde peregrinationes, &c. Cùm venit ad profundiora, & fundamento viciniora, vt ad Missam, Deus bone, quàm furebat Satan? Extirpauit tamen Missam diu secum disceptans, & eius appendices retinēs: sed radices, ex quibus repullulascere potuit, non euulsit stirpitus: præsentiam eius in pane, carnis eius vbiquitatem, ac manducationē, quæ fit ore, retinens. Hîc iam hæsit Lutherus in doctrina de Sacramentis, nec Antichristum potuit funditus extirpare: eius etiam cæremonias Iudaicas & Gētiles pro legitimis vsurpauit. Surrexit postea Zuinglius, qui tandem Missam cum suo Deo panaceo, & omnibus appendicibus eius radicitus euulsit, ita vt nihil iam Antichristianismi in ea re reliquerit: Sacramenta non in se includere Christum docuit: neque etiam Sacramentis Dei gratiam alligauit: in cælum nos ad Christum relegare Sacramēta, deducereq́, & ad mortem Christi sub Pilato peractam fortissimè asseruit. Vbi verò iā suo ordine ad fundamentum ventum est, quod illis prioribus Athletis penitus repurgare ab Antichristi & eius Sophistarum putridis commentis datum non fuit, quantum Satan furit, & in quæ monstra se non vertit, vt suum Deum, ignotum Prophetis, Christo, Apostolis, Deum infinitum, Deum essentiam, Deum trinū, & alijs varijs & monstrosis nominibus vocatum defendat? qui pro vno solo vero Patre Domini nostri Iesu Christi, & pro Filio eius vnigenito Deo vero, ex illo verè genito, tum vno Spiritu sancto regnabat diu. Nobis verò, quicumque Christi ministri sumus, & membra eius corporis, summa ope adnitendum est, quò penitus hoc fundamentum ab Antichristi sordibus & Dijs fictitijs repurgatum, tantùm ex lapidibus verbi Dei substruatur Ecclesiæ Dei, quò tandem contra omnes inferorū portas in neutram partem inclinās, stare semper possit. Quoad enim aliquid putridum in fundamento manserit, metuendum ne tandem putrefacto fundamento, ædificium totum inclinet, & postea ruat, sicut factum est in Papatu, & nunc à nouo Sabellio, & illi similibus totam veritatem patefactam euersam Satan curat.

Budnæus Ebionita.

In Annotationibus in nouum Testamentum: Beza reprehendit Erasmum, quòd alicubi dixerit de loco Pauli 1. Timoth. 3. *Magnum est pietatis Sacramentum* &c. Mihi subolet Deum additum fuisse hoc loco apud Græcos aduersus hæreticos Arianos. Ipse miser Beza in hoc diabolo seruit, non Erasmus, qui manifestam veritatem conatur extinguere, & falsitatem substituere, qui etiam cum Antichristo Romano seruos Dei interfecit; sicut ante annos aliquot Valētinum Gentilem, virum pium, & accuratum diuinæ veritatis indagatorē, ad suppliciū adegit, & paulò ante Caluinus præceptor eius Michaēlem Seruetum.

Faustus Socinus Trideista.

Libro de Christi essentia fol. 12. ait: Volanum & suos vltra initia tam excellentis & salutaris viæ nūquam esse progressos, & in medio cursu Christi regni promouendi turpiter defecisse.

Fol. 17. Miror te tam parum in rerū diuinarum cognitione profeciſſe, vt multi, qui alioqui præ te rudes, stolidiq́ censeri debent, & vixdum sacrarū literarum volumina euoluere cœperūt, tibi iam palmam præripuerint, & iam ad diuini templi adyta propius accesserint, cùm tu adhuc in ipso atrij limine consistis.

Fol. 37. Non est igitur cur tantopere nostros irrideas, atq́ omni non Christiana modò charitate, sed humanitate etiam depositā, eos, nisi sententiam mutent, crudelissimo quouis mortis genere necandos censeas.

Fol. 270. Monueram ego fratrum nomine Volanum, vt posthac in scriptis suis aliquanto modestior esse vellet, nec ita, vt instituerat, nos cōuitijs & maledictis impetere, ac onerare pergeret: sed paruitne Volanus tam sanctæ admonitioni? Nihil minus: quin imò in hoc posteriori scripto suo nihil aliud egisse videtur, quàm vt nostros homines, me verò potissimū, probris & maledictis proscinderet, ac contumelijs premeret.

ARTICVLVS VNDECIMVS.

VITAE MORVMQVE SANCTIMONIAM ESSE CERTVM ORTHODOXÆ ECCLESIAE SIGNVM.

NEGANT.

Anno post natū Christū 1520.

MARTINVS Lutherus de seruo arbitrio contra Erasmum: *A nobis, qui negamus, sanctimonia & miracula exigi non debent: à vobis, qui asseritis, debent, &c. Miracula, Spiritum, sanctimoniam non exigimus.*

1550. Lutherani, sic à Luthero instructi, cùm veræ Ecclesiæ notas recensent, nullam sanctimoniæ mentionem faciunt. Ergo illam pro signo non agnoscunt.

ASSERVNT SACRÆ LITERÆ.

Psalm. 92. Vers. 5. Domum tuam decet sanctitudo Domine in longitudine dierum.

Cantic. 6. 9. Quæ est ista quę progreditur quasi aurora consurgens, pulchra vt luna, electa vt sol, terribilis vt castrorum acies ordinata?

Matthæi 7. 16. A fructibus eorum cognoscetis eos. Nunquid colligunt de spinis vuas, aut de tribulis ficus? Sic omnis arbor bona fructus bonos facit: mala autem arbor, malos fructus facit. Non potest arbor bona malos fructus facere: neque arbor mala bonos fructus facere.

Lucæ 1. 73. Iusiurandum quod iurauit *Dominus* ad Abraham patrem nostrum, daturum se nobis: Vt sine timore, de manu inimicorum nostrorum liberati, seruiamus illi In sanctitate & iustitia coram ipso omnibus diebus nostris.

Ephes. 5. 25. Viri, diligite vxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea: vt illam sanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ, vt exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi, sed vt sit sancta & immaculata.

Apocal. 21. 2. Ego Ioannes vidi sanctam ciuitatem Ierusalem nouam descendentem de cælo, à Deo paratam, sicut sponsam ornatam viro suo.

Symbolum Apostolorum: Credo sanctam Ecclesiam Catholicam.

CATALOGVS ILLVSTRIVM ECCLESIÆ Sanctorum ab origine mundi vsque ad annum 1580.

Anno Mundi 100. ante Christum 3868.

ABEL iustus, filius Adę, fide maiorem hostiam obtulit quàm Cain, per quam testimonio diuino pronuntiatus est iustus, testificante de donarijs ipsius Deo, & per hanc mortuus adhuc viuit. Iustitiam colebat, & in omnibus actionibus suis Deum præsentem ratus, virtuti operam dabat. *Genes. 4. Matthæi 23. Hebr. 11. Iosephus lib. 1. Antiq. cap. 3.*

Anno Mundi 930. ante Christum 3038.

ADAM primus homo obijt, qui è limo terrę conditus, postea astu serpentis per Euam seductus est; sed Sapientia eduxit illum à delicto suo, & dedit illi virtutem continendi omnia. *Sapientiæ 10.* In diuturno suo exilio Psalmis, & laudibus diuinis se consolabatur. Vnde Thalmudici inter vndecim libri Psalmorum auctores Adamum nominant, & scripsisse aiunt Psalmum 92. qui inscribitur: *Laus Cantici ipsi Dauid, in die ante Sabbatum, quando fundata est terra,* quo beneficium Creationis, & prouidentiam erga res creatas celebrat.

Anno Mundi 987. ante Christum 2981.

ENOCH ambulauit cum Deo, vaticinatus est de futuro iudicio, placens Deo translatus est in Paradisum, vt det Gentibus pœnitentiam. *Gen. 5. Ecclesiast. 44. Hebr. 11. Iudæ 1.*

Anno Mundi 1040. ante Christum 2926.

SETH, hoc tempore mortuus, vbi eò ætatis venit, vt iam quod rectum est discernere valeret, virtutis studio se totum dedidit, & cùm vir optimus euasisset, etiam nepotes sui similes post se reliquit: qui quoniam erant omnes bona indole

pręditi, & patriam absque seditione incolebant, in perpetua felicitate vitam exegerunt, & sydéralem scientiam, ac cælestium rerum cognitionem excogitauerunt. *Iosephus lib.1. Antiquit.cap.2.*

Anno Mundi 1140. *ante Christum* 2828.

ENOS filius Seth, nepos Adę, qui ad hoc vsque tempus superfuit, cœpit inuocare nomen Domini. *Genes.4.* non quòd ante ipsum hoc non fecerint Adam & Seth, sed quòd cùm illo tempore idololatria, fictitiorumqúe Deorum cultus Cainitarum impietate irreperet, ille solus cum sua familia veram & auitam religionem retinens, & defendens, sanctitati studuit. *Hebræi in Genesi magna.* Hinc ab Enos filij Dei, à Cain filij hominum dicuntur. *Genes.6.*

Anno Mundi 2006. *ante Christum* 1962.

NOE, qui vixit cum Enos 84. annis, cum reliquis, ante & post Diluuium, sanctis Patribus, vsque ad annum 58. ętatis Abrahæ, vir fuit iustus & perfectus in generationibus suis, octauus iustitiæ præco, Deo gratus & acceptus. *Genes.6.7. Eccles.44. 2.Pet.2. Iosephus lib.1. Antiquit.cap.4.*

Anno Mundi 2158. *ante Christum* 1810.

SEM vixit cum patre Noe, cum Abrahã, cum Isaac, cum Iacob. Constans Hebręorum sententia est, ipsum fuisse Melchisedech, Regem iustitiæ, sacerdotem Dei altissimi, qui Abrahamo benedixit, ac prędipuus ad hoc vsque tempus Ecclesiæ gubernator, & ad virtutem hortator extitit. *Hieronymus ad Euagrium, Alcuinus in quæstionibus in Genesin.*

ABRAHAM, qui vixit ijsdem quibus Sem temporibus, magnus Pater multitudinis gentium, & non inuentus est similis illi in gloria, conseruauit legem Excelsi, & fuit in testamento cum illo. In carne eius stare fecit testamentũ, & in tentatione inuentus est fidelis. Ideo iureiurando dedit illi gloriam in gente sua. *Genes.22. Eccles.44. Iosephus lib.1. Antiq.cap.8. & 17.*

ISAAC filius Abraham, vixit cum Sem 110. annis, eodem modo fecit propter Abraham patrem eius: benedictionem omnium gentium dedit ei Dominus, & testamentum suum confirmauit super caput Iacob: agnouit eum in benedictionibus suis. *Eccles.44.* Fide de futuris benedixit Iacob & Esau. *Heb.11.*

Anno Mundi 2200. *ante Christum* 1770.

IACOB filius Isaac vixit cum Sem 50. annis, mortuus est cùm vixisset annos 147. ex maioribus suis nulli pietate secundus, cuius digna præmia Dei benignitate est consecutus. *Iosephus lib. 2. Antiquit.cap.4.*

Anno Mundi 2260. *ante Christum* 1708.

IOSEPH filius Iacob, vir admirabili virtute præditus, in omnibus negotijs prudens, & potestate bene vsus: quibus artibus factum est, vt neque externum genus, neque calamitas quicquam offecerit, quò minus ad summam dignitatem eueheretur. *Iosephus lib.2. Antiq.cap.4.* In seruum venundatus est Ioseph: humiliauerunt in compedibus pedes eius, ferrum pertransijt animã eius, donec veniret verbum eius. Eloquium Domini inflammauit eum, misit rex, & soluit eum; princeps populorum, & dimisit eum. Constituit eum dominũ domus suę, & principem omnis possessionis suę, vt erudiret principes eius sicut semetipsum, & senes eius prudentiam doceret. *Psal.104.*

Eodem tempore IOB vixit vir simplex, & rectus, & timens Deum, & recedens à malo: qui accepto nuntio de interemptis filijs corruens in terram adorauit, ac dixit: Nudus egressus sum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc. Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum. In omnibus his non peccauit Iob labijs suis, neque stultum quid contra Dominum locutus est. *Iob 1.*

Anno Mundi 2332. *ante Christum* 1636.

LEVI filius Iacob moriturus, nunc, *inquit*, filij mei mando vobis, vt timeatis Dominum Deum vestrum ex toto corde, & ambuletis in simplicitate, secundùm legem ipsius: docete omnes filios vestros literas, vt habeant intellectum in omni vita eorum, legentes indesinenter legem Dei. Facite iustitiam filij mei in terra, vt inueniatis in cælis, & seminate in animis vestris bona, vt inueniatis ea vitę vestræ. *Testamentum duodecim Patriarcharum cap.2.*

Anno Mundi 2374. *ante Christum* 1594.

AMRAM nepos Leui, vir inter suos nobilis, promulgato Regis Ægypti edicto de necandis infantibus Hebræorum masculis, solicitus tum publico periculo, ne gens defectu iuuentutis ad nihilum redigeretur; tum priuatim, quòd domi prægnantẽm vxorem haberet, inopia consilij laborabat, & ad implorandum diuinum præsidium conuersus orabat, vt tandem miseraretur hominis, à quibus vnis perpetuò fuerit cultus, daretqúe finem prędictionis, quæ toti generi perniciem minaretur: Deus autem precibus supplicis ad misericordiam flexus, astitit ei per somnum, iussitqúe in futurum bene sperare, memorem se pietatis eorum à maioribus acceptæ, nec ipsis defutura præmia, sicut nec progenitoribus defuisse. *Iosephus lib.2. Antiq.cap.5.* Hinc *Heb.11.* Fide Moyses natus occultatus est mensibus tribus à parentibus suis, eò quòd vidissent elegantem infantem, & non timuerunt Regis edictum.

Anno Mundi 2453. *ante Christum* 1515.

MOYSES filius Amram dilectus Deo & hominibus, cuius memoria in benedictione est: similem illum fecit in gloria Sanctorum, & magnificauit eum in timore inimicorum, & in verbis suis monstra placauit: in fide & lenitate ipsius sanctum fecit illum, & elegit eum ex omni carne. *Eccles.45.* Moyses grandis factus fide negauit se esse filiũ filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere iucunditatem: maiores diuitias ęstimans thesauro Ægyptiorum improperium Christi. Aspiciebat enim in remunerationẽ. Fide reliquit Ægyptum, non veritus animositatem regis: inuisibilem enim tamquam videns sustinuit. Fide celebrauit Pascha, & sanguinis effusionem, ne qui vastabat primitiua, tangeret eos. *Heb.11.*

Anno Mundi 2493. *ante Christum* 1475.

IOSVE, seu Iesus Naue, successor Moysis, fortis in bello, magnus fuit secundùm nomen suum, maximus in salutem electorum Dei, expugnare insurgentes in hostes, vt consequeretur hæreditatem Israel. In iracundia eius impeditus est sol, & vna dies facta est quasi duo. Inuocauit Altissimum potentem in oppugnando inimicos vndique, & exaudiuit illum magnus & sanctus Deus in saxis grandinis virtutis valde fortis. *Ecclesiastici 46.*

Anno Mundi 2551. *ante Christum* 1417.

PHINEES filius Eleazari tertius in gloria, imitando Aaron in timore Domini, & stare in reuerentia gentis: in bonitate & alacritate animæ suę placuit Deo Israel. Ideo statuit illi testamentum pacis, principem sanctorum, & gentis suę, vt sit illi & semini eius sacerdotij dignitas in æternum. *Eccles.45.*

Anno Mundi 2631. *ante Christum* 1337.

DEBORA Prophetissa, vxor Lapidoth, iudicabat

populum in illo tempore, quę misit & vocauit Barac, dixitqúe ad eum: Prędepit tibi Dominus Deus Israël, vade, & duc exercitũ in montem Thabor: parta diuinitus victoria cecinerũ Debora & Barac dicentes: Qui sponte obtulisti de Israël animas vestras ad periculum benedicite Domino, &c. *Iudicum 4. & 5.*

Anno Mundi 2671. *ante Christum* 1297.

Ad GEDEONEM venit Angelus Domini, & dixit: Dominus tecum virorum fortissime, vade in fortitudine tua liberabis Israel de manu Madian, scito quòd miserim te. Aedificauit Gedeõ ibi altare Domino, vocauitqúe illud Domini pax: iussu Dei destruxit altare Baal, & ædificauit altare Domino, &c. *Iudicum 6.* Ephræm tribus iniquo animo ferens Gedeonis fortunam bonam, bello eum petere decreuit: Gedeon omni virtute summus modestè respondit, se non suo arbitratu hostem absque illis aggressum, sed iussu diuino. *Iosephus lib.5. Antiquit.cap.8.*

Anno Mundi 2715. *ante Christum* 1253.

RVTH Moabitis socrum osculata, ne aduersetis, inquit, mihi vt te relinquam, & abeã: quocunque perrexeris, pergam: vbi morata fueris, ego pariter morabor: populus tuus, populus meus; Deus tuus, Deus meus; quæ terra te morientem susceperit, in ea moriar. Hęc mihi faciat Deus, hęc addat, si non sola mors me & te separauerit. *Ruth 1.*

Anno Mundi 2759. *ante Christum* 1209.

Super IEPHTE factus est Spiritus Domini, & circumiens Galaad & Manasse, & inde transiens ad filios Ammon votum vouit Domino, &c. Transiuitqúe Iephthe ad filios Ammon, vt pugnaret contra eos, quos tradidit Dominus in manus eius. *Iudicum 11.*

Anno Mundi 2782. *ante Christum* 1186.

MANVE per Angelum certior factus, sterilem vxorem concepturam & parituram filium, tulit hœdum de capris, & libamenta, & posuit super petram, offerens Domino, qui facit mirabilia. *Iudicum 13.*

Anno Mundi 2790. *ante Christum* 1178.

SAMSON filius Manue creuit, benedixitqúe ei Dominus, cœpitqúe Spiritus Domini esse cum eo in castris Dan inter Saraa & Esthaol. *Iudicum 13.*

IVDICES singuli suo nomine, quorum non est corruptum cor, qui non sunt auersi à Domino, vt sit memoria illorum in benedictione; & ossa eorum pullulent de loco suo, & nomen eorũ permaneat in æternum, permanens ad filios illorum sanctorum virorum gloria. *Ecclesiast.46.*

GEDEON, BARAC, Samson, Iephte, Dauid, Samuel, & Prophetæ per fidem deuicerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones, obturauerunt ora leonum, extinxerũt impetum ignis. *Hebræorum 11.*

Anno Mundi 2810. *ante Christum* 1158.

ELCANA Ephrateus ascendebat de ciuitate sua statutis diebus, vt adoraret & sanctificaret Domino exercituum in Silo. ANNA vxor eius sterilis orauit Dominum, & flens largiter, votum vouit dicens: Domine exercituum, si respiciens videris afflictionem famulæ tuæ, dederisqúe seruæ tuæ sexum virilem, dabo eum Domino omnibus diebus vitæ eius, &c. Orauit Anna, & ait: Exultauit cor meum in Domino, & exaltatum est cornu meum in Deo meo, &c. *1.Reg.1. & 2.*

Anno Mundi 2850. *ante Christum* 1118.

SAMVEL proficiebat, atque crescebat, & placebat tam Deo, quàm hominibus, ministrabat Domino coram Heli, Propheta Domini, dilectus à Domino Deo suo: numeratur inter eos, qui inuocant nomen Domini. *1.Reg.2. & 3. Psalm.98. Eccles.46.*

Anno Mundi 2886. *ante Christum* 1082.

DAVID in omni opere dedit confessionem Sancto & Excelso in verbo glorię, de omni corde suo laudauit Dominum, & dilexit eum, qui fecit illum, & dedit illi contra inimicos potentiam, & stare fecit cantores contra altare, & in sono eorum dulces fecit modos, & dedit in celebrationibus decus, & ornauit tempora vsque ad consummationem vitæ, vt laudarent nomen sanctum Domini, & amplificarent manè Dei sanctitatem. *Eccles.47.*

Anno Mundi 2931. *ante Christum* 1037.

AHIAS SILONITES Propheta celebratur *3.Reg.11. & 14. 2.Paral.10.*

Anno Mundi 2970. *ante Christum* 998.

SEMEIAS homo Dei celebratur *2.Paral.11.*

Anno Mundi 2990. *ante Christum* 978.

AZARIAS filius Obed facto in se Spiritu Dei egressus est in occursum Aza, & dixit ei: Audite me Aza, & omnis Iuda, & Beniamin: Dominus vobiscum, quia fuistis cum eo, si quæsieritis eum, inuenietis: si autem dereliqueritis eum, derelinquet vos. *2.Paral.15.*

Anno Mundi 3000. *ante Christum* 968.

HANANI Propheta venit ad Asam Regẽ Iuda, & dixit ei: quia habuisti fiduciam in rege Syrię, & non in Domino Deo tuo, idcirco euasit Syriæ Regis exercitus de manu tua. Oculi Domini contemplantur vniuersam terram, & præbent fortitudinem his, qui corde perfecto credunt in eum. *2.Paral.16.*

Anno Mundi 3032. *ante Christum* 936.

IOSAPHAT ambulauit cum Deo in vijs Dauid Patris sui primis: non sperauit in Baalim, sed in Deo patris sui, & perrexit in præceptis illius, & non iuxta peccata Israel; quamobrem & Deus fuit cum eo. *2.Paral.17.*

Anno Mundi 3040. *ante Christum* 928.

ELIAS Propheta, currus & auriga Israel, surrexit quasi ignis, & verbum ipsius quasi facula ardebat: qui induxit in illos famem, & imitantes illum inuidia sua pauci facti sunt. Non enim poterant sustinere præcepta Domini. Quis potest similiter gloriari illi? Vnxit Reges ad pœnitentiam, & Prophetas fecit successores post se, receptus est in turbine ignis, in curru equorum igneorum, qui inscriptus est in iudicijs tẽporum lenire iracundiam Domini, conciliare cor patris ad filium, & restituere tribus Iacob. *Eccles.48.*

Anno Mundi 3060. *ante Christum* 908.

ELISAEVS spiritu Eliæ completus, in diebus suis non pertimuit Principem, & potentia nemo vicit illum, nec superauit illum verbum aliquod, & mortuum prophetauit corpus eius. *Ecclesiastici 48.*

Anno Mundi 3128. *ante Christum* 840.

IONAS Propheta concionatus Niniuitis pœnitentiam, illorum vrbem à subuersione liberauit. Prophetauit quoque Christum non tam sermone, quàm sua quadam passione: profectò apertius, quàm si eius mortem & resurrectionem voce clamaret. Vt quid enim exceptus est ventre beluino, & die tertio redditus, nisi vt significaret Christum de profundo inferni die tertio redituru[m]? *August. de Ciuit. Dei lib.18. cap.30.*

Anno Mundi 3140. *ante Christum* 828.

OSEAS Propheta taxat idololatriam populi Iudaici, comminatur vastitatem per Assyrios, adhortatur ad pœnitentiam, concionatur de Christo, de Ecclesia, de remissione peccatorum.

Anno Mundi 3380. *ante Christum* 788.

AMOS Propheta subito ac diuino oraculo vocatus, hortatur ad pœnitentiam, accusat peccata, comminatur pœnas horrendas.

Anno Mundi 3200. *ante Christum* 768.

MICHAEAS prophetauit contra Hierusalem & Samariam, & contra Prophetas populi seductores, & contra Achab. Prænuntiauit etiam aduentum Seruatoris. *Athanas. in Synopsi.* Tanto ardore complexus est suos, vt anathema esse optârit pro fratribus. *Hieron. in Michæam lib. 1. cap. 2.*

Anno Mundi 3220. *ante Christum* 748.

ESAIAS Propheta sanctitate, doctrina, & cõsilijs per annos 80. tandem propter pietatem ab impio Manasse serra dissectus obijt. *Lyra. lib. 4. Reg. cap. 21. ex lib. Iybamoth.*

Anno Mundi 3227. *ante Christum* 741.

EZECHIAS Rex Iuda fecit quod placuit Deo, & fortiter iuit in via Dauid patris sui, quã mandauit illi Isaias Propheta magnus, & fidelis in conspectu Dei. In diebus ipsius retro redijt sol, & addidit Regi vitam. *Ecclesiastici 48.*

Anno Mundi 3240. *ante Christum* 728.

TOBIAS in captiuitate positus viam veritatis non deseruit, ita vt omnia quæ habere poterat quotidie concaptiuis fratribus, qui erant ex eius genere, impertiret: cumque esset iunior omnibus in tribu Nephtali, nihil tamen puerile gessit in opere: filium ab infantia timere Deum docuit, & abstinere ab omni peccato, esurientes alebat, nudis vestimenta præbebat, mortuis atque occisis sepulturam solicitus exhibebat. *Tobiæ 1.*

Anno Mundi 3280. *ante Christum* 688.

IVDITH pręclara vidua, habens super lumbos suos cilicium, ieiunabat omnibus diebus vitę suæ præter Sabbata & neomenias & festa domorum Israel: erat in omnibus famosissima: quoniam timebat Dominum valde, nec erat qui loqueretur de illa verbum malum. *Iudith 8.*

Anno Mundi 3316. *ante Christum* 652.

IOSIAS Rex octo annorum erat cùm regnare cœpisset, & triginta vno anno regnauit; fecitque quod placitũ erat corã Domino, & ambulauit per omnes vias Dauid patris sui: non declinauit ad dexterã, siue ad sinistram. *4. Reg. 22.* Ipse est directus diuinitus in pœnitentia gentis, & tulit abominationes impietatis, & gubernauit ad Dominum cor ipsius, & in diebus peccatorũ corroborauit pietatem. Præter Dauid, & Ezechiam, & Iosiam omnes peccatum commiserunt. *Eccles. iast. 49.*

Anno Mundi 3330. *ante Christum* 638.

IEREMIAS in vtero matris sanctificatus, missus ad prophetandum causatur pueritiam, sed doctus à Deo accipit robur inuincibile, iubeturque vaticinari destructionem Hierusalem sub nomine virgæ & ollæ succensæ. *Ieremiæ 1.*

Anno Mundi 3350. *ante Christum* 618.

IOACHIM accepit vxorem nomine SVSANNAM, pulchram nimis, & timentem Deum. Parentes enim illius cùm essent iusti, erudierunt filiam suam secundùm legem Mosi. Cùm esset in pomario, surrexerunt senes, accurrerunt ad eam, & dixerunt: Ecce ostia pomarij clausa sunt, & nemo nos videt, & nos in concupiscentia tui sumus. Quamobrem assentire nobis: quòd si nolueris, dicemus contra te testimonium, quòd fuerit tecum iuuenis. Ingemuit Susanna, & ait: Angustię sunt mihi vndique: Si enim hoc egero, mors mihi est: si autem non egero, non effugiam manus vestras: sed melius est mihi incidere in manus vestras, quàm peccare in conspectu Domini. *Daniel. 13.*

Anno Mundi 3360. *ante Christum* 608.

DANIEL in Babylonem captiuus abductus, proposuit in corde suo, ne pollueretur de mensa Regis, neque de vino potus eius. Ingressus domũ suam, & fenestris apertis, in cœnaculo suo contra Ierusalem tribus temporibus in die flectebat genua sua, & adorabat, confitebatur quę coram Domino Deo suo. *Daniel. 1. & 3.*

ANANIAS, MISAEL, & AZARIAS iussi adorare statuam Regis sub pœna mortis, dicunt Regi: Ecce Deus noster potest nos eripere de camino ignis ardentis, & de manibus tuis liberare. Quòd si noluerit, notum tibi sit Rex, quia Deos tuos non colimus, & statuam auream, quam erexisti non adoramus. Confestim vincti in fornacem ignis mittuntur, sed illæsi seruantur. *Danielis 3.*

Anno Mundi 3442. *ante Christum* 526.

AGGAEO Propheta concionante, suscitauit Dominus spiritum ZOROBABEL filij Salathiel Ducis Iuda, & spiritum IESV filij Iosedech sacerdotis magni, & spiritum reliquorum, de omni populo, & ingressi sunt, & faciebant opus in domo Domini exercituum Dei sui. *Aggæi 1.*

Anno Mundi 3500. *ante Christum* 468.

ESDRAS apud Babylonem degentiũ Iudæorum primarius erat sacerdos, vir iustus, legum Mosaicarum peritissimus, & de quo optimus rumor fuit apud populum. *Iosephus lib. 11. Ant. cap. 5.*

Anno Mundi 3564. *ante Christum* 404.

NEHEMIAS iam senex defunctus est, vir ad virtutem & iustitiam natus, & in populares suos beneficentissimus. *Iosephus lib. 11. Antiq. cap. 5.*

Anno Mundi 3636. *ante Christum* 332.

IADDVS Pontifex postquam audiuit Alexandrum expugnata Gaza Hierosolymam petere, solicitus hærebat, inops consilij, nec inueniens quomodo regem deberet excipere iratum, eò, quòd antea neglexisset imperata eius facere: indictis populo supplicationibus, & immolatis Deo victimis, ad opem eius confugit, illi publicam salutem commendans. Proxima deinde post sacrificium nocte in somnis ei Deus apparuit, iubens vt bono esset animo, & coronata vrbe portas aperiret, &c. *Iosephus lib. 11. Antiq. cap. 8.*

Anno Mundi 3668. *ante Christum* 300.

SIMON Oniæ filius, sacerdos magnus, qui in vita sua suffulcit domum, & in diebus suis corroborauit templum, quasi stella matutina in medio nebulę, & quasi luna plena in diebus suis lucet, & quasi sol refulgens, sic ille effulsit in templo Dei. In ascensu altaris sancti, gloriam dedit sanctitatis amictum. *Ecclesiastici 50.*

Anno Mundi 3680. *ante Christum* 280.

ELEAZARVS Pontifex misit Ptolemæo Philadelpho SEPTVAGINTA DVOS VIROS eruditione & pietate insignes, qui Legem & Prophetas de Hebræo in Græcum transtulerunt. *Iosephus lib. 12. Antiquit. cap. 2.*

Anno Mundi 3730. *ante Christum* 230.

ELEAZARVS Scriba, inde vsque ab ineunte ætate optimæ conuersationis, annorum nonaginta, tempore persecutionis sub Antiocho, cùm cõtra legem Dei iuberetur vesci carne porcina, maluit mori, quàm quicquam contra legem Dei sui committere: *2. Mach. 6.*

Anno Mundi 3800. *ante Christum* 168.

MATHATHIAS cum filijs luget afflictionẽ ciuitatis, & sanctorum profanationem, ostensisque signis mœstitiæ dicit, nec se, nec cognationem suam impio decreto obtemperaturos: occisisque idololatris fugit cum filijs in montes, collecto piorum exercitu, reuocat Dei cultum, destruit idololatriam, moriturus hortatur filios, vt patrũ exemplo semper tueantur Legem Domini. *1. Machab. 2.*

SEPTEM FRATRES MACHABAEI vnà cum MATRE cùm compellerentur à Rege edere contra fas carnes suillas, vnus ex illis, qui erat primus, sic ait: Quid quæris, & quid vis discere à nobis? Parati sumus mori magis, quàm patrias leges præuaricari. *2. Mach. 7.*

ONIAS Pontifex, vir pius & sanctus, sua pietate effecit, vt sancta ciuitas habitaretur in omni pace, reges & principes locũ summo honore dignum ducerent. *2. Mach. 3.* Vir fuit bonus, & benignus, verecũdus visu, modestus moribus, eloquio decorus, & à puero in virtutibus exercitatus. *2. Machab. 15.*

IVDAS MACHABAEVS semper confidebat auxilium sibi à Deo adfuturum, & hortabatur suos, ne reformidarent ad aduentum nationum, sed in mente haberent adiutoria sibi facta de cælo, & nunc sperarent ab omnipotente sibi factam victoriam. *2. Mach. 15.*

Anno Mundi 3836. *ante Christum* 132.

HYRCANVS seditione sedata, & post hanc exacta vita feliciter, elapsis vno & triginta annis eius imperio moritur, tribus maximis à Deo habitus dignus honoribus, principatu gentis Iudæorum, & pontificatu, & prophetia. *Iosephus libro 13. Antiquit. cap. 18.*

Anno Mundi 3900. *ante Christum* 68.

ONIAS vir iustus ac Deo carus, cùm à Iudæis rogatus, vt Aristobulum, eiusque socios diris deuoueret: Deum potius orasset, ne populum contra sacerdotes exaudire vellet: à quibusdam perditis obrutus fuit lapidibus. Non defuit tamen diuina vindicta, crudelitatẽ continuò vlciscens. *Iosephus lib. 14. Antiq. cap. 3.*

Anno Mundi 3904. *ante Christum* 64.

SACERDOTES HIEROSOLYMITANI tanto animo rem diuinam curabant, vt quamuis capto templo hostis irrumpens obuios quosque necaret, Sacris tamen minimè deessent, passuri potius quicquid liberet victori, quàm aliquid patrijs legibus præscriptum omissuri. *Iosephus lib. 14. Antiquit. cap. 8.*

Anno Mundi 3908. *ante Christum* 60.

SAMEAS vir iustus, & ob hoc inuictus terroribus, assurgens sic exorsus est, &c. Herodes Sameam in honore habuit propter iustitiam. *Iosephus lib. 15. Antiquit. cap. 18.* Dicebat, fac legem tuam fixam: loquere parum, & fac multum, & excipe quemuis hominem placido vultu. *Hebræi in capitulis Patrum.*

HILLEL doctrina clarissimus, octoginta discipulos, quos filios suos nũcupabat, omni scientiarum ac virtutum laude ad miraculum fecit ornatos. *Petrus Galat. lib. 1. cap. 2.*

Tempore Natiuitatis Christi Saluatoris.

SIMEON vir iustus, ac timoratus, exspectans consolationem Israel, responso accepto à Spiritu S. non visurum se mortẽ, nisi prius videret Christum Domini, in templo puerum Iesum accepit in vlnas suas, & benedixit Deum *Lucæ 2.*

ANNA Prophetissa, filia Phanuel, postquam à virginitate sua annos septem cum viro suo trãsegisset, reliquum vitę tempus in viduitate traducens, octuagenaria maior nunquam discedebat de templo, ieiunijs & obsecrationibus Deo seruiens die ac nocte: loquebaturq; omnibus de Christo dum in templo præsentaretur. *Lucæ 2.*

ZACHARIAS & ELIZABETH ambo iusti, incedebant in omnibus mandatis & iustificationibus Domini sine querela. *Lucæ 1.*

IOSEPH vir Mariæ cùm esset iustus, noluit eam traducere. *Matth. 1.*

MARIA virgo mater Saluatoris quàm sancta & superbenedicta fuerit, sup. libro 3. art. 1. ostensum est.

IOANNES BAPTISTA in vtero matris sanctificatus, vitam mirè austeram à teneris egit in deserto, prædicans baptismum pœnitentiæ; testimonium illustre consecutus à Christo, inter natos mulierum ipso sanctiorem surrexisse neminem. *Matth. 3. 4. 11. Mar. 1. 6. Lucæ 1. 3. 7. Ioan. 1. 3. 5.* Hunc necauit Herodes Tetrarcha virum optimum, excitantem Iudæos ad virtutum studia, & baptismi lauacrum; quod tum Deo gratum fore dicebat, si non ab vno alterove peccato, sed ab omni prorsus abstinerent, ac puritati corporis & animæ simul operam darent. *Iosephus libro 18. Antiquit. cap. 7.*

SIMON & ANDREAS fratres à Christo ad mare Galilææ vocati relictis retibus eum secuti sunt.

IACOBVS item Zebedęi, & IOANNES frater eius, relictis retibus & patre Christum vocantem secuti, postmodum facti sunt piscatores hominum *Matth. 4.*

Tempore Apostolorum.

Omnes, qui credebant, erant pariter, & habebant omnia communia. Possessiones & substantias vendebant, & diuidebant omnibus prout cuique opus erat. Quotidie quoque perdurantes vnanimiter in templo, & frangentes circa domos panes, sumebant cibum cum exultatione & simplicitate cordis, collaudantes Deum, & habentes gratiam ad omnem plebem. *Act. 2.*

Anno Christi 50.

PETRVS Apostolus relictis omnibus Christum secutus, sublimis operibus, clarus magisterio, id sedulò egit, vt quisque bonis operibus vocationem suam certam faceret, qui cùm pro eleemosyna rogatus aurum & argentũ non haberet, quod habuit dedit, præcipiens claudo scilicet, vt in nomine Christi surgeret atq; ambularet. Condemnatus ad crucem, capite terram versus affigi voluit, ne Christo Domino suo similis videretur. *Matthæi 4. Actor. 3. 2. Petri 1. Egesipp. de excid. Hierosol. libro 3. cap. 2.*

PAVLVS Apostolus, ne cuiquam onerosus esset, gratis Euangelium prædicauit, & plus cęteris omnibus laborauit, magis optans anathema fieri, quàm ex fratribus aliquem perire. *2. Corinth. 11.*

IACOBVS frater Domini, ob insignem iustitiæ & sanctitatis laudem Iustus appellatus, à vino, sicera, & carnibus semper abstinuit, nunquam vel capite rasus, vel corpore oleo perũctus, aut balneis lotus. Huic soli in Sancta Sanctorum ingredi licuit, adeoque in fundẽdis precibus fuit sedulus, vt genua eius ex perpetua flexione callo obduruerint. *Egesip. apud Euseb. libro 2. cap. 22. Eccles. Histor.*

IOANNES Apostolus & Euangelista, virginis titulo decoratus ob spretam carnalem illecebram, tanto amore erga Christum & fratres arsit, vt sacrosanctum eius pectus velut caminus

quidam diuini videretur incendij. *Petrus Damianus de excell. Ioannis Euangelistæ.*

Anno Christi 100.

IGNATIVS tanto amore captus est moriẽdi propter Christum, vt valde metuerit bestias, ad quas damnatus erat, sibi nihil obfuturas; optaueritqúe vt vel crudelissimè ab illis discerperetur. Quòd si nolint, *inquit*, me contingere sponte, ego illas adigã; aut blanditijs etiã demulcebo, vt crudelius me deuorent. *Ipse in epistola sua ad Romanos.*

Anno Christi 150.

POLYCARPVS Ioãnis Apostoli discipulus, cũ multis qui Dñm viderunt conuersatus est. Qui grandi ætate confectus, Christum iniurijs afficere à Smyrnæ Proconsule iussus, respondit: Octoginta sex annos se illi iam inseruijsse, nec vllo hactenus affectum incommodo; & proinde iniquũ valde fore, si in Dñm tam benignum ac bonũ incipiat esse contumeliosus. Vnde condemnatus ad ignem gloriosissimè ac nobilissimè martyriũ faciẽs, exiuit de vita. *Irenæus lib. 3. c. 3. Smyrn. in epistola de Martyrio Polycarpi apud Eusebium lib. 4. cap. 14.*

Anno Christi 170.

FELICITAS in persecutione deprehensa, septem filiorum suorum corda in amore & desiderio supernæ patriæ roborauit prædicãdo; & quos carne pepererat mundo, per sanguinis effusionẽ in martyrio peperit Christo. *Greg. Mag. Hom. 3. in Euangelia.*

Anno Christi 180.

VETIVS EPAGATHVS adol escens iustus & sanctus, iniquam fratrũ condẽnationem non ferens, liberè pro ijs locutus est, affirmãs nihil sceleris vel impietatis in illis reperiri; ob quod etiã vitam propriam morti obiecit. *Euseb. lib. 5. cap. 1.*

Anno Christi 220.

CAECILIA, virgo Romana, nobilis, Christi Euangelium tulit in corde & ore; lucrata est spõsum Valerianum, ostendendo illi Angelum Dei; facultates omnes pauperibus distribuit, ac gloriosum duxit valdeq; desiderãdum omnia pati grauia pro Christo. *Metaphrastes in mart. S. Cæciliæ.*

Anno Christi 250.

APOLLONIA virgo cum primis admirãda, postquam maxillarum diuerberationẽ & dentium excussionem patientissimè toleraſſet, in rogum, sibi, ni verba blasphemiæ Christo diceret, exstructum, sponte insilijt. *Euseb. lib. 6. c. 34.*

CYPRIANVS inter fidei suæ prima rudimẽta nihil aliud credidit tam Deo dignum, quàm si concupiscentiam carnis robusto atq; integro sanctimoniæ tenore calcaret: deinde verò distractis rebus suis, & dispensatis proprijs prædijs, indigentiam multorum sustinuit, ambitionem seculi spernens, & misericordiam faciens. *Pontius Diaconus in martyrio B. Cypriani.*

Anno Christi 260.

GREGORIVS NEOCAESARIENSIS simulac attigit Philosophiam ab omnibus tãquam ab aliquo onere se liberauit; & nihil ei erat ex ijs quæ sunt ad vitam necessaria, non ager, non locus, non domus; sed ipse erat sibi omnia; vel potius virtus & fides erat ei patria & diuitiæ. *Greg. Nyssenus in eius vita.*

BABYLAS Episcopus Antiochenus, vir generoso ac forti animo, Decium Imperatorẽ, quasi vile quoddam mancipium, sic à Dei templo exegit, vt pastor prudens scabiosam ouem ab ouili excludit. Morti se propinquum videns, corpus suum vnà cum catenis ferreis, quibus vinctus fuerat in carcere, sepeliri mandauit; planum faciens, quæ ignominiosa videntur, honorifica esse, si propter Christũ fiant. *Chrysost. in Orat. cont. Gentiles.*

Anno Christi 300.

Cùm Impp. edicto de Christianis, qui tenebãtur captiui, præciperetur, vt qui Dijs immolare vellent abire in libertatem permitterentur; qui renuerent, infinitis tormentis diuexarentur, innumerabilis Martyrum multitudo in Ægypto, Palæstina, Tyro, Phœnicia, & alijs locis quo duis potius tormenti genus pati maluit, quàm contra Christi leges peccare. *Euseb. lib. 8. cap. 7.*

Anno Christi 320.

HELENA cùm pia deuotione in Terra sancta peregrinaretur, totumqúe Orientem peragraret, multa Deo templa erexit, & splendidè adornauit; ac cunctis pauperibus & afflictis munificentissima largitione subuenit. *Euſ. lib. 3. vita Constant. c. 41.*

Anno Christi 330.

ANTONIVS aggregatum ex venditis possessionibus haud exiguum pretiũ indigentibus distribuit; secedẽsqúe in eremum, vitam solitariam ac modis omnibus perfectissimam à prima adolescentia ad decrepitam vsque ætatem seuerissimè egit. *Athanasius in vita Antonij.*

Anno Christi 340.

HILARION iuuenis, parentibus defunctis partem substantiæ fratribus relinquens, partem pauperibus largiens, nihilq; sibi reseruans, sic nudus & armatus in Christo solitudinem ingressus est; vbi vitam cælestem planè & diuinam vixit, sanctitate & miraculis clarissimus. *Hieron. in vita Hilarionis.*

Anno Christi 360.

Lucius Episcopus Arianorum post fugas ciuium & exilia, post cædes & tormenta, quibus innumeros confecerat, ad monasteria furoris sui armis conuersis, ter mille viros, & eo amplius, per totam eremũ secreta ac solitaria habitatione dispersos oppugnare aggressus est. Qui omnes obiectis hostili gladio ceruicibus nihil aliud visi sunt dicere, quàm: Amice, ad quid venisti? *Ruffi. l. 2. c. 3.*

Per idem tempus Patres Monachorum vitæ & antiquitatis meritò habebantur MACARIVS & ISIDORVS, aliusq; MACARIVS & HERACLIDES Antonij discipuli per Aegyptum, & maximè in Nitriæ deserti partibus, viri, qui consortium vitæ & actuum non cum cæteris mortalibus, sed cum supernis Angelis habere credebantur. Hi ducebant exercitum Domini fide religionis armatum, moriendo vincentem, & qui sanguinis sui profusione victor Christum sequeretur ad cælum. *Ruffin. lib. 2. cap. 5.*

Cùm Edessę populum Ecclesijs eiectum Imperator Valens in campo videret habere conuenticulum, inde etiam deturbari eum seuerissimè præcepit. Quod dum exequi deberet Præfectus, mulierculam quandam ita festinanter è domo sua prorumpentem vidit, vt nec clauderet ostium, nec, vt mulieres decet, diligentius se operiret: infantem quoque paruulum secum trahentem, ac cursu rapido properantem. Quam cùm rogasset, quò sic festinaret, respondit, ad Campũ, quo Catholicorum populus conuenit, vt & ibi inueniar; paruulumqúe hunc traho, vt etiam ipse martyrium consequi mereatur. His auditis Præfectus agmine stare iusso ad Imperatorem regressus: Mortem, si iubeat, subire se paratum: opus verò quod præcepisset implere non posse pronuntiauit; cumqúe edocuisset cuncta de muliere, repressit Imperatoris vesaniam. *Ruffinus libro 2. cap. 5.*

Anno Christi 370.

BASILIVS MAGNVS à Valente Imperatore per Præfectum partim blanditijs, partim minis compellatus ad amplexãdam Eudoxij communionem, constanter renuit; puerorum esse

dictitans, ad huiusmodi voces moueri; at eos, qui in sacris litteris essent educati, ne vnam quidem syllabam diuinorum dogmatum prodi sinere, & si opus sit, nullum non mortis genus pro eorum defensione libenter amplecti. *Theodoretus lib. 4. cap. 17.*

AMBROSIVS Episcopus magnæ abstinentiæ, multarumqúe vigiliarum & laborum; pauperum & captiuorum solicitam gessit curam. Quicquid enim habuit auri vel argenti, quicquid possessionum, ijs contulit & Ecclesiæ, vt nudus atque expeditus Christi miles Dominum suum sequeretur. Erat gaudens cum gaudentibus, flens cum flentibus. Quotiescunque illi aliquis lapsus suos confitebatur, ita flebat, vt & illum flere compelleret. *Paulinus in vita Ambrosij.*

Anno Christi 380.

PAVLLA vidua omnium Romæ matronarum exemplum, ita vixit, vt nunquam de illa etiam maledicorum quicquam auderet fama confingere; humilis, casta, sobria, dies ac noctes orationibus iungẽs, & cilicio fletuqúe perpeti seipsam conficiens. Si pauperem videbat, sustentabat; si diuitem, ad benefaciendum hortabatur: liberalitate modum excedebat. *Hieronymus in Epitaphio Paulæ.*

Anno Christi 390.

MARTINVS adhuc catechumenus omni virtutũ genere claruit, benignus, patiens, atque humilis supra modum. Frugalitatem, etiam in militia seculari, ita obseruauit, vt iam illo tempore non miles, sed monachus putaretur. Cùm aliquãdo in portis Ambianensibus obuium haberet pauperem nudum, frigore prope enecatum, chlamydis suæ parte illum donauit. Vnde nocte per soporem vidit magnam Angelorum multitudinem, & inter eos Iesum audiuit dicentem: Martinus adhuc catechumenus hac me veste contexit. Post baptismum factus Episcopus, sic Episcopalem dignitatem gessit, vt non tamen propositum Monachi virtutemqúe desereret. *Sulpitius Seuerus in vita Martini.*

Anno Christi 400.

PAVLINVS splendore generis in Aquitania nulli secundus, venditis facultatibus, & in vsum pauperum redactis, domui, patriæ, & cognationi valedixit, vt impensius Deo seruiret. Quem vsque Nolam secuta vxor, exiguo illic coniugis contenta cespite, religionis & caritatis officijs enixè vacauit. *Ambros. epistola 36. ad Sabinum.*

Anno Christi 420.

PORPHYRIVS Gazæ Episcopus irreprehensibilis, tantæ misericordiæ & benignitatis in egenos fuit, vt breuissimo tempore distributis omnibus, ipse etiam alieno alimento indiguerit; vir Scripturarum peritissimus, & ab ira & odio alieniſſimus. *Marcus Gazæus in eius vita.*

Anno Christi 440.

SIMEON vitam cælestium Potestatum in carne æmulatus, vim naturæ intulit, ac rebus terrenis planè renuntiauit. In columna semper erectus consistens, res in sublimi locatas persequebatur; & inter cælum & terram quasi medius interiectus, cum Deo colloquebatur, eum pariter cũ Angelis laudibus extollens, & pro salute hominum iugiter exorans. Tanta feueritate vitam egit, vt miraculum orbis diceretur: tanta sanctitate claruit, vt eius precibus Imperator Theodosius se vnà cum Regno commendaret, benedictionemqúe postularet. *Euagrius lib. 1. cap. 13. Theodoretus historiæ religiosæ cap. 26.*

MAXIMVS proprietatem nominis sui gratia sanctitatis sibi vendicauit. Fuit bonorũ omnium ornamentis præditus, cælestium desiderio ardens, ac temporaria pro æternis contemnens. *Dinamius Patricius in vita S. Maximi Rhegiensis Episcopi.*

ISIDORVS PELVSIOTA dictorum ac factorum gloria clarissimus, sic carnem macerauit laboribus, sic animum diuinis saginauit arcanis & doctrinis, vt vitam Angelicam in terris traduceret, expressamqúe & viuam effigiem diuinæ contemplationis omnibus perpetuò intuendam proponeret. *Euagrius lib. 1. cap. 15.*

THEODORETVS cùm multos annos fuerit Episcopus, non domum possedit, non agrum, non obolum, non sepulchrum; sed sponte electam amplexus paupertatem, quæ à parentibus obuenerant, post illorum mortem statim pauperibus distribuit. *Ipse in epistola ad Leonem.*

Anno Christi 470.

EVGENIVS Episcopus Carthaginensis per conuersationem laudabilem etiam ijs, qui foris sunt, placuit; humilitatis tantæ fuit, vt exprimi nequeat; talesqúe eleëmosynas fecit, vt videri possit incredibile. *Victor Vticensis libro 2. de persecutione Vandalica.*

Eodem tempore Hunnericus Vandalorum Tyrannus Episcopos, Presbyteros, Diaconos, & alia Ecclesiæ membra, id est, quatuor millia DCCCCLXVI. ad exilium eremi destinauit. Ibi & infantuli fuêre complurimi, quos genitrices materno sequebantur affectu, aliæ gaudentes, alię retrahentes: alię gaudebant se Martyres peperisse, alię morituros diluuio rebaptisationis nitebantur à confessione fidei reuocare. Nullum tamen tunc nec blandimenta vicerunt, nec carnalis pietas aliquem inclinauit ad terram. *Victor Vticensis lib. 2. persec. Vandalic.*

Anno Christi 500.

EPIPHANIVS TICINENSIS dono castitatis & continentiæ clarus, vtebatur lectione pro requie, librorum venerabilium pro blandimentis instrumenta suscipiens; & ne crederet tramitem verborum celeritate transuolasse, pingebat actibus suis paginam, quam legisset. *Ennodius Ticinensis in eius vita.*

REMIGIVS Episcopus Rhemensis ob continuas eleemosynas pauper in pecunia, diues in conscientia, humilis ad merita, superbus ad vitia, sic in se excoluit diuersas gratiarum virtutes, vt vix pauci tenerent singulas, quomodo ille impleuit vniuersas. Semper in operis exercitio, semper in compunctionis affectu. Nulla illi ex omnibus propensior cura, nisi vt de Deo in lectione atque sermone, aut cum Deo in oratione loqueretur. *Hincmarus in vita Remigij.*

Anno Christi 524.

FESTVS & SYMMACHVS popularem auram contemnẽtes, contenti rectis magis placere, quàm plurimis, sortiti sunt de innocenti actione testimonium. *Ennodius vbi recenſet vrbis ciues clarissimos, quos imitandos protulit.*

Anno Christi 540.

VEDASTVS Episcopus, humili pietate eximius, sermone modestus, corpore castus, omnes ad se venientes æternę vitæ pauit alimento: nemini vnquam nocuit, cunctis verò ex caritate prodesse satagit. *Alcuinus in vita S. Vedasti.*

ZOSIMVS monasticum vitę genus excolens, ita cùm abstinentia, tum alijs virtutibus Dei gratiam sibi conciliauit, vt non modò res futuras præuideret, sed etiam ab omni perturbatione liber & vacuus existeret. *Euagrius libro 4. cap. 7.*

ALBINVS Andegauensis Episcopus hoc solum habuit cum homine commune, quod natus est, cæterùm totum voluit esse Christi quoc

vixit: non oculum voluptati, non aurem ludibrio, non animum accommodans leuitati, semper se regens anchora grauitatis. *Fortunatus in eius vita.*

GALLVS Episcopus Aruernorum tanta humilitate, tantaque caritate cum omnibus vsus est, vt ab vniuersis diligeretur. Patientiam verò vltra hominum mores habuit, ita vt, si dici fas est, cum Mose comparari queat. *Gregorius Turonensis de vit. Patrum cap. 6.*

Anno Christi 550.

PLACIDVS, dignus præceptore Benedicto discipulus, Spiritu S. repletus, sine intermissione corpus suum castigans in seruitutem redigebat, vt membra, quæ sunt super terram, mortificaret, & Iesum Christum Filium Dei liberè sequeretur. *Gordianus in eius vita.*

Anno Christi 580.

COLVMBANO & socijs tanta humilitatis gratia inerat, vt quemadmodum homines mundo dediti ad honores & dignitates aspirant, sic illi inter se humilitatis exercitio alij alios anteuertere niterentur: tanta patientiæ virtus, caritatis studium, lenitatis cultus apud eos cernebatur, vt mitem Dominum Iesum inter illos habitare ambigi non posset. *Ionas Abbas in vita Columbani.*

GREGORIVS, patre Gordiano Senatore mortuo, sex Monasteria ædificauit in Sicilia, & septimum in suis ædibus Romæ. Pontificatus summi honorem tantopere fugit, vt se alieno vestitu in spelunca occultauerit, & literas ad Mauritium Imperatorem direxerit, eum coniurans & obsecrans, ne vnquam consensum præberet populis, vt tantæ dignitatis gloria sublimaretur. *Gregorius Turonensis histor. Franc. libro 10. cap. 1.*

Anno Christi 600.

THEODORVS Archimandrita Diaboli artes patientia superans, omnibus excelluit virtutibus: pupillorum extitit pater, miserorum perfugium, nutritor pauperum, & peccatorum dux ad pœnitentiam. *Gregorius Presbyter in eius vita.*

AVGVSTINVS & MELLITVS vbi Dorouernensem Angliæ ciuitatem intrauerũt, Apostolicam primitiuæ Ecclesiæ vitam imitati, orationibus, vigilijs, & ieiunijs assiduis vacabant, cuncta huius mundi velut aliena spernebant, ac verbum vitæ quibuscunque poterant prædicabant. *Beda histor. Angl. lib. 1. cap. 27.*

ATTALAS vir gratus omnibus, singularis fuit alacritatis & feruoris in Dei negotijs, hospitalis in colligendis peregrinis, & benignus ac largus in refocillandis pauperibus. *Ionas Scotus in vita S. Attalæ Abbatis.*

Anno Christi 620.

Beati AMANDI fama excitatus ALLOVINVS, qui & BAVO, Gandauum venit, & coram Amando prioris vitæ culpam fassus, pœnitentiam promisit. Quem vir sanctus deuotè suscipiens, de contemptu mundi, de appetitu cæli, de tentatione Diaboli ac consolatione Dei; omnibusque ad summam beatitudinis perfectionem facientibus, diligenter instituit. Is verò statim omnes possessiones suas ad loca Sanctorum contradere, in vsus pauperum erogare, nihilque sibi reseruare; postremò sibimetipsi renuntiare, & crucem Christi lætis humeris portare cœpit. *Theodoricus Abbas S. Trudonis de vita S. Bauonis capite 8.*

Anno Christi 640.

AEDANVS inter alia viuẽdi documenta saluberrimum abstinentiæ & continentiæ Clericis reliquit exemplum: nihil huius mundi quæsiuit, nihil amauit: quicquid etiam à Regibus aut diuitibus seculi dono accepit, in pauperes quosque obuios effudit. *Beda libro 3. histor. Anglic. capite 5.*

Anno Christi 650.

OSVVALDVS Rex doctrina Aedani institutus, incognita progenitoribus suis regna cælorum sperare didicit. Fuit verò in pauperes munificentissimus; adeò vt à ministro, cui suscipiendorum inopum cura erat, pro pauperibus, qui ante ianuam expectabant, eleemosynam rogatus, dapes sibimet appositas vnà cum disco argenteo inter illos distribui præceperit. *Beda lib. 3. histor. Angl. cap. 6.*

ELIGIVS postquam acta sua coram Sacerdote confessus est, austeram sibi pœnitentiam imponens, cœpit fortiter colluctationi carnis spiritus feruore resistere, in laboribus, in vigilijs, in ieiunijs, in castitate, in patientia, & caritate non ficta. *Audoënus in vita S. Eligij libro 1. capite 7.*

AVDOENO Episcopalis dignitas, quæ alijs fastus ac pompę fomenta ministrat, maioris abiectionis studium attulit; atque vnde alij ad tempus videntur extolli, id ille maioris humilitatis materiam sibi effecit; Christo semper subditus, deuotione armatus, doctrina præcipuus, pontificali honore dignus. *Fridegodus vitæ S. Audoëni cap. 14.*

Anno Christi 700.

VVILLERICVS Presbyter, vas virtutum, pura intentione, spe supernę retributionis derelinquens mundum, Christo corde sincero studuit seruire. In monasterio VVerdensi abstinentiæ & continentiæ singularis exemplum fratribus omnibus reliquit. *Marcellinus Presbyt. vitæ S. Swiberti cap. 26.*

BEDA non solùm studijs, sed religione & sanctitate etiam, quos docuit, fecit insignes; fuit vir per omnia magnificus, scientia & morum honestate venerabilis, caritate sublimis, deuotione præcipuus, castimonia vitę glorioſus. *Trithemius de viris illust. Ord. Bened. cap. 155.*

Anno Christi 720.

CORBINIANVS vir Dei, Spiritu sancto repletus, per sanctæ conuersationis studium omni ætati & sexui sanctarum exempla virtutum ostendit. *Arbo Frisingensis vitæ S. Corbin. cap. 5.*

Anno Christi 730.

IOANNES DAMASCENVS omnibus bonis suis in pauperes, captiuos, cognatos, atque Ecclesias erogatis, tamquam ceruus, diuina siti flagrans, nudus in solitudinem contendit. Socium habuit itineris & instituti COSMAM, qui eandem cum ipso educationem & disciplinam acceperat. Diceres eos sacrum quoddam par esse, ac sub Christi iugum currere. *Ioannes Patriarcha Hierosol. in vita Damasc. cap. 16.*

Anno Christi 760.

LIOBA magnarum virtutum fœmina, omne studium erga id quod cœperat exercebat, vt videlicet semetipsam Deo irreprehensibilem exhiberet, & omnibus in verbo & conuersatione forma salutis existeret. *Rodolphus Monachus in eius vita cap. 11.*

THEOPHANES, qui & ISACIVS dictus est, monasterium ingressus, longo omnes post se interuallo reliquit. Noctem precando consumebat, & cum Christo, quem optabat, versabatur,

eius

eius beneuolentiam sibi ac fratribus iugiter concilians. *Metaphrastes in eius vita.*

Anno Christi 780.

TARASIVS Patriarcha Constantinopolitanus spiritualibus & diuinis vnctionibus plenus, virtutem augens virtutibus, & modum superantibus profectibus datum sacratissimum talentum copiosè multiplicauit. In pauperes tam hilariter misericordiam faciebat, vt superaret omnes, qui illis suppeditabant, & fieret nouus Ioseph, dans frumentum egentibus. *Ignatius Monachus de vita S. Tarasij.*

Anno Christi 800.

LVDGERVS vir ab vtero sanctificatus, prędicationis sancto officio tam ardenter incubuit, vt meritò Saxonum Apostolus & memoraretur, & esset. *Albertus Crantz. in Metropoli libro 1. cap. 5.*

GERFRIDVS post Ð. Ludgerum Mimigardeuordensi Ecclesiæ prępfectus, ita prædecessoris sui vitam imitatus est, vt se dignum tanto viro præstiterit successorem. Nam & operibus virtutum, & miraculorum gratia non caruit, dignè omnium opinione in Sanctorum numerum referendus. *Crantz. lib. 1. cap. 25.*

OTHMARVS Abbas Sangallensis, vir abstinentissimus & humilimus, in tantum voluntariam paupertatem diligebat, vt terrenam gloriam omnibus fugeret modis. *VValafridus Strabo vita S. Othmari cap. 2.*

Anno Christi 820.

NICETAS continentiam non solùm à cibis abstinendo, sed & ab omni terreno affectu seipsum remouendo exercebat, ita vt in corpore hoc terrestri vitam ageret incorpoream, puram, & Angelicam. *Theosterictus oratione funebri in S. Nicetam.*

ADELHARDVS Abbas in exilio vitam Angelicam per septennium visus est egisse. *Paschasius in vita S. Adelhardi.*

IDA Theoricę intenta disciplinę, cælestium virtutum prærogatiuis sacrosanctum suum adornauit velamen, nunquam cella, quam incolebat, pedem efferens, nisi quando pauperum stipendijs deseruiret. *Vffingus Monachus VVertinensis vita S. Idæ cap. 6.*

MAENVLPHVS Diaconus corpore castus, mente pius, ac Deo deuotus, plenus virtutibus, & maturus æuo migrauit ad Dominum. *Gobelinus Persona in vita S. Manulphi.*

Anno Christi 850.

MEINARDVS Eremita & Martyr, in oratione fuit assiduus, in obedientia promptus, in ieiunio rigidus, in humilitate cunctis substratus. *Auctor anonymus, sed antiquus, apud Surium Tom. 1.*

LEO Quartus in omni vita, priuata etiam, religione, innocentia, pietate, humanitate, gratia, liberalitate, & doctrina Ecclesiastica præcipuè insignis fuit. Sunt qui arbitrantur huius sanctissimi viri orationibus Deum rabiem Saracenorum naufragio compescuisse. *Platina in Leone Quarto.*

ANSGARIVS Hamburgensis Archiepiscopus creditum sibi in gentes Legationis officium strenuè obiuit, hos diuini verbi commemoratione in fide solidando, illos conuertẽdo. Nunquam visus est otiosus, foris Apostolum, intus verum se gerens monachum. *Albertus Crantz. in Metrop. lib. 1. cap. 20. & 41.*

BORIVORIVS & LVDMILLA coniuges maxima cum laude sanctitatis, relicta filijs potestate seculari, tantùm rebus diuinis, & cælestibus operam dederunt. *Dubrauius lib. 4. 5. 6.*

RVMOLDVS Scotiæ Regis filius, vt ad immarcessibiles diuitias expeditius peruenire, voluntariam paupertatem elegit, seque totum cùm omni deuotione Creatori suo dedicauit, nihil vnquam intentatum relinquens eorum, quibus Deus acquiritur. *Theodor. Abbas S. Trudon. in vita S. Rumoldi.*

Anno Christi 870.

REMBERTVS Hamburgensis Episcopus, cùm per sua tempora in operibus pietatis plurimum exerceretur, præcipua illi cura fuit de redemptione captiuorum: oratione sua maris tempestatem sępe placauit, cæcum illuminauit, Frãciæ Regis filium à dęmonio liberauit. *Crantz. in Metrop. lib. 2. c. 10.*

NICOLAVS sanctissimus & beatissimus Papa, post multos pro Christo labores, & multa pro inuiolabili S. Ecclesię statu certamina, migrauit ad cælestia regna, recepturus pro administrata fideliter sibi credita dispensatione à largissimo Domino immarcessibilem gloriæ coronam. *Regino libro 2. Annalium de anno 868.*

BVLGARORVM REX diuina inspiratione motus terrenum Regnum dimisit, vt æternaliter regnaret cum Christo. Filium à pietate degenerantem, & populum nouiter baptizatum ad ritum gentilitatis reuocãtem, bello victum, oculis priuauit, & perpetuis deputauit carceribus, constituto ad Regni gubernaculo iuniore filio, cum interminatione similis pœnæ, si impietate fratrem imitaretur. Quibus ita patratis, resumpto sanctæ religionis habitu, ad monasterium regressus, in sancta conuersatione reliquum vitæ tempus peregit. *Regino lib. 2. Annalium.*

SVVITHVNVS Episcopus VVintonienſis vixit vsque ad vitæ exitum in vera obseruatione mandatorum Dei, omni custodia seruans cor suum in omni munditia & spirituali puritate. *Gozelinus Morinensis in eius vita.*

Anno Christi 880.

PELAGIVS sanctus & pudicus iuuenis, dum in nefariam sectam, vel nefandos amores consentire vrgeretur, ostendit se malle pro Christo mori, quàm vitijs inquinatum viuere. *Ioannes Vasæus in Chronico Hispaniæ de Anno 895.*

ATHAVLPHI sanctissimi Compostellę Prę-sulis innocentia & vitæ integritas miraculo diuinitus comprobata est. *Rodericus Toletanus de rebus Hispan. libro 5. cap. 13. Ioannes Vasæus in Chron. Hispan. de Anno 866.*

SISINANDVS Episcopus Compostellanus tam clarus fuit sanctitatis fama, vt Ioannes Papa per literas & tabellarium proprium se precibus eius commendauerit. In obitu eius voces auditæ sunt Angelorum canentium: Veni electe Dei, intra in gaudium Dominitui. *Ioannes Vasæus in Chron. Hispan. de Annis 866. & 920.*

Anno Christi 900.

ODO primus Cluniacensis Abbas, exigua contentus cellula ab omnium se mortalium oculis & consuetudine subduxit, vt vni placeret Deo: distraxit omnia, & in pauperes distribuit, nihil de crastino cogitans. *Ioannes Monachus Italus vitæ B. Odonis lib. 1. cap. 5.*

Anno Christi 910.

MATHILDA Augusta plena dierum, plena omni honore, plena operibus bonis & eleemosynis, cunctis diuitijs regalibus in seruos & ancillas Dei ac pauperes distributis Christo animam reddidit. Illo quoque tempore BERNARDVS, vt ab omni populo prædicabatur, sa-

cerdotio dignissimus, diem finiuit extremum. Cuius & Reginæ animas solitarius quidam infinitam Angelorum multitudinem ad cælos deferre, in spiritu nescio, an manifesta visione fertur vidisse. *VVitichindus libro 3. gestorum Saxonicorum.*

VVENCESLAVS Bohemiæ Dux noctibus ad canendos Psalmos laudesque Deo dicendas vtebatur, & dies per plura pietatis officia transigebat, crebrius in funus prodeundo, languentes inuisendo, laceros nudosque conuestiendo, pauperes alimẽtis sustentando. *Ioannes Dubrauius historiæ Bohemicæ libro 5.*

Anno Christi 950.

VDALRICVS Episcopus Augustanus totus erat semper in oratione, totus in sacra lectione, & maximè attendens, quibus virtutum ornamentis Apostolus describebat ornatum Episcopum esse debere. *Berno Abbas Augiensis in vita S. Vdalrici.*

BRVNO Archiepiscopus Colonienfis omnium fuit speculum morum bonorũ, nardus pretiosa dedit odorem suum, verè dux populi, & solicitus pastor gregis Dominici. *Rogerius Benedictinus in vita S. Brunonis.*

Anno Christi 970.

MAIOLVS spreto mundanæ nobilitatis fastu, & posthabito parentum ac amicorum blandissimo consortio, vt liberè posset seruire vero Regi Christo, totum se subdidit cælesti magisterio, omnibus exemplum præstans & purę simplicitatis, & promptæ obedientiæ. *Odilo Presbyter vitæ S. Maioli cap. 5.*

DVNSTANVS summum studium in oratione, in sacra meditatione, & diuinorum lectione habens, in ijs semper Deo adhærere, Deũ in mente habere, quidue eius voluntati potissimum placeret edisscere gestiebat. *Osbertus Anglus in vita S. Dunstani.*

ELPHEGVS vir summæ in alios misericordiæ, in seipsum verò supra modum austerus ac crudelis, ob morum candorem ita placuit cunctis, vt nemo, quod rarum est apud homines, eius gloriæ inuideret. *Osbertus Anglus in vita S. Elphegi.*

Anno Christi 990.

MATTHAEVS, BENEDICTVS, IOANNES, ISAAC, CHRISTIANVS & BARNABAS Eremitæ abstinentia, vigilijs, & oratione clarissimi, morbos ac dęmones ab hominibus suis precibus sæpe repulerunt. *Ioannes Dubrauius hist. Bohemicæ lib. 6.*

VVOLFGANGVS Ratisbonenfis Episcopus precibus & vigilijs semper intentus, ciborum lautitias, vestimentorumque & cubilis mollitiem aspernabatur quàm maximè. *Surius in vita.*

Anno Christi 1000.

ODILO plurimis sanctæ religionis florens virtutibus, in erogandis eleemosynis tam fuit largus, vt à nonnullis non dispensator, sed dissipator iudicaretur. *Petrus Damianus in eius vita.*

HENRICVS Imperator timore Domini plenus, eleemosynis & precibus suis hoc sedulò agebat, ne quando exorbitaret, agendo vel iudicando, quod diuinis contrariaretur legibus. *Rupertus Tuitiens. vita S. Hereberti cap. 25.*

SIMEON monachus in monte Sina, post longam pro Christo peregrinationem, & multas hominum dæmonumque persecutiones, beato tandem fine quieuit, cuius merita frequens miraculorum gloria declarauit. *Sigebertus in Chron. anno 1015.*

BERVVARDVS Antistes Hildesiensis in cultu diuino egregiè feruens, totam regionem obitu suo supra modum contristauit. *Auctor vitæ S. Gothardi Episcopi Hildesiensis.*

Anno Christi 1050.

VVOLPHELMVS Abbas vita laudabilis: pauperum hìc sibi apud Deum conciliabat patrocinia, faciens sibi amicos de iniquo mammona, qui eum quandoque reciperent in æterna tabernacula. *Conradus Bruvvilerensis in eius vita.*

Anno Christi 1070.

ANNO Colonienfis Archiepiscopus, corporis & animę bonis ornatissimus, diem quidem in disponendis priuatis publicisque negotijs, noctem verò totam in opere Dei expendebat. In pauperes, peregrinos, clericos & monachos summopere liberalis ac benignus. *Lambertus Schafnaburg. in histor. Germanorum.*

HVGONIS CLVNIACENSIS habitus, forma fuit religionis; vita, bene viuendi institutio. *Hugo Monachus Cluniacensis in eius vita.*

Anno Christi 1080.

ARNVLPHVS Sueßionenfis Episcopus, apud omnes gratiosus & carus, in Dei timore ac pietatis operibus maximè claruit. *Lisiardus vitæ S. Arnulphi cap. 2. Sigebertus anno 1080.*

ANSELMVS Cantuarienfis Episcopus inculpatissimè viuens, virtutes in quorumcunque potuit mentibus verbo & exemplo inseruit. *Edmerus Anglus in vita S. Anselmi.*

VLSTANVS Vigornienfis Episcopus, vir Deo gratus, in omni virtutum & pietatis genere apparuit suspiciendus. *Matthæus Parisius de Anno 1095. Florentius Vigornienfis de Anno 1095.*

Anno Christi 1100.

NORTBERTVS loci & Ordinis Pręmonstratenfis, posthabita seculi pompa, paupertatis Christi tunica indutus, verbo prædicationis feruentissimè institit. *Continuator Sigeb. Anno 1116.*

MALACHIAS Hibernię Episcopus ita vno semper modo, eoq; modestissimo & decentissimo se gessit, vt nihil prorsus appareret in eo, quod intuentes posset offendere. Totus disciplinatus, totus insigne virtutis, perfectionis forma. *Bernardus vitæ S. Malach. cap. 24.*

LVDOLPHVS vir summæ sanctitatis, magnusq; Confessor, frequentabatur à populis peccata sua confitentibus, & remedio pœnitentiæ venturam iram declinare volentibus. *Helmoldus in Chron. Sclauon. lib. 1. cap. 44.*

Anno Christi 1140.

BERNARDVS Monachus in ieiunio, vigilijs, & orationibus mirificè se exercens, & Christianam paupertatem colens, quasi cælestem vitam egit in terris, ab omni caducarum rerum cura & cupiditate alienam. *VVilhelmus Abbas in vita S. Bernardi Abbatis.*

Erant tunc temporis in diuersis mundi climatibus viri religiosi, qui Deum præ oculis habentes, & ad extremum iudicium contremiscentes, à communi vita aliorum semetipsos segregabant; nec contenti publica via præceptorum, arctissimam & mundissimam semitam Consiliorum ingrediebantur. *Theobald. Episcopus vitæ S. VVilhelmi Ducis cap. 8.*

Anno Christi 1150.

HILDEGARDIS virgo Christi, voto monasticę professionis, & sacri velaminis benedictione prouecta, crescebat & ibat de virtute in virtutem. *Theodoricus Benedictinus vitæ S. Hildegardis lib. 1. cap. 2.*

PETRVS TARENTASIVS Deo in religione fideliter seruiuit, Prælatis obedientissimus, fratribus carissimus. *Gaufridus Abbas Altæ tumbæ in vita S. Petri Tarentasij.*

Anno Christi 1170.

THOMAS Episcopus Cantuarienfis, terrena omnia contemnens, ad cælestia contendebat, & sæuus in seipsum exactor, hostiam viuam, sanctam, Deoque placentem sese immolabat. Martyr egregius, sanctitatis speculum, iustitiæ norma, virtutis exemplar, inuictissimus veritatis assertor. *Eduardus Angl. in vita S. Thomæ Cant. & Matthæus Paris. Anno 1162.*

Anno Christi 1180.

PETRVS CANTOR Parisiensis, vir potens in opere & sermone, fuit quasi ciuitas supra montem posita, & candelabrum aureum in domo Domini. *Iacob. Vitriacus hist. Occident. cap. 8.*

Anno Christi 1200.

HVGO LINCOLNIENSIS Episcopus Ecclesiam suam adeò meritorum titulis illustrauit, ita populum sibi commissum verbis & exemplis informauit, vt Episcopi nomen sibi rectè competere declarârit. *Matthæus Parisius Anno 1200.*

Anno Christi 1210.

DOMINICVS humilis seruus Iesu Christi, segregatus in Euangelium Dei, sobriè, iustè, & piè conuersatus, ad celsissima Dei dona Prędicatorum Ordinem prouexit. *Theodoricus de Appoldia vitæ S. Dominici cap. 1.*

FRANCISCVS fratrum Minorum Patriarcha, Christi desiderio totus ardens, sine intermissione spiritum Deo coniungebat in oratione. *Bonauentura vitæ S. Francisci cap. 10.*

Anno Christi 1230.

ANTONIVS PADVANVS Franciscanus adeò cælestis benedictionis gratia perfusus fuit, vt in omnibus & Deo, & hominibus esset gratus. *Surius in eius vita.*

ELIZABETH Regis Vngariæ filia, Landgrauio in coniugem data, nihil de feruoris pristini remisit intensione, animum semper contemplatione cælestium rerum pascens, corpusculum verò ieiunijs, precibus, ac vigilijs exercens. *Iacob. Montanus vitæ S. Elizabeth cap. 5.*

Anno Christi 1250.

PETRVS MEDIOLANENSIS Ordinis Prędicatorum, Prædicator ipse eximius, doctrinam Christi sanguine fuso stabiliuit. *Thomas Lentius in vita S. Petri Mediolan.*

THOMAS AQVINAS contempta illustri generis dignitate, institutum S. Dominici amplexus, præclaras virtutes cũ insigni doctrina Christianæ elaborauit Ecclesiæ; vir summè castus & humilis. *Surius in eius vita.*

ARNOLDVS ABBAS vir deuotissimus, honestatis forma, religionis monasticæ speculum, neque verbo, neque facto animi sui puritatem lædebat. *Monachus Paduanus libro 2. Chronicorum de Anno 1255.*

Anno Christi 1260.

BONAVENTVRA vita & moribus ita fuit probatus, vt de eo diceret Alexander Alesius vir doctissimus: verus Israelita est iste, in quo Adam non peccasse videtur. *Octauianus de Martinis Sueßianus oratione ad Sixtum Quartum. Trithemius de Eccles. scriptorib.*

Anno Christi 1280.

PETRVS CAELESTINVS nocte dieque vacabat orationibus, & licet terram corpore, cælum tamen mente inhabitans, diuinis quasi videbatur frui colloquijs. *Petrus Aliacus libro 2. cap. 1. vitæ S. Petri Cælestini.*

MECHTILDIS vitam ab infantia in Dei timore, ac puritate tam corporis quàm animæ vixit laudatissimam. *In operibus Mechtildis libro 5. cap. vltimo.*

GERTRVDIS Virgo sanctissima, id quod verbis asseuerabat, re etiam ipsa testata est; non suam, sed Dei in omnibus se quærere gloriam. *Auctor insinuationis diuinæ pietatis lib. 1. cap. 5.*

Anno Christi 1300.

ROCHVS derelicta patria, pro Christo peregrinatus, tantæ sanctitatis fuit, vt oratione sua in communi pestilentiæ miseria multos Romę & Placentiæ mortis periculo liberarit. *Albert. Crantzius in Metropoli lib. 9. cap. 25.*

Anno Christi 1330.

IVO Iurisconsultus doctus & eloquens, cùm amplum haberet patrimonium, spem in Deo collocans, pauperum, orphanorum, & viduarum cauſſas ex eo protexit. *Albertus Crantzius lib. 9. cap. 34.*

VENTVRINVS BERGOMAS, clarissimus verbi diuini præco, id sanctitatis tulit insigne, vt ex eius facie, dum concionaretur, sæpè maximus splendor auditores perstringeret. *Annales Dominicanorum.*

BENEDICTVS XI. ita vixit, vt post mortem inter beatos meritò censeatur. *Platina.*

GERTRVDIS ab OESTEN vt absque impedimento cælesti vacaret sponso, cœnobium est ingressa, ibique Deo & hominibus se exhibuit amabilem. *Auctor anonymus Tomo 7. Surij.*

Anno Christi 1360.

CATHARINA SENENSIS omne tempus suum aut orando, aut contemplando, aut proximos ædificando traduxit: virgo supra quàm dici possit pura & sancta. *Raymundus Capuanus in eius vita. Pius II. in eius Canonizatione.*

Anno Christi 1370.

ANDREAS CORSICVS Ordinis Carmelitarum, postea Episcopus Fesulanus, incredibile effatu est quanta sanctitate floruit. *Auctor anonymus apud Surium Tom. 1.*

GERARDVS GROET claruit sanctitate vitę & scientia. Nec minus illo IOANNES RVSBROCH vir admodum pius & deuotus. *Fascic. Temporum.*

Anno Christi 1400.

COLETA virgo vita & conuersatione honesta, sensus planè clausos habuit ad omnia, quæ conscientiæ puriſſimæ aliquam possent adferre labem. *Stephanus Iuliacus in vita eius c. 2.*

Anno Christi 1420.

VINCENTIVS VALENTINVS Dominicanus omnem vitam sanctissimè & inculpatissimè in orationibus, ieiunijs, & suijpsius castigationibus transegit. *Petrus Ranzanus in eius vita.*

BERNARDINVS SENENSIS spiritu Dei tractus mundo renuntiauit, erogatisque bonis suis in pauperes Ordinem D. Francisci sub rigida obseruatione professus est. *Aeneas Syluius lib. M. S. de viris illustribus.*

Anno Christi 1440.

IOANNES CAPISTRANVS sanctitatis & doctrinę fama celeberrimus fuit. *Augustin. Dathus lib. 1. fragmentorum Senensium historiarum.*

LAVRENTIVS IVSTINIANVS cum corporeis illecebris quasi cum hoste capitali fortissimè bellum gessit; & humilitati, vt virtutum omnium Reginæ, lubentissimè paruit. *Bernardus Iustinianus in eius vita.*

Anno Christi 1450.

ANTONINVS FLORENTINVS, vir doctissimus simul & pientissimus, sic fugiebat otium, vt nunquam non aut orationibus, aut sacrę lectioni, aut conscribendis libris vacaret. *Vincentius Mainardus in eius vita.*

Anno Christi 1460.

DIDACVS ab ALCALA ex Anachoreta Franciscanus innocentissimè sanctissimeque vixit, ac multis miraculis claruit. *Antonius Cicarellus ad Platinam in vita Sixti Quinti.*

Anno Christi 1476.

IACOBVS PICENVS propter admirabiles rerum sacrarum conciones, sanctitatemque diuinis operibus comprobatã, in omni ferè Europa fuit celeberrimæ famę. *Annales Francis.*

Anno Christi 1478.

Apud Suitenses Montanos in Alemãnia, in loco vastę solitudinis, quidam F. NICOLAVS vitam egit abstinentia & sanctitate prorsus admirandam. *Nauclerus Generat. 50.*

Anno Christi 1480.

IACOBVS ALEMANNVS Ordinis Dominicani cùm omnibus esset sanctior, cunctis tamen se putabat esse deteriorem. *Ioannes Antonius in eius vita.*

Anno Christi 1500.

COLVMBA REATINA virgo Dominicana, spiritu prophetię insignis, admirabili fuit innocentia, cunctisque virtutum dotibus ornatissima. *Leander Albertus Bononiensis in eius vita.*

MARIA TOLETANA Ordinis D. Francisci in precibus visa est sępius cęlesti quodã splendore circumfulgere. *Marcus Olysipponensis in Annal. Franciscanis lib. 18. cap. 13.*

IOANNA RODERIGVESIA mirę sanctitatis, in contemplatione diuinorum assidua fuit. *Marcus Olysippon. vbi supra.*

OSANNA virgo Mantuana cunctis virtutibus supra humanam conditionem prędita fuit. *Franciscus Syluester Ferrarien. in eius vita.*

Anno Christi 1520.

STEPHANA SONCINAS virgo admiranda omnino fuit sanctitate, & diuinis virtutibus ornatissima. *Thomas Bozius de Signis Ecclesiæ libro 12. cap. 23.*

FRANCISCVS PAVLANVS in omni ętate stupendę fuit austeritatis, inter labores, vigilias, ieiunia, corporis macerationes perpetuò versans. *Leo Decimus in Bulla Canoniz.*

MARGARITA RAVENNATENSIS virgo patientia atque innocentia celebris, complures vitę sanctissimæ exemplis ad pietatem & verum Dei cultum excitabat. *Rubeus lib. 8. de gestis Rauennatum.*

CATHARINA GENVENSIS virgo sanctissima, tota semper erat in cælestium meditatione, incredibili ornata caritate, patientia & humilitate. *Franciscus Gonzaga de Seraph. relig.*

FRANCISCVS XIMENIVS Toleti monachus factus magna & prędara verę pietatis documenta reliquit. *Aluarus Gomecius de reb. gestis Francisci Ximenij.*

GENTILIS RAVENNATENSIS fœmina, sanctitatis nomine omnium ore celebrata est. *Hieronymus Rubeus hist. Rauennatens. lib. 9.*

Anno Christi 1530.

MARTINVS VALENTINVS Franciscanus, virtutum omnium diuinarum culmen ascendit. *Franciscus Gonzaga de Seraphica religione.*

LVCRETIA virgo, confracto corpore ex saltu, quo declinârat Ducis militiæ libidinẽ, Deo seruiuit in eminentissima sanctitate. *Guilhelmus Baldesanus Stimuli virt. lib. 2. cap. 1.*

IGNATIVS LOIOLA, Societatis Iesu fundator, actiones omnes tacitæ precationis sale cõdiebat, seque ipsum excutiebat subinde, ne quid labis ex quotidiano mortalium rerum vsu contraheret. *Ioannes Maffeius in vita eius lib. 3. cap. 12.*

Anno Christi 1550.

FRANCISCVS XAVERIVS incredibili studio, fructu magno, Christum in India prædicauit. Cuius animi magnitudinem in cõtemnendis periculis admirati Iaponij præclaro sanctitatis nomine etiamnũ prosequuntur. *Melchior Nonnius epistola è Cocino Anno 1558. scripta.*

ANTONIVS PESTANA Dominicanus, in India pro fide Christiana occisus: ab ipsis primordijs, quibus habitum religionis suscepit, vitę semper fuit probatæ. *Antonius Senensis in Chronico Ordinis fratrum Prædicatorum.*

Anno Christi 1580.

ALEXANDER CAPOCCHIVS Dominicanus, virginitatis integerrimus custos, multa sanctitatis laude vixit, & plurimos à vitijs ad virtutem mirabiliter reuocauit. *Franciscus Marchus.*

PETRVS NICOLAVS FACTOR Franciscanus cælestem prorsus vitam egit in terris, frequẽtissimè in extasi fruitione diuinorum recreatus. *Christophorus Moronus in eius vita.*

IPSIMET ADVERSARII FAtentur Maiorum nostrorum ante Lutherum miram pietatem & deuotionem.

Magdeburgenses Centuriatores.

Cẽt. 7. c. 7. pag. 181. Etsi hoc sæculo veri Dei cultus & virtutũ officia traditionibus & superstitionibus humanis obscurata erãt, tamẽ studium seruiendi Deo, & piè iustęque viuẽdi miserę plebeculę nõ defuit. Quantus enim fuit amor pietatis, quantus ardor hominũ erga religionem, inde potest ęstimari, quòd nullus modus fuit cumulandi opes Ecclesiasticas. Precationibus verò adeò fuerũt intenti, vt ferè totum diem illis tribuerẽt: nec Christianus habebatur, qui ignorabat, aut non aliquoties recitabat vsitatas formulas precationũ, præsertim Orationem Dominicam & Symbolum. Quanta fuerit reuerentia erga ministerium & ministros, quantus concursus ad conciones publicas, dictum est. Magistratibus honorem ac reuerentiam exhibuerunt debitam: Amicitiæ, cõcordiæ, & societatis erant studiosissimi, adeò vt offensas & iniurias citra negotium remitterent. In honesta quoque vocatione & labore versari singulis studio fuit. In egenos & peregrinos maximè fuerunt humani & liberales. In iudicijs quoque & contractibus maximè fuerunt veritatis amantes.

Foxus.

Vtinam ij ipsi, quos nos maximè pro Papistis nauseamus, in multis Ciuilis officij partibus multos non præterirent, qui tantopere Euangelij titulo nobis adblandimur.

ARTICVLVS DVODECIMVS.

LVTHERANORVM, CALVINISTARVM, &c. ECCLESIAM OMNI SANCTITATE CARERE, ET SIC NON POSSE ESSE VERAM ECCLESIAM.

ASSERVNT.

Martinus Lutherus.

IN *Postilla, Dominica prima Aduentus*: Huiusmodi de Christo cõcio meritò cum summa animi lętitia susципienda & attendenda esset, ac quilibet vitam moresque suos rectius inde informaret: sed, proh dolor, contrarium accidit, & mundus de die in diem multò deterior euadit, quod pessimus dæmon operatur. Enimuerò videmus, quòd hoc tempore homines sint multò peiores, truculentiores, tenaciores, libidinosiores, quàm antea vnquam in Papatu fuerunt. Quæ causa est? nulla profectò alia, quàm quòd huiusmodi concio pro nihilo habetur.

Præfatione in Ecclesiasticam Postillam: Ad eundem modum & nostrorum plerosque septiceps ille diabolus inuasit, & deteriores effecit, quàm in Papatu fuerunt.

Domin. 26. post Trinitatẽ: Antea cùm ad Pontificis seductionem, & falsum Dei cultũ cogeremur ad bene operandum, quilibet vltrò sequebatur: nũc quisque nihil aliud dicit, nihil nouit, quàm iniquis exactionibus, manifestis rapinis, furtis, mendacijs, vsuris omnia ad se trãsferre. Tam insigniter maligni fieri coguntur homines in gratiam Euangelij, cuius virtute ex captiuitate Pontificis in gratiam asserti sunt: ita vt iam non amplius humano, sed diabolico more omnem misericordiam exuerint, quibus non sufficit adhuc, quòd de Euangelio participent, & inde saginentur, quando bona Ecclesiastica deprædantur, ac furantur.

In Sermonibus coniualibus Germ. fol. 55. Mirabilis & plena offendiculo res est, quòd ab eo tempore, quo primùm pura Euangelij doctrina in lucem est reuocata, mundus de die in diem deterior euasit: Christiana libertate quilibet ad libitum abutitur, non secus, ac si cuilibet quidlibet facere cõcessum sit.

Fol. 623. Post reuelatum Euangelium virtus est occisa, iustitia oppressa, tẽperantia ligata, veritas à canibus dilacerata, fides clausa, nequitia quotidiana, deuotio pulsa, hæresis relicta.

Philippus Melanchthon.

Ad cap. 6. Matthæi: Loquitur res ipsa, in his regionibus omne ferè studium conuiuiorum apparatibus, & ebrietati, atque immanibus illis poculis impendi. Quare manifestum est, nos à Deo varijs modis puniri, vt incendio, bellis, & conuulsionibus, atque confusionibus regiminum seu politiarum, propter belluinam istam ventris ingluuiem & helluandi perpotandique consuetudinem. Præterea quoties videtis temulentos homines vultu ruere in suas clades, & sæpe cruento ferro inter seipsos concurrere, imò & cædibus mutuis grassari? Quomodo potest laxior annona sperari in tantis profusionibus, helluationibus, pomparum conuiuiorumque apparatibus? Adeò delectantur immunditia, sordibus, & illuuie, vt in morem suis lutulentæ quaslibet res, panem, carnes, cereuisiã, & id genus alia corrumpere, & contaminare soleant. Ea barbaries est in populo, vt plerisque persuasum sit, se, si vnum diem ieiunent, noctem continuò sequentem non posse viuere.

Ioannes Brentius.

Ad cap. 3. Matth. Tanta est morum corruptio his temporibus, & tantum studium iniustitiæ, vt nullam videamur habere occasionem cõfidendi bonis operibus: quid enim confidas his, quibus cares?

Andreas Musculus.

Dominica 1. Aduentus: Cum nobis Lutheranis hoc tempore ita agitur, vt si quis videre volet ingentem turbam nebulonum, hominum turbulentorum, fallacium, impostorum, fœneratorum, ciuitatem aliquam adeat, in qua Euangelium purè (*Lutheranè*) prædicatur, cateruatim tales ibi reperiet. Nam meridiana luce clarius est, quòd hominum effrænatorum & indomitorum, apud quos omnis virtus & honestas penitus extincta est, & apud quos pro peccato nihil reputatur, nusquam plures, ne quidem apud Ethnicos, Turcas, & alios infideles, quàm apud Euangelicos, apud quos omnia diabolo frena laxata sunt, reperiantur.

Ioannes Wigandus.

Libro de bonis & malis Germaniæ: Reperiuntur nõ pauci inter verbi Ministros Eceboli, & Gnatones, qui peccata potentum, contra ipsorum dicta factaque, mira fraudulentia excusare, carbonesque ignitos supponere non verentur: quò fit, vt magis accensi politici Doctores, in synceros audentius sæuiant, eosque è suis locis & cathedris exturbent, ita vt etiam plerique ex illis parturientium dolores sustineant.

Ibidem ait, iuuentutem Euangelicorum quotidie fieri deteriorem, intractabiliorem, eaque vitia audere perpetrare, quibus olim adulti vix erant obnoxij: resonare tristes querelas passim de iuuentutis petulantia & malitia, ita vt incorrigibilis planè videatur. Tribuit illi effrænem & inauditam petulantiam & maledicentiam, qua à Prosopolatris imbuta, magis atque magis quotidie furere, dira conuicia in Ecclesię Doctores euome-

re, fœda, obſcœna, crudelia, impia, & ſcelerata ſcripta, paſquillos, & picturas effundere, certare inter ſe impudentiſſimis mendacijs cõfingendis, qualia diabolos ipſos puderet proferre: & vt quiſquis in his artibus magis excellit, ita ſuis præceptoribus eſſe gratiorem, & ad maiores honores euehi.

Gaſpar Hedio.

Epiſtola ad Melanchthonem: Certè omnia plena ſunt periculis, neglectus religionis veræ, honeſtarumq; diſciplinarum, imprimis Theologiæ: ex ſtudioſis rariſſimus inuenitur, qui ſe parabilẽ præbeat, vt didacticus euadat; adeò omnes horrent hanc profeſſionem, & cauſantur hoc diſſidium, vt neſciam quales poſteritas habitura ſit verbi præcones: Papatus reijcitur, & Chriſto nomina non dantur: iuuentus ferè nil Dei habet.

Ioannes Spangenbergius.

In narratione beneficiorum Dei: Vetus verbum eſt, & à multis Doctoribus repetitum, quòd poſt reuelationem Antichriſti tam erunt homines feri, quòd iam deinceps nolent Deum agnoſcere, nec vllam illius rationem habere: ſed iuxta ſuam quiſque voluntatem faciet quicquid diabolus & caro ſuaſerit. Hoc tempus iam impletum videmus. Poſtquam enim admirabili quadam & ſingulari gratia Antichriſtianiſmi, ſeu Papatus horrenda mendacia ac doli deceptionesq; manifeſtatæ ſunt, incipiũt iam homines nihil amplius credere; & poſteaquam à vinculis Papatus ſe liberos eſſe vident, volunt etiam eſſe liberi & ſoluti ab Euangelio, & à præceptis Dei, & volunt, vt deinceps rectum & iuſtum ſit, quicquid vnicuique viſum fuerit.

Iacobus Andreæ.

Concione 4. ad cap. 21. Lucæ: Altera pars & turba Germanorum ſuum quidem locum verbo Dei, vt prædicetur, tribuit, nulla verò ſentitur in illis morum emendatio, ſed horrenda, Epicuræa, beſtialis eorum vita cernitur in conuerſationibus, compotationibus, cupiditatibus, pompis, & diuini nominis prophanationibus, ſiue blaſphemijs. Qua in parte volunt æquè liberè, & impune peccare, ſicut Papiſtæ in ſua idololatria. Mandat ſeriò Deus in verbo ſuo, & à ſuis Chriſtianis requirit ſeriam & Chriſtianam diſciplinam: hæc verò apud nos nouus Papatus, nouusq; monachiſmus exiſtimatur. Sic enim inquiunt: Didicimus modò per ſolam fidem in Chriſtum ſaluari, qui ſua morte pro peccatis omnibus ſatisfecit: nos verò ſatisfacere non poſſumus noſtris ieiunijs, eleemoſynis, precationibus, ac alijs operibus. Quamobrem ſine, & permitte, vt huiuſmodi opera miſſa faciamus, cùm per Chriſtũ alioquin ſaluari poſſimus, & ſolùm gratia Dei, Chriſtiq́ue meritis nitamur. Atq; vt totus mundus agnoſcat eos non eſſe Papiſtas, nec bonis operibus quicquã fidere, illorum etiam operum nullum penitus exercent. Ieiunij loco commeſſationibus, & perpotationibus nocte dieq; vacant. Vbi pauperibus benignè facere oportebat, eos deglubunt, & excoriant. Precationes vertunt in iuramenta, blaſphemias, & diuini nominis execrationes, idq́ue tam perditè, vt Chriſtus ne ab ipſis quidẽ Turcis hodie tantopere blaſphemetur. Demum pro humilitate paſſim regnat apud illos ſuperbia, faſtus, elatio, luxuria veſtium, quæ aut ſumptuoſiſſimè, aut etiam ſtultiſſimè ſunt elaboratæ. Atque hoc vniuerſum vitæ genus ab illis Euangelicum dicitur inſtitutum. Interim ſibi perſuadent homines miſerrimi, ſe rectam veramq; in Deum fidem in animis ſuis retinere, & ſibi propitium eſſe Deum: imò etiam ſe probiores impijs & pſeudoapoſtolicis Papiſtis iudicant.

Paulus Eberus.

In Præfatione Commentariorum Philippi in epiſt. ad Corinth. Vniuerſa noſtra Euangelica congregatio tot ſchiſmatibus & offendiculis ſcatet, vt nihil minus ſit quàm quod ſe eſſe gloriatur. Si ad Euangelicos Doctores ſpectes, vides quòd illorum alij vana gloria, & inuido zelo, & præiudicio permoti, veram doctrinam turbant, falſam propagant, & mordicus tuentur. Quidam ſine cauſſa lites excitant, & inconſulto liuore tuentur: nonnulli dogmata quocumque flectunt, vt principibus & populo placeant, quorum gratia & fauore viuunt. Plures ſunt, qui omne id, quod vera doctrina ædificârunt, mala & ſcelerata vita deſtruant. E regione ſi hìc Euangelicos auditores intuearis, vides ſumma reprehẽſione dignum abuſum religionis & libertatis Chriſtianæ, contemptum & omiſſionem Eccleſiaſtici miniſterij, multas impuras diſputationes, abalienationem bonorum Eccleſiaſticorum, ingratitudinem erga pios verbi Dei miniſtros, neglectum omnis diſciplinæ, effrenem contumaciam adoleſcentiæ, omnia conuitia pleno copiæ cornu effundi, & vberes fructus ferre. Quæ mala cùm quiſque proprijs oculis intuetur, meritò dubitat, an noſter Euangelicus cœtus vera ſit Eccleſia, in qua tot ſunt ſchiſmata & diſſidia, in qua tot & tam enormia vitia conſpiciuntur.

Ioannes Caluinus.

Concione 10. Gallicè ſcripta in epiſtolam ad Epheſios, ſuæ ſectæ homines *ait* omnium mortalium eſſe ſceleratiſſimos & facinoroſiſſimos, & cùm verba illorum ſceleribus ſatis congrua inuenire nõ poſſit, tetra monſtra, & malos genios humanam formam indutos appellat.

LVTHERANI, &c. SOLA FIDE contenti, omnis ſanctitatis & boni operis grauiſſimi hoſtes.

Martinus Lutherus.

De captiuitate Babylonica cap. de Baptiſmo: Vides quàm diues ſit homo Chriſtianus, ſiue baptizatus, qui etiam volens non poteſt perdere ſaluté quantiſcumque peccatis, niſi nolit credere. Nulla peccata eum damnare poſſunt, niſi ſola incredulitas: nulla alia via poteſt homo cum Deo conuenire aut agere, quàm per fidem: opera ille nihil curat, nec indiget.

In Aſſertionibus art. 31. Iuſtus in omni opere bono peccat.

Art. 32. Opus bonum optimè factum, eſt veniale peccatum.

In argumento in epiſt. ad Galat. editionis primæ: Summa ars & ſapientia Chriſtiana eſt, neſcire Legem, ignorare opera, & totam iuſtitiam actiuam.

Ad cap. 2. epiſt. ad Galat. Sola fides Chriſti neceſſaria eſt, vt iuſti ſimus: cætera omnia liberrima, neque præcepta amplius, neque prohibita &c. Quando ſic docetur: Fides iuſtificat quidem, ſed ſimul ſeruare oportet mandata Dei, quia ſcriptũ: *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata:* ibi ſtatim Chriſtus negatus eſt, & fides abolita: quia mandatis Dei ſiue Legi tribuitur, quod eſt ſolius Dei.

De libertate Chriſtiana: Sola fides & verbum animam regenerant, vt clarum ſit homini Chriſtiano ſuam fidem ſufficere pro omnibus, nec operibus ei opus fore, vt iuſtificetur. Quòd ſi operibus non habet opus, nec Lege opus habet: ſi Lege non habet opus, certè liber eſt à Lege, verumq; eſt: *Iuſto non eſt lex poſita.* Atque hæc eſt Chriſtiana libertas fides noſtra.

Contra Ambroſium Catharinum: Nullum eſt peccatum, niſi incredulitas: nulla iuſtitia, niſi fides.

De Votis monaſticis: Opus non poteſt doceri, niſi lædas fidem, cùm fides & opera in re iuſtificationis extremè aduerſentur: ita fit, vt doctrina operum neceſſariò ſit doctrina dæmoniorum.

Ad Euangelium Feriæ 2. Pentecoſtes: *Sic Deus dilexit mundum.* Vnica ego porta ſum ad cælum ducens, via arcta eſt. Tenuem te oportet fieri, ſi tranſire velis, ac penetrare rupem. Qui operibus, ceu Iacobitæ peregrinatores cochleis, circum vndiq; muniti ſunt, penetrare non poſſunt. Quocirca tenuẽ te fieri & arctum neceſſe eſt; quod ſit, vbi viribus tuis deſtitutus fueris: ſin grandibus humeris deſtinatis ſaccis operum refertis adueneris, niſi depoſito prius onere non pertranſibis. Hinc planè colligitur vbi fides ſit, nocere non poſſe peccatum.

Dominica 8. poſt Trinitatem: Nullum opus tam malum eſt, quod hominem damnare queat: neque vllum tam bonum eſt, quod ſaluare poſſit. Cæterùm ſola fides ſaluat, ſola incredulitas damnat.

Ad Euangelium Dominicæ 24. poſt Trinitatem: Qui in Eccleſia docent, & præcepta opera, atque ſtatuta exigunt, impoſtores ſunt: qui tametſi Chriſtianũ prætexant nomen, nihil tamen expediunt: eius enim ſpecie nominis ſuis nos mandatis & operibus onerare degrauareq; nituntur. Ex operibus quidem abſtinens, temperans, ieiunio & precibus incumbens, peregrinus item nominari poſſum: ſed nullo pacto Chriſtianus. Etſi enim vniuerſa tua opera in vnum conuerteres, imò & omnium aliorum tuis adiungeres, neque ſic tamen Chriſtũ habes, nec Chriſtianus ideò vocaris.

Ad Euangelium in die Chriſti Natalis: Hæc veriſſima & in promptu habentur, ſed aduerſus Doctores operum potenter faciunt: quia bona opera perſonam nõ mutant, quamlibet ipſa mutentur. Idcirco opera bona ſunt velamen turpitudinis & hypocriſis &c. Perſpicuum nunc factum eſt, ad hanc nouam natiuitatem nihil facere, ſed officere potius, ſanguinem, natalium ſplendorem, præcepta, leges, doctrinas, rationem, liberum arbitrium, bona opera, vitam inculpatam, nec ordinem Carthuſianum, neque alium quempiam ſtatum ſpiritualem, quamlibet vel Angelicam puritatem attigerit.

Sermone de piſcatura Petri: Erga Deum non operibus, ſed nuda fide indigemus. Debemus enim cum ſolo Iſaac venire, hoc eſt, cum fide: ſeruos, & aſinas, hoc eſt, opera deorſum demittere oportet. Quantò ſceleratior es, tantò citius Deus ſuam gratiam infundit: ſi adornes te vt cattus bonis operibus, vt te Deus acceptet, nihil efficies.

Sermone de nouo Teſtamento, ſiue de Miſſa: Caueamus à peccato, ſed maximè ab operibus bonis & legibus, ſolamq; promiſſionem Dei attendamus, & fidem: ipſa enim breuis eſt perfectio: nec aliqua lex requiritur, nec opus; imò & legem proſcindit, & opus.

Philippus Melanchthon.

In Locis Communibus Editionis primæ: Omnia hominum, quantumuis laudabilia, opera planè vitioſa ſunt, & morte digna peccata.

Editionis ſecundæ, pag. 76. Neceſſe eſt vt fateamur Decalogum quoque abrogatum eſſe. Sophiſtæ noſtri iudicialia & cæremonias abrogatas eſſe dicũt, legem de moribus nouo Chriſto auctam: adeò ex Chriſto bis Moſen faciunt.

Ad cap. 6. epiſt. ad Rom. editionis primæ: Cæremoniæ & iudicialia ſunt antiquata: eſt & lex morum antiquata.

Nicolaus Amſdorffius.

Lib. contra Georgium Maiorem, quem inſcripſit: Quòd bona opera ſint perniciosa ad ſalutem, *B 1. facie 2*: Qui docet, quòd bona opera ad ſalutem ſunt neceſſaria, hic iam anathematizatus eſt. Quamobrem dico ego Nicolaus Amſdorffius, quicumque hæc verba, vt ſonant, (*Bona opera neceſſaria ſunt ad ſalutem*) docet & prædicat, hic eſt Pelagianus, Apoſtata, & duplex Papiſta. Nam Papiſtæ, VVicelius, Cochlæus, &c. huiuſmodi verbis eodẽ modo, quo Maior, aduerſum nos vſi ſunt. Paulus apertè ſcribit, quòd iuſtitia ſua ex lege, hoc eſt, ſua opera noxia & condemnatoria ſibi fuerint. Ad eũdem modum Prophetæ dicunt, quòd Iudæorum bona opera, vt ſacrificia ipſorum, & thymiamata, peccata ſint, & idololatriæ, hoc eſt ad ſalutem ſummè noxia. Vtrumque hunc, Prophetam ſcilicet & Paulum, ſecutus Lutherus, plus quàm in vno loco expreſsè ſcribit, quòd bona opera ſint perniciosa ad ſalutem.

Colloquium Altenburgenſe.

De articulo Iuſtificationis: Chriſtiani concionatores prædicare debent verum Euangelium, & non Legem. Opera bona Legis, & noua obedientia, nõ ad regnum Chriſti, ſed ad mundum pertinẽt. Lex non docet bona opera, nec idcirco prædicãda eſt, vt bona opera peragantur. Nihil ad nos Chriſtianos præcepta Decalogi pertinent. Qui credit Chriſtianus, ſupra omnem eſt obediẽtiam, & ſupra omnem Legem. Ad Satanam ſpectant Chriſtiani cum operibus bonis: ſola fides ſine operibus bonis efficit omnia, non ſolùm quod meritũ, ſed etiam quod preſentiam bonorum operum attinet. Precari Deum oportet, vt in fide ſine operibus omnibus ad finem vſque conſtantes perſeueremus. Ab Apoſtolo Paulo non ſolùm bonorum operum meritum, ſed etiam bona opera noſtra excluduntur: Paulus enim in ſemetipſo adeò ſeparat opera & iuſtitias à ſalute, vt ea pro reiectamentis, atque adeò damnis ſalutis deputet. Falſa eſt Propoſitio: *Opera ſunt neceſſaria*: adeò neceſſaria illa non ſunt, vt etiam ad ſalutem incõmodent, ſintq; pernicioſa. *Impreſſum eſt hoc colloquium Ienæ 1570. in 4.*

Antinomi.

Confeſſio Mansfeldenſis de Antinomis: Antinomi dicunt: Lex non eſt digna vt vocetur verbum Dei: ſi meretrix es, ſi ſcortator, ſi adulter, vel quicumque alius, tantùm crede, & es in via ſalutis, cùm in medio peccati penitus hæres. Decalogus ad curiam pertinet, non ad ſuggeſtum: quibuſcumque cum Moſe res eſt, recta via tendunt ad diabolum, imò ad malam rem cum Moſe. Dictum Petri: *Certam facite vocationem veſtram per bona opera*, eſt inutile. Quandocumque tibi talis incidit cogitatio, hoc vel illo modo in Eccleſia rem geri debere, vt ſint homines boni, honeſti, ſancti, & caſti, iam aberrasti ab Euangelio.

Sebaſtianus Francus.

Paradoxo 243. Opera quantumuis bona non iuſtificant, vt peſſima quæque non damnant, ſed teſtantur modò de homine.

Paradoxo 244. Opera non ſunt peccata, neque iuſtitia.

LVTHERVS ET ZVINGLIVS ſuam ſe doctrinam à diabolo accepiſſe ipſi fatentur.

Lutherus.

Lib. de Miſſa angulari, & conſecratione Sacerdotum, qui extat Tom. 6. Ger. Ienenſi fol. 28. & Tomo 7. VVittembergenſi fol. 443. De meipſo incipiam, & coram vo-

bis doctiſſimis patribus paruam cõfeſſionem faciam, reddite mihi bonam abſolutionẽ, quæ vobis non ſit dedecori. Aliquando media nocte experrectus, qua Diabolus huiuſmodi mecum in corde diſputationem orſus eſt: quemadmodum ille ſæpiſſimè alijs noctibus multum mihi negotij faceſſit:

Diaboli propoſitio

Audi vir doctiſſime, noſti etiam, te quindecim annis celebraſſe Miſſas priuatas penè quotidie? quid ſi tales Miſſæ priuatæ horrenda eſſent idololatria? quid ſi ibi non adfuiſſet corpus & ſanguis Chriſti, ſed tantùm panem & vinum adoraſſes, & alijs adorandum propoſuiſſes?

Lutheri reſpõſum.

Cui ego reſpondi: Sum vnctus ſacerdos, accepi vnctionem & conſecrationem ab Epiſcopo, & hæc omnia feci ex mandato & obedientia maiorum: quare non conſecraſſem, cùm verba Chriſti ſeriò pronuntiârim, & magno ſerio Miſſas celebrarim?

Diaboli inſtantia.

Hoc noſti, hoc totum eſt, inquit, verum; ſed Turcæ & gentiles etiam faciũt in ſuis templis omnia ex obedientia, & ſeriò ſacra ſua faciunt: ſacerdotes Hieroboam faciebant etiam omnia certo zelo & ſtudio, contra vos ſacerdotes in Hieruſalem. Quid ſi tua ordinatio & conſecratio etiam falſa eſſet, ſicut Turcarum & Samaritanorum falſi ſacerdotes, falſus & impius cultus eſt?

Lutherus in anguſtias redigitur.

Hîc certè ſudor mihi erupit, & cor tremere mihi atq; palpitare cœpit. Diabolus argumenta ſua commodè ad oppugnandum diſponere & vrgere nouit, habetq́ue grauem & fortem vocem: & huiuſmodi diſputationes non diu multumq́; deliberando peraguntur, ſed in mométo vna reſponſio aliam accipit. Atque ego tum bene expertus ſum, quomodo fiat, quòd manè homines in lecto mortui inueniuntur. Poteſt occidere corpus: Hoc vnũ eſt. Poteſt verò etiam animam diſputando in tantas anguſtias redigere, vt in momento illi migrandũ ſit è corpore: quò me ſæpenumerò quàm proximè adduxit. Certè in hac diſputatione comprehenderat me: Ego verò tam innumerabilium blaſphemiarum cumulum inuitus coram Deo portaſſem, ſed innocentiam meam libenter defendiſſem. Itaque attendebam illi, quas cauſas contra meum ſacerdotium & conſecrationem haberet.

Diaboli argumenta.

PRIMVM noſti, inquit, nullam te hactenus habuiſſe cognitionem Chriſti, nec veram fidem. Et quod ad fidem attinet, nihilo melior fuiſti quouis Turca. Nam Turca, imò ego, adeoq; omnes Diaboli etiam credunt quæ de Chriſto ſcripta ſunt, Iacobi 3. Hoc eſt, quomodo ſit natus, mortuus, & ad cælum aſcenderit; ſed inde noſtrum nullus quicquam conſilij capit tanquam de ſuo Saluatore, ſed timemus eum tanquam ſeueriſſimum iudicem: talem fidem & tu habes, quia vos omnes relicto Chriſto ad Mariam & Sanctos acceditis, illos pro Chriſto vt tutelares imploratis, hoc nec tu, nec quiſquam Papiſtarum negare poteſt. In hunc finem tu ordinatus es, & Miſſas celebraſti tanquam Ethnicus, & non vt Chriſtianus. Quomodo ergo conſecrare potuiſti, qui non fuiſti perſona quæ conſecrare poſſet? SECVNDO, ordinatus es, & conſecraſti præter ordinationem & voluntatem Chriſti: nam Chriſtus vult vt Sacramentum vel Miſſa ſic adminiſtretur, vt Chriſtianis & alijs porrigatur: nam ſacrificulus erit miniſter Eccleſiæ, qui diſtribuat Sacramenta, & concionetur, quemadmodum ipſa verba Chriſti in Cœna Domini, & prioris ad Corinth. cap. 11. expreſsè requirunt. Vnde & à veteribus Patribus Communio dicitur: quòd non ſolùm ſacerdos ſumere, ſed alij etiam ſimul accipere debeant. Iam verò contra huiuſmodi Chriſti voluntatem per quindecim annos ſemper huiuſmodi Sacramẽtũ ſolus accepiſti, nec cuiquam porrexiſti: imò hoc prohibitum tibi fuit, nec omninò licuit alijs porrigere. Qualis hæc eſt ordinatio & conſecratio? qualis ſacerdos fuiſti? qui tibi ſoli, & non Eccleſiæ miniſtraſti? De tali ordinatiõe profectò Chriſtus nihil nouit. TERTIO, Chriſtus vult vt coram Sacramento de ſeipſo & ſua morte fiat concio, quemadmodum dicit: *Hoc facite in meam commemorationem*, hoc eſt, *annuntiate* (quemadmodum Paulus loquitur) *meam mortem, donec venio.* Sed tu angularis ſacrificule nullum verbum concionatus es, nec Chriſtum confeſſus es in omnibus angularibus tuis Miſſis, ſolus ſumpſiſti, ſolus tecum muſſitaſti: hoccine eſt Chriſti voluntati ſatisfacere? hiccine eſt verus ſacerdos? hæccine eſt ſancta ordinatio? ſiccine clericalem dignitatem & ordinationem accepiſti & exercuiſti? QVARTO, Chriſtus vult, vt ſit commune Sacramentũ, quod alijs Chriſtianis communicetur: tu autem ordinatus es, quò Deo offeras: nec in Sacerdotem Sacramenti, ſed in ſacerdotem oblationis ordinatus es: quemadmodum ſonant verba Epiſcopi Suffraganei, cùm calicem traderet tibi in vnctas manus, ac diceret: *Accipe poteſtatem conſecrandi & offerendi pro viuis & mortuis.* Hęccine eſt peruerſa ordinatio, quòd tu tanquam priuata perſona ex eo diuinam oblationem facis, quod in communem cibum à Deo per miniſterium ſacerdotis Chriſtianis porrigẽdum ordinatum eſt? O abominationum abominationem! QVINTO, Chriſtus vult, quemadmodum dictum eſt, vt Sacramentum hoc diſtribuatur, quò Chriſtiani eo in fide cõfirmentur, & Chriſtum publicè laudibus celebrent: at verò tu priuatum inde opus feciſti, quod tuũ ſit, quod perfeciſti abſq; miniſterio aliorum, & huiuſmodi opus alijs applicaſti, & pecunia vendidiſti. Quid horum negare potes? Vbi iam ordinatus es, qui vera fide caruiſti: qui contra omnem ordinationem & voluntatem Chriſti ordinatus es in priuatum ſacrificulum, non in publicum Eccleſiæ ſacerdotem: qui nulli Sacramentum porrexiſti: nihil in eius præſentia concionatus es: qui nihil omninò operatus es: qui ſolùm cõtra Chriſtum ordinatus es, vt agas quicquid illi aduerſetur? Si verò contra Chriſtum ordinatus es, ordinatio tua falſa, Antichriſtiana, & reuera nihil eſt. Quamobrẽ nec conſecraſti, ſed merũ panem & vinũ obtuliſti, ſumpſiſti, adorâſti, alijſq; adorandũ monſtraſti. Vides hîc in tua Miſſa PRIMVM nec perſonam eſſe, quæ conſecrare debeat, aut poſſit, nimirum hominem Chriſtianum & fidelem. SECVNDO, non adeſt perſona, cui debeas cõſecrare & porrigere, nimirum Chriſtiana plebs: ſed tu impie & infidelis ſacerdos ſolus hîc ſtas, & arbitraris Chriſtum tua tantùm cauſa conſtituiſſe, & velle, vt tu ſolus ſuum corpus & ſanguinem conſecres: cùm tamen reuera ipſius non membrum, ſed hoſtis exiſtas. TERTIO, non adeſt ipſiſſima intentio, & fructus, aut vſus, qualia Chriſtus requirit. Nam inſtitutum eſt Sacramentum quò Chriſtiani eo cibentur & cõfirmentur, Chriſtum prædicent & celebrent: iam Chriſtiana plebs de Miſſa nihil nouit, nihil de te audit, nihil accipit: ſed tu taces illic in angulo, deuoras omnia ſolus, qui tamen incredulus es & indignus, neminem eo paſcis, ſed vendis tamquam opus ſupererogationis. Cùm nunc perſona non adſit, quæ conſecrare debeat; nec perſona adſit, quæ ſumat; & omnino Chriſti voluntas inuerſa ſit, & tu in huiuſmodi peſſimum & inuerſum ſacerdotem ordinatus ſis, ordinatio & conſecratio tua nihil aliud eſt quàm tentatio & blaſphemia in Deum, nec tu ſacerdos es, nec panis in corpus Chriſti in tua Miſſa tranſmutatur, &c.

Lutherus

In hac anguſtia & neceſſitate conſtitutus, diabolum à me propellere volebam, arripiens veterem clypeum ſeu ſcutum, de quo in Papatu edoctus eram, ſcilicet intentionem & fidẽ Eccleſiæ. Nam etiamſi ego non rectè credidiſſem,

nec intendiſſem, rectè tamen credere & intendere Eccleſiam, & propterea putabam meam Miſſam & ordinationem legitimam eſſe.

Diabolus

Hîc eiuſmodi verbis mihi reſtitit: Amabo dic mihi, quo loco ſcriptum ſit, quòd impius & infidelis homo poſſit in fide & intentione Eccleſiæ conſecrare? vbi Deus hoc docuit, vel præcepit? quibus verbis probas, quòd Eccleſia huiuſmodi tibi opinionem porrigat & tradat ad tale angulare opus perficiendum? Si homines dixerunt præter expreſſum Dei verbum, omninò mendacium eſt: adeò in tenebris omnia agitis ſub nomine Eccleſiæ, & veſtras abominationes tanquam Eccleſiaſticas doctrinas prætenditis, &c.

Tomo 5. Ienenſi Germ. fol. 485. epiſt. ad Electorem Saxoniæ ſcribit: Diabolum interdum per ipſius cerebrum meare, vt nec ſcribere poſſit, nec legere.

Libello de tumultu, quem Carlſtadius VVittembergæ concitauit, Tomo 2. Germ. Ien. fol. 77. Crede mihi, bene, imò valde bene Diabolum noui.

In Colloquijs Menſalibus Germanicè editis fol. 216. Iactans ſe Sucrmeros, eorumq; rationes & argumẽta non multum curare: quia, inquit, ipſorum argumenta per otium à Diabolo audiui, & grauiora quidem, ſed per verbum Dei vici.

Folio 259. Malo per diabolum, quàm per Cæſarem interire: ſic enim per magnum dominum interirem.

Fol. 274. Quando cum hominibus ſum, non nocet mihi Diabolus: cùm verò me ſolum deprehẽdit, tum docet me mores.

Fol. 275. Narrat Lutherus, quòd in dormitorio nonnunquam cum Diabolo deambulet: addit ſe habere vnum atque alterum mirabilem Diabolum, à quibus diligenter & admodum intentè obſeruetur: exiſtimat eos non vulgares, ſed magnos dæmones, imò Doctores Theologiæ inter diabolos eſſe.

Fol. 281. Diabolus (inquit) frequentius & propius mihi condormit, quàm mea Catharina.

Zvvinglius.

In ſubſidio Euchariſtiæ D. ij. b. D. iij. a: Reſtabat adhuc, *inquit*, haud minimus conatus, quo ſcilicet exempla proderemus, quæ nulla cum parabola cõiuncta forent. Cœpimus ergo cogitare omnia, omnia reuoluere, attamen aliud nihil exemplorum occurrebat, quàm quod in Commentario proditum eſt: aut quod occurrebat, erat illorum ſimile. Cùm verò tredecima dies appeteret, (vera narro, adeoq; vera, vt cęlare volentem conſcientia cogat effundere quod Dominus impertijt, non ignorans, quantis me contumelijs riſibuſq; exponam,) cùm, inquam, tredecima Aprilis lux appeteret, viſus ſum mihi in ſomno multo cum tædio denuò contendere cum aduerſario Scriba; ſicq; obmutuiſſe, vt quod verum ſcirem, negante lingua beneficium ſuum, proloqui non poſſem: qui me angor, vt ſolẽt nonnunquam ſomnia fallaci ludere nocte, (nihil enim altius quàm ſomnium narramus; tametſi leue non ſit, quod per ſomnium didicimus gratia Deo, in cuius ſolius gloriam iſta prodimus) vehementer turbare videbatur. Ibi ἀπὸ μηχανῆς viſus eſt monitor adeſſe, (ater fuerit, an albus nihil memini: ſomniũ enim narro) qui diceret: Quin ignaue reſpondes ei, quod Exodi 12. ſcribitur: *Eſt enim Phaſe, hoc eſt, tranſitus Domini.* Protinus vt hoc phaſma viſum eſt, ſimul expergefio, & è lecto exilio. Locum apud Septuaginta primùm vndique circumſpicio, ac de eo coram tota concione pro virili diſſero: qui ſermo vbi acceptus eſt, quemadmodum paulo poſt dicemus, omnibus ſacrarum literarum candidatis, qui adhuc nonnihil propter parabolæ obſtaculum hærebant, omnem nebulam diſcuſſit.

LVTHERANORVM, &c. CORruptelæ in transferenda & interpretanda ſacra Scriptura.

1. *De SS. Trinitate.*

Geneſ. 1. 1. *In principio creauit Deus cælum & terram.*) Priſci pariter ac neoterici hîc myſterium SS. Trinitatis aſſeri ſentiunt: quòd verbum ſingularis numeri eſſentiæ vnitatem, nomen numeri pluralis perſonarum in Deo pluralitatem oſtendat.

Contra CALVINVS *ad hunc locum:* Habetur apud Moſen nomen pluralis numeri: vnde colligere ſolent, hîc in Deo notari tres perſonas: ſed quia parum ſolida mihi videtur tantæ rei probatio, ego in voce non inſiſtam. Quin potius monẽdi ſunt lectores, vt ſibi à violentis eiuſmodi gloſſis caueant.

Geneſ. 19. 24. Igitur Dominus pluit ſuper Sodomam & Gomorrham ſulphur & ignem à Domino de cælo.) *Ad clariſſimum de ſanctiſſima Trinitate, & Chriſti diuinitate teſtimonium Caluinus in Cõmentarijs huius loci ſic ſcribit:* Quòd veteres Chriſti diuinitatem hoc teſtimonio probare conati ſunt, minimè firmum eſt, ac ſine cauſa, meo iudicio, tumultuantur, qui acrius Iudæos exagitãt, quia nõ admittãt tale probationis genus. Fateor quidem Deum ſemper agere per manum Filij ſui, ac tam memorabili vindictæ exemplo Filium præfuiſſe non dubito: ſed parum ſolidè ratiocinari dico, qui plures inde perſonas eliciunt, cùm Moſis conſilium fuerit lectorum oculos ad ſpectandam Dei manum erigere & acuere.

Iſa. 6. 3. *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum:* interpretantur veteres de ſanctiſſimâ Trinitate.

Contra CALVINVS *in hunc locum:* Veteres, *inquit*, hoc teſtimonio vſi ſunt, cùm vellent aduerſus Arianos tres perſonas in vna Dei eſſentia probare. Quorum ego ſententiam non reijcio. Quamquam, ſi mihi res cum hæreticis eſſet, mallem firmioribus teſtimonijs vti. Nam redduntur pernicaciores, & ſecum ipſi plaudũt, cùm minus apertis teſtimonijs oppugnantur: vt hoc loco facilè ipſis ac promptũ eſſet accipere, ternario numero perfectionem notari, vt in alijs Scripturæ locis. Quamuis ergo non dubitem Deum vnum in tribus perſonis hîc deſignari ab Angelis, tamen apertioribus locis potius vtendum exiſtimo, ne probando fidei noſtræ capita hæreticis ridiculi ſimus. Et certè hac repetitione potius indefeſſa aſſiduitas notatur, ac ſi dixiſſet Propheta: nullum Angelicæ melodiæ finem eſſe in canendis Dei laudibus; ſicuti inexhauſtam materiam ſuppeditat eius ſanctitas.

1. Ioannis 5. 7. *Tres ſunt qui teſtimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus: & hi tres vnũ ſunt.* Interpretantur hæc verba pro ſanctiſſima Trinitate Athanaſius, Cyrillus Alexand. Higinus, Cyprianus, Idacius, Eugenius, Fulgentius, Ambroſius Anſbertus, Radulphus Ardens, Rupertus Tuitienſis, &c.

Contra LVTHERVS *in ſua Germanica Bibliorum verſione omnino omiſit:* BVGENHAGIVS *ad caput 3. Ionæ omnino expungenda cenſet:* CALVINVS *deprauat hoc gloſſemate:* Quod dicit tres eſſe vnum, ad eſſentiam non refertur; ſed ad conſenſum potius. Ac ſi diceret: Patrem, & æternum Sermonẽ eius, ac Spiritum ſymphonia quadam Chriſtum pariter approbare. Itaque nonnulli codices habent εἰς ἕν· verùm etſi legas, ἕν εἰσιν, vt eſt in alijs exemplaribus: non tamen dubium eſt, quin Pater, Sermo & Spiritus eodem ſenſu dicantur vnum eſſe, quo poſtea ſanguis aqua & ſpiritus.

2. *De Filij Diuinitate.*

Pſalm. 2. 7. *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* De

solo Christo hæc intelligenda esse asserit Paulus Act.13. & clarissimè hîc Filij diuinitatem confirmari, veteres magno consensu docent.

Contra CALVINVS *in hunc Psalmum*: Potuit quidem Dauid regij iuris intuitu censeri Dei filius, quemadmodum scimus Principes, eò quòd præ alijs excellant, tam Deos, quàm Dei filios vocari. Sed hîc Deus singulari elogio Dauidē amans, eum nō modò supra cunctos mortales, sed etiam supra Angelos extollit. Sciamus ergo hîc Dei Filium, non vnum quempiam ex multis, sed vnigenitum designari, vt solus in cælo & in terra emineat. Quòd autem Deus se illum genuisse pronuntiat, referri debet ad hominum sensum vel notitiam. Dauid enim genitus à Deo fuit, dum clarè apparuit eius electio. Itaq; aduerbium (*hodie*) tēpus illius demonstrationis notat quia postquam innotuit creatum diuinitus fuisse regem, prodijt tamquam nuper à Deo genitus: quia homini priuato tantus honor haberi non poterat. Eadem in Christo quoque ratio tenenda est. Non enim genitus dicitur, nisi quatenus Pater Filium esse testatus est. Scio locum hunc de æterna Christi generatione à multis fuisse expositum: qui & in aduerbio, *Hodie*, arguè philosophati sunt, ac si perpetuum actum extra tempus notaret. Sed huius vaticinij fidelior ac magis idoneus interpres est Paulus, qui Act. 13. ad illam, quam dixi, cælestis Christi gloriæ demonstrationē nos reuocat. Genitus ergo fuisse dicitur, non vt Filius Dei esse quoad se inciperet, sed vt talis patefieret mundo.

Psal. 44.7. Sedes tua Deus in seculum seculi: virga directionis virga regni tui. Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem: propterea vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.

Paulus ad Hebræos æternam Filij deitatem populo Hebræo, ad quem scribit, demonstrat, inquiēs: Ad Angelos quidem dicit: Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos flammam ignis. Ad Filium autem: Sedes tua Deus in seculum seculi, virga directionis, virga regni tui.

Improbat CALVINVS *in Comment.* Simplex & genuinus sensus est, Salomonem non tyrannicè dominari, vt plerosq; reges, sed rectis & æquis legibus, ideoq; soliū eius omnibus seculis fore stabile. *Et commentans ad cap.1. ad Hebr.* Fatendum quidem est de Salomone hunc Psalmum fuisse compositum, instar epithalamij, quia illic celebratur eius coniugium cum filia Regis AEgypti.

Isaiæ 9.6. Et vocabitur nomen eius Admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, Pater futuri seculi, Princeps pacis.

In insigni hac de Christi diuinitate prophetia pro Deus fortis LVTHERVS *vertit* Krafft: id est virtus.

Michææ 5.2. *Et egressus eius ab initio à diebus æternitatis.* Hoc testimonium veteres ac recentiores ad æternam Christi generationem referunt.

Contra CALVINVS *in hūc locum*: Adiungit Propheta, *egressus eius* esse *ab initio*, vel à longa vetustate, *& à diebus seculi*: hoc est diebus æternis. Hîc significat non fore hoc repentinum, quòd surget princeps, qui populum gubernet: quia iam diu hoc diuinitus fuit decretum. Hic est simplex sensus. Scio quosdam insistere pertinacius, quòd hîc loquatur Propheta de æterna essentia Christi: & quantum ad me spectat, libenter agnosco hîc probari nobis Christi diuinitatem. Sed quia hoc nunquam extorquebitur à Iudæis, malo simpliciter accipere quod sonant Prophetæ verba, Christum non ita repentè proditurum ex Bethlehem, quasi de eo nihil statuisset. *Egressus* ergo *eius* sunt *ab initio* inquit. Alij etiam afferunt nouam argutiam, quòd plurali numero Propheta *egressus* vocet, propter duplicem Christi naturam: sed subest absurditas, qua neque prior, neque scitè cōferret Propheta naturam humanam Christi cum diuina, quantum attinet ad æternitatem.

Ioannis 10.30. *Ego & Pater vnum sumus.*) Athanasius, Cyrillus, Nazianzenus, Augustinus, & alij veteres magno consensu vsi sunt hoc testimonio ad probandum Filium esse Patri consubstantialem.

Contra CALVINVS *in hunc locum*: Abusi sunt, *inquit*, veteres hoc loco, vt Christum probarent Patri esse ὁμοούσιον. Nec enim Christus de vnitate substantiæ disputat, sed de consensu, quem cum Patre habet, &c. Multi ex Patribus interpretati sunt, Christum vnum esse cum Patre, quia æternus sit Deus, &c. Sed huc eos abripuit contentio cum Arianis, vt concisas sententias in alium sensum torquerent.

Colos. 1.15. *Qui est imago Dei inuisibilis, primogenitus omnis creaturæ.* Locus insignis, quo sæpius veteres vsi ad probandam Filij diuinitatem contra Arianos.

Negat CALVINVS *in hunc locum*: Scio, *inquit*, qualiter veteres exponere soleant Quia enim certamen habebant cum Arianis, æqualitatem Filij Dei cum Patre & ὁμοσσίαν vrgent: interea tacent, quod est præcipuum, quomodo Pater in Christo se nobis cognoscendum exhibeat. Quòd in vocabulo imaginis totum suum præsidium constituit Chrysostomus, dum contendit creaturam non posse dici Creatoris imaginem: nimis infirmum est, imò à Paulo refellitur, cuius verba sunt: *Vir est imago Dei.*

3. *De Spiritus sancti diuinitate.*

Locus est insignis Psal. 32.6. Verbo Domini cæli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum.

Negat CALVINVS *in hunc locum*: Subtilius veteres hoc elogio vsi sunt contra Sabellianos, vt æternam Spiritus deitatem assererent. Atqui ex alijs locis patet, ac præsertim ex Esaiæ cap. 11. *spiritu oris* notari sermonem. Illic enim de Christo dicitur: *Percutiet terram virga oris sui, & spiritu labiorū interficiet impium.* Sicut autem potestate & efficacia plenus sermo allegoricè vocatur oris sceptrum: ita alio fine postea dicitur halitus, ad discrimen notandum sermonis Dei, & inanis resonantiæ, quæ ex ore hominum prodit. Ergo in probanda Deitate Spiritus hoc testimonio Sabellium vrgere non auderem.

4. *De Christi meritis.*

Caput 53. Esaiæ de Christi passione, cruce, morte, & satisfactione pro peccatis intelligunt omnes Orthodoxi.

Contra CALVINVS *in hoc caput scribit*: Qui hūc locum de Christo exponunt, sensum Prophetæ torquent. Quare simplicior mihi videtur hæc interpretatio. Conqueritur enim Dominus, quòd homines eum peccatis suis molestum onus subire coēgerunt, qui tamen reuerenter se ei subijcere debuissent. Nam cùm insurgimus aduersus Deum, eum quasi seruū proteruia & petulantia nostra reddimus. Hoc autē melius exponit, cùm ait se laborasse, id est, varia tædia deuorasse, ob nequitiā populi sui. Ipsum enim quodāmodò vulneramus & configimus, vt inquit Propheta, cùm respuimus ipsius vocem, neque ab eo regi nos patimur. Alludere autem videtur ad id quod prius dixerat de tædio vel molestia populi in colendo Deo. Nam ex aduerso testatur Deus, multas sibi à populo molestias exhibitas fuisse.

5. *De Christi innocentia, sanctitate & constantia.*

Insignis locus est Heb.5.7. Exauditus est pro sua reuerentia.

CALVINVS *veterum interpretationē repudiata εὐλαβείαν*, metum & dubitationem *exponit*. Primò Iesum Christum Dominum nostrum adeò terribili, *ait*, mortis terrore concussum, vt quasi in desperationem incideret, anxius & solicitus, ne à morte absorberetur, & deglutiretur.

6. *Contra descensum Christi ad inferos.*

Vbi Act.2.27. habetur: Non derelinques animam meam in inferno: BEZA *vertit*: Non relinques cadauer meum in sepulchro. *Reprehensus ob id à Castalione, respondit*: Quod annotaui ex veteri versione *animam meam* natum esse errorem, non temerè feci, cùm hunc præcipuè locum à Papistis torqueri ad suum Lymbum constituendum videamus: & veteres etiam inde descensum illum animæ Christi ad inferos excogitārunt.

7. *De Eucharistia.*

ZVINGLIVS vt suam Sacramentariam blasphemiam probet, sceleratissimè, tamquam manifestus falsarius & deprauator, verba Filij Dei viui corrupit. Vbi Græcus textus, Latinæ versiones omnes, & Tigurina versio habent: *Hoc est corpus meum*: Zuinglius posuit: *Hoc significat corpus meum*: *hoc significat sanguinē meum*: Das bedeutet meinē Leib/das bedeutet mein Blut. Vidi exemplar Munderæ anno 1560. *Conradus Schlusselburgius in Theologia Caluinistica lib.2.cap.6.*

8. *De Fide, & operibus.*

Rom.3.20. Per legem cognitio peccati: LVTHERVS *vertit*: Durch das Gesetz kompt nur erkandtnuß der Sünden.

Rom.3.28. Arbitramur iustificari hominem per fidem sine operibus legis. LVTHERVS *vertit*: So halten es nun dafür der Mēsch gerecht werde/ohn des Gesetz werck/allein durch den Glauben. Allein *particulam, nec de Græco, nēc de Syriaco, nec de Latino textu; sed de suo cerebro, ad confirmandum suum de iustificatione hominis dogma, adiecit. Admonitus de hoc ab amico quodam, non modò non correxit: sed rescripsit*: (*Tomo 5. Germ. fol.141.*) Doctor Martinus Lutherus sic vult, & dicit Papistam & asinum eundem esse.

Sic volo, sic iubeo, sit pro ratione voluntas. Volumus enim non discipuli, sed magistri & iudices Papistarum esse. Lutherus ita vult, & ait se esse Doctorem super omnes Doctores in toto Papatu. *Tandē concludit*: Propterea debet vox, *sola*, in meo nouo Testamento manere; etiamsi omnes Papasini ad insaniam & phrenesin redigantur, non tamen ea inde tollent. Pœnitet me, quòd non addiderim duas voces *omnibus & omnium: sine omnibus operibus omnium legum.*

2.Pet.1.10. Quapropter fratres magis satagite, vt per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis LVTHERVS *vertit*: Darumb lieben Brüder/thut desto mehr fleiß/euwrem beruff vnd erwöhlung fest zu machen. Per bona opera *omisit.*

9. *De Votis.*

Psal.49.14. Redde Altissimo vota tua. LVTHERVS *licet vt votifragus hac verba expungere non audet: tamen hoc glossemate ad marginem appositio deprauat*: VOTA, quod illi promisisti futurum, vt sit Deus tuus in primo præcepto. *Dauid de votis illis loquitur, quæ voluntariè suscipiuntur: id Lutherus ad obseruationem primi præcepti torquet, ad quam alioqui omnes non voluntarij cuiusdam voti religione, sed mandati præcepto astringimur.*

Psal.75.12. Vouete, & reddite Domino Deo vestro: LVTHERVS *ad marginem addit*: Quòd pro Deo vestro eum habere velitis, quemadmodum requirit primum præceptum, & nolite vouere Sanctis, vel alia vota.

10. *Contra castitatem, & Cœlibatum.*

Prouerb.31.10. ad illa verba: Mulierem fortem quis inueniet? procul, & de vltimis finibus pretiū eius.

LVTHERVS *ad marginem dicterium rithmicum amatorium tamquam epiphonema quoddam accinit*: Nicht liebers ist auff Erdē/den Frawen lieb/wems kan werden. Nihil amabilius vel suauius est in terra, quàm amor mulierum, si cui is contingere potest.

1.Cor.9.5. Nunquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi? Lutherus *de suo addidit* in vxorem, *vel* pro vxore.

LVTHERANORVM, &c. IMPIETAS & maledicentia in Sanctos Dei.

Martinus Lutherus.

Ad Psalm. 45. *Diffusa est gratia in labijs tuis.* Perstringit hîc quoque MOSEN, qui etiam habuit labia, sed profunda, infacunda, impedita, irata, in quibus non est verbum gratiæ, sed iræ, mortis, peccati. Colligite omnes sapientias Mosi, Gentium, Philosophorū, & inuenietis eas coram Deo esse vel idololatriam, vel sapientiam hypocriticam, vel, si est politica, sapientiam iræ. Christus non est āsper, seuerus, mordax, vt Moses, qui instar diaboli horribilē speciem præ se fert: ita loquitur, vt præ timore eius dictorum cor alicuius concideret. Habet labia diffusa felle & ira, amaricata grano Gnidij & felle, imò tartareo igne. Apage ergo cum Mose, non terrebit ille angustata corda.

Ad cap.1. Epist. ad Galatas: Esto Ecclesia, Augustinus, & alij Doctores: item Petrus, Apollo; imò Angelus è cælo diuersum doceant: tamen mea doctrina est eiusmodi, quæ solius Dei gloriam illustrat. PETRVS Apostolorū summus viuebat & docebat extra verbum Dei.

Ad cap.2. An PETRVS in hoc peccauerit vt vocant mortaliter viderint alij. Hoc scio, quòd ij, qui tali simulatione cogebantur ad Iudaismum, nisi fuissent per Paulum reducti, perijssent.

Præfatione in Alexij libellum de Ecclesia: Omnis eorum sanctitas in eo consistit, quòd multum orarunt, & ieiunārunt; quòd magnos labores sustinuerunt, corpus castigarunt, duriter cubuerunt, & asperiori vestitu vsi sunt: omnem eorum sanctitatem vel canis, aut porcus quotidie exhibere posset.

Tomo 4. Germ. fol.106 a Non est quod dicas: si tam sanctus essem, quàm ABRAHAMVS fuit. Crede quemadmodum ille credidit, & tu quoque tam sanctus eris. Vnde sanctus est? cùm Iosua dicat, eū quoq; idola coluisse: quin peccator fuit etiam. Iustus verò per id factus est, quia credidit. Igitur crede tantùm, & iustus eris. Si fidem habes, & Dei verbum, æquè magnus es atque ille: nec est necesse vt metuas, ne sis illo minor aut inferior, quamquam fides adeò robusta esse nequit.

Fol.153. ad cap.28. Genes.: Non debeo Christianum proximum, omnium minimum, inferiorē æstimare D. PETRO, & omnibus Sanctis, qui sunt in cælo. SANCTI tam profundè fuerunt demersi, quàm nos. Et nos tam alto loco sumus, quàm illi

In Euangel. Dominic.24. à Trinitate: Omnes Christiani planè pares sunt, nec alius alio de Christo plus habet. D. PETRVS Latrone in cruce non est potior. MARIA Dei mater peccatricem Mariam Magdalenam non præcellit. In externis rebus & actionibus discrimen quidē est: sic Deiparæ Virgini Mariæ maius opus fuit, quàm Mariæ Magdalenę Petrus maius habuit opus Latrone, si opera intue-

aris: sed ideo nondum Christiani sumus. D. Virgo Maria Christiana non est ratione ingentis operis sui, quòd Christum ineffabilem adeò thesaurum in vtero suo gestarit, &c. Virgo & mater duo sunt egregia nomina, sed nihil sunt ad verum fidelium collata nomen. Omnes in Christo per fidē pares sumus, etiamsi D. Petro sit fortior quàm mihi fides, eadem tamen æquè in Christum fides est.

Sermone de Cruce: Christianus homo debet & tenetur ita dicere: Valde bene scio, quòd infernum cum D. Petro merui: quòd autem illi similis sim, & tam diues atq; sanctus, quàm est D. PETRVS, age hoc similiter promerui vt ille. Est mera Dei benignitas, & gratia, &c. Neque est quod timeas, ne Sancti tibi propterea irascantur, si te ad hunc modum illis similem reputes: hoc solum deest, quòd non possumus in hoc loco satis superbire.

Magdeburgenses Centuriatores.

Centur. 1. lib. 2. cap. 10. Actorum 15. legales Iudæorum cæremoniæ abrogantur, à quo tamen diuersum esse videtur, quod Actorū 21. narratur, quòd in postrema Hierosolymam versus profectione ad Iacobum Apostolum PAVLVS diuertitur, & conuocata Synodo omnium Presbyterorum à Iacobo Apostolo & cæteris persuadetur, vt propter Iudæos offensos se purificet in tẽplo, in quo & D. Paulus obtemperat. Qui certè non exiguus tanti Doctoris videtur fuisse lapsus, non satis rationem abrogatę scilicet Legis Mosaicę habentis.

Ioannes Brentius.

In Apologia confessionis VVittembergensis, capite de Cœlibys: Et D. PETRVS Apostolorum princeps, & BARNABAS etiam post acceptum Spiritū sanctum, & simul etiam Ecclesia Hierosolymitana errârunt. Gal. 2.

VVilhelmus Clebitius.

In Victoria veritatis, & ruina Papatus Saxonici, Argumento quinto, *cùm ei ex Luca aliquid obiiceretur, quod ipse non probabat, ideoq; quia credere nollet, & respondere deberet, eò confugit, vt fateretur Lucā quidem ita quemadmodū aduersarius vrgebat asserere, se tamen Lucæ credere nolle: quia Matthæus & Marcus tradūt contrarium.* Duobus testibus Matthæo & Marco plus fidei adhiberi debet, quàm vni LVCAE, qui Synaxi non interfuit, quemadmodū Matthæus.

Carolus Molinæus.

In collatione quatuor Euangelistarū, parte 64. *Qui vos audit, me audit.*) Hæc verba limitant vt tantùm Christus audiatur, id est, verbum eius solius prædicetur, vt exponit doctissimus Philippus Melanchthon, &c. Ita enim exponit Ioannes Brentius, dicens, quòd Christus, cùm ait: *Qui vos audit, me audit*, non loquitur de quibusuis verbis Apostolorum, sed de præscripto mandato legationis suæ.

Quintinus Heduus Libertinus.

Ioannes Caluinus de Libertinis cap. 9. Quintinus Libertinorum sectæ in Gallia antesignanus, vnumquemque Apostolorum aliquo scommate notauit: Paulum vas fractum, Petrum Christi abnegatorem, Ioannem iuuenem stolidū, Matthæum fœneratorem vocans.

LVTHERANORVM, &c. IMPIETAS & maledicentia in sanctos Ecclesiæ Patres & Scriptores.

Martinus Lutherus.

In Colloquijs conuiualibus, capite de Patribus Ecclesiæ: HIERONYMVM legere licet propter historiam. Nam de fide & vera religione & doctrina ne verbum quidē in ipsius scriptis extat. ORIGENEM iam dudum diris deuoui. CHRYSOSTOMVM nullo loco habeo, non est nisi loquaculus. BASILIVS nihil valet, totus est monachus: ne pilo quidem illum redimerem. Apologia Philippi omnes Ecclesiæ Doctores exuperat, etiam Augustinum. BERNARDVS omnes Ecclesiæ Doctores vincit concionando: sed cùm disputat in alium virum mutatur: ibi nimium tribuit præcepto & libero arbitrio. TERTVLLIANVS inter Ecclesię Doctores merus est Carlstadius. CYPRIANVS Martyr infirmus est Theologus. Videte quales de fide tenebræ sint in Patrum scriptis. Nam quando articulus ille de hominis iustificatione tenebris obductus est, fieri omninò nequit, vt maiores errores vitentur. S. HIERONYMVS scripsit in Matthæum, & epistol. ad Galatas, & ad Titum, sed quàm frigidè? AMBROSIVS sex libros super Mose scripsit, sed quàm ieiunos? AVGVSTINVS nihil singulare habet de fide: sed vbi Pelagianos oppugnat, excitatur, & in virum euadit. Pulchrè quidem docuerunt illi Patres, sed extra lites & cōtrouersias, nihil singulare potuerunt in apertum referre: nec vlla eorum extant in epistolam vel ad Romanos, vel ad Galatas, in quo aliquid quod purum & syncerum sit reperiatur.

Capite de Scholasticis Theologis: HIERONYMVS inter Ecclesię Doctores numerari non debet: nam fuit hæreticus: puto tamen, quòd per fidem in Christum saluatus sit. Nihil de Christo loquitur, duntaxat illius nomen ore fert. Nullum scio, cui æquè infestus sim ac Hieronymo. Nam tantùm scribit de ieiunio, de delectu ciborum, de virginitate: si ad opera fidei cogeret, & illa vrgeret, aliqd esset. Sed nihil docet nec de fide, nec de spe, nec de charitate, nec de operibus fidei. DIONYSIVS multa garrit de diuinis nominibus, de Ecclesiastica & cælesti Hierarchia, adeò vt eum hactenus vocarint diuiniloquum Theologū, qui de rebus summis & diuinis scripserit; sed meræ sunt fabulæ. Nam nō est ille Dionysius, qui Pauli discipulus fuit, sed alius Parisiensis.

De captiuitate Babylonica, cap. de ordine: Mihi in totum displicet tantum tribui (quisquis fuerit) Dionysio; cùm nihil in eo sit solidæ eruditionis. Omnia illius sunt propè somnijs similima.

Ad cap. 7. Deut. Dionysius Areopagita nihil habet solidæ eruditionis, nihil vel auctoritate, vel ratione probat.

Epistola ad Philippum, præfixa Commentarijs Philippi in epist. ad Romanos edit. 1. Dico ORIGENIS commentaria meras esse nugas & ineptias, si tuis annotationibus comparentur.

De seruo arbitrio: HIERONYMVS cum iudicio legi debet, & multa ille (ea fuit oscitantia & hebetudo eius in Scripturis intelligendis) ineptè scribit, &c. Hieronymus mihi obijcitur, homo nullius neque iudicij, neq; diligentiæ, &c. Quid carnalius, imò quid magis impium, sacrilegum, & blasphemum dici potest, quàm id quod Hieronymus scribit: *Virginitas cælum, coniugium terram replet?*

Epistola ad Brentium, (quæ præfixa est Brentij Com. in Oseam:) Sæpius & penè cum indignatione admiror, quomodo D. Hieronymus nomen Doctoris Ecclesiæ post Apostolos meruerit, cùm in eo non facilè tres versus inuenias de fidei iustitia docentes, neq; Christianum vllum facere queas ex eius scriptis, ita vagatur in allegorijs rerum gestarum, aut capitur pompis operum.

Ad cap. 22. Genes. Quin te, Hieronyme, conculcamus cum tua Bethlehem, cuculla, & deserto?

Ad cap. 31. Genes. Impia & diabolica vox est Hieronymi.

Contra Regem Anglia: Quis est AVGVSTINVS? quis nos coget illi credere? qua auctoritate eius verbum est articulus fidei?

In Colloquijs Germanicis fol. 499. GREGORII conciones ne teruncium quidem valent: Diabolus enim eum in Dialogo suo crassè decepit.

Ad cap. 49. Genes. Gregorius admodum leuiter agnouit Christum, & verbum Euangelij.

In Resolutionibus ad 13. propositionē de potestate Papæ. Hoc capitulum videtur ISIDORI commentum esse, qui metropolim mensuram ciuitatis, & acolythum ceroferarium, aliosq; gradus egregia inscitia defendit, & inuenit tamen auctoritatem. Hunc diuinatorem cōtemptim præterissem cum erroribus suis, nisi viderem hinc sumi hodie à nonnullis, quòd Papam Imp. Maximumq; Pontificem iactitaret; ideo non inter Canones, sed inter canes hunc deputo.

In captiuitate Babylonica, cap. de Baptismo: Esto contemptor MAGISTRI SENTENTIARVM cū omnibus suis scribentibus, qui tantùm de materia & forma Sacramentorum scribunt, dum optimè scribunt, id est mortuam & occidentem literam Sacramentorum tractant. Cæterùm spiritū, vitam, & vsum, id est promissionis diuinæ veritatem, & nostram fidem prorsus intactas relinquunt.

Philippus Melanchthon.

Lib. de Ecclesia: CYPRIANVS vrget pœnas canonicas, quarum tunc vsus erat, & confirmat opiniones, quòd sint necessariæ, & ,ppter eas remittantur peccata: fortasse sentiebat commodius quàm locutus est, tamen illi errores non sunt leues, sed admodum densæ stipulæ, obscurantes puram doctrinam de beneficijs Christi. BASILIVS addidit monasticen, tamquam stipulas, & laudat hoc vitæ genus immodicis & falsis præconijs, cùm quidem ab Episcopo suo reprehenderetur.

Ad cap. 14. epist. ad Romanos: GREGORIVS Ethnico more ornauit statuas, magnæ impietatis cō firmauit initia, in Ecclesias alienas sibi imperium sumpsit, impiè distraxit coniugia, iniustus fuit erga eos, qui infantes è monasterijs abstrahebant, mortuorum spectris credidit, lapsus denique est in manifestam impietatem & tyrannidem.

Ioannes Bugenhagius.

Ad cap. 3. Ionæ: Certum est, quòd ORIGENES suis deprauationibus & ignorantiæ tenebris obscurauit solem, id est Legem & Euangelium Dei, id est, totam Scripturam vsque in hodiernum diem. GREGORIVS quidem bonus & eruditus vir fuit, sed superstitiosissimus erga traditiones humanas & suscipiendo, & multiplicando cōtra iustitiam Dei, quæ est per fidem in Christum. DIONYSIVS scribendo fingit se illum esse Areopagitam, quem Paulus conuertit ad Christum: cùm tamen eius scripta conuincant, eum esse asinum Cumanum, & fuisse lōgè post Apostolorum tempora.

Ioannes Caluinus.

Lib. 1. Institut. cap. 14. §. 44. IGNATIVM quòd obtendunt, si velint quicquam habere momenti, probent epistolas legem tulisse de Quadragesima & similibus corruptelis: nihil nænijs illis, quæ sub Ignatij nomine edita sunt, putidius. Quò minus tolerabilis est eorum impudētia, qui talibus laruis ad fallendum se instruunt.

De vera participatione Christi in Cœna: Quæ est ingenuitas Ignatij epistolā citare, quam vix gregarius quispiā monachus pro sua agnoscere dignaretur? Sciunt qui legerint nugas illas, tantùm de Quadragesima, Chrismate, luminaribus, Quadragesimali ieiunio, diebus festis narrari, quę aliquanto post Ignatij mortem superstitione & inscitia irrepere cœperunt. Quid tamen fictitius ille Ignatius?

Ad cap. 17. Act. Apost. Nimis crassa est eorum barbaries, qui libros de cælesti & Ecclesiastica hierarchia, & de diuinis nominibus, huic DIONYSIO ascribunt: cælestis enim Hierarchia non modò multis insulsis & monachalibus nugis referta est; sed etiam multis absurdis commentis & impijs speculationibus scatet.

Libro 4. Instit. cap. 19. §. 17. Dictum est HIERONYMI: *Pœnitentia est secunda post naufragium tabula:* cuiuscunque sit, quin planè impium sit, excusari nequit.

Ad cap. 4. Ionæ v. 14. Hieronymus vir natura fuit cauillator, lusit proteruè in corrūpenda Scriptura: nulla fuit ei religio huc & illuc torquere Scripturæ locos.

Ad cap. 2. Habacuc v. 19. GREGORIVS homo iam multis erroribus imburus, vt seculum illud valde corruptum fuit.

De vera Ecclesiæ Christi reformanda ratione: Si vnciam habent sani iudicij, non multum DAMASCENI auctoritati deferent.

Theodorus Beza.

Ad cap. 3. epist. ad Romanos: Certè hoc ausim dicere, ORIGENEM hominem fuisse selectum diaboli organum, Apostolicæ doctrinæ funditus euertendæ natum.

In ijsdem Commentarijs, & in Acta Apostolorum, Origenem vocat centies impurissimum scriptorem, de manibus lectorum excutiendum, qui Paulum nunquam, nisi vt eius doctrinam deprauaret, inspexerit, ijsdem furijs olim agitatum, quibus hodie Anabaptistæ.

Præfatione in nouum Testamentum: Origenes homo omnium, qui vnquam de rebus sacris scripserūt, impurissimus.

Ad cap. 23. Act. Apostolorum: HIERONYMVM Apostolo iniurium, apertè blasphemum, sceleratum, impiumq; vocat, qui audacia intolerabili Scripturas palam detorserit.

De Polygamia & diuortijs: Neq; nobis EPIPHANIVS hac in parte audiēdus, quem sanè mirum est audere etiam Canones proferre, cùm nemini dubium esse possit, quin Nicænæ Synodo ex diametro repugnet. Intolerabilis autē planè in hoc quoque HIERONYMVS, cùm hæc scribit: *Quid facient Orientis Ecclesiæ, quid Ægypti, & Sedis Apostolicæ, quæ aut virgines clericos accipiunt, aut continentes?* &c. Hieronymum quis ferre posset vsque adeò deprauantem Apostoli verba, vt illic quoque nomine τῶν τεκνῶν id est, liberorum, filios τοῦς λογισμοὺς, filias τὰς πράξεις intelligat? Sed hæc de sanctissimis nugis plus satis. Quod ad Canonas Apostolicos attinet, siue διατογὰς à nescio quo CLEMENTE collectas, & Græcè nuper editas attinet, cùm inter Apocrypha meritò numerentur, non est quod moremur, quicquid inde proferri potest.

Centuriatores Magdeburgenses.

Cent. 2. cap. 10. de IRENAEO: Opiniones incommodas seu stipulas quasdam nō exiguas eum habuisse ex scriptis cerni potest. Ita enim obscurè & perplexè, non vero vocabulo verbi τοῦ λόγου vtitur, vt videatur non perspicuè inter verbum substantiale, & verbum vocale seu oris distinguere: de homine videtur sentire, quasi non fit perfectus initio conditus, & quòd sententia de homine faciendo ad imaginem Dei Christum significārit: liberum arbitrium etiam in spiritualibus admittit.

Cent.3.cap.10.de CLEMENTE ALEXANDRINO: Peccatum originis non satis intellexit: nam nec causam, nec quando, nec à quo malum hoc acciderit, satis constanter asserit: nec affectum, id est, quanta inde naturæ corruptio secuta sit. In Protreptico corruptionem naturæ adeò ignorauit, vt nusquam non liberum arbitrium asserat, & viribus hominum nimium tribuat.

Cent.4. cap.10. de HILARIO: Inuenies interdum apud eum auctorem nonnulla, quæ nõ sine singulari opinione, & incommodè dicta videantur, quæq; omninò cautè legenda sunt, &c. Nullã præterea de Spiritu sancto religiosam protulit sententiam. Nusquam enim scribit adorandum: nusquam ei tribuit Dei vocabulum: nec de libero arbitrio satis cautè loquitur.

Cent.4.cap.4. AMBROSIVS lib. de viduis permulta crassa habet de inuocandis mortuis.

Cap.10. In fine secundi Dialogi meminit Sulpitius, MARTINVM potuisse dæmones agnoscere, & suis nominibus increpare. Hęc sanè si vera sunt, haud obscurè indicant, Martinum nigromanticum fuisse.

De NAZIANZENO: Nonnunquam in quibusdam partibus non satis commodè locutus est, & peculiaribus lusit opinionibus.

Centur.5.cap.5. CHRYSOSTOMVS bonorum operum est encomiastes, qui & synergiam voluntatis passim defendit, & liberi arbitrij patronum agit.

De EPIPHANIO: Est vbique ferè nimium propensus in admirationem continentiæ sacerdotalis: variat in multis historicis narrationibus, maximè verò temporum ratione. Sumpsit sibi in Ecclesia Constantinopolitana licentiam satis audacem, in Theophili, qui Ioanni inimicissimus erat, gratiam, vt quòd Diaconum ordinauit præter Canones, quòd publica cõcione Ioannem acerbis exagitauit conuitijs.

Cap.8.de Vigilantio. Hoc immoderatissimè homo natura acer & vehemens HIERONYMVS ferès, duobus Vigilantiũ breuibus scriptis adortus est; sed conuicijs magis & importunitate, quàm argumentis & rationibus pugnauit.

Cap.10.de PAVLINO. Habet suos crassos quosdam nævos. De lege inquit, supra eam aliquid fieri posse ab homine: de iustitia parũ habet: Sanctos defunctos inuocat contra mandatum Dei: sentit quoque exercitijs quibusdam posse expiari peccata: spontaneam castitatem nimium extollit: superstitio magica est quod inquit, librum epistolarum Apostolicarũ admotũ mederi morbis: præcipuos articulos de iustitia corã Deo per fidem in Christum non intellexit, sed nimiũ tribuendo operibus humanis potius obscurauit.

De CYRILLO ALEXANDRINO: Habet etiam quosdam nævos: in articulo de libero arbitrio nimium tribuit viribus humanis: in doctrina de fide affirmat fidem & opera saluare, neq; solam fidem sufficere.

Cent.8. cap.10. de IOANNE DAMASCENO: Legit scripta Patrum diligentius, quàm sacras literas: doctrinam de Deo & Trinitate rectam quidem tradidit, sed erroneas opiniones & stipulas in alijs locis asseruit sanè multas de Sanctorum intercessione, de imaginum adoratione, Missis pro mortuis, & alijs Antichristi erroribus.

Cent.12.cap.10. de BERNARDO: Coluit Deum Moozim ad nouissimum vitæ suæ articulũ, monachos otiosos sedulò somniauit: acerrimus propugnator fuit Sedis Antichristi: coluit Deos alienos asseruatione Reliquiarum.

Præfatione in Centuriam 6. In sexta ætate præter GREGORIVM Papã & FVLGENTIVM, paucos alios habes insignes Ecclesiæ Doctores, qui tamen, excepto articulo de Deo, alioqui in doctrina cælesti & tenuiter, & obscurè, & non rarò etiam malè versantur; & sequẽtibus seculis causa, fons, seminariumq; idololatriarum & innumerabilium errorum extiterunt.

Bartholomæus Causæus.

In clypeo fidei Gallicè scripto, & Genevæ impresso, Dialogo 6. scribit, B. AMBROSIVM diabolica visione fascinatum, & cacodæmonis voce delusum, dum Reliquias BB. Martyrum Geruasij & Protasij sibi diuinitus patefactas honestiore sepultura donauit; simulq; miracula tum peracta sacrificiorum subtilitates & diabolicas illusiones pronuntiat.

Dialogo 6.7.& 8. B. HIERONYMVM vocat hominem furiosum, mente alienatum, præcipuum Scripturæ corruptorem, quòd stolidas, rabidas, insanas, & infelices sententias suas confirmet. Hominem dicit adeò inconstantem, & iracundum, vt secum pugnet, & quàm esset Vigilantius minus Christianum & fidelem: atque si in sententia perseuerârit, Sanctum non dicendum, sed æquè damnatum atque diabolum.

Dialogo 15. & 8. THEOPHILVM ALEXANDRINVM hypocritam, intoxicatum monachum, & trium lectionum Doctorem vocat.

Dialogo 11. DIONYSIVM AREOPAGITAM delirum senem, & somniorũ confictorem: CLEMENTEM D. Petri successorem superbum nequam, & à diabolo fascinatum: TERTVLLIANVM, CYPRIANVM, DAMASCENVM, AVGVSTINVM, deliros, stupidos, spiritu Dei destitutos, & ea propter indignos quibus fides habeatur dicit.

Ioannes Brentius.

In Apologia confessionis VVittembergensis cap.de Inuocatione Sanctorum: HIERONYMVS nonnihil quidem dicit de Sanctorum oratione, non autem iubet nos Sanctos inuocare. Etsi iuberet, eadem facilitate contemnendum esset, qua ille diceret. Sed, vt dicam quod res est, quæso te Sore, si volueris nomini Hieronymiano consulere, non multum ostentes scriptum Hieronymi aduersus Vigilantium. Ignotum non est, quibus aniculis & hypocritis Hieronymus exhibeat se in talibus argumentis cõductitiũ Rhetorem. Nec libet in præsentia excutere, quanta contumelia Hieronymus eo scripto cõiugium afficiat, quàm ineptis scommatis honesto viro indignis ludat, quàm virulenta maledicentia in aduersarium inuehatur, quàm securè sacræ Scripturæ testimonia detorqueat, denique quàm secum ipse pugnantia scribat. Sotus obtrudit illud Hieronymi scriptum, quod potius inter Apocrypha ponendum esset, quàm ad dogmatum probationem publicè proferendum.

Tilmannus Heshusius.

De seruo arbitrio: CLEMENS ALEXANDRINVS vsque adeò in doctrina Christiana rudis fuit, vt neque doctrinam de peccato originis, neque promissionem Euangelij intellexerit. Ideo passim de iustitia operum philosophatur, non secus ac si de Platonis Academia, vel Zenonis Stoa prodiret.

ORIGENES homo doctus, immensi laboris, admirandæ diligentiæ; verùm nullius iudicij, quod ad verum intellectum sacrarum Scripturarum attinet. Vix vllam Pauli sententiam absque insigni deprauatione exponit: nobilissima verò testimonia, quæ sunt fons omnis consolationis, non sine blasphemia inuertit.

Theodoricus Schnepfius.

Libro de Eucharistia: Manifestum est D. AVGVSTINVM haud leuium errorum semina vel iecisse,

cisse, vel ab alijs sparsa auxisse, & confirmasse.

Henricus Bullingerus.

De origine erroris Missæ cap.4. Doctis & eruditis viris sublatis, emersit cæremoniarũ magister GREGORIVS, homo nouandi cupidus, qui abusui mederi volens, iudicio tamen carens, & Catholica opinione imbutus, hoc ipsum, quo abusum tollere voluit, ipsissimum abusum inuexit, &c. Neque mouearis huius sanctimonia. Hic est ille Gregorius, cui non modò infinitas superstitiones, sed & omnium superstitionum caput ac portentosam Missam ferimus acceptam. Etiamsi fuerit homo non omninò malus, neque penitus barbarus, fuit tamen mirè superstitiosus, vtpote cui deerant quæ ad defęcatam pietatem absolutamq; eruditionem spectare videbantur: peritiam linguarum puto, acre & pium in sacris literis iudicium, solidioremq; in humanis eruditionem.

Caspar Peucerus.

In Chronicis: GREGORIVS MAGNVS superstitionum architectus.

Lutherani.

Libro Germanico, quo causas recusati Concilij Tridentini reddunt, fol. 257. BERNARDVM nominant impudentem scriptorem, os quod loquitur grandia & mirabilia contra Deum Deorum: aduersarium, qui tollitur supra id quod Deus dicitur: abutentem Dei nomine, cumulantem Papam in idolum, pugnantem cum Scriptura, & simpliciter corruptorem honoris diuini, & prædicatorẽ Antichristi.

Adam Schultetus Numbergensis.

In Medulla Theologiæ lib.11. de scriptis primæ ætatis Doctorum dubijs & suppositijs ca.1. Inter dubia & incerta numero epistolas IGNATII & POLYCARPI. Nondum enim inter Orthodoxos conuenit, sintne epistolæ istæ Orthodoxorum Martyrum Ignatij & Polycarpi, an aliorum. Non videntur epistolæ istæ ab Ignatio Antiocheno confectæ, quia nuper admodum typis mandatæ in lucem prodierunt.

Lib.1. cap.17. IVSTINI *sententiæ inconstantes, naui, lapsus memoriæ:* Dubiè pronuntiauit de loco animarum post mortem. Nævorum in Iustino agnosco causam triplicem: quarum prima Platonis, cuius instituta adolescens didicerat: altera Iudęi, cum quibus nimis familiariter versabatur: tertia siniſtra Doctorum quorũdam interpretatio. In Platonis schola nata est ei de *αὐτεξουσίᾳ*, siue libertate voluntatis humanæ opinio. Ex illo errore peruenerunt Phrases illæ: *Homines, qui dignos se Dei voluntate & consilio operibus præstiterunt cum eo victuros esse.* Item: *Christus dona Spiritus in se credentibus donat pro eo atque dignum & idoneum quemque esse nouit.* Quæ nisi cum grano candidi salis accipiantur, nescio quid Pelagianismi sapiunt.

Lib.2. cap.5. Nævos in ATHENAGORA hos pius lector agnoscet: liberum arbitrium more Philosophico nimis extollit, Angelis specialem rerum curam tribuit, generalem Deo.

Lib.3. cap.8. Verissimè ab Eusebio dictum est: Ecclesiam post tempora Apostolorum non diu manfisse virginem. Testem huius rei vel IRENAEVM nominare possumus, qui fundamento doctrinæ Apostolorum tot stipulas superstruxit. De libero Arbitrio sententias ex diametro secum pugnantes recitat. Mirari vel maximè subit, quòd nusquam Spiritum sanctum Deum nuncupet. Periculosa, imò intoleranda est comparatio illa, quam inter Mariam & Euam instituit: Sicut Eua inobediens facta, & sibi, & vniuerso generi humano causa facta est mortis: sic & Maria habens p. destinatum virum, tamen virgo, & sibi, & vniuerso generi humano causa facta est salutis. & paulò post: Sic autem & Euæ inobedientiæ nodus solutionem accepit per obedientiam Mariæ. Quæ nisi candidissimũ habeant interpretem, non poterũt cum veritate Apostolica conciliari.

Lib.7.cap.42. TERTVLLIANVS liberum arbitrium post lapsum ita euehit, vt Pelagius ipse vix ausus fuerit pari libertate de eo pronuntiare. Immodicus fuit in martyrij laude, quasi eo veniam homines mereantur: operum merita nimis extollit, castitatis imprimis, & pudicitiæ. Defendit superstitiosa ieiunia. Vt noua, ita falsa est eius assertio: animas prius pati apud inferos, quàm corpora.

Lib.8. cap.24. CYPRIANVS doctrinam de Iustificatione fidei cum iustitia operum confundit: iustitiam operum manifestè vrget: contradicit sibi in doctrina de libero arbitrio: nimis anxiè & superstitiosè vrget in Cœna aquam vino miscendam: Baptismum absolutè & simpliciter ad salutem necessarium putat: vnde alius error ei nascitur, nimirum passionem latronis vicem Baptismi suppleuisse: satisfactionibus remissionem peccatorum tribuit: cæremonias Montanisticas, vt cõsecrationem, & vnctionem, à Tertulliano acceptas retinet: nimis hyperbolicè virginitatem cõmendat: noua deuotione viuentes admonuit, vt post mortem sui apud Deum essent memores.

LVTHERANORVM, &c. IMPIETAS & maledicentia in Ecclesiasticos Principes.

Martinus Lutherus.

Aduersus falsò nominatum Ecclesiasticum ordinem Episcoporum: At hîc (fat scio) obijcient, periculum esse, ne excitetur tumultus contra Episcopos illos & Principes Ecclesiasticos. En respondeo: Scilicet igitur negligetur verbum Dei, & peribit totus populus? scilicet æquum & fas est, omnes animas in sempiternum perire & occidi, quò istarum laruarum temporalis & vanissima pompa seruetur, & in sua pace duret? Imò præstaret (damna enim spiritualia pendenda sunt) sexcenties omnes Episcopos semel perire, omnes Collegiatas Ecclesias, omnia Monasteria extirpari, erui, & euerti funditus, quàm vnam animam perire: vt interim taceam infinitas, atque adeò omnes animas perituras, propter illas vanas & puerile puppas, & plusquam mortuos ac mutos truncos. Huc, huc nunc attendite vos Episcopi, imò Episcoporum vmbræ, Doctor Lutherus, ille à vobis toties damnatus, bullam & edictum vobis leget, non valdè teneris vestris auribus placiturã. Omnes quicumque eò rem, honorem, sanguinem, vitam impendũt, vt hi Episcopatus pompatici & aulici, tã remoti & alieni ab omni functione Apostolica, præsertim ministerio verbi, totumq; hoc Satanicum regnum euertatur & extinguatur, aut si reipsa extinguere non eis licet, contra clamant, damnant, & tamquam abominationem vitant, hi sunt filij Dei & veri Christiani, pugnantes & decertantes, fidem Euangelij adiuuantes cõtra portas inferi: contra, qui regno Episcoporum tam impio, tam tyrannico, tam Satanico phalarismo fauent, & ei libenter obediunt, & subditi sunt, hi Satanæ ministri sunt, contra verbum Legis, & sanctiones Dei hostiliter pugnantes.

Contra Syluestrum Prieratem: Mihi videtur si sic pergat furor Romanistarum, nullum potius reliquum esse remedium, quàm vt Imperator, Reges, Principes, vi & armis accincti aggrediantur

has peſtes orbis terrarum, remq́ iam non verbis, ſed ferro decernant. Quid enim lallant perditi homines, etiam communi ſenſu priuati, quàm id quod Antichriſtus facturus prædicitur? Si fures furca, latrones gladio, hæreticos igne tollimus, cur non magis hos magiſtros perditionis, hos Cardinales, hos Papas, & totam iſtam Romanæ Sodomæ colluuiem, quę Eccleſiam Dei fine fine corrumpit, omnibus armis impetimus, & in eorum ſanguine manus noſtras lauamus?

LVTHERANORVM, &c. IMPIEtas & maledicentia in ſeculares Principes.

Martinus Lutherus.

Libro contra Regem Angliæ: Reputo illos Principes veluti recentes lendes, quæ, priuſquam inde pediculi naſcuntur, inanes aridæq́ ſunt pelliculę. Ego autem huiuſmodi lendibus bene faueo, vt glorientur & cantent: Hîc reſidemus nos lendes ſuper caput nobiliſſimi animalis in terra, in crinibus eius. Non ſumus vilis proſapiæ, pediculi ſunt parentes noſtri, magni illi Gygantes, qui etiam Romanum Imperatorem Syllam, multoſq́ alios interfecerunt. Quid igitur ad nos? ſit Lutherus mendicus. Verum eſt, lendes eſtis, pediculi nondum facti. Vt igitur redeam ad egregiam illā Regis Thomiſtitatem, qua me damnat vt pugnātia ſcribentem, & mihi ipſi nulla parte conſtantem, vbi miſerabilis librifex, inopia rerum laborans, verbis virulentis multum papyri ſe poſſe perdere monſtrauit, regium planè opus. Qua fide autem hoc faciat, hinc ęſtimabit bonus lector, quòd laruatus Thomiſta ne vnum quidem locū profert, quo meam inconſtantiam conuincat. Quando ergo laruam verbis laruatis fine exemplo ludere libuit in re tam ſeria & ſacra, Ego ſine larua, ſed apertè dico, Regem Angliæ Henricum iſtum planè mentiri, & ſcurram leuiſſimum mēdacijs ſuis magis referre, quàm Regem. Hoc crimine ego Lutherus Thomiſtam hūc virulentum palam accuſo, & teſtibus tum libellis, tū lectoribus meis per orbem conuinco. Faceſſat mihi hac in re Maieſtas regia, & mea humilitas, cum mendace ſcurra loquor, Regijs titulis velato, de rebus diuinis, quarum iniuriā aduerſus mendacia tueri pertinet ad quemlibet Chriſtianum. Neque enim hic mihi patientiæ habenda ratio eſt, vbi mendacijs ſuis ſcurra leuis non me, nec vitam meam, (quod vtique ſuſtinuiſſem,) ſed doctrinam ipſam impetit, quam certiſſimus ſum meam nō eſſe, ſed Chriſti.

De poteſtate ſeculari, ad Ioannem Ducem Saxoniæ: In Miſnia, in Bauaria, in Marchia, alijſq́ locis promulgauerunt tyranni edictum, vt noua Teſtamenta hinc inde in Præfecturas tradantur. Hîc ſubditi ſic agant. Non foliolum, non literam vnā tradant ſub periculo ſalutis ſuæ. Quiſquis enim id fecerit, is tradit Chriſtum Herodi in manus. Illi enim agunt velut Chriſticidæ, ſicut Herodes. Hoc autem ferre debent ſi iubeatur irruptionem in domos fieri, ſiue libros, ſiue bona. Temeritati reſiſti non debet, ſed ferenda eſt, non autem iuſtificanda: nec ad eam præſtari obſequium, aut ſequela, aut obedientia ne veſtigio quidem aut digito vno. Tales namque tyranni agunt, ſicut agere debent Principes mundani. Ab initio mundi admodum rara auis eſt Princeps prudens, adhuc multò rarior Princeps probus: ſunt communiter maximi fatui, aut peſſimi nebulones ſuper terram. Quapropter ſemper peſſima quæque ab ijs expectanda ſunt: parum boni ab illis ſperandum eſt, præſertim in rebus diuinis, quæ ad ſalutem animarum pertinent. Ipſi enim ſunt lictores & carnifices Dei, quibus vtitur ira diuina in vltionem malorum, & ad externam pacem conſeruandam. Magnus Dominus eſt Deus noſter, idcirco nobiles, illuſtres, & diuites carnifices & lictores habere vult. Placet diuinæ voluntati, vt eius carnifices vocemus clementes Dominos, vt ad pedes eorum nos abijciamus.

Thomas Monetarius.

Tomo tertio operum Germanic. Lutheri folio 132. Epiſtola ad ſuos ſectatores miſſa: Nolite puſillanimes eſſe, nolite peruerſis iſtis phantaſtis & ſceleratis nebulonibus (*Principes ac magiſtratus intelligit*) diutius adulari: incipite & pugnate prælium Domini, iam dudum tempus eſt: adhortamini fratres veſtros omnes ad hoc, vt diuinum teſtimonium non irrideant, alioquin omnes peribunt. Tota Germania, Gallia, & Italia commota eſt: magiſter vult ludum ludere, pereundum eſt ſceleratis nebulonibus, &c. Verùm agite nunc, agite, agite tempus eſt; nebulones iſti valdè vecordes ſunt vt canes: incitate fratres, vt ad pacem veniant, & commotum teſtimonium reddant: agite, agite, agite, ne moueamini miſericordia, etiamſi Eſau bona verba vobis proponat, Geneſ. 33. Rogabunt vos tam amicè, deprecabuntur, flebunt vt pueri. Nolite miſericordia moueri, vt Deus per Moſen mandauit, Deut. 17. Et nobis quoque idem manifeſtauit, &c. Agite, agite, agite dum ignis calet, curate ne ignis veſter à ſanguine frigeſcat. Fabricamini pinckepanck ſuper incude Nimbrod: deijcite illis turrim. Non eſt poſſibile vt liberi ſitis à timore hominum, quamdiu viuunt iſti: non poteſt vobis aliquid dici de Deo, dum illi vobis dominantur.

LVTHERANORVM, &c. FAſtus & arrogantia.

Martinus Lutherus.

Libro aduerſus falsò nominatum Eccleſiaſticum Ordinem Epiſcoporum: En appello me Eccleſiaſten Dei gratia, & titulo inſigniui meipſum, quem vos tot conuitiorum plauſtris hæreticum appellatis, eumq́ue titulum nunc mihi ſumo (vt ne ignoretis) magnifico veſtri & Satanæ contemptu. Et ſi Euangeliſtam me etiam Dei gratia nominarem, citius eſſem oſtenſurus, me hoc maiore iure facere, quàm veſtrum aliquis titulo aut nomini Epiſcopi ſatisfaceret. Certus enim ſum, ſic Chriſtum me nominare, & pro Eccleſiaſte haberi, qui meæ doctrinæ magiſter eſt, eumq́ue teſtem non dubito futurum in die illo magni iudicij, hanc doctrinam non eſſe meam, ſed Dei, ſed Spiritus Domini, puriq́ & ſynceri Euangelij. Proinde hoc ſcripto vobis nunc palam ſignifico, & iam ante pronuntio, me de cætero (quandoquidem palam veritati reſiſtitis) non tantum honoris habiturum, vt me aut meam doctrinam veſtro, aut vllius Angeli de cælo iudicio ſubijcere digner. Satis enim nunc datum eſt ſtultæ huic humilitati, & proximè VVormatiæ tertiùm me deieci omnibus, quamquam fructu nullo. Sed nunc miniſterium meum implebo, & meæ doctrinæ rationem reddam cuilibet poſcenti. Aliâs verò, quod ad pertinaces illos hypocritas, & Phariſæos illos attinet, non ſolùm extra aleam poſitam eſſe volo eam omnis humani iudicij, ſed &, vt Apoſtolus ait, *omnium Angelorum.* Nam cùm nunc eam ex Deo eſſe certus ſim, iudicabo per eam non ſolùm omnes vos; ſed, vt Paulus inquit, etiam Angelos: ſic, vt qui meam doctrinam non accipit, illum cum Paulo fore ſaluum negaturus ſim. Dei enim doctrina eſt, Dei inquam, & non mea. Gal. 1.

Contra

Contra ſicariū Dreſdēſem: Nihil curo quòd queritur nominari in meo libro ferè mera maledicta atque diabolos. Hęc debet eſſe mea gloria, meuſq́ue honor. Sic & habere volo, vt deinceps dicatur de me, quòd plenus ſim maledicentiæ, criminationis, & execrationis in Papiſtas. Volo & de cætero me aduerſus nebulones iſtos exercitare execrationibus, & maledictis, vſque ad ſepulturam meam, nec vllum verbum bonum amplius ex me audient. Ego meis tonitruis ac fulminationibus ſic eos ad ſepulturam compulſabo.

Aduerſus Regem Angliæ: Dogmata mea ſtabunt, & Papa cadet, inuitis omnibus portis inferi, & poteſtatibus aëris, & terræ, & maris. Ipſi me prouocauerunt ad bellum, bellum igitur habebunt: pacem oblatam contempſerunt, pacem igitur nō habebunt. Deus viderit vter primò feſſus defecerit, Papa, an Lutherus. Sic placet indies magis ac magis ſuperbire aduerſus inſulſos iſtos, & ineptos baſiliſcos, quò magis ipſi furūt. Inſtat enim mors Papatus abominabilis, vrget eum ineluctabile ſuum fatum (vt Daniel ait,) ad finem ſui venit, & nemo auxiliabitur ei. Si ſolius Chriſti ſumus, quis eſt iſte ſtolidus Rex, qui ſuis mendacijs nos Papæ facere molitur? Nos non ſumus Papę, ſed Papa noſter eſt: noſtrum eſt non iudicari ab ipſo, ſed ipſum iudicare. *Spiritualis* enim *à nemine iudicatur, ſed ipſe iudicat omnes:* quia verum eſt, omnia veſtra, etiam Papa, quantò magis ſordes iſtę & labes hominum? Ego aduerſus dicta Patrum, hominum, Angelorum, dęmonum pono non antiquum vſum, non multitudinem hominum, ſed vnius maieſtatis æternę verbū Euangeliū, quod ipſimet coguntur probare. Hîc ſto, hîc ſedeo, hic inſulto Thomiſtis, Henriciſtis, Sophiſtis, & omnibus portis inferi, nedum dictis hominum, quantumlibet ſanctorum, aut conſuetudini fallaci: Dei verbum eſt ſuper omnia: diuina maieſtas mecum facit, vt nihil curem, ſi mille Auguſtini, mille Cypriani, mille Eccleſiæ Henricianæ contra me ſtarent. Deus errare & fallere non poteſt: Auguſtinus, & Cyprianus, ſicut omnes electi, errare potuerunt, & errauerunt, &c. Inceſſit Rex conuitijs libellum meum contra liberum arbitrium ſcriptum, quem tamen Eraſmus Roterodamus coactus eſt dimittere intactum, atque adhuc intactum relinquet. Et Troꝫ non ſolùm Regi & Eraſmo, verùm etiam eorum Deo, & omnibus diabolis &c. Bone Deus, quàm diligenter ſubtilibusq́ue modis quærunt me. An non ſum ego pretioſus, & nobilis vir? Imò certè his mille annis vix nobilior fuit ſanguis, quàm Lutherus. Cur ita? Conijce tu ipſe: Tres iam Pontifices Romani, tot Cardinales, Principes, Epiſcopi, Monachi, magniq́ue Ioannes eruditi, totuſq́ mundus: hi omnes ſuper ſanguinem Lutheri proditores, latrones, & carnifices ſunt, aut certè libenter eſſe vellent. Sed & diabolus cum ſuis. Vah te. Ego ipſe ſanguinem meum odi, quando hæc cogito, quòd ego tales magnificos & pręſtantes carnifices ac latrones habere debeam. Turcarum Imperatori deberet talis exhiberi honor, non eiuſmodi paupe1ri mendico, qualis ego ſum, &c. Coram mundo ipſe quoque probus eſſe volo, & ſum: adeò vt non ſint digni mihi calceamēti corrigiam ſoluere, neque cum veritate me conuincent, quòd coram mundo vlli hominum ſcandaloſè viuam. Breuiter, nemini ſum nimis humilis, nemini nimis ſuperbus: quemadmodum Paulus ait: *Scio ſuperbire, ſcio humiliari; ſcio egere, ſcio & abundare.* Quantum ad doctrinam meam attinet, ſum ego diabolis, Cæſari, Regibus, Principibus, totiq́ue mundo multò multò multò nimis proteruus ac ſuperbus: quantum verò ad vitam meam attinet, ſum etiam cuilibet puero humilis atque ſubiectus. Qui hoc ante neſciuit, is nunc audiat. Quantum ad officium doctrinamq́ue meā attinet, & quoad vita mea illi conformis eſt, nemo vllam à me vel patientiam, vel humilitatem expectet, præſertim Tyranni & perſecutores Euangelij: hîc enim debent me pro viuo ſancto habere, hinc aliud non fiet.

In Gloſſa contra prætenſum Edictum imperiale: Cùm videam quòd hunc pręcipuum articulum diabolus ſemper blaſphemat per ſuos porcinos Doctores, neque quieſcere aut ceſſare poteſt: Dico ego Doctor Martinus Lutherus Domini noſtri Ieſū Chriſti indignus Euangeliſta, quòd hunc articulum: *Fides ſola abſque omni opere iuſtificat coram Deo,* firmum atque inconcuſſum permittere debet Romanus Imperator, Turcicus Imperator, Perſarū Imperator, Papa, omnes Cardinales, Epiſcopi, Sacerdotes, Monachi, Moniales, Reges, Principes, Domini, totus mundus, ſimul cum omnibus dæmonijs, & debent inſuper habere ignem infernalem ſuper capita ſua, & nullam gratiarum actionem. Hic eſto meus Doctoris Lutheri inſtinctus à Spiritu ſancto, verum atque ſanctum Euangeliū. Ego Doctor Martinus Lutherus vocatus atque coactus in hoc fui, vt fierem Doctor abſque mea voluntate, ex mera obedientia: ibi oportuit me Doctoris officio fungi, ſacræ Scripturæ iurare, & vouere, quòd ipſam purè ac ſyncerè prædicare ac docere vellem. Inter docendum ergo cecidit mihi in viam Papatus, voluitq́ue me prohibere; id ſucceſſit ei ſicut præ oculis eſt, & adhuc ſemper peius ſuccedet. Ego in Dei nomine atque vocatione ſuper leonem & ſerpentem ambulabo, & ſuper catulum leonis atque draconis calcabo, idq́ue in vita mea inceptum, poſt mortem meam debet eſſe perfectum. Sanctus Ioannes de me prophetauit, quando ex carcere Conſtantia in Bohemiam literas miſit: Nunc aſſabunt quendam anſerem (Huſs enim anſerem dicunt) at poſt cētum annos audient cantare quendam cygnum, quem pati debent. *Nuſquam hoc legitur in epiſtolis Huſſi.*

In Præmonitione ad ſuos Germanos: De cætero non vnum aut alterum Papiſtam, ſed totum Papatum ſuper me exoratum volo, quouſque iudex in cælo ſignum faciat. Neque volo, neque poſſum mihi timere à talibus Dei hoſtibus. Eorum proteruia, eſt mea animoſitas: eorū ira, meus riſus. Nolo hominum conſciētias dimittere oneratas hoc periculo ac metu, tamquam ſeditioſa ſit eorum repugnatio. In tali enim caſu nomen iſtud nimis eſt & malum, & graue: oportet aliud habere nomen, quod iura bene inuenient. Nō oportet omne id ſeditioſum eſſe, quod cruenti canes ſeditioſum criminantur, &c. Satis diu vixi, mortem bene merui, ac Dominum meum Chriſtum de Papatu egregiè vindicare cœpi. Ipſi poſt mortem meam Lutherum primùm rectius agnoſcent. Quamuis & nunc, ſi in Papali ac ſacerdotali ſeditione interfectus fuero, mecum accipiam agmen quoddam Epiſcoporum, Presbyterorum, ac Monachorum, vt omnes dicturi ſint, Doctorem Martinum magna cum proceſſione ad ſepulturā deductum eſſe. Eſt enim magnus Doctor ſupra omnes Epiſcopos, Presbyteros, & Monachos. Ideo & ipſos oportebit cum eo ad ſepulturam ire ſuper dorſa, vt de hoc & cantica & confabulationes fiant.

In Colloquijs Latinis, capite de morbis & periculis: Ego acrius tangam Papiſtas: Philippus nimis eſt modeſtus: Papiſtę eius modeſtia inflantur, quia ex charitate omnibus inſeruire vult. Veniant Papiſtæ, ſic volo eos percutere. In Actis Apoſtolorum picturam habetis noſtram. Iacobus Apoſtolus Philippum denotat, qui ſua modeſtia Legem voluiſſet libenter retinere: Petrus Martinum, qui perrumpebat: *Quid tentatis iugum imponere?* Ita

 Philip-

Philippus in charitate, ego in fide procedo: consumere se permittit, ego verò omnia consumo, & nemini parco. Ita Deus in diuisis ingenijs eãdem gratiam operatur. Dauid, Daniel, Isaias excellentissimi fuerunt Prophetę. Ego sum Isaias, Philippus Ieremias. Ieremias semper putabat se nimium increpare homines, sic & Philippus existimat. Si Deus per me tanquam in Hieremia Papam increparet, protinùs animam agere cogerer.

Capite de consolatione: Existimo, quòd mille annis nemo hominum adeò hoc testatus sit, quemadmodum ego, qui nunc per multos annos verbum Dei purè docui: sæpius vna die tres vel quatuor conciones habui. Puto ergo me quoque Augustino & Ambrosio in multitudine suarum concionum similem esse. Ego sum defensor Papæ & columna: post meum obitum sustinebit periculum, de quo difficilimè liberari poterit. Deinde clamabunt: Vtinam Lutherus suo adesset consilio: iam autem consulere possumus, illi verò nostrum consilium floccipendunt, hora verò elapsa & præterita, tunc & ipsi clamabunt, Deus autem non exaudiet.

Ad Aegocerotem Emseranum: Quis enim putas mihi cor tuum reuelauit, & reuelandum dedit, nisi ille, qui dedit nobis scire etiam cogitationes Satanę, discretionẽ spirituum, imò sensum Christi & profunda Dei?

De abroganda Missa priuata, interpretans prophetiam: Redimendum esse sepulchrum Dominicum per Fridericum Imper. ait: Sepulchrum diuinam esse Scripturam à Papistis occisam & sepultam, sub Friderico Electore refloruisse, & se esse Angelum vel Mariam Magdalenam gloriatur. *Quid si ego*, inquit, *gloriar me vel Angelum, vel Magdalenam fuisse?*

THEOLOGI TIGVRINI *in confessione Germanica, impressa Tiguri 1544. in 8.* Lutherus ipse gloriatur se esse Germanorum Prophetam & Apostolum, qui à nullo quicquam didicerit, à quo omnes didicerint alij. Nemo quicquam nouit, præter id quod à Luthero didicit: nemo quicquã præstitit, Lutherus omnia præstitit. Quod ipse nõ fecit, infectum manst: quod ipse dixit, oportet esse dictum, nulli licet contrarium dicere: qui verò non idem, eodem quo ille modo loqui vult, hunc oportet, tanquam abominabilem, excommunicatum & hæreticum esse.

CONRADVS REIS *libro Germanico contra Hesium de Cœna Domini, B. 2.* Deus propter peccatum superbię, qua se extulit Lutherus, quẽadmodum pleraque eius scripta testantur, verùm illi spiritum abstulit, vti Prophetis illis 3. Reg. 22. atque in eius locum iracundum, fastuosum, & mendacem spiritum dedit. Neque id mirum, cùm eũ à Carlstadio floreno aureo emerit, cuius rei nondum pœnitentia ducitur. Atque hic spiritus mendax in omnibus ijs quoquè manebit, qui partes ipsius sequuntur, nisi ad saniorem mentem reuertantur.

Ioannes Caluinus.

Hieronymus Bolsec. in eius vita: Frequenter pro concione in has voces prorumpebat: *Ego Propheta sum, ego Dei spiritum habeo, & ego si erro, tu es Deus, qui me propter peccatum huiusce populi in errorem mittis, & decipis. Ego errare non possum.* Literas & opuscula sua sub alieno ementitoquè nominè edebat, in quibus suas ipsius dignitates, laudes, & in Ecclesiam merita egregiè canebat. Non solum Melãchthonem, sed omnes alios tam priscos, quàm nostri temporis Doctores præ se contemnebat, & præter Bucerum præceptorem suum, nullo cæteros omnes loco se habere dicere solebat.

LVTHERANORVM, &c. GVLA & luxus.

Martinus Lutherus.

In Colloquijs Latinis Tomo 1. capite de ebrietate: Nos Germani ingurgitamus nos potando ad paupertatem, mortem, & infernum vsque. Alexander robusti fuit corporis, & ingens potator, tres integros dies & noctes potasse dicitur, & hęc regula de eo iactatur:

Si vino te impleueris,
Dormire statim poteris,
Et post somnum ventriculum
Vino implere iterum:
Nam Alexandri regula
Prascribit hæc remedia.

Tomo 2. capite de consolatione: Iacobus Concionator Bremensis in die Palmarum inter alia fercula mihi gallinam parauit, dicens: Si docemus, quare non facimus? tandem deposui habitum. Ego enim nisi cucullam exuissem, carnem manducassem, & vxorem duxissem, Papistæ meam doctrinam quasi non veram calumniati fuissent.

Capite de Christianis: Ego Martinus Luther vix vllam consolationem ex morte & resurrectione Christi capere possum: bonis autem corporalibus à Deo acceptis, vt edere panem, & bibere cereuisiam optimè possum.

Iacobus Andreæ.

Ad caput 21. Lucæ: Altera pars & turba Germanorum suum quidem locum verbo diuino, vt prædicetur, tribuit: nulla verò sentitur apud illos morum emendatio, sed cernitur horrenda, epicuræa, & bestialis apud illos vita in conuersationibus, compotationibus, cupiditatibus: loco ieiunij comessationibus & perpotationibus nocte dieqúe vacant.

Philippus Melanchthon.

Ad caput 6. Matthæi: Loquitur res ipsa in his regionibus omne ferè studium conuiuiorum apparatibus, & ebrietati, atque immanibus illis poculis impendi. Quare manifestum est, nos à Deo varijs modis puniri, vt incendio, bellis, & conuulsionibus atque confusionibus regiminum seu politiarum, propter belluinam istam ventris ingluuiem, & helluandi perpotandiqúe consuetudinem. Præterea quoties videtis temulẽtos homines ruere in suas clades, & sæpe cruento ferro inter seipsos concurrere, imò & cædibus mutuis grassari? Quomodo potest laxior annona sperari in tantis profusionibus, helluationibus, pomparum conuiuiorumqúe apparatibus? Adeò delectantur immunditia, sordibus, & illuuie, vt in morem suis lutulentę quaslibet res, panem, carnes, cereuisiam, & id genus alia corrumpere & contaminare soleant. Ea barbaries est in populo, vt plerisque persuasum sit, se, si vnum diem ieiunent, noctem continuò sequentem non posse viuere.

Ioannes Caluinus.

Hieron. Bolsec. in eius vita: Vino, quo Caluinus vtebatur, nullum erat in tota vrbe delicatius. Et cùm ad quemquam amicorum pransum ibat, vel cœnatum, suum vinum in argentea lagenula eò ferendum curabat, quod domino scilicet Caluino, eiusqúe palato tantùm seruabatur. Habebat præterea pistorem, qui singulari modo panes ei eiusqúe ori sapidos pinseret, ex nobilissimo farinæ flore, aqua rosacea, saccaro, cynamomo, anyso macerato, & bis deinde cocto: qui panis per singularem excellentiam panis Domini, puta Calnini, vocabatur.

LVTHERANORVM, &c. IMPVdicitia, & libido.

Martinus Lutherus.

Libro de vita coniugali: *Crescite, & multiplicamini*, non est præceptum, sed plus quàm præceptũ, quod nos non possumus impedire, vel prætermittere: sed perinde necessarium est, quàm edere, bibere, ludere, expuere, purgare, & euigilare. Sicut enim in mea manu nõ est, quo minus sim mas: ita minimè situm est in me, vt sim sine muliere, &c. Si alter alteri seipsum subtrahat, sic vt debitum coniugale præstare non velit, quemadmodum multę pertinaces mulieres inueniũtur, quę ex nimia peruicacia, nec si maritus decies adulterium committeret, nihil tamen mouentur. Hic locus est, vt vir dicat: Si tu non vis, velit alia: si non vult vxor, veniat ancilla: ita tamen, vt hoc vir illi bis terue dicat, eamqúe admoneat, etiam alijs viris indicet, quò publicè constet de eius pertinacia, & publicè arguatur: si tum non vult, dimitte eam, duc Estheram, & dimitte Vasthi, quemadmodum Rex Assuerus fecit.

Tomo 1. epistolarum Latinarum fol. 334. ad Philippum: Ego hic insensatus & induratus sedeo in otio, proh dolor, parum orans, nihil gemens pro Ecclesia Dei, quin carnis meę indomitę vror magnis ignibus: summa; qui feruere spiritu debeo, ferueo carne, libidine, pigritia, otio, somnolentia, ac nescio, an, quia vos non oratis pro me, Deus à me auersus sit. Tu iam in locum meum succedis, donis Dei grauior & gratior: octo iam dies sunt, quod nihil scribo, neq; oro, neque studeo, partim tẽtatiõibus carnis, partim alia molestia vexatus.

Folio 345. Sufficit, quòd agnouimus diuitias glorię Dei, Agnum, qui tollit peccata mundi: ab hoc non auellet nos peccatum, etiamsi millies vno die fornicemur, aut occidamus.

In Colloquijs Latinis Tomo 1. capite: Iocosa, festiua, fabulæ: Pedagogus Georgij Ducis cùm in balnea publica iuisset sine femorali, cui cùm ancilla obuiasset, femorale offerens, induit, ita tamen, vt testes tegerentur, priapo eminente: ibi secunda ancilla consueto more ei femorale induit. Respondet Martinus Lutherus: Maiorémne industriam habere deberet, quàm Dux Ioannes, suus discipulus? qui cùm semel in mensa sedisset, eiusqúe priapus ex tibialibus prodijsset, nec eum tegeret, ibi admonuit eum suus architriclinus his verbis: Domine clementissime, quale erat animal, quod hodie à patre tuo emptum est? Respondit illi: Taurus erat. Alter è cõtra baculo illius priapum tangens, dixit: Credo tuam clemẽtiam magnam partem de carne tauri comedisse. Tales, inquit M. L. sunt Principum mores, qui ingenio & virtute alios antèire debent, &c.

Mulier quædam garrula, multum sibi sapere videns, accessit Martinum Lutherum, referens se audisse concionem à D. Iona, super locum: *Verbum caro factum est*, &c. quòd esset magna res. M. Lutherus tacuit, illamqúe dimisit, postea dixit: ibi erat spiritus malignus, vix locus mihi dabatur cum illo loqui: eram enim captus. Si quis cum talibus spiritibus disputare cogitur, facile ex spiritu in carnem perueniret.

Tom. 2. cap. de coniugio: Nisi ego clam celebrassem nuptias, omnes impedissent: quia omnes amicissimi clamabant, non illam, sed aliam.

In Colloquijs Germanicis capite de Matrimonio: Vt nemo potest cibo ac potu carere, sic fieri nequit vt aliquis à muliere abstineat. Nam naturali desiderio inflammati, non possumus ab illis separari. Causa hæc est, quia in vtero mulierum concepti, eo aliti, inde nati, lactati, & educati sumus: ita vt caro nostra maiori ex parte muliebris caro sit: & sic planè fieri nequit, vt ab ijs separemur.

S. Hieronymus multa scribit de tentationibus carnis. Ah parua res est; mulier domi habitans potest huic morbo mederi. Eustochium hîc Hieronymo facilè subuenire potuisset.

Præfatione in Oeconomiam Menij, Tomo 4. German. fol. 463. Quemadmodum grauiter & seuerè præcepit Deus: *Non occides, non mœchaberis*: eodem modo, & multo magis præceptum est, vxorem duces, maritum accipies.

Ioannes Caluinus.

Hieronymus Bolsec. in eius vita: Caluinus cùm Noioduni curatum Beneficium, & aliud Sacelli cuiusdam Sacerdotium obtineret, Sodomitici sceleris conuictus in vitæ discrimen venit, vt igni concremaretur. Cæterùm Episcopi vrbis commiseratione pœna moderata, cauterio candenti eius humero lilium est inustum. Quam ignominiam haud ferens, vendidit Beneficia sua, & in Germaniam se contulit, mutato prius nomine: nam pro Cauuino Caluinum se vocitabat, & aliquando Carolum de Heppe aut Happe.

D. Iacobi de Burgundia, Domini de Fallais Geneuę ægrotantis vxorem sępe sic est allocutus Propheta æthereus: Quid facies hoc homine tam malè affecto? nunquam erit tibi vt seruitium exhibere queat: me si audies, mori ipsum sines, & quantum abest, vt mortuus sit? quem si mori cõtingat, nos inter nos coniuges erimus. Quo sermone indignata nobilis fœmina marito persuasit, vt Geneua relicta ad Bernenses se conferret. Cuiusdam nobilis vxor, iuuencula, blãdula, bellula, eleganti forma atque alacris frequenter à Caluino inuisebatur absente marito, maximè verò nocturno tempore: adeò vt ancilla iuramento adacta post confiteretur, se vestigia in lecto heræ suæ duplicia offendisse, etiamsi maritus peregrè abesset: atque Caluinus illic ea nocte & cœnârat, & dormierat.

Theodorus Beza.

In carminibus impressis Lutetiæ 1548. Carmine de sua in Candidã & Audebertũ beneuolentia:

Abest Candida, Beza quid moraris?
Audebertus abest, quid hic moraris?
Tenent Parisij tuos amores,
Habent Aurelij tuos lepores:
Et tu Vezelijs manere pergis,
Procul Candidulaq;, amoribúsque,
Et leporibus, Audebertuloque?
Immò Vezelij procul valete,
Et vale pater, & valete fratres:
Namq; Vezelijs carere possum,
Et carere parente, & his, & illis:
At non Candidula, Audebertuloq;.
Sed vtrum, rogo, præferam duorum?
Vtrum inuisere me decet priorem?
An quemquam tibi, Candida, anteponam?
An quenquam anteferam tibi, Audeberte?
Quid si me ingeminas sicem ipse partes,
Harum vt altera Candidam reuisat,
Currat altera versus Audebertum?
At est Candida sic auara, noui,
Vt totum cupiat tenere Bezam:
Sic Beza est cupidus sui Audebertus,
Beza vt gestiat integro potiri:
Amplector quoque sic & hunc, & illam,
Vt totus cupiam videre vtrumque,
Integriq; fruí integer duobus.
Præferre attamen alterum necesse est.
O duram nimium necessitatem!
Sed postquam tamen alterum necesse est,

Priores tibi defero Auditerte.
Quòd si Candida fortè conqueratur:
Quid tum? baculo tacebit vno.

Idem iam senex, nondum iuuenili illa deposita lasciuia, quinquagesimum Dauidis Psalmũ, qui nil nisi pœnitentis lachrymas & dolores complectitur, hoc modo ad suas delicias transfert:

——Rex Dauid amore
Correptus, vertit Bersabæ ad limina vultus:
Bersabæ, qua non formosior altera, cunctas
Isacidum populos inter numerata puellas:
Sed coniuncta viro, & mater iam digna videri.
Et mox tam raras mortali in corpore dotes
Miratus, patulæ radiantem frontis honorem,
Purpureaq; genas, pulchri & discrimina nasi,
Os roseum, & flauos per eburnea colla capillos,
Marmoreumq; sinum, porrectaq; brachia longè,
Et teretes digitos: me verò ludere in istis
Fas oculis, inquit, &c.
Omnibus arridet pulchræ sibi conscia formæ:
Nunc finit extrema crispantes fronte capillos
Ludere, nunc varia discriminat arte vagantes:
Iam calare sinum simulat, mammasq; coercet,
Et superobiectat tenuis velamina telæ.
Iam cunctas ostentat opes, collumq; superba
Nudato, pulchra mentitur imagine Diuam:
Interdum exultus illi qui stabat in hortis
Marmoreo insignis labro, atque perennibus vndis
Fonte lauat, celeresq; oculis iaculantur amores.

TILMANNVS HESHVSIVS libro cui titulus: *Veræ & sanæ confessionis*, &c. Beza suo præconio venditat orbi opera suæ supererogationis, & per totam Galliam celebratæ sanctitatis. Quis putasset hominem tam perfrictæ frontis, tamq; deploratæ impudentiæ existere in rerum natura, vt qui ante paucos annos spurcissimis suis moribus dedecori fuit ipsis discipliuis honestis, quiq; suos nefandos amores, illicitos concubitus, scortationes, fœda adulteria sacrilego carmine decantauit orbi, non contentus eo, quod ipse more porci in cœno flagitiosarum libidinum sese volutaret, nisi etiam aures studiosæ iuuentutis sua illuuie contaminaret. Qua inaudita petulantia quid aliud voluit ista quauis ibi magis polluta bestia, quàm vt scelerum suorum celebratione sacro studiosorũ cœtu, omnibus liberalibus artibus, magistratui ciuili, legibus honestis, humano pudori, ipsi morum honestati, Ecclesiæ Dei, imò ipsi Deo, eiusq; seueriss. æ irę & iudicio petulanter insultaret?

GABRIEL PRATEOLVS *pag. 137.* Quid de exilio tuo (BEZA) prædicas? Vide ne in eo vanus admodum sis. Causam certè tui ex Gallia discessus ego nescio: hoc verè scio, eos, qui te fortè melius me nouerunt, alias, quàm tu, exilij rationes afferre: id ne me odio aliquo scribere putes, ipsorum verba recensebo. Hic (*Beza*) cùm ob flagitia, & mores illicitos, & supplicio dignos concubitus, adeoq; adulteria, & infandas libidines: suis item Saranicis epigrammatis, Martialis & Catulli spurcitias superantibus, in prostibulo decantatis, magis suppliciorum metu, quàm religionis amore aufugisset ex Gallia, Lausanna item pulsus, se Christi Martyrem iactabat, &c.

HIERONYMVS BOLSECVS *in historia de vita & moribus Bezæ fol. 46.* Si quis vnquam adolescens omni se libidinis & flagitiorum turpitudine maculauit, Beza fuit, non modò verborũ obscœnitate inter socios, verùm etiam morum gestuumq; corruptissimorum fœditate detestanda, & pudicis auribus execranda. Hoc ne vnquam negari posset, ipse prouidit. Mandauit enim scriptis suam nequitiam, quæ impressa Lutetię Arnulfi S. magno suo mœrore & ignominia, ad hæc vsque tempora sarta tecta pertenerunt. Verissimè possum illud affirmare, nullum vnquam posteam extitisse tam lasciuum, tam perfrictæ frontis, tam detestabilem, cuius quidem scripta in lucem venerint, vel qui modestiæ fines adeò sit egressus, cuiusmodi se Beza professus est in libro Epigrãmatum de sua Candida. Cùm enim adolescentiæ cursum tenuisset, vt æquales omnes, si qui istius furfuris essent, improbitate, nequitia, scelere, libidine, impudentiaq́e superaret, meritas tandem pœnas impuritatis eum persoluisse multi cognouerunt. Morbo enim Neapolitanò (Gallicum vocant) correptus est, cuius exprimendi, totoq́e corpore exhalandi causa, in certo suburbio Parisiensi, ad caminũ cuiusdam balneatoris æstuans & anhelus diu multumq́e desudauit. Cùm Lutetię vir quidam honestus sartor habitaret in eo vico, qui Calendra vulgo nominatur, huius vxorem Beza primùm solicitare, atque eius pudicitiam expugnare, deinde secum etiam Geneuam abducere cœpit, quam adhuc ibi retinet. Atque eam illam esse meretricem aio, quam suis versibus tantoperè celebrauit, ficto tamen nomine Candidæ, cùm vera appellatione Claudia nominetur. Non ita multò post Lausannæ ad professionem linguę Græcę est admissus. Vbi statim epistolam D. Pauli interpretari cœpit, non sine ingenti stupore multorum, qui vitam & mores hominis accepissent. Factum in eam rem epigramma, ipsiq́e transmissum est Lausannam:

Spintria nunc fueras, molliq́; salaxq́; poëta:
Mox Doctor sacri factus es eloquij.
Vnde rogo potuit subita hæc mutatio gigni?
Non tribuenda Deo, sed potius Satanæ.
Nempe tui similes versutos ardeliones
Exquirit: quorum fraude fides pereat.
Angelus ecce Erebi lucis Christiq́; ministrum
Mentitur, cæcos ducit in exitium.

LVTHERANORVM &c. SPIRITVS MENDAX.

1. *De Deo vno.*

Catholicos omnes non nisi vnum, verum, ac omnipotentem Deum agnoscere, & colere, ostendimus libro 1. art. 2. pag. 14.

MENTIVNTVR ERGO.

MARTINVS LVTHERVS *ad Euangelium de Festo Annuntiationis*: Papistæ Virginem Mariam Deum constituunt, omnipotentiam ei in cælo & in terra tribuunt, &c. In Papatu omnes se ad Mariam contulerunt, & plus fauoris ac gratiæ ab ea expectârunt, quàm à Christo ipso.

IOANNES CALVINVS *lib. 3. Instit. cap. 20. §. 22.* Singuli peculiares sibi Diuos asciuerunt, in quorum non secus atque tutelarium Deorum fidem se contulerunt. Neque modò (quod olim Israeli exprobrabat Propheta) secũdùm numerum vrbium Dij sunt erecti, sed secundùm capitum multitudinem.

De necessitate reformandæ Ecclesiæ: Non solùm Sanctos Christi loco adorant; sed etiam eorum ossa, vestes, calceos, & simulachra.

MAGDEBVRGENSES CENTVRIATORES *Præfatione in sextam Centuriam*: Cœperunt ea occasione etiam defunctæ creaturæ, & exanguia, & semicorrosa ossa coli, inuocari, honore diuino affici, & alligari ad illa ipsa loca preces.

2. *De Christo Saluatore.*

Catholicos semper docuisse & adhuc docere Christum Iesum Dei ac Mariæ Filium, vnicum esse humani generis Saluatorem, qui sua incarnatione, obedientia, passione, morte, resurrectione, pro omnibus omnium hominum peccatis satisfecit, ostendimus lib. 2. art. 7. pag. 199.

MENTIVNTVR ERGO

MARTINVS LVTHERVS *libro de abroganda Missa priuata*: Christũ planè (*vos Parisienses*) non necessarium facitis ex parte nostri. Ideo apertè negatis ipsum esse Iesum, id est Saluatorem hominum. Asseritis autem potius satisfactorem exactionis iniqui Dei. Nec liberauit nos à peccatis, quæ nulla sunt, si liberum arbitrium velit facere, quod est in se.

Ad cap. 50. Genes. Asini isti Louanienses palam negant Christum esse Prophetam: negant nos habere remissionem & vitam æternam per Christum, & abolent sententias: *Ecce Agnus, qui tollit peccata mundi*, &c.

Ad caput 3. epist. ad Galatas: Sub Papatu nec ipse Pontifex, nec omnes viri docti apud illum, vt Cardinales, Episcopi, Scholastici vnquam nouerunt, quid nam esset vel Euangelium, vel Lex, atque adeò ne gustârunt quidem.

In Coll. Germ. capite de Christo: Præcipua de Christo quæstio est, an homines per illum solũ à morte liberentur, iustificentur, & saluentur. De eo dubitant sapientes huius seculi, viri doctissimi, & maxima hominum in terra pars. Papa cum suis omninò infectatur hanc doctrinam.

PHILIPPVS MELANCHTHON *disputatione contra articulos Louanienses, propos. 9.* Detrahunt gloriæ Christi, quando dicunt remitti peccata propter nostra merita, non propter Christum.

Præfatione in Corpus doctrinæ: Audemus gloriari Christum à nobis esse primò vulgatum.

Apologia confessionis Augustanæ, capite de Traditionibus humanis in Ecclesia: Euangelium docet nos fide propter Christum gratis accipere remissionem peccatorum: aduersarij contra alium Mediatorem constituunt has traditiones: propter has volunt consequi remissionẽ peccatorum, per has volunt placare iram Dei, &c. Sentiunt Deum esse placatum & propitium propter traditiones, & non propter Christum. Extât immensi libri, imò Bibliothecæ totę, nullam syllabam de Christo, de fide in Christum, de bonis operibus suę cuiusque vocationis continentes, sed tantùm colligentes traditiones, & harum interpretationes. De iustitia fidei, & fide in Christum nihil dicunt: imò hanc saluberrimam Euangelij partem lacerant conuitijs.

CONFESSIO MANSFELDENSIVM, *capite de erroribus Iesuitarum*: Error sectæ Iesuiticę est, quòd Christus, etsi mediator & intercessor noster fuerit, nunc tamẽ non sit amplius; sed iam solos Sanctos intercessores ac mediatores nostros esse.

3. *De Fide in Christum.*

Catholicos semper docuisse, & adhuc docere impium non nisi fide iustificari: fidem semper ad salutem esse necessariam: sine fide neminem saluari posse. pluribus demonstrabo Tom. 2. lib. 3.

MENTIVNTVR ERGO

MARTINVS LVTHERVS *de captiuitate Babylonica, cap. de Pœnitentia*: Non hac contenta Babylonia nostra, fidem quoque adeò extinxit, vt impudenti fronte eam negaret necessariam esse in Sacramento isto, imò Antichristica impietate definiret, hæresin esse, si quis fidem necessariam esse assereret. Contritionẽ sic docuerunt, vt eam fide promissionis priorem facerent, & longè viliorem, vt quæ non esset fidei opus, sed meritum; imò non memorantur eam.

Ad caput 15. Ioannis: Nostri Papistę de fide nihil nec docuerunt, nec intellexerunt.

Aduersus execrabilem Bullam Antichristi, de sexto ar-

culo disputans: Lege libros illorum Sophistarum de Pœnitentia, & videbis eos nec promissionis, nec fidei vllam mentionem facere. Has enim Pœnitentiæ partes viuas omittunt, & solis mortuis contritionibus homines exagitant.

In colloquijs Germanicis capite de morte: Monstrate mihi vnum locum de iustificatione fidei in Decretis, in Decretalibus, in Clementinis, in omnibus scribentibus omnium Summarũ & Sententiarum, in omnibus Sermonibus monachorum, in statutis Synodorum, in omnibus Postillis, in toto Hieronymo, & Gregorio, &c.

PHILIPPVS MELANCHTHON *in Apologia confessionis Augustanæ, capite de Iustificatione*: Aduersarij docent hominem iustificari dilectione & operibus: de fide, qua apprehendimus propitiatorem Christum, nihil dicunt; imò hanc fidem improbant, neque improbant tantùm sententijs, aut scriptis, sed etiam ferro & supplicijs conantur in Ecclesia delere.

Cap. de Ecclesia: De hac fide consequente remissionem peccatorum nulla est syllaba in tanta mole Constitutionum, Glossarum, Summarũ, Confessionalium. Nusquam ibi Christus legitur: tantùm leguntur supputationes peccatorum.

Cap. de Sacrificio: De fide, qua gratis consequimur remissionem peccatorum, nulla prorsus fiebat ab aduersarijs mentio: de exercitijs fidei luctantis cum desperatione, de gratuita remissione propter Christum, omnes libri, omnes aduersariorum conciones mutæ erant.

In articulis Smalcaldicis articulo 3 de falsa Papistarum Pœnitentia: Hîc verò neque Christus locum habebat, neque fiebat vlla mentio de fide: sed proprijs operibus coram Deo viuere, atque abolere peccatum nitebantur.

In disputatione de Pœnitentia, propositione 7. Stultè & impiè docuerunt Scholastici, peccata remitti per contritionem sine fide.

In Locis communibus Manlij fol. 491. Episcopus quidam, cùm in quodam publico diuersorio diuertisset, ibiq́e nouum Testamentum reperisset, aperto libro incidit in locũ Pauli ad Romanos: *Arbitramur fide iustificari hominem absque operibus legis.* Ille ibi ira commotus, dixit: O Paule, num & tu vis Lutheranus fieri? & librum abiecit.

4. *De gratia Dei.*

Quòd nostri contra Pelagianos semper docuerint, & adhuc doceant hominem cùm ante, tum post Baptismum, proprijs naturæ viribus absque singulari Dei gratia & auxilio bonum nec velle, nec operari posse, ostendemus Tom. 2. lib. 1. & 3.

MENTIVNTVR ERGO

MARTINVS LVTHERVS *ad librum Ducis Georgij script. anno 1533.* Papistę docent posse hominem proprijs naturæ viribus, sine gratia, Dei mandata seruare. Magister meus Occam scribit, nusquã testari sacras literas singulari dono Dei opus esse ad seruanda diuina mandata. Hîc boni viri eramus, vbi audiebamus liberum arbitrium nostrum adeò adhuc prosperum & incolume esse, quòd possemus seruare mandata diuina absque Dei gratia.

De abroganda Missa priuata: Principium fidei illorum est eiusmodi hominem posse proprijs naturæ viribus, faciendo quod in se est, omnia Dei mandata perficere.

PHILIPPVS MELANCHTHON *in Apologia cap. de Traditionibus humanis*: Sed quid interest inter Pelagianos & aduersarios nostros? cùm vtrique sentiant, homines sine Spiritu sancto posse Deum diligere, & præcepta Dei facere, quoad substantiam actuum, mereri gratiam & iustificationem operibus, quę ratio per se efficit sine Spiritu

sat. &c. Quàm multa absurda sequuntur ex his Pelagianis opinionibus, quæ in Scholis magna voce docentur.

Cap. de Iustificatione: Scholastici secuti Philosophos, tantùm docent iustitiam rationis, videlicet ciuilia opera, & affingunt quòd ratio sine Spiritu sancto possit diligere Deum super omnia.

Ad caput 5. epistolæ ad Romanos editionis vltimæ: Scholastici adeò extenuant peccatum Originis, vt si quis rectè consideret, intelligat eos reipsa Pelagianizare. Docent peccatum Originis imputationem seu reatum esse: deinde fingunt legi Dei verè obedire, & satisfacere nos pósse viribus naturalibus.

5. *De Libero Arbitrio.*

Quàm multis, quàm apertè, quàm præclarè Graci ac Latini Patres scripserint de Libero Arbitrio, ostendemus Tomo 2. lib. 1.

MENTITVR ERGO

MARTINVS LVTHERVS *in Colloquijs Latinis capite de libero Arbitrio:* Nomen liberi arbitrij odiosissimum fuit omnibus Patribus, quamuis ipsi nos concedimus Deum homini dedisse liberam voluntatem.

6. *De Sanctorum inuocatione.*

De Sanctorum inuocatione Origenis, Athanasij, Basilij Magni, Ephræm, Gregorij Nazianzeni, Nyssent, Ioannis Chrysostomi, Philonis Carpathij, Cyrilli Alexandrini, Sozomeni, Theodoreti, Antipatris Bostrensis, Concilij Chalcedonẽsis, Basilij Seleucij, Olympiodori Diaconi, Ephræm Cherſonæi, Aretæ Cæsareensis, Cyrilli Eremitæ: Cypriani, Ambrosij, Damasi, Prudentij, Hieronymi, Russini, Gaudentij, Augustini, Paulini Nolani, Seueri Minoricensis, Vigilij Tridentini, Maximi Taurinensis, Hilarij Arelatensis, Leonis Primi, Claudiani Mamerti, Antonij Constantiensis, Constantij Presbyteri, Victoris Vticensis, Fulgentij, Ennodij Ticinensis, Hormisdæ, Elpidij, & Araterij Græcorum ac Latinorum Patrum, qui D. Gregorium Magnum ætate anteceſſerunt, testimonia manifesta habes *supra lib. 3. articulo 4. pag 294. lib. 4. articulo 4. pag. 360. lib. 5. articulo 6. pag. 485.*

MENTITVR ERGO

PHILIPPVS MELANCHTHON *in Apologia capite de inuocatione Sanctorum:* Allegant Cyprianum, quòd viuum Cornelium rogauerit, vt decedẽs pro fratribus oret. Hoc exẽplo probant mortuorum inuocationem. Citãt & Hieronymũ contra Vigilantium. In hac arena, inquiũt, ante mille & centum annos vicit Hieronymus Vigilantium. Sic triumphant aduersarij, quasi iam sit debellatum: nec vident isti asini apud Hieronymũ contra Vigilantium nullam extare syllabam de inuocatione. Loquitur de honoribus Sãctorum, non de inuocatione. Neque reliqui veteres scriptores ante Gregorium fecerunt mentionem inuocationis. Certè hęc inuocatio cum his opinionibus, quas nunc docent aduersarij de applicatione meritorum, non habet testimonia veterum scriptorum.

7. *De Sacris Bibliis.*

Quanto in pretio apud nostros semper fuerint, & adhuc sint sacra Bibliorum scripta, cùm in diuersis Bibliothecis, quæ adhuc seruantur, plurima manu exarata, tum toties typis apud nostros recusa exemplaria probant.

Biblia Hebræa impressa sunt Pisauris 1494. Pragæ 1510. Compluti 1515. Venetijs 1530. Parisijs 1544. Antuerpiæ 1572. 1574. 1583.

Biblia Græca Cõpluti 1515. Venetijs 1520. Antuerpiæ 1572. Romæ 1587.

Biblia Latina Moguntię 1450. 1472. Norimbergę 1478. Colonię 1479. 1529. Basileæ 1485. 1491. Venetijs 1479. 1497. 1571 1572. 1574. Lugduni 1512. 1522. 1525 1531. 1569. 1598. Louanij 1547. Parisijs 1555. Antuerpiæ 1561. 1565. 1567. 1570. 1574. 1582. Romæ 1591.

Biblia Germanica Dietenbergij Coloniæ ex officina Quenteliana sæpissimè prodijsse omnes nôrunt.

MENTIVNTVR ERGO

MARTINVS LVTHERVS *libro de Ecclesia, paulo ante finem:* Papa Scripturam sacram in cœno & puluere sepelijt, & doctrinam Christianam pene integram deleuit.

In Colloquijs Latinis Tomo 2. cap. de Bibliis: Biblia olim erant incognita: Carlstadius octauo anno post suum Doctoratum primò legit Biblia.

IOANNES CALVINVS *ad caput 4. Lucæ v. 16.* Si temporum fiat comparatio, facilè ex præsenti loco constabit, fœdiores hodie & magis deformes esse Papalis hierarchiæ corruptelas, quàm apud Iudęos sub Anna & Caipha fuerunt. Nã Scripturę lectio, quæ tunc vigebat, non modò sub Papa obsoleuit, sed ferro & igne à templis arcetur, nisi quòd lingua incognita in ludibriũ cãtillant.

8. *De Romano Pontifice.*

Quæ sit auctoritas Romani Pontificis, quid ipsi sibi tribuant, quid Græci, quid Latini Patres de illis sentiant, ostendimus supra lib. 7. art. 6. pag. 825, art. 7. pag. 855.

MENTIVNTVR ERGO

MARTINVS LVTHERVS *libro aduersus Papatum Romæ fundatum scribit Papam dicere:* Nemo extra me, extra meas claues, meas Missas potest opẽ ferre: Christus & fides nihil hic possunt conferre: Christus est ebrius, fatuus, stolidus, & oblitus, quantam potestatem ligandi cum clauibus mihi tradiderit. Qui non adorat ventris mei crepitus, peccatum mortale committit.

In Colloquijs Latinis Tomo 2. c. de Papistis: Imprudenter docet Papa sacerdotium Christi esse translatum ad Papam Vicarium Christi, negans æternum Christi sacerdotium. Inspice tantùm duo capita in suis Decretalibus, vbi se extollit magna maiestate supra Scripturæ auctoritatem. In interpretandis ijs locum dat Patribus, in definiendis causis Apostolicæ Sedis auctoritatẽ præfert: quia ipse vult dominus esse Scripturæ, non iudicari ab illa. Ideo iam contra me fulminat; imò contra suos Canones, vbi dicit: Consuetudo cedat veritati, dist. 11. Addit exemplum Ezechiæ æneum serpentem reijcientis. Nunc ex diametro contra hũc Canonem peccat, non vult veritati cedere, de infinitis palpabilibus erroribus conuictus.

MARTINVS CHEMNITIVS *in Examine Tridentini Concilij:* Dicunt Patres Concilij, quòd Papa habeat voluntatem pro ratione in his, quæ vult: quòd possit formam Sacramentorum ab Apostolis traditam immutare: quòd contra epistolas Pauli possit statuere: quod possit dispensare contra quatuor prima Concilia, & contra verba Euangelij.

SYNODVS SMALCALDICA *cap. de primatu Papæ:* Papa sibi arrogat auctoritatẽ condendi leges de cultibus, de mutatione Sacramẽtorũ, de doctrina, & vult suos articulos, sua decreta, suas leges existimari pares legibus diuinis. Arrogat sibi diuinam auctoritatem: quia sumit sibi ius mutandi doctrinam Christi, & cultus à Deo institutos: suam doctrinam, & suos cultus vult obseruari tamquam diuina.

MATTHIAS FLACCIVS ILLYRICVS *de forma & praxi Concilij Tridentini:* Clamant illi Concilij Patres Ecclesiam, id est Pontificem cum suis spiritalibus esse supra Scripturam, & Papã posse ex plenitudine potestatis contra Apostolum & totum vetus Testamentum dispensare.

9. *De Concilijs.*

Quid nostri de Conciliorum auctoritate docuerint, & adhuc

adhuc doceant, ostendimus libro 7. articulo 21. pag. 945.

MENTITVR ERGO

MARTINVS LVTHERVS *libro de Conciliis:* Illi sycophantę, qui parasitantur Papę, adeò sunt dementati, vt hoc paradoxon audacissimè defendant, Concilia potestatem habere condendi nouos articulos fidei, & mutandi veteres.

10. *De D. Hieronymo.*

D. Hieronymum satis multa scripta reliquisse de Christo Saluatore, de fidei iustificatione, & operibus fidei ostendimus Tomo 1. lib. 2. articulis singulis. Tom. 2. lib. 3.

MENTITVR ERGO

MARTINVS LVTHERVS *in Colloquijs Germanicis, capite de scriptis Patrum:* Hieronymum legere licet propter historiam. Nam de fide, & vera religione ne verbum quidẽ in eius scriptis extat.

In Colloquijs Latinis Tom. 2. cap. de Patribus: Hieronymus nihil de Christo tractat, nisi quòd nomine solùm vtitur: neque de fide, spe, charitate, neq; de operibus fidei loquitur. Ideo Staupitius diligẽs eius lector dixit: Scire cuperem quomodo Hieronymus saluatus sit.

Diuus Hieronymus epistola 57. ad Damasum negat dicendas esse tres hypostases, aut tria enypostata, quòd in ijs veneni aliquid lateat; sed voce homousij ibidem vtitur.

MENTITVR ERGO

MARTINVS LVTHERVS *in confutatione rationis Latomianæ:* Si odit anima mea vocem Homousion, & nolim ea vti, non ero hæreticus; nec est quòd mihi obiectes aduersus Arianos receptum à multis, quod & Hieronymus optauit aboleri, ideoque non effugerunt periculum hoc inuento vocabulo, vt Hieronymus queratur nescire quic veneni lateat in literis & syllabis, adeo vt Ariani magis quàm Scripturas exagitabant.

Lib. de Conciliis: Sanctus Hieronymus, vehementer perturbatus, lamentabiles literas scribebat ad Episcopum Romanum Damasum, & cupiebat expungi vocabulum Homousios.

11. *De peccato Originali.*

De peccato Originali quàm multis, quàm expressè, & quàm præclarè scripserint veteres Graci & Latini, ostendemus Tomo 2. libro 2.

MENTITVR ERGO

MARTINVS LVTHERVS *in Colloquijs Latinis cap. de adulterio:* Peccati originalis vsque ad Augustinum nullus Patrum mentionem facit. Augustinus primus peccatũ Originis, & actuale differuit, quòd scilicet esset concupiscentia & radix peccatorum actualium.

12. *De Sacramentis.*

Quòd adultis nullum Sacramentum absque fide & bona intentione prosit, & omnes Scholastici passim ex professo docent, & nos infra suis locis ostendemus.

MENTIVNTVR ERGO

MARTINVS LVTHERVS *Sermone de Baptismo:* Esto contemptor Magistri Sententiarum cum omnibus suis scribentibus, qui tantùm de materia & forma Sacramentorum scribunt, dum optimè scribunt, id est, mortuam & occidentem litteram Sacramentorum tractant: cæterùm spiritum, vitam, & vsum, id est promissionis diuinæ veritatem, & nostram fidem prorsus intacta relinquunt, &c. Et hinc impulsi sunt tantum tribuere Sacramentis nouæ Legis, vt ea statuerent prodesse etiam ijs, qui in peccatis mortalibus sunt, nec requiri fidem aut gratiam; sed sufficere non posuisse obicem, hoc est actuale propositum denuò peccandi, &c. Prodesse ea dicunt etiam impijs & incredulis, modò non ponant obicem, quasi ipsa incredulitas non sit omnium obstinatissimus & hostilissimus obex gratiæ.

PHILIPPVS MELANCHTHON *in Apologia capite de numero Sacramentorum:* Hic damnamus totum populum Scholasticorum Doctorum, qui docent quòd Sacramenta non ponenti obicem conferant gratiam ex opere operato, sine bono motu vtentis. Hęc simpliciter Iudaica opinio est, sentire quòd per cæremoniam iustificemur sine bono motu cordis, hoc est sine fide. Et tamen hæc impia & superstitiosa opinio magna auctoritate docetur in regno Pontificio.

IOANNES CALVINVS *lib. 4. Instit. cap. 14. §. 14.* Magno consensu sophisticę Scholę tradiderunt, Sacramenta nouę Legis, hoc est, quæ nunc in vsu sunt in Christiana Ecclesia, iustificare & conferre gratiam, modò non ponamus obicem peccati mortalis. Quæ sententia dici non potest quàm sit exitialis & pestilens, eoque magis, quòd multis ante seculis, magna Ecclesię iactura, in bona orbis parte obtinuit, &c. Quid verò est Sacramentum citra fidem sumptum, nisi certissimum Ecclesię exitium?

§. 17. Interim illud tollitur figmentum, quo iustificationis gratia, virtusque Spiritus sancti elementis ceu vasculis ac plaustris includitur.

13. *De Baptismo.*

Quàm magnificè & verè nostri semper docuerint, & adhuc doceant de virtute Baptismi legitimè administrati ostendemus Tomo 2. libro 5. Articulo de Baptismi efficacia.

MENTIVNTVR ERGO

MARTINVS LVTHERVS *libro ad Ducem Georgium scripto anno 1533.* Papistæ reputant Baptismum pro temporali opere, quod iam dudum transierit, & per consequentia amissum sit: non putant esse perpetuam & constantem promissionem gratiæ, sub qua, & in qua perpetuò maneamus: & si contingat nos labi, in gratiam redeamus.

IOANNES CALVINVS *in Antidoto Concilij Tridentini, Sessione 7. Can. 13.* Conqueruntur, vel saltem gemunt omnes pij, pluris in Baptismo fieri Chrisma, cereum, salis saporem, sputũ denique, quàm aquæ lauacrum, quo tota constat Baptismi perfectio.

14. *De Eucharistia.*

Quòd Graci & Latini veteres, qui ætate DD. Bernardum & Thomam Aquinatem anteceſſerunt, Transubstantiationem panis & vini in Eucharistia docuerunt, ostendemus Tomo 2. in tractatu de hac materia.

MENTIVNTVR ERGO

MARTINVS LVTHERVS, in captiuitate Babylonica, *asserit Transubstantiationem esse inuentum Thomæ Aquinatis, & inuentionem Thomistarum.*

IOANNES CALVINVS *lib. 4. Instit. cap. 17. §. 15.* Bernardi ætate etsi durior inualuerit loquendi ratio, Transubstantiatio tamen nondum agnita erat.

MARTINVS CHEMNITIVS *parte 2. Examinis Concilij Tridentini Sess. 13. cap. 4.* Tempore Petri Lombardi de Transubstantiatione nihil certi fuit in Ecclesia.

15. *De Missa.*

Quantopere Lutherus, & omnes Lutherani Missam abominentur omnibus patet.

MENTITVR ERGO

CONFESSIO AVGVSTANA *capite de Missa:* Falsò accusantur Ecclesię nostrę, quòd Missam aboleant. Retinetur enim Missa apud nos, & summa reuerentia celebratur.

16. *De Pœnitentia.*

De Pœnitentia, Contritione, Confessione, & Satisfa-

ctione quid nostri semper docuerint, & adhuc doceant, asseram Tomo 2. lib 7.

MENTIVNTVR ERGO

MARTINVS LVTHERVS *de Captiuitate Babylonica, cap. de Sacramento Pœnitentiæ*: Primum huius Sacramenti & capitale malum est, quòd Sacramentum ipsum in totum aboleuerunt, ne vestigio quidem eius relicto.

PHILIPPVS MELANCHTHON *in Confessione Augustana edita anno 1530.* Reijciuntur & isti, qui non docent remissionem peccatorum per fidem contingere, sed iubent nos mereri gratiam per satisfactiones nostras.

In Apologia cap de Satisfactione: Hæc tota res est commentitia, recens conficta, sine auctoritate Scripturæ ac veterum Scriptorum Ecclesiasticorum: ac ne Lombardus quidem hoc modo de Satisfactione loquitur.

In Locis Communibus, capite de Confessione: Monachi finxerunt enumerationem peccatorum in Confessione esse cultum Dei, & meritoriam remissionis.

IOANNES CALVINVS *lib. 3. Instit. cap. 4. §. 1.* Sic sunt in externis exercitijs infixi, vt nihil aliud eximmensis voluminibus colligas, quàm Pœnitentiam esse disciplinam & austeritatem, quę partim domandæ carni, partim castigandis puniendisqúe vitijs seruiat: de interiori mentis renouatione, quæ veram vitę correctionem secum trahit, mirum silentium est, &c. Turpiter & improbè definiunt, non nisi de venialibus peccatis quotidie agi pœnitentiam.

MARTINVS CHEMNITIVS *in Examine Tridentini Concilij pagina 931.* Sed aliud est quod Tridentinum Concilium quærit in Baptismo, scilicet remissionem peccatorum gratis sine nostris operibus propter meritum Christi donari & fide accipi: in lapsis verò post Baptismum Pœnitentiam impetrare veniam, non fide gratis, & sine operibus, sed per & propter opera Pœnitentiæ, &c. Idem est quod alibi dicunt duplicem esse iustificationem, quarum vna fit gratis fide sine operibus propter Christum: altera non gratis, sed per & propter opera.

17. *De Forma Absolutionis.*

Hanc esse generalem, in Florentino & Tridentino Concilijs approbatam, in Latina Ecclesia absolutionis formam omnibus doctis sacerdotibus constat: Ego te absoluo ab omnibus peccatis tuis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Amen.

MENTIVNTVR ERGO

MARTINVS LVTHERVS *in Colloquijs Latinis Tomo 1. capite de Confessione auriculari*: Nos Ecclesiæ ministros confessione defatigabamus: illi verò suis absolutionibus conditionalibus corda nostra angebant: *Ego absoluo te per meritum Christi, propter contritionem cordis, confessionem oris, satisfactionem operum tuorum, & intercessionem Sanctorum.* Conditio isthęc omnis mali radix fuit. Nam hæc omnia fecimus, vt iustificaremur, obruti infinitis traditionibus humanis.

TILMANNVS HESHVSIVS *libro de sexcentis erroribus, quos Pontificia Ecclesia defendit contra verbum Dei, errore 57.* Docent absolutionem peccatorum, nō tantùm in nomine Domini Iesu Christi debere fieri, sed & Beatæ Marię, & omnium Sanctorum, & nostrorum etiam operum. Vnde hæc est illis communis & blasphemiæ plena forma Absolutionis, qua in Monasterijs vti sunt: *Meritum passionis Domini nostri Iesu Christi, & B. Mariæ semper Virginis, & omnium Sanctorum, meritum Ordinis, & grauamen religionis, humilitas confessionis, contritio cordis & bona opera, quæ feceris, & facies pro amore Domini nostri Iesu Christi, cedant tibi in remissionem peccatorum, in augmentum meriti & gratiæ, & præmium vitæ æternæ. Amen.*

18. *De Matrimonio.*

Quantopere veteres & recentiores legitimum Matrimonium laudent, & quomodo inter Ecclesiastica Sacramenta numerent, ostendemus Tomo 2. libro 9.

MENTITVR ERGO

MARTINVS LVTHERVS *in Colloquijs Germanicis, capite de Matrimonio*: Nullus Patrum singulare quicquam, & notatu dignum de Matrimonio scripsit. Hieronymus merus Guardianus fuit, satis temerè, & parum Christianè de hac quæstione disseruit, &c. Quale est, quod coniugium prohibent ac damnant, quod naturalis iuris est? tale est, ac si quis cibum ac potum sumere, ac somnum capere prohiberet. Loquebatur D.M. Lutherus vnà cum cæteris qui aderant de Patrum erroribus, quòd nihil singulare, nihil laude dignum de Matrimonio scriptum reliquissent.

19. *De immortalitate animæ.*

Immortalitatem animæ quomodo non solum Græci, sed etiam Latini semper asseruerint, & adhuc asserant, ostendemus Tomo 2. lib. 1.

MENTITVR ERGO

MARTINVS LVTHERVS *in Colloquijs Latinis cap. de Papistis*: Disputantibus duobus ante mēsam Papæ in vtramque partem de immortalitate animæ, tandem Papa sententiam protulit, alterum quidem rectè argumentari, sed se assentiri alterius sententię de mortalitate animæ, quia faceret bonum vultum. Sub Leone Decimo decretum est in Concilio Lateranensi, debere sacrificulos longas ferre tunicas, pendētes illis ad pedes, magnos calceos, latam tonsuram in capite, non disputare vtrum anima mortalis esset vel immortalis.

Contra Ambrosium Catharinum: Papistæ hodie planè non credunt animæ immortalitatem.

20. *De Purgatorio.*

De Purgatorio clarissima testimonia ex Scripturis sacris, Ambrosio, Augustino, Hieronymo, & alijs Græcis ac Latinis Patribus asseremus Tom. 2. lib. 10.

MENTITVR ERGO

MARTINVS LVTHERVS *in Colloquijs Latinis, capite de damnatione & Inferno*: De Purgatorio, vbi credentes, qui nondum satisfecerunt pro peccatis, adhuc redimendos collocârūt, sacra Scriptura nihil nouit, neque Ambrosius, Augustinus, Hieronymus quicquam de eo sentiunt.

21. *De mortuorum resurrectione.*

De mortuorum resurrectione quàm multa, & quàm perspicuè veteres Græci & Latini vnanimi consensu scripserint, Tom. 2. lib. 10. ostendam.

MENTITVR ERGO

MARTINVS LVTHERVS *in Colloquijs Germanicis, cap. de Antichristo*: In Cōcilio Lateranēsi, celebrato anno 1515. tempore Iulij Papæ, primò cognitum & decretum est, credendam esse mortuorum resurrectionem.

ARTICVLVS DECIMVSTERTIVS.

PERPETVIS MIRACVLIS VERAM ECCLESIAM A FALSA INTERNOSCI.

NEGANT.

Anno postnati Christū

33. QVID AM Iudæorum dixerunt Christum in Beelzebub principe dæmoniorum eijcere dæmonia. Lucæ 11.

240. *Celsus ipsius Christi miraculis struit calumniam, dicens ab eo facta Ægyptijs artibus.* Origenes lib. 1. contra Celsum.

370. *Ariani ridebant miracula Sanctorum Gerualij & Protasij.* Ambrosius Sermone 9.

400. *Vigilantius Gallus signa & virtutes, quæ in Basilicis Martyrum fiunt, dicebat incredulis, non autem credentibus prodesse.* Hieronymus contra Vigilantium.

600. *Mahometes in Alcorano suo dicit suam doctrinam non opus esse miraculis confirmare: quia Deus omnipotens edat miracula, quæ plures non videant: cùm nihil iuuent incredulos, cùm doctrina ipsius confirmetur Scripturis authenticis.* Azoara 2. 15. & 31.

1180. *VValdenses dicunt nulla vera in Ecclesia fieri miracula.* Guido de VValdensibus cap. 15.

1390. Ioannes VVicleuus Dialogo maioris mendacij cap. 16. *Quantum ad orationes & miracula attinet, patet, quòd sunt illusiones diaboli somniatæ, cùm publicetur hodie quod quilibet sacerdos consecrando Eucharistiam facit infinita miracula, & tanta quanta facit D. Iesus Christus, & secundùm Apostolum 1. Corinth. 13.* Si viator habuerit omnem fidem, ita vt montes transferat, charitatem autem non habuerit, nihil est. *Multò ergo magis signa ostensa à Deo, siue à diabolo in præsentia corporis mortui, non indicant quòd sit sanctum. Ideo vna de præcipuis cautelis diaboli, per quam seduxit viantes, est deceptio in his signis. Credamus igitur viuis operibus, conformibus legi Dei, & dimittamus hæc signa friuola.*

1414. Ioannes Hussus de Sanguine Christi: *Nullus Christianus verus debet signis in fide sua credere, sed constanter quiescere in Scriptura.*

1530. Martinus Lutherus de seruo arbitrio: *Anobis, qui negamus liberum arbitrium, miracula exigi non debent: à vobis, qui asseritis, debent: quando negatiua nihil ponit, nihil est, nihil tenetur probare, nec debet probari: affirmatiua debet probari.*

1550. Ioannes Caluinus Præfatione Institutionum: *Improbè faciunt, quòd miracula à nobis postulant. At id præ nobis habent singulare, quòd assiduis in hanc vsque diem miraculis fidem suam confirmare possint. Imò potius allegant miracula, quæ animum alioqui bene compositum labefactare queant: adeò aut friuola sunt, & ridicula, aut vana, & mendacia.*

ASSERVNT SACRÆ LITERÆ.

Matth. 11. Vers. 4. Respondens Iesus ait illis: Euntes renuntiate Ioanni quæ auditis & vidistis: Cęci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt.

Marci 16. 17. Signa autem eos qui crediderint hæc sequentur: In nomine meo dæmonia eijcient, linguis loquentur nouis, serpentes tollent, & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit. Super ægros manus imponent, & bene habebunt. 20. Illi profecti prædicauerunt vbique, Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis.

Ioannis 10. 25. Opera, quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc testimonium perhibent de me. 37. Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi: si autem facio, & si mihi non vultis credere, operibus credite: vt cognoscatis & credatis, quia Pater in me, & ego in Patre.

Ioannis 14. 12. Amen amen dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio & ipse faciet, & maiora horum faciet.

2. Corinth. 12. 12. Signa Apostolatus mei facta sunt super vos in omni patien-

tia, in signis, & prodigijs, & virtutibus.

1.*Thessalonicens.* 1. 5. Euangelium nostrum non fuit ad vos in sermone tantùm, sed in virtute, & in Spiritu sancto, & in plenitudine multa.

Hebr. 2. 3. Quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem, quæ cùm initium accepisset enarrari per Dominum ab eis qui audierunt, in nos confirmata est, contestante Deo signis, & portentis, & varijs virtutibus, & Spiritus sancti distributionibus secundùm suam voluntatem.

CATALOGVS ILLVSTRIVM Ecclesiæ miraculorum, ante & post Christum natum ad hæc vsque tempora.

Anno Mundi 987. *ante Christum* 2981.

ENOCH viuus in paradisum est translatus. *Gen.5. Eccles.44. Hebr.11.*

Anno Mundi 1656. *ante Christum* 2312.

NOE cum septem animabus, toto orbe Diluuio pereunte, seruatus est. *Gen.7.*

Anno Mundi 2047. *ante Christum* 1921.

VXOR LOTHI ad Sodomitas contra Dei iussum respiciens, in statuam salis versa est. *Genesis 19.*

SARA sterilis & nonagenaria peperit Abrahæ filium. *Gen.21.*

Anno Mundi 2455. *ante Christum* 1516.

In monte Dei Oreb RVBVS arsit, & non est combustus. VIRGA MOYSIS proiecta in terram versa est in colubrum: qui apprehensus cauda, iterum conuersus est in virgam. MANVS item MOYSIS missa in sinum suum, instar niuis leprosa apparuit: retracta rursum carni reliquæ fuit similis. *Exod.3.4.*

Cùm nollet Pharao Israelem dimittere, percussit MOYSES virga super aquas, & versæ sunt in sanguinem: extendit AARON manum super lacus & paludes, & eduxit ranas super terram Ægypti: percussit puluerem, & facti sunt ciniphes, &c. *Exod.7.8.9.10.11.*

Eleuauit MOYSES virgam suam, & diuisit mare, ita vt transgrederentur illud in sicco filij Israel. Post quos currentes Ægyptij refluentibus aquis submersi perierunt. *Exod.14.*

ISRAELITAS 40. annis in deserto pauit Deus Manna, manseruntq; eis toto illo tempore vestimenta cum calceamentis integra. Morsos à serpentibus sanauit intuitus serpentis ænei. NADAB & ABIV ignem alienum coram Domino offerentes, egressus ignis à Domino deuorauit: CORE, DATHAN, & ABIRON viuos tellus absorpsit, & ad inferos misit. *Moyses in Exodo & Deuteron.*

Anno Mundi 2494. *ante Christum* 1474.

IOSVE populum traduxit per Iordanem stantem instar muri in sicco. Hierichuntem post septem dierum circuitus euertit, decidentibus vltro ad clangorem buccinarum & tubarum strepitum muris ciuitatis. Solem & Lunam verbo iussit consistere, quoad vltus fuisset hostes suos. *Ios.3.6.10.*

Anno Mundi 2653. *ante Christum* 1315.

GEDEON impetrato hoc signo à Domino, vt impleta omni circumquaque terra rore, solum vellus siccum maneret, & contra, de Domini adiutorio confisus, trecentis viris innumeram hostium multitudinem fugauit, & strauit. *Iudic.6.*

Anno Mundi 2800. *ante Christum* 1168.

SAMSON maxilla asini mille viros bellicosos percussit. Siti pressus & viribus exhaustus, clamauit ad Dominum, qui eum, eductis ex molari dente maxillæ aquis, refocillauit. *Iudic.15.*

Anno Mundi 2850. *ante Christum* 1118.

ARCA DOMINI à Philisthæis capta, & in templum Dagon collocata, Idolum in terram corruit, manusqúe & caput fregit: ipsi etiam Azotij plaga grandi à Domino percussi sunt. 1. *Reg.5.*

Anno Mundi 2890. *ante Christum* 1078.

DAVID ętate & statura pusillus leonem & vrsum in se irruentes apprehenso mento suffocauit, & interfecit. Magnum quoque ac cunctis terribilem Goliath funda strauit, ac proprio ipsius gladio capite truncauit. *1.Reg.17.*

Anno Mundi 3020. *ante Christum* 948.

ELIAS per coruos, deferentes manè & vesperi panem ac carnes, pastus est à Domino in torrente Carith: & postea in Sarepta Sidoniorum per viduam quandam, cui sic benedixit, vt non defecerit farina, nec lecythus olei fuerit imminutus. Filium quoque illius mortuum resuscitauit, & tandem curru igneo in cælum raptus est. *3.Reg.17. & 4.Reg.2.*

Anno Mundi 3040. *ante Christum* 928.

ELISEVS Eliæ pallio aquas Iordanis diuisit, & sicco pede transijt: aquas Hierichuntinas sanauit, & sterilitatem agrorum sustulit: pauperculæ mulieri ære alieno oppressæ succurrit, impletis oleo cunctis vasis: Sunamitidi filium donauit, mortuumqúe excitauit: modico pane centum viros saturauit, ferrum natare fecit, & Naaman à lepra liberauit, &c. *4. Reg. 2. 4. 5. 6.*

Anno Mundi 3200. *ante Christum* 768.

EZECHIAS in signum recuperandæ valetudinis vidit vmbram solis in horologio Achaz retrocedere decem lineis. Idem precibus à Domino impetrauit liberationem populi, cæsis vna nocte per Angelum 18500. Assyrijs sub Duce Sennacherib militantibus. *Esaiæ 38. 4.Reg. 19.*

Anno Mundi 3250. *ante Christum* 718.

TOBIAS iunior ab Angelo ductus, & reductus est incolumis: senior ab eodem visum recepit. *Liber Tobiæ.*

Anno Mundi 3280. *ante Christum* 688.

IVDITH fœmina Bethulienses obsidione

liberauit, obtruncato Holo:erne militiæ principe. *Iudith 13.*

Anno Mundi 3400. *ante Christum* 5[illegible]8.

ANANIAS, MIZAEL, & AZARIAS nolentes adorare statuam Nabuchodonosoris, in ignem coniecti sunt, sed illæsi exierunt. *Dan.3.*

DANIEL in lacum leonum missus, intactus mansit, & pastus est ab Angelo cibis Prophetę Habacuc, quos ille in Iudęa messoribus suis parauerat. *Dan.14.*

Anno Mundi 3694. *ante Christum* 274.

SEPTVAGINTA DVO SENIORES ad Ptolomæum ab Eleazaro Pontifice missi, diuersis separati cellis, vno eodemqúe singulos afflante Spiritu, vnam planè & eandem Bibliorum translationem ediderunt. *Irenæus lib.3.cap 3. Clem. Alex. lib.1. Strom. Epiphan. de pond.*

Tempore Christi Incarnationis.

Circa Christi Saluatoris Natiuitatem FONS olei largissimus de taberna meritoria per totum fluxit diem. *Orosius lib.6. cap.20. Alcuinus de diuinis officijs cap.1.*

Post Christum natum.

Per CHRISTVM IESVM desperati consolationem, leprosi munditiē, surdi auditum, muti loquelam, cæci visum, languidi sanitatem receperunt: sedatæ sunt tempestates, eiecti dæmones, excitati mortui, &c. *Matthæus, Marcus, Lucas, & Ioannes in Euangel.*

APOSTOLI dæmonia eiecerunt, infirmos curârunt. *Marc.6.*

Anno Christi 34. & post Ascensionem in cælos.

APOSTOLI in die Pentecostes Spiritu sancto repleti varijs locuti sunt linguis. PETRVS & IOANNES claudum sanârunt. Ananias & Saphyra Spiritui sancto mentiti, voce B. Petri interfecti sunt. Aegri & infirmi omnes in plateas expositi, etiam vmbra Apostolorum eos obumbrante, ab infirmitatibus liberati sunt. PAVLVS Elymam excęcauit, claudum natum sanauit, Pythonem eiecit, Eutychum defunctum resuscitauit, à vipera percussus nihil mali sensit. Ipsius sudaria super ægros posita, languores & spiritus nequam repulerunt. *Act. Apostol.*

Anno Christi 60.

IOANNES Apostolus & Euangelista Romæ in dolium feruentis olei immissus vegetior exiuit quàm intrauerat. *Tertull. de præscr. hæret. cap.36. Prochorus cap.11.*

Anno Christi 100.

S. DIONYSIVS suum caput amputatum proprijs excepit manibus, & tamdiu portauit, quousq; mulier occurreret, cui illud quasi thesaurum commendaret. *Simeon Metaphrastes in vita Dionysij cap.13.*

Anno Christi 1[illegible]0.

S. ELEVTHERIO in craticula super ignem posito, carbones, etsi oleo foti, penitus emarcuerunt, & veluti aqua aspersi, sunt extincti. *Metaphrastes in martyr. S. Eleutherij. Nicephorus libro 3. cap.20.*

Anno Christi 170.

POLYCARPVS ignis flamma obuallatus constitit illæsus, splendorem simul & odorem in circumstantes gratissimum effundens. *Euseb. libro 4. cap.14.*

Anno Christi 200.

FOEMINA quędam defuncta cùm ad sepulturam componeretur orante Presbytero manus à lateribus dimotas in habitum supplicem conformauit; rursumqúe accepta pace, situi suo reddidit. *Tertull. lib. de anima cap.51.*

NARCISSVS Hie·osolymorum Episcopus in defectu olei, impleri iussit Ecclesiæ lampades aqua, & prece fusa aquam in oleum conuertit. *Euseb. lib.6. cap.8.*

Anno Christi 260.

GREGORIVS NEOCAESARIENSIS, ab assidua miraculorum operatione dictus Taumaturgus, ægros curauit verbis, per epistolas dæmones effugauit, sola oratione rupem ingentem mouit, & in alium locum transtulit: lacum quēdam, de quo acerrimè contendebant duo fratres, exsiccauit, & Lyci fluminis perniciosas vndas repressit, &c. *Ruffinus, Gregorius Nyssenus, Socrates, Nicephorus.*

Anno Christi. 300.

ROMANVS Martyr Antiochenus præsecta abs Tyranno lingua locutus est. *Prudētius in hymno ipsius. Chrysost. in Encomio Romani.*

ALBANVS Verolamiensis Tamesis fluuij alueum cum mille viris sicco pede transgressus est. *Gildas de excidio Britan. Beda libro 1. cap. 7. histor. Anglic.*

Anno Christi 330.

Per PAPHNVTIVM non minus quàm dudum per Apostolos signa facta sunt. Nam & dæmones verbo tantū fugauit, ægros sola oratione curauit: Sed & cæcis visum reddidit, & paralyticos ad stabilitatem corporis reuocauit. *Ruffinus lib. 1. cap.4.*

Anno Christi 350.

HILARION Abbas sterili impetrauit partum, tres pueros à medicis desperatos sanauit, cęco visum reddidit, paralyticum curauit, à diuersis obsessis dæmones expulit, vno etiam tempore ducentos dæmoniacos liberauit. *Hieronymus in vita S. Hilarionis.*

HILARIVS Pictauiensis Episcopus innumeros serpentes signo Crucis fugauit, infantem mortuum ad vitam reuocauit, & puerum moribundum sanauit, defunctus etiam miraculis coruscauit. *Fortunatus in eius vita.*

Anno Christi 380.

MARTINVS mortuos excitauit, aliaqúe signa edidit Apostolicis signis non inferiora. *Sozomenus libro 3. cap.13. Sulpitius in vita Martini.*

Anno Christi 420.

Ad PETRVM Eremitam cùm quidam insaniens, & furore percitus, & maligni dęmonis operatione plenus venisset, eum mundauit, & ab illo diabolico furore liberauit. *Theodoretus in Philotheo cap.9.*

Anno Christi 430.

THALASSIVS vir admirabilis fuit. Seruatoris enim nostri vtens nomine, & morbos cessare fecit, & dæmones expulit. *Theodoretus in Philotheo cap.22.*

MAXIMVS Rhegiensis Episcopus Satanam profligauit, mortuos resuscitauit, flatu rabidum interfecit canem, cæcum illuminauit, & iam mortuus vitam mortuæ puellæ tribuit. *Dinamius in eius vita.*

Anno Christi 450.

SIMEON STYLITES paralysi dissolutos curauit, & innumerabilia alia miracula edidit. *Theodoretus in Philoth cap.16.*

EPISCOPVS quidam Catholicus ad veritatem orthodoxæ fidei demonstrandam ardentem rogum ingressus, è rogo disseruit, & illæsus seruatus est. *Niceph. lib. 15. cap. 23.*

Anno Christi 460.

MAMERTVS Viennensis Episcopus flagrante per vrbem incendio, cunctis è templo profugientibus, & suas domos conseruare studentibus, coram altari perstitit festiuis indutus vestimentis, & calore fidei successus, flumine lachrymarum flammæ compescuit potestatem. *Greg. Turon. lib. 2. hist. Franc. cap. 34.*

PATRITIVS Hibernię Archiepiscopus annis 40. quibus prędicauit virtutes Apostolicas edidit, cæcos illuminauit, surdos audire fecit, mortuos nouem suscitauit. *Matthæus VVestmonasterienſis.*

Anno Christi 470.

Pictoris cuiusdam, quòd Seruatorem forma & habitu Iouis pinxerat, manus exaruit, Gennadio Constantinopoli Patriarchatum gerente, qui post exceptam facinoris illius confessionem, pœnitenti vegetam restituit. *Nicephorus libro 15. cap. 23.*

Anno Christi 490.

REMIGIVS signo crucis restinxit incendium, dęmoniacum curauit, mortuum excitauit, precibus sacrum Chrisma impetrauit, & vinum suæ benedictione fecit vt in vase non deficeret, futura prædixit, & mortuus multis miraculis claruit. *Gregorius Turonensis libro 2. capite 31. histor. Franc.*

Anno Christi 520.

PROCVLVS Martyr à lictore obtruncatus, cùm iam ab omnibus humi iacens efflasse animam crederetur, viuens adhuc surrexit, ac caput suum de terra collectum manibus suis intra vrbis mœnia portauit. *Sigonius in histor. Bononiensi libro 1.*

IOANNES Romanæ Ecclesię Pontifex Constantinopoli in conspectu omnium roganti cæco lumen reddidit. *Ado Viennensis state 6. Greg. Mag. lib. 3. Dialog. cap. 2.*

Anno Christi 530.

BRIGITTAE vita miraculis claruit: quæ cùm lignum altaris in testimonium virginitatis tetigisset, viride factum est. *Beda in Martyrol. Kalen. Februarij.*

BENEDICTVS Abbas signo crucis facto vas, in quo ei venenum paratum erat, fregit; precibus ex rupe fontem produxit, mortuum puerum excitauit, multaque alia miracula fecit, & quæ futura erant sciuit ac prædixit. *Greg. Mag. lib. 2. Dial.*

AGAPETVS Romanus Pontifex claudum curauit & mutum. *Gregor. lib. 3. Dialog. cap. 3.*

MAVRVS Abbas visum cæco restituit, paralyticum sanauit, dæmones expulit, &c. *Faustus in vita eius.*

PLACIDVS Abbas leprosos mundauit, diuersis morbis vexatos precibus curauit, cæcos illuminauit, locutus est lingua præcisa. *Gordianus in vita eius.*

Anno Christi 570.

AMANTIVS Presbyter solo tactu ægritudines quantumuis vehementes sustulit, serpentes quoscunque crucis signo interemit, phræneticos menti sanę restituit. *Greg. lib. 3. Dial. c. 35.*

Anno Christi 590.

AVGVSTINVS Anglorum Apostolus, vitæ sanctitate illustris, multis miraculis coruscus, cæcis visum, infirmis restituit sanitatem. *Beda Hist. Anglic. lib. 1. cap. 31.*

Anno Christi 600.

THEODOSIVS Archimandrita, Dei gratia multa feci t miracula curationum, adeò vt in lectulis infirmi ad eum deportarentur, vt eos tangeret, quos cum illis, qui ab immundis spiritibus vexabantur, precibus suis liberos dimittebat. *Georg. Presb. in eius vita.*

ARNVLPHVS Metensis Episcopus dæmoniacam liberauit, leprosum sanauit, semimortuum vitę restituit, & signo crucis ingentes flammas repressit. *Surius Tomo 4.*

AMANDVS Episcopus Traiectensis vita defunctum resuscitauit, paralyticum sanauit, cæcæ oculos aperuit. *Gaudemundus in eius vita.*

Anno Christi 630.

ELIGIVS Nouiomensis Episcopus contractum sanauit, manum cuiusdam aridam restituit suo vigori, modico vino multos refecit pauperes, illuminauit cęcum, excitauit mortuum, claudo reddidit gressum. *Audoënus in eius vita.*

Anno Christi 650.

TRVDO Presbyter scientia literarum à Deo est instructus, & precibus è terra fontem impetrauit. *Theodorus Abbas in vita eius.*

FLORENTIVS Episcopus Argentinẽsis Dagoberti Regis filiam à natiuitate cæcã & mutam curauit. *Surius. Munst. in Cosmograph.*

Anno Christi 680.

AGATHO Papa leprosum sibi obuium factum osculo liberauit à fœditate. *Platina in eius vita.*

Anno Christi 700.

SVVIBERTVS Episcopus missus in carcerem ab Angelo liberatus est, cæcos illuminauit, paralysi & alijs morbis ęgrotãtes sanauit, vita defunctos resuscitauit. *Marcell. in eius vita.*

Anno Christi 760.

OTILIA Vlrici filia cæca nata, à S. Erhardo Treuirensi Episcopo baptizata, visum recepit. *Acta Episcoporum Treurensium. Munst. in Cosmog.*

Anno Christi 800.

IOANNICIVS Abbas signo crucis interemit Draconem, insulam à serpentibus purgauit, tempestates sedauit, inter orandum à terra eleuatus est. *Metaphrast. in eius vita.*

Anno Christi 830.

In translatione Reliquiarum S. MARCELLINI cęcis visus, claudis incessus, surdis auditus, mutis sermo, paralyticis & ægris sanitas restituta est. *Eginardus lib. 2. cap. 6. & 7.*

Ad prędicationem ANGARII multi de gentibus baptizati, etiam corporis sanitatem consecuti sunt. *Albertus Stadensis de Anno 845.*

Anno Christi 870.

REMBERTVS Hamburgensis cæco reddidit lumen, tempestatem maris sedauit, dæmones ab obsessis fugauit, & alia mirabiliter perfecit, quibus apud Danos & Suedos Christi cultũ latè propagauit. *Albert. Crant. in Metrop. lib. 2. cap. 10.*

RVMOLDVS Scotię Regis filius, puerum aquis suffocatum reuocauit ad vitã. *Surius Tom. 7.*

Anno Christi 940.

POPPO magni ponderis ferrum candens manu illæsa pro stabilienda vera fide portauit. *Albert. Crant. in Metropol. lib. 3. cap. 34.*

Anno Christi 950.

VDALRICVS varijs morbis, maximè comitialibus, laborantes curauit. *Berno in eius vita.*

DVNSTANVS Cantuarienſis Episcopus dæmones compescuit & profligauit, Angelorũ cantica audiuit, cęlestia vidit, è terra fontem excitauit. *Osbertus in vita eius.*

Anno Christi 980.

MAIOLVS Cluniacensis Abbas cõplures febribus, serpentum quoque aut ferarum morsibus, & Dæmonis ludibrijs vexatos, liberauit. *Odilo Presbyter in eius vita cap. 11.*

Anno Christi 1000.

ROBERTVS Franciæ Rex manu sua infirmos tangens, & signum crucis vulnerum locis imprimens, sanitatem restituit. *Helgaudus in eius vita.*

HERIBERTVS Colon. Archiepiscopus paralyticam, quę secus viam benedictionem eius flagitauerat, sanauit. *Rupertus Tuitiensis in eius vita.*

Anno Christi 1010.

ODILO Abbas Cluniacensis puerum cæcum à natiuitate signo crucis sanctæ illuminauit. *Petrus Damianus in eius vita.*

Anno Christi 1080.

ANSELMI Cantuarienſis Episcopi meritis leprosus quidam nobilis, & alius graui morbo affectus, curati sunt. *Edinerus in eius vita.*

Anno Christi 1120.

MALACHIAS Hiberniæ Episcopus puerum mente captum in Confirmatione per sacram vnctionem sanauit, surdo auditum dedit, vxorem viri cuiusdã nobilis à morte excitauit. *Bernardus in eius vita.*

Anno Christi 1140.

ROBERTVS Nazarenus Episcopũs crucem Christi erigens contra incendium, flammam & fumum in exercitum Turcicum auertit. *Guilhelmus Tyrius lib. 16. cap. 11.*

S. BERNARDVS mutos, claudos, aridos, epilepticos, febricitantes curauit, alijsque pluribus miraculis claruit. *Albertus Stadensis, & alij.*

Anno Christi 1160.

HILDEGARDIS Abbatissa Spiritu S. edocta, omnium sacrorum librorum habuit intelligentiam. *Trithemius, & alij.*

THOMAS Cantuarienſis Episcopus aquam in vinum benedictione sua conuertit. *Helmoldus in Chronico Sclauorum lib. 2. cap. 19.*

Anno Christi 1190.

VOLCO sacerdos in Frãcia, varijs languoribus afflictis per impositionẽ manus contulit sanitatem; reddens cæcis visum, surdis auditum, claudis gressum, mutis loquelam. *Rigordus de gestis Philippi Franc. Regis.*

Anno Christi 1200.

GVILHELMVS Scotiæ Rex puerũ nobilẽ, cuius alter oculus sanie madebat, alter pes claudicabat, altera manus arescebat, cùm cruce signasset, sanum fecit. *Hector Boethius lib. 13. historiarũ Scoticarum.*

Anno Christi 1220.

FRANCISCVS & DOMINICVS duorũ insignium Ordinum fundatores, insignium quoque miraculorum fuerunt operatores. *Vincentius Burgundus, Bonauentura, &c.*

Anno Christi 1230.

ELIZABETH Vngariæ Regis filia septẽdecim mortuos suscitauit, & cæcum natum illuminauit. *Vincentius in Spec. historiæ, Bonfinius libro septimo dec. 2. rerum Vngaricarum, Iacobus Montanus Spirẽsis in eius vita.*

Anno Christi 1240.

PETRVS Mediolanensis Dominicanus dæmoniacum liberauit, mutum fecit loqui, & loquentem hæreticum obmutescere. *Vincentius in Spec. hist 7.*

Anno Christi 1260.

BONAVENTVRA puerum quendam exstinctũ in partu matri, pro salute filioli nimis anxiæ, reddidit viuentem. *Octauianus de Martinis ad Sixtũ Quartum.*

Anno Christi 1290.

PETRVS CAELESTINVS Dæmones expulit, claudos & paralyticos curauit. *Petrus Aliacus in eius vita.*

Anno Christi 1300.

IVO Presbyter signo crucis aquas diuisit, incendium restinxit, dæmoniacum liberauit, ægrotantem matronam sanauit. *Petrus de Natal.*

ROCHVS Narbonensis prouinciæ nobilis, innumeros peste laborãtes sanctæ Crucis impressione curauit Romæ, & alijs locis. *Petrus de Natal. Albert. Crantz. in metrop. lib. 9. cap. 25.*

Anno Christi 1330.

GODFRIDVS Eptingensium Virginum Pœnitentiarius, laborãtibus illis aquæ penuria precibus fontem excitauit, qui in hodiernum vsque diẽ sub altari scaturit. *Munsterus in Cosmog. de Abbatissis Eptingensibus.*

Anno Christi 1350.

VENTVRINVS Bergomas Dominicanus, in Gallijs mortuum resuscitauit, & plura alia edidit miracula. *Annales Dominicanorum.*

Anno Christi 1360.

CATHARINA SENENSIS virgo sanctissima, matrem suam, quæ sine confessione decesserat, ad vitam resuscitauit. *Raimundus Capuanus in eius vita.*

Anno Christi 1400.

VINCENTIVS VALENTINVS infantem in frusta sectum restituit vitæ, loqui fecit mutam, quindecim panibus 2000. hominum pauit, dæmoniacam liberauit, tempestatem sedauit, & pluuiam necessariam impetrauit. *Petrus Raux. in eius vita.*

Anno Christi 1430.

BERNARDINVS Senensis cùm Græcè nunquam didicisset, Græcè concionatus est ad Græcos, pedibus aquas calcauit, exanimem seruauit, leprosum mundauit, ægros curauit, imbrem coercuit. *Ioannes Capistranus in eius vita, & alij.*

Anno Christi 1450.

ANTONINVS Florentinus defunctum vita excitauit, & parum olei ac mellis, instar Eliæ, multiplicauit. *Vincentius Mainard. in eius vita.*

Anno Christi 1460.

DIDACVS à sancto Nicolao cæcos, surdos, mutos, ęgrotosq; innumeros sanauit, & mortuam puellam suscitauit. *Thomas Bozius de sig. Eccl. lib. 7. cap. 1.*

Anno Christi 1470.

IACOBVS PICENVS Brixiæ puerum ab Iudæis strangulatum, & parieti inclusum reuelauit, atque ad vitam reuocauit: cæcis visum, mutis loquelam reddidit, venenum porrectum sine damno bibit. *Annales Franciscanorum.*

Anno Christi 1500.

COLVMBA virgo Reatina Ordinis S. Dominici, innumeris ægrotis præstitit leuamen, ac panem suis deficientem subinde multiplicauit. *Albertus Leander in eius vita.*

FRANCISCVS DE PAVLLA compluribus sensu orbatis sanitatẽ impetrauit, cæcos, mutos, surdos,

surdos, claudos & leprosos pro voto eorum iuuit, nonnullos q; mortuos, vel pro mortuis habitos, ad vitam incolumes reduxit. *Sadoletus in eius Canoniz at.*

MARGARITA RAVENNAS Cacodæmone vexatos manu sua apprehensos liberauit, puerũ hydrope laborantem sanauit, & alium contortis pedibus, sic vt ambulare nequiret, natum, curauit. *Hieronymus Rubeus lib.8. de gest. Raueu.*

Anno Christi 1520.

GENTILIS mulier Rauennatensis plurimis sanitatem corporis à Deo impetrauit, & futuram vrbis suæ euersionem prædixit. *Hieron. Rub. lib. 9.*

Anno Christi 1530.

MARTINVS VALENTINVS Franciscanus puerum antè Baptismum mortuum resuscitauit, & baptizatum suis restituit incolumẽ: in maxima siccitate pluuiam congruentem ex cælo prouocauit, ac plurimis ægrotis sanitatem contulit. *Tho. Bozius de sig. Eccl. lib. 12. cap. 21.*

Anno Christi 1540.

IGNATIVS LOIOLA hominem, qui ex tædio calamitatum & paupertatis laqueo vitam sibi ademerat, collocatum in lectulo tantisper resuscitauit, quoad vsque sacram Confessionem sacerdoti fecisset. *Ioannes Petrus Maffeius lib. 3. cap. 1. vitæ eius.*

Anno Christi 1550.

IOANNES A S. FRANCISCO sine omni studio, solis precibus Mexicanæ linguæ cognitionem assecutus est: defunctum filiolũ matri reddidit viuum, aliaq; multa mirabiliter egit & prædixit. *Thomas Bozius de sig. Eccl. lib. 12. cap. 21.*

IACOBVS Complutensis Ordinis Minorũ, intercessione sua & meritis, varios ac desperatissimos morbos frequenter repulit. *Michael Medina de recta in Deum fidei lib. 2. cap. 8.*

Anno Christi 1560.

NICOLAVS monachus S. Benedicti ab hæreticis in Gallia præcisionem linguæ vltra dimidium passus, Salisburgi visus est & auditus magnalia Dei eleganter satis & disertè eloqui, ac hæreticorũ barbariem feritatemq; declarare. *Ioannes Baptista Ficklerus in Theolog. Iuridica de Sanctorum martyrio.*

PIVS Quintus Pontif. Max. in tribus supplicationibus pro salute exercitus Christiani & victoria contra Turcas institutis, quinq; mulieres obsessas à dæmonibus liberauit. *Iacobus Rabus de miraculis cap. 23.*

Anno Christi 1570.

CAROLVS BORROMAEVS S.R.E. Cardinalis, à sceleratis hominibus, num Reformationi Ecclesiæ intentus, preces ad Deum funderet, bombardarum iaculis impetitus, lædi non potuit. *August. Valer. Veronensis in eius vita.*

Anno Christi 1580.

ALEXANDER CAPOCCHIVS Ord. Præd. plurimos à vitijs ad honestissimum viuendi genus reuocauit, & multis desperatam valetudinẽ suis precibus statim restituit. *Franciscus Marcus in eius vita.*

ALOYSIVS BERTRANDVS Ord. Prædic. cùm apud Indos concionaretur Hispanicè, etiam ab ijs, qui Hispanicè nesciebant, intellectus est: mortuam puellam reuocauit ad vitam, venenum bibit absque nocumento, & quæ futura essent verissimè prædixit. *Bozius libro 6. cap. 2. & libro septimo cap. 1.*

NICOLAVS FACTOR Franciscanus sæpe visus immensa luce circumfulgere, multos mirabiliter liberauit à certis morbis, nec prophetica gratia caruit. *Christoph. Morenus in eius vita.*

ANTONIA, vidua Romana magni candoris & probitatis, futura sæpe prædixit, & humanas cogitationes præuidit. *Bozius lib. 12. cap. 23.*

Quanta verò & quot apud Indos in nouo orbe & Iapones hoc nostro sæculo ad probandam Sanctæ & Catholicæ fidei veritatem viri religiosi operati sint miracula, prolixũ foret attexere. Qui eorum cognitionem desiderat, consulere potest libros, quos de ijs conscripserunt, qui in illis locis nouellam Domini vineam excolentes, aut viderunt ab alijs fieri, aut ipsi fecerunt: maximè verò Epistolas Indicas Aloysij Frois perspiciat, & inueniet quæ admirari iure possit, quæq; religioni Christianæ pondus non leue adijciant.

Miracula autem quæ ad Diuorum: Mariæ Dei Genitricis, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum, & Viduarum imagines, sepulchra, memorias, aut aliâs ad rerum Sacrarum præsentiam vel vsum diuina virtute contigerũt, hîc consultò prætermissa sunt: tum quòd ad alium magis locum visa fuerint pertinere: tum quòd copiosè satis eadem apud diuersos & studiosè congesta reperiantur. Qui volet legat Ioannem Damascenum de venerat. Imag. Gregorium Turonensem de gloria Martyrum & Confessorum, Ionam Aurelianensem, Horatiũ Tursellinum, Guilhelmum Lindanum de fugiendis idolis, Petrum Canisium de Beata Virgine, Tilmannum Bredenbachium, & alios.

ARTICVLVS DECIMVS QVARTVS.

AB HAERETICIS NVLLA FIERI EIVSMODI MIRACVLA.

ASSERVNT.

Irenæus. 180.

Lib. 2. cap. 36. Hæretici neque cæcis possunt donare visum, neq; surdis auditum, neque omnes dæmones effugare, præter eos, qui ab ipsis immittuntur: si tamẽ & hoc faciunt: neq; debiles, aut claudos, aut paralyticos curare, vel alia quadam parte corporis vexatos, tantum absunt vt mortuum excitent.

Augustinus. 400.

Lib. 13. contra Faustum Manichæum cap. 5. Miracula non facitis, quę si faceretis, etiam ipsa in vobis caueremus, per instruentem nos Dominum & dicentem: *Exurgent multi Pseudochristi, & facient signa & prodigia.*

Gregorius Turonensis. 590.

Historiæ Francorum lib. 2. cap. 3. Eugenius non solùm visibilium oculorum cæcitatem, sed etiam mentium depellebat. Quod cernens ille nequam Cyrola Arianorum Episcopus, vocatũ ad se quẽdam hominem, ab illo, quo ipse viuebat, errore deceptum, ait: Non patior quòd hi Episcopi multa in populo signa depromunt, illoq; cuncti me neglecto sequuntur. Acquiesce nunc his, quæ præcipio, & acceptis quinquaginta aureis sede in platea, in qua nobis est transitus, & manum super clausos oculos ponens, me prætereunte cum reliquis exclama in magna virtute, dicens: Te beatissime Cyrola, nostræ religionis Antistes, deprecor, vt respiciens manifestes gloriam ac virtutem tuam, vt oculos meos aperiens, merear lucem videre, quã perdidi. Qui iussa complens, residensq; in platea transeunte hæretico cum Sanctis Dei, iste qui Deum irridere cogitabat, exclamat in magna virtute, dicens: Audi me beatissime Cyrola: audi me sancte sacerdos Dei: respice cæcitatem meam: experiar ego medicamenta, quæ sæpe cæci reliqui à te meruerũt, quæ leprosi experti sunt, quæ ipsi etiam mortui præsenserunt. Adiuro te per ipsam virtutem quam habes, vt mihi desideratam restituas lucem, quia graui sum cæcitate percussus. Veritatem enim nesciens, verum dicebat: quia cæcauerat eum cupiditas, & virtutem Dei omnipotentis irridere per pecuniam æstimabat. Tunc hæreticorum Episcopus paululum se diuertit, quasi in virtute triumphaturus, elatus vanitate atque superbia, posuit manum suam super oculos eius, dicens: Secundùm fidem nostrã, qua rectè Deum credimus, aperiantur oculi tui. Et mox vt hoc nefas erupit, risus mutatur in planctum, & dolus Episcopi est patefactus in publico: nam tantus dolor oculos miseri illius inuasit, vt eos digitis vix comprimeret ne creparent. Deniq; clamare cœpit miser, ac dicere: Væ mihi misero, quia seductus sum ab inimico legis diuinæ. Væ mihi, quia Deum per pecuniam irridere volui, & quinquaginta aureos accepi, vt hoc facinus perpetrarem. Ad Episcopum autem aiebat: Ecce aurum, redde lumen meum, quod dolo tuo perdidi. Vosq; rogo glorioſissimi Christiani ne despiciatis miserum, sed velociter succurrite pereunti. Verè enim cognoui, quia Deus non irridetur. Tunc sancti Dei misericordia moti: Si, inquiunt, credis, omnia possibilia sunt credenti. At ille clamabat voce magna: Qui nõ crediderit Christum Filium Dei, & Spiritum sanctum æqualem habere substantiam atque deitatem cum Deo Patre, hodie quæ ego perfero patiatur. Et adiecit: Credo Deum Patrem omnipotentem, credo Filium Dei Christum Iesum æqualem Patri, credo Spiritum sanctum Patri & Filio cõsubstantialem atque coæternum. Hæc illi audientes, & se inuicem honore mutuo præuenientes, oritur inter eos sancta contentio, quis oculis eius signum beatæ crucis imponeret. Vindemialis verò ac Longinus Eugenium, ille autem è contra eos exorat, vt manus imponerent cæco. Quod cùm fecissent, & manus suas super caput eius tenerent, sanctus Eugenius crucem super oculos cæci faciens, ait: In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti veri Dei, quem trinum in vna æqualitate atque omnipotentia confitemur, aperiantur oculi tui. Et statim ablato dolore ad pristinam redijt sanitatem.

Erasmus Roterodamus. 1530.

In Diatribe, de libero Arbitrio: Apostoli quoniam excutiebant viperas, sanabant ægrotos, excitabãt mortuos, impositа manu dabant dona linguarũ: ita demum creditum est, & vix creditum est illis, paradoxa docentibus. Nunc cùm iuxta communem opinionem adferant paradoxotera, nullus illorum adhuc extitit, qui vel equum claudum sanare potuerit.

Contra Lutherum de libero arbitrio: Lutherus priuatus nuper natus, cum suis amicis, in quibus nec tanta est eruditio, nec tantum ingenium, nec multitudo, nec magnitudo, nec sanctimonia, nec miracula, vt qui nec claudum quidem equum sanare queant.

Fridericus Staphylus. 1545.

In absoluta responsione contra Iacobum Smidelinum pagina 404. Possum ego redigere mihi in memoriam anno 1545. dæmoniacam quandam puellam, è Misniæ ditione adductã V Vittembergam ad Lutherum, ea spe, quòd Lutherus, ceu tertius Elias, puellam istam à malo dæmone liberaturus esset. Quamuis autem Lutherus ad hoc admirandum, & magni momenti opus, initio non patum difficilem se ostenderet, at tandem tamen iussit puellam duci in parochianæ Ecclesiæ V Vittembergensis

genſis ſacrarium, illicq; coram alijs pleriſq; Doctoribus & eruditis viris (inter quos tũc ego quoque iuuenis magiſter aderam) dæmonem cœpit adiurare, & exorcizare: ſed id tamen more ſuo, non eo, qui apud Catholicos receptus & vſitatus eſt. Cùm autem ille diu multumq; coniuraſſet dæmonem, cedere ille noluit, ſed eas in anguſtias (ſit venia verbo) Lutheri caligas redegit, vt is quamprimùm è ſacrario ſe proripere vellet. At quid accidit? Malignus ille dæmon vſque adeò fores ſacrarij obſtruxerat, vt neque forinſecus, neq; intrinſecus aperiri poſſent. Quæ res Lutherum in maiores etiam anguſtias adduxit, ita vt iam ad feneſtram properaret, ſperans ſe per eam poſſe effugere, atque exilire. Verùm obſtabant illi cancelli ferrei, ſicq; compulſus eſt vnà nobiſcũ tam diu incluſus hærere, donec per cancellos ferreos ab ædituo nobis eſſet oblata ſecuris, mihiq; ceu iuniori viro tradita, vt ea fores effringerem. Quod equidem tum conatus ſum, & ad effectum perduxi. Interea verò viſu admirandum erat, vt Lutherus angoribus correptus, ſurſum deorſum curſitaret, atque inſtar ouis parturientis huc illucq; ſe inuerteret.

Hieronymus Boſſecus. 1560.

Vitæ Ioannis Caluini cap. 13. Brulleus Oſtuno Geneuam vigentis illic religionis ſtudioſus demigrârat: & cùm inops eſſet, atque pauper, vterque ipſe & vxor Caluini gratiam aucupabãtur, vt ei commendati peculij pauperum, cuius ipſe loculos geſtabat, eleemoſynarumq; fierent participes. Eis Caluinus vitæ ſubſidia benignè pollicetur, alijsq; in rebus ſe adiuturum promittit, ſi ipſi contra ſuam operam ſibi non negarent ad rem quandam, quam per eos fieri vellet: ſed opus eſſet fide & magna taciturnitate. Viciſſim autẽ illi ad hoc, quod iubere vellet, promptos ſe offerunt. Et quemadmodum à Caluino edoctus, inſtructusq; fuerat, miſer hic Brulleus morbum ſimulat, & ſe in lectum abijcit. Miniſtri pro concione populo commendant, vt precibus iuuarent, & eleemoſynis paupertati ſuccurrerent. Non diu poſt perſonam mortui induit, & quidem mortuum ſe ſimulat. Hic Caluinus clã admonitus, quaſi tamen omnium rerum ignarus, deambulatum prodit: ſed comitatus pro more ſuo magna caterua amicorum, qui ipſi ſingulariter coniuncti, & ſummè intimi eſſent, ſine quibus vix pedem domo efferebat. Poſtquam autem eò ventum eſſet, vbi clamores & eiulatus vxoris, quę miſellam & deſolatam aliquam mulierem egregiè exprimebat, exaudiret, quidnam hoc eſſet ſciſcitatus, domum ingreditur; vbi in genua ipſe & reliqua caterua prouoluitur, precibusq; alta voce profuſis, Deum obteſtatur, potentiam ſuam vt oſtendere, & mortuo huic vitam reſtituere, gloriamq; ſuam ſic vniuerſo populo declarare vellet, ſimulq; manifeſtum facere, ſe Caluinum peculiarem ſibiq; gratum ſeruum eſſe, & à ſe ad Euangelij ſui miniſterium atque Eccleſiæ reformationem ſingulariter & verè vocatum. Poſt quas preces ad mortuum appropinquat, & miſeri hominis manu apprehenſa, in Dei & Filij eius Domini noſtri Ieſu Chriſti nomine imperat, vt ſe erigeret, Deiq; ſic gratiam manifeſtam faceret. Repetit iterum, ſæpiusq; eoſdem ſermones voce etiam altius eleuata. Quid fit? neque audit, neque loquitur, neque ſe commouet mortuus: iuſto enim Dei iudicio, qui fucos mendaciaq; deteſtatur, is, qui ſe mortuum ſimulabat, verè eſſe mortuus repertus eſt, & vxor, quicquid eum agitaret, quomodocunq; eum impelleret, neque vocem extorquere, neque vt ſe commoueret, efficere potuit; ſed totus frigebat, rigebat totus. Quo animaduerſo plorare, vlulatus ſeriò edere, & ex animo cœpit vxor, & in Caluinum inuecta, impoſtorem eum, ſicarium, latronem, qui maritum interemiſſet, appellans, ex ordine rem, quomodo erat geſta, clara altaq; voce expoſuit. Quæ cùm neq; admonitionibus vllis permoueri, neq; minis ſatis terreri poſſet, vt taceret, Caluinus apud maritum mortuum ea relicta, illinc ſe ſubduxit, in vulgus ſpargens mœrore ex mariti obitu deliram, ideoq; excuſandam, & hoc illi indulgendum eſſe. Certum hoc eſt, conuentum cum ea deinde, vrbe vt excederet, & eſt ipſa Oſtunum reuerſa, nupſitq; poſteà Miniſtro, quem Couldreum vocabant. Negent autem hoc quantum velint Caluini mancipia, exploratum & cognitum ſatis fuit, veritasq; rei ſatis probata; immò per ipſammet vxorem confirmata, quæ nihil minus erat, quàm mente capta; vt quæ nihil loqueretur abſonum, neque quod à ratione alienum eſſet.

FINIS.

LAVS DEO, VIRGINIQVE MATRI.